ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

JO. JAC. MANGET. M.D.

BIBLIOTHECA MEDICO-PRACTICA

SIVE

RERUM MEDICARUM THESAURUS CUMULATISSIMUS

QUO

OMNES PRORSUS HUMANI CORPORIS MORBOSÆ AFFECTIONES

Tum ARTEM MEDICAM in Genere, Tum CHIRURGICAM in Specie, ſpectantes

ORDINE ALPHABETICO EXPLICANTUR.

ET

PER CURATIONES, CONSILIA, OBSERVATIONES, ac CADAVERUM ANATOMICAS INSPECTIONES, tam hinc inde proprias, quàm à variis, iiſque præſtantiſſimis Authoribus, Veteribus & Recentioribus, petitas, abundè, imò & curioſè, tractantur.

TOMUS QUARTUS.



GENEVÆ;

Sumptibus JOAN. ANT. CHOUËT ET DAVID RITTER.

M. DC. XCVIII.

BIBLIOTHECÆ
MEDICO-PRACTICÆ
LIBRI DECIMI QUARTI.
PARS ALTERA
SEV
CONTINUATIO MORBORUM
à Litera P incipientium.

PEDICVLI
Vid.
PHTHIRIASIS.

PEDUM FOETOR.

PEDUM fœtor eſt odor teter ac hircum olens, ex ipſorum poris exſpirans, & à miaſmatis putridis obortus.

Hic affectus ſæpe adeo pertinax eſt, & intolerabilis, ut eum adſtantes ferre nequeant, unde in Actis Haffnienſibus traditur hiſtoria fœminæ tam abominabilem fundentis pedum fœtorem, ut nullus niſi bene odoratis probè munitus ipſi aſſidere valeat. Sæpiſſime autem occurrit in iis qui pedes ſuos negligentiùs muniunt linamentis ac ſoccis.

Paracelſus pro eo abigendo ſuadet varia arcana ſudorifera, & in ſpecie chelidonium calceis imponendum; nihil verò magis juvat quàm mundities, quando ſcilicet pedes ſemper novis muniuntur ſoccis. *Joh. Dolæus in Encyclopediâ Chirurgicâ rationali.*

PENIS MORBI.

PEnis, ſive virile membrum nexu validiſſimo oſſium pubis medio alligatur; figuræ eſt oblongo rotundæ, inferiùs paulùlum depreſſæ. A communibus denudatus integumentis partes ejus reteguntur propriæ, muſculorum ſcilicet paria duo, quorum primum ab oſſis iſchii tubere atque margine erumpens, & in validam nerveorum, ſeu ſpongioſorum ac celluloſorum corporum membranam procurrens, ibidemque deliteſcens, attrahens non immeritò dicitur. Alterum quod à ſphincteris quibuſdam faſciculis oriundum, ac ſuper urethram progreſſum, eam undique quaſi complectitur, & in præmemoratam tandem abiens membranam, ibidem terminatur, compreſſoris nomine non malè inſignitur. Tertium quandoque, ſed raro, additur, quod è ſitu tranſverſo nomen habet: A coxendicis apophyſi parum infra primos penis muſculos erumpens, inter ſphincterem muſculoſque comprimentes urethræ baſi inſeritur. Præter muſculos deſcriptos, inter partes proprias aliquo modo recenſeri meretur præputium; quia ſcilic. non unicè ex tegumentis conflatur communibus iiſque laxioribus; ſed multis præterea muſculoſis faſciculis donatur, quibus nervoſis corporibus interiùs annectitur, & frænulo ſeu potius ligamentaceo-tendinea membrana glandi affigitur, quæ nihil cum prædictis tegumentis habet commune. At verò propriæ ſpecialiùs ſunt peni aliæ partes, duo nimirum corpora nervoſa, propter fibras nervoſas, & quaſi argenteas innumeras, ſic proculdubio dicta, quamvis à recentioribus commodius, ac magis ex eorundem fabrica; ſpongioſa & celluloſa nuncupentur.

Per ſpatium illis intermedium inferiùs decurrit urethra, ſeu canalis è collo veſicæ in extremum uſque penem pro urinæ ac ſeminis emiſſione prolongatus, quæ itidem præter tunicas à veſica urinariâ deſumptas, corpore exteriùs veſtitur ſpongioſo ſibi proprio. Atque pauca hæc

ſatis ſint pro penis deſcriptione, quam fuſiùs explicatam videre licet in Bibliothecæ noſtræ Anatomicæ Parte 1. Morbos quod attinet, illi ſunt multiplices, Diſtortio ſcil. ſeu Nodus verpi, Inflammatio, Inflatio, Verrucæ & Excreſcentiæ, Apoſtema, Tumor frigidus, Ulcera, Pruritus, Ganglium, Phimoſis, Paraphimoſis; Retractio, Longitudo immodica, Brevitas, Hydrops, Dolor, Hæmorrhagia, Vulnera, Gangræna, Glans imperforata, aut alieno loco perforata, & Cancer. Hos omnes ordine hic verbo perſequemur.

Diſtorſio, ſeu Nodus Virgæ.

Hic affectus illis accidit qui veneri nimis indulgent, & diu diſtento ſunt genitali: Tum enim ſpiritus in ligamentis, ſeu corporibus ſpongioſis, concluſus, in aliquam alterius ligamenti partem impetum faciens, eam relaxat, & fabæ, vel glandulæ inſtar, eam protuberare facit: quo fit, ut quantum latitudini aſſuetæ partis adjicitur, tantùm longitudini detrahatur. Curatur, abſtinentiâ a venere, & illis quæ curandæ Herniæ inſerviunt. Emollientia fugienda; Prodeſt fotus ex vino auſtero, in quo nuces pini & cupreſſi, roſæ rubræ, myrtilli, balauſtia &c. fuerint decocta. *Johan. Jonſtonus in Syntagmate Medico.*

Inflammatio & Inflatio.

Illæ, ut plurimum, ex impuro oriuntur concubitu, aut ſunt ejuſdem cum aliis inflammationibus naturæ, nec propterea particularem expetunt tractationem.

Verruca & Excreſcentia.

Illæ vel in ſummo glandis aſſurgunt, vel ad ejuſdem baſim ſub præputio latitant. De primis in fungum cancroſum degeneratis, vide ſuprà capite de Cancro obſervationem è Gulielmo Fabritio Hildano. De aliis vero vide quæ capite de Lue Venereâ, attulimus.

Apoſtema Virgæ.

Non alia ratione is curatur, quàm alia apoſtemata, ſeu tumores calidi abſcedentes, de quibus capite de Inflammatione.

Tumor frigidus.

Vix alius is eſt quàm qui ab Hydrope pendet, illum itaque conſultò hic omittimus.

Pruritus Virgæ.

Pruritus ex ſalſis ac acribus humoribus in penem effuſis, eadem prorſus ratione qua in aliis corporis partibus, oritur. Ille mitigari poteſt cataplaſmate ex acetoſâ, fumariâ, roſis rubris, & radice bryoniæ, aquæ cum pauco aceto roſaceo incoctis. Vel potiùs fotu ex aquâ phagedænicâ, pauciſſimò mercurio ſublimato imprægnatâ; aut litu ex unguento roſaceo admiſtâ mercurii præcipitati particula. Uno verbo, iis omnibus quæ in aliarum corporis partium pruritibus conferunt.

Ulcera Penis.

Illa, vel ſunt ſimplicia, quæ commode ſatis curantur medicamentis capite de ulceribus proponendis; vel maligna, quæ ſcilicet, vel venereum quid redolent, quorumque cura capite de Lue Venerea affertur; vel ad cancri naturam accedunt, de quibus tum infrà, ſed præcipuè capite de Cancro, ſub litera C. Sufficiat hic in genere dixiſſe, in iis omnibus penis ulceribus, quæ cancroſa non ſunt, proficua fore tum præcipitatum rubrum ac album, tum alia de quibus mox in pruritu. De Urethræ ulcere, indeque enata Caruncula, ſuo loco.

Ganglium Virgæ.

De eo mentionem facit Foreſtus lib. 26. Obſ. 8. dicitque duritie fuiſſe prope ſcirrhoſa, glandemque, ac etiam ipſius priapi dorſum ex parte occupaſſe. Quid autem in cauſa fuerit, cur ejuſmodi tumorem ganglion nuncupaverit, non videmus; quandoquidem illud tantùm in partibus aſſurgit tendineis, fibrarumq; tendinearum quædam quaſi corrugatio ac criſpatio vulgò creditur, ut propriò videre eſt loco, ſcilicet capite de Atheromate. Conducibilius itaque nobis videtur Virgæ Ganglium præmemoratum ad tumores reducere ſcirrhoſos, in cancros facilè abientes; de quibus propriis locis.

Phimoſis & Paraphimoſis.

Phimoſis nihil aliud eſt quàm præputii circa glandem penis conſtrictio, unde illud retrahi, atq; hæc pars nudari nequeat; quò fit ut ſeminis, imò etiam quandoque & ipſius urinæ emiſſio non parum impediatur. Paraphimoſis autem, priori contrarius affectus, eſt denudatio perpetua glandis, propter decurtatum, aut per inflammationem ex lue, violentiori coitu, aliaque de cauſa, retractum præputium. Ambo hi affectus ut plurimùm à virulentia oriuntur venerea partes genitales inflammante, ac in glande excoriationes pariente, quibus præputium adnaſcatur; At præterea ab humorum acriorum, nullo tamen veneno gallico infectorum, in eaſdem partes decubitu, procreari queunt. Sic ſæpius vidimus infantes alterutro horum morborum afflictos, in quos cadere non poterat aliqua luis ſuſpicio.

Si Affectus fuerit venereus, illi occurrendum erit fotibus variis emollientibus ac diſcutientibus, ut & remediis, de quibus capite de Lue Venerea, ubi ſcil. de variis morbi ſymptomatibus dictum. Si ſimplex fuerit nec à veneno venereo originem trahat; fotib. ac litibus tractetur. Imò, aliis non proficientibus, in Phimoſi, ad inciſionem præputii, per totam glandis in parte ſuperiori longitudinem, deveniatur; ſeparatoque etiam, poſt prædictam inciſionem, per ferrum, ſi opus ſit, à glande præputio, nova præpediatur adnaſcentia per interjectam plumbeam lamellam, vel telam utrinque emplaſtro de Vigo cum mercurio imbutam, ulcuſq; digerentibus, detergentibus ac cicatriſantibus ex methodo curetur: non neglectis interim auxiliis interioribus, purgantibus ſcilicet, variiſque anodynis, & humorum acrimoniam temperantibus ac diluentibus

tibus: Quibus omnibus præmittendæ, aut intercalandæ venæſectiones neceſſariæ. Atque hæc in genere ſatis, de iiſdem nimirum in ſequentibus fuſius ex variis Autoribus dicendum veniet.

Retractio Penis.

Hæc quandoque tanta eſt ut virga in imo ventre funerata videatur (ut verbis ſatyrici utar) ac potiſſimum accidit obeſioribus, ac ſenio confectis. Non tamen ab illa etiam ſunt immunes viri aliàs vegeti, ſed rarior ipſis eſt affectus: Oriri autem ille videretur à criſpatione & corrugatione univerſali fibrarum cellulas corporum cavernoſorum penis circumcingentium, unde illa, quaſi ſpongia manu compreſſa, denſantur & in minimam contrahuntur molem. Curam quod ſpectat, non video qualis illa futura ſit, niſi affectus à metu ſit procreatus, ut aliquando evenit, tunc enim amota cauſa, fugatur morbus.

Longitudo penis immodica, & ejuſdem brevitas.

De iis variæ ſunt hiſtoriæ, noſque ipſi aliquando vidimus tantam verpi longitudinem, ut ne mulieri vir ſic eſſet omnino moleſtus, ille ad radicem pulvillis muniri debuerit, qui introductionem integram in coitu præpedientes, illum quaſi decurtarent. Brevitas nimia, eaque naturalis nulla arte curari poteſt.

Hydrops penis.

Ille ut plurimum ſequitur abdominis hydropem ac propterea ſpecialem non exquirit tractationem.

Dolor, Hæmorrhagia, Vulnera, Gangræna, ut & etiam Glans imperforata ac Cancer, propriis explicantur capitibus, ac propterea ab iiſdem hic aliàs quam per obſervationes enarrandis, ſuperſedebimus. Unicum hic adjiciendum venit: ſcilicet.

Operatio Aurelii Cornelii Celſi in Recutitis.

Si glans nuda eſt; vultque eam aliquis decoris causâ tegere, fieri poteſt, ſed expeditiùs in puerô, quàm in virô; in eô cui id naturale eſt, quàm in eô, qui quorundam gentium more, circumciſus eſt; in eô cui, glans parva, juxtaq; eam cutis, ſpecioſior verò ipſe coles eſt, quàm in quô contraria his ſunt. Curatio autem eorum quibus id naturale eſt; ejuſmodi eſt. Cutis circa glandem apprehenditur & extenditur, donec illam ipſam condat, ibique deligatur. Deinde juxta pubem in orbem tergus inciditur; donec coles nudetur: magnâque curâ cavetur, ne vel urinæ iter, vel venæ, quæ ibi ſunt, incidentur. Et factô, cutis ad vinculum inclinatur, nudaturque circa pubem velut circulus, eoque linamenta dantur, ut caro increſcat, & id impleat, ſatisque vehementi ſuprà latitudo plagæ præſtat. Sed, donec cicatrix fit, vinctum eſſe id debet, in mediô tantùm relictô exiguô urinæ itinere. At in eô qui circumciſus eſt, ſub circulô glandis ſcalpellô diducenda cutis ab interiore cole eſt. Non ita dolet, quia ſummô ſolutô, deduci deorſum uſque ad pubem manu poteſt. Neque ideò ſanguis profluit. Reſoluta autem cutis, rurſus extenditur ultra glandem. Tum multâ frigidâ aquâ fovetur, emplaſtrumque circa datur, quod valentem inflammationem reprimat, proximiſque diebus, ut propè à fame victus eſt, ne forte eam partem ſatietas excitet: Ubi jam ſine inflammatione eſt, deligari debet à pube uſque circulum. Super glandem autem adverſô emplaſtrô impoſito induci. Sic enim fit, ut inferior pars glutinetur: ſuperior ita ſaneſcat, ne inhæreat.

Conſultationes.

De φιμώσει.

Filio H.M. Conſulis contigit affectus qui Græcis φίμωσις dicitur. A causâ procatarctica fuit. Nam cùm pruritui ſatisfacere volens partem defricaret, ulcuſculum contigit. Neglectum verò, diuturnitate cicatricem callumque contraxit. Hinc reſtrictâ. coactâque cuti, glans detegi non poteſt. De eâ affectione ita ſtrictim dicendum, φίμωσις ἢ παραφίμωσις, indifferenter & ad viros & ad mulieres pertinet. Id aut caſu, aut naturâ contingit. Si in viris glans non detegitur, ſed præputium undique ferè coaleſcit, φίμωσις dicitur. Si ita glans denudata, deductô retrorſum præputiô ut tegi nequeat παραφίμωσις dicetur. Quanquam & φίμωσις Manardo vocatur. In mulieribus aliquando ſinus pudoris oſtiolum non eſt perforatum, & ſi id à naturâ eſt, ἡ γυνὴ ἄτρητος dicitur Imperforatas Avicennæ interpres vocat. Si verò caſu evenerit, in muliere quoque φίμωσις appellatur. Barbari id vitii capiſtrationem vocant. Et cùm naturalis eſt meatuum præcluſio φιμώσεως nomine donatur; quacunque id corporis parte eveniat. Sed, κατ᾽ ἐξοχὴν de præputio dicitur. Porrò ἀπὸ τοῦ φιμοῦ etymon eſt φιμώσεως; φιμὸς autem ſignificat nexum ſummi oris perarum & ſacculorum, cum toto ſuperiore ejus ambitu in anguſtum collecto funiculo religantur. Guido Cauliacus præputii clauſionem vocat. Paulus Ægineta omnium pleniſſime egit. atque ad φίμον in mulieribus laudat inſeſſus emollientes ex hydræleo, & decoctô fœnigr. item catapl. inſtituit. In viris ſæpe fit, aut ob cicatricem quæ in præputio concrevit, aut ex carnis incrementô unde coalitur ſecutus fuerit. In hoc adoleſcentis ſuſpicio magna fuit ulceris, quanquam & à naturâ viſa eſt hæc pars aliquantùm imminuta. Ad finem glandis ulcus erat ἰχωρώδης. Deterſum eſt & curatum. Tandem ſpongiæ ſunt inditæ anguſto meatui, ut is magis pateret. Parum profectum eſt. Cogitabatur de amputatione, aut inciſione rectâ præputii flaccidioris & oblongioris. Res in aliud tempus dilata eſt. Nil moleſtiarum afferebat, at metus erat ne non corrumpere virginem poſſet. Nec id abs re, anguſtus enim valdè meatus eſt. Dum hæc agitarentur, occurrerunt duo eandem φίμωσιν geſtantes qui in palæſtrâ venereâ ſe non minùs ſtrenuos & aptos, quàm reliquos affirmarent. Et alter jam quinos liberos ex uxore ſuſceperat. *Gulielm. Ballon. Conſilior. Medicinal. lib. 2.*

De Paraphimoſi.

Vir erat annos natus ſexaginta paraphimoſin in balanô habens, dubitabatur an à lue, an à nimiô conatu, an ob fluorem muliebrem uxoris: malignum quid phlogoſis & tumor & replicatio præputii præ ſe ferebat.

Conſultum ut corpus diligenter purgaretur, aut opiatâ laxativâ, aut ſolenni ſyrupo.

Phlebotomia brachii, imò malleolorum ſi phlogoſis gliſcat.

Balneum, litus, & prægrediens fotus mollis ad partem.

Uſus radicis ſaſſafras, aut ſcynæ additis ſantalis, ob intemperiem hominis, in potu, & poſt opiatam convenientem cardiacam: iniectio detergens, & parum emolliens, inter balanum & præputium.

Emplaſtrum de mucilaginibus cum paucô Neapolitano. Immò pilulæ mercuriales valebunt; & levis ſectio malo rebellante, *Idem Conſiliorum lib. 3.*

Obſervationes.

De præputio monſtroſo ejuſque abſciſſione.

Juveni cuidam viginti duorum annorum ætatis, ab ipſa nativitate præputium præter modum naturalem, & nonnihil monſtroſè propendebat. Ita enim verſus anteriorem partem contortum erat, ut effluente urina, ipſa ſurſum verſus abdomen efflueret. Hinc veſicam commodè, & ſine madefactione veſtimentorum nunquam exonerare potuit, niſi ſolutis ligulis ad latrinas ſeſe conferret. Etſi autē pars illa præputii, ut poſtea ex delineatione videbis, non ſimplex eſſet membrana, ut eſt præputium ſecundùm naturam formatū, ſed potius ſubſtantia quædam carnoſa, effluens tamen urina ſub ipſo præputio retinebatur, ipſumque uſque ad mediam partem penis mirum in modum extendebat. Propter contorſionem enim & complicationem præputii, lotium per ſe omnino effluere non potuit, niſi digitis diu emulſâ glande atque præputio; propter continuam hancce emulſionem urinæ, & contrectationem glandis membrum virile magnitudinem naturalem multùm excedebat. Porrò victus ratione, purgationibus, & venæ ſectione ad operationem bene præparato corpore, ægrum in dorſum collocavi, & inſtrumento caſtratore à Chirurgis dicto, apprehenſo & conſtricto præputio, ipſum juxta glandem abſcidi. Deinde pulverem, reliquaque, quæ ad cohibendam hæmorrhagiam neceſſaria, poſteà digeſtivum, & quæ cicatricem inducunt, applicui. Ne autem perpetuum intempeſtivè, & præter modum contraheretur, fiſtulam plumbeam impoſui. Sic divino aſpirante Numine feliciter curatus fuit. Verùm id notandum eſt, me nulla arte aut induſtriâ præputium retro glandem retrahere, ipſiuſque coalitionem impedire potuiſſe, quod quidem propter carnoſam illam ſubſtantiam, de qua antea dixi, accidiſſe certum eſt. Urina tamen nunc abſque ullo impedimento, & copioſè & rectâ effluit: nec dubito, quin ſperma idem facturum ſit, cùm ad matrimonium pervenerit, etiamſi balanus à præputio detegi minimè poſſit.

Nota) quòd nulla arte aut induſtria præputium retro glandem retrahere, ipſiuſque coalitionem impedire potui. Ea de cauſa quòd æger in prima operatione conſentire noluit, ut ſuperfluum omne abſcinderem, glandis enim læſionem ſupra modum timebat: pars itaque ſuperflua ita ex anteriore parte glandis coaluit, ut nullum ferè foramen pro evacuatione urinæ reſtaret. Quapropter cùm iterum ad me veniſſet, de præputio particulam ad pollicis latitudinem feliciter abſcidi. Hinc præputium adeò retractum fuit, ut amplius glandem obtegere non poſſet, nullum tamen incommodum inde perſentit, & nunc in matrimonio ſatis commode vivit. *Gulielm. Fabricius Hildan. Obſ. Chir. Cent.* 4.

De Penis abſciſſione.

In bello inter Ducem Sabaudiæ & Genevenſes, cuidam militi in velitatione membrum virile ictu ſclopeti ablatum fuit. Genevam deductus à Dn. Johanne Griffonio, Chirurgo longè celeberrimo, feliciter ſanitati reſtitutus fuit, ſed in iſto viro hæmorrhagia non uſque adeò magna ſequuta fuerat; alioquin propter profuſionem ſanguinis, hujuſmodi operationes periculoſas eſſe, exempla non deſunt; ſed nunc ea addere, tempus & occupationes non permittunt. *Gulielm. Fabric. Hildan. Obſerv. Chir. Cent.* 3.

De periculoſa membri virilis abſciſſione.

Præcedenti obſervatione de felici ſucceſſu abſciſſionis membri virilis egimus. Nunc verò periculoſas eſſe ejuſmodi operationes, ſi minùs rectè adminiſtrentur, duabus ſubſequentibus hiſtoriis planum faciemus.

Anno 1581. cum ruſticus quidam à Filtin, *à la Marche* Galliæ civitatem, penus ſibi comparandi gratia, profectus fuiſſet, & crumenam ponderoſam collo appenſam geſtaſſet, à manticulario quodam exploratus erat, qui quum de modo crumenam illam abſcindendi deliberaſſet, id imprimis notavit, quod corpore antrorſum inclinato, crumena in caligas propenderet, eadem verò corpore rurſus erecto, denuò ſurſum verſus regionem umbilici retraheretur. Hæc cum manticularius probè obſervaſſet, ac ruſticum ante officinam quandam merces perluſtrantem conſpexiſſet, clam accedit, & per fiſſuram caligarum manu crumenam & membrum virile apprehenſum, ſimul & ſemel abſcidit. Miſer verò ille ruſticus in terram procidens, illico animam efflavit. Hiſtoriam hancce ex ore Humberti le Page, civis Lauſannenſis, viri pii ac fide digni, compatris mei plurimùm honorandi, hujuſque rei teſtis ocularis, excepi.

Anno 1582. Cùm quadragenarius quidam Hildanæ in patria mea, ulcere quodam fœtido ac maligno in ipſo balano laboraret, in manus Chirurgi non uſque adeò imperiti incidit. Is abſciſſo balano, nec pulveribus ad ſanguinem ſiſtendum validis, ſatis inſtructus, interim dum ferrum quoddam, quod primò illi in culina ad manus erat, calefaceret, tanta ſubſequuta hæmorrhagia, ut æger paucos poſt dies è vita diſcederet: ex tanta enim ſanguinis profuſione vires adeò debilitatæ fuerant, ut in integrum reſtitui amplius non potuerint. Ex quibus ſummam in abſciſſione membri virilis diligentiam, providentiamque adhibendam eſſe, tyrones facilè colligere poſſunt. *Idem ibidem.*

De affectu quodam gravi præputii, & penis, ejuſque curatione.

Quadragenarium quendam, Virum robuſtum, unà cum Clariſſimo atque Doctiſſimo Viro, Domino Ludovico Scharandeo Reipublicæ Solodurenſis Helvetiorum Medico ordinario, curandum habui. Laboraverat ille à multis annis defluxione quadam humorum ad penem & præputium, quæ ipſum cum febre, rigore maximo, nauſea, dolore capitis, & lumborum corripiebat, & præcipuè poſt equitationem vehementem, aut exceſſum in compotationibus. Tunc enim prius exortâ febre, ut dixi, glandulæ in inguine dextro increverunt, mox quoque membrum virile & ſcrotum intumuerunt. Primis annis morbi ſui, non niſi bis aut ad ſummum ter in anno, à defluxione iſta corripiebatur, nec uſque adeò vehementer: purgato quoque corpore, ſecta item vena in cubito, & applicato Medicamento aliquo diſcutiente, facilè cedebat malum. Progreſſu tamen temporis, morbus contumacior factus, frequentiùs ipſum invaſit & difficiliùs curari potuit.

Nonnunquam enim talis durities in pene & præcipuè in ipſo præputio remanſit, ut ſpatio duorum menſium, illud retro glandem retrahere non poſſet. Ubi corpus aliquoties expurgavimus, ſudorem provocavimus, Topica quoque veluti Cataplaſma, unguenta, emplaſtra, & ſacculos emollientes, reſolventes & corroborantes applicuimus: tumor quidem & durities paulatim remiſerunt; ſed leviſſimo interveniente errore in victus ratione aut corporis agitatione, in eundem iterum incidit affectum.

Tandem An. 1619. cum tumor omninò evanuiſſet, nec durities ampliùs circa præputium adeſſet, deliberatum fuit inter nos, ut ſemel in menſe, aut de ſexta in ſextam hebdomade infuſum ſex granorum Croci Metallorum cum vino ſumeret: & bis aut ter in anno venam brachii dextri incideret. Loco affecto ſacculum adſtringentem & corroborantem, ex radicibus tormentillæ, biſtortæ, plantaginis, item ex balauſtiis, nucibus cupreſſi, corticibus granatorum, roſis, & ſimilibus, in aqua coctum, per menſes multos calidè applicuimus idque bis in die, mane videlicet, antequam lecto egreſſus fuiſſet per horam integram: Veſperi verò, poſtquam quieti ſe tradidiſſet, denuò ſacculum impoſuit, & per totam noctem, ſupra locum affectum reliquit. Ab initio per menſem integrum ſine intermiſſione, ſingulis videlicet noctibus, uſus eſt ſacculo, poſtea verò per intervalla, hoc eſt, ter aut quater in hebdomade tantummodò, ipſum applicuit.

Hâc methodo & hiſce remediis, non tamen omiſſa optimâ victus ratione, difficilis ille affectus depulſus fuit. *Idem Centur. 5.*

Paraphimoſis ex violento coitu, quomodo ſanata.

Sponſus quidam Juvenis, haud ex obſcura familia patriciorum Bernenſium oriundus, viginti quatuor circiter annorum ætatis, cùm Anno 1616. menſe Januario prima nocte ſponſam ſuam nimis arctè amplecteretur, nec unquam antea Venerem exercuiſſet, tanta cum violentia frænum ei abrumptum & præputium retrorſum fuit detruſum, ut maximus dolor & intumefactio totius membri virilis, inde ſequuta ſit. Ab initio, morbum propter verecundiam celavit, tandem verò cùm ſymptomata ingraveſcerent, me in conſilium vocavit.

Primò itaque victus rationem tenuiſſimam & refrigerantem præſcripſi. Deinde corpus cholagogis medicamentis expurgavi, & venam in brachio incidi, ſanguinemque ſatis lautè extraxi: aderat enim maxima plethora. Regionem renum unguento refrigerante bis in die inungere juſſi; loco verò affecto ſequens Cataplaſma applicui.

℞. Farinæ hordei ℥iv. Pulveris roſarum, Myrtillorum, an. ʒ ii. Balauſtiorum, Nucum cupreſſi, an. ʒ i.

Coquantur in aqua roſacea & plantaginis, parumq; aceti roſacei, fiatque Cataplaſma, addendo vitellum unius ovi. Applicetur tepidè & bis in die. His per dies aliquot adhibitis remediis, cùm dolores, qui ab initio acerbi & magni erant, remiſiſſent, appetitus ad Venerem & erectio membri, ipſum adeò vexavit, præcipuè noctu, ut tota curatio inde impediretur. Quotieſcunque enim membrum virile erigebatur, præputium adeò conſtringebat balanum ut mirum in modum inde auctus ſit affectus.

Cùm itaque hac de re anxius eſſem, juſſi ut per dies aliquot conſortium atq; familiaritatem uxoris, imò ipſius præſentiam planè evitaret. Deinde corpus iterum cholagogis purgavi, & lumbos oleis ſequentibus inungere juſſi.

℞. Olei violacei, Ex Nymphæa, Roſarum, an. ℥ß. hyoſcyami per expreſſ. ʒ ij. Caphuræ diſſolutæ in aceto roſac. ℈ i. Miſceantur in mortario.

His ita peractis, poſt cœnam, cum dormitum iret, doſin Laudani exhibui: Melius ea nocte quievit, minorque membri virilis fuit erectio.

Quum itaque aliquoties exhibitionem Laudani iteraſſem, inunctiones quinetiam lumborum & applicationem Cataplaſmatis continuaſſem, tumor membri virilis brevi remiſit, ut non diu pòſt, præputium & retrorſum detrahere, & antrorſum reducere, balanumque obducere poſſet æger. Convaluit, & ab eo tempore liberos aliquot ex uxore ſua recepit.

Admonitio ad Tyrones.

Vide atque etiam vide, Candide Lector, ne prædictum cataplaſma applices, ſi Paraphimoſis ex impuro congreſſu cum ſcorto acciderit. Materia enim maligna ad interna viſcera repelleretur: hinc maligna ulcera ſequerentur, ut ſequenti Obſervatione fuſius dicam. *Idem ibidem.*

De Phimoſi & Paraphimoſi ex impuro coitu.

In præcedenti Obſervatione de Paraphimoſi ex intempeſtivo, licito tamen & puro coitu orta egimus, nunc viſum eſt etiam de Phimoſi & Paraphimoſi, propter illicitum & impurum congreſſum cum meretrice nonnihil adſcribere. Inter ſcortatores enim ſatis frequens eſt malum & ut plurimùm difficulter ſanatur, uti ego

ſæpiſſime vidi. In congreſſu etenim iſto illicito, nimiumque luxurioſo, cum meatus totius corporis & præcipue membri virilis (quia poroſum eſt, ſint aperti) facilime vaporem aliquem malignum & impurum, (ex ſcorto, quod aut lue Venerea, aut fluxu menſium, vel fluxu albo laborat, aut paulo ante cum Viro aliquo Gonorrhœa virulentâ laborante, rem habuit) ad ſe attrahit.

Hinc primò pruritus circa glandem & præputium, qui ab initio voluptatem aliquam adferre videtur, oritur: mox tamen incaleſcente materia circa glandem & præputium incluſa & acriore facta, fit ex pruritu dolor, totumque memorum virile intumeſcit; hinc præputium aut ante balanum contrahitur, & ita, ut vix urina libere perfluere poſſit, clauditur: aut retro glandem abducitur, ibique mirum in modum intumeſcit. Hoc malum Paraphimoſin, illud Phimoſin appellant Medici.

Sæpiſſime quoque ſequuntur ulcera virulenta & maligna in ipſo balano, quæ difficulter ſanantur, propter malignam qualitatem, quæ membro virili ex impuro coitu impreſſa fuit. Porrò cum propter malignitatem ex ſcorto contractam & membro virili impreſſam, tum etiam propter copiam humorum ex ſordido & impuro corpore, ad partem, uti dixi, poroſam & laxam decumbentium, tantam ſequutam fuiſſe putredinem, ut partem aliquam virgæ abſcindere neceſſe fuerit, memini, idque præcipue fit, ſi error in curatione committitur, quemadmodum poſtea dicam. Adderem exempla. Sed quia odioſum eſt, hæc & ſimilia quæ probus & fidelis Medicus veluti arcana penes ſe, ut docet Hippocrates in lege, continere debet divulgare, nomina ſupprimam, & potius quæ in curandis ægris obſervavi, in gratiam tyronum paucis adſcribam.

Eſt autem morbus iſte aut ſimplex, aut cum aliis gravioribus ſymptomatibus, veluti Gonorrhœa virulenta, lue Venerea, exulceratione & inflammatione conjunctus, (de dolore taceo, eſt enim veluti ſymptoma inſeparabile) quæ omnia diligenter perpendenda, ne quicquam in curatione omittatur. Ante omnia autem corpus, cum pharmacis, tum venæ ſectione à pravis humoribus expurgandum eſt. Novi Chirurgum quendam in Belgio, haud vulgarem, qui hujuſmodi ſcortatoribus Phimoſi & Paraphimoſi laborantibus, ſtatim ab initio infuſum Stibii hyacinthici exhibeat. Quod in robuſtioribus & pituitoſis corporibus non uſque adeo improbandum eſſe videtur; præcipue ſi loco Stibii, Crocus Metallorum acciperetur; Non ſolùm enim materiam peccantem evacuat, verùm etiam provocando vomitum, à loco affecto revellit.

Verùm in extenuatis & imbecillioribus corporibus, minime tutum eſſe Medicamentum ſciunt Practici. Sed & diligenter perpendendum & proſcribendum eſt, an ſcortum lue Venerea fuerit infectum, tunc enim à Croco iſto Metallorum, quia violentia quadam, etiam ex remotiſſimis corporis partibus ad centrum corporis trahit, atque ab omnibus Medicamentis per vomitum cum violentia purgantibus, abſtinendum eſt, ne materia peccans ex genitalibus ad hepar trahatur, & fiat ex particulari affectu univerſalis morbus, quod in aliquibus eveniſſe obſervavi.

Præſtat itaque uti ego ſemper maximo cum ſucceſſu feci, corpus clementer & blande expurgare, hunc in modum.

℞. Radicum Polypodii, Cichorii, Lapatii acuti, an. ℥ ii. Corticum interiorum radic. frangulæ, ℥ iv. Herbar. Scabioſæ, Fumariæ, Agrimoniæ, Veronicæ, Cuſcutæ, an. m. ß. Trium florum cordialium, & Geniſtæ, an. p. j. Folior. ſenæ ℥ i. Sem. aniſi. ℥ ii.

Coquantur in ℔ i ß. aquæ, donec colatura redeat ad ℥ x. In quibus infundantur & macerentur per noctem,

Rhabarbari electi ʒ iii. Turbith. gummoſi, Agarici recenter trochiſcat, Florum Tartari an. ʒ i ß. Cinamomi electi, & Specier. diarhod. abbatis, an. ℈ ii.

Expreſſioni fortiter, adde Syrupi roſat. ſolut. compoſiti cum Rhabarbaro, agarico & ſena, Syrup. de cichor. cum rhabarb. an. ℥ j.

Miſce, fiat Potio pro tribus doſibus, alternis diebus in crepuſculo matutino ſumendis cum cuſtodia.

Primò hauſtu purgato corpore, incidatur venæ in brachio & extrahatur ſanguis ſecundum virium tolerantiam & plethoræ magnitudinem. Poſt ſectionem venæ ſumantur reliqui hauſtus. Corpore clementer ſic purgato, tam pharmacis, quàm venæ ſectione, ſudor per dies aliquot movendus eſt, ut materia maligna, à ſcorto contracta, ſi forſan jam per corpus diffuſa fuerit; in halitum abire & per poros evacuare poſſit.

In hunc finem itaque

℞. Theriac. opt. ℈ ii. Cornu cervi uſti & præpar. ℈ i. Syrupi de ſucco limonum ℥ ß. Cum ſ. q. aquæ Cardui benedicti fiat potiuncula.

Pro delicatioribus,

℞. Lap. Bezoardici occidentalis grana viii. Magiſterii margaritar. ℈ ii. Confect. Alkermes ℈ i. Syr. de ſucco limonum, Aqu. cinamomi ſine vino deſtillatæ an. ℥ ß. Aq. card. benedict. q. ſ. fiat potiuncula.

Aut paretur decoctum ſudoriferum ex ligno Guajaci, radic. Chinæ, ſalſæ parillæ & ſimilibus.

Loco affecto, nonnulli ſtatim ab initio (quia inflammationem adeſſe vident) refrigerantia & repellentia, applicant, ſed malè; Materiam enim virulentam & malignam ex impuro coitu contractam repellunt, & in ipſam partem ſecludunt, unde poſtea virulenta & maligna ulcera oriuntur. Quum itaque præcipuum ſymptoma, quod ægros moleſtare poſſet, ſit dolor, ab ipſo curatio incipienda eſt. Sequens itaque applico Cataplaſma anodynum.

℞. Farinæ fabarum, Hordei, an. ℥ ij. Sem. cydoniorum ʒ i. Fœnigræci ʒ ii. Pulv. roſar. rubear. ℥ ß. Croci ℈ i.

Cum lacte vaccino fiat Cataplaſma. Adde vitellos ovorum num. 2. Applicetur calidè.

Totum membrum virile, niſi inflammationis vehementia obſtiterit (inflammationibus enim oleum, ut docet Galenus, adverſatur) ſequenti oleo inungo.

℞. Ol. amygdal. dulcium recenter extracti, Ol. roſarum an. ℥ i. Ol. de vitellis ovorum ℥ ß. Miſce.

Interim dum hæc adhibentur medicamenta, victus tenuiſſimus obſervandus eſt, à Baccho & libidinoſis ac venereis cognitionibus omnino abſtinen-

abſtinendum, propter cauſas quas in præcedenti Obſervatione recenſui.

Sed quia unica purgatio minime ſufficit, in hoc tam contumaciſſimo malo, neceſſe eſt purgationem præſcriptam reiterare.

Ego, non raro extracto corticum Eſulæ, in hoc affectu, uti quoque in Gonorrhœa virulenta & ſimilibus affectibus, maximo cum fructu uſus ſum; Videtur enim facultate quadam ſingulari haſce expurgare poſſe partes. Sedato dolore, ſi tumor circa glandem & præputium non cedit, ita ut præputium neque abduci neque reduci poſſit, fiat ſequens Cataplaſma:

℞. Farinæ fabarum, Lentium, Lolii, an. ℥iß. Pulver. roſarum, Abſynthii, Florum chamomill. Sambuci, an. ʒ i ß.

Cum decocto florum betonicæ, chamomillæ, ſambuci & roſarum fiat cataplaſma, addendo vitellos ovorum num. duos. Applicetur calide.

Hiſce remediis continuanda eſt curatio, donec præputium, ſi Paraphimoſis, in locum ſuum reduci: aut velut in Phimoſi, abduci & balanus denudare poſſit. Atque hæc eſt certa, vera, & ſecuriſſima Phimoſis & Paraphimoſis, ex impuro coitu contractorum curatio.

Quod ſi adfuerint alia quoque Symptomata, velut Gonorrhœa virulenta, aut ipſa lues Venerea, ulteriorem curationem indigent, de quibus hic agere inſtituti noſtri non eſt.

De exulceratione tamen glandis & præputii, quam Cariem vocant, unum aut alterum verbum addam. Quotieſcunque in Phimoſi aut Paraphimoſi ex impuro coitu contracta, frigida medicamenta applicantur, & materia illa maligna in partem affectam ſecluditur, tantam acrimoniam acquirit, ut inde maligna, putrida & virulenta ulcera, imò & nonnunquam Gangræna ipſa ſequantur. In curatione horum ulcerum iterum non levem errorem committunt quamplurimi, dum aqua, ut vocant, forti, aqua item plantaginis, cum vitriolo, alumine, viridi æris, unguento Ægyptiaco, & ſimilibus, ulcera abluunt, aliaque acria applicant: Hoc modo enim malum addunt malo.

Quandoquidem dolor, quem acribus illis medicamentis excitant, multos humores ex corpore ad locum affectum trahit, hinc inflammatio, aliaque Symptomata omnia accreſcunt indies: blandè igitur hujuſmodi ulcera tractanda ſunt, hunc in modum. Primò ſi ſordida fuerint, abluantur ſequenti decocto.

℞. Ligni Guajaci, ℥ i. Radic. Chinæ, Vincetoxici, Angelicæ, an. ℥ß. Herbar. Scabioſæ, Fumariæ, Abſynthii, Scordii an. p. ij. Roſar. rubear. m. j.

Coquantur in aqua ad conſumptionem tertiæ partis, colatura ſervetur ad uſum.

Si majorem abſterſionem voluerit, adde aliquid mellis roſacei.

Ablatis ulceribus, ſoleo ab initio, dum dolor adhuc vehemens eſt, applicare unguentum ex Cera, Terebinthina, Gummi Elemi, cum oleo Amygdalarum dulcium, oleo de vitellis ovorum, & croco: poſtea Cataplaſma anodynum ſupra deſcriptum.

Sedato dolore & ſatis digeſto ulcere, pulvere præcipitato, quem diligentiſſime Spiritu vini rectificato, ſæpiuſque aqua roſacea abluto, mundificanda ſunt ulcera, aut inſperſo pulvere per ſe aut cum butyro recenti, vel unguento roſaceo mixto, & filamentis impoſito. Mundificato ulcere, cicatrix inducenda eſt, unguento de Ceruſa, de minio, de pompholyge, aut ſequenti Collyrio.

℞. Aquæ plantaginis, & Roſarum, an. ℥ ii. Sem. cydoniorum contuſi ℈ ij.

Maneant in infuſione horas quatuor. Colaturæ fortiter expreſſæ, adde Plumbi ſquammoſi & ſubtiliſſ. triti, Antimonii crudi & diligenter pulveriſati, Cornu Cervi uſti, Ceruſæ lotæ, Lapidis calaminaris, an. ℈ ß. Corallorum præparator. ʒ ß. Miſceantur, & tepide cum linteis applicentur.

In Phimoſi ubi glans detegi non poteſt, prædictum decoctum ſyringa quotidie quater aut ſexies inter præputium & glandem injiciendum, diligenterque pus abluendum eſt, omnibus quinetiam modis laborandum, ut dolor ſedetur & intumefactio membri auferatur, quo ulcus præputio detegi & medicamenta ipſi imponi poſſint. Detegitur autem purgationibus iteratis, venæ ſectione & applicatione Cataplaſmatis, de quibus antea prolixe dictum. Detecto balano, ulcera ſi adfuerint, curanda ſunt, ſuperiùs præſcriptis auxiliis, quibus ſi non ſanantur ulcera, & luis Veneræ indicia adfuerint, propria ejus curatio adhibenda eſt. *Idem ibidem.*

De Paraphimoſi infantium, & ejus curatione.

Non tantùm ſordidi ſcortatores, propter graviſſima delicta fornicationis, hoc malo, certiſſimo iræ Divinæ indicio, ſæpiſſime graviter corripiuntur, imo & membrum virile aut partem ejus aliquando amittunt, verum etiam ipſi miſeri infantes, imo adhuc lactantes, ab ipſo immunes non ſunt.

Accidit enim nonnunquam ex prava victus ratione Nutricis, ut humor acris ad genitalia infantis decumbat, ibique pruritum excitet. Mox propter confricationem genitalium & acrimoniam urinæ, confluunt humores circa balanum & præputium, qui utplurimum flatulenti & pituitoſi ſunt.

Cum itaque penis ſit pars corporis poroſa & mollis, facilime humorem iſtum excipit & quidem adeo copioſe, ut mirum in modum extendatur præputium.

Nonnunquam quoque propter acrimoniam urinæ, inflammatio ſupervenit. Cæterum cum barbitonſores quoſdam ineptiſſimos, infantulos hoc modo laborantes, ſcarificationibus profundis & applicationib. medicamentorum acrium, crudeliſſime tractaſſe ſciam, Chriſtiana charitate commotus, placuit in gratiam ægrorum ſimul & tyronum hic adſcribere remedia, quibus ego multos infantulos, hoc malo laborantes, per Dei miſericordiam feliciter ſanitati reſtitui.

Primò, Nutrici victus rationem, quæ tenuis ſit & refrigerans, præſcribo.

Deinde ſecundum humoris prædominantis naturam, ipſam expurgo, utplurimum tamen ſequenti potiuncula.

℞. Rad. cichorii, Lapatii acuti, Polypodii, an. ʒi. Cortic. radic. frangulæ ʒii. Herb. ſcabioſæ, Veronicæ, Agrimoniæ, an. p. i. Flor. cordialium an. p. ß. Fol. ſenæ, & Sem. aniſi, an. ʒ ii.

Coquan-

Coquantur in aqua ut colatura redeat ad ℥ii. in quibus diſſolve Elect. de ſucco roſar. ʒii. Syr. roſ. ſol. compoſ. cum Rhabarb. Agaric. & ſenæ an. ℥ ß. Miſce, fiat Potio.

Si pituita in corpore prædominium obtinet, loco Electuar. de ſucco roſarum, ʒ iii. diacarthami ſubſtituo. Si plethora adeſt venam in brachio incido. Hujus medicamenti beneficio infans quoque purgabitur.

Sin verò ablactatus fuerit, à drachma una ad drachmas tres ſyrupi roſati ſolut. compoſiti, ipſimet infantulo cum ptiſana, aut decocto agrimoniæ & veronicæ exhibeo. Ab initio, ſi dolor & inflammatio adfuerint, ſequens applico Cataplaſma.

Accipio, Micæ panis albi ℥ iii. Pulv. roſar. rubear. Balauſtiorum ana ʒ ii. Croci ℈ j. Butyri recentis, ℥ i.

Ex quibus omnibus cum lacte vaccino conficio Cataplaſma, ſub finem addo vitellum unius ovi.

Hiſce remediis adhibitis, & prout neceſſitas urgebat, iterata potione purgante, aliquot infantulos Paraphimoſi laborantes ſanitati reſtitui. Si vero morbus adeò fuerit contumax: ut prædictis præſidiis non ceſſerit, applicetur ſequens Cataplaſma.

♃. Far. fabarum ℥ ij. Pulv. ſummitat. abſynth. Flor. chamomillæ, Sambuci an. ʒ iii. Pulv. ſem. fœnugræci ʒ ii. Cumini ʒ iii.

Coquantur cum vino rubro auſtero ad formam Cataplaſmatis, quod calidè applicetur bis in die. Si excoriatio aliqua adfuerit, loco vini accipio decoctum florum chamomillæ, meliloti, ſambuci & roſarum: Excoriationem quinetiam, ſequenti unguento inungo.

♃. Olei roſacei ℥ i ß. Ceruſæ lotæ, Tutiæ præparatæ, Cornu cervi uſti & præpar. Corallorum præparator. Plumbi ſquamoſi. (*Schiferbley*) an. ʒ i ß. Camphoræ diſſolutæ in aq. roſac. ʒ ß.

Miſceantur & agitentur tamdiu in mortario, donec formam Linimenti acquirant.

Annotatio,

Monitos velim Lectores, nonnunquam mihi adveniſſe infantulos, in quibus affectus adeo fuit contumax, ut ultra tres Septimanas circa ipſum occupatus eſſem, præcipue Anno 1607. circa Paterniacenſem infantulum, cujus Nutrix ſupra modum erat cacochymica, & proinde (mediante lacte) quotidie novam ſuppeditabat materiam peccantem. Quapropter Apozemata aliquot exhibui, aliquoties quinetiam gnaviter ipſam expurgavi, & ut optimam victus rationem obſervaret, juſſi. Quantum ad externa Medicamenta, quia eis quæ jam præſcripſi antea in multis feliciſſime uſus fueram, nihil in ipſis mutare volui; Ab eis enim, quæ cum ratione fiunt, ut docet divinus Hippocrates, ad alia tranſeundum non eſt, ſtante & perſeverante eo, quod à principio viſum eſt, nec alio interveniente Symptomate, quod à priore inſtituto recedere nos cogat. At in hocce ægro poſtquam mater ſemel atque iterum expurgata, venaque inciſa fuiſſet, & Cataplaſma ex mica panis albi, pulvere roſarum &c. quod antea præſcripſi, per dies aliquot applicuiſſem, dolor ſimul & inflammatio remiſerunt, tumor vero ultra dies quatuordecim in eodem permanſit, & quia antea in aliquibus pueris, (in quibus plura alia fruſtra tentaveram) idem mihi contigiſſe, tunc occurrebat, ab applicatione poſterioris Cataplaſmatis deſiſtere nolui, juxta ſententiam præſcriptam Hippocratis. Quid fit? Inſurgit tandem natura, materiamque peccantem è veſtigio expellit, & ita quidem, ut intra horas viginti quatuor omnino evanuerit & ſubſederit tumor. Idem & in aliis affectibus puerorum adveniſſe memini.

Anno 1618. Domini Chriſtophori Burckhardi civis Baſileenſis (quem honoris cauſa nomino) filiolum octodecim circiter menſium ætatis, unà cum Viris Clariſſimis atque Doctiſſimis Dominis Doctoribus, Martino Chmielecio & Johanne Friderico Wertenbergio, Baſileenſibus Medicis celeberrimis, curandum habui. Contraxerat puer ille ex Variolis; præter alia ſymptomata, tumorem ex materia pituitoſa & flatulenta circa malleolum ſiniſtrum, qui videbatur abſceſſum minari.

Cæterum cum hujuſmodi Apoſtemata circa articulos, ſint difficilis & longæ curationis, & nonnunquam nervos ipſaque oſſa erodant, conſtitutum fuit inter nos, omnibus modis tentare, an materia ipſa incluſa, poſſit per inſenſibilem, ut loquuntur, tranſpirationem evacuari.

Applicuimus itaque cataplaſma ex farina fabarum, lupinorum, lolii, pulvere florum chamomillæ, ſambuci, meliloti, baccis lauri, ſemine aniſi, cumini & ſimilibus coctis cum lixivio ſimplici & ſapa, addito Sale. Ad 15. aut 18. dies abſque ſucceſſu applicuimus Cataplaſma hoc, tandem ex calefacta materia in loco affecto, ſubito pruritus & herpes puſtuloſus aut miliaris ſupervenit; quapropter per diem unum aut alterum uſum Cataplaſmatis intermiſimus, & locum affectum unguento albo Rhaſis inunximus, & ut puer pedem pro libitu confricaret, ipſi permiſimus, & poſtquam ex puſtulis multum humoris effluxiſſet, imminutus eſt tumor circa articulum: Conſolidatis puſtulis, iterum Cataplaſma applicuimus, donec denuo exortæ ſint puſtulæ, quas ut antea unguento albo exſiccavimus, iterumque Cataplaſma applicuimus.

Hiſce per vices mutatis remediis, tandem feliciſſime ſanatus fuit affectus ille tam contumax atque rebellis. Hæc propterea adſcribo, ne Chirurgus toties mutet medicamentum quoties ſucceſſus quem ab ipſo exſpectat, non ſequitur illico. Frequenter enim apud pueros & imbecilles tempus requiritur, antequam natura medicamentum ex potentia in actum deducere poſſit; Non propterea tamen ab inſtituto deſiſtendum, ſed naturæ motus exſpectandus eſt.

Hinc videmus cauſam, cur plerumque Medici etiam fideliſſimi & optimi, tam graviter injuria afficiantur, ab iis ægrotis, qui veluti ſcortum meritorium, quotidie novos Medicos, plerumque etiam impios impoſtores & ſordidiſſimos carnifices adhibent.

Res autem ita habet. Sæpiſſime rationalis Medicus ægro Medicamentum ex arte præſcribit, & per dies aliquot, eâ quâ fieri poteſt diligen-

diligentia exhibet applicatque, abſque tamen ſucceſſu; Quemadmodum enim ſemen, quod in terram projicimus non illicò germinaſcit: & abſumptus cibus non ſtatim in ſanguinem convertitur: Ita quoque tempus requiritur antequam Medicamentum vires ſuas edere poſſit. Interim ſi imperitus aliquis, ægro medicamentum etiam ineptiſſimum exhibet, ac primum medicamentum tum demum vires ſuas exerit, ita ut convaleſcat æger: tunc primus qui ſanitatis author eſt, infamiâ opprimitur; poſtremus verò laudibus ad cœlum extollitur, donis quinetiam muneribuſque ſplendidiſſimis afficitur.

Johannes Birckmannus, quondam Medicus Colonienſis longè celeberrimus, ægro non ex infima familia oriundo, per dies aliquot remedia ex arte exhibuerat, parvo cum ſucceſſu. Quondam ſub multam noctem alius quidam Doctor Tilmannus nomine, vocatur. Is ut aliquid feciſſe videretur, Julepium ex Syrupis & aquis deſtillatis exhibet, quibus æger ita alleviatus fuit, ut altera die, cum Dominus Tilmannus ipſum denuo inviſeret: ipſi decem florenos, ut vocant, aureos offerret. Diſcedenti ab eo, ante ædes ægri, obviam venit Dom. Doct. Birckmannus, cui oſtendit munus dicens; Vide, vide, mi Domine Doctor, Tu Sementem feciſti, Ego Meſſem. Hæc ex ipſius Dn. D. Tilmanni ore, qui mihi fuit familiaris, habeo. *Idem ibidem.*

Infans Pene carens, in quo ſolum Præputii veſtigia.

Ludit, inquit Thom. Barthol. hiſtor. anat. rar. Centur. 4. hiſtor. 22. ſubinde natura in membris generationi inſervientibus, aliquando in defectu, nonnunquam numero excedente: addo, aliquando ea ſaltim abſcondendo, ut ex ſequentibus patebit. Cum anno 1674. die 7. Octobr. Nobil. & Stren. Dom. Frider. Wilhelm. à Stopler, Hæreditarium in Binder, Werſtete & Leck ſtett, una cum Ampliſſ. Dom. De Zigenvveide, Icto celeberrimo, animi recreationis ergo inviſerem, inter alia aiebat hic nobilis, quod haberet in pago ſuo Leckſtett ruſticum quendam, cujus filius circiter quadraginta hebdomadas natus Pene careret, & pro confirmanda relatione rogatu meo, patrem accerſiri jubebat. Is quamvis verum fateri tunc nollet, circa veſpertinum tempus tamen filium ad ædem nobilis apportabat, ubi prænobilis Viri narrata vera eſſe deprehendi. Ego vero iſta inſpectione non contentus, altero die matutino tempore, ipſe caſum adii, & puerum diligentius tractavi, nil tamen, niſi præputii væſtigia quædam inveni, lotium reddentia, ſcrotum, quod valde parvum erat, unum tantum teſticulum in ſe continebat. Interroganti, an ſemper ſine pendulo pene eſſet, pater reſpondit, more ruſticorum: *Das hat kein Noth. Wenn man ihn vor das Feur helt ein ſtreppelt. ſo kan he vvohl her vor krupun.* h. e. Præficiciſne! Si illum igni admoveas atque titilles utique penis emergere ſolet. An verum hoc ſit, equidem neſcio, nolebat enim me præſente monſtrare, ſi tamen res ita ſe habet, credo annis pubertatis magis foci, quàm flagellorum uſu in re venerea, de quo raram hiſtoriam edidit, *Joh. Hier. Meibomius à Th. Barth. iterum recenſitam,* hic opus futurum. *Friderici Lachmund.*

Subita Membri Virilis retractio.

Viennæ in platea Dominorum habitans, derepente privabatur membro virili, ita ut nihil penitus appareret præter ultimum præputii labrum: Veneficium ratus me in conſilium vocavit, Et carminativis fomento membrum priſtino ſtatui reſtitutum fuit: Erant enim duntaxat flatus intra triplicem membranarum veſicæ complexum incluſi & diſtenſi, qui membrum ad oculorum effugium retrahebant. *Pauli Sorbait.*

De Subitaneo membri virilis tumore tympanitico.

Anni 2. Ephemeridum Curioſorum Obſerv. 50. pag. 89. Dom. Pauli de Sorbait exhibebat ſubitaneam membri virilis retractionem, quæ, affinem hiſtoriam ut proponerem; anſam præbuit. Anno 1671. Miles quidam equeſtris Electoralis, ſub Centuria Nobiliſſimis Domini Gabrielis à Bergk Colonelli excubiarum, quoad faciem pallidus, cum commilitone & conterraneo non ut potaret, ſed vel tempus perderet, tabernam cereviſiariam ſanus ingrediebatur, commoratus inibi per horæ ſpatium, veſicam exonerandi gratia ad locum ſecretiorem ſe conferebat, & mox, extracto è caligis pene, illum magno cum ſtupore à regione pubis ad extremum uſque præputii ita vidit inflatum, ut glans penis non amplius in conſpectum veniret, ſed fermè tegeretur. Hoc viſo commilitoni rem narrat totam, ambo verò è veſtigio ad me confugiunt, rem, uti erat, narrant, conſiliumque petunt. Autopſia exploro rei veritatem, præmiſſo examine, utrum cum impura coiviſſet, quod ſanctè negabat, & deprehendo intumeſcentiam relatam momentanee in majorem accreviſſe tumorem, pellucidum, indolentem tamen, veſicæ inſtar inflatæ & vento repletæ, uti delineatio transmiſſa oſtendit, cujus Lit. A. Corpus penis, B. B. B. tumorem typaniticum repræſentat. Tumorem hunc Emphyſema eſſe cum Clariſſimo Sennerto ſtatuo, quia omnia ſigna diagnoſtica erant præſentia, quæ ponuntur ab Authore lib. 5. Prax. Medic. part. 1. c. 51. de tumore flatulento p. m. 179. Facili negotio, nimirum fotu, abſolvebatur cura inſtituta. *D. Melchioris Fribe.*

Tubercula in glande Penis.

Obſervavi ſub comitiis Imperii Ratiſponenſibus anno 1664. in Nobili adoleſcente, Phymata ſeu tubercula parva, rotunda, in exteriori parte carnoſa glandis Penis, ſub præputio pronata ex conſilio medici Galli floccis lintei albi deraſis & ſiccis impoſitis cum ſucceſſu bono diſturbata. *Helvvigii.*

Scholion Schröckii. φῦμα quid ſit, Johan. Gorræus explicat lib. 21. Definit. med. duplicem ejus ſignificationem ex Paulo Ægineta docens, quarum altera generalis & communis, omnes æquè tumores ἀποστηματώδεις in quacunque corporis parte p. n. exortus denotans, hiſce adoleſcentis

centis tuberculis convenire videtur, à ſero craſſiore in parte illa ſubſiſtente pronatis; quæ quidem à cauſa aliqua externa fuiſſe oborta, ſuſpicari liceret, ſi per Galenum, cujus ſententiam Gorræus adducit, integrum foret, dum is in Comm. 1. in lib. 6. Epidem. tumores hos prorſus ſine cauſa aliqua externa provenire ſcribit, maxime ſi extra corporis ſuperficiem extuberent. Hoc verò non obſtante, ſi tubercula iſta cum verrucis, myrmeciis, & thymis eodem ſub genere comprehendi dicerem, fortè non errarem. Similia ſanè ab impuro coitu propullulare ſolent; in quo ſi virulentus admodum glandi & adnexo præputio adfricetur humor, eo difficiliorem reddit curationem, & non exiguum membro genitali minatur periculum. Talis puſtula omnibus illicò, qui cum proſtibulo illo Bononienſi, cujus apud Johan. Schenkium obſerv. med. lib. 4. Andreas Petrus Peruſinus meminit, in glande excitabatur qua penis vitæ cum periculo paucis horis arrodebatur, niſi vel ſectione, vel uſtione, etſi dubio ſæpè eventu, occurreretur. Alias ubi magna corrupti humoris malignitas non adeſt, nec altius radices egit, facilius cura ſuccedit; in qua ſecreti loco ſabinam commendat Hieronymus Fabricius ab Aquapendente in Operationibus Chirurg. Cui tamen radicis petaſitæ pulverem Adrianum Spigelium prætuliſſe, Cl. Georg. Hieron. Welſchius Mictomimet. cent. 2. obſervat. 26. monuit; Utrumque autem, præter calefaciendi & ſiccandi facultatem, etiam attenuandi ac diſcutiendi virtute pollere, eſt notiſſimum.

Phimoſis.

Cum Norimbergæ adhuc praxin medicam exercerem, hortulani cujuſdam puellus biennis propè apiarium cubans ſive dormiens, ab apicula forte ictus, penis glandem cum ardore dolere, ac intumeſcere ſentiebat, ita ut & præputium vix retrahi potuerit. Quocirca ex conſilio meo parentes ſtatim linteis lacte vaccino tepido imbutis membrum involverunt, ac ſæpius iterando, extremitatem pennulæ oleo tepido amygdalorum dulcium tinctam foramini glandis, ac inter præputium & glandem inſeruerunt, indeque puellus brevi fuit ſanatus. Quod & poſtea Ratisbonæ quoque actitavi, dum puer quidam novennis ob pruritum, ex adfluxu forſan humoris ſalſi, glandis carnem, retracti præputio, nimis fricaſſet, & inflammationem magnam, abſque ulcere quidem, cum inſigni intumeſcentia cauſaſſet, ut facilè & difficulter glans obtegi quiverit; quem adfectum alias paraphimoſim appellare ſolemus. *Helvvigii.*

Scholion Schrôckii. Non ſordidos tantum ſcortatores graviſſima propter fornicationis delicta, hoc phimoſeos malo, ut certiſſimo iræ divinæ indicio, ſæpiſſime graviter corripi, ipſiuſque membri virilis jacturam aliquando incurrere, animadvertit Guil. Fabricius Hildanus cent. 5. obſerv. chir. 58. verum ipſos etiam miſeros infantes, imò adhuc lactantes, haud eſſe ab eo immunes; cum nonnunquam ex prava nutricis diæta humor acris ad genitalia infantis decumbat, ibique pruritum excitet; unde propter genitalium confricationem ac urinæ acrimoniam humores flatulenti & pituitoſi ad partes illas confluant, præputium mirum in modum extendentes, nonnunquam etiam ab urinæ acrimonia, inflammatione ſuperveniente. Quem tamen adfectum, duriori rejecta ineptiſſimorum barbitonſorum methodo; molliori cura tollere monſtrat. Nec tantum e nutricum errore, ſed & alias ob cauſas eundem, alterumque ei oppoſitum, oriri, ſuavioríque modo fuiſſe edomitum, præſentes Auctoris noſtri Obſervationes docent. Quamvis nec omnes adultos, quos phimoſis vel paraphimoſis vexat, ſordido iſti ſcortatorum numero includere conveniat, cùm etiam (ut de phimoſi ab ipſa nativitate, primæ conformationis vitio, infeſta nihil dicam) in primo ac forti conflictu venereo hanc præputium incurrere, Exc. D.D. Jo. Theodor. Schenkius, Exerc. anat. 8. pag. 651. ſcribat, atque paraphimoſeos exemplum habeat Hildanus l. c. obſ. 56. ſponſi cujuſdam juvenis, nunquam antea venerem experti, cui ex nimia violentia frænum abruptum atque præputium retrorſum fuit detruſum, maximo cum dolore & totius membri virilis tumore. Sic & juvenem noviſſe ſe ſcribit Petr. Foreſtus lib. 26. obſerv. 7. cui, crebrius cum nuper ducta uxore venerem exercenti, cutis illa cole valde inflammato, reduci poſtea non potuerat. Quos tamen leniora tantum topica facile curaſſe conſtat; In utroque adfectu, ex fervido coitu procedente, ſi glans tumida remanens diu foveatur aqua frigidiſſima, detumeſcere eam, ſicque præputium attolli vel deprimi poſſe, notat Joan. Riolanus, ſecretum id vocans admirabile, Enchirid. anatom. pathol. lib. 2. cap. 31. Cum viciſſim ſcortatoribus hoc malo correptis, ob virulentiam, quæ ut plurimum iſtis mercedis loco communicatur, impacti humoris difficilior medela communiter obtingat; licet & illos facillima quandoque opera curari, & quendam lactis tantum muliebris tepidi lotura fuiſſe ſanatum, ex obſervatione Marcelli Cumani, in Sylloge obſerv. medic. Welſchio noſtro recenſita, compertum ſit.

Penis cancroſi amputatio.

Uterum prolapſum, & in prodigioſam molem auctum, extirpari poſſe, ex obſervationibus præcedentibus patet: quod tamen nunquam moliendum ſine catheteris immiſſione in Urethram, antequam ligetur Uterus, ne tam abominabile malum ſimul ſequatur, qualem alibi depingimus, ſcilicet conſtrictio etiam meatus urinarii. Non minùs etiam penis virilis deſperatè corruptus extirpari poteſt, modò omnia ritè peragantur. Ruſticus quidam ſuburbanus à duobus annis incidit in ſcirrhum extimam partem penis obſidentem, tandemque in carcinoma exulceratum degenerantem, inque tantam molem auctum, ut pugni magnitudinem adæquaret. Joachimus Schraderus Chirurgus ſatis verſatus, qui huic curæ præerat, in conſilium vocavit expertiſſimum Dom. Doctorum Hiddinghme, & Andream Boekelmannum, cum ejuſdem filio Cornelio. Unanimiter extirpationem commendavimus; quemadmodum etiam ſubſequente die inſtituta eſt, & tanto (gratia Deo ter O.M.) cum ſucceſſu, ut jam, quantumvis pene privatus

domum

domum redierit, & incolumis vivat. Eſt autem operatio illa hoc modô peracta: Cathetere per urethram in veſicæ cavitatem immiſſo circumligavimus penem ponè malum ſupradictum funiculo tenuiori quidem, ſed tenaciſſimò, idque fortiter. Dolores ægrotus tam viriliter pertulit, (paucos enim audivimus ejulatus) ut omnibus admirationi fuerit. Injectâ hac ligaturâ, ita munivimus catheterem filô ut è canali urethræ ſe ſe ſubducere haud potuerit. Sequenti die novam injecimus ligaturam, ut eò citiùs emoreretur pars affecta. Interim totum involvimus penem veſicæ madefactæ, ad fœtorem arcendum & lotium recipiendum. Quinto, ni fallor, die cultellô membrum emortuum fuit ablatum, ſine ulla hæmorrhagia, in totum enim emortuum. Relinquebamus interim adhuc per diem unum atque alterum catheterem in veſica, donec ſeparatâ ſuâ ſponte ligaturâ, patiens eô non ampliùs indigeret. Reſtitutus jam, per inſtrumentum ex ebore confectum, lotium reddit: In totum enim pars penis relicta in abdomen retracta eſt, ita ut illud inſtrumentum ventri adaptare debeat, lotium emiſſurus, ne veſtimenta madefiant. *Clariſſ. Dom. Frederic. Rhuyſch. in Obſervationum Anatomico Chirurgicarum Centuriâ.*

Penis retractio.

Auriga ſenex tantam penis in imum ventrem retractionem paſſus eſt, ut nec hilum quod ullô ſenſu percipi poſſet, extaret: Inter pubem & ſcrotum rimula ſe viſendam præbebat, vulvulæ labiis deſtitutæ, aut rictui piſcium quorumdam ſimillima, minimum meum digitum aliquo uſque nullô negotiô admittebat. Rogavi quid me vellet? Fac, inquit, ſi nihil aliud poteſt, ne urinam emittendo (quod ſolitis horis ſine moleſtiâ facio) induſium caligaſque ita madefaciam, & urinam aliquouſque ſaltem ejaculer, ut inviſô hôc madore, & omnis meæ ſupellectilis putrefactione liberer. Facilimum factu, inquam. Itaque tubum ligneum in principiô ovalem, ſeſquipedem longum, quem ex Italiâ attuleram, ipſi dôno, quô rimulæ applicitô, in diſtantem matulam nullô negotiô urinam fundebat. Itali, cùm citatis equis feruntur, ſcuticis ferè utuntur, quibus manubrium, quale meum erat, admovent, ſicque in mediô curſu, nec bracchos nec equos madefacientes, mejunt. Cæterùm cùm ulterius quid tentandum dicerem, qui credebam, ſicut aliàs uteros prolapſos in ſinum pudoris capacibus cucurbitulis umbilicô applicitis cum flammâ luculentâ revocaveram, ita iiſdem retrahi in locum penem poſſe: proclivius enim eſſe gravia deſcendere quàm aſcendere. Omnino bis cucurbitularum admotionem admiſit, & jam balani rediturí apex ad magnitudinem avellanæ ſe oſtendebat, cùm ille ſuô tubulô contentum ſe diceret, nec ulteriùs operam meam, quamvis gratuitam, admittere voluit. Dolui ſanè ſenilem pervicaciam, tam rarâ curationem, quam certiſſimam augurabar, mihi invidiſſe. *Henricus ab Heers Obſerv. 7.*

PERIPNEVMONIA
Vid.
PLEVRITIS.

PERNIONES.

De Pernionibus fuſè admodum ac doctè agit Marcus Aurelius Severinus, de recondita abſceſſuum naturâ pag. m. 403. & ſeq. qui propterea, ſi ita lubet, commodè conſuli poteſt. Nos hic de iis verbô tantum dicemus.

Perniones (Græce χείμετλα, à χεῖμα hiems) ſunt tumores tempore Hiberno in calcaneis digitiſque pedum ac manuum exorti: cauſa eſt frigus Hibernum partem debilitans, & ratione doloris quem infert, ſanguinem attrahens: dignoſcitur, quod præceſſerit ab aëre refrigerato, adſit pruritus & dolor cum rubore & aliquando exulceratione; diuturnum eſt malum, & quamvis æſtate ceſſet, hieme tamen recurrit. *Thom. Burnetus. Theſaur. Medicin. Pract. Tom. 2.*

Pro Pernionibus.

Fotus calidi cineris maximè laudatur; quo remedio teſtatur Follopius ſe liberatum fuiſſe à pernionibus quibus ſingulis annis vehementer affligebatur: fovebat pedes cum ibat dormitum, alii ſolent inungere locum affectum oleo ceræ & terebinth. frequens uſus eſt, ut excavetur rapa uſque ad fundum infunde roſ. & ol. terebinth. an ℥i. ſupra calidos cineres ponatur rapa, bulliat ad medietatem & inungantur loca hoc liquore bene calido: ſed prius pedes apponat ad fumum aquæ ferventis: ſi ulcerentur perniones, imponatur unguentum de tutia magiſtrali, vel etiam diapalma. *Roderius à Fonſeca. tomo 2. conſult. 12.*

Conſilium dedimus ut rapam ferventem imponeret: vulgares apponunt cutem extractam ab halece fumo induratam: curantur etiam cum decocto rapararum, ſi in eo immergantur cutantur & appoſito diapalma. *Petrus Foreſtus obſerv. 15. & Schol. lib. 5. obſerv. Chirur.*

De Pernionibus eruditiſſimum Tractatum nobis dedit Excell. Marc. Aur. Severinus, in quo inter alias de ſede affectus variorum opiniones adducit. Sit tamen quid ſit, non ſolum pedes, verum etiam manus, naſus, aures, labia hoc affectu ſæpius laborant, uti ipſe exemplo cujuſdam Medici Romani brumali tempore interfacientis a. l. probat. Ego novi pharmacopolam (parco nomini) cui tempore brumæ naſus pernionibus infeſtatur. Manus ſæpiſſimè hoc vitio corripiuntur. Adverſus manuum perniones infallibile prophylacticum commendatur cruor adhuc calens ex bove recens mactato effuſus, ſi eidem manus imponantur, cujus uſu quædam puella ab hoc vitio ſingulis brumis recidivante jam immunis vivit. *D. Joh. Ludov. Hannemann. in Miſcell. Curios.*

PERVIGILIUM.

Antequam de vigiliis morboſis agamus, commodum fuerit aliquid de vigiliis naturalibus in genere præmittere quò, illarum notitia, hiſce facilior reddatur. Sic autem de iis Clariſſimus Williſius.

Vigiliæ eſſentia ſive ratio formalis conſiſtit in libertate, & expanſione ſpirituum animalium in cerebro & toto nervoſo genere. Namque hi veluti milites Stationarii, tum in occurſum ſenſibilis objecti, tum propter obſequium erga ſuperiores animæ potentias, quamdiu huic operi pares ſunt, excubare gaudent: ut vero ſpiritus animales excubias ſuas juſto tempore, & integris viribus præſtare valeant, requiritur, ut ſint impedimentis quibuſvis liberi; quod nimirum nec colluvie ſeroſa immerſi, nec humore craſſo, aliove recrementitio irretiti fuerint, quin omni ſarcina immunes, uſque agiles, & ad motus perniciſſimos expediti, perſtent. Dein ſecundo ut ſpiritus vigilias ſuas recte peragant, opus eſt, ut negotiis tantum moderatis implicentur. Hujuſmodi munimenta adepti, penſum ſuum vegete abſolvunt, atque ut plurimum inſtar elateris horologici, quotidie per totidem horas motum continuant, illoque dein ſpatio finito, ſponte acquieſcunt. *Hactenus Clariſſ. Williſius de Vigiliis naturalibus. Sequitur jam ut ex eodem de Vigiliis morboſis, ſeu Pervigilio, agamus.*

Quemamodum lux & tenebræ, ſomnus & vigiliæ, juxta poſita alterutrorum naturas optime illuſtrant, ita quidem ex re fore videtur, poſt affectus ſoporoſos, hic de vigilia præternaturali, quatenus nempe limites excedens, & functiones quaſdam lædens, & morbus eſt, & ſanationem poſtulat, diſſerere. In hoc cenſu duo affectus vulgo habentur, nempe pervigilium, & Coma vigil, de quibus utriſque nunc ordine dicemus.

De perviligio hic imprimis diſtinguendum erit, quod nempe vel ſymptoma ſit alteri cuipiam morbo, uti febri, phrenitidi, maniæ, aut Colicæ, Podagræ, & ſimilibus ſuperveniens, ejuſque tunc conſideratio & cura, ad affectum illum, cujus proles eſt ſpectat: vel præterea vigiliæ immodicæ, ſine alia quavis ægrotatione notabili, per ſe oriundæ, morbus fere ſolitarius eſſe videtur. Ita novi quoſdam febris, aut doloris ſatis immunes ſtomacho valentes, ad negotia ſatis expeditos, lecto commiſſos, haud plus ſomni quam Heſperidum Draco, cepiſſe. Hujuſmodi vigilium nonnulli, ſomno licet deſtituti, eo vix carere videntur, nam proinde ſpiritus, nec torpidi nec defeſſi, vel exhauſti apparent: verum alii vigilias ægre ferentes, exinde cito languidi, & inappetentes facti, neceſſe habent ad opiata confugere, quibus interdum quotidie, ac in doſi largiori impune utuntur.

Supra innuimus vigiliæ naturalis, cui ſomni intercalantur, cauſam in his duobus, ſcilicet in altero, aut ſimul utriſque conſiſtere; nempe primo, quod ſpiritus animales ſatis refecti, & liquoris nervei compedibus ſoluti, ſe vegete exerunt, & quaquaverſus, ac imprimis à cerebelli meditullio, in peripheriam ejus expanduntur; dein ſecundo illi quamvis ubique ac præſertim in cerebri ambitu exteriori, tunc à ſucci nervei incurſibus libero, ſpatia aperta obtineant. Ne tamen hæc ſpirituum expanſio, (quæ vigilia eſt) uſpiam ad nimias illorum jacturas diutius, quam par eſt, protrahatur, & ſpiritus ſubinde defeſſi flacceſcunt, ac velut ſponte decumbunt, ac una liquor nerveus in cerebri corticem ſuffuſus, eorum meatus infercit, ac occludit. Hinc ſequitur vigilias præternaturales, ſive immodicas, à duobus hiſce, nempe altero, aut ſimul utroque pendere; aut enim illi nimis efferi, ac velut œſtro perciti haud ſponte ſuccumbunt, aut liquor nerveus cerebri exterioris poros non ita implet & obturat, proinde ut ſpiritus illinc introrſum ad requiem cogantur: utriuſque horum typi obſervandi paſſim occurrunt.

Et primo advertere licet, ſpiritus animales interdum efferos, ac ita elaſticos, aut alias enormes factos, non modo non ſedari & quieſcere, ſed intra propriam emanationis ſuæ ſphæram vix contineri poſſe; quapropter in vigilia continua expanſi, cerebrum ita implent, ac tenſum ſervant, ut ſuccus nerveus, præ foribus licet copioſe aggeſtus, minime admittatur; quod ſi, ut ipſe ingrediatur, ſpiritus à cerebri cortice introrſum revocentur, ſtatim illic coerciti, vel intra cerebri meditullium tumultuantes, phantaſmata mille, ſæpe horrenda concitant, quibus ſomnus arcetur; aut illinc ulterius ὁρμὴν ſuam in genus nervoſum dirigentes, ibidem inordinationes cient quæ ſomnum utut irrepentem, & inſtare viſum, continue abigunt, & abrumpunt.

Quoad prius horum, ſæpius obſervavi quoſdam vigilia affectos, qui ſomnum, licet optatò, ingruentem, capere verebantur; quamprimum enim dormituri oculos clauderent, denuo ſtatim exilientes confuſa phantaſmatum multitudine ſeſe mox adigi ad inſaniam clamitabant, proinde ut neceſſe habuerint ſomno abſtinere.

2. Spiritus dum efferatiores facti, propter ſomnum ab ambitu cerebri verſus interiora revocantur, quandoque in genus nervoſum ὁρμὰς, ſuas convertunt, & tunc, aut in nervos præcordiis aut viſceribus deſtinatos tumultuarie irruentes, in partibus reſpectivis inordinationes cient; (hinc taliter affectis, quotidie clauſis oculis ſomno invitante, aut cordis tremores, ſubſultus, & conſtrictiones, cum ſpirituum deliquiis, & reſpiratione impedita, aut viſcerum inflationes, & intumeſcentiæ, præfocationis ſenſus, aliaque ſymptomata, pro hyſtericis vulgo habita, ſuccedunt) vel Secundo, ſpiritus ab excubiis vocati, & in genus nervoſum converſi, quandoque in ſpinalem medullam, nervoſque exinde in membra quæque exteriora protenſos, impetus ſuos transferunt: quamobrem nonnullis, dum lecto commiſſi ſomno indulgent, mox in brachiis & cruribus tendinum ſubſultus, & ſpaſmi, tantæque membrorum inquietudines, & jactationes ſuccedunt, ut laborantes haud pluſquam equuleo torti dormire poſſint. Olim pro fœmina nobiliſſima conſulebar, quæ interdiu cardialgia, & vomitu acerrimo tentari ſolebat, noctu autem, à ſomno ſubinde appropinquare viſo, propter affectiones ejuſmodi ſpaſmodicis cum ipſo ſimul invadentes impediebatur; nec quidem tota nocte dormire potuit, niſi laudano in doſi ſatis larga prius exhibito; quare medicamentum hoc primo tantum bis in ſeptimana permiſſum, poſtea quotidie, per tres circiter menſes ſumebat, nulla exinde noxa, aut in cerebro, aut circa aliam quamvis functionem contracta; cumque ab aliorum interea remediorum uſu, ſanguinis, & ſucci nervoſi dyſcraſiis emendatis, ſpiritus animales benigniores, mitioreſque fierent, illa poſthac opio prorſus relicto,

licto, mediocriter dormire poſſunt. Hujuſmodi affectus ſomnifugi, ſive intra cerebri meditullium, ſive intra genus nervoſum, aut interius aut exterius concitari, omnino à ſpirituum animalium mala conſtitutione pendere videntur: nã qui mites, clari, & lucidi, corpora cõtinentia blande actuare, & influentia benigna irradiare debebant; acres, & efferi, ac tanquam effluvia ab aquis ſtigiis emiſſa, coërceri inhabiles, ea nimis diſtendunt, voluntatis imperio regi, & à ſomno ſedari recuſant, quin uno in loco cohibiti, mox in aliis tumultuantur. Talis ſpirituum animalium conſtitutio, à ſanguinis gignentis, & ſucci nervei eam foventis, & augentis dyſcraſiis acidis, & ſæpe quaſi vitriolicis procedit, prout inferius, ubi de affectibus inſanis dicemus, fuſius oſtendetur.

Interim quod ſpectat ad pervigilia (quæ modo deſcripſimus) ſananda, quoniam ea diu tolerari non poſſunt, idcirco quæ præſens levamen conferunt, imprimis adhiberi debent; in hunc finem, quæ ſpiritus demulcent, eorumque inordinationes blande leniunt, uti anodyna vulgo dicta, ſcil. aqu. deſtillatæ, decocta, ſyrupi, & conſervæ è floribus Nympheæ, Paralyſeos, Malvæ, violarum, jaceæ, foliis Lactucæ, Portulacæ, ſalicis, necnon emulſiones, aut expreſſiones ſucculentæ conveniunt. Quod ſi ſpiritus irrequieti blanditiis compeſci nolunt, in ſedationem, vinculis, & verberibus quaſi inflictis, eos cogere oportet: eorum copiæ diminui, ſimulque ſpatia in quibus liberi, & ſine tumultu expandantur, dilatari, & ab aliorum humorum, ſcil. ſanguinis, ac ſeri infractibus expediri debent: in quos fines venæſectio interdum convenit, veſicatoria fere ſemper locum habent; inſuper diacodium, & laudanum, ſi bene conveniunt, crebro aſſumantur, atque interea, dum opiatæ inducias à morbi violentia præbent, hujus cauſa ſedulo aliorum remediorum uſu, quantum fieri poteſt, eradicetur: quapropter quæ ſanguinis, & ſucci nervei acorem tollunt, eoſque dulcedini reſtituunt, de die in diem horis Medicis exhibeantur; in quo cenſu, pulveres teſtacei, Apozema, & aqu. deſtillatæ, alterantes ex antiſcorbuticis temperatis, chalybis præparata mitiora, ſp. c. c. fuliginis, & præ cæteris fere omnibus tinctura antimonii habentur.

Reſtat altera pervigilii ſpecies, cujus cauſa aliqua ex parte, ſi non maximâ, conſiſtit in pororum, ſive meatuum in cerebri cortice fere continua apertione, ſive nimia dehiſcentia: præterquam enim quod ſpiritus animales acres, & nonnihil efferi, ſponte ſua ſuccumbere, & quieti indulgere recuſant, inſuper iis nulla repagula, aut juga è liquore nerveo cerebri poros ſubeunte imponuntur, quin liberi, omnique ſarcina immunes, illi etiam intra cerebri exteriora ſpatia ubique vacua expanduntur; quare ob hanc cauſam pervigiles nullum torporem, aut ſincipitis gravitatem, nullum ſomni appulſum, aut deſiderium ſentiunt. Novi quoſdam ad hunc modum affectos, qui cum plures noctes continuas prorſus inſomnes degiſſent, uſque tamen alacres, & impigri, ſtomacho valentes, & ad negotia expediti ſomno nondum caruiſſe videbantur. Hujus cauſa proculdubio eſt, ſanguis retorridus, & atrabilarius, qui cerebro exteriori ſuccum nerveum, non mitẽ & benignũ, ſed aſſatum nimis, & particulis aduſtis refertum ſuppeditat, qui proinde nec intra poros cerebri diutius manere nec ſpiritus animales blande complecti, & continere aptus ſit. Porrò ipſi ſpiritus ex eo procreati, ex natura ſua nimis elaſtici, & irrequieti evadunt, propterea ut nec facile ſedentur, nec in ſoporẽ ſua ſponte proclives exiſtãt cæterum fixiores illi haud prompte avolant, nec cito defatigati flacceſcunt, quin longo tempore ſine magna refectione perdurant, ac vegeti perſtant. Super hac ſpirituum animalium diatheſi inſomni, cum eadem ſit ac in melancholicis, inferius opportunus erit paulo fuſius dicendi locus. Interea lubet hic obiter annotare propter ſimilem afficiendi rationem (qua nempe ſanguinis atrabilarii, ac retorridi, particulæ aduſtæ, una cum ſucco nerveo in cerebrum ſuffuſæ pervigilium cient) etiam potum quendam Coffee dictum (olim apud Arabas, & modo Turcis uſitatum) cum à noſtratibus aut medice, aut otioſe bibitur, ſomnolentia protinus abacta vigiliam inſolitam, ac facultatis animalis exercitium tam indefeſſum producere, ut à liquore iſto debita quantitate epoto, qui ſera nocte, aut ſtatim a compotatione, aut paſtu uberiori, incumbere neceſſe habent, uſque pervigiles facti, ardua quævis animi penſa ſine torpore perficiant. Cujuſmodi certe affectus cauſa eſt quod potus iſte particulas aduſtas (quibus ſenſu, tum guſtus tum olfactus indice ſcatet) mox ſanguini, ac dein ſucco nerveo inſinuat: quæ proinde agilitate & inquietudine ſua, & cerebri poros uſque apertos detinent, atque ſpiritibus copula quavis alia, & narcoſi exutis, œſtra quædam ac ſtimulos, à quibus ad munia ſua diutius exequenda excitantur, addunt. Porrò quæ ad pervigilii hujus curationem prophylacticam, ſeu cauſæ morbificæ remotionem ſpectant, inferius, ubi de Malancholia acturi ſumus, tradentur: interim pro ſymptomate iſto, quoties gravius urgebit, immediate tollendo, annotamus opiata minus prodeſſe; nam doſi ſatis larga exhibita raro ſomnum inducunt, atqui affectos magis languidos, & imbecilles reddunt; ſæpe melius ſuccedit, ſi cubitum ituri, potum quendam mollem, & benignum, uti imprimis Allam noſtram, claram & mitem, vel lac cereviſiatum cum floribus Paralyſeos incoctis, aut emulſionem ex ſeminibus melonum & amygdalis in quantitate magna nempe ad lib. 2. vel 3. aſſumant.

Olim pro Sene hypochondriaco conſulebar, qui præter alia ſymptomata in eo caſu uſitata, eructationi crebræ, ſonoræ, & valde moleſtæ, à pluribus annis obnoxius degerat: ſolebat ille quovis die, bis aut ter per duas circiter horas continue, & tanto cum ſtrepitu eructare ut longe lateque ad diſtans exaudiretur, interdum vero per unam aut alteram ſeptimanam, & quandoque per menſem eructatio iſta in pervigilium commutata eſt; nam affectu illo multò remiſſius habente, vir egregius totas ſæpe noctes inſomnes ducebat, cumque ita interdum per tres, aut plures dies perfecte evigilaſſet, ſomno nondum caruiſſe viſus, de nullo torpore, hebetudine, aut ſpirituum languore querebatur, Cum narcotica huic raro, aut nunquam levamen contuliſſent, veſperi interdum ſumebat, poſſetum ex Alla, aut vino Canarino; ineunte nocte modo cereviſiam, modo aquas deſtillatas bibebat, quarum uſu aliquantum ſomni non raro ſucceſſit; poſtea dein pervigilio ſenſim evaneſcente, eructatio redibat;

hinc ut conſtet, utriuſque cauſam eandem fuiſſe, ſc. particulas aduſtas, & irritativas è maſſâ ſanguinea modo in ventriculi tunicas; modo in corticalem cerebri partem ſuffuſas

2. Præter hoſce diſtinctos ſomni & vigiliæ affectus, ſive inordinationes, reſtant aliæ earundem Anomaliæ conjunctæ, ſive complicatæ, in quibus utriuſque functionis actus ſimul prævaricantur. Quod equidem obſervare eſt in pathemate vulgo comate vigili dicto; de quo nunc breviter dicemus.

Comate vigili laborantes, etſi in ſomnum continue proclives ſunt, attamen vix omnino dormire poſſunt, quin Tantali in morem letheo flumini labro tenus immerſi videntur, cui pitiſſando, quoties ſe altius demergunt, toties aquæ labaſcentes ſemper inferius ſubſidunt. Sentiunt iſti immanem capitis gravedinem, cum ſenſuum, & facultatum omnium torpore, ut ſeſe quaquaverſus in lecto movere, aut adſtantium alloquio interturbari, ægre ferant, ſeque mox ſomnum placidiſſimum inituros expectant, cui tamen cum penitus indulgere, ipſumque arctius amplecti enituntur, phantaſmata varia animo obverſantia, uſque eos vigiles detinent; neque ſomnum, iis ſemper in procinctu eſſe viſum, omnino capeſcere ſinuntur. Huic non delirium accedit, ut dum clauſis oculis ægroti jacent, abſurda, & incompoſita perpetuò fabulentur, ac brachia ac crura huc, illuc, inordinatè jactent, excitati torvum intueantur. Uſitatum eſt febricitantes tota nocte velut ſopore obrutos manere, interea vix horæ minutum ſileant, quin varia ſecum obmurmurent, etiam aliquando clament, ejulent, atque lecto exiliant. Horum ratio ſi inquiritur, dicendum eſſe videtur, quod pori, & meatus in cerebro, qui ſpirituum ambulachra ſunt à materia craſſiori, & ſoporifera, è cruoris maſſa ſuffuſa, plurimum occupantur, ut ſpiritibus à ſolita expanſione, & mutuo commercio plurimum inhibitis, ſopor jamjam gravis, & inexpugnabilis immineре videatur; at verò in quantum ſpiritibus iſtis, particulæ quædam acres, & ſumme agiles, velut totidem aculei adhæreſcunt, illi perpetim in motus incitantur; ideòque illorum aliqui vias utcunque præcluſas, & ſepimenti obductas perrumpunt, & directe, aut oblique, qua ullatenus data via eſt, occurſant; atque talis eorundem motus, utpote confuſus, & propter impedimenta divaricatus, licet functionis animalis exercitium completum inſtituere nequit, tamen iſtius requiem & ceſſationem facile interpellat; propterea quidem ut hoc morbo affectis (non aliter quam ſub polo degentibus, quibus ſolis tantum medietas, ſupra horizontem verſatur) neque perfecta nox inſtet, neque perfectus affulgeat dies; ſed illi tantum medio inter ſomnum, & vigiliam crepuſculo fruantur.

Coma vigil, raro morbus ſolitarius, ſed plerumque ſymptoma eſt, aliiſque affectibus, uti febri, phrenitidi, Lethargo, & ſimilibus ſuperveniens; quapropter methodum therapeuticam peculiarem non poſtulat; at verò tantum opus eſſe videtur, ut remediis primariò indicatis, adjungantur alia cephalica, quæ nempe hæc cerebri meteora quaſi nubes & fulgura diſpellant; vel ſi utraque ſimul exterminari nequeant, ipſum medicamentum unius affectus partes foveat, quo ille ſuperior factus, mox alterum vincat: adeo in ſomnolenta vigilia aut perfectum ſomnum, aut perfectam vigiliam accerſere conveniat: enimverò in hoc caſu narcotica ſæpe bono cum ſucceſſu exhibui. *Atque hæc Clariſſ. Williſ. de Pervigilio. ſequuntur jam in eodem argumento Conſultationes, Obſervationes, ac Anatomicæ Inſpectiones aliquot.*

Conſultationes.

Vigilia Morboſa, ſeu Pervigilium.

Senator Ampliſſimus, quinquagenarius, temperamenti totius, & maximè jecoris, calidi & ſicci, capitis quidem calidioris, non tamen valdè excrementorum feracis, gracilis habitus, ad iram pronus, & ad omnes operationes promptiſſimus, ac perſpicaciſſimus; ſtudiis inſuper deditus, atque negotiis magni momenti implicitus, exquiſitiſſimo ſenſu à natura præditus, bilioſis affectionibus non raró obnoxius; & antehac brevibus ſomnis contentus, duobus abhinc annis, non ſolùm meridie obdormire, ut ſolebat, omnino deſtitit, verùm & nocte breviores ducere ſomnos cœpit, adeò ut frequenter noctes ferè, quandoque prorſus inſomnes trahat. Modò ab hoc tædio vindicari, & ab aliquo alio quoque affectu imminenti præſervari deſiderat.

Somnus autem in eum finem à natura fuit inſtitutus, ut inſtaurentur vires amiſſæ per ſpirituum conſumptionem; quæ quidem non contingit in facultate naturali, à qua in operatione ipſa, coctione ſcilic. ſpiritus potius generantur quam abſumantur; nec in vitali, nam licet ſecundum aliquos, ob continuum motum cordis ſpiritus conſumantur; & in ſomno tamen iſte motus exercetur, quietem diuturnam natura in corde non tolerante, unde dicebat Gal. quod Cor brevibus intermiſſionibus hoc facere videtur, multo namque tempore ad requiem non indiget, ſicut cerebrum quod in vigiliis ſemper exercetur; in ſomnis verò quieſcit. Quare ad facultatem Animalem ſomnum ſpectare certiſſimum eſt, & non ad vegetativam, quia plantæ neque ſomno, neque vigilia egent; non ad Intellectivam, quia animalia bruta dormiunt, & vigilant, ad Senſitivam itaque. Hinc ſomnum eſſe vinculum, ſive copulam, ſive immobilitatem ſenſivitæ partis animalis Ariſt. aſſerebat; & Paul. ſomnum virium animalium requiem appellavit, & vigiliam, utpote exercitium, ſomno contrariam eſſe dicebat Fernel. illamque eſſe veluti actum, ſomnum verò actus privationem, quod ab Ariſt. deſumpſit, ſcribente, ſomnum & vigiliam eſſe privationem & habitum, atque circa idem verſari, ut viſus & cæcitas circa oculum. Sic cerebrum, ut in ſomno quieſcit, ita in vigilia exercetur; & ideo jure Gal. In vigilia fit ſpiritus, ſanguinis, & caloris ad exteriora latio. Quare Agrypnia, ſeu pervigilium definiri poterit quod ſit, Immoderata actio, ſive exercitium, ob nimiam expanſionem Facultatis Animalis à primo ſenſorio ad ſenſus externos: Vigiliæ namque ſpectant ad ſenſum communem, ex Ariſt. atq; Platone; quibus ſubſcripſit quoque Averr. ſubdens, quod ſenſus communis eſt primum ſenſorium, quem

quem Galen. Senſoriorum ſenſorium appellabat. Cui definitioni adſtipulatus quoque Argenter, ait, Vigiliæ eſſentiam poſitam eſſe in immoderato exercitio, quod in tribus conſiſtere poteſt, qualitate, tempore, & ordine. In qualitate, quando ſit nimis intenſæ; ordine, quando ſomnus brevis eſt, vigiliis interruptus; tempore, quando nimis diuturnæ. Utcumque tamen ſemper eſt ſymptoma, ſive motus depravatus & præter naturam facultatis animalis, non quidem motricis, ut patet in Noctambulis, ſed ſenſitivæ, qua ratione vigiliam in ipſo ſentire conſtituit Ariſt.

Verùm, licet Ariſt. Somnum & Vigiliam ad primum ſenſorium attinere una cum Medicis aſſeruerit; à nobis tamen diſſentit, dum primum ſenſorium non in cerebro ſed in corde repoſuit; & ſomnum fieri dixit, dum vapores in vigilia ad cerebrum elati, ejuſdem frigore concreſcentes, ac proinde graviores facti, rurſus ad cor deſcendunt, & primum ſenſorium comprimentes, influenti calori effluxum, propagationem, & illuſtrationem impediunt; unde ſequitur omnium operationum ceſſatio, hoc eſt, ipſe ſomnus; ſicut vigilia fit quotieſcunque adeo caput caleſit & exſiccatur, ut humiditatum concretio fieri non poſſit, nec à cerebro ad cor deſcenſus; Galen. verò cenſuit cerebrum eſſe ſenſorium ſenſoriorum; & ideo ſomnum & vigiliam in cerebro fieri. Quare pace Ariſt. in Vigiliis morboſis, & ſomnolentis affectibus, ſemper capiti remedia adhibentur. Nec probat Ariſt. in ſomno cor quieſcere. Sed præterea exercitium, in vigilia, non conſiſtit in ſola ſpirituum expanſione ad externa ſenſoria, ſed ſecundò in receptione ſpecierum ſenſibilium, quæ à ſenſibus externis cerebro offeruntur, & tertiò in judicio objectorum receptorum, tum propriorum, tum communium, quæ omnia dubio procul in cerebro, non autem in corde fiunt.

Quæ jam enarrata noſtri caſus tum cognitionem tum curationem faciliorem reddere poterunt, ſicut enim nimia ſpirituum expanſio exercitii & vigiliarum cauſa immediata habetur; ita excitatur eadem à nimia cerebri caliditate, vel ſiccitate. Etenim, Ut ſomnus fit refrigerato cerebro; quæ refrigeratio ſi fortis fuerit, humiditati miſta, lethargicas paſſiones facit; ita à contrariis fit vigilia. Et quamvis modò caliditatem, modò ſiccitatem propoſuerit ipſe Gal. ſicque viſus fuerit inconſtans, conſtans tamen ſemper fuit, cùm & à caliditate, & à ſiccitate vigilia provenire poſſit, ideo utramque proponit dicens. Vigilantiam quidem fieri tum propter ſiccitatem, tum propter caliditatem primi ſentientis, ideſt cerebri; ſomnum verò à contrariis, jam aliàs demonſtravimus. Siccitatem tamen ad vigilias producendas primum locum obtinere cum Ætio credendum; caliditas enim vigilias inducit ſpiritus agitando; ſiccitas verò diſſipando, humidumque conſumendo; cujus ratione Senibus familiares & proprias pronunciavit Hip.

In hoc tamen Præſtantiſſ. Senatore, caliditatem magis quam ſiccitatem concurrere cenſemus, à calidis enim læditur, mediocri ſomnio contentus, nec calvus eſt; quinimò capillis abundat, nedum ſenex eſt, temperamentum verò totius, jecoris & cordis calidum, bilioſorum humorum ideò ferax, à quibus affectus bilioſi quoque fiunt; unde & ipſæ vigiliæ potiſſimum procedunt, ut ex Gal. cerebro ſcilicet calefacto & ſpiritibus agitatis; quæ agitatio quam maximè fovetur à ſtudiis, intentis animi applicationibus atque ſolicitudinibus; à quibus quendam omnino vigilem redditum, & prorſus immemorem obſervavit Gal. ipſe. Præterquam quod hîc facile conſpirare quinetiam poteſt vigilandi conſuetudo; nam ſi quis aliqua ſtata hora expergiſci conſueverit, eadem & conſueta & ferè naturalis evadit, quæ conſuetudo facilè à negotioſis, & exquiſito ſenſu præditis hominibus comparatur.

Summa autem cum ratione dicebat Hipp. quod, Somnus & Vigilia, utraque ſi modum excelſerint, malum. Ex diuturna namque vigilia, concoctiones corrumpuntur, ſucci crudi copioſi acervantur, ſpiritus reſolvuntur, nativus calor labefactatur, corpus extenuatur, intempeſtiva obrepit ſenectus & vitæ brevitas; hinc illud. Aqua edax, Vigilia vorax. In Comm. Gal. Vigilia vorax, quia corpus digerit atque diſſolvit, quod alibi repetit idem Gal. Et licet aliqui diù vigilantes non ſolùm longo tempore, verùm & ſani vixerint, exempla aut rara, aut non vera habenda; vix enim admitti poteſt, Mecœnatem tribus integris annis vigilaſſe, & potiſſimum ſola placida & leni harmonia liberatum eſſe; cauſa enim adeò valida & pertinax leviſſimo remedio non ceſſiſſet; minùs Nizolium, Ciceronianum luculentum interpretem, decennium vigilaſſe; omnium verò minimè Matronam Nobilem, 35. annos vitam inſomnem duxiſſe Quæ ſaltem ſi ut vera admitti placeat, non de interna vigilia, ſed de diuturna ſolùm, nimirùm de levi, admodum brevi, & interrupto ſomno.

Curatio per contraria adminiſtranda; unde ſi à ſola ſiccitate proveniret, ſola alterantia humectantia, tum alimenta tum medicamenta ſufficerent; ut Lactuca, Lac & cibi ex lacte parati, emulſ. amygd. dulc. cum ptiſana & ſacch. ſem. item papav. albi cum ciborum & vini copia, conſueta largiori.

Inter medicamenta, Balnea pedum à cœna. Faciei ablutio decoct. ex capit. papau. nigri & pedum lotiones ex decoct. lactucæ, violar. nenuph. ſalicis, anethi, & cap. papav. albi. Frequens item elevatio atque depreſſio palpebrarum, quod Æt. à Gal. tranſtulit.

Interna eſſe poterunt ſerum depur. Lac. capr. Lac ſem. pap. albi, in aqua lactucæ; Syr. de ſem. pap. ab ℥i. ad ℥ii. Quatuor aut quinque rotulæ diacodii in ptiſana diſſolutæ. Granum Lad. Nep.

Externa erunt, ol. nenuph. abundè illitum; in contumaci verò affectione, capitis lotiones ex lacte vaccino, vel ex decoct. lactucæ, malv. violar. cap. pap.

Verùm, quoniam in caſu noſtro modicæ ſiccitati immodica jungitur caliditas, cum humoribus calidis; ideo præter alterantia; aliqua quoque præparantia & evacuatia convenient.

Evacuantia eſſe poterunt, Syr. roſ. vel viol. ſol. cum decoct. pulpæ tamarind. vel flos caſſ. cum eadem pulpa, addito tart. crem. quibus ſuperbibat ſer. depur. ad libras. Præparantia ſint, Syr. roſ. viol. de nymph. de papav. in decoct. malv. violar. lactucæ, end. hepaticæ, nympheæ. Præparati humores deinde expurgentur jam dictis lenientibus, addito rhab. infuſo vel caſſiæ. elect. de ſucco

roſat. à quibus ſeri pariter hauſtus præbeatur.

Minoratis humoribus, Alterantia: & intemperiem jecoris, cordis, capitis & totius corrigentia, eſſe poterunt ſucci depur. end. violar, lactucæ, in decoct. malv. end. viol. nenuph. portul. Vel aqua ſtillat. end. viol. lactucæ, cum julap. violac. & Roſ. Vel ſer. depur. Vel Lac, ſed aſininum, ut quod magis refrigeret, licet minus nutriat.

Extrinſecus Balneum univerſale ex aqua dulci, malva, viol. lactuca, nenuph. alterata; quæ & capitis lotioni aptiſſima erit, pap. capit. additis. Efficaciſſima etiam erit hujuſmodi inunctio.

℞. Ol. nenuph. ℥i.ſ. mandrag. ℥i.ſ. camphoræ gr. iii. opii, croci an. gr. ii. m. ref.

Narcotica quoque jam propoſita urgentibus vigiliis cautè ſunt adhibenda, utpote quæ meatus denſare, & ſpirituum effluvium impedire, ſpiritus eoſdem cogere, eorundem mobilitatem ſiſtere, nec non acutiorem ſenſum obtundere valeant.

A proprietate ſomnum conciliare dicunt Amomum fronti illitum. Sic & lac. Porcæ nuper fœtæ. Dens canis, vel ſerpentis exuviæ capiti ſubditæ, ex Rhaſi.

Victus ratio ſit refrigerans, & humectans. Cubiculum non ſpectet ad meridiem. Silanus ex aqua juxtà cadat. Muſicalis harmonia procuretur. Lactucam ſine aceto comedat à cæna, unde Martialis.

Claudere quæ cœnas Lactuca ſolebat Avorum,
Dic mihi cur noſtras inchoet illa dapes?

Panis martius, à cæna comeſtus, additis unicuique libræ, amyg. ℥ii. ſem. pap. albi. Cyathus quoque vini papaverini poſtrema cæna epotus. Induſtriè ſomnum conciliabat Galdicens Quos arctè dormire volumus, eatenus vigiles ſervare debemus quatenus ſtare niſi conniventes non poſſunt: ego enim multis, qui ſe celerius quieti dederant, cū vigilare diutius coëgiſſent ſuavem ſomnum conciliari. Præterea conſuetudo vigilandi, hora conſueta, ad ſomnum omni conatu convertenda. Prægreſſum exercitium ad laſſitudinem ſomnum conciliat. Coitus item moderatus, ex eodem Paulo. Triſtitiæ & curæ arceantur; ſpiritus enim & abſumendo & divertendo, vigilias inducunt. Lectio à cœna ſomnum conciliare ſolet, non tamen ſemper, & ideo quandoque vigilem, quandoque ſomniculoſum hominem reddere dicebat Ariſt. rationem reddens, quod quando corpus frigidis excrementis abundat, dum incipit meditari & intelligere, dormit; quia actio ſpiritalis ſuperatur à corporeo vapore, frigido & craſſo, ab incepta meditatione attracto. Atque hinc deducit Gentilis quod ſomnus ſit indicium & effectus hebetis intellectus hominis legentis, dum enim non intelligunt, triſtantur, in triſtitia verò ſpiritus retrahuntur, ſicque ab opere vacant, & fit ſomnus: quando verò legentes rem intelligunt, lætantur, unde gaudium, in quo fit ſpirituum expanſio, quæ proinde vigiliam neceſſariò conſervat. Ex quibus colligere licet, quod poſt prandium & cœnam pleniorem, facilius quilibet ſomno capi poſſit cùm lecturæ ſe dederit. Hæcque ſufficiant, licet meritis Senatoris Ampliſſimi nunquam ſatis. *Raym. Joh. Fortis Conſultat. & Reſponſ. Medic. T. I. Cent. I.*

Medicatio viri Nimia Vigilia Fatigati.

Vir 40. annorum, temperamento bilioſo & melancholico præditus, cum magnis curis & ſollicitudinibus, ob magnum damnum in mercaturâ paſſum, ſe aliquandiu vehementius afflixiſſet, incidit in inſomniam, qua jam noctes multas vigilat, nec interdiu etiā dormire poteſt.

Afficitur in hoc ægro cerebrum; quod ex curis præcedentibus, & inſecutâ inſomniâ eſt manifeſtum.

Morbus, quo hic æger affligitur, eſt intemperies calida & ſicca cerebri, nimiſque rara plexus choroidis, cum ſpirituum animalium motu nimis valido inde orto conjuncta; quæ ventriculos cerebri & nervos nimis diu diſtendens, & hinc multorum dierum noctiumque vigilias inducens, à præcipuo ſymptomate inducto, nimia Vigilia appellari ſolet.

Cauſa, quæ primum huic morbo originem præbuit, fuerunt curæ & ſollicitudines, quibus hic vir ſe diu maceravit, & mentem perturbavit.

Vehementior enim ſpirituum motus, quem curarum & ſollicitudinum cogitationes produxerunt, exſiccavit & calefecit ſupra modum cerebri ſubſtantiam, poroſque plexus choroidis nimium aperuit, ſanguinemque nimis calidum & melancholicum produxit. Atque hinc jam contingit, ut ſpiritus animales, per poros illos iſtius plexus nimis apertos perpetuò & nimis copioſè exhalantes, cerebri nimis exſiccati & calefacti ventriculos, nervoſque ſenſoriorum inde ortos, perpetuo nimiumque diſtendant; atque ita perpetuam nimiamque aliquot dierum noctiumque vigiliam inducant.

Animadverſio Theodori Craanen in proximum paragraphum.

Spiritus hic non ſunt culpandi, ſed eſt potius morbus mentis, nam ſpiritus nunquam propriè melancholici exiſtunt, quamdiu ſubtiles ſunt, & omnes partes Sanguinis, ſi ſint ſubtiles, eſſentiam habent ſpirituum ex quacunque demum materiâ conſtent.

Nimiæ vigiliæ, vel ab anima poſſunt oriri, cum nimium corpori indulgeat, & à rebus externis ſe nimium affici patiatur, ut à damno, &c.

Cum anima hic triſtes cogitationes concipiat, & foveat ſemper circa illas hærendo, ſpiritus movet, iſtis cogitationibus indeſinenter indulgens, qui ſpiritus fermentationes in corde etiam omni ſuo cum vigore continuant: etiam aliquando eas intendendo (ut in epilepticis videri poteſt, qui dum ſunt ſani & nimium ſe irâ abripi patiuntur, in paroxiſmum epilepticum ſtatim delabuntur ob nimium Sanguinis motum & efferveſcentiam) quæ fermentationes, ſi intendantur, plus Sanguis ad caput movetur, quare etiam plures ſpiritus generantur, qui iterum Sanguinem alterant, & ebullitionem ejus ſic continuant.

Hinc etiam Sanguis etſi quadantenus ſit melancholicus, poteſt vigilias inducere, ſi impetuoſe movetur à ſpiritibus ab animâ motis, & præſertim à copioſo, & potenti fermento; velut in Maniâ; ut adeo inde concludere liceat; principium vigiliarum poſſe etiam eſſe in corpore, quod & patet, ſi Sanguis nimium ſit acris & motus

motus, ut in febribus ardentibus; hinc Sanguis nimium inciditur ab acrimoniâ ſalinâ in eo exiſtente, & ſubtilior debito evadit; quare cum magis movetur, plus Sanguinis quam ſolebat ſurſum ad caput defertur ob ſui ſubtilitatem: quare plures, & ſubtiliores, & acriores ſpiritus animales generantur, qui ſuâ copiâ, & acrimoniâ, &c. ſubtilitate tubulos nervorum, & cerebri inflando, & acrimonia ſua irritando, & aperiendo vigilias producunt; & quia copioſi per nervos ad cor, & alias partes deferunt; motum Sanguinis continuare faciunt, & hinc vigilias conſervant; quatenus ſunt acres per totum corpus vellicationes, & dolores excitando, vigilias etiam producunt, atque conſervant.

Nam vigiliæ nimiæ producuntur à Sanguine ſpirituoſiore, & ſimul acrimonia quadam ſalina peccante, ut & ſpiritibus copioſioribus. *Atque hactenus Teod. Craanen.*

Periculum autem eſt, ne hæc vigilia maniam, phrenitidem, vel melancholiam pariat.

Atque ideo ejus curatio, quæ in intemperiei iſtius per contraria correctione, pravorum humorum eductione, & pororum iſtorum nimis apertorum juſta arctatione, conſiſtet, haud erit procraſtinanda.

Primo itaque purgetur tali purgante hauſtu:

♃. Caſſiæ recens extractæ. Elect. diapruni an. ℥ß. Aq. decoct. hordei ℥iii. Syr. roſ. ſolutivi. ʒvi. Miſce. F. Hauſtus. Et utatur bis terve in die de hoc apozemate alterante:

♃. Herbar. violariæ. malvæ, borrag. bugloſſ. fumariæ, ſcarol. an. m. i. Sem. 4. frig. major. an. ʒi. papav. albi ℈iv. aniſi, fœniculi an. ℈ii. Flor. borrag bugloſſæ, violar. nymphææ. an. p. ii. Decoq. in ſ. q. aq. hordei ad lib. i. In colatura diſſolve ſyr. violar. nymphex. an. ℥i. Miſce, pro Apozemate. Veſperi utatur ſubinde tali emulſione amigdalata:

♃. Amigdal. dulc. excortic. ℥iiß. Contund. in mortario addendo aq. decoct. hord. lib. i. Syr. de papavere ʒvi. ſacchari alb. ℥i. Miſce F. lac amigdalatum, tribus vicibus unâ nocte ſumendum. Poſtea purgari poterit tali hauſtu:

♃. Rabarbari ℈iv. Fol. ſennæ ʒiii. cinnamomi ℈i. Poſt levem ebull. infundantur per noctem in aq. hordei ℥iii. Colaturæ adde ſyr. de cichorcum rheo ℥i. Miſc. pro hauſtu. Nares, frons, & tempora veſperi illinantur tali linimento:

♃. Ol. neunupharini, unguent. popul. an. ʒii. opii thebaici, croci an. gr. iii. Miſce. Cubitum iturus ſumere etiam poteſt ſyr. de papav. ʒvi. vel ℥i. vel laudani opiati in forma pilulæ gr. iv.

In diæta aër ſit frigidus & humidus; uti & cibus & potus. Utatur itaque lactucis, malvâ, endiviâ: carne vervecina, agnina; & elixis potius quam aſſis. Cereviſiâ potius, quam vino. Fugiat vehementiores motus ac ſollicitudines. Verſetur in loco obſcuriore, remoto à ſtrepitu. Hilaritati det operam. Excretio alvi ſit moderata. *Henricus Regius Medicationum parte. I.*

Obſervatio.

Vigiliæ cum ejulatu diuturnæ.

Prope ædes noſtras habitabat 1658. & ſeq. Viri Rev. H. C. Vidua, quæ filiolum habebat omnia ſani hominis & ingenioſi pueri munia exſequentem. Singulis tamen noctibus vigiliis moleſtiſſimis adfligebatur, & ejulatu totam viciniam complebat. Cubiculi illius paries Muſeo noſtro proximus erat. Cum verò ſoleremus conticinio lucubrare, primò valdè conterriti, quid rei eſſet, inquiri juſſimus. Nec enim fletus tantum, ſed ejulatus aut ululatus erat per ipſum ſilentiũ noctis meditantibus ac inſciis formidoloſus. Poſtquam puerum iſtum ſic querulari intelleximus, per vicinas & amicas mulieres cum matre quam blandiſſimè expoſtulavimus, caveret, ne filiolo ſuo aliquid majoris mali accerſeret, ſi ei in tempore proſpici omiſiſſet. At illa ſe plurimum excuſans, uti ſe primarii Poliatri opera jam integro ferè anno ſine ulla ope adſeveravit, nec aliam ſuſpicionem quàm veneficii alicujus ſupereſſe, quæ naturalibus nec dum remediis cedat. Diſplicuit iſta excuſatio, ideoque denuò monuimus, videret ſaltem, annon ſedibus quandoque lumbricos aut vermes alios excerneret. Sæpe enim ab iſtis ejuſmodi inquietudines & inſomnia horribilia excitari. Sed illa denuò negavit, fidem & prudentiam Medici ſui celebrans, qui ſæpius exhibitis purgantibus etiam alvi exonerationes perluſtrarit, vermes nullos conſpexerit. Ita nocturni ejulatus quotidiè procedebant, nobiſque audiendi erant, tempore quo nihil omnino audire lubuiſſet. Adſumpſit autem quotidie ante lecti ingreſſum ſerapium de papavere, cujus ingentem copiam tanto tempore fruſtra abſumpſit. Interea accidit, ut relictis his ædibus conducticiis, in noſtra, quibus nunc habitamus concederemus. Exacto ſemeſtri ipſa ad nos acceſſit, & adducto filiolo ſuo rogavit, ut ſi quid ipſi percurando commodum viſum fuerit, præſcriberemus. Nec mora, quamvis jam frequenter purgatus eſſet, luſtratione tamen repetita, & deinde vermes necantibus uſi ſumus, admixtis cardiacis & antepilepticis, quibus inſignem lumbricorum copiam ejecit, & deinde ejulare deſiit. *D. Georgii. Hieronimi Velſchii.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Vigiliæ ob cerebri corticem humore deſtitutum obortæ.

Generoſus quidam diu valetudinarius, poſtquam per quinque fere menſes colica, ſeu potius arthritide vaga ſcorbutica atrociſſima (in qua non tantum viſcera ac lumbi torminibus magnis, ſed inſuper totius corporis membranæ, ac muſculi omnes cruciatibus fere continuis afficerentur) laboraſſet; atque demum in membris modo ſpaſmos horrendos, modo reſolutiones, ac in capite modo Phreneſin, modo inſultus quaſi apoplecticos aut viſus obfuſcationem pateretur, tandem viribus attritis, atque ſpirituum copiis penitus exhauſtis interibat. Per ſeptem (excepto tantùm penultimo) ante obitum dies, quoad ſenſum & intellectum vegetior fere perpetim Inſomnis degebat: quin & opiatis, aut blandis, aut fortioribus ſubinde exhibitis, vix omnino dormitare potuit. Paulo ante hoc Pervigilium, à veſicatorio cervici applicato aquæ quantitas immenſa effluxit, & deinceps uſque ad mortem quotidie effluebat, hinc ut ſuſpicarer eum Inſomnem ideo fuiſſe propter humorem aqueum à cerebro copioſe nimis ſubductum.

Defuncti capitis aperto, cerebri cavitates interiores, ſive ventriculi omnes, aqua limpida

ad ſumnum impleti & quaſi diſtenri apparebant: Imò circa ſpinæ ſummitatem ipſe funis medularis aquis ibidem aggeſtis circumdari, & quaſi immergi videbatur: Huic, ob pulmones multùm vitiatos etiam Hydrops pectoris accreverat; Hepar mole ingens maculis ubique albis interſperſum & pene exangue apparebat: proinde ut viſcerum his culpis ſanguinis & ſucci nervei vitia quodam modo adſcribi debuerint. *Thom. Williſius.*

Vigiliæ diuturnæ ab abſceſſu cerebri excitatæ.

Obſervavi quendam ex diuturno dolore capitis, longiſque Vigiliis afflictum, tandem levi delirio & convulſione correptum periiſſe: Et aperto cranio inventus fuit abſceſſus cum pure admodum fœtente & corrupto. *Sebaſtianus Naſſius meth. med. p. 2. quæſt* 16.

Vigiliæ perpetuæ à Pancreatis abſceſſu latente excitatæ.

Mercator ætate virili & εὔσαρκος, cujus facultates naturales ſuo probe fungebantur officio, Verum de Somno apud Medicos duntaxat ipſe conquerebatur; Cum enim dormire conabatur, tum in leipothymiam & totius faciei frigidum ſudorem incidebat: Propterea qui tum ipſi aderant Medici, ob ſtomachum, quem male affectum eſſe opinabantur, hieram Galeni propinarunt, ſed fruſtra & abſque ullo commodo, imo vero aſſumpto pharmaco multo quàm antea deterius ſe habuit: Quare Medici mutarunt ſententiam (quia ex juvantibus aut lædentibus non ſolum noſcuntur interni morbi, ſed curandi indicationes ſumuntur) ad Cardiaca intus & foris adhibenda confugiunt, ex quibus tamen nullum quoque commodum prorſus percepit: Itaque cum prorſus nihil dormire poſſet, tandem miſer ille interiit.

Poſt ſectum eſt cadaver, in quo Pancreas, interno ſalvoque vitæ principio & ſtomacho, duntaxat repertum eſt abſceſſu putrefactum: Unde per ſomnum ſpiritibus ab extremis partibus ad ſua revocatis principia, tetros malignoſque vapores cor ferientes, & forte etiam ſtomachum efferri excitarique Medici poſthac conjectarunt, &c. *Jac. Aubertus progymn. Exerc.* 44. *ad lib. de abd. Fernelii.*

PETECHIAE.
Vid.
EXANTHEMATA.

PESTIS.

Morbi hujus horrendi tractationem è Clar. Paulo Barbette, additis pro illuſtratione aliorum, eorumque variorum Autorum notis, hic exſcribimus; rati ſic hiſtoriam illius ſatis integram nos exhibituros.

Peſtis Morbus eſt incomprehenſibilis, (*ut videtur*) ex vapore ſpirituoſo contagioſoque originem trahens, qui quàm ſubito ſanguinis conſiſtentiam, ut ita viribus & vitâ Cor privetur, diſſolvere poteſt. *a*

Eam incomprehenſibilem dico, primò quia Dei pœna ſit, cujus incomprehenſibile judicium & eſſentia (quæ tamen deſcribitur) ab homine nequaquam ad examen revocari poteſt; Deinde, quia, licet omnium ſæculorum peſtilentias diligenter percurras, tam mutabilis ſemper fuerit, ut nullam omnino invenias, quæ ad amuſſim cum alia conveniet. Et hæc cauſa eſt, quare in curanda Peſte præſtiterit judicium tuum bene exercitatum ſequi, quam aliorum Medicorum veſtigiis inſiſtere; Et quamvis ſe ipſam gravioribus Symptomatibus ſatis manifeſtet, attamen, licet ſumma ope nitaris, ejus naturam haud facilè comprehendes. *b*

Diffe-

a Clariſſ. de Diemerboëck Peſtem ſic definit. Peſtis eſt morbus communiſſimus, peracutiſſimus, perniciosiſſimus & maximè contagioſus, ex maligno & occulto ſpiritibus calorique nativo tota ſubſtantia infeſtiſſimo inquinamento ortus, à quo omnium viſcerum, & imprimis cordis functiones læduntur. Rever. Athanaſius Kircherus. Peſtis eſt morbus communis complures ſimul etiam diverſarum regionum infeſtans, dirorum malorum cauſa & origo, lethalis & maximè contagioſus. Excellent. Williſius. Peſtis eſt morbus epidemicus, contagioſus, humano generi ſummè infeſtus, ex miaſmate venenato ab aere primùm ſuſcepto, dein per contagium propagato, ortum ducens; qui occultè & latenter homines aggreſſus, ſpirituum extinctiones, cruoris coagulationes, ipſius & partium ſolidarum ſyderationes & νεκρώσεις infert, cumque apparentia exanthematum, bubonum, anthracum, necnon aliorum Symptomatum horrendo apparatu, ægros in vitæ periculum adducit. Clar. Franciſcus Plempius. Peſtis eſt morbus contagioſus ac malignus, natura ſua epidemicè in animalia graſſans, & plurima morti dans; comitatus plerumque febre peſſima, bubone, vel carbunculo, papuliſvè & aliis pernicioſis Symptomatibus. Alii eam definiunt morbum communem, contagioſum, lethalem, ſpiritus primò, deinde humores, ac tandem ſolidas corporis partes inficientem; à maligna quadam qualitate & putredine non vulgari, internis, vel externis cauſis, aëre nempe, aut de cœlo immiſſum. Alii tandem eam deſcribunt per effectus varios, morbum ſummè malignum, contagioſum, epidemicum, humano generi infenſiſſimum & pernicioſiſſimum, qui in plurimos, modò in regione ſimul integra, modò in urbe aliqua, aut oppido ſimul graſſatur, quo plures intereunt, & paucilſimi liberantur, functiones omnes vitales, in primis ſubitò, aut citiſſimè, & plerumque etiam animales labefactantem, ſæviora inducentem ſymptomata, laſſitudinem ſpontaneam, vomitus ſæpè immanes, cardialgiam, ſubitam virium proſtrationem, cordis palpitationes, ſyncopes, aut lypothimias frequentes, præcordiorum æſtum, ſitim, dolorem capitis, vigilias, phrenitidem, & ſæpè tandem convulſiones, febrem ut plurimùm conjunctam habentem, & tumoribus præterea varii generis, bubonibus nempe, carbunculis, exanthematis, puſtulis malignis, aut maculis in cute erumpentibus vulgo comitatum. Ex hiſce apparet Excellent. Williſium in effectibus peſtis ſeu ejuſdem veneni impreſſionibus in ſanguinem, deſcribendis, omnino à Clariſſ. Authore noſtro, idemque etiam docente Nobil. Franciſco De le Boë Sylvio eſſe diverſum; hi enim ſtatuunt hoc veneno tanquam ſale volatili acerrimo ſanguinis totam compagem diſſolvi, ille verò tanquam ſpiritu acido & ſtiptico eundem ſanguinem coagulari. Verùm de his alibi.

b Peſtem morbum eſſe incomprehenſibilem cum Authore noſtro aſſerit Clar. Franciſcus Plempius dum ſcribit. Qualis porrò ſit naturæ & eſſentiæ venenum peſtilens, hominem mortalem ſcire non poſſe puto. Volunt aliqui habere naturam arſenici, napelli, & aconiti; quòd horum venenorum effectus in peſte laborantibus plurimùm ſe prodant. Sanè homines malefici peſtem aliquando excitaſſe creduntur, ſuccos napelli & aconiti coquendo, injectis arſenici aliiſque venenatis pulveribus in unguenti formam; quo portarum cornices, vel veſtimenta, vel aliam ſuppellectilem illinebant; quæ dum aliquis attingeret vel tractaret, per corporis poros veneni vim in cor admittebat. Quòd autem hoc fieri poſſit, ſcribit Matthiolus celebris herbarius in Dioſcoridis lib. 4. c. 37. aiens, napelli radicem exterioribus ſolùm digitis leviter attritam velociter interimere. (illud nos non uno experimento, ſed pluribus omnino falſum deprehendimus, ut & alia multa quæ celebris

ille

Differentia. Quædam omnino ſine febre eſt. *a* Hoc qui ignorat, majori indiget experientia, & ſe non ſatis in bonorum auctorum ſcriptis verſatum prodit. Non paucis adſui, quibus, alias ſanis, bene & comedentibus & dormientibus, Bubones erant in inguine, in collo, ſub axillis, & poſt aures, malignitatem ſuam in curatione magis manifeſtantes quam bubones illi, qui febrem intenſiſſimam comitem habebant. Imo quidam jam ſatis admoniti, ſed homines præfractæ mentis ſummeque increduli, magno cum ſuo damno experti ſunt, hoſce bubones ad interiora propulſos & imminutos, illico graviora ſymptomata excitaſſe, & multò periculoſiora iis, quam quæ media convenientia adhibentibus eveniebant, & hac de cauſa etiam facilius curabantur.

Quædam Peſtis cum Febre eſt, & rurſus, Febris quædam peſtilens ſine Peſte eſt.

Febrem hanc à Peſte ipſa hoc modo diſtinguere ſolebam. Febricitantes de dolore conqueruntur Capitis & Stomachi, nonnunquam totius Corporis, quandoque Axillas, Collum, locum poſt Aures, aut Inguina occupante. Exterius ne minimam quidem protuberantiam aut præternaturalem tumorem, etiamſi diligentiſſime inveſtigaveris, invenies. Sudorem ſi mediis idoneis provocaveris, omnis dolor recedit, & æger aliquando primo, aliquando ſecundo, & aliquando tertio die integræ ſanitati reſtituitur; & in externis partibus nihil conſpicitur. Febris talis quo colore Peſti adnumerari queat, non video. At vero Bubone, Carbunculo, aut Petechiis, exterius ſe exhibentibus, Peſtem perfectam eſſe nemo dubitabit.

Cauſa aut interna eſt, aut externa: ſed ambæ hac virtute ſunt præditæ, ut quam ſubitò naturalem ſanguini conſiſtentiam & vires auferre poſſint.

Sed de Interna ut aliquid addamus, ſciendum eſt procul omni dubio verum eſſe, cibum & potum tam magnam & ſubitaneam mutationem corpori humano inferre non poſſe: Aſt denuò pro certo conſtat, ſanguinem, prava diæta diutius inſtituta, paulatim adeo diſſolvi, debilitari atque impurum reddi, ut, parte jam aliqua malignam naturam aſſumente, homo abſque ulla alia cauſa externa in morbum ſubitaneum incidat, imò & ipſam mortem obeat. Quod nobis non ſemel in variis ægris, temporibus minimè contagioſis, obſervare licuit; qui bubonibus perfectis aliiſque ſymptomatibus multò gravius laborabant, quam quidem ullus hoc tempore contagioſo laborare potuit.

Externas cauſas nemo prorſus in dubium revocavit, ſed quis earum naturam perſpectam habet? Chymici, ſimplicium medicamentorum partes ignis ope accuratè ſatis reſolvere valentes, in Sale volatili, ſanguinis ſal fixum ſubitò diſſolvente, contagium quærunt, quod veritatis aliquam ſpeciem habet: *b* ſed Sapientiæ ſal omnes haud deguſtarunt, nec inſulſis hominibus mundus unquam deſtituetur, quare impoſſibile eſt hæc uniuſcujuſque palato ſatisfacere poſſe.

Si

ille Herbarius confidenter nimis profert.) Id quod non magis mirum videri debet, quàm quòd quis aliquandiu peſte infecti ſudantem tenens manum peſte corripiatur & pereat. Verum aliorum etiam venenorum naturam æmulatur peſtis. Varia enim valde eſt, & varia inducit Symptomata; varias partes affligit, & modò faciliùs, modò difficiliùs curatur, aliquando nullo modo. Item quæ peſtis uno tempore certo aliquo remedio fœliciter curatur, alio tempore potius exaſperatur. Ex quibus varietas veneni peſtilentis colligi poſſe videtur. Unde quoque ratio elici poteſt, cur & quomodo peſtes aliquæ graſſentur in homines, & non in alia animalia: cur item in certam tantùm quandam animalium ſpeciem. Nam non omnia venena ſunt omnibus venena, ſed certis ſolùm quædam, uti notum eſt. Sic etiam Illuſtr. Sydenham. Quæ qualiſque ſit illa aëris diſpoſitio à qua morbificus peſtis apparatus promanat, nos pariter ac complura alia, circa quæ vecors ac arrogans Philoſophantium turba nugatur, planè ignoramus. Quicquid ſit hoc ſaltem nomine Dei Opt. Max. clementiam ac bonitatem meritiſſimo jure veneramur, quòd aëris conſtitutiones λοιμώδεις, ideſt, peſtem malorum omnium immaniſſimum, ac humano generi maximè internecinum inferentes, rariùs evenire voluerit, quàm quæ cæteris affectibus minùs exitialibus ſuſcitandis inſerviant. Hiſce in totum non aſſentit Rever. Athanaſius Kircherus dum explicaturus peſtis propriam eſſentiam inquit, illam eſſe innumerabiles vermiculos inſenſibiles inſtar atomorum per aërem vagantes: eoſque habere glutinoſam viſciditatem, quâ facilè rebus adhæreſcant. Chriſtianus Langius hanc opinionem ſequutus peſtem eſſe animatam, in præfatione ad librum Kircheri de Scrutinio peſtis defendit, aliique itidem aſſerunt. Sed de his in ſequentibus, dum cauſas peſtis ex accuratioribus, agitabimus.

a Nobiliſſ. Franciſcus De le Boë Sylvius cum Clar. Authore noſtro affirmat febrem non eſſe de eſſentia peſtis, & peſtem ſine febre reperiri; quod facillimè colligi poteſt ex hiſce illius verbis. De peſtis eſſentia non eſt calor univerſum corpus afficiens, at interiora præſertim. Nam tunc tantùm exteriora ſimul afficit calor, quando peſti comes adeſt febris; aliàs partes externæ parum vel nihil calent ultra ſolitum; quamvis ardor exerceat partes internas; iſque non tantùm ſitim vehementem, at inſuper inquietudinem valdè moleſtam exciter. Sed hic à quibuſdam reſpondebitur; quòd cùm calor non ſit de eſſentia propria febris, (ſiquidem plurimæ ex febribus, iiſque maximè malignis, ſitis ac caloris expertes, tragædiam ſuam peragunt.) at potius irritatio cordis, ea peſtem non deſtitui, licet ob citiſſimum temporum ſuorum decurſum; nonnunquam minùs ſentiatur. Verùm non eſt quòd hic multùm ſimus ſolliciti, quandoquidem in variarum harumcè opinionum, atque præcipuè de propria febris eſſentia, quam alii in peſte manifeſtam credunt, alii minimè, peſtiferorum ſalutem verſari non arbitramur.

b Nobiliſſ. Franciſcus De le Boë Sylvius omnino hanc defendit opinionem, ſcil. ſanguinis compagem à veneno peſtilenti prorſus diſſolvi, contra quam tamen ſentit Exc. Williſius qui eundem ſanguinem à veneno memorato coagulari aſſerit, nos in re non experta nihil pronunciamus, ſed ad alios remittimus, inter quos Illuſtr. Sydenham. Prope eſt, *inquit*, ut credam Peſtem peculiarem ac ſui generis febrim eſſe, quæ à particularum ſanguinis ſpirituoſiorum inflammatione originem ducit, utpote cujus naturæ ſubtiliſſimæ, præ tenuitate ſua, maximè proportionatæ ac adæquatæ videntur. Quòd ſi ſubtilitate qua poteſt maxima pollet (ut in principio & ſtatu conſtitutionis epidemicæ videre eſt) ſubito ac quaſi ex improviſo calorem nativum diſſipat & ægrum è medio tollit: Cadaveribus interim hujus morbi ferocia tam ſubito extinctorum, maculis purpureis undiquaque conſperſis, atque fœdatis; nempe fibris cruoris præ inteſtini conflictus violentia diſſilientibus & compage ipſius prorſus diſſoluta. Atque hæc tragœdia præ hujus quaſi flammæ ſubtilitate eximia, etiam ſine aliqua ſanguinis febrili ebullitione, vel alterius ægritudinis præſenſione, cietur. Secùs quàm ut plurimùm accidit ubi cauſa morbifica minùs ſubtilis exiſtit & quaſi obtuſiori telo vitam impetit. Idem confirmat Clariſſ. atque Experientiſſ. de Diemerbroëck in hiſtoria cujuſdam Angli peſte affecti, ex cujus vena aperta ſanguis floridus magna vi erupit, cumque aliquot jam effluxiſſent unciæ, Chirurgus nullis compreſſis, nullis ligaturis, fluxum ſanguinis cohibere & venæ inciſionem obturare potuit. Cauſam autem primariam illius diſſolutionis ſanguinis ponit Nobil. Sylvius in Sale volatili acerrimo in partibus mundi calidiſſimis ſublimato & inde à ventis auſtralibus ad nos devecto, Symptomata peſtis omnia inde ingenioſè admodum deducit, ſicque à poſteriori ſatis ſuperque, ut ipſe cred

ibi

Si ex aliis quæras qua in re contagium illud conſiſtat, multa quidem reſpondebunt, ſed ne gry quidem digna ſunt.

Certiſſime tamen ſcimus cœlitus eam nobis immitti. Aſtra non duntaxat gratiſſimo lumine, ſed etiam variis qualitatibus atque peculiari influentia in ſublunaria agunt, verùm quid ille, hoc ſtatuendo, aliud quam incertas ſuſpiciones tradidit? Aſtrologiæ ut & prædictionum incertitudo ex aſtrorum curſu, concurſu atque oppoſitione derivata, nobis non ſunt incognita: ſed aſtra contemplandi alias opportunior erit locus.

Neque ignoramus Aerem quoque variis modis infici poſſe: huc Vapores terræ, ignis cadentis in ſtar in nos iterum demiſſi: Aquæ fœtentes, Cadavera, terræ aut non, aut male mandata; Auſter putredinem promovens; Homines infecti, contagium aliis ſucceſſive communicantes, ſicque & homines plures, & aërem ipſum corrumpentes. *a*

Ad admirationem uſque experimur, contagioſum hoc venenum in ſtramine, veſtimentis, epiſtolis & multis aliis rebus aliquamdiu occultari poſſe, & ea tandem tractantem inficere.

Sed hæc omnia non niſi quænam illa ſint, quæ venenum peſtilens inferunt, declarant, verum quid illud ſit, & in quo natura ejus conſiſtat, nullus hactenus manifeſtè declaravit.

Signa.

Signa. Hororre ægri corripiuntur, mox æſtu interno. Ingens hic ſæpius æſtus ſiti exiſtente levi; aliquando verò ſitis magna febri leviori juncta. Sed plerumque, ſive febris magna ſive parva adfuerit, linguæ ſiccitas, & urinæ conſtitutio ea quæ eſt ſanorum conſpicitur. Aliquando ægri ſomno valde ſunt dediti; aliquando delirant, aut gravi capitis dolore vexantur, & tum oculi album ignei coloris eſt, & vigiliæ admodum infeſtant. Anxietas cordis magna, Pulſus parvus, ſi non primo leviorique tactu, (ſic enim ſæpius magnus) vehementiori ſaltem digitorum compreſſione perſentitur. Vires mox in principio, & longè vehementius, quam in ardentiſſima febri non maligna, deſtruuntur. Nonnulli Diarrhœa affliguntur nullis medicamentorum viribus curabili. Quidam vexantur hæmorrhagia narium, oris, oculorum, aurium, penis, uteri. Alios vomitus moleſtat continuus, alios nauſea. Sunt quibus Maculæ rubicundæ aut purpureæ erumpunt: Multi Bubones poſt aures, in collo, ſub mento, in inguine, ſub axillas habent. In aliquibus Exanthemata rubicunda, in quibuſdam Veſiculæ albicantes, in nonnullis Carbunculi, in aliis Petechiæ ſe produnt. Et tales Veſiculæ, Bubones, Carbunculi, &c. ubi adſunt, Peſtis certiſſimum ſignum evadunt, etiamſi nullius fuerint magnitudinis, præſertim ſi febri conjungantur, aut eam inſequantur. *a*

Pro-

mentem ſuam probat. Si de ſola ſanguinis diſſolutione ſubitaque inde orta morte hoc in morbo ageretur, experientiam propriam adjungeremus, nam ſæpè injectis volatilibus acerrimis, quales flores farinacei arſenici, in aqua diſſoluti, vel alii multa acrimonia noxii; injectis inquam volatilibus acerrimis in brutorum viventium venas, effecimus ut ſtatim quaſi ſyncope tacta morerentur, totumque ſanguinem in eorum vaſis ita diſſolutum reperiebamus ut vix contineri, ſed per membranas quaſi tranſſudare, & eorum minimis diſſectis vel abruptis pleno impetu & abundantiſſime, exilire cerneretur. Alias propè omnes cauſas à variis Autoribus aſſignatas perſequitur Experientiſſ. de Diemerbroëck, illis itaque non immoramur; ſed unicam attingimus quam ut ſuprà innuimus defendit Rever. Athanaſ. Kircherus eumque ſequuti plures, dum aſſerunt beſtiolas per aëra volitantes, & in vitæ theſaurum per reſpirationem ſuſceptas peſtem ſecum deferre, verùm quis non videt hallucinatos eſſe graviſſimos Autores dum beſtiolas deſcriptas in carbunculis peſtiferis & bubonibus, eaſque alis ſibi adaptatis inde avolare, videntes, continuò concludunt ibi cauſam peſtis latere. Animalcula omni corruptioni ſunt familiaria, ſic putris caſeus vermiculis ſcatet, acetum quod eſt vinum corruptum iis abundat, febrientium ſanguis vermibus plenus eſt, infinita rurſus alia recenſere poſſemus; quid igitur mirum ſi in peſtilentiali corruptione ejuſmodi fiant generationes; & quis non videt ſi in hac formatione poneretur genuina peſtis cauſa, omnes alios morbos peſtilentiales eodem jure dici debere, ſiquidem in corruptione eos concomitante fiunt ejuſmodi productiones; quod non tantùm de ſanguine febrientium in genere, ſed de eo & humoribus variis in omnibus propè aliis morbis peccantibus aſſerere, & demonſtrare poſſemus.

a Celeberr. Helmontius non à Cœlo, non à terra, aqua, aëre, non ab aliis peſtem generari aſſerit, niſi occaſionaliter & merè per accidens, ſed auram vitalem, ſeu ſpirituum opificem potentiam, quam Archæum vocat, totius vitalis auræ moderatorem, ex idæa conceptæ peſtis, gas fracidum jam [ita enim appellat Paracelſum ſecutus] & diſpoſitum, quem cruorem tartari vocat [& eſt ſpiritus non coagulabilis] peſtifero veneno infectum, peſtem generare; ſiquidem ipſe Archæus perterritus ſtatim peſtiferam concipit imaginem, eamque deſertis corporis regendi habenis ſuis aſſeclis communicat; unde turbata vitalium negotiationum œconomia, venenum occaſionaliter adveniens, expulſo, profligatoque Archæo totum microcoſmum ſibi vendicat, eiuſque ſtatum ad internecionem uſque conficit. Sed hæc ſanè ſunt mera verba, quibus nihil aut ſaltem parum admodum explicatur; quicquid admirentur hujus Hæreſiarchæ Sectatores.

a Signa peſtem brevì adventuram ſignificantia ſunt plurima, modò obſcuriora modò clariora: nimirum ſi annus temperamentum non ſervet, verùm immodicos & valde intempeſtivos habeat caloris aut frigoris, ſiccitatis aut ſqualoris, exceſſus; Si morbilli aut variolæ magna copia paſſim graſſantur, ſi phlegmones aut bubones febres regnantes concomitantur. Addunt Aſtrologi ſyderum certum aſpectum & cometarum apparentias: verùm contra illos acerrimè & graviſſimè diſputat Clariſſ. Carolus De la Font in Tractatulo quem de veneno peſtilenti conſcripſit. Ex fame præcedente certiſſimum peſtis ſequuturæ præſagium deſumitur. Etenim ſimilis anni conſtitutio quæ plerumque ſegetes ſyderatas & annonæ caritatem advocat, apta eſt & peſtem producere: etiam mala victus ratio, qua utuntur famelici, quævis inſalubria ſine delectu comedentes ad labem faciliùs ſuſcipiendam eorum corpora diſponit. Quin etiam terræ motus, cryptæque & cavernæ dehiſcente ſolo recens apertæ propter malignæ & venenatæ auræ eruptiones, peſtilentiis non rarò initia dedere. Hæc præcipuè ex Williſio; quibus adjungit Diemerbroëckius. Stellarum ardentium in cœlo oberrantium magnum concurſum, & in terram prolapſionem; plurima & ferè continua nocturna fulgura, cœlo non nubiloſo exiſtente, ſine pluviis & tonitrubus; ventos auſtrinos diuturniores, ſæpè etiam nullos manifeſtos; hyemes tepidas; avium multò rariorem numerum quam aliis temporibus; maximam & incredibilem inſectorum copiam, ut culicum, papilionum, ſcarabeorum, crabronum, cicadarum, omniumque maximè muſcarum; carnium aliarumque rerum putredines, præter conſuetudinem longè citiores & graviores; mulierum gravidarum frequentes abortus; morbos epidemicos mali moris, dyſenterias valdè malignas & contagioſas, imprimis febres putridas maligniſſimas, & purpuratas, plurimiſque lethales. Individua peſte corripienda quod attinet, nulla aut pauciſſima ejuſcè luis in ipſos deventuræ præſagia aut ſigna dantur, nam ferè omnes ex improviſo feriuntur. Unicum obſervavit Diemerbroëckius in peſte Noviomagenſi, quòd ſc. ubi aviculæ [quas nonnulli caveis incluſas delectationis gratia alebant] moriebantur, in illis ædibus etiam non diu poſt, imò frequentiſſimè intra duos treſvè dies, inter inhabitatores homines peſtem dominatam fuiſſe, idque multis in locis ſeu ædibus contigiſſe vidit.

Signa verò & Symptomata peſtem concomitantia, præterquam quod multa à Clar. Autore deſcribuntur, etiam

ſunt

Prognoſis. Peſtis naturam habet fallaciſſimam, & dum maximè adblanditur maximè nocet. Bubo minoris periculi eſt Carbunculo, hic verò Petechiis, quæ rariſſimè ſolent eſſe ſalutares.

Bubo poſt aures, in collo, aut ſub axillis, periculi plus habet eo, qui in inguine exoritur.

Carbunculi in digitis manuum pedumve à Corde remotiſſimi videntur, verum quòd tendines plurimi nervique ibi exiſtant, perículoſiores multò iis, qui in partibus carnoſis occurrunt.

Buboni accedens Carbunculus lethale ſignum eſt.

Bubo aut Carbunculus, ſi Febrem anteceſſerint, minus periculum eſt, quam ſi ſequantur, tardeque ſe oſtendant.

Bubonis inflammatio gravior Chirurgo alterationem inferre minime debet, ſed circulus ejus lividus ſecundo die mortem inſtare plerumque indicat.

Bubo ſi ad interiora recedat, extremo in periculo verſatur æger, niſi malignum humorem ad loca alia natura ablegaverit. Sic non ſemel obſervavi, ad interiora ſubitò recurrente materia, bubonem in inguine cauſante, gangrænam pedis in latere affecto ſubortam fuiſſe, plurimoſque ſic evaſiſſe.

Si veſicatorium præter ſolitum ſuum morem veſicam non excitet, ægrotantis amicis indicato ipſum vix mortem evaſurum.

Veſicatorio, vel Cauterio actuali ſi 12. aut 24. horarum ſpatio Carbunculi augmentum non impediatur, mortem inſtare certiſſimum eſt, imò tum etiam ſi nihil humiditatis inde effluat. Verùm ſi veſicula aut ſeparatio (quæ magna præſtat) & pus debito modo ſe oſtendant, æger ſalvabitur.

Carbunculus cauda quadam præditus valde periculoſus: aſt idem albeſcens ſine magna febris imminutione curationis ſpem adimit.

Bubones in collo, vel poſt aures ſi faucium dolorem moveant, & deglutitionem abſque magna inflammatione impediant, æger poſt duodecim aut quidecim horas ſuperſtes non manebit, quod magna cum triſtitia verum eſſe obſervavimus.

Somnus profundior, Delirium, Vigiliæ nocturnæ, Oculorum inflammatio, anxietas Cordis, tremor Membrorum & convulſiones, periculum indicant, ſed omnem curationis ſpem non adimunt.

Febris

ſunt ſequentia. Jactationes corporis: terrores: convulſivi ſubſultus, & quaſi leves membrorum contractiones: viſus turbidus: aurium tinnitus, & in nonnullis ſybilus: linguæ ſiccitas, rariùs tamen nigredo: oris & ſudoris graveolentia: hæmopthyſis: tuſſicula ſicca: inappetentia: oris ventriculi dolor: ſingultus: alvi dejectiones crudæ, admodum fætentes, ut plurimùm turbidæ, ac interdum cum vermibus: urinæ multis optimi coloris & ſedimenti, ſanorum urinis ſimiles, multis igneæ, aliis tenues & crudæ, interdum quoque turbidæ, nonnullis etiam unica die variæ, nempe modò bonæ & laudabiles, modò turbidæ, vel igneæ, aliquibus quoque ſanguineæ. In aliis impotentia ad motum ab ipſo morbi principio, in aliis vires robuſtæ uſque ad mortem. Calor corporis in aliis acer & vehemens, in aliis tantùm naturalis. Color vultus aliis pallidus, aliis eryſipelaceus, plurimis verò ſanorum colori non multùm abſimilis. Hæc ſigna ab Experient. Diemerbroëkio petita ut & alia à Clariſſ. Autore adnotata non pleraque ſimul in eodem videntur individuo, ſed modò hæc in uno, illa in altero.

Febris magna ſine anxietate Cordis periculoſa adeo non eſt, quam febris minor cui contritio cordis adeſt.

Lingua quò ſicca magis, eò majus periculum.

Sudorifera ſatis idonea ſi ſudorem haud moverint, ægri plerumque intereunt.

Sanguinis fluxus aliis contagioſis temporibus Medicis valde fuit ſuſpectus: ſed qui hæmorrhagia narium vel menſium fluxu laborant, fermè omnes ſalvantur. Mictionem cruentam hoc tempore non obſervavi: ſed qui Dyſenteria laborant, ſubita morte intereunt.

Admodum rarum eſt, attamen verum, Oculum, Naſum, Ventriculum, imò & inteſtina ipſa Carbunculis, abſque ulla curationis ſpe, affici poſſe.

Veſicam urinariam occupans ſummo cum dolore interimit ægrum. Unicum habui, qui, poſtquam ad horas 30. & plures Iſchuria laboraverat, præcedente dolore maximo, delirioque, ſanguinem primo, mox purulentam materiam per penem excrevit, atque ita ſanitati eſt reſtitutus. Carbunculum hic adfuiſſe conjiciebam, non quidem in parte veſicæ membranea, ſed vero in ejus cervice. *a*

Cu-

a Alia rurſus ſigna prognoſtica & quædam etiam ab Authore propoſitis ex parte contraria, habet Diemerbroëkius, quorum experientiam fecit in peſte Noviomagenſi, quæque ex ipſo hic deſcribemus.

Criticæ mutationes qualeſcunque, diebus decretoriis incidentes nihil certi in hac peſte promittebant. At ſextæ diei criſes ſemper certò lethales erant.

Quicunque circa novilunium aut plenilunium peſte corripiebantur, ii de vita maximè periclitabantur.

Peſtis quæ invadebat poſt ingentem iram, vel terrorem, vel venerem fortiorem, multò gravius periculum minabatur, quam quæ abſque his præcurſoribus corripiebat.

Magna virium proſtratio in morbi principio, ut & crebra animi deliquia, ac cordis palpitationes, periculoſa, imò plerumque mortalia ſigna erant.

Pulſus ſanorum pulſui ferè ſimilis, fallax & periculoſus, intermittens verò ſemper lethalis erat.

Sopores a principio morbi grave periculum indicabant.

Sternutationes crebræ mortis præcones erant.

Delirium levibus membrorum contractionibus & ſubſultibus conjunctum, certam mortem prædicebat.

Dolor in gutture ſine ullo tumore, ſine aphthis, oriſvè ſiccitate, ut & raucedo, imminens exitium certò pronunciabant.

Narium hæmorrhagia die decretorio incidens, valde periculoſa, non decretorio lethalis erat.

Anhelitus valde fœtens, quaſi carnium putreſcentium fœtorem olens, plurimis infœlix ſignum erat.

Pleuritides quæ durante hac peſtilenti conſtitutione invadebant, ſemper lethales erant, ſive præcederent, ſive ſtatim ſequerentur peſtis invaſionem.

Tuſſicula, ſpirandi difficultas, ſputum cruentum, dolor punctorius in pectore, hepate, liene, renibus, utero, aut veſica; hæc omnia calamitoſa erant.

Singultum ſemper mors citò ſequebatur.

Vomitus erat moleſtiſſimus, multoſque ad mortem uſque comitabatur, multis etiam tempeſtivo alexipharmacorum ſubſidio feliciter ſiſtebatur.

Suppreſſio alui in morbi principio & augmento, imò uſque ad vigoris declinationem, laudabilis erat, & ſpem ſalutis dabat.

Alui fluxus ſummum minabatur periculum, & cum hoc vix centeſimus evadebat æger.

Cum urinis ſanorum urinis ſimilibus multi ſubitò moriebantur, idque non rarò ſine gravibus ut videbatur ſymptomatibus.

Urinæ turbidæ malæ quidem erant, ſed cum his tamen nonnulli evadebant.

Urinæ pingues, oleaginoſæ, nigricantes, liveſcentes, vel hypoſtaſin lividam nigranvè deponentes, ferè ſemper exitioſæ erant.

Qui

Curatio. Venæſectio peſte laborantibus admodum noxia eſt; iis itidem qui à peſte præſervari volunt periculoſa. *a*

Ve-

Qui per urinarias vias ſanguinem excernebant, ſive ſolum, ſive urinæ permiſtum illi omnes brevi moriebantur.

Menſtruorum fluxus peſti ſuperveniens, etiam die critico erumpens valde periculoſus, & plurimis exitioſus erat, die verò non critico certiſſimè occidebat.

Mulieri gravidæ, puerperæ, vel abortienti, ſi peſte corriperetur, quod pleriſque contingebat, magnum periculum imminebat, & tales plerumque moriebantur.

Si fonticuli quos ad præſervationem multi habebant in morbi principio exareſcerent, certæ mortis indicium erant.

Tumores in emunctoriis, & imprimis qui in fauces & pone aures protuberabant, ſi ſpatio duodecim, vel viginti horarum valde increſcerent, & molles eſſent inſtar tumoris flatulenti, ſive cum, ſive abſque inflammatione, ſemper lethales erant, & quamvis ægri cum talibus tumoribus ſe aliquandiu non admodum malè habere viderentur, omnes tamen moriebantur.

Contra ſi illi tumores in principio duri eſſent, inſtar tendinis duri, rigidi, & oblongi, atque paulatim increſcerent, cum tolerabili dolore bonum erat, præcipuè ſi inter creſcendum duritiem illam aliquandiu ſervarent.

At ſi duri illi bubones circulum diverſi coloris inſtar iridis haberent, malum erat indicium, ac perniciem prænunciabat, ut & ſi rubicundi, lividi, aut nigri fierent.

Si tumores in emunctoriis cito ad ſuppurationem pervenirent imminutum periculum ſignificabant. Si vero ceſſante febre paulatim ſine ulla ſuppuratione evaneſcerent, nihil quoque metuendum erat.

Si in emunctoriis loco tumorum emergerent carbunculi, graviſſimum periculum indicabatur.

Si carbunculi tardiùs prodirent, malum: ſi valde multi erumperent, peſſimum erat.

Carbunculi ſi intra duos treſvè dies circulo rubeo comprehenderentur, citiùs & faciliùs ſanabantur. Si verò, inſtar ſphaceli quotidie latiùs proſerperent, magnamque latitudinem acquirerent, difficilis curationis erant, imò ſæpè peſſimi ominis, præcipuè ſi ſupra dorſi ſpinam, vel in parte aliqua nervoſa ſubſiſterent.

Carbunculus in principio ſubſidens, recurrens, ac ferè diſparens, vel poſtea manente febre exareſcens, calamitatem prædicebat.

Cum maculis rubris nonnulli evadebant; nulli cum purpureis, violaceis, vireſcentibus, aut nigris.

Hæc fuſiùs ex Illuſtr. Diemerbroeckio huc tranſcribere placuit, quoniam maximè faciunt ad accuratiſſimam morbi peſtilentialis prognoſin, cujus ſanè abſoluta cognitio magis quàm in ullo alio morbo perquam neceſſaria exiſtit.

a Idem defendit Experientiſſ. Diemerbroeckius, dum ait. Venæſectiones in iis qui à peſte præſervari volunt, quamvis à multis veteribus & neotericis Medicis ſummè laudatæ, tanquam valdè periculoſas & damnoſiſſimas rejicimus: Ratio eſt quia exhauſto ſanguine, & viribus imminutis, cor malignam auram minùs potenter à ſe expellit, minuſque eam evincit & extinguit, atque hinc ab inſpirato maligno aëre peſtilens qualitas faciliùs & gravius ei imprimitur. Et alibi, ubi de ipſa peſtis curatione. Nos in peſte Noviomagenſi venæſectionem damnoſiſſimam fuiſſe animadvertimus, ac proindè venam nullis ſecuimus, nec ſanis, nec ægris, imò vix quidem in aliis morbis qui venæſectionem exigere videbantur. Illud enim obſervavimus, ſi peſte correptis vena ſecaretur, illos ad unum omnes certò & citò obiiſſe: ſi aliis morbis laborantibus, his ſtatim poſt venæſectionem ſe adjunxiſſe peſtem: ſi ſanis, plurimos eorum, qui illud tentaverant, brevi poſt peſte correptos fuiſſe. Scarificationibus, cucurbitulis, & hirudinibus, loco venæſectionis, etiam uſi non ſumus. Contra quod Illuſtr. Sydenham. Cum minimè ſecutum ſit an exterminando peſtilentiali morbo naturæ veſtigiis inſiſtere, diſpiciendum venit quâ demum arte id fieri poſſit, nempè aliam, atque à naturali diverſam, hujuſce morbi ſolutionem aggrediendo. Hoc autem dupliciter omnino fieri poſſe exiſtimo; ſcil. vel per ſanguinis miſſionem, vel per ſudores. Priorem quod attinet, non ſum neſcius ſacram apud pleroſque audire in hoc morbo venæſectionem. Verùm vulgi præjudicia parum mor tus, rationum in hac quæſtione momenta, qua par eſt æquitate, atque candore,

Venenum ſæpius ad dies aliquot, ſeptimanas, aut menſes, in corpore extra vaſa delitеſcit, antequam per uſum ſanguinem commoventium medicamentorum ſeſe manifeſtet. Quod ſi Venæſectione id ad Cor trahas, ſtatuum eſt inquirere, annon ſanguinis, ſpirituum, viriumque imminutio, te autore, cauſa ſit, cur ſuffocetur Cor, hoſtemque fugare haud valeat. Medici quidam fide digni, & in arte exercitatiſſimi, in locis calidis, Venæſectionem caute; & in initio inſtitutam, mediorum anti-peſtilentialium præcipuum ſemper fuiſſe referunt. Sed qui in hiſce frigidis regionibus eam imitabantur, facilè ab eadem abſtinebant; imo Medici noſtrates de venæſectione prorius nunc ſilent.

Pur-

paulisper expendam. Ac primùm quidem Medicorum, qui graſſante nupera lue in Urbe Londinenſi perſtiterunt, fidem appello, numquis eorum, phlebotomiam larga manu ac repetitis vicibus, necnon tumore nullo adhuc protuberante celebratam, peſte laborantibus funeſtam eſſe animadverterit? Parcam quidem vel tumore jam conſpicuo ſanguinis detractionem ſemper damnoſam eſſe, neutiquam mirandum eſt: ſiquidem cùm mediocris tantùm quantitas cruoris adimitur, hinc naturæ, quæ tumori protrudendo totas intendit vires, rei adminiſtratio è manibus eripitur, nec interea alia ſatis efficax materiam morbificam evacuandi, ratio ſubſtituitur. Apparente autem jam tumore, celebrata venæſectio, cum a peripheria ad centrum trahat, motui naturæ, qui fit à centro ad circumferentiam, inducit motum planè adverſantem. Nihilominus vix quicquam frequentius factitatum videas, quam phlebothomiæ, perverſo hoc ritu adminiſtratæ, noxam, à contrariæ ſententiæ patronis univerſim ac in genere adverſus ſanguinis in hoc morbo detractionem, validiſſimi argumenti loco torqueri; uti in Diemerbroeckio aliiſque obſervationum ſcriptoribus paſſim videre eſt. Quod ad me attinet equidem eorum ratiocinationi aſſentiri non poſſum. Hæc omnia in totum conſona ſunt iis quæ ſcribit Leonardus Botallus in ſuo de curatione per Sanguinis miſſionem Tractatulo. Ego, inquit, ut uno verbo dicam, nullam peſtem eſſe puto, cui venæſectio non poſſit eſſe ſalutaris ſupra omnia remedia, modò opportunè, & quantitate convenienti uſurpata ſit, ratus eam aliquando inutilem inventam fuiſſe, propterea quòd aut tardiùs, aut parciùs, quàm opus eſſet, aut quòd utroque modò circa eam uſurpandam peccatum ſit. Exempla adducit in ſequentibus eorum qui cùm peſte corriperentur per largiſſimam venæſectionem curati ſunt; quæ nimis longum eſſet hic tradere; & poſteà addit ſibi multa alia ſupereſſe ad ſuam probationem facientia experimenta, de quibus ſeorſim latiùs alibi dicere conſtituerit; tandemque concludit febrem nullam peſtilentem eſſe, cui non conveniat æque vel potiùs magis miſſio ſanguinis, quàm Synochæ putridæ. Mediam in hac difficultate fovet ſententiam Excellentiſſ. Williſius, dum in præſervatione peſtis, inquit, commendari poteſt venæſectio, ubi adeſt plethora cum magna ſanguinis turgeſcentia, aut quibus longa conſuetudine ſanguis ſolenniter mitti ſolebat, iis venam ſecari convenit: quò enim ſanguis minùs efferveſcit, & ſine tumultu in vaſis circulatur, eò tardiùs lue peſtifera contaminatur. Et in ſequentibus. Auxilia in curatione peſtis adhibenda, quæ ad Chirurgiam ſpectant, ſunt venæſectio, quæ rarò, & admodum cautè in hoc morbo celebrari debet, quia ſanguine nimis exhauſto, & vaſis concidentibus, diaphoreſis non adeò facilè procuratur; hujus vicem meliùs ſupplent cucurbitulæ cum ſcarificatione, &c. Nos ſanè in hac lite nihil pronunciare audemus, quamvis ſi in re inexperta aliquid dicere liceret, aſſentiremur potius Clariſſ. noſtro Autori & Experientiſſ. Diemerbroeckio, quam aliis; nam poſito venæſectionem largiſſimam in aliqua peſte medicamentum eſſe certum, non tamen concludendum eam in omni peſte & omnibus individuis ea laborantibus uſurpandam eſſe: præterquam quòd, ut etiam bene adnotat Illuſtriſſ. Sydenham, hæc praxis difficultatibus plena eſt, dum ſcil. ægri vix auſcultant Medico hoc remedii genus proponenti; & dum ex parte tantùm ſanguinem mitti permittentes, neceſſario mortem incurrunt. Præſtabit,

itaque

Purgationes alterum Argum requirunt: nam quemadmodum in maligno hoc morbo nequaquam locum habent; ita in benignis aliquando ſummopere neceſſariæ ſunt; Verùm hos recte diſtinguere cujuſvis non eſt. Præterea etiam experimur peſte graſſante non eſſe licitum tam fortia aut acria medicamenta purgantia exhibere, quàm peſte non graſſante: nam præterquam quod ipſum corpus tam vehementia medicamenta non ferat, facillimè etiam Dyſenteriam excitant. Potione ſequenti, aut ſimili, ſæpius ſummo cum ſucceſſu uſus ſum, quoties nihil malignitatis adeſſe mihi perſuadebam.

♃. Rhei elect. drachm. j. ſ. Fol. Senn. mund. drachm. ij. Crem. Tartar. drachm. j. Rad. Scorzoner. unc. ſ. Sem. Aniſ. drachm. ſ. Coq. ex aq. Card. bened. Colaturæ unc. iij. Adde. Syr. de cichor. cum Rheo, drachm. vi. Spir. Salis parum. Confect. Alkerm. ſcrup. j. M. F. Hauſtulus.

Peſte jam laborantibus, purgans ante diem 14. Febri reliquiſque ſymptomatibus remittentibus, exhibere nunquam auſus ſum. Sunt, qui, Carbunculi ſuppuratione durante, aut bubone necdum curato, eo utuntur, ſed eorum exemplum, quæcunque etiam commiſceantur Antipeſtilentialia, ne imiteris. *a*

Enim-

Enimverò: quid ſi æger ad aliquot dies alv conſtipatione moleſtetur cum anxietate cordis, & ex purgatione ſolamen exſpectat? Anxietatis cauſa alvi obſtructio non eſt, ſed venenum ipſum; itaque Sudorifera exhibere perge, Corroborato, & de alvi ſuppreſſione non magnopere ſis ſollicitus. Quòd ſi tamen molliorem eum reddere placeat, ſuppoſitorium uſurpetur, nam Clyſteris uſus non adeo tutus eſt, multis hoc tempore nocuit, aliis parum profuit, malignitati interim nullo modo occurrens. Si verò neglecta hac admonitione, experientia rationibuſque confirmata, Clyſterem injicere placeat, à Scammoniatis abſtineas quæſo, præſertim in mulieribus aut virginibus menſtruis laborantibus.

Julapia valde neceſſaria ſunt, non tamen iis ubique & ſemper uti conceditur. Nunquam ea, niſi ſudoriferis additis, præſcripſi, quod ſequentia declarabunt. Et hæc tutiſſima via eſt. Quod ſi enim ſimpliciter potione refrigerante utatur æger, ſudore copioſè profluente, & ſudor ſæpius ad interiora regreditur, & venenum Cordi communicatur, unde tandem mors ipſa ſequitur.

Diaphoretica & Cardiaca, præſertim acida hoc in caſu ſummopere neceſſaria, certiſſima, ac proindè optima ſunt: *b* nam ſanguini conſiſtentiam adferunt, & malignitatem expellunt: pituitam in ventriculo atque inteſtinis diſſolvunt, bilem, multorum malorum cauſam, attemperant. Nihilominus tamen varietas morbi, atque ſymptomatum, variè ea mutari deſiderant, cùm aliàs haud præſtent, quæ in morbo acuto præſtare debebant.

Medi-

itaque medicamentum univerſalius & tutius adhibere, quod in ſudoriferis adinvenitur, ut optimè aſſerit Diemerbroëckius, & alii; Interim judicium eſto penes expertos.

a Nobiliſſimus Sylvius in aliquibus caſibus 14. à primo morbi peſtilentialis inſultu diem pro purgando corpore non expectat, arbitratur enim etiam in morbi principio licitum eſſe vomitorium exhibere; ſic enim ille. Venenum peſtilens inſpiratione allectum aliqua ſui parte cum ſaliva deglutiri poteſt atque mox nauſeam & vomitum aliquando parere, ſuique è corpore per vomitum exturbationem indicare. Indicati autem illius materia cùm ex variis peti queat, ego cæteris vomitoriis omnibus præfero antimonialia, quocunque demum modo parata: attendendum autem, ut ritè præparentur, ac prudenter uſurpentur. Idem etiam docet Excel.ent. Williſius, dum inquit. Cum peſtilentia regnante, quiſpiam hujus morbi contagio afficitur. Dei omnipotentis auxilio precibus impetrato, illico ad remedia confugiendum eſt: ſi in corpus maximè perpurgatum, ac in vomitum proclivè peſtis inciderit, ſtatim vomitorium ſumatur, cujus operatione finita, diaphoreticis confeſtim adhibitis ſudor provocetur. Verùm Experientiſſ. Diemerbroekius. Purgantia & vomitoria, inquit, maximè fugienda eſſe, præter rationem in peſte Noviomagenſi etiam docuit uſus. Quapropter nos ante diem ſeptimum nullis, ne quidem cachochymis aut cathartica, aut lenientia aut clyſteres; aut aliud quidpiam quod alvum citare poſſet, dedimus; & quamvis totis ſeptem diebus non deponerent ægri, nihil tamen movere auſi fuimus: pauciſſimis enim qui id tentaverant, feliciter ceſſit: at ferè in omnibus (veneno à peripheria ad centrum revocato) diarrhœa inſequuta fuit incurabilis & brevi occidens. Quò autem magis cacochyma erant corpora, eò citior fluxus, & majus erat periculum. Ac proindè nos illud opus ad ſeptimum uſque diem naturæ totaliter commiſimus. Poſt diem autem ſeptimum, tantummodo unam alteramvè pilulam, ex noſtris anti-peſtilentialibus, aut Ruffi exhibuimus. Aliis autem purgantibus vix ante diem vigeſimum uſi fuimus, cùm etiam in morbi declinatione illa non ſine periculo dari animadverteremus, imò non paucis jam à morbo convaleſcentibus, illa valdè noxia fuiſſe, viriumque recuperationem plurimum impediviſſe. Neque etiam alui conſtipationem magnopere metuimus, ut pote quam nullis nocuiſſe animadverterimus. Vomitoria qualiacunque, etiam ſtibiata à nonnullis inſigniter decantata, mini nè probavimus, ut pote quorum violentia ſemper corpora nimis vehementer conturbata & exagitata fuiſſe, atque ægros poſt illa ſe multò pejus habuiſſe, citiuſque extinctos eſſe, obſervavimus. Conſequentibus hæc in genere docuiſſe minimè contentus, exempla eorum affert qui poſtquam vomitoriis & catharticis uſi fuiſſent in ea ſunt deducti ſymptomata quæ nullis remediis ceſſere, ſed neceſſariò mortem intulere. In eadem circa ſtibiata eſt ſententia Fœlix Platerus, dum etiam adducit hiſtoriam Chymici cujuſdam, qui cum antimonio ſe omnes curaturum gloriaretur, peſte tamen cum uxore perierit. Itaque Diemerbroëk, ut & Clariſſ. Autori potius aſſentimur quàm aliis, quandoquidem ſuper experientia multoties confirmata pronunciant.

b Illuſtriſſimus Sydenham poſtquam de Venæſectione in peſte adhibenda plura docuit, quorum partem in ſuperioribus videre licuit, tandem de diaphoreticis, ſubjungit. Peſtilentis fermenti per diaphoreſim diſſipatio, præ ejuſdem per venæſectionem evacuatione mihi multis nominibus arridet, ut pote quæ nec ægrorum vires æquè proſternat, nec medicum infamiæ periculo objiciat. Atqui & hæc difficultatibus ſuis non vacat; primò enim multis, ac præſertim calidioris temperamenti juvenibus, ſudores ægriùs proliciuntur; cujuſmodi ægrotos, quò hydroticis fortioribus, ac cumulatiori tegumentorum pondere diaphoreſim conciere ſatagas, eò in manifeſtius Phrenitidis periculum adduces? aut quod triſtioris adhuc ominis eſt; vana ſpe aliquantiſper lactatus, tandem pro ſudoribus Exanthemata Peſtilentia elicies. Cùm præcipua hujuſce mali labes in ſpirituoſiori maſſæ ſanguineæ parte reſideat, unde craſſiorum particularum exagitatio nonnihil languidior quàm in aliis inflammationibus plerumque exiſtat, tenuior illa portio caloris acceſſione in majorem rabiem acta, impetu demum facto omnes cruoris fibras ultra texturæ modum diſtenſas prorſus frangit ac comminuit. A qua fibrarum ſanguinearum diſſolutione macularum peſtilentialium cauſam petendam eſſe cenſeo; quippè non ſecus ac vibices à plaga fortiore in partem aliquam corporis muſculoſam inflicta, primò intenſius rubicundæ effloreſcunt in cute, ac brevi tempore livorem quemdam aut nigredinem induunt.

Medicamenta contra Peſtem.

Radices; Zedoariæ, Petaſitidis, Angelicæ, Dictamni, Galangæ, Scorzoneræ, Gentianæ, Imperatoriæ, Leviſtici, Pimpinellæ, Iridis flor. & Noſtratis, Chinæ, Salſæparillæ. *a*

Folia, Rutæ, Scordii, Salviæ, Cardui benedicti, Vincetoxici, Abſinthii, Abrotani, Centaurei minoris, Valerianæ, Acetoſæ, Veronicæ, Meliſſæ, Majoranæ, Roriſmarini, Thymi, Menthæ. *b*

Flores; Borraginis, Bugloſſæ, Violarum, Roſarum, Calendulæ, Hyperici, Anthos, Spicæ nardi Indici, Jaſmini. *c*

Semina; Citri, Arantii, Rutæ, Hyperici, Aniſi, Coriandri, Leviſtici. *d*

Fructus; Poma Citria, Arantia. Nuces juglandes; Ficus, Ceraſa acida, Poma acida redolentia, Ribes, Granata acida, Berberis.

Aromata; Moſchus, Ambra. Zibetum, Benzoinum, Storax calamita, Cinamomum, Macer, Nux Moſchata, Cardamomum, Camphora.

Animalia eorumvè partes; Caro Viperarum, Mumia, Serpentes, Coturnices, Turdi, Cornu cervi, Unicornu, Bezoar, Lapis Porci Indici, Ebur, Caſtoreum. *e*

Lapi-

Lapides & terra pretioſa, Hiacynthus, Granatus, Smaragdus, Rubinus, Carbunculus, Margaritæ, Corallia, Bolus Armena, Terra Lemnia, Sigillata, Aurum, Argentum.

Sal; commune, ex Nilo fluvio nuperrimè huc allatum & potenter ſudorem movens, Scordii, Abſinthii, Rutæ, Prunellæ, Cardui benedicti, Tartari Vitriolati. Bezoardicum minerale.

Theriaca Andromachi, Diatheſſeron, Mithridatium Damocratis, Diaſcordium Fracaſtorii, Confectio Alkermes, Hiacynthorum;

Species liberantis.

Elect. de ovo, *rob.* ribium, Berberorum,

Conſerva Meliſſæ, Menthæ, Florum Anthos, Borraginis, Bugloſſæ, Florum Calendulæ,

Troſchiſci ex ſucco Berberorum, Citri. *f*

Ex

Deinde verò in corporibus quæ ſatis promptè in ſudorem ſolvuntur, ſi diaphoreſis juſto præmaturiùs (nempè tota materiâ morboſâ nondum penitus diſſipatâ) abrumpatur, bubonum, qui laudabiliter quidem ſub finem ſudoris prodire inceperant, poſtea deterior evadit conditio. Nam ſubductâ, quæ eos in molem attollere deberet materiæ parte, aut de facili intrò remeant, aut ſaltem ad legitimos abſceſſus, nunquam perducuntur (quemadmodum etiam in Variolis accidere ſolet, quoties per primos dies æger impenſiùs ſudavit) recepto autem denuò intra muros hoſte ferali in ſanguine commotio excitatur, cujus operâ eo quo ſuperiùs innuimus modò, ſæpè ecthymata imminentis lethi indicia foras propelluntur. Expientiſſ. autem Diemerbroëkius de ſudoriferis hæc habet. Cùm peſtilens venenum primariò vitæ hujus aſylum, cor, impugnare ſoleat, in peſtis curatione ante omnia regii viſceris rationem habere, eique citiſſimè ſuppetias ferre oportet, ut hoſtis truculentiſſimi injuriis fortiùs reſiſtere queat, Huic primariæ intentioni, ſeu indicationi ut ſatisfiat ſtatim ob ipſo principio ad antidota & ſudorifera confugiendum eſt: nam præſentiſſimum ſubſidium, quod cordi in his anguſtiis conſtituto adferri poteſt, ineſt medicamentis alexicacis, præcipuè talibus quæ ſudores movent: hæc enim ſpecifica vi cor à venenis tuentur, ac ſimul etiam peſtilentis labis, vires infringunt, obtundunt, atque foras expellunt. Hiſce omnibus patet quòd etiamſi peſtis non detur remedium infallibile & in omnibus certum, nullum tamen adhiberi poſſit quod & tutiùs & commodiùs ei occurrat quàm ſudorifera.

a Item radices Carlinæ, Ariſtolochiæ, Helenii, Valerianæ Biſtortæ, Vincetoxici, Calami aromatici, Tormentillæ, Bulbi Cæparum.

b Folia præterea Tanaceti, Scabioſæ, Morſus Diaboli, Verbenæ, Marrubii albi, Arthemiſiæ, Hederæ terreſtris Plantaginis,

c Flores etiam Stæchados, Balauſtiorum, Croci, Nymheæ, Sambuci.

d Semina Cardui benedicti, Acetoſæ, quatuor frigida majora,

e Buſones commendant multi, interque eos præcipuè Celeberrimus Helmontius, qui præparationis modum à Butlero acceperat. Hæc autem ille. Julio menſe, decreſcente Luna, veteres buſones cepi, quorum oculi albis ſcatebant vermibus, nigriſque capitibus prominentes, adeò ut uterque oculus in vermes transformatus eſſet, fortaſſis 50. numero. In utroque oculorum foramine vermes erant densè compacti, quorum capita foras prominebant, & quoties aliquis egredi vel prominere conaretur, ſtatim buſo appoſita manu egreſſum vetabat; hos autem buſones ad vomendum coactos, per ſuſpenſionem reperi dare excellentiſſimum Zenexton ſive amuletum; vermes autem in patinam ceream deciduos, ſimulque quod per vomitum rejicit, in parvulos trochiſcos redegi, addito buſonis cadavere è cerea patina, geſtati autem trochiſci ad mammam ſiniſtram, arcebant contagium, & loco infecto alligati, ſtatim virus extrahebant, erantque trochiſci promptiores & validiores, ſi in uſum aliquoties veniſſent, quàm recentiores; reperi autem hoc amuletum pro peſte longè validiſſimum. Rationes addit, quod ſc. in buſone quoddam agens ex proprio conceptu productum reperiatur, quod in gradum deductum, propter ſymbolizantem imaginem terroris, in archeum noſtrum ſimiliter terrefactum agere poſſit, & memorem reddere peccati, ſeu terroris concepti, ubi archeus ex alieno errore ſui conſcius animum recuperans refocillatur, atque reſurgendo roboratur. Quæ obſcuriùs & per ænigma ab Helmontio ut moris eſt, deſcripta; de remedio tamen validiſſimo pronunciant, cujus fides penes Autorem eſto.

f Qui compoſitiones alias plures tam alexipharmacas quàm antipeſtilentiales, eaſque elaboratiſſimas voluerit, ſatis multas reperiet in Faſciculo Medicam. ſingular. Cnöffelianorum ſub titulo bezoardicorum & alexipharmacorum comprehenſas. Hûc unicum rurſus adnoto ſc. Celeberrimum Helmontium dicere ſalem, ſulphur & picem eſſe genuina & vera Peſtis alexipharmaca, quibus etiam Hippocratem Peſtem omnem fugaſſe aſſerit, idque in hunc modum. Homo quidam, inquit, cuſtodi angelo eudæmoni familiaris, oravit, ut à Deo impetraret remedium, per quod Hippocrates Græcorum peſtem popularem curavit: ſperans miſeris Chriſtianis non denegatum iri, quod gentilibus olim conceſſit omnipotens. Dixit eudæmon; Hippocrates uſus eſt ſulphure, ſale & pice. Verùm illa apud Hippocratem Medicorum Dictatorem nuſpiam leguntur, nulluſque veterum eorum meminit; itaque meras fabulas & ſomnia credimus, quæ ſub ficto cum angelis colloquio obtrudere conatur Philoſophus ille per ignem. Interim Reverendus Athanaſius Kircherus ab Helmontio procul dubio deceptus affirmat Hippocratem pice, ſale & ſulphure in peſte profliganda fuiſſe uſum, ſed ſingulari methodo præparatis. Sulphur, inquit, priùs cote levigatum cum aqua exſiccari curabat, donec depoſitis terreſtrium fæcium quiſquiliis ad debitam reduceretur, tum ſubtilitatem, tum puritatem; deindè ſalem pariter igne decrepitatum igniquè liquefactum ſeponebat ad partem; per hanc enim decrepitationem ab omni heterogeneæ ſobolis miſtione depurgabatur. Porrò vinum hujuſmodi præparato ſale condiebat, cui grana ſulphuris 24. ad ſudores proliciendos addebat, vinum verò hoc in pice oblito vaſe conſervabat. Cùm enim ex ſymptomatis peſte correptorum intueretur appetitum proſtratum, ſtomachoque ſubnaſci mox fracidas & nidoroſas impuritates, unde dolor intenſus capitis, vomitus, nauſea, delirium, ſopor, quæ deſideratæ curæ ſummo forent impedimento; ut his incommodis mederetur, carnes communes balſamo ſalis conditas, præbebat ægris, quibus exitiale virus putredineſque per vim quandam abſterſivam everrerentur, vinumque ſupra

pra

Ex hiſce ſeligere poteris, quæ pro rei neceſſitate optima judicaveris. Compoſitorum medicamentorum aliorum ſcripta plena ſunt; ex iis etiam talia, quæ tibi maximè placent, eligito.

Non alia hic tradam, quàm quæ ſummo cum ſucceſſu uſurpavi, quibuſvè tamdiu uti animus eſt, donec ipſa Praxis meliora docuerit. Horum uſus ut tantò meliùs conſtet, nunc medicamenta quædam, à me & Medicis doctiſſimis Dom. Franciſco Sylvio, & D. Franciſco *van der Schagen* ante aliquot menſes compoſita, ut hoſti exitioſiſſimo obviam iremus, communicare neceſſarium exiſtimo.

Aqua Prophylactica noſtra.

♃. Rad. Angelicæ. Zedoariæ an. unc. j. Rad. petaſidis unc. ij. Fol. rutæ. unc. iv. Meliſſæ, Scabioſæ, Flor. calendulæ an. unc. ij. Nuc. jugland. immaturar. conciſar. lib. ij. Pom. citr. recent. conciſ. lib. j. Contundantur omnia ſimul, deinde affunde. Aceti vini optimi ad tres quartas partes ex arena in cucurbita vitrea per ſe deſtillat. lib. 12.

Digerantur per noctem, deinde deſtillentur igne cinerum lento ad ſiccitatem, idque ſine uſtione, & Acetum hoc uſui ſerva.

Si extractum & Sal tibi placet, affunde deſtillatum capiti mortuo, ſive remanentiæ, ac per triduum digere, ad extractionem Tincturæ, quam filtra, filtratam deſtilla in B. M. ad *Extracti* conſiſtentiam; Caput mortuum poſt extractionem calcina, & Salem extrahe. *a*

Con-

Conditum Prophylacticum noſtrum.

♃. Pomor. citr. recent. lib. ij. Succo fortiter expreſſo cortices exteriores à pulpa interiore craſſiuſcule ſeparentur, & minute contundantur, additis. Conſerv. roſar. pallidar. lib. ſ. rubrar. Flor. borragin. an. lib. ſ. Cortic. Arantior. cond. unc. iv. M. F. *Conditum.*

Pulvis Alexiterius noſter.

♃. Rad. contrayervæ, unc. ſ. Petaſitidis. Tormentillæ, Enulæ campan. an. drachm. j. Terræ ſigillatæ, Boli armen an. drachm. iij. Raſur. Corn. cerv. Eboris an. drachm. j. Coral. rubr. præpar. ſcrup. iv. Cinamom. acut. drachm. ij. Antimonii diaphoretici unc. ſ. M. F. *Pulvis.*

Tribus hiſce medicamentis magno cum ſucceſſu mecum in plurimis peſte laborantibus uſi ſunt Medici nominati celeberrimi, In præſervatione à peſte medicamentis aliis rarius ea miſcere ſoliti ſumus. Sed in curatione ipſa, non niſi aliis mixta præſcripſimus, uti hinc videre licet.

♃. Diaſcord. Fracaſtor. ſcrup. iv. Sal. prunell. ſcrup. i. Abſinthii ſcrup. ſ. Aq. prophylactic. noſtr. Cardui Bened. Syr. berberor. an. unc. j. M. F. Hauſtulus.

Vel ♃. Pulv. Alexiterii noſtri ſcrup. i. Tart. vitriolat. gr. 8. Sal. Corallor. gr. 15. Conf. Alkermes drachm. ſ. Aq. prophylactic. noſtr. unc. j. ſ. Rutaceæ q. ſ. Syr. de ſucco Card. bened. unc. j. M. F. Hauſtus.

Vel ♃. Antimon. diaphoret. ſcrup. j. Sal. Scordii, Rutæ an. ſcrup. ſ. Aq. prophylactic. noſtr. unc. i. Fumariæ q. ſ. Julap. roſar. unc. j. M. F. Hauſtus.

♃. Conf. Hyacinthor. Diaſcordii. Theriac. an. ſcrup. ii. Extr. prophylact. noſtr. gr. 15. Spir. ſalis ſcrup. ſ. M. F. Bolus.

♃. Condit. prophylact. noſtr. drachm. j. ſ. Oc. cancr. præp. ſcrup. j. Aq. prophylactic. noſtr. unc. ſ. Syr. de limonib. unc. j. Acet. ſambucin. unc. ſ. M. F. Hauſtus. *a*

♃. Be-

prædictum ſale, pice, ſulphure conditum præbebat, tum calidum & fervidum, minimè tepidum, tum ad nauſeas cohibendas, tum ad ſudores potentiùs eliciendos; ſalem enim abſtergere & à putredine conſervare, ſulphure verò virus peſtiferum cohiberi optimè norat; ſudores verò ad minimum triduò præſcribebat, bis de die & ſingulis vicibus per ſextantem diei, ſi virium imbecillitas permittebat, primis diebus plus, reliquis minus, potu omni ſudantibus negato. Peracto ſudoris termino, vinum græcum piceatum ſupra deſcriptum porrigebat. Hactenus Kircherus, qui totus in eo eſt ut ſententiam ab Helmontio priùs deſcriptam illuſtret & corroboret, verùm de illa jam judicium tulimus; & negavimus Hippocratem hoccè remedio uſum fuiſſe, aut ſi uſus fuerit, Helmontium illud noſſe potuiſſe, ſiquidem de eo apud omnes veteres altum eſt ſilentium, interim ſic nolumus hoc remedii genus, ſi non in totum ex parte ſaltem legitimè non poſſe uſurpari, ſalis & ſulphuris probè præparatorum novimus efficaciam in ſanguine diſſolutiori ad tonum reducendo, quod etiam docet Nobiliſſ. Sylvius dum in Nitro & Sulphure a te fixatis virtutem ſummam anti-peſtilentialem reſidere pronunciat.

a Aquam Theriacalem in Peſte Noviomaganſi ad ſuos uſus paravit Experientiſſ. Diemerbroëckius quam ſemper feliciſſimè cum ſucceſſu, ut ipſe ait, uſurpavit. Compoſitionis autem forma hæc eſt.

℞. Radic. Oſtrutii, Petaſitidis, Angelicæ, Carlinæ, Valerianæ an. ℥ ii ß. Enulæ campanæ, Corticum Aurantiorum ſiccat. an. ℥ iij. Herbarum Scordii, Abſinthii an. ℥ ij. Cardui benedicti ℥ iij. Florum Roſarum rubr. ℥ß. Stœchados ʒ iij. Baccarum Juniperi ℥ ij ß. Granorum Cardamomi minor. ʒ v. Cinnamomi elect. ℥ j.

Hæc omnia ſumantur ſicca, conſcindantur ſimul, & groſſo modo contundantur, iiſque affundantur in canthаro lapideo. Vini albi rhenani, vel gallici tenuis ℔ xxij. Aquæ roſarum ℔ ij.

Vaſe bene obturato, ſtent in infuſione decem diebus: tunc addantur hæ herbæ virides & recentes, conſciſſæ & aliquantum conquaſſatæ: Foliorum Ruthæ M. vj. Tanaceti M. v. Roriſmarini, Pimpinellæ an. M. j. ß.

Maneant ſimul in infuſione adhuc per octo vel decem dies, quotidie baculo commovendo, poſtea affunde. Succi citri ℔ ij.

Stent adhuc per tres quatuorvè dies, poſtea ſuper ignem leviter ebulliant, & colentur, ac in torculari fortiſſimè exprimantur. Colatura expreſſa diſtilletur in B. M. aut arena, per alembicum vitreum.

Illud quod poſt diſtillationem in fundo cucurbitæ remanet, adjectâ aquâ Cardui benedicti attenuandum, & per chartam emporeticam raram colandum eſt, quæ colatura lento igne exſiccanda eſt ad extracti conſiſtentiam, quod uſui ſervandum. Extractum autem illud, Extractum Magiſtrale audit apud prænominatum Diemerbroëckium.

a Formulæ remediorum in forma liquida præſcriptorum multæ reperiuntur apud Experientiſſ. Diemerbroëckium, quarum præcipuæ hæ ſunt.

℞. Extracti Magiſtralis Salis Abſinthii an. ℈j. Diaſcordii Fracaſtorii ʒj. Aquæ noſtræ Theriacalis ℥ ij. M. F. Hauſtus.

℞. Extracti Cardui benedicti, Ruthæ; Salis Cardui. an. ℈ß. Scordii ℈j. Theriacæ Androm. Diaſcordii Fracaſtori, an. ℈iß. Aquæ Theriacalis, Aceti. Bezoartici an. ℥j. M. F. Hauſtus.

℞. Terræ ſigillatæ ℈ij. Trochiſcorum de viperis ℈iß. Aceti bezoartici. Aquæ Theriacalis an. ℥j. M F. Hauſtus.

℞. Salis Cardui benedicti ℈iß. Aquæ Theriacalis ℥ij. Succi citri ℥ß. M F. Hauſtus.

℞. Folior. Ruthæ viridis recentium M. j. Contundantur in mortario, affundendo, Aceti bezoartici, vel Calendulati ℥ij. Fiat fortis expreſſio, colaturæ addantur, Salis

℞. Bezoartic. mineral. gr. 15. Sal. prunell. ſcrup. j. Sacchar. perlar. drachm. ſ. M. F. Pulvis. a

Æger horum Medicamentorum aliquod ſumat, quo ſudor egregiè provocetur: ad hoc præſtandum, juſculum carnis ovillæ aut gallinaceæ horâ unâ aut alterâ poſt ſumptum medicamentum, exhibeatur. Sudor deinde linteo calido abſtergatur, pectorique linteum ſimile imponatur. Nam hactenus obſervavi induſia aliaque linteamina non niſi cum damno mutari: ſed nimia humiditas nos aliquando cogit.

Sudorifera hæc, ſimiliaque, bis ad minimum, quovis die ſumantur: imo 24. horarum ſpatio ter uſurpare, magnoperè conducet. Reperiuntur, qui tempore ſex horarum effluxo, novum ſudoriferum, magno cum fructu exhibent. Nec eſt quod ab uſu horum mediorum facilè deſiſtas, etiamſi ſibi bene eſſe clamitet æger, brevi enim morbum utrumque veſtrum decepiſſe conſtabit.

Infantes plerumque ab uſu medicamentorum abhorrent; illos tamen cum ſuo bono non meliùs quam ſequenti pulvere decipere potui, qui iis intra 24. horarum ſpatium ter quaterve in ordinario potu exhibetur. Si dulcia iis non ſapiant, Sacch. perlarum omitti poteſt.

℞. Antim. diaphoretic. g. 15. Sacchar. perlar, ſcrup. j. ſ. M. F. Pulvis.

Vel ℞. Oc. cancr. præpar. Raſur. ebor. Bezoartic. miner. an. gr. vi. M. F. Pulvis.

De Julapiis infrà, ubi de Febris curatione, acturi ſumus. b

Sym-

Abſinthii ℈j. vel ℈iß. Theriacæ, aut Diaſcordii ʒj. vel ℈iv. M. F. Hauſtus.

℞. Radicum Petaſitidis, Angelicæ, Helenii an. ʒj. Herbarum Ruthæ, Cardui benedicti, Scordii an. M.ß. Vini albi q. ſ. coquantur ſecundùm artem.

℞. Iſtius colaturæ ℥ij. vel iij. Salis Scordii vel Cardui ℈j. Theriacæ ℈ij. M. F. Hauſtus.

℞. Salis communis ʒj. Aceti vini fortis ℥ij. vel iij. F. Hauſtus pro pauperibus.

℞. Cæpam aliquantum excavatam cui impone Theriacæ Andromachi ℈iv. Et cooperculo ſuo tectam, ac chartâ bibulâ aceto madidâ involutam, ſub cineribus calidis aſſato. Poſtea ſuccus in prælo fortiter exprimatur, cui adde aceti ſimplicis, vel bezoardici ℥j. Detur pro Hauſtu.

℞. Theriacæ ʒj. Aceti vini fortis, vel bezoartici ℥ij. Olei juniperini ℈ß. vel ℈j.

a Pulveres, Boli, & Electuaria ab Experient. Diemerbroëckio præſcripta pro ſudoribus in Peſte eliciendis ſunt præcipuè ſequentes.

℞. Pulveris liberantis ℈j. vel ℈iß. Lapidis bezoardici orient. ℈ß. Camphoræ gr. ij. vel iij. M. F. Pulvis.

℞. Florum Sulphuris, Terræ ſigillatæ, Coralli rubri præparati, Pulveris liberantis, Lapidis Bezoardici orient. an. ℈ß. Croci gr. iij. F. Pulvis.

℞. Pulveris liberantis ʒiß. Margaritarum præpar. Ocular cancri, Lapidis Bezoar. orient. an. ℈j. Confectionis de hyacintho ℈iiß. Conſervæ roſar. rubr. Boraginis, Calendulæ an. ʒß. Olei corticis citri gutt. vii. Syrupi Limonum q. ſ. M. F. Electuarium.

℞. Theriacæ Andromachi ʒij. Diaſcordii Fracaſtorij. Cortic. Aurantiorum condit. an. ʒiij. Olei Juniperini ʒß. Syrup. acetoſitatis citri q. ſ. M. F. Conditum.

℞. Mithridatii Damocratis, Diaſcordii Fracaſtorij an. ʒij. Electuarii de nucibus, Juniperini an. ʒiij. Pulveris Bezoartici ʒj. Syrup. Helenii q. ſ. M. F. Electuarium.

Plures aliæ Formulæ remediorum è variis iiſque celebrioribus Autoribus excerptæ addi hîc rurſus poſſent, ſed hoc nimis longum foret, & præterea ſatis credimus à Clar. Autore noſtro experientiâ comprobatis medicamentis adjunxiſſe quædam ex iis quorum multam fecit experientiam Diemerbroëckius.

b Non ſatis eſt hactenus ſelectiſſima plura remedia eorumque varias formulas tum è Clariſſ. Autore noſtro; tum ex Experientiſſ. Diemerbroekio vidiſſe, ad curationis ipſius methodum, de qua quædam in proximè præcedentibus, Autor tradit, paulò altiùs attendendum venit, quod ſanè commodiùs atque fieri meliùs non poteſt quàm ſi de ea re doctiſſimè & accuratiſſimè ſcribentem Diemerbroëckium videamus, cujus proindè propria verba hîc legenda jam exhibemus.

Curationem peſte laborantium, inquit, ſequenti modo inſtituebamus: Cubicula in quibus decumbebant ægroti, nitida ſervari, & primis tribus quatuorvè diebus diligenter clauſa teneri [ne ab aëris frigidioris introitu obſtiparentur corporis pori] juſſimus; niſi fortè enormis vomitus, vel diarrhœa morbo conjungeretur, tunc enim ægro bene contecto, ad maximi fætoris diſſipationem, feneſtram aliquam, Septentrionem, vel Orientem verſus ſpectantem, per horæ quadrantem, ſemel aut bis de die aperire neceſſe erat. Præterea tempore hyberno & frigidiore ignem continuum luculentum in cubiculis illis accendi curavimus: tempore minùs frigido non tam magnum; æſtate verò & aëre fervido exiſtente nullum; tuncque potius roſas, folia nympheæ, pimpinellæ, ſalicis, pampinos, aliaſque herbas refrigerantes, aceto vel oxycrato calido immerſas, per cubicula ſparſimus. Ad hæc ter quatervè de die aërem ſuffumigiis variis è thure, baccis juniperi, myrrhâ, ſuccino, ſulphure, pice navali, additis quandoque pro odoris gratia, benzoino, ſtirace, caryophyllis &c. alteravimus. Interea dum hæc fiebant, ſtatim ægris [quocunque tempore advocati eſſemus, ſive in ipſo morbi principio, ſive ſecunda tertiavè die] potiunculam ſudoriferam exhibuimus, iiſque bene ſtragulis contectis, ſudores copioſos per duas, tres, pluresvè horas, habita ſemper virium ratione, promovimus; qui ſi difficiùs prodirent, arenam calefactam ſiccam lineis ſaccis infuſam pedibus, axillis, & inguinibus appoſuimus. Si primum medicamentum vomitu rejicerent ægri, idem ſtatim ſecundo & urgente neceſſitate etiam tertio repetitum fuit. Peracto ſudore, ipſo quidem tegmine cum mappa calefacta ipſis ægris ſudores aliquantum detergere, ſed induſia reliquaque linteamina vix ante diem ſeptimum renovari permiſimus. Si verò fætorem ſudoris [quem nulli ægro nocuiſſe vidimus] moleſtè ferrent, induſia ſordida, quæ ab aliis quibuſdam, à ſanis, vel ab ipſis ægris ante morbum geſtata fuerant, induebantur; idemque etiam fiebat de reliquis linteaminibus: unicè cavendo ne recenter lota, aut quæ diu in arcis, vel ciſtis concluſa fuerant, darentur. Si à primo ſudore non levarentur ægri, ſed febris reliquaque ſymptomata increſcerent, poſt paucas horas exhibito rurſus alexipharmaco hydrotico, ſudor de novo repetebatur. Interea gratæ aliquæ antidotales miſturæ, ad virium corroborationem, & julepi reſiſtentes malignitati, pro ſedanda ſiti, porrigebantur. Si poſt ſecundum febris ſudorem cum aliis ſymptomatibus adhuc increſceret, nec quidquam levarentur ægri, peſſimum erat indicium; ſicut è contra poſt primum vel ſecundum ſudorem alleviari ægros, & imminui ſymptomata, magnam ſalutis ſpem dabat. Poſt decem vel duodecim horas, & ſequentibus diebus adhuc quater vel quinquies [prout neceſſitas exigere videbatur] ſudorifera reiteravimus. Intermediis autem horis varia antidota ad veneni violentiam extinguendam, ut & condita corroborantia ac putredini reſiſtentia, vel apozemata convenientia; aliaque quæ malignitatem à centro ad peripheriam quoque pellebant, nec non cibos quoſdam liquidos facilis digeſtionis & antidotali condimentorum qualitate alteratos, exhibuimus. Symptomatum quoque morbo conjunctorum diligentem rationem habuimus. Illuſtriſſimus etiam Sydenham poſtquam venæſectionem pro remedio peſtis curativo, ut ſuprà vidimus, propoſuit, in ſequentibus diaphoreſim in hunc finem tanquam commodiorem & minùs infamiæ in medicum accerſentem, commendat. In curationis autem methodo aſſerit ſudorem nunquam faciliùs elici quam ſi eo ipſo momento quo ſudoriferum propinatur, è vena tuſa ſanguis in quantitate ægri viribus reſpondente effluat, ſi idem tegumentis obruatur, laciniâ interim laneâ ſincipiti alligatâ. Pro vomitione arcenda quæ medicamentorum diaphoreticorum operationem impedit, dum ventriculus ſic affectus ipſa continuò rejicit, ante eorum exhibitionem ſudorem tegumentorum pondere aliquatenus ſollicitat, ſic enim cùm materiæ morbificæ radii, verſus ambitum corporis

Symptomata Peſtis.

Peſtis ſymptomata multa ſunt & varia, ſed plurima eorum alia ſecum adferunt, quæ, illis curatis, facilè etiam curantur. Omnia adeoque hic deſcribere ſuperfluum judicamus, præcipua adduxiſſe ſufficiet. Inter hæc primò occurrit.

Febris.

Purgationem & Venæſectionem neutiquam admittens, uti triſtiſſima experientia in multis docuit.

Sudorifera ſupra deſcripta non minus hic quàm in peſte ipſa proſunt. Verùm Refrigerantia inſuper & febris & linguæ ſiccitas requirunt, quæ non niſi ſudoriferis admixta uſurpari debere, in antecedentibus docuimus.

♃. Aq. borrag. Acetoſæ an. unc. ii. Prophylactic. noſtr. unc. jß. Succ. aurantior. acidor. Citr. recent. an. drach. ij. Julap. roſac. q. ſ. ad mediocrem edulcorationem. Lap. bezoardic. oriental. gr. xv. Miſce.

Æger ſumat ejus ſæpius cochlearis quantitatem, ſic ſitis meliùs tolletur quàm ſi decuplo cereviſiæ ſumpſiſſet, nec tamen ſudoris provacatio impedietur.

Vel ♃. Aq. Card. bened. lib. j. Prophylactic. noſtr. unc. ii. Syr. granator. acidor. unc. ii. ſ. Miſce.

♃. Rad.

poris ſeſe exporrigant, illico alvi profluvium & vomitiones, ab eiſdem introrſum reflexis, & in ventriculum & inteſtina decumbentibus provenientes, ultrò ſedantur; adeò ut quantacunque ſtomachi ſubverſio præceſſerit, aſſumpta deinceps medicamenta probè retineantur, ac ad ſudores ex voto proliciendos conducant. Addit autem medicamentis idoneis inceptam diaphoreſim, hauſtibus Zythogalæ ſalviâ alteratæ, vel cereviſiæ cui macis aliquantulum incoxerit, ſubindè repetitis, ad naturalis diei ſpatium continuari debere, abſtertione interim omni reiigtonè interdicta; imò nec infrà quatuor ac viginti horas à ſudoribus finitis indiſium utcunque madidum mutandum. Quòd ſi ſudatio, inquit, anguſtiori temporis limite circumſcribatur, recrudeſcit illico ſymptomatum æ itia, atque ægroti ſalus, quam prolixior diaphoreſis extra aleam conſtituiſſet, in acie novaculæ relinquitur. Unde profectò, ſubjungit, Diebroëckium alioſque non poſſum ſatis mirari, quoties adverto eos tam levi prætextu ad diaphoreſim interpellandam adduci, ut ſc. ægrotantium viribus conſulatur; Etenim ægrum ſudore diffluentem viribus meliùs quam antea conſtare; nemini in hujus morbi medicatione vel tantillum verſato non poteſt eſſe animadverſum: Docet idem in ſummo ſudoris vigore juſculis ac ſorbilibus confortativis ægrum refici poſſe, quæ cum cardiacis & hauſtibus ad ſudorem continuandum deſtinatis virium labefactationi abunde ſuccurrunt. Jubet præterea per horas à finito ſudore 24. frigus cautè vitetur, induſium ſponte ſua in corpore areſcere permittatur, potulenta omnia calidiuſculè hauriantur, & Zythogalæ ſalviâ alteratæ uſus etiamnum continuetur. Sequenti luce Catharticum exhibet. Advertit interim ſi tumor in aliqua corporis parte enatus fuerit ſe venæſectionem minimè inſtituere, etiam in corpore ad ſudandum maximè inhabili. Sic ſatis ſuperque apparet methodum Sydhenianam & quoad venæſectionem, & quoad purgationem citiorem, omnino ab ea quam ex Diemerbroeckio mox deſcripſimus eſſe diverſam. Verùm cum Illuſtriſſimus Sydenham aſſerat tantùm ſic ſe anno à peſte proximo, complurimis febre peſtilentiali correptis ſanitatem reſtituiſſe, adeò ut ne unus quidem deſideratus fuerit, inde contra Experientiſſ. Diemerbroëckium aliquid vix concludi poteſt; qui veræ peſtis omnibus ſuis ſymptomatibus ſtipatæ curationem præſcribit. Lector Doctiſſimus quid in hac lite judicandum ſit jam videat.

♃. Rad. Scorzoner. Petaſitid. an. unc. j. Fol. acetoſæ M. ii. Coq. ex aq. hordei. Colatur. libr. i. Adde Syr. violar. ſimpl. unc. ii. Sal prunell. ſcrup. ii vel Sp. ſalis q. ſ. Miſce.

Divitibus quæ exhibentur Julapia, & grata & cardiaca ſeq. modo fieri poſſunt.

♃. Aq. borragin. unc. iii. Card. bened. libr. i. Roſac. unc. i. Sacchar. perlat. unc. i. Ambr. griſ. gr. ij. Moſc. gr. j. Succ. citr. recent. q. ſ. Miſce.

Conducit hic Cereviſia Weſtpiana aut alia bene cocta, præſertim ſi raſura Nucis moſchatæ, in nodulo, aut cornu Cervi calcinati fruſtum in ea detineatur. Nec tamen exceſſus hic locum habet, ſive quantitatem ſpectemus, ſive frequentiam: imò frigidè ſi æger hauſerit Ventris dolorem, Alvi fluxum, anxietatem Cordis, aliaque ſymptomata excitabit. *a*

Ventriculi debilitate, Cordiſque anxietate laboranti, Vinum Moſellanum aut Rhenanum, ſaccharo ſuccovè limonum recenti mixtum, concedo, ſed in febris declinatione, & moderate uſurpetur. Qui in magna febri Vinum Gallicum per ſe, aut ſudoriferis admixtum permittunt, illi meo quidem judicio toto cœlo errant. *b*

Valde

a Idem docet Experientiſſ. Diemerbroeckius. Febrem, inquit, nos durante peſtilenti conſtitutione, eodem ferè modo ſicut ipſam peſtem, tractavimus, & ſudorifera atque antidota ad illius curationem maximè profuiſſe obſervavimus; dummodò abſtineremus à calidioribus, vel, ſi iiſdem uti placeret, alia frigida, ut acetum, ſuccum citri, &c. admiſceremus. Purgationes autem & Venæſectiones ad hujus febris curationem maximè noxias fuiſſe animadvertimus; imò pauciſſimos, qui vel alterutram, vel utramque adminiſtraſſent, evaſiſſe, ſed ferè omnes, ſuperveniente magno alvi profluvio, & cordis ſumma anxietate, viriumque extrema dejectione, extinctos fuiſſe notavimus.

b Nobiliſſimus Sylvius de curatione cordis anxietatis Peſti familiaris ſic ſcribit. Cordis anxietates, Nauſeam vomitumque, aut præcedentes, aut comitantes, aut conſequentes curabuntur medicamentis anti-peſtilentialibus jam deſcriptis, ſed additis ſimul ſpirituoſis, Aqua Vitæ multifariè parari ſolita & Aromatica; quo veneni peſtilentis acrimonia ſimul queat demulceri. Ulterius de hoc ſymptomate ejuſque remediis Diemerbroeckius. Cordis anxietati, inquit, debilitati, vomitui, &c. præcipuè duobus tribuſvè remediis obviam ivimus, quæ miraculosè profuerunt. Primum erat hæc mixtura, de qua ſæpiùs de die cochleare unum exhibuimus

℞. Conſerv. roſar. rubr. ℥ i ß. Diaſcordii Fracaſt. ʒ iij, vel iv. Aquæ noſtr. Theriac. ℥ v. Succi limonum recentis, aquæ cinnamomi an. ℥ i ß. Miſceantur ſimul & ſtent per horam unam aut alteram: deinde per linteum colentur. Adde colaturæ Confectionis de hyacintho ſine moſcho ʒj. M. Secundum erat hoc Linimentum.

℞. Olei nucis moſchatæ expreſſi, olei ſcorpionum vel laurini, Theriacæ Andr. an. ʒj. Olei juniper. ℈ß. Succini ℈j. Caryoph. vel cinamomi, gutt. iij. M. F. Linimentum.

Hujus Linimenti parum in cochleari tepefactum ſcrobiculo cordis, ſeu ſtomachi regioni, lociſque circumvicinis ad latitudinem palmæ manus inungebatur, idque bis terve de die, ſuperponendo hanc paſtam ad ignem calefactam.

℞. Rad. calami arom. nucis moſchatæ an. ʒj. Garyophyll. benzoini an. ʒß. Folior. menthæ ʒ ij. Subtiliter pulveriſatis adde, micæ panis ſecalini ℥ iij. vel iv. aceti roſacei q. ſ. F. paſta molliuſcula, quæ in linteo extendatur, atque ita ad ignem calefiat, & ventriculi regioni imponatur.

Interdum etiam talem nodulum naribus odorandum objecimus.

℞. Cortic. citri ʒ iij. cinamomi, caryophyllor. granor. cardam. min. an. ʒj. Macis ℈ij. Contundantur aliquantum, & fiat nodulus ſequenti liquori immergendus.

℞. Aquæ roſar. vini Rhenani generoſi, aceti ſambucini, vel aquæ cinam. an. ℥j. M.

Talis nodulus deficientes ſpiritus inſigniter recreabat. Hæc ille.

Valde in hoc caſu prodeſt lapillus ille qui ex Orientali India advehitur *Pedro Porco* dictus. Qui eum in ordinario potu parum temporis detinent, multum præſtabunt: Nam valde ſudorem expellit, & cor reficit.

Lapis hic, ni fallor, in Veſica fellea porcina generatur, inſigni enim amarore præditus eſt; durus equidem, ſed quavis vice aliquid ſubſtantiæ amittit, quod etiam color indicare videtur. Et ejuſmodi lapides ſæpiùs in veſica fellis quorundam hominum reperiuntur, qui jam nominato ſubſtantiâ, ſapore, duritie atque colore ſimiles ſunt; Imò ſi quis tales ad uſum revocaret, fortaſſis eaſdem, ſi non meliores operationes ſua virtute efficere poſſet. *a*

Febri huic ſæpius conjunctus eſt.

Sopor.

Hîc Sudoriferorum præcipua, v.g. Theriacam, Mithridatium, Diaſcordium, &c. rejicit, propterea quod bona Opii portio eorum compoſitionem ingrediatur, & hinc eſt quod ſomnum tollere minimè valeant. Præſtant ſeq. vapores Capitis, Cordiſque æſtum & anxietatem, repellere apta.

℞. Sal. rutæ, Scordii, Prunell. an. ſcrup. ſ. Tartar. vitriolat. gr.8. Aq. prophylactic. noſtr. unc.j. Meliſſæ q.ſ. Syr. de betonic. unc. j. M. F. Hauſtus.

Provocetur eo ſudor, adſtantiumque cura ſit, ut primo ſecundoque die ſomnus arceatur, modo vires permiſeriut. *b*

Quandoque Febri conjunguntur.

Vigiliæ Continuæ, & Capitis dolor gravis.

Vigiliæ me nequaquam ſollicitum reddunt, etiamſi primis tribus diebus continuæ adfuerint. Dolor ſæpius primo die imminuitur, altero tolerabilis eſt, tertio, ſolo ſudoriferorum uſu prorſus ſublatus eſt.

Opio vis eſt ſudorifica: Theriacam, Diaſcord. Mithridatium, &c. magna ex parte (uti jam diximus) conſtituit, quæ etiam, me judice, virtute ea ſudorem movendi haud pollerent, ſi eo deſtituerentur, qua jam gaudent. Imò Alexipharmacis ipſis ab autoribus annumeratur, cujus uſus ſingularis in omni maligna febri. Et certè haud crediderim Medicamentum ullum reperiri, quod tam ſubitò tantum levamen ægrotanti adferre poſſit, quàm Opium, & de cujus etiam operatione certiora prædicere queant, quicunque frequenter & circumſpectè eo utuntur, quam de Opii. *a* Parce nihilominus eo hoc tempore, præter conſuetudinem, uſus ſum, quia ſomnus primis duobus aut tribus diebus valde ſuſpectus eſt. At vero ubi ad dies ſex aut ſeptem vigiliæ tentaverint, cum virium conſumptione, valde profuit ſequens ſingulo quadrante cochlearis quantitate adſumptum, uſque dum in ſomnum inciderit æger: ſomnus eo producitur placidus, & ſudor largus.

℞. Aq. prophylactic. noſtr. unc. j. ſ. Borragin. unc.j. Cinamom. drachm. iij. Confect. hyacinthor. drachm. j. Sacchar. perlat. drachm. iij. Laud. opiat. gr. ij. Miſce.

Dicto itaque modo, Opio uti poteris; Nec eſt quod hic vel audax nimis in corporibus Cacochymicis, debilitatis, & ventriculo impuro præditis, idem uſurpes, vel meticuloſior juſto, nullo in caſu id exhibere contendas; vires etenim ejus tibi ignotas eſſe, evidentiſſime hoc modo declaras.

Ad Laudanum Opiatum antequam deveniam, Capitis dolorem ſeq. mediis tollere ſtudeo: Apponatur Cervici Hedera terreſtris contuſa; plantis itidem pedum & volis manuum hoc aut ſimile.

℞. Fol. rutæ M. j. ſ. Ferment. acr. unc. ij. Fim. columbin. unc.j. Salis commun. unc.ſ. Acet. Sambucin. q.ſ. M.F. Cataplaſma, plantis pedum & volis manuum applicandum.

Vel

a Lapis Porcinus de quo Clariſſ. Autor non tantum reperitur in veſiculis fellis Porcorum Malacenſ. &c. ſed etiam in ventriculis eorum qui pinnas oblongas & acutiſſimas habent, qui altiſſima ſcandunt, & herbis ſingularibus veſcuntur. Hîc apud Luſitanos non *Pedro Porco*, ut eſt apud Autor. Sed *Piedra de Puerco*, vocatur. Eapropter Peſti convenit, quòd ſit medicamentum diaphoreticum inſigne; injicitur ſc. aquæ, vino, cereviſiæ, &c. per horulæ ſpatium, & ſic infuſus liquor bibitur, qui quò amarior eò etiam potentior exiſtit. Prægnantibus non bene datur, nam abortum provocare certum eſt, adeò ut fœminæ Malicæ, ſi quando menſtrua purgatio non bene procedat, dicant, ſi ſaltem hunc lapidem manu geſtent, juvamentum ſe inde ſentire. Valde autem pretioſus eſt, ſinguli veniunt centum, imò ducentorum interdum imperialium, & etiam ultrà, ratione magnitudinis.

b Experientiſſ. Diemerbroeckii praxis in totum convenit cum iis quæ docet Clar. Autor noſter. Si in ipſo morbi principio, inquit, ad ſomnum nimis proclives eſſent ægri, [quod admodum familiare erat] illos prima die à ſomno ſtudioſiſſimè prohibuimus, uſque dum alexipharmaco aſſumpto priùs bene ſudaſſent. Quapropter ut adſtantes ipſos perpetuò alloquerentur, contrectarent, & commoverent, ſicque vigiles diſtinerent, juſſimus. Sequentibus autem tribus quatuorvè diebus parciorem tantùm ſomnum trium quatuorvè horarum permiſimus, cumque non niſi præaſſumpto antidoto capeſci voluimus. Nobiliſſ. Sylvius in ſopore peſtilentiali non tantùm ſenſus externos potenter moventia, qualia ſunt multa naribus admota, ut & colloquia perpetua, adhibet; ſed inſuper acida acria internè uſurpat, quorum quippè vis ſecundùm ipſum in oppugnando veneno peſtilentiali, & reparando acido deficiente, mira præſtat. Præterea addit ſi à parte bilis oleoſa ad qualitatem opii evecta producatur ſopor ille, hoc nomine etiam conducturum acidum acre, cui ſc. ineſt facultas & oleoſum penetrans, & idem corrigens.

a Illuſtr. Sydenham opii efficaciam, & multiplicis operationis certitudinem miratus, ſic exclamat. Et profectè non hic mihi tempero, quin gratulabundus animadvertam, Deum Omnipotentem *πάντων δώτορ᾽ ἐάων*, non aliud remedium, quod vel pluribus malis debellandis par ſit, vel eadem efficaciùs extirpet, humano generi, in miſeriarum ſolamen, conceſſiſſe, quàm ſunt Opiata, medicamenta ſcil. ab aliqua papaverum ſpecie deſumpta. Et quamlibet ſint nonnulli qui credulis perſuadere velint, omnem ferè Narcoticorum, Opii præſertim ipſius, virtutem ab artificioſa ac debita, quam ſoli adhibent, præparatione pendere; qui tamen experientia judice certaverit, & tam ſimplicem ſuccum à natura oblatum, quàm ejus præparata cum diligenti obſervatione in uſum frequenter revocaverit, nullum ferè diſcrimen intercedere comperiet, & mirandos illos effectus quos edit, nativæ ipſius plantæ bonitati, atque excellentiæ, non verò artificis Polydædali induſtriæ deberi, certò ſciet. Quinimò ita neceſſarium eſt in hominis periti manu organum jam laudatum medicamentum, ut ſine illo manca ſit ac claudicet Medicina; qui verò eodem inſtructus fuerit, majora præſtabit, quàm quis ab uno remedio facilè ſperaverit; rudis enim ſit oportet; & parum compertam habeat hujus medicamenti vim, qui idem ſopori conciliando, demulcendis doloribus, & diarrhϾ ſiſtendæ applicare tantùm novit, cùm ad alia plurima, gladii inſtar Delphici, accommodari poſſit, & præſtantiſſimum ſit remedium Cardiacum, unicum pene dixerim, quod in rerum natura hactenus eſt repertum.

Vel ♃. Boli armen. Terræ ſigillat. Cret. vulgar. alb. an. unc. ſ. Acet. Calendul. q. ſ. M. applicetur ut præcedens.

Fronti quoque applicavi quandoque Cariophyllorum pulverem ſpiritu Vini madefactum. *a* Acetum enim nocere cenſeo, ſimiliter & Emulſiones. *b*

Symptoma Peſtis aliud eſt.

Vomitus & Singultus.

Carbunculis Ventriculum atque Inteſtina affici poſſe; Naturæ ſcrutatores varii, fide digni, in Cadaveribus appertis obſervarunt, nec vel experientia vel ratio contrariatur: *c* Hi quòd ſi Vomitus hujus ſingultuſvè cauſa non fuerint, mixturæ ſeq. cochlear. 1. cujuſvis horæ medio frigidè adſumptum, facilè tolluntur.

♃. Aq. menthæ. Prophylactic. noſtr. an. unc. j. ſ. Cinnamom. unc. ſ. confect. hyacinthor. drachm. j. Sal. corallor. ſcrup. j. Syr. myrtin. unc. ſ. Julap. roſ. unc. ſ. Miſce.

Hujus uſu Vomitus plerumque ceſſat, imprimis ſi Oleum ſeq. Ventriculo aliquoties de die extra applicetur.

♃. Ol. Nuciſtæ expreſſ. drachm. j. ſ. Macis ſtillatit. drachm. ſ. Abſinthii drachm. i. Miſce.

Abſtineat interim à potu copioſo; & quamprimum vomitus eſt ſedatus; ſudoriferum præſcribere ſoleo. *d*

Alvi fluxus.

Inſtantis plerumque mortis nuncius eſt: Non rarò tamen, ubi nec ſolus ſanguis excernebatur, nec materia ſanguinea; ſequentia profuiſſe expertus ſum.

Abſtineat æger, & Medicus ab omnibus acidis, ſalſiſque, magni alias in peſte uſus, ſimiliter & à potu liberaliore. Sitim valde vexantem, quod ſi tolerare nequeat ægrotus, ſumat mixturæ hujus Cochl. 1. 2. 3.

♃. Rad. Tormentill. unc. i. Flor. roſar. rub. P. j. Raſur. corn. Cerv. drachm. ſ. Sem. acetoſ. Myrtillor. an. drachm. j. Coq. ex aq. ferrata. Colatur. unc. 9. Adde. Conf. hyacinthor. drachm. j. Syr. myrtin. unc. i. Miſce.

Sola theriaca quoque multis profuit, ſi ſingulis quatuor horis particula ejus aſſumatur, uſque dum drachma una abſumpta ſit: ſequens etiam cochleatim exhibitum.

♃. Diaſcord. Frac. drachm. ii. Carabe ſcrup. ſ. Corall. rubr. præp. Sang. dracon. an. ſcrup. j. Margarit. præp. ſcrup. ſ. Aq. fœnicul. unc. j. Plantag. Roſar. an. unc. j. ſ. Syr. de ſymphyto Fernel. unc. i. Miſce.

Enemata adſtringentia, exſiccantia atque emollientia valde hic neceſſaria ſunt, imò quovis ſæpius die bis tervè injicienda.

♃. Rad. Conſolid. major. unc. j. Biſtortæ. Tormentillæ an. drachm. iii. Fol. quercus M. ſ. Flor. balauſt. Roſar. rubr. an. P. j. Semin. aniſ. drach. iij. coq. ex lacte vaccino uſtulato in Colaturæ unc. 8. Diſſolve. Therebinth. Venet. drach. ij. Vitell. ovi. n. j. Trochiſc. albi Rhaſis drachm. j. Mell. mercurial. unc. ſ. Roſat. colat. unc. ſ. M. F. Enema.

Fœx Vini albi, at magis rubri Abdomini calide illita inſigniter profuit, linteo quadruplicato. Aliàs linimentum & Emplaſtrum ſequens uſurpari poteſt. *a*

♃. Ol. Maſtichin. Nuciſtæ expreſſ. drachm. j. Anethi, Abſinthii, Myrtillor. an. drachm. ii. Theriac. Veter. drachm. iii. Miſce.

♃. Boli armen. Thuris, Maſtich. Sang. dracon. an. drach. ij. Mumiæ drach. iij. Pulver. Gallar. drachm. j. ſ. Semin dauci, Leviſtic. Aniſ. Myrtillor. an. ſcrup. ii. Ol. nuciſt. expreſſ. drachm. iii. Therebinth. Ven. q. ſ. M. F. ſ. a. Emplaſtrum. *a*

Atque

a Sequentem in Vigiliis, doloribus capitis & delirio habet applicationem Diemerbroëckius.

℞. Conſervæ roſar. rubr. unguenti alabaſtrini, populei an. ʒ iij. Olei nucis moſchatæ expr. ℈ iß. Croci ℈ß. vel ℈j. M. & excipiantur ſtupâ.

b Emulſiones etiam in peſte condemnat Diemerbroëckius, dum ait. Amygdalata [quæ à Medicis laudari ſolent] in Peſte non exhibuimus, quia experientia nos edocuit, ea Peſtiferis exhibita [ſive in deliriis, ſive in doloribus capitis, vigiliis, diarrhœâ, aliavè quacunque occaſione] non tantùm non profuiſſe, ſed ſemper plurimum nocuiſſe; nam in ventriculo ægrorum ſtatim corrumpebantur, atque ita febris alimentum fiebant, ſubſequentibus etiam moleſtiſſimis vomitionibus, anxietatibus, aliiſque gravibus ſymptomatibus.

c Diemerbroëckius viſo milite Peſte affecto & quatuor habente carbunculos, qui ſumma anxietate & inquietudine, cum magna virium dejectione, crebris deliquis & vomitu violento, laborabat, quique, nihil proficientibus antidotis, animam efflavit. Cum chirurgo adjuncto de cauſa vomitus peſtilentialis verba ferens, affirmabat ille, hunc vomitum plerumque induci à carbunculis in ventriculi tunicis enatis, idque ſe ab experientia ſcire, & aliquando cadaver peſte cum vomitu emortuum ac jam refrigeratum diſſecuiſſe, & in ventriculo à latere orificii ſuperioris inveniſſe locum quemdam longiuſculum, circiter magnitudinis articuli pollicis, qui nigricabat inſtar carbunculi, quæ nigredo tunicas ventriculi tranſiens, æque foris, quàm intus conſpiciebatur, & promitebat ſe in milite prædicto illud demonſtraturum. Verùm Diemerbroëckio non placuit irritare crabrones, & aperta abdominis cavitate contagii periculo ſeſe exponere.

d De remediis & cautelis pro vomitu in Peſte vidimus quædam ſupra in iis quæ circa Peſtis curationem illiuſque methodum affert Illuſtr. Sydenham; quædam præterea cum de anxietatibus &c. tum è Nobiliſſ. Sylvio, tum ex Experientiſſ. Diemerbroëckio verba faceremus, nihil eſt igitur quod hîc addamus. Singultum verò quod attinet, multa huic remedia adhibere neceſſe non eſt, nam tales ægri omnes citò moriuntur; neque ullum ſingultientem, medicamentis etiam plurimis diligentiſſimè adhibis ſervari potuiſſe, vidit Diemerbroëckius.

a De ratione tollendi alui fluxus peſtis principiis adjunctos jam ſupra aliquid ex Illuſtriſſ. Sydenham in Peſtis curatione vidimus; hîc quæpiam ex Isbrando Diemerbroëckio addemus, quæ in totum conſona ſunt cum iis quæ habet Autor. Alui fluxus, *inquit*, ægris peſte correptis ſuperveniens, ſemper ingens periculum minabatur. Ac proindè non expectandum, (quod tamen multi opinantur) neque ſolis amygdalatis (quæ in hoc caſu ſemper maximè noxia fuiſſe obſervavimus) dolores ſedandos, ſed ſtatim, ſi ægri, ullo modo quidquam aſſumere poſſent, fluxum medicamentis ſedandum eſſe, præter rationem, etiam docuit uſus. Quem in finem uſi ſumus ſudoriferis adſtringentibus aliquoties repetitis, necnon pulveribus antidotalibus, & conditis quoque aſtringentibus ac malignitati reſiſtentibus. Atque talibus medicamentis interdum in principio ſiſtebatur ille fluxus, cùm alioqui tranſgreſſo principio nullis remediis ſiſti poſſet, ſed ægros ſecundo flumine ad æternitatis habitacula deferret. Fluxui enim alui ſimplici aliquando ſuccedebat fluxus ſanguineus per alvum & urinam, quem mors brevi ſequebatur, neque ullus in tota peſte Noviomagenſi evaſit, cui ſaiguis per has

Atque hæc de Symptomatibus Peſtis internis pro ratione temporis & ſcopi dicta ſufficiant: externa tria occurrunt, Petechiæ, Bubo, & Carbunculus.

Petechia.

Haud commodiùs quàm internis medicamentis tolli poſſunt, ſed plerumque malum denunciant. *a*

Bubo.

Sequenti modo à me tractari ſolet. Primo ſtatim tempore Veſicatorium applico, etiamſi tumor adhuc non ſit inſignis magnitudinis, cucurbitulis neglectis, quas ideo quòd dolorem febremque cauſent, bonos æquè ac malos humores alliciant, totumque ſanguinem magis adhuc alterent, omnino rejicio. *b* Veſicæ, poſt horas 7. 8. aut plures diſſectæ, Emplaſtrum magneticum Arſenicale imponi curo; Hujus ſanè virtus tanta eſt in hoc caſu, ut nobilius eo nullum mihi innotuerit, quod cuivis adhibenti patebit. Deſcriptio ejus ex Hartmanno & Agricola hæc eſt.

Emplaſtrum Magneticum Arſenicale.

♃. Antimon. crudi, Sulphur. flav. Arſenici albi an. unc. ij.

Subtiliſſimè pulveriſata ſepeliantur in Phiala, in arena, ſubminiſtretur ignis donec colliqueſcant, & colorem rubeum ſubobſcurum induant. Vaſe refrigerato exime materiam, quæ Magnes Arſenicalis vocatur, & venenata ampliùs non eſt, ut in canibus cuilibet id experiri licet. Poſtea.

♃. Gummi ſerapini. Ammoniaci, Galbani. Magnetis Arſenicalis an. drachm. iij. Therebint. Laricea. Ceræ an. unc. ſ. Ol. ſuccini. drachm. ij. Terræ vitrioli dulcificatæ drachm. j.

Gummata diſſolvantur in aceto vini fortis, & per pannum linteum expreſſa, bulliendo iterum inſpiſſentur ad priorem conſiſtentiam. Deinde ſeorſim illiqua Ceram & Therebinthinam, & extrà ignem agita, donec in ſpiſſitudinem unguenti redigantur. Adde porro ſupradicta Gummata & Magnetem Arſenicalem cum Terra vitrioli, & Oleo ſuccini, & habebis Emplaſtrum ad extrahenda omnis generis Venena efficaciſſimum.

Emplaſtrum illud hiſce viribus præditum reperi, ut cuti duriori impoſitum, ne minimam quidem eſcharam producat, interim malignos humores tam egregiè extrahens, ut bubo juglandi ſimilis intra quatuor aut ſex dierum ſpatium prorſus tollatur. Verùm hoc non ſemper tam citò ſuccedit, & hæc cauſa eſt quare neceſſitas ad humores ſubitò evacuandos ſæpenumero veſicam priùs excitari deſideret. Imò in corporibus robuſtioribus nequaquam eſcharam producit, niſi Veſicatorii ope Cuticula non ſolùm, ſed etiam Cutis quædam particula corroſa priùs fuerit. At verò in pueris, corporibuſque tenerioribus, cruſtam, nullo veſicatorio præmiſſo, per ſe excitare poteſt.

Cruſta hæc vera veneni extracti ſedes eſt, quare mediocriter craſſa reperitur, cute ſuperficialiter tantùm corroſa, quod profectò conſideratione eſt digniſſimum: nam hæc, uti exiſtimo, ratio eſt, cur multo citiùs ſeparetur, quàm aliæ cruſtæ arte excitatæ. Horis enim 24. aut 36. effluxis, ſolius ſpatulæ auxilio, nulla præcedente ſcarificatione, abſque ullo aut ſaltem non inſigni dolore, auferri poteſt, ſi Emplaſtro tuo Anti-peſtilentiali, quocunque etiam utaris, Unguenti Baſilici, aut Theriacæ aliquid addideris. Separationem alias Eſcharæ egregiè promovet hoc Unguentum.

♃. Mellis virginei. Axungiæ anatis an. unc. j. Fuligin. camini drachm. vi. Therebinthin. Argentinenſis unc. j. Vitell. ovor. N. ij. Theriac. drachm. iii. Ol. ſcorpion. q. ſ. M. F. Unguentum.

Quod ſi tumor, cruſtâ primâ ablatâ, non ſufficienter ſit imminutus, Emplaſtro Arſenicali magnetico ſecundam & tertiam excitabis, & deinde uti anteà procedes.

Ulcus tandem conſolidato Emplaſtro de minio, albo coctо, Diapompholygos, vel alio medicamento ſiccante atque cicatriſante. Sed ne nimium ad conſolidationem feſtinato, ne humor venenoſus & in corpore adhuc hærens novum morbum & tandem mortem producat.

Emplaſtro Magnetico deficiente, ſequens, veſicatorio præmiſſo, adhiberi poteſt, cujus etiam virtus ſingularis ſcrophulas dolentes tollendi, non uno in corpore innotuit. Vires, quibus eximiis præditum eſt, effecerunt, quod vocatum fuerit.

Emplaſtrum Divinum.

♃. Gumm. Galban. unc. j. Ammoniac. drachm. ii. Opoponac. drachm. iii. Ceræ flavæ unc. xx. Ol. olivar. unc. xxiv. Lythargyr. aur. unc. xvii. Oliban. unc. ii. Myrrhæ. Thuris an. drachm. x. Virid. æris. Ariſtolochiæ long. Maſtiches

vias effluxit. De alvi Lumbricis nihil habet Autor: interim morbo peſtilentiali ſæpe ſunt familiares; illorum itaque curationi particulatim incumberemus, ni à maxima putredine peſti adjuncta originem ſuam traherent, cui ſane optimè occurrunt alexipharmaca, antidota & diaphoretica ſuprà deſcripta.

a Idem omnino ſentit Experientiſſ. Diemerbroeckius dum inquit. Quantum ad curationem exanthematum, illam inſtituere neceſſum non erat, quia hæc mortis inſtantis præſagia erant, neque curationi tempus dabant, quam ſi admiſiſſent, per ſudorifera & alexipharmaca curari debuiſſent.

b Sic etiam Diemerbroëckius. Quamprimùm ægri, ſive in ipſo morbi principio, ſive in progreſſu, duritiem aliquam ſentirent ponè aures, in collo, ſub axillis, vel in inguinibus, huic plerumque ad citiorem tumoris provocationem & maligni ichoris extractionem, veſicatorium in inferiore ejuſdem parte applicavimus, ita ut veſicatorium ipſam duritiem attingeret: eoque per octo vel decem horas inhærente veſicam mediocrem excitavimus, quâ, unica vice, totâ ablatâ, folium braſſicæ rubræ, vel betæ, butyro veteri, vel oleo raparum inunctum, impoſuimus, ut hoc modo locus apertus teneri, & damnoſi ichores meliùs effluere poſſent. Circa Cucurbitulas quomodo cum Autore noſtro conveniat, in ſuperioribus vidimus. Verùm Nobiliſſimus Sylvius veſicatoriis hoc in caſu rejectis, ſcarificationes & cucurbitulas commendat, dum inquit. Niſi dolor vehemens urgeat, nolim præcipitari bubonum ſcarificationem, multò minùs ipſis adhiberi veſicatoria, vel cucurbitulas. Ubi autem grandes ſunt bubones, ardenteſque, viribus adhuc conſtantibus, ferre poſſem, tunc cucurbitulas, tum ſcarificationes adhiberi, nunquam verò veſicatoria, à quibus quid boni expectari poſſit, aut unquam ſequatur, hactenus animadvertere non potui.

ſtiches an. unc. j. Bdelii, Lapid. magnet. an. unc. ii. M. F. ſ. a. Emplaſtrum.

Bubone, vel nimium protuberante, vel tendini adhærente, Veſicatorium debile nimis eſt, & Cauterium actuale non magnopere neceſſarium exiſtimo; potentiale itaque applicetur, & inter quam-plurima minori dolore profundius corrodens ſequenti nullum, hactenus mihi innotuit.

♃. Calcis vivæ drachm. j. Saponis nigr. q. ſ. M. F. Ruptorium.

Veſicatoria ubique ſatis ſunt cognita, ſi aliquis egregiam deſcriptionem deſideret, hanc accipiat.

♃. Ferment. acr. unc. ſ. Euphorbii, Sem. Staphyd. agriæ. Sinapi, Rad. pyrethri, an. ſcrup. j. ſ. Cantharid. drachm. j. ſ. Acet. vin. fortis q. ſ. M. F. Paſta Veſicatoria.

Si dolor vehementer urgeat, & tibi aliqua ſpes dolorem abſque cauterio ſedandi affulgeat, ſequenti cataplaſmate utere.

♃. Fol. ſcordii, Rutæ, Cicutariæ, an. M. j. Flor. chamomill. Anethi an. P. j. Summitat. abſinthii. P. ii. Micæ panis ſimilagin. unc. ii. Coq. ex lacte vaccino, Addendo Croc. oriental. drachm. ſ. Vitell. ovi. N. ii. Theriac. drachm. iii. M. F. Cataplaſma.

Admodum rara eſt Bubonis ſuppuratio: verum hanc ubi natura intenderit, illi qui artem de limine ſalutarunt, media ad hanc promovendam neceſſaria paſſim invenient. Imò Abſceſſum in tempore non ruptorio, ſed lanceolâ aperient, & ulcus lentè curabunt. a

Emplaſtro de Ranis cum Mercurio qui utuntur, aſini in hac arte ſunt impudentiſſimi audaciſſimique; nam venenum ad interiora propellunt, & ægrotantem in ſummum periculum conjiciunt, uti nos ſcriptores & experientia manifeſtè docent.

Car-

a Experientiſſ. Diemerbroeckius etiam docet, ne tetri vapores è bubone maturefacto elati cor affligant, citiorem puri exitum parandum, illo ſc. in parte declivi ſcalpello pertuſo: & addit; Cauterio Potentiali, [quamvis venenatam materiam conſumere credatur] propter longiorem eſcharæ moram, nunquam eſſe uſum. Illa autem apertio, inquit, non molienda, niſi cùm tumores jam ferè ad perfectam devenerunt maturationem. Eandem per lanceolam apertionem commendat etiam Nobiliſſ. Sylvius; habet enim: Quamprimum ſuppurati ſunt bubones, apertio acceleranda; vel ſcalpello, vel ruptorio; quamvis ſcapellum præferam.

Poſtquam Autor monuit ſuppuratum bubonem peſtilentialem eſſe aperiendum, illum lentè curandum addit, ſed de curationis methodo nihil ulterius docet. Experientiſſ. autem Diemerbroeckius hac de re ſic ſcribit. Tumoribus apertis & pure expurgato, ad ulceris emundationem hoc digeſtivum [quod inſigniter hîc proderat] primis diebus imponebatur:

℞. Scordii ſubtiliſſ. pulveriſati ʒii. vitellum unius ovi, Therebinthinæ Venetæ, mellis, unguenti apoſtolor. an. ℥ſs. M.

Poſteà ulcera aliorum ulcerum modo percurabantur, cavendo ne nimis citò occluderentur, Nobiliſſ. Sylvius de ea cura rurſus ſic habet. In apertum bubonem cum felici ſucceſſu impoſui Balſamum ſulphuris therebinthinatum, & aniſatum, unà cum unguento baſiliconis & theriaca: hujus enim ope brevi abſolvi ulceris mundationem. Quinimò ejuſdem balſami ope conſolidatio feliciùs ac citius evenit, ſuperimpoſito ad cicatricem accelerandam Emplaſtro diapompholygos aliovè ſimili.

Carbunculus.

Græcis Anthrax (hîc enim diſtinguere nolo) diverſa admodum ſpecie, ſed aliquando valde fallibili ſe prodit.

Facillime cognoſcitur quoties puſtula prominente, atro-purpurea, & in ambitu inflammata, invadit. Sed ſæpenumero non vides niſi puſtulam albam atque planam; quæ pus bonæ notæ continere videtur. Eam ſi comprimas valde ſicca & dura eſt, imo profundiſſimè ſubjectam carnem conſumit.

Veſicula quandoque ſola, limpido humore repleta adeſt, hæc ſi ante horam 24. non aperiatur nigredinem acquirit, diſſectaque guttas ij. aut iii. ſanguinis atri exhibet.

Nonnunquam Hydatides variæ, exiguæ & albæ ſe offerunt: His quod ſi ſubjecta ſit durities cum inflammatione & febre, malignitatem adeſſe nullus dubito, nec cauſam video, cur non, cum Medicis Chirurgiſque hodiernis, Carbunculis eas annumerem, cùm haud longiore tempore ad hominem jugulandum indigeant, quam purpureæ; imò eodem modo ac illæ tractari debent, ſi exoptatum finem deſideres.

Curatio ejus exigit, ut quamprimum ſuppuratio promoveatur, exitioſaque mali propagatio inhibeatur. Ad hoc præſtantius medium nullum inveni Cauterio actuali, quod etiam Chirurgis plurimis valde arridet: Sed quibuſdam hæc operatio nimium crudelis videtur, & ex perverſa miſericordia ejus vim magis ſentientes quam ipſi ægri, Cauterium potentiale aut veſicatorium eligunt; a quo utroque etiam utor, quoties aut fortia ſatis videntur, aut medio alio uti non licet: ſæpius enim multiſciorum adſtantium voluntati obtemperare cogitur Medicus, etiam cum damno ægrotantis.

Cui nullum horum trium mediorum placet, is emplaſtro Magnetico Arſenicali utatur, quod hoc in caſu ſummopere conducit.

Separationem Eſcharæ promovent medicamenta jam ſuprà, ubi de Bubone agebamus, præſcripta.

Alii ſequens Cataplaſma mirum in modum extollunt.

♃. Rad. conſolid. maj. ſicc. drachm. ii. Altheæ ſicc. unc. ſ. Herb. ſcord. ſicc. drachm. ii. Farinæ ſem. lini cribratæ, Pollinis farinæ tritici ana unc. ſ. Fiat Pulvis ſubtilis; cui affunde Aq. communis q. ſ.

Coquantur aliquantum, ut mucilagines ſolvantur, & compoſitio ad pulticulæ craſſioris formam deveniat, cui Adde Mellis, Therebinthin. Unguent. Apoſtolorum an. drachm. iij.

Ba-

a Si adhibeatur cauterium potentiale, debet adhiberi validum, quale Butyrum Antimonii, cujus efficaciam multiplicem hoc in caſu, pluribus deprædicat Nobiliſſ. Sylvius. Nihil hactenus novi, inquit, quod potentiùs ac certiùs ſerpentem carbunculorum mortificationem ſiſtat, quàm butyrum antimonii, ſi circumcirca illinatur parti affectæ; ad miraculum enim tunc ſiſtitur partium omnium corruptio ſerpens ac omnia depaſcens. Huic proximum cenſeo magnetem arſenicalem emplaſtris convenientibus immiſtum, cujus ope ad ſui ſeparationem diſponitur pars corrupta: quod idem præſtat quoque butyrum antimonii, cùm non tantùm ſiſtat veneni peſtilentis progreſſum, at inſuper partes ab ipſo corruptas ſeparet à ſanis.

ſilici, Picis liquidæ an. drachm. ii. Vitellum unius Ovi. Croci oriental. ſcrup. j. Miſce.

Adde ſi velis Theriacæ drachm. ij. *a*

Media Prophylactica.

Omnium mediorum contemptio, Theologia Diabolica eſt: Præcipita te deorſum, inquit, Deus te manibus ſuis geſtabit, & ſcalis minimè indiges. Verùm cujus beneficio vivimus & valemus, ejuſdem & mediis vitam & valetudinem conſervandi fruimur, quæ mecum ut adhibeatis admonere neceſſe habeo.

Preces ardentes ad eum, qui nobis peſtem immittit, inter alia primum locum ſibi vindicant.

Fuga non eſt medium illicitum, præſertim ſi vitæ ſtatus & conditio illam permittant: ſed fugæ non ultrà quàm par eſt confidito: illa igitur in timore Dei fiat, nam ejus præſentiam nemo effugiet.

Si quis fugâ ſalutem quærat, citò fugiat, procul diſcedat, & tardè redeat.

Aërem die noctequé inſpiramus, quare puritatis ejus diligens habeatur ratio.

Ignem privatim & publicè exſtruere antiquum, celebre, & utiliſſimum eſt medium: nam aër non meliùs quàm flamma purificari poteſt.

Neceſſarium eſt quotidie ædes purgare aquâ, Aceto aquæ loco qui utuntur meliùs agunt.

Res odoratæ, ut Ambra, Zibethum, Moſchus, Benzoin, &c. non ſolùm malignitatem non corrigunt, ſed venenum magis attrahunt, experientiâ igitur, & ratione id confirmantibus valde nocent.

Theriacam aut Mithridatium naribus illinere ridiculum, nulliuſque uſus.

Vera aërem purificantia media ſunt Succinum, Pix, Myrrha, Thus, lignum & baccæ Juniperi, Sulphur, Aſſa fœtida, Cornu, imprimis Pulvis pyrius, accenſus aut carbonibus ignitis impoſitus.

Tabacum ab ejus cultoribus valde commendatur: & licèt illorum conſortia fugiam: ejus fumum tamen prodeſſe exiſtimo.

Diæta inordinata omni tempore nocet, ſed præſertim peſtilentiali: quam verò unuſquiſque debeat ſequi, præſcribi vix poteſt: conſuetudini multùm dandum, & pro tempore alimenta concoctu difficilia, ne ventriculus gravetur, ſtudioſè vitanda ſunt.

Præſtant in hoc caſu, modo haberi poſſint, caro Vitulina, Ovilla, Bovina, Gallinæ, Capones, Gallopavones, Ficedulæ, Alaudæ, Fringillæ, Lepores, Cuniculi, &c. Perca, Lucius,

Por-

Porcellus, Solea, Salmo, &c. Ova, Butyrum, Caſeus viridis, Parmenſis, Lac ebutiratum, Cichorium, Endivia, Acetoſa, Lactuca, Cherefolium, Petroſelinum, Roſmarinus, Poma acida, Cydonia, Limonia, Aurantia, Cappares, &c.

Nocent contrà Carnes Piſceſque fumati, & ſaliti, Lardum, Caro porcina, Aſellus minor, Anguilla, Cancer, Squilla gibba, fructus immaturi, omniaque coctu difficiliora.

Juglandes mirum in modum commendantur, & re vera ex iis aliquid boni elici poteſt: immaturæ conditæ iis valde conducunt, qui bile non admodum abundant. Sed qui maturas & exſiccatas edere deſiderant, poſtero die earum virtutes non deprædicabunt.

Cereviſia generoſior & vinum mediocris naturæ ſunt media jam à plurimis ſæculis decantata. Vina verò dulcia fortiaque, ut & ſpiritus vini, & quicquid ex eo conficitur pro quotidiano potu nemini niſi ſenioribus permittimus.

Jejunus nemo in publicum prodeat: non inutile erit aliquid de aqua noſtra ſive condito noſtro Prophylactico ſumpſiſſe.

℞. Aquæ prophylact. noſtr. unc. vi. Julap. roſ. unc. iii. M. Sumatur Cochlearis j. aut. ii. quantitas mane.

Vel ℞. Condit. prophylact. noſtr. unc. iij. Sumatur Nucis caſtaneæ quantitate, mane, aut quoties locum infectum accedere aliquis tenetur.

Acetum & omnia acida jam à multis retrò annis Practici omnes valde commendarunt: ſed tuſſi, ventriculi debilitate, doloreque colico divexatis, per ſe copioſiùs ſumpta, non conducunt. *b*

Me-

a Hoc Cataplaſma in uſu habuit Diemerbroëckius, & ex multis, ut inquit, tentatis nihil invenit cum quo curbunculorum ſeparatio & curatio citiùs ac meliùs perageretur. Illius autem aliquantum in linteo pinguius extenſum anthraci imponebat, idque bis tervè de die renovabat. Carbone ſeparato & extracto, primò ulcus mundabat digeſtivo in cura bubonis deſcripto, ac poſtea inſtar aliorum ulcerum percurabat. Plura de ulceris poſt anthracem ſeparatum remanentis curatione vide in ſuperioribus ubi de bubone, nam illa quæ ibi ex Sylvio ſunt allata optimè hìc rurſus conveniunt, Digeſtivum autem de quo hìc tale eſt,

℞. Scord. ſubtiliſſ. pulver. ʒii. Vitell. ov. N. j. Therebinth. venet. Mellis, Unguent. Apoſtolor. an. ℥ß. M. pro Digeſtivo.

b De Aceto tanquam peſtis præſervativo ſic ſcribit. Nobiliſſ. Sylvius. Ego ſanè; inquit, cùm quotidie plures viſitarem ægros peſte infectos, præcautionis loco aliud non ſumpſi medicamentum, quàm vulgaris aceti vini cochleare unum, mica panis exceptum, & quidem mane antequam inviſerem ægros. Id remedii genus uſurpavi per octo menſes continuos, nec unquam minimam percepi toto illo tempore ab infectione noxam. Poſtquam verò ſublato ſenſim hoc malo, deſiiſſem ab illo aceto diutius aſſumendo, ſenſi poſtmodum ac ferè ſemper, aliquem capitis dolorem mihi contingere, quoties infectam ingrediebar domum, licet id ignorarem, nec tamen mihi metuerem, hoc mihi contigit. Novi equidem, paucos potuiſſe meo exemplo acetum per aliquot hebdomadas uſurpare; dum aliqui ob peculiarem ſui conſticutionem, melancholicam dictam, ne quidem per plures dies potuerint perſeverare in ejus uſu. Hæc ille: Unde confirmatur Clar. Autor. optimè advertere non æquè omnibus utile eſſe hoccè remedii prophylactici genus.

De potu, balneis, & veſtimentis rurſus quædam ſuperſunt dicenda quæ peti poſſunt ab Experientiſſ. Diemerbroëckio. Sic autem ille. In potu temperantiam colere, & ebrietatem tanquam infenſiſſimum hoſtem fugere, præcepi: triſtioribus uſque ad hilaritatem [præcipuè hyberno tempore] nemini uſque ad ebrietatem vinum conceſſi. Suaſi ut natationibus aſſueti ab illis penitus abſtinerent, ſive in fluminibus, ſive in aquis ſtagnantibus fierent: ſicut aliis in locis ubi publica balnea tepida in frequenti ſunt uſu, ab iis abſtinere, bene jubent medici. Iis, quorum fortuna lautior paulò majores impenſas permittebat, ſuaſi ut geſtarent veſtes ex ſerico tenuiore, vel undulato, vel ſatino, aliovè ſimili; in aliis verò minoris conditionis, ex lana tenuiore, vel camelina, vel lana bombacina, vel ex corio tenui, aut ſimilibus, confectas. Illas autem veſtes ſemper nitidas ſervari, alias verò ex pannis laneis craſſioribus confectas, in aliud non peſtilens tempus ſeponere ac ſervare, juſſi.

Mediis externis prophylacticis magnas vires nunquam attribui : ex collo geſtare poterit cui placet hoc Amuletum:

♃. Magnet. Arſenic. drachm: j. Benzoës q. ſ. M. F. Rotula majuſcula, ſyndone rubro obducenda. Magnetis arſenicalis deſcriptionem ſuprà, ubi de Bubone peſtilenti agebamus, exhibuimus.

Somnus & Vigiliæ, Motus Corporis, & Venus, ſi modum exceſſerint malum eſt. *a*

Alvi ſuppreſſio noxia eſt, ſed purgatio fortior valde nocet. *b*

Triſtitiâ nemini prodeſt.

Metus multis morbum immiſit & certæ morti objecit.

Ira variis modis corpus alterare poteſt. Præſtabit proximorum errata condonare, & Deum orare, ut noſtra nobis non imputet. *c*

Hacte-

Hactenus Peſtis explicationem & curationem vidimus ex Paulô Barbette aliiſque variis ipſi adjunctis, continuò jam progredimur ad Curationes ab aliis rurſus præſtantiſſimis Autoribus in morbo tam exitioſo allatas, ſi priùs in ulteriorem ipſius veneni illuſtrationem, quod Clariſſ. Dom. Guiot Medicinæ Doctor, ex ore Ampliſſ. Viri Caroli Drelincurtii, ſæpius jam à nobis laudati accepit & amicè nobis communicavit, exhibuerimus. Sic autem ille.

Centeo tempore peſtis, vel ex longinquis regionibus ſal aliquod volatile acre, cum ventis ſpirantibus ab iis regionibus, quod antea fuit attractum à ſolis radiis è ſepulchris cavernis, montibus fumantibus, paludibus, aquis ſtagnantibus, cadaveribus &c. ad nos devehi, quod noſtro aëri communicatum eundem infi, cit, tandem nebulis pluviis reſolutum decidit in terram, interdecidendum in pulmones & ventriculum inſpiratur, perque poros etiam cutis ingreditur, (*quod cùm fit ſentimus anxietatem circa præcordia & reſpirationis difficultatem*) & ſic per conſequens maſſæ ſanguineæ communicatur, quæ referta hoc copioſo & acri ſale volatili, balſamum ſuum acidum, conſiſtentiam ſervantem, perdit, ſanguiſque ad ſummum putredinis & fluiditatis gradum perducitur, ſi diutius duret, quare etiam cadavera peſte interfectorum planè flaccida poſt refrige-

ratio-

a Imprimis conſulebat Experientiſſ. Diemerbroëckius ſomni meridiani abſtinentiam, iis exceptis qui plus ſolito vigilaverant, vel à longo tempore tali ſomno aſſueti erant. Præterea ne quis ſub dio, vel radiis ſolaribus expoſitus, vel ſupra fœnum cubans ſomnum capeſceret, hortabatur.

b Sequentia habet purgantia mitiſſima & alexiteria virtute prædita Experientiſſ. Diemerbroëckius, in præſervatione peſtis uſurpanda. Primò quidem pilulas quarum hæc eſt compoſitio.

℞. Radic. petaſitid. carlinæ, dictamni, angelicæ, helenii an. ℥ß. gentianæ ʒiß. rhabarbari optimi ℥iß. agarici albiſſ. ℥ß. herbar. ſcordii, centaurii min. rutæ an. ℥ß. Cardui benedicti ℥vi. flor. ſtœchados ʒiß. ſem. citri, aurantior. Zeduariæ an. ʒj.

Ex his omnibus fiat pulvis groſſus qui maceretur per biduum vel triduum in vini albi ℔ii ß. vel iij. Deinde coquatur per horæ quadrantem, fiatque colatura tum forti expreſſione in torculari, quæ colatura coletur rurſus per chartam emporeticam. In hac colatura tunc diſſolve. Aloës optimæ ℥iii ß. Myrrhæ claræ in guttis ʒ iii ß.

Ac in ſcutella porcelana fiat evaporatio humiditatis, uſque dum maſſa pilularis fieri poſſit, è qua formentur pilulæ magnitudinis piſi, quarum ſemel vel bis in ſeptimana duæ, tres quatuorvè ſumantur.

Secundum Diemerbroëckii remedium purgans & præſervativum eſt vinum Aloëticum hoc modo confectum.

℞. Radic. Angelicæ, helenii, petaſitidis, dictamni, corticum aurantiorum an. ʒj. Aloës lucidæ ℈vi ß. Herb. Cardui benedicti M. ß. Centaurii min. p ij. Abſinthii p. j.

Conſcindantur minutim & ex his concinnatur puppa, ſuſpendenda in vini albi tenuis Rhenani, vel Gallici ℔ vi. inquo vino puppa illa remaneat uſque dum totum epotum fuerit.

Hujus vini quatuor aut quinque unciæ aſſumptæ, alvum ſemel bis, vel ter clementer ſubducunt. Ab illo tamen & ab aliis amaris abſtinendum in iis quos hæmorrhoides affligunt, necnon in mulieribus gravidis, quibus potiùs rhabarbari & agarici uſus commendandus.

c Experientiſſ. Diemerbroëckius non tantùm de prophylaxi ea quibus hactenus Clariſſ. Autorem noſtrum illuſtravimus, ut & alia proponit, ſed etiam proprium vivendi modum deſcribit ut ſcil. pateat omnibus; quibus ille cautionibus; quibuſvè obſervatis à contagii violentia non læderetur. Omnes, inquit, animi vehementes motus quantùm poteram, inhibebam ac fugiebam, intrepidus planè vivebam, nec pericula, nec mortem, nec aliud quippiam timens; mihi eodem redibat ædeſne infectas, an non infectas adirem, peſtiferoſne, an alios ægrotos viſerem; æquè libenter pauperibus gratis, quàm divitibus mercede inſerviebam. Nec terrori, nec iræ, nec mœrori locum concedebam. Si fortè me ipſum aliquomodo contriſtatum perciperem [quod triſti illo tempore, quo in toto Noviomago nulla, quod ſcio, domus à peſte immunis remanſit, interdum fieri non erat alienum] tunc tribus quatuorvè vini hauſtibus aſſumptis cor exhilarabam, atque ita citiſſimè omnem melancholicum luctum fugabam. Quamvis ſomnum diurnum aliis pleriſque diſſuaderem, cum tamen mihi ob ægrotorum inviſendorum multitudinem, ne noctu quidem ad lubitum & neceſſitatem requieſcere permitteretur, & continuis deambulationibus vehementer delaſſarer, de die, nempè poſt prandium (quo tempore id optimè licebat propter pauciora negotia) per horam unam neceſſariò dormire cogebar. In victu utebar cibis euchymis & facilis digeſtionis, ſtudioſiſſimè abſtinendo ab iis quos aliis noxios fuiſſe animadverteram, quales erant carnes porcinæ, haleces, &c. Potus mihi erat cereviſia Noviomagenſis ordinaria, ut & vinum album tenue vel mediocre, quo interdum uſque ad hilaritatem, nunquam ad ebrietatem utebar. Alvum non fluidam, ſed ita liberam ſervabam, ut eandem ſemel aut bis de die exonerarem. Cubitum iturus ſemel aut bis in ſeptimana deglutiebam unam vel alteram pilulam ex anti-peſtilentialibus noſtris, quæ deſcriptæ ſunt ſuprà. Manè inter horam quartam & quintam ægros viſurus, nihil omnino aſſumere poteram [quod tamen ipſemet valde improbabam] nec cibi, nec potus, nec medicamenti, ſed ad omnia nauſeabam; ac proindè præmiſſis piis precibus, me meamque ſanitatem Deo Opt. Max. commendabam, & ſolummodo aliquot grana Cardamomi min. maſticando jejunus primos ægros viſebam uſque ad horam ſextam, præter propter. Tunc vel theriacæ, vel diaſcordii pauxillum, vel corticem aurantiorum conditum, vel ut plurimum radicum helenii conditarum tria quatuorvè fruſtula comedebam. Poſt horam ſeptimam, vel circa octavam fruſtum panis cum butyro & caſeo ovillo viridi jentabam, ſuperbibendo hauſtum cereviſiæ. Inter octavam & nonam ſæpè quidem, ſed tamen non quotidie, data occaſione, hauſtum vini abſinthitis bibebam. Circa decimam, ſi per otium liceret, fiſtulam unam tabaci exſugebam : ſtatim poſt prandium duas treſvè fiſtulas, nec pauciores poſt cœnam: ſæpè etiam intermediis horis poſt meridiem, hic illic ubi occaſio dabatur, adhuc duas treſvè fiſtulas ſumebam. Si verò ab ægrorum vel ædium infectarum fœtore me vel tantillum alteratum ſentirem, ſtatim poſtpoſitis omnibus negotiis quantumvis neceſſariis, qualicumque diei hora foret, duarum triumvè tabaci fiſtularum fumum ſuctione trahebam : nam, ut verum fatear, tabacum pro primario præſervativo in peſte ſemper habui, & revera tale eſſe, non ſola ratione ductus, ſed experientiâ edoctus, comperi; neque aliud melius pro ordinario uſu hactenus inventum fuiſſe exiſtimo, dummodo illud ſit melioris notæ, ex maturioribus foliis in funes coactum. Quapropter ego ſolo tabaco contentus, nullis aliis ſuffumigiis, morſellis odoratis, ſimilibuſvè utebar : eaque cauſa fuit, quòd durante hac maligna conſtitutione, iſtius nobiliſſimæ herbæ bonam quantitatem conſumpſerim; cujus tamen uſum poſtea dereliqui, nolens naturam meam illi nimis aſſueſcere, ne tandem ejus laudabilem uſum in deteſtandum abuſum converterem, quemadmodum illud hodie in pleriſque fieri animadvertimus.

rationem manent. Quòd verò ſal aliquod volatile acre capax ſit non modò maſſam ſanguineam diſſolvendi, verùm etiam hominem aut animal interficiendi, docuit nos αὐτοψία, dum *Doctiſſ. & Expertiſſ. Vir. D. Carol. Drelincurtius Med. Pract. Anat. & Chirurg. p. Profeſſor, Præceptor meus omni obſervantiâ colendus*, cani bene valido & bene aliàs valenti ℥i. ſpir. ſal. armon. per ſyringam in venam axillarem dextram immittebat, unde canis ſtatim poſt liquorem cor intrantem (uti animadvertere ex motu potuimus) expiravit, flaccidusque diu permanſit. *Hæc ille, ſequuntur jam.*

Curationes.

Tantùm omni tempore difficilis viſa fuit cura peſtis, ut complures quoque ex nobilioribus Medicis ipſam tanquam humano ingenio imperviam exiſtimaverint, neque ſpem fore putaverint, ut verum, genuinum & appropriatum peſtis remedium quandoque reperiatur; ipſo teſtante Thucydide, qui dicit in peſte Athenienſi nullum prorſus inventum fuiſſe antidotum tanto malo vincendo aptum; quin potiùs ipſum omnia porrecta medicamenta in ſui ſubſtantiam convertiſſe, obſervatum fuit; quod & in nonnullis aliis peſtibus accidiſſe referunt Medicorum monimenta. Fuerunt, qui arbitrarentur, peſtem uti venenum eſt ſagittæ iræ Dei, hominibus ob peccatorum gravitatem, in pœnam immiſſæ, ita nullum quoque remedium in univerſo naturæ penuario, quod in divinitus immiſſo morbo propulſando operetur, aſſignari poſſe putant. Peſſimum ſanè ratiocinium, quaſi verò divina bonitas hominem omni naturali auxilio in malorum omnium atrociſſimo deſtituiſſe videatur. Sunt hi prorſus ſimiles Mahumetanis, qui fatali quadam neceſſitate peſtem hominibus immitti putant, ac proinde neque fugiunt eam, neque correpti medicinam adhibent, ſed temerè ſeſe contrahendæ contagionis periculo exponunt, ea opinione freti, ut ſi fatale tempus urgeat, moriantur; ſin minus, evadant: nullum ſiquidem naturæ antidotum fato prævalere poſſe putant, ſed omnibus & ſingulis mortis terminum conſtitutum, qui nulla medicamentorum efficacia præteriri poſſit. Hæc eſt Opinio Turcarum; Cur verò in aliis morbis ſtatuta alexipharmaca ſumant, capere non poſſunt: cùm tamen tam in ſporadicis, quàm epidemicis morbis idem argumentum currat: febri enim laborantem, ſi hora fatalis adſit, tam ſine medicamentis, quàm cum medicamentis, quantumcunque, efficacibus, mori neceſſe foret. Doctrina ſanè tantò periculoſior, quantò heterodoxis dogmatis impenſiùs favet; Ad quid enim ſapientiſſimum rerum Conditorem tantam ſalubrium herbarum, tantâ virium præſtantiâ præditarum varietatem, ſi in nullius uſum cedant, procreaſſe exiſtimabimus? Cùm enim Deum Opt. Max. Univerſum, adeoque omnia, quæ in eo continentur in ſolius hominis gratiam condidiſſe credamus; homo verò innumeris, ob corruptibilis ſarcinæ, qua gravatur, pondus, morbis obnoxius ſit; neceſſarium erat, & divinæ providentiæ prorſus congruum, illi ea quoque adminicula ſubminiſtrare, quibus ſi quandoque ex ſanitatis ſtatu decidiſſet, ſeſe in eundem reſtituere poſſet; Unde nullum morborum genus eſſe putes, cui non appropriata remedia parata eſſe voluerit: nullum in microcoſmi œconomia membrum eſſe ſcias, cui non analogum quoddam in vegetabili Republica remedium reſpondeat dicti membri morbo profligando aptum: nullum veneni genus eſt, cui non ſuum oppoſuerit antidotum: Et quoniam diverſæ regiones diverſis morbis naturali vi loci laborant, illis ſtatim certum quoque, vegetabile produxit, iſtiuſmodi morbis diſpellendis proportionatum; ut proinde quandoque ſuperfluum videri poſſit, innumera medicamenta ex India accerſere, cùm plerumque vel in domeſtico horto, quin & paſſim obvia, quibus morbo reſiſtere valeas, medicamenta reperias. Cum itaque peſtis morborum omnium atrociſſimus ſit, ſi nullum antidotum, quo curari poſſet, exiſteret, certe Divinam providentiam meritò accuſantes excuſaremur, quòd hominem tanto malo oppreſſum omni auxilii naturalis ſpe deſtituere voluiſſe videatur. Sunt itaque varia in natura rerum peſti profligandæ aptiſſima antidota; Sed vel neſciuntur, vel ſi cognoſcantur, non adhibentur. Quænam autem illa ſint, in hac Sectione tum opportunè manifeſtabo, ubi prius de prophylaxi ſeu præſervatione nonnulla præmiſero.

Duplex à Medicis cura præſcribitur prophylactica; prima iis qui ſano adhuc ſunt corpore & valido, ne à contagione invadantur, atque ab omni contagionis pollutione ſerventur immunes; altera iis, qui jam peſtifero halitu fæti ne malum ulterius in intimos Oeconomiæ receſſus ſerpendo omnia cum ultima hominis ruina conficiat, uſurpanda: Seu quod idem eſt, Præſervativa duplicia ſunt. Quædam ad futuram, alia ad præſentem peſtem ſuccidendam aſſumi debent: ubi dici vix poteſt, quantum inter ſe Medicorum turba diſcrepet; quantum alii in amuletis etiam ſuperſtitioſiſſimis ſpei ponant: ſenſatiores tamen ut plurimum bezoartica & cardiaca ad cor contra contagioſi draconis inſidias animandum præſcribere ſolent; quæ & ego approbo: nonnulli catalogos integros ingredientium ad prophylacticum majori forſean jactantia, quàm ſcientia compoſitionem contexunt: Et quoniam probè agnoſco, meum non eſſe, falcem in alienam meſſem injicere, aut profeſſionem Medicam exercere; tantùm tamen tum aſſidua meliorum Medicorum lectione, tum propria obſervatione, & acri inveſtigatione memorandorum eventuum, necnon in botanica & anatomica naturaliumque arcanorum notitia, quibus à puero addictus fui profeciſſe me puto, ut nonnihil quoque de propoſiti inſtituti argumento tradere à ſcopo meo minimè alienum eſſe exiſtimem.

Exordior itaque & in primis apertè aſſevero; tam diu apta peſti antidota ſive prophylactica præſcribi non poſſe, quam diu peſtis quidditas & eſſentia lateat; latet autem illa, & niſi ab eo, quem Deus Opt. Max. ſingulari luminis ſui radio perfuderit, difficulter attingitur, ut proinde non mirer, tantam de natura & proprietate peſtis inter pleroſque velitationem & inconſtantem variumque de ea animi conceptum eſſe. Prodiere tamen hoc ſeculo nonnulli Medici, excelſo ingenio, necnon vario rerum uſu & experientia

perientia inſtructi, qui rejecta omni inferioris ſubſellii Authorum farragine, peſtis naturam & proprietatem tandem olfacientes, ea conſtituerunt tum prophylactica tum therapeutica, quæ ſuum cum admiratione omnium effectum intra breve tempus ſortita, non exiguam ſibi de ingenio & ſolertia qua pollent, in rebus adeò arduis penetrandis exiſtimationem pepererunt, de quibus in ſequentibus. His præmiſſis.

Suppono, peſtem veneni quoddam genus eſſe à cæteris omnibus venenis diſtinctum, quod uti contagio comite ad inſtar velociſſimi incendii ingentem mortalium ſtragem agit, urbes viduatis incolis & regna populis conſumptis in ſolitudinem convertit; ita non facilè ad proprietatem ejus penetrandam acceſſus datur. Siquidem modò ſub febris ſpecie ſævit, mox peripneumoniæ veſte ſe condit; deinde mumiali ſe inſinuans fermento horrenda paroxyſmorum portenta exhibet; poſtea capitis arcem invadens, ſimiam agit omnium eorum Syptomatum, quæ in capitis doloribus excogitari poſſunt; Morpheum diceres morbificum, adeò ut vix peſtis labem præſentem ſuſpiceris, donec proſtrato Archeo, rerumque in vitalium Spirituum officina potiente Antagoniſta, ſerò nimis ejus exitiale machinamentum cognoſcas. Si quis itaque peſtis intimam naturam probè non cognôrit certum eſt, ejus antidotum ſpecificum & appropriatum dare minimè poſſe. Siquidem venenoſa qualitas pro varia ſubjecti conſtitutione, variaque humorum combinatione varia eſt; ideòque ſagax & peritus Medicus non theorico duntaxat ratiocinio, ſed vario experimentorum apparatu inſtructus, individuales complexionum differentias potiſſimùm perſpectas habere debet, ut Medicinam ſingulis congruam applicare poſſit; uti rectè contra Empyricos Medicaſtros concludit Galenus, Medicinam fruſtraneam fore, ſi omnibus & ſingulis, idem uti dici ſolet, applicaretur catapotium. Quapropter antequam ulterius progrediamur, viſum fuit hoc loco de venenorum natura nonnihil diſſerere, ut inde vera peſtis eſſentia & quidditas pateat, eique adeò conſentanea antidota applicari poſſint.

Porrò, ut hoc loco exoticas & monſtroſas peſtis cauſas paulò profundiùs eruamus; id cum primis, quod haud infrequenter ſuprà inculcavimus, obſervandum eſt: peſtem videlicet ſordida & contagioſa putredine præditi veneni genus quoddam eſſe, in varias ſpecies eaſque tantò dfferentiores quantò prodigioſiores effectus prodit, diviſum. Ac proinde indubiè aſſeveramus, peſtium differentium ſpecies ad climatum regionumque diverſitatem multiplicari. Quemadmodum enim provida rerum Natura juxta diverſam, tum ſoli terreſtris conſtitutionem differentemque cœli aſtrorumque poſitionem, tum juxta abditas ſubterreſtrium halituum unicuique regioni ferè peculiares tranſpirationes, alia & alia benigna naturæ munera tum in vegetabili tum ſenſitiva natura producit; ita & morboſas aëris conſtitutiones venenorumque ex tot tantiſque putredinum differentiis natorum geneſes, appoſuiſſe videtur, ut mundi curſus abſolutiſſima quadam ex conſonis diſſoniſque harmonia compleretur: adeoque quòd in febribus fieri ſolet, ſanioris orbis partes contracta putredine peſtis, peſtem, veluti expurgata jam elementarium miſtionum, qua gravabantur lue, in corrupta ſanitas, mira quadam viciſſitudinis alteratione conſequeretur. Et tametſi ſit ſumma peſtium differentia, in hoc tamen uno omnes conſpirant, ut quantocyus correptos enecent, conceptumque latentis veneni fomitem in alios aliosque propagent. Hiſce præmiſſis ut ad venena revertamur: Notes velim Lector, quòd omne venenum qualecunque tandem illud ſit, duplici qualitatum dote à natura inſtructum ſit, una quidem quæ à temperamentis ex quo venenoſa ſubſtantia coaluit, dependet; quæ quidem qualitates elementares primæ & hæ has conſequuntur, ſecundæ aut tertiæ dicuntur. Altera verò immediatè ab eſſentia ſeu forma ſubjecti ſeu compoſiti emanat; & tales qualitates ſpecificæ, vulgò occultæ, tametſi perperam vocantur. Primarum qualitatum proprium eſt, humores ſibi conſimiles mox ac intra corpus ſuſceptæ fuerint, vel movere, alterare, rarefacere, condenſare, vel aſymbola affectione vitiare, corrumpere. Specificæ verò qualitatis proprium eſt, per abditas ſemitas, antipathica quadam machinatione, principalium membrorum vitæ motuſque officinas invadere, apertum humoribus bellum indicere, horrendiſque ſymptomatum ſtragibus univerſam Microcoſmi Oeconomiam convellere, convulſam exterminare. Atque hiſce omnis peſtium differentium truculentia veluti duobus verſata cardinibus, agit quod agit. Inter quas primũ locum occupat peſtis illa, quam à tumoribus vel inguine, vel ſub axillis circa aures protuberantibus bubonicam appellant, triplici inguinariæ, axillariæ & parotidæ nomine inſignita; cæteris uti communior, ita notior. Hanc ſequitur illa bubonibus quidem expers, quæ tamen nunc carbunculis, anthracibuſve, modò maculis nigris lividis, rubris, ſubvireſcentibus, jam vibicibus plagiſque corpus humanum conſcribillando mirum in modum ſævit peſſima omnium illa, quæ omnibus & ſingulis notis ſigniſque in conſpectum prodit. Sequuntur has peſtes nonnullæ, uti reconditi oris proprietatis, ita rariores quoque; harum quædam putrefactivo ſuo veneno ut ſupra quoque cap. 9. retulimus correptos mox in tabum diſſolvunt; aliæ ſudorifica ſeu hydrotica quadam virtute, totam humorum maſſam in ſudorem reſolvunt, uti Anglicus ille ſudor, quo intra diei naturalis ſpacium ea peſte correpti enecabantur; fuerunt & aliæ ſtupefactiva quadam vi pollentes, quæ correptos veluti ſyderatione quadam percuſſos omni mox motu privarent. Refert Cardanus ſub Imperatore Juſtiniano in Aſia peſtem quandam invaluiſſe ea proprietate imbutam, ut quos corripuiſſet, ii nullum aliud antidotum expetere viderentur, quàm verberibus ad ſanguinem uſque inflictis, rigore naturæ oppidò contrario, cruciari continuò, torquerique; cauſam hujus fuiſſe exiſtimo inſolens & exoticum quoddam veneni genus, quod cùm ingentes per externam corporis ſuperficiem pruritus, ex aduſtivæ bilis efferveſcentia, Spirituumque æſtuantium vellicatione in humoribus intercutaneis cauſatos, excitaret; neque ullum contra pruriginoſam virulentiam remedium ſupereſſet, præter hoc unicum, ut videlicet, poſtquam corpus propriis unguibus dilaniaſſent, inſuper & verbera ab aliis, acutiſſimis flagris inflicta ſuccederent; ut hoc pacto doloris

vehementiâ intolerabilis pruriginis impetus miteſceret. Fuit & alia ab Authoribus ſuprà citatis notata peſtis, quæ corpus, cauſtica quadam facultate ad ipſa uſque oſſa eroderet exederetque; Alia quæ hominem ridendo mori compelleret. Sed hæc ex multis ſuprà quoque relatis pauca ſufficiant; reſtat modò ut portentoſorum hujuſmodi effectuum cauſas amplius explicemus; quod quidem non adeò difficilè futurum ſpero, ubi abditam prius nonnullorum venenorum naturam penitiùs expenderimus.

Suppono itaque primò uti ſuprà, elementorum ſubſtantiam ſub certo maleficorum aſtrorum ſitu, ſpuria quadam & peregrina facultate imbui, quæ primò aëri, deinde aqueo elemento communicetur; & hoc tandem nothâ fœtum miſcellâ terreſtribus portionibus varia miſtione coalitis eam inſerere. Quæ deindè peregrina facultas, vel mineralibus deleteriæ qualitatis ſuccis, vel ſtirpibus ſyngenia qualitate præditis concredita, mox ac putredinem conceperint, vel inſectum quoddam vel virulentum anguem excludat, ea, qua ipſum mixtum pollet, qualitate inſtructum. V. G. ſi putrilaginoſum primigenium mixtum ſtupefactiva facultate imbutum fuerit; pro remiſſione aut intenſione virtutis, jam plantam, cujuſmodi Opium, Mandragora, Hyoſcyamus, ſolanum, ſtramonium & ſimiles hiſce herbæ ſunt, narcotica & ſtupefactiva quadam vi, qua cerebri conceptacula oppilentur, eaque cervicis pars quam nucham vocant, convellatur, pollentem producet. Vel certè animal quoddam reptile, cujuſmodi Aſpis, Aſilus, ceraſtes eſſe feruntur, quorum virulentiſſimus non morſus duntaxat, ſed & vel halitus ſolus hominem veluti attonitum, omni motus facultate privat. Quod ſi mixti virulenta ſubſtantia fuerit vel putrefactiva, aut humorum reſolutiva, tunc plantâ emerget ejuſdem virtutis, cujuſmodi ſunt napellus, aconitum, cicutâ &c: vel inſectum quoddam, aut anguem eadem vi pollentem excludet, Idem de omnibus aliis exoticis virtutibus præditis ſive plantis, ſive ſerpentibus judicium eſto. Quod enim Apium, quem Sardonicum riſum vocant, facit in homine, idem Cenchris virulenti ſerpentis morſus in eodem præſtat, id eſt, ferali riſu mori compellit. Et quod ſtupefactiva vis in hyoſciamo, ſolano, ſtramonio, hoc idem Aſpidis morſus vel ſiderativus afflatus facit in homine. Adeoque quæcunque venena ſimiles effectus præſtant, ſive ea ex vegetante ſive ſentiente naturâ emanaverint; illa omnia eandem originis ſuæ cauſam habere cenſenda ſunt.

Ex quibus luculenter patet, omnia illa ſive vegetantia ſive ſentientia, quæ ex putri malignæ & deleteriæ facultatis mixto ſponte naſcuntur, uti ſunt omnia inſecta & reptilia, exceptis tamen iis, quæ in caſeo, lacte, aceto ſimilibuſque innoxiis vermibus innoxiaque putredine naſcuntur, virulenta malignitate ſcatere. Ex plantis eas quoque, quas natura ad malorum evitamentum ut plurimum in locis deſertis putredine & fœtore refertis, in quæ vel morticina aut cadavera conjici ſolent, conſultò abdidit, venenatas eſſe; manifeſto ſane argumento, venena quæcunque tandem illa fuerint, nonniſi ex virulento mixtorum terreſtrium contemperamento ſub tali & tali putredinis combinatione coalito, tam in ſtirpibus quàm animantibus oriri. Ut proinde qui hæc paucis inſinuata potiùs, quàm explicata, ſagacior mentis oculo introſpexerit, ille ſibi certo perſuaſum habeat; nullum tam exoticum veneni genus eſſe, cujus cauſas & rationes non ſit aſſignaturus. Sed ad peſtium differentium geneſin revertamur.

Dico itaq; ex analogia quadam geneſis venenorum, nos ad cauſam veneni in corpore humano ſive intrinſecus ſive extrinſecus geniti pervenire poſſe, tot tamq; exoticorum Symptomatum genitoris. Siquidem contingit nonnunquam; ut putredo virulenta & ſtupefactiva quadam virtute prædita primùm è terreſtrium mixtorum quiſquiliis, variaque ſordidarum rerum illuvie nata, quæ dum lethifero mineralium Spirituum fœtu turgent, vel in angues animata, vel in ſtirpes derivata memoratas res eadem quâ ipſa pollet virtute imbuat; In homine verò ſive hujuſmodi herbis per incuriam ſumptis, ſive maligni aëris anguiumque virulento afflatu vitiati hauſtu, mox intra corpus putredinem ſimilem ei à qua profluxit generet. Quoniam verò putredo ſummè contagioſa, verminoſâ ſuâ fœturâ omnia inficit; tum enim verò inde naſcetur peſtis illa ſive eroſivâ, ſive putrefactivâ, ſive denique ſtupefactivâ vi pollens, qua homines veluti ſiderati ſtupeſiunt, tetanoque perculſi tandem repentina propagatione ad alios traducta, conficiantur. Similem peſtem in Ægypto ſubindè vigere Proſper Alpinus narrat, cujus quidem aliam cauſam non eſſe putat, quàm malignæ poſt Nili incrementum putredinis reliquias; quæ ſolis æſtu percuſſæ, Aſpides innumeras excludat, è quorum virulento ſive vivarum, ſive putrefactarum halitu aër infectus & ab hominibus hauſtus, eam quam deſcripſimus peſtē diſſeminet; cui & in hoc unicè ſubſcribo. Vide quæ ſupra Sect. 1. c. 9. de peſte Neapolitana vulgò malè in canna, hiſce non incongrua recitavimus. Pari pacto Anglicus ſudor putredine quadam pollebat ejus facultatis, qua totâ humorum maſsâ in ſudorem reſolutâ, copioſo contagioſoque ſudoris profluvio homines brevi expediret, qua & Hydrum, quem & Chelydrum vocant certum ſerpentis genus inſtructum eſſe refert Plinius, & Aldrovandus; peſtis verò illa, quæ apertis totius ſanguineæ maſſæ cataractis, inceſſabili cruoris profluvio homines, teſte Cardano, conficiebat, eadem id virtute præſtitiſſe cenſeri debet, qua Hæmanthes herba, vel Hæmorrhois ſerpens, quorum illa incautè ſumta, hic inflicto morſu vulnere hominem irremediabili ſanguinis cataclyſmo enecat. Quæ & ex annalibus Americanis Provinciæ novi regni Soc. noſtræ ſcitè comprobantur. Ferunt enim in Quitenſi provincia cœlo ſereno nonnunquam in ipſo aëre vermes quoſdam excludi, qui in terram lapſi in angues vertuntur bicaudatos, ea qualitate imbutos, ut quemcunque momorderint, eum ſtatim reſolutis ſanguinis oſtiis, non tantùm ex omnibus naturæ orificiis, ſed & per ipſos cruorem profundere uſque ad ultimum hominis exitium cogant; nullo adhuc contra tam immane malum invento remedio.

Hiſce coronidis loco addendum cenſui exemplum ad propoſitum nobis argumentum ſtabiliendum mirè opportunum. Ab annis circiter triginta uti ex relatione fide dignorum percepi, Puella quædam Duacenſis, cum inſolito quodam & prorſus exotico tumore, qui tergori ejus inſederat.

ſederat, aggravata diu multumque ingenti doloris ſenſu conflictata fuiſſet, ac nil proficientibus medicamentis demùm in tantam atrophiam incidiſſet, ut vix oſſibus ampliùs hæreret; ecce mirum dictu tumor dorſualis fœtu jam dudum animato gravidus mox ceu ex ovo quodam ruptâ teſtâ, virulentum bufonem omnibus præſentibus rei novitate attonitis, excluſit. Hoc verò editum exitialis partus monſtrum non ita multo poſt tempore funeſta recompenſatione mortem intulit ei, quæ eidem alimenta ſubminiſtrando vitam dederat. Hiſtoriam non eleganti minùs quàm arguto decaſticho deſcripſit eximius Soc. noſtræ philologus P. Hieronymus Petruccius, quod ſubjungo.

Duacenſis intra dorſum Puellæ genitus Bufo.

Lecca fuit Virgo: genuit ſub tergore Ranam;
Ranarum genitrix Lecca, lacuna fuit.
Enecat exſuctam tumefacta Rubeta parentem;
Nata ferox, matri parcere debueras.
Sic Matrem perimit Nero; non è Virgine nata hæc.
Nata tuo, Nero, de corde Rubeta fuit.
Agrippina ſuum ſcelus eſt confeſſa: Neronem
Quæ peperit Mater; debuit illa mori.
Nullum impune malum patitur. Lex certa. Rubetam
Quæ peperit Virgo; digna perire fuit.

Sed ut ad inſtitutum revertamur. Quæritur, unde nam hic Bufo? aut ex quibus ſuos intra humanam carnem natales ſortitus ſit? dices forſan ea ratione, qua intra ſtomachum nonnullorum ſerpentes ranaſque ex aquæ eorundem animalium fœtura infecto potu enatas Schenckius enarrat. Certè hoc uti facilè concipi poteſt, ita abſtruſioris cauſæ ſcrutinio non indiget. Sed alterum torquet, quomodo intra intercutaneum videlicet dorſi receſſum rubeta naſci potuerit, quod modò paucis explicandum duxi.

Induſium puella forſan à ſordibus jam elutum extérſumque in herbeſcentem humum inſolationis causâ, more lotribus ſolito, extenderat, ſive verò gramen ſubſtratum ex virulento bufonis cujuſdam incubitu halituque aut ſpermatico humore, ſive ejuſdem ſupra induſium irrepentis emiſſâ fœturâ infectum fuerit, perinde eſt, certè utroque modo interula veneno bufonio imbui contaminarique potuit. Quod deinde corpori appoſitum induſium, uti virulento rubetæ toxico ſpermatica vi pollente infectum erat, ita ſeſe per poros calore apertos concepta fœtura altius inſinuante, ſucceſſu temporis tandem intra cutim veluti jacto ſemine in proximè diſpoſitam materiem, ejuſdem ſpeciei cum bufone, è cujus emanarat ſeminario, animal exortum eſt. Atque hanc ego nati intra dorſum puellæ Bufonis cauſam, ſalvo aliorum judicio, exiſtimem?

Verùm de venenorum omnium geneſi morborumq; differentiis inde reſultantibus, ex profeſſo Deo dante, & quàm uberrimè in mundo ſubterraneo tractabimus. Quare ex hiſce ita deductis, luce meridianâ clarius patet, omnes prorſus morbos, vel ex propriorum humorum corruptela, vel ex diverſi nutrimenti latente quadam & variè combinata putredine contaminati aſſumptione oriri; Quæ quidem ſi contagionis fuerit expers, pro diverſa peccantis humoris conſtitutione, ſporadicos omnis generis morbos generabit; Si verò ex loci peculiari proprietate provênerit, Endemios, Si denique ſummè contagioſa fuerit, tum ecce pro diverſo putredinis ſtatu, diverſos quoque epidemios morbos, quas peſtes appellamus, cauſabit. Jam verò ſupereſt, ut num contra tantam malignantis naturæ inclementiam antidotum appropriatum aſſignari queat, & quodnam illud ſit, aperiamus.

Magnæ in re medica conſiderationis eſſe temperamenti cuivis proprii exactam notitiam, nemo neſcit, qua deficiente, omnis meritò Medicorum labor & induſtria in irritum cadit; Hinc Galenus ſublimis ingenii vir ſumma ſanè ratione & judicio hominibus tempore peſtis, ſi quod ejus jam veſtigium appareat, ſanguinis per phlebotomiam emiſſione ſubveniendum cenſuit, præmiſſa tamen corporis à ſuperflua humorum pernicioſorum, quibus ad peſtem contrahendam nihil magis opportunum eſſe poteſt, evacuatione. Si itaque corpora dicta humorum ſuperfluitate graventur, illa appropriatis catharticis purganda; ſanguis, non è venis, tantū, ſed & intercutaneus per cucurbitulas, quin & per venas, quas hæmorrhoidales vocant, hirudinum tractu, ſuctuque eliciendus. Hoc tamen te notare velim, corpori jam peſtifera lue infecto, ſanguinique dominante truculento hoſpite, tantùm abeſſe, ut phlebotomia quicquam ad ſanitatem conducat, ut potiùs ex perturbatione ſanguinis tantocyùs, utpote tota ſanguinis maſſa per luem adventitiam vitiata, mortem acceleret. De ſtatu itaque hominis, quo peſtis necdum maturuit, ſed nonnulla tantùm ſui veſtigia demonſtrat, hæc dicta velim, quod & de corporis evacuatione intelligat Lector. Cauteria præpotens eſſe ad vitandam peſtem remedium omnes ferè fatentur Galeni ſectatores; ita quidem, ut quod Mercurialis de peſte Veneta, id ego de Romana, quàntum ex Medicorum fide dignorum relatione mihi innotuit, aſſeverare queam; nullum hujuſmodi naturæ ſignatum ſpiraculis, peſte invaſum fuiſſe, niſi forſan nonnullos diſſolutioris vitæ, Epicuri de grege Porcos. Quoſdam tamen invaſos continuis inguinum, femorum, brachiorumque frictionibus adhibitis, inſidiantis veneni impetum, per cauteria tandem eduxiſſe. Novi Medicum, dum Noſodochio in peſtiferorum curam deputaretur, quinque ſibi prius cauteriis inuſtis, aliiſque præſervativis inſtructum, juncta imperterriti pectoris magnanimitate, inter medios morientium cœtus, integrum incolumemque ſemper conſtitiſſe. Sunt & Medici, qui peſte jam infectis ultimum remedium exiſtiment, Cantharidum applicationem, compluresque hoc medio, potentique medicamenti efficacia, veneni peſtiferi vi à cordis arca avulsâ, priſtinæ ſanitati reſtitutos: quod non improbo. Sed ad Cathartica remedia revertor. Corpori itaque evacuando opportunam nonnulli Galenici Tripheram Perſicam putant, alii Pilulas Abenſinæ. Quidam Rufi pilulas ex myrrha & Aloe compoſitas, quorum utrumque & putredini reſiſtere, & vitioſos humores attractos, per ſeceſſum evolvere novimus; ſemper tamen reſpectu ad temperamentum habito; calidioris enim conſtitutionis temperamentis dari non expedit, ſed humidioris duntaxat, uti fœminis, pueris, idque tempore hyberno, aliiſque inter æſtatem hiememque intermediis temporum ſtationibus.

His ſuccenturiantur à melioris notæ Galenicis prophylactica maximè proficua; conſervæ ex radice, quam Scorzoneram vocant, aut ex oxali, pimpinella, Angelica, ſaccharove cõditis roſis unà cum bolo Armena; Aqua Theriacalis, confectio hyacinthi, & ſimilia innumera. Galenus magnam vim Scordio contra peſtiferam luem tribuit, ſiquidem drachmæ pondere prius in pollinem redactum, & vino, juri, decoctove miſtum, putredini ſi quid aliud, reſiſtere hiſtoria quadam confirmat; qua quotquot ex cadaveribus hominũ in prælio occumbentium herbæ hujuſmodi incubuiſſe reperta fuerant, ab omni putredinis violentia immunia fuiſſe refert. Hiſce accenſet Theophraſtus Spiritum vitrioli unà cum aqua ex oxali ſeu acetoſa extracta, ſudandi gratia aſſumptum; ſunt enim tria in vitriolo conſideratione digniſſima, quibus virulentus hoſpes omnino proſternitur, extinguiturque. Siccitate ſua naturæ peregrina putredo exeditur; aſtringendi verò vi laxatarum partium colligatio roburque ad externam vim propulſandam conceditur, tandem vi caloris nativi, externus adveniens calor prorſus ſuperatur.

Singulare à nonnullis habetur remedium ſemen Hederæ in pulverem redactum, & unius drachmæ doſi cum appropriatis aquis cardui benedicti, pimpinellæ aſſumptum, quibus alii jungunt allium non ab Hippocrate tantùm & Galeno, ſed & omnibus modernis medicis, veluti peſti propulſandæ opportuniſſimum remedium omni laude celebratum; nec immeritò, quantum enim venenum perſequatur, vel ad primum ejus odorem venenatorum animalium fuga ſat ſuperque teſtatur. Unde haud incongruè eam ob cauſam Ruſticorũ Theriaca nuncupata eſt. Addimus hiſce Colophonis loco granorum Juniperi extractum, veram Borealium regionum Theriacam; Sic autem fit; accipiunt ex quàm optimè maturis Juniperi granis octo vel decem libras, quas in vino potenti & generoſo 12. horarum intervallo macerant; excepta ad ebullitionem coquunt, deinde in pulverem redacta per ſetaceum cribrant, hoc peracto quotidie ex iis 2. aut 3. drachmas in vino aſſumunt; inſigni ſanè (uti experientia docuit) in ſuſpectis temporibus emolumento.

Notandum hoc loco duplicem à Galeno peſtẽ ſtatui, internam unam, alteram externã, illa intra corpora graſſatur; hæc foris negotiatur, clàm enim prorumpens, ſub cute puſtulas, furunculos, apoſtemata, carbones, buboneſq; peſtiferos generat. Utriuſque cura quomodo auſpicanda ſit juxta Galenicorum placita, paucis aperio. Peſtis internæ cura in duobus potiſſimùm conſiſtit, primò ut concepto veneno frænum Bezoarticorum antidotorum efficacia injiciatur, quibus virus & cohibetur, & foras diſpellitur. Secundò Symptomata, quæ ſunt deliquia, ardor, angina, laterum punctiones, diſpnœa ſeu anhelitus difficultas, deliria, vomitus & ventris ſolutio, compeſci debent ſingula appropriatis remediis, quæ ſcitè in ſuo Bezoarticorum Ternario deſcripta, & à nobili medico Angelo Sala præſcripta, Lector conſulat.

Porrò in peſte externa apoſtematum extrinſecorum productrice duæ curationis ſpecies occurrunt, una phyſica interna concernit viſcera, & cordis officinam ab imminente veneno defendit, illudque à centro ad circumferentiam, vel quorſum natura voluerit, expellit. Altera Chirurgica, quæ in externis ulcerum ſupramemoratorum exanthematis curandis occupatur, ut venenum à topicis attractum remediis à regreſſu intercipiatur, pars affecta ab humorum confluxu præſervetur, materia cruda adhuc & contumax ad maturitatem reducatur, matura verò aperiatur, peccantis materiæ ſuppuratio promoveatur, digeſtaq; tandem mundetur conſolideturque & ſic tandem omnia ad perfectam ſanationem Chirurgica manu perducatur.

E quibus patet curationem Chirurgicam pro variis externorum affectuum differentiis variandam eſſe; quorum 3. potiſſimùm in infectis ſeſe ſiſtunt, primò glandulæ inter cutem & carnem mobiles, Secundò tumores majuſculi duri renitentes abſque ſupuratione. Tertiò appoſtemata ſordida, excrementitia quadam, malignã, virulentaque materiã tumida, quæ anthraces, carbones buboneſque peſtiferi paſſim vocantur. Prò primi generis glandulis & tumoribus, emplaſtris utendum, quæ duritiem difficulter ſuppurabilem ad mollitiem maturitatemq; ſectioni aptam diſponunt. In Anthracibus & carbunculis, bubonibuſq; iis emplaſtris ſubveniendum, quæ exceſſivum partis affectæ calorem & dolorem mitigent; ſcarificatio circum circa ad ſuppurationem promovendam adhibenda eſt; Quanam verò induſtria, aut ex quibus ingredientibus dicta emplaſtra conficienda ſint, ut meam excedit profeſſionem, ita iis diutius deſcribendis ſupervacaneum eſſe ratus ſum; qui verò horum arcanorum deſiderio tenentur, hi memoratum à nobis Angelum Salam eximium Medicum, qui in tractatu, qui Ternarius Bezoardicorum dicitur; ſi quis alius, ſcitè ſanè & peritè ea deſcripſit, conſulant.

Prophylactica ſive præſervativa ea dicuntur medicamenta, quæ hominem contra morborum inſultus muniunt & defendunt; quorum munus eſt, cor vitale ſpirituum regnum contra omnes malignantium humorum technas corroborare, eidem novas ſemper & novas ſpirituũ copias ſubminiſtrare; hoc enim ſuo in regno generoſè perſiſtente inimica poteſtas tanto munimiorũ apparatu repulſa, mox ſtatione cedet ſua, palmaſq; generoſo Archæo cõcedet: ubi tamen notes velim, in homine ſolidæ & validę conſtitutionis prophylactica nullum locum habere, cùm non habeat, contra quod nitatur inimicũ agmen; imò talibus ſubinde adeò nociva eſſe, ut qui prius quàm optimè valebat, is per continuatum prophylacticorum uſum naturalis cõſtitutionis temperiem facilè pervertat; iis verò, qui humorum pravorum colluvie exuberant, jamq; prodromas peſtis immaturæ copias ſentiunt, prophylacticorum ſubſidium omnino neceſſarium putem, ut cor contra tot inſidias corroboratum, & iis reſiſtere, & eas penitus exterminare poſſit. Sunt porrò prophylactica adhibenda in duplicẽ uſum, quorum prior ſpectat privatum, alter publicum bonum. Finis prophylacticorum in privato homine eſt conſervatio individui à peſtis contagione: finis in publico eſt expurgatio aëris peſtiferi, ex quo veluti ex ſeminario quodam malorum omnium germina repullulant, de quibus omnibus ordine nonnihil dicendum.

Non ignoro varia à Medicis præſcribi præſervationis contra peſtem munimina in compara-

parabi-

parabilem Galenum ſecuti, quæ plerumque in tribus conſiſtunt: Primò in moderata diæta; Secundò in variarum plantarum aromatumque *ἀντιλοίμων* compoſitione. Tertiò in variis pentaculis & amuletis, quæ brachiis, pectoris aut cordis regioni applicare contra peſtem ſolent. Moderatam diætam plurimum ad peſtem vitandam Galeno teſte conferre, nullus eſt, qui dubitare poſſit, cum nemo ferè ex melioribus Medicis ſit, qui eam non approbet, tanquam neceſſariam non ſolum ad vitandam peſtem, ſed & ad omnis generis morbos eliminandos. Corpus enim per intemperantiam plethorâ turgens, dici vix poteſt, quàm aptum ſe diſpoſitumque ſubjectum ad peſtem contrahendam exhibeat; quemadmodum enim fomes ignem ex ſcintillis è ſilice excuſſis mox concipit, ita tempore peſtis corpus malignis humoribus refertum; Unde unanimi Medicorum conſenſu, corpora, uti ſupra in Galenica doctrina oſtendimus, appropriatis purganda catharticis & diaphoreticis; cauteria murenda, ut malitioſus vapor veluti per caminos quoſdam & ſpiracula eductus à vitalibus membris imminentis virulentiæ periculo circumdatis divertatur. Munditiei tum corporis proprii, tum cubiculi cura ſumma, & hiſce ſimilia, de quibus Medici integra contexuerunt volumina; ut proinde ſuperfluum judicem, iis diutius immorari.

Secundò ſunt variæ prophylacticorum compoſitiones; quibus cùm plena ſint omnium eorum, qui de peſte ſcripſerunt, monumenta, rem actam agam, ſi me in rem adeò tritam immiſero. Verum compoſitiones, quando non ſummo judicio & artis Medicæ peritiâ fiunt, nonnunquam plus nocumenti, quàm adjumenti contuliſſe experientia docuit. Sed objicies, Cardiaca pleraque ſunt & bezoartica, ergo non poſſunt non ſummum habere vigorem ad cor contra inimicas poteſtates corroborandum. Fateor, ita eſſe, ſi juxta naturalem ſubjecti conſtitutionem & temperiem accommodata præbeantur: ſed ut omnibus promiſcuè exhibeantur, nullo, certè ad illis utentium temperamentum habito reſpectu, ſicuti inutilem, ita etiam periculoſam exiſtimem; cùm quod uni prodeſſe poteſt, id alteri obſit, & contrà.

Quare ego conſultiùs ſimplicia medicamenta adhibenda putem; Cùm enim natura, ea in fines ejuſmodi creaverit; Certum eſt, ritè ſumpta effectum ſuum ſine ulla aliorum commiſtione naturaliter conſequi poſſe: Siquidem uti benigna mater natura omnibus prodeſſe voluit, ita ſumma quoq; providentia ubique locorum produxit ea, quæ & facilè reperirentur, & hominem in neceſſitate conſtitutum ab imminente malo liberarent. O quàm infelicem ſortem nacti fuiſſent rerum omnium inopes, ſi nonniſi longo pretioſiſſimarum ſpecierum catalogo, tanta inimicæ poteſtatis ſævitie, iis immunitas promitteretur. Sicut enim natura in unum tendens perpetuò unitatem ſectatur, ita & ſimplicitatem amaſſe videtur, juxta illud, fruſtra fit per plura &c. in Scholis notum. Simplicia itaque præ reliquis in prophylactica aſſumenda eſſe, ſalvo meliorum judicio, exiſtimo. Quænam verò illa ſint, & quomodo uſurpanda, tempus eſt, ut aperiam.

In Claſſe ſimplicium vegetabilium, appropriatâ contra peſtem virtute pollentium, potiſſimum ſeptem magnæ virtutis eſſe probantur à melioris notæ Medicis; ſcilicet, Hypericon, Vincetoxicum, Enula ſive Helenium, Dictamnus, Ariloſtogia, Laureola, Raphanus ſylveſtris. Quæ omnes herbæ mira ſanè ex inſita illis quadam & ſpecifica qualitate venena arcent, & repellunt: & tametſi hæ quovis modo ſumi queant, meliorem tamen effectum præſtabunt, ſi in ſalem chymica arte præparatum reſolvantur; hic enim virtute tota ſibi concentrata, in juſculo, jejuno ſtomacho ſumptus, quantitate, quam apex cultri contineat, mirum eſt contra venena & potiſſimum peſtem antidotum. Hiſce ſuccedunt aliæ, quæ ad præcedentes virtute proximè accedunt, & ſunt: Ruta communis; aut altera ſpecies ruta Capraria dicta, tormentilla, pimpinella, Zedoaria; ſcordium, angelica; ſeu quam Carolinam vulgò vocant, & Scorzonera: quæ vel in ſalem elaboratæ, vel in pulveres contritæ, vel in ſuccos coactæ, in juſculo, vel in aqua propria ab unoquoque ſumi poterunt.

Ex terreſtribus verò mira quadam contra peſtem proprietate pollent, Terra ſigillata, ſive bolus Armena, cornu cervi uſtum, ſpodium & ſimilia. Ex Aromaticis Aloë, cinnamomum, nux myriſtica, myrrha; quæ tamen non tam contra peſtem appropriata remedia ſunt, quàm quod cordi robur & reſiſtendi virtutem addant: Si enim virus peſtiferum intus ſumptum ſui vigori veneni prævaleat, tantum abeſt, ut quicquam ſubſidii conferant, ut potius omnia dicta in ſui ſubſtantiam convertat. Quodnam verò illud potentiſſimum efficaciſſimumque peſtis antidotũ eſſe poſſit, varii variè tradiderunt. Quidam exiſtimaverunt, illud eſſe debere quidpiam ex mineralis aut vegetabilis ſentientiſve naturę penuario depromptum: Nonnulli pentacula ſive amuleta quędam excogitarunt, ut Zenexeton Paracelſi, cui magnam peſti propulſandæ virtutem ineſſe multi putant, ſed quoniam id ipſum immenſis ſuperſtitionibus refertum eſt, ei quoque à nemine fidem adhiberi velim; cum ſimilia vix unquam ſine expreſſo aut implicito pacto Diaboli effectus ſuos ſortiãtur. Quidam confugiunt ad neſcio quæ amuleta ſacra, variis litteris, characteribus, crucibuſque intricata, quibus Deum Opt. Max. tanquam ad ſenſibilia ſigna cogi poſſe arbitrantur: Sed hæc uti impia ſunt, ſic à S. Romana Eccleſia merito tanquam innumeris diaboli illuſionibus expoſita, proſcripta ſunt.

E quibus hîc in gratiam Lectoris unum ſat ſuperque jam notum vulgatumque apponam, ut fraudibus cognitis ab hujuſmodi maleferiatorum hominum inventionibus quiſque abſtineat.

Sic igitur ſe habet.

† Z. † D. I. A. † B. I. Z. † S. A. B.
† Z. † H. G. F. † B. E. R. S.

Quorum characterum hanc ajunt eſſe explicationem.

† *Crux Chriſti ſalva me.*

Z *Zelus domûs Dei libera me.*

† *Crux Chriſti vincit & regnat, per lignum Crucis libera me Domine ab hac peſte.*

D *Deus Deus meus expelle peſtem de loco iſto & libera me.*

I *In manus tuas Domine commendo animam meam, & corpus meum.*

A *Ante cœlum & terram Deus erat, & Deus potens eſt liberare me ab hac peſte.*

† *Crux Chriſti potens eſt ad expellendam peſtem à loco iſto.*

Et ita de reliquis.

Hoc itaque eſt celebre illud amuletum contra peſtem, quod à neſcio quo Græco Archiepiſcopo, tanquam ſacroſanctum,& mirificæ virtutis arcanum evulgatum ajunt; quod quicunque portaverit, illum infallibili divina protectione ab omni peſtifero afflatu immunem futurum, perperam ſibi perſuadent.

Verùm cum id ſcriptum ejuſdem omnino formæ ſit, cum innumeris aliis, quæ hominibus maleferiatis & cum Dæmone pactum habentibus, ad alios effectus ſimiles, impiè cuduntur & ſuperſtitiosè adhibentur: dicendum id proſus ſuſpectum atque ſcandali plenum eſſe. Nec refert, quòd ejus amuleti characteres ſic explicari poſſint, ut ſint verſuum quorundam pſalmorum, ſimiliumque precum initiales litteræ. Nam præterquam quòd iidem characteres perſe ipſos ad id indeterminati ſint, poſſintque à Dæmonis miniſtris ejuſmodi amuleta cudentibus in ſenſum prorſus oppoſitum detorqueri; adhuc tamen ex hoc talis amuleti uſus reprobandus eſt, quòd eo modo nudis characteribus & crucibus conſignatum & in corpore geſtatum, exinde inſignem & ſingularem, aut certam vim ad effectus ſuos habere ſuperſtitioſius exiſtimetur. Uti uberrimè in Magia Ægyptiorum tom. 2. oſtendo, & ſcitè quoque comprobat in ſuo Medicopolitico catholico, fol. 150. doctiſſimus Hieronymus Bardius Theologiæ, & Medicinæ utriuſque Doctor.

Proprium Naturæ eſt, uti ſuprà dicere cœpimus, contrariorum luctâ gaudere, litibus & diſſidiis rerum operationes ſuas ad inſignes effectus producendos inſtituere: Hinc poſito uno contrariorum, alterum poni neceſſe eſt, uti Scholæ loquuntur. Nullum latet in natura rerum toxicum adeò truculentum, quod non ſtatim antagoniſtam reperiat, ferocienti naturæ contrarium, venenique deſtructivum; quæ quidem non tantùm conſiderari poſſunt in rebus ſpecie differentibus; uti in thora, & anthora, in filice & arundine, in ſimia & teſtudine, in agno & lupo; ſimilibuſque rerum diſſidentium viribus operationibuſque; Sed vel ipſum animal toxico turgidum ſecum portat & intra ſe continet ſeminaria quædam veneni proprii deſtructiva. Hinc vipera à ſe morſu intoxicatos, proprio ſubſtantiæ ſuæ vigore ſanat; ſcorpius intritus vulneri, quod morſu effecerat, venenum, quod vulneri infuderat, ad ſe retrahit. Canis rabidi vulnus aliis inflictum, tutiùs non curatur, quàm hepatis canini eſu, & ſic de ſingulis idem judicium eſto. Quoniam igitur peſtiferum virus omnium, ob ſummam ſibi ſemper adjunctam contagionis neceſſitatem, pernicioſiſſimum eſt; fieri ſanè non poſſe videtur, quin provida natura hujuſmodi veneno ſingulare quoddam & appropriatum antidotum contrapoſuerit; quale tamen illud ſit, quàm multi quæſiverunt tam pauci invenerunt. Nonnulli illud in mineralibus inveniri poſſe putarunt: Unde illud primò in Mercurio & Arſenico tentarunt, ob neſcio, quam rationem, qua inſita quadam ſibi vi peſtis venenum trahere ſibi perſvadent; peſſimum ſanè conſilium. Qui novit malignam Mercurii indolem vel poſt exiguam calefactionem, is plus illam damni adferre, quàm emolumenti aſſerere cogetur, & experientia docet. Mercuriū calamo incluſum, ac ſupra nudam carnem geſtatum, ſimul ac rarefactus incaluerit, malitiam ſuam mox furtiva quadam negotiatione prodere, quarum prima eſt ventrem ſolvere; ſecunda convulſionem nervorum cauſare: gingivas invadere & roſiva ſua virtute omnia infeſtare. Si quis tamen nobis opponat, Mercurium calamo incluſum, virtutem ſuam diffundere non poſſe; is valdè hallucinabitur: Cùm adeò ſubtilis exhalationis ſit, ut per inſenſibiles etiam calami poros virtutem ſuam intra ipſa viſcera propaget. Ac ſi illud detur tranſpirationem ſcilicet per calami poros fieri non poſſe, pari ratione aſſero, nullum quoq; eum in trahendo peſtis viru effectum ſortiri poſſe; cùm duo corpora Sympathica aut antipathica effectum ſuum obtinere nunquam poſſint, niſi ita ſibi invicem applicata fuerint, ut unum radiis virtutis ſuæ, alterum contingat reciprocâ radiorum communicatione; eſſet enim cœteroquin otioſa vis & evanida: Aget itaque Mercurius calore nativo geſtantis rarefactus, & in vaporem quadantenus reſolutus, & agendo ea in corpore humano efficiet, quæ ejus naturæ & propriatati congrua & quàm maximè conſentanea ſunt; proprium autem eſt ei, relaxare inteſtina, nervos convellere, ſiccare medullas oſſium, & tandem gingivas ſimiliaque hiſce putrefacere; quæ uti naturæ inimica ſunt, ita omnibus velis remiſque vitanda. Nomini itaque ſuaſerim, ut hujuſmodi plenum alea antidotum ſive calamo incluſum, ſive ſericis involucris veſtitum, ſive quacunque alia ratione ad ornatum inconſultius geſtet; quamvis enim primis ſtatim diebus effectum pernicioſum quiſpiam non ſentiat, frequenti tamen uſu & ſuceſſu temporis, vera eſſe, quæ dixi, reperiet. Pejus autem id, quod ex Arſenico conficitur amuletum, antidotum eſt, ob inſignem veneni ſub eo latentis deleteriæ virtutis magna interimendi facultate pollentis virulentiam; Cordi enim quàm maximè obeſt, Spirituum officinam potiſſimum virulento ſuo æſtu infeſtans reſpirandi difficultatem inducit, vertiginem efficit & ſcotomiam, ut proinde mirari ſatis non poſſim, quòd eorum fuerit Medicorum incitamentum; ut hominem, tam phanatico antidotum, tot ac tantis periculis & ſymptomatis forſan peſte pejoribus exponerent. Metallica itaque venena peſti removendæ nullum efficax remedium præbere poſſunt, cùm nulla cum vitali morbo inanimatis ſimilitudo intercedat: gaudent enim omnia ſuis ſimilibus intra eoſdem naturæ gradus conſtitutis: quemadmodum qui vegetabili naturæ in arte chymica ad fixationes utuntur, nunquam ad deſideratum Scopum, repugnante naturæ diverſitate, pertingent: Sed vaporibus metallicis ad arcanam naturæ ſimilitudinem, ut effectus conſequatur, operatio inſtituenda eſt. Sed jam ad noſtrum inſtitutum revertamur.

Videamus itaq;, quodnam illud appropriatum contra communem & ordinariam peſtem antidotum, & quidnam aut quanam tandem virtute ferociæ draconis virulentiſſimi, cujuſmodi peſtis eſt, reſiſtere poſſit. Nonnulli ingenioſi, & libris editis non ignobiles Medici, dicunt hoc antidotum non aliud eſſe quàm Bufonis ſubſtantiam; quibus ego multis rationibus inductus etiamſi ſubſcribam; minimè tamen naturam rerum tam arctis clauſtris conſtrictam puto, ut præter hoc non alia in occulto ejus ſinu hominum ſaluti

luti cumprimis neceſſaria condita teneat contra peſtem antidota. Verùm ut natura & proprietates Xenexeti Bufonii luculentiùs patehant, paulo altiùs de iis ordiri viſum eſt, ſic tamen, ut in ejus Xenexeti conficiendi ratione tradenda non tam meam, quam eorum, quos indicavi, ſententiam exponam; rem omnem (ut par eſt) peritiorum ac meliùs ſentientium judicio ſubjiciendo.

Bufo, vel quod idem eſt, Rana venenoſa, ex eorum eſt genere, quæ è putrido terræ mucore generantur, animal eſt plenum veneno, ut non immeritò terreſtris toxici & contagioſæ virulentiæ burſa magnetica dici poſſit; Unde vel ipſo horrido ſuo aſpectu, tumido membrorum ductu, oculorum truculentiâ, & funeſto faucium hiatu, nulli non formidinem vel ad primum aſpectum incutiat; tardiſſimum eſt ad ambulandum, unde Saturni ſe ſobolem eſſe demonſtrat; tumida & tuberoſa pelle, veneni quod continet, virulentiam ſignat; fœtore lethifero halituq; ſuo abominabili, dum & plantas & animalia conficit, neſcio quid cum peſte commune habet; tanto in hominem odio eſt, ut ſuſpenſus & verberatus ab homine præ nimia in illum rabie moriatur; Unde homini maximè inſidiatur, dum eum oculorum halituoſa virulentia afflatuque exitiali omnibus modis ſiderare nititur; & quoniam diſſitum non ſemper oportuno aſpectu odorari poteſt, hinc naturali ſibi inſito liquore lotioque virulentiſſimo, quod in diſſitos vibrat, hominem aggreditur, ut vel hoc pacto rabiem ſuam ſatiet; proindeque maximè admirari liceat abditum naturæ conſilium, dum vel maximè peſtiferum animal, peſtis tamen antidotum ritè præparatum hominum neceſſitati conſtituerit, atque adeò occultis naturæ characteriſmis ſignaturiſq; in eo peſtis naturam & proprietates expreſſerit. Hinc ſequentia formant conſectaria. Eſt peſtis morbus epidemicus, quem ranarum bufonumque pullulantium multitudo ut plurimum prænunciat: luculentum ſanè indicium, bufones ex peſtifera materia mucoſaque, ſive ex influxu cœleſti, ſive aliis de cauſis terræ inſitis, naſci, & veluti in quandam veneni burſam animari, ejuſdemque attractu continuo nutriri & vivere. Efficit peſtis neſcio quæ exanthemata, tubera, bubones, vibices, maculas, quæ omnia in tuberoſa bufonis pelle vibicibus & maculis variè diſtincta expreſsè ſignantur. Peſtis generat vermes omnium Medicorum teſtimonio propter excellentem putredinem; generat & eos bufo in proprio ſuo corpore, potiſſimùm in capite. Cujus rei ut veritas luculentiùs pateat, hic teſtimonium Helmontii adducemus, qui rem ita ſe habere, vario experimento comperit, & eſt res notatu digniſſima: Dein, inquit, Julio menſe, decreſcente Luna, veteres bufones cepi quorum oculi albis ſcatebant vermibus, nigriſque capitibus prominentes, adeo ut uterque oculus totus in vermes transformatus eſſet, fortaſſis 50. numero. In utroque oculorum foramine vermes erant densè compacti, quorum capita foras procminebant, & quoties aliquis egredi vel prominere conaretur, ſtatim bufo appoſita manu egreſſum vetabat; hos autem bufones ad vomendum coactos, uti dixi, per ſuſpenſionem, reperi dare excellentiſſimum Zenexeton ſiveamuletum; vermes autem in patinam ceream deciduos, ſimulque quod per vomitum rejicit in trochiſcos parvos redegi, addito, bufonis cadavere è cerea patina; geſtati autem trochiſci ad mammam ſiniſtram arcebant contagium, & loco infecto alligati, ſtatim virus extrahebant, erantq; trochiſci promptiores & validiores, ſi in uſum aliquoties veniſſent, quàm recentiores; reperi autem hoc amuletum pró peſte longè validiſſimum. *Hæc Helmontius.*

Porrò ſicuti peſtifera lue infecti ingentem terrorem obviantibus incutiunt, ita bufo hominibus obvius: eſt enim naturale quoddam bufonis in hominem odium, quo eum modis omnibus perditum vult, tantò quidem vehementius, quantò is ab homine aſperius fuerit tractatus, ac verberatione ſævius exagitatus; atque hoc eſt Sympathicæ actionis fundamentum, quo ex appetitu naturali bufo homini per veneni ſui diffuſionem nocere deſiderat, & dum ſibi prorſus ſimile jam in homine per peſtem infecto; in mumiali fermento hoſpitans reperit, illud is humano corpori applicatus, ea præparatione, quam paulò poſt exponemus, tanquam ſibi συγγένιον & appropriatum mox iterum in ſe per attractum derivat; terrorem ex peſte conceptum, & in Archæi ideâ latentem deſtruit, terrore hominis ſibi proprio; atque hic appetitus inſitus non in vivo tantùm animali; ſed & eandem hanc ſibi inſitam vim in mortuo & variè præparato conſervat. Hinc admirandum ſanè arcanum & paucis notum illud putant; Quod Sympathica quadam vi, haud ſecus ac magnes ferrum ſub debita diſtantia poſitum mox commovet, & commotum ad ſe trahit; ita bufonis amuletum, homini quidem inimicum, amicum verò ſibi, mox ac vim peſtis in corpore alicubi ſtabulantem ſentit, illam ſubitanea actione ad ſe trahit, atque adeò hominem à moleſto lethifero hoſpite, terrificâ Archæi ideâ deſtructâ, liberat ſervatque. Ex qua expoſitione luculenter patet, præ omnibus aliis maximè ſpecificum & appropriatiſſimum antidotum Helmontio (quod & nos approbamus) eſſe amuletum ex bufonis ſubſtantia deſumptum; cùm nullum veneni genus, quàm peſtiferum venenum toxico bufonis ſimilius ſit, contagione enim ſua non homines tantùm, ſed & plantas & animalia inficit; & experientia docet hominem, vel in ipſo loco, ubi bufo conſederit, mox infici & vehementibus Symptomatibus agitari. Funeſto ſanè eventu virulentum bufonis contagium expertum eſt quoddam in Germania Monaſterium (quemadmodum ſuprà narravimus) in cujus culinam bufo noctu irrepſerat, & cùm lebetem reperiret nec dum purgatum, pinguedine allectus eum ingreſſus, virulento lotio halituque ita infecit, ut quotquot ex carnibus in eo per Coci ſocordiam nec dum emundato, coctis comederant, ad unum omnes eodem ſtatim die extincti ſint. Sicuti itaque ipſa Vipera ſui per morſum in hominem diffuſi veneni medela eſt, vulneri ritè applicata: & ſcorpius punctarum inflictam vulneri intritus ſanat; & hepar canis rabidi à demorſis devoratum ſummo & unico contrà hydrophobiam remedio eſt; ita & bufo peſtiferi halitus è terreſtri mucore exſpirantis ſoboles peſtem quoque præ omnibus ſanat; mox enim corpori peſte infecto applicatus; ſtatim id, ex quo coaluit, tanquam ſibi ſummè congruum appetit, & in ſe derivat, ſimulque hominem lethifero hoſpite eliminato à

reſtare videtur; niſi ut jam modum, hujuſmodi amuletum ritè præparandi ex eorundem auctorum ſententia doceamus.

Certum eſt, in Borealibus Regionibus magnum eſſe uſum bufonis tempore peſtis; Siquidem memini me haud infrequenter in Germania ruſticos quoſdam obſervaſſe, qui quotquot in campis bufones deprehenderent, eos mox ſtipitibus infixos ſolis æſtu torrefacerent, pellemque ſervarent; Cùm itaque facti rationem inſtantiùs urgerem, dixerunt, ſe pelles bufonum exſiccatas in tempus peſtis conſervare; hoc enim unicum iis domeſticum contra peſtis virulentiam remedium ſupereſſe; ſiquidem ulceri peſtifero applicatis pellibus bufoniis ſtatim ſe extracto veneno à morte liberari. Verum cùm hujuſmodi remedium horridius ſit, quàm ut ab hominibus delicatioribus adhibeatur; hinc Medici per experientiam doctiores delicatiorem efficacioremq; eos præparandi modum invenerunt. Buclerus Hybernus quidam Chirurgus, uti Helmontius narrat, primus hujus antidoti autor, Londini aliquot millia hominum peſte curaverat, hoc pacto, bufones magnos mēſe Junio poſt meridiem captos cruribus ſuſpendi propè focum aut carbones ſuccenſos, illiſq; patinam è cera flava confectam ſubtendi juſſerat; tandem à triduo ſuſpenſionis bufonem invenit mucoſam quamdam materiam unà cum nonnullis inſectis, videlicet muſcis nitentibus alis ſubviridi colore veluti deauratis, evomuiſſe; à vomitu verò bufo veluti jam animatâ ſobole privatus mox obiit, quamvis dicta inſecta, licet pronus penderet, ante triduum non vomuerit; aſſeveravit autem Helmontio amico, ſe pro quadraginta millibus hominum peſte infectorum curandis remedium communicare. Helmontius verò ſubolfaciens id, quod erat, ſordes vomitu rejectas, itemque exſiccatum bufonis cadaver ſeorſim in pulverem tundi juſſit, & cum tragacantho, ſive quod idem eſt gummi arabico trochiſcis formatis feliciter ſe tam ad præcautionem peſtis, quàm ejuſdem ſanationem uſum eſſe ſcribit.

Petrus Joannes Faber haud incelebris Medicus lib. 5. ſui Panchymici. ita bufones præparari jubet: (In bufone inquit etiam ipſo latet arcanum & ſecretum veneni cujuſcumq; extinguendi: oportet comburere bufones, & in cineres convertere forti & potenti igne, & ex cineribus eorum, aqua Cardui benedicti maceratis ter vel quater rectificatis extrahere ſalem, & ipſum purificare calcinando, & ſolvendo ipſum multoties in aqua ipſa Cardui benedicti, donec clarum & liquidum ſal fiat, cujus doſis eſt 3. Scrup. in ipſa aqua Cardui benedicti, ad peſtem omnem eliminandam è maſſa ſanguinis idque beneficio ſudoris, quem potentiſſimè elicit hic ſal; & ſic purificat totam ſanguinis maſſam & vindicat eam tum à peſte, tum ab omnibus venenoſis morbis, & ſic bufones ſunt maximo homini emolumento) Vide etiam quæ de bufonis præparatione in ſuo Zenexeto contra peſtem adducit Crollius in ſua fabrica chymicâ. (In Germania in pulveres reſolutas bufonum pelles, prius ad ſolem exſiccatas bubonibus peſtiferis in modum emplaſtri, aqua Scorzoneræ ut vocant, rutæ capraria aut Cardui benedicti, priùs maceratis, imponere ut plurimum ſolent; quo pleroſq; ſi tempeſtivè malo occurerint, à peſte liberatos experientia docuit;)

trahit enim ſibi ſimile adeò potēter, ut multi putaverint, muſtelam reali quodam magnetiſmo à bufone ad ſe in eſcam trahi, quod tamen nos in Arte Magnetica falſum oſtendimus: eſt enim aſtutia bufonis, qua ſe propiùs accedentem muſtelam halitu ſuo infatuatam interimit, interemptam in eſcam ſibi deſtinat. Quidquid ſit, ſi vera ſunt, quæ hi Authores narrant, ſingulare contra peſtem remedium illud bufonis eſſe facilè crediderim, dummodò legitimè & dicto modo præparetur peſtique laboranti tempeſtivè applicetur. Obſtrepet forſan nonnemo ex eorum numero, qui nonniſi odoribus & bezoarticis & ingenti compoſitionum ſylvâ peſtem ſe curare ſibi perſuadent: bufo horridum oppidò animal, atque æque toxico pernicioſo turgens, tantum abeſt, ut peſtem curet, ut eam potiùs, ubi non exiſtit, adducere videatur. Reſpondeo, hoſce neſcire leges naturæ Sympathicas & antipathicas, neſcire occulta naturæ miracula, quæ maximè vel in ſimilitudine vel diſſimilitudine naturæ fundantur. Fatemur bufonem animal eſſe plenum abominationis & horroris; ſed ſcimus etiam peſtem eſſe omnium malorum & atrociſſimum & maximè formidabile, cui medela ſit bufo magnetica quadam actione, qua ſuum ſibi ſimile, id eſt, peſtiferum virus trahit, peractâ; neque enim quiſpiam ſibi perſuadeat, amuletum bufonium eo modo, quo cætera agentia ſuas operationes, perficere; uti enim peſtis virus prorſus eſt inſolens & vix notum, ita & dicti amuleti actio; dum ſcilicet non agit virtute aliqua elementari, ſed prorſus magnetica, ſympathica & veluti immateriali, qua peſtis radicem ſub prætextu quodam furtivæ amicitię ad ſe attrahit, revera tamen tanquam contrariam ſibi ac humani conſortii odorem referentem, inſito ſibi impetu mox interficit: Quæ eſt cauſa, cur hujuſmodi amuleta corpus non inficiant, nec alios ſibi præſentes ex attractu peſtis, quia videlicet radiis ſuis antipathicis propagationem peſtis non permittunt; Sed mox itineri jam accinctam adoriuntur & interficiunt.

Quæ quidem dum aſſerimus, nullius ingenio vim inferimus, ſed liberam unicuique judicandi poteſtatem reliquimus. Non ignoro, peſtes nonnullas eſſe, quemadmodum ſupra oſtendimus, prorſus differentis proprietatis à peſte ordinaria, quam boboniam vocant, quæ variis carbunculis, exanthematis, maculis vibicibuſque corpus humanum ſignat; hinc bufonium forſan antidotum ſimilibus parum proficuum eſſe poſſe non neſcio. Quare, ſi ea, quæ ſupra de venenorum geneſi retulimus, exactè obſerventur; Medicus ſagax & ſolers ex cauſæ tam inſolitarum peſtium, venenorumque inventione, facilè in antidoti notitiam ſe perventurum norit; Si juxta intentam analogiam operetur. Ex. Gr. ſi peſtis ingruat narcotica vi pollens; tum enim verò herbis inſectiſque ſolis eadem vi pollentibus antidotum conſtitutum eſſe ſibi perſuadeat. Dum enim ſimile ſimili delectatur, illa rite prius præparata applicataque abditum venenum narcoticum præter naturam in humano corpore hoſpitans, veluti ſibi συγγενὲς ſeu cōnaturale mox attrahent; hominemque à lethifero hoſpite liberabunt. Idem de reliquis omnibus rarioribus peſtis eventibus judicium eſto.

Ut

Ut proinde paucis verbis ingens in natura arcanum detexiſſe ſufficiat. Quare ad alia.

Verum hoc loco omittere non poſſum, quin adjungam eam, quæ ſumma Mundum admiratione effecit, rationem ac methodum, qua Hippocrates, Græciam olim univerſam à peſte liberavit tanto applauſu, ut inde divinos impiè licet honores conſecutus ſit. Prima ratio pertinet ad prophylacticam ſive aëris emendationem; ſecunda ad Therapeuticam, quas, quoad poterimus, paucis Deo dante abſolvemus.

Græciam à peſte Hippocratis ope liberatam extirpatamque omnia Hiſtoricorum monumenta teſtantur. Qua verò arte id præſtiterit, non perinde omnibus compertum. Certum & indubitatum eſt, τὸ θεῖον (vocabulum ab Hippocrate uſitatum) non divinum tantùm quid, ſed & apud linguæ Græcæ autores nihil aliud quàm ſulphur ſignificare; Hippocratem verò omne virus abditum & inſolens occultumque divinum quid in morbis appellaſſe conſtat: quod & excellentiſſimus Joannes Benedict. Sinibaldus ſcitè ſanè explicat in ſuis Antlphonis; cùm verò ſulphuris ope omne virus peſtiferum ſeu peſtem ipſam venenorum malorumq; cõtagioſorum inſolentiſſimum ſanaret; hinc factum fuit, ut ſulphur ob admirandas in peſtis contagione diſſipanda exterminandaque vires veluti τὸ θεῖον ſeu divinum quiddam reſpiceret, & quaſi à Diis immediatè in humani generis ſubſidium cœlitus inſpiratum antidotum. Nam flores ſulphuris Hippocrates præſcripſit, potentiſſimum contra peſtem medicamentum, cui vix in natura rerum ſimile reperiatur, eò quòd ſulphur intra abdita naturæ ſuæ cimelia præter miras virtutes, reſinam quoq; mineralem balſamumque terreſtre magnos putredinis antagoniſtas contineat; neque enim corrumpitur unquam aut ſuas vires perdit, quod aliis reſinis balſamiſq; vegetabilibus commune eſt; ineſt ei ignis quidam potentialis, qua omnia facultate ſua ignea, tum in elementari, tum microcoſmi regno abdita venena conſumit; hoc cum pice mixtum lignis oblitum, ea contra omnes têporum injurias defendit, putredinemq; humiditate contractam, verminoſam in iis ſtabulantem ſobolem mox deſtruit. Vapor ſeu fumus ipſius debito inſtrumento in aquam corruptam jam, penituſque fæcum commiſtione vitiatã immiſſus, eam intra paucas horas ita fermentat, ut omni terreſtrium impuritate partium fundo concreditã aquam mox limpidam, ac claram ab omni terrena illuvie depurgatam relinquat. Quia vel ipſa vaſa vinaria ſulphuris ſuffumigio medicata, vinum ab omni corruptione immune præſervare notius eſt, quàm ut dici debeat. Tinctores ſerico crudo ſplendorem puritatemque argenti ferè æmulam ſulphuris ope conciliant. Hujus ſubſidio vaporis multi capillos albos ſplendidoſque reddunt. Ex quibus luculenter patet ſulphuris in depurandis corporibus quibuſcunque præſtantia; ut proinde non ſine cauſa & ratione illud τὸ θεῖον Hippocrates appellandum cenſuerit, utpote quod aptiſſimum ad peſtis virulentas ſorditates, tum in aëre, tum cæteris elementis humaniſque corporibus conditas, profligandas extinguendaſque in omnibus ſeculis memoranda Græciæ peſtis truculentia, aſſumpſerit. Rurſum omnia contagionis capacia ſunt ut ſuprà oſtenſum fuit, metalla, moneta, veſtes, charta, chordæ &c. Solum ſulphur hoc ſibi à naturã inditum habet, ut non tantùm contagionis incapax ſit, ſed & quidquid peſtifero halitu infectum eſt, corrigat, extrahat, abſtergat, eradicet, ac penitùs deſtruat; fracedini enim ac putredini inſitã ſibi naturã reſiſtit, & præcipuè peſtis contagioſæ; aporrheæ; ſcabies contagioſa eſt, at hanc ſulphur præ cæteris tollit, tanquam contagioſæ virtutis inimicum; ut proinde mirum non ſit, peſtem in pellem ab interno principio derivatam, per ſulphur quoque extrahi; eſt enim ignis mineralis, cujus proprium eſt omnia comburere, nec contagio affici. Quale autem ſulphur illud ſit, apertè docet Hippocrates, dum illud τὸ θεῖον ἄπυρον, id eſt divinum, ignem non expertum dicit, & quod ſimul accenſum, nihil fæcium poſt ſe relinquat, ſed totum avolet, inde haud incongruè φλογιστὸν dictum.

Aërem itaq; emendaturus Hippocrates, & ab omni peſtifera fuligine vindicaturus, in publicis platearum angulis ſtruem excitabat ex Lauri, Cypreſſi, Roſmarini, Juniperi lignis & foliis, quibus commiſcebat ſulphur, picem, ſalem, quia contra peſtiferæ fracedinis exhalationem excellens remedium; picem, quia aëris μιάσματα congelat & ſibi adhærere facit: ſulphur verò, quòd ſi quid remanſiſſet miaſmatum, prorſus conſumat; & hiſce non ſolùm publica urbium compita luſtrabat, ſed & intima domorum receptacula ſuffiri jubebat, ibi potiſſimum, ubi infectionis labe correpti decubuerant: norat enim peſtis μιάσματα vel ad primum ſulphuris odorem veluti ad potentis ſummæ & inimicæ poteſtatis præſentiam mox deſtructum iri: atque hoc pacto univerſam Græciam per edictum publicum mundatam priſtininæ ſuæ integritati reſtituebat: hanc quoque ob cauſam ἀποθεώσεως donatus. Atque hæc Hippocratica mundandi aëris, & peſtiferorum miaſmatum conſumendorum ratio. Sequitur modo Therapeutica methodus, ſive quod idem eſt, cura peſtis, quam hoc pacto adoriebatur.

Pice, ſale, ſulphure pariter utebatur, ſed ſingulari methodo præparatis. Sulphur prius cote levigatum cum aqua exſiccari curabat, donec depoſitis terreſtrium fæcium quiſquiliis ad debitam reduceretur, tum ſubtilitatem, tum puritatem; deinde ſalem pariter in igne decrepitatum ignique liquefactum ſeponebat ad partem; per hanc enim decrepitationem ab omni heterogeneæ ſobolis miſtione depurgabatur. Porrò vinum hujuſmodi præparato ſale condiebat, cui grana ſulphuris 24. ad ſudores proliciendos addebat; vinum verò hoc in pice oblito vaſe conſervabat. Cùm enim ex Symptomatis peſte correptorum intueretur appetitum proſtratum, ſtomachoque mox ſubnaſci fracidas & nidoroſas impuritates, unde dolor intenſus capitis, vomitus, nauſea, delirium, ſopor, quæ deſideratæ curæ ſummo forent impedimento; ut his incommodis mederetur, carnes communes balſamo ſalis conditas præbebat ægris, quibus exitiale virus putredineſque per vim quandam abſterſivam everterentur, vinumque ſupradictum ſale, pice, ſulphure cõditum præbebat calidum & fervidum, minimè tepidum, tum ad nauſeas cohibendas, tum ad ſudores potentiùs eliciendos; ſalem enim abſtergere & à putredine conſervare, ſulphure verò virus peſtiferum cohiberi optimè norat; ſudores verò minimum triduò præſcribebat; bis de die, & ſingulis vicibus per ſextantem diei, ſi virium imbecillitas permittebat, primis diebus plus, reliquis minus, potu omni ſudantibus negato,

gito. Peracto ſudoris termino, vinum græcum piceatum ſuprà deſcriptum porrigebat. Bubonibus verò peſtiferis folia Aſæ fœtidæ aceto macerata calida, eademque plantis pedum manuumque palmis ſuperimponebat. Præterea ad bubones & vibices lintea calida generoſo vino macerata, cui ſulphur incoxerat, applicabat, adeoque totum corpus hujuſmodi compoſito vino lavabat, ſudantiq; paſſim ſulphuris pollinem jubebat aſpergi, frictionibus additis. Præterea alio antidoto Hippocratem peſtem adortum reperio: Viperas accipiebat, quibus excoriatis capiteque & cauda reſectis, inteſtinis quoque abjectis, uti & medulla ſpinæ, cor ſolum & hepar reſervabat: Carne itaque, oſſibus, corde & hepate in mortario cõtundi juſſis tepidoque furno tamdiu exſiccari, donec aptè in pollinem reduci poſſent; hunc pulverem defæcato coctoq; melli commiſcebat in electuarium, cujus uſu omnes à peſte liberabat. Atq; hæc ſunt remedia à ſummo Hippoc. contra peſtis ſævitiem præſcripta & poſteritati relicta, quæ hîc utpote parum cognita, aut uſurpata ad commune bonum, ne quicquam huic tractatui deeſſe videretur, apponenda duxi.

Divulgantur paſſim ſævientis peſtis tempore nonnulla remedia & antidota, quæ magnum quiddam ſibi promittunt ad peſtis à corpore humano expulſionem; ſed tantùm præſervativa quædam ſunt, id eſt, quæ nonnullum quidem in præſervando corpore effectum ſortiuntur; ſed ubi peſtis ſemel interiorem Oeconomiam plenè invaſerit, nihil proderunt hujuſmodi antidotaria medicamenta, cùm nihil ſit, quod peſti plenè reſiſtat, niſi ſpecifica quædam antidota totius ſubſtantiæ ſimilitudine ipſi contraria; Hæc enim uti ex penitiſſima quadam Sympathia aut antipathia veneno peſtifero opponuntur, ita ſola illud deſtruunt, & ob cœca naturæ utriuſque diſſidia in nihilum abducunt. Sunt etiam nonnulla, quæ naturalem contrarietatem ad peſtem poſſideant, uti ſunt, ruta, Zedoaria, os cervinum, bolus armena, quinta eſſentia contrayervæ, & alia ſuprà enarrata: quia tamen eſſentialem peſtis rationem non attingunt, ita peſte ſemel invaſis, vix aut ægrè emolumẽto aliquo eſſe poſſunt: cùm enim eſſentia peſtis dependeat à terrore, quo tantùm peſtiferi vis imaginativa invaditur, & ex hoc mox ſpirituum officina turbatur, & inde mumiale fermentum peſtifero odore inficitur, certè nulla tam potens rerum bezoarticarum compoſitio, nullum tam ſcitè præparatum alexipharmacum ad virus è loco ſuo exturbandum ſufficiet, niſi tale fuerit, quod ex vi naturali & ratione cantrarietatis ſpecificæ ita peſti opponetur, ut hoc poſito alterum ſubſiſtere non poſſit, cujuſmodi ſunt antidota, quæ ſuprà deſcripſimus. Quæcunque ergo Medicis paſſim præſcribuntur, hoc ſolum efficere poſſe videntur, ut à peſte præmuniant, vitalia membra contra inimicum corroborent, ſudorem provocent, quo vis exitialis hauſta per ſudorem, confortato cordis vigore, exturbatur; atque hoc pacto pleroſque medicamentis tempeſtivè exhibitis ſanatos novimus. Dixi tempeſtivè exhibitis; quia quâm primùm peſtiferus halitus ſpirituum officinam ſui juris fecerit; tunc parum aut nihil ea remedia profuiſſe compertum fuit.

Quoniam verò domus ab extrinſeco quodam incendio invaſa faciliùs à combuſtionis periculo liberatur, quàm ſi jam interiora viſcerum receptacula depaſcat luculentus ignis; ita quoque faciliùs eſt, peſtem à corporibus humanis arcere confortativis quibuſdam & prophylacticis antidotis, quàm poſtquam peſtis jam interiorem viſcerum Oeconomiam invaſerit. His tamen laudabili ſane ſollicitudine quiſpiam uti poterit, duplici ratione, vel ad intra ſusceptione, vel ad extra applicatione facta: primus modus vitalium membrorum ſive aëris intrinſeci; alter extrinſeci emendationem reſpicit. De hac paucis diſſeremus.

Ad vitandum peſtifero halitu infectum aërem, commune hoc omnibus præcribitur antidotum, longè, citò, tardè, id eſt, ut ſub prima naſcentis peſtis incunabula in remotiſſimas ſaluberrimi aëris ſpiraminibus obvias te ſedes conferas, & hoc citò, id eſt, ſine ulla moræ dilatione, ne aëris miaſmatis jam infectus, unà tecum ea portes in tui tuorumque ruinam; tardè quoque revertaris, ne liberiori ſalubriorique aura aſſuetus, dum citiùs reverteris, polluti aëris reliquias reperias; & hoc pacto qui peſtem fugeras, eam tandem redux incurras. Quoniam vero non unicuique extra urbem excedendi licentia data eſt, nec expedit, ut Magiſtratus relictis in tanta neceſſitate conſtitutis ſubditis fuga ſibi cum maximo Reipublicæ detrimento conſulant; quibus hi ſeſe conſervare poſſint aut debeant, jam paucis dicendum pro mea Sparta exiſtimavi.

Dixi ſuprà, præſervativa duplici ratione aſſumi poſſe, ad extra applicatione facta, & deinde ad intra. Utraque paucis expediam. Et prima quidem aëris extrinſeci, altera intrinſeci emendationem ſpectant.

Si itaque effugiendi locus non datur, undique & undique ſæviente peſte; primò de habitatione ampla, amœna, puraque, quæ ſit in loco alto, & ventorum ſeptentrionalium flatibus expoſito cogitandum eſt; ſitq; locus ab omnibus ſordium, latrinarum, cloacarumque quiſquiliis; & ſordidis coriariorum, ſaponariorum, laniorum, & ſalſamentariorum officinis: dici enim vix poteſt quàm facilè peſtifera infecti aëris miaſmata hiſce ſeſe inſinuent; Deinde ad aëris emendationem accedatur obſervatâ ſemper temporis conditione, & ſiquidem verno tempore in hoc te neceſſitatis articulo repereris: optimum erit domum totam ſalviâ, lentiſco, vitium ſurculis, myrto, ſantalo albo, aliiſque calidioris qualitatis lignis ſuffire: Idem de æſtivo tempore dicẽdum eſt; hyberno tempore, per cuncta domus cubicula ex foliis & lignis lauri, aurantiorum corticibuſque limoniorum, odoriferarumque rerum, uti cypreſſo, cinnamomo, Junipero, roſmarino, lavendulâ, aliſque aromaticis flamma fiat, foco luculento ſemper in patentibus locis accenſo; præterea etiam fumus ex Benzoino, ſtyrace, laudano, thymiamate, ambra, moſcho & aliis odoriferis calidis excitandus eſt. Præ cæteris verò præſtantiſſimum emendandi aëris remedium, experientia docuit id, quod ſequitur.

Fiat ex floribus ſulphuris, Benzoini, myrrha, caryophyllis, pari ex ſingulis quantitate, pulvis ſubtiliſſimus; quem cum ſubſtantia baccarum Juniperi per ebullitionem extracta, ſubactum in trochiſcos formabis, eoque carbonibus injecto fumum excitabis; omnibus aëris quiſquiliis diſpellendis oppidò aptum, purgandoque aëri ſi

quid

quod aliud oportunum. Si quis forſan hoc loco miretur ſulphur nos hiſce miſcuiſſe, & odore tetrum, & omnibus ob mephytim execrabile, is in memoriam revocet, quæ ſuprà de ſulphure ab Hippocrate adhibito diximus: reperietque odorifera & aromatica etiamſi aëri occluſo emanendo plurimum conducant, ad peſtis tamen eluviem minimè ſpecificum & appropriatum remedium eſſe; neque enim hic de quolibet fœtore diſpellendo agimus, ſed de virulento peſtis effluvio propulſando; quod quidem fieri non poteſt, niſi per vaporem vapori peſtifero totius naturæ ſubſtantiâ contrarium, cujuſmodi ſulphur eſt, quod innata ſibi virtute inſtar ignis omnem humiditatis nidorem, cui peſtiferum venenum tanquam ſubjecto ſuo proprio inſidet, perimit; omnem quoque corruptionem ex peſtis miaſmatis aëri provenientem deſtruit non tam virtute caloris ſibi innati, quàm acido quodam Spiritu, quem exhalat, in aërem diffuſo, &c. quo propriè peſtis inquinamenta conficiuntur. Si verò quiſpiam fœtoris ingentis moleſtiam formidet, is noverit, ipſum, poſitis à nobis ſuprà ſpeciebus, ita emendari, ut ſuppreſſâ omni mephyti, non ſalutiferum duntaxat, ſed & per acceptum odorem omnibus exhibeat. Alterum aëri emendando remedium, acetum eſt, quo nihil, meo judicio, peſtiferi halitus in aëre exiſtentis virulentiam citiùs conſumit: habet enim acetum neſcio quid acrimoniæ & frigiditatis ab elementari diſtinctum, quo fœturam peſtiferam aëri inſinuatam è veſtigio conficit; & tantò quidem hoc acetum erit ad id præſtandum oportunius, quantò nonnullis aliis rebus, quæ peſti contrariantur huic commiſtis fuerit magis appropriatum. Romana peſte, dum hæc ſcribo, dominante iſtiuſmodi remedium confectum fuit; & quotquot illo uſi fuerunt (ſiquidem compluribus externis tenuioris ſubſtantiæ id communicatum fuit) ii nullum, etiamſi cum peſte correptis intra eadem ædium gurguſtia unà commorarentur, eorumque curam haberent, peſte infeſtatum fuiſſe, faſſi ſunt. Componitur autem ex ſpeciebus domeſticis obviis, uti ſunt, acetum exquiſitiſſimum, Ruta, pimpinella, betonica, nuces juglandes, allium, baccæ juniperi; quibus additur, ſi ſuppetat, paululum Camphoræ, ſi non ſuppetat paululùm ſpodii cervini; quæ per infuſionem in aceto 40. horarum ſpacio digerantur ad ſolem, vel intra hypocauſtum. Deinde percolatum reponitur ad uſum; cujus matutino tempore ſtomacho jejuno aſſumatur tantum, quantum Cochlear tenere poteſt; & habebis antidotum pro eo die certiſſimum & ſecuriſſimum; Nec te terreat ingrati ſaporis acrimonia, ſciaſque tantò eſſe hujuſmodi antidota peſti magis contraria, quantò ingratioris fuerint ſaporis, cùm omnia dicta ingredientia neſcio quâ occultâ antipathiâ peſti, cœteriſque venenoſis aëris infectionibus contrarientur; neque ſolum ad intra ſuſceptione conferunt; ſed & odore, naribus, temporibus, pulſuum locis illita mirum in modum conducunt. Sed mos hoc tempore apud multos ita invaluit; ut niſi antidotum ex innumeris aromaticis, bezoarticis, precioſiſſimiſque ſpeciebus conficiatur, nullum cæteroquin vigorem habere ſibi perſuadeant: qui meo ſenſu, ingens error eſt. Neque enim aromatica aut bezoartica ullam ad peſtem profligandam ſpecificam vim habent; ſed illa ſolum ad cordis robur firmandum, hæc ad malignos humores in corpore latentes & peſti cognatione affines per ſudores diſpellendos valent; quæ tamen peſte interiora jam poſſidente nihil proſunt: acetum verò, ruta, pimpinella & ſupra jam adductæ ſpecies neſcio, quid cum peſte diſſidii habent; & vim præcipuam miramque ad malum iſtud exterminandū; & uti divina providentia deeſſe non ſolet in neceſſariis; ita ad tam atroci hoſti reſiſtendum, nullius non conditionis hominibus pauperi, diviti, nobili, ignobili, principi, ſubdito parabilia quoque medicamenta eſſe voluit, eaque paſſim obvia ad humanæ infirmitati in tanta neceſſitate conſtitutæ citiùs ſubveniendum. Agnovit id Mithridates, qui in teſtamento ſuo reliquiſſe fertur, quatuor peſti propulſandæ oportuna; quæ ſunt, ruta, allium, nuces juglandes, & pimpinella aceto macerata. Verùm ne in alienam meſſem falcem ulterius immittam, hic ceſſo. Qui plura deſiderabit, is Medicos Authores, quorum innumerabilis multitudo de hoc argumento fusè egit, conſulat, ubi de iis quæ ad prophylacticam, tum ad therapeuticam doctrinam publicamque peſtis tempore rerum agendarum adminiſtrationem pertinent, copioſo præſcriptionum apparatu actum reperiet. *Athanaſius Kircherus Tractatu de peſte.*

Licet peſtis ob perniciem ægris & ſecretò, valde celeriter intentatam, prognoſtico vix locum, aut tempus cedat; cumque ob occultos nocendi modos hic morbus nihil non ſuſpectum in ſe contineat; tamen crebra obſervatione conſtat, in hujus decurſu nonnulla apparere ſigna, à quibus ſalutem, aut mortem augurari ſolemus. Res plena timoris eſt ſi lues citò in epidemiam tranſierit, & violentos fecerit inſultus; ſi hæmorrhagia, aut ſudor tantum exiguus in morbi principio ſuccedant; ſi urina ſit craſſa, & turbulenta, pulſus inæqualis & debilis; ſi convulſio, aut phreneſis ſtatim ſequantur; ſi vomitus, aut dejectiones ſint lividæ, nigræ, aut ſummè fœtentes; ſi Exanthemata prius rubra poſtea livorem contrahant, ſi carbunculi ſint plures, ſi Bubones prius extumeſcentes diſpareant, ſi vires ſubitò dejiciantur, facies ſit horrida aut liveſcat; ſi cum rigore extremorum adſit viſcerum æſtus, præſertim ſi in corpore valde cacochymico, aut tempeſtate inſalubri hæc aut eorum plerumque eveniant. Econtrà bono eſſe animo jubentur ægri, ſi peſtilentiæ ſtatus ſit levior, & minus exitialis; ſi in corpore ſano, & robuſto, cum animi fortitudine morbus contingat; ſi remedia tempeſtivè adhibeantur priuſquam morbus totam occuparit ſanguinis maſſam. Item ſi cum virium conſtantia, pulſus robore & æqualitate, Bubonum ſuppuratione, & larga puris profuſione, cunique ſymptomatum horrendorum abſentia morbi decurſus peragatur. Interim quanquam hîc omnia bona ſperare liceat, tamen ſecuros eſſe non conceditur, quia nonnunquam cum laudabili ſignorum apparentia clam vitæ ſtruuntur inſidiæ, & tanquam à reconciliato hoſte graviſſima patimur, qui ferocientis minas evaſiſſe videbantur.

Circa plurimarum ægritudinum curationes potiſſimum opus naturæ committitur, cujus neceſſitati obſtetricatur ἰατρικὴ; atque Medici officium & ſcientia præcipuè in his verſantur, ut idoneas huic laboranti ſuppetias ferendi occaſiones præſtoletur. Verùm peſtis hoc peculiare habet, quod ejus

ejus curatio minimè ſit naturæ relinquenda, quin omni modo conſcriptis ab arte remediis occurrendum. Nec de magis opportuno, & quaſi molliore tempore ſoliciti ſimus, verùm citiſſimè comparentur medicamina, atque nullis non horis, & tantùm non minutis iis inſiſtamus, Quia tamen regnante peſtilentiâ non minori opus eſt curâ, ut contagium procul arceatur, quàm ut lues impreſſa ſanetur; ideò Medico duplex incumbit penſum, nimirum ut maligni hujus morbi prophylaxi æque ac curationi proſpiciat. De utriſque methodum conſcribere eſſet opus plenum tædii, & crambem ab Authoribus millies coctam apponere; quare hîc præcipuas quaſdam indicationes, earumque rationes tantùm obirer perſtringamus, ad alia feſtinantes.

Cautiones prophylacticæ vel reſpiciunt Rempublicam, & ad Magiſtratum pertinent; vel privatas perſonas, quibus docetur quid ſingulis hominibus quando peſtis timetur, ſit agendum.

Cura publica tempore peſtis præcipuè in his conſiſtit, ut cultus divinus rite obſervetur, ut omnes putredinis fomites reſcindantur, ſordes, ſterquilinia, & fœtida quævis è plateis amoveantur, & contagii quævis occaſio diligentiſſimè evitetur, commercia cum locis infectis prohibeantur; & ut victûs ratio ſalubris à civibus conſtanter obſervetur. In quam rem fructuum, aliorumque inſalubrium uſus interdicatur; pauperes, quibus haud ſuppetit alimentorum copia, aut delectus, ſumptibus publicis nutriantur. Si peſtilentia etiamnum graſſari incœperit, venenata vis aëris, quantùm fieri poteſt, corrigatur, quod ſulphureorum crebrâ accenſione optimè procurabitur; infecti à ſanis ſeparentur, ab eorum cadaveribus, aut ſupellectile recedatur; denique Medici, & miniſtri in ſanorum uſus, & ægrotantium neceſſitates habiles, & idonei comparentur.

Ratio prophylaxeos privatæ ſolet his tribus concludi, ſcilicet Diætâ, Pharmaciâ, & Chirurgiâ. Diæta reſpicit ſex res non naturales, inter quas majoris momenti ſunt aër, & animi paſſiones: quoad reliqua ſufficit Hippocratis præceptum, ſcilicet labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia ſint mediocriter. Aër peſtilens vel evitetur, migrando in alium locum; vel caſtigetur ſulphureis ritè accenſis, vel inter reſpirandum curetur per ſuffumigia, & odorata prope nares crebro geſtata. Quoad animi paſſiones, metus, & triſtia, peſtilentiâ graſſante, velut altera peſtis ſunt; his enim venenati contagii ſemina, quæ in ſuperficie corporis velut in extrema vorticis ora collocantur, cum impetu quodam intus rapiuntur, & cordi traduntur: quare hilaris, & confidentis eſſe animi, exquiſitiſſimæ præſtat Antidoto. Plures cognovi, qui (& verbis Helmontii dicere ſolebant) vino & confidentiâ fortificando Archeum; nec aliis præterea Alexipharmacis uſi, inter infectos ſine contagii noxa verſabantur: & è contra quidam terrore perculſi, cùm procul ab omni contagio degerent, peſtilentiæ ſemina velut ab aſtris derivata imbiberunt.

Inter Chirurgica præſervationis gratiâ adhibenda commendari ſolent, Venæ ſectio, Cauteria, & Amuleta. Ubi adeſt plethora cum magna ſanguinis turgeſcentia, aut quibus longa conſuetudine ſanguis ſolenniter mitti ſolebat, iis venâ ſecari convenit: quo enim ſanguis minùs efferveſcit, & ſine tumultu in vaſis circulatur, eo tardiùs lue peſtifera contaminatur. Fonticuli à cauteriis excitati, adeo omnium penè ſuffragiis præſervationis gratiâ contra peſtem uſurpantur, ut eorum uſus vulgò receptiſſimus exiſtat. hi enim conſtanti ἀποχετεύσει aſſiduum ſuperfluæ, & excrementitiæ materiæ proventum elutriant; & ſi qua intus admiſſa ſint peſtilentiæ miaſmata, hac velut portâ apertâ foras ejiciunt.

Amuleta collo ſuſpenſa, vel carpis geſtata, adverſus peſtilentiam mirabilem vim obtinere creduntur: ex his præſtantiſſima à quibuſdam habentur, quæ ex Arſenico, Hydrargyro, pulvere bufonum, aliiſque venenatis conſtant. Eadem in hoc caſu prodeſſe, præter Medicorum obſervationes, hæc ratio nonnihil ſuadetur. Effluvia, ſeu corpuſcula armoïdea è corporibus modò his emergentia, modò ſuper illis reſidentia, per totam aëris regionem circumvolitare ſuperiùs innuitur: hæc cùm diverſimodè ſint figurata, eorum alia cum aliis optimè cohærent; ſin verò in quædam aliûs formæ impingant, eadem oppugnant & evertunt. Hinc peſtilentis miaſmatis particulæ quæ ſpiritibus noſtris adverſantur, cum iſtis veneni corpuſculis juſta poſitis optimè conveniunt, iiſque promptè affiguntur. Quare hoc faciunt amuleta è veneno conflata, ſcilicet peſtilentiæ ſemina nobis occurſantia propter ſimilitudinem partium in ſe excipiunt; etiam à corpore noſtro eadem in amplexus ſuos alliciendo, infectos quodammodo à malignitate liberant.

Prophylaxis Pharmaceutica in duplicem fertur ſcopum: primò, ut aſſiduus materiæ excrementitiæ, ſeu humorum proventus leni purgatione (quoties opus ſit) tollatur; ſecundò, ut Alexipharmacis quotidie ſumptis, ſpiritus, & corpus noſtrum contra veneni incurſum muniantur: à priori pabulum, & fomes, quæ putredinem à veneno inductam adaugent, detrahuntur: ab altero peſtiferæ luis, feralis tanquam ignis, prima accenſio inhibetur. Alexipharmaca enim videntur ſub duplici hac ratione contra peſtis contagium juvare; tum quòd ſanguinis maſſa, & viſcera horum particulis referta, necnon ſpiritus iiſdem priùs occupati, venenati miaſmatis conſortia non facilè admittunt, tum quòd ſanguis leni harum orgaſmo citatus à coagulatione vindicatur.

Hactenus de præſervatione; ſequitur modò de curatione peſtilentiæ agendum. Cujus doctrina eſt vel generalis, & complectitur remedia quæ in hunc finem ex Diæta, Chirurgia, & Pharmacia deſumuntur; vel ſpecialis, quæ tradit uſum, & cautiones circa iſta remedia exibenda; & quo ritu ſymptomatis variè emergentibus occurrendum ſit.

Diæta ſex rerum non naturalium uſum comprehendit; præcipua tamen cura, & curationes Medicæ circa victum adhibentur: hujus primariæ indicationes non ſimul, & eodem tempore cōſiſtunt; ſed pro re nata viciſſim, & juxta naturæ exigentiam ſuppleri debent. Reſpectu malignitatis, & virium dejectarum, alimenta quæ ſpiritus valdè refocillant, & uberiorē nutricatum præſtant, deſiderantur: reſpectu intemperiei febrilis, victus tenuior, refrigerans, & ſanguinem attemperans requiri videtur. Medicus utrique proſpiciat, ſed contra malignitatem potiùs quàm febrim remedia intendat.

Auxilia quæ ad Chirurgiam ſpectant, ſunt venæ ſectio, quæ rarò, & admodum cautè in hoc morbo celebrari debet, quia ſanguine nimis exhauſto, & vaſis concidentibus, diaphoreſis non adeo facilè procuratur; hujus vicem meliùs ſupplent Cucurbitæ cum ſcarificatione. Etenim hæ, & veſicatoria pro veneno foras educendo rectè adhibentur: inſuper contra Bubones, anthraces, atque ulcera maligna ab iis producta, cataplaſmata, fotus, emplaſtra, illitus, & pleraque alia externus applicanda è Chirurgia petuntur, quibus venenata quædam, prout veneni Electrica, admiſceri à nonnullis præſcribuntur; quare præparata Arſenici, ſcilicet oleum, & balſamum ejus, in hoc caſu, prout egregii uſus, & efficaciæ, à plurimis commendantur.

Pharmaca, circa peſtis curationem, ſunt vel evacuantia, vel Alexiteria. Priorum intentio eſt, ut latex ſeroſus in ſanguine, & humores excrementitii, qui ſcatent in viſceribus, foras deturbentur; & unà cum iis plurimæ venenati miaſmatis particulæ ubivis in corpore diſperſæ. Hæc autem præſtant tum vomitoria & purgantia, quorum uſus eſt rarior, & tantùm in morbi principio; tum diaphoretica, quæ nullo non tempore, quoad vires ſufferre valent, à peſte indicantur; hæc enim pleniùs & à toto ſimul corpore evacuant, quin & ſanguinem exagitando, à coagulatione vindicant; & cùm à centro uſque ad circumferentiam movent, fermenta venenata, necnon humorum, & ſanguinis corruptelas procul à corde arcent, & hoſtem extra caſtra propellunt. Vomitoria autem, & purgantia minùs univerſaliter evacuant, & materiam malignam ſæpe concentrando intus deducunt, & viſceribus affigunt. Hæc autem medicamina, ſive catharſi, ſive diaphoreſi operentur, ejuſmodi ſint oportet, quæ particulas habent miaſmati venenato potiùs quàm ſanguini, aut ſpiritibus noſtris congeneres: tale enim pharmacum varios corporis noſtri anfractus, cum viribus integris, & illibatus pertranſit, & ob utriuſq; ſimilitudinem virulentam morbi materiam certiùs prehendet, illamq; mutuâ partium adhæſione, quâ natura irritata ducit, ſecum foras rapit: quare medicamenta, ſive cathartica, ſive ſudorifica, præ cæteris commendantur, quæ ex Mercurio, Antimonio, Auro, Sulphure, Vitriolo, Arſenico, & ſimilibus parantur; quæ cùm à calore noſtro minimè ſubigantur, aut ſuperentur, contra virus luis peſtilentialis optima evadunt remedia: hæc enim non modò ſuperflua potenter evacuant, ſed cùm particulas valde fortes, & indomitas exerant, & quaquaverſus in corpore explicent, veneni fermenta hinc inde gliſcentia diſſipant, & à maturatione impediunt; & cùm ipſa remedia à natura inſuperabilia neceſſe habeant per patentes corporis exitus amandari, quidquid extraneum, & hoſtile occurrit, unà foras educunt.

Quoad Pharmaca alexiteria, quæ abſque ſenſibili evacuatione hujus morbi veneno reſiſtere perhibentur, ſunt ea ejuſmodi utplurimùm, quorum particulæ naturæ nec ſunt valde congeneres, ut pro alimento cedant; nec ita diverſæ, ut excretionem ſtimulent. Eadem intus ſumpta, & quoad minima refracta, cruorem, & ſuccos in vaſis, & viſceribus confluos corpuſculis ſuis, velut novo fermento inſpirant; eoſdem leniter movendo, & in æquabili mixtione ſervando, à coagulatione, & putredine vindicant; veneni particulas agglomerari cœptas eadem blanda agitatione ab invicem diſſipant, & à maturitate impediunt; denique ſanguinem, & ſpiritus præoccupando, eos à characteris peſtilentis impreſſionibus tuentur. Ex his remedia quædam ſimplicia commendantur, ut ſunt Ruta, Scordium, &c. tamen longe potiſſima æſtimantur, quæ ſunt compoſitiora; quare Theriaca, Mithridatium, & Diaſcordium, quorum aliqua quinquaginta utminùs ſimplicibus conſtant, medicamina adeo omnibus numeris completa habentur, ut piaculum habeatur in eorum confectionibus vel plantam unicam, aut ipſius drachmam omittere: ratio fortè eſt, quod plurima ſimul poſita maſſam exhibent, cujus diverſimodæ particulæ longa digeſtione exaltatæ majorem in ſanguine, & humoribus noſtris fermentationem cient.

Recenſitis hoc modo remediis, quibus pro curanda peſte inſtructi eſſe debemus, jam proximè dicendum eſſet de curationis methodo, ſcilicet quid primùm, & quid deinceps ordine ſit agendum: niſi quod hic morbus adeo in præcipiti verſatur, ut nec deliberationi ſit locus, nec Medicus præ contagii metu ægris frequenter intereſſe velit: quare non pluribus hîc opus eſt præſcriptis, aut longa indicationum ſerie: res hæc citò peragenda eſt, & paucis comprehendi poteſt. Cùm itaque regnante peſtilentiâ quiſpiam hujus morbi contagio afficitur, Dei omnipotentis auxilio precibus impetrato illicò ad remedia confugiendum eſt: ſi in corpus minimè perpurgatum, ac in vomitum proclive peſtis inciderit, ſtatim vomitorium ſumatur, cujus operatione finitâ, diaphoreticis confeſtim adhibitis ſudor provocetur, idem pro virium tolerantia continuetur, poſtea ſæpiùs repetatur. Inſuper alexipharmacis quovis ferè momento utendum, donec Exanthematum, Anthracum, aut Bubonum eruptione venenum prorſus totum foras eliminetur: interea tamen ſymptomatis maximè urgentibus remedia reſpectiva, & propria opponantur: præcipuè autem pro Bubonum, & Anthracum curatione auxilia idonea ex Chirurgia petantur. Totius negotii cardo intentionibus hiſce duabus innititur, ut virus peſtiferum omni modo ab intus foras expellatur, ac dein expulſi recurſus æquâ diligentiâ præcaveatur.

De Peſte non adeo in promptu eſt exempla, & ægrotantium hiſtorias cum exactis ſymptomatum diariis conſcribere: quippe hujuſmodi ægritudines haud quotannis eveniunt, nec quando increbreſcunt, cuivis licebit Medico propriam ſalutem curanti ægros crebrò inviſere, aut iis diutius commorari, quò ſingula accidentia diligenter annotet, eorumque rationes ſedulò perpendat; quod tamen penſum Cl. Diemerbroeckius adeo accuratè præſtitit, ut poſt illum licitè aliis ab hoc opere ſuperſedendum fuerit. Cùm olim in hac urbe, ſcilicet Anno 1645. peſtis (licet haud immanis) graſſaretur, Dominus Henricus Sayer, Medicus perquam eruditus, & in praxi felix, pleriſque aliis hanc ſpartam renuentibus, laborantes quoſcunque pauperes æquè ac divites audacter inviſebat; iis pharmaca quotidie propinabat, Bubones, & ulcera

virulenta propria manu tractabat, adeoq; ſedulas, licet periculoſa opera ægrotantium plurimos ſanabit. Ut ſeipſum à contagio muniret, antequam domos infectas adibat, ſolummodo vini generoſi hauſtum pleniorem ingerere; dein perambulatione ſua circa ipſum mortis limen; & tantum non ipſius Orci fauces peracta, idem Antidoton repetere ſolebat. Poſtquam in hac urbe, tanquam à peſte inviolabilis, res ægrotantium ſine noxa quavis ſuſcepta diu curaſſet, ad caſtrum Wallingfordiæ, ubi hæc lues atrocius graſſabatur, velut alter Æſculapius à Præfecto illius loci accerſebatur: illic autem intra breve ſpatium cum Duce quodam (cujus ſocietatem intimè colebat) à peſte correpto in eodem lecto diſcumbere auſus, ejuſdem morbi contagium ſuſcipit: nec profuere tunc Domino, quæ omnibus aliis emolumento fuerunt artes; quin cum magno ibi degentium luctu, nec citra ingentem in ſcientia Medica jacturam ex eo morbo deſiderabatur. Circa alios peſtilentiâ affectos hujuſmodi medendi methodum inſtruere ſolebat: ſi priuſquam Exanthemata, aut Bubones exterius apparerent, vocaretur, utplurimum vomitoria exhibuit, quorum præſcripta erant ex Infuſ. Croci metallorum, cum vitriolo interdum albo, ac interdum Romano: vomitione finita, à diaphoreticis ſtatim exhibitis in ſudorem conjiciendos præcepit; & deinde intervallis quibuſdam pro refectione virium conceſſis, uſque ad morbi declinationem diaphoreſin continuandam; ſin poſt ſtigmata apparentia ad affectos accerſeretur, vomitione poſthabita, tantum ſudorificis inſiſtebat. *Thomas Williſius Tractatu de Febribus.*

Imprimis celebranda venæſectio in peſte, necne meritò ambigendum? quam reverâ hîc pede ſicco tranſiiſſem, utpote exitioſam, niſi quidam, neſcio audaciæ magis, an imperitiæ pervicaces, non ſolummodò parcâ manu ſanguinem mitti curaſſent, ſed & iteratis vicibus copioſam ejus eductionem uſque ad deliquium nuper ſuaſiſſent;

Si quid veterûm authoritas, ſi quid Neotericorum experientia valeat, ſi denique calculum noſtrum adjicere liceat, Phlebotomia in verâ & exquiſitâ peſte ſemper ſuſpecta, ne (quod abundè comprobatum) unà cum cruore purpureo anima effluat; tam ingens diſcrimen concomitari experti ſumus hanc evacuationem: proinde ſatis mirari nequeo quâ acti inſaniâ hi vitæ humanæ proditores, carnificinam exercentes, deliramenta ſua alieno damno firmare audeant.

Verùm non is ſum qui inficior, phlebotomiam in febre malignâ & peſtilentiali aliquando locum habere, & re deploratâ ob nimium menſium vel lochiorum fluxum revulſionis gratiâ conſultò tentandam; ſummo tamen ſit piaculo illam in peſte verâ, & exquiſitâ, celebrare: unicus tantùm (uti memini) omnium quotquot, ægrè evaſit, qui dominante peſte nuperâ ſanguinis detractionem ſubivit.

Quòd ad vomitionem attinet, crapulâ præcedente, in ventriculo ſaburrâ noxiorum humorum congeſtâ, urgente nauſeâ, ore etiam amaricante, conſentiente thoracis, & cervicis conformatione, in morbi infantia prodeſſe queant emetica remedia; inter quæ illa eminere videntur quæ ventriculum abunde nimis farcinatum citra catharſin ſubvertant, viz. Syrup. Diaſari Fernelii, Syrup. ſcabioſ. compoſ. oxym. ſcillit. ſal præſertim vitrioli, &c. Antimonii præparationes non æquè arrident.

Qui de meo conſilio ſerum cereviſiale, foliis cardui, ſcordii, ulmariæ, petaſitidis, &c. incoctis; addito oxymelite ſimplici, nullo licèt emetico prævio affluenter hauſère, levamen inde, & emolumentum illicò experiebantur.

Sin verò vomitio urgeat ſymptomatica, omninò exulant remedia emetica, (agyrtarum more qui theorematum medicinalium ignari) ſymptomata promoveat, quæ vires ob irrita conamina proſternere poſſent, & mineram morbi etiam aliunde in ventriculum alliciant, illamque inibi figant, unde mox vomitionis impetus immaniter procelloſi, nullo quidem artificio compeſcendi.

Solvenda alvus necne, res quidem magis nodoſa, & inter Medicos diſſentionis plenior: reverà peſtium quarumcumque varietas, temperamentorum diſſonantia, morbi complicationes variæ, tempeſtatis incertitudo, quò minùs regulas tradam hâc in re generales, quàm maximè obſtant.

Ego autem alvo ſuppreſsâ ſatius duxi illam glandibus educere, quorum uſum purgationi inteſtinorum cômodiorem, & tutiorem comperi.

Cæterùm medelæ cardo ex omnium quotquot Authorum, & practicantium placito, & conſenſu, in hoc præcipuè vertitur; nimirùm in citiſſimâ veneni peſtilentialis expulſione, quam mirè, & unicè præſtare valent Alexipharmaca; fœcibus itaque priùs ablegatis, ad hæc correpti, tanquam ad ſacrum Aſylum, confugiant.

Inter ſimplicia vegetabilia, ſupereminent radices Aſari Virginiani, ſive Serpentariæ Virginianæ. Doſis radicum in alkool. v.e.a, reductarum à gr.iv. vel vi. ad ℈ij. ex vehiculo idoneo.

Secundum jure merito locum merentur radices Contrayerva, è quibus etiam lapis oppidò celebris conficitur, cujus deſcriptionem paulò poſt tradam: doſ. harum radicum ſubtiliſſimè pulveriz. à ℈j. ad ʒj. ex aq. angelicæ, ſcordii, calendulæ, vel vino, &c.

A me autem gratitudo exigit, ut pauca hîc de zinzibere ſubnectam, cujus pulverem, atque condituram, multoties cum fauſtis ægrorum rebus exhibuimus; nempe hunc ad provocandam diaphoreſin, atque illam ad vim contagii peſtilentialis præcavendam.

Ad nos miſit trochiſcos ex *Anglia Americana* vir digniſſimus, è carne anguis caudâ crepitante, noſtro idiomate *Rattle-Snake*; confectos, à quibus commodi, & levaminis plus ægris, quàm à noſtris domeſticis obtigit.

Ex voto etiam ceſſit ſpir. cornu cervi ad ℈ij. vel ʒj. ex aq. epidemica.

Spiritus hic prout flammifer, actutùm ſe per univerſum corpus diffundere potens eſt, ratione volatilitatis ſalinæ qualitatem peſtis ſalino-malignam corrigendi vim habet.

Quotieſcunque res in anguſtum adducta, ad mineralia confugiendum, quæ vi, & armis hoſtem peſtilentialem foràs projicere perhibentur, inter quæ agmen ducunt bezoarticum minerale, ſulphur auratum, atque aurum vitæ, &c. præparationes ex aliorum chartis depromantur.

Sequuntur Medicamenta quædam compoſita.

Spiritus

Spiritus Theriacalis.

♃. Radic. aſari Virgin. ℥ß. contrayerv. ℥j. Tormentill. ſcorzon. petaſitid. an. ℥j. p. ſem. cardui. calendul. angelic. citri an. ʒ iij. quibus præp. affunde ſpir. vini, aceti opt. an. ℔ß. diſſolve theriac. ven. ℔ß. Adde croci Ang. ʒ ij. M. indantur organis vitreis, & poſt octiduanam ſuper cineres digeſtionem, diſtilla, in roſtro alembici ſuſpendendo caphuræ ʒ iij. doſ. ad cochl. v. vel vi.

Oleum Diaphoreticum.

♃. Salis abſinthii, vel ſcordii, ſive rutæ ℥ ij. flor. ſulphuris ter, quaterve ſublimat. ℥j. Ol. juniperi ℔j. invicem M. per biduum calore mediocri bene occluſa relinque, dein per retortam diſtilla, etiam alterâ vice diſtilla, digerendo per biduum, addendo ſalis abſinthii ℥j. doſ. ad cochl. j. vel ij. ex aq. angelicæ, vel ſcordii, ſaccharatâ, ad olei v. a. e. commixtionem.

Acetum Anti-peſtilentiale.

♃. Radic. ſcorzon. Hiſpan. chelidon. maj. an. ℥ij. contrayerv. ℥j. Angelic. tormentill. an. ℥j. p. fol. ſcordii, meliſſæ, ſcabioſæ, an. M. ij. ſummit. rutæ, p. ij. dictamni cret. Mß. flor. ſambuci, calendulæ an. p. iij. gr. junip. ℥ ij. Raſ. c. c. eboris an. ℥j. Sem. rutæ, cardui, citri an. ʒ ij. Portulac. ʒv. Cinnam. opt. ℥ß. Caryophyll. ʒiij. Theriac. Androm. ℔ß. quibus ſ. a. præp. affunde aceti ex vin. albo acerrimi ℔v. Vitro opt. obturato digere per triduum bis, terve de die conquaſſando, tum caute diſtilla, ſuſpenſis camphoræ, & croci an. ʒ ij. in roſtro alemb. doſ. ad cochl. v. vel ſex.

Cæterùm quia correpti plerumque erant nauſeabundi, & ad vomitionem proclives, ſicuti & potabilium quantitas ventriculum ſarcinando, ejus ſubverſionem irritare conſuevit; remedia ſolidæ formæ locum habent, & hâc ex parte potiora videntur, vomitu nimirum ægrè excutienda, utpote adhærentia ventriculi parietibus, velut iis agglutinata: hujus generis præ manibus ſit maſſa ſequens, unde ex tempore boli conficiantur.

♃. Elect. de ovo mineralis ℥j. Theriac. Androm. ℥ß. Pulv. ſerpentar. virgin. ʒv. Cuchianellæ ʒ iij. Croci pulveriz. ʒß. cum ſyr. è ſucco meliſſophyll. vel citri, coagmentetur maſſa, doſ. ad ʒij. Addendo ſalis cardui, abſinthii, vel ſcordii ℈ j. Plus, minuſve pro ſymptomatum vehementia.

Clar. & toto terrarum orbe Celeberr. Theodori de Mayerne præparatio Elect. de ovo Mineralis.

♃. Ovum vulgariter ut in Pharmacopœia Londin. præp. de quo ſume, & ſem. ſinapios vel crucæ an. ℥j. antidoti Saxoniæ ℥ß. Lapid. prunellæ ʒv. Antimonii diaphoret. fixiſſimi, & croci metallorum ſimul uſtorum ʒ iij. Pulv. ſcordii, rutæ, zedoar. an. ʒiiß. Theriac. ven. veteris ℥iv. Philonii Turneri ℈ vii. gr. ij. M. & cum ſpir. theriac. ʒiij. & mellis deſpumati q. ſ. F. Elect. molle, doſ. ad ℈iv. vel ʒij. ad vires præſidii hujus promovendas adjiciantur corda, & jecinora vi. Viperarum v. a. e. præp. *N.B.* in hac ſimiliter, ut & in cæteris antidotis, diuturna fermentatio perquam neceſſaria, ut ſe invicem penetrent, & intimiùs aſſocientur tot ſimplicia.

Sin verò alvus fuerit nimis cita, & lubrica, commodiſſime exhibeatur lapis contrayerva, qui ſic conficiendus.

♃. Pulv. radic. contrayerv. rec. ℥j. Serpentar. virgin. ʒiiß. Extract. rad. Angelic. tormentill. an. ʒij. Pulv. c. c. Philoſophicè calcin. chelarum cancrorum præparat. pulv. corall. rubr. an. ʒiß. Antimonii diaphoret. vel potius diaph. Jovis ʒ iij. cuchianellæ ʒß. croci ℈j. (aliqui addunt lapid. bezoar. orient. ℈ij.) Ambr. gryſ. ℈ß. cum gelatinâ ſpoliorum ſerpentum, vel c. c. fingantur globuli ſ. a. exſiccandi, doſ. ad ℈ ij. vel ʒi. è vehiculo idoneo, *&c.*

Huc inſuper ſpectat *Orvietano*, cujus confectio hæc.

♃. Cardui bened. totius eupatorii maj. & min. an. ℥ß. Scordii, ariſtolochiæ utriuſque, an. ʒv. Viperinæ, h. e. echii, gentianæ, bacc. Junip. biſtortæ an. ℥i. Bacc. laur. tormentillæ, dictamni albi an. ℥ß. carlinæ, angelicæ, an. ℥iß. Rhabarb. imperator, ſcorzon. Hiſpan. valerianæ an. ℥ß. Morſus diaboli, calami aromat. an. ℥ iv. Theriac. Androm. opt. ℥iij. corda, & jecinora duodecim viperarum, terantur terenda ſubtiliſſime, & cum ſ. q. mellis deſpumati fiat Elect. per tres menſes fermentand. doſ. ad ʒi.

N.B. Hæc & conſimilia medicamenta, ſive Galenica ſive Spagyrica quorum præparatio, & digeſtio non citiùs, quàm coquantur aſparagi, abſolvi queant, ut ſint in promptu, & præ manibus expedit, ille enim τὰς μηχανὰς κτ̀ τὸ πόλεμον κομίζει, qui in morbum peracutiſſimum arma parat, haud ante ſpatium ſemeſtre acuenda.

Inſuper non minùs ſudoris, quam typorum qualiumcunque ſpiramentis ad vires multùm proſtratas, & propè deficientes refocillandas (modò non impedierat faſtidium) idonea adminiſtrari alimenta juſſi, viz. panem vino ferè inebriatum, ova ſorbilia (niſi ſtomacho aliena erant) ſucco citri, granatorum, vel aceto ſambucino immerſa, item aquas Analepticas, juſcula, gelatinas, atque etiam vina generoſa.

Juſculi præparatio, viz. è pulli gallinacei brodio, incoctis rad. ſcorzon. fol. pimpinell. ulmar. lujul. ſummit. borrag. raſ. c. c. dactylis, cum fruſtulo panis alb. & tantillo croci in nodulo; pinguedo non ſeparanda, niſi diarrhœa urgente, vel nauſeante ſtomacho: è dicto juſculo quandoque emulſio parabatur, viz. cum ſem. citri, plantag. & amygd. excorticatis addendo ſacchari perlati q. ſ.

Aqua de Cordibus Cl. Mayerni prius laudati.

♃. Radic. carlinæ ℥vi. Zedoar. ſcorzoner. imperator. gentian. vincetox. valerian. tormentill. biſtort. petaſitid. dictamni, bardan. pimpinell. totius an. ℥ iv. Fol. cardui oxytriphyll. ſcordii, an. M. v. ulmar. ſcabioſ. morſ. diaboli, meliſſ. pentaphyll. menthæ, rutæ, bugloſſ. flor. calendul. hyperic. an. M. iv. limones & aurant. cum corticibus an. num. 20. flor. ſalviæ, roriſm. an. M. ij. corda vervecina numero 6. corda

viper. num. 20. vini generoſ. Hiſpan. ℔ xx. infuſione debitâ peractâ, fiat diſtillatio cauta in *B. M.* hujus aq. doſ. ad cochl. iv. vel v. dulcor. (ſi ita viſum) cum ſacchari perl. q. ſ.

Inter præſidia externa eminent [illegible], ſive veſicantia; horum frequens, & proſpera applicatio, de eorum uſu controverſias varie agitatas diremit.

Veſicantia partibus variis admovebantur, viz. vertebris colli, brachiis verſus humerum, cruribus, & ſuris internis; vaſa cujuſcunque generis calfacientia, liquores reddentia magis obſequaces, & fluxiles, naturæ ſegnitiem extimulantia, & unà cum ſeroſâ colluvie, noxiiſque humoribus per ulcerum portas ſat amplas miaſmata peſtifera vi quidem inexpugnabili educentia, ut hîc taceam à partibus nobilioribus revulſionem inſigniter præſtitam, atque derivationem à viciniis.

Ut celeriter, ut certò remedia veſicantia excitent veſicas, ſint acerrima omninò expedit: maſſa ſequens in praxi noſtrâ fuit admodum familiaris & efficax.

℞. Picis navalis ℥v. Galbani colat. ℥j. Ceræ ℥ i ß. quibus ſimul liquatis, & ab igne ſemotis, adde pulv. cantharidum præp. ʒvii. vel ℥j. fermenti veteris, ſem. ameos an. ʒ iij. Euphorbii ʒj. cum aceti ſcillit. q. ſ. incorporentur, aſſiduè agitando, quouſque cogantur in emplaſtri maſſam; eventus ab hujus emplaſtri applicatione ſemper ex ſententiâ ceſſit; parte cui admovendum erat hoc emplaſtrum aceto ad ruborem priùs fotâ, quò potentiùs ſe exereret vis ulceratoria.

Non tamen omnibus indiſcriminatim admoveantur emplaſtra hæc, putà ubi urget urinæ ardor ejuſve incontinentia, ubi adeſt ſphincteris veſicæ inflammatio, vel ulceratio, ubi hæmorrhagia; ſi mulier in utero habeat, vel ſi inſtet fluxus menſtrualis; poſtremò veſicantia non applicanda in ſummâ virium exolutione. Hoc inſuper memorabile, ſcil. bubonibus, vel carbunculis ad ſuppurationem vergentibus, ſummâ cum cautelâ veſicantia eſſe adminiſtranda, ne forſan avocatione, deprædatione, vel nimiâ liquoris colliquatione & tantùm non fuſione, è quo pus confici ſolet, cætera medendi conamina, & naturæ ſtudia ſe liberandi, in irritum cadant.

Præter remedia veſicantia, haud perditi operis erit emplaſtra applicare ſubpedanea; ego uſus ſum empl. ſequenti, quod conſtabat è maſsâ empl. de beton. comp. adjecto frequenter duplo euphorbii, pulvere croci, & theriacâ Lond. empl. hoc plus commodi ægris præſtitit, quàm cataplaſmata, quæ tamen nonnullis magis placuere. Verum hæc, & reliqua ejuſdem ordinis remedia non eo conſilio applicabantur, quaſi virtute attractiva ſeminarium peſtilens allicerent, quin potius benefica apud ſaniores habita erant, eò quod in plantis pedum, ubi eximia vaſorum omnifariorum conglomeratio; calore partes fovere valent extremas, liquores reddunt magis fluxiles, & fermentabiles, calorem nativum ferè morientem & extinctum exuſcitant; atq; hinc corpus univerſum ob conſenſum amiciſſimum vivificis delibutum influentiis: Epicarpia etiam iiſdem de cauſis non omittenda.

Quod ad Bubones attinet, explorandum imprimis, an Bubo mobilis, vel ſtabilis? an durus, vel mollis, & tactui cedens? an depreſſus, vel in mucronem elevatus? an parvus magnuſve? an contractus, vel patulus, latiuſque ſerpens; an cum cruciatu, & punctione, vel indolens? an denique cum inflammatione, vel ſine illa? Varietaſque hæc varium exigit medendi modum.

Cataplaſmatum licet uſum commune omnium ſuffragium egregie beneficum fore perſuaſerit, calorem nempe naturalem languentem, & propè extinctum mirè excitantium, partes circumquaque vicinas humectantium, cutim inſuper dilatantium, humores denique acres contemperantium, & demulcentium; quoniam verò ab iterata eorum renovatione plurimùm detrimenti ægris accidiſſe obſervavi, ſequens ceratum illorum vice ſubſtituere placuit.

℞. Emplaſt. oxycrocei ℥ iij. Galbani colat. gum. carannæ, an. ℥j. Picis navalis ℥ij. è liquatis ſimul cum ol. chamæm. & liliorum, v. a. e. F. maſſa pro Empl.

Auſus ſum aſſerere empl. hæc plus millies Chirurgicæ manûs vicem ſuppleviſſe, quæ ſpatio triduano aut ſæpius immutabantur. Quocunque modo diſruptis, vel inciſis bubonibus, ad ulcus abluendum, & detergendum, lixivium paretur è cineribus ſcordii, betonicæ, bugulæ, ſaniculæ, *&c.* diſſolvendo q. ſ. theriac. Londin. Mixtura autem ſequens huic muneri accommodatiſſima, conſtans ſcil. è rad. ariſtoloch. rotun. myrrhâ, Aloë, & croco infuſ. & ſolut. in ſpir. vini q. ſ. colaturæ addendo tantillum ol. terebinth. Porrò ad promovendam digeſtionem, & putrefactionem inhibendam, Cataplaſma ſequens conficiatur, viz.

℞. Mellis roſ. ℥j. Terebinth. cum vitello ovi ſolut. ℥ß. Theriac. Lond. ʒiij. Farin. trit. ℥ ii ß. cum ol. hyperici & ſambuc. an. q. ſ. coq. in Cataplaſmatis conſiſtentiam;

Vel ℞. Ung. baſilic. p. duas, linimenti Arcæi p. tertiam, ol. terebinth. ʒß. M.S.

Nb. Detergentia neutiquam uſurpanda, niſi ulcus ſit ſordidum.

NB. Ad ſedandam doloris veſaniam, & inflammationem tollendam, opiata, & repellentia cenſenda omninò pernicioſiſſima, viz. venenum peſtilens tergiverſari, & ſe intus recipere cogentia; quin & partibus ab eorum uſu plus nimis refrigeratis impendere ſphacelationem quis ignorat?

Ulcus non prius claudendum, quàm ab omni ſorde penitus expurgatum fuerit, & cuncta prorſùm ceſſaverint ſymptomata.

NB. Multiplici quidem obſervatione mihi conſtitit ulcera hæc veneno devicto & extincto, citiùs multò tutiuſque ſanata fuiſſe, quàm cætera à cauſis aliis quibuſcunque oriunda: In curationis interim adminiſtratione bene cautus ſit Chirurgus, ne tumor callum labiis obducat, haud levi negotio extirpandum; ulceris probè mundati foveæ hiantes ſarcoticis repleantur juxta methodum vulgarem. Ne eandem cantilenam ſæpe occinam, Parotides ſimili ritu, ac Bubones tractandæ.

Quod ſupereſt, In Carbunculorum medela ad tres potiſſimùm ſcopos collimare Chir. intereſt.

1. Vigilanter proſpiciendum, ne latè nimis ſerpat Carbunculus, gangrenæ inſtar ſuperexcurrens, & neſciens cancellos.

2. Ten-

2. Tentanda quamprimùm Carbunculi ſeparatio.

3. Ulcus dextrè conſolidandum.

Primæ ſatisfaciunt intentioni remedia, quæ fortuitam pororum reſerando conſtrictionem aliqualem egreſſus veniam particulis veneficis concedunt, item quæ ardorem lenire, & calorem naturalem ſufflaminare, & tueri valent.

Verùm Curatio Anthracum juxta illorum indolem, progreſſum, & partis affectæ ſitum inſtituenda alia, atque alia; nunc mitius, nunc aſperius eos tractare expedit.

Minimè incommodum erit cataplaſma ex allio ſub cineribus aſſato, cum fuligine, theriac. Lond. & ol. terebinth.

Vel ℞. Fermenti veteris ℥ß. Allii aſſati ℥ij. Stercoris columbini ℥j. Confect. ſinap. ʒv. Euphorbii ʒij. cum ſ. q. Saponis nigri, F. Cataplaſma.

NB. In horum Cataplaſmatum applicatione utpote acerrimorum, cautela quidem ſumma adhibeatur, ne dolor ab eorum uſu auctus ſit impatibilis, ne humores colliquentur, & in partes debiliores ſecernantur, & deponantur, ne demum hoc pacto eſchara figatur.

2. Eſchara nondum deciduâ, ubi etiam nulla inchoatæ ſeparationis veſtigia, unguenta & oleaginoſa neutiquam probanda; Carbunculo autem ſcintillante, & latiùs diſſeminato, ad remedia acerrima tranſire haud inconſultum.

Cæterum in eſchara amovenda, tum igne, tum cultro res peragatur: Cauteriis actualibus nil ſane efficacius comperi.

Separatione quocunque modo inchoatâ, nimirum vel ſuapte ſponte, vel ignis, aut cultri ope; penſi ſit proximi carbunculum delibrare, frequentiſſima itaque ex butyro rec. ol. ſambuc. vel lil. alb. illinitio inſtituatur. Eſchara gradatìm, & non præproperè laxanda; ſcilicet expectatâ aliquandiu ejus maturitate. Poſt anthracis decorticationem, tibi evacuationem, uſumque mundificantium remediorum, & ulceris digeſtionem auſpicari rerum ordo ſuadet, cæteris juxta methodum in bubonum curatione traditam cautè præſtitis.

Poſtremo incarnatio ſenſim inducenda, & ulcus tardè conſolidandum, quo feſtinantius clauſo, haud infrequens veneni peſtilentialis reliquias quaſdam ſubinde vagas & plerumque exitioſas evadere.

Quoniam verò loca Carbunculis adornata à confluentibus affatim humoribus mundari nequeant, unde curatio tarda, & quandoque improſpera, remedia circumquaque defenſiva affigantur, quæ partium conſtringere laxitatem, vaſa obſtructa reſerare, & priſtinum liquoribus tranſitum præbere, quæ demum ſpirituum, & caloris fugam ſiſtere poſſent: Quod ſi, cauſâ licet adhibitâ, ſphacelatio immineat ad ſeq. ilicò embrocationem confugere oportet.

℞. Cinerum abſinthii, ſcordii, cardui, centaur. min. an. ℥iij. è quibus paretur lixivium, indendo flor. chamæm. ſambuci, meliloti, an. M. j. liquoris limpidi ℔ij. Adde ſpir. vini opt. ℔ß. diſſolve theriac. Lond. ℥ij. M. S. pro fotu p. affectæ bis de die, quàm calidiſſimè, exin Cataplaſma conficiatur è theriac. Lond. cum Elix. proprietatis.

Matrona quædam familiæ toti ſuperſtes, integra adhuc valetudine, pectoris regionem luſtravit, quam maculis fatalibus obſitam proſpiciens, nihil minus, quam Luis invaſionem ex hiſce indiciis hariolata, brevi exanimata erat: nullo alio ſymptomat morbum, vel mortem præmonſtrante.

Juvenis in uper habitu euſarco, & valenti corpore, poſtquam ex improviſo ſtigmatibus peſtiferis multum detexerat, id genus ficata, & ementitia conjiciens ſigna, quod belliſſimè valeret; quem tamen intra trihorium ſuccubiturum veriſſimè Medicus judicavit.

Civis quidam, actis Londini negotiis, rurale præſidium petiturus, equum ſubitò langueſcentem & ſuccubiturum perſenſit; apertis itaque faucibus, quo ſtudioſiùs os, & linguam contemplaretur, & morbi tam repentini cauſam detegeret, vir bonus incautè anhelitum equi fœtidiſſimum hauſit, mox ægrotare cœpit, & intra biduum expiravit.

Puella quædam quindecim circiter annorum admodum extenuata, ut oſſa præter, ac cutim, vix quid ſupereſſe videretur, hæc cum nil alimenti per ſpatium quatuordecim dierum ſumpſerat, diu habebatur ab omnibus pro deplorata; ego ad matrem ipſius, duoſque alios in domo illa Peſte laborantes vocatus, correptorum in me curationem ſuſcepi, quibus ſtatim convaleſcentibus, tandem hanc ſemimortuam Lues invaſit; quæ modò velut extincta jacuit, calore febrili mirè animata, artus movere cœpit, & remediorum ope alexipharmacorum, quæ tamdiu elinguis, de tumoribus hic illic dolorificis conquerebatur; Bubones autem emerſuri (quantum conjecturâ aſſequor) ob ſucci defectum minimè ſuppurati erant, ſed ob copioſiſſimam tranſpirationem valdè beneficam ſubſidentes evanuêre; intra duas ſeptimanas (Deo annuente) puella præter ſpem, & opinionem, in integrum reſtituebatur, tabe indies diſcedente.

Virgo altera ultra decimum ſextum agens ætatis annum, à teneris unguiculis tam ſcrophuloſa, ut ſtrumæ multiplices & obſtinaces, nullo remediorum genere tolli poterint; hæc tandem Peſte afficiebatur, tumoribuſque ſtrumoſis ſupervenêre Parotides, quibus ſuppuratis, & pus affatim effundentibus, tam à Lue, quàm à morbo contumaciſſimo & diuturno liberabatur ægra.

Quidam Podagrici, aliiſque affectibus inveteratis vexati, auſpicata hac aſſociatione, reſtituti erant: reverà omnes ferè Luem perpeſſi, curatione v. a. e. adminiſtratâ rectiùs poſtea valuêre; planè ut non modò venenum aliquando, ſed ipſa Peſtis vim obtinuerit medicamenti.

In Juvene quodam utramvis pone aurem ampliſſima emerſit Parotis, è quibus ſuppuratis, ſectiſque, ſanies ubertim emanavit, ulceribus brevi à manu Chirurgica dextrè expurgatis; carne interim muſculoſâ penitus abſumptâ, viſu quidem non minùs jucundum quàm mirabile, venas jugulares externas cum ſubjectis arteriis, nervum recurrentem, tendines, œſophagum, omnimodum denique vaſorum apparatum nudum, & illæſum conſpicere, ægrotus tamen (favente Numine) & carne foveas adimplente integræ ſanitati reſtituebatur.

E mulieris ubere mox à partu Carbunculus prodiit, infans tamen toto morbi ſtadio lactens, nil hauſit incommodi, puerpera etiam (cœlo annuente) omnibus v. a. e. fide præſtitis brevi convaluit.

Ad puellam correptionis perendiè accerſitus eram, quæ citra difficultatem ſpiravit, extrinſecus calor mitis; & admodum blandus, interiora utique manifeſto non conflagrarunt incendio, pulſus haud inæqualis aut irregularis, nullus denique eam torſit cruciatus; è contra vero omnia tam pacata, tam ſerena, perinde ac ſi nulla ægritudinis procella jactaret, nedum impenderet vitæ jactura: reverà mihi non conſtitit de cauſa ægritudinis, quam ſimulaſſe morbum ſuſpicabar, donec thorace nudato indubia hic illic ſtigmata pro more compuncta, partem ſenſu vacuaſſe indicaverint, meritò habita properantis fati arrhabones; eâdem nimirum nocte puella expiravit, vix dum vel ſuo, vel aſtantium judicio valetudinaria.

Paulò poſt viduam inviſi ſexagenariam à qua (confecto ferè prandio haud parco, quippe præter carnes ovillas ſtomachus adhuc latrans pullum gallinaceum expetivit) tolli menſam juſſi: poſteaquam nonnulla de ſtatu ipſius præſenti percontatus fuiſſem, ſe nunquam toto vitæ curriculo ſaniorem aſſeveravit, admotis exin digitis arteriæ, intermiſſionem crebram cum formicatione deprehendi, collo demum & pectoris regione luſtratis, innumera detexi ecthymata, ſigna proh nimium manifeſta mulierem bene pranſam apud inferos cœnaturam.

Sequuntur Antidota quædam ad Peſtis præcautionem.

Electuarium Anti-peſtilentiale Inſigniſſimi Mayerni.

℞. Jugland. virid. ℔ ij. ficuum, Prunor. an. ℔j. macerentur in aceto, & pulpa trajiciatur, cui adde pulv. ſubtiliſſ. rutæ ℔ß. Viperinæ virgin. ℥i ß. Rad. contrayerv. ℥ iij. Petaſitid. zedoar. an. ℥ ii ß. Sacchar. perlat. ℔j. Syrup. è ſucco kermes ℥j. Syrup. calendul. caryophyll. an. q. ſ. ut F. Elect. molle, addendo fol. auri quadraginta; doſ. ad quantitatem nucis juglandis maj. manè & veſperi.

Elect. aliud in uſum pauperum.

℞. Conſerv. lujul. galeg. an. ℔ß. calendul. ℔j. Theriac. Lond. bol. armen. vitriol. ℥iv. cum ſyr. limon. q. ſ. F. Elect. doſ. ad ʒij. vel iij.

Confectio Anti-peſtilentialis.

℞. Rad. ſcorzon. Hiſpan. petaſid. contrayerv. an. ℥ ij. Helenii, tormentill. an. ℥ß. Angelic. chelidon. maj. an. ℥iß. Bacc. junip. præp. ℔ß. Summit. rutæ, p. j. ſem. card. citri, an. ʒij. quibus præp. affunde part. duas aceti ſambuc. & tertiam ſpir. vini opt. infuſione peractâ & expreſſione, liquor igne lento evaporetur ferè ad mellaginem: extracti ℔j. Adde theriac. Lond. ℥iiß. Bol. arm. terræ ſigillat. an. ℥j. Flor. ſulph. ʒv. Succi kermes, ℥ ij. Conſerv. lujulæ, ℔j. cum ſyr. limon. q. ſ. F. Elect. molle, doſ. ad quantit. nucis myriſticæ maj. ter, vel ſæpius de die.

Pilulæ Anti-peſtilentiales.

℞. Extract. rad. helenii, angelic. contrayerv. an. ℥j. Adde extract. alb. glycyrrh. ʒ iij. Flor. ſulph. ad quatuor ſaltem vices ſublim. ʒ ij. C. C. philoſoph. calcin. ſem. citri pulveriz. an. ʒi ß. Salis ſcordii, abſinth. an. ℈ ij. cum ſ. q. picis liquidæ, F. maſſa pro pilulis, doſ. ad ʒß. vel ℈ij. manè & hora ſomni.

Elixir Proprietatis Anti-peſtilentiale.

℞. Croci Angl. opt. ℥ß. Extrah. tincturam cum aq. ulmariæ, ſcabioſ. cardui, vel meliſſ. ſ. q. additis ſpir. ſulph. aliquot guttis ad leviuſculam aciditatem: liquor per chartam agatur, in colatura ad lentum B. calorem diſſolve Aloës pellucidæ è veſica ℥ iv. per ſetaceum linteum haud ita rarum trajiciatur liquor; deinde F. condenſatio ad eundem calorem, acquiſitâ pilularum molliuſcularum conſiſtentiâ, adde myrrhæ puriſſimæ ʒvii. Flor. vel magiſterii præcipit. Benzoin. ʒiij. Salis C. C. ʒij. cum ſyr. ſambuc. q. ſ. F. maſſa unde pilulæ formentur, doſ. ad ℈ij.

Tabellæ Sublinguales.

℞. Extract. rad. angelic. & contrayerv. extr. alb. liquirit. ʒiij. Flor. ſulph. myrrhat. h. e. cum myrrh. ſublim. ʒv. Ol. cinnam. gutt. 8. Saccharum cryſtallin. ad duplum omnium pondus, cum mucilag. gum. tragacanth. aq. ſcordii parat. q. ſ. F. tabellæ parvæ ſublinguales.

Hauſtus ſequens magnarum virium habitus.

℞. Aq. roſ. rub. camphoratæ ℥ ij. Aceti opt. ℥j. In quibus diſſolve bol. arm. opt. ℈ij. Adde ſyr. ſcabioſæ ſimpl. ʒiij. M. S. F. Hauſtus. *Nathanael. Hodges. Hæc ex Tractatu de Peſte.*

Conſultationes.

De Peſtis curatione pro quodam Barone.

Jam ante monui in curatione infectorum peſtilente febre, vel peſtilentiâ, non ſatis eſſe ſemel remedia adhibere exhibereque. Primùm autem de hôc pulvere detur ʒ j. in aq. cardui, ſcordii, vel boraginis. Deinceps ubi ſudaverit ex aq. roſaceâ drachma una boli armenæ. Aſſumat tertiô die aquam, vel etiam primô, aut mithridatium, theriacam, vel aliam compoſitionem, vel, ſi ſævum eſt malum, theriacam cum pulvere primô die miſceat, & ſemper poſt ſudorem, horis quatuor, vel tribus, bolum armenam, & terram ſigillatam, ut dixi bibat.

Deſcriptio pulveris eſt iſta. ℞. Tormentill. ʒiij. Diptam. alb. ʒij, Boleti cervini, ſant. rubr. an. ʒj. Camphor. ℈ij. M. f. pulv. Camphora facilè exhalat; itaque huic pulveri, cùm diutius aſſervatur, plus camphoræ admiſceri debet.

Deſcriptio aquæ iſta eſt. ℞. Angelic. magiſtrantiæ, vel carlinæ, gentian. tormentill. boleti cervini, zedoariæ, an. ʒij. Trium ſantalor. ʒj. Theriac. opt. mithridat. præſtantiſſ. an. ℥ iij. Camphor. ℈ij. Moſch. ℈j. Spir. vini ℔ iij. Stent per

per menſem integrum in vitrô diligentiſſimè clauſô, deinde colentur per triplicem pannum lineum, & in aliô vaſe vitreô clauſô ſervetur uſui. Ad præſervationem præſertim, cùm aër non calet, poſſunt ſumi duæ guttæ cum pane albô maturinis horis. In curatione ad integram detur unciam cum aq. Card. bened. ſcabioſ. ſcord. vel ſimilibus. Ludovicus de Leonibus eandem ferè aquam præſcripſit, non tamen omnino ſimilem: & propter deſcriptionis communicationem accepit centum coronatos aureos. Hunc autem aquam præſtare longè deſcriptioni Ludov. de Leonibus certus ſum. *Johannes Crato in Conſiliis Medicis.*

In Peſte pro quôdam Generoſô Dominô.

Cùm hôc tempore ubique ferè morbi contagioſi diſſeminentur, poterit Generoſus Domin. in ſuô vaporariô, vel locis in quibus degit, cum his orbiculis ſuffitum facere.

℞. Benzoini ℥ij. Styrac. calamit. ʒj. Lign. Aloës, cinnam. an. ʒß. Caryophyll. ʒiß. Moſchi elect. gr. iv. Conſerv. roſar. è floribus q. ſ. ad incorporandum: parentur orbiculi, ſeu trochiſci.

Cùm autem eſt in locis ſuſpectis, in ore geſtet hos orbiculos.

℞. Cortic. citr. ſelect. ℥j. Bol. armen. Orient. ʒß. Zedoariæ, lign. Aloës, ireos an. ℈j. Moſch. ambr. an. gr. iij. Cum conſervâ roſarum formentur orbiculi. Si pomô etiam odoriferô uti volet; ita poterit conſici.

℞. Flor. roſar. lign. Aloës, ſantal. citrin. an. ʒj. Ireos, caryophyll. macis, an. ℈j. Benzoin. ladani, an. ʒiß. Gumm. tragacanthi in aq. roſar. diſſol. q. ſ. f. pomum, & aromatiſetur in fine moſchô. In hyeme pro moſchô parum olei caryophyllor. addendum. Intra corpus verò ſumat unam de iſtis rotulis.

℞. Sacch. in aquâ cinnam. diſſol. ℔iß. Margar. præparat. ſmaragd. præpar. an. ʒß. Bol. armen. orient. præpar. ℈ ij. Olei cinnam. gutt. v. & f. confectio in rotulis. In locis periculoſioribus de iſtô electuariô ad magnitudinem caſtaneæ ſumat.

℞. Macis præparati in acetô & ſuccô limonum ʒj. Ligni Aloës ℈j. Theriac. optim. ℥ iij. Sem. citr. excortic. ℥ ij. Cortic. citr. conditor. conſerv. borragin. an. ℥iß. Syrup. de corticib. citr. q. ſ. M.

His ſi rectè Generoſus Dominus uſus fuerit, Deô propitiô & conſervante tutus erit. *Idem ibidem.*

Caſus de Febri Maligna, Peſtilenti, ac ipsâ Peſte.

Pridie Nonarum Februarii Anno 1663. tres Sorores, Anna Petri ſcilicet 18. Maria Petri 15. ac Margareta Petri 11. annorum, filiæ cujuſdam ruſtici, in pago Schellinkhout habitantes, inciderunt unâ in unis ædibus abſque causâ manifeſtâ in magnum horrorem, quem primâ die inſecutus eſt calor cum pulſu celeri, debili, & inæquali, magnoque capitis dolore ac ſiti clamosâ. Margareta ipſo die evomuit, die ſecundo de dolore in inguine conqueri cæpit, die tertio deliravit, ac quarto circa veſperam tempore magno aliiſque ſymptomatis, uti tumore in inguine non ſufficienter apparente (quæ omnia ejus pater mihi retulit) correpta, obiit. Mariæ verò ſuperveniebant tertio die maculæ quædam, cum urinâ craſsâ ac rubrâ. Anna itaque omnia prædicta ſymptomata exceptis maculis, & tumore, habebat. Inquietudo tamen, vigiliæ ac lateris dolor hanc vexabant. Quæritur quales morbi, & quæ inſtituendæ curandi rationes?

Pars affecta in hiſce ſororibus eſt totus corpus, uti ex horrore & conſequente calore; Cor, uti ex pulſu vitiato, debili ſcilicet & inæquali, ac virium jacturâ; Caput, uti ex dolore & delirio; Dorſum & pectus, uti ex maculis Mariæ; inguen, uti ex tumore Margaretæ, patet.

Hunc morbum eſſe febrem malignam, ex contagio, & pernicie mortis repentinæ unius ſororis, macularumque apparentiâ, aliiſque ſymptomatis haſce tres ſorores comitantibus, conſtare videtur.

Cùm verò ſymptomata fuerint diverſa, ſe invicem aliquo modo diſtinguebant: Horror quippè & capitis dolor, delirium, pulſus debilis & inæqualis ab intemperie malignâ, calidâ & contagiosâ ortus, nec non ſitis & inquietudo, quæ illas affligebant; febrem fuiſſe ſimpliciter malignam, quâ Anna laboravit, at quia cum prædictis ſymptomatis etiam maculæ apparebant, fuiſſe peſtilentem, quâ Maria laboravit, & quoniam dolores, & tumores inguine incipiebant cum morte repentinâ, ipſam fuiſſe peſtem, quâ Margareta laboravit, denotant.

Cauſa proxima eſt ſanguinis colliquatio in ichores acres & malignos, quibus cordis irritatio, & febris orta eſt. Cauſæ propinquæ ſunt ſanguinis diſſolutiones, ac inordinatæ fermentationes à particulis acribus, malignis, venenoſis & quaſi arſenicalibus ac mercurialibus colliquamenta ichoroſa efficere aptis. Cauſæ remotæ ſunt vel magis vel minùs tales. Cauſæ minùs remotæ ſunt inquinamenta ex cibo (uti mihi retulerunt) concepta, unde levi vitio per commeſturam ac proculdubio prædiſpoſitionem in corpore, ſanguis in pulmonibus, vaſiſque exiſtens ac deindè per totum corpus delatus, fuit affectus. Cauſæ magis remotæ ſunt omnia illa, quæ ad particularum malignarum collectionem aliquid faciunt, uti cibus, & potus inquinatus, aër &c.

Illa itaque febrilis materia efferveſcens malignas & acres in ſe continet particulas, quarum quædam per partes ſenſiles circulatæ, Horrorem; quædam ad membranoſas capitis partes & pectoris latus delatæ, Delirium, Dolorem & vigilias, craſſiores particulæ ad inguen inter fermentandum depulſæ, tumorem, acriores & calidiores ob pororum diſpoſitionem inter effervefcendum ad cutem protruſæ maculas genuerunt: Unio harum particularum in maſsâ ſanguineâ diſſoluta, colliquatio oritur, & per conſequens virium jactura, pulſus debilis & inæqualis: Quædam diſſolutarum particularum ſalſæ, acres, & ſulphureæ inter circulandum faucibus & ventriculo affixæ dilui deſiderant, hinc ſitis orta eſt.

Metus eſt, ne hic morbus ob magnam malignitatem ex ſymptomatum vehementiâ, & morte repentinâ unius ſororis notam, reliquas duas alias interimat; quia tamen juvenes ſunt, curationem eſſe accelerandam duxi.

Ob lateris dolorem, quo Anna vexabatur, venæſectio locum inveniebat, ita ut ſanguis ad ℥v. ex brachio educeretur, quo dolor quodammodò ceſſavit. Poſtea ei ſequentem Hauſtum præſcripſi, uti.

♃. Fol. papaver. errat. M. j. Violar. Samb. ana p. j. Sem. Aniſ. ʒ. i. Fiat levis ebullitio in aquæ Cichor. ad ℥iii. Colaturæ add. Sal. Prunell. ℈ii. Syrup. Papaver. Rhead. ʒiij. Bezoard. Martial. gr. iij. Fiat potiuncula pro uno hauſtu.

Poſt hunc hauſtum horâ nonâ matutinâ ſumptum, ſudoriferum eidem curavi horâ tertiâ pomeridianâ ſuppeditandum, quo uſus quoque eſt circa meridiem Maria, uti.

♃. Rob. Sambu. ʒii. Sal. Abſinth. ℈i. Scordi. ℈ß. Spir. Sulphur. gutt. xviii. Bezoar. Mineral. gr. v. Aqu. Cichor. ℥iiß. Fiat Hauſtus pro una doſi.

Ex hâc potiunculâ ſudore in utraque ſorore peracto, ſtatim in dorſo & pectore Mariæ apparuerunt maculæ: poſtero die utraque hâc potione utebatur, ut.

♃. Rad. Contrajerv. Bugloſſ. Acetoſ. Tormentill. ana. ℥i. Fol. Scordii. Scabioſ. Ruthæ ana M. i. Flor. Calend. Borag. ana M. ß. Sem. Citri. ʒij. Pulp. Limonum ℥i. ß. Fiat decoctio in ſ. q. ſeri lactis cum ſpiritu ſulphuris & ſucco limonum deſtillati ad ℔ j. ß. Colaturæ Aromatizatæ, pul. Alexiter. Crollii add. Aquæ vitæ Matthiol. ʒ iß. Sal. Prunell. ʒii. Ol. Vitriol. ℈ j. Fiat Potio, quâ utebantur per intervalla.

Maria autem hunc pulverem ſubindè in juſculo vel lacte butiroſo capiebat; ut.

♃. Sal. Prunell. ℥ß. Camphor. ʒß. Bezoard. Mineral. ℈ß. Fiat pulvis, & dividatur in quinque partes.

Die ſexto (quoniam Anna ex prædictæ potionis uſu in integram ſanitatem ſenſim reſtituebatur) ad ſudandum Mariam eſſe componendam juſſi cum hoc hauſtu; ut.

♃. Bezoard. Mineral. gr. xiii. Diaſcord. Fracaſt. ʒß. Spir. Sulphur. ℈ i. Aquæ Card. Bened. ℥ ii. Theriacal. ʒß. Fiat Hauſtus, corpus benè tegendo ad ſudores proliciendos.

Sequentibus diebus, cùm fortaſsè adhuc videbantur periclitâri ad reliquias diſcutiendas in uſu conditi ſequentis pergendum eſſe dixi; uti.

♃. Rob. Samb. ℥ß. Conſ. Borag. ʒiii. Diaſcord. Fracaſt. ʒi. Sal. Abſinth. ℈i. Bol. Armenver. Croci Brittan. ana ℈ß. Magiſter. Corallor. gr. xv. Elixir. prop. Paracelſ. q. s. Fiat Conditum.

Diæta erat tenuis, & humectans ex lacte butyroſo cum ſaccharo & melle cocto; item juſcula vervecina, in quibus elixata erant folia Acetoſæ, & Sem. Aniſi, aliaque ruſticis uſitatiora: Potus erat cereviſia tenuis; & ſerum lactis cum Hord. Mund. & Acetoſ. coctum, & poſtea cum ſucco limonum conditum: Et ita brevi tempore hæ convaluêre in integrum. *Franciſcus Piens Tractatu de Febribus.*

Non tacebo maximum & præſtantiſſimum remedium, quod & præſervat, & maximè curat omnes Peſte affectos, de quo multi ſcripſerunt & experientiâ comprobarunt. Remedium tale eſt.

♃. Vitriol. alb. præp. (i. e. pulv. & ter infuſi in aq. roſ. totieſque ad Solem exſiccati add. aliquid camphor.) dictamn. alb. rad. tormentill. an. ʒii. M. F. Pulvis tenuiſſimus. Detur ad ʒi. cum ℥ii. aq. plantag. vel roſar. vel acetoſ. manè & veſperi. *Rodericus à Fonſeca tomo 1. conſult. 10.*

Virgini cuidam Peſte laboranti propinavi illicò ſequentem Potionem.

♃. Aqu. theriacal. noſtræ ℥ii. elect. de ovo. ʒi. M. bibit, nec eam vomuit, quod pro bono ſigno habetur: multumque poſtea ſudavit. Sudore peracto, juſſi ut cochl. j. vel ii. ſyr. de limon. cum æquali portione ſyr. de acetoſ. citri, permixti, per ſe, vel cum aqua cocta diluti, biberet, ſæpeque ut reficeretur, repeteret: juſculaque efficacia & congelata ſumeret. Sequenti die bubo inguine apparebat, anthraxq; paulò ſubtus in femore erupit; denuo igitur expulſivam hanc Potionem illi propinavi.

♃. Aqu. theriac. noſtræ ʒvi. julep. roſ. ℥i. ſyr. de limon. ℥ß. de agreſta ʒii M. bibit, rurſumque ſudavit. Sudore peracto, tab. diamargar. frigid, ſumpſit. Epithema pulſuum & cordis regioni tale cum ſerico chermeſino admotum fuit.

♃. Aquæ roſ. ℥ii. aqu. ſcabioſ. acetoſ. an ℥i. aqu. meliſſ. aceti roſ. an. ℥ß pulv. diamargar. frigid. ʒß. ſucci pomor. ℥ß. M. ſæpe iteretur; anthraci cataplaſma hoc impoſitum.

♃. Fol. ſcabioſ. pulpæ ficuum, an. ℥ß. contund. adde ol. lil. ℥ß. M. Cum adhuc periclitaretur, Potionem cordialem, & quæ veneni vim infringeret talem exhibui.

♃. Aquæ theriac. bugl. ſcabioſ. calend. ſyr. de agreſta, an. ℥ß. pulv. diamarg. frig. ʒß. M. ad ſuppurandum bubonem, cùm ad ſuppurationem tenderet, hoc cataplaſma præſcripſi.

♃. Herb. malv. M. j. fl. chamæm. p. j. ficuum ℥ii. coq. Piſtentur, adde pulv. rad. alth. ℥ß. farin. ſem. lini & fœnugræc. an. ℥ii. vitell. ovor. num. 2. empl. diachyl. diſſolut. in ol. lil. ℥j. ſal. ʒij. F. cataplaſma. Poſtea ſenſim cœpit convaleſcere. *Felix Platerus. obſerv. lib. 2. pag. 333.*

Aqua theriacalis noſtra quæ tantopere profuit, ita paratur.

♃. Rad. tormentill. lappæ maj. pimpinell. ſucciſæ valerian. maj. an. ℥iv. rad. imperator. angelic. dictamn. gentian. ſerpentar. an. ℥i. cæpar. mundat. à cortice, nuc. virid. ſcabioſ. verben. calend. cum flor. rutæ, acetoſ. card. ben. an. M. ij. camphor. ʒiß. aq. vitæ ℥j. vini albi generoſi menſ. jß. ſeu ℔vi. aceti roſac. ℥ii. mithrid. ℥j. deſtillentur: doſis maxima ℥ij. *Felix Platerus. obſ. lib. 2. pag. 340.*

Ad præſervationem ſequentibus Pilulis per vices utantur.

♃. Aloes, rhei, an. ʒii. agar. myrrh. an. ʒi. rad. gentian. zedoar. an. ℈j. croci, ℈ß. pulveriz. & cum ſyr. roſ. ſolut cum ſena, fiat maſſa Pilul. *Felix Platerus, obſ. lib. 2. pag. 399.*

Presbyter Veſantinus Ydeleyus ſæpius Peſte infectis inſerviens in ſuo Libello De Peſte, mirè propriâ experientiâ inductus, ad præſervationem laudat urinam propriam, mane, jejuno adhuc ſtoma-

macho, ſemper poſt quintum aut ſextum diem, ad cyathum unum epotam: cujus multis nauſeoſi remedii vices ſupplere poſſet balſamum urinæ, à Chymicis tanquam remedium ὑπέρευ deſcriptum. Pulvis ſequens *Hiſpaniarum Regis ſecretum eſſe dicitur.*

℞. Myrrh. ſelect. maſtich. bol. arm. terræ ſigillat. lign. aloes, caryophyll. maceris, croci. an. part. æq. F. pulvis: capiat ſingulis matutinis. Amuleta pro præſervatione magni quoque fiunt, ut avellana perforata eouſque ut nucleus eximi poſſit, repleta argento vivo, obturataque & collo ſuſpenſa: quod mire juvare à Marcilio Ficino exemplis adhibitis probatur; quam aliqui appenſam, ita ut cordis regionem attingat, eſſe volunt. *Felix Platerus pract. tomo. 2. cap. 2. pag. 163. 166. 171.*

Quidam cui demandata erat cura tertiæ partis Urbis Peſte afflictæ, omnes ferè curavit vomitorio compoſito ex ℥ii. cujuſſibet vitrioli. mellis ℥ii. & aqua ℥vj. ſimul mixtis; quod exhibebat ſtatim, ac apparebant aliqua ſigna morbi imminentis, vel præſentis; ita ut vix decem aut duodecim obierint in ſuis partibus, cùm in reliquis pauci evaderent, quod denotat vires & neceſſitatem vomitus in tali caſu. *Simeon Jacoz. obſ. 99. cent. 4. Obſ. River.*

Cum Peſtis ſæviſſima graſſaretur Monſpelii anno 1630. duo ægrotantes Peſte correpti, ad me miſerunt, ut quid acturi eſſent, præciperem. Ego in memoriam revocans me legiſſe apud Paræum muriam encraſicholorum piſcium (Anchoes vulgò dictorum) nonnullos Peſte affectos liberaſſe; conſilium dedi, ut eandem ſumerent. Unus muriæ ſcutellam ſumpſit ſolam, alter eam urinâ permixtam, & uterque liberatus eſt, oborta evacuatione vehementi per vomitum & ſeceſſum. *Samuel Formius. Obſerv. 37.*

In eadem Urbe, tres ejuſdem familiæ, maritus nempe, uxor & ſoror illius, Peſte correpti ſunt, ſtercus proprium cum propria urina diſſolutum & linteo colatum hauſerunt, unde graviſſimus vomitus & alvi fluxus obortus eſt; & omnes à Peſte immunes evaſerunt. *Samuel Formius. obſ. 38.*

Chirurgus Hiſpanus, cognomento Guardiola, Xenodochii infectorum Præfectus in obſidione Oſtendana, oſtendit mihi fruſtum ſuccini rubentis, quod ſibi toto triennio dixit unicum fuiſſe Zenexton, cujus arcanum erat; quod ſcilicet ad ſeptem pulſus principales fuiſſet confrictum uſque ad calorem: nimirum utrinque ad tempora, ad carpos, malleolos, & ad ſiniſtram mammam. Ego vidi illum ſemper præſervatum, cæteris coadiutoribus è medio ſublatis. Vidi etiam frequenter venenatorum vulnerum, diſſoluto in ſpiritu vini ſuccino factas ſanationes alioqui penitus deſperatas. Nil ſtomacho, inteſtinis, nervis, imò & cerebro gratius eſt ſuccino in vini ſpiritu reſoluto.

Hibernus Butlerus me conſcio Londini aliquot millia Peſte curavit: juſſit enim Bufonem magnum menſe Junio poſt meridem captum, tibiis ſuſpenderem propè focum, illique ſubtenderem patinam è cera flava, tandem à triduo ſuſpenſionis Bufo evomuit terram & aliquot inſectas ambulantes, nimirum muſcas nitentibus alis ſubviridi colore quaſi deauratis, mox autem à vomitu Bufo obiit: nec ante triduum evomuit, licet pronus penderet. Dixit autem mihi quod ſat remedii haberem curandis 40. millibus Peſte correptorum, promiſitque mihi ſe oſtenſurum rei cardinem; ſed repente in exilium proſcriptus abiit; ſaltem ego has ſordes vomitu rejectas itemque exſiccatum Bufonis cadaver ſeparatim in pulverem tundi juſſi; & cum tragacantho trochiſcos formavi: quibus feliciter uſus ſum tam ad præcautionem Peſtis, quam ejuſdem ſanationem. Dein Julio menſe decreſcente Luna veteres Bufones cepi, quorum oculi ſcatebant albis vermibus, nigriſque capitibus prominentibus, adeo uterque oculus totus in vermes transformatus eſſet, fortè quinquaginta numero, in ſingulo oculorum foramine. Vermes erant densè compacti, quorum capita foris eminebant, & quoties aliquis egredi conaretur, ſtatim Bufo appoſita manu egreſſum vetabat. Hos Bufones ad vomendum coactos, ut dixi, per ſuſpenſionem, reperi dare excellentiſſimum Zenexton. Vermes enim in patinam ceream deciduos, ſimulque cum eo quod per vomitum rejecit in trochiſch. parvulos redegi, addito cadavere Bufonis, & cerea patina, geſtati autem trochiſci ad mammam ſiniſtram, arcebant contagium, & loco infecto alligati, ſtatim virus extrahebant, erantque trochiſci promptiores ac validiores, ſi in uſum aliquoties recidiſſent, quàm recentiores.

Hippocrates omne vinum quod in Peſte dabat, ſuffiebat hoc modo, poculum ſtricti colli lychnio ardentis ſulphuris ſuffiebat, vinum ad tertiam partem affundebat, ac poculum arctè concluſum agitabat, dudum conquaſſando ſurſum & deorſum; donec vinum omne gas ſulphuris in ſe combibiſſet. Dabat etiam vinum ſalſum fervidum, non autem tepidum, ut nauſeam compeſceret, & ſudores potenter cieret; addebatque ſulphur, ad gr. xxiv. ut ſuo velut odore Peſtem interimeret, quia ſal abſtergit, à putredine præſervat, & ſulphur venenum cohibet, hinc ſudorem præſcribebat triduo ad minimum quotidie autem ſudabant bis, & vice ſingula per diei ſextantem, ſi poterant: primis diebus plus ac deinceps conſequenter minus. Inter ſudandum tollebat omnem potum, peracto ſudoris termino, hordei cremore cibabat, & pro potu exhibebat vinum græcum picatum, cui inerant pauca grana ſalis & ſulphuris, folia autem aſari, aceto macerata, calida ſuperponebat Buboni, plantis pedum & manuum, quæ poſt horas duodecim ſingulas, ſepeliri juſſit. Hiſpania rarò Peſte affligitur, ex eo quod utatur picato vino, cùm enim doliis careant, plerumque vina coriis picatis conſervant. Odor picis ſuffumigio plurimis provinciis Peſte contaminatis familiaris. Hodie magni fit antidotus Orvietani pro Peſte. *Joh. Helmontius. Tractatu de Peſte.*

Quod Peſte extincti citiùs non ſint ſepeliendi exemplis demonſtratur.

In Peſte, malignis & contagioſis morbis, ut protinus inhumentur cadavera, rectè quidem ſuadent Practici: ſimile enim quidquam, inquit idem

idem Lemnius, corporibus recens extinctis evenit, quod ceteris, lychniſque ac funalibus, quæ accenſa nullam graveolentiam naribus obtundunt: at extincta, flammaque ſopita, tetro undique fumantique odore cœnaculum complent. Verùm neque id ſemper tutum eſſe, & hominem Chriſtianum minimè decere, quæ ſequuntur exempla teſtantur.

Exemplum I.

Circa annum 1566. Antonius Cormannus Bovius, indigena pagi Meniere, (qui ad Illuſtris Reipubl. Fryburgenſium Helveticor. ditionem ſpectat) dicti, nec ita procul Paterniaco ſiti, cùm annum vigeſimum ſecundum ætatis attigiſſet, ac uxorem duxiſſet, non diu poſt Deus Opt. Max. Peſte (quæ tunc in iſtis regionibus paſſim graſſabatur) familiam ipſius inviſit, atque exercuit. Perierunt ex ipſius domeſticis multi, inprimis pater, mater, uxor, & nonnulli ex ſervis & ancillis. Ille ſimiliter menſe Auguſto eodem morbo tam vehementer correptus fuit, ut à ſecunda die adſtantes nihil aliud, quam ſingulis momentis Deo ipſum animam redditurum, expectarent. Morbo magis magiſque ingraveſcente, quartâ die morbi, animi deliquio tam vehementi correptus eſt, ut adſtantes ipſum jam expiraſſe putarent. Electo itaque in menſam corpore collocato, linteamini illud (ſicuti iſtis in locis moris eſt) involverunt atque inſuerunt, cumque ibi ſpacio octo circiter horarum expoſitum fuiſſet, jamque ejus loci Presbyter, Libitinarii ac veſpillones, ut illud inhumarent, adveniſſent, loculoque imponere vellent, membra verò nondum planè rigida eſſe perciperunt, mirati ſunt valdè. Quamobrem presbyter juſſit, ut lodix circa faciem & pectus diſſueretur: poſtmodum lanæ floccum, & plumam naribus labiiſque admovit. Ex quibus, cùm de vita nondum penitùs extincta, ſpes ipſi aliqua ſupereſſet, corpus denuò in lectum reponi, ac linteis calidis involvi, quinetiam tegulas calidas pedibus admoveri juſſit. Ori item guttulam unam aut alteram vini malvatitici inſtillavit. Hinc ille, quem penitùs extinctum eſſe putabant, paulatim quaſi ex ſopore profundo excitatus, ita reſtitutus fuit, ut intra ſpacium unius menſis negotia ſua ruſticana obire poſſet. Porrò, quia tum temporis nullis uſus fuerat medicamentis, corpuſque multis & pravis humoribus ſcateret, natura ſequenti Autumno ſeſe à ſuperfluis illis humoribus in ſiniſtram tibiam exonerare cœpit. Paulatim itaque in hanc tibiam humor lentus ac viſcoſus, qui & poſtea medicamentis cedere noluit, delapſus eſt.

Hiſtoriam hanc à viris fide dignis audieram quidem, hominem verò coràm alloqui occaſio ſeſe non obtulerat, donec anno 1606. die 16. Januarii à Reverendo Viro D. Nathanaele Chambuto, verbi divini in Granges miniſtro, Paterniacum mihi adductus eſſet, tum præſente Reverendo viro iſto, domeſticiſque meis, hiſtoriam integram, & veluti ipſam fideliter hîc conſcribo, narravit. Tibiam quoque vidi, quæ ſub genu ejus eſt craſſitiei, ut crus circa coxam naturaliter eſſe deberet, eſtque dura, & paulò ſupra malleolum exulcerata, abſque tamen dolore. Ille verò homo robuſtus eſt, & nunc ſexageſimum quartum agens annum. Præterea vigeſimo nono anno ætatis ſuæ, morbo acuto graviſſimè ſe laboraſſe, deinceps verò perquam rarò morbis obnoxium fuiſſe, & ex altera uxore, quæ etiamnum ſuperſtes eſt, ſeptem filios, treſque filias procreaſſe, retulit.

Exemplum II.

Anno 1357. cùm peſtis apud Colonienſes graſſaretur, & infinitos è medio tolleret, accidit, ut nobilis quædam matrona, *Reichmuth Adoch* nomine, in foro novo habitans, in ædibus, cui inſigne eſt Pſittacus, peſte quoque corriperetur, tandemque (ſecundùm opinionem adſtantium) mortem obiret.

Corpus cùm in cœmiterium divorum Apoſtolorum inhumandum eſſet, noluit maritus propter ſummum in defunctam amorem, è digito ſuo annulum, quem in ſignum matrimonii ipſi dederat, extrahere. Id quum probè cognoviſſent veſpillones, ſequenti nocte ſepulchrum clàm accedunt, loculumque effodiunt, aperiuntque. Tum illa, quam pro mortua ſepulturæ tradiderant, ſe erigere cœpit. Veſpillones ambo maximo timore perculſi, lucernam relinquunt, atque quâ poſſunt diligentiâ indè perfugiunt. Illa acceptâ lucernâ, ædes mariti petit, pulſat fores, ex voce & annulo à marito recognita, ipſi aperitur, quæ poſtmodum optimâ victus ratione adhibita paulatim convaluit, treſque deinceps adhuc progenuit filios, quos miniſterio Eccleſiaſtico conſecravit. Cùm verò per annos multos cum marito piè vixiſſet, tandemque obdormiviſſet, ad ingreſſum prædicti templi in monumento lapideo, & elevato inhumata fuit. Ad rei autem memoriam in tabula maxima ſupra ſepulchrũ erecta, tota hiſtoria eleganter depicta, verſibuſq; Germanicis deſcripta eſt. Hancque tabulam Anno 1604. *Johannes Buſſenmacher*, civis & mercator Colonienſis in parva forma ex ære incidi & excudi curavit. Majorem tabulam ad ſepulchrum erectam, multoties Coloniæ non ſine admiratione inſpexi: minorem quoque à *Buſſenmachero* excuſam, penes me habeo.

Exemplum III.

Anno 1582. Quum unà cum præſtantiſſimo viro D. Coſmo Slotano, Illuſtriſſ. Principis Guilhelmi, Juliacenſium, Clivenſium, Montenſium &c. Ducis Cliviam profectus, apud civem quendam, virum pium ac probum, circiter ſeptuaginta annorum ætat. in ædibus, cui aquila pro inſigni eſt, ſpacio trium menſium diverſaremur, ſæpiſſimè nobis hoſpes retulit, ſe ante annos ſeptendecim graviſſimo atque acuto morbo correptum, tandem in illud animi deliquium incidiſſe, ut cuncti illum mortuum eſſe, arbitrarentur. Advocatus Vir Clariſſimus Dn. D. *Johannes Wierus*, prædicti Principis Archiater longè celeberrimus, animam à corpore nondum ſeparatam eſſe cognovit. Juſſit itaque ut in lecto calidè cooperiretur: cordi quoque & in carpo pulſibus Epithemata applicuit, & per intervalla guttula una aut altera medicamentorum corroborantium, linguam irroravit. Iterim dum pius iſte & fidelis Medicus circà ægrum occupatus, & de recuperanda ſanitate ſolicitus eſſet, adſtantes

ſtantes contrà funus præparabant, & quæ à Medico præſcribebantur, admovebanturque, pro ludibrio habebant, ita ut altera die corpus inhumare vellent: ſed conatibus ipſorum antevertit Dn. D. Wierus. Secunda itaque die ad ſe rediit æger: poſteà à Dn. D. Wiero, adhibitis tum medicamentis, tum optimâ victus ratione, paulatim in integram ſanitatem reſtitutus fuit.

Hæc, uti dixi, ſæpiſſimè D. Slotano, & mihi, multiſque aliis præſentibus ipſemet hoſpes narravit, erantque tunc elapſi anni ſeptendecim, à quibus hæc acciderant. Ab eo quoque tempore morbis raro obnoxius fuerat, infantes multos ex uxore progenuerat.

Cautè itaque circa ejuſmodi ægros agendum eſt: quum enim aliquoties nonnullos per plurimos dies ſine ſenſu ac motu fuiſſe, ex hiſtoriis virorum doctorum ac fide dignorum ſciamus, crudele ac impium eſſet, hominem ad imaginem Dei creatum, propter metum peſtis ac alicujus morbi maligni, protinùs veluti beluam inhumare, atque hoc eſſet contra omnem charitatem Chriſtianam, & juſtiſſimam Dei iram erga integras etiam civitates ac nationes incendere atq; provocare.

Prudenter itaque faciunt Magiſtratus, (uti ego Genevæ, & in quibuſdam aliis locis obſervavi) qui neminem ſepeliri permittunt, niſi priùs à quodam viro Artis Medicæ perito, & ad hoc negotium deſtinato, inſpecto atque explorato cadavere.

Hæc, vir Clariſſime, ad te ſcribere libuit, ac ſimul amicè rogare volui, ut quæ hujus exempli argumenta habes (ſcio autem te habere aliquot) ea in commune bonum familiæ Artis Medicæ, communicare non graveris. Vale cum lectiſſima tua conjuge, totaque familia honeſtiſſima, quam ego, & uxor mea ſalutamus peramanter. Paterniaci Aventicor. 13. Septemb. 1608. *Gulielmus Fabricius Hildanus. Obſervat. Chirurg. Cent. 2.*

De Peſte aliiſque morbis acutis, quos non protinus inhumandos eſſe, hiſtoriis quinque oſtenditur. D. Guilhelmo Fabricio Hildano, apud Paterniacenſes Chirurgo celeberrimo atque præſtantiſſimo. Johan. Jacobus Craffſtius, S.P.D.

Indies re ipſa video, doctiſſime D. Fabrici, firmiter in animo tuo inhærere Ciceronis dictum, Non nobis ſolùm nos natos eſſe, verùm & Patriæ, Parentibus, & Amicis: Patriæ Parentibus, quomodo? res ipſa loquitur, & Amicis? quorum numero & me eſſe, præter quotidianam exercitationem, induſtriam, ac laborem, quem mei cauſâ ſuſtines, literis nuperrimè ad me datis ſatis ſuperque teſtaris. Quibus doctè demonſtras, idque exemplis aliquot confirmas, Corpora humana non illicò, uti tamen aliquando certo quodam tempore, quibuſdam in locis fieri contingit, inhumanda eſſe. Cui ſententiæ, relictarum multarum rationum, Naturæ, mutuæ inſuper amicitiæ tam in iiſdem, quàm in diverſis ſpeciebus, atque quarundam hiſtoriam, quas poſtmodùm allaturus, conſideratio, ſubſcribere me cogit. Quoad Naturam, Cic. in Offic. lib. 1. pro me loquitur, dicendo: principiò generi animantium omni à natura tributum eſſe, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, ac omnia quæcunque ad vivendum ſunt neceſſaria, inquirat ac paret. Cùm igitur noſtra propria longævitas & vitæ prolongatio, nobis tam recommendata, quid quæſo obeſt, ut non eandem conſervationem in proximum exerceamus? ſiquidem quod nobis non volumus fieri, alteri ne faciamus, & contrà, lex ſit, ſicuti & imprimìs ſacra pagina dictitat: diliges proximum tuum perindè atque teipſum. Quis nunc ſodes eſt tam rationi alienus, imò impius, qui & animam ſimul cum corpore ſuo ſepeliri cupiat? Lectionem nobis prælegunt beluæ, quæ minimè corpora, ejuſdem ſpeciei ſuorum proximorum (altercationes hic omitto) derelinquunt atque dejiciunt. Exempla non deſunt, ac quotidiana obſervatio ſatis teſtatur, hæc iſta ſerio cùm obſervant. Quid homini faciendum? qui maximè ab iſtis differt, ut idem Cic. prædicto in loco evidenter diſtinguit, dum dicit: hominem & beluam in eo differre, quòd hæc tantùm, quantùm ſenſu movetur, ad id ſolùm quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat, paululùm admodùm ſentiens præteritum aut futurum: homo autem, qui rationis eſt particeps, conſequentia cernit, principia & cauſas rerum videt, earumque progreſſus & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit atque annectit futuras, facilè totius vitæ curſum videt, ad eandemque degendam præparat res neceſſarias. Quod ſi itaque hæcce penitiùs, uti par eſſet, perpenderentur, non tam varia incommoda in ſepeliendis corporibus orirentur, atque hinc inde fieri audirentur. Et hæc de iiſdem: jam in diverſis ſpeciebus intimum amorem ineſſe, paſſim leguntur exempla, utpote de equis, aquilis, ciconiis, elephantis, leonibus, delphinis, & canibus, eorumque quàm plurima, qui homines, & præſertim dominos ſuos, tam vivos, quàm mortuos ſummoperè amârunt: de quibus unicum hoc lubet annotare, quod memini me olim audiiſſe. Pyrrhum Albaniæ Regem, quondam cum ſuo exercitu proficiſcendo fortè fortuitò canem prope viam repeeriſſe, qui cuſtodiebat corpus mortuum heri ſui, hæc cum admiratione inſpiciens, quidam villanus ipſi dixit, tertium jam eſſe diem, quo canis de iſto loco non ſeceſſerit, ipſo tamen inſcio ibi corpus eſſe. Rex juſſit cadaver ſepeliri, & canem tam fidelem domi nutriri. Interim diligenter inquirendo, à quonam illud homicidium commiſſum, ſciri non potuit, donec abhinc aliquo tempore delectationis gratiâ totum ſuum exercitum videre voluerit, an milites bene eſſent armati ac diſpoſiti? at canis, qui ſemper triſtis & taciturnus erat, tunc fortè Regem ſequebatur, & videns præterire homicidam, incipit latrare, & quodammodò in ipſum incurrere, mox inſpicere Regem, dein recurrere ad homicidam, taleſque geſtus gerere, ut Rex & adſtantes mirati, illicò ſuſpicati ſint de homicidio, proin militem iſtum in carcerem injecit, torturâ tantùm ſimplici mox liberè actum confeſſus, atque tandem ſupplicio mulctus fuit. Ex his & ſimilibus ſatis ſuperque apparet, quo bruta animantia

amicitiâ quâdam pluſquam quaſi naturali commiſeratione ducantur, eò magis hominem duci debere, & non tam ſubitò ſuum ſimile ſeponere atque obliviſci.

Tandem & majoris probationis gratia accedo recenſere, idque breviſſimè, quaſdam (uti à te rogatus) hiſtorias, quæ ſiniſtrè acciderunt.

Hiſtoria I.

Prima eſt de quadam muliere, quæ tempore peſtis viva cum aliis mortuis ſepulta fuit, tamen poſtmodum diu adhuc cum marito ſuo ſupervixit, quantum ſcire potui, communicare non gravabor.

Agitur annus quinquageſimus, vel circiter, quòd peſtis ſæviſſimè graſſabatur per totam Burgundiam, præſertim Divioduni, ita ut veſpillones in ſepeliendis mortuis tam occupati fuerint, ut cuilibet peculiare ſepulchrum facere nequiverint, verùm foveam quandam communem, ſicuti communiter ſolet fieri in ejuſmodi luis ſævitia, fodere coacti, in quam aliquot corpora injicere poſſent. Id quod accidit cuidam mulieri nomine Dame Nicole Lentillet, quæ tum temporis peſte quoque per aliquot dies laborans, ſubitò ἔκστασιν, ſeu potiùs, ut perſæpe in hac lue contingit, in συγκοπὴν incidit, qua aliquandiu detenta, mortuam eſſe judicabant; ideò ſub veſperam à veſpillonibus in foſſam communem cum aliis ſepeliebatur: ejuſmodi enim corpora mortua non diu retinentur, quia citiſſimè putreſcunt, ut ſic alios inficere poſſent, niſi quamprimùm terræ commendarentur, ut plerumque in tali luis furore ubique fieri ſolet. Quæ ibi per totam noctem jacens, ſub auroram ad ſeſe rediit, animumque collegit, neſciens tamen, quonam in loco eſſet, neque egredi potens propter debilitatem, & pondus aliorum corporum mortuorum, ac terræ, clamare incœpit, ſed quoniam longè ab hominibus diſtabat iſte locus, neque ullus propter fœtorem & timorem illuc appropinquabat, exaudiri nón potuit; quæ tamen interim maximè eſuriit, ſiquidem ſpacio quatuor dierum, neque cibum neque potum aſſumpſerit, ad compeſcendam aliquo modo famem, portionem pepli ſui, quo facies ejus obtecta erat, rodit atque comedit. Tandem poſt viginti quatuor horas, & alia corpora à libitinariis inhumanda eundem in locum afferuntur, qui dum ſtrepitum quendam ſuſcitabant, illa iſtum percipit, & tamdiu vociferatur, donec ab aliis exaudiebatur: qui maximè obſtupefacti, intentiùs auſcultant, & vocem humanam eſſe percipiunt, ideò illicò ipſam effodiunt, & reviviſcere videntes, domum ſuam apportant, ubi mox convaluit, & adhuc per aliquot annos Divioduni degit. Poſtmodùm propter ortam religionis diſſenſionem Lauſannam ſe contulit, & illic adhuc diu feliciter cum ſuo marito vixit: ac tantummodò ante quatuor, vel ut plurimum quinque annos placidè in Domino obdormivit. Hunc caſum ipſamet ſæpiſſime ſuis commenſalibus enarravit, ex quorum numero eſt (uti mihi retulerunt) Prudentiſſimus atque Conſultiſſimus Vir D. Cancellarius hujus Comitatus, Compater meus, & frater ipſius Germanus Jonas Horicæi, ac Reverendus D. Bernhardus Gelius junior, verbi Dei miniſter Vallanginenſis, compater quoque meus honorandus.

Planè ſimilem hiſtoriam accidiſſe Lipſiæ, à viro quodam fide digno, mihique familiariſſimo, accepi.

Hiſtoria II.

II. Nec admodum diſſimilis ante aliquot annos hic prope urbem in quodam pago *Courſeille* dicto viſa, ubi Vir quidam ſyncope aliquandiu correptus in linteum (eo enim tempore feretrum nondum erat in uſu) conſuebatur, & cùm ad ſepulchrum apportatus, & jamjam ſepeliendus eſſet, humeros movit, quod cùm adſtantes vidiſſent, ſtatim exſuebant, & domum ferebant: atque diu poſtmodùm ſupervixit, & plerumque poſt à vulgo vocatus fuit, *Mors de Corſeille*. Hoc audivi ab iſtis, qui perſonam illam viderunt & cognoverunt.

Hiſtoria III.

III. Narravit D. Johannes Gaudotus mercator & civis Neocomenſis ſe ſæpiſſimè audiiſſe Bizantii à viris fide dignis, ſequentem hiſtoriam verè ante quadraginta circiter annos accidiſſe.

Doctorem quendam Juris adhuc juvenem fuiſſe, à Vezoul, oppidulo non longe diſtante Bizantio, qui lethargo laboravit, & ſatis diu in ejuſmodi paroxyſmo, nemine tamen præſente, permanſit, hoc de ſe ſciens, ſeparatim in quadam domo peculiari, unà cum ſervo à pedibus, ne divulgaretur, voluit degere, & cùm ſentiret paroxyſmum advenire, ſeſe in ſuum muſæolum incluſit, ita ut ne ſervus quidem quicquam percipere potuerit, & ſolùm eam ob cauſam id reticebat, ne diffamaretur, atque quiſpiam in jam contracturo matrimonio obſtaculum ſibi afferret. Verùm ne quid ſiniſtrè ipſi accideret, ita totaliter illud tenebris committere conſultum non judicavit, ideò prætorem ejus loci D. Mobovam, quem plerumque propter negotia publica domi manſurum exiſtimans, facillimè, ſi quid novi in urbe contingeret, audire poſſe, acceſſit, & ſeriò precatus, ut illud quod ipſi dicturus, nemini revelaret; hiſce promiſſis, Doctor incipit enarrare, quomodo tali ac tali morbo ſubjectus, & aliquandiu tanquam mortuus jaceat, & ſic reperiri poſſet, ne igitur intra diem naturalem ſepeliatur, impedire vellet. Interim nupſit, & diu poſt idem caſus ipſi contingit, quodam enim die, quo prætor in villam ſuam profectus, ibique pernoctavit, uxor autem, quæ planè nihil de hoc caſu, ſicuti nullus parentum ſcivit, putans maritum ſuum mortuum eſſe, omnia præparabantur ad jam ipſum ſepeliendum. Quod cùm prætor fortè fortuitò domum reverſus audiens, & reminiſcens promiſſorum, ſubitò ad ædes accedit, petitque ab adſtantibus, quâ horâ inciderit in hunc paroxyſmum? Reſpondebatur ei, heri ſub veſperam. Tunc ipſe retardando ſepulturam, Doctor paulo poſt reviviſcere incipit, atque ab hinc 16. demum annorum obiit.

Hiſtoria IV.

IV. Idem Gaudotus mihi retulit, ſe à matre ſua aliquoties audiviſſe recitare hanc hiſtoriam, quæ contigit à Verzel, locus in Burgundia, quòd cùm quidam pro mortuo in Eccleſiam jam apportatus, aliquandiu ibi, ſicut fieri ſolet, antequam inhumabatur, in feretro fuerit, aliquis ex patribus aquam benedictam in faciem, quæ non obtecta erat, inſperſit, ipſe expaveſcens oculos aperuit, inde domum elatus, mox ad ſe rediit, ac deinceps circiter octo annos ſupervixit.

Hiſtoria. V.

V. Aliam ſimilem hiſtoriam fertur contigiſſe ante aliquot annos in hoc Comitatu, de D. Jacobo Vaura tum temporis Caſtellano Budriacenſi, qui quoniam aliquandiu Cardialgia laboravit, advocarunt Medicum Friburgenſem, at interim ægrotus paulò ante ipſius adventum in ſyncopem incidit, & cùm Medicus appulerit, proximi ejus accurrunt, dicentes, quòd è vivis diſceſſerit, & mox tumulo mandandus, ipſe nihil aliud reſpondit, niſi ſiquidem adſit, ut corpus ei oſtendatur, antequam in ſepulchrum inferatur, id quod factum, & cùm penitus faciem inſpexerit, dixit, ſe non exiſtimare ipſum mortuum eſſe, itaq; parum pulveris piperis petiit, & illum in nares inſuflavit, de quo ſternutatio excitata, convaluit, & poſt modùm feliciter adhuc diu ſuo officio functus.

Et hactenus de hiſtoriis eorum, qui è vivis reſurrexerunt, & diu ſupervixerunt: poſſent & aliæ multæ afferri, quibus oſtenderetur, quædam corpora quidem nondum omninò mortua, ſepulta fuiſſe, verùm vel quòd propter pondus, vel diſtantiam loci, vel ſpiſſitudinem tumbæ egredi ſeu exaudiri non potuerint, coacta fuerint vitam cum morte commutare: ut relictis multis aliis, unica hacce confirmatur, quam Auguſtæ Vindelicorum ipſamet à viris fide dignis ibi audivi recenſere. Matronam olim quandam honeſtam, ex familia patritia ortam, ſuffocatione uteri laboraſſe, quæ pro mortua habita, cum omnium mœſtitia more ſolito in tumbam concameratam ſub templo ejus familiæ peculiarem ac propriam, ſuper ſeſſibulum fuit poſita, & tum magno lapide oſtium monumenti clauſerunt. Poſt annum unum aut alterum alius ex eadem familia moritur, qui in eundem locum ponendus, lapis ab oſtio revolvitur, & matrona iſta ſupra gradus propè oſtium mortua, ſine digitis in dextra manu invenitur, unde judicabatur maximè credendum, illam tum temporis verè non fuiſſe mortuam, & cum ad ſeſe redierit, exitum hinc inde quidem quærendo, hoſce gradus reperiiſſe, tamen lapidem dimovere, & clamando exaudiri non potuit, atque ut ſuprà etiam oſtendimus, digitos ſuos ad famem palliandam edere, ſicque eo in loco incluſa miſerè vitam ſuam finire coacta fuit.

Haud abſimilem eveniſſe Bizantii hiſtoriam, ſocrus mea, quæ inde orta, atteſtatur perſæpe auribus accepiſſe commemorare.

Ex quibus omnibus evidentiſſimè patet, corpora ſive verè mortua, ſive ferè mortua, non ante diem naturalem eſſe terrâ obruenda.

At vela contrahendo, hæc ſunt mi Domine Fabrici, quæ pro tempore tecum ſcriptis communicare lubuit, ut omnia in meliorem partem interpreteris, obnixè rogo. Vale cum lectiſſima tua conjuge. Datum Neocomi VIII. Calend. Octob. Anno: DISCaMUs InanIa ſeponere. *Apud eundem Hildanum ibidem.*

De peſte graviſſima Lauſannenſi, & nonnullis annotatione dignis, in ipſa obſervatis.

Dom. Danieli Naborovio Med. Doct. &c.
Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Hiſtoriam tuam de admirando, & vix unquam obſervato vulnere capitis, nobiliſſime atque doctiſſime mi Dn. Naborovi, fautor & amice æternum obſervande, accepi, & jamdudum reſcripſi. Adjunxiſſem aliquid de ſtatu familiæ meæ, verùm mens ægrotabat, neque etiam nunc penitus reſtituta eſt, idque non ſine maxima cauſa: Quanta enim adverſa quantaque luctuoſa poſt reditum meum Wormatia, ubi ſuperiori æſtate ad Generoſum virum Dn. Eberhardum Kemmerer *von Wormbs, genannt von Dalberg* vocatus fui, advenerim vix tibi exprimere poſſum. Verùm Deus qui fons eſt atque ſcaturigo miſericordiæ, quique, ut Spiritus ſanctus per Prophetam loquitur, calamum conquaſſatum non conteret, & linum ferè extinctum non extinguet, ſolâ ſuâ clementiâ atque miſericordiâ huc uſque, inter tot miſerias tam publicas, quàm privatas me ſuſtinuit. Peſtis in hac civitate, quæ, uti vidiſti ipſemet, non uſque adeò populoſa eſt, intra paucos menſes, nimirum ab initio Julii uſque ad finem Novembris, ultra duo millia è medio ſuſtulit, ante menſes tamen quatuor ceſſare cœpit, & nunc, laus ſit Deo, omninò ceſſavit. Maligna fuit & vehemens; maligna, quia remedia parum profuerunt, & malignitas morbi remediorum efficaciam longè antecellere videbatur. Vehemens verò, quia multi, antequam vix ægrotarent, extincti fuerunt, qui neſcio quanam vertigine, & virium labefactatione oppreſſi, intra paucas horas, multi verò phrenetici ſecundo aut tertio die defecerunt.

Cæterùm medicamenta, etiamſi multis, cùm à Dn. D. Roſcio Medico excellentiſſimo, tum etiam à me ex arte præſcriberentur, methodica tamen & diligens eorum exhibitio atque applicatio deſiderabatur. Cùm enim neque Medicus, neque pharmacopæus ullus ad provinciam hancce adminiſtrandam conſtitutus eſſet, & eis, qui hìc peſtiferos inviſitant, conſortio hominum interdictum ſit, balneatori cuidam, aliiſque ineptiſſimis & ſordidis hominibus, quos Marones vocant, totum negotium commiſſum fuit. Hinc factum eſt, ut ex centum ægris vix viginti evaſerint. Ex domeſticis meis tres ex hac lachrymarum valle ad beatorum ſedes evocati fuerunt: primò filia mea tredecim annorum ætatis, quam in reditu meo Wormatiâ unà cum uxore graviter laborantem reperi. Poſt dies verò aliquot, cum à febre aliiſque ſymptomatibus ipſam penitus immunem eſſe, exiſtimaremus, & quadam die me inſcio currendo per viridarium, ſupra modum incaluiſſet, & fructibus crudis, atque horariis ſeſe ingurgitaſſet, iterum in febrem incidit, quæ quia bubo in inguine dextro

f

nondum apertus, mox maligna facta fuit, ipſamque antequam vix remedia adhibere poſſem, è medio ſuſtulit. Non diu poſt filiola mea quatuor annorum ætatis, eodem morbo correpta fuit. Illa vomitu tam vehementi vexabatur, ut ne juſculum quidem, multò minus medicamenta retinere poſſet. Exhibui ipſi aliquoties lapidem bezoardicum, ſed propter vomitus vehementiam vix ad ventriculum pervenire potuit: Obiit illa tertia die morbi. Tandem & ancilla in morbum incidit, maximoque fluore alvi ſtatim ab initio torquebatur, & cum ab alimentis, tum etiam à medicamentis tam averſo erat animo, ut nihil ferè guſtare poſſet: illa quarta die morbi vitam poſuit. Uxor mea, & ambo filii graviſſimè quidem laborarunt, omnes tamen per Dei miſericordiam evaſerunt. Lapidem bezoardicum aquæ cinamomi, & cardui benedicti, confectioneque alkermes mixtum, copioſè ipſis maximo cum fructu exhibui. In hac peſte autem nullum eorum, qui aut vomitu, aut fluore alvi laboravit, evaſiſſe ſcio. Sic & omnes ferè, quibus vena ſecta fuit, obierunt.

Non ſolùm autem in hac civitate, verùm etiam in vicinis oppidis & pagis, Viviaci, & Morſearum ad lacum Lemannum præcipuè, graviſſimè graſſata eſt, multoſque egregios viros tum hic, tum in prædictis locis, inter quos viginti tres miniſtri verbi divini, in Diœceſi Lauſannenſi trucidavit. Mortalitas hæc aliquibus in pagis tam vehemens fuit, ut frumenta in agris, uvæ in vineis, & fructus arborum minime colligerentur, ſed beſtiis & avibus relinquerentur. Neque liberæ, & hujus labis expertes fuere ruſticorum & pauperum tabernæ, in ipſis etiam altiſſimis montibus ſitæ, etiamſi inter ſe ſeparatæ nullaque vicinitas & uſus inter ruſticos eſſet. In hac ipſa urbe idem accidit: etiamſi enim ægri eâ, quâ fieri potuit, diligentiâ à ſanis ſepararentur, & alii in xenodochium extra urbem, alii in tabernas, ad id hinc & inde in hortis & viridariis extructas, collocarentur, nihilominus tamen infiniti homines, qui nunquam cum ægris conſortium ullum habuerunt, peſte trucidati fuerunt. Ex quibus ſatis perſpicuum fit, cauſſam hujus peſtis Lauſannenſis & vicinarum partium, non ſolùm propter contagium, verùm etiam propter corruptionem aëris fuiſſe.

Et profectò inſectorum, & præcipuè erucarum copia, quæ ſuperioribus annis, inprimis 1611. talis fuit, ut etiam folia arborum, & olera in hortis omninò depopularetur atque depaſceret, id ſatis ſuperque arguit. Inſecta autem hæc non ſolùm præſagium, verùm etiam ex parte cauſſam hujus peſtis fuiſſe, certum eſt. Præſagium, quia magnam putredinem, ex qua orta fuerunt, præceſſiſſe putredinem demonſtrant. Cauſſam, quia demortua putredinem auxerunt, novamque fecerunt. Præterita æſtate, & quidem illo ipſo tempore, quo peſtis hic graſſabatur, muſcarum copia talis fuit, ut poſt hominum memoriam vix tanta viſa fuerit. Inprimis autem ſordidæ iſtæ muſcæ, quæ eſculenta, & maximè carnem verminoſo excremento devaſtant, præ omnibus aliis ſuperabundabant. Apes, quamvis, ut Plinius lib.10. cap.8. ſcribit, ne floribus quidem mortuis inſideant, hoc tamen autumno fructus, veluti poma, pyra & pruna, quæ noſtrates diſſecant, & ad radios ſolares exſiccant, in ipſa quoque conclavia uſque (quod antea nunquam obſervatum fuit) turmatim ſequebantur, ipſiſque inſidebant. Ex quo colligere poſſumus inſectum hoc percepiſſe, floribus aliquid maligni noctu cum rore ex aere delabente communicatum fuiſſe, & proinde ex fructibus iſtis, jam antea manibus hominum confricatis, & aere nocturno minime expoſitis, alimentum ſuum potius, quam ex ipſis floribus quæſiviſſe.

Neminem autem (quod notandum) eorum qui fonticulos in brachiis & cruribus habuerunt, præter unum aut alterum ſummè cacochymicum) peſte obiiſſe memini, & proinde præſentaneum præſervativum eſſe tempore peſtis, cùm in aliis multis, tum etiam in memetipſo obſervavi. Ego enim duos habeo, alterum in brachio ſiniſtro, alterum in poplite dextro.

Interim dum peſtis hic tam vehementer graſſabatur, per intervalla, & quidem ſæpiſſime in inguine dextro, (in quo ante annos triginta, cum peſte graviſſime laborarem, bubo peſtiferus mihi ruptus fuit) dolorem ſenſi, ſumpto tamen alexipharmaco ex lapide bezoar, cornu cervi, aqua cinnamomi, & cardui benedicti, mox evanuit dolor ille, ſed verſus fonticulum in poplite deſcendit, ibique exacerbatus eſt, & nonnunquam per diem unam aut alteram, cum inflammatione & intumefactione cruris continuavit.

Circa fonticulum quoque in brachio materiam aliquam flatulentam collectam fuiſſe, percipere potui. Muſculus enim anterior cubitum flectentium, in cujus medio ferè fonticulus eſt, per intervalla adeo tremebat, agitabaturque, ut adſtantes non ſolùm agitationem & motum, verùm etiam brachio admota aure, veluti crepitum quendam perciperent: Nullus tamen aderat dolor, & nunc per Dei miſericordiam omninò remiſit tremor ac palpitatio illa. Putaſne mi nobiliſſime D. Naborovi, hanc peſtiferam aliquam materiam, ſed flatulentam fuiſſe, eamque naturam verſus fonticulos veluti ad cloacam expuliſſe? Atque hæc ſunt vir nobiliſſime, quæ de ſtatu familiæ meæ in præſens ad te ſcribere potui. Quod ſupereſt, Deum Opt. Max. ſuppliciter oro, ut in poſterum miſereatur noſtrum, teque quàm diutiſſimè conſervare velit. Vale & æternum feliciter vive. Dabam Lauſannæ 20. Martii 1614. *Idem Obſerv. Cent.* 4.

Hiſtoriæ Peſte correptorum ex Clariſſ. Paulô Barbette.

Hiſt. 1. Præcedentibus aliquot diebus, nempe quinto Julii, homini cuidam ſarcinas componere ſolito ſarcina imponebatur, quam etiam geſtare uxor neceſſe habebat. Uterque bubone peſtilentiali in inguine corripiebatur. Hæc ſomnolenta erat, febricitans & corde anxia, verùm ſudoriferorum emplaſtrorumque extrahentium uſu quotidie reconvaleſcebat, & decimo die integræ ſanitati reſtituebatur. Ille dolore capitis & ad diem quintum leni delirio divexabatur, quo larga admodum Hæmorrhagia laborabat, quæ per biduum cum aliqua intermiſſione durabat. Hæc mihi, ſic docentibus Practicis, erat ſuſpecta: verùm cùm apud animum revolvebam non vires, ſed cephalalgiam, febrem & delirium

inimi-

imminui, nec ad interiora bubonem recedere, metus omnis auferebatur, optimè ſciens humana judicia nunquam eſſe tam certa, ut tempore & diligentia mutari aut emendari non poſſent. Itaque non neceſſarium exiſtimabam hunc ægrum tractare uti alios conſueveram, & ſudoriferorum uſum continuare. Hiſce omiſſis cor refeci, ſanguinis incraſſationem procuravi, & ejus largiorem fluxum ſequentibus medicamentis inhibui.

℞. Aq. roſac. Plantagin. an. ℥ iv. Cinamom. drachm. vi. Sang. dracon. Corall. rubr. præparat. an. ℈ i. Confect. hiacynthor. drachm. i. Spir. ſalis gutt. 8. Syr. berberor. ℥ i ß. Miſce.

Hujus uſu Hæmorrhagia ceſſabat, mens & ſanitas rediĩant: bubo verò ante ſeptimam decimam non curabatur.

Hiſt. 2. Quinque liberorum pater intra ſex ſeptimanarum ſpatium quatuor cum ſecunda uxore amiſit. Sed præſentiſſimum ſolamen & Chriſtiana fortitudo in tam gravi calamitate ſatis poterant animum infirmiſſimum conſolari. Unicum exemplum magis corda penetrat, quàm exquiſitiſſima verborum lautitia. Filia poſt gravem morbum ſuperſtes manſit, & Dei beneficio etiamnum hodie valet. Quarto Septembris, poſtquam unus & alter obierant, febri, anxietate cordis, cephalalgia & bubone corripiebatur, qui interius circa brachii ſiniſtri articulum, muſculi bicipitis tendini inhærebat. Hic non duntaxat inſignem dolorem, in loco quo detinebatur, excitabat, ſed ob conſenſum etiam circa axillas, licèt ibi protuberantia nulla notatur. Illico hoc ſudoriferum exhibui.

℞. Diaſcord. Frac. ℈ iv. Sal. prunell. ℈ i. Aq. alexipharmac. ℥ i ß. Card. bened. q. ſ. Syr. de limonib. ℥ ß. M. F. Hauſtus.

Buboni apponebatur Emplaſtrum divinum.

Sudor largiter ſatis prodibat; ſed ingens dolor brachii, & ex eo delirium, cum vigiliis, poſt diverſorum uſum, Laudanum Opiatum hac forma uſurpare cogebant.

℞. Aq. meliſſ. ℥ i. Card. bened. ℥ i ß. Alexipharmac. ℥ i. Conf. hyacinthor. drachm. i. Julap. roſac. drachm. 10. Laudan. opiat. gr. 2. Miſce.

Sumebat ejus quovis horæ medio, cochl. j. aut ij. ſudor equidem movebatur, ſomnus verò minimè inducebatur. Chirurgus, mutationis gratia Emplaſtrum ſuum peſtilentiale applicabat, ſed nec hujus ope dolor remittebat, itaque ad Ruptorium hoc tandem devenire cogebamur.

℞. Calcis viv. Sapon. nigr. an. q. ſ. Miſce.

Hujus medicamenti opera, dolore tamen in eodem ſtatu permanente, febris valde remiſit, unde ſanitatis ſpes affulgebat. Verùm ante diem duodecimum aut decimum ægram febris in totum non deſeruit, & ante ſextam ſeptimanam bubo non curabatur: nam tota glandula ulcere conſumebatur, & tendinis particula corrupta ſeparari debebat. Interea temporis non exiguus aderat metus putrefactionem profundius ſerpſiſſe, quia ulcus profundum, labia calloſa conſpiciebantur, ſeroſuſque humor inde promanabat. Sed Dei omnipotentia alia incommoda anticipavit, & priorem ſanitatem reddidit.

Hiſt. 3. Menſe Maio Bibliopola quidam furunculis duobus, dolorem moventibus, valde divexabatur: alter ſcroto, alter verò natibus inſidebat. Ad cauſæ ablationem, tumorumque ejuſmodi imminutionem hoc Apozema laxans, per aliquot dies uſurpandum præſcripſi.

℞. Tamarind. ℥ i. Crem. Tartar. drachm. ii. Fol. ſenn. mund. drachm. vi. Rhei opt. drachm. ii ß. Sem. aniſ. drachm. i ß. Coq. ex ſero lactis, colat. ℔ i. Adde Syr. de cichor. cum Rheo ℥ ii. M. F. Apozema.

Tuberculis ipſis imponebatur Emplaſtr. diach. cum gummi, cujus etiam uſu in tempore tollebantur.

Idem 26. Auguſti, quo tempore peſtis in hac urbe graſſabatur. Bubone inguinis corripiebatur. Quem ubi, inquiſitione legitima inſtituta, interrogationi ægrotantis æquè ac uxoris ſatisfacere coactus, peſtilentialem declaravi: mirum dictu, quam conſternata utraque perſona: alterationem tamen hanc facile ſuſtuli, periculum vitæ hic nullum adeſſe, affirmando. Optimè enim æger ſe aliàs habebat, à febri & anxietate cordis totus liber erat. Sudoriferum nihilominus non unum exhibui. Chirurgus quoque Veſicatorium impoſuit, deinde Emplaſtra & Cataplaſmata attrahentia, atque ita quatuor ſeptimanarum ſpatio bubo integrè, abſque ulla ſuppuratione diſſipatus eſt.

Hiſt. 4. Juvenis Embanus 26. annor. incidit in febrem continuam, ſomnolentiam, labiorum tremorem, linguæque nigredinem & ſiccitatem, quare de morbi malignitate non multùm dubitabam. Duodecimo Auguſti in morbum incidit, & trigeſimo reſtituebatur. More ſolito manè & veſperi ſudoriferum præſcripſi, & pro potu ordinario utebatur hoc Julapio.

℞. Aq. card. benedict. ℔ i. Alexipharm. ℥ ii. Julap. roſac. ℥ ii ß. Spir. ſalis gut. viii. Miſce.

Die tertio Petechiæ ſe oſtendebant toto corpore; nec ſomnus, nec labii tremor, ullo modo imminuebantur, vomitus tamen nullus accedebat. Sudoriferum hoc exhibebam.

℞. Sal. Scordii, Card. benedict. an. ℈ i. Ant. diaphoretic. ℈ ß. Oc. cancr. contuſ. gr. xii. Aq. prophylact. noſtr. Menthæ, Syr. è ſucc. card. bened. an. ℥ i. M. F. Hauſtus.

Hujus uſu Febris multum remiſit: die octavo Aphthæ apparebant, ad quarum ſeparationem hanc Mixturam, cochleatim ſumendam, præſcribebam.

℞. Succ. ſemperviv. major. ℥ ß. Aq. prunell. Portulac. an. ℥ i ß. Vitell. ovi num. j. Syr. violar. compoſ. drachm. vi. Miſce.

Bis terve iterata eſt hæc Mixtura, non neglecto interim eclegmate ex Syr. Portulacæ & Violarum. Horum uſu Aphthæ ſublatæ, & Febris curata eſt, nullo purgante exhibito, nullaque Venæſectione inſtituta.

Hiſt. 5. Decimo octavo Auguſti N. N. & ejus uxor in morbum inciderunt. Eos cùm prima vice viſitabam, liberorum aliquis agonizabat. Mater erat ſomnolenta: oculi ſe bene habebant, febris parva aderat, lingua humida, & cor robuſtum: ſed in inguine bubo conſpiciebatur, & ſeptimum agebat graviditatis menſem. Eadem nocte peperit, quod inſtantis mortis ſignum pronunciabam, & verum expertus ſum; nam altero die horâ decimâ matutinâ obiit.

Patris mens illico non conſtabat: oculi

f

ſcintillabant; & lingua erat ſicca, quæ ſigna ſemper peſſima habui: febris aderat levior, cordis anxietas magna, & urina naturali ſimilis; Poſt uſum ſecundi ſudoriferi ad ſe rediit æger, & lingua humida notabatur; ſed in inguine bubo, & in dorſo carbunculus ſe oſtendebant, cui poſtero die tres quatuorvè alii ſe jungebant, & tunc ſpes ſanitatis affulgebat. Quid deinde fit? Ex adſpectu uxoris emortuæ tantopere alteratur, ut bubone ad interiora recedente, & ſudoriferis nihil operantibus, tertio die mortuus ſit.

Ejuſdem familiæ cognata quædam, vetula, Carbunculo laborabat ſine febre, hæc conſueto noſtro more novem dierum ſpatio curabatur.

Hiſt. 6. Conjux mea jam fermè ad geſtationis metum pervenerat, cùm ejus obſtetrix opem meam implorabat. Veſtibus induta lectum petierat, de quo cùm ſurrexiſſet, greſſus tremulus indicabat vel vires periiſſe, vel cerebrum non benè conſtitutum eſſe. Neutrum me fefellit, nam pulſus erat debilis & mens vaga. In externa ſymptomata inquirens, aliqua adeſſe negabat: nihilominus linguæ ariditas, reſpirationis difficultas, & mira faciei forma me de occulto quodam malo certiorem reddebant. Tandem interrogare pergenti confitebatur aliquam femori dextro puſtulam inhærere; ſed puſtula illa carbunculus erat, ſolidi magnitudinem habens. Sine dubio etiam bubone inguinis laborabat, ſed Chirurgo examen permittere recuſavit. Chirurgus externas curabat, ego ſudoriferum propinabam: ſecundo die vires & mens ipſa magis conſtabant: tertio optimè ſe habebat: ſed incidente veſpera omnia mutabantur. Valdè erat inquieta & non procul à mania: imò eadem nocte mundo valedixit.

Erat muliercula ingenioſa, gracilis & nimis ſciola: ſed vana illa ſcientia, ſi humano more loquamur, ei vitam ademit. Jam ſex dies laboraverat, & ipſa medicinam exercuerat, antequam à me opem petiit: ſumpſerat Mannam cum cremore tartari, deinde Tamarindum, ſed hiſce nihil effecit: itaque malignitatis quid ſubeſſe ſuſpicans aquæ Alexipharm. ℥ j. ſumpſit: hæc multò erat debilior quàm ut morbum tolleret. Denique conſilio meo uti cœpit, ſed duntaxat per biduum: nam tertio die (quicquid etiam monueram) linteamina & capitis & lecti mutari fecit, lactiſque ſero in quo Tamarindus erat decoctus, uſa fuit, unde alvus multò laxior, quàm par eſſet. Ego cum indignatione bonum eventum exſpectabam, ſed peiora mala, & tandem mors appropinquarunt.

Hiſt. 7. Eodem tempore ſuſpicabar Helenam van Wyngaerden ancillam noſtram non bene valere, ſed nihil confitebatur. Illa nocte in eodem cum filiola, tunc temporis tertium annum agente, lecto dormiebat. Sequenti die aderat vehemens vomitus, Cephalalgia, cordiſque anxietas præſertim cùm è lecto ſurgeret. Oculi rubicundi apparebant, lingua ſe bene habebat, & febris levior aderat, Illico ſudoriferum exhibui, nam ante tres dies ædes infectas, me inſcio, viſitaverat. Die tertio bubo accedebat in ſiniſtro inguine. Sudoriferorum uſus quotidie reiterabatur, & Chirurgus ſecundùm artem bubonem curabat, & ſic ante diem 14. ſana ad munia domeſtica rediit, & uxori meæ, poſtquam divina favente gratia 25. Septembris 1655. filium ſatis ſanum in lucem protuliſſet, subminiſtravit.

Hiſt. 8. Filia N. Domer. 11. Septembris conquerebatur de dolore Capitis gravi: linguæ nigredo & ſiccitas, Cordiſque anxietas aderant. Primo, ſecundovè die ſudor provocabatur, tertio ſe ſanam profitebatur. Lingua humida, dolor, febris, & anxietas, abierant. Sudorifero nihilominus uti ſuadebam, ſed illa ſurgebat, comedebat, bibebat, publico ſe exponebat, nocte tota bene dormiebat: verùm matutinis horis ſymptomata antè dicta recurrebant, quibus veſpera Petechiæ accedebant, & ſequenti die vicini, qui defunctam in ſtramine reponebant.

Hiſt. 9. N. N. jam per ſex dies graviter ægrotaverat, cùm advocarer, die 20. Aug. Mens erat vaga, lingua nigra & arida, cor angebatur, oculi fixi, manus tremula, genæ inhærebat Carbunculus ingens, cujus cauda uſque ad mentum ſe extendebat, quod durum etiam & valdè intumefactum erat. Minabatur is continuum incrementum, ſiccus enim admodum, inflammatuſque, & certis terminis necdum circumſcriptus apparebat. Faucium dolor accedebat, (lethale mihi ſignum) febriſque intenſa. Forti ejuſmodi nodo durus quærendus erat cuneus; quapropter (rationi, experientiæ, authoritatique celebrium Medicorum, recentiorum æquè ac veterum, inſiſtens) Cauterium actuale virili animo commendabam, quod etiam à Chirurgo illico applicabatur ſine ullo ægrotantis dolore. Peracta hac operatione mane hora decima; à meridie intra 4. & 5. pus apparebat, ſepararique eſchara inſpiciebat, nec Carbo ulterius proſerpebat, quæ omnia, non ſcio, à quo medio alio exſpectari potuerint. Sudor interim largiter prodierat, omniaque reconvaleſcentiæ ſpem amicis adferebant, nobis haud ita, utpote quibus morbi hujus infidi natura nota erat. Veſpera hac ſudoriferum rurſus adſumebat, & placidè ſatis de nocte dormiebat. Die 21. mane gena affecta humiditatis parum exhibebat, & febris in eodem manſit ſtatu, uti & noſtra ſpes. Loco intra digitum Indicem & Longum medio Carbunculus dolorificus ſe offerebat, totum brachium in conſenſum trahens. Malum hoc animum noſtrum rurſum turbabat, & antea adhibitum medium urgebam. Itaque cauterium actuale denuò producebatur, quod æger ſine magna vociferatione tulit. Deinde Julapium ſudoriferum præſcripſimus præter alimenta nutrientia, ſed nullus prodibat ſudor. Horâ quartâ poſt meridiem loca affecta valdè ſicca apparebant, & nos de infelici eventu certiores reddebant. Circa horam nonam veſpertinam, alius advocabatur Chirurgus, qui à tam potenti remedio alia exſpectaverat; interim omnia à nobis in hoc caſu peracta peragendaque approbans. Media nocte ſummè delirabat, ſic ut in lecto ab adſtantibus detineri haud poſſet, circa auroram ſeq. diei quieti ſe dabat, & poſt horam unam atque alteram ſempiterna quiete fruebatur. Adſtantes me exiguo interjecto tempore negligentiæ accuſabant; ſed illorum ingratitudinem reprehendebam, & opinionem ſine fundamento, miſericordiâ imbutus, ridebam, agens Deo gratias

me

me nihil omiſiſſe quæ ars & conſcientia exigere videbantur.

Hiſt. 10. Uxor Cornelii Janſonii 50. annorum jam biduum decubuerat, cùm bubone in inguine affligeretur: corde valdè erat anxia: febris levis aderat: oculi (quorum in omni ægro rationem habere ſoleo) ſe bene habebant. Quamprimùm ſudor prodibat, meliùs ſe habere incipiebat, anxietas illico tollebatur, febris autem poſt paucos dies. Bubo, præmiſſo veſicatorii uſu, Emplaſtro Magnetico Arſenicali à Chirurgo curabatur. Illa 18. Septemb. ægrotare incipiebat; & 23. Filius Cephalœa corripiebatur, medicamenta omnia reſpuebat, die tertio moriebatur. Illa vero bene ſana vivit.

Hiſt. 11. Everardus Teſſelaer Oenopola, vigeſimo octavo Septembris univerſi corporis frigore & deinde ſummo æſtu corripiebatur: aderant præterea anxietas cordis & pectoris, Nauſea, Cephalalgia, oculorum ardor, manuum tremor, inguinis dextri dolor intenſiſſimus, ubi tamen præternaturalem intumeſcentiam non preſentiebam. Morbum quo laborabat Febris peſtilentialis nomine inſignivi, quo audito opem flagitare cœpit. Ex primo ſudorifero dolor capitis & inguinis remiſit vomituſque ceſſavit: ex ſecundo dolor tolerabilis erat; ex quarto in totum ſublatus, febriſque curata. Itaque brevi temporis ſpatio ad meliorem hunc ſtatum redactus, maligna febri laboràſſe negabat, ac proindè ſurgebat & in publicum prodibat. Magnam Dei gratiam, & contrà ejus ingratitudinem deſcribebam, gravioreſque pœnas prædicebam; imò multis demonſtrabam ipſum tam firma nondum frui ſanitate, quin facillimè recidivam pati poſſet, niſi medicamentis corroborantibus & ſudoriferis mediocrem ſanitatem ulteriùs fulcire pergeret. Hoc non credit, ſive ignorantiâ, ſive perverſo aliorum conſilio inductus, niſi poſtero die, cùm hoſtes ſupra nominati ipſum denuo invadebant, ut & uxorem ipſius, quæ primò inguinis dolore corripiebatur, ubi ſe deinde bubo prodebat. Tum admonitionum mearum veritas ſe manifeſtabat; quæ veram pœnitentiam ipſis extorquebat. Verùm mortis metu commoti, continuò opem huic malo implorabant. Monebam, ut eam à Deo, quem ad iram provocaverant, obnixè peterent, promittens me etiam præſtiturum, quod ars exigere videretur. Sudorifera illis præſcripſi, & dicto magis audientes quàm antea, intra novem dierum ſpatium curabantur: Sed in muliere bubonis veſtigia quarta adhuc ſeptimana apparebant.

Hiſt. 12. Albertus N. poſtquam contra conſilium quod ipſi ſuggeſſeram cadavera aliqua ex variis peſte infectis ædibus ad tumulum juxta alios portaverat, & ſecundo die Octobris cùm idem obſequium vicino cuidam præſtitiſſet, totum corpus ex illo tempore turbatum valdè habuit, quod per totum diem diſſimulabat, ſed veſperi lectum petiit. Tam multa malignitatis ſigna occurrebant, ut illa nequaquam in dubium vocare poſſem. Mens optimè conſtabat, oculi non erant inflammati, lingua humida, febris parva, ſitis non magna, & totum corpus ab externis accidentibus liberum: ſed ſumma cordis anxietate premebatur, & pulſus, moderatè eum digitis attingens, planè evaneſcebat; ad vomitum & ſomnum valdè erat proclivis, & facies agoniſanti ſimilis. Vomitus illico tollebatur eorum medicorum uſu, quem ſupra indicavi, ſed ſudor tardè prodibat. Poſtero die ſudoriferum fortius præſcribebam, quod moderate ſudores provocabat. Verùm ſitis augebatur, & me invito magnam cerevisiæ copiam hauriebat; hunc rurſus vomitum excitabat, & ego Diarrhœam metuebam, quandoquidem de ventris dolore querebatur. Qua de cauſa loco cereviſiæ hanc mixturam ipſi cochleatim permiſi.

℞. Aq. roſac. ℥ij. Card. benedict. ℥iv. Menthæ, ℥i. Aq. cinamom. drach. iii. Prophylact. noſtr. ℥i ß. Syr. myrtin. ℥ ii. Miſce.

Veſperi vero hoc ſumebat Sudoriferum.

℞. Conf. hiacynthor. ℈i. Theriac. Diaſcord. an. ℈ ii. Sal. corallor. gr. xv. Aq. prophylactic. noſtr. drachm. x. M. F. Hauſtus.

Hiſce adhibitis multò videbatur meliùs habere, & mediocri ſomno iſthac nocte corripiebatur, imò & vomitus ceſſabat. Tertio die de Naſi dolore conquerebatur: hunc cùm luſtrarem, ſiniſtram alam duram & rubicundam magis inveniebam, & naſi partem interiorem anthrax occupabat, cui Emplaſtrum divinum applicabam, interim ſudorifera & refrigerantia non negligens. Quarto die Naſus frigidus notabatur coloriſque cœrulei, quare omnis mea ſpes evanuit; nam carbunculus ſe ad proceſſum mammiformem extendebat, & pulſus parvus, æqualis obſervabatur. Reiterabam ſudoriferum, ſed ſine ſucceſſu; nam circa meridiem varia ſe mortis ſigna offerebant, licèt mens optimè conſtaret. Animam ipſi ſanam exoptabam; & ita viro probiſſimo valedicebam, & ipſe poſt duas horas fallaci mundo ſuiſque amicis.

Hiſt. 13. Uxor Magiſtri Johannis, Chirurgi hujus civitatis ordinarii, die Mercurii menſe Septembri circa veſperam à concione redibat, ſed non bene ſe habebat: poſt duas horas febri corripiebatur cum ſomnolentia cordiſque anxietate. Hoc ſudoriferum præſcribebam.

℞. Diaſcord. Frac. drachm. i. Conf. hiacynthor. Lap. prunell. Sal. ſcord. an. ℈ i. Aq. prophylactic. noſtr. ℥ i. Betonic. q. ſ. Syr. è card. bened. ℥ ß. M. F. Hauſtus.

Sudoriferum hoc nihil præſtabat, & malum omen exiſtimabam: poſtero die validius præſcripſi, quod mane ſumebat.

℞. Theriac. Diaſcord. an. drachm. i ß. Aq. prophylact. noſtr. ℥ i ß. Sal. card. bened. ℈ i. Syr. de limonib. drachm. vi. M. F. Potio.

Hac potione nihil effeci, quare metus augebatur. Veſperi mutationis gratiâ hunc hauſtum exhibui.

℞. Sal. abſinth. Scord. Prunell. Ant. diaphor. an. ℈ i. Syr. è ſucc. card. bened. ℥ i. Aq. prophylactic. ℥ ii. M. F. Hauſtus.

Hic hauſtus ſudorem provocare cœpit: anxietas cordis erat minor, ut & febris: tertio die petechiæ, & paulò poſt liberorum lachrymæ, matris ſollicitæ mortem deplorantes, prodierunt.

Poſt octiduum Viduus horâ matutinâ ſeptimâ peſte infectos ægros viſitabat: circa horam octavam cubiculum quoddam ægrum viſendi gratia aſcendebat: Vix è ſacco inſtrumenta produxerat (inquiens, an jam non in tem-

pore accedo?) quin ſubitò ſe ad ſedile contulerit, in quo ad meridiem uſque ſine ullo motu permanſit: accedentibus filio ſervoque ſurgebat, qui ipſum domum ducebant. In platea mediocriter ſe gerebat, ſed oculi erant clauſi, & vix verbum proferre poterat. Illico ad lectum conducebatur, & circa horam primam gravi ſomnolentia corripiebatur, quam Coma ſoporoſum appellabam, nam poſt crebram vociferationem, duas voculas tantùm emittebat. Enema ſtatim injici curabam, verticemque hoc linimento illiniri:

♃. Ol. majoran. ℈ i. Rutac. drachm. i. Succin. rectificat. ℈ i. Roriſmarin. ℈ß. Miſce.

Interim & filiæ natu maximæ, ut nares foliis Tabaci ad ſternutationem provocaret, demandabam. Internè ſæpenumero aliquid hujus mixturæ uſurparet.

♃. Aq. Antiepileptic. Prophylact. noſtr. Betonic. Syr. de Stœchade an. ℥ i. Miſce.

Clyſter optime injiciebatur, ſed ſine fructu effluebat. Folia Tabaci nihil efficiebant; & mixturæ parum ſumpſit. Circa veſperam aliud Enema præparabatur, pulviſque ſequens ſternutatorius ad piſi magnitudinem flatu in nares immitebatur.

♃. Flor. lilior. Convall. Fol. majoran. an. ℈ß. Hellebor. alb. gr. iii. M.F. Pulvis tenuis.

Vix hic pulvis adhibebatur, quin eo ter quaterve ſternutatio excitabatur, & æger non exiguam materiæ purulentæ copiam (quæ tamen bonæ notæ erat) non per nares ſed per os emittebat, cujus & aliquam partem deglutiebat, quia jam mens deficere incipiebat. Quod reliquum erat in ore remanebat, & compreſſis genis tantùm prodibat, quod nucis avellanæ magnitudinem exæquabat. Hinc certò conjiciebam in cerebro abſceſſum latere; quare neque ejus liberos ulla ſanitatem recuperandi ſpe fovebam; præſertim cùm tanta evacuatione nec mens rediret, nec aliud levamen notaretur; imò contrà vox in totum periret: hinc pectoris ſtridor, & brevi poſt finis ſequebatur.

Paucis interjectis diebus liberi duo & ancilla ſubita morte rapiebantur. Servus bubone ſub axilla affligebatur, ſine ulla febri: ipſe veſicatorium applicabat, & bubonem porrò medicamentis attrahentibus curabat. Deinde filia natu minima, & poſt tres dies filius natu maximus optimè educatus & ingenio præditus in morbum inciderunt, ſed pari paſſu omnia medicamenta reſpuentes jam mortuos amicos ſequebantur. Denique & filia natu maxima & filius natu minimus hoc malo afficiebantur. Hic febricitabat, ſed graviter non ægrotabat: de filia malè ſperabam: uterque bubone inguinis laborabat: ſed in illa octavo die Aphthæ conſpiciebantur, quæ febrem & totum morbum tollebant. Hæc familia ex decem conſtabat perſonis, qui omnes peſte laborarunt, ſeptem interierunt, tres ſanitati reſtituti. Qui in hoc morbo nulla malignitatis ſigna conſpicit (uti mirabiles & ratiocinationes & ratiocinatores in mundo reperiuntur) huc adſit & aliud diſcat. Malignitas inoffenſo pede procedit, & nimium curioſorum garritum parum curat.

Hiſtoriæ Peſte affectorum è Clariſſ. Isbrando de Diemerbr.

Hiſtoria I. Ancilla Antonii Vos, Mercatoris vini, anno 1635. Novembris ægrotare cœpit; circa veſperam ad illam vocatus fui. Inveni ipſam magna cordis anxietate preſſam, & febricitantem, cum capitis gravativo dolore, ac pulſu parvo, crebro & aliquantùm inæquali: vires tamen non multùm dejectæ erant. Duas parvas puſtulas magnitudinis ſeminis aniſi, rubicundas & dolentes, alteram in mamma dextra, alteram in medio oſſis ſterni habebat, quæ anthraces erant incipientes, certa peſtis indicia. Præſcripſi hunc hauſtum ſudoriferum, à quo bene, & totâ ferè nocte ſudavit, cum magno levamine:

♃. Extracti cardui benedicti, ſalis abſinthii, an. ℈ i. ſalis cardui ℈ ß. theriacæ Androm. drach. i. aquæ theriacalis, & cardui bened. an. ℥ i. olei vitrioli gut. xv. Miſce, fiat hauſtus.

Poſtridie vidimus prædictas puſtulas ad unguis pollicis latitudinem increviſſe, & jam perfectos eſſe carbunculos nigricantes, in ſuperficie veſiculam habentes, quâ pertuſâ & ablatâ effluxit ichor niger ac venenatus, & ſub illa veſicula latens carbunculus denudatus eſt, cui impoſuimus unguentum ex Apoſtolorum & baſilici ana part. æq. ſuperinjecto emplaſtro diachylo cum gummis. Ad ſitim hoc julapium præſcripſi:

♃. Aquæ cardui benedicti, ℔ i. ſcabioſæ, & acetoſæ, an. ℔ ß. ſyrupi de ſucco citri, ℥ ii. olei vitrioli q. ſ. ad gratum acorem, Miſce fiat juleb.

Reïteratus ſtatim poſt meridiem reïteratus fuit prior hauſtus ſudoriferus, à quo cùm rurſus optimè ſudâſſet, anthrax qui in medio oſſis ſterni erat, ſe extendit ad latitudinem ſemi daleri imperialis. Tunc pulticulam noſtram ad carbunculos (lib. 3. cap. 13. deſcriptam) quam interea præparari curaveram, anthracibus imponere, & ter de die renovare juſſi 8. Novembris, hoc conditum præſcripſi, de quo ter quaterve de die ab apice cultri particulam magnitudinis avellanæ comêdit:

♃. Specierum liberantium drach. i. radicum helenii condit. cortic. aurantiorum cond. an. ℥ß. diaſcordii Fracaſtorii, drach. ii. ſyrupi acetoſitatis citri q. ſ. Miſce, fiat conditum.

Reïteratum quoque fuit antedictum julapium 12. Novembris anthraces à vicinis partibus ſeparati ſunt; quibus extractis, unguentum mundificativum de apio cum unguento Apoſtolorum miſtum, ter quaterve impoſitum fuit, deinde cum unguento aureo cavitatibus carne repletis, & emplaſtris ad cicatrizationem perductis, ægra convaluit. Toto morbi tempore alvus ſatis reſpondit, & præter anxietatem (quæ poſt ſecundum ſudorem unà cum febre ceſſavit) alia valde gravia ſymptomata non ſupervenerunt.

Annotatio. Anno 1635. æſtas erat calidiſſima & ſicciſſima, eo nomine clara, quòd tunc temporis duo potentiſſimi (nempe Regis Galliarum & Hollandorum) exercitus ſimul conjuncti in Brabantia Lovanium obſederant. Hac æſtate circiter Junio menſe febris quædam maligna & peſtilens Noviomâgi paſſim graſſari cœpit, quæ poſtea adventu utriuſque dicti exercitus plurimùm adaucta, maximam ſtragem edidit. Hujus febris curatio in principio propter mali novitatem difficilior viſa fuit; ſed non diu pòſt compertum eſt, venæſectiones ter quaterve, & interdum

dum pluries reiteratis, ad hujus morbi curationem primarium ſubſidium attuliſſe, aliorumque lenientium, refrigerantium, ſudoriferorum & alexicacorum medicamentorum uſu accedente, à maximi illius hoſtis injuriis plurimos fuiſſe liberatos. Circa finem Septembris febris hæc valde imminuta eſt, ita ut multò pauciores ægrotarent; ſed in multis eorum quos tunc morbus tenebat, maculæ exiguæ rubræ & purpureæ in corporibus apparuerunt, certa indicia febris illius peſtilentis quam purpuream, petechialem, peticularem, vel lenticularem appellant Medici. Circa medium Octobris varii abſque his maculis febri cum ſumma anxietate correpti, ſubito intra biduum vel triduum interierunt, & venæſectiones antea valde utiles, tunc inutiles, imò noxias evaſiſſe, compertum eſt. In principio Novembris certiſſima peſtis ſigna in ægrotis apparere cœperunt, atque exinde dira labes paulatim per urbem diſperſa fuit.

Hiſtoria 2. Petrus Vervoort, cujus ædibus Regina Angliæ pro inſigni erat, vir robuſtus, 24. Januarii, anno 1636. peſte correptus fuit. In ipſo principio meum conſilium imploravit. Vomebat, valde anxius erat, cum pulſu celeri & inæquali, capite dolebat, & durum in altero inguine ſentiebat tumorem. Tale ſudoriferum ſtatim præſcripſi, quod circa veſperam aſſumpſit.

℞. Confectionis de hyacintho, ſalis ſcordii, ana ℈ i. ſalis cardui bened. ℈ ß. theriacæ Androm. diaſcordii Fracaſt. an. ℈ ii. aquæ theriac. & cardui bened. ana ℥ i. olei vitrioli gut. xii. Miſce, fiat hauſtus.

Tota nocte vehementer ſudavit, idque vigil, nam primis octo horis à ſomno abſtinere juſſeram. Omnia prædicta ſymptomata hoc unico ſudore ceſsârunt; ipſe quoque tumor in inguine evanuit, atque æger ſequenti die mediocriter valuit. Deinde per aliquot dies quotidie bis terve particulam hujus conditi ſumpſit:

℞. Pulveris bezoartici drach. i. radic. helenii condit. cortic. aurantiorum cond. an. drach. iii. theriacæ drach. i. diaſcordii drach. ii. ſyrupi de ſcordio q. ſ. Fiat conditum.

2. Februarii, cùm ſe jam planè ſanatum eſſe ſentiret, & alvum tamen per aliquot dies non depoſuiſſet, exhibui pilularum noſtrarum antipeſtilentialium drach. ß. unde bis terve alvum dejecit, nec pluribus medicamentis opus habuit.

Annotatio In velociſſimo hoc morbo ſemper periculum eſt in mora, & ſæpe animadvertimus illos, qui in ipſo principio citiſſimè medicamenta aſſumebant, citò & facilè curatos fuiſſe; principio autem neglecto ſummum periculum ægris impendiſſe. Quod ipſum in ſua Praxi obſervavit quoque Sennertus, nam lib. 4. de febr. cap. 6. ſic ait; Exiſtimo tot homines peſte interire, quòd plerique tardius alexipharmaca uſurpant; multoſque poſſe ſervari, ſi ea citiùs, & antequam venenum humores corrumpere incipit, aſſumerent. Aliquoties enim obſervavi in peſtilentibus conſtitutionibus, quoſdam cùm ſe infectos ſenſiſſent, ſtatim ſumptis alexipharmacis ad ſudorem ſe compoſuiſſe, & poſtea nihil mali ampliùs paſſos eſſe, ſed poſtridie ad conſueta negotia rediiſſe. Contrà ſi curatio protrahatur, & horæ octo vel duodecim jam elapſæ ſint antequam medicamentum aliquod propinatur, centeſimus vix evadit.

Hiſtoria 3. Gerardus Lucas, Cereviſiarius in platea Heſia habitans, peſte cum graviſſima febre affectus fuit: adfuerunt ſumma anxietas, capitis dolor, ardor internus, linguæ ariditas, ſitis, & dolor ſub axilla abſque tumore. Duo aſſumpſit alexipharmaca, à quibus copiosè ſudavit; ſed poſt ſecundum ſudorem loco tumoris ſub axilla magnus carbunculus viſus fuit, è quo ſigno mortem prædixi, quæ tertia morbi die præſagium noſtrum verificavit.

Annotatio. Pauciſſimis loco tumorum in emunctoriis carbunculi naſcebantur; ſed quibus id contingebat, illi moriebantur omnes.

Hiſtoria 4. Jacobus vander Mijl, eques robuſtus & plethoricus, ſe peſte correptus ſentiens cum dolore ſub axilla abſque tumore, ſtatim ſuo ipſius conſilio Chirurgum adiit, & lateris affecti venam in brachio ſibi pertundi curavit. Extractis aliquot ſanguinis unciis domum receſſit: illico magno horrore correptus eſt; acceſſit vomitus enormis, cum ſumma cordis anxietate & virium proſtratione. Tunc ad me concurſum eſt. Exhibui ſtatim hauſtum ſudoriferum, quem cùm evomuiſſet, ſtatim alterum alexipharmacum dedi, quod quidem retinuit, verùm ſudare non potuit. Sequenti nocte febris multùm adaucta eſt, valde ſitiit æger, omnemque aſſumptum potum revomuit: deliravit uſque ad horam ſeptimam matutinam, tunc iterum mentis compos factus, de maxima debilitate, ac dolore ſub axilla conqueſtus eſt: circa meridiem obiit.

Annotatio. Foreſtus in Peſte Delphenſi ad ægros in ipſo morbi principio vocatus, iis ſtatim venam incidit; & addit, omnes illos quibus poſt duodecim horas, vel diem naturalem, vena aperta fuiſſet, mortuos eſſe, vel admodum paucos ex iis evaſiſſe. Nos in hac Peſte Noviomagenſi ne in ipſo quidem principio venæſectiones unquam feliciter adminiſtratas fuiſſe obſervavimus, ſed omnibus quibus ſanguis quocunque morbi tempore detractus eſſet, mortem multò celeriùs adveniſſe.

Hiſtoria 5. Joannes Dubbert magnâ anguſtiâ cum febre correptus, intra biduum mortuus eſt, nullo externo peſtis indicio uſpiam apparente, ita ut illum non peſte, ſed alio quodam morbo extinctum eſſe crederent domeſtici. Verùm cùm corpus jam duodecim horis emortuum ciſtæ ferali imponeretur, viderunt in cadavere poſt mortem multa exanthemata nigra erupiſſe, vera peſtis indicia.

Annotatio. Interdum à fortiore peſtilenti veneno citiùs extinguebantur ægri, quàm natura malignitatis aliquod ſignum foras propellere poſſet, atque tunc interdum etiam poſt mortem aliquod occulti veneni indicium foras prodibat. Quod etiam annotavit Foreſtus lib. 6. in ſcholio obſervationis 12. His (inquit ob virtutem debilem neque petechiæ ab Italis dictæ, neque maculæ, neque bubones vel anthraces apparent, ſed multis poſt mortem magna quidem macula nigra circa dorſum ſpectatur, ut ſi quis, fuſtibus cæſus eſſet, vel ab alto cecidiſſet; quod præter Montanum etiam nos aliquando obſervavimus. Propterea bene monent Medici,

ut tempore graſſantis peſtilentiæ, abſentibus externis peſtis indiciis, ſtatim non temerè judicetur morbum non eſſe peſtilentem, nam ſæpe aut obruitur natura priuſquam illa ſigna prodeant; aut propter virtutis debilitatem, aliâve aliqua de cauſa impeditur, ut illa expellere non poſſit. Sicut variis in hac peſte contigit, inter quos etiam fuit hoſpitis mei filiolus, qui abſque ullo externo peſtis ſigno quarta morbi die obiit; nec etiam poſt mortem ulla ſigna prodierunt; & tamen ipſum peſte laboràſſe & mortuum eſſe, inde ſatis conſtare poterat, quòd eodem circiter tempore adhuc alii duo ejuſdem hoſpitis liberi unà cum ancilla peſte morerentur. Tale exemplum ſe quoque vidiſſe refert Alexander Benedictus lib. de Peſte, cap. 12. in quodam Patricio Veneto, qui peſte abſque ullo externo ſigno mortuus eſt. Cui non abſimile quoque deſcribit Benivenius lib. Abditor. 54. Videantur hac de re quædam ſuprà, lib. 1. cap. 7. annot. 1.

Hiſt. 6. Mulier quædam lotrix nomine Bella (quæ in noſtris aliorumque multorum ædibus linteamina lavabat) inſerviebat Gertrudæ, ancillæ Dimmeri de Raet, quæ peſte laborabat, & in horto decumbebat. Cùm huic ancillæ varia exhibuiſſem medicamenta, & carbunculo ſeparato illa jam propemodum ſanitati reſtituta foret, atque hinc domeſtici Dimmeri de Raet valde lætarentur, vidi tamen mulierem hanc valde triſtem ſæpius alta ſuſpiria ducere, ſæpius lachrymare. Quodam tempore ab ipſa ſeorſim inquiſivi triſtitiæ hujus cauſam. Primò quidem nihil ab ipſa ſcire potui, ſed tandem bonis verbis magnâ importunitate ipſam eò detorſi, ut promitteret ſe triſtitiæ ſuæ cauſam ſecretam mihi indicaturam, ſi juramento aſſerere vellem me nulli de ea quippiam dicturum ante rei eventum. Promiſi quod petiit. Tunc illa cum fletu dicebat, ſciebam ſatis hanc ancillam non morituram, ſed morietur uxor Dimmeri de Raet, quæ me valde amat, ac propterea adeò triſtis ſum. Quærebam unde illud ſciret, cùm illa tunc peregre verſaretur? vidi, inquiebat, ſuper tabulatum in domo illius ad portam magni cubiculi anterioris ſpiritum ejus ſine capite, optimis veſtibus indutum, & clavem portæ haud aliter manu tenentem, quàm ſi januam aperire voluiſſet; quæ ſpirituum viſio mihi familiaris & moleſtiſſima eſt; quorumcunque verò ſpiritus ſine capite video, illi omnes intra paucos menſes moriuntur, cujus rei certum eventum videbis in hac fœmina. Gaudebam occaſionem mihi datam eſſe videndi, anne hæc ſpirituum viſio, de qua multi multa nugantur, aliquid certi contineret. Dimmerus de Raet unà cum uxore tunc temporis Ultrajecti degebat, quò propter peſtis metum diu antè confugerat. Injunxi ſororibus illius ut ipſi ſcriberent, ne domum reverteretur ante hyemem. Quid fit? poſt aliquot ſeptimanas uxor Dimmeri de Raet in urbe illa, in qua ferè nulla peſtis vigebat, & in domo nulla labe infecta, peſte corripitur, & intra paucos dies moritur.

Annotatio. Socrates quondam de ſe ipſo teſtatus eſt, ſe dæmonium habere, non ſemel viſum, ſed toto vitæ ſuæ tempore ipſi familiarem, qui ſemper eum dehortaretur, hortaretur nunquam. Hoc fundamento innixus Plato, qui Socratem virum veraciſſimum eſſe, & pro vita ſervanda nec mentiri, nec turpe quid committere velle ſciebat, docuit ab experientiâ illâ dari dæmones, eamque doctrinam multis veriſimilibus rationibus confirmavit. Poſtea ſuper hac re a multis multùm nugatum eſt: alii dæmones immortales, alii mortales, alii tantùm malos, alii etiam bonos, alii debiles, alii potentes, alii ſentientes, alii inſenſiles eſſe, alii illos etiam coire & generare, alii illos ex duobus vel tribus elementis conflatos, alii meras tantùm ſpecies ab objectis ſeparatas & in aere hærentes, alii intelligentias eſſe, & multò plura hujuſmodi ſomnia tradiderunt, quibus etiam magni Philoſophi multas chartas ſatis inutiliter commacularunt: qua de re in Cardani de Rerum varietate lib. 16. cap. 93. legi poteſt Pſelli mirabilis & ſatis jejuna opinio, cui non ſine ratione ipſius quoque Cardani de dæmonis opinio, loco citato, & lib. 18. de Subtilitate deſcripta, atq; à Scaligero Subtil. Exercit. 335. curioſius examinata, adjungi poteſt. Profectò falli nobis videntur omnes, quotquot ſpirituum non naturalium naturam naturali ingenio comprehendere volunt. Præſtat ſanè hac in parte Litteris Sacris ſimpliciter fidem adhibere, quàm talium ſpirituum ſubſtantiam, quantitatẽ, qualitatem, formam, actiones, aliaque ſimilia, terreſtri cerebro comprehendere, metiri & indagare velle. Sacra Pagina docet ſanctis Viris ſæpius Angelos aliosque ſpiritus apparuiſſe; Prophetas etiam modò has modò illas viſiones vidiſſe, eaque omnia divinitus facta fuiſſe credimus: nonne ergo impium & Chriſtiano homini indecens foret, inquirere velle ex qua materia illi ſpiritus confecti fuerint? quam longitudinem vel gravitatem habuerint; quomodo ad ſuas actiones impulſi, & viſibiles facti ſint? quibus mediis, & per quam viam ab æthere deſcenderint? Sic rurſus diabolicas illuſiones ſæpiſſime quoque factas fuiſſe, eadem Sacra Pagina teſtatur. Ita diabolus in forma ſerpentis loquutus fuit cum totius humani generis prima matre Eva, eamque miſerabili totius poſteritatis lapſu decepit. Sic etiam Satan in forma Samuelis Prophetæ apparuit Saul, eique infortunium ſuum prædixit. Sic Magi Ægyptii plurimis diabolicis artibus Pharaonis omniumque Ægyptiorum oculos mirè effaſcinàrunt. Præter Sacrarum Litterarum teſtimonia notiſſimæ quoque ſunt hiſtoriæ quæ de incubis & ſuccubis, ut & illæ quæ de plurimis ſpiritibus, qui multis apparuerunt, & cum illis loquuti ſunt, paſſim leguntur. Notiſſimum quoque eſt Sagas etiam hodiernas, hominibus quaslibet ſpirituum formas in ſpeculis & vitris aquâ plenis videndas exhibere; ut, ſi furem, vel habituram amaſiam, vel futurum maritum, vel alium videre quiſpiam deſideret, in ſpeculo ejuſdem imaginem integramque formam per apparitionem ſpiritus ſpectandam offerant; idque teſtimoniis plurimorum fide digniſſimorum, qui illa ſpectra viderunt, magis conſtat, quàm ut de eo dubitari poſſit. Quis horum ſpirituum non naturalium naturam naturali ingenio comprehendat? qui illud tentare volet, facilius intra naturalium terminos manens, ventorum gravitatem ponderare, ignis calorem ulnâ metiri, aquarum guttulas montiumque arenulas dinumerare poterit. Diabolum plurimis illuſionibus, ſpectris, vocibus, multorum hominum mentes ſeducere, exterrere, perturbare, atque à

vero

vero Divino cultu divertere; certum eſt; utque magis irretiantur ipſius retibus, ſolet ſæpe vel verbis, vel ſpectris res præteritas ad hominum petitionem cum magna omnium admiratione demonſtrare. Sic quondam narravit nobis ſtrenuiſſimus vir D. Morgant, legionis Præfectus, ſe militem habuiſſe, qui dæmonem ſibi familiarem cujuslibet formæ ſpiritus videndos exhiberet; cumque D. Morgant, his diabolicis apparitionibus nullam fidem adhiberet, aliquod experimentum ſumere placuit in præſentia plurium Nobilium: petiit igitur à milite ut videndos exhiberet hos quatuor Heroës, Hectorem, Achillem, Alexandrum Magnum, & Julium Cæſarem: miles rurſus petiit ne durante viſione quiſpiam verbum mutiret; cùmque facto cum creta in pavimento, circulo rotundo, variis characteribus abſtruſis inſcripto, ſe in medio ejus ſtetiſſet, & obſcuro ſuſurro quippiam ſecum muſſitâſſet ſtatim magna vi aperta fuit cœnaculi (in quo erant) porta, & cum omnium horrore intrârunt quatuor dicti Heroës, unus poſt alium, tali formâ & magnitudine quali vixiſſe dicuntur; cùmque ad alterum cœnaculi finem perveniſſent, eadem viâ lento gradu reverſi per portam denuo exierunt, & janua poſt ipſos magnâ violentiâ ſponte rurſus occluſa eſt. Hæc nobis narravit D. Morgant, qui propter has diabolicas artes iſtum militem è cohorte ſua abegit. Multoties etiam diaboli per ſpirituum apparitiones futura prænunciant, ut hoc modo nonnullos præſciendi & prædicendi cupidine captos alliciant & irretiant: atque tales ſunt illæ ſpirituum viſiones, cujus exemplum in prædicta hiſtoria recenſuimus. Verùm ſatius eſſe arbitramur, ardentibus precibus Deum orare ne nos inducat in tentationem, & omnia talia ſpectra pro diabolicis illuſionibus ſimpliciter habere, quàm talium ſpirituum formam, ſubſtantiam, generationem, & cauſam naturalem cum multis Philoſophis fruſtra inquirere. Sufficiat nobis certum eſſe, hujuſmodi ſpectra à quibuſdam videri.

Hiſt. 7. Petrus de Wildt, qui in platea cervina habitabat, uxorem ſuam peſte jam correptam, & bubonem habentem in inguine (quod tamen malum ipſa celabat) inivit, atque ab ipſa ſtatim peſtem contraxit. Advocatus fuit Chirurgus Egmundus Anglus, qui utrique vomitorium ex vino ſtibiato exhibuit; à quo enormiter vomuerunt, & multos etiam ſeceſſus habuerunt. Circa veſperam ad me concurſum eſt. Inveni ægros adeò delaſſatos & debilitatos ut ſe vix commovere, imò vix loqui poſſent: pulſus erat titubans, & adeò exilis ut vix ſentiretur. Vomendi irriti conatus adhuc graviter ipſos torquebant: alvus etiam ſubinde adhuc aquoſa quædam excernebat. Præmiſſo mortis præſagio, utrique talem hauſtum calidè exhibui:

℞. Theriacæ Androm. ℈ ii. aquæ theriacalis, ℥ i. aquæ cinnamomi, ℥ ß. Miſce fiat hauſtus.

Hinc vomitus quidem ceſſavit, verùm ſupervenientibus crebris animi deliquiis, ſequenti nocte ambo extincti ſunt.

Annotatio. Foreſtus, lib. 6. obſervat. 20. refert hiſtoriam mulieris, quæ peſte cum bubone correpta, cum marito hujus rei ignaro concubuit, qui ab illa ſtatim peſtem furioſam contraxit, illa verò à peſte in totum liberata fuit, & bubo ſtatim evanuit; ita ut maritus, quaſi cum ſpongia, venenum uxoris deterſiſſe, & ſibi ſervâſſe videretur. Credo illam felicitatem pauciſſimis mulieribus à Veneris uſu contingere, ut vitæ ſuæ periculum in maritum tranſmittant; ſaltem prædicta noſtra ægra, præterquam quòd per Venerem à morbo liberata non fuerit, illud etiam infortunium incurrit, quod unà cum marito per naſuti Chirurgi ſtoliditatem perverſo modo curata fuerit vomitoriis ſtibiatis, quæ quidem à Matthiolo, Quercetano, multiſque Chymicis ad peſtis curationem tanquam ſingulare præſidium commendantur, ſed quorum tamen felices effectus in hac peſte videre non potuimus; nam ſi fortè uni aut alteri robuſtiſſimo homini non nocuerint, rurſus aliis quinquaginta certiſſimam mortem induxerunt. Neque id ſine ratione, nam venenata qualitate prædita ſunt, & humores, non venenum aëreum, educunt: præterea corpus graviter perturbant, & vires, quibus ad veneni reſiſtentiam hîc maximè opus eſt, citiſſimè proſternunt, ac naturam inteſtino hoſti reſiſtere impotentem reddunt.

Hiſt. 8. Vice-Capitaneus Biſcot, 26. Aprilis poſt meridiem cœpit malè habere: circa veſperam ſumma anxietate preſſus eſt: totam noctem cum maxima inquietudine tranſegit. Sequenti mane, cùm ipſum inviſerem, vires adhuc mediocriter conſtabant: æger autem de nullo alio malo, quàm de cordis maxima anxietate conquerebatur, præter quam neque ardor, neque capitis dolor, neque vomitus, aliudve malum ſymptoma aderat; imò nec pulſus (qui creber & parvus erat) ullam inæqualitatem percipere potui: æger dicebat ſibi cor tanquam in torculari comprimi & diſrumpi. Exhibui hoc alexipharmacum:

℞. Theriacæ Androm. diaſcordii Fracaſtorii, confectionis de hyacintho, ſalis ſcordii, ana drach. ß. aquæ theriacalis ℥ ii. olei vitrioli gut. x. Miſceantur pro hauſtu.

Hinc fortiter quidem ſudavit, ſed abſque ulla morbi immutatione. Tota die ſæpius cochleare hujus miſturæ ſumpſit.

℞. Conſervæ roſarum rubr. ℥ ß. theriacæ Androm. drach. i ß. diaſcordii Fracaſt. drach. ii. aquæ theriacalis, ℥ iii. ſucci citri, aquæ cinnamomi, an. ℥ i. Miſceantur, & poſt horam unam colentur, adde colaturæ confectionis de hyacintho, drach. i ß. Miſce.

Circa veſperam tale alexipharmacum dedi:

℞. Rad. petaſitidis, & carlinæ, an. drach. ii. rad. dictamni, drach. i ß. foliorum cardui bened. ſcordii, & ruthæ, an. M ß. cortic. citri, drach. iii. ſem. cardui, & citri, an. drach. i. aquæ communis, q. ſ. coquantur, ſ. art. ad ℥ iv.

℞. Colaturæ ℥ iii. theriacæ, ℈ ii. extracti angelicæ, ℈ i ß. ſalis abſinthii, ℈ i. Miſce, fiat hauſtus.

Illa nocte aliquantum ſudavit, ſed abſque levamine. Tertia morbi die reiterata fuit miſtura pridie præſcripta, & mane ſumpſit hunc pulverem cum pauco illius miſturæ diſſolutum:

℞. Lapidis bezoar Orient. gran. xv. pulv. Liberantis, ℈ i. croci or. gran. iii. Fiat pulvis.

Veſperi prodierunt pauca exanthemata purpurea. Sequenti nocte obiit.

Annotatio.

Annotatio. Toto morbi decurſu nullum febrile ſymptoma in hoc ægro animadverſum fuit. nec linguæ ariditas, nec urinæ mala diſpoſitio, aliudve ſimile: cor tamen graviſſimè affligebatur, non quidem ab humorum putredine, ſed à maligna veneni peſtilentis qualitate, quod ſe ſolius cordis ſubſtantiæ firmiſſimè inſinuaſſe videbatur. Sic in pluribus aliis etiam obſervavimus, maximas illas & fixas cordis anxietates, à principio morbi incipientes plerumque mali ominis fuiſſe, imprimis ſi à primo vel ſecundo alexipharmaco nihil imminuerentur.

Hiſtor. 9. Ancillæ Chriſtophori de Four (cujus ædibus Amſterodamum pro inſigni erat) 7. Aprilis tumor peſtilentialis durus, magnitudinis ovi gallinacei, ſub axilla ſiniſtra protuberavit. Ipſa tamen nec febricitavit, nec præter hunc tumorem ullum incommodum in toto corpore ſenſit: omnia ſolita munia obivit ſatis alacriter, excepto quòd præ dolore brachium ſiniſtrum ad lubitum movere non poſſet. Nulla voluit aſſumere medicamenta. Tumori impoſuit emplaſtrum diachylum ſimplex, quo poſt paucos dies maturatio facta, & apoſtema diſruptum fuit, multumque puris effluxit, atque ita hoc malum abſque ullo incommodo ſanatum eſt.

Annotatio. Multi ſtatuunt peſtem eſſe febrem perniciosam, & febrem ita eſſe de eſſentia peſtis, ut ſine febre peſtis nunquam ſit, nec eſſe poſſit. Verùm ex definitionis hujus reciprocatione cum definito, ſequeretur, omnem febrem perniciosam eſſe peſtem, quod abſurdum eſſe, præter rationem docet experientia. Quandoquidem in humano corpore naſcitur multoties pernicioſa febris ſine peſte, & non rarò etiam peſtis febre incomitata invadit, quod manifeſtiſſimè liquet ex iis, qui citiſſimè, quaſi in momento, peſte correpti exſpirant. Interdum etiam cor adeò robuſtum eſt, ut pernicioſam malignitatem ſtatim excutiat ad emunctoria, idque ſine ulla febre, quemadmodum illud apparet ex prædicta hiſtoria, cujuſmodi exempla, durante hac peſte, plura vidimus. Sic etiam Mercurialis lib. de Peſte, cap. 6. refert in Peſte Veneta multis inguina atque alas ſubtus intumuiſſe, nec non varia tubercula ſponte prorupiſſe, ſine ullo inſigni detrimento. Hac de re plura videantur lib. 1. cap. 11. annotat. 2.

Hiſtoria 10. Uxor Jacobi Baerſvelt, mulier fortis circiter triginta annorum, peſte correpta, carbunculum habuit in latere dextro ſupra coſtas ſpurias: aderat etiam febris cum maxima anxietate & inquietudine. Sumpſit varia ſudorifera & antidota, quibus non obſtantibus morbus in eodem ſtatu continuavit uſque ad diem quartum, tuncque menſtruorum fluxus copioſior acceſſit extra ordinarium periodi tempus. Quod cùm mihi indicâſſet, ſtatim tale ſudoriferum exhibui:

℞. Coralli rubri præparati, terræ ſigillatæ, cornu cervi uſti, an. ℈i. diaſcordii Fracaſtorii, drach. i. aquæ theriacalis, aceti vini rubri, ana ℥i. Miſceantur pro hauſtu.

Juſſi etiam ut ſæpius de die comederet particulam hujus conditi:

℞. Specierum diatrium ſantalorum, ℈ii. trochiſcorum de terra ſigillata, ℈iß. florum ſulphuris, ℈i. conſervæ anthos, drach. iii. & roſarum rubr. drachm. vii, diaſcordii Fracaſt. drach. iiß. ſyrupi granatorum acid. q. ſ. Fiat electuarium.

His duobus medicamentis fluxus ille paulatim rurſus imminutus eſt, ſed tamen ante diem quintum non omnino ſubſtitit. Carbunculus impoſitione pulticulæ ad anthraces brevi ſeparatus, & ægra priſtinæ ſanitati reſtituta eſt.

Annotatio. In hac peſte menſtruorum fluxus criticus (qui alioqui ſalutaris eſſe ſolet) periculoſus erat; nam multoties obſervavimus, ſi in ipſo principio antidotis aſtringentibus paulatim non cohiberetur, quòd poſtea ut plurimùm nullis remediis coërceri poſſet, ſed ægras dejectis viribus citiſſimè occideret. Eapropter in hoc caſu non videtur ſequendum conſilium eorum, qui hunc fluxum critica die apparentem, non cohibere ſed aperientibus medicamentis adjuvare ſuadent, Vide hac de re lib. 3. cap. 10. annot. 1.

Hiſtoria 11. Chirurgus quidam caſtrenſis, ante Schenckii Munimentum in caſtris peſte correptus, & ſtatim è regione Noviomagi ad pagum Lent delatus, atque ibidem in exiguo conducto cubiculo à ſociis militibus depoſitus eſt. Hunc 12. Aprilis poſt meridiem inviſens, febricitantem & valde debilem atque anxium inveni, cum pulſu inæquali, crebro & duro, ac lingua nigricante cruſtâ obducta. Præſcripſi hoc alexipharmacum:

℞. Theriacæ Androm. ℈ii. Diaſcordii Fracaſt. ſalis abſinthii, an. drach. ß. aquæ theriacalis, aceti bezoartici, ana ℥i. Miſce, fiat hauſtus.

Sudavit multùm, cum magno levamine, & bubo in inguine prorupit, cujus adventum ex dolore antea prædixeram. Poſtridie multò meliùs ſe habuit, & eodem ſudorifero reiterato, bubo mediocriter increvit. Tunc æger ille naſutus (quales plerique ſolent eſſe Chirurgi) me neſciente, ſuo ipſius conſilio, unguentum mercuriatum (quod fortè ad tophos venereos compoſitum in pixide habebat) buboni inunxit. Hinc bubo ſequenti nocte planè diſparuit, febris recruduit, maxima anxietas & vomitus enormis acceſſerunt, atque vires illâ unâ nocte adeò dejectæ ſunt, ut æger ſequenti die ſe vix ampliùs commovere poſſet. Tunc mihi confeſſus eſt ſe illud unguentum inunxiſſe, & ſperâſſe bubonem mercurii vi feliciter curatum iri, ſed jam ſe videre lethalem ſuum errorem. Adhuc unum alexipharmacum exhibitum eſt, quod cùm illico evomuiſſet, apparuerunt ſtatim exanthemata purpurea; cum quibus poſt tres horas mortuus eſt.

Annotatio. Mercurii vivi uſum ad curationem bubonis peſtilentis minimè convenire, & Paræum, qui lib. 21. cap. 29. inunctiones mercuriatas in hoc morbo ſummopere extollit, graviſſimè errare, præter hujus hiſtoriæ experientiam, ipſa quoque ratio demonſtrat, quæ mercurium ſua frigiditate & humiditate peſtilens venenum cum humore intus repellere docet, ut latiùs demonſtravimus, *lib. 3. cap. 32. annot. 16.*

Hiſtoria 12. Rudolphus de Svvart, eques Capitanei Wilmouth, vir animoſus & mediocriter fortis, ſe peſte correptum ſentiens, ſtatim ad me venit, conſilium petens. Dicebat hanc

hanc labem cum parvo horrore ipſum invaſiſſe, & ſe jam magnâ cordis anxietate ac quaſi compreſſione quadam, cum nauſeâ torqueri, ſimulque dolorem in inguine, ſed abſque tumore, ſentire. Juſſi ut hoc alexipharmaco calidè aſſumpto ſtatim cubitum diſcederet, & ſtragulis bene coopertus fortiter ſudaret.

℞. Theriacæ, ℈ iv. diaſcordii, ſalis abſinthii, ana drach. ß. aquæ theriacalis, aceti vini fortis, ana ℥ i ß. Miſce, fiat hauſtus.

Poſtridie bene ſanus ad me rediens, dicebat ſe per ſex ſeptémve horas copioſiſſimè ſudâſſe, eóque ſudore omnia prædicta mala in totum evanuiſſe, nec quicquam incommodi ſe amplius ſentire.

Annotatio. Si in ullo morbo, certè in peſte verus & valde conſiderabilis eſt ille verſiculus:

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

Nam cùm morbus hic mora citiſſime invaleſcat, ſolet in principio unicum alexipharmacum ſæpe plus prodeſſe, quam in morbi incremento multa.

Hiſt. 15. Dominus Colberry, Nobilis Anglus, qui voluntarius exercitum comitabatur, cùm è noſtris caſtris, quibus Schenckii Munimentum tunc temporis obſidebatur, 14. Aprilis Noviomagum veniſſet, ſimul ac urbem ingrederetur inſolitum quendam fœtorem percepit, à quo ipſi nauſea facta fuit, & caput doluit. Poſtridie manè è ſomno expergefactus, valde nauſeabundus fuit, & dolorem cum dura tenſione in parotide poſt aurem ſenſit. Ipſe peſtem metuens, ſummo mane ex maſſa pilularum Ruffi, quam ſemper ſecum portabat, quatuor pilulas confecit, eaſque deglutivit: à quibus poſt ſex horas alvus ter quaterve dejecit, & ſimul etiam ceſſavit dolor poſt aurem. Meridie tamen prandere non potuit. Circa veſperam rurſus tres quatuorve ſpontaneos receſſus habuit, quos magna cordis anxietas cum debilitate inſecuta eſt. Sequenti nocte magnus alvi fluxus una cum febre ſupervenit. 16. Aprilis manè conſilium meum expetiit. Vidi excreta eſſe turbida, oleoſa, colliquativa, maximè fœtentia: adjuncta tamen febris non videbatur valde magna. Exhibui hoc ſudoriferum horâ ſextâ matutinâ:

℞. Terræ ſigillatæ, boli Armenæ, coralli rubri præparati, cornu cervi uſti, ana ℈ j. extracti ruthæ, ℈ i ß. ſalis ſcordii, ℈ j. theriacæ, diaſcordii, an. ℈ ii. aquæ theriacalis ℥ ii. Miſce, fiat hauſtus.

Hinc per tres quatuorve horas fortiter ſudavit cum levamine, & alvi fluxus uſque ad meridiem ſubſtitit. Statim poſt meridiem alvus rurſus emota eſt. Tunc eundem hauſtum rurſus aſſumpſit, & multoties illa die ac ſequenti nocte particulam hujus conditi comêdit.

℞. Trochiſcorum de terra ſigillata, florum ſulphuris, cornu cervi uſti, an. ℈ i. ſpecier. diatrium ſantalorum, ℈ ii. diaſcordii Fracaſtorii, conſervæ roſarum rubr. Myvæ cydoniorum, ana drach. iv. ſyrupi granatorum acid. q. ſ. Miſce, fiat conditum.

Ad ſitim uſus eſt hoc julapio:

℞. Aquæ cardui bened. ℔ i. & ſcabioſæ, ℔ ß. conſervæ roſarum rubr. ℥ i ß. rob. aceciæ, drach. ii. olei vitrioli q. ſ. ad gratum acorem. Miſceantur, & poſt horam colentur per linteum, fit julebus.

Verùm his nihil imminutus eſt alvi fluxus. 17. Aprilis ſudoriferum tali modo præparatum eſt:

℞. Radicum tormentillæ, ℥ ß. raſuræ ſantali rubri, drach. i ß. corticum granatorum, drach. j. herb. pimpinellæ viridis, M. ß. & ruthæ, herb. cardui bened. & ſcordii ſicc. an. p. i. ſem. cardui, & plantaginis, an. drach. i. florum balauſtiorum, & roſarum rub. an. drach. i ß. aquæ communis q. ſ. Fiat ſ. art. decoctio ad ℔ i.

℞. Hujus decocti, ℥ iii. trochiſcorum de terra ſigillata, ℈ ß. cornu cervi uſti, ℈ i. theriacæ, drach. i. diaſcordii, drach. ß. Miſce, fiat hauſtus.

Hoc aſſumpto iterum fortiter ſudavit, dolorem etiam in parotide rurſus ſenſit, & alvi fluxus aliquantum imminui viſus eſt; qui tamen ſtatim poſt ſudorem æque magnus rediit; atque tunc primo ſanguinolentæ dejectiones; poſtea ſanguis purus abſque dolore defluxit, hinc viribus totaliter proſtratis, ipſius animæ effluvium inſecutum eſt.

Annotatio. Hieronymus Mercurialis, Joannes Manardus, aliique magni Medici, ex decreto Avicennæ i. 4. tract. 4. cap. 4. peſtis curationem à purgatione incipiendum eſſe ſtatuunt, eamque opinionem acriter plurimis innixus auctoritatibus defendere nititur Zacutus Luſitanus, Prax. Admir. lib. 3. obſervat. 119. Verùm minimè recipiendum eſt illud conſilium, neque ſoli magnorum Medicorum auctoritati hac in parte inſiſtendum eſt, imprimis cùm & ratio, & experientia contrarium doceant. Ratio, quæ ſalutarem naturæ motum hoc pacto interturbari, ac vires maximè dejici: experientia, quæ purgationes nullis peſtiferis prodeſſe, demonſtrat: qua de re pluribus egimus lib. 3. cap 4. annot. 1. 2. 3. Si parva pilularum Ruffi quantitas in prædicto ægro naturæ motum adeò interturbaverit, ut ad veneni expulſionem per commodas vias reduci non potuerit, quæ non mala à purgationibus fortioribus metuenda ſunt?

Hiſt. 14. Ancilla Dn. Schayck Capitanei, per aliquot ſeptimanas malè valuerat, & de ſiti ac cordis aliqua anxietate conqueſta fuerat. Tandem ſummis debilitatibus correpta, ſæpius animo linquebatur: ultimò ſucceſſit vomitus adeò violentus, ut dejectis viribus inſtar moribundæ, quaſi jam jam exſpiratura jaceret. Cùm ad ipſam vocatus eſſem, eamq; adeò debilem cum pulſu exili & crebro invenirem, talem ſudoriferum exhibui.

℞. Cornu cervi uſti, ℈ i. ſalis abſinthii, ℈ i ß. theriacæ, drach. i. aquæ theriacalis, ℥ i ß. olei vitrioli, gut. ix. Miſce, fiat hauſtus.

Hoc aſſumpto maximum dolorem in ſtomacho ſenſit, atque poſt horæ quadrantem magno ac violento vomitu ejecit medicamentum, unà cum lumbrico valde longo, rotundo, craſſo & albicante. Quo facto à dictis ſymptomatis liberata fuit, & aſſumpta drachma una theriaces cum hauſtu vini calefacti, obdormivit, expergefacta rurſus optimè valuit.

Annotatio. Decepti fuimus in hac ægra, quam peſte laborare judicavimus, cùm tamen gravia illa ſymptomata ab iſto lumbrico ventriculo innatante excitata fuerint: qui lumbricus ejectus admodum vivax erat, & ſeſquipedalem longitudinem aliquantulum excedebat, ac caſu aſſumptione antidoti lumbricis quoque contrarii expulſus fuit. Fortaſſe maligna aëris conſtitutio hujus lumbrici generationem etiam induxit, nempe quòd venenum peſtilens, propter diſpoſitionis occultam contrarietatem, aliter hanc ægram afficere non potuerit, quàm inductione alicujus putredinis in humoribus excrementitiis ventriculo aut inteſtinis inhærentibus.

Hiſt. 15. Ad militem quendam peſte laborantem unà cum Adolpho Fildar Chirurgo vocatus fui, huncque carbunculos quatuor habentem,& graviſſimis ſymptomatis infeſtatum invenimus,nempe ſumma anxietate & inquietudine, magna virium dejectione cum crebris deliquiis, & vomitu violento, qui jam per aliquot horas duraverat. Præſagio mortis facto, tamen antidotum exhibuimus, quod cùm revomuiſſet, paulò pòſt animam Creatori reddidit. Inter me & Chirurgum incidit ſermo de cauſa vomitus peſtilentis, cùmque ego inter cætera ſtatuerem illum plerumque induci à veneno peſtifero ventriculi tunicis, & imprimis ipſius orificio ſuperiori firmiùs infixo, eique magis quàm aliis partibus communicato propter cordis viciniam, &c. Dixit ille,hunc vomitum plerumque induci à carbunculis in ventriculi tunicis enatis, idque ſe ab experientia ſcire: nam ut illius vomitus cauſam certiùs cognoſceret,ſe aliquando cadaver peſte cum vomitu emortuum ac jam refrigeratum diſſecuiſſe,& in ventriculo à latere orificii ſuperioris inveniſſe locum quendam longiuſculum, circiter magnitudinis articuli pollicis, qui nigricabat inſtar carbunculi: quæ nigredo tunicas ventriculi tranſiens æquè foris quàm intus conſpiciebatur. Etiam ſi vellem, ſe quoque in prædicto mortuo milite illud demonſtraturum promiſit. Verùm nobis non placuit irritare crabrones, & apertâ abdominis cavitate contagii periculis nos exponere; illud credere, quàm videre maluimus.

Annotatio. Veriſimile eſt carbunculos interdum ventriculi tunicis non minùs quàm aliis viſceribus innaſci, ac multoties lethalem vomitum inducere: verùm ab hac tamen cauſa vomitum peſtilentem ſemper non dependere,vel inde liquet, quod multi cum vomitu evadant,quod fieri non poſſet ſi à carbunculis ſemper induceretur.Quicquid ſit, neminem Medicorum hactenus tales carbunculos annotaſſe ſcio; ſolus inter notiſſimos Joh. ab Helmont in Tumulo Peſtis, ſcribit ſe illud ipſum quoque obſervaſſe, & in cadavere cum violentiſſimo vomitu emortuo ac diſſecto, ſtomachum triplici eſcarâ jam perfectâ pertuſum inveniſſe. Quod illud ab aliis obſervatum non fuerit, metum contagii in cauſa fuiſſe reor; nam pauciſſimi Rondeletio credunt, cadavera peſtiferorum contagioſa non eſſe, aſſerit. Hac de re plura videantur *lib.* 1. *cap.* 13. *annotat.* 5.

Hiſt. 16. Eduardus Grien Anglus,& Melchior Rouvvert Germanus (ambo equites ſtrenuiſſimi Capitanei Thomæ Lucas) fortes & bene valentes, menſe Maio præſervationis gratiâ ſibi venam in brachio pertundi,& ſanguinis circiter libram extrahi curàrunt. Parvo tempore poſt venæſectionem inſolito quodam horrore & gravi ſomnolentiâ correpti peſtem metuerunt, utque hanc imaginationem animis ſuis meliùs excuterent,alter vini abſinthitis libras duas, alter verò ſpiritus vini juniperini uncias duas ebibit, quo facto ſimul ambulatum prodierunt. Circa meridiem domum venientes prandere non potuerunt,ſed non aliter quàm media hyeme frigeſcentes,ad lectum ſe contulerunt, ubi ſtragulis bene cooperti,per aliquot horas alto ſomno obdormiverunt: tandem evigilantes ſe peſſimè habuerunt,uterq; ſummis anxietatibus preſſus fuit, alter enormiter vomuit, de vertigine & intenſiſſimis capitis doloribus conquerebatur alter. Petitum à me fuit ut illos viſerem. Percepi in utroque febrem fortem,cum pulſu parvo, crebro & inæquali: maxima ſitis aderat,tantaq; virium dejectio,ac ſi longo tempore ægrotâſſent. Ipſimet ante meum adventum aſſumpſerant theriacæ drachm.j. cum aceti vini fortis ℥ ii. & olei juniperini ℈ ß. à quo medicamento aliquantum ſudaverunt. Eduardo duo exiles carbunculi in pectore,alteri unus in manu apparuit.Circa veſperam adeò debiles fuerunt, ut amplius ullum medicamentum ſumere nec poſſent, nec vellent. Ad immenſam ſitim ſolâ aquâ ſimplici utebantur,omnem alium potum renuebant. Die tertia poſt meridiem exſpiravit Eduardus: Melchior verò uſque ad diem quintum in tali ſtatu permanſit, atque tunc media nocte etiam ipſe è vivis exceſſit.

Annotatio. Magnus hoc tempore à Chirurgis in eo commiſſus fuit error, quòd propter exiguum lucrum cuilibet tempore Veris venæſectionem tanquam optimum præſervativum commendarent; hocque modo multis morbi & mortis cauſa fuerunt. Vix ullum novi cui non venæſectio præſervationis gratiâ inſtituta maximum damnum intulerit: & qui poſt tales venæſectiones peſte corripiebantur,multò magis periclitabantur, quàm alii, in quibus talis occaſio præmiſſa non fuerat.

Hiſt. 17. Cùm N. Straeten,Notarius publicus in angiportu prope Scholam tripudiariam habitans,peſte cum alvi fluxu laboraret,ad ipſum inviſendum vocatus fui. Simulac cubiculum ejus intrarem,ſtatim peſſimum excrementorum fœtorem naribus percepi, à quo graviter affectus fui. Poſt breviſſimam viſitationem domo rurſus egreſſus,illico me vertigine,nauſeâ,& cordis anxietate affectum ſenſi,ita ut peſtilens contagium me concepiſſe non dubitarem.Quapropter poſtpoſitis omnib. negotiis (erat namq; circiter hora decima antemeridiana)ſtatim me domũ contuli,atq;tabaci optimi quinq;ſexve fiſtulas fumiſuctione exhauſi;cujus uſu omnia prædicta ſymptomata ita penitus evanuerunt; ut ne minimum quidem mali amplius ſentirem. Tunc rurſus foras prodire & reliquos ægros inviſere volens, theriacæ Andromachi drachmam præſumpſi, atque ita deinceps optimè valui.

Annotatio. Illud ipſum durante hac peſtilenti conſtitutione mihi ter quaterve accidit, ut ſtatim, ſimul ac me aliquam contagionis labem concepiſſe arbitrarer, eodem modo ad copioſiorem tabaci uſum confugiens, liberatus fuerim. Excepta unica vice, cùm horâ nonâ matutinâ

matutinâ piſtorem quendam in platea Nonnea decumbentem, ac peſtilenti diarrhœa unà cum uxore laborantem inviſiſſem; atque ab ejuſdem fœtore graviter alteratus eſſem; tunc ob longiorem moram quam trahebam; antequam ad tabaci uſum me conferrem, tam citò liberatus non fui, ſed poſt aſſumptas aliquot tabaci fiſtulas, tanto ſopore tantaque anxietate obrutus fui, ut volens nolens ad lectum me conferre cogerer, ubi præſumptò antidoto per tres horas dormivi. Deinde à famulo expergefactus, & ad viſitationem plurimorum ægrorum (qui meum adventum avidiſſimè expectabant) adhortatus, propter vertiginoſam capitis gravitatem me vix ſuſtentare potui: multum quoque cum ſumma moleſtia vomui. Tandem tamen ſurrexi, & famuli humero aliquantùm innixus ad focum perveni, ubi rurſus tabaci uſum arripui; cumque duas treſve fiſtulas hauſiſſem, capitis gravitas, vertigo & nauſea evanuerunt, manente adhuc aliqua cordis anxietate. Tunc mihi ipſi rurſus animum addens, omnemque metum excutiens, theriacæ ſeſqui drachmam aſſumpſi, & bonum hauſtum vini calefacti cum pauxillo cinnamomi & nucis moſchatæ ſuperbibi, atque ita me rurſus aëri commiſi, & inter ambulandum fortiſſimè ſudavi; in quo ambulatorio ſudore continuavi uſque ad horam decimam veſpertinam, quâ horâ abſque ulla cordis anxietate aliove incommodo bene ſanus domum redii, & ſatis famelicus ad cœnam acceſſi, cui pro clauſula tabacum rurſus adjunxi. Tabacum pro inſigni præſervativo remedio ſemper habui, ejuſque fumum in ipſo conceptæ luis principio mihi aliquoties inſigniter profuiſſe comperi: qui felix effectus etſi omnibus non contingat, in multis tamen militibus peſte jam correptis eundem quoque non ſemel obſervatum fuiſſe, à Capitaneis fide dignis nobis narratum eſt. Referunt etiam quondam Londini in Anglia ab horribili peſte illic ſæviente immunes fuiſſe omnes illas domus in quibus tabacum vendebatur. Verùm Noviomagi illa felicitas omnibus tabaci mercatoribus non contigit, nam aliquos ex iis peſte correptos fuiſſe novimus. In ædibus tamen primarii tabaci mercatoris, Thomæ Pieters Angli, qui numeroſam liberorum, famulorum & ancillarum familiam alit, neminem, quod ſcio, peſtis invaſit, præter unam ancillam, quæ & ipſa brevi convaluit.

Hiſtoria 18. Otto de Linnich, vir robuſtus, peſtilentem carbunculum in brachio, & profundum tumorem in inguine ſentiens, cum ſomnolentia ac capitis gravitate, Chirurgi conſilio, theriacæ drachm. j. cum aceti vini, unc. j. & olei juniperi gut. 12. aſſumpſit; atque ita ſtragulis coopertus ſtatim dormivit, & mediocriter ſudavit. Poſt aliquot horas expergefactus, de intolerabili capitis dolore conqueſtus eſt. Tunc ego, ſecunda morbi die advocatus, rurſus alexipharmacum exhibui, à quo quidem multùm ſudavit, ſed capitis dolor nihil imminutus eſt. Tertia die cœpit æger ſine magna intermiſſione crebrò ſternutare, quam ſternutationem nec lacte tepido in nares attracto, nec aliis mediis impedire potuimus; atque ita æger, poſtquam plùs quàm trecenties ſternutaſſet, deficientibus viribus obiit.

Annotatio. Hujuſmodi lethales ſternutationes adhuc in duobus tribuſve aliis peſtiferis obſervavimus. Quamvis ſternutamenta in aliis morbis cerebri & naturæ robur denotent; in peſte tamen exitialia plerumque ſunt; & peſtiferum venenum membranis cerebri firmiſſimè infixum eſſe, eaſque aliqua parte mortificant; unde illud venenum non magis ſternutatione, quàm ventriculi carbunculus vomitu vel ſingultu ejici poteſt. Cardanus quoque meminit peſtis; in qua ægri multùm ſternutantes ſtàtim mortui ſunt.

Hiſtoria 19. Cognatus Johannis de Goldt, poſt Noſocomium habitans, juvenis robuſtus, bubonem peſtilentem in inguine ſentiens, morbum celavit; cùmque magno capitis dolore torqueretur, pilulas capitales à Gerardo Buys Pharmacopœo parari curavit, qui ex maſſa pilularum cochiarum drachm. j. pilulas novem concinnavit. His aſſumptis alvus primò cum levamine deturbari viſa fuit, ſed paulò pòſt magnum ventris profluvium inſecutum eſt. Evanuit bubo, & vires ſpatio viginti horarum ad extremum proſtratæ ſunt. Cùm ego advocatus nullis ſudoriferis nec antidotis aſtringentibus fluxum ſiſtere, huncque perverſum naturæ motum invertere poſſem, tertia morbi die occubuit.

Annotatio. Ad peſtis curationem medicamenta purgantia maximè pernicioſa eſſe, non hujus tantùm; ſed plurimorum aliorum ægrorum experientia docuit. Quapropter mirari licet, quòd Averrhoës lib. 3. collect. 31. ſcribat, in curatione peſtis non ſufficere medicinam unum tantùm humorem purgantem, ſed omnes, ſicuti ſunt pilulæ cochiæ. Quæ pilulæ quàm utiles in peſte ſint, ex prædicta hiſtoria ſatis liquet. Nos neque harum pilularum, neque aliorum purgantium uſum in tota hac peſte unquam ægrotis feliciter ante diem ſeptimum adminiſtratum fuiſſe, certò novimus. Sic quoque Palmarius de febr. cap. 7. *inquit*: Vix centeſimus quiſque evadit ex iis, qui incipiente morbo catarctico utuntur, vel ſpontaneo alvi profluvio corripiuntur.

Hiſtoria 20. Stephanus à Sevener, qui poſt templum Dom. Johannis habitabat, neſcio qua de re cum aliis quibuſdam contendens, magnâ irâ incanduit. Domum veniens inhorruit, ac ſtatim ardenti febre correptus fuit; cum maxima ſiti, anxietate & inquietudine, paulò pòſt etiam acceſſit linguæ nigredo. In pectore duo carbunculi prodierunt. Antidota varia exhibita ſunt, ſed propter vomitum pauca retinuit, iiſque nihil proficientibus, & viribus ad extremum dejectis, circa finem ſecundæ diei ſimul cum vita morbum finivit.

Annotatio. Iram multorum corpora ad peſtem diſpoſuiſſe, notavimus, & qui hac præcedente in morbum incidebant, febribus longè gravioribus, aliiſque multò pejoribus & periculoſioribus ſymptomatis corripiebantur, quàm alii quibus abſque illo duce morbus introducebatur.

Hiſtoria 21. Margarita de Tienen, quæ in horto Capitanei Haeſten decumbebat, ſe peſte correptam ſentiens, bis propriam urinam bibit. Secunda die meo conſilio ſudoriferum ſumpſit. Poſt copioſum ſudorem retro aurem

ſiniſtram magnus & mollis tumor protuberavit, qui intra viginti quatuor horas in tantam molem excrevit, ut affecti lateris collum antrorſum versùs totum occuparet. Quarta die apparentibus exanthematibus purpureis, extincta eſt.

Annotatio. Quibus duri tumores in colli glandulis oriebantur, qui lentiùs increſcerent, eorum multi ſanabantur: at cum tumoribus mollibus inſtar tumoris flatulenti vel aquoſi,qui citò multùm increſcebant, nullum evaſiſſe novimus.

Hiſtoria 22. Petrus Buys, juvenis fortis, 7. Aprilis peſte correptus eſt, cum febre exigua, tumore ſub axilla, & maxima cordis anxietate. Neque à primo, neque à ſecundo alexipharmaco quicquam allevatus eſt. Febris per biduum magis magiſque increvit, tanta fuit virium dejectio & à medicamentis nauſea, ut poſt ſecundum diem vix quicquam ampliùs exhiberi potuerit. 10. Aprilis tanta cordis anxietate premebatur, ut illud tanquam in torculari confringi diceret, atque ſumma illa anguſtia ipſam animam è corpore expreſſit.

Annotatio. Peſtilens venenum ipſius cordis ſubſtantiæ firmiùs infixum, ejuſque calorem innatum extinguens, huic ægro vitam finivit: quod quidem venenum etiam humorum aliquam putredinem, hincque febrem ſimul produxit; verùm hæc tamen tanta non erat, quæ periculum per ſe cauſare potuiſſet.

Hiſtoria 23. Agneta Wilhelmi, Cereviſiarii ancilla, robuſta, plethorica, bene valens, menſe Majo ex annua conſuetudine ſex aut octo cucurbitulas cum ſcarificatione pedibus imponi curavit. Sanguinis ſex aut octo unciis extractis horrore quodam correpta eſt. Poſt paucas horas tanta acceſſit ſomnolentia, ut per duas horas dormire cogeretur. E ſomno excitata maximam cordis anxietatem ſenſit, quam non diu pòſt inſecutus eſt gravis vomitus. Inveni ipſam febricitantem, cum pulſu parvo, crebro & inæquali: urina ſanorum urinæ ſimilis erat. Exhibui circa meridiem hoc alexipharmacum:

℞. Theriacæ Androm. diaſcordii Fracaſt. an. ſcrup.ij. Salis ſcordii, ſcrup.i.ſ. Aquæ theriacalis, unc.i.ſ. Succi citri, unc.ſ. Miſceantur pro hauſtu.

Hinc egregiè ſudavit, & dolorem aliquem in inguine percepit, ſed abſque tumore. Anxietas parum aut nihil imminuta fuit. Statim poſt ſudorem rediit horror: quapropter poſt tres horas idem ſudoriferum reiteratum fuit, à quo cùm ſequenti nocte bene ſudâſſet, poſtridie paulò meliùs habere viſa eſt, & tumor durus in inguine dextro apparuit. Illa die nullum medicamentum aſſumere voluit, imò ſe meo conſilio ampliùs non indigere putavit: comêdit aliquantum lactis preſſi cum pane cocti, & conſilio matrisfamilias impoſuit tumori folium braſſicæ rubræ oleo raparum inunctum. Die tertia febris cum magnâ vehementiâ recruduit, (quæ tamen ſecunda die non omnino intermiſerat, ſed multò remiſſior fuerat) cum capitis dolore, maxima ſiti, & enormi vomitu: evanuit etiam inguinis tumor. Tunc iterum ad me concurſum eſt. Exhibui duo ſudorifera, quæ utraque ſtatim revomuit: julebos cordiales aliaque nonnulla præſcripſi, ſed omnia fruſtra, propter vomitum. Tandem hujus mixturæ ſubinde cochleare unum exhibui:

℞. Conſervæ roſarum rubrarum drach. vi. Diaſcordii Fracaſt. drach.ij. Aquæ theriacalis, unc.iij. Succi limonum, Aquæ cinnamomi, an. unc.j. Miſceantur, & ſtent per horam, poſtea colentur per linteum.

Ad hæc Theriacam Andromachi chartæ bibulæ illitam, ac prope ignem calefactam ventriculi regioni impoſui. His duobus ſubſtitit vomitus. Tunc circa noctem tale ſudoriferum dedi:

℞. Salis abſinthii, & ſcordii, an. ſcrup. j. Extracti angelicæ, drach. j. Aquæ theriacalis, unc.ij. Olei vitrioli gutt.13. Miſce, fiat hauſtus.

Hinc mediocriter ſudavit, & febris aliquantùm imminui viſa fuit, quæ tamen poſtridie iterum recruduit, & magno cum furore uſque ad veſperam continuavit, quo tempore extra debitum periodi tempus menſes fluere cœperunt. Sequenti die febris quidem aliquantò mitior eſſe videbatur,ſed vires maximè proſtratæ erant. Sitim ſedabat cum cerviſia tenui, cui aliquot olei vitrioli guttulæ immiſtæ erant. Ad menſium ſuppreſſionem hunc bolum exhibui; & ex ſeſequenti condito ſæpius de die particulam aſſumere juſſi:

℞. Coralli rubri præparati, cornu cervi uſti, terræ ſigillatæ, lapidis bezoar. orient.an.ſcrup.ſ. Diaſcordii Fracaſtorii ſcrup.j. cum ſyrupi granatorum acidor. q.ſ. Fiat bolus.

℞. Specierum diatrium ſantalorum, ſcrup.ij. Coralli rubri, terræ ſigillatæ, cornu cervi uſti, an. ſcrup. j. Diaſcordii Fracaſt. drach. iij. Conſervæ roſarum rubr. drach.v. Rob. acaciæ,drach. j.ſ. Syrupi granatorum acid. q.ſ. Fiat conditum.

Die ſexta menſtruorum fluxu magis adaucto, & viribus deficientibus,circa veſperâ exſpiravit.

Annotatio. Durante hac peſtilenti conſtitutione, damnoſiſſimas ſemper fuiſſe ſanguinis detractiones, etiam in ſanis, experientia toties docuit, ut venæſectio,quę antea præſervationis gratiâ communiter inſtituebatur à vulgaribus, poſtea adeò horribilis evaſerit, ut vel ſolum venæſectionis nomen cuilibet terrorem incuteret. Nam quocunque tempore,& quantacunque adhibitâ cautione ſanguis extraheretur, etiam in plethoricis & maximè ſanis corporibus, ferè ſemper tamen peſtis hanc evacuationem inſequebatur, ita ut ſanguine evacuatæ venæ protinus peſtilenti hoſti locum facere, ejuſque introitum ſponte invitare viderentur.

Hiſtoria 24. Jodocus Rutgeri, ruſticus fortis, magnam cordis anxietatem cum capitis gravitate & nauſea ſentiens, petiit à Chirurgo medicamentum fortiter purgans, qui ipſi hauſtum vini ſtibiati exhibuit. A quo enormiter vomuit, multoſque pravos humores excrevit, ad hæc duodecim per alvum ſeceſſus habuit. Hinc adeò debilitatus eſt, ut ipſum moriturum arbitrarentur, quapropter ut ipſum inviſerem petierunt. Vidi ægrum irritis vomendi conatibus adhuc graviter delaſſari: hinc juſſi ut domeſtici ſtatim vini albi lib.j. calefacerent, eique pulveris canellæ & nucis moſchatæ aliquantùm injicerent, idque calidiſſimè exhiberent, atque bene coopertum ægrum dormire finerent. Hoc facto ceſſavit vomitus, & æger ferè tota nocte dormivit. Poſtridie evigilans optimè valuit, & adeò famelicus fuit, ut vix duplici prandio famem ſedare poſſet.

Anno-

Annotatio. Hoc tempore pauciſſimis bene ceſſerunt vomitoria; imò vix ex centum uni, quæ huic robuſtiſſimo ac temerario homini, contigit feliciter.

Historia 25. Antonius Knuyt, corii mercator in foro habitans, vir mediocriter fortis, 29. Maji circa veſperam malè habere cœpit. Poſtridie dolorem ſub axilla ſentiens, meum conſilium petiit. Pulſus ipſi erat inæqualis, & creber, vires pro morbi principio ſatis dejectæ, calor corporis non admodum præter naturam excellens, urina ſanorum urinis ſimilis; anxius erat, ſomniculoſus & capite gravis, interdum ad vomitum proclivis, ſed nihil tamen evomuit. Exhibuit ſtatim hoc alexipharmacum:

℞. Theriacæ, ſcrup. ij. Diaſcordii, drachm. ſ. Salis abſinthii, oculorum cancri præparat. an. ſcrup. j. Aquæ theriacalis, unc. j. ſ. Succi citri, unc. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Hoc aſſumpto valde ſudavit cum levamine, & ſub axilla magnus durus tumor protuberavit, cui hoc cataplaſma bis de die impoſitum fuit:

℞. Radicum liliorum albor. unc. ij. & helenii recentium, unc. j. Herb. malvæ, altheæ, florum chamomillæ, an. M. j. Ficuum ping. num. 9. Aquæ communis, q. ſ. Coquantur ſ. art. & piſtentur, addendo: Fermenti acidi, farinæ ſeminis lini, an. unc. j. fimi columbini, unc. j. ſ. Mellis, axungiæ porci, an. drachm. vi. Fiat ſ. art. cataplaſma.

31. Maji mane & meridie hujus apozematis uncias quatuor bibit:

℞. Radic. Angelicæ, petaſitidis, an. drach. vi. & tormentillæ, corticum citri ſicc. an. unc. ſ. Rad. oſtrutii, drach. ij. Herb. ſcabioſæ, taraxaci, meliſſæ, ſcordii recent. an. M. j. Cardui bened. M. j. ſ. Pimpinellæ viridis, & rutæ recent. an. M. ſ. Sem. Cardui bened. & 4. frigid. major. an. drach. i. ſ. Cicerum rub. unc. i. ſ. Aquæ communis, q. ſ. Coquantur ſ. art. ad lib. ij. adde colaturæ Syrupi de ſcordio, & de ſucco citri, an. unc. j. Miſce, fiat apozema.

Circa veſperam hunc hauſtum dedi:

℞. Theriacæ Androm. diaſcordii Fracaſt. Salis abſinthii, an. drachm. ſ. Aquæ theriacalis, aceti bezoartici, an. unc. j. Miſce, fiat hauſtus.

Hinc bene ſudavit cum magno levamine. 1. Junii nauſeabundus & ad vomitum proclivis erat, qui ut præveniretur, hanc miſturam præſcripſi, de qua ter quaterve de die cochleare plenum ſumpſit:

℞. Conſervæ roſarum rubr. drach. vi. Theriacæ Andr. ſcrup. ij. Diaſcordii, drach. i. ſ. Aquæ theriacalis, unc. iij. Roſarum, unc. ſ. & cinnamomi, drach. vi. Succi citri, unc. j. Miſceantur, & ſtent per duas horas, deinde colentur, adde colaturæ confectionis de hyacintho, & de alkermes, an. ſcrup. ij. Miſce.

Eadem die etiam duos hauſtus prædicti apozematis bibit. Circa veſperam hunc bolum cum prædicta miſtura diſſolutum exhibui:

℞. Mithridatii Democ. ſcrup. i. ſ. Diaſcordii, ſcrup. j. Salis abſinthii, Confect. de hyacintho, an. ſcrup. ſ. Olei vitrioli gutt. iv. Miſce, fiat bolus.

2. Junii præter jam dictam miſturam, etiam ex hoc condito interdum particulam ſumpſit:

℞. Pulveris Liberantis, drach. j. Cortic. aurantiorum condit. rad. helenii cond. an. drach. iij. Conſervæ roſarum rubr. Diaſcordii Fracaſt. an. drachm. ij. Confectionis de hyacintho, ſcrup. ij. Syrupi de limonibus, q. ſ. Miſce, fiat conditum.

Sequenti die iiſdem eodem modo uſus fuit medicamentis. 4. Junii, qui erat dies à morbi principio ſeptimus, valde debilis & anxius fuit, nec præter ſequentem bolum cum prædicta miſtura ſolutum, quippiam aſſumere potuit:

℞. Confectionis de hyacintho, theriacæ, an. ſcrup. j. Lapidis bezoar. Orient. gr. xv. Fiat bolus.

Circa veſperam ſponte vehementer ſudavit, tumor ſub axilla multùm increvit, & morbus hoc critico ſudore ſolutus eſt: anxietas, capitis dolor, reliquaque ſymptomata ceſſarunt. Poſtea etiam tumor ſub axilla ſine maturatione paulatim diſſipatus evanuit. Omnibus his diebus æger alvum non exoneraverat, quapropter ipſi, 6. Junii maſſæ pilularum anti-peſtilentialium ſcrup. j. Exhibui, unde bis terve alvum depoſuit: atque ita per ſummi Dei clementiam integræ ſanitati reſtitutus fuit.

Annotatio. Hoc tempore pauciſſimis morbus criticè ſolutus fuit perfectè, & præter criſim per ſudores (quæ & ipſa multoties imperfecta erat) omnes aliæ erant periculoſæ. In hoc ægro tumor ſub axilla paulatim diſſipatus fuit; & ſic quoque in multis aliis tumores poſt febris ſolutionem ſalubriter evanuiſſe vidimus. Quod ipſum quoque obſervavit Palmarius, de febr. Peſt. cap. 24. ubi inquit: Quamplurimos perſanatos vidi citra bubonum ſuppurationem, veneno paulatim antidotis devicto, reſolutâque bubonis materia. Secus autem ſe res habet cùm bubones evaneſcunt ante morbi ſolutionem, nam illud maximè periculoſum eſt. Alvum dicto ægro movere non voluimus ante morbi ſolutionem, quia nunquam ex diuturniore alvi conſtipatione in ægris peſtiferis ullum damnum animadvertere potuimus; verùm è contrà alvi proritationes per clyſteres, lenientia, aliave medicamenta, ſemper cum maximo periculo ante diem ſeptimum factas fuiſſe, obſervavimus.

Hiſtoria 26. Uxor Gerardi de Stolck, puerpera, poſtquam filium bene ſanum pepeřiſſet, tertia die peſte correpta eſt, & duo carbunculi in pectore prodierunt: anxietas autem valde gravis non erat, ut nec febris: lochia quoque non ſubſtiterunt, quæ omnia magnam ſanationis ſpem dabant. Infans à lacte matris peſtem contrahens, citò extinctus eſt, antequam ipſamet ſe peſte laborare certò ſciret. Infante mortuo quæſitæ ſunt caniculæ juniores, quæ mammas copioſo lacte abundantes exſurgerent: quatuor inventæ ſunt; quarum duæ cùm per biduum mammas ſuxiſſent, mortuæ ſunt; reliquæ duæ uſque ad quintum diem vixerunt, atque tunc priores ſecutæ ſunt. Interea variis antidotis uſa fuit ægra, quibus non obſtantibus paulatim cum anxietate adaucta eſt febris, & tandem viribus omnino proſtratis, ſexto morbi die vitam cum morte commutavit. Eamque non diu pòſt maritus unà cum altera prole, ejuſdem morbi violentiâ oppreſſus, inſecutus eſt.

Annotatio. Pleræque puerperæ, propter magnam quàm à puerperio ſubibant alterationem, peſte corripiebantur & moriebantur: etiam infantes, niſi tempeſtivè aliis nutricibus committerentur, plerumque cum matre interibant, ſicut

ex prædicta hiſtoria illud non tantùm in infante, verùm etiam in caniculis liquit, quibus hoc tempore communiter in puerperis peſte correptis utebamur, (cùm nemo alius propter contagii metum illarum mammas exſugere vellet) nam egregiè ſugebant; ſed illas ferè ſemper poſt ſecundum vel tertium diem, interdum primo die mortuas fuiſſe obſervavimus. Rariſſimum eſt illud quod ex Joachimo Camerario refert Johannes Schenckius Obſervat. Medic. lib. 6. de infante quodam qui duabus nutricibus lactatus, quæ ambæ hac lue ſunt extinctæ, infante in vivis & optimæ valetudinis permanente.

Hiſtoria 27. Uxor generoſiſſimi equitum Capitanei D. Douglas, Scoti, 16. Maii peſtilenti febre correpta fuit. Valde debilis erat in ipſo morbi principio, ſumma anxietate premebatur, & capite aliquantum dolebat: urina turbida erat, pulſus creber & inæqualis: calor tamen non multùm excellebat, neque ulla extrinſecus in corpore peſtis ſigna apparebant. Primò ſtatim hoc alexipharmacum exhibui, à quo optimè ſudavit:

♃. Theriacæ Androm. diaſcordii Fracaſt. an. drachm.ſ. Salis abſinthii, ſcrup. j. Oculorum cancri præpar. ſcrup.j.ſ. Aquæ theriacalis, unc.j. Succi limonum, aceti calendulæ, an. unc. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Poſt ſudorem, interdum hujus miſturæ cochleare aſſumpſit:

♃. Conſervæ roſarum rubr. unc. ſ. Diaſcordii Fracaſt. drachm.ij. Aquæ Cardui bened. & theriacalis, an. unc. ij. Succi limonum recent. unc.j. Aquæ cinnamomi, unc.j.ſ. Miſceantur ſimul & ſtent per ſeſquihoram, poſtea colentur: adde colaturæ confect. de hyacintho ſine moſcho, drachm.j. Miſce.

17. Maji, morbo in eodem ſtatu permanente, heſternum ſudoriferum manę reiteratum fuit. Circa meridiem præſcripſi apozema, de quo ter quaterve de die hauſtum biberet:

♃. Radicum carlinæ, petaſitidis, dictamni, helenii, angelicæ, an. unc.ſ. & oſtrutii, drach.ij. Cortic. aurantiorum ſicc. unc.ſ. Herb. ſcordii, Cardui bened. an. M.j.ſ. Cichorei, acetoſæ, an. M.j. Meliſſæ, pimpinellæ, & rutæ, an. M.ſ. Sem.4. frigid. major. an. drachm.j. Cicerum rubr. unc.j. Coquantur in aquæ communis q.ſ. ad lib.ij. Adde colaturæ ſyrupi de ſucco citri, & de ſcordio, an. unc.j. Fiat apozema.

18. Maji reiterata fuit miſtura antè præſcripta, ut & ſudoriferum, cui addidimus extracti Cardui bened. ſcrup. j. ſ. Interdum etiam comedit particulam hujus conditi:

♃. Pul. Liberantis, drachm. j. Diaſcordii Fracaſt. drachm.ij. Cortic. aurantiorum condit. Conſervæ roſarum rubr. an. drachm. iij. Theriacæ, drach.j. Confect. de hyacintho ſine moſcho, ſcrup.iv. Syrupi acetoſitatis citri, q.ſ. Fiat conditum.

Eadem die etiam duos hauſtus apozematis bibit, ut & ſequenti nocte. 19. Maji ad extremam ferè debilitatem devenerat, ita ut vix quicquam aſſumere poſſet: tamen hunc bolum exhibui, à quo licèt valde parum ſudaret, aliquod tamen levamen ſenſit:

♃. Theriacæ, Confect. de hyacintho, lapidis bezoar. orient. an. ſcrup. j. Fiat bolus, involvendus folio auri.

Hactenus nulla externa peſtis indicia apparuerunt, & febris (quæ tamen non admodum violenta videbatur) abſque ulla intermiſſione continuavit. 20. Maji cùm ruſus medicamenta aſſumere poſſet, prædictum apozema reiteratum eſt, quod iſta & ſequenti die totum ebibit; idemque 22. Maji rurſus paratum fuit, addendo foliorum Rutæ, M.j. 24. Maji, qui erat nonus à principio morbi dies, criſis facta eſt per vehementem ſudorem ſpontaneum, poſt quem totum corpus à malignitate foras prodeunte, parvis puſtulis rubicundis, magnitudinis milii ſeminis, undique obſeſſum fuit, cum magno pruritu: in inguine etiam bubo ovi columbini magnitudine protuberavit, atque ſic ægra à gravi anxietate aliiſque ſymptomatis ſimul liberata; & morbus criticè ſolutus fuit. Ne tamen recidiva ſequeretur, ultimum apozema adhuc ſemel reiteravimus, ut & conditum 18. Maji præſcriptum. Buboni quoque cataplaſma attrahens aliquot diebus, & poſtea emplaſtrum impoſitum eſt, ſed tamen abſque maturatione paulatim evanuit, atque ægra ſummi Numinis favore à periculoſiſſimo morbo feliciter evaſit. Primis morbi diebus nihil edere poterat, & poſtea tantùm tenui victu utebatur, ex juſculis carnium, cum acetoſa, borragine, pomis citreis, aurantiis, & ſimilibus paratis ac coctis. Potus erat cerviſia tenuis, quam amabat, à julepis abhorrebat. Primis ſeptem diebus alvum tantùm ſemel depoſuerat, nec ego ante criſin per has vias moveri volui: biduo poſt criſin exhibui pilularum Ruffi, ſcrup.j. à quibus bis terve dejecit.

Annotatio. Erat hæc ægra valde obediens ac verè patiens, quæ nihil ſine meo conſilio agebat, cujuſmodi obedientes ægri rariùs inveniuntur. Cùm poſt primum ſudorem non levaretur, ipſam in continuo calore & parvo ſudore continui uſq; ad diem quartum, ſperans naturam interea foriniſecus per tumores vel anthraces aliquam maligni veneni partem expulſuram. Verùm die quarto valde debilis fuit, nec ulla mutatio ſecuta eſt: cumque hic dies ſine criſi præteriiſſet, eoque ſe multò pejùs habuiſſet, criſin ſine dubio die ſeptima futuram exiſtimavi propterea admonui ægram ut bono ac forti animo eſſet, & in parvo illo ſudore patienter continuaret uſque ad diem ſeptimum, tunc enim morbum mutatum iri. Ipſa ſatis obediens, quamvis in mediis anguſtiis conſtituta; exactè tamen ad meum præſcriptum vixit, & ſudores continuos à primo uſque ad ſeptimum morbi diem patienter (de quo ipſemet mirabar) tulit, idque in medio fœtore; nulla enim toto tempore linteamina recentia dabantur: nam ſæpius animadverteram hujuſmodi mutationem plurimis valde nocuiſſe, fœtorem verò ſudoris nulli damnum intuliſſe. Cùm autem ſeptima die ſe rurſus multò pejùs haberet, nec ulla ſequeretur critica morbi mutatio, in eodem ſudore patienter continuandum fuit uſque ad diem nonum, (ad quem uſque diem febris eodem ferè tenore ſine ulla intermiſſione duravit, ſine ullis etiam externis peſtis indiciis) quo morbus criticè ſolutus eſt, ut dictum.

Si hoc peſtilenti tempore febris aliqua quempiam invaderet, eam publicæ malignitatis participem eſſe judicare oportebat, etiamſi nulla peſtis indicia præ ſe ferre videretur: nam licèt inter-

interdum (quod tamen rariſſimum erat,) in principio nullius perniciei particeps eſſet, celerrimè tamen intra paucas horas communi aëris vitio peſtifera lues ei adjungebatur. Sicut etiam cum Montano teſtatur Foreſtus, tempore peſtilenti infinitas videri febres continuas, tertianas, vel ſimiles, quæ ſtatim convertuntur in peſtilentes. Nobis igitur præſtabilius videbatur, in ipſo morbi principio omnes hujuſmodi febres, tanquam verè peſtilentes, convenientibus antidotis oppugnare, quàm expectare dum viribus dejectis & ſalute deploratâ, certis & indubitatis notis peſtilens malignitas ſe proderet; nam ſi protraheretur hujuſmodi curatio, tandem venenum altioribus radicibus cordi infixum, omnia præſidia aſpernebat. Nec etiam ab oppugnatione hujus hoſtis deſiſtendum erat, antequam penitus è cuniculis & latebris ſuis expulſus, totuſque expugnatus & profligatus foret. Quemadmodum nos illud in prædicta ægra fecimus; in qua illud rarum & notatu dignum occurrit, quòd externa peſtis ſigna tam ſerò, nec ante criſin apparuerint. Eapropter quamvis raro detur peſtis, in qua non bubones, exanthemata vel anthraces in principio vel paulò pòſt appareant, attamen iis non apparentibus ſtatim cum vulgo concludendum non eſt, ægrum peſte non laborare: ſæpe enim peſtilens venenum diutiùs in corpore latere poſſe, antequam ſe prodat, docuimus lib. 1. cap. 10. annot. 8. ſæpe etiam à veneni virulentiâ ægros extingui antequam talia ſigna prodeant, omnibus notiſſimum eſt; in quibus talia indicia ſæpe poſt mortem primò apparent: non raro quoque virtus adeò debilitata & oppreſſa eſt, ut nullam veneni expulſionem ad exteriores partes moliri queat.

Hiſtoria 28. Goſuinus Dickvvoldt, vir fortis, 3. Maji de gravativo capitis dolore & cordis anxietate conqueſtus eſt, atque adeò ſomnicu− loſus fuit, ut ſe vix ſuſtentare poſſet. Circa veſperam ad ipſum vocatus, hoc alexipharmacum exhibui:

♃. Extracti magiſtralis, ſalis abſinthii, ana ſcrup. i.ſ. Theriacæ, ſcrup. ij. Aquæ theriacalis, unc. i.ſ. Aceti bezoartici, unc. j. Miſceantur, pro hauſtu.

Juſſi, ut aſtantes ipſum continuò alloquerentur, ac omnibus modis ſomnum impedirent, uſque dum per quatuor vel quinque horas egregiè ſudâſſet. Æger ab aſſumpto medicamento vehementer ſudavit; poſt ſudorem etiam planè ceſſavit anxietas cum ſomnolentia, ita ut ſequenti mane multò meliùs ſe haberet: atque tunc duo ſatis magni carbunculi, alter in brachio, alter in femore apparuerunt. Cùm autem propter ægrorum multitudinem illo mane non ſatis tempeſtivè hunc ægrum viſerem, ſtatim naſutus quidam Chirurgus advocatus fuit, qui meum adventum non expectans, ſuo conſilio venam brachii incîdit, & ſanguinis circiter uncias decem extraxit; & mihi in via obviam factus, tanquam re bene geſta, factum narravit. Poſt tres à ſanguinis miſſione horas ægrum ſimul viſimus, quem ille à ſanguinis detractione multùm allevatum fore exiſtimabat: ſed longè aliter ſe res habuit, nam varia deſperata ſigna in ipſo animadvertimus: carbunculi non tumidi, nec in circumferentia multùm inflammati, ſed exiles, depreſſi & quaſi aridi viſi ſunt; febris vehementiſſima acceſſerat cum maxima anxietate, quam tanta comitabatur virium debilitas, quâ, intra paucas horas æger deficiens, fatalem diem clauſit.

Annotatio. Quamvis cum Galeno multi Medici in peſtis, & præcipuè in carbunculorum curatione, venæſectiones inſtituendas eſſe doceant, nos tamen in hac peſte illas nunquam feliciter adminiſtratas fuiſſe novimus, nec quemquam evaſiſſe ſcimus, cui ſanguis venæſectione detractus fuit. Sic ipſe quoque Hippocrates 6. Epidem. ſect. 7. teſtatur ſe in peſtilentibus morbis infeliciter uſum fuiſſe venæſectione & purgatione; His (*inquit*) neque per medicamenta, quæ humores ſuis ſedibus ſubmovent, ullum effatu dignum auxilium allatum eſt; neque alvi perturbatio, neque venæſectio juvit, quæ ipſe tentavi.

Hiſtoria 29. Uxor Domini Wiljems, nobilis Angli, mulier delicatula, juvenis, & mediocriter fortis, peſte cum magna anxietate correpta fuit, cumque alexipharmaco à nobis aſſumpto fortiter ſudâſſet, protuberavit in inguine bubo, & anthrax in altero brachio erupit, ac magnum levamen ſenſit. Poſtridie mane ab eodem reïterato alexipharmaco rurſus egregiè ſudavit, & bubo multùm adauctus eſt, febris quoque planè receſſit, ita ut periculum jam evaſiſſe videretur. Cùm autem fœtorem ſudoris ægriùs perferret, rogavit ut lecti linteamina ipſi mutare liceret; quod omnino prohibui, (ſicut in omnibus id curiosè prohibere ſolebam) & adhuc per duos treſve dies expectandum eſſe dixi. Illa tamen poſt meum diſceſſum fœtoris pertæſa, induſium nitidum prope ignem bene calefactum, abjecto priore madido, calidiſſimè induit. Deinde poſt horas duas horrore cum magna anxietate correpta eſt; vehementiſſima febris, cum maxima ſiti, nauſea & debilitate acceſſit, ac caput doluit. Præſcripſi duo alexipharmaca, quæ ſtatim revomuit, nec julebos etiam, nec alia convenientia medicamenta retinere potuit: bubo quoque diſparuit. Circa mediam noctem alvus ſponte turbata eſt, & exanthemata pauca hîc illic in cute apparuerunt. Sequenti mane obiit.

Annotatio. Renovationem linteaminum ante diem ſeptimum, periculoſiſſimam fuiſſe, ſemper obſervavimus; & quantumvis calidiſſimè illa mutatio fieret, nulli tamen feliciter ceſſit: omnibus enim paulò pòſt febres, anxietates, inquietudines, aliaque ſymptomata graviter recruduerunt. Cauſam fuiſſe animadvertimus fœtorem ſaponis, quem recens lota & nitida linteamina plus minuſve retinent: qua de re fuſiùs egimus *lib. 2. cap. 3. annot. 6.*

Hiſtoria 30. Filius bipenniferi Capitanei Veer, puellus circiter ſex annorum peſte correptus, magnum carbunculum in media mala, ſupra maxillam ſuperiorem, habuit, qui ab exili puſtula initio ducto, intra biduum horribiliter accrevit, & totam genæ ſubſtantiam penetrans, mortificationem gingivarum, & tandem etiam palati induxit, atque octava die ægrum occidit.

Annotatio. Similem caſum adhuc ſemel vidi in alio quodam pauperculo puello, cui non tantùm gingivæ, ſed magna quoque naſi pars à peſtilentis veneni malignitate ante mortem ſphacelata fuit, cum teterrimo fœtore: ſed hujuſ-

modi exempla in hac peſte rariora fuerunt. Foreſtus lib. 6. obſervat. 12. refert ſe vidiſſe puellam, anthracem ſub labro intus habentem, è quo peſtiferus, & ob membri mollitiem putridiſſimus vapor exhalans totam domum infecit. Et obſervat. 25. narrat hiſtoriam puelli, cui carbunculus labia, mentum, genas, maxillas & naſum invaſit.

Hiſtoria 31. Filia Engelberti de Man Procuratoris, juvencula circiter viginti annorum, viſo aliquo ægroto peſtilenti febre cum phrenitide correpto, & horribili aſpectu vociferante, adeò exterrita fuit, ut inde peſtem ſtatim conceperit. Febris aderat mitior, anxietas verò maxima, cum ſumma virium debilitate: bubo protuberavit ſub axilla, & carbunculus in brachio erupit. Varia ſumpſit alexipharmaca: ſatis fortiter aliquoties ſudavit, ſed nihil imminuta eſt anxietas, cum qua die ſexta è vivis exceſſit.

Annotatio. Multis à terrore peſtem inductam fuiſſe obſervavimus, idemque etiam ab Hiſtoricis & Medicis, qui in tractandis ægris peſtiferis curioſiores fuerunt; annotatum fuiſſe legimus; quorum aliquot teſtimonia citavimus lib. 2. c. 7. annotat. 9.

Hiſtoria 32. Didricus Petterd, miles Anglus, robuſtus, menſe Majo peſte correptus, carbunculum in manu habuit. Ad hunc tertia morbi die vocatus eſt magiſter Cornelius Chirurgus, ut ex charitate ægrum pauperem inviſeret. Ipſe in platea Regularia ante ædes in quibus decumbebat æger, mihi caſu obviam factus; rogabat ut unà cum ipſo intrarem. Invenimus ægrum jam morti propinquum, corpore plurimis exanthematibus purpureis obſito, quapropter ipſum Deo commiſimus. Poſt diſceſſum diſputatio inter nos orta eſt de cauſis, origine & formâ exanthematum. Ego inter alia cum Fernelio ſtatuebam, illa non eſſe ſolius cutis maculas, ſed etiam partium ſubjectarum. Alter id negabat; & diſſectione unius aut alterius exanthematis ſe id facilè demonſtrare poſſe dicebat. Convenit inter nos ut in cadavere prædicti militis (qui intra ſemi horam à noſtro diſceſſu moriebatur) refrigerato, poſtera die levem inciſionem experiundi gratiâ faceremus. Ipſe in femore levem tantùm in cute fecit diſſectionem, credens ſubjectas carnes maculatas non eſſe; verùm ſe planè deceptum videns, altiore facta inciſione iſtarum macularum progreſſum inquiſivit, ac Fernelium vera dixiſſe confeſſus eſt: nam invenimus maculas illas ab ipſo perioſtio initium ducere, & latiore baſi pyramidis inſtar per medios muſculos rectà ſurſum uſque ad cutem aſcendere, atque ibi in conum terminari. Chirurgus hac experientiâ nondum contentus, in brachio ſupra cubitum aliâ factâ inciſione, idem illud adhuc ſemel inquiſivit; ubi invenimus baſin duorum exanthematum (quorum progreſſum quærebamus) adeò profundè ſitam non eſſe, neque ad perioſtium uſque pertingere, ſed à duro tendone cujuſdam muſculi originem ſumere.

Annotatio. Tradunt Jacobum Bontium, Medicum Lugduno-Batavum, quondam ejuſdem rei periculum feciſſe, & inveniſſe quòd exanthemata ab ipſis oſſibus initium ducerent. Procul dubio etiam Fernelius ejuſdem rei oculatum experimentum ſumpſit, nam, lib. de febr. cap. 18. *inquit*: Exanthemata ut corporis ſumma; ita & interiora viſcera, muſculos, nervos cæteraſque partes ſolidas obſident, ex hiſque primam ducunt originem. Sic etiam Johannes Morellus ſcribit, non tantùm exteriorem corporis habitum, ſed & interiora viſcera atque muſculos ejuſmodi papulis obſideri, non ſecus ac per variolas & morbillos. Anne hepar, lien, pulmo, aliaque interna viſcera hujuſmodi peſtilentialibus exanthematibus etiam infeſtentur, de eo ocularem experientiam non habeo, propterea quòd licet contagium à diſſectione muſculorum parvi faciam, illud tamen, ex apertione cavitatum abdominis & pectoris, furioſiùs in aſtantes irruere poſſe credam.

Hiſtoria 33. Lambertus Stoffels peſtilenti febre abſque ullo externo peſtis ſigno correptus eſt, cum ſumma anxietate, ſiti, & capitis dolore. Mox in ipſo principio advocatus fuit Adrianus Chirurgus in Magna platea habitans, qui ſtatim venæſectionem ſuaſit, ac brachii venâ pertuſâ, ſanguinis aliquot uncias extraxit. Æger inter Chirurgi manus animi deliquio correptus eſt, quod cùm diutiùs perduraret, meum conſilium petitum fuit. Inveni ægrum ſudore frigido perfuſum, cum pulſu adeò parvo ut vix ſentiri poſſet. Prædixi mortem. Attamen ne quicquam intentatum relinqueretur, aliquantillum aquæ vitæ Matthioli cum aqua cinnamomi ori infudimus, eademque nares & tempora fricavimus, acetum quoque roſaceum naribus objecimus; verùm his non obſtantibus intra horæ quadrantem exſpiravit.

Annotatio. Foreſtus ſcribit in Peſte Delphenſi venæſectiones ſemper noxias fuiſſe, excepto ſi adminiſtrarentur in ipſo morbi principio, antequam duodecim vel viginti horæ exſpiraſſent, tunc enim profuiſſe. Nos verò in hac peſte omnes venæſectiones, etiam in ipſo morbi principio factas, valde noxias fuiſſe; non tantùm in prædicto ægro, ſed in pluribus etiam aliis obſervavimus.

Hiſtoria 34. Menſe Majo circa veſperam caſu tranſibam prope portum Noviomagenſem, atque ibi civem quendam (non nominandum) fide digniſſimum vidi quaſi attonitum ſtare, & intenſiſſimos oculos in certum quendam portus locum fixos habere. Rogavi quidnam ageret? ipſe quaſi è ſomno evigilans, reſpondit ſe nihil agere, ſed maxima alteratione perculſum eſſe propter viſionem quandam quam ibi viderat. Cumque curioſiùs quidnam vidiſſet inquirerem, primò quidem nihil dicere voluit, ſed tandem ſub fide ſilentii narravit ſe in portu navem vidiſſe, è qua funus efferebatur ad ſepulturam, quod funus plurimi milites inverſis ac terram verrentibus armis præcedebant: juxta ante funus vexillum (inquit) portabatur, & vir quidam thorace ferreo ac galeâ indutus nudum gladium manu tenebat, alius arma clypearia portabat: proximè poſt funus pauci pullati, & poſt hos varii viri abſque palliis & famulis comitati, hoſque rurſus multi pullati ſequebantur. Aliâs etiam (dicebat) ſed rariùs talia ſpectra vidi, eaque ſemper alicujus mortem præſagierunt. Cùm hæc aliaque pauca cum ipſo loquutus fuiſſem, diſceſſi. Menſe autem Julio iſtius ſpectri effectus viſus eſt, nam cadaver nobilis Capitanei Jodoci ab Haeften (qui tunc temporis

poris ſupra Longevveerdam mortuus fuerat (navi in portum Noviomagenſem delatum, atque è navi planè eodem modo, quemadmodum civis ille diu antè in ſpectro ſe vidiſſe narraverat, ad ſepulturam delatum fuit, ita ut nihil eorum, quæ in viſione viſa fuerant, deeſſet.

Annotatio. Hoc tempore mulier quædam epileptica, quam vulgò Joannam cum mammis vocant, dicebat ſe eorum qui morituri erant ſpiritus, atque feretra funeralia ante ædes illas è quibus mortui efferendi forent, aliaque multa ſpectra videre; cujus dicta multoties ab eventu confirmata fuerunt: verùm poſtea cùm ſæpe etiam multa mendacia viſionibus ſuis affingeret, ejus verbis parva aut nulla fides adhibita fuit. Attamen nonnunquam hujuſmodi ſpectra cum infelici præſagio videri, ex narratione prædicti fide digniſſimi civis, vel inde certò conſtare poterat, quòd mihi rem illi ipſi incognitam, quæ non niſi diu pòſt effectu cognita facta fuit, eo ordine ſe vidiſſe narraret, ſicut poſtea peracta eſt. Sic etiam hoſpes meus Bartholomæus de Claer nobis narravit, ſe quodam tempore feriùs domum venientem, vidiſſe in foro è magno illo diverſorio cui Cygnus pro inſigni eſt, elatum funus, cui arma clypearia præferebantur, & quod multi tubicines præcedebant; cujus ſpectri effectus poſt aliquot à viſione menſes manifeſtatus eſt in equitum quodam Capitaneo ægro ad illud diverſorium delato, atque ibidem mortuo; & prædicto modo ad ſepulturam delato. Memini etiam mulierem quandam mihi ſanguine proximè junctam, quondam nobis præſentibus circa horam ſextam poſt meridianam narrâſſe, ſe videre tria funera è vicini noſtri ædibus efferri, multoſque pullatos funera ſequi: effectus poſt duos ab inde menſes licuit, nam in iiſdem ædibus octidui ſpatio tres liberi variolis laborantes mortui ſunt. Multa & mirabilia exempla ſpirituum; qui nonnullis apparuerunt, recenſet Cardanus lib. 16. de Rerum varietate, cap. 93. Quamvis autem hujuſmodi hiſtoriæ innumeris fabulis etiam inveſtiri ſoleant, omnino tamen pro fabulis habendas non eſſe, ſed Deo ſic permittente diabolum multis ludibriis hominum quorundam mentes exagitare, pro certo credendum eſſe arbitramur.

Hiſtoria 35. Uxor Otthonis à Wyler, mulier fortis & florentis ætatis, ſe magna cordis anxietate premi, atque exilem quendam tumorem cum dolore ſub axilla ſentiens, celavit malum: cumque per aliquot dies alvum non depoſuiſſet, ſuo ipſius conſilio foliorum ſenæ unc. ſ. cum ſeminis aniſi drach. j. & aliquot prunis Damaſcenis in cerviſia decoxit, atque illam colaturam bibit, & pruna comedit. Poſt duas horas maxima debilitate correpta fuit, ita ut ab animi deliquio parum abeſſet; huic debilitati adjuncta erant maxima inteſtinorum tormina, ac tandem ſecutæ ſunt alvi dejectiones, quæ primò aliquod levamen inducere viſæ ſunt, ſed paulò pòſt exitiales evaſerunt, nam in alvi continuum fluxum mutatæ ſunt. Evanuit tumor qui ſub axilla latuerat, & invaſit febris vehemens, cum maxima ſiti & virium dejectione. Tunc meum conſilium petitum eſt. Inveni vires ſummè languidas, cum pulſu crebro ac titubante. Excreta quæ per alvum dejiciebantur fœtidiſſimum fœtorem redolebant, neque erant ſtercora, aliive humores excrementitii, quales in aliis fluxibus dejiciuntur, ſed erant quaſi oleoſa, turbida, cinericea, inſtar colliquationum. Præmiſſo igitur mortis præſagio, ne noſtrâ negligentiâ perire videretur ægra, tale alexipharmacum exhibui:

℞. Terræ ſigillatæ, ſcrup. j. ſ. Coralli rubri præparati, ſcrup. ſ. Cornu cervi uſti, ſcrup. j. Theriacæ, diaſcordii, an. drachm. ſ. Aquæ theriacalis, unc. ij. Miſce, fiat hauſtus.

Non potuit ſudare, nec quicquam imminutus eſt alvi fluxus. Poſt quatuor horas rurſus aliud antidotum aſtringens aſſumpſit, à quo, quidem aliquantùm ſudavit, ſed abſque levamine. Poſtridie viribus deficientibus ſimul morbo vitæque finem impoſuit.

Annotatio. Exitialia in hac peſte fuerunt omnia medicamenta quæ alvum ducunt, etiam maximè levia, præcipuè ante morbi perfectam declinationem aſſumpta; nam ſemper alvi fluxum ferè omnibus lethalem induxerunt, non eo quòd violentam operationem exercerent, ſed quòd naturam in ſuo opere interturbarent, & materiam morbificam, quam natura per commodas vias & cum ſalute ægrorum à centro ad peripheriam movebat, in ægrorum perniciem ab externis partibus ad interiora viſcera retraherent, atque eandem per incommodas vias verſus inteſtina diverterent, per quæ tamen perfectè expelli non poterat: interea enim dum natura, ad hanc perverſam viam jam ſeducta, venenum peſtilens fruſtraneo conatu expellere annitebatur, cum viribus citiùs vita deficiebat quàm morbus.

Hiſtoria 36. Emetus Batbergen, cùm peſte propemodum abſque febre correptus ſudoriferum à me ſumpſiſſet, conqueſtus eſt, ſe in media lingua dolorem cùm alicujus particulæ inſenſibilitate percipere. Cùm locum inſpicerem, vidi parvum nigricantem anthracem in media lingua enatum eſſe. Ad reliquam veneni expulſionem adhuc duobus ſudoriferis uſus eſt, cum optato levamine. Ne autem anthrax in fungoſa parte ſe nimis citò & latè extenderet, juſſi ut os ſæpe collueret cum ſequenti decocto:

℞. Corticum granatorum, drach. vi. glycyrrhizæ raſæ, drach. iii. herb. betonicæ, meliſſæ, violariæ, pimpinellæ, foliorum bellidis, & herb. rubi, ana M. ſ. flor. balauſtiorum, & roſarum rubr. ana. drach. j. ſ. aquæ communis q. ſ. Coquantur ad lib. j. ſ. Colaturæ admiſce ſyrupi diamori, mellis roſ. ana unc. j. Cùm hac collutione per biduum uſus fuiſſet, ad citiorem eſcaræ ſeparationem, aliam præſcripſi:

℞. Hordei mundat. drach. v. radic. althææ ſicc. glycyrrhizæ raſæ, ana drach. iii. herb. malvæ, pimpinellæ, althææ, & violariæ, an. M. j. ficuum ping. num. 5. paſſularum, unc. ii. aquæ communis q. ſ. Coquantur ſ. art. ad lib. i. ſ. addendo colaturæ, mellis roſ. ſyrupi diamori, an. unc. j. Fiat decoctum pro collutione. Idem poſtea adhuc bis reiteratum eſt. Octava morbi die parva eſcara ſeparata excidit, magnum linguæ dolorem relinquens, qui collutionibus & vulneris ſanatione paulatim evanuit. Ita æger reſtitutus fuit, retinens poſt ſanationem in lingua parvam cavitatem, eo in loco ubi anthrax fuerat.

Annotatio. Carbunculos in lingua rariſſimè oboriri, hinc credibile eſt, quòd in tota hac

urioſiſſima peſte hunc caſum tantùm bis videre nobis contigerit. Chirurgi qui peſtiferos tractabant, ſe eundem caſum tantùm bis terve quoque vidiſſe, referebant.

Hiſtoria 37. Eques notiſſimus Schabhals, homo fortis, audax, & maximè temerarius, peſte cum magna febre ac debilitate correptus, bubonem in inguine, & tres anthraces in corpore habuit. A quibus omnibus malis cùm optimè ſummi Dei auxilio ſanatus eſſet, & jam rurſus foras prodiret, nullas Deo gratias egit, ſed ſatis impiè gloriatus fuit, ſe ipſa peſte nequiorem & fortiorem eſſe, atque nec peſtis, nec diaboli ſpicula ipſum quicquam afficere poſſe, imò ſe neque peſtem neque diabolum curare. Audivit Altiſſimus impia impiiſſimi hominis verba. Quid fit? Poſtquam cum reliquis equitibus hoſtilia caſtra aliquoties exploràſſet, (nam famoſiſſimus erat conductor, quem vulgò *Guide*, alii *Gidſe* appellant) tandem circiter quintâ poſt perfectam ſanationem hebdomadâ, rurſus de novo peſte correptus eſt, & ante diem ſextum victrici peſti duram ſubjecit cervicem.

Annotatio. Diſputatur inter Medicos, an illi qui à peſte ſemel evaſerunt, rurſus peſte corripi poſſint. Negativam partem ſectatur Guilhelmus Magiſtrius, qui de Peſt. ſect. 1. ſcribit, eos qui ſemel peſte laborârunt, eodem toto anno ab illa lue immunes evadere, atque etiam totâ vitâ minùs periclitari. Sic quoque Maſſaria inquit, neminem bis peſtilentiam incurrere, ſed eos qui ſemel peſte laborârunt, impoſterum à peſte tutos eſſe: eamque cauſam eſſe arbitratur, quòd veſpillones illi, qui ægris peſtiferis inſerviunt, à contagio non lædantur, quia plerique ſemel peſte laborârunt. Matthias Untzerus dicit eos qui ſemel peſte tentati fuerunt, eodem peſtilenti tempore vix, ac ne vix quidem in eandem relabi. Subjungit has rationes: Quia humor ille peſtifero veneno fomitem ſubſternens habilem, totus illo morbo evacuatus & diſſipatus fuit, ut non facilè contagionis labem ſuſcipere queat; vel quia cor antidotis in prima peſte munitum, porro qualitate alexiteria perfruitur, qua venenum peſtis longè à ſe propulſare valeat: vel quòd cor pugnæ priori cum peſtilenti veneno aſſuetum, nunc iteratos crudelis tyranni inſultus eludat, minaſque deſpiciat. Verùm omnes has auctoritates & rationes ipſa experientia facillimè evertit: nam varios novimus qui ante aliquot annos peſte laboraverant, & propterea tamen in hac conſtitutione non magis à lue immunes fuerunt, quàm alii. Eodem autem anno eundem hominem bis peſte corripi poſſe, liquet ex prædicta hiſtoria, ut & ex hiſtoria 45. Sic etiam Marſilius lib. epidem. cap. 54. ſcribit, ter unum ex Florentinis luem hanc invaſiſſe, qui etiam ſecundò perfectè liberatus, tertiò mortem evadere non potuit. Angelus Bellicochus, tract. de Peſte, refert, in illa peſte Veneta nonnullos ab hoc graviſſimo malo liberatos, per aliquot menſes ſe rurſum ſatis bene habuiſſe, & poſtea iterum in morbum hunc incidiſſe, à quo tamen nonnulli fuêre reſtituti.

Sic etiam Follinus, Amulet. cap. 20, problem. 2. dicit, ſe in peſte Sylvæducenſi vidiſſe, qui ter hoc morbo laboraverunt; & nonnullos fuiſſe defunctos, qui novenâ morbi pugnâ ſuccubuêre. Verùm etſi hæc ita ſe habeant, tamen docet experientia, illos, qui ſemel hoc malo afflicti fuerunt, tutiùs degere, & minus periclitari aliis, qui nunquam eo detenti fuere Quod etiam in graviſſima ſui temporis peſte notat Hiſtoricus Thucydides, lib. 2. Verùm ii, inquit, præcipue morientium laborantiumque miſerabantur, qui ipſi evaſerant, quippe id jam antea experti, ac de ſe ſecuri: neque enim bis eundem morbus corripiebat, ut extingueret. Verùm in noſtra peſte Noviomagenſi, etſi qui ſemel peſtem experti eſſent, raro ſecunda vice in illam inciderent, quibuſdam tamen hoc contigiſſe novi, eorumque nonnullos evaſiſſe, nonnullos mortuos fuiſſe.

Hiſtoria 38. Robertus Wendel cùm peſte unâ cum vehementi febre correptus eſſet, nec à primo alexipharmaco ullum levamen perciperet, ſecunda die acutiſſimum dolorem pleuriticum ſenſit in latere dextro, qui ſtatim anhelitus libertatem impediit, atque ægrum intra duas horas jugulavit. Cadavere vix refrigerato, totum dextrum pectoris latus nigerrimo colore, inſtar carbonis, infectum eſt.

Annotatio. Dolores pleuritici qui peſti ſupervenieabant, ſemper erant lethales, & ægros citò occidebant, propterea quòd non ſolùm ab inflammatione membranæ pleuræ, ſed à peſtilenti veneno iſti membranæ viciniſque partibus infixo producerentur; quod venenum non ſolam inflammationem, ſed partis mortificationem inducebat, quæ nec venæſectione, nec ullis aliis mediis curari poterat. Hæc pleuritis peſtilens admodum familiaris non erat. Wierus autem lib. rarar. obſervat. deſcribit pleuritides, peripneumonias & anginas peſtilentes epidemias, quæ per totam Inferiorem Germaniam graviſſimè dominabantur, nec venæſectione aliiſque remediis cedentes, maximam hominum ſtragem ediderunt.

Hiſtoria 39. Vidua Johannis Rodenburch, mulier fortis, peſte correpta ſtatim carbunculum in femore habuit: febris aderat vehementior, cum magna ſiti, anxietate, & inquietudine. Hoc alexipharmaco aſſumpto egregiè ſudavit:

♃. Extracti rutæ, & cardui, an. ſcrup. ß. ſalis ſcordii, ſcrup. i. ſ. diaſcordii Fracaſt. drach. j. aquæ thericalis, unc. j. aceti bezoartici, unc. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Secunda die tumorem ſub axilla percepit: tunc alterum ſudoriferum exhibitum eſt, quod ſtatim evomuit. Hoc julepo ad ſitim utebatur:

♃. Aquæ Cardui bened. lib. j. Scabioſæ, & acetoſæ, an. lib. ſ. Syrupi de ſucco citri, & granatorum acid. an. unc. j. Olei ſulphuris q. ſ. ad gratum acorem. Miſce, fiat juleb.

Nihil aliud illa die aſſumere potuit. Poſtridie morbo in eodem ſtatu permanente, nec tumore ſub axilla magis increſcente, meo perſuaſu hunc bolum deglutivit:

♃. Extracti magiſtralis, ſcrup. j. & Angelicæ, ſcrup. j. ſ. Lapidis bezoar. orient. gr. vij. Mithridatii democ. ſcrup. j. Miſce, fiat bolus.

Circa veſperam de ventris dolore conqueri cœpit, inteſtinorum quoque murmura acceſſerunt. Sequenti nocte vehementiùs febricitavit. Die quarta mane alvus liquida dimiſit: paulò

pôſt

poſt colliquativus fluxus ſecutus eſt, cum quo fœtidiſſima, turbata, confuſa, cinerei coloris dejiciebantur; quem fluxum nullis aſtringentibus nec antidotis ſudoriferis (quamvis ægra mortem metuens, tunc quidlibet aſſumeret) ſiſtere potuimus. Poſt ſexdecim à principio fluxus horas etiam ſanguis defluxit, & ægra ſequenti nocte obiit.

Annotatio. Alvi fluxus peſti ſuperveniens plerumque lethalis fuit, & cum illo vix centeſimus quiſque evaſit. Sic etiam Galenus ſcribit in peſte ſui temporis omnes propè periiſſe quibus alvi fluxus superveniebat. Ita quoque Nicolaus Florentinus, Gallus Tridentinus, Foreſtus, & alii obſervârunt in peſte, maxima ex parte mortuos fuiſſe illos, quibus alvi fluxus acceſſit, imprimis ſi anhelitus fœtens adjungeretur. Errant omnes qui fluxum critico die incidentem, morbi ſalutarem eventum prænunciare arbitrantur: errant nempe in eo, quòd fluxum hunc criticum eſſe, & a victrice natura produci judicent, cùm re vera ſit ſymptomaticus & morbi vi inductus.

Hiſtoria 40. Nicolaus ab Elten, eques generoſiſſimi Capitanei Coenjers, vir robuſtus ac temerarius, peſte jam correptus & bubonem in inguine ſentiens, ſtatim pro duobus aſſibus tabacum minutim conſciſſum emit, idque in cerviſia aliquantum decoxit, poſtea colavit, expreſſit, ac colaturam ebibit. Hinc non diu pòſt tanta anxietate & debilitate correptus eſt, ut animo totus linqueretur, ac jam mori videretur: paulò pòſt rurſus ad ſe reverſus, adeò enormiter ſurſum deorſum purgatus eſt, ut in mediis excrementis inſtar porci provolutus jacens, vix quiſpiam ipſum contingere auderet propter contagii metum. Tandem à domeſticis ex illuvie illa extractus, mundatus & in lectum depoſitus eſt, adeò debilis exiſtens ut ſe commovere non poſſet, inguinis quoque bubone planè diſparente. Tunc petiit Vice-Capitaneus Couper ut ipſum inviſerem. Cùm autem illum adeò debilem & toto corpore turbatum invenirem, ad eluendam tabaci qualitatem bis terve cerviſiam offerri juſſi, quam ſtatim cum violentia revomuit. Denique vini Gallici generoſi lib. j. ad ignem calefecimus, eique (ut ſolent equites) aliquantum nucis moſcatæ, canellæ & zingiberis immiſcuimus; quem potum calidiſſimè aſſumptum retinuit, & ſtragulis bene coopertus in ſomnum incidit, atque inter dormiendum valde ſudavit. Poſt aliquot horas è ſomno evigilans, tale vinum adhuc ſemel à domeſticis paratum ebibit, & rurſus ad dormiendum & ſudandum ſe compoſuit. Sequenti die optimè valuit, & cum ſatis magna voracitate rurſus comedit. Tunc paſſim gloriabatur ſe quendam diabolum ipſa peſte nequiorem (nempe tabacum) inveniſſe, qui corpus ſubintrans ſtatim ipſam peſtem ejiceret.

Annotatio. Sæpe (inquit Celſus) quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat. Liquit illud in prædicto equite, cujus temeritatem alii duo ejuſdem cohortis equites peſte correpti (alter cum inguinis bubone, alter cum tumore ſub axilla) ſequi vellent, infeliciter perierunt: prior intra duas horas ipſam animam evomuit; alter verò deficientibus viribus ſequenti nocte è vivis exceſſit. Nobis etiam narratum eſt, nonnullos alios milites, conſilio & experientiâ prædicti equitis dementatos, illud ipſum quoque infeliciſſime tentâſſe, eorumque animas tabaci adventu citiſſimè è corporibus fuiſſe fugatas. Quamvis ad peſtis præſervationem tabaci fumus ore attractus valde inſignis ſit, attamen ipſum tabacum, vel ejus extractum, aut decoctum intus in corpore aſſumptum, ad peſtis curationem noxium eſt, propterea quod violentiſſima ſua operatione corpus, jam a peſtilenti veneno infeſtatum & debilitatum, graviſſimè exagitet & conturbet, imo renduas vires ad veneni reſiſtentiam maximè neceſſarias in totum dejiciat. Ita ut quamvis tabacum qualitatem aliquam veneno peſtilenti contrariam obtineat, quia tamen iſti antidotali qualitati alia vehementer conturbatoria conjuncta eſt, qua vires planè dejiciuntur, harum conſervandarum gratiâ, ab ejus interno uſu abſtinendum eſt. Nam curationis peſtis duæ primariæ ſunt intentiones, Veneno reſiſtere, & Vires conſervare. Harum autem intentionum prior nequit bene perfici ſine poſteriore; natura enim ſuccumbens neque veneno reſiſtere, neque antidota in actum promovere poteſt. Nec etiam poſterior ſine priore perficitur, cùm venenum, cui non reſiſtitur, invaleſcens, vires quantumvis conſervatas obruat. Quapropter ad curationem peſtis talibus medicamentis utendum, quæ his duabus intentionibus ſimul ſatisfaciant, veneno reſiſtant, & vires, quantùm fieri poteſt, conſervent. Quæ vero medicamenta in alterutro peccant, rejicienda ſunt. Tale eſt tabacum, cujus uſus ſi fortè uni alicui fortiſſimo ſalutaris exiſtat, rurſus mille alios occidet. Hujus tamen fumo per fiſtulam attracto, & rurſus foras dein iſto, innoxiè, imo cum magna utilitate (imprimis ad præſervationem) uti poſſunt illi, qui ejus uſui aſſueti ſunt; nam in talibus vires non dejicit, nec corpus conturbat, partim propter conſuetudinem, partim quòd manifeſtâ quantitate non ingrediatur corporis interiora.

Hiſtoria. 41. Menſe Junio caſu tranſivi, Adolpho Fildar Chirurgo comite, plateam vulgò Bloemerſtraet appellatam, atque ibi puerulos quoſdam colludentes vidimus, & inter hos filiolum militis cujuſdam, circiter ſex annorum, qui exanthhematibus obſcurè purpureis & rotundis totus ſcatebat. Mirati ſumus puellum hunc non ægrotare. Interim dum illum cum admiratione aſpiceremus, accurrit mater, quæ nobis filii crura, ventrem, clunes reliquumque corpus detexit, quod totum exanthematibus non minùs obſitum erat quàm manus & facies. Mater dicebat puellum per quatuordecim dies has maculas habuiſſe, & vix unquam ægrotâſſe, ſolummodo unica die aliquantùm de capitis dolore conqueſtum fuiſſe, nec bene edere potuiſſe, ea tamen de cauſa ipſum domi manere noluiſſe, ſed cum ſodalibus ſuis in plateis adhuc colluſiſſe: iſta autem inſequente nocte ipſum in ſomno multùm ſudâſſe, ac poſtridie exanthematibus adeò ſcatentem inventum fuiſſe, neque ipſum poſtea malè valuiſſe, licet illa & vicini omnes mortem puelli quotidie expectâſſent. Ego poſt tres deinde ſeptimanas curioſitatis ergo puellum rurſus inviſi, eumque optimè valere, & exanthemata ferè omnia paulatim inſenſibiliter evanuiſſe vidi.

Anno-

Annotatio. Proculdubio natura fortis & cor robuſtum in hoc puello non tantùm unico ſudore venenum peſtilens totum foras expulit, verùm etiam ſpiritus vitales ab ejus contagio jam corruptos extra arteriarum cavitates ſimul protruſit, atque ita ægrum à gemino malo, nempe tam à peſtilenti veneno, quàm à ſpirituoſa arterioſi ſanguinis parte, per veneni virulentiam jam corrupta, ſimul & in totum liberavit. Quod exemplum hac tempeſtate pro rariſſimo habendum erat, nam in tota hac tam furioſa peſte, præter hunc puellum, nullum unquam vidi evaſiſſe, cui exanthemata purpurea aut nigricantia apparerent; ſed quò plura & majora prodirent, eò citiùs ægros ſemper interiiſſe: reliqui etiam qui peſte infectos tractabant, ſe id nuſquam ampliùs vidiſſe affirmabant. Exanthemata rubra, parva & non multa, licèt plurimis eſſent lethalia, cum his tamen pauci adhuc evadebant; cum purpureis aut nigricantibus, nullus. Ac propterea quòd maculæ illæ inſtantem mortem certiſſimè prænunciarent, vulgus illas appellabat Maculas mortis, iiſdemque apparentibus omnem de ægris ſpem abjiciebat. Johannes Morellus lib. de febr. purp. & Peſt. cap. 2. ſatis longo ſermone contendit exanthemata peſtilentialia dari vel exiſtere non poſſe ſine febre. Verùm cùm Hippocrates in epidem. teſtetur bubones & carbones peſtilentes ſine febre multoties viſos eſſe; cùm ipſa quoque peſtis ſine febre eſſe poſſit, ut docuimus lib. 1. cap. 12. annotat. 2. cùm etiam Gemma ſe illud ſæpius vidiſſe teſtetur; cùm experientia quoque in prædicta hiſtoria ſatis demonſtret, exanthemata purpurea copioſa ſine febre enata fuiſſe, non eſt quòd Morelli opinionem pluribus refutemus.

Hiſtoria 42. Routherus Wanhans, Germanus fortis, peſte correptus vomuit, capite doluit, ingenti ſopore & cordis anxietate preſſus eſt, nullum tamen externum peſtis ſignum percepit. Urina ſanorum urinæ ſimilis, pulſus creber erat atque inæqualis. Quia morbus, cùm ipſum primò inviſerem, erat in ipſo principio, magnam ſalutis ſpem dedi, atque hunc hauſtum ſtatim exhibui:

℞. Theriacæ, drach. j. ſalis communis, ſcrup. ii. aceti vini fortis, unc. iii.

Ab hoc aſſumpto per ſex ſeptemve horas vigilare juſſi. Vehementer ſudavit, ſimulque bubo in inguine dextro erupit. Poſtridie eodem hauſtu reiterato, iterum copioſiſſimè ſudavit, atque anxietate & capitis dolore in totum liberatus fuit: duo carbunculi ſatis magni ſiniſtrum femur invaſerunt, quibus à Chirurgo ſ. art. tractatis, æger brevi convaluit, tumore inguinis ſponte evaneſcente.

Annotatio. Eodem modo cùm feliciſſimo ſucceſſu multis pauperioribus in ipſo morbi principio exhibui ſolius aceti fortiſſimi unc. iii. vel iv. cum ſalis marini pugillo, & optimè ſæpius profuit; interdum etiam Theriacæ drach. j. admiſcui. Si illud revomerent ægri, paulò pòſt rurſus offerebatur. Notandum autem non omnibus promiſcuè acetum eſſe exhibendum, ſed ab ejuſdem uſu arcendos eſſe illos qui in pectore aliquod vitium habent, puta aſthmaticos, tuſſiculoſos, & ſimiles, qui ab aceto peſſimè afficiuntur. Ita quendam novi civem, qui cùm me acetum nonnullis præſcripſiſſe vidiſſet, etiam uxori ſuæ peſte correptæ (quæ natura erat aſthmatica & tuſſiculoſa) idem exhibuit, à quo tanta tuſſi & ſuffocatione obruta fuit, ut non ſine magna moleſtia aceti acrimonia & pectoris aſperitas mitigari, ipſaque à præſenti ſuffocationis periculo liberari potuerit.

Hiſtoria 43. Johannes Guilhelmi, famulus fabri lignarii, nuncium recepit parentes ejus prope Thelam habitantes, peſte mortuos eſſe; à quo triſti nuncio tantopere conturbatus & perterritus eſt, ut etiam ipſe inde ſtatim peſtem conceperit, à qua, non obſtantibus variis adhibitis remediis, ante quartum diem obiit.

Annotatio. Si ex ſolo nuncio hic æger peſte correptus fuerit, quis mirabitur de eo quod Nicephorus ſcribit, ex ſolo aſpectu infectarum ædium nonnullos peſte infectos fuiſſe; & de eo quod Sennertus refert, ab aſpectu curruus in quo mortui ad ſepulturam vehuntur, nonnullos contagium concepiſſe; imò nonnullos ex inſomniis de peſte dirâ, labe contaminatos fuiſſe.

Hiſtoria 44. Nobiles quidam Galli cùm menſe Junio graviore equitatione exercitii gratiâ ſe valde defatigâſſent, hincque multùm ſudarent, inter illos unus ſubitò maxima anxietate & debilitate correptus eſt, ita ut ſe vix diutius ſupra equum ſuſtentare poſſet. A ſociis ad diverſorium deductus & lectò impoſitus fuit: interea me advocârunt. Inveni pulſum crebrum, celerem & parvum. Narrabant ſocii quomodo ab exercitio incaluiſſet & valde ſudâſſet, atque tunc ſubitaneo illo languore correptus eſſet: addebat æger ſe in pectore aliquas puſtulas dolorificas ſentire, & credere ſe peſte correptum eſſe. Ut illas puſtulas inſpiceremus anne carbunculi eſſent, thoracem aperuimus, & denudato pectore vidimus ægrum ſupra pectus amuletum aliquod tenuiſſimo ſerico inveſtitum, & à ſudore jam valde madidum, geſtare, ſub quo pars multùm inflammata, & multæ exiles nigricantes puſtulæ enatæ erant. Cùm hoc amuletum detracto ſerico examinarem, vidi eſſe commune illud ex arſenico rubro & albo confectum. Interea dum hæc agimus, æger animo linquebatur, vino dato & ad ſe reverſus, conquerebatur ſe ſuffocativam quandam anxietatem, cum ſummo cordis ardore ſentire. Tunc ſtatim abjecto amuleto hoc alexipharmacum præſcripſi:

℞. Extracti angelicæ, & rutæ, ana ſcrup. j. theriacæ, ſcrup. iv. aquæ theriacalis, unc. j. aceti bezoartici, unc. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Cùm hoc aſſumpto per tres continuas horas fortiter ſudâſſet, à prædictis ſymptomatibus liber evaſit, ac poſtridie rurſus bene valuit. Ad latentis tamen veneni reliquias penitus abſumendas, hoc condito per aliquot dies uſus fuit:

℞. Specier. liberantium, drach. j. radic. helenii condit. cortic. citri condit. rob. ribeſii rubri, diaſcordii Fracaſtorii, ana drach. iij. ſyrupi de ſcordio q. ſ. olei juniperi, ſcrup. j. Fiat conditum.

Puſtulis oleum ſcorpionum & laurinum inunximus, atque ita citiſſimè ſanatæ ſunt. Conſului ne unquam ampliùs talia venenata amuleta geſtaret.

Annotatio. Etſi Niddanus, Simonius, Theodoſius, Mercurialis, aliique clariſſimi Medici, amuleta

amuleta ex arſenico & ſublimato confecta, tanquam divinum remedium ad peſtis præſervationem extollant, nos tamen in hac peſte nemini illa profuiſſe animadvertimus. Gerardus Buſæus Pharmacopœus illa ſatis magno pretio omnibus vendebat; ut & Adolphus Fildar Chirurgus, qui illa tanquam è Deorum ſcriniis prolatum donum commendabat: verùm per illa nullos, imò nec ipſos venditores præſervatos fuiſſe vidimus:

In ipſos ſæva medentes irrupit clades. Nam Buſæus unà cum tribus liberis; Fildar verò cum uxore & liberis peſte extinctus eſt, quamvis omnes hæc amuleta longo tempore curioſiſſimè geſtâſſent. Quapropter cùm neque ratio, neque experientia (ut latiùs docuimus lib. 2. cap. 11. annot. 1.) amuletorum arſenicalium uſum probet, rejicienda ſunt, imprimis cùm ſæpius etiam maximè noxia eſſe poſſint, ut liquit in prædicto ægro, qui à ſuo amuleto paulò minùs quàm ſi venenum per os aſſumpſiſſet, læſus fuit; & niſi illud tempeſtivè amotum, abjectum, & antidoto exhibito proviſum eſſet, fortè ab ejuſdem virulentia enecatus fuiſſet. Similia damna ab hujuſmodi amuletis illata, ſe quoque vidiſſe, refert Zacutus Luſitanus, *Prax. Admir. lib. 3. obſervat.* 45. In peſtilenti (*inquit*) lue febribuſque peſtiferis ſum expertus, plures hoc auxilio uſos, ſubitò peſte correptos occubuiſſe: alii inflammatione oborta in læva thoracis externa parte, febribus ſunt apprehenſi, quæ ex admoto ſublimato ortæ ſunt, qui ſummo labore deinceps convaluêre: quidam inflammato corde incenſiſque ſpiritibus in palpitationem incidêre.

Hiſtoria 45. Chriſtophorus de Four, Mercator ferrarius, menſe Majo peſte correptus fuit, ac quarta morbi die obiit. Ipſi autem animam agenti duo filii cum ancilla ante lectum adſtabant, qui tres, ſimul ac æger extremum ſpiritum efflaret, eodem momento ſimul contagio infecti ſunt. Ancilla cum filio juniore ob contagii vehementiam ſtatim animo linquebantur; deinde magna febri ſimul omnes obruti fuerunt. Filii intra biduum vel triduum occubuerunt. Ancillæ autem ingens tumor ſub axilla dextra protuberavit, ut & bubo in inguine, quibus tumoribus maturefactis atque diſruptis, ſanata, & ab imminenti periculo etiam hac ſecunda vice liberata fuit; nam hæc erat eadem illa ancilla quam antea adhuc ſemel peſte laborâſſe, diximus hiſtoriâ nonâ.

Annotatio. Quotidiana praxis docet adhuc fortiter ſpirantibus ægris multò minùs contagii periculum adeſſe, quàm iiſdem morientibus; eaque de cauſa multi non ſine ratione putant, ſe tutiùs inviſere poſſe decem languentes, quàm unico morienti, vel ſtatim mortuo, adeſſe. Quod tamen alienum videtur, cùm viventium longè major ſit exhalatio, totumque corpus apertum caloris vi majorem putredinis partem foras tranſmittere poſſe videatur. Quæritur igitur quænam ſit ratio? haud alia eſt ac ſi quis accenſam lampadem extinctæ comparet: ipſe enim ignis tantiſper dum excandeſcit, exhalat tenue ac fuliginoſum quippiam, ſed minùs malignum, utpote quod ab ignis calore priùs diſcutitur, quàm intermedium aërem inficere poſſit: at ſublato igne, exſudat adhuc ab elychnio craſſus & tetricus vapor, quem magis peſtiferum & pertinaciùs inhærentem eſſe, tum color & odor, tum tota ſubſtantiæ ratio ſatis oſtendunt.

Hiſtoria 46. Generoſus vir D. Wiljems, nobilis Anglus (de cujus uxore mentionem fecimus ſuprà hiſt. 29.) homo fortis, 16. Junii mane è ſomno evigilans, nondum tamen ægrotans, anthracem in brachio dextro percepit: quo peſtis ſigno viſo, ſtatim meum conſilium petiit. Exhibui hoc alexipharmacum, de quo bene ſudavit:

℞. Extracti magiſtralis, & angelicæ, an. ſcrup. j. Salis ſcordii, ſcrup. i. ſ. Theriacæ, ſcrup. ij. Aquæ theriacalis, aceti bezoartici, an. unc. j. Miſce, fiat hauſtus.

Circa veſperam vehementi febre correptus eſt, cum magna ſiti, anxietate, & inquietudine. Tale antidotum rurſus ſumpſit:

℞. Extracti Cardui bened. ſcrup. i. ſ. & angelicæ, ſcrup. j. Salis abſinthii, ſcrup. i. ſ. Diaſcordii Fracaſt. ſcrup. ij. Aquæ theriacalis, unc. j. Succi citri, unc. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Ad ſitim hic julebus præſcriptus eſt:

℞. Aquæ Cardui bened. lib. j. Scabioſæ, acetoſæ, an. lib. ſ. & roſarum, unc. ij. Syrupi de ſcordio, & granatorum acid. an. unc. j. Succi citri, q. ſ. ad gratum acorem. Miſce, fiat juleb.

Noctem illam admodum gravem habuit. Poſtridie mane duo alii anthraces apparuerunt, alter in femore, alter in crure. Ab ultimo diaphoretico reiterato rurſus illo mane multùm ſudavit: bis reiteratum quoque eſt julapium: febris eâdem vehementiâ continuavit, & vires ad extremam debilitatem dejectæ fuerunt. Hujus miſturæ ſæpius illa die cochleare plenum ſumpſit:

℞. Conſervæ roſarum rubr. drachm. v. Aquæ theriacalis, unc. i. ſ. Aquæ cinnamomi, drach. vi. Succi citri, unc. j. Miſceantur, & colentur, adde colaturæ, Confectionis de hyacintho, ſcrup. ij. & de Alkermes, ſcrup. i. ſ. Miſce.

Tertia die per vias urinarias ſanguinem purum ter quaterve magna quantitate reddidit: circa horam veſpertinam obiit.

Annotatio. Qui ſanguinem mingebant, omnes moriebantur: quod lethale ſymptoma hoc tempore ſatis commune erat, & à vulgo peſtis ſanguinea appellabatur. Etiam lethalis alvi ſanguineus fluxus peſti multoties adjungebatur. Sudorem autem peſtilentem ſanguineum nunquam vidimus, quem tamen ſe vidiſſe teſtantur, Agricola lib. 2. de Peſt. Lycoſthenes, de prodig. & Zacutus Luſitanus, *Prax. Admir. lib. 3. obſerv.* 40.

Hiſtoria 47. Henricus ter Coelen, piſtor, qui prope Wijmel portam habitabat, à peſtis invaſione maximas habuit debilitates, cum multis animi deliquiis: de cordis etiam anxietate conqueſtus eſt: gravis tamen febris non aderat. Varia ſumpſit alexipharmaca, ſatis copioſè ſudavit, eruperunt duo carbunculi, cum tumore ſub axilla. Morbus uſque ad diem ſextum in eodem ſtatu permanſit: tunc gutturis raucedinem in ipſo percepimus, è quo ſolo ſigno certam & citam mortem prædixi. Sequenti nocte eruperunt pauca exanthemata: & circa diluculum æger vitæ hujus miſerias effugit.

Annotatio. Laboraverat hic æger anno præcedente per tres menſes febre purpurata, cum plurimis punctulis rubris ac purpureis, & ter quaterve cum ſummo vitæ periculo recidivam paſſus fuerat. A quo morbo quamvis Dei, & medi-

medicamentorum noſtro conſilio adhibitorum, ope feliciter ſanatus, & optimè valens, ex piſtore jam pharmacopola factus eſſet, lethalia tamen peſtiferæ luis ſpicula effugere nequivit. Quæ lues primâ fronte ſymptomatum parvitate multò minùs periculum quàm prædicta febris minari videbatur, verùm tandem raucedine gutturis infelicem morbi eventum præſignificavit; qua raucedine quotquot tenebantur, illi omnes certò moriebantur, etſi alia ſigna ſalutarem morbi eventum promittere viderentur.

Hiſtoria 48. Elizabetham Petri ſutoris filiam, ætatis circiter viginti annorum, peſtis unà cum maximo vomitu, ſumma anxietate & debilitate corripuit, nec potum, nec aliud quid retinere potuit. Poſt duodecim ab invaſione horas evomuit duos vermes vivos, breves, rubros & craſſos, qui circiter longitudinem ac craſſitiem minimi digiti habebant, & inſtar ſanguinis rubeſcebant, atque per pelvim vivi volutabant. Hos cùm ejeciſſet, intra horæ quadrantis ſpatium mortua eſt.

Annotatio. Vehemens fuiſſe debuit illud venenum, quod tam paucis horis tantam & talem humorum putredinem inducere potuerit, è quo hujuſmodi vermes tam citò generati fuerint. Nec mirum eſt ægram citò obiiſſe, nam cum tanto veneno, tamque perniciosa humorum putredine neminem diu ſupervivere poſſe, credibile eſt. Anno 1576. in peſte Veneta vermes quoque obſervatos fuiſſe, refert Angelus Bellicochus: Multi (inquit) hoc tempore per os & inteſtina vermes excreverunt, qui propter inſignem humorum putredinem difficiliùs, quàm alii, fuêre curati.

Hiſtoria 49. Vice-Capitaneus nobiliſſimi viri D. de Sterckenburch, legionis Groeningenſis Præfecti, peſte correptus poſt varia aſſumpta medicamenta, & maturatum ac diſruptum bubonem rurſus convaluit. Toto morbi decurſu nimis vigil fuerat, ſed tamen abſque moleſtia, quæ vigiliæ, morbo jam penitus ſanato, (poſtquam æger rurſus per octiduum foras prodiiſſet) adhuc perdurabant, ita ut ſingulis noctibus vix per ſeſquihoram dormire poſſet. Tandem ab illo pſeudochirurgo, qui bubonem ejus tractaverat, aliquod medicamentum adverſus has vigilias petiit: qui illi cubitum ituro circa horam decimam veſpertinam potiunculam narcoticam exhibuit? à qua tam egregiè dormivit, ut vigiliarum & vitæ planè oblitus fuerit, nam intra quindecim horas, nunquam rurſus evigilaturus, extremum ſomnum abſolvit.

Annotatio. Ecce quàm egregiè rebus ſuis conſulant, qui nimis avaritioſi (qualis erat hic æger) talium homicidarum potiùs, quàm peritorum Medicorum conſilia petunt? quàm egregiè Magiſtratus Reipublicæ commodo ſtudet, qui in genere omnibus Chirurgis ultra crepidam ſapiendi, & in medicina quidlibet cum ignorantia temerè audendi, liberam poteſtatem permittit? quàm egregiè civium & incolarum ſalus curatur, cùm nonnullis ignaris pſeudochirurgis, veris homicidis, peſtiferorum curandorum, vel pro libitu impunè necandorum, provincia à Magiſtratu imponitur?

Hiſtoria 50. Strenuiſſimus Capitaneus Jodocus ab Haeften, peſtem fugiens, civitatem dereliquerat, ac cum tota familia ad pagum Ooſterhaut (qui unico milliari à Noviomago diſtat) in caſtellum ibidem ſitum migravit. Poſtquam per tres menſes ibidem habitâſſet, uxor illius 13. Junii peſte correpta eſt, ad quam ſequenti die poſt meridiem vocatus fui. Inveni ægram leviter quidem, ut videbatur, febricitantem, ſed tamen debilem, capite dolentem, & ſumma anxietate preſſam. Urina erat turbida. pulſus parvus, creber & inæqualis, lingua tumida, calor corporis non admodum vehemens, nec vultus color multùm immutatus. Nullum in externis dolorem ſentiebat, præterquam in inguine ſiniſtro, ubi parvus & durus tumor ſub cute adhuc latens ſentiebatur. Appetitus planè proſtratus erat: ſitis non multùm vexabat. Iſtâ veſperâ hoc alexipharmacum exhibui:

♃. Diaſcordii Fracaſt. drach. j. ſalis abſinthii, coralli rubri præparati, extracti cardui, pulveris liberantis, ana ſcrup. j. aquæ theriacalis, unc. j. ſ. olei vitrioli gut. xj. Miſce, fiat hauſtus.

Illa nocte bene ſudavit. 15. Junii diarrhœa peſtilens ſupervenit: dejectiones erant turbidæ, cinericeæ, fœtidiſſimæ. Inguinis tumor planè diſparuit, vires quoque valde proſtratæ ſunt, ita ut de vita ejus deſperarem. Hoc ſudoriferum matutino tempore dedi:

♃. Trochiſcorum de terra ſigillata, coralli rubri præparati, ana ſcrup. j. diaſcordii Fracaſt. drach. j. aquæ theriacalis, unc. i. & cardui bened. unc. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Hoc aſſumpto mediocriter ſudavit, ſed morbus tamen in eodem ſtatu permanſit. Circa veſperam, ipſâ ægrâ & marito illud unicè petentibus, tale amygdalatum præſcripſi:

♃. Amygdalarum dulc. depil. drach. v. ſem. lactucæ, & papaveris albi, an. drach. iii. decocti hordei, q. ſ. Fiat emulſio ad unc. vi. cui admiſce, ſyrupi cydoniorum, unc. ſ.

Hoc emulſum illa nocte duabus vicibus totum ſumpſit, verùm plùs nocuit quàm profuit, (quod amygdalata in hac peſte ſemper faciebant) multò enim majore anxietate tota nocte preſſa fuit ægra; amygdalatum inſtar caſei coagulatum partim cum ſumma moleſtia evomebatur, partim cum infernis excretis dejiciebatur, nec quicquam imminutus eſt alvi fluxus. 16. Junii mane poſtremum ſudoriferum reiteratum fuit, à quo bene ſudavit, cum aliquali levamine, ſed alvi fluxus in eodem ſtatu permanſit. Poſt meridiem de magno dolore ſub cartilagine enſiformi conqueſta fuit, qui inunctione ſequentis unguenti citò ceſſavit:

♃. Olei diſtillati nucis moſcatæ, macis, an. ſcrup. j. & juniperi, ſcrup. ſ. theriacæ Andromachi, olei ſcorpionum, an. drach. j. Miſceantur pro linimento, bis terve de die inungendo.

Ad fluxum ventris ſæpius de die hujus conditi fruſtulum comedit:

♃. Trochiſcorum de terra ſigillata, cornu cervi uſti, an. ſcrup. j. ſ. ſpecier. diatrium ſantalorum, ſcrup. ii. diaſcordii Fracaſt. drach. ii. conſervæ roſarum rubr. drach. vii. ſyrupi granatorum acid. q. ſ. Miſce, fiat conditum.

Lingua hoc tempore nigricans erat & tumida, ac propterea decoctio facta eſt, ex plantagine, foliis bellidis, acetoſa, pimpinella, & fructu ribeſiorum rubr. ad os colluendum & gargarizandum, poſt collutionem lingendo parum

ſyrupi granatorum vel de ſucco citri. 17. Junii videbatur quidem alvi fluxus aliquantum imminui, veruntamen circa veſperam ægra extremè debilis fuit, quapropter hoc alexipharmacum dedi:

℞. Theriacæ, mithridatii, an. ſcrup.j.ſ. Confect. de hyacintho ſine moſcho, ſcrup.j. Lapidis bezoar orient. ſcrup.ſ. Aquæ theriacalis, unc.j.ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Inter ſudandum aliquantum dormiverat, ac poſtea nonnihil levata videbatur: fluxus quoque alvi aliquantum imminutus fuit. 18. Junii mane idem hauſtus reiteratus eſt: tota quoque die continuavit in uſu conditi, ut & 19. Junii, quo rurſus circa veſperam aſſumpſit ultimum ſudoriferum. 20. Junii nauſeabunda & extremè debilis fuit: tunc hæc miſtura parata eſt:

℞. Conſervæ roſarum rubr. unc.j. Diaſcordii Fracaſt. drach.ij. Aquæ theriacalis, Cardui benedicti, an. unc. ij.ſ. & cinnamomi, unc. i.ſ. Stent ſimul miſta per horam, deinde colentur cum levi expreſſione, adde colaturæ Confect. de hyacintho ſine moſcho, drach.j. Miſce.

Hujus miſturæ aliquoties de die cochleare unum aut alterum poſt uſum prædicti conditi bibit, atque in iis continuavit uſque ad 23. Junii, quo ultimum ſudoriferum reiteratum fuit. A 24. ad 28. Junii prædictâ miſturâ cum ſequenti condito uſa eſt:

℞. Specier. Liberantium, cornu cervi uſti, coralli rubr. Margaritarum præparat. boli arm. veræ, an. ſcrup.j. Specier. diatrium ſantalor. ſcrup.ij. Diaſcordii Fracaſt. drach.ij. Myvæ cydoniorum, conſervæ roſar. rubr. an. unc.ſ. Rob. acaciæ, drach.i.ſ. Confect. de hyacintho, drach j. Syrupi granatorum acid. q.ſ. Miſce, fiat conditum.

His diebus cordis anxietas, capitis dolor, & linguæ nigredo multùm imminuebantur. 30. Junii, cùm diarrhœa nondum planè ceſſaret, ultimum ſudoriferum rurſus exhibitum eſt. Hinc poſt valde copioſum ſudorem ſenſit dolorem in inguine, cum tumore magnitudinis ovi columbini, qui poſtea increvit ad magnitudinem ſemi ovi gallinacei. Fluxus quoque alvi adeò imminutus fuit, ut tantùm bis terve de die dejiceret; ſed dejectiones adhuc erant turbidæ & valde fœtentes. Hactenus appetitum planè dejectum habuerat, ſed nunc rurſus aliquantùm comedere cœpit. Toto morbi decurſu oblati ſunt cibi euchimi & facilis digeſtionis, liquidi quidem, ſed tamen nonnihil aſtringentes: pro potu utebatur cereviſiâ tenui, cum olei vitrioli pauculis guttulis acidulâ factâ, nam à julebis abhorrebat. Interea tumori per ſex dies impoſitum fuit cataplaſma attrahens & maturans. 2. Julii ultimum diaphoreticum rurſus exhibui, (nam hujuſmodi diarrhœæ peſtilentiales per ſudorifera optimè curantur) à quo cùm bene ſudâſſet, excrementa alvi naturalem colorem & craſſitiem receperunt: tumor quoque in inguine aliquantùm increvit. 3. Julii ceſſavit alvi fluxus, & ægra mediocriter valuit. 6. Julii, cùm tumor amplùs non increſceret, & ægra propter incommoditatem cataplaſma abjiceret, hoc emplaſtrum impoſitum eſt:

℞. Gummi galbani aceto diſſolut. emplaſtri diachyli cum gummis, & oxycrocei, an. drach. ij. Miſceantur.

8. Julii, cùm ægra propter morbi præcedentis violentiam debilis eſſet, nec cibos bene digereret, hoc tabellatum (quod ipſi etiam extra hunc morbum aliâs præſcripſeram, & quo jam ſæpius uti conſueverat) confectum fuit:

℞. Radic. calami aromatici, cinnamomi electi, an. ſcrup.j.ſ. Zingiberis albi gr.v. Specier. aromatici roſati, ſcrup. ij. Sacchari cum aqua meliſſæ diſſoluti, unc.iij. Fiat ſ. art. tabellatum.

Hoc tabellatum magnis laudibus extulit, ejuſque ſubinde fruſtulum comedit. Bubo in inguine circiter adhuc per decem dies in eodem ſtatu permanſit, poſteà ſine maturatione paulatim evanuit, & ægra ſummi Dei auxilio ſanitati reſtituta fuit.

Annotatio. Tantæ molis erat naturam verſus incommodas vias declinantem, ad vias commodas reducere. Vix centeſimus peſtiferorum evadebat, quibus bubones in principio morbi intus remeantes diſparebant: præterea rariſſimum quoque erat vel ſolâ diarrhœâ correptum evadere videre, pleriſque enim morbus cùm vita effluxit. Prædicta tamen ægra (cujus hiſtoriam tanquam rariſſimam hic adſcripſimus) cum utroque lethali indicio præter expectationem in vita ſervata fuit.

Hiſtoria 51. Uxore Capitanei J. ab Haeſten jam à peſte (ut præcedente hiſtoriâ diximus) ſanatâ, ipſe maritus (qui ad Longewardam in principio morbi uxoris confugerat) eandem ad ſe vocavit, ac cum illa concubuit. Sed, proh dolor! fuit illa brevis & damnoſa voluptas, nam ſecunda die poſt lætum adventum uxoris, illum ipſum peſtis invaſit. Ad præſervationem amuletum ex arſenico paratum magna curioſitate ſemper geſtaverat: fonticulum in brachio ſiniſtro habebat, loca infecta maximè fugerat, variis præſervativis internis uſus fuerat, ſed tamen his omnibus non obſtantibus, ab illo, quem metuerat, hoſte obrutus eſt. In ipſo morbi principio ipſum inviſi, eumque inveni febricitantem, jactabundum, ſomniculoſum, capite dolentem, & adeò anxium, ut quò ſe verteret, neſciret. In inguine dolorem abſque tumore ſentiebat. Fonticulus in brachio totus exſiccatus apparuit, qui tamen antea copioſam fœtentem humiditatem projicere ſolitus erat; è quo ſigno ipſum brevi moriturum prædixi. Ne tamen quicquam intentatum relinqueretur, exhibui alexipharmacum, à quo ſatis copioſè ſudavit, ſed abſque ullo levamine. Poſt aliquot horas idem illud reiteratum eſt, verùm ſine fructu. Ad ſitim dedi julapium ex aquis ſcabioſæ, cardui, theriacali, cum ſyrupo de limonibus & oleo vitrioli concinnatum. Poſtridie per cubiculum ſolus aliquandiu deambulavit, tandem ambulando defeſſus ſe ad lectum contulit, in quo cùm ſe vix depoſuiſſet, & cùm aſtantibus fortiter adhuc colloqueretur, pallida mors ex improviſo medios ſermones interrupit.

Annotatio. In hac peſte ſemper lethale ſignum erat ſi fonticuli exſiccarentur, nec ullus, quod ſcio, evaſit, in quo exſiccatio hæc viſa fuit. Amuletum arſenicale, quod tanto tempore circumtulerat æger, ipſum à peſte præſervare non potuit, ut nec mille alios qui illa geſtabant. Multi tamen inveniuntur qui ſine talibus amuletis ſe præſervari non poſſe, ſatis ſtultè ſibi imaginantur; atque hic error apud multos,

præſertim ditiores, tam altas radices egit, ut vix ullis machinis rurſus eradicari poſſit. Illam tamen unam utilitatem ex his amuletis, per ſe noxiis, habent, quòd dum ſe optimè præſervatos credunt, peſtem minùs timeant, ita ut quamvis per illa nullam immunitatem à peſte adipiſcantur, ſaltem à timore magis liberi ſint, qui alioqui corpora ad peſtilentem labem potenter diſponere ſolet.

Hiſtoria 52. Dom. Vande Krents, qui in Campanarum monte decumbebat, contagio infectus, graviſſimâ febre & ſummâ anxietate preſſus fuit. A primo alexipharmaco fortiter ſudavit, & duo carbunculi prodierunt, cum obſcuro inguinis tumore: à ſecundo ſudare non potuit propter inquietudinem & intolerabilem ſitim. Secunda die enormis vomitus acceſſit, quem nullis mediis ſedare potuimus, qui etiam tertia die continuavit per intervalla, atque illa die poſt meridiem per vomitum ejecit plus quàm ſexaginta vermiculos parvos & inſtar ſanguinis rubentes, formâ & magnitudine non multùm differentes ab iis vermiculis qui in cadaveribus, ſub Sole putreſcentibus naſcuntur. His ejectis prodierunt pauca exanthemata purpurea, & æger paulò pòſt extremæ neceſſitati ſatisfecit.

Annotatio. Hujuſmodi parvos & copioſos vermiculos in nullis aliis vidimus, qui tamen maximæ & lethalis putredinis indices erant.

Hiſtoria 53. Theodorus Weſemer, cùm aviam peſte laborantem inviſiſſet, contagio infectus eſt, atque è domo ejus exiens, ſe graviter alteratum ſenſit, magnumque gravativum ac vertiginoſum capitis dolorem percepit. Vocavit Chirurgum, qui ipſi ſtatim alexipharmacum aliquod exhibuit, à quo multùm ſudavit, & tumor durus cum magno dolore retro aurem apparuit. Tunc Chirurgus venæſectionem ſuaſit, atque ex affecti lateris brachio ſanguinis uncias decem extraxit. Æger inter Chirurgi manus ſyncope correptus, ac pro moribundo impoſitus eſt lecto. Paulò pòſt ad ſe rediens, de ſumma debilitate & cordis anxietate conqueſtus fuit. Non diu pòſt, horrore primò ac frigore præcedente, vehemens febris ſubſecuta eſt. Tunc meum conſilium petitum fuit. Inveni hominem adeò debilem ut vix loqui poſſet: diſparuerat tumor durus retro aures: pulſus creber & inæqualis erat, atque adeò parvus ut vix ſentiri poſſet. Prædixi mortem, nec ullum medicamentum exhibere volui, ne naſutus Chirurgus ægri mortem, ſuo errore inductam, meo medicamento imputaret. Poſt paucas horas diuturniore deliquio ſuperveniente æger è vivis exceſſit.

Annotatio. Venæſectionis exitiale damnum, & naſutiſſimi Chirurgi temerariam ſtoliditatem, cum multis aliis, etiam hic æger expertus eſt, in quo ipſa natura robuſta venenum peſtilens jam ad emunctorium expellebat, ac ſalutarem morbi eventum promittebat; cujus tamen laudabilis operatio ſanguinis detractione interturbata fuit: præterea etiam hoc modo vires ægri adeò proſtratæ ſunt, at peſtifero veneno Chirurgi peſtifera temeritate ad interiora retracto planè reſiſtere non potuerint. Liquet ex eo verum dixiſſe Palmarium, *de Peſt. cap.* 7. vix centeſimum quemque evadere ex iis, qui ſectâ venâ ſpiritu & ſanguine privantur.

Hiſtoria 54. Domicella Martens, quæ in Sartorum platea decumbebat, contagio infecta, exiguam febrem cum tumore in inguine habuit. Exhibui tale alexipharmacum, à quo cùm bene ſudaſſet, magnum levamen percepit:

℞. Salis abſinthii, extracti angelicæ, an. ſcrup.j.ſ. Theriacæ, diaſcordii, an. ſcrup.ij. Aquæ theriacalis, unc.j. aceti bezoartici, unc.ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Sequenti die idem ſudoriferum reiteratum eſt, poſt cujus uſum multò meliùs valuit, & è lecto aſſurgens foco aſſedit, medicamentorum uſum rejecit, nec ullis perſuaſionibus ad antidotorum continuationem induci potuit. In tali ſtatu biduum tranſegit. Tertia autem die graviſſima febris derepente ingruit, cum ſumma anxietate & inquietudine, ſiti inexhauſta, interno ardore, lingua ſicca, dura & cruſtoſa, & parvo maximéque doloroſo tumore in inguine. Exhibui duo ſudorifera in forma liquida, ſed utrumque evomuit: tertium in forma boli dedi, à quo ſudare non potuit, propterea quòd propter intolerabilem ſitim identidem bibere cogeretur, & propter anxietatem maximè inquieta foret. In illo ſtatu perduravit morbus circiter per 26. aut 28. horas, quibus exactis prodierunt exanthemata purpurea, & paulò pòſt collapſas à morbo vires mors penitus proſtravit.

Annotatio. Bene obſervavit Paræus, lib. 21. c. 17. nonnunquam contingere ut ſævientium paulò antè ſymptomatum ſubita fiat remiſſio, ægrique meliùs habere videantur, imò omnino bellè, qui tamen poſtea ſubitò intereunt; idque etiam contigiſſe refert Mariæ, pediſſequæ Reginæ Galliæ. Illud ipſum ex prædicta hiſtoria etiam liquet, nam noſtra ægra propter ſymptomatum remiſſionem putabat ſe ampliùs non ægrotare, ac propterea medicamentorum uſum nimis temerè & citò rejecit, antequam venenum peſtilens planè evictum eſſet. Cum quo veneno planè eodem modo ſicut cum fortiſſimo ac calidiſſimo hoſte pugnandum eſt; huic enim jam delaſſato ac propemodum evicto nulla requies permittenda eſt, ne durante quiete majores vires recolligat, & ovantem triumphatorem ex improviſo obruens, vitâ ſimul & triumpho ſpoliet.

Hiſtoria 55. N. Appeltern, Cerviſiarius notiſſimus, civis verè civilis, qui peſtem valde timebat, ſe magna cordis anxietate preſſum, & dolore atque exiguo profundo tumore infeſtatum ſentiens, malum celavit, & ſtatim in ipſo principio aſſumptis aliquot ſociis, ad diverſorium illud, cui Mons vinaceus pro inſigni eſt, ſe contulit, ut vini copioſioris uſu, & gratis ſociorum colloquiis jam conceptum timorem, & ſimul ipſius peſtis principium diſpelleret. Ibi inter pocula præter ſolitum maximè hilaris fuit, atque à copioſiore vino multùm incaluit: tandem tantâ vini copiâ præter conſuetudinem ſe ingurgitavit, ut maximo vomitu ventriculum rurſus evacuare coactus fuerit. Quo facto, fruſtulum panis cum ſale & zingibere comedit, atq; rurſus, ut antè, cum ſociis ad vinum & jocos ſe contulit, ita ut tandem circa mediam noctem bene potus & hilaris domum diſcederet, ubi exutis veſtibus ad lectum ſe conferens ſtatim obdormivit, atque inter dormiendum copioſe ſudavit. Sequenti mane expergefactus

optime

optimè valuit, evanuerat inguinis tumor, atque à peſte immunis fuit.

Annotatio. Plurimis hoc tempore illud commune erat, ut ſimulac ſe peſte correptos ſentirent, ſtatim ad diverſoria ſe conferrent, ut vini copioſioris potatione jam conceptam peſtem, hilari ebrietate rurſus profligarent. Qui error tantum valuit, imprimis apud vulgares, ut vix ullis rationibus apud multos eradicari potuerit; quamvis etiam plurimi ſuo interitu ejus infelicem eventum aliis conſpiciendum exhiberent. Nam etſi vinum modicè ſumptum alexipharmacam vim habeat, & terrorem, in peſtilenti conſtitutione maximè noxium, diſpellat, vires in debilibus corroboret; ebrietas tamen & nimia vini copia ad peſtis jam conceptæ extinctionem planè damnoſa eſt. Vini enim paulò copioſior uſus magis conveniens eſt ad præſervationem, quàm ad curationem: nam,

- - - data tempore proſunt,

Et data non apto tempore vina nocent.

Ad curationem potentiora requiruntur antidota, quæ venenatam qualitatem ab internis viſceribus ad peripheriam citiſſimè expellant, nec ulla viſcera offendant, ſicut facit copioſus vini uſus, qui ebrietate graviter offendit ipſum cerebrum & totum nervoſum genus, à qua offenſione etiam aliis quibuſque partibus, quibus nervi communicantur & quarum ſenſus, motus & operationes à nervis magna ex parte procedunt, ſumma debilitas inducitur per aliquod tempus, nempe uſque dum diſſipatis narcoticis ſpiritibus, rurſus ad priorem ſtatum redeant cum cerebro nervi. Cùm autem debilitatæ & narcoſi quadam obfuſcatæ partes interno hoſti minùs reſiſtant, atque in coctione & diſcuſſione ſpirituum narcoticorum totæ occupatæ ſint, peſtilens venenum durante illo tempore tam altas plerumque radices agit, ut poſtea nullis mediis expelli vel extingui queat. Quapropter longè conſultius fuerit, ſimulac hujus diri tyranni ſpicula ſentiuntur, ſtatim ad fortiſſima antidotalia arma concurrere, quàm ſola ebria hilaritate munita viſcera, inermia & debilia tanti hoſtis invaſioni opponere: facilius enim erit hoſti ingredienti armatâ manu reſiſtere, quàm eundem penetralia jam ingreſſum & focos occupantem expellere. Quantùm ad prædictum Cereviſiarium, (cujus hiſtoriam tanquam raram hîc aſcribimus) ſciendum illud, quod ipſe cum felici eventu tentavit, innumeris aliis infeliciſſimè ceſſiſſe: imò pauciſſimos novimus, qui peſte jam correpti, ebrietatem antidotis præmittentes, non fuerint extincti: nullis enim alexipharmacis venenum durante ebrietate altiùs infixum, poſtea expelli potuit: plurimos hujuſmodi ægros tractavimus, ſed vix centeſimum evaſiſſe vidimus. Quapropter dictam hiſtoriam tanquam raram, ſed non imitandam habere oportet.

Hiſtoria 56. Filia N. de Steenvvijck, ſcholæ Gallicæ Ludimagiſtri, juvencula circiter viginti annorum, 13. Julii peſte correpta eſt, cum ſumma anxietate, debilitate, febre, inquietudine, ſiti, & capitis gravitate. Exhibui circa veſperam hoc alexipharmacum:

♃. Extracti Cardui bened. ſalis ſcordii, an. ſcrup.j.ſ. Aquæ theriacalis, unc.j.ſ. Succi citri, unc.ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Hinc egregiè illa nocte ſudavit, ſed abſq; levamine, quapropter ſequenti mane idem medicamentum reiteratum eſt. Sed neque poſt ſecundum ſudorem levamine ſubſequente, poſt meridiem talis hauſtus exhibitus eſt:

♃. Diaſcordii Fracaſt. ſcrup.ij. Extracti magiſtralis, Cardui bened. & angelicæ, an. ſcrup.j. Salis abſinthii, ſcrup.j.ſ. Aquæ theriacalis, aceti bezoartici, an. unc.j. Miſce, fiat hauſtus.

Ab hoc cùm rurſus vehementer ſudâſſet, magnum levamen percepit, & tumorem durum in inguine ſenſit; cujus inferiori parti ſtatim hoc veſicatorium impoſuimus:

♃. Radic. pyrethri, ſem. ſinapi albi, euphorbii, an. ſcrup.j. Cantharidum, ſcrup.j ſ. Fermenti acidi, drach.ij. Mellis, drach.j. aceti roſacei, q.ſ. Fiat paſta.

Hinc veſica magna excitata eſt; qua pertuſa & detracta, folium braſſicæ rubræ butyro veteri inunctum impoſuimus. Pro potu tali julebo utebatur:

♃. Aquæ Cardui bened. & ſcabioſæ, an. lib. j. Syrupi de ſucco citri, unc.ij.ſ. Olei ſulphuris q.ſ. ad gratum acorem. Miſce, fiat juleb.

Circa noctem hunc bolum præſcripſi:

♃. Confect. de hyacintho ſine moſcho, extracti cardui, an. ſcrup.j. Lapidis bezoar. orient. ſcrup.ſ. Miſce, fiat bolus.

Illa nocte aliquantùm dormivit, & febris remiſſior fuit. 15. Julii detracto braſſicæ folio, maximam ichoris aquoſi copiam è veſicato loco effluxiſſe, omniaque impoſita linteamina humectâſſe, & tumorem in eodem ſtatu permanſiſſe, vidimus: quapropter folium braſſicæ rurſus impoſuimus, & ſequens cataplaſma ſuperapplicavimus:

♃. Radic. liliorum recent. unc. ij. & altheæ, unc.j. Herb. malvæ, & altheæ, florum chamomillæ, an. M. j. ficuum ping. num. 7. Coquantur in aqua communi & piſtentur; adde bulborum cæpe ſub cineribus parum aſſatorum, num. 3. Fermenti acidi, fimi columbini, an. unc. j. ſ. Mellis, olei chamomillini, an. unc.j. Fiat cataplaſma.

Illa die juſculi pulli, cum acetoſa, borragine & fructu ribeſii rubri cocti, aliquantulum ſorbſit, & quater particulam hujus conditi comedit:

♃. Specier. liberantium, drach.j. Diaſcordii Fracaſtorii, drach.ij. Corticum citri condit. & aurantiorum condit. Conſervæ roſarum rubr. an. drach.iij. Confectionis de hyac. ſine moſcho, drach.j. Syrupi acetoſitatis citri q.ſ. Miſce, fiat conditum.

Circa veſperam febris recruduit, tuncque ultimus hauſtus diaphoreticus reiteratus eſt. Sequenti die adeò debilis fuit ut vix loqui poſſet: tumor in eodem ſtatu permanſit. Continuatum eſt in uſu conditi & cataplaſmatis. Hujus etiam miſturæ nonnunquam cochleare exhibitum eſt:

♃. Conſervæ roſarum rubr. rob. ribeſii rubri an. unc.ſ. Diaſcordii Fracaſt. drach. ij. Aquæ theriacalis, unc. iij. Aquæ cinnamomi, unc.ſ. Succi citri, unc. j. Miſceantur, & poſt horam colentur, adde Confect. de hyacintho ſine moſcho, drach.j.

16. & 17. Julii, cùm morbus in eodem ſtatu permaneret, & virium ſumma debilitas aliorum medicamentorum uſum prohiberet, in

iiſdem continuatum eſt. 18. Julii, cùm locus veſicatus jam pridie occluſus fuiſſet, aliud veſicatorium de novo impoſuimus à latere prioris veſicati loci, unde magna veſica rurſus excitata, è qua poſtea multi ichores effluxerunt. 20. Julii, febre nonnihil remittente, hoc alexipharmacum dedi, à quo pro viribus egregiè ſudavit:

♃. Extracti cardui, & angelicæ, Confect. de hyacintho, Salis ſcordii, an. ſcrup. j. Aquæ theriacalis, unc.j. Olei vitrioli gut.7. Miſce, fiat hauſtus.

21. & 22. Julii multò meliùs ſe habuit, & febris paulatim evanuit: quibus diebus ſolo condito aliquoties de die uſus fuit. Præterea juſcula quædam cum pauxillo panis albi ſorbere cœpit. 23. Julii, exiccato rurſus veſicato loco, & bubone detumeſcente, loco cataplaſmatis, ſolum emplaſtrum diachylum cum gummis impoſitum eſt, ſub quo intra paucos dies tumor diſparuit. Toto morbi decurſu tantùm ſemel alvum exoneraverat, quapropter 26. Julii aſſumpſit pilularum anti-peſtilentialium noſtrarum, drach. ſ. unde tres quatuorve ſedes habuit: atque ita ſummi Dei auxilio integræ ſanitati reſtituta fuit.

Annotatio. Veſicatoria in principio apparentibus bubonibus applicata, ſemper præſtantiſſimum ſubſidium attuliſſe, non in prædicta tantùm ægra, verùm etiam in mille aliis comperti ſumus: damnoſos ac venenatos ichores extrahebant, venenum peſtilens versùs emunctorium trahebant, ejuſque recurſum ad interiora impediebant. Obſervavimus, ſi ſatis tempeſtivè applicarentur, extractis venenoſis aquis, tumores peſtilentes ſæpiſſime abſque ulla ſuppuratione diſſipatos evanuiſſe.

Hiſtoria 57. Symon Noorman peſte correptus hoc ſudoriferum ſumpſit:

♃. Extracti cardui, ſalis ſcordii, an. ſcrup.i.ſ. Theriacæ, dr.j. Aquæ theriacalis, unc.i.ſ. Aceti bezoartici, unc.ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Poſtridie exiguum tumorem in inguine ſenſit, qui cùm paulò pòſt rurſus deliteſceret, idem ſudoriferum reiteratum eſt, à quo mediocriter quidem ſudavit, verùm abſque levamine. Febris non admodum vehemens, ſed continua in eodem ſtatu permanſit, cum ſumma anxietate, inquietudine & debilitate. A tertio ſudorifero circa veſperam exhibito rurſus ſudavit. Die tertia in pectore & reliquo corpore nonnulla exanthemata purpurea & nigricantia vidimus, atque tunc æger ſe multò meliùs valere ſibi viſus eſt, & fortiter cum aſtantibus colloquebatur. Dixi uxori ut quæcunque peteret, ipſi darentur, mortem enim brevi affuturam. Præſagium confirmavit eventus, nam poſt ſeſqui horam extinctus eſt.

Annotatio. Exanthemata purpurea, livida, nigra & violacea, certiſſima erant mortis jam inſtantis præſagia; & quamvis multi ægri his apparentibus, ſe primò multò meliùs habere viderentur, omnes tamen moriebantur: atque in hac tam furioſa peſte, qua Noviomagum decem hominum millia terræ reddidit, unicum tantùm puellum cum purpureis exanthematibus evaſiſſe novimus: quem caſum deſcripſimus paulò antè hiſtoriâ 41.

Hiſtoria 58. Arentius Capell, cùm in aprico aëre tota die in ſecandis lignis occupatus fuiſſet, & ſe multùm defatigâſſet, veſperi domum veniens capite doluit, & valde ſomniculoſus fuit; cumque cœnare non poſſet, cubitum diſceſſit, ac ſtatim obdormivit. Media nocte expergefactus, ſe magna anxietate preſſum ſenſit, hinc peſtem timens propriam urinam bibit; à qua non diu pòſt vomere cœpit, qui vomitus diu perduravit. Sequenti mane ego accitus, tale alexipharmacum exhibui:

♃. Extracti magiſtralis, ſalis abſinthii, & ſcordii, an. ſcrup.j. Extracti angelicæ, ſcrup.i.ſ. Aquæ theriacalis, aceti bezoartici, an. unc.j. Miſce, fiat hauſtus.

Ad vomitum compeſcendum ventriculi regioni impoſuimus hanc paſtam linteo inunctam & prope ignem calefactam:

♃. Cariophyllorum, nucis moſchatæ, cinnamomi, benzoini, maſtiches, an. ſcrup.ij. pulveriſatis adde fermenti acidi, unc.i.ſ. Conſervæ roſarum rubrarum, unc.ſ. aceti roſacei q.ſ. Fiat paſta molliuſcula.

Cùm hæc per ſemi-horam impoſita fuiſſet, & vomitus jam ceſſaret, prædictum hauſtum aſſumpſit, eumque retinuit, atque inde egregiè ſudavit. Interea etiam prodierunt duo carbunculi, alter in femore, alter in latere dextro; magnum tamen levamen ſecutum non eſt, ſed tribus horis poſt finitum ſudorem graviſſima febris, cum magna ſiti, anxietate & interno ardore ægrum invaſit. Tunc prius alexipharmacum reiteratum eſt, à quo cùm fortiter ſudâſſet, magnum levamen percepit, & tumor durus ac tenſus cum ſummo dolore in inguine protuberavit, cujus inferiori parti ſtatim impoſuimus veſicatorium, quo poſtea cum veſicula detracto, folium braſſicæ rubræ oleo raparum inunctum applicavimus. Pro potu maximè deſiderabat æger aquam ſimplicem fontanam, cujus moderatum uſum ipſi conceſſimus. Circa horam decimam nocturnam hunc pulverem dedimus:

♃. Camphoræ gr.iv. florum ſulphuris, ſpecier. liberantis, an. ſcrup.j. Fiat pulvis.

Totam illam noctem cum magna inquietudine tranſegit, maximè propter intenſiſſimum bubonis dolorem. Secunda die primum ſudoriferum reiteratum eſt, addendo diaſcordii drach.j. poſt quod cùm fortiter ſudâſſet, magna violentiæ febrilis pars remiſit, & ſimul etiam anxietas multum imminuta eſt. Buboni cataplaſma attrahens ſimul & emolliens, carbunculis verò noſtram pulticulam imponi curavimus. Veſperi prædictum pulverem rurſus ſumpſit. Poſtridie propter dolorem bubonis, qui jam in majorem molem excreverat, febris aliquantùm recruduit, quæ ultimi ſudoriferi uſu iterum remiſit. Hujus conditi ſæpius de die particulam edere juſſimus:

♃. Specier. liberantium, drach.j. & diamargariti frigidi, drach.ſ. diaſcordii Fracaſt. drach.iij. Cortic. aurantiorum condit. rob. ribeſiorum rubr. an. unc.ſ. Olei ſuccini, ſcrup.ſ. Syrupi de ſcordio q.ſ. Fiat conditum.

Cùm æger ſe jam meliùs haberet, per triduum in uſu conditi & topicorum continuatum eſt. Die ſeptima tantùm maturans cataplaſma buboni impoſitum fuit. Die decima, ſeparatis carbunculis & bubone maturato ac diſrupto, omnibuſque ſymptomatibus ceſſantibus, convaluit æger, & ulcera paulatim Chirurgi ope conſolidata ſunt. Quia autem toto morbi decurſu

curſu tantùm bis alvum excreverat, jam poſt ruptum bubonem aſſumpta pilularum Ruffi, drach.ſ. alvus bis terve citata fuit.

Annotatio. In hac peſtilenti conſtitutione obſervavimus valde periculoſum eſſe, gravibus exercitiis corpus delaſſare, præcipuè in aperto aëre radiis ſolaribus expoſito: nam delaſſata & vehementiùs calefacta corpora venenum peſtilens facillimè ſuſcipiebant.

Hiſtoria 59. Rikerus Wilcher, Juliacenſis, vir fortis, menſe Auguſto peſte correptus fuit; cui quatuor anthraces ſatis magni in cute erupeturnt, Febris aderat gravis, quæ non tam immenſo ardore, quàm ſummâ malignitate vires ad extremum dejiciebat. Aſſumptis alexipharmacis primò biduo ter ſudavit. Tertia die de ventris levi dolore cum murmure conquerebatur, qua de cauſa ob metum diarrhœæ ſtatim ſudoriferum aſtringens (cui bolus arm. terra ſigillata, cornu cervi uſtum, & corallum rubrum immiſta erant) exhibui, & electuarium antidotale aſtringens dedi. Verùm his non obſtantibus, ſequenti nocte diarrhœa acceſſit, ſine magno dolore, qua excrementa turbida fœtidiſſima dejiciebantur. Quarta die ſanguis, primò fæcibus permiſtus, poſtea purus & ſolus defluxit: media nocte cum hoc fluxu ſecundo flumine æger ad Acherontinum flumen delatus, in ejuſdem ſcopulos impulit, ac vitæ naufragium fecit.

Annotatio. Nullus in tota hac peſte evaſit, cui ſanguis per inferiora defluxit.

Hiſtoria 60. Menſe Junio in angiportu Vaginæfactorio, in domo quadam prope puteum ſita (in qua tunc temporis nemo habitabat) à vicinis & tranſeuntibus noctu auditus fuit ſtrepitus quidam, haud aliter ſonans ac ſi quis ciſtam feralem clavis ferreis malleo obſeraret, ſicut fieri ſolet antequam cadavera ad ſepulturam efferuntur. Mirabantur quòd talis ſtrepitus in illa domo audiretur, in qua nemo habitabat, qui alioqui in aliis domibus ab hominibus inhabitatis auditus, ſolet (ut ajebant) alicujus mortem præſagire. Illud tamen præſagium in illa domo etiam non fefellit, nam 2. Auguſti peſte correptus eſt ſecundus (priore antea mortuo) Vice-Capitaneus Domini Starckenburch, qui ut à ſanis ſepararetur, & ad majorem quoque ſui ipſius commoditatem, ab hoſpite ſuo ad illam domum, cum lecto omnibuſque rebus neceſſariis delatus eſt, in qua 6. Auguſti obiit, & biduò vel triduo pòſt ex illa ad ſepulchrum delatus eſt.

Annotatio. Hujuſmodi ſtrepitus durante hac peſte multis in locis auditi ſunt, & ſemper alicujus mortem prænunciârunt, nunquam fallente præſagio. Sic etiam anno 1643. menſe Octobri, Noviomagi quatuor vicini noſtri duabus noctibus continuis circa noctis medium audiverunt ſimilem ſonum, ac ſi ciſta feralis cum malleo clavis ferreis occluderetur; dubitabant autem anne in meis, an verò in proximè vicinis ædibus illum ſtrepitum audiviſſent; ſed imaginabantur ſibi in meis ædibus illum auditum fuiſſe, & uxorem meam, quæ gravida ac menſe Decembri paritura erat, morituram: ne tamen uxorem animo conſternarent, tacuerunt & celârunt auditum omen; uſque dum uxor mea feliciter pepeeriſſet, & puerperium jam egreſſa eſſet, tunc ſimul narrabant quantopere de uxoris meæ vita anxii fuiſſent, propter illum auditum ſtrepitum. Anno ſequenti menſe Martio gener proximè vicini noſtri Johannis Tros, Tylæ mortuus, & Noviomagum ad ædes dicti vicini delatus, atque inde ad ſepulchrum elatus eſt. Eadem æſtate etiam ipſe Johannes Tros obiit; atque ita diu antea à vicinis auditum infelix omen in vicini mei ædibus duorum funerum certus prænuncius fuit. Hujuſmodi alia ſimilia ferè funerū præſagia ab aliis interdum audita fuiſſe novimus. Elizabetha Johannis, Montfortii quondam noſtra vicina, cùm media nocte audiviſſet quaſi magnum ſaccum arenâ vel ſale plenum in tabulatum decidens, eadem nocte unus ex proximis conſanguineis mortuus eſt. Novi etiam Sartorem quendam, qui nobis multoties narravit, ſe & liberos aliosque domeſticos ſæpius media nocte in officina ſua talem ſonitum ſeu ſtrepitum audiviſſe, ac ſi quis forfice ſartorio pannos nigros ad veſtimenta lugubria conficienda conſcinderet; atque illum ſonum ſemper indubiè ſignificâſſe brevi aliquem alicubi moriturum, pro cujus proximis conſanguineis veſtimenta lugubria in ejus officina ab ipſo conſcinderentur & conficerentur. *Cardanus lib. 15. de rerum varietate cap. 84.* ſcribit ſe audiviſſe in ſuo cubiculo tres validos ictus mallei, qui mortem Galeazei de Rubeis fabri armorum indicârunt; atque eodem loco etiam alios ab ipſo aliiſque auditos infelicis præſagii ſonitus enarrat. Quidnam ſint hi ſonitus, & quomodo fiant, alii aliter judicant: ſaltem illos interdum fieri, audiri, & mortem alicujus præſagire, certum eſt. Philoſophi exiſtimant illos excitari à Dæmonibus (qualem Socratem ſibi familiarem habuiſſe, diximus in annotatione ad hiſtor. 6.) quos Dæmones Plotinus Philoſophus, teſte Nicolao Perotto, ſcribit eſſe animas hominum, eaſque, prout ex bonis vel malis hominibus exierint, bonum vel malum hominibus facere ac prænunciare, arbitratur; atq; hinc etiam horum dæmoniorum tres ſtatuit differentias: ſi nempe ſint animæ quæ exierint è bonis hominibus, illos dæmones appellat *Lares*: ſi è malis, illos *Larvas* nominat: ſi è talibus qui nec boni nec mali fuerint, illos *Manes* eſſe dicit. Paracelſus prædictos ſonitus nocturnos & auditas voces ab inviſibilibus necromanticis aſtris moveri contendit. Alii aliter hac de re fabulantur. Nos illos à diabolis plerumque excitari credimus: hi enim dum iram & vindictam Dei præſentiunt, & de futuro hominum excidio mirificè gaudent, ſæpe ſolent inconditis quibuſdam vocibus ac ſonitibus, vel ſpectris, aliiſque illuſionibus imbecillium animos perterrefacere vel iiſdem aliorum imbecillium exitium & interitum prænuntiare.

Hiſtoria 61. Clara Guilhelmi, fabri lignarii filia, ætatis circiter viginti annorum, peſte unà cum magna febre, anxietate, & debilitate correpta eſt. Prima die unum, ſecunda duo ſudorifera exhibita ſunt, à quibus bene ſudavit, & bubo ſub axilla protuberavit, febris tamen nihil remiſit, ſed in eodem vigore uſque ad diem quartum continuavit, qua die menſtruorum fluxus prorupit, qui intra ſeſquihoram valde copioſus evaſit, unde vires tam citò proſtratæ fuerunt, ut poſt ſex horas ipſa quoque vita effluxerit.

Annotatio. Hoc menſtruorum profluvium etſi

die critico incideret, ſalutare tamen non fuit, ſed ægram citiſſim occidit. Sic etiam multas alias mulieres cum menſtruorum fluxu, etſi critico die erumpente, mortuas fuiſſe novimus. Ita ut multùm à vero aberrent illi, qui tales criſes tanquam ſalutiferas laudant, quas uſu comperti ſumus incertiſſimas eſſe, & cum iis multò plures mortuas, quà n à morbo ſanatas fuiſſe.

Hiſtoria 62. Goſuinus à Burick, miles, cum alio milite pugnans, gladio punctim vulneratus fuit in læva thoracis parte, vulnere pectoris cavum non penetrante, ſed ſupra coſtas tantùm tranſeunte. Secunda die febricitavit, & vulnus valde intumuit, qui tumor poſt copioſum ſudorem ab exhibito alexipharmaco promotum, rurſus aliquantùm ſubſedit. Tertia die cùm jam aliqua vulneris ſuppuratio expectaretur, ipſum vulneris orificium in anthracem mutatum viſum fuit, qui anthrax procul dubio etiam vulneris interiora obſedit, nam æger protinus dejectis viribus, quarta ab inflicto vulnere die obiit. Paulò poſt mortem thorax circumcirca vulnus, ad latitudinem integræ manus, inſtar carbonis nigricavit.

Annotatio. Non mirum eſt hunc vulneratum peſte correptum fuiſſe, nam præterquam quòd ira multùm faceret ad peſtis inductionem, etiam omnibus aliis morbis, qui durante hac peſtilenti conſtitutione invadebant, ſtatim peſtis adjungebatur, ita ut peſtis, tanquam omnium calamitatum ſumma ac peſſima, etiam in reliquos morbos dominium exercere, omneſque ſuo imperio ſubjicere videretur.

Hiſtoria 63. Uxor Iſaaci Verloo, peſtem cum tumore in inguine percipiens, ut ſummam, qua torquebatur, anxietatem aliquantùm imminueret, mannæ unciam unam cum cerevìſia calida diſſolutam aſſumpſit; quo remedio in puerperio interdum uti ſolita erat. Hinc poſt aliquot horas alvus enormiter turbari cœpit, & ſimul diſparuit bubo. Tunc ad me concurſum eſt. Exhibui duo alexipharmaca aſtringentia, ſed utrumque evomuit. Poſtea pulverem aſtringentem dedi, quem retinuit. Ad virium corroborationem nonnulla alia præſcripſi, ſed omnia nihil profuerunt, nam cùm fluxus circiter per ſexdecim horas perdurâſſet, ægra cum morbo vitam finivit.

Annotatio. Taceant qui peſtis curationem à purgatione incipiendam eſſe, cum Avicenna aliiſque magnis Medicis ſentiunt: nam neque fortia cathartica, neque mediocria, neque ſola lenientia in hac peſte unquam tutò & cum utilitate exhibita fuiſſe, ſed è contrà ægros ſemper in maximum periculum præcipitâſſe obſervavimus.

Hiſtoria 64. Pater Tiburtius Sacerdos, Ordinis Franciſcanorum Monachus Miſſionarius, vir eruditione, humanitate, & vitæ probitate excellens, peſte cum bubone in inguine correptus, varia alexipharmaca aſſumpſit; & inter alia bis illi exhibui lapidis bezoartici Orientalis electiſſimi pulveriſati drachmam, & tertia vice ſcrupulos quatuor: à cujus lapidis uſu levis quidem ſudor ſequebatur, ſed omnino nihil levaminis inde conſecutus eſt æger: alia alexipharmaca ex theriaca, ſalibus, aqua theriacali, aliiſque ſimilibus confecta, quamvis morbum non ſanarent, copioſos tamen ſudores cum aliquo levamine movebant. Interim omnibus remediis fruſtra adhibitis, cùm febrem ingraveſcere, aliaque mala ſymptomata augeri perciperem, prædixi mortem proculdubio morbum finituram. Quod nuncium æger cum maximo & incredibili gaudio excipiens, intra paucas horas, tanquam ad nuptias iturus, lætus obiit.

Annotatio. Adverſùs venenum peſtilens lapidis bezoartici vires non multùm prodeſſe, in variis ægris experti ſumus. N. Dermell febre peſtilenti laborans, ejuſdem lapidis prima vice integram drachmam, ſecundâ ſcrupulos quatuor, abſque ullo levamine aſſumpſit. Idem quoque fruſtra tentatum eſt in Domino Verſpieck, Noviomagi Conſule, in cognata viduæ de Triot, in Petro Buys, in Gerardo Buys Pharmacopœo, in vidua Petri Nooteboom, aliiſque plurimis, qui ipſimet, etiam me invito, lapidis bezoartici uſum expoſcebant. In nullo manifeſtam felicem operationem adverſùs peſtem ab illo lapide vidimus; quapropter nos etiam poſtea rariùs eo uſi ſumus, idque tantùm in iis qui vel ejus uſum ſponte poſtulabant, vel ob ſummam debilitatem alia medicamenta aſſumere non poterant. Hinc etiam magno iſti enco mio, quo à multis clariſſimis Medicis decantatur, tantam, ut antea, fidem non adhibemus. Nec eſt quòd quiſpiam exiſtimet nos veros lapides non habuiſſe, nam certò credimus, ſi uſpiam veri extant, in quibus omnia veri lapidis bezoartici ſigna concurrunt & conſpiciuntur, nos tales elegiſſe, iiſque uſos fuiſſe.

Hiſtoria 65. Nobiliſſimus Dominus Nulant (qui in Caſtello de Valburgh, Bataviæ ſuperioris pago, habitabat) menſe Julio peſte correptus eſt, cum ſumma anxietate & parva febricula. Secunda morbi die deliravit: tertia phreneticus evaſit, induſium aliaque linteamina dilaceravit, & in adſtantes, ſi propiùs lecto adſtarent, violentas manus inferebat. Sequenti nocte eruperunt in cute plurima exanthemata purpurea, & phrenitis perduravit. In tali ſtatu conſtitit morbus per quinque dies, ita ut toto illo tempore vix aliqua mutatio animadverteretur. Propter inſaniam nulla medicamenta neque alimenta exhiberi poterant. Nona morbi die circa veſperam ſubitò extinctus eſt.

Annotatio. In nemine alia exanthemata tanto tempore mortem præcedebant, ſed ſemper iis prodeuntibus mors in propinquo erat.

Hiſtoria 66. Guilhelmo Beems (qui in molarum platea decumbebat) peſte cum febre & maxima anxietate correpto, poſt primum à nobis exhibitum alexipharmacum quatuor carbunculi, duo in femoribus, & duo in pectore, eruperunt. Sequenti nocte adhuc duo in abdomine prodierunt. Secunda die, antidoto rurſus aſſumpto, tres alii circa ſcapulas viſi ſunt; & ſequenti nocte adhuc duo, unus in latere dextro verſùs lumbos, alter in brachio apparuit: ita ut ab undecim carbunculis corpus obſideretur. Febris, aliaque prava ſymptomata magis magiſque adaucta ſunt. Omnia exhibita antidota non majus levamen induxerunt quàm ſi ſaccharum candium exhibitum fuiſſet. Tertia die circa noctem vitam cum morte commutavit.

Annotatio. In hoc ægro nulli bubones, ſed tantùm multi carbunculi viſi ſunt, quod indicium erat naturam à veneni copia & maligna qualitate

tate adeò obrutam fuiſſe, ut nihil ad emunctoria expellere potuerit, atque hinc totum venenum venas ingreſſum, ſanguinis maſſam dupliciter corrupiſſe, partim putredine malignâ, unde febris; partim mortificatione, unde tot carbunculi. Sæpius autem in hac peſte, imò ſemper falſum eſſe comperti ſumus, illud quod nonnulli magni Medici ſtatuunt, nempe plures carbunculos paucioribus eſſe tutiores, & quantò majore copia erumpunt, tantò meliùs eſſe. Nos ſemper obſervavimus plurimos eorum quibus multi carbunculi eruperant, interiiſſe; quibus verò pauciores, meliùs evaſiſſe. Ratio liquet ex iis quæ diximus, nempe quamvis plures carbunculi naturæ robur in expellendo veneno denotent; quòd tamen maximi ac copioſiſſimi veneni ſanguinis maſſam corrumpentis indices ſint; quod antequam natura tum expellere poſſit, ſuccumbit.

Hiſtoria 67. Rutgerus ab Oxſteyn, eques Capitanei Douglas, cùm veſperi bene ſanus cubitum diſceſſiſſet, media nocte ſomniavit ſe ab homine peſtifero nudo ac furibundo in terram proſterni, & cum eodem fortiter colluctari, tandem peſtiferum divaricatis cruribus ipſius corpori inſidentem, ſuam peſtem in illius os evomuiſſe. Ex illo ſomno cum maximo terrore expergefactus, credidit ſe peſte citò moriturum; quam imaginationem adeò fortiter concepit, ut nullis rationibus ex animo illius excuti potuerit. Tertia poſt ſomnium die correptus eſt peſte, cum maxima anxietate & febre, nec quicquam proficientibus medicamentis, quarta morbi die mortuus eſt.

Annotatio. Quod huic ægro, illud etiam ſuo tempore nonnullis contigiſſe; refert Sennertus; ut à ſolis inſomniis peſte corriperentur. Sciendum tamen ſomnia per ſe non inferre contagium, peſtilenſve venenum, ſed terrorem, qui inde contrahitur, poſſe humores & ſpiritus diſponere ad receptionem veneni peſtilentis: dum enim ſpiritus intus ad cor confugiunt, ſi aliqua venenata aura fortè foris cuti adhæreat, illam facillimè per poros & arteriarum extremitates intus ad cor trahunt, quod à concentratis in ſe ſpiritibus impeditum, iſti maligno veneno etiam minùs reſiſtit. Hic quoque multùm facit triſtis imaginatio, qua venenum licèt exiguum, non tantùm ad cordis penetralia deducitur, verùm attentiore de peſte cogitatione & metu in actum excitatur: præterea etiam abſque veneni præſentia ſolet imaginatio, metui ac terrori conjuncta, augere diſpoſitionis corporum ad peſtem aptitudinem.

Hiſtoria 68. Reguerum Beeckman, Quæſtorem, florentis ætatis virum, 24. Julii peſtis corripuit. Simulac ſe malè habere ſentiret, hoc ſudoriferum (quo vulgares paſſim utebantur, & quòd multis quoque proderat) ſuo ipſius conſilio ſtatim aſſumpſit:

♃. Theriacæ Adrom. drach. j. aceti calendulæ, unc. ii. olei juniperi gut. vii. Miſce, fiat hauſtus.

Hinc bene ſudavit, & tumorem parvum ac durum in inguine dextro percepit. Poſtera die circa meridiem ad illum inviſendum vocatus fui. Inveni ipſum adeò debilem ut vix loqui poſſet, caput grave erat cum proclivitate ad ſomnum, pulſus parvus, creber & aliquantùm inæqualis, urina turbida, calor corporis non præter modum intenſus, febris non vehemens, nec faciei color multùm mutatus, lingua tamen ſicca & aſpera cum aliqua ſiti. Propter ſummam debilitatem vix quicquam aſſumere poterat, quapropter cùm ad omnia nauſearet, hanc mixturam ad vires aliquantùm reficiendas præſcripſi, de qua primò ſingulis ſemihoris, poſtea ſingulis horis cochleare plenum exhibitum fuit:

♃. Conſervæ roſarum rubr. drach. vj. diaſcordii Fracaſt. drach. iii. aquæ theriacalis, unc. iv. aquæ cinnamomi, ſucci citri recentis, an. unc. j. Miſceantur, poſt horam colentur cum levi expreſſione; colaturæ admiſce, confect. de hyacintho, drach. j. ſ.

Ad ſitim hunc julebum præſcripſi:

♃. Aquæ acetoſæ, cardui, an. lib. j. & roſarum, ſucci citri recentis, aquæ theriacalis, an. unc. j. ſ. ſyrupi de limonibus, unc ij. Olei ſulphuris, q. ſ. Miſce, fiat juleb.

Ne bubo introrſum regrederetur, hoc veſicatorium inferiori bubonis parti applicui:

♃. Cantharidum pulveriſat. ſcrup. j. euphorbii, ſcrup. ſ. fermenti acidi, drach. j. mellis, ſcrup. ii. aceti roſacei parum. Fiat placentula.

Hac poſt aliquot horas rurſus ablata, & veſica pertuſa atque abſciſſa, folium braſſicæ rubræ oleo raparum inunctum impoſitum eſt. 26. Junii mane, cùm jam paulò fortior eſſe videretur, hoc alexipharmacum ſumpſit:

♃. Extracti magiſtralis, & cardui ben. ſalis ſcordii, an. ſcrup. j. ſ. theriacæ, diaſcordii, an. ſcrup. ii. aquæ theriacalis, unc. j. ſucci citri recentis, unc. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Bene ſudavit, & bubo multùm increvit. Reïteratum quoque fuit julapium heſternum. Circa veſperam hunc bolum dedi:

♃. Lapidis bezoar orient. ſcrup. ſ. theriacæ, diaſcordii, an. ſcrup. j. confect. de hyacintho, ſcrup. ſ. Fiat bolus in folio auri.

Quia autem valde anxius erat, & cor haud aliter torqueri diceret quàm ſi in prælo comprimeretur; hoc linimentum bis terve de die œſophagi & cordis regioni calidè inunctum fuit:

♃. Olei nucis moſcatæ expreſſi, laurini, & ſcorpionum, an. ſcrup. ij. theriacæ Androm. drach. j. olei juniperi, ſcrup. ſ. ſuccini, ſcrup. j. cinnamomi, citri, an. gut. iii. & cariophyllorum gut. j. Miſceantur pro linimento.

27. Junii murmura in abdomine percepit, & fæces quoque liquidiores dejecit, quapropter alvi fluxum acceſſurum metui; qui ut meliùs præveniretur, hunc pulverem cum aqua theriacali mane exhibui:

♃. Florum ſulphuris, terræ ſigillatæ, cornu cervi uſti, margaritarum præparat. coralli rubri, an. ſcrup. ſ. croci orient. gr. iii. Fiat pulvis.

Etiam ſæpius de die hujus conditi particulam edere juſſi:

♃. Specier. diatrium ſantalor. ſcrup. ii. & liberant. ſcrup. j. ſ. cornu cervi uſti, trochiſc. de terra ſigillata, an. ſcrup. i. diaſcordii Fracaſt. drach. ſſ. rob. acaciæ, drach. j. ſ. conſervæ roſarum rubr. unc. ſ. conſervæ florum calendulæ, myvæ cydoniorum, ana drach. iii. ſyrupi granatorum, q. ſ. Miſce, fiat ſ. art. conditum.

Reïterata quoque fuit miſtura 25. Julii præſcripta. Poſt meridiem æger ſummè debilis fuit,

quapropter confectionis de hyacintho & lapidis bezoar, ana ſcrup. j. cum pauxillo aquæ theriacalis in cochleari miſcui & exhibui. Circa veſperam idem illud reiteratum eſt. Etiam hoc cataplaſma buboni imponendum præſcripſi:

℞. Bulborum cæpe ſub cineribus parum aſſatorum numero 3. Radic. altheæ pulveriſat. farinæ ſem. lini, & tritici, an. unc. ſ. fermenti acidi, fimi columbini, an. drach. vi. aquæ communis, q. ſ. Coquantur leviter, adde axungiæ anatis, ung. baſilici, an. unc. ſ. mellis, unc. j. Fiat ſ. art. cataplaſma molle.

28. Julii hunc bolum dedi, nihil enim aliud ob ſummam debilitatem aſſumere poterat:

℞. Lapidis bezoar orient. confect. de hyacintho, mithridatii, an. ſcrup. j. olei cinnamomi, gut. j. Fiat bolus in folio auri.

29. Julii, cùm rurſus paulò fortior eſſe videretur, ſummmo mane tale ſudoriferum ſumpſit:

℞. Extracti angelicæ, & magiſtralis, confect. de hyacintho, an. ſcrup. j. theriacæ, diaſcordii, an. ſcrup. j. ſ. aquæ theriacalis, unc. j. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Copioſiſſimè ſudavit, & poſt ſudorem ſe paulò meliùs habere cœpit. Illa die utebatur ſubinde de condito & miſtura antedicta. Etiam juſculi pulli cum herbis cardiacis cocti aliquantùm ſorpſit. 30. Julii iterum pejus ſe habuit, & febris vehementior fuit quàm unquam antea. Exhibui hunc bolum cum dicta miſtura diſſolutum.

℞. Lapidis bezoar orient. gr. xv. ſalis abſinthii, confect. de hyacintho, diaſcordii, an. ſcrup. j. olei ſulphuris. gut. 3. Miſceantur.

Circa veſperam ſponte ſudavit copioſiſſimè, à quo critico ſudore (nam erat morbi dies ſeptimus) morbus ſolutus eſt. 1. Auguſti ipſum diætæ commiſimus, cùm tam propter debilitatem, quàm propter nauſeam plura medicamenta aſſumere non poſſet, neque etiam neceſſitas multùm urgeret. 2. Auguſti ad citiorem bubonis maturationem, cataplaſma hoc modo immutavimus:

℞. Radic. liliorum alb. unc. ij. & altheæ recentis, unc. j. herb. althææ recentis, M. j. flor. chamomillæ, M. ſ. ficuum ping. num. II. Coquantur in aq. communis q. ſ. piſtatis adde farinæ ſem. lini, pollinis farinæ tritici, an. unc. ſ. mellis, unc. j. axungiæ porci, ung. baſilici, an. unc. ſ. Fiat cataplaſma.

5. Auguſti tumor jam maturus ſcalpello apertus fuit, atque ulcus deinde inſtar aliorum ulcerum mundatum & conſolidatum eſt; & æger, qui jamjam hiantis Cerberi præda futurus putabatur, integræ ſanitati reſtitutus fuit.

Annotatio. Summa virium debilitas, ut & alvi commotio in ægro ſummum periculum minabantur; quod tamen continuo antidotorum uſu feliciter præventum fuit.

Hiſtoria 69. Fredericus Willenburch, juvenis fortis, circiter triginta annorum, Sponſus, cùm Agnetam de Souſt menſe Auguſto ſibi uxorem duxiſſet, Venereum agrum nimis ſtrenuè (ut ſolent multi Sponſi) coluerat. Hinc tertia nuptiarum die peſte correptus eſt, cum maxima anxietate & ſumma virium dejectione: febris autem exigua erat. Nihil profuerunt alexipharmaca, nec ullis modis collapſæ vires reſtaurari potuerunt. Circa finem ſecundæ diei ad campos Elyſios delatus eſt.

Annotatio. Sponſi plurimi hoc tempore inter ipſas nuptias peſte correpti ſunt, & pauciſſimi à morbo evaſerunt. Eodem illo tempore mulier quædam Noviomagenſis ſpatio ſex ſeptimanarum tres maritos peſte extinctos habuit; vix primo ſepulto ſtatim alteri nupſit, & ſic etiam tertio; certè mulier non amore, ſed libidinoſo ardore flagrans, profectò flagris vel ignis ardore magis quàm amore digna. Liberalior Veneris uſus virorum corpora debilitando ad peſtem diſponebat, quæ cùm propter debilitatem à ſeminis profuſione inductam, peſti minùs reſiſtere poſſent, facilè & citò deficiebant.

Hiſtoria 70. Soror Joannis Rouckus, civitatis Noviomagi Procuratoris, peſte cum vehementi febre & anxietate correpta fuit, quibus acceſſit obſcurus tumor in inguine. Ab ipſo morbi principio vires admodum proſtratæ erant. Secunda die vomitus ſequebatur, qui tertia die valde violentus evaſit, vireſque adhuc multò magis dejecit, quò multa fœtidiſſima, turbida & varii coloris ejecit. Quarta die multò moleſtior & ferè continuus evaſit vomitus: tandem cum difficillimo conatu inter alia excrementa evomuit animalculum quoddam parvum inſtar draconis vivi, quo ejecto non diu poſt obiit. Mater ægræ illud animalculum Franciſco Patien Chirurgo ſpectandum obtulit, (cùm ego fortè ad manus non eſſem) qui mihi retulit, fuiſſe beſtiolam vivam, horribilem viſu, oblongam, ſed parvam, circiter longitudinis minimi digiti, quadrupedem, lacertæ non multùm abſimilem, excepto quòd ſanguinei coloris eſſet, & caudam tenuiorem ac parvas auriculas haberet.

Annotatio. Quis non miretur violentiſſimos effectus peſtilentiæ? quæ tantam & tam venenatam putredinem paucis diebus inducere potuerit, ut breviſſimo tempore animal venenatum, naturæ humanæ maximè contrarium, in medio corpore ex ea generatum fuerit? Mater ægræ narravit mihi beſtiam hanc aliquandiu in pelvi vixiſſe, quam Chirurgus Patièn liquore aliquo affuſo libenter occidiſſet, atque in perpetuam memoriam exſiccâſſet ac ſervâſſet, niſi contagii metus & ægræ morientis veſtigia, ipſum deterruiſſent. Durante hac peſte lumbricos breves, craſſos, rotundos & rubros, interdum vomitu ejectos, interdum per alvum deturbatos vidi, ſed præter hanc ægram, nullum unquam talem draconem ejeciſſe, nec vidi, nec audivi.

Hiſtoria 71. Dominus Welting, Nobilis Anglus, qui urbem videndi gratiâ Noviomagum venerat, 8. Auguſti matutino tempore foras prodiens, capitis aliquam vertiginem, & non diu pòſt maximam anxietatem ſenſit, ita ut ſe ad lectum conferre cogeretur. Vocatus Chirurgus ſudoriferum exhibuit, & copioſos ſudores promovit, à quibus nonnihil allevatus fuit æger, & bubo ſub axilla dextra erupit. Chirurgus poſt ſudores venæſectionem in brachio dextro inſtituit, promittens ſe ægrum hac ratione citiſſimè curaturum. Ex aperta vena ſanguis floridus magna vi erupit, cumque jam aliquot unciæ effluxiſſent, Chirurgus nullis compreſſis, nullis ligaturis fluxum ſanguinis cohibere, & venæ inciſionem obturare potuit. Interim ægri vires in totum collapſæ ſunt, & qui ſub axilla eruperat,

tumor

tumor diſparuit: anxietatibus adauctis etiam ſyncope acceſſit. Cùm circiter per ſeſqui-horam in obturanda vena fruſtra laboráſſet Chirurgus; tandem meum conſilium etiam imploratum fuit. Inveni vulnuſculo fungum illum, quo ad ſiſtendum ſanguinem utuntur Chirurgi, impoſitum, eique craſſum compreſſum cum ligatura ſatis arcta injectum. Juſſi caput mortuum vitrioli imponere, ſed nihil profuit. Cùm autem æger crebris animi deliquiis identidem deficeret, in re deſperata ad extremum remedium (ſed nimis ſero) devenire neceſſe fuit, nempe ad uſtionem, qua ferro ignito leviter impoſito vulnuſculum occluſum fuit, atque ita ſanguis quidem ſubſtitit, ſed æger non obſtantibus variis exhibitis corroborantibus, poſt ſemi horam exſpiravit, atque ita ſecundùm Chirurgi promiſſum morbus citiſſimè curatus fuit, idque tam egregiè, ut recidivam metuere neceſſe non fuerit.

Annotatio. Quamvis rariſſimè eveniat ut aperta vena rurſus occludi nequeat, tamen vel eo ſaltem nomine in peſte metuenda eſt venæſectio, cùm illud quod aliquando fit, pluries fieri poſſe, credibile ſit. Tantùm bis mihi hunc caſum videre contigit, ſemel in prædicto ægro, & menſe Junio adhuc ſemel in uxore militis cujuſdam Friſii, quæ cùm ſibi venam in peſtilenti febre pertundi curáſſet, Chirurgus factam inciſionem nullis mediis obturare potuit, quam ego quidem impoſitâ petiâ oleo vitrioli intinctâ reſtrinxi, ſed tamen ægra intra horæ ſpatium vitæ naufragium fecit. Zacutus Luſitanus, *Prax. Admir. 3. obſerv. 41.* ſimilem caſum in cucurbitulis obſervavit: Multis (*inquit*) in peſte ſanguis è cucurbitulis emanans, nec validis auxiliis, nec cauterio ipſo potuit compeſci; omnes obiêre: nam facultas retentrix à venefica qualitate prorſus erat extincta.

Hiſtoria 72. Gerardus Buys Pharmacopœus, vir fortis, qui amuleto arſenicali munitus ſemper incedebat, puſtulam rubram inflammatam ſine dolore, cum levi pruritu in collo percepit, quæ mihi aliquid mali ominari viſa fuit, ac propterea ad tempeſtivum antidotorum uſum ipſum exhortabar. Verùm ille rem flocci faciebat, & toto corpore optimè valens, conſueta munia peragebat, benè edebat, bibebat, ridebat, & hilaris erat, nec quicquam mali ſuſpicabatur; imò etiam me irridebat quòd de periculo aliquo loquutus fuiſſem. In tali ſtatu circiter per tres ſeptimanas vixit. Tunc demum capitis gravitate, cordis anxietate, nauſeâ, & debilitate infeſtari cœpit. Aſſumpto alexipharmaco (cui præter cætera lapidis bezoar. orientalis integra drachma admiſta erat) cùm copioſiùs ſudáſſet, nihil quidem allevatus fuit, ſed prædicta puſtula in perfectum carbunculum tranſivit. Poſtridie febris vehementior evaſit, vires admodum dejectæ ſunt, denique morbi violentiâ omnium antidotorum vim ſuperante, poſt triduum è vivis exceſſit.

Annotatio. Diſputant Medici, utrumne peſtilens venenum in corpore aliquandiu occultum latere poſſit, antequam gravibus ſymptomatibus ſe prodat: quam quæſtionem agitavimus lib. 1. cap. 10. Mercurialis, Andreas Cæſalpinus, Untzerus, aliique graviſſimi Medici, negativam tenent: è contrà verò Roboretus, Platerus, Sennertus, & alii, affirmativam defendunt, quam poſteriorem opinionem etiam confirmat experientia; ut liquet ex prædicta hiſtoria, ut & ex ſequenti hiſtoria 103. Affirmativæ etiam aſtipulari videtur Fernelius, nam Pathologiæ lib. 4. c. 18. *inquit:* Interdum carbunculi initium multo antè tempore conſpicuum, quàm febris eſt.

Hiſtoria 73. Jacobus Verhorſt & Caſparus Nitteler, ſocii milites, animi grat à exutis veſtibus in flumine aliquandiu nataverant, atque ita modò aquis, modò calidiſſimis ſolaribus radiis nuda corpora expoſuerant. Peracta natatione, ambo dolorem capitis gravativum ſenſerunt, cum inclinatione ad ſomnum. Ad hoſpitium reverſi lecto ſe impoſuerunt & dormiverunt. Poſt aliquot horas evigilantes, præter capitis dolorem, etiam anxietam maximam cum nauſea ſenſerunt, cui non diu poſt magna quoque febris adjuncta eſt. Exhibui utrique alexipharmacum, à quo cùm propter ſummam inquietudinem ſudare non potuiſſent, poſt aliquot horas alterum ſumpſerunt, quod rurſus evomuerunt, nec deinceps quicquam amplius aſſumere voluerunt. Inextinguibili ſiti ambo torquebantur. Jacobus magnum dolorem ſub axilla, ſed abſque manifeſto tumore habuit, & circa finem ſecundæ diei obiit. Caſparo autem parvus doloroſus tumor in parotide erupit, & morbum protraxit uſque ad quartum diem, quem unà cum vita finivit.

Annotatio. Hujuſmodi infelices caſus in pluribus aliis natatoribus etiam obſervavimus, ac proinde illas natationes curioſiſſimè prohibere ſolebam: partim quòd periculoſum foret fervidis ſolaribus nudum corpus exponere: partim quòd etiam periculoſa foret illa mutatio, qua modò à Sole corpora caleſiunt, modò ab aqua refrigerantur: denique quòd ipſa fluminis aqua valde ſuſpecta eſſet, quia Germaniam versùs plurimæ urbes, & innumeri pagi in Rheni littoribus ſiti, graviſſima peſte affligebantur; quorum omnium locorum contagioſa inquinamenta in flumen effluebant, & aquam illam, Noviomagum versùs deſcendentem, rationem contagii haud parum ſuſpectam reddebant.

Hiſtoria 74. Ancilla Jacobi Leeuvvens, Mercatoris vini, quæ in horto ejus decumbebat, ſecunda morbi die urinas oleaginoſas copioſas reddidit; ita ut oleum craſſum & turbidum repræſentarent. Carbunculum habuit in altera mamma. Aſſumptis alexipharmacis & ſudoriferis omnia gravia ſymptomata unà cum febre ceſſarunt, & ipſa præter opinionem à morbo convaluit.

Annotatio. Cum talibus urinis oleaginoſis tantùm duos treſve evaſiſſe novi: omnes reliqui, quotquot tales urinas reddebant, citiſſimè mortui ſunt.

Hiſtoria 75. Adolphus Fidar, Chirurgus non imperitus, qui amuleto arſenicali curioſè ſemper munitus erat, 11. Julii peſte correptus, ſibi ipſi ſudoriferum aliquod præparavit, à quo cùm copioſè ſudáſſet, buboni (qui in inguine apparebant) cucurbitam magnam cum multa flamma impoſuit, eamque bis terve reiteravit. Hinc pars affecta valde intumuit, & tam horribili dolore ægrum affecit, ut quò ſe verteret, neſciret. Magnum iſtum dolorem violentiſſima febris, & hanc ſumma debilitas viriumque de-

jectio inſecuta eſt. Tunc meum quoque conſilium expetivit. Exhibui varia ſudorifera & antidota: parti quoque affectæ, tam ad intenſiſſimi doloris ſedationem, quàm ad veneni extractionem, varia topica admovi. Verùm his omnibus cùm nec febris, nec dolores imminuerentur, æger deficientibus viribus morbo victoriam conceſſit.

Annotatio. Animadvertimus in plurimis ægris, quibus cucurbitulæ bubonibus impoſitæ fuerant, illud remedii genus ferè ſemper infeliciter ceſſiſſe; & dolores adeò acres hoc modo parti affectæ fuiſſe inductos, ut inde acerrima febris excitaretur: cujus violentia antequam ſedari poſſet, plerumque virium defectu extinctos fuiſſe ægros. Quaptopter licèt in peſtis hujus exordio etiam nobis illud auxilium arrideret, partim quia veteres, multique clariſſimi Medici illud commendarent; partim quia ipſa ratio illud etiam approbare videretur, tamen poſtea in totum ab illo abſtinuimus, & uſu edocti ſumus bubones tutiùs ac meliùs tractari cum veſicatoriis & cataplaſmatibus attrahentibus ac emollientibus, quàm cum violenta cucurbitularum ſuctione, qua non ipſum venenum peſtilens, (quod hoc modo extrahi nequit) ſed tantùm ſanguis vicinique humores ſupra glandulas in durum cumulum contracti, vel glandulas comprimunt, earumque extenſionem ac venenati ichoris receptionem impediunt; vel vias quæ ab internis vaſis ad glandulas tendunt, obſtruunt, atque ita in cauſa ſunt, quòd natura ſæpe laudabilem veneni expulſionem ad emunctoria perficere nequeat.

Hiſtoria 76. Chriſtianus ab Ummerſon, vini Mercator, magnâ inappetentiâ laborabat, cui etiam aliqualis nauſea aderat: valde debilis erat, quia per multos dies vix quicquam comedere potuerat. Ipſe peſtilenti contagio ſe infectum eſſe arbitrabatur: ſed malè, nam cauſa mali inde proveniebat, quòd bonus ille vir præſervationis gratiâ quotidie matutino tempore vino abſinthite majore copia uteretur. Quod cùm illico animadverterem, hujus vini uſum planè prohibui, ac diætâ conveniente præſcriptâ, hunc bolum exhibui:

℞. Rhabarbari pulveriſati, ſcrup. ij. cremoris tartari, ſcrup. j. pulpæ tamarindorum, unc. ſ. ſyrupi de limonibus parum. Fiat bolus.

Hinc ter iſta die alvum exoneravit. Poſtridie tale conditum præſcripſi:

℞. Calami aromatici, nucis moſcatæ, macis, florum ſulphuris, ana ſcrup. j. ſ. cremoris tartari, unc. j. cinnamomi, ſcrup. j. gariophyllorum, ſcrup. ſ. Pulveriſentur ſubtiliſſimè, deinde addantur radic. helenii cond. drach. vi. conſervæ anthos, unc. ſ. zingiberis condit. drach. vi. olei vitrioli gut. xv. ſyrupi de limonibus q. ſ. Fiat conditum.

Hujus conditi mane & veſperi, interdum etiam meridie, particulam edebat, à vini abſinthitis uſu abſtinendo. Hinc brevi rediit appetitus. Ex illo tempore conditum hoc tanti fecit, ut illud poſtea per aliquot annos multoties à Pharmacopœo confici curaret, ad appetitum & ſanitatem (ut ajebat) conſervandam.

Annotatio. Quamvis abſinthium, quocunque modo moderatè ſumptum, adversùs venenum peſtilens egregium ſit præſervativum, & ventriculum detergeat, atque appetitum excitet, immoderatum tamen ejuſdem uſum multoties animadverti inducere debilitatem, & cibi inappetentiam. Sic N. Heymerick à nimio vini abſinthitis uſu (quo ſe per annum peſſimè aſſueverat, ut peſtis contagium evitaret) adeò dejectum appetitum habuit, ut poſtea nullis mediis reſtaurari potuerit, atque ea de cauſa debilitatis internis viſceribus, tandem vitam cum morte commutaverit. Ita quoque Antonius de Tricht Pharmacopœus, vini abſinthitis matutino potui nimis deditus, per aliquot annos adeò inappetens fuit, ut vix quicquam comedere potuerit, cùmque illius vini matutinum uſum, vel potiùs abuſum, intermittere nollet, tandem epilepticus factus miſerè obiit. Quapropter in uſu abſinthii, ſicut in omnibus aliis rebus, modus ſervandus eſt: nam etiam optima quæque, vel medicamenta, vel nutrimenta, immoderatè ſumpta, nocent.

Hiſtoria 77. Pater Felicianus Sacerdos, Ordinis Franciſcanorum Monachus miſſionarius, vir doctus & humaniſſimus, peſte correptus eſt, cui vix ulla manifeſta febris adjuncta erat, ut nec alia gravia ſymptomata, præter ſolam & ſummam anxietatem, qua cor tanquam in prælo comprimi dicebat. Poſt ſudorem copioſum alexipharmaco provocatum, duo exiles carbunculi in femore eruperunt, etiam dolor in inguine perceptus eſt cum obſcuro quodam tumore. Exhibui tria quatuorve ſudorifera, & alia quoque antidota intermedio tempore dedi, verùm his omnibus neque inguinis tumor adauctus, neque anxietas quicquam imminuta eſt. Interea tamen vires egregiè conſtabant, ac valde parum dejectæ erant. Quarta morbi die cùm ipſum inviſerem, totus veſtitus erat, & circiter horæ quadrantis ſpatiô mecum per cubiculum deambulavit, (non titubante gradu, ſed fortiter) ac de confidentia in Deo, de non extimeſcenda morte, de maximo & flagrantiſſimo ſuo hinc ad ſalutarem patriam migrandi deſiderio, multa notatu digniſſima loquebatur. Poſtea inter ambulandum monſtrabat mihi etiam ſex ſeptemve exanthemata purpurea, quæ in pectore & brachio eruperant, & rogabat qualeſnam eſſent, & quidnam indicarent hæ maculæ? Reſpondi eſſe mortis advenientis prænuncias. Quo nuncio intellecto, bonus ille vir non minùs gaviſus eſt, quàm gratiſſimo aliquo dono accepto, & ſtatim cum gaudio in hæc verba erupit: Jam liberabis ſervum tuum, Domine, & videbunt oculi mei ſalutare tuum facie ad faciem: fiat voluntas tua; & ſit Nomen tuum benedictum in ſæcula. Tunc ego ipſi in æternum valedixi, atque diſceſſi. Poſtea retulerunt mihi aſtantes qui illi inſerviebant, quòd ſtatim poſt meum diſceſſum diceret: Sentio me ab ambulatione aliquantùm delaſſari; & cùm dicto lecti margini ſe impoſuiſſet ſedendo, atque illico quaſi in momento retrorſum ſupra lectum cadens exſpirâſſet.

Annotatio. Quod in hoc ægro, illud in nonnullis aliis etiam animadvertimus, nempe in quibuſdam peſte laborantibus tantam corporis fortitudinem uſque ad mortem fuiſſe, ut ambulantes, nec quicquam minùs quàm mortem metuentes, ſubitò conciderint. Verùm in pauciſſimis tantam animi fortitudinem, tantam in morte conſtantiam, tantum vitæ æternæ ex intimo

timo

ſimo corde procedens deſiderium obſervavimus, quantum in prædicto D. Feliciano, & ſocio ejus Tiburtio, nec non Patre Gregorio, ejuſdem quoque Ordinis Monacho, qui tres ſummo gaudio mortui ſunt, totumque mortis metum læta ſpe melioris vitæ omnino extinxiſſe videbantur. Non omnes qui vitæ æternæ gaudia prædicant, ad illa feſtinant, ſed extrema neceſſitate ingruente plerique diverticula quærunt, & his illiſve mediis extremam illam horam differre nituntur. Sic Pater de Bruyn, Jeſuita doctus, cùm peſte correptus eſſet, maximo mortis metu perculſus fuit, & tam altum terrorem concepit, ut exhibita remedia planè nihil operarentur ad ſalutem: tandem omnibus nihil proficientibus, cùm ab exanthematum eruptione mortem ipſi prædicerem, tres quatuorve exiguas pyxides (in quibus imagines, reliquiæ Sanctorum, ſchedæ benedictæ, & ſimilia continebantur) de collo pendulas manu prehendens, ac cum indignatione irridens, dicebat: O inania fulcra, in quibus confiſus ſum! quid jam mihi prodeſtis? & paulò pòſt cum magna deſperatione obiit, immemor verſiculi:

Fer facilis quod fata ferunt; ſi ferre recuſas,
Ipſum te crucias, nec minus illa trahent.

Hiſtoria 78. Caſparus de Svvart, cùm à Molarum platea ad plateam Cervinam properaret, brevioris viæ gratiâ tranſivit vicum quendam rariſſimè frequentatum, juxta templum B. Mariæ ſitum, in quem ex plurimis infectis ædibus ſordes, ſtramina lecticarum, vetuſtâ ac detrita veſtimenta, ægrotorum fæces & excrementa, aliaque ſimilia tunc temporis projiciebantur. Ipſe in tranſitu à contagioſo harum rerum fœtore graviſſimè affectus, & tanto contagio infectus fuit, ut domum veniens ſtatim conciderit, vomuerit, capitis dolore & maxima cordis anxietate preſſus fuerit, in utroque crure carbunculum habuerit, atque intra viginti horas vitam finiverit.

Annotatio. Non ſine ratione curioſiores Rerumpublicarum Gubernatores edicto jubere ſolent, ut omnes res contagii ratione ſuſpectæ comburantur, neque in publicum projiciantur: atque ita in nonnullis Italiæ locis interdum integras domos cum tota ſupellectili Magiſtratus juſſu combuſtas fuiſſe, legimus. Verùm Magiſtratus Noviomagenſis, & belli turbis, & morbi furiis intricatus, multarum hujuſmodi neceſſariarum rerum negligentiorem curam habuit; quæ etiam cauſa fuit, quòd contagii ſemina plurimùm diſſeminata fuerint.

Hiſtoria 79. Menſe Auguſto, Domicellam quandam nobilem, (quæ in cubiculo prope arcem Noviomagenſem ad ejus curationem à me conducto commorabatur) lue Venereâ graviter infeſtatam, tractabam, cui cùm poſt præmiſſa generalia, jam per quatuor dies quotidie bis ſudores Guajacino decocto provocaſſem, peſtis illarum ædium domeſticos invaſit, è quibus intra ſex dies quatuor mortui ſunt; unica vetula ſuperſtes remanſit, quæ huic Domicellæ inſerviebat. Domicella peſtem magis quàm luem Veneream timens, libenter aliò migraſſet; verùm quia in tota civitate pauciſſimæ domus erant in quibus contagium non dominaretur; ad hæc quia verebar mutatione domicilii & ipſam & morbum ejus ab aliis cognitum iri, ſuaſi ut illic maneret, propterea quod a peſte omnino immunis futura eſſet, quo uſque curationi luis Veneræ vacaret. Meum conſilium ſecuta remanſit, & continuatis quotidianis ſudoribus, aliiſque remediis ad luis Venereæ curationem neceſſariis, & ſuffumigiis ad aeris emendationem in cubiculo etiam excitatis, nullum peſtis aculeum ſenſit, ſed poſt tertiam ſeptimanam bene ſana & pulcherrima diſceſſit, quæ horribili turpi Venerea ſcabie fœdata ad nos venerat.

Annotatio. Cùm in morbi Gallici curatione medicamentis talibus plerumque utamur, quibus Venereum virus a centro ad peripheriam propellitur, non facilè tales ægri, quouſque huic curationi ſe ſubmittunt, peſte corripiuntur; quamvis etiam inter peſtiferos verſentur, ut ex prædicta hiſtoria liquet, quam etiam ratio approbat: nam quouſque natura occupata eſt in expulſione veneni Venerei a centro ad corporis circumferentiam, non facilè poteſt recipere, & à circumferentia ad centrum attrahere venenum peſtilens; vel ſi illud fortè receperit, ſtatim per apertos pororum meatus illud rurſus foras expellit. Sic ob eandem penè rationem dicit Paræus, lib. 21. cap. 21. quartanarios à peſte magis tutos & liberos eſſe, quia tertio quoque die vehementer ſudare ſolent: quod ipſum quoque, affirmat Sennertus, de Peſte, cap. 1.

Hiſtoria 80. Machtilda de Bie, juvencula circiter viginti annorum, 3. Septembris peſte correpta fuit, cum anxietate, febre & anthrace in brachio. Sudorifera aliaque convenientia antidota ab ipſo morbi principio ſatis curioſè exhibita fuerunt. Eodem tenore continuavit febris uſque ad diem quartum, quo hæmorrhagia narium ſupervenit, qua ſanguis, non quidem affatim, ſed paulatim, & magna quantitate effluxit. Ut hanc hæmorrhagiam ſiſteremus, omnes modos adhibuimus; per Chirurgum extremas partes arctius ligari, oxycratum actu frigidum cervici, fronti & pudendo admoveri, cucurbitulas cum multa flamma pedibus applicari, pulveres aſtringentes cum petiis naribus immitti, aliaque multa fieri curavimus; quibus omnibus non juvantibus, tandem etiam inviti ad venæſectiones brachiorum pervenire coacti fuimus: ſed omnia fruſtra tentata ſunt, nec ſanguinis è naribus effluxum ſiſtere potuimus, qui cùm circiter per triginta horas perduraſſet, ægra deficientibus viribus animam æternitati conſecravit.

Annotatio. Minimè audiendi ſunt illi, qui in peſte hæmorrhagias die critico incidentes, in principio non modò non cohibendas, verùm etiam, ſi tardiores fuerint, magis promovendas eſſe, indicant. Falluntur toto cœlo, nam licèt natura hoc modo ſe à gravante malignitate levare nitatur, fruſtra tamen per illam viam id facere laborat, per quam peſtiferum venenum cordi maximè impreſſum, aut parum, aut nihil imminui poteſt: vel dato, aliquantùm imminui, certum tamen eſt profuſione multorum ſpirituum & copioſi ac boni ſanguinis, citiùs viribus collapſis morituros ægros, quàm tota malignitas excerni poſſit. Hinc etiam Saxonia, Praxeos lib. 8. cap. 57. ſcribit, vacuationem ſanguinis per nares in peſtiferis nunquam eſſe ſalutarem, & magna ex parte compeſci non

poſſe;

poſſe; atque in hoc differre peſtem ab aliis acutis, quòd hæ per ſanguinis narium copioſam excretionem feliciter judicentur, illa verò infeliciter. Dictum comprobat experientia; qua in hac peſte edocti ſumus, periculoſiſſimas & plurimis lethales fuiſſe criſes illas, quæ per hæmorrhagias, ſive narium, ſive menſtruorum, fiebant, eaſque rariſſimè ſponte ſubſtitiſſe; ut plurimùm autem ſi in ipſo principio arte non ſiſterentur, poſtea planè nullis mediis ſiſti potuiſſe; imò ſæpe etiam maximâ diligentiâ adhibitâ ſiſti nequiviſſe. Hujuſmodi lethalis hæmorrhagiæ exemplum quoque refert Schenckius in ſuis Obſervationibus. Foreſtus in peſte Delphenſi etiam obſervavit, plurimos, quibus ſanguis è naribus fluebat, fuiſſe mortuos.

Hiſtoria 81. Uxor Joannis Pallemer, Cereviſiarii, peſte correpta, unum carbunculum in ſiniſtra manu inter minimum & annularem digitum habuit, alterum verò in primi digiti medio. Nec vehemens febis, nec, præter magnam anxietatem, alia ſæva videbantur adeſſe ſymptomata. Sudorifera aliaque alexipharmaca ab ipſo morbi principio diligentiſſimè exhibita ſunt, quibus omnibus non obſtantibus, tamen paulatim magis magiſque defecerunt vires, ac die morbi ſeptima vitæ hujus miſerias exuit.

Annotatio. In hac peſte obſervavimus plerumque ſiniſtri ominis fuiſſe anthraces in digitis prodeuntes; & ex innumeris ægris, quibus id contingebat pauciſſimos evaſiſſe.

Hiſtoria 82. Hermannus Thomas, piſtor, cùm militem quendam peſte correptum & phreneticum horribili vultu foras excurrentem & vociferantem caſu conſpexiſſet, tanto terrore perculſus eſt, ut inde ſtatim & ipſe peſtem conceperit. Exhibui ſudorifera, aliaque varia antidota: prodierunt duo carbunculi cum obſcuro tumore ſub axilla, ſed abſque levamine. Nullis modis, nec verbis, nec rationibus ab animo illius excuti potuit conceptus terror. Omnibus fruſtra tentatis, quinta die viſa ſunt exanthemata purpurea; & ſequenti nocte obiit.

Annotatio. Terrorem ad peſtis inductionem plurimùm facere, non tantùm nos in hac peſte animadvertimus, ſed illud ipſum quoque in aliis peſtibus multoties obſervatum fuiſſe, teſtes ſunt Evagrius, Nicephorus, Eraſmus Hedenus, Scheunemannus, Joannes Matthæus, Sennertus, & alii. Semper etiam notavimus, rariùs evaſiſſe illos qui ex alto concepto terrore, peſte corripiebantur, quàm alios, quos abſque hoc præcurſore invadebat.

Hiſtoria 83. Jacobus ab Hamburch, eques Capitanei Thomæ Lucas, vir fortis, audax & temerarius, 12. Octobris peſte cum febre violenta & bubone in inguine correptus, poſt varia aſſumpta alexipharmaca, quarta morbi die fortiter tuſſire, ſexta autem ſanguinem tuſſiendo rejicere cœpit copioſius, è quo ſigno illum moriturum judicavi. Attamen ne meâ incuriâ perire videretur, ut ſanguinis ſputum aliquantum cohiberi & imminui poſſet, 18. Octobris circa veſperam hunc pulverem præſcripſi, quem illa nocte duabus vicibus cum pauxillo aquæ theriacalis aſſumpſit:

℞. Boli arm. cornu cervi uſti, ana ſcrup. j. florum ſulphuris, ſcrup. j. ſ. ſpecier. diatrium ſantalorum, ſcrup. j. croci orient. ſcrup. j. ſacchari candi albi, drach. j. ſ. Fiat pulvis ſubtilis, qui dividatur in duas doſes.

19. Octobris febris remiſſior fuit. Tunc ſæpius de die ſequentis electuarii particulam edere juſſi:

℞. Specier. diatrium ſantalorum, cornu cervi uſti, ana ſcrup. j. ſ. coralli rubri, ſpodii uſti, terræ ſigillatæ, croci orient. an. ſcrup. j. florum ſulphuris, ſcrup. ij. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, cui adde diaſcordii Fracaſtorii, drach. iij. conſervæ roſarum rubr. unc. j. ſyrupi de ſcordio, & de roſis ſiccis, ana q. ſ. Fiat electuarium.

Hoc die bubo, qui topicorum uſu ad maturationem pervenerat, à Chirurgo pertuſus eſt. 20. Octobris omnino febris expers fuit, ſanguinis tamen ſputo remanente. Cum appetitu aliquantùm comedere cœpit æger. Continuatum eſt in uſu electuarii. Quia verò durante morbo tantùm bis alvum excreverat, circa veſperam ex pilulis Ruffi tres piſi magnitudinis pilulas deglutivit, à quibus ſequenti mane duos ſeceſſus habuit. Hoc facto ad electuarii uſum rediit. 21. Octobris dicebat ſe magna vi tuſſiendo fruſtula quædam pulmonis cum multo ſanguine rejeciſſe. 22. & 23. Octobris ſputum ſanguinis multùm imminutum eſt: quapropter illum diætæ commiſi, & ab omnibus rebus noxiis abſtinere juſſi. Anno ſequenti, menſe Martio, rurſus ad me venit, valde emaciatus & debilis, ac conquerebatur ſe poſt ſanationem peſtis aliquandiu mediocriter valuiſſe, verùm ſanguinis ſputum nunquam in totum ſubſtitiſſe: in magno autem gelu menſis Februarii ipſum adeò afflictum eſſe, ut per aliquot ſeptimanas lecto incumbere coactus fuiſſet. Animadverti hominem ex ulcere pulmonis tabem jam contraxiſſe, nam præter ſanguinem etiam verum pus rejiciebat, quapropter illum eodem modo, quo varios alios verè phthiſicos aliàs ſanavi, curare aggreſſus ſum, atque ita circiter trium menſium ſpatio priſtinæ ſanitati omnino reſtitutus fuit.

Annotatio. Hæc hiſtoria tanquam rariſſima notanda eſt: nam in tota hac truculentiſſima peſte, præter hunc unum ſolum equitem, cum ſputo cruento (quod à carbunculis in pulmone excitatis plerumque inducitur) neminem evaſiſſe ſcio: rogavi etiam Chirurgos, quibus peſtiferorum curatio demandata erat, anne illud uſpiam vidiſſent, qui teſtabantur ſe obſervâſſe omnes illos quibus ſputum cruentum ſuperveniebat, breviſſimo tempore mortuos fuiſſe.

Hiſtoria 84. Duo filii Domini Gatien, Galli, Verbi divini Miniſtri, peſte cum violentiſſima febre correpi intra triduum occubuerunt. Cadavera tertio poſt mortem die horribiliter immutata, valde tumida, & inſtar carbonis vel atramenti tota nigricantia viſa ſunt: ita ut Pater, qui ex Hollandia poſt mortem filiorum advenerat, ipſorumque cadavera adhuc videre deſideraverat, primo viſo, adeò abhorruerit, ut ſtatim effugiens ſecundum videre auſus non fuerit.

Annotatio. Cadaverum citiſſima & maligniſſima corruptio maximi veneni index fuit. Sciendum tamen in hac conſtitutione omnia peſtiferorum cadavera, tam citò & tam horribiliter putrefacta non fuiſſe: nam multa non minùs quàm ab aliis morbis emortua corpora, per aliquot dies abſque manifeſta putredine ſervari potuerunt, nempe illa, quæ abſque magna febre

enecata

enecata fuerant: quibus verò ægris peſtiferis gravis febris adfuerat, eorum cadavera propter malignam humorum putredinem citò computruerunt; & quantò humorum putredo cum febre, morbo durante, gravior fuerat, tantò poſt mortem citior & malignior, magiſque horribilis cadaverum putredo ſequebatur.

Hiſtoria 85. Petrus Parvus (inde Parvus cognominatus, quòd eſſet brevioris ſtaturæ) ruſticus notiſſimus in pago Bemmel, unico milliari à Noviomago diſtante, peſte correptus fuit, cum violenta febre, aliiſque gravibus ſymptomatibus, à qua tertia die mortuus eſt, ut putabatur. Conſanguinei, qui illi inſerviebant, amiculo ferali corpus induerunt, idque à lecto in pavimentum ſuper ſtramina depoſuerunt. Etiam hæredes veſtimenta ejus aliamque ſupellectilem inter ſe diviſerunt, atque ita metu furum ſpoliârunt domum omni ſupellectile. Interea etiam curârunt ut ciſta feralis à fabro lignario conficeretur, atque ad exequias ſequenti die peragendas omnia præparârunt. Poſtridie omnibus jam paratis, ſola ciſta feralis (ſine qua noſtrates mortuos non ſepeliunt) deerat, quam faber lignarius propter plurima negotia tam citò conficere non potuerat: quapropter exequiæ uſque in tertium diem neceſſariò differendæ erant. Sequenti die, ciſtâ ferali jam paratâ, cùm ad funeris elationem feſtinaretur, viderunt mortuum efferendum reviviſcere, & brachia ac pectus commovere, (poſtquam quinquaginta duabus horis in tali ſtatu tanquam verè mortuus jacuiſſet) qui etiam intra horæ quadrantem ſurgebat, vociferabatur, induſium aliaque linteamina totus maniacus dilacerabat, imò quoque in proximè aſtantes violentas manus inferebat; ita ut illum vi continere, & faſciis brachia ligare ac conſtringere neceſſe fuerit. Duravit illa maniaca paſſio circiter per quinquaginta quatuor horas (ut ipſemet mihi narravit) ac poſtea ceſſavit, & æger planè ad ſe rediit, atque conſanguineos nonnullos ſuis veſtibus indutos, aliamque ſupellectilem inter hæredes diviſam vidit, quam ipſe redivivus poſſeſſor repetiit. Intra paucos dies vires deperditas recuperavit, & à morbo convaluit cum maxima omnium admiratione. Nono jam anno (quo hiſtorias has in ordinem redigo) bene ſanus vivit, & inſervit etiamnum hodie Nobiliſſimo viro Joanni de Bronckhorſt, Bataviæ ſuperioris Majori, in eodem pago habitanti, ejuſque opera ruſtica peragit.

Annotatio. In peſte aliiſque contagioſis morbis corpora mortua ratione contagii citiſſimè inhumari ſolent; quæ ultra biduum, præſertim æſtivo tempore, aſſervanda non eſſe, alibi docuimus. Verùm ſemper diligentiſſimè animadvertendum, anne verè mortua ſint: nam multoties obſervatum eſt, ægris peſtiferis talia animi deliquia ſuperveniſſe, ut pro mortuis habiti, imò nonnulli etiam vivi inter mortuos ſepulti fuerint: quod etiam prædicto Petro Parvo accidiſſet, ſi ciſta feralis pridie parata fuiſſet, nam illum certiſſimè mortuum eſſe, omnes putaverant. Hinc veroſimile eſt, in illis locis ubi peſte extinctos intra paucas horas ſepeliunt, plurimos hujuſmodi errores committi. Qualem hiſtoriam refert Alexander Benedictus, lib. de Peſte, cap. 1. de nobili Matrona, quæ tali modo viva inter mortuos depoſita fuit. Lycoſthenes quoque, lib. de prodig. & oſtent. duas memorabiles refert hiſtorias eorum qui peſte mortui putabantur, & quibus exequiæ jam parabantur, qui antequam ſepelirentur, revixerunt. Hildanus, centur. 2. obſervat. 95. tria clariſſima exempla peſtiferorum enarrat, quorum primi corpus jam loculo imponebatur ad ſepulchrum efferendum, ſecundi jam ſepultum fuit, & poſtea, caſu à furibus aperto ſepulchro, ad ſe rediit: tertii a Johanne Wiero Medico deprehenſum fuit non eſſe mortuum. Johannes Jacobus Crafftius, in epiſtola ad Hildanum, varia hujuſmodi exempla recenſet. Hæc cùm in peſte accidere poſſe, notiſſimum ſit, cujuſque officii eſt mortuos ſuos non ſtatim à veſpillonibus temere ad ſepulchrum efferri curare, ſed prudenter proſpicere, ne, temerariæ feſtinationis errore, homicidium committatur. Extra peſtem in aliis morbis talia non ſemel quoque eveniſſe, & nonnullos apoplexiâ, lethargo, comitiali morbo, vel uteri ſtrangulatione oppreſſos, ita ſuffocatos fuiſſe, ut pro mortuis habiti, & nonnulli etiam inter mortuos ſepulti fuerint, teſtes ſunt Plinius Natural. Hiſtor. lib. 7. cap. 52. Lemnius, de occult. rerum mirac. lib. 2. cap. 3. & Georgius Pictorius, Sermon. Convival. lib. 1. cap. 10. necnon Paræus, Foreſtus, Albertus Bottonicus, Schenckius, Amatus Luſitanus, & alii. Idemque etiam mihi ſemel videre contigit in quodam nautæ puello quatuor annorum, qui anno 1641. media hyeme prope portum Noviomagenſem in aquam incidens, ſuffocatus ac pro mortuo domum delatus eſt, ubi à vicinis & matre veſtibus detractus amiculo ferali indutus, & in pavimento ſuper ſtramina collocatus fuit, interea dum ciſta feralis pararetur: poſtquam ſummæ aëris frigidiſſimi violentiæ puer ibidem per decem horas expoſitus jacuiſſet, nec corpus obriguiſſet, me vocârunt, ut unde illud fieret ſcire poſſent: ego manibus utrinque tempora puelli conſtrinxi, atque obſcurum quendam arteriarum temporalium motum ſenſi, quem deinde etiam in carpo brachii deprehendi: quapropter juſſi ſtatim puellum igni luculento admoveri, totum pectus, ventrem, tempora ac faciem cum ſpiritu vini calefacto, calidis manibus fricari: quod cùm aliquandiu factitatum fuiſſet, cœpit puellus brachia & crura leviter movere, anhelitum etiam manifeſtiùs ducere; verumtamen non rediit ad ſe, ſed cùm in tali ſtatu adhuc per ſeſquihoram vixiſſet, obiit: fortaſſe ſi in principio prope ignem bene calefactus, & immenſo iſti frigori (nam aſperrimum erat gelu) tot horis nudus expoſitus non fuiſſet, in vita ſervatus eſſet.

Hiſtoria 86. Uxor Domini Verſpieck, civitatis Noviomagi Conſulis, peſte cum gravi anxietate correpta, ſtatim conqueſta eſt de dolore ſecundi digiti pedis dextri: explorato loco, in extremo articulo veſiculam, & ſub ea parvum carbunculum deprehendi, è quo infelicem morbi eventum præjudicavi. Varia ſudorifera exhibui, à quibus optimè ſudavit: alia etiam dedi antidota, tam ad vitium ſuſtentationem, quàm ad febris (quæ admodum vehemens non erat) & veneni extinctionem: verùm hæc omnia nihil profuerunt, vires defecerunt, & quarta morbi die è medio ſublata eſt.

Annotatio. Experientia multoties in hac peſte edocuit; veritati minùs conſentaneum eſſe illud, quod nonnulli magni Medici pro certo ſtatuunt, carbunculos quò longiùs à corde diſſiti ſunt, tanto melioris indicii eſſe. Nos ferè ſemper obſervavimus, anthraces in pedum digitis prodeuntes, infelicem morbi eventum prænunciâſſe. Sic etiam Hippocrates epid. lib. 1. ſect. 3. hiſtor. 9. ſcribit, Critonem puſtulis nigris ad pollicem & talum erumpentibus, ſecunda morbi die mortuum fuiſſe. Sic Silenus eodem lib. ſect. 3. cum extremorum nigritie obiit.

Hiſtoria 87. Uxor Wichmanni Buys, cùm per aliquot dies peſte cum exiguâ febre & ſumma anxietate laborâſſet, ac carbunculum cum tumore in inguine haberet, omniaque exhibita ſudorifera, alexipharmaca, & alia præſidia nihil omnino profuiſſent, tandem in utraque manu nonnullæ maculæ nigræ atramento ſimillimæ apparuerunt, ſine dolore, oblongæ, haud alterius formæ ac ſi calamo ſcriptorio latioris crenæ ſuper cutim raptim inductæ fuiſſent; atque adeò perfectè hanc formam referebant, ut ego ipſemet in eo deceptus fuerim, quòd illas calamo ſcriptorio cum atramento inductas eſſe arbitrarer. Verùm cùm ægræ paululum aſtarem, vidi illas rurſus planè evaneſcere, ita ut earum ne minimum quidem veſtigium ampliùs appareret: paulò pòſt alias ſimiles alibi rurſus emergere vidi; ſed tamen non exactè eandem formam & magnitudinem habere: idque dum aſtarem me præſente bis terve factum fuit. Ex his maculis (etſi præter anxietatem, ægra aliis valde gravibus ſymptomatibus infeſtari non videretur) mortem prædixi, quæ poſt paucas horas præſagium eventu confirmavit.

Annotatio. Nunquam durante tota hac peſte hujus formæ maculas ampliùs vidimus, quas à ſpirituum ſubtiliſſimorum peſtilenti veneno infectorum, è finibus arteriarum exhalantium, & ſub duriore cuticula paulisper ſubſiſtentium, malignitate inductas fuiſſe certum eſt.

Hiſtoria 88. Rutgerus Poutman, miles, cùm muskettam explodere vellet, neſcio quo infortunio diſrupta machina, in fruſta diſſiliens, pollicem dextræ manus amputavit. Miſer ille à terrore & dolore ſtatim peſtilenti febre correptus eſt. Poſt deligatum vulnus exhibui ſudoriferum, à quo fortiter ſudavit, & ſub axilla brachii vulnerati acutiſſimum dolorem ſenſit. Circa noctem idem ſudoriferum reïteratum eſt. Poſtridie dolorem ſub axilla evanuiſſe dicebat, ſed intolerabili totius manus dolore ſe tota nocte vexatum fuiſſe. Interea febris magnâ vehementiâ continuabat. Cùm vulnus à Chirurgo diſſolveretur, vidimus totam manum nigricare, multaſque lividas puſtulas undique enatas eſſe, adhæc ſcarificationes altas in manu factas vix ſentiri, & partem à veneni peſtilentis malignitate, eò expulsâ, jam propemodum emortuam eſſe. Spiritum vini cum linteaminibus manui circumpoſuimus. Plura topica adhibere neceſſe non fuit, nam paulò pòſt prodierunt exanthemata purpurea; & ſubrepens mors vulneris curationem & vitæ curſum interrupit.

Annotatio. Qui peſte correpti partem aliquam corporis graviter affectam habebant, ad illam partem venenum peſtilens ſæpiſſimè exitialiter propulſum fuiſſe, vidimus.

Hiſtoria 89. Petrus à Deutecom peſte, cum ſopore, anxietate, & carbunculo in crure, correptus, theriacæ drachm. j. cum aceti calendulati unc. ij. & olei juniperi ſcrup. ſ. aſſumpſit, atque ita ſtragulis bene coopertus ad ſudorem ſe compoſuit, & dormivit: at ſudare non potuit. Media nocte expergefactus ſe maxima anxietate preſſum ſenſit: acceſſit febris cum maxima ſiti, & denique vomitus violentus. Mane ego accitus ægrum valde debilem inveni. Præſcripſi ſudoriferum, quod cùm ſtatim evomeret, ſecundum datum eſt, quod poſt tantillum temporis etiam rejecit. Cùm autem viderem illum nihil retinere poſſe, primò vomitum ſedare annixus ſum, in quem finem hanc miſturam præſcripſi, de qua ſæpius de die cochleare plenum ægro exhibere juſſi:

℞. Conſervæ roſarum rubr. drachm. vj. Diaſcordii Fracaſt. drachm. ij. Aquæ theriacalis, unc. ij. & cinnamomi drach. vj. Succi citri, unc. j. Miſceantur, & colentur, adde colaturæ confect. de hyacintho, drachm. j. Miſce.

Præterea ter quaterve hujus linimenti aliquantulum in cochleari calefactum, & regioni orificii ventriculi circa ſcrobiculum cordis ad palmæ manus latitudinem inunctum eſt:

℞. Olei nucis moſchatæ expreſſi, ſcrup. ij. Theriacæ Androm. olei ſcorpionum, an. drach. j. Olei ſuccini ſcrup. j. & cinnamomi gut. iij. Miſceantur pro linimento.

Horum duorum uſu vomitus intra duarum horarum ſpatium planè ſuppreſſus eſt. Tunc hujuſmodi alexipharmacum dedi:

℞. Salis ſcordii, & abſinthii, extracti rutæ, & Carlui bened. an. ſcrup j. Diaſcordii Fracaſt. ſcrup. ij. Aquæ theriacalis, unc. j. ſ. Succi citri unc. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Hinc copioſiſſimè ſudavit, & inter ſudandum de prædicta miſtura aliquoties cochleare exhibitum fuit. Erupit doloroſus tumor ſub axilla ſiniſtra. Anthraci imponi curavi pulticulam noſtram ad carbunculos. Circa horam octavam idem ſudoriferum reïteratum eſt, à quo tota ferè nocte ſudavit. Sequenti mane ſe valde alleviatum ſenſit: febris reliquaque ſymptomata multùm remiſerunt, & tumor ſub axilla increvit, cui hoc cataplaſma applicatum eſt:

℞. Cæparum ſub cineribus aſſatarum num. 3. Fermenti acidi, fimi columbini, an. unc. j. Farinæ ſem. lini, hordei, & tritici, an. drachm. vj. Aquæ communis q. ſ. coquantur paulisper, adde mellis, axungiæ porci, an. unc. j. Fiat ſ. art. cataplaſma.

Illo mane hunc pulverem cum pauco aquæ theriacalis ſumpſit:

℞. Pulv. liberantis, ſcrup. j. ſ. Camphoræ gr. v. florum ſulphuris, ſcrup. ſ. Fiat pulvis.

Pro potu utebatur cereviſia tenui cum pauco olei vitrioli acidulâ factâ. Meridie aliquantum juſculi pulli cum pomo citreo parati ſorpſit. Circa veſperam cùm febris recrudeſcere videretur, reïteratum eſt prius ſudoriferum, à quo rurſus multùm ſudavit cum magno levamine. Quarta morbi die, præcedentibus alvi torminibus, liquida dejicere cœpit, quapropter ſtatim ſudoriferum aſtringens dedi:

℞. Boli

℞. Boli arm. cornu cervi uſti, coralli rubri, an. ſcrup.j. Diaſcordii Fracaſtorii, drach.j. Aquæ theriacalis, aceti bezoartici, an. unc. j. Miſce, fiat hauſtus.

Sæpe quoque de die hujus conditi particulam comedit:

℞. Speciet. diatrium ſantalorum, & liberantium, cornu cervi uſti, terræ ſigillatæ, an. ſcrup.j. Diaſcordii Fracaſtorii, drach. ij. Conſervæ roſarum rubr. myvæ cydoniorum, an. unc.ſ. Syrupi granatorum, acid. q.ſ. Miſce, fiat conditum.

Veſperi hic pulvis exhibitus eſt:

℞. Coralli rubri præparati, cornu cervi uſti, an. ſcrup.j. lapidis bezoar orient. ſcrup. ſ. Croci orient. gr.iij. Fiat pulvis.

His remediis, poſtquam ſex ſeptemve turbidos & liquidos ſeceſſus habuiſſet, ſubſtitit alvi fluxus. Quinta die febris aliaque ſymptomata multùm imminuta erant, & tumor ſub axilla aliquantum increverat. Continuatum eſt in uſu conditi, & circa veſperam hunc bolum deglutivit:

℞. Diaſcordii Fracaſt. theriacæ Andr. Confect. de hyacintho, an. ſcrup.j. Fiat bolus in folio auri.

Sexta die morbus in eodem ſtatu permanſit: bis illa die aliquantulum juſculi bibit, & circa noctem prædictum bolum aſſumpſit. Septima die febris cum anxietate totaliter evanuit, & æger cum majore appetitu comedere cœpit. Etiam carbunculus à ſana carne ſeparatus fuit, tumor autem ſubaxillaris paulatim diſparuit, atque ita hic æger, qui jamjam de naulo rationem cum Charonte initurus putabatur, priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit.

Annotatio. Et Scyllam & Charybdim, periculoſiſſimos ſcopulos, (vomitum puta & alvi fluxum) abſque naufragio feliciter tranſivit hic æger; quæ felicitas paucioribus contigit: nam multi in alterutrum tantum ſcopulum impingentes, vitæ naufragium fecerunt. Ad vomitum compeſcendum prædictâ miſturâ, interdum hoc illove modo aliquantulum immutatâ, unà cum adjuncto linimento ſæpiſſime fœliciter uſus ſum; ac multoties obſervavi, ſi his duobus remediis non ſiſteretur vomitus, eundem plerumque lethalem fuiſſe, nec ullis mediis cohiberi potuiſſe.

Hiſtoria 90. Catharina Guilhelmi, mulier robuſta, potatrix, imperterrita, quæ paſſim ægrotis peſte laborantibus (maximè inter milites) inſerviebat, menſe Septembri, cùm peſtiferum quendam viſerem, cui ipſa aderat, monſtravit ſe carbunculum in brachio, non longè ſupra carpum, habere; verùm alioqui ſe reliquo corpore bene valere, dicebat. Juſſi ut hunc bolum cum hauſtu vini aſſumeret:

℞. Florum ſulphuris, ſcrup.i.ſ. Camphoræ gr.iv. Theriacæ, ſcrup.iv. Miſce, fiat bolus.

Hunc ſumpſit circa veſperam, & cùm illâ nocte bene ſudâſſet, nihil mali ampliùs ſenſit, & ſequenti mane tantùm ſpiritus vini rurſus bibit, ut illam ebriam invenirem. Carbunculum ſolis foliis braſſicæ rubræ oleo raparum inunctis percuravit.

Annotatio. In principio hujus peſtis varios ex iis qui ægrotis peſtiferis inſerviebant, contagio infectos, & multos etiam mortuos fuiſſe, vidimus; poſtea verò cùm morbus incrementa ſumeret, pauciores; cùm verò maximo furore debaccharetur, ferè nullos infectos, vel ſaltem mortuos, & qui inficiebantur, minus laſos fuiſſe obſervavimus. Hujus rei cauſa triplex eſſe poteſt. 1. Quod in principio peſtis plurimi quæſtus gratia illud munus facilè ſuſcipiant, inter quos multi ſunt qui propter diſpoſitionis aptitudinem facil contagio inficiuntur & moriuntur: quibus ſublatis, poſtea tantùm ſuperſtites remanent tales qui non habent illam diſpoſitionis aptitudinem; qui propterea à peſte vel plane non, vel minùs graviter afficiuntur. 2. Quòd tales homines plerumque audaces & temerarii ſint, nec ullo periculi metu terreantur: præſentem autem animum in præſervatione à peſte plurimùm valere, ipſa experientia docet. 3. Quòd horum hominum natura, licèt fortè in principio ad peſtem ſuſcipiendam complexionis ratione aliquantum diſpoſita ſit, tamen longa conſuetudine veneno peſtilenti ſic paulatim aſſueſcat, ut ab eodem poſtea minùs affici queat. Illud impoſſibile non eſſe, docent alia venena; quibus natura paulatim ita aſſueſcere poteſt, ut tandem nihil noceant. Sic Galenus lib.3. de ſimpl. medic. facult. cap.18. refert anum quandam Athenienſem ab exigua cicutæ potione auſpicatam, poſtea nullo detrimento ad magnam copiam progreſſam fuiſſe. Nota quoque eſt hiſtoria (quam ex Ruffi teſtimonio deſcribit Avicenna) de elegantis formæ puella, quæ venenis nutrita Alexandro Magno dono miſſa fuit. Ita Cœlius Rhodiginus lib.11. Lect. Antiq. cap.15. narrat Coloniæ Agrippinæ puellam fuiſſe quæ araneas ſine damno devorabat: etiam nos novimus juvenem qui ab ipſa pueritia araneas comedere aſſuetus eſt, idque ſine ulla noxa. Hæc conſuetudo, imprimis accedente aliqua diſpoſitionis aptitudine, tantum valet, ut nonnulla corpora à veneno peſtilenti inſuperabilia eſſe videantur; quod liquit ex hiſtoria iſtius execrandi veſpillonis, qui cadaver virginis peſte mortuæ horribili ſcelere inivit, nulla inde noxa contracta, cujus mentionem fecimus *lib.3. cap.3. annot.22.*

Hiſtoria 91. Michaël N. ſartor primarius, in Arcis platea habitans, 26. Octobris peſtilenti contagio infectus eſt, cum tumore in inguine, anthrace in brachio, parva febricula, & maxima anxietate. A primo ſudorifero nullum levamen ſecutum; nec bubo adauctus eſt. Neque à ſecundo alexipharmaco, quod circa veſperam aſſumpſit, mutatus eſt morbus. Buboni impoſitum eſt veſicatorium, anthraci verò pulticula noſtra ad carbunculos. 27. Octobris febricula in febrem vehementem tranſiit, cum magna ſiti, & maximo delirio: æger vociferabatur, per cubiculum diſcurrebat, (nam vires adhuc conſtabant) multas res non præſentes ſe in cubiculo videre ſibi imaginabatur, aliaque ſimilia delirantium acta agebat. Rurſus ſumpſit alexipharmacum; ſed propter inquietudinem ſudare non potuit: topica tumori & anthraci impoſita abjecit: etiam bubo rurſus diſparuit. Sequenti die delirium in furorem verſum eſt. 29. Octobris prodierunt exanthemata purpurea, victoris morbi trophæa, & mortis advenientis præcones.

Annotatio. Malum ſignum erat, à primis duobus alexipharmacis non allevari ægrum: pejus,

febrem augeri, & delirium continuum accedere; (quæ duorum principalium, nempe vitalis & animalis, facultatum graviſſimam afflictionem indicabant;) peſſimum, bubonem evaneſcere & exanthemata prodire.

Hiſtoria 92. Filiolus Domini Benthem. Juriſconſulti & Collegii Deputatorum Secretarii, peſte correptus, eandem contagio matri, quæ illum lactabat, communicavit: quæ, cùm inde primò carbunculum in mamma contraxiſſet, itatim aſſumpto alexipharmaco fortiter ſudavit, & à ſudore tumor in parotide poſt aurem ſiniſtram prodiit, qui brevi tempore magnitudine pugni intumuit, non tamen durus fuit, ſed mollis, inſtar tumoris flatulenti vel aquoſi. Sequenti die cùm tumor ille adhuc plurimùm increviſſet, ſervando iſtam mollitiem, & jam totum ferè collum occuparet, nec à ſecundo ſudorifero quicquam mutaretur morbus, inſtantis mali præſagium feci, quamvis adjuncta febris non admodum vehemens eſſe videretur. Dictum confirmavit mors.

Annotatio. Obſervavimus quoslibet tumores molles ſubitò, inſtar tumoris flatulenti, in magnam molem excreſcentes, ſemper exitiales & ſiniſtri ominis fuiſſe: tumores verò duros qui lentiùs increſcebant, & duritiem illam aliquandiu ſervabant; melioris judicii extitiſſe.

Hiſtoria 93. Johannes Pauli, Senatus Noviomagenſis Scabinus, peſte cum bubone correptus, cùm varia exhibita alexipharmaca nihil profuiſſent, tandem die quarto de raucedine quadam ac levi gutturis interni dolore (qui abſque ullo tumore erat) conqueſtus eſt; è quo ſigno, quamvis alia valde gravia ſymptomata morbo non adeſſent, illum brevi moriturum prædixi; quod præſagium eventus probavit.

Annotatio. In hac peſte omnes illi, quibus talis gutturis interioris dolor abſque tumore ſuperveniebat, mortui ſunt.

Hiſtoria 94. Dominus Schievelberch, Verbi divini Miniſter, vir ſolidè doctus ac pius, ſed valde meticuloſus, qui peſtem diu metuerat, tandem contagioſa labe infectus fuit, cui ſe adjunxit febris unà cum ſumma anxietate. Prima die circa veſperam hoc alexipharmacum exhibui, à quo optimè ſudavit, & bubo in inguine prorupit.

℞. Extracti angelicæ, & rutæ, an. ſcrup. j. Salis abſinthii, ſcrup.j.ſ. theriacæ, diaſcordii, an. drach.ſ. Aquæ theriacalis, aceti bezoartici, an. unc. j. Miſce, fiat potio.

Poſtridie mane idem ſudoriferum reiteratum eſt, à quo rurſus fortiter ſudavit, ſed abſque levamine. Buboni impoſitum fuit veſicatorium, & detractâ veſicâ folium braſſicæ rubræ oleo raparum inunctum. Pro potu utebatur hoc julebo:

℞. Aquæ Cardui bened. lib.j. Scabioſæ, & acetoſæ, an. lib.ſ. Succi citri recentis, unc. j. ſ. Syrupi de limon. unc.ij. Olei ſulphuris, q. ſ. Fiat juleb.

Sæpius de die particulam hujus conditi comedit:

℞. Pulveris liberantis, drachm.j. Diaſcordii Fracaſtorii, drach. ij. Cortic. aurantiorum condit.& citri condit. rob. ribeſii rubri, an. drach.iij. Confect. de hyacintho, drach.j. Syrupi acetoſitatis citri, q.ſ. Fiat conditum.

Veſperi hunc pulverem præſcripſi, cum pauco julebi miſcendum & aſſumendum:

℞. Lapidis bezoar orient. ſcrup.ij. Florum ſulphuris, ſcrup.ſ. Croci orien. gr.iv. Fiat pulvis.

Tertia die, cùm febrem magis ingraveſcere, & bubonem nihil in altum attolli animadverterem: tale ſudoriferum parari curavi.

℞. Radic. angelicæ, dictamni, petaſitidis, & helenii, an. drachm.j. Herbar. rutæ recentis & viridis, ſcordii, & Cardui bened. ſicci, an. M.ſ. Cortic. citri, & aurantiorum ſic. an. drachm.j. Sem. cardui, acetoſæ, & citri, an. ſcrup ij. Aquæ communis, q.ſ. Fiat decoctio ad lib.j.

℞. Colaturæ, unc.ii.ſ. Theriacæ, diaſcordii, an. ſcrup. ij. Salis cardui, ſcrup. j. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Hinc copioſiſſimè ſudavit cum manifeſto levamine. Tota die uſus fuit de ſuo condito. Etiam aliquantum juſculi ſorpſit. Buboni impoſitum fuit cataplaſma:

℞. Rad. liliorum albor. unc.ij. Herb. altheæ, flor. chamomillæ, an. M.j. ficuum ping. num.9. Coquantur in aquæ communis q. ſ. piſtentur in mortario, tunc adde fimi columbini, unc.i.ſ. Fermenti acidi, unc.j. Farinæ tritici, drachm.vj. & lini, unc.ſ. Mellis, unc.j. Axungiæ anatis, olei anethini, an. drach.vj. Fiat ſ. art. cataplaſma.

Veſperi reiteratus fuit præcedens pulvis. Die quarta, morbo in eodem ſtatu permanente, eadem acta ſunt quæ pridie. Die quinta mane, cùm poſt aſſumptum ultimum ſudoriferum rurſus copioſiſſimè ſudâſſet, magnum levamen percepit, febris remiſſior fuit, neque anxietas adeò gravis ut antè, bubo etiam multùm increvit. Tunc petiit ut ſordida & ſudore madentia linteamina ipſi mutare liceret, quod curioſiſſimè prohibui. Ille tamen poſt meum diſceſſum fœtoris ſudorem pertæſus, induſium nitidum bene calefactum abjecto ſordido induit. Hæc mutatio paulò pòſt maximam quoque morbi mutationem induxit, ſcilicet in pejus, nam febris recruduit, & tanta anxietate oppreſſus fuit æger, ut quò ſe verteret, neſciret; & quamvis vires hactenus mediocriter conſtitiſſent, tamen hoc grave febris incrementum breviſſimo tempore illas penitus dejecit, & ægrum tantopere afflixit, ut die ſexta vitæ ſatur mortis imperio ſe ſubjecerit.

Annotatio. Hujus ægri curatio feliciter pro tempore cedebat: & niſi hac induſii mutatione peccatum fuiſſet, procul dubio à morbo citò evaſiſſet: tantum potuit hic parvus error, de quo alibi latiùs egimus.

Hiſtoria 95. N. Majus, Scholæ trivialis Conrector, peſte cum ſumma anxietate correptus eſt, cui magna febris ſtatim comes acceſſit. 6. Septembris hoc ſudoriferum exhibui:

℞. Extracti cardui, ſalis abſinthii, an. ſcrup.j. Diaſcordii Fracaſt. drach j. Confect. de hyacintho, ſcrup.j. Camphoræ, gr.iij. Aquæ theriacalis, aceti calendulati, an. drach.vi. Miſce, fiat hauſtus.

Hinc fortiter ſudavit cum aliquo levamine, & bubo in inguine prodiit, cum duobus carbunculis, altero in femore, altero in brachio. Sæpe de die cochleare hujus miſturæ ſumpſit:

℞. Conſervæ roſarum rubr. rob. ribeſii rubr. an. unc.ſ. Diaſcordii, drach.iſ. Aquæ theriacalis, unc. iij.ſ. Succi limonum, unc.j. Aquæ cinnamomi.

momi, drach. iij. Miſceantur, & colentur, adde colaturæ Confect. de hyacintho, drachm. j. Miſce.

Ad ſitim utebatur cereviſiâ tenui cum pauco olei ſulphuris acidulatâ. Circa veſperam febris multùm exacerbata fuit. Reiteratum eſt prius ſudoriferum: ſudavit abſque levamine: totam noctem cum maxima anxietate & inquietudine tranſegit. Poſtridie vires ad extremum proſtratæ erant, & lingua nigricabat. Datum eſt alexipharmacum, quod evomuit: interdum aliquantum de prædicta miſtura bibit: alia medicamenta aſſumere non potuit. Febris eadem vehementia uſque ad ſequentem diem continuavit, nec quicquam increvit bubo: poſt meridiem in cute viſa ſunt exanthemata purpurea, & paulo pòſt mortuus eſt.

Annotatio. Quibus febris magnâ vehementiâ primo biduo perdurabat, nec primis alexipharmacis imminuebatur, illi plerique moriebantur, & ut plurimùm mortis prænuncia in talibus præcedebat linguæ nigredo.

Hiſtoria 96. Michael Krieckman, peſte cum diarrhœa lethali laborabat, cumque ipſum brevi moriturum prædixiſſem, cognatus ejus Bernhardus Suyderdijck, eques fortis, avunculum ſuum ante mortem adhuc ſemel inviſere voluit, horâ circiter decimâ matutinâ: quapropter cùm adhuc jejunus eſſet, priùs jentaculum ſumpſit, & hauſtum cereviſiæ ſuperbibit, atque ita bene ſanus, & contra peſtem egregiè (ut putabat) munitus, avunculi ædes ingreſſus eſt: ægri autem cubiculum intrare volens, caſu ipſi occurrit ancilla pelvim ferens in qua æger alvum exoneraverat. Ille ſtatim à maligno & contagioſo illorum excrementorum fœtore adeò percuſſus fuit, ut ſubitò inſtar apoplectici in terram conciderit, atque intra horæ quadrantem exſpiraverit.

Annotatio. Valde venenatus & malignus debuit fuiſſe ille excrementorum vapor, qui hominem robuſtum tam citò dejecit, atque è medio ſuſtulit. Fortaſſis præter diſpoſitionis peculiarem aptitudinem, illud etiam ad ſubitam hanc infectionem fecit, quòd tetricis illis vaporibus minùs aſſuetus fuerit; atque ea de cauſa hæc venenata ſpicula ipſum magis ferierint, quæ tamen iis aſſuetos, qui ægris peſtiferis inſerviunt, minùs lædunt. Hujuſmodi ſubitas mortes ſe etiam vidiſſe teſtantur, Valleriola, Salius, Gemma, & alii. Vide lib. i. cap. ii. annot. i. Zacutus Luſitanus, *Prax. Admir. lib. 3. obſerv 43.* refert ſe cuidam peſtifero venam ſecari juſſiſſe, è quâ apertâ ſanguis horrendum in modum fœtens effluxit, quo fœtore tres miniſtri propiùs aſtantes infecti, & veluti ſiderati ſubitò occubuerunt, atque animam efflârunt. Hujuſmodi obſervationes ſatis docent peſtem abſque febre hominem enecare poſſe; quæ difficultas graviter torquet illos qui febrem à peſte inſeparabilem, & de peſtis eſſentia eſſe ſtatuunt: ac propterea videntes nonnullos citiſſimè exſpirare, antequam inflammationi & putredini faciendæ tempus detur, ut nodum hunc diſſolvant, dicunt, illud fieri quia putredo non eſt in ipſo corde, ſed extra vaſa. Atque ita putant ſe inſigniter nodum hunc extricâſſe, cùm tamen hoc modo in totum concedant, peſtem fieri, eſſe, & accidere poſſe ſine febre, ſcilicet cùm putredo eſt extra vaſa; quaſi verò venenum peſtilens extra vaſa remanens neque cor attingens, hominem tam citò extinguere poſſit.

Hiſtoria 97. Johannes ab Haeſten, qui in Molarum platea decumbebat, 1. Septembris peſte correptus, propriam urinam bibit. Poſtridie ipſum inviſi. Febricitabat, dolorem abſque tumore in inguine ſentiebat, & ſummâ anxietate torquebatur. Exhibui hoc alexipharmacum:

♃. Diaſcordii Fracaſt. drach. j. Confect. de hyacintho, Salis abſinthii, an. ſcrup. j. Extracti Cardui bened. ſcrup. j. ſ. Aquæ Cardui bened. & theriacalis, an. drach. vi. Olei vitrioli gut. xi. Miſce, fiat hauſtus.

Hinc fortiter ſudavit cum maximo levamine, cumque poſt ſudorem mediocriter valeret, toto biduo nullum medicamentum aſſumere voluit. 5. Septembris vehementiſſima febris rurſus invaſit, cum ſumma anxietate, ſiti, & atrociſſimo capitis dolore. Tunc prius ſudoriferum reiteratum eſt, à quo cùm rurſus magno cum levamine (bubone tamen nondum prodeunte) ſudâſſet, rurſus medicamentorum uſum continuare noluit. 7. Septembris ſummo mane febris iterum magnâ violentiâ recruduit. A primo ſudorifero rurſus copioſiſſime ſudavit, verùm abſque levamine. Circa meridiem enormis vomitus acceſſit, quem aliquo modo ſedavimus ſequenti topico ventriculi regioni inuncto:

♃. Theriacæ Androm. drachm. j. Olei nucis moſcatæ, ſcorpionum, an. ſcrup. ij. Juniperi, ſuccini, an. ſcrup. ſ. & cariophyllorum, gut. ij. Miſceantur.

Poſt meridiem tali alexipharmaco uſus eſt:

♃. Confect. de hyacintho, ſalis ſcordii, extracti cardui, & rutæ, an. ſcrup. j. Salis abſinthii, ſcrup. ſ. Mithridatii, diaſcordii, an. ſcrup. ij. Aquæ theriacalis, aceti bezoartici, an. unc. j. Miſceantur pro hauſtu.

Hunc quidem retinuit, ſed vix ſudare potuit. Vires hoc die valde collapſæ ſunt. Circa noctem hunc bolum deglutivit, cùm propter debilitatem nihil aliud aſſumere poſſet:

♃. Lapidis bezoar orient. extracti angelicæ, & cardui, an. ſcrup. ſ. Confect. de hyacintho, theriacæ, an. ſcrup. j. Fiat bolus involvendus folio auri.

8. Septembris mane, cùm rurſus paulò alacrior eſſe videretur, tale ſudoriferum præſcripſi:

♃. Theriacæ, diaſcordii, an. ſcrup. ij. Trochiſcorum viperinorum, ſcrup. i. ſ. Salis abſinthii, extracti cardui, an. ſcrup. j. Aquæ theriacalis, unc. j. Succi citri, unc. ſ. Miſce, fiat hauſtus. Sudavit, ſed nihil imminuta eſt febris. Etiam obſcurus in inguine tumor perceptus eſt; cui ſtatim veſicatorium imponi curavi. Ad virium corroborationem ſæpius de die cochleare hujus miſturæ ſumpſit:

♃. Rob. ribeſii rub. conſervæ roſarum rubr. an. unc. ſ. Aquæ theriacalis, unc. iij. Acetoſæ, ſcabioſæ, & roſarum, an. unc. ſ. Succi citri recentis, aquæ cinnamomi, an. unc. j. Miſceantur & colentur, adde colaturæ Confect. de hyacintho drach. j. & alchermes, drach. ſ. Miſce.

Pro potu ordinario utebatur cerviſiâ tenui cum oleo ſulphuris acidulatâ. Circa veſperam hic bolus præſcriptus eſt:

℞. Lapidis bezoar orient. gr. xiii. croci orient. gr. iv. confect. de hyacintho, theriacæ, an. ſcrup. j. Fiat bolus in folio auri.

His non obſtntibus, febris, anxietas & capitis dolor, magis ingravata ſunt. Poſtridie lingua tumida & nigricans viſa eſt; dolor quoque in gutture adfuit. Circa meridiem exanthemata purpurea mortis inſtantis nuncium tulerunt.

Annotatio. Peſſimè & cum ſuo exitio hic æger alexipharmacorum uſum bis intermiſit; à quo in curatione peſtis non antè deſiſtendum, quàm venenatus hoſtis planè evictus vel expulſus fuerit; neque illi fidendum, cùm inducias concedit; nam etiam tunc graviores ſtruit inſidias, ut collectis viribus, ex improviſo, majore inſultu vitalitatis arcem invadere & obruere poſſit.

Hiſtoria 98. Petrus de Cranenburch, famulus ruſtici in Cervina platea habitantis, graviter peſte laborans, carbunculum ſub mento, & bubonem in inguine habuit, aderatque ſimul febris cum maxima anxietate & debilitate. Poſt multa aſſumpta alexipharmaca febris quidem multùm remiſit, ſed tamen æger in ſummæ debilitatis ſtatu per quatuordecim dies remanſit, quo temporis intervallo etiam ad virium reſtaurationem vix ullis cibis uti potuit. Interea cataplaſmatibus attrahentibus & maturantibus bubo ad maturationem perductus, atque à Chirurgo inciſione apertus fuit. Verùm anthrax ſub mento maximam moleſtiam induxit, non obſtantibus enim quibuslibet optimis præſidiis à nobis adhibitis, quotidie magis magiſque limites ſuos in vicinas partes extendit, atque inſtar ſphaceli deorſum versùs pectus ſerpendo, integræ manus expanſæ latitudinem acquiſivit: atque tunc demum circulo facto, ejus ſeparatio in vicinis partibus incœpta eſt, quæ topicorum auxilio multùm adjuta fuit; ac tandem adeò magna mortificatæ carnis pars excidit, ut totum mentum ſubtus, & magna quoque aſperæ arteriæ pars planè nuda conſpiceretur. Ulcus poſtea inſtar aliorum ulcerum paulatim percuratum fuit, & æger, de cujus vita diu deſperaveramus, poſt ſextam ſeptimanam integræ ſanitati reſtitutus rurſus foras prodiit.

Annotatio. Menſe Aprili alium magnæ molis carbunculum in collo cujuſdam militis, uſque ad claviculam ſe etendentem vidimus, à quo aſpera arteria etiam denudata fuit, ſed nunquam animadvertere potuimus carbunculos ipſius aſperæ arteriæ ſubſtantiam invaſiſſe. Carbunculorum etiam in aliis partibus interdùm horrendam magnitudinem conſpeximus. In uxore cujuſdam Signiferi anthracem vidimus, qui femori interioris circiter tertiam partem occuparet, atque inde uſque ad interfeminium & medium clunem ſe extenderet, à quo tamen ſanata fuit. Filio Lubberti Wolff bipenniferi carbunculus totam ferè ſcapulam dextram occupaverat. Ancillæ piſtoris cujuſdam prope portam molarem habitantis, anthrax inferioris ventris quartam circiter partem obſederat, & uſque ad pudendi labia ſe extenderat. In Cornelio Chirurgo lethalis carbunculus à coſtis ſpuriis deorſum versùs per totos lumbos deſcenderat. Palmarius refert ſe quoque tantæ molis carbunculos vidiſſe, qui ſolo intuitu Medicos terrerent. Paræus lib. 21. cap. 23. teſtatur ſe etiam hujuſmodi maximos carbunculos non ſemel vidiſſe: Animadverti (inquit) carbunculos qui eſcarâ ſuâ medium ferè dorſum occuparent: alios qui clavículas ſurſum gulam versùs ſpectantes, ſubtenſam ipſis carnem adeò exederent, ut trachea arteria nuda conſpiceretur. Mihi obortus aliquando carbunculus qui medium epigaſtrium occupabat, adeò ut delapsâ eſcarâ peritonæum nudum oculis ſe videndum præberet, relicta cicatrix manus palmam æquat. Similes horrendæ magnitudinis carbunculos etiam vidit Foreſtus, *lib. 6. obſerv. 12. 13. & 25.*

Hiſtoria 99. Vidua nobilis viri Daps, cùm ſe multa deambulatione fatigâſſet, & hinc multo ſudore perflueret, internum quendam ardorem ac cordis anxietatem ſenſit, quâ intra parvum tempus multùm adauctâ, aliquoties animi deliquium paſſa fuit, & acrem dolorem externum in medio pectore ſenſit, eo nempe loco, quo amuletum arſenicale nudo pectori impoſitum gerebat: cùm autem denudato pectore locum inſpexiſſet, ibidem nonnullas exiguas nigricantes puſtulas animadvertit, unde ſe peſte laborare exiſtimans, meum conſilium ſtatim expetiit. Vidi ab acrimonia & virulentia amuleti, ſudore madentis, in media oſſis ſterni regione puſtulas illas ſummæ cuti inuſtas eſſe, atque ab eadem quoque cauſa magnam debilitatem, internum ardorem, cordiſque anxietatem productam fuiſſe. Quapropter abjecto amuleto hoc antidotum exhibui, à quo egregiè ſudavit.

℞. Extracti rutæ, & angelicæ, ſalis ſcordii, an. ſcrup. j. theriacæ, drach. j. aquæ theriacalis, unc. j. ſ. Miſce, fiat hauſtus.

Puſtulæ hoc unguento ter quaterve de die inunctæ, intra biduum ſanatæ ſunt:

℞. Theriacæ Androm. drach. j. ſ. olei ſcorpionum, & laurini, unguenti alabaſtrini, an. drach. ii. Miſceantur.

Poſt copioſum ſudorem prædicta ſymptomata maxima ex parte evanuerunt: ut tamen veneni reliquiæ penitus extinguerentur, per aliquot dies mane, meridie, & veſperi particulam hujus antidoti ſumpſit:

℞. Pulveris liberantis, drach. j. theriacæ, diaſcordii, an. drach. j. ſ. confect. de hyacintho, ſcrup. ii. corticum aurantiorum condit. & citri condit. rob. ribeſii rubri, an. drach. iii. ſyrupi de limonibus, q. ſ. Fiat conditum.

His paucis remediis ab imminenti periculo liberata fuit.

Annotatio. Qui amuleta ex arſenico, ſublimato, aliiſve venenis confecta ad præſervationem circumferunt, haud meliùs ſibi conſulunt, quàm cives imprudentes, qui ut magnum aliquem hoſtem ab urbe repellant, alium non minùs pernicioſum in auxilium vocant, qui dum ipſi mœnium defenſio committitur, datâ aliquâ occaſione, urbis penetralia ex improviſo occupat, & auxiliandos cives auxiliaturus miſerrimè ſupprimit. Quod ex prædicta hiſtoria manifeſtè liquit, nam à ſudore aliquantùm diſſolutâ amuleti venenatâ ſubſtantiâ, & à calore apertis corporis poris, ſtatim hac oblatâ occaſione defenſivum amuletum offenſivos ac virulentos aculeos intus ad cor, vitæ fontem, tranſmiſit. Quàm periculoſa igitur ſint hujuſmodi

modi amuleta, ſatis apparet, non tantùm ex hac hiſtoria, verùm etiam ex illa quam refert Franciſcus Alphanus, de juvene amuleto arſenicali munito, qui cùm in ſphæriſterio pilæ luſu defatigatus multùm ſudâſſet, ſubitò corruit, & confeſtim extinctus eſt. Huic quoque non multùm abſimilem hiſtoriam refert Maſſaria, lib. 2. de Peſte: qualem etiam nos ſuprà deſcripſimus, hiſtoria 44. Taceant igitur quotquot talia fallacia & pernicioſa amuleta tanquam Deorum dona commendant, hominibus obtrudunt, ac magno ære divendunt.

Hiſtoria 100. Uxor Lamberti de Schermbeeck, peſte correpta cum febre & magna anxietate, nullum externum peſtis ſignum habuit. Die morbi quarto (poſtquam quatuor ſudorifera jam antè exhibita; & ſudores feliciter promoti eſſent) totum corpus phlegmonoſo quodam rubore ſuffuſum, & exiguis puſtulis, non majoris quàm milii ſeminis magnitudinis, obſitum fuit. Hinc anxietatem multùm levatam fuiſſe ſenſit. Verùm ægra ſudoris fœtorem faſtidiens, me neſciente induſium mutavit, & ſordido abjecto aliud nitidum induit, quod tamen prohibueram. Hinc protinus evanuit tota illa corporis rubedo, & puſtulæ quaſi exſiccatæ ſubſederunt: febris acutiſſima cum maximis anxietatibus & capitis doloribus acceſſit, quæ ægram intra ſex horas jugulavit.

Annotatio. Rariùs peſtilens febris tali modo criticè ſolvebatur; quibus verò id contingebat, illi evadebant, dummodo ſibi ipſis non obeſſent, ſicut fecit hæc ægra, quæ materiam morbificam à centro ad cutem laudabiliter expulſam, ſuâ culpâ (intempeſtivâ nempe induſii mutatione & aëris frigidi admiſſione) rurſus introrſum ad nobilia viſcera exitialiter repulit. Similem criſin etiam vidimus in filia N. ab Uden, Cerviſiarii in fabrorum ferrariorum platea habitantis, cui poſt factam criſin adhuc duo ſudorifera dedimus; eamque in continuo calore & levi ſudore per aliquot dies continuimus, atque ita paulatim evanuit inflammatorius ille cutis rubor, ac puſtulæ exſiccatæ ſunt, & ægra totius corporis cuticulam mutavit, & præter omnium opinionem è maximo periculo evaſit.

Hiſtoria 101. Thomas à Kalckberch, Colonienſis, peſte cum magna febre correptus, à primo ſudorifero carbunculum in pectore ſub mammilla dextra, & obſcurum tumorem in inguine percepit, qui tumor à tribus ſequentibus ſudoriferis nihil adauctus eſt. Tertia morbi die æger de murmure in inteſtinis & aliquo ventris dolore conqueſtus eſt, quem non diu pòſt diarrhœa lethalis inſecuta fuit, cum qua ſtatim evanuit bubo, & æger intra octo horas obiit.

Annotatio. Quibus alvi fluxus in peſte ſuperveniebat, illi maximè periclitabantur, & eorum pauciſſimi evadebant. Illud ipſum quoque olim ab Hippocrate obſervatum fuiſſe legimus, nam lib. 3. epidem. text. 57. agens de Peſte, inquit: Qui longis morbis vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipuè mortui ſunt, cunctos namque venter ſuſtulit. Ubi per ventris vitium, alvi fluxum intelligendum eſſe, patet ex commentario Galeni ad eundem locum: Et peſtis quoque illa longiſſima, (*inquit*) quæ noſtra ætate vulgata eſt, ex iis quæ per alvum evacuabantur, & omnes propè peremit: quæ evacuabantur erat colliquatio.

Hiſtoria 102. Petrus ab Aſperen, vitriarii famulus, cùm bubonem jam incipientem in inguine ſentiret, malum celavit, & ſtatim ad me veniens aliquid conſilii petiit. Juſſi ut hunc bolum deglutiret, vel cum pauxillo vini calidi miſtum biberet, & hauſtum vini calefacti ſuperbiberet, atque ita ſe ad ſudandum componeret:

℞. Theriacæ Androm. ſcrup. iv. florum ſulphuris, ſcrup. ij. Camphoræ, gr. iv. Olei juniperi, & ſuccini, an. gut. v. Miſceantur pro bolo.

Poſtridie ad me reverſus, dicebat ſe ferè per totam noctem ſudaſſe, atque bubonem planè evanuiſſe, nec quicquam mali ſe ampliùs ſentire.

Annotatio. Non omnibus illa, quæ huic ægro, contigit felicitas, ut unico medicamento peſtilens venenum tam citò extingueretur & expelleretur; quod in plurimis aliis vix ullo antidotorum auxilio evinci potuit. Hujus varietatis triplex cauſa ſtatui poteſt. 1. Diverſa quantitatis & qualitatis veneni magnitudo. 2. Diſpoſitionum varietas. 3. Imprimis tempeſtivus vel ſerus medicamentorum uſus. Morbi enim malignitas nullas dat inducias, ac proinde exiguum venenum, etiam in corpore non valde diſpoſito, paulatim vires acquirit, niſi tempeſtivo medicamentorum uſu coërceatur. Illud etiam in Peſte Delphica obſervavit Foreſtus: Fruſtra (*inquit*) ferè ſemper omnia auxilia adhibebantur, ſi malum diem naturalem fuiſſet tranſgreſſum: id quod experientiâ, proh dolor! vidimus, & pro compertiſſimo habuimus; niſi fortaſſe in quibuſdam corporibus tam levis fuiſſet facta impreſſio, aut tam fortis eſſet virium facultas, ut etiam poſt illud tempus quidam, ſed valde pauci, ſanati fuerint.

Hiſtoria 103. Nobiliſſimus vir Didricus à Welderen, Dominus de Leeuvvenburgh, fratre ſuo unà cum ſorore peſte extincto, venenatum contagium etiam hauſit, quod circiter per tres menſes circumtulit, antequam manifeſtis indiciis ſe proderet: quibus menſibus modò de gravativo capitis dolore, modò de totius corporis laſſitudine, modò de debilitate corporis, modò de inappetentia, aliiſque ſimilibus malis, & toto ferè tempore de cordis anxietate conqueſtus eſt. Ut ſanitati ſuæ meliùs conſuleret, meo conſilio ſtatim poſt mortem ſororis ſuæ (uxoris nobiliſſimi ac ſtrenuiſſimi viri D. de Wijnbergen, legionis Præfecti) aërem mutavit, & relictis omnibus rebus ſuſpectis, extra urbem ad pagum Bemmel in caſtellum Domini de Wolfferen ſe contulit. Ubi cùm circiter per decem hebdomadas vixiſſet, continuum antidotorum præſervantium uſum nunquam intermittens, & tamen prædicta ſymptomata paulatim magis magiſque increſcerent, imprimis verò anxietas & virium debilitas, tandem Noviomagum conſilium meum petiturus reverti coactus eſt. Hic cùm ob mali venenati ſuſpicionem alexipharmacum ſudoriferum unum aut alterum ipſi exhibuiſſem, prodiit in inguine bubo peſtilens, verus diu latitantis hoſtis nuncius, qui primo biduo aliquantùm adauctus eſt, & deinde poſt exhibita adhuc aliquot convenientia antidota, impoſitione ſolius emplaſtri tacamactici noſtri magiſtralis, paulatim abſque maturatione eva-

nuit, atque ita æger ab interno illo venenato hoſte feliciter liberatus fuit; à cujus tamen diuturniore contubernio ventriculum debilitatum diu retinuit, quem poſt aliquot deinde menſes, exhibitis duobus vomitoriis, aliiſque calefacientibus, detergentibus & corroborantibus medicamentis, ad conſuetum ſanitatis ſtatum reduximus. Notandum etiam hunc prædictum Dominum toto illo tempore, quo venenum peſtilens in corpore ipſius latuerat, uſque ad perfectam ſanationem, nulla manifeſta febre correptum fuiſſe.

Annotatio. Hanc hiſtoriam tanquam rariſſimam hic annotare placuit; nam vix unquam creditum fuiſſe arbitror, venenum peſtilens tanto tempore in corpore humano latere poſſe antequam gravioribus indiciis ſe prodat. Plurimi magni Medici illud duntaxat per aliquot horas, vel ad ſummum per ſex ſeptemve dies in corpore occultum latere poſſe ſentiunt: ejuſque rei exempla ſe in praxi vidiſſe teſtantur, Octavianus Roboretus, de febre petec. cap.19. Felix Platerus, praxeos tract.2. cap.2. Daniel Sennertus, praxeos lib.6. part.3. cap.3. ut & lib.4. de febrib. cap.3. Guilh. Fabr. Hildanus, cent.2. obſervat. 34. Verùm nullus hactenus illud per menſes latuiſſe, ante nos (quod ſcio) obſervavit. Hujus rei rationes fuſiùs inquiſivimus *lib.1. cap.10. annot.8.*

Hiſtoria 104. Cum N. van de Wart, Telonarius, peſte mortuus eſſet, uxor ejus maximâ triſtitiâ affecta fuit, atque longo tempore mariti mortem planxit, nec ullo modo cordolium illud à ſe rejicere potuit: cui triſtitiæ etiam propriæ mortis imaginatio acceſſit, quam adeò firmiter animo ſuo impreſſit, ut ſe peſte brevi tempore morituram, certò imaginaretur. Ea de cauſa teſtamentum conſcripſit, & de omnibus quæ poſt mortem fieri vellet, pro beneplacito ſuo diſpoſuit. His aliiſque hujuſmodi rebus aliquot dierum ſpatio peractis, tandem mihi & proximis ſuis conſanguineis dixit ſe jam brevi morituram; & præeuntem maritum ſecuturam. Hanc triſtem & firmiſſimam imaginationem paulò pòſt inſecuta eſt peſtis, quæ, cùm nullo remediorum genere (etſi ſatis multa adhiberentur) mitigaretur, quarta morbi die præſagium ægræ mortifero ſigillo ſubſignavit.

Annotatio. Triſtitiam multùm facere ad peſtis inductionem, hoc triſti tempore triſtia multorum exempla ſatis docuerunt. Verùm hoc mirabile fuit in prædicta ægra, quòd animus illius & peſtem, & mortem, & circiter tempus utriuſque præſagiret, ita ut paulatim agenda ſua commodè peragere, & tandem dicere poſſet, jam brevi moriar. Veteres lætitiam & hilaritatem (magnos peſtilentiæ hoſtes) imprimis in peſtilenti conſtitutione triſtitiæ opponere, eamque muſicâ & cantu depellere ſolebant; quibus non malè, noſtro judicio, addi poſſet moderatus vini uſus, juxta dictum: Ut ſmaragdus in auro, ſic muſica in vino.

Hiſtoria 105. Pater Antonius Jeſuita, cùm peſte correptus bubonem in inguine ſentiret, majoris commoditatis gratiâ, ex illis in quibus commorabatur ædibus ad hortum quendam ſatis longè inde diſſitum deambulavit, atque ibidem decubuit. Illic cùm varia medicamenta ſudorifera alexipharmaca, aliaque à me præſcripta aſſumpſiſſet, dereliquit ipſum febris, & bubo in inguine detumuit, atque æger cum appetitu rurſus comedit. Cùm per paucos dies mediocriter valuiſſet, allatum eſt nuncium milites aliquos ipſius adventum reſciviſſe, atque de illo captivo abducendo jam conſilium inire. Hinc ille perterritus ſe nimis intempeſtivè aëri commiſit, atque ex horto ad aliud hoſpitium longiùs inde ſitum clanculum migravit. Ab illo terrore, nec non præpropera aëris mutatione rurſus graviſſimam febrem peſtilentialem, cum ſumma anxietate viriumque dejectione concepit, quæ nullis remediis cedens, ipſi intra biduum vitæ finem impoſuit.

Annotatio. Jam à morbo evaſiſſe, omneque periculum tranſiiſſe videbatur hic æger, cui tamen à novo terrore & repentina aëris mutatione morbus lethaliter recruduit; exemplum exhibens aliis, ne ante perfectam ſanationem ſe nimis citò aëri committerent.

Hiſtoria 106. Henricus Petri, qui in pago Lent in ædibus Secretarii Seldens decumbebat, bene ſanus ad campos deambulatum exiens, & aliquo modo fatigatus domum rediens, ſuper cumulum fœni recentis requievit, atque ibidem per duas horas obdormivit. Expergefactus inhorruit, ac ſe febricitare, & capitis gravitate ac cordis anxietate affici ſenſit, non diu pòſt vomuit, atque ad lectum diſcedens, cum magna inquietudine noctem illam tranſegit. Poſtridie ex meo præſcripto alexipharmacum ſumpſit, à quo cùm copioſè, ſed abſque levamine, ſudâſſet, eruperunt tres anthraces. Poſtea adhuc tribus quatuorve ſudoriferis aliiſque antidotis fruſtra uſus fuit, & morbus quotidie magis ingraveſcens, die quinta vitam finivit.

Annotatio. Supra fœnum, imprimis recens, cubare, maximè noxium eſſe, in multis ruſticis comperti ſumus, idque non tantùm in peſte, verùm etiam in aliis variis morbis.

Hiſtoria 107. Franciſcus Lanckfort, vir fortis, è ſomno evigilans magna cordis anxietate preſſus fuit: hinc peſtem metuens, ſtatim aceti vini calefacti bonum hauſtum ebibit, atque ita ad ſudorem ſe compoſuit; qui ſudor cùm per tres quatuorve horas durâſſet, omnis illa anxietas evanuit, & manifeſtum tumorem cum magno dolore ſenſit in inguine ſiniſtro, reliquo corpore rurſus optimè valens. Tumori prima die impoſuit folium braſſicæ rubræ oleo raparum inunctum: cum autem ſecunda die multùm increviſſet, adeò ut præ dolore nec incedere, nec crus ad lubitum movere poſſet, advocavit unum ex illis pſeudo-chirurgis, qui ægrotis peſtiferis inſerviebant. Hic ad citiorem curationem, & febris regreſſum (ut ajebat) impediendum, ſanguinis ſemilibram è brachio dextro extraxit. Sed quo eventu? paulò pòſt æger inhorruit, & gravi animi deliquio correptus eſt; ſtatim violenta febris inſecuta eſt, cum vomitu, ſiti, & capitis dolore: etiam brevi ſpatio diſparuit bubo. Poſtera die meum conſilium imploratum eſt: cùm autem ægrum invenirem graviſſimè febricitantem, cum pulſu parvo, crebro & intermittente, linguam etiam nigricare, ac vires maximè proſtratas eſſe perciperem, ipſum brevi moriturum prædixi, quod præſagium poſt paucas horas mors confirmavit.

Annotatio. Multi graviſſimi Medici in curatione bubonis peſtilentis venæſectiones laudant: verùm cùm hæ malignum virus jam extra venarum & arteriarum limites in emunctoria ejectum, ad interiora revocent, neſcio quo nomine laudari poſſint. Quantùm ad auctoritates Galeni, Avicennæ, Avenzoaris, aliorumque qui illas ſuadent, illis opponimus auctoritatem Hippocratis, qui 6. epidem. ſect. 7. text. 1. teſtatur venæſectiones in tali caſu ab ipſo inſtitutas nunquam quicquam juviſſe. Fortè dices, in dicto ægro propterea exitialem fuiſſe venæſectionem, quòd in brachio inſtituta fuerit, quæ in pede fieri debuiſſet. Reſpondeo, in eo quidem, ſecundùm multorum opinionem, graviter ab illo ſtolido Chirurgo erratum fuiſſe, ſed tamen nos experientiâ multoties edoctos eſſe, in inguinis bubone etiam nunquam ſanguinem feliciter è pede extractum fuiſſe, ſed omnes illos obiiſſe, quibus in peſte ſanguis quacunque de cauſa quacunque de parte miſſus fuit.

Hiſtoria 108. Eduardus Moulets, miles Anglus, in angiportu Vaginæfactorio decumbens, peſte cum violenta febre correptus, carbunculum ſatis magnum in ventre inferiore habuit: poſt aliquot horas vehementer vomere cœpit: ſubinde animi deliquia acceſſerunt. In tali ſtatu cum maxima inquietudine, anxietate, & debilitate, totam noctem tranſegit. Sequenti die vomitum commodis remediis cohibere fruſtra tentavi. Tandem circa veſperam, viribus jam omnino proſtratis, vomitu ejecit vermem nigrum, longum, & vivum hirudini non multùm abſimilem. Paulò pòſt obiit.

Annotatio. Præter hunc ægrum, nemo (quod ſcio) hujus formæ vermes nigros ejecit.

Hiſtoria 109. Lambertus de Wyburch, peſte cum obſcuro tumore ſubaxillari, violenta febre, & maxima anxietate correptus fuit. 20. Septembris exhibui hoc alexipharmacum:

♃. Trochiſcorum de viperis, ſalis ſcordii, extracti angelicæ, an. ſcrup. j. diaſcordii Fracaſt. drach. j. aquæ theriacalis, aceti bezoartici, an. unc. j. Miſce, fiat hauſtus.

Hinc fortiter ſudavit cũ aliquo levamine. Lingua valde ſicca, & ſitis immenſa erat: petiit ut ipſi aquæ ſimplicis potum permitterem: conceſſi illius moderatum uſum, & os eadem ſæpe quoque colluere juſſi. Sequenti die aliquantùm deliravit: tunc idem ſudoriferum reiteratum eſt, poſt cujus uſum adauctus eſt tumor ſub axilla, cui veſicatorium applicavi. Febris tamen non multùm imminuta eſt. Veſperi hunc bolum dedi:

♃. Camphoræ, croci orien. an. gr. iij. pulv. liberantis, confect. de hyacintho, an. ſcrup. j. ſyrupi de limon. q. ſ. Fiat bolus in folio auri.

22. Septembris minùs deliravit. Reïteratio facta eſt mane ſudoriferi, & veſperi boli: etiam cataplaſma attrahens buboni impoſitum eſt. Illa die febris aliquantùm remiſit, & circa veſperam abſque delirio fuit. Quia autem lingua ſicciſſima, & nigricante cruſtâ obducta erat, ita ut æger vix amplius loqui poſſet, butyrum recens cum aqua roſacea lavari, & poſt lotionem aquæ ſimplici frigidiſſimæ imponi, atque illius butyri aliquoties de die particulam fabæ magnitudinis linguæ imponi, in eaque liqueſcere juſſi: cujus uſu intra biduum linguæ cruſta omnino à lingua ſeparata decidit. 23. Septembris febris aliquantò mitior fuit, & tumor paulo magis adauctus eſt. Tale apozema præſcripſi, atque de illo quater de die hauſtum trium quatuorve unciarum bibere, & corpus bene calidum in leni ſudore continere juſſi:

♃. Corticum citri, & aurantiorum ſicc. radicum petaſitidis, helenii, angelicæ, dictamni, & eryngii, an. unc. ſ. herb. cardui bened. acetoſæ, ſcordii, borraginis, ſcabioſæ, centaurii minoris, an. M. j. & pimpinellæ, M. ſ. ſem. acetoſæ, cardui, citri, & bardanæ, an. drach. j. aquæ communis, q. ſ. Coquantur ſ. art. ad lib. ii. adde colaturæ, ſyrupi de limonibus, & de ſcordio, an. unc. j. ſ. Miſce, fiat apozema.

Hac die alvum prima vice exoneravit, & parum lactis preſſi acidi cum pane cocti comedit. 24. & 25. Septembris in uſu apozematis continuatum eſt. 26. Septemb. mane hoc ſudoriferum præſcripſi:

♃. Extracti rutæ, cardui, & angelicæ, ſalis ſcordii, an. ſcrup. ſ. theriacæ, diaſcordii, an. ſcrup. j. ſ. aquæ theriacalis unc. j. ſucci citri, unc. ſ. Miſceantur pro hauſtu.

Hinc cùm fortiſſimè ſudâſſet, diſparuit febris unà cum anxietate, & æger poſtea mediocriter valuit. Ad majorem tamen curationis certitudinem præcedens apozema adhuc ſemel parari, atque de eo per aliquot dies quotidie bis hauſtum bibere juſſi. Loco cataplaſmatis attrahentis tumori aliud maturans impoſui, verùm eo non obſtante, tumor intra paucos dies abſque ſuppuratione diſſipatus eſt. Poſt exhauſtum apozema ægrum purgavi cum pilulis noſtris antipeſtilentialibus, atque ita feliciter à periculoſiſſimo morbo liberatus eſt.

Annotatio. Aquæ ſimplicis fontanæ vel putealis (nempe Noviomagenſis, nam illa clariſſima & optima eſt, ac plurimorum locorum putealem aquam puritate & bonitate longè ſuperat) uſum ad ſitim ſedandam ægris facilè permittebam, dummodo eâ moderatè uterentur: nec illius aquæ potum illi unquam nocuiſſe, imò multis plùs profuiſſe, quàm julebos aliaſve arte confectas potiones, multoties animadverti. De butyro illud etiam notatu dignum, quòd præſtantiſſimum ſit remedium ad linguam humectandam, ejuſque cruſtas emolliendas: abſtinendum tamen à nimia ejuſdem copia, qua alvus fortè nimis emolliri poſſet.

Hiſtoria 110. Joachimus Nauta, qui præſervationis gratiâ in crure ſiniſtro fonticulum in principio Veris ſibi fieri curaverat, menſe Novembri quendam ex ſuis conſanguineis peſte cum diarrhœa laborantem circa veſperam inviſens, contagio infectus eſt. Senſit primò vertiginem & capitis gravitatem, ac paulò pòſt magnam anxietatem cum nauſea. Statim meo conſilio aſſumpſit hoc alexipharmacum:

♃. Theriacæ Androm. ſcrup. iv. ſalis Cardui bened. ſcrup. j. ſ. Aquæ theriacalis, aceti bezoartici, ana unc. j. Miſce, fiat potio.

Hinc tota ferè nocte ſudavit cum tanto levamine, ut omnia ſymptomata evanuerint. Poſtridie de magno fonticuli cruris dolore conqueſtus eſt, è quo vidi ichorem quendam nigricantem effluxiſſe, ipſumque fonticulum in circumferen-

tia nigricantem colorem contraxiſſe: hujus fonticuli margines à topicis convenientibus impoſitis, inſtar carbunculi, ſeparati fuerunt, & æger deinceps optimè valuit.

Annotatio. Fonticulos ad præſervationem à peſte inter præſtantiſſima ſubſidia ſemper habuimus, multoties obſervavimus, ſi quid veneni jam intus conceptum eſſet, illud per eoſdem vel ſponte naturæ, vel medicamentorum ope inſigniter & citò evacuatum fuiſſe; quod ex prædicta hiſtoria manifeſte liquet. Illud ipſum de fonticulis ab experientia teſtantur etiam, Mercurialis, Hercules Saxonia, Georgius Garnerus, Hildanus, Joannes Arculanus, aliique magni Practici.

Hiſtoria 111. Jacobus Moulin, Gallus, bubonem in inguine ſentiens, ſtatim Chirurgum quendam caſtrenſem conſuluit, qui ipſi hauſtum vini ſtibiati exhibuit, quo epoto æger domum diſceſſit; nam adeò fortis adhuc erat ut ipſemet Chirurgum adiret. Non diu poſt maximo animi deliquio obrutus fuit. Ego advocatus, cùm quidnam aſſumpſiſſet ignorarem, & pulſum jam penè deficientem ſentirem, ipſum brevi moriturum prædixi. Cùm ab i lo diſcederem, obviam mihi venit dictus Chirurgus, qui ex hoſpitio ægri me exeuntem videns, rogabat quomodo valeret Jacobus Moulin? quærebam, unde ſciret ipſum ægrotare? jam ante horam, reſpondit, aut circiter, ad me veniens; conqueſtus fuit ſe exiguum quendam tumorem valde dolorificum in inguine ſentire, utque gravius malum præveniri poſſet, exhibui uncias duas vini vomitivi, quo in plurimis morbis cum maximo fructu uti ſolemus inter milites. Egregiè verò (inquiebam) rem egiſti; jam inviſe ægrum, & vide cum quanto fructu etiam huic illud vinum exhibueris. Ipſe audacter ægrum acceſſit, & aſtantibus dixit, nihil periculi metuendum eſſe, ſe tale medicamentum ægro exhibuiſſe, quo ſolo unica die morbus peſtilens in totum ſanaretur. Interea dum lecto adſtat, æger aliquantùm ad ſe rediens, bis terve vomuit. Jam (inquiebat Chirurgus) & morbus evictus, & omne periculum ſuperatum eſt. Nec de morbo fefellit præſagium, nam paulò pòſt inter vomendum æger ipſam quoque animam evomuit, morbo ſcilicet tam egregiè ſuperato, ut nullum periculum foret illum unquam rediturum. Pudibundus Chirurgus non ſine aſtantium calumniis & dicteriis diſceſſit.

Annotatio. Quàm egregiè Capitanei conſulunt militum rebus, quando talibus ineptiſſimis & naſutis bardis, ſeu potiùs homicidis, eorum curandorum provinciam imponunt; qui ne in pauperiorum militum curatione diutiùs detineantur, quælibet periculoſiſſima medicamenta ipſis exhibere non erubeſcunt, cum hoc dicto: hinc aut cita mors venit, aut victoria læta. Profectò ſi vires dicti ægri in principio conſervatæ fuiſſent, ſimulque venenum peſtilens (quod à robuſta natura jam foras pelli incipiebat) ab interioribus viſceribus per convenientia antidota & ſudorifera expulſum eſſet, procul dubio magna ſanationis ſpes affulſiſſet; cùm nunc è contra, per vomitorii violentiam & ſtibii venenoſitatem, jam à peſtilenti veneno gravata viſcera obrui & deficere neceſſariò debuerint. Quapropter nunquam eorum conſilium audiendum arbitramur, qui ut perniciosum hoſtem expellant, alium non minus exitioſum in auxilium aſſumunt, & intra mœnia ſua admittunt, qui duo, dum alter in alterius perniciem laborat, facile durante pugnâ ipſam urbem incendio conſumunt.

Hiſtoria 112. In ædibus generoſiſſimi viri Domini de Naſſau, equitum Capitanei, menſe Junio quatuor ex famulitio peſte laboraverant, quorum duo mortui fuerant. Domus bis terve illa æſtate expurgata eſt. Domina tamen de Naſſau (quæ cum tota familia Hagam-Comitis confugerat, interea dum maritus cum cohorte caſtra ſequeretur) his expurgationibus nondum ſatis contenta, menſe Novembri duas treſve Hollandicas purgatrices Hagâ-Comitis Noviomagum miſit, quæ jam poſt quintum ab ultimo ægroto menſem totam domum adhuc ſemel more Hollandico curioſiſſime expurgarent. Hæ omnia linteamina, aliaſque res quæ commode lavari poterant, lavarunt, reliquam omnem ſupellectilē Soli & aperto aëri expoſuerunt, atque eventilarunt, omnem immunditiem curioſè detergentes: domum denique totam à ſummo tecti cacumine uſque ad imum, non tantùm ſcopis ſimpliciter expurgarunt, ſed etiam aquâ undique abluerunt, & muros nova calce induxerunt ſeu dealbârunt. Poſtea ſordes expurgatas in fumarium projecerunt. Ex his ſordibus gallinæ fortè aliquid nutrimenti quæſiverunt, iiſque ſe immerſerunt & involverunt, atq; hinc omnes contagium contraxerunt, & peſte correptæ mortuæ ſunt; aliis autem in pectore & dorſo carbunculi eruperunt, aliis ſub alis tumores protuberârunt, atque ita omnes gallinæ, circiter viginti numerò peſte interierunt.

Annotatio. Multoties aranearum telis, aliiſve ædium ſordibus peſtilens venenum diu hærere, & maximè neceſſariam eſſe domuum peſte infectarum curioſiſſimam expurgationem, ex prædicta hiſtoria ſatis liquet. Hæc autem expurgatio ut meliùs peragatur, ſequenti modo inſtituenda eſt: Primò apertis undique (præcipuè versùs Aquilonem & Orientem) feneſtris, tota domus à ſummo ad imum ſco[pi]s diligenter eſt mundanda, omneſque aranearum telæ ac reliquæ ſordes (ne caminis quidem prætermiſſis) curioſiſſimè expurgandæ, atque unà cum lecticarum ſtraminibus in unum cumulum omnia illa longiùs extra domum projicienda, & igne comburenda ſunt. Deinde rurſus tota domus (imprimis verò lecticæ omneſque anguli ſecretiores) aquâ abluenda, & per aliquot dies rurſus eventilanda eſt. Poſtea lucuenti ignes in ſingulis cubiculis ſtrui poſſunt. Tertiò omnes parietes calce nova obducendi ſunt, & tabulata omniaque pavimenta, item lecticæ, ſcrinia, ciſtæ, abaci, menſæ, ſcamna, aliaque lignea ſupellex aceto & aquâ ſimul miſtis abluenda eſt. Deinde ſuffumigia (qualia lib. 2. cap. 5. deſcripſimus) in cubiculis & cœnaculis bis terve accendere oportet. Circa veſtes, aliaque ſimilia quæ fomitis rationem habent, major expurgationis cura requiritur, cùm in iis negligentiùs expurgatis venenum peſtilens ſæpe diu latere poſſit; quod præter quotidianam experientiam, manifeſto exemplo docet Foreſtus lib. 6. in ſcholio ad obſerv. 22. de muliere quæ ex Zelandia è domo peſte infectâ quædam veſtimenta

Alcma-

Alckmariam attulerat, eaque ibidem Soli expoſuerat, in quibus ſeptem pueri colludentes, omnes peſte infecti & mortui fuerunt. Quapropter ut hujuſmodi pericula evitentur, oportet ut omnia linteamina, etiam illa quæ diu in arcis nitida concluſa fuerunt, convenienti modo cum lixivio laventur, etiam ſtragulæ & lectorum tegmina, imprimis illa, quibus ægri uſi fuerunt, omneſque laneæ veſtes quæ abſque damno lavari poſſunt. Quæ verò commode lavari nequeunt, ut tapeta, veſtes ſericeæ, holoſericæ, lecti, chartæ, libri, aliaque ſimilia, illa multis diebus Soli & ventis aquilonaribus exponenda, & diligenter agitanda, concutienda, fumigandanda, & abſtergenda ſunt; nam à ventis perflatus & multùm agitatus peſtifer vapor, illis rebus fortè inhærens, non poteſt non imminui ac diſpelli; unde Mercurialis laudat Marſilium Ficinum, quod libro de Peſte doceat, pannos atque parietes ſpatio viginti dierum, ſi perflentur & emundentur, ab omni contagio mundari. Denique poſt illarum rerum longiores eventilationes, ſingula convenientibus ſuffumigiis perfumiganda ſunt: etiam particulatim in ſingulis cubiculis ſuffumigium aliquod accendendum eſt, antequam ſupellex in iis deponatur. His omnibus ita peractis, & ſingulis rebus ſuis locis repoſitis, domum ab omni venenata peſtilenti labe ſatis emundatam eſſe, credibile eſt. Ut autem certo ſciri poſſit an peſtilens contagium ſatis expurgatum ſit, nonnulli hoc experimento utuntur: Panes recentes è furno extractos, & adhuc calentes, in duas partes dividunt, eoſque in medio cubiculi viginti quatuor horis deponunt; ſi venenum adhuc in conclavi latuerit, eo temporis ſpatio illum panem muceſcere & putreſcere dicunt, ac propterea poſtea cautè vel aquis immergendum, vel alte ſepeliendum eſſe. Alii ova recentia concutiunt, eaque in patella aperta in conclavi viginti quatuor horis relinquunt, ſi quid veneni ſuperfuerit, intra illud tempus ova corrumpentur, ſummumque fœtorem contrahent. Verùm nos talia experimenta flocci facimus, nec quicquam certi continere arbitramur: nam panem atque ova in cubiculo non infecto, nonnunquam ratione alterius non venenatæ cauſæ, poſſe corrumpi, & in cubiculo infecto interdum abſque corruptione per aliquod tempus manere poſſe, credimus. Quantum ad gallinas quæ à ſordibus contagium contraxerant, illud in tota hac peſte nuſquam alibi vidimus, præterquam in illa ſola domo. Aves tamen interdum etiam peſte corripi liquet ex eo, quod Foreſtus & Sennertus referunt ex Joachimi Schylleri libro de Peſte Britannica, aves ſub arboribus peſte correptas & interemptas paſſim repertas fuiſſe, & abſceſſus ſub alis ciceris inſtar habuiſſe.

Hiſtoria 113. Filia Petri de Botſel, juvencula circiter viginti annorum, bubonem peſtilentem in inguine percepit, præter quem nullum aliud magni momenti malum in corpore ſenſit. Ipſa morbum celare cupiens, tacitè Matthiam Aquiſgranenſem (qui ex profeſſo cucurbitulatum encheireſi vacabat) adiit, & ſex vel octo cucurbitulas cum ſcarificatione pedibus imponi curavit. Extractis paucis ſanguinis unciis, animo deficiens concidit: ad ſe rediens de maxima cordis anxietate conqueſta fuit. Statim à duobus viris robuſtis domum delata & in lectum depoſita eſt, ubi tantis & tam crebris animi deliquiis corripiebatur, ut parentes, ipſam jam jam morituram exiſtimantes, me vocarent. Juſſi ut acetum cum ſpiritu vini naribus odorandum offerrent, & hujus mixturæ ſubinde cum cochleari aliquantum exhiberent.

℞. Aquæ cinnamomi, & theriacalis, vini albi, ſyrupi de limonibus, an. unc. j. Miſceantur.

Hujus uſu aliquantùm ad ſe rediit, & confeſſa eſt ſe bubonem ſenſiſſe, ac propterea cucurbitulas pedibus imponi cu. âſſe, eumque bubonem jam fere totum evanuiſſe. Tunc manu impoſita locum ipſemet exploravi, ſed nihil aliud quam exiguam quandam & profundam duritiem deprehendere potui. Præſcripſi ſudoriferum ſtatim calidè exhibendum, à quo quidem mediocriter ſudavit, ſed abſque ullo levamine. Sequenti die maximâ cordis anxietate preſſa eſt, & animi deliquia ſubinde revertebantur. Juſſi ut pulli decoctum, quod caſu paratum habebant, pauco vini & ſucci citri admiſto, exhiberent: ſumpſit tria quatuorve cochlearia, eaque ſtatim revomuit. Tunc prioris miſturæ interdum cum cochleari aliquantum datum eſt, ſed fruſtra, nam illo die circa veſperam in diuturniore deliquio exſpiravit.

Annotatio. Multùm intereſt in curatione peſtis, ut ægri vires in quàm maxima fieri poteſt integritate conſerventur, & venenum peſtilens foras protrudatur: cùm autem a ſanguinis detractione vires citiſſimè dejiciantur, ſimulque venenum quod extra vaſa eſt introrſum in vaſa trahatur, ab illa neceſſariò abſtinendum eſt: nam quantacunque curioſitate illa detractio peragatur, illam tamen nunquam in peſte profuiſſe, ab experientia teſtantur Paræus, Falopius, Geſnerus, Dodonæus, aliique magni Practici. Sic etiam in hac noſtra peſte ſanguinem plurimis infeliciſſimè detractum fuiſſe vidimus. Quapropter Zacutum Luſitanum alioſque audiendos non eſſe exiſtimamus, qui hac in parte rationem & quotidianam experientiam ſola quorundam Veterum auctoritate evertere nituntur, haud ſecus ac ſi Veteres, Dii, & non homines fuiſſent, & propterea quòd multa inſignia ſcripta ediderint, in nullis errare potuiſſent. Plus nobis ſapere videntur illi, qui doctiſſimorum Medicorum monumenta prudenter perlegunt, atque inde eorum experientiam quidem addiſcunt, ſed interea tamen magis propriis oculis, quàm aliorum ſcriptis confidunt, & oculati ſpeculatores aliorum errores corrigere malunt, quàm ſequi.

Hiſtoria 114. Pater Auguſtinus, Monachus, peſtè correptus fortiter vomuit, quem vomitum medicamentis convenientibus ſedavi. Poſtea exhibui tria ſudorifera, aliaque nonnulla alexipharmaca, à quibus levamen ſecutum eſt. Quinta morbi die purum ſanguinem minxit, & paulò pòſt extinctus eſt.

Annotatio. Sic etiam adhuc alium Sacerdotem eodem ferè tempore cum ſanguinis mictu vitam finiiſſe vidimus. Erat illa ſanguinis mictio certiſſimum mortis præſagium, idque malum nullis medicamentorum auxiliis curari poterat; in cujus peſſimi ſymptomatis medicatione in principio hujus peſtis multoties fruſtra laboravimus; cùm autem neque ægrorum vires, neque tem-

temporis brevitatem unquam curationem admittere animadverteremus, poſtea hoc ſymptomate apparente, ægris nulla medicamenta dedimus, ſed eoſdem Deo commiſimus, nullum enim evadere vidimus.

Hiſtoria 115. Gerardus ab Hattem, famulus piſtoris, menſe Decembri peſte correptus anthracem habuit in ſurâ cruris ſiniſtri: febricula aderat, nec ardore, nec aliis ſymptomatibus gravis; urina ſanorum urinæ planè ſimilis: æger tamen abjecto animo erat, alta ſuſpiria ſæpiſſime ducebat, & de recuperandâ ſanitate omnino deſperabat: quietus jacebat, & tacebat ferè ſemper, qui alioqui ſatis loquax eſſe ſolebat. Exhibui tria alexipharmaca, à quibus mediocriter ſudavit, ſed abſque levamine. Carbunculus majorem molem acquiſivit, ſed nullo circulo rubro circumſcriptus eſt, quod ſignum mihi planè diſplicuit. Poſtea adhuc variis aliis antidotis uſus eſt, ſed omnibus fruſtra. Die morbi ſextâ, cùm pulſum explorarem, qui exilis, creber & inæqualis erat, nervorum quendam tremorem ſenſi: urina tamen in eodem ſtatu laudabilis, cum bona hypoſtaſi erat. Prædixi mortem, quam ſequenti nocte poſt eruptionem exanthematum præſagii veritatem confirmavit.

Annotatio. Valde fallaces erant illæ febriculæ peſtilentes quæ ſine gravibus ſymptomatibus invadebant; nam poſtquam ægros fallaci ſpe per aliquot dies aluiſſent, eoſdem tandem præter expectationem trucidabant. Cauſam fuiſſe arbitror, quòd venenum peſtilens in ipſius cordis ſubſtantiam magis, quàm in humores violentiam ſuam exerceret, & cordis humidum radicale magis depopularetur, quàm aliorum humorum putredinem induceret. Quod in prædicto ægro ipſa urina docuit, quæ toto morbi decurſu adeò laudabilis fuit, ut nulla putredinis indicia in illa conſpicerentur, cùm tamen exilis, creber & inæqualis pulſus cordis graviter affecti indicium exhiberent.

Hiſtoria 116. Famulus Domini Couper, Vice-Capitaneı equitum, juvenis robuſtus, cùm ſe peſte correptum ſentiret, & jam in brachio carbunculum haberet, ut malum celaret, Chirurgo Egmundo Anglo rem clanculum indicavit, qui ipſi ad citiorem curationem pulveris paſſavant drachmam unam cum hauſtu cerviſiæ exhibuit. Hinc poſt ſeſquihoram à vi enormis deturbatio, & deinceps continua fluxio ſecuta eſt, ægrique res intra viginti horas adeò dejectæ ſunt, ut vix loqui poſſet. Poſtridie ad ipſum inviſendum vocatus ſum unà cum dicto Chirurgo, qui ſe ex præſtantiſſimorum Medicorum decreto curationem à purgatione bene incœpiſſe arbitrabatur. In extremitate illa conſtituto ægro, hanc potionem exhibui:

♃. Trochiſc. de terra ſigillata, ſcrup. j. ſ. cornu cervi uſti, ſcrup. j. theriacæ, ſcrup. iv, aquæ theriacalis, unc. ij. Miſceantur pro hauſtu.

Hunc quidem aſſumpſit, ſed poſt horæ quadrantem rurſus evomuit. Idem medicamentum reiteratum eſt, ſed abſque emolumento, nam ingraveſcente colliquativo alvi fluxu, circa veſperam ſanguis dejiciebatur, & æger ſequenti nocte cum illo fluxu è turbulenti mundi fluctibus ad tranquillitatis portum delatus eſt.

Annotatio. Innumeros hujuſmodi errores commiſerunt varii Chirurgi, qui licèt ineptiſſimi ſint & medicinæ maximè ignari, ſibi ipſis tamen & populo multùm perſuadent, ſeque ferè ſolos ſapere exiſtimant, (quæ opinio non ſolùm Noviomagenſibus, ſed etiam plurimis Belgii aliarumque regionum Chirurgis familiaris eſt) & unicâ fideliâ omnes parietes dealbare ſoliti, etiam unico medicamento omnium morborum & uno unguento omnium ferè vulnerum atque ulcerum curationem peragere tentant. Sic etiam dictus ille Egmundus Anglus peſtiferos curaturus, aliis pulverem paſſavant, aliis vinum ſtibiatum exhibebat, multis quoque ſanguinem detrahebat; idemque cum illo nonnulli alii Chirurgi ſatis imprudenter & impudenter faciebant: quare? quia illorum naſutorum ſcientiæ limites ulteriùs non extendebantur; morbi cauſas, ægroti diſpoſitionem, tempeſtatis rationem, commoda medicamenta, aliaque ad curationem ſcitu neceſſaria ignorabant, neque illa ſcire ſtudebant, ſed ægrorum nummis potiùs quàm eorum ſanitati & propriæ ſcientiæ inhiantes, quidvis temerè audebant. Verùm ſi mortui hac peſte horum bardorum avarâ temeritate occiſi, adhuc vociferari poſſent, credo totum Noviomagum tanto clangore repletum iri, ut & incolæ obſurdeſcerent, & aves præ terrore urbem longiùs fugerent. Fortaſſe nonnullis laudandus videbitur ille curationis ordo, qui à purgatione principium ducit, propterea quòd Avicenna, Avenzoar, Oribaſius, Mercurialis, aliique magni Medici illud ipſum quoque ſuadeant; verùm oportet ut auctoritates illorum Medicorum (qui etiam homines fuerunt, & non Dii; & quamvis doctiſſimi, interdum tamen errare, & aliquid ſcribere potuerunt quod experientiæ contrariatur) rationi & experientiæ poſtponantur: qua de re pluribus egimus *lib.* 3. *cap.* 4. *annot.* 1.

Hiſtoria 117. Petrus Schram, peſte correptus carbunculum in ſcroto habuit, qui circiter per dimidiam ſcroti partem ſe extendit, & tandem poſt varia exhibita & impoſita medicamenta anthrace ad ſeparationem deducto, magna ſcroti pars excidit, ita ut teſticulus in ſua vagina pendens nudus conſpiceretur; quod ſcroti foramen commodorum topicorum uſu poſtea rurſus coaluit.

Annotatio. Durante hac peſte ter quaterve carbunculos in labiis pudendi muliebris, ſed rariſſimè in virorum ſcroto enatos vidimus; quod tamen olim in crudeliſſima Athenienſi peſte ſæpius contigiſſe, liquet ex eo quod Thucydides refert, nonnullos genitalibus exſectis, oculis excæcatis, manibus pedibuſque truncatis vitam redemiſſe.

Hiſtoria 118. Uxor Severini de Kuyck, 14. Decembris maximâ debilitate correpta eſt, ita ut ſæpius animo linqueretur; aderat parva febricula, abſque aliis ſymptomatibus peſtiſve indiciis; urina ſanorum urinæ ſimilis cum laudabili hypoſtaſi, pulſus creber & parvus erat cum inæqualitate. Exhibitis aliquot alexipharmacis ſudoriferis, aliiſque vires corroborantibus medicamentis, nullum levamen ſecutum eſt; morbus toto quatriduo in eodem ſtatu permanſit. Poſtea tandem carbunculum in mediis lumbis percepimus, ſed circulo rubro non circumſcriptum; cui topicum conveniens bis de die renovandum imponi curavimus. Die ſeptimo ægra paulò

paulò meliùs habere viſa eſt, pulſus etiam aliquantò fortior fuit; cœpit parum juſculi ſorbere. Die undecima ad priorem debilitatis ſtatum relapſa eſt. Interea carbunculus magnam molem acquiſivit. Utebatur ægra quotidie, modò his, modò illis antidotis, modò juſculis ad virium reſtaurationem. Verùm his omnibus non obſtantibus eodem ferè modo (ut nunc paulò meliùs, nunc pejùs ſe haberet) continuavit morbus uſque ad diem vigeſimum ſextum, qua die, nempe 9. Januarii anno 1637, miſeriarum finem impoſuit. Carbunculus ad tantam molem excreverat, ut integræ manus latitudinem multùm excederet.

Annotatio. Rariſſimè febres peſtilentes ad tantum tempus producebantur, illud tamen in nonnullis factum fuiſſe vidimus: de quibus febribus agens Galenus 3. de criſibus, cap. 4. inquit: Debiles & parvæ febres quandoque valde malignæ ſunt. Cauſa eſt, quòd venenum peſtilens vel debili qualitate; vel exigua quantitate firmiter ſe inſinuet ipſius cordis ſubſtantiæ, atque ibidem hærens humorum graves putredines (à quibus moleſtiſſima ſymptomata procedunt) non inducat: accedente quoque eo, quòd humores in nonnullis ita diſpoſiti ſint, ut ad putreſcendum vel venenum peſtilens recipiendum minus apti exiſtant. Atque tunc venenum ſolius cordis calidum nativum paulatim corũpens, hominem lentè occidit, eodem modo ſicut Galenus dicit, venena, quæ debili qualitate, vel exigua quantitate exhibentur, interdum lentè, & non niſi poſt aliquod tempus occidere.

Hiſtoria 119. Famulus Antonii de Tricht, Pharmacopœi, menſe Julio peſte laborans in horto decumbebat, in domuncula incurvis quidem lateribus ſurſum contecta, ſed abſque parietibus, & undique circumcirca aperta, quam tamen velis tunc undique inveſtierant. Ægro ſanato, lectus, vela, reliquaque ſupellex inde rurſus ablata fuit. Anno ſequenti menſe Martio ipſe Pharmacopœus inſtrumentum aliquod hortulanum in eadem domuncula caſu quærens, cùm ſtramen, cui ægri quondam lectus impoſitus fuerat (quod ibi adhuc relictum, & autumno totaque hyeme vento, pluviis, nivibus ac frigori expoſitum fuerat) dextro pede ab uno ſaltem in alterum latus dimoveret, ſtatim ſituoſum quendam fœtorem naribus percepit, & paulò poſt acrem ac pungentem dolorem inferiore cruris parte prope pedem ſenſit, haud ſecus ac ſi aquâ fervidâ ſe combuſſiſſet. Sequenti die magna veſica ibidem excitata viſa fuit, quâ pertusâ effluxit aliquantum aquæ nigricantis, & ſub illa veſica carbunculus peſtilens latens inventus eſt, qui vix duabus ſeptimanis poſtea ſanari potuit. Patiens tamen nec febricitavit, nec reliquo corpore malè valuit.

Annotatio. Hujuſmodi plura exempla Noviomagi viſa ſunt: quòd ſcilicet peſtilens inquinamentum per aliquot menſes fomiti inhærens, poſtea aliquibus adhuc communicatum ſit. Sed obſervandum quòd ab illo contagio ſilente alioqui peſte inducto, nulla illius ulterior alicujus momenti propagatio facta fuerit. Interim hoc exemplo Medicorum doctrina de contagio in fomite latente ſatis confirmatur. Mirum tamen eſt, hoc contagium tanto tempore in prædicto ſtramine potuiſſe ſubſiſtere, ut pote quòd tota hyeme ventis & pluviis expoſitum fuiſſet. Concordans enim eſt Marſilii Ficini, Mercurialis aliorumque variorum Medicorum opinio, fomitem ſpatio vel plurium dierum, à ventis perflatum, durare non poſſe, ſed imminui & deleri neceſſe eſſe: attamen contrarium interdum contingere ex prædicta hiſtoria liquet. Fomitem vero concluſum, aliove modo quietum manentem, diutiſſimè peſtilentem vaporem continere, & integris viribus ſervare poſſe, communis eſt opinio. Sic Foreſtus, lib. 6. obſervat. 22. refert exemplum contagii peſtilentis in tela aranei diu aſſervati. Alexander Benedictus ſcribit, in urbe Veneta culcitram quandam multis annis peſtiferam malignitatem retinuiſſe, eâque excuſſâ, ſervos adſtantes protinus ſubita peſte correptos fuiſſe. Sennertus, lib. 4. de febr. cap. 3. refert, anno 1542. ſpatio viginti duarum ſeptimanarum Uratislaviæ 5900. homines peſte mortuos fuiſſe, ab eoque tempore peſtilens contagium linteo circiter annis quatuordecim concluſum hæſiſſe, quo tandem anno 1555. Laubani explicato, peſtis excitata fuit, quæ per contagium vicinis etiam urbibus & locis communicata eſt. Verùm quia hæc ſunt præter noſtras obſervationes, nec quidquam conveniunt cum noſtra experientia; etiam ſuperant noſtram fidem: quid autem hac de re ſentiendum ſit, diximus. *lib.* 1. *cap.* 8. *annot.* 1. *probl.* 1. *& ejuſdem lib. cap.* 10. *annot.* 10.

Hiſtoria 120. Capitaneus Brauyver anno 1638. menſe Auguſto, cùm nuſquam in tota Geldria peſtis communiter graſſaretur, hac lue correptus decubuit in pago Bemmel. Varios carbunculos habuit, & remediis ſeriùs adhibitis, tandem obiit. Ego cùm hunc ægrum prima vice inviſiſſem, ſtatim ab ipſo contagium contraxi, & ingens carbunculus cum maximo dolore in manu ſiniſtra mihi obortus eſt, quem commodorum topicorum applicatione poſtea feliciter ſanavi; neque à principio uſque ad finem mali reliquo corpore malè valui, nec febrem, nec ullum ſymptoma ſenſi: nec alio antidoto uſus ſum quàm tabaci fumo. Ab eodem illo Capitaneo etiam contagione infectus fuit miles quidam qui ipſi inſerviebat, cui etiam, ut mihi, in manu ſiniſtra carbunculus prorupit, quem poſtea topicis etiam curavimus cùmque etiam hic reliquo corpore non ægrotaret, & ex conſuetudine tabaco ſatis copioſè uteretur, huic quoque alia antidota non dedimus.

Annotatio. Graviſſimè errare illos, qui peſtem ſine febre non dari, arbitrantur, meo ipſius exemplo ſatis edoctus ſum; nam etſi in aliis ægrotis exigua aliqua febricula fortè indicium Medici ſubterfugere poſſet, in me ipſo tamen febriculam etiam minimam facilè percepiſſem. Idem in ſe ipſo quoque expertus fuit Platerus, nam prax. tract. 2. cap. 2. refert ſibi ipſi in manibus, & ſocero Chirurgo in pedibus puſtulam Peſtilentialem citra febrem vel aliam noxam natam fuiſſe; quod ipſum repetit, cap. 17. & Obſervationum lib. 2. Sic quoque Foreſtus, lib. 6. Obſervat. 10. inquit: Vidimus, ſed pauciſſimos, anthracem in membris ignobilioribus, ſine febre, qui facillimè ab initio reſti-

tuebantur. Ex prædicta hiſtoria etiam liquet error Plateri aliorumque, qui negant peſtis communis cauſam de novo à Deo immitti, ſed à contagio initio ſumpto propagari: nam ſi ſolum contagium peſtem generalem facere poſſet, quare non ab hoc ægro talis peſtis inducta eſt? qui me quidem & militem contagio infecit, ſed nos, nullos alios.

Hactenus Hiſtoriæ à Clariſſ. Diemerbroeckio in Tractatu quem de Peſte ex propriâ compoſuit experientiâ, allatæ. Plures alias collegit Joh. Schenckius, Obſervationum rariorum lib. VI. quas ex parte ſaltem exſcribere facilè foret: verùm quandoquidem illæ potiùs curioſitati faciunt quàm genuinæ praxi; hiſce ſatis jam numeroſis, ac ſelectioribus; meritò contenti; ad Anatomicas, inſpectiones continuò progredimur; quæ ſanè pauciſſimæ ſunt, quia tutum prorſus non eſt ejuſmodi cadaverum exenteratorum, & miaſmata admodum contagioſa ſic undique fundentium, examini incumbere. Sint itaque quas reperire licuit.

Anatomicæ Inſpectiones.

Peſtis & Febris Peſtilens ventriculum præſertim adoritur. Carbunculus Peſtilens in ventriculo. In quadam Peſtilentia ſerpentes, lacerta. In alia bufones. In alia vermes in corde reperta. Peſtis Bobus infeſta, quorum cyſtis fellis lapidea facta. Caro ſubſtrata in lethiferis bubonibus uſtulata.

Plerumque notavi Peſtem circa Stomachum prima ſedilia locaſſe: Quidam enim continuo Vomitu dejectus, dolorem capitis ingentem ſenſit, ac mox delirium, deinde & ſoporem per intervalla paſſus, XVI. horarum ſpatio obiit, multis deliquiis præviis.

Optabam autem ſcire unde tam celeriter, tantoque ſymptomatum furore oppetiviſſet, nec Chirurgus adeſſe cuperet, tandem cultro diſſectionem inſtitui, ac Stomachum illius inveni eſcharâ triplici jam perfectâ pertuſum: Qualiter olim videram ſtomachum ancillæ perforatum quæ Arſenicum volens biberat. *Helmont Tumuli Peſtis p. 109.*

Neotericus quidam refert intus in corpore carbunculos, anthraces & exanthemata, qualia forinſecus effloreſcebant, apparuiſſe; Mihi hoc antea erat inauditum, credo tamen verum *D. Gallus Eiſchnreuterus Epiſtola ad Geſnerum.*

Carbunculus peſtilens non externas modo partes obſidet, ſed & quandoque interiores, utraſque interdum; Si cor præhendatur, nullâ exterius notâ apparente, mors præ foribus eſt ægris edendo, bibendo, ambulando, fato cedentibus: ſi pulmo, diaphragma, aliave reſpirationis organa occupentur, mors intra horas XXIV. obrepit: deficiente enim reſpiratione ſuffocatus æger extinguitur: Si cerebrum, phrenitis detinet & furor, ac tandem mors ſequitur: Si excretioni lotii deſtinatas partes venenum aggreditur, iſchuria ægrum necat: Lethale quoque eſt ſi ventriculum invadit, id quod accidit Gubernatori Nobilium puellarum in dicto *Hôtel-Dieu*: Erat is juvenis Monachus, proceræ ſtaturæ, erectæ, robuſtus & quadratus, Ordinis S. Victori ſacri, quem febris continua prehendit cum ariditate & ſcabritie linguæ quæ & nigra, ob ſummum interiorum æſtum & vapores putridos inde elatos, (ex vulgi enim ſententia, ſi impenſe calet furnus, ad ejus oſtium calor diffunditur,) linguam canis inſtar præ curſu anheli exerens: ſitis inextinguibilis moleſta erat, comite leipothymia, vomituritione, morte tandem triduo poſt ſuccedente & præcedentibus totius convulſionibus: Nobiles puellæ adeo celeri conſpecta morte & ſymptomatum vehementia, veneno interemptum fuiſſe aſſerebant: quamobrem dicto Xenodochio præfecti aperiri cadaver Monachi jubent, Ideoque Medicus & Chirurgus mecum convocati.

Eo diſſecto, in fundo ventriculi veſtigium ſimile ab impreſſo cauterio actuali reperimus, cum eſchara vel cruſta unguis magnitudinis: reliqua ventriculi pars contracta erat & dura: Inde omnium conſenſu judicatus eſt ſublimatum vel arſenicum aſſumpſiſſe, viſâ eſcharâ profunde penetrante: Dum verò cadaveris diſſectionem ſutura jungerem, plurimas nigras maculas hinc inde per corpus ſparſas adnotavi: tunc revocato cœtu, coram illis oſtendi purpuram eſſe vel exanthemata: Cùm vero obſtarent Medicus & Chirurgus, pulicum morſus eſſe aſſerentes, negavi id ob multitudinem macularum, aſſumpta præterea acicula, eaque profunde plures in partes adacta, cutim elevavi, poſtea forficibus diſſecui, atque ſubdita caro nigerrima deprehenſa: Color præterea lividus conſideratus, naſi, auricularum, unguium, imo totius corporis ſolito nigrior; vultûs præſertim ea immutatio ut vix agnoſceretur: Sic mutatâ ſententiâ unanimi aſſenſu relatum Monachum, Carbone peſtifero extinctum eſſe, non alio veneno. *Paraus Operum lib. 22. cap. 36.*

Memoratu digniſſimum atque horrendum quod in Pannonia contigiſſe narrant, natas paſſim in humanis corporibus viperas ac lacertas anno 1540. quæ mille hominum in dies poſt cruciatus acerbiſſimos interficerent, nulla Medicorum arte vel induſtria ſuccedente. *Saxonia Panthei lib. X. cap. I.*

Eo ipſo tempore quo ſudorifica febris in in Britania viguit, Pannonia propriam quoque humidæ peſtilentiæ vim fuit experta, dum non modo natas paſſim in humanis corporibus viperas ac lacerta narrant, &c. Sed alterâ Peſtilenti febre tunc quoque vexantei quam etiam nunc ſæviſſimam experiuntur, Theriodem, ſive vulgo Vermem vocatam, à Vermium copia in cerebro ipſo magna ex parte redundantium: Cujus meminit. *Jordanus* de Peſtis phænomenis tract. 1. cap. 9. *Idem ibidem cap. 38.*

Anno 1637. quo sereniſſ. Dux Saxoniæ *Bernardus Weimar* Burgundiæ Comitatum invaſerat ingenti clade, corpora utrinque cæſa aerem putore adeo infecerant, ut Peſtilenti febre multos paſſim abripi notaverit Vir Principis dignitatis: Hominum, equorum cadavera non alia ſtragis indicia aperta exhibebant præter Iecora Bufonibus ſcatentia: Miaſma illud peſtilens, intro cum aëre ſuſceptum, ſeminiis ejuſmodi infectum ſimilia anima-

animalcula in corporibus gignere potuit. *Ex communicatione Excellentiſſ. & Nobil. D. Stoffelii Sereniſſ. Principum Wirtenbergenſium Conſiliarii & Ephori apud Clariſſ. Bonetum in Sepulchretô.*

Vermes aliquando in Peſtiferis febribus, in ventriculis cordis fuiſſe genitos audivimus ab hominibus fide dignis, qui ejuſmodi ægrotantium cadavera ſecuere, quamvis veriſimile ſit raro admodum illud contingere. *Vidus Vidius junior de curatione membratim lib. 7. cap. 1.*

Tota cyſtis interdum lapideſcit, quod teſtatur *Fernelius* lib. 6. Pathol. cap. 5. qui in decrepiti cujuſdam ſenis cadavere, loco veſiculæ felleæ lapidem invenit. In Polonia olim innumeri Boves exorta quadam Peſte interiêre, in quorum cadaveribus diſſectis nihil fuit repertum, niſi quod veſicula fellea tota in lapidem fuerit converſa. *Gothofr. Mœbius Fundam. Med. cap. 16.*

Dum Pariſiis in Noſodochio dicto *l'Hôtel Dieu* artem Chirurgicam facerem, Peſte laborantes ægros inviſi, atque in quibuſdam tumores in emunctoriis apparentes poſtmodum deliteſcentes animadvertens, morte ſubſequuta, Curioſus in parte indagavi cauſam, alteque adactâ novacula, deprehendi carnem uſtulatam, quaſi à ferro candente inuſtam. *Paræus Operum lib. 22. cap. 36.*

PHALANGOSIS
Vid.
CILIORUM AFFECTUS
Cap. de
PALPEBRARUM AFFECTIBUS.

PHIMOSIS
Vid.
PENIS MORBI.

PHILTRA
Vid.
VENENA.

PHLEGMONE
Vid.
INFLAMMATIO.

PHLICTENAE
Vid.
PUSTULAE.

PHRENITIS
Vid.
DELIRIUM.

PHTHIRIASIS
Vid.
PILORUM MORBI.

PHTHISIS.

PRo hujus morbi & generali & accuratiſſima explicatione, hic exhibebimus elaboratiſſimum Viri Clariſſ. Domini Richardi Morton Medic. Doct. Celeberr. & Collegii Reg. Medic. Londin. Socii ac Cenſoris Digniſſimi Tractatum de Phthiſi in tres libros comprehenſum, ac variis hiſtoriis illuſtratum. Sic autem ille.

Phthiſiologiæ. Liber Primus.

De Phthiſi in genere, & Speciatim de Phthiſi à toto habitu Corporis, ſeu Atrophiâ, eâque vel Nervoſâ, vel ex Inanitione ortâ.

Quo Schema totius operis uno intuitu oculis ſubjiciatur, lubet hîc more exordii præfari deſcriptionem, & diſtributionem ſubjecti de quo jam tractaturi ſumus, quo, quaſi Ariadnes filo, facilè, & tutò in penetralia ædificii ducamur.

Phthiſis in genere eſt Conſumptio Partium Corporis muſculoſarum, à ſubtractione, vel colliquatione fluidorum orta, eaque vel cum, vel ſine febre; eſtque vel originalis, vel ſymptomatica.

Phthiſis Originalis eſt quæ merè à morbidâ diatheſi Sanguinis, vel Spirituum animalium in genere nervoſo, & fibroſo hoſpitantium ortum habet, non autem à morbo aliquo formato præcedenti: Cujus duæ ſunt ſpecies, Atrophia ſcil. & Phthiſis Pulmonaris.

Atrophia eſt conſumptio univerſalis à toto habitu Corporis, non autem à Pulmonum, vel cujuſcunque alterius Viſceris defectu mobido ortâ, & ſine aliquâ febre notatu dignâ; eſtque Nervoſa, vel ex Inanitione orta.

Atrophia ſeu *Phthiſis Nervoſa* eſt, quæ à morbido ſtatu ſpirituum, & à tono nervorum everſo oritur, unde ſicut languor & Conſumptio univerſalis in habitu Corporis ob deficientem aſſimilationem ſucci nutritii tandem provenit, ita ab initio ipſo morbi oboriuntur Inappetentia, & difficilis digeſtio in ventriculo, ob imperfectam fermentationem & volatilizationem Chyli. Quæ quidem Species Atrophiæ in claſſe funeſtorum Scorbuti Symptomatum non immeritò locum ſibi vendicare poſſit.

Atrophia ex Inanitione eſt quæ à præternaturali ſubtractione ſeu evacuatione ſucci nutritii, eâque longâ, & habituali, originem habet, quæ multifariam variatur pro meatibus Corporis diverſis, naturâ, vel arte factis, per quos diſpendium hujus liquoris pretioſiſſimi fieri vel ſolet, vel poteſt.

Phthiſis Pulmonaris eſt Conſumptio partium univerſalis à morbido affectu ſeu infarctione, tumore, inflammatione, & exulceratione Pulmonum primùm orta, indeque tuſſi, dyſpnœâ, aliiſque ejuſmodi ſymptomatis thoracicis ab ipſo initio ſtipata, & cum febre primùm lentâ, & hecticâ, dein inflammatoriâ, & tandem putrida intermittente conjuncta.

Phthiſis Symptomatica eſt, quæ, licet immediatè à Craſi ſanguinis, ſeu tono Spirituum everſis oriatur, mediatè tamen ab aliis præcedentibus morbis dependet, qui hanc labem ceu characterem primùm Spiritibus, & Humoribus im-

preſſerant: Et quia in hujus Tabis fœlici curatione neceſſe eſt reſpectum habere ad morbum primarium, in calce hujus tractatus ſtrictim de variis hujus Phthiſeos Speciebus, quas nobis in praxi hactenùs obſervaſſe contigit, diſſeremus, diſquiſitione priùs habitâ de Phthiſi Originali.

Caput. I. *De Phthiſi Nervosâ.*

Atrophia, ſeu Phthiſis Nervoſa; eſt Conſumptio Corporis abſque ullâ inſigni febre, vel tuſſi, vel dyſpnœa; verùm cum appetitus, & digeſtionis everſione eam comitante: Unde inſequitur totius corporis languor, & marcor in dies increſcens. Cujuſmodi Phthiſin aliquando in Angliâ, ſæpius verò inter Virginiæ Incolas huc reverſos obſervavimus.

In principio hujus morbi ſtatus corporis apparet œdematoſus, chyloque effœto quaſi infarctus, facies pallida, & ſqualida, ventriculo ab omnibus præter potulenta, abhorrente. Adeo etiam languent vires, ut Æger antequam carnoſæ partes corporis evidenter fuerint conſumptæ, planè reddatur imbellis, lectoque fere continuò affixus. Urina etiam incerti coloris conſpicitur, ſed ut plurimùm intensè rubra, & perpauca; aliquando verò, (licet rarò, uti in nervoſis affectibus accidere ſolet) pallida, & copioſa. Febris verò nulla inſignis per pulſum, ſitim, vel calorem diſcerni poteſt, ut ut intenſiſſimè rubra ſit urina. Adeo ut Pathognomonica ſigna hujus Phthiſeos jam incipientis ſint Languor & Inappetentia ſine ulla notabili febre, tuſſi, vel anhelitu, licèt progreſſu morbi, ubi marcor totum corporis habitum ſenſim invaſerit, quædam reſpirandi difficultas, & moleſtia (uti in omnibus languentibus ſolet accidere) percipiatur.

Cauſa continens hujus morbi videtur eſſe in genere nervoſo, à præternaturali ſtatu ſpirituum animalium, & à tono nervorum everſo proveniens, unde eam vocare ſoleo Phthiſin in habitu Corporis. Uti enim à tono Ventriculi languido, appetitus, & digeſtio proſternuntur; ita etiam in toto habitu corporis, ob morbidum generis nervoſi ſtatum, ſucci nutritii aſſimilatio, fermentatio, & volatilizatio impediuntur.

Cauſas procatarcticas; ut plurimùm, obſervavimus eſſe, Pathemata animi graviora, potationem liquorum ſpirituoſorum, & aerem inſalubrem, quibus tonum Nervorum, & naturalem ſpirituum animalium diatheſin everti nemini mirum videri debet.

Morbus hic, uti plurimi alii nervoſi generis, eſt Chronicus; curatu verò difficillimus, ſi Medicus in principio non accerſatur. In initio verò abblanditur: quam ob cauſam; ut plurimùm accidit, quòd nimis ſerò Medicus advocetur. Finitur verò in hydropicum & œdematoſum Corporis tumorem, præcipuè autem partium dependentium, quo in caſu conclamatum quidem eſt de ægrotantis ſalute, neque ulla curatio niſi paregorica, adhiberi poteſt, quâ per aliquot dies miſella vita protrahi poſſit.

Cardo verò curationis (modò ſatis tempeſtivè Ars noſtra conſulatur) in uſu convenienti medicaminum ſtomachicorum, & nervos confortantium vertitur, qualia ſunt Chalybeata, Antiſcorbutica, Cephalica, & Amara cujuſcunque fere generis. Ex gr. Capiat Æger (ſi alvus adſtricta fuerit) tertio, vel quarto quoque mane ℥iv. Decocti amari purgant 4tâ quâque nocte ℥ii. Tincturæ ſacræ, vel Tincturæ noſtræ, hieræ Cephalicæ è ſpeciebus Hieræ picræ in aq. Rut, Ceraſor. nigr. & pæon. comp. infuſis.

In cereviſiâ communi ſuſpendatur ſacculus ingredientium Cephalicorum, & Antiſcorbuticorum, pro potu ordinario. Horâ ante prandium capiat Elixir. Propr. ʒß. in hauſtu vini albi Abſinthitis. Applicetur regioni vẽtriculi Emplaſtrum ſtomachicum mag. cum guttis aliquot ol. Cinnâ. & Abſinthii Chymic. vel quotidie foveatur ventriculus ſacculis Aromaticis è foliis menthæ, Abſinth. Cinnamomo, Macere, Zedoar. Galang. Cyper. & Calamo aromatico in vino Gallico Rubro coctis. Si tempus ſit æſtivum, utatur aquis mineralibus Chalybeatis. Si verò hybernum, Syrupo, vel vino noſtro chalybeato, & aromatico e limaturâ chalybis in vino albo generoſo, ter, quaterve extincta, & deinde cum Zedoar. Galang. Nuce Moſch. Cinnamomo acuto. Macer. Cubeb. Caryophyllis craſſè tritis in eodem vino infuſâ. Inter chalybeata verò Extractum Mynſichti ceteris in hoc caſu præfero, quod per dies 20. vel 30. formâ boli, vel pilulari exhiberi jubeo. Ex. gr.

℞. Extract. Mynſicht. ℈ß. Balſam. Gilead, (quod in hoc caſu plurimum confert; quia ſtomacho, & nervis gratiſſimum eſt) gut. vii. Conſerv. Roſ. rubr. antiqu. ʒi. Mſ. F. bolus, qui de die in diem repetendus. Vel ſi Ægro magis arrideat, redigatur extractum in formam pilularem more ſequenti.

℞. Extract. Mynſicht. ℈ß. Balſam. Gilead. gut. vii pulv. Haly. gr. vi. Pulv. Ari comp. gr. iv. pulv. glycyrrhiz. q. ſ. ad formam. F. pilulæ mediocres deaurandæ, & quotidiè ſemel die repetendæ.

Opobalſamum etiam per ſe, uti & Sp. C.C. & Salis Armon. in hoc caſu proſunt; quia nervis amica. Ex. gr. Capiat Æger. gut. viii. vel x. Opobalſami, vel Sp. C. C. in quantitate convenienti ſacchari Cand. bis die.

Exercitiis, & conſuetudine amicorum animum hilarem Æger nitatur conciliare, A mœſtitiâ enim & curis fere ſemper hic morbus ortum ſuum ducit. Fruatur etiam aëre aprico, & optimo, qui plurimùm nervis, & ſpiritibus confert Et quoniam ventriculus in hoc morbo præcipuè afficitur, conveniet victus deliciis plenus, neque uni ciborum generi nimis diu aſſueſcere debet ventriculus.

Hiſtoria 1. Filia Domini Duke in plateâ dictâ Sanctæ Mariæ Axiæ, anno 1684. & decimo octavo ſuæ ætatis, menſe Julii, à multis curis, & pathematis Animi in ſuppreſſionem purgationum menſtruarum omnimodam incidit, verùm ſine aliquo Chloroſeos ſymptomate inde proveniente. A quo tempore appetitus & digeſtio defecerunt, Carnes etiam cœperunt flacceſcere, & vultus palleſcere, cum aliis notis uſitatis in Tabe univerſali habitûs Corporis. A frigore etiam illo prægrandi & maximè memorabili, quod hyeme ſequenti contigit, non parum promoveri videbatur hæc Tabes; nempe quòd ſtudiis nocturnis, & lectioni librorum aſſiduè incumbendo, ſeſe injuriis aëris intenſiſſimè, tunc temporis frigeſcentis noctu, diùque exponere

nere ſolebat, non ſine manifeſto damno ſyſtematis nervoſi. Vere ſequenti, ex præſcripto cujuſdam Medicaſtri, Emeticum ſumpſit, & deinde medicamina, neſcio quæ, Chalybeata; verùm ſine fructu. Faſtidiens verò extremè medicamenta omnis generis, per duos annos integros ſui ipſius curam ulteriorem planè neglexit, donec tandem in ultimum gradum maraſmi redacta, & inde frequentibus lipothymiis obnoxia à me opem peteret.

Nunquam aliquem ità maraſmo confectum (ſceleti inſtar cute veſtiti,) adhuc viventem in totâ praxi meâ obſervatum memini. Nulla tamen aderat febris, verùm è contrà, totius Corporis frigiditas; Nulla tuſſis, vel dyſpnœa, vel affectio alia quæcunq; morbida pulmonum, vel cujuſcunque alterius Viſceris apparebat: Nulla diarrhœa vel alia quæcunque nota colliquationis, ſeu inanitionis præternaturalis. Appetitus unicè diminutus erat, & digeſtio quadantenus moleſta, cum lipothymiis frequenter redeuntibus. Quibus ſymptomatis ſuccurrere nitebar externâ applicatione ſacculorum aromaticorum regioni ventriculi factâ, & emplaſtris ſtomachicis; uti etiam interno uſu amarorum, chalybeatorum, & Julapiorum ex aquis Cephalicis & hyſtericis compoſit: & Spir. Salis armon. & Tincturâ Caſtor. ſatis imprægnat, aliiſque ejuſmodi. A quibus multò meliùs ſeſe habere videbatur, ſed tædio medicaminum ſtatim affecta, totam rem iterùm naturæ committi depoſcebat, undè in dies, ulteriùs marceſcens, poſt tres menſes, ſubitâ lipothymiâ oppreſſa fatis cedebat.

Hiſtoria 2. Filius amici mei Domini Steele Reverendi Presbyteri; circa annum ætatis decimumſextum, à ſtudiis nimiis intenſis, & à pathematis animi, ſenſim incidit in Inappetentiam ferè totalem, & inde in atrophiam univerſalem, continuò per ſpatium duorum annorum magis, magiſque marceſcens, ſine tuſſi, febre, vel aliquo alio ſymptomate morbidæ affectionis, vel pulmonum, vel cujuſcumque alterius Viſceris, atque etiam ſine diarrhœâ, vel diabete, vel quacunque aliâ notâ colliquationis præternaturalis. Ideoque hanc Tabem, nervoſam eſſe judicavi, in univerſo habitu Corporis ſitam, & à ſyſtemate nervoſo morbidè affecto oriundam. Ex uſu Antiſcorbuticorum, amarorum, & Chalybeatorum, tam naturâ quàm arte paratorum, primùm curationem inſtitui, ſed nequicquam profeci, ideoque priori methodo fruſtratus dedi conſilium ut ſtudia ſeponens, aëri ruſticano, equitationi, & lacteæ diætæ, (præſertim uſui lactis aſinini) per longum tempus ſeſe committeret. A quorum uſu plurimùm convaluit, licèt adhuc è ſtatu tabido perfectè non evaſerit, &, quis futurus ſit eventus hujus methodi, non liquidò conſtet.

Cap. 2. *De Phthiſi ex Inanitione ortâ.*

Huic generi Phthiſeos, ſeu Tabis Originalis, referenda eſt etiam ſpecies altera (quæ mihi frequenter in Praxi occurrit) à depauperatione ſanguinis per ſucci nutritii præternaturalem ſubtractionem orta. Unde tota maſſa ſanguinis ſucco nutritio, & oleoſo privata aceſcit, & nimiùm incaleſcit, nutritionem vel nullam, vel quàm minimam partibus muſculoſis præbens; atque indè ſequitur Atrophia totius corporis, & calor hecticus in toto habitu fixus, ſine aliquâ notabili tuſſi, difficultate reſpirandi, vel aliquâ aliâ inſigni pulmonum affectione, ſaltem in principio morbi. Diffitendum tamē non eſt, in ejus progreſſu, pulmones aliquatenus affectos videri, præcipuè ubi evacuationes iſtæ præternaturales Atrophiam facientes arte ſiſtuntur, ſine ullâ maſſæ ſanguineæ emendatione, quo in priſtinam oleoſam, benignam, & alitioni aptam, naturam reſtituatur. Quo in caſu mirum videri non debet ſi, cæteris portis naturæ occluſis, calidum, & acre ſanguinis ſerum per molle, & glanduloſum Pulmonum parenchyma continuò trajectum, eos tandem inferciat, inflāmet, imo & exulceret; quo fit ut hæc Tabes, quæ originaliter erat in habitu corporis, Phthiſin pulmonarem cum tuſſi, dyſpnœâ aliiſq; ſymptomatis ejuſdem morbi pathognomonicis, paulò ante mortem terminetur. Atq; ideò ſæpiùs obſervavi, quòd ſi per medicamina ſpecificè alterantia, & ventriculum confortantia, appetitus, & digeſtio non reſtituantur, adeò ut inde maſſa ſanguinis novo euchymo, & oleoſo ſucco ſaturetur, Tabes non curatur, ſed tandem à Tabe in habitu Corporis, in lethalem Phthiſin pulmonarem mutatur.

Et hæc quidem Phthiſeos ſpecies congener eſt Nervoſæ jam ante memoratæ. Sicut enim in illâ, à diatheſi ſucci, & ſpiritûs nervini, chylus nutritius in ſanguinem continuò delatus, minus aptus alitioni partium redditur; atque inde maſsâ ſanguinis veteri, effœto ſucco, nutritionique inepto, ſaturatâ, & novum non requirente, Inappetentia, & nauſea in ventriculo ſequuntur, & conſequenter Atrophia totius corporis, & tandem fixus calor hecticus, & colliquans in partibus ſolidis, ob excandeſcentiam ſanguinis, & ſpirituū: Ita etiam in hac ſpecie Tabis, ſucco nutritio continuò è maſsâ ſanguinis, copioſo rivulo, effluente, partes corporis muſculoſæ nutritione debitâ jam privatæ, in Atrophiam incidunt; unde etiam maſſa ſanguinis, quæ reſtat, ob novi oleoſi chyli defectum, non tantùm effœta redditur, & alitioni inepta, verùm etiam calor præternaturalis fixus, & hecticus non tantùm in ſanguine verùm etiam in ſpiritibus, & omnibus partibus ſolidis accenditur: unde ſitis, & inappetentia conſequuntur. Quæ quidem Tabis ſpecies eſt illa, de qua jam primo loco eramus ex profeſſo tractaturi. Quia verò Curatio hujuſmodi Phthiſeos, ſecundùm varietatem evacuationum eam cauſantium, varianda eſt, de generali hujuſmodi Tabis curatione nihil addemus, eam ad varias ſpecies evacuationum hunc morbum cauſantium, ſub propriis titulis, referentes. De quibus jam (quantum nobis obſervaſſe licuit) ſpeciatim differere properamus.

Cap. 3. *De Tabe ab Hæmorrhagiâ.*

Hic primùm occurrit Tabes ab Hæmorrhagiâ, ſive ſit per nares, ſive è pulmonibus per tuſſim, è faucibus per exſcreationem, è ventriculo per vomitionem, è renibus per urinam, è vaſis hæmorrhoidalibus; vel uterinis in menſtruis purgationibus ordinariis, vel puerperio difficili, vel tandem à vulneribus, ubi magnum, & diuturnum ſanguinis profluvium ab apertione vaſorum ſanguiferorum majorum inſequitur. Licèt enim frequens, & moderata Venæſectio (quod lippis & tonſoribus notum eſt) pinguedinem

inducat, ſiquidem à moderatâ depletione vaſorum locus datur majori copiæ novi chyli, unde penus ſanguinis diteſcens magis, nutritioni aptus redditur, & conſequenter appetentia incitatur; omnis tamen immoderata, & longa Hæmorrhagia ſanguinem depauperat, & calorem hecticum in ſpiritibus, & partibus ſolidis efficit, appetitum inde proſternens, & totum corpus in Atrophiam, & maciem redigens.

In hoc caſu hæmorrhagia, quàm primùm, ſiſtenda eſt, & etiam præcavenda medicamentis incraſſantibus, opiatis, & emplaſticis, de quibus in capite de Hæmoptoe tractandum. Ex gr. Ligaturæ fortes partibus extremis injiciantur. Imo ſi opus ſit, & vires ferant, in Hæmorrhagiæ præſentis diverſionem, & in futuræ præcautionem Phlebotomia frequenter, verùm parce, celebretur. Si pars ſanguinem effundens id admittat, Emplaſtrum ſtypticum Galeni, Aqua ſtyptica Regia, Oxycratum frigidum, Atramentum, Cineres crinis leviter combuſti in Retortâ, & in formam Cataplaſmatis cum aceto excepti, Bolus vera, ſanguis Draconis, & alia hujuſmodi more convenienti ſtatim parti applicentur, & ſæpe renoventur.

Internè capiat Æger ter, quaterve in die gutt. xx. xxx. vel plus Aquæ ſtypticæ Regiæ in hauſtu Aquæ Lactis: Cochlearia etiam v. vel vi. Succorum depuratorum Plantaginis, & Urticæ. Vel capiat frequenter è Cochleari linctum ſequentem.

℞. Syr. Portulac. ℥iii. Bol. ver. Sang. Drac. Troch. de ſpodio, Terr. ſigill. ꝑ. an. ℈ii. Terr. Japan. ʒi. Gum. Tragac. in Aquâ Plantag. ſolut. q. ſ. Mſ. F. Linctus. Vel capiat ter die quantitatem Nucis Moſch. Electuarii ſequentis.

℞. Conſerv. Roſ. rubr. ℥i. Trochiſc. de Carab. ʒiii. bol. ver. Lacrym. ſang. Drac. ʒß. ſyrup. Myrtill. q. ſ. Mſ. F. Electuarium.

Capiat etiam ſingulis noctibus Cochl. v. vel vi. Julapii ſequentis, agitata phiala.

℞. Aq. Plantag. ℥ i Cinnam. hord. ℥iii. Acet. ſtillat. ℥ß. bol. ver. ſang. Dracon. an. ʒß. Laud. Lond gr iii. Syr. Myrtill. ℥iß. Mſ. F. Julapium.

Fluxu ſanguinis jam ſatis ſuppreſſo, & curato, omni diligentia moliendum eſt ſanguinem depauperatum, maturè ſaturare novo, & euchymo chylo, & flammam febilem (ſiqua adſit) exſtinguere, ne tabes inſequatur. Ideoque frequenter alendus eſt Æger, juſculis conſummatis, ovis ſorbilibus, & varietate ciborum euchymorum, & eupeptorum, ſtomachoque gratiſſimorum: Abſtinendo tamen à vino, & à ſalſis, & aromaticis, ne ſanguini, qui antea defectu ſucci nutritii excandeſcebat, majorem calorem concilient. Et, quia hujuſmodi Ægrotantes, uti omnes Tabi propinqui, iracundiæ, mœſtitiæ, oppreſſionibus hypochondriorum, paſſionibus hyſtericis, & appetitus proſtrationi obnoxii ſunt, unde cibum copioſum nec digerere poſſunt, & conſequenter ſanguinis reſtaurationi inhabiles fiunt, Æger ab Amicis recreandus eſt, & in aërem apricum, & ſalubrem quamprimum dimittendus, quem quidem plus quàm medicamina cetera, nervorum, & ſpirituum confortationi, apetitûs, & hilaris animi recuperationi, & conſequenter Tabis ingruentis præcautioni, experientiâ multâ edoctus, ut plurimùm, conducere obſervavi.

Sin verò ob negligentiam Ægri, vel ob præcipitationem morbi, calore hectico, & gradu aliquo Tabis ab Hæmorrhagiâ Æger affici videatur, omninò ſatagat Medicus quamprimùm hanc flammam penitus extinguere ope Corticis Peruviani manu liberali exhibiti, cujus efficaciam in hoc caſu mirabilem ſæpiſſimè expertus ſum. Deinde, ſi opus ſit, relegetur Æger ad lacteam diætam, aut ad uſum aquarum Chalybeatarum. Abſtinendum verò eſt ab evacuationibus per alvum. Et uſu tamen oculorum Cancror. Corallii, margaritarum, aliorumque ejuſmodi alterantium, & dulcificantium aliquid emolumenti expectandum eſt.

Hiſtoria. Dominus Hetchkius, Mercator Londinenſis, Vir Scorbuticus, & Hypochondriacus, in frequentem Hæmorrhagiam narium à vigeſimo ad trigeſimum ferè ætatis annum pronus erat, adeo ut à ſanguinis febricitantis æſtu, intervallis incertis, ſemel ſaltem vel bis, in Lunâ magnum Cruoris diſpendium ſuſtineret, donec tandem Sanguis Scalpello extractus, vel ſponte ſuâ è naribus fluens, planè ſimilis loturæ carnium appareret. A cujus Hæmorrhagiæ recurſu, neque Phlebotomiâ, ſuccis temperantibus, medicamentis opiatis, & incraſſantibus, diætâ lacteâ, remediis antiſcorbuticis, & Chalybeatis, nec quovis alio medicaminum apparatu, optimum illum Virum, & Amicum meum verè colendum, tunc temporis liberare potui. Quo primùm in ſtatum Atrophiæ, tandem in Phthiſim verè pulmonarem, unà cum reſpirationis difficultate maximè urgente, incidit, & inde in ſtatum univerſaliter colliquativum lapſus, glandularum ſalivalium exulcerationem, poſt inſignem earum tumorem, paulò ante fatalem diem, perpeſſus eſt. Quarum apertione externâ tantus, & tam perpetuus lymphæ ſalivatoriæ rivus effluxit, uti viri illius egregii, jam antè in ſtatu ferè Maraſmi, à Phthiſi pulmonari ab Hæmorrhagiâ, redacti, diem funeſtû plurimùm præcipitaret. Animo verò meo graviter dolebat, mihi tunc temporis non notam fuiſſe Corticis Peruviani efficaciam in hâc efferveſcentiâ Sanguinis edomâdâ, à quâ Hæmorrhagia illa ſæpiùs recurrens certiſſimè dependebat; ſiquidem ab hujus uſu plus quàm à lacteâ diætâ vel ab aliquo alio Medicaminum apparatu, ad præcavendam Hæmorrhagiam ab æſtu ſanguinis provenientem meritò expectari poſſit.

Caput. 4. De Tabe à Gonorrhœâ, & Fluore Albo.

Hæc Tabes veteribus etiam nota fuiſſe videtur ſub nomine Tabis dorſalis, ubi à Gonorrhœâ procedit, Galenus etiam Hiſtoriam notat Uxoris Boethii, cujuſdam Nobilis Romani, quæ à fluore albo nimio, & longo, empiricè ſuppreſſo, in Tabidum hydropem incidebat.

Veriſſimum quidem eſt, Gonorrhœam, & Fluorem Album maligni moris, & à Venere profectum (ubi ſcil. veneno nota impuritas humoribus jam contagioſè impreſſa eſt) ſæpiſſimè terminari in Tabem pulmonarem, niſi tempeſtivè, & perfectè curentur. De hâc verò Phthiſi, ejuſque cauſis, gradibus, & curatione, ſuo loco, ſc. in calce hujus tractatûs pleniùs diſſeremus, ubi ex profeſſo de Phthiſi pulmonari ſymptomaticâ ſermonem habebimus. Impræſentiarum verò, longâ experientiâ & obſervatione edoctus affirmo, Tabem ſæpè oriri à ſymplici, ſeu benignâ Gonorrhœâ, & Fluore Albo, ideoque hanc ſpeciem, ad hunc

hunc cenſum Tabis originariæ, à ſubſtractione ſcilicet continuâ ſucci nutritii per glandulas ſeminales oriundam referendam eſſe. Siquidem hic fluxus in Gonorhœâ & Fluore Albo tam inſignis, & diuturnus interdum apparet, uti exinde maſſa ſâguinis planè effœta, & alitioni inepta reddatur, unde cruor particulis heterogeneis oneratus incaleſcit, atque tandem hectica diſpoſitio in partes ſolidas, & habitum corporis gradatim inducitur, quæ quidem eſt eadem Tabis Species de quâ hoc loco tractamus.

Symptomata hanc Tabem præſagientia hæc plerumque notavi, Hypochondriacam ſcil. oppreſſionem, mœſtitiam, & nimiam cogitationem, cum languore virium, & appetitûs dejectione in viris Gonorrhœâ copioſâ affectis; in fœminis verò longo, & copioſo Fuore Albo afflictis, habitum corporis mollem, œdematoſum, ſqualidum, & pallidum; unà cum Hyſtericis paſſionibus, inſigni laſſitudine, & debilitate virium: quæ omnia ſymptomata ab eâdem causâ proveniunt, ab effœtâ ſcil. ſanguinis naturâ, à defectu novi chyli proveniente, quo non tantùm ſpiritus debilitantur, & opprimuntur, verùm etiam habitus corporis ob aqueam ſanguinis diatheſin œdematoſus redditur; quippe qui veteri, & effœto chylo ſaturetur. Ideòque ſigna hanc Tabem præſagientia, ſunt Hypochondriacæ oppreſſiones, Hyſtericæ affectiones, languor virium, habitus œdematoſus, & Inappetẽtia; quæ ſymptomata progreſſu temporis, cùm morbus ſcil. eſt confirmatus, aliis etiam, ſicuti ſiti, hecticâ diſpoſitione, atrophiâ & marcore, excipiuntur, donec tandem corpus planè in ſtatum maraſmi reducatur, idque ſæpiſſimè ſine tuſſi, aut aliquo alio notabili ſigno Phthiſeos pulmonaris. Hic morbus in principio facilè curatur, ſi cauſa ejus antecedens curari poſſit, Gonorrhœa ſcil. & Fluor Albus. In ſtatu verò confirmato planè incurabilis eſt. Ideoque prudentem, & probum Medicum, qui propriæ famæ ſtudet, ejus curationem ſuſcepere non decet, verùm magis cum fatali præſagio Ægrum dimittere; quo arti, & conſcientiæ ſuæ, etſi non crumenæ, ſatisfaciat.

Verùm ſi tempeſtivè accerſatur, omni methodo convenienti ſatagere debet Medicus, quo Gonorrhœam, vel Fluorem Album ſiſtat, quæ ſunt cauſæ hujus Tabis. Quæ res, quomodo oporteat fieri, in capite de Gonorrhœâ, & Fluore Albo alibi dicemus. Hoc fluxu ſucci nutritii jam arte ſuppreſſo, totis viribus nitendum eſt, quo, quàm citiſſimè ſanguis effœtus, & depauperatus novo, oleoſo, & benigno chylo ſaturetur. Ideoque, ſicuti priore capite innuimus, delicati, & euchymi, palatoque, & ventriculo gratiſſimi cibi ſæpiùs in die, licèt parvâ quantitate, offerantur. Et quo magis excitetur appetitus, hilari animo eſſe jubeatur Æger. Nihil enim magis quàm mœſtitia, appetitum labefactat, & Tabem confirmat. Aëre etiam aprico, & benigno fruatur, qui plurimùm nervis, & conſequenter appetitui, & ventriculo confert. Exercitiis etiam, & frictionibus, uſque ad ſudores moderatos (ſi vires ferant) quotidiè utatur, quo ſaburra veteris, effœti & inutilis chyli, qui vaſa ſanguifera, & habitum corporis jam infercit, exſudetur, utiliſque copioſior detur, & conſequenter appetitus in ventriculo augeatur. Abſtinendum verò eſt omnino à liberali uſu vini, & liquorum ſpirituoſorum, à quibus ſanguis jam nimis calidus factus, ulterius excandeſcere ſolet. Caveat etiam Medicus à præſcriptione Catharticorum, vel cujuſcunque alterius inſignis evacuationis, quæ impenſas ulteriores naturæ jam languidæ creare poſſit. Sin verò calor hecticus, vel leviſſimo gradu, in partibus ſolidis accendatur, ſtatim uſu lactis aſinini, lacteæ diætæ, vel aquarum mineralium Chalybeatarum, extinctio hujus flammæ ſummoperè molienda eſt.

Caput. 5. De Tabe ab Apoſtematibus, & Ulceribus largis ortâ.

Apoſtemata, & Ulcera larga, cuicunque partis corporis (ſive externæ, ſive internæ) ea accidant, ſi diu manent, multumque ſeri, ſeu Ichoris effundant, Tabidum tandem reddidiſſe Ægri corpus, idque, uſque ad maraſmi lethalis gradum, ſemper obſervavi; & quidem hujuſmodi Ulcera in muſculis dorſi, & teſticulis, imò in genu & pede, æquè Tabem inducere, ac in renibus, vel hepate, vel pulmonibus ipſis notavi: Quinetiam Phthiſin pulmonarem his Ulceribus amplis, & vetuſtis ſæpiùs vidi ſuperveniſſe.

Cauſa hujus Tabis eſt proculdubiò longa, & copioſa ſubtractio ſucci nutritii de maſsâ ſanguineâ per Ulcera continuò depluentis; quo ſanguis, qui in vaſis reſtat, oleoſo, & alimentari ſucco privatus aceſcit, & incaleſcit, indeque corporis alitioni ineptus redditur: quo calor febrilis, & hecticus non tantùm in ſanguine, & ſpiritibus accenditur, verùm etiam in habitu corporis, & partibus ſolidis defixus manet, unà cum ſiti, languore virium, inappetentiâ, nauſeâ, atrophiâ partium, & tandem vigiliis; donec Æger in ſtatum maraſmi redactus miſerè ultimum diem claudat, licèt, ut plurimùm, ſine dyſpnœâ, tuſſi, vel aliquo alio ſigno Pathognomonico Phthiſeos pulmonaris.

Hæc Tabes (ſicuti de alterâ, præcedenti capite, diximus) facilè curationem admittit, ſi modò Ulcera eam facientia arte medicâ internè, & chirurgicâ externè, tempeſtivè curari poſſint ſc. priuſquam Æger in aliquem gradum maraſmi redigatur. Sæpiſſimè verò (Proh dolor!) in hoc caſu Æger blanditiis Chirurgorum malè feriatorum deceptus Medicum non accerſit, uſque dum magis conveniat Theologum de animæ futuro ſtatu, vel Juriſperitum de re Teſtamentariâ conſulere.

Quo in caſu prudentem Medicum prognoſtico fatali priùs habito, magis ſeſe ſubducere, quàm ſpe curationis impoſſibilis, Ægrum jam deſperatum fallere, convenit.

Sin verò Medicus ſatis tempeſtivè advocetur, priuſquam Æger nimis Tabidus, & Hecticus evadat, curatio Ulcerum, ope artis medicæ internâ, quam citiſſimè molienda, & accelerãda eſt. In quem finẽ uſus copioſus decocti Sarſæ, &c. egregiè confert, non tantùm ad emolliendum ſanguinem quo cruor minùs acris & excandeſcens redditus novum chylum faciliùs ſibi aſſimilare, & in propriam naturam convertere poſſit, & Fluor chyli per Ulcera factus minoretur, quod ſanationem Ulcerum multum promovet; quam ob cauſam proculdubio hæc decocta vulgò exſiccantia audiunt: Quinetiam ad exſudandum, & tranſpirandum ſaburram ſuccorum effœtorum

& inutilium in habitu Corporis, & vaſis deliteſcentium per poros cutis, Ego ſequenti formulâ decocti uti ſoleo.

℞. Sarſ. opt. inciſ. ℥vi. Rad. Chin. ℥ii. Lign. Saſſafr. Santal. rubr. Ratur. C. C. Eboris. an. ℥ß. Paſſular. major. exacinat. ℥iv. Glycyrrhiz. raſ. ℥i. N. M. inciſ. nº. i. Poſt debitam infuſionem coquantur in Aq. Font. ℔. xii. ad ℔. vi. ſub finem decoctionis addendo (ſi à tuſſi, vel dyſpnœâ, vel leviſſimâ ſit pulmonum ſuſpicio) fol. Tuſſilag. Capill. vener. pulmonar. maculoſ. hæder. terreſtr. veronic. flor. Bellid. major. an. m. i. deinde fiat colatura, & bibat Æger copioſè hoc decoctum pro potu ordinario.

Imò, ſi Ulcera ſint vetera, & curatu difficilia, bibat etiam Æger horis medicis ℥vi. vel viii. Aquæ Calcis. Cujus egregio ſale, præcipitatis acribus, & acidis ſanguinis particulis, tota maſſa miteſcit, atque inde faciliùs novum chylum amplectitur, & in propriam naturam ſubigit, quo fluxio chyli ad partes Ulceratas fit minor, & conſequenter expeditior fit ſanatio Ulcerum arte Chirurgicâ: ob quam rationem vulgò hîc etiam potus exſiccativus æſtimatur. Formulam Aquæ Calcis mihi familiarem hîc etiam annectere lubet.

℞. Sarſ. inciſ. ℥ vi. Uvar. Corinthiac. ℔. ß. Poſt debitam infuſionem coque in aq. Fon. ℔. xii. ad vi. Deinde fiat colatura. In hoc decocto exſtingue Calcis vivæ ℔. ß: quod poſtquam per reſidentiam fuerit depuratum, & ſale Calcis ſaturatum clarè decantetur, & in lagenis vitreis ſervetur in uſum.

Imò, ſi non adſit hectica diſpoſitio manifeſta, durante uſu horum decoctorum, quarto, vel quinto quoque die purgetur Æger, idque, non tantùm lenioribus medicamentis, ut Decocto ſen. cum Mannâ, &c. verùm etiam fortioribus, ut Extract. Rud. ℈ß. aut Pil. Coch. minor. ℈i. Imò, ſi Æger cum euphoriâ purgationem ferat, & opus fuerit, conſcendere licet ad uſum Scammonii, & ipſius Reſinæ Jalappæ, quibus ſemper conjungere convenit doſin Calomelanos. Quod medicamentum, corrigendo, & alterando diatheſin ſanguinis, egregiè confert ad ſanationem Ulcerum. Formulâ ſequenti ego uti ſoleo.

℞. Diagryd. ſulphurat. vel Reſin. Jalapp. gr. xvi. Calomelan. gr. xxv. vel ℈ß. Conſerv. Roſar. Pallidar. vel Syr. de ſpin. Cerv. q. ſ. Mſ. F. Bolus.

Vel ſumat Æger Catharticum Mercuriale formâ pulveris è Cochleari lactis cùm regimine. Quo medicamento ſaburra effœti, & inutilis chyli in ſanguine, & habitu corporis retenti egregiè per alvum deturbatur, indeque Ulcerum ſanatio acceleratur.

Imò, ſi vires Ægri firmæ fuerint, & nullus Hecticæ diſpoſitionis gradus eum adhuc invaſerit, Salivatio Mercurialis ope, non tantùm Calomelanos, verùm etiam (ſi opus fuerit) ipſius Turpethi mineralis promovenda eſt. Quod quidem eſt ultimum aſylum, & Herculeum remedium, quod etiam (ſi cautè ſit exhibitum) in curatione Ulcerum veterum, & obſtinatorum ſatis tutum eſt.

Utiliter etiam hîc præſcribi poſſunt remedia Balſamica interna, uti Syrupus balſamicus, Balſamus Leucatelli, &c. Ex. gr. Capiat Æger ſingulis noctibus Balſam. Leucatell. & conſerv. Roſ. rubr. an. ℈ß. vel ℈ii. cum Balſam. Peruv. gut. iii. vel. iv. vel bis, aut ter die Cochl. unum ſyrupi balſamici ritè fact. vel per ſe, vel ſolut. in hauſtu decocti ſarſæ, vel ℈ß. Balſam. Tolutan. in pilulas parvas redact. horis medicis, ſuperbibendo hauſtum decocti ſarſæ. Vel ſi nullus adfuerit calor febrilis capiat bis die gut. viii. vel x. opobalſami tantillo ſacchari Canti except.

Saneſcente verò Ulcere, ſummoperè cavendum eſt, ne loco Tabis communis, à ſubtractione chyli, Phthiſis verè pulmonaris ſubſequatur, quod quidem ſæpiſſimè accidit. Hâc enim maximè uſitatâ ſucci nutritii portâ, arte chirurgicâ, & medicâ jam occluſâ, ſi ſanguis adhuc manſerit effœtus, nec ſuam priſtinam balſamicam, & oleoſam naturam recuperaverit, magis exſcandeſcere, & aceſcere ſolet, & inde ſuccum nutritium acrem, & calidum (per ulcus antea excerni ſolitum) jam in parenchymate pulmonum, (utpote molli, & humorum receptioni apto) deponere ſolet. Unde non tantùm infarctio pulmonum ſequitur, atque inde reſpirationis difficultas; verùm etiam tumor inſignis glandularum, quæ in his partibus ſatis frequentes eſſe ſolent, & exinde tuſſis arida, & moleſta, imo calor, & inflammatio, indeque febris non tantùm Hectica, verùm etiam putrida, ſeu potiùs inflammatoria, & tandem Apoſtema, & Ulcera cum ſiti, & inapetentia; quæ omnia in funeſtam, & confirmatam Phthiſin pulmonarem tandem finiuntur. Ideoque, ubi primùm hæc Ulcera externa, & remota ſaneſcere incipiunt, diligentiſſimè attendere debet Medicus, ut exploret, num vel leviſſimus difficilis reſpirationis gradus, vel quodvis aliud ſignum affectionis pulmonariæ ſuperveniat. Imo ſi appetitus maneat imbellis, vel ſi, vel minimus caloris præternaturalis gradus in habitu corporis adſit, quo vel leviſſima ſuſpicandi Phthiſin pulmonarem occaſio præbeatur, primum ejus inſultum, & progreſſum totis viribus præcaveri oportet more ſequenti. Fiant fontanellæ frequentes, radatur caput, continuetur uſus remediorum balſamicorum antè memoratorum, & decocti ſarſæ cum herbis vulnerariis prædictis; vel in ulteriorem temperationem, & alterationem ſanguinis, ad diætam lacteam ſtrictiſſimè relegetur Æger. Ob eandem rationem aquæ minerales chalybeatæ hîc etiam valde proſunt. Depletio etiam pulmonum infarctorum per Thoracica, & Pulmonaria Apozemata, linctus expectorantes, aliaque ejuſmodi in capite de Phthiſi pulmonari poſthàc deſcribenda, quamprimùm acceleranda eſt, priuſquam continuâ calidorum, & acriorum ſuccorum ſtagnatione tonus partium labefactetur, & calor febrilis ſuperinducatur.

Caveat etiam Æger diligentiſſimè à pathematis animi, frigore, exercitiis vehementioribus; uti etiam ab uſu vini, & liquorum ſpirituoſorum, qui appulſum ſanguinis ad pulmones citatiorem, quàm par eſt, efficiant, & calorem in ſanguine præternaturalem accedant.

Sin

Sin verò nulla ſit ſuſpicio pulmonum, ſaneſcente jam Ulcere, commendetur Æger hilari animo, benigno, & perflatili aeri, & victui euchymo, & pleno, miti tamen, & acrimoniæ experti, & exercitiis moderatis, à quorum uſu ſanguis quàm citiſſimè priſtinam balſamicam, temperatam, & oleoſam naturam induere, & ventriculi appetitus augeri, poſſit.

Quâ methodo non tantùm præcavetur futura, verùm etiam curatur incipiens Tabes ab Ulceribus externis proveniens, uti antea in prioribus capitibus de aliis Phthiſibus originariis à ſucci nutritii ſubtractione oriundis, largiùs diſſeruimus.

Hiſtoria. Uxor Domini Wheatley juxta Templum S[ti]. Sepulchri, Londini, circa 50. annos nata, ſpatio duorum annorum, lumborum dolore intolerabili, ab inflammatione, & Apoſtemate muſculorum lumbarium inde conſequente, cruciata, progreſſu temporis, à quotidiano dolore noctu, diuque, premente, & a continuâ impenſâ ſucci nutritii in hanc cloacam quotidie, & copioſè ſeſe exonerantis, in febrem, & tandem in Tabem, ad gradum uſque maraſmi, cum ſiti intolerabili, languore continuo, inappetentiâ, & vigiliis, ſine aliqua tamen nota Phthiſeos pulmonaris, redacta eſt; adeo ut miſera Muliercula continuò lecto affixa, quaſi ſtatim moritura cum ejulationibus horrendis vitam diu protraxerit. Præ anguſtâ re domi, Medicum tamen non conſuluit, verùm opinans morbum eſſe calculum renum miſerè ſeſe quotidie excruciavit medicamentis, neſcio quibus, lithontripticis, qualia vel quævis muliercula ejus ſocia illi profutura eſſe audacter pollicita eſt. Verùm ipſe tandem ab ingenioſiſſimo D[re]. Tyſon eam inviſere rogatus, unaque cum eo obſervans partes lumbares eſſe tumidas, & renitentes, & ſentiens agitationem materiæ purulentæ ſub impreſſis digitis (etſi paulò profundiùs ob craſſitiem muſculorum, & denſitatem cutis lateſcentis) cum conſenſu digniſſimi Collegæ mei imperavi, uti poſt applicationem cauſtici, apertio in loco convenienti per Chirurgum fieret. Quâ apertione jam factâ, magna copia materiæ primùm limpidæ dein purulentæ, Cyſtidumq; aquâ limpidiſſimâ repletarũ, ad minimum Quingentarum magno impetu effluebat. Per tres hebdomadas, vel eo ampliùs, turundâ quotidie extractâ, copioſũ pus, & Cyſtides lymphâ oppletas eduximus. A primâ Apoſtematis apertione dolores plurimùm alleviabatur, & moderato uſu Syrupi de Meconio ſomnum convenientem capiebat, opèque chirurgicâ externè, & uſu continuo decocti Sarſæ internè in potum ordinarium exhibitæ, ulcus intra ſpatium ſeſquianni (quod tam diu conſultò Turundâ argenteâ Fiſtuloſâ apertum ſervavimus) demùm perfectè ſanatum eſt: febris, Hectica, & ſitis evaneſcebant, vires augebantur appetitus rediit, & à ſtatu maraſmi planè liberabatur, & in aerem ruſticanum apricũ & benignum, verno tempore, atque ad uſum lacteæ diætæ dimiſſa, intra ſex hebdomadas εὔσαρκος, ſine aliquâ notâ Tabis evaſit, & adhuc poſt octo annos jam elapſos ſuperſtes optimâ valetudine fruitur. Plures ejuſmodi hiſtorias conſultò brevitatis causâ omitto.

Caput. 6. De Tabe Nutricum à lactatione nimiâ.

Nihil aliud eſt lac, quàm ſuccus Nutritius è maſſa ſanguinea per glandulas mammillares continuò ſecretus. Ideoque ſi, ob defectum appetitus, plus ſucci nutritii è ſanguine per mammas longo tempore exugatur, quam per novum chylum è venis lacteis maſſæ ſanguineæ ſuppeditatur, non poteſt non inſequi ſanguinis depauperatio atque inde Atrophia corporis (quandoquidem nutritione debitâ privatur) & conſequenter calor hecticus in ſanguine, ſpiritibus, & habitu corporis, quæ quidem eſt altera ſpecies Tabis originariæ, a ſubtractione ſucci nutritii orta; de quâ jam tractabimus.

Non eſt tamen diſſimulandum, me tabidam diſpoſitionem lactando curatam interdum obſervâſſe, idque non tantùm in Uxore meâ dilectiſſimâ, verùm etiam in plurimis aliis mulieribus. Ex. gr. Domina Willon, Vicina mea, durante lactatione, ſemper pingueſcit, quæ ceterâ parte vitæ fere inſtar umbræ tabida incedit. Imo Domina Thompſon, in vico dicto Snorehill, in fatalem Tabem habitualem, indeque in Phthiſin pulmonarem, manifeſtè à ſubitaneâ Infantis ablactatione, incidebat. Verùm æque facile eſt obſervatu, omnibus Nutricibus, quæ à lactando hoc modo pingueſcunt, appetitum manere integrum, imo durante lactatione plurimùm augeri, & exinde facillimum eſſe rationem hujus φαινομένου inveſtigari: Nempe quòd, appetitu, continua ſucci nutritii extractione, per infantis exſuctionem aucto, majori copiæ novi, & oleoſi chyli locus detur, quo ſanguis quotidie ditatur, quod magis, quam omnia medicamenta, ad Tabidæ diſpoſitionis curationem confert. Verùm, ſi durante lactatione, appetitus langueat, atque inde, ob paucitatem cibi ingeſti, minus novi ſucci ſanguini ſuppeditetur, quam egeritur per mammas, neceſſe eſt ut ſequatur hectica diſpoſitio in ſanguine, & ſpiritibus, & Atrophia, ſeu Tabes in habitu Corporis, idque ob rationes jam ante memoratas.

Primum hujus tabis adventuræ præſagium eſt Inappetentia, ideoque hanc cautelam omnibus nutricibus do, ut appetitu aliquandiu declinante, protinus ablactent infantes. Secundum ſignum eſt languor virium, ab effœto, & depauperato ſtatu ſanguinis procedens. Tertium eſt Hypochondriaca oppreſſio, & frequens paſſio hyſterica, & ſuffocatio. Quod quidem Phænomenon non provenit ab Infantis ſuctione vapores ſurſum trahente (uti vulgò exiſtimatur) verùm à ſubtractione ſucci nutritii magis copioſâ, quàm par eſt. Quo ipſi ſpiritus, pari ratione cum ſanguine, pauperes, & flatuoſi evadunt, quod robur nativum, primogenium amiſerint, unde ſequitur obſtructio, & inordinatus, & ingubernabilis hicce motus ſpirituum in nervis, & fibrillis muſculorum, atque inde oppreſſiones, & torſiones ſuffocativæ, & convulſivæ, vulgò dictæ hypochondriacæ, & hyſtericæ.

Hæc præſagientia ſymptomata progreſſu morbi, ab Atrophiâ & calore hectico, (quod mirum non eſt) excipiuntur, & ſæpe in Phthiſim pulmonarem, unà cum tuſſi, anhelitu, &c. terminantur. Originariè tamen hæc Tabes eſt in habitu corporis, idque à nimiâ ſubtractione ſucci nutritii.

Hæc

Hæc Tabes quum primùm ad gradum maraſmi provecta eſt, & in Phthiſin pulmonarem finitur, plane lethalis, & incurabilis evadit. Principio verò facile curatur, ſc. ablactatione Infantis ſubitaneâ, quo, cauſa procatarctica removetur, Secundò, præbendo copioſum nutrimentum Ægrotæ, è cibis euchimis. Tertiò, appetitum augendo hilaritate animi, uſu benigni, & aprici aëris, exercitiis moderati, &c. Imo deniq; ſi hectica diſpoſitiò id requirat relegãda eſt Ægra ad uſum lacteę diætæ, aut aquarũ Chalybeatarum. Abſtineat autem à vino, & evacuationibus omnibus pluſquam juſtis, uti in curatione Atrophiæ ab aliis evacutionibus ortæ jam ſupra innuimus.

Hiſtoria. Uxor Domini Bird amici mei integerrimi habitantis in vico dicto *Fetterlane*, circa annos 33. nata, puerum robuſtum per ſpatium anni, vel ulteriùs lactavit. Poſt quatuor verò lactationis menſes, appetitu privata parùm alimenti indies deſumebat, indeque in languorem virium, & paſſiones ſuffocativas, ſive hyſtericas incidebat, verùm ſine Atrophiâ, vel tuſſi, vel quavis aliâ morbidâ affectione. His verò admonitus, ego (eàm jam fortuitò inviſens) Infantem ſtatim ablactare juſſi, ne in Tabem incideret. Illa verò duobus, vel tribus menſibus in Infantis lactatione, cum appetitu dejecto, adhuc perſiſtens, tandem in Tabem, ſeu Atrophiam corporis incidit; verùm ſine tuſſi, vel aliqua inſigni febre. Vehementer tamen, & fere continuò, de ſiccitatate, & calore valdè moleſto circa tonſillas, uvulam, & partes deglutitioni inſervientes conquerebatur (ſicuti Dominæ Thompſon, & fere omnibus Lactantibus Tabidis accidiſſe obſervavi.) Quod Phænomenon, à depauperato, & calefacto ſtatu ſanguinis, ob nimiam lactationem exoriri mihi videbatur. Tandem, licèt nimis ſerò, monitis meis parens Infantem ablactavit, diætâque lacteâ, & aquis chalybeatis eſt uſa, cum magno emolumento. Appetitu verò ab his (quippe non ſatis tempeſtivè in uſum ſumptis) non reſtituto, ſufficientem copiam novi chyli in maſſam ſanguinis recipere non potuit, atque inde ab omnibus medicamentis abhorrens (conſultis licèt optimis Medicis) tandem in Phthiſin pulmonarem incidens, cum tuſſi, anhelitu, & febre hecticâ planè ſuffocata moriebatur.

Caput. 7. De Tabe à Dyſenteriâ, & Diarrhœâ.

In ſcorbuticâ diatheſi corporis, in tantum ſæpe aceſcit ſanguis, ut ex quavis levi cauſâ irritatus, novum chylum ſibi aſſimilare non poſſit; quo fit ut, continuo fluxu inſtar rivuli, per glandulas inteſtinales excernatur. Qui chylus ſi ſit benignus, more Diarrhœæ, ſin verò acris, & malignus, more Dyſenteriæ cruentæ, morbum fingit. Ab hoc continuo chyli effluxu valde depauperatur, & incaleſcit ſanguis, adeo ut licèt Dyſenteria, aut Diarrhœa, opiatorum & adſtringentium medicaminum uſu (qualia veniunt deſcribenda in capite de Diarrhœâ, & Dyſenteriâ) profligetur, calor tamen Hecticus in ſanguine adhuc manet, unà cum Atrophiâ, & ſiccitate Cutis, à depauperato & effœto ſanguinis ſtatu ortus: Uti accidebat Filio meo unico, & dilectiſſimo, plurimiſque aliis: Quæ Tabes ſæpiſſimè in Phthiſin pulmonarem finitur. Eſt verò præcavenda (Diarrhœâ, & Dyſenteriâ propriis medicamentis priùs curatis) uſu longo lacteæ diætæ, corticis Peruviani, aquarum mineralium Chalybeatarum, & decocti albi in potum ordinarium. Hæc Tabes frequenter Infantibus denturientibus ſupervenit. Verùm ex longo uſu decocti albi, Julapiorum perlatorum, & medicaminum adſtringentium leviter opiatorum facillimè curatur.

Hiſtoria 1. Filia unica Domini Tindall. Adoleſcentula egregia, ſcorbutica tamen, & quadantenùs melancholica, circiter XVIII. annum ætatis, à ſuppreſſione purgationum menſtruarum, in Diarrhœam ſeroſam, & Colliquativam incidit, ex qua ſenſim, ſpatio unius anni, Atrophia univerſalis, uſque ad gradum Maraſmi, inducebatur, ſine verò aliquâ febre ſenſibili, vel Tuſſi, vel dyſpnœâ vel aliquâ aliâ notâ morbidæ pulmonum affectionis, adeo ut à Medico, qui eam ante me curavit, non omnino pro Tabidâ haberetur. Ego, cùm jam præ debilitate fere perpetuò lecto affixa erat Ægra, eam inviſere accertitus quaſi Diarrhœâ ſola affectam, planè Tabe uſque ad maraſmum confectam inveni, & ità de eâ ſententiam meam palam protuli, licet adhuc pulmones ſarti tecti viderentur, nec ullum Indicium aderat febris Hecticæ. Quumprimùm verò à regimine debito, & uſu medicaminum efficacium ſiſtebatur Diarrhœa impenſiva, quam prior Medicus ex ignorantiâ, vel incuriâ tandiù permiſerat; illicò flamma hectica in habitu Corporis accendi incipiebat, & pulmones etiam affici tuſſi fere perpetuâ, & dyſpnœâ, quæ ſymptomata tandem ſudore colliquativo, tumore pedum, aliiſque notis funeſtæ Phthiſeos pulmonaris excepta, citò ad ſupremum diem Virginem formoſam, inter lacrymas amicorum, deducebant. Duo hîc præſertim notatu digna erant, ſcil. quòd, quo magis Diarrhœa ſiſtebatur, eo ſemper magis pulmones illicò afficiebantur: Et ſecundò quòd, utcunque per ſpatium fere anni Tabes prævaluerit, ad maraſmum uſque, priuſquam vel labes minima pulmonibus impreſſa videbatur, in cadavere tamen poſt mortem aperto pulmones apparebant ubique tuberculis hîc illic referti, iiſque non tantum crudis, verùm etiam aliquibus maturis.

Hiſtoria 2. Filius meus unicus, antequam annum ætatis octavum attigerat, me abſente, Dyſenteriâ truculentiſſimâ corripiebatur, à quâ, ante meum reditum, Tabe uſque ad Maraſmum, confici videbatur. Poſtquam verò diligentiſſimo uſu Remediorum omnigenorum Dyſenteria plane vincebatur, & alvus in ſtatum naturalem redigebatur, manebat adhuc calor Hecticus, Cutis arida, Pulſus Celer, cum aliis febris hecticæ ſignis: Inſuper Appetitus plurimùm deficiebat, Tuſſis arida invadebat, & ſurditas aliqualis, cum hebetudine Cerebri. Ex electione verò aëris ſalutiferi, uſu Lacteæ diætæ, & poſteà Corticis Peruviani, & nutrimenti euchymi, & pleni, ſpatio trium, vel quatuor menſium εὔχυμος & εὔσαρκος evaſit, niſi quòd ab illo tempore uſque huc, à minimâ occaſione, tuſſi Aſthmaticæ valde pronus maneat.

Cap. 8. De Tabe à Diabete, ſeu nimio fluxu Vrinæ.

Diaberes vulgò dicitur Hydrops ad Matulam, eſtque-

eſtque continuus ſucci nutritii fluxus per renes decurrens, qui cogitabundis, & vini Gallici, liquorumq; diureticorum Potatoribus plerumque accidit: Unde urina (ob copioſam ſcilicet novi chyli affluentis admixtionem) ſalſedine ſuâ privata, dulcis, imò mellea redditur. Hoc continuo effluxu chyli depauperatur ſanguis, indeque inſigniter languent vires. Ab excandeſcentiâ ſanguinis calor præternaturalis in partibus ſolidis accenditur, unde debilitantur Nervi, atque inde ſpaſmi, vertigines, aliæque generis nervoſi affectiones ſequuntur, tandemque partes muſculoſæ, ſucco nutritio privatæ in Atrophiam, ſeu Tabē incidunt: Uti accidebat filio Domini *Pettit*, Domino, & Dominę Wells aliiſq; quamplurimis. Hæc Tabes curanda eſt diuturno uſu diætæ lacteæ, conſervæ Roſar. rub. boli Arme. Gum. Arabic., Tragacanth. &c. potatione longâ aquarum Bathonienſium, Iſlingtonienſium, vel cujuſvis alterius aquæ mineralis chalybeatæ. Abſtinendum verò eſt ab uſu vinorum, præcipuè Gallicorum, à Venæſectione, omnibuſque catharticis, præter Rhabarbarum, Myrobalana, aliaque ejuſmodi lenia, quæ etiam ſtypticis partibus ſunt prædita, de quorum vi in hoc morbo debellando mox egregiam referemus hiſtoriam.

Hiſtoria 1. Filius Domini *Pettit*, à Diabete, cujus curatio diu neglecta fuit, non tantùm epilepticis, & Vertiginoſis affectibus frequenter fuit afflictus, ſed etiam, progreſſu morbi, valde tabidus evaſit. Verùm uſu aquarum Tunbrigienſium, lacteæ diætæ, & Electuariorum adſtringentium perfectè reſtitutus eſt; jam poſt decem annos rectè valet.

Hiſtoria 2. Ipſe Dominus *Pettit*, prioris Ægri Pater Incolaque cujuſdam vici dicti Longlane, jam fere ſeptuagenarius, à Diabete in ſummam hecticam, ultimumque Maraſmi gradum redactus lectoque per tres ſeptimanas affixus diætæ lacteę accuratiſſimè inſtitutæ & Julapiorum, Electuariorumque adſtringentium, à Diabete, & febre, tandemque à Tabe ipſâ ſanus evaſit, eſtque adhuc, quantum ego ſcio jam poſt 5. annos ſuperſtes.

Hiſtoria 3. Dominus Weeler, Incola vici dicti Princes-ſtreet, licet jam tres puellas habeat vivas, & ſanas, omnes tamen filios, primâ infantiâ (ubi ſcil. primùm cœperunt denturire) diabeticâ Tabe ſublatos, à miſit. Nomen quidem morbi ignoravit, verùm, dum obſervaret eodem modo omnes filios periiſſe, idque, fere circa idem ætatis tempus, atque id, in extremam emaciationem redactos, cum perpetuâ, & inexſtinguibili ſiti, & profluvio Urinæ mirabili, me tandem conſuluit de quarto filio, qui tunc denturiebat. Atque ſicuti tres priores jam defuncti, incipiebat immodicè ſitire, atq; etiam æque immodicè mingere, quo caro valde flaccida reddebatur, calorq; hecticus ſuboriebatur. Ita, melleâ Urinæ dulcedine fultus, ſententiâ firmatâ, Phthiſin diabeticam à dentitione ortâ pronunciavi; qualis perfectam curationem admittere non poſſit, uſquedum dentium eruptio jam plane completa fuerit. Intra unius, vel alterius menſis ſpatium, ad faciem Hippocraticam, ultimamque tabis ſcenam miſellus infans redigi videbatur; quippe qui colliquationem per Diarrhœam, æque ac per diabetem pateretur, licet ſine Tuſſi, vel aliâ aliquâ pulmonum affectione. Utcunque, in præſentem ſymptomatum alleviationem, præſcripſi accuratiſſimam diætam lacteam, & Electuarium adſtringens, juſſique, ut ſitiens lac ſolùm aquis Iſlingtonienſibus mixtum per totam æſtatem biberet. Quò ſitis, & profluvium Urinæ aliquantùm ſupprimi, caroque reſarcire videbatur. Morbo autem incertis intervallis, recrudeſcente, cum inſigni per alvum, æque ac per renes colliquatione, quoties ſcil. inſtabat nova dentium eruptio, ſecundùm prognoſticon initio habitum, præſcripſi tandem gr. vi. vii. vel viii. Rhabarbari, mane omni, & tantillum diaſcordii horâ ſomni ſumendum. Quorum remediorum diligenti uſui infantem committebam, atque in horum uſu perſiſtebat per duos annos, ad minimum, donec ſcil. omnes dentes erupiſſent, quò vires, carneſque continuò reſarciebantur, meliuſque indies ſeſe habuit, etſi, aliquantùm ſiti, profluvioque Urinæ detineretur, uſque dum totum numerum dentium compleviſſet. Jam verò quarto ætatis anno finito, ſanitate firmâ, athletico corporis ſtatu frui videtur, ac ſi nunquam morbo aliquo affectus fuiſſet.

Cap. 9. De Tabe à Salivatione ortâ.

Salivatio eſt vel naturalis, vel arte facta; eſtque harum utraque copioſa ſecretio ſucci nutritii per Glandulas ſalivales facta; quâ, ob rationes jam prioribus capitibus memoratas, poſt longum ſalivationis curſum, ſanguis aceſcit, & incaleſcit, parteſque muſculoſæ debitâ nutritione privatæ in Atrophiam, ſeu tabem incidunt.

Salivatio naturalis, ſeu Ptyaliſmus ſcorbuticis plurimùm ſupervenit, diuque, quoniam ſanguis, ob acrimoniam, non potis eſt novum chylum ſibi aſſimilare, ideoque, in circulatione, eum continuò per Glandulas ſalivales excernit. Quò fit, ut vel ipſis mulierculis ſit notum, nimiam ſalivationem in Phthiſin tendere; quare rite continuam ſalivæ deglutitionem ad Tabem præcavendam præſcribere ſolent: quâ non tantum ſalivationis progreſſus præpeditur (ſputatio enim tractione quâdam perpetuâ glandulas ſalivales ſollicitat, & ad novam excretionem urget) verum etiam chylus per ductus ſalivares incaſſum excretus, naturæ, in ſanguinis reparationem, continuò reſtituitur.

Æque verum eſt etiam omnem ſalivationem arte factam mercurialibus ſcil. medicamentis excitatam (ſi longa fuerit) hecticam & tabidam diſpoſitionem inducere.

Quo in caſu (ſalivatione jam finita) ad uſum diuturnum lacteæ diætæ Æger relegandus eſt, quo ſanguis leniatur, & diſpoſitio tabida præveniatur. Deinde aëri aprico, & benigno, & liberali ciborum euchymorum uſui, imò etiam (ſi opus fuerit) aquarum mineralium Chalybeatarum committendus eſt.

Patuit Egregium hujuſmodi tabis exemplum in Filiâ Domini *Daulton Pharmacopolæ*, quæ à ſalivatione mercuriali ad curandas Scrophulas excitatâ, ſtatim à finitâ ſalivatione, in tabem lethalem incidit, & ob ingentes humorum impenſas ſalivatione factas, neque aëre, neque lacteâ diætâ, neque ullâ aliâ arte reſtitui potuit; verùm ſenſim tabe confecta, ſine ullâ Phthiſeos pulmonaris notâ, poſt unum, vel alterum menſem à ſalivatione elapſum ultimum diem clauſit.

Cap.

Caput 10. De Tabe ab Hydrope orta.

Hydrops fit Lymphæductuum, ſeu vaſorum Chyliferorum rupturâ, quò ſuccus nutritius (qui naturaliter per hæc vaſa, quaſi perpetuis quibuſdam rivulis, ſub ſpecie vel lymphæ, vel chyli in ſanguinis maſſam, in neceſſariam ejus reparationem deferri ſolet,) jam continuo in cavitatem abdominis, & Thoracis, vel in ipſos artus habitumque corporis effluit, & depluit. Quò, ſanguis ſolitâ inſtauratione chyli, vel utriuſque privatus, valde depauperatur, indeque aceſcit, & incaleſcit; unde nemo mirari debet febrē cum ſiti, aliiſq; ejuſmodi ſymptomatis, inde naſci, uti & Tabem, ſeu Atrophiam partium, cum languore virium inde conſequente, ob diſtentionem muſculorum ab humore Hydropico intus contento.

Uſitatiſſima hujuſmodi vaſorum rupturæ cauſa eſt tumefactio glandularum Abdominis, vel Thoracis, vel artuum, per quas, vel juxta quas hæc vaſa perrepunt, & ſuffulciuntur. Quibus tumoribus vaſa illa tenera coarctata, & compreſſa liberum tranſitum præbere non poſſunt, vel lymphæ, vel chylo; indeque, continuo appulſu novi liquoris ad partes vaſorum compreſſas tendentis, & præterfluentis tergum prementis, Vaſa ultrà tonum naturalem diſtenta tandem rumpuntur. Hic morbus eſt valde difficilis curatu, nec quidem ſine lymphæductuum, ſeu vaſorū lacteorum agglutinatione, & conſequenter minutione glandularum tumidarum, quæ vaſorum exilium rupturam comprimendo efficiunt, curari poteſt. Hoc igitur caſu, Indicationes curativæ ſunt quæ ſequuntur.

Primò; Saburram ſucci nutritii extravaſati catharticis hydragogis, uti Reſinâ Jalapii, Guttâ Gamb. aliiſque capite de Hydrope memorandis; atque etiam diureticis, uti ſale ſuccini, Millepedis, &c. ſubducere, & evacuare.

Secundò, Longo Chalybeatorum uſu tumefactas glandulas obſtructionem chyli efficientes, reſerare, tonũmque partium tumefactarum exinde reſtituere, & firmare. Quibus factis, Æger copioſè cibis euchymis nutriatur, tandemque libero & benigno aëri, & uſui aquarum Chalybeatarum committatur, non tantùm in ulteriorem ſanguinis temperationem, verùm etiam in perfectam glandularum obſtructarum reſerationem. Hoc autem in caſu à diæta lacteâ religioſè abſtinendum, quoniam glandulas jam obſtructas ulteriùs infercit, & conſequenter cauſam morbi procatarcticam promovet.

Hiſtoria. Filius Thomæ Lechmere Armigeri, circiter annos duos natus, & denturiens, à frigore percepto, in Peripneumoniam incidit, atque longo tempore, à Pharmacopolâ, omiſſis Venæſectione aliiſque curationi legitimæ apprimè neceſſariis, peſſimè habitus eſt. Tandem autem à me & Collegâ meo eximio, Dre Croon, ſerò licet advocatis, per detractionem ſanguinis, applicationem Veſicatoriorum, & linimentorum Thoracicorū ut & per exhibitionem Medicaminum pulmonarium, quadantenùs reſtitutus eſt: Valetudinarius tamē cum tuſſi & difficili eſpiratione manſit, per ſpatium ſcilicet anni unius, ad minimum, à quo tempore miſellus puer febre hectica, quotidiè intermittente cœpit detineri, quæ licèt uſu Corticis peruviani ſæpiſſimè profligata fuerit, citò tamen reviriſcere ſolebat, & quidem, incertis intervallis, per annum integrum, ad fatalem uſque diem recrudeſcebat. Ab initio verò febris, Abdomen Hydropico tumore diſtendi cœpit; qui quidem tumor mirum in modum, indies creſcebat, cum augmento tuſſis, & dyſpnϾ; quibus omnibus Atrophia partium, ad gradum uſque maraſmi, tandem ſuperinducebatur: In ſumma verò Corporis emaciatione, & Hydropis ἀκμῇ (quod notatu dignum) vultum habuit vegetum, & elegantiſſimum, abſque vel minimâ flavedinis tincturâ, Appetitum etiam firmum ſeu magis voracem, idque, ad funeſtum uſque diem. Quo rectè conjectatus ſum, necnon amicis ejus hanc ſententiam ſemper protuli, Hydropem eſſe verè chyloſum factum à depluvio chyli in cavitates abdominis per vaſa lactea, ex accidente aliquo rupta, necnon tabem comitantem haud eſſe verè pulmonarem, ſed ex merâ inanitione ortam, per ſubtractionem ſcil. ſucci nutritii debiti è vaſis chyliferis, rupturâ jam in iis factâ. Quod ab eventu planiſſimè patuit. Paracenteſi enim factâ in Abdomine, dum adhuc vivus erat puer, extraximus plurimas libras chyli lacteſcentis, & admodum dulcis, qualis in ipſo ducto chylifero reperitur. Aperto verò poſt mortem Cadavere, non obſtante difficili reſpiratione, & longa tuſſi, invenimus pulmones ipſos ſanos & ſine aliqua præternaturali affectione, niſi quòd in poſtica parte, prope Trachæam, glandulæ apparebant valde numeroſæ, eæque ſatis inſignes, & duræ, egregiam preſſuram ſuper ipſum ductum chyliferum efficientes, fere quà parte Venam ſubclaviam pertingit; erantque adeò inſignis ponderis, & molis, quòd ob preſſuram ſuper ductum inde factam, ac ſi à faſciâ injectâ, difficile admodum videbatur, ſi omnino poſſibile, ut Chylus ſeſe in ſanguinem trajiceret. Atque inde factum eſt proculdubio, quòd vaſa lactea tenuia in abdomine ſita (chylo continuò premente, & tranſitum facilem ſuperiùs per ductum chyliferum non reperiente) ultra tonum diſtenta, tandem rupturam paterentur, atque ità in cavitates abdominis chylum ſanguinis reparationi deſtinatum, quaſi continuo rivo, trajicerent. Ex jam dictis prope vel ipſi ſenſui apparet primò, hos tuberculos, ſeu glandulas pulmonares tumefactas à malè curatâ Peripneumoniâ, ob defectum ſcil. tempeſtivæ venæſectionis, & expectorationis, primitùs, eſſe oriundos. Secundò, Sicut tuſſim moleſtam atque aridam à conſtrictione vaſorum pulmonarium aëriferorum his tuberculis factâ, ità etiam reſpirationem anheloſam à preſſura chyli extravaſati infra diaphragma ortum habuiſſe. Tertiò, Tabem hanc non fuiſſe verè pulmonarem, quoniam licet adfuerint tuberculi pulmonares, Apoſtemata tamen non referebant, neque exulcerabantur: Verùm, revera procedebat hic Maraſmus ab Hydrope hoc Chyloſo, unde continuò ſuccus ille nutritius ſubtrahebatur, qui ſanguinis reparationi, & partium nutritioni debebatur. Quartò, Hydropem hunc à rupturâ vaſorum lacteorum in abdomine ſitorum ortum habuiſſe, & denique hanc rupturam exilium Vaſorum lacteorum à continua illa preſſura in ſuperiorem partem ductûs Chyliferi per tuberculos hos pulmonares factam eſſe.

Cap. II. De Tabe à Sudoribus immenſis ortâ.

Sudores immenſi & chronici ſæpiſſimè in colliquativos evadunt: His enim, non tantùm ſaburra veteris effeti, & inutilis chyli, verùm etiam novi, & oleoſi copia (ob ſanguinis, præ nimia ſcil. acrimoniâ (ſcorbuti à ſenum contractâ) aſſimilandi impotentiam) per poros cutis liberè excernitur. Quo fit, ut ob continuum ſanguinis depauperationem, non tantùm ejus maſſa aceſcat; & in febrilem & hecticum calorem excandeſcat; verùm etiam partes corporis ſolidæ, nutritione neceſſariâ, hoc modo jam privatæ, paulatim in Atrophiam incidant, & prorsùs marceſcant.

Hic Sudor colliquativus, ſicuti omnem Phthiſin pulmonarem in ſtatu deplorato, & in ἀκμῇ comitatur, quum morbus ſcil. ad fatalem periodum jam præceps ruit; ita infuneſto cujuſvis morbi ſtatu, ſemper cum præcipiti naturæ ruinâ, reperitur: Ideoque hi madores, ſeu colliquativi & oleoſi Sudores vulgò vocantur *Clammy Death-Sweats*, Viſcidi ſudores lethales.

Aliquandò etiam in Scorbuticâ diatheſi, licet rarò, hujuſmodi Sudorem colliquativum obſervavi locum tenere morbi originalis, cujus exceſſu, paucis hebdomadis, totum corpus in ſtatum Hecticum, & Tabidum redactum vidi: Quód fit, quoniam ab his profuſis Sudoribus in longum tempus productis, ſanguinis maſſa in ſtatum depauperatum, & alitioni inhabilem reduci ſolet: Unde neceſſariò ſequitur calor Hecticus, & Atrophia partium, cum languore, aliiſque tabis ſymptomatis in habitu corporis uſitatis.

Unum, aut alterum exemplum hujuſmodi hìc ſubnectere lubet, quorum enarratione curatio hujuſce tabis, quantùm mihi innotuit, declarabitur.

Hiſtoria 1. Dominus Luffe Presbyter fere Sexagenarius (qui fuit etiam pater Domini Doct. Luffe eximii Medicinæ Profeſſoris Oxonii) vir à multis retro annis valde Scorbuticus, & melancholicus, vertigini, palpitationi cordis, multiſque aliis generis nervoſi affectibus ſæpiſſimè erat obnoxius. Super omnia verò de Sudoribus colliquativis continuis noctù diuque, idque tempore tam hybernô, quàm æſtivô conqueri ſolebat. Quò factum eſt, ùt non tantùm frigori valde fuerit obnoxius, à quo vel maximos ſemper ſentiebat dolores in genere nervoſô; Verùm etiam totum corpus emarcuit, ita ut in cenſu tabidorum non immeritò habendus fuerit. Verùm fontanellis inter ſcapulas factis, uſuque cereviſiæ Antiſcorbuticis medicatæ, in ordinarium potum, & præcipuè longo uſu aquarum mineralium tàm chalybeatarum, quàm catharticarum, earumque tam hyeme, quàm æſtate ſumptarum, non tantùm à ceteris generis nervoſi affectibus, verùm etiam ab his colliquativis Sudoribus planè liber evaſit: Quò factum eſt, ut vel plurimos ultimæ ſenectutis annos, cum athleticô corporis habitu, ſanitate conſtanti, mente hilari, vultu floridô & vivaci degeret, ac ſi iterùm cœpiſſet juveneſcere.

Hiſtoria 2. Uxor Domini Clapton, Incolæ cujuſdam Vici dicti Lothbury, circa annos quadraginta nata, Mulier à multis annis valde Scorbutica, & Aſthmatica, poſt quatuor hebdomadas à puerperiô elapſas, verno tempore in acutiſſimos dolores paulò ſupra inguen incidebat. Cui, præter linimentum anodynum exteriùs adhibitum, propinavi hauſtum aliquantiſper diaphoreticum ex Aqu. Card. Theriacali, Theriac. Androm. & Syr. de Meconio; quò factum eſt, ut in profuſiſſimos, & admodùm fœtidos Sudores colliqueſceret, qui, non obſtante cautâ ſtragularum detractione, duabus hebdomadis vel amplius, perdurabant, cum inſigni virium languore, tabideque corporis conſumptione. Quo obſervato, Electuaria & temperata conſtringentia, & poros cutis obſtruentia, aliaque ejuſmodi continuò præſcripſi, unde Sudores protinùs decreſcebant, verùm novo Chylô (ob acrimoniam ſanguinis adhuc reſtantem) reliquæ maſſæ non ita bene aſſimilato, atque unito, jam commixto, licèt pori cutis jam arte eſſent obſtructi; Succus tamen nutritius recens novam ſibi portam per alvum moliebatur, quò ſudor colliquativus Diarrhœâ æque colliquante, unà cum torminibus excipiebatur, habitu corporis in pejorem Tabis gradum ruente.

Verùm hâc portâ, uſu opiatorum, & emplaſticorum medicaminum itidem occluſâ, ſuccus nutritius aliam per renes invenit, quò miſella fœmina in Diabetem, cum promotione Tabis, in gradum ferè Maraſmi, incidit.

Diabete autem, uſu Gum. Arabic. Electuariorum adſtringentium, &c. evicto, immenſi & colliquativi Sudores denuò ſunt reverſi. Ideoque hanc miſeram & tabidam mulierem (Ita ſuadente etiam tempeſtate anni jam ſcil. vernâ) in aërem perflatilem, & apricum Hampſtadienſem, dimittere decrevi: quâ mutatione aëris, (poris cutis jam ſubitò occluſis) in inſignem ſalivationem, per viginti dies, vel eo amplius, verſus eſt morbus; diſpoſitione Tabidâ adhuc reſtante; vel etiam magis auctâ, uſu verò copioſo diætæ lacteæ, atque aëris aprici beneficio, maſſâ ſanguinis paulatim emollitâ, etiam ſucci nutritii colliquatio ſenſim evincebatur, atque inde non tantùm à ſalivatione, verùm etiam ab ipsâ tabidâ diſpoſitione, libera, in ſtatum εὐσαρκον & ad appetitum integrum indies reducta eſt: Largo tandem apoſtemate ſuper inguen, ubi dolor primum invaſerat, collecto. Quod apertum, & ope chirurgicâ, curatum fuit. Quò mulier poſt decem, vel amplius, annos ſana ſuperſtes fuit, etſi poſtea aſthmate è vivis ſublata eſt.

Hiſtoria 3. Dominus Forteſcu, Vir fere ſexagenarius, à multis retrò annis ſcorbuticus, & aliquantiſper Aſthmaticus, per tres, aut quatuor æſtates, continuo calore, imò & ardore lumborum, atque artuum vexatus eſt. Quo factum eſt, ut à profuſis, & colliquativis Sudoribus, præcipuè verò decubitûs tempore, planè confectus fuerit, & in ſtatum maraſmi ferè redactus. Tempore verò hyemali, bene ſe habebat, à calore, æquè ac Sudoribus prope liberatus, licet faciem Hippocraticam nunquam deponeret: Hac verò æſtate 1688. Lumborum ardor, & ſudores profuſi adeò prævaluerunt, ut ſeſe in lecto ad dormiendum continere non potuerit; quò tandem factum eſt, ut appetitu jam langueſcente, in hydropicum, & œdematoſum tumorem crurum inciderit. Poſt multa, ab aliis Medicis, in caſſum tentata, tandem ego advocatus, ex uſu Corticis Peruviani, flammam in ſangui-

ne & ſpiritibus exſtinguens, ſudores etiam intra cancellos moderatos redegi: Quò, Ægro ſeſe in Lecto debitè continente, tumor etiam crurum planè evaneſcebat, etiamſi macilentus & marcidus adhuc appareat.

Appendix. Hæc Phthiſis, ſeu Tabes generalis ab inanitione orta ſæpe à morbis aliis dependet; Ideoque Tabes generalis ſymptomatica jure vocari poſſit: Uti primò à Lienteriâ, quando ſcil. chylificans facultas Ventriculi, à diatheſi præternaturali ſalivæ, & liquoris nervoſi dyſcraſiâ ſit læſa: Quò fit, ut ſanguis, & corporis habitus (Alimentis, in propriâ ſpecie, abſque ullâ alteratione, per inteſtina deturbatis) nullam indè inſtaurationem recipere poſſint; atque hinc Atrophia ex inanitione facta neceſſariò ſequitur.

Haud rarò etiam à præternaturali alteratione, vel obſtructione bilis, & ſucci per glandulas totius Fiſtulæ inteſtinalis excerni ſoliti, quique ſecretioni excrementitiæ partis alimentorum à nutritiâ inſervit, hæc Tabes generalis oritur: Hinc enim fit, quòd chyloſæ partes alimentorum è ventriculo deſcendentium unà cum excrementis fæculentis, vaſorum lacteorum orificia jam præterlapſæ per anum extrudantur; Idque vel in dejectionibus albis, & plane chyloſis ob defectum, vel præternaturalem diatheſin bilis, quod eſt proprium menſtruum ſecretorium chyli (Uti in Ictero cum ſummo corporis languore, & emaciatione ſolet accidere) vel etiam in dejectionibus flavis, uti in Cœliacâ paſſione, quæ eſt vel ab obſtructione, vel à naturâ ſucci Pancreatici & Inteſtinalis depravatâ, evenire ſolet. In priori caſu, urina colore ictéritio ſatis tincta eſt, in poſteriori verò, contrà. In utrâque, Chylo, ab excrementitiis ingeſtorum partibus, non ſeparato, ſanguis debitâ inſtauratione privatur, unde Atrophiam, ſeu Tabem, eamque præcipitem ægros invaſiſſe ſæpiùs obſervavi.

Denique, hæc Tabes generalis ſymptomatica interdum fit à numeroſis, & largis tumoribus ſcrophuloſis in meſenterio præternaturaliter ſitis, à quibus (venis lacteis tanquam filo jam conſtrictis vel compreſſis) liquoris nutritii in inteſtinis ſeparati, & per oſcula venarum abſorpti tranſitus in ſanguinis maſſam, vel in totum, vel in partem impeditur. Quo in caſu, ſedes ſunt copioſæ, & chyloſæ, Abdomen indureſcit, Urina verò minimâ quantitate, ſed ſano colore fluit. Inde, ſanguine novo chylo indies non ſaturato, partes muſculoſæ nutrimento debito privatæ quotidie marceſcunt, tandemque ad maraſmi gradum extenuantur, etiamſi appetitus ſit Vorax, atque Æger in ſtatu ἀπυρεξίας perpetuò ferè maneat; Cujuſmodi exemplum ſemel mihi in puero circa quatuor annos nato oblatum eſt, cujus hiſtoriam ob maximam raritatem, mox referemus.

Omnes hæ Phthiſes ſymptomaticæ, non habito priùs ſpeciali reſpectu ad morbos à quibus dependent, ſunt prorsùs incurabiles, his verò arte ſublatis, hæcce Tabes ſponte ſuâ ceſſat; ideoque curatio hujus Phthiſeos, alibi (in morborum ſcilicet, rationem cauſæ habentium Therapeiâ) quærenda eſt.

Hiſtoria 1. Filius cujuſdam Civis, in plateâ vulgò dictâ *Woodeſtreet* circa annos 4. natus, abſque ullâ febre, vel tuſſi, verùm Abdomine inæqualiter duro, & tumido, pauciſſimâ urinâ, ſani tamen coloris, dejectionibus frequentibus, copioſis, & plane chyloſis, ad ultimum maraſmi gradum ſenſim redigi videbatur: Appetitus nihilominus per totum invaletudinis tempus, integer, vel potius vorax durabat, unde facilè conjiciebam trajectionem chyli per venas lacteas, a frequentibus, & prægrandibus tumoribus glanduloſis ſparſim in Abdomine ſitis, multùm impediri, Tabemque ex inanitione hoc modo factam ortum ſuum duxiſſe.

Præſcripſi Emplaſtrum Diaſapon. toti abdomini imponendum, & Julapium ſequens copioſè & frequenter propinari.

♃. Aqu. petroſel. fœnic. an. ℥iv. Aqu. Lumbric. mag. Syr. è v. Radic. an. ℥ij. Salis ſuccin. nitidiſſ. & ab oleo optimè depurat. ʒß. M. F. Julapium.

Hunc liquorem præter ſpem omnem, avidiſſimè petebat, quemvis alium plane reſpuens, ita ut 24. horarum ſpatio duplicem quantitatem Julapii præſcripti bibendo conſumeret. Quò, Abdomine jam detumeſcente, urina mirum in modum fluebat, & ſedes rariores, minuſque chyloſæ reddebantur, brevique ſeparatio, ex uſu frequenti & copioſo hujus Julapii & Rhabarb. toſt. cum Diaſcord. in formam boli commixti, puerulus, præter ſpem amicorum omnium maraſmo tandem liberatus eſt.

Hiſtoria 2. Nuperrimè (ubi ſcil. hæc jam ſcripſiſſem) accerſebar ad inviſendum filium Domini *Gouge* ad inſigne Annuli Corneliani in vico dicto *le Strand*, puerum circiter ſex annos natum, & maraſmo planè in ſceleton redactum; Ubi primùm in cauſam hujus Tabis diligentiùs inquiſiveram, illicò deprehendi Abdomen valdè & inæqualiter diſtentum, Tuberculis hic indè racematim diſpoſitis, ubique refertum; quod tamen non niſi vehementi preſſurâ per digitos factâ diſcerni poterat.

Sedes etiam erant multæ, & Chyloſæ, Urina perpauca, verùm ſana; Tuſſis nulla, Reſpiratio ſatis libera; Aſpectus tamen ad modùm melancholicus, & plane lethalis, & vultus ſqualidus & pallidus.

Præſcripſi Decoctum Album, & bolum cum Diaſcord. & Rhabarb. toſt. an. ℈ß. ſemel in hebdomade deglutiendum; Emplaſtr. Diaſap. Abdomini imponendum, & Julapium jam priori hiſtoriâ memoratum, quod ſale ſuccini egregiè fuerat imprægnatum, ad libitum bibendum.

Quod de priori Ægro narravimus, idem hic etiam fœliciter contigit. Puer enim quemvis alium liquorem reſpuens, hunc diu noctuque petebat, ad conſumptionem ferè ℥xxiv. ſingulis diebus. Quò factum eſt, ut ſpatio duarum hebdomadum, vel eo minus, dejectiones alvi redderentur naturalis conſiſtentiæ, coloris, & quantitatis. Copioſa etiam Urina fluebat. Abdomen, ultrà quàm credi potuit, detumeſcebat: Neque tuberculos in eo deliteſcentes, exploratione jam factâ per digitos diligentiſſimâ, ampliùs deprehendere potui. Appetitus & ſitis naturaliter ſeſe habebant. Senſim etiam indies carnes augeri videbantur. Evictis jam melancholiâ, & laſſitudine, puer non tantùm etiam Vultûs nitorem, & vegetum calorem quadantenùs revocare videtur; adeò ut de ejus ulteriori reſtitutione haud ampliùs ſim ſollicitus.

Phthi-

Phthiſiologiæ. Liber Secundus.

De Phthiſi Pulmonari Originali.

Phthiſis Pulmonaris eſt Conſumptio totius Corporis cum febre, à malâ affectione, & ab ulceratione Pulmonum tandem, originem ducens. Quæ quidem eſt Phthiſis maximè famoſa, & Κατ' ἐξοχὴν dicta, de qua Authores tractare ſolent, tanquam nulla eſſet alia Phthiſeos ſpecies. Ideoque de ea paulò uberiùs; hoc loco, diſſeremus.

Hæcce Pulmonaris eſt vel Originaria, quæ à malâ diatheſi, & ulceratione pulmonum primo inſtante dependet; Vel ſecundaria, & ſymptomatica, quoties ſcilicet pulmones à morbis præcedentibus jam altiùs afficiuntur.

Quandoquidem verò in Phthiſeos Pulmonaris ſymptomaticæ curatione, ſpecialis reſpectus ad morbum primarium, à quo Phthiſis originem ducit, ſemper ſit habendus; & curatio ejus aliquatenùs, pro genio ejuſdem morbi, ſit varianda: In ultimo hujus tractatu libro, ex profeſſo, de curatione hujuſmodi Phthiſium tractabimus, præmiſsâ, in hoc, generali diſquiſitione (quantum nobis obſervaſſe licuit) de naturâ, cauſis, ſignis, differentiis, prognoſticis, indicationibus curativis, & methodo curationis Phthiſeos pulmonariæ.

Cap. I. De Cauſis Phthiſeos Pulmonaris Originariæ.

Cauſa Phthiſeos Pulmonaris in genere, eſt totius maſſæ ſanguineæ, & ſpiritus nervoſi prava diſpoſitio, à variis cauſis procatarcticis ſenſim contracta, quâ ſerum ſanguinis acre, vel malignum, per molle, & glanduloſum pulmonum parenchyma ſecretum pulmones ipſos infercit, & inflammat, tandemque etiam exulcerat, quæ quidem cauſa continens eſt hujus morbi.

Cauſæ procatarcticæ, ſeu primam anſam huic morbo præbentes, ſunt *Primò*; Suppreſſio ſolitarum evacuationum, veluti menſtruarum purgationum, lochiorum, veterum ulcerum, & præcipuè fiſtuloſorum, fontanellarum, ſudorum per plantas pedum, aliaſve partes corporis prodeuntium, GonorrhϾ, fluoris albi, aliarumquè hujuſmodi, idque abſque correctione, vel remotione cauſarum, à quibus iſtâ dependent; Quo fit, ut vel ipſe ſanguis ab iſtis humoribus (à natura excretioni, ceu cuidam exilio damnatis, verùm in maſsâ ſanguineâ ab injectis repagulis, diutiùs quam par ſit retentis) inquinetur, & in ſtatum morbidum reducatur. *Secundò*, Pathemata animi graviora, præcipuè verò metus, triſtitia, iracundia, cogitatio nimia, & nimis anxia, uti & ſtudia intempeſtiva, & nimis longa, cum aliis hujuſmodi. Quæ non tantùm vitiando ſpiritus animales atque exinde naturalem ſanguinis fermentationem impediendo; verùm etiam contractionem ſpaſmodicam ferè continuam molli pulmonum parenchymati incutiendo, plurimùm huic morbo conferunt. *Tertiò*, Cibi & potûs nimis plena, & intempeſtiva ingurgitatio, uti etiam incautus ciborum, & potuum excrementis abundantium, & digeſtioni minùs aptorum delectus; præcipuè autem vinorum, & liquorum valdè ſpirituoſorum nimia potatio. Quod, ubi ſit curis & mœſtitiæ ceteriſquè animi pathematis conjunctum (quantum mihi obſervare contigit) uſitatiſſima cauſa eſt Phthiſeos pulmonaris. Hinc enim corporis habitu à ſaburrâ humoris effœti, & inutilis, more œdematis adimpleto, tota ſanguinis maſſa inquinatur, ſeroſaque, & acris, tandemque in flammam hecticam diſpoſita redditur. *Quartò*, Exercitii debiti neglectus quo excrementa, quæ uſitatâ naturæ lege per cutim propulſari debuere, intra ſanguinem detenta craſin ejus ſenſim evertere ſolent. Ex hoc defectu etiam ſtagnatio humorum in habitu corporis, & obſtructiones variæ hic illic in ipſis fibrillis oriri ſolent. Quæ non parùm ſanguinis putredini, & ſpirituum labefactioni conferunt. *Quintò* Studia nocturna, & longæ vigiliæ, quæ non tantùm ſpiritus animales fermentationi ſanguinis neceſſarios debilitant, verùm etiam recrementa per diaphoreſin in lecto excerni ſolita intùs retinent, quo univerſam maſſam ſenſim inquinari quis miretur? Huc ſpectat etiam ſomnus diurnus, & longus, præcipuè vero à paſtu, qui ſicuti tardando ciborum digeſtionem, eo maſſam ſanguinis effœtam, & chylo inutili plenam reddit, (quâ de cauſâ frequentes, graveſque tuſſes naſci ſolent:) Ità ſpiritus animales nimis intempeſtivè conſopiendo, indeque fermentationem, & volatilizationem novi chyli impediendo, totam ſanguinis maſſam nimis ſeroſam, atque acrem efficit. *Sextò*, Aër etiam paluſtris, & denſus, carbonumque fumo oppletus, vitiando ſpiritus animales, legitimæ ſanguinis fermentationi adeò neceſſarios; atque etiam inferciendo, & debilitando pulmones reſpirationi deſtinatos, qui ſunt hujus morbi ſedes, & theatrum, egregiè Phthiſin promovet. *Septimò*, Diſpoſitio etiam hæreditaria ſæpè ſæpius Phthiſin pulmonarem infert, cùm omnibus ſit ſatis notum, natos à Phthiſicis parentibus in eundem morbum eſſe proclives. *Octavò*, Mala pectoris formatio; ſive ea fuerit naturalis, ſive accidentalis, in hac re partes ſuas habet. Naturalem eam appello quæ ſit cum pectore contricto, longo collo, & humeris alatis: Accidentalem verò quæ ſit cum curvitate, ſeu diſtortione pectoris; quâ non ſolùm partes thoracicæ, ſpeciatim pulmones tono ſuo jam debilitati, ſeroſis fluxionibus redduntur obnoxii; verùm pulmones etiam neceſſaria dilatatione privati, & coarctati, morbidum ſanguinis ſerum in ſeſe coacervant, atque retinent, quo fit ut tandem obſtructiones pariantur. *Nonò*, Contagium etiam hunc morbum propagat. Hic enim affectus (uti frequenti experientiâ obſervavi) lecti ſocios miaſmate quodam, ſicuti febris maligna, inquinat. *Decimò*, Lapides etiam cretacei in pulmonibus præternaturaliter generati; vel clavi, aliaque dura corpora in pulmones per riſum demiſſa, inter Phthiſeos pulmonaris cauſas, numeranda ſunt. Quibus non ſolùm tuſſis moleſta humorum fluxum proritans, verùm etiam Apoſtemata, & exulcerationes procreantur, plerumque etiam præcedente Hæmoptœ pulmones in Apoſtemata, & ulcera diſponente. Quorum hiſtorias poſthac memorabimus. *Undecimò*, Morbi etiam particulares, qui ſanguinis, & ſpirituum Diatheſin corrumpunt,

atque evertunt, huic morbo anſam præbent. Unde Phthiſis ſymptomatica (de quâ in fine hujus tractatûs ex profeſſo diſſeremus) inſequitur; Uti ſcorbutus, ſcrophulæ, convulſivæ, & præſertim Hyſtericæ, affectiones, modò fuerint chronicæ, item febres, & præcipuè intermittentes, ſcarlatinæ, & crapuloſæ, variolæ etiam, & Morbilli, Calculus renum, Lues venerea, Aſthma, Hæmoptoe, Peripneumonia, Pleuritis, aliique morbi thoracici malè curati, item Chloroſis, Melancholia fixa, Arthritis, & Rheumatiſmus.

Ab his, aliiſque hujuſmodi cauſis procatarcticis, Corpore jam in Phthiſin prædiſpoſito, immediata cauſa hujus morbi ut plurimùm eſt perceptum frigus, quo fit ut, in corpore tali modo diſpoſito, per ſaburram humorum, vel ſeri à morbido habitu corporis in pulmones continuò derivati, tuſſis naſcatur non leviter excutienda, qualis accidere ſolet in frigore accidentaliter percepto, ubi materia intra paucorum dierum ſpatium in putridum phlegma concoquitur, atque inde per tuſſim completè excernitur, (uti Capite de Catarrho fuſiùs explicabimus.) Quinimò à minerâ peracrium, & malignorum humorum in habitu corporis antea congeſtorum (novâ materiâ per circulationem ſanguinis continuò ſuppeditatâ) perpetua, atque importuna tuſſis ad fatalem uſque diem producitur: Sero à glanduloſis pulmonum partibus, perpetuo quaſi rivo ſecreto, neque concoctionem ullam admittente, uſquedùm pulmones, præſertim verò partes eorum glanduloſæ, infarctione tumeſcant, & indureſcant, tandemque, præ acrimoniâ humoris per has teneras, & molles vias excreti, tonus partium planè evertatur, & exulceretur: Quæ quidem cauſa eſt continens Phthiſeos Pulmonaris.

Cap. 2. De gradibus & ſignis præſagientibus Phthiſim Pulmonarem Originariam, unà cum Indicationibus Prophylacticis.

Gradus hujus morbi ſunt qui ſequuntur, ſcil. 1. Infarctio Pulmonum à ſero ſanguinis inibi copioſè ſecreto. 2. Tumor renitens, præſertim verò in partibus Pulmonum glanduloſis, ab eodem ſero partes iſtas nimis diſtendente, & difficilem exitum habente. Qui tumor videtur mihi eſſe Tuberculum crudum à Galeno memoratum: Quæ tubercula, ſive crudos, & glanduloſos tumores, ſæpè in Phthiſicorum cadaveribus deprehendi cùm ceteræ pulmonum partes Apoſtematibus & exulcerationibus eſſent obſitæ. 3. Inflammatio pulmonum à ſeri hujus calore, atque acrimoniâ oriunda. Denique etiam harum partium inflammatarum Apoſtema, & exulceratio, ubi ſcil. morbus jam ad ſtatum, & ἀκμὴν ſuam pervenit.

Signa Phthiſeos pulmonaris ſunt vel Prognoſtica, vel Diagnoſtica & Pathognomonica: Prioris generis ſunt quæ ſequuntur. 1. Ortus à parentibus Phthiſicis; ſiquidem iſte morbus (quantum mihi obſervare licuit) eſt præ ceteris omnibus hæreditarius. 2. Mala thoracis conformatio, ſive ea naturalis fuerit, ſive accidentalis. 3. Vox naturâ, vel ſaltem uſu atque habitu, exilis, & clangoſa; quippe quæ vel à naturali pulmonum debilitate, vel ab obſtructione glanduloſæ tunicæ Tracheæ, & bronchiorum per glutinoſum & viſcidum phlegma procedat. A quâcunque verò harum cauſarum phænomenon illud oriatur, Phthiſin pulmonarem mox ſubſecuturam minatur. 4. Cutis alba, & mollis; unà cum gracili corporis habitu. 5. Habitus muſculorum mollis, & œdematoſus, à copioſa infarctione ſucci nutritii veteris, & effœti proveniens. 6. Hypochondriacæ oppreſſiones chronicæ regionem pectoris, inſtar cujuſdam moleſti ponderis gravantes, uti & frequentes, diuternæque, & inſolitæ ſuffocationes Hyſtericæ in iiſdem locis obverſantes. 7. Cogitatio, anxietas, triſtitia, & iracundia inſolita, præſertim ſi fuerint abſque manifeſtâ cauſâ. 8. Suppreſſio ſolitarum evacuationum per fontanellas, vel ulcera vetera, item Lochiorum & fluoris albi; & hujuſmodi reliquorum. 6. Hæmoptoe, etſi fuerit accidentalis. 10. Matutina & diuturna phlegmatis nigri & viſcoſi excretio: quippe quod procedit à glandulis in pulmonibus juxta trachæam poſitis, humore nigricante repletis. Quod ſymptoma ſicuti ſcorbuticis, & ſcrophuloſis familiare eſt, ita Phthiſin Aſthmaticam progreſſu temporis inſecuturam monſtrat. 11. Phlegmatis exſcreati ſalſus, atque acris ſapor: quod univerſum ſanguinis ſerum pari gradu ſalſum eſſe atque acre ſubindicat. Quod ubi per molle pulmonum parenchyma, à percepto frigore grandi, copiâ fuerit trajectum, & ſecretum, eos inflammare, & exulcerare mirum in modum aptum natum eſt. 12. Proclivitas in copioſum ſalivæ fluxum, per glanduloſam linguæ tunicam, perque ductus ſalivales, & Tonſillas, idque vel cum, vel ſine evidenti cauſâ. Quod ſymptoma ſcorbuticis, & Hypochondriacis admodùm familiare eſt; diatheſinque ſanguinis colliquativam indicat: nempe eum, præ nimiâ acrimoniâ præternaturali; novum ſuccum nutritium perfectè ſibi aſſimilare, & rectè ſibi admiſcere non poſſe, adeoque eum in has glanduloſas partes deponere, & conſequenter, progreſſu temporis, molli pulmonum parenchymati obtrudere. Unde Phthiſis originem ſuam ducere ſolet. 13. Diuturna & increſcens appetitûs proſtratio, abſque ullo alio morbo conjuncto, adeò uti Æger abſque multis exercitiis, & magnis abſtinentiæ intervallis, ciborumque gratiſſimorum delectu, alimentum, plenâ & uſitatâ copiâ, ſine faſtido & nauſeâ admittere non poſſit: Nec quidem ingeſtum cibum, ſaltem copioſum, abſque oppreſſione ventriculi, & laſſitudine membrorum gravativâ digerere, & diſtribuere valet. Quod quidem ſymptoma viam in Phthiſin ſternit: Siquidem à nimiâ vaſorum, & habitûs totius corporis repletione, à ſucco nutritio veteri & effœto factâ, procedit, quo locus recipiendo novo chylo non datur, ideoque à naturâ minimè appetitur. Quæ inappetentia adhuc magis augetur, ſi phlogôſin, in totâ maſsâ ſanguinis, à præſenti catarrho, per continuam pulmonum agitationem, & ob ſeroſum & colliquativum ſanguinis ſtatum accendi contingat. Quo in caſu prout ſitis augetur, fames etiam imminuitur: Aliàs verò inappetentia univerſalis ob nimiam vaſorum repletionem inſequitur, adeo uti Æger potum, æquè ac cibum planè reſpuat. 14. Calor moleſtus, & chronicus,

ſaltem

ſaltem plantis pedum; & volis manuum ortus, præcipuè à paſtu, unà cum pulſu aliquantùm quàm par eſt, celeriori. Siquidem ſymptoma hoc, inflammatorium & hecticum ſpirituum ſtatum, & conſequenter acrem, ſeroſam, & colliquativam ſanguinis Diatheſin arguit, quibus de cauſis Phthiſis pulmonaris oriri ſolet. 15. Anguſtia, & oppreſſio pectoris, cum continuâ fere reſpiratione aliquantùm difficili, & anheloſâ conjuncta. Quod ſymptoma non tantùm ſcrophuloſis, ob tumorem glandularum pulmonarium, familiare eſt, verùm etiam ſcorbuticis, & hypochondriacis, propter contrictionem pulmonum, Diaphragmatis, & muſculorum reſpirationi inſervientium, à levi ſcil. gradu ſpaſmodicæ affectionis nervorum motui eorum dicatorum. 16. Diſpoſitio Catarrhalis. Quando ſcil. Æger, vel ob leviſſimam quamvis occaſionem, imo aliquando ſine ullâ evidenti cauſâ, frequenter tuſſi obnoxius eſt. Hoc enim ſymptoma ſanguinis acrimoniam, & ſtatum colliquativum indicat. Quo fit quòd continuò fere, è ſaburra humorum in habitu corporis latente, ſerum ſanguinis acre per totam glanduloſam Trachææ tunicam, perque molle pulmonum parenchyma ſecerni, & excerni ſoleat. Quod quidem ſignum eſt Phthiſeos pulmonaris jam inſtantis evidentiſſimum, quæ certiſſimè invaſura eſt, ubi pars ſeroſa ſanguinis, vel à liberali liquorum ſpirituoſorum potatione, vel ab immani frigore percepto, vel quacunque alia de cauſâ tantam acrimoniam contraxerit, quanta pulmonibus inflammandis, & exulcerandis ſit ſufficiens. 17. Omnes iſti jam memorati morbi, uti Scorbutus, Scrophulæ, Chloroſis chronica, Peripneumonia, Hæmoptoe, Pleuritis, Rheumatiſmus, Aſthma, &c. qui Phthiſi pulmonari anſam præbere ſolent. Corpore enim hoc modo tanquam habitualiter prædiſpoſito, Phthiſis pulmonaris, eaque non rarò incurabilis, à frigore immani proximè percepto, frequentiſſimè invadit; Et quidem omnis ferè catarrhus eodem temqore Phthiſin ſubſecuturam minatur.

In præcautionem igitur Phthiſeos (quæ multò facilior eſt quàm ejus curatio) plurimùm intereſt dum Ægri in hoc valetudinario ſtatu manent, accuratiſſimâ uti diligentiâ ne ullus in ſex rebus non naturalibus committatur error; In hoc enim tam lubrico ſanitatis ſtatu, à levi aliquâ hujuſmodi occaſione præcipites in fatalem Phthiſin ruere ſolent. Ex. gr. *Primò*, Prudentem delectum cibi & potus habere oportet, quo ſuccus chyloſus reddatur euchymus, alimentumque minimum laborem naturæ in digerendo, & diſtribuendo faceſſat. Caveant etiam à ciborum, licèt euchymorum ingurgitatione, uti & vini, & liquorum ſpirituoſorum nimiâ potatione. *Secundò*, Primâ parte noctis capeſſant ſomnum. Abſtineant autem à ſomnis diurnis, imò & à matutinis nimiùm productis; quoniam ſaburram humorum immanem in habitu corporis retinere, & accumulare ſolent. *Tertiò*. Exercitiis moderatis, diutiniſque frictionibus, ad humores effœtos ex habitu corporis per poros cutaneos educendos, quotidie utantur. *Quartò*, Ab omnibus catharticis fortioribus religiosè abſtinendum; quandoquidem iſta non tantùm naturam debilitant, verùm etiam ſanguinem nimium agitando, ab acribus ſcilicet particulis, aceſcere & incaleſcere faciunt; atque eum in ſtatum magis ſeroſum, & colliquativum reducunt, quo Catarrhus, & Phthiſis pulmonaris ſupervenire ſolent. *Quintò*, Omnibus licitis modis Æger curas, mœſtitiam, omnemque fixam cogitationem (quantum in ſe eſt) ſedulo deponat, animumque ſibi hilarem nitatur conciliare. Phthiſin enim pulmonarem à pathematis animi diuturnis, & gravioribus ortum ſuum duxiſſe ſæpiſſimè notavi. *Sextò* Aëre utatur aprico, perflatili, benigno, & à fumo carbonum libero, qui non ſolùm ſpiritus animales, genuſque nervoſum confortet, & conſequenter appetitum languentem reſtituat, verùm etiam pulmonibus jàm continuâ tuſſi calefactis pacem (aliquatenùs ſaltèm) conciliare poſſit. Verùm à novo frigore percipiendo apprimè cavendum. Corpore enim tali modo ſaburrâ humorum repleto, omnis novus Catarrhus in Phthiſin tendit, atque hinc illæ lacrymæ.

Atque hic quidem veniam jam nimiùm properantis calami impensè rogo (ſi quenquam gravari poſſit) dum paulò ulteriùs (ſtrictim licèt) indicationes præſervatorias hoc capite ſuggeram, idquè priuſquam methodico diſcurſus filo, in uberiorem indicationum curativarum campum deſcendam.

Indicationes prophylacticæ generales in hoc valetudinario ſtatu præcipuè ſunt tres: Evacuatio chyli effœti in habitu corporis delitescentis: Temperatio præternaturalis caloris hectici in ſanguine, & ſpiritibus ab humorum ſtagnatione recens facti; Et Confirmatio toni partium, & conſequenter earum deobſtructio; quibus neglectis, Cacochymia, & flammæ præternaturalis revireſcentia omnino metuenda eſt.

In hunc finem, utcunque fortiora cathartica (uti anteà innuimus) hîc malè audiant, apprimè tamen convenit ſaburram humorum, κατ' ἐπίκρασιν benignis, & ſtomachis purgantibus paulatim per alvum ſubducere, uſquedùm corpus ab œdematoſo, & infarcto, in priſtinum, & naturalem ſtatum reducatur.

Cujuſmodi purgantia ſunt, Pilul. Stomachic. cum gummi, Aloephanginæ, Aloë Roſata, Pilul. Maſtichin. Ruffi, Decoctum Amarum, &c. Reliquis verò omnibus præfero Tincturam ſacrani, Aquas & minerales purgantes, quæ ſicuti humores effœtos paulatim, cum εὐφορίᾳ & abſque nimiâ agitatione ſubducunt, ita etiam magis temperant, quàm novam phlogoſin in ſpiritibus, & ſanguine accendunt (quod non rarò ab aliis Catharticis evenire ſolet) & ventriculi etiam flacceſcentis tonum, cum augmento appetitûs, corroborant. In eundem etiam finem Diuretica, & Diaphoretica, in ulteriorem ſeroſæ colluviei ſanguinis eductionem, multùm conferunt. Horum verò medicamentorum cautè ſemper habendus eſt delectus, uti ceteris præferantur ea, quæ minimum caloris, & acrimoniæ, ſanguini impertiant. Inter Diuretica Millepedes crudos, vel præparatos, Terebinthinam, Balſamum Lencatelli, & Sulphuris, aliaque è Terebinthinâ facta, præcipuè verò aquas minerales chalybeatas, & inter illas, aquas,

Sadle-Lanas Islingtonienſes, ceteris omnibus præfero: quarum vim non tantùm in multis aliis, verùm etiam in memet ipſo, per quinquennium jam fæliciſſimè expertus ſum, utpote quæ ſpiritu minerali, præ ceteris (quas mihi adhuc in variis Angliæ partibus experiri contigit) copioſo impræguentur, quibus, in ultimos corporis receſſus, fulguris inſtar, penetrantes, obſtructiones reſerant, urinamque admodùm copioſam cient; neque tamen Potatores ejus, vertiginoſâ temulentiâ, oppreſſione ventriculi, & ingenti manuum pedumque calore, ſub finem purgationis fatigant, ſicuti aliæ aquæ chalybeatæ ſolent.

Inter Diaphoretica, Decoctum ſarſæ primas meretur, quod non tantùm tranſpirationem per poros cutis efficit, verum etiam ſanguinis maſſam lenit, & emollit: Uti & Ceruſſa Antimonii, Antimonium diaphoreticum, &c. quæ quidem antimonialia medicamenta non minùs Diuretica, quam Diaphoretica.

Si ſanguis, vel minimo quidem gradu, præternaturaliter incaleſcere videatur, convenit in ejus ventilationem, & in vaſorum depletionem, moderatam ejus quantitatem, primo limine, detrahere. Quamvis enim Venæſectio, jam confirmatâ Phthiſi, malè audiat, quippe quæ, tunc temporis, non tantùm ſine fructu, verùm etiam cum præcipiti naturæ ruinâ celebretur: Nihil tamen (modò ſatis tempeſtivè adminiſtretur) ad flammam hecticam lateſcentem in ſanguine, vel præveniendam, vel extinguendam, magis conducit. Quo pacto inflammatio, & tumefectio, conſequenterque ipſorum pulmonum ulceratio; imò & ipſa Phthiſis, unà cum tuſſi, dyſpnœâ, reliquaque dirorum ſymptomatum caterva (aliis etiam neceſſariis medicamentis juſtâ methodo exhibitis) fæliciter præcaveri poſſint. Et quidem multiplici experientia edoctus, nullus dubito, quin multi à Peripneumoniæ, Catarrhis communibus, aliiſque ejuſmodi morbis, in fatales Phthiſes præcipites ruant, eo quòd ex incuria Medici, vel etiam Ægri, & Aſtantium amicorum metu; ſanguis non ſatis tempeſtivè, vel frequenter, vel copioſè, per Venæſectionem fuerit detractus. Quo fit ut, ſanguine calorem hecticum retinente, pulmones calidiores, quàm par eſt, diu maneant, atque inde confluxus fit humorum in partem affectam defluentium; vel potiùs copioſa ſecretio novi chyli per glandulas pulmonares: A quibus, immanes, atque aridæ tuſſes, inflammationes, & tandem, (ubi ſcilicet Phthiſis ſummos attigit gradus) exulcerationes inſequuntur. Ideòque haud ullis febre laborantibus ſanguinem adeò liberâ manu, idque cum optimo ſucceſſu, ſoleo detrahere, atque hiſce valetudinariis Phthiſicis, quoties ſcil. illos febricitare contingit: Nec me quidem unquàm adhuc hujus facti pœnituiſſe memini.

Si Catarrhus vel minimum gradum caloris hectici habeat conjunctum, & cetera etiam conſentiant, uſus etiam Opiati frequens hîc eſt admodùm neceſſarius; idque non tantùm ad quietandos pulmones jam continuâ tuſſis agitatione calefactos, verùm etiam ad temperandam, & demulcendam totam ſanguinis maſſam, Adeò ut omninò conveniat ſingulis, vel alternis noctibus exhiberi. gr. iß. Laudan. Lond. in morſulo Conſerv. Roſ. rubr. vel ℥i. Syrup. è Mecon. cum ℥iii. Aq. Cact. & ʒiii. Aq. Epidemic. veter. vel gut. 10. Laud. Liqu. Helmontii, in Cochleari ſyrupi Balſamici aliàs deſcribendi, vel ℈ß. Pilul. è Cynoglo ß. vel è Styrace.

Imò in hoc caſu nullum catharticum, præter aquas minerales purgantes, ſine mixturâ Laudani præſcribendum eſt, ne ex nimia humorum agitatione, tuſſim, & calorem augeri contingat. Ex gr.

♃. Aloës Roſat. ℈j. vel ʒß. Pilul. è Cynogloſſ. ℈ß. vel gr. xii. MS. F. Pilul. iv. deaurandæ, horâ ſomni ſumend.

Vel ♃. Tinctur. ſacr. ℥iiß. vel ℥iii. Laudan. Liqu. Helmont. gut. xv. vel x.

Hujuſmodi Cathartica tertiâ, vel quartâ quâque nocte præſcribantur, & ſequentibus matutinis ℔. iv. Aquarum purgantium, vel frigidarum, vel coctarum pro tempeſtate anni.

Diebus, quibus purgatio non inſtituitur, oprtet lenem humorum ſubductionem per cutim, & renes, intento animo aggredi, eamque, ejuſmodi diureticorum, & diaphoreticorum uſu, quæ præternaturalem ſanguinis phlogoſin magis minuant, quàm augeant. Ex. gr.

Sumat Æger ter die emulſionem millepedarum 50. contuſarum, in hauſtulo Aquæ Lactis, Petroſelin. vel Fœniculi, Syrupo etiam è v. Radicibus gratè edulcoratam.

Vel ♃. Milleped. præpar. ʒij. Ceruſſ. Antimon. ʒj. Terebinth. in aquâ plantagin. lot. q. ſ. MS. F. Pilulæ mediocres, pulvere glycyrrhiz involvendæ, è quibus capiat tres; ter die, horis Medicis, ſuperbibendo ℔. ß. Decocti ſarſæ, & chinæ, & cavendo ab aprico aëre. Cæteris autem omnibus, longâ experientiâ edoctus, in hunc finem, Aquas minerales Chalybeatas præferre ſoleo; quippe quæ laticem ſeroſum, magnâ copiâ, è toto corporis habitu per renes præcipitando, & hecticum calorem ſanguinis, ſpirituum temperando, (*Islingtoniæ*, ſcilicet) in uſum publicum; cum inclyti Collegii noſtri conſenſu primùm redactæ ſunt. Atque harum ope, plurimos præſervatos, alioſque quidem à Phthiſi inſigniter reſtitutos vidi, de quorum ſanitate recuperandâ planè deſperâſſem, idque non obſtanti vaſto eo medicaminum apparatu (quæ vel in Pharmacopoliis, vel in officinis Chymicorum proſtabant venalia) & probatiſſimâ adminiſtrandi methodo, quæ ſaltem mihi conſtabat, niſi Aquæ iſtæ. vel ſaltem quædam aliæ earum ſimiles, in promptu fuiſſent.

Paucas, è multis huc ſpectantibus, hiſtoriis, mox ſub finem hujus tractatûs breviter recenſebo. Fontanellæ etiam hic proſunt in brachiis, vel inter humeros factæ, conſequenter in cerebri, & nervoſi generis confortationem, ſpirituumque animalium temperationem: quæ proculdubiò haud parùm in hecticæ flammæ extinctionem, & in Phthiſeos præcautionem conferunt. Neque forſan à capitis raſurâ frequenti multò minus beneficium exſpectari poſſit: Quum hinc liberior fiat humorum trajectio per denſiſſimam illam capitis cutem: cujus rei uſum in pertinacibus Catarrhis ſublevandis experientia ferè univerſalis comprobaverit.

Sed proh dolor! Medici rariſſimè de præcavendo hoc morbo conſuluntur, (quum in principio forſan non minùs quàm alii affectus, curari

poſſit,

poſſit, etſi morâ ut plurimùm fatalis evadat) Ægris rarò Æſculapii opem petentibus, priuſquàm morbus jam in fatalem ſtatum prolapſus ſit, ubi incaſſum ab arte Medicâ exſpectantur miracula; cùm de animæ futurâ ſalute, & teſtamentis faciendis, Theologum, & Juriſperitum conſulere magis conveniat. Quare, miſsâ hâc inani operâ, ad ſigna hujus morbi Diagnoſtica, & Pathognomonica properandum eſt.

Cap. 3. De Signis Diagnoſticis, & Pathognomonicis Phthiſeos Pulmonaris incipientis.

Diagnoſtica, & Pathognomonica ſigna præſentis Phthiſeos ſunt, vel incipientis, vel jam confirmatæ, & deploratæ. Signa Pathognomonica Phthiſeos Pulmonaris incipientis ſunt; Primò, Tuſſis, quam à ſimplici Catarrho, utut feroci, & Chronico, vel certiſſimis criteriis diſtinguere licet; quippe quòd, ſtrictè loquendo, affecta pars, ſeu ſedes, & minera utriuſque tuſſis eadem non ſit. Siquidem tuſſis Phthiſica à tumore glanduloſo, ſeu à tuberculo ipſorum pulmonum oritur, idque, unà cum ſenſu veluti cujuſdam ponderis in pectore gravantis, difficili item reſpiratione, atque aliis congeneribus ſymptomatis, quæ mox, licet currente calamo, ſpeciatim percurremus. Catarrhus verò ſimplex, è contra, ortum ſuum debet deſtillationi ſeri, ab uvulâ, & tonſillis, aliiſque glandulis in parte Trachææ ſuperiori ſitis, imò & ab univerſâ tunicâ glanduloſâ ipſius Trachææ, continuis quaſi guttulis, excreti. Aſpera enim arteria, quâdam naturæ providentiâ, nerveâ membranâ, eâque tam exquiſiti ſenſûs, intùs cooperitur, quæ nihil omnino, præter ipſum aerem, ne guttulam quidem aquæ limpidæ, abſque gravi moleſtiâ, & renitentiâ, admittere poſſit, ideòque vel à minimæ heterogeneæ particulæ deſcenſu titillata, eam ſtatim totis viribus per tuſſim rejicere conatur: Neque ſanè, abſque gravi cauſâ, à prudenti naturâ ità proviſum eſt. Si enim liber, & quietus tranſitus vel minimis heterogeneis corpuſculis, quâque die concederetur, quantocyùs de hominis vitâ eſſet actum per infarctionem ſcil. exilium ramulorum Trachææ, qui præ meatuum anguſtiâ, vel ab ipſo aëre craſſiore infercirí, & Aſthmaticè obturari interdùm ſolent. Utcunque verò ferox, & continua ſit hæc tuſſis Catarrhalis, utpote titillatione, per continuam excretionem, & deſtillationem ſeri glanduloſi in Trachæâ, provocata, ſicuti tamen, ab ipſo initio, eſt ſemper humida, & magno humoris fluxui conjuncta; ita etiam nullo pondere, vel pulmonum oppreſſione, aut dyſpnœâ ſtipatur, quæ in tuſſi Phthiſicâ vel in primo limine, obſervanda plerunque prodeunt.

Hoc igitur primum Tuſſis Phthiſicæ κριτήριον eſſe ſtatuimus, videlicet quòd ſit arida, ſaltem ab initio, utpote à pulmonum tuberculo, potiùs quàm à lymphæ glanduloſæ exſudatione per internam Trachææ membranam, & glandulas in ſuperiori ejus parte ſitas, procedens.

Non eſt tamen diffitendum hujuſmodi Ægros, ab ipſis morbi primordiis, quoties ſcilicet pulmones extremâ, & profundâ tuſſi, ad vomitionem uſque à paſtu, vel ex aliquo alio accidenti agitari contingat, ſalivam limpidam è ductibus ſalivalibus copioſè exſpuere, necnon aliquantulum phlegmatis glutinoſi ſalſi, vel inſipidi, è tonſillis exſcreare, quod etiam vel ipſis ſanis, ex eâdem cauſa, aliquando evenire poſſit, nempe quòd ab hoc motu violento ductus ſalivales, & partes glanduloſæ in gutture ſitæ comprimantur, & emulgeantur. Non minùs tamen exindè hæc tuſſis pro aridâ habenda eſt, quòd nihil ſeri, vel phlegmatis è Trachæâ ipſâ, vel bronchiis excernatur. Neque eſt minùs verum, hanc tuſſim aridam Catarrhalem, & humoroſam degenerare interdum ſolere, Ipsâ atque ejus ramulis continuum fluxum humoris nunc crudi, nunc ſub ſpecie phlegmatis cocti (uti fieri ſolet in ipſo Catarrho vero, & legitimo) quotidiè ſuppeditantibus. Quod eo evenit, quòd glanduloſa ipſius Trachææ, ejuſque ramulorum tunica, ab hâc diuturnâ agitatione (ſpecie tuſſis aridæ) à tuberculis hic indè per totum parenchyma diſperſis irritata, continuò emulgeatur, indeque copioſum ſerum quotidiè effundat, eodem ferè modo quo lac è mammis, & ſaliva è ductibus ſalivalibus, continuâ ferè tractione, eliciuntur; vel quo involuntarium ſeminis profluvium, in Gonorrhœâ ſimplici, è partibus glanduloſis ſeminalibus, per fibrillationem, oritur. Hæc tamen tuſſis Catarrhalis Phthiſica, duobus præſertim modis, à legitimo Catarrho diſcerni poteſt; nempe, primò, quòd ab ipſo initio morbi, per aliquot menſes, (aliquando verò per aliquot annos) tuſſis Phthiſica ſit arida; cùm ſimplex Catarrhus ſit ab initio humoroſus, uti antea dictum eſt. Secundò, quòd Catarrhus ſimplex, ſpatio paucorum dierum, vel ſaltem Hebdomadum terminetur, ubi ſcilicet primùm, accidentale illud fermentum febrile, à percepto frigore ortum, ſanguinis maſſam ulteriùs agitare jam ſenſim deſiit. Quo jam effecto, glanduloſa Trachææ tunica extraordinariam lympham non ampliùs ſecernit, vel exſpuit. Quo fit, ut reliquum ſerum his glandulis ſecretum, & novo humorum affluxu ulteriùs non attenuatum, naturali partium calore, ſenſim in phlegma puri ſimile concoquatur, & illâ formâ tandem expectoretur, atque inde ſero (ubi ſcil. primùm ſecernitur) excreto, glandulæ, brevi naturalem tonum, abſque ullo renitente tumore, vel relicto tuberculo, recuperant. Quo fit etiam uti tuſſis, unà cum titillatione, ſibilo, dyſpnœâ, &c. ſponte ſuâ evaneſcat: E contrario verò, in tuſſi Phthiſicâ, ſicuti minera lymphæ morbidæ perennis, & inexhauſta ſuppeditatur partibus glanduloſis, è maſsâ ſanguineâ, longo abuſu ſex rerum non naturalium, ita prædiſpoſitâ, & fermento febrili hectico, fixo, continuò agitata: Ita etiam à tuberculis hic indè per pulmonum parenchyma diſperſis, & ramulos Tracheæ moleſtè comprimentibus, ipſa Trachæa, perpetuâ quadam titillatione, in tuſſim ſollicitatur. Quo fit acris, & morbidæ lymphæ æquè continua exſpuitio, per totam aſperæ arteriæ fiſtulam, donec tandem tubercula iſta ſupra modum diſtenta, inflammari, & in Apoſtemata migrare incipiant. Unde ubi primùm cyſtis aliqua rupta fuerit, modò detur via, verum, & fœtidum pus, ab his tu-

moribus exulceratis, unà cum ſero, vel phlegmate à glandulosâ tunicâ Tracheæ copiosè ſuppeditato, commixtum, inter tuſſiendum pene rejicitur. Neque quidem ante ſupremum diem (ubi morbus ſcil. jam fatalis eſt) ab hâc tuſſi, arte ullâ, omnimodè liberari poteſt Æger.

Nec vero cuiquam ſubeat mirari, quo pacto, iſta tubercula (ſeu tumores) longè à larynge in lobis pulmonum ſita, hanc aridam tuſſim, unà cum titillatione in ſuperiori parte Tracheæ provocare poſſint; Cùm ejuſmodi chronicam tuſſim, à lapidibus cretaceis in pulmonum parenchymate natis, excitatam, diuque continuatam, quotidiè obſervare liceat. Quin ſemel, per integrum anni ſpatium idem ſymptoma à tribus clavis fortuito (ex cachinnatione ſcil.) per Trachæam in pulmones demiſſis eveniſſe obſervavi, (Ægro per totum id tempus, quoad cetera, optimâ valetudine utente.) Et quidem ipſa res loquitur, quandoquidem Arteria aſpera in ramuſos plurimos, per omnes lobos pulmonum, ab invicem longè diſſitos, undiquaque divaricatur, adeò ut tenuiſſimæ & maximè exiles bronchiorum fiſtulæ ad extremitates uſque propagentur, ipſarum membranarum continuitate, quæ originem à principio ipſius Tracheæ traxerant. Quo ſequitur neceſſariò, quòd, ſicuti tubercula iſta, quâcunque tandem parte totius Parenchymatis ea naſci contingat, non poſſunt non aliquas harum exilium fiſtularum moleſtè comprimere, & coarctare; Ita etiam ob membranarum ſcil. continuitatem, moleſtus iſte ſenſus primam extremitatem, ſeu ipſius Tracheæ originem, per partium conſenſum (uti dici ſolet) afficit; quo eam continuò proritat ad hoſtem, per inanem atque aridam tuſſim, foras ejiciendum: haud alio ferè modo, quàm quo indies in ſtranguriâ, ſeu dyſuriâ (à lapide ſcil. ureterem, imò ipſum renem, moleſtè premente) dolorem in extremitate ipſius penis, ob membranæ continuitatem, maximè ſentiri videmus. Siquidem nixu naturæ ad expellendum calculum, ſpaſmodica quædam contractio totius Fiſtulæ urinariæ ab ipſo rene oritur; quæ tamen maximè extremitatem penis, ſpecie ardoris urinæ, afficit. Cui etiam ſententiæ vel tuſſis hujus Phthiſicæ natura multùm favet, dum manet adhuc arida utpote à ſalis tuberculis orta, idque antequàm ei Catharralis diſpoſitio, progreſſu morbi, ſuperinducatur. Nam ſicuti arida eſt, atque inanis, ita etiam levis, & brevis, ſponteque potiùs ſuâ, in revelationem oppreſſionis pulmonum facta, quàm feroci titillatione excitata, vel magno illo conatu ſtipata, qui Catarrhalem, & ferinam tuſſim, continuâ excretione lymphæ per Trachæam, & bronchia effectam, comitari ſolet.

Si quis autem quærat de origine tuberculorum pulmonarium, quæ huic aridæ, & verè Phthiſicæ tuſſi primam anſam præbent: Dicam in genere, pulmonum parenchyma non tantùm, (per continuam ſcil. agitationem partium reſpiratione factam) humorum fluxui (uti veteres loqui amant) plus quàm ceteræ corporis partes obnoxium videri; verùm etiam ob ſpongioſam ſuam mollitiem (quippe quòd è veſiculis, & vaſis omninò conſtet) humores imbibere, & retinere ſolere. Ideoque, cùm omnes internæ, & externæ partes, eæque tàm muſculoſæ, quàm glanduloſæ hiſce varii generis tumoribus ſæpiſſimè afficiantur, quid mirum, ſi hìc etiam ſicuti in reliquis corporis partibus, frequenter reperiantur? Imò quum perpendo mecum, quoties in uno anno, hujuſmodi tumorum ſufficiens cauſa etiam his miniſtretur, qui vel accuratiſſimam vivendi normam obſervare ſolent, non poſſum ſatis mirari quemquam, ſaltem ubi jam florem juventutis attigerit, è vivis abſque labe Phthiſicâ excedere poſſe. Et proculdubiò, horum, tuberculorum adeo frequens, & familiaris eſt pullulatio, ut neceſſe foret Phthiſin pulmonarem communem eſſe humani generis peſtem, niſi tumores iſti tam facili operâ, vel ſponte ſuâ evaneſcerent, vel arte tollerentur, quàm primitùs ortum habuere. Et quidem, non ſine ratione conjectari ſoleo, quòd ſicut benigniora tubercula ſolent ſponte ſuâ, & citò detumeſcere, ita nulla ex his, Herculei hujus morbi, de quo jam tractamus, ſtruunt fundamenta, præterea, quæ ſunt aliquantùm maligna, & mali moris, quæque citiùs, vel ſerius, proprietate quadam naturæ, à quâcunque tandem corporis parte originem ducant, putreſcere ſolent.

Sed, ut aliquid de horum tuberculorum origine ſpecialius dicamus: Quantùm mihi adhuc, vel à Cadaverum Phthiſicorum inſpectione, vel ab ipsâ ratione aſſequi contigit, Tuberculum naſcitur ab obſtructione alicujus glanduloſæ pulmonum partis: ubi ſcilicèt plus lymphæ, ſeu ſeri, è ſanguine ſecernitur, quàm per ductum glandulæ excernitur: quo fit ut, ſicuti pars affecta ab incluſo ſero nimis diſtenta, naturali ſuo tono privatur, atque indè influens ſeu ſecretum ſerum exſpuere, vel excernere ulteriùs nequit; ità etiam incluſa lympha, non amplius à novo influente ſero renovata, naturali calore partis paulatim ſicceſcit, atque indureſcit: undè oritur renitens quædam durities, ſeu Tuberculum (de quo jam ſermonem habemus) quod, progreſſu temporis, everſo hoc modo naturali partis tono ſeriùs vel citiùs, pro genio lymphæ, ſeu incluſi humoris & ſanguinis, à quo ſecernitur, inflammari, & in Apoſtema converti ſolet: quæ quidem eſt tota continens cauſa Phthiſeos pulmonaris, atque aridæ tuſſis, quæ eam comitatur.

Adhuc reſtat inquirendum de quâ cauſâ obſtructio hæc, ſeu lymphæ ſtagnatio in glanduloſis pulmonum partibus, oriatur. Atque hoc fit aliquando à præternaturali viſcoſitate, & glutinoſitate lymphæ in glandulis ſecretæ, quo fit ut ægrius propellatur, perque porum ſeu ductum glandulæ admodum exilem, & contrictum excernatur: Atque hoc ſtrumoſis, & ſcorbuticis, præ nimiâ fixi ſalis copiâ, quo ſanguis eorum nimis ſaturatur, accidere ſolet. Unde fit, quòd hujuſmodi ægri tumoribus fixis, & frigidis, iiſq; in pulmonibus æquè ac in aliis corporis partibus præter ceteros obnoxii ſint, & interdum, à Phthiſi admodùm chronicâ, ſupremum diem claudant. Nonnunquàm etiam è feroci, & immani Catarrho tanta lymphæ copia in glandulis ſecernitur, ut facultatem excretricem planè ſuperet, quo fit ut, viâ influentis humoris præpeditâ, lympha intus jam retenta, atque inibi ſtagnans, inſito calore partis paulatim ſicceſcat, & in ſubſtantiam melleam, vel ſteatomatoſam faceſſat, uſquedùm, tono partis præ nimiâ diſtentione tandem penitus everſo, inflammatio, & Apoſtema ſuperveniant. Quâ ratione, Phthiſis pulmonaris non rarò ipſi Catarrho (Catarrhali

rhœi tuſſi ab aridâ, (& ſiccâ exceptâ) ſuccedit. Cui tuſſi aridæ Tuberculum, ſeu tumor glanduloſus renitens ab ipſo Catarrho per perceptum frigus effectus viam ſternit.

Quinetiam facile obſervatu eſt, tuſſim ſiccam, & Phthiſin admodum acutam, ſæpius à peripneumoniâ, pleuritide, vel ab aliquo alio morbo pulmonari ortum ſuum habere; Nempè quòd venæſectio ſatis tempeſtiva, vel larga, quæ ſcil. inflammationis magnitudini ſatisfaciat, vel incuriâ Medici, vel Amicorum metu, omittatur. Quo fit ut, tono partium, præcipuè glanduloſarum, jam everſo, ſtatum naturalem nunquam recuperare poſſint; Tubercula verò renitentia, hìc illic, ubi ſcil. inflammatio jam diu invaluit, diſperſa conſpiciuntur, unà cum tuſſi arida & febre hecticâ continuâ, ex quibus hujuſmodi ægri, acutiſſima Phthiſi jam correpti, intra paucas Hebdomadas ſupremum diem claudunt; ſiquidem pulmones jam ante inflammati citiſſimè in Apoſtema tranſeunt, quo ultima hujus morbi ſcena, ſolitis funeſtis ſymptomatis ſtipata ſtatim inducitur.

Nec minùs fataliter in hujuſmodi morborum curatione erratur, ubi ex medicaminum pulmonarium, & expectorantium neglectu, neceſſaria pulmonum à phlegmate purgatio, quo partes præſertim glanduloſæ inferciuntur, planè omittitur; vel ubi hæc remedia minùs parca manu adminiſtrantur: Multò magis, ubi copioſa lympha in glandulis ſecreta ex intempeſtivo, & quidem fatali uſu opii, in relevationem doloris exhibiti, ibi impacta detineatur. Quo fit quòd, utcunque Æger (quod etiam rarò accidit) à præſentis morbi periculo liberetur, tamen à tuberculis, ſeu tumoribus glanduloſis inde relictis, certiſſima via in fatalem, & præcipitem Phthiſin ſternatur, quæ ſeſe primùm tuſſi, dyſpnœâ, & febre hectica prodit, deinde verò omnia dira, & funeſta hujus morbi ſymptomata quam citiſſimè acceſſit.

Cauſa verò horum Tuberculorum uſitatiſſima, eſt contractio Pulmonum leviter ſpaſmodica, diuturna, & continua, cum ponderis, & oppreſſionis ſenſu, à mœſtitia, timore, curis, cogitatione intenſâ, atque aliis ejuſmodi animi pathematis effecta. Sicuti enim molle pulmonum parenchyma tanto tempore contractum, & continuò quaſi compreſſum, ſponte ſuâ ſolet indureſcere; ita etiam glanduloſæ eorum partes expanſione ſolitâ jam privatæ, lympham intùs ſecretam, ſaltem ſatis magnâ copiâ excernere, & exſpuere non poſſunt. Quâ de re nemo mirari debet, quòd ſicuti totius parenchymatis infarctio, ita etiam renitens durities in ipſis glandulis ſubſequatur. Atque inde facile obſervatu eſt, quòd ſicuti Ægri hypochondriaci, & Hyſterici, ſunt præter ceteros Phthiſi chronicæ licet, & lentæ, obnoxii; ita etiam iſte morbus eos, ut plurimùm, ex infortunii alicujus occaſione corripit, quæ res metum, mœſtitiam, cogitationem, vel aliquod aliud gravius animi πάθημα idque diuturnum, & fixum priùs inducit.

Secundò, Tuſſis Phthiſica ſicuti plerumque arida eſt, ita in principio morbi, ſaltem diurno tempore, mitis eſt, & ſine ullâ inſigni, & vehementi irritatione, longis etiam, & incertis intervallis ſæpiùs recurrens. Catarrhus verò, primo limine, ferox & ferè continuus eſt. Fatendum quidem eſt utramque tuſſim, tempore nocturno, ſatis vehementem, & moleſtam eſſe; Catarrhalem nempe, quoniam omnis ſeroſæ colluviei ſecretio per glanduloſam Tracheæ, & bronchiorum tunicam, tempore decubitûs, magis copioſa eſt; Phthiſicam verò, quoniam pulmones, in hoc ſitu corporis, magis conſtringuntur. Unde ſicuti bronchia à tumoribus glanduloſis magis compreſſa, inde etiam moleſtiùs comprimuntur: ita etiam ſeri glanduloſi copioſior in ramulos Tracheæ expreſſio inſequitur, à quo pulmones copioſiùs inferciuntur, & proinde etiam irritantur. Et ab hâc continuâ pulmonum per tuſſim agitatione vigiliæ pertinaces procedunt, quæ incremento febris haud parum conferunt; quæ quidem primitùs à colliquativo, & exagitato ſanguinis ſtatu dependebat. Licèt aliquandò, præſertim verò in Phthiſicis Hypochondriacis, vigilias longas, ſine tuſſi, maximè à primo ſomno obſervarim.

Tertiò, Tuſſi Phthiſicæ ſicuti ferè ſemper inappetentia, & ſitis accedunt, ita etiam poſt cibum vomitio ferè ſupervenire ſolet; adeo ut Æger à paſtu continuò ferè tuſſire ſoleat, donec cibus tandem vomitione fuerit rejectus. Quod ſymptoma non tantùm à ventriculi debilitate procedit, idquè ob facultatem concoctricem jam læſam à morbido ſtatu liquoris per glanduloſam tunicam ventriculi, fermentationis ergo, continuò excreti; jam verò è febrilis ſanguinis maſsâ ſuppeditati: Verùm etiam à nimia ejus agitatione per ferocem motum juxta tuſſientium pulmonum: Ubi enim primùm pulmones, à novo ſucci nutritii recentis in eos delati rivulo, intumeſcere incipiunt, copioſa excretio lymphæ per bronchia, & glanduloſam Tracheæ tunicam oritur, indeque titillatio continua, tuſſiſque importuna, & violenta: Qua commotione ventriculus, ob viciniam, in conſenſum tractus etiam agitatur, donec tandem, motu ejus naturali jam funditùs inverſo, omnia in eo contenta vomitu ſurſùm effundantur. Quo fit ut, penu novi chyli hoc modo evacuato, ulterior ejus derivatio in pulmones ceſſet, atque adeò, quieſcentibus jam pulmonibus, utpote à novi chyli influxu non ampliùs irritatis, Ventriculus etiam quieſcit, quo tuſſim & vomitionem ſimul ceſſare contingit, uſquedum pulmones à novo cibo ingeſto iterùm irritari cœperint: Atque quidem hæc vomendi diſpoſitio cum tuſſi conjuncta, mihi eſt inter certiſſima ſigna Pathognomonica tuſſis Phthiſicæ. Etſi enim aliquot laborantes Phthiſi (ubi ſcil. conjuncta febris admodùm mitis fuerit) appetitu ferè integro uti noverim, vix tamen ulli abſque hac vomendi diſpoſitione, unà cum tuſſi conjunctâ, à ſumpto cibo reperiebantur. Fatendum tamen eſt hoc Diagnoſticon non eſſe proprium tuſſis Phthiſicæ quarto modo (uti Logici loqui ſolent.) Etſi enim omnes Phthiſici ingeſta, iſto modo, inter tuſſiendum, à paſtu, vomitione rejicere ſoleant, idem tamen infantibus etiam & pueris Catarrho convulſivo afflictis quotidiè ſolet accidere. Verùm æque facile eſt ex Ægri ætate, ſymptomatis duratione, tuſſis ferocitate, atque aliis circumſtantiis, Catarrhalem hanc à vera Phthiſica tuſſi diſtinguere.

Quartò, Rauca etiam vox, vel clangoſa, & exilis, tuſſi conjuncta, ſi fuerit frequens, multò magis

magis ſi continua, & chronica, eam planè pulmonarem, & Phthiſicam eſſe oſtendit. Uti enim raucedo à tunicæ Trachæam intus tegentis aſperitate procedit; quæ ſalſo ſero continuò irrigata vim ſonorificam totius tubuli, ſeu inſtrumenti lædit; ita etiam vocis exilitas ab infarctione bronchiorum ſero glutinoſo obſitorum dependet.

Quintò, Huic etiam tuſſi, ſicuti oppreſſio pectoris ponderoſa ab initio conjungitur, ita etiam reſpiratio aliquatenus moleſta, difficilis, & anheloſa, præſertim à citatiori ambulatione. Quod ſicuti à tuberculis crudis, & induratis hic illic per pulmones ſparſis, ita etiam à bronchiis viſcido, & glutinoſo phlegmate infarctis provenit. In ſcrophuloſis autem, ſcorbuticis, & in Aſthmaticis Phthiſi affectis, ob ſpaſmodicam ſcilicet nervorum thoracicorum contractionem, inſignius & moleſtius eſt hoc ſymptoma, quàm in aliis fieri ſolet, ideòque his aer perflatilis, & à fumo carbonum immunis plus quàm aliis Phthiſicis prodeſt, uti proprio loco ulteriùs monſtrabimus.

Sextò, Cùm glanduloſas aliquas pulmonum partes propter diuturnam accumulationem lymphæ, quæ exitum per bronchia invenire non poterat, valdè diſtendi & indureſcere contingit, tubercula cruda hìc inde diſperſa in molli pulmonum parenchymate oriuntur. Unde, non tantùm reſpiratio quadantenùs difficilis, & anheloſa, verùm etiam pectoris oppreſſio, & hypochondriorum gravitas, inſolita iracundia, & cogitatione ſtipatæ, inſequuntur. Quæ ſymptomata cum tuſſi conjuncta inter ſigna tuſſis Phthiſicæ Pathognomonica habere ſoleo.

Septimò, Cùm tandem partes iſtæ glanduloſæ, à longâ infarctione pulmonum ſeroſâ colluvie in glandulis ſecretâ gravatorum, uno vel altero lobo valdè intumeſcunt & dureſcunt;) materiâ hâc ſeroſâ in cyſtidibus largis jam collectâ) lobus pulmonum affectus cæteris præponderat, necnon major Gravitas illâ Thoracis parte evidenter ſentitur; quo fit ut Æger etiam in unum latus decumbens magis tuſſiat, quàm in alterum, quippe quòd affectæ glandulæ uno ſitu, magis quàm altero comprimantur; à quibus compreſſis continua ſeri exſpuitio in bronchia pulmonum, unà cum continuâ titillatione, & moleſtâ tuſſi inſequitur. Atque hoc etiam inter ſigna tuſſis Phthiſicæ certiſſima ſemper habendum eſt. Utcunque enim quoſdam hoc modo affectos pluribus annis vitam protraxiſſe noverim, ſemper tamen in ſtatu valetudinario, & phthiſico hærent.

Octavò, Ubi denique glandulæ iſtæ pulmonum tumefactæ inflammari, & in Apoſtemata migrare cœperint, unà cum collectione purulentæ materiæ propriis cyſtidibus incluſæ, ſive naturam referant ſteatomatis, ſive meliceridis, ſive cujuſcunque alterius ejuſmodi tumoris, (quæ quidem varietas à variante ſeri ſanguinis genio oritur, uti poſthac dicturi ſumus) tunc Phthiſis confirmari, & in lethalem evadere incipit, unde novum ſymptomatum funeſtorum Agmen ſtatim ſubſequitur; quæ ſunt Phthiſeos confirmatæ Diagnoſtica, de quibus uberiùs differere mox properabimus, ubi aliquid de duobus reliquis Phthiſeos incipientis ſignis, Febre ſcil. & Tabe ſtrictim notaverimus.

Secundum Pathognomonicum ſignum incipientis Phthiſeos eſt Febris, quæ quidem, aliquo ſaltem gradu, primum hujus morbi inſultum comitatur, una cum appetitûs dejectione, aliquali ſiti, urinâ quadantenùs rubrâ, accelerato pulſu, vigiliis, calore partium, præcipuè extremarum, atque aliis ejuſmodi ſymptomatis. Atque hoc pacto tuſſis Phthiſica a communi Catarrho fere ſemper dignoſci poteſt.

Hæc quidem febris in Scorbuticis, & phlegmaticis principio morbi valdè mitis eſt; Aliqualis tamen præternaturalis calor, præcipuè verò in volis manuum, & plantis pedum, unà cum pulsûs celeritate & nonnunquam etiàm genarum rubore fixo, (adhibitâ magnâ attentione) præſertim verò à cibo diſcerni poteſt. Eſt autem hæc febris merè hectica, atque eodem tenore ferè ſemper manens, utpote à partibus ſolidis, & ſanguinis Diatheſi procedens, idque ob colliquationem ſeroſam maſſæ ſanguineæ, à fermento acido, vel acri in eâdem hoſpitante, atque eam perpetuò agitante, effectam. Verum quidem eſt febrem hanc, temporis progreſſu, à continuâ pulmonum agitatione, eorumque per tuſſim calefactione, & vigiliis indè natis, plurimùm augeri; uti etiàm ab inflammatoriæ, & putridæ febris ſuperinductione, à tuberculorum pulmonarium inflammatione, & inſequentibus Apoſtematis ortæ. De quibus inter ſigna Phthiſeos confirmatæ Diagnoſtica mox uberiùs differemus.

Tertium Diagnoſticum ſignum incipientis Phthiſeos eſt Tabes, ſive conſumptio partium muſculoſarum, quæ in morbi principio eſt valdè lenta, & ferè inſenſibilis (magis flacceſcentibus quàm conſumptis jam partibus) uſque dùm à Tuberculorum inflammatione, vel ab Apoſtematis, vel alio aliquo accidenti, febris etiam inflammatoria, vel putrida accedat hecticæ; atque tunc, novâ febre non tantùm appetitum, & digeſtionem proſternente; verùm etiam ſuccum nutritium ulteriùs liquefaciente, & è ſanguine purgante, præcipiti greſſu jam Tabes ruit, adeò ut Æger intra paucas Hebdomadas faciem Hippocraticam præ ſe ferat. A quo tempore Diagnoſtica ſigna Phthiſeos confirmatæ apparent, de quibus jam dicturi ſumus.

Cap. 4. De ſignis Pathognomonicis Phthiſeos pulmonaris confirmatæ.

Signa Pathognomonica Phthiſeos confirmatæ ſunt, nova febris, hecticæ ſuperinducta, eâque primùm Peripneumonica, & continua, Putrida, & intermittens; atque ulterior ſanguinis colliquatio jam indè immensè aucta, ſeſe per immanes ſudores, tuſſim Catarrhalem, Diarrhœam, Hydropem, Aphthas, peculiarem gutturis dolorem inter deglutiendum prodens. A quibus Æger tandem in ultimum maraſmi gradum redactus, pro Phthiſico deplorato à lippis ipſis, & tonſoribus habetur. De quibus omnibus ſignis ſpeciatim, licèt ſtrictim, obſervationes noſtras ſubnectere lubet.

Et primùm de febre Peripneumonicâ, ſeu Inflammatoriâ. Hæc febris à Tuberculorum pulmonarium inflammatione ortum ſuum ducit, quoties ſcil. à percepto frigore, liberali liquo-

rum

rum ſpirituoſorum potatione, nimiis exercitiis, vel ab alio aliquo ejuſmodi accidenti, quod ſanguinem, agitando, nimis calidum reddat, vel quidem à nimiâ coni glandularum diſtentione, vel à peculiari quâdam humoris in cyſtidibus contenti in maturationem diſpoſitione, tubercula iſta pulmonaria, unum, vel amplius, inflammari contingit; febris iſta (quam ritè vocare ſoleo Peripneumonicam, ſeu Inflammatoriam) non poteſt non caput ſuum erigere, idque difficili reſpiratione, (expectoratione jam ſuppreſsâ, urgente tamen tuſſi) & non rarò dolore etiam laterali, ſiti, jactatione, vigiliis, intenſo & continuo calore, atque aliis febris Peripneumonicæ ſymptomatis ſtipata. Ex quâ Æger, perpetuò ferè, durante ſcil. ejus vigore, lecto affigitur, & non rarò etiam lethaliter decumbit.

Et quidem *Febris* iſta omninò tractanda eſt, veluti ceteræ febres Peripneumonicæ, tenuiſſimâ ſcil. diætâ, medicaminum Thoracicorum, & expectorantium copiâ, externâ fotuum, & linimentorum anodynorum applicatione, Perlatis, & temperantibus Julapiis, ſuper omnia verò, venæſectione, eâque ſatis tempeſtivè, frequenter, & copiosè adhibitâ, utut macilentus, & tabidus fuerit Æger. Hoc enim modo fatalis hujus febris eventus unicè præcaveri poſſit. Sanguine enim ſatis tempeſtivâ, & copioſâ venæſectione jam ventilato, inflammationis fomes tollitur, & flamma in glandulis tumefactis accenſa æquè facilè uno, vel altero die exſtinguitur. Verùm hoc neglecto, Æger vel intra ſeptem dies Peripneumonicè, unà cum funeſtis acutiſſimi hujus morbi ſymptomatis, è vivis tollitur, quod non rarò à Medici, vel ipſius Ægri, vel Amicorum incuriâ, contingit; vel ſaltem, etſi magis chronicè, non minùs tamen fataliter perit, Apoſtemate inflammationi Tuberculi circa diem ſeptimum ſuccedente, atque inde hâc febre acutâ, & inflammatoriâ à putridâ intermittente, licet chronicâ, æque tamen fatali, & incurabili exceptâ.

Aliquando (uti in Domino *Tibs* in vico dicto *Pater-noſter-Rovv*, & in quodam Mercatore in *Philpot lane*) hujuſmodi febrem Peripneumonicam ſæpiùs in anno recurrentem deprehendi, quoties ſcil. novum aliquod tuberculum inflammari contigit, ſive ex aliquâ evidenti causâ, ſive à naturali ipſius tuberculi in maturationem diſpoſitione factum fuerit. Non enim omnes tumefactæ glandulæ eodem temporis puncto in inflammationem diſponuntur, ut mihi in cadavere Domini *Daviſon*, fatali, licèt chronicâ Phthiſi, è vivis ſublati, cultro anatomico ſubjecto evidenter patuit: In hujus enim mortui pulmonibus aliqua tubercula in Apoſtemata converſa; aliaque inflammata, atque alia denique cruda, & immatura eodem tempore reperta ſunt. Utplurimùm autem hujuſmodi Phthiſici, propter febrem Peripneumonicam ab alicujus novi tuberculi inflammatione ortam, vitam claudunt. Cujus febris exſtinctioni Ægri vires à prioribus pugnis jam exantlatæ impares fiunt.

Sicuti hujus febris durationis menſura, ita etiam intenſionis & periculi, à tuberculi inflammatione à quâ dependet, ſumenda eſt. Ubi enim primùm inflammatio vel ſponte ſuâ, vel arte ceſſat, hæc etiam febris ceſſat; licèt illi, quoties partem inflammatam in Apoſtema tranſire contingit, febris putrida intermittens à collecto pure ſuboriens, protinùs ſuccedat. Et generaliter loquendo, pro tumoris in purulentiam citiùs vel ſeriùs maturandi genio, febris ipſa Peripneumonica inde oriunda citiùs etiam vel ſeriùs curatur, & pro humoris malignitate, & tumorum inflammatorum magnitudine, & numero, magis vel minùs acuta, & fatalis evadit. Unde licèt iſta febris ſeptem dierum circuitu ut plurimùm, finiri ſoleat, (ſiquidem hoc ſpatio inflammati tumores in abſceſſus converti incipiunt) ſcrophuloſa tamen tubercula, ut lentè admodùm matureſcunt, ita febrem inflammatoriam, etiamſi ferè inſenſibilem, & minus periculoſam, chronicam tamen, nulloque certo dierum ſpatio finitam ſuperinducunt. Quò acutior autem febris, eò brevior, quò mitior eò magis chronica.

2. De febre Phthiſicorum putridâ intermittente.

Ubi primùm autem hæc tubercula pulmonum inflammata in Apoſtemata migrare incipiunt (ſive hoc à Venæſectionis ſatis tempeſtivæ, vel copioſæ neglectu, ſeu à naturali tumorum diſpoſitione in putrefactionem) febris hæc inflammatoria in putridam intermittentem tranſmutatur. Cujus paroxyſmi, in principio, ut plurimùm, nullum certum ordinem ſervant, rigore, & horrore ſæpiùs eodem die recurrentibus, ſicuti in puris confectione fieri ſolet. Ubi vero pus jam planè fuerit confectum, hæc febris typum quotidianæ, aliquando etiam, licet rarius, tertianæ, imitatur; idque certo diei tempore, cum algore, & rigore incipiens, cum intenſo calore progrediens, atque adeò tandem in ſudores nocturnos profuſos, & colliquativos deſinens. Durante verò algore, & calore tuſſis, & anhelitus, cũ reliquis moleſtis ſymptomatis augentur: Durante verò ſudore, & remiſſione (tuſſi, & reliquis ſymptomatis jam minoratis) Æger placidè dormit, (vires recolligit, & ſibi, jam ſpe futuræ ſanitatis conceptâ, abblanditur. Atque hanc febrem putridam intermittentem, inter certiſſima ſigna Pathognomonica Phthiſeos confirmatæ ſemper habere ſoleo, quippe quæ, ſicuti a pure in pulmonibus confecto ortum ducit, ita purulentiæ pulmonaris index eſt certiſſimus. Indeque provenit, quòd hæc febris putrida intermittens Phthiſin (quoties hunc morbum fatalem eſſe contingit) in extremum uſque diem comitari ſoleat. Cujus paroxyſmi, cum colliquationibus indè provenientibus, magis, vel minùs intenſi, & protracti ſunt pro magnitudine, vel numero tuberculorum in Apoſtemata maturatorum. Nec quidem hæc febris ope Corticis Peruviani, Antihectici Poterii, vel cujuſvis aliùs medicamenti ſpecifici, (quorum vim in hoc caſu ſæpiſſimè ſum expertus) neque ullâ aliâ methodo (quantum ſcio) radicitùs extirpari poteſt: niſi ulcus adeò fuerit benignum, ut medicaminum balſamicorum intus exhibitorum ope ſanari, ipſâque ſanguinis maſſâ (ubi febris fomes deliteſcit) in ſanum ſtatum, copioſo temperantium, atque alterantium uſu, reduci poſſit; vel ſaltem niſi Phthiſis ſit merè ſymptomatica, & ab alio morbo dependens, qui curationem perfectam ex uſu ſpecificorum admittere poſſit.

Secundum Phthiſeos confirmatæ ſignum Patognomonicum eſt, Colliquatio ſucci nutritii inſignis, & quotidiana, ejuſque è maſsâ ſanguinis excretio, ſeu extruſio continua, & copioſa per omnes portas à naturâ conceſſas: quo fit ut vel ſubitus virium collapſus, & maraſmus cum facie Hippocraticâ, brevi, paulatimque inſequantur. Fatendum quidem eſt Phthiſin ab ipſis morbi primordiis ſemper aliqualem colliquationem habere conjunctam, gradibuſque febris hecticæ, à quâ oritur, æquatam, quæ ſeſe ſudoribus nocturnis, Diarrhœâ vel aliquo alio modo prodit. Quæ colliquatio utût curatu ſit difficilis, quippe quæ ſæpiùs à febre hecticâ incurabili dependeat, ſemper tamen eſt mitis, & Tabem admodùm ſegnem, minuſque ſenſibilem inducit, uſquedùm à tuberculorum pulmonarium inflammatione, atque ulceratione febris Peripneumonica, & dein putrida intermittens, priori hecticæ ſuperinducatur, atque aſſocietur. Et tum quidem, ſicuti iſta febris, ita etiam colliquatio ab illâ orta, augetur. Sanguine enim, purulentis particulis ſibi à maturatis tuberculis in circulatione per pulmones communicatis, perpetuò jam contaminato, Natura ejuſmodi heterogeneis particulis in tantum onuſta, atque preſſa, uti ampliùs eas ferre non poſſit, inſurgit contra, pugnamque (ſeu paroxyſmum febrilem) in earum extruſionem inſtituit, atque indies renovat. Cujus certaminis initio, nimis anguſtata, ideò algore, & rigore afficitur; ubi verò primùm, recollectis jam viribus, prævalere incipit, ebullitionem, atque agitationem adeò inſignem in totâ ſanguinis maſsâ efficit, uti recens ſuccus nutritius in vaſa ſanguifera jam delatus non poſſit ampliùs ſeſe ſanguini adjungere; verùm per quaſvis corporis patentes partes, unà cum purulentis particulis, modo colliquativo, copioſè extruditur, atque foras ejicitur, una cum magno virium diſpendio, corporiſque hoc modo pabulo ſuo reſtaurativo continuò privati, emaciatione. Quoque vel majora, vel frequentiora fuerint ulcera, eò particulæ heterogeneæ copioſiores, uti præternaturale fermentum, ſanguini admiſcentur, eoque major eſt paroxyſmus febrilis atque etiam copioſior colliquatio, magiſque præceps maraſmus.

1. Colliquatio iſta fit primùm per Trachæam, & bronchia; quo tuſſis quæ initio fuerat arida, jam redditur egregiè catarrhalis, præcipuè verò in febrilis paroxyſmi declinatione: Quo tempore magna copia non tantùm crudi ichoris, verùm etiam concocti phlegmatis, ejuſque vel purulenti, vel puri ſimilis, & coloris varii, è pulmonibus per tuſſim rejicitur, uſquedùm totâ ſanguinis maſſa, expulſo jam heterogeneo iſto & purulento fermento, in ſtatum quietis paulatim deferbuerit. Quæ quidem quies eo-uſque durat, donec haſce inſidas, atque incertas inducias ab aliquo novo paroxyſmo interrumpi contingat.

2. Colliquatio iſta fit etiam per poros cutis, in immenſis, & colliquativis ſudoribus.

Siquidem ſudores iſti gradu quidem differunt, pro vario ſcilicet colliquationis ſanguinis, & paroxyſmi febrilis præcedentis, eamque cauſantis gradu. Sudores enim in febris putridæ declinatione ſemper invadunt poſt mediam ſcilicet noctem. Hæc enim febris, (ſive tertiana, ſive quotidiana fuerit) ſemper more aliarum febrium intermittentium certo diei tempore (nimirùm vel circa, vel paulò poſt meridiem) unà cum algore manifeſto invadit; dein verò per horas aliquot progrediendo unà cum intenſo calore, ſiti, inquietudine, vomitu, anhelitu, continuâ, atroci, atque immani tuſſi, vigiliis, imò aliquando etiam deliriis, & inſigni genarum rubore, à pulmonum, & Hypochondriorum, oppreſſione provenientibus: Tandem verò, circa mediam ſcilicet noctem, immenſis, colliquativis ſudoribus terminatur. Quo tempore Æger placidum ſomnum capit, ſine anhelitu ſpirat, & concoctum phlegma copioſè abſque ulla vel difficultate, vel labore per tuſſim rejicit, omnibus febris ſymptomatis, jam ſuâ ſponte, & ſimul ceſſantibus: Siquidem colliquati ſeri rivulus jam à pulmonibus in poros cutis divertitur, atque derivatur. Quo Æger per matutinas horas in ſtatum ἀπυρεξίας, cum miti calore, pulſuque debili reduci videtur, uſquedùm hæc fraudulenta pax novi alicujus paroxyſmi inſultu denuò rumpatur. Atque ab iſtis remiſſionibus accidere ſolet, quòd hujuſmodi Phthiſici, etiam ab adſtantibus pro deploratis habiti, ſibi ipſis de futurâ ſanitate egregiè adulentur, adeò ut qui veſpertinis horis, non aliud quàm fatale prognoſticon de ſeſe habere conſueverant, ſequentibus tamen matutinis ſemper animum erigant, & ſpem longæ vitæ ſibi vanè concipiant.

Verum quidem eſt, iſtos colliquativos ſudores, magnum ſucci nutritii diſpendium facientes, Ægrum in præcipitem Tabem, ſeu maraſmum conjicere. Nihil tamen levaminis, vel emolumenti à violentâ eorum ſuppreſſione, vel mutatione aëris, vel intempeſtivâ è lecto ſurrectione Ægro exſpectandum eſt: (quod experientiâ ſæpiùs vidi comprobatum.) Sanguis enim inde excandeſcens non minùs eò colliqueſcit, his verò colliquati ſeri portis jam arte occluſis, nova quædam repagula ad ſarcinam hanc moleſtam alias deferendam (etſi forſan paulò incommodiùs) à naturâ ſtatim reſerantur; eaque vel in cavitatem Thoracis, unde Hydrops pectoris cum incremento tuſſis, & dyſpnœâ intolerabili inſequitur; vel in cavitatem Abdominis, inferioreſque artus, ſub formâ Aſcitis; vel etiam per glandulas inteſtinorum, unde vehemens Diarrhœa, & magis, quàm ſudores ipſi, colliquativa, oritur: Imò etiam (ſi ſerum jam colliquatum fuerit acre) vel ipſa Dyſenteria horrendis Inteſtinorum ſpaſmis ſtipata, quæ omnia anti-dyſenterica medicamenta ſuperat; ſicuti in deplorato caſu Domini *Lechmere* expertus ſum, atque aliorum etiam Phthiſicorum, qui ab iſto ſymptomate vel in ultimum maraſmi gradum, cum Hippocraticâ facie conjecti, non minùs citò, quàm miſerè vitam finierunt. Verùm iſto ſermonis filo in reliqua Phthiſeos confirmatæ Diagnoſtica inſperatò feror, de quibus etiam eſt breviter aliquid dicendum.

3. Colliquatio iſta (ubi primùm Phthiſis ad ſtatum confirmatum jam pervenit) haud rarò fit per Inteſtinorum glandulas, ſub ſpecie Diarrhœæ ſeroſæ, vel etiam Dyſenteriæ. Sanguis enim, cùm in hoc colliquativo ſtatu, ob calorem, & acrimoniam præternaturalem, novum ſuccum nutritium ſibi aſſimilare, & ſolidis partibus adunire non poteſt, eum, ut inutile pondus, etiam per has glandulas, detrudere atque excernere

nere frequenter molitur. Verùm natura eliminationem hoſtis ſui per hanc portam non ſolet tentare, niſi ubi vel ex incuriâ, vel induſtriâ via Regia per poros cutis occluditur, vel ſaltem, ubi hæc unica porta, ob colliquationis ſcil. magnitudinem, naturæ poſtulatis non reſpondet. Ideoq; Diarrhœa haud immeritò inter ultima, & funeſta Phthiſeos confirmatæ diagnoſtica ut plurimùm habenda eſt. Excepto enim unico Phthiſicorum Scorbuticorum caſu, qui ſemper in ſeroſas colliquationes per inteſtinorum ſcilicet, & ſalivæ glandulas, proclives ſunt, Diarrhœa non adeò multùm ante diem fatalem accedere ſolet Phthiſi. Sicuti enim extremi naturæ incidii indicium eſt, ità ulteriorem ejus ruinam, mirum in modum accelerat, & promovet.

Diarrhœa iſta aliquandò mitis eſt; quippe quæ ſemper ſe habet pari ratione cum præſenti colliqueſcentis ſanguinis ſtatu, in aliis verò violenta eſt, & diſcruciantibus torminibus cōjuncta, quæ neq; opiatis, neque aliis medicamentis adſtringentibus parere ſolet; vel ſaltem à minimo frigore percepto, vel Cereviſiæ hauſtu, vel medicamentorum opiatorum omiſſione recidivatur. Et quidem, quamdiu Diarrhœa tantummodò vi narcotica medicamentorum ſupprimitur, Dyſpnœa ſuffocativa, hydrops, vel alia pariter moleſta, ac periculoſa ſuboriri ſolent. Siquidem, ſanguine in ſtatum colliquativum irreparabilem, atque incurabilem ſenſim jam redacto, ſuccus nutritius crudus continuò in maſsâ ſanguineâ circumactus, unâ portâ jam occluſâ, aliam, eamque forſan cum majori Ægri detrimento, & moleſtiâ, invenit.

4. Ubi verò, in hoc colliquativo ſanguinis ſtatu, Chylus nutritius jam effœtus per cutaneas glandulas, ab ambientis aëris frigore conſtrictas, vel per glandulas inteſtinales à nimio opiatorum uſu jam occluſas, convenientem exitum, non reperit, Hydrops Thoracis, vel etiam Abdominis, atque artuum inferiorum ſuboriri ſolet: Imò tumor œdematoſus totius habitûs corporis, ſi in prædictas corporis cavitates, atque in artus inferiores, vel arte vel aliquâ fortunâ præcluditur via. Et quidem Hydrops Phthiſicus, cujuſcunq; generis non tantùm confirmatæ, verùm etiā deploratæ, & incurabilis Phthiſeos, habēdus eſt. Idque non tantùm quoniam maximum ſanguinis incendium, ſtatumque ejus ſummè colliquativum indicat; verùm etiam, quoniam Æger, præ nimiâ virium imbecillitate, ſufficientem extravaſati ſeri evacuationem per hydragoga tolerare non poteſt. Diuretica autem hic planè nullius ſunt uſus, quoniam vel eorum validiſſima urinæ fluxum promovere non poſſunt, verùm magis ſanguinem ulteriùs attenuando, & calefaciendo, majorem ei colliquationem infert: Unde, in incrementum Hydropis, major, atque citatior lymphæ fluxus in corporis cavitates, atque artus, ubi datur via, efficitur.

5. Denique, in hac univerſali colliquatione, Naturæ haud multùm ante fatalem diem ſuccumbens, ſerum, ſive ſuccum particulis morbidis, & purulentis ſaturatum per tonſillas, ceteraſque glandulas in gutture ſitas, uti etiam per ductus oris ſalivales propellere ſatagit. Unde duo nova ſymptomata, eaque ſatis moleſta oriri ſolent; Ardor ſcilicèt inſignis circa tonſillas, & partes deglutioni inſervientes, Quo fit ut Æger vix quicquam, niſi cum gravi dolore, deglutire poſſit. Quod ſymptoma à levi harum partium inflammatione, eaque non tantùm perpetua earum per tuſſim agitatione, & frigore externo effecta; verùm etiam continua ſeri febrilis, & puris acris exſpuitione provenire ſolet. Secūdò, Aphthæ diuturnæ, & moleſtæ toto ore diſperſæ, quæ a morbido ſalivæ ſtatu originem ducunt: Præcipuè verò, ſi ſolita Diarrhœa opiatis, & conſtringentibus medicamentis violenter fuerit ſuppreſſa. Hinc enim natura (ſolita porta jam occluſa) hoſtem per ductus ſalivales, licèt incaſſum, propellere conatur. Quo fit quòd, a morbidi ſcil. & febrilis ſeri per oris glanduloſam tunicam excreti acrimonia, partes oris iſto acri humore inflammari, atque exulcerari contingit. Quæ quidem cauſa eſt continens hujus ſymptomatis, quod utut fuerit moleſtum, medicatricem tamen vim tam artis, quàm naturæ planè reſpuit, quoniam penus ejus, ſive fomes, in maſsâ ſanguinis reconditus conſumi non poteſt. 3. A colliquatione iſta univerſali, per quaſcunque Corporis partes ea facta fuerit, quàm citiſſimè Maraſmus unà cum facie Hyppocratica induci ſolet; quæ quidem Conſumptio eſt pene totalis muſculoſæ carnis, ob defectum novi ſucci nutritii, qui adhærendo partibus ſolidis, continuam earum impenſam reparare poſſit. Et cùm res huc tandem venerit, conclamatum eſt de Ægro. Ideòque hoc ſymptoma inter certiſſima ſigna non tantùm Phthiſeos confirmatæ, verùm etiam deploratæ, ab omnibus ſemper habitum eſt.

Præter hæc jam dicta Diagnoſtica ſigna, forſitan non fuerit inutile obſervationes etiam noſtras de pulſu, urinâ, & ſputo, in variis hujus herculei morbi gradibus ſubnectere.

Atque primò de Pulſu: Incipiente Tabe, dum nulla febris, præter hecticam adfuerit, præternaturalis calor ſicuti continuus eſt, & mitis, ita etiam pulſus, pro gradu febris, aliquatenùs celerior eſt quàm par ſit; ferè tamen ſemper eundem tenorem ſervat, niſi quòd à cibo, ut calor febrilis, ità etiam, pulſûs celeritas faciliùs ſentiatur. Et quidem nonnulli Phthiſici frigidiores, & phlegmatici, nullo alio tempore, vel pulsûs, vel temperamenti errorem ſentire ſolent. Ubi verò primùm febris peripneumonica invaſerit, pulſus, ſicuti in aliis peripneumoniis accidere ſolet, non tantùm eſt velox, verùm etiam durus, & fortis, imò etiam ſerratilis. Licèt aliquandò, præ doloris ſpaſmodici à turberculis inflammatis effecti urgentiâ, non rarum ſit pulſum debilem, unà cum partium extremarū frigiditate, pro tempore obſervare, quæ vel expertiſſimi Medici ſagacitatem, quoad venæſectionis ſcil. præſcriptionē exercere poſſint. Sicuti enim ſubtractio ſanguinis ſubitā ruinam affert, quoties ſcilicet pulſus debilitas, & extremorum frigiditas ab habituali virium dejectione procedant: Ità venæſectio, minuendo inflammationem, pulſum fortiorem reddit, caloremque extremis miniſtrat, quoties hæc debilitas à dolorifico pulmonum ſpaſmo, inflammatione tantùm effecto, accidentaliter provenit, quæ venæſectione non rarò inſtanter relevatur. Ubi verò progreſſu morbi febris putrida intermittens, à pulmonum purulentiâ, ſupervenit, pulſus eſt admodum varius; manè ſcilicet citra paroxyſmum, aliquatenùs celer, & debilis; celer à diſpoſitione ſanguinis hecticè febrili; de-

bilis verò ab exhauſto, & depauperato jam totius corporis habitu, præ reparationis defectu ex alimento debito ſufficienti miniſtrandæ: In paroxyſmo verò eſt celer, & fortis; celer à febre hecticâ, fortis à præſenti orgaſmo, ſive præternaturali ſanguinis agitatione. Ingruente verò ſudore, unà cum celeritate præternaturali, etiam pulsûs robur ſenſim minoratur, uſque dum vires à paroxyſmo ſequenti redintegrentur.

Secundò, Urina, primo hujus morbi inſultu, eſt pro gradu febris hecticæ aliquatenùs parca, & ſubrubra; atque jam expoſita aëri (utpote plus ſat s partibus chyloſis plena) turbida, & aliquantùm præcipitata Ubi verò tubercula jam inflammari cœperunt, intensè rubra eſt, & flammea. Ubi verò primùm febris putrida, ab iſtorum Tuberculorum Apoſtematis inflammationem jam excipientibus, ſuperinducitur, rubra eſt, ſicuti in febribus intermittentibus accidere ſolet, & contentis plena, & tandem frigori externo expoſita, ſedimentum farinaceum album, aliquando etiam ſubrubrum deponit; ſiquidem ſanguis, in hoc colliquativo ſtatu, ſuccum nutritium per glandulas Renales, æque ac per alias ſecernit. Licèt ſit fatendum Scorbuticos, & Hypochondriacos Phthiſicos, præcipuè verò, ubi genus nervoſum afficitur, vel à vini Gallici, vel aliorum diureticorum potatione, urinam aqueam, tenuem, & pallidam, in intervallis; copiosè excernere, quæ ſtatim ab urinâ rubrâ, & contentis ſaturatâ excipiuntur.

Tertiò, Sputum Phthiſicorum principio (ubi ſcil. pulmonum infarctio jam primam anſam præbet) eſt copioſum, nunc crudum, nunc concoctum, uti in Catarrho communi eſſe ſolet. Aliàs eſt tenue, & aquoſum, utpote pro parte maxima (dum tuſſis ſcil. eſt arida) è glandulis ſalivalibus, nimiâ earum per tuſſim agitatione, excretum, præterquàm perpaucum viſcidum phlegma, quòd è tonſillis ſolet exſcreari. Morbi verò progreſſu præcipuè autem ubi vel à ſomno vel opiatorum uſu concoctum fuerit, cineritii, vel flavi, vel æruginoſi coloris eſt; qualem, in catarrhi declinatione, naſi, Tracheæ glandulis coctionem jam primum admittit. Poſtquàm verò exulcerantur pulmones, ſi materia purulenta in propriâ cyſtide jam non contenta, in bronchia excernatur, ſputum verè purulentum eſt, & fœtidum, & aliquandò etiam ſanguinis ſtriis commixtum, quale è veteribus, & ſordidis ulceribus, excerni ſolet.

Verùm ſputum hoc purulentum à flavo, vel æruginoſo colore non eſt judicandum. Hujuſmodi enim colorem, ſerum non tantùm è pulmonum, verùm etiam è naſi, glandulis excretum, in catarrhi declinatione, acquirit, ubi primùm ſcil. coctionẽ admittit. Neque ſputum ſtatim pro purulento habendũ eſt, ob ejus ſubſidentiam, vel diſſolutionẽ in aqua calida. Sputum enim Scorbuticorum utpote ſale ſaturatum, aquâ calidâ diſſolvi ſolet, licet pulmones ſint farti tecti. Verum autẽ pus tribus hiſce ſignis dignoſci poteſt. 1. Nares odore fœtido afficit. 2. Licèt quadantenus craſſũ, nullo tamen modo glutinoſum, ſed fluidum, & fibrillis privatũ eſt 3. Varii eſt coloris, ſc. flavi, æruginoſi, & c. utplurimùm autẽ cineritii, & ſubnigri.

Cap. 5. De differentiis Phthiſeos Pulmonaris originalis.

Facile eſſet hoc loco plures diſtinctiones Phthiſeos pulmonaris, eaſque vel quotidianâ experientiâ comprobatas proferre; earum tamen mentionem, quoniam nihil lucis ad veram Ideam hujus morbi in genere formandam afferunt, neq; quicquàm in clariorem, & magis diſtinctam generalium προγνωςικῶν & indicationum curativarum notitiam conferunt, inpræſentiarum ſaltem, prætermiſſurus ſum. Eſt tamen una diſtinctio Phthiſeos pulmonaris, quæ eſt in acutam & chronicam, ſine cujus notitiâ neceſſe eſt, uti Medicus, æquè in præſagiis proferendis atque in indicationibus curativis dignoſcendis, ſæpiſſimè allucinetur. Ideoque nemini abſonum videri debet, ſi hoc loco in ejus ampliorem explicationẽ breviter obſervationes noſtras ſubnectamus. Uti enim nonnullos hoc morbo è vivis intra ſpatium unius, vel ſaltem paucorum menſium ſublatos viderim, ita alios quamplurimos Phthiſicâ labe graviter affectos, debitâ cautione, & curâ priùs habitâ vitam, licèt valetudinariam, per plurimos annos protraxiſſe notavi, uti ex. gr. Dom. Haither, qui poſt curatam hæmoptoën, quâ, juvenili ætate, correptus fuerat, adhuc, ad annum ſcilicet quinquageſimum ſuperſtes vivit, licèt toto hujus temporis decurſu, macilentus, tuſſiens, & ſæpiſſimè febricitans fuerit, atque à plurimis febribus putridis arte liberatus. Atque hoc modo Pater meus dilectiſſimus, & ipſe expertiſſimus Medicus, utut continua tuſſi, reſpiratione difficili, febribus putridis frequentioribus, levique; etſi cõtinuo caloris hectici gradu laborans, vitam tamen, licèt valetudinariam, hoc pacto à 30. ad 60. ætatis annum protraxit, atque tandem non à Phthiſi pulmonari (à qua per tres poſteriores vitæ ſuæ annos plus quàm aliàs viſus eſt liberari) verùm à febre ſynocho putrida Epidemica quæ anno 1658. publicè per totam Angliam graſſabatur, è vivis ſublatus eſt. Idem in Uxore Domini *Daviſon*, Mercatoris Londinenſis, per ſpatium 15. annorum obſervavi, & in Mercatore quodam incolâ plateæ cujuſdam dictæ *Philpot-Lane*, qui tamen poſt plurimas inflammatorias febres ſæpiùs in anno leviſſimâ de causâ recurrẽtes, in ulcerationem pulmonum adeò inſignem incidit, uti ex eâ unà cum hydrope, aliiſque uſitatis Phthiſeos pulmonaris funeſtæ ſymptomatis, circa annũ ætatis ſuæ 16. ultimum diem clauderet. Plurimæ etiam aliæ hujuſmodi hiſtoriæ proferri poſſint, verùm brevitati impræſentiarum conſulo. Quod ab hujus differenti diatheſi ſanguinis, atque humoris tuberculis pulmonaribus ſuppeditati, pro variâ ejus dyſcraſiâ diverſi. Si enim pulmonum infarctio, atque tubercula exinde nata, præ peculiari quadam ſanguinis dyſcraſia, ab humore aliquo, cancroſo, vel gangrænoſo ortum ſuum ducant, (uti aliquandò accidiſſe memini) morbus non tantùm eſt proculdubiò lethalis, verùm etiam præceps, & peracutus, qui que paucorum menſium (forſam etiam hebdomadum) ſpatio ægrum è vivis tollat. Sin verò oriantur ab humore aliquo benigno, miti, frigido, atq; inflammationi & putrefactioni minus obnoxio, longiores induciæ, ærumnoſæ licèt vitæ, obtinentur. Sin verò maſſa induratis glandulis contenta (quod non rarò conſpicitur in nonnullis Scorbuticis, multò etiam magis in Scrophuloſis) ſit inflammationi, & putrefactioni vel non omnino, vel ſaltem tardiùs diſpoſita, Morbus eſt valdè chronicus, Æger multos annos in ſtatu Phthiſico valetudinariè degens, aliquando tandem aliquo

alio morbo correptus funeſtum diem obit, uti ex inſtantiis jam antea memoratis planiùs apparet. Quandiu enim pulmones infarciuntur tantùm, vel tubercula exinde orta in ſtatu crudo manent Vita, utut ærumnoſa, in ſubitum tamen diſcrimen non ducitur, etſi pectoris oppreſſione, reſpiratione quadantenùs difficili, frequentique tuſſi ſit vexata quæ omnia ſymptomata, vel à minimo percepto frigore, aut admiſſo in diætâ errore, augeri ſolent, idque unà cum febre erraticâ pro tempore ſuperinductâ. Aliquis etiam caloris hectici continui gradus in partibus ſolidis, præcipuè verò in volis manuum, & in plantis pedum, uti & genarum rubor, præſertim à cibo, & potatione vini ſentiri poſſit. Pulſus etiam aliquatenùs eſt celer, & nonnunquàm intermittens, & appetitus inconſtans, atque utplurimum debilis, ſaltem à percepto frigore. Adeſt etiam muſculoſæ carnis magis flaccedo, quàm manifeſta Tabes. Sputum aliquandò viſcidum eſt, & nigrum, vel cineritium, pro colore materiæ in glandulis tumefactis contentæ. Haùd raro etiam hæmoptoe, vel leviſſimâ de cauſâ ſæpiùs ſolet recurrere. Quæ quidem ſunt ſymptomata, ſeu Diagnoſtica ſigna Phthiſeos pulmonaris lentæ, per quam licèt ut Æger vitam, etiamſi valetudinariam, non raro tamen longam trahat, etſi non ſit tutum ei liberum uſum vini, & ciborum, nullo delectu ſumptorum, aliorumque in vitæ oblectationem conducentium indulgere, ſicuti ceteris fieri ſolet. Quamprimùm verò febris nova inflammatoria, vel putrida, & colliquativa ab horum tuberculorum inflammatione & Apoſtematis ſuperinducitur, omnia Phthiſeos confirmatæ, atque deploratæ ſymptomata inſequi ſolent, quæ ruinam magis, minuſvè certam, & præcipitem, pro tumorum genio, magis minuſvè in inflammationem, atque in celerem ulcerationem diſpoſitorum, efferunt. Atque hîc forſan erit operæ pretium obſervationes aliquot particulares ulteriùs ſubnectere. Ex. Gr.

Primò, Sicuti pro genio tumoris magis minuſvè maligni, & in inflammationem, & ulcerationem diſpoſiti, febris inflammatoria, vel putrida indè orta magis, minuſvè præceps, & periculoſa eſt; ita etiam Phthiſis magis minuſvè acuta & incurabilis exinde naſcitur.

Secundò; Frequenter percepta frigora, inque diætâ, exercitiis animique Pathematis, &c. ſæpiùs admiſſi errores, febres inflammatorias, atque putridas identidem recurrentes calori hectico ſuperinducendo, morbum hunc ad fatalem exitum celeriùs perducunt, eum acutum, imò vel acutiſſimum, reddendo, qui aliàs ſuo genio fuerat chronicus.

Tertiò, Phthiſis Juvenum flore ætatis vigentiū, dum ſanguinis calor adhùc eſt vividus, ideoq; in fermentationem febrilem magis diſpoſitus, plerumque eſt acuta. In ſenibus verò, ubi calor naturalis jam in declinatione eſt, magis chronica.

Quartò, Phthiſis à febribus, præcipuè autem peripneumonicis, vel ab ulcerum malignorum ſuppreſſione orta, eſt ferè ſemper acuta: à Scrophuloſâ autem, & ſcorbuticâ diatheſi dependens etiam in frigido, & phlegmatico temperamento, Chronica eſt.

Quintò, In lentè Phthiſicorum inflammatoriâ febre, omiſſio venæſectionis, vel ſaltem adminiſtratio ejus minùs parca, vel ſera, Phthiſin aliàs naturâ lentam, peracutam, atque inſtanter lethalem reddit; ſiquidem partes pulmonum infarctæ, & induratæ jamdiù incaleſcentes, inflammari inde, atque putreſcere & exulcerari aptæ ſunt natæ.

Cap. 6. De Prognoſticis Phthiſeos pulmonaris originalis.

Qualis futurus ſit hujus morbi exitus, in variis ejus ſtadiis, ſeu gradibus, vel ipſi rationi, æquè ac experientiæ ex jam antedictis liquidò conſtat; atque idcircò, nos prognoſtica, utut multo uſu & experientiâ excogitata, more ſolito, hoc eſt è cathedrâ, & authoratívè, non proponemus, niſi quatenùs rationis teſſerâ, & ex ipſius rei naturâ fuerint comprobata. Ex. Gr.

Primò, Omnis Phthiſis pulmonaris originalis, ſtrictè loquendo, eſt Chronica, licet habitâ comparatione, una Phthiſis ſit altera magis præceps, eoque reſpectu dici poſſit acuta. Qualiſcunque verò ea ſit, curatu eſt ſemper admodum difficilis utpote dependens à ſaburrâ humorum, & à minerâ in habitu corporis congeſtâ, quæ nullâ ſubitâ criſi (ſicuti febris, aliique morbi propriè acuti dicti) exantlari, ſeu depromi poſſit.

Secundò; In principio verò, dum pulmones infarciri tantùm contingit, imò in ſecundo morbi hujus gradu, ubi tubercula ex longâ infarctione jam ſuccreverunt, dumque cruda, & in inflammationem, atque ulcerationem minùs prona manent. Phthiſis curationem, æquè ac cæteri morbi, admittit, præcipuè autem verno tempore, quod huic curationi, propinquante jam ſole, egregiè conferre ſolet. Curationem dico, veram, vel ſaltem palliativam, pro tumoris genio, & præſenti ſanguinis ſtatu, à quo tumor magis, minuſvè malignus, atque in inflammationem, & exulcerationem diſpoſitus oritur: Veram ſcil. quoties hos tumores (utpote paucos, & benignos) arte medicâ diſſolvi contingit: Palliativam verò uſquedum tumores iſti, vel medicamentorum balſamicorum, aliorumque ejuſmodi ope, ab inflāmatione, atque exulceratione præſervari poſſint. Quo fit ut Æger, utcunq; valetudinarius, & febribus vel quavis levi de cauſâ obnoxius, muniis tamen ſolitis fungi potis eſt, vitamque non raro ad provectam uſque ætatem protrahit. Atque adeo morbus iſte Herculeus, & inſanabilis audit, vel quoniam Medici, (quod haud raro contingit) vel ex adulante morbi naturâ, vel ex Ægri incuriâ & parſimoniâ (cui nihil utplurimum vilius eſſe ſolet, quàm ipſe ſibi) nimis ſerò conſuluntur; vel denique ex ignorantiâ Medici, qui veram ideam hujuſce morbi, in variis ejus ſtadiis, non comprehendens, ideò eum juſtis methodis tractare neſcit.

Tertiò, Phthiſis verò confirmata, unà cum febre putrida ſuperinducta, à pulmonum inflammatione, aut exulceratione effecta, rariſſimè perfectam curationem admittit. Verumtamen ſi parva ſit, & pus benignum, & propria cyſtide cōtentum, vita diligenti regimine & medicaminū appropriatorum uſu per plures annos protrahi poſſit: Æger tamen valetudinariè degit, & vel à leviſſima cauſa, febri putridæ obnoxius eſſe ſolet.

Quartò; Phthiſis confirmata, quò acutior, eò curatu difficilior eſt, utpote à malignis tuberculis dependens, quam etiam major colliquatio, atque itidem citatior virium collapſus comitantur.

Quintò, Phthiſis hæreditaria, vel à malâ Thoracis conformatione, orta, utplurimùm lethalis

eſt, quia cauſa, quæ eam producit, extra artis ſphæram poſita eſt.

Sextò, Phthiſis contagio contracta, præcipuè verò quotiès id contagium originem à Phthiſi acuta, & mali moris ducit, aliis Phthiſibus; cæteris paribus, curatu difficilior eſt, & utplurimum magis acuta, & lethalis.

Septimò, Phthiſis natu minorum, (utpote magis acuta, & febri putridæ ocyùs inducendæ apta nata) curatu difficilior eſt, quàm ubi jam in ætatem provectiorem inciderit, in qua ſanguis, uti in accenſionem minùs diſponitur, ita tardius incendium, & ruinam non adeò præcipitem minatur, ac in flore ætatis, ubi omnia naturæ tentamina cum vigore fiunt.

Octavò, Phthiſis autumnali, vel hyberno tempore utut diligenti regimine, & convenienti medicaminum uſu relevetur, nunquam tamen ſine verni aëris, & appropinquantis ſolis beneficio perfectè curari poteſt. Siquidem ut hoc veſiculoſum parenchyma continuò ferè ab aëre penetratur, & in ultimis receſſibus; perpetua novi aëris per reſpirationem intùs atque foras acti ſucceſſione, naturæ lege, diſtenditur, ita præſens aëris ſtatus non poteſt non eſſe maximi momenti, quando hujus affectùs curationem vel præpediat, vel promoveat prout vel ſalubriter ſiccus, atque tepidus, vel morbidè frigidus, & nebuloſus comperitur. Adeò ut debita aëris conſtitutio non ſolùm malè affectorum pulmonum præſervationi, verùm etiam curationi magis conferat, quàm vel ſpecioſiſſima medicamentorum congeries, quæ non adeo continuò, vel pari copia, in ſanguinem, & affectam partem ingeri poſſunt, atque aër ſolet. Idemque curatio Phthiſeos tempore hyberno, & autumnali, fruſtra exſpectari ſolet, dum ſcil. ſtatus aëris inſalubriter frigidus, craſſus, atque humidus morbum magis continuò promovet, quàm vel optimorum medicaminum apparatus ei poſſit obſiſtere, acie ſcilicet potentiſſimorum remediorum hoc ritu, per incommodum aëris ſtatum vehementem obtuſâ & debilitatâ.

Nonò, Omnis putrida Febris licèt ea merè ex accidenti Catarrho, vel percepto frigore proveniat calefaciendo pulmones, Phthiſin vehementer promovet; præcipuè verò ſi initio omittatur venæſectio.

Decimò, Phthiſis pulmonaris originalis plerumque curatu difficilior eſt, quàm ſymptomatica, quia hæc non tam ex habitu corporis, quàm ex accidenti oriri videtur; neque raro morbus originalis, à quo ortum ſuum ducit, facilem curationem admittit. Licèt ſit fatendum, quòd, quoties Phthiſin à peripneumonia, vel aliquo morbo pectoris malè curato, vel ab antiquis ulceribus externis exſiccatis, aut internis ſcatentibus, oriri contingat, eam curare inter difficillima ſit.

Undecimò, Omnis Phthiſis recrudeſcere ſolet; & qui ſemel fuit Phthiſicus, niſi accuratiſſimum regimen adhibeatur, vel à leviſſimâ cauſâ in eundem ſtatum redit. Siquidem non tantùm pulmones priori morbi inſultu jam labefactati novæ impreſſionis eo magis ſunt ſuſceptibiles; verùm etiam vehementior proclivitas, atque diſpoſitio in hunc morbum, ex ipſius corporis habitu, in his quàm in aliis comperitur. Quinimò vel à perfectiſſima curatione Phthiſeos fas eſt aliqua cruda tubercula adhuc deliteſcentia ſuſpicari, quæ tandem ex frequenter oblata occaſione inflammari, atque uſque ad exulceratum Apoſtema maturari poſſint.

Duodecimò, Quò citiùs curatio Phthiſeos initur eò meliùs ſuccedere ſolet; indeque præcipuè hic morbus lethalis evadit, quòd nimis ſerò conſulatur Medicus; ope noſtra haud raro euſque neglectâ donec Æger omnium evacutionum, atque plurimorum aliorum medicamentorum, huic curationi admodum neceſſariorum, incapax fiat.

Cap. 7. De Indicationibus Curativis Phthiſeos Pulmonaris originalis.

In primo hujus morbi limine, dùm pulmones ſcilicet inferciuntur tantùm, & conſentiente totius corporis habitu, chylo effœto oppleti, atque obſtructi, hecticè incaleſcunt, copioſumq; ſerum exſpuentes, (quod in Pthiſi à Catarrho perque perceptum frigus ortâ, ubi corpus ſcil. ita prædiſpoſitum fuerit, haud raro accidere ſolet, & quidem longo tempore durare priuſquam tubercula unà cum arida tuſſi indè proveniente ſuccreſcant;) planè indicatur;

Primò, Accenſam Diatheſin Spirituum, conciliando animum quietum atque hilarem, eſſe demulcendam, maſſamque ſanguinis in ſtatum acrem, atque hecticum ſenſim jam redactam, medicamentis alterantibus copioſè exhibitis emendandam. In quem cenſum redigenda non tantùm lactea diæta, aquæ minerales Chalybeatæ, & medicamenta vulgò dicta pulmonaria, utpote lenientia, & mucilaginoſa atque eò humorum acrimoniam obtundentia, verùm etiam Balſamica, & Specifica, quæ reſpectum ad Ægri Idioſyncraſiam habent. Hujuſmodi verò remedia copioſè deglutienda ſunt, adeoque (quantum poteſt fieri) more diætæ exhibenda, atque in eorum uſu longo tempore perſiſtendum: Siquidem acris, & morbidus humorum ſtatus paulatim contractus, non ſine longo & copioſo medicaminum appropriatorum uſu emendatur.

Secundò, Saburram effœti, & morbidi humoris in habitu corporis deliteſcentis, aptis medicamentis, uti emeticis, Catharticis, diureticis, & diaphoreticis leniter evacuandam. Verùm omnimodo cautela in hujuſmodi remediorum delectu adhibenda eſt; nempe ut ſint admodùm mitia, atque benigna, ne ſanguinem calefaciendo, & nimis agitando, atque eò in ſtatum colliquativum, & ſeroſum ulteriùs reducendo, ex accidenti promoveant morbum.

Tertiò, Obſtructiones eſſe removendas, tonumque partium, præſertim pulmonum, ab humoribus imbibitis debilitatorum & in ſpaſmodicam contractionem diſpoſitorum, confirmandum ex uſu Chalybis, vel arte, vel naturâ parati, medicaminum Balſamicorum, aëris prudenter electi, Salium volatilium, aliorumque hujuſmodi.

Quartò Hecticum, & colliquativum calorē ſeu Catarrhalem ſanguinis ſtatum impediēdum, vel ſaltem minuendum tempeſtivâ, & copioſâ venæſectione; quæ utcunque aliquandò in confirmatâ Phthiſi ſit noxia, in incipiente tamen plurimùm prodeſt: Nulluſque dubito quin, ab ejus omiſſione vel nimis parcâ celebratione, in morbi pri-

mor-

morbiis, tubercula, utplurimùm ortum ſuum ducant, quo Phthiſis in ſecundum, & magis lethalem gradum ſtatim præcipitari ſolet.

Quarto Affectæ parti, ſcil. pulmonibus, totis viribus proſpiciendum, feri Catarrhoſi in eos continuo influentis concoctionem (quantùm fieri poteſt) maturando; quo ipſa moleſta tuſſis, unà cum ejus causâ, penitus tollatur. Quod fit non tantùm medicamentis alterantibus, & mucilaginoſis, pulmonaribus vulgò dictis, (quæ copioſè ingeſta, ſanguinis & humorum Diatheſin leniendo, ulteriorem eorum colliquationem atque calorem ſiſtunt, quò minorato jam novo eorum influxu pulmonibus jam impacti humores, à naturali partis calore, faciliùs & citiùs concoqui poſſunt:) Verùm etiam leniter evacuantibus, quæ humores à pulmonibus divertendo, ob jam memoratam rationem, in celeriorem eorum, qui jam ante fuerant collecti, concoctionem plurimùm conducunt: ſuper omnia verò prudenti & alternativo uſu abſtergentium & incidentium medicaminum, prout uſus fuerit. Sicuti enim incraſſantia, atque opiata prudenter exhibita, humoris novi in pulmones influxum inhibendo, pro tempore ſaltem, impacti jam humoris concoctionem multùm promovent; ità etiam pulmonibus quietem à tuſſi conciliando, ipſi pulmones, eorum tono jam minùs diſtento, vires naturales recuperantes, plurimùm confortantur. Verùm ex oleoſorum, & lubricantium uſu impacti, & concocti humores faciliùs per expectorationem rejiciuntur. Et, ſi eos in coctione plùs ſatis indureſcere, & glutinoſos fieri contingat, incidentium. & abſtergentium ope egeri poſſunt, abſque ingenti illo conatu, qui, ſi contingat, novum crudæ lymphæ fluxum, eumque ſatis moleſtum, è Trachææ, & pulmonum glandulis, per modum ſuctionis excitare poſſit.

In ſecundo morbi hujus gradu, ubi primùm ſcil. tubercula in pulmonibus fiunt, cum aridâ, & moleſtâ tuſſi, & quandiu illa manent cruda abſque ulla inſigni inflammatione, & exulceratione, Indicationes ſunt ferè eædem, quæ priùs, niſi quòd pro gradu caloris hectici aucto, diligentiùs inſiſtendum ſit præ largo uſu alterantium; pro virium autem debilitate, & colliquatione humorum auctâ, cujuſvis generis evacuationes parciùs ſunt celebrandæ; ſpeciatim verò, uſu Balſamicorum, Chalybeatorum, Antiſcorbuticorum, Millepedum, aliorumque ejuſmodi, tumorum iſtorum diſſolutio ſummis viribus tentanda eſt.

Ubi primùm autem per inflammationem, & maturationem tuberculorum, tandem ad ultimùm, & ut plurimùm funeſtum confirmatæ Phthiſeos ſtadium deventum fuerit, (quod ſeſe immenſo colliquationis incremento, & novæ febris non tantùm inflammatoriæ, ſeu peripneumonicæ; verùm etiam putridæ intermittentis acceſſione ſolet prodere) ſtatim ſuboriuntur novæ Indicationes curativæ.

1. Ubi enim pulmones à tuberculorum inflammatione peripneumonicè afficiuntur, ſicuti tempeſtiva venæſectio, ita etiam Julapia temperantia & cordialia, ad demulcendum ſanguinem, & vires reficiendas, diæta admodùm tenuis, copioſaque medicaminum pulmonarium (præcipuè autem oleoſorum) ingeſtio, ad ſpaſmodicam pulmonum conſtrictionem vi ſuâ anodynâ tollendam, & ad phlegmatis eductionem, ſeu expectorationem è bronchiis infarctis facilitandam, & promovendam ſubindicantur.

Ubi primùm autem poſt tuberculorum inflammationem jam in ulcerationem faceſſentem, febrem Peripneumonicam à putridâ intermittente immaniter colliquativâ excipi contingat, unà cum ſubitâ proſtratione virium; ſicuti ab iſtâ virium dejectione omnes evacuationes cõtraindicantur, ità etiam cordialium, pulmonarium, tẽperantium, opiatorũ, lubricantium, & abſtergentium uſus ſubindicatur, Febris etiam putridæ eradicatio tentanda eſt, quæ utcunque à corticis Peruviani uſu infidas det inducias, nullam tamen curationem eradicativam abſque ulcerum ſanatione admittit, quod, ubi fuerint parva & benigna, non eſt prorſus impoſſibile, ope ſcil. convenientis diætæ, atque aeris medicaminùmque balſamicorum uſu. Utcunque id ſit, Colliquationis minorationem febrilis paroxyſmi mitigatione, & funeſtorum ſymptomatum à colliquatione undiquaque ortorum alleviationem moliri licet. De quibus in methodo curationis, calamo fuſiori, mox diſſerendum.

Primò, Cathartica, uti Manna, Electuarium Lenitivum, Pulvis Hollandicus, Aloë Roſata, Pilulæ Maſtichinæ, è Succino, Aloëphanginæ, Stomachicæ cum gummi, Pilulæ noſtræ ſtomachicæ magiſtrales (quarum prudenti uſu, debitis intervallis, Pater meus dilectiſſimus, atque idem Medicus experientiſſimus per ſpatium triginta annorum, ad ſenectutem uſque vitam ſuam, licèt Phthiſico & valetudinario, ſtatu, provexit.) Quarum deſcriptionem, è ſuo autographo, in bonum publicum depromere lubet.

♃. Aloës Puriſſ. ℥i. Myrrh. optim. Maſtich. an. ℥ß. Cinnamom. Croc. an. ʒii. Caryoph. Abſinth. Rom. Roſ. rubr. Nuc. Moſch. Macis, Calam. aromatic. an. ʒi. Rhabarb. ſelect. ʒii. Galang. Schœnanth. Santal. Citrin. Lign. Aloës, Cardamom. minor. an. ʒß. Moſchi Oriental. gr. iv. cum Syr. Abſinth. q. ſ. m. F. Maſſa Pilularis ſ. a.

Item Aquæ minerales purgantes, & ſummatim loquendo, omnia Cathartica mitiora, quæ ventriculo, & nervis ſunt grata, & quæ quàm minimam efferveſcentiam in ſanguine, & ſpiritibus concitant, hic etiam uſui ſunt.

Huic cenſui vomitoria etiam referenda ſunt, veluti Mel Scylliticum, atque in principio Phthiſeos, præſertim Crapuloſæ, Vinum Benedictum.

Secundò, Diuretica, veluti, Aquæ minerales Chalybeatæ, & Catharticæ, Millepedæ crudæ, & præparatæ, ſemina iv. frigida majora, Terebinthina communis, Opobalſamum, Balſamum Tolutanum, Peruvianum, & medicamenta compoſita ex his facta, uti Balſamum Sulphuris Terebinthinatum, & Aniſatum, Syrupus Balſamicus D^ris Goddard, ſimplex, & Anodynus; Radices Fœniculi, Petroſelini, Eryngii, eæquè vel crudæ vel conditæ, Helenii; Semina malvæ, & Althææ, fol. plantagin. baccæ juniperi, lauri, grana actes, mel ſimplex violatum; cancri fluviatiles, Syrupus althææ, amygdalæ dulc. &c.

Tertiò Diaphoretica, veluti Rad. ſarſæ, & Chinæ in decoctis, Theriaca Andromach. Laudanum liquid. & ſolidum. Mitridatium, Confectio Alkermes, Lign. Saſſafras, Guajaci, Santal. Citrin, vel rubr.

Quartò, Pulmonaria. In quem cenſum referre ſoleo, 1. Omnia medicamina ſimplicia, & compoſita, quæ humorum acrimoniam retundendo, Catharrhalem, ſive colliquativum ſanguinis ſtatum minuunt; quo fit ut lympha non adeò copioſe per Trachæam, & glandulas pulmonum ſecernatur. Ex. gr. Tuſſilago, Capill. veneris, Hedera terreſtris, Beccabunga, Naſturtium aquaticum, Summitates Pini, Scabioſa, Pulmonaria maculoſa, Flores Bellidis majoris, Anthûs, Betonicæ, Salviæ, Violarum, Boraginis, Buglosſi, Liliorum Convall. Rad. Polypodii, Folia Millefolii, Piloſellæ, Pimpinellæ, Taraxaci, Plantaginis, Prunellæ, Saniculæ, Veronicæ, aliæque plantæ nitiores, ſale volatili abundantes cum Syrupis, Decoctis, atque aliis medicamentis compoſitis ex iis factis. Folia Botryos, Roris Solis, Adianthi, aliæque herbæ vulgò dictæ vulnerariæ, quæ ſanguinis maſſam alterando, coctioni humorum pulmonibus impactorum multùm conferunt. Item Balſamum Tolutanum, Peruvianum, Opobalſamum, Styrax, Benzoinum, Gummi Elemi, Balſamum Capivi, cum aliis Gum. & Balſamis; Sulphur & varia ex eo præparata; Oculi Cancrorum, Teſtæ ovorum; Creta, Corallium, Margaritæ, Millepedæ; Semina iv. frigida majora, Malvæ, Althææ, Lactucæ, Radices Chinæ, Sarſæ, Raſura C.C. & Eboris cum Medicamẽtis compoſitis ex his factis, qualia ſunt Pulvis Haly, Antidotus Analeptica, Decoctum Pectorale, Sarſæ & Chinæ, Ingredientia pulmonaria, & Antiſcorbutica in potu ordinario, Emulſiones ſem. iv. frigidiorum in aquâ hordei, Lactea diæta, præcipuè verò lac Aſininum, Hordeata, Aquæ Chalybeatæ, Oſtrea, Limaces, & Medicamina ex his facta.

2. Medicamenta lubricantia, & incidentia, quæ expectorationem humorũ pulmonibus impactorum promovent, uti, Glycyrrhiza, Mel, Hydromel, Oleum commune, Amygdalar. dulc. pręcipuè verò Oleum Lini recenter extract. abſque igne, Terebinthina, Opobalſamum, Butyrum recens & dulce, Amygdalæ: Caricæ, Paſſulæ majores, Dactyli, Sebeſtenæ, Jujubæ, Succus Glycyrrhizæ. Gum. Ammoniac. Benzoinum, Balſamum Tolutanum, Lohoch Sanum & expertum, è Pulmone Vulpis, è Farfarâ. Saccharum crudum, vel Chryſtallinum cum variis Eclegmatis, atque aliis medicamentis, quæ illud recipiunt qualia ſunt Syrupi ex Eryſimo, Capillorum Veneris, Tuſſilagin. Marrub. ſimpl. Flor. Hyperici, è quinque radicibus, Balſamicus, Botryos, de Glycyrrhizâ, de Hyſſopo, è Praſio, Althææ, Jujubin. Violarum, uti & Mel Violarum, Species Diaireos, Pulv. Haly, Trochiſc. Bechici albi, & nigri.

3. Carminativa, quæ nervos confortando, & deopilando, conſtrictionem pulmonum ſpaſmodicam removent, unde liberior reſpiratio inſequitur, & conſequenter facilior expectoratio, uti Aqua Mirabil. Sp. C.C. Sal. Armoniac. Aq. Bryon & Pœon. Comp. Semina Aniſi, Fœnicul. Rad. Enul. Camp. Ireos Flores Aurantiorum, Anthûs Folia Hyſſopi, Ror. Solis, cum aquis & Syrupis inde factis, Cortices Aurantiorum & Citri condit. Baccæ Lauri, Juniperi, Mel, Zibethum, Gummi Ammoniac. Benzoin. Cinnamomum, Nux Moſch. Macis. Balſam. Peruv. Opobalſamum, Syrup. de Eryſimo, de Hyſſopo, Spec. Diaireos, Diacalaminth. Theriaca, Mithridatium, Laudanum, & alia ejuſmodi, quæ tamen admodùm cautè, & parcè, & non ſine urgente neceſſitate (ſi adſit inſignis febris) uſurpanda ſunt.

4. Medicamenta incraſſantia, & glutinantia, quæ citæ concoctioni, & conſequenter expectorationi ſeri in pulmones influentis multum conferunt, uti Symphytum, Hedera terreſtris, Millefolium, Taraxacum, Piloſella, Plantago, Prunella, Sanicula, Scabioſa, & generaliter loquendo omnes herbæ vulnerariæ, Flores Roſar. rubr. Papav. Rhæad. Crocus Anglic. Glycyrrh. Santal. Citrin. & rub. Fructus pulmonares, ut paſſulæ, Caricæ, Dactyli, Jujubæ, Sebeſtenæ, pruna dulcia, Nuclei pinorum, Piſtacia, Semina Papaveris alb. Sem. iv. frig. major. Hyoſcyam. cum emulſionibus, & Syrupis ex his factis, Saccharum Penidiatum, Roſat. Conſerv. Roſar. rubr. antiq. Succus Glycyrrh. Amylum, Mel, Olibanum, Gummi Arabicum, Tragacanth. Syrup. de Symphyto, Althææ, è roſis ſiccis, Liquirit. Lohoch Pſyllii, Caulium, de Papavere, Portulaca, è Pino, Sanum & expertum, è Paſſulis, Juſcula confummata ex extremis animalium facta, Gelatinæ Cornu Cervi, & Eboris, Species Diatrag. frig. pulv. Haly, Trochiſc. Bechic. nigr. Mithridatium, Diaſcordium, Theriaca Andromach. Syr. è Meconio, & generaliter loquendo omnia Opiata uti Laudanum ſolidum. & Liquid. Pilul. è Cynogloſſ. è Styrace, Philonium Perſicum & Romanum, &c. quæ præſentem humorum influxum in pulmones (uti veteres loqui amant) ſiſtendo, etiam antè impactorum coctioni plurimùm conferunt. Ideoque abſque eorum uſu cauto & prudenti, vix aliquid momenti in Phthiſeos curatione moliendum eſt.

5. Deobſtruentia, quæ infarctas glandulas liberando eas minuunt. Uti Rad. Ireos, Sarſæ, Chinæ, Lign. Saſſafr. Santal. Baccæ Lauri, Juniperi, Gum. Ammoniac. Benzoin. Balſam. Tolutan. Sulphuris, Peruv. Opobalſamum, Chalybs, vel Natura in aquis mineralibus, vel arte in forma Syrupi, vel Electuarii, vel Pilurarum, &c. paratus, Millepedæ, cum multis aliis Antiſcorbuticis, & Antiſcrophuloſis, medicamentis.

Ex hoc Simplicium, & Compoſitorum Theſauro prudentem Medicum judicio, & experientiâ fretum, in variis morbi ſtadiis, & ſecundùm ſymptomatum exigentiam, diverſa medicamenta, pro re natâ, eâ formâ quæ Ægrotanti fuerit gratiſſima, ità componere, & præſcribere oportet, uti ſemper cum ratione præſentibus Indicationibus in toto curationis curſu ſatisfacere valeat; neque unico ſemper præſcripto, tanquàm morbi incantamento empiricè inſiſtat. Cujus rationalis curationis methodum, in vario ſtatu, & ſymptomatis, hujus morbi progreſſu proponere jam properabimus.

Remedia Chirurgica in hoc morbo ſunt Fontanellæ, Veſicatoria, Raſura Capitis, Applicatio Emplaſtri Cephalici, è Betonicâ, vel alterius alicujus eorum æmuli, uti etiam Venæſectio, de quorum uſu, & ratione, ſequenti curationis methodo uberiùs diſſeremus.

Cap.

Cap. 3. De Methodo curationis Phthiſeos Pulmonaris originalis.

Primo hujus morbi inſtanti (ut ſcilicèt primùm pulmones, Trachæa, & glandulæ per totam pulmonarem fiſtulam diſperſæ, perpetuâ ſeri expuitione è ſanguinis maſſa ſecreti inferciuntur tantùm, continueque tuſſi, præcipuè autem nocturnâ inde proveniente, vexantur) omnibus debitis modis inhibendus eſt novus ſeri Catarrhalis in has partes influxus & humores jam impacti quam citiſſimè coquendi. Ideoque,

Primò, (Sanguis è vena brachii) præcipue verò ſi Æger fuerit Plethoricus, & venæſectioni dudùm aſſuetus) mittatur ad ℥. vi. vii. viii. vel x. non ſolùm ad minorandam efferveſcentiam, & conſequenter colliquationem ſanguinis; verùm etiam ad præveniendum tumorem, atque inflammationem ipſorum pulmonum, & ad tollendum calorem febrilem, qui à continuâ partium thoracicarum agitatione per tuſſim, & vigiliis indè inſequentibus ſuboriri ſolet. Venæſectio iſta (ubi Indicationes id poſtulant) ſemel, bis, vel ter, debitis intervallis, celebranda eſt; præcipuè autem ubi colliquati ſeri fluxus fuerit ſub ſpecie Catarrhi ſuffocativi, unà cum copioſâ expectoratione crudi phlegmatis, & ad naturam ſeri accedentis; vel ubi dyſpnœa inſigniter aſthmatica, lateralis dolor, vel ſigna aliqua Rheumaticæ, Pleuriticæ, vel Peripneumonicæ diſpoſitionis adfuerint; vel denique ubi Crapula, vel nimis larga potatio vini, aut aliorum ſpirituoſorum præceſſerat. Et quidem nullùs dubito, quin ob defectum debitæ ventilationis, in hujus morbi primordiis, Catharrhi, tuſſeſque communes frequenter in Phthiſin pulmonarem degenerare ſoleant. Quinetiam concretionem in glanduloſis pulmonum partibus, & calorem hecticum exindè naſci ſuſpicari licet.

Secundò, Maximi momenti eſt poſt extractionem ſanguinis, præcipuè autem ſi morbus à crapulâ ortum ſuum ducat; vel ſi nauſeam, & vomendi diſpoſitionem conjunctas habeat; Emeticum lene præſcribere è Melle vel Oxymelite ſcyllito; immò & aliquandò è Vino Benedicto modicâ quantitate ſumpto. A qua vomitione, non tantùm Ventriculus humorum ſaburrâ oppreſſus relevari, & nauſea inde nata tolli, & digeſtio reſtitui poſſint, (quæ omnia non ſunt flocci habenda;) verùm etiam moles humorum jam pulmonibus impactorum, harum partium exagilatione inter vomendum, inſigniter expectorari ſolet, unà cum notabili relevatione ponderis gravativi à mole iſta effecti. Atque hoc ritu non tantùm plurimos Empiricos vidi, cum ſucceſſu felici ſeſe omnem incipientem Phthiſin curaturos gloriari, verùm etiam ipſe ego ratione, & experientiâ fretus ſæpiſſimè Phthiſeos incipientis progreſſum, eodem modo, brevi temporis ſpatio, præpedivi.

Vomitio iſta, (præſertim verò ſi Æger cum *εὐφορίᾳ*, & levamine eam ferat, &. ſi ſit neceſſaria.) tertio, vel quarto quoque die repeti poſſit ad tres, vel quatuor vices.

Maximè opportunum tempus ad exhibendum vomitoriū in hoc caſu eſt paulò ante veſperam, verùm priùs celebratâ venæſectione die præcedenti, ne ſanguis à nimiâ partium agitatione incaleſcat, atque indè ſuperinducatur, vel augeatur febris, modò ea prius adfuerit. Atque etiam ad præcavendam hæmoptoen, quæ à vehementiori partium thoracicarum nixu, vomitione jam effectâ, uboriri ſolet, antequàm vaſa ſanguiferâ depleta fuerint. Admodùm etiam convenit poſt ſingula vomitoria jam exhibita opiatum aliquod præſcribere, non tantùm ad demulcendum ſanguinis calorem à nixu, & agitatione jam excitatum, verùm etiam ad inhibendum novum influxum ſeri catarrhoſi in pulmones ab hac vehementi partium agitatione ſuboriri ſolitum.

Formulæ Emeticorum, & Opiatorum mihi uſitatiſſimæ in hoc caſu ſunt quæ ſequuntur.

♃. Mel. Scyllit. ℥ß. ſumend. in hauſtulo poſſetalæ, repetendumque bis, vel ter in horâ, modò vomitio non ſatis procedat. Quod quidem vomitorium pueris, & junioribus maximè convenit, utpote lene, & pergratum. Vel.

♃. Oxymel. ſcyllit. Ol. Amydal. dulc. an. ℥ij. MS. capiat Æger in hauſtu prælargo poſſetalæ, ſolut. repetatque bis, vel ter in horâ (ſi opus fuerit) ad promovendam vomitionem. Vel.

♃. Vin. Benedict. ʒvii. Syr. viol. ʒii. MF. potio emetica. Et (ſi opus fuerit) inter vomendum ſemel, vel bis exhibeatur Ol. Amygdalarum dulc. & Oxymel. ſcyllit. an. ℥ß. in hauſtu poſſetalæ.

Sal Vitrioli in hoc caſu parùm convenit, quoniàm ſtypticitate ſuâ glanduloſas partes circa fauces continuò convellit, atque irritat; atque eò ſeri catarrhoſi ulteriorem fluxum, atque adeo tuſſim importunam, & longam, vomitione jam finitâ, excitare ſolet.

Formulæ Opiatorum poſt vomitionem ſunt quæ ſequuntur.

♃. Aq. Lact. Alexit. Cardu. an. ℥i. Aq. Cinnamom. hordeat. ℥ß. Syr. de Mecon. ʒvi. MS. F. hauſtus. Vel.

♃. Decoct. Pectoral. depurat. ℥iv. Tinctur. Croc. ʒii. Laudan. Liq. Helmont. gt. xv. Syr. Violar. ʒii. MS. F. hauſtus. Vel.

♃. Aq. Tuſſilag. ℥ii. Ol. Amygd. dulc. rec. Syr. è Meconio an. ℥i. MS. Vel ſi forma boli Ægro magis arrideat.

♃. Conſerv. Roſar. veter. Mithridat. vel. Theriac. Andromach. Conſerv. Lujul. an. ʒß. Laudan. Lond. gr. ß. MS. F. bolus. Vel capiat in forma pilulari pilul. è Cynogloſſ. vel è Styrace ℈ß.

Tertiò, Convenit etiam ſaburram humorum per alvum leniter ſudducere Catharticis ſtomachicis, atque aliis ejuſmodi, quæ quam minimam efferveſcentiam, & Colliquationem ſanguinis efficiant. Ex. gr.

♃. Mann. ſelectiſſim. Ol. Amygd. d. an. ℥iß. vel ℥ii. ſolve in. ℔i. Ptiſanæ calid. Bibat Æger mediam partem in lecto, reliquam poſt dimidiam horam è lecto ſurgendo. Vel.

♃. Sen. opt. ʒii. Caſſ. cum cannis confract. Tamarind. an. ʒß. ſem. Coriandr. pp. ʒß. Coqu. in Aq. Font. vel Barnett. q. ſ. ad ℥viii. In colaturâ diſſolve Mann. ſelectiſſ. ℥i. Sal. Prunell. ʒß. MS. capiat Æger mediam partem mane, reliquumque poſt ſemihoram cum regimine.

Singulis verò purgationem conſequentibus noctibus, ſicuti poſt Vomitiones, exhibeatur opiatum ad demulcendum ſanguinem, & ad quietem pulmonibus conciliandam, nè novus humorum in pulmones influxus ab agitatione ſanguinis per Cathartica ſuboriatur.

Ob eandem rationem opiatum aliquod cum Catharticis ſtomachicis horâ ſomni ſumendis miſcere convenit. Ex. gr.

℞. Aloës Roſat. ℈i. vel gr. xxv. Pil. è Cynogloſſ. ℈ß. MS. F. pil. iv. deaurand. quæ alternis noctibus repetendæ ſunt, Venæſectionibus debitis priùs celebratis. Pilula iſta vulgò Pilulâ Catarrhalis apud Pharmacopœos audit; quippe quòd non tantùm humores per alvum ſubducat, verùm novum eorum influxû in pulmones prohibeat. Vel.

♃. Pil. Stomach. cum Gum. Aloephangin. Maſtichin. vel è ſuccino ʒß. vel ℈ii. Laud. Lond. gr. j. MS. F pilulæ iv. deaurand. quæ tertiâ quâque nocte repetendæ ſunt ad tres vices.

Imò ſi fluxus catarrhalis fuerit vehemens, & dyſpnœa, vel pectoris gravitas, vel conſtrictio ab eorum uſu non ſuboriatur, ſingulis noctibus Opiatum aliquod erit exhibendum: quippe quòd non tantùm ſomnum conciliet, atque eo humorum, & ſpirituum effervеſcentiam prohibeat; verùm etiam novum humorum in pulmones influxum ſiſtendo, jam impactorum humorum incraſſationem, concoctionem & expectorationem promoveat. Adeò ut experientiâ fretus fidenter affirmare poſſim, quòd licèt optata in toto Phthiſeos curationis curſu ſint ut plurimùm aliqualis uſus, in principio tamen morbi magis quàm in ejus progreſſu tuta, proficua, & neceſſaria ſunt, & ſine eorum uſu nihil magni momenti in præpediendo hujus morbi progreſſu fieri poteſt.

Quartò, In hoc morbi ſtatu medicamenta etiam Diaphoretica multùm proſunt; ſiquidem ſerum è ſanguine continuò colliquatum per poros cutaneos copioſè divertunt, quo fit quòd ejus exſpuitione in pulmones jam minoratâ, id quod priùs impactû fuerat, faciliùs concoquitur.

Sequentes tamen Canones de ſudorificorum uſu diligenter ſunt obſervandi.

1. Medicamenta Diaphoretica ſemper ſint opiata, ne per novam colliquationem in maſsâ ſanguinis ab eorum uſu factâ, novus ſeri colliquati rivulus (uti per poros cutis, ità etiam per pulmones) unà cum tuſſis indè conſequentis incremento oriatur. Quod ſemper, ab imprudenti uſu Diaphoreticorum à Mulierculis & Empiricis in hoc caſu ſine admixtione opiati exhibitorum, eveniſſe obſervavi. A convenienti verò quantitate Laudani cum Diaphoretico admixtâ pulmones durante ſudore, quieſcunt. Quo fit ut rivulus lymphæ à pulmonibus per poros cutaneos, non ſine magno commodo, divertatur, unà cum tuſſis alleviatione, & ſeri pulmonibus impacti concoctione.

2. Diaphoretica minùs calida eligantur, ea ſcilicet quæ minimam effervеſcentiam, vel novam, agitationem ſanguinis efficiant, uti vetus jam antè collectorum humorum ſaburra per poros cutis evacuetur, abſque novâ eorum ſobole à recenti ſanguinis effervеſcentiâ procreatâ.

3. Diaphoretica ante uſum venæſectionis, Emeticorum, & Catharticorum, quoties ſcil. hæc ſunt neceſſaria, nunquam exhibeantur. Siquidem novam colliquationem à ſanguinis agitatione ante vaſorum depletionem factâ ſuboriri ſemper obſervavi, unà cum tuſſis, atque aliorum ſymptomatum indè dependentium augmento: imò & aliquandò cum hæmoptoës, Rheumaticorum & Pleuriticorum dolorum, aliorumque horrendorum ſymptomatum ſuperinductione. Diaphoretica maximè mihi famiaria ſunt quæ ſequuntur.

♃. Theriac. Androm. ʒß. vel ℈ii. Conſerv. Roſar. rubr. antiq. ʒß. MS. F. Boli. Vel.

♃. Diaſcord. Conſerv. Lujul. an. ʒi. MS. F. Bolus. Vel.

♃. Pilul. Pacific. (Anglicè Matthevvs Pills) gr. xv. F. pilul. n. ii. deaurand. horâ ſomni ſumendæ. Vel.

♃. Pilul. è Cynogloſſ. gr. xii. Antimon. Diaphoret. ℈i Tinctur. Croc. q. ſ. MS. F. pilul. iv. deaurandæ.

Diaphoretica iſta tempore nocturno maximè opportunè exhibentur; idque ſtatim ab evacuatione per Venæſectionem, purgationem, vel Vomitionem, quià ſomnum conciliant. Cautè etiam Æger à ſudoribus liberetur, ne per poros in hoc colliquato ſanguinis ſtatu ſubitò occluſos, novum frigus capiatur, atque indè tuſſis unà cum ceteris ſymptomatis augeatur.

Durante hujuſmodi evacuationum uſu, ad impetuoſum humorum fluxum à pulmonibus divertendum, veſicatoriorum in brachiis, atque in ſcapularum interſtitiis proficuus eſt uſus. Verùm cum iſtæ evacuationes ſiunt (quæ ſeri ſanguinis colliquati minorationi, atque adeò humorum pulmonibus jam impactorum concoctioni plurimùm conferunt) non omnino negligendus eſt frequens uſus medicaminum vulgò dictorum Thoracicorum, vel Pulmonarium; quæ, in evacuationum intervallis, copioſè ingerenda ſunt, tanquam diætetico more, formâ tamen ſemper Ægro quàm gratiſſimâ. Ad ventriculum enim, (qui etiam in hoc morbo à nauſeâ, inappetentiâ, & vomitione affici ſolet) peculiaris reſpectus ſemper habendus eſt, ne ingratâ eorum formâ & copiâ gravatus, habitui nauſeabundo aſſueſcat, & non tantùm medicamenta, verùm etiam cibum gratiſſimum rejiciat. Medicamina, in hujus morbi principio præferenda, ſunt Incraſſantia, & Lubricantia, quæ ſerum ſanguinis emolliendo, non tantùm mitigationi tuſſim efficientium coctioni, & expectorationi plurimùm conferunt.

Hæc verò medicamanta, ſcil. Lubricantia, & Incraſſantia, aliquandò ſeorſim; ut plurimùm verò conjunctim exhiberi poſſint in forma compoſita, quo utrique indicationi ſatisfiat. Ita inter Incraſſantia injungatur frequens uſus Sacchari Chryſtallini. Penidiat. & Roſat. atque etiam Conſerv. Roſar. Rubr. Veter. Succ. Glycyrrhiz. Trochiſc. Bechic. nigri, quæ ſæpiùs, & ſenſim deglutienda ſunt, quo humorum, per Trachæam exſudantium, acrimoniam molli ſuâ, mucilaginoſâ, & incraſſanti naturâ demulceant, atque eo tuſſim importunam mitigent.

Inter Lubricantia copioſè utatur Æger butyro recenti in omnibus Panatellis, Cerevіſiâ butyratâ, & (ſi benè ferat) oleo dulci communi, vel potiùs Amygdalar dulc. præſertim verò oleo lini recenter abſque igne extracto, è quo capiat ſingulis horis cochleare unum, niſi adſit Diarrhœa, vel aliquod aliud Symptoma contraindicans. Manducet etiam paſſulas majores, ficus &c.

Medicamenta autem è Lubricantibus, & Incraſſantibus compoſita, & utrique jam memoratæ indicationi ſatisfacientia ea ſunt, quæ vulgò Thoracica, atq; expectorantia audiunt; quorum elegantiores formulas lubens ſubnectam.

♃. Ol.

♃. Ol. Amygd. d. ſyr. capill. Vener. Jujub. Violar. vel Altheæ. an. ℥iß. Sacchar. Cand. alb. ʒiß. Ms. exactiſſimè. F. Linctus, de quo capiat Æger unum quartâ quaque horâ, ſuperbibendo ℥iv. Apozematis ſequentis calidè.

♃. Decoct. Pectoral. depurat. ℔iß. Tinctur. Croc. cum Aquâ Theriacal. extract. Syr. Capillorum Vener. Scabioſ. vel Jujubin. an. ℥i. Ms. F. Apozema.

Si magis incraſſare lubet.

♃. Ol. Amygd. dulc. rec. Syr. è Symphyto, Papav. Rhœad. vel è Roſ. ſiccis an. ℥iß. Syr. è Mecon. ℥ß. Sacchar. Roſac. ʒiß. Ms. F. Linctus.

Si amplius lubricare lubeat,

♃. Ol. Lin. recenter abſque igne extract. Syr. Glycyrrhiz. vel Mell. Violat. an. ℥iß. Sacchar. Cand. alb. ʒiß. Ms. exactiſſimè, fiat Linctus ſumend. per ſe, vel ſolut. in hauſtu Apozematis uti anteà.

Si febrilis calor, hyſſopi, vel Croci Tincturæ uſui contraindicet, omittantur ea in Apozemate.

Si Diarrhœa, vel aliquod ſymptoma contraindicet, omittantur Fructus Thoracici in Apozemate, & oleum in Linctibus; vel loco priorum medicaminum ſequentia ſubſtituantur.

♃. Lohoch de Papaver. San. & Expert. an. ℥iß. Syr. Portulac. è Roſ. ſicc. an. ℥i. Spec. Diatragac. Frig. Pulv. Haly, an. ʒi. Sacchar. Penidiat. vel Roſat. ʒiii. Ms. F. Linctus ſumendus è Cochleari, vel cum baculo Liquiritiæ, 4. quaque horâ, vel urgente tuſſi, ſenſim deglutiendo, & ſuperbibendo ℥iv. Emulſionis ſequentis calidè.

♃. Sem. iv. frig. maj. an. ʒi. Sem. papav. alb. lactuc. an. ʒii. Nucleor. Pineor. Piſtac. an. ʒiii. cum aq. Papav. Rhœad. ℔i. aq. Roſ. rubr. Cinnamom. hord. an. ℥ii. F. Emulſio ſ. a. Sacchar o penidiat. edulcoranda. Vel.

♃. Lohoch è Pulmone Vulpis. de Farfar. de Portulac. an. ℥i. Syr. Jujubin. Capill. Vener. an. ℥iß. Flor. Sulphur. ʒii. Tinctur. Croc. ℥ß. ſpec. Diatrag. frig. Diamargarit. Frig. Haly an. ʒi. Sachar. Penidiat. ℥ß. Ms. F. Eclegma ſumendum, ut priùs.

♃. Tacamahac. Balſam. Tolut. an. ʒi. Ingred. Decoct. pectoral. q. ſ. Coq. in Aq. F. q. ſ. ad ℔ß. Cum colaturâ; & ſem Papav. alb. Hyoſcyam. an. ʒii. Amygd. dulc. excortic. n. vii. F. Emulſio ſ. a. Sacchar o penidiat. gratè edulcoranda.

Sin verò à phlegmatis glutinoſitate Dyſpnœa ſolito major adſit, Eclegma ſequens præſcribatur.

♃. Lohoch è paſſul. Scyllitic. an. ℥iß. Syr. de Eryſimo, de Hyſſopo. de Praſio an. ℥iß. Spec. Diaireos, Diacalaminth. flor. Sulph. an. ʒiß. Tinct. Croc. ℥ß. Sacchar. Cand. alb. ʒvi. Ms. F. Linctus. ſumend. uti antea.

Imò, urgente hoc ſymptomate, addatur Gum. Ammon. depurat. ʒi. & Flor. Benzoin ʒiß.

His etiam intentionibus (citæ ſc. maturationi maſſæ pulmonibus impactæ, & novi ejus influxûs prohibitioni) ſatisfit cōpoſitione medicaminum balſamicorū cum agglutinantibus. Ex gr.

♃. Pulp. Conſerv. Roſar. rubr. Lujul. an. ℥iß. Oliban. ʒii. Opobalſam. ℈ii. Ms. F. Electuarium. de quo ſumat. Æger quantitatem Nucis Jugland. ter in die, horis medicis, ſuperbibendo ℥iv. Apozematis ſequentis calidè.

♃. Fol. Milleſol. Piloſell. Pimpinell. Taraxac. Pulmonar. maculoſ. Botryos; Scabioſ. an. Mi. Flor. Hyperic. Violar. Bellid. major. papav. Rhœad. an. Mß. Jujub. Dactyl. an. par. vi. Croc. in nodulo ligat. ℥ß. ſem. Aniſ. Baccar. Juniper. ʒiii. Debito modo infunde, & coque in aq. font. q. ſ. ad ℔iii. In colaturâ calidâ malaxentur ℥iv. Conſerv. Roſ. rubr. (quæ hoc modo apozemati addita balſamicum, & admodùm gratum ſaporem ei conciliat) Coletur iterùm, & denuò add. Syr. è Corall. Botry. Capill. Vener. an. ℥i. Ms. F. Apozema in uſum.

Vel Electuarii prioris loco ſubſtituatur ſequens.

♃. Pulp. Conſerv. Roſ. Rubr. per ſetaceum traject. ℥ii. Conſerv. Fruct. Cynoſbat. ℥i. Pulv. Haly. ʒi. Balſam. Leucatell. ℥ß. Syr. balſamic. q. ſ. Ms. F. Electuarium ſumendum ut anteà.

Capiat etiam Æger ſæpiùs in die Cochleare unum, vel alterum Syrupi Balſam. (qui ventriculo admodum gratus eſt) & unà cum ſingulis doſibus Syrupi balſami Tolutan. ℈i. in pilulas parvas redact.

Necnon, ſingulis noctibus ab uſu aliorum medicamentorum liberis (ſi cetera conſentiant) convenit gutt. xv. vel xx. Laudan. Liq. Helmont. exhibere in cochleari Syr. Balſamici. In hunc finem etiam confert. ʒi. flor. Sulphur. in ovo ſorbili vel Mellis antholat. q. ſ. præſcribere.

Si titillans tuſſis præ humoris per Trachæam, & bronchia excreti acrimonia, & tenuitate, fuerit Ægro valdè moleſta, ut inde auctio tuſſis catarrhalis, more ſuctionis; irritatæ timeatur, ſint in promptu tabellæ ſequentes, ad libitum, & ſenſim ad tuſſim demulcendam, deglutiendæ.

♃. Pulp. Rad. Altheæ per ſetaceum traject. ℥i. Sacchar. Perlat. Gumm. Arabic. Tragacanth. Amyl. in aquâ Papav. Rhoead. ſol. an. ʒi. Sacchar. penediat. in aq. Roſ. ſolut. q. ſ. Ms. F. Tabellæ ſ. a. ponderis ʒi.

Urgente etiam tuſſi, ſæpiùs vel ad libitum capiat Æger fruſtulum Sacchari perlati roſac. penidiat. vel chryſtallini, ſenſim deglutiendo. Succus etiam, & Radix Glycyrrhizæ huic fini conferunt.

Sin verò tuſſis fuerit longa, & vehemens, & remediis prioribus non cedens, adeò ut à diuturnâ infarctione, tandem tubercula ſuboritura ſuſpicari liceat; Ad uſum balſamicorum fugiendum eſt. Ex gr. Capiat Æger ter in die, horis medicis, tres pilularum ſequentium, (quarum felicem ſucceſſum in tuſſibus Phthiſicis jam per multos annos expertus ſum) è Cochleari uno, vel altero Linctus alicujus convenientis, ſuperbibendo hauſtum, Apozematis pectoralis jam antè præſcrip. calidæ.

♃. Pulv. Milleped. pp. ʒiii. Gum. Ammoniac. optimè depurat. ʒi. ß. flor. Benzoin. ℈ii. vel ʒi. Extract. Croc. Balſam. Peruvian. an. ℈ß. Balſam. Sulphur. Terebinthinat. vel aniſat. q. ſ. Ms. F. Pilulæ mediocres deaurand. vel pulvere glycyrrhizæ involvendæ.

Iſtæ pilulæ in Scorbuticorum, & Scrophuloſorum lentâ Phthiſi (quæ quidem ſunt frequentiſſimæ phthiſes) ubi febris (ſi ulla eſt) eſt admodum mitis, & exſputum Phlegma quadantenùs glutinoſum, Aſthmaticorum ritu, curationem non tantùm in principio morbi, verùm etiam in ejus progreſſu inſigniter promovent, uti inferiùs ſub Phthiſeos ſcorbuticæ, & ſcrophuloſæ titulis pleniùs dicturi ſumus.

De aëre, cibo, potu, pathematis animi reliquiſque quæ ad Ægri regimen pertinent, peritum Medicum, pari induſtriâ, ac de medicamentis ipſis in hoc morbo conſulere oportet. Abſq; enim cauto iſtorum regiminè, atq; uſu, vel generoſiſſima remedia in Phthiſeos curatione nihil proſunt.

Quare

Quare eligatur moderatè calidus,& ſiccus aer, atque, aliquatenùs etiam tenuis. Paluſtris enim, humidus, vel fumo carbonum inquinatus ſanguinem noxiis particulis continuò replendo, atque agitando, eum in colliquativo ſuo ſtatu continet; quo fit ut fluxus ſeri catarrhoſus in pulmones,& in glanduloſam Trachææ tunicam perpetuò irruat;atque inde,his partibus ab importunâ tuſſi agitatis,morbus perpetuò augetur, non obſtante uſu medicamentorum vel maximè efficacium.Siquidem nulla medicamenta Incantamentorum more curationem abſolvere poſſunt.

Cibus ſit euchymus, quo quàm pauciſſima recrementa in ſanguine accumulentur, uti Caro ovina, Vitulina, Aves montanæ, piſces friabiles, Cancri fluviatiles, &c. Æger etiam carnes, tantùm prandii tempore, ſumat; panatellis, avenaceis, Juſculis, Ovis ſorbilibus, &c.ſub veſperam contentus. Sit etiam cibi moderata quantitas, & vitetur ad ſummam ſatietatem Ingluvies. Potus ſit etiam parcus,& mitis, qui vel minimam ſanguinis efferveſcentiam poſſit efficere, Uti cereviſia tenuis, &c. Evitentur Vina, & ſpirituoſi liquores; præſertim verò Crapula ab eorum ingurgitatione proveniens. Confert etiam ad hujus morbi curationem promovendam, Cereviſiam ordinariam herbis Thoracicis,atque aliis,quę ad eum morbum reſpiciunt, à quo phthiſis hæc originem ſuam duxerat,(modò talis fuerit)medicari. Hoc enim modo medicamentorum copia diætetico ritu in ſanguinem ingeritur abſq;vel ullâ ventriculi nauſeâ,vel appetitûs diſpendio,ad quem ſemper prudentem Medicum ſpeciatim reſpectû habere oportet.Ex gr.

♃. Sarſ. opt.inciſ.℥viii.Rad. Chin.in taleolas ſciſſ.℥iv. polypod. Querc. Capill. Vener.Heder. terreſtr.pulmonar.maculoſ.Tuſſilag.Scabioſ,Botry.an.Mii.Flor.Scabioſ.Nymphææ Anthûs,Bellid.major.Hyperic.an.Mj.Baccar.Junip.℥iv.paſſular.major.exacinat.℥vi.glycyrrhiz.raſ.℥i.Sem. Aniſ. ℈ii. Ms.F.ſacculus pro iv. Congiis Cereviſiæ mediocris,quâ Æger in potum ordinarium utatur.In Scorbuticâ & ſcrophuloſâ diatheſi ſimplicia Antiſcrophuloſa,& Antiſcorbutica mitia, & leniora etiam addi debent, de quibus poſteà dicturi ſumus.

Æger exercitiis & frictionibus moderatis quotidiè,præcipuè verò ante cibum, utatur, ſummâ tamen diligentiâ cavendum eſt à novo frigore percipiendo cane & angue pejori.

Ab iracundiâ,mœſtitiâ, intenſâ cogitatione, atque omnibus aliis gravioribus animi parhematis ſummopere divertatur Æger,idque non tantùm monitis,& conſiliis;verùm etiam ſocietate, & jucundiſſimorum amicorum conſuetudine. A ſtudiis etiam & vigiliis intempeſtivis diligenter ſibi caveat,ſomnum ſemper (quantum poſſibile eſt) primâ noctis parte capeſſendo.

Cap.9. De Curatione Phthiſeos in ſecundo ejus gradu.

De curatione Phthiſeos in ſecundo ejus ſtadio ubi ſcilicet ob debitæ expectorationis defectû, & ob longam inde materiæ pulmonibus impactæ moram, Tubercula cruda â nodoſa glandularum pulmonarium tumefactione orta Tuſſi Chronicæ ſupervenire contingit.

Sæpenumero ita Phthiſicis accidit, uti vel præ inopiâ, vel avaritiâ, vel etiam medicaminum nauſeâ, incipientem Phthiſin pro communi Catharrho ſponte ſua abituro habentes, medicos rariſſimè in primo morbi ſtatu conſulant, dum ſcilicet facilem curationem per evacuationes,& & reliquam jam ante deſcriptam Methodum,admittere poſſit;Receptis autem (neſcio quibus) ſive Muliercularum ſive Agyrtarum contenti, pretioſiſſimi temporis diſpendium faciant; Æſculapii opem vix tandem petentes,uſquedum præ febris hecticæ augmento, & virium languore, jam antè præſcriptarum evacuationum plane incapaces fiant;quæ tamen maximè ſunt ad legitimam hujus morbi curationem neceſſariæ.

Ob quem neglectum ſæpiùs evenire ſolet,quòd, materia longo jam tempore pulmonibus impacta, turbercula, ſeu glanduloſi tumores, in pulmonibus ſenſim oriantur;quo curatio,in hoc ſecundo morbi ſtatu,non tantùm difficilior,verùm etiam incertior redditur;Morbo vel nullam, vel ſaltem palliativam tantùm curationem admittente.Atq;hinc fit,quòd Phthiſis vulgò tam malè audiat,ac ſi eſſet morbus naturâ ſuâ prorſus incurabilis,quum (quantum ego longa experientiâ edoctus ſcio) æquè certam curationem,atque alii morbi,admittat,modò debitâ methodo, ſatis tempeſtivè tractetur. Licèt ſit fatendum ſicuti cæteras malas corporis affectiones, ita etiam Phthiſin,ubi jure hæreditario ægrum invadit,modò à mala corporis conformatione oriatur, vel ab inexhauſtâ humorum minerâ, longo & habituali ſex rerum non naturalium abuſu contractâ, dependeat;vel deniq;ubi à diatheſi ſanguinis peculiariter maligna,cancroſa, vel gangrænoſa, vel in celerem inflammationem diſpoſita procedat, methodo curationis legitimæ,utut tẽpeſtivè obſervatæ,cedere non ſolere:Progreſſû autem ſatis celerem ad tertiũ Phthiſeos ſtadium,non obſtante vel generoſiſſimorũ medicamentorum uſu, indies facit. Verùm hoc ſecundum morbi ſtadium à primo tuberculorum ortu cenſendum eſt; donec Tumores iſtos pulmonares inſigniter inflammari, & putreſcere contingat, hoc eſt, dum in ſtatu crudo manent. Hæc enim turbercula non ſunt omnia ejuſdem genii; ſed variam,atque admodum diverſam indolem induunt; nunc enim ſunt maligna,Cancroſa,Gangrænoſa,& præceps exitium minantia: nunc autem licèt ſint benigniora tamen ſub ſpecie phlegmonum, furunculorum, vel Eryſipelatum, dolore & inflammatorio calore, à primo inſtanti ſtipata, & celeri putrefactioni obnoxia,atque inde à primo ortu,febrem Peripneumonicam inducunt, & in apoſtemata citiſſimè tendunt. Adeò ut in hujuſmodi præcipiti Phthiſi ab hujus genii tuberculis orta, uti hic ſecundus morbi ſtatus non obtinet, ita ſermonem hîc loci ulteriorem de eo non ſumus habituri: Siquidem quicquid huc ſpectat, in tertio hujus morbi ſtadio dicendum eſt,ubi ſcilicet de febre Phthiſicorum Peripneumonicâ, & Putridâ Colliquativâ ex profeſſo tractaturi ſumus.

Ut plurimùm autem tubercula iſta ſunt tumores glanduloſi Chronici & frigidi,& quaſi ſcrophuloſi,à liquoris glutinoſitate,vel pori ſeu ductus glanduloſi obſtuctione ortum ſuum ducentes, quo fit ut intus ſtagnans liquor in formam gypſeam,ſteatomatoſam,vel melleam,à naturali partis calore ſenſim concoquatur, propria tamen cyſtide ſemper continetur;atq; inde tumor iſte renitens ſtatim oritur,quem tuberculum crudum nominamus; qui licèt, progreſſu temporis, in molem ſatis grandem ſuccreſcat, non tamen illico inflammatur vel putreſcit, uſque dum ſcilicet ex acrimonia ab humore contracta in cyſti-

de,

de, vel ex tono partis nimis diſtento. Inflammatio, atque inde Apoſtema ex aliquo accidenti ſuperveniat.

Durante hoc crudo tuberculorum pulmonarium ſtatu, Phthiſis in ſecundo ſuo ſtadio manet. Cujus diagnoſtica ſigna præcipuè deſumenda ſunt: Primò, Ab inſigni febris hecticæ augmento, quæ jam quadantenus febrem putridam intermittentem ſæpiùs imitari incipit, ob acrimoniam ſcilicet materiæ in cyſtidibus contentæ progreſſu temporis, conciliatam. Secundò; A tabis, ſeu muſculoſæ carnis conſumptionis notabili incremento, quæ jam ſaltem flacceſſere incipit. Tertiò; A tuſſis ariditate, quæ utut frequens & importuna fuerit, Catarrhus tamen atque adeo frequens exſputio eam non comitantur, uti antea. Quartò, A gravanti pondere atque oppreſſione, quæ in pectore perpetuò ſentiuntur. Cui etiam anhelitus, ſeu difficilis, frequens, & moleſta reſpiratio plerunque adjungi ſolet. In hoc morbi ſtatu omnes evacuationes per alvum, vomitum, vel ſudores nocuæ ſunt, utpote febrem promoventes, & tabem accelerantes.

Nec quidem ipſa Venæſectio hic venit, niſi ad præcavendam inflammationem Peripneumonicam, quoties ſcilicet à dolore Pleuritico, potatione liberaliori liquorum ſpirituoſorum, à frigore recens percepto, atque aliis ejuſmodi, Medico ſagaci eam præ foribus eſſe ſuſpicari liceat. Atque tunc etiam ſanguis, ob tabem præſentem & virium languorem, parcâ potiùs manu ventilandus, quàm profusè extrahendus. Diligentiſſime tamen in uſu medicamentorum Alterantium, & Thoracicorum, jam antè præſcriptorum (quantum ſtomachus ferre poteſt) perſiſtendum eſt. Præcipuè verò in longo medicamentorum Balſamicorum uſu, uti pilularum noſtrarum jam antè præſcriptarum, atque aliorum etiam hujuſmodi (modò febris inſignis non adſit) ſpes habenda eſt; Atque hoc pacto plurimos Phthiſicos (quorum Tubercula frigida eſſe, & cruda videbantur, atque adeò Phthiſis Chronica) Deo favente, in ſtatum priſtinæ ſalutis reduxi; nonnullorum autem vitam, valetudinariè licèt procedentem, in plurimos annos protraxi. In ſcorbutica, & hypochondriaca diatheſi confert etiam Extractum Mynſycht. vel alia Chalybeata, & Antiſcorbutica mitiora hiſce Balſamicis medicamentis admiſcere; uti etiam in ſcrophuloſa, remedia item Antiſcrophuloſa: De quibus ſub propriis titulis ulteriùs mox diſſerendum.

Jam verò præter medicamenta alterantia, parva quantitate & ſtatis temporibus exhibita (quæ jam antè ſunt deſcripta) ſummopere nitendum eſt quo, copioſa ſcilicet & continua eorum ingurgitatione, diætetico ritu facta, febrilis ſanguinis calor demulceatur, & inexhauſta humorum in habitu corporis deliteſcentium minera, unà cum colliquatione inde orta, eradicetur. Ideoq; non tantùm cibus euchymus, & acrimoniam humorum retundens diligenter eſt eligendus; veluti Perdices, & aves montanę, Ova ſorbilia, Oſtrea, Animalium extrema, unà cum conſummatis juſculis, & Gelatinis inde confectis, Cancri etiã fluviatiles, atque alii piſces teſtacei, cum juſculis ex his artificioſè factis; quorum formulas poſthac ſubnectemus; verùm etiam Aquæ minerales Chalybeatæ, Hydromel Pectorale, Diæta lactea, Lac Aſininum, Aqua Lactis Porcelli, Limacum atque alii lenientes, & ſanguinem demulcentes liquores ſub forma potûs copioſè præſcribendi ſunt: Fontanellæ etiam, Raſura capitis, & emplaſtrorum convenientium applicatio multùm proſunt. De quorum uſu, & cautelis in eorum uſu adhibendis, jam ſtrictim, & ſpeciatim obſervationes noſtras proponemus.

Atque imprimis, ſi calor hecticus mitis fuerit, & ferè inſenſibilis, quò conjectare licèt tumores iſtos pulmonum fixos eſſe crudos, vel ſaltẽ ſcrophuloſos & frigidos, gypſea ſcilicet, ſteatomatola, vel alia aliqua hujuſmodi materia infarctos; Æger, æſtivo tempore, omninò ad Aquarum mineralium Chalybeatarum uſum relegandus eſt. Atque hoc pacto plurimos hujuſmodi Phthiſicos per multos annos relevavi, cum appetitus, carnis, & virium reſtitutione, caloris hectici, & tuſſis minoratione, atque majori reſpirationis libertate; idque non tantùm durante Aquarum potatione, verùm etiam tempeſtate hyberna ſequenti. Quò fas eſt concludere tumores iſtos, ſi non ab uſu aquarum penitus eradicentur, ſaltem minorari, & ſanguinis maſſam egregiè temperari. Quæ quidem curatio, Palliativa ſaltem, (ſi perfecta non poſſit obtineri) alicujus eſt momenti. Licèt enim Æger in ſtatu quadantenus valetudinario vitam ſuam protrahat, adhuc tamen vivit, & debita cautela adhibita, munus ſolitis fungi, vitæque oblectamentis moderatè frui potis eſt. Nonnullos verò ex aquarum iſtarum uſu perfectè ab evidenti Phthiſi reſtitutos & ſine ulla recidivatione ſanos redditos vidi, quorum hiſtoriam unam, vel alteram fideliter, & ſuccinctè, ſub Phthiſeos Hyppochondriacæ titulo, narraturi ſumus. In uſum verò Aquarum mineralium Chalybeatarum ſequentes Canones omnibus Phthiſicis commendatos velim quo quàm diligentiſſimè obſervantur. 1. In Phthiſi acuta, ubi ſcilicet pulmones evidenter putreſcunt, & febris jam ultrà gradum hecticæ provehitur; uti etiã in Phthiſi Chronica extrema, ubi Æger ſcilicet jam aliquem maraſmi gradum ingreſſus eſt, una cum ſudoribus colliquativis, Diarrhœa, vel Hydrope; evitandæ ſunt Aquæ, quæ certiſſimè, in hoc caſu, non tantùm noxiæ, verùm etiam lethales ſunt. 2. Laborantes Phthiſi, etſi multum tempus, maximam ſcilicet æſtatis partem, in Aquarum uſu, conſumere oporteat, quo ſanguinis craſis jam penitùs ferè everſa, longo earum uſu paulatim reſtituatur; parcè tamen & minori quantitatę quàm alii ſolent ſingulis diebus debent bibere, ℔. ſcilicet IV. vel V. vel VI. in unam vicem, ne, à nimia tenerorum pulmonis vaſorum diſtentione, hæmoptoë tandẽ inducatur. 3. Durante Aquarum uſu, à frigore capiendo, & ab erroribus diætæ diligentiùs quàm multi alii ægrotantes ſolent, cavere debent. 4. Phthiſicis Aquarum uſum per plures annos, tempore æſtivo, repetere convenit, licèt poſtquàm iis aſſuefacti fuerint, minus temporis, in earum potatione, ſingulis annis, conſumere neceſſe ſit. 5. Neq; Phthiſici, durante Aquarum uſu, uti cæteri earum potatores ſolent, purgandi ſunt. Sin verò plùs ſatis adſtrictæ Alvo obnoxii fuerint, ante aquarum Chalybeatarum aggreſſum, & poſt earum completum uſum, Aquas minerales purgantes, moderata quantitate, propinare convenit, earum uſum, ad intervalla III. vel IV. dierum, ad tres, vel quatuor vices repetendo. 6. Si aquæ per urinam non ſatis copioſè fluant, multò magis, ſi per Alvum diarrhœam provocent, in earum uſu longo tempore non eſt inſiſten-

inmittendum, niſi his incommodis ſatis arte proſpici poſſit. Ad tollendam, & præcavendam Diarrhœam ſoleo quantitatem Nucis Juglandis Elect. ſequẽtis, horâ ſomni, ſingulis noctib. præſcribere.

℞. Pulp. Conſerv. Roſ. rubr. antiq. Diacydon. an. ℥ß. Trochiſc. de Carabe ʒ iij. Bol. ver. Lacrymar. Sang. Drac. an. ʒß. Laudan. Lond. gr. iij. Syr. Myrtill. q.ſ. MS. F. Electuarium.

Ad fluxum Aquarum promovendum, ℈i. Salis ſuccin. nitidiſſ. & ab oleo optimè depurat, in primo Aquarum hauſtu ſolvendum. 7. Multùm etiam confert, durante Aquarum Chalybeatarum uſu, potum ordinarium ſacculo ingredientium pulmonarium medicatum præſcribere; Cui etiam Antiſcorbutica, & Antiſcrophuloſa mitiora addantur, ſi origo morbi id requirat.

Secundò, Sin verò calor Hecticus ſit notabilis, atque inde præceps Phthiſis; ſatius eſt ſanguinem lacteâ diætâ, quàm Aquis temperare. De lactea autem diæta ſequentia ſunt notanda. 1. In hujus diætæ uſu nihil præter lac & Lacticinia (excepto pane) in cibum & potum eſſe vel permittendum, vel deſumendum. Copioſè verò, & frequenter nutrimentum iſtud ingerendum, ne, præ ejus tenuitate, partes nutritione debita priventur. 2. Lacteæ diætæ curſum per unius, vel alterius menſis ſpatium protrahi debere. 3. Huic diætæ tempus vernum præ cæteris convenire, ubi ſcilicet flores atque herbæ, quibus beſtiæ veſcuntur, jam maximè vireſcunt.

Tertiò, Sin verò præ fermento ventriculi nimis acido, lac commune (uti aliquando accidit) in coagulum durũ & coctionis incapax redigatur, unde Vomitiones, Tormina, & Diarrhœa ſubſequi ſolent, ſatius eſt à lactis communis uſu abſtinere, & ſanguinis temperationem lacte aſinino tentare; de cujus uſu ſequentia ſunt etiam obſervanda. 1. Tempus exhibendi lac aſininum maximè commodum eſſe primum mane, ita uti Æger poſtea in lecto dormiat, idque horâ quintâ pomeridianâ. 2. Nihil heterogeneum ſive victûs ſive medicamenti formâ, in ventriculum admittendum, donec lac jam fuerit concoctum. 3. Quantitatem, ſive doſin lactis in unam vicem eſſe à ℔ß. ad ℔i. vel præter propter. Siquidem magna hujus, uti & lactis communis, quantitas à ventriculo nec recipi, nec quidem concoqui poteſt, verùm illud, vel vomitione, vel dejectione unà cum gravi detrimento Ægri illicò extrudere ſolet. Ideoq; prudenter à Medicis conſultum eſt, uti ventriculus paulatim huic nutrimento aſſueſcatur, indies augendo quantitatem à ℔ß. ad ℔i. 4. Si Æger, præ acido ventriculi fermento, ab uſu lactis aſinini Diarrhœæ fuerit obnoxius, (quod frequenter accidit) lac ſaccharo roſaceo edulcoretur, & ſuper ramulum unum vel alterum menthæ emulgeatur. Imò, ſi opus fuerit, & ſi cætera conſentiant, capiat Æger ſingulis noctibus Laud. Lond. gr. i. vel doſin Electuarii adſtringentis jã antè memorati. 5. Iſtud lac ſemper in nativo ſuo calore propinari debet. Si enim frigeſcat, & dein igne incaleſcat, non tantùm guſtui, & ventriculo minùs gratum redditur, verùm etiam, ob partis ſpirituoſæ diſpendium, minùs efficax Remedium fit. 6. Durante lactis Aſinini uſu (quod etiam in omni lacteâ diætâ æquè præſcribi debet) ab omnibus aliis medicamentis abſtinendum eſt, exceptis Opiatis & Adſtringẽtibus, modò neceſſaria ea fuerint ad Diarrhœam præcavendam vel ad immanem tuſſim nocturno tempore demulcendam. 7. Sin verò Diarrhœa à Lacte effecta, uſu Laudani, & Adſtringentium non evincatur; vel ſi jam evictæ Diarrhœæ Vomitus, vel ſaltem continua ventriculi ægritudo, & oppreſſio gravativa ſuccedant, (quæ certa ſunt lactis in ventriculo in caſei formam coagulati indicia) vel tandem, ſi adſint ſigna ſcirrhoſi, & valdè obſtructi hepatis (quod Scorbuticis, & hypochondriacis in Phthiſi Chronica familiare eſt) religioſè tum à quovis lactis genere abſtinendum eſt: Siquidem lactis uſus hepatis obſtructiones augendo, Icterum, & Hydropem Phthiſi ſuperinducere ſolet, quo morbus originalis planè deploratus redditur.

Quartò, Hiſce igitur in caſibus, præſtat ſanguinem alterare, atque ejus acrimoniam retundere copioſo uſu piſcium, & medicamentorum teſtaceorum, uti etiam conſummatis juſculis ex animalium extremis factis, copioſaque potatione Aquarum compoſitarum Lactis, Caponis, Porcelli, Limacum, atque aliorum ejuſmodi. Etſi, quod de uſu lactis jam antè innuimus, ſit etiam verũ de hiſce Aquis Phlegmaticis, quòd ſcil. quoties hepar priùs obſtructum eſſe contingat, à copioſa earum potatione, Icterus & Hydrops ſubſequi ſolent. In hujuſmodi igitur Ictericis, & Hydropicis magis convenit ſanguinis dulcificationem tentare, in ſequentem modum. Copioſè veſcantur Cancris fluviatilibus, & marinis Aſtacis, & generaliter loquendo omnibus, teſtaceis piſcibus. Cujuſmodi cibus copioſè ſumptus acetoſum ſanguinis ſtatum, & acidum ventriculi fermentum plurimùm temperare valet. Ex his etiam piſcibus teſtaceis juſcula grata arte fiant, quæ copioſè exhibenda ſunt.

℞. Cancr. fluviat. n. 100. Contundantur vivi, & deindè coquantur in aq. font. ℔iv. ad ℔ij. Addendo ſub finem coctionis macer. fol. ii. vel iii. Nuc. Moſch. raſ. n. 1. & Vin. Malvat. ℔ß. Coletur juſculum in uſum. In hunc cenſum etiam referendæ ſunt Gelatinæ, & conſummata juſcula. Ex. gr.

℞. Raſur. CC. Ebor. an. ℥iv. fol. macer. num. 2. Cortic. Aurant. Condit. in fruſtula conciſ. num. 1. coq. in Aq. font. ℔iv. ad ℔ii. vel ℔iß. Coletur, quo Æger ſumat ad libitum cochl. iii. vel iv. per ſe, vel in juſculis calefact. Hujuſmodi Gelatinæ Ægrotantis palato gratiores fieri poſſint, Addendo, tempore uſûs, tantillum Syrupi Meliſſophyll. Caryophyll. è Rub. Idæo, Aurantior. vel Limon. Licèt fatendum, Syrupos acidos non adeò benè Gelatinis convenire, quoniam quadantenùs vires earum frangant.

Exemplum Juſculi conſumati ſit jam ſequens.

℞. Capon. eviſcerat. & in fruſtula conciſ. num. 1. Ped. Ovill. & Vitulin. an. par. ii. Raſ. C.C. Ebor. an. ℥ß. fol. macer. num. 2. Nuc. Moſch. ſciſs. num. 1. Santal. Citr. ʒiii. vel ℥ß. Coquantur omnia leniter in Congio uno aqu. font. ad dimidii conſumptionem, Addendo circa finem ebullitionis Vin. Malvat. ver. ℔i. Flor. Bellid. Maj. Tuſſilag. Capill. Vener. Pulmon. maculoſ. an. Mj. Dactylor. ping. par. viii. Juiubar. par. xii. Sebeſten. par. x. Paſſular. maior. exacinat. ℥iii. Coletur, quo Æger ſumat bis, vel ter die prælargum hauſtum huius juſculi. Ad acrimoniam ſanguinis ulterius demulcendam multùm etiam huiuſmodi Phthiſicis obſtructione laborantibus confert uſus Corallii præp. Milleped. Margarit. Ocul. Cancr. præpar. pulv. è chel. Cancr. ſimpl. atque, aliorum eiuſmodi Teſtaceorum medicamentorũ, quæ copioſè, & ſæpius in die ſumenda ſunt. Ex. gr.

℞. aq.

℞. Aq. Lact. Alexiter. Card. vel Ceraſ. nigr. ℔i. Aq. Cinnam. hord. ℔ß. Margarit. præp. ʒß. Sacchar. Chryſtallin. alb. ℥ii. Mſ. F. Julapium, è quo capiat Æger ℥iv. (agitata priùs phiala) ter quaterve in die, Addendo (ſi ſtomachus id requirat) ℥i. vel ℥ij. Aq. Epidemic. Mirabil. Steph. vel alicujus aliûs aquæ ſpirituoſæ.

Vel ℞. Pulv. Milleped. Ocul. Cancror. præp. pulv. è Chel. Cancror. ſimpl. Corall. rubr. an. ʒi. pulv. Succin. alb. ʒß. MS. in chartulas ix. quarum unam ſumat ter die è cochleari Julapii Perlat. jam antè præſcript. vel alicujus aliûs ejuſmodi, ſuper bibendo hauſtum. 5. Si Æger ab hepatis obſtructionibus planè immunis eſſe videatur, atque adeò neque in Hydropico, neque in Icteritio ſtatu fuerit; verumtamen lactea diæta jam antea deſcripta, propter Diarrhœam, atque acidum ventriculi fermentum, parùm conveniat, præter medicamenta alterantia jam antea deſcripta, ad acrimoniam humorum ulteriùs demulcendam, cum fructu injungi poteſt copioſus uſus Aq. deſtillat. compoſ. Lact. Capon. Limacum, Porcelli, &c. quarum formulas proximè deſcribemus.

Aqua Lactis.

℞. Fol. capill. Vener. Tuſſilagin. pulmonar. maculoſ. Veronic. an. M iij. Hyſſop. Rut. Caprar. Menth. Abſinth. an. M. ij. Flor. Hyperic. Scabioſ. an. M. ij. Croc. Anglic. ʒi. Nuc. Moſch. ſciſſ. num. 3. Dactylor. Caricar. ping. an. ℔ß. Paſſular. major. exacinat. ℔i. Conſ. indantur, & infundantur in lactis Vaccin. recent. Cong. iii. & Vin. Malv. ℔vi. F. deſtillatio in Organis communibus, uti dimidia pars liquoris aſcendat, Omneſque deſtillationes commixtæ reſerventur in uſum. Si Phthiſis ſit ſcorbutica, addantur in deſtillatione ſummitates Pini, Beccabungá, Naſturt. Aquat. Hederæ terreſtris, cum aliis Antiſcorbuticis mitioribus; Et loco vini Malvatici ſubſtituatur Cereviſia Brunſvicenſis; ſin verò ſcrophuloſa; Milleped. crud. cum herbis contuſ. ℔iij. atque alia etiam Antiſcrophuloſa. Si hanc aquam non tantùm alterantem, verùm etiam reſtaurantem habere lubet, addi poteſt Capo, vel Porcellus in ſecunda deſtillatione. Ex. gr.

℞. Caponem, vel Porcellum eviſceratum, & in fruſtula conſciſſum, Aq. lact. antè deſcript. Cong. i. F. deſtillatio uti tres partes liquoris aſcendant.

Aqua Limacum.

℞. Limac. hortenſ. Sale purgat. trecent. Lactis commun. vel potiùs aquæ Lactis jam antè deſcript. Cong. iii. F. deſtillatio in Organis communibus lento igne, donec liquor acidus aſcendere incipiat.

Aquam etiam Limac. Magiſtr. ſequentem à nobis confectam non eſſe ſpernendam judicamus, ſiquidem longo tempore in uſum aſſervari poteſt.

℞. Lact. recent. Cong. ii. Deſtilletur cum Ment. & abſint. Rom. an. M. ii. ad Cong. i. Deinde.

℞. Limacum hortenſ. priùs in aquá communi, dein in cereviſiâ tenui lotorum dimidium ſatum, Lumbricor. terreſtr. præpar. ℔i. Angelic. M i ß. Agrimon. Betonic. Rut. an. Mj. Herbæ in fundum mittantur. His ſuperimponantur Limaces, & Lumbrici. In ſummitate verò ponantur Raſ. C. C. ℔ß. Cariophyll. ℥i. Croc. ʒiii. Infundantur in Pomacei ℔iv. Vin. Malvatic. opt. ℔ii. dein deſtillentur in Organis communibus.

Iſti liquores copioſe bibendi ſunt, idque vel in potum ordinarium cum æquali parte lactis commixti, ſi ventriculus id ferat, atque Ægri ſiti ita ſatisfieri poſſit. Si Julapii forma magis arrideat, more ſequenti exhibeatur.

℞. Aq. Porcell. vel Capon. jam antè deſcript. ℔i. Sacchar. Chryſtall. alb. q. ſ. Coque in formam Syrupi.

℞. Aq. Lact. vel Limac. ℔ i ß. Syr. magiſtr. jam antè deſcript. ℥ iv. Ms. F. Julapium, è quo bibat Æger copioſe ad libitum.

Vel ℞. Aq. Lactis vel Limac. magiſtr. ℔ii. Sacchar. Perlat. ʒx. vel ℥iß. Ms. F. Julapium è quo bibat copioſe. & frequenter.

Sin verò, non tam calor hecticus, quàm reſpiratio difficilis urgeat (uti ſæpiùs Phthiſi ſcorbuticâ laborantibus accidit) Hydromel thoracicum in potum ordinarium magis convenit, quàm aquæ deſtillatæ phlegmate abundantes. Cujus formula inſignis apud River. Cap. de Phthiſi occurrit: atque alibi paſſim apud Autores: Ideoque nullam aliam ejus deſcriptionem hoc loco ſubnectemus.

Cap. 10. De Curatione Phthiſeos Pulmonaris Originalis in tertio ejus ſtatu, ubi ſcil. Æger à glandulоſarum partium Pulmonum inflammatione, apoſtematis, & exulceratione in Maraſmi ſtatum reducitur, unà cum ſummo virium languore, carnis conſumptione, febris hecticæ incremento, atque etiam peripneumonicæ, & putridæ ſuperinductione reliquiſque diris ſymptomatis, quæ hunc funeſtum Phthiſeos ſtatum comitari ſolent.

Ubi ad tertium hoc Phthiſeos ſtadium deventum eſt, Æger rariſſimè (ni ulcera fuerint admodùm parva, & benigna) curatur, vel vitam ſuam longiùs protrahit. Ideoque licèt prudens, atque honeſtus Medicus, ad Phthiſicos in hoc morbi ſtatu, vocatus, ſymptomata miſeros cruciantia, quantum in ſe eſt, mitigare nitatur, atque etiam antiphthiſica medicamenta, quæ præſentibus indicationibus, atque ægrotantis ſtatui maximè ſatisfaciant, præſcribere ſtudeat; minimè tamen, etiam ſpe à ſymptomatum relevatione abblandiente, artis Medicæ famam, atque etiam ſuam violare debet, ſanitatis recuperationem vel Ægro, vel ejus amicis nimis audacter promittendo; qualemcunque verò opem Ægro cum ſummâ miſericordiâ atque diligentiâ attulerit, lethale prognoſticon de Ægri vitâ conſtanter pronunciandum; neque ſibi vanâ ſpe Amicorum, atque Adſtantium, illudi ſinat; Atque hoc pacto tam arti Medicæ quàm ſibi ipſi optimè conſulet. Intentiones curativæ in hoc morbi ſtatu ſunt iſtæ quatuor. Primò; Pulmonibus, uſu medicamentorum Pectoralium, atque Antiphthiſicorum proſpiciendum; Ulcerumque ſanatio promovenda (modò ea ſint parva, benigna, & ſanabilia) in quantùm ſcil. præſens debilis, atque attritus Ægri ſtatus ferre poſſit. Secundò; Febris Peripneumonica, ſeu Inflammatoria, quoties ea contingat, unà cum diris ejus ſymptomatis tollenda. Tertiò; Febris putrida, à pulmonum purulentâ oriunda, ſublevanda. Quartò; Denique ſymptomatis cruciantibus à febre putridâ per colliquationem ortis, pro virili, ſuccurrendum; quo æger, ſi moriatur, ſaltem εὐθανασίαν obtineat.

Quod ad primam attinet, Medicamenta in

hoc ſtatu Phthiſeos ſunt, Alterantia, Expectorantia, & Balſamica, ſeu Sanativa; non nimis calida (propter ſcil. intenſum febris gradum) ſemper vero Cordialia, propter virium languorem. Eligenda etiam ſunt illa quæ gratiora ſunt, & quæ minimâ quantitate, ob ventriculi nauſeam, exhiberi poſſint. Ex. gr.

♃. Pulp. è conſerv. Roſar. rubr. antiq. Lujul. Balſam. Leucatell. an. ℥i. Ms. F. Electuarium, è quo capiat quantitatem Nuc. Moſch. in Nebulis manè, & veſperi. Vel ſumat bis die Pilul. Balſamic. jam antè deſcriptas numero tres.

♃. Aq. Lact. Alexiter. vel pulmonar. jam antè deſcript. ℥viii. Aq. Limac. magiſtr. Cinnamom. hordeat. an. ℥ii. Aq. Mirabil. ℥i. Margarit. præp. ʒii. Cretæ puriſſ. ʒi. Sacchar. Chryſtall. alb. ℥i. vel ʒx. Ms. F. Julapium, è quo capiat Æger cochl. iv. vel v. poſt ſingulas doſes Electuarii, & pilularum, atque etiam ad libitum in languore.

♃. Syr. Balſamic. (qui ventriculo admodùm gratus eſt) ℥iii. Tinctur. Croc. in Aq. ʒij. Theriacali fact. Ms. Sumat ſæpiùs è cochleari. In hujus mixturæ cochleari uno, vel altero, etiam bis die exhibeantur gutt. vi. vel viii. Opobalſami.

Si tuſſis, & vigiliæ vehementer urgeant, capiat etiam aliquando horâ ſomni gutt. xii. Laudan. Liqu. Helmont. Opium tamen in languido hoc ſtatu, cautè, manu parcâ, & debitis intervallis, exhibendum; neque quidem omninò abſque urgenti neceſſitate, ne cum artis Medicæ opprobrio mors ſubita & inexſpectata ſuccedat.

Vel ♃. Syr. Capillor. Vener. ℥iv. Aq. mirabil. ℥ß. vel ʒvi. Ms. Sumat ſæpiùs è cochleari, vel cum baculo Liquiritiæ, præcipuè verò urgente tuſſi. Gelatinæ etiam, & Juſcula conſummata hic præſcribenda ſunt; & quidem in hoc deplorato ſtatu, è Culinâ magis, quàm è pharmacopolio petenda ſunt remedia.

Quod ad febrem Peripneumonicam attinet; Febris iſta ab inſigni tuberculorum pulmonarium inflammatione ſemper oritur; ideoque recurrere & revireſcere frequenter ſolet; quoties ſcil. tuberculum novum vel ſponte ſuâ, vel à percepto frigore, vel ab alio aliquo errore in regimine admiſſo, inflammari contingat. Durante inflammatione, hæc febris conſtanter manet, atque ægrum haud rarò è vivis ſubitò, & inexſpectatò tollit, Rigore incerto, & intenſo Calore alternis, Vigiliis, Jactationibus, Deliriis, Reſpiratione anhelosâ, expectoratione difficili, doloribuſque extremis, & vagis lateris, pectoris, & ſcapularum ſtipatâ. Ubi verò primùm Inflammatio in Apoſtema faceſſere incipit, quod (ſi æger ſuperſtes fuerit) circa ſeptimum morbi diem uſitato evenit, Febris iſta Inflammatoria continua à febre putridâ intermittente quotidianâ, vel tertianâ excipitur, quæ tuberculorum purulentiam certiſſimè indicat, & ſine eorum ſanatione perfectè eradicari non poteſt.

Hæc febris Inflammatoria, uti omnes aliæ ejuſdem genii, diætam tenuiſſimam depoſcit, unà cum debito in lecto regimine, Alvum ſolutam, Julapia cordialia & Temperantia, Apozemata Pectoralia cum Linctibus Lubricantibus, & Incidentibus copiosè ingerenda ad facilitandam phlegmatis calore febrili nimis incraſſati expectorationem, dolorificam pulmonum compreſſionem ſolvendam, & tuſſim inanem, & moleſtam inde demulcendam; Diaphoretica etiam parcè Opiata, debitis intervallis, ad extruſionem materiæ febrilis per poros cutaneos promovendam; veſicatoria etiam & Epithemata externa in cerebri & generis nervoſi ſubſidium, quæ aliàs illico ab hujuſmodi febribus vehementer pati ſolent: Linimenta etiam, & Fotus externos Anodynos ad ſublevandam dolorificam, & ſpaſmodicam muſculorum, & membranarum Thoracicarum contractionem: Super omnia verò Phlebotomiam, eamque tempeſtivam, copioſam, & (ſi opus fuerit) repetitam, pro Ægrotantis viribus, & pro præſenti ſanguinis efferveſcentia; quam quidem ſtatus Phthiſicus forſan magis quàm Athleticus requirit. Atque hoc pacto *Dominum Tibs*, *Doctorem Ovven*, & Collegam noſtrum eximium *Doctorem Staines*, plurimoſque alios, vel in ipſa provecta ſenectute, à pluribus hujuſmodi febribus, aliquando bis vel ter in anno recurrentibus, (licèt in priorem etiam valetudinarium ſtatum) reſtitutos vidi; idque æquè facilè & citò, ac ſi omninò Phthiſici non fuiſſent; Cum è contrà æquè notum ſit, quàm periculoſæ hujuſmodi Peripneumonicæ febres ſæpiſſimè ſint viris robuſtiſſimis & maximè Athleticis, ubi debita phlebotomia, vel aliqua alia neceſſaria pars juſti regiminis omiſſa fuerit.

Medicus igitur utcunque fatale præſagium de ipſa Phthiſi inſtituat (quæ proculdubio ab omni hujuſmodi febre multum promovetur) ad ipſius tamen Peripneumoniæ curationem ſeſe æquali ſpe accingat, (modo ſatis tempeſtivè advocetur) ac ſi Æger non eſſet omnino Phthiſicus, idque ſequenti modo. Diæta inſtituatur ex Avenaceis, Ptiſanis, Pomis coctis, Poſſetalâ, Paſſulis majoribus exacinatis & Glycyrrhiſâ alteratâ, Cereviſia mediocri pane toſto calefacta, aliiſque ejuſmodi: In prima verò declinatione febris, è juſculis pulli, ovis ſorbilibus, &c.

Alvus etiam (ſi opus fuerit) enemate Lactis ſaccharat. florib. Chamæmel. alterat. illico ſolvatur, quòd (quoties neceſſe fuerit) repetendum eſt. Deinde extrahantur ℥viii. vel x. ſanguinis è venâ cubiti lateris dolentis; quæ quidem Phlebotomia ſingulis, vel alternis diebus audacter, repetenda eſt, pro ſanguinis efferveſcentia, & doloris lateralis, & Dyſpnœæ urgentia, quantum vires ferre poſſunt, quo inflammationis progreſſus in maturationem, & apoſtema (ſi poſſibile eſt) præpediatur.

Intereà temporis per totum morbi decurſum cochl. unum Linctûs ſequentis in ℥iv. Apozematis Pectoral. ſolut. tertiâ, vel ſaltem quartâ quâque horâ calidè propinetur.

♃. Ol. Amygd. dul. rec. Syr. Capill. Vener. an. ℥iß. Sacchar. Cand. alb. ℥iß. Ms. exactiſſimè. F. Linctus.

Imò ſi Phlegmatis glutinoſitas, Dyſpnœa, & exacerbatus dolor indè ortus id requirant, neq; fluxus alvi contra-indicet, loco olei Amygdalar. Oleum Lini recenter ſine igne extr. ſubſtituatur, & Syrupus ex Eryſim. vel è quinque radicibus loco Syrupi Capill. Vener. Præterea etiam ℥ij. vel iij. Olei Lini quartâ quâque horâ per ſe ſumend. præſcribantur: Siquidem non tantùm lubricati vi, verùm etiam, anodynâ egregiè dotatur.

♃. Decoct. Pectoral. depurat. ℔iß. Tinctur. Croc. in aq. Theriac. fact. & ſyr. capil. Vener. an. ℥j. Ms. F. Apozema in uſum jam ante deſcriptum.

In

In virium refocillationem, & ſanguinis effer- veſcentis temperationem Cochl. iv. vel v. Julapii ſequentis ſumend. præſcribantur.

℞. Aq. Lact. Alexiter. ℥viii. Cinnamom. Hordeat. Epidemic. an. ℥ij. Margar. pp. ʒiß. Sacchar. albiſſ. ℥vi. Ms. F. Julapium. Hora ſomni ſequens Bolus Anodynus, & Diaphoreticus, una cum hauſtu Julapii Perlar. ſumend. præſcribatur, præcipue verò ſi alvus (quod non rarò in hoc ſtatu morbi accidit) nimis lubrica fuerit.

℞. Theriac. Andromach. ʒß. Pul. è chel. Cancr. comp. ℈i. Syr. Cariophyll. q. ſ. Ms. F. Bolus.

In Cerebri, & generis nervoſi tutamen ſtatim à venæſectione applicentur Veſicatoria Nuchæ, & interioribus brachiorum, & tibiarum; & Emplaſtrum Cephalic. cum Euphorb. plantis pedum.

In relevationem Doloris Lateralis à muſculorum, & membranarum Thoracicarum ſpaſmis effecti, ſequens Fotus & Linimentum partibus affectis alternatim applicentur.

℞. Rad. Petroſel. Fœnicul. ſem. Lin. Fœnugræc. an. ℥ij. Flor. Chamæm. Melilot. an. Mij. Ms. & coq. in Aq. Font. q. ſ. reponatur colatura in veſicâ bubulâ recente, donec ſemiplena fuerit, & calidè applicetur partibus affectis, urgente jam dolore. Amota veſica, applicetur pannus laneus calidus ſequenti linimento illitus.

℞. Ung. Dialth. ℥ß. Ol. Lilior. albor. Laterit. an. ʒiij. Ms. F. Linimentum in uſum.

In ulteriorem effervescentiæ ſanguinis, & caloris pulmonum temperationem, ſequens pulvis cum fructu præſcribi poteſt.

℞. Sal. Nitr. puriſſ. ʒij. Sacchar. Chryſtal. alb. ℥ß. Ms. in chartulas viij. quarum una diſſolvatur in ſingulis hauſtibus Cereviſiæ propinand. Cætera ſagaci præſentis Medici judicio committantur, pro re nata præſcribenda.

Quod ad febrem putridam Phthiſicorum attinet, notandum eſt, quod etſi ægri methodo præcedenti jam tractati Peripneumonicè non intereant, Inflammatione tamen tuberculorum pulmonarium in ulcerationem (quod ſæpiſſimè accidit) jam faceſſente, ſtatim ſub finem Febris inflammatoriæ Febris putrida intermittens exoritur, certis periodis, ſingulis, vel alternis diebus recurrens, una cum algore, ardore, & ſudoribus ſucceſſivis, ſiquidem ſanguis in circulatione per has purulentas partes jam tranſiens heterogeneis & inimicis particulis oppletur, atque opprimitur, à quibus Natura jam irritata, inſurgit, & paroxyſmum febrilem ſingulis, vel alternis diebus ad hoſtis extruſionem format. Quam quidem febrem ope medicamentorum Pulmonarium, & Balſamicorum penitus eradicare eſt (quantum ego ſcio) planè impoſſibile, abſque ulcerum, à quibus iſta febris oritur, ſanatione, (quoties ſcil. ea ſunt parva atque benigna.) Corticis tamen Peruviani, frequenter, & debitis intervallis repetiti, efficaciam ad ſupprimendos paroxyſmos febriles, ſaltem pro tempore, ſæpiſſimè cum ſucceſſu felici expertus ſum: adeo ut aliquorum Phthiſicorum pro deploratis jam habitorum vitam frequenti ejus uſu non tantùm per plures menſes; verùm etiam annos protractam eſſe viderim: qui licet à ſtatu valetudinario nunquam planè evaſerint, tamen ejus uſu, à febre jam liberati, muniis ſolitis ſatis benè fungi potuêre. Quare eum pro unico febrifugo, in hoc caſu, uſque huc reperto habere ſoleo. Licet enim hoc modo induciæ parum fidæ, atque incertæ comparentur, ſiquidem febris ſponte ſua, vel leviſſima de cauſa repullulare ſolet; ex hac tamen temporaria febris ſuppreſſione, Æger non tantùm à pluribus moleſtis, & gravibus ſymptomatis, pro tempore, illico liberatur; verùm etiam amiſſas vires quadantenus recolligit, atque inſuper ſpatium medicamentorum Balſamicorum, & Pectoralium uſui opportunum obtinet, quæ ulcerata tubercula ſanando, perfectam & eradicativam curationem febris efficere poſſint. Ideoque apprimè convenit non tantum hujuſmodi medicamentorum Balſamicorum uſui in febris intervallis diligentiſſimè inſiſtere; verùm etiam eadem cortici ipſi admiſcere, quoties ſcil. eum repetere lubet, in ſequentem modum.

℞. Cortic. Peruvian. ſubtiliſſ. trit. ʒß. Syr. Balſamic. q. ſ. Ms. F. Bolus; quem Æger mane ſumat, repetatque ſextâ quâque horâ per tres dies ſucceſſivos, ſuperbibendo ℥iij. vel iv. Apozematis ſequentis.

Cortic. Peruvian. pulveriz. ℥iij. Balſam. Tolutan. ʒiij. Croc. Anglic. Cochinell. an. ℈i. Coq. in Decoct. pector. depurat. ℔i. ad ℥vi. Deinde cola & affunde Decoct. præſcript. ℔i. de novo, operationem ita renovando ad tertiam vicem: Denuo Colaturas omnes miſce, atque adde Vin. Malvatic. Syr. Balaſamic. an. ʒiv. Ms. F. Apozema.

Repetatur uſus hujus febrifugi, modo jam præſcripto, bis in Luna, vel ſæpius, ſi ita viſum fuerit. In intervallis verò aſſiduus medicaminum Balſamicorum, & Pectoralium uſus injungi debet, quæ pro Ægri temperie, & morbi genio ſub Medici ſagacis regimine varianda ſunt. Si alvus nimis lubrica fuerit, addi poteſt ſingulis Bolis nocturnis Laudan. Lond. gr. i. vel loco Bolorum ſubſtituantur pilulæ è Diaſcordio, & pulvere Cortic. Peruvian. confectæ, ita ut ſingulæ doſes ʒß. Pulveris recipiant.

Atque hoc modo Uxorem *Domini Haulton*, Pharmacopolæ, à Phthiſi deplorata emaciatam, per annum unum vel alterum curâ Collegæ mei eximii *Doctoris Tyſon* præſervatam, & ſæpiſſime à febre putrida inde orta reſtitutam vidi, uti & Uxorem *Domini Walker Mercatoris Londinenſis*, & filium *Domini Blakey Clerici* à febre putrida Phthiſica in ſtatum ferè integrum redactos, una cum virium, & appetitûs recollectione, & plurimos alios, quorum hiſtorias nimis longum eſſet hîc loci narrare.

Liberè tamen fateor me non obſervaſſe Corticem æquè certò & perpetuò in febre Phthiſica intermittente ſcopum ſuum attigiſſe, ac in intermittente ſimplici à merè morbida ſanguinis diatheſi orta: Ubi autem minus proficere perſpexi, ſemper ſuſpicatus ſum jam lædi cerebrum, & genus nervoſum; atque Ægrum deliriis & ſpaſmis magis obnoxium fuiſſe, quam antea fuerat.

Cap. 9. De Relevatione ſymptomatum Phthiſeos in tertio ejus ſtadio.

Sicuti Natura à purulentarum, & heterogenearum particularum commixtione cum ſanguine, (ubi ſcil. primùm tubercula pulmonaria jam maturari, & in apoſtemata faceſſere contingit) irritari ſolet, & earum extruſionem Periodicis paroxyſmis intermittentis Febris moliri, per al-

rum, poros cutaneos, ductus ſalivales, Ventriculum, Trachæam, &c. quacunque portâ datur via, pro humorum genio, & naturæ molimine, una cum colliquatione inſigni, & ſubito virium collapſu: Ita non rarò accidit, uti Natura irritatione iſta nimis jam ſtimulata colliquatum, atque acre ſerum impenſius, quam par ſit, expellendo, novos morbos, vel ſaltem nova ſymptomata ipſo originali morbo ſæviora, & magis horrenda formet, veluti Diarrhœam & Dyſenteriam una cum diris torminibus, Tuſſim & pertinaces Vigilias, immenſos & colliquativos ſudores, Vomitiones ferè perpetuas, Singultus, Aphthas, &c. quorum ſymptomatum relevationi ſaltem, ſi non perfectæ Ægrotantis curationi Ars Medica conducere poteſt.

Quo pacto verò, & quibus legibus Medicus hujuſmodi ſymptomatis ſuccurrere debeat, ſequentibus ſpeciatim oſtendere nitemur. Atque primò.

De Diarrhœâ, Dyſenteriâ, & Torminibus alvi cruciantibus relevandis.

Medicamenta Opiata (durante hac neceſſitate) non tantum frequenter, verum etiam liberali manu exhibenda ſunt. Uti enim dira hæc ſymptomata, nullo alio medicamine relevari poſſunt, ita etiam, quandiu hæc ſymptomata manent, uti tuſſis mitior, ita reſpiratio liberior eſſe ſolet (uti in *Domino Lechmere, Domino Chadvvell*, atque aliis quam plurimis dudum obſervavimus) materiâ pulmones irritare, & gravare ſolitâ, alio, pro tempore, jam translatâ, atque inde eorum uſus à nullo præſenti ſymptomate contraindicatur; quo fit, ut convenientem doſin Opii ſine noxa, vel periculo tolerare poſſint.

Æger (durantibus iſtis ſymptomatis) à Cereviſiæ omnigenæ uſu abſtineat, ejus loco Decocto albo, & Lacte cum aqua cocto contentus. Capiat etiam quarta quaque hora (ſi opus fuerit) quantitatem Nucis Jugland. Electuarii noſtri adſtringentis jam antè in uſu Lactis Aſinini deſcripti; vel ſumat gutt. 12. Laudan. Liq. Helmont. in hauſtu Julapii perlati.

Ad temperandam etiam humoris irritantis acrimoniam per glanduloſam inteſtinorum craſſorum tunicam excerni ſoliti, & ad tonum partium inde labefactatarum reſtituendum, quotidie injiciatur (tanquam pro fotu) Enema juſculi pulli, vel Capitis vervecini cum lana in aqua cocti, vel hoc quod ſequitur.

♃. Lactis à frequenti extinctione candentis ferri Chalybeat. & roſis rubr. alterat. ℥ vi. Diaſcord. ℥ß. Ms. F. Enema.

In moderata verò Diarrhœa, ubi ſcilicet tormina non multùm urgent, præcipuè verò ſi Dyſpnœa etiam adſit, Opium quavis forma, rarius & parcius, præſcribendum. Plerumque enim ab ejus exhibitione veluti pectus gravari ſolet, ita etiam reſpiratio & expectoratio difficiliores redduntur, & Ventriculus nauſeâ afficitur.

Satius eſt igitur in hoc caſu, Diarrhœam, medicamenti opiati tertia, vel quarta quaque nocte repetiti uſu, moderatam potius ſervare quàm penitus ſiſtere, ne majus detrimentum inde conſequatur. Semper etiam poſt medicamenti opiati uſum, copioſius ingerenda ſunt Expectorantia, & Lubricantia, ne materia dudum in pulmonibus fixa Ægri vires in expectoratione excedat.

Secundò, De Tuſſi perpetuâ, & Vigiliis pertinacibus ſublevandis.

Sicuti Diarrhœa, & aliquando etiam implacabilis Dyſenteria, unà cum diris Torminibus, à lymphæ morbidæ atque acris colliquatione facta per alvum, quæ Phthiſicis diatheſi ſcorbutica affectis, ob peculiarem ſcilicet Inteſtinorum tonum, magis quàm cæteris fluere ſolet, ſæpius ſuperveniunt; uti in quamplurimis, obſervavimus, qui, in ipſo ætatis flore, à Phthiſi ſcorbutica cruciantibus iſtis ſymptomatis ſtipata è vivis ſublati ſunt. Ita etiam non rarò, in hoc morbi ſtatu, egregia Colliquatio per Trachæam & bronchia ab hac febre putrida orta aliis ſatis moleſta eſſe ſolet; unde tuſſis, quæ prius erat arida atque mitis, jam impetuoſa & perpetuò importuna evadit, una cum copioſa exſpuitione nunc lymphæ ſeroſæ, nunc phlegmatis diſcoloris glutinoſi, & purulenti; adeò ut Æger præ tuſſi die noctuque urgenti, vigiliis ferè continuis ad delirium uſque premi ſolet.

Hæc etiam ſymptomata non ſine opii uſu relevari poſſunt. In hoc verò extremo languoris gradu, cautè, parcè, & non ſine evidenti neceſſitate concedi debet, ſiquidem ab infarctione pulmonum inde effecta reſpiratio inſigniter anheloſâ inſequi ſolet, pulſus debilis, & mentis Vacillatio unà cum extremorum frigiditate, quo Æger cum Medici, atque ipſius Artis opprobrio, non tam mori, quàm trucidari videtur. In hoc igitur caſu, Eclegmate ſequenti, vel alio aliquo ejuſmodi uti ſoleo.

♃. Syr. Altheæ. Portulac. an. ℥iß. Spec. Diatrag. frig. Pulv. Haly. an. ℈ij. Syr. è Mecon. ℥iß. Ms. F. Linctus è Cochleari, vel baculo Liquiritiæ, urgente tuſſi, ſumendus, ſenſim deglutiendo.

Aqua Mirabilis etiam, utpote Aromatica, & Carminativa Syrupis Thoracicis admixta, & ſenſim deglutita tuſſi compeſcendæ convenit.

Vel ♃. Syrup. Balſamic. ℥ ij. Laudan. Liqu. Helmont. ℈ij. Ms. capiat. Æger Cochleare unum ſingulis, vel alternis horis.

Rariùs ad ℈ß. vel gr. xii. Pilul. è Cynogloſſ. Æger in hoc morbi ſtatu aſcendat.

Hìc etiam proficui ſunt Trochiſci Bechic. alb. & nigri, vel aliqui alii eorum æmuli, in ore ſenſim ſolvendi, & deglutiendi, urgente tuſſi.

De ſudoribus immenſis colliquativis moderandis.

Sudores iſti per totum morbi curſum, poſt febris putridæ inductionem, Phthiſin comitari ſolent, & (uti anteà innuimus) magnum tuſſis, vigiliarum, atque aliorum moleſtorum ſymptomatum levamen præbent, atque ideò, dum moderati ſunt, non ſunt omninò arte ſupprimendi, ne ab hujus ſymptomatis ſublatione Diarrhœa vel aliud aliquod magis crucians & lethale ſignum ſuboriatur.

Aliquando verò (Phthiſi jam ad fatalem finem accedente) accidit (quoniam ſcilicet ſtatus ſanguinis colliquativus in tantum jam augetur, ut vix aliquid novi nutrimenti partibus ſolidis adhæreat, vel in maſſa ſanguinea retineatur) ſudores iſtos adeò immenſos fieri, uti Æger, quotieſcunque ſomnum capeſſit, non tantùm cum magna moleſtia, ac ſi in undarum fluvio, jacere videatur, verùm, præ languore à ſudoribus immenſis effecto, quum primum expergiſci-

giſcitur, gradu aliquo Lipothymiæ corripiatur.

Quo in caſu ſomni ſint breves, &c. (ſi opus fuerit) Æger, Adſtantium diligentiâ, e ſomno excitetur, antequàm vires à longis ſudoribus nimis elangueſcant.

Cordialia etiam temperata perlata ſæpius, & in largâ quantitate exhibenda ſunt, quibus addere convenit Cretam, Corallium, Sang. Drac. atque alia temperantia adſtringentia, & emplaſtica, quæ ſanguinis fluorem aliquatenus conſtringant atque mitigent. Ex. gr.

♃. Aq. Tormentill. Plantag. Germin. quercûs an. ℥ iij. Aqu. Cinnamom. hord. ℥ iv. Aqu. Mirabil. ℥ j. Margarit. Corall. pp. Cret. an. ℈ ij. Bol. ver. Sanguin. Dracon. an. ʒ ß. Terr. Japan. ℈ i. Acet. ſtillat. vel ſpirit. Vitriol. q. ſ. ad gratam acidulationem, Syrup. Myrtill. ℥ iß. Ms. F. Julap. de quo Æger capiat ℥ ij. vel iij. tertiâ, vel quartâ quâque horâ, agitatâ phialâ.

Stragula etiam lecti minorentur, necnon removeatur Æger in aërem tenuem, apricum, & perflatilem; Somnum ſemper capiat in Cubiculo amplo, & quoties vires languere incipiunt, Sudores ſtatim linteis aridis moderatè calefactis abſtergeantur, atque Æger in alteram lecti partem amoveatur.

Poris cutis hoc ritu jam occluſis, licèt natura partem aliquam colliquati humoris per alvum vel per aliam aliquam portam eliminare ſatagat, atque inde nova ſymptomata oriantur, ſatius tamen eſt pluribus moderatis, quàm uno valdè extremo ſymptomate affligi.

De vomitione extremâ in fine Phthiſeos.

Phthiſici huic ſymptomati per totum morbi curſum aliquatenus obnoxii ſunt, à morbidâ ſanguinis diatheſi, & à tono ventriculi ejuſque fermento inde penitus everſis, uti etiam à pulmonum infarctione, motuque ventriculi, per tuſſim & phlegmatis pulmonibus impacti exſcreationem, inverſo (uti anteà diximus.) Circa finem verò Phthiſeos hoc ſymptoma aliquando in tantum augetur, ut vix aliquid nutrimenti in ventriculo retineri poſſit; ſed Cibus, ubi primùm deglutitur, à ſtomacho rejici aptus eſt.

Licèt in hujus ſymptomatis extremitate multum ab arte non poſſit præſtari, Medicum tamen cautis ſaltem conſiliis, ſi non medicamentis, manum adjutricem porrigere decet. Primò igitur jubeatur Æger cibum, (licèt frequenter) admodum tamen parvâ quantitate, in vicem ſumere. Secundò, Indulgeantur cibi ventriculo gratiſſimi, modò euchymi, & coctioni apti fuerint. Tertiò, Tuſſim, (quantum in ſe eſt) & profundam phlegmatis exſcreationem, atque etiam ſomnum, & decubitum à paſtu devitet. Medicamenta verò vix aliquid opis in hoc deplorato ſtatu afferre poſſunt.

De Aphthis, dolore Gutturis, & ſingultu in fine Phthiſeos ſublevandis.

Aliquando accidit poſt febris putridæ accenſionem, præcipuè verò ubi materiæ colliquatæ deturbatio per Alvum, atque alias portas jam antè præpeditur, Naturam hoſtis protruſionem per ductus ſalivales, & glanduloſam oris, & œſophagi tunicam, incaſſum licèt, moliri. Unde ſalivatio moleſta non rarò per plures hebdomadas continua oritur. Secundò, Præ acrimonia humoris per has partes excreti, Inflammatio non tantùm membranæ oris, verùm etiam œſophagi, & ventriculi inſequitur. Tertiò, Ab Inflammatione ſequitur Exulceratio, atque inde Ulcuſcula vulgò dicta Aphthæ, dolore gutturis admodum moleſto ſtipatæ; Uti obſervavi in *Dominâ Wells*, atque aliis Phthiſicis, qui de hoc ſymptomate, magis quàm de ipſo originali morbo conqueri ſolebant. Quartò; Denique ſingultus valdè moleſtus à ventriculi inflammatione, & exulceratione ortus.

Quæ quidem ſymptomata ſicuti moleſta, ita aliquando etiam longa, ſemper verò funeſta, & mortem præſagientia eſſe ſolent; nec quidem curationem ullam admittunt: Siquidem Cauſa, à qua procedunt incurabilis eſt. Utcunque tamen id fuerit, hîc etiam oportet probum Medicum manum adjutricem, quantum in ſe eſt, porrigere, ope Gargariſmatum faucibus Syringâ injiciendorum, quæ Abſterſiva, Lenia, Adſtringentia, & Mucilaginoſa in ſe recipiunt. Qualia in praxi ſæpiùs uſurpanda veniunt, & quorum formulæ paſſim apud Authores ſub febris titulo occurrunt.

Ad levamen tamen hujuſmodi dolentis Phthiſicorum gutturis multùm valet, diu noctuque glandulas poſticas in faucibus ſitas continuo à frigore externo tectas munire tegumento Lanei panni duplicati, à quo plus levaminis, quàm à Gargariſmis & mucilaginibus expectari poſſit.

Phthiſiologiæ. Liber Tertius.

De Phthiſi Pulmonari Symptomaticâ.

Phthiſin Pulmonarem Symptomaticam eam appello, quæ ab aliis præcedentibus morbis efficitur, & dependet. Sæpiſſimè enim accidit uti à morbidis affectibus, iiſque non tantùm Chronicis: verùm etiam acutis, idque ſive perfectè fuerint curati, ſive non, maſſa ſanguinea à fermento præternaturali præcedenti ita alteretur, ut in illa lateat inexhauſta inſecuturæ Phthiſeos minera, quæ quidem, ſenſim ſeſe in lucem prodit, per Tuſſim ſcilicet atque alia uſitata ſigna, donec tandem miſellus Æger, funeſtis hujus morbi ſymptomatis undiquaque circumſeptus, fataliter cogatur ſuccumbere.

Imò aliquando etiam non tantùm morbus, verùm etiam ipſe Medicus huic Phthiſi anſam præbere ſolet, ubi lucrum ſcilicet & præſentem famam aucupans perfunctorio modo, & ſine methodo legitimâ, debitiſque evacuationibus præcedentis morbi fermentum magis ſupprimit, quàm eradicat; quo Æger non tam curatus, quàm ab uno morbo in alium tranſlatus, poſt aliquod temporis ſpatium in valetudinario ſtatu conſumptum, tandem in Phthiſim acutam, & deploratam incidit.

Et quidem hoc genus Phthiſeos Pulmonaris (quantum mihi obſervare licuit) omnium eſt uſitatiſſimum, & ubi conſpicitur una Phthiſis Pulmonaris Originalis, quæ ſcil. à merâ alteratione ſanguinis prædiſponenti dependeat, quinque dantur (forſan etiam decem) quæ à febribus crapuloſis, & intermittentibus, à Variolis, Morbillis, Febribus ſcarlatinis, Pleuritide

Peripneumonicâ, Melancholiâ, Hyſtericâ paſſione; à Scrophulis, Scorbuto, Chloroſi, Aſthmate, Hæmoptoë, Calculo pulmonum; & aliquando etiam Renum & veſicæ, à Lue Venereâ, Arthritide, ſuppreſſione Menſtruarum purgationum, fontanellarum, Gonorrhœæ & veterum ulcerum, præcipuè verò fiſtuloſorum, & ſcrophuloſorum naſcuntur.

Quæ quidem Phthiſes Symptomaticæ præter generalem Phthiſeos naturam, proprium etiam & peculiarem genium, ſeu indolem habere ſolent; undè tanquam diſtinctis Criteriis, & Pathognomonicis ſignis inter ſe dignoſcendæ ſunt. Neque eo minùs Curatio eſt aliquatenus varianda. Vixque poteſt Medicus in Curatione Phthiſeos Pulmonaris Symptomaticæ omnibus indicationibus curativis cum ratione ſatisfacere per generalem methodum jam antè deſcriptam, & felicem & optatum exitum obtinere, niſi habeat æque peculiarem reſpectum in toto curationis curſu ad primarium morbum per ſpecifica commixta, ac ad ſymptomata in Pulmonibus indè effecta per medicamina Antiphthiſica, & per methodum generalem Curationis Phthiſeos pulmonaris jam ante deſcriptam.

Ideoque ſuppoſitâ deſcriptione, & curatione Phthiſeos pulmonaris originalis jam antè habitâ, ne ταυτολογῶντες ſcil. nimis longè, & tædioſè filum hujus diſcurſûs protrahamus, operæ pretium duximus ſtrictim & ſuccinctim, ſub propriis titulis; ea ſubnectere quæ variam indolem harum Phthiſεων indigitent, earum cauſas, differentias, Pathognomonica ſigna, & indicationes curativas, quo Medicus ſuâ ſagacitate fretus generalem curationis methodum mutet, adeò ut peculiari morbi genio, & indicationibus indè ortis ſatisfacere queat.

Cap. I. De Phthiſi Scrophuloſâ.

De hâc Phthiſi primo loco ſermonem habituri ſumus, quoniam frequentiſſimè in Praxi occurrit: Siquidem plures hujuſmodi à me curatas memini, vel ſaltem ab aliis curatas vidiſſe, quàm vel cujuſvis alterius generis.

In Scrophuloſa enim diatheſi ſanguis ob præternaturalem acrimoniam jam tanquam coagulatus, atque adeò novum Chylum non potens perfectè ſibi & partibus ſolidis adunire, ſolet eum in Circulatione copioſiùs quàm par eſt deponere in partes glanduloſas; ubi vaſcula non procedunt rectis lineis, ut in muſculis; verùm ſpiratim; quo fit ut ſanguis majorem remoram, & ſtagnationem in his quam in ceteris partibus efficere ſoleat, atque adeò ſecretionem ſucci nutritii magis copioſam; quo fit quòd iſtæ partes pluſquam ceteræ intumeſcere & dureſcere aptæ ſint natæ. Quod in ceteris glanduloſis partibus accidit, in ipſis etiam pulmonibus accidit, qui glandulis undiquaque innumeris, verùm juxta Trachæam atque ejus ramulos magis conſpicuos referciuntur, etſi in naturali ſtatu non ita facilè percipiantur; quo mirum non eſt ſi Scrophuloſi, qui tumoribus glanduloſis in aliis partibus frequenter obnoxii ſunt, non rarò etiam ejuſmodi tuberculis vel in ipſis pulmonibus afficiantur, quorum Parenchyma eſt naturaliter ſpongioſum, & ſeroſas ſanguinis partes continuâ eorum agitatione copioſè hic excretas recipere aptum natum. Et quidem ab iſtis tumoribus in pulmonibus fixis oriri ſolet Phthiſis iſta Scrophuloſa: Cujus certiſſimum diagnoſticon ſumendum eſt à tumoribus glanduloſis in externo habitu corporis eam comitantibus, vel ſaltem præcedentibus; uti & Ophthalmiâ & ſcabie ſæpiùs recurrentibus, atque aliis ejuſmodi affectionibus ſcrophuloſis. Etſi libentiſſimè fatendum ducam aliquandò contingere glandulas pulmonum ſolitario iſto humore affici. Quo in caſu opus eſt experto, & ſagaci Medico, qui genium peculiarem hujus Phthiſeos harioletur ex iis, quæ adhuc reſtant ſub hoc titulo dicenda.

Speciatim igitur hîc notandum, quòd tubercula iſta pulmonaria (ſicuti tumores Scrophuloſi in ceteris partibus) ſunt vel cruda, & phlegmatica, atque inde non omninò in inflammationem, & maturationem diſpoſita: vel calidiora, quæ vel ſerius vel citius inflammationem conceptura ſunt ſecundùm præſentem ſanguinis diatheſim, & variam materiæ in Cyſtide contentæ indolem. Aliquando enim, ubi materia ſcilicet in gypſeam, ſteatomatoſam, vel Meliceridum naturam concoquitur, (quod fit ut plurimum,) inflammatio, & exulceratio inde nata non tantum ſera eſt, verum etiam admodum tarda, Chronica, & ferè inſenſibilis. Quoties autem ſanguis, & in Cyſtide contenta materia contrariò ſeſe habent, (quod etiam aliquando licèt rarius evenit) tumores in inflammationem, maturationem, & exulcerationem valdè proni ſunt. Atque hinc oritur Scrophuloſæ Phthiſeos differentia. Aliqui enim, (quoties ſcilicet tumores ſunt crudi & inflammationi inepti) in phthiſico ſtatu, etſi valetudinario, à pueritiâ uſque ad ſenectam ætatem degunt, unà cum Tuſſi ferè continuâ, nocturnâ & diurnâ, æſtivâ, & hyemali, gravitate pectoris, difficili & aliquatenùs etiam aſthmaticâ reſpiratione, ſine ullâ tamen ſenſibili febre, à minimo autem percepto frigore (cui etiam præter ceteros obnoxii ſunt) copioſè materiam phlegmaticam, vel ſeroſam exſpuere ſolent. Horum vita à periculis ſatis munitur vel abſque medicamentis, ex regimine debito ſex rerum non naturalium, atquè hinc fit quòd à Medicis rarò opem petant in hoc valetudinario ſtatu, magis contenti miſere quam medice vivere. Nullus tamen dubito quin prudenti delectu, & frequenti mutatione tenuis & aprici aëris, & longo uſu medicaminum Balſamicorum, Mercurialium, Millepedarum, Chalybeatorum, præcipuè verò aquarum mineralium, atque aliorum Antiſcrophuloſorum remediorum, tumores in his æquè ac in aliis partibus conſumi poſſint, atque inde Æger liberari à Scrophuloſo & Phthiſico ſtatu; quod ſæpiùs experti ſumus.

Lactea diæta in curatione hujus Phthiſeos non eſt omnino imperanda; quoniam obſtructiones & tumores à viſcoſo humore ortos promovere, atque adaugere ſolet. Pectoralia etiam vulgò dicta Expectorantia, & Opiata hîc non multùm juvant; niſi à frigore recens percepto, ad mitiganda ſcil. ſymptomata inde orta, veluti tuſſim, febrem, dyſpnœam, vigilias; atque omnia iſta dum in gradu intenſiſſimo adhuc manent.

Quoties verò iſta tubercula magis calida ſunt atque inde celeri inflammationi & ulcerationi magis obnoxia, Scrophuloſa iſta Phthiſis eſt

Pera-

Peracuta & paucorum menſium, & à communi Phthiſi quoad curandi rationem parum differt. Neque aliud Prognoſticon in hac, quam in aliâ Phthiſi habendum eſt; quod ſcil. varium eſt, ſecundum gradum & progreſſum morbi, uti anteà diximus.

Hujuſmodi Phthiſin acutam à Scabie Scrophuloſâ ortam haud rarò obſervavi, veluti prior Phthiſis magis Chronica, invadere ſolet eos qui tumoribus frigidis glandularum obnoxii fuerint. Sub horum tumorum calidiorum initio Venæſectio liberalis & frequens magis quàm in ceteris Phthiſibus plerumque neceſſaria eſt; quo pacto inflammatio, & maturatio fortè præveniri poſſint, etiamſi ipſe incipiens tumor neque minoretur, neque omninò conſumatur. Convenit hic etiam adjicere pulmonaribus Scrophulariam, Filipendulam, Millepedas, atque alia Antiſcrophuloſa medicamenta. Gummata & Balſama hic etiam apprimè conferunt; uti etiam pilulæ noſtræ balſamicæ jam anteà memoratæ, quarum longo uſu plus quàm ceteris pulmonaribus medicamentis ad perfectam plurimorum hujuſmodi Phthiſicorum curationem contuli. Sin tumores iſti calidi in abſceſſum faceſſere incipiant, ſpecifica nihil omnino proſunt; ſunt autem hujuſmodi Phthiſici tractandi eodem modo, quo alii, pro gradu ſcil. & progreſſu morbi.

Sin verò tumores iſti mediæ fuerint naturæ, inflammabiles licèt, tardo tamen gradu, utpote contentam materiam in formam gypſeam, ſteatomatoſam, vel Meliceridum conſequentes; ſequitur inde Phthiſis mediæ etiam naturæ participans; Chronica ſcil. & plurimorum annorum, & leni, ſeu medio gradu ſymptomatum ſtipata, tuſſi ſcil. quotidianâ, in omni anni tempeſtate, miti tamen, & non vehementer aridâ: tempore verò hyberno, atque aëre denio magis moleſta; Febre valde miti, & ferè inſenſibili, naturæ plane hecticæ; flaccedine etiam magis, quam evidenti conſumptione comitata; uti & delicato appetitu magis, quam Inappetentiâ. Quæ quidem eſt Phthiſis uſitatiſſima ſeniorum; atque ea in praxi ſæpius occurrit.

Hujuſmodi Phthiſicos non tantùm plurimos annos vivere, valetudinariò licet, verùm etiam cum regimine, & curâ ſex rerum non naturalium muniis ſolitis fungi obſervavimus. A minimo verò errore in diæta vel in quantitate, vel in qualitate, vel etiam in ipſo exhibitionis tempore admiſſo, multò magis à crapulâ, & liquorum ſpirituoſorum ingurgitatione, vel à frigore percepto valdè ſunt obnoxii febribus putridis, quibus durantibus Ægri vita periclitatur, & pulmones calefacti plus indè damni in unâ hebdomadâ, quàm aliàs in anno ſuſtinent. Siquidem febris hujuſmodi Phthiſicos talibus de cauſis invadens, præter proprium tuberculorum genium, acuta eſt. Utcunque verò initio mitis ea videatur, vel etiam tuſſis, atque alia pulmonum ſymptomata; utut etiam emaciatus ſit corporis habitus, moderata venæſectio, imo (ſi opus fuerit) iterata in primo febris inſultu celebranda eſt; omnibuſque Febrifugis Pulmonaria, & Antiſcrophuloſa convenientia commiſcenda ſunt; quo pactò unum eundemque Phthiſicum (ſicuti Dominum Andrevvs, & Mercatorem quendam in Philpot Lane unà cum aliis multis) a pluribus putridis febribus eodem anno recurrentibus (Deo favente) reſtituimus; idque ſine ullâ inſigni pulmonum labe indè ortâ. Quò verò frequentiùs iſtæ febres revertuntur, eo citiùs Phthiſis ad funeſtum finem, gradum ſuum accelerat; & quo propior Phthiſico eſt hic fatalis dies, eò frequentius putridæ iſtæ febres reverti aptæ ſunt natæ, leviſſimâ ſcil. de cauſâ ortum ſuum ducentes: Cujuſvis novi tuberculi inflammatione (uti mihi videtur) omni hujuſmodi putridæ febri anſam ſemper præbente. Extra febrem verò curatio hujus Phthiſeos commodè perficitur debito ſex rerum non naturalium regimine; eoque perpetuo: Tempore æſtivo (niſi adſit inſignis obſtructio Hepatis & Hydrops indè ortus) uſu longo Aquarum Chalybeatarum; tempore hyberno frequenti & diuturno uſu Pilularum noſtr. Balſamicarum, uti etiam Gummatum, atque aliorum Balſamicorum Medicaminum; tempore autèm Verno, & Autumnali Cereviſiâ Milleped. Antiſcrophuloſis, & Pulmonaribus Ingredient. medicatâ, in potum ordinarium præſcribendâ. Atque hoc pacto etiam ætate provectos reſtituimus; alios verò quàm plurimos uti Dominum Tibs, Dominam Herbert, in majorem ſanitatis gradum, quàm antea per plurimos annos frui poterant, repoſuimus. Expectorantia, atque alia Pulmonaria Medicamenta uſus ſunt hujuſmodi Phthiſicis, æquè ac aliis; excepto Opio, quod rarò admodùm, & non ſine urgenti neceſſitate præſcribendum eſt, ob fixantem ſcil. & oppilativam ejus naturam. Hæc verò Pulmonaria medicamenta, licèt aliquid opis, & præſentis levaminis adminiſtrent, curationem tamen morbi originalis ſine Antiſcrophuloſis, ceteriſque jam antè memoratis admixtis, parùm promovent.

Hiſtoria Domini Daviſon. Filius unicus *Domini Daviſon*, Civis eximii, & Mercatoris Londinenſis, ab incunabulis uſque ad pubertatem, purulentâ Scabie per totum caput diſperſâ, & ſæpiùs recurrenti, ex habitu Scrophuloſo ortâ afflictus, ejuſque tædio juvenili ætate affectus, Emplaſtris, & Unguentis neſcio quibus repercutientibus ex conſilio Muliercularum ſanitatem requiſivit. Undè ſtatim, circa annum ſcil. 1678. à tuberculis exindè in pulmonibus ortis per totam æſtatem tuſſi aridâ vexatus eſt; quam tamen per unum vel alterum menſem penitus neglexit, donec à levi inflammatione, & exulceratione tumorum, in febrem putridam intermittentem, unà cum appetitûs dejectione, ſiti atque aliis hujuſmodi ſymptomatis ſub initio autumni redactus eſt; quo tempore me conſulebat, atque ope Corticis Peruviani, Balſamicorum, & Pectoralium medicamentorum in aëre ruſticano exhibitorum, à febre, & quadantenùs etiam à tuſſi, liberari videbatur. Impatientia verò, & nauſeâ medicaminum ulteriorem ſui ipſius curationem negligens fatalem febris, atque etiam Tuſſis Phthiſicæ recidivationem perpeſſus eſt: à quibus medio ſequentis hyemis funeſtè è vivis ſublatus eſt, unâ cum Diarrhœâ, immenſis ſudoribus, Hydrope, & ceteris Colliquationis invictæ Symptomatis. Aperto Cadavere invenimus omnes pulmonum lobos hic indè variæ magnitudinis tuberculis interſperſos: his quidem ac ſi recens pullulatis & minutis; illis autem ſa-

tis magnis, etſi crudis: nonnullis verò inflammatis, & exulceratis, & in ſeſe materiam purulentam melleæ conſiſtentiæ continentibus. Hanc Phthiſim ſcrophuloſam eſſe diximus Secundi Ordinis, Calidam ſcilicet, & Acutam.

Cap. 2. De Phthiſi Scorbuticâ.

In omni ſcorbuto præcipuè verò ſalſo, ſanguis perpetuò in ſe continet fermentum, quod colliquationem copioſam, atque etiam ſecretionem lymphæ Chyloſæ in glandulis efficit; præcipuè verò in his quæ ſitæ ſunt circa os, fauces, & pulmones; atque hinc accidit quòd hujuſmodi Ægri, ſicuti ſudoribus, & mictioni copioſæ ſunt obnoxii, ità etiam continuæ ſalivationi per ductus ſalivales, excreationi viſcidi phlegmatis è tonſillis, & frequenti tuſſi, à perpetuâ exſpuitione ſeroſi laticis per glanduloſam Trachææ tunicam oriundæ.

Iſta verò ſcorbutica lympha, per tonſillas, reliquaſque glandulas excreta (utpote fixo ſale abundans & peculiari ſuo genio glutinoſa) licèt coctionem aliquam admittat; ſemper tamen in naturam viſcidam inclinat; atque hinc hujuſmodi Phthiſicorum tuſſis, licèt ſit continua, non tamen tam ferox, atque arida eſt, quàm in aliis eſſe ſolet; ubi ſcil. excretum ſerum eſt tenue; unde per continuam ejus exſpuitionem per Trachæam, ferox & importuna tuſſis oritur: vel ſaltem per tumefactionem glanduloſæ ejus tunicæ (quoties ſcil. Lympha commodum exitum non invenit) perpetua militat titillatio; atque hinc oritur plerumque ferox atque arida tuſſis. Quo fit, quòd in Scorbuticâ Phthiſi, ob viſcoſitatem excretæ materiæ, quâ magis moleſtè oblinitur, quàm irritatur Trachææ, & bronchiorum tunica, Æger non tam ad tuſſiendum irritetur, quàm ſponte ſuâ tuſſim provocet ad phlegmatis moleſte adhærentis ejectionem; atque hinc hujuſmodi tuſſis propè ad aſthmaticæ naturam accedit, & majori ſibilatione, difficultate ſpirandi, conſtrictione, & gravitate Pulmonum ſtipatur, quàm in aliis Phthiſibus obſervari ſolet. Atque hinc etiam Phthiſis Scorbutica valdè Chronica evadit, neque unquàm citam mortem ſine hæmoptoë, vel alio aliquo magno ſuperinducto ſymptomate, minatur.

Hujuſmodi Phthiſici etſi longiùs vitam ſuam protrahant abſque ullis medicamentis, debito tantùm regimine, & curâ ſex rerum non naturalium, valetudinariò tamen degunt, & vel à minimo admiſſo in diæta errore, vel percepto frigore febricitare ſolent, & appetitu privari.

Signa Phthiſin hanc præſagientia præcipuè ſunt duo; eruptio ſcil. frequens exanthematum, inſtar herpetis miliaris per totam cutim ſparſorum, & exſcreatio perpetua, præcipuè verò matutina, phlegmatis moleſtè ſalſi è tonſillis rejecti, exulceratione & eroſione gingivarum non rarò ſtipata.

Quâ verò ratione Curatio hujus Phthiſeos à generali methodo jam antè deſcriptâ ſit varianda, breviter hîc notare lubet, ſcil.

Primò, *Opium* (niſi à frigore recens percepto, idque ad mitiganda ſymptomata inde oriunda) ſemper eſt noxium; Siquidem phlegma magis glutinoſum, & expectorationi ineptum reddit.

Secundò, Inter Thoracica medicamenta, Incidentia & Abſtergentia ſunt ſemper præferenda, ad facilitandam expectorationem; vel ſaltem aliis commiſcenda; uti Mel, Hydromel, Oxymel, Gum. & Balſama, Milleped. Syr. ex Eryſimo. è v. Rad. Balſamicus. Pilulas verò noſtras Balſam. jam ante deſcriptas ſuper omnia commendo, quarum uſum, & efficaciam in Phthiſi ſcorbuticâ ſæpiſſimè ſum expertus.

Tertiò, Medicamentis Thoracicis Antiſcorbutica ſemper admiſcenda ſunt, ut, quo tempore rivulus colliquatæ materiæ Pectoralium medicaminum ope expectoratur, fermentum colliquationem hanc efficiens Antiſcorbuticorum viribus tollatur, vel ſaltem minoretur. Aliàs, non ſublatâ causâ, morbus ipſe eradicativam curationem non poteſt admittere: mitiora verò Antiſcorbutica, quæ quàm minimum fervorem ſanguini concilient, eligenda ſunt; uti Naſturt. Aquat. Beccabung. Summitates pini, Fol. Heder. Terreſtr. Radic. Lapath. Acut. Pœon. maris, &c. è quibus ſacculus fiat in Cereviſiâ ſuſpendendus, in potum ordinarium: quo pacto ſal volatilis ſimplicium (in quo Energia medicamenti conſiſtit), magis quàm in Apozematis præſervatur; atque etiam vis medicaminum copioſius ſanguini communicatur, & cum minori appetitus injuriâ.

Quartò, Chalybs etiam in curatione hujus Phthiſeos (niſi ad fatalem finem jam gradum ſuum acceleret) multùm proficit. Si Scorbutus ſit acidus, Sal Martis, è quo gr. unum vel alterum ſingulis doſibus Pilul. Balſamicarum immiſceatur: Si ſalſus ſit, Extractum Mynſichthi, cujus exhibitionem in formâ Pilularum jam antè deſcripſimus: In omni verò ſcorbuticâ Phthiſi Aquæ minerales Chalybeatæ cuivis artificiali præparationi tempeſtate æſtivâ præferendæ ſunt, (modò Phthiſis tertium ſuum ſtadium non attigerit) quoniam viribus egregiis dotantur, non tantùm ad deobſtructionem nervorum, & penetrationem & ſolutionem tuberculorum; verùm etiam ad caloris hectici in ſanguine & ſpiritibus temperationem, ſitis exſtinctionem, appetitûs reſtitutionem, & hilaritatem animi conciliandam; quarum efficaciam in hujuſmodi Phthiſibus curandis ſupra quamvis aliam methodum medicaminum Thoracicorum ſæpiſſimè magno cum fructu ſum expertus. Ideòque unam vel alteram Hiſtoriam de præpollenti earum vi in Phthiſeos Scorbuticæ curatione ſub finem hujus capitis ſubnectam. Earum verò uſus quotannis repeti debet, quoniam rarò morbus hic Chronicus uno ictu debellari ſolet.

Quintò, Si Alvus adſtricta fuerit, Aquæ minerales purgantes hîc etiam proficuæ ſunt, uti etiam Pilulæ noſtræ ſtomachicæ ſuperiùs deſcriptæ; quarum ope ſemel, vel bis in menſe repetitâ, Pater meus dilectiſſimus vitam ſuam in Scorbuticâ Phthiſi per plurimos annos fæliciter protraxit.

Sextò, Hilaris animus omnibus licitis modis conciliandus eſt: Sicuti enim à mœſtitiâ morbus iſte ut plurimum ducit ſuam originem, ità & fatale incrementum.

Septimò, Lactea diæta, ob acidum vel ſalſum ventriculi fermentum, rariùs hujuſmodi Phthiſicis con-

convenit; & quidem generaliter loquendo omnibus tam Scorbuticis quàm Hypochondriacis inimica eſſe ſolet.

Octavò, Etiam fumi Tabaci multus uſus in hac Phthiſi non immeritò ſuſpicandus eſt; quippe quòd, non tantùm, ob abundantiam Salis in eo contenti, fermentum ſanguinis & ventriculi morbidè ſalſum adaugeat; (quo Colliquatio à ſalſedine effecta increſcit) verùm etiam quòd ſalſus iſte fumus, ductus ſalivales irritando copioſiorem excretionem lymphæ promoveat, idque non tantùm per glanduloſam oris tunicam; verùm etiam per tonſillas, & totum Tracheæ ductum uſque ad ipſos pulmones; quo fit quòd, ſicuti moleſta exſcreatio Phlegmatis per Tonſillas; ita etiam tuſſis per pulmones promoveri ſoleat. Denique raſurâ capitis & frequentes Fontanellæ hîc apprimè ſunt proficuæ; utpote plurimum ad ſeroſi laticis in hoc morbo abundantis minorationem tùm per tranſpirationem tùm per derivationem conferentes.

Hiſtoria. Dominus Hunt, Civis Londinenſis, Scorbuticus, & Hypochondriacus, ferè à juventute ad Septuageſimum ætatis annum in ſtatu Phthiſico degens vitam ſuam protraxit; muniis ſolitis ſatis benè fungens ope debiti regiminis, abſque ullo artis Medicæ auxilio, donec jam Sexageſimum annum ſuperaverat: à quo tempore plurimùm emaciatus Tuſſi Catarrhoſæ, & quadantenùs etiam aſthmaticæ, dejectioni appetitûs, præcipuè verò tempore hyemali, & levi etiam Peripneumonicæ Febri à lentâ tuberculorum pulmonarium inflammatione ſæpiſſimè obnoxius erat: A quibus facilè conſilio Medici liberabatur. Tres etiam filios habuit, qui omnes, licèt hæreditario quodam jure Scorbutici eſſent & Hypochondriaci, robuſti tamen & athletici videbantur uſque ad trigeſimum ætatis ſuæ annum. Circa quod tempus alter poſt alterum omnes eodem hæreditario jure Phthiſi correpti ſunt, ex occaſione pathematum animi, & ingurgitationis liquorum ſpirituoſorum; quo factum eſt ut ob debiti regiminis neglectum morbus iſte (qui adeò Chronicus Parenti fuit) filiis tamen ſatis acutus eſſet; atque eos omnes (ſi benè memini) ante fatalem emaciati lenis diem è vivis ſuſtulit.

Unus iſtorum Juvenum, natu ſcil. maximus, poſt hecticum calorem curis & compotationibus per aliquot annos continuatum, à pathematis animi extraordinariis, in dejectionem appetitûs, ſitim, aridam Tuſſim, & gravantem oppreſſionem pectoris incidens, ſeſe curæ meæ commiſit.

Poſt Phlebotomiam, lenes Purgationes, & medicaminum Pectoralium, & Balſamicorum copioſum uſum, quadantenùs meliùs habere viſus eſt. Calore tamen hectico, tuſſi, & appetitûs languore adhuc manentibus, eum ad uſum Aquarum Tunbrigienſium, in aprico & ruſticaco aëre (tempeſtate etiam æſtivâ ità ſuadente) relegabam. A quarum debito uſu, plus quàm vel à ſpecioſiſſimo medicaminum Thoracicorum apparatu exſpectabam. Neque ſpes me fruſtra habuit; Utcunque enim in uſu Aquarum neque ſatis diu moratus erat, neque ſeſe regimine debito muniverat, reverſus eſt tamen poſt unum menſem carne, vultu, & appetitu reſtitutis; ferè etiam in totum à tuſſi, & hectico calore liberatus, donec ſequenti hyeme, curis & negotiis multis ſeſe implicans, & ad ſolitam vini ingluviem relapſus, ſenſim omnium priorum ſymptomatum reviteſcenti impetu perpeſſus eſt; à quibus nullis vel præſtantiſſimorum medicorum præſcriptis relevari potuit; atque adeò circa ſequentem Iunium in agro Ebishamenſi, (ubi diu jam propter aëris beneficium degerat) ſupremum diem clauſit.

Vidua ejus tam ab animi pathematis propter obitum Mariti, quàm ab aliis cauſis, uti & à frigore ſæpiùs inter vigilandum cum eo percepto, & forſan etiam à contagio, (quoniam ad extremum uſque diem fuit ei ſocia lecti) præſertim etiam, quoniam à ſalsâ & Scorbuticâ Diatheſi in Phthiſin prædiſpoſita videbatur; Poſt menſem unum in aridam tuſſim, egregiè hecticum calorem, ſitim extremam, & appetitûs ferè totalem amiſſionem incidit, unà cum vultu ſqualido, emaciato corporis habitu, oppreſſione pulmonum continuâ, languore virium, omnibuſque peracutæ Phthiſeos ſymptomatis; adeò ut (ſi quod res eſt ingenuè fatendum) exſpectarem, eam inter unum, vel alterum menſem amaram Mariti ſortem ſubituram; non obſtante vel diligentiſſimo præſtantiſſimorum Officinalium medicamentorum, quæ mihi uſque adhuc innotuiſſent, uſu: Si ſanguinis & pulmonum extremus fervor exſtingui non poſſet grandi alicujus diluentis & temperantis liquoris copiâ, qui ſales ſanguinis acutos eodem tempore obtunderet, & obſtructiones nervorum deoppilaret. Ideoque poſt levem parcâ Phlebotomiâ ſanguinis eventilationem, Aquas Ebishamenſes (quoniam alvus jam adſtricta fuerat) modo præparatorio in formâ Poſſeticâ præſcripſi; & poſtea ut Aquis Islingtonienſibus Sadleri uteretur, quarum egregias vires illo ipſo anno in memetipſo, æquè ac in plurimis aliis fæliciſſimè expertus fueram ad calorem hecticum exſtinguendum. Præſcripſi etiam Julapium Perlatum, languore virium & ſanguinis & ſpirituum fervore id requirentibus. Ob nauſeam verò nec Linctus nec Apozemata Pectoralia admittere potuit, multò minùs Balſamica Remedia. Et ob inſignem Dyſpnœam de uſu Opiatorum multùm hæſitabam: Atque hoc modo eam in præſens dimiſi. Et quidem Aquas minerales purgantes ſemel, vel bis hauriebat, quo factum eſt ut Diarrhœa eam per tres hebdomadas (me inſcio) detineret, flagrante adhuc febre unà cum ſitis, tuſſis, dyſpnœæ, Tabis, languoris, & reliquorum ſymptomatum incremento. Verùm ab Aquarum Islingtonienſium uſu prorſus abſtinebat & planè abhorrebat, quoniam eo anno primulum inventæ fuerant, & plurimi rumores de earum natura Deleteria paſſim ſpargebantur. Fortè fortuna verò eam, non accerſitus, in cubiculo inviſens, quo certior fierem de Aquarum Chalybeatarum effectu, quoniam nihil vel ab ipſa, vel à fratre ejus, Pharmacopolâ, inaudiveram; Inveni eam in ſtatu magis deplorato quàm antehac unquam, febremque, tuſſim, & tabem una cum omnibus jam ante memoratis morbidis Symptomatis in tantum auctis à ſuperinducta Diarrhœa, tam diu jam continuata, ut vix è lecto potuerit ſurgere. Tandem verò rationibus & experimentis nuperrimè à me prolatis evicta, Aquarum Islingtonienſium vires ſaltem explo-

rare

rare conſenſit. Atque in eum finem doſin Electuarii noſtri Adſtringentis & Opiati, ob præſentem ſcil. Diarrhœam, ſingulis noctibus exhiberi juſſi, ubi opus foret, & matutinis continuò ſucceſſivis ℔. ii. ʒ. iv. v. vi. Aquarum in lecto haurire; atque etiam in præſentem uſum nonnihil calefactas, ob frigidam anni tempeſtatem, (quia media pars Septembris jam prœterierat) & in earum uſu per menſem unum perſiſtere, modò per urinam ſatis copioſe, & minus per alvum fluerent; & uti bono animo eſſet, modo appetitus inde revireſceret, ſitiſque cum reliquis febris ſymptomatis minueretur: Alioquin uti me certiorem faceret, quo illico pro virili adjutrices manus porrigerem. Verùm multis negotiis diſtrictus nihil de ea inaudiveram, donec tandem poſt tres ſeptimanas ad me in muſæolo verſantem, una cum fratre ſuo venerat, à febre, tuſſi, & languore jam planè liberata, atque à tabe, miraculi inſtar prorſus reſtituta; nullamque aliam querimoniam niſi de nimia voracitate appetitus amplius faciens, quem tamen ad debitam mediocritatem iterum reducere promittebam, ubi primùm jam conſumptæ carnes diutino alimenti euchymi uſu forent reſarcitæ; cujus rei veritatem brevi temporis ſpatio experientia comprobavit. Neque aliud medicamentum præſcripſi, niſi ut per ſpatium unius Lunæ, Cereviſiâ Ingredientibus Antiſcorbuticis & Pulmonaribus imbutâ, in potum ordinarium uteretur. Ex quo perfectè convaluit, atque adhuc ſana & ſuperſtes manet, in ædibus Patris ſui Domini Minikin, ad Inſigne Regii Capitis in platea Sancti Martini dicta juxta portam Alderſgate.

Plurimas hujuſmodi inſtantias de egregiis Aquarum mineralium Chalybeatarum viribus in Febris Hecticæ & Phthiſeos Scorbuticæ Pulmonaris incipientis curatione, facile eſſet in lucem proferre, niſi ſummæ brevitati ſtuderem.

Cap. 3. De Phthiſi Aſthmaticâ.

Licèt omnis Scorbutica Phthiſis ſit Aſthmatici generis; per hanc tamen eam præcipuè intelligo quæ à verò Aſthmate, ut cauſa præcedenti, ortum ſuum ducit, atque ab eo prorſus dependet. Siquidem omne Aſthma, præcipue verò humoroſum, tendit in Phthiſim; quippe quod in hoc morbo non tantùm ſæpiſſimè accidit pulmones ſpaſmodicè conſtringi, (quod tonus eorum everti ſolet, & lentus humor ex eorum parenchymate frequenti compreſſione in Bronchia exprimi, qui tenaciter inibi adhærens, Tuſſim, ſibilationem, & difficilem reſpirationem inducit) verùm etiam à prævia diſpoſitione ſanguinis in glutinoſam & tenacem qualitatem, pulmones ferè ſemper ab ipſis hujus morbi primordiis nodoſi fiunt; qui nodi, ſeu tubercula progreſſu temporis inflammari, & exulcerari conſueverunt, unde vera & fatalis Phthiſis Aſthmatica inſequitur. Hæc verò ab aliis Phthiſibus eo præcipuè dignoſcenda eſt, quòd per totum morbi curſum ſibilatione, & extrema dyſpnœa ſtipetur; quippe quòd humor è nodis & parenchymate pulmonum in Bronchia & Trachæam continuo expreſſus (ſicuti antea innuimus) eſt ſemper lentus & viſcidus, parietibus Trachææ & Bronchiorum inſtar glutinis tenaciter & moleſte adhærens, atque inde liberum aëris tranſitum impediens.

Hæc verò Phthiſis, utut uſitato ſit funeſta & incurabilis, proprio tamen genio eſt admodum chronica; adeo ut aliquos ope debiti regiminis, atque aëris tenuis, licèt Phthiſi aſthmatica detentos, per plurimos tamen annos ſuperſtites viderim. Cujus rei cauſa mihi videtur eſſe petenda à lentore & viſciditate humoris, per pulmones in hac phthiſi excreti. Iſte enim humor præ grandi ſalis in eo contenti copia, aliquam coctionem, licèt in materiam viſcidam, facile & cito admittens, plurimum corroſivæ ſuæ acrimoniæ deponit: Atq; inde benignior evadit, leviorem ſcil. labem poſt ſe in pulmonibus relinquens, quàm ubi eſt acer, tenuis, & perfecte crudus, nullamque omnino coctionem recipiens. Et quidem ipſa ſenectus videtur mihi eſſe hujuſmodi Phthiſis Chronica & incurabilis; quoniam omnes ſenes, qui aliquo acuto morbo non corripiuntur, hoc modo Phthiſice languentes tandem ultimum claudunt diem; verùm non ſine præfatione Chronicæ tuſſis, anhelantis ſpirationis, marcidi corporis habitu, & diſpoſitionis quadantenus hecticæ. Neque id mirum videri debet, quum, præ nimia ætate, parenchymatis pulmonum fibrillæ jam flacceſcentes ſubſidere ſoleant; quo fit ut totum parenchyma paludoſum reddatur, nutritio ſucco ſtagnationem ibi æquè ac ſeparationem ſubeunte; atque inde copia illa viſcidi Phlegmatis, ſibillatio, infarctio pulmonum aſthmatica, dyſpnœa, emaciatio corporis cum hectica intemperie. Quid verbis opus, cùm plane jam ipſa ſenilis Phthiſis inſequatur?

1. Lactea diæta rarius in hac Phthiſi convenit, multo minùs Opium, quod humorum lentorem augendo dyſpnœam, atque omnia hujus Phthiſeos ſymptomata promovet; adeo ut aliquando in hoc caſu vel ab uno Laudani grano vitam Ægri in ſubitum diſcrimen redactam viderim.

2. Tenuis & apricus aër in hujus Phthiſeos curatione magis quam in aliis neceſſarius eſt. Neque quidem hujuſmodi Phthiſici, ope vel generoſiſſimorum medicamentorum, in paluſtri aëre, vel fumo carbonum inquinato, exhibitorum, vitam diu protrahere poſſunt.

3. Inter Expectorantia verò medicamenta præferenda ſunt Abſtergentia, & Incidentia: uti Mel, Hydromel, Syr. ex Eryſimo, è v. Radic. Acetos. Evitanda verò, vel ſaltem cautè exhibenda ſunt Incraſſantia. Balſamica, Gummata, Millepedæ; præſertim verò Pilulæ Balſam. hîc admodum proſunt. Uti etiam Sp. CC. Sal. Armon. &c. Quoties Phthiſis ab Aſthmate ſpaſmodico dependet.

4. Hujuſmodi phthiſici haud raro paroxyſmis Aſthmaticis corripi ſolent ad extremum uſque gradum. Quo in caſu neceſſe eſt venam aperire, utcunque emaciatus fuerit Æger; neque minus convenit Mixturam Riverii Emeticam ex æqual. part. Oxymel. Scyllit. & Aquæ Cinnam. Fort. Compoſit. vel aliquod aliud ejuſmodi exhibere; ſæpiuſque repetere, quod vi ſuâ Carminativâ ſpaſmodicam pulmonum contractionem ſolvat, & facultate ſua abſterſivâ phlegma incidat & excernat. Sanguis tamen manu parcâ pro Ægri viribus educendus, nec ſine urgenti ne-

neceſſitate calida illa Riverii Mixtura exhibenda.

Hiſtoria. Domina Shervvin, Virgo à multis retrò annis Aſthmate afflicta, præſertim vero tempore hyemali, & Londinenſi aere verſata; ope tamen debiti regiminis, ruſticam aeris, &c. ſatis bene officio ſuo fungi videbatur, uſque ad annùm ætatis ſuæ quadrageſimum, aut circumcirca. A quo tempore quadantenus tabida eſſe incipiebat, Tuſſi etiam, una cum dyſpnœa indies aucta; verùm & appetitu plurimùm à febrili hectico calore everſo, qui tunc primùm invadere cœpit. Ex uſu verò Aquarum Chalybeatarum, Pilul. noſtr. Stomachic. mag. & pilul. Balſam. aliorumque medicaminum pectoralium (adjuvante etiam plurimum aëre ruſticano) per duos vel tres annos multùm relevata, & ferè prorſus reſtituta videbatur. Tandem vero ex peripneumonia à Tuberculorum pulmonarium inflammatione orta, in febrem Colliquativam incidens una cum Diarrhœa, Hydrope, vomitione, ſudoribus immenſis, & reliquis funeſtæ Colliquationis ſymptomatis, è vivis pene in flore ætatis ſublata eſt, à phthiſi hac quam ſenilem voco; imo ſi ante obitum faciem ejus ſpectes, vetulam omnino crederes. Aperto Cadavere pulmones ubique nodoſi, in plurimis vero partibus inflammati, immo maturati, & exulcerati apparebant.

Idem de Domino Baxter, Cive Londinenſi ſatis inſigni, obſervavi; qui ab Aſthmate Chronico tandem in phthiſim funeſtam incidebat, à quâ multum, & diu ex uſu Sp. Salis Armon. Medicaminum pulmonarium, præcipue verò Balſamicorum relevatus fuit: poſt annum vero unum, vel alterum, à dyſpnœâ multùm auctâ, & ſuperinductâ etiam diarrhæâ, unà cum Torminibus, Hydrope, atque aliis funeſtæ colliquationis ſymptomatis ſupremum clauſit diem. paroxyſmos verò aſthmaticos (qui ſæpius recurrere ſolebant) ex uſu Mixturæ Riverii (ubi jam languor venæſectioni contraindicabat) ſemper cum fœlici ſucceſſu & cum maximo Ægri levamine, ad extremum uſque diem ſuſtuli.

Dominus Rand, pharmacopola Londinenſis ſatis notus, per plurimos annos in ſtatu phthiſeos aſthmaticæ (emaciatus licet & debilis) vitam ſuam ex uſu copioſo Sp. CC. Medicaminum pectoralium, Chalybeat. & Balſamicorum, & debito regimine ſex rerum non naturalium, protrahebat. Et quamvis ſæpius in anno febri peripneumonicæ levi à novâ Tuberculorum pulmonarium inflammatione obnoxius eſſet, venæſectione tamen, & debito regimine, & uſu pectoralium, æque facilè evaſit; Egregiam verò vim medicaminum emeticorum ſæpius in eo expertus ſum, quoties ſcil. in maximo diſcrimine verſari videbatur, à gradu aſthmatis aucto, & ab inappetentiâ, & maximo languore inde conſequenti.

Cap. 4. De Phthiſi à Melancholiâ, uti etiam ab Hyſtericâ, & Hypochondriacâ affectione ortâ.

Hypochondriace, & Hyſterice, affectos haud rarò in phthiſico ſtatu longo tempore durare, tandemque à phthiſis pulmonaris ſymptomatis ultimum ejus & funeſtum ſtatum comitantibus correptos, ſupremum diem claudere, facile eſt cuivis in medicinâ vel tantillum exercitato deprehendere; Cujus rei rationem à jam ante memoratis principiis eſt etiam facile deducere, In Hypochondriacâ enim & Hyſtericâ affectione Cerebrum, & totum nervorum ſyſtema ſemper morbide afficiuntur; atque inde non tantùm ſpiritus animales in flatulentam & inquietam naturam degenerant, verùm etiam tota ſanguinis maſſa, quæ ab iſtis ſpiritibus rite actuari & vivificari debet, in crudam & cachecticam ſaburram, ſeu molem reducitur. A quo Cerebri & nervorum tono, ſpirituum & ſanguinis diatheſi; mirari quidem ſubeſt, non ſemper Phthiſim ſequi. Inſuper, pathemata animi graviora ut plurimum hyſtericam & hypochondriacam affectionem præcedere, vel ſaltem comitari omnibus eſt notum. A quibus Phthiſis (uti jam in principio hujus diſcurſus innuimus) ſæpiusquam à frigore, vel aliquâ alia de causâ, originem ſuam ducere ſolet. Præterea hyſtericis & hypochondriacis à pavore, & anxietate, continuis ſuffocationibus, & oppreſſionibus Thoracis adeo frequenter obnoxiis eſſe accidit, (quæ nihil aliud ſunt quàm ſpaſmodicæ contractiones Muſculorum pectoris, & Laryngis, & quidem ipſius teneri parenchymatis pulmonum) unde tono eorum jam labefactato & everſo, nemo miretur ſi ſæpenumero inſequatur Phthiſis.

Hæc vero phthiſis plerumque eſt Chronica, utpote à morbidâ diatheſi ſpirituum, & humorum paulatim contractâ dependens. Ut plurimum tamen lethalis eſt, non tantùm quòd rarius, ob inſenſibilem ſcil. ejus progreſſum timeatur, donec Æger, qui jam diu valetudinarius fuit, tandem ad ἀκμὴν ferè Phthiſeos pervenerit; Verùm etiam quòd minera humorum, à qua hujuſmodi phthiſis dependet, plane inexhauſta eſt phthiſis hæc ab aliis præcipuè diſcernenda eſt per pectoris oppreſſionem, & mœſtitiam animi inſolitam, uti etiam per frequentes Hyſtericas ſuffocationes, Lipothymias, atque alia generis nervoſi ſymptomata.

Curatio verò à generali methodo non multùm varianda eſt. Nonnullas tamen obſervationes huc ſpectantes hic ſubnectere lubet; Nimirum, primò. In hâc Phthiſi, inſigni nervorum debilitate, & obſtructione id requirente, liberalior uſus Sp. CC. Spir. Sal. Armon. Tincturæ Caſtor. Aquil. Bryon. & Pæon. comp. atque aliorum ejuſmodi, quàm in aliis Phthiſibus fieri ſolet, concedendus, ſi non etiam imperandus; quorum egregiam vim in relevandis hujuſmodi Phthiſicorum ſymptomatis ſæpiſſimè ſum expertus; & quidem ſine his neque languor, neque ſuffocatio (quæ ſymptoma his ægris valdè familiaria eſſe ſolent) nec quidem ipſa Tuſſis (quæ in hac Phthiſi ut plurimùm à genere nervoſo oritur) mitigari poteſt. 2. Aquæ etiam Chalybeatæ hîc apprimè utiles ſunt, & quidem ſine medicamentis Chalybeatis, Pulmonaria & vulgò dicta Antiphthiſica nequicquam valent. Tempeſtivus verò hujuſmodi Medicaminum uſus imperandus eſt, priuſquàm ſigna Ulceris Pulmonaris jam appareant; ne plus damni, quàm emolumenti Æger inde ferat, quum natura in ſtatum adeò colliquativum jam ſenſim fuerit redacta. 3. Sicuti lactea diæta rariùs hujuſmodi Phthiſicis convenit; ita ob eandem rationem (ner-

(nervorum ſcilicet debilitatem & præternaturalem fermenti Ventriculi acorem) neque ipſa quidem purgatio, niſi ad nodum lenis, & tempeſtivè exhibita, præcipuè verò hyſtericis, prodeſt. 4. Vomitoria verò lenia, & Ægri viribus æqualia, opitulando cerebro & nervis in principio morbi, inſtar miraculi hujuſmodi Phthiſicos relevare ſolent. 5. Uſus etiam Opii forſan in hâc magis quàm in ullâ alia Pulmonari Phthiſi, non tantùm à Medico concedi poſſit, verùm quidem ſæpè planè neceſſarius apparet, ob graves ſcilicet Ventriculi, Inteſtinorum, atque aliarum partium ſpaſmos, qui à pertinacibus vigiliis, aliiſque ſymptomatis, ob flatulentum, & exploſivum ſpirituum animalium ſtatum, & delirantem phantaſiæ activitatem his magis quàm cæteris Phthiſicis ſupervenire ſolent.

Hiſtoria 1. Dominus *Richards*, Civis Londinenſis, Incola in *Southvvark*, vir Marcilentus & temperamenti (uti veteres loqui amant) verè ſicci & frigidi, à pueritiâ ipſa quadantenus hebes, & Melancholicus, ante quadrageſimum ætatis ſuæ annum, in delirium melancholicum incidit, à quo diuturno medicaminum Chalybeatorum, tenuium Catharticorum, Antiſcorbuticorum, & Cephalicorum uſu perfectè liberatus eſt; Adminiculante etiam tempeſtivâ ſanguinis è vena Jugulari & è vaſibus ſedalibus extractione. Utcunque verò à melancholiâ liberatus eſt, macilentus tamen & quadantenus anxius manebat, non rarò etiam levi atque arida tuſſi affectus, cui à longo quidem tempore obnoxius fuerat. Hanc verò per plurimos annos penitus neglexit, donec tandem, inappetentia, ſiti, dyſpnœa, virium languore, colliquativis ſudoribus, implacabili dyſenteria horrendis ſpaſmis ſtipata, atque aliis ejuſmodi funeſtis Phthiſeos fatalis ſymptomatis terrefactus, & præſenti etiam ingruentis periculi ſenſu meam opem incaſſum, quoniam nimis ſero, petebat. Unum verò in hoc Ægro obſervatu digniſſimum fuit, ſcilicet, quòd licèt propter gravem dyſpnœam, vel minimam doſin Opii abſque evidenti vitæ periculo ferre non poſſet, à quo tamen tempore tormina dyſenterica, ſeu ſpaſmi inteſtinales urgere incipiebant, à tuſſi æquè ac à difficili reſpiratione planè liberari videbatur, & quidem ita reſpirabat, ac ſi pulmones perfectè reſtituti eſſent, & Opii uſum copioſum cum εὐφορίᾳ tolerabat, donec ex longo ejus uſu dyſenteria cum torminibus jam evicta, dyſpnœa ſenſim unà cum tuſſi æquè moleſta atque anteà, redibat, ac ſi ſpaſmodica illa vellicatio inteſtinorum in conſtrictionem pulmonum & membranarum Thoracicarum illico tranſlata fuiſſet. In alterna tamen ſupra dictorum ſymptomatum ſucceſſione facilè erat quotidianam Ægri declinationem, & Phthiſeos hujus Chronicæ neglectæ in fatalem accelerationem deprehendere, cujus nullam præter palliativam curationem ſuſceperam.

Hiſtoria 2. Dominus *Pratt*, Incola cujuſdam plateæ dictæ *Pater-noſter-Rovv*, macilentus & Melancholicus à pueritiâ, frigidi etiam & ſicci temperamenti, & dolori ventriculi ſpaſmodico ſæpius obnoxius; poſt annum unum, vel alterum à contracto Martimonio, in Phthiſin pulmonarem incidit; lentam tamen, & Chronicam, tuſſi aridâ, oppreſſione & conſtrictione pulmonum, uti etiam inappetentiâ ſtipatam; ſine ullo tamen notabili febris gradu, vel pulsus accelerâtione, ob naturalem temperamenti frigiditatem. Per annum, vel alterum morbi eradicationem neglexit. Receptis, neſcio quibus, Mulierculàrum ad tuſſim leniendam, contentus; donec tandem à totali appetitûs everſione, & dyſpnœæ, tuſſis, febris, & colliquationis univerſalis ſuperinductione, de jam appropinquante morte admonitus, à me nimis ſerò opem ſub ipſo initio hyemis petiit. Ob difficilem reſpirationem, & tuſſim importunam eum in ruſticanum aërem ad uſum Pectoralium, & Balſamicorum medicamentorum dimitto; unde per menſem unum vel alterum quoad appetitum, tuſſim & reſpirationem melius habere videbatur. Tædio vero ruris affectus, iterum Londinum ſe contulit. A quo tempore omnia in pejus ruebant, ſuper omnia verò tuſſis, & dyſpnœa urgebant; adeò ut vigiliis ferè continuis premeretur. Tandem in proviſo, & ſine aliqua evidenti cauſa, horrendis ſpaſmi doloribus, inſtar Colicæ ventriculi, correptus eſt, unà cum alvi conſtrictione, adeò ut ſingulis ferè momentis præ doloris urgentia animam efflaturus videretur. A quo tempore, à tuſſi & difficultate reſpirandi omninò liberatus eſt, adeò benè ſpirans, ac ſi pulmones nullo modo afficerentur. Ideòque gravi ſymptomate id requirente, non tantùm Opiata, verùm etiam Cathartica liberali manu per multos dies exhibui; donec tandem ex uſu Linimentorum, Fotuum, Enematum, Catharticorum, & præcipuè frequenti Opiatorum repetitione, dolorifici iſti ſpaſmi (qui ſub finem verſatiles erant, ab uno latere ad aliud moventes, & à ventriculo ad inteſtina migrantes, utpotè genii verè hypochondriaci, ſeu ſpaſmodici participes) planè evicti fuiſſent. Abhinc per aliquas hebdomadas à ſpaſmodica pulmonum conſtrictione liber remanſit; cum aliqua appetitûs, atque etiam virium reſtauratione; adeò ut vel ipſe ego præclaram ſpem de ejus ſanitate ocyus recuperanda concipere cœperim, crederemque eum non tam phthiſicum quàm Hypochondriacum fuiſſe; donec tandem inexſpectata dyſpnœæ, tuſſis & reliquorum funeſtorum Phthiſeos ſymptomatum reviréſcentia (à quibus tandem è vivis ſublatus fuit) coactus ſum mutare ſententiam.

Hiſtoria 3. Domina *Walker*, Uxor Mercatoris cujuſdam Londinenſis, circa annum ætatis ſuæ trigeſimum, à multis præcedentibus curis animique pathematis Hypochondriaca & hyſterica facta, tandem in febrem hecticam una cum tuſſi, dyſpnœâ, dolore laterali, & diarrhœâ incidit; à quibus in ultimum languorem & maraſmi ferè ſtatum redacta eſt. Diligenti verò Opiatorum, Julapiorum Hyſtericorum, Corticis Peruviani, Medicamentorum Pectoralium, Antiſcorbuticorum, & Chalybeatorum uſu, & repetita venæſectione, in ſtatum ſanitatis, tempeſtate etiam hyemali, præter ſpem Amicorum omnium reſtituta eſt. Poſt duos autem vel tres annos à morte filiæ unicæ, & à pathematis animi inde oriundis recidivationem paſſa eſt, à quo, verno ſcilicet tempore, tempeſtivo Aquarum Iſlingtonienſium uſu, atque aëris ruſticani beneficio iterum convaluit. A quo tempore nimium Spiritus Vini, atque aliorum liquorum ſpiri-

ſpirituoſorum uſum in animi oppreſſi relevationem ſibi indulgebat, à quorum ingurgitatione, ſicuti appetitus planè everſus eſt, ita tandem, poſt annum ſcilicet unum, vel alterum, fatalem Phthiſeos revireſcentiam hyeme iſta, una cum febre hectica flagrante, tuſſi continua, diſpnœa, diarrhœa, & quidem univerſali colliquatione, perpeſſa eſt. Neque priuſquam ſe vix poterat in lecto ſuo præ languore convertere, me voluit conſulere. Utcunque eam, Corticis Peruviani, atque Opiatorum uſu, à febre & diarrhœa planè liberavi; Cæteris tamen pulmonaribus ſymptomatis indies increſcentibus, à Phthiſi tertia hac vice redeunti è vivis ſublata eſt.

Cap. 5. Decantatum iſtud Medicorum Adagium, quod pus ſequitur ſanguinem, exinde originem ſuam traxiſſe videtur, quod Hæmoptoë celerius & ſæpiùs quàm ulli alii morbo purulentia pulmonum, ſeu Phthiſis Pulmonaris, ſuccedere ſoleat. Quod utrum à craſi ſanguinis ob nimium ejus diſpendium everſâ; vel à copioſo humorum ex univerſo corporis habitu, quâ datur via, in teneros pulmones affluxu; vel à ſanguinis grumoſi in ipſis pulmonibus poſt hæmoptoën relicti putrefactione; vel tandem ab ulcere aliquo eroſionem vaſorum inſequenti accidat parùm ſcio. Hoc tamen perpetuò ferè obſervare licet, quoties ſcilicet hæmoptoë præcedit, phthiſin pulmonarem ſubſequi ſolere; Ideoque prudentem, & honeſtum Medicum ad curationem hæmoptoës evocatum decet non tantùm præſagio de Phthiſi ſubſecutura tempeſtivè priùs facto, ſuæ, atque etiam artis Medicæ famæ conſulere, verùm etiam, quantum in ſe eſt, cautionibus & medicamentis idoneis hunc fatalem hæmoptoës exitum æquè prævenire, ac ipſum præſentem morbum curare, ſaltem nihil in ejus curatione facere vel tentare, quod Ægrum Phthiſi magis proclivem reddat.

Atque hìc plurimùm refert inter hæmoptoën accidentalem, & habitualem diſtinguere. Accidentalem eam voco, quæ merè ab accidenti aliquo procedit; uti à vociferatione nimia, exercitio, vel vehementi tuſſi, ab hæmorrhagiæ ſolitæ ſuppreſſione, à lapidibus cretaceis in ipſis pulmonibus generatis, vel ab aciculis, atque aliis ab extra in eos demiſſis: Habitualem verò, quæ à vitioſa, acri, & fermenteſcente ſanguinis diatheſi dependet, ita ut penus, & fomes morbi ſemper intus deliteſcat. Hæmoptoë iſta accidentalis ſicuti rariùs poſt Phlebotomiam, debitum diætæ regimen & Medicamentorum uſum curata recrudeſcit; ita utcunque profuſa, & copioſa hæmorrhagia fuerit, rarariſſimè in phthiſin terminari ſolet, verùm Æger per debitum regimen liberatus paulatim, ſicuti poſt fluxus menſtruos immodicos, atque alios ejuſmodi fieri ſolet, ὑγιὴς atque εὔσαρκος evadit, ac ſi nullum ejuſmodi fluxum omnino ſuſtinuiſſet. Hæmoptoë verò habitualis ſicuti ab inteſtino ſanguinis fermenteſcentis motu, & ab aperientis vaſa acrimoniâ dependet; ita etiam febrem unà cum accelerato pulſu, & urinâ ſubrubrâ ſemper conjunctam habet, & poſt incerta intervalla identidem ſolet recurrere. Ubi ſcilicet paroxyſmus febrilis incertus, à ſanguinis adeò ferociter efferveſcentis impetu recrudeſcit, tenera pulmonum vaſa, cùm motum hunc citatiorem ferre non poſſint, iterum atque iterum dehiſcere ſolent, una cum magno purpurei liquoris diſpendio, qui ut plurimùm fluere non deſinit uſque dum orgaſmus febrilis, & motus ſanguinis inteſtinus inde dependens, vel artis ope, vel ſponte ſua, ſaltem à quantitate liquoris imminuta penitus ceſſet. Et tunc etiam infidæ tantùm induciæ dantur, donec vaſa iterum à præternaturali ſanguinis motu in paroxyſmo ſubſequenti nimis diſtendi contingat. Et quidem hæc eſt fatalis hæmoptoë, quæ, ut difficilem curationem admittit, atque Ægro ſæpiùs inexſpectatò ſupervenit, ita febrem primùm putridam, dein hecticam conjunctam habet, quæ in phthiſin fatalem, atque incurabilem ſæpiſſimè terminari ſolet.

Hujus verò Hæmoptoës Herculea Antidotus eſt Cortex Peruvianus: Cujus egregias vires in præſentis febrilis efferveſcentiæ ſanguinis extinctionem atque in futuræ recidivationis præcautionem ſemper cum feliciſſimo ſucceſſu expertus ſum, quotieſcunque ſcilicet eum in hunc uſum applicui. Et ſicuti præſentem Hæmoptoën citò & tutò ſiſtit, & futuram etiam prævenit; ita Hæmoptoën hoc modo curatam nunquam in phthiſin terminari vidi: Flammâ enim hoc modo penitus exſtinctâ, & febre jam evictâ, ſanguis illico in naturalem ſtatum reduci ſolet, adeo ut ne vel minima ſuſpicio inde ſubſecuturæ Phthiſeos manere poſſit. Phthiſis enim, quæ Hæmoptoën ſequi ſolet, originem ſuam non tam à vaſis exilis dehiſcentia, quàm à ſtatu ſanguinis inordinato, & hectico ducere videtur. Ideoque, utcunque Phthiſis hæmoptoë vulgari modo curatæ uſitato ſuccedat, frequentius ſcilicet Phlebotomiis, Medicamentis Emplaſticis, Opiatis, &c. quæ vi potiùs ſanguinis eruptionem ſupprimunt, quàm internum ſanguinis ſtatum alterant; Hinc tamen nemo miretur, ſi flamma hectica intus manens tandem Ægrum in Phthiſin præcipitet: Quoties tamen præſens ſanguinis orgaſmus poſt Phlebotomiam repetitam, ſuccorum Temperantium, & Julapiorum, vel Electuariorum, Stypticorum, & Opiatorum, aliorùmque ejuſmodi (quæ alibi è capite de Hæmoptoë petenda ſunt) uſum ita domatur, ut locus opportunus exhibitioni Corticis detur, ad flammam febrilem penitùs extinguendam, & ad reſerationem obſtructionum, quæ aliter novæ efferveſcentiæ anſam præbere poſſint perficiendam, non tantum Palliativa in præſens, verùm revera Eradicativa etiam & perfecta curatio ſine vel minimo Hæmoptoës redituræ, vel Phthiſeos ſubſecuturæ, periculo obtineri ſolet. Flammâ enim hoc modo perfectè exſtinctâ, ſanguis ad motum, & craſin naturalem reducitur, quo appetitus ſtatim redit, pulmones naturali motu, & temperamento fruuntur, & purpurei penitùs diſpendia ſenſim reparantur; donec Æger tandem, licèt paulatim, priorem robuſtum, athleticum ſtatum redintegratum, vel forſan meliorem quam antea conſequitur, ſine vel minimo hectici caloris gradu, vel ſubſecuturæ Phthiſeos metu.

Sin verò vel à Medici Incuriâ, vel ab Ægrotantis Idioſyncraſi; vel à quacunque aliâ cauſâ Hæmoptoën à Phthiſi pulmonari, excipi contigerit, toti pulmones, vel ſaltem lobus unus duris glandulis tuberculorum formâ, hìc indè interſperſis ubique refertos multùm intumeſcit,

Quæ tubercula citiùs, vel ſeriùs in apoſtemata faceſſere, & ulcerari ſolent, atque indè hæc Phthiſis ortum, atque etiam progreſſum ſuum habet. Secundùm horum verò tuberculorum magnitudinem, & numerum, eorumque propenſionem in putrefactionem magis, vel minùs citam, hæc Phthiſis admodum varia eſt; nunc tarda, & Chronica; nunc verò velox & acuta; imò etiam peracuta. Uti enim aliquos Phthiſicos (qui frequenti Hæmoptoë, vel leviſſimâ de causâ, obnoxii fuerant) debitâ curâ, & regimine vitam ſuam per plurimos annos protraxiſſe vidi; ſolitis etiam muniis fungentes, licèt valetudinariè ſe haberent, cum tuſſi atque aliquo dyſpnœæ gradu; quotiès ſcilicèt tubercula pulmonaria contigit eſſe pauca, minuta, & putrefactioni inepta; vel quotiès Hæmoptoë à lapidibus intùs generatis, vel ab externo aliquo accidenti, magis quàm à motu effervescentis ſanguinis inteſtino hectico ortum ſuum duxit. Ita alios morte præcipiti intra paucarum hebdomadum ſpatium è vivis ſublatos obſervavi; quotiès ſcilicèt hæmorrhagiæ graves à ſanguinis ferociter effervescentis motu in ægrum frequenter reverterunt; vel tubercula alicujus maligni genii participârunt, atque indè putrefactionem citam ſubiêrunt.

Qualiſcunque tandem fuerit Phthiſis iſta hæmoptoïca, ſive Acuta, ſive Chronica, ex communi Medicorum obſervatione in claſſe Phthiſeῶν maximè funeſtarum, atque incurabilium ſemper habita eſt. Quò verò acutior, eò ſemper periculoſior eſſe ſolet. Hæmoptoë enim, ſicuti huic Phthiſi primam anſam præbet; ita etiam in morbi progreſſu apta nata eſt, vel à minimo percepto frigore vel errore in diætâ admiſſo, animique pathematis, &c. frequenter recurrere. Et quidem omnis hæmoptoë nova phthiſin in funeſtum finem adigit: Adeò ut non rarò obſervarim hujuſmodi Phthiſicos in ipsâ hæmoptoë revireſcente etiam purpuream animam in ſanguinis rivulo effudiſſe. Ideoque in hujus Phthiſeos curatione remedia Abſtergentia, Incidentia, & Lubricantia vitanda ſunt, vel ſaltem cautè uſurpanda, uti & Linimenta calida, & penetrantia, vel Emplaſtra externè pectori ad promovendam expectorationem applicata. Magis verò (ſaltem in hujus morbi initio, & poſt recentem hæmoptoën) medicamentis Alterantibus, Incraſſantibus, Agglutantibus, & Opiatis inſiſtendum eſt, uti etiam Diætæ lacteæ, Laudano ſolido, vel Syrup. de Meconio, Portulac. Altheæ, ex hederâ terreſtri, (quem in Phthiſi hæmoptoïcâ præ ceteris omnibus commendatum vellem copioſè uſurpandum) Bolo Armen. Corall. Lacrym. Sanguin. Dracon. Lapid. Hæmatit. Trochiſc. Gordon. de Carabe: è quibus Electuaria atque aliæ formulæ in uſum fiant. De quibus fuſiùs Capite de hæmoptoë erit dicendum.

In progreſſu verò morbi, ubi reviriſcentis hæmoptoës non ita jam metuenda eſt, affectûs indicationibus cauto medicaminum Lubricantium, & Expectorantium uſu tutiùs poſſit ſatisfieri. Medicamenta etiam Balſamica hìc magni ſunt uſûs; uti Syrup. Balſamic. Balſam. Tolut. Capiv. Peruvian. Leucatell. Opobalſam. Balſam. Sulphuris. Terebinthinat. & Aniſat. Pilul. noſtr. Balſamic. & ceteræ formulæ ex hiſce medicamentis compoſitæ, quarum exhibendi modus ſuperiùs, generali ſcil. curationis methodo, petendus eſt. Fontanellæ etiam & raſura capitis in hac Phthiſi valdè ſunt proficua.

Super omnia verò in Phthiſi hæmoptoïca acuta & periculoſa, Corticis Peruviani uſum, formâ Ægrotanti quàm gratiſſimâ, multorum annorum experientiâ edoctus commendo. A cujus repetitione ſatis frequenti, caloris febrilis temperatio, & inteſtini motûs ſanguinis ſuppreſſio, & conſequenter etiam recurſûs hæmoptoës & progreſſûs Phthiſeos præcautio, magis quàm à lactea diætâ, lacte aſinino & apparatu Medicaminum pulmonarium, exſpectanda eſt.

In Phthiſi verò Chronicâ & tarda, ſeu potius in ſtatu Phthiſico (ubi ſcil. æſtus ſanguinis à motu inteſtino non ità vehemens eſſe ſolet.) Aquæ minerales Chalybeatæ magni ſunt uſus; modo per longum tempus, parvâ tamen quantitate, ſingulis diebus hauriantur. Quantitate autem parvâ, & tardè ſingulis diebus ſumendæ præſcribantur, ne à nimia, vel præproperâ tenerorum pulmonis vaſorum diſtentione, per grandem aquæ una vice ingeſtæ copiam facta, nova hæmoptoë inducatur. Diminuta verò aquæ in unam vicem propinatæ quantitas, temporis in aquarum iſtarum potationem quotannis deſignati longitudine compenſanda eſt. Quo pacto etiam ſanguis magis forſan temperatur & alteratur, quàm à magnæ quantitatis ingurgitatione brevioris temporis ſpatio peracta.

Hiſtoria 1. Unus è Magiſtris Artium in Hoſpitio dicto *Bridewel*, qui ſeſe præcedenti anno uno, vel altero, curæ meæ commiſerat, ubi peſte Sporadica bubonibus, & carbunculis ſtipatâ laboraret, (à quo veneno ſanguis forſan ſatis non adhuc ſeſe depuraſſet) incidit circa annum ætatis ſuæ 35. Annoque Domini 1669. in inſignem Hæmoptoën, per quam magnum cruoris diſpendium ſuſtinuerat, priuſquàm me advocaret. A venæſectione verò, Ligaturis, Julapiis, & Electuariis adſtringentibus, diætâ lacteâ, & regimine univerſali debito, fluxus omninò ſiſtebatur. Ipſe tamen hecticus adhuc manſit tuſſiendi malo vexatus. Ideoque lacteam diætam continuandam, & doſin Electuarii Opiati omni nocte ſumendam præſcripſi. In ſubſequuturæ etiam Phthiſeos præcautionem Fontanellam in brachio ſecari, Emplaſtr. Cephalic. capiti raſo imponi, Ægrumque in aërem ruſticanum & apricum deduci juſſi, & ut illîc ſuccis temperantibus, Plantaginis ſcil. & Urticæ, ſaltem bis die, uteretur, unà cum aliis plurimis, quæ nunc diſtinctim recenſere opus non eſt. His verò non obſtantibus calor hecticus unà cum tuſſi continuò urgebat, & incertis periodis, ſaltem bis menſe, ſcil. circa plenilunium & novilunium, à calore & motu ſanguinis aucto Hæmoptoë recrudeſcebat, Ægro continuò à febre urgente magis, magiſque marceſcente, donec tandem in ſtatum colliquativum univerſalem per diarrhœam, ſudores, hydropem, &c. redactus, & ſumma reſpirandi difficultate preſſus vitam ſuam finiret. Eo enim tempore non eram expertus Corticis Peruviani efficaciam ad hanc febrem hecticam tollendam, à qua iſta funeſta colliquatio ortum ſuum ducebat: Aperto verò cadavere, inveni pulmones mirum in modum tume-

tumefactos, & ubique in omnibus lobis, tuberculis, aliis crudis, aliis ulceratis refertus.

Hiſtoria 2. Dominus *Rooks*, in platea vulgò dictâ Cheapſide, quadragenarius, à curis multis, & compotationibus immodicis, per decem annos continuos, perpetuò hecticus eſſe videbatur, pulmonibus infarctus, tuſſiens, & in Phthiſin diſpoſitus: A notabili verò exercitii, & liquorum ſpirituoſorum exceſſu in inſignem Hæmoptoën reſpiratione difficili, & pectoris dolore ſtipatam incidebat: Necnon recidivationem ſingulis, vel alternis diebus, eamque ſatis notabilem, miſer per tres ad minimum ſeptimanas paſſus eſt, idque non obſtante frequenti Phlebotomiâ, uſu lacteæ diætæ, ſuccorum temperantium, Electuariorum, & Julapiorum, Adſtringentium, & Opiatorum, & Aquæ etiam Stypticæ Regiæ. Tandem verò, ubi non tantùm ex pulſu celeri, & urinâ rubrâ; verùm etiam ex ipsâ temperie inſignem febrem intervallis incertis ſæpiùs recurrentem ſemper viam ſputo ſanguinis ſubſecuturo ſternere obſervaſſem, drachmam unam Corticis Peruviani in hauſtu convenienti quarta quaque hora propinavi. Cui ſemper plus minus Laudani (prout ferre potuit) addi curavi. A cujus uſu febrem protinùs extinctam, ſine Hæmoptoës recurſu, & urinam colorem naturalem recuperare inveni. Corticis repetitionem iterum, iterumque debitis intervallis injunxi, atque eum pro appetitu (qui jam magis quàm ante Hæmoptoën vigebat) nutriri, atque aëris aprici beneficio frui curavi. Undè, (quod dictu mirum eſt) ſine aliquo alio adminiculo habitum magis firmum, & Athleticum conſecutus eſt, pulmones magis liberos, reſpirationem faciliorem, æſtum ſanguinis minorem, & tuſſim etiam moderatiorem, jam per ſeſquiannum, quàm perplures annos ante Hæmoptoën ſenſit; Admirantibus amicis, qui omnes eum brevi poſt Hæmoptoën certo certiùs Phthiſicè interiturum exſpectabant. Quod eo magis mirandum, quòd regimine ſex rerum non naturalium æque negligens ſui ipſius permanſit, ac ante Hæmoptoën eſſe ſolebat. Cujus neglectûs pœnas tandem cum vitæ ipſius diſpendio luit. Ab erroribus enim maximis nuper admiſſis in novam Phthiſin, eamque ſatis minacem & funeſtam incidit, quâ tandem è vivis ſublatus eſt. Aperto poſt mortem thorace, Jecoris parenchyma compactum, & compreſſum reperimus, ac ſi igne coctum fuiſſet; lobos omnes pulmonum colore nigro teterrimè conſpurcatos, (quod forſan ab uſu continuo fumi Tabaci proveniebat,) & tuberculis infinitis ubique refertos, quorum aliqua majora pure, alia ſubſtantiâ melleâ repleta erant. Maxima verò pars minorum, quæ racematim, & inſtar acinorum per totum parenchyma diſpoſita fuêre, materiam ſteatomatoſam in ſeſe continebat. Glandulæ prope Trachæam ſitæ omnes profundè nigricabant, & in ſeſe liquorem nigrum, aut coloris cineritii habebant, qualem Phthiſicos Scorbuticos, & Hypochondriacos, præſertim qui multum fumi Tabaci haurire ſolebant, qui in aëre carbonum fumo oppleto degebant, è faucibus horis matutinis exſcreare uſitatò obſervavi.

Formula hauſtûs febrifugi, quem Domino *Rooks* præſcripſi, hujuſmodi erat.

℞. Aqu. Tormentill. Plantag. an. ℥j. Aqu. Cinnamom. hord. Syrup. Myrtill. an. ℥ß. Acet. ſtillat. ʒß. pulver. Patrum ʒß. Ms. F. Hauſtus quarta quaque horâ propinandus ad octavam vicem Semel vel bis die hauſtui addid. Laudan. Lond. gr.j.

Eodem modo Dominam Martin, vetulam ferè ſeptuagenariam; Aurifabrum in vico dicto Sancti Johannis, filiam Domini *Bloomer*; atque alios quamplurimos ab hæmoptoë inſigni, & (uti videbatur) funeſta liberavi. Qui omnes ſine ſanguinis ſputo recurrenti, vel phthiſi ſubſequenti, adhuc ſani manent, ſolitiſque muniis fungentes, quorum hiſtorias hîc ſingulatim narrare forſan nimis longum eſſet.

Hiſtoria 3. Dominus *Luff*; filius Reverendi Clerici jam ante memorati, atque incola plateæ dictæ *Milckſtreet*, poſtquam matrimonium contraxerat cum virgine Phthiſicâ (quæ etiam) ſi benè memini (vitam intra annum à matrimonio completo finiit, cum colliquatione univerſali, & reliquis Phthiſeos pulmonaris funeſtæ ſymptomatis) in Phthiſin etiam, ex contagio, uti mihi videbatur, poſt paucos menſes elapſos incidit. Cui fatali morbo hæmoptoë viam ſternebat, qua ſubitò, apud *Iſcam Dumnoniorum*, tempore etiam hyemali, correptus eſt, & magnum cruoris diſpendium paſſus eſt. Quamprimùm verò hæmoptoë venæſectione, diætâ lacteâ, & medicamentis incraſſantibus ſuppreſſa eſt, vires etiam quadantenùs reſarcitæ, intra duarum ſcil. hebdomadum ſpatium (multò citiùs quàm par fuit) à Provinciali Medico dimiſſus, Londinum equo vectus revertebatur, & me ſtatim advocavit. Sed eheu! quantum mutatus ab illo! Miſerum ægrum inveni multum febricitantem, & continuò tuſſientem, à jam incepta colliquatione valdè tabidum, pectoris etiam anguſtia, & doloribus cruciatum. Deprehendi febrem eſſe mixtam, partim ſcil. Peripneumonicam, à nova aliquorum tuberculorum inflammatione; partim Putridam, à purulentia ſcil. aliarum glandularum, quæ tam cito exulcerari cœpiſſent. Morbus mihi videbatur eſſe Phthiſis pulmonaris hæmoptoica peracuta, quæ uti per contagium Contracta, ita etiam ob malum regimen in itinere, & ob ægri reditum in aërem noſtrum carbonum fumo oppletum, magis præceps reddebatur. Urgentia doloris atque febris ita requirente, venam illico pertundi juſſi; ſanguinem verò, ob præſentem tabem, & colliquationem parca manu extraxi. Dein Julapiis Temperantibus, & medicamentis Opiatis, & Pectoralibus omnigenis convenientibus, veſicatoriis, & univerſo debito regimine, nitebar hanc præcipitem ruinam avertere, vel ſaltem differre. Verùm incaſſum hæc omnia: Siquidem intra ſpatium trium, vel quatuor hebdomadum è vivis ſublatus eſt, cum omnibus phthiſeos pulmonaris peracutæ ſymptomatis.

Cap. 6. De Phthiſi à calculis in Pulmonibus generatis, atque aliis ab extra in eos demiſſis, uti etiam à calculo Renum, & Veſicæ orta.

Cretaceos lapides in pulmonibus concretos ſæpiùs obſervavi, qui ubi fuerant angulati, & pulmonum agitatione commoti, tenerum eorum parenchyma lacerare ſolebat; quo tuſſis vehemens atque arida, dolorque Thoracicus horrendus; Pleuritici, vel Peripneumonici æmulus, aliquando etiam hæmoptoë unà cum ſanguinis profluvio ſatis inſigni, atque exindè ulcera cum uſitatis Phthiſeos pulmonaris ſignis naſcebantur. Ideòque ubi iſti horrendi dolores, unà cum hæmoptoë circa Phthiſeos initium contingunt, ritè ſuſpicari licet Phthiſin eſſe calculoſi generis: Licet nihil certi de hac re pronunciari poſſit, uſque dùm calculus unus, vel alter per tuſſim fuerit rejectus. Sæpiùs enim accidit calculos iſtos per pulmones ſenſim tranſeuntes tandem in bronchia exitum habere, à quibus per tuſſim, idque rariùs ſine magno ſanguinis profluvio, exſpuuntur. Verùm ſi iſti lapides fuerint læves, neque qui pulmonum parenchyma vel terere, vel lacerare poſſint, Ægrotantem tantillum in Phthiſin, (ſaltem acutam) diſponunt; neque quidem aliquid incommodi ulteriùs afferunt, præter inanem tuſſim quadantenùs moleſtam, & aliqualem gravitatem in pectore prementem, uti in plurimis dudum obſervavimus; in quorum pulmonibus poſt mortem lapides iſtos cretaceos læves frequentes, atque aliquos etiam ſatis magnos invenimus, abſque vel minimo tuberculo, vel ulcere conſequenti: ubi verò lapides iſti angulati fuerant & aculeati, pulmoneſque terere & lacerare apti nati, dolores, Hæmoptoen, Ulcera, & phthiſin ipſam inducebant, uti jam antè innuimus. Quo in caſu ſicuti dolor Hæmoptoën, ita Hæmoptoë Ulcera, & phthiſin præcedit & comitatur.

Quod de calculis jam diximus, eſt etiam verum de clavis, aciculis atque aliis per cachinnationem in pulmones demiſſis. Niſi enim citò per tuſſim rejiciantur, pulmones unà cum dolore lancinante compungunt; undè hæmoptoë, ulcera, & phthiſis naſci ſolent. De qua re notabilem hiſtoriam ſub finem hujus capitis mox ſubnectemus.

Iſta ulcera, ſicuti & Phthiſis ab iis orta, (quod etiam de ulceribus renum, & veſicæ urinariæ obſervare licet) ſine calculi vel clavi, vel acûs rejectione, vel quodcunque aliud ejuſmodi id fuerit quod ulcus gignit, curationē admittere non poſſunt. His verò, quæ perpetuam punctionem in ulceratâ parte continuando, eò ſanationem ejus impoſſibilem prius reddebant, rejectis, utcunque cum gravi hæmorrhagiâ, uti ſolet, id fiat, ulcus tamen & Phthiſis pulmonum exinde nata ſæpenumero facilem & perfectam curationem admittunt; quoniam ortum ſuum non tam ab habitu corporis prędiſpoſito, quàm à merè accidentali partis ſingularis affectione duxerunt. De quo unam, vel alteram obſervabilem hiſtoriam in fine hujus capitis recenſebimus.

In hujuſmodi ulcerum ſanatione maximi ſunt uſûs medicamina *Opiata*, & *Balſamica*, cum Diæta lactea; Opiata; quæ partium laceratarum, vel ſtimulatarum ſenſum obtundant, eaſque, quantum fieri poteſt, quietas reddant, dum Balſamica vires ſuas ſanativas exſerunt. A continuo autem lactis uſu, ſanguinis calor hecticus in hoc Phthiſico ſtatu contractus demulcendus eſt.

Etiamſi verò calculi iſti aculeati neque copioſo Laudani uſu in pulmonum parte ab iis occupatâ quietè figi, neque uſu medicamentorum Lubricantium educi poſſint; verùm incurabilem Phthiſin & Hæmoptoën eamque incertis intervallis cum dolore lancinante recurrentem efficiunt: Hæc tamen Phthiſis ſuâ naturâ lenta eſt, & valdè Chronica; uti phthiſis à calculo renum, & veſicæ urinariæ, & generaliter loquendo omnis à merâ indiſpoſitione, aut ulcere partis ſingularis dependens, ſine habitualis ſanguinis diſpoſitione idque vel jure hæreditario, vel à longo abuſu ſex rerum non naturalium contracta, accidere ſolet. Quoties autem humorum prædiſpoſitorum moles, ſeu minera ab aliquâ ejuſmodi fatali causâ anſam rapit, phthiſis indè nata non tantùm ab initio lethalis eſt; verùm etiam præceps, & peracuta, adeò ut Ægrum intra perpaucorum menſium (forſan etiam hebdomadum) ſpatium è vivis tollat. De curationis in hac ſpecie Phthiſeos variatione paucula iſta ſubnectemus. *Primò*; In hujus morbi principio medicamenta Lubricantia copioſè ſumenda ſunt; imò, & Emetica lenia; quo pacto calculi, aliorumve in pulmones demiſſorum rejectionem tentare licet, priuſquam iſthic diuturnâ morâ penitùs figantur, tonuſque pulmonum indè graviùs labefactetur. *Secundò*; Sin verò dolores immenſi & ſpaſmodici, à pulmonum laceratione hujuſmodi aculeatorum motu facta excitentur, hæmoptoë inſignis exſpectanda eſt; ideoque Lubricantium loco Laudanum, idque copioſè, & frequenter exhibendum eſt, quo lapidis motus in præſens ſiſti, dolor remitti, & hæmoptoë præpediri poſſit. Hoc enim in caſu Venæſectio, Fotus, & Linimenta externa nihil levaminis afferre poſſunt, (quod in Pleuriticis, atque aliis Peripneumonicis doloribus facere ſolent:) atque hoc in quodam Domnino Foſter, atque aliis quamplurimis expertus ſum. Verum quidem eſt, à calculo hoc modo in pulmonibus retento Phthiſin lentam & tardam dyſpnœâ, atque aliis ejuſmodi ſymptomatis ſtipatam inſecuturam eſſe ſuſpicari licere; (Quod ſæpiùs etiam in Praxi meâ obſervavi;) Tarda tamen & incerta, Phthiſi Acutæ & horrendis doloribus comitatæ, & certæ & ſubitæ morti proximæ, præferenda eſt: Si enim hujuſmodi Phthiſici ita ſaluti ſuæ conſulant, uti aëre aprico ruſticano ſemper fruantur, à frigore capiendo, compotationibus, & exercitiis nimiis caveant, & à quocunque alio, quod calculos fixos ad novum motum excitare poſſit, vitam ad provectam uſque ſenectutem, ſolitis muniis ſatis benè fungentes, protrahere poterint.

Tertiò, Sin verò Hæmoptoë à pulmonum laceratione inſequatur, in tempus permitti debet. Hoc enim profluvio lapides, atque alia in pulmones demiſſa rejici poſſunt. Si verò hæmoptoë inſignis, & periculoſa fuerit, Venæſectio celebranda eſt, imò ſi opus fuerit, repetenda

&

& medicamenta non tantùm Opiata, verùm etiam adſtringentia formâ Linctuum, Julapiorum, &c. exhibenda ſunt; imò Lapis hæmatites, Aqua ſtyptica Regia, Lactea diæta, atque alia priori capite jam ſtrictim memorata, quæ verò fuſiùs tandem in altero libro explicabimus, ſi quâ de hæmoptoë agendi occaſio dabitur.

Quartò, Sin verò pulmones à motu calculi, (ſive is rejectus fuerit, ſive non) vulnerari, & exulcerari contingat, medicamenta Balſamica eligenda, & copioſè præſcribenda ſunt; quorum variæ formulæ in generali curationis methodo excogitandæ.

Quintò, Lactea diæta, non ſine urgenti neceſſitate, in Phthiſi à calculis pulmonaribus oriundâ imperanda eſt; quoniam novos hujuſmodi cretaceos lapides in pulmonibus apta nata eſt generare. Quo fit quòd unius Phthiſeos curatio alterius initium, & fundamentum ponere ſoleat.

Sextò, Aquæ etiam Minerales Chalybeatæ, licèt in hâc Phthiſi proficuæ ſint, parcè tamen in unam vicem propinandæ, ne à nimiâ ſcil. vaſorum Pneumonicorum diſtentione calculi motus de novo excitetur. Quo fit quòd doloris & Hæmoptoës recurſus plerumque inde inſequatur.

Septimò, Calculi iſti pulmonum aliquando plures ſunt; adeò ut uno, vel altero, vel etiam tertio rejecto, pulmones tamen à reliquis ulcerentur; atque indè Phthiſis inſequatur. Uti *Domino Plucknet*, atque aliis accidiſſe memini.

Non tantùm autem à calculo, atque ulcere pulmonum indè inſequente; verùm etiam ab ulceribus, imò & à longâ calculoſâ diſpoſitione renum & veſicæ urinariæ, ſæpiſſimè Phthiſis pulmonaris provenire ſolet; adeò ut vel frequentiſſimè calculoſos vitam Phthiſicè finiiſſe obſervarim. Hæc verò Phthiſis ſemper eſt tarda, & Chronica; neque alio modo quàm Phthiſis communis curanda eſt; niſi quòd medicamenta dolores calculoſos irritantia, uti Pilulæ noſtræ Balſamicæ, &c. vitanda ſint. Aquæ verò Chalybeatæ, quæ dolores illos demulcent, ſæpiùs uſurpandæ ſunt. Calculoſi enim videntur mihi tam frequenter in Phthiſin labi à longo & crucianti dolore, quàm à nimiâ ſeroſi laticis retentione, & fermenti ſerum in renibus ſeparantis alteratione indè inſequenti. Ideoque in hujuſmodi Phthiſeos curatione Pulmonarium Medicamentorum jam antè memoratorum uſu, non tantùm ad Phthiſin habendus eſt reſpectus, verùm etiam ad morbum hanc Phthiſin cauſantem, renum ſcilicet, & veſicæ calculum, medicamentis quæ Urinarias vias lubricando calculum deturbent; vel ſaltem, quæ dolores mitigent.

Hiſtoria 1. *Dominus Plucknet*, quadrageſimum ætatis annum jam agens, vel præterpropter, vir robuſtus, & athleticus; qui verò à multis jam annis in omnibus ferè ſex rebus non naturalibus abſque debito regimine vixerat; nihil tamen mali indè ſenſerat, præter inanem & ſiccam tuſſim; cui jam diu abſque ulla inſigni moleſtia aſſueverat; tandem à violenta equitatione, & à frigore gravi pluviâ percepto, in horrendos Thoracis Spaſmos, dolorum pleuriticorum æmulos incidit; quibus hæmoptoë inſignis & longa ſupervenit, unà cum febre, & tuſſi perpetuo ferè urgenti: Linimentis externis, & Remediis Expectorantibus nihil proficere potuimus; donec tandem ad uſum Opiatorum deventum eſt. A quibus, licet inducias inducias; nullam tamen perfectam curationem obtinere potuit. Sicuti enim tuſſis, ita etiam febris Hectica adhuc permanebat, à qua indies ſenſim marceſcebat; idque non obſtante uſu copioſiſſimo medicaminum Balſamicorum, & Pectoralium, Lactis Aſinini, &c. donec tandem ſpatio unius anni in ſtatu Phthiſico deplorato conſpiceretur, unà cum univerſali colliquatione per cutim, alvum, pulmones reddita, &c. Quæ quidem Phthiſis propria ſua natura lenta & Chronica, adeò velox & præceps ab humorum prædiſpoſitione longo ſex rerum non naturalium abuſu contracta, procul dubiò facta eſt. Neque dies funeſtus parùm indè acceleratus eſt; quod utut medicamenta admiſerit, omnis tamen regiminis, durante eorum uſu, impatiens manſit; Undè in hoc Phthiſico ſtatu, novorum lapidum motu in pulmonibus à vehementi equitatione, compotationibus, & frigore ſæpius percepto, ter quaterve excitato, ſpaſmorum horrendorum, & hæmoptoës longæ & profuſæ revireſcentiam iterùm, atque iterùm in ſeſe expertus eſt. Quibus perdurantibus, etſi plures angulatos lapides tuſſi rejecerit; tam grandes tamen virium impenſas à dolorificis ſpaſmis, & cruoris etiam ab hæmoptoë ſuſtinebat; uti citiſſimè, anni ſcil. unius ſpatio, plus minus, omnia hujus morbi ſtadia ad fatalem uſque diem percurreret; ac ſi Phthiſis planè fuiſſet genio ſuo acuta.

Hiſtoria 2. Dominus *Foſter*, Pharmacopola Londinenſis, qui præter inanem, & ſiccam tuſſim, non verò adeò moleſtam, optima valetudine per plurimos annos fruebatur, ſubitò correptus eſt pulmonum ſpaſmis, & diris doloribus indè ortis; circa annum ſcil. ætatis ſuæ trigeſimum, uti etiam Hæmoptoë à motu lapidum aculeatorum in pulmonum parenchymate facto. In quorum ſymptomatum relevationem venæſectionibus, Linimentis externis, & Remediis Pectoralibus internis, parum profecimus. Adeò ut ex virium & cruoris diſpendio, ab Hæmoptoë, & doloribus quotidiè ferè revertentibus, item à vigiliis, comitante febre, pertinace tuſſi, &c. nato, intra tres hebdomadas adeò elanguebat, & emarceſcebat, ac ſi ſtatim Phthiſicè periturus eſſet. Solo autem longo & copioſo Opii uſu, in aëre aprico, in vico vulgò dicto *Highgate*, quo ſeſe ſanitatis recuperandæ gratiâ jam receperat, à ſputo ſanguinis, & à doloribus, uno eodemque tempore liber evaſit, & remanſit; vires indies indè recolligens, à febre & tabe jam magis, magiſque liberatus; donec tandem æque vultu floridus, & carne turgidus videretur, ac ante Hæmoptoën; & jam per annos IV. vel V. præteritos, muniis ſolitis fungitur, & ſeſe eodem planè modo, quo ante ſuum morbum in omnibus habet; niſi quod aliquo dyſpnœæ gradu; & tuſſi arida detentus, non tam benè aërem Londinenſem fumo carbonum oppletum ferat, quam anteà ſolitus eſt, propter ſcil. pulmonum infarctionem à calculis inibi fixatis, & à multo uſu Laudani effectam.

Hiſtoria 3. Idem ferè contigit Domino *Smyth*, Pharmacopolæ, in vico dicto *Aldermanbury*; qui à lapidum motu in parenchymate pulmonum (quorum plures tuſſiendo rejecerat) in hæmoptoën ſæpiùs revertentem incidit, unà cum doloribus ſpaſmodicis; atque indè in Phthiſin pulmonarem proclivis eſſe videbatur. A qua tamen poſt lapidum rejectionem facillimè diætæ lacteæ, Opiatorum & medicaminum Balſamicorum uſu liberatus eſt,& jam per plures annos optima valetudine uſus muniis ſolitis fungitur.

Hiſtoria 4. Quidam Juvenis, habitans juxta Portam dictam *Cripplegate*, robuſtus, & viſceribus prorsùs ſanus, dum Artem ſuam Dealbatoriam exerceret, qua victum ſuum ſatis commodè quærebat, forte fortuna cachinnatione intemperanti tres claviculos, quos in uſum ſuum ore ſervabat, per Trachæam in pulmones admiſit. Quo ferociſſima tuſſi & continua titillatione jam correptus in immanem Hæmoptoën incidit. A quibus ſymptomatis ſeſe, neſcio quo pacto, tandem liberavit. Illud verò certiſſimum eſt, quod etſi claviculi iſti neque ſponte ſuâ, neque aliqua arte rejecti fuerint, Juvenis tamen per plurium menſium ſpatium optimè valebat. Artem ſuam, uti priùs exercens. Neque quicquam in ſeſe (uti mihi narrabat) in pejus mutatum ſentiebat, niſi quòd tuſſi ſiccâ, & inani, & aliquali etiam oppreſſione, neutrâ verò multùm moleſtâ, ab illo tempore affici ſoleret. Adeò benè ſe habebat, ut ſeſe uxori idoneum judicaret, quin & duxerit. Die verò Nuptiali, ſive à liberaliori vini potatione, ſive à ſaltatione nimiâ (undè claviculi, qui anteà immoti in pulmonum parenchymate tanquam ſepulti jacebant, de novo commoti ſunt) miſellus ſponſus ſub veſperam horrendis ſpaſmis, & acutiſſimo pectoris, & lateris dolore corripiebatur; unà cum difficili reſpiratione, & tuſſi aridâ, ſed valdè importunâ, adeò ut vix potuerit in lecto ſuo decumbere, vel minimum capeſſere ſomnum. Quo plurimum febricitari cœpit, licèt extrema præ doloris ſpaſmodici urgentiâ frigere viderentur. Omnibus muliercularum & Pharmacopœorum Receptulis incaſſum & ſine ullo fructu priùs tentatis, ego tandem circa tertium ſcil. morbi diem importuniſſimè rogatus acceſſi. Affectionem morbidam planè Peripneumonicam eſſe, ſtatim deprehendi; ideoque copioſam Venæſectionem, Fotus, & Linimenta externè; Linctus etiam & Apozemata Pectoralia, & Julapia Temperata ex Aquis Antiſpaſmodicis internè, præſcripſi. His verò necquicquam proficientibus, ſanguinem iterùm atque iterùm extrahi juſſi. Et quidem per multos dies in uſu variorum internorum, & externorum Remediorum pertinaciter hærere coactus ſum, priuſquàm miſellus Æger vel minimum doloris levamen ſenſiſſet: Dolore verò tandem aliquantulùm mitigatô, haud ullam tamen Phlegmatis expectorationem arte meâ promovere potui; neque febrem penitùs tollere, etſi de naturâ Acutæ & Peripneumonicæ in lentam, & hecticam migrare videretur. Adeò ut Æger à Symptomatum urgentiâ jam liberatus,etſi perpetuò febricitans, meliùs tamen quàm antehac dormire, & cibum ſumere potuerit: vires tamen quotidiè elanguebant, & tandem ab univerſali ſcil. colliquatione, intra unius menſis, vel quinque hebdomodum ſpatium, vitam ſuam planè Phthiſicè finivit.

Doloris quidem pertinaciam, & expectorationis difficultatem valdè miratus ſum atque ideò, Hippocratis ſententiam ſecutus Phthiſin Empyicam ſubſecuturam præſagiebam. De primariâ verò cauſâ, claviculis ſcil. delapſis, nihil ne per ſomnum quidem deprehendi, antequàm de Ægri vitâ jam planè conclamatum eſſet. Aliàs, liberaliorem uſum Laudani ab initio & forſan etiam cum meliori ſucceſſu conceſſurus eram.

Cadavere poſt mortem aperto, invenimus tres illos fatales claviculos, ſimul in eodem lecto puris, quaſi ſepultos, paulò infra Bronchiorum divaricationem; totumque pulmonum à ſenſim perrepente eos pure univerſaliter labefactatum: Atque ipſam membranam pulmones externè inveſtientem à puris acrimoniâ corroſam; undè facta eſt perpetua Phlegmatis purulenti depluitio, ſeu deſtillatio; in cavitatem Thoracis, è quâ (ſi benè memini) ſex ad minimum Pintas purulenti hujus liquoris hauriri. Quo viſo, doloris pertinaciam, & expectorationis difficultatem, quæ Peripneumoniam iſtam comitabantur, ampliùs mirari deſinebam: neque videbatur mirum Peripneumoniam hoc modo effectam in fatalem & tam acutam phthiſin terminari.

Cap. 7. De Phthiſi à Lue Venereâ ortâ.

Verum eſt, omnem Luem Veneream, modò ſit Chronica, Gonorrhœâ virulentâ, ſeu ulceribus amplis & frequentibus comitata, aptam eſſe natam Ægrotantem in ſtatum tabidum paulatim reducere, continuâ ſcil. ſucci nutritii ſubtractione à corporis habitu, de qua ſpecie tabis jam ſuprà, in primo ſcil. libro, tractavimus.

Æquè etiam verum eſt, & in Proxi non rarò obſervandum venit, verè Pulmonarem Phthiſim à merâ ſanguinis & humorum alteratione, Lue Venereâ factâ, originem ſuam ducere.

Neque quidem mirum eſt, cum tota humorum maſſa tam evidenter ab hujus morbi fermento alteretur, & in ſtatum colliquativum reducatur, (quod à Tumoribus malignis, Gonorrhœis, & Ulceribus hunc morbum uſitatò comitantibus apparet ſatis) ſi etiam hujuſmodi tumores, atque Ulcera Venerea, aliquando in ſpongioſo & molli pulmonum parenchymate accidant; undè Phthiſin verè pulmonarem inſequi neceſſe eſt. Ego equidem potiùs mirari ſoleo Luem Veneream, ſaltem chronicam, ſeu malè curatam, unquam ſine pulmonum ulcere, & Phthiſi indè natâ reperiri. Verùm ut rem ipſam loquar, rariſſimè, ſi unquam, Phthiſin Pulmonarem Veneream obſervavi, præterquam ubi pulmones jam priùs obſtructi, & in Phthiſin diſpoſiti fuerant; vel ſaltem ubi malum regimen, & medicamenta malì moris ab Empiricis fuerant exhibita; & frigora ſæpiùs in curſu ſudatorio, vel ſalivatorio percepta, cum ipsâ Lue conſpirarunt. Hæc Phthiſis (modo ſatis tempeſtivè & debito more tractetur) æquè facilem curationem atque alia admittit. Semper enim (quantum ego obſervavi) eſt genii Aſthmatici, phlegmate viſcoſo, & dyſpnœâ magis, quàm urgenti tuſſi

ſtipari

ſtipari ſolita; ideoque Chronica, & ad ἀκμὴν ſuam ſenſim, & gradatim aſcendens; unde fit, quòd aliquos hujuſmodi Ægros in ſtatu valetudinario & Phthiſico per plures annos vixiſſe obſervarim. Quod forſan partim à continuo uſu Decocti Sarſæ, atque aliorum ejuſmodi evenire poſſit; à quibus maligna humoris venenoſitas, licèt radicitus non evellatur, quadantenùs obtunditur. Nullus enim dubito, quin genius peculiaris Luis adeò venenoſus ſit, ut niſi humoris malignitatem uſu Calomelan. Decoct. Lignorum, aliorumque medicaminum arte, vel naturâ paratorum, priùs obtundi contigiſſet, omnis Phthiſis Venerea propriâ ſuâ naturâ eſſet acuta.

Ad curationem hujus Phthiſeos perficiendam, omnia merè Thoracica, & Pulmonaria medicamenta ſine admixtione Antivenereorum nequicquam valere frequenti experientia fretus aſſero. Ideoque nihil meliùs excogitari poſſit, quàm Ulcerum Pulmonarium ſanationem, & Craſis ſanguinis à fermento Venereo everſæ reſtitutionem Mercuriali aliquâ ſalivatione tentare, priuſquam vires à longa morbi protractione jam fractæ fuerint, quo tam perpetuæ, & profuſæ evacuationi ferendæ impares fiant.

Sin verò vires, præ extenuato ſcil. corporis habitu, huic curationis methodo ſufficere non videantur, tota reliqua ſpes in uſu Lacteæ diætæ Reſtaurativæ; & deindè in uſu Decocti ſarſæ pertinaci, & Pilularum noſtrarum Balſamicarum ponenda eſt, exhibita etiam debitis intervallis, prouti vires id ferunt, moderata Doſi Calomelan. Catharticis admixta. Cujuſmodi curationis egregium exemplum non pigebit hîc proferre.

Hiſtoria. Puella quædam, circa annum ætatis ſuæ duodecimum, cujuſdam Saltatricis Artis Magiſtri, laſcivi & nequam, & Venereâ etiam Lue infecti illecebris inducta eſt, ut concubitum cum illo admitteret: quo, veneno etiam Venereo per contagium adeo imbuta fuerat, ut non obſtantibus unâ, vel alterâ ſalivatione ab Empiricis inſtituta, atque aliis curationis methodis quatuor annorum ſpatio tentatis, poſt uvulæ eroſionem, atque alia Luis Venereæ ſtigmata adhuc manentia, in Phthiſin pulmonarem incideret, unà cum febre hectica, totius corporis emaciatione, perpetua tuſſi, & anhelitu admodùm gravi, præ viſcoſitate ſcil. Bronchia infercientis Phlegmatis. Ego à Domino Simons, Chirurgo Londinenſi experto, & ſatis noto advocatus præſcripſi unam doſin Calomelan. cum Diagryd. ſemel in hebdomade repetendam; & tres Pilularum noſtrarum Balſamicar. ter die, diebus à purgatione liberis, exhibendas; & Decoctum ſequens in potum ordinarium. Quorum uſu verno tempore, per ſpatium ſex, vel octo hebdomadum continuato, perfectè & ſine ulla recidivatione à Phthiſi æquè ac à reliquiis Luis liberata eſt.

♃. Sarſ. Opt. ℥vi. Rad. Chin. ℥ii. Lign. Saſſafr. Santal. Rubr. Raſ. C. C. Eboris. an. ℥ß. Paſſular. Major. exacinatar. ℥ii. Jujub. Sebeſten. an. ℥iß. Glycyrrh. Raſ. ℥ß. poſt. debitam infuſionem coque in Aq. Font. ℔xii. ad vi. ſub finem decoctionis addendo Tuſſilagin. Capill. Vener. Pulmonar. maculoſ. Sanicul. Alchymill. Flor. Bellid. major. an. M. ii. tum demùm cola atque adde Syrupi Balſamic. ℥v. Mſ. F. Apozema.

Cap. 8. De Phthiſi à ſuppreſſione Gonorrhœa virulentæ, fluxûs ulcerum veterum, præcipuè verò fiſtuloſorum in ano, atque ulcerum ſcrophuloſorum, fontanellarum, & fluoris Albi ortâ.

Hujuſmodi etiam Phthiſes non raro in Praxi mea obſervavi. Quæ non fiunt (uti vulgò creditur) tranſlatione materiæ purulentæ in pulmones (quod mihi impoſſibile videtur;) verùm totius maſſæ ſanguineæ inquinatione a violenta detentione excrementi continuò per hæc ulcera excerni ſoliti. Unde fit quod ſanguis hoc modo contaminatus extraneum & excrementitium fermentum in molli pulmonum parenchymate inter circulandum deponere ſatagat; atque indè novi tumores ſtatim in iis oriuntur, qui pro materiæ genio ſæpiùs in citam putrefactionem diſpoſiti ſunt. Atque hinc illa Phthiſis pulmonaris, de qua hoc Capite ex profeſſo tractamus, utut aliquando ſit mediæ naturæ, utplurimum tamen acuta eſt, imò non raro, ſecundùm genium, atque indolem ulceris Pulmonaris eam efficientis, peracuta, ferè ſemper etiam incurabilis, & lethalis; utpote ab inexhauſta minera materiæ in habitu corporis latitantis dependens.

In hujuſmodi phthiſeos curatione præter generalem methodum jam antè deſcriptam, paucula hæc ſpeciatim obſervanda ſubnectemus.

Primò; priora jam conſueta ulcera, quantum poſſibile eſt, revocanda ſunt; quo humor à pulmonibus divertatur, & per ſolitas & minùs periculoſas portas evacuetur, utut videatur moleſtum.

Secundò; Sin verò hoc obtineri non poſſit, (quod quidem raro fit) defectum hunc frequentes Fontanellæ, imò & Veſicatoria, præcipuè verò juxta locum hujus humoris ſecretioni à natura primario dicatum, applicata ſupplere debent, quo oppreſſæ naturæ compenſatio fiat, & ſpeciatim materiæ à pulmonibus derivatio.

Tertiò; In primo hujus Phthiſeos inſultu, à quo ſcil. tempore glandulæ pulmonum tumeſcere incipiunt (quod à tuſſi, dyſpnœâ, & calore febrili conjectandum eſt) venæſectio celebrari, imò ſi opus, fuerit, etiam repeti debet. Quo pacto ſanguinis ſtagnatio à primo materiæ in pulmonem appulſu, atque adeò partis tumefactio præpediatur, vel ſaltem minoretur.

Quartò; Inter medicamenta Pulmonaria magis generalia jam antè deſcriptâ, uſum Lacteæ diætæ Lactis Aſinini, Aquarum Mineralium Chalybeatarum (modò ſatis tempeſtivè propinentur) Decoct. Sarſ. Pulmonaris in potum ordinarium, Gummatum, Balſam. & Milleped. præſertim verò Pilulæ noſtr. Balſam. commendatum vellem.

Quintò; Semper verò Pulmonaribus medicamentis addenda ſunt etiam illa, quæ genium peculiarem Ulceris, ſeu morbi primarii reſpiciunt.

Hiſtoria. Dominus *Simons*, celeberrimus Chirurgus jam antè memoratus, per ſpatium 20. annorum (uti ipſe mihi referebat) Fiſtulam

habuit in ano perpetuò lacrymantem; quam quidem de induſtria, loco Fontanellæ ſervabat, dum aliorum plurimas radicitus evelleret, quoniam illi neque valdè moleſta, neque omnino periculoſa videbatur. Forte fortuna verò conſueto hoc ulcere ſponte ſua tandem exareſcente, circiter annum ætatis ſuæ ſexageſimum, illico oppreſſione pectoris, & tuſſi arida atque importuna affici cœpit. Quæ ſymptomata per plurimos menſes neglexit, donec ab evidenti marcore, æque ac à febre hectica; frequenti etiam inappetentia, nauſea, languore, atque aliis Phthiſeos Pulmonaris præſentis & confirmatæ ſignis, à ſtupido hoc neglectu exſuſcitatus, nimis ſerò à me opem petiit cùm jam per aliquot ſeptimanas, idque etiam tempore hyberno, Colliquatione per alvum & ſudores egregiâ factâ à febre putrida intermittente ſuperinducta, miſer & in lecto languens detineretur. Ex uſu Corticis Peruviani febrem ſaltem alleviare: Adſtringentibus, & Opiatis Diarrhœam minuere: Decocto Albo, Sarſ. Pulmonari, & Aquâ Calcis, cum omnigenis aliis Thoracicis, & Specificis medicamentis formâ Linctuum, Electuariorum, &c. exhibitis, cauſam ipſam Phthiſeos ſubtrahere conabar, uti etiam lacteâ diætâ: (in quantum diarrhœa permittebat) & Lacte Aſinino fervorem ſanguinis, & ſpirituum temperare; & Julapiis Perlatis, Juſculis conſummatis, & Gelatinis ſpiritus reficere, & recreare. Sed omnia incaſſum: Eximius hic vir à febre hâc colliquante in ſtatum Maraſmi redactus, ſpatio duorum, vel trium menſium fato ſuo cedebat.

Cap. 9. De Phthiſi à Chlorôſi, & Suppreſſione Menſtruarum Purgationum ortâ.

Iſta eſt uſitatiſſima muliebrium Phthiſeôn origo; quin & rariſſimè fœminam inveni, Menſtruarum Purgationum capacem, ſive Virginem, ſive Nuptam, ſive etiam viduam, quæ unquam in Phthiſim inciderit, abſque harum Purgationum obſtructione, vel initio, vel ſaltem progreſſu morbi ſuperinducta.

Verum quidem eſt in progreſſu Phthiſeos, obſtructionem iſtam ab emaciato & depauperato ſanguinis ſtatu oriri poſſe, ob defectum ſcil. novi ſucci nutritii: (Quamobrem effectus magis quam cauſa hujus morbi cenſeri debet.) Non rarò tamen anſam Phthiſi præbere ſolet; idque non tantùm in Virginibus, & Viduis; verum etiam in ipſis Nuptis. Siquidem ab animi pathematis, percepto frigore, vel cacochymis alimentis factâ harum purgationum obſtructione, maſſa ſanguinis ab excrementis excerni ſolitis, jam verò in eâ detentis, inquinari & cachectica reddi apta nata eſt; à qua humorum mole in ſanguine jam congeſta, pulmones inferciri ſolent; atque indè tuſſis, dyſpnœa, atque alia Phthiſi familiaria ſymptomata oriri: à quibus longo tempore neglectis, Phthiſis peculiaris genii, puncturis ſcil. atque horrendis lateralibus doloribus ſtipata, non rarò ſuboritur.

In principio hujus morbi Venæſectio, & moderata Purgatio Tincturâ Sacrâ, atq; aliis hujuſmodi facta; & Medicamentorum Chalybeatorum uſus, præſertim verò Electuarii noſtri Chalybeati, Cap. de Chlorôſi alias memorandi, &c. ad ciendos menſes, & ad ſtatum ſanguinis cacochymicum corrigendum: Sin verò ob tempeſtivi horum uſus neglectum, Ægra jam in tabidum ſtatum redacta fuerit; non ſolum fruſtra hæc omnia tentantur, (quoniam ſcil. in hoc ſanguinis depauperato ſtatu purgationes iſtæ non ſunt amplius exſpectandæ;) verùm etiam cum inſigni Ægrotantis damno exhibentur. Incaſſum enim per Phlebotomiam mineræ ſanguinis minutio tentatur; quin etiam ex uſu Chalybeatorum magis exagitatur atque incaleſcit. In hoc igitur caſu releganda eſt Ægra ad Generalem Phthiſeos Pulmonaris Methodum jam antè deſcriptam, & dolores Laterales Linimentis & Fotibus calidis alias memoratis relevandi. Phthiſi verò jam evicta, & corpore in ſtatum ἔνσαρκον redacto, uterina vaſa ſanguine & ſucco nutritio repleta ſponte ſua, in tenui & ruſticano aêre, reſerari ſolent. Defectui autem Naturæ (ſiquidem ea in hoc inſtaurato ſtatu adhuc deficiat) artis ope ſuccurrendum eſt: Obſtructione enim adhuc durante, Ægra iterùm cachectica confeſtim fiet, quò Phthiſeos revireſcentia ritè exſpectari poſſit. In hoc igitur caſu detineatur Ægra in aëre tenui, mœſtitiam & curas animi prorsùs excutiat; exercitiis, & debitis frictionibus utatur; uti etiam medicamentis Amaris, Antiſcorbuticis, & Chalybeatis; præſertim verò Aquis mineralibus Vitriolicis, modo tempeſtas anni id ferat. Hæc Phthiſis, utpote à Cachexia procedens, utplurimum eſt Chronica, & non ſtatim Lethalis. Sin verò principio non curetur, difficilem admodùm curationem, ſi ullam, admittit; & quidem hunc fatalem exitum Chloroſis Virginum diu neglecta ſæpiſſimè ſortitur; ſiquidem Phthiſeos, & Chloroſeos ſymptomata adeo ſunt congenera, uti illius huic acceſſio rariſſimè à vulgo percipiatur, donec ad ultimum & funeſtum ſtadium jam ferè pervenerit, atque hinc eſt quòd ego ſemper Tuſſim Chronicam Chloroſim comitantem ſuſpicari ſoleo.

Hiſtoria. Domina Anderton, Ancilla *Dominæ Daviſon*, Adoleſcentula elegans & formoſa, circa decimum ſeptimum ætatis ſuæ annum, à ſuppreſſione menſium diù neglecta, in Chloroſim incidit, unà cum uſitatis ſymptomatis, vultu ſcil. pallido, Cephalalgia, anhelanti ſpiratione, languore, laſſitudine, febri lenta, &c. Tandem verò cum ab œdematoſo ſtatu in tabidum, & à pulmonum infarctione in importunam, licet aridam, tuſſim jam tranſiiſſet puella, mihi præbuit occaſionem ſuſpicandi Phthiſim verè pulmonarem è chloroſi pullulaſſe.

Atque in hâc ſententia multum firmatus ſum, horrendis illis lateris ſiniſtri ſpaſmis, quibus per plures dies, ad ultimum doloris gradum miſera continuò ferè torquebatur; quos non tàm venæſectione, quam Fotibus, & Linimentis externis, & interno uſu Laudani ſublevare potui. Cujuſmodi dolorificos laterales ſpaſmos ferè ſemper Phthiſeos pulmonaris, comites, vel ſaltem prodromos fuiſſe notavi; quoties ſcil. morbum hunc à Chloroſi, vel à mœſto & cogitabundo animo ortum ſuum traxiſſe contigit. Diu ante primum ſpaſmorum inſultum ferè exſanguis, & ad Maraſmi penè gradum tanquam emaciata, hecticâ febre vexata, continuò etiam languens, & appetitu privata; lecto affixa manſit: Ideoque licèt ſpaſmorum extremitas eo tem-

tempore indicabat, extenuatus tamen habitus & exſanguis, uti etiam languor virium, & pulſûs debilitas, venæſectionem prohibebant. Utcunque parcâ manu iterùm atque iterùm ſanguinem detraximus, & deindè diligenti Remediorum Thoracicorum, Antiſpaſmodicis admixtorum uſu, præcipuè verò repetitis doſibus Laudani Antihyſtericis adjecti, & applicatione externâ Liniment. & Fotuum Anodynorum; hiſce dolorificis ſpaſmis evictis, ad Phthiſeos pulmonaris curationem, generali diætæ Methodo, & medicaminum etiam jam ante deſcriptorum, me totum accinxi cum fœlici ſucceſſu, & non ſine magno adſtantium applauſu.

Curatio verò omnis completa & finita eſt reſtitutione Purgationum menſtruarum, ex longo uſu medicaminum Chalybeatorum, formâ Electuarii, Pilularum, Vini, Syrupi, &c. quæ Pulmonaribus ſemper immiſceri juſſi. Poſtquàm enim jam à Phthiſico ſtatu liberari cœperat, habituſque corporis inſtaurari, & vaſa ſanguine euchymo impleri; facile erat illa iis ipſis medicamentis reſerare, quæ incaſſum, imò etiam cum Ægri damno in ſtatu Phthiſico, & emaciato tentari ſolent: Atque adeò hâc coronâ toti operi jam impoſitâ ſine ullâ in Phthiſin recidivatione, εὔχροος, & εὔσαρκος per annos 15. vel eo ampliùs, in hunc uſque diem manet Ægra noſtra Virgo, Nupta & Vidua, ſanitate perfecto penè gradu perpetuò ferè utens.

Cap. 10. De Phthiſi à Peripneumoniâ, & Pleuritide ortâ.

Ab his etiam morbis frequentiſſimè oriri ſolere Phthiſin, omnibus vel mediocriter in Medicinâ verſatis ſatis notum eſt. Atque hoc quidem aliquando accidit ob inſcitiam, vel incuriam Medici; aliquando etiam à contumaciâ & peculiari morbi originalis genio, vel à præviâ Ægrotantis in Phthiſin diſpoſitione: Non rarò etiam ipſe æger, imò & adſtantes Amici incuſandi ſunt, qui juſtis Medici monitis non parentes, in neceſſariis, licèt repetendis, venæſectionibus celebrandis, tempeſtivâ, & copioſâ medicaminum Expectorantium exhibitione, & deglutitione, atque aliis debiti regiminis partibus, inſecuturæ Phthiſi anſam præbere ſolent. Phthiſis enim Peripneumoniam & Pleuritidem ſequitur, ob ſequentes ſcilicèt rationes.

Primò; Ubi ſanguis in colliquante ſtatu ab hiſce morbis derelinquitur; quod etiam duplici de cauſâ evenire ſolet. *Primùm* ſcil. cùm jure hæreditario, vel longo ſex rerum non naturalium abuſu, Æger habitualiter in Phthiſim prædiſpoſitus fuerit; quo in caſu ſanguis, & pulmones ſemel inflammati, & calefacti, ægerrime reducuntur ad temperiem; Peripneumoniâ enim & pleuritide jam evictis, putridus ſanguinis calor in hecticum, ſeu habitualem degenerat; adeo ut in poſterum Chylus neque perfecte aduniri, neque ſanguineæ maſſæ amice conſociati queat. Atque ab hoc colliquativo ſanguinis ſtatu Phthiſis Pulmonaris non poteſt non naſci.

Secundò; Et forſan hoc frequentius accidit ab Ægrotantis contumaciâ & amicorum atq; adſtantium metu; & forſan etiam ab inſcitiâ, vel ſaltem incuriâ Medici, ubi ſcil. tempeſtiva, & copioſa venæſectio non tantùm ad relevationem doloris neceſſaria, verùm etiam à gradu, exigentiâ febris, & ab inflammatoriâ ſanguinis diſpoſitione vehementer poſtulata prorſus omittitur. Hoc enim in caſu, poſt debitam concoctionem, & materiæ in pulmonibus collectæ expectorationem, reſtat adhuc calor hecticus in habitu Ægrum in ſubitam Phthiſim diſponens.

Tertiò; Ubi materia in pulmonibus congeſta vel non omnino, vel non ſatis copioſè, vel ſaltem non ſatis tempeſtive concoquitur & expectoratur. Quæ quidem res à variis cauſis provenire ſolet; Nempe primum; Ubi Partes pulmonum inflammatæ ſunt Aëreæ glandulæ, & proinde materia iis impacta, licet debitò modo concoquatur, cyſtidibus tamen propriis contenta exitum non invenit; non obſtante vel diligentiſſimo medicaminum expectorantium uſu. Utcunque enim ex horum uſu major purulentæ materiæ copia concoquatur, & congeratur in glandulis; atque indè immenſæ molis apoſtema inſequatur, materiâ tamen præſentem exitùm non obtinente, nulla ſuccedit expectoratio, atque adeo neque pulmones ſeſe poſſunt omnino purgare; quo fit ut ſecundùm Apoſtematis magnitudinem, ſordidum ulcus in pulmonibus poſt ejus rupturam relinquatur. Ab hâc etiam apoſtematis diruptione, contenta materia ſeſe vel extrorſum, vel introrſum evacuare ſolet, ſecundùm maturatæ partis ſitum: Si enim affectæ glandulæ fuerint juxta Bronchia poſitæ, ruptâ cyſtide, materia facilem exitum in Tracheam reperit. Et quidem non raro ex impetu materiæ hâc viâ confertim effluentis Æger ſubito ſtrangulatur, vel aptus natus eſt ſtrangulari: quòd in filio Domini *Price*, dudum expertus ſum, cujus hiſtoriam in fine hujus Capitis narraturus ſum, ſi verò iſtæ glandulæ adeò longinque fuerint poſitæ, uti in Bronchia, & Tracheam materia exitum non poſſit reperire; partes iſtæ, progreſſu temporis, in immenſam molem intumeſcunt, quo tandem, diruptâ cyſtide, materia paſſim per totum pulmonum parenchyma transfuſa, eorum tonum planè corrumpit. Imo aliquando pulmones etiam in tantùm inde diſtentos obſervavimus, uti partim præ eorum diſtentione, partim etiam præ acrimoniâ transfuſæ materiæ; (membranâ pulmones externè inveſtiente jam diruptâ, vel eroſâ,) materia è pulmonibus in cavitatem Thoracis continuò & copioſè deflueret: Atque inde in aperto cadavere, licet ulcus in ſuperiori tantùm pulmonum parte invenerimus, tonumque pulmonum materiæ tranſitu ubique corruptum; liquoris tamen purulenti, Empyicorum ritu, plurimas libras per diſruptam membranam in cavitatem Thoracis derivatas conſpeximus: atque hinc factum eſt, quòd poſt ſummam tam Medici in præſcribendò, quàm Ægri in deglutiendò expectorantia medicamenta diligentiam, nihil tamen profecerimus.

Quartò, Ubi intempeſtivis, atque admodum profuſis Venæſectionibus adeo frigeſcit ſanguis, uti vel præpediatur, vel ſaltem ſerò fiat partis inflammatæ maturatio. Notum enim eſt omnibus in Chirurgiâ & Medicinâ mediocriter verſatis, venæſectionem maturationem tardiorem reddere. Nec minus verum eſt celebre illud Hippocratis dictum; Quod niſi Pleuritici ſpatio quatuordecim dierum purgentur per expectora-

ctorationem; modo ſuperſtites fuerint, Empyici fient; die quadrageſimo; tantâ ſcilicet veri puris mole eo temporis ſpatio in pulmonibus collectâ, uti præ nimiâ copiâ ejus, atque acrimoniâ, per diruptam & exeſam membranam in ipſius Thoracis cavitatem exitum facere aptum ſit natum.

Quintò; Hoc etiam aliquando evenit per Medici incuriam, vel etiam Ægroti contumaciam, à medicaminum ſcil. expectorantium in principio Pleuritidis, & Peripneumoniæ neglectu.

Sextò; Denique Infantibus hoc ſæpius accidit, ob prudentiæ defectum, quoniam purulentum Phlegma pulmonibus impactum expectorare & exſpuere neſciunt.

Phthiſis iſta ſemper eſt admodum acuta, utpote à morbo acuto præcedenti orta, à quo non tantum vires inſigniter proſterni, verùm etiam ipſam ſanguinis maſſam in colliquativo ſtatu relictam, imo & ſæpiſſime etiam collectionem puris ſatis inſignem in pulmonibus fieri contigit. Adeo ut hæc Tabes vix nomen Phthiſeos inaudiverit, antequam ad Maraſmi planè ſtatum Æger jam pervenerit. Si Phthiſis iſta, à colliquante & nimis calido ſanguinis ſtatu, per præcedentes morbos effecto, ortum ſuum duxerit; non tantum continuandus eſt uſus Expectorantium atque aliorum Medicaminum Antiphthiſicorum (quæ tamen è mitioribus & minus Calidis deſumenda ſunt;) verùm etiam Julapia Temperata Perlata præſcribi debent, copioſè ſumenda ad fervorem ſanguinis temperandum; uti etiam Aqu. Lactis, Limacum; imo & ipſæ Aqu. Minerales Chalybeatæ, modo anni tempeſtas id ferat; verùm ſuper omnia, venæſectio (utut vires à priori morbo debilitentur, & corpus in tabidum ſtatum reducatur) non tantum celebranda eſt, verùm etiam frequenter, quin & manu non nimis parcâ (ſi opus fuerit) repetenda eſt.

Sin verò hæc Phthiſis à diruptione Apoſtematis glanduloſi, ſeſe per Trachæam exonerantis proveniat, purgatio pulmonum per hanc Regiam viam copioſo uſu medicaminum expectorantium promovenda eſt. Et ſi metus fuerit ſtrangulationis poſt primam Apoſtematis diruptionem, à materiâ ſcil. nimis confertim in Bronchia irruente (quod filio Domini *White*, atque aliis contigiſſe memini) expectoratio acceleranda eſt exhibitione Oxymel. Scyllit. vel aliorum leniorum Vomitoriorum; & deinde vomitum provocando per titillationem Tonſillarum atque Uvulæ, plumâ oleo illitâ factam. Quo fit ut motu ventriculi violento in vomitione excitato, Pulmones etiam eo agitati à materiâ glutinoſâ Bronchiis impactâ facilius ſeſe liberare poſſint. Majori parte collectæ materiæ hoc modo jam evacuatâ, reliqua etiam pars quotidie educenda eſt aſſiduo medicaminum Expectorantium uſu. Quo facto, per Lacteam, ſcil. Diætam, Temperata Julapia, Medicamenta Balſamica jam ante deſcripta, atque per Aquas minerales Chalybeatas in aëre ruſticano & ſalutifero ſumptas, Curatio paulatim, decurſu temporis, poteſt perfici. Sin vero per hectici caloris continuationem, genarum ruborem quotidiè revertentem, difficilem reſpirationem, abſque vel ullâ inſigni comitante tuſſi; præcipuè verò per tenſionem, & pondus in uno, vel utroque Hypochondrio, & per fluctuationem materiæ in Thorace, migratione ſcil. ab uno latere in alterum ſentitam, materia in apoſtematis glanduloſis pulmonum collecta per membranam eos externe inveſtientem, eroſam, vel diruptam, in cavitatem Thoracis, Empyematis ritu, transfuſa, huic Phthiſi anſam præbuiſſe videatur, quam primum per Paracenteſim convenienti loco celebratam, juxta maximè gravatum Hypochondrium; materia in Thorace fluctuans, atque è pulmonibus continuo depluens convenienter, debitis intervallis, pro Ægri viribus, educenda eſt. Quod verò curationis adhuc reſtat, copioſo Millepedarum, Medicaminum Balſamicorum & Julap. Temperat. uſu, Diætâ etiam Lacteâ, Decoctis Sarſæ, Remediis Chalybeatis, præcipuè verò Aquis Mineralibus Vitriolicis, perficiendum eſt.

Sin verò præ Ægri debilitate, vel adſtantium metu, Paracenteſis non admittatur, cum eventu aliquando proſpero, licet magis dubio (quod expertus ſum in filio Domini *White*, cujus hiſtoriam non pigebit ſtatim ſubnectere,) Evacuatio materiæ per longum, & copioſum medicaminum Diureticorum uſum, uti Millepedarum, Salis Succini, Apozematis noſtri Diuretici & Lubricantis, in hiſtoriâ ſequenti ſtatim memorandi, &c. tentanda eſt. Deinde curationis completio committi debet Lacteæ Diætæ, & uſui Remediorum Balſam. & Chalybeatorum, & Decoctis etiam Sarſæ, Thoracicis, & Vulnerariis herbis maximè Temperatis imprægnatis.

Sin verò iſta Phthiſis à tarditate Expectorationis per frigefactionem ſanguinis ex intempeſtivâ, & nimiâ venæſectione, vel per neglectum medicam. Expectorantium, oriatur, copioſus, & frequens uſus medicaminum Lubricantium, & Balſamitorum; præcipuè verò calidiorum, particulis penetrantibus præditorum, imperandus eſt; veluti Opobalſam. Balſam. Sulph. Terebinth. Aniſat. Ol. Lin. recenter ſine igne Extract. Hydromel. Antiphthiſic. alibi deſcript. atque aliorum hujuſmodi.

Hiſtoria I. Samuel, filius natu minor Domini *White*, habitantis in Burgo dicto *Southvvark*, circa annum ætatis ſuæ ſeptimum, & Domini noſtri 1670. in legitimam Pleuritidem incidit, una cum inflammatoriâ febre, tuſſi perpetuâ, verùm aridâ, & dolore laterali horrendo. Poſt varia incaſſum priùs per 3. dies tentata, ego tandem advocatus, ſanguinis ℥vi. plus minus illicò extrahi juſſi è brachio ſiniſtro, quoniam ſcil. dolor in eo latere præcipuè urgebat; partes etiam externè illini Linimento Anodyno; Internè Expectorantia Linctûs & Apozematis formâ copioſè exhiberi. Difficulter admodum puer medicamina interna admittebat. Dolore verò, & febre id ſuadentibus, Phlebotomiam ſemel in die per 5. ſucceſſivos dies inſtitui, ex conſilio, & cum conſenſu Collegæ mei eximii, *Doctoris Micklethvvait*. In doloris etiam ulteriorem mitigationem Fotum Anodynum in veſica bubulâ alternatim applicari juſſi una cum Linimento & Veſicatoria admota Nuchæ, & Brachiis internis. Utcunque verò neque dolor, neque febris cedere videbatur, donec tandem circa nonum ſcil. morbi diem naturâ ſuâ ſponte, per hæmorrhagiam narium, ſeſe exonerare satageret; atque hoc pacto, eâdem diei horâ, per tres ſucceſſivos

ceſſivos dies criticè natura, ac ſi benignitate quâdam ducta, officio Chirurgi perpetuo fungebatur; idque cum optimo ſucceſſu; ſicuti enim dolor, ita etiam febris ferè evanuit. Nullâ vero arte expectoratio per totum morbi decurſum promoveri potuit.

Quare Hippocratis auctoritate motus ſententiam meam palam in amicorum præſentiâ protuli, de Empyemate ſcil. mox intra quadraginta dies inſecuturo. Neque quidem me fefellit eventus: Jacebat enim miſellus & emaciatus puer cum rubore genarum quotidie revertente, febre hecticâ miti, tuſſi aridâ perpetua, & anhelosâ reſpiratione, ſenſim indies marceſcens, uſque ad quadrageſimum morbi diem, majore parte temporis etiam in latere ſiniſtro contractus, multum de gravante in eodem hypochondrio dolore conquerebatur.

Die quadrageſimo eum mane inviſi, atque uno vel altero piſciculo veſcentem, magiſque ſolito hilarem inveni. Non obſtante tamen illo, memor illius Hippocratis de die quadrageſimo præſagii, juſſi Mixturam Emeticam e Sale Vitrioli & Oxymel. Scyllitico in promptu eſſe, quod cochleatim ingereretur ad vomitum ciendum, modo à ſubitâ Apoſtematis rupturâ ſubſequens ſtrangulatio per præproperum materiæ in Bronchia tranſitum timeretur. Vix per unam horam diſceſſum erat, quin è ſomno excitaretur Æger, propemodum ſtrangulatus; atque eo modo per quatuor horarum ſpatium perdurabat, priuſquam me invenire potuerant, ſine vel ullâ ſenſibili reſpiratione, vel pulſu, fixis etiam oculis, dentibuſque & manibus ſpaſmodicè conſtrictis & frigidis, tantum non mortuus. Tandem ego acceſſi, & mixturam quam dudum in promptu eſſe curaverem, licèt præ adſtantium horrore (qui Ægrum tanquam jam mortuum reſpexerant) hactenus non eſſet exhibita, ori vi aperto, cochleatim ingeri curavi, & nonnullas illitâ oleo plumâ titillari; quo brevi temporis ſpatio ad vomitum excitatus, non tantum crudum chylum è Ventriculo, verum etiam puris planè fœtidi Pintam ferè è Bronchiis rejecit; atque inde paulatim ex uſu Cordialis Julapii, ſpaſmi unà cum ſtrangulatione receſſerunt; Extremorum etiam calor, & pulſus redierunt, & poſt tres tandem peractas horas incerta verba murmurare cœpit; & poſt ſomnos aliquot magis placidos mens etiam reſtituta fuit; atque intra 24. horas eſuriebat, & victum petebat, cum amicorum & adſtantium omnium maximo ſtupore. Nihilominus tamen, non tantùm debilis, & lecto affixus, verùm etiam emaciatus, hecticus, continuò tuſſiens; & ob pondus materiæ in cavitate Thoracis Diaphragma prementis, anhelosè reſpirans jacebat; ac ſi à Phthiſi brevi periturus eſſet. Ob præſentem acutam Phthiſim, & virium debilitatem, non auſus ſum materiæ evacuationem per Cathartica tentare; Neque per Paracenteſim eam educere; quoniam ſicuti adſtantes id renuebant ita quidem nulla protuberantia in Hypochondriis apparebat, quæ quidem certum aperturæ locum deſignaret. Ideoque decrevi in præſens, Rem magis cunctando reſtituere, Lacteam ſcil. inſtituendo Diætam in ſanguinis temperationem, atque frequentem uſum Apozematis ſequentis, partim Pectoralis, partim etiam Diuretici, quo (ſi fieri poſſet) materiam per vias Urinarias, ſine ullo virium diſpendio, foras educerem; Forma Apozematis hæc erat, quæ ſequitur.

℞. Semin Malv. Altheæ an. ℨiii. Semin. iv. Frig. major an. ℨi. Cicer. rubr. ℨi. Gran. Alkekeng. ℨii. fol. Tuſſilag. Cap. Ven. an. Mj. Caricar. Pingu. n. vij. ſebeſt. n. xv. Glycyrrh. raſ. ℨi. Coque in aqu. F. ℔iv. ad ii. Colaturæ adde Syr. Altheæ ℨi. ß. M. F. Apozem. Sub hoc regimine (Additis etiam Julapio perlato, & Linctu pectorali) vires multùm relarciri videbantur. Suboriebatur verò inde Hydrops univerſalis, qui in tantum augeſcebat, ut miſellus Æger quotidie à ſuffocatione periturus videretur. Ex uſu verò copioſo Salis Succini, Lenium Catharticorum, & Electuariorum Chalybeatorum, (commixtis ſemper Medicamentis Balſamicis, & Pectoralibus) penitus à Phthiſi, & Hydrope etiam ſanus evaſit, conſpirante verno & ruſticano aëre, atque adhuc ſanus inter vivos manet, robuſtus, & Athleticus, muniis Mercatoris egregiè fungens.

Hiſtoria 2. Filia Domini Gifford, in plateâ dictâ Fleet Lane, circa octavum ætatis ſuæ annum, febre inflammatoria, dolore Laterali, & tuſſi importuna atque arida correpta fuit. Ego advocatus poſt duos, vel tres morbi dies judicans à ſignis Diagnoſticis Ægrotam pleuritide laborare, iterum, iterumque venam ſecari juſſi, Linimenta externe, & Fotus applicari, Expectorantia etiam medicamenta copioſe ingeri, (quæ quidem nimis parcè ſumebat) Veſicatoria etiam pro exigentia febris, & affectionis generis nervoſi præſcripſi, & Julapia perlata ex Aquis Cephalicis, & Cordialibus facta. Poſt horum uſum febris quidem inflammatoria in hecticam mutata fuit, & dolor Lateralis convulſivus in gravantem, atque inde omnia ſymptomata mitiora apparebant. Quia verò nulla arte phlegma aliquod è Bronchiis per tuſſim educi potuit, ego multum ſuſpicabar putridum hoc Phlegma pulmonibus concoctum, aliam viam per ipſum parenchyma in cavitatem Thoracis inveniſſe, atque miſellam Ægram noſtram phthiſi Empyica à pleuritide, ob defectum ſcilicet expectorationis, ortâ, tandem perituram. Neque quidem conjectura mea me multùm fefellit. Poſtquam enim per viginti dies à pleuritidis legitimæ fine decubuiſſet, puella languens, cum febre hectica continua, rubore genarum ſæpiùs revertente, volis manuum admodum aridis, tuſſi ſicca, & importuna, vigiliis pertinacibus, reſpiratione anheloſa, aliiſque impenſivis ſymptomatis indies marceſcens; tandem conqueri cœpit de dolore gravante lateris juxta hypochondrium ſiniſtrum, qui de die in diem adeò increſcebat, uti tandem non ſine ejulatione moveri, vel erecto corpore ſedere potuerit. Poſt Trigeſimum verò morbi diem partem affectam inſpiciens, eam tumentem, & quadantenus acuminatam vidi. Exſpectavi autem uſque ad quadrageſimum diem, & tunc, advocato Chirurgo peritiſſimo, Domino Hollyer, per paracenteſim paulò ſupra Diaphragma factam putridum phlegma ſenſim extraximus, ſpatio ſcilicet menſis unius: ob marcidum enim corporis ſtatum nullam inſignem evacuationem in unam vicem ferre poterat,

Per

Per annum vel alterum vulnus aliquâ parte, ſicuti Fontanella, apertum conſulto ſervabatur. Intereà temporis Lacteâ Diatâ, Medicamentis Balſamicis, Millepedis, Decocto Sarſæ Vulnerario, liberè & diu epoto, &c.) adjuvante etiam ruſticano aëre) interſperſis etiam, debitis intervallis, & pro Ægræ viribus, Catharticis è Calomelan. & Diagryd. factis, tandem è tabido ſtatu exceſſit εὔχρωος, & εὔσαρκος; atque adeò per plurimos annos, duravit, ſine vel ullâ prioris morbi labe, niſi quòd latere affecto quadantenus curvitate contracta eſſet ad fatalem uſque diem, quo tempore à febre maligna è vivis ſublata.

Cap. II. *De Phthiſi ab Arthritide & Rheumatiſmo ortâ.*

In Arthritide & Rheumatiſmo, præſertim verò legitimo & humoroſo (qui ſcilicet à fermento acri e nervis ſuppeditato ortum ſuum ducit) adeò evidens fit colliquatio in tota ſanguinea maſſa, uti nemini mirari liceat, ſi Phthiſis ab hiſce morbis (præcipue verò ubi fuerint contumaces, Chronici, & frequenter recurrentes) oriatur. Atque hinc facile obſervari licet, Rheumaticum dolorem à percepto frigore provenientem, rarius, ſi unquam, abſque tuſſi pulmonari artus invadere ſolere. Et ſicuti illuſtrem virum, Dominum Orlandum Bridgman, Dominos Philips, & Tibs, atque alios quampluri-mos, poſt frequentes, & longos Arthriticos, & Rheumaticos paroxyſmos, tandem Phthiſicè, vel Aſthmaticè periiſſe perſpexi; ita aliquando etiam poſt primum Rheumatiſmi paroxyſmum acutam & fatalem Phthiſin ſubintraſſe notavi.

Phthiſin iſtam ubi à primo Rheumatiſmi inſultu invadit, nonnunquam ob eam rationem acutam eſſe accidit; utpote à colliquatione humorum in acuto Rheumatiſmi humoralis Paroxyſmo ortam. Ideòquè quoniam communis Phthiſeos naturæ participat, generali methodo omnino tractari debet; uſu ſcilicet Lubricantium, Incraſſantium, Opiatorum, atque aliorum medicaminum Pulmonarium. Et quidem ego, idque non ſine fælici ſucceſſu, in omni Rheumatiſmi Paroxyſmo, tametſi neque urgens aliqua tuſſis, neque Dyſpnœa adſit, Apozemata, & Eclegmata Pectoralia Lubricantia, & Incraſſantia, copioſè præſcribere ſoleo non tantùm ad ſanguinem temperandum, atque emolliendum, verùm etiam ad præcavendam Phthiſin, quæ non rarò à Rheumatiſmo ortum ſuum ducere ſolet.

Quoties autem iſta Phthiſis ab Arthritide, vel veteri, & ſæpiùs recurrenti Rheumatiſmo oritur, eſt planè Chronica, ſenſim, & gradatim per plures annos pulmonibus, & partibus reſpirationi dicatis creans moleſtias. Atque eſt quidem Aſthmatici generis, ob phlegmatis viſcoſitatem dyſpnœa magis, quàm pertinaci tuſſi ſtipati.

Siquidem à generis nervoſi ſtupore magis quàm ab humorum colliquatione oriri videtur. Hæc tamen Aſthmatica Phthiſis videtur mihi eſſe genii peculiaris, eo quòd delectu aëris non omnino relevatur. Hujuſmodi enim Phthiſicos, licèt etiam Aſthmatici fuerint, æquè bene in aëre paluſtri, & fumo carbonum oppleto, ac in tenui, & perflatili reſpirare notavi. Atque inde etiam fit, quòd medicamenta Lubricantia, & Expectorantia nequicquàm hìc valeant; utut Incraſſantia, & Opiata fataliter lædant. A Spiritibus autem C. C. Sal. Armon. Ol. Juniperi Chymico, atque aliis ejuſmodi, quæ ſcilicet ſpiritus excitant, & nervos confortant, frequenter & copioſè exhibitis, plus levaminis, quàm vel à quibuſvis Opiatis, vel Thoracicis medicamentis ritè exſpectandum eſt.

Quò magis iſta Aſthmatica Phthiſis procedit, eò magis dolores, & tumores Rheumatici minorari ſolent. Et quidem Rheumatiſmus humoralis verus, & legitimus, longe priuſquam lethalis evadat, in nervoſum, vagis doloribus huc illuc tranſeuntibus, verùm nullo evidenti tumore comitatum, degenerat.

Rheumatica iſta Phthiſis à Rheumatiſmo Chronico orta, & in ſenili ætate accidens, eſt quidem (quantum ego ſcio) planè incurabilis. Indicium eſt enim naturæ jam planè ſuccumbentis; & in ultima Rheumatiſmi ſcena jam triumphatæ.

Vomitoria lenia debitis intervallis repetita, (præſertim verò ſi cum εὐφορίᾳ ferantur, neque nimis ſerò exhibeantur) multum ad hujus phthiſeos curationem promovendam conferunt; utpote Cerebrum & genus nervoſum deoppilantia, & Rheumaticos dolores minorantia rigiditatem & ſtuporem fibroſi generis univerſaliter ſublevando; quo fit ut cauſa Procatarctica, ſeu fomes hujuſce Phthiſeos, plurimum ſubtrahatur.

Venæſectio etiam ſub hujus Phthiſeos initio (priuſquam ſcilicet Corporis habitus nimis exinanitus fuerit,) plurimùm prodeſt; non tantùm calorem hecticum & Rheumaticos dolores minuendo; verùm etiam ipſi dyſpnœæ levamen miniſtrando.

In morbi verò progreſſu, ubi ſcilicet inſignis marcor univerſalem corporis habitum priùs invaſerat, ſicuti à venæſectione naturam debiliorem, ita reſpirationem difficiliorem reddi ſæpiùs obſervavi. Et quidem nullus dubito, quin Aſthmatica Phthiſis non rarò à profuſa & ſæpiùs repetita venæſectione in Rheumatiſmi paroxyſmis adminiſtrata ortum ſuum ducat; craſi ſcilicet ſanguinis inde (uti in aliis immodicis hæmorrhagiis accidere ſolet) everſa, totaque ejus maſſa jam depauperata.

Vires etiam egregias peruviani Corticis, in extinctione flammæ hecticæ colliquantis, à ſtatu Rheumatico in ſanguine accenſæ, ibique derelictæ, ſæpiſſimè ſum expertus; quæ quidem flamma niſi arte aliqua, vel natura tollatur, viam in hanc pulmonarem phthiſin certiſſimè ſternit.

Ob eandem etiam rationem medicamina Chalybeata in hujus morbi principio, ad inducias ſaltem obtinendas, ſi non ad curationem perficiendam plurimùm conducere obſervavi; præſertim verò Aquas minerales Chalybeatas, modò non nimis ſerò propinentur, & ſatis copioſè per vias urinarias fluant.

Uſus etiam Thermarum, & Balneorum Artificialium, priuſquàm ſcilicet corporis habitus nimis fuerit extenuatus, fibroſi generis obſtructiones univerſim deoppilando, plurimùm hujus phthiſeos incipientis curationem promovere ſolet.

Lactea etiam Diæta in primo hujus morbi limine plurimùm confert, flammam in ſanguine accenſam minuendo, & acrimoniam præternaturalem leniendo. Licet eam in morbi progreſſu, cum Dyſpnœa jam fuerit inducta, non adeò bene convenire fatendum ſit; quoniam ſcilicet Phlegmati Bronchiis impacto majorem glutinoſitatem conciliare ſolet. Neque forſan conjectura iſta eſt ſine gravi ratione fundata; ſcilicet quòd lactis in Rheumatiſmo nimius uſus Ægrotum in Phthiſin hanc Aſthmaticam valdè diſponit.

Historia 1. *Domina Laurence*, circa annum ætatis ſuæ trigeſimum quintum, quo tempore etiam gravida facta eſt, in Rheumatiſmum univerſalem incidit, & ſeſe curæ cuiuſdam Pharmacopolæ per plures menſes commiſit; donec tandem à tuſſi, dyſpnœâ, febre hecticâ, marcore, atque aliis hujuſmodi jam ſuperinductis ſymptomatis, incertum eſſet an Rheumaticè, an verò Phthiſicè interitura eſſet; Rheumatiſmo quidem (qui antè fuerat legitimus) in Nervoſum, rigiditate, & vago quodam artuum dolore, nullo tamen tumore ſtipatum degenerante. Quo tempore ego advocatus *Octobr.* ſcilicet die 25. 1686. ad temperandum Rheumaticum & Hecticum ſanguinis & ſpirituum fervorem, & ad affectiones Hyſtericas inde natas compeſcendas, Electuarium cum ſequenti Julapio præſcripſi.

♃. Conſerv. Roſ. Antiq. Fruct. Cynoſbat. per ſetaceum traject. an. ℥i. Pulv. Flor. Lavend. Magiſter. Corall. an. ʒi. Syrup. è Corall. q. ſ. MS. F. Electuarium è quo capiat quantitatem Nuc. Moſchat. ſextâ quâque horâ.

♃. Aq. Rut. ceraſ. nigr. an. ℥iv. Aq. cinnam. hord. ℥ii. Aq. Pœon. Bryon. Comp. an. ℥iß. Margarit. præp. ʒiß. Sacchar. Alb. q. ſ. in gratam edulcorationem. Ms. F. Julapium, è quo capiat cochl. iv. vel v. poſt ſingulas doſes Electuarii, atque etiam ad libitum.

In dolorum & rigiditatis artuum levamen, eadem nocte Veſicatoria internis brachiis juxta axillas applicari juſſi, & levem evacuationem per alvum tentavi ope ℥ii. Tincturæ ſacræ; quæ quidem benè ferebat. Hora ſomni ſequentem Paregoricum hauſtum præſcripſi.

♃. Aq. Rhœd. ℥iii. Cinnam. hord. ℥i. Pœon. comp. ʒii. Sal. Abſinth. gr. vi. Syr. de Mecon. ʒvi. MS. F. Hauſtus.

Octobris 28. Vomitorium ſequens propinavi.

♃. Vin. Benedict. ℥i. Syrup. Violac. ʒii. MS. quo detur pro Emetico, circa horam quintam pomeridianam cum regimine, & (ſi opus fuerit) inter vomendum capiat ℈i. Salis Vitriol. bis, vel ter in hauſtu Poſſetalæ calidæ. Vomitione finita, hauſtum Paregoricum ſequentem præſcripſi.

♃. Aq. Menth. ℥ß. Steph. ℥iii. cinnam. hord. Lact. Alexiter. an. ℥i. Syrup. de Mecon. ʒvi. MS. F. Hauſtus.

A Vomitorio levamen univerſim ſenſit, idque non tantùm à ſymptomatis Phthiſis, verùm etiam Rheumaticis. Ideoque poſt tridui ſpatium repititionem Emitici injunxi; & deinde flammam Hecticam in ſanguine à Rheumatiſmo accenſam exſtinguere, & pulmonibus inde labefactatis proſpicere totis viribus nitebar, ſequentem in modum.

♃. Ingred. Decoct. Pectoral. q. ſ. Cortic. Peruvian. ℥i. Balſam. Tolutan. ℥i. coq. in Aqu font. q. ſ. ad ℔ß. Colaturæ adde Aq. Theriacal. Stillat. Syrup. Balſam. an. ℥iß. MS. F. Apozema, de quo capiat ℥iv. ter die per ſex dies continuos ſemper ſumendo in hauſtu nocturno Laudan. Liq. Helmont. gutt. xv. modò Tormina in Diarrhœa, vel vigiliæ urgeant.

Finito jam Apozematis uſu, repetitionem potionis Emeticæ juſſi, & tandem, *Novembr.* ſcilicet 15. ſequentes Pilulas præſcripſi.

♃. Pulv. Patrum ſubtiliſſimè trit. ℥i. Mucilag. Gum. Tragacanth. q. ſ. MS. F. pilulæ mediocres deaurandæ, quarum ſex capiat manè & veſperi de die in diem.

A quorum uſu planè convaluit, non tantùm à doloribus, & rigiditate artuum, verùm etiam à tuſſi, dyſpnœâ, oppreſſione, febre & reliquis Phthiſeos pulmonaris ſymptomatis planè liberata. Rediit etiam appetitus, & tandem etiam vires, & carnes ejus reſarcitæ ſunt, atque adhuc ſine aliqua Rheumatiſmi, vel Phthiſeos revireſcentia optima ſanitate utitur.

Historia 2. *Domina Covert*, virgo circa annum ætatis ſuæ decimum octavum, in febrem continuam incidit, quæ tandem alia intermittente excipiebatur, quæ quidem per ſpatium xi. vel xii. menſium duravit. Hæc verò ſponte ſua evanuit, Rheumatiſmo humoroſo tantùm excepta. Febre autem & Rheumatiſmo proceſſu temporis (neſcio quo pacto) quadantenus jam evictis, manſit tamen miſella virgo continuò hectica, tuſſiens, anheloſa, valde emaciata, & penè etiam exſanguis faciem tanquam Hippocraticam præ ſe ferens. Inſuper adeò à triumphante Rheumatiſmo, muſculorum tendines ferè univerſim præ craſſitie & indureſcentia præternaturali rigeſcebant, uti omnibus artubus, non tantùm minoribus pedum atque manuum, verùm etiam maioribus, planè muniis ſuis imparibus factis, vel ſaltem difficulter & dolorificè fungentibus, cathedræ, vel lecto perpetuò ferè affixa maneret, tanquam ſtatua. Doloribus etiam vagis & verſatilibus, ſpaſmodicis & horrendis hic inde per totum thoracem non raro percita fuit, lipothymiis etiam hyſtericis, paroxyſmis febrilibus incertis ſæpiùs recurrentibus vexata. His omnibus ſymptomatis continuus etiam virium languor, appetitus proſtratio, & purgationum menſtruarum ſuppreſſio adjungebantur. Univerſalis etiam corporis habitus mihi videbatur eſſe valdè ſcorbuticus. Caſus ſanè (ſi quis alius) valdè deploratus, cui tamen (Deo favente) arte noſtra ſequentem in modum ſuccurrebam.

Miſellam Virginem triceſimo die *Maii* 1683. inviſens, ad temperandam ſcorbuticam ſanguinis acrimoniam, & vagos dolores quadantenus demulcendos, qui ſicuti longo tempore duraverant; ita non parùm adhuc oppreſſam naturam tenebant; præſcripſi Calomelan. Diagryd. Sulphurat. an. gr. xiv. Syrup. Cichor. cum Rheo q. ſ. MS. F. Bolus manè ſumendus cum regimine. Scrupulos etiam duos Milleped. præp. & oculor. Cancr. præpar. commixt. ter die horis Medicis exhiberi juſſi, è cochleari Julap. ſequentis, ſuperbibendo ℥iii. vel iv.

♃. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. Lact. Alexiter. Cinnamom. hord. Epidemic. an. ℥iii. Sacchar. Perlat. ʒvi. MS. F. Julapium.

Sacculum item ſequentem præſcripſi ſuſpendendum in Cong.iii. Cereviſiæ mediocris in potum ordinarium.

℞. Rad. Lapath. Acut. Pœon. mar. an. ℥ii. Cochlear. utriuſque an. M. iii. Beccabung. Naſturtii Aquat. heder. Terreſtr. ſummitat. Pini, an. M.ii. ſem. Aniſ. ℥i. Ms. F. Sacculus.

Junii ſecundo; quoniam forma Pulveris non adeò grata fuerat, & ut obſtructionum reſerationem promoverem, Pulveris loco, Electuarium ſequens ſubſtitui.

℞. Conſerv. Fruct. Cynosbat. Roſ. Rubr. an. ℥ß. Milleped. præp. ʒiß. Ocul. Cancr. præp. ℈ii. Sal. Martis gr. xii. Syr. Chalyb. q.ſ. MS. F. Electuarium; de quo capiat quantitatem Nuc. Moſch. ſextâ quâque horâ, ſuperbibendo hauſtum Julapii. Pilul. etiam ſtomach. cum Gum. ℈i. nocte ſequenti deglutiendum præſcripſi.

Junii quinto; quoniam forma Electuarii non arridebat, in eandem intentionem Syrupum Chalybeatum ſubſtitui. Et quoniam alvus non adeò facilè ſubducebatur, Pilulas ſequentes priorum loco in promptu eſſe juſſi. Pro Syrupo.

℞. Vin. Chalybeat. ℔ii. Tinctur. Croc. Caſtor. an. ℥i. Sacchar. Alb. q.ſ. Coque ad conſiſtentiam ſyrupi. Sumat exinde cochl. ii. mane, & quintâ pomerid. diebus à purgatione liberis, per ſe, vel in aquâ Card. dilut. Pro pilulis.

℞. Pil. ſtomach. cum Gum. Aloës Roſat. an. gr. xv. Sal. Abſinth. gr. iv. Elix. Propriet. q.ſ. MS. F. Pilulæ num. 4. craſtinâ nocte ſumendæ cum liberâ cuſtodiâ.

Tendines etiam induratos, & præ craſſitie dolorificè contractos bis die ad luculentum ignem illiniri juſſi, Oleo Succin. & Spir. Lavend. comp. an. Part. æqu. ſuperinducendo pannum Laneum.

Licèt iſtorum uſu tendinum tumor minorari videretur, atque rigidi artus quadantenus motui aptiores reddi, ſyſtema tamen nervoſum ab hyſtericis lipothymiis frequenter revertentibus grave aliquid ſubinde pati viſum eſt. Ideoque *Junii nono*, cochl. iv. vel v. Julapii ſequentis ad libitum in languore propinari juſſi.

℞. Aq. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥iii. Aq. Bryon. Pœon. Comp. an. ℥i. Tinctur. Caſtor. ʒi. Sp. Sal. Armon. ʒß. Syrup. Pœon. comp. ʒx. MS. F. Julapium.

Sacculum Ingredientium Antiſcorbuticorum repetivi, & quartâ quaque nocte pilulas Catharticas injunxi.

Nervoſo genere ex uſu præſcripti Julapii ter, quaterve jam relevato, præter calorem hecticum continuum, paroxyſmum etiam febris intermittentis legitimæ cum rigore invadentem, & profuſis ſudoribus finitum, licèt incertis intervallis, aliquando obſervavi. Atque inde non ſine ratione ſuſpicabar, ab hoc latitante febrili fermento, quòd nunquam adhuc è ſanguinis maſsâ amandatum fuerat; quodque adeò Protei inſtar, ſub varia ſpecie hucuſque viſum noſtrum illuſerat, appetitûs dejectionem, febrem hecticam continuam, & languorem univerſalem provenire. Ideoque contra hoſtem hunc totis Peruviani Corticis viribus inſurgo. Siquidem ipſe mihi pollicitus ſum (neque quidem me ſpes mea fefellit, uti vel ipſe eventus poſteà comprobavit) quòd debellato hoc hoſte, ſanitatis ſtatus plurimùm inde reſtitutus foret, utcunque Balnea, Fotus, atque alia ejuſdem generis inſigni eſſent uſui ad Trophæa Arthritidis in artubus nodoſis, & debilitatis relicta, penitus exſtirpanda. Ideoque.

Junii 13. præſcripſi hauſtum ſequentem, quartâ quaque hora repetendum ad vii. vel viii. vices.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥i. Aqu. Epidem. Syrup. Caryophyll. an. ʒii. Pulv. Patrum ſubtiliſſimè trit. ʒi. MS. F. Hauſtus. Julapium etiam ſequens cochleatim in languore ſumendum.

℞. Aq. Card. ℥vi. Cinnam. hord. ℥iv. Pœon. Comp. ℥ii. Margarit. præp. ʒiß. Sacchar. Alb. ʒv. MS. F. Julapium.

Junii 15. ℞. Pulv. Patrum ſubtiliſſimè trit. ʒv. Mucilag. gum. Tragacanth. q.ſ. F. pilulæ mediocr. deaurand. quarum ſex capiat quartâ pomerid. & horâ ſomni, de die in diem ſumendo omni mane Syrupum Chalybeat. jam ante præſcriptum. Sacculus etiam Ingredientium Antiſcorbuticorum renovetur. Etſi autem Ægra liberali iſto Corticis uſu à paroxyſmis febrilibus penitus liberata erat, manſit tamen adhuc nauſea, & inappetentia, unà cum languore atque aliis inveterati hoſtis Trophæis. Ideoque, utcunque medicamenti formam mutaverim, hoſtem tamen jam planè fugatum Cortice ulterius proſequebar in ſequentem modum.

℞. Ingred. Decoct. Amar. purg. q.ſ. Sal. Abſinth. ʒß. Cortic. Peruv. pulveriz. ℥ß. Infunde debito modo, & coque in Aq. Font. q.ſ. ad ℥xii. capiat ℥iv. Colaturæ fortiter expreſſ. manè, repetatque per tres dies continuos, continuando uſum Syrupi Chalybeat. quartâ pomerid.

Junii 27. præſcripſi Bolum ſequentem cum ℥iv. Apozematis ſextâ quâque horâ ſumend. per tres dies continuos.

℞. Cortic. Peruv. ſubtiliſſ. trit. ʒß. Syr. Artemiſ. q.ſ. MS. F. Bolus.

℞. Cortic. Peruvian. Pulveriz. ℥ß. infunde, & coque in Aq. Card. & Vin. alb. an. q.ſ. ad ℥xii. cola in uſum.

Julii 5. Quoniam genus nervoſum adhuc aliquatenus malè affectum erat, tres Pilularum ſequent. ter die horis Medicis ſumendas dedi, ſuperbibendo ℥ iv. Tincturæ Corticis jam ante præſcript.

℞. Pulv. Patrum ʒii. Trochiſc. de Myrrh. ʒi. Caſtor. Ent. Vener. an. ℈ii. Mucilag. Gum. Tragac. q.ſ. MS. F. Pilulæ mediocres deaurand.

Ab hoc copioſo uſu Corticis, licèt diverſâ formâ exhibiti, Ægra noſtra mirum in modum undiquaque ad ſanitatis ſtatum reſtituta eſt, & ab omnibus Phthiſeos, & Rheumatiſmi ſymptomatis planè liberata eſt; niſi quòd tendines atque artus, præcipuè verò manuum, rigidi, & quadantenus etiam tumidi manebant, & carries etiam nondum ſatis reſarcitæ. Ideoque ubi jam præparatorio ritu alvum ſubduci curaveram Extracti Rud. gr. xv. & Pilul. Fœtid. ℈i. eam per ſpatium ſex hebdomadum ad uſum Thermarum Bathonienſium, internum, atque etiam externum relegavi, imperando tendines atque tumefactos artus ſub finem ſingularum Balneationum diu atque liberè Aquis Thermarum Regiarum embrochari, atque eaſdem partes (Ægrâ in lecto jam poſitâ & in ſudores diſpoſitâ) Linimento ſequenti diu illiniri.

℞. Ung.

℞. Ung. Dialth. Nervin. an. ℥j. Ol. Scorpion. Lilior. alb. an. ℥ß. Ol. Aniſ. Chym. ʒiij. M. F. Linimentum. Et, ne in uſu balnei elangueret, Julapium Cord. ſequens in promptu erat Cochleatim ab libitum ſumendum.

℞. Aq. Epidem. Stephan. an. ℔ß. Syrup. Caryophyll. ℥ij. Ms. F. Julap. Cordiale. Menſe Septembri Ægra noſtra ab uſu Thermarum cum multo fructu reverſa eſt. Præcipuè verò exinde tendines, atque artus affecti plurimùm reſtituebantur, ad quorum curationem ulteriùs promovendam, conſului uti Balneis noſtris Londini publicis bis, vel ter hebdomade uteretur, unà cum ſequentibus Medicamentis.

Sept. 4. 1683. ℞. Sarſ. Opt. ℥iv. Rad. Chin. ℥iß. Raſ. CC. Ebor. an. ʒiij. Paſſular. major. exacinat. ℥ij. Glycyrrh. raſ. ℥ß. poſt debitam infuſionem coque in Aq. font. ℔ VIII. ad IV. hujus Colaturæ bibat ℔ß. ter die horis Medicis.

℞. Ceruſſ. Antimon. Milleped. præp. an. ʒiß. Ms. in ſex chartulas, quarum unam capiat ter die cum ſingulis hauſtibus Decoct. præſcript. præcipuè verò quo tempore Balneum ingreditur.

Uſu Balnei jam finito, moderatam Diaphoreſin ſingulis noctibus promovere ſatagebam, ex uſu ſequentis hauſtus.

Sept. 12. 1683. ℞. Aq. Card. Theriacal. ſtill. an. ℥i. Ceruſſ. Antimon. ℈i. Syrup. Violac. ʒij. Ms. F. Hauſtus per x. noctes continuas repetendus. A quorum uſu artus, atque tendines multum levaminis capiebant. Tandem verò, ne Ægrotantis recidivatio in intermittentem febrem ſub anni finem (cujus magna & rationabilis erat ſuſpicio) perfectionem curationis irritam redderet, conſului repetitum Chinæ Chinæ uſum per plures dies quartâ, vel quintâ quâque horâ ſumend. ſub formâ ſequentis Apozematis.

Sept. 20. 1683. ℞. Cortic. Chin. Chin. pulveriz. ℥i. Coq. in Aq. Card. & Vin. alb. an. q. ſ. ad ℔iß. Deinde fiat colatura cum fortiſſimâ expreſſione.

Denique ad carnes reſarciendas, & ad ulteriorem hectici caloris temperationem Ægrotæ conſului, uti ſeſe ad Diætam Lacteam, exactiſſimam per ſex hebdomadum ſpatium in aëre ruſticano percipiendam reciperet.

A cujus uſu εὔσαρκος facta eſt, & planè convaluit, reſtitutis tunc tandem Purgationibus menſtruis floridis, quæ antehac per quatuor annos, ob emaciatum ſcilicet & inanitum Corporis habitum, penitus defecerant.

Anno verò ſequenti ſcilicet 1684. & menſe Junio, ob rigiditatem quandam in tendinibus carporum, & alterius pedis, manentem, Thermas iterum adibat, & poſteà Diætam Lacteam repetebat. A quo tempore hucuſque integra ſanitate utitur, atque etiam maritata liberos peperit.

Eadem ferè methodo præter ſpem omnium amicorum feliciter curavi Dominum *Overton*, extra Portam dictam *Nevvgate* habitantem; qui à longo Rheumatiſmo tandem in ſtatum planè tabidum redactus fuerat, unà cum Dyſpnœa; urgente & perpetua tuſſi, febre hectica continua, ſputo puri ſimili, & reliquis Phthiſeos pulmonaris funeſtæ ſignis. Cujus hiſtoriam brevitatis gratiâ hoc loco recenſere conſulto omitto.

Hiſtoria 3. Domina *Lane*, uxor Barbitonſoris, habitantis in Plateâ dictâ *Covvlane*, circa annos 35. nata, ubi in ſtatu Phthiſico emaciata & tuſſiens, per aliquot annos retroactos vixiſſet, menſe Aprili 1684. in Rheumatiſmum legitimum incidebat una cum cruciantibus doloribus, inflammatis tumoribus, verſatilibus tamen, ab uno artu de alterum citò migrantibus; item cum febre generis inſigniter remittentis eum comitante. Cujus Typus erat Tertianus (quem genium febris Rheumaticæ apprimè peculiarem eſſe ſæpiſſimè ſum expertus.) Quo in caſu, quoties ſcil. novus Paroxyſmus febrilis invadit, Rheumaticus dolor atque tumor jam ante ferè ſopiti in partibus affectis renovari, vel etiam in alios artus per metaſtaſin materiæ (uti veteres loqui amant) transferri ſolent. Paroxyſmi verò admodum prolati erant, per ſpatium ſcil. XII. vel XVI. horarum, vigiliis etiam, deliriis, jactatione multâ, calore, & pulſu valdè febrili ſtipati. Quæ omnia ſymptomata immenſis ſudoribus excipi atque ſolvi ſolebant. Sub initium verò ſinguli paroxyſmi Rheumaticos dolores in artubus affectis ſemper exacerbari, vel alios etiam artus de novo corripere perpetuo obſervari; adeò ut cum paroxyſmo febrili novus Rheumatiſmus ſemper intrare videretur. Ego tempore paroxyſmi advocatus, indicationibus præſentibus ſatisfacere conabar, Venæſectione, Veſicatoriis, Anadyno Hauſtu, Tincturâ Roſar. Linctu Pectorali, & Julapio Perlato. Et quidem omnibus ſymptomatis ſub finem paroxyſmi jam evaneſcentibus, ſequenti die ad inviſendum Ægrotantem reverſus, hoſtem à Præſcriptis penitus evictum & fugatum eſſe exiſtimabam, donec tandem à paroxyſmi febrilis & Rheumatici reditu nocte ſequenti, planè intellexeram, quam vanâ ſpe hucuſque illuſus fueram. Ideoque pro ſymptomatum indicantium urgentiâ, Venæſectionem iterum inſtituo, repetitionem Hypnotici Hauſtûs, & applicationem etiam Cataplaſmatis Anodyni artubus à Rheumatiſmo extremo dolore affectis mandans. Poſtquam verò Febris & Rheumatiſmi Typum, ad duas vel tres vices, planè Tertianum fuiſſe deprehenderam; atque omnia, non obſtante jam ante præſcriptâ methodo, perpetuo in pejus ruere, ipſo nervoſo ſyſtemate jam tandem ſpaſmis, præcipuè verò paroxyſmi tempore, correpto, atque ore etiam Aphthis ulcerato, fælici conjecturâ fretus, ad uſum Corticis Peruviani in hoc deplorato caſu me recipio; præſcribendo ʒi. Extra paroxyſmum, tertia, vel quarta quaque hora exhibendam. Cujus uſu XXIV. horarum ſpatio, à Rheumatiſmo æquè ac à febre liberata abſque ullo remedio, ſuo modo, hoc eſt Phthiſicè, valebat; minus tamen pulmonibus oppreſſa quam ante, decubitum fuerat. Ubi verò primum à dolore & febre liberata eſt, Phthiſin Chronicam (quæ etiam à Venæſectionibus, uſu Corticis, atque aliorum jam ante præſcriptorum medicamentorum minorari videbatur) planè negligebat, reſpuens cujuſcunque generis medicamenta: atque indè poſt annum unum, vel alterum à Phthiſi illa pulmonari Chronica ſenſim exſtincta eſt.

Cap. 12. De Phthiſi Pulmonari ortâ à febribus, præcipuè Crapuloſis, Scarlatinis, & Intermittentibus; uti etiam à Variolis, & Morbillis.

Sæpiſſimè ab iſtis acutis morbis Phthiſin pulmonarem ortum ſuum traxiſſe vidi. Neque quidem mirum videri debet, calorem à febre putridâ in humoribus accenſum, adeo facilè in Hecticum, ſeu Habitualem, in ſpiritibus & ſolidis corporis partibus ſitum, degenerare ſolere. Spiritus enim atque humores in habitû corporis cùm jamdiu pabulum, ſeu nutrimentum à ſanguine nimis accenſo, & calefacto receperunt, difficulter admodum præternaturalem iſtum calorem deponunt: Atque ab hac hectica & fixa flamma, quid mirum ſi colliquatio, & conſumptio inſequi aptæ ſint natæ? Atque hoc maximè ſolet accidere in Variolis, Morbillis & in Scarlatinis & Crapuloſis febribus. Siquidem iſtis morbis tam inſignis humorum colliquatio inſequitur, ab acri eos comitante calore effecta, uti progreſſu temporis vix ſiſti poſſit, quo novus chylus in poſterum partibus ſolidis aduniri vel aſſimilari queat. Atque hinc fit, quòd calor partium præternaturalis non ſemper à critica eruptione prioribus morbis facta penitus exſtinguatur; verùm calor hecticus in partibus ſolidis adhuc manet, una cum inani tuſſi, atque aliis ſignis ſeroſi & colliquativi ſanguinis ſtatus (evictis jam prioribus morbis) etiam inſecuturam Phthiſin præſagiens.

Uſitatiſſimus hujus Phthiſeos Prodromus eſt levis Peripneumonicus affectus, vel Tubercula ſcrophuloſa in ipſis pulmonibus nata; quæ primùm in priorum morborum declinatione ſemper oriri ſolent. Quo fit ut febrilis calor non tantùm rurſus accendatur; verùm etiam tuſſi, dyſpnœâ, vigiliis, ſiti, inappetentiâ, imo aliquando etiam dolore pectorali, atque aliis incipientis Phthiſeos ſignis ſtipatus redeat. Iſta enim Phthiſis plerumque eſt præceps & acuta, utpote naturæ à priori morbo jam debilitatæ ſuperveniens; neque quidem vel præcaveri, vel curari ullo modo poteſt, abſque tempeſtivis, & repetitis Venæſectionibus, utcunque debilis eſſe videatur Ægrotantis ſtatus. Et quidem Phlebotomiæ in præcedentis, ſeu originalis morbi declinatione neglectus, vel ejus nimis ſera vel parca adminiſtratio, anſam huic Phthiſi utplurimum præbere ſolet.

Debitis autem Phlebotomiis jam ritè celebratis, reliqua curatio diligenti Expectorantium & Balſamicorum generali methodo jam ante deſcriptorum, uti & Diætæ Lacteæ, & Julapiorum Temperantium uſu, perficienda eſt. Quod dictum eſt de Phthiſi Morbillis, Variolis, Scarlatinis etiam & Crapuloſis Febribus ſupervenienti (qui quidem morbi ſunt omnes unius generis; naturæ ſcil. inſigniter ſeroſæ, ſeu colliquativæ) idem etiam ob eandem cauſam de omnibus ſcorbuticis atque Chronicis febribus pari ratione affirmari poteſt; uti quidem generaliter loquendo de cujuſvis generis febribus quæ fuerint abſque legitimâ & debitâ criſi finitæ. Febrili enim fermento hoc modo magis vi depreſſo, quam evicto, mitis calor hecticus priori putrido calori ſuccedit, Phthiſin mox ſuperinducturus. Ideoque in harum etiam febrium declinatione, cujuſcunque fuerint generis, Phlebotomia celebrari debet, & reliqua curatio ſicuti in jam præcedenti periodo innuimus, perficienda eſt.

Quinetiam nullus dubito, quin vel ipſæ malignæ & peſtilentiales febres, quæ per Apoſtemata atque Ulcera criticè terminari ſolent, Phthiſin etiam ſuperinducere poſſint, materiam febrilem in tenerum pulmonum Parenchyma criticè propellendo, unde Tumores atque mali moris Ulcera Phthiſin peracutam inducere apta ſunt nata. Curatio autem perficienda eſt, tempeſtivo, & diligentiſſimo medicamentorum Expectorantium, Abſtergentium, & Balſamicorum jam ante deſcriptorum uſu: quo quàm citiſſima pulmonum purgatio iniri poſſit. De ortu verò Phthiſeos à febribus intermittentibus natæ, paucula hîc ſpeciatim ſubnectere lubet.

Primò ſcil. Me Phthiſin à nulla alia febre frequentius, quam ab Intermittente originem ſuam duxiſſe, obſervaſſe. Quod quidem videtur mihi duplici de cauſa accidiſſe: primum, Quòd iſta febris, vel ob genium ſibi peculiarem, (quippe quæ inexhauſtam mineram in corporis habitû continet;) vel ob efficacium medicamentorum tempeſtivè, & copioſè exhibitorum neglectum, valde chronica eſt, & ſæpenumero etiam fugata revertitur; atque inde fit quòd ab hoc putrido calore longo jam tempore invaleſcente, calor tandem hecticus & continuus in ſpiritus, & partes ſolidas ſuperinducatur; atque inde colliquatio humorum ſeroſa, una cum tuſſi, & reliquis Phthiſeos ſociis non poteſt non inſequi.

Secundò; Quod hujuſmodi Ægri, eo quod non ſuſpicentur hujuſmodi morbum fore lethalem, ſicuti illum contemnere, ita etiam ſemetipſos negligere conſuevêre; non tantùm morbum, neſcio quibus muliercularum Receptis, debellare ſatagentes, (quo fit ut ſub febrem curandi prætextu non raro diatheſin inflammatoriam, & venenatam ſanguini & humoribus concilient,) verùm etiam ſæpiſſime ſeſe aëri frigido, vel in ipſo paroxyſmi tempore, incaute exponentes, frigus unum poſt alterum percipientes, tandem incuriæ, & inſcitiæ propriæ pœnas luant, per Phthiſin ſcil. in hoc morbido humorum ſtatu à frigore ſæpius percepto, atque etiam neglecto effectam. Quæ quidem leni Catarrhi nomine à miſeris iſtis Ægris ſignari ſolet; donec tandem negligentiâ incurabilis evadat. Ideoque omnes admonitos vellem, ne falsâ opinione innocentis hujuſce morbi indolis ducti, vel Agyrtarum, vel Muliercularum Receptis, ſeſe committant; verùm uti eum, quàm citiſſime copioſo Corticis Peruviani (unicæ hujus morbi Herculeæ Antidoti) uſu, penitus atque tempeſtive debellare, & repetito ejus uſu febris reviveſcentiam præcavere ſatagant. Siquidem frequens in hujuſmodi febrem Recidivatio æque Phthiſin minatur, ac ſi plane eſſet continua. Eodem etiam animo Ægris conſulo, uti durante morbo, præcipue verò Paroxyſmi tempore, diligentiſſime à frigore percipiendo caveant.

Tertiò; Phthiſis iſta eſt plerumque Chronica; quæ ſcil. per ſpatium anni, vel eo amplius, durat, priuſquam ad ἀκμὴν ſuam pervenerit, in hoc particeps naturæ originalis morbi à quo dependet.

Quartò;

Quartò ; ſignum hujus Phthiſeos Pathognomonicum eſt, quod ab ipſis morbi primordiis, *Paroxyſmus* febrilis, Quotidianus, Tertianus, vel Quartanus, pro morbi ſcil. orginalis peculiari genio, febri hecticæ ſemper conjunctus ſit; una cum Tuſſi, Dyſpnœâ, atque aliis Phthiſeos Pulmonaris ordinariis ſignis.

Quintò ; In hujus Phthiſeos curatione Cortex Peruvianus medicamentis Thoracicis & Pulmonaribus copioſè commiſceri debet. Licet enim plures à deploratâ hujuſmodi Phthiſi, intra tres, vel quatuor hebdomadas, verno tempore, Corticis Peruviani, unâ, vel alterâ unciâ, ſine aliquo medicamento Pulmonari, & ſine ullâ Recidivatione liberârim : (cujuſmodi curationis exemplar unum vel alterum illico ſubnectere non pigebit :) Nullum tamen hujuſmodi Phthiſicum, vel diligentiſſimo medicaminum Antiphthiſicorum uſu, ſine Corticis admixtione vel ipſe curavi, vel à quoquam alio curatum memini.

Hiſtoria 1. Dominus *Thompſon*, Arte Pictor, habitans in Plateâ dictâ, Angiporto Sancti Nicolai, juxta Lumbard-ſtreet, circa annum 1674. initio Menſis Octobr. mediâ nocte, poſt eſum Salmonis nimis liberum, unâ cum Uxore ſuâ, eâdem ipſâ horâ, in lecto correptus fuit febre Quotidianâ vel magis ; uti ego ſentio, Triplici Quartanâ. Uxor, neſcio quibus Medicamentis, tam diu à Pharmacopolâ malè habita eſt, quod licèt ante Januarium Menſem a ſtatis febris Paroxyſmis liberata videretur, præ languore tamen virium perpetuo lecto decubuit, tanquam illico animam efflatura. Pulſus enim valdè debilis erat & celer, Lipothymiæ frequentes, vigiliæ pertinaces, nauſea & vomitiones ferè perpetuæ, ſudores multi, & colliquativi, ſitis immenſa, ſputatiò copioſa, jactatio continua, generis nervoſi affectiones hyſtericarum more inſignes, appetitus in totum proſtratus. Miſera Ægra quæ jam continuo inſtantem mortem exſpectabat, priſtinæ febris reditum vehementer exoptabat, modò eâ lege à præſentibus miſeriis liberaretur. Decocto Amaro Cathartico bis in eam rem exhibito pro voto, priorem febrem cum juſtis Periodicis Paroxyſmis revocavi. Deinde in Paroxyſmorum intervallis Corticem Peruvianum ſub variis formis liberè, ad ℥i ß. ſcil. præſcripſi. A cujus completo uſu planè convaluit, ſine vel ullâ morbi, vel ejus ſymptomatum revireſcentiâ. Neq; quicquam amplius præter Julapia Hyſterica & Opiata, pro ſymptomatum ſcil. exigentiis, injunxi.

Maritus autem, cum Athletici fuerit habitûs, & multis negotiis implicitus ; præcipuè verò quoniam uxorem ex medicamentis perperam à Pharmacopolâ exhibitis, indies in pejus ruere obſervavit, ſibi nullam opem vel à Medico, vel ab ipſo Pharmacopœo petebat, exſpectans ſcil. vere jam appropinquante, hoſtem ſuâ ſponte diſceſſurum.

Quotidiè etiam, poſt peractum paroxyſmi inſultum, negotia ſua tum domi tum foras ſedulo peragebat (febre interim ſimplicem ſuam formam uno eodemque tenore in ſtatis paroxyſmis, & intermiſſionibus per totum hoc tempus ſervante. Tandem verò poſt Uxoris ſuæ convaleſcentiam, ubi ſeſe indies magis magiſque morbo ſuo ſuccumbere ſenſit, opem meam petiturus erat ; verum à ſano iſto conſilio, tum vernæ tempeſtatis appropinquatio tum graviorum negotiorum diſtractio eum abſtrahebat. Verum quidem eſt, quod ſecundum jam conceptam opinionem, ſub ſequentis ſcil. veris initio, in ſimplici ſuâ formâ, ſuâ ſponte febris eum reliquerit; verum appetitus adhuc omninò proſtratus manſit, dejectæ vires, Corporis habitus valdè macilentus & exſanguis, pulſus continuo celer & debilis, ſitis ingens, reſpiratio anhelosa, tuſſis aderat ſicca perpetuoq; diu noctuq; urgens una cum ceteris omnib. incipientis Phthiſeos ſymptomatis.

Jam tandem ad me venit, una cum Uxore opem meam implorans, moramque ſuam multum deflens. Satis mihi illico perſuaſum fuit, incipientem iſtam Phthiſin eſſe veram prioris *Proteo-formis* morbi ſobolem ; ideoque nihil ferè è vulgaribus Antiphthiſicis vel Thoracicis medicamentis præſcripſi, quorum ope impoſſibile ferè duxi, uti Æger, in maraſmi propè ſtatum jam redactus, priſtinæ ſanitati reſtitueretur. Verum totam curationem Corticis Peruviani uſu abſolvendam eſſe ſtatui ; quo pacto, febre jam prorſus evicta, reliqua ejus ſymptomata ſponte ſua ceſſura ritè judicavi, ſicuti vel ipſe eventus fæliciter comprobavit. Ideoque in hoc tantùm incubui quo medicamenti formam Ægroto redderem quam gratiſſimam, ne contra Ægri opiniones, æquè ac ipſum hoſtem militandum foret. Ideoque Pulver. Chin. Chinæ formâ Tabellarum præſcripſi, in ſequentem modum,

℞. Pulv. cortic. Peruvian. ℥i. ß. Sacch. r. chryſtall. in aq. Abſinth. mucilagine Gum. Tragacanth. incraſſat. ℥viii. diſſolut. Ms. F. Tabellæ l. a. adeò uti ſingulæ ponderent ʒii. veſcatur unâ quater in die, ſuperbibendo ℥iv. Decocti Pectoral. depurat.

Abſumptis jam Tabellis, illicò febris iſta hectica (quæ ſicuti Intermittentis genuina erat ſoboles ; ita etiam paternum inguen adhùc ſapiebat) planè evanuit, una cum tuſſi, dyſpnœâ, & reliquo Phthiſeos funeſtorum ſymptomatum ſatellitio ; niſi quòd appetitus haud adhuc integrè reſtitutus eſſet ; neque carnes præ temporis ſcil. brevitate reſarcitæ. Ideoque, tempeſtate id ſuadente, eum illicò in ruſticanum aërem dimitto ; è quo poſt ſpatium duarum, vel trium hebdomadum reverſus eſt, ſtrenuus, εὔσαρκος, vultu florido, & appetitu inſigni præditus ; atque in hunc uſque diem optima valetudine utitur.

Hiſtoria 2. Mercator quidam Norvvegienſis, qui in vico dicto Nevvington, ultra Thameſin, habitabat; quo anno Dominus Talbor primùm propter liberâlem Corticis Peruviani uſum in febrium Intermittentium curatione, publicè innotuit; eodem etiam ipſo menſe, quo ego ejuſdem Mercatoris uxorem, præter ſpem adſtantium omnium, à febre remittente diriſſimis ſymptomatis ſtipata, inter alia remedia corticis Peruviani uſu, liberaveram; cum ipſe à febre intermittente Tertiana legitima & benigna correptus eſſet, derelicto amico, & Medico ſuo noto & familiari, unà cum grandi turba ad Dominum Talbor accurrit ; & numeratis quinque Guineis unciam unam corticis inſignis Arcani loco accepit ; quo devorato illicò convaluit. Nullâ tamen curâ ad præveniendam febris reviреſcentiam ab illo Empirico adhibitâ, elapſis duabus, vel ad plurimũ tribus hebdomadis, morbus tandem recrudeſcebat, à quo iterum iterumque, verùm non ſine priori gravi pretio ſingulis vicibus in manum

dato, ex uſu Corticis repetito liberatus. Vir ad rem familiarem ſatis attentus, maluit reliquam hyemis partem ſub ærumnoſis hujus febris ſymptomatis agere, quàm continuò eodem modo crumenam ſuam emungere, interim ſperans morbum ſaltem vere ſequenti ſua ſponte diſceſſurum. A longo verò hujus febris continuato curſu, (quod forſan etiam frigus ſæpiùs Paroxiſmi tempore perceptum, & Mulierecularum & Agyrtarum non adeò ſalubres Receptæ,) quibus omnibus avidè, & ſine delectu uti ſolebat (promovebant:) ſub veris ingreſſu, calor hecticus continuus in febris putridæ Paroxyſmorum intervallis accendi videbatur, immani etiam tuſſi, dyſpnœâ, ſudoribus colliquativis, ſiti continuâ, nauſeâ, atque aliis hujuſmodi ſymptomatis ſtipatus. Undè ante finem Junii menſis, quo tempore ſeſe ſtatim Phthiſicè exſpiraturum credens, à me opem petiit; adeò languidus, & emaciatus fuit, uti faciem planè Hippocraticam præ ſe ferret, & à primo ejus aſpectu planè eum deploratum judicaſſam, ſi ab aliqua alia cauſa, quàm à febre intermittenti, hæc Phthiſis ortum ſuum duxiſſet. Phthiſin verò hoc modo ortam, utcunque ſpecie tenus deploratam, curabilem tamen ritè judicabam, quoniam ſcil. penes me erat eo modo, hâc ſaltem anni tempeſtate, Antidorum illam magnam, Corticem ſcil. Peruvianum, exhibere; uti non tantùm febrem intermittentem tollerem; verùm etiam revireſcentiam ejus impedirem. Quo factum eſt, ut nullus dubitarem, quin detracto jam fomite, flamma hectica ſponte ſua exſtincta foret; unà cum toto ſymptomatum Pulmonarium inde dependentium ſatellitio. Quæ quidem conjectura citiſſimè eventu fælici comprobata fuit. Siquidem ſpatio iv. vel v. dierum, febris Intermittentis Paroxyſmis ab exhibitione unius unciæ Corticis, formâ pilulari, jam ſublatis, febris hectica etiam ſua ſponte evanuit; tuſſis etiam unà cum aliis pulmonaribus ſymptomatis multùm minorata fuit, & appetitus plurimùm adauctus. Cum verò febris originalis revireſcentia repetito ejuſdem Corticis uſu jam præcaveretur, intra menſis unius ſpatium abſque vel uno Medicaminum Pectoralium grano, omnia Phthiſeos ſymptomata ſponte ſua evanuerunt; quin & Æger εὔχρωος, & εὔσαρκος quantum ego ſcio, in hunc uſque diem manet.

Hiſtoria, 3. Dominus Lane, OEnopola; ad Inſigne Regialis Capitis, in Southvvark; vir ſanè robuſtus, & procerus, circa mediam ætatem, ſub initio autumni, Anno Æræ Chriſtianæ 1668. febre Quartanâ vehementiſſimâ correptus fuit; atque illicò ſeſe conſulti medici curæ commiſit; qui uſitatis Remediis, & Antiquorum methodo eum tractavit, Venæſectione, frequenti Purgatione, Julapiis Febrifugis, & Apozematis longis Deobſtruentibus, & Alterantibus; Indies tamen malum in pejus ruit, febris tandem duplicatur, adeò ut nullus dies ἀπύρετος fuerit; & circa finem Decembris Paroxyſmi in tantum erant producti, uti alter ſtatim ferè poſt alterum ſubintraret; vires etiam adeò proſtratæ, ut vix è lecto ſuo conſurgere potuerit; quin & appetitus in tantum elanguebat, uti vel ipſam Avenaceam vix deguſtaret. Continuò, & immensè ſitiebat; quoniam nunquam à febre originali, vel hectica ſuperinducta liber eſſe videbatur; ideòque perpetuò ſeſe in lecto inquietus jactitabat. Inſuper verò undiquaque ferè per totum corpus, præcipuè verò in pectore, atque artubus maculæ ſcorbuticæ purpureæ, eæque ſatis amplæ apparebant; Crura, atque femora, uti etiam Abdomen, & Thorax Hydropicorum more valdè intumeſcebant. Tuſſis erat importuna, & continua, & reſpiratio difficilis, & valdè inæqualis. Adeò ut Æger primo aſpectu mihi videretur non tantùm febre Intermittenti; verùm etiam hectica continua à priori ortâ detentus, atque indè in Phthiſin Pulmonarem, & Hydropem univerſalem incidiſſe. Ubi jam de Ægri vita planè deſperatum eſſet, ego tandem ab amicis advocatus, non tam ad febrem (quam ante æſtatis adventum incurabilem eſſe judicabant) curandam; quàm ut aliquales ſuppetias contra Phthiſin, Hydropem, & Scorbutum ferrem; hoſtes quidem; qui adeò ferociter deſævibant, uti mortem ferè præſentem minari viderentur. Ipſe verò Æger vel ipſius cibi, licèt delicatiſſimi, nauſeâ affectus, multò magis medicaminum, quorum copiâ ventriculus ejus jamdiu obrutus fuerat; ægrè admodum conſenſit, uti curationem cujuſvis generis Pharmacis tentarem. Hoc tandem multis precibus obtinuerunt amici; uti per iii. vel iv. dies, Pilulas noſtras ſpecificas è Cortice Peruviano factas tentaminis gratiâ admitteret.

Quo ſpatio ℥vi. Pulveris jam conſumptis, illicò à Paroxyſmi ſequentis inſultu liber evaſit. Die ſequenti, cùm ego jam Ægrotum inviſeram, eum inveni de hoſte prorsùs triumphantem, ova ſorbentem, & paratum foras in curru, qui jam præ foribus erat, vehi, quo neceſſaria negotia proſequeretur. Quod verò mihi multò magis mirandum videbatur: ſicuti maculæ omnes diſparuerunt; ita etiam tumor ille hydropicus, ſine vel ullâ ſenſibili evacuatione, evanuit. Reſpiratio etiam difficilis, & tuſſis unà cum reliquis Phthiſeos incipientis ſymptomatis plurimum mitigari videbantur atque indiès decreſcebant, donec tandem Æger priſtinum ſanitatis ſtatum paulatim recepiſſet. Verum quidem; eſt, Febrem hanc poſt menſem unum; ſub ſpecie quartanæ ſimplicis, reverſam eſſe; & ad quartum ferè Paroxyſmum duraſſe; verùm tamen ſine uſu Remediorum, vel priorum ſymptomatum ſuperinductione prorſus evanuit; à quo tempore optimâ valetudine fruebatur Æger, donec tandem poſt annum ſcil. elapſum, & quod excurrit, funeſtè ab Hæmorrhagiâ narium ſublatus eſt.

Cap. 13. *De Phthiſi Icteritiâ, ſeu Hepaticâ.*

Sanguis, ubi primùm novas chyloſas partes, & nutritioni idoneas, hic indè in circulatione depoſuerit; à particulis ſalinis atque acribus, lege naturæ, in ſeſe adhuc continet, (quo indè miniſtretur, & quotidiè reparetur, Bilis & reliqua neceſſaria corporis fermenta) planè acris, acſi fermento imbutus redditur. Ideòque eâdem naturæ ſagacitate proviſum eſt, quo poſtquam hoc modo neceſſariis fermentis ſatisfactum eſt; acres & ſuperfluæ reliquiæ, tanquam excrementa, illicò per poros cutis, renes, glandulas Inteſtinorum Craſſiorum, reliquaſque portas, ſeu emunctoria Corporis, protrudantur atque eliminentur, ne maſſa ipſa hu-

hujuſmodi particulis onuſta, atque oppreſſa, indeque in morbidum ſtatum redacta, à naturali ſua functione deficiat.

Ex jam antè dictis ſatis conſtare poteſt rationi, quam multis nominibus Icterus viam in Phthiſin ſternere ſoleat. Sive enim accidentalis is fuerit; utpote ab obſtructione naturalis Bilis progreſsus è Veſica in cavitatem Inteſtini Duodeni, a Calculo, vel à partium Bilis glutinoſitate facta; ſive etiam magis habitualis, à deficienti ſcil. partium bilioſarum in ipſo hepate ſecretione, à Scirrhoſâ ejus induratione, vel exulceratione, proveniens; Duo ſunt, quæ non poſſunt non indè naſci; Bilis ſcilicèt defectus in Inteſtinis; & nimia ejus congeſtio in ſanguine. Horum priori, Natura ob debiti menſtrui in chyli volatilizatione defectum, à convenienti partium excrementitiarum à chyloſis ſeparatione impeditur; quo fit quòd ſtercora in ſeſe utramque partem continentia colore albo extrudantur, unà cum manifeſto Ægri, vel ab ipſis morbi primordiis, languore & imbecillitate: Quippe quòd ab hac continua novi chyli detractione Atrophia univerſalis ſenſim inducitur, quod jam anteà in Appendice ad Primum Librum innuimus. A poſteriori verò ipſa ſanguinis maſſa alteratur, & morbidè afficitur; utpote particulis bilioſis acribus, & pungentibus nimis ſaturata. Quod ſeſe prodit, non tantùm per univerſalem in corporis habitu excitatum pruritum; verùm etiam per auream Tincturam toti inductam, & per colorem urinæ intensè rubrum & flaveſcentem. Ab hâc acrium & bilioſarum partium in ſanguine congeſtione; ſaltem quoties diuturnam, & habitualem eſſe contingit, nemo mirari debet, ſi vel ipſa maſſa in calorem hecticum degeneret, & quàm citò pulmones indè hecticè calefacti infercire, tumeſcere, inflammari, & putreſcere apti ſint nati, æquè facile eſt vel cuivis obſervare. Adeò ut Icterus, quotieſcunque is eſt chronicus & habitualis, tonum ſanguinis ſenſim evertendo, Phthiſin etiam pulmonarem Chronicam inducere ſoleat. Quod non parùm etiam promovetur ab oppreſſione hypochondriorum perpetuò eâ gravitante, præternaturali hepatis denſitate & conſtrictione effectâ, quoties ſcil. Icterus eſt Chronicus; atque etiam à Colicâ Ventriculi, ſeu horrendis illis ſpaſmodicis doloribus, qui frequenter recurrere ſolent, à ductus fellei obſtructione, per calculum, vel bilis glutinoſitatem; vel etiam ab ipſius jecoris inflammatione & exulceratione, quoties ſcil. hic morbus accidentalis eſt, & magis acutus. Sicuti enim pulmones non poſſunt non multum pati per conſenſum cum vicino jecore habitum, & contractionis etiam ſpaſmodicæ neceſſariò, cùm illo participes fieri, ſub ſpecie ſcil. ſuffocationum hyſtericarum; undè tenerum eorum parenchyma frequenti conſtrictione plurimùm ſubverti, & à tono naturali mutari neceſſe eſt, in Ictero ſcil. accidentali: Ita etiam quotiès eſt habitualis, Melancholia Hypochondriaca, quæ ſemper gravantem illam oppreſſionem ab obſtructo hepate ortam comitari ſolet, in Phthiſin pulmonarem magis forſan quàm vel ullâ alia animi pathemata diſponit. Verum quidem eſt, me rariſſimè quidem Pulmonarem ab Ictero Accidentali ortam deprehendiſſe, ſive is morbus originem ſuam à ductus Cholidochi obſtructione; ſive ab ipſius hepatis inflammatione & ulceratione duxerit: Siquidem præ atroci colica, ſeu dolore ſpaſmodico, & febre acutâ inflammatoriâ hunc Icterum ut plurimùm comitari ſolitis, raro admodùm Ægrotum tàm diu ſuperſtitem eſſe contingit, uti ſanguis à bilioſis particulis in ſe præternaturaliter congeſtis, adeo inſignem alterationem ſubeat, ut ad genii adeò chronici Phthiſin formandam diſponatur. Priuſquam verò poſſibile ſit ſanguinem mutationes tanto effectui pares ſubire, vel Morbus Arte ab Ægro, vel æger morte à morbo tollitur. Ictero vero chronico & habituali à Scirrhoſo, vel nimis denſo, & conſtricto hepatis parenchymate orto, nullus morbus frequentiùs, quam Phthiſis pulmonaris chronica, ſupervenit; quæ quidem in Hydropem fatalem plerumque terminari ſolet. Sicuti enim hic morbus eſt plurium annorum, quippe quòd nullo graviſſimo ſymptomate ſtipetur; ita bilis indè in ſanguine præternaturaliter congeſta; licèt non ſit tam copioſa, quam in Ictero accidentali, per longam tamen moram, & frequentem cum illo cohobationem (ſi ita loqui fas eſt) totam maſſam efficaciùs alterat, & morbide diſponit; à quo tenerum pulmonum Parenchyma tandem fatalem labem contrahere nemo mirari debet. Cauſæ evidentes, ſeu Procatarcticæ; hujus phthiſeos ſunt ferè crapulæ frequentes & longæ, & Pathemata animi graviora ſeſe alternatim excipientia. Ab illis Parenchyma jecoris, & forſan etiam ipſorum pulmonum, perpetuò ferè nimiùm calefieri, & ſucco ſuperfluo infercíri; ab illis verò ſpaſmodicè conſtringi, vel comprimi, contingit: Ab utriſque conjunctim jecur ſaltem (& forſan etiam pulmones) in tono, ſeu compage ſuâ nimis compreſſum, & conſtrictum; ſi non etiam Scirrhoſum, vel inflammatum, & ulceratum redditur. Atque hinc non poteſt non inſequi nimia bilis in ſanguine congeſtio; atque indè morbida ejus alteratio, oppreſſio Hypochondriorum, Melancholia, cum reliquis jam ante memoratis ſignis, quæ in Phthiſin Pulmonarem. Atque hinc eſt quòd ego Phthiſin hanc crapuloſam vocare ſoleo. Satis enim notum eſt, vel cuivis in medicinæ Praxi tantillum exercitato quàm ſæpè ab anxiis, atque aliis gravioribus animi pathematis, multâ & conſuetâ crapulâ alternatim exceptis, nonnullos vitæ malè actæ pœnas luere contingit, præmaturâ ejus & ſatis ærumnoſâ extinctione ab hujuſmodi Phthiſi effectâ; cui non multum ante fatalem diem aſcites, aliquandò etiam anaſarca, ſuperinduci ſolet.

Signa hujus Phthiſeos Diagnoſtica à tribus fontibus petenda ſunt; ab urinâ ſcil. cute, & hypochondriis; Urina quidem eſt quantitate admodùm pauca, contentis plurimum ſaturata, & coloris intensè rubri, & flaveſcentis; inſtar cereviſiæ Brunſvicenſis. Verum quidem eſt omnium Phthiſicorum urinam, ob febrem eſſe aliquatenus rubram & paucam, & ob præſentem colliquationem contentis etiam ſaturatam; atque hoc pacto in febribus putridis intermittentibus apparere ſolet. In Phthiſi verò Hepaticâ, ſeu Ictericâ, Phænomena iſta gradu multò

magis intenſo ſemper inveniuntur; & quò magis hepatis Parenchyma obſtruitur, atque indè copioſior fit bilis in ſanguine congeſtio; eò ſemper intenſiora. A bilis enim commixtione pars ſanguinis ſeroſa, ſeu urinaria, ſicuti tinctura profundè rubrâ, & flaveſcente imbui ſolet, ita etiam coagulari & partes ſuas heterogeneas præcipitare apta nata eſt: undè etiam peti poſſit ratio, quare hujuſmodi Phthiſicorum urina tàm pauca & Contentis plena, æque ac rubra & flaveſcens eſſe ſoleat. Secundò Color cutis etiam ſubflavus eſt. Fateor quidem omnium tabidorum cutim, in quantum marcor prævaluit, à partium contractione craſſeſcentem, nitore ſolito privari; verùm in Phthiſi præter pallorem, & ſqualorem illum vultus, flavedo varia & incerta, uno die plus quàm altero manifeſta eſt; præcipue verò circa collum, dorſum, atque alias corporis partes cute craſſiore tectas, licèt non tam intenſa ſit, quàm in Ictero accidentali eſſe ſoleat, ubi per totalem Cholidochi ductûs obſtructionem, multò copioſior bilis in ſanguine coacervatur, quàm ubi ab obſtructione glandularum hepatis, imperfectè tantùm à ſanguine ſecernitur. Tertiò; Oppreſſio gravativa ſemper in hypochondriis ſentitur cum Melancholiâ conjuncta, ab obſtructione & mole hepatis indè auctâ proveniens; quod ſæpiſſimè adeò induteſcit, & quantitate augetur, uti indè non tantùm dextrum hypochondrium multùm diſtendi, & elevari; verùm etiam tumorem in illo quaſi renitentem externo etiam tactu ſentiri contingat.

Phthiſis iſta ſemper eſt chronica, & plurium annorum, utpote à causâ tardâ & lentâ procedens. Sputum etiam eſt magis viſcidum, quàm copioſum, uti in omni Phthiſi tardâ eſſe ſolet.

Sicuti cum Inappetentiâ, & cibi faſtidio iſta Phthiſis incipit, ita in Hydropem Aſciticum tardum, & dolorificum ferè ſemper terminatur; ubi primùm ſcilicèt à progreſſu morbi hepar adeò induruerit, uti à vaſorum lymphaticorum per illud reptantium conſtrictione, ea in partibus inferioribus ῥῆξιν pati contingat; Cui etiam frequens hæmorrhagia narium à circulatione in aliis partibus impeditâ, ab iiſdem obſtructionibus orta, ferè ſemper adjungi ſolet. Ideòque utut curabilis ſit hæc Phthiſis, ſi Medicus expertus ab Ægro morigero tempeſtivè accerſatur, nulla tamen eſt eâ fatalior, ubi jam Hydrops à Lymphæ ductuum rupturâ per hepatis duritiem effectâ, ſupervenerit. Neque quidem miſellus Æger εὐθανασίᾳ frui poteſt, propter horrendos & perpetuos dolores, anheloſam reſpirationem, & reliqua ſymptomata, ſegnem hunc Hydropem comitari ſolita.

Indicationes curativæ generales ſunt tantum duæ; Pulmonum ſcil. morbidè affectorum in ſtatum ſanum reſtitutio; & cauſæ, à quâ pulmones adeò malè affectos eſſe contigit, ſublatio. Priori indicationi ſatisfieri poſſet uſu Remediorum Pulmonarium, Generali Methodo, in Libro ſecundo jam antè memoratorum: Secundæ verò, ope Hepaticorum, Diureticorum, Chalybeatorum, atque aliorum ejuſmodi, quæ hepatis obſtructiones removendo, debitam & liberam bilioſarum partium è ſanguinis maſsâ ſecretionem reſtituat, & bilis excretionem in Inteſtina per ductum communem promoveant; quo Atrophiæ cauſa, atque etiam Phthiſeos hujus Pulmonaris ſymptomaticæ, penitus tolli poſſit. Quo pacto verò generalis curationis Phthiſeos methodus commixtione Hepaticorum cum Pulmonaribus, (quo utrique indicationi ſatisfiat,) ſit varianda, mallem exemplis, quàm nova methodi deſcriptione, oſtendere; ne hujus Diſcurſûs filum nimis protrahi videatur. Ideoque Hiſtoriam unam, vel alteram ad hanc rem ſpeciatim ſpectantem illicò narraturus ſum, præmiſsâ unicâ hìc generali obſervatione, quam quidem in totâ hujus Phthiſeos curationis methodo, præ oculis habere convenit; quòd ſcil. inter Pect. Incidentia, abſterſiva, & Carminativa, ſemper eligenda ſint; Incraſſantia omninò ſunt vitanda, & Mucilaginoſa cum aliis alterantibus moderatè uſurpanda; ita ſuadente non tantùm Phlegmatis viſcoſitate, (quod hujuſmodi Phthiſici vix cum maximo conatu expectorare, aut exſcreare poſſunt;) verùm etiam ipſius hepatis obſtructo ſtatu; in quo quidem, in hoc caſu, prima hujus tabis ſemina deliteſcunt. Indeque fit, quod utcunque hæc Phthiſis jam incipiens, aliquando perfectam curationem admittat, ex mero ſcil. Incidentium, & Chalybeatorum uſu, quæ hepatis obſtructiones tollendo; & conſequenter etiam cauſam morbi Procatarcticam auferendo, ſatis etiam pulmonibus proſpiciunt, quibus labes nondùm tam altè impreſſa fuerat, quin ultrò cedat, & evaneſcat, poſtquam novus fomes ab hepate malè affecto miniſtrari ceſſat. Nunquam tamen vidi hujuſmodi Phthiſin à medicamentis merè Pulmonaribus curatam; ſemper verò à copioſo Incraſſantium uſu & eorum omnium, quæ hepatis obſtructiones augent, plurimum & citò ad gradum uſque funeſtum confirmatam obſervavi. Ideòque ſicuti Lac, & omnia Lacticinia, imo & ipſum Lac Aſininum, multò magis Diæta merè Lactea, in hujus Phthiſeos curatione non convenit: Sic etiam ob eandem rationem, ſatius eſt omni uſu Laudani, & Opiatorum cujuſcunque generis, niſi urgenti neceſſitate; abſtinere. Mœſtitia ſedulò devitanda eſt, quæ partium hepatis conſtrictionem continuò promovet. In aëre etiam tenui, & perflatili Æger verſari debet, & inibi exercitiis moderatis quotidiè uti, quæ omnia ad tollendas hepatis obſtructiones multùm conferunt. Super omnia verò hanc curationem promovet longus amarorum chalybeatorum uſus; præſertim verò Aquarum Mineralium chalybeatarum, modo obſtructiones non eò invaluerint, ut aquarum fluxum per urinam præpediant. Sin verò res ita ſeſe habeat, religioſè ab earum uſu abſtinendum eſt, ne à præmaturo hydrope ſuperinducto morbus illicò incurabilis reddatur.

Hiſtoria 1. Dominus Dell, circiter annum ætatis ſuæ vigeſimum, cum jam à multis retro annis Dyſpnœâ, & Tuſſi aſthmatica, unà cum aliis Phthiſeos Pulmonaris chronicæ notis laboraſſet, & tincturâ in cute, & urinâ quadantenus flaveſcente, cum aliis obſtructi jecoris ſignis affectus eſſet, tandem in febrem inflammatoriam, horrendis doloribus pectoris, ſiti, vigiliis, necnon ſputo ſanguine leviter tincto, atque aliis Tuberculorum Pulmonarium inflammatorum ſignis ſtipatam incidit, & à me opem petiit.

petiit. Statim ab inſpectione urinæ profundè rubræ & flavæ; contentis etiam inſtar Cereviſiæ Brunſvicenſis, ſaturatæ; uti & à levi cutis flavedine (licèt adoleſcentem nunquam antehac, quod ſcio, vidiſſem) febrem Peripneumonicam Ægro, jam anteà in Phthiſeos Icteritiæ, ſeu hepaticæ, ſtatu exiſtenti, ex accidente aliquo ſupervenire ritè conjeci. Ideoque primo die *Nov.* ſcil. nono. Anno 1688. ℥x. Sanguinis è cubito dextro illicò detrahi juſſi, & ℥iv. Apozematis ſequentis, cum Cochleari Linctûs ſæpiſſimè propinari.

℞. Ol. Amygd. dulc. Syr. ex Eryſimo an. ℥ij. Sacchar. Cand. Alb. ʒij. Ms. exactiſſimè F. Linctus.

℞. Decoct. Pectoral. depurat. ℔ ij. Tinctur. Croc. Syrup. è quinque radicibus an. ℥iß. Ms. F. Apozema.

Ad dolores pectoris, & lateris ſublevandos juſſi ſequentem Fotum partibus affectis, urgente dolore, calidè applicari, in veſicam bubulam prius inditum, ita ut ſemiplena tantùm ſit veſica.

℞. Rad. Petroſelin. Fœnicul. Sem. Lin. Fœnugræc. an. ℥ ij. Flor. Chamæmel. Melilot. an. Mij. coqu. in aq. F. q. ſ. in fotum. Amotâ veſicâ curavi pannum Lineum linimento ſequenti calidè illitum locis affectis imponi.

℞. Unguent. Dialth. ℥ ß. Ol. Lilior. Alb. Laterit. an. ʒij. Ms. F. Linimentum. Ad ſpiritus refocillandos Julapium Cordiale ſequens præſcripſi, cochleatim ſumendum ad libitum.

℞. Aq. Meliſſ. Ceraſor. nigr. an. ℥ iij. Aq. Epidem. ℥ij. Syrup. Caryophyll. ʒx. Ms. F. Julapium.

Nov. 10. Flagrante adhuc febre, necnon urgente plurimùm dolore, iterùm ℥viii. Sanguinis ex eodem brachio, quo prius, detrahi juſſi: & propter urgentem ſitim gr. xv. Sal. Nitr. puriſſ. Sacchari albi ʒß. commixt. in ſingulis hauſtibus Cereviſiæ ſolvi; Enema etiam Lactis Saccharat. Florib. Chamæmel. alterat. injici; niſi alvus ſua ſponte ſoluta fuerit, necnon (ſi dolor id requireret) Emplaſtrum ex æq. partibus Emplaſtr. Paracelſ. & de Minio ſuper alutam extendi, & partibus affectis imponi; horâ ſomni etiam (ſi dolor multùm ſæviret) Laudan. Liq. Helmont. gutt. xv. in hauſtulo Julapii exhiberi, & in Apozemate pectorali ℥i. Fimi Equin. frigide infundi. A quorum uſu melius ſeſe quadantenùs habere videbatur, jam plurimum mitigata febre; dein verò factâ jam diligenti urinæ, cutis, & ſtercoris inſpectione, certior de jecoris obſtructione factus eram. Ideoque loco prioris Apozematis ſequens præſcripſi, cum Linctu, quartâ quâque horâ ad ℥ iv. ſumend.

℞. Ingredient. Decoct. pectoral. q. ſ. Rad. Petroſelin. Fœnicul. Cichor. Gramin. an. ℥ij. Rad. Curcum. Cortic. intern. Berberor. an. ℥i. Raſ. C. C. Ebor. an. ℥ß. Uvar. Corinthiac. ℥ij. Croc. in nodulo ligat. ʒß. Coq. in aq. f. q. ſ. ad ℔ij. Circa finem ebullitionis addendo Vin. alb. opt. ℔ß. Colaturæ adde Aq. Lumbricor. magiſtr. ℥iij. Syr. è v. radicib. Decoct. Traumatic. an. ℥ii. Ms. F. Apozema.

Tincturæ ſacræ etiam ℥iiß. horâ ſomni propinari juſſi, quâ bis alvum depoſuit ſequenti mane cum levamine. Ideoque *Nov.* 11. uſum Apozematis continuari, Tincturam horâ ſomni repeti, & mane ſequenti Aquar. mineral. purgant. à ℔iv. ad iij. Coct. & ſemilibrâ lactis alterat. propinari juſſi, locoque prioris Julapii ſequens ſubſtitui, copioſe bibendum.

℞. Aq. Petroſelin. Fœnicul. an. ℥iv. Aq. Lumbric. magiſtr. Syr. è v. Rad. an. ℥ii. Ms. F. Julapium.

Nov. 13. Ex hâc methodo omnia ſymptomata alleviari cœperunt, urina etiam colore non adeò Icteritio, atque anteà fluebat. Ideoque Apozematis, Linctus, & Julapii ultimò præſcript. continuationem, & Tincturæ repetitionem horâ ſomni jubebam: atque etiam ad obſtructiones hepatis ulterius reſerandas tres Pilular. ſequentium quartâ quâque horâ e cochleari Linctus cum hauſtu Apozematis exhiberi.

℞. Pulv. Milleped. præp. Stercor. Anſerin. an. ʒj. Croc. ℈ß. Syrup. è v. Rad. q. ſ. Ms. F. Pilulæ mediocres deaurand.

Nov. 14. Poſt hanc curam ad relevationem obſtructi Hepatis cum ſucceſſu adhibitam, pulmonibus, qui ab hujus viſceris defectu jam multùm perpeſſi fuerant, attentiùs, prout res poſtulabat, proſpicere cœperam, cùm tuſſis Chronica, uti & dyſpnœa, à Phlegmatis, quo Bronchia inferciebantur, viſcoſitate procedens, de hâc officii noſtri parte continuò nos monerent; præcipuè verò, cùm utraque non parùm jam à nuperrimâ affectione Peripneumonicâ aucta eſſet. Ideoque præter uſum continuatum Linctûs Abſterſivi, & Apozematis è Pulmonaribus, Hepaticis, & Diureticis confecti, atque etiam Julapii: & repetitionem Tincturæ Sacræ horâ ſomni; præſcripſi tres pilular. ſequentium è cochleari Linctûs, ter die ſumend. cum hauſtu Apozematis.

℞. Pulv. Milleped. præp. ʒiij. Gum. Amoniac. depurat. ʒiß. Flor. Benzoin. ʒi. Extract. Croc. Balſam. Peruvian. an. ℈ß. Balſam. Sulphur. Terebinthinat. q. ſ. MS. F. pilul. mediocres deaurand.

Nov. 15. Iiſdem inſiſtere juſſi, & poſt mediam noctem Tincturam ſacram repetere, & mane ſequenti Aquas Minerales purgantes. Quo pacto ex meo præſcripto uſque ad diem 19. procedebat, niſi quòd locò Tincturæ ʒß. pilul. Stomach. cum Gum. ſubſtituerim, ob faſtidium ſcil. quo à longo medicamenti illius uſu affici jam cœperat.

Nov. 19. Mandavi repetitionem pilularum ſtomachicarum, & Aquarum purgantium tertio quoque die, ad tres vices, & uti in uſu Linctûs, Apozematis, & pilularum Balſamicarum, per ſpatium octo dierum perſiſteret.

Dec. 10. Ad me in muſæolum meum advenit, vegetus, εὔχρωος, & εὔσαρκος & à morboſis pulmonum atque hepatis ſymptomatis multò magis liber, quàm per multos retrò annos jam fuerat. Quò verò hoc Chronicum malum funditùs eradicaretur, præſcripſi ℔i. Tincturæ ſacræ, ut ſumeret cochl. vi. vel vii. quartâ quâque nocte, & uti durante ejus uſu, ℥iv. Apozematis pectoralis, & Hepatici jam antè præſcripti, diebus intermediis ter die, horis ſcil. Medicis, hauriter. Eum inſuper ſeriò admonui, uti Cereviſiâ Antiſcorbuticis, Hepaticis, & pulmonaribus medicatâ, & Aquis Chalybeatis Islingtonenſibus Sadleri, proximo vere atque æſtate uteretur.

Hiſtoria

Hiſtoria. 2. Dominus Maddox, Vir ad minimum Quinquagenarius, Arthriticus, & Hypochondriacus; a longis curis & Pathematis animi gravioribus, & ab aſſuetâ Liquorum ſpirituoſorum jugurgitatione, ſenſim in Inappetentiam, & diſpoſitionem vomiturientem, in pulmonum infarctionem unà cum tuſſi; atque etiam in hepatis obſtructionem, & totius corporis tabem incidit. Tertio verò die Auguſti, Anno 1688. ego accerſitus illum inveni conſtrictione alvi, & dolore dorſali, & laterali ſpaſmodico, & admodum horrendo plurimos dies detentum, non ſine manifeſtis præſentis febris & languoris ſignis, quæ in tantum jam invaluerant, uti vel de ipsâ vitâ planè deſperaretur. Primùm opinatus ſum dolorem à Colicâ Nephriticâ ortum ſuum habuiſſe; indeque ℥x. ſanguinis illicò è brachio extrahi juſſi (non tantùm præſenti febre, verùm etiam inflammationis in Inteſtinis ob extremum dolorem ſubſecuturæ metu id ſuadente) partes affectas Unguento Dialth. Ol. Lilior. alb. & Laterit. commixtis calidè illini, & Pilulas è ʒß. Extracti Rudii & gr. iß. Laudan. Lond. in lecto exhibendas, præſcripſi, quo dormiret; Julapium etiam Cordiale Temperatum, ad vires refocillandas ſæpiùs propinandum. Et, ſi opus fuerit, alvum poſt octo horas Enemate Lactis Saccharat. Florib. Chamæmel. alterat. ſolicitari juſſi; operatione verò Cathartici jam finitâ, gutt. xx. Laudan. Liqu. in hauſtulo Julapii horâ ſomni propinari. His verò necquicquam vel ad alvi ſubductionem, vel ad doloris mitigationem, proficientibus, Aug. ſexto, Apozema mucilaginoſum, & lubricans præſcripſi ſæpius bibendum, & per tres continuas noctes Piluſ. Stomach. cum gum. ʒß. Laudan. Lond. gr. iß. & matutinis ſequentibus ℔. v. Aquar. Mineral. Purgantium.

Aug. 17. Repetitionem Pilularum juſſi horâ ſomni, & Aquarum etiam manè ſequenti; & uti Aquas biberet coctas, ſolvendo in ultimo hauſtu Mannæ ſelectiſſimæ ℥i. ß. Dolor verò ſpaſmodicus dorſi, & conſtrictio alvi, his non obſtantibus, manebant: Indeque.

Aug. 18. Præſcripſi Cochlear. iv. Elixir. Salutis, & Laudan. Liqu. gutt. xxx. horâ ſomni offerenda, & uti aurora ſequenti ſumeret ℥iii. Apozematis ſequentis calidè; & repeteret tertiâ quâque horâ, donec alvus copioſè dejecerat.

℞. Fol. Sen. ℥ß. Sem. Coriand. præp. Sal. Tart. an. ℈ii. Coque in Aq. Mineral. Purgant. ℔iß. ad ℔i. In colatura diſſolvendo Mann. ſelectiſſ. ℥ii. A cujus uſu alvus tandem nimis liberè, hoc eſt ſupra vires, fluere incipiebat; ſine aliquo verò doloris levamine, qui adeò deſæviebat, uti vix vel ipſius Laudani uſu compeſci potuerit, licet gradatim ad gutt. xl. l. lx. aſcenderemus, quas tamen ſingulis noctibus repetere coacti fuimus.

Aug. die xxj. ſecunda vice ad illum inviſendum accerſitus, à colore cutis leviter croceo ſatis benè intellexi, primam totius mali originem non in renibus, verùm in obſtructo jecore diu latuiſſe, & neque Phthiſeos progreſſum præcaveri, neque quidem præſentem illum horrendum dolorem inter dorſum, latera atque alvum commigrantem, tolli potuiſſe, niſi debito reſpectu ad hance partem priùs habito. Neque indè quicquam morabar, quòd dolor in partibus abdominis inferioribus, juxta regionem renum & veſicæ, & longè infra hepatis ſedem, ſentiretur; quoniam ſæpiſſimè antehac idem hoc in Ictericis obſervaveram, quos ſæpiùs querentes, & præ feroci dolore, quem in Partibus Hypogaſtricis ſentiebant, ejulantes audiveram, cum cauſa revera fuerit in Hypochondrio dextro remota. Cujus φαινομένῳ non admodum difficile eſt rationem reddere: Nempe quòd, ſicuti hepatis Parenchyma, ex noſtra hypotheſi & obſervatione, ob præternaturalem compreſſionem & denſitatem, ſenſu ferè privatur, ita etiam ob eandem rationem, tranſitum admodùm difficilem ſanguini, lymphæ, atque aliis liquoribus per ſe tranſeuntibus præbet; uti indè neceſſe ſit vaſa huc è partibus abdominis inferioribus tendentia, ultra naturalem tonum diſtendi, & varicoſa reddi, atque indè multum pati, donec tandem ex uſu Hepaticorum, & Ecphracticorum, Parenchyma hepatis laxum & naturalem ſuum tonum reſtitutum habuerit. Ex hâc hypotheſi per tres hebdomadas juſſi ſingulis noctibus ℥iiß. Tincturæ ſacræ horâ ſomni propinari (cui gutt. xxx. xl. & tandem etiam l. Laudan. Liqu. ſemper, præ doloris ſcil. vehementiâ, addi coactus permittebam) Quarto quoque mane Apozema Catharticum repetendum cum additione ℥i ß. Syr. de Spin. Cervin. & diebus intermediis ℥iv. Apozematis Diuretici ſequentis quartâ quâque horâ propinandas præſcripſi.

℞. Rad. Cichor. Gramin. Petroſelin. Fœnicul. an. ℥ii. Rad Curcum. Cortic. interior. Berber. an. ℥i. Raſur. C. C. Ebor. an. ℥ß. Uvar. Corinthiac. ℥ii. Croc. in nodulo ligat. & ſæpiùs expreſſ. ℈ß. Sem. Aniſ. ʒß. coq. in Aq. ſ. q. ſ. ad ℔ii. addendo ſub finem ebullitionis vin. alb. ℔ß. Colaturæ adde Aq. Lumbricor. magiſtr. ℥iii. Succ. Limon. n. ii. Syr. è v. radicib. ℥iii. Ms. F. Apozema.

Conſului etiam, ut ℥i ß. Vin. Chalybeat. tantillo ſacchari rubri edulcorat. omni mane ſumeret.

Poſt dies octo vel decem jam elapſos, ut dolor mitigari, ita etiam alvus facilius fluere incipiebat. Ideoque primum Syrupum de Spin. Cervin. ab Apozemate Cathartico detraxi. Et demum Aug. 30. loco ipſius Apozematis, aquar. Catharticar. crudar. ℔vi. ſubſtitui, quibus Alvus ſatis copioſè jam reſpondebat; ideòque illas tertio quoque mane repeti curavi.

Sept 6. Propter languorem à frequenti Purgatione oriundum (à quo tempore alvus adeò copioſè dejicere cœperat,) omiſſionem Aquarum Catharticarum in poſterum mandavi. & Julapium Cordiale ſequens ſæpius propinandum præſcripſi.

℞. Aq. Doctoris Stephan. ℥ii. Epidem. ℥iß. Ceraſ. nigr. ℥iv. Syr. Caryoph. ʒx. Ms. F. Julapium.

Sept. 12. Cum jam tandem Æger Tincturam ſacram, propter longum ejus uſum planè faſtidiret, loco ejus, & Laudani cum eâ commixti ſubſtitui Pilular. Stomachic. cum gum. è Cynogloſſ. an. gr. xii. in tres Pilulas redact. quas omni nocte repetendas dedi. Et quia jam à copia, & Tinctura urinæ minus intenſâ, obſtru

ctio

ctiones hepatis quadantenus reſeratas eſſe ſenſi, quatuor Pilularum ſequentium omni mane ad urinam ulterius ciendam deglutiri juſſi.

♃. Pulv. Millepedd. ʒß. Sal. Succin. ab oleo optimè depurat. gr. xv. Syr. de Alth. q. ſ. Ms. F. Pilul. mediocres deaurandæ.

Sept. 18. Cum ex urinæ tinctura ad colorem naturalem jam fere redacta rite conjectatus eſſem, hepar ad tonum ſuum naturalem utplurimum reſtitutum eſſe; Ægro conſului, uſu Aquarum Chalybeatarum Sadleri Iſlingtonenſium reliquas hepatis obſtructiones reſerare, & materiæ morbificæ reliquias per urinam præcipitare tentaret. Cùm vero poſt diei unius, vel alterius experientiam, ſatis mihi jam conſtaret, obſtructas partes nondum in tantum deoppilari, uti Aquis per renes liberè fluendi copia daretur; nempe quòd ſerum ſanguinis à particulis bilioſis irretitum, iiſque nimis ſaturatum; & tanquam coagulatum, ob viſcoſitatem ſcil. præternaturalem indè contractam, haud potuit adhuc liberè per poros glandularum renalium transcolari, mutavi ſententiam, & vice Aquarum Julapium ſequens frequenter & copioſè bibendum dedi; & ʒii. Electuarii Chalybeati ſequentis omni mane exhibendas præſcripſi; ab horum priori urinæ copioſiore fluxu, à poſteriore verò, ulteriori obſtructionum reſeratione exſpectata; dum repetitione Tincturæ ſacræ tertia quaque nocte facta tonum ventriculi magis firmatum, & alvum ſatis ſolutam reddere pergerem. Neque eventus ſpem meam fefellit. Julapium erat hujuſmodi.

♃. Aq. Petroſelin. Fœnic. an. ℔i. Aq. Lumbric. Magiſtr. Syr. è v. Radic. an. ℥vi. Ms. Electuarium tale fuit.

♃. Limatur. Chalyb. præp. ʒii. croc. Macer. an. ℈i. Conſerv. Fruct. Cynosbat. Flor. Cichor. an. ℥i. ß. Syr. è Corticib. Citri q. ſ. F. Electuarium.

Ab horum uſu Æger planè convaluit, non tantùm à doloribus, & diſpoſitione vomituriente liberatus; verùm etiam à conſueta pulmonum infarctione, tuſſi, & dyſpnœâ; uti etiam à tinctura cutis flaveſcente, atque ab omnibus aliis tùm obſtructi Hepatis, tum pulmonum malè affectorum ſignis. Appetitus enim integer rediit, quo illicò è ſtatu tabido, æquè ac Icteritio evaſit; atque adhuc ſanus, & vegetus manet. Utcunque ubi eum dimiſi; quo mali hujus chronici diù fixas radices penitus evellerem, *Sept.* 24. 1688. hanc ultimam Schedulam in ejus uſum deſcripſi; cui, jam fere reſtitutus, non tam morigerus fuit, quàm prioribus ſolebat; quoniam forſan non adeò neceſſariam credebat.

♃. Tinctur. ſacr. ℔i. Capiat. Cochlear. vi. vel vii. tertia quaque nocte.

♃. Extracti Ecphractic. ſine Aloë ℥i. ß. F. Pilulæ mediocres deaurandæ, quarum tres bis die ſingulis diebus deglutiat, mane ſcil. & quartâ pomerid.

Hiſtoria 3. Dominus Dent, incola White-croſs ſtreet, opem meam & conſilium per plurimos annos petere ſolebat, quoties de ſanitate ſua, vel familiæ recuperanda ageretur; Vir ſanè probus, quadantenus tamen melancholicus, indeque compotationibus nocturnis iiſque feris, & admodùm longis, ad erigendum oppreſſum animum deditus. A quo in habitum corporis craſſum, & tanquam calloſum incidebat. Tandem verò circiter annum ætatis ſuæ quinquageſimum, longis & incertis intervallis, de affectu capitis vertiginoſo conqueri ſolebat; atque poſt hujuſmodi tres, vel quatuor paroxyſmos (quorum unus, vel alter propè ad apoplexiam accedebat) ab uxore chariſſima, & obſequentiſſima frequenter monitus, & obnixe rogatus, tandem hoc negotium ad me deferre conſenſit; Vir aliàs à medicamentis, ſiquis alius, maximè abhorrens. Sanguine verò è vena jugulari extracto, & Emplaſtro Epiſpaſtico amplo Nuchæ applicato; exhibito etiam leni Vomitorio, & deindè Cathartico uno, vel altero, unà cum Julapiis Cephalicis interſperſis, à præſentibus ſymptomatis jam liberatus, Chalybeata, atque alia ad obſtructiones in viſceribus reſerandas pertinentia, quibus futuræ ſanitati proſpici poterit, planè reſpuebat. A cujuſmodi neglectu accidit, quòd anni unius, vel alterius ſpatio recidivationem iterùm iterumque perpeſſus ſit. Tandem verò à Medicaſtro quodam Spagyrico ſatis jactabundo, exhibito illi, abſque aliqua præcedenti evacuatione, Arcano neſcio quo, Martiato, morbum illicò à cerebro ad pulmones, & Diaphragma tranſlatum eſſe contigit, ſub ſpecie aſthmatis ſicci; adeò ut, qui anteà de vertigine conqueri ſolebat, jam multò magis perpetuam ſtrangulationem, ſeu ſuffocationem defleret, quæ quidem vel ipſis ſpectatoribus in Ægri vultu ſatis apparebat; quippe quòd non tantùm nativus faciei nitor à cute craſſeſcenti jam planè perierat; verùm etiam genæ, & ipſa labia loco ſoliti roſei ſplendoris, fœdo livore, quadantenus palleſcente, conſpurcabantur; acſi Æger longo jam tempore illaqueatus fuiſſet. Necnon oculi, & tota fere cutis colore Icteritio leviter tingebantur, urinâ etiam modo Icteritiorum flaveſcente, & ſicuti quantitate perpauca erat, ita etiam Contentis ſemper abundè ſaturata. Tuſſis etiam aderat ferè perpetua, non verò adeò ferox, quoniam ſcil. à phlegmate glutinoſo procedebat. Appetitus verò planè proſtratus erat, & ſitis etiam ingens cum aliis febris hecticæ ſymptomatis. Et quidem in hoc miſero & ærumnoſo ſtatu per biennii ferè ſpatium duravit, jam unius, jam alterius Medici curam, atque opem implorans, nullius verò conſilio diu morigerus, donec tandem circiter ſpatium ante obitum ſuum trimeſtre, cum jam planè maraſmo confectus eſſet, à colliquatione univerſali factâ, per copioſam phlegmatis putridi ſputationem, ſudores immenſos, Diarrhœam, & tumores Hydropicos Crurum atque Abdominis valdè moleſtos, ſeſe iterum, licet jam nimis ferò, cum lacrymis, & precibus meæ curæ commiſit, graviterque indoluit, quòd medicaminum tædio ſub morbi initio affectus, tam citò ſeſe à cura & conſiliis meis ſubduxerat; quùm à Venæſectione, repetito uſu Mixturæ Riverii atque aliorum Emeticorum leniorum, & Catharticorum, Pilularum noſtrarum Balſamicarum, Linctuum, & Apozematum Pectoralium, Incidentium, & Abſtergentium, mutatione aëris, atque aliis ejuſmodi plurimum emolumenti percepiſſet, licet in integrum ſanitatis ſtatum nondùm redactus eſſet; cum jam præ Diatheſi tabidâ, & colliquatione univerſali vires

res evacuationibus neceſſariis omninò impares eſſent. Nihilominùs manus adjutrices pro viribus miſero ægro porrigebam, & primùm tumorem Hydropicum ſubductione humoris per alvum minuere tentabam; bolo Cathartico ſequenti.

℞. Conſerv. Flor. Cichor. pulv. Rhei. an. ℈i. Reſin. Jalap. ℈ß. Sal. Abſinth. gr. v. Syr. Cichor. cum Rheo q. ſ. Ms. F. bolus.

Operationem primi Boli cum εὐφορίᾳ ferebat; attamen præ Ægrotantis languore; atque febre, non auſus ſum Bolum iſtum tam ſæpe repetere, quam hydrops id poſtulabat. Incaſsùm etiam Julapio Diuretico ex Aq. Petroſelin. Fœnicul. Lumbric. mag. Syr. è v. Radicib. Sal. Succini, &c. urinæ fluxum promovere ſatagebam; à cujus uſu febris quadantenùs augeri videbatur; quam denuo uſu Corticis Peruviani, ſaltem in tempus ſuſtuli. Ubi verò appetitum exindè non reſtitutum deprehendi, non adeò multum ab iſto medicamento exſpectavi. Ideoque obſtructiones hepatis, (in quo primum morbi malum latitare ritè ſuſpicatus ſum) uſu copio Apozematis noſtri Hepatici, & Diuretici, jam antè memorati, & Chalybeatis etiam commodiſſimis reſerare, uti etiam pulmonibus Pilulis noſtris Balſamicis, Linctibus, & Apozematis Pulmonaribus proſpicere molitus ſum. A quorum uſu meliùs reſpirare, & minùs febricitare, cutim etiam & urinam minori flavedine tinctam habere videbatur; Colliquatione tamen adhuc perſtante, & hydrope prævalente, cum etiam jam mediâ hyeme eſſemus, de ejus reſtauratione planè deſperavi, ideòque eum pro voto ſuo in aërem ruſticanum & apricum dimiſi, quo ibi εὐθανασίᾳ ſaltem, quantum ejus ſymptomata ferre poterant, frueretur: Ubi ſpatio iv. vel v. hebdomadum ab iſtâ univerſali colliquatione confectus, ſenſim more candelæ extinctus eſt; de hoc, præter cetera ſymptomata, querimoniam faciens, horrendo ſcil. & quaſi ſpaſmodico dolore ab hypochondrio dextro per magnam abdominis partem producto; quod quidem neque tollere, neque mitigare potui vel Linimentis, vel Fotibus Anodynis, vel quovis alio modo. Quale quidem ſymptoma in aliis ejuſmodi ægris ferè ſemper deprehendi; cujus rei rationem à cadavere poſt mortem aperto admodùm facile erat reddere. Sterno enim ſemoto, & thorace aperto, primùm in conſpectum venerunt pulmones, mole plurimùm adaucti, colore naturali in nigricantem vel cineritium jam mutati, Thoracis parietibus ferè ubique pertinaciter adhærentes & in omnibus lobis Tuberculis, hìc quidem maturis, illìc verò crudis referti. Ex quo ſatis conſtat hanc fuiſſe Phthiſin verè pulmonarem, licet ſymptomaticam. Ipſum etiam Hepar, ſicuti multò majus, quam par erat, apparebat; (quo pacto Diaphragma inferius premendo, proculdubiò non parùm ſuffocationem illam continuam, quâ Æger, quocunque aëre verſaretur, afflictus eſt, promovebat;) ſic etiam Parenchyma ejus præter tonum naturalem plus ſolito, juſtoque compreſſum & compactum, acſi planè coctum fuiſſet; ramuli etiam venæ Portæ ad hepar ab hypogaſtrio tendentes, ubique ultra naturalem tonum diſtenti, & varicati erant. A quibus æque facile eſt cauſam Icteritiæ hujus Chronicæ diſpoſitionis, quæ hìc primam anſam Phthiſi præbuit, deducere, atque horrendi illius doloris ab hypocondrio per abdomen producti, de quo non tantùm hunc Ægrum, verumetiam Dominum Maddox, jam ante memoratum, Dominam James, Dominum Freeſtone in Bucklersbury, alioſque ferè omnes hoc modo decumbentes querelas, cum magnis ejulationibus ita attentè & perpetuò facere obſervavi, acſi nullo alio ſymptomate afflicti eſſent. In his tamen hìc dolor renum, & lumborum regionem magis occupat, doloris Nephritici, vel lumbaris ſcorbutici æmulus, ſicuti accidebat Domino Maddox, & Domino Freeſtone: in illis vero ipſius Abdominis anteriorem partem, præſertim verò hypogaſtricam, ſub veræ Colicæ ſpecie, quo pacto affectus eſt Æger, de quo jam ſermonem habemus.

Ab hâc quaſi compreſſâ denſitate & duritie Parenchymatis Hepatis, adeò præternaturalitèt intumeſcentis, & ab inſigni varicatione Venæ Portæ indè conſequenti, ſicuti rationi & ferè vel ipſi ſenſui, ſatis conſtare poteſt, de Ætiologiâ Chronicæ illius Icteritiæ diſpoſitionis, ex quâ Æger noſter in Phthiſim primùm erat diſpoſitus: ita non minus de ortu horrendi illius doloris, qui partes Abdominis occupaverat, & forsàn etiam hydropis illius Aſcitici inſignis, quo fatalis dies proculdubiò multùm acceleratus fuerat.

Quod ad Chronicam illam Icteritiam diſpoſitionem attinet, nemo mirari debet, cum Organum hoc magnum, bilis colatorium, nativâ ſuâ laxitate penitus privetur; ſi à contrictione, ſeu compreſſione Parenchymatis indè conſequenti, nativæ ſuæ functioni exſequendæ impar reddatur; ſecretioni ſcil. partium bilioſarum è ſanguine, & earum excretioni in ductum biliarium & in veſicam felleam, in egregios uſus eis à natura deſtinatos: A quo non potuit non inſequi nimia congeſtio, ſeu coacervatio bilis in ipſo ſanguine, atque indè etiam tinctura cutis flaveſcens, Urina profundè rubra, flava, & Contentis ſaturata: dejectionum Alvi Color quadantenùs albeſcens, una cum languore, virium proſtratione, ceteriſque Icteri uſitatis ſymptomatis.

Forſan etiam ab hoc compreſſo Hepatis Parenchymate, & varicatione Venæ Portæ indè factâ, accidit vaſa lymphatica ab Hepate, vel à Glandulis Conglobatis in ejus ſinu juxta ingreſſum Venæ Portæ ortis ῥῆξιν pati; undè facile etiam ſit rationem Hydropici illius tumoris reddere, qui huic Ægro, ſicuti ferè omnibus hoc modo affectis fieri ſolet, ſub finem Icteritiæ hujus Phthiſeos ſuperveniebat.

Denique quod ad horrendum illum dolorem ſpectat, qui hunc morbum comitari ſolet, notandum eſt omnem Icterum, cujuſcunque fuerit generis, ſive accidentalis ſive habitualis, hujuſmodi ſpaſmodicum dolorem ſemper habere comitem; verum ſub hâc diſtinctione, nempè quod ſicuti Icterus accidentalis provenit à merâ obſtructione ductûs bilarii, vel communis, per calculum ſcil. vel glutinoſam bilem; ita morbum Peracutum febre periculoſâ, & doloribus ſpaſmodicis diriſſimis ad lipothymiam uſque ſtipatum efficit; qui quidem dolor nihilominùs regione Ventriculi, & ſcapulis circumſcribi ſolet, ſub ſpecie ſcil. Colicæ Ventriculi: quippe

hæ

hæ vicinæ partes, per conſenſum cum tenero illo ductu habitum, jam a bile, vel calculis ultra nativum tonum multum diſtento, ſpaſmos doloriſicos pati ſolent: Cùm è contrà, in habituali Ictero, licèt ab ipſo morbi initio obtuſus quidam dolor & gravativus perpetuò in regione hepatis ſentiatur, (ſicuti Dominæ *James*, atque aliis ſæpiùs contigiſſe memini;) ubi primùm ſcil. Parenchyma hujus Viſceris à nativâ ſuâ laxitate diſcedens jam nimis compingi incipit: Verùm nullus acutus, & inſtar prioris ſpaſmodicus dolor invadit, niſi partibus hypogaſtricis, ſub ſpecie ſcil. veræ Colicæ, vel lumbaribus, formâ nephritici doloris, idque non longè ante fatalem diem, ſcilicet non antequam à compreſſione Parenchymatis multùm auctâ in tatū tandem hepar ipſum conſtringi contigit, uti difficilis admodùm, ſiquidem ullus, detur locus ſanguinis è Venâ Portâ per illum trajectioni: Unde, à preſſurâ ſcil. ſubſequentis ſanguinis, quis mirari poteſt vel ipſa vaſa ultra tonum naturalem jam diſtenta, ſenſim in magnam molem augeri; modo à fluxus immodico Hæmorrhoidum internarum (in quem hujuſmodi Ægri valdè ſunt diſpoſiti) vel ab aliquâ aliâ Vaſorum rupturâ, ſeu etiam aperturâ, non præveniatur. Ità Veſalius, lib. 5. Cap. 15. obſervavit, in Icteritio quodam à fluxu hæmorrhoidali è vivis ſublato hepar multum intumefactum, & Venæ Portæ ramum per totum Inteſti Recti ductum ad Craſſitiem ferè Pollicis adauctum: Guarinonius etiam Conſultatione. 584. affirmat, ſeſe in hypochondriacis non rarò inveniſſe obſtructas Meſenterii venas adeò dilatatas, ut ſpeciem Inteſtinorum potiùs quàm Venarum præ ſe ferrent. Verum quidem eſt dolorem hunc in ipſis Vaſis præternaturaliter diſtentis, ſeu tumefactis non ſentiri; ipſæ enim Venæ, atque Arteriæ (Teſtante Galeno I. de uſu Partium Cap. XII.) ſi incidantur, vel urantur, vel laqueis conſtringantur, nihil ſentiunt: Cui ſētētię lubentiſſimè aſſentior, quippè ſuaſus frequenti Varicum obſervatione, quos in Cancroſis mammis, & Cruribus fæminarum gravidarum accidiſſe ſæpenumerò memini; quæ omnes ab hiſce Varicibus, utut in magnam molem adauctis, obtuſo admodùm vel nullo dolore affici videbantur; qui quidem ipſe dolor etiam à præternaturali diſtentione externæ cutis, & à compreſſione in ſubjectam muſculoſam carnem, à varicibus amplioribus factâ, magis quàm à ſenſu ipſorum vaſorum ità varicatorum procedere, mihi ſemper videbatur. Neque diſſimili forſan modo dolor ille hypogaſtricus horrendus, Phthiſin Icteritiam comitari ſolitus, de quo jam ſermonem habemus, ortum ſuum traxiſſe cenſendus. Ubi enim primum hepatis Parenchyma in tantum conſtringi ſeu condenſari contigit, uti naturali ſuâ laxitate jam privatum, ſanguinis trajectionem difficulter admodùm, modo omninò, per ſe admittat; neceſſe eſt venam Portæ, atque ejus ramulos, qui ſanguinem huc referunt, à continuo novi ſanguinis appulſu propter hîc poſitum obicem, multum denuò tumefieri, & varicoſos reddi. Quo facto utut ipſæ venæ ad mentem Galeni, nullo doloriſico ſenſu afficiantur, nemo tamen debet mirari, à diſtentione, & ſolutione continui factâ in membranis, quas vaſa hæc varicoſa perreptant, horrendum hunc & ſpaſmodicum dolorem oriri, qui uſu ſolum Chalybeatorum, & Diureticorum partibus ſubtilibus, & penetrantibus præditorum, eoque ſatis longo, & pertinaci, qui quidem obſtructionum hepatis reſerationi par ſit, tolli poſſit. Quibus obſtructionibus jam ſublatis, & varicibus indè ſponte ſuâ ſubſidentibus, membranæ, quas perreptant, coaleſcendo à ſpaſmodico hoc dolore illicò liberari poſſunt. Incaſſum etiam, vel ad ipſam minorationem hujus doloris, adhibentur externæ applicationes calidæ, nempè Fotuum, & Linimentorum Anodynorum, quæ in Pleuriticis, Colicis, atque aliis doloribus ſpaſmodicis plurimi uſûs eſſe ſolent. Quippe quòd ab externo calore ſanguis varicibus contentus magis agitetur, & excandeſcat; undè neceſſe eſt, uti major vaſorum varicatio, ſeu præternaturalis diſtentio cum ipſius doloris intentione inſequatur. Oxycratum verò, Ceratum Santalinum, Unguentum Roſaceum, atque alia ejuſmodi Styptica, & Infrigidantia, eaque frigidè applicata, ſcopum multo magis attingere obſervavi. Super omnia verò Opium ipſum internè exhibitum; ſicuti eſt ultimum, ità etiam unicum, ſaltem maximum, ſolamen & Aſylum hujus doloris. Hoc etiam parcâ manu incaſſum adminiſtratur. Nulla enim Doſis verum ſcopum attingit, niſi quæ quidem diſtentis membranis, æque ac ceteris corporis partibus narcoſin quandam inducere poterit; quod in Domino *Maddox*, atque aliis ejuſmodi Ægris ſæpiùs expertus ſum; quorum dolores neque quidem ipſo Laudano mitigare potui, donec gr. iij. vel iv. ſingulis vicibus præſcribere cœpiſſem. Verum quidem eſt morbum originalem, & ſimptomaticos iſtos dolores indè ortos diverſas indicationes miniſtrare. In quantum enim hi dolores Opiatis mitigantur, in tantum obſtructio, ſeu conſtrictio Parenchymatis hepatis quæ ptimam anſam dolori præbuit, augetur, & confirmatur. Et quidem quod tempore diurno Chalybeatis perficitur, nocturno Opiatis quadantenus diruitur. Utcunque tamen, in quantum vitalis Indicatio id requirit, oppreſſa & languens natura neceſſariis Opiatis ſuffulcienda eſt. Vitâ enim perpetuo horum ſpaſmorum tædio jam corruente, neque Chalybeatorum, neque medicaminum cujuſcunque alterius generis uſui idoneorum, locus concedi poteſt. Ideoque in hoc caſu licèt uſus Opii ſummè neceſſarius, à prudenti Medico debitis intervallis concedi poſſit, (qui etiam diligentiori, & diuturniori uſu Medicaminum Ecphracticorum & Attenuantium compenſari debet) non tamen ſine urgenti neceſſitate vel minimum granum Laudani exhibendum eſt, quippe quod morbus primarius planè contraindicet.

Hiſtoria 4. Uxor *Domini Preſtbury*, Incolæ cujuſdam Inſulæ dictæ Blackfryers, quæ jam per menſes aliquot ingravidata fuerat, Mulier ſanè proba, verùm quadantenus anxia, & cogitabunda, à cu-

ris, atque animi Pathematis variis tandem Icteritia facta eſt, à ſecretione ſcil. bilis jam deficienti, propter ipſius Hepatis parenchymatis condenſationem quaſi Scirrhoſam effectâ. Verum ab Ictero jam diu neglecto non tantum tabida, & emaciata, longâ ſcil. ſucci nutritii ſubtractione, facta eſt; verum etiam appetitu privari, ſiti, & calore hectico quadantenus affici, dyſpnœâ, tuſſi, atque aliis Phthiſeos Pulmonaris jam incipientis ſymptomatis affligi cœperat; idque adeo ut vel ipſe ego eam brevi Phthiſicè interituram crederem, niſi illi ſuppetiæ ad hepatis obſtructiones reſerandas ſatis tempeſtivè miniſtrari potuerint: Ideoque cum præ metu abortionis neque Tincturam ſacram, neque Aquas Minerales Purgantes, neque quicquam aliud Catharticum Medicamentum præſcribere auſus ſim, Menſis Maii die tertio præſenti Anno, illi propinari juſſi per x. dies continuos ℥iv. Apozematis Aperitivi jam antè deſcripti, ſextâ quâque horâ, bis die, addendo etiam hauſtui Vini Chalybeati ℥i. Cum verò ob naturalem quandam Antipathiam quam adverſus Crocum habuerat, neque hanc, neque Radic. Curcumæ, neque & forſan etiam alia aliqua Ingredientia, hiſce medicaminibus contenta ferre potuerit; verum ea ſimulatque fuerant ſumpta ſtatim rejiceret; idque non ſine inſtantis abortionis ſignis, Indicationibus prioribus illico ſatisfacere novo præſcripto in eaſdem intentiones compoſito, Maii 25. more ſequenti atagebam.

♃. Pulv. Milleped. Stercor. anſerin. an. ʒii. Salis Martis ℈i. Syr. è v. Rad. q. ſ. MS. F. Pilul. mediocres deaurand. quarum tres capiat ter die, horis Medicis, ſuperbibendo ſingulis doſibus ℥iv. Apozem. ſequentis.

♃. Rad. Cichor. Gram. Petroſel. Fœnic. Aſparag. an ʒii. Cortic. interior. berber. ℥i. Raſur. C.C. Ebor. ℥ß. Uvar. Corinthiac. ℥ii. Coq. in Aqu. Font. q. ſ. ad ℔iß. Addendo circa finem ebullitionis Vin. Alb. Gallic. ℔ß. Colaturæ adde Aqu. Lumbric. Mag. Sy. ex Eryſimo an. ℥iii. Succ. unius Limon. M. F. Apozema.

♃. Aqu. Petroſel. Fœnic. an. ℥iv. Aqu. Lumbric. Mag. Pæon. comp. an. ℥i. Syr. è v. Radic. ℥i.ß. M. F. Julap. è quo cap. Cochl. iv. vel v. in languoribus.

A quorum diuturno uſu (adminiculante etiam quadantenus ruſticano aëre) non tantum ab Ictero; verum etiam à tabe, & à ſymptomatis Pulmonum morbidis, idque abſque vel uno Medicaminum Thoracicorum grano, planè libera evaſit, jam tandem etiam ad ſolitam temperiem, atque appetitum reſtituta bene valet.

Cap. 14. De Phthiſi Pulmonari ab internis ulceribus viſcerum, & partium membranoſarum orid.

A Longâ & copioſâ ſubtractione ſucci nutritii factâ per ulcera vetera, atque ampla, quæ magnam puris Ichoroſi copiam perpetuo effundere ſolent, quâcunque corporis parte, internâ vel externâ, ea ſedem habere contigerit, flammam in partibus ſolidis accendi, atque Ægrum indè tabidum reddi, in Primo Libro, ratione æque, ac experientiâ freti probavimus. Ab hujuſmodi etiam ulcerum ſanatione, præſertim verò ſi conſueta fuerint & vetera, vel fortè etiam maligna aut fiſtuloſa, Phthiſin ipſam Pulmonarem ſæpiſſimè ſuperinduci Capite Octavo hujus Libri ſatis ſuperque innuimus.

Quandoquidem vero à diuturnâ duratione ulcerum in viſceribus, & partibus membranoſis internis natorum, præſertim verò in iis, quæ nobiliora & majoris uſûs eſſe reputantur, qualia ſunt Hepar, Renes, Teſticuli, Ovaria, Uterus, atque ejus Vagina, Veſica Urinaria, Ventriculus, Inteſtina, &c. Ægros æque frequenter ac ab ipſorum ſanatione, per longam ſucci nutritii ſubtractionem, non tantum in ſtatum univerſalis Atrophiæ redactos tandem tabidos reddi; verum etiam ipsâ Phthiſi Pulmonari inde ab initio non rarò affici obſervârim; lubet hîc loci, ſuccinctim licet, de peculiari hujuſmodi Phthiſeos genio obſervationes noſtras etiam, quas nobis *Praxis* obtulit, ſubnectere.

Neque mirum cuiquam videri debet, hujuſmodi ulcera; preſertim vero ſi fuerint Chronica, Phthiſi verè Pulmonari anſam præbere poſſe, qui ſerio ſecum perpendat, quantæ ſint & quam continuæ ſucci nutritii per hujuſmodi ulcera excerni ſoliti impenſæ; quantaque etiam ab hac Chyli ſanguinis reparationi deſtinati ſubtractione, totius maſſæ depauperatio, una cum acrimonia inde inſequenti; quantuſque marcor, ſeu atrophia partium exinde proveniens; quanta inde ſanguinis, & ſpirituum excandeſcentia, ſeu motus inteſtinus; quantumque denique incendium cum calore fixo in toto habitu corporis, unà cum colliquatione univerſali ſucci nutritii è maſſa ſanguinea (cui ob calorem & acrimoniam præternaturalem perfectè aduniri non potuit) per quamvis Portam, qua datur via, reddita. Ut vero quod res eſt ingenuè fatear, magis mirari ſoleo quod in hoc univerſali incendio & colliquatione *Pulmones* (quorum parenchyma naturaliter eſt adeo tenerum, veſiculoſum, & ſpongioſum, & proinde, ſicuti, à calore hectico citiſſimè affici, ita etiam à particulis purulentis illuc per circulationem trâſlatis æquè cito corrumpi aptum natum, & in omni notabili colliquatione præ ceteris quibuſcunque partibus humorum ſuſceptivum,) unquam diu à labe Phthiſica immunes manere poſſint. Et quidem ut rem ipſam loquar, quotieſcunque hæc ulcera in veſica urinaria, utero, vagina, ovariis, vel renibus, aliiſve viſceribus, aut partibus membranoſis à corde remotis, indeque minoris notæ, naſci contingit, ſicuti ſemper Phthiſin indè natam magis Chronicam eſſe obſervavi; ita paulo ante mortem eam certiſſimè terminari in Phthiſin vere Pulmonarem, ſcilicet à *Pulmonum* infarctione, ad tubercula, eaque tandem matura, & exulcerata, unà cum tuſſi importuna, reſpiratione anheloſa, colliquatione univerſali, & reliquis hujus fatalis morbi ſignis ſenſim progredientem. Utcunque, in Phthiſi magis acuta, & præcipiti, ab exulceratione ſcil. Hepatis, Ventriculi, aliorumve viſcerum, aut partium membranoſarum proprius cor ipſum ſitarum oriunda, pulmones non tam exulceratos, quam diſcoloratos, infarctos, & Thoracis parietibus

bus

bus adhærentes, & tandem bilis obſtructione, affecti fuerint) tuberculis crudebris, primùm in hujuſmodi cadaveribus, cultro anatomico immittens, una mortem ſubjectis, inveni: Siquidem inſequenti bitâ vitæ extinctione, ſatis temporis exulcerationi ceſſum non fuerit quo pulmones labe dyſp-Phthiſica tam altè imbuerentur; Ægro morte præcipiti à Phthiſi originali è vivis prius ſublato, quàm tubercula pulmonum maturari, vel Phthiſis Pulmonaris ultra ſecundum ſuum ſtadium provehi poſſit. In hac verò ipſa acutiſſima Phthiſi eadem planè ſymptomata, ſi non magis etiam atrocia, quam in Phthiſi verè Pulmonari funeſta deprehendi; eandem ſcilicet ferocem, & importunam tuſſim, eandemque dyſpnœam, licet à mera infarctione pulmonum, & à tuberculis crudis in iis natis provenientes; febrem verò primùm inflammatoriam, poſtea verò putridam, & intermittentem, colliquatione univerſali, deliriis, aliiſque magis diris & funeſtis ſymptomatis, quàm in Phthiſi Pulmonari Originali ſtipatam, quæ ab inflammatione, & exulceratione viſcerum, vel partium membranoſarum maximè nobilium oriuntur. Adeo ut difficillimum ſit Phthiſin hanc à Pulmonari diſtinguere, niſi per ſymptomatum intentiorem gradum, & per aliqua κριτήρια partis primario affectæ Pathognomonica.

Omnis hujuſmodi Phthiſis Pulmonaris curatu eſt admodum difficilis; utpote è quodam perenni fonte ſcaturiens. Ulcera enim interna, quæ anſam huic Phthiſi primum præbuêre, raro perfectè ſanari poſſunt, utpote extra ſphæram Chirurgiæ poſita. Et quidem Phthiſin hanc, abſque ulcerum, à quibus originem ſuam trahit, ſanatione, radicitus curare, & effectum cauſâ ſuâ adhuc manente tollere, idem eſt. Verum quidem eſt, quod quoties ſcil. hæc ulcera parva atque benigna eſſe contingit; atque etiam in renibus, veſica urinaria, Teſticulis, Vagina Uteri, aliiſve partibus membranoſis, aut viſceribus à corde remotioribus ſita; ſicuti ipſa ulcera (quæ hîc formam cauſæ induunt) nonnunquam perfectam curationem admittunt, ita etiam non minus ipſa Pulmonaris Phthiſis ab illis dependens curari poſſit. Hæcce verò Phthiſis ſive curationis capax fuerit, ſive non; quadantenus tamen morbi Chronici genium ſemper ferè induit. Atque hinc nonnullos hujuſmodi Ægros per plures menſes, imo aliquando etiam annos Phthiſicè languentes, ſenſim emarceſcentes & colliqueſcentes deprehendi; præſertim verò ubi morbi fomes in rene, veſica urinaria, vel vagina uteri ulcerata jam delituit, Phthiſin ab Ovariorum, teſtiumve virilium ulcere ortam mediam quandam naturam ſortitam, ut plurimum verò Ægros intra ſpatium unius anni è vivis ſuſtuliſſe obſervavi: Illam verò, quæ ab ulceratione ipſius Uteri, Ventriculi, Hepatis, aliorumve viſcerum, aut partium membranoſarum maximæ notæ oritur, more peracutæ Phthiſeos, ſpatio perpaucorum menſium, vel etiam hebdomadum vitæ flammam exſtinxiſſe; ſiquidem citiſſimè febre primum egregiè inflammatoriâ, dein verò putridâ intermittente, & colliquatione ſtâ eſt, ut exinde vitâ jam præproperè in extremum diſcrimen perductâ, ſatis longæ induciæ conceſſæ non fuerint, quo pulmonibus impreſſa tabes ultra primum Phthiſeos Pulmonaris ſtadium provehi poterit, utut omnia Phthiſeos Pulmonaris funeſtæ uſitata ſymptomata adeſſe viderentur.

Hiſtoria 3. Mercator quidam Londinenſis ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum (cum jam per co[...]ennium fere quadantenus valetudinario, & eaqu[...] appetitu imminuto, & parum conſtanti de[...]raliter [...]quod forte ſibi ipſi per immodicum vini di *Pathiſis*[...]eris uſum conciliabat) me tandem magis quò [...]e tumore ſcilicet & inflammatione joris notæ orta [...]cà inde ortâ, quibus dexter te[...]fectam curationem [...]tre ſpatium jam ferè affectus ſublatione, qualiac[...]ahone (uti mihi referebat) cunque viſcere, vel m[...]inter equitandum factæ. quæ quidem primam an[...]arcoceles ſpeciem præbuêre. [...]s ad magnitudinem

Ex jam dictis vel ipſi ratio[...]tiam non conpoteſt, quæ ſint Indicationes huj[...]ac teſticulum ſeῶν Curativæ; quas etiam fœlix P[...] detractioceſſus vel ipſis oculis quotidiè ſubjice[...]ina hor- quoties ſcilicet morbus proprio ſuo genio[...]tibus cionem admittit. Eiſque morbum primar[...] in æque ac Pulmones ipſos reſpicere oportet, primò ſanationem ulcerum quâcunque Corporis parte ea orta fuerint, totis viribus promovendo, copioſo Medicaminum Balſamicorum, & Traumaticorum uſu; quæ quidem mitioris generis eſſe oportet, ne flammam febrilem jam in ſanguine accenſam augendo, obfuerint magis quam profuerint.

Secundò, Pulmonibus ſatis tempeſtivè proſpiciendo, uſu Remediorum Pulmonarium, Opiatorum ſcilicet, & Expectorantium, alternatim exhibitorum; quo labes iis jam impreſſa deleatur, vel ſaltem quam minimè à morbo primario promoveatur.

Tertio; Pectoralibus & Balſamicis ea ſemper admiſcendo, quæ tonum partis primariò affectæ reſtituunt, confirment, & ſpecialem reſpectum ad eam habeant; uti Uterina, Hepatica, atque alia hujuſmodi, prout res requirat.

Quartò. Calorem Hecticum in ſanguine & ſpiritibus jam accenſum Lacteâ Diætâ accuratiſſimâ, Aquis Mineralibus Chalybeatis, Decoctis Sarſæ vulnerariis, Aquâ Calcis, atque aliis ejuſmodi (quantum præſens Ægri ſtatus ferre poteſt) demulcendo; uti etiam febrem putridam intermittentem profligando, uſu Corticis Peruviani copioſo, debitiſque intervallis ſatis frequenter repetito; denique ſymptomata maximè urgentia, & quæ vires maximè frangant, ſive ea ab ulcere primario, ſive etiam à pulmonibus oriantur, applicatione diligentiſſimâ relevando. Ex. gr.

Si primarium ulcus adeò benignum, & parvum fuerit, uti ſpes aliqua perfectæ curationis affulgeat, neque tandiu perduraverit, uti vires exinde jam multum fractæ ſint; neque in parte tam nobili ſitum fuerit, uti præceps ruina per Phthiſin acutam metuatur; omnino in primo ipſo curationis limine Ulceris primarii ſanationem tentare convenit, exhibitione copioſâ Calomelan. idque non tantùm Catharticis commixti, ideoque debitis intervallis; verùm etiam etiam per ſe, Doſibus confertim repetitis, ad

ſtatum jam redactus, ſicuti immodicè ſitire, ita etiam appetitu privari; & tandem tuſſi importunâ, reſpiratione anheloſâ, atque aliis uſitatis pulmonum morbidè affectorum ſymptomatis affligi incipiebat; magis, magiſque continuò marceſcens cum ſubita naturæ ruinâ, quæ multùm etiam à febris putridæ intermittentis ſuperinductæ Paroxyſmis accelerabatur; qui quotidie ſtato diei tempore cum algore; calore, & ſudore ſeſe viciſſim excipientibus, redibant; donec tandem Æger in ultimum maraſmi redactus fatis cedere coactus eſt.

Ex Corticis Peruviani repetito uſu eum ſæpiſſimè à febre putrida liberavi, quæ tamen (cauſa in vulnere adhuc manente) totidem vicibus, hebdomadis unius, vel alterius intervallo, recrudeſcebat. Ex uſu etiam Lacteæ Diætæ accuratiſſimè inſtitutæ, Lactis Aſinini, atque aeris ruſticani aprici beneficio, fervor hecticus in ſanguine accenſus multum mitigabatur; etſi nunquàm penitus extingui potuerit, cum cauſa ejus procatartica ulcus ſcil. malignum, & incurabile, artem Chirurgicam planè ſuperaret. Unde tandem, parte ulcerata gangræna jam affecta, poſt ſex emenſos decubitus menſes non tantùm à tabe univerſali, verumetiam à Phthiſi verè Pulmonari licet ſymptomatica ſummè marcidus è vivis ſublatus eſt.

Hiſtoria 4. *Dominus Nye*, filius *Philippi Nye*, Miniſtri eximii (ut vocant) Nonconformiſtæ, cum jam circiter annum ætatis ſuæ trigeſimum, à tumore in ventriculo ſuccreſcente, Cardialgiâ, & vomitione ferè perpetuò per anni ſpatium afflictus eſſet, (à quibus ſymptomatis neque frequenti uſu Calomelan. Aquar. mineral. Purgantium, Chalybeatorum, Milleped. Decoct. Sarſ. Corall. Margarit. Ocul. Cancr. præparat. neque aliorum etiam medicaminum omnigenorum, vel à doctiſſimis expertiſſimiſque Medicis præſcriptorum liberari potuit;) Tumoribus tandem inflammari, & exulcerari incipientibus, à febre inflammatoriâ, putrida intermittente exceptâ, celerrimè correptus, non tantum in ſtatum tabidum à colliquatione ſcil. univerſali præceps ruebat, verum etiam pertinaci tuſſi, Dyſpnœa, atque omnibus aliis Phthiſeos Pulmonaris acutiſſimæ ſymptomatis afflictus, me tandem, licet incaſſum, accerſebat. In ultimo enim ſtadio Phthiſeos ſymptomaticæ, (quæ ſicuti proprio ſuo genio fatalis, ità etiam præceps erat) eum decumbentem deprehendi. Ideoque ubi jam in urgentium ſymptomatum relevationem adjutricem manum, quantum potueram, porrexiſſem, memet (fatali Prognoſtico priùs habito) illicò ſubduxi.

Neque quidem miſerrimus iſte Æger per plures dies apud vivos agebat. Copia autem cadaveris poſt mortem inſpiciendi mihi non conceſſa, utut omnia uſitata Phthiſeos Pulmonaris ſigna adfuerint, quantum tamen pulmones ipſos exindè labefactatos fuiſſe contigerat, uti liquidò mihi, tanquam oculato teſti, non conſtabat, ità neque fidenter poſſum affirmare.

Hiſtoria. 5. Vetula quædam, uxor cujuſdam Juriſperiti, habitantis in vico dicto *Shoe-Lane*, cum jam (ſicuti mihi ipſa narrabat) per ſpatium viginti annorum præ urgenti, ſcil. & continuâ, Dyſuriâ, ſomnum vix ad unius horæ dimidium in unam vicem protrahere potuerat; quo, unà cum aliis diris comitantibus ſymptomatis, plurimùm atque diu (idque non obſtante vel optimorum Medicorum frequenter habito conſilio) attrita, indeque tandem in ſtatum plane tabidum, atque hecticum redacta lectoque præ debilitate ſcil. & virium languore perpetuò affixa, me non multùm ante funeſtum diem accerſebat; cum jam ob proſtratum à victu æque ac à medicamentis longo jam tempore abhorruiſſet. Mulierem ſanè egregiam, fortitudine æquè ac prudentia canitiem ſuam, ultra conſuetum ſexus morem, decorantem deprehendi, in ultimo vero Phthiſeos Pulmonaris ſtadio (ſicuti vel ipſo primo aſpectu ex ſumma emaciatione, tuſſi, febre, & Dyſpnœa conjectabam) ſatis ærumnosè obverſantem. Quippe quòd non tantum cum ſymptomatis Phthiſeos Pulmonaris, & febris hecticæ uſitatis; verum etiam frequenti ventriculi Colica horrende ſpaſmodica, a motu calculorum è veſica fellea ſæpius excitato, necnon continua Dyſuria, à calculo, atque ulcere Renum orta, ferè perpetuo conflictare cogebatur. Unde factum eſt ut urina à prima mictione lacteſceret, atque dein ſedimentum valdè copioſum fœtidum, & vere purulentum deponeret. Inſpecta verò urina illico ulcus deprehendi ſatis magnum à calculo in rene affecto eſſe ortum, Phthiſinque Pulmonarem ab iſto ulcere, (forsàn etiam ſymptomaticè) ſuperinductam fuiſſe, conjectabam.

A tot, tantiſque ærumnis Natura jamdiu attrita, oppreſſa, & ſuccumbente, accidit etiam ut Cerebrum, totumque ſyſtema nervoſum tam inſigniter; & continuò patiantur, ut, ſuppreſſa omni alia querimonia de Phthiſi, ulcere, & calculo, hoc unicè appeteret, uti ſuppetias illi ferrem contra lipothymias, & languores frequenter recurrentes, item contra mentis vacillationem, & vapores (uti eos vocabat) frigidos, atque calidos continuò, noctu diuque ſeſe alternatim excipientes, à quibus magis quam à cæteris omnibus ærumnoſis ſymptomatis premi videbatur. Hiſce moleſtis ſymptomatis totis viribus illicò ſuccurrere conabar, uſu ſpir. C. C. Salis Armoniac. Tincturæ Caſtorei. Julapiorum Antihyſtericorum, atque aliorum ejuſmodi. Neque quidem affectos pulmones, & ulceratos renes (ubi prima hujus mali origo deliteſcebat) planè negligebam, quin iis etiam uſu Emulſionum, Medicaminum Balſamicorum & Pectoralium proſpexi, quantum ſcil. habitus corporis attenuatus ferre potuere. Incaſſum tamen hæc omnia jam erant præſcripta. Sicuti enim ulcus Renis factum eſt ſuâ natura jamdiu planè incurabile, ita etiam affectiones pulmonum, & generis nervoſi ſecundariæ indè ortæ videbantur magis triumphatæ jam naturæ, Trophæa, quam vel oppreſſiones, vel morbi quidam accidentales, quos ars poſſit ſuperare. Paulò ante fatalem diem, ubi mors jam præ foribus ſtare videretur, egregia iſta mulier obnixè me rogavit, & quidem ſponſione obſtrinxit, uti ſedulò facerem, quo cadaver ejus poſt mortem cultro Anatomico ſubjiceretur, quò in uſum ſcil. ſuperſtitum

perſtitum illi medendi arti mortua inſerviret, quæ, dum viveret, nihil opis illi præſtiterat.

Copia inſpiciendi cadaver poſt mortem à Marito, licet ægrè, jam conceſſa, præſentibus quàm plurimis eximiis Medicis ſolennis Anatomia inſtituta eſt. Primùm obſervatu dignum erat, quòd, utut omnes Tabidæ hujus artus, atque facies emaciarentur, membrana tamen Abdominis adipoſa pinguedine mirum in modum craſſeſcebat, uti calculoſis ferè accidere ſolet, forſan à ſanguinis motu per vicinas partes minùs expedito, & ſeri per renes ſecretione minùs parcà, quàm par erat; Membranam autem exteriorem renis ſiniſtri, utpote à morbida affectione quadantenus intumeſcentis, fortiter ei adhærentem invenimus.

Ipſum verò Parenchyma jam diſſectum, favi ſpeciem præ ſe ferebat nempe hîc indè calculis, & foveis, ſeu quibuſdam loculis, è quibus calculi olim fuerant extruſi, refertum, abſque tamen vel minima præſenti exulceratione. Renem autem dextrum, inſtar marſupii, calculis, & pure non tantùm refertum, verum etiam inſigniter diſtentum deprehendimus, toto etiam Parenchymate intra inveſtientes membranas contento jam ante ſenſim corrupto & conſumpto, atque ipſis etiam membranis innumeris calculis, & ſeroſo pure (quale etiam in veſicâ reperimus, qualeque unà cum urina reddere fere ſolebat) oppletis. E quibus facilè conſtabat de Chronicæ illius Cyſuriæ, atque Tabis Ætiologia, quibus tamdiu moleſtè laboraverat. Emulgentes etiam venæ, quæ ſanguinem à renibus referebant, præ inſigni calculoſa ſanguinis Diatheſi, qua miſera hæc vetula afficiebatur, quaſi lapidei canales, intus plane calculoſa cruſta (dictu mirandum) obducebantur. Veſicam inſuper felleam calculis refertam deprehendimus à quorum motu proculdubiò Colica illa ventriculi, horrendis ſpaſmis ſtipata, qua ſæpiùs afficiebatur, ortum ſuum ducebat. Pulmones verò ipſos nullibi exulceratos, tuberculis autem crudis, & calculis cretaceis ubique ferè obſeſſos vidimus. Quibus, de cauſa perpetuæ tuſſis, anhelitus, atque aliarum affectionum Pulmonarium vel ipſis oculis conſtabat. Nullus tamen dubito, quin progreſſu temporis tubercula iſta maturari potuiſſent: atque eo pacto incipiens hæc Pulmonaris Phthiſis in confirmatam & deploratam faceſſere potuerat, niſi mors præmatura ab illis cauſis accerſita eam rem præveniſſet. *Hactenus Phthiſiologia integra Clariſſimi Domini Morton, ſequuntur jam Curationes, Conſultationes, Obſervationes, & Anatomicæ inſpectiones è variis.*

Curationes.

Notare oportet morbi hujus ſtatus diverſos, ſive ſigna diſtinctiva, quæ nimirum ad ipſum pertinent. 1. quando mere tuſſis eſt 2. quum in Phthiſin degenerare incipit. Tertio, quando Phthiſis perfecta & fere deplorata exiſtit. Ex quibus rite deſignatis, prædictorum affectuum etiam prognoſis eluceſcet.

1. Et primo quod ad tuſſim recentem & adhuc ſolitariam ſpectat, profecto hæc, de quâcunque cauſa exoriens, in corporibus ad Phthiſin prædiſpoſitis vix unquam ſuſpicione periculi vacabit; verum in homine robuſto pectoris quadrati, & tuſſim ſæpe prius impune perpeſſo, haud ſtatim timenda erit: ſi quando enim à cauſa evidente fortiore excitata, ſine febre, aut totius corporis indiſpoſitione, non admodum moleſta fuerit, tunc mere frigus ſuſceptum audit, atque vel prorſus negligitur, vel brevi tempore multis aut magnis remediis finiri ſolet. Porro ſi hanc febricula cum ſiti & inappetentia comitabitur, ſpes eſt, ſanguine ad rectam temperiem reſtituto, etiam tuſſim ſponte deſituram: ſin verò illa diutius protracta, & remediis vulgaribus non facile cedens, ſputum copioſum & diſcolorem producet, haud amplius negligi, ſed medendi methodo & remediis idoneis, cumque exacta victûs ratione tractari debet. Quippe tunc ſuſpicari ſubeſt, Pulmones, in conformatione læſos, ſanguinem haud totum, ſed cum ſeri, aut lymphæ, & frequenter cum ſucci nutritii depoſitione trajicere; ac inſuper humores illos, ibi depoſitos, putreſcere; proindeque noxâ reciprocâ ſanguinem, quo magis uſque pulmones lædat, coinquinare.

2. Quod ſi tuſſi cum ſputo copioſo & craſſo indies ingraveſcente, totius corporis languor & intabeſcentia, appetitûs dejectio, reſpiratio difficilis, ſitis & ſanguinis æſtuatio ſuperveniant; magna ſuſpicionis cauſa eſt ad primos ſaltem Phthiſeos limites (ſi non ulterius) perventum eſſe. Quare tunc omnem movere lapidem oportebit, quo & pulmones materiæ jamjam aggeſtæ ſaburra liberari, & contra ejuſdem incurſum continuum muniri queant; ſimulque ut maſſa ſanguinea depurari, & ad craſin rectam, quâ ſeroſitates ſuas alioſque humores intra compagem ſuam rite contineat, aut alio quam ad pulmones transferat, reſtitui poſſit.

3. Sin, ultra ſtatum Affectûs hujus modò deſcriptum, ſputi copia & diſcoloratio indies augebuntur, ceteriſque uſque in deterius euntibus, virium omnium dejectio, & febris hectica cum ſiti continuâ, ſudores nocturni, facies Hippocratica, & carnium fere ad ſceleti ariditatem concidentia accedent; tunc fere nullus Medicinæ, ſed tantum triſti prognoſtico locus relinquitur; aut ſaltem curationis ſpe depoſitâ, tantum Anodynis, quibus *εὐθανασία* procuretur, inſiſtendum erit.

Quod itaque ad tuſſis in genere Therapeiam ſpectat, ſecundum tres prædictos morbi hujus ſtatus etiam medendi methodus trifariam ordinari debet: nempe ut poſitis quaſi cancellis diſtinctius præſcribatur, quid agendum ſit pro tuſſi curandâ, dum ea, citra Phthiſeos limites ſubſiſtens, mere frigus ſuſceptum audit: 2. quæ ſanandi ratio Phthiſi incipienti, & 3. quæ denique eidem conſummatæ, aut deploratæ conveniat.

1. Etſi contra tuſſim recentem remedia fere tantum Empirica uſurpari ſolent, & nullus è plebe ſit, quin multis & diverſimodis hujus farinæ inſtruitur, quæ ſine Medici conſilio plurimi confidenter & ἀμεθόδως paſſim ſumunt, & aliis propinant; attamen homines conſtitutionis teneræ, aut ad tabem hæreditario proclives, vel prius interdum à tuſſi periclitari ſoliti, à primo ſtatim appulſu ejus cavere, & ſtatim ad ἰατρικῆς præcepta ſe recipere debent; juxta quam ut medendi methodus rite inſtituatur, indicationes therapeuticæ potiſſimum erunt hæ tres; viz. 1. Sanguinis inordinationem, à qua ſeri fluxiones procedunt, ſedare, aut tollere; 2. Cruoris recrementa, & exuvias quaſque, ab eo ſecedere aptas, pulmonibus ad poros cutis, aut vias urinarias, aliaque emunctoria derivare; 3. Ipſos pulmones contra ſeri aliorumque humorum ſuſceptiones corroborare, ſimulque contra frigoris externi, à quo amplius lædi ſolent, occurſus munire. Super his ſingulis paulo explicatius dicemus.

Prima indicatio reſpicit tum ſanguinis effervescentiam, quâ propter effluvia cohibita nimis æſtuat ille ac in vaſis ebullit; tum diſſolutionem ejus quâ nempe in compage ſolutus, ſerum alioſque humores à complexu ſuo nimis dimittit. Pro utriſque tollendis victus ratio tenuis inſtitui, atque frigoris externi injuriâ ſedulo vitatâ, diaphoreſis paulo uberior procurari, aut ſaltem aſſueta reſtitui debet. In hos fines patiens illico craſſius veſtiatur, & intra lectum aut cameram ſe contineat, ſaltem vix domo egrediatur; veſperi & mane à liquore poſſeti cum roriſmarino, aut ſalviâ incoctis ſudatio tenuis provocetur. Si nihilominus tuſſis ingraveſcat, Phlebotomia, modo vires & conſtitutio ferant, ſæpe cum fructu adhibetur: quâ celebratâ hypnotica fere ſemper juvant, in quantum ſc. ea cordis motum & conſequenter ſanguinis curſum nimis præcipitem retardant: porro efficiunt ut leniter iſte & moderate ſine magna ſeroſitatum rejectione vaſa pneumonica trajiciet, & quod ſuperfluum eſt per diaphoreſin potius aut urinam amandet. In hunc uſum etiam decocta pectoralia, quatenus humorum aciditates deſtruunt ſanguinis diſſolutionem, ac in ſeroſitates fuſionem inhibent aut ſiſtunt adhibenda. Pari etiam ratione & efficiendi modo, medicamenta ex Sulphure parata contra tuſſim adeo inſigniter juvant.

Secunda Indicatio, viz. ut ſerum, aliaque ſanguinis recrementa aut exuviæ, à pulmonibus derivatæ, per alias vias evacuentur, perficitur per Medicamenta Diaphoretica, Diuretica, & lenia purgantia; quæ cum aliis remediis intertexi aut ſubinde intercalari debent. Itaque poſt Phlebotomiam, nos catharticum exhibere, & aliquando repetere ſolemus. Decocta pectoralia, radicis cherefolii, ruſci, bruſci, enulæ campanæ, aliaque ſudores ac urinam moventia ingrediantur. Millepedes, ſal ſuccini volatilis, aliique ſales fixi, & pulveres teſtacei cum terebinthina in Pilulas redacti ſæpe cum fructu exhibentur.

Tertia Indicatio, ut pulmones eorumque ductus contra humorum fluxiones & frigoris occurſus muniantur, atque vulgo catharrhi ſuppreſſio dicta, per linctus, eclegmata, aliaque privata remedia perficitur, & duo imprimis reſpicit, nempe ut vaſorum & glandularum oſcula in tracheam dehiſcentia, ne ſeroſitates in eam nimis expuant, modice aſtringentibus occludantur, & ſecundo ut ductuum tracheæ in latera ſatis mulceantur delineanturque, ut nec à ſeri acris ſuffuſione, neque à frigoris externi occurſu offendantur, inque tuſſim moleſtam continue irritentur; ac inſuper ut, cum ductus illi ſatis lubricantur, ſputum, parietibus ipſorum quandoque pertinaciter adhærens facilius excuti & extuſſiri poſſit. Propter intentionem priorem eſt, quod conſerva roſarum rubrarum, olibanum, maſtiche, Lohoch de pino, ſyrupus Jujubinus, de roſis ſiccis, de muſco pyxidato, aliaque aſtringentia præſcriptionum pectoralium formulas ita crebro ingrediantur. Pro ſecunda intentione, liquiritia, cum variis ejus præparatis, adeo celebre contra tuſſim quamcumque remedium habetur: in hunc finem ſyrupi, eclegmata, & cuncta alia pectoralia dulcia inſtitui videntur. Quibus additur oleum Amygdalarum dulcium, aut per ſe exhibitum, aut cum ſyrupo pectorali longâ agitatione in pultem lactiformem redactum.

Hæ ſunt præcipuæ indicationes therapeuticæ, una cum aptis medendi intentionibus, quæ pro tuſſi recente, dum adhuc Phthiſeos ſuſpicione vacat, aut ſaltem citra manifeſtos ejus terminos ſubſiſtit, maxime ex uſu fore videntur; modò reſtat, poſt generalem hanc methodum breviter adumbratam, medicamentorum cuique intentioni appropriatorum formulas quaſdam ſelectas ſubjungere. Hæ cum multiplices, & diverſi apparatus fuerint, tamen notæ præcipuæ, & maxime in uſu ſunt mixturæ, linctus, eclegmata, tincturæ, Balſama, trochiſci, tabulæ, pulveres, pilula, decocta, & aquæ deſtillatæ. Cujuſque horum quædam elegantiora ſubdemus.

1. *Mixtura.*

♃. Syrupi de Meconio, Jujubini, an. ℥iß. olibani pulv. ʒi. aq. lumbricorum, vel hiſtericæ, vel pæoniæ compoſit. ʒi. miſce. Doſis cochlear. j. horâ ſomni, & poſt mediam noctem.

♃. Aq. limacum, lumbricorum, an. ℥iß. laudani liquidi Tartaris. ʒii. Syrupi violacei ℥i. Doſis cochl. j. horâ ſomni.

♃. Aqu. limacum ℥vj. Syrupi è ſucco hederæ terreſtris ℥iii. florum Suphuris ʒß. miſce. Doſis cochlear. j. hora ſomni & primo mane.

♃. Syrupi noſtri diaſulphuris ℥iv. aq. lumbricorum ℥i. Doſis cochl. j. eodem modo.

2. *Linctus.*

♃. Syrupi jujubini, Capillorum veneris, an. ℥iß. Syrupi papaveris Rhæadis ℥i. miſce. Lambatur cum bacillo liquiritiæ.

♃. Olei Amigdalarum dulcium recent. Syrupi Capillorum Veneris, ana ℥iß. ſacchari candi ʒii. miſce terendo in mortario vitreo, vel agitando in phiala, donec albeſcat.

3. *Ecle-*

3. Eclegmata.

♃. Conſerv. roſarum rubr. ℥iiſſ. Lohochi ſani ℥iſſ. ſpec. Diatragacanthi frigidi ʒiſſ. florum ſulphuris ʒiſſ. ſyrup. violacei, vel papaveris rhæad. q. ſ. f. Eclegma molle. Doſis ʒiſſ. veſperi & mane primo; aliis temporibus lambatur cum bacillo liquiritiæ.

℞. Pulv. foliorum Eryſimi, vel erucæ ℥iß. mellis deſpumati ℥iv. miſce f. Eclegma. Detur eodem modo. Convenit in conſtitutione frigidiore.

4. Tincturæ.

♃. Tincturæ Sulphuris ſine Empyreumate ʒiii. Doſis gutt. vi. ad x. veſperi & primo mane in Cochl. j. Syrupi violacei, vel è ſucco hederæ terreſtris. Haud novi præſtantius remedium in tuſſi quacunque, modo febris abſit.

♃. Tincturæ ſulphuris Antimonii. ʒii. Doſis gutt. xx. veſperi & mane in Cochl. j. Syrupi pectoralis.

♃. Tincturæ Gum. Ammoniaci cum tinctura ſalis Tartari parat. ℥i. Doſis gutt. xv. ad xx. Eodem modo tincturæ Galbani, Aſæ fœtidæ, gum. hederæ, eodem modo paratæ, ad tuſſim conveniunt in conſtitutione frigidâ.

5. Balſama.

♃. Opobalſami ʒii. Doſis gutt. i. ad x. in cochl. j. vel ii. Aqu. hyſſopi vel pulegii, aut cujuſvis alterius pectoralis.

♃. Balſami Artificialis deſtillat. vulgo dicti Matris Balſami ʒii. Doſis gutt. vi. ad x. in cochleari j. Syrupi violacei, vel vini canarini veſperi & mane.

♃. Balſami ſulphuris ʒii. Doſis gutt. v. ad x. eodem modo.

♃. Balſami Peruv. ʒi. Doſis gutt. ii. ad iii. vel vi. cum Conſervâ violaceâ,

6. Trochiſci.

♃. Spec. diatragacanthi frigidi ℥ß. liquiritiæ ʒi. florum ſulphuris ℈ii. florum Benzoin. ℈i. ſacchari penidiat. ℥iii. ſolutionis tragacanthi in Aq. hyſſop. fact. q. ſ. f. paſta, formetur in trochiſcos ponderis ʒß. ſumatur i. ſæpius in die vel nocte.

♃. Sem. papaveris albi ʒvi. pulv. florum papaveris rubri. ʒi. extract. Glycyrrhiz. ʒii. lactis ſulphuris ʒß. ſacchari penidii ℥ii. mucilaginis ſem. cydoniorum q. ſ. f. paſta, quæ formetur in trochiſcos.

♃. Spec. Diaireos, è pulmone vulpis, ana ℥ß. ſacchari penid. ℥ii. ſolutionis tragacanthi q. ſ. f. maſſa in trochiſcos efformanda.

♃. Pulv. rad. Enulæ Campan. ſem. aniſi, liquiritiæ, an. ʒii. florum ſulphuris ʒi. ſacchari Tabulati ℥iſ. ſucci liquiritiæ dilut. & trajecti q. ſ. f. maſſa pro trochiſcis.

7. Tabulæ.

♃. Spec. Diatragacanthi frig. ʒiii. pulv. florum papaveris Rhæad. lactis ſulphuris, an. ʒß. ſacchari ſolut. in aq. papaveris & ad tabulat. cocti ℥iv. ſ. a. f. tabulæ ponderis ʒß.

♃. Spec. Diaireos, è pulmone vulpis, ana ʒiii. florum Sulphuris, rad. Enulæ Campan. an. ʒß. Benzoin. albiſſimi ʒi. f. pulv. ſubtilis; adde olei aniſi ℈i. ſacchari ſolut. & ad Tabulat. cocti ℥viii. ſ. a. f. Tabul. pond. ʒß.

8. Pulveres.

Hi licet rarius, quandoque tamen in tuſſi, & affectibus pneumonicis cum fructu exhibentur.

♃. Summitatum hederæ terreſtris nonnihil rubeſcentium ſ. q. contuſa formentur in placentam, quæ ſole fervido ſtatim exſiccata, in pulverem ſubtilem redigatur, & in vitro ſervetur. Hæc planta virtutem cum odore, & colore optime ac diutiſſime ſupra omnes conſervas, aut ſyrupos diutiſſime retinet, atque in tuſſi gravi & pertinace ſummopere prodeſt. Sumat ʒß. ad ʒi. bis in die cum aq. deſtillatâ vel decocto pectorali.

Eodem ritu pulveres ex plantis aliis pectoralibus parantur, & cum fructu exhibentur.

♃. Muſci pyxidati ʒiij. lactis Sulphuris ʒi. ſacchari candi ʒß. f. pulv. Doſis ℈i. ad ʒſ. bis in die. Pulvis hic tuſſi convulſivâ laborantibus commode exhibetur.

♃. Florum Sulph. oliban. Ceruſſ. Antimonii. an. ʒii. divid. in xii. partes; ſumatur una mane & veſperi in cochleari j. vehiculi idonei.

9. Pilulæ.

♃. Aloes roſat. vel potius pilul. Ruffi, florum Sulphuris, ana. ʒiß flor. Benzoin. ℈i. ſucci glycyrrhiz. cum aq. Limacum dilut. q. ſ. f. maſſa, formetur in pilulas exiguas ſumend. iv. veſperi, repetendo noctibus ſingulis vel alternis.

♃. Pulv. rad. enulæ Compan. liquiritiæ, florum ſulphuris, an. ʒi. florum Benzoin ʒß. picis liquid q. ſ. f. maſſa in pilulas exiguas efformanda: doſis iij. vel iv. veſperi & primo mane.

♃. Millepedum præpar. ʒii. pulv. ſem. urticæ, bardanæ, ana ʒß. olei nucis moſcat. ſtillat. ℈i. ſalis ſuccini ʒß. ſucci glycyrrhiz. q. ſ. f. pilulæ exiguæ, quarum tres ſumentur mane & veſperi.

10. Decocta. Hæc ſumuntur vel per ſe, vel cum lactis additione. Inter ea, quæ ſunt prioris generis; primò occurrit Decoctum pectorale juxta pharmocopœiam Londinenſem; quod ſumatur bis in die ab ℥iv. ad ℥vi. vel viii.

♃. Folior. hederæ terreſtris, adianthi, linguæ cervinæ, tuſſilaginis, eupatorii, an. M. j. rad. cherefolii, ruſci, bruſci, an. ℥i. ſem. carthami, fœnicul. dulcis, an. ℥ß. coq. in aquæ fontanæ lib. vi. ad medietatem, addendo circa finem, vel liquiritiæ ʒiii. uvarum paſſularum enucleat. ℥ii. & jujub. ſex, (vel) mellis optimi ʒiii. deſpum. f. Apozema clarific. cum albumine ovi. Doſis ℥vi. calide bis vel ter in die.

Decocta cum lacte ſumenda uſurpantur mane, & veſperi loco jentaculi & cœnæ, juxta modum ſequentem.

♃. Florum Bellidis majoris M. i. limaces mundatos iii. radic. eryngii condit. ℥ß. Hordei ʒiii. coquantur in aquæ fontanæ lib. i. ß. ad lib.

lib. j. Sumat ℥vi ad viij. calide addendo lactis tantundem; & deinceps hujus quantitas ſenſim augeatur.

Eodem modo muſcus pyxidatus, item folia hederæ terreſtris, hyperici, & aliorum pectoralium coquantur, & cum lacte ſumantur.

Decocta ex lignis ſæpe numero ad tuſſim pertinacem curandam plurimum conducunt, præſertim ſi loco cerviſiæ pro potu ordinario conſtanter & aliquandiu ſumantur.

℞. Radic. ſarſaparil. ℥iv. chinæ ℥ii. ſantal. alb. rubr. an. ℥ß. raſ. eboris, C. cervi, an. ʒiii. f. a. infundantur & coq. in aquæ fontanæ lib. viii. ad iv. addendo liquiritiæ ℥vi. paululum exa ...mat. ℥iß. In conſtitutione phlegmatica aut frigidiore addatur ſaſſaf. ligni ſancti.

II. Aquæ diſtillatæ. Harum cuique licebit formulas pro re nata & multiplices & diverſimodas componere, atque juxta patientis conſtitutionem, modo lac ſimplex, modo lac cum aliqua vini parte, modo Allam, aut cerviſiam Brunſvicenſem deſignare. In ſpecimen harum formulas ſubdemus.

℞. Folior. hederæ terreſtris, hyſſopi, pulegii, an. M. iv. Limacum ſemicoct. in teſtis lib. ii. nuces Moſchat. inciſ. num. vi. omnibus ſimul minutim conciſis affunde lactis recentis lib. viii. deſtillentur organis communibus. Doſis ℥iii. bis aut ter in die, per ſe, vel cum alio medicamento. Quæque doſis edulcoretur inter ſumendum cum ſaccharo cando, vel cum ſyrupo de ſucco hederæ terreſtris.

In conſtitutione minùs calidâ, præſertim, ſi nulla adſit ſanguinis aut præcordiorum æſtuatio, lactis lib. vi. aut vii. adde vini Canarini lib. i. aut ii. Atque in corpore phlegmatico aut ſenili, vice lactis, menſtruum ſit Alla, vel Cerviſia Brunſvicenſis.

Porrò tempore hyberno, quando limaces haud facilè, aut vix omnino haberi poſſunt, ſatis commodè ſubſtitui poſſunt pulmones agnini, aut vervecini, quandoque item vitulini ſemicocti, & minutim inciſi, & cum prædictis ingredientibus & menſtruo idoneo additis, in organis communibus, ſive roſaceis deſtillentur.

Ad hanc claſſem ubi de Tuſſi quæ nondum phthiſis eſt agitur, meritò referri debet Tuſſis puerorum Convulſiva, ſeu ſuffocativa, & noſtro Idiomate *Chincough* vulgò dicta. Morbus hic pueros & infantes potiſſimum inceſſit, & quibuſdam temporibus, ſcilicet vere præſertim ac autumno, Epidemicus eſſe ſolet. Ægrotantes tuſſiendi paroxyſmos crebros ac atroces admodum habent; in quibus nimirum reſpirationis organa non tantum graviter laborant, ſed etiam ſpaſmodice affecta actus ſuos variè interrumpunt, ſuſpendunt, aut pervertunt. Plerumque vero Diaphragma per ſe, aut partium aliarum impulſum, modo Syſtolen, modo Diaſtolen perquam diu obſtinatè ita continuat, ut inſpiratione, vel exſpiratione pro tempore inhibitâ, ſpiritus vitalis vix ac ne vix duci queat; proinde ut tuſſientes quaſi præfocati ejulent, & ob ſanguinem ſtagnantem in vultu atredinem contrahant; ſi forſan organis iſtis non in tantum convulſis liberius tuſſire poſſint, uſque tamen vehementius & diutius, donec vires fatiſcunt, tuſſire coguntur.

Morbi hujus ratio formalis, ſive cauſa conjuncta in his duobus conſiſtit: nempe quod adſit crebra & vehemens pulmonum irritatio, quâ ad moleſtum aliquid tuſſi ejiciendum fere continue incitantur; ac inſimul quod partes Thoracis motivæ, viz. nervi ac fibræ nerveæ, ad ſpaſmos prædiſpoſitæ, quoties irritantur tuſſim non regularem, ſed convulſivam, & ordinario reſpirationis muneri oppoſitam aut injuriam accieant.

Materies pulmonem ita crebrò in tuſſim irritans, videtur eſſe ſerum è maſſa ſanguinea propter compagem ejus nimis ſolutam perpetim exudans, atque pectoralia moleſtans, quatenus per Arterias tum tracheales in Aſperæ arteriæ cavitatem deſtillat; tum per pneumonicas in ductus quoſque patentes copioſe infunditur.

Partium motricium diatheſis ſpaſmodica, ut in aliis affectibus convulſivis, procedere videtur à materia heterogenea & elaſtica è cerebro per nervorum ductus, unà cum liquore nerveo, in fibras pectoris motrices prolapſa; quare cùm ſpiritus fibrarum iſtarum incolæ ad motus exſpirationis violentos edendos incitantur, motus convulſivos ineunt.

Quod ad Prognoſin hujus morbi ſpectat, tuſſis hæc etſi raro lethalis aut valde periculoſa, curatu tamen perdifficilis exiſtit; & non raro propter anni mutationem ceſſat potius, quam à remediis ſuperatur; cujus cauſa eſt, quod hic non, uti in tuſſi ordinaria, tantummodo ſanguinem alterari, ejuſque recrementa è pulmone ad habitum corporis per *διαπνοὴν* amandanda derivari oportet, ſed inſuper & ſucci nervei emendatio procurari debet.

Circa morbi hujus curationem, medendi ratio in aliis Tuſſium generibus uſitata hic raro prodeſt; quare mulierculæ & Agyrtæ ſæpius quàm medici conſuluntur, & poſt habita ac neglecta rationali Therapeias methodo, pharmaca fere tantum empyrica in uſum adhibentur.

Inter multa hujus generis remedia duo hæc ſequentia quibuſque præferri, & imprimis uſurpari ſolent; viz. ut muſcus pyxidatus, ejuſque varia præparata, & compoſitiones intus ſumantur, atque ſi ulteriori medela opus fuerit, ut terriculamento quodam adhibito, puer laborans in ſubitum timorem conjiciatur. Quod ſi hujuſmodi adminiſtrationibus ſucceſſus optatus defuerit, ptiſanæ, ſyrupi, Julapia, aut decocta, aliaque pectoralia rejiciuntur, & non raro à medicamentis quibuſque aliis deſiſtitur, expectando donec morbus, vel demum ſponte terminetur, vel propter ſuccedentem anni *τροπὴν* ſanatur.

I. Muſcus pyxidatus, in communiſſimo apud noſtrates contra puerorum tuſſes uſu, quoad formam ejus & creſcendi modum ſatis vulgò innoteſcit. Virtutis (quantum ex ſapore colligimus) aſtrictoriæ eſt, atque particulas nonnihil acres ſalis volatilis copiam redolentes in ſe continet: unde conjectari licebit, uſum ejus eſſe, ſanguinem figere, ſerique fluxiones ſedare, ac inſuper ſuccum nerveum volatiliſando diatheſin ſpaſmodicam tollere. Exhiberi ſolet in ſpecie Pulveris, Decocti & Syrupi juxta formulas ſequentes.

℞. Muſci pyxidati pulv. ʒi. ſacchari candi ℈i. miſce

miſce: dividatur in iii. vel iv. partes. Sumatur doſis veſperi & mane cum vehiculo idoneo.

℞. Ejuſdem muſci ʒii. lactis ſulphuris ℈ii. pul.ſem. aniſi ℈i. Divide in vi. partes, quæ ſumantur eodem modo.

℞. Ejuſdem muſci ʒi. coq. in lactis ſ. q. pro una doſi. Colatura ſumatur veſperi & mane. Quibus lac non congruit, aut minime prodeſt paretur hujus decoctum in aqua fontan. aut hyſſopi, aut alia pectorali, & detur ad ℥ii. vel iii. bis in die, edulcorando cum ſaccharo aut ſyrupo idoneo.

℞. Muſci hujus ℥i. coque in aq. cujuſdam pectoralis lib.ii.ad mediet.tem. Colaturæ adde ſacchari candi lib. i. & evaporet leni balnei calore ad conſiſtentiam ſyrupi.

2. Alterum pro Tuſſi puerorum convulſiva remedium eſſe ſolet, ut ſubito quodam timore afficiantur: hinc cum medicamenta minus efficiunt, apud vulgus in praxi familiari eſt, ut pro terriculamento, dum molendinum ingens cum ſtridore, & rotatum aſpectu horribili circumagitur, Affectus grani, ſive frumenti receptaculo imponatur, indeque morbi hujus ſubita curatio nonnunquam contingit. Cujus ratio proculdubio in hoc conſiſtit, quod ſpiritus animales fugati, inque novas diſtractiones adacti, inordinationes ſuas priores relinquunt; tum inſuper quod materies ſpaſmodica à perturbatione iſtac aut diſſipatur, aut in alios nervos, ubi parum moleſta eſt, adigitur.

Deſcriptâ ad hunc modũ hujus morbi curâ empyricâ, unà cum remediis vulgò uſitatis, eorumque Ætiologiis ſaltem probabiliter explicatis, hinc certè licebit medendi methodum quandam rationalem, & forſan contra hujuſmodi puerorum Tuſſes magis efficacem deſignare. Itaque in tali caſu juxta formulas ſequentes quandoque ſat feliciter præſcribere ſoleo. Et primo, quandoquidem à purgatione incipiendum eſt.

℞. Syrupi è floribus perſicorum cochlear. j. Aq. hyſtericæ ℈i. miſce, ſumatur cum regimine.

Vel; ℞. Calamelanos gr. vi. ſcammonii ſulphur.reſin. Julap. an. gr. iii. f. pulvis, detur in parva quantitate pulpæ ceraſi conditi puero ſex annos nato, & doſis augeatur aut minuatur pro ratione ætatis. Repetatur purgatio intra vi. vel vii. dies.

Si laborans (uti crebro aſſolet) in vomitum ſit proclivis.

℞. Oxymelitis ſcillitici ʒvi. ſalis vitrioli gr. iv. miſce, exhibeatur puero ſex annos nato, & juxta hanc proportionem doſis ea aliis accommodetur. Novi hujuſmodi Emeticum omni mane per iv. aut v. dies continuos cum bono fructu exhibitum.

Veſicatoria in crebro ſunt uſu, quæ applicentur modo nuchæ, modo pone aures, modo internis brachiis prope Axillas, & quamprimum ulcuſcula in his locis ſanari incipiunt, alia excitentur in aliis.

Loco cerviſiæ, decoctum ſequens pro potu ordinario ſumatur.

℞. Radic. Chinæ ℥i.ß. ſantalorum omnium, an. ℥ß. ras. eboris, C. cervi, an. ʒiii. f. a. infundantur & coq. in a. fontan. lib. vi. ad medietatem, addendo paſſularum exacinat. ℥i. ß. liquiritiæ ʒiii.

℞. Spiritus gum. Ammoniaci cum ſale Armoniaco ʒi. ſyrupi de muſco pyxidato ℥iii. Aq. hyſteric. ℥i. doſis cochlear. i. parvum veſperi & primo mane.

Vel; ℞. Tinct. ſulphuris ʒii. doſis gut. iii. veſperi & primo mane in cochleari i. ſyrupi è muſco pyxidato.

Quibuſdam conſtitutione calidiori præditis, & inter tuſſiendum rubore vultus intenſo, ſeu potius atredine perfuſis, phlebotomiam aut ſanguinis per hirudines ii. vel iii. uncias detractionem quandoque bono cum ſucceſſu adhibendam præcepi.

℞. Millepedum vivorum mundatorum ℥ii. pul.ſem. aniſi ʒi. nucis moſch. ʒß. ſacchari albiſſimi. ℥i. ſimul contuſis affunde Aq. hyſſopi ℥vi. limacum magiſtral. ℥ii. parum agitentur cum piſtilla & f. expreſſio fortis, doſis cochl. ii. vel iii. bis in die.

Hactenus de tuſſi ejuſque medelâ, dum Tabis ſolummodo veſtibulum eſt, modò reſtat affectum ipſum, morbi hujus periculoſi limen ſupergreſſum pertractare, atque medendi methodum; & remediorum formulas deſignare, quæ tuſſi inveteratæ, cum ſcilicet, vel neglecta, vel remediis non facile cedens in phthiſi degenerare incipit, ſanandæ conveniunt; quando nimirum ad eum ſtatum pervenitur, ut ſanguis in compage ſolutus, non modò ſerum ſuperfluum, ſed & ſuccum nutritium, forſan & nerveum, lympham, aliaque recrementa ſua pulmonibus ſuffundat, intraque ductus eorum deponat; atque interea pulmonum labes in tantum augeatur, ut veſiculis diſtẽtis, aut pluribus in unam diſruptis, adeoque ſolutione continui aut ulcere excitato, uberior Tabi copia indies aggeratur; quin & materies ibidem aggeſta, quatenus diu commorari ſinitur, putreſcat, proindeque tum ipſos pulmones magis uſque corrumpat, atque ſanguinem perfluentem coinquinet. In hoc caſu indicationes therapeuticæ erunt potiſſimum hæ tres, viz. imprimis ſanguinis diſſolutionem, quæ totius mali radix eſt, inhibere, & ne materiem uſque in tanta copia pulmonibus ſuffundat, præcavere, 2. tabum, intra pulmones aggeſtum, expectorando, cito & ſatis evacuare; 3. pulmones, quoad unitatem ſolutos, aut nimis laxos, & humidos aut aliàs imbecilles, ne plus indies corrumpantur, & materiam morbificam uſque magis ſuſcipiant, corroborare & exſiccare. Unaquæque harum indicationum varias medendi intentiones ſuggerit, atque diverſimoda remedia, & plures adminiſtrationum modos requirit; quorum præcipuos hîc breviter attingemus.

1. Quod itaque prima indicatio ſuggerit; ut ſanguinis diſſolutio inhibeatur, hæc tria (quantum fieri poteſt) procurari debent; viz. 1. ut maſſa ſanguinea, quicquid ſucci nutritii ei ſuppeditetur, continere, & aſſimilare poſſit; eoque ita proportionetur, ut nec quantitate, nec qualitate peccet. 2. ut aciditates, aut in ſanguine genitæ, aut eidem aliunde ſuffuſæ, ita deſtruantur, ut cruor uſque mixtionem ſive craſin retinens, non ita in fluxiones, aut fuſiones proclivis ſit. 3. denique ut recrementa quævis in ſanguine producta, à pulmonibus ad alia emunctoria & evacuationum loca deriventur.

1. Quoad

1. Quoad primam ex his medendi intentionem, ut ſuccus nutritius ſanguini proportionetur, ante omnia præcipiatur, ut tuſſientes ac phthiſici à potu plurimùm abſtineant, atque liquida non niſi exiguâ tantùm quantitate ingerant; proinde ut ſanguis in craſi debilis, ſucci recentis donec ei haud nimis perfunditur, portiones minutas facilius ſubigere, & intra compagem ſuam retinere poſſit. Porro ſuccus iſte recens ejuſmodi particulis conſtet, quæ lenes & tenues à ſanguine domari, & ſine effervescentia aſſimilari poſſint. Quare lac Aſininum; quandoque item vaccinum, aut caprillum, etiam juſcula avenacea, cremor hordei, ptiſana, Amygdalata, aliaque ſimpliciora alimenta melius congruent & plus nutrient, quàm carnes, ova, vel jura conſumta, alla fortior, vinum, aut aliud quodvis victus magis opimi genus. 2. ut ſanguis, craſin ſuam retinens, non facilè in ſeroſitates pulmoni injurias diſſolvatur, oportet tum ipſius, tum aliorum qui cum eo miſcentur ac imprimis nervei, ac limpidi, humorum aciditates deſtrui: quam intentionem pharmaca ex ſulphure parata optime perficient; quæ propterea in hoc caſu (modo abſit febris hectica) crebriùs & copioſiùs propinentur. Quare tinctura, balſamum, ſyrupus, flores & lac ſulphuris, in doſi ſatis larga, bis aut ter in die exhibeantur. Propter eandem rationem decocta traumatica, item ex herbis pectoralibus vulgo dictis, item ex lignis, vice potus ordinarii ſumenda. Quinimo pulvis oculorum cancri, millepedarum, aliorumque ſale alcali, aut volatili præditorum ſæpe magno cum fructu exhibentur. 3. medendi intentio primam indicationem reſpiciens, viz. ut ſanguinis depravati recrementa (ſiquidem copioſa fuerint) à pulmonibus evocata, per alia emunctoria excernantur, complures evocationum vias in uſum adhibendas ſuggerit. Nam præter phlebotomiam, diureſin, & levem ſubinde purgationem (quæ in omni tuſſi, imo phthiſi incipiente locum habent,) huc etiam balnea, auræ calidioris in qua uberiùs tranſpiratur captatio, item extremorum frictiones, dropaces, fontanellæ, veſicatoria, capillitii deraſio, naſalia, apophlegmatiſmi, aliaque humorum aut vaporum privata ſeu publica quæque emiſſaria referri debent.

Secunda in phthiſi incipiente indicatio, viz. ut materies tabibifica, intra pulmones depoſita, facilè & quotidie penitus excernatur, medicamentis expectorantibus perficitur. Hæc duplici modo operari dicuntur, juxta quod eorum virtus duabus viis ad pulmones defertur. Namque ex iſtis, ore aſſumtis, quædam particulas ſuas activas immediatè in tracheam dimittunt, quæ partim vias lubricando, ſimulque materiem impactam laxando, & partim fibras excretorias in ſpaſmos irritando expectorationem procurant: in quo cenſu potiſſimum habentur linctus & ſuffitus. Remedia alterius generis expectorantia, quæ merito potiora habentur, commeatu ſanguinis ἐνέργειαν ſuam exerunt. Quippe cum ex ejuſmodi particulis conſtent, quæ à maſſa ſanguinea ſubigi & aſſimilari nequeunt; illæ in cruorem ſuffuſæ, & quia non miſcibiles denuò ſtatim exterminatæ, ex arteriis pneumonicis in ductus tracheales penetrant; ubi materiæ impingentes eam dividunt, attenuant, adeoque exagitant, ut fibris exinde irritatis, & inter tuſſiendum ſucceſſivè contractis, tracheæ & veſicularum ejus contenta ſurſum in eos ejiciantur. Medicamenta in hunc uſum idonea, præter ſulphur, ejuſque præparata, ſunt balſama artificialia, cum oleo terebinthinæ deſtillata, tincturæ, & Syrupi, ex gummi ammoniaco, galbano, aſa fœtida, allio, porro, & ſimilibus odorem gravem ſpirantibus; è quibus etiam lohoch & eclegmata parantur. Atque hæc quidem utroque operantur modo, & partim in tracheam illabendo, partimque per circuitum ſanguineum pulmones ſubeundo, materiam morbificam tum à fronte, tum à tergo adoriuntur; adeoque majori cum impetu foras eliminant.

3. Quod ſpectat ad tertiam Indicationem, viz. ut pulmonum conformatio læſa aut conſtitutio vitiata reſtitui aut emendari poſſint; in uſum adhibeantur quæ, putredini reſiſtentia, mundificant, conſolidant, exſiccant, & corroborant; in quos fines etiam pharmaca è ſulphure parata, balſamica, & traumatica conveniunt. Hinc Empirici quidam non tantum ſulphuris vivi, ſed etiam Auripigmenti fumum, per tubulum aut per infundibulum in pulmones hauriendum, utiliter præſcribunt. Porrò ob hanc rationem eſt, quod cœli ac ſoli mutatio, nempe ab urbibus ad auram ruſticam aut ſulphuream, aut ab una regione in alteram calidiorem migratio, adeo inſigniter juvat.

Hactenus de medendi methodo, quæ contra tuſſim graviorem, ſive phthiſin incipientem ex uſu fore videtur; modo reſtat juxta ſingulas iſtas indicationes Therapeuticas ſelectas quaſdam medicamentorum formulas ſubjicere; quas item, juxta pharmaciæ rationem pro tuſſi leviori & phthiſeos experte ſuperius deſcriptam, in claſſes quaſdam diſtinguemus, quæ nempe ſunt, Mixturæ, Linctus, Eclegmata, Tincturæ, Balſama, Trochiſci, Tabulæ, Pulveres, Pilulæ, Decocta, & Aquæ deſtillatæ. Cujuſque horum exempla quædam deſignabimus: quibus etiam referri poſſint quædam ex medicamentorum formulis pro tuſſi incipiente & nondum phthiſicâ ſuperius praſcriptis.

1. Mixturæ & ſyrupi Magiſtrales.

♃. Syrup. noſtri diaſulphuris ℥iii. Aq. lumbricorum ℥i. tincturæ croci ʒii. miſce. Sumatur cochlear. j. horâ ſomni & primo mane.

♃. Syrupi è ſucco hederæ ℥iii. Aq. limacum ℥i. florum ſulphuris ʒi. miſce, conquaſſando. Doſis cochl. i. veſperi & mane.

♃. Tincturæ ſulphuris ʒii. laudani tartariſati ʒii. ſyrup. è ſucco hederæ ℥ii. Aquæ cinnamomi ʒii. doſis cochl. j. horâ ſomni & ſi ſomnus deficiat, inſtante mane.

Syrupus Diaſulphuris.

♃. Sulphuris noſtro modo parati ℥ß. vini canarini opt. lib. ii. digerantur clauſ. in B.M. vel arenâ per xxviii. horas; quo facto,

♃. Sacchari albiſſimi lib. ii. diſſolve & ad tabulat. coque in parum aq. florum ſambuci; dein huic ſenſim affunde vinum ſulphure tinctum calidè

lidè, pauliſper effervescat ſuper ignem deſpumando, & per colum laneum trajice. Habebis ſyrupum aurei coloris elegantiſſimum, & ad tuſſim aliosque affectus pulmonares, (modo abſit præcordiorum æſtus & febris hectica) valde proficuum. Doſis cochlear. j. veſperi & mane per ſe, vel cum aliis pectoralibus.

Syrupus de Allio.

℞. Allii lobulos x. vel xii. pelliculis denudatos, & in taleolas inciſos, ſeminis aniſi, contuſ. ℥ß. Rad enulæ campan. inciſ. ʒ iii. Liquiritiæ ʒ ii. digerantur clauſe & calide in ſpiritus vini ℔iß. per ij. vel iij. dies; colaturam claram & ferventem inde diſculo argenteo; adde ſacchari albiſſimi ℔iß. vaſe prunis ardentibus ſuperpoſito liquor flamma admota accendatur, & dum eſflagrat, cum radicula agitetur; trajiciatur per colum laneum, & uſui ſervetur.

Syrupus de raparum radicibus.

℞. Radices raparum in taleolas inciſarum, & ſacchari albiſſimi, an. lib. ß. ponantur in olla vitreata S. S. S. Vas, chartâ coopertum, indatur clibano cum panibus coquendis; quando eximitur, liquor exprimatur, & uſui ſervetur. Doſis cochl. j. mane & veſperi.

Syrupus limacum.

℞. Teſtudines recentes cum teſtis num. xl. mundificentur cum panno lineo; dein ſingulis cum ſubula trajectis, teſtæ aperturæ cum pulvere ſacchari candi impleantur; atque ſacculo lineo impoſitæ, ſuſpendantur in cella, vaſe vitreo ad ſyrupum, qui per deliquium deſtillabit, excipiendum ſuppoſito. Doſis hujus cochl. j. bis aut ter in die, in vehiculo idoneo, ſcil. aquæ lactis, aut decocti pectoralis.

2. 3. Linctus & Eclegmata.

℞. Conſerv. roſarum rubr. ℥ iii. Tincturæ ſulphuris noſtri ʒ ii. miſceantur ſubigendo in mortario vitreo. Doſis qu. nucis moſchatæ, veſperi, & primo mane. Huic aliquando, ad tuſſim moleſtam ſedandam, adde pulv. Olibani ʒß. ad ʒj.

℞. Conſerv. roſar. rubr. ℥iv. florum ſulphuris ℈ iv. Olei terebinthin. puriſſimi ʒj. ſpeciei è pulmon. vulpis ʒiij. Syrup. è ſucco hederæ terreſtris q. ſ. f. Eclegma molle, ſumendum eodem modo, ſcil. veſperi & mane; etiam aliis temporibus lambatur cum bacillo liquiritiæ.

℞. Sacchari candi pulv. ʒ iv. Tinctur. ſulphuris ʒij. miſce ſubigendo in mortario vitreo. Sumatur eodem modo.

Loco tincturæ ſulphuris adhiberi poſſunt tincturæ aliæ balſamicæ, ſcil. Balſam. peruv. opobalſam. gummi heder. guaiaci, ſuccini, cum multis aliis, quæ vel in conſerv. roſar. rubr. vel cum conſerv. florum farfaræ, vel cum ſaccharo cando miſceantur.

4. 5. Tincturæ & Balſama ejuſdem naturæ ac compoſitionis, verum in doſi paulum majore, conveniunt in Phthiſi, ac ſupra præſcripſimus tuſſi incipienti.

℞. Picis liquidæ ℥j. Aq. calcis vivæ ter cohobat. lib. ij. deſtillentur in balneo ad medietatem; dein liquor filtratus abſtrahatur in Balneo ad conſiſtentiam mellis; cui affunde tinctur. ſalis Tartari lib. ß. digerantur in vitro clauſo ad tincturæ extractionem. Doſis gutt. xx. ad xxx. cum vehiculo idoneo. Simili modo tinctura paratur ex oleo nigro fuliginis, ex liquidambra, ſtyrace liquida, & multis aliis.

℞. Sulph. noſtr. præparat. cum additione Myrrh. Aloës, & Oliban. in ſubtripla quantitate ℥j. extrahatur tinctur. cum oleo terebinth. item cum ſpir. vini rectificat. Doſis hujus gutt. xv. ad xx.

6. 7. 8. Trochiſci, Tabulæ, & Pulveres, quia tuſſim imprimis reſpiciunt, fere ejuſdem ſunt naturæ & compoſitionis cum illis quos ſupra affectui iſti recenti præſcripſimus; niſi quod ad pulmonis exſiccationem & conſolidationem ſulphurea & traumatica in majore proportione requiruntur.

℞. Pulv. folior. hederæ terreſtris ʒi. Flor. ſulphuris ʒ ii. ſacchari penidiati ʒiß. ſucci glycyrrhiz. cum aq. hyſſopi dilut. q. ſ. f. Trochiſci ponderis ʒß.

℞. Pulv. millefolii contuſ. ac in ſole ferventе exſiccat. ʒß. florum ſulphuris, olibani, pulv. an. ʒj. pulv. florum roſar. rubr. exſiccat. ʒß. Sacchari ſoluti & ad tabulat. cocti ʒ vi. Olei Aniſi ℈iß. ſ. a. ℞. Tabulæ ponderis ʒß. Sumatur, una ter aut ſæpius in die, & præſertim veſperi & mane primò.

9. Pilulæ.

℞. Succi hederæ terreſtris per inſolationem depurati lib. j. florum farfaræ ſiccat. ſummitatum hyſſopi, ſalviæ, pulegii, an. M. j. ſem. aniſi, carvi, fœnicul. dulc. contuſ. an. ʒß. deſtillentur in B. M. ad medietatem; dein fiat colatura quæ deſtill. ad conſiſtentiam pilular. addendo ſucci Glycyrrhizæ ʒß. Pulv. rad. enulæ campan. flor. ſulph. an. ʒij. flor. Benzoin. ʒi. Balſami Peruv. ʒß. tinctur. ſulphuris ʒ iij. Laudani Tartariſati ʒi. f. Maſſa, formetur in pilulas exiguas ſumend. iij. vel iv. veſperi, & primo mane.

10. Decocta, qualia tuſſi pertinaci ſuprà præſcripſimus; etiam contra Phthiſin incipientem commodè ſumantur. In caſu fere deplorato decoctum ſequens bis in die, ac inſuper loco potus ordinarii, ſumendum interdum magno cum fructu præſcripſi.

℞. Ligni ſancti ℥iv. Chinæ, ſaſſaphras, an. ℥ii. Santalorum omnium, an. ℥i. raſuræ eboris C. C. an. ʒiij. ſ. a. infunde & coque in aq. font. lib. xii. ad medietatem addendo liquiritiæ ℥j. Paſſularum exacinat. ℥ iv. f. colatura.

11. Aquæ deſtillatæ, quales ſuprà præſcribuntur, etiam hîc conveniunt: quibus addatur aqua Solenandri è ſanguine porcino cum terebinthina; item Aquæ Balſamicæ ex terebinthina cum ingredientibus pectoralibus deſtillatæ.

℞. Foliorum hederæ terreſtris, marrubii albi, hyſſopi, pulegii, an. M. iij. Radic. enulæ, iridis florentin. an. ℥ij. Terebinth. cum oleo Tartari diſſolut. ℥iv. Aquæ hyſſopi ℔ iv. vini malagani ℔ij. deſtilleatur Balneo arenæ; liquor totus miſceatur, oleo ſeparato. Doſis cochl. ij. vel iij. bis in die cum ſyr. è ſucco hederæ cochl. i.

12. Ultimo in loco, vaporationum & ſuffituum formulas hìc deſcribere oportet; cujuſmodi adminiſtrationes interdum in Phthiſi nondum deplorata, plus quam alia quævis remedia prodeſſe ſolent, quatenus nempe pulmonem ipſum attingunt, adeoque affectione immediata expurgant, exſiccant, à putredine vendicant, corroborant, ejuſque ductus aperiunt. Primò igitur vaporatio humida juxta modos ſequentes inſtituatur.

♃. Folior. hyſſopi, hederæ terreſtris, marrubii albi, an. M ii. Radicum Enulæ campanæ ℥ ii. calami Aromatici ℥ ß. ſem. aniſi, carvi, an. ℥ i. inciſ. & contuſ. coq. in ſ. q. Aq. fontanæ: colaturæ efferventis vapor per foramen chartæ in conum convolutæ in pulmones hauriatur: adhibeatur mane & veſperi per horæ ¼.

2. Suffitus ſive vaporatio ſicca, modo lenior ex meris balſamicis, modo fortior ex ſulphureis, ac interdum arſenicalibus confici ſolet.

♃. Olibani, ſuccini albi, Benzoin an. ʒ ii. gum. guaiaci, Balſam. Tolut. an. ʒ iß. pul. roſar. rubr. ſantal. rubr. an. ʒ i. f. pulvis prunis ardentibus aſpergendus.

♃. Gum. hederæ, thuris an. ʒ ii. florum ſulphuris ʒ i ß. Maſtichis ʒ i. cum ſolutione gum. tragacanth. f. Troſchiſc.

♃. Succini albi, olibani, an. ʒ ii. Auripigmenti præparati ℥ ß. ſtyracis calamit. labdani an. ʒ iſ. cum ſufficiente quantitate ſolutionis gum. tragacanth. f. trochiſci pro ſuffitu.

Empirici ordinarie præſcribunt, Auripigmenti, inſtar nicotianæ in tubulo accenſi, fumum ore hauriendum, adeoque interdum bono cum ſucceſſu. Porro apud vulgus in praxi eſt, panni cum auripigmento picti (quo ſcil. cauponarum parietes obducuntur) fruſtula minutim inciſa, inſtar nicotianæ in tubulo accendere, & fumum in pulmones tabidos curationis ergo haurire.

III. His ita de Tuſſi, & Phthiſi incipiente, tum quoad Pathologiam, tum Therapeiam explicatis; reſtat nunc ultimò de Phthiſi graviore confirmatâ & ſæpius deplorata, verba facere; & conſulere quid agendum ſit, quando pulmones plurimum vitiati, atque ulcere ſordido uno aut pluribus affecti, nec aërem, neque ſanguinem rite trajiciunt, quin hujus maſſam, tabum impurum ei continue ſuggerendo, inquinant ſive corrumpunt; proinde ut febris hectica, & ob nutritionem fruſtratam Atrophia, cum facultatum omnium proſtratione, ægrotantem infeſtent, & vires indies labefactando verſus ſepulchrum præcipitent. Morbi hujus, ita deplorati facti ſignum certiſſimum haberi ſolet dolor admodum moleſtus cum phlogoſi in gutture: hic enim affectus arguit magnam pulmonis putrefactionem, unde effluvia σηπεδονώδη exhalantia gutturis iſthmo impinguntur, quæ fibras illic teneras lancinant & graviſſimè irritant. In hoc caſu pulmonis mundificatio, nec non ulceris abſterſio & exſiccatio fruſtra intenduntur: nam medicamenta quæque calidiora, in eos fines deſtinata, & in Phthiſi incipienti ſatis commoda, in confirmatâ intolerabilia exiſtunt; quatenus nempe, pulmonis phlogoſin augentia, febrem hecticam, ſitim, vigilias aliaque Symptomata perquam moleſta intendunt, aut de novo accient. Quin verò in tali morbi hujus ſtatu, ubi tantum vitæ protractio cum εὐφορίᾳ, & εὐθανασίᾳ, proponitur, ea potiſſimùm remedia conducunt, quæ ſanguinis fervorem compeſcunt, præcordia æſtuantia contemperant, atque ſpiritus inſtaurant, & blande demulcent: Hinc pro victu lac aſininum, item juſcula avenacea hordeaca, cremor hordei, & pro potu ptiſana, emulſiones, aqua lactis cum limacibus & pectoralibus temperatis deſtillata maximo ex uſu eſſe ſolent. Syrupi & linctus, quæ gutturis & pulmonis phlogoſin leniunt, & expectorationem facilitant, imprimis verò hypnotica mitiora, quibus moderata quies procuretur, crebrò, aut quotidie exhibeantur. Horum formulæ ſatis vulgò proſtant: utcunque ex more noſtro quaſdam cujuſque generis ſelectiores ſubdemus.

♃. Hordei ℥ ß. Radicum eringii condit. ʒ vi. Corticum pomorum M. i. Paſſularum exacinat. ℥ ii. Liquiritiæ ʒ iii. Coquantur in aqu. fontan. ℔ iii. ad ii. f. ptiſana ad ſitim reſtinguendam, quæ ſumatur ter vel quater in die; item uſurpetur loco potus ordinarii, ſi congruat.

♃. Caudas xx. gammarorum, radicum eringii condit. ℥ i. Cruſtam panis albi, paſſularum exacinat. ℥ ii. Liquiritiæ ʒ iii. coque in aquæ fontan. ℔ iii. ad ii. f. colatura. Sumatur ad ℥ iii. aut iv. ter in die. Eodem modo paretur decoct. limacum.

♃. Limacum ſemicoctorum inciſ. ℔ iii. Folior. hederæ terreſtris M. vi. Nuces Moſchatas, inciſ. num. vi. micæ panis albi ℔ ii. Lactis recentis ℔ viii. deſtillentur organis communibus. Eodem modo deſtilletur aqua è caudis gammarorum. Doſis ℥ iii. vel iv. ter in die, edulcorand. cum ſaccharo perlato vel roſaceo.

♃. Ariſtarum tritici virentis q. ſ. deſtilla in organis roſaceis. Propinetur ad ℥ iii. vel iv. ter in die edulcorando cum ſaccharo perlato.

♃. Syrupi de meconio ℥ iii. Aq. tritici virentis ℥ vi. Miſce. Propinetur ad cochlear. ii. vel iii. hora ſomni noctibus ſingulis vel alternis.

♃. Conſerv. florum malvæ ſilveſtris vel hortenſis ℥ iii. Lohoch de pino ℥ ii. Syrupi jujubini ℥ ii. f. eclegma, de quo ſæpe ſumat ad ʒ iß. vel ij.

Quæ hactenus de tuſſi cujuſque generis (ſive hæc ſolitaria & ſimplex, ſive Phthiſeos anteceſſor aut comes fuerit,) item quæ de medendi methodo in ſingulis caſibus adhibenda diſſeruimus, facile eſſet per curationum hiſtorias, aut per obſervationes ab eo morbo defunctorum Anatomicas illuſtrare. Hujus enim farinæ inſtantiæ & exempla quam plurima jam proſtant & quotidie paſſim eveniunt. Ex horum ampla farragine libet hîc pauca ſelectiora, tuſſis ac phthiſeos ſpeciebus præcipuis accommodata, ſubjicere. Et primò Tuſſis ſimplicis, & quæ per ſe incipit, & phthiſeos ſuſpicione vacat, typum per hiſtoriam unam, aut alteram illuſtrare ſatagam.

A pluribus nunc annis ſtudioſi cujuſdam, tuſſi uſque ab ephebis obnoxii, ejuſque non rarò affectiones graviores, & diuturnas ſubire ſoliti, valetudinem curavi. Hic temperamenti melancholici, ingenii acris, & ſpiritus indefatigabilis, conſtitutione mediocriter firmâ præditus videtur, niſi quod pulmones originaliter

imbecilli, ſanguinis in ſeroſitates fluorem quemvis luunt. Tempore æſtivo, quamdiu liberè tranſpirat, ſatis ſanus degit; Vere autem ac Autumno, cum ſanguis temperiem immutans fluxiones ſeroſas aut ſponte, aut à levi quavis occaſione patitur, facilè in tuſſim cum ſputo copioſo & craſſo incidit; qui tamen affectus ſæpenumero intra ſex aut ſeptem dies, quamprimum cruoris maſſa per pulmones expurgatur, ſine magno remediorum uſu ſenſim evaneſcit. Sin verò prædictæ morbi hujus προφάσεις, cauſæ aliæ fortiores, uti imprimis pororum conſtipatio, & errata circa victum acceſſerint, tuſſis nonnunquam immanior & pertinacior, remediis nec ſtatim nec facilè cedens; nihilque minùs quàm Phthiſin minitans, accietur: tunc plane Ægrotans primis diebus in toto corpore leves rigores, inque larynge catarrhi ſenſum patitur; dein tuſſi crebrâ, cum ſputo tenui, ſimulque vertigine, ſenſuum torpore, & narium ſtillicidio moleſtatur.

In hoc ſtatu remedium ejus optimum, & ſæpius cum ſucceſſu expertum, eſſe ſolet, ut vinum generoſum paulo liberius, & alium quemvis liquorem parciſſime bibat: Ita namque ſanguinis aciditate & fluore ſuppreſſis, & διαπνοῇ liberiore procuratâ, plurimùm alleviatur, & brevi interdum reconvaleſcit. Inſuper hora ſomni & primo mane capere ſolet tincturæ ſulphuris gut. ſeptem vel octo in cochl. Syrupi violacei, vel de ſucco hederæ terreſtris, vel

℞. Conſerv. roſar. rubr. ℥ iij. ſpiritus terebinthinæ ʒij. miſce. Doſis qu. nucis caſtaneæ veſperi & mane.

Quod ſi hæc remedia una cum Antidoto canarino, & victu tenui minus efficient, morbus ita non ſanatus, inde in periodum longam excurrit, & per plures ſeptimanas, imò interdum menſes, acriter perſiſtens, ægrotantem ad marcorem inſignem, atque ipſius ſepulchri oras redigit. Enimverò tuſſis, indies ingraveſcens & admodum moleſta; ſomnum valde impedit, ac interrumpit, vires languent, appetitus dejicitur, æſtus ac ſitis urgent; intereà ſputum quotidie augetur, & copia ingente rejicitur; inde ut non modò ſanguinis ſerum, & recrementa, ſed & ſuccus nutritius, & partium ſolidarum deliquia pulmonibus jugiter ſuffuſa, in tabum, quod abunde extuſſitur, faceſſant: ceterum reſpiratio fit difficilis, artus valde debiles, & carnes plurimùm contabeſcunt.

Quando nuper hunc in modum Ægrotans noſter laboraret, methodum & remedia ſequentia, quorum longo uſu tandem convaluit, præſcripſimus. Imprimis diæta tenuiore inſtituta, & potu cerviſiali ferè in totum interdicto, cepit Apozèmatis ſequentis circa ℥ vi. bis in die calidè, & tantillum aliis temporibus frigidi ad ſitim reſtinguendam.

℞. Radicum chinæ ℥ ii. Sarſaparillæ ℥ iii. Santali albi, citrini, an. ʒi. Raſur. eboris C. C. an. ℥ iii. ſ. a. infund. & coqu. in aqu. fontan. lib. viii. ad medietatem, addendo paſſularum ſolis ℥ iii. liquiritiæ ℥ iii. fiat colatura, quæ uſurpetur pro potu ordinario.

℞. Tinctur. ſulphuris ʒiii. Sumat gutt. vii. ad x. horâ ſomni & primo mane in cochlear. i. Syrupi violacei, vel ſyrupi è ſucco hederæ terreſtris.

Quando hoc medicamentum uſu diuturno tædio eſſe cœpit, ejus loco eclegma ſequens ſubſtituebatur.

℞. Conſerv. Roſar. rubr. ℥ iv. Spiritus terebinthinæ ʒ ii. Miſce ſimul terendo, Doſis circiter ʒi. iiſdem horis.

Dein hujus vice quandoque pulvis ſequens ſumebatur.

℞. Pulv. foliorum hederæ terreſtris æſtivo ſole præpar. ℥iv. Sacchari candi ℥ ß. miſce, Doſis cochl. ß. bis in die cum aquæ deſtillatæ ſequentis ℥ iii.

℞. Foliorum hederæ terreſtris M. vi. Hyſſopi, marrubii albi, an. M. iv. pulmones agninos ſemicoctos, & minutim conciſos; affunde ſeri lactis cum alla tenui facta lib. viii. deſtillentur organis communibus, liquor totus miſceatur, & inter utendum edulcoretur ad placitum cum ſaccharo cando, vel Syrupo violaceo.

Ad ſedandam ferè continuam tuſſis moleſtiam, trochiſcos ſequentes, vel parum extracti de liquiritia ſubindè deglutiebat.

℞. Spec. diatragacanth. frig. ʒiii. pulv. ſem. Aniſi, carvi, fœnic. dulc. an. ʒ ß. flor. ſulphuris ℈ii. florum Benzoin ℈i. Extracti liquirit. dilut. in aq. Hyſſopi, q. ſ. f. paſta, quæ formetur in Trochiſcos.

Vel ℞. Spec. diaireos, è pulmon. vulpis. an. ʒii. florum ſulphuris, radicum enulæ campan. an. ʒ ß. Olei aniſ. ℈ ß. Sacchar. ſoluti in ſ. q. aq. pulegii & ad tabulat. cocti ℥ vi. ſ. a. f. tabulæ ponderis ʒ ß. Comedat. i. ſæpius ad libitum ſenſim deglutiendo.

In medio hoc curſu, quamvis pulſu ille debili & temperamento frigidiore præditus fuerit, ſanguis è brachio mittebatur; inſuper his remediis, maximum ei juvamen accrevit ab aëre aprico quem ferè quotidie, aut per equitationem aut vectionem in curru captabat; hinc enim primo appetitum, digeſtionem, ac ſomnum recuperare cœpit; quibus deinde ceterorum ſymptomatum relaxatio ſenſim obſequebatur, ut tandem integre convaleſceret. Simili huic methodo, quoties antehac ſæpe tuſſi diuturnâ & pertinace affligebatur, & cum pari ſucceſſu uſus eſt; jamq; licet affectu iſto prorſus immunis degat, ſedulò tamen vitare cogitur occaſiones ſive προφάσεις omnes quibus aut pori conſtipentur, aut ſanguinis fluor ſive in ſeroſitates præcipitatio excitetur; cujuſmodi potiſſimum ſolent eſſe remigatio ſuper Thameſin Londinenſem, & liquorum acidorum, uti pomacei, vini Gallici aut Rhenani potus.

Ex prædicta hiſtoria tuſſis, quæ, ſanguinis vitio excitata, citra phthiſeos limites ſubſiſtit, & typum & medelæ rationem concipere licebit: ſequitur altera quæ ejuſdem affectus, quando potiſſimum à liquore nerveo procedit, naturam illuſtrat.

Puer in ætate 10. circiter annorum, temperamenti calidi, & vultus floridi cùm ab ipſa infantia tuſſi crebræ obnoxius fuerit, à ſequioribus annis iſtius affectus inſultus ſive paroxyſmos quoſdam graviores & diuturnos perpeſſus eſt: nimirum per vices tuſſi altâ & clangoſa ſine ſputo laborare ſolet, quæ ipſum dies & noctes ferè continuè moleſtat, adeoque plures dies imo hebdomadas infeſtans, ægrotantem ad ſummam imbecillitatem perducit: dein morbi

periodo exacta (quæ non niſi abſumpto materiæ ὑστερῆς penu contingit) rurſus brevi ſatis ſanus ille, & ægritudine quavis thoracica perquam immunis evadit: donec, materia morbifica (uti videtur) denuo ad plenitudinem aggeſta, ſine cauſa quavis evidente, idem affectus redit, & cum ſolita ferocia Tragœdiam ſuam peragit. Circa prima ejus initia, tuſſis ferè tantum mane, & veſperi moleſta eſſe ſolet; dein malo ſenſim ingraveſcente, totos ſæpe dies ac noctes ferè continue tuſſit, & ſi quando ſomnus, aut ſponte aut Anodynorum uſu contingens, quaſdam inducias præbet, evigilanti ſtatim atrocior tuſſiendi paroxyſmus ſuccedit. Ad hunc modum creberrimè & acerrimè, ſine ullo ſputo tuſſiens, per tres aut quatuor ſeptimanas laborat, donec ad marcorem inſignem ſummamque imbecillitatem redigitur; & tunc ægritudo paulatim remittit, ut paulo rarius tuſſiat, & ſomnos moderatos ducat; dein propediem valde eſuriens, cito εὐσαρκὸς & vegetus factus valetudinem priſtinam brevi recuperat. Hujuſmodi paroxyſmi in æſtate rarius infeſtant, verum in reliquo anno tertia nonnunquam aut quarta vice repetuntur, & laborantem uſque in magnum vitæ periculum adducunt.

Si de natura, cauſis & ratione formali hujuſmodi tuſſis inſolitæ, & quaſi Anomalæ inquiratur, imprimis conſtat hanc, ſicut aliam quamcunque, ab irritatione pulmonum procedere; attamen de materia irritante, ejuſque ſede, & afficiendi modo valde ambigitur: quia ſcil. nec ſputum craſſum, nec tenue copioſum, (prout in aliis affectibus aſſolet) hic omnino rejicitur; neque patiens de catarrhi ſenſu, aut de pulmonum gravamine queritur. Itaque non uti in tuſſi vulgari, humor ſeroſus, aut lentè aut affatim è vaſis trachealibus vel pneumonicis, in tracheæ veſiculas aut tubulos exudans, prædicta ſymptomata inducit. Quinimo aſperæ arteriæ ductus ſero, aut humore craſſo prorſus vacuos eſſe inde liquet, quia tuſſis ſemper profunda & ſonora nihil excernit. Porro nec à ſanguine pulmonum membranis impacto hanc tuſſim oriri, quia ſcil. neque febris, nec ſitis aut dolor, prout in peripneumonia, hic adſunt. Porro neque materies morbifica nervis, aut muſculis reſpirationis operi dicatis, inhærere videtur; quia tunc, præter tuſſim, paroxyſmi Aſthmatici, aut alias convulſivi, cum præfocationis ſenſu quandoque urgerent qui tamen ægrotanti noſtro minimè contingunt.

Circa caſus hujus perquam difficilis Ætiologiam ſæpe ac ſerio meditatus, tandem opinari ducor, materiam quandam ſeroſam & acrem, utpote labe ſcorbuticâ refertam, à capite nervorum ductu prolapſam, pulmonis ſive tracheæ fibras nerveas & membranas ſubire; quæ illis penitus inhærens, ſenſim ad plenitudinem aggeritur, & tandem commota, & turgeſcens irritatione ferè perpetuâ, tuſſim adeo moleſtam creat. Alibi declaravimus hujuſmodi materiem inteſtinorum tunicis, partibuſque circumcirca vicinis impactam, non rarò colicam ſcorbuticam, per plures dies, imo interdum ſeptimanas, cum vomitu & cruciatu acerrimo infeſtantem excitare: quid ni pariter hæc tuſſis pulmonum affectio quædam ſpaſmodica fuerit, cujus tamen labes, juxta partis laborantis capacitatem, potentiæ motivæ potius & plus quam ſenſitivæ imprimitur. Namque pulmones, utut læſi & vellicati, parum aut vix omnino dolent; attamen brevi quavis occaſione, in tuſſiendi impetus & paroxyſmos acciemtur. Profecto hanc tuſſiendi affectionem eo potius colicæ comparamus, quoniam utriuſque ſubjecta, nempe trachea ac inteſtina, quoad tunicas, vaſa, fibras, & glandulas, ſimili modo conformantur.

Tuſſis modò deſcriptæ acceſſio à materia morbificâ intra fibras aſperæ arteriæ ad plenitudinem irritativam aggeſtâ dependet; quâ cum iſtæ aggravantur, primò reſpiratio crebra & anhela, cum tuſſi ſolum matutinâ infeſtat; quoniam ab initio iſtius materiæ portio tantum exigua commota partem irritat: poſtea cum tota ejus maſſa turgeſcens fibras continentes ferè perpetuò vellicat, tuſſis moleſtiſſima exoritur; quæ, item crebrâ vice repetens, tempore longo perſtat; quoniam minera morbifica, partibus affectis impacta, nec ſtatim naturæ viribus diſcutitur, nec quibuſvis remediis facilè cedit.

Enimverò in ſingulis hujus morbi paroxyſmis varias medendi methodos & diverſimoda medicamenta, uſque tamen ſine magno fructu expertus ſum. Affectus iſte uſpiam incipiens periodum ſuam nimis longam, invitis quibuſque remediis, peragere ſolet. Medicamenta, pectoralia vulgò dicta, uti Syrupi, linctus, eclegmata, morbo huic ſanando parum aut nihil opis contulerunt: ea tamen quandoque in hunc finem adhibere viſum eſt, ut pulmones lubricent ac humectent, ne forſan à tuſſi violenta dilacerari, eorumque vaſa diſrumpi periclitarentur: quippe nonnunquam urgente paroxyſmo atrociore, etſi nihil ſputi craſſi, minutulum tamen ſanguinis Ægrotans noſter extuſſire ſolebat.

Purgatio lenis in morbi initio, item in declinatione ſæpius profuit. Apozemata aperientia & diuretica ſemper cum fructu ſumuntur, quibus utriſque ſatis in toto ægritudinis curſu pro potu ordinario utitur. Veſperi & mane Tincturæ Sulphuris guttas aliquot cum aqua limacum lacteata ſumit; ſera nocte mixturæ ex Diacodio vel ex laudano liquido doſin nonnunquam exhibere cogebar: alvus ut plurimum ſatis reſpondet, ut raro enematum opus fuerit: in binis paroxyſmis phlebotomia celebrata fuit, à quâ nihil commodi ceſſit.

In noviſſimo paroxyſmo, qui ſub Æquinoctio Autumnali incipiens paulo levius ac mitius pertranſiit, ſequens medendi methodus obſervata fuit.

Imprimis hoc Catharticum exhibitum, & poſt 4. dies iteratum fuit.

♃. Calamelanos ℈ß. reſin. jal. gr. iv. miſce, f. pulv. ſumatur in cochl. j. Syrupi violacei.

♃. Radic. chinæ inciſ. ʒj. Rad. graminis ℥iij. Cherefolii ℥j. Eringii condit. ʒvi. Raſ. eboris C. C. an. ℥iij. Paſſularum ſolis exacinat. ℥ij. Coque in aq. fontan. lib. iij. ad lib. ij. f. colatura; ſumatur pro potu ordinario.

♃. Syrup. Jujubini ℥ij. Diacod. ℥j. Spir. ſalis armoniac. cum gum. ammoniac. ʒj. Miſce, Doſis cochl. j. hora ſomni & primo mane. Hoc remedio plurimum alleviebatur, cepit tamen diebus tantum alternis aut tertiis, & loco ejus nonnunquam ſubſtituebatur doſis tincturæ ſulphuris, cum Syrupo violaceo.

Morbô

Morbo declinante purgatio per duas vices iteratur; & poſtea ſenſim convaleſcens intra duas ſeptimanas ſatis ſanus evaſit. At verò cùm cernerem hunc non modò crebris tuſſiendi recidivis obnoxium, ſed quemque paroxyſmum quando ingrueret irreſiſtibilem eſſe, ejuſque moram, non obſtante remediorum uſu uſque diuturnam, nihil minùs quàm phthiſin minari, conſului tandem ut & præſervationis, &, ſi affectus rediret; curationis facilioris gratiâ, ad regionem climate noſtrô calidiorem peregrinaretur. Super hoc non multum deliberabatur, ſed dictum factum, circa medias calendas novembris in Galliam navigat, indeque rectò itinere Montem peſſulanum proficiſcitur; ubi ſeſquiannum diverſatus bis tantùm & utrâque vice leviter ægrotavit: dein Angliam reverſus tuſſi prorſus immunis integrâ valetudine, Deo gratias, fruitur.

Thomas Williſius Pharmaceutices rationalis parte 2.

Haud raro ab hæmoptoë, pulmonum vomica, pleuritide (cum peripneumonia conjunctâ) malè judicatâ, empyemate, &c. ulcus pulmonum exoritur, quod febris lenta, corporis totius extenuatio, &c. conſequuntur. Quod mali genus ſpecialiter Phthiſis dicitur.

In hujus curatione humores peccantes leniter ſunt expurgandi, catarrhus, ſi adſit, ſiſtendus, humorum acrimonia obtundenda, ulcus detergendum & conſolidandum, calor febrilis temperandus, & carnes conſumptæ reſtaurandæ.

In Phthiſeos principio, venæſectio & lenis purgatio per alvum tutò & utiliter ſæpe celebrantur; non item in phthiſi confirmata.

Si purgare velis, potio ſequens aptiſſima eſt.

♃. Fol. ſenn. mundat. ℥ß. glycyrrhiz. ʒvi. polypod. ℥i. fol. ſcabioſ. pulmonar. an. m. ß. fl. violar. p. ii. dactyl. par. ii. jujub. par. iii. Coq. in aq. f. q. ſ. ad ℥iv. Colaturæ adde mann. opt. ℥iß. ſyr. roſ. cum agaric. ℥i. m. f. potio mane ſumenda.

Ubi purgatio non tentanda eſt, alvus ſi ſit obſtructa, ſollicitetur clyſteribus emollientibus cum elect. cathol. lenitiv. &c. in iiſdem ſolutis.

N. B. In phthiſi confirmata cùm vires ad extremum languoris reductæ ſunt, cùm corporis totius marcore, in reſumptivorum uſu Medicus non debet de purgatione eſſe ſolicitus; ſed corporis evacuatio differatur, donec vires conſtent: ita tamen ut ſubinde primarum viarum ſaburra clyſteribus everratur. Neque nos turbet aphoriſmus, Corpora impura quanto magis nutries, tanto magis lædes: Quippe hæc Enunciatio de plethoricis in quibus humores computruerunt, non de exſuccis & tabidis laborantibus ab exhauſto eſt intelligenda.

Victus ſit refrigerans & humectans; abſtineat à ſalſis, acribus, aromaticis, &c.

Potus ordinarius ſit hujuſmodi.

♃. Rad. chin. ℥vi. lign. ſanct. inter. ℥iv. rad. enul. ℥iii. fol. botryd. veron. mar. roris ſolis, gnaphal. montan. beton. an. m. i. flor. tuſſilag. herb. paralyſ. calend. an. p. iv. ſem. cochlear. Batavic. naſturt. hortenſ. an. ℥i. nuc. moſchat. num. 4. Conciſ. ſacculo includantur cum Jovis ramentorum ℔j. Affunde alæ recent. coug. v. adde mell. deſpumat. ℔iiß. iii. vel iv. pro ventriculi tolerantia. Adde flor. alæ rec. ℔i. fermentetur ad depurationem & lagenis vitreis aut lapideis arenâ ſepeliendis indatur ad uſum.

♃. Rad. ſarſæp. ℥vi. chin. ℥viii. guaia. inter. (ſi calor non ſit nimius) ℥v. rad. enul. ℥iv. garyophyllat. ℥iiiß. rad. filic. fœm. ℔i. cichor. taraxac. ſcorzoner. Hiſpan. an. ℥ivß. ſcabioſ. totius, tuſſilag. totius an. m. ii. heder. terreſt. marrub. alb. pulmonar. quercin. an. m. iß. ſummit. hyſſop. roris ſolis an. m. iiß, beton. totius m. iii. ſem. myrrhid. fraxin. an. ℥i. naſturt. hortenſ. ʒvi. cochlear. Batav. ℥ß. ficuum arid. paſſul. jujub. an. ℔j. nuc. moſchat. num. 6. Conciſ. f. omnium decoctio in gallon. 12. aq. f. ad duorum conſumpt. Colaturæ clarificatæ adde mell. albiſſ. gallon. j. Coq. ad ſupernatantis ovi terminum ſedulò deſpumando. Colatura refrigerata indatur vaſi addend. decoct. flor. lupuli tincturâ ſaturiſſ. ferment. alæ rec. an. ℔iv. Fermentetur ad depurationem, & ſervetur pro potu, unde ſumat ℥vi. bis in die longè à paſtibus. Quo vetuſtior, eò melior.

Aut ♃. Rad tuſſilag. ſcabioſ. an. ℥j. enul. camp. ʒiii. glycyrrhiz. raſ. ℥ß. fol. pulmonar. utriuſque veronic. maris; garyophyllat. capillarium omnium an. m. j. ſummit. hyſſop. p. jß. flor. paralyſ. beton. an. p. iii. jujub. ſebeſt. dactyl. ficuum an. ℥ß. hord. integr. furfur. macr. an. p. ii. Coq. in hydromel. dilut. q. ſ. ad ℔iiß. Aromatizetur cum ʒii. ſem. coriand. pro 7. doſibus bis in die ſumendis longè à paſtibus.

N. B. In pulmonum ulceribus (omnibuſque aliis internis) perfectè per ſtrenuam exſiccationem curandis nulli ſecundum eſt Guajacum, cujus non eſt metuendus calor, cùm abundet radicali humido, reſinoſo, balſamico, quod ejus ſiccitatem temperat. Adde quòd cùm in ejuſmodi affectu febris continua lenta, planè ſit ſymptomatica, & cor vicinum à putri exhalatione quam ulceris ſanies fundit, inficiatur; ſublatâ putredine, ejuſque emendatis qualitatibus, neceſſe eſt ut febris ipſa faceſſat. Quoniam autem duæ indicationes contrariæ concurrunt, altera ſiccandi ulcus, altera emaciati corporis replendi, ne remedium alteri noceat, ſequenti modo temperatum poterit propinari.

♃. Raſur. lign. ſanct. interior. nigerrim. ℥iv. rad. ſymphyt. major. ℥vi. rad. tuſſilag. ℥v. ſcabioſ. veronic. garyophyllat. botrydis an. m. ii. glycyrrhiz. recent. ℥ ii. Infund. in lib. viii. Aquæ font. vaſe probè occluſo, mox coq. in alembico ſuperpoſito capitello ad ℔ii. conſumpt. Colatura ſumatur bis terve in die ad ℥vi. vel ℥viii. quâvis vice longè à paſtibus.

N. B. In valde exſucco corpore Guaiacum ſaltem infundatur citra cocturam, vel maceretur per noctem in aqua tepidula, atque hæc prima infuſio abjiciatur.

Ubi ſimul ſiccandum & renutriendum, pullus farciatur hordeo mundat. radic. tuſſilag. paſſul. dactyl. & raſ. guaiaci, & paretur juſculum.

Syrupo reſumptivo addatur ſyrupus guaiaci, ſenſim lambendus è cochleari.

Radix Chinæ eam habet vim, ut ſiccando humidum excrementitium abſumat, radicale ſuſtentet, & corpus repleat; ideo addatur juſculis, decoctis, aliiſque. Immo, ſi videbitur, ab ea ducatur initium, ejuſque præcedat uſus ad aliquot dies ante uſum guaiaci.

Debent autem iſta decocta, & guaiaci &

chinæ, ad vi. ſeptimanas vel duos menſes exhiberi.

N. B. Si ab horum uſu aliqua reſtet intemperies, uſu lactis Aſinini cum ſaccharo roſato poteſt emendari. Hujus autem uſus poſtea docebitur.

Aquæ minerales ſulphureæ multis profuerunt; cur non magis, ſi ſimplicia appropriata iiſdem fuerint infuſa?

Specifica habetur aqua omnium florum, i. e. aqua è ſtercore bubulo diſtillata (præſertim menſe Maio.)

Ad expectorationem promovendam utatur æger ſyrupo ſeq. pro linctu.

♃. Rad. alth. tenerior. mundat. ℥ii. rad. conſolid. maj. & tuſſilag. an. ℥iß. rad. enul. camp. & ireos Florent. an. ʒx. glycyrrhiz. raſ. ℥iv. fol. ſcabioſ. ſucciſ. pedis cati, pulmonar. meliſſ. tuſſilag. an. m. ii. roris ſolis. ſummit. heder. terreſtr. an. m. iii. ſummit. marrub. alb. & hyſſop. an. m. iß. paſſul. exacillat. jujub. an. ℥ii. pulp. dactyl. ℥iß. ſem. malv. ℥i. f. omnium decoctio in aq. comm. vel ſtillatit. tuſſilag. Colatura clarificata reducatur levi cocturâ ad ℔iii. quibus add. mell. Narbonenſ. deſpumat. vel ſacchari cand. ℔iii. recoq. in ſyr. Aromatiſ. nodulo croci, &, ſi lubet, gr. x. moſchi orient.

Ad tuſſim urgentem ſedandam, reſpirandi difficultatem levandam, catarrhum ſiſtendum, aliaque hujuſmodi ſymptomata phthiſi cum tuſſi, aſthmate, catarrho, &c. communia curanda, conſulat Lector capita in quibus horum cura ſuprà docetur: ſupervacaneum enim foret, quæ ibi traduntur, hic repetere.

Ad ulcus ſanandum Linctus ſeq. eſt ſummæ efficaciæ.

♃. Mumiæ pulmonum dulcis ſuprà in cap. de Aſthmate præſcriptæ ℥iv. pulp. radicum ſymphyt. maj. extract. cum decoct. piloſell. pulmonar. garyophyllat. veronic. utriuſque ſcabioſ. hederæ terreſtr. buglæ, brunellæ, parato ex ſiccis in hydromelite commun. ℥i. (pulpa autem cernatur per ſetaceum, vel etiam ſi lubet extrahatur ex radice coctâ ſub cineribus in foliis tuſſilag.) gum. guaiac. factitii ℥ß. rad. ari præp. ʒii. mſ. inſolentur, & quotidie moveantur. Addatur tantillum ſyr. ſuprà præſcript. vel aliûs appropriati, & f. Lohoch ſenſim deglutiend.

Item in ulcere, & calore intenſiori proſunt aq. & ſyrup. ſeq.

♃. Pulmon. vitul. recenter occiſ. per fruſta ſect. & optimè lot. num. 2. Cord. vitul. recenter mactat. lot. & conciſ. num. 6. fol. veronic. utriuſque, bugul. prunel. ſanicul. rec. an. m. iv. ſucc. ceraſ. nigr. ℔iv. ſucc. moror. rubr. Idæi & fragor. an. ℔ ii. Caudar. cancror. optimè lot. limac. à cochl. mundat. & lot. an. ℔ß. flor. veton. rub. p. viii. bugloſſ. borag. an. p. iv. vin. Rhenan. ℔vi. Diſtilla in M. B. Liquor diſtillatus ſervetur ad uſum, ex quo Julapia conficiantur cum ſyr. ſeq. viz.

♃. Aq. ℥iv. ſyr. ℥i. mſ. ſumat bis in die. Syrupus autem hic eſt.

♃. Moror. rub. Idæi ℔ii. fragor. maturor. ℔i. ſucc. ceraſ. maturor. ℔ß. ſucci Limon. ℥iv. flor. veton. rub. p. viii. bugloſſ. borag. prunel. ſcabioſ. an. p. iv. Mſ. & in vaſe ſtanneo indantur cacabo aq. calid. pleno ad hor. 24. ut extrahatur tinctura. Exprime, filtra, & cum ſacchari Maderenſis dimidiâ parte levi cocturâ f. ſyrupus.

N. B. Sulphur proprietate inſitâ impedit pulmonis corruptionem: Quare vel lac ejus, vel flores utiliter linctibus, electuariis, &c. admiſcentur. Electuarium ſimplicius iſtiuſmodi parari poteſt.

♃. Sacchar. roſ. ℥viii. flor. ſulph. vel lact. ℥i. cum mucag. aut pulpa rad. alth. vel potius ſymphyt. maj. f. electuar.

Specificum habetur remedium ſeq.

♃. Lactis ebutyrati ℥ viii. aſſervetur hor. vi. noctu ſub dio, dein fortiter agitetur & deſpumetur, adde bol. Armen. ſubtil. pulverizat. ʒii. ſem. urtic. cinam. pulverizat. an. ℈ß. ſacchar. Roſar. ℥ß. mſ. Uſûs tempore agitetur vas. Singulis octo horis propina hanc mixturam, quæ deſperatis plurimis profuit.

Pandaleon hoc linctûs vicem ſupplere poteſt; expectorationem juvat & tabem arcet.

♃. Amygd. dulc. mundat. pin. or. non rancidor. in aq. tuſſilag. vel roſ. infuſ. an. ℥ viii. medul. ſem. melon. cucurbit. (citrulli) recent. eodem modo infuſor. an. ℥ iv. pulp. paſſul. dactyl. & jujub. extract. per decoction. in ptiſan. vulgar. ex hordeo & liquirit. an. ℥ii. pulp. rad. alth. & tuſſilag. an. ℥i. ſacch. alb. vel cand. duplum triplumve pondus omnium. Terantur nuclei & ſemina diutiſſimè in mortar. marmor. adjectis pulpis & affuſâ paucâ aq. roſar. mox addito ſenſim ſaccharo f. paſta, ex quâ formari poſſunt morſelli, qui extenſi ſuper obeliis in vaſe placentario tecto lentiſſimo igne coquantur. In ulcere pulmonum addatur ℥i. Rad. ſymphyt. majoris; ſi incraſſandum ſit, gum. Arab. ℥ß. coral. rub. marg. præp. an. ʒiii.

Si dolor in latere urgeat, præſcribo linimentum tale.

♃. Ol. rut. chamæmel. an. ʒvi. amygd. dulc. rec. pingued. anſerin. an. ℥ß. Unguent. aurant. ʒiii. butyr. nuc. moſchat. ʒi. ſperm. ceti ℥ß. croc. pulv. ℈i. liquidambr. ʒß. mſ. f. litus.

Paracenteſis ſæpiùs fœliciter ſucceſſit, vulnere in muſculis intercoſtalibus inflicto, & injectione factâ cum decoctis vulnerariis, quæ à ſpongioſo pulmonum parenchymate abſorpta per anacatharſin immediatè rejiciuntur: ſed cavendum ab amaris; & non nimis diu differendum eſt, nè vires nimis ſint collapſæ. Si pulmo coſtis adhæreat, quod cognoſcatur admotâ candelâ ſi aër non exeat, tunc aliis in locis infligatur vulnus.

Præter tuſſis ulceriſque curationem, quam pleraque jam præſcriptorum reſpiciunt; in phthiſeos ſanatione corporis extenuati repletioni, & febris hecticæ extinctioni plurimùm intendendum eſt. Intentionibus iſtis Analeptica (vel Reſumptiva) ſeq. optimè ſatisfaciunt.

Inter hæc Lac principem locum obtinet: vel caprinum, vel vaccinum, ſed præcipuè aſininum. Capiat æger lactis aſinini rec. mulcti à ℔ii. ad ℔iv. unâ vel pluribus vicibus, modò à primo hauſtu ad ultimum non intercedat plus horâ. Alvum ſolvit, nutrit, malam intemperiem calidam ſedat in toto corpore, aperit obſtructiones pulmonis, &c. ſed tunc æger non utatur victu copioſo, nec ſe exponat aëri, ne lac coaguletur in ventriculo & aceſcat. Bibatur lac vel ſolum, vel in eo diſſolvatur ſaccharum roſarum, vel miſceatur pulvis ſeq. cum lactis hauſtu.

♃. Sac-

℞. Sacchar. roſ. ℥xvi. coral. rub. præp. marg. præp. an. ʒ ii. mſ. f. pulvis. Doſis ʒi. Quod ſi alvus non dejiciat, utere clyſtere, & poſteà auge doſin. Aſina paſcatur mollibus herbis, & comedat ſpeltam & avenam; & partus ſit recens fœminæ, & ipſa vivat in pratis liberè cum ſuo pullo. Alatur etiam tuſſilagine, ſummit. rubi, &c. Perſtet æger in uſu lactis per plures hebdomadas. Interim nè comedat corruptioni obnoxia, non piſces, non fructus, non carnem elixam: nè exerceat ſe à cibò, nè curis animum fatiget.

Corrupti lactis indicia ſunt, ſi ructus moveat, ſi æger liquida dejiciat.

Si aceſcat lac in ventriculo; ejus loco utatur æger ſero lactis, viz.

℞. Seri lactis rec. ℔ii. ſucc. bugloſſ. tuſſilag. ſcabioſ. fumar. an. ℥ii. ſucc. fragor. pomor. redolent. an. ℥iii. ſacchar. roſ. ℥iv. ſucc. Limon. ℥iß. album. ovor. numero 2. Clarificetur & coletur pro 2. doſ. matutinis ſumend. hor. 4. vel 5. ante prandium ſuperambulando. Sæpiùs exhibeo hauſtum ſeri lactis alterati borrag. bugloſſ. pulmonar. ſcabioſ. endiv. ling. cervin. &c. ſacchar. roſ. edulcorat.

Juſculum hoc pleriſque à tabe emaciatis aptum eſſe poteſt.

℞. Rad. chin. per taleolas ſect. ℥ii. rament. abiet. fragrant. ℥i. Rad. tuſſilag. ſicc. ℥iß. raſur. C. C. ebor. an. ʒvi. Infund. per hor. vi. in aq. f. cong. j.

℞. Hord. mund. ℥iß. ſem. melon. rec. ℥i. uvar. Corinthiac. paſſul. exacinat. an. ʒv. jujub. rec. ℥ß. Includantur in ventre junioris galli, qui conſutus elixetur cum fruſto carnis vitulin. addend. ſub finem decoctionis fol. pulmonar. ſcabioſ. agrimon. adiant. polytrich. ling. cervin. bugul. an. m. ß. flor. beton. anth. ſummit. hyſſop. an. p. j. Reduc. ad. quantitat. ℔ii. pro quatuor juſculis ſumendis bis in die, manè hor. ſeptimâ, & quintâ p. m.

Aqua hæc ſtillatitia vires multum inſtaurat.

℞. C. C. Mollis ac tenelli menſe Junio, cùm ſanguine turget, ex animali recens interfecto deſumpti, per taleolas ſecti, ℔ iv. aut ſi deſit, gelatinæ ex C. C. raſura recenti cum vin. alb. par. tantundem, ſucci carnis vituli, vervecis, perdicis, capi in vaſe duplici extract. ℔vi. ſucci pomor. redolent. cuttipendulor. (aut *de Rainette*) ℔ii. ſucci bugloſſ. oxalid. rotund. trifolii acetoſi, ſcabioſ. pulmonar. card. bened. ulmar. an. ℔i. vin. alb. generoſ. ℔iii. ſantal. citrin. lign. Rhod. an. ℥iß. cinam. inter. ℥ii. raſ. lign. junip. ℥i. Digerantur omnia per biduum, deinde f. diſtillatio in B. vaporoſo, & excipiatur liquor ſtillatitius, cujus portio per ſe ſervetur ad infuſa, decocta, &c. pars verò magis cardiaca reddatur hoc modo.

℞. Aq. hujus ℔iv. redd. acidul. ſucco depurato limonum, adde flor. vetonic. rub. p. iv. flor. borag. bugloſſ. echii, violar. an. p. ii. Extrahatur tinctura ut a. e. Adde eſſentiæ dulcis perlarum & corallorum an. ʒiii. Recondatur ad uſum.

Vel ℞. caponem juvenem magnum, pullos columbinos implumes num. 2. carn. coxæ vervecin. & vitulin. an. ℔ii. Abluantur omnia conciſa vin. alb. vel rub. Gallic. generoſ. mox ponantur in alembicum fictile lapideum amplum, addendo poma redolentia cum corticibus inciſa detractis ſeminibus numero vi. fol. ſicc. meliſſ. m. j. flor. borag. bugloſſ. vetonic. rub. primul. ver. an. p. iv. flor. citrangul. condit. p. iii. cortic. citr. exter. rec. ℥ii. roſ. rubr. p. ii. ſantal. citrin. raſ. ℥ß. lign. aloës, pulv. diambr. aromat. roſat. diarrhod. Abbat. an. ʒii. aq. roſ. & de oxytriphyll. an. ℔iß. aq. meliſſ. ℔ii. F. omnium diſtillatio in balneo ad uſum.

N.B. Carnes cum herb. flor. & pomis prius cum aquis coquantur ſuperimpoſito alembico cæco, bulliantq; per duas treſve horas; mox f. valida omnis ſucci expreſſio per prelum: huic ſucco addatur cortic. citr. ſantal. lign. aloës, diambr. cæteræque ſpecies, & f. diſtillatio.

℞. Liquoris ſtillatit. ℔i. ſacchar. puriſſ. ℥iv. ſapæ cydon. ℥ii. Mſ. & inde nodulum qui contineat ſantal. rub. ʒii. cinam. opt. ʒjß. ambr. griſ. ℈ß.

In tabe ab ulcere pulmonum multum præſtat ſyrupus ſeq.

℞. pulm. vituli & agn. recent. mactat. ſan. an. numero iv. coxas vervecinas & vitulin. grandior. admodum carnoſas an. numero ii. corda vitulin. & vervecin. an. numero iv. aſtacos maj. plenâ lunâ captos, cochleas mai. terreſtres an. numero 200. rad. chin. ℥iv. glycyrrhiz. Hiſpan. ℥iv. rad. ſymphyt. maj. alth. tuſſilag. an. ℥vi. fol. pulmonar. piloſell. pedis cati, ſucciſæ, capill. omnium, botrydis, garyophillatæ, veronic. utriuſque, meliſſ. an. m. ii. flor. primul. ver. violar. malv. utriuſque, borag. bugloſſ. vetonic. rub. roſ. rub. nenuph. papav. rub. an. p. iv. fructuum berber. ℥iii. ſem. lactuc. portulac. papav. alb. an. ℥ii. ſem. malv. & cydon. an. ℥i. paſſular. purgat. ficuum, an. quartarium unum, jujubar. ſebeſten. an. par. 30. dactylor. mundat. par. 20.

Pulmones conciſi & optimè aq. font. loti, denuo aquâ & vino albo albuantur, & in fruſta ſecentur, atque cum pulpis carnium & cordium filo trajiciantur, ut poſtea in olla oblonga idoneæ formæ ſuſpendantur. Cochleæ furfure & ſaccharo purgentur, &c. Aſtaci aq. font. optimè abluti, in ollam fictilem poſiti, iiſque affuſa aq. ſcabioſ. & nenuphar. an. ℔ ii. & operculo ollæ appoſito, lento igne percoquantur ad perfectam rubedinem. Carnoſa ipſorum ſubſtantia in mortario contundatur, & in ollam ponantur cum omnibus ſimplicibus conciſis & contuſis. Hiſce affundantur aq. hordei ℔ vi. ſuccor. depurat. endiv. hieracii non lacticinoſi & inſipidi (quæ eſt herba *coſta*) tuſſilag. ſcabioſ. betonic. heder. terreſtr. an. ℥ xvi. Suſpendantur carnes, filis è baculo tranſverſo propendentibus. Olla exactiſſimè claudatur veſicâ bubulâ, vel chartâ pergamenâ & diſco. Vas ſit in lebete aq. pleno, & ſubdatur ignis per horas vi. vel viii. mox f. liquoris effuſio; & magmatis valida expreſſio, cui adde aq. roſar. rub. & alb. damaſcen. an. ℔i. penid. ſacchar. alb. an. ℔iv. mell. albiſſ. deſpumat. ℔ii. F. cum albuminibus ovorum ſedula clarificatio. Col. per manicam. Mox lentâ coctione præp. ſyrupus, addendo inter coquendum nodulum qui contineat cinam. interior. ireos Florent. lign. Rhod. ſantal. citrin. nuc. moſchat. ſem. coriand. præp. an. ℥i. ſtyrac. calamit. & benzoin. an. ℥ß. Nodulus hic indatur circa medium coctionis, & inter coquendum, ſæpiùs cochleari oblongo compreſſus exprima-

tur. Syrupus probè coctus recondatur lagenis vel ampullis pluribus ad uſum.

Poterit ſumi vel per ſe, vel cum aq. hord. inſtar Julepi ad ℥i. ℥ii. vel ℥iii. pro ratione affectus, bis in die, per menſem unum & alterum.

Ad ſingulos ante hauſtum Julepi detur aliquid magiſterii dulcis oculor. cancri.

In reſumptivorum cenſu meritò habentur Cochleæ, quarum uſus ſit hujuſmodi.

Cochleis nemoralibus à mucagine nativa optimè repurgatis & in lacte bubulo recenter mulcto, unà cum tuſſilag. conciſa decoctis, fœliciter utuntur tabidi in condimento loco cibi. Item cochlearum carnes à putaminibus & excrementis repurgatæ, quinetiam aquâ ablutæ involvuntur linteo craſſiori pluries complicato, & ſepeliuntur in fimo fervente equino duarum horarum ſpatio, indeque detractæ lavantur lixivio calido, & coquuntur in jure pulli gallinacei, atque tabidis & ſummâ macie affectis auxilio ſanè magno propinantur devorandæ.

Majori cum utilitate parantur hoc modo.

℞. Cochleas majores 50. eaſque priùs bene lotas coquito cum putaminibus in aqua, unà cum hordeo à gluma repurgato, quouſque hordeum rumpatur: deinde exemptas à putaminibus coquito iterum ex capi jure, quouſque probè diſcoquantur. Demum jus percolato linteo mundo, & quotidie propinato ℥vi. cum ſacchari ℥i. tam mane quàm veſperi horis tribus ante cibum.

Alius modus. ℞. Cochlearum putaminibus exutarum ℔ ii. Rad. glycyrrhiz. rec. ℔j. Rad. alth. ℥iv. atque omnia minutim conciſa diſtillentur per alembicum vitreum in B.Dato hujus aquæ ℥iv. cum ℥j. ſacchari quotidie mane. *Theodorus de Mayerne Prax. Medic. lib.2.*

Phthiſim jam productam & confirmatam Medicorum nemo auſus eſt aggredi, cùm ſuâ naturâ inſanabilem exiſtiment; quinetiam ægrotos veluti contagioſos cominùs tractare reformidant. Solum eapropter curandam ſuſcipiunt, quamvis ægrè, quæ nondum altas fixit radices, neque ægrum adeò dejecit, ut viribus defecerit: his namque conſtantibus, ſpes aliqua ſalutis affulget; aliter de vita actum erit. Initianti ergo Phthiſi protinùs occurrendum, itemque obſiſtendum imminenti. Imminet autem à diuturna, & pertinaci Tuſſi, à ſputo ſanguinis, aut puris: cùm enim tuſſis diutiùs perſeverat, ſive ſicca, ſive humida illa ſit, maximè verendum de eroſione, & ruptura vaſorum ſpiritalium, ob aſſiduam thoracis, & Pulmonum concuſſionem. Neque inſuper tuſſis iſta tamdiù perennat, niſi ab irruente acri, ſalſo, aut acido humore, vel vapore (ut in ſcorbuticis) partes illæ continuo proritentur; undè tandem eas corrodi, vel graviter affici neceſſum erit. Tuſſes namque aliis de cauſis inductæ intra limites Catarrhorum ad ſummum ſponte ſua deſinere ſolent. Sputum verò ſanguinis, aut puris, niſi opportunis remediis ſuccurratur, certè Phthiſis ſequetur ex ſuperiùs memoratis. At verò cùm partes pneumonicas erodi, & ulcerari contigerit, indeque pus rejectatur, & febris lenta exoritur, vel ex infecto pulmone ſanguis contaminatur, difficulter æger reſpirat, ſenſim contabeſcit, vehementer ſitit, vigilat, aliiſque ſymptomatis vexatur, non de imminenti, ſed de inchoata omninò judicandum.

Imminentem autem præcavebimus, delapſam in cavum pectoris materiam congruentibus remediis educendo, atque illabentem inhibendo, corrigendoque, quæ propterea ſi craſſa, & viſcoſa fuerit, attenuanda, mox etiam expectoranda elixire proprietatis, Julapio vitali, aquâ vitæ Matchioli, aquâ cinnamomi, ejuſque eſſentiâ, ſyrup. de hedera terreſtri, de tuſſilagine, de hyſſopo, rubino ſulphuris. Si verò fluxilis ac ſeroſa, imò etiam acris & ſalſa illa fuerit, corrigetur pilulis de cynogloſſo, de ſtyrace tum Sylvii, tum Schröderi, ejuſdemque pilulis ad tuſſim. Pulveres etiam, tabellæ, & eclegmata ex olibano, tragacantho, maſtiche, ſtyrace, glycyrriza, ſuccino, opobalſamo, balſamo Peruviano; itemque pulveres Haly, ſyrupus papaveris rubri, & albi, diatragacanthum, diacodion præſunt. Diuretica, & ſudorifica, ſicut pariter hydragoga locum habere poterunt, ſi lympha aut ſerum ſuperabundare videatur, de quibus aliàs.

A ſputo ſanguinis, vel puris imminentem prævenient, quæ de curatione ſputi ſanguinis, & Empyematis dicta ſunt.

Inchoatam verò Phthiſim, imò & productam plerique jactant ſe feliciter curaſſe. Avicennas, Meſues, Valeſcus de Taranta, Valleriola, Zacutus, aliique ſaccharo roſaceo. Idemque Valeſcus aliàs cum pulvere Haly. Philippus Ingraſſias decocto ligni ſancti: ſicut & Riverius ſolis paſſulis, & decocto hordei, ac glycyrrhizæ. Quercetanus ſyrupo ex ſucco hederæ terreſtris ſuæ deſcriptionis cum floribus ſulphuris. Et Cardanus decocto caudarum, & chelarum cancrorum in aqua hordei. Refert Boyle Medicum quendam fumo ſulphuris, ſuccini, & betonicæ, vel tuſſilaginis Phthiſicos ſanaſſe. Et Petrus Borellus cujuſdam Pharmacopœi meminit, qui utebatur butyro, è lacte muliebri elicito, tanquam arcano optimo ad tabem; additque nullum remedium illo præſtantius eſſe. Paracelſus commendat unguentum compoſitum ex axungia, & medulla cervi cum oleo de baccis lauri: quod vult ægrotum manè, & veſpere inungendum eſſe quouſque urina mutetur: ſordes tamen prioris inunctionis ſingulis vicibus detergendas aquâ & aceto ſimul bullitis. At hæc plerumque fallunt, & conceptam ſpem ſalutis ſæpiſſimè eludunt.

Lactis uſu, atque aëris in meliorem mutatione aliquid emolumenti Phthiſicis quandoque accidit: Maxima enim utriuſque vis ineſt; lacti quidem in alendo ſimul, & corrigendo ſanguinis vitium; aëri verò in pulmonis obſtructiones, ac ſuperfluitates diſſolvendo, abſumendoque.

Verùm nonnulli temerè lac exhibent, cùm pure pulmo eſt gravatus, ulcus ſordidum, & ſputum nedùm purulentum, ſed copioſum eſt; ventriculus elanguet, aut acore infeſtatur, vaſa chylifera, & glandulæ Meſenterii, ac lumborum obſtructæ, aliove ſimili modo reliquæ partes corporis affectæ ſunt, maximo ægrorum nocumento; etenim à lactis uſu ſordeſcit magis ulcus, pulmo laxatur, alvi ſolutio ſuboritur, vel vomitus, febris augetur, venter inflatur, & alia incommoda graviſſima ſequuntur, quæ longè majora erunt, ſi aliquid eorum accedat, quæ memorantur ab Hippocrate 5. *Aph. 64.* Hinc pau-

pauciſſimos invenies, quibus illius uſus fuerit ſalutaris. Porrò qui opem aliquam exinde experti ſunt, Phthiſici è pulmonis vitio non fuerunt, ſed ſimplici atrophia correpti.

Majus tutiuſque ab aere juvamen planè ſperandum, ſi is purus, ſerenus, ac mitis ſit, ex quo ulcus Pulmonis detergi, & ſanies ſenſim reſiccari poſſit. Undè Galenus Phthiſicos ſuo tempore Tabias mittebat: ſiquidem pervadens Pulmonis meatus aër, ac ejuſdem veſiculas pertingens efficaciſſimam opem præſtat, quam aliunde ſperare non eſt. Num verò tenuem eligere deceat, an paulò craſſiorem, montanum, aut campeſtrem deducit ſcitè Williſius hoc loco ex varia pulmonum, ſanguinis, & corporis patientis conſtitutione, ut propterea aliquibus tenuior, aliis craſſior profuturus ſit. Fugiendus tamen omninò humidus, auſtrinus, paluſtris, & minime perflatus, utpotè qui fluxiones adauget, pulmones opplet, & conſpurcat, ſaniemque cumulat. Quamobrem non video cur tantoperè commendetur noſter aër maritimus ad Margellinæ oram, à Noſtratibus, ventis auſtralibus perpetuò expoſitus, ideoque promovendis fluxionibus aptiſſimus.

Simul cum aëris mutatione haud inutile erit aliqua in curationem Phthiſeos tentare, ne ſaltem omniſpe ſe deſtitutos tabidi exiſtiment, deſperatiſque rebus errorem in victu committant. Quare vulnerarias potiones perquàm commodum erit exhibere cum ſulphureis medicamentis pectori amicis, potiſſimùm verò balſamo ſulphuris aniſato, cui vis præcipua ineſt ejuſcemodi ulcera abſtergendi, & à ſanie mundandi. Elixir proprietatis Helmontii etiam optimum erit. Efficaces quoque aliquando expertus ſum trochiſcos à P. Barbette deſcriptos in ſua praxi, addendo ad parem doſim oculorum Cancrorum, ſtibium diaphoreticum. Bezoarticum Animale Hartmanni ex carne viperarum elicitum etiam prodeſt: & aqua ſtillatitia hederæ terreſtris ex Paracelſo.

Intereà vitentur acida, glutinantia, cruda, humida, frigida, quamvis Tabes hæc omnia videatur expoſtulare: niſi enim ulcus abſtergatur, & pus omninò repurgetur, tantùm aberit ut nutriant, ut potiùs inquinent, ſaniem cumulent, & pulmonem relaxent, aut oppleant; cùm tamen præcipuum in Phthiſi curanda ſit ulcus Pulmonis detergere, ac emundare, & pus, ac quicquid Thoracis cavum aut ſpiritales partes occupat, educere, & expectorare: quibus neglectis cætera fruſtrà tentabuntur; at verò à pure deterſo ulcere, ſponte naturæ reliquum complanabitur, & carnes abſumptæ reſtituentur.

Alia Phthiſis ſpecies ab aliis cauſis ſuperiùs memoratis exortæ per ea, quæ prædictas cauſas removent, aut corrigunt, ex alibi dicendis curabuntur. *Lucas Jozzi Medicin. Practic. lib.1.*

Periculoſus morbus eſt phthiſis, quia pulmones propter continuam reſpirationem nunquam quieſcunt, cùm tamen ad conſolidationem ulceris, quies maximè ſit neceſſaria, morbus inſuper valde ſuſpectus eſſe ſolet, propterea quòd medicamina antequam ad locum affectum penetrare valent, multùm alterentur, & vix integris viribus ad interiora contingant.

In principio itaque exactiſſimè habeatur ratio patientis, ut ſales acres & corroſivi, pulmones ſuis angulis acutis infeſtantes, corrigantur & obtundantur & per ſudores & catharſin educantur, ſanguiſque in ſua juſta mixtura & ordine retineatur, quod præſtabunt ſudorifera mineralia & metallica cum blandis anodinis mixta.

Ad hoc uſum præſtabunt decocta ex lignis ſudoriferis, & conſolidantibus conflata, ut

℞. Raſ. ligni guajaci, ℥iß. ſaſſafras, ℥i. Rad. ſalſæ parill. ℥ii. conſolidæ maj. ℥i. biſtortæ, ℥ß. glycyrrhyz. raſæ. ʒvi. Herb. ſaniculæ, pyrolæ. tuſſilaginis, hyperici an. m. i. Paſſul. cum toto ʒii. Sem. quatuor frig. major. an. ʒi. Coq. in ſ. q. aq. hord. ſ. a. col. adde Mell. optimi, ℥iß. Syr. de roſ. ſicc. de ſymphyto, an. ℥i. M. F. decoctum conſolidans. *Linctus.*

℞. Syr. de ſymphyto, ℥iß. tuſſilagin ℥i. papaver. ℥ß. M. F. linctus. Balſama & tincturæ ſulphuris tam ſimplicia, quam compoſita ex ſulphure fermentato cum ſale tartari, ſummis laudibus efferunt chymici. Ut & balſamum ſulphuris antimonii præparatum cum ſale mirabili Glauberi. Pro ſpecifico habetur tinctura mumialis ex carne humanâ methodô noſtrô præparata. In illis, quibus febris ferocior eſt, convenit. Spiritus ſalis dulcis, & Aliis elixir paracelſ. præparat. abſque acido. Conveniunt criſtalli ſaturni cum nitro. Uti & lac capellum recens mulctum cum nuce moſchata. *Anonymus in Praxi Chymiatrica.*

De Phthiſi ex ulcere pulmonum. Pro Perilluſtri D. Joh. Baptiſta Pereghi Mediolanenſi. Ad Præclariſſimum Virum Galeſium Medicum.

Nobilis patiens, Juvenis temperamenti calidi & ſicci, ab aliquot annis deſtillationibus obnoxius, præteritis menſibus conqueri cœpit de tuſſi pertinaci, deſtillatione ſalſa, ſputo cruento ſæpius ſe prodente, lentâ febricula, & macie corporis. Quæ quidem ſymptomata licèt ſeorſum conſiderata varios affectus producere valeant, complicata tamen in uno eodemque ſubiecto, eodemque tempore infeſtantia, ſuſpicionem quàm maximam injiciunt, patientem ipſum, vel phtiſicum eſſe, vel ſaltem ad phthiſim vergere. Cum præſertim præſens affectus tot, tamque variis medicamentis hactenus rectè à Viris in arte verſatiſſimis præſcriptis non ceſſerit.

Ut propterea nonniſi malè ominari poſſimus de patiente noſtro, cùm habeamus ex Hipp. 5. Aph. 29. Juvenibus ſanguinis expuitiones, Tabes, & Febres acutas familiares, cumque idem Hipp. ſcriptis mandaverit, quod, A ſanguinis ſputo fit puris ſputum, tabes, & interitus. Non ob id tamen ſolo prognoſtico relinquendus eſt, cùm nondum appareat in ſputis pus, quod ulcus jam factum, & putrilaginoſum prodat.

Agendum igitur, & præmiſſa univerſali corporis expiatione, caput peculiariter expurgandum eſt, à quo deſtillat catarrhus ad fauces, & thoracem. Quod fiet per nares, ne materia ad os attracta facilius ad pulmones deſcendat; divertendaque fluxio; materia fluxa expectoranda; caput exſiccandum: pulmones item, & ſubaſtringentibus roborandi, febrique & maciei refrigerantibus, & renutrientibus proſpiciendum. Hæc præſtabuntur remediis Chirurgicis,

cis, Pharmaceuticis, & Diæteticis univerſalibus, & particularibus.

Inter Chirurgica, tria in caſu præſenti erunt accommodatiſſima præſidia. Sanguinis ſcil. miſſio, non obſtante macie corporis, quæ nullam adeſſe plethoram palam facit. Adeſt enim ejuſdem ſanguinis vitium in qualitate, & motu: ſi quidem ſanguis in catarrho ſalſo non poteſt non habere aliquam ſalſedinem: peccatque motu, dum tuſſi rejicitur: ſanguinem enim ſupernè quidem efferri, qualiſcunque ſit, malum. Quibus verbis intellexit Hipp. ejus expuitionem. Ipſius enim excretio per nares, licèt fiat per partes ſupernas, non ſemper eſt mala: Menſtruis enim deficientibus, ſanguis ex naribus profluens, bonum, ex Hipp. teſtim. 5. Aph. 33. Educatur autem ex jecoraria dextri brachii, pauca copia. Quod ſi ſupervenerit ſputum cruentum, mittatur & ex ſiniſtra manu; ac tandem exigente uſu, aperiantur venæ ſedales. Secundum remedium erit fonticulus ſiniſtro brachio inuſtus; pro derivatione à capite. Quod ſi à jecoris fervore tranſmittantur ad caput ſeroſitates bilioſæ, vel vapores calidi, inuratur alter dextrò interno femori; ac tandem perſeverante deſtillatione ſalſa, apponatur ſuturæ coronali aut thapſia, & fimus columbinus à Gal. præſcriptus Nobili Romanæ ſalſa deſtillatione laborante: vel inuratur fonticulus propè ſuturam coronalem ferro candenti, & incidente, ut primam laminam pervadat: ipſa namque deſquamata, fovebitur fonticulus impoſito globulo cereo: alioquin ulcus obducetur. Et hæc de Chirurgicis.

Pharmaceutica Univerſalia lenientia, præparantia, & expurgantia Viris præclariſſimis, perquam notiſſima, lubens & volens miſſa faciam. Caput interim blandis, errhinis expurgabitur; puta aquâ hordei in qua diſſoluta ſit manna electa, ſucco item malvæ, vel betæ attracto, fruſtuloque corticum aurantiorum detento intra nares illitas frequentèr oleo amygd. dulcium. Pectus quoque mundandum eclegmate parato ex ſyrup. violato, de liquiritia, de jujubis, cum penidiis, ad conſiſtentiam. Quod ſi catarrhus fuerit tenuis, addatur ſyrup. de papavere, cum diacodio. Facta Univerſali, & particulari corporis totius, & partium affectarum purgatione, tria agenda veniunt. Præſcribendum primò decoctum ex radice chinæ, ſantalis, & viſco quercino, in jure pulli; additis limacibus, & teſtudine nemorali, ad majorem juris lentorem: cujus ſingulis matutinis horis exhibeantur unc. VI. cum decoctione farfaræ, pulmonariæ, & plantaginis, 20. dies circiter. Secundò ex uſu erit horis veſpertinis unc. I. ſacchari roſati antiqui, cum drachm. ſem. terræ ſigillatæ, vel lapidis hæmatitis, horâ ante cœnam, ſeptem horis à prandio; pergendo in uſu ipſius menſem, & plus eo. Ac tertiò ſumat lac aſininum nuper emulſum, ad unc. IV. V. & ſex, pro ventriculi tollerantia; cum ſaccharo, & bucella panis, quinque horis ante prandium, præmiſſa cœna parca, quò ventriculus ſit vacuus. Et hæc potiora in caſu præſenti duxi præſcribenda, cum recta victus ratione prædictis proportione reſpondente. Faxit Deus, ut cedant in juvamentum Nob. patientis: *Benedictus Silvaticus Conſil. & Reſp. Medic. Cent. 2.*

De eodem Affectu. Reſponſum.

Nunc ſententiam rogatus de affectu Perilluſtris D. Joh. Baptiſtæ Pereghi Nob. Mediolanenſis, de quo conſului anno 1652. menſe Januario, ex relatis à Perilluſtri, & Excellent. Dom. Galeſio Medico Mediolanenſi, primam opinionem mutare quidem par eſſet, tanquam erroris plenam, ob ea quæ in præſentia relata video. Scripſi namque me exiſtimare Nob. patientem vel Phthiſi laborare, vel ſaltem ad eam proclivem eſſe. Deſtillatio namque ſalſa, ſputum cruentum ſæpius apparens, tuſſis perennis, & lenta febricula, cum macie corporis tunc id ſuadebant, quod ſaltem alicui forſan videbitur, cùm patiens poſt ſexdecim menſes nunc robuſtior factus ſit, magiſque carnoſus, qui aliàs hoc temporis ſpatio, vel obiiſſe, vel ſaltem omninò extenuatus, & maraſmo conſumptus debuerit eſſe. Propterea Viri Clariſſimi exiſtimantes ſolam deſtillationem tenuem ad hanc uſque diem patientem Nobiliſſimum jugiter infeſtare, hincque ſalſedinem, & tuſſim perennem provenire, in eam devenerunt ſententiam, quòd ſolo refrigerantium & humectantium uſu, priſtinam ſanitatem eſſet recuperaturus. Ego verò ut liberè dicam quod cenſeo, crediderim catarrhum hunc non eſſe primarium, & principalem affectum Nobiliſſ. patientis. Primò quoniam referunt, nunc excretum eſſe viſcidum, & lentum, non tenuem, & aquoſum, idque confirmant ex iis quæ excernuntur. Secundò, quoniam catarrhus tenuis, & aquoſus præceps ruens ad thoracem, orthopnœam aliquando induceret. Tertiò quia aliquâ copia excerneretur continuò, quod non apparet. Quartò quia aliàs excreta erant diverſi coloris, diverſæque ſubſtantiæ, cum febre comite: ac tandem, quoniam reſpiratio non eſſet difficilis in inſpiratione valida, neque decubitus moleſtior eſſet in unum, quàm in aliud latus. Quas ob cauſas conſtans eſt, prima mea ſententia, quòd pulmo dexter ſit potiſſimùm & eſſentialiter affectus, atque exulcerationem paſſus fuerit; ita tamen, ut poſtea vel medicamentorum ope, & præſertim longo lactis uſu callum contraxerit, ut non rarò fieri ſolet, & à Galeno confirmatum fuit: vel quod veriſimilius, quòd pars pulmonis exulcerata coaluit ita cum membrana pleura, ut adglutinati fuerint pulmones ipſiſmet coſtis; prout aliàs obſervatum ab Autoribus, & ipſe occulata fide in aliis teſtari poſſum, cadaveribus diſſectis; hoc enim in caſu ſanies non apparet, ceſſat febris, inſtauratur caro, vires convaleſcunt, durat tamen tuſſis, adeſt aliqua ſpirandi difficultas, eaque major, quando uſus augetur, vel ab exercitio vehementi; aut validâ inſpiratione: imò tunc intercipitur etiam motus tuſſi excitatus, veluti ſi ſingultus ſuperveniret. Neque abſurdum, quod à ſola motus pulmonum inæqualitate, & difficultate, tuſſis excitetur, cùm pateat hoc fieri à ſola aëris frigidi attractione. Hæc itaque eſt mea ſententia in caſu præſenti, quam prudentiori judicio committo.

Quæ ſi vera ſint, neceſſario ſtatuendum eſt, affectum præſentem incurabilem eſſe: non tamen in deterius lapſurum patientem ipſum, dummodo ſanguis, qui nunc quoque per vices extun-

tunditur propter ipſius collectionem circa partem affectam, & ejuſdem incaleſcentiam ex tuſſi ferè continua, non ibidem hæreat, & putreſcendo novum ulcus excitet: vel niſi ex concitatiore motu à tuſſi denuò ſolvatur coaleſcentia, quod Deus avertat; licèt hoc fortaſſis non fuerit metuendum, ſi cum congrua victus ratione bis in anno levem corporis expurgationem, ſanguiniſque eductionem ex venis ſedalibus admiſerit: ipſarum enim reſeratio ſponte facta, omnibus thoracis affectibus eſt quammaximè utilis. *Idem ibidem.*

De Phthiſi, & Febre putrida Eſſentiali. Pro D. Stephano Giganti Nob. Raguſeo.

Quemadmodum ex acrimonia caloris, pulſuſque frequentia, & celeritate, conſtat Nob. hunc adoleſcentem febre detineri, ita ex annexis ſymptomatibus non eſt difficile colligere, febrem hanc eſſe compoſitam ex hectica, & putrida. Quod ut pateat clarius, de utraque brevibus nunc agemus, ab Hectica initium facientes, ad Putridam deinde progreſſuri. Hectica autem febri, ſeu habituali laborare Nobilem adoleſcentem, patet primò ex diſpoſitione corporis, & erraticis febribus præteritis, non raro in hecticas deſinentibus in adoleſcentia. Secundò ex caloris acrimonia, ſe prodente magis ex contrectatione diuturniori. Tertiò ex pulſus duritie, abſque ulla in præſentia inflammationis ſuſpicione. Quartò ex incaleſcentia à cibo, cum majori pulſus frequentia ab ipſo patiente non obſervata, & rubore genæ ſiniſtræ. Quintò ex corporis macie, qua conſtat febrem hanc vel eſſe in fine primi gradus hecticæ, vel in prima manſione ſecundi, in quo fit conſumptio humiditatis roridæ. Propterea ſtatuendum eſt, febrem hanc eſſe intemperiem calidam ſolidorum cordis, & totius, eamque independentem, & in facto eſſe, cum intemperie ſicca nondum morboſa. Siccitas namque morboſa eſt in ſola febre maraſmode, in qua lædit & ipſa operationes.

Verumenimvero cùm febrium hecticarum aliæ ſint primariæ, nulli alteri morbo coniunctæ; aliæ ſecundariæ, ab alio morbo dependentes: febris hæc ſucundaria dici poteſt. Dependet enim ab ulcere pulmonis, ac proinde ab alio morbo in ſoluta continuitate. Quod etenim adſit ulcus in pulmonibus, ex præteritis, & præſentibus patet. Præceſſit enim primò capitis gravitas, cum dolore acutiſſimo quatuordecim abhinc menſibus moleſta, oris amaritudine, & ſalledine, (ut refert) non aliunde proveniens; quàm à catarrho in capite exuberante, cùm in ipſo humidiſſimo genito, ut ex ſomni profunditate, capillorum copia, craſſitie, mollitie, & unctuoſitate conſtat, accedente aëre externo frigido, & nocturno, cui ſe ſæpius expoluit: tum per receptionem vaporum à ventriculo cruditatibus redundante, & à jecore valde calido, in ipſo denſatorum, & in pituitoſam materiam converſorum. Atque hinc accidit, quod catarrhus calidus, & ſalſus in capite detentus dolorem excitarit, & in pulmones decumbens, tuſſim primò, deinde & ſputum cruentum, per diæreſim ſeu eroſionem produxerit. A ſputo deinde cruento factum fuit purulentum, & à puris ſputo, tabes, cum Hippocr. Septimo Aphoriſm. ad quam propenſionem habuit, ob longam cum fratre conſuetudinem phthiſi mortuo. Quod ſi quærat quis, quæ pulmonum pars ſit exulcerata. Reſpondemus, ſiniſtram eſſe affectam, cùm ob ruborem genæ ſiniſtræ, tum ex facili decubitu in latus ſiniſtrum. Facilior enim ſolet eſſe decubitus in partem affectam; quoniam quando hæc pendet, major excitatur tuſſis, quàm dum quieſcit. Hecticæ juncta eſt putrida, quæ exerit ſe per pulſuum inæqualitatem, urinarum mutationem, & annotationes manifeſtas circa veſpertinas horas. Ex quibus patet putridam hanc non dependere à vaporibus putridis, à parte exulcerata cor ſubeuntibus: quorum ratione dixit Galenus in lib. de Differ. Febrium, omnes febres eſſe putridas; præter ephemeras, ſed potius à fuliginibus putridis ex bile prædominante, cum pituitæ ſubdominio, putreſcentibus in venis viſcerum naturalium, & præſertim jecoris, in quo tactui obſtructiones occurrunt: ac proinde duplicem tertianam continuam conſtituendam eſſe, eamque dependentem à prædictis fuliginoſis vaporibus, tanquam cauſa continente, quâ poſitâ ponitur, & qua ceſſante, ceſſat febris putrida. Ideoque dicitur intemperies calida, partim in fieri, & partim in facto eſſe. Et hæc de eſſentia, & cauſis prædictorum affectuum ſatis.

Prognoſticum quod attinet: cuilibet etiam leviter in arte verſato patere poteſt, ulcus pulmonum curationem non admittere, cùm ratione loci in alto poſiti, ad quem difficulter perveniunt medicamenta; tum & magis ob continuum motum pulmonum, non ſolum ratione reſpirationis, ſed etiam ratione expulſionis materiæ per tuſſim, atque potiori ratione, ob continuam fluxionem materiæ, & indicationes contrarias à putrida deſumptas, illis, quæ deſumuntur ab ulcere, exſiccantia poſtulante; quæ à putrida, & macie prohibentur. Verum quia accidit aliquando, ut ulcus obducatur callo, atque ita diutius vita trahatur, ſolo prognoſtico relinquendus non eſt Nobilis patiens.

Quare utendum eſt refrigerantibus, & humectantibus, ratione febris; detergentibus, exſiccantibus, & conſolidantibus, ratione ulceris; divertentibus, ratione fluxionis; caput exſiccantibus, ratione intemperiei; attenuantibus, propter obſtructiones; totumque corpus, & caput expiantibus: virium interim habita ratione cibis nutrientibus, & facilis coctionis.

Quare ſi de Chirurgicis remediis ſermo fiat, ſanguis moderata quantitate educendus erit, ratione febris putridæ, & præſervationis à ſputo cruento, ex jecoraria dextri brachii. Fonticuli ſunt inurendi ſiniſtro brachio, & dextro interno femori; nec omittendum eſt ſetaceum in occipite. Si perduraverit fluxio, ceratum rubificans apponendum ſuturæ coronali, Galeni exemplo in nobili Romana catarrho ſalſo laborante. Frictiones blandæ cum oleo amygd. dulcium, extracto ſine igne, toti corpori fiant horis matutinis, Et hæc de Chirurgicis.

Pharmaceutica ſint lenientia, præparantia; & quidem blanda ſæpius propoſita. Purgetur deinde caput per nares ſucco maluæ, manna ſoluta in aqua violarum; diagrydio item ſoluto

in

in lacte. Expectoretur materia in thorace contenta lambitivo parato ex ſyr. de farfara, de liquiritia, looch de pino, de pulmone vulpis, & ſyr. violato. Ac deinde præſcribatur vel decoctum ex radice chinæ, cum carne teſtudinum nemoralium, & caudis cancrorum fluviatilium; vel paretur Aqua ſtillatitia prædictis intentionibus ſatisfaciens, hunc in modum præſcribenda:

♃. Carnis porcelli lib. iv. carnis teſtudinum nemoralium unc. iv. ſalſæ inciſæ unc. vi. radicis chinæ unc. iii. hordei cortice liberati unc. iv. radicum fœniculi, aſparagi an. unc. i. nucleorum pineorum, piſtaciorum mundatorum contuſorum an. unc. iii. Aquæ communis libras 30. Bulliant omnia lento igne ad conſumptionem tertiæ, addendo in fine pulmonariæ, enulæ campanæ, farfaræ an. M. i. ſ. cichorii, intybi, agrimoniæ, an. M. unum. Facta levi ebullitione, deſtillentur omnia alembico vitreo in balneo Mariæ, & ſervetur decoctum; ſinguliſque matutinis horis ejus dentur unc. v. præmiſſa unc. ſem. conſervæ malvæ, cum portiuncula ſeminum bombacis, & radicibus iridis: pergatque in uſu ipſius 20. dies, & utatur hora ante cœnam unc. i. ſacchari roſ. antiqui, cum drachm. i. terræ ſigillatæ: & quando ad ſomnum ſe componet, detineat in ore rotulam diacodii, concinnatam cum flore ſulphuris; ac interim inungatur regio jecoris oleo amygd. dulcium, amararum, & de abſinthio, cum ſucco agrimoniæ, & vino albo tenuis ſubſtantiæ, addita cera, pro linimento. A quibus, jam ſublatis obſtructionibus, præſcribatur lac aſininum nuper ex ubere emulſum cum mica panis, & modico ſacchari ad unc. iv. ſingulis matutinis horis in diluculo, hac lege, ut cœna ſit parca, & perſiſtat in uſu ipſius 30. & plures dies, dummodo non corrumpatur. Conveniret quinetiam balneum aquæ dulcis, ratione febris, & maciei, niſi deſtillatio negotium faceſſeret, cujus loco fiant inunctiones propoſitæ.

Victus ſit refrigerans, & humectans, utendo familiariter ptiſana hordeacea. *Idem ibidem.*

De Phthiſi, & Reſpirandi difficultate. Pro Nobiliſſimo Juvene.

Duo ſunt præcipui affectus Perilluſtris Pacientis, tuſſis ſcilicet, & ſpirandi difficultas à multo tempore ipſum infeſtantes; qui quidem ſuborti ſunt poſt incompoſitiſſimam vivendi rationem, cui ſucceſſit ſputum ſanguinis in feriis eſurialibus anno 1634. floridi, & magna copia, bis quidem tunc temporis, ac tertiò, ſed longè minori quantitate, ſub finem Quadrageſimæ, à quo tempore ad annum uſque 42. variæ febres ſupervenerunt, fluxiones ad articulos; ac tandem ante aliquot menſes, tuſſis valde moleſta, cum reſpirandi difficultate, & febre quadam circa veſpertinas horas obſcuras annotationes haben te, à qua nunquam eſt prorſus immunis: ut propterea ſuſpicio ſit partem nunc eſſentialiter affectam eſſe pulmones, cùm quia redundat materia pituitoſa, quæ ad ipſos confluxit partim à capite, partim à ventriculo, in quo multæ congeruntur cruditates propter errores graviſſimos in omnibus ſex rebus nonnaturalibus, atque intemperiem frigidiorem, contractam ex continuo potu aquæ frigidæ multâ copiâ, & multorum dierum ſpatio; tum & magis, quia ſanguinis ſputo facilè ſucceſſit ſolutio in ipſis, & præſertim in ſiniſtro, in quod latus vix decumbere poteſt, ſine ſpirandi difficultatate & tuſſi: hinc febris lenta, cum manifeſta incaleſcentia à cibo, & aliqua macies corporis ſubſecuta eſt.

Ut propterea cùm affectus hic altas egerit radices ſumma cum difficultate removeri poſſit, eoque difficilius, quò vires ſunt longè magis labefactatæ, ex diuturno uſu vomitoriorum, & aliorum generoſorum medicamentorum.

Non ob id tamen deſiſtendum eſt ab aliquibus medicis præſidiis, quæ poſſint exſiccare catarrhum, cùm in capite, tum in pulmonibus infarctum; exſiccare ulcus, ſi quod adeſt; divertere fluxionem; refrigerare, humectare, & renutrire, ratione febris, & maciei: ac tandem viſcera omnia roborare.

Lenita itaque alvo unc. iii. ſyr. roſ. ſol. unc. ii. mannæ electæ, & decoctione pectorali, ſanguis detrahatur ad unc. iii. ex venis ſedalibus. Quod ſi ſuperveniret ſputum cruentum, conſultum erit ſanguinis miſſionem repetere ad unc. iii. ex utraque manu, primò ex ſalvatella dextra, mox ſequenti die ex ſalvatella ſiniſtra. Neque inconſultum erit, fonticulis brachio, & fœmori inuſtis addere ſetaceum in occipite. Extremis enim morbis extrema conveniunt remedia. Præparentur humores ſyr. de farfara, de liquiritia, de betonica, & acetoſo ſimplici, cum decoctione betonicæ, farfaræ, pulmonariæ, cichorii, & ſeminum citri. Purgentur deinde agarico trochiſcato, cum ſyr. violato ſolutivo, & manna electa. Mox præſcribantur ſyr. aſtrictoria, & exſiccante facultate præditi. In quem uſum conferent ſyrup. de roſis ſiccis, myrtinus, & capillorum veneris, cum decoctione plantaginis, conſolidæ, pulmonariæ, botrydis, & betonicæ, præmiſſa uncia una ſemis ſacchari roſ. antiqui, cum drachm. ſemis terræ ſigillatæ. Interim purgetur caput errhinis, attracto ſucco malvæ, cum manna in eo ſoluta, vel à radice cyclaminis, in formam turundæ, intra nares detenta. Purgetur thorax lambitivo, parato ex ſyr. de liquiritia, de pulmonaria, de capillo Veneris, de Ibiſco, cum modico looch de pino, & de pulmone vulpis, aliquâ conſiſtentiâ conciliatâ cum ſaccharo violato cand. vel diacodio. Horis nocturnis detinebit in ore rotulam ex diacodio cum modico flore ſulphuris. Hiſque peractis, præſcribendum erit decoctum ex radice chinæ, ſantalis citrinis, viſco quercino, & ſalſa parilla, infuſis in aqua pulmonariæ, & farfaræ, decoctiſque cum limacibus, vel caudis cancrorum: vel etiam carne teſtudinum nemoralium: factaque decoctione, ac levi contuſione cochlearum fiat colatura, & ſervetur ad uſum, horiſque veſpertinis unc. vi. prædicti decocti infundantur conſolida, pulmonaria, rubia tinctorum, & cauda equina per noctem ſuper cineres calidos, manè verò ſumatur cum drach. i. lapidis hæmatitis, à quo dormiat horam, & diutius: & quinque horis poſt cibum ſumet. Horis deinde pomeridianis, novem horis à prandio, ſumet unc. ſem. ſacchari roſ. antiqui, tantundem conſervæ ex radice conſolidæ cum drach. ſem. terræ ſigillatæ, cui ſuperbibat infraſcriptam potionem.

♃. Pimpinellæ, utriuſque conſolidæ, verbenæ, vincæ

vincæ pervincæ, herniariæ, rubiæ tinctorum, veronicæ an. man. unum. Radicum ſymphiti, ariſtolochiæ, ſantalorum citrinorum an. unc. ſemis, aquæ fabrorum lib. 8. infundantur omnia per noctem, & bulliant lento igne ad tertiæ partis conſumptionem cum continua deſpumatione, & facta colatura ſervetur, ac ſingulis horis veſpertinis conſervæ prædictæ ſuperbibat unc. ſem. hujus decoctionis, pergendo in uſu ipſius menſem circiter. Quatuor verò horis à prædicta potione, cœna utatur parca, ptiſana ſcil. ex hordeo ſic parato. Sumatur libra una farinæ hordei, libra ſemis ſacchari depurati, unciæ tres radicis chinæ pulverizatæ, & imponantur omnia in olla teſtacea vitro obducta, tecta, & lutata: decoquantur in furno, poſt extractum panem duas horas circiter, per duos dies. Ita namque liquefacto ſaccharo, fiet maſſa ſolida, cujus cribro tranſmittantur quatuor unciæ, cum jure carnis decoquantur, & fiat hordeatum, cui permiſceri poterit drach. 1. pulveris viperini. Huic ferculo addatur morſellus, paratus ex pulpa caponis, piſtaciis, & nucleis pineis contuſis, cum ſaccharo, in clibano coctis. Tandemque poſt uſum decocti ſupraſcripti, lacte aſinino uti poterit horis matutinis, cum modico ſaccharo, & buccella panis, ad unc. iv. ſingulis diebus, in aurora, atque ad majorem pulmonum corroborationem, & catarrhi exſiccationem, utile futurum cenſeo, ſi accendatur ignis in cubiculo ex virgultis ſiccis juniperi, atque alteretur aër ſulphure accenſo, Tabiarum loco, à Galeno commendatarum: & quandoque etiam ducet ore fumum tabaci. Pulveres quinetiam exſiccantes parati ex oſtreis uſtis, pumice oſſibus ſepiarum, roſis ſiccis, cornu cervino uſto, & modico agarici, conſuentur in cucupha pro capite. Quod ſi interim corpus magis extenuetur, illinatur oleo Amygdal. dulcium & violato.

A cœna pomum appium, cum ſaccharo, & grano olibani coctum, eo excavato ex uſu erit: ut & in cibis aliquando mel Hiſpanum. Vinumque ſit ſubdulce: & cætera prædictis reſpondeant. *Idem ibidem.*

Phthiſis Incipiens.

Venerabilis Religioſus annum agens trigeſimum ſecundum, temperamenti totius ſanguinei biliosi, mediocris habitus, hepatis calidi & humidi capitis, ſævis deſtillationibus olim in dentes obnoxius, qui quinto jam anno elapſo pedum intumeſcentiam pati ſolebat, cum affectu pruriginoſo cui ulcuſcula quandoque ſuccedebant. Anno elapſo, circa Autumnale Æquinoctium, rheumaticam moleſtam affectionem in pulmones pati cœpit, cum tuſſi & pituitoſæ materiæ ſubſalſæ, modo albicantis, modo flaveſcentis excretione: cui (quod pejus eſt) frequenter immiſcebantur ſanguinis guttulæ cruentam per tuſſim excretionem reddentes; quæ Hyeme intenſior atque moleſtior facta fuit, mitior autem Vere & Æſtate ineunte, dum interim frequentes febriles invaſiones inordinate acceſſerunt, ſæpe cum vomitu vel dejectione bilioſæ potius, quam pituitoſæ materiæ; quarum calor duabus vel tribus horis ab aſſumpta cœna magis ſuccendi fuit obſervatus. Perſeverat modo tuſſis cum ſputis craſſioribus atque coloratioribus, necnon cum aliqua totius corporis macie. Varia & multa in auxilium hucuſque adminiſtrata fuere remedia; nempe repetitæ ſanguinis miſſiones, Epicraticæ per alvum evacuationes, refrigerantia, incraſſantia & expectorantia medicamenta. Sed quoniam præſenti hac Æſtate recruduit affectio, multa alia à Viris Excellentiſſimis Bononienſibus agenda proponuntur: nimirum præmiſſa univerſali Expurgatione, Terebintinum cum caſſia & butyro ſulphuris in uſum ducendum; vel Decoctum Chinæ in jure paratum, addito balſamo ſulphuris, imo & viperino pulvere: cui ſuccedat ſudor in Semicupio mox in lecto promovendus. Sed interim duo Cauteria, ſiniſtro brachio & coxæ dexteræ inurenda. A Medicis vero Romanis proponitur uſus aquæ Noceriānæ, primis diebus cum vehiculo dejectorio, reliquis vero cum diuretico; cujus abſoluto uſu, lac multo tempore aſſumendum unà cum Balneo aquæ dulcis, infra tamen ſeptum tantum; quibus non ſufficientibus, ad catarrhalis materiæ exiccationem, Decoctum chinæ & aliis capitalibus alteratum, in jure paratum cum pulvere viperino præbendum proponunt, quibus addunt, Cauterium omnino Coxæ figendum eſſe. Circa quæ omnia agenda judicium quoque Patavinum Patiens Nob. expoſtulat.

Summa cum ratione dicebat Celſus, Rheuma in nares eſſe leve malum, pejus autem in fauces, ſicut in pulmones peſſimum, ut quod ſi ſalſum & acre, ulcus mediante diæreſi & ſanguinis ſputo excitare valeat, ſi vero non ſalſum, ſed copioſum, diuturno tempore laxitatem, flacciditatem, atq; tandem fraciditatem pulmonibus ipſis inducere poſſit, ſicque vel primam, vel ſecundam Hipp. Phthiſin producere, ut de priori in Eximio Pat. eſt valde dubitandum: quamvis enim ſanguinis primas guttulas à capite ad laryngem & pulmones deſcendiſſe creditum fuerit, ſæpe tamen obſervatus fuit in praxi à pulmonum vaſis excretus, præſertim dum non in vaſis ſolum, ſed in ſanguine quoque vitium reperitur, ut in caſu noſtro: à jecoris namque fervore multo jam tempore ſanguis bilioſus & acris naturæque moleſtus genitus fuit, qui ab eadem natura irritata ad extremas infernas partes deponebatur, affectum pruriginoſum, & inde mediante aliquo ſcalptu, ulcuſcula quoque inducens, qui tandem infernas partes relinquens, & ad ſuperiores impetum faciens, credibile eſt quod à Carotidibus exiens, à venis jugularibus, ut naturæ moleſtus, non fuerit reaſſumptus, & ita per ſpatia tandem ad laryngem & pulmones fuerit tranſmiſſus. Sed temporis progreſſu cur idem vitioſus ſanguis per venam cavam ad cor & pulmones delatus, per venam arterioſam pulmones ingreſſus, antequam per arteriam venoſam reflueret, & per carotidas ad caput aſcenderet, cur, inquam, nutriendis pulmonibus ineptus & ipſi naturæ moleſtus, vaſa pulmonis aut aperire, aut erodere non potuit? præſertim cooperante perenni & diuturna deſtillatione, vel acida, vel acri, vel ſalſa extrinſecus vaſa erodente, ut propterea multi Medicorum, poſtquam propriis ſignis ſanguinem à capite in pulmones deſcendiſſe cognoverint, progreſſum mox negligentes decipiantur, non medulitus

Hippocr. Oraculum penetrantes, aſſerentis, quod ſanguis quidem ſupra, qualiſcunque fuerit, ſe ſuper ſit malus: quaſi dixerit, ſi modo non eſt malus, futurus eſſe poteſt. Dubitandi quoque occaſionem adaugent febriculæ ſubſecutæ, quamvis a vomitibus & excretionibus confuſæ & obſcuratæ, timorem tamen inducentes, calore duabus vel tribus horis ab aſſumpto cibo augeſcente.

Utcunque autem ſe res habeat, pro certo quoque habendum; ſanguinem totum qualitate & motu peccare, & vaſa pulmonis laxitate non ſolum, ſed ut ego vereor, diæreſi quoque laborare: in dubio namque tanti momenti tutiorem partem eligendam eſſe cenſeo, præſertim cum majus malum curando, minori nil noceamus; & interim Phthiſi imminenti occurremus, quam præ foribus eſſe minantur, præter febriculas, ſputa quoque craſſiora & coloratiora: eoque magis, cum ætas non excedat trigeſimum quintum annum.

Quare Medicæ intentiones erunt, maſſam ſanguineam ab ichoribus ſalſis atque bilioſis vindicare. Vaſa pulmonis, non ſolum Aſtringentibus, ſed Agglutinantibus unire ac roborare. Catarrhalem deſtillationem à pulmonibus divertere, & jam fluxam caute expectorare. Totam maſſam ſanguineam edulcorare: & jecoris fervorem contemperare.

Quibus intentionibus magna ex parte ſatisfactum fuit. Reſtat igitur ut addenda conſideremus: & quidem renuenti Patienti neceſſaria Cauteria aſſentiri non debemus: Coxæ enim affixum bilioſas & acres ſeroſitates ſanguinem inficientes educere poterit: ſiniſtro vero brachio inuſtum catarrhalem deſtillationem à pulmonibus divertere valebit; & ideo in hoc ancipiti vitæ ſtatu propria prudentia uti tenetur R.P. quo elapſo, aut alterum, aut ambo quoque claudi & aboleri poterunt. Apertio quoque venarum ſedalium à Viris Excellentiſſimis conſideranda erit: ſicut pedum lotiones ante cibum frequenter exercendæ. Sed interim In uſu aquæ Nocerianæ omnino inſiſtendum eſſe exiſtimo: & poſtea uſui lactis primis diebus aſinini, ſequentibus vero etiam caprini, ſi macies urgeat, ſubſcribo, decimo quoque die aliquod leniens medicamentum exhibendo. De Balneo ſive Semicupio valde ambigo, cum licet tepidum vix ſine ſudore & ſanguinis attenuatione fieri poſſit. Intercipientia, noctu præſertim, nullo modo omittenda: ſicut ſummo mane ante aquæ vel lactis exhibitionem, Expectorantia ſunt exercenda. Sufficiat autem Confectio bolo armena Orient. parata, ex diamargarito frigido vel diacodio; mane vero julapium acet. cum ſyrup. de Ibiſco, duabus aut tribus gutt. aquæ ſulphuris additis, niſi à præſentia ſputi ſanguinis prohibeatur. Nec unquam Conſervæ roſarum ſtatim à cibo uſus prætermittendus.

Et quoniam jam dicta capiti exſiccando parum conferre poſſunt: idcirco Viri Excellentiſſimi pro hac intentione explenda Decoctum aliquod capitale offerendum eſſe proponunt, de cujus uſu magnopere dubitandum, cum intentioni noſtræ ſine ſudore minime ſatisfacere, & interim alia incommoda afferre poſſit, viſcera calefaciendo, ſanguinem attenuando, ſicque ejuſdem ſputum fovendo; præterquam quod poſt uſum lactis, nimirum Autumni finis, aut Hyemis initium Decocti ſudorifici uſum inhibebit. Non minus ſuſpectum haberem pulverem viperinum, cum valde humores attenuet & acuat, nec tamen caput, ut eſt opus, exſiccare valeat; & ideo ſola radice chinæ & ſantalo vinum pro menſa alterarem, & magnum remedium, ſudorificum nempe Decoctum in Ver venturum differrem, ad quod tanquam ad ſacram Anchoram, ſi dabit Deus, ut vires & ſtatus R.P. perferre poſſint, confugiendum erit.

Quibus addenda congrua victus ratio medicamentis proportione reſpondens, à Viro Exc. præſcribenda, cui reliqua quoque dirigenda remitto. *Raymund. Joh. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medicin. Tom.2. Cent.2.*

Phthiſis in fieri.

Juvenis Præſtantiſſimus annorum triginta circiter, ruſſi coloris, ſatis muſculoſus, quadratæ ſtaturæ, temperamenti ſanguinei, caliditatis tamen & falacitatis plenus, cum diu noctuque genio indulgens inter choreas & Veneris illecebras, & quæ has comitantur, inter frequentiores calices & comeſſationes viveret, poſt habitas nonnullas Gonorrhœas, ſolis refrigerantibus ſoluta, pertinaci, craſſo, lento, viſcidoque, non ſalſo tamen, ex quatuor jam menſibus Rheumate ſpiritalia invadente correptus miſere torquetur. Succeſſit quidem, ut referunt, etiam initio Anacatharſis, cum vehementiori tuſſi, qua cruenti aliquid bis fuit excretum, cui adjuncta febris, affecti pulmonis ſuſpicionem (etſi eodem tempore ſtillæ ſanguinolentæ fluerent è naribus) intulit Aſſiſtenti Medico non minimam. Hinc in Urbem delatus Patiens ſeſe meæ commiſit Curationi. Et quidem peregi omnia quæ ex cognitione Morbi & cauſæ ſcientifice, hoc eſt, certa indicatione deſumenda veniunt, ut ſcil. pro viribus, juxta Hippocr. Præceptum, rite, recte & opportune facerem; Hiſque omnibus remiſſa febre, reſolutionem infixi rheumatis ac ipſius intemperiei uſu Decocti ſudorifici per xv. dies tentavimus. Ulterius progredi vetuit corporis incendium, capitis & ſpiritalium ardor, necnon aliqua in ſputo tinctura cruoris, quæ poſtmodum ex toto evanuit, nec amplius vigente quantumvis fortiori tuſſi, regredi viſa eſt. Quia tamen flavitie quadam donatum rejici ſputum obſervabam, ut quod ex concepto ardore ab hypocauſto provenire crediderim, juſculum ex temperatis ſimplicibus, cum ſaccharo roſaceo quotidie exhibeo, & album nunc & ſatis laudabilis coloris & conſiſtentiæ emittitur. Efficaciora addere hac fervida tempeſtate vereor: non ſulphurearum aquarum uſum, aut alia ſulphurea remedia tuta cenſeo. Expetunt Conſanguinei & expectant à Præclariſſimo Viro tutiora atque meliora.

Hæmoptoicum, nempe Semiphthiſicum eſſe Nobil. Juvenem pro certo habeo, inſigni macie cum febricula; & prægreſſo ſanguinis ſputo cum tuſſi, copioſo præcedente rheumatiſmo confectum. Et quamvis ratione naturalis corporis conformationis ad Phthiſin pronus

non

non fuerit, Gallica tamen Gonorrhœa, cæterique in vivendi ratione non leves errores commiſſi Phthiſicam diſpoſitionem introducere valuerunt; caput debilitando, viſcerum naturalium tonum labefactando & ſanguinem ipſum conquinando: ut propterea a perenni deſtillatione pulmonibus, eorumque vaſis non ſolum laxitas, verum etiam (ut ego puto) à corrupto catarrho corroſio aliqua introducta fuerit. Et quoniam ſanguinem ab exiguo vaſculo prodiiſſe credo, idcirco neque copioſa, neque repetita viſa eſt ſanguinis excretio, imo nec febris adeo manifeſta, quamvis Hecticam Phthiſicam eſſe cenſeam, ob inſignem maciem necnon virium proſtrationem potius, quam imbecillitatem, mihi relatam.

Quare cum fere nulla ſpes ſalutis ſuperſit, propriis etiam & adæquatis præſidiis Medicis incaſſum tentatis, legitimi puris excretio eſt expectanda, ſeu à copia catarrhi diſcernenda, indeque interitus; & ideo ſolo Prognoſtico deſerendus eſſet, niſi humana, magiſque Chriſtiana Charitas cogeret nos, ſi non ad ſervandam, ſaltem ad vitam producendam. Cui intentioni ſatisfaciendum, non quidem cauſas morbificas reſpicientibus & auferentibus, ſed ſymptomatibus occurrentibus. Et quoniam tria potiſſima ſunt, nimirum totius tabida macies una cum virium imbecillitate: Præterea expectoratio materiæ, ſi nondum purulentæ, ſaltem corruptæ & analogæ puri; atque tandem imminens ſanguinis à pulmonibus repetita eruptio; idcirco primò ſymptomati occurrendum lactis, ſaltem Aſinini uſu, & eduliis potulentis, refrigerantibus & ſubſtantifice humectantibus, ut Emulſione amygdalarum recentium, pineorum cum ptiſana; & decoctione in jure carnium, ranarum, caudarum Cancrorum, & hujuſmodi aliis Viro Peritiſſimo notis; quibus addi poterunt inunctiones oleo amygdalino recenti Univerſales & forſan etiam Balneum, ſive ſaltem inſeſſiones aqua dulci uſque ad ſeptum, alterata foliis malvarum, violarum, lactucæ, nenupharis & ſalicis; vix tepidum, dum tamen vires ferre poſſint. Secundæ intentioni ſatisfacere debent Lambitiva benigna ac moderata, non acria, non calida, ne rurſus ſputum ſanguinis moveant; & ideo apud Virum Prudentiſſimum ſuſpecta audio non ſolum acria, ſed ſulphurea omnia, ut propterea inſiſtendum ſit in Julapio acetoſo cum ſyrup. de Ibiſco; quibus craſſiori apparente catarrhali materia, addi poterit portio olei de ſaccharo, non omittendo mulſam dilutam acetoſam. Tertiæ tandem intentioni ſatisfacere poterit, apparentibus ſputis cruentis, tinctura roſarum ſpiritu vitrioli extracta & aqua è foliis quercus ſtillatitia parata, ad cochlearia per intervalla frequenter haurienda. Ad majora devenire non audeo, cum vires perferre nequeant: ſicut iiſdem vigentibus aquas vitriolatas in Valle Solis naſcentes, epotandas libenter pro anchora ſacra propoſuiſſem, quas etiam à viro in Arte conſummatiſſimo propoſitas vidiſſem.

Idem ibidem.

Phthiſis cum hypochondriaca affectione.

Perilluſtris & Excellentiſſ. D. ætatis ſuæ annum agens quinquageſimum quartum, temperamenti calidi & ſicci habituſque gracilis, jam exacto fere biennio, ſputo ſanguinis cum tuſſicula laboravit, & ſubſequenti alio temporis interſtitio, ſpuitionem aliqua ſanguinis tinctura coloratam excrevit. Angitur etiam hypochondriaca affectione, quæ jam ad annos invaluit: ructibus enim modo acidis, modo nidoroſis, cruditatibus ventriculi, flatibus & hypochondriorum phlogoſi & aliquali tenſione in lienis regione vexatur. Jam elapſis annis patiebatur, ut ipſe inquit, deſtillationem ad ſtomachum, propter quam in nauſeas frequentes & ſubverſiones incidebat. Tempore hyemis male ſe habebat; nunc autem queritur de tuſſicula, de aliqua reſpirandi difficultate, de frequenti ſpuitione amarulenta, ſubflava, nigra, & catarrhi dulcis cum aliqua portione purulenti, & cum aliquo ramento ſanguinis mixti, à quo catarrho ſenſim annis jam elapſis delabente, dentes ſuperioris mandibulæ dirupti ſunt. Fauces, ut obſervavimus, ardore conflictantur. Corpus totum aliquando, circa veſperas præcipuè, calore præternaturali ad tactum, licet non valde æſtuoſo affligitur. Pulſus fit frequentior & arteriæ magis incaleſcunt. Poſt prandium ipſe Patiens obſervavit multoties calorem augeri, & de ſero laſſitudinibus ſe torqueri. Noctem ad multas horas habet inſomnem. Dolor quandoque anteriorem capitis partem obſidet uſque ad regionem oculorum incluſive. Aliquando fuit magna in ſomnum propenſione detentus. Uſus eſt diu tanquam remedio familiari, Aloë lota in ſucco roſarum; & quodam artificio pennæ immiſſæ in œſophagum multoties vomitum excitavit. Alvum ſtypticam naturaliter habet. Iracundia facillime divexatur.

Ex accuratiſſima relatione ad me tranſmiſſa, facillima redditur cognitio ſtatus Præclariſſimi & Excellentiſſ. Viri. Hypochondriacam enim affectionem antiquam & recentiorem Phthiſin liquido deſignat; dum primò ejuſdem temperamentum totius & jecoris calidum & ſiccum, habitumque gracilem repræſentavit: præterea flatuoſitatibus abundare, ſicque & eructationibus modo acidis, modo nidoroſis vitiatam chylificationem ſignificantibus, cum phlogoſi in regione pylori & lienis tenſione; accedentibus in caput evaporationibus, caput idem replentibus, & catarrhalem materiam liquantibus, unde deſtillationes & in fauces, & in ventriculum excitabantur, & inde in illis inflammatio, in hoc nauſea exoriebatur. Dum vero pravam à nativitate conformationem & colli, & gutturis, & ſcapularum addidit, ad Phthiſin pronum Virum eundem deſcripſit: Cui tuſſicula addita, ſputo ſanguinis ſuperveniente, Hæmoptoicum duobus jam annis factum fuiſſe plane ſignificat. Et cum iteratæ ſanguinis ab ore per tuſſim excretioni, perſeverante tuſſi, ſucceſſerint ſputa diverſis coloribus, praviſque ſaporibus alterata, necnon male olentia; à ſanguinis ſputo per diæreſin ſequuto ad Phthiſin inde progreſſus manifeſtatur; ſicut ultro

progreſſam confirmavit tandem vera & legitima in ſputis purulentia, quæ ſicut à ſputis putridis diſtinguitur, ita pulmonem ulcere affectum atteſtatur. Horum autem omnium cauſam primitivam & externam, intenſam fuiſſe animi applicationem & ſolicitudinem nimiam ad agenda negotia cenſeo; animi namque motus viſcera ipſa totumque corpus ſummopere calefacit & accendit, præſertim vero ubi adeſt ſymboleitas, ut in Præclariſſ. Patiente noſtro, gracilis habitus & temperamenti calidi & ſicci. Jecore namque ſuperexcalefacto calor nimius & improportionatus ventriculo communicatur, qui ciborum corruptionis potius, quam bonæ coctionis fit author: Hinc cruditates, à cruditatibus obſtructiones, quæ à nimio calore areſactæ, ac terreæ redditæ melancholicam naturam induunt: & dum ab eodem calore in halitus reſolvuntur, copioſæ flatuoſitates inſurgunt, exhalationis, non vaporis naturam obtinentes, ideoque non adeo facile ſolubiles: Unde rugitus, hypochondriorum inflationes, eructationes & capitis quandoque repletiones fiunt: imo ab iiſdem ſuſpenduntur nonnunquam fæces, & alvi ſtypticitas ſequitur, quæ tamen utplurimum à ſiccitate & exſiccante calore provenit, ut in hoc caſu, non parum fovente diuturno Aloës abuſu. Sicut autem febriculam ab eroſione pulmonis jam fere inſenſibilem, non dubito Phthiſicam appellandam, quæ primis diebus phlogoſin circa ulceris labia ſequi ſolet; ita in præſens de hectica dubitandum, ad gradum ſecundum progreſſa, tum ob maciem ſubſequutam, tum vero magis ob incaleſcentiam à cibo, quæ neque in primo, neque in tertio hecticæ gradu obſervari poteſt; non in primo, quia tanta non contingit alteratio in partibus ſolidis & ſiccis, ex humidi alimenti appoſitione; non in tertio, quia ob excellentem membrorum ſiccitatem & conſumptionem non amplius alimenti appoſitio fieri poteſt. Quod ſi appareat horis veſpertinis aliqua levis febris exacerbatio, catarrhalis putrida, ex putrido in pulmonibus catarrho ſtatuenda erit. Sicque concludo Virum Præclariſſimum olim hypochondriacum, duobus abhinc annis hæmoptoicum, indeque Phthiſicum cum febre habituali in ſecundo gradu redditum eſſe.

Huic ſuccurrendum, ut longiorem & minus moleſtam vitam degat: procul enim ſalus abeſt, & remediorum tarditas in hujuſmodi pernicioſis affectibus ſolet eſſe præcipua interitus cauſa; Primis enim diebus medelam requirunt, ne à ſanguinis ſputo, puris ſputum, & cætera ſuccedant.

Pro hujus affectus Curatione, Galenus non omnino Hippocratem ſequutus fuit, dum Hippocrates humectantibus, Galenus vero exſiccantibus Curationem inſtituerunt. Sed nos Recentiores duo hæc Medicinæ majora Lumina conciliantes, dicimus: conſiderandam eſſe ex una parte febrem & maciem, ex altera vero catarrhum & ulcus, & magis urgentibus eſſe incumbendum: prioribus ſubſtantifice humectantibus & quoquo pacto refrigerantibus, cum Hippocrate: poſterioribus vero exſiccantibus, cum Galeno. Ita agendum in caſu noſtro, & intentionis electio Excellentiſſimis præſentibus & aſſiſtentibus Viris remittenda.

Interim primæ viæ ſunt mundandæ & hypochondriorum calor contemperandus, viſceraque humectantibus irroranda, ut utrumque remedium tum exſiccans, tum humectans admittere poſſint.

Idcirco potioni ex manna clarificata propoſitæ ſubſcribo: ita & Julapio acet. cum ſyrup. de pomis quinque diebus pro præparatione præbendo, ut mox flos caſſiæ cum tartaro exhibeatur, & tum potioni ſupradictæ, tum caſſiæ ſerum depuratum ſuperbibendum, ad ſiccitatem arcendam. Deinde aliquot diebus ſucci depurati & per arenam trajecti, borag. endiviæ, & mal. aut pomorum dulcium, ad ℥iii. in uſum erunt ducendi in jure pullæ cichoraceis alterato: & quarto aut quinto quoque die caſſia cum trochiſcis de violis erit interponenda, ſero depurato ſuperepoto.

Purgantia in hoc ſtatu valde formidanda: ſicut ſanguinis miſſio vix permittenda, habita fixæ febris & totius maciei ratione; ab hæmorrhoidibus tamen parce eductus forſan prodeſſe poſſet.

His peractis, duorum alterum erit eligendum, aut exſiccans Medicamentum, cum Galeno: aut potius humectans, cum Hippocrate. Si placeat Excellent. Viris præſentibus, primis diebus catarrhum & ulcus magis reſpicere, paretur Decoctum jam propoſitum ex China, ſantal. alb. & radice roſarum in jure pullæ parandum: additis tamen in decoctione tum ranis, tum cancrorum caudis, & Decocto præmittatur bolus ex terebinthin. noſtra, butyri ſulph. granis aliquot reformatus. Sed ſummo mane ante Decocti aſſumptionem procuretur materiæ catarrhalis expectoratio Julapio acet. aut oxymelite ireato, & ſyrupo de Ibiſco, vel violato ſimul miſtis. Eodem tempore ante prandium materia catarrhalis à capite delabens à pulmonibus erit divertenda & educenda Errhino ex pulvere majoranæ & ireos parato, more tabaci per nares attrahendo. Intercipienda quoque deſtillatio confectione ex Diatragacantho frigido cum bolo in ore noctu detinenda, & tandem Cerato Claudini ut magis temperato, ſuturæ coronali apponendo.

Quod ſi progreſſu res pro voto non ſuccedat, ad alteram intentionem humectantem erit confugiendum, nimirum ad lactis aſinini quotidianum uſum. Inſeſſiones quoque uſque ad ſeptum in aqua dulci, humectantibus herbis alterata prodeſſe poſſent, ſi anni tempus frigidum eaſdem permitteret, & ideo ſuppleat inunctio propoſita Univerſalis ex oleo amygdalino: ſicut hypochondriis ex unguento malvino, & pectori ex adipe anſerino, pulvere iridis Florent. reformato. Huic intentioni ſatisfacere poterit lac etiam arte paratum, in cœna exhibendum, ex ſeminibus mundat. melon. angur. cucurb. & nucleis pineis, in jure pullæ, cancris & ranis alterato, addito ſaccharo albo. Locum habebit quoque ptiſana hordeacea cum ſaccharo: nec unquam omittendus uſus ſacchari roſati tinctura coralliorum reformati.

Et his omnibus congrua & proportionata erit addenda victus ratio ſubſtantifice humectans, non omittendo hoc tempore aviculas montanas & aves ſylveſtres. Electionem tamen alimen-

alimentorum, ſicut quantitatem & tempus cum reliquis omnibus, Doctiſſimis Viris aſſiſtentibus libenter remitto. *Idem ibidem.*

Phthiſis à ſanguinis ſputo.

Quod ſanguis ab Illuſtriſſimo Viro menſe Auguſti elapſi anni cum tuſſi ab ore rejectus à vaſis pulmonis prodierit, non eſt quod dubitemus, non ſolum ejuſdem ſanguinis copia, necnon vivida & florida qualitate perſpecta, verum cæteris omnibus conſideratis conditionibus, quæ ad Hæmoptoicos, atque tandem Phthiſicos conſtituendos concurrere ſolent. Calida namque, imo fervida obſervatur jecoris & cordis ipſius intemperies, quæ additis vehementibus animi perturbationibus, aliiſque in vivendi ratione erroribus commiſſis, hypochondriacam affectionem inducere, & ſanguinem quoque fervidum, acrem & acidum reddere potuit, qui utpote naturæ moleſtus, & corpori nutriendo parum aptus, facile ab eodem irritata natura, extra vaſa detruditur, ſive per anaſtomoſin, orificiis venarum adapertis, ſive per diæreſin, à prava ejuſdem qualitate vaſorum tunicis attenuatis atque corroſis, præſertim ſi præcedat aliqua tenuis & ſalſa catarrhalis à capite in pulmones deſtillatio tuſſiculam excitans, & extrinſecus corroſionem adjuvans. Præterea conſideranda venit in hoc Illuſtriſſimo Viro hæmoptoico naturalis mala conformatio, totius corporis gracilitas, ætas non longe à trigeſimo quinto anno diſtans, & forſan perennis à capite deſtillatio, quæ conditiones omnes ſunt adeo Hæmoptoicis propriæ, ut Hippocrates Phthiſicas eaſdem appellaverit. Quare de parte affecta ſatis. In dubium autem revocari videtur modus de quo juremerito à Viris Excellentiſſimis dubitatur, num ſcilicet per anaſtomoſin, an potius per diæreſin ſanguis ipſe à pulmonum vaſis prodierit. Etenim pro anaſtomoſi facit copia ſanguinis unica vice excreti, mox ſequentibus quoque diebus, licet minor repetita, quam à magno adaperto vaſe exiiſſe credendum videtur. Diæreſi vero magnopere favet ſubſecuta febricula & puris excretio, quæ duo ulcus ſtatim ab excretione ſanguinis ſubſecutum nobis ſignificant; febricula enim ſtatim ſequitur labiorum ulceris inflammationem; quæ duæ conditiones nunquam anaſtomoſin, ſed ſemper diæreſin ſubſequi & comitari ſolent. Pro hujus autem dubitationis ſolutione crediderim ego, utroque modo ſanguinem à vaſe pulmonum rejectum fuiſſe, & primò à copioſo & fervido ſanguine orificium venæ adapertum, ſed eodem tempore, tum ab acri atque mordente ejuſdem qualitate venæ orificium eroſum fuiſſe, ut propterea primis diebus non adeo facile ex toto occludi potuerit, quamvis valde minorato ſanguine, cujus excretio poſtea ceſſavit ob adauctam magnitudinem inflammatæ partis, addita quoque temporis progreſſu calloſitate aliqua, manente tamen ulcere, cujus certiſſimum ſignum eſt pus quod quotidie per ſputum tuſſi excernitur. Ex quibus facile colligitur febrem adeſſe Phthiſicam, quam progreſſam hectica quoque, imo progrediente macie, tabida ſubſequi ſolet, cum habituali calore cor affectum nutritiam facultatem ſanguini impertiri nequeat.

Et quoniam, cum vas in pulmone ruptum eſt, niſi ſtatim glutinatum fuerit, antequam inflammatio excitetur, & febricula oriatur, ſcire aperte licet, id poſtea inſanabile fore, ut dicebat Galenus; ideo ut longiorem & minus moleſtam vitam degat Illuſtriſſimus Vir propria ſunt proponenda remedia quæ valeant ulcus detergere & quoquo pacto exſiccare, calorem febrilem contemperare, & ſubſtantificam humiditatem pro totius nutritione reparare.

His autem intentionibus implendis primum locum obtinet lac, præſertim aſininum quod celerrime per corpus digeritur, & ideo non adeo petit caput, nec catarrhum adauget; ut ſeroſum, ulcus detergit, atque tandem totum corpus nutrit; & propterea ſumma cum ratione ab Excellentiſſimis Viris exhibitum & repetitum fuit; non enim prohibetur à copia catarrhi, de qua in relatione nulla fit mentio. In eundem finem jura carnis pro parandis alimentis alterari debent caudis cancrorum, ranis & carne teſtudinis. Ptiſanæ hordeaceæ uſus opportuniſſimus erit cum ſaccharo, imo ferculum Saxoniæ parabitur pulvere chinæ aſperſum, ut cæteris quoque indicationibus ſatisfieri poſſit. Extrinſecus conveniret Balneum aquæ dulcis tepidum, foliis malvarum, violarum, lactucæ, ſalicis & nenupharis alteratæ; verum quoniam ab anni tempore frigido prohibetur, ſubſtitui debent quotidianæ inunctiones univerſo corpori oleo amigd. recenti. Pro exſiccatione vero ulceris & catarrhi imminutione, uſus optimæ chinæ valde proficuus erit, qui familiaris atque diuturnus eſſe debet, & idcirco quinque aut ſex taleolas optimæ chinæ inciſæ in jure carnium quotidie ebulliendas conſulo: medicamentum enim, ex Hippocrate, in cibo valde bonum, in cujus uſu ſemper perſeverandum erit. Nec interim negligenda catarrhalis & purulentæ materiæ expectoratio, Lambitivis procuranda, nempe oxymelite ireato aqua farfaræ parato; parari quoque poterit macerando in aqua & aceto per noctem radicem enulæ; oxymeliti addi etiam poterit quandoque portio olei de ſaccharo, quandoque etiam grana aliquot butyri ſulphuris. Nec unquam omittendus uſus Conſervæ roſarum à cibo cum pulvere pulmonis Vulpis præparati. Utinam opportuno tempore, nimirum præterita Æſtate ineunte conſilium petiiſſet Illuſtriſſimus Vir; ad aquas enim vitriolatas in Valle Solis naſcentes hauriendas, ut ſeipſum conferret, conſuluiſſem, quæ pro ſanguine ſiſtendo, ulcere exſiccando & pulmonibus roborandis mirabilia præſtant.

His autem omnibus addenda congrua victus ratio moderate refrigerans & ſubſtantifice humectans, & ideo eligendi ſunt cibi qui facile nutriant, nimirum facilis concoctionis & diſtributionis, non autem adeo facilis reſolutionis, qui quidem nutriant, ſed non valde gravent, ſintque perexigui excrementi. Vinum ſit potius album, tenue, ſubdulce, china & ſantalo medicatum. Quæ omnia à ſummo Deo ſalutaria precor. *Idem ibidem.*

Phthiſis à Sanguinis Sputo cum Ulcere.

Celebris Muſicus Eunuchus annum agens vigeſimum ſeptimum, temperamenti totius, & præſertim jecoris calidi & ſicci, non valde deſtillationibus obnoxius, dum in Italia non ſine aliqua vivendi cautione morabatur; de fervore tamen hypochondriorum conquerebatur cum rugitibus in abdomine, ventriculi imbecillitate & alui ſtypticitate, pro quibus nunquam ullum conſuluit Medicum, ſed occaſione oborta, à Sereniſſimo Electore Saxoniæ accerſitus, hyeme proxime præterita Saxoniam petiit, per loca frigidiſſima atque nivoſa neceſſario iter faciens. Illuc autem cum perveniſſet, alimenta natura calida & ſicca, nempe volucres ſylveſtres aliaque calidiora copioſis aromatibus condita de more comedit, vinaque ſulphurea atque generoſa potavit; quo vivendi modo ſeipſum multo minus nutriri & macie confici obſervavit, & ab hac obſervatione facta, poſt menſem, circa menſis Martii dimidium, nulla prægreſſa tuſſicula, nullaque ſalſa capitis deſtillatione, dum cubitum iret extemporanea tuſſi correptus, ſanguinem excrevit ex ore ad ſemiunciæ, & ad ſummum ad unciæ quantitatem, floridi coloris atque ſpumoſum, & iteratis vicibus, dum ſtertorem in gutture percipiebat; repetita autem tuſſi, catarrhalem quoque materiam excrevit. Pauca aliqua ab Excellent. Medico præſtita fuere remedia; ceſſavit enim prorſus ipſius ſanguinis excretio. Sed octo deinde peractis diebus, rediit affectus cum copioſiori ſanguinis excretione, eodem tamen modo & qualitate, verum diutius perſeveravit grumorum per tuſſim eductio cum catarrho craſſo ſæpe cruento; tuncque bis miſſus fuit ſanguis ex brachio, & alia quoque adminiſtrata remedia aſtringentia atque ſanguinem ſiſtentia. Quæ ſputa excernere poſtea in hunc uſque diem perſeveravit ſemper craſſa, adeo ut nonniſi iterato conatu & repetita tuſſi, eadem frangendo, educere valeat, pravo colore infecta & putredinem præ ſe ferentia. Interim à Sereniſſ. Electore veniam petiit, & in Italiam reverſus, in laborioſo itinere peracto. Norimbergii ſanguinem rurſus eodem modo, ſed exigua quantitate ejecit; & cum ad me Patavium perveniſſet, ſummo mane decumbentem attigi, & non prorſus à febricula immunem ipſum inveni, conſueto multo graciliorem, ſputaque noctu & mane perpauca, ſed cruore tincta, & nonniſi magna vi excreta vidi, dum interim ſemper etiam ſine tuſſiendi neceſſitate de pondere quodam & oppreſſione in pectore ipſemet conqueritur: præterea hypochondria tractavi, nimis exſiccata & ſiccis obſtructionibus referta. Quare hoc tempore, menſis ſcil. Junii initio, efficaciora & ſalubriora auxilia Medica implorat.

Hæmoptoicus Egregius Juvenis iſte, quod multo antehac hypochondriacus fuerit, non eſt quod dubitemus: Phlogoſin enim ſub ventriculo habuiſſe, fervor ille de quo duobus, & forſan pluribus abhinc annis conquerebatur, teſtis erat cum Ventriculi privativa frigiditate: ſicut rugitus & murmura obſtructionum præſentiam à cruditatibus arefactis & in exhalationes converſis, provenientium ſignificabant, & unà cum calore ſiccitatem alvi ſtypticitas teſtabatur. Cum autem ab hypochondriaca affectione adaucta fuerit jecoris, & venarum calida intemperies, ſanguis inde juſto calidior, quinimo exuſtus continuo producebatur, acris & acidus, quibus pravis qualitatibus affectus & infectus, cum per venam cavam ad dextrum cordis ventriculum, & inde per magnam arteriam ad univerſum corpus nutriendum veheretur, factum eſt ut portio ejuſdem craſſior & exuſtior in pulmonum vaſculo, tanquam in parte ob cantus vehementiam & laborem in vocibus modulandis defatigata, ſtagnaverit & firmata fuerit; quæ propria acrimonia mordicando & aciditate vellicando, tunicas exedit, ſicque non per anaſtomoſin, minuſque per diapedeſin, ſed per diæreſin foras erupit, & Egregium Juvenem hæmoptoicum reddidit. Et quamvis pro externa cauſa, ſalſa à capite deſtillatio aſſignari non poſſit, quam plures aliæ tamen non defuerunt, alimenta nimirum calidiora vinaque ſulphurea quæ ſanguinis acrimoniam & mordacitatem adaugere potuerunt: ſicuti ambientis intenſa frigiditas, tum in itineribus per loca frigidiſſima atque nivoſa peractis, tum in habitati loci plaga, pectus magnopere lædere, & vaſa ipſa, utpote membranoſa, imbecilliora reddere valuit.

Sicut autem Hæmoptoicus, Semiphthiſicus habetur, ita cum ſanguinis excretio non ſemel repetierit, macies increverit, nec prorſus à febricula immunis obſervatus fuerit, ideo præſens Phthiſis juremerito ſtatuenda, quamvis catarrhalis materiæ in pectore corruptio, & cruditatum in meſenterio fermentatio, febriculæ conditionem quodammodo in dubium revocare videantur. Ego vero pro dubii deciſione diæreſin præceſſiſſe, & exiguum ulcuſculum in exiguo vaſe excitatum & relictum fuiſſe exiſtimo, ut propterea inde cruenta ſanies frequenter emanet, catarrhalem materiam cruore inficiens, & continua quadam moleſtia pectus opprimente Patiens ipſe laboret.

Quamprimum igitur ad majora remedia confugiendum, antequam Phthiſis ultimum gradum attingat, Ulcus exſiccando & pulmones roborando, præmiſſa tamen primarum viarum expiatione, totius ſanguinis correctione, & ejuſdem à pectore diverſione.

Pro quibus explendis intentionibus, de iterata, ſed parca ſanguinis eductione cogitandum erit. Cauteria omittimus, quoniam deſtillatio à capite, aut exiguum, aut nullum hîc faceſſit negotium. Clyſteres vero emollientes ex lacte, butyro & ſaccharo parati, toto Purgationis tempore frequentes proderunt.

Ut primæ viæ expientur, Leniens repetitum eſſe poterit potio ex manna clarificata; ſicut primum Præparans julapium acet. cum ſyrup. de pomis, jus pullæ ſuperbibendo cichoraceis, malva & violis alteratum. Inde ad ſuccorum depur. uſum erit deveniendum, ut qui & obſtructiones exſiccatas aperire, & fervorem hypochondriorum contemperare, & ſanguinis acrimoniam demulcere valeant; poterunt autem eſſe ſuccus cich. endiviæ vel ſonchi, pom. dulc. in jure pullæ cichorac. malva, violis & ſoncho alterato; in quorum uſu ſupra xx. dies, imo integro menſe perſeverabit, ut etiam hypochondria

dria

dria & viſcera humectando aquis thermalibus exſiccantibus, mox aſſumendis, vias unà cum tolerantia parare poſſint. Singula interim hebdomada aliquod medicamentum evacuans, non tamen, me Júdice, purgans, erit præbendum, quale eſſe poterit Caſſia cum electuarii lenit. portione, cui ſerum depur. ſuperbibendum exhibeatur. Inde duo ſeſe offerunt præſtantiora remedia ad uſum ducenda, alterum erit aqua vitriolata in Valle Solis ſcaturiens: alterum poſtea lac aſininum: Aqua nempe jam dicta, utpote vitriolata, ſiſtendi ſanguinem & orificia vaſorum occludendi, ulcus exſiccandi & pulmones roborandi facultatem obtinet. Sed quoniam exſiccat, ideo lactis uſus primo menſe aſinini, altero vero menſe caprini utique neceſſarius erit, utpote quod vim quandam ſarcoticam pro ulceribus & pro totius nutritione prærogativam non vulgarem poſſideat.

Hæc magna & potiora remedia Magno Viro conſideranda propono, ſtatimque executioni mandanda, ut affectus magnitudo requirit, anni tempus permittit, nec prohibet catarrhi quantitas, quæ alioquin Decoctum ſudorificum jam dictis omnibus præmittendum expoſtularet. Reliqua vero, nempe ut noctu exigua illa quoque capitis deſtillatio intercipiatur; ut ſummo mane jam fluxa expectoretur; ut evaporationes in caput à cibo prohibeantur, & vaſa pulmonum occluſa ſerventur; ut totum corpus externis quoque humectetur, nunquam erunt omittenda. Quare Confectiones ex Diatragacantho frigido cum bolo; Julapium acet. ireatum, una cum ſyrup. de Ibiſco; Conſerva roſarum cum lapide Hæmatite, lapis idem Hæmatites in vino oligophoro, more Tralliani infuſus; Univerſalis inunctio oleo amygdalino rec. & particularis abdomini unguento roſaceo cum medulla crurum vituli & butyro recenti; aliaque hujuſmodi ſimul cum convenienti vivendi ratione à Doctiſſimo Viro erunt præſcribenda, ut dum toto hoc tempore vacabit à cantu, ſi dabit Deus, ut ſanitatem recuperet, cum Univerſali gaudio cantum ipſum, & tutius, & agibilius repetere valeat. Quod ego eidem à ſummo Deo ex corde precor. *Idem ibidem.*

Phthiſis cum Hectica febre.

Vir Nob. annorum triginta & octo, temperamenti calidi & ſicci, cum ſubdominio Melancholiæ, qui multis abhinc annis ſanguinis ſputo obnoxius fuit, anno præterito, cum occaſione itineris Ferrariam verſus, æſtivo tempore in aëris frigidam inclementiam ob grandinis impetum incurriſſet, cœpit conqueri de ſputo ſanguinis utcunque ſpumoſi, non ſine tuſſi, quæ omnia, eo quia alias ipſe paſſus fuerat, contra voluntatem Medici, de imminenti Phthiſi ſuſpicante, neglecta fuere; cumque duobus poſt menſibus à ſputo ſanguinis Patiens in febrem ardentem acutam maximis cum ſymptomatibus incurriſſet, omnem curam ad febrem putridam Medicus direxit, qua fugata, ſucceſſit habitualis, eo quia & corporis defloratio, emaciatio, tuſſis calorque poſt cibum invaleſcens, in dies perſtiterint; contra quæ & lac Aſinæ ad 40. dies, & Conſervæ capitales, cremores hordei & Cauteria, incaſſum propinata fuere: cum adhuc & emaciatio & defloratio, & tuſſis ſputaque aliquando cruenta, aliquando ſanioſa, virium debilitas, vigiliæ eum infeſtent. Quare à te, Vir Præſtantiſſime, auxilium quærit.

Nob. Virum qui huc ad me pervenit, febricitantem obſervavi, cum pulſu frequenti, parvo & humili, ſine inæqualitate, cum arido calore in arteria; præterea ſputa, non quidem ex toto purulenta, non tamen ſine pure catarrhali viſcidæ materiæ immiſto. Quare cùm duobus abhinc annis ſanguinem cum tuſſi ſpumoſum catarrho commiſtum non ſemel, ſed pluries excreverit, ſicut multo tempore hæmoptoicum fuiſſe cenſendum, quod vocabulum ſemiphthiſicum ſignificat, ita in præſens ex toto Phthiſicum, & febriculam non modo hecticam poſt ardentem ſubſecutam, ſed Phthiſicam eſſe credo, nempe ab ulcere jam in pulmonibus contracto provenientem; ut propterea macies in toto conſecuta fuerit, quæ in ſecundo gradu modò repoſita, ad tertium brevi tempore migratura eſt. Huic additur quoque quandoque putrida febris, non tamen humoralis, ſed catarrhalis, veſpertinis horis ſuas exacerbationes oſtendens.

Quæ cum ita ſe habeant, nulla ſalutis ſpes ſupereſt, niſi ulcus pulmonum exſiccetur & cicatrizetur: tunc enim febris habitualis adhuc remitti poſſet; quod ſi conſequi non valeamus, modus quo vita produci poſſit, eſt Patienti inſtituendus.

Pro prima intentione unicum extat in Arte refugium, quod licet incertum, eo quod non omnes ſanaverit, plures tamen Phthiſicos ex ipſo, ultra ſpem, vidi ſanitati reſtitutos: hoc autem remedium eſt aqua Engadinæ Sancti Mauritii vitriolata, à qua xv. aut xx. diebus de more ſemel epota, ulcera pulmonum putrilaginoſa exſiccata & conſolidata non ſemel videre mihi datum fuit. Major autem difficultas pro tanto aſſumendo remedio eſt loci diſtantia, cum aqua illa ad fontem proprium haurienda ſit, quare non ſine magno pecuniæ diſpendio, hoc affectu detenti, vires imbecilles habentes, illuc perduci poſſunt. Alia remedia non ſuppetunt pro hac intentione explenda, quæ ſine fructu potius interitum accelerarent.

Altera intentio explebitur lacte aſinino, de more diuturno tempore ſummo mane cum ſaccharo bibendo: præterea morſellis ex pulpa pulli junioris cum pineis, amygdalis & ſaccharo pro cibo parandis: jura carnium ranis & caudis aſtacorum alteranda, additis quoque chinæ opt. fruſtulis: ova recentia, ptiſana hordeacea in uſum ducantur, & vinum album ſubdulce, ſed tenue & oligophorum inſerviat pro potu. His omnibus, additis mane congruis expectorantibus & quotidianis inunctionibus univerſo corpori ex oleo amygdal. rec. ſicut abdomini ex ungu. malvino cum medulla crurum Vituli, oleo amygdalino, & cera q. ſ. ut fiat linimentum molle, Balneum aquæ dulcis non proponitur, quoniam pectori inimicum. Inſeſſiones autem parum aut nihil juvare poſſent. Hæcque ſufficient, cum nemo ad impoſſibile teneatur. *Idem ibidem.*

Phthiſis.

Illuſtriſſimus Vir annum agens trigeſimum primum, habitus gracilis, anguſti thoracis, à pueritate deſtillationibus ſalſis obnoxius, ita ut plures deciderint dentes, cum euidenti gingivarum eroſione, poſt varios, ob cauſas externas, errores animum & corpus attingentes, ſanguineam die decima quinta præſentis menſis, hora ſexta noctis circiter, paſſus eſt per os rejectionem ad libram cum tuſſi præcedente, quinetiam ſubſequente, ſanguinis ſcilicet vividioris, & cum impetu. Lapſa die ſequenti Martis abſque acceſſu Medicorum, nocte ſequenti iterum rejecit ad libram unam cum dimidia, eadem ratione & ritu. Vocatus Medicus venam brachii dexteri ſecuit, duabus ſubſequentibus diebus ſine rejectione tranſactis, Jovis ſequentis noctu pariter tertio ſanguinem rejecit ad uncias quatuor. Medici curantes hæc obſervarunt & obſervant ſymptomata adhuc permanentia, nempe difficilem, & fere impoſſibilem decubitum in latus ſiniſtrum; tuſſim, modo ſiccam, modo cum ſputis, quandoque violaceis grandinis inſtar, aliquando cruentis, cum aliqua etiam puris miſtura; febrem continuam, à meridie tamen quotidie exacerbatam, cum aliqua mentis à ſomno alienatione, & corporis totius ſubita interdum concuſſione. Die vigeſima quarta Mercurii hora tertia noctis iterum rejecit ad uncias tres, præcedente ſemper tuſſi & inſigni genarum rubore; & die Veneris vigeſima ſexta, hora prima noctis nova contigit rejectio; & rurſus die Saturni vigeſima ſeptima bis repetiit ſymptoma hora noctis ſecunda; & die hodierna Lunæ primo mane & hora vigeſima ſecunda paſſus eſt eandem excretionem ultra dimidium libræ. Febris urget, turget thorax, tuſſis adhuc perſeverat, quæ ex minimo motu excitatur, & ſputa varia excernuntur. Pro Curatione plura & diverſa adminiſtrata remedia, nempe ſæpius repetitæ venæ ſectiones/à diverſis partibus; vinum omnimode prohibitum, victus tenuis inſtituta eſt ratio, cum ptiſana hordeacea & reliquis decoctionibus pectus reſpicientibus, tum ab excreto immodico; tum à qualitate ſanguinis indicatis: Interdum laudanum Cardiacis miſtum aſſumpſit. Emulſiones ex ſeminibus papaveris & cucurbitæ hauſit; Succum urticæ depuratum præſcripſerunt; Magiſteria margaritarum & coralliorum, eorumque tincturam ſumpſit; & lac erat in intentione, dummodo firmato pectore, remitteretur febris. Labente decima quarta; omnia potius deteriora videntur, cum graviora ſint fere omnia ſymptomata.

Utinam facilis ita eſſet Curatio & Illuſtriſſimi Patientis à vitæ diſcrimine Præſervatio, ſicut facilis & ſatis ſuperque patens eſt hujus affectus cognitio: omnia namque & præcedentia, & præſentia, & mox apparentia, pulmonis ulcus & Phthiſin nobis aperte ſignificant, dum primò ejuſdem ætas, temperamentum calidum & ſiccum, habitus gracilis, mala pectoris conformatio, antiqua ſalſa in pectus deſtillatio tuſſim excitans, ad Phthiſin propenſum Illuſtriſſ. Virum præmonſtrabant; ſicut moleſta tuſſis cum ſanguinis copioſa iterata excretione non exigui vaſis pulmonum eroſionem, nempe diæreſin oſtendebant, atque tandem febris ſuperveniens & purulenta ſputa Phthiſin ſecutam confirmant; hæcque omnia ſanguine vitioſo præcalido & acri, intus mordicante, & extra vaſa acri deſtillatione corrodente. Verum quoniam febris (quæ non febricula, ut propria in his caſibus ſolet eſſe) intenſior quotidie meridianis horis exaſperatur, cum aliqua quoque corporis concuſſione, ideo ſicut à ſola ulceris phlogoſi, nec ab humorum putredine provenire cenſendum, ita ab aliqua initiante partium ſpiritalium inflammatione pendere ſuſpicandum, nimirum vel ſepti, vel ſiniſtri lateris dexteri pulmonum; ideo malæ magnopere rubent, difficilis, imo impoſſibilis evadit decubitus in ſiniſtrum latus, dexteri affecti indicium; & præterea ab inflammata parte fervidi vapores caput petentes, & animales ſpiritus calefacientes & agitantes, delirium quoque frequenter efficiunt: a pulmonis enim inflammatione Phrenitis ex Hipp. quandoque ſuccedit.

Quod ſi fortaſſe ſeptum inflammatione tentaretur, difficillima evaderet reſpiratio, delirium fere continuum, & quandoque cum riſu, ut contingebat Tychoni, in bello vulnerato.

Quibus omnibus ita à me conſideratis, ſanguinis excretionem omnium primo ſiſtendam eſſe credo, ut cum Celſo dimidiam Curationis partem conſequamur: hæc enim brevi Patientem Illuſtriſſ. ſuffocatione de medio tollere poteſt. Inde inflammationis progreſſus inhibendus, dum eodem tempore iiſdem remediis febrilis quoque calor remitti poterit; & corrigi ſimul ſanguinis vitium, ut tandem, ſi dabit Deus, adverſus Phthiſin dirigi poſſit Curatio.

Et quoniam ſanguinis miſſio omnibus jam dictis indicationibus ſatisfacere poteſt, ideo omittenda non eſt, ſed repetenda partitis vicibus, ad duas aut tres uncias pro ſingula vice. Omnia genera revulſionum opportuna erunt, & commodiora, frictiones infernæ, vincula, Veſicantia coxis appoſita, & cucurbitula magna ſicca, hepati præſertim, ſed & lieni frequenter appoſita & deorſum detracta. Pectori quoque inunctiones exercendæ ex oleo roſac. violac. & myrtino. Ad rubificans aut ſiſtens capiti apponendum in præſens devenire non poſſumus ob infeſtantem Paraphrenitidem.

Ex Pharmaceuticis Evacuantia poſſunt eſſe Caſſia cum æquali portione pulpæ tamarind. & præterea Clyſteres. Alterantia poterunt eſſe ſerum capr. deſtill. & chalybeatum, vel aqua plantaginis, pariter chalybeata copioſe propinata. Alterantia & ſimul adſtringentia eſſe poterunt tinctura roſarum parata cum aqua plantag. & cum ſpir. vitrioli extracta, mane & veſperi offerenda: chalcanthum enim inſignem vim obtinet ad ſanguinem ſiſtendum & vaſa occludenda, cui potioni præmittatur tragacanthum frigidum cum bolo & lapide Hæmat. paratum. Lambat tota die ſuccum ex cydon. expreſſum, cui addatur ſyrupus de papav. & ex hoc cochlearia per intervalla frequenter aſſumat. Noctu verò continuo diacodium cum bolo vel diatragacanth. frigidum in ore detineat. Quibus niſi ſiſtatur ſanguis, Narcotica erunt repetenda, Galeni exemplo, ſed pro Theriaca tutior erit nepenth. aut philonii rec. uſus.

Hiſque

Hiſque addatur congrua vivendi ratio, refrigerans, incraſſans & quodammodo aſtringens; quare alimenta ſint panatellæ cum emulſione ſeminum melonum & farina amyli paratæ; ptiſana hordeacea in qua rotulæ diacodii rec. diſſolutæ fuerint; ova recentia ſemicocta; gelatina ex pedibus vitulinis, addito ſucco citri aut agreſtæ. Potus ſit aqua plantag. chalybeata, & in progreſſu hordeacea pariter chalybeata. A cibo Conſerva roſarum cum lapide hæmatite. Elato capite & corpore decumbat. Silentium præcipiatur, & ignis lignis accenſus in cubiculo interdicatur. Quæ ſi Deus ſalutaria reddat, de lacte poſtmodum exhibendo & & aliis appropriatis cogitandum erit, à Viris Excellentiſſimis inſinuatis. *Idem ibidem.*

Phthiſis conſummata.

Matrona Nob. trigeſimum ſextum annum agens temperamenti totius calidi & humidi, antehac fœcundiſſima; quæ nihilominus ſuperioribus annis ulcera in cruribus excrementoſos humores effundentia geſtabat, arte demum omnino ſuppreſſa, deinde nuper elapſo anno deſtillatione à capite in pulmones delabente, eaque ſalſa corripi cœpit, tuſſim moleſtiſſimam excitante, cujus cauſa in aëris inæqualitatem referebatur, ut propterea ab eadem Nob. Patiente ab initio neglecta fuerit; progreſſu verò accerſitus Medicus pectoralia medicamenta & externa, & interna præſcripſit, corpus Lenientibus & Præparantibus frigidis expurgavit, caſſiam cum trochiſcis de violis per intervalla aſſumendam, & congruam victus rationem inſtituit; attamen tuſſis moleſtiſſima perſeveravit, & non ſolum ſputa conſueta, ſed etiam cruenta, imo & cruor ipſe ſive ſanguis floridus tuſſi ejectus non ſemel obſervatus fuit, quibus ſucceſſit continua febricula; progreſſu vero etiam cum ſenſibili exacerbatione. Præterea increvit totius corporis macies, ſputa purulenta facta ſunt, & inſignis ſupervenit raucedo, adeo ut vox ejus vix percipi poſſit. Vigiliæ infeſtant: ſomnus enim à tuſſi moleſta impeditur, ciborum inappetentia detinetur, & poſtremis hiſce menſibus menſtruæ purgationes valde imminutæ procedunt, eoque magis, cum ob maciem & virium imbeciſtitatem deambulare & moveri non valeat. In hoc autem ſtatu conſtituta medicam opem implorat.

Quamvis deploratos non eſſe attingendos, ſed deſerendos, & finem morbi tantummodo pronunciandum jubeat ipſe Galenus, nihilominus impium eſſe & inhumanum Ægros ſolo Prognoſtico relinquere nos monuit Aëtius cum ſene Divino. Et idcirco in præſenti quoque anguſtiſſimo caſu auxilia medica nos non denegabimus, ſupponentes Phthiſi non ſolùm, verum & tabida Phtoë jam laborare Nob. Mulierem ob ulcus pulmonum febre continua comitatum. Hoc autem excitatum fuit poſt ſanguinis ſputum ex diæreſi, ſive venarum in pulmone eroſione ſequuta, non ſolùm à ſalſa & tenui capitis deſtillatione vaſa ipſa extrinſecus erodente, ſed & à vitioſo ſanguine intrinſecus cooperante; cum enim ulcera in cruribus olim excitata fuerint, ichores biliosos, ut credi poteſt, continuo effundentia; jecur præcalidum Nob. Patientem habuiſſe credendum, vitioſum ſanguinem generans, & deteriorem portionem per decubitum & abſceſſum ad crura deponens; cujus evacuationis ope quoquo pacto maſſa ſanguinea defæcabatur, qua arte ſuppreſſa, vitioſæ ſeroſitates antea expurgari ſolitæ, una cum ſanguine circulando ad caput delatæ, & catarrhali materiæ immiſſa, eandem tenuiorem & ſalſam, atque ad motum ſive ad diſtillationem aptiorem reddiderunt, unde facile à capite ad laryngem, & per aſperam arteriam ad pulmones præcipitavit, tuſſimque moleſtiſſimam excitavit, à cujus impetu diſtenta & rarefacta pulmonum vaſa facile ab ejuſdem materiæ ſalſedine eroſionem paſſa ſunt, & multo facilius, cum ſanguinem eundem ſeroſitatibus acribus atque acidis inquinatum, & ad pulmones delatum intrinſecus eandem eroſionem fovisse pro certo habendum; ut propterea ulcerum in cruribus ſuppreſſio potiſſima tanti mali cauſa cenſeri poſſit: ſuppreſſis namque internis evacuationibus hujuſmodi mala ſuccedere ſolent; ita Hipp. dicebat, quod A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi una non ſervetur aperta, periculum ſit Hydropis aut tabis; ſed melius, Sanguifluis venis laborantes, neque Morbo laterali, neque pulmonario, neque aliis hujuſmodi capiuntur: Subdit vero in textu ſubſequenti: Medela quidem multis importune adhibita, talibus non tarde capti ſunt & perniciose: Sic & quicunque alii abſceſſus & fiſtulæ. Quantam vero vim habeant humores ab ulceribus evaneſcentibus ad alias partes converſi, confirmat idem Hipp. dum dixit: Quibus tumores in ulceribus apparent, non admodum convelluntur, neque inſaniunt: verum iis derepente evaneſcentibus, & convulſiones, & inſaniæ fiunt; Sed & malum hoc fovisse tranſitum à fœcunditate ad infœcunditatem ſuſpicari non abs re erit. Verum ad rem propius accedamus, & Nob. Patientis phthiſicum ſtatum conſideremus, quæ hectica phthiſica febre laborat, & quia macies inſignis facta eſt cum ſputis purulentis, ad Tabem quoque perveniſſe credendum, juxta oracula Hipp. A ſanguinis ſputo puris ſputum: poſtea à puris ſputo Phthiſis: cum vero ſputum retinetur, moriuntur, & interitus cauſa præcipua eſt Curationis tarditas, adeo ut nullum viderit in totum ſanatum ipſe Galenus, cui febricula poſt ſanguinis ſputum ſuborta fuerit. Nec mirum inſignem quoque raucedinem fere ad aphoniam pervenientem jam dictis acceſſiſſe, ipſa eadem materia catarrhali tum muſculis laryngis humefactis, tum aſpera arteria madefacta & inæqualiter irrigata; ſic Tabidis voces erant vitiatæ ob capitis deſtillationes ab Hipp. deſcriptis. Hecticæ vero febri quoniam additur putrida quoque catarrhalis ex putreſcente catarrho in pulmonibus ipſis, idcirco in hac quaſdam apparere exacerbationes neceſſe eſt; eſtque quidem febris putrida, at non humoralis hecticæ adiuncta; quæ ut plurimum veſpertinis horis exacerbari ſolet. Tandem imminutæ factæ ſunt menſtruæ purgationes ob ſanguinis defectum: nemo namque dat quod non habet.

Et hæc ſunt quæ in gratiam Conſanguineorum de ſtatu Nob. Mulieris à me dici & adduci poſſunt, quamvis pauca facienda, pauca quoque di-

dicenda requirant, cum apertiſſime jubeat Galenus & ratio perſuadeat quod Tabem curare nec quidem tentandum ſit: licèt enim calor remitti poſſit, remanet tamen ſiccitas, quæ ſenectutis ritu Patientem interficit.

Ut autem Nobiliſſimæ Mulieri aliquam opem medicam feramus, quatuor ſunt in ipſa conſideranda: ex una parte febris & macies: ex altera catarrhalis in pulmones deſtillatio & ulcus; duo priora refrigerantibus & magis ſubſtantifice humectantibus egent: poſteriora verò nonnihil calefacientibus, ſed magis valde exiccantibus. Urgentiori autem ſemper incumbendum eſſe nos docet cum Hipp. ipſe Galenus; & idcirco ſicut in principio pro legitima Curatione exiccantibus utimur, ita dum febris ſimulque macies invaluerint, Curatione coacta humectantibus ſubſtantificis uti cogimur, exiccantium uſu Patientem citius perdamus. Ita in caſu noſtro ad ſubſtantifice humectantia eſt confugiendum, ut longiorem vitam producamus, catarrhali deſtillatione non neglecta.

In hunc finem video à Viro Excellentiſſimo Adſtanti propoſitum lactis aſinini uſum, quo nil præſtantius, cum & medicamenti & alimenti facultatem obtineat; quod remedii genus licet omnino indicetur, objectionibus tamen & prohibentibus non caret: prohibens eſt catarrhi copia: objectiones vero ſunt anni tempus & paſcua; Vere enim lac tenuiſſimum ac liquidiſſimum eſt, quia parum diſtat à partu, & ideò torminoſum, laxans, parum nutriens, non boni ſucci ob aquoſos humores à partu relictos; Æſtate prima, hoc eſt, in fine Veris optimum eſt; Æſtate ſecunda bonum; Autumni initio eſt duræ coctionis, craſſum & caput tentans: in fine vero Autumni & Hyeme peſſimum, Secundò ratione paſcuorum, nam viridiores herbæ & nuper natæ aquoſius lac generant, aridiores & ſicciores craſſius, medio modo ſe habentes mediocris conſiſtentiæ. Sed & herbarum quoque varietas lac ipſum alterat, unde Gal. Aſinæ quoque victus rationem præſcribit. Quibus tamen non obſtantibus, curandum, ne tanto remedio deſtituatur Nob. Patiens. Et ſi catarrhalis deſtillatio conſideretur, quoniam ſalſa, & ideo tenuis ſupponitur, idcirco lactis uſum non ſolum non prohibet, ſed potius expoſtulat; & quamvis craſſa ſputa tuſſi educantur, craſſior redditur in pectore detento à pulmonum calore deſtillatio ipſa, quæ expectorantibus eget nonnihil attenuantibus & incidentibus, ut infra. Objectiones vero tolli poſſunt, Aſinæ quotidiè mane & ſero pro cibo offerendò hordeum, panem & herbas: reliquis vero diei horis fœnum optimum. Verum ego cum ipſo Galeno lacti aſinino Muliebre præferendum eſſe cenſeo, adeo ut mammam Muliebrem ſugat ipſa Patiens bis in die: reliquo vero tempore aliis veſcatur idoneis alimentis; ita nutrix refrigerantibus & humectantibus cibis enutriri poterit; & Patiens vel ante, vel ſtatim poſt lactis ſuctionem ſacchari albi cochlearia devorabit.

Balneum aquæ ducis eſt ſecundum magnum Hecticæ remedium, quod tamen in caſu noſtro locum non habet, tum propter pulmonum ulcus, tum propter tempus anni frigidum, & maximè propter virium imbecillitatem, citra quam inſeſſiones uſque ad ſeptum admitti poſſent. Balneo itaque ſubſtituatur univerſalis inunctio oleo amygdalino abundanti, cui pro pectore addatur quoque butyrum recens, unguentum malvinum & pulvis iridis Florentinæ: ſicut pro abdomine medulla crurum vituli.

Verùm quoniam alia edulia facilè & multum nutrientia, præter lac, neceſſariæ fore dixi, hæc eſſe poterunt, pulli junioris contuſum & expreſſum, emulſiones ſeminum melonum, nucleorum pineorum, amygdalis etiam ut pectoralibus quandoque additis, licèt nonnihil caput tentent. Ptiſana hordeacea cum ſaccharô prærogativam habet; morſuli quoque parari poterunt ex pulpâ pulli, nucleor. pineor. amygdal. dulc. additô quoque aliquô piſtaciô, & omnia cum ſaccharô Et niſi macies inſignis eſſet ferculum Saxoniæ cum pulvere chinæ in cæna valde prodeſſe poſſet. Jura carnium vel pulli, vel vituli, vel hædi: imò cum ipſis carnibus de more bulliant ranæ, caudæ cancrorum, quandoque etiam limaces & teſtudinum caro, hæcque inſciâ Nob. ipſâ patiente. Nec vinum interdicendum, album, ſubdulce, tenue & modicum: vires enim reſtaurare, & materiam à pulmonibus educere & expectorare poterit.

Catarrho autem in hôc caſu adhiberi poſſunt ſiſtentia, intercipientia, expectorantia. Siſtere poterit & præcipitium in pectus remorari cetatum ſuturæ coronali applicitum, quod temperatius erit à Claudino deſcriptum, quàm illud à Montagnana. Intercipientia in ore noctu detinenda, erit confectio diacodii, & melior diatragacanthi frigidi cum bolô: Diapenidii quoque. Sicut tandem expectorantia matutinis horis lambenda, eſſe poterit oxymel, melle Hiſpanicô, & aquâ capillorum Veneris, vel è pomis dulcibus paratum, cum modicô aceti, in quô conficiendô bulliat globulus pulver. rad. iridis florent. ita ut ſit oxymel ireatum, cui craſſioribus & denſioribus exiſtentibus ſputis, addatur quoque portio olei de ſacchorô: ſunt enim lambitiva hujuſmodi ſatis ſuavia, ne ad ſquillitica inſuaviora deveniamus; imò cum ſaccharo vice mellis julapium quoque acetoſum, ſed ſtrictum eôdem modô parari poterit. Quæ jam dicta omnia utinam uti proficua, ita ſalutaria pro votô ſuccederent. *Idem ibidem.*

Phthiſis Confirmata, pro Sereniſſimo Principe & Eminentiſſimo Cardinali.

Quantùm quidem ex hiſtoria morbi Sereniſſimi & Reverendiſſimi Cardinalis eruditè accurateque ſatis à Medico adſiſtente expoſitâ, & ſcripto huc ad me tranſmiſſo comprehenſâ, conjicere poſſum, res eò devenit, ut jam non verbis, ac theoricis ratiocinationibus, ſed re & factis, id eſt ſalutari aliquâ eaque validâ Medicinâ maturè adhibendâ, opus eſſe videatur: urget enim malum in dies graviùs; cujus alioquin ortus, incrementum, univerſuſque ad præſentem uſque ſtatum progreſſus, & mores, quam referat idæam, quam partem obſederit, & cujuſmodi tam continentem, quàm antecedentem concomitantemque habuerit, habeatque cauſam, clarè docent ſatis.

Vitioſa venoſi arterioſique corporis conſtitutio,

tio; vel nativa, vel ex iniquiore victûs ratione adſcititia, ſanguinis tenuioris, acrioris, fervidioriſque ſuggeſſit copiam. Pulmonum ſubſtantia, mollitie ac flacciditate ab ortu ipſo (quia εὐπαθὴς) languens multiplici in univerſo victu commiſſo errato, graviore malo affecta. Hinc valida eaque pertinax ab irruente, quacunque id occaſione primùm acciderit (hoc enim probabiliùs dicitur, & frequentiùs fit, quàm quod hic de deſtillatione à capite proponitur) è vaſis cordis in pulmonum vaſa, èxque his in ſubſtantiam ipſam ſanguine vel humore, excitata tuſſis.

Per hanc vehementiùs quaſſati pulmones, violentiaque exſpirationis reſerata, vel etiam acrimonia ipſâ influentis humoris non nihil eroſa vaſcula minora aliquot, quâ in pulmonum ſubſtantiam hiſcunt; ex quo ſanguinis ſputum, atque ab hoc ulcus & tabes.

Crebra & moleſta hæmorrhagia narium, quæ præceſſit, ejuſdem vitioſi ſanguinis; per ordinarium (in quibuſdam) emiſſarium illud erumpens, fuit ſoboles. Utinamque perrexiſſet: vel, ea animadverſâ, unaque conſiderata ex habitu illo corporis à Medico ordinario deſcripto, pulmonum nativâ labe imbecillitateque his roborandis, tempeſtivè data fuiſſet opera. Profectò, cùm hoc, ſectione venæ in utroque pede ſubinde repetitâ, ſiſti hæmopthyſis, imminenſque ex hac Tabis periculum averti commode (niſi judicio fallar) ac tutò potuiſſet: id quod à me ſuperiore anno in Franconia in illuſtris nobilitatis Matronâ feliciter tentatum ac præſtitum fuit.

Terrifica hîc ſunt omnia: prægreſſa ſanguinis per os eruptio, inflammatio, febris, à ſanguine pus, eroſionis ſuſpicio: (ab hac enim citiùs & faciliùs induci potuit ulcus: & ſputa cruentis nigricantibus permiſta, quæ primo ipſo morbi menſe apparuerunt, hoc ipſum evincunt: ſiquidem reſeratis duntaxat vaſis, tardiùs vel rariùs accedit ulcus) unde tabes, & vera jamque confirmata Phthiſis: alvi fluxus, & ſpiritus μετέωρος curſuſque, horrendum ſanè apud me in hoc morbo, atque in hoc ſtatu rerum, utrumque ſymptoma: nec immeritò, ſi ad cauſam utriuſque reſpiciam. His accedit, quod pugnatum eſſe viâ regiâ alimentis & auxiliis omnibus contra morbum ſcribitur: ſed fruſtra imò & auctum potiùs malum: quæ, dico, omnia quid aliud portendunt præter extremam, quod dolenter pronuncio, vitæ ruinam? Et à me hic quidem; ubi tot ac tam periti artifices alii incaſſum admovêre manus, quid vel ſalutaris conſilii, vel certè auxilii debeat aut poſſit exſpectari, non video: hoc tamen debita cum ſubjectione animi ſubjiciam ſi non regia, hac ſaltem Cæſareâ & ſimpliciſſimâ medendi ratione (quam mandante id Sereniſſima Celſitudine Veſtra, ſubjiciam, & quâ Cæſarem Marſcotum nobilem Gallum non ita pridem ſemeſtris ſpatio curavi) tantùm, coadjuvante Deo, præſtitiſſe, ut is, jam liberatus morbo in patriam ſalvus incolumiſque ad ſuos redierit. Sublimis illa curtaque reſpiratio non aderant; reliqua prorſus eadem.

Ptiſana ſola pro cibo illi fuit, admixtis Sacchari Roſati vetuſtioris momento, & pauculis aliquot amaris contuſis Amygdalis, nucleiſque Pineis recentibus, ex aqua gelida aliquantum maceratis. Aqua Saccharo condita pro potu. Alvo nimis fluxâ, quæ hic minatur periculum, taleolæ panis ſucco Cydoniorum imbutæ offerebantur. Hinc decoctum caudarum & chelarum aſtacorum, ex aqua hordei, cùm veterum & Aëtii, tum neotericorum authoritate commendatum ad uncias tres, admiſtis Sacchari Roſacei in tabellis drachmis duabus, in ipſa media nocte exhibebatur. Succus defæcatus ex Chamæciſſo & Veronica, vel ſucci defectu aqua ſtillatitia earundem plantarum cum Saccharo Roſaceo ad conſiſtentiam ſyrupi cocta ſummo manè dabatur; conſerva, ſyrupus, pulvis ex Coſta herba, quã m Itali vocant Ingraſſa porci (Hieracium eſt latifolium) multùm quoque profuit. Pulveribus, quæ alias vim ſiccandi detergendi ulceris, atque etiam callum obducendi vim haberent, multorum generum, prout his magis quàm illis profici obſervabam, ſum uſus. Earum ſylva proſtat in claſſicis authoribus ingens. ego è foliis Cardui benedicti, & Tuſſilaginis pulverem habui familiarem; abſtinui ſemper iis, qui calidiores eſſent; admiſcebam ptiſanæ, alias ex aqua ſtillatitia Chamæciſſi exhibebam; conſervâ Roſarum vetuſtiore, in ingreſſu lecti utebantur. Pilulis è Salvia apud Durantem illum Romanum deſcriptis, ſum quoque aliquoties uſus, evidenti fructu. Laricea reſina ex aqua Plantaginis lota, per vices exhibita. Hac ſimpliciſſimâ medicinâ deterſum ulcus; expectoratum pus; ſublata febris, ſanatum ex toto malum: exin data corporis habitûs refectioni opera. Ervi farina ex melle, ad nucis juglandis quantitatem, cum Glycyrrhizæ momento ſumpta; ſublimitatem illam ſpiritûs deprimet. Faxit æternus Deus &c. *Simon Simonius Doctor. apud Franciſcum Ignatium Thiermairium Conſiliorum lib. 2.*

Scholia ejuſdem Thiermairii ubi de Phthiſeos Cauſis, Prognoſi, & cura diſſeritur.

In manuſcriptis Clariſſimi Thomæ Mermanni, quas à Franciſco Dägn Med. Doct. p. m. Cognato & olim diſcipulo meo obtinui, reperio: initium periculoſiſſimæ Phthiſeos in Eminentiſſimo & Sereniſſimo Cardinali iſto fuiſſe catarrhum & tuſſem, menſe uno ante ſputum ſanguinis præcedentem; ſanguinis verò ſputum præceſſiſſe pridie exercitium per campos vehementius. Certum eſt, catarrhos in juvenibus non tam à defluxione primario, quàm interna incaleſcentia (cujus incaleſcentiæ effectum dico eſſe catarrhum ſeu defluxionem) procedere. ita quoque docui in Scholiis meis, de Catarrhoſa Diſpoſitione; & juvat illa ipſa mea verba huc iterum apponere. In juvenibus, inquiebam, catarrhoſis ſeroſa potiſſimùm & ſæpius quidem bilioſa colluvies in cauſa eſt: hæc etenim vel à frigore externo calorem noſtrum concentrante, vel à calore extrinſeco interiora noſtra reſolvente & acuente, ignem facilè ſuſcipit, incaleſcit, incaleſcens fermentatur, fermentata per ſuperiora deſpumatur; ſpumâ catarrhali ad fauces, nares, pulmones exturbatâ. Hinc porrò exoriente incaleſcentia & fermentatione febres, capitis gravedines, dolores, vertigines fiunt, eouſque perdurantes, donec ſubſidente fermen-

tatio

tatione, materia per loca & meatus ſuperiores quoſcunque fuerit evacuata.

Et notabile ſanè eſt, nullum in univerſo corpore (excepto corde) eſſe viſcus, per quod tota maſſa ſanguinea circuletur, præterquam pulmonum lobos: per hos, inquam, univerſus ſanguis tranſcolatur, hos ille tanquam ſubſtantiam mollem, ſpongioſam, acri fervore ſuo, quo aliquando præditus eſt, facilè lædit, irritat, & demum erodit. hinc eſt, quod juvenes & Viri, in quibus ſanguis acrior & bilioſior magis fervet, haud difficulter pulmonum eorundemque venarum læſiones incurrant; præcipuè ſi labes aliqua, vel nativa hæreditaria, vel unde unde acquiſita in thorace præexſtiterit. Offenduntur autem pulmones non ſolùm ab aëris injuriis, de quibus Hippocrates paſſim in Aphoriſmis; vel à certis regionum conſtitutionibus, de quibus Aretæus lib.1. de Signis & Cauſis Diutur. cap.8. vel à fumis & evaporationibus metallicis, ut experientia monſtrat; ſed etiam à cauſis quibuſdam aliis, quas minùs aliquando æſtimamus conſideratione dignas. Pectus infantium à ſtricta faſciarum compreſſione nimis acutum reddi, puerosque ita involutos tabidos, vel languenti & imperfecta ſanitate, redditos eſſe, præter Petrum Borellum Obſervat. 59. Cent. 2. obſervârunt alii non pauci: & videmus profectò ruſticos pueros amplis pectoribus præditos eſſe, probabiliter, quòd in iis non ita ligatum pectus majori & laxiori libertate gaudet. Sic etiam ex puellis aliquæ, quæ, ut graciliores videantur, pectora ſua nimis comprimunt, tabidæ tandem moriuntur, vel gibboſæ fiunt: nutrimento magis ad ſuperiora, ob ligaturas arctiores urgente. Sic ſtudioſi quidam contabeſcunt non tam ſtudiis, quàm, ut mihi quidem videtur, à candelarum fumo in muſæis undique clauſis copioſè hauſto, læſi & emaciati. Sic etiam pueros non abſque ratione circa ſcapulas pugnis eſſe caſtigandos, multi prohibent; non tantùm propter nervos ſpinalis medullæ, unde tremula ſæpenumero vox & balbuties; ſed etiam ne muſculi intercoſtales graviùs percuſſi, reſpirandi anguſtiam, vigilias, catarrhos, ac demum pulmonum exulcerationes inducant.

Cæterùm ad Sereniſſimum Patientem noſtrum, qui anno 1597. circa Ratiſponam primò ægrotare cœpit, convocatos eſſe reperio Medicos diverſos. Primus fuit Johannes Oberndorf Ratiſponenſis, alter Philippus Menzelius Profeſſor Ingolſtadienſis. Tentata ſunt varia: ſanguinis miſſiones inſtitutæ: electuarium Helidéi aliquoties porrectum: laxantia ex Rhabarbaro & pauco Agarico propinata: diæta & quies inſtituta ſtrictior, &c. verùm omnia eventu dubio. Supervenêre dein Cyriacus Lucius Profeſſor Ingolſtadienſis, (qui poſtquam ex Turcica captivitate, ubi detinebatur aliquandiu, rediit, diverſa edidit opuſcula, nempe de Academicæ vitæ commoditatibus, de conſiderando Academicorum officio, & de hoc Sæculo diſputabundo) Thomas Mermannus Sereniſſimi Wilhelmi Ducis Bavariæ Archiater Primarius, ejuſque Collegæ, Hieronymus Faber, Jacobus Burckhardus, & Henricus Münzinger, omnes Medici in arte expertiſſimi. Neque ab iſtis Excellentiſſimis Viris quidquam omiſſum eſt, quod ad ſalutem tanti mali conferre videbatur: & quamvis læſionem in pulmonibus, potiùs à debilitate partis & calore ſanguinis, quàm ab eroſione provenisſe credebatur, periculum tamen lethalis Phthiſeos maturè prædixit prudentiſſimus Mermannus. Quocirca, cùm & alii in Arte celebres Viri in conſilium vocati eſſent, illud, quod huic Scholio præpoſuimus, ſubmiſit Reſponſum Simon Simonius Medicus eximius, doctus, eloquens, ſed ingenio acris: prouti apparet ex diverſis illius ſcriptis, & apologiis adverſus quendam Squarcialupum, & Nicolaum Buccellam, alioſque vehementiſſimo calamo exaratis. Interim, invaleſcente paulatim malo, moritur in Dachau prope Monachium, 18. Maii, 1598. Eminentiſſimus Cardinalis Philippus Sereniſſimus utriuſque Bavariæ Dux, & Epiſcopus Ratiſponenſis, Guilielmi filius, Maximiliani Electoris frater, Princeps ad maxima natus, ſi vita longior ſuperfuiſſet.

Graviſſimum malum eſt Phthiſis, & plerumque incurabile: Ingenuè fateor, inquit Timæus Epiſt. Lib.2. Epiſt.2., in tota mea praxi, quam triginta ſeptem annis exerceo, neminem ex iis, qui ulcere pulmonum affecti fuerunt, integræ ſanitati reſtituere potui, etiamſi nihil intentatum reliquerim, quod ad curationem hujus mali ullo modo facere poterat; nec ab aliis etiam celeberrimis Medicis quempiam reſtitutum vidi. Hinc Galenus 5. Meth. Med. cap.8. concludit, quòd rupto in pulmone vaſe, niſi ſtatim, antequam phlegmone accedat, ulcus ſanetur, exigua ſanationis ſpes ſuperſit. Et licet ſint ſubinde aliqui, qui Phthiſicos ſe curâſſe, vel curatos vidiſſe, dicant; meminiſſe tamen hos oportet, quod Sennertus Cap. de Pulm. ulceribus prudenter monet, attendendum ſcilicet eſſe, ne decipiamur: quandoquidem pituita craſſa & ipſa puri ſimilis eſt; imò catarrhi interdum in pectus delapſi, præſertim in juvenibus, deducuntur ad quandam conſiſtentiam puri ſimilem, exin ob putredinem febres fiunt, & corporis macies ſequitur; Phthiſis tamen reverà non eſt, cùm caro aliqua regeneretur; & thorax ſolummodo laboret, pulmonibus nondum exulceratis.

Sed quæres, cur ex ulcere thoracis vel pulmonum tam funeſta tabes? & cur ex iſta tabe tam formidabile adſiſtentibus contagium? Ad primum reſpondet doctiſſimus Duretus in Coacas Hippocratis cap.17. Spiritûs, *inquit*, quem ducimus, tabifica qualitas, quæ ipſi de corruptela & ulcere pravo pulmonis accedit, à quo excipitur, inficit. Profectò ita eſt, & aura illa, quæ per inſpirationem ad pulmones ingreditur, illos tranſeundo, contagium ulceroſum tabificum contrahit, atque dum ad cordis refocillationem, dumque ad ſpirituum vitalium generationem ulteriùs provehitur, neceſſariò ſpiritus, ſanguinem, & nutrimentum univerſum tabificâ labe aſpergit, etiam ad extra pertimeſcendâ. Unde porrò ad ſecundum quæſitum, cur nempe ſit formidabile hoc mali genus etiam adſiſtentibus? plana eſt reſponſio. nam ſi aër, qui per inſpirationem inſufflatur, contagium in pulmonibus imbibit, quid faciliùs, quàm per exſpirationem à propulſis aëreis fuliginibus etiam adſtantium nares & pectus infici? cibos, vaſa, quibus ægri cum aliis unâ menſâ utuntur, cadaveroſo odore tingi, inquinari? Contagium

hoc

hoc memorabili & Principibus advertendo confirmat exemplo Cent. 3. Obſerv. 64. Salmuth. Tres, *ait*, Marchiones Brandenburgici adoleſcentes ex Phthiſi moriuntur, & brevi quidem temporis intervallo, unus nimirum poſt alterum. cauſa fuit relata in Præceptorem Phthiſicum, quo cum dies noctesque convixerant, & eâdem menſâ perpetuò uſi fuerant.

Malum itaque hoc tum patienti tum adſiſtentibus pertimeſcendum eſt; non tamen proinde ægros relinquendos eſſe intelligo: cùm ſæpius, prouti dixi, Phthiſici quidam eſſe cenſeantur, quorum non in pulmonibus, ſed intra thoracis ſolummodo cavitatem læſio conſiſtit. In natura fieri ſubinde miracula, non nego; neque denegandam eſſe fidem omnibus authoribus puto; qui graviſſimum hunc morbum ſuſtuliſſe gloriantur. Ingraſſias, in Conſilio pro fiſtula Illuſtr. Ducis Terræ novæ, decocto ligni Guaiaci veros Phthiſicos & ab aliis deploratos percuráſſe ſe, narrat: idem aſſerit Eraſtus apud Scholzium Lib. 3. Conſil. & Epiſtol. Conſil. 8. & Riverius Obſervat. 99. Cent. 1. & alii plures. nec forſan immeritò; præterquam enim quòd decoctum Ligni ulcera exſiccet, ſanguinem purificet; credendum eſt inſuper, pravum & contagioſum Phthiſeos myaſma alexitericâ ſuâ vi extinguere. Avenzoar Lib. 1. Theyſir Tract. 11. cap. 2. cum pane bene fermentato cum oleo olivarum, ex ulcere pulmonum extenuatos teſtatur eſſe reſtitutos. Valeſcus de Taranta Lib. 3. Cap. 2. pulverem Hali in Diſpenſatorio Auguſtano deſcriptum ſummopere extollit; eſtque hic pulvis hîc locorum uſitatiſſimus, & omnibus ad hunc morbum diſpoſitis utiliſſimus. Fuit ante hac pulvis D. Laubii apud nos ſecreti loco habitus, & multis admodum proficuus; ſed parùm aut nihil differt à pulvere Anonymi, in Diſpenſatorio Auguſtano deſcripto. Pulvis iſte eſt.

♃. Sem. quat. frig. major. excort. an. ʒß. Papaveris albi ℈ij. Bombacis, Malvæ, Cydonior. an. ℈j. Boli Armeni præpar. Orient. Hypociſthidis an. ʒß. Cicerum rubr. præpar. Raſuræ Eboris, C. C. uſti an. gr. xv. Fol. Botryos, Pœoniæ an. ℈ ij. Flor. Cordial. an. gr. v. Cinnamomi elect. ʒj. Sacchari Roſat. tabul. ℥v. Penidii, ℥j. Miſce fiat pulvis.

Etiamnum hodie Fœminis quibuſdam magnatibus ſequens pulvis pro arcano eſt, ac pluribus exhibetur, non ſine magna ægrorum utilitate. vocabatur ante hac Pulvis Seidelii.

♃. Viſci querni, Herbar. Salviæ an. ℥j. Pulmonariæ, Veronicæ, an. ℥ß. Rad. Enulæ, Pulm. vulpis præpar. an. ʒij. Exſiccentur, & ſeorſim pulveriſentur, addendo Sacchari albiſſ. ad pondus omnium. Detur ter in die.

Sumunt aliqui hunc pulverem ſuper buccella panis vino madefacti, ad cochleare unum. deinde advertunt, ut colligant herbas, Sole in Cancro vel Leone verſante; quo tempore & pulmones vulpis præparant. Alii Pulmonariâ aureâ ſolâ utuntur cum ſaccharo æquali pondere mixtâ, optimo cum effectu; & poſſem hujus rei caſus recenſere plures notatu digniſſimos.

Avicenna Lib. 3. Fen. 10. Tract. 5. Cap. 5. Saccharum Roſaceum diu & multùm continuatum magnopere laudat: idem facit Meſues Cap. de Phthiſi, Montanus in Conſiliis, Valleriola Lib. 5. Obſervat. 5. & alii Medici omnes, experientiâ confirmati. Antehac apud nos hîc Monachii conſerva ex Roſis obſcurè rubris, *Kolroſen*, Ulmâ allata in frequentiſſimo uſu fuit, ut apparet ex Conſiliis Thomæ Mermanni, aliorumque Medicorum Germanorum; hodie Italicum, Genuenſe, Neapolitanum aut aliunde, modò ex Terra Alienâ, allatum; non tam effectu, quàm æſtimatione rerum exterarum prævalente: certè Roſæ illæ rubræ Ulmenſes, ob amaritiem, quam paulò majorem habent, magis detergent, & firmiùs, ut omnes agnoſcunt, adſtringunt. Foreſtus Lib. 16. Obſervat. 58. Phthiſicam deploratam intra duos menſes reſtitutam audivit Sacchato Roſaceo, ſequentem in modum parato. Capiebat, *ait*, pullum exenteratum, ac in ventre uncias tres Sacchari Roſati ponebat, ac demum aquâ lento igne in olla copertâ coquebat, illo decocto, ſupra cineres per totam noctem ollam relinquebat; manè verò ex pullo contuſo cum ſuo jure manens in lecto ſumebat ſuperdormiens: quo quidem remedio ſana evaſit. Remedium hoc mihi ſemper viſum congruum, & in ſimilibus diſpoſitionibus non ſine fructu aliquoties adhibui.

Raſis 4. Continen. perfecta curatione verè Phthiſicos ſanatos vidit lacte aſinino, & caprino; quæ curandi ratio etiam hodie communis, utique ab experientiâ diutinâ comprobata. Lacte caprillo Salviato, cum Viſco querno, aliiſque pneumonicis mixto, inſigniter levatos fuiſſe Phthiſicos adnotavit Velſchius Epiſagm. Cent. Obſervat. 27. & ſecretum, ait, fuiſſe Andreæ Schillingii, Profeſſoris olim Argentinenſis celeberrimi. Alii ſimilia thoracica cum lacte deſtillant, qualis formula ſequens eſt Perilluſtri Comiti à Colle, archiatro Bavarico antehac valde commendata.

♃. Ex vitulo nigro cor, pulmones, hepar, ſepara pinguedinem & venas majores, minutim incide, Rad. Ireos Florent. Enulæ, Conſolid. Altheæ an. ℥ ij. Herb. Pulmonariæ, Salviæ, Veronicæ, Hyſſopi, Abrotani an. M ij. Flor. Boraginis, Roſarum rubr. Tuſſilaginis, Violar. Purp. an. Mj. Amygdal. dulc. depil. Paſſularum majorum an. ℥ vi. Minorum ℥ iv. Pinearum recent. Piſtaciorum an. ℥iij. Sem. Melonum, Cucurbitæ, Cucumeris an. ℥j. Macis ℥ß. Croci ʒj. Hepata gallinarum quinque conciſa. Atque his omnibus conciſis contuſis adde, Aq. è Pulmone Vituli, Capon. Veronicæ, Scabioſæ, Taraxaci, Salviæ an. ℔ i ß. Lactis Caprilli recentis ℔ v. Miſce & ſtent in digeſtione, per dies quinque, agitando nonnunquam; deſtilla in arena; & poſtquam ſunt omnia parata ad deſtillationem, adde ſanguinem porcelli minoris univ. Et ita deſtilla per arenam.

Uſus, bis in anno, Vere & Autumno, manè ℥iij. cum guttulis aliquot aquæ Cinnamomi, & Saccharo candi albo: continuatur per ſex ſeptimanas pro præſervatione, in curatione quovis tempore adhibetur. Non multùm differt ab aqua antiphthiſica Mynſichtii: apponere autem huc lubuit, ut innoteſcat, qualis ſit compoſitio, quam ſcio multos ſibi ſolis reſervare; & hæc aqua videtur eſſe, de qua paulò pòſt in hoc ipſo Scholio, in Phthiſi Canonici Saliſburgenſis fit mentio. Ejuſdem tenoris eſt, imò mihi magis placet, utpote compendioſa potiùs ac forſan utilior compoſitio, quæ ſequitur; certè illam

ita laudat Alexander Deodatus in ſuo Valetudinario, mihi pag.353. ut niſi, ſibi hoc tanquam experientiâ comprobato remedio, affectus mitigetur, nihil eſſe reliquum credat, quàm ut funeralia præparentur maturè. Noſtrum enim hoc, *ait*, præſidium vel aliis congruis junctum, vel per ſe ſolum nullis aliis ulcus vel detergendi, vel glutinandi, vel corpus exhauſtum renutriendi, ac reficiendi, facultate unquam ceſſerit. deſcriptio talis eſt.

♃. Succi Hederæ terreſtr. Tuſſilaginis, Scabioſæ, Veronicæ, Botryos an. ℔j. Carnium limacum recent. ſuccul. contuſ. ℔ij. Jecinoris vitul. num.2.minutim conciſ. Lactis vaccini ℔vi. Digerantur ſimul per biduum, dein deſtillentur in veſica.

Bibat Patiens quotidie tres hauſtus de hoc deſtillato, dulcoratos Sacchāro Roſaceo, & ſingulis hauſtibus affundantur olei Sulphuris per campanam guttæ tres. Quantis laudibus extollatur lac muliebre vulgò notum, ſed arcanum eſt apud Borellum Cent. 3. Obſervat. 82. butyrum è lacte muliebri confectum; imò & pulmentum ex hoc lacte paratum proponit ex Salomone Alberto Brendelius Conſil. 68. Cæterùm modum emulgendi & utendi lacte, cancrorum & limacum deſtillandi rationem & ſimilia, reperies apud eundem Brendelium loc. cit. Coronidis loco apponere lubet unum alterumve recentem & nuperum Phthiſeos & tabis caſum; ac ſimul illa remedia deſcribere, quæ Ampliſſimus D. de Mapæis Proto-Medicus, & ego communi conſilio propoſuimus.

Primus erit Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Baro N. N. ad nos 19. Decembris Salisburgo lecticâ deportatus, Vir juvenis admodum tunc debilis, aliquando tuſſiens, materiam pituitoſam viſcidam cum admixti puris ſuſpicione multùm rejiciens: animadverſa eſt febris lenta, pulſu exiſtente valde celeri, calore etiam quoad tactum ſubinde acri, præcipuè verò ad veſperas incrementum ſumens: reſpiratio fuit naturali celerior, & poſt unam alteramve deambulationem per cubile non ſine difficultate aucta: corpus extenuatum: urinæ modò tinctæ, modò naturales cum ſuſpenſo divulſo: pedes ad veſperas ſemper tumeſcentes: hypochondrium dextrum notabiliter tenſum: in latere ſiniſtro Reverendiſſimus Patiens nullo modo cubare potuit, in dextro verò difficulter, &, quia excarnis, cum dolore: ſitis adfuit nulla; oris tamen aliquando & faucium ſiccitas: appetitus nunc dejectus, nunc ſufficienter aderat; ſed ſemper cum inſigni nauſeâ ad carnes: alvus debitè aperta: ſomnus à tuſſi frequenter interrumpebatur, verbo ita res ſe habuit, ut ab initio ſtatim Illuſtriſſimis Parentibus non niſi peſſima prognoſi à nobis fieri potuerit.

Interim in eam ivimus ſententiam, affectum eſſe mixtum; partim pectoris, partim hypochondriorum; pectoris quidem manifeſta erant ſigna; ſanguificationis verò viſcera jam diutiùs læſa, non tantùm inſignis dextri hypochondrii tenſio, errores in victûs ratione prægreſſi indicabant, ſed etiam extenuatio (quam Illuſtriſſimus Dominus in toto corpore ſuſtinere videbatur, antequam affectum pectoris incurreret, aut febris aliqua lenta manifeſtè ſe proderet) ſatis ſuperque demonſtrabat. Acceſſit copioſus ante annos duos repetitus ſanguinis vomitus ſive ex hypochondriis æſtuantibus, ſive pectore, nulla præcedente tuſſi nec ſubſequente, rejecti.

Itaque eò reſpeximus, ut, ſi fieri potuiſſet, utrique malo, pectori verò tanquam in præſenti magis urgenti ſuccurreremus. Reddidit nos vehementer ſolicitos, ne febri lentæ præter ordinem auctæ putrida quoque conjungeretur. videbatur enim Reverendiſſimus Vir aliquoties ad veſperas non tantùm incaleſcere, ſed etiam, extremis refrigeratis, infeſtari horripilationibus, alternis ferè diebus magis ingruentibus. Proinde ut mitiſſimo aliquo medicamento leniente non tam alvum laxaremus, quàm demulcendo humores, blandè ſubduceremus, Caſſiam cum Tamarindis addito pauco Rhabarbaro exhibuimus; ſed cum nauſearet, partem tantummodo præſcripti medicamenti admiſit; atque non niſi ſemel præter ordinariam alvum dejecit. Medicamenti formula talis fuit.

♃. Flor. Caſſiæ rec. cum Aqua Tarax. extract. ℥iij. Pulpæ Tamarind. ℥ij. Rhabarb. Elect. ʒß. Cort. Citri condit. inciſ. ℈ij. Cum Saccharo candi fiat bolus. ſumat duabus horis ante prandium.

Cæterùm cùm emaciatum corpus nutritione, & vires inſtauratione, pectus deterſione, modica ſiccatione, tuſſis mitigantibus, febris alterantibus, hypochondria moderatè reſerantibus indigerent, illa communi conſilio præſcripſimus, quæ hîc adnotata & conſignata ſunt, non omiſſis iis ab Excellentiſſimo Medico ordinario Salisburgi ordinatis, methodo & intentioni noſtræ omnino conformibus.

♃. Aquæ Taraxaci, Pulmonariæ aureæ, Veronicæ, Succi Pomorum dulc. an. ℥iv. Granat. dulc. & acid. an. ℥j. Sacchari candi ℥vi. Mellis ℥ij. Decoque deſpumando, fiat Julapium clarum pectorale.

Uſus. manè cochlearia duo, ante uſum decocti mox deſcribendi; nec non ubi tuſſis & expectoratio difficilis erit. Decoctum fuit ſequens.

♃. Chinæ elect. ʒvi. Santal. alb. ℥ij. Rubr. ʒj. Repleatur gallina juvenis, decoq. in menſuris tribus aquæ, addendo fruſtum carnis vitulinæ. Factâ debitâ cocturâ, & detractâ pinguedine.

♃. Prædictæ decoctionis ℥vii. vel ℥vi. Amygd. dulc. mund. Sem. Melonum an. ℥ß. Fiat emulſio, addendo Sacchari candi ad gratitudinem. Sumatur manè calida.

Ad defluxiones & tuſſim.

♃. Saponeæ ſolidæ ℥vi.

♃. Rotul. cum ſucco Violac. & modico ſucco Citri ℥iij.

♃. Aquæ Taraxaci, Veronicæ, Pulmonar. aureæ an. ℥iv. Violarum ℥ij. Sacchari candi ℥iß. Miſce fiat aqua clareta, ſumat cochlearia duo, tria, ſubinde.

Regio lumborum, dorſi, & pectus ipſum inungebatur ſimili unguento.

♃. Olei Amygd. dulc. ℥vi. Aquæ Violar. ℥iij. Teſtudinis nemoralis excort. Decoque & ferveant ſimul ad conſumptionem aq. in B.M. inde exprimatur oleum, & ſeparetur.

Hepati unguentum & emplaſtrum ſequens applicabatur.

♃. Olei

♃. Olei Amygdal. dulc. Roſat. Complet. Amygd. amar. Succi Cichorii an. ℥j. Aceti Roſarum ℥ ß. Coque ad conſumpt. humiditatis, inde adde Ung. infrigid. Galeni, Santalini an. ℥j. Trochiſ. de Camphora, Specier. Diarhod. Abbat. an. ʒß. Ceræ modicum. Miſce fiat unguentum.

Pulvere quoque uſus eſt tali.

♃. Farinæ Hordei recent. ℔iv. Sacchari ℔j. Reponatur mixtura in ollam vitreatam, & obductâ paſtâ ponatur in furnum, poſtquam panis ibi coctus extractus fuit; donec mixtura in unum coëat. dein denuo in pulverem redigatur maſſa, addendo ſacchari penid. & Cand. an. ℥j. Reponendo denuo in furnum, ut ſupra, poſt extractionem contunde maſſam in pulverem, de quo

♃. ℔iv. Adde Margarit. Orient. præpar. ℥ß. Pulveris Hali recent. diſpenſ. ℥ij. Miſce.

Porrò deſtillatum antiphthiſicum (in Phthiſicis tum à Mynſichtio, tum aliis laudatum remedium) Salisburgi confectum & ad nos delatum, ſupraſcripto decocto Chinæ, cùm hoc nauſearet, ſubſtituimus; utebatur illo manè & veſperi quotidie.

Verùm cùm videremus Illuſtriſſimum Virum Patientem à nulla re ſublevari, febriculam nulla ratione imminui, eademque ſymptomata continuare, ſolliciti fuimus, quibus remediis Illuſtriſſimus Patiens ulteriùs quantùm poſſibile, juvari poſſet? nam nutritione indigebat, & ob febrem humectatione, viſcera naturalia contemperatione, pectus deterſione; proinde quæſtio in eo potiſſimùm erat: an uſus lactis, rebus ſic ſtantibus, conveniret? an lacti, quandoquidem pectus nondum deterſum ſatis, & materiâ abundare videbatur, decoctum Chinæ temperatum dies aliquot anteponi deberet, præmittendo ſemper decocto Julapium aliquod detergens? vel an ad lac properandum, ita ut manè lac, ad veſperas ptiſanæ cremor, admixtis ſeminibus Amygdalar. dulc. Melonum cum decocto gallinæ extractis aſſumi deberet? vel an expediret ad deterſionem, nutritionem, alterationem, gallinæ decocto uti, addito hordei momento cum quantitate Sacchari Roſacei, & ad veſperas prædictâ ptiſanâ? Quid de illis in Phthiſi proponi ſolitis, quæ detergendo ſiccando materiam abſumunt, veluti Rubino Sulphuris, lacti Perlarum mixto, & ſimilibus ſentiendum? aut an deſtillato antiphthiſico ulteriùs inſiſtendum? vel quid univerſim ſtatuendum ſit? Hæc ad Medicum ordinarium præſcripſimus, & cùm reſponſum diu ſatis exſpectâſſemus; interim verò decocto pulli cum Saccharo Roſaceo & aliis pluribus hîc notatis eſſemus uſi, paulò pòſt, prout ab initio prædiximus, ex toto contabeſcens defecit Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Vir, magnum ſui deſiderium Illuſtriſſimis Parentibus relinquens.

Alter caſus eſt Viri tabifici unà cum palpitatione cordis admodum moleſtâ. huic ſequentia remedia ordinata ſunt.

♃. Chinæ elect. ℥j. Santal. citr. & Albor. an. ʒiß. Repleatur gallina juvenis iſtius anni, addendo partem ex carne vituli, & teſtudinem, decoquendo in ℔vi. circ. aquæ, lentâ & debitâ cocturâ. addendo ſub finem decoctionis Veronicæ, Hederæ terreſtr. an. Pj.

Sumat manè poſt colaturam ℥v. ſubcalidè, addendo ſemper gelatinam ex conſummato capi, aromatizando, niſi febris obſtet, modico Macis, præmittatur per vices cochleare ex conſerva Roſarum ſelectiſſima; vel etiam immutando in juſculo ſolvantur guttæ x. vel xv. Julapio Gemmato Magni Ducis, ſeu hoc ſubſcripto.

♃. Succi Citri ℥vi. Margarit. Orient. pulv. ℥ß. Coralliorum pulv. ʒij. In phiola oblonga calore cinerum per duos tres dies, digerendo, agitando, donec aliquo modo color immutetur; dein

♃. ℥iv. Circ. Succi pomorum redolent. ℥iij. Sacchari candi & communis an. ℥ij. Decoquendo, clarificando aromatizetur cum aqua florum Arantiorum, vel, ſi odorem tolerare non poteſt, cum corticibus citri.

Julapium iſtud frequentiùs etiam inſervire poterit, adhibitum in juſculo vel alio liquore congruo, ad palpitationem cordis. Sequitur Julapium pectorale pro expectoratione.

♃. Succi Pomorum dulc. redol. ℥iv. Aquæ Veronicæ, Hederæ terreſtr. Taraxac. an. ℥ij. Sacchari tertiam partem. Decoquendo, deſpumando aromatizetur cum ſpec. Diaireos ſimpl. Suſpenſo nodulo ex Confect. Alkermes ʒj. Clarificentur omnia juxta artem.

Trochiſci pectorales cordiales ſequentes erant in uſu.

♃. Confect. Alkermes, ſpec. Diaireos ſimpl. an. ℈ij. Conſervæ Roſarum ʒiij. Florum Benzoi gr. vi. ſacchari ſoluti in aq. Veron. cum modico gum. Tragacant. q. ſ. Fiant trochiſci ſublinguales.

Aquam claretam ſequentem habuit.

♃. Aquæ Capon. deſtill. cum pulm. recent. vituli ℥vi. Succi Veronicæ, Hederæ terreſtr. Taraxac. an. ℥iv. Conſervæ Roſarum, Bellidis an. ℥iij. Mali Citri integri raſpat. ℥iv. Deſtillentur, & aqua deſtillata dulcoretur ſaccharo candi ad gratitudinem.

Pulvis antiphthiſicus pretioſus talis erat.

♃. Pulmonariæ aureæ ℥j. Sacchari Roſat. tabul. ℥iv. Margarit. Orient. præpar. ʒij. Miſce fiat pulvis, addendo, ſi tuſſis eſt intenſa, ſacchari penid. etiam partem.

Sumat per vices loco alterius lambitivi, non negligendo emulſiones ex ſeminibus Melonum recentibus, Amygdalis recentibus, tum nucleis Pinis, &c.

Hæc tunc præſcripſimus; unum tamen & ultimum adhuc eſt in his malis remedium, ſi non ægris, ſaltem Medicis, ad evitandas moleſtias, quandoque etiam ignaviam ſalutare: ablegatio nempe ægri ſuadente Galeno ad montem Tabias, vel ex Conſilio Celſi in Ægytum; ſic enim (ut rectè ait Timæus) illic ſulphureis effumigationibus, hîc navigatione longâ perituri ſunt.

Obſervationes.

Coſtarum regionem, inunximus hoc unguento de lacte dicto quod optimum eſt, nec quicquam fœtet.

♃. Gummi tragacanth. gummi Arabic. an. ʒj. infund. in aq. roſac. per diem & noctem addatur

Ol. viol. ℥iß. butyr. rec. ℥ß. camphor. ʒi. M. & in mortario cum lacte muliebri F. unguentum. Amatus Luſitanus. curat. 92. cent. 1. iſto unguento uti etiam conſuevit in hecticis J. Crato conſil. 98. lib. 7. camphoram ad ℈j. duntaxat admiſcendo.

Pro derivatione fiat Cauterium vel ſetaceum in occipite; poſtea etiam in brachio. Præterea aliquod decoctum exhibendum quod ſine caliditate exſiccandi vim habeat, & inter cætera præſtantiſſimum eſt decoctum ſantali citrini: nam mirabiliter præcavet eroſionem pulmonis antequam fiat, & poſtquam facta eſt, quantum fieri poteſt corrigit, ita conficitur.

℞. Aq. cichor. acetoſ. an. ℔iv. ſantal. citrin. minutim conciſ. ℥iv. F. infuſio per unum diem, deinde fiat coctio in balneo M. ferventi, obturato vaſe per tres horas poſtea auferatur ab igne, ut refrigeretur & coletur, cujus decocti ſumat quovis manè ℥iii. & bibat in Potu per quadraginta dies, ſolet enim præcavere fluxiones ad pulmones. *Rodericus à Fonſeca. tom. 1. conſult. 58.*

Refert Valeſcus ſe monachum quendam phthiſicum curaſſe cum pulvere Haly; quo & nos uſi ſumus in fratre meo ex tabe & hectica laborante, qui & eo curatus fuit, cum pus longo tempore ſubinde expueret. Avicenna narrat hiſtoriam de muliere phthiſica, cujus parabantur funeralia, quam curavit cum ſacch. roſac. *Petrus Foreſtus. obſ. 55. lib. 16. De pectoris & pulmonis morbis.*

Monacha quædam phthiſica pro deplorata habita ſequenti remedio intra duos menſes ſanitati reſtituta fuit, Pullum exenteratum capiebat, ac in ventre ℥iii. ſacch. roſac. ponebat, demum aqua, lento igne in olla cooperta coquebat, illoque decocto, ſupra cineres per totam noctem ollam relinquebat: manè verò ex pullo contuſo cum ſuo jure manens in lecto ſumebat, ſuperdormiens, quo quidem remedio ſana evaſit. Alius Monachus, cui oſſa præ macie crepitabant, ut poſtea lecto decumbere coactus fuerit: is quoque à Medicis pro deplorato habitus, duo ova recentia igne adverſo aſſabat in foco calido tantùm, ut albumina vix coaleſcerent, albuminibus rejectis, vitella in ſcutella ponens, addebat pulv. ſulphur vivi ad fabæ majuſculæ quantitatem, ſacch. cando aſperſo eadem menſura, & ſalis momento; quæ ſimul mixta cum vitellis ovorum capiebat hora una ante cibum, & deſuper bibebat vini optimi dulcis cyathum unum: modo ſumebat aquam roris ſolis unà cum vitellis ovorum; interim & pro tuſſi utebatur ſyr. de liquir. viol. diatragac. frig. eclegmatis modo: & aliis confectionibus deſtillationem inhibentibus. Idem deſtillabat limaces teneros ante ortum ſolis in vinetis collectos: cujus & cochlear cum duobus vitellis ovorum ſubinde capiebat: ita ut macie conſumptus pinguis paucis menſibus evaſerit, & præter ſpem ſanus factus ſit. *Foreſtus. obſerv. 58. lib. 16.*

Magno ſucceſſu quidam utebatur in potu & omni cibo conſerva roſar rubr. ſolaque ea victitabat nonnunquam; adeo ut Venetorum Pharmacothecas omnes eâ inanierit. Quædam (inquit Arculanus) comedit quadraginta libras ſacch. roſat. & curata fuit. Potiones fiunt ex capill. Veneris, marrhubio, hyſſopo, iride, liquir. & paſſulis, hoc mihi ſæpe id uſu feliciter fuit.

℞. Braſſicam rubram conſciſſam, inde poculo & diu in balneo coque. mane eo liquore utatur; ſed hic ſuccus alternis diebus recentari debet, nam facillimè putreſcit. cap. 7. de *Morb. Pectoris.*

De hoc ſyrupo ſingulis matutinis, vel ſaltem alternis diebus, mane cum è lecto ſurgit, ad ℥i. plus minuſve per ſe lenſim deglutiendo ſumat, vel dilutum aqua limacum & portulac. julepi inſtar bibat.

℞. Succ. depurat. portulac. ℔ß. plantag. bugl. utriuſque an. quart. j. aq. diſtillatæ è vivis limacib. & ranis, an. ℥iii. aq. ſcabioſ. viol. roſ. an. ℥i. ſacch. puriſſ. ℔j. coque ad ſyr. conſiſtentiam. *Felix Platerus. obſerv. lib. 3. pag. 738.*

℞. Rad. conſolid. ʒii. rad. alth. ʒi. rad. liquir. ʒiii. ſem. plantag. ʒi. ſem. hyoſcyami ʒß. oculi cancri ʒi. gummi Arab. tragacanth. an. ʒß. ſacch. roſat. tab. ℥iv. F. Pulvis, capiat ʒiß. mane & veſperi cum lacte caprino. *Felix Platerus. obſ. 3. pag. 737.*

Poſt omnis generis lenientes purgationes, varia expectorantia & alia quæ adverſus maciem celebrantur auxilia, cum febris hectica & colliquans jugiter corpus abſumeret, lac muliebre, ut affatim ex ipſis mammillis ſugat, conſului, tantum ex ejus potu per menſem exhibiti, perſenſit utilitatem, ut eo, & unguento ex eodem lacte parato, pinguiuſculus factus, perfectam conſecutus fuerit ſanitatem. Unguento totum corpus ungebat tribus poſt cœnam horis, quod omnibus reſumptivis præſtantius eſt, hujus unguenti deſcriptionem, cujus uſu tabidos ſæpe impinguari vidi, candidè acceptam refero Amato non ignobili Medico, qui *lib. 1. cent. curat. 91. eam ſic proponit.*

℞. Gummi tragac. & arabic. an. ʒi. infunde in aq roſ. per diem & noctem. add. ol. viol. ℥iß. butyr. rec. ℥ß. camphor. ʒi. M. & in mortario cum lacte muliebri fiat unguentum. *Zacutus Luſitanus. obſerv. 129. lib. 1. prax. admirand.*

Mulier quædam cum ex ſalſa diſtillatione & hæmoptoiſi in ulcus pulmonis incideret; cum nec ex lacte aſinino, caprillo, carne teſtudinum, expectorantibus, reſumptivis, cardiacis, & infinitis propemodum remediis, opem ſentiret ullam, tandem rhodoſacchari uſu aſſiduo convaluit, ita enim eo utebatur; cum hac conſerva farinam ſubigebat, panemque cum ea delibutum eſitabat, carnes ſelectas cum ea coctas edebat, pullos gallinaceos aſſos, prius bene conſerva ſaginatos pro cœna habebat, vitellos ovorum interdum cum conſerv. roſac. aſſumebat; jejuno etiam ventriculo jure pulli gallinacei prius rhodoſaccharo ſaginati utebatur, demum nullum ferculum offerebatur, quod roſam non redoleret, adeo ut ni timerem dici mendax, exponerem quantitatem quam comedit hæc mulier de ſacch. roſac. cujus ſolius uſu ſeptem menſium ſpatio ita recreata eſt & ſpecioſior facta, ut in facie vividus ac roſeus conſpiceretur color. Maxima ergo eſt pro curandis phthiſicis rhodoſacch. vis atque poteſtas: nam modice refrigerat ob febrem, ob ulceris ſaniem deterget, & ob ſolutionem continui glutinat,

nat. *Zacutus Luſitanus. obſerv. 130. lib. 1. prax. admirand.*

Mulier quædam tantam lactis copiam quotidiè fundebat è mammis ut non ſolum duos pueros optimè lactaret, ſed etiam butyrum è lacte ſuo conficeret pro pharmacopœo, qui eo ad curam Phthiſici utebatur tanquam arcano optimo ad tabem; nullum enim eſt remedium eo præſtantius. *Petrus Borellus. Obſervat. 82. cent. 3.*

Pro ſiccando ulcere pulmonis, & abſtergendo, ſyrupus Symphyti Fernelii maximè convenire videtur, præparatur quoque potio ad hæc exſiccanda ulcera, quam Lacuna in ſuo Dioſcoride dicit eſſe admirabilem, capite De Ebeno, quam tamen ille indifferenter deſcribit ex decocto ligni ſancti in hanc formam.

℞. Raſ. ligni ſancti ℔i. rad. ariſtol. rot. pulver. ℨß. liquir. paſſul. exacinat. caric. ping. cortic. limon. hyſſopi, an. ℥i. infund. in aquæ ℔xv. per diem, deinde coq. ad medietatem, in colat. diſſolv. mell. opt. ℔iß. & coquatur mediocriter in formam apozematis clarificati, cujus dantur ſingulo manè ℥iv. quia tamen decoctum hoc calidum nimis eſſe videtur propter febrem, ego in ſecunda coctione, dum fit apozema, adderem ſucci limonis depurati ℥ii. ita enim corrigitur caliditas ipſius. Solet enim ſuccus limonis omnium decoctorum caliditatem infringere. Certum eſt in ulceratis pulmonibus & fere deſperatis tabidis, cum nullis aliis remediis cederet affectio, ſolum decoctum ligni guajaci ſanitatem aliquando reſtituiſſe, id aliquibus exemplis Schenckius in ſuis obſervationibus teſtatum reliquit; & Andreas Lacuna in ſuo Dioſcor. cap. De Ebeno, hoc præ cæteris remedium proponit & laudat. *Rodericus à Fonſeca. tom. 1. conſult 5.*

Philippus Ingraſſia in conſilio pro Duce Terrænovæ, ſcribit ſe Pannormi curaſſe mulierem quandam, quæ ex ſanguinis copioſo ſputo à pulmone regurgitante in Phthiſin lapſa erat, pluribuſque in ſequentibus menſibus non contabuit modo, ſed continuò pus malè olens expuebat, præſertimque per intervalla quædam, non majora quidem duabus hebdomadis maximam puris quantitatem inde collectam ſæpenumerò quatuor librarum expuebat. Hæc cum vix per menſem ligni ſancti decoctum abſorbuiſſet, ita ſanata fuit, ut ſalva ſupervixerit, nec amplius recidivaret; licet decimus quartus ageretur annus dum hæc ſcribebat Ingraſſia. Marcel. Donatus. cap. 10. lib. 3. Hiſt. med. mirab. Ubi adhuc plures habentur hiſtoriæ Phthiſicorum ligni guaiaci decocto curatorum.

Uxor cujuſdam conſiliarii phthiſica interiit, & poſt unum aut alterum menſem illius ancilla, quæ diu noctuque illi miniſtrabat, in ſimilem affectum incidere videbatur: laborabat enim febre lenta, cum tuſſi ſicca diu noctuque perſeverante, macie totius corporis, inappetentia & vigiliis. Vocatus ad eam, præſcribo venæſectionem & purgationem univerſalem ex apozemate, & balnea tepida cum victus ratione incraſſante & refrigerante; quæ nihil contulerunt, tandem mecum reputans affectum procedere ex maligna qualitate impreſſa pulmonibus & cordi per contagium, præſcribo decoctum guaiaci, ad quindecim dies cum victu analeptico, ſine ſudore, quo remedio perfectè curata eſt, & febris, tuſſis, aliaque ſymptomata omnino deſierunt. *Lazarus Riverius. obſerv. 99. cent. 1.*

Mulier quædam viginti quinque annos nata gravi fluxione in pulmonem decumbente, ab aliquot menſibus detinebatur, cum tuſſi moleſta dies noctesque affligente, vigiliis perpetuis, dolore pectoris, febre lenta, alvi conſtrictione & macie totius corporis, ita ut Phthiſica omnino videretur. Vocatus ego, præmiſſo clyſtere molliente, jubeo ſanguinem detrahi ad ℥vii. Mox duo cauſtica adhiberi inter ſcapulas juxta ſpinam dorſi; ptiſanam laxantem præſcribo per quinque dies continuos uſurpandam: cujus deſcriptio hæc eſt.

℞. Tamarind. ℥ß. aq. fontis ℔iii. coq. ad ℔ii. in colat. infund. frigidè per noctem ſen. mund. coriandr. & liquirit. contuſ. an. ʒii. roſ. rubr. ʒi. colaturæ capiat cyathum unum mane hora una ante paſtum. Paucis hiſce remediis ita reſtituta eſt, ut poſt quindecim dies è lecto ſurrexerit, & ad conſueta munia ſeſe conferre cœperit; lacte demum aſinino per menſem uſurpato integrè convaluit. *Lazarus Riverius. obſerv. 78. cent. 2.*

Puella phthiſica & ad extremam maciem perducta, ex conſilio Medici ſolis paſſulis victitavit cum pane comeſtis: & pro potu utebatur decocto hordei & liquir. ſicque intra octo menſes reſtituta eſt optimè, & probè impinguata. *Lazarus Riverius. obſerv. 43. cent 4.*

Phthiſim per contagium communicatam curavimus præter omnium ſpem ſequentibus remediis: ac primò potione ex manna & ſyr. roſ. in decocto pectorali, ſequenti die applicata ſunt duo cauſtica poſteriori parti cervicis: poſtmodum juſcula exhibui per quindecim dies cum rad. chinæ, fol. bugl. tuſſilag. pulmonar. & paſſul. corinthiac. quæ per intervalla purgantia reddidi. Utebatur etiam continuò conſerva roſ. & ſæpe ſub noctem ſyrupo fluxionem cohibente ac tuſſim ſedante, ex æquis partibus ſyr. viol. de roſis ſiccis, & de papav. *Simeon Jacoz obſerv. 92. cent. 4. Obſerv. River.*

In Phthiſi ſacch. roſac. ſum. plurimùm uſus, cujus miram vim in Phthiſi levanda eſſe Avicenna narrata tabidæ mulieris hiſtoria pleniſſimè docet: quod & ego pluries fœlici ſucceſſu in multis expertus ſum; habet enim ſiccandi, & modicè etiam detergendi vim, atque etiam glutinandi, unde mirificè pulmonum ulcera juvat, & ex conſequenti natam inde tabem curat. *Franciſcus Valeriola. obſerv. 5. lib. 5.*

Mulier quædam diſtillatione ad pectus per annos aliquot laborarat, & ita quidem vehementer, ut quamvis multis variiſque remediis, cum à Medicis doctis, tum etiam ab Empiricis præſcriptis uſa fuiſſet, exiguum tamen fructum inde acceperit: tandem uſque adeo auctum fuit malum, ut non ſolùm materiam purulentam copioſè, verùm etiam ſanguinem expueret; & in hecticam cum totius corporis extenuatione & proſtratione virium incideret. Ego tandem cum in conſilium adhibitus eſſem, præter convenientem diætam, & exhibitionem medicamentorum, tam per os aſſumptorum, quam exterius applicatorum, nuchæ quoque ſetaceum adhibui, cujus beneficio

brevi maxima cum admiratione eorum, qui ipſam antea cognoverant, ita reſtituta fuit ægra, ut etiam deinceps proles aliquot procreaverit; cum tamen antea per annos aliquot, & præcipuè ab eo tempore, quo diſtillatione prædicta laboraverat, utero non geſtaſſet. *Gul. Fabritius Hildanus. obſerv. 38. cent. 3.*

Sanavi Adoleſcentulam quandam poſtquam velut Phthoe peſſima laborantem, ipſe ego pro deplorata reliqueram. Aderat febris vehemens, ſpirandi difficultas, maxima tuſſis, puris ſputum copioſum, itaque cum cætera auxilia non valerent, juſſi ut ſola Ptiſana pro cibo uteretur, aquaque cum ſaccharo confecta: acciperet autem ſingulo mane ℥iv. decocti caudarum & chelarum Cancrorum in aqua hordei, cum ℥ii. ſacchari: convaluitque perfectè & ſanata eſt, hoc eodem auxilio multos admodùm curavi, qui integræ ſanitati reſtituti ſunt. Erat autem illa filia unius qui ex Phthoe vera obierat. *Hieron. Cardanus. curat. 8. ſect. 3. Method. medic.*

Honoratiſſimus D. Robertus Boyle. lib. 2. de Utilitate Philoſoph. Experimentalis. ſect. 5. cap. 6. Pro Phthiſi & Tuſſi plurimum extollit balſamum ſulphuris craſſum, quod ita fit.

℞. Fl. ſulphur. ℥ß. ol. oliv. vel nucum, vel. ſem. papav. alb. ℥iiß. bulliant in vaſe vitreato ſemipleno igne convenienti adhibito, continuò ſpatula agitando, ut ritè diſſolvantur flores, & ſanguineam rubedinem acquirat miſtura: horulæ ſpatio paratur. Balſamum ab igne remotum, adhuc agitandum eſt, donec frigeſcat, exhibeantur mane aliquot guttæ cum ſacch. roſac. Valet etiam in Arthritide, Contuſionibus & Tumoribus quibuſcunque externè illitum. Idem Medicum quendam novit, qui Phthiſin, ſulphuris, ſuccini, & betonicæ vel tuſſilaginis fumo, feliciter curabat.

Spiritus ſalis dulcis, ut & ſimplex liquor tartari, incomparabilis ſunt efficaciæ, guttatim in cereviſia, juſculo vel vino aſſumpti. *Paulus Barbette. prax. lib. 3. cap. 2.*

Phthiſis & mors ex potu frigido.

Ex labore ſudanti, frigida potio pernitioſiſſima, inquit Celſus lib. 1. cap. 2. quod ſumma fatigatio & delaſſatum corpus labore aut ſudore (dum puſillus intus relictus calor ad extra expanſus, tam magna violentia exſolvitur) extinctionis periculo laboret, affatim ſumpta frigida, ait Card. de Hered. in tract. de pot. var. cap. 4. Inde enim, pergit, vidimus familias, quæ mane antiquo ſplendore illuxerant, veſperi triſti orbitate defleviſſe, potu graviſſimo, ſed eventu miſero inopinatam mortem illorum, qui ſplendoris vanitatem in aquæ ſumma frigiditate poſuere. Hinc etiam Hippocr. 6. epid. Frigida quæ ſunt valdè, venas diſrumpunt, tuſſes movent & deſtillationes, 5. Aph. 24. ex quibus Phthiſin oriri mortemque ſequi præter multorum obſervationes, etiam ſequentes hæ probant.

Ephebus quidam æſtate anno 1674. poſtquam hinc inde currendo multùm ſe fatigaſſet, hauſtum ſumpſit vini refrigeratiſſimi, nec mora, in tuſſim & Phthiſin incidit, ac quamvis omnia adhibita, Domino ſuo, cui valdè charus erat, nullis parcente ſumptibus, ſpatio decem ſeptimanarum in flore ætatis obiit.

Alius, civis & coriarius hujus loci 36. annorum è nundinis redux valdè tuſſiit, pro catarrho id habuit, & domeſticis uſus medicamentis, ſed cùm inſtaret malum, materiamque puriformem ejiceret, petiit à me conſilium. Diſplicuit mihi ſtatim, diſſimulavi tamen, & quæſivi, annon anſam dederit huic tuſſi? Ille ſe neſcire aſſeruerit, niſi quòd in illis nundinis hauſtum ſpiritus vini frigidiſſimi biberit, unde quidem ſtatim tuſſierit, non tamen credere ſe, hanc eſſe cauſſam. Ego autem non dubitavi Phthiſin ſubeſſe, dato uxori prognoſtico, ordinavi pectoralia varia, ſed ille tribus vel quatuor menſibus elapſis macie confectus obiit. *Caroli Raygeri.*

Phthiſis vulnus Pulmonum ſequuta.

Vulnera Pulmonum etſi inter lethalia non referat Cous 6. Aphor. 18. ex illis tametſi magna & penetrantiora mori docet in Coacis Prænotion. Rationem reddit Dn. D. Melch. Sebiz. in Exam. Vuln. quod licet homines non ſtatim ex vulnere intereant, tamen fiant Phthiſici, Empyici, ſicquè lenta pereant morte. Veriſſimum hoc eſſe, ſequens probat hiſtoria. Circa medium Julii, ſ.latus eſt Excubiarum quidam Magiſter natione Boruſſus, Phthiſicus deploratus, cui per literas ſuaſi, ne ſe huc curaret portari, potiuſque in loco ubi ſit, Medicamentorum à me ordinatorum, uſum continuaret, nam certo certius ipſum ex motu, & agitatione, acceleraturum ſibi mortem. Id quod factum. Nam vix per quatuor vel quinque dies hic commoratus tabe confectus extinguitur. Transfoſſus ille ante triennium in duello, gladio, ſub mammilla dextra, unde male à Medicaſtro Apella tractatus, vulnere quidem extrinſecus brevi coaleſcente, gravitatem ſubinde in pectore ſenſit, donec elapſis aliquot Menſibus in ſanguinis ſputum incideret. Hinc diverſa adhibuit pectoralia, vulneraria, conſolidantia; nihilominus tabidus factus eſt, abdomine & lateribus ita induratis, ut vix manu comprimi potuerint. Apertus poſt mortem infimus venter nihil quidquam continebat, quod cauſa poſſet eſſe hujus duritiei, præter ſerum aliquod ſubcitrinum ſat copioſum, quod ſæpius jam in thoracis & pulmonum obſervavi vulneribus, qua via autem, ſalvo & integro diaphragmate, ſerum hoc, procul dubio ex grumoſo ſanguine reſultans, in ventrem delabatur non video. Remoto ſterno, pulmonum ſiniſter lobus prope totus erat abſumptus, quod reliquum erat pugni magnitudine putridum, ſanguinolentum, nec formam nec figuram pulmonum habebat. Dexter lobus integer adhuc, ſed tamen exulceratus, purulentus, inque hoc apparuit ictus gladii adeò recens, ac ſi eo demum die factus fuiſſet. Quod autem non hic prius quam ſiniſter computruerit, credo factum, quod gladius uſque in ſiniſtrum mucrone penetravit, ibiquè concidentibus partibus laxis & mollibus extravaſatus ſanguis, dum evacuari nequivit, ulcus excitaverit, ſenſimque depaverit illam partem, cum è contrario dexter per foramen ſatis magnum ſe purgare potuerit. Conſtat

itaque

itaque vulnera profundiora pulmonum ut plurimum eſſe incurabilia : nam quæ afferuntur hiſtoriæ ex Hildano, Fallopio, Foreſto, & inprimis ex Plateri obſerv. l. 3. p. m 735. de Phthiſico à Pulmone vulnerato, & corrupta illius portione per vulnus exeunte, curato, raræ ſunt, magiſque in admirationem quàm conſequentiam trahendæ. *Caroli Rayzeri.*

De Phthiſi ex fluore albo lethali.

In Anno ſecundo Ephemeridum Curioſorum in Scholio obſerv. 26. mentio facta eſt illuſtriſſimæ perſonæ, quæ phthiſi mortua eſt : cum verò brevibus id ſaltem factum, ego autem ipſius curæ a principio ad finem uſque præfuerim, & omnia ſymptomata accurate annotaverim, paullò prolixius morbum illum deſcribam.

Perſona iſta erat ætatis XXV. annorum, conſtitutionis calidæ & ſiccæ, dum virgo adhuc eſſet, ſæpius & ſingulis, dum haberentur, diebus comedere ſolebat fructus 4. melonum integros, ſuperbibens aquam fontanam frigidam, & balnea in aqua frigida nocturno tempore inituit & ſic per pravam diætam humores peccantes cumulavit; unde poſt matrimonium contractum, mutato aëre & vita cœlibe abſceſſus ſub axilla dextra prodiit, qui apertus, mundificatus & ſanatus eſt. Poſtmodum ſcabie ſicca laborare cœpit, adjuncto fluore muliebri, ſive fluxu albo. Cum itaque horum malorum pertæſa, & ſimul prolis habendæ amore arderet, neſcio an pudoris cauſa, quod Medicis ea revelare noluerit, vel potius ab aliis perſuaſa, curæ medicaſtræ nefandæ ſe concredidit. Quæ adhibitis balneis aſtringentibus, è vitriolo, alumine &c. repulit humores peccantes per fluxum album & ſcabiem excretos, qui regurgitantes ad ſuperiora tertio ſtatim die ſcrophulas in collo ab utroque latere magnas, parvis ſubſequentibus produxerunt. Hinc tuſſis valida oborta, materia ſc. acri & craſſa ad pulmones delata, qui illa infarcti tandem putredine affecti & exulcerati, unde febris putrida cum hectica acceſſit, vireſque dejecit. Expectorationes erant purulentæ cum ſanguine miſtæ, ita ut conſummata inde phthiſis, quicquid de pretioſiſſimis medicamentis ex conſiliis præcipuorum Medicorum adhibitum, ſequeretur, cui propter nimium potum (propter calorem p. n.) etiam hydrops conjungebatur, & tandem mors placida ſequebatur; cum per ſeſquiannum cum hiſce malis conflictata eſſet. Ubi & hoc notandum duxi, quod Hipp. lib. 5. aph. 12. dicat: Quibuſcunque tabidis è capite unà capilli defluunt, ii diarrhœa ſuperveniente moriuntur. Hæc verò perſona illuſtris præſenti capillorum defluvio ſæpius vexabatur, diarrhœa & quidem ſatis enormi, dejiciens ſemper ſerum multa bile tinctum, ita ut prima vice terrorem omnibus incuteret, & mors, propter vires debilitatas, expectaretur. Sed exhibitis remediis confortantibus pretioſiſſimis & hac & aliis vicibus ab ea evaſit, ita ut recuperatis viribus eam ipſi emolumento fuiſſe animadvertere licuerit. Itaque oraculum Hippocratis intelligendum eſt de ea diarrhœa, quæ è ſumma naturæ debilitate & retentricis relaxatione, non verò ab expultricis robore originem ducit. *Gottofredi Chriſtiani Wincleri.*

De Miro Phthiſeos Contagio.

Phthiſin morbum ut incurabilem, ſic contagioſum quoque eſſe, nemo ſcitè vel leviter in praxi verſatus negaverit. Per induſia, per veſtes, per lintea, per lectos, Phthiſin communicatam fuiſſe mille docent exempla. Mirum adducam, ut contagium affectus hujus eò meliùs vitetur. Uxor cujuſdam Viri Senatorii phthiſi miſerè divexata tandem moritur. Maritus ampliſſimus ut & doctiſſimus illius veſtes, lintea, lectos ſtatim in loco ſeparato aſſervari jubet. Annuo ſpatio elapſo ad ſecunda vota tranſit, & ne ſponſa priori affectu contaminetur, modis præcavet ſollicitus omnibus, pretioſas veſtes Uxoris defunctæ nuptam noviter induere prohibet : illa etiam ob periculi metum lubens obſecundat. Habent autem contra frigus munimentum aliquod mulierculæ noſtræ, quod vernacula lingua *Muffe* appellant, cui manum utramque imponunt : nihil exinde maritus mali metuens, cum pellibus Zobellinis obductum eſſet, & propterea pretioſa valde res eſſet, uxorem hac veſte uti concedit. Ipſa ſtatim tuſſire incipit, tuſſique aucta tandem in phthiſin, hæc denique in mortem, adhibitis licet mille remediis, deſiit. *Johannis Schmidii.*

A Phthiſico Vena è Pulmonibus rejecta.

Incredibile videtur ſine evidenti vitæ periculo ob metum ſubſequuturæ hæmorrhagiæ, aut hæmoptyſeos, venas ex pulmonibus rejici poſſe, ſed obſervarunt id viri fide digni, Zacutus Luſit. Adm. lib. 1. obſerv. 110. Tulpius lib. 2. obſervat. cap. 12. & 13. & confirmat Thomas Bartholinus cent. 3. obſerv. 95. referens ramum venæ arterioſæ à Phthiſico rejectum, parenchymate ſuo ita nudatum ac ſi induſtrius Anatomicus ſeparaſſet; Roſtochio 1649. D. Stephanum Scultetum ad D. Simonem Pauli tranſmiſiſſe : Et ego Lipſiæ anno 1648. ſtudioſum quendam Phthiſicum, nomine Steinpota curavi, quem aliquot diebus adhuc ſuperſtitem, venam arterioſam vidi tuſſi rejicere *Val. Andr. Mollenbroccii.*

Phthiſis cum calculis è pulmonibus & palato excretis, &c.

Matrona honeſta 40. circiter annorum, plurium liberorum mater, gibboſa, & variorum morborum inſultibus divexata pridem & laſſata, Menſtruo quoque fluxu à multo tempore orbata, conqueritur de tuſſi & ſpirandi difficultate, ſputum, quod primis ſeptimanis ſubſalſum erat & ſeroſum, nunc viſcidum magis eſt & craſſum, non rarò cruore tinctum & ſubpurulentum, quandoque etiam ſanguinem floridum copioſè ejicit cum ſpumâ : Emaciatur ægra, urinæ tenues ſunt & crudæ, pulſus frequens, appetitus proſternitur : Cùm plurima hactenus in uſum vocaverit remedia, ſed abſque fructu, petiit, ut Excellentiſſ. D. D. Wepferus, unà nobiſcum ſententiam dicere, manuſque auxiliares ferre dignaretur, quò ſi Deo viſum eſſet, priſtinam ſanitatem recuperare poſſit.

Scholium. Celeberrimi Wepferi noſtramque ſententiam complectens.

Non opus eſſe auguramur, in affectus naturam, quo Ægra jam vexatur prolixius inquirere, cùm ex ſignis recenſitis ſatis pateat, Ægram hæmoptoicam Phthiſi confirmatâ magis quâm incipiente infeſtari: Ulcera pulmonum, quî ſuam ſumant originem, facilè capient, qui ipſorum artificioſam ſtructuram ex veſiculis & lobulis innumeris conflatam, cum innumerâ vaſorum hæmagogorum, tenuiſſimis filamentis eoſdem pereptantium ſerie, accuratius perpenderint. Pulmones dum aëri ingredienti uſque patent, & expandi incipientes, pabuli ætherei ſecretioni vacant, ſimul quoque ſanguinis arterioſi in venas receptionem adjuvare, atque circulum ejus quadantenus promovere, Virorum Doctiſſimorum fert opinio. Id ſanè ratum eſt, neceſſariam eſſe actionem utramque, & quamdiu ritè fiunt, ut nihil materiæ nimiæ vel heterogeneæ in lobulis ſubſiſtat vel veſiculis inferatur, illas comprimat, aliterque impediat aëris legitimam expanſionem ac ſecretionem, (parietes quibus illæ mutuò cohærent rumpendo,) ſatis bene nobiſcum agi: quamprimùm vero ſanguis ſale acri impregnatus vel rodit, vel in motum vehementiorem concitatus, oſcula vaſorum impetuoſè aperit ac dehiſcere facit, vel etiam lympha acrior aut viſcidior vaſcula diſtendit, rumpit, facillimè dictis partibus labes inuritur, ut nunc corrodantur, vel à copiâ ſtagnantis fluidi, quæ ſufficienter excuti nequit, repleti veſiculoſi ductus, amplientur p. n. tandemque factâ aliquâ parietum ruptione, quaſi in lacunâ materia morbifica aggeratur, unde non modò pulmonis ſtructura graviter læditur, ſed etiam ſanguis in circulum iturus, impeditur, pabulo æthereo magis magiſque orbatur, imò ulterioribus inquinamentis inficitur, unde malum profundiores radices agit, circa quarum extirpationem ſæpiſſimè in caſſum laboramus: Interdum ſalia à quibus legitimè aliis cum cruoris particulis unitis, mixti ſalus multum pendet, à naturali texturâ & combinatione deſciſcunt, ac in fluorem evecta, ſero inſignem acrimoniam conciliant, non modo veſiculis pneumonicis, ſed etiam fibrillis glandularum trachealium, ad quas copioſè non rarò deponitur, maximopere infenſam, atque hinc non tantum tuſſes ſolennes, ſpaſmodicæ, quæ depluitionibus fictiriis à cerebro, malè à compluribus adſcribuntur, ſed etiam excretiones materiæ ſeroſæ ſalſæ oboriri ac derivari poſſunt, quæ quidem ubi tempeſtivè ceſſant, cum ſalute ægrorum quandoque fiunt, contrà ſi pertinacius durent, præprimis in tenellâ conſtitutione, peſſima ſymptomata inducunt, viamque ad Phthiſin ſternunt: In Dominâ Ægrotâ ſputum ſalſum cum tuſſi, materiæ ejuſmodi ad dictas partes depoſitionem olim factam arguit, potuitque tractu temporis, ab erodente acri cruor unà extravaſare & miſceri, vel etiam ab impetuoſâ tuſſi, idem excuti, veſiculiſque labes funeſta induci, cruore cum admixtis particulis ſeroſis in pus ſenſim immutato, nunc magis nunc minus; indeque factum arbitramur, ut nunc ſputum ſanguinolentum, nunc purulentum albicans craſſum, cum ſpirandi difficultate tuſſi ejectum fuerit, teſtaturque de ejuſmodi veſicularum à cruore ſeroſo impletione vel ſi mavis, compreſſione, quâ reſpirationi grave incommodum acceſſitur, ſanguinis tenuis, floridi & ſpumantis, cui puris tantillum admixtum erat, excretio: Inſpumis autem ſpumoſitas fontem ipſum oſtendit Teſte Hippocr. l. 5. Aphor. Ὁκόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπτύουσι τουτέοισιν ἐκ τοῦ πλεύμονος ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίγνεται: Menſtrua ſupreſſa huic malo anſam potuiſſe præbere, non imus inficias, idque non per nudam quandam regurgitationem, ſed quoniam mixtum à craſi ſuâ naturali adhuc magis deſciſcere fecerunt, quin imo ipſa menſtrui vectigalis ſubſiſtentia de coagulo quod ejuſmodi ſalium fluore, promptiſſimè generatur, teſtimonium perhibet, confirmantque hanc M. H. διάθεσιν, varii affectus, quibus olim obnoxia fuit: enimverò probè recordamur ſymptomata hypochondriaca & nephritica, ipſam ſæpius perpeſſam eſſe, pluresque calculos excreviſſe, unde ſalium, acidi præprimis prædominium, non ineptè arguere poſſumus, à quibus deinceps lympham, ſerumque ſanguinis inficientibus, iſtiuſmodi in veſiculis pneumonicis eroſiones contingere, aut in lobulis ductibuſque coagula ſucceſcere frequenter ſolent: Hæreditariam labem accuſare non poſſumus, quin autem gibboſitas, quâ ſimul affecta fuit, ad illam facilius inducendam, calculum ſuum contribuerit, impediendo promptum eumque neceſſarium thoracis motum, indeque aëris in pulmones expanſionem, apud nos extra aleam eſt. Quicquid ſit, affectu ejuſque cauſis ita ſub incudem revocatis, Ægrotam periculosè decumbere unà affirmamus, funeſtumque exitum jure metuimus: Satisfaciendum nihilominus eſt Ægrotæ precibus, atque affectui urgenti, iiſque quæ tum quod coagulatum eſt reſolvunt, tum verò quod acre, eſt, mitigant, demulcent, purulentum detergunt & expectorari faciunt, vaſa rupta conſolidant & conglutinant, ſicque etiam ipſi M. H. craſi reſtituendæ proſpiciunt certandum. Quo utique faciunt, vulneraria detergentia, blanda volatilia, balſamica aliaque amicam γλισχρότητα poſſidentia, &c. Equidem quæ medicamenta olim in uſum fuerint vocata ignoramus, nulli tamen dubitamus, quin indicationibus illa ſatisfecerint: jam lacte aſinino utuntur cujus uſum apud Ægrotam commendant, haud dubiè quòd triplicis ſubſtantiæ ratione indicantia exhaurire videatur, utpote detergendi, nutriendi & agglutinandi virtute præditum; juxta tamen in acidi dominio, facillimè coagulatur, variaque ſymptomata inducit, menſtruo ventriculi unà ſalſacido exiſtente: Noſti Vir. Excellent. quantum contra hunc hoſtem laudetur Antihect. Poter. quod ſive ſub formâ pulv. ſive in pilul. cum extract. veron. concinnatum Ægrotæ ſingulis diebus exhiberi poſſet: Nec inutilis foret gelatina ex raſ. C. C. &c. vel ſuccus tuſſilag. veron. pulmonar. aliarumque plantarum expreſſus: alii valdopere decocta pectoralia commendant; Syrupis ſaccharatis nullum ferè locum concederemus, cum pectori uſque amici non ſint. Dubitamus etiam an balſamum ſulphur. ſive aniſ. ſive terebinth. quem ceu ſpecif. in pulmonum ulcere commendant Vir Celeberr. commodum ferre poſſit: Decoct. ordinar.

nar. parari poſſet ex radic. chinæ flor. bellid. min. & ſcabioſ. ſi alvi fluxus accederet, Emulſio Amygdalin. cum decoct. C. C. ult. parata proficua foret: Cæterum accuratè caveatur, ne quis in diæta error committatur.

Reſponſoriæ Excellent. D. D. Wepferi.

Tardius reſpondeo, quoniam præter expectationem diutius nuper S. Blaſii detinebar, Conſilia antiphthiſica perlegi: Quid ſentiam candidè aperiam. Lectis non paucorum qui de Phthiſi ſcripſerunt monumentis, neminem adhuc offendi, qui pulmonum diſpoſitionem veram in phthiſicis memorârit: ſufficit ipſis ulcus nominâſſe. D. Barbettus verò ulcus adeſſe negat in praxi, quod ſummopere miror, cùm ſciam Virum doctiſſimum & veri ſtudioſiſſimum, à cadaverum ſectione non abhorruiſſe: Quotquot ſecui, quorum numerus certè non exiguus eſt, in omnibus ulcus inveni, qualia ſint ulcera in Epiſt. & reſolutionibus, quas ſuis Obſervationibus Excellent. D. D. Verzaſcha inſeruit, obiter deſcripſi: Et hactenus iteratò reperi pulmonum portiones indurari, quaſdam ſuppurari, pure non ſolùm veſiculas & portionis ſuppuratæ cavernas, ſed bronchia impleri, quibus accedit ſputum ſpumeum, aliquando mera lympha ſpumea, nunc copioſior, nunc paucior: Lympha extillat, ut Excellent. Domine probè obſervâſti, vel ex glandulis bronchialibus, vel ex capillamentis arteriarum pulmonicarum: nunquam vel rariſſimè à capite per laryngem in pulmones defluit: Pus ſimile eſt illi, quod in ulceribus partium membranoſarum, nervearum & tendinoſarum exſudat & colligitur, ad cujus cumulationem ſingulis pulſibus nova materia adpellitur: Lymphæ affluxui anſam dant incendium partium vicinarum & tuſſis: ſanguis permiſcetur ſputo nunc loturæ carnium ſimilis per διαπήδησιν, ſpumeus verò rupto vel exeſo vaſe ſanguifero, & quidem ferè arteriâ capillari: ſi major reſeretur, plerumque brevi poſt de vitâ actum erit: Puris portiones quas venæ reſorbent, febrim lentam accendunt & fovent: unde ſulphureas partes ſanguinis tunc magis pati exiſtimo; licet in ulcere ſalinis potior culpa deferenda ſit: Ulcera dyſepulota aliaque, imprimis circa articulos, quæ oculis contemplari poſſumus, quibuſque proximè medicamenta applicamus, difficillimè curantur, ut vel in pædarthrocace quotidie experimur: quanto difficilius erit pulmonum ulcera detergere, mundare & conſolidare, imprimis ſi hæmorrhagiæ accedant: Periculoſiſſimè quoque gibboſæ ex hoc morbo decumbunt, nullamque evaſiſſe recordor, quamvis aliquot cum Medicis peritis adſtiterim; pectoris enim vitioſa diſpoſitio pulmones in arctum compingit, & plerumque accedit empyema vel pectoris hydrops: Non tamen prognoſtico relinquenda eſt: In hac pulmonum diſpoſitione exiſtimo induratum & compactum pervium faciendum, pus abſorbendum & detergendum, febrilique incendio pertinaci, ſtudio reſiſtendum eſſe arbitror: Freitagius in Conſilio Antiphthiſico id omne perficere conatur Decoct. Guajac. compoſ. quâ in re Arcæum imitari videtur, de quo conſulere potes obſervat. Schenckii: Nec dubito hanc Methodum ſuccedere in quibuſdam humidioribus & fortè Phthiſicis ex mente Barbetti: Id auſim dicere non præſtantius remedium eſſe in tabidis à lue Venereâ, quamvis extremè extenuati eſſent, reſtitui quoſdam hujus beneficio, etiam poſt inunctiones Mercur: Animavit me ad illius uſum Nicolaus Maſſa de lue Vener. qui ab uſu hujus decocti ſummè macilentos pingueſcere ſcribit: Aliàs uſus ſum his remediis: dedi ſucc. naſturt. numular. bellid. min. rec. expreſſor. cochlear. ij. vel iij. vel plura, cum pauxillo mell. roſar. aut ſyrup. M. & V. vel contudi herbar. iſtar. M ij. vel iij. affudi juſc. carnium non ſaliti ℥ iv. vel v. calidè, ſubito percolavi, addito parum mellis. Horum ſuccorum uſu duo prope incurabiles, præter expectationem hoc anno convaluerunt. 2. Uſus ſum quoque Antihect. Pot. nunc cum conſervis nunc in form. pilul. cum ſuccis expreſſis: De illius uſu me per literas ad D. Sibelium datas Excellent. D. Ludovici monuit, conjungendum eſſe cum humectantibus, & in ſummè tabidis tutum ſemper non eſſe: Itaque dedi hactenus dimidiâ horâ ante ſuccorum uſum doſin, aut adjunxi decoct. pectoral. & traumatica: aut Gelat. C. C. compoſ. cui tamen hauſtus juſc. carn. flor. bellid. min. alterati ſuper ingerendus eſt 3. Omnibus noctu dedi diacodium: aut liquor. laud. op. imprægnatum. In ulceribus veſicæ & renum commodè utor pulver. ex rad. alth. bol. arm. or. tragac. gumm. Arab. ſem. portulac. & ſacch. penid. Annon quoq; hic commode adhiberi poſſet? imprimis ſi ſputum cruentetur. In lactis uſu hoc memorabile obſervavi, ſi febris in tabidis intenſior ſit, cremorem detrahendum eſſe: Balſam. ſulph ejuſque lac reſpuo penitus, utrumque nocentiſſimum expertus ſum: Purgantia deteſtor, nec clyſteres magnifacio, quam enim damnoſa in pleuritide ſint, monet Sydenham de febrib. Victus ratio ſit ex optimi ſucci cibis & facilis coctionis: Vinum exulet, bibat decoct. C. C. hordei Chin. cum flor. bellid. min. pap. err. & ſcabioſ. niſi hæc ultima ingrati ſaporis ſint. Sed ſatis de his.

Script. Scaphuſ. d. 2. *Sept.* 1679.

Acceptis hiſce literis, ipſi ad Ægrotam, petentibus ita Amicis profecti fuimus, eamque in tali, quem hariolati ſumus ſtatu, reapſe deprehendimus, ſimulque ex relatione ipſius audivimus, quoties abortierit, quòd ante triennium, cùm doloribus atrociſſimis capitis vexaretur, calculos per palatum, alioſque tuſſi è pulmonibus excreverit, item, quàm diverſas Medicorum ſententias & auxilia experta ſit, purgantibus & vomitoriis exercita, cùm febriles inſultus perpeti inciperet, mox ad acidulas Rippliſavienſes ablegata, cùm uterò concepiſſet, inde etiam redeuntibus horroris & caloris inſultibus ſanguinis iteratâ miſſione fatigata, uſque dum ex ſubſiſtentibus menſibus, tempore ſolenni redeunte, hæmoptyſin gravem incurrerit, phthiſiſque incipiens magis magiſque radicata fuerit: Urinæ tenues erant & crudæ: corpus emaciatum: urgebat tuſſis cum ſputô purulentô: pulſus hecticorum ſimilis. Commendavimus medicamentorum uſum quamvis mali radicatio multam ſpem nobis denegârit. *Joh. Jacob. Harderus in Obſervationibus Anatomico-Practicis.*

Phthiſis

Phthiſis à pluribus pulmonum ulcuſculis, Vomica in eorum dextra parte, &c.

Affectus de quo Sereniſſim. Princeps Carolus Fridericus Marchio Badenſis,&c.præcipuè conqueritur, eſt Dyſpnœa quædam cum moleſtiſſima Tuſſi, quæ tum imprimis evenit quando corpus aliquot paſſibus ambulando & acclivia ſcandendo movetur; Cauſa hujus mali proxima, ſeu morbus à quo pendet, tum nomen affectui impertiet, tum omnem curam & ſollicitudinem Medicorum ad ſe trahet. Quoniam habitus corporis conſumitur, Pulſus frequentior & celerior eſt, nec non manifeſte purulenta tuſſi ejiciuntur, ſupervacuum erit inquirere num Tubercula cruda vel Lapilli in pulmonibus? Anne vero catarrhi ab bronchia ruentes hujus mali authores forent? etſi forte negari non poſſit Tubercula cruda hanc calamitatem præceſſiſſe, & nunc catarrhos purulentæ per tuſſim ejectioni accedere: ſæpe enim pauxillum puris, multo ſputo pituitoſo pellucido involutum, conſpicitur: imo his diebus vidimus uvulam elongatam, & fauces rubicundas à ſero acri hæc loca alluente & exaſperante: Potius operæ pretium erit indagare unde pus hoc proveniat, an ab Empyemate? num à vomica Pulmonum peculiari folliculo veſtita? an vero à ſubſtantia eorundem primum indurata & tandem ſuppurata? Empyematis latentis ſuſpicionem movere poſſet pleuritis S.P. menſe Auguſt. anni 1673. affligens, quæ nec ſputi ejectione, nec ſudore nec aliter judicabatur, nam ab illo tempore tuſſis & dyſpnœa inceperunt, magis magiſque increverunt, & huc uſque perdurarunt, verum licet hæc indicia ſuſpicionem Empyematis probabilem reddant, neutiquam tamen illud evincunt: nam S.P. à menſe Auguſto prædicti anni, uſque ad principium Aprilis anni 1675. obambulavit, equitavit, caſtra ſequitus eſt & præliis interfuit, imo utcunque dyſpnœa cum tuſſi poſt motum moleſtaret, illa tamen protinus ceſſavit, quando humi decubuit; adde quod in pectore nullus unquam tumor apparuerit, & utrique lateri, ſitu etiam humili incumbere valuerit, quæ tum præſtare tanto temporis intervallo impoſſibile fuiſſet: quamprimum enim pus in cavitatem pectoris ex abſceſſu rupto ſtillare incipit, in dies augetur, & ſæpe brevi ad inſignem copiam cumulatur, niſi exitus alicubi pateat: nam à congeſta puris colluvie pulmonum diſtenſio impeditur, & diaphragma deprimitur, unde ſumma reſpirandi difficultas vel orthopnœa ſubſequitur; & ſæpe in pectore, ubi empyema eſt, tumor excitatur. Vomicam apud S.P. intra pulmones potius latuiſſe, multa ſunt quæ fidem indubiam faciunt, nam à Septembri prædicti anni, uſque ad Aprilem anni 1675. ſemper difficulter poſt motum reſpiravit, & quamvis multum ac vehementer tuſſiret, ne guttulam quidem puris ejecit, quod ſignum erat tum obſtaculi cujuſdam in Pulmonibus, ob quod uſus reſpirationis à motu aucto non ſufficiens aër pulmones ſubire potuit, tum alicujus irritaminis ad tuſſim inanem impellentis: hoc autem omnino vomicam fuiſſe inde manifeſtum evaſit, poſteaquam S.P. thermas Aquisgranenſes prædicto menſe Aprili bibere incepit, nam vomica hæc per aquam calidam, atomis ſulphureis imbutam, copioſius hauſtam, emollita, atque poſt in itinere rupta, pus tam copioſe & affatim exſpuit, ut uno atque altero quaſi rivulo propulſo, protinus novum puris effluvium è pulmonum bronchiis fauces impleret, illudque ſine magna tuſſi, vel leviculo impulſu, aut ſimplici ſcreatu ejiceret: Inſuper S.P. Vomica hac maximam partem depleta, nondum finita cura facillime reſpiravit, adeo ut ſcalam concitato curſu ſcandere voluerit, quod ad hunc uſque diem nondum licuit: unde firmiter credit, ſi poſt potum aquarum quieti vacaſſet, aut aliter valetudini ſuæ conſuluiſſet, quin integram ſanitatem recuperaſſet: Vomicæ exordium præcipuè adſcribi poteſt potui frigidæ, æſtuante corpore, cui S.P. nimium indulſit: nam à potu frigido ſuperfluo ſanguis ſubito coagulatur, unde portiuncula ſanguinis grumoſi intra veſiculas pulmonum ſubſiſtit: adde quod natura ſanguinem coagulatum & grumoſum, præſertim in partibus principibus, peculiari folliculo quaſi circumvallare ſoleat, ne gravius damnum inferat: interim cum ille ſanguis non moveatur, ille in pus convertitur, quod ſenſim augetur; cum autem folliculi vaſis peculiaribus dotentur, ex illis perpetim aliquid ſtillat, ut ex indole omnium tumorum cum folliculis conſtat, qui ſæpe à minutiſſimis exordiis ad inſignem magnitudinem excreſcunt: An verò à menſe Aprilis 1675. uſque ad diem quintum Novembris, ſubſtantia pulmonum indurata, & cavernoſa ſeu ſinuoſa evaſerit? vel ut uno verbo dicamus, Num Pulmones cum labiis duris exulcerati ſint, indagationem ſeriam poſtulat, atque in hujus notitia rei cardo verti videtur. Tale vitium Pulmonibus minantur ineſſe, dyſpnœa poſt abſolutum thermarum potum rediens, tuſſis vehementiſſima, veri puris ejectio, febris lenta pulſu ſe prodens, habitus macilentus & laſſitudo ſpontanea Univerſalis. Confirmant idem compages corporis valde gracilis, ſcapulæ alarum inſtar prominulæ, proclivitas ad febres intermittentes, continuas & malignas, quarum omnium vehementiam non ſemel S.P. expertus eſt: Licet autem in pulmonibus talis adſit labes, illa tamen nondum magna obſervatur: nam C. P. placide dormit, citra ullum ſtertorem aut ſibilum inter reſpirandum, humili ſitu utrique lateri pro lubitu incumbit, expergefactus mane parum puris abſque labore excernit, nec ad copioſiorem ejectionem poſt ſomnum ſtimulatur quod alias phthiſicis ſolemne eſt, poſtquam ſcil. ſomni indultum aliquandiu à tuſſiendo quieverunt: inſuper color faciei vividus eſt, bene appetit, non ſitit, nec ſudat, urina prorſus naturalis eſt cum laudabili ſedimento, habitus non valde emaciatus, cutis nondum ſquallida & ſcabra, nec capilli defluunt, vel à paſtu corpus æſtuat: Quæ cum ita ſint apud S.P. ulcus detergendum ac conſolidandum, & quoniam à pure inquinamenta ſanguini commiſcentur, quæ febrim conſumentem efficiunt, ipſis occurrendum & tabes diligenter præcavenda erit; His indicationibus Deo Benedicente, congruis auxiliorum remediis ſatisfieri poſſe ſpem faciunt ætas juvenilis, temperantiæ amor, & labes pulmonum nondum ad ſupremum gradum deducta.

ćta, &c. *Hæc conſulebant Viri Excellent. D. D. Joh. Jacobus Wepferus & Bernardus Verzaſcha.*

Poſteaquam S. P. per aliquot ſeptimanas remediis cum maximo emolumento uſus fuiſſet, mihi demandavit ut de valetudinis ſuæ ſtatu & medicamentorum effectu Dn. D. Wepferum certiorem reddam; quod ſequenti epiſtola à me præſtitum eſt.

S. P. Ampl. & Exc. Domine, Unanimi conſenſu inchoata cum S. P. medendi methodus feliciter ſuccedere videtur, nam febris lenta, hecticæ prodromus, decrementum ſumit, tuſſis moleſta imminuitur, materia per exſcreationem ejecta raro purulenta obſervatur, per duas noctes cum levamine nihil exſcreavit, blande dormit, bene appetit ac concoquit, & urina ſemper laudabilis conſpicitur, imo in brachiis carnem generari nuper animadvertimus, &c. *Dom. D. Verzaſcha. 22. Novembris 1675.*

Plurima in literis Tuis occurrunt quæ optima quæque de valetudine S. P. in integrum reditura pollicentur: plenius apud me gaudium evaderet, ſi quoque acclivia ſcandentem facilius reſpirare intelligerem: hac enim ratione perſuaderer nullum imperſcrutabile vitium in Pulmonibus latere, &c. *Dn. D. J. Jac. Wepferus 30. Novembris 1675.*

Poſt tranſmiſſam Epiſtolam ſtatim ſubſequente die S. P. catarrhus corripuit, unde majori cum difficultate reſpiravit, moleſtius tuſſivit, copioſius ſed ſine ulli puris notabili quantitate excreavit, & aliquoties capite doluit; Hæc omnia animum meum vehementer diſcruciarent, niſi apud nos, iſto hyemali tempore, catarrhi eſſent malum epidemicum, Erigit animum meum quod prædicta ſymptomata remittere incipiant, &c. *Dn. D. Verzaſcha. 3. Decembr. 1675.*

Catarrhos ab anomalia aëris ubique locorum plurimis infeſtos eſſe undiquaque auditur: Symptomata remittentia apud S. P. bona quæque prænuntiant, eoque magis quia ſputum, tuſſi moleſtiſſima copioſe rejectum, purulenti inquinamenti expers erat: Majus gaudium evaderet ſi intellexero reſpirationem liberiorem exiſtere, &c. *Dn. D. Wepferus. 6. Dec. 1675.*

Quatuordecim dierum ſpatio aliquoties autumavit S. P. ſe circa horam nocturnam nonam paroxyſmo febris tertianæ corripi, hinc prædicta hora ſexies illum inviſi, ſed nullam febrem tertianam obſervare potui, pulſus enim raro febrilis, urinaque ſemper laudabilis erat, Quæ per tuſſim adhuc moleſtam & exſcreationem rejicit, pauca ſunt & illis ſimilia quorum in conſilio mentionem fecimus, imo aliquot noctes tranſegit in quibus nihil exſcreavit: Excrementa alvina ſanorum ſimilia ſemper apparent, ſi quando fluida redduntur, biliosa, ſed nullo chylo commixta obſervantur, &c. *D. D. Verzaſcha 22. Decemb. 1675.*

S. P. Febri tertiana immunem eſſe confido, cum hactenus nullæ febriles acceſſiones à te deprehenſæ ſint, pulſuſque & urina naturaliter ſe habuerint; quoniam vero in ſuſpicionem paroxyſmi febrilis venit, proculdubio aliquod ſymptoma paſſus erat quod illam primò movit: forte horrorem aliquem expertus fuit, qui ſæpe evenit quando pus generatur, quod in virgine nobili hoc ipſo tempore animadverto: aliquot enim noctibus, ferme circa horam IX. horrores perpeſſa eſt, nunc purulenta exſpuit cum manifeſto phthiſis incremento: meliora tamen ſperabo, quia pulſus eſt naturalis, purulenta ejectio non augetur, & S. P. aliquot noctes citra tuſſim tranſegit. *Dns. D. Wepferus 29. Dec. 1675.*

Neceſſarium eſſe duco curſum morbi deſcribere qualem poſt ultimas meas S. P. obſervavi: Decem ſunt dies elapſi quod S. C. cum in conclavi Principis Sybillæ commoraretur, circa horam ſecundam pomeridianam inopinato dolorem, fere per horas duas, pungentem in parte lateris dextri paſſus fuerit, qui ex præſcripto julepo cum aqua ſcabioſæ, farfaræ, & ſyrupo papav. rhoeados parato, & ungu. Reſumptivo Fernelii, cum ſpermate ceti mixto eadem die diſparuit: verum tuſſis moleſtiſſima mox ſupervenit, excrementaque purulenta, compacta & ſubviridia, non ſine aliqua virium jactura rejecit. Ad promovendum novæ hujus materiæ exitum, ſyrup. pectoralem *Z Welferi*: hederæ terr. Quercetani; de althæa Fernelii, & eryſimo Lobelii præſcripſi, ex quorum ſyrup. uſu faciliime exſpuit, unde cum illis pergendum eſſe cenſeo: An autem nova iſta materia ex nuper aperta vomica, vel ex collectione recenti in veteri ſinu vomicæ, cum per XIV. dies S. P. fere nihil exſcreaverit, ortum trahat, judicio Tuo accuratiori examinandum relinquo: cæterum intra prædictos X. dies, per duos dies excrementa alvi liquida, biliosa & ſeroſa reddidit, quæ fœtorem intolerabilem ſparſerunt, &c. *D. Verzaſcha. ultimo Dec. 1675.*

Sputum purulentum S. P. fœtidum, tenuiſſimum, & conſiſtentiâ prorſus compactum, non nuper natum eſſe his indiciis manifeſte apparet; quod etiam confirmat dolor punctorius ſæviſſimus excretionem præcedens, ipſe excretionis modus cum vehementia junctus, & debilitas illam conſequens: An vero ex vomica recenter rupta prodierit, vel in ſinu antiquo delituerit, & tuſſis violentia ex latibulo tali productum fuerit? certo definiri non poteſt. Ex vomica rupta illud crediidiſſem ſi ſputum cruore tinctum fuiſſet: vix enim vomica eſt cujus folliculus vaſis capillaribus non donetur, &c. *I. Jac. Wepferus. 29. Januar. 1676.*

Prima continuatio Hiſtoriæ morbi. V. E. D. D. Wepfero Authore.

S. P. Habitum corporis macilentum die XV. Febru. præſens obſervavi, non tamen multo macilentiorem quam poſt abitum meum ultimum erat: ante meridiem inveni pulſum minus frequentem, celerem & durum; poſt paſtum vero frequentem, celerem, parvum; Tuſſis adhuc perdurat, & à paſtu, corporis motu, extenſione ſubita brachiorum, & diutius continuato ſermone frequentior evenit quam mane & noctu: nonnunquam noctu poſt tuſſim ſtatim indormiſcit, ut mane ſe tuſſiviſſe ignoret. Sputum craſſum mane, & quandoque interdiu, poſt unum alterumvè tuſſis actum facile ſuccedit; verum ſi ob titillationem quandam in faucibus ad tuſſim irritetur, ut poſt paſtum & ſermonem accidit, diu nihil & tan-

tum mucus tenuis, ſpumeus cum magna violentia exploditur: Sputum hoc craſſum, quod ex pulmonibus procedit, eſt conſiſtentia craſſius, viſcidum, tenax, & in fila trahi poteſt, ac ſi in bronchiorum ramulis diverſis portiones quædam condenſatæ, & deinde in caverna collectæ fuiſſent, quæ poſtmodum ceu in unum bolum conglobatæ ejiciuntur: colore eſt ſubviride, luridum & turbidum, non fœtet, at neſcio quem dulcorem odoratui adverſum ſpirat: hoc ſputum quantitate non ſemper æquale exiſtit, notavit D. Verzaſcha illud ab aliquo tempore 24. horarum ſpatio ad ʒiii. ʒvi. ℥i. ac ℥iſs. ejectum & ego obſervavi ad ℥i. ultraque quotidie excretum fuiſſe: Quod ſputum ob titillationem majore tuſſis violentia explodit, ſpumeum, tenuius & pellucidum eſt. S. P. etiam mucum viſcidum, turbidum, craſſum, album & copioſum crebro per nares emungit ac ſcreatu ejicit: Quando ſe movet, quod raro amplius ſit, difficulter reſpirat. Ab aliquot ſeptimanis ſemper in hypocauſto manet, plerumque decumbit & quidem in dorſum, ſi in latus ſiniſtrum recubet, magis tuſſire cogitur: dolet frequenter in latere ſiniſtro, maxime inter coſtam quintam & ſextam, quandoque etiam in dextro, ſed parte altiore; dolor iſte ab attactu exaſperatur, quamvis locus affectus nec tumeat nec rubeſcat: profunde dormit ad plures horas noctu, & mane in multam diem, licet quandoque à tuſſi excitetur atque exſpuat, mox tamen iterum indormiſcit, ut plerumque ſe tuſſiſſe aut exſpuiſſe mane non amplius recordaretur, niſi ſputum in vaſculo conſpiceret. Appetitus mediocris, quandoque ſatis laudabilis eſt: à cibo non gravatur, nec ſitit ex quo lac ſugit, nunquam diarrhœam paſſus fuit: Fæces alvi ſunt compactæ, ſubfuſcæ & ſubflavæ: urina craſſior nunc eſt quam pridem, & coloratior cum ſatis laudabili ſedimento: Sudavit nuper frequentius, nunc autem rarius ſine notabili virium proſternatione: capilli plane non defluunt: Attactu non amplius tam calidus eſt quam fuit, nihilominus calor p. n. adhuc circa regionem arteriæ in carpo obſervatur: die 18. Febru. cum noctu ob dolorem capitis inquiete dormiſſet, mane nares ſanguinem laudabilem ſtillarunt.

Secunda continuatio hiſtoriæ morbi Eodem Authore.

S. P. die 10. Maii rurſus conveni, Facies erat pallida, ſubcineritia, macilentior, labia rubicunda, non tamen tam rutila ac nuper: habitus corporis tam macilentus apparuit ut vertebræ valde prominuerint, & quemadmodum in proverbio dicitur, coſtæ omnes numerari potuerint: Pulſus fuit frequens, celer, ſubdurus, attactui renitens: Reſpiratio decubuo non difficilis, anheloſa, aut interrupta eſt; In dextro latere inter coſtam 4. ac 5. à contactu doluit, tuſſis frequenter interdiu & noctu; ſputum ejecit ab aliquot diebus copioſum ad uncias duas, eſt rotundum, turbidum, ſubflavum, ſubviride, aliquando ſubfuſcum, tenax & viſcidum, non quidem ſummopere fœtet, nihilominus tamen quendam adverſum odorem ſpirat, qui tum imprimis animadvertitur quando repente ex loco liberiori aëri expoſito aditur, ſæpe demum poſt iteratos tuſſiendi nixus, & tunc quidem pleno ore ſuccedit: Jam ab aliquot diebus non ſine moleſtia erant nares obſtructæ, circa os ſacrum exulceratur, perpetuo decumbit, extra lectum diu perſiſtere nequit: quando erectus in ſella ſedet, amplius ad tuſſim quam decubuus ſtimulatur, appetitus ab aliquot diebus proſtratus redit, impenſe non ſitit, diarrhœa ab aliquot diebus valde moleſta fuit: die ix. Maii veſperi alvum exonerans, ob diarrhœam prope in leipothymiam incidit: die x. fæces adhuc liquidæ & aliquomodo pultaceæ erant, quibus fruſtula albâ ceu fragmenta amygdalarum contuſarum immixta erant; die xi. nunquam dejecit: die 12. fæces naturales compactas ſed flavas abſque moleſtia reddidit: urina ab aliquot diebus cito turbatur, clarificata craſſum ſedimentum retinet, quod etiam ſtatim poſt emiſſionem obſervatur, dum adhuc clara eſt. Ob tuſſis vehementiam, ſtatim poſt paſtum invadentem, nonnunquam aſſumpta evomuit: Sudor nocturnus aliquoties moleſtus fuit, non ſine virium diſpendio: die xi. & 12. Maii ſudor fere nullus apparuit, poſteaquam mane & veſperi ſpina dorſi ſequente linimento inuncta fuerit,

℞. Unguent. roſat. Meſues, refrigerant. Gal. an. ʒß. ol. violar. q. ſ. Capillorum nullum defluvium advertitur: Naribus attracto lacte, cum ſucco ſempervivi & ſyr. violar. mixto plurimum muci pellucidi è naſo & faucibus prolectum fuit: Poſt paſtum animadverti æſtum pungentem, præſertim in vola manus. Jam diu dextro lateri ſoli aut dorſo incumbere valet. Si in ſiniſtro cubet magis tuſſire cogitur, nuper hæmorrhoidibus dolebat: 12. Maii toto die & noctu capitis dolorem ſenſit, inde 13. multum ſanguinis emunxit: Dum ad alvum ſolvendam ſurrexiſſet, ejecit citra tuſſim ſolo ſcreatu ſputum purulentum, ac ſi bronchia pulmonum pure plena, & ſurſum unico hoc motu protruſum fuiſſet, quamvis nec vox rauca, nec reſpiratio cum ſibilo obſervetur, niſi ſiniſtro lateri incumbat, tota nocte dormivit & nihil tuſſi rejecit: die 14. Maii, demum poſt lactis ſuctionem tuſſire & ſputum purulentum excernere cœpit, cui parum cruoris admixtum fuit.

Tertia continuatio hiſtoriæ morbi Eodem Autore

S. P. Die 15. Aug. denuo conveni, & non plus emaciatum obſervavi quam erat ultima vice qua ipſum reliqueram: Labra fuerunt rubra, pulſus frequens, celer & parvus, reſpiratio ſatis libera erat dum decubuit; unde clarâ & maſcula voce loquebatur inſtar ſani abſque ulla raucedine: decumbere poteſt humiliter, non alte, facilius tamen in ſiniſtrum quam in dextrum latus; ſputum adhuc eſt turbidum, ſubflavum, craſſum, aliquando fluidum & nonnunquam cruore tinctum. Urina habet ſedimentum copioſum naturale: appetit egregie, ut duos pullos in paſtu comedat, non multum ſitit, fauces tamen quandoque exareſcunt, quas aquæ pauxillo facile humectat: nares obſtruuntur frequenter ab exſiccato muco, alvus non eſt fluida,

da, corpus non ſudat: A decubitu non amplius excoriatur, quod imprimis emplaſtro de ſpermate ranarum præcavetur: nares nonnunquam irritatæ ſanguinem ſtillant: inſuper obſervavi S. P. largiter comedere, nam in quolibet paſtu aſſumit juſculi, contuſo carnium & pane trito impregnati, libram dimidiam: deinde edit pullum aſſum integrum & elixum fere totum; quandoque ſimul cancros elixos, pulpam pomorum & pyrorum paſta farinacea incluſam, placentulas & fruſtum panis quatuor unciarum pondere: bibit ſuum decoctum in paſtu mediocriter, quandoque extra paſtum ſumit unum alterumve hauſtum: comeſta retinet, & licet ob vehementiam tuſſis quandoq; portionem evomat, illa tamen centeſima vix aſſumptorum pars eſt, eadem exacte concoquit, ut ex fæcibus & urinis laudabilibus colligitur: utcunque autem ſtrenue comedat, habitus tamen corporis nulla incrementa ſumit, & poſt paſtum ſemper nunc plus nunc minus invaleſcit. Denique adverti ſpatio XXIV. horarum inſignem quantitatem puris in pectore cumulatam fuiſſe, qua per validam tuſſim excreta, nunc cum dolore lateris punctorio, nunc immixtis ſtriis cruentis induciæ concedebantur, & per horas plures, etiam XII. à tuſſi liberius reſpirabat, ac maſcula, clara & ſonora voce, nonnunquam etiam cum quodam impetu loquebatur, ſæpe citra ullum ad tuſſim irritamen, quod ante ſputum purulentum rejectum non licuit: imo illo adhuc copioſiore exiſtente, animadverti levicula ex cauſa tuſſim concitare, intra aſperam arteriam ſtridere, reſpirationem difficilem efficere, vocem aliquomodo raucam reddere, & ſi nimis fluidum ſit, ſuffocationem intentare, imprimis paulo poſt paſtum, quo tempore ſemper pus fluidius comperi, nam longius poſt paſtum maxime ſomnum protractiorem, craſſum eſt, & uni alterive impulſui à tuſſi promptius cedit, ac ſine magna vi portio in globum compacta expellitur.

Supereſt ardua quæſtio decidenda, num liceat S. P. Baſilea Reinhovium proficiſci: Iter hoc ſummopere diſſuadere videntur 1°. vires debiles, quas imprimis prodit difficilis tolerantia brevioris etiam moræ extra lectum, pulſus frequens, celer, parvus & habitus corporis valde attenuatus, inde ob motum & ſuccuſſionem vix evitabilem ſpiritus magis diſſiparentur, ut facile leipothymia, aut ob ſpirituum vitalium paupertatem periculoſa ſyncope accerſiri poſſet; deinde magna adeſt in ſinubus Pulmonum poſt vomicam relictis, copia puris; quæ ab eadem corporis & pectoris concuſſione commoveri, & uno impetu ad præcipuos bronchiorum ramos præcipitari & ſuffocationem intentare valeret, denique aër in via varius non parum pulmones turbabit varieque ſputum immutabit, imprimis hoc tempore autumnali, in quo ſemper anomalus eſt, cum è contra S. P. hactenus aëri ſicco, phthiſicis utiliſſimo aſſueverit, adeo ut vix ſine manifeſta noxa toleraturus ſit aërem humidum & nebuloſum, pulmonibus alias aggravatis nocentiſſimum, &c.

Sapientiſſimi Regum effatum & omnibus Chriſtianis diligenter perpendendum Prover. 16. 9. reperitur, Animus hominis excogitat viam ſuam, ſed Iehova ſtatuit greſſum ejus: Hujus veritatem proprio ſuo exemplo comprobavit S. P. nam univerſo apparatu itineris abſoluto, excogitavit viam ſuam proxime Rheinhovium ingredi, ſed præpotens Jehova ſtatuit greſſum ejus, cum enim 5. Octobris die circa hor. m 3. matutinam irritus tuſſiendi conatus longum duraſſet, è rupto vaſe pulmonico inopinata lethalis hæmorrhagia ſucceſſit, quippe uncias duas ſanguinis floridi & ſpumoſi per pulmonis fiſtulam tuſſi ejecit, unde ex præſentanea ſuffocatione S. P. huic mundo vale dixit.

Impetrata ſuperiorum venia, mane, ad cauſam morbi & mortis plenius & planius indagandam corpus eviſceratum fuit: Aperto thorace, Pulmo cum impetu quaſi proſiliens, ſtupendum in modum inflatus, univerſam pectoris cavitatem implevit, cujus tota pars dextra à lobo ſuperiore uſque ad inferiorem; ſiniſtra pars autem ratione inferioris lobi tam firmiter pleuræ & coſtis annata erat, ut non ſine labore illas ſeparaverimus, quod fatum S. P. cum Divo Ferdinando Imperatore, & Franciſco primo Rege Galliarum commune fuit. Exemta Pulmonis compage, obſervavimus fere ubivis iſtam naturali ſua textura, ſpongioſa nempe & rara, orbatam fuiſſe: Etenim tota illius ſuperficies innumeris ulcuſculis, inſtar acinorum, quos pro Marcelli Malpighii veſiculis orbicularibus dilatatis agnovimus, obſeſſa fuit, intermedia ſaltem ſiniſtra parte Pulmonis ſana: In quibuſdam cauernulis ſaniem recentem invenimus, in aliis plurimis pus fœtidum colligebatur, unde dubio procul contigit quod S. P. aliquando à duabus vel tribus ſeptimanis, citra ullam reſpirationis difficultatem, & tuſſis moleſtiam, parum puris ejecerit, ſeque tunc temporis extra jactum lethiferi teli poſitum eſſe ſibi firmiter perſuaſerit. Porro cum multæ cavernulæ in bronchia, ſive fiſtulæ Pulmonum, aut aſperæ arteriæ ramulos, manifeſtum aditum habuerint, mirum non erat aliquando poſt mediam noctem, ſæpius autem ſummo mane, pus compactum & globoſum ad uncias uſque duas à S. P. ejectum fuiſſe, Etenim tale in prædictis aſperæ arteriæ propaginibus nimirum dilatatis perſpicue apparuit. Inſuper in dextra pulmonis parte Vomicam, nuci moſchatæ æqualem, pure fœtidiſſimo refertam, nec non vaſa Pulmonica ampliora & turgentiora, ſanguinemque per pulmonem hinc inde diſperſum notavimus, ut de vaſis pulmonici ruptura dubitandum non ſit: Fiſtula Pulmonis tum ſanguine florido, tum grumoſo repleta erat, unde cauſa eluceſcit cur ultimus naturæ agon nec per dimidium horæ quadrantem duravit: Cor nectaris vivifici fontem deprehendimus nulla ſingulari labe infectum, niſi quod parenchyma illius non ita ſolidum, ſed propter morbi diuturnitatem paulo laxum fuerit: humor ſeroſus in pericardio copioſus erat: unde manifeſtum perpetuæ veritatis non eſſe ſententiam illorum, qui ſtatuunt humorem hunc pericardii in hecticorum cadaveribus exiguum reperiri. Aperto abdomine viſcera principaliora, ventriculus, meſenterium, hepar, ſplen, renes reliquæque infimi ventris partes, ab omni morbo liberæ inventæ ſunt.

Phthiſis grande & multiplex Pulmonum ulcus ſequuta.

Sanguinem à pure liberabunt, præ aliis forſan medicamentis omnibus, quævis Antimonialia, tum diaphoretica tum purgantia & vomitoria: quæ non ſemel obſervavi, etiam in phthiſi ac inveterato Pulmonum ulcere grandi, per alvum & urinas bonam puris quantitatem eduxiſſe, adeo ut ad plures tunc dies nullum tuſſi pus excerneretur: *Ulcus autem in Pulmonibus grande, ac ſubinde multiplex fuiſſe, manifeſtavit poſt obitum cadaveris à me facta diſſectio. Fr. Sylvius Pract. lib 1. cap. 24. §. 10.*

Phthiſis à parenchymate ſiniſtri Pulmonis fere omnino conſumpto, &c.

Hanoviæ miles præſidiarius, quadragenario major, purulenta tuſſiens, circa diaphragma ſiniſtrum vehementiſſime doluit: levatus eſt expectorantibus, & diuſcule ſe ſolatus pauper ſucco naſturtii aquatici & hederæ terreſtris; accuſavit quoque ſimul renum dolores, ardorem & cruentationem urinæ: Tandem nonniſi ſpulmoſum ſputum rejiciens, ventre primum inflato & ſonante, ut Tympaniticum judicaſſes, dein & pedibus tumentibus, ſuperiora comſumptus, ſumma ſæpe & tantum non ſuffocante anguſtia, ob aſcenſum muci aut ſeri in jugulum, ſanguinea interim ſæpe meiens poſt 22. ſeptimanas quibus decubuit, ſceleto faciem ſimillimus, vero Aſcitide obiit 1671. 16. Julii.

Aperto cadavere, parenchyma ſiniſtri Pulmonis fere totum conſumptum, bronchia vero relicta cum pauco parenchymate, & ipſo pericardio firmiſſima cicatrice, ceu callo, coſtis adnata coaluere, ita ut propter diuturnum dolorem hoc latere compreſſo depreſſoque gibboſus altero latere factus fuerit miſer. Diaphragma quoque ſolito craſſius lienem firmiſſime affixum oſtendit: In abdomine & thorace ſeri meraci & citrini multæ menſuræ latuere, quæ adacto ſcalpello inſtar ſalientis fontis projectæ: Qui coalitus Pulmonum, poſt vulneraria multa, altero latere fere adhuc integro, forte meretur obſervationem. *Salomon Reiſelius in miſcell. curioſis anni 1673. obſervat. 191.*

Phthiſis à Pulmonibus ſubduris & compactis, ſuprema parte exulceratis, & lateri annexis &c.

Jaci Spœrlin ſeptuagenarius, ad carceres damnatus, in iis ultra 12. annos vixit; hinc cachecticus factus, anno vitæ ultimo, mane inprimis, tuſſire cœpit & purulenta exſpuit, Tuſſis magis magiſque crevit, eaque diu noctuq; miſere excruciabatur; ſputum ſubviride, turbidum, lentum, viſcidum, rotundum, plane non fœtidum, quandoque cruore tinctum ejecit: Paucis ſeptimanis ante obitum, conqueſtus eſt de catharro mane impetuoſe ad pectus ruente & ſuffocationem intentante: febricitavit lente, emaciabatur, non tamen ita corpus contabuerat prout in pleriſque Phthiſicis obſervatur.

Pectore mortui recluſo, pulmonum lobos ſuperiores utrinque, maxime ſiniſtrum, accretos invenimus; ambo ſubduri & compacti erant, nondum tamen ad illam duritiem pervenerant quam alias in phthiſicis obſervavi: Diſciſſi in ſuprema parte exulcerati erant, ac cavernulas avellanæ capaces obtinuerant, non tamen exacte rotundas aut æqualiter cavas, ſed quaſi laceras, ac ſi à muſtela vel à glire fruſtulatim portiuncula avulſa, pulmones exeſi fuiſſent: Preſſa hac pulmonum parte, ex bronchiis ſputum viride, minus tamen viſcidum ac tuſſi rejecerat, prodiit: Lobi pulmonum inferiores nec pleuræ accreverunt nec quicquam puris continuerunt: In cavo pectoris ſerum ſubcruentum copioſe redundavit. *Joh. Jacob. Wepferus Exercit. de Apoplexiâ.*

Phthiſis ab ulceratione parenchymatis pulmonis, ejuſque bronchiorum obſtructione.

Crebrior cadaverum perluſtratio ulceris in pulmonibus Phthiſicorum genuinam, non ſolum in parenchymate, ſed & ipſis bronchiis ulceris ſedem docuit, adeo ut hominem febre hectica conſumptum, non citius de ſtatione vitæ decedere, ſed ejus miſeriam tamdiu ſupervivere miraculi inſtar ſit: Poſt ſanguinis ſputum in φθινώδη corpore ad librarum duarum menſuram; ingentis in dextro pulmone ſenſus, ponderis aliquot ſeptimarum decurſu animadverſus: rejecta materia flava, craſſa, viſcida, tenax, fruſtillatim, tenui aqueæ copioſæ innatans: Adaperto iterum vaſculo hæmoptyſis urgebat: Ea fine negotio ſedata continuabat excretio priori ſimilis: Aderant hecticæ indicia non levia, putridæ intermiſſa, & dyſpnœa dextro præſertim in latere: Sanguis nullus excreabatur, ſed alba ſolum, tenax, viſcida materia: Viribus exhauſtis, anni quadrante elapſo, ſuffocatus abibat ad plures.

Aperto thorace dexter Pulmo tumidus, adeo ut totam illam impleret cavitatem. Inciſo Pulmone, in circumferentia ſanguis ſpumoſus craſſus, effluebat; Inciſis & diviſis bronchiis, alba ut materia fere tota referta, erant, ita illa effluebat puris ſpeciem præ ſe ferens planiſſimam, qualem multis ante ſeptimanis ejecerat, quam ſi extuſſire potuiſſet, nondum vitæ terminus adpropinquaſſet. *Rolfinkius.*

Phthiſis à trachea parte eroſa; Lobo Pulmonum altero calloſo.

Lobum Pulmonis ſiniſtrum cujuſdam Mercatoris Londinenſis erodebat ulcus, è tuſſi inveterata & fluxione ſalſa hæmoptyſin inducente oriundum, quod levis arteriæ divaricationem lobo inſertam una pereſerat: Cui ſymptomata omnia, quibus Phthiſis conſociata eſt, ingruebant, in pejus in dies ruitura: halituum denique & ſuffituum methodica intermiſcela ſanus evaſit: Qua integritate permanſit per ſex annos, quo temporis curriculo, meque annuente, Hiſpaniæ, ubi commercium fecerat, vitam degebat incolumem: ſub initium tamen autumni oras noſtras petenti, ab impedita pororum uſuali ἐκδιαπνεύσει fluxus concitatior totum lobum, ut lateri adhæſerat, replevit: cujus exæſtuationis ſanies pulmonem ita perfudit, ut ſpiritus tranſitum brevi denegarit:

Diſſecto

Diſſecto cadavere, tracheæ pars eroſa, cui cicatrix inducta fuerat, varicoſa: lobo verò pars adnata calloſa conſpiciebatur, reliquum pulmonis parenchyma computruit. *Chriſt. Bennetius Theat. Tabid. Exercit. 28.*

In Phthiſico fragmenta bronchiorum Pulmonum, ab eorum ſubſtantia avulſa reperta ſunt in dextro latere, cum plurima ſanie.

Henricus N. poſt mortem diſſectus fuit: uterque lobus Pulmonum, non tantum arctè coſtis adnatus erat, ſed etiam inferius diaphragmati, ut ſine laceratione inde avelli non poſſet: In dextro latere, ubi majorem dolorem ſenſerat, inventa ſunt fragmenta bronchiorum ab ſubſtantia pulmonum avulſa, cum ſanie copioſa, qualia dum viveret in magna quantitate excreare conſueverat: Vox illi erat clangoſa, qualis Gallorum Africanorum aut Calecutenſium: Laboraverat longo tempore antea ſputo ſanguinis, unde hujus miſeri mali initium, quo etiam extreme extenuatus obiit. *Jacobus Bontius obſerv. 2.*

Phthiſis à Pulmonis parte conſumpta, vomicis plurimis in reſ. dua.

Sara Mente virgo obiit anno 1639. Aperto thorace & abdomine, in Pulmone omnem mali cauſam deprehendimus, quippe in ſiniſtro latere, magna ex parte, & potiſſimum verſus coſtas & pleuram, conſumptus videbatur, & nihil ejus reliquum videre erat præter putridas quaſdā fibras, & puris teterrimi & vireſcentis magnam copiam, qualem & ante per tuſſim ejicere ſolebat: Pleura autem eodem loco (quacum una concreverat Pulmonis membrana) ſolito multo erat craſſior, ſed paſſim inæqualis: lobus autem alius ejuſdem lateris, qui pericardium & mediaſtinum reſpicit, adhuc reſtabat, ſed naturali contractior, & dictis particulis adnatus: intus autem multas vomicas continebat, alias piſi magnitudine; alias paulo majores: & præter eas unam magnam, anſerinum ovum dimenſione æquantem, fœtido ichore plenam, & membrana à virulentia nigreſcente tectam: Pericardium autem, ut & dextrum latus thoracis, aquam aliquam continebat, ſubrubram & loturæ carnium æmulam, qualem etiam inferior venter continebat, mediocri quantitate: In reliquis quoad viſcera naturali modo ſe viſui offerebat: Abdomen, niſi ſolummodo quod Hepar ut & Cor, ſubſtantiæ eſſent flaccidioris paulo, coloriſque pallidioris: Dexter vero lobus pulmonis paſſim duris tuberculis inæqualis erat, & parenchyma purulenta ſanie infarctum, non leves incipientis putredinis notas exhibebat: Dextrum vero crus tumore Oëdematoſo & aquoſo, ſiniſtrum (quod tamen etiam nequaquam ejuſdem expers erat) duplo fere ſuperabat. *O. Heurnius obſerv. 17.*

Phthiſis à crudis Tuberculis totum Pulmonis parenchyma obſidentibus.

Cum tandem poſt multas miſeras afflictiones, humanis miſeriis exemptus fuiſſet David Garvis, cadavere aperto deprehendimus Tabificam mortis cauſam in Pulmone reſediſſe; quippe totum parenchyma minimis tuberculis, ex cruda viſcida materia oppletum erat: Ex quibus tenuior portio quod ſubinde reſudaſſet, & evacuata fuiſſet per urinas, quod oculari fide deprehendimus: Nam inde reſpirabiles pulmonum meatus, partim infarcti, partim compreſſi liberam ventilationē calori vitali cordis denegaverat: concurrente ſimul maligna putrida qualitate, ulcerum Pulmonum ſemper comite: Etenim cum nullum viſcus ſit adeo calidum humidumque & flaccidum, quoties putredinem concipit, ea inſignem & peculiarem malignitatis gradum induit ob cordis æſtum, tunc ab intercepta ventilatione increſcentem; quæ præcipua atrophiæ cauſa eſt, quia bonus ſanguis ab Hepate genitus, prava illa qualitate infectus, in alimentum partium converti nequit: &c. Erat etiam Pulmo diaphragmati & pleuræ in latere dextro adnexus arctè: Lien præterea figura triangulari, tribus ſciſſuris ſive crenis in margine diviſum erat. *Ottho Heurnius hiſtor. 21.*

Phthiſis à variis abſceſſibus purulentis in utraque pulmonis parte, ac pituita in iis concreta & lapideſcente.

Juvenem diſſecui in Noſocomio, cui in utraque Pulmonis parte varii abceſſus purulenti; quin & variis locis pituita adeo in pulmone concreta cernebatur, ut calculi tangenti eſſe viderentur, imo perfectam calculoſam duritiem non paucis locis obtinebat, Hic Tabe quamvis conſumptus, vixque hæreret oſſibus, copioſam tamen aquam pericardio continebat. *P. Pavvius obſerv. anat. 19.*

Phthiſis à corruptis penitus Pulmonibus & in pus converſis, vaſiſque cordis in eos inſertis, abſumptis.

Puer quidam annos 8. natus de ſcala delapſus, ſanguinem expuit ſenſimque cœpit contabeſcere, tuſſi perpetua eum moleſtante, per quam purulentam expuebat materiam; ex pulſu febris deprehendebatur hectica, abſque calore magno, appetitu cibi nihilominus perſiſtente: his ſic menſes aliquot durantibus, ad extremum marcorem redactus, ut ſceleti, cute ſaltem obtecti, formam exprimeret, in thorace ipſius, inter coſtas diſtentas & excarnes, cœpit prominentia quædam, in intervallo juxta ſepti regionem, in latere ſiniſtro ſeſe proferre, tuberculi inſtar mollis concoloris, quod preſſum in thoracis ſpatium retrocedebat, remiſſum redibat, pectore interim admodum diſtento, unde illud pure repletum, ex corruptione pulmonum poſt phthiſim, quam rupta ex caſu vena pepererat, genitum illicque exitum quærere ubi tumor ſe offerebat, judicavimus; eoque magis cùm & in dorſo talis eminentia, inter coſtas appareret, coſtæque admodum ab invicem eſſent diductæ: Et cum nulla alia ſpes convaleſcentiæ ſupereſſet, extremum remedium ſectionem judicavimus: Cumque & parentes conſentirent, ſtatimque à Chirurgo in tumorem, qui in pectore erat, ſcapello impreſſo, inde pus copioſum profiliit, adeo ut niſi fuiſſet inhibitum, pelvim Chirurgorum impleviſſet: Verum ne vires conciderent, immiſſa turunda effluxus puris fuit cohibitus, & per vices, ad dies aliquot poſtea pus emiſſum; cæte-

rum cum prominentia altera in dorſo non ſubſideret, è medio tantū thorace pus effluxiſſe cōjecimus, cùm & tumor ille non in ſiniſtro, ſed dextro dorſi latere ſeſe offerret: qua de cauſa illic quoq; eum aperiendum eſſe cenſuimus, quo facto non minor quam è priore ſectione puris effluxit copia, tamdiu donec penitus fere è thorace repurgato pure, fluxus minueretur, viribus interim vitalibus ſenſim deficientibus.

Cum pectus poſt obitum ſectione pateſieret, Pulmones penitus fere putredine abſumtos, & in pus converſos, vaſaque cordis, quæ pulmonibus inſerta fuerant, ſimul deperdita, & circa radicem veluti callo obducta occluſaque, ſuccingentemque membranam prætumidam, atque undique pure, veluti pulte oryzacea ſubviridi, conſperſam deprehendimus. *F.Platerus obſerv. lib.3. pag.733.*

Phthiſis à corruptis Pulmonibus, pure thoracem & abdomen implente.

Quidam diuturno morbo è medio ſublatus, cujus venter, qui in immenſum excreverat, cum aperiretur, pure cadaveroſi odoris in altum proſiliente, aliquot pelves æneas, quibus Chirurgi utuntur, implevit: quod & non minori copia, impetuque è thorace diſſecto promanavit: in quo pulmones unius lateris, uti in aliis aliis phthiſicis, penitus abſumpti & in pus converſi, non ſolum thoracem ſed & univerſum abdomen repleverunt: quod ex thorace eo profluxiſſe, illud maxime quod nulla viſcerum corruptio in ventre inferiore deprehendebatur, ſed lobi hepatis, inteſtina, muſculique epigaſtrii, cum meſenterio & omento, duntaxat denigrata nonnihil infectaque cernerentur ſufficienter comprobabat. *Idem ibidem.pag.734.*

Phthiſis à Pulmonum corruptela & in empyema converſione, ob male fluentia lochia, genita.

Nobiliſſ. Domina N. à partu non fluentibus, ut antea lochiis, nec rerum non naturalium uſu recte adhibito, incidit in tuſſim moleſtam, quæ ſenſim in dies cum pectoris dolore & gravitate exacerbata eſt, febriſque per intervalla vehemens eam invadebat: Ipſi aliquoties fuit detractus ſanguis & purgatio inſtituta, ſed cum ab urbe remota eſſet, non potuit medicorum conſilio commode frui. In pejus ſenſim cum ruerent omnia, Lutetiam ſe contulit, ſed morbus adeo invaleſcebat ut hectica brevi comitaretur, etſi variis uſa remediis, poſtque decem menſium ſpatium interiit.

Aperto cadavere, pulmones toti purulenti inventi; adeo ut ne minima eorum particula ſcalpello divideretur, quin ex eorum ſubſtantia foraminulenta efflueret puris fœtidi inſignis copia: In his, juxta claviculas, deprehenſus fuit ſaccus pure refertus, exeſa Pulmonum ſubſtantia productus: Ad coſtas utrinque adhæreſcebant Pulmones: Hepar amplum erat, æqualiter utriuſque hypochondrii cavitatem replens, ſubalbido colore præditum: Renes quoad ſitum ſibi invicem ex æquo reſpondebant, nec dexter ſiniſtro depreſſior erat. *Cattierus obſerv. II.*

Phthiſis ab exulceratione Pulmonis producta per rupturam & eroſionem vaſorum, cum duabus concluſis vomicis.

Hubert Pomblé ann. 19. temperamenti ſanguinei adulti, lanæ adornatione victum quæritans, militiæ incommoda perpeſſus, atque humi cubare coactus, unde digiti in pede utroque gangræna affecti computruerant, ita ut in dextro omnes, pollice excepto, reſciſſi eſſent, & in ſiniſtro omnes: Ab ea intemperie toto corpore concepta poſtea perpetuo cachecticus, cacochymus, querulus, & valetudinarius fuerat, & diuturna diarrhœa affectus; à viſcerum cacopragia, indeque orta cacochymia: Anno 1636. in Julio, magno dolore lumborum dorſique correptus fuit, & paulo pōſt febre continua ac tuſſi moleſtiſſima, à viſcidæ pituitæ contumaci irritamento, quam poſtea ſanguinis ſputum comitabatur, eroſis & diſruptis pulmonis vaſis, ab acrimonia & copia ſanguinis ex vena cava exundantis ac ſurſum proruentis; idque per dies ſeptem, ſed intercalares, ad ℥vii. qualibet vice ſanguine effuſo: Poſtea autem ſanguinem pituitæ commiſtum expectorabat, Tandem omnia in pejus abiere in fine Septembris, & Novembris 20. rurſum continua diarrhœa ſupervenit, ex reſolutione facultatis naturalis in coquendo & retinendo, quæ ad mortem miſeri uſque perſeveravit: purulenta tunc materiæ viſcidæ complicata exſpuebat: genæ macilentæ & per ſe pallidæ perpetuo rubore ſuffuſæ erant, etiam cum ab igne remotus eſſet: febris hectica maraſmodes univerſum vitale nectar conſumebat: pulſus durus, celer; Decembris 30. duriſſimus, vermiculans, celerrimus, creberrimus: diarrhœa increſcebat & perſeveranter inquietabat; adeo ut miſer noctu & interdiu vix unquam ſomno frueretur: facies Hippocr. cadaveroſa, genæ luridæ; ita miſerrimus ægrotus omni vitali vigore expoliatus fuit, hecticæ incendio, ulceris pulmonis edacitate & pravitate, nutritium humorem abſumente, & qualitate maligna vitali vigori adverſa, humores parteſque omnes imbuente, ac comitante perenni diarhœa & contumacibus vigiliis, mens ſemper ad finem conſtavit: Obiit Januar.9.1637.

Poſtridie cadaver diſſectum, miſerandum conſummatæ ariditatis ſpectaculum: Pulmo arcte erat adnatus pleuræ undique latere ſiniſtro, & toti pericardio ac mediaſtino in latere dextro, quatuor ſuperis coſtis firmiter coaluerat, & quoque omnium reliquarum coſtarum cartilagineis apophyſibus, ſed ab oſſeis earum partibus ibi prorſus erat liber: membrana pulmonis ubique integra, & vaſa per ejus parenchyma diſtributa admodum tenacia erant, plurimis robuſtis membranulis connexa: ipſum autem parenchyma in toto utroque lobo ſive ala lateris ſiniſtri, totum fere erat in pus craſſum commutatum, & quantum de parenchymatis carne reſtabat, id erat induratū, coloris fuſci inſtar carnis infumatæ, cinericii coloris, & ubique ei carni, ſicut & vaſis, inhærebat craſſum viſcidumque pus, ita ut quaſi guttis lividis pallidiſque marmorata videretur: In latere dextro thoracis, lobi utriuſque parenchyma valde erat exſic-

exſiccatum, non tamen valde contractum aut immutatum ob ſubſtantiæ ſoliditatem: at ubi ala ſupera 4. coſtis ſupremis in latere dextro arctiſſime coaluerat, ut ſeparari non poſſet, pulmo erat ſuppuratus ſicut in latere dextro: Exiſtebat & in eadem ala, loco mediaſtino viciniore, vomica concluſa; qua diſciſſa tetrum pus manabat; & ibidem in ala infera, vomica alia priore minor, è qua pus craſſum effluxit: Multa aquoſa ſubſtantia in pericardio & thoracis cavitate fluctuabat: Cor flaccidius erat, ac in ventriculis aliquot nigri ſanguinis ſtriæ: Abdominis cavitati plurimus aqueus ſanguineus humor innatabat: Hepar magnum uſque in latus ſiniſtrum exporrectum, coloris pallidi, exangue ſed in profundo diſſectum; ubi majora vaſa reſident, craſſum nigrum ſanguinem emittebat: Lien manus magnitudinis, ſciſſus paucum tenuem ſanguinem emittebat; Renum parenchyma exangue: Vaſa ventriculo & colo intexta valde conſpicua, & per omentum excurrentia, cujus ſola membranea ſubſtantia reſtabat, ejus pinguedine plane à febre & vi tabifica abſumpta. *Otth. Heurnius obſerv.* 4.

Phthiſis à Pulmone interius omnino purulento.

Anno 1597. fœminæ pectus aperui cui totus Pulmo intus purulentus erat, ita ut quacunque eum tangeres parte, ſeu novacula pungeres, pus album erumperet, Hæc lenta macie ac atrophia conſumpta, ſceleton plane referebat: Referebant malum illud familiæ hæreditarium, ex quo fratres etiam obierunt. *Petrus Pavvius obſervat. Anatom.* 25.

Phthiſis à ſuppuratione Pulmonis poſt peripneumoniam Pleuritidem ſequutam.

Joh. de Neeſ annorum ætatis 35. celebs, admodum teneræ nativæ conſtitutionis, gracilis ac glabræ cutis ſuperficiei, tẽperamento ſanguineo in bilem proclivi, anno 1636. in Majo pleuritis in latere ſiniſtro apprehendit. Venæ ſectio, dum vigeret occaſio, neglecta fuit; ideoque humor ferociens ex pleura in pulmonem metaſtaſin fecerat, in eo peripneumoniam faciens, ad quam in hoc corpore magna erat opportunitas, ob arctum utriuſque partis connexum: Cauſam tanti mali judicamus fuiſſe peſtilentẽ malignam qualitatem, quæ in illis ædibus lociſque vicinis adhuc nidulabatur: unde humores furiata violentia inflammati his partibus impacti erant: quippe peſtilentem aculeum cum haberent, pro indole ejus veneni cor impetebant, cujus robore repulſi in locis proximis imbecillioribus conſederunt, ibi violentam peripneumoniam, cum larga ſanguinis expectoratione efficientes, Tandem tranſiit morbus in Pulmonis empyema, & poſtea in miſerabilem expurationem, nam ipſam pulmonis ſubſtantiam exſpuebat. Ingenti hoc tabifico pulmonis morbo, comitante ſymptomatica hectica maraſmode febri, & ante mortem bimeſtri ſpatio, perennibus vigiliis ac perſeverante diarrhœa, omnes vires expolientibus, tandem Dec. 20. ejuſdem anni placide exſpiravit, nullo eorum qui in eodem conclavi aderant, mortis ejus agonem animadvertente: Mens perpetuo uſque ad fatalem horam conſtabat. Erat totum corpus aridum & exuctum, muſculi plane exhauſti & arefacti.

Diſſecto cadavere, in pectoris latere ſiniſtro deprehendimus pleuram inviolatam, pulmonem autem undique firmiter adnatum pleuræ coſtiſque ac pericardio: Membrana pulmonem ibi veſtiens integra erat, qua diſſecta, magna cavitas & cloaca ſe oſtentabat, nam in ſingulis illis ſiniſtris pulmonis alis, ſive lobis, una continua empyematis vomica exiſtebat: parenchyma totum erat eliquatum, in pus craſſum, album marcidum, cujus majorem partem æger tuſſi acerba ejecerat, nam noctu & interdiu irrequiebili ea vexatione exagitabatur: Sola vaſorum majorum & membranularum ea connectentium, arida & exanguis ſubſtantia ſupererat, quæ ad ſimilitudinem rarioris retis & texturæ conformata ſpectabatur, quibus inviſcata hærebat craſſa ea purulenta materia, tenaci pituitæ commixta, ſicuti in lacubus videmus interdum algam retibus piſcatoriis hærere. In latere dextro thoracis, uterque pulmonis lobus plane liber natabat, nullis membranularum retinaculis ulli parti annexus, foris integer & naturalis conſtitutionis, ſed cum eum attrectaremus, ut exploraremus an non alicubi vomica aliqua deliteſceret, duritiem in profunditate lobi ejus ſuperi animadvertimus; ideo facta ſectione, deprehendimus in parenchymatis meditullio vomicam concluſam, eamque non exiguam, qua diſſecta multa purulenta materia profluebat: Ab ingenti hac pulmonibus corruptela, ſpiritibus vitalibus & toto ſanguine depravatis, indeque partium totius corporis labefactato temperamento, earum vitali vigore conſumpto, ipſarumque ſubſtantia colliquata, & tum inde, tum ex defectu naturalis facultatis in alibili ſucco coquendo & & retinendo, perenni alvi fluore comitante, adeo omnia viſcera exaruerant, ut diſſecto hepate, liene, renibus, nulla ſanguinis gutta deprehenderetur: Dura ab ariditate erant omnia, ſed hepar præcipue, quod valde erat magnum & æquabilis ſiccæ conſtitutionis, ſine ulla ſcirrhi ſaxea duritie: Pericardii ſubſtantia & color, ſicuti & membranarum mediaſtini, naturalis conſtitutionis erant, ſed nulla prorſus pinguedine veſtita: Diſſecto pericardio, copioſior aqua ſublutea ſpectabatur quam naturaliter conſuevit. Cor per tranſverſum diſſectum nullum prorſus ſanguinem profudit, niſi poſtea pauciſſimum cum inſtrumentis inſertis vaſorum procurſum ſcrutaremur, nam tunc ex aorta & cava parum ſanguinis in cor defluebat: ſubſtantia autem cordis ſatis bonæ erat conſtitutionis, vaſaque ejus coronaria ſanguine diſtendebantur. Omentum omni pinguedine deſtituebatur, ita ut tantum nuda eſſet membrana vaſis intertexta; idque etiam auxerat ventriculi & inteſtinorum coctionis infirmitatem: Ventriculus parvus erat, totoque ejus fundo, ſeriatim ſecundum longitudinem, plurimi à portæ vena rami gaſtrici & gaſtroepiploici inſerti manifeſte conſpiciebantur, qui per omentum eo protenduntur & inteſtino colo quoque implantantur: quippe omentum colon ventriculi fundo annectit, unde earum partium ſumma eſt ſympathia, tum ob eam connexionem, tum vel præcipue ob eorum vaſorum communionem, unde fœcibus in colo reſtagnantibus ventriculi appetitus & coctio deſtruuntur. *Otho Heurnius Obſerv.* 1.

Phthiſis à vomica totius Pulmonis.

Pulmonem exulcerari novum non eſt, inquit Fernelius, ſed totam ejus ſubſtantiam in pus converti, & nihil aliud quam pus eſſe, & ſola membrana Pulmonem ſuccingente contineri, ut in cavitatem, ea minime rupta defluxerit, id rarum eſſe exiſtimo: Idem tamen mihi, præter exemplum à Foreſto propoſitum, in Nobil. Juvene D. Joh. Bampfield. xxii. annos egreſſo, procera ſtatura, gracili corporis habitu, temperamento ſanguineo, Nobil. matre Phthiſi jugulata, ſato; Hic ex erroribus in victu commiſſis, imprimis vero violentis exercitiis, & nocturnis commeſſationibus, à gravi catharrho neglectim habito, incidit in violentam & diuturnam tuſſim, noctu maxime affligentem, cum ſputo rotundo, poſtea etiam virulento, ex albo vireſcente, ſubſequente ſanguinis ſputo copioſo, cum anorexia, & febri continua lenta, putrida, circa veſperam excandeſcente, accedente totius corporis extenuatione, atque carnium omnium. In hoc curando varie pugnavi, ſed fruſtra ſcil. ægri quibus deſperata ſalus eſt, ut Galenus ait, nullum neque auxilium neque tempus eſt opportunum: Siquidem extremis & pedibus calore langueſcente tumentibus, ſuperveniente etiam diarrhœa, miſer hic juvenis morte præmatura, magnum ſui deſiderium reliquit.

Aperto poſt mortem corpore, viſi ſunt Pulmones, non tantum cum membrana, coſtas ſuccingente, ſed & ipſi pericardio undique adnati, & toti ſuppurati, manente intra tunicam ipſius Pulmonis pure, ad ipſam uſque mortis horam. Qua pellicula pertupta, magna copia puris effluere incipiebat, adeo quidem olidi & fœtentis, ut vix in conclavi, in quo ſectio inſtituta, utut ſuffitibus factis, permanere potuerimus, De cætero nihil notatu dignum invenimus. *Frid. Loſſius lib. 2. Obſerv. 11.*

Phthiſis à Pulmonis duritie, plurimis parvis ſteatomatis conſiti, Tuberculis pure ſcatentibus, Vlcere in ſiniſtro lobo, Vomicis plurimis, &c.

Anno 1663 d. 7. Junii I. *Ioh. Van Horne* ſecuit cadaver maſculum Phthiſi defunctũ in Noſodochio Academico Lugdunenſi. Pinguedo abdominis prorſus erat conſumpta, & nil niſi membrana carnoſa apparebat, Omentum magna ſui parte erat conſumptum, Ejus uſum, præter communem & vulgarem, eſſe putabat, quod ſit ſuſpenſorium ſive meſenterium coli, quod ſua gravitate deorſum tenderet, niſi ſuſpenderetur ab omenti tabula inferiore. In cavitate abdominis aqua cruenta copioſa reperiebatur. Plurimæ glandulæ in meſenterio conſpiciebantur, aliæ piſi magnitudine, aliæ ad magnitudinem fabarum. Pulmo valide annectebatur pleuræ. Aqua ſubcruenta copioſa in cavitate thoracis continebatur. Ductus Pancreaticus & Bilarius intervallo duorum tranſverſorum digitorum diſtabant ab invicem, ubi fiebat inſertio in inteſtinum tenue, quod à multis annis in homine ſe non vidiſſe aiebat. Lien erat exiguus, & naturalem habebat figuram inſtar plantæ pedis, colore erat ſatis ſano, ad hepatis colorem accedente: Hepar quoque moderatum erat nec in magnitudine excedens. Veſicula fellis flaccida erat & bile fere inanita, Capſulæ atrabilariæ egregie apparebant, quia alias pinguedine valde obducuntur: ſemel tantum in illis reperit humorem nigricantem inſtar atramenti. In pericardio aqua ſubcruenta ſatis copioſa continebatur, cui purulenti quid erat permixtum. Siniſter cordis ventriculus valde erat flaccidus, & pauca carne conſtabat: Membrana pulmonis exterior inſignis erat craſſitiei & veluti concreta pituita. Pulmonum parenchyma, quod alias flaccidum & ſpongioſum eſſe ſolet, duriuſculum erat, & multis quaſi granulis inſtar ſteatomatum, quæ aliquid ſebacei continebant, refertum: Tuberculis pure ſcatentibus totus Pulmo obſitus erat, & in ſiniſtro lobo ulcus manifeſta cavitate ſeſe prodebat. In dextro etiam lobo vomica erat longe majori cavitate, & minores plurimæ per totum pulmonem. Paſſus fuerat aliquando fracturam coſtæ, quæ per callum iterum coaluerat: Seroſus humor ſubcruentus & ſubſalſus in ventrilis cerebri continebatur. *Ex Obſervationibus D. D. Ioh. Henr. Brechtfeld, In Actis Medicis Bartholini anni 1673. Obſerv. 15.*

Phthiſis à parte ſiniſtra Pulmonis Tabida, incolumi dextra; Puris ingenti copia in thorace.

Uxor præſidis Carmelii annos nata 29. nata Patre pulmonico, qui Tabidus interiit, eo ferè anno extincta eſt quo & Pater, adeo magna eſt vis morborum congenitorum. Fuit tempus cum ſuppreſſi fuiſſent menſes ob causam manifeſtam (nam ægre mariti morbum ferebat) ubi cœperunt fluere belle ſatis habebat; Tandem queſta eſt de linguæ rubore & ſiccitate, juncta ſiti inſigni. Pulmonum ardor erat & ἐρυσιπελατώδης aliquid, concepit, peperit; A partu ſubſtiterunt lochia, Febris, dolores lateris ſiniſtri: circa veſperam febris recrudeſcebat, jactabunda, ægre ſpirans, frequens ſpiritus: animam actura videbatur; febris mane (ut in morbis fere omnibus accidit, favente quodammodo aurora) remittebatur, Inæqualitas erat caloris & frigoris: Iſte ſtatus dies pene xxx. perſtitit: nullo juvabatur remedio, licet decies aperta vena fuerit: tãdem mors: Non erat gravis ſpiritus, Non multum tuſſiebat, & nihil materiæ ſputo excernebatur. Facies ejus fere index erat affectionis pulmonicæ, nam tota ſæpe erat velut ſubalbida, & iis, quos Hippocr. ἐφθιμένους vocat, latine Excoctos dices, ſimilis. Et hæc facies aliquando turgidula eſt, & familiaris iis qui ſunt aut ſuppurati, aut quibus pituita putri ſcatent Pulmones: Sed & genarum alias erat rubor fugax, & ſæpiſſime igne ſacri in faciem involabant.

Aperto cadavere omnia ſana occurrerunt præter pulmonem, Pars ſiniſtra Pulmonis fere magna ſui parte tabuerat & tabo infecta erat, ſana reliqua ſubſtantia. Purulenta materia continebatur illa thoracis parte, æquans ſua quantitate tantùm quantum duæ pintæ Pariſienſes complecti poſſent: Tamen fœtor non erat. *Ballonius conſil. 3. lib. 3.*

Phthiſis à pulmonibus ſcirrhoſis, ulceroſis, &c.

A. Mullerus 24. ann. cum 1666. menſe Decemb. curſu fatigatus & calefactus fuiſſet, cereviſiam abſynthio medicatam bibit homo bilioſiſſimus; diebus ſequentibus ſtrenue potui litans, ſenſit dolorem thoracis circa ſterni dextram partem, qui ad caput extendebatur, cum tuſſi & excretione materiæ flavæ, purulentæ & reſpiratione difficili

difficili: Vi morbi vere anni ſequentis obiit, irritis medicamentis.

Inveni, diſſecto ſterno, Pulmonem dextrum totum ſcirrhoſum fiſtuloſiſque ulceribus ſcatentem, adnatum pleuræ, diaphagmati, & mediante hoc, hepati. ſiniſter quidem aliquanto erat integrior & ſpongioſior, nihilominus communicata & cum ipſo erat ulceroſa colluvies (fœtor vero omnis aberat) & adnatus quoque erat hic lobus Pleuræ: cor erat flacidum, & venæ ejus exteriores turgebant ſanguine: Aqua in pericardio flaveſcens & pauca: ſanguis in utroque ventriculo nigerrimus. Hepar totum adnatum diaphragmati, ex pallore flavo rubeſcens, nigris interſtinctum maculis, ex parte etiam adnexum coſtis. Lien pariter adnatus, colore quidem probo, magnitudine eximia in rotundum declinante: Veſicula fellis parva, quod, qui hominem noveramus, mirabamur. Ventriculus & inteſtina integriorem conſtitutionem præ ſe ferebant: Totum denique corpus exſuccum, exangue, aridum, σκελετώδης *D. G. Wolf. Wedel. in miſcell. curioſis anni 1671. Obſervat. 133.*

Phthiſici Pulmo inteneratus repertus eſt, viſceribus naturalibus illæſis.

Cum apud Briſtollienſes Medicinam facerem, qua urbe penſili Tabes frequenter graſſatur, nonnullos ſputum ſubdulce levi conatu expectorantes, ſpatio trimeſtri fatiſcentes & totaliter enervatos vidi. Horum vero quoſdam, non omnes, tuſſis vehementior aliquoties corripuerit: ex profuſo tamen vitali nectare defloreſcentes & areſcentes ſtrigoſi periere.

In quorum unico, detectionis cauſa diſſecto cadavere, licet ſanguinem aliquoties, peracto ſalino ptyaliſmo, extuſſierat, & pulmo ubique inteneratus tonum amiſerat, univerſa ſpirabilia, necnon viſcera omnia naturalia, quoad ſenſum ſana comperta ſunt: *Bennettus Theatri Tabidorum Exercit. 23.*

Phthiſis à Suppuratione omnimoda pulmonum.

Pulmonem exulcerari novum non eſt, ſed totam ejus ſubſtantiam in pus converti, & nihil aliud quam pus eſſe, & ſola membrana ſuccingente pulmonem contineri, ut in cavitatem ea minime rupta defluxerit, id rarum eſſe exiſtimo: Id equidem evenit D. de Abbenbrouk, qui cum longo tempore catarrho acri in pulmonem illapſo, Tabe conſumptus decubuiſſet, variis afflictus ſymptomatibus, potiſſimum arthritide & gonagra, renum calculo & pulmonis vomica, varia ſunt præſcripta dum & hectica conſumeretur, Ego quoque accitus, ſed tunc nihil niſi oſſa pelle obducta reſtabant, unde facto prognoſtico quod moreretur, diſceſſi.

Eo annum 38. agente mortuo, invenimus pulmonem nihil aliud quàm vomicam eſſe, & renes calculo infarctos: Hepar quidem integrum ſed flaccidum, nullo abſceſſu corruptum (quod conjecerat Medicus, ad quem ægri lotium delatum fuerat, quia per unum aut alterum diem ſanguinem per alvum ejecerat) ita ut forte ante mortem organum ſanguificationis ex debilitate ſanguinem retinere non potuerit: Pulmo enim planè ſuppuratus & putrefactus membrana integra exiſtente, maculis tam plumbeis & cœruleis interſtincta: quam ipſemet digitis cum attingerem, perrupta membrana, tanquam vomica magna, pus inſtar olei amurcæ erumpebat, valde fœtidum & corruptum; adeo ut totus Pulmo nihil aliud quam purulentia eſſet, quæ & mortis cauſa cenſenda erat. *P. Foreſtus Obſervat. 51. lib. 15.*

Eadem hiſtoria fuſius exarata.

Illuſtr. Dom. de Abbenbrouk, Oeconomi Regis Hiſpaniæ, cum 10. die Febru. anni 1655. 38. ætatis ſuæ anno è vita diſceſſiſſet, 11. die ſequenti in aliud cubiculum gratia incidendi corpus ejus delatum eſt: Cumque omnia ad condituram parata forent, præſentibus multis, cum inciſio fieret, prius à me facta adhortatio eſt ad omnes ut diligenter omnia inſpicerent, mihique teſtes forent de membris læſis & illæſis, & palam proteſtatus ſum quod occaſio mortis non ex genu tantum, ſeu arthritide fuerit, ſed potius provenerit ex catarrho prolapſo ad pectus, deinde ad pulmonem procedente: Et ideo nos inventuros pulmonem vomica infectum, ulceratum corruptumque, ventriculum vero ratione longitudinis morbi flaccidum: Renes calculis obſtructos, cum & ipſos longo tempore per urinam reddidiſſet: Inventuros quoque nos Hepar illæſum, ita & Lienem, Neque in ejuſdem viſceribus aliquod apoſtema: Cerebrum quoque illæſum deprehenſuros, cum Ill. Dominus omni tempore morbi mente conſtiterit, interim tamen humidum nonnihil, catarrhi ratione.

Hæc cum proteſtabundus dixiſſem, ſingulatim oſtendo omnia viſcera nutritionis, ſcil. Hepar, quod membrum erat illæſum, ſic etiam Lien, cum Inteſtina belle ſe habebant & ventriculus ſimiliter, niſi quod is parum flaccidus erat, ut de eo prædixeram: Renes dein inſpexi, & ut per medium inciderentur mandavi, & invenimus, omnibus ſpectantibus, repletos fragmentis lapillorum, quos Chirurgus in copia extrahebat: Deinde juſſi ut Chirurgus tranſiret ad membra ſpiritualia, oſſa pectoris perſcindens, quo facto ſtatim fœtor horribilis apparuit, ex ipſo pulmone corrupto prodiens, ut in cubiculo præ fœtore permanere non potuerimus; at ego ſudariolum aceto inſuccatum ad nares cum ligaſſem, manuque arriperem ipſum pulmonem, ac omnibus ſpectandum præberem, adeo putrefactus erat ut levi compreſſione per digitos difflueret, exeunte materia corrupta, adeo purulenta & fœtida ut ex odore ipſe ſuffocari viderer: Antequam autem comprimerem ipſum pulmonem, membrana ſua totus cohærebat vomicæ inſtar: Etat tamen tota membrana maculis plumbeis cœruleiſque interſtincta: Sed cum manu attigiſſem, perrupta membrana & vomica, materia corrupta & fœtida ac fœculenta exibat, quæ præcipua mortis cauſa erat, ut prædixeram, nam pulmo ita ulceratus in continuo motu, incurabilis erat: Cor autem ejus magnum erat, multa adhuc pinguedine obſitum, quod Viri magnanimitatem declarabat, robuſtus enim erat, unde etiam ad extremum conſumptus; tunc prius è vita diſceſſit cum vix ſanguinis exiguum in corpore permaneret: Unde minus admiratu dignum videbatur Illuſtrem hunc Dominum in morbo chronico tamdiu vitam protraxiſſe, corde ſemper reſiſtente, adeo magno minimeque conſumpto;

Quoad cerebrum, albiſſimum illud invenimus, lactis inſtar, omnino illæſum, humidum tamen ut prædixeramus, ex catharrho: Ultimo apertum eſt genu, quod inflatum erat, nullo tamen pure exeunte, ſed ſanguine craſſo bilioſo, aduſto, cum multa nigredine ſub finem affluente &c. *Foreſtus Obſervat. lib.29. obſerv.24.*

Phthiſis à conſumptione maxima pulmonum partis & in pus reſolutione.

Nos Patavii aperuimus matronam quandam, diu tuſſi & anguſtia pectoris, ut & phthiſi divexatam, in cuius ſiniſtra thoracis capacitate ingentem copiam purulentæ, nec non admodum fæculentæ materiæ, pultis inſtar liqueſcentis reperimus, exigua ſaltem pulmonum ſubſtantia ſuperſtite. *Georgius Graſeccius Exam. theatri microcoſm. tract. de pulmonum vitiis.*

Phthiſis à menſtruis reſtagnantibus & in pulmones refluentibus, unde illorum corruptela, cum multiplici viſcerum naturalium vitio.

Virgo annorum 33. cum ante ſeptem menſes delaſſata ex ædium ſuarum repurgatione vehementius incaluiſſet, ad ſitim caloremque mitigandum, affatim potaverat lac frigidum ebutyratum, idque ipſo tempore ſolemni profluvii menſtrualis, ac deinceps ſæpe potavit: Inde lethalis morbi origo exorta eſt, quippe cum vaſa omnia ſanguinem ad uterum menſtrualem deferentia tunc laxata & aperta eſſent largiter recepêre frigus illius lactis, indeque adeo fuere conſtricta, ut poſtea nunquam menſtrua fluxerint: Reſtagnans igitur materia menſtruis temporibus, cum agitaretur à partibus omnibus, partim in vaſis ſubſiſtebat, partim pulmoni impingebatur, & denegata ventilatione corrumpebatur, adeo ut parenchyma pulmonis inde corruptum fuerit, multaque materia purulenta, craſſa, viſcoſa, ibi in vaſis & foraminulentis parenchymatis meatibus ſenſim erat collecta: Ab illa pulmonis pravitate vapor putridus per cor communicatus fuit omnibus abdominis viſceribus; eorumque tonus & temperamentum deſtructa: Atteſtabantur hepar pallidius, lien minor ad hepatis proportionem: Pancreas non ſuffuſum colore rubicundo ſed pallido admodum: Teſtis ſiniſter totus aqua impletus, dexter autem propemodum ſcirrhoſus: uterus admodum contractus & ſiccus, adeo ut vola manus comprehendi poſſet: Febris Tabifica aderat, & ſæpe etiam pus exſpuebat: *Ottho Heurnius obſervat.* 8.

Tabes à pulmonis totali fere putredine, coſtis adnati ſiniſtro latere &c.

In renibus Ferdinandi Imperat. calculos multos compererunt Medici, ſicut & in veſica, & dum viveret interdum xxx. ſine dolore ullo, cum ardore exiguo emingebat: Non tamen hoc morbo conſumptus obiit, ſed majoribus cauſis, Nam dum Medici, poſtridie à morte, inteſtina atque viſcera eximerent, Omentum aliqua ex parte corruptum, ac ſine omni adipe, ſicut & inteſtina & ſtomachum deprehenderunt; & pulmonem magna parte putridum ac graviter fœtentem, cum pituita & ſanie, ita membranis pectoris in ſiniſtro latere adhærente, ut difficulter avelli poſſent. *Geſnerus cap. 12. Foſſilium.*

Phthiſici pulmones intus purulenti, externa facie ſani apparebant.

Anno 1629. aperuimus cadaver Nautici ſocii, ex phthiſi mortui, cujus pulmones ſubſtantia & colore externe ſani apparebant, quibus tamen diſſectis exiit pus copioſum, viride ac fœtidiſſimum, & dexter pulmonum lobus coſtis adnatus erat. *Bontius Med. Indorum. Obſervat.* 4.

Phthiſis à vomicis in ſiniſtro pulmone, Hydrope ſiniſtri thoracis &c.

Franc. Minningen juvenis cadaver examinavimus: In abdomine nihil non naturale deprehenſum: In thoracis autem ſiniſtra parte omnis mali cauſa latebat, quippe in ſiniſtra ejus parte totus fere pulmo aquæ innatabat: qua exhauſta veſicæ aliquot inſignes, ſimili aqua turgentes, ad pleuram & diaphragma ſe offerebant: Similem & aquam citrinam pericardium continebat: Dexter autem pulmonis lobus totus diaphragmati, pleuræ & mediaſtino adnatus erat, aliquot habens vomicas parvas, lento ichore turgidas: In thoracis autem dextri cavitate humorum nihil reperiebatur, ut quæ tota pulmone replebatur. *O. Heurnius obſervat.* 18.

Phthiſis à pulmonum corruptela cum Thoracis hydrope.

Diverſi ſunt morbi quos pectoris hydrops comitatur, utpote catharri, peripneumoniæ, pleuritides, tabes & hydropes: quare hujus aquæ collectionis in pectore non una ſemper eſt cauſa, ſed multæ variæque eſſe videntur: ut ex ſequentibus intelliges: Anno 1563. autumno, cùm per totam fere Italiam tuſſes, peripneumoniæ & malignæ pleuritides, epidemialium morborum inſtar graſſabantur, atque multos occidebant, inveni in omnibus quos ſecui, quaſi totos pulmones ſanguine media ex parte putrido repletos, turgidos, atque mirum in modum induratos: id ſpatii quod pulmones non replebant, aqua loturæ ſanguinis non diſſimili plenum fuit capita etiam magna aquæ limpidæ copia referta erant: Alio tempore deprehendi in phthiſicorum thoracis capacitate dextra, quæ majori ex parte his malis obnoxia eſt, pulmonem vel corruptum vel abſumptum, eùmque in ea capacite aqua plena natantem: Haud dubio in his enarratis caſibus, partim humiditas ex cerebro defluxa thoracem replet, partim per ſubſtantiam vaſaque pulmonum tenuior in pulmonibus collecta tranſſudat, atque hanc hydropis ſpeciem excitat. *Coiter libello obſ. Anat. & Chirurg.*

Phthiſici pars ſiniſtra pulmonis cava ad inſtar fiſtulæ inventa, Subſtantia autem conglobata & arida, cum empyemate thoracis & aliis vitiis viſcerum naturalium.

Quidam annor. 46. ex phthiſi diuturna obiit; Secto cadavere invenimus ſiniſtram pulmonis partem cavam ad inſtar fiſtulæ, Subſtantiam autem ipſam conglobatam quaſi & penitus arefactam: Cavitas pectoris tota purulenta erat, Hepar ex parte exſangue & aſſeris inſtar durum: Lien totus contractus & vix unius digiti

longitudine: Teſticulorum alter in magnam molem excreverat, durus, qui inciſus aquam fundebat citrinam, ut in hernia aquoſa: Membrana, quæ aquam continebat, erat plane cartilaginea & quaſi cornea; ipſe enim teſticulus ſua propria ab hac diverſa cingebatur: In ventriculi interna parte apoſtema copioſum pus continebat, Inteſtina felle perfuſa: Omentum totum membranoſum & pellucidum ſine ulla pinguedine: Meſaraicæ nigro ſanguine turgidæ: Cordis dexter ventriculus, ob ſanguinis copiam cui humor viſcidus & albicans admixtus erat, una cum auricula ſua, ſolito duplo major conſpiciebatur. *Ioannes Udalricus Rumlerus obſervat. med. 52.*

Phthiſici pulmones omnino abſumpti à puris acrimonia reperti.

Puer 17. annorum phthiſi triennio oppreſſus, conſumptus obiit: In thoracis diſſecta regione pulmones non ſunt inventi, quoniam forte præ tabo laceri ſupurati, à puriſque acrimonia laniati, & ab adurenti calore abſumpti ſunt, ita ut præter mucilaginem quandam aſperæ arteriæ adnatam, nihil amplius pulmonum loco conſpiceretur. *Zacutus prax. admir. lib. 1. obſervat. 109.*

Phthiſici pulmones dextro latere omnino abſumpti.

Laborabat quidam vera phthiſi, ac pus copioſiſſimum rejiciebat, Tandem multis fruſtra adhibitis moriebatur, Agnata ipſius pro muliercularum more, hoc & illud prætendere: Ego indignabundus me cadaver adaperturum & ſedem morbi inveſtigaturum recipio, ſi qui in dextro latere pulmo fuerit receptus, malam à me fuiſſe inſtitutam curam confeſſurum: Conſentiunt tandem agnati, & in illorum præſentia thoracem primum aperio, atque dextrum pulmonem plane conſumptum invenio, exiguo ſaltem quopiam, inſtar minutiſſimæ ſpongiolæ exſiccatæ, reſiduo, ſiniſtro prorſus illæſo: Abdomine hinc ſecto, hepar lividum quodammodo apparebat & aqua, ſed non admodum copioſa, circa hypochondrium dextrum reperiebatur. *Phil. Salmuth. cent. 1. Obſer. 14.*

Phthiſis à conſumpto pulmone parte dextra, vomica & hydrope thoracis eodem latere, vaſis omnino purulentis &c.

Sartor quidam Patavii aſthmate diu laboraverat, tandem medicamentis utitur, ſed fruſtra: imprimis verò in ſiniſtrum latus cubare non poterat, & pulſus ſemper erat formicans: De cauſis ſymptomatum cum Dom. Valthero varie pugno: moritur tandem ſubito.

Cadaver aperio, & in thoracis cavitate dextra heminas aquæ reperio, ad mininum duas, h. e. lib. 15. pulmone ex ea parte prorſus conſumpto, ut ne tantum de ejus ſubſtantia reſtaret: Aderat ſimul vomica inſtat ovi gallinacei: Vaſa erant plane purulenta: pulmo interim ſiniſter integerrimus, & pericardium plenum aqua, unde pulſus formicans exciterat. *Salmuth. cent. 1. obſerv. 13.*

Phthiſis à vitio Pulmonum pure in ſiniſtro latere ſcatenſium; ſanguine congeſto in dextro lobo; poſt ſuppreſſionem menſium: Ventriculi glandulis ſeroſis circumſepti &c.

Anno 1666. Maii 15. aperiebat Dom. Franc. Sylvius fœminam trium & viginti annorum, quæ phthiſica præcedente veſperi cum vomitu ſanguineo ipſam effuderat animam. Hæc 10. Maii in Noſocomium Leidenſe delata conquerebatur ſe ab 18. meſibus menſtruis carere purgationibus, quæ ipſi à terrore fuerunt ſuppreſſæ: Anheloſa jam fuerat ab octo menſibus & aſthmatica; tuſſiebat etiam valde, & per tuſſim ejiciebat phlegmata craſſa & purulenta: Pro temperandis humoribus ſequens præſcribebat decoctum D. Sylvius frequenter ſumendum.

♃. Rad. apii, leviſtici an. ℥i. raſ. ligni gaiaci ℥iii. paſſularum mai. mund. ℥iv. coq. ſ. a. ex aqua pura.

♃. Colat. ℥xxx. in qua diſſolve ſyr. de 5. rad. ℥ii. aq. theriac. ſimpl. ℥j. m. cùm autem de amarore decocti quereretur, jubebatur ſæpius lambere ſaccharum altheæ; Sed ſequenti mane etiam ab hoc, ut & ab omnibus medicamentis, abhorrebat, quò ipſam pro ſigno funeſto habebat Sylvius: nihilominus tamen hoc confortans alterans, præſcribebatur decoctum creberrime aſſumendum.

♃. Rad. apii, fœnic. an. ℥i. ſcorzon. ℥ii. paſſul. mai. mund. ℥iv. f. decoctum cum aq. pura, in colat. ℥xxv. diſſolve ſyr. jujubini, de hyſſopo an. ℥i. m. Ab hujus decocti uſu phlegmata quidem commodius dejiciebantur, valde tamen purulenta erant, unde exigua ſpes ſalutis: Uſa fuit hoc decocto per triduum, ex quo fatis conceſſit.

In cadavere ſequentia notabantur: 1. Omentum peritonæo ubique fortiter adhærebat, 2. Hydatides plurimæ circa omentum, quarum una ex pluribus compacta erat, materiam continebant ſubacidam. 3. Circa ventriculum glandulæ conglobatæ quaſi ſcrophuloſæ erant, circa quas multæ hydatides. 4. Bilis flaveſcebat, unde minus acris erat: Pulſum debilem hinc derivabat Sylvius. 5. Hepar flaccidius & fracidum peritonæo annexum: hydatides quoque plurimæ hîc erant. 6. Inteſtinorum exterior membrana abraſa erat. 7. Colon verſus pubem deſcenderat, contenta ſatis erant liquida. 8. Teſticuli plane æquales erant. 9. Pulmo coſtis undique annexus, luridi coloris & diſtentus, quod cauſa reſpirationis difficilis, 10. Dexter lobus durior & firmior, ſiniſter mollior erat. 11. Ex dextro lobo aperto ſanguis profluebat copioſus, ſtagnans ibidem propter obſtructiones: Cauſa hæc fuit Aſthmatis & vomitus ſanguinei quo animam ipſam effuderat. 12. Dextra cordis auricula duplo major ſiniſtra 13. Siniſtro in latere pulmo purulentâ materiâ & fœtidâ repletus erat, ſimillimâ illi quam cum phlegmate ægra excernebat. 14. In parte pulmonis ſuperiore cavitas apparebat ſatis ampla: Tales cavitates in omnibus Phthiſicis ſe reperiſſe referebat Sylvius 15. Glandulæ pulmonis pus continebant. *Alardus Hermannus Cummenus in miſcell. curioſis anni 1673. Obſerv. 116.*

Phthiſis à corruptione omnimoda pulmonum lateris ſiniſtri, purulentia dextrorum, cum Lienis ſcirrho.

Nob. matrona ob hecticam ab ulcere pulmonum, Lieniſque ſcirrhum cum moreretur anno 38. Pectus inciſum aqua repletum inveni, pulmoneſque in ſiniſtro latere fere abſumptos: dextra eorum portio ſuperſtes purulenta conſpiciebatur: Cor nimia quantitate excedebat, ut tam magnum adſtantes ſumme admirarentur: In pericardio erant ℥v. aquæ, quod memoriam mihi refricavit ſimiæ Galeni, v. de loc. affect. & illius quam phthiſi mortuam ante annos xvi. Marpurgi ſecui: In phthiſicis ſcil. magna copia aquæ hic ſe colligit, cum tamen in naturali ſtatu vix drachmam unam aut alteram continere ſoleat pericardium: Bartholinus in hecticis exiguam credit, contra P. Vaſcus Caſtellus noſtram obſervationem confirmans, hanc aquam per æſtum febris hecticæ in tantum adaugeri ſcribit, ut ea diſtentum pericardium totam cavitatem occupet; forſan ob bonorum corporis humorum atque adipis cordis conſumptionem: Adipe cor pene erat deſtitutum, quod ob calorem p.n.nec colligi nec coire ibi poterat, Quoad venam cavam, venam arterioſam, aortam, & arteriam venoſam, ante cordis diſſectionem nihil notatu dignum occurrebat: decenter quoque habebant nervuli, vaſa coronaria & lymphatica, à frequenti potu adhuc ſerique copia ex parte conſpicua: Siniſtra auricula major apparebat dextrâ: Inciſo corde, deprehendimus valvularum ſemilunarium circumferentiam oſſeam, quam pro oſſiculo extraximus: In ſiniſtro ventriculo papillæ carneæ tres eminebant: Septum foveis videbatur inſtructum, ſed non perviis, ut ut ſedulus inquiſiverim: Lien erat ſcirrhoſus, appendice ovum columbinum æquante inſtructus: Hepar contra magnum & floridum: Ventriculus & inteſtina omni fere humore deſtituebantur, meſenterium vero atro ſucco refertum erat: Ipſa defuncta ſiccioris fuit conſtitutionis & calidæ, corporis habitus macilenti, crebris capitis diſtillationibus obnoxia, nec ſemel febribus tentata: Ante tria luſtra à petechiis liberata, hypochondriacas moleſtias & lienis tenſiones non raro poſtea paſſa; Suppetias his tulit ſpuriæ penultimæ coſtæ, in dextro latere è caſu ante biennium læſio, ſuccedenſque tuſſis vehemens, cum catarrhis prolixis, pulmonumque calida intemperie; quæ mala tamen, cum obviam iviſſem appropriatis, remiſerunt ad tempus, donec thermis Wiſadenſibus, me non ſuadente adhibitis, catarrhi, tuſſis, anorexia, & hypochondriorum tenſiones reverterentur, hecticaque ſuperveniens finem vitæ imponeret. *I. Daniel Horſtius obſervat. Anatom.* 8.

Anatome Phthiſici, cujus pulmones lividi, flaccidi, exſucci: cordis auricula dextra ſanguine nigro diſtenta, necnon ventriculi: præter alia vitia Thoracis, Jecoris & Renum.

Vicentinus Architectonicæ militaris magiſter, pulmones habuit nimio vini potu debiles, unde Tuſſis & ſuffocationis metus: accedebat hydrops pedum non abdominis, qui digiti imprimentis veſtigia ſervabant: Varia tantata ad pectoris expurgationem ſerique evacuationem, ſed operam luſimus: Aucta enim reſpirationis difficultate, ſcarificatiſque pedibus lividis, tertia inde hebdomada ad plures abiit.

Apertum cadaver affectos locos nobis prodidit manifeſtè: 1. Cordis auricula dextra adeo ſanguine fuit diſtenta, ut capacitate neutri ventriculorum cederet, ſanguis ipſe niger erat, craſſus & grumoſus, qualis in utroque ventriculo repertus, quanquam in ſiniſtro rubicundior 2. Pulmones lividi, flaccidi, ſine ſanguine, ſicci magis quam humidi 3. Dexter pulmo arctiſſimo nexu coſtis adhærens 4. Inter membranas pulmonũ, pleuræ, &c. mucus quidam albus inventus: Serum quoque copioſum in thoracis cavitate, in muſculis externis & viſceribus: 5. Jecur lividum & ſcirrhoſum parco ſanguine conſperſum: Lien major ſolito, flaccidior, ſanguine nigro plenus, magiſque quam hepar ſanguificationi idoneus 6. Ren dexter in ureterum orificio grandem calculum continebat acutum ſed glabrum, pollicis magnitudine & craſſitie, alioſque alibi minores & arenulas infinitas: quæ cauſa eſt quod in dextro latere æger fuerit decubitus: Nullam tamen urinæ difficultatem experiebatur, ſed dolorem tantum in inguinibus. Dolor à calculo magno: Urina promptè fluxit, quia ſana veſica & ſiniſter Ren ſanus. *Thomas Bartholinus cent.* 2. *hiſt.* 32.

Phthiſici pulmones ſpongioſi & leviſſimi, cum pure copioſo in vaſis eorum &c.

Janus Laurentii ann. 30. habitu pinguiuſculo & athletico, temperamento calidiore, annis ab hinc binis in phthiſin venit, tractuque annorum in tantam totius maciem ut vix oſſibus hæreret: A primo vero morbi tabifici inſultu vox intercepta fuit, ut præter affirmantis particulam effari nihil poſſet, nutuque ſolo neceſſaria peteret: Ante ſemeſtrè ſpatium obortus illi tumor infra mentum, durus, quo impedita fuit ſolidorum deglutitio: hinc ſolis potulentis vitam protraxit, donec penitus interceptis loquendi reliquiis e vita migraret.

Emaciatum corpus diſſecuimus, ac in aperto thorace pulmones ſpongioſi, plumâ leviores, ex parte coſtis cõnati, extrema facie colore nativo tincti, diſſecti vero per medium parum ſanguinis continebant, cujus vice purulenta materia, alba, ſincera expreſſis vaſis exſtillabat: In aſpera arteria nihil heterogeneum viſum, nec ullũ iſtius tumoris veſtigiũ apparuit, unde veroſimile eſt à flatibus excitatum fuiſſe: Cor magnum ſatis, ſanum & ſanguine abundans, vaſis coronariis tumentibus: In pericardio copia aqua natabat, fuſca, quali colore venæ quoque cordis cernebantur: Pinguedo ſub univerſa cute parcior, ſed flaveſcens. In abdomine viſcera ſana pleraque & parum à naturalibus deflectentia: Omentum fere conſumptum: Inteſtina flatibus repleta & vacua: Ileum hinc inde nigricabat, qualis eſſe ſolet color illorum quos malignitas aliqua jugulavit: Hepar, ſi colorem fuſcum excipimus, nihil monſtri alebat: Veſicula fellis plena, ſed obſcurior, ventriculus ſanus capaxque, Lien luridus, Pancreas incorruptum, ſed pinguedine obſitum, in quo duo vaſa Lymphatica ſe produnt: *Thomas Bartholinus cent.* 3. *hiſt.* 2.

Phthiſis

Phthiſis à conſumptione omnimoda partis ſiniſtræ pulmonis, cum cordis vitiis.

Diu laſſam animam anhelantemque ſpiritum circumtulerat bajulus Hafnienſis: Orta nuper contentione à ſocio vapulat: Decumbit ſed ſine vulnere, Redit ad onera 14. die, & ſub onere deficiente ſpiritu occumbit, Alter, à quo vapularat, in jus trahitur.

Cadaver exenteratur, nullumque in eo vulnus, contuſio nulla obſervatur: Hinc phthiſi conſumptum vero ſimili cōjectura divinavimus: Pulmo enim ſiniſter corruptus erat totus, ſcatebatq; pure fœtidiſſimo, Tunica externa pleuræ adnata: Sana pars ſuperſtes pendebat libras quinque civiles: In corde adipoſa fruſtula oblonga lumbricorum inſtar cernebantur: Auricula cordis dextra ſex digitos tranſverſos longa diaphragmati accreverat: Hepar ſine lobis rotundum magnæ molis diaphargmati adhærebat: Lien ponderoſior ſolito: Omentum veſiculæ fellis arcto nexu implicabatur: *Thom. Bartol. centur. 5. obſervat. 7.*

Phthiſis à vitio pulmonum exſanguium, ſiccorū, conſtrictorum, cordis flacciditate & partium naturalium affectibus.

Thomas Gualther Anglus cùm Tabifico morbo extinctus eſſet, in ejus cadavere deprehendimus nullam prorſus in viſceribus vitalibus & naturalbus ſtructuræ mutationem, niſi tantùm in pluribus flacciodiorem conſtitutionem, & in nonnullis denſiorem ac ſicciorem: Multa aqua citrina thoracem & abdomen implebat, ex dyſcraſia ventriculi hepatiſque genita, pulmones exangues, ſicci & conſtricti, & in dextro latere arcte adnati, cor flaccidum & exangue; ſed in auricula dextra deprehendimus viſcidam tenacem ſanguinis pituitoſi & aduſti copiam, quæ ultra naturalem magitudinem eum diſtenderat: In abdomine omentum invenimus prorſus extenuatum & omni pinguedine ſpoliatum à febre tabifica, ac manifeſtiſſime divulſæ duæ ejus membranæ cavitatem mediam oſtentabant: Conſpeximus & manifeſtè vaſa per omentum decurrentia, ex gaſtrica vena, fundo ventriculi inſerta, & ab ejus venæ origine multa etiam vaſa colo inſerta: unde ex autopſia colligi poterat quam facilis & quam opportuna, validaque eſſet inter colon & ventriculum ſympathia: quod atteſtatur proſtratus appetitus, dum fæces in colo reſtagnant, & per eorum vaſorum commercium, vapores in ventriculum prorumpunt: Lien denſiſſimæ erat complexionis, coloris valde nigricantis & prorſus exanguis: Attamen vas breve ventriculi lateri ſiniſtro inſertum evidenter conſpiciebatur: Hoc ſupra naturam lieni aderat, quod ovi columbini magnitudine appendix ipſi ſ btus adhæreret, exiguis ſimul quibuſdam excreſcentiis ei ad latera aſſidentibus: Hepar exangue erat, valde denſæ & compactæ ſtructuræ, in ſua ſubſtantia omni colore rubro deſtitutum: certum indicium ex temperamenti defectu enata atonia hæmatoſin prorſus labefactatam fuiſſe: Pancreas denſum & compactum erat, coloris cinericii, cæterum in figura & magnitudine naturaliter comparatum. *O. Heurnius obſervat. 13. Bartholinus hiſt. 76. cent. 2.*

Phthiſicorum quorundam pulmones fruſtillatim diſcerpti ab humore acri fuerunt.

Quod phthiſicorum acris & inæqualis perdiderat deprædatio, horum pulmones, præſertim lobos, fruſtulatim laceratos, & quaſi ſorice demorſos aperto cadavere deprehendi: Acor in ſanguine redundans (quod melancholicis maxime ſolenne) non tantum totius inteneratíonem, unde facile ab externis injuria, ſed carnis omnis muſculoſæ innutricationem efficit. *Bennetius Theatri Tabidorum Exercit. 22.*

Phthiſicis pulmones non ſolum ſuppurantur, ſed etiam alterutro latere penitus abſumuntur, diu vita ſuperſtite.

Phthiſicis non tantum pulmones ſupurari, ſed penitus quoque in affecto latere abſumi, & in pus liquidum, ſubviride, fœtidum, aliquando inodorum converti, in omnibus quotquot ego ſecui, deprehendi: In quorum numero cum aliquibus viventibus adhuc (quibus tuberculum in coſtarum intervallis prominens, indicium empyematis præbebat) pectus aperiri curarem, puriſque maxima copia efflueret, tandem illis è medio ſublatis pectoreque patefacto, nihil penitus de pulmonibus illius loci ſupereſſe, ſed omnino deperditos calloque aliquo vaſa cordis, quæ huc pertinebant, & arteriæ ramos obturata, ſuccingentemque illius lateris membranam tumidam, pureque craſſiore hinc inde, veluti pulte oryzacea, ſubviridi conſperſam invenimus: Quod & in aliis multis poſt obitum exploratis eodem modo ſe habere invenimus: In quo caſu hoc præſertim admiratione dignum, multos qui hoc affectu laborabant, præter marcorem corporis & tuſſim, nullis aliis gravioribus accidentibus divexatos, nihilominus tamen, pauco etiam ante obitum tempore, libere adhuc reſpirare potuiſſe, nihilque ipſis in functionibus naturalibus atque vitalibus edendis, niſi quod omnia erant imbecilliora, deceſſiſſe. *Ex Felicis Plateri Obſervationibus.*

Tabes à putrefactione ſiniſtri lobi Pulmonis, Dextri vitio, Ventriculi extenuatione & contractione, Epatis ſiccitate, Grandi calculo in veſica, Rene uno corrupto, Altero ſeri copia diſtento, Cordis vitio, &c.

Juvenis cujuſdam annos 25. nati, arte dulciarii, cum fato debita perſolviſſet, poſt diutinam eamque valde moleſtam illius quod præ ſe ferebat corpuſculi conflictationem, ex dyſpnœa, maraſmo &, veſicæ calculo, cadaver ex juſſu affinium diſſecari curavimus: quo in multa ſupra naturæ modum admirabilia conſpeximus: Primo; thoracis in cavitate ſiniſter Pulmonis lobus ſuccingenti membranæ una cum dextro ita tenaciter adhærebat, ut ad medias putrefactus & ſumma puris quantitate refertus; ſicut & dexter ejuſdem lividus plane

& ponderoſus, vix & ſumma cum δυσκολίᾳ avelli poſſent: Duplo majorem ſolito ſubſtantię molem Cor nactum erat: media quinimo in ſua ſubſtantia, alba glandula digiti pollicis magnitudinem excedente vitiatum. Quod vero mirum viſu, ita extenuatum & in ſe contractum præ cibi ἀπορίᾳ ventriculum conſpeximus, ut cyathi unius haud admittere poſſet menſuram: is vero mera bile porracea, cui pituita juncta, & parietibus ventriculi tenaciſſime adhærente, plane refertus erat, ut cavitas adimpleretur: Ulterius, erat Hepar exangue & retorridum, debitam quantitatem excedens, cui inteſtinum colon firmiter annectebatur per ligamenta quædam, ſicut & reliqua inteſtina peritonæo. Ad corruptionem Renem dextrum plane vergere dixiſſes, ita ex livido albicabat & carnis mollioris erat, ut ex attrectatione in fruſta abiret, plus juſto naturalem magnitudinem ſuperabat, arenulis, iiſque tenuibus, ſicut & ſero multo refertus erat: Peram aut ſacculum arte fabrefactum ſiniſtrum renem judicaſſes, hujus enim ſitus & figura valebant, ſed ob ureteres inde oriundos & veſicæ implantatos, ob valvulas in interna cavitate magnopere dilatatas, & naturales quodammodo referentes, ob copiam ſeri ibi contentam (poſſum enim & abſque veritatis fuco aſſerere ultra menſuram Genevenſem cum dimidia ichoris adfuiſſe, h.e. ad uncias xlvi. aut l. ad minimum) renem ſtabiliiſſes. Ultimo tandem in veſica urinaria repertus fuit calculus immenſæ magnitudinis, cujus moles in extractione circiter pondus novem unciarum æquabat, jam cum per quatuor menſes exaruerit, uncias ſex adimplet. *Ex obſervationibus Petri Blondini Medici Genevenſis apud Fabritium Hildanum centur. 4. Obſervat. 50.*

Phthiſis à Pulmonum corruptione, Vaſorum Cordis conſumptione, Pericardii & mediaſtini exulceratione.

Tabis cauſa eſt Pulmonum exulceratio, eo uſque progreſſa ut putredo inde ſequatur, qua corruptos pulmones ex parte aliqua, vel etiam penitus in uno latere, & in pus converſos deprehendimus. Vaſis cordis, quæ illi cum pulmonibus ſunt communia, ſimiliter cum pulmone illius lateris deperditis, & circa cor veluti abjectis, & callo illic juxta radices occluſis & obliteratis. Tantamque ſæpe corruptionem fuiſſe, ut & mediaſtinum pulmones dividens, ipſumque pericardium cor obvolvens, ea infeſta fuerint. *Platerus Pract. Tom. 3. cap. 5.*

Phthiſis à Pulmonum ulcere & eorundem flacciditate.

Jam nos conſultatione pro Ill. Com. unanimes decrevimus ipſam phthiſi non ſolum, ſed & Phthoe, h.e. cum pulmonum exulceratione, affectam fuiſſe, ex ea interitum illi ominati, prout certe contigit. Neque hæſitationi locus dari poteſt de idiopathica pulmonum affectione, cum eoſdem duplici nomine, nimirum & prima, ex phthiſi ulcere, ob prægreſſam ſanguinis excretionem; & ſecunda, ex flacciditate eorundem laboraſſe deprehenſum fuerit: licet de primaria hæſerit ſcriptor, aut ſecundaria affectione, quod uteri tumor præceſſerit, à cujus ſuppuratione cum dolores, & proinde febres oblituerint, illum propterea Ill. Adſtantes neglexerunt. Attamen Pulmones non ab utero, ſed à capitis diſtillatione, Sanguinis ſputo, nec non a venoſo genere labem contraxiſſe putamus: uteri namque tumores, abſceſſus & ulcera, licet nonnunquam Tabem inducere poſſint, non tamen pulmones facile adeo inficiunt; quod num hoc caſu forte contingere potuerit, inquirendi locus foret, niſi alia manifeſta cauſa pulmones afficiens prægreſſa fuiſſet: Mala autem naturalis conformatio & immedicabilis, à nobis in aliis obſervata, defunctam prædictis Pulmonis affectionibus idoneam facilius & obnoxiam reddidit. Caveant interim Conſanguinei ſuperſtites à domeſtica, & præſertim cubiculi ejuſdem ſupellectili, ne à Phthiſi infectis miaſmatibus labem ducant. *Raymundus J. Fortis cent. 2. conſ. 36.*

Anatome puellæ cujus Pulmo ſiniſter conſumptus, cum inſigni Iecoris magnitudine, ventriculum ad inferiora deprimente.

Filia Sexennis poſt lentam Tabem, doloribus hypochondriorum & proſtrato appetitu viribus fracta expiravit.

In diſſectæ cadavere Hepar fere univerſum occupabat abdomen, ventriculumque adeo ad inferiora depreſſerat, ut quaſi ab œſophago videretur ſeparatus. Pulmo ſiniſter conſumptus.

Tabi dederat occaſionem Pulmo ſiniſter conſumptus: Neque enim ex ſalute hepatis dependet nutritio, ſed à cordis Pulmonumque ſano ſtatu: Cor ſanguinis officina, per Pulmones verò univerſus ſanguis circulatur, ex quorum vitio hoc detrimentum capit: Pondere igitur hepatis increſcentis, ob impeditam circulationem depreſſus ventriculus, cibos vitæ neceſſarios reſpuit. *Th. Bartholinus Hiſtor. Anat. 71. cent. 5.*

Phthiſis à Pulmonum lobo utroque, ſiniſtro præſertim, corrupto, Præcedente vitio ventriculi, Inteſtinorum & Pancreatis.

Wilhelmus Leychli, Luis Wallenſis, quindecim circiter annorum, ex orphanotrophio, ubi quotidiano vacabat labori, morbo periculoſe decumbens, menſe Junio anni currentis 1677. in νοσοτροφεῖον, ſanitatis, ſi ita Deo ἐντεῦ ἵλεῳ placuerit, recuperandæ ergo adductus fuit. Ego, tunc temporis, cum adhuc curæ ægrorum inhiarem, vocatus, vidi hominem facie ex ſub atra palleſcentem, Siti vexatum intenſa, Pulſu præditum celeri, debili & inæquali, difficultate ſpirandi preſſum, de ſputo ſanguineo purulento & magna appetitus proſtratione conquerentem: Anxius tum hærebam, cum meliora edoceri neque ab ægro, neque ab adſtantibus potuerim, utrum pleuritidem præcedentem æger paſſus fuerit, necne: Tandem vero cum doloris pungitivi in latere ſe veſtigia nulla unquam ſenſiſſe aſſeruerit, verum ſputo ſanguineo cum tuſſi, quod jam purulentum evadat, ab aliquo tempore vexari cõfeſſus fuerit, eum ex

Peripneu-

peripneumonia Phthiſicum jure arbitratus fui: hinc præſcriptis primo potionibus vulneratiis, addendo croci eſſentiam cum balſamo ſulphuris aniſato & aliquot guttis ſpiritus urinæ, vel ſalis armoniaci, poſt decoctum pectorale antiphthiſicum, conſervam roborantem & adſtringentem, addendo ea quæ putredini reſiſtunt, in uſum vocavi: verum cum & hic, quod alibi fieri ſolet, docta prævaluerit arte malum, æger vitæ hujus miſeriæ afflictionibus feſſus, ſpiritum creatori ſuo reddidit.

Antequam occaſionem cadaver hujus ægri luſtrandi mihi exhibitam arriperem, placuit prius ab Excell. DD. *Rothio*, Orphanotrophii Medico ordinario, ſciſcitari quonam morbo primitus affectus fuerit, vel quænam ſymptomata ipſi in Orphanotrophio adhuc degenti præcipue infeſta eſſe cœperint? Qui per alium me certiorem reddidit, ſe in miſello hoc corpore jamdudum affectionem ſcorbuticam metuiſſe, & jam ab aliquot ſeptimanis phthiſicum eundem auguratum eſſe: Quibus ita exploratis operi me ſectionis accinxi.

Linteamentis, quibus demortuos obvolvi & honeſtas ſuadet, & Scriptura jubet, ablatis, ecce Ventrem infimum tumidum omnino, de quo nec æger conqueſtus unquam, neque nos talem ullatenus vidimus vel obſervavimus: unde ſtatim ingentis ſeri copiæ ſuſpicio mentem noſtram, neque fruſtra, cœpit. Involucris hinc infimi ventris diſſectis, cum Epiploo, quod putridum erat, deprehendimus hepar præternaturalis omnino magnitudinis, parte cava corruptum & putreſcens, una cum veſicula fellea, quæ, uti in cæteris, gelatinam referebat: Succus tamen effluens ſubater erat & viſcidiuſculus, parum ſpumoſus: In hypochondrio ſiniſtro Lienem invenimus tumidum, flaccidum, corruptum & quoad interiorem ſubſtantiam nigricantem: Pancreas ſub ventriculo vidimus maximum, glandulis inſignibus & duriuſculis ſuperbiens: Meſenterium obſervavimus gelatinoſum omnino, maxime quoad extremitates, quibus inteſtina cingit: Gelatinoſus hic humor fere inteſtinalium cellularum externam faciem plane cingebat, ipſamque Meſenterii ſubſtantiam tantopere occupabat, ut difficile fuerit omnino, vel vaſa vulgo dicta meſenterica, vel, quod plus eſt, glandulas detegere. In ipſa hujus ventris capacitate ingens extitit ſeri copia, quæ, integumentis diſciſſis, qua data porta fugam dare cœpit, non tamen ita fœtidum uti in nupero, cujus Tibi hiſtoriam ſcripſi, ſpirantis odorem: Cætera hujus ventris ſatis rite habebant: Thoracis examen aggreſſus, diaphragmate ſuperato, multum aquei humoris è thorace erupit, neque facile fuit Pericardium à ſterno, cui firmiter cohærebat, abſque ruptione ſeparare. In Pericardio aquam adhuc copioſam reperimus, quæ autem ruptione facta, per viam thoracis apertam, ad inferiora vergebat: Pulmonum lobus uterque putridus erat & corruptus, magis tamen ſiniſter quam dexter: Uterque preſſus materiam reddebat purulentam. *Ex literis D. D. Joh. Jacobi Harderi Philoſophi & Medici Baſileenſis d. 15. Sept. anno 1677. datis ad Clar. D. D. Joh. Conradum Peyer Medicum Schaphuſanum.*

Phthiſis à putredine Pulmonum intra 24. dies interimens, cum inteſtinorum vitio.

In Hieremia Tonſoris ſervo multa obſervanda fuerunt, Primum eſt lentiginoſus & rufus. Ea corpora tetra quadam bile abundant, & qui humor dominatur & morbum facit, vix coctionem admittit. Sedari non potuit febris: hemicraniæ erat obnoxius: ejus ergo guajaco uſus fuerat, & decoctum hoc ſiccitatem & ſqualloreni ſummum induxerat, febris aſſidua, 11. die dyſenteria à prava bile, Non eſt allevatus, Macruit omnino, & tandem in maciem adductus ad diem 25. interiit.

Pulmones ſunt deprehenſi putres. Inteſtinorum corpus vitiatum erat. *G. Ballonius Epid. & Ephem. lib. 2. pag. 245.*

Phthiſis à Pulmonis dextri conſumptione, integra ſiniſtri inchoata, Empyemate thoracis, &c.

Jacobus Cobier, lanificio victum quæritans, initio hujus anni in morbum acutum thoracis inciderat, cui medicinam non fecit, ex quo materia morbifica retenta Pulmonem labefactavit. In tuſſim, dyſpnœam & cachexiam incidit, Et quia pauper erat, in noſocomium delatus eſt: ibi malis graveſcentibus in iſta miſeria ultra tres menſes decubuit. Et licet adhibita eſſent commoda medicamenta, tamen in Phthiſin & ſummum gradum hectices incidit.

Defuncti cadaver diſſecui: Pulmo dextri lateris pleuræ validiſſime erat adnatus, ipſaque pleura ſupramodum craſſa, ut facile conjicere fuerit hic morbi initium & focum fuiſſe: Nam totus ibi Pulmo fœde conſumptus erat, & vix præter vaſa & filamenta quid reſtabat: Totam cavitatem fœdiſſima ſanies implebat, cui ſimilem aliquot ſeptimanas ante obitum rejecerat: Siniſter Pulmo etiam aliquantum corruptus, aqua ſpumoſa impactus, & exiguis aliquot vomicis refertus erat: Cor ſimul cum ſuis vaſis exſangue & pericardio firmiſſime paſſim adnatus erat, adeo nihil prorſus ibi liquoris reſiduum: viſcera naturalia non aliter à ſtatu naturali declinaverant, niſi quod omnia flaccida, pallida & ſanguine deſtituta, & Omentum fere conſumptum. Totius vero corporis extrema cernebatur macies, adeo ut de carnibus nihil præter filamenta reſtaret, ipſe & ante obitum vivus ϗελετὸς appareret. *Otho Heurnius hiſtor. 27.*

Phthiſici infantis pulmo dexter & hepar ſphacelo affecta reperta, ventriculus correptus, &c.

Præcipuæ notæ infans maximo cum parturientis conatu in lucem editur, ita ut tertia hora poſt puerpera moreretur: Summo quoque ipſius conatu, ut circa ſuturam coronalem, quandiu viveret, cranium elevatum magis appareret, Licet vero optime lac ſugeret, prorſus tamen non accreſcebat, unde & pro hectico curabatur.

Sed ſeptima ſeptimana extinctus eſt, ſecabatur, atque pulmonis lobus dexter, ad axillam vergens, niger plane reperiebatur per quinque tubercula nigra. Hepatis quoque lobus ſuperior lividus & nigricans. Ventriculum, cum paululum propter ſectionem inſtituendam diſten-

derent, rumpebatur ille cum maximo fœtore. *Ph. Salmuth. cent. 1. Obſerv. 4.*

Phthiſis à Pulmonibus corruptis, ulceratis, Hepate torrefacto, Liene pene abſumpto, &c.

In Anatomia Chr. Richteri, cui menſe Aprili, anno 1637. præfui, notavi ſequentia, Omentum & Meſenterium penitus fere erant abſumpta: Lienis quoque exigua portio aderat, nigra ſanguinis congelati inſtar: Hepar inſolitæ magnitudinis conſpiciebatur, coloris tamen ex parte plumbei, & in ſiniſtra parte nigricantis, atque inſuper aſſatum & torrefactum quaſi: Veſicula bilis continebat nigricantem materiam, grumoſam, atque aliquot lapillos lentium quantitate: In abdomine collectam videbamus aquam citrinam: In utero vero purulentam, adeo copioſam, ut Pulmonum corruptorum & exulceratorum particulæ in pure quaſi natarent: Venæ phrenicæ pure inſtructæ, Cor flaccidum erat; In pericardio drachmæ tres aquæ. *J. Daniel Horſtius obſerv. 7.*

Phthiſis à vitio Pulmonum corruptorum & in tabem ſolutorum, Meſenterii glandulis obſiti, &c.

In cadavere Illuſtr. Comitiſſæ de Hodis, &c. ad condituram exenterato hæc reperta 1. Totus corporis habitus excarnis, muſculique omnino macie confecti. 2. Omentum humore bilioſo per totum ſuffuſum & tinctum. 3. Ventriculus & inteſtina flatibus diſtenta, cum multo ſeroſo humore, unde pridie ante obitum de abdominis tenſione conquerebatur: 4. Meſenterium glandulis maximis & nigris obſitum, è quibus quædam avellanas mole ſuperabant: diſſectæ quædam ſerum flavum continebant, aliæ humorem nigrum & fœtidum. 5. Jecur coloris quidem erat naturalis, concava autem pars bile obducta: ſubſtantia laxior & mollis, vaſa nequaquam obſtructa; Cyſtis fellea & porus bilarius bile intenſe flava referta, quanquam non omnino obſtruerentur: 6. Lien naturali multo major, longior, craſſior, maculis variis flavis, viridibus, nigris conſperſus, durus, qui diſſectus profudit humorem melancholicum fœtidiſſimum, acidum ſpirantem. 7. Renes maximi: in dextro erat calculus oblongus, uno extremo reni infixus, alteri ureteris orificio: ureter uterque ſabulo craſſo ſcatebat: Siniſter quoque Ren lapide avellanam æquante occupatus erat: Color utriuſque ad nigredinem vergebat: 8. Veſica urinaria parva erat, nucem moſchatam vix ſuperans, paucum lotium ſed fœtidiſſimum continens. 9. Uterus anguſtus, durus, nigricans, ſero cruento refertus: vaſa ejus exilia, complicata & intorta: 10. Pulmones pene omnino putres, conſumpti, quorum ſuperſtites erant ſolum ſummi lobi, adeo ut amplius reſpirationis munus obire non valerent; quæ potiſſima videtur obitus cauſa. 11. Cor admodum parvum, flaccidum & tabidum: In vaſis & ventriculis ejus nihil p.n. repertum. 12. Collum erat durum & ſcirrhoſum, ut & lingua, quæ nigra: In capite omnes partes, tam continentes quam contentæ, ſanæ. *Balth. Timæus lib. 6. Epiſt. 7.*

Phthiſis, à Meſenterio ſcirrhoſis tumoribus obſeſſo, Abſceſſu in Pulmone dextro, cum ſcirrhis & ſteatomatis per totam eorum ſubſtantiam.

Solent nauſea & cibi faſtidium comitari Tabem, vidimus tamen puellam 14. annorum, quæ circa 10. annum paulatim in Tabem incidens, 4. ſequentium annorum ſpatio ita laboravit ut penitus extabefacta fuerit, appetitu tamen vix unquam imminuto, nam comedebat & bibebat non parcius quam ſi ſana fuiſſet: exercitia puerilia non dimittens, nec decumbens, niſi ad 4. aut 5. ſeptimanas ante obitum.

Cadaver diſſecans, reperi meſenterium undiq; refertum ſteatomatibus, tumoribus duris atque ſcirrhoſis, præcipuè autem circa vaſa & venas quæ ad portam protendunt: Circumcirca venam Portam tumores ſcirrhoſi inveniebantur multi, quorum alii ovi gallinacei, alii nucis & caſtaneæ magnitudinem æquabant; Hinc chylum per meſenterium & Portam ad hepar pervenire, & per reliquum corpus diſtribui non potuiſſe, indeque Tabem ortam fuiſſe certum eſt, hanc quoque ob cauſam excrementa quotidie bis terve, liquida & chylo miſta excernebat: In Rene dextro lapis erat magnitudinis & figuræ hic depictæ: Hepar undique ſanum erat, ſtomachus & ſplen ſ. n. plane ſe habebant, quæ cauſa fuit appetitus integri: In dextro lobo Pulmonis abſceſſus erat putridus & fœtidus, in quo continebatur pus membrana concluſum, ad libram unam & ſemis: & erant ſteatomata multa & ſcirrhi undique per ſubſtantiam Pulmonis, Cor flaccidum & plane extenuatum erat. *Fabritius Hildanus cent. 1. obſerv. 70.*

Phthiſis à Pulmonis grandi vomica in latere dextro, pure viſcido totum Parenchyma obſidente, Vomicis plurimis in ſiniſtro, & Pericardio aqua diſtento, Cordis, Hepatis vitio, &c.

Herman Stas annor. 22. diu do anxia aſthmatica conſtitutione querulus cum fuiſſet, tandem ipſi finem vitæ fecit febris tabifica, ſymptomatica: Poſtridie cadaver apertum, in quo miſerandam Pulmonis conſtitutionem deprehendimus: nam lateris dextri ala, ſuperior & inferior, empyemate infecta erat, ita ut in ſuperiore ingens vomica, pugni capacitate exiſteret: circumcirca autem undequaque, ipſum pulmonis parenchyma pure viſcido, tenaci erat obſitum; ita ut vaſa, quæ multiplicia per pulmonem decurrunt, viſcida ejuſmodi purulenta materia impleta eſſent, haud ſecus ac videmus rete piſcatorium, in locis paluſtribus impuris, interdum totum alga impleri: Sed præterea multa tenuis puris copia aderat teterrimi odoris, qua aperta vomica diffluebat: Exterius autem arctiſſime Pulmo adnatus erat coſtis, ipſæque alæ inter ſe firmiſſime copulatæ, adeo ut Chirurgi manu multo conamine avulſio facienda eſſet: Siniſtri autem lateris alæ liberæ erant ab omni annexu, ſed intus etiam exiguæ quædam vomicæ paſſim diſperſæ erant pure impletæ: foris autem color hic prope naturalis erat, ſed latere oppoſito luridus: Pericardium aqua valde diſtentum erat, & cordis auricula dextra ad magnitudinem ovi anſerini intumuerat,

oppleta

oppleta ſanguine nigro craſſo, & valde tenaci, lenta pituita, quantum vola manus comprehendi poterat: Hepar coloris erat valde pallidi, & conſiſtentiæ flaccidioris paulo quam naturalis: Lien infra magnitudinem naturalem erat, flaccidus, & in interiore ſuperficie luridus: Multa aqua citrina, coloris pallidioris in abdomine innatabat: *O. Heurnius obſerv.11.*

Phthiſis ab apoſtemate in infimo ſiniſtri Pulmonis lobo conſiſtente.

Phthiſicus Leidæ ſecabatur, ventre concidente, emaciatis artubus, prorſus tabidus: Viſcera interiora, lien, hepar, cor, à naturali facie nihil receſſerant, ut ſani eſſe hominis juraſſes: Pulmo ſiniſter integer, ſed coſtis adhærens: Dexter vero pulmo contrectatus fœtorem emiſit & materiam purulentam: prope diaphragma enim ingens latebat apoſtema in pulmonis infimo lobo, quo manu ſectoris diſrupto, maxima puris fœtidi effluxit copia: Vivum qui inviſerant, pus quidem per ſputum obſervaverant expuiſſe, ſed parcius & ſine inſigni graveolentia, nondum enim ruptum fuerat apoſtema. *Th. Bartholinus centur.5. obſerv.76.*

Phthiſis à Pulmone dextro corrugato, flaccido, cum puris ac ſeri albi collectione in thorace eodem latere.

Anno 1662. in dextri lateris Empyemate aquoſo, ex pure ac ſero albicante ſimul collectis conſtante, reperimus in Noſocomio Academico Pulmonem dextrum corrugatum, lividum, flaccidumque, ac meo quidem judicio Tabe confectum; quod ambienti aquæ purulentæ adſcribendum cenſebam malum. *Franc. Sylvius Praxeos med. l.1. c.24. § 8.*

Phthiſis ob ariditatem Pulmonum, inductam à fiſtula thoracis.

Vidi ex fiſtula thoracis Pulmonem ſummam ariditatem contraxiſſe, adeo ut in exactum maraſmum exaruerit: Hoc evenit Illuſtri Virgini Franciſcæ Egmondianæ Comitiſſæ: Præceſſerat ſputum fœdi puris cum exiguo ſanguine. *Heurnius de morbis Pectoris cap.7.*

Tabes, Rachitidis comes, à Pulmonibus quaſi tartaro gypſeo refertis excitata, lividis, exſuccis, &c.

Generoſiſſ. D. Thomas Moore, Anglus, ternam prolem habuit, quos altero mox à nativitate anno; vix vitali aura hauſta, abſtulit atra dies & funere merſit acerbo, uno eodemq; mortis genere jugulatos: Hi omnes in lucem editi, videbantur vegeti, vivaces & bono corporis habitu præditi, Inſtante vero dentitionis tempore, langueſcere incipiebant: apprehendebantur in principio moleſta tuſſi & ſpirandi difficultate, incrementum in dies ſumentibus; Caput paulatim in majorem molem accreſcebat: membra externa flaccida & quaſi pendula apparebant; Oſſium epiphyſes in carpis & talis protuberabant; in coſtarum cartilaginibus nodi conſpiciebantur: Venter turgeſcebat, pectus extenuabatur, totumque corpuſculum atrophia contabeſcebat: ut facile ex his colligere potueris, eos novo & veteribus incognito morbo, quem Neoterici Rachitidem, ſeu morbum ſpinalem vocant, quod ſpina dorſi maxime in hoc morbo afficiatur, laboraſſe: His ab interitu redimendis, ſi fieri poſſet, parentes nullis parcebant ſumptibus, ſed inexorabiles erant Parcæ; ſecundo poſt primum, & tertio poſt utroſque vitam abſcindentes. Parentes de futura prole præſervanda ſolliciti, ut in cauſam morbi diligentius inquirerent, ultimo defunctum aperiri curarunt.

Quo à me diſſecto, Hepar juſto majus, ut & pleraque in abdomine viſcera, non tamen male colorata; inteſtina vero flatibus turgida & multum diſtenta apparebant: In Thorace vero, ſterno ſurſum flexo, Pulmones conſpiciebantur lividi & exſucci, membrana vero eos ambiens admodum erat aſpera & inæqualis, innumeris protuberantiis ſeu tuberculis, verrucis perquam ſimilibus, ubique reſperſa; quibus apertis, inveni in iis tartarum quendam gypſeum, calcis inſtar friabilem, per totam Pulmonum ſubſtantiam ſparſum: In capite nihil culpabile occurrebat, niſi quod cerebrum videbatur aquoſius: Placuit Deo pluribus liberis hunc generoſiſſimum Virum poſtea ditare, qui emiſſariis impreſſis, & aliis Pulmonibus dicatis præſervati, optima fruuntur valetudine, Quod ſi frequentiores eſſent demortuorum diſſectiones, forſan non tanta hominum multitudo à Libitina abſorberetur. *Fridericus Loſſius obſerv.3. lib.1.*

Anatome Phthiſici, in quo Pulmonum tunicæ maxima craſſities reperta eſt, hepar, lien, diaphragma, inteſtina invicem cohærentia.

In Phthiſico diſſecto à Clar. Franciſco Sylvio, obſervavimus ſummam Pulmonum tunicæ craſſitiem, digitum medium æquantem: Hepar vero, lienem, diaphragma & inteſtina inter ſe arctius cohærentia, omentum denique penitus carnoſum. *Thomas Bartholinus cent.2. obſerv.76.*

Phthiſis à Pulmone innumeris puſtulis ſcatente, mediaſtino putrefacto, Et vitiis variis viſcerum naturalium.

Anno 1666. puer 12. annorum, poſt plurimarum hebdomadarum decubitum Phthiſi extinguitur: Aperto thorace mediaſtinum putrefactum fruſtulatim apparuit: Pulmo albicans innumeris puſtulis undique ſcatebat; quæ diſciſſæ craſſum pus fundebant: In Pericardio ultra decem cochlearia aquæ citrinæ fluctuabant: Cor flaccidum, omnique ſanguine vacuum conſpiciebatur: Reſerato abdomine, in Hepate & Liene, præter inſuetum pallorem, etiam plurimæ puſtulæ albicantes obſervatæ, quæ diſciſſæ glandularum ſubſtantiam æmulabantur: Inteſtina ſolis flatibus diſtenta innumeras habebant maculas lividas & luridas. *Obſervat. Georgii Segeri.*

Phthiſicis, à ſputo ſanguinis, Pulmones dextra vel ſiniſtra parte tument, cum viſcido humore in veſiculis eorum contento, &c.

Illi qui Tabe moriuntur ex ſputo ſanguinis copioſo, monſtrarunt molem vel dextri vel ſiniſtri Pulmonis inſignem: quæ etſi primo intuitu nigricans apparebat, penitius tamen cultro diſſecta, omnes iſtas veſiculas non dilatatas, ſed mucilagineo humore, viſcido & albo refertas exhibuit, quæ cauſa ut nonniſi λεπτὰ ægri toto decubitus tempore exſpuant: unde de tranſmeatu iſtarum veſicularum hæreo nonnihil. In ulceroſis autem, cum ad ſuppurationem & corruptionem devenitur, cavitas oritur quæ ex pluribus abſumptis cellulis amplior redditur: Et hæc ſi exſiccari poſſet ſufficienter, è vita non tollerentur tot Phthiſici: *Bartholinus cent.4. obſerv.73.*

Phthiſici utraque Pulmonum pars liventibus maculis variegata, & pleura annexa inventa eſt, cum hydrope dextri thoracis, oſſe in corde, aliiſque viſcerum naturalium.

Ruſticum valetudinarium & toto corpore emaciatum, revera Phthiſicum aperui: In aperto cadavere hæc obſervata, 1. In Epigaſtrio aperto prope lineam albam, heterogenea inter peritonæum & muſculos liveſcens excreſcentia erumpebat: diſſecto vero peritonæo ſatis valido, mediocris ſeri copia, non graveolentis effundebatur. 2. Omentum uſque adeo tenerum & contractum, deſtitutum omni propemodum pinguedine, nullis refertum glandulis, ut duriuſcule tractatum fatiſceret illico. 3. Hepar prægrande & florido nonnihil colore: veſicula fellis diſtenta ſeroſo magis quam bilioſo ichore: Lien pugni in modum contractus, prætumidus, fæculentiſſimo ſanguine refertus, oppido ſcirrhoſus; Pari conſtitutione Pancreas, ſed ſubalbicans adhuc. 5. Ventriculus valde contractus, vix duarum librarum potulentæ materiæ capax: Inteſtina explorata, pellucida, nihil præter aquoſa continebant. 6. Thorace aperto, non minor ſeroſorum vis, imo major quam ex aqualiculo ubertim ſcaturiebat, ſed non ex utroque latere: obſervabatur enim dextram thoracis partem, & ſiniſtram abdominis pejus habere: Nam quamvis tam dextra quam ſiniſtra pulmonum pars hinc inde liveſcentibus maculis variegata pictaque eſſet: tamen ſiniſtra horum libera, libero motu moveri potuit, dextra vero penitus dextræ pleuræ annata firmiter erat, ita ut vix digitorum manuumque opera à pleura divelli poſſet. 7. Spatium quod inter pulmones & diaphragma vacuum interjacet, in ſiniſtra quoque thoracis parte vacuum, ſed in dextra ſeroſis limpidis liquoribus ſcatebat. 8. Cor tam erat vaſtum ut ſæpe in bobus non majus ſit aut ponderoſius, cujus dextra auricula pyris volemis longe major: Siniſter ventriculus nondum diſſectus inſolito durior ad tactum erat, hinc ſuſpicio nata iſtic loci cartilaginem deliteſcere, ſimilem iis quæ in cervorum cordibus reperiuntur, Nec ſpes fefellit, nam ad radicem aortæ cartilago triquetra, & propemodum cordis picti figuram repræſentans, vel literæ Y inventa fuit; Spongioſum vero nonnihil eſt os & friabile, calculis nonnullis per urinam excretis haud abſimile: 9. Pericardium ne guttulam quidem ſeſior humoris continebat: *Th. Bartholinus hiſt. 50. centur. 1.*

Anatome Phthiſici cujus Pulmo & Jecur puſtulis obſita erant.

Contigit anno 1546. ut duo filii Laurentii Gadii morerentur ex ſimili fere morbo: ad tertium autem adoleſcentulum vocatus, qui & ipſe eodem morbo laborare videbatur judicio parentum & domeſticorum, cum jam fluxu ventris & tuſſi, & ſumma Tabe detineretur, judicavi celerrime moriturum, Itaque cum alii quatuor filii & ipſi eodem morbo detineri viderentur, territus pater, quaſi de veneno ſuſpicabatur: At ego verecunde petii ut cum mortuus eſſet, qui jam graviter laborabat, liceret corpus diſſecare ut aliis proſpiceretur: Annuit pater diſſecuimuſque:

Inveni in Jecore puſtulas, ſicut ciceris grana, candida rotunda: In Pulmone quoque alias, & partem oblongam, lividam atque fuſcam: Ex quibus conjectura aſſequuti ſumus non eſſe venenum, curæque modum: Itaque hac ratione ſervati ſunt omnes qui ſuperſtites erant filii, & nunc etiam vivunt, curatio autem fuit cum refrigerantibus & humectantibus, & uſu ſacchari roſacei aſſiduo. *Hieron. Cardanus curat. admir. n. 10.*

Nobis contigit ut in Filio Gadii diſſecto, cum ut phthiſicus haberetur, ſi quidem & tabidus, cum maxima tuſſi & febre lenta obierat, In eo tamen nullum ulcus in Pulmone fuit, ſed in ejus ſuperficie Tubercula quinque, ni fallor, ſanioſa, & portio livida, fuſca, velut igne exuſta, Et in Jecore alia tubercula illis ſimilia. *Idem lib. de ſignis, cauſis & loc. morbor. pag. 3. n. 67.*

Tabes à Pulmonibus lividis & pituitoſis humoribus imbutis, poſt hydrargyroſin.

Mercurio crudo in lue venerea, aliiſque affectibus externis, exterius applicato utor cum fructu: Interim tamen caute cum ipſo agendum eſſe hoc exemplo patebit: Quidam dolore articulorum, propter defatigationem corporis ex longo itinere, fame & inopia laborans, quum Lauſannæ ab Empirico unguento ex Mercurio inunctus fuiſſet, paulo poſt plane extenuatus naturæ conceſſit:

Ego cadaver præſente Medico diſſecui, & ipſius Pulmones lividos, & pituitoſis humoribus imbutos; cor vero molle, flaccidum & exangue inveni, *Fabritius Hildanus Operum pag. m. 914.*

Phthiſis orta à vermibus Pulmones depaſcentibus.

Deſperata Phthiſi diu preſſus vir Nobilis, tandem fatis ceſſit: Ex ore naribuſque defuncti corporis innumeri prodierunt vermiculi, rubro capite: quos ex pulmonibus corruptis emanaſſe ſuſpicor, vel veſica ſingulari, cui in vivo homine incluſi fuerant: Ferali arca concreditum cadaver iiſdem vermiculis ſcatebat, cunctis ſtupentibus. *Thomas Bartholinus hiſtor. Anat. 46. cent. 1.*

Phthiſis

Phthiſis non Ulceratis Pulmonibus, citra ſanguinis aut puris ſputum, cum vitio cerebri, pancreatis, &c.

Scribentium omnium calculo comprobatum eſt Phthiſis Pulmonis ideam & dioriſmum eſſe ulcus ipſius: Ego vero monſtrabo brevi citra exulcerationem extare, languore ſcil. & marcore, i. e. putrida quadam laxitate tacto pulmone, quod fit ubi mucore pituitoſo ac ſemiputri diu multumque alluente diſtabunt, ut ſcil. folium longo lentoris immaceratu flacceſcit. De qua re ita Fracaſtorius 2. de morb. contag. c. 9. Verum & illam quoque poſſumus Phthiſin ſatis proprie appellare, quæ corruptis putrefactiſque pituitis ita pulmonem affecit, ut ſi non ulceratus eſt, at flaccidus tamen & putridus jam reddatur: quippe factis diſſectionibus quorundam, vidimus interdum partem pulmonis ſinceram & nullatenus vitiatam &c. Ejuſdem rei meminit Jacotius comm. ad aph. 13. ſect. 2. Coac. Hipp. Quo Phthiſis vitio, atque aliis mire multis abſceſſibus enectum vidimus Illuſtrem virum Marcellum Sachettum anno 1629.

Penetralia corporis ejus inviſentes, primum Alentis officinæ ſtatum enarremus: Omentum & meſenterium adipe nulla perfuſum, utriſque vero color fæculentus atque ſubcroceus: Inteſtina ſquallentia, coloris janthini, & quaſi fiſtula inflata fuiſſent, præturgida: Pancreas ſemiſcirrhoſum: Jecur pleriſque maculis diſtinctum, quas cultro diſciſſas nonnihil penetrare compertum eſt: Lienis aliqua particula lato quodam callo candidiore notata: Veſica propemodum oſtracoſæ carnis inſtar obdurata: Paraſtatæ cyrſoides ac veſicæ σπερματοφυλακες exhauſtæ ac vietæ: Sub Pectore Pulmones ſubmucidi, fuſcis quibuſdam maculis affatim reſperſi, neque enim ulla ex parte cinerei, quem his ſecundum naturam habentibus colorem tribuit Hippocr. lib. de Anat. Circa cor nullus omnino adeps, quem tamen viſceri proprium atque eſſentialem aſſerit Columbus 7. rei anatom. Sed ipſum viſcus, præterquam uſus ejus poſcit, flaccidum & marſupii pellicei modo in ſe recidens: Pericardium inane conceptaculum, neque enim vel ullus aquæ mador obſervatus eſt, dignus effatu. Cerebrum inculpatum quidem ſincipite tenus, niſi quod in ventriculis anterioribus excedens multitudine repertus humor tenuis ac pellucidus: Illud equidem exiſtimarunt quamplurimi, malorum fortaſſe cunctorum capitis principium, quod rubore ſuo purpureo defloratus ac dilutus emicuit choroides plexus, quem in quatriduanis alioquin, ac ſerius etiam tractatis cadaveribus, nitidiorem, ac ſi dicere licet, vividiorem ac lætiorem ſemper offendi, argumentum ſcil. prævalentis aquoſi coinquinatique ſanguinis, quam ſaniem antiqui vocabant: ubertatem autem ejus humoris inde cognoviſſes, quod diſtenta turgentiaque eadem vaſcula, varicoſis quibuſdam eruptionibus ac toris identidem ſubſultare vidiſſes: Sunt hæc quidem magna, ſed hoc longe maximum, Nempe ſe obtulit nobis ex infima calvaria, baſin cerebri reſiduam eximentibus, qua nervus auditorius in exſculpti oſſis auriculæ forulum excurrit, quantus minoris hirudinis aut millepedæ ductus eſt, hinc atque hinc, ſed dextera major, fibra ſanguinea aut ſanguinis concrementum, quod cum auditorio nervo oblique pergens ad antedictum foramen finiebat: Hanc nobis rem cum admiratione inquirentibus, quid aliud videretur quam Bdella Hippocr. lib. 2. prorrh. memorata, prorſus non fuit; de qua re diſerte Marſilius Cagnatus lib. 2. var. lect. 2. Hæc quidem circa cerebri partem anticam, cæterum poſtica parencephalon, quod ſuapte natura firmius & compactius eſt, ut pote nervorum ſimiliter propagandorum principium, molle nimis ac flaccidum, fibris velut diffluentibus conſtans, humore nimirum, quo plurimo ſcatebat, confectum: Mitto quod colore ferme pullo atque ſublivido, quale hactenus nullum videre obtigit; etſi non pluribus quam tribus ab efflato ſpiritu horis eviſcerari cœptum à nobis. *Severinus de Abſceſſibus ſect. 2. cap. 36. pag. 269.*

Phthiſici Pulmones aridi, ſcirrhis pleni, citra puris aut ſanguinis ſputum ſunt reperti.

Quinquagenarius, longo corpore & collo, ſatis opportunus tabi, tuſſicula, flatibus, pituita, tres annos laboravit: Audiebatur quaſi aqua fluctuans ad diaphragma & ventrem: Alii vitium lienis cauſabantur: Purgationibus, decocto gaiaci & aliis vexatus, nihilo melius habuit: Subtabidus, male coloratus: Tandem decretum eſt, deſperantibus Medicis & ægro, ut aperiretur thorax, primum cauterio potentiali, deinde culcello, nam propius admota aure, intelleximus materiam diaphragmati inſidere, non eſſe in ventre: Itaque inter 4. & 5. vertebram aperta via eſt: Effluxit pus multum, crudum: quinque poſt diebus mortuus eſt.

Diſſecto ægro, inventus Pulmo aridus, ſcirrhis plenus, ſyderata pars membranæ ſuccingentis & coſtarum: Venter inferior integer: Nunquam pus expuerat neque ſanguinem. Laboraverat longo ante tempore, ut fere triennio, pleuritide. *Hollerius libello propr. obſerv. 16.*

Phthiſis ab ulcere Pulmonum citra ſanguinis ſputum.

Uxor Leonardi Piſienſis Medici duos fere annos Phthiſica vixit, Ea diſſecta invenimus in ſuprema parte Pulmonis, quæ primis coſtis ſubjicitur, ulcus in quo vix caſtanea includi potuiſſet: hæc nunquam ſanguinem expuit, quod extra vaſa Pulmonis ulcus conſiſteret: *Joann. Argenterius comm. 3. in Artem parv. Gal.*

Phthiſis à ſyderatis Pulmonibus citra ſanguinis aut puris ſputum.

Ingenua virgo annum agens ſupra 14. brevi morbo, (ut multis videbatur) ſublata eſt: ante biennium tamen altum ducebat ſpiritum, ſolitudinem affectabat, & facies totuſque habitus pallore albeſcebat; Ante duos menſes dum ejuſdem fratrem, lento quoque morbo confectum inviſeremus, à matre fuimus rogati ut iſtius pulſum exploraremus num febricitaret; quem languidum & inæqualem, ſed ſine calore febrili obſervavimus: Ideoque ubi vultum palleſcentem paululum ſumus contemplati, & de ætate ſciſcitati, venit in mentem menſtrua forſan inſtare,

quæ dum ob viarum anguſtias, naturæ ἐκλαμψις impedita reſerare laboraret, ſanguis ab iis inniciebatur, & levia illa ſymptomata ſuſcitabat, uti ſolet contingere non raro in virginibus hujus ætatis: quare his obiter dictis, diſceſſimus, rem altius indagaturi ſi malum protraheretur, aut ſymptomata ingraveſcerent: Sed his utrinque vel neglectis, vel oblivioni datis, poſt duos menſes ſerio vocati, morbum multo graviorem reperimus, ut quem apoſitia & febris continua comitarentur, & ſub noctem intenderetur, ſine calore mordaci & ſenſibili ὀδυνηματα: vires præterea dejiciebantur, narium pinnæ inter expirandum expandebantur, nec tamen inſignis dyſpnœa aderat: nulla ſitis, non rubor in genis, non vigiliæ; decumbens nonnihil tuſſiebat ſine ſputo: cor vero crebro & valido motu, continuo ſub noctem recrudeſcente, tangenti palpitabat, ægra non ſentiente, urinæ craſſæ, albæ, adipoſæ, cum enæoremate vel hypoſtaſi ejuſdem conditionis divulſa; nunquam deliravit, nullam noctem duxit inſomnem, nequidem ultimam, in qua placide & ſine agone expiravit;

Ergo propter iſtius morbi inopinatum eventum, & quod etiam 13. alii ejuſdem geniture, ante vel circa pubertatem defuncti eſſent, conſilium fuit cadaver aperire: quo nudato, latus utrumque, ab alis ad coſtarum notharum ultimam, maculis latis è rubro liventibus, & ſugillationem referentibus, erat conſperſum: Viſcera in abdomine contenta ſana viſa ſunt, ſolo jecore nonnihil plus ſolito nigricante, & ventriculo perexiguo, bile porracea intincto: Ubi in Thoracem deventum eſt, ab utraque ejus cavitate inciſa confertim aquæ viroſæ magna effluxit copia, ad ℔iv. mirum quod orthopnœam, vel ſaltem dyſpnœam viventi non invexerit, aut fluctuationem non prodiderit: Pulmones ſyderati inventi ſunt: præterea in eorum ambitu puncta paſſim albeſcentia cernebantur, quæ leviſſimo tactu diſrupta, pus & tabum eructabant: Imo labes vaſa omnia & cavitates puniceo colore affecerat: Pleura muſculiq; intercoſtales virore erant perfuſi, non diaphragma: Sed Pericardium lege vicinitatis erat exſuccum, putrefactum & ſuo humore privatum, cor & cerebrum ſana. *Henricus Rufus obſerv.3. ad L. Riverium.*

Tabes inducta à Tumoribus duris Diaphragmatis radici infixis.

Tumores duros diaphragmatis radici infixos nonnunquam deprehendi, qui ſenſim Tabe laborantes conſumpſerunt citra ullam delirii ſpeciem. *Fernelius Pathologia lib.5. cap.11.*

E Phthiſicis ij ſunt reſtituti, quibus vel callus in Pulmonibus contractus, vel agglutinata eſt cum pleura pars exulcerata.

Quibus Pulmo exulcerationem paſſus eſt, poſtea vel medicamentorum ope, & præſertim longo lactis uſu, callum contrahit, ut non raro fieri ſolet, & à Galeno confirmatum fuit: Vel quod veriſimilius, pars pulmonis exulcerata ita coaleſcit cum membrana pleura, ut agglutinentur Pulmones ipſiſmet coſtis; prout alias obſervatum ab authoribus, ipſe oculata fide in aliis teſtari poſſum, cadaveribus diſſectis: hoc enim in caſu ſanies non apparet, ceſſat febris, inſtauratur caro, vires convaleſcunt, durat tamen tuſſis, adeſt aliqua ſpirandi difficultas, eaque major quando uſus augetur, vel ab exercitio vehementi aut valida inſpiratione: imo tunc intercipitur etiam motus tuſſi excitatus, velut ſi ſingultus ſuperveniret. *Ben. Silvaticus conſult.41. cent.2.*

Phthiſici cito ſuccumbunt, ſi Pulmones pleuræ adnaſcuntur.

Extremos egere dies omnes pene Phthiſici quibus lobi alicujus advenerit adnaſcentia: Quibus vero pulmonis univerſim fere pleuræ accreverint, ut in pleriſque, citius occubuere: Quod ex morbi collata perennitate, & ex diſſectis hujus generis ſtrage peſſundatis dilucidatur. *Bennettus Theatri Tabid. Exerc.16.*

Puris ſputum Phthiſeos pathognomonicum non ſemper eſt ſignum, Nec ulcus pulmonum ſemper ſequitur.

Puris ſputum Phthiſeos non ſemper pathognomonicum eſt: Nota mihi eſt Matrona quæ ſingulis Menſibus ſemel puris ſputo laborat, adeo ut ſæpiſſime ad libras tres puris fœtidiſſimi rejiciat; bene interim ſe habet, & formoſa eſt, neq; etiam tuſſi vexatur, niſi quando periodicum hoc imminet puris ſputum, menſes tamen parce fluunt: Judicent nunc Eruditi an ſemper puris ſputum ſignum Phthiſeos pathognomonicum exiſtat: Ego ſane in ea ſum ſententia ulcus pulmonis tabem non eſſe, niſi longo temporis tractu degeneraverit vel in vomicam vel in empyema: Inſpectio variorum hoc morbo mortuorum & diſſectorum cadaverum aliud me docuit: Vide Hippocratem lib. de Nat hum. de iis qui purulenta expuunt ſine febre, Quam excretionem familiarem ait eſſe iis qui multum ſanguinem congerunt, & ſtato tempore non excludunt. *Albardus Hermannus Cummius in miſcell. cur. anni 1670. obſ.94.*

Inſigne Pulmonis ulcus citra dolorem & tuſſim.

Anno 1533. quendam ſecui, & in ſubſtantia Pulmonis, in parte ſiniſtra, ulcus magnum concavum & putridum, ad quantitatem multo majorem quam ſit dimidia pars corticis unius ovi gallinacei cum ſua profunditate, in qua cavitate fuit ſanies multa & prava, deprehendi, cum tamen iſte, quem bene novi, nunquam conqueſtus ſit de aliquo dolore, neque tuſſiverit: *Nic. Maſſa in Introduct. Anat. fol.57.*

Pulmones citra inſignem doloris ſenſum dimidia parte fere conſumpti.

Ulcera Pulmonum ab erodentibus humoribus inducta, ſine dolore exiſtunt, licet externa tunica etiam erodatur, quod publice in theatro anatomico oſtendimus annis 1660. & 1663. in duobus corporibus, quibus adeo ulceroſi erant pulmones ut vix dimidium viſceris ſupereſſet, qui tamen homines de nullo inſigni pulmonis dolore unquam conqueſti fuerunt, Illud ipſum quoq; in plurimis aliis à nobis demonſtratum, & in Phthiſicis quotidie conſpicuum eſt, in quibus

non ſolum interiorem ſubſtantiam, ſed frequenter etiam exteriorem pulmonis membranam, ſine eximio dolore exulcerari per autopſiam & experientiam novimus, Adhæc vulnera pulmonem tranſeuntia, etſi membrana ſit perfoſſa, ſunt tamen ſine eximio pectoris dolore, & quicunq; in iis adeſt dolor, illum duntaxat in pleura & muſculis perſentiunt ægri. *Diemerbroek Anat. l.2.*

In Phthiſicis quibuſdam ex ſanguinis ſputo, Pulmones poſt inflammationem ſcirrhoſam duritiem contrahunt.

Mulier quædam ex copioſo ſanguinis ſputo à Pulmone regurgitante, diutiuſque affluente, tandem in Phthiſin lapſa eſt, tabeſcens & pus graviter olens copioſum expuens, cum ponderis cujuſdam ſenſu in parte dextra, difficilique ſuper ſiniſtram decubitu : id quod in dextra thoracis vomica pus acervari ſignificabat, pulmoniſque dextram partem affectam, ut cujus non fracta modo vena fuerit; ſed inflammationis deinceps concitatæ ſuppuratio facta ſit, ac tandem quædam in ſcirrhum converſio, Ut ſæpe talem Pulmonis, ob infarctum pus, duritiem, in Xenodochiis per anatomem obſervavimus. *Ingraſſias in conſilio pro Fiſtula Pectoris.*

Phthiſici ventriculorum cordis oſtia à carnea concreſcentia pene obturata fuere reperta.

In quodam Oxonii Tabe extincto, & paulo ante obitum leipothymia frequenter obnoxio, obſervavi dextri ventriculi oſtium uſque adeo à carnea concretione obturatum, eamque tam arctè inter fibras tricuſpides impactam fuiſſe, ut pennæ anſerinæ aditus in ventriculum pro influxu ſanguinis vix reſtaret. Quin & ſiniſter ventriculus pari fere modo obturatus fuit, ut ægre oſtium cordis recludi digitis potuerit. *Richardus Lovver Tract. de corde cap.2. p. m. 136.*

In Phthiſici Cerebro, cladis authoris credo, nihil vitii deprehenſum eſt.

Nuper hominis Phthiſico morbo defuncti corpus incidebatur. Ego author eram ut caput quoque aperiretur, cum ad unum omnes qui huic lectioni intererant, perſuaſiſſimum haberent morbum illum ex diuturnis cerebri deſtillationibus contractum fuiſſe; Ego oculis ſtatim ad Infundibulum, ſubmoto cerebro, transferebam, Sed hoc erat mundum aſpectu, nec ſtilla quidem ibi plenior hærebat. In ventriculis quidem plus aquæ, quam naturaliter debet, inerat, nec guttula humoris exſtillabat oppreſſione Glandulæ Pituitariæ. *C. V. Schneiderus l.2. de Catarrhis c.15.*

Tabes obſtructione venæ cavæ prope cor.

In cadaver Phthiſici Lugduni obſervavit *Lazarus Meyſſonerius*, Medicus Lugdunenſis percelebris, venam tantum cavam prope cor obſtructam. Hinc acutus ille vir Phthiſin ab ureteribus & renibus deduxit, quam in ſe ſolis curavit diureticis, ut decocto hyperici, &c. Non ſaccharo, quod credit diſſolvere potius ſal pulmonum illorumque unionem. *Thomas Bartholinus centur.7. hiſtor.35.*

Hectico-Phthiſica Febris, una cum Putrida. Conſultationes, & cadaveris inſpectio.

Conſultatio I.

Ex relatis & obſervatis, ego quoque cum Viris Excellentiſſimis colligere poſſum, non unico, ſed multiplici affectu Nobiliſſimam Juvenem conflictari; quorum alii antiquiores, alii recentiores exiſtunt: Antiquiores ſunt capitis catarrhalis deſtillatio ad partes inferiores, & ad pectus potiſſimum decumbens, eaque utplurimum tenuis & ſalſa tuſſim excitans; præterea cruenta expuitio ſive excreatio, præcedente capitis gravedine & ſuccedente levi & exigua narium hæmorrhagia, hæcque præſertim in gemina Uteri geſtatione præterita; antiqua quoque & plurium annorum eſt hypochondriaca affectio, cui melancholica quoque aſſociatur. Recentiores autem ſunt febres quædam quibus Nobiliſſima Juvenis puerpera, tribus abhinc menſibus corripi cœpit, quarum altera periodos quidem, ſed prorſus inordinatas habet, ita ut erratica à Medicis aſſiſtentibus judicata & nuncupata fuerit, quæ cum ſudore univerſali copioſo ſemper terminari conſuevit; altera vero febricula quædam eſt, modo major, modo minor, quæ tamen continua & exigua obſervata fuit; quibus utriſque ſucceſſit totius corporis inſolita macies, quæ modo evidens & conſiderabilis facta eſt.

Si de primo affectu ſermo ſit, capitis jam dictam copioſam deſtillationem ab ejuſdem calida & humida intemperie quam à nativitate ſortitum fuit, provenire cenſendum, ita ut eſſentialiter afficiatur, ut propterea copioſis capillis ornatum & excrementis abundans ſemper fuerit, quorum portio major in præſens ad fauces, & per œſophagum ad ventriculum defertur, minor vero ad guttur per aſperam arteriam in pulmones deſcendit, & expultricem facultatem irritando, tuſſim excitat, Et quia præter capitis calidam intemperiem, à calido jecore & ferviſſimo corde ſanguis calidus atque bilioſus producitur, hinc fit ut per venam cavam ad cor perveniens, & à corde per venam arterioſam in pulmones ingreſſus, per arteriam vero venoſam egreſſus, per carotidas ad caput elatus & ab iiſdem transfuſus, acri & ſeroſa ſui portione à venis jugularibus non reaſſumatur, quæ in ſpatiis manens catarrhali materiæ immiſceatur, ſicque ſalſa & tenuior fiat.

Quoniam vero ſanguinem vitioſum & parum ad nutritionem idoneum facile Natura dimittit, idcirco utpote acris & mordax orificia vaſorum irritando, haud difficile aperit, ſicque narium hæmorrhagiam efficit, atque eodem tempore affatim ad caput accurrens, in cerebro extra vaſa effuſus, inde ad guttur & gulam defluens, ad pulmones nonnunquam ſeſe inſinuat, nonnunquam ad ventriculum deſcendit, ut ideo inde ſequatur vel ſolo ſcreatu, vel levi tuſſi ejuſdem ſanguinis excreatio, aut per vomitum eductio, idque præſertim in actuali graviditatione, dum dixit Hippocrates, quod Menſtruis deficientibus, ſanguis facile è naribus profluat, & ſit bonum. Rem autem ita ſe habere ſperari poteſt, cum nec per anaſtomoſin, minuſque per

diæreſin à pulmonibus rejici fidem nobis facere videantur præcedens capitis gravitas, ſubſequens narium hæmorrhagia & ſanguis ipſe, qui ſtatim ejectus, grumoſus, non autem fluidus conſpicitur, & ſolo ſcreatu, aut levi tuſſicula rejicitur, nec poſtea ſputa cruenta cernuntur: præterquam quod à capite deſcendere confirmat vomitus, dum eodem modo quo in aſperam arteriam introducitur, per œſophagum in Ventriculum quoque defluit. Quare ſi res ita ſe haberet, ut ſummum Deum precor, Hæmoptoicam adhuc non eſſe Nobiliſſimam Juvenem ſperari poſſe videretur.

Affectus tertius antiquus eſt hypochondriaca affectio, quæ paulo poſt pubertatem Nobiliſſimam Juvenem infeſtare cœpit, excedentis caliditatis tum jecoris, tum cordis indicium, à qua privative læſo ventriculo cruditates productæ fuere, quæ in vaſis tum meſaraicis, tum lacteis ſtagnantes, exiccatæ hypochondriacum affectum conſtituerunt, cui progreſſum melancholicus quoque ſucceſſit à craſſiori ſanguine, tum in meſaraicis venis firmato, tum maxime in pancreate: non enim melancholica poſſunt cordi & cerebro accidentia contingere, niſi prius vitiatus fuerit ipſe ſanguis, ſi Ariſtoteli & Hippocrati credimus. Hinc ab hypochondriaca affectione tanquam ab Equo Trojano, plurima alia mala procedere ſolent, ut in caſu noſtro, dum non parum adauctis obſtructionibus, addita liberaliori vivendi ratione, juges cruditates ad totius corporis venas tranſmiſſæ ſanguinem inquinarunt, qui circulando & earumdem portionem in capite deponendo, catarrhalem deſtillationem adauxit, capite nimirum primò idiopathice, mox vero ſympathice quoque ab hypochondriis & à toto venoſo genere, affecto.

Quapropter copioſior & fœcundior facta capitis in ventriculum catarrhalis deſtillatio, & cruditatum quotidiana reproductio, non ſolum obſtructiones adauctæ fuere, verum & febris ab iiſdem acervatis excitata, dum effervescentiam, indeque fermentationem & putredinem concipiunt, febremque accendunt quæ inordinatas periodos ſervat, prout citius vel tardius, pluribus aut paucioribus diebus nova colligitur cruditatum quantitas ad febrem excitandam ſufficiens: ut propterea putrida quidem, at non humoralis appellari debeat, erratico modo invadens, non autem ex ſui natura proprie erratica exiſtens. Et quoniam hujuſmodi materia peccans inſenſibiliter digeri, aut ex toto diſſolvi nequit, idcirco à calore febrili attenuata & ad jecur tranſmiſſa, ab ejuſdem calore fuſa atque liquata ad venas univerſi transfunditur: & per arteriolas ad ambitum totius corporis delata per ſudorem univerſalem expellitur, ſicque febris acceſſio particularis critice ſolvitur, non autem Morbus totus univerſalis, ſuperſtite manente cauſa. Et quamvis univerſum corpus toto hoc Morbi decurſu quotidie magis emacietur, id tamen non ab humorum colliquatione, minuſque ſolidarum partium provenire putandum, ita ut ſudor ipſe diaphoreticus, five ſyncopticus dici poſſit, quoniam ſequutum ſudorem nulla conſequitur virium imbecillitas: imo ſenſibili gaudet levamine Nobiliſſima Juvenis; nec in urinis pinguis ulla aut oleoſa ſubſtantia ſupernatare conſpicitur, colliquationis humorum & ſolidorum perpetuum indicium.

Nec deeſt alia cauſa maciei, læſio nimirum viſcerum naturalium quæ coctionibus celebrandis à Natura deſtinata fuere, ventriculi nimirum imbecillitas à jecoris fervore non parum adaucta, & ejuſdem immodicus calor probo ſanguini producendo improportionatus: ut ideo mirum non ſit, ſi principiis coctionis, diſtributionis atque nutritionis male affectis, etiam ſequatur totius corporis Atrophia: exiccata namque viſcera naturalia ad nutriendum totum corpus parum idonea eſſe docet Galenus, dictat ipſa ratio.

Quoniam vero evaneſcente febre jam dicta putrida, remanet tamen multo abhinc tempore febricula, ita ut Nobiliſſima Juvenis nunquam immunis ex toto à febre obſervari potuerit, hinc dubium reſtat, num fixa & habitualis ſimpliciter, an fixa & phthiſica ſimul eſſe poſſit, ſicut de minera quoque ejuſdem dubitatum fuit, quæ ſi non in partibus ſpiritalibus inveniatur, in naturalibus quærenda erit: & ſi ſpiritales partes examinemus, dummodo ſanguis per diæreſin non fuerit rejectus, ut ſperari poteſt, quoniam pus in ſputis nondum obſervatur, quod tanto tempore obſervari debuiſſet, cum à ſanguinis ſputo, puris ſputum paulo poſt ſequi ſoleat, ideo ab ulcere febricula provenire minime deberet: multo minus à pulmonum fraciditate, quæ nonniſi longo tempore introducitur, ob præſentiam copioſæ catarrhalis materiæ corruptæ & putrefactæ, quæ pariter in ſputis non conſpicitur, cum materia catarrhalis ſibi ipſi cohæreat, tenax & viſcida ſit, nullo modo fracida, minus male olens, nec pravis variegata coloribus. Quare excluſis duabus hiſce Phthiſis ſpeciebus ab Hipp. & Gal. receptis atque aſſignatis, tertiam aliam Phthiſis ſpeciem, hujus Regionis endemicam propoſuerunt Doctiſſimi Viri, nimirum ab intemperie pulmonum procedentem, ob quam ſanguis nutriendis pulmonibus deſtinatus, à calore nativo eorumdem non actuetur, nec in propriam ſubſtantiam convertatur, ſed in cruditates converſus atque corruptus, febriculæ continuæ ſit author. Et licet de hac tertia ſpecie mentionem non fecerint Hippocrates, minuſque Galenus, ſed tantum cauſam, ſpeciem ſecundam, flacciditatem nimirum & fraciditatem excitantem attigerint, hanc tamen & ego reciperem, ſi ratio mihi perſuadere valeret: non enim juravi in Dogmata Hippocratis & Galeni, quia Hippocratis & Galeni ſunt, ſed quoniam rationi conſona ſunt: cum igitur ſanguis iſte crudus à pulmonibus ob propriam intemperiem acquiſitam non actuatus, debeat neceſſario contineri vel in vaſis, vel in ſpatiis ipſius pulmonis, quia in neutro loco hunc invenire ſcio, idcirco hanc tertiam ſpeciem ut febriculæ mineram rejicere cogor: etenim ſi in ſpatiis reperiretur, putridus, diffluens & male olens in ſputis obſervaretur: ſi in vaſis putreſceret, utpote cordi proximus, febres acutas pravis ſymptomatibus comitatas accenderet.

Quare his ita conſideratis, febriculam ab aliquo putredinis foco in abdomine contento provenire & conſervari dicendum, quales Fer-

nelius hypochondriacas, ut à viſcerum naturalium obſtructionibus procedentes, appellare ſolebat: nonnunquam intenſiores cum alicujus viſceris corruptione: nonnunquam mitiores à ſolis obſtructionibus citra viſceris corruptionem, ut credi poteſt in caſu noſtro, cum pulſus apyrexiæ proximus obſervatus fuerit. Quod ſi minerâ careat febricula iſta fixa, etiam habitualis eſſe poſſet citra ullam pulmonis læſionem: cum enim fieri ſoleat ex humidi ſubſtantifici & alimentalis defectu, quia jam multo tempore à ſiccitate affectis viſceribus naturalibus, ut dictum fuit, debito alimento corpus univerſum defraudatur, difficilis non fuiſſet humidi ſubſtantifici decoctio & ſiccitas introducta, indeque Atrophia, quæ alterius febris occaſione in jecoris & cordis fervido temperamento facile in febrem habitualem abſque ulla alia dependentia migrare poſſet. Cujus certam & infallibilem notitiam quoniam non habemus, ideo indicationes utramque cauſam reſpicientes proponimus explendas, quæ humectando & aperiendo, obſtructiones reſpiciant: ſubſtantifice verò humectando, viſcera jam exiccata reſtaurent, & totius corporis roridas humiditates reficiant, dum iiſdem alimentalibus Medicamentis ſanguinis acrimonia & aciditas emendari atque edulcorari poterunt. His autem intentionibus ubi (Deo dante) ſatisfactum fuerit, iter paratum erit pro humida capitis intemperie corrigenda, atque pulmonibus exiccandis & roborandis.

Interim quoniam in affectibus adeo diuturnis, complicatis & difficilis cognitionis, obſervationibus hucuſque à me, licet accurate factis prorſus non fido, ideo Prognoſin de futuro eventu ſuſpendere mihi liceat: dubium enim atque timorem incutit mihi ſanguis non ſemel per os excretus, & conſequenter febricula ipſa, cum Nobiliſſimæ Juvenis temperamentum & jecoris, & cordis valde fervidum, ſanguinis acrimonia & aciditas, aliqua corporis non ex toto proba conformatio, ætas inter decimum octavum & trigeſimum quintum annum, ſalſa capitis deſtillatio cum tuſſicula, timoris occaſionem præbeant: ſiquidem ſi per diæreſin è pulmonibus ſanguis prodiiſſet, deplorata ſalus eſſet, dictante Gal. quod Ubi vas in pulmone corroſum fuerit, niſi ſtatim glutinatum ſit, antequam phlegmon excitetur, ſcire aperte licet, id poſtea inſanabile fore. Præſcribit vero tempus quo curari debet equidem anguſtiſſimum, dicens: Qui ſeſe prima die mihi curandos propoſuerunt, omnes ſanavi, qui ſecunda die, non omnes, qui vero tertia, ita ut febricula febricitarent, nullum vidi in totum ſanatum; ſed callo obducto, longiorem vitam produxerunt; Quibus addi poteſt, quam viguerit ſuſpicio hæc etiam apud Hipp. dum pronunciavit, quod Sanguis quidem ſupra, qualiſcunque fuerit, ſemper malus; Quibus Doctrinis addo, me non ſemel obſervaſſe, ſanguinem ſimul & à capite per nares deſcendiſſe, & à pulmonibus erupiſſe, ut propterea cum ſemper & multoties deceptivam loci & modi difficillimam diſtinctionem obſervaverim, ut & Trallianus & Paul. & ipſe Gal. ideo non me pudet ambigere & obſervare, dum interim hæſitatio hujuſmodi nullum Nobiliſſimæ Juveni præjudicium afferre poteſt. Spem autem ſalutis (quæ modo in anguſto poſita eſt) addere & augere poterunt, non repetita ſanguinis per os excretio; ſputa per tuſſim ejicienda non deterioris conditionis; febris, erraticæ ſaltem, proxima ablatio; & aliqua totius corporis reſtauratio, qua cederet quoque exigua febricula: dum interim hypochondriacis affectibus proſpiciemus.

Indicationibus itaque implendis diligenter incumbendum: Prognoſis enim neque curat, neque ſanat.

Et primò à fonte Chirurgico nulla in præſens eſt depromenda ſanguinis miſſio, niſi quid aliud emergat (quod Deus avertat) miſſionem ſanguinis indicans. Cauterium in brachio ſiniſtro opportunum fuiſſet, & eſſet pro divertenda à pulmonibus catarrhali materia; Verum quoniam expletis indicationibus jam propoſitis, ad humidam capitis intemperiem corrigendam & mali fontem exiccandum deveniri poterit; idcirco ejuſdem fonticuli inuſtio differtur. Et quamvis pro hypochondriorum & totius corporis humectatione, ut remedium externum principem locum teneat Balneum tepidum aquæ dulcis, attamen quoniam tempus hybernum reclamat, nec à ſudoribus admittitur, ideo ſubſtituenda erit inunctio univerſalis oleo amygdalino recenti, & fomenta tepida, humectantia & emollientia univerſo abdomini apponenda. Reliqua vero remedia à fonte Pharmaceutico deſumenda; & inter Evacuantia. Purgantia tanquam Peſtis fugienda: quinimo neque mitiora lenientia potulenta conveniunt, quoniam cum ex iis evacuatio affatim & confertim ſequatur, ſpiritus reſolvendo, vires enervant, nec celeri tranſitu humectationem abdomini inferre poſſunt, ſicut Caſſia, quæ & humectandi & evacuandi facultatem obtinet. Secundo loco; Alterantia exiccatos humores emollire, & viſcera naturalia atque totum corpus ſubſtantifice humectare debent: quæ omnia præſtare poſſet lac aſininum, quod tamen anni tempus incongruum non admittit, ſed præterea à copia catarrhi prohibetur: ut ideo Hipp. Lac dare caput dolentibus, malum eſſe dixerit, necnon febricitantibus: & Galenus, per caput dolentes, catarrhalem deſtillationem patientes, cum eodem Hipp. intellexerit; ſicut per febricitantes, febre putrida non exigua detentos. Idcirco lac arte factum erit ſubſtituendum, ex ſeminibus melonum, cucurbitæ & anguriæ, amygdalis additis & Emulſionem extrahendo in jure carnis, addito ſacchari pulvere, manè quatuor horis ante cibum tertio quoque die præbendam. Diebus vero intermediis Præparantia ſunt offerenda, quæ refrigerare, emollire, caute reſerare, & etiam quodammodo humores aduſtos & exiccatos abluere & educere valeant; quæ omnia commode & ſine virium jactura præſtare poterit flos Caſſiæ ad ℥. ii. cum gr. viii. aut x. ſalis prunellæ, ſuperbibendo ſeri aſinini, ſi haberi poſſit, optime depurati, libram, tribus vero, aut quatuor horis ab epoto ſero offeratur prandium. Sequenti autem die repetatur Emulſio; ita alternatim perſeverando ad quindecim ſaltem dies; niſi aliquid aliud obſtet. Quibus proficientibus, ad ulteriora aperientia & educentia deveniri poterit, addendo Caſſiæ rhababarum maturum ad gr. xv. uſque ad xx.

ſero depurato ſuperepoto. Hoc procedendi modo, erraticis febribus cauſam detrahi poſſe ſperandum, & interim niſi lateat in pulmonibus anguis, nempe diæreſis, febriculam quoque penitus tolli poſſe cenſendum, toto nimirum renutrito, & remiſſa quodammodo hypochondriaca affectione, quam pulſibus alterationem frequenter afferre minime dubitandum. Nec de ſudore ſiſtendo ſoliciti eſſe debemus, cum calore colliquante, tanquam cauſa efficiente, remiſſo, & cruditatibus tanquam cauſa materiali per alvum ſubductis, ſudoribus occaſionem detrahendam eſſe credam, cum interea inunctiones ex ol. propoſitæ ſatis cutem denſent atque obſtruant.

Dum jam dicta omnia executioni mandantur, ut unum faciamus, & alterum omnino non omittamus; catarrhali quoque diſtillationi aliquo modo proſpiciendum eſt uſu radicis Chinæ, in edulis omnibus ebullitæ, quæ ſicut humiditates excrementitias abſumit, ita alimentales conſervat & auget propter analogicam ſympathiam quam cum humano corpore ſervare jam diu obſervatum fuit. Nec unquam omittenda materiæ catarrhalis à pulmonibus nocturna interceptio, & eorumdem roboratio ſublingualibus medicamentis, qualia eſſe poterunt, ex bolo Armena Orientali parata, ut Confectiones vel ex diacodio, vel ex tragacantho frigido cum bolo. Ita neque Expectorantia aliqua negligenda, & eſſe poſſent julapium violaceum, ſyrupus de ibiſco cum modico julapio acetoſo; leviora namque hujuſmodi in præſens ſufficient.

Quibus omnibus congrua & cauta vivendi ratio erit addenda; Et primò, aër cubiculi ſit temperatus, cum dicat Hipp. Deſtillationes à capite fieri, valde excalefacta, vel valde perfrigerata carne: nec ullo modo exceſſus ad caliditatem pendere debet, cum alibi doceat; Fluxiones fieri, quando cerebrum ipſum de ſeipſo multum liquefecerit, Aëris autem & loci in meliorem mutatio Nobiliſſimæ Juveni convaleſcenti, hanc exoptanti non parum prodeſſe poſſet, malo remiſſo. Secundò, Circa alimentorum uſum, qualitas, quantitas & tempus obſervanda erunt; & quantitas tanta eſſe debet, quæ non ſolum vires præſentes & totius corporis habitum conſervare, ſed nonnihil etiam augere poſſit: quam cum ægre affatim tolerare valeat viſcerum naturalium imbecillitas, ideo partitis vicibus nutriendum erit, juxta Hipp. & Galeni decretum: Et quibus ſemel aut bis, & pluране an pauciora offerre oporteat conſiderandum. Condonandum autem aliquid Regioni, conſuetudini &c. Quoad qualitatem, Alimenta debent eſſe facilis coctionis & diſtributionis, pauci que excrementi ſubſtantifice humectantia: & ideo cum ex Hipp. facilius ſit impleri potu quam cibo, potulenta potius, quam ſolida exhibenda. Tempus requirit debitum ſpatium, ut novum non ingeratur alimentum, niſi antea exhibitum, concoctum atque diſtributum fuerit, evitando, quantum fieri poteſt, acceſſionum principia, in quibus tamen aliquando nonnihil etiam nutrire licet, ne magis magiſque corpus abſumatur, cum è duobus malis minus ſemper ſit eligendum. Pro potu conſueto, ſtillatum è carnibus refrigerantibus & humectantibus herbis alteratum, opportunum erit, cui ſi immiſceatur tertia aut quarta pars vini, facilius hoc mediante vehiculo diſtribui poterit, ſicut etiam aliqua ſacchari portio permitti poteſt. Tertiò Somnus, nocturnus, diuturnus, ſibi conſuetus omnino permittendus, imo procurandus: ſomnus enim concoquit, vigiliæ digerunt. Quarto Quies bilioſis atque gracilibus quam maxime convenit; quare etiam ſi dimoveri poſſet Nobiliſſima Juvenis, non ſine detrimento exerceretur, cum exercitium corpus exiccet. Quintò Evacuatio quotidiana per alvum conſervanda, & arte, ſi opus fuerit, ſollicitanda. Tandem animi pathemata ſunt ablegаnda, & præſertim ira & animi applicationes ad negotia, cum illa nil aliud ſit quam accenſio ſanguinis circa cor, quare & circa pulmones: iſtæ vero ſint cruditatum, indéque malorum origines: ut propterea Plato aſſeruerit morbos omnes ab animo procedere poſſe. Et hæc ſunt quæ circa ſtatum Nobiliſſimæ Juvenis complicatum atque difficultatibus refertum imbecillitas mea adducere poſſit. Faxit Deus Omnipotens, ut pro voto melior nobis innoteſcat atque evadat, ſicut ex corde enixe precor.

Conſultatio. II.

Anceps judicium de ſtatu Nobiliſſimæ Mulieris, quod oretenus in prima, deinde in præſcripta Conſultatione in medium adduxi, obſervationibus à me factis, in dies certius factum, ſicut mihi viam aperit ad cognitionem malorum eandem Nobiliſſimam Mulierem pluribus abhinc annis & menſibus affligentium, ita cum intenſiſſimo animi mei mœrore de ſalute non parum dubitandi anſam confirmat: ſiquidem febricula quam unanimes omnes hecticam exiſtimavimus, ab alimenti defectu ob naturalium viſcerum dyſcraſiam, ſiccitatem & obſtructiones provenire quidem potuit: verum præteritis & ſubſequentibus omnibus examinatis, de hac non ſimpliciter hecticá, ſed hectico-phthiſica, ſuſpicandi occaſio non levis mihi data eſt, quæ cum non ex pulmonum fraciditate hucuſque provenire poſſit, ab eorumdem ulcere procedere neceſſario ſtatuendum: namque ſi modo à fraciditate penderet, catarrhalis materia quæ tuſſi excernitur, non ſolum putrilaginoſa & fracida eſſet, ſed coloribus variegata, flavo, viridi, & quod magis eſt, etiam cruento; dum à fracidis pulmonibus ſeroſa per diapedeſin prodire ſolet cruenta humiditas, catarrhalem materiam eodem colore inficiens: præterquam quod hujuſmodi pulmonum laxitas & fraciditas ſenili ætati pulmones laxos habenti, non ſic juvenili, niſi longo tractu temporis, propria & familiaris eſſe ſolet. Nec ab hac Phthiſi immunes nos reddere valent rationes in præterita Conſultatione adductæ, dum obſervavi ſanguinem à labiorum tuberculo, dentibus dirupto emanantem illico concreviſſe: pus vero quod ſecuta diæreſi ulcus ſubſequi ſolet, cum adhuc exiguum ſit, copioſa vero catarrhalis materia continuo à capite in pulmones præcipitans, cum eadem confunditur, & adeo obſcuratur, ut nequeat diſcerni: ſicut diæreſis præſentiam confirmare ſolent, prægreſſa diuturna fal-

fa

ſa tenuis à capite deſtillatio : temperamentum capitis ejuſdem valde calidum & humidum, & per conſequens magnopere excrementoſum : prava ſcapularum & colli conformatio : ſtatura procera & habitus potius ad gracilitatem tendens cum fervidiſſimo jecoris, cordis, & totius ſanguinis calore : atque tandem ætas inter decimum octavum & trigeſimum quintum annum huic primæ legitimæ Phthiſi valde obnoxia : quibus omnibus addendum, quod hectica febris refrigerantibus & ſubſtantifice humectantibus hucuſque adhibitis, minime ceſſerit : & addere quoque licet difficilem in dextrum latus decubitum, ſiniſtri affecti pulmonis indicium. Quare cum Hippocrate eſſet præſagiendum, quod A ſanguinis ſputo, puris ſputum, à puris ſputo Phthiſis & Tabes ; cum vero ſputum detinetur, moriuntur ; quod à caſu noſtro Omnipotens Deus avertat.

Quoniam vero hecticam febrem ſimplicem primis tribus diebus incepiſſe cenſendum, & inde roridæ humiditatis & cambii conſumptione augmentum ſuſcepiſſe, ita mirum non ſit, ſi multis abhinc diebus ſecundum gradum attigerit, dum evidens apparet in pulſibus alteratio, & in toto incaleſcentia duabus horis ab aſſumpto alimento, quæ præſertim in genis obſervatur, propter facilem pulmonum cum genis conſenſum. Incaleſcentia autem hujuſmodi, ſicuti in primo gradu, aut non fit, aut vix obſervabilis eſt, quoniam tanta ſiccitas in membris non eſt, quæ ab appoſita alimentali humiditate fermentari poſſit, ita nec in gradu tertio in quo nimia ſiccitas humiditatem ſubſtantificam non amplius recipit, ut Lucernæ ellychnium exuſtum non amplius oleum recipere poteſt. In ſecundo vero gradu, quia abeſt utraque dicta conditio, recipitur humiditas à partibus ſolidis ſemiexiccatis, qua receptione alterantur & incaleſcunt. Verum tamen eſt quod ſecundus iſte gradus non exiguam latitudinem habet, antequam perveniat ad torridum Maraſmum & tabem ipſam quam non parum ſolicitat putrida complicata febris : ut propterea jubeat Galenus, putridam primò auferendam, quia hecticam fovet : quæ quidem febris putrida erratico modo invadit, quoniam non unicus humor, ſed plures concurrunt ad ipſam, potiſſimum vero acidus, deinde pituitoſus cum aliqua exigua bilis portione, & ideo acidi frequenter, vel inſipidi & nonnunquam amari ſuccedunt vomitus, & eorundem humorum per alvum evacuatio; quorum perennem proventum, non ſolum à viſcerum naturalium intemperie & obſtructionibus, verum & ab ulteriori alicujus viſceris Ferneliana labe procedere poſſe ſignificat ejuſdem febris contumacia, adeo ut maligna ratione reſiſtentiæ cum Gal. appellari poſſit, utpote quæ non ſolum à prava humorum qualitate, ſed etiam à parte læſa, curatu difficili neceſſario dependeat.

Horum affectuum eventum in pectore hucuſque detinui, quoniam felicem nunquam pronunciare potui, & idcirco curativas intenſiones ſtatim propoſui, ac ſi Nobiliſſ. Mulier convalitura eſſet, cum nos Medici, non autem Prophetæ ſimus : ut proprerea etiam Hippocrates ipſe monuerit, quod Multi præter ſpem ſanati ſunt. Interim ſicut Ægros curare ; ita Aſſiſtentes incolumes ſervare tenemur ; Et quia affectus ipſe ex ſui natura communicabilis eſt & contagioſus, præſertim ultro progreſſus, idcirco Domeſticos de hoc monere debeo, ut ſaltem proximam inſpirationem evitent, cum Galenus etiam in febribus ſimpliciter putridis, non contagioſis dixerit, converſationem cum putridum aërem expirantibus tutam non eſſe.

Indicationes autem fuere, refrigerantibus, humectantibus & evacuantibus putridæ febri proſpicere : humectantibus & leviter aperientibus, obſtructionibus tum Meſenterii, tum Uteri incumbere : ſubſtantifice humectantibus & modice refrigerantibus hecticam & totius corporis maciem reſpicere : atque tandem exiccantibus & modice calefacientibus humidam capitis intemperiem corrigere, ulcus exiccare & pulmones roborare. Quæ medicæ indicationes quoniam inter ſe contrariæ & contraindicantes ſunt, idcirco urgentioribus prius in ordine incumbendum eſſe docet Galenus. Febres igitur cum magis urgeant, una cum macie totius corporis, refrigerantium & humectantium prius, deinde caput & pulmones exiccantium uſum expoſtulant.

Quibus intentionibus ut ſatisfacere tentemus, cum Menſtrua jam ſuppreſſa ſint, & ſanguis ad ſuperiores partes impetum faciat, ut motu & calore peccans, refrigerationem & ad inferiora revulſionem indicat per venam ſectam in talo, dum putridæ quoque febri, & ejuſdem in Utero cauſæ foventi prodeſſe poterit. Nec ſatis obſtabit ſanguinis inopia, etenim ſi deficeret, ad ſuperiora ut naturæ moleſtus non tranſmitteretur : Larga tamen ſanguinis effuſio inhibetur, quoniam copia non peccat. Et ſi ſanguis eductus, craſſior & exuſtus apparuerit, iterum parca admitti poterit miſſio. Neque hoc remedii genus à gravidationis ſuſpicione inhiberi debet, cum fœtum non adeſſe credamus : & ſi adeſſet, ad nonum uſque menſem geſtarè non poſſe Nobiliſſimam Mulierem certi ſimus. Frictiones & quotidianæ pedum lotiones erunt pariter exercendæ, & Utero fomenta aperientia atque laxantia adminiſtranda. Cauterium ſuſtulimus in brachio inurendum ad divertendam à pectore fluxionem, dum ſperari poterat, propriis remediis, nimirum ſudorifico Decocto caput exiccandum. Verum cum ſpes quotidie ſemper magis evaneſcere videatur, ſi illud Nobiliſſima Mulier libenter admittat, quamvis parum profuturum, inuri poterit.

Ex Pharmaceutice fonte reliqua ſunt depromenda præſidia ; & præter jam in altera Conſultatione adducta, quoniam ingruente putrida febre, quotidie quatuor aut quinque abhinc diebus præcedunt aciditates in abdomine ventriculum petentes una cum oris amarore, ideo Evacuantibus opus eſſe concluſum fuit, deinde refrigerantibus, demulcentibus & edulcorantibus. Quibus omnibus intentionibus ſatisfacere poſſe lac aſininum copioſum ſumptum, nimirum ad heminas, more Hippocratico ; decretum fuit, cum viſcera refrigerare, humectare & renutrire : ſanguinis rejectionem reſpicere, acidoſque & acres humores antequam corrumpatur demulcere ; corruptum vero, tandem

dem ventrem movere & eoſdem educere valeat, quod tamen non unica vice, ſed pluries repeti debet. Inde vero ad deobſtruentia & per epicraſin educentia deveniri poſſe putavi, nempe ad exigui rhabarbari uſum cum caſſia, ut & in altera Conſultatione, ſuperepoto ſero depurato, aut jure carnis, malvis & violis alterato. Mox ad hyſterica aperientia erit deveniendum, quæ tamen nec valde calida, minuſque exiccantia ſint. Uſurpari itaque poterit aqua ſtillat. malvarum, & capill. Ven. cum guttulis ſpirit. tart. alchalizati per plures dies exhibenda. Sed interim una cum carnibus, ranas, cochleas, depuratas & caudas aſtacorum ebulliendas præſcripſimus: ſicut etiam ſtillatum ex jure iiſdem alterato, additis herbis refrigerantibus & humectantibus fuit paratum. Cætera quoque omnia in præterita Conſultatione habita executioni mandanda cenſeo: etenim hectica perſeverante & totius corporis macie progrediente, in ſubſtantifice humectantibus perſiſtendum eſſe, neque exiccantibus ullo modo nos uti debere exiſtimo, ne Nobiliſſimam Mulierem citius ad ultimam perniciem ducamus; & ideo quater in die alimentum reficiens exhibendum putavi: eorum enim quo velociter nutriuntur, veloces quoque fiunt excretiones & reſolutiones.

Quod ſi jam dictis rationi conſentaneis non cederet putrida febris, non deeſſent Medici temeraria quoque Medicamenta uſurpantes, de quibus ego nihil in præſens; ſed potius nova apparente ſanguinis rejectione, de ſiſtentibus adhibendis cogitarem: dum interim ſummum Deum enixe precor, ut præſcripta, Nobiliſſimæ Mulieri ſalutaria reddat, & meipſum hac vice mendacem faciat.

Viſio Cadaveris.

Poſt interitum, mane ſequenti Cadaver diſſectum & à nobis diligentiori quo potuimus modo obſervatum fuit, omiſſo cerebro, non ſolum ad deformitatem evitandam, verum etiam quoniam illud tantum, una cum ſuis membranulis à vaporibus calidis, à pectore elevatis, accenſum fuiſſe omnes ſuppoſuimus, citra quamlibet aliam læſionem eſſentialem, tum quia de capitis dolore nunquam conqueſta fuit, tum quia principales intellectus operationes vegetæ ſemper antea & illæſæ fuerunt. Statim igitur medium ventrem, thoracem ſcil. videre optavimus, quo diſſecto, demptis pulmonibus, in dextera parte duos abſceſſus invenimus, alterum cum folliculo fere ad ovi magnitudinem, ſanioſa materia repletum: alterum ſine folliculo, ſanioſa & ſemipurulenta materia refertum; ſubſtantiæ vero quoad colorem ſubalbidæ, quoad conſiſtentiam, non fracidæ, ſed flaccidæ, non enim adeo facile cultro cedebat. Ulcuſcula tamen, licet obſcura, utpote mucoſitatibus illinita, erant per ſubſtantiam diſperſa, quorum purulenta materia in dextera thoracis parte depoſita inventa fuit. In ſiniſtra parte ſuperiori pulmonis abſceſſum non exiguæ magnitudinis vidimus, pariter ſanioſam & ſubcruentam materiam continentem: partem vero dimidiam inferiorem ejuſdem pulmonis, inflammatam non ſolum, ſed lividam & fere ſphacelatam invenimus; quorum pulmonum cavitates erant adeo catarrho refertæ, ut quoties manu exprimebantur, catarrhalem mucilaginem craſſam ad ſemidigiti longitudinem emiſerint. Cor exiguum & valde exiccatum, trombum ſanguinis nigri, craſſi in ventriculis continens, polypum ab Excellentiſſimis iſtis Medicis appellatum, in extremo vitæ, deficiente calore & ſanguinis motu, concretum atque firmatum, ut alias memini, me Juvenem non ſemel in Cadaveribus obſervaſſe.

Inde ad infimum ventrem devenimus, & viſcera naturalia omnia in eodem contenta bene & naturaliter ſe habere omnes concluſimus, (reſeratis antea à nobis obſtructionibus ipſis) quibuſdam tantum exiguis extuberantiis hæmorrhoidalibus obſervatis. Nec quicquam præter naturam aut ſecundùm naturam in Utero inuentum fuit: ſicut & veſicam & renes ac cætera omnia ab omni labe immunia viſa fuere.

Totius corporis quoque peripheriam conſideravimus, Atrophia quidem & macie affectum, à tabe tamen conſummata multis menſibus diſtare judicavimus, eo quod nondum adipoſa ſubſtantia conſumpta fuerit.

His ita ſe habentibus; ut vere ſe habent, unuſquiſque, vel etiam in Arte non verſatus, facile judicare poterit impoſſibilem fuiſſe vitæ reparationem, & tantæ morboſæ, conſummatæ affectionis Curationem, in parte ad vitam omnino neceſſaria, dum cousque vivimus, quouſque reſpiramus: etenim præter ulcuſcula per pulmonum ſubſtantiam diſperſa, muco illinita, quæ purulentam materiam non per os, ſed ad thoracis cavitatem depoſuerant, abſceſſus quoque plures in ipſis pulmonibus reperti fuerunt, à quibus, & præſertim ab illo in ſumma ſiniſtra parte exiſtente, non per diæreſin, eroſionem ſcil. ſed per diapedeſin, nempe per membranæ rarefactionem, cruor per intervalla tranſudabat, & ſputa cruenta reddebat.

In dimidia vero inferiori parte ejuſdem pulmonis manifeſtiſſimam inflammationem vidimus, quæ ob inſignem calorem, pulmonem ipſum liveſcentem & fere ſphacelatum exiguo tempore reddidit; Cujus inflammationis teſtes fuerunt, rigores inæquales & concuſſiones ſupervenientes, dum ſanguis è vaſis effundebatur, & in ſubſtantiam partis ſentientis transfundebatur. Hanc autem inflammationem facile ſuperventuram in privata relatione manuſcripta prædixi, quæ Tabis & Phthiſis ultimum terminum præſcindere potuerit, eo quod ob affectos pulmones, deficiente ventilatione, neceſſario calorem in pectore quotidie augeri, febres intenſiores fieri, & ita inflammationem ſubſequuturam exiſtimaverim.

Febres vero inordinatas & erratico modo invadentes, non humorales, ſed ſymptomaticas eſſe tandem judicavi, ex labe nimirum alicujus viſceris, quæ labes tandem in pulmonibus reperta eſt, abſceſſus nimirum jam deſcripti, cum tamen ab heterogeneis excrementis febres illas dependiſſe aliqui Medici exiſtimaverint, quorum opinioni in ſecunda Conſultatione aſſentiri non potui: etenim primò à purgantibus medicamentis, nec quidem à lenientibus levamen ullum ſequebatur, quinimo nec unquam tolerari potuerunt; horripilationes frequentes & inæquales in febrium principio, quæ

eve-

eveniebant, ab affluxu humorum ad abſceſſuum loca inæqualiter pervenientium, & abſceſſus ipſos augentium proveniſſe nobis confirmat ipſa autopſia: quæ febres majus ſemper augmentum ſuſceperunt, quo majores abſceſſus facti fuerunt.

Difficilem vero reſpirationem cordiſque ſuffocationem à pulmonum potius, quam cordis læſione pendere revera exiſtimavi, cum propter eorumdem læſionem & catarrhalis materiæ copiam libere dilatari nequiverint, & & propter pondus deorſum ferri ſeptumque comprimere neceſſario debuerint; quæ incommoda multo majora reddebantur ab inventis abſceſſibus. Non negarim tamen ab Utero quoque elevatos vapores ad cor ipſum, oppreſſionem ſeu præfocationem quandam eidem inducere potuiſſe, non quidem à Menſtruis in eodem ſtagnantibus, minuſque à fœtu in eodem corrupto (qui non aderat, quamvis nonnulli de conceptione ſuſpicati fuerint) ſed certe à fervidiori ſemine retento atque corrupto, evaporationes cor infeſtaſſe pro certo habendum, quod moleſtæ quoque titillationes confirmabant. Hecticam autem febrem ultro progreſſam ex habitu corporis & adipe nondum conſumpto, non adhuc tabidam factam eſſe cognovimus. Quare Autopſia ipſa nobis oſtendit primam Phthiſin jam introductam fuiſſe, quam purulenta materia in dexteram thoracis regionem transcolata, non aliunde quam ab ulcuſculis dimiſſa ſat nobis confirmare valet; cujus aliqua portio etiam poſtremis diebus non obſervata, forſan per ſputum excerni potuit. Secunda verò Phthiſis præ foribus erat, nondum ſcil. in pulmonum ſubſtantia fraciditate introducta, nec materia ipſa catarrhali putredinis gradus inſignes adepta. Et hæc eſt vera atque legitima aperti Cadaveris Hiſtoria. *Raym. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medicin. Tom. 2. Cent. 2.*

Viſio Cadaveris variis Capitis & Pulmonum Morbis affecti.

Cum Nobiliſſimæ Matris interitum interitus quoque Infantis filiæ tribus poſt menſibus ſecutus fuerit, non diſſimilibus Morbis atque ſymptomatibus comitatus: idcirco Cadaveris diſſectio juſſa fuit, & relatio à Viris Excellentiſſimis deſcripta, Tibi in Arte conſummatiſſimo tranſmittitur, ut de eadem tuum Judicium proferas. *Vale.*

Cauſa Mortis & Exenteratio Nobiliſſimæ Infantis.

Nobiliſſima Infans undecima Octobris circa matutinam in lucem edita, ætatis novem menſium, temperamenti ſanguineo bilioſi, à Nobiliſſima Parente orta, diuturnis deſtillationibus & mendoſa Phthiſi tandem in legitimam degenerante, obnoxia, cum compluribus pulmonum tuberculis crudis & ſuppuratis, à tertio ſtatim menſe hæreditario quaſi jure iiſdem corripi cœpit ærumnis catarrhalibus; à quo tempore malum in dies eundo incrementum ſumpſerat, cum tuſſi violentiſſima, reſpiratione per intervalla ſtertoroſa, vomitu materiæ viſcidiſſimæ, febricula lenta ad veſperam exacerbata, ſudore capitis enormi ſine ulla euphoria, corpore in dies magis contabeſcente: fruſtra excavato fonticulo in nucha, erumpentibus paſſim per totam dorſi regionem furunculis, quorum nonnulli ſuppurati, tabo exeunte pravæ notæ amurcoſo. Hinc alterum quoque in brachio ſiniſtro ſubjunctum eſt Emiſſarium, uberius quidem priore manans, verum & ipſum inſufficiens, perenni quidem huic deſtillationi à toto & viſceribus, coæva labe, ac per conſequens inemendabili, inducias dedit, ſed Mali radicem evellere non potuit; quin pedetentim tono pulmonum magis flacceſcente, & everſo ſubſtantifico eorundem temperamento, tuberculis compluribus inibi obortis, congeſtione ac defluxione, cum infarctu inexpugnabili invaleſcentibus, poſt prægreſſos leviuſculos motus convulſivos, delapſa portione viſcoſi lentoris ad caput aſperæ arteriæ, die undecima Julii quadrante poſt primam matutinam ſuffocata tandem periit; incaſſum tentatis innumeris Bechicis anacatharſin promoventibus, & pulmonum craſin corroborantibus, ſuſpenſoriis, cephalicis, & partes mandantes reſpicientibus, revellentibus, derivantibus, Julapiis, Eclegmatibus, Tincturis pectoralibus, gelatinis, emulſionibus, liquoribus ſtillatitiis, ac malacticis tam internis, quam externis: neq; erat remedio locus ulteriori. Quare exenterato Cadavere, auſpicati à prima regione, viſcera naturalia ſatis inculpata invenimus: inde ad ſpiritalia accedentes, in lobo ſiniſtro pulmonum, tuberculum crudum, oblongum magnitudine pollicis deprehendimus, ſemiſcirrhoſum, ad bronchia proxime adjacens; in dextro autem parvum abſceſſum cum compluribus tuberculis grandinoſis paſſim per parenchyma pulmonum diſperſis. Cor utcunque bene conſtitutum, niſi quod pericardium ultra ſolitum ſero refertum, ad inſtar cujuſdam veluti hydrocardiæ occurreret. Tandem facta capitis adapertione, utraque meninx, magis tamen Pia Mater, corruptela non vulgari inſignata, & tota cerebri ſubſtantia fracida, in externa ſuperficie quaſi ſyderata, non inefficaci factæ ſubſidentiæ argumento, una cum principio ſpinalis medullæ corruptionis non experte comparuit. Ex quibus rationabilis elici poteſt conjectura, atq; Autopſia ipſa confirmari evidens, ac inevitabilis tam citæ Mortis cauſa.

Ita cenſent unanimiter Medici omnes Aſſiſtentes.

Dum primis Menſibus natam Infantem Nobiliſſimam vidi, ſanitatem potius, quam vitam eidem augurari coactus fui, cum non vivere, ſed valere vita ſit: Caput enim non ſolùm vitiata conformatione, ſed multo magis intemperie humidiſſima affectum obſervavi, & ideo quam maxime excrementoſum; ut propterea à copioſis excrementis retentis inſignem læſionem paſſurum, vel in imbecilliores partes inferiores catarrhalem materiam depoſiturum eſſe exiſtimaverim: quæ cum ſpiritales, ut recipientes fuerint, ideo ab ipſo capite ut à parte mandante, non ſolum per ſpatia, ſed quod magis eſt, per vaſa excrementitiæ catarrhales humiditates tranſmiſſæ fuere, & in lobo ſiniſtro tuberculum crudum, & in dextro ſpurium

abſceſſum una cum duris & grandinoſis puſtulis excitarunt; & ſicut in capite detentæ membranis & ipſi cerebro fraciditatem induxerunt, ita per vaſa delatæ univerſam maſſam ſanguineam inquinarunt: per ſpatia vero affatim atque confertim, & per alios ductus, ſalivales præſertim, ipſi quoque Galeno cognitos, in aſperam arteriam & bronchia pulmonum irruentes, tandem ſuffocationem intulerunt, moleſta tuſſi prægreſſa & præcedentibus laborioſis ſudoribus, non ſine catarrhali, & forſan etiam febricula fixa. Has autem affectiones ab Utero non ſolum, ſed à ſemine quoque materno reportaſſe non dubito: ut ideo quomodo Ariſtoteles ſemen maternum ad conceptionem concurrere negaverit, ego non videam; cum non ſolum id quotidianæ experientiæ repugnet, ſed Medicinæ Principibus quoque adverſetur. Etenim Galenus ait, opus eſſe fœminæ ſemen cum ſemine Maris miſceri: utrumque namque ſemen in unum conſpirare neceſſe eſt, ut conceptio fiat, & præterea ex commiſtione utriuſque ſeminis formationem fœtus fieri, fatendum eſſe aſſerit. Sed hucuſque Ariſtoteles excuſandus eſſet, quia ſcripſerat ante Galenum: non ita vero propter Hippocratem, à cujus Doctrina plura decerpſit, & accipere neglexit quod, Ad hominis generationem de omnibus & Viri, & Mulieris partibus ſemen progreſſum, & in Uterum muliebrem illapſum, condenſatur, temporeque veniente, Natura hominis formam referens, ex ipſo producitur. Et rationem reddens, ſubdit, Habet enim & Mulier, & Vir quatuor ſpecies humorum in corpore, de quibus non minima, neque debiliſſima in ſemen procedit portio: & quoniam homo ſecundum Parentes naſcitur, tot Morborum ſpecies, & ſanorum, & morboſorum in ſeipſo habet: hæc Hippocrates qui clarius nobis cauſam declarat, ob quam Nobiliſſima Infans tot mala totq; ſymptomata lethalia tum in capite, tum in pectore, tum in pulmonibus paſſa fuerit, dicens, Si ex pituitoſo pituitoſus, ex bilioſo bilioſus gignitur, & ex tabido tabidus, & ex ſplenico, ſive lienoſo lienoſus, quid prohibet, ut cujus Pater aut Mater hoc Morbo correpti fuerint, etiam Poſterorum ac Nepotum aliquis eo corripiatur? Semen enim genitale ab omnibus corporis partibus procedit, à ſanis ſanum, à morbidis morboſum. Unde mirum non erit, ſi ſaltem intemperiem in capite, & in pulmonibus imbecillitatem à ſemine Nobiliſſimæ Matris Infans Nobiliſſima reportaverit, à quibus eadem Genitricis mala proceſſerint; ut egregie & eleganter alibi aſſeruit Hippocrates idem ita effatus, Semen genitale ab omnibus corporis membris procedit, à ſanis quidem ſanum, à morbidis morboſum, fitque ut ex calvis calvi gignantur, ex cæſiis cæſii, & ut plurimum diſtortus diſtortum generet, eademque quoque ratio eſt circa reliquas formas. Quare & ego cum Viris Doctiſſimis, qui Infanti Nobiliſſimæ dum viveret, Curatione, & poſtquam vita defuncta eſt, internorum viſcerum Autopſia, adfuerunt, præſcriptas magnas & inſignes affectiones, utpote à ſemine Materno contractas, Curationem nullo modo admittere potuiſſe, judico. *Idem ibidem.*

Pulmones calculoſi cum duplici Liene, &c.

Maria Halter, puella 10. annorum illegitimo thoro nata, miſellam quoque educationem ſenſit: In orphanotrophium receptam, quum primâ vice viſitaremus conqueſta fuit: de multa glandularum in collo & maxillis protuberantia ſcrofuloſâ: urgente juxta tuſſi frequenti exſpuitione purulentâ, pulſu celeri & crebro, ac reſpiratione difficili, dum interim facies rubebat, & ægrotula mente ſibi ſatis conſtabat: Utrique malo commodis remediis obviam ire tentavimus, licet mali provectio, parum boni nos ominari juſſerit: Exterius applicatum fuit Empl. diach. cum gumm. interius vero pulv. antiphthiſ. cum ſyrup. per cochlear. ſumendo. Verùm vicit ſæva mors, miſellæ vires, eaſque penitus deſtruxit: ægrotâ d. 7. *Junii* 1681. noctu è vivis excedente. Cadaveris luſtrationi d. inſeq. ſub veſperam vacavimus præſent. Vir. Nobiliſſim. & Clariſſim. D. Johan. Martinio Haësbartio, Med. tum Licent. Curienſ. D. M. König D. M. Speckero Baſil. D. Jac. Hochreutinero Sangall. jam Med. Doct. & D. Andrea Köhlio Curienſ. Med. Cult. Infimus Venter multum p. n. non exhibuit, quin faciem amicabilem eminus oſtendendo, facilè nobis conceſſit vale: Nulla heic aquarum copia, nulla glandularum, vel in pancreate, vel in meſenterio notabilis ſcirrhoſitas: Ichor pauxillus tantùm in cavo abdominis ſtabulabatur: Epiploon laudabiliter ſe habebat: Hepar quoque a graviori corruptelâ liberum fuit, niſi quòd in ejus ſuperficie, hic, illic arenulas concretas, flaveſcentes animadvertimus: Ductus ex veſiculâ fellis, cujus cavum bilis oleaginoſa opplevit, in inteſtinum abiens, circa initium ſui, appendicem duriuſculam, glandulæ ſimilem oſtendit. Ex cavo veſiculæ nullus aër, cùm inflaremus, verſus inteſtinum perrexit, benè tamen ex ductu: Ductus hepaticus inſignis erat, bile flavâ turgidus. In ſiniſtro hypochondrio delituit Lien figurâ & colore & conſiſtentiâ naturalis, ſed duplex, ℥. enim aliquot ab hoc diſtabat alius, figurâ & magnitudine ovi columbini majoris, vaſis pereleganter donatus, & quoad colorem & interiora illi ſimilis: Renes naturaliter erant conſtituti, ſuccenturiati verò oblongi, & modicè lati, cavitatem obtinebant inſignem, in quam vaſa ab emulgentibus terminabantur: aër in hos injectus, verſus renes uſque per arteriam emulgentem progrediebatur. Per inteſtinum colon glandulæ ſolitariæ protuberare videbantur. Medium Ventrem quum aperiremus, tantum ille laborem non peperit, uti aliorum, neque enim pulmones adhærebant arctiùs, aut gravius quodpiam aderat obſtaculum: Ichoris tamen fœtidi copiâ ſcatebat, cujuſmodi ſero flaveſcente, Pericardium etiam refertum erat: Glandula thymus maxima, glandulas exhibuit induratas, calculoſas & ſubatras, ſuis incluſas folliculis, & verſus lobum pulmonum ſuperiorem, lateris ſiniſtri protenſas, atq; cum hoc connexas: ipſe hic lobus calculos exhibuit plures, hinc inde in ejus ſubſtantiâ latitantes; lateris dextri lobus purulentus magis erat, unde & materia ſimilis, illo leviter preſſo, per aſperam arteriam ubertim effluxit. Cordis auricula ſiniſtra exigua omnino apparuit,

&

& quaſi tota concidiſſet, dextra contrà duplò major, ſanguine grumoſo & polypis verè membraneis & fibroſis diſtenta fuit, quales etiam in ventriculo dextro obſervavimus: Ventriculus ſiniſter itidem ſanguinis grumos exhibuit: Aëre per arteriam venoſam inſufflato, potiſſimam ejus partem ventriculus recipiebat, neque auricula inflata tantam capacitatem oſtendit, quantam dextra citra inflationem jam obtinuit. Glandulæ in collo, è ſuis folliculis exemptæ & diſſectæ, pituitam tenuiſſimam, iis impactam oſtenderunt. Et his cadaver ſuo loculo reſtitutum fuit.

Scholium. Calculos in compluribus corporis noſtri partibus generatos fuiſſe, uſque conſtat, nec opus eſt Authorum fidem heic prolixiùs adducere: nihilominus è viſceribus vulgò dictis ſunt, in quibus multi difficile omnino eſſe, ſi non impoſſibile arbitrantur, illos ſuccreſcere poſſe, imprimis in pulmonibus & aſperâ arteriâ: ita Clariſſ. Thom. Bartholinus de Pulmon. nec in vaſis pulmonum, nec in bronchiis lapides concreſcere credit, cùm morâ ad concretionem opus ſit, quam vaſa negant, bronchia non concedunt, eandem autem nec membranaceæ veſiculæ largiuntur, aëris ſecretioni uſque vacantes, & tamen in his calculoſam materiam ſubſtitiſſe imò ex his ejectam fuiſſe, hiſtoriæ quas modò recenſuimus, probatum dant: Clariſſ. quoque Johannes Schmidius Ann. 9. & 10. Ephemerid. German. Obſervat. 50. exemplum ſiſtit virginis venuſtæ, quæ dudum tuſſi ſiccâ vexata, adhibitis medicamentis congruis, tandem lapillos friabiles plurimos cineritii coloris excreverit per multum tempus, opinaturque tophos hoſce in bronchiis pulmonum hæſiſſe, nec contradicimus, ſi pulmonum ſtructura incolumis uſque perſtitit, perſuaſumque habemus tali in caſu idem cum materiæ calculoſæ ad bronchia delatione contingere, quod cum purulentæ in pleuriticis; viz. ut illa fluida ſit perque poros tranſudare poſſit, in calculum demum, mora quam nectit, in bronchiis tranſiens, ſui tamen indicia irritando mox prodens, ut mirum omnino ſit, ſin heic ſubſiſtat, diutius hærere poſſe, cùm fibræ bronchiales ejus exterminationi ſtrenuè intentæ eſſe ſoleant: In præſenti ægrotâ, glandularum in collo & ſub maxillis durities, ecquid materiæ ſubſit, ilicò monſtravit, confirmavitque ſententiam hinc αὐτοψία: id quoque experientiâ edocti ſumus, rariùs partes has pertinacibus ejuſmodi tumoribus affici, quos ſcrofulas dicunt, glandulis interiorum partium meſenterii, pancreatis, aliiſvè incolumibus exiſtentibus, mirumque omnino eſt, labe graviori partes haſce caruiſſe, quam tamen prorſus non eluſit, Hepar arenulis congeſtis ſuperficiariè ſcatens. Pulmones & thymus præcipuam à ſanguinis tartaro & viſciditate copioſis noxam acceperunt, expediendumque vel illud heic potiſſimùm eſt, quòd circa lobulorum uſum, ab eo, quo diatriben noſtram de ſtruct. Viſcer. conſcripſimus tempore, ruminando & experiundo aſſecuti fuimus, patebitque inde adhuc magis calculorum, ſcirrhorum, aliorumque pulmonum affectuum, quos ibidem commemoravimus ortus: Pulmones aëris purioris ſecretorium organum eſſe, huncque ceu ſubtiliſſimis veſicularum pulmonalium oſculis maximè proportionatum per ipſos expandi, uſque probatum eſt: Æthéream hanc ſubſtantiam ſanguini miſceri debere, ob neceſſarios uſus, nemo ſanæ mentis inficiabitur: ubi autem miſcela iſta præciſè fiat, dictum nondum eſt, quamvis de halituum, quos lobuli recipere videntur, per poros aſperæ arteriæ tranſudatione, aliqua commemoraverimus: Attendentibus ſanè interſtitiis in ipſis conſpicuis, inflatis, veſiculas quoque turgeſcere, quod facere recuſant lobuli, ubi aër per tracheam injicitur, veriſimile omnino eſt, harum ipſa expanſiones eſſe, quorum ope aër ſecretus advehatur, & (quia ibidem vaſa in rete elegantiſſimum efformata conſpiciuntur,) ſuo elatere minutiſſima vaſculorum oſcilla unà ingrediens, ſanguini arterioſo per venas confeſtim reſumendo miſceatur, humore lymphico per vaſcula propria, lobulos uſque comitantia, remeante: Atque hæc ubi fluidum naturaliter habet partiumque textura, conſtanter natura peragit; quamprimùm autem infringi reticularis vaſculorũ complicatio, incongruè ab invicem dehiſcere oſcilla, vel etiam erodi aut rumpi, à ſtagnante lymphâ viſcidâ; aut particulis ſalinis, acidis, tartareis, aliove ſanguinis impetu, lædi incipiunt, ilias malorum pectus occupat, de quibus in Diſſertat. diximus, cui nec lien duplex obicem ponere heic valuit, de cujus uſu multa ibidem probabiliter propoſuimus: ſanguis certè per viſcus hocce peculiariter circulatur, ſpirituque animali copioſè refectus & actuatus, per venarum propagines numeroſas verſus alias partes ducitur, cordis thalamos mox inde repetiturus: Ut verò affectus alios taceamus, qui Lieni affecto, malè utplurimùm tribuuntur, e quibus glandularum tumorem à ſanguine melancholico & fæculento, meritò allegamus, quid de iſtâ Lienis appendice judicandum ſit, arduum magis videtur eſſe inquiſitu, numque ejus primordia in ovo, è quo puella hæc prodiit jam adfuerint: enimverò orbicularis iſta, à liene qui figuram & magnitudinem naturalem obtinuit, prorſus diſtinctus fuit, ceu Exerc. L. ad Pythag. monuimus: Nos ut tantiſper ſententiam ſubjiciamus, ſiquidem parenchyma Lienis aliud non ſit, quam veſiculoſum corpus, ex arteriolarum venularumque, quas nervuli copioſiſſimè ſtipant, admiranda complicatione ac ulteriori earundem, venularum præcipuè expanſione natum, probabiliter lienem hunc alterum, ab eorundem vaſorum, quibus ipſe gaudere à nobis viſus eſt, ulteriore divaricatione ac ramificatione pullulâſſe cenſemus, ejuſmodi autem vaſorum diviſio rara prorſus non eſt, ceu in arteriâ Renum emulgente ſæpè jam animadvertimus: Patet inſuper Curioſis Naturæ Ruſpatoribus, ubi ductuum vaſorumque principes rami ac primordia adfuerint, facilè ulteriùs expandi illos poſſe, nec propterea ad novorum formationem, aut vim plaſticam in adultis etiam ſuperſtitem, denuò reccurrendum eſſe: antequam hinc abeamus, dicere aliquid neceſſe habemus ad theſ. 45. eruditi ſcrutinii λιθογενεσίας quod ſub Præſid. Excellent. Metzgeri ſuſtinuit D. Joh. Ulricus Schmidlin: Jacto, *inquit*, hoc calculorum ſeminio, quo calculus modo in variis corporis partibus naſcatur, quâ viâ in gallinæ cerebro collectus, quo item modo ad uterum delatus, unde in abſceſſibus ortus (quorum iſtud deciſu difficile Clar. Harderus, illud impoſſibile Mercurialis, &c.

cenſent) explicatu nobis facile eſt. Equidem, ſi Exercit. noſtras initiales perlegit, vidit haud dubiè, nos ad eaſdem vias, vel vaſa advehentia, eaſdemque particulas invicem cohærere & conglomerari præ aliis aptas confugiſſe, ex ſanæ rationis methodo, noviſſeque per arterias ſive carotidas, ſive vertebrales materiam ſabuloſam adferri poſſe, è quâ cerebri calculi prodire queant: iſtud verò arduum mirumque nobis viſum fuit, tranſiiſſe lapillum ſiliciformem, in oſculum meſeraici vaſis, & per arterias parvulas gallinæ ad cerebrum advectum fuiſſe; enimverò generatum inibi iſtum fuiſſe quod ille præcipuè adſtruit, etiamnum pernegamus, cùm ex illorum genere lapillus ſit, cujuſmodi devorare ipſæ ſolent, & in hoc Clariſſ. Pythagoram Exercit. ſeq. conſentientem habemus. *Joh. Jacob. Harderus in Obſervationib. Anatomico-Practicis.*

Phthiſis, in qua Pulmones putridi & ſcirrhoſi. Epiploi ſcirrhus.

Henricus Landenberger, annor. circiter 15. pueritiam duriorem, ob parentum paupertatem expertus, in orphanotrophium hinc admiſſus fuit. Ann. 1680. de difficultate ſpirandi, tuſſi crebrâ, & totius corporis emaciatione querelas movit: pulſus frequens: juſſi ut ſingulis manè & veſper. doſin ſumeret pulv. antiphthiſ. cujus baſin antihect. Poter. conſtituit. Die 28. *Decembr.* cùm malum inducias non daret, ſed frequenter purulenta excerneret, detergentibus pectoralibus, ſimulque reſolventibus bechicis certavimus. Aliquot ſeptimanis pòſt de qualicunque exæſtuatione febrili conqueſtus fuit, cui mixtur. ex aqu. plantag. ſcabioſ. papav. rh. corall. ſyrup. flor. bellid. &c. proſpeximus. D. 3. *Martii* 1681. vomitu crebro afflictus eſt, quo ſingula, quæ cum appetitu priùs ingeſſerat, rurſum ejecit, ſuccedente multâ oris amaritudine, commendavimus hinc uſum elect. ex conſerv. roſar. flor. bellid. min. oc. cancr. præp. & ſyrup. corall. parat. quo ſymptoma moleſtum deinceps infractum fuit: Quatuordecim circiter diebus poſt, qui hujus affectus genius eſſe ſolet, ſubitâ virium proſtratione infeſtatus fuit, tuſſi perſiſtente; nunc facies tota expalluit, nunc rubore ſuffuſa micuit: Æger quoque ultimis diebus dormitare cepit, neque ad ea quæ offerebantur, aut interrogabantur, quidquam reſpondit, uſque dum viribus prorſus effractis animâ derelictâ quam hactenus inhabitârat machinâ, ad Creatorem lætior profecta fuerit. Cadaver luſtravimus, præſentibus plurimis Viris Præſtant. & quidem contempto fœtoris inſultu, imum ventrem penitiùs examinavimus, qui mox epiploon corruptum, glanduliſque miliaribus numeroſè refertum, & parte ſuperiore, quâ colo vectitur, Ventriculi fundum conſcenſurum, ſcirrho inſigni longitud. ℥v. & craſſit. ℥j. dotatum comparuit. Hepar grandiuſculum, hypochondrio dextro firmiter adnectebatur, quæ tum in ſuperficie ejus exteriore, tum interiore hypochondrii facie innumeræ conſpiciebantur, cujuſmodi alias in pulmonibus adnatis itidem notavimus: Pancreas, Meſenterium & Renes naturaliter ſatis habebant. Lien nigro ſanguine turguit. Ventriculus parum inflatus, bile copioſâ intus tinctus erat, quam ex naribus eructantem cadaver etiam exhibuit. Glandulæ ſtomachicæ in hoc conſpicuæ; & in duodeno valvulæ conniventes Kerkringii. Ex dextro inguine duplicatura peritonæi dilatata inteſtini portionem intro ſuſceperat, unde ultimis menſibus de inteſtinorum prolapſu miſer querelas movit. In thorace pulmones inferiùs coſtis & diaphragmati ſcirrhosè adnatos animadvertimus, adeo ut multâ omnino vi ad ipſorum ſeparationem opus fuerit. Pulmonis ſiniſtri lobus inferior ad attactum ſcirrhum exhibuit, qui cum thymo ſcirrhoſo, ſecundùm longitudinem, uti videbatur, cohæſit; ejus ſuperficies exterior, factâ inciſione, corpuſcula ſubatra & duriuſcula copioſiſſimè, initar glandularum gangrænatarum oſtendit, medietatem verò explebat materia ſebacea copioſa, & tantillum renitens: Lobus ſuperior corruptus magis erat & purulentus: Pulmonis dextri lobus inferior, parte ſui maximè inferiore, materiam ſimilem hinc inde coagmentatam, ac inſtar cartilaginis renitentem, friabilem nihilominus continuit. Pericardium ichore flavo plenum fuit. Glandula thymus liveſcens & maximè ſcirrhoſa. Venter ſupremus, vaſa in cerebro elegantia ſed palleſcentia oſtendit: exterius gelatina aliqua corticem ambiebat. Medullaris ſubſtantia ichore ſeroſo, qui ex ventriculis turgidis undiquaque emanavit, tantum non tota maduit: plexus choroideus albicabat corporis ſtriati veſtigia pauca. *Idem ibidem.*

Phthiſis & Cachexia ex Pulmonum & pancreatis ſcirrhoſitate.

Eſthera Bitterlin, puella 14. circiter annorum, durius in pueritia fatum pariter ſenſit: In orphanotrophium admiſſa, operæ ibi quotidianæ vacavit, & quod ejuſmodi domeſticis familiare eſſe notavimus, plus ciborum, panis ſicci imprimis ingeſſit, quàm cui ob vitam ſedentariam, digerendo ſufficiebat, unde ſimilia ferè cum aliis incommoda experta eſt. D. enim 18. *Martii* Ann. 1680. de dolore circa præcordia diſtendente ac lancinante, nunc magis, nunc minus querelas movit, comparente circa ventriculi regionem qualicunque tumore renitente; appetitus tamen conſtitit: Facies erat cachectica & corpus macilentum. Urinæ ſubpallidæ, crudæ de glandularum obſtructionibus, ipſaque M. H. viſciditate & cruditate, &c. luculentè teſtabantur, quin imò ſæpiùs prædiximus ſcirrhum pancreatis latitare. Medicamentis nihilominus, incidentibus attenuantibus, aromaticis blandis, volatilibus, &c. ſtrenuè pugnavimus, neque ut videbatur, citra omnem ſucceſſum: Aliqvando etiam pill. noſtras Mercuriales ex Merc. dulci opt. lot. flor. ſal. Armon. gumm. amm. & par. in uſum vocavimus, quarum efficaciam in ſolvendâ pituitâ viſcidâ alias promptam comperimus: Concitârunt iſtæ aliquoties vomitum, pituitæ tenacis & viſcidæ citra incommodum. Venter quoque detumuit, atque omnia in melius ire videbantur. Aſt fefellit ſpem eventus, ſuccedente poſt tuſſi ſiccâ, pulſu celeri, macie totius corporis & ſub finem exſpuitione materiæ purulentæ, doctâque plus valuit arte malum, ægrota d. 19. *Maji* Ann. ſeq. vitam cum morte commutante.

Ex abdomine Miſellæ, quod præſentib. Nobil. aliquot Medic. Licentiat. & Philiatris cultro aperuimus, ichor modicus profluxit: Epiploon parte quâ cum ventriculo arctiſſimè conjungitur, & cum inteſtino colo, gelatinâ prorſus farctum erat, atque corruptum: Renes aliquantum flaccidi, è quorum cavitate, ureteres ℥ unius latitudine, ad uſque medietatem ſui egrediebantur. Inteſtina & ventriculus parùm inflata, glanduloſas cohortes intùs monſtrârunt. Meſenterium verò gelatinam cum glandulis ſubatris & induratis exhibuit. Pancreas ſcirrhoſum erat, unaque glandularum ejus ſectâ materia purulenta prodiit: ſcirrhum parte quâ hepar arctius contingit, pugni majoris magnitudine oſtendit, ſub quo vaſa ſanguifera decurrebant. Medius venter Pulmones ex ſiniſtrâ parte valde adnatos, & quoad lobum ſuperiorem valdè induratos, ex parte verò dextra purulentos & materia caſeoſâ plenos exhibuit. Glandula thymus itidem ſcirrhoſa. Pericardium ichore ſubflavo plenum, cor flaccidum & ferè exangue.

Scholium. Conjungimus utramque harum hiſtoriarum, propter materiæ affinitatem & parile fatum, quod uterque ægrotus expertus eſt, phthiſi enim perierunt, dubiumque eſt, an poſt pancreas affectum, demum pulmonibus labes fuerit illata. Utrobique ſanè paupertas & maleſuada fames, anſa fuerunt, quominus tum chylificationis organa, tum ſanguis ipſe, parteſque hujus depurationi, lymphæque ſecretioni deſtinatæ, officio ſuo probe fungi potuerint, enimverò ex ingeſtis ſive nimiis, ſive difficilis ſubactionis cibis, ſucco viſcido & lento prægnantibus, non potuit tenerior ventriculi & inteſtinorum textura non gravari, fermentum debilius enervari, & chylus craſſior ac crudior prodire, cujus particulæ ſive aggeſtæ temporis tractu, glandulas meſenterii intercierunt, ſive M. H. commixtæ, ſanguini lymphæque ſimilibus natales præbuerunt, quæ deinceps glandularum, membranarumque poris ſubtilioribus, aliis etiam in locis improportionata, hæſit, ipſoſque diducendo, & texturam illarum deſtruendo, factâ ulteriore ſui coagmentatione, ſcirrhos in pancreate, epiploo, thymo & glandulas induratas, effuſaque ex ductibus pulmonalibus, deſtructis veſicularum areis, heic quidem ſteatomata ſcirrhoſa, illic verò parte tenuiore cum cruore ſuppurante, pulmonibus eroſionem & purulentiam induxit, èque membranarum hepatis, pleuræ, pulmonum poroſis interſtitiis ſtillans & collecta, haſce vel confinibus partibus adnaſci vel gelatinâ quadam obduci fecit, uti quidem ibi hepar pulmones & cerebri cortex, heic verò meſenterium gelatinoſum ſatis probant, cerebro ipſo, in illo ab omni labe non immuni, quin ſanguinis ſero tenui ita exundante, de quo palleſcentia vaſa & albicans choroideus plexus, indeque ventriculi pleni teſtimonium perhibent, medulla ejus tota maderet, corporiſque ſtriati veſtigiis tantùm non abolitis, illa glandulis ac præcipuè fibræ ductibus induceretur labes, unde ſpirituum ſecretione & expanſione impeditâ ſopori graviori via parata fuit. Sunt verò adhuc alia in priore caſu, quæ ordine ruminare operæ pretium faciemus, ex quibus primum conſtituat efferveſcentia febrilis, phthiſicis non infrequens, particulis purulentis acribus & corroſivis, cruori refluo permixtis, ejuſmodi exacerbationem inferentibus, ſive jam acidæ cum alterius indolis particulis efferveſcant, ſive pervertendo ſuccum nerveum, aut accreſcendo ſpiritui animali aliquâ ſui portione, quod non uſque ἄτοπον, aut aliter fibrillas nerveas ſtimulando, illum concitent, & vomitus quem, niſi ab irritante acri in ventriculo aggeſto, unde ſtrictis unâ & ſuccuſſis ductus hepatici fibrillis & veſicula fellis, humor biliarius inteſtinum duodenum & hinc ventriculum alluit, deducere velimus, non ineptè inteſtini ilei prolapſui attribuere poterimus, utpote cum hernioſi frequenter vomant, idque potiſſimùm heic notavimus, cujus etiam Excellentiſſ. Wepferus meminit in Cicut. aquat. malè à quibuſdam aſſeri in herniâ inteſtinali exteriorem tunicam peritonæi rumpi & interiorem dilatari, cum nonniſi dilatatam utramque heic ipſocum obſervaverimus: Tertium ſunt glandulæ adſcititiæ & hepatis pulmonumque adnatio, de quibus ſuprà jam aliquid diximus: Optimè certe fecit Nobiliſſ. Peyerus in Enteradenograph, quando glandulas externas abdominis,) cujuſmodi inteſtinorum tunicas occupâſſe, in puero cujus hiſtoriam cap. 7. Prodr. phyſiol. exhibemus aliiſque notavimus, ab internis diſtinguit, & cùm in Merycolog. ſuâ p. 91. & 119. etiam membranas humorem exudare ſcribit, utpote vaſa lymphica in ruminantium ventriculis, conſpicua, aliunde deduci non poſſe edoctus, ceu etiam alibi monuimus: Natales ſanè & ſtructuram membranarum perpendenti cùm ferè aliud non eſſe videantur, quam vaſculorum minutiſſimorum expanſio & compigmentum, abſurdum non videbitur, ſi in hiſce certos poros & meatus concipiamus, ope quorum humor idoneus per exiguos & vix ſenſibiles arteriolarum ductus advectus exudat ac ſtillat, quóve deinceps vel madent & rigantur ipſæ, neceſſarios ob uſus, vel qui, ſi copioſior fuerit, aliiſque commodis deſtinatus ſit, per vaſcula lymphica revehitur, cruoris parte ſenſibili, per conſpicua capillarium venularum oſcula remeante: opus certè mirandum, & quod inficiari poteſt nemo, ni madere membranas has viciſſim perneget, contra omnem αὐτοψίαν: Requiſivit illud, communis utilitas, ne areſcerent, aliiſque confinibus partibus facilè adhæreſcerent, id quod in ſtatu morboſo contingere, præſentes hiſtoriæ aliorumque Authorum obſervationes comprobant, enimverò à viſcidiore ſero relicto, diducuntur quaſi pororum interſtitia, ſive mavis inſtar papillarum elevantur, adnaſcunturque (tranſudante vel remeante parte aquoſiore) confini ſubſtantiæ adeò tenaciter, ut ſeparari inde non poſſint: atque ita produnt corpuſcula miliaria, quas glandulas adventitias, forte ἀκύρως nominavimus; & pleuræ, peritonæi, hepatis & pulmonum adnaſcentia, àque ſucco gelatinæ ſimili partes iſtæ prorſus obducuntur. Quartum idque præcipuum, quod heic attentionem meretur, ſunt pulmonum ſcirrhus & glandulæ nigræ induratæ cum ſcirrho epiploi: Equidem illum quod concernit, ejus ortum tum ſuprà tum in antecedentibus jam adumbravimus, poſſuntque ejus primitiæ patere, cuivis pulmonum fabricam rimanti, & Phthiſicorum cadavera luſtranti: Illud autem hinc manifeſtum evadit, circa

phthiſeos initia curanda occupato, ſæpiùs non tam ad ulcus, quàm coagulum, ſive viſcidum coagmentari incipiens attendendum, indeque volatilibus, incidentibus ac reſolventibus certandum æquè eſſe, atq; mundificantibus vel detergentibus: corpuſculorum duriuſculorum ortũ modumque parilem credimus cum prioribus: viz. ab hærente in extremitate vaſculorum tenaci materia, illa pullulaſſe, neque hinc confirmari arbitramur ſententiam nonnemiiis, qui præter veſiculoſam & lobuloſam ſtructuram, cujus ratione pulmones glandulam optimè dici, alibi diſertè aſſeruimus, glandulis aliis ipſos inſuper conſtare putat, quod in cadavere quopiam, ſimiles fortè hiſce, in Italia cùm degeret, animadvertit: enimverò ita pulmonis ſtructura à Clariſſ. Anotomicis ſub cultrum vocata fuit, ut partes dictæ & detectæ ſint, quæ cujuſque fluidi ſecretioni præſunt. Epiploi ſcirrhus forſan rarior eſt, ſui tamen initia pariter ut pulmonum nactus: Excell. Bonettus in illuſtri ſuo ſepulchreto Tumoris ſcirrhoſi in omento p. 201. & p. 812. & Laz. River. cent. 2. obſerv. meminerunt qui proinde hac de re videri poterunt: Alias ſubtilis omnino texturæ Epiploon eſt & tenuiſſima membrana, quæ à ſero acri (quale in hydropicorum abdomine ſtagnare ſolet) facilè eroditur & abſumitur: annotare nihilominus in eo eſt artificioſam vaſculorum minutiſſimorum expanſionem, quouſque viſus acies pertingere poteſt, cujuſmodi in omentis fœtuum vitulinorum frequenter Philiatris oſtendimus unà cum ductibus adipoſis, quos ſagaciſſimo Naturæ Ruſpatori Malpighio debemus, ei uſui præciſè deſtinatos, ut particulæ pingues & ramoſæ in illos ſecernerentur, illudque reapſe deprehendimus ex membranâ, in ſacculos membraneos plures excavatâ illud conflari, qui ſacculi ita vaſa ſanguifera quæ reticulariter expanduntur, amplectuntur, ut horum propagines uſque inveſtiant: adjicit Clariſſ. Malpighius, eâ tamen lege ut à totâ ſtiriâ ſeu ſacculo minimi lobuli diverſæ figuræ pinguedine referti, propriis vaſis irrigati, propriàque membranâ obvallati, contineantur & inveſtiantur: atque in membranulis hiſce complicatis, materiam ex vaſculorum ſanguiferorum reticulari plexu, oleoſam ſecerni & ulteriùs recondi nobis quidem veriſimile videtur: læſa hinc utriculorum membraneorum ſtructurâ, à materiâ heterogeneâ tenaci, viſcidâ, diſtendente vel rumpente, ſcirrhus, tumorque ſteatomatoſus, ab eâdem aggeſtâ facilè ſuccreſcunt: arbitramurque in ſtatu tali, pinguedinis globulos quaſi evelli, foveamque relinquere, in quâ particulæ dictæ cumulari & ſtagnare queant, fluidioribus & tenuioribus, vel remeantibus vel evaneſcentibus: Obſervavit ſanè laudatiſſ. Malpighius, globulos pinguedinoſos vaſorum lateribus adnecti, ſicuti uvæ grana racemis appenduntur: Aliàs de pinguedinis circa baſin cordis, renes item aliaſque partes conſpicuæ natalibus jam dudum ſolliciti fuimus, dabiturque occaſio de his alibi diſſerendi: Jungimus hiſce ob materiæ affinitatem obſervationes binas Puelli & Virginis phthiſicorum, ab Excellentiſſ. Sponio Patre nobis communicatas, Scholiiſque illuſtratas, ne pereant, quæ in manibus noſtris verſantur, luce digniſſimæ. *Idem ibidem.*

Puelli Tabe conſumpti Anatome.

Matthæus Marion, puellus tertium ſupra decimum ætatis annum agens, noſter ex ſuperſtitum ſororum, alterâ Nepos, longâ confectus ægritudine, eaque non ſatis intellecta, tandem extenuatiſſimus placidè animam ſuo reddidit Creatori, ſummo manè diei 13. Martii, (45. ſcil. minutis poſt mediam noctis) Anni 1644. Horâ verò decimâ antemerid. ejuſdem diei, Parentum rogatu, cadaver perſectum fuit à Jo: Antonio Guerin Chirurgo peritiſſ. præſente me & domeſticorum pleriſque: ubi φαινόμενα ſequentia oculatâ fide uſurpare licuit. Omnes in ventre inferiori contentæ partes, puta hepar, lien, pancreas, inteſtina tam craſſa quàm tenuia, ventriculus unà cum ſuprajectis epigaſtrii lacertis, peritonæo ipſoque etiam diaphragmate; Omnes iſtæ (inquam) partes, ita invicem connatæ ac conglutinatæ erant ut diſcerpi quidem, nullâ autem arte integra ſeparari poſſent, ſive novaculæ acie, ſive unguibus res tentaretur. Hepar grandiſſimum, occupans utrumque hypochondrium, exangue, durum ac ſcirrhoſum totum, ſed præſertim ſimâ ſui regione: pendebat autem libras civiles Lugdunenſes 4. cum dimidiâ. Lien putrilagine fœtorem intolerabilem conjunctum habente penè abſumtus, ſicut & Epiploon. Ventriculus parvus, ac tenuiſſimis parietibus præditus. Colon inteſtinum valde diſtentum. Meſenterium ac inteſtina omnia multis glandulis paſſim ἐπιπεφυκυίαις aſperſa, exiguorum ſteatomatum inſtar habentibus. Siniſter pulmonis lobus integellus, niſi quòd τὸ περίπνευμα, quâ jugulum reſpicit pulmo, lividis quibuſdam maculis, iiſque latioribus depingebatur. Dexter lobus putredine ſemiraſus apparebat. Reſiduum tamen ipſius, coſtis ſui lateris pertinaciſſimè cohærebat, ut divelli citra lacerationem minimè potuerit. Exſtabant autem & ſteatomata in ipſo non pauca. In dextrâ porrò thoracis cavitate, ſeri cruenti unciæ aliquot fluitabant. Cor flaccidum, ſed aliàs ſanum. Caput tum idoneæ ſerræ defectu, tum feſtinandi etiam ſtudio, quòd teterrimum odorem cadaver eructaret, intactum reliquimus.

Scholium.) Puer hic naturâ ſubtriſtis vixit, σπανιόγελως, decolor. Per languoris exordia, hoc eſt, per annum circiter ante obitum, conqueri cepit de dolore gravativo circa hypochondrium ſiniſtrum, nec non de quâdam anhelitûs difficultate inter exercitia non ita memorabilia facilè ſuboriente. Conjectatum Lienis infarctus præſtò eſſe. Purgatus eſt pluriès diluto fol. ſenæ, carthami, tamarind. fumar. ceterac. ſed ſine fructu. Poſtmodùm in hydrocelen prolis utriuſq; incidit, quæ cùm celebratis catholicis præſidiis, admotiſque topicis non cederet, ad operationem Chirurgicam deventum fuit, initio quidem ad paracentheſin per ſcalpellum pòſt ad ſetonem, tandem ad eſcharoticum potentiale: quibus modis eductum quidem fuit ſeri citrini benè multum, ſed tumor paucis poſt diebus ſemper repullulavit. Quo factum ut deinceps abſtinendum putaverimus ab iteratis apertionibus, purgandumque hydragogis ac alterantibus alternatim uſurpandis: quâ gratiâ uſus eſt pulviſculo

ex mechoac. ſenâ, cremore tartari, cinam. aniſo, nec non vino abſinth. Quibus omnibus nil juvantibus, ſenſim ad ſummam maciem pervenit, ubi cùm febre carere animadverteretur, ad uſum lactis accedere juſſus eſt. Poſtremò diarrhœâ correptus eſt, quâ fœtidiſſima egerebantur diebus ac noctibus aliquot, quod fatale judicavi, juxta Aphor. 5. ſect. 8. Pridie ſupremæ diei etiam rubra alvo reddidit, inſtar ſanguinis nigreſacti, injuſſu quidem, verùm non ſine ſenſu, tuncque prædixi mortem poſtero die imminere, juxta divini ſenis oraculum, Aph. 23. ſect. 4. Toto morbi decurſu appetitus conſtitit, nec non ſenſuum omnium ac judicii integritas. Vino, eoq; generoſo inclinante vitâ apprimè delectabatur. Nunquam tuſſi vexatus fuit. Nunquam puris aut ſanguinis ſputum paſſus eſt. Vocem diſtinctam ac claram ad ultimum uſque ſpiritum retinuit. Faciei characterem exquiſitè Hippocraticum in ultimis habuit. Quod ſupereſt, gratulemur optimo puero, cujus melior pars Sacroſancti Numinis Providentiâ, ex iſtâ omnis generis ærumnarum valle in ſinum Abrahæ traducta eſt, ubi felicitatis ſunt omnia, quo nos quoque ſuo tempore recipere dignetur Pientiſſimus ille Pater cœleſtis, cujus Nomini laus, honos ac gloria in ſæcula ſæculorum. *Idem ibidem.*

Hiſtoria anatomica de Virgine phthiſicâ.

Anno Salutis 1681. die 10. menſis Septembris, horâ ſeſquidecima, animam placidè efflavit Lugduni, Virgo ornatiſſima ac pientiſſima Suſanna Naulot, undeviginti annos nata, poſt exantlatam octimeſtrem ægrimoniam: quæ acceperat à deſtillatione ferinâ in pectus delabente, cui mox ſucceſſit præter moleſtam admodum tuſſim, modò humidam, modò ſiccam, febris initio ſymptomaticæ ἐπιπολαίῳ æmula, quam ὀρθοςάδην perferebat, tandem verò duplex tertiana aſſidua tribus primis aut quatuor horis anadiploſeos φρικώδης totidem verò poſtremis fervens ac æſtuoſa toto morbi decurſu τοῖς καταμηνίοις ἀρτίως defecta vicitavit: nihilominus ſenſibus tam internis quàm externis uſque quaque illæſis ad mortem uſque perſtitit, appetitus non viguit, ſputa ſanguinolenta aut purulenta nunquam exploſit. Reſpiratio nonniſi ultimis demum vitæ temporibus difficilis evaſit. Curatura variis à Medicis non incelebribus tentata fuit: unde tamen opis quàm minimum affectus percepit. Poſtridie lucis fatalis utpote die Jovis 11. Septembr. horâ ſeſquioctava matut. defunctæ juvenculæ cadaver adapertum fuit à Chirurgo noſtrate Johanne Andrien, epitheto la Riviere: cui ſectioni interfuere Carolus Sponius, Claudius Feret nec non Jacobus Sponius Caroli filius, Collegii Lugdun. Doctores Medici aggregati: quâ in proſectione ſequentia oculatâ fide deprehenſa fuere. Habitus corporis univerſus omni pinguedine deſtitutus. Pes uterque œdematoſus. Integumentis abdominis reſeratis; ac utrinque expanſis viſui ſtatim ſeſe objecit Hepar tantæ molis, ut utrumque hypochondrium facilè occuparit; erat autem illud colore pallidum ac exangue, nullatenus tamen διεφθαρμένον neque ullo ſcirrho obſeſſum. Veſica bilaria parva admodum pro tantâ hepatis mole intra quam bilis haud multum fluitabat. Lien ſatis benè conſtitutus, ſed per mediam ſui latitudinem, ſulco quodam inſtar ſtriæ vel plicæ præditus, ab uno lumbo ad oppoſitum tranſverſim exporrecto: ſupra quem ſulcum membrana quædam accreverat, tubuli inſtar efformans. An quod viſcus illud à jecinore vicino nimis amplo coanguſtatum, hanc in figuram ſe complicare neceſſario habuerit? Pancreas totum ſcirrhoſum erat, ac velut granulis aut gigartis confixum ac gravidum. Epiploon omni adipe orbatum, utpote colliquefactum. Tota pelvis compagis oſſis ilium aquis repleta, ab epiploo (ut credibile) profectis. Ventriculus probè conſtitutus apparebat, ſicut & inteſtina, ren uterque, veſica urinaria, uterus; quibus omnibus in partibus nihil deſiderari potuit. A ventre inferiore ad Thoracem progreſſu facto, pulmonum parenchyma omnium maximè de labe inſignita nobis ſuſpectum aggreſſi ſumus, & certè flaccidum illud totum ac decolor exteriùs viſebatur. Penitiùs autem utrumque prædicti viſceris lobum majuſculo abſceſſu affectum, & quidem juxta pulmonum caput, qua ad axillam appropinquat cavitate inibi efformata, ovi gallinacei maximi capace, unde pus affatim emanare obſervabatur, lobus verò ſiniſter, quanquam laudabilior dextro, non tamen omni ex parte à tabe puriſve illuvione immunis notabatur, quâ parte cum collaterali altero cohærebat. Cor amplum quidem ſed laxum atque flaccidum: cujus dexter ventriculus grumis cruoris aterrimis totus refertus erat, ſiniſter autem penè vacuus. Caput proſcindere non fuit animus, tum quòd iſtud laboris citra neceſſitatem ſuſceptum iri judicaremus, tum quòd plus otii res expoſceret, quàm quod tunc nobis ob incumbentia practica munia ſupetebat.

Scholium. Virgo, quâ de mentio hîc habetur, antequam in morbum incideret, præter alia in victus lege commiſſa delicta tum conſternationis, tum mœroris ſenſu non mediocri perculſa fuerat, ob ſororis natu majoris recentem ex tabe interitum: & quia Scabiei, quæ ipſam invaſerat, moleſtia quam primum liberari, in votis habebat, pſorico neſcio quo corpus inunxerat. Quocirca dubium eſſe poteſt, an ab animi pathematis, an verò à topico illo, quòd materiem ſcabiei intrò repulerit, Vomica pulmonis ſuborta fuerit? Sanè refert Chriſtoph. Bonnettus in Veſtibulo Theatri Tabidorum, Exercit. 13. cuidam impetiginis materiam topicis repreſſam, atque ad inteſtina repulſam, primum colicos cruciatus, paulò verò pòſt phthiſin quoque homini intuliſſe. Quidquid ſit, genuinam mortis cauſam in laudatâ ægrotante diaphtoræ ac vomicæ in pulmonibus conceptæ potiſſimum imputandam cenſuerim, ſive quòd ſanies ex vomicæ ſpelæo extillans magnam ſyſtematis pulmonum partem irroravit ac labefecerit; ſive quod ex hoc ipſo vomicæ loco, tanquam à barathro charonio, pervivalis aura toto genere vitæ inimica, per venæ pulmonaris propagines canaleſque minutiſſimos, in lævum cordis thalamum irruperit. Cœterùm inſolentem hepatis magnitudinem hac in puella obſervatam, non exiguam quoque Symbolam in ipſius perniciem

contuliſſe, credibile eſt: quandoquidem non tantùm partes abdomine contentas immodicè comprimebat ac conculcabat, hujus viſceris vaſtitas, ſed & diaphragma ſubjectum, ut & pectorales reliquas particulas ſurſum protundebat; ita ut ſpatiis debitis excluſæ vim hac ratione minimè parvam patientes propriis ſuis muneribus propterea minùs libere fungi potuerint: adeò ut ipſis non immeritò uſu veniſſe dici poſſit, ac iis quibus lien efflorescit, ac exuberat pro cujus incremento reliqua corporis membra ἀτροφεῖν καὶ φθίνειν decreſcere ac extenuari affirmat, Hippocr. libro de locis in hom. his verbis: ὅτι ὁ σπλὴν θάλλῃ, τὸ σῶμα φθίνῃ. Quam rem vulgò comparare ſolent fiſci publici ſorti, quò nimium opimiore facto, accidi ac macreſcere quodam modo amant privatorum quorumque fortunæ, ſicut inter alios compluries movet ex profeſſo vetus noſter Amicus Caſpar Hofmannus in ſuo de liene opuſculo. Quanquam diverſa longè ratione vacuam eſſe magnitudinem Hepatis quam ſit lienis inficiari nolim, eapropter ſæpè mirari ſubiit tot Practicarum Medicarum conditores quòd importunæ hujus ac præternaturalis heparis μεγαλοσπλαγχνίας inter affectus medelæ indigos nullibi meminerint, cum tamen ipſi tam præſenti quàm imminenti non abs re obviam ire debeat Medicus ὁ χαρίεις quemadmodum agricolas de nimia ſive ramorum, ſive flagellorum, ſive florum luxurie reprimenda ſollicitos eſſe conſtat. Quâ verò arte hoc ipſum moliri queat ſolers artifex, diſcuſſione non eſt indignum. Quam in rem etiam ſi multa in medium proferre liceret, omnium tamen maximè heic commendandam puto τῆς τροφῆς ἀκρασίην Hippocr. dictam in Epidem. hoc eſt cibi parcimoniam & detractionem: quam idem etiam λιμὸν tamen in aphoriſmis vocavit, puta Aphor. 59. Sect. 7. qui ſic habet: τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα. Quem in aphoriſmum commentans Theophilus Protoſpatharius quem M. S. ex interpretatione Claudii Mitalerii Vienneniſis ita loquitur: Carnes humidas vocat Hippocrates multò ſanguine madentes his ergò famem adhibere convenit; hæc enim deſiccat, & ita contrariam diſpoſitionem inducit, contrariorum autem contraria prorſus ſunt remedia, hactenus ille. Enim verò ſicut in lucernis niſi reaffundatur oleum reſiccabitur ellichnium, ſic in nobis ſi nihil aſſumet corpus exſiccabitur inquit Holler. comment. in Aphor. Fames enim (addit Liebautius in Scholio) multò tutiùs ac ſecuriùs corpora carnes humidas habentia ſiccare ſolet, quam quodvis aliud auxilii genus ſiccandi vim habens, qualia ſunt exercitia, medicamenta purgantia, venæſectio, laconica, vigiliæ, medicamenta exſiccantia, &c. *Idem ibidem.*

Phthiſis & pericardii hydrops.

Vir viginti & quot excurrit annorum, febri correptus, in noſocomium delatus fuit, viribus magnâ ex parte jam proſtratis, & corpore extenuato: pulſum parvum & frequentem tuſſicula comitabatur: Hypochondrium dextrum mox tenſum, nunc molle tangentibus ſe offerebat; ſanguinem dehinc ſputo commixtum tuſſi reddidit, & reſpirare difficulter cepit: Malo perſiſtente febris hectica augmentum ſumſit, unde corpus adeò emaciatum fuit, ut ſceleton ſolâ cute velatum optimè retulerit; obiit hinc d. 7. Aug. Anno 1673. cultroque Anatomico ceſſit Excellent. Glaſeri p. m. nobis aliis cum φιλιάτροις præſentibus.

Ex abdominis cavitate ſerum idoneum profluxit: In hypochondriis hepar & lienem accuratè luſtravimus, rati fore, ut ex alterutrius ſcirrhoſâ duritie illius fontem erueremus: aſt illud laudabiliter habebat, hic verò hinc inde ſaltem, ſuperficiarias quaſdam obſtructiones, eaſque caleoſas oſtendit, id magis animadverſione dignum, quòd inſolitâ diviſione, in quinque lobulos lien fuerit diviſus: Cœtera hujus ventris legitimè erant conſtituta, omento excepto, quod ſummè erat extenuatum.

Pectus recluſum omnem calamitatis originem prodidit, enimverò pulmones anteriùs parvos, poſterius verò & toto reliquo ambitu, pericardio, pleuræ, diaphragmati, validiſſimè adhærentes, vix ac ne vix quidem integros divellere licuit: Erant hi vomicis purulentis hinc inde pleni: Membrana pleura digiti minoris craſſitiem acquiſiverat: Pericardium ichore copioſo vireſcente diſtentum fuit. Superavit quantitas, menſuram dimidiam noſtratem: cordis ambitum cruſta quædam candidans, levi ſcalptione ſeparabilis obtexit, thalami verò dextri cavum polypus occupavit. Atque his ſectioni finis factus fuit. *Idem ibidem.*

Phthiſis & pectoris hydrops.

Anno præfato ſectio inſtituta fuit cadaveris fœminæ cujuſpiam lectiſſimæ octodecim annorum, quæ cùm per ſeptem menſes, tuſſi vehementiſſimâ, à fluxione, ut judicarunt, jugi in pectus unâ cum febri aſſiduâ lentâ, conflictata eſſet, tandem fatis ceſſit: In ſectione ſequentia oculis notavimus:

Jecur molis perquàm amplæ, coloris cineritii, nullum ſanguinem ferro vulneratum ſtillabat: Lien quoque tum decolor, tum exanguis. Ventriculus admodum exiguus, Renes inculpati. Uteri fundum vix juglandis magnitudinem æquans, cujus ſubſtantia ſubdura erat & quodammodo cartilaginoſa. Veſicula bilaria penè vacua. Pulmo dexter undique coſtis pertinaciſſimè adhærens ac connatus, ſiniſter verò paulò minus, totus abſumptus erat, cavitas autem tota lateris ſiniſtri, humore ſubviridi, inſtar ſtagnantium longâque morâ vitiatarum aquarum referta viſebatur, ad menſuram circiter ℔ß. In cujus humoris imâ parte, ſubſidentia craſſa ac ſubalbida, verum ſcilicet pus aderat: Quod verò de pulmone ſiniſtro ſupererat exile κολόβωμα, fœtidis ulceribus variè conſperſum fuit. Cor flaccidum, ſanguis in venis nullus.

Scholium. Pandunt præſentes Hiſtoriæ ſeri virideſcentis corroſivam ferè acrimoniam, pulmonibus valdoperè infeſtam quorum vaſa & veſiculas erodendo, ulcera & vomicas funeſtas, imò ruptis fortè lymphæductibus ſiniſtri lateris, pectoris aſcitem in fœminâ juvene admodum produxit, ni per ipſum pulmonis lobum tranſſudâſſe ac erupiſſe ichorem acerrimum dicere velimus, à quo deſtructa ejus compages ipſa

ipſeque abſumptus atque exeſus fuit: Qui verò & unde ſerum tale pullulaverint, nobis proclive jam non eſt dicere, utpote de utriuſque victus ratione admodum non certi: in feminâ ferina tuſſis uti ſerum muriaticum oſtendit, ita viciſſim ſuccutiendo pulmones eorumque vaſa, ruptioni & ſic labi funeſtæ anſam dare potuit: In Viro præcedens febris itidem in ſcenam trahi poteſt, ſanguinis verò ſeroſam δυσκρασίαν, unde præcisè deducere velimus, non uſque liquet; ſuſpicari interim cauſas varias, hinc aliàs originem præbentes, neminem prohibebimus: aliàs noxa, quæ leviſſima videri poſſit, pulmonibus quandoque illata, ejuſmodi malorum lærnam parit, enimverò partis hujus legitimâ functione, corpus noſtrum ægerrimè carere poteſt, utpote quâ ſanguinis motus ſuſcitatur, particulæ torpidiores actuantur, verbo vita noſtra perpetuari ſolet. Pericardii copioſus ichor ex hoc ipſo ortum ſuum ſumſit, ceu alibi monuimus, docetque illud Clariſſ. Pejerus, cùm in merycolog. tum parerg. ſuis, in quibus viciſſim, occaſione Adoleſcentis aſcitici, eleganter pariter ac eruditè docet in hydrope ſæpenumero pulmones & cor, ſalvo hepate ac liene, primario atque unice laborare: Hepar certè & lien, exanguia licet fuerint, etiam vaſis ſanguine uſque orbatis, labem tamen aliam texturæ ſuæ ratione non oſtenderunt in Domicellâ: In Viro autem lien quinque lobularis obſtructiones quidem caſeoſas ſuperficiarias oſtendit: inde nihilominus concludi nequit, primarium hunc malorum fontem extitiſſe: Id magis mirum, ab ichore, cui innatabat, corruptiſſimo cor eroſum non fuiſſe, cujuſmodi contigit in adoleſcente alio, eodem anno à beato Glaſero noſtro diſſecto, hujus pericardium craſſum admodum fuit, aquâque loturæ carnium ſimili refertum, innatantibus iſti plurimis cordis fruſtulis quæ, (ceu Pejerus loquitur) velut carnei lemniſci illud cingebant, & ſolutâ hîc illic & corroſâ fibrarum cardiacarum compage, cui addimus hiſtoriam ſimilem ab Excellentiſſ. Borrichio Act. Med. Hafn. inſertam p. 173. de Centurione triplici hydrope enecto. In pectore, inquit, novus ſe calamitatis fons aperuit, enimverò & pulmones parvi, ex ſucci flaccidi & ſi ultimos margines excipias, ſemiputridi aquis fœdis copioſiſque innatabant, & quod ſtupori proximum, pericardium ita ampliatum diſtentumque, ut tres libras, (& quod ſuperat) acris turbidique liquoris ſinu ſuo complecteretur. Acrimoniam confirmabat non tantùm adſtantium & deguſtantium lingua, ſed & miſer cordis externa facies, quippe non modò membrana cordis propria abſumpta erat, ſed & exterior caro cordis ab humoris illius vi profundè exeſa, in lacinias & villos carneos putreſcentes abierat, reliquâ ſubſtantiâ interiore cõtractâ flaccida & marceſcente: Aliàs ejuſmodi pericardii aqua, flatusvè palpitationis cordis cauſa eſſe dicuntur, ita Clariſſ. Hollerius Schol. ſuper cap. 39. lib. 1. Excitari autem poteſt, palpitatio cordis à tuberculo, abſceſſu, multo ſanguine obſtructionem faciente, vermibus &c. aquâ tunicâ incluſâ, & humore putri ac malè olente plena, lapillis venenoſâ qualitate, ſive ab externis ſive ab internis, ſive in ventriculis cordis, ſive in ſubſtantiâ, ſive in pericardio &c. cauſa ſubſiſtat. Archidiaconi cujuſdam diſſecto cadavere, abſceſſus in ſubſtantiâ cordis inventus. In alterius pericardio aqua: in multis pericardium flatu diſtentum, qui tandem ſolet in aquam concreſcere. Cæterùm rarus eſt uterque hydrops, inprimis ſi alteram tantùm thoracis partem occupârit, obque hoc ipſum diligenti ſcrutinio dignus, ut pro viribus tam funeſto hoſpiti fores præcludere nôrit prudens Medicus: aliquot tamen hydrope pectoris affectorum exempla tum ex noſtris tum aliorum Authorum monumentis deprompta adhuc ſubjungemus. d. 26. April. 1673. ſecuimus Adoleſcentem phthiſicum, nomine Bernhardum Oſerum, cujus abdomine recluſo, gravis fœtor nares ilicò feriit, ſtabulante in cavitate, multa ſeri fæculenti copiâ, hepar, lien, pancreas, à ſtatu naturali parùm deſciverant, meſenterium verò glandulas majuſculas & minuſculas, ſubduras & caſeoſas plures exhibuit, thorax reſeratus ſerum copioſiſſimum ſimiliter profudit, pulmonibus hinc quidem vomicis purulentis, iſthinc verò caſeoſâ ſubſtantiâ turbidis exiſtentibus: Non diſpar fatum ſenſit B. Meſching 18. circiter annorum Virgo, cujus interanea Ann. 1680. d. 21. Martii in orphanotrophio luſtravimus præſentib. D. Petro Rochetto, Chirurgo Senatore, D. Uriel. Rizio Pharmacopola & D. Alexandro Piſtero Scafuſ. Innatabant enim Pulmones ſaniei purulentæ, Hepate prægrandis omninò magnitudinis & ferè exangui. Excellentiſſ. D. D. Mathæus Harderus An. 1675. Scafuſ. ſeq. hiſtor. perſcripſit. Nuper peregrè exiſtente Dn. Parente meo cum D. D. Parita de Papâ cadaver muliebre in Xenodochio aperui, in quo inſignem hydropem pectoris deprehendimus, pulmones planè erant putredine conſumpti, ſiniſtrum verò latus tres ſeri putridi menſuras continuit, ita ut ab aquarum copiâ, diaphragma, eâ quâ œſophagus progreditur parte, inſtar ſacci verſus ſiniſtrum Renem protruſum fuerit, Ventriculo hepati, quòd immenſæ magnitudinis erat ſuperjacente: Memoratu quoque digniſſimæ ſunt hiſtoriæ, quas Excellentiſſ. Piſo de morb. thorac. intern. ab illuvie ſeroſâ ex propriâ αὐτοψίᾳ recenſet: Anno inquit, circiter nono ſupra 1600. adoleſcens pius & doctus orthopnœâ inveterata à multis annis & febre funeſtâ laborans, hic extremum obiit diem, vi morbi repentè jugulatus, in ejus cadavere præter inflammatorium in hepate tumorem, repertus hydrops thoracis, ſed in uno duntaxat latere, & pulmo veſicis humore conſiſtente lentoque & pellucido inſtar albuminis ovi prægnantibus refertus. Hyeme autem ſuperiore duos quoque alios hydrope thoracis oppreſſos vidimus, quorum unus fuit Reverend. Canonicus, in cujus diſſecti cadavere, præter hepar tumidum, induratum, rètorridum, & pumicis inſtar hiulcum ac poris diſtinctum, univerſus thorax aquâ purâ plenus inventus & in ſtupendâ copiâ. Nec puerulos vel infantes recens natos ab iſtâ ſeri ſtagnatione vel inundatione immunes fuiſſe, cultro deprehendimus: d. 24. Mart. 1673. Infantulum, quem Mater ob Bellonæ ſævitiam exul, & toto geſtationis tempore variis morborum inſultibus tentata, paucis diebus ante enixa fuit, ſecuimus, in quo manifeſtum anaſarcam, quo jam in utero matris correptus eſſe credèbatur, obſer-

obſervavimus. Anno autem præcedente Clariſſ. Glaſerus interanea luſtravit nobis præſentibus, pueri obeſuli, qui 16. ſeptimanas ante obitum, tumore pedis ſiniſtri afficiebatur, cum aliquali artuum ſuperiorum imbecillitate, ita ut pedibus, quibus priùs alacris innitebatur, amplùs inſiſtere detrectaret: Abdomine tenſo & dextro hypochondrio duriuſculo exiſtente, unde aperitiva in uſum vocata fuere, temporis tractu aſthma cum ſtertore & tuſſi ſupervenerunt, tumore pedis tantiſper ſubſidente. Ultimis diebus dextrum hypochondrium magis induruit, artubus ſuperioribus & inferioribus, evidenter intumeſcentibus, uſque dum viribus dejectis, Spiritum Creatori reddidit 5. Octobr. Anni dicti. In cadavere omentum tenue inſtar aranearum telæ & ex parte conſumptum invenimus; inteſtina flatibus adeò diſtenta fuerunt, ut colon ſuper ventriculum fuerit expanſum, atque hinc reſpirandi difficultatem auctam fuiſſe, Beatus Glaſerus auguratus fuit, non rejecto hepatis pondere; quod liene octuplo majus naturalem magnitudinem exceſſit, nigricans & ſcirrhoſum, comparentibus intus creberrimis punctulis albis, pancreate & meſenterio naturaliter habentibus. Ren ſiniſter majuſculus, cùm incideretur premereturque, ſerum albicans & mucoſum ſtillavit. Pulmones humore ſeroſo & ſpumoſo ſcatuerunt, fluctuante in thoracis cavo aquarum copiâ *Idem ibidem.*

De Anatome Juvenis tabe confecti.

Adoleſcens annorum decem & octo, quem è Curlandia redux mecum adduxeram, ante biennium autem, & quod excurrit, ephippiario noſtrati, ut artem doceretur, locaram, robuſtus quoad externam faciem; turgidiſque lacertis ſpecioſus, dum apud me & opificem vixit, eſt de immoderata ſiti conqueſtus, idque habuit in ſe vitii, ut plenis buccis magnam cujuslibet potulenti humoris vim una vice deglutiret, quod eſt perquam pulmonibus moleſtum juxta atque noxium. Solitus etiam fuit, ubi peregrè ad nundinas commearet, æſtu defatigatus Acheloios hauſtus largiſſimo præbio infundere, quo in genere vehementer peccant noſtri homines, ac inde factum, ut nuſquam plures hecticos, quam in hac noſtra regione, repererim. Circa Feſtum Michaelis Archangeli 1684. de tuſſi & reſpirationis ab adſcenſu ſcalarum difficultate conqueri cœpit; quam tuſſim epidemiam, tunc equidem noſtrum præcordia lancinantem arbitrati, cereviſia calida butyrata oleo amygdalino, trochiſcis bechicis officinalibus, aliiſque euporiſtis abigere domeſtici ſuſtinuerunt. His autem cùm nil quidquam proficerent, ſed tuſſis, cum pituitæ viſcidæ copioſa exſcreatione intenderetur, quin totius corporis laſſitudo & macies, cum intenſa ſiti, ſe reliquis ſymptomatibus aſſociarent, ſuſpicione phthiſeos perterriti, ad me hominem ablegant; præſcripta huic rei idonea medicamenta, emulſiones, decocta, electuaria, pulveres, quæ aliis proficua toties expertus eram, at fruſtra. Acceſſit denique maligna febris cum delirio, quæ miſerum, procul dubio vitam, tametſi miſerrime, protracturum, jugulavit. Apertum poſt obitum cadaver, in abdomine veſicam oſtendit nimium grandem & urina turgentiſſimam, inteſtina præter communem, rubicundiora, hepar prægrande, pulcherrimum, niſi quod ejus ſubſtantia compactior quam pro ſolito, videretur. Ventriculum vix poteramus ab inteſtinis diſcernere, tanta & ejus erat anguſtia, & papyracea tenuitas. Dum ad Lienis ſedem ventum, illa hoſpite ſuo vacua reperta, niſi quod è quibuſdam indiciis ab internis coſtarum ſpuriarum ejus lateris parietibus deſumtis hariolari poſſem, & hunc præſentem, & illis coſtis adnatum fuiſſe. Abſumtus certè fuit, non defecit à nativitate. Renes nil oſtendebant vitii. Thorax apertus aquæ ſubcitrinæ ſcaturiginem fovit. Cor ſalvum & grandiuſculum. Pulmones præturgidi, ab utroque, magis tamen dextro latere coſtis firmiſſimè adnexi, ut abſque læſione ſeparari non poſſent; Maculis lividis & nigris penetrantibus diſtinctæ magnitudinis fœdati. Subſtantia horum ſcirrhoſa, arena & lapillis, plurimis cannabis ſemen magnitudine æquantibus, friabilibus tamen refertiſſimi. Ulceris nil adfuit. Caput non apertum.

Scholium.) Lien, mirabile viſcus, ſemper præbuit indagatoribus naturæ ſeculis meditandi anſam. Non jam de hujus uſu latius diſquiram, quem aliqui omnino nullum cenſent, alii, parum abeſt, quin omnem œconomiam animalem ab hujus nutu dependere aſſerant, alii humori atrabilario ſecernendo; alii ſanguinis pluſquam perfectioni; alii ſeri diſpenſationi, & quidem hi ultimi, me interprete, (ſua enim cuique ſponſa pulcherrima) quam maxime ad ſcopum collimantes præficiunt. Placet autem aliqua circa hoc viſcus, & ejus cumprimis defectum, poriſmata proponere, quorum primum eſto.

I. Fidem exſuperat, quod de Myconiis, quamquam obſcuriſſimè, Plin. hiſt. nat. l. 11. c. 37. tradit, eos nempe ἀσπλῆνας gentilitia proprietate naſci.

II. Hinc impii, & in Creatorem, nil fruſtra facientem, injurii cenſendi, Eraſiſtratus, Democritus, Rufus Epheſius & adſeclæ, qui lienem viſcus otioſum judicant & ἀνενέργητον quod de minima etiam fibrilla adſerere religioni ſibi quiſque Chriſtianus ducat.

III. Defeciſſe tamen in certis Individuis abſque vitæ jactura lienem, contra Lindenum, non negandum, id quod jam Ariſtoteli, & poſt hunc Hollerio, Laurentio, Schenkio, Kerkringio, aliiſque viſum; & Ephemerides noſtræ teſtantur paſſim, cum primis nobile exemplum Ann. 2. Dec. 2. obſerv. 143. abortus humani hepate & liene carentis exhibent.

IV. Eundem poſſe eximi ſalvo animali & ſatis commode vivente, ridiculum fuerit negare, cum id in canibus, ipſoque homine vel ſexcenties factum, obſervationes toto die loquantur; quas nuſquam ferè non collectas vide in Ephemeridibus Noſtris hinc inde, cum primis Dec. 1. Ann. 1. obſerv. 29. Ann. IV. & V. obſerv. 164. in cane, & obſervat. 165. & Dec. 2. Eph. Ann. 3. obſervat. 195. in homine; item à famigeratiſſimo Bartholino, Nobiliſſimo Tillingio noſtro & aliis.

V. Hanc vero lienis caſtrationem luſum vocare

re, quod alicubi legimus, non parum mihi temerarius ſermo videtur.

VI. Nec proinde cum aliquibus facio, qui arbitrantur, eximendum in affectibus ſpleneticis lienem. Videtur enim mihi operatio valde periculoſa, cum dubium ſit, num hi affectus alia ratione ſint incurabiles; Et ſi iſtæ paſſiones non ſumme doloroſæ, & cum certiſſimo ſubjecti interitu conjunctæ ſunt, ferendas potius, quam crudeli medio tollendas exiſtimo.

VII. Lienem poſſe certis herbis comeſtis aut medicamentis adhibitis, abſumi, vix credo; à ſeri acrimonia vero, & diatheſi morboſa, id aliquando fieri, ſupra recenſita aperti cadaveris hiſtoria confirmare videtur; Eſt enim ejus ſubſtantia pultacea, propriiſſimè loquendo parenchymatica, ſeu quaſi ſanguinis quædam effuſio, ideoque minimo negotio ſolubilis.

VIII. Hinc oritur quæſtio, an in præſenti cadavere cauſſa mortis ſit in defectu lienis inveſtiganda, cum ſupra ſit notatum, hunc poſſe ſalvo ſubjecto eximi? Et reſpondetur, quod ſic. Non quidem ſolitariè, ſiquidem & pulmo fuit affectus, ſed conjunctim. Aliud enim eſt liene poſſe exſcindi ſalvo ſubjecto, aliud lienem à pravis humoribus abſumi, unde diſtinctio latè pateſcit.

IX. Quid tenendum de antiquiſſima opinione, cujus & Plinius & Macrobius mentionem injiciunt, remorari nempe curſum ſplenem, atque ideo curſoribus eſſe adurendum? Hunc nodum felicius ego non ſolvero, quam Excellentiſſimus Hercules Noſter in Phyſiologia Medica ſect. 3. cap. 20. de uſu lienis, eum brevibus, ſed accuratiſſime ſolvit. Ut tamen & de meo adjiciam, unde hæc controverſia illuſtrari queat, noto, heic Crailshemii vixiſſe virum, olim mihi puero notiſſimum, ſed ante aliquot jam annos grandi ſenio confectum, ſutorem, qui vel ipſos hemerodromos Lacones, quos Cornelius Nepos laudat, aut Ladam Macrobianum famoſiſſimum curſu æquarit. Huic autem puero ab ulcere ſiniſtri lateris adroſum ſplenem excíſum fuiſſe, tota civitas hactenus pro rato habet. Notandum autem, dictum virum, ubi peregrè abiret, ſcipionis loco, utraque in vola geſtaſſe aut lapidem, aut ceſpitem, aut aliud quidpiam, quocum pondere brachia quaſi librarentur, totique corpori alarum aut remorum ad inſtar inſervirent. Hoc in memoriam revocavit illuſtrem Verulamii locum Silv. Silvar. Cent. 7. Experim. 699. quem heic integrum exſcribere fas eſto: „ Currentis augetur celeritas à pondere manibus comprehenſo. Cauſſa eſt, quia pondus, (proportionatum nempe) nervos contrahendo, illos corroborat. Qua contractione, ubi opus non eſt, impedimento erit pondus, quod in curſus certamine per equos inſtituto patet. Accuratè enim præcavent, ne vel minimo pondere alter præ altero equus gravetur. In curſu cum pondere brachia prius retrorſum pelluntur, deinde antrorſum cum impetu ſenſibiliter creſcente; manus enim retromittuntur antequam promoventur, Hæc Verulamius. Denique, ut de liene finiamus.

X. Poſſit aliquis ſuſpicari, unde veniat, teſtimonio quorundam Auctorum, canes exſecto liene longo alacriores factos, & optima ſanitate gaviſos, vid. Dec. I. Ann. IV. & V. obſervat. 164. Ephemer. Cur. Si tantus eſt, uti eſt, hujus viſceris uſus, & unde hic ſuppleatur? Neſcio ſane, qua ratione quis heic ſe poſſit extricare, niſi ſtatuat, aliud quoddam certe lieni analogum viſcus, ab affluentibus humoribus & operatrice natura regenerari; quod de abſumtis aliqua ſui parte viſceribus aliis pulmonibus, hepate &c. verum eſſe, aliquorum obſervationes perſuadere volunt; utrum de viſcere planè abſumto, vel arte ſublato idem poſſit ſtatui, judicandum aliis relinquo, nec tamen poſſum, quin fatear, me in hanc ſententiam inclinare. Poſſet rei veritatem explorare, qui canes, olim ſplenotomiam expertos poſt aliquot annorum decurſum aperiret. Id in Cane Clarkii ſuperior. obſerv. alleg. quidem factum, ſed nil de liene aut analogo viſcere regenerato dicitur. *Clar. Dom. Roſini Lentilii.*

Phthiſicus inopinata morte ſuffocatus.

Quater novem annorum vir Phthiſicus repentina morte tollitur.

In thorace circa Arytænoidem cartilaginem collum inflatum inſtar ſtrumæ erat: vivens tamen inflationem non habuit. Pulmones exulcerati & pure pleni. Et quod mirum, fruſtum rupti pulmonis tracheæ fiſtulam ita obſtruxerat, ut aër vi inflatus in pulmones adigi non potuit.

Phthiſis pulmonum ulcus eſt, cum febre, tuſſi &c. cauſa repentinæ mortis fuit obſtructio Tracheæ à fruſto pulmonis putridi, unde reſpiratio impedita, & ſuffocatio. Iſta colli inflatio forte à convulſione inter moriendum genita eſt, alias ipſam vivus animadvertiſſet. *Stephanus Blancardus in Anatomia Practica Rationali.*

Phthiſici Anatome.

Puer duodecim circiter annos natus, Poſt diuturnum decubitum tandem phthiſicus extinguitur.

Mediaſtinum putrefactum. Pulmones albicantes, innumeris puſtulis undique ſcatebant; craſſum pus continebant. In pericardio ultra duodecim cochlearia lymphæ flavæ erant. Hepar pallidum & lien: plurimæ puſtulæ albicantes, quæ diſciſſæ, glandularum ſubſtantiam æmulabantur eas partes obſidebant. Inteſtina flatulenta, plurimis maculis lividis & plumbei coloris occupata.

Phthiſis eſt pulmonum Tabes, ut vulgo notum; ex craſſo ſanguine levi occaſione eorum compages veſicularis obſtruitur, hinc inflammatio, exulceratio, tuſſis, cæteraque ſymptomata; quemadmodum hujus farinæ obſervationes in præcedentibus aliquando explicavimus.

Ob vaſcula lymphatica in Pericardio rupta, effluxit lympha, hinc tanta copia collecta fuit.

Quoad glandularem ſubſtantiam, revera glandulæ fuerunt, quæ propter obſtructiones mole immenſum uſque ſæpe excreſcunt. *Idem ibidem.*

Phthiſici diſſectio anatomica.

Ex Matre phthiſi mortua natus quidam ſtudio-

dioſus noctu vagabundus, & quoſvis cibos ac potus ſine diſcrimine ingurgitans, violenta ac diuturna tuſſi tangitur, tempore nocturno præſertim affligente: ſputum erat rotundum, poſtea virulentum & ex albo vireſcens: huic Hæmoptyſis ſuccedebat copioſa & anorexia, cum febri circa veſperam magis recrudeſcente. Adeo emaciatus fuit, ut oſſa vix cute obducerentur. Manus & pedes calore languido tumebant: poſtea diarrhœa ſuperveniente, auxiliiſque omnibus incaſſum tentatis, eſſe deſiit.

Pulmones aperto cadavere ſuppurati. Iiſque diſſectis, pus fætidiſſimum totumque cubiculum inquinans, inventum eſt.

Quid Phthiſis ſit, & quid de ea dicendum, in ſuperioribus plus ſemel enarravimus. Ex Hippocrate id veriei contigit, cùm dicit Tabido diarrhœa ſuperveniens, lethale. Licet matre tabida natus, nihilominus mala victus ratio, huic malo producendo, non parum contribuit. *Idem ibidem.*

Phthiſici Cadaveris Inſpectio.

Pulmones exucci. Auricula cordis dextra ſanguine coagulato turgida. Hepar ſcirrhoſum: Thoracem & Abdomen multum liquoris ſubflavi madebat. Pancreas durum: cætera viſcera flaccida. *Idem ibidem.*

Phthiſici Anatome.

Habitu quidam pinguiori, annis abhinc binis admodum macilentus fit, ita ut cutis vix oſſibus hæreret, atqui ſic tandem in Phthiſin incurrit. A prima hujus morbi inſtantia vox adeo intercipiebatur, ut vix particula affirmativa aut negativa effari potuerit. Ante ſex menſes ei tumor infra mentum ſuccrevit, quo nihil cibi ſolidi per œſophagum deglutire quiverit, ſed potulentis ſeſe per aliquod tempus ſuſtentavit, donec ob vires deperditas ad plures abierit, evaneſcente tamen prius tumore.

Pulmones adeo leves erant & ſpongioſi, ut vix plumam cederent: paucum ſanguinis continebant, ex eorumque vaſis purulenta quædam exprimebantur. In larynge nihil tumori ſimile repertum.

Omentum pene conſumptum. Inteſtina inflata & vacua. Ileum fuit nigricans. Hepar luridi coloris. Bilis ſolito obſcurior.

Membranæ circa mentum fortè inflatæ fuerunt, unde tumor, quo & cibi deglutitio & loquela impediebatur. Nam ſi adfuiſſet Steatoma, illud non tam facile evanuiſſet. Cætera de Phthiſi ſuperius dicta. *Idem ibidem.*

Phthiſis in qua pulmo interiùs ſcirrhoſus extus adhærebat coſtis, &c.

Juvenis & elegans mulier ferâ cordis palpitatione frequenter oppreſſa, delapſa eſt in Phthiſin, quæ corpori macie confecto vitam celeriter extorſit. Aperti cadaveris abdomen ſerò lympidô plenum fuit. Vaſa pancreatis ſanguine coägulatô turgida. Hepar mole & pondere inſigne. Veſicula fellea atrô & piceô, viſcidôque ſuccô plena. Cordis ventriculi, auriculæ & vaſa polypis & coägulatô ſanguine infarcta, ita intumuerant ut quartam fermè pectoris cavitatis partem occuparent. Pectus ipſum cruentô ſerô plenum. Pulmo exteriùs integer, ita tenaciter coſtis adhæſit, ut vix ab adjacente pleurâ divelli potuerit: Interiùs durus, ſcirrhoſus, atrô aliàs ſqualebat tabô; aliàs ſpumante pure liquabatur. Nemauſi, menſ. Martiô, Ann. 1676. *Ex communicatione Viri Clariſſ. Domini Rivalier Medici Nemauſenſis Celeberrimi.*

Phthiſis in qua multiplex ac varium viſcerum tum vitalium, tum naturalium vitium repertum eſt.

Juvenem annorum tredecim exagitabat tuſſis fere indefeſſa, ſicca æquè ac violenta. Temperamentum calidum & ſiccum illi in ſortem ceſſerat, unde ad quemvis rei odioſæ etiam ſpeciem vehementer excandeſcebat, ac ſubinde furore ita abripiebatur, ut plerumque atris moribus ſibi & domeſticis intolerabilis eſſet. Altum erat abdomen à tumore tactui facilè obviô: reſpiratio intricata quaſi ex abdomine cogebatur; febris, quamvis aliquatenus inſenſilis, corpus tamen vix perceptibili ruinâ perdebat. Duobus Medicis commiſſa eſt ejus cura, ſed remedia uſu & ratione maximè comprobata, inutilia hic fuerunt, & tandem poſt duorum annorum ægritudinem, inter medicamentorum & affectus tædia lethargicus exſpiravit; Februarii ſcilicet 27. anni 1678. Rogavi ut cadaver mihi in ſectionem cederet, quod amicè obtinui. Sceleton è ſepulchro erutum, potiùs quàm corpus ante ſex horas extinctum dixiſſes, in quo omnium oſſium demonſtratio facilis & expedita fuiſſet. Abdomini primò admotâ novâculâ; Omentum penè abſumptum apparuit: Inteſtina putredine infecta: Meſenterium innumeris glandulis ſcirrhoſis, aliis nucis avellanæ, aliis fabæ, aliis piſi magnitudine, obſeſſum: Renum alter nucem juglandem vix æquans, parenchymate prorſus deſtitutum, membranis ſuis merum concludebat vacuum; alteri multò grandiori ſua conſtabat conformatio: Veſica urinaria quamvis lotiô diſtenta, ejus nihil emittebat, non quòd arenulæ, vel calculi, vel pituita exitum illi intercluderent, nihil enim tale repertum, ſed proculdubio ob lethargum ſpirituum irradiationem impedientem, ſenſationemque irritationis in hac parte, ac ejus fibrarum vim retundentem: Vaſa umbilicalia non abierant in merum ligamentum, ut moris eſt, ſed grandiora illa, ac cavitate donata, videbantur: Jecur ſtupendæ erat magnitudinis lineis albidioribus, ſicuti marmor, diſtinctum, illudque variis in locis diſſectum, plurima intra ſui ſubſtantiam tubercula verô pure referta prodidit: Subditus illi ventriculus ab ejuſmodi mole adeò comprimebatur, ut nativam non ſervaret extenſionem; adde his bidui ſpaciô ægrum lethargô obrutum, nullô alimentô ejuſdem cavitatem ampliaſſe: Pancreas colore erat ſatis naturali, at quod ex pluribus glandulis, membrana communi veſtitis, invicemque per vaſa conjunctis, in unum compaginatur corpus, de glandularum conglomeratarum genere; hîc glandulæ potius conglobatæ ſpeciem præbebat; ſolidum enim erat undique, ac per ſuas glandulas minùs diviſibile; figura præterea non longior, & inæqualis, ſed ovalis

ac debito multò elatior reperiebatur; canalis verò aut prorſus erat obliteratus, aut ſaltem oculatiſſimorum etiam aciem fugiebat: Situm & magnitudinem naturalem obtinebat lien, ſed ejus ſuperficiei aſperſæ erant plures miliaceæ aſperitates.

His perluſtratis ablatum eſt ſternum, quò partes ſpiritales paterent; tumque inventus eſt pulmo undique coſtis, ſterno ac vertebris adnatus, ſcirrhoſæ prorſus naturæ; materia ſcilicet purulenta quâ infarciebatur, non ampliùs fluida, ſed veſiculis ſuis ac toti ſubſtantiæ ita impacta erat ut ſolidiorem multam faceret, aëri in reſpirationis uſum admittendo prorſus inhabilem; nam eò etiam per follem magnâ vi impulsô, non conceſſum fuit intrudere; unde non parum mirari ſubiit, quô demùm organo reſpiratio, vitæ prorſus neceſſaria, perfici hic poſſet, ſupererat reverâ in ſuperioribus viſceris ac ad ejus dexteras particula quædam velut ala minùs obſtructa & mollior, aëris portionem liberiùs admittens, ſed quid hoc ad integri viſceris, ſeu potius maſſæ ſanguineæ ipſum trajicientis, commoda? Probabile itaque crediderim non tantùm per partes ac ſenium perditum fuiſſe tam nobile viſcus, & propterea reſpirationem, quamvis languidam, ad extremas perſtitiſſe horas; Sed illô, demùm tempore lenticribus redditis ſuccis, in tartareum quid concreviſſe reſpirationis canales & pulmonis ſubſtantiam ita opplens ut deficiente prorſus aëris ſuſceptione, ſicque ablata reſpiratione, vita non ulteriùs prolongari potuerit: Pericardium craſſitiem & magnitudinem obtinebat ſtupendam, & unâ parte immediate cohærebat ſterno, nullô apparente mediaſtini veſtigiô, alterâ pulmonibus agglutinabatur; ingentemque efformabat cavitatem, in qua tamen nullus liquor repertus, ſed tantùm cor parvulum, molle ac flaccidum: Eô adapertô vidimus dexterum ſinum à naturali ſuâ expanſione non parum fuiſſe impeditum per fibrillas parietes oppoſitos variis in locis invicem quodammodo colligantes; ſiniſtrum verò occupabat polypus, ſeu concretio pituitoſa, ejus fundo mediantibus duabus radicibus annexus, & in aortam ad novem circiter tranſverſos pollices extenſus.

Interiora tandem cerebri rimari conſultum fuit, illudque propterea juxta conſuetam methodum adaperuimus. Statim ſe nobis exhibuit polypus, ſeu ut priùs dictum concretio pituitoſa, per totam ſinus falconati longitudinem ad integram ejus oppletionem excurrens: Diſſectâ durâ meninge unciæ ad minimum viginti ſeri ſubflavi effluxere, nec ſic tamen minùs diſtenta undique apparuere vaſa ſanguifera, parum quidem cruoris, multum verò ſeri ex flavo vireſcentis concludentia: Cætera cerebri inculpata fuere.

PHYMA.

Phyma latinis Tuberculum, comprehendit in genere puſtulas ac tumores omnes p. n. erumpentes in exteriori corporis ambitu: ſtrictè verò glandularum inflammationem cum ſubſequenti ſuppuratione ſignificat. Quomodocunque autem ſumatur non opus eſt ut caput diſtinctum inde conficiamus, quandoquidem quicquid ad hujus morbi curam ſpectat facilè reperire eſt ubi de Tumoribus, & in ſpecie ubi de Furunculo. De hoc itaque jam ſatis.

PICA Vid. *MALACIA*.

PILORUM MORBI.

De iis accuratè & eruditè pro more, diſſerit Clar. Vopiſcus Fortunatus Plempius in ſuô doctiſſimo de Affectibus Capillorum Tractatu, qui ſic habet.

Capillus dicitur quaſi capitis pilus, ut tradunt illi, qui verborum rationes origineſque inquirunt. Litera L. liquida geminatur, contrà quàm fit in primogenio, pilus, quod priorem corripit.

Caput deducunt à Græco vocabulo κεφαλή vel à κόρρα ejuſdem ſignificationis voce. Alii Romanorum, teſte Cicerone, doctiſſimum Varronem ſecuti etymi rationem indè arceſſunt, quod à capite initium capiant ſenſus & nervi. Atque hanc etymologiam multi probant, quorum tamen in cenſu nomen ſuum non profitetur eruditiſſ. Ger. Johan. Voſſius, qui mavult caput nominari à κεφαλή. Nam & φ, inquit, interdum abit in tenuem p. quomodo a σοφὸς eſt ſapio; à κάρφω, carpo, &c. & è non rarò in à abit; quomodò à μένω eſt maneo; ab ἔνος, annus; a σέβομαι, id eſt colo, veneror, Sabini; ab Hebræo & Syro ereb, quo ἑσπέρα, id eſt, veſpera ſignificatur, Arabes. Quod ſi hæc, addit, minus placent; fuerit caput à cap curvare, vel Syro capa inclinare; quia caput formâ eſt globosâ & ad inclinandum ſe idoneâ. Sanè à Syro illo eſt & κύπτειν caput inclinare. Huic præclaro Viro conſentit Johan. Henr. Alſtedius in omni ſcientiarum genere non minùs excellens.

In animantium autem genere humanum caput maximè eſt piloſum. Cujus cauſam tum ad neceſſitatem; tum ad præſidii rationem eſſe referendam auctor eſt magnus Stagirites. Ad neceſſitatem quidem, propter cerebri humiditatem & commiſſuras calvæ: nam ubi plurimum humoris caloriſque eſt, ibidem ortum pilorum eſſe exuberantem neceſſe eſt. Præſidii autem ſeu adjumenti ratio eſt, ut frequentia pili caput operiens defendat à nimio frigore & calore. Cum enim cerebrum hominis portione maximum & humidiſſimum ſit, maximam etiam tutelam deſiderat. Res namque corporis noſtri humida quæque & incaleſcere & refrigerari maximè apta eſt: quæ autem contrà ſe habet, hæc minus affici poteſt. Adde & ornatum, qui ſit velut in ædificii culmine, neque in orbem coactus, neque in pilei figuram teres factus, ne quibuſdam partibus nudis, eſſet informis: ſed alibi infuſus, alibi retractus, pro cujuslibet loci decentiâ, ut ita loquar, ſpeciem miri oſtendit decoris. Proindè memoriæ traditur, Charilaum nobilem Lacedæmonium interrogatum, cur comam nutriret, reſpondiſſe: quoniam ex omni ornatu hic pulchrior foret venuſtiorque, ac ſumtus minimi. Quam ob rem & Silius Italicus Poëta & tertium Conſul Romanus in laudibus Scipionis ita ſibi canendum cenſuit:

Martia frons, facileſque coma, nec pone retroque.

Cæſaries brevior.

Philoſtratus in quâdam ſuâ epiſtolâ comæ decorem commendat ad hunc modum: caput crinibus luxurians amœnius eſt longè Palladis germine: hanc enim arcem minimè omnium glabram atque incomtam decet conſpici. Hiſce calculum adjicit prophetica ſententia Eſaiæ tertio: calvum reddet Dominus verticem filiarum Sion. Et Lycurgum ſcimus, cives aſſuefeciſſe comam nutrire; quoniam pulchros quidem decentiores redderet, deformes verò terribiliores, ac magis formidabiles. Nam & jubati leones tigreſque terribiliores viſuntur cæteris eo exutis ornamento.

Iſti capitis tegmini à naturâ dato fidentes veteres nullis pileis uſi ſunt, ſed vel nudo capite fuerunt, vel veſte caput velaverunt: cum nulli in veteribus Romanorum ſtatuis; nulli in æneis quoque nummis pilei viſantur. Nulla etiam pilei vel cauſiæ, qui eſt pileus expaſſos habens margines, ad arcendum æſtum, ne apud Homerum quidem mentio: adeò ut nudi capitis conſuetudo à caſcâ Græciâ, cui capitis operimenta uſitata non fuere, ducta videatur. Inter Romanos Julius Cæſar, ut Tranquillus prodidit, calvitii deformitatem iniquo animo tulit; ideoque deficientem capillum revocare à vertice aſſueverat: atque ex omnibus decretis ſibi à Senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit, aut uſurpavit libentiùs, quàm jus laureæ coronæ perpetuò geſtandæ: idque ad calvitium celandum. At verò minimè eam tanto expetiviſſet opere, ſi pileus in uſu fuiſſet, longè ſcilicet aptior & fidelior ad diſſimulandum calvitium, quàm corona.

Nihilominùs tempora quædam fuerunt & homines, quibus jus & uſus capitis tegendi.

Temporibus comprehendo ſacra, ludos, Saturnalia, peregrinationem, militiam.

Sacra ſeu ſacrificia velato capite peracta fuiſſe priſco ritu literatoribus notum eſt. Undè flamen quaſi filamen dictus, quod caput filo lanæ præcinctum haberet. Disertè Servius in 8. Æneid. flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga deſuper habens lanæ aliquid. Quod cùm per æſtus portare non poſſent, filo tantum capita religare cœperunt. cùm per æſtus portare non poſſent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitùs eos capitibus incedere nefas fuerat. Unde à filo, quo utebantur, flamines dicebantur, quaſi filamines. Verùm feſtis diebus filo depoſito, pilea neceſſe erat accipere, quæ ſecundum alios ad oſtendendam ſacerdotii eminentiam ſunt reperta: ſicut columnæ mortuis nobilibus ſuperponuntur, ad oſtendendum eorum columen. Hæc Servius eo loco. Plutarchus à pileo, quaſi pileamines, dictos arbitratur. Voſſio neque à filo neque pileo id nomen accepiſſe videntur: longiùs enim vocabula hæc abeunt. Sed eſt, inquit, flamen à flameo, hoc eſt, velamento capitis, quo utebatur. Id autem flameum vocatum à flameo colore. Hujus verò coloris erat, quia erant ſacerdotes Jovis tonantis, cui is color convenit. Illud geſtaminis genus etiam apex dicebatur. Sic enim Juvenalis:

Et tollens apicem generoſo vertice flamen.

Maximus item Valerius inter ſacrificandum Sulpitio apicem prolapſum ſcribit. Numa Pompilius de Pontificalibus agens titulum appellat, quem ait eſſe pallium, quo ſacerdotes caput tectabant, cùm ad ſacrificium accederent. Virgilius:

Et caput ante aras Phrygio velatus amictu.

In ludis quoque, Saturnalibus præcipue, hoc eſt liberrimæ vitæ diebus, pileus admittebatur, ſignum ſcilicet libertatis. Quo ſenſu Martialis Romam pileatam vocat:

Permittis, puto, pileata Roma.

Illo nimirùm tempore paſſim per agros urbeſque ferè omnes læti agebant, & cum dominis famuli epulabantur.

Peregrinatio inſuper capitis tegmen ſibi vendicabat, quod erat cauſia ſive petaſus, qui ad umbram faciendam marginatus erat, & adverſus pluvias, æſtus, ac ventos imprimis idoneus. Plautus peregrè euntibus aut venientibus petaſum ubique aptat. Cicero tabellarios petaſatos venire ait. Auguſtus teſte Suetonio, domi quoque non niſi petaſatus ſub dio ſpaciabatur: qui aëris & Solis erat impatiens.

Denique in militiâ pileorum uſum fuiſſe, ſuadet Vitruvius: uſque ad præſentem, inquit, ætatem conſuetudo permanſit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocant, ex pellibus uterentur. Auctor tamen eſt Suetonius, armorum & equitandi peritiſſimum Julium Cæſarem, laboriſque ultra fidem tolerantem, in agmine nonnunquàm equo, ſæpius pedibus anteiſſe capite detecto, ſeu Sol ſive imber eſſet.

Jam & homines certi à communi illo more excipiebantur. In primis liberti novi. Nam ſervis, ſimul atque manu miſſi eſſent, capilli radebantur, & capite calvo pileus imponebatur. Plautus:

Egò hodiè raſo capite calvus accipiam pileum.

Hinc ad pileum vocati ſervi dicuntur Livio paſſim & Senecæ, quibus promiſſa conceſſave libertas erat. Præterea ægris capitis firmandi gratiâ pileo uti licuit. Sic Ovidius amantem ſuum de morbo & pallore fingendo inſtruens, pileolum ei inter ſigna tribuit:

Arguat & macies animum; nec turpe putaris
Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.

Alii legunt palliolum. Idem Senibus licuiſſe Nicephorus Gregoras oſtendit lib. 10. ubi morem eum cum Romano imperio Byzantium tranſlatum docens; de capitis tegmine ait moris apud ſuperiores fuiſſe, ut ætate provectiores aulici pileis turbinatis uterentur, ſerico textis; juniores autem omnes prorſus nudis eſſent capitibus.

Dicat aliquis, ſi omnes extra memorata tempora & perſonas, nudo & aperto erant capite veteres, quomodò Plinius, Plutarchus, Salluſtius, Seneca, aliique prodiderunt, qui viris dignitate præditis & honore dignis fortè occurrerent, obvios caput aperire conſueviſſe? Reſpond. aut de ijs hoc intelligi poteſt, qui operto capite aliquâ ex cauſâ incederent, ut milites & liberti pileo, ſacerdotes flameo, omnes pluvio tempore galero, in Sole & per viam petaſo ſeu cauſiâ. Aut capitis illa tectio & apertio non tam de pileo, quam de togæ laciniâ erit accipienda. Laciniam enim iſtam in caput

ſæpe rejiciebant contra ventum, vel æſtum; eamque detrahebant viro aliquo præluſtri occurrente.

Sed è diverticulo in viam redeamus. Partes capitis, quæ pilis teguntur, ſunt ſinciput, occiput, tempora, ſupercilia, cilia; & in viro juſtâ ætate labrum ſuperius ac mentum.

Sinciput non quaſi ſine capite, ut quidam explicant: neque, ut alii, quaſi ſincerum caput, ſed quaſi ſemi caput: nempe quia eo dimidium capitis denotatur; undè & Græcis *hemicephalion* vocatur: iiſdem & bregma dicitur vel bregmos à βρέχειν, hoc eſt, humectare, madefacere, eò quòd hæc pars humida ſit infantibus.

Occiput conflatum eſt ex ob & caput; quia ea pars ſincipiti opponitur. Nam hanc eſſe vim præverbii ob, paret ex obvio, obverto, oppono.

Tempora vel timpora, hoc enim modo in probatis codicibus ſcriptum invenitur; ita vocantur, non quia, quaſi tempora, quibuſdam intervallis mutantur, uti vult. Iſidorus: ſed quia ex iis tempus, hoc eſt, anni ſive ætas hominis cognoſcitur.

Supercilia dicta ſcribit Iſidorus, quia ſuperpoſita ſunt ciliis. De ciliorum voce Feſtus ſic cenſet: cilium eſt folliculus, quo oculus tegitur; unde fit ſupercilium. Et Iſidorus cilia inquit eſſe tegmina, quibus cooperiuntur oculi; & dicta cilia, quòd celent oculos, tegantque tutâ cuſtodiâ. Sed cum cillere antiquis ſit movere; veriſimilius eſt, cilia dici, quia perpetuò cillant; quemadmodum palpebræ nominatæ à perpetuâ palpitatione. Etiam Lactantius accedit Feſto atque Iſidoro: nam inquit: ut oculi munitiores eſſent ab injuriâ, ciliorum tegminibus Deus occuluit: undè oculos dictos eſſe Varroni placet. Sed enim videri queat, non tàm primò id notare, quàm per ſynecdochen partis: propriè autem ſignificare non totam oculorum tunicam, ſed ſuperiorem; nec hanc totam, ſed crepidinem ejus, undè pili exeunt. Plinius id indicat l.11.c.37. ubi ait: extremum ambitum genæ ſuperioris antiqui cilium vocavere; undè & ſupercilia. Quo loco genæ non ſunt malæ, ſed oculorum tegmina, undè palpebræ prodeunt. Hadrianus Junius in Nomenclatore ſuo, cilia ait eſſe pilos è palpebris natos; & ſupercilium ductum pilorum ſupra palpebras. Sed pili iſti Plinio dicuntur palpebræ, non cilia loco jam citato: palpebræ, *inquit*, in genis homini utrimque. Defluere eas haud immeritò venere abundantibus tradunt.

Labrum, uti & labium venit à Græco λαβεῖν, labiis enim ſive labris cibum apprehendimus. Donatus ad Terent. Eunuch. act. 2. ſcen. 3. vult labra eſſe ſuperiora, labia inferiora. Aretius contrà ſentit.

Mentum Iſidorus ſic nuncupari putat, quòd ibi mandibulæ oriantur, vel quòd ibi jungantur. Mirifica herclè etymologia, mentum à mandibula! Paulò veroſimiliùs Jovianus Pontanus in Actio ſuo dictum ait, quia hiantibus nobis moveatur, nempe ut ex movimentum ſit momentum, & hinc mentum. At Jul. Scaliger exercit. 307. deducit à μηνύω, id eſt, indico, ſignifico; quaſi eſſet menutum. Rationem affert hanc: quòd mento demonſtrent pueri & muti, atque alii, etiam intenti, ubi loqui nolunt. Vel ſit mentum à meno, undè & mentio, & commentum.

In hiſce ergò capitis partibus naſcitur capillus, pilus, crinis, coma cæſaries, capronæ, antiæ.

De capillo antè vidimus, dictum videlicet ita eſſe, quaſi capitis pilum. Ab eo eſt capillitium & capillamentum & capillago, quo utitur Tertullianus.

Pilus à pelle, è quâ prodit; ita Iſidorus & Perottus. Sed eſt fortaſſe à πῖλον, pluma, inquit Voſſius. Nam quod in piſcibus ſquamæ, in avibus plumæ, hoc in pedeſtribus pili. At forteàn meliùs à πῖλος propter denſitatem.

Crinis à κρίνω, id eſt, diſcerno; quod crines diſcreti ſint.

Coma eſt Græcum κόμη à κομεῖν, id eſt, curare ornare; quoniam ſtudio excoli requirat. Sunt qui comam quaſi κόσμον & capitis ornamentum dici autumant: quâ ratione & arborum folia comæ dicuntur, quòd ad ornatum ſint comparati. Undè hyems ventorumque injuria exuere plantas honore ſuo, & exſpoliare comis legitur, ubi frondes decutit. Nec deſunt, qui à κόπτειν, à cædendo vocis originem derivare malint, ut ab ejus verbi præterito κέκομμαι deſcendat. Quorum opinioni refragari videntur Servius & Donatus, nobiliſſimi Grammatici; quorum ille comas eſſe capillos non tonſos annotat; hic comarum ſignificatione prolixitatem monſtrari ſcribit. Uſque adeò non eſſe fidendum etymologiæ videtur, ut eam non immeritò Galenus noſter dixerit mendacem teſtem.

Cæſaries, nunc dicimus; fortaſſis & olim Cæſaria. Eſt à Cæſa: ut à luxu venit luxuria & luxuries. Cum autem ſit à cædendo, tantùm erit virorum: quod monet etiam Servius & S. Iſidorus.

Capronæ ſive caproneæ aliquibus dictæ videntur, quia caprorum propriæ ſint. Hæc ab aliis rejicitur ſententia, recipiturque Feſti, qui ait capronas eſſe equorum jubas in frontem devexas; quaſi à capite pronas. At Nonius non equorum modò, ſed & hominum facit: generatim enim ab eo definiuntur, comæ, quæ ante frontem ſunt. Deindè, idem ac Feſtus, etymon ſubjicit, adductis his Lucillii verſibus:

Aptari caput, atque comas fluitare capronas
Altas frontibus immiſſas, ut mos fuit illis.

Forſan tamen non eſt vox compoſita, ſed ſimplex ſive à capite, ſive à caperando, quia frontem caperent corrugentve. Had. Junius idem ait eſſe antias & capronas. Et ex iis quidem, quæ de his veteres prodidere Grammatici, difficile eſt dicere diſcrimen. Differre tamen vel fidem fecerit Apuleius lib. 1. flor. ubi ita ſcribit: jam primum crines ejus præmulſis antiis, & promulſis caproneis, anteventuli & propenduli. Dictæ ergò antiæ ab ante.

Iſta Grammatica ſunt & Philologica, eruditis tamen literatoribus grata. Nunc quod propoſitum eſt, perſequamur; affectus, inquam, capillorum explicemus & curemus, quod Medicum eſt.

Quid autem, inquies, rei vilis, excrementitiæ, vitæ expertis curam geris; & non potiùs partium corporis affectus tradis? Ego verò aio capillos, etſi fortaſſe corporis quiſquiliæ & retrimenta ſint, tamen quia præcipuum ſunt hominis honeſtamentum, & mentis arcem ab injuriis tuentur, meritò & ſedulò curæ habendos eſſe. Quin imò forſan excrementa non ſunt, ſed vitam habent. Plerique quidem Medici & Philoſophi aliter ſentiunt; ajuntque capillos non ve-

rè nutriri, ſed à vaporibus excrementitiis foràs protrudi; quos inter elegantiſſimus Fernelius quoque eſt, his præcipue motus rationibus: quòd præciſi omni ætate vel decrepitâ vel præcipitatâ recreſcant. Deindè quòd hecticis & tabidis, quibus reliquum corpus non modò non augetur, ſed planè exhauritur & liqueſcit, ii ſoli diffundantur & grandeſcant: neque his modò, ſed etiam vitâ deſtitutis corporibus. Quibus apertè convinci putat, non naturæ attrahentis beneficio, ſed excrementi redundantis vi & egreſſu ab radice dumtaxat illos increſcere.

Quæ quidem non mediocriter urgere videntur, ſed talia tamen non ſunt, ut adverſam partem tanquam improbabilem peſſum dent. Etenim quòd præciſi omni ætate excreſcant; hoc non ſolis pilis competit, ſed & dentibus ex Anatomicorum omnium ſententiâ: id quod ideò ipſis condonatum creditur, quia perpetuò molendis cibis atteruntur. Quòd verò hecticis & tabidis ii ſoli diffundantur, fit, quia viliſſimum alimentum ipſis augendis accommodatum eſt; quale cùm iis in affectibus ſuppetat facilè, & cæteris partibus alendis ſit inidoneum, fit, ut hæ liqueſcant, illi non item. Quòd denique in vitâ deſtitutis corporibus augeri animadvertantur; non propterea ipſos vitâ deſtitui evincitur: poſſunt enim in vitâ carentibus quædam excreſcere vitaliter; ſic namque è terrâ vitæ experte plantæ emergunt viventes. Qua ratione dici poteſt, in mortuis corporibus pilos retinere vitam vegetativam.

Sane vitâ pilos donatos eſſe, arguere mihi hæc videntur: quòd, dum caneſcunt pili, non in radicibus tantùm, ſed & in extremitatibus ſimul albeſcant: argumento illos alimento intrò attracto, intuſque immutato nutriri. Deindè quod pili non creſcant in immenſum, ſed definitam incrementi legem ac metam habeant, quemadmodum & ſtirpes; fidem facit eos verâ nutritione increſcere. Si enim admotâ dumtaxàt ad radicem materiâ atque ſubjectâ adaugeſcunt; quoniam continenter ſuggeritur & accedit, continuâ adauctione deberent tandem in immenſum luxuriare atque grandeſcere. Atqui contrà fieri cernimus, his, ut plantis, conſtitutos incrementi limites, quos prætergredi non liceat. Quocirca his, ut ſtirpibus, videtur alimentum omnem ſubſtantiam intrò ſubire, quod primâ ætate alit & auget, & demum ceſſante incremento tantùm alit. Hoc ſibi objicit, verùm non ſolvit Fernelius: at inquit, illud eſſe ex his, in quibus non aliud, quàm mirari licet Dei & Naturæ providentiam. Denique & hoc pilos verâ nutritione alimento intrò adacto augeſcere indicat, quòd quandò reſecti primùm ſunt, obtuſi ſint in cacumine, & poſtmodum grandeſcentes acuantur. Certè ſi appoſitâ infernè materiâ tantùm extruderentur, faſtigium exſtans eandem ſemper figuram retineret. Neque negandum hìc eſt, rem tam ſubtilem, ut pilus eſt, poros habere poſſe, per quos alimentum trahat. Nam conſiderentur ariſtarum fibræ tenuiſſimæ, quæ vivunt, ideoque poros habent, per quos alimentum ſugunt. Quæ etiam ratio eſt, cur præſecti pili nihil ſucci emittant, ob tenuitatem enim pilorum exiguus, qui ineſt, ſuccus fugit ſenſus noſtros; quemadmodum & in jam dictis fit ariſtis. Quod ſi notabiliter craſſefacti ſunt pili, ſuccum etiam ſenſibiliter emittent; uti ſubindè obſervare licet in illo capillorum affectu, quem plicam Polonicam nominant, in quâ ſecti pili ſtillant ſanguinem. Quin jam beneficio conſpicillorum microſcopiorum videntur omnes capilli naturaliter ſe habentes cavi, & ut canales pertuſi ac perforati, adeò ut pennas anſerum referant; figuræ verò eſſe triangularis plerique; radices eorum geniculatæ; velut multæ ſunt plantæ.

De Canitie.

Canities vel canitia, vel cánitudo, ut Varro loquitur, eſt à cani, quod ſimpliciter prolatum de capillis intelligitur. Illud autem cani nonnullis primas literas retinuiſſe videtur ex candidus & niger, undè fit conflatum. Ita Iſidorus, canus, inquit, dictus eſt, quia ex candido colore & nigro eſt. Sed enim ſive ſingulo canus, ſive plurativo numero cani dicas, ſimplex eſt, non compoſitum. Nec canus eſt à candidus: ſed contra à canus eſt caneo; undè candeo, à quo candidus. Canus autem eſt a καίω, uro, quia ignis lucem parit, quæ candida à Poëtis vocatur: vel potiùs à γανῶν, id eſt, album reddere.

Eſt porrò canities naturalis pilorum coloris in alborem vel potius cinereum colorem commutatio. Eam propterea non invenuſtè ſpumam nominat Q. Calaber, à ſquallidâ nimirum albitudine:

Albebant nimiâ ſpumâ caput hirtaque barba.

Haud abſimili ratione nivem capitis eam appellat Aurelius Prudentius: ab imitatione candoris cygnearum plumarum Flaccus nuncupat plumam, ubi Ligurinum formæ venuſtate ſuperbientem modeſtiæ admonet his verbis:

Inſperata tua cùm veniet pluma ſuperbiæ.

Naſo quoque apud Getas exulans in extremo ſenio queritur, jam ſua tempora imitari cygneas plumas. Tale eſt Ariſtophanis, illud in Veſpis:

Olore canior comæ ſilva emicat.

Hinc cygnus epitheto canicolor dicitur apud Euripidem. Græcus Poëta Hippothous canos nominat ſenii flores. Ver jucundum Græcis Poëtis canum vocatur ab amæno adſpectu florum ſuâ albitudine pratorum virorem interſtinguentium. Abſinthium, herbam amaram, canum dixit Ovidius à cinericio albore. Mare etiam canum vocitatur ob albeſcentis ſpumæ ſquallorem. Decembrem menſem canum appellat Martialis propter nivis omnia operientis ſpectaculum. Ferrum, quod attritu candeſcit, ad cædes & latrocinia infame, canum appellat Homerus. Comici Græci canos dictitant polline albicantes. Quendam albicante pariter & flavente capillo varium conſpicatus Domitianus, geſtare nivem mulſo perfuſam dixit, ut à Sexto Aurelio Victore literis proditum eſt.

Alia autem eſt canities naturalis, ſenectutis propria; alia præter naturam, quia præmatura & intempeſtiva, quam qui contrahunt, præcani vocantur ab Horatio.

Fuerunt etiam, qui cum canis nati ſunt. Ita à primo ortu canum exſtitiſſe legimus Tarchonta, qui à Tyrrheno oppidis duodecim in Hetruriâ conditis præfectus fuit: quod innatæ illius à puero prudentiæ tributum à Poëtis eſt

ſimile vero. Cygno Neptuni filio canities primis annis nata nomen dediſſe putatur. Tarquinium Priſcum, prudentiſſimum Regem ab ineunte pueritiâ canum fuiſſe Strabo memorat. Numam quoque Pompilium à primâ ætate canum fuiſſe affirmat Servius Honoratus, quâ fide neſcio; quãquam Virgilius illi incanum mentum crineſque tribuat jam tum ſeni. Quin & ab ipſo natali caneſcere Albanos Scythiæ populos, qui ſe poſteros Iaſonis credi voluerunt, refert polyhiſtor Solinus in hæc verba: albo crine naſcuntur, canitiem habent auſpicium capillorum; ſic comæ color genti nomen indidiſſe videtur. At hoc non videtur Doctiſſimo Salmaſio in Plin. exercit. ad Solinum. Refert Heſiodus Græas Phorci filias mox à partu canas fuiſſe, quas è ſorore Ceto ſuſceperat. Caſſiodorus putat Senecæ nomen inde duci, quoniam cui primo cognomentum id impoſitum, canus ſit natus. Jonan. Schenckius ex literis Guil. Stuckii narrat Conradum à *Waldkirch* patricium & Senatorem Scaphuſianum ſtatim à nativitate canos ab unâ parte capillos, & barbam, ſimul atque illa creſcere cœpit, ſimiliter ab illâ parte canam habuiſſe, ideòque *grauwlock* eſſe nominatum. Illud verò inter naturæ miracula adſcribendum, quod prodit Cteſias, in Indiæ quâdam gente fæminas ſemel tantùm parere, eoque conceptu genitos confeſtim caneſcere, in ſenectute autem nigreſcere. Quod & tradit Ariſtoteles de gruibus, nimirùm illas ſeneſcentes magis nigreſcere, contrà quàm cætera animantia. Erginus filius Clymeni virentibus etiamnum annis ante tempus canus, cùm in funerale certamen ab Hypſipyle in exequiis mariti Thoantis propoſitum deſcendiſſet, cum Boreadibus certaturus à Lemniis mulierculis riſu fuit exceptus. Undè & in proverbium abierunt, Ergini cani, de intempeſtivâ canitie.

Iſta canities intempeſtiva & præpropera nullâ re citiùs promovetur, quàm curis, mœrore, metu. Sunt, qui è naufragio præter ſpem ſalvi enatantes, repentè cani evaſerunt. Commemorant alii nonnullos, qui in præruptas rupes aucupii gratiâ funis ope pervaſerant, ſoluto eo aut delapſo, deſperabundos præproperam canitiem acceſſiviſſe. Memoratu digna eſt hiſtoria Hadriano Junio narrata olim à Franciſco Dilpho, non gentilitiis magis imaginibus, quàm ſingulari eruditione clariſſimo Equite, Cæſareæ Majeſtatis apud Sereniſſ. Angliæ Regem tum temporis Oratore; ea ſic habet: Hiſpanus nomine Didacus ſive Diëgus Oſorius nobiliſſimâ familiâ ortus, aulicæ puellæ amore captus, communicato priùs cum eâ conſilio, in patulâ arbore & frondoſâ abſconderat ſe; ea creſcebat in Hiſpaniis intra Regii horti ſepta. Interim fortuito catelli Melitæi latratu prodita colloquii fides, ſatellitum manui illum objecit. Comprehenſus carcerique incluſus, quòd capitale eſſet illic deprehendi, dictatâ ultimâ ſententiâ ita inhorruit totus, ut nox unica juvenem eumdem & ſenem incanum viderit. Quo ſpectaculo motus carcerarius, delato ad Ferrandum Regem catholicum prodigioſæ rei indicio, effecit, ut capitalis legis rigore in benignitatem converſo, Rex illum abſolverit, inquiens pœnarum ſatis dediſſe, qui præmaturam ſenectutem cum juventæ flore commutaſſet.

Hanc ipſam rem contigiſſe teſtatur Petrus Meſſias Hiſpalenſis, eventum hunc imaginationi adſcribens. Henricus Salmuth comment. in Guid. Pancirollum, affirmat quemdam fabrum in Haſſiâ, cùm nocturno itinere à cacodæmone ſæviſſimè habitus eſſet ad auroram uſque, unâ nocte canitiem ſpectabilem contraxiſſe ex metu. Aliam hiſtoriam Conrado Geſnero expoſuit per literas ſuas Juſtinus Goblerus: quarum hoc eſt exemplar: Fuit mihi propatruus, Michael dictus, venationi & aucupio mirè deditus, qui cum foſſas aliquas in agris ſuis ex patrio more haberet pro capiendis feris, altas ita, ut nulla beſtia, quamlibet violenta erumpere capta poſſet. Accidit, ut unâ nocte, eâque dominicâ tria animalia longè diverſæ naturæ unam eamdemque in foſſam caderent: mulier vicina prior, quæ, ut poſtea ipſamet retulit, ſola decurrens in agrum ſub veſperam betas rapaſque in obſonium ſequentis diei iſtinc exportatura erat: deindè vulpes: tertio atque ultimò Lupus incidit. Singuli ſibi in foſſâ locum occupatum primò totâ nocte quieti obtinent; & ut veriſimile eſt, ſeſe inter ſe mutuò metuunt. Lupus, quamquam animal ferocius, neque vulpem tamen neque mulierem attingit invaditve, ſed ſuâ quaſi in ſtatione timidus perſiſtit. Trepidanti intereà mirum in modum mulieri nihil ab utrâque beſtiâ mali contigit, niſi quòd ob metum ab illis unâ nocte ferè tota caneſceret, & tantùm non ad amentiam redigeretur. Manè venator propatruus more ſuo foſſas perluſtrans, prædam triplicem inſperatò conſpicit, & ad conſpectum mulieris vicinæ ſuæ obſtupeſcit, quam alloquens voce ſuâ quaſi ex morte revocat, atque opem mox ſalutemque præſtat. Itaque foſſam inſiliens, ut erat cordatus ac robuſtus, ſtatim telo lupum interficit, deindè vulpem; tandem ſcalam nactus mulierem ſemimortuam humeris ſuis extrahit, & in planitiem ſiſtit; domumque defert. Quo facto ſuæ illa familiæ domuique reddita, deindè per omnem vitam triſtior ſemper quàm antè comparebat. Jul. Scaliger exercit. 312. ad ſubtil. Card. deſcribit hiſtoriam ſuæ tempeſtatis ſub Franciſco Gonzaga. Is affinem ſuum ſuſpectum conjurationis, cum in turri portæ Cæſareæ ad quæſtionem aut ſupplicium aſſervari juſſiſſet, nunciatum eſt manè totum repentè canum factum. Quod quaſi prodigium flexit Principis animum, qui ei propterea & veniæ & vitæ fecit gratiam. Cùm Ludovicus Bavarus Imperator cum civitatibus ad Rhenum ſitis inito fœdere contra eos, qui diſtractione Principum Germaniam vaſtabant, in armis eſſet, Maria Brabantina ejus conjunx, Werdæ habitans, binas literas, uno quidem annulo, diverſâ tamen cerâ, atrâ, rubrâ, obſignatas, iſtas marito, alteras Heinrico Ruchoni, decurioni equeſtri mittit. At is, qui epiſtolas detulit, errore ſeductus, rubrâ cerâ complicatas Ludovico tradit. Qui lectis literis amatoria agi ſuſpicatus, diſſimulatâ re, relicto apud Rhenum exercitu, quàm maximis poteſt itineribus ad uxorem diu noctuque contendit, & inditâ cauſâ adulterii condemnatam ſecuri percuti jubet. Poſteà veluti conſcias Helicam virginem Prennebergenſem cultello confodit: & aliam fæminam nobilem, quam gynæceo præfecerat, de turri præcipitavit. Ob id mirandam habuit & horren-

dam nocturnam viſionem, quâ unâ nocte totus factus eſt canus. Indè pœnitentiâ ductus, Monaſterium in Bavariâ ſupra Amram, quod principis campus, patriâ linguâ *Furſtenfeldt* dicitur, exſtruxit, & donariis ac cenſibus locupletavit.

Iſtæ ſunt canitiei cauſæ evidentes, quas procatarcticas appellare ſolemus Medici. Nunc propinquiores inquirendæ, videndumque quid ſit illud, quod colorem leucophæum capillis inducit. *Ariſtoteles* lib. 3. de hiſt. animal. cap. 11. & lib. 5. de gener. animal. cap. 4. & 5. duas proponit ſententias de cauſis canitiei, eaſque refellit. Prima fuit Hippocratis, quæ legitur libro de nat. pueri n. 19. cani, ait, ob id fiunt, quòd longo tempore pertranſeunte humiditate in homine albiſſimum ejus ſecernitur, & ad cuticulam allabitur; & pilus albidiorem humiditatẽ trahens albidior fit, quàm priori tempore: itemque ipſa cuticula, præſertim ubi cani ſunt, albidior aliâ evadit. Et quicumque ex nativitate canum quid in capite habent, etiam illis cuticula ſumma, ubi cani ſunt, reliqua albidior exiſtit; illic enim albiſſima eſt humiditas: qualemcumque verò humiditatem caro attraxerit, ſive albam, ſive fulvam, ſive nigram tali colore etiam pilus inficitur.

Hanc Hippocratis ſententiam confirmat vitiligo, in quâ pili albi ſunt, quòd album & pituitoſum alimentum cute ſubiacens ſimili colore pilum inficiat. Deindè quorundam obſervationibus conſtat, aliquos cum canitie natos barbam poſteà emiſiſſe partim canam, partem alio colore præditam; canos autem erupiſſe ex albis punctis & maculis, quibus menti cutis erat notata. Nihilominùs hoc placitum convellit *Ariſtoteles*; quòd multi pilos nigros habeant, & cute ſint candidiſſimâ: & contra Æthiopes cutem habeant perpetuò nigram, per ſenectutem tamen caneſcant.

Altera opinio, quam refellit *Ariſtoteles*, eſt eorum, qui ſtatuebant canitiem fieri ab ariditate: ſicut enim videmus albeſcere areſcentes plantas, ſive quòd à nimio Solis incendio ipſarum ſuccus exhauriatur, ſive quòd ob inopiam & defectum calidi nativi novum ſuccum prolectare non poſſint: ſimiliter pilos caneſcere exiſtimabant, quòd deficiente alibi humore areſcerent. Hanc ſententiam triplici argumento inſequitur: primò, quia nonnulli derepentè cani evaſere, imò & ab ipſo ortu quidam prodiere cani: atqui nihil ab ipſo ortu aut derepentè eſt aridum. *Secundò*, qui caput pileo aut alio tegumento ſemper operiunt, citiùs caneſcunt, quàm quibus illud ſemper eſt denudatum: operti autem pili minus ſiccantur, quàm aperti. *Tertiò*, canities plerumque à pili cuſpide inchoatur: atqui in cuſpide non eſt tam intenſus calor exſiccans quàm in radice: ergò hæc deberet priùs ſemper areſcere, ideoque & caneſcere.

His opinionibus rejectis cenſet *Ariſtoteles* cauſam canitiei non eſſe aliam, quàm putredinem, hâc ratione: quibus hominibus, inquit, natura pilorum parum calida eſt, pluſque humoris ſubit, calor proprius nequit concoquere; atque ita humor putreſcit calore aëris ambeuntis: fit enim putredo quæque à calore, ſed non ſuo nativoque: putredo autem & aquæ & terræ, & quorumvis ejuſmodi corporum fieri poteſt: quamobrem terreni etiam vaporis putredinem novimus, quæ ſitus vocatur. Etenim ſitus caries vaporis terreni eſt. Itaque in pilis quoque alimentum tale, cùm non concoquitur; putreſcit; atque ita efficitur ea, quæ canities appellatur. Quæ alba propterea eſt, quod & ſitus carioſorum ferè albus eſt; cujus rei cauſa eſt, quod multum aëris contineat. Ita *Ariſtoteles*. Qui rem ſic ſe habere demonſtrat exemplo eorum, qui cùm per morbos cani evaſerunt, reſtitutâ ſanitate priſtinum colorem in pilis receperunt: cujus eventus eam adſignat cauſam; quòd per morbum calor nativus pili debilior factus ſuum alimentum non potuerit concoquere, quo ex defectu putredo, & ex putredine canities fuerit conſequuta. Poſteaquam verò æger ſanitati reſtitutus eſt, calor vegetior factus crudos humores emendat, & putrefactos abigit, in quorum locum bonos & perfectè coctos ſubrogans, pilis ſuum colorem reſtituit.

Quæ quidem omnia probabiliter dici videntur, ſed tamen non carent difficultatibus. Nam quibus rationibus ſtudet conficere *Ariſtoteles* canitiem ex ariditate non ſuſcitari, iiſdem arguere poſſumus, putredinem etiam cauſam canitiei non eſſe. Etenim quod ait *Ariſtoteles*, nihil ab ipſo ortu ſiccum produci, aut derepentè tale evadere; & propterea cùm canities ab ortu, & repentè nonnumquàm contingat, eam à ſiccitate non poſſe provenire. Idem telum in ipſius Ariſtotelis ſententiam poſſumus retorquere, dicendo nihil ab ipſo ortu putridum produci, aut repentè putridum fieri, ideòque à putredine non omnem canitiem pendere.

Puto ego canitiem universè ab unâ aliquâ cauſâ non provenire, ſed à variis: eſt enim canities pilorum color albus: at color tum albus, tum alius quilibet à multis cauſis oriri poteſt: eſt namque color proportio certa diaphani & opaci intermixtâ luce, atqui proportio illa multiplici de cauſâ quit variari. In præſenti negotio variari illa poteſt à cruditate & incoctione alimenti ſequente imbecillitatem caloris nativi. Atque in canitie ferè ſemper videtur adeſſe caloris imbecillitas. Tribus quippè modis ea ſolet accidere, per ætatem, per morbum, per ſubitam animi conſternationem: in quibus omnibus calor nativus imminuitur. Poteſt aliter candor pilis induci; propter ſeparationem eorum halituum, qui per modum tincturæ ipſis colorem imprimebant: vel propter tincturam, quam à pituitoſo humore accipiunt. Sed & ex certâ aëris & aquarum proprietate videtur oriri canities. Nam congenita ab ortu canities quibuſdam populis eſt familiaris: cujus eventus non videtur alia cauſa poſſe aſſignari, quàm communis uſus aquarum & aëris, vel matris imaginatio.

Solent de canitie problemata quædam agitari. Quorum primum eſt: quid cauſæ ſit, cur canities potius in hominibus, quàm cæteris animalibus appareat; & magis in capite, maximè autem in temporibus? Hoc problema *Ariſtoteles* atque etiam Galenus ſolvit. *Ariſtoteles*, quia canitiem à putredine fieri exiſtimat, reſpondet, corpora humida maximè eſſe putredini obnoxia: homo autem cætera animalia humiditate ſuperat. Capite verò magis caneſcit, quia cerebrum in homine copioſiſſimum eſt, & inter omnes corporis partes humidiſſimum,

parum-

parumque habet caloris; putredinis autem cauſæ ſunt abundantia humidi & defectus caloris.

Quod verò ad tempora attinet, ait *Ariſtoteles*, ideò maximè caneſcere; quia cùm occiput parum cerebelli contineat, non valdè abundat humiditate ſuperfluâ: contrà autem ſinciput ob multam cerebri copiam putredini reſiſtit: quæ enim in majori copiâ ſunt, difficilius putreſcunt; ut vini dolium magis putredini reſiſtit, quàm cyathus, & mare magis quàm flumen, flumen quàm palus. Cùm ergo tempora plus cerebri contineant, quàm occiput, & minùs quàm ſinciput; fit ut inter capitis partes ipſa omnium prima caneſcant. Ita *Ariſtoteles*. Noſter *Galenus* ſic ſolvit: homo potiſſimùm caneſcit, quia cùm non ſubeat annuas mutationes pilorum; meritò per longam ætatem infirmatur pilus & caneſcit: magis in capite, ob immodicam humiditatem à ſubſtrato cerebro ſuppeditatam: maximè autem temporibus; quia hæc ſola ex omnibus capitis partibus veſtiuntur muſculis: adeò ut in cæteris capitis partibus cerebri humiditas à ſiccitate oſſis temperetur; at in temporibus concurrit duplex cauſa humiditatis, cerebri ſcilicet & muſculorum temporalium mollities. Ad hunc modum diſſerunt illi ſcientiarum Principes, non diſſentaneè à ſuis principiis. Nos ſecundum noſtra hoc pacto dicere poſſumus: homo inter omnia animalia maximè caneſcit, quia maximè obnoxius eſt defectui ac remiſſioni caloris nativi: caput autem primò canitie tentatur; quia cùm cerebrum innato temperamento ſit frigidum & humidum, per ſenectutem maximè deficitur calore nativo; & præcipuè in temporibus propter humiditatem. Sed enim inter animalia & equi & canes quoque caneſcunt. De equis *Ariſtoteles* & *Plinius* fatentur. Cæterùm quia canities illa rarior minuſque propria eſt, nec clara admodùm, ideò ſolum hominem caneſcere traditum eſt. In equis tamen etiam ratio afferri poteſt, quòd os, in quo cerebrum, tenuius quàm cætera pro magnitudine habent. Argumentum eſt, quòd ictus in eo loco periculoſus ſit; unde illud Homericum:

Et qua ſetæ hærent capiti, letaleque vulnus
Præcipuè fit equis.

Cùm igitur præ tenuitate oſſis affluat humor, & per ætatem calor deficiat, pili iſti caneſcunt: rufi verò celeriùs quàm nigri; nam & ruffitas quaſi imbecillitas pili eſt; imbecillimum autem quodque ſeneſcit celeriùs.

Alterum problema: quænam pars corporis omnium poſtrema caneſcat? Reſpond. pubem ultimò caneſcere, ut benè obſervavit *Ariſtoteles*. Cujus eventus ratio in copiam ſanguinis & ſpirituum eam in partem defluentium referenda videtur.

Tertium: cur, cùm caput & mentum caneſcant, palpebrarum pili non caneſcant, qui intermedii ſunt? Reſpond. quia ſicco, firmo, ſolido & denſo loco ſunt inſerti.

Jam ad curationem nos accingamus. Canities, quæ naturaliter & tempeſtivè venit in ſenectute, tolli non poteſt; nec fuco emendari debet: nam ſenem turpe non eſt eſſe canum. Quin venerabilis eſt canities, *Ovidius*.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani:
Inque pari pretio ruga ſenilis erat.

Cano ſeni in theatro univerſi aſſurrexere Spartani. Unde Satyricus:

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non adſurrexerat.

Quod jam anteà *Moyſes* præceperat in Levitico: coram cano capite aſſurge, & honora perſonam ſenis. Canities atque ſenium, ſcribit *Heraclides*, ſacri quidam portus ſunt extremæ ætatis, ſecura hominibus ſtatio, quantumque corporis tum decreſcunt vires, tantùm animi vigor augeſcit. Apud Gentiles caſtitatis Dea habita Veſta, cana dicitur Maroni. Et fides, cujus numen ſanctiſſimum, cana eidem nominatur. Eâdem dignitate Veritas cana apud Varronem audit. Naturæ longævæ rerum parenti canitiem dat Claudianus. Æternitatem eâdem inſignit Nonnus. Tempus, Diphilus Comicus appellat canum opificem. Apud Romanos vetuſto more nubentes canis ſenum ornabantur, ut & Veſtales virgines, caſtitatis vitæque integritatis exemplo, ut è Sext. Pompeio liquet. Thebæ Bœotiæ habebant canum Apollinem, teſte Pauſania in Bœoticis. Apud Cimbros ſacerdotes & vates canæ caſtra ſequebantur, magno in honore habitæ, quæ de præliorum eventu vaticinia edere ſolebant. Denique Solomon in Proverb. ut juvenum gloria, *inquit*, in robore poſita eſt, ita ſenum dignitas in canitie.

Hanc tamen dignitatem quidam ſtudioſè occultare conantur pigmentis adhibitis. Quam capillorum tincturam primùm à Medeâ excogitatam tradit Clemens Alexandrinus in ſtromatum libris; præclarum ſcilicet lenocinii rudimentum. Eodem loco acriter idem auctor invehitur in eos, qui meretricio more vultum pingunt, cæſariemque tingere non ceſſant. Quæ res ut in viris ſummè pudenda, imò deteſtanda, ita è diverſo fœminis, quibus mundicias, ornatum, cultumque pro inſignibus eſſe permittenda ſcitè apud Livium diſſerit Lu. Valerius eatenus indulgenda, dum certis finibus coërceatur licentia, nimiaque curioſitas, atque intra fucum conſiſtat. Lucillius epigrammatarius lepidè jocatur in anum canos tingentem, dictitans, fuco nunquàm effici, ut ex Hecubâ fiat Helena. Cæus quiſpiam magno natu homo, cætera futilis, ob ſenectam tamen venerabilis, inducto fuco canos tegere conatus, legationem, cujus cauſâ Lacedæmona venerat, exponere cùm cœpiſſet, Archidamus Rex, animadverſo dolo, aſſurgens: quid, *inquit*; ſani dixerit iſte, qui non animo tantùm, verum etiam capite mendacium circumfert? ſimulque cum dicto orationem hominis exploſit, ac pro indictâ habuit, uti refert Ælianus lib. 7. omnigenæ hiſtoriæ. Philippus Macedo ſimiliter Antipatrum, quem ex amicis in Judicum ordinem cooptarat, capillos pariter & barbam fucantem, ut mendacem ſummovit, adjiciens: in crinibus infidum, nihilo fideliorem in rebus gerendis fore. Hujus filius Magnus haud vano cognomine Alexander, ſenem capil-

los inficientem conſpicatus; ne comam, *inquit*, tingas, ſed ſi potes, genua, ut à Plutarcho ſcriptum eſt. Ridet pulchrè Lentinum quendam Martialis:

Mentiris juvenem tinctis Lentine capillis,
Tam ſubitò corvus, qui cygnus eras.
Non omnes fallis; ſcit te Proſerpina canum:
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Tamen quæ intempeſtivè venit canities, ea corrigi poteſt, neque inconvenit. Pro quâ tollenda, ſi corpus cacochymum eſt, hoc à vitioſis humoribus expurgandum. Quo facto ad capitis evacuationem eſt procedendum per ſternutatoria, apophlegmatiſmos & errhina. Deindè ad medicamenta calorem nativum corporis & cerebri roborantia veniendum. Inter quæ multæ ſunt confectiones calidæ; ſed primas tenent theriaca & mithridatium. In primis verò ſtudendum, ut liber ſit animus, neu affectionibus iis agitetur, quas diximus canitiem accelerare. Novi ego virum religioſum, cui cùm impoſita eſſet provincia pueros humanioribus literis imbuendi, eamque iniquô ſuſciperet animo, quòd ſic non ſatis Deo & pietati vacare poſſet, caneſcere cœpit. Quod animadvertentes Superiores eum à munere illo ſummoverunt, ſtatimque, mirabile dictu, capilli ad priſtinum nigrorem redierunt. Tantum in corpus valet animus! Evonymus, qui eſt Conradus Geſnerus, in theſauro ſuo aquam deſcribit tantæ virtutis, ut ſenem rejuveneſcere facere ſit potens. Pedemontanus & alii ſimilia medicamenta proponunt. Narrat Deodatus de inſigni Chymico Joan. Montano, quòd ſuo elixire ſumpto, decidentibus canis & unguibus è totius corporis cute, ſenectam depoſuerit, & juventutis florem denuò comparaverit. Quæ an vera ſint, ego neſcio; hoc ſcio, à Chymicis multa magnificè promitti, non præſtari. Petrus de Oſma ſcribit, ſe Indum vidiſſe, qui cujuſdam herbæ ſucco Hiſpanos quovis morbo laborantes, cæteroſque Indos perſanabat, juncturis omnibus ſucco illitis, panniſque coopertis, à quibus deinde ſanguinis copia exſudabat: & repetitâ curatione non à difficillimis tantùm morbis multos ſanatos fuiſſe, ſed eodem auxilio plures valdè ſenes repubeſcere viſum fuit, robuſtiori recuperato corporis habitu. Cæterùm herbam nec pretio, nec precibus, aut minis patefacere unquàm voluit. Sit fides penes auctorem. Hoc pacto Glaucum fabulabantur antiqui immortalem factum cujuſdam herbæ eſu. Sed neque imitandum, quod Rhazius prodit, amicum ſe habuiſſe, qui potatâ chalcanthi drachmâ unicâ nocte pilos omnes albos exuit. Quod periculoſum eſt medicamentum & erodens, ideoque per os minimè ſumendum.

Si per iſta antè præſcripta, ſimul ſervatâ bonâ victus ratione, capilli canitiem per ſe non deponant, ad pilos tingentia accedi debet. Inter quæ alia tingunt colore nigro, alia flavo. Videndum ergò quis color cuique conveniat. Tincturam autem præcedere debet pilorum abſterſio, & à ſordibus, pinguedine, ac ſquallore expurgatio: etenim colorem non admittunt, quæ ſunt unctuoſa. A frigidis tingentibus præcipuè læduntur, quibus imbecillum eſt caput. Itaq; acerba, auſtera, & hujuſmodi valdè adſtringentia iis plurimùm nocent teſte Galeno, qui obſervavit, pleraſque mulieres talium abuſu, dum canos fucare vellent, in graviſſimos affectus incidiſſe. Conſtat verò, quibus caput eſt frigidius, eos promptiùs offendi; gravius autem, quibus eſt calidius; his ſiquidem frigus magis eſt adverſum; & in morbis magis periclitantur, quorum naturæ non convenit affectus. Gordonius in hanc ſententiam ait: melius eſt habere modicum de verecundiâ fatuâ, quàm dolorem perpetuum capiti inducere.

Medicamentum denigrans, neque ullum periculum damnumve inferens capiti eſt hoc:

℞. Myrobalan. nigror. unc. i. paſſar. nigr. unc. ij. vini nigr. adſtring. lib. ij. bull. in duplici vaſe lento igne ad conſumt. duarum tertiarum: dein adde ſucci cortic. nucum viridium lib. v. ſumach, acaciæ ana unc. i. Caryophyll. integ. ſeſquidrachm. moſchi ſcrup. i. ponantur iterum ad ignem, & ſine ebullitione detineantur per dimidium diem. Iſto illinuntur capilli noctu, quando itur dormitum: deinde contegitur caput panno nigro, atque ita detinetur totâ nocte. Manè poſtmodum abluitur caput vino nigro adſtringente, in quo bullierint myrobal. nigr. Sic continuetur uno menſe circiter.

Hoc etiam linimentum commodum eſt.

℞. Vini rubr. lib. i. ſalis drachm. i. chalcanthi drachm. ij. Miſce, & pone in teſtulâ vitreatâ, parum bulliant: tum ab igne remove, & denique adde gallæ ſubtiliſſ. tritæ q. ſ. pro faciendo linimento, quod mellis craſſitiem habeat; quo capilli optime illinantur; & ita caput pannis lineis tectum per tres circiter horas relinquatur. Deindè pannis calidis ſiccetur caput, medicamentumque excutiatur, & abluatur lixivio.

Aliud: ℞. Nuces gallas tot, quot vis: redige in pulverem, & impone ſartagini ferreæ ſuper ignem, donec nigreſcant. tum infunde eis guttatim ol. olivar. agitando ſemper, ſic ut oleum imbuant, atque ita exſiccentur ad ignem. dein contunde benè. poſtea iſti pulveri adde pul. vitriol. roſmarin. ſal. gemmæ, caryophyll.

Simul ℞. Cort. arbor. jugland. granator. alumin. ana part. æqu. bulliant in vino, donec hoc nigreſcat inſtar atramenti. Colato huic vino injice dictum pulverem. tum lava caput forti lixivio; dein ſicca: deindè lava iſto vino, ac linteo involve caput, maneatque involutum per hor. vi. denique ablue caput aqua & vino, & ſicca. Durabit hæc nigrities ad v. vel vi. menſes. Facile parabile eſt hoc; ſi capilli quotidie pectine plumbeo depectantur, intincto priùs in ſucco nucum viridium, aut atramento ſcriptorio.

Flavos capillos reddit hoc lixivium:

℞. Lixivii ſarment. vitis lib. ij. Rad. bryon. chelidon. curcum. ana ſemunciam. Croci, lilior. albor. drachm. ij. flor. verbaſc. ſtœchad. citrin. geniſt. hyperic. ana drachm. j. coq. ſimul. & f. lixiv. clarum ſ. a. Sæpe crines hoc lavandi, donec perfectè tingantur.

Aureos reddit alkanna Arabum pauco vino albo tepente excepta, & in pulmenti formam redacta. Eo unguento capilli ad radicem uſque illinendi; & ita per 24. hor. ſtupis cooperti & benè faſciati ſinendi. Poſteà tepente vino caput lavandum; & denique pectendum. Cineris unguen-

unguen rutilum producere crinem, dixit in Originibus Cato inquiens: mulieres noſtræ capillum cinere ungitabant, ut rutilus eſſet crinis.

A canitie præſervat, ſeu ne caneſcant pili, vermium terrenorum cinis præſtat, admiſto, oleo ſi eo in pectendo utaris: teſtes ſunt *Plinius, Serenus Sammonicus* & *Marcellus*.

De Calvitio.

Calvitium ducitur à calvus quod eſt, capillis vacuus, ut vult Jul. Scaliger comment. in lib. 1. Ariſt. de hiſt. animal. Putat Voſſius non ineptè derivari à κείρω, unde ὄκαρον: ut à λείριον lilium, ſic à καρεῖν calvus, converſo utrobique r. in l. Magis tamen ipſi arridet, ut vel ſit à φαλακρὸς calvus, per metatheſin, & ablato r. vel ab Hebræo *kal*, quod eſt læve. Hoc calvi etymon firmat ipſa definitio calvitii, quæ eſt apud Ariſtotelem lib. 3. de hiſt. anim. cap. 11. capitis lævitas calvitium nuncupatur, ut Gaza vertit; vel ut Scaliger: verticis glabritia calvitium dicitur. Martinius addit, calvus videri eſſe à Chaldæo *kalf*, quod eſt decorticare, delibrare. Denique Alſtedius ducit à κάλλος, pulcher, per antiphraſin. Calvitium ex noſtrâ definitione eſt abſentia pilorum in calvâ. Turpe autem eſt & deforme calvam capillis nudam eſſe. Eſt enim coma id ferè capiti, quod plantis germinibuſque ſunt folia, à parente Naturâ producta ad fructuum conſervationem, quorum fotu pariter ac refrigerio, aëris injuria tum averteretur, tum retunderetur: quo fiat, ut avulſis frondibus arbores & plantæ indecoro vulnere ac depili nuditate affectæ mœreant quodammodò, morſumque ſentiant; uti in Sympoſiacis diſſerit Plutarchus. Firmat id Ariſtoteles lib. 5. de gen. anim. dum ait, id eſſe in homine calveſcere, quod in avibus depenneſcere; in foliis arborum defrondeſcere. Proinde nihil mirum, ſi calvitium, quo caput ferè depilatur, apud omnes ætates opprobrii loco habitum fuerit. *Naſo*:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus;
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Heliſæus Propheta calvus à puerorum catervâ ſannis exceptus, ludibrioque habitus fuit, quamquàm non impunè: quippè quos diris devotos proterviæ pœnas urſis dediſſe conſtat. Apuleius, mulierem etiam venuſtiſſimam, ſi capillitio nudetur, licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata; licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni gratiarum choro ſtipata, toto cupidinum populo comitata, cinnama fragrans, balſama rorans; ſi calva proceſſerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem ſuo. Ambroſius in hexaemero lib. 6. ſcribit comam eſſe reverendam in ſenibus, venerandam in ſacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adoleſcentibus, comtam in mulieribus, dulcem in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata eſt: tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo perit. Julium Cæſarem calvitii ſui deformitatem iniquiſſime tuliſſe retulimus cap. 1. hujus tractatus; eâque de cauſâ deficientem capillum à vertice revocare conſueviſſe. Domitianum Cæſarem calvitio ita fuiſſe offenſum à Suetonio proditur, ut pro ſuâ ipſius contumeliâ duceret, ſi cui alii objiceretur. Agathoclem Siciliæ tyrannum turpi calvitio deformem tradit Ælianus, quem cum puderet defluentis capilli, myrteam corollam, glabritiæ velamen, quo nuditas tegeretur, adornavit. Acerbè Juliam filiam ſuggillavit Auguſtus, qui aliquando improviſus cùm oppreſſiſſet coſmetrias ſive concinnatrices, præmaturam canorum ſegetem vellentes, percunctatus illam eſt: malletne cana eſſe, an calva poſt paucos annos: reſpondentique, canitiem ſe præoptare, regeſſit ille mendacii notam iſto dicterio; quid ergò iſtæ tàm citò calvam te reddunt? Veſpaſianus lepidè calvitium argutâ oſtenti cujuſdam eluſione non diſſimulavit: nam viſo comete, qui mortem ipſius portendere credebatur, non ſibi, ſed Parthorum Regi minitari dixit; illum namque comatum eſſe, ſe verò calvum. Modeſtè tulit calvitii ſui opprobrium Tiberius Cæſar à Seiano Prætore ludibrio habitus, quandò in Floralibus per calvos omnia peragenda curavit ille, qui poſtea ab ipſius nomine Seiani nuncupati fuerunt: ac rurſus è theatro deſcendentibus faces præferri per quinque mille raſos pueros, qui calvitium glabris capitibus mentiebantur. Galba Imperator ita fuiſſe glaber fertur, ut Fabius Fabulus caput ejus præciſum, veſtis ſinu exceptum portare debuerit, cùm ob pilorum raritatem difficillimè prehendi poſſet. Carolus filius Ludovici pii Imper. cognomento calvus fuit dictus à calvitio: in cujus laudem Hugbaldus monachus, vir, ut tum ferebant tempora, haud indoctus, eclogam compoſuit non illaborioſam, cunctis vocibus initialem literam C. præferentibus. Socratem quoque recalvâ fronte depingit Hieronymus, ſapientiæ argumento. Æſculapium calvum oſtendunt Ægyptii eamdem ob cauſam. Ulyſſem item calvum nominat Syneſius. Sed & Iſocratem oratorum omnium ſuaviſſimum, calvum fuiſſe conſtat: uti & Hippocratem noſtrum. Qui omnes cùm prudentes, ſapientes, aſtutique fuerint viri; hinc forſan monet nos vulgatus verſiculus à calvorum familiaritate abſtinendum eſſe:

Si non vis falli, fugias conſortia calvi.

Porrò quemadmodùm canities, ita & calvitium aliud eſt naturale per ætatem adveniens: aliud præter naturam, accidens intempeſtivè. Narrat Herodotus Scythicam quandam gentem à natali in perpetuum calveſcere. Myconii quoque pilis carentes naſcuntur; quod præter Strabonem & Plinium teſtatur Lucillius vetus Satyrographus, ita inquiens:

Myconi calva omnis juventus.

Ita ut Strabonis teſtimonia calvi quicumque Myconii appellari proverbiali dicterio conſueverint.

Derepentè quoque calvitium contrahi poſſe, uti de canitie diximus, docet nos Marcellus Donatus lib. 1. hiſt. med. mirab. Adoleſcentula, ſeribit, patri unica mane parentis thalamum ingreſſa, ut de more illi è lecto ſurgenti miniſtraret, adapertis feneſtris patrem vocat; illum verò altiori ſomno detineri rata ad cubile accedit illum

ex-

expergeſactura: verùm rigidum immobilemque repertum cùm tetigiſſet, frigidum invenit, nocte intempeſtâ ſubitaneâ morte oppreſſum. Quo caſu inopinato perterrefacta & horreſcens, arrectis capillis, ſemianimis vicinos advocat; (ſoli enim pater & filia vitam ducebant) qui partem mortuum ſepulturæ dederunt, ſemiviventem filiam in lectum collocantes, ut vires reciperet: cui quartâ die cœperunt defluere capilli, ita ut omnes ferè deciderint, paucique fuerint reverſi, & in poſterum calvitio laboraverit.

Cauſa calvitii ſumenda eſt vel ex cutis vitio tum in primis, tum in ſecundis qualitatibus, præcipuè in ariditate: vel ex convenientis alimenti defectu, ſicciore videlicet reddito cerebro: vel denique ex læſione virtutis formatricis; ſic videmus nonnullos calvos fieri vitio ſui generis, in quibus cutis benè ſe habet, neque apparet boni alimenti defectus.

Dicunt Hippocrates & Ariſtoteles ante venereorum uſum neminem calveſcere: mulieres item à calvitio immunes eſſe. Cæterùm rem aliter ſe habere, poſſeque virum citra venereorum uſum calveſcere, experimenta & rationes convincunt. Occurrunt enim per multi ſpectatæ probitatis viri, & numquam venerem experti, qui tamen calvi ſint. Contra autem alii ſunt inſigniter venerei, qui tamen calvi nunquàm fiunt. Videlicet non ex ſola alimenti penuriâ, ſed & ex cutis & facultatis formatricis vitio oritur calvitium. Quod ad mulieres attinet, ſcribit Ariſtoteles, eas non calveſcere, quoniam ipſarum natura puerorum naturæ ſimilis eſt; utraque ſcilicet ſterilis excrementi ſeminalis. Idem Galenus docet ad aphor. 28. ſect. 6. Eunuchi neque podagrâ laborant, neque calvi fiunt. Eunuchi enim, ait Galenus in comment. ſimiles fœminis efficiuntur: ſicut ergò in his calvitium non accidit, ſic neque in eunuchis, propter temperamentum frigidum. Sed huic quoque ſententiæ & rationes & experimenta adverſantur. Sunt quippè non paucæ mulieres calvæ tum juvenculæ, tum ætate progreſſæ, quæ vitium ſuum alieno crine tegunt. Et ratio ſuadet: cùm enim calvitium ex iis cauſis fiat, quæ ſuprà recenſitæ ſunt; quis non intelligat, eas quoque in mulieribus locum habere poſſe?

Calvitii altiorem cauſam ſuggerit nobis Valleſius lib. de ſac. Philoſ. cap. 60. cerebri ſcilicet in ſenectute contractionem, quâ à cranio ſe revellit, ut ſuo humore non ampliùs ita paſcere valeat ſuperpoſitam crinium ſilvam. In hunc ſenſum ducit difficilem & obſcuram illam Eccleſiaſtæ ſententiam: antequam recurrat vitta aurea, id eſt, ante ſenectutem; quando tenuis meninx, quæ cerebrum inſtar vittæ operit, recurrit & revellitur à fornice cranii propter cerebri contractionem. Naturalis etiam cerebri & totius temperaturæ ſiccitas calvitium feſtinare ſolet.

Herodotus tamen ſcribit, ex omnibus hominibus pauciſſimos videri calvos Ægyptios, eoſdem capita habere duriſſima. Cujus rei hanc eſſe ait cauſam: quòd ſtatim à pueris radere capita incipiant; inde enim os capitis ad Solem reddi compactum, adeò ut vix lapidis ictu id illidas. Perſis autem, quòd à principio aſſueſiant operire capita, geſtantes pilea & tiaras, adeò fragilia eſſe, ut, ſi ferire velis, vel ſolo talitro perfores.

Quærunt auctores, cur in ſincipite tantùm fiat calvitium, non in occipite aut temporibus. Et multa ac mira hîc adferunt. Videtur autem mihi veroſimilior illa eſſe ratio: quòd in occipite & temporibus muſculi ſiti ſint, qui humoris ſecum pluſculum adferunt, ne tantopere ſicceſcat pars, & alimento ad pilos generandos defraudetur.

Sive in ſenectute tempeſtivè accidat calvitium, ſive intempeſtivè, obſervationibus conſtat, non ſanari. Incipiens tamen calvitium retardari, & quodammodò impediri poteſt. Itaque quod Hippocrates ſect. 6. aphor. 34. dicit: qui calvi ſunt, iis varices magni non fiunt: quibus verò calvis exiſtentibus varices superveniunt, ii rurſus capillati fiunt. Id intelligendum eſt non de calvitio propriè dicto, ſed de capillorum defluvio, de quo agemus cap. ſequente.

Si quis ergò advertat, ſe incipere calveſcere citiùs quàm conveniat; hic ſæpiùs curet radendum ſinciput ſuum uſque ad cutim; ſervans bonam diætam, & præcipuè venerem, vigilias, curaſque fugiens.

Petronius quemdam calvum factum admonet mortis citò venturæ, hoc epigrammatio:

Infelix modò crinibus nitebas,
Phœbo pulchrior & ſorore Phœbi.
At nunc lævior are, vel rotundo
Horti tubere, quod creavit unda.
Ridentes fugis, & times puellas.
Ut mortem citiùs venire credas,
Scito, jam capitis periſſe partem.

Qui eò redactus eſt, ut verticis glabritie æs, tuber, ovum, cucurbitam, conchamve æquet, de fucatione, aut velamine dumtaxat cogitare habet. Fucatio fit per geſtationem alieni capillitii, quod coma adoptiva, adſcititia, appoſititia; galericulum, ſutile capillamentum dicitur: Græci phenacen nominant à φενακίζειν, quod decipere eſt; quod verbum etiam apud quoſdam vulgò durat, ut phenaciſſare pro imponere uſurpent. Apud Horatium invenias caliendrum lib. 1. ſatyr. 8.

Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere.

Ubi ſic vetus interpres: caliendrum, peplum capitis, aut crinis ſuppoſititius, ſeu capillamentum, aut galericulus, capitiſve ornamentum. Caliendri meminit & Varro in eo libro, qui inſcribitur, virgula divina, dicens: ego nunc poſtulo Agamemnona meum: tantis cothurnis accipit Critona caliendrum. Ex hiſce verbis liquet, olim fuiſſe dubitatum, utrum caliendrum notet comam appoſitam, an capitis operimentum. Poſterius amplectitur Turnebus, atque addit caliendrum videri eſſe à Græco κάλυμμα, quod eſt ejuſdem originis ac calytron ſeu calyptra, nempè à καλύπτειν: quod eſt operire. Sanè ea origo utrique convenit notioni. Nam & galericulus & coma appoſita operit caput.

Galericulus & galerus à galea eſt. Fuitque pellis habens appoſitos crines humanos, tanto

tanto artificio, ut, cùm eam capiti applicuiſſent, pellis hæc vera hominis cutis, crineſque ejus veri hominis crines, non adſcititii viderentur. Itaque eo utebantur calvi, cani, ac fœminæ nigris capillis. Juvenalis ſatyr. 6. de Meſſalinâ.

Et nigrum flavo crinem abſcondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Suetonius in Othone cap. 12. munditiarum fuiſſe traditur penè muliebrium; vulſo corpore; galericulo capiti, propter raritatem capillorum, adaptato & annexo, ut nemo dignoſceret. Amiānus:

Nam mox detecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſitâ quæ fuit ante comâ:

Tertullianus de cultu fœminarum Africano ſtylo; affigitis præterea, neſcio quas enormitates ſutilium & textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervice retrò ſuggeſtum. Quod Tertullianus ibi vocat capitis vaginam, id ſcitè Martialis nominat capitis calceum; & ipſum caput calceatum lib. 12. epig. 45. ad Phœbum:

Hœdinâ tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticemque calva,
Feſtivè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput eſſe calceatum.

Velatur caput ſine fucatione pileo vel pileolo. Eſt autem pileus, non illud capitis tegmen, quod nos geſtamus, factum ex lanis ſeu villis coactis, cujuſmodi coactilia, vulgò feltra, dicuntur, ſed ex pannis olim ſive filamentis contexebatur:

Tritis pilea ſuta de lacernis.

Geſtamen illud, quo nos prodimus in publicum petaſus eſt, ſive galarus latos habens margines, qualis Mercurio tribuitur. At pileus non marginatus eſt; refertque dimidium corticis ovi. Et reverà apud Garamantas ex ſtruthiorum ovis ſingulis in æquas partes diſſectis bini fiunt pilei: tanta eſt ibi ejus ovi magnitudo; eoque capitis tegumento populi illi plurimùm applaudunt. Eſt ergò pileus propriè nauticum aut dormitorium noſtrum capitis velamen. Is nunc ex corio vel panno ſerico concinnatur, & paſſim geritur à juvenibus, ſenibus, mediæ ætatis viris, domi & foris.

Quæritur, an rectè & valetudini conducibiliter? Pileus cerebri & calvæ effluvia continendo caput calefactat, poros ad exhalandum aperit, ab externo frigore aliiſque aëris injuriis defendit. Hoc tamen more & mollitie nimiſquàm procul à veteribus Græcis & Romanis abivimus, quorum ſtatuæ & imagines teſtantur, nudo capite domi foriſque egiſſe, niſi militia, æſtus, imbres, morbus aliud ſuaderet, uti oſtenſum nobis ſuprà capite primo. Nos verò tot hodie pileis & capillamentis tecti onuſtique, neſcio, an ſalubriore capite, quàm veteres illi, vivamus. Quin majores noſtri pileos iſtos ignorarunt, tantumque à quadraginta circiter annis in uſu eſſe cœperunt: vixerunt autem saniores iſti priores, quàm nos. Cornelius Celſus lib. 1. cap. 4. Philoſophis & literatis, quibus à ſtudio imbecille caput, ſcribens; etſi nolit eos ad cutem tonderi, vetat tamen caput, veſte velari; pileum damnat, & nuditatem capitis commendat. Imò aquâ frigidâ quotidiè perfundi jubet, ac nudum ſupponi canali; undè aqua pluvialis aut alia decidit. Nihil enim capiti æquè prodeſt, inquit, atque aqua frigida: atque is, cui hoc infirmum eſt, per æſtatem id benè largo canali quotidiè debet aliquandiu ſubjicere. Nam aquæ frigus denſat capitis cutem, & adverſus externas cœli injurias impenetrabilius facit. Hoc argumento Charmis Romæ ſub Principatu Neronis nobilis Medicus, damnatis balneis, frigidâ hibernis algoribus, uti teſtatur Seneca, non capite tantùm, ſed toto corpore lavari perſuaſit. Tunc videbamus ſenes conſulares, inquit Plinius lib. 29. cap. 1. uſque ad oſtentationem rigentes. Sed ut ad pileos redeam de iis ita cenſeo. Qui benè denſam cæſariem in juventute pileo onerant, ante tempus caneſcunt; & perpetuò caput molle atque effœminatum circumferunt: ſi contingat eos quaquâ occaſione pileum capite tollere, à levi aurâ læduntur; gravedine ſeu coryzâ corripiuntur, aliiſque deſtillationibus. Et remediis ſenectutis in juventute conſumptis, quid ſenes facient? Si cavendum, ut monet Celſus, ne in ſecundâ valetudine adverſæ præſidia conſumantur; cavendum quoque, ne in juvenili ætate ſenilis præſidia conſumantur. Senilis nimirùm præſidium ætatis eſt pileus, uti & eorum, qui catarrhis obnoxii ſunt, aut calvi, aut ægroti: quibus utique pileolum conceſſerim. Marſilius Ficinus Clariſſimus Philoſophus Platonicus, patriâ Florentinus in pileolorum iſtorum uſu fuit ad ſuperſtitionem moroſus. Adeò moroſè, inquit Jovius, ſibi ad ſpem vitæ blandiebatur, ut ſæpè eâdem die, cùm aër incaleſceret, aut aliquo ſpiritu moveretur, capitis tegumenta permutaret.

De capillorum defluvio.

Defluvium capillorum ſpeciatim ita dictum eſt caſus pilorum capitis paulatim & ſparſim factus: ita ut non uno in loco, ſed vel omne in toto capite, vel plurimi hinc & indè excidant; & pili tantùm fiant rariores, nullâ parte capitis nudâ relictâ.

Cauſæ defluvii capillorum ſunt vel alimenti inopia, vel humorum pravitas, vel cutis raritas. Ob duas priores cauſas pili decidunt in phthiſicis & hecticis. Ob humoris pravitatem, in lue venereâ, capitis eryſipelate, & febribus malignis. Ob cutis raritatem, in convaleſcentibus à gravi morbo: in quibus tamen etiam humorum pravitas in cauſâ eſſe poteſt.

Galenus tantum duas aſſignavit cauſas; ſcilicet cutis raritatem, & materiæ defectum. At certum eſt, debere addi tertiam cauſam, nempè humorum pravitatem, uti conſtat in lue venereâ. Nam poſt eryſipelas capitis poſſet culpa refundi in cutis raritatem, ſeu pororum apertionem; ſed in lue venereâ non item; uti neque poteſt, dum poſt venena certa ſumpta vel attacta fit capillorum defluvium.

Ajunt ab humorum pravitate & corruptione oriri alopeciam & ophiaſin, non defluvium capillorum ſpeciatim dictum. At falluntur. Etenim ophiaſis quidem & alopecia oriuntur etiam ab humoribus pravis radices pilorum ero-

erodentibus, ſed tantùm in certis locis exiſtentibus: verùm in defluvio capillorum illi humores pravi per totum caput ſunt ſparſi.

Alexander Trallianus dicit, cutis denſitatem etiam eſſe cauſam defluvii capillorum. Sed hoc rationi minimè eſt conſentaneum. Nam firmatâ cute & conſtrictis poris, veroſimile eſt illos magis contineri, neque fluere poſſe.

Inſignis practicus Solenander in primo ſuo conſilio movet hic nobis dubium expenſu dignum. Contendit ipſe, quandocumque pori ſe commodè habuerint, pilos pulchrè firmari & hærere. Neque quidquam facere, quòd nihil alimenti ex parte, in quâ pili ſunt, aut ex corpore elevatum eis adglutinetur & apponatur: non enim, inquit, ob eam cauſam decidunt, etſi ob eam cauſam non excreſcant. Quis alimentum ſubminiſtrat pilis in pellibus animalium diu detractis? at his tamen pili non decidunt; niſi teredines, tineæ, & id genus inſecta alia poros infeſto dente devaſtarint, aut meatuum conſtrictio humido aliquo vel putredine labefactata fuerit. Reſpondendum huic eſt: idem fieri pilis ac foliis, quæ arboris coma quodammodò ſunt: hæc autumni initio languere incipiunt, flacceſcunt, & ſponte ſuâ tandem decidunt; non aliam ob cauſam, quàm quòd alimento deſtituantur, & humidum, quo fovebantur ac vigebant, depaſtum ſit, aut intrò retractum. Argumento eſſe poſſunt ea plantarum folia, quæ aut propter multitudinem humoris, aut ejus lentorem non decidunt, ſed perpetuo virore ſunt inſignia.

Si dicat quis; analogiam iſtam inter folia & pilos inſtitutam non eſſe bonam; quòd foliorum extremæ partes, interim dum in arbore virent, alimentum ſuſcipiant, neque folio ſolùm apponatur, ſed per totam ejus ſubſtantiam diſtribuatur: at pilorum non eam eſſe naturam; nullam eis vitam; radicibus cutem, aut ſubjectam ei membranam non complecti; ſed ut palus terræ infigitur, ita pilum cuti inſertum hærere. Reſpond. Pilum verè nutriri, non per materiam ei accreſcentem & allitam, ſed per alimentum, quod per totum pili corpus procedit & diſtribuitur. Hoc enim magis eſſe probabile, quàm alterum, monſtrant argumenta capite primo allata.

Sed cur ergo, inſtabit alius, in pellibus animalium diu detractis & præparatis non decidunt pili; cùm ibi deficiat alimentum? Reſpond. non decidunt, quia pelles illæ ſiccatæ ſunt, & poros habent conſtrictos, qui claudunt undique pilos & retinent; qualiter & arborum rami detruncari poſſunt & exſiccari, adhærentibus ſemper foliis. At in vivente animali vel arbore cùm pori ſint patuli & laxi ab humiditate, ſi alimentum deficiat, nullâ ratione continentur.

Eſt alia difficultas magni momenti: quomodò in tabidis capilli defluant ob alimenti defectum: cùm Ariſtoteles lib. 3. de hiſtor. animal. cap. 11. & lib. 2. de gen. anim. cap. 4. dicat: tabidis ſæpè, aliquandò etiam vitâ defunctis capillos creſcere? Dicendum eſt, non verè in iis creſcere, ſed apparere longiores ob marceſcentem carnem. Vel dicendum; in iis ſolùm creſcere, qui multâ humiditate ſuperfluâ abundant; quæ cedat pilis in alimentum; & ſic non eſt ibi alimenti defectus.

Diſtinguitur capillorum defluvium à calvitio, alopeciâ & ophiaſi (quos affectus communiter faciunt ſpecies defluvii capillorum generatim dicti) quòd in calvitio pili ſolùm defluant è ſincipite: in alopeciâ & ophiaſi ex aliis capitis partibus areatim: in defluvio capillorum ſparſim ex univerſo corpore.

Cauſa defluvii non difficulter cognoſcitur ex iis, quæ præceſſerunt, vel adſunt. Et prout cauſæ ſunt, ita quoque defluvium vel ſanabile eſt; vel non ſanabile. Si morbi Gallici vel lepræ indicia adſint, cauſa tum certa eſt. Humor quivis alius erodens calore circa cutim ſe prodit: quemadmodùm meatuum laxitas ſignificatur mollitie & humiditate.

Ab alimenti defectu veniens tollitur ægro reſtituto & bene habito.

Qui curaturus eſt capillorum defluvium, hunc præcipuum ſibi ſcopum præfixum habere debet ex Galeni doctrinâ, ut caput roboret, boni ſucci delationem ad cutem procuret, eamque ad denſitatem & raritatem moderatam deducat.

Ubi ſtatim petat quis: an iſta topica ſeu localia remedia adhiberi poſſint ante univerſalem corporis evacuationem? Dicendum eſt: poſſe, ſi cauſa defluvii ſit vel alimenti defectus, vel cutis raritas. Sed ſi humorum pravitas ac corruptela ſit cauſa, præmittenda eſt totius evacuatio.

Inter localia medicamenta conveniunt calida & adſtringentia moderatè: in quibus principem locum obtinet ladanum oleo lentiſcino mixtum, vel oleo myrtino, ſi largè capilli defluant; undè liceat conjicere, multam cutis capitis raritatem adeſſe.

Formula poterit eſſe hæc: ♃. Ladani optimi unciam, olei lentiſcini unciam. Miſce.

Hoc apud Galenum & ſimpliciſſimum & efficaciſſimum eſt medicamentum, quo ſe nullum præſtantius neque eſſe expertum, neque animo concipere potuiſſe fatetur. Licebit tamen ei addere myrrhæ electæ drachmam. pulv. capill. ven. verbenacæ rectæ an. ſcrupulum. Miſ. f. linimentum.

Alii præparant olea adſtringentia, quibus imponunt deindè ladanum, myrrham, & alia: verbi gratiâ.

♃. Roſar. ſicc. balauſtior. cortic. granat. an. drachmam. ol. comm. unc. quatuor. vini rub. adſtringentis ſeſquiunciam: bulliant ad conſumtionem vini. Tum ♃. Iſtius olei ſeſquiunciam. Ladani, myrrhæ an. drachmas tres. pul. capill. ven. drachmam. Miſce pro linimento.

Aliud: ♃. Apum uncias ſex. adipis ex collo equi uncias quatuor. mellis comm. uncias duas. Moſchi ſcrupulum. Piſtillo contunde; & concorpora ad lentum ignem. Eo ungatur caput veſperi, ſuperalligando linteum calidum.

Quidam his ſanatus eſt: ♃. Ladani ſemunciam. ol. myrtin. maſtichin. an. ſeſquiunciam. miſ. pro linim.

♃. Lixivii facti cum cinere quercus lib. v. gallar. non perforat. adianti an. pugillum. fol. roſar. ſeſquipugillum. baccar. myrti ſemipugill. acaciæ ladani an. drachmas duas. Acaciam & ladanum ligata in petiâ cum reliquis pone in lixivio, bulliantque ad conſumt. tert. part. Illo linimento veſperi caput ungatur, & mane lixivio lavetur.

Si

Si quibuſdam diſpliceat pinguia & unctuoſa in capite ferre; fiat decoctio ex cap. ven. abrotano, polytricho aureo, lentiſco, fol. myrti, roris, abſinth. in vino rub. & eo caput abluatur.

Item ſpumam carnis bubulæ macræ in aquâ coctæ collige in ollulâ mundâ; adde aquam melis: atque ea unge locum depilem.

Hæc aqua omnium eſt efficaciſſima:

℞. Aq. ſtillat. è melle uncias tres, ol. tartar. unciam, aquilæ vegetabilis drachmas duas. Miſ. & fervebunt. Fervore facto ſubſidet craſſamentum. Dein filtra per chartam bibulam; & utere. Deſcriptio aquilæ vegetabilis eſt hæc:

℞. Tartari libram. calcinetur per ignem carbonum ligneorum in vaſe lapideo perforato, & aeri aperto expoſito; quia horrendum fœtet. Deinde in pulverem redigatur, & ponatur in olla lapidea novâ, atque affunde poculum aquæ pluviæ. tum coq. ad conſumtionem medietatis. poſtea filtretur per folium chartæ bibulæ quadruplicatæ; & appoſitæ infundibulo: orificium infundibuli imponendo phialæ ſeu lagenæ vitreæ, ut ſenſim in eandem deſtillet. Si gratum colorem addere vis, quandò medietas decocta eſt, adhuc ferventi injice taleolam tenuem cortic. aurantii. Quò plus decoquitur, eò eſt valentior. Hujus aquilæ multæ & miſticæ ſunt virtutes, quas enarrare non eſt hujus loci.

Ista adhibenda ſunt detonſis primò vel raſis capillis: deindè cutis fricanda: tum medicamenta apponenda.

De area, alopecia, & ophiaſi.

Area ab areo eſt. Varro lib. 4. de ling. lat. ubi frumenta ſecta teruntur & areſcant, area. Propter horum ſimilitudinem loca in urbe pura, areæ. Ubi per pura loca intelligit non ædificata. De origine ejuſdem vocis ſic Feſtus cenſet: area propriè dicitur locus vacuus, quaſi exaruerit, & non poſſit quidquam generare.

Eſt ergo hoc loco nobis area glabrities ſeu privatio pilorum inſtar areæ in partibus capitis quibuſvis. Vulgò vocant depilationem.

Hujus duæ ſunt ſpecies: alopecia & ophiaſis.

Alopecia vel alopeciaſis eſt area ſeu glabrities capitis qualibet figura prædita. Nomen tractum eſt à vulpibus, quæ dicuntur Græcè ἀλώπεκες, quarum lotium terræ inſperſum toto anno eam ſterilem reddere, ſcribit Callimachi ſcholiaſtes. Vel potiùs è vulpibus nomen habet, quòd ipſæ, cùm annoſæ ſunt, illi affectui ſint obnoxiæ, obortâ per ætatem ſcabie.

Ophiaſis eſt area capitis tortuoſa inſtar ſerpentis. Dicitur à ſerpentibus, qui Græcè nominantur ὄφεις; quòd eorum figuram hæc depilatio referat. Hæc accidit ſolis pilis ſuperioris capitis: alopecia etiam barbæ accidere poteſt.

Occupat utrumque vitium non totum caput, ſed partes quaſdam & loca tantùm quædam cutis; ad diſtinctionem defluvii capillorum, de quo ante; quod promiſcuè & ſparſim toti capiti accidit.

Cauſa arearum poſt ortum venientium eſt pravus humor erodens radices pilorum; qui aliquandò ſimul malignus eſt, tanquam in lue venereâ. Humor is poteſt eſſe ſerum, pituita, & bilis utraque, putrefacta vel corrupta. Quemadmodum enim plantæ moriuntur, ſi muria, lixivio, aceto, urina alluantur, ita capilli defluunt, ſi humore ſalſo & acri circumfundantur.

Fernelius in conſiliis ſuis narrat caſum, cujuſdam qui ab ortu & ſemine areas contraxerat.

Alopecia & ophiaſis facilè cognoſcuntur; & facilè quoque inter ſe diſtinguuntur. Nam alopecia quidem eſt area, quæ ſub qualibet formâ dilatatur, ita ut nullam certam figuram habeat: ophiaſis verò more ſerpentis tortuosè progreditur; & modò ab occipitio extenta utrimque ad aures uſque ſerpit, latitudinem habens duorum ferè digitorum tranſverſorum; modò aures prætervecta ad ipſam uſque frontem ſerpentis inſtar procedit. Alopecia quamlibet ætatem invadit: ophiaſis ferè infantes. Præterea in ophiaſi majus cauſæ vitium eſt, ut non ſolùm pilorum radices, ſed & cuticula erodatur. Commune utrique eſt; quòd emortuâ ſummâ pelliculâ pili primùm extenuantur, deinde excidunt: ac ſi ictus is locus fit, ſanguis exit liquidior ac mali odoris.

Alopecia, quæ à lue venereâ ortum habet, id peculiare obtinet; quòd ſuperciliorum citiùs & barbæ, quàm aliarum partium pilos adgredi conſuevit, ſubindèque ejus partis capitis, quæ rariùs hoc defluvium patitur, ut ſunt latera utraque. Sic & alopecia, quæ lepræ ſoboles eſt, magis in ſuperciliorum, quàm aliarum partium pilos graſſatur.

Signa cauſarum ſunt, quòd ſi cutis apparet albidior, peccabit pituita; ſi nigrior, melancholia; ſi pallidior, flava bilis.

Increſcit utrumque vitium in aliis celeriter, in aliis tardè. Pejus eſt, quod denſam cutem, & ſubpinguem, & ex toto glabram fecit. Difficilioris ſanationis eſt ophiaſis, quàm alopecia: nam illa à materiâ & craſſiore & deteriore oritur, & ſimul cuticula eſt excoriata.

Alopecia in infantibus faciliùs ſanatur, quàm in adultis. Id quod voluit Celſus, dum inquit: hanc vix unquàm ſine curatione, illam per ſe ſæpe finiri. Sebaſtianus Egberti experientiſſimus Medicus & Conſul Amſtelredamenſis, civis meus, notis ad Dodonei praxin, ſcribit ſe obſervaſſe illos affectus annos 1614. quaſi epidemios, & puerulos invadentes.

Si per modicam frictionem cutis capitis mutetur color cutis, citò & facilè vitium tollitur. Si per modicam vel mediocrem frictionem non mutetur color cutis, vel vix mutetur; affectus non niſi difficulter, & longo temporis ſpatio pelli poterit. Si medio modo ſe habeat, medio etiam tempore tolletur.

Ut autem tollantur hi affectus: in primis, ſi ſinant vires incidenda eſt vena; ſanguiſque mittendus pro ratione plenitudinis corporis, præmiſſo leniente. Tum ad purgantia veniendum. Galenus lib. de comp. med. ſ. l. cap. 1. narrat hiſtoriam cujuſdam adoleſcentis alopeciâ laborantis, ex quâ licet colligere, quæ medicamenta ſint accommodata. Huic adoleſcenti primùm dedit duas pilulas ex aloe, quæ ciceris magnitudinem habebant. Deindè ſolâ hierâ diacolocynthidos eum purgavit bis in quinque diebus, primâ quidem vice drachmis quatuor,

alterâ drachmis quinque exhibitis. Poſtea ad evacuantia caput eſt procedendum per errhina & apophlegmatiſmos. Denique ea uſurpanda, quæ materiam in capitis cute detentam diſcutiant. Ea debent eſſe calida, non vehementer ſiccantia, tenuium partium, & metaſyncritica. Inter quæ quædam ſunt leviora, quædam mediocria, alia valida. Levius eſt hoc:

℞. Amygdal. amar. cum cort. uſtar. drachmas tres, thuris drachmam, olei chamæmel. unciam. ceræ parum. Miſc. f. liniment. Mediocre eſt illud:

℞. Pul. amygdal. amar. uſtar. drachmas duas, ſem. erucæ drachmam. ellebori ſemidrachmam. adip. urſin. anſer. ana unciam, ceræ parum. f. linim. Validum eſt illud:

℞. Euphorb. thapſiæ ol. laurini ana drachmas duas. ſulphur. vivi, ellebori utriuſque ana drachmam. ceræ drachmas ſex. cum ol. vetere f. linim. Quæ adhibenda ſunt calida, raſo capite perfrictâ cute, in loco calido, donec cutis ſuum naturalem colorem recipiat. Poteſt ante inunctionem caput lavari lixivio, in quo cap. ven. polytrichum, abrotan. ſimileſque plantæ coctæ ſint; & poſt lotionem caput linteo calido fricari; tum inungi.

In affectibus his inveteratis, ubi alia non profuerunt, hoc efficax eſt:

℞. Pingued. lardi veteris ſemilibram. terebinthin. uncias tres. lapid. polychreſt. ol. tartari ana drachmas ſex, ſulphur. vivi, ceruſſ. lotæ, lithargyr. minii ana ſemunciam. ellebor. utriuſque piper. long. tutiæ præpar. nihil alb. ana drachmas duas. Mixtis affunde ſuccor. depurator. rad. lapath. acut. & ſcrophular. herb. fumar. ſcabioſæ, cort. inter. virid. ſambuci, limon. ana uncias duas. Coq. ad ſuccor. conſumptionem. Poſtea adde ſtyrac. liquid. cinnabar. factit. ana drachmas ſex. ol. laurin. juniperin. ovor. ana ſemunciam. mercur. ſubl. ſeſquidrachmam. Miſc. f. unguent. Deſcriptio lapidis polychreſtri, qui hoc medicamentum ingreditur, eſt hæc:

℞. Vitriol. alb. ſalis nitri ana uncias duas. lithargyr. utriuſque ana ſemunciam. lapid. calamin. drachmas tres. Miſc. f. pul. coquendus in vin. rub. q. ſ. ad lapidis duritiem.

Fernelius in juvene carnoſo, benè ſano, annor. 20. areis ab ortu laborante, hæc ſuadebat: primò cutem glabram & jam ſiccam fotibus emolliendam & laxandam: venæſectionem & purgationem inutilem. Fotus fient ex decocto rad. altheæ, lilior. malv. violar. parietar. ſem. aniſ. lini, fæni Græci. Dum hoc fotu pars mollior videbitur reddita, fiat fotus ex ſalviâ, betonic. ſtœchad. adiant. cap. ven. abrotan. ſem. urtic. & ſinap. coctis in aquâ & vini albi parte quartâ. Mox à fotu areæ ungantur adipe urſino. Exactis diebus quindecim, mane & veſperi caput confricetur cæpis contuſis, dum prorſus rubeſcat, & mox melle oblinatur vice cataplaſmatis. Si ſub his remediis pilus non erumpat, adhibendum erit hoc unguentum:

℞. Thapſiæ pulv. drachmam. adipis urſin. unciam. Miſc. hujus vi ſi pilus non ſuccreſcat, dicit vix ſpem ullam aliunde eſſe poſſe.

In puerulis areâ laborantibus venæſectio & purgatio locum non habent, ſed ſola topica ſufficiunt. Sæpè ſatis eſt, lavare caput vino Gallico, in quo ſapo vulgaris ſit diſſolutus.

De nimiâ prolixitate, criſpitudine, rectitudine, ſetaceâ rigiditate, reduntantiâ, fiſſurâ pilorum, & pinguitudine.

Pili longiores, quàm uſus illorum, aut conſuetudo regionis fert, deformitatem inducunt: tanquam ſi in frontem longiùs deſcendant; vel mulieribus in labio ſuperiore myſtax, aut in mento barba oriatur.

Rectos etiam omninò ſeu planos pilos cùm aliqui certis in locis minùs decoros eſſe, criſpoſque illic decere magis exiſtiment, eos criſpari arte deſiderant.

Sunt alii, qui pilos ita duros habent, ut videantur pili ſuum ſive ſetæ: quod etiam moleſtum eſt & indecorum.

Accidit prætereà, ut capilli in capite & barbâ findantur & dividantur; ita ut, qui antea ſimplices erant, bifidi appareant: quod etiam deforme eſt.

Denique multis pili pingues ſunt & uncti, quaſi adipe obliti, adeò ut præ pinguedine ſplendeant, & ſibi mutuò adglutinati cohæreant. Id quod ingratum, ineptum, abſurdum eſt.

Longitudo & luxuria pilorum provenit ab alimenti copiâ; ratione cujus vis pilos educens ordinarios ſuos incrementi terminos excedat.

Criſpitudinis cauſam tum Ariſtoteles tum Galenus conati ſunt adferre. Ariſtoteles attulit duplicem. Primam quidem, diverſum motum diverſarum partium, quæ pilum conſtituunt. Inflectitur, inquit, pilus, quia duplici delatione fertur: terrena enim portio deorſum deprimitur; calida verò & fumoſa exhalatio ſurſum attollitur: cumque pilus præ ſuâ imbecillitate inflecti facilè poſſit, intorquetur; quod pili criſpitudo eſt. At ſi hæc ratio vera eſſet, omnes haberemus pilos criſpos, cùm in omnium pilis adſit duplex illa materia, terreſtris ſcilicet & calida fumoſa.

Alteram criſpitudinis cauſam refert Ariſtoteles in ſiccitatem: quia, inquit, in pilo parum humoris, multum autem portionis terrenæ ineſt, efficitur ut pili reſiccati ab aëre ambiente contrahantur: inflectitur enim & contrahitur, quod rectum eſt, ſi evaporatur: atque convellitur pilus, quemadmodum cùm ab igne aduritur: utpote cùm criſpitudo convulſio fit ob humoris inopiam. Hanc eandem rationem adſignat Galenus lib. 2. de temp. cap. 5. quam etiam illuſtrat ſimilitudine corrigiæ, quæ cùm ab igne plus juſto ſiccatur, intorquetur. Quæ quidem ratio in capitibus & pilis Æthiopum locum fortaſſis habere poſſit, ſed non in hominibus noſtratibus. Nam hic aër ambiens non eſt tam calidus, ut pilum contrahere, velut ignis, poſſit.

Tertiam ergò cauſam producit Galenus ibidem, nimirùm meatuum, in quibus pili radicantur, obliquitatem; quam duabus ex cauſis oriri ſtatuit; vel ex debilitate fuliginis per meatum erumpentis; vel ex denſitate cutis. Si enim exhalatio imbecillior eſt quàm ut rectâ viam ſibi parare poſſit pro modo, quo inflectitur, etiam meatum ſuum format. Si verò exhalatio ſatis valens eſt, ſed duriori cuti occurrat, non poterit rectâ ferri, ſed in latus reflectetur, & obliquum tranſitum ſub cute molietur. Quales autem, inquit,

quit, in radice pili finguntur, tales rationabile eſt perpetuò fore. Quæ Galeni ratio tolerari poteſt in eâ ſententiâ, quæ ſtatuit pilos ab excrementis protrudi, & non verè nutriri: ſed in alterâ, quæ ipſos verè nutriri cenſet, non apparet admodùm veriſimilis: videmus enim in plantis ex anfractuoſis, tortis, & obliquis radicibus rectum ſtipitem exſurgere. Quin pili multorum ad radicem recti planique ſunt, in cacumine criſpi: id quod poris adſignari nequit.

Itaque forſan meliùs cauſa criſpitudinis in certum cutis temperamentum referenda videtur, quo utens virtus pilorum generatrix tales pilos profert: cùm videamus natos ex Æthiopibus etiam in regione temperatâ, criſpos habere capillos; & contrà ex Europæis natos in Æthiopiâ non habere. Videlicet ſicuti ſemen lactucæ Hiſpanicæ in his etiam terris lactucam producit foliis criſpis; ita ſemen talium parentum tali temperie præditum criſpos gignit.

Setacea pilorum rigiditas oritur ab alimento, quod planè ſiccum & terrenum eſt.

Pilorum fiſſura fit etiam vel à facultate pilorum genitrice, & ſic nativa eſt: vel ab humore acri capillos in extremitate findente: à quâ cauſâ fiſſi pili brevi decidunt.

Capilli redduntur pingues à vapore per cranium tranante pingui, qui ſuſtollitur ab humore uncto. Sunt enim quidam adeò pingui humecto madidi, ut ſudore pileos perpingues efficiant, quare & capillos ſuos ſimili unguine inficiunt. Atque hos adverto ſæpiùs capitis dolore conflictari.

Pilorum nimia prolixitas tondendo ad eam, quæ decens eſt & utilis, longitudinem ſine negotio magno, uti conſuetum eſt, reducitur. Sex autem invenio modos ab antiquis uſitatos, quibus crinium ſilvam tollerent. Nam aut tondebant forficulâ, aut radebant novaculâ, aut digitis vellebant, aut volſellis eradicabant, aut deglabratoriis medicamentis exſtinguebant, aut deniq; pice reſinâve exſtirpabant. Nobis tondere aut radere in more eſt, rarò deglabratoriis pharmacis utimur. A centum & quadraginta annis majores noſtri non in Belgicâ tantùm, ſed per totum Occidentis imperium comâ breviore erant, quàm nos hodiè. Morem illum comam tondendi, cùm ſæculis præcedentibus eam, ut nos jam, geſtaſſent, à Carolo V. Cæſare cœptum exiſtimat Fam. Strada: cùm enim, inquit, Carolus anno 1519. ad capeſſendam imperii coronam veniſſet in Italiam & minuendo capitis dolori cæſariem depoſuiſſet: exemplum certatim rapuerunt omnes aulæ primores, more, qui per ea prægreſſaque ſæcula tantoperè vigebat, alendæ comæ, imitatione unius, apud omnes abolito. Tonderi ad cutem in diuturno pituitæ curſu, qui morbus literarum ſtudioſis plerumque familiaris ac moleſtus eſſe ſolet, ſuadet elegantiſſimus Celſus. Nimirùm capitis vapores, qui cerebrum percellunt, attonſo vertice eventantur ac diſſipantur meliùs. Ægyptii conceptis verbis capillum puerorum defectum Divis ſuis nuncupabant, ut ab adverſâ valetudine reſpirarent. Neque alioſùm Ariſtotelem attonſo vertice fuiſſe, quod de eo prodidit Laërtius, credi debet. Mar. Antoninum, cognomento Philoſophum, optimum Imperatorem, vivâ cute tenus tonſum fuiſſe & cum eo Medicos omnes, teſtatur Galenus lib. 6. epid. Quod patris integerrimi factum degener patrique longè diſſimillimus filius Commodus aureâ comâ ſuperbiens mutavit, ejuſque exemplo turba familiarium. Inter athletas, qui in promovendâ corporis firmitudine & evexiâ ſtudium omne ponebant, ii, qui viriliores erant, ad cutem uſque tondebant capillos.

Tonſuram veteres Græci σκεῖν vocant, cujus vocis in noſtrâ vernaculâ linguâ manſit veſtigium: nam tondere comam dicimus *ſcheren*. Commemoratur autem apud ſcriptores duplex tondendi genus, cepus & ſcaphium. Exiſtimatur cepus illud tonſuræ genus, quo cæſaries frontem obumbrans ornatus gratiâ reſecatur, ex æquando capillos pendulos ad inſtar tonſilis fruticeti herbarum hortenſium, quibus muſcaria & cacumina amputant olitores, ne inæqualitas areolas deformet. Scaphium verò, quando ad ipſam uſque cutem calvam ambientem ſuccîditur: cujus non abſurda ratio eſt, quòd, ubi totum cranium tondetur, piſcatoriæ ſcaphæ inverſæ formam referat, cujus uti prora puppiſque eminentiores exſtant, ita latera hinc indè ſubſident depreſſa; quod in temporibus videre licet. Manſit & hujus vocis veſtigium in noſtrate linguâ, quâ qui villoſos pannos longis forficibus attondent, *ſcaepeſcheren* appellant, quaſi σκαφιοκεῖν dicas: quoties ſtrictim ad ipſam uſque panni carnem, ut ita loquar, detondent villos.

Radimus ea loca, quæ volumus prorſus pilis eſſe nuda & glabra, ut malas & menti partem. Quæ & alia ſi volumus ex toto depilari, neque in poſterum pilos renaſci, adhibenda ſunt pſilotra. Inter quæ efficax & probatum eſt hoc:

℞. Calcis vivæ uncias duas. auripigmenti drachmas ſex. rad. irid. Florent. ſemunciam. ſulfur. nitri ana drachmas duas. lixiv. ſtipit. fabar. fort. libram. Miſce & coq. in ollâ novâ vitreatâ, ad juſtam conſiſtentiam; quod cognoſces, ſi penna oblinita plumas dimittat. tum adde ol. ſpicæ drachmas duas, vel alia odorifera; & f. unguent. ex cujus illinitione pili, in quâcumque corporis parte ſint, ſtatim decidunt. Locus autem depilatus ungatur unguento roſaceo. Jam ne renaſcantur denuò pili ablati;

℞. Hyoſcyami manipulum: teratur cum aceto vini, & formâ cataplaſmatis applicetur.

Fœminis hoc peculiare, ut circa comarum nutritionem quàm maximè occupentur. Neque injuriâ fortaſſis, quandoquidem capillamenti decorum adeò fœminas deceat, ut quamvis auro, veſte, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen niſi capillum diſtrinxerit, ornata non poſſit videri. At viros cum affectatione quâdam & curâ capillos ſtudioſè colere, & ad lenocinia decoris ſe demittere, minimè decet. Hos Seneca dicebat ſolicitiores eſſe de capitis ſui decore, quàm de ſalute; quippe qui inter ſpeculum pectinemque occupati ſint; qui concinniores eſſe malint, quàm honeſtiores; qui rempublicam ſuam turbari minùs curent, quàm comam; ſi ſcilicet

Unus de toto peccaverit orbe comarum
Annulus, inſertâ non benè fixus acu.

Sicut de molli quodam & effœminato Martialis cecinit. Archeſilaum Philoſophum Plutarchus refert vehementi verbo uſum eſſe in quemdam nimis delicatum divitem, qui incorruptus tamen & perinteger habebatur. Nam cùm vo-

cem ejus infractam, capillum arte compoſitum, oculos ludibundos, atque illecebræ voluptatiſque plenos adſpiceret: nihil intereſt, inquit, quibus membris cinœdi ſitis; poſterioribus an prioribus. Conſuerunt tamen & nunc & olim Franci ſive Galli comam alere elegantem, & cæſariem inſignem ac copioſam lubenter oſtentare. Claudianus:

------ tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro.

Ideo fortaſſis, quòd Franci, id eſt, liberi potiſſimùm nominarentur. Liberorum autem ſive ingenuorum eſt, comatos eſſe:

Longæ comæ ſi rectæ eſſent, criſpabantur. Tonſores ad hoc peculiariter conducti, qui cinerarii dicebantur; quòd unum de miniſteriis eorum eſſet, calfactis in cinere calamiſtris torrere ac vibrare crinem. Iidem vocati & ciniflones; quòd in cinerem flarent, ad calefaciendum inſtrumentum, quo capillos criſpabant. Ornatrices etiam & concinnatrices nuncupabantur puellæ, quæ mulieribus comas exornabant, & crines diſponebant per acus & veruta; edoctæ ab artis magiſtris ad hoc artificium. Acus iſtæ comatricæ appellantur à Petronio; ab Apuleio autem crinales. At Plautus vocat calamiſtrum, quo criſpatur in annulos capillitium. Juvenalis calamiſtro criſpare comam: comam in gradus frangere Plinius dixit. vibrare ferro crines Virgilius: uſtulare candente ferro crines Pacuvius. Dicebatur & diſcriminalis acus, quæ capillos mulierum ante frontem dividebat. Ornatus ipſe, quo capilli ſic dividebantur ante frontem, diſcrimen dictum. Germanorum cirri in nodum erant ſubſtricti. Martialis:

Crinibus in nodum tortus venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

Vulgò locum illum exponunt; crines in nodum tortos eſſe calamiſtro ad ſpeciem nodi vibratos, intortos, ac rotatos crines: quemadmodùm in fluctum tortos crines dixit Manilius, qui inſtar fluctuum exhibent. Tortos autem aliter eſſe Æthiopum crines, quia naturaliter, non arte, criſpi exiſtunt. At illi non rectè ſentiunt. Non enim hic mos unquàm Germanorum fuit, crines calamiſtris inurere, aut alio modo ornare. Clemens Alexandrinus: Celtæ & Scythæ, inquit, comas alunt, non ornant. Atqui pars longè maxima capilli ornandi eſt calamiſtri & crinium inflexio, quæ ferro fit calido. Phrygum hoc fuerit proprium, & effœminatarum gentium, quibus hoc probrum paſſim objectum, quòd haberent comas

Vibratas caldo ferro, murrhâque madentes.

Longè hoc à Germanis. Quid igitur hi, aut quomodò crines torquebant? qui ſimpliciſſimus fuit mos, in nodum eos cogebant. Ex ipſâ nimirùm comâ, quam ſatis longam nutriebant, nodum faciebant. Quia verò non datur ex crine nodum in capite facere, niſi torqueatur, ideò tortos in nodum crines dixit Martialis, in nodum coactos, vel nodo ſubſtrictos. Rectam quippè ac prolixam cæſariem nodare non poſſis, niſi in modum funis obliques eam ac torqueas. Sic in nodum facilè ducitur, neque aliter quitum eſt. Tacitus de moribus Germanorum ſic explicandus: inſigne gentis obliquare crinem, nodoque ſubſtringere. Quem locum perperàm capiunt de crine calamiſtris vibrato. Neque altera melior interpretatio, ut crinem non in rectum paſſi ſint deſcendere, ſed reduxerint in poſteriorem verticem, & obliquarint. Obliquant crinem, & nodo ſubſtringunt, quia nodo aliter ſubſtringere nequeunt, niſi obliquantum ac tortum. Ideo obliquandi crinis meminit; ut oſtenderet, ex ipſo crine nodum eos facere ſolitos, non alio vinculo nodare. Nam vinculo aut tæniâ poteſt nodari ac religari crinis etiam rectus, & in rectum deſcendens: at ex ipſo crine nodum facere non datur, niſi obliquato ac torto. Iſte crinis in nodum tortus & coactus vocatur cirrus, qui idcircò etiam Germanorum proprius fertur ab auctoribus. Jam ad Medicinam redeamus.

Ad craſſiores, rigidioreſque & ſetaceos pilos reddendos tenuiores mollioreſque valet hoc lixivium.

℞. Majoran. hyſſop. ſalviæ, thymi ana manipulum. lavendulæ manipulos duos. cort. citri vel araut. ſicc. uncias duas. lupinor. & orobor. ana unciam. flor. ſtœchad. roriſmar. geniſt. roſar. ana pugillum. fol. ſenæ unciam. agaric. cortic. colocynth. ana ſemunciam. bull. in lixivii q. ſ. colatura detur uſui.

Fiſſura pilorum corrigitur, ſi pars illa, quæ fiſſa eſt, abſcindatur: atque ea, quæ remanet, circa extremitates felle inungatur: poſteà rurſùm decoctó herbarum capillarium, abrotani, polytrichi, & ſimilium pili abluantur.

Pinguedinē pilorū aufert hic pulvis inſperſus:

℞. Rad. Irid. Florent. uncias duas. flor. viol. recens ſiccat. ſemunciam. rad. cyper. rot. drachm. ol. ſtillat. roſar. veri ſcrupulos quatuor Miſc. f. pulvis ſubtiliſſimus. Gratiſſimi eſt odoris; cerebrum & omnes ſpiritus recreat, nec ſexui muliebri eſt adverſus.

De tricis ſeu trichomate, quam Plicam vocant.

Plica eſt pilorum ſibi invicem junctorum adeò arcta intricatio atque implicatio, ut nullo pacto ampliùs diſcerni aut extricari poſſint, à certâ causâ internâ & præter naturam proveniens. Familiaris eſt hic affectus & quaſi endemius Polonis, præcipuè Ruſſis, quorum infantes ſæpè cum eo naſcuntur. Vidi tamen eum etiam Patavii in fœminâ Germanâ, in cujus ædibus habitabam.

Poloni duplicem ſtatuunt plicam: alteram maſculam, alteram fœminam. Hæc totum horribili ſpectaculo involvit caput, ita ut non tam capilli, quàm aliquis pileus congenitus homini videatur. Maſcula eſt, quæ propendentes aliquot ad inſtar funiculorum ſpiras habet.

Hujus mali cauſæ ſunt vitioſi & maligni humores, ob peculiarem loci, præcipuè Ruſſiæ, aëris, & aquarum genium ad caput ferri, & in pilos commutari apti: quemadmodùm in Alpibus Rheticis, Stiriâ, & Caryntiâ aquarum vitio bronchocelæ & ſtrumæ incolis adnaſcuntur, materiâ vitioſâ in glandulas colli, & non in alium locum detrusâ.

Joachimi Paſtorii Florus Polonicus lib. 2. c. 14. narrat, tempore Leſci Nigri Poloniarum Principis, in Ruſſiâ (rubra) à tranſeuntibus Tartaris, immiſſis humanis cordibus, quæ veneno imbuerant, infectas aquas nova morborum genera peperiſſe, quorum ut cauſa diu fefellit

Medicos, ita ſoboles hodie quoque in inexplicabili tricarum contage, quam plicam vocant, creditur vulgo ſupereſſe. Spondanus etiam anno 1287. num. 10. ita ſcribit: cæterùm ne Ruſſi quidem, quanquam ſocii, prorsùs expertes malorum à Tartaris fuere. Nam exceſſuri illi è Ruſſiâ, ut eſt malitioſum hominum genus, atque incantationum & veneficiorum gnarum, aquas omnes infecerunt, exſectis captivorum cæſorum cordibus, & præſentiſſimo veneno imbutis, ac verubus ſubter aquas defixis. Undè plurimi mortales; cùm ſeriùs mali cauſa animadverſa eſſet, miſerabiliter exſtincti ſunt. Idem aiunt Brovius, Cromerus, Dlugoſſius, aliique hiſtorici Poloni. Et concors in Ruſſiâ traditio eſt, plicam ab illis aquis infectis eſſe derivatam. Cui favere poteſt regionis ipſius temperamentum ſeu indoles. Nam plicâ laboranti caput radere in Poloniâ, pernicioſum; in Tartariâ verò, ſi quis plicâ affectus eo deductus captivus fuerit, raſura minimè nocet, ob climatis benignitatem.

Defertur iſta materia vitioſa & maligna ad pilos non per modum fuliginum, ex quibus tantùm creduntur orti pili; ſed ſimul cum ſanguine; utpote quo pilos ipſos nutriri, hinc manifeſtum eſt, quòd pili hi intricati abſciſſi aliquando ſanguinem fundant.

Eſt plica ſymptomaticum quid, ſed aliquandò criticum, ortum ex materiæ iſtius vitioſæ expulſione verſus caput. Nam plica nihil periculi ægro adfert, ſæpéque ſine ullo damno ad mortem uſque circumfertur. Id verò, quod maximè ægrum infeſtat, eſt humor ille malus in corpore hærens; undè pili oriuntur; hic enim eſt, qui graviſſima illa ſymptomata efficit, quæ jam enumeratum eo.

Incipiente trichomate unus & alter cirrus in capite vel barbâ excreſcit, cum vicinis ſibi crinibus introrsùm implicatus & denſus. Antequàm is excreſcat, vel etiam quàmvis excreverit, modò tamen materia vitioſa in corpore redundet, oſſa infringuntur, laxantur artus, membra conglobantur ac retorquentur: gibbi efficiuntur, pediculi funduntur, quibus caput ita oppletur, ut nequaquàm purgari poſſit: Sed hoc non eſt perpetuum, ut pediculi in plicâ adſint. Narravit mihi Lovenii Illuſtr. D. Theodorus Skuminovius Epiſ. Gratianopol. ſe noviſſe nobilem Polonum Petrum *Nieſmierski* ferè ſexagenarium in albâ Ruſſiâ, cui capitis pars plicâ fœminâ ad inſtar piloſæ pyramidis cirrata, nullum unquam habuit pediculum: quin è contrario, ſi vivus pediculus capiti ejus imponeretur, moriebatur. Si cinni hi & cirri radantur intempeſtivè, humor malignus & virus in corpus relabitur, & ægros jam dictis modis torquet. Caput, pedes, manus, omnes artus, omnes juncturæ, omnes corporis partes exagitantur. Ideoque morbus hic Polonicâ linguâ vocatur *Gozdziec*, quaſi clavatus; quòd corporis, capitis præcipuè, clavis confixi dolorem æquet. Ungues aliquandò, præcipuè in pedibus & maximè in pollicibus, ſcabri, longi, & nigri fiunt inſtar cornu hircini. Obſervatum eſt, qui tales faſciculos implicatorum inter ſe crinium deraſiſſent, vel ungues illos præſcidiſſent, oculis captos fuiſſe; aut defluxionibus ad alias partes graviſſimè afflictos. Purgantia uſitata ſi exhibeantur, efferatur magis malum. Quidam cùm aliquot annis hoc genere mali cruciati eſſent, nec caput raſiſſent, ſed omnem ſpurcitiem ac moleſtiam pertinaciter pertuliſſent, tandem virulentis illis cirris ſponte ſuâ decidentibus convaluere; conſumptâ ſcilicet totâ illâ malignâ materiâ in capillos: quod de maſculâ plicâ intellige; nam fœmina eſt immedicabilis. Contrahitur hoc malum etiam per contagium, ſi quis aliquoties ſibi imponat pileum ſudore plicâ laborantis madidum.

Hæc, quæ retuli, ita eſſe & ſic ſe habere univerſi omnis ordinis Poloni, maximi, medioxumi, minimi, adfatentur: eaque fuit conſtans tot ſæculis ſententia, à parentibus inculcata, abavis, proavis, atavis, tritavis propagata & tradita, tantoque cum ſuo malo vera comperta. Quam tamen jam nunc ridet Willielmus Daviſſonus, nobilis Scotus, Chriſtianiſſimi Galliarum & Navarræ Regis Conſiliarius & Medicus, domus hortique plantarum medicinalium, qui Pariſiis in ſuburbio S. Victoris eſt, olim præfectus: nunc autem S. Regiæ Majeſtatis Poloniæ & Sueciæ ſenior Archiater & Chemicus: S. Reginalis itidem Majeſtatis in vulgari Medicina perſonæ Medicus. Nam in ſuo Prodromo commentariorum Scotiorum in Petri Severini Dani ideam Medicinæ Philoſophicæ pag. 450. vocat plicam Polonicam morbum ex ſuperſtitioſarum mulierum cerebro natum, & in credulos aliquos Medicos tranſplantatum. Audax Herclè & intolerandum facinus, ab homine alienigena nobilem, potentem, ſtrenuam, ingenioſam gentem, à cujus Magno Rege Reginâque lautiſſima meret ſtipendia, ſcripto publicè edito traduci ut ſtolidam, ſtultam, infrunitam, delirantem. Quid enim aliud cenſeas de eo, qui morbum hunc ſæviſſimum immeritò morbi nomine inſigniri; quæ de eo narrantur, aniles eſſe fabulas, eiſdemque adſentientes judicii & mentis non eſſe compotes ait, hoc eſt, ſincipite eſſe non ſatis ſano. Et hoc ſe agere obtendit, ut ponat auxilium nobiliſſimæ & fortiſſimæ nationi; ut non ſolum medelam graviſſimis affectibus corporum adferat, qui ſub nomine plicæ occultantur, ſed etiam animos moderatiorum hominum à tyrannide fabuloſâ & ſuperſtitioſâ deinceps liberet, id eſt, paucioribus verbis, ut genti fatuæ mentem reſtituat. Hic videlicet alter eſt Hippocrates, qui è longinquo accerſitus inſanienti Democrito opem & ſalutem laturus eſt; at Democrito quàm ipſe Hippocrates, ſapientiori. Septem annis inquit ſe in Poloniâ degiſſe; Tantulo tempore ſibi arrogat, acquiſiviſſe ſcientiam, quâ veram de plicâ opinionem tot ſæculis irroboratam convellat & proterat. Id quomodò exefficere conetur, operæ pretium eſt videre.

Principio ablegat nos ad conſultationem Patavinam, quæ proponit hominem triginta annorum, boni habitus, apud Polones repentè fieri debilem, tremulum, aut lividum & exſanguem; deindè poſt tres aut quatuor dies capillos capitis criſpari, in varios cirros involvi, figuras quaſi anguium repræſentantes, qui puncti ſanguinem effundant, cum furfure, pediculis, ſpurcitiâ & fœtore totius capitis. His ita ſe habentibus accedere Medicum, qui ſi ſanguinem miſerit, aut purget, vel pilos ad ſpurcitiam illam auferendam radat, illicò ſæva ſymptomata advenire, dolores oculorum, ar-

ticulorum, oſſium, membrorum contractiones &c. Adverſus quæ hæc reponit.

Quòd hominem triginta annorum pro exemplo ſupponant, error eſt: nam non ſolùm contingere videtur hominibus triginta annorum, ſed pueris aliquandò trium annorum; imò & nuper natis, ſi ita matris aut nutricis ſuperſtitioni placere licuerit. Neque repentè fiunt debiles, ſed præviam aliquam experiuntur cauſam debilitatis, quamvis non à plicâ. Simili modo nec tremuli, nec pallidi, nec exſangues repentè fiunt, ſed poſt manifeſtam aliquam actionem læſam. Neque poſt tres aut quatuor dies capilli capitis criſpantur, neque involvuntur in tales circos, varias figuras quaſi anguium recipientes, niſi arte per contrectationem crebram quaſi per artem fulloniam introducantur. Neque puncti ſanguinem effundunt, ſed de furfure, pediculis, ſpurcitiâ, inhoneſto fœtore totius capitis. Hæc à veritate haud aliena ſunt, illa enim omnia accidunt illis, qui datâ operâ ut in complicationem concreſcant, crines pectine non deducunt, aut qui fulloniam in capillitio plicando artem exercere volunt. Sed cùm accedit Medicus, qui ſanguinem mittere, aut purgare, vel pilos ad ſpurcitiem illam auferendam radere velit, illicò illis ſymptomata ſæva accedere ſomniant. Ego illis ſic occurro. Conſultatio illa eſt Roderici à Fonſeca Olyſſiponenſis, in Patavinâ Academiâ Medicinæ practicæ Profeſſoris, in quâ proponit ſibi hominem triginta annorum plicâ laborantem, verbi & exempli dumtaxat gratiâ, velut in conſultationibus & conſiliis, ut vocant, fieri adſolet, non quòd tantùm illâ ætate affectum iſtum invadere exiſtimaret: invadit enim & torquet mortales ætate quâlibet. Atque ut confeſſum accipio, quod ipſus hic ait, etiam nuper natos interdum corripi. Quid autem tum matris aut nutricis ſuperſtitioni eſt adſignandum? Cirros in infante videre, tangere non eſt ſuperſtitioſum. Aut vult fortaſſis matrem imaginari, cirros in infante eſſe, qui non exiſtunt? Hoc jam eſt phreniticam aut aliter deliram matrem dicere, ſimilemque Theophilo Galenico tibicines in conclavi ſuo canere garrienti, qui nuſquàm eſſent. Et ſi mater forſan id pravè imaginata fuit, adſtantes tamen quidam ſapiebant, qui falſam matris imaginationem rejeciſſent, nec narrari aut credi paſſi fuiſſent, infantem cirratum eſſe, qui nuper in lucem ſit editus. Repentè autem fieri debiles, tremulos, pallidos etiam ponit verbi tantùm causâ: non quòd ita ſemper & perpetuò accidat. Et repentè ipſi non eſt confeſtim, ſtatim, extemplò: ſed ſine manifeſtâ causâ, quæ à prudentibus adſtantibus aut Medicis advocatis poteſt accuſari; v.g. nullo prægreſſo animi pathemate, nullâ febre, nullo dolore, nullâ vehementi corporis exercitatione, nullâ inediâ &c. Debilitatem autem, tremorem, pallorem non à plicâ ſeu capillorum contortione fieri, verum eſt: at fit à materiâ malignâ, virulentâ, venenatâ in corpore vagante, à quâ deinde fit plica. Similiter verum eſt, non ſemper poſt tres aut quatuor dies ab illâ debilitate, tremore, pallore capillos criſpari, ſed ſæpè longo poſt tempore; aliquandò tamen citò, prout natura valens vel invalida eſt & materia pauca vel copioſa.

Quod poſtea addit, capillos in tales cirros (cirros dicere debuit) non involvi, niſi arte per contrectationem crebram quaſi per artem fulloniam introducantur. Hoc à verò alienum eſt. Teſtem appello univerſam cirratorum in Ruſſiâ turbam, quorum nullus in capillos ſuos fullonicam ſe exercuiſſe aiet; cùm caput raſum habeant relicto uno in ſincipite aut circa tempora tutulo; in hunc ergo ſolum fullonicam exercere queunt: atqui e reliquo capite toto excreſcunt cirratæ ſpiræ. Et in puerulis trimis, nuperque natis infantibus nihil capillorum eſt per artem fulloniam complicandum; tamen hi quoque eo affectu laborant. Punctos illos capillos ſanguinem non effundere, ſed de furfure, pediculis, ſpurcitiâ, inhoneſto fœtore totius capitis eundem prodire: partem verum eſt, partem non verum. Furfures, ſpurcitia, inhoneſtus capitis fœtor ſanguinem haud fundunt, nec fundere poſſunt: pediculi poſſunt. Eſt autem, cùm caput plica deformatum nullos alat pediculos, ut de *Petro Nieſmierski*, nobili Polono antè relatum eſt; in eo ſi pili craſſefacti ſunt, ſi eorundem cavitas patentior reddita, utique abſciſſi ſanguinem ſtillabunt; qui eo caſu non fundetur e pediculis. At *inquit*, illa omnia accidere illis, qui datâ operâ, ut in complicationem concreſcant, crines pectine non deducunt, aut qui fulloniam in capillitio plicando artem exercere volunt. Sunt agaſones, muliones, aurigæ in Germaniâ, Galliâ, Italiâ, Hiſpaniâ, qui nunquam vel rarò pectine crines diſpeſcunt, non cruciantur tamen unquàm illis malis, quæ in plicâ evenire advertuntur. Eſt in Europâ natio miſera, quæ vix alium capillitii uſum agnoſcit, quàm ad detergendas manus à pinguibus cœnæ ſordibus, cateràque omni illuvie: quâ de causâ ingentes concretorum crinium ſpiras alit in humeros uſque dependentes, quibus vice mantilium diffluentes pinguedine ciboque digitos ſolet injicere, eoque pacto extergere; neſcit tamen illos cruciatus, quibus Polonicâ plicâ affecti torquentur. Et in Ruſſiâ tonſo ad vivam cutem capite nequeunt Fulloniam in plicando pilo artem exercere, quibus tamen plicâ ſupervenit.

At ſomniant, *inquit*, ſibi ſymptomata illa ſæva accedere, cùm accedit Medicus, qui ſanguinem mittere, aut purgare, vel pilos ad ſpurcitiem illam auferendam radere velit. Hic iterum Corœbos aut Morychos facit Polonos, quippe vigilantes dicit ſomniare, & ſentire tormenta, quæ non ſunt. Dum vult dumtaxat Medicus ſanguinem mittere, dum vult purgare, dum vult pilos radere, nulla accedunt ſæva ſymptomata; ideoque neque illa ſe ſentire ſomniant ſapientes Poloni. Sed dum Medicus ſanguinem miſit, purgavit, pilos raſit, tum demum accedunt, & reverâ ab ægris ſentiuntur. Pergit:

Ego plures quàm ſexaginta plicas iſtas immenſas latitudinem caudæ caſtorinæ ſuperantes, imo & uſque ad coxin propendentes, aliquibus abſcindi curavi abſque ullo prævio remedio adhibito, aut ſymptomate qualicunque ſubſequente, Alii negarent id factum: ſed ego credo Viro Nobili id publicè affirmanti: & dico, id feliciter ſucceſſiſſe iis, quibus tota materia virulenta in pilos erat abſumpta; iis enim interdùm ſponte cirri decidunt, & ſani evadunt. At quibus

non

multum materiæ malignæ in corpore ſupereſt, iſti non impunè ferent pilorum reſectionem : ſed doloribus oculorum, cæcitate, articulorum, oſſium, membrorum contractionibus corripiuntur.

Illicò dolores illos à plicâ abſciſsâ oriri non deprehenderam; imo potius assererem iſtos dolores perpetuos capitis non aliunde oriri, quam à radicibus iſtis capillitiorum, quæ divaricantur ſub fullatione, quia plicata capillitia trahunt, non plicata in fundo in unum & perpetua vellicatione dolores pariunt immenſos & perpetuos & præcipuè quando ſubmiſſe in tergum dependet, nam tunc pondere ſuo totum pericranium torquet, & in conſenſum trahit. Non ſemper illicò dolores illi plicâ abſciſsâ ingruunt; ſed aliquandò citiùs, aliquandò tardiùs, pro naturæ & materiæ nocentis conditione. At enim dolores iſtos oriri ideò, quia capilli plicati pondere ſuo pericranium torqueant & trahant; id minimè eſt credendum. Nam etſi dolorem capitis fortaſſis eo pacto inducere poſſint, articulorum tamen, oſſium, membrorumque contractiones non queunt ſuo pondere facere. Et multo plures ſunt, quibus non demittitur conglomeratum capillitium in tergum & coxas uſque, ſed ſolùm dependet hic & hic cirrus unus & alter, pondere ſuo nequiens pericranium detrahere : atque in his tamen etiam dolores tales contingunt.

Deindè ſcribit quemadmodmùm ophthalmia curanda ſit. Nimirùm primò mittendum eſſe ſanguinem ex venâ maximè apparente ad uncias novem : nocte ſequenti admovendum poſt aures emplaſtrum veſicas excitans, Utantur, *inquit*, iſto remedio, & nullo alio, & reſpondebo pro vita nullam cæcitatem inde ſubventuram. Si hoc conſilio uſi fuerint ante decurſum annorum 20. & apparuerit plica in tota Polonia, capite plectar pro præmio. Occiſiſſimus eſt Archiater iſte, acephalus eſt. Quid? Non apparituram plicam in totâ Polonia, ſi ante viceſimum annum ſanguis mittatur, & poſt aures applicetur veſicatorium? atque in eam rem caput ſuum oppignerare? Jam nunc ſine capite eſt, ſi verbo ſuo ſtet. Ne quidem promitti poteſt, non ſecuturam cæcitatem, etſi benigna ſit ophthalmia, quandò tamen magna eſt; quantò minùs, ſi ſit maligna, venæſectionem reſpuens. Præterea plica ſæpè venit ſine ophthalmiâ. Quid ergò proficiet tum ſanguinem miſiſſe, veſicatorium pone aures adhibuiſſe ante annum ætatis viceſimum, ad avertendam ex totâ Poloniâ plicam?

Plica ſic fit : cum morbi homines lecto diu detinere ſoleant, progreſſu temporis, crebra crinium contra pulvinaria perfrictione, longoque ſuper crines decubitu, aut pectinandi intermiſſione concreſcunt crines, modò in occipite aut circa tempora.

Si plica non aliundè, quàm ex cauſis illis fiat, multo frequentior eſſet plica hic in Belgio, Galliâ, Germaniâ, Italiâ, quàm in Poloniâ: nam in illis regionibus viri comati ſunt promiſſo capillitio; in Poloniâ detonſam habent calvam, Sine dubitatione igitur alia plicæ ſubeſt cauſa, quæ & illa mala infert ſymptomata, qualia non comitantur intricationem pilorum ex longo decubitu. Qui enim ex cachexiâ, hydrope, phthiſi, paralyſi diutulè lecto affiguntur etſi fortè implexos capillos habeant, quòd longo tempore pexi non ſint; haud tamen illis cruciatibus torquentur, qui in plicâ adeſſe obſervantur; qui quidem a plicâ non efficiuntur, ſed à materiâ venenatâ in corpore hærente, & in pilos ſymptomaticè vel criticè miſſâ. Neque hæ ſunt imaginaria, fabuloſa, ex ruſticorum ſuperſtitioſorum aut muliercularum ingeniis nata, ut ipſe contendit, ſed pluribus ſæculis in Ruſſiâ explorata, ac vera comperta, magno cum hominum malo. Habet is affectus multa accidentia luis venereæ vel ſcorbuti; attamen ab utroque morbo iſto diverſus eſt; pluresque remediis antivenereis & antiſcorbuticis fruſtrà diu curati ac macerati ſenſerunt tandem ſuo detrimento infeſtari ſe eo humore, qui plicam facit. Ad colicam bilioſam universè etiam referri nequit; ut ut enim aliqui, antequam plica ſe oſtendat, coli aliorumque inteſtinorum doloribus tententur, hoc non eſt perpetuum, ſæpèque colica nulla antecedit. Quin aliquandò plica ſe prodit, abſque ut homines diu in lecto decubuerint; ita ut vel tum ſaltem non poſſit pilorum implicatio adſcribi crebræ crinium contra pulvinaria perfrictioni, longoque ſuper crines decubitui. In Ruſſiâ & Poloniâ malum hoc quoque invadit equos; qui ſi hic per ſolidum decennium ſtrigile non pectantur, minimè eo corripientur. Barba denique etiam multis implicatur; an & id ad longum in lecto decubitum referendum? Ego quidem haud accredo; neque hic quiſquam Capucinorum longibarborum, quantumvis diu ægrotus in lecto jacuiſſet, taliter cirratos barbæ crines habere viſus eſt. Hæc ſunt, quæ pro tuendâ Polonorum ſapientiâ dicere habui : cenſeoque cognitionem iſtius mirabilis affectûs potiùs hauriendam eſſe à Medicis Polonis Ruſſiſque, quàm ab externo Scoto, qui ſeptem vel octo tantùm annis in Poloniâ habitavit.

Conſtat Polonorum omnium experientiâ, in hoc malo purgationes & venæ ſectionem adhibitas non prodeſſe, ſed nocere. Videtur ergò hic morbus, ut ſanetur perfectè, proprium & ſpecificum poſtulare alexipharmacum, ſicut ſcorbutus, & lues venerea, atque alii occulti morbi. Quod alexipharmacum interim dum inveſtigatur, poteſt uſurpari theriaca, quæ eſt alexipharmacum univerſale. Detur ergò theriaca frequenter, ſudorque provocetur, maximè è capite : ſic enim materia illa vitioſa citiùs ad capillos, quò tendit, evocabitur : ad quod ipſum plurimum confert, ut agreſtium Polonorum experientia docuit, lotio capitis parata ex decocto foliorum brancæ urſinæ, & herbæ, quæ Polonico idiomate nominatur *dereza* : ſerpit humi in locis arenoſis, quibus creſcunt pinus. Eſt muſcus terreſtris, de quo in Herbario ſuo *Dodonæus part. 3. lib. 15. cap. 14.*

De porrigine ſeu furfuribus.

Porrigo ſeu furfures, vel, ut alii dicunt, furfuratio eſt affectus, in quo inter ſcalpendum & pectendum quædam furfuribus ſimilia ex capitis cute decidunt. Occupat aliquandò hoc malum etiam barbam & ſupercilia. Fit plerumque ſine exulceratione; aliquandò tamen cum levi exulceratione.

Cauſa porriginis ſunt humores ſeroſi & ichores pituitoſi ſalſi, vel bilioſi; qui dum per poros cutis exitum quærunt, partes quidem eorum tenuiores diſcutiuntur, craſſiores autem & lentæ in cute hærent, & in materiam furfuraceam abeunt.

Affectio hæc ſe prodit, dum caput ſcalpitur, fricatur, vel pectitur: imò aliquandò, ſi grave malum eſt, dum leviter crines moventur; tum enim ſquamulæ decidunt.

Aiunt vulgares hanc affectionem eſſe ſanam: ſignum quippè cerebri ſe per furfures illos expurgantis. At dicendum: ſalubre quidem & ſanum eſſe, quatenus cerebrum ſe purgat: ſed inſalubre eſſe ſignum, quatenus ſignificat in capite talis vitioſi humoris redundantiam.

Ut ſanetur porrigo, præmiſſâ totius evacuatione, ſi frequenti pectinatione non cedat, lavetur caput decocto cicerum & malvæ, addito aceto; & vice ſaponis uſurpentur amygdalæ amaræ contritæ. Si per hæc parùm proficitur, radatur caput, & eodem dicto decocto abluatur, dein panno aſpero fricetur, atque hoc unguento illinatur:

♃. Hyſſop. virid. ſemipugilum adip. anſer. drachmas duas. Pulpæ colocynthid. olei keirin. ana ſemunciam, thapſiæ drachmam. ladani unciam. fiat unguentum. Hæc quoque lotio optima eſt, & ſufficiens ſola.

♃. Malvæ, betæ, lapath. acuti cum rad. hederæ arboreæ, centaur. minor. ana manipulum. caulium rubr. ſemimanipulum. colocynthid. drachmas tres. agaric. drachmam. fol. ſenæ ſemunciam. ellebor. nig. ſeſquidrachmam. coq. in aq. com. ad libras tres. colaturæ adde ſalis com. pugillum. Multis etiam profuit primò caput lixivio communi laviſſe: deinde caput exſiccaſſe. Secundò, aceto vini, in quo ſemen urticæ parùm contuſum bullierit. Tertiò & ultimò aquâ nitidâ, in quâ radix malvaviſci cocta ſit.

Alia decoctio pro lotione capitis:

♃. Rad. lapath. acuti, enul. campan. ana unciam. malvæ, biſmalvæ, parietar. ſaponar. ana manipulum. lupin. fabar. ana uncias octo. centaur. minor. pugillum. hordei integ. uncias tres. f. decoct. in aquâ. Sed & lotio capitis cum urinâ, vel aquâ ſalsâ, vel vino ſæpè benè fecit.

De morbo pediculari, & vermiculis capillos depaſcentibus.

Morbus pedicularis, Græcè phtheiriaſis, eſt is affectus, in quo quiſpiam pediculis, maximè in locis piloſis, ſcatet: ut in capite, barbâ, ſuperciliis, palpebris.

Ad hunc non inconvenienter referri poteſt alter affectus, in quo capilli tum capitis, tum barbæ particulatim & fruſtillatim à vermiculis quibuſdam eroſi decidunt vel abſumuntur. Sunt enim & hi pediculorum ſpecies; ſed tam exigui ſunt, ut viſum penè fugiant, ſimiles lendibus, quos vocamus Flandricè *neten*, Gallicè *lentes*: creduntur que eſſe ova pediculorum.

Circa pudenda in piloſâ cute impacti atque inſerti obſervantur pediculi alterius generis, vehementem pruritum & lancinationem excitantes, ac pertinaciſſimè hærentes, vocanturque pediculi inguinales, vulgò morpiones & plattulæ.

Denique in nudâ manuum volâ peculiare aliud pediculorum genus deprehenditur ſub cuticulâ latitans, levi tuberculo vel fiſſurâ illic apparente, pruritúque continuo ſe prodens. Sunt etiam hi adeò exigui, ut vix, etſi eximantur, poſſint videri, motuſque eorum obſervari, niſi ſpeculo imponantur. Dicuntur ſirones vulgo & cyrones: fortaſſis rectiùs chetrones, cùm χεῖρας id eſt, manus occupent: ſed tamen & alias corporis partes occupare nihil vetat. Latinè vocantur acari & teredines.

Materia pediculorum ex Medicorum conſenſu eſt humor excrementitius præter naturam, calidus moderatè, actu & poteſtate humidus inter craſſum & tenuem medius, & potius ad ichorem quàm ad craſſum vergens; putreſcens non excellenti putredine, ſed miti & moderatâ.

Cauſa efficiens, diſpoſitiva eſt calor benignus & moderatus, qui cùm in pueris ſit, hinc illi pediculorum ſunt feraciores, quam adulti, qui habent calorem acriorem.

Procatarctica cauſa præcipua eſt neglectus curæ corporis & immunditiès: edulia item, quæ pinguem ſuccum generant, inter quæ primum locum obtinere volunt ficus.

Vermiculi capillorum à ſimili cauſâ producuntur, excrementitio ſcilicet quodam humore, qui cum alimento pilorum in capillos penetrat, atque in iis à calore capitis fotus in vermiculos faceſſit; qui capillis adhærentes pilos corrodunt, ita ut fruſtillatim decidant.

Cognoſcuntur pediculi viſu & tactu. Eſtque turpis ea affectio & moleſta: imò periculoſa, ſi totum corpus occupetur: nam quidam eo malo exſtincti narrantur.

Vermiculi deprehenduntur, quando pili breviores fiunt & inæquales, ſic ut alii magis alii minùs curti ſint. Hærent hi vermiculi in extremitatibus pilorum, eoſque arrodunt.

Cùm præcipua ferè morbi pedicularis cauſa ſit immunditiès corporis, pro curatione & præſervatione ſtudendum imprimis corporis munditiei. Si ſanguinis impuritas, & aliorum humorum redundantia affectui occaſionem præbeant; evacuandum eſt corpus iis ferè, quæ in ſcabie conveniunt: & hic ſudoris provocatio eſt utilis.

Quibus factis ad peculiaria pediculos abigentia eſt procedendum: eaque potiùs extrinſecùs adhiberi debent, quam intus ſumi. Quamquàm aliqui allium comeſum, vel cum decocto origani potum pediculos fugare prodant. Theriacæ quoque frequens uſus pediculis adverſus eſt.

Inter externa præſtans eſt hoc decoctum:

♃. Rad. ariſtol. rot. ſeſquiunciam ellebor. alb. nigr. ſemunciam. fol. abſinth. marrubii ſummit. centaur. minor. an. manipulum. ſem. ſtaphiſag. lupin. an. ſemunciam. agarici uncias duas. coq. in lixivio pro ablutione capitis, vel manuum, vel aliarum partium, ubi pediculi verſantur. Si ſal, alumen, nitrum addantur, efficacius erit. Poſt ablutionem & abſterſionem poteſt hic pulvis capillis inſpergi:

♃. Sem. ſtaphiſag. drachmas duas. ſalis drachmas tres, aloës drachmam. cinnabaris ſeſquidrachmam. Miſce, fiat pulvis.

In corporibus robuſtis argentum vivum adhiberi poteſt, ut

♃. Ol.

♃. Ol. commun. uncias tres. ſtaphiſag. argent. vivi ſalivâ jejuni hominis exſtinct. an. drachmas tres. fiat unguentum, quo caput illinatur, poſtquam lotum eſt. aquâ marinâ.

Item ♃. Mercur. ſublimat ſcrupulos duos: diſſolve in aq. abſinth. librâ. Eâ caput humectetur: omnes pediculos breviſſimè abigit, cruſtasque capitis ſanat.

Eſt uſitatum unguentum contra pediculos in pharmacopoliis quibuſdam, quod recipit ſem. ſtaphiſag. ellebor. alb. ſal. Mercurium, axung. porcin. ol. laurin. ſaponem & acetum. Efficacius & præſtantius eſt hoc:

♃. Ol. laurin. uncias quatuor. ſucci rutæ uncias tres. Miſ. & coq. ad ſucci conſumtionem. Poſteà adde argent. vivi ſalivâ jejuni extinct. drachmas ſex. ſem. ſtaphiſag. nitri præpar. aloes hepat. an. drachmas duas. rad. ellebor. alb. ſlapath. acuti, tabac. Indici an. drahmam. caphoræ ol. ſpicæ an. ſemidrachmam. M. ſ. & cum cerâ f. unguent.

In pueris & corporibus tenerioribus ab argento vivo abſtinendum. In his aqua lavendulæ & ſalviæ diſtillata ſatis eſt, ſi eâ laventur: eſtque remedium gratum & bonum.

Item ♃. Sem. ſtaphiſag. drachmas duas contunde parum, & infunde in aceti acerrimi unciis duabus per noctem: deindè coletur, & locus ungatur.

In palpebrarum pediculis confert, ſi acetum ſcilliticum ſumatur, & in eo parum aloës diſſolvatur, atque hâc mixturâ palpebræ madefiant: huic alia nitroſa & ſalſa addi poſſunt. Imprimis opitulatur oleum ſpicæ, quod & viſum roborat.

Pro chironibus peculiare eſt, ut acu pertundatur cuticula, ubi chirones latent, ut detur eis exitus: tum manus ſæpè abluendæ vino vel aceto, cui ſal, alumen, nitrum additum ſit. Vel fiat hoc decoctum:

♃. Aq. fluvial. libras tres, vini auſteri libram. ſtercor. gallin. ſiccat. manipulum. coq. parum. huic decocto immittantur manus. Id ſcabiem vulgarem etiam brevi tempore ſanat; & iſti chirones ſæpè cum ſcabie adſunt.

Ad pediculos inguinales commodum eſt hoc unguentum:

♃. Axung. porcin. ol. laurin. ſapon. nigr. an. ſemunciam. argent. vivi ſalivâ extinct. ſcrupulum. myrrhæ aloës an. ſemidrachmam. ſem. ſtaphiſag. ſcrupulos duos. ſapon. Gallic. drachmas duas: in mortario redigantur ad formam unguenti. Non hic multum argenti vivi miſcendum; nam inde membrum virile torpidum redditur; atque ad venerem ineptum. Quod ſi incidit, oleo ſpicæ illinendus locus eſt, quo & pediculi pelluntur & vis redditur genitalibus.

Ad vermiculos capillorum: ♃. Geniſtæ unciam, myrrhæ drachmas duas. aceti quantum ſatis. coq. parum & colaturâ pili illinantur.

Vel ♃. ſem. urticæ pulveriſ. maceretur in aceto, & eo pili madefiant. Vel urtica major coquatur in lixivio, & eo caput abluatur. Alii utiliter uſi ſunt lixivio communi, cui clavi ferrei rubigine obducti injecti eſſent, quo pili abluebantur.

De achoribus, favis, tineâ, helcydriis, pſydraciis.

Hæc omnia ſunt manantia capitis ulcera vel puſtulæ.

Achores quidem & favi ſeu ceria ſunt ulcera ſeu ulceroſa tubercula capitis, in quibus apparent foramina, per quæ ſanioſum quid continuò effluit.

Tinea eſt ulcus capitis cruſtoſum, cutem capitis erodens & fœtidum.

Helcydria ſunt ulcuſcula & puſtulæ capitis, à quibus humiditas effluit aquoſo ſanguini ſimilis.

Pſydracia ſunt exigua exanthemata in capite, ſimilia veſiculis eminentibus in ſuperficie.

Oriuntur hæc omnia ulcuſcula ab humoribus excrementitiis ſeroſis & acribus, aliquem tamen craſſum ſuccum ſibi mixtum habentibus: Ii inter cutem capitis & calvariam congeruntur, diutiuſque retenti putreſcunt, & deindè cutem erodentes eandem certis in locis perforant.

Platerus illis humoribus perniciem quandam malignam etiam ineſſe exiſtimat; eò quòd contagioſum infantibus ſit malum. Sed ſæpè nobis dictum & jam notum eſt vel tironibus, non omnia contagioſa eſſe maligna; uti neque contrà, omnia maligna eſſe contagioſa.

Iſtorum vitioſorum humorum cauſæ ſunt vel internæ, ſcilicet mala viſcerum conſtitutio: vel externæ, nimirum mala diæta, ut eſus ciborum acrium & ſalſorum; converſatio & familiaritas cum iis, qui ſimilibus affectibus laborant.

Sed & lactis vel ſanguinis menſtrui impuritas cauſa eſt, ſi ab infantiâ malum eſt.

Achores, favi & puſtulæ capitis adſpectu noſcuntur, uti & tinea.

Achores autem à favis diſtinguuntur, quòd in illis foraminula, per quæ ſanies effluit, ſint minutiora; in favis paulò patentiora.

Tinea adeſt, quandò apparent ulcera obducta cruſtâ; quæ modò viridis eſt, modò crocea, modò cinerea: ſanies effluit modica, & quæ effluit, fœtet.

Manantia iſta capitis ulcera liberant infantes à magnis morbis capitis, & à convulſionibus epilepticis: progreſſuque ætatis in ipſis ſponte ſanantur. Si tamen diu durent, maximè tinea, defluvia capillorum & areas efficiunt: imò & ipſum cranium materia acris aliquandò perrodit.

Si infanti nutricis vitio contingant hi affectus, aut etiam ſtatim à primo ortu, vix ſanationem admittunt; ac ne ea quidem procuranda, antequam puer eam ætatem attigerit, quâ curationem & medicamentorum laborem ferre poſſit.

Tineæ non ſolùm perdifficilis eſt ſanatio, ſed etiam, neglecta ſi fuerit, & inveteraverit, ſanari ferè non poteſt: idcircò ſatius eſt, ab ipſius curatione abſtinere, quàm cum dedecore ſanitatem polliceri nec præſtare: tametſi etiam ſanetur, nihilominùs poſt ſe relinquit quandam capitis deformitatem ob areas ſeu pilorum privationem.

Pro curatione ante omnia eſt animadvertendum, an affectio magna, an parva ſit; recens, an antiqua; benigna, an maligna. Si parva, recens, & benigna fuerit, neque corporis purgatione, neque medicamentis validioribus eſt opus:

opus: ſed primo quoque tempore ad localia, & quidem leviora eſt veniendum. Si affectio fuerit magna, antiqua, mali moris, ideoque ab humorum vitio foveatur; tum ad totius corporis evacuationes & validiſſima localia eſt procedendum. Et quidem ſi homines robuſti ſint, purgandi primò ſunt taliter ferè, qualiter illi, qui lue venereâ laborant. Deindè exhibeatur hoc decoctum:

♃. Salſæ unciam. rad. chinæ ſemunciam. radic. cichor. drachmas quinque. hordei ſemipugillum. carnis vitulin. unciam. bulliant in aq. com. libris. octo ad conſumpt. mediet. tum ♃. Dicti decocti uncias duodecim. rad. gramin. aſparag. ana drachmas duas. agrimon. ſonchi cap. ven. cuſcutæ ana ſemipugillum. bull. ut remaneant unciæ octo pro duabus vicibus, mane ſcilicet & veſperi: reliquum ſit pro potu ordinario. Intereà caput ungatur unguento, quod conſtat calce vivâ & ol. roſaceo.

Alii laudant hoc: ♃. Ol. laurin. unciam. lardi veteris drachmas ſex miſ. f. unguent. quo locus ungatur ter in hebdomadâ, & urinâ propriâ caput abluatur. Efficacius eſt, quod recipit alum. uſti, chalcit. uſtæ an. ſemunciam. ariſtol. rot. virid. æris an. drachmas duas. picis navalis drachmam. pinguedinis anatis ſemidrachmam. butyr. antiquiſſ. ſemunciam. Miſ. f. ung. Primò caput abluatur lixivio dulci: lotum ſiccetur: poſteà inunctio fiat dicto unguento. Poſt tres dies eadem lotio & unctio repetatur. Quod cùm ter factum fuerit, tineæ evaneſcent.

In puerorum achoribus non facilè eſt aliquid adhibendum: ſi enim repellamus, maxima incommoda inde oriri ſolent. Debet ergò præſcribi non repellens; ſed evocans. Linatur caput oleo rapar. cui incoxit tabacum. Quæ inunctio antequam fiat, commode caput abluetur decocto rad. oxylapat. fol. malvæ, abſinth. ſem. fœnigræci, cicer. lupin. fabar. in vino: vel decocto ſolius rad. bryoniæ in aquâ. Alii capiunt butyrum ſalſum in ſartagine frixum, addunt camini fuliginem, & pauxillum aceti.

Ad achores & favos in pueris tenerrimis

♃. Ciner. myrtillor. gallar. an. drachmam. tutiæ ſeſquidrachmam, butyri vetuſti loti aq. roſac. unciam. cineres aceto lævigentur, deindè miſceatur ad ignem. In pueris grandiuſculis:

♃. Pulv. cort. granat. lithargyr. tutiæ an. ſeſquidrachmam. ol. roſacei ſemunciam, pingued. anſer. aceto lotæ ſeſquiunciam. Miſ. fiat linim. Quæ linimenta extendantur ſuper linteum ſubtiliſſimum priùs cerâ illitum: cera hæc facit, ne calor ulcerum uſque adeò conſumat medicamentum. Ad contumaces achores:

♃. Succi helenii, fumar. an. ſemunciam. axung. porc. decies lot. in aq. roſ. uncias tres: tutiæ præpar. gallar. uſtar an. drachmas duas. Miſ. f. unguent.

Ad tineam veterem & rebellem medicamentum efficax.

♃. Succ. fumar. ſcabioſ. borag. oxylapath. aceti an. uncias tres. ol. antiq. libram. bulliant omnia in vaſe duplici ad conſumtionem ſuccorum & aceti. Deindè inſperge ſequentes pulveres:

♃. Utriuſque ellebor. ſulfur. vivi chalcanth. auripigm. calcis vivæ, alumin. gallæ an. ſemidrachmam, virid. æris drachmas duas, terantur & cribrentur omnia diligenter, tum miſceantur cum dicto oleo, & addita picis liquidæ & ceræ q. ſ. f. ceratum: quo cooperiatur capitis pars malè affecta. Interim tamen quandò hoc geſtatur, evacuandum eſt ſubindè corpus per pil. cochias, vel hieram Pachii, vel ſimilia purgantia.

Sunt, qui hoc modo in tineâ tollendâ procedunt, & valdè tutò. Coquunt imprimis vitell. ovi ad duritiem: addunt mellis unciam, & ſimul coquunt ad linimentum molle. Hoc inungunt univerſam tineam emplaſtri modo, ſingulis 24. horis renovando, continuandoque ad dies 4. vel. 5. poſtea lavant lixivio forti, in quo bullierit ſat bona quantitas tartari: permittuntque caput per ſe ſiccari: quo facto tegunt caput vittâ; & poſt 24. hor. lavant ſequenti lixivio:

♃. Lixiv. com. libras quinque. ei incoque abſinth. ſalviæ, chamæmel. betonic. an. manipulum. rad. lapath. ſeſquiunciam, rad. lappæ major. unciam. baccar juniper. ſemilibram. poſt ebullitionem unam atque alteram adde ſalis petræ uncias tres. alumin. unciam. vitriol. uncias duas, ſulfuris uncias tres, lithargyr. uncias ſex. Eo lavetur caput; exſiccatum deindè inungatur aliquo ex ſuprà deſcriptis unguentis.

Foreſtus hoc laudat in tineâ quantumvis inveteratâ, & ab omnibus immedicabili judicata, modò univerſalia præceſſerint & capitis lotiones:

♃. Sulfur. ſemunciam. liqueſcat ſuper ignem in patellâ terreâ: ita liquatum in mortarium æneum conjiciatur, piſtillo ſemper ducendo. Tum adde butyri ſaliti liquati & cocti ad nigrorem. axung. porcin. liquatæ an. unciam. argent. vivi ſalivâ exſtincti drachmam. vitrioli ſcrupulum. Hæc omnia in dicto mortario concutiantur, & piſtillo continuò moveantur, donec frigeſcant, & in linimentum coëant.

Chirurgus quidam hoc unguento ad capitis ſcabiem & tineam feliciter utebatur:

♃. Pingued. porc. ſemilibram. rad. enul. chelidon. an. unciam. ſabinæ manipulum: omnibus contuſis & coctis adde hunc pulverem, donec frigeſcant:

♃. Nuc. moſchat. caryophyl. macis, cinnam. an. drachmam, croci ſemidrachmam. baccar. lauri, ariſtol. rot. an. drachmas duas. ſulfur. drachmas tres. vitellos ovor. numero octo. mellis cochlear. Miſ. f. unguent: quo caput illinatur, priùs lotum urinâ.

Sed & hoc eſt expertiſſimum paſſim Amſtelredami:

♃. Bacc. laur. rad. cavæ quantum vis. Miſce cum pice liquidâ: addendo butyrum vetuſtiſſ. & rancidum. pone ad ignem benè miſcendo, donec fere bulliat.

Elegans quoque & probatum eſt hoc unguentum, ſed non niſi præmiſſâ corporis purgatione utendum:

♃. Lardi veteris ſemilibram. terebinth. alb. uncias tres, lapid. medicamentoſi, olei tartari an. drachmas ſex, ſulfuris vivi, ceruſſæ lotæ, lithargyr. minii an. ſemunciam, ellebor. utriuſque, piper. long. tutiæ præp. nihil alb. an. drachmas duas. Mixtis affunde ſuccor. depurat. rad. oxy lap. ſcrophular. herb. fumar. ſcabioſ. cort. inter. virid. ſambuc. limon. an. uncias duas.

coq. ad ſuccor. conſumt. poſt adde ſtyrac. liquid. cinnabar. factit. an. drachmas ſex. ol. laurin. juniper. ovor. an. ſemunciam. mercur. ſublim. ſeſquidrachmam. Miſ. f. unguent. Lapidis Medicamentoſi hæc eſt deſcriptio:

♃. Vitrioli virid. ſemilibram vitr. alb. uncias tres, alumin. uncias novem. ſalis petræ, ſalis com. ana ſeſquiunciam. ſalis tartar. ſalis abſinth. artemiſ. cichor. perſicar. ſalis plantag. ana drachmas duas. ponantur in nová ollâ vitreatâ. affund. modicum aceti roſac. coq. igne carbonum lento, ſæpiùs agitando. Ubi incipit ſpiſſari adde ceruſſæ Venetæ uncias tres, bol armen. uncias duas. diligenter miſceantur omnia, donec vi ignis mediocris in lapidis duritiem maſſa concreverit; quæ poſteà fractâ ollâ eximitur. Hujus ſolius lapidis uncia in librâ aquæ pluvialis vel fluvialis, non fontanæ, ſoluta, & poſt filtrationem ad hos malos affectus adhibita mirifica eſt.

Pſydraciis ſuccurrit unguentum ex ceruſsâ & ol. roſaceo.

Vel. ♃. Litharg. ceruſſ. ana ſeſquidrachmam. cretæ alb. ſulphur. ana drachmas duas. cum ol. myrtin. f. unguent.

Levia hæc mala, & quæ foventem cauſam intus non habent, ſed orta potiùs ſunt à ſudore & humore ſub capillis longis detento, à putredine acrimoniam acquirente, remedio ſiccante ſtatim ſanantur v. g. vitriolum aquâ diſſolvatur, eâ moderatione ut linguam non mordeat: eâ tepidâ cruſtæ madefiunt, & ipſæ & ulcera ſiccabuntur. *Hactenus Clar. Vopiſcus Fortunatus Plempius, Tractatu peculiari de Affectibus Capillorum. Sequuntur jam Conſultationes & Obſervationes è variis aliis.*

Conſultationes.

De Alopeciâ vel Depilatione.

Propoſitio Ægritudinis ab altero Medico ad Clar. Fernelium.

Juvenis bene carnoſus ac ſaluberrimus, annos natus viginti, areolis aliquot ſtatim ab incunabulis caput ſibi deturpari ſæpe apud me conqueſtus eſt. Vacuatô corpore remedia ego adhibui, quæ a veteribus in proliciendis pilis commendari videbam: ſed nullô profectu omnia. Tu ſi quid longô uſu in id admodum efficax comprobaſti, impertias etiam atque etiam rogo. Vale, & me, ut ſoles, ama.

Reſponſum Clar. Fernelii.

Hæ capitis areæ, cùm nec ex acutô morbô, nec ex humoris cujuſquam vitiô, ſed ab ortu & ſemine contractæ ſint, vix ullam ſanè curationem admittunt. Seminis quippe & naturæ vitia vix ars ulla poſſit corrigere.

Si qua tamen curandi ratio profutura eſt, hæc una potiſſimùm videtur. Vacuationes nullæ tentandæ; nec venæſectione, nec purgatione corpus exagitandum, quòd nullus humor defluvii cauſa ſit.

At quoniam pars glabra ſiccior apparet utile ſit, foris emollientibus cutem laxare, in eamque humorem è vicinis ſedibus prolicere, ut materia gignendis pilis apta ſuppetat.

Primi itaque fotus fient ex radice altheæ & liliorum, ex malvâ, violariâ, parietariâ, ex ſemine aniſi, lini & fænugræci. Ab hôc deinde cùm pars mollior videbitur, fotus aliquis conferet qui materiam alliciat, ex ſalviâ, betonicâ, ſtœchade, adianthô, capillô veneris, abrotanô, ſemine urticæ & ſinapi, coctis in aquâ & vini albi parte quartâ. Mox à fotu areæ inungendæ ſunt adipe urſinô, qui omnino ſummas vires obtinet. Exactis diebus quindecim mane & veſperi caput confricetur cæpis contuſis dum prorſus rubeſcat, & mox melle oblinatur vice cataplaſmatis.

Si ſub his remediis pilus non erumpat, poſtremò adhibendum erit unguentum ex thapſiâ & adipe urſinô, quod ut veterum monumentis celeberrimum eſt, ita efficaciſſimum comprobavimus. Eſt autem nobis hîc vera thapſia frequens, cujus drachma una ſatis ſit in unciam adipis. Hujus vi ſi pilus non ſuccreſcat, vix ſpes ulla aliunde eſſe poteſt. *Joh. Fernelius in Conſiliis ſub finem operum adjectis.*

Pro Illuſtriſſimo Genvenſi Capillorum defluvio, & porrigine detento.

Quod illuſtriſſimus vir capillorum defluvio, ac porrigine furfuratione vocata, ab hinc per tres annos afficiatur, nobis per litteras traditum eſt, ſimulque in capillorum fluxu id obſervatum eſt quod ad occipitium, & tempora minus quam ad aliam partem pili decidunt, propter quæ vitia, ut de ſe conſtat, cum cutis non modo ornata, ſed etiam inſigni utilitate (quando capillis mediis caput ſe tueatur ab injuriis externis) orbetur, propterea opera Medica opus habent illa. Quocirca ut eis occurrere poſſimus circa eorum generationem parum digredi oportet.

Certum igitur eſt, capillorum, cutiſque capitis affectiones pendere à vitio, vel cutis vel materiæ, vel caloris nativi, at in propoſito caſu calorem minimè vitiari ex pluribus ſuaderi poteſt, quando corpus non refrigeratum, ac languidum, ſed bene commoderatum, ac in medio floris ætatis conſtitutum (eſt enim annorum triginta duorum) & ob id calidum ac robuſtum nobis proponatur, de cujus proſpera valetudine ferè nunquam ab Illuſtriſſimo Patiente audita eſt querela, relinquitur igitur, mala propoſita vitium tum cutis capitis, tum materiæ tanquam proprium generationis principium ſibi acquiſiviſſe, cutis autem vitioſa eſt ob nimiam humiditatem, ac laxitatem, quia ſi fricetur, colorem mutat, atque intumeſcit, in cujus confirmationem & id facit, quod patiens ſemper capillatus, & intonſus inceſſit, & propterea ſemper cutim humidam habuerit, neceſſe eſt; materia verò & ipſa vitioſa eſt, quoniam abundat, atque acris eſt, ratione abundantiæ totam cutim capitis occupavit, ut etiam capilli è totô capite defluant, magis verò in ſyncipite quam in occipite, ac temporibus, quoniam ibi calor minus viget, ac materia pilorum parcius ſuppeditatur, his verò in locis calor major, & materia copioſior ob venarum, & arteriarum numerum, & magnitudinem exiſtit. A ratione acredinis tum pili eroduntur, hinc eorum fluxus, tum unitas cutis ſolvitur (ut Avi-

Avicennas in hoc malo levem excoriationem in ſuperficie cutis adeſſe affirmaverit) hinc ſenſus triſtis pruriginoſus, & ab hoc materia quædam furfuracea à capite decidit.

Cæterum materia hæc acris, eſt ſuccus pravus, qui cum non ſit amicus naturæ ab ea non regitur, & proinde putreſcit, ac corrumpitur, & qui capillorum defluvium excitat eſt pituita ſalſa, qui verò porriginem ichor ejuſdem pituitæ, in quam ſententiam adducimur ob ſalſedinem, quam antea inſignem in ore Illuſtriſſimus Patiens percepit, cui & illud accedit, quod cum ipſe venationibus, merito quarum non tantum calor in corpore plus quam decet augetur, verum etiam humores crudi generantur, deditus fuerit, inſignem etiam pituitæ ſalſæ generationis occaſionem nactus fuit, cui non parum etiam hoc tempore ætas juventutis, quæ nonnihil bilis ſuppeditat, favet. Nec obſtat quod cutis capitis fricata rubeſcat, quoniam ſanguinem prædictis ſuccis vitioſis commiſceri putamus, propter quem copioſius in occipitio, ac temporibus receptum, & ſui aliqua benignitate ſuccos illos vitioſos attemperantem ibidem pilorum fluxum corrigi haud dubitamus.

Sed jam remanet ut videamus ubinam ſucci illi generentur, non in toto igitur generari tam certum eſt, quàm quod certiſſimum, quando totius temperamentum, atque habitus comoderatiſſima proponantur, ideo & in jecore, ac capite fervidioribus, coadjuvante etiam ventriculo, ſuccos illos ſuam habuiſſe occaſionem putamus, qui ad cutim capitis tranſmiſſi, ibidemque præter naturam detenti mala jam dicta modo prædicto produxerunt.

Et propterea pro illorum ablatione cutim ſiccare, ac denſare, materiam corruptam evacuare, & repellere, tandemque viſcera in contrarium alterare, & corroborare oportet, quas indicationes expleri poſſe non eſt quod quis dubitet, ſicuti tum corporis commoderatio, tum coloris ex frictione cutis ſubita mutatio pollicentur, verum quoniam affectus ſunt ſatis progreſſi, idcirco provincia hæc non erit ab omni difficultate immunis, poterit tamen hiſce remediorum materiis perfici.

Et primum (quantum ad Chirurgicas attinet) mittatur ſanguis ex cubito dextro, quo tutius topica uſurpentur, quamquam & ex podice per hyrudines mitti poſſe putemus, quando patiens non nihil melancholiam ſapiat, quò & cauterium femoris dextri referendum aſſeveramus, verum & gratia capitis poſt totius providentiam materiæ Chirurgicæ non ſunt reprobandæ, ergo cum Avicenna caput eſt fricandum, & ſi valde rubeat, ut venæ frontis, ac temporum turgeant, vena frontis eſt aperienda, imo verò & cauterium in brachio ſiniſtro infigendum; gratiâ autem materiæ in cuti exiſtentis, oportet hanc, uſu poſtulante, ſcarificare.

Medicamenta totius in ordine lenientium ex melle roſato ſolutivo & ſyrupo de polypodio, in ſerie præparantium, ex decocto betonicæ, cicoreaceorum, & boraginis cum ſuis ſyrupis; in claſſe purgantium ex infuſo Agarici, Rhabarbari, & ſenæ cum manna, parata erunt accommodata, quamquam ſecundam, tum præparationem cum ſyrupis magis compoſitis, tum purgationem cum pilulis cochiis helleboriatis neceſſariam fore credimus, ſicuti pro inſenſibili evacuatione decoctum guajaci, ſalſæ, & Chinæ cum cicoreaceis, ac cephalicis caſtigatum ad plures dies bibitum. Autumno ſequenti non improbamus; hoc verò tempore ſerum lactis caprini cum ſucco cicoreaceorum, termæque frigidæ, ſicuti & balneum aquæ dulcis ad materiæ, & jecoris attemperationem opportuna videntur.

Topica attenuantia, detergentia, ſiccantia, & modicè adſtringentia ſint, requirunt autem prius ut pili ſæpius abradantur, quoties nimirum renaſcuntur, mox cutis, aut fricanda ſpongia imbuta tepida, vel panno aſpero, vel foliis ficuum, aut abluenda lixivio decoctionis furfurum, fumariæ, betæ, radicum oxylapathi, Agarici, & colocynthidis, poſt quæ eſt adhibendum balſamum naturale, vel unguentum ex oleo unguentariorum roſetarum, & cariophylorum, favo mellis, urina pueri deſtillata, & labdano cum cera exceptis, adjecto malabatro; in eundem uſum laudatur quod ex cinere Abrotani, & radicum cannarum cum oleo nucleorum Perſicorum, Thure, & Labdano in aceto diſſolutis, ac cera paratur. Quibus non conferentibus tum ad oleum ex lutis ſulphureis, ac nitroſis, & Labdano deſtillatum, tum ad medicamentum ex calcantho, ſale minerali, ſulphure vivo cum Labdano in oleo maſticino diſſoluto exceptis eſt deveniendum, imo verò aliqui ad medicamentum ex cantaridibus aſcendunt, & ſi cutis exaſperetur nimis, abſtinent ab his, & clementioribus, vel mitigatoriis, uti butiro atque adipibus utuntur.

Et hæc dum peraguntur expoſcunt victum euchimum ſubadſtringentem, qui à Medico curanti inſtitui poterit, de quo referente Galeno primo loc. Acchigenes in porrigine exactè agit, illud autem ſolum nobis notatu dignum videtur, ut tota hyeme Illuſtriſſimus Patiens utatur vino cum guajaco, & ſandalis medicato, Deus autem Optimus Maximus hæc omnia ſecundet. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicinalibus.*

Capillorum defluvium.

Com. Illuſtriſſ. Juvenis, temperamenti, tum ſecundum totum tum ſecundum caput, calidi & humidi, boni habitus, martialibus exercitiis deditus, cùm pro Sereniſſima Repub. ad Regni Cretenſis tutelam ſe contuliſſet, ibique vina meraciora potaſſet, & ſalſamentis, imo alimentis ferè omnibus ſalitis & aſſatis uſus eſſet, altero tranſacto anno, ſcabie totius corporis infectus eſt, cum moleſtiſſimo pruritu, ad quam expellendam, quadam inunctione ſibi indicata uſus eſt, nulla prægreſſa totius providentia, quare ſcabies quidem exſiccata & ferè ex toto ablata fuit, verùm capitis doloribus corripi cæpit, qui tactu exaſperabantur, & eroſionis ſenſum præſeferebant, diuque magis quam noctu affligebant, unde ab Imperantibus venia impetrata, domum reverſus, de alio ſymptomate ſibi maximè moleſto, Capillorum nimirum Defluvio, conqueri cæpit, non ſolùm in ſyncipite, verùm & in aliis omnibus capitis partibus, imo & ſupercilio manifeſto, poſtquam ſcil. è reliquo corpore pili antea omnino effluxiſſent. Quare modo

modo Patavium ſe contulit, ut de agendis, pro ſalute conſulat.

Tùm præterita, tùm præſentia mala Illuſtr. hunc Juvenem moleſtantia, unicam habuiſſe cauſam manifeſtiſſimum eſt, ſanguinis nimirum vitium, ex potu vini meracioris, & potiſſimum ſalitorum diuturno uſu, in toto contractum; cujus pars acrior & acidior, ad cutem univerſam à natura detruſa, impetigine non ſolùm, verùm & ſcabie totum corpus infecit, unde ab eodem, corrupto pilis alimento, à toto effluxerunt, ſervatis ſolum capillis piliſque genarum & ſuperciliorum, qui, utpote utiles, magis quoque à natura cuſtodiuntur. Verùm, quoniam ab munctione impuro ſanguini iter ad exteriora fuit interceptum, ideò idem ſuperiora petens, & copia & prava qualitate continuum ſolvendo, capitis dolores corroſivos excitavit, & quidem extra cranium, cùm ad tactum exacerbentur; præterea ab eodem vitiatur capillorum alimentum, & ideo neceſſario defluunt: non enim concurrit in noſtro caſu ſiccitas, ſive alimenti inopia, ſed evidens ejuſdem corruptio, unde non minus decidunt ab occipite atque temporibus, quam à ſyncipite, quod prius denudatur ex ſiccitate, ob cerebri, eo loco, à cranio diſtantiam. A toto verò prius quàm à capite defluxerunt, quoniam, ſicut ſtirpium quæ ex terra naſcuntur, quædam Agricolæ induſtria coluntur, utpote humano uſui utiles, quæ ideo conſervantur, aliæ verò per accidens ortæ, quarum nulla cura habetur, facilius propterea atque celerius exſiccantur, ita pilorum alii, capilli ſcil. & qui ſupercilia atque genas exornant, quorum ipſa natura Agricola veluti eſt, tanquam utiliores diutius præſervantur, reliqui verò univerſo corpori inutiliores, atque ideò neglecti dimittuntur, licet tandem vi humorum, copia & prava qualitate peccantium, caputque petentium, & capillorum & pilorum utilium defluvium, eadem natura permittere coacta fuerit.

Affectus certè non negligendus, non ſolum, quia turpitudinem inducat, ſed multo magis quia acres humores dolorem excitantes, & pericranium mordicantes, progreſſu temporis cranium quoque carioſum reddere poſſint. Quare curatio ſtatim ineunda, ſpe fore ut Illuſtriſſ. Juvenis à doloribus liberetur, & rurſus capillatus fiat. Nam licet dicat Gal. Quis neſcit Calvitium eſſe paſſionem incurabilem? Intelligendus attamen præſente Alopecia, & Ophiaſi.

Intentiones autem Medicæ ſunt. Primò univerſam maſſam ſanguineam depurare, primas vias priùs evacuando, totum corpus, & inde caput electivè purgando, & cutis capitis poroſitates, nec nimis laxando, nec nimis denſando. Quibus indicationibus ut ſatisfiat.

A fonte Chirurgico, repetita depromenda eſt ſanguinis miſſio ex utroque brachio, vitium enim in ſanguine eſt, dum peccat ſubſtantiâ, qualitate, necnon quantitate. Reliqua vero ex hoc fonte adminiſtranda, inferius ordine executivo erunt proponenda.

In fonte Pharmaceutico, ſtatim validiora purgantia uſurpari poſſe videntur, ſi Gal. audiamus, quem, quoniam Capillorum defluvium unica die valido medicamento purgante exhibito ſanavit, Medici illius ævi odio proſequuti ſunt, nihilominus ſententia nobis nota, ignota illi tunc temporis fuere, præterquam quod forſan affectus ille non adeo altas egerat radices, ut præſens hic. Quare tutius fuerit humorum præparationem præmittere, exhibito prius leniente primas vias defæcante, ex ſyr. fol. ſol. & de Polyp. vel ex Lenit. & Tart. Deinde primum præparans erit, Decoct. Cich Borrag. Bugl. Meliſſ. Scab. Beton. cum ſyrup. Acet. & de Pom. Tranſactis vero quinque, aut ſex diebus, expurgentur præparati humores, Elect. Lenit. & Diacarth. vel ſupraſcripta Potione. Inde ad ulteriora præparantia deveniendum, ut

℞. Syrup. de Pom. de Fum. de Beton. Viol. ſimp. an. ℥ ſ. Decoct. Cich. Borrag. Bugl. Meliſſ. Fumar. Malv. Beton. ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis octo, aut decem, quibus ſuccedat talis expurgatio.

℞. Elect. Lenit. Diacarth Diaph. an. ʒ iij. m. f. b.

Vel ℞. Rhab. opt. Myrob. Cheb. Folior. ſennæ rec. mundat. an. ʒ ij. Cinnam. integ. ʒ j. Aq. Agrim. q. ſ. m. f. inf. per noctem, & f. fortis expr. colat. adde ſyrup. roſ. ſol. ℥ v. m. f. p. cui ſuperbibat ſerum Aſin. aut Capr. depur. ad lib. ij. vel iij. pro libitu.

His peractis, venoſum genus, nondum ſatis defæcatum, Decoct. Epith. Meſ. tribus vicibus, alternis diebus exhibita deplebitur, aut Extr. Veratri Nigri ad ʒ ſ. cum Caſſiâ, quibus omnibus ſemper ſerum jam dictum erit addendum. Diebus autem intermediis, aſſumantur ſucci depur. Cich. Borrag. Fumar. ad ℥ iij. in decoct. ſupra deſcripta, vel ſaltem ſerùm dep. ad lib. 1. ſ.

Tandem caput erit expurgandum, Pilul. Coch. cum Helleb. præpar. additis Aur. & Aggreg. an. ʒ ſ. quibus pariter ſerum ſuperbibendum. Nec aliqua Errhina caputpurgia erunt omittenda, ex lacte cum Diagrydio parata, vel ex Pulv. Major. Nigel. & Ireos.

Expurgato toto & capite, ad Topica deveniendum, quæ capillorum ortum accelerare valeant, cum jam ferè ex toto defluxerint, & primò quidem Caput abluatur lixivio dulci, ex cinere ligni Juniperi & Abrotani parato, deinde ſæpè attingatur ſpongia imbuta Aqu. ſtillat. ex apibus cum ſuis alveolis, & melle. Veſpere verò, caput idem illinatur linimento ex melle, Lad. & pulv. Apum confecto, mox matutino tempore caput abluatur decoct. Abrot. Marrub. Lapat. Capillor. Ven. Agrim. Flor. Roriſmar. ut ſubinde ſpongia Aq. jam dicta imbuta caput & facies attingatur; atque ita procedendum, ſi non quotidie, ſaltem alternis diebus, caput illinendo veſperi, abluendo manè, & tota die cerebro madefaciendo.

Addendo his omnibus congruam victus rationem, abſtinendo à ſalitis, ab acribus, à vaporoſis, Vinis meracioribus. Sub ingreſſum lecti, in uſum ducat Conſ. Violar. & ſingula hebdomada Pil. Capit. aſſumat; ita enim & purus reddetur ſanguis, & probum habitum ſibi comparabit, atque capillorum decorem recuperabit. *Raymund. Joh Fortis. Conſultat. & Reſponſ. Medic. Tom. 1. Cent. 1.*

Plica Polonica.

Juvenis triginta circiter annorum, Natione Polonus, pauper, eleemoſynam quæritans, proximè præteritis annis huc pervenit, qui poſt petitam ſtipem, rem gratam mihi facere exiſtimans, capillorum affectionem raram præſertim in noſtris Regionibus detegere, & exponere voluit, aliquod quinetiam auxilium Medicum, pro remiſſione, non autem pro integra ſanatione in ſui ſubſidium implorans. Erat autem Juvenis iſte temperamenti ſecundum totum frigidi & humidi: albus enim erat totius color; mediocris habitus, & ſubpinguis; caput vero humidiſſimum, pediculis & protenſis capillis abundans, & fulvi coloris, qui præſertim prope radicem conglomerati & a glutinoſo ſucco coacti, atque in unum collecti conſpiciebantur, nec ſine dolore moveri poterant, minuſque abſcindi: abſciſſi autem cruentum ichorem emittebant. Caput quoque ſibi nonnunquam gravari atque dolere aſſerebat, qui dolor à copioſa pituitoſæ materiæ per nares & per os excretione remittebatur. Interrogatus vero de anteacta vivendi ratione, reſpondit conſuetum victum ſibi fuiſſe, ex lacte, caſeo aliiſque edulis pariter ex lacte cum aquæ potu conſueto: & præſentem capillorum affectionem decem abhinc annis ſibi accidiſſe, dum mutato ſtatu & habitatione, vinum meracum & copioſum bibere inceperat: à nativitate tamen lactumen in capite ſemper ſe paſſum fuiſſe aſſerebat, quod ætatis progreſſu in affectum cruſtaceum degeneraverat. Subdidit quamplures in illa Regione ſua huic affectioni obnoxios obſervari, ut plurimum pauperes, aliquos tamen etiam divites, qui curationem tentantes, aut in cæcitatem, aut in ſæviſſimam Podagram ducuntur. Quibus habitis, infraſcriptam Conſultationem eidem tradidi, curatione quinetiam addita.

Capillorum hujuſmodi affectionem atque conglomerationem, Cirrum aliqui nominarunt, plures autem Plicam Polonicam vocare maluerunt, eo quod illius Regionis Endemicus ſit affectus. Et quamvis novam affectionem hanc eſſe aliqui exiſtimaverint; ſemper tamen fuiſſe puto, ſi genericè conſideretur: ſicut nova appellari poſſet ſpecificè, atque habita ratione ipſius graduum: etenim ſub lactuminis atque Morpheæ genere continetur, & ab iiſdem cauſis procedit: quibus adauctis, aut à vivendi ratione, aut ab aëris alteratione ob aquarum inundationes, aut ab influxu Cæleſti, præſertim propter aſpectum Lunæ cum Saturno, auctus quoque fuit ipſe capitis affectus; adeo ut tandem una cum vitioſo humore quem antea expultrix facultas ad cutem extrudebat, ſanguineus quoque ichor ad capillorum cavitates fuerit transfuſus, affectum hujuſmodi capillorum conſtituens. Humor autem iſte prædominans, frigidus & humidus, pituitoſus & glutinoſus eſt; ut propterea ad ejuſdem generationem ſimul conſpiraverint in iſto Juvene totius, & præſertim capitis temperamentum frigidum & humidum, Regio frigida & frigida prægreſſa victus ratio: quarum cauſarum ratione lactumen in infantia erupit in capite, quod in pueritia in affectum cruſtaceum degeneraverat: atque tandem materia ipſa non ſolum adaucta, verum & à meraco copioſo potu attenuata in capillos ipſos ſeſe inſinuavit, & cruentos ichores una cum tenuiſſimis nervoſis capillamentis, ſive cum aliis ſpiritus tantum animales ſecum duxit, repletione atque diſtentione dolores excitans, dum interim ab humoribus glutinoſis capilli ipſi coaleſcunt atque conglomerantur, & Plica Polonica conſtituitur. Dum vero in capite humida materia atque copioſa detinebatur, ejuſdem capitis gravitatem atque dolorem faciebat, qui remittebatur & evaneſcebat, eadem per nares erumpente & ex ore effluente; facilis præterea fuit pediculorum fœcunda ſoboles à putredine concepta ex debili calore in copioſam humiditatem agente.

Affectus iſte nonniſi magno labore & opere tolli poteſt; tum quia naturales habet radices; tum quia expurgato toto, & capite à copioſis excrementiis humiditatibus, niſi earundem regeneratio totis viribus inhibeatur, facillimè maxima & majora mala ſuccedunt: frequenter enim ad cæcitatem, aut ad vertebrarum luxationem, aut ad inſanabilem podagram Patientes perducit; quæ tamen omnia enarrata ſuccedunt, eo quod in illa Regione, curatio eradicans non adhibetur, nec malum radicitus extirpatur.

Intentiones igitur curativæ debent eſſe, primas vias expiare. Secundò Maſſam ſanguineam à pituitoſis humoribus vindicare. Tertio Caput iterum, atque iterum expurgare. Quartò ejuſdem frigidam & humidam intemperiem corrigere & auferre. Quintò Viſcera naturalia & caput ipſum roborare; atque tandem prope radices, capillos abſcindere.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, à fonte Chirurgico aliqua erit deſumenda ſanguinis miſſio in Patiente noſtro, qui invenis eſt, cum aliqua ſanguinis abundantia; & quidem potiùs ex venis ſedalibus, quàm ex ſuperioribus. Præterea Cauteria duo brachiis ſunt inurenda.

Quoad primum ſcopum convenire poterit potio ex melle roſ. ſolut. & manna; vel electuarium lenitivum cum hiera; Sicut pro prima præparatione oxymel, & mel roſac. ſimpl. addita pauca aq. cinnam. ut repetatur ſupraſcriptum leniens.

Pro ſecunda indicatione, Præparans erit, decoctio borag. beton, agrim. meliſſæ, pentaphyl. addito oxymel. & ſale tart. fixo: in qua præparatione viginti ſaltem diebus eſt perſiſtendum, ſed quinto quòque die, purgante medicamento, materia peccans in toto eſt minoranda; & quidem primò electuario lenit. diaphæn. & trochiſcis Alhandal; poſtremò verò electuario lenit. addi poterit hiera tuta Alex. vel extractum elleb. nigri: ſic & pilulæ fœtidæ, de agarico; conveniet etiam cryſtallus antimonii, vino albo infuſa.

Hinc ad tertium ſcopum implendum deveniendum, caput expurgando; in quem finem pilulæ coch, præparatæ cum elleboro, efficaciſſimæ ſunt: ſicut & præſtantiſſimæ erunt pilulæ ca-

capitales Paracelſi, ut quæ, extracta veratri nigri, colocynth. & diagryd. contineant; exhibeantur autem ad ℈ ij. a primo ſomno, circa noctis dimidium, & ter, quaterque, quarto quoque die repetantur; diebus verò intermediis, matutinis horis, errhinis caput pariter expurgetur, ex pulvere majoranæ, ireos, nigellæ, & nicotianæ parandis. Interim tamen ſyrupi capitales exhibendi, ex decoct. beton. majoranæ, ſtœchad. ſalviæ, euphragiæ, pæoniæ, & liliorum convallium, oxymelite compoſ. ſyrup. de beton. de ſtœchadè, additis.

Purgato toto, & capite, quartæ intentioni ſatisfaciendum erit ſudorifico decocto, quod caput calefacere; & exſiccare, necnon totum corpus ab humiditatibus vindicare valebit, quod ſic parabitur

♃. Ligni guajaci cum cortice, ſalſæ parillæ electæ, ligni viſci querc. ligni ror. mar. an. ℥j. ligni buxi, radic. pæoniæ, radic. chinæ an. ℥ſ. aq. ſtillat. beton. lib. ij. rutæ capr. lib. j. ſalviæ, lil. convall. an. lib. ſ. m. f. infuſ. per hor. 24. deinde bull. ad conſumpt. dim. & facta colat. ſervetur ad uſum pro tribus vicibus, matutinis horis, hora una ante ingreſſum hypocauſti, ad ℥viii. exhibenda; cui præmittatur pulvis viperin. ad gr. xv. aut xx. & in hoc decocto ſudorifico, dies quadraginta perſeveret, ſemel per diem ſudorem provocando; decimo verò quoque die, pilulæ, totum, & caput purgantes, nimirum cochiæ, & aggregat. aut à Paracelſo præſcriptæ exhibeantur, quibus addi quoque poterunt grana Mercurii dulcificati. Diebus autem intermediis, Clyſteribus acrioribus utendum; atque hoc ſudoris tempore, victus attenuans, ſed mediocris tamen eſſe debet: pro potu vero conſueto, aqua hunc in modum paranda

♃. Salſæ parillæ electæ, viſci querc. veri, chinæ opt. an. ℥j. ligni ſaſſafras ℥ij. aq. com. ℔xv. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine ebullit. adde cinnamom. integri. ʒ ij. fiat colat. cui adhuc ferventi adde ſacchari fini, ad libitum Patientis, prout & fruſtula citri recentis, ut agitatione fiat aqua, vulgo dicta Cedrata.

Completo ſudore, ſi ventriculus non adeo perfectè concoquat, ciboſque conficiat, aqua Tettuciana, quatuor aut quinque vicibus de more exhiberi poterit, cum vehiculo mellis roſ. ſolut. ſicut pro capitis roboratione, Conſervæ capitales è floribus roris mar. ſalviæ, calendulæ, pæoniæ, beton. lil. convall. ſub ingreſſum lecti erunt in uſum ducendæ: quinimo & ante cœnam Theriaca, cum Mithridatica confectione ſummopere proderit; eodemque tempore pulveres exſiccantes atque pediculos necantes capiti inſpergendi, ex ſtaphiſagria, lupinis, abſinthio, calamentho, nitro, ſcordio, & dictamno Cretico.

Sed tandem ad capillorum abſciſſionem prope radices erit deveniendum: qua peracta, capiti lotiones quotidianæ erunt parandæ, ex aquis ſulphureis atque nitroſis: quæ ſi præſto non fuerint, ſubſtituatur lixivium ex cinere ficus paratum, in quo ebullierint cortex ligni guajaci, agaricus, radix lauri, folia tabaci, centaur. ariſtolochiæ, beton. & ſtœchados, & jejuno ventriculo, quotidie, ad xx. dies caput lavandum, panniſque lineis diligenter exſiccandum.

Quibus jam dictis, congrua erit addenda vivendi ratio. Et quamvis ab iſto Juvene ob inopiam obſervari non poſſit, ſicut neque præſcripta ad uſum revocari, attamen ut cæteris quoque hoc affectu laborantibus hæc Conſultatio utilis eſſe poſſit, exactam Curationem præſcripſi, propriamque vivendi rationem ſubdo. Primò namque aer debet eſſe exſiccans, & calidus potius, quam frigidus, qui in cubiculo eſt alterandus ſuffumigio, ex ſtyrace, benzuino, ligno aloës, paſtillos efformando, cum tragacantho, & aq. roſacea, accenſis carbonibus inſpergendos. Secundò victus debet eſſet attenuans, non tamen tenuis; ſic conveniunt aviculæ montanæ, volucres ſilveſtres, turdi, alaudæ, attagenæ, hirundines, columbæ turricolæ; & vitandæ carnes annoſæ & pingues, ſicut & lactaria omnia, legumina, olera frigida & fructus humidiores. Ex piſcibus verò, electiores & ſaxatiles quandoque concedi poſſunt. Vinum ſit odorum, maturum, ſed paucum. Tertiò ſomnus ſit moderatus, ſiquidem in vigilia humores magis reſolvuntur, magiſque totum corpus exſiccatur. Quartò Exercitium, jejuno ventriculo, magnopere conferre poteſt, imò & parvæ pilæ ludus. Quintò Alvus lubrica ſervetur, aut Clyſteribus acrioribus, aut uſu pilularum maſtich. ſemel ſaltem per hebdomadam. Venus totum corpus refrigerat, debilitatque caput. Tandèm alacri animo vivat Patiens, mœrores arcendo: ſed ad iram tamen quandoque Patientes provocandi. *Idem Tom 2. Cent. 1.*

Obſervationes.

Pro Porrigine importuna.

Juvenis quidam Melancholicus porriginem diu paſſus eſt: illi enim tenues & furfuraceæ ſquammulæ ex capitis & univerſi corporis ſuperficie continuò reſolvebantur, pluribus ulceribus relictis, è quibus ſanies quædam virulenta ex intervallis per totum corporis ambitum emanabat, quod malum cum non ſolum ſit fœdum & moleſtum, ſed periculoſum, & facilè in lepram commigret, idcirco illi citiſſimè auxiliares manus adhibere oportet. Poſt infinita propemodum uſitata remedia, tandem ſolo urinæ balneo omnimodam conſecutus eſt ſanitatem, in quo prius furfures & fumaria erant incocta, nec ſine ratione, nam urina vehementer abſtergit, & potenter repurgat; quo pacto ſcabiem, ſorditiem, pruritumque nitroſa qua poſſet facultate perſanat. *Zacutus Luſitanus. obſervat. 3. lib. 1. prax. admirand.*

Pro Capillorum caſu à relaxatione meatuum cutis.

Cùm hic affectus à nullius materiæ vitio, ſed à ſola cutis relaxatione & meatuum amplitudine proveniat, ſola adſtringentium admotione curandus venit.

Hoc quod ſequitur ſingulare remedium ad hoc vitium deputatum eſt.

♃. Polytrich. capill. ven. an. Mß. fol. myrti. roſ. abſinth. an. Mj. coq. in olei dulcis & vini rubri auſteri an. quart. iij. donec vinum conſumptum ſit: colatum & expreſſum oleum reponatur.

♃. Hujus olei ℥iij. ladan. ℥iß. maſtich. ℥ß. ladanum & maſtich. ſubigantur in mortario piſtillo calido, pauſatim oleum infundendo. Deinde conſperge & probè miſce pulveris capill. veneris ℈iv. ut fiat linimentum. Quo illinantur loca depilata. Nigellam etiam urito, aquâque ſubactam illinito, hujus enim uſus ad eliciendos pilos mirificè probatur, ſive capiti, ſive mento, imprimis autem ſi ſuperciliis adhibeas : his remediis pili egregiè reſtituuntur. *Petrus Foreſtus. obſerv.7. lib.8.*

Vidi, cui mentum calvum erat, hirſutum factum ex crebro fotu decocti capil. veneris, quos nonnulli idcircò polytrichon vocant, quod multitudinem pilorum producant. Facies autem ſic radi curabis mentum novacula, & ſequentibus diebus fricabis nonnihil cum panno aſpero, poſtea lavabis ſæpius decocto capill. ven. in aqu. fluviatili facto. *Hieron. Reuſnerus. obſerv.22.*

Pro Capillorum defluvio.

Ad firmandas radices capillorum & humores contemperandos, utile erit hoc unguentum.

♃. Ol. ovor. ℥ß. ladan. ʒvi. pingued. urſi ʒij. chartæ uſtæ, nuc. avellan. uſt. an. ʒß. pulv. gran. myrthi. ℈j. M. F. unguentum ; eo ungatur mane, poſtea veſperi ante cœnam abluatur caput lixivio in quo abrotan. & capill. ven. decoquantur. Ad eandem intentionem ſtercus capræ in cinerem redigatur, & miſceatur cum oleo ovorum, addaturque guttula una olei Caryophyll. vel pulvis ejuſdem propter majorem efficaciam & odoris gratiam *Jo. Crato. conſil.8. lib.4.*

En ὑπόθεσιν quoddam ſingulare in producendis capillis, ubi illi deciderint.

♃. Spumam carnis bubulæ, potiùs macræ quam valde pinguis in aqua decoctæ, & illam collige in ollulam mundam, & ea locum depilum inunge. Ego nuper admodum in quodam cui ſuperciliorum pili ex morbo omnino deciderant, feliciter uſus ſum. *Petrus Monavius. Epiſt. 34. lib. 2. conſil. & Epiſt. Cratonis & aliorum à Scholtzio editorum.*

Pro Capillorum in fronte proventu in Virgine.

Dropacem talem præſcripſi.

♃. Reſin. laric. vulgar. circiter 4. Cochlearia, adde maſtich. ſubtiliſſ. tritæ inſtar avellanæ. diſſolv. ad ignem, & parum coque continuò agitando. Poſtea effunde in lebetem aqua frigidiſſima plenum ; deinde manibus malaxentur & in magdaleonem rotundum formentur, qui in aqua, ne adhæreat, conſervetur, hujus portiuncula dilatata ſupra cutem piloſam applicata, ubi adhæſerit, iterum detrahatur, pilique in Emplaſtro evulſi hærebunt. Et ſi quid de Emplaſtro in cute remaneat, ol. amygd. d. perfricatione, recedet : conſuetum eſt remedium Venetis matronis, quo pilos evellunt.

Sequens etiam pſilothrum ordinavi.

♃. Calcis vivæ ℥j. auri pigmenti, ʒj. pulveriſatis ſubtiliſſ. adde album. ov. num.1. & lixivii tonſorum parum, incorporentur in formam linimenti ; eoque cum digito intincto ungatur pars cutis piloſa & in quarta horæ parte abluatur lixivio & fricetur cujus vires cum puer Pharmacopæi experiretur, pili receſſerunt ; ſed dolor aliquis inde ſubortus, & rubedo, quæ tamen diu non remanſerunt. *Felix Platerus. obſervat. lib.3. pag.591.*

Pro Pilorum defluvio.

Oleum Caryophyll. chymicum præſtans eſt remedium, ſi pars depilata leniter inungatur. *Rodericus à Fonſeca. Tomo 2. conſult.60.*

Poſt purgationem univerſalem, locum depilem ut lavaret mandavi ſequenti lotione, ſcilicet vino infuſionis roriſmar. & abrotani : deinde ut inungeret unguento ſequenti.

♃. Ol. ovor. myrtin. liquoris deſtillantis è limaceis rubris, an. ℥ß. ciner. capill. human. talpæ, an. ʒij. ciner. apum. muſcar. an. ʒj. ciner. abrotan. ʒß. pingued. cuniculi ℥ß. propol. ℥ß. ladan. puri, ʒiij. fæcis olei ſem. lini ʒij. mell. deſpumat. ℥ß. incorporentur omnia, & redigantur in unguentum, quo pili regenerati ſunt. *Petrus Foreſtus. obſerv.6. lib.31. De fucis.*

Pro Calvitie in Adoleſcente.

Conſului ut decocto ulmi ex dulci lixivio caput lavaret, & locum affectum Squilla aut cœpa fricaret, & deinde hac etiam decoctione ablueret, quæ ex abrotano & agrimonia paratur, demum verò ut hoc unguento inungeret, quod ex labris vulpis cum pelle in cinerem redactis & ex cinere ſtercoris capræ, apum & muſcarum, & ſuccis dictarum herbarum & oleo decoctionis muſcarum conſtabat, cera modica adjecta, poſt ſucci conſumptionem ad formam unguenti paratum. Erat hoc Experimentum *Gisberti Horſtii* præceptoris mei. Urina calida per ſe lota juvat, alteri verò ſolo lixivio hederæ arboreæ, cum caput lavâſſet crines reſtituti ſunt. *Petrus Foreſtus. Obſerv.6. lib.8. de vitiis capitis exterioribus.*

Pro Calvitie poſt tineam remanente, ad virum excellentem.

Calvities hæc non ex ſenio, ſed ex ulceribus capitis manantibus ortum duxit ; vera cute hinc inde exeſa ; & per dropacum applicationes & detractiones abſumpta, in cujus locum cicatricoſa & calloſa cutis nata eſt. Cum autem in cicatrice pili vix unquam naſci poſſint, & jam diu perſeverarit malum, difficile erit arte, illic denuo pilos educere. Tamen cum cutis capitis ſpiſſa & capilloſa ſit, in qua ſemina adhuc fortè pilorum latere ſubtus poſſunt, præcipuis expertiſque remediis id tentandum eſſe, ut pili creſcant, cenſerem, omiſſis multis aliis hoc modo procederem.

Caput manè foveat dominus cum ſpongia intincta in vino albo, in quo decoctum ſit abrotanum cum Chamæm. & Salviæ floribus ; ut ſic pori ſenſim apeŕiantur, quod & alioquin capiti, tantum abeſt ut obſit, ut potius proſit. Hoc pacto alternis diebus per menſis ſpatium & ultra caput foveat ; fricando & pectinando poſt fotum. Deinde inungat caput noctu, ſequenti unguento.

♃. Ol. Myrtin, amygd. d. an. ʒj. Cortic. rad. Cannar.

Cannar. uſtar. verarum. Capill. ven. veri uſti & polytrichi an. ℥ii. cap. murium uſtor. apum combuſtarum, & Cantharid. rubrar. maculis nigris an. ʒi. ladan. ʒii. Mell. ℥i. cum cera F. Linimentum. Hoc Linimento nihil eſt efficacius, quod ſi non juverit, nihil juvare poterit, utetur illo alternis noctibus, & quando ſpiſsè adhæret; abluere poterit lixixio, in quo abrotanum decoctum fuerit. Ubi menſis ſpatio uſus fuerit, poſtea hoc decoctum parari curet.

♃. Cap. ven. polytrich. cortic. rad. cannar. fol. Myrti, fol. Sen. fl. Chamæm. roſ. rubr. fol. Lapathi acuti. an. Mj. ligni guajac. ℔ß. abrotan. Mij. F. decoctio. qua ſingulis noctibus caput lavet cubitum iturus, continuando diu; vel ſaltem cum ſpongia foveat, atq; niſi ſuccedat menſibus aliquot elapſis, rurſus unguento priori caput inungat noctu & manè, & hoc decocto abluat, hæc præ cæteris omnibus (ſi quid effici in hac re poteſt) efficaciſſima ſunt remedia, quæ fideliter communicare volui, à Deo ſucceſſum domino optans. *Felix Platerus. obſerv. lib. 3. pag. 597.*

Pro Favo in Puero lactante.

Infans quidam in capite Favum habebat cum ingenti pruritu. Imperavi ut caput leviter balnearetur cum decocto fænugræc. malv. & altheæ. Deinde ut inungerent ſolo oleo roſ. in quo Camphoræ exiguum immixtum ſit, alioqui ſi iſtis non curaretur, juſſi pararent oleum deſcriptum à Montagnana conſil. 298. (cujus deſcriptionem vide ſupra, ſect. 14. lib. 3.) quod egregie valet ad cruſtas & eruptiones puerorum, valet enim ad favum tineam & achores. Nam ea quæ ad cruſtas capitis puerorum à Neotericis practicis ſcripta ſunt valere, eadem quoque conferunt favis, achoribus, & tineis. *Petrus Foreſtus. obſ. 24. lib. 8. De exterioribus vitiis capitis.*

Præſtat in pueris uti levibus, quale hoc eſt à Bayro ſæpius expertum, tam in favis quam achoribus, nempe caput abluere cum decocto fl. ſalicum, fol. parietar. betæ albæ & lentium, & poſt ablutionem inungere unguento ſubſequenti.

♃. Lithargyri cum oleo roſ. & aceto nutriti, ℥i. fol. rutæ viridis, ℥ß. (vel ceruſſ. ℥ß.) ſtaphiſagr. ʒii. vitrioli, ℥i. (vel aloes ſuccotrinæ, myrrh. fuliginis oris furni tuthiæ, an. ʒiß.) probè M. in mortario cum aceto & ol. roſac. (vel myrtino) diu agitando, ut fiat unguentum inſtar nutriti, eo inungatur caput & eſt mirabile. *Petrus Foreſtus. obſ. 25. & Schol. lib. 8.*

Capillus prodigioſus, poſt immanem capitis dolorem in vertice cum naturalibus pilis erumpens.

Vidua quædam extranea, ætate fere quinquagenaria defuncto marito, ſupremo Vigiliarum præfecto, ex Ungaria redux in patriam Sileſiam, occaſione mihi data ſecum colloquendi, retulit ſe per 12. annorum ſeriem, poſt febris Ungaricæ infirmitatem ægrè evictam, obnoxiam eſſe immanibus Capitis doloribus, in menſe ſemel, & quandoque bis tali typo recurrentibus. Poſtquam intra cranium dolores capitis punctorii, telorum inſtar, ab uno latere ad alterum vagantes, & quaſi cerebrum transfigentes, tertiâ vel quartâ ab inſultu die deſævierunt, inter capillos naturales, ſua naturâ atros, pili novi, præteritis annis albi, jam cani, medium digitum longi, canini ab illa appellati, exurgunt, infra verticem potiſſimum, hic ſparſim illic densè, (*Buſchvveiſe*) occiput & ultra cingentes, coronamque effingentes, atque per ſpatium unius noctis incrementi ſui terminum abſolvunt; doloribus tum ab interna calvariæ parte ad pericranium, ſeu ad radices prædicti capillitii plurimum tranſgreſſis, tantis quidem in principio ejus ſtatus, ut cutis ibidem nec leviſſimum digiti tactum admittat. Eos pilos, ſi intra quatriduum evelli curet nobilis fœmina, dolor indies decreſcit; imò inter evellendum in extimâ cutis parte eundem jam non ſentit; niſi ſimul vicinum naturalem incautè convelli contingat. Sin vero ultra prædictum tempus ſtare permittat, hem! reciproco & ſtupendo motu intra cutem illi ſe retrahunt & abſcondunt. Quo facto, dolores capitis interni multo majori, quàm ante pilorum egreſſum, atrocitate recrudeſcunt, multoque diutius durant, adeò ut in rabiem propè incidat afflicta mulier.

Cauſæ horum Curioſis curiosè indagandæ relinquuntur: ad quas ſcire expedit fœminam illam, aliàs ſterilem, ut tales ſolent, impensè favere canibus, eoſque frequenter manibus ſuis verſare; cum iiſdem menſam & lectum communicare; ſicuti coram præpingues duos melitæos, unum ejus gremio exceptum, alterum lateri accubantem vidi: ut, ſi pili illi pro caninis habendi ſint, quærere liceat, annon (ſalvo Theologorum judicio) horum anomaliæ producendæ canum halitus & vapores ſpirituoſi quandoque procatarxin aliquam contribuant? *David Spielenbergius.*

Plica Polonica.

Anno Chriſti 1653. cùm Ratisbonæ tempore Comitiorum Imperii variolæ graſſarentur, inter alios etiam juvenes duo, natione Poloni, fratres uterini uno ſimul ferè tempore ægrotabant variolis, amboque plicâ Polonicâ à juventute afficiebantur; Medicus quidam in curam accerſitus, in principio ſtatim præcepit majori natu, pro liberiori fuliginum febrilium tranſpiratione, ac variolarum tranſitu, capillos omnes detondi, ſimul ac illos cirros, qui Plicâ, uti communi nomine vocatur, Polonicâ infecti fuerant; quo facto, æger ſtatim ſanguinem ex capillitio fluentem ſenſit, & cum inſigni virium animalium & naturalium lapſu poſt paucos dies mortem obiit, non ſine magno fratris & nobiliſſimorum Parentum luctu. Medico igitur priore abdicato, mox in junioris fratris decumbentis curam accerſitus ego, omiſsâ & prohibitâ capillorum tonſurâ, feliciori eventu, ſimulque brevi tempore, auxiliante Deo, eam abſolveram, cum propinquorum applauſu. *Helvvigius.*

Scholion Hellvvigianum.) Plica capillorum morbus eſt, Polonis quidem plerumque endemius, ac tam maribus, quàm fœminis, imò pueris etiam & infantibus familiaris, itemque in aliis regionibus, ut in Helvetia, Briſgoja, Alſatia, & Belgii parte ad Rhenum, ac in Hungaria cognitus, aſt non tam frequens. In Hungaria interdum animalia morbo hoc infeſtari, præſer-

tum equos, teſtatur Sennertus lib. 5. prax. med. part. 3. ſect. 2. cap. 9. & Dacem quendam militum talem equum ex Hungaria Dieldam adduxiſſe, qui ejuſmodi cirrum in collo uſque ad pedes pendulum habuit. Eſt autem Plica affectus capillorum gravis, malignus & periculoſus, cum unius & alterius, vel plurium capillitii cirrorum arcta & indiſſolubili implicatione & agglutinatione ſeu inviſcatione, uti Fonſeca loquitur, à vapore inſenſibili tenuioris & unctuoſæ ſanguinis portionis, vitioſo, pilis imbibito, ortum habente, causâ primariâ in aëre auſtrino & humido, cibis crudis & mali ſucci, atque aquis corruptis aut mineralibus exiſtente. Nam cùm pili verè ſint partes corporis, & nutriri debeant alimento ſuo, ut quælibet pars corporis, familiari & determinato, quod in pilis eſt ſanguinis portio tenuis, vaporoſa, & unctuoſa, attamen humor hic ſæpius ob loci & aëris genium, atque alimenti aſſumpti intemperiem, quum humores plerumque aſſumptorum naturam obtinent, aut ob concoctricis facultatis errorem ſeu impedimentum, malignitatem aliquam adſciſcit, & putreſcere incipit; & tunc evaporationes tales ſubſequuntur, quæ in capillis & aliis corporis partibus diverſa & varia ſymptomata gravia cauſant, ſicuti in ſcorbuticis videmus; & talia ſæpius in infantibus à parentibus per generationem tranſplantantur, ſicque malum hoc utplurimum, præſertim in Polonia, hæreditarium fit. Morbum autem hunc Sennertus innuit non tam novum eſſe, veluti Poloni putarunt, licet Rodericus Fonſeca, & Hercules Saxonia, ex authoritate Johannis Stadleri, Medici, ſcribant, vix ante annum Chriſti 1564. in Italia & Germania, pleriſque Europæ provinciis ad noſtra uſque tempora notum fuiſſe, ſed cùm cauſæ eædem, quæ morbum hunc conſtituunt, multis retrò ſeculis quoque adeſſe potuerint; Medici verò, qui eum deſcriberent, & iſte rariùs occurreret, vel penitus neglexerunt, vel defuerunt. Præterea morbus hic non eſt planè criticus, ut multi volunt, nec planè ſymptomaticus ſed partim criticus, partim ſymptomaticus, ut eleganter diſſerit Fonſeca Conſil. ſuor. conſult. 1. de Plica. Non planè criticus, quia natura expurgando corporis profunditatem, partem ſaltem humoris peccantis ad capillos capitis & cutem, tanquam ad partes ignobiliores mittit, ſed non cum tolerantia & conferentia, ac potiùs cum gravium ſymptomatum anteceſſu, quod malignorum affectuum proprium eſt; remanente in corpore reliquo magna ex parte humore peccante; inſuper natura quoque per evacuationem morbum hunc ob humoris multitudinem, lentorem, & viſciditatem, judicare non poteſt. Nec planè ſymptomaticus eſt morbus hic, quia tranſpoſitio hæc humoris maligni ad partes ignobiliores, mitigat ſaltem ad tempus ſymptomata præcedentia, & prohibet quodammodo futura mala, quando abſoluta fuerit pilorum implicatio. Præſciſſionem verò capillorum in ſic affectis intempeſtivam cum ſanguinis fluore periculoſam eſſe, ratio & experientia evincunt. Ratio: quia hoc modo, vel intempeſtivâ curâ quâdam tentatâ, tenuis iſta ſanguinis portio unctuoſa, quæ capillorum hactenus alimentum fuerat, impeditur, & non attracta, cum nitroſa ſua & maligna qualitate repellitur, & materia reliqua in cerebro irritatur ac commovetur, fluxiones oculorum & cœcitatem producens, ſimulque maligni vapores, quos natura procurabat, temporis ſucceſſu, per capillos educere, retruſi per membra ad articulos, perioſtia, muſculorum nervos & tendines diſcurrunt, atque dolores acerrimos, arthriticas convulſiones, artuum torſiones, cardialgiam, laſſitudinem, cum virium proſtratu & vitæ periculo excitant: quod & experientia in prædicto juvene nobili, ac multis aliis docuit. Hercules Saxonia non dubitat malum hoc etiam per veneficium inferri poſſe, idque ex obſervat. Johannis Schenckii, ex relatione Chriſtoph. Rumbaum probat, quod in Pocutio, Poloniæ provincia, ſtrigæ, ac hujus ſortis mulieres ſolâ curatione ſuperſtitioſâ illud facillimè & breviſſimè curent. Cætero, tametſi Hercules Saxonia, Johannes Prævotius, Fonſeca, & Sennertus multa remedia, tum præſervandi, tum, tum curandi causâ, propoſuerint, nulla interea certa & appropriata medicinalia & alexiteria hujus morbi, ob vim ſuam malignam & occultam, hactenus inventa ſunt quæ illum perfectè ſanare, vel penitus extirpare queant, quod & de ſubditis ſuis generoſus Comes Nicolaus Sapieha ſcribit, qui licet multò majorem notitiam & experientiam de plicæ origine, progreſſu, & curatione, quàm alii, qui de affectu hoc ſcripſerunt, haberet, nulli verò contigiſſe quod ægrum perfectæ ſanitati reſtituerit. Optimum igitur erit, curationem hujus mali non tentare, ſiquidem generoſis auxiliis magis irritetur, & citò occidat, ſed abſolutionem naturæ relinquere, quum, experientiâ teſte, multi ſine ulla evacuatione & præſciſſione, naturæ ope duntaxat ſanati fuerint: Cognovi ego quendam Vice-præfectum Oppiduli Neuſtadlein in Bavaria, virum temperamenti cachectici, obeſi corporis, & vultus pallidi, qui cirrum denſum, longum à cervice ad lumbos uſque pendulum, ac mirè implicatum & inviſcatum, in cervice gerebat, qui quidem aliquoties ob ſpurcitiem, credo, copioſam & fœtidam, tanquam diffractus ad tertiam penè partem in extremitate ſponte deſilivit, ſed tunc uno alterove ſymptomate gravi vir iſte moleſtabatur, uſque cirrus ad priorem menſuram procreſceret. Vidi etiam Sacrificulum ſenem in arce quadam Epiſcopali Ratisbonenſi, quæ cum ſubjacente opidulo vulgò *Word* vocatur, ſub libera cuſtodia, ſed effrenatæ mentis, cum capillis ad humeros uſque pendulis, & barbâ latâ, longè uſque ad crura promiſsâ, pilis utrobique impexis & mirè implicatis, opinor, ex incuria & ſpurcitie, horridis, quia nullam aliàs affectionem, Plicæ conſuetam, inde ſentiebat, in veſtitu ſqualido deambulantem, & in tali ſtatu per plures annos vivebat.

Additamentum Schröckii.]. De hoc adfectu, noſtris in terris, per Dei gratiam, ignoto, quidquam addere ſupervacuum eſſet, poſtquam ejuſdem naturam atque curationem, propriâ aliorumque experientiâ inſtructus, Nobiliſſ. Dn. Simon Scholzius, Phyſicus Thorunienſis, & Sacr. Reg. Maj. Poloniæ Medicus celeberrimus, in Anno 6. Ephem. German. Curioſ. obſ. 138. ſub titulo: Plica explicatâ, diffusè docteque expoſuit.

Plica

Plica explicata.) Certum eſt, quamlibet ferè regionem aliquid habere, quod ſibi jure quodammodo ſuo vendicare videtur: ſic quoque & morbos quoſdam nonnullis provinciis ita familiares eſſe, ut ejus quaſi proprii dicantur, in aprico eſt. Appellant hos Medici propter communem aliquam cauſam ἐνδημίως ac ſi dicas, vernaculos ſive indigenas & proprios. Talis morbus à Plinio ſceletyrbe & ſtomacace, à recentioribus ſcorbutus dictus, ad ſeptentrionalis maris littus habitantibus communis eſt. Talis Neapolitanis podagra, Alpinarum regionum incolis, Hiſpaniæque finitimis, bronchocele eſſe putatur. Galenus Alexandrinis elephantiaſin familiarem ſcripſit. Judæos imprimis leprâ contagioſâ divexatos fuiſſe Sacræ Literæ teſtantur. De ſingulorum naturâ varii varia obſervarunt. Affectum cui à capillorum ceu glutine quodam inviſcatione & invicem complicatione Plicæ nomen tribuitur, & qui Polonis imprimis, hiſque finitimis pecularis eſt, vix quidam ex obſervatione propriâ, pauci ex relatione aliorum hucuſque deſcripſerunt. Hinc natura ejus nondum planè perſpectâ, de eo aliquid certi ſtatuere haud facilè erit. Nos tamen auxiliante divino Numine, quicquid tùm propriâ experientiâ, tùm ex relatione aliorum hucuſque collégimus, circa plicæ hujus explicationem nunc conſignare ſtudebimus.

Dictus eſt hic morbus Plica, quod capillos planè inter ſe complicet: Plica Polonica, quod Polonis, & imprimis eis, qui inter Hungariam & Pocutium habitant, Ruſſis & his finitimis, (quamvis noſtris temporibus totam Poloniam pervagatus, uſque ad nos Pruſſos pervenerit) hinc licet primo ortu epidemius fuerit, jam endemius factus ſit. *Schenckius obſerv. Med. lib.* 1. *obſerv.* 3. etiam Briſgrois, Alſatis, Belgis, nonnulliſque Rheni tractibus morbum hunc notum eſſe ſcribit: ſed rarò à Medicis illorum locorum tale quid obſervatum eſt. Vocantur aliàs capilli ita convoluti ab hoc affectu Tricæ incuborum, quod vulgus capillos ab incubis intricari & noctu ſugendo tractari putet. Trichoma morbus cirrorum, capilli enim intricati cirros repræſentant, & ſecti nonnunquam ſanguinem fundunt, quod tamen alii negant. Germanorum appellationes ſunt, *die Marenflechten, Marenvvirckung, Marenlocken, Schrottlins Zœpffe*, quæ eandem rationem cum Latinâ appellatione obtinent. Præterea *Wichtel Zœpffe* vocant, quod ſuperſtitioſè creditum ſit ab infantibus non baptizatis, (quos antiqui *Wichteln* dixerunt) necti. *Juden-Zœpffe*, quod ab incuba Judæi ſpecie fieri exiſtimantur. A Polonis notatur nomine *Gozdziec* ſive *Gvvozdziec*, quo vocabulo morbus ipſe exprimitur, item *Kolium* quod proprie capillorum complicationem ſignificat. Eſt itaque Plica capillorum cuti capitis infixorum & in amplum diſtentorum involuta contorſio, cùm graviſſimâ totius corporis artuumque tàm ſuperiorum quàm inferiorum, capitiſque læſione, & antequam capilli complicentur, magno dolore, ſudore plerumque concomitante.

Subjectum ejus primarium ſeu radicale eſt hepar vel partes ſucco ſanguineo generando & ſeparando deſtinatæ: ſecundarium, & per ſympathiam recipiens, cutis capitis ſecundum radices pilorum, & pili ipſi, ubi morbus firmatur, natura criticè ad illas partes ſibi moleſtum deponere tentante atque perficiente. Apparet hinc pilos poris non denitui. & inde etiam quod una nocte omnes poſſint caneſcere ab apprehenſione gravis mali imminentis vel præſentis. Unde ſuſpicio vitam eis ineſſe, quaſi alantur, per ſucci ſibi appropriati intus ſuſceptionem.

Neque tamen hæc affectio dicenda pilorum convulſio, quia ea tum propria eſt, tum analoga partium ſenſu & motu voluntario præditarum. Subjectum adæquatum eſt totum ferè corpus, articuli & perioſtia &c. ut patet ex actionibus læſis & qualitatibus mutatis.

Quanquam autem motus hic naturæ, ut ſuperiùs dictum, videtur eſſe criticus, non tamen ſimpliciter talis eſt, haud enim tota materia illuc deducitur; vel ſi aliquando per abſceſſum ad illas partes morbus judicatur, id nimis longo obtingit temporis intervallo, ſecus ac fit in vera criſi. *Galen. in Aphor. Hippocr. comm.* 13. Neque etiam appellare quis poſſet ſymptomaticum, fit enim ex interioribus ad exteriores, ex nobilioribus ad ignobiliores partes humoris pravi expulſio. Ex utroque igitur mixtum nuncupare lubet. Cauſa προηγουμένη ſeu antecedens eſt morboſus apparatus, ſive diſpoſitio talis humorum & partium, quæ ad effectum hunc generandum, ſive aliunde ſuſceptum, ſive congenitum magis apta redditur: quemadmodmùm ſunt magnæ cruditates in tribus coctionibus cumulatæ, ſanguis multus, crudus, quocunque modo corruptus & venenatam aliquam conditionem adeptus. Utut enim malum hoc ob communem aliquam ejus regionis cauſam endemium ſit, ita ut ſæpe in una domo duo vel tres eo affecti reperiantur, non tamen abſolutè contagioſum dicendum eſt, nam plurimi, licet cum ægris illis converſentur, non inficiuntur, ſed qui διάθεσιν aliquam internam nacti ſunt. Cauſa προκαταρκτική morboſum apparatum in actum deducere valens, è triplici ſerie rerum naturalium, non naturalium & præternaturalium Medicis dictarum, hic quoque peti poteſt. Inter res naturales diſpoſitio hæreditaria multum facit, & immediata plerumque ſeminarii morbifici exiſtit cauſa, quando cum generationum principiis in ipſum fœtum transfunditur. Præter quotidianam experientiam teſtis eſt oculatus *Clar. Sennertus*, qui *lib.* 5. *med. Pract. part.* 3. *ſect.* 2. *cap* 9. de plicâ, Generoſi cujuſdam Poloniæ Comitis plicâ laborantis filium ſexennem, plicas jam aliquot in pilis capitis habentem introducit. Idem militem quendam ſenem, plicam in occipitio à matre ſuâ, quæ ſeptem plicas duarum ulnarum longitudine ad mortem uſque alebat, hæreditatè accepiſſe ibidem aſſerit. Ætas quælibet ad morbum hunc ſuſcipiendum apta eſt. In ſexu maximam partem fœminas invadere nonnulli exiſtimant, potiſſimùm ſuppreſſo menſtruo ſanguine; ſed falſum id eſſe experientia teſtatur.

Inter res non naturales eſt aëris mala conſtitutio, eidem à vaporibus è terra & aquis, quæ in Poloniam ex montibus Ungariæ defluunt exhalantibus impreſſa. Sive quis cum *Fonſeca lib.* 1. *conſult. Med. conſ.* 1. eum etiam tota ſubſtantia ob cœleſtes influxus ab initio mutatum fuiſſe credere maluerit: qui unà à maleficis unguentis eundem contagium ſumpſiſſe ibidem ſuſpicatur. Cibus & potus tam quantitate, quam modo aſ-

ſumendi peccans, morbo citius generando quoque aliquid addit. Poloni, præſertim ejus provinciæ, cibos craſſæ ſubſtantiæ & in magna quidem copia aſſumunt, potui nimis indulgent, non ſolum cereviſiæ craſſæ & potentis valdè lupulatæ, verum etiam vini generoſi & ſpiritus frumenti, atque mulſæ cum lupulo decoctæ: unde cruditates & exhalationes proveniunt. Sed peculiare quiddam aquis ejus loci, quarum quotidianus iis hominibus uſus eſt, ad plicam producendam ineſſe nonnulli rentur. Reliquæ res non-naturales quid hic præſtent, facilè quivis perſpicere poteſt.

Res præternaturales mali hujus apparatum promovent, obſervatumque eſt eos qui in luem veneream propendent, vel ea jam infecti ſunt, faciliùs plicâ affici: tùm etiam ſcorbutum cum hoc morbo magnam analogiam habere.

De cauſa proximâ & continente intricata res eſt. Ad ſolum humorem viſcidum cauſam referre, minùs probabile videtur, ſic enim in omnibus ferè regionibus multi, qui ad viſcidos humores generandos diſpoſiti ſunt, imò eis abundant, accedente aliquo aëris vitio, plicæ obnoxii eſſent; nullaque ratio eſt, cur ſolùm ad capillos & partes ſuperiores, non etiam ad inferiores, quo viſcidi & lenti humores magis vergunt, vel alias partes materia hæc detrudatur. Quinimo nec vapore ſolo circumſcribi poteſt; quia capilli ſecti ſanguinem emittunt: quod tamen plurimi negant, egoque nunquam obſervavi. Præter alios tantùm unicum teſtem verum hic produco, Perilluſtrem & admodum Reverendum D. Sebaſtianum Belenski, Canonicum Uladislavienſem & Præpoſitum Brzezinenſem, ſanctè affirmantem, quòd ſibi plicas omnes abſque noxâ à ſanguinis effluxione aliquoties præcidi curaverit. Sed neque humor, qui corpori noxius eſt, idem pilis copioſum alimentum ſuppeditare poteſt, atque hinc capillorum inviſcationem efficere, ſiquidem is potius capillorum luxuriei cauſa exiſteret. Cauſa itaque plicæ proxima ſtatuenda eſt maligna glutinoſa materia, cui ſæpè humor atrabilarius permixtus accedit, peculiari modò cum vehiculo ſanguinis in caput elevari apta, ac ibidem firmata, capillos inter ſe complicans; non alia ferè ratione quàm ut arthritidis cauſa articulis infenſa eſſe ſolet. Evincunt hoc varia & ſæva ſymptomata malignitatem ejus ſatis arguentia, ipſeque morbus curationem methodicam planè contemnens. Chymici fortè dixerint eſſe reſolutionem ſulphuris in ſucco ſanguineo cum ſalis reverberati ad mordacitatem diſpoſiti ſeparatione: & modum determinatum eſſe ab originali aëris inquinamento, quod in minutis particulis inverſam proportionem efficiens, reſolutionem & ſeparationem eam præſtat. Sulphur quidem reſolutum quum occupat ſedem mentis, ſoporem inducit ſuâ viſciditate, at quum per venas jugulares ad radices capillorum repit, una cum ſanguine corrupto per modum partialis criſeos, implicationem inviſcatam in capillis præſtat; quod ſi capilli tum ſecentur (de quo inter ſigna) humor irritatus, qui ſal à contemperatione ſeparatum ſibi admixtum habet, exhalationes in quaslibet partes ſubjectas, ad oculos, articulos, perioſtia, &c. tranſmittit, etenim continuo filo humor cohærens per irritationem, etiam in ipſa minerâ agitatus, ſparſim venenatos vapores diffundit.

Quod hic affectus (de quo mox) tineæ in cute capitis ſimilis fiat, nec tamen in ulcus deſinat, eſt à ſale, quod à glutinoſa viſciditate ſulphuris reſoluti cohibetur: quod atrabilarius nonnunquam fiat morbus, eſt à ſalis in maſſâ glutinoſa aſſatione. Cum autem in articulis dolorem excitat, fit hoc à ſalis acumine, quod in loco frigido & ſicco ſicceſcit magis: ſed hanc opinionem ſpecioſam magis, quam ad curationem morbi utilem, utpote cujus fundamenta nondum ſatis confirmata ſunt, hìc prolixè examinare ſuperſedemus.

Multi ſunt affectus, cum quibus plica communia quædam habet ſymptomata. Cum lue venereâ laſſitudinem totius, colorem faciei immutatum, aduſtionem quandam, & calorem, cruciatum oſſium: cum ſcorbuto artuum dolores, contractiones: cum capillorum tinea redundationem vermiculorum, (qui tamen rariſſimè ægros infeſtant) cum πιτυριάσει immunditiem & ſquamulas furfuraceas; verùm facilè ab iis diſcernitur, ſi reliqua graviora ejuſque magis propria conjunctim cum his perpendantur ſymptomata.

Signa morbi talia ſunt. In principio cum natura vitioſum illud ſibique moleſtum à partibus interioribus ad exteriores propellere tentat, color faciei in pallidum mutatur, oſſa infringuntur, artus laxantur, caput, pedes, manus, omneſque artus, & juncturæ dolore atrociſſimo infeſtantur, tinnitus aurium percipiuntur, convulſiones interdum excitantur: membra etiam contrahuntur & gibbi quandoque efficiuntur, ſi nimirum actio cauſæ ab initio vehemens fuerit. Dein natura ſuperiore quaſi exiſtente, ad capillos præcipuè (ut in arthritide ad articulos) materia morbifica protruditur, unde nonnunquam furfurum & pediculorum in capite generatio, capitis ſpurcities, fœtor, capillorum inter ſe complicatio & in cirros convolutio, ut eos nec arte nec labore ullo explicare queas, ſi verò ſeces aut radas (quod alii, imò plurimi, ceu ſuprà dictum, negant) ſanguinem fundent plurimis etiam cirri ſponte decidunt. Ungues inſimul, præſertim in pollicibus pedum, ſcabri, longi, & inſtar cornu hircini, nigri evadunt, atque hoc tantùm iis qui hoc morbo graviter laborant obtingit; quibuſdam etiam planè decidunt, & poſt explicationem plicæ renaſcuntur, quod mihi oretenus retulit Illuſtriſſima Comitiſſa à *Donhoff*, Illuſtriſſimi itidem Palatini Pomeraniæ, &c. Domini Johannis Ignatii Bonkovvskii conjux, ſe in propriis digitis obſervaſſe.

Prognoſtica quod attinet, maximo cum periculo malum hoc conjunctum eſt, & eò majorem habet laborem quo ſæviora Symptomata in pluribus partibus, ad quas materia detruditur, excitat. At natura vincente, cum materia ad capillos delata eos in denſos cirros deformavit, corpus à malis ſuprà enumeratis liberatur, quod tamen ſæpè longam temporis moram requirit, natura interim reliquias humoris peccantis ad capillos pedetentim deferente. Et ſanè plurimi ejuſmodi plicas citra noxam, quoad vivunt, circumferunt, quamquam non ſine deformitate. Exiſtimarunt quidem nonnulli, ſi iſti cirri temerè præcidantur, graviſſimis malis corpus iterum obnoxium reddi, quia vehementia cauſæ per iſtam

illam irritationem increſcit & motus materiæ ab ignobilibus partibus ad internas nobiliores revocatur. Oportet autem humores, quorum maturationes progreſſu temporis contingunt, quæ vel foras, vel intrò, vel alio, quo expedit, tendunt, ducere, ut Hippocrates libro de Humoribus docet: hinc ſtatuunt materiæ exitu denegato, evacuationeque ejus ſolitâ impeditâ, quoſdam viſu privari, alios gibboſos fieri, alios alia damna pati, prout humoris motus in hunc vel illum locum inclinat. Veruntamen expurgata jam in totum corporis profunditate ipſæ plicæ ſæpè ſponte decidunt; & ſi non, fortaſſe tum medico earum reſectionem moliri liceret, modò de materiâ non amplius in corpore præſente certus eſſet. Hoc quamvis difficile ſit, attamen Medico cuncta accuratè penſitanti, & ſecundùm rationem agenti haud impoſſibile. Verùm teſtati ſunt plurimi, cirros illos poſt finalem conglutinationem illis ſine omni noxa præciſos fuiſſe. Nihilominus tamen mihi noti ſunt quidam, qui poſt abſciſſionem cirrorum ad tempus viſu privati fuerint, & dolores graviores artuum & capitis inde retulerint.

Curationem plicæ perfectam nemo ſibi polliceatur, antequam ejus loci, ubi morbus hic endemius eſt, genium & incolas, cæteraque ad hoc pertinentia benè cognoverit, quod quantum ad morborum inveſtigationem & depulſionem faciat, magnus Hippocrates libro de aëre, locis & aquis ſatis demonſtravit.

An verò hic ternarius ille indicantium numerus triplicem indicationem ſuppeditans, qua primò præſervatoria cauſam antecedentem tollit; ſecundò curatoria morbum cauſamque continentem debellat: tertiò vitalis viribus priſtinum robur reſtituit, locum inveniat, non ſine cauſa in dubium vocatur.

Quibus hactenus in principio morbi venæ ſectio inſtituta eſt, plus obfuit, quàm profuit. Illuſtriſſimam Matronam Polonam, cui vena cubiti in principio ſecta eſt, confeſtim ſæviſſimos in eo brachio dolores cum tumore œdematoſo paſſam eſſe: pari modo in pedibus vena aperta, dolores acerbiſſimos in utroque crure ad malleolos excitatos fuiſſe, teſtatur Hercul. Saxonia Med. Pract. lib. 10. de plicâ cap. 7. Quibus nos etiam libenter ſuffragamur, plurimis plicâ laborantibus id affirmantibus, propriaque experientiâ edocti. Sed multò minus purgationibus exhibitis noxii humores ſuperantur, quin potius commoti ita per totum corpus diſperguntur, ut quoſdam cœcos, alios claudos reddant, alios alio modo graviter afficiant: quod ii experti ſunt qui purgantibus medicamentis hunc affectum ab initio exſtirpare tentaverunt, ex relatione ægrorum.

Quare plica methodicam curationem reſpuere videtur, ſiquidem generoſis auxiliis magis irritatur. Itaque ingruente ea leniens curatio inſtituenda: valida & extirpans poſt pilorum inviſcationem & capitis immunditiem locum habere poſſet; ſed omnes ferè poſt capillorum conglutinationem ſani evadunt, quod nos aliquoties experti ſumus. Quia autem motus hic naturæ ex parte criticus eſt, tutiſſimum materiam vitioſam ad capillos, quo tendit, primò invitare & adducere, ſecundùm Hippocratem Aphor. 21. lib. 1. & Galen. comment. in eundem. Præſertim cum in morbis venenatis judicatio per abſceſſum ad partes externas & ignobiles fieri conſueverit.

Fiet hoc leniter aperiendo poros cutis capitis per emollientia & laxantia externa; ſed imprimis commendant capitis lotionem cum decocto brancæ urſinæ, ſive acanthi Germanici, etiam Polonici dicti, & ſedi ſeu ſempervivi majoris, atque Muſci terreſtris: forſan ob ſignaturam. Vide Crollii de ſignaturis tract. tum Guern. Rolfincium de vegetabilib. plant. &c. lib. 2. ſect. 8. cap. 5. atque Paracelſ. Portam & Quercetan. locis propr. Quidam etiam magni faciunt radices lupuli: experientiaque conſtat decoctum harum herbarum in ablutione capitis multùm profuiſſe; quare vel iſtis vel additis aliis convenientibus hoc in caſu utendum, in iiſque tam diu ſubſiſtendum, donec omnes capilli in cirros abierint, & magna pars virulentiæ, corpus à magnis imminentibus malis liberaturæ ad cutem capitis attracta animadvertatur. Verum ut branca urſina decocta externè in ablutione capitis prodeſſe dicitur; ita contra potus ex illa paratus, & juſcula internè uſurpata admodum nocere plurimi confirmant. Sed de muſco terreſtri hoc in affectu evolvat B. L. *Obſervat. 52. Anni 1. Miſcell. Germ. Curioſ. D. D. Bernhardi à Bernitz.*

Purgatio (ut jam dictum) ſit moderata, incipiendo aliquando à vomitu, quem ob multas cruditates collectas, & in primis viis hærentes, aliquoties repetere haud inutile eſſet. Tum tutiſſimum erit, reliquias per alexipharmaca & ſudorifica ad ambitum corporis expellere, præſertim ad pilos capitis, quâ in re prudens Medicus naturæ erit miniſter, eandemque illuc viam commonſtrantem ſequi non repudiabit.

Teſtes curationis iſtius adducam veriſſimos, inter alios plurimos, primo Illuſtrem & Magnificum Dn. Joſephum Johannem Stamirovvsky, Venatorem Sannocenſem, &c. dein generoſum & ſtrenuum Dn. Sebaſtianum Machovvsky, S. R. Mtis. Pol. Colonellum &c. cum nobiliſſimas Matronas, unam Generoſi Dni Stanislai Jemielki, alteram nobiliſſ. Uladislai Niemoievvski conjugem, atque Johannem Koyen, juvenem: è quibus prima matrona tertia quaque die paroxyſmum, ad modum febris tertianæ, cum horrore & calore, doloribuſque capitis & homoplatarum per aliquot ſeptimanas perpeſſa eſt, cujus terminus erat ſudor copioſus totius corporis, uſque dum materia vitioſa ad cutem capitis delata capillos complicavit, & morbo finem dedit: altera verò doloribus totius corporis, artuum omnium & capitis graviſſimis, quaſique oſſa frangentibus, cum tumore pedum, maximiſque cordis anguſtiis & continuis, non niſi per ſudorem copioſum & capillorum conglutinationem liberata, per aliquot ſeptimanas afficiebatur, & jam optimè valet. Juvenis Koye Warſavia huc veniens, morbo iſto oppreſſus, primùm horrorem percepit, ſequente mox calore p. n. continuo, concomitantibus doloribus capitis, artuum, ſudoribus indeſinentibus fœtidis, dejectionibus copioſis, aqueis & tumore pedum, donec natura criticè ad cutem capitis & pilos ejuſdem humores vitioſos tranſtulerit, cirrique illi capillorum mox omnes deciderint,

ſani-

ſanitatemque integram ægro attulerint. Sed Illuſtris Dn. Venator Sannocenſis, vir vix triginta annos ſupergreſſus præter calorem præternaturalem, dolores articulorum, & ſudorem nunquam intermittentem, etiam convulſivos motus cum dolore capitis incipientes percipiebat. Generoſus autem Colonellus, vir plus quam ſexagenarius, robuſtus tamen, ante pilorum contorſionem tantum artuum doloribus divexabatur, quos ſemper hauſtu vini generoſi Ungarici ſudorem promoventis diſpellebat; forſan hoc ex depravato quodam appetitu ad vinum factum: nam, ut mihi retulit ſupra nominatus Dn. Venator, proprium huic morbo eſt apud plurimos eo laborantes, ut ad hanc vel illam rem in cibo magis inclinent, ceu ille ſæpè appetitu inſolito ad vinum ſublimatum, & quidem benè aromatiſatum infeſtabatur, quo ſi potiri potuit, morbi ſævitia remittebat, ſi non, peſſimè ſe habebat, quod etiam alios mihi narraſſe recordor.

Teſtis relationis hujus auritus eſt Spectabilis Georgius Merckner, Scabinus Novo-Oppidanus, affinis & compater meus honorandus. Vivit etiam inter noſtrates in hunc uſque diem Spectabilis Jacobus Sachs, Scabinus ſuburbanus, jam ſexaginta annos ſupergreſſus, qui ante plures annos morbo hoc correptus, graviſſimè decumbebat, & à b. m. clariſſimis Anteceſſoribus meis Dn. D. Georgio Mochingero & Dn. D. Chriſtophoro Meiſnero P. P. Ord. ut morbo aliquo venenato cum febre continuâ laborans, curatus eſt; medicamentis autem nihil proficientibus, poſt cirrorum aliquot explicationem convaluit, quorum adhuc duos habet, reliqui deciderunt. Ut hîc taceam Magnificos & Generoſos Dn. Nicolaum Rey, Hæreditarium & Dominum in Skoky majoris Poloniæ, &c. ac Dn. Nicolaum Lubſtovvski, Capitaneum Cruszvvicenſem, atque Nobiliſſimi Dni Andreæ Niemojevvski conjugem, quæ pro febricitante per ſemeſtre habebatur, utpote tertiâ quâvis die rigore & horrore febrili, atque calore ſuccedente, repentibus: inter noſtrates autem viduam Weiſſiam pluſquam ſeptuagenariam, & filium ejus Georgium Weiſs, ſutorem, pluresque alios.

Hoc verò notabile eſt ex relatione Per-Illuſtris & admodum Reverendi Dn. Stanislai Belenski, Canonici Uladislavienſis & Præpoſiti Bizezinenſis in viciniâ Cujaviâ, quod ipſi Medicus quidam Polonus (dolores atrociſſimos circa orificium ventriculi patienti & per aliquot ſeptimanas oculorum caligine, tandem etiam totali cœcitate laboranti) antequam ſe plica explicaſſet, juſſerit ceram virgineam ſeu albam oculis applicare cum tali prognoſtico, ſi poſt aliquot horas in cerâ crines apparuerint, illud certiſſimum ſignum plicæ fore, quod etiam eventus edocuit, nam remotâ cerâ, plurimi crines ei adhærebant, moxque omnes capilli ſe in cirros contorſerunt, quorum illi, qui à partibus capitis dextrâ & ſiniſtrâ pendebant, fuerunt (ut mox de hac diſtinctione dicetur) rotundi, tenus & maſculi, unus autem craſſus & dilatatus in occipitio fœmina appellatus: poſt quorum explicationem dolor ventriculi, atque oculorum cœcitas ſtatim ceſſarunt. Mirum ſanè & diſquiſitione dignum, unde iſti capilli provenerint? Id quod ego tempore deſtitutus, aliis diſcutiendum relinquo.

Hic obiter mentio facienda, plicam in illis locis ubi endemia eſt, in maſculam & fœmineam diſtingui: hæcque totum caput patientis horribili ſpectaculo involvit, ut non tam capilli, quam villoſus aliquis pileus congenitus homini videatur, & ejuſmodi ſpecies (quia ex nimia fortè humoris viſcoſi abundantia, & nativi caloris defectu oriri creditur) plerumque pro deſperatâ habetur. Talem ego primùm conſpexi in Dn. *Stanislao Byſtram* Nobili Pruſſo: dein in Judæo quodam ſtaturæ proceræ in nundinis horribilem mitram retro pendentem repræſentante. Talem ſe quoq; & quidem in ſuperiore capitis parte habuiſſe ante plures annos, Illuſtriſſima Dna Comitiſſa à *Dönhoff*, Illuſtriſſimi Dni Palatini Pomeraniæ, &c. conjux, mihi nuper narravit, in præſentiâ Rever. Patr. Soc. Jeſu & Reform. Diſcalc. cui jam iterum, poſt deciſionem, capilli nigri creverunt. Sed maſcula, quæ propendentes aliquot ad inſtar funiculorum plicaturas habet, licet & illa contumax ſit, ſæpe tamen ſponte, conſumpto fortè per calorem humore nocivo, decidit, & patientem à doloribus & moleſtiis abſolvit: hæcque eſt communior & mitior, illa verò rarior & contumacior.

Cum autem (ex occaſione ſcripti, quod ſub ficto nomine Theophraſti veridici Scoti Doctoris Medici, typis Univerſitatis Abredonenſis in Scotiâ Ann. 1668. impreſſum prodiit, & ſub titulo Plico-Maſtix, ſeu Plicæ è numero morborum ἀποσπασμα apud Jacobum Pufflerum Bibliopolam Dantiſci venditur) tam ab his prænominatis, quàm ab aliis quærerem, an non etiam capillorum illa convolutio & conglutinatio ex incuriâ quâdam proveniret, quod Polona gens rarò pectine capillos explicet? omnes mihi conſtanter contradixerunt, ſanctè affirmando, licet quotidiè aliquoties (tale quid jam in capillis animadvertentes & anteà etiam obſervantes,) pilos capitis pectine explicare voluerint, conglutinationem tamen illam inhibere haud potuerint. Non poſſum igitur hâc in parte ſuffragari Theophraſto illi veridico Scoto Doctori Medico ſupra citato, quiſquis ille fuerit, ſententiâ clariſſimi & excellentiſſimi quondam alicujus Sereniſſimorum Regum Poloniæ Archiatri, in tractatu præfato contra Vopiſcū Fortunatū Plempium mordicus defendenti, qui plicam è morborum numero planè exterminare voluit, dicendo, eam ex ſuperſtitioſarum muliercularum cerebro natam, & in credulos aliquot Medicos tranſplantatam, cauſamque plicæ nullam aliam ſtatuit, quam pectendi capillos negligentiam: idemque plicam nil aliud, quàm ſuperſtitioſarum mulierum commentum tenet. *Idem* Theophraſtus veridicus Plico Maſtix in iſto Tractatu, in reſponſione ad Epiſtolam Theodori Skuminovii Epiſcopi Gratianoplitani, & per albam Ruſſiam Suffraganei, *de plica ita ſcribit*: Plica eſt voluntarius morbus, ſi morbus debeat dici, & nullus habet, niſi qui non velit cavere; nam affectatio credendi abſque ratione ea, quæ fama inter vulgus ſparſit, illam genuit, & fama alas à credulitate ſuppeditavit. Plicam enim ut ſobolem fama genuit, amploque progreſſu auxit, quia non habuit Medicos, ſed plebem authorem, quæ quidem non purâ ratione, ſed affectu & deſiderio ſummo natos ſuos enutrire ſolet,

proinde fingendo credunt & credendo fingunt, & quicquid audiunt, credunt ſe vidiſſe, & quod vident, augent & extollunt, imò aſſuefactio ſeu affectatio videndi inſueta, deformia & delira falſaque ſpectacula inducunt mentes hominum, ut primo æmulentur, quæ affectant, & ita, quæ primâ vice apparent deformia, aſſuefactione longâ pulchra ſolent apparere, ita peregrina prima facie diſplicent, poſtea appetuntur: ita plicoſi primo viſu apparent horridi, conſuetudine poſtea contagioſâ molleſcunt, ita ut ſi unus in pago plicam gerat, poſtea plures volunt habere, & tandem omnes; ſed nimis ſerò in ejuſmodi deliria animadvertitur, præcipuè ſi ſub authoritate fide dignorum virorum deſcenderint. *Idem ibidem pergit*, impedita pectinatio capillorum retrorſum impedit tranſpirationem, impedita tranſpiratio obſtruit meatus cerebri, meatus obſtructi inducunt apoplexiam, epilepſiam & paralyſin, quæ auferunt ſua munia membris, imò & crines complicati cauſant viſcerum dolorem conſenſu membranoſarum partium, quæ obſtruuntur; imò ego aſſero, dolorem viſcerum cauſare etiam plicam, quia ægrum reddit ſui negligentem, intermittendo pectinationem, & iſtos dolores provenire potiùs à colicâ bilioſâ, atque aliquando per metaſtaſin aut pravam epigeneſin in paralyſin tranſplantari cernimus, & ad iſtam tranſplantationem à membranoſis partibus ad nervoſas non parùm conferunt crines plicati, quia capillitia complicata obſtruunt ſuturas, ne fuliginoſos vapores à cerebro expellant, & inde adimunt membris ſua munia. Huc uſque ille. Quæ quàm frivola ſint, quilibet, niſi ab affectibus præoccupatus, videt.

Verùm meliùs ſentit Epiſcopus ille Gratianopolitanus, qui in Epiſtola ſua ad D. Vopiſcum Fortun. Plempium tales quæſtiones format. anne crines convoluti longo decubitu vel negligentiâ pectendi poſſint cauſare internum aliquem viſcerum dolorem? vel hominem contorquere? vel adimere ſua munia membris? & ita reſpondet: quâ tricantur facilitate, eâdem extricantur, & nulla ſequitur alteratio: in plicâ contrarium, imò huic malo non crinium tantùm plicaturâ, ſed etiam unguium excretione portentoſa natura medetur? Nonnullis enim ſi forte contrarius in capite prædominatur humor, venenum illud in ungues educitur, prodeuntque contorti, nigri, craſſi, à formâ ſolitâ & colore humanorum ordinario alieni: datoque caſu, hos etiam ut capillos præſcindere æquè periculoſum, attamen bonus ille Doctor negligentiam pectendi capitis huic malo imponit cauſam, & forſan multis impoſuit, tametſi hoc certum, quod capillos ad numerum frangere, & mollitie cincinnorum cum mulierculis certare à decore noſtro, uti virili, ſit longè alienum. Non curamus itaque Poloni hæc proſtituta excrementorum capitis ornamenta, ſed illa magis, quæ ſunt de neceſſitate naturæ, ipſa illa 1. Corinth. 2 14. docet nos, quod vir, ſi comam nutriat, ignominia eſt illi, mulieri pro velamine dati ſunt, ſed quis Hercules Augiæ ſtabulum expurgabit? Dummodo.

Sint procul à nobis juvenes ut fœminæ compti.

Honeſtas capillorum apud nos non muliebris: ſed & glabritiem totius capitis Turcis, Moſchiſque uſitatam incuſamus; medium pro more gentis & virili decore retinemus, caput ſemper pectimus, ſæpe lavamus, nec illud frivolum curatur à nobis, caput ablue nunquam, &c. quæ ibi videantur.

Cur autem Germani vel Boruſſi culturæ capitis magis ſtudioſi etiam plicâ afficiantur, non poſſum invenire rationem, ſi apud Polonos & Ruſſos incuria pectinandi caput accuſetur? ſed quid opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt? Longe meliùs & rectius ſentit Excellentiſſimus Dn. D. Martin. Bernhard. à Berniz, S. R. M. Poloniæ Perſonæ & Cameræ Medicus obſerv. 52. miſcell. Curioſ. Med. Phyſ. Ac. N. C. anni 2. ubi ſimul modum plicæ curandi proponit: cui nos quoque adſtipulamur; ſtatuentes, plicam è numero morborum nullatenus eſſe excludendam, quanquam non diffitemur, plurimos lue venereâ infectos, nec non ſcorbuticos, ſe plicæ pallio obtegere, cum hi morbi magnam inter ſe analogiam obtineant; in primis verò ſcorbutus varietate ſymptomatum ſecundùm individua plicæ admodum ſimilis eſt; ſinguli enim ægri ſingularia accidentia patiuntur. Sed nos unicuique liberum ſenſum relinquimus, hancque controverſiam noſtram non facimus.

Effatum hoc noſtrum & plurimorum Medicorum, qui de plicâ huc uſque aliquid ediderunt, confirmat egregiè rariſſimum exemplum, lectuque dignum de plicâ pudendorum muliebrium, cujus meminit Dn. Johannes Paterſon Hain. obſ. 241. Miſcell. Curioſ. Med. Phyſ. Ac. N. C. anni 3. Cui nos Epiphonematis loco addimus hiſtoriam miram de plicâ reſectâ, & poſt ſedecim annos è clavo pendente, in loco ab hominibus remoto, in cœnobio quodam Poloniæ Majoris Ordinis S. Brigittæ circa Poſnaniam, ad ſemiulnæ longitudinem accretâ, monialis cujuſdam ejuſdem ordinis nomine Kozielſka: quam mihi verâ fide retulit monialis altera S. Brigittæ Ordinis Conſtantia Mieszkovvska, tum temporis Illuſtriſſimæ Dominæ Comitiſſæ à *Dönhof*, ſupra nominatæ domeſtica, in præſentiâ ejuſdem Illuſtriſſimæ Comitiſſæ. Aderant tum unà duo Patres Soc. Jeſu Collegii Thorunenſis, & duo alii monachi Reformati diſcalceat. Ordinis cis Viſtulam Podgurzienſes: atque Georgius Grunack, civis & chirurgus Thorunenſis. Cui lubet, adeat hiſtoricos de plicæ origine ſcribentes, præter alios inprimis Spondanum, Bzovium, Cromerum, Dlugoſſium, & inter recentiores, Joachimum Paſtorium in Floro Polonico lib. 2. c. 14. quorum plerique initium hujus morbi in annum Chriſti 1287. ponunt. *Simon Schultzius*

Muſcus terreſtris repens, Plicæ Polonicæ remedium, Et de eodem monſtroſo.

Anno 1662. cum Leopolim verſus ad Commiſſionem generalem iremus, in Sylvis non procul à loco *Zulkovv* dicto, inveni Muſcum terreſtrem ſerpentem Math: qui aliquos lapides ſuis brachiolis, ſeu ramis affabrè circumcinxerat, & cum illum à terrâ allevare vellem, ut totam ipſius longitudinem experirer, dimidiâ ulnâ circiter ab extremitate, ubi paulò tenaciùs terræ adhærebat, fortiuſque extrahenda eſſet, totam plantam extraxi; & ecce Muſcus ibidem in duas partes craſſiores quaſi diviſus, in unam tamen figuram monſtroſam à naturâ denuò compoſi-

poſitus, ad vivum Talpam repræſentabat, cujus forma & magnitudo hac quoque in Tabulâ adjunctâ patet.

Cauſam hujus monſtri nullam aliam credo, niſi illos ibi arctè ſibi adjacentes lapides, per quos Muſcus iſte, ceu per ſpatium anguſtiſſimum duorum lapidum, à natura tranſire cogebatur: & illi Muſcum quâdam vi compreſſionis ita latum & monſtroſum efformaverunt, quod & in carduo arvenſi aliquando obſervavi, qui non impari modo, æquè inter duos lapides ita conſtrictus & totus monſtroſus creverat; & ego credo, quod omnes lato caule, monſtroſæ plantæ, & in forma Cornu Copiæ, ab Ulyſ. Aldrov. in lib. ſuo de monſtris Plantarum depictæ & deſcriptæ (qualem & Clar. D. Joh. Jeniſch in Ephemeridibus Germanor. primi anni Naturæ curioſorum, obſerv. 102. ob oculos ponit) à Naturâ ita in altum vi compeſſionis protruſæ ſunt.

Scholion.) Muſcum terreſtrem repentem *Math* (quem aliâ & Muſcum terreſtrem clavatum C. B. pin. in Polonia verò Plicariam & Cingularîam nominare ſolent) ſatis jam in Ephemeridibus primi anni Naturæ curioſorum obſerv. 97. curioſè deſcripſit Cl. L. Chriſtianus Frider. Garman. & cum Scholiis in ejuſdem obſerv. Exc. Dn. D. Phil. Jac. Sachs à Levvenheimb; nihil ergo reſtat, niſi aliqua circa conſuetum & jam quotidianum illius plantæ uſum, quem Poloni & maximè Rutheni & Lithuani, ad exſtirpandam & curandam Plicam, morbum ſibi familiarem) habent. Nam hic Muſcus ſeu Planta (quæ reverâ inter plantas perfectiores numerari poteſt) non ſolùm in Poloniâ, ſed adhuc in majori copiâ in locis deſertis & arenoſis, maximè in campis petroſis Ukrainæ creſcit; & aliquando in longitudine ad 7. 8. uſque ad 10. ulnas, quod Ipſemet obſervavi, invenitur. Menſe Julio gignit julos ſeu ſpicas, ſulphurei coloris, quæ autumnali tempore, digiti percuſſu ſulphur vegetabile de ſe ſe ſpargere ſolent, cujus uſum etiam jam citati Clar. D. L. Garman. & in Schol. Exc. Dn. D. Sachs à Levvenheimb. annotaverunt, ut dixi.

In curandâ Plica verò (quem morbum Poloni Koltum, Germ. *den Weichſel-Zopff oder Wixel-Zopff* vocant) ſequens obſervatur modus. Accipiunt hanc plantam ſeu Muſcum, quem prius cultello aliquo ſurſum verſus diſſecare ſolent, poſtea infundunt decocto Brancæ urſinæ, priùs optimè calefacto, & poſt unam vel alteram leniſſimam adhuc ebullitionem adjiciunt aliquid fermenti, illudque reponunt poſtea ad fermentandum, propè fornacem.

Alii verò accipiunt Muſcum illum diviſum & craſſiuſculè diſſectum, & folia Brancæ urſinæ, etiam priùs ſiccata, part. æqual. coquunt iſta cum aquæ ſimpl. fluviat. ſ. q. tamdiu donec decoctum ſaturè flavum colorem contrahat. Decocto prius colato admiſcent aliquid fermenti vulgaris acidi, (panis ſiliginei, à piſtore deſumti) vel fermentum huic uſui deſtinatum, nempè ex pulvere Brancæ urſinæ, pane biſcocto & fermento ordinario parato, reponuntque illud ad fornacem per dies aliquot, donec ſaporem quaſi acidiuſculum contraxerit. Et ita decoctum huic morbo idoneum eſt.

Not. Pro uſu ordinario ad tabulam & ad juſcula, ita & ad alia fercula, mediante hoc decocto, paranda, ſc. Capones, Gallinas, Vitulinam carnem & ſimilia, qualia in tabulis Nobilium hic in Poloniâ quotidiè (non ingrati ſaporis) apponi ſolent.

Hoc decoctum dicto modo abſque Plicaria, ſeu Muſco terreſt. repente paratur, ex hâc ratione, quoniam apud multos aliquando vomitus excitare ſolet. Hi vero, qui Plicâ laborant, eligunt ſibi decoctum primum è Plicariâ paratum, & illud ita per ſe, aut cum ovis rec. in formâ juſculi quotidiè bibunt & comedunt. Exterius cum illo decocto priùs calefacto & aliquando ad majorem potentiam ſeu virtutem ſecundâ vice, cum recente Muſco incocto, inſtar lixivii & obſcuri rubei coloris, lavant caput bis in ſeptimanâ, nullo amplius adhibito pectine, donec crines ſeſe complicare incipiant, unde neceſſario progreſſu temporis ita ſeſe intricare ſolent, ut tunc quaſi ſerpentes pendui circa caput pendeant, inſtar Gorgonei, aſpectu horrendo, & ſic credunt Plicam jam perfectam in crinibus. Leopoli quidam Presbyter Græcus & Plicatus, affirmabat mihi quaſi juramento, ſe mediante hoc decocto, plus quàm centum perſonas utriuſque ſexus dicto modo curaſſe. Narrabat mihi etiam (vir erat alias doctus) quod omnes plantæ, quæ ſcandunt, in formâ convolvuli, & ſignaturam quaſi capillorum habent (uti ſunt Vitis, Hedera, Bryonia, Salſa Parilla, ſpecies Convolvuli & ſimilia) huic morbo proſint. Et hoc credo facilè, Salſa Parilla & Smilax aſpera ſunt tàm potentes ut luem Veneream curare ſoleant, & cur non etiam Plicam? cum morbus, prout aliqui volunt, occultæ qualitatis ſit, qui fermè ſimillima ſymptomata producere ſolet. Hoc ſcio pro certo, & ſæpiſſimè probavi, quod Mercurius vulg. (qui aliâs morbum Gallicum curare ſolet) etiam in Plicâ certiſſimum ſit remedium, & qui illam infallibiliter per ſalivationem expellere ſolet: niſi alia ſint impedimenta, & cauſa aliqua conjuncta. Sed revertor ad noſtrum Muſcum repentem & ejus virtutes.

Illuſtriſſima Domina Tarlovva, capitanea vidua, quæ multis annis fuit Plicata, tandem Unguento aliquo ex Muſco noſtro terreſtri repente confecto, Dei imprimis benedictione, feliciter fuit reſtituta. Arcanum ſeu unguentum hoc acceperat à Magnifico Domino Zirovvski ante annos 32, ubi ſpatio hujus temporis intereà, ut ipſa retulit, aliquot centenos curavit, & ab iſtâ plicâ liberavit. Unguentum, quod defunctus piæ memoriæ Dominus D. Andr. Cnöffelius, amicus meus extraordinarius, ab ipſâ viduâ, tanquam rem ſingularem acceperat, mihi quoque conceſſit, paratur tali modo:

♃. Herb. Plicariæ (ſcil. Muſci terreſt. & repentis) & Radicum Bryoniæ partes æquales, Adipis Erinacei q. ſ. ex his tribus optimè commixtis, in vaſe vitreo benè obturato, coquuntur in B. M. per horam & f. ſ. a. Unguentum. Cum quo radices capillitii in capite complicati, & loca affecta, maximè articuli dolentes, bis in die inungebantur Naturæ; & hæc tota erat cura, in curando morbo, quæ nimis empirica, & in exſtirpando malo mihi videtur non ſufficiens. Oleum, ſeu pinguedo, ex Erinaceo, quod ad confectionem Unguenti hujus requiritur, parare ſolebat in Ollâ novâ foraminata,

minatâ, igne circulari per deſcenſum more conſueto.

Mulierculæ ruſticanæ & plebejæ in Ukraina adhuc alium habent uſum hujus Muſci terreſt. ſeu Plicariæ. In nimio fluxu Menſtruorum, doloribus & ſtrangulationibus uterinis, faciunt cingulum ex illo, cum quo miſerculæ circa nudum corpus ſeſe cingunt, creduntque ſanguinis impetum non ſolùm ita cohiberi poſſe, ſed & omnes dolores uterinos per hoc compeſci. Et hoc faciunt ſimili modo in Hæmorrhagia narium, ubi cum iſtâ plantâ ſeu Muſco caput cingunt, & ex eo quaſi coronam faciunt, & inde credo plantam nomen attraxiſſe, quod à quibuſdam Cingularia vocatur. *Martinus Bernardus à Berniz.*

De Plica Pudendorum Mulierum.

Quòd per crines humor ille malignus ſeſe exoneret, præſens de Plica Obſervatio non leve argumentum adferre poteſt. Fuit apud Illuſtriſſimum Palatinum Sendomirienſem, Dominum Oſſolinski in Polonia, Gallus quidam à Servitiis, cujus nomen *Sant-aman*, ille in uxorem duxerat ex Gynæcéo nobilem virginem, quæ poſteà variis morbis divexata, tandem & Plica correpta: non ſolùm autem in capite, ſed etiam in pudendo, ubi crines in tantam excrevere longitudinem, ut ſeſqui alteram ulnam excederent, & ſi ſibi permitteretur, terram attingerent, quapropter femori circumductam ligare opus habuit Plicam, quam mihi, dum illam rogarem, extra veſtem eduxit & monſtravit. Multi ſunt qui plicam illam, quæ in capite vel barba geſtatur à multis, ex negligentia & ſorditie aliqua coagmentari putent, & illam crinium coitionem mirabilem pro nugis habeant, quales in Poloniâ non paucos inveni etiam Medicos. Plica autem illa pudendi manifeſtum argumentum præbet revera humorem extrudi aliquem in crines, qui eandem naturam habet cum alimento quo crines ſuſtentantur. Nam in pudendis inauditum quòd crines in tantam excreverint longitudinem naturaliter, apparet igitur quod præter naturam illa fuerit, & ſuccus ille excrementitius, vitioſus & malignus, ad pilos à natura demandetur, & æmuletur motum aliquem Criticum; Imò obſervavi in Plica alicujus fœminæ Illuſtris in Polonia, dum præcideretur, me preſente, quod corpuſcula flava ſulphurea plurima per Plicam ſparſa in ea invenirentur, qui incenſa ſulphur redolebant, ſed cum fœtoris alieni interſperſo odore. *D. Joh. Paterſon Hain.*

Plica ex vulnere capitis.

Ruſtica quædam juvencula anno 46. d. 31. Maii in campo pro pecore gramina demetens, graſſatorem militem ipſi deflorationem vi intentantem falce leviter vulnerat, ſed is ob repulſam pariter & læſionem manus, exardeſcens ſtricto gladio miſeræ duo profunda vulnera forma Lambdoidea Λ in bregmare infligit, (additis quoque pluribus percuſſionibus cum bombarda) ita ut in angulum acutum ambo coirent, pericranium ac cranium penetrarent & exemptis aliquot cranii particulis cerebri motus ac ſubſultatio exactè perſpicerentur, ſed latior laminæ interioris) duplici enim lamina plerumque conſtat cranium, pumicoſa quadam ſubſtantia diſtincta, quod in uſu trepani probè obſervandum) pars palmæ latitudine à ſuperiori per contuſionem inferius abruta & duræ matri incumbens, ſuperiori cranii parti adhuc arctiſſimè adhærens, quia eximi non poterat, ſpecillo paulum elevata eſt, & negotium Naturæ commiſſum: Quarto die de quodam pruritu circa vulnera conquerebatur: in ſomnum prona erat, ſed adſque delirio, ſermones hominum ægrè ferebat, nullo alias ſymptomate graviori correpta, niſi quòd ſe ebriæ inſtar incedere ſibi videretur, quæ tamen paulo poſt plenariè tum reſtituta eſt: Tractu autem temporis eidem huic fœminæ ex loco olim vulnerato duo villoſi cirrhi (*Zvvey ſilkigte Haarzœpff*) nati ſunt, qui tamen iterum poſt febrem malignam, (qua feliciter defuncta erat) cum reliquis capillis omnibus ſponte deciderunt abſque ullo capitis dolore: ſed recreſcentibus capillis loco duorum renatus eſt unus ejuſmodi villoſus cirrhus, iſque ad 3. ferè ulnarum longitudinem terræ ſuperficiem lambens, *hat auf der Erden nàck gezœſcht*, quo incommodo diu afflicta tandem ex conſilio cujuſdam plebejæ, annuente marito & cognatis, dimidiam ulnam ex cirrho iſto detruncat, ſed ſtatim invadit, bis terque miſeram intenſiſſimus capitis dolor, oculorum caligo, aurium tinnitus, & quandoque quædam quaſi paraphreniſis, ob doloris vehementiam: ter frontis vena ſecta, & crebræ capitis lotiones c. decoct. branc. urſ. & verbenæ (creſcente iterum cirrho) malum nonnihil mitigarunt tum, ſed ingruente ſqualida tempeſtate anno 76. menſe Junio id recruduit tantopere, ut ex anni æſtu ac dolore intenſiſſimo ferè ad inſaniam redigeretur: Priori decocto adjectum lycopodium (quod nobis rarum eſt) idque potui ordinario & capitis lotionibus crebro immerſum, unde graviſſima illa cephalæa maximam quidem partem fuit ſopita, ſed ex materiæ pravitate ad oculos derivata ſubſecuta eſt Epiphora, non minus contumax & permoleſta ad tumulum uſque. *D. Joh. Michael. Fehr.*

In eorum ſanguine qui Plica correpti interiere Pili reperti ſunt.

Non ſub cute tantum, imo etiam in ipſis venis Crines reperiri genitos, valde pungentes, & acriter vellicantes probat hiſtoria à Slovacio Medico Cracovienſi allata de Matrona, in cujus ſanguine pilos vidit (quique affectum hunc ut curaret rogatus, reſpondit irrita fore omnia, verſari enim matronam in eo affectu jam deplorato, qui ſanguinem habeat omni ex parte pilis refertum.) Sed & omnium certiſſima teſtis αὐτοψία & inſpectio ſanguinis ocularis eorum qui Plica correpti obierunt, quorum in ſanguine pilos acres & ſtimulantes videbis. *Scultetus Trichiaſis admir. p. 52. Saxonia Panthei lib. 10. cap. 25.*

De Muliere hiſpida.

Ad Amiciſſ. D. D. *Carolum Barbeyrac*, pro ſuggeſtu Profeſſorali Medico inſcriptum Agoniſtam C. D. Medicus Regius

S. P. D.

Viſitur Pariſiis Mulier Auguſtana, annor. 30. ab utero piloſa, habitu molli, albido, haud venoſo, ſed nonnihil toroſo. Statura media eſt; Caput amplum, ad acuminatum vergens, ex parietalibus utrinque patentibus: Craſſa curtaque cervix, pectus latum, mammæ turgentes, ſororiantes. Oculi cærulei, mediique magnitud. & ſitu. Lingua ſublæſa; mores blandi; ſomnolentia multa, appetitus exiguus, potus vix multus, niſi Germana id mori cederet. Pulſus lentus & parvus; Spina in totum hirſutior, è cujus coccyge, ſicut & ex axillis atque præſertim ex alis pudendi denſi & promiſſi flocculi ſoboleſcunt. Calvitium totam calvariam ambit, ab infimo nempe coronali, intercilio, orbitæ limbis & oculorum Canthis ita fusè ut ſupercilia non diſcriminentur ab ipſa coma, quæ vulgaribus nihilo promiſſior eſt, fulvaque ac teres, mollis & tenuis, genuinæque crudi ſerici æmula.

In reliquo corpore univerſo tota fermè pilo eſt fulvo, nam hinc inde *leucophæo* & ſubcinereo cernitur, *d'un blond-cendré*.

Ab univerſa facie, fronti ſubjecta, ac auricular. partibus ſingulis, longè lateque fuſus eſt, ac per denſos & promiſſos flocculos, quavis carbaſo tenuiores ac molliores pilus propendet.

Cilia, vibriſſæ ac barba labii ſupremi, ubi feliciùs adolevêre, viſioni, loquelæ & eſui officiunt. Neceſſum eſt igitur iſthæc enormiter progerminantia ſubinde reſecari. Aliàs prorſus eſt ab Ortu intonſa.

Nuſquam glabra eſt, niſi in volis artuum, & ubi pilus attritu deteritur, ipſas autem palpebras ſupernas mollis inveſtit lanugo.

Abhinc quadriennium Viro juncta; tertio matrimonii anno maſculum depilem maturè excluſit, qui ſexta hebdomada ſpiritum extremum duxit.

Ab eo unigenito nondum gravidata, etſi ſecundus jam annus excurrat. Cæterò inculpata ſanitate gaudet; floreſque ſexui ſolitos ſtatis Lunis profert.

Urbes peragrat lucrum uberrimum faciens, citra ſui copiam, etſi nuda ſæpè viſa atque contrectata.

Nullus parentum aut avorum ſolitò hiſpidior fuit. Ipſam fugit an Mater ejus in ipſo conceptu, aut gravitatis tempore ab objecto hiſpidoſo forti fuerit commota?

In fuſiorem diagnoſin digitum intendiſſe non licuit. Vale ut mereris, Vir amiciſſ.

Datum Lutetiæ Pariſior. Idib. Feb. Anno 1660.

Ex communicatione Præclariſſim. Viri Dom. Carol. Drelincurtii Medic. Profeſſ. & Leydenſis Univerſitatis Decani.

Phthiriaſis.

Phthiriaſis ſeu affectio pedicularis toti ferè corpori communis, omnem ſexum & ætatem infeſtans, præcipue & frequentius puellos (namque nec nobilium infantibus parcit) & mulieres, quia ejuſmodi ætas & ſexus utraque humiditate, naturali & excrementitia, præ aliis abundat, ac maxime in capite, qua parte pili gignuntur; de qua ſola hic loquemur. De materia pediculorum diverſæ ſunt diverſorum Authorum ſententiæ, ut Hercul. Saxonia tract. de plica cap. 19. & Sennertus tract. de infant. cur. part. 2. cap. 5. annotarunt. Etenim Theophraſtus lib. 2. de cauſ. plant. vult eſſe ſanguinem corruptum & putreſcentem. Ariſtoteles ſtatuit lib. 5. de hiſtor. animalium cap. 31. ex carne cum multa humiditate gigni, per quam Marcellus Donatus dicit, Ariſtotelem intellexiſſe locum, & non materiam. Cui in hac ſententia non refragatur Saxonia, in loco ſupra cit. ſcribens, Ariſtotelem per carnes intellexiſſe eas, quæ in corporis ambitu ſunt, in quibus cum ſecundæ illæ reperiuntur humiditates, quas Avicenna alias rorem, gluten, & cambium vocavit, ex ea, quam cambium appellant, humori excrementitio permiſta pediculos fieri, Ariſtoteles exiſtimavit, idque affirmavit, quum non omne animal ex quacunq; materia fit, ſed ex determinata determinatum, itaque pediculorum materiam eſſe aliquid calidi nativi in ſe continentem, & quidem lentum & pingue, ut ex eo quoque animal lentum & pingue gigni poſſit. Per carnem autem Galenus lib. 5. de ſimpl. med. facil. paratu cap. 4. putat, Ariſtotelem intellexiſſe cutem, ſicuti Sennertus refert tract. de infant. curat. part. 2. cap. 5. Serapio dixit, materiam pediculorum eſſe ex humiditate calefacta. Alzaravius ex humore putrido. Haly Abbas ex humiditate groſſa. Avicenna lib. 4. fen. 7. tract. 3. cap. 26. citante Heurnio tract. de morb. capit. in ſingul. partib. cap. 6. cui & Galenus lib. 1. de compoſ. medic. local. cap. 7. conſentit; pediculos generari ex excrementis calidis tertiæ coctionis putrefactis, non acribus, non pravis, ſed dulcibus, quem locum & Mercurialis in tract. de morb. cutan. cap. 7. allegat. Petrus Foreſtus lib. 8. obſerv. med. cap. 14. docet, originem illorum eſſe ex vaporibus intercutaneis humidis, corruptis, per poros reſudantibus. Neotericos, Hercules Saxonia in cit. tr. memorat, cum Græcis & Arabibus velle, materiam pediculorum eſſe humorem excrementitium, & quidem præternaturalem, ita diſpoſitum, ut ſit moderatè calidus, actu vero & potentia humidus, inter craſſum & tenuem intermedius, & potius ad ichorem, quàm craſſum vergens, putreſcens, non tamen excellenti putredine, ſed miti & moderata. Hinc madida & calida intemperie gaudere pediculos, ſcripſit Joh. Heurnius tract. cit. Præterea inter alias pediculorum cauſas externas, ſunt cibi crudi, & mali ſucci, ſpurcities, immundities, iterum docente Heurnio, Avicenna quoque dinumerat aërem frigidum, qui exhauſtionem materiæ excrementitiæ intercipit, ſi leptomeria ſeu cutis tenuitas adfuerit, quæ in ſe recrementa prolectat. Cauſam & modum generationis pediculorum Berhard. Gordonius in Lilio Medicinæ partic. 2. cap. 9. eleganter depingit his verbis: Quando in corpore humores corrupti ſunt, quos natura omnino regere non poteſt, nec omnino emittit, tunc per cutem ad viam alicujus deſudationis propellit, & quia materia craſſa eſt, & juxta

juxta cutem, dum calor nativus agit, & deſiccat materiam illam, & generantur quædam pelliculæ, quibus includitur vapor cum aliquali calore, qui agit in materiam ebulliendo, trahens ad calorem humidum, hinc ſuſcipit illa ſpeciem vitæ, & generantur animalcula in capite, vel in toto corpore. Ex parte hujus materiæ magis humidæ procreantur pediculi, qui juxta Iſidorum lib.12. origin. cap.5. à pedibus nomen habent, ac notante Foreſto lib.8. obſervat. medic. cap.14. plus pedum motu lædunt cutem, quam morſu. Ex parte magis ſicca lendes, à lædendo denominatæ. Ex parte vero media peſſolatæ vel plactulævulgo dictæ ortum habent, quæ plerumque pectini & ſub axillis adhærent. His omnibus conſideratis, facile conjecturamur, ſuperiorem caſum non penitus ex cauſa aliqua interna originem habuiſſe, ſed magis externis attribuendum, cum exhalationes humidæ tenues, putridæ aquarum canalis evaporationi naturali per deſudationis viam provenienti permixtæ, capillis adhæſerint, & à frigore nocturno congelatæ, ſubveniente calore corporis nativo, pediculi tunc ejuſmodi ſubitanei oriuntur, qui tamen ob tenuitatem materiæ, & paucitatem caloris nativi & generantis, ab externo calore Solis attrali & aëreo, aut affricatu lintei calidi, facile & cito rurſum diſſolvuntur ac diſpelluntur. Mare vero, præcipuè meridionale peragrantibus, & ſub tempeſtate ſerena, quum exhalationes hujus maris ſunt liberiores atque puriores, & aura variorum ventorum flatu ventilatur & corrigitur, talis affectio raro contingit, aut antipathia quadam ſingulari conſervantur. *D. Helvvigii.*

Phthiriaſis ut malum eſt fœdiſſimum atque moleſtiſſimum, ita & ſæpe luctuoſiſſimum. De fœditate, per ſe utpote cognita ut taceam, quam & natura vermium æmula, & ſordium, quibus inhærent animalcula iſta, putor adauget, tantæ abominationis, ut nec abſque veniæ præfatione teneris auribus nominari debeant; nec de moleſtia, ut quidquam addam, lancinationibus imprimis, non tantum, quod Foreſto placuit, pedum motu, ſed & morſicatione, ſive, quod ex Hookiana Micrographia patet, ſuctione faſtidioſis, inducta, luctuoſam eorum præſentiam multi experti fuerunt, adeo ut vitam ipſam lenta morte commutare gemebundi fuerint coacti. Qua non minus ad Tartara deſcendiſſe Herodem Antipam (cujus mortem, mortiſque cauſam Acta Apoſtolor. cap.12. ℣.23. manifeſtant,) ſunt qui exiſtimant. Nec dedecuiſſet, magnum illum faſtum, Divinæ Majeſtati ſumme exoſum, viliſſimo iſto mortis genere eradicari. Quamvis verminoſum potius obiiſſe Tyrannum hunc, alii judicent, quibus præſertim calculum addit Excellent. *D.D. Thom. Bartholinus cap.23. de morb. Biblic.* cum τὸ σκωλώκης vermem denotet, non pediculum.

Sed quis non paveat Pherecydis fata Tragœdi.
qui nimio ſudore fluens, animalia tetra
eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt?
Sylla quoque infelix tali languore pereſus
corruit, & fœdo ſe vidit ab agmine vinci; ut

Quintus Serenus Sammoniacus cap. de phthiriaſi cecinit. Quamvis enim Plinius lib.7. hiſt. natur. cap.51. & Apulejus lib. 2. floridor. Pherecidem Syrium copia ſerpentium, ex corpore ejus erumpente, exſpiraſſe ſcripſerint, per ſerpentes tamen hoc in loco pediculos, quos Ariſtoteles 5. de hiſtor. animal. cap.31. Plutarchus, & Ælianus exprimunt, intellexiſſe eos non male determinat Hieron. Mercurialis lib.5. Variar. Lection. cap.6. & Marcell. Donatus lib. 1. Med. hiſtor. mirab. cap.5. Aliorum exempla malo hoc interemptorum ex Antiquitate deſumpta ut taceam, recentiora etiam ſuppeditant Amatus Luſitanus cent.3. curat.56. in ſchol. Ezechiel de Caſtro lib. 1. tract. ignis lamb. cap.6. & Tobias Coberus obſervat. caſtrens. dec.1. obſervat.9. Qua arte vero expellendæ ſint iſtæ turpiſſimæ beſtiolæ, Practicorum libri abunde edocent. Quid Unguentum Officinar. noſtr. valeat, p.344. Pharmac. Auguſt. reſtit. à me oſtenſum fuit. Quam curam formoſæ virginis matutinis horis amplexus ſpondere debet, cum Andr. Libavio (vid. Ciſt. med. Hornung. epiſt.40.) laſcivis deſtinabimus & ſuperſtitioſis. Unicum Stockeri experimentum notaſſe lubet, quod de oleo ligni corylini lib.1. Empiric, cap.40. profert, modicæ ſcilicet ejus quantitati quodcunque genus vermium, & pediculo impoſitos, in momento temporis emori; ſed qua ex proprietate id fiat, cum neſcire ſe fateatur, conjecturare nobis liceat, ab impedita id reſpiratione fieri, qua ratione alia etiam inſecta, ſi trachearum oſcilla oleo obliniantur, emori conſtat; id quod de ſcorpionibus experientiſſimus D. Franciſc. Redus obſervat. de viper. & de muſcis obſervat. de inſect. nec non de bombycibus, veſpis, apibus, locuſtis, gryllis, ex ingenioſiſſimi Marcell. Malpighi tract. de bombyc. Cl. Thom. Williſius lib.1. de anima brutor. c.3. teſtantur. Hoc ipſo etiam modo juvenem illum apud Auguſtin. Thonerum obſerv. medic. lib. 4. pag. 227. totum caput vermibus Syllanis refertum habentem, adhibito ſpicæ oleo, unica nocte à turpiſſimis hoſpitibus liberatum fuiſſe credibile eſt, quamvis hic etiam aromaticam ſpicæ proprietatem, qua putredini adverſatur, ſymbolum una contuliſſe non negaverim. *D. Lucæ Schröckii.*

Pro Phthiriaſi.

Quendam Phthiriaſi totius corporis laborantem ita curavimus. Primò ejus cauſam venæſectione & purgatione depoſuimus, non ſolum ſemel, ſed bis & ter: ac poſtea ſequentibus topicis remediis brevi ab hac fœda Lue liberatus fuit æger.

♃. Lupin. amaror. p. iij. ſem. ſtaphyſagriæ p. ij. F. decoctio in aceto acerrimo, quo decocto univerſum corpus à capite ad pedes uſque lavetur, ac poſtea linimento ſequenti corpore benè terſo & exſiccato illinatur.

♃. Sem. Staphyſagr. part. ij. ſandarach. græc. part. j. nitri fini part. ß. in aceto acerrimo, cum oleo raphanino omnia accuratiſſimè piſta miſceantur, & ex iis fiat inunctio, quibus brevi aſſecuti ſumus ſcopum, nec amplius in eandem fœdationem æger devenit. Ex hac fœda labe multi ſunt mortui, ut Sylla, Phærecides, Ennius, & ut nonnullis placet, Plato iis quoque adjungendus venit. Novimus autem nos Olyſſiponæ hominem quendam non ignobilem ex hoc morbo miſerrimè obiiſſe, ita enim per univerſum ejus corpus pediculi ſcatebant, ut duo

ejus ſervi Æthiopes nihil aliud curæ haberent, quàm ex ejus corpore pediculorum cophinos plenos ad mare, quod prædictam civitatem præterlabitur, portare. Porro apud Hiberniam & Islandiam ſcimus homines ſemiferos ſubuculis croco infectis veſtiri, ut pediculos fugent; quas per ſex menſes & amplius geſtare ſolent. *Amatus Luſitanus. curat.38. & Schol. cent.3.*

Cum puer quidam valde pediculis ſcateret in capite, huic primùm conſului, ut caput ablueretur aqua marina, deinde decocto abſinth. lupin. cent. min. & propria urina admixta. Poſtea ſuperaddidi hoc linimentum quod ex axungia porcina, ſucco abſinth. pul. lupin. ſtaphyſagria exigua, adjecta, & oleo veteri conſtabat; quo illito capite, omnes pediculi fugati ſunt, ſi verò cimices ſeu morpiones in barba, aut locis ſecretioribus ſint prope virilia, vel muliebria, hoc infraſcripto unguento commodiſſimè uti ſoleo.

℞. Axung. porcin. ol. laurin. ſaponis nigr. an. ℥ß argenti vivi extincti cum ſaliva hominis jejuni ℈j. (ad omnia enim pediculorum genera occidenda nullum eſt præſtantius remedium quam argentum vivum in quacunque parte fuerint) myrrh. aloës an. ʒß. ſtaphyſagr. ℈ij. ſapon. gallici, ℈ij. in mortario reducantur ad formam unguenti. *Petrus Foreſtus. obſerv.14. lib.8. De externis capitis vitiis.*

Phthiriaſis funeſta.

Nobilis Gallus, quem ipſemet Lugduni vidi, à continuâ & immodicâ Venere adeò omnia viſcera, humores, totamque maſſam ſanguinis corruperat, ut ſceleti inſtar, ſeu larvæ, quò deportabatur, jaceret; ire enim ampliùs tunc non poterat. Erumpunt tandem ex corruptiſſimô ſanguine per univerſa cutis ſpiracula minutiſſimi & vix ſenſibiles pediculi ruffi, qui dies noctesque horrendis eum excruciabant tormentis, pungendo, lancinando, rodendo, &c. Ex oculis in nares, è naribus in os & palatum reptabant puſilli hi carnifices, & nullus ferè porus ab iis immunis. Lachrymæ, ſputum, urina, feces, & omnia excrementa animalculorum plena. Inde tandem mors miſerrima. Alium Neapoli offendimus, qui in eâdem navi navigans, corpore bene priùs, quantum licuit, repurgatô, eôque aquâ aloëticâ ablutô, ferreæ ciſtæ incluſit, rens, ibi latêre tutum. Sed ſpes eum egregiè fefellit, eôdem fatô crudeliter extinctus. Nemeſin acceſſiſſe Divinam, eamque ſpecialem, non equidem inficiabimur, interim cauſas ipſa dictitat natura. *Dom. E. Q. M. D. referente Clar. Chriſtian. Franciſc. Paullin. in Appendice Ephem. German. Ann.5. Decur. ij.*

Phthiriaſis à pediculis pro ſanando Ictero voratis.

Puella ruſtica contra Icterum flavum, conſiliô matris, utebatur pediculis vivis, quos in capite ſuô captos, & cerâ virgineâ obvolutos, ſecurè devorabat. Verùm beſtiolæ in corpore ſeſe multiplicantes perniciosam pepererê phthiriaſin, à quâ ægrè redimi poterat puella. *Idem ibidem.*

Phthiriaſis ſulphure & ejus balſamô ſanata.

Duodecim jam præterierunt anni, cùm Altenburgi puer ſive tyro ſtanni fuſoris à me conſilium peteret contra phthiriaſin, unde induſia munda ſtatim ac veſtiebantur, pediculorum magnâ copiâ onerari videbantur. Suaſi ut veſtibus (quadantenus à naribus remotis) ſulphuris, vel ſuccini fumum interdum exciperet, & ter in die balſami ſulphuris xij. aut xv. guttis, quôquô poſſet in vehiculô, uteretur. His obſervatis brevi ſe dixit puer ille liberatum à malô ſuô moleſtô. *D. D. Jacob. Wolffius Ephemerid. German. Decur. iij. Ann.1.*

Phthiriaſis in femore ſiniſtro.

Vir quidam in viciniis hujuſce urbis Chirurgiam exercens, annos circiter 35. natus, iſchiadicô dolore in femore ſiniſtrô corripitur tam immani, ut ab eo per annos integros excarnificatus fuerit; non eodem tamen ſemper tenore pergebat malum, ſed per intervalla exaſperabatur, tumque ſenſibiliter pars minui videbatur, & quod magis mirum ex ea pediculorum miriades prorumpebant. Innumera tentata ſunt remedia pro atroci fugandô morbô, ſed fruſtrà, donec demum meô conſiliô adiit Thermas Aquenſes in Sabaudiâ, quæ ſulphure & nitrô divites ſunt. Sic enim reſtitutus in matrimoniô jam hilarè vivit.

PLETHORA.

Plethoricos ſæpe vidi variolatos, anginoſos, pleuriticos, &c. Quibus etſi variolæ erumpant actu, ni protinùs vena ſecetur, vel pereunt, vel numeroſiſſimis variolis vexantur. Alios verò, vel hæmorrhagias, vel hæmorrhoidas paſſos vix cohibendas bidui, triduive ſpatiô. Singulatim adoleſcentem dolui athleticum, opimum, turgidulum ſanguine, qui poſt lautas epulas (animi gratiâ) corpulentum, graviorem amicum ſuſtulit ambabus ulnis; ſed ipſô momentô medius crepuit. Abdomen repertum eſt ſanguine oppletum, & cùm vena porta inanior deprehenderetur cavâ, creditum eſt ramum ejus crepuiſſe, & ſuffocaſſe dilectum cor.

Hiſtoriam habes de Matronâ plethoricâ, cui plexus choroideus ſanguinem eructavit apoplecticè in cerebri ventriculum ſuperiorem utrumque.

Ebrios itidem plethoricos vidi, qui levi capitis alliſu ſanguinem fuderunt utraque nare & geminis auribus: ex illis autem unicum vidi evaſiſſe. Alii abrepti ſunt & amicis & mihi, nullius enim cadavere potitus ſum quò rimarer cerebri arterias.

Monſpelii Ann. 1650. 1651. 1652. 1653. 1654. plures condiſcipulos amiſi, (recèns advenas, & ſolis ac vini Occitanici virium ignaros) qui largiùs indulſerant vino generoſiori, ac deinceps ad ſolem ambulaverant. Erepti ſunt triduo, quatriduove febre delira, ſed cadavera nuſquam inſpicere licuit, atque adeò corporeis oculis non inſpexi tumidas arterias cerebri, ſed

præ-

præprimis duræ matris, quas hic cum inflammatâ meninge tumidiſſimas imaginor.

Plethoricos notavi ab agyrtis præpoſterè ac vehementer purgatos in dyſenteriam incurriſſe, præſidiis ullis vix cohibendam.

Gravidas verò numeroſas attendi paſſas abortum unius plethoræ causâ; illudque maximè obſervavi in iis mulieribus recens nuptis quæ fortunatè vivunt, quæque maritis ſuis ſunt cariores. Ex quo etenim prægnantes ſunt, ſuccoſis eas replent cibis, ſicque ut & per ſomnum longiorem, ac alia vitæ lautioris commoda, accumulatur ſanguinis quantitas, quæ ſuffocando fœtui apta ſit.

* Sed hîc certè ſacra ſalutis anchora Venæſectio, Illâ enim celebratâ fœtus pertuliſſe profiteor, priùs abortientes.

*Epiſtola renunciatoria, ſuper morbo & inſpectione cadaveris D. de * ad D. de * in qua de morte ex Plethorâ agitur.*

Ego ſubſignatus Carolus Drelincurtius Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarius & Medicus ordinarius, hoc ipſo obteſtor ſcripto, quod cùm advocatus fuerim in curam D. de * annos 18. nati, reperierim eum die veneris, menſis Martii ſeptima, ann. 1664. in totali ſenſuum amiſſione, cum reſpiratione ac pulſu valdè impeditis: tumque perquiſito ab amicis ac adſtantibus, præcedaneô ægri ſtatu, agnoverim inde, ut & ex propriâ contemplatione, illum habitus athletici, carnoſi ac ſanguine turgidi, eſſe: quibus additum, ipſum avarâ manu cibos minimè ſumpſiſſe, ſanguinemque per nares fundere ſolitum; Amici præterea omnes affirmarunt eâ ipsâ die quâ eum in tantâ cum morte luctâ cernebamus, lautiùs pranſum, quodque cùm circa ſecundam pomeridianam domô exiſſet, ſphæriſterium ſubingrediens ibidem pilâ ludere paratus fuiſſet; ſed antequam ſe ludo commiſiſſet, aut aliàs corpus commoviſſet, ſubitò in terram conciderat, ſanguinem naribus fundens, oculos ſpaſmodicè contorquens, dentibus ſtridens, evomens, excrementa, omnia per inferiora reddens, membra jactitans, ſpumam per os excernens, ſenſibus interea, voce, ac ratione deſtitutus, & in eos qui in ipſius ſolatium accurrebant, dentibus cum furore irruens; unde ſphæriſterii ipſe cuſtos exterritus adhibuerat in ſymptomatum tam horrendorum atteſtationem adſtantes omnes, qui unô pronunciarunt ore hanc primam ſibi cognitam eſſe mali in hoc ægro prehenſionem, quodque ſubita fuiſſet ac ſpontanea, à nullâ causâ externâ excitata.

Delatô Ægrô in proprium cubiculum ocyus illuc convocor, tumque vidi ſubſiſtere vomitum, ſtridorem dentium, convulſiones, ſpumam oris, rationiſque abalienationem, ac præterea reſpirationem pulſumque, quamvis elatiorem, admodum impeditos. Interim tamen pro temporis momento aliquid ſpei affulſit, & tam horrendam tempeſtatem ſopitum iri creditum eſt; ſed fallax fuit malacia, poſtquam enim exclamaſſet æger, *ah caput! ah caput!* addidiſſetque, *Mi Deus quomodo poſſibile eſt in tantos dolores incurrere!* ac tandem, *Vomiturus ſum, ſubducite vos paululum*, Vomuiſſetque revera, in novas incidit convulſiones, quæ magis ac magis cùm exaſperarentur, illum tandem circa ſextam matutinam diei ſubſequentis de medio ſuſtulerunt.

Hebetioris etiam ingenii hominibus ex tot ſymptomatis conſtare poſſet cauſam eorum conjunctam in cerebro reſidere, indeque ventriculum ſubverti, ſphincteres ani & veſicæ laxari, nervos & muſculos commoveri, rationem obnubilari, ac tandem ſpumam copioſiorem in os ac ipſa labia protrudi.

Si cujuſque ſymptomatis peculiarem inirem rationem, inde longiùs deducerer. Artis Aſclepiadeæ Magiſtri per nudam hanc, ac veram narrationem, ſatis videbunt, illic non adfuiſſe aliquam ex affectionibus quas ſoporoſas dicimus, Coma, ſcilicet, Lethargum, Carum, aut Apoplexiam; ut nec Maniam ac Phrenitidem; ſed facilè mecum conſentient prehenſionem hanc Caduci paroxyſmum validiſſimum, mortem neceſſariò dum omnes ſatellites deſcriptos habet comites, ſecum vehementem, dici debere.

Cauſam quod attinet, non opus eſt eam aliò exquirere, quàm in habitu plethoricô ac athleticô, Hippocrati tantopere ſuſpectô: ſcilicet in eâ ſanguinis copiâ, unde venæ ſic turgeant, ut minimâ data occaſione diſrumpantur, primô præſertim hôc lunæ quadrô, quô venæſectio mortem præcaviſſet.

In hoc poſita eſt origo maligna unde erupit ſanguis qui cerebrum ſuffocavit. Si etenim pura humorum plenitudo venas narium quandoque reſerat, indeque plenô torrentô ſanguinem fundit; quidni, quæſo, imaginabimur eandem reſerationem poſſibilem in arteriis cerebri? idque præſertim ineunte verê & in juvene plethoricô, cujuſque ſanguis in venis non parum ebulliebat.

In arteriis itaque cerebri graviùs quàm ferre poſſent oneſtis, ac adapertis, cerebrumque, nobiliſſimum viſcus, inundantibus, facta eſt vis morbi. Dum ſcilicet illæ alluvie ſanguinis contenti, irritationem in meningibus viſcus obveſtientibus, ejuſdem nervis procreârunt, ſicque promptam ac inopinam perniciem intulerunt.

Hæc eſt, Domine &c. ſententia noſtra de cauſa quæ vobis, quaſi per turbinem eripuit cariſſimum filium, quæque illum tumulo condidit. Nec hæ ſunt vanæ ideæ à purâ imaginatione deductæ, quandoquidem cadaveris inſpectio opinioni noſtræ demonſtrationis vim addidit: Quippe cùm vidiſſem neque ab iteratis venæſectionibus, neque ab aliis auxiliis, diluvium è cerebro derivari, aut mortem magnis adventantem paſſibus fugari ac arceri potuiſſe; ſuaſi D. * pateretur cadaveris apertionem, quò ſcilicet certiùs quid ſuper mortis causâ vobis renunciandum haberemus, ac demonſtraremus quâ ratione in aliis Illuſtriſſimæ veſtræ Familiæ individuis præcaveri poſſit idem infortunium.

Nos igitur obteſtamur, quòd primô intuitu conſpexerimus horrendum ſpectaculum, faciem nempe, collum ac ſummum pectus, livida, cum ſanguine ſpumoſo ex ore ac naribus manante. Craniô verò ablatô, obſervaverimus duræ meningis arterias, aliaſque omnes quæ cerebrum cingunt, aut etiam altum ipſum penetrant, adeò tenſas & turgidas, ut ſanguis contentus in grumos atros compactus foret, quia ſcilicet ibidem ſuffocabatur, ſerumque admiſtum per rimulas ex nimia tenſione enatas, effluxerat. Præterea viderimus ſummiſque prehenderimus unguibus tria ad

quatuor cochlearia ſanguinis effuſi prorſus grumoſi, quem delicatulæ cerebri arteriæ abruptæ ac laceræ in omnes ejus anfractus ac ſinus effuderant, idque inter piam matrem, quæ ſic erat prorſus lacera, & duram matrem quæ inde extùs turgebat. Animadvertimus deinde quòd diluvium impetuoſius fuerat ſuper apophyſes mammillares, quæ ſanguine coagulato prorſus veſtiebantur, quamvis poſt mortem ille per nares & os rivuloſè prodiiſſet.

Super hoc non poſſum, Dom. quin addam, quòd etiamſi venæſectiones, frictiones, ligaturæ ac cucurbitulæ adhibitæ torrentum in cerebrum invectum inhibuiſſent, non ſic tamen fieri potuiſſe ut ſanguis jam effuſus ac in grumos coactus diſcuteretur, aut in canales ſuos diſruptos reduceretur, vel trepanô admotô totus exhauriretur: Phreneſis ſiquidem nos præveniſſet, ægrumque nobis invitis ac totâ induſtriâ noſtrâ allaborantibus, poſt crudeles torturas eripuiſſet.

Cæterùm, Domine, opinatus ſum, quòd etiam ſi perquiſiviſſem eſſentialem mali cauſam, illamque in ſua origine plenius obſervaviſſem, non tamen peccarem, ſi oculos perfunctoriè ſaltem in pectoris ac imi ventris viſcera conjicerem. In animo enim erat curioſiùs rimari anne tam copioſus ſanguis in cerebrum effuſus, non etiam aliquid labis in ſtomachum induxerat. Verùm unicum reperi, ſcilicet ruborem intenſum, quem ſanè violentis ſuccuſſationibus inter vomendum enatis imputandum meritò credidi. Vidi poſtea jecur ſanum ſed permagnum, ejuſque quantitati excedenti, quòd pulmo dexter coſtis adhæreret tribuendum ratus ſum. Partem illam à coſtis prædictis aliâ ratione quàm per lacerationem dimovere non valui, nigraque mihi viſa eſt, compacta & denſa, bronchia verò ſpuma prorſus oppleta; dum pars oppoſita, ſcilicet ſiniſtra, rubicundiorem, ſpongioſiorem, levem & ſanam ſeſe præbebat.

Hiſce poſitis, validis innixus rationibus Vobis aſſero D. idque in afflictionis aliquale ſolatium, impoſſibile futurum quin Cariſſ. Filius cum tanto hepate ac tam abundanti ſanguine, gymnaſticis exercitiis incubuiſſet, ſine pulmonis à dextris laceratione, unde ulcus incurabile & mortis quantumvis lentæ non minùs tamen inevitabilis exitialis cauſa enatum eſſet, &c. *Hæc ex Manuſcriptô Gallicô nobis à Præclariſſimô Carolô Drelincurtio Patre communicato.*

PLEURITIS & PERIPNEUMONIA.

De Peripneumonia.

Peripneumonia definiri ſolet inflammatio pulmonum cum febre acutâ, tuſſi, & reſpiratione difficili. Hoc affectu laborantes in pectore phlogoſin inſignem, cum pulmonum intumeſcentia, & dolore interdum pungitivo, perſentiunt, anhelitum laborioſum & brevem, ſive, uti Hippocrates ait, ſublimem ducunt; febris cum ſiti immani, vigiliis & tuſſi moleſtâ urget; cui etiam ſputum ſanguineum, aut ſanguine interſperſum, ſuccedit. E quibus ſignis manifeſto liquet, morbum hunc oriri, in quantum ſanguis, febriliter efferveſcens, vaſa pneumonica minora non facilè trajicit; ſed intra ductus eorum hærens, primo obſtructionem, dein plus aggeſtus & extravaſatus, phlegmonem cum calore, tuſſi, & ſputo diſcolori parat. Porro quatenus ſanguis ita coacervatus, & ſtagnans ductus pulmonares hos inflat, & illos comprimit, reſpirationis difficultas & anguſtia; & quatenus iſte fibras nerveas vellicat, aut diſtendit, ſæpe dolor excitatur.

Quod ſi inquiritur, quomodo phlegmone in pulmonis compage mere veſiculoſa & excarni concreſcere poſſit; & qua ratione ab affectu iſto in carne muſculoſa, aut viſceris parenchymate, excitari ſolito differat? Dicendum erit, quamvis prædictæ partes quoad texturam varient, tamen affectus rationem in iis ſingulis prorſus eandem eſſe. Nam vaſa ſanguifera perexilia, tum in pulmonibus ductus omnes tracheales, tum in muſculis fibras carneas, tum denique in parenchymatis fibrillas & ſtamina nervea, cum plexibus denſiſſimis velut corymbis, ubique pariter amplexant, vinciunt, & varie circumligant. Quod autem phlegmonem parit, ipſe eſt ſanguis; qui dum valde efferveſcit, ſimulque in tranſitu ſuo impeditur, ubique loci, ac præſertim in pulmone, cujus vaſa in plexus minutiſſimos ramificantur, primo obſtructionem, & conſequenter inflammationem ciet.

Itaque Peripneumoniæ ratio formalis, & cauſa conjuncta, in hiſce duobus conſiſtunt, viz. quod ſanguis febriliter efferveſcit, ſimulque quod intra pulmonum ductus anguſtiores hærens, obſtructionem ibi inflammatoriam creat. Niſi bina hæc concurrant, à morbo iſto immunitas eſt; namque in febribus pleriſque aliis, ac imprimis in cauſone, ſanguis, utut vehementiſſimè æſtuans, & tota præcordia inflammans; quinetiam in pica, malacia & hydrope pectoris, iſte lentus admodum, & intra ductus pulmonares plurimum hærens, peripneumoniam haud concitat; ad hanc producendam opus eſt ut utriq; affectus conveniant, & vires jungant. Attamen cum utriuſque diatheſis jacta eſt, modo hæc modo iſta prior in actu eſt, & quodammodo alterius cauſa, aut ſaltem occaſio exiſtit. Nam interdum ſanguis, in febrem concitus, obſtructionem pulmonarem facit; quandoque item iſte, in pulmone remoram offendens, à propria obſtructione efferveſcentiam febrilem concipit. Attamen ad morbi hujus procatarxin conſtituendam, ſanguis una ad efferveſcendum, ſimulque ad vaſa pulmonaria obſtruenda, aptus eſſe debet.

Cujuſmodi hæc liquoris ſanguinei diatheſis ad peripneumoniam inclinans fuerit, etſi non facile deſignatu fuerit, ejus tamen ratio ex phlebotomia in hoc morbo, ſemper cum ſucceſſu optimo celebrata, nonnihil eluceſcit. Enimverò ſanguis è quibuſque hoc morbo, prout etiam pleuritide laborantibus, detractus, poſtquam refrixit, in ſuperficie ſua loco cremoris coccinei, pelliculam ſubalbidam aut alias diſcolorem; quæ item tenax admodum & viſcida eſt, ſuccreſcentem habet: unde conjicere licebit, maſſam ſanguineam in compage ſua nimis ſtrictam, dum inter circulandum recrementa ſua non dimittit, nimis incraſſari, & quaſi lenteſcere, proindeque tum ad efferveſcendum, tum intra vias anguſtiores & præſertim pulmonares hærere, nimis proclivem fieri.

Quod

Quod ſi amplius inquiritur, undenam hæc ſanguinis diſpoſitio, qua inſtar vini penduli, fit tenax & viſcoſus, procedat; hujus ratio generalis hæc eſt, viz. quod cruoris partes craſſiores à ſubtilioribus non ſatis comminuuntur; ita ut, omnibus æqualiter mixtis & mutuo ſubactis, demum humores utiles in munia quibuſque appropriata ſecedant, atque inutiles per cloacas idoneas continue amandentur. Verum è contra in quantum ſanguinis particulæ ſulphureæ, una cum ſalinis & terreſtribus nimis evectis combinatæ, ceteras quaſque irretiunt, & inviſcant; proinde liquor ejus, recrementa quæque & impuritates intra ſe continens, inſtar glutinis lenteſcit, & propterea diatheſin peripneumonicam concipit.

Enimvero unicuique obvium eſt, ſanguinem quatenus ita lenteſcit, ad vaſorum ductus anguſtiores (qui certe in pulmone perquam anguſti ſunt) obturandos aptum reddi; inſuper ob eandem rationem, etiam ad efferveſcentias febriles ineundas inclinari: viz. in quantum iſte, fæculentias quaſque & recrementa ſua intra proprium ſinum pertinaciter retinens, ab iiſdem ſubinde in plenitudinem aggeſtis, in turgeſcentiam immanem (à quâ neceſſe eſt pulmonis obſtructionem inflammatoriam incipi, vel augeri) cogitur.

Inſuper ad morbi hujus procatarxin, non raro pulmonum vitioſitas accedit, atque ad hanc partem afficiendam, generalem iſtam ſanguinis dyſcraſiam determinat. Nam ut cruor lenteſcens efferveſcat, præcordia firmiora & robuſta ſæpe noxam ab illo intentam evadunt, atque labe in pleura, aut circa habitum corporis defixâ pleuritis, aut rheumatiſmus potius quam Peripneumonia excitatur. Attamen pulmones teneri, tuſſi obnoxii, aut propter hœmoptoën, aut alios pectoris affectus in conformatione prius læſi, à ſanguine (dum in compage ſuâ nimis ſtrictus, & tenax eſt) ebulliente, oppilationem φλεγμονώδη facillimè concipiunt.

Hæc de Peripneumoniæ cauſis conjunctis & procatarcticis: ad evidentes, quod ſpectat, huc referri debent quæcunque ſanguinis craſin ſubito pervertunt, aut diapnoën liberiorem cohibent, uti imprimis ſunt caloris & frigoris exceſſus, vini aut Aquarum ardentium potus immodicus, vehemens exercitium, aquarum quarundam &, præcipuè glaciatarum potus. Porro nonnunquam maligna aëris temperies hunc morbum pluribus accerſit, & Epidemicum facit.

Authores medici paſſim adnotant (quod etiam vulgaris obſervatio eſt) Peripneumoniam ſæpenumero pleuritidi ſuccedere, aut ſupervenire; ceterum nihil uſitatius eſt, quam in pleuritide, ſputum ſanguineum & craſſum, & quaſi purulentum excerni. Hinc magna diſquiſitio orta eſt, quo tranſitu, vel quibus viis materies ſputo rejecta à pleurâ ad ductus tracheales feratur. Alii hanc in cavitatem thoracis delapſam, à pulmonibus tanquam à ſpongiâ imbibi, atque alii per membranas adnatas, quibus ſæpe pulmo pleuræ cohæret, eam exinde ſæpe huc transferri putant. Verum uterque modus valde improbabilis, ſi non impoſſibilis videtur. Primo enim pulmones ſpecus thoracici contenta non exugere, inde conſtat, quoniam in hydrope, aut vulnere pectoris, quando pulmone intacto contingunt, neque aqua, neque ſanguis omnino per tuſſim rejicitur; tametſi humoris hujus aut illius copia ſæpe magna ſubeat, quæ è Thorace per ſectionem aperto ſtatim ſponte effluit. Ceterum pulmoni quandoque membranas adnaſci, ipſumque pleuræ annectere, ex obſervatione Anatomicâ ſatis liquet; quinimo hac commeatus via, materiem purulentam, in latus translatum, ibidemque per fontanellam ab arte, vel natura excitatam, cum criſi ſalutari evacuatam fuiſſe, aliquoties novi: attamen tales membranæ pulmonis cum pleura conjunctivæ raro præexiſtunt, inque Pleuritide, qui morbus peracutus eſt, haud, tuberis inſtar, unius aut alterius diei proles eſſe poſſunt: inſuper licet interdum præſto ſint cæci illi ductus, qui, forſan admirabili naturæ inſtinctu, quiddam è pulmonibus verſus Thoracis pomœria exportant; attamen contra naturæ Oeconomiam videtur, ut corruptelam quamvis exterius genitam, intus ad nobiliſſimam hanc partem, quæ revera vitæ & caloris fons eſt, derivent.

Super hoc, ut ſententiam noſtram proponere liceat, opinari ducor Peripneumoniam & Pleuritin affectus eſſe modo ſingulares & ſeparatos, modo connatos & primitus coexiſtentes, & modo invicem ſucceſſivos, aut ſuccedaneos eſſe. Enimvero cauſa procatarcticâ in actum concitâ, adeo ut ſanguis lenteſcens, ſimulq; efferveſcens vaſa minora alicubi obſtruat: morbi nidus interdum in pleura, aut pulmone ſeparatim, quandoq; in utriſque ſimul, & nonnunquam primo in hoc, & deinque in illa defigitur: plerunque vero pleura imprimis ſalutatâ, mox eadem cauſa morbifica etiam vaſa pneumonica invadit. Porro novimus diverſimodam hujus affectus metaſtaſin; eum viz. 1. latus dextrum, vel ſiniſtrum, mox eo relicto pulmones, & dein utriſque deſertis cerebrum occupaſſe, & non raro ſedem inde in priora loca tranſtuliſſe. Ceterum ob rationem prædictam peripneumonia non tantum pleuritidi, ſed frequenter etiam Anginæ, & aliis interdum affectibus ſuccedit; quippe dum ſanguis lenteſcens, ſimulque efferveſcens, febrem in toto continuat, obſtructionem phlegmonώδη huc illuc variè transfert. Atque hinc obſervationis iſtius, viz. quod peripneumoniæ interdum paralyſis aut hemiplegia lethalis ſuccedat, ſolutio, quæ interpretes ita plurimum torſit, liquido patet; in quantum ſanguis, qui lenteſcens modo vaſa pneumonica obſtruxit, poſteà vaſorum plexus quoſdam carotidas infarciens, ſpirituum animalium in hac aut illa ἐγκεφάλου regione geneſin, indeque in partes nerveas reſpectivas affluxum inhiberet. Ex prædictis Peripneumoniæ differentiæ præcipuæ innoteſcunt, quod nempe ſit affectus vel ſimplex, aut cum pleuritide, angina, aut alio quodam conjunctus; & tunc vel primarius, vel ſecundarius exiſtat. Porro diſtingui ſolet quoad febrem, & reſpirationis tenorem: nempe juxta quod hæc plus, aut minus lædatur; atque illa intenſior, aut remiſſior fuerit; etiam morbus hic plus aut minus acutus dicitur.

Quod ad Prognoſin ſpectat, morbum hunc valde periculoſum eſſe communis experientia teſtatur, quatenus plurimi ex eo decumbentes aut moriuntur, aut ægre convaleſcunt. Nec

minus ex Ætiologia ejus hoc concludere licebit; nam ſolutio continui, cum in ulta ſanguinis extravaſatione, aut ſtagnatione in pulmone factâ, difficillime ſanatur; atque locus affectus nunquam priſtinæ conformationi reſtituitur. Signa prognoſtica, quæ præcipuæ ſunt notæ, deſumuntur ex ſymptomatum apparentiâ, ab excretorum naturâ, & virium ſtatu.

1. Peripneumonia pleuritidi aut Anginæ ſuperveniens plerunque deterior eſt, quam per ſe exorta, aut alterutri ex iis ſuccedens: quod ſi morbum hunc, quocunque modo exortum, mox febris acuta cum ſiti immani, vigiliis & orthopnœâ excipiant, male; multoque adhuc deterius habet, ſi inſuper delirium, phrenitis, motus convulſivi, aut hemiplegia acceſſerint. Porro haud minus in diſcrimine peripneumonicus verſatur, ſi valde anhelus vomitu inani, aut crebra leipothymia, cum pulſu debili, & ſudore frigido afficietur. Quippe dum hæc ſymptomata urgebunt, ſanguinis in pulmone obſtructio minimè expeditur, nihil coquitur, aut ſputo rejicitur, quin ſanguinis circulatione magis & magis impedita, ejuſque accenſione per reſpirationem inhibita, ſpiritus animales perturbantur, & demum fatiſcunt, donec una cum virium omnium proſtratione flamma vitalis extinguitur.

2. Quoad prognoſin ab excretis, obſervamus periculoſam eſſe Peripneumoniam, in qua nihil expuitur; proxime huic, quando ſputum tenue & crudum eſt, cum ſanguine permixtum; longe melius habet, quando ſputum flavum & craſſum eſt, cum pauco ſanguine interſperſum. Urina ab initio flava, bonæ conſiſtentiæ, cum enæoremate, indicat ſanguinis recrementa fere tota in loco affecto deponi; cum ab eo ſtatu in craſſum & turbidum mutatur, indicat materiam morbificam ex ea parte rurſus in cruorem reſorberi; ſin ejuſmodi urina ſubito in tenuem mutatur, delirium aut mors impendet. Sudor copioſus, urinæ profluvium, Diarrhea, hæmorrhagia narium, fluxus, menſium, aut hæmorrhoidum, ſæpe bonum in hoc affectu denotant; imo quælibet harum evacuationum, tempeſtive eveniens, non raro morbum ſolvit.

3. Virium ſtatus ad prognoſin in hoc morbo rite faciendam magni ſemper momenti eſt: ſæpenumero enim cum ſymptomata horrenda, uti febris intenſa, reſpiratio ſummè laborioſa, cum tuſſi, vigilia, aliiſque ſignis infauſtis urgebit; ſi pulſus adhuc fortis & ſpiritus animales in vigore perſiſtant, melior ægrotantis ſpes erit, quam ſi rebus iſtis plus ſedatis pulſus debilis, & ſpiritus torpidi aut oppreſſi fuerint.

Circa Peripneumoniæ Therapeiam primaria indicatio eſt, ut ſanguis vaſis pneumonicis impactus, & obſtructionem phlegmoνώδην efficiens, inde diſcuti & circulationi priſtinæ reſtitui poſſit. Quod ſi fieri nequit, ſecunda indicatio erit, ut materies iſta rite coquatur, aut ſuppuretur, & per ſputum citiſſimè educatur.

1. Dum prior indicatio prævalebit, medendi intentiones erunt hæ ſequentes. Imprimis ut ſanguinis ad partem affectam uberior affluxus reſcindatur, aut quoquo modo inhibeatur. Secundò annitendum erit, ut materies in pulmone ſtagnans, vel extravaſata, à venis in reliquam maſſam reſorbeatur, & circulationi reddatur. Quod ut melius fieri poſſit, tertiò ſanguis lentore, ſive viſcoſitate ſua, qua fluiditas ejus impeditur, liberari debet; quarto item ſymptomatis valde urgentibus, ſcil. febri, tuſſi, vigiliis; & dyſpnœæ, per idonea remedia occurrendum erit. Sin verò his non obſtantibus indicatio altera in uſum venerit, remediis modo citatis maturantia, & expectorantia vulgò dicta accenſere oportebit.

2. Ut primæ & ſecundæ inſimul intentioni ſatisfiat, phlebotomia ferè in omni Peripneumonia requiſita eſt, imo interdum ſæpius iterari debet; nam vaſa ſanguine depleta non ſolum morbi fomitem ſubtrahunt, ſed & materiem loco affecto impactam reſorbent. Quapropter, ſi vires conſtabunt, & pulſus ſatis robuſtus erit, ſanguinis miſſio liberalior ſtatim ab initio convenit; ſecus verò ea in quantitate modica celebretur, ſubinde tamen pro data occaſione repetenda. Suprà innuimus ſanguinem in Peripneumonia, item in Pleuritide detractum, poſtquam refrixit, in ſuperficie ſuâ pelliculam viſcoſam & diſcolorem habere: porro obſervare eſt cruorem modo totum, modo tantum portionem ejus, mutationem hanc ſubire. Si quando enim ſanguis intra tres aut quatuor diſculos recipiatur, interdum in omnibus, ſæpius verò in ſecundo & tertio vitioſus, atque in primo & ultimo ſatis laudabilis apparebit. Quare vulgò præcipitur ſanguinem eouſque ſemper emittendum eſſe, donec qui ita depravatus eſt, exire incipiet; & ſi vires ferant, emiſſionem ejus continuandam eſſe, donec iterum bonus effluat. Profecto hanc praxin, uti frequens experientia, ſic etiam ratio ſatis comprobat; quippe in hoc morbo, ſiquidem haud totus illico ſanguis lentorem iſtum acquirat, portiones primo depravatæ circa obſtructionis locum maximè aggregantur, & circumcirca in vaſis minoribus hærent. Quare ſanguis per phlebotomiam primo exiens ſæpe culpâ vacabit; dein vaſa depleta alterum morbificum prius ſtagnantem excipient, & circulationi reddent; cumque portiones ejus juxta conſitæ juncto velut agmine ferantur, ad venæ orificium delatæ ſimul effluunt, & poſtquam iſta ſanguinis vitioſi aggeries tota effluxit, reliquus ſtatim purior ſuccedit. Quare in hoc caſu vena ſemper cum orificio ampliore ſecetur, atque ſanguis è ſcatebra non tantum pleniore, ſed & continuata detrahatur; ſecus enim ſi in media phlebotomia, ſanguine vitiato effluente, foramen (uti quorundam mos eſt, ne ſpiritus exolvantur) digito occludatur, cum denuo aperitur, cruor ſatis purus proximè effluet, vitioſo, ſi quod ejus reliquum erit, præterlapſo, & non ſtatim ad orificium iſtud redituro. Præter phlebotomiam multa alia remedia, viz. quæcumque ſanguinis turgeſcentiam reprimunt, & ductus ejus, quo materies morbifica reſorbeatur, deplent, hîc in uſum veniunt. Quare victus tenuiſſimus ex meris fere hordeaceis & avenaceis præſcribitur: & ſi cathartica, quia ſanguinem exagitant inque partem affectam impetuoſius adigunt, omnino prohibentur; attamē clyſteres, qui alvum blande ſubducunt, & ſanguinis recrementa verſus alvum ſolicitant, quotidie exhiberi debent. Inſuper Julapia & Apozemata attemperantia, quæ ſanguinis fervorem compeſcunt, & ſeroſitates ejus ſuperfluas prolectant, quin & pectoris vias blande aperiunt, cum fructu ſumuntur.

3. Medendi

3. Medendi intentio, quæ ſanguinis lentorem, ſeu viſcoſitatem obſtructivam adimendam reſpicit per remedia, quæ compagem ejus nimis ſtrictam reſerant, & ſalium combinationes diſſolvunt, omnino perficietur. Et quidem ejuſmodi remedia, quæ ſub hoc reſpectu ratio & Analogia dictitabent, per longam experientiam jamjam in uſu adhibentur. Enimvero pulveres teſtacei, dens Aprugni, mandibulum piſcis Lucii, aliaque ſale Alcali prædita, item ſal prunellæ, à practicis ferè omnibus tum Antiquis, tum modernis præſcribuntur. Sp. Salis Armoniaci, C. C. in hoc morbo inſigne juvamen ſæpius contuliſſe novi: & propter eandem rationem eſt, quia nempe ſal volatilis prodeſt, quod infuſio ſtercoris equini, etſi vulgare ſit remedium, opem ſæpe egregiam præſtat.

4. Quoad ſymptomata eorumque medelas, pleraque remedia his appropriata cum prioribus coincidunt; nam contra febrem eadem Julapia & Apozemata, quæ ſanguinis æſtum ſedant, ſimulque ſpiritus animales recreant, communiſſimi ſunt uſus: quibus inſuper, reſpectu tuſſis & dyſpnœæ, remedia pectoralia temperata adjunguntur. Maxima difficultas eſt quid contra vigilias, ſi quando gravius urgebunt, exhibere oportebit; quippe opiata, quia reſpirationem, quæ in hoc morbo jam impedita eſt, amplius lædunt, vix tuto ſumuntur, imo interdum pernicioſa evadunt. Quapropter laudana, & fortiora Opii præparata, in Peripneumonia cane pejus & angue vitentur; interea tamen Anodyna, & hypnotica mitiora, uti imprimis aqua & ſyrupus papaveris Rhæados, non tantum conceduntur, verum in hoc morbo, & pleuritide, remedia ſpecifica habentur: cæterum Diacodiatis, dummodo vires conſtent, & pulſus ſatis fortis & laudabilis fuerit, interdum uti licebit. Ad dolorem pectoris, ſi quando moleſtus fuerit, linimenta, fotus, & cataplaſmata interdum exhiberi expediat.

Indicatio Therapeutica ſecundaria cujus intentiones ſunt materiam pulmonibus impactam (ſiquidem ea diſcuti aut reſorberi nequeat) concoquere, & per ſputum excernere, medicamenta vulgò maturantia & expectorantia requirit; quæ tamen utraque temperata ſint oportet, quæ nempe ſitim & æſtum febrilem ſedant potius quam exaſperant. Hujuſmodi remediorum, pectoralium proprie dictorum, ſpecies in capite de Tuſſi ſuprà recenſuimus; præſcripta ſelectiora, & ad hunc affectum maximè accommoda, infrà ſubdentur.

Remediorum Formulæ.

1, 2. Medicamenta ad primam & ſecundam intentionem conducentia juxta formulas ſequentes præſcribuntur.

℞. Aq. Cardui Mariæ ℥x. papaveris Rhæad. ℥iii. ſyrup. ejuſdem ℥i. Margarit. præparat. ʒi. f. Julapium. Doſis coch. vi. quarta quaque hora.

℞. Aq. Ceraſorum nigrorum, Cardui benedicti, meliſſæ, an. ℥iv. pulv. dentis Aprugni ʒvi. ſyr. violac. ʒx. f. Julapium ſumend eod. modo.

℞. Radic. graminis ℥iii. raſur. eboris, C. C. an. ʒiii. paſſular. exacinat. ℥iſſ. liquiritiæ ʒii. coquantur in aq. fontan lib. iij. ad ij. colaturæ adde ſyrup. violacei ℥i. ſalis prunel. ʒ. f. Apozema: ſumatur ad ℥iij. vel iv. ter in die.

Propter eandem intentionem, viz. ut vaſa depleta morbi fomitem ſubtrahant, aut ipſammet materiem morbificam reſorbeant, etiam Catharſis à multis præſcribitur. In veterum praxi contra hunc morbum, ſicuti & pleroſque alios, poſt phlebotomiam, præparantia & purgantia, ritu conſtante inſtitui ſolent; atque nuper Chymici cum majori audaciâ vomitoria propinant, & præ ceteris quibuſque remediis in Peripneumoniâ prædicant. Quinimo phlebotomia neglectâ, aut interdictâ, præcipuum ſanationis cardinem in Emeticis ſtybeatis collocant; quo temerario illorum conſilio neſcio an quidquam pernicioſius excogitari poſſit. In ruſticis & robuſtis corporibus interdum hæc pharmacia impune celebratur, plerunque tamen haud minus infructuoſe; in teneris vero conſtitutionibus, ex veneno inferius cenſeri debet. Quod vero ad catharſin ſpectat, etſi non ſtatim ab initio conveniat, quia fere ſemper officit; attamen finitâ materiæ morbificæ fluxione, & ſedatâ ſanguinis efferveſcentiâ cum pharmaco ſolutivo corpus blande evacuare licebit.

℞. Decoct. Sennæ Gereonis ℥iv. ſyrup. roſarum ſolutiv. ℥i. miſce f. potio, vel,

℞. Sennæ opt. ʒiii. Caſſiæ totius, Tamarindorum, a. ʒſſ. ſem. Coriandri ʒii. coquantur in aq. fontan. ſ. q. ad ℥vi. colaturæ adde Syrup. violacei ℥i. clarificetur cum ovi albumine, & exhibeatur.

Purgantia non ſemper, nec unquam temere in hoc morbo propinentur: verum Enemata crebro, imo plerunque quotidiano ſint in uſu; hæc autem lenia tantum ſint, & emollientia, quæ, ſine magna humorum aut ſanguinis agitatione, alvum blande ſubducant. In hunc finem lac; aut ſerum lactis, cum ſaccharo rubro, aut ſyrupo violaceo ſæpe convenit:

Vel, ℞. Folior. Malvæ utriuſque, meliloti, mercurialis, an. M. i. ſem. lini, fœnicul. dulc. an. ℥ß. pruna dulcia n. vi. coquantur in aq. fontan. ſ. q. ad lib. j. cui adde ſyrupi violacei ℥i. ſacchari ʒx. ſalis prunellæ ʒi. f. enema.

3. Medicamenta propter tertiam intentionem, viz. ſanguinis lentorem diſſolvendum, exhiberi ſolent ſub forma pulveris, ſpiritûs hauſtûs vel boli, juxta modos ſequentes.

1. Pulveres.

℞. Oculor. Cancri pulv. ʒii. ſalis prunellæ ʒiſſ. ſacchari perlati ʒi. f. pulvis, dividatur in vi. partes, ſumatur una ſexta quaque hora, cum Julapio, vel Apozemate appropriato.

℞. Pulv. dentis Aprugni (vel mandibul. piſcis Lucii) oculor. Cancri an. ʒiſſ. florum ſalis Armoniaci, pulv. florum papaveris Rhæad. ʒß. miſce pro iv. doſibus.

2. Spiritus & Liquores Chymici.

℞. Spir. ſalis Armoniaci cum olibano deſtillat. ʒiii. Doſis gutt. xii. ad xv. vel xx. ter in die.

℞. Spiritus Urinæ vel fuliginis ʒiii. eodem modo.

℞. Spiritus nitri dulcis, viz. cum ſpiritu vini ſæpius cohobati ʒiii. Doſis gutt. vi. ad x. eodem modo.

℞. Spiritus Tartari ℥ß. Doſis gutt. 15. ad 20. vel 25. cum vehiculo idoneo.

℞. Mixturæ ſimplicis ℥i. Doſis ℈i. ad ʒß. eodem modo.

3. Hauſtus.

℞. Aq.

♃. Aq. Cardui lib. j. ſtercoris equini recentis ℥iii. diſſolve calide, & filtra. Doſis ℥iii. vel iv. bis aut ter in die, addendo ſyrup. violacei vel papaveris Rhæad. ʒ. vi.

♃. Folior. Taraxaci, M. ii. contuſ. affunde aq. Cardui Mariæ lib. ß. Theriacalis ℥ß. f. expreſſio; cui adde pul. Oculor. cancri ʒj. ſum. cochl. iv. ad vi. ter in die.

Quarta medendi intentio reſpectu Symptomatum maxime urgentium diverſimodos medicamentorum apparatus ſuggerit. 1. Reſpectu febris Julapia & Apozemata ſuperius deſcripta conveniunt. Porro Chryſtalli mineralis uſus valde frequens eſſe debet. 2. Ad tuſſim & dypſnœam linctus, eclegmata, & decocta, vel Julapia pectoralia cum fructu exhibentur.

♃. Syrupi Jujubini, Capillorum veneris, an. ℥iß. violacei ℥j. florum nitri ℈j. f. linctus, ſumendus ſubinde lambendo.

♃. Syrup. Dialtheæ ℥j. diacodii, papaveris Rhæad. an. ℥ß. oculor. cancri tenuiſſimè pulv. ℈ij. f. linctus ſumend. eodem modo.

♃. Syrup. de hyſſopo, liquiritiæ, an. ℥iß. pul. florum papaveris rhæad. ℈j. oculor. cancri ʒi. Lohoch de pino ʒvj. miſ. f. Eclegma: de quo ſumatur qu. nucis Moſchat. quater aut ſæpius in die.

♃. Radic. graminis, cherefolii, Altheæ, an. ℥i. ficus iv. jujub. ſebeſten. an. n. vi. paſſularum ſolis ℥i. liquiritiæ ʒiij. hordei ℥ß. coquantur in aq. fontan. lib. iij. ad. ii. f. colatura: cujus Doſis ℥iij. vel. iv.

♃. Paſſularum exacinat. ℥iß. corylos iv. inciſas, liquiritiæ inciſ. ʒiij. aq. hyſſopi lib. iß. f. f. infuſio clauſa & calida per ſex horas; colaturæ adde ſyrup. de Althæa ʒiß. f. Julapium, Doſis cochl. iij. vel iv. ſæpius in die ſenſim deglutiendo.

3. Contra vigilias. ♃. Aq. papaveris Rhæad. ℥iij. ſyrup. ejuſdem ʒvj. Aq. Epidemic. ʒii. f. hauſtus horâ ſomni ſumendum.

Si pulſus ſit fortis, & vires conſtiterint,

♃. Aq. flor. paralyſeos ℥iij. ſyrup. de Meconio ℥ß. f. hauſtus horâ ſomni ſumendus.

4. Si dolor circa locum affectum moleſtus erit.

♃. Unguent. dialtheæ ℥ii. olei Amygdal. dulc. ℥iß. miſce, f. linimentum cum charta emporeticâ tenuiore adhibendum.

♃. Unguent. Dialtheæ, pectoralis, an. ℥iß. olei lini expreſſi recentis ʒj. cui

♃. Emplaſtr. de mucilaginibus q. ſ. f. emplaſtrum pro pectoris regione ſupra locum affectum applicandum.

5. Propter ultimam medendi intentionem, quæ, indicationi 2. ſuccurrens, medicamenta maturantia, & expectorantia præſcribit, formulæ ſequentes conveniunt.

♃. Olei lini recenter expreſſi ℥iij. ſyrupi violacei ℥ii. aq. hyſſopi lib. ß. miſce in vitro. Sum. ℥ii. vel iij. ter in die, vas prius conquaſſando.

♃. Olibani pulv. ʒi. ponatur in pomo excavato, coquatur cineribus calidis, comedat hora ſomni repetendo per tres aut quatuor vices.

♃. Olei Amygdal. dulc. recentis. Syrup. capill. veneris, an. ℥iß. ſacchari candi ʒii. terantur in mortario vitreo ad perfectam mixtionem, f. linctus cum bacillo liquiritiæ ſæpius in die ſumendus: item cochl. j. ter in die in hauſtu liquoris poſſetici capiatur.

Quoad cetera, remedia ad Phthiſin incipientem præſcripta etiam in hoc caſu proſunt.

Facile hic eſſet Peripneumoniâ affectorum Hiſtorias, ac inſtãtias plurimas congerere: ſed cùm ſimili ritu & morbi typus, & ſymptomatum rationes pene in omnib. habeant, ſufficit hic exemplum ſolummodo unum aut alterum notare. Itaque dum hæc ſcriberem, ad Peripneumoniacum graviter ægrotantem accerſor. Hic in Ætate 50. circiter annorum, corporis macilenti & temperamenti bilioſi, à frigore ſuſcepto in febrem cum tuſſi, dolore pectoris & reſpiratione difficili incidit. Cum ita quadriduò ſine ullo remedio aut adminiſtratione medica laboraſſet, reperi inſigniter febricitantem, cum ſiti & immani præcordiorum phlogoſi, difficillime & cum Thoracis nixu & Bronchiorum ſtrepitu ægre reſpirantem, ut plane in ipſo mortis agone poſitus videretur. Huic cum pulſus (etſi celer & perturbatus) ſatis tamen fortis eſſet, illico phlebotomiam præſcripſi, ad ℥viij. vel x. à quâ cum parum levaminis reciperet, poſt tres horas immiſſo prius clyſtere repetendam ad ʒxii, præcepi: inſuper Spiritus C. Cervi gut. 12. 6. quaque horâ cum Julapio appropriato, & intermediis temporibus pulveris ſequentis Doſin exhibendam curavi.

♃. Pulv. oculorum cancri, ſalis prunellæ, an. ʒiß. Margaritarum ʒj. ſacchari candi ℈ij. f. Pulvis, dividatur in octo partes. Porrò cepit hauſtum Apozematis pectoralis ſæpius ad libitum. Horum uſu intra tres horas ſymptomata omnia remittere ceperunt, atque nocte inſequenti ſudavit, & aliquantulum dormivit; poſtridie phlebotomia iterabatur, & deinceps iiſdem remediis continuatis intra quatuor aut quinque dies integrè convaluit. Sanguis è vena detractus in ſuperficie viſcoſus ſemper & decolor fuit.

Vir quidam generoſus temperamento ſanguineo & habitu corporis Athletico præditus, poſt vini potum immoderatum febrem cum Peripneumonia graviſſima contraxit, adeo ut ſiti & calore ſummè urgentibus, erectus uſque in lecto aut Cathedra ſedens, & creberrimè anhelans, aërem flammæ vitali ſuſtinendæ parem, vix ac ne vix introducere potuerit. Cum plebotomiam copioſam ferre nequiret, ſanguinem bis aut ter de die in diem detraxi; enemata crebra injiciebantur: inſuper Apozemata, Julapia, item ſpiritus Armoniaci, ac pulveres teſtacei per vices exhibebantur. Intra quatuor aut quinque dies febris remiſit nonnihil, item melius reſpirare, & ſomnos interdum breves capeſſere cepit, uſque tamen de pectoris gravamine inſigni & ſpirabilium oppreſſione intolerabili querebatur: Quare cum phlebotomia non amplius tuta foret, veſicatoria perampla brachiis & cruribus applicui: ulcuſcula in brachiis brevi ſanabantur, in Tibiis vero excitatâ, non tantum aperta manebant, verum poſt quinque vel ſex dies in immenſum fluebant, & deinceps ferè per menſem ichoris acerrimi copiam ingentem quotidie profundebant; interea pulmones ſenſim melius habuere, & demum ſarcina omni immunes evaſere, denique ulcuſcula veſicatoriis excitata ægrè admodum, & non ſine crebra pharmacia perſanari potuerunt. *Thom. Willis Pharmaceutic. Ration part. 2.*

De Pleuritide.

Quanta inter Pleuritin & Peripneumonia ſit affinitas, ſupra innuimus; nimirum, quod licet uterque affectus interdum ſolitarius, & ab altero ſeparatim exiſtat, ſæpius tamen aut coincidunt, aut alter, modo hic, modo iſte, alteri ſupervenit, aut ſuccedit. Utriuſque eadem Procatarxis, viz. ſanguinis ad lenteſcendum, ſimulque efferveſcendum Diatheſis; quinimò eadem cauſa conjuncta eſt, nempe vaſorum alicubi minorum, ob talem ſanguinis diſpoſitionem obſtructio phlegmonώδης; porro à Medicis plerisque neotericis ad utrumque morbum eadem præſcribitur medendi methodus: potiſſima diſcriminis ratio, quâ ab invicem diſtinguuntur, à locis affectis, quæ nomina eorum denotant, deſumitur. Enimvero ſanguis, ad obſtructionem inflammatoriam alicubi acciendam prædiſpoſitus, morbi nidum ideo ſæpius in pectore defigit; quoniam hic, propter incendii vitalis focum, immanius efflagrat, ac inſimul effluviis vaporoſis aliiſque recrementis, quæ circulationem præpediunt, minime liberatur. Quibus accedit; quod regione hac clauſa ſanguinis compages, per ductus anguſtiores tranſitura, non, uti in viſceribus imi ventris, aut fermento quopiam reſeratur, aut ſucco aquoſo recens diluitur: itaque ſi forſan cruor, per arterias vertebrales in membranam coſtas ſuccingentem provectus, in tranſitu ſuo circa vaſorum anguſtias aut intercapedines hærebit, affectus, de quo nunc agitur, ſuccedit: pariter ſi quando intra ductus pulmonares obſtructio contingat, Peripneumonia, prout ſupra oſtenſum eſt, excitabitur. Quamobrem juxta morbi hujus Pathologiam ſuperius traditam, quæ ad pleuritidis tum Theoriam, tum Therapeiam ſpectant, facili negotio deſignari poſſunt.

Morbi hujus (quoties primarius & ſolitarius exiſtit) ſedem in pleura ſeu membrana coſtas internas ſuccingente conſiſtere, tum doloris ſenſus, tum obſervationes Anatomicæ Pleuriticorum defunctorum habitæ plane teſtantur. Eſt autem Pleuritis vera & ſingularis, inflammatio ipſius pleuræ, ex affluxu ſanguinis efferveſcentis, ſimulque lenteſcentis, per arterias vertebrales excitata, cum febre continua & acuta, dolore lateris pungente, tuſſi, & difficultate ſpirandi.

Cauſa hujus proxima, eſt ſanguis in membranæ iſtius vaſis minoribus ac interſtitiis (pariter ac in Peripneumonia) ob lentorem obſtructus, aut extravaſatus, dein ob turgeſcentiam copioſius ibidem aggeſtus, proindeque phlegmonem excitans. Huic ſupervenit dolor acutus, ob ſolutionem continui in parte maxime ſenſili; item tuſſis oritur, propter irritationem muſculis intercoſtalibus impreſſam; inſuper & reſpiratio difficilis, ob fibras muſculares quoad actionem ſuam læſas; quæ ſiquidem contractiones longas & validas perficere nequeant, debiles, ſed & crebriores inire coguntur: ſecus ac in Peripneumonia, in qua ſymptoma iſtud à pulmone nimis oppleto & infarcto oritur. Febris à ſanguinis efferveſcentia cietur, & Pleuritidis fere ſemper comes potius quam effectus eſt. Enimvero ſanguis, à quacunque cauſa in turgeſcentiam febrilem actus, ſi inſimul in compage ſua conſtrictus ad lenteſcendum aptus fuerit, una cum febre ſæpiſſime Pleuritin, vel Peripneumoniam, vel utramque inducit. Hinc obſervare eſt morbum hunc ſpeciem ſæpe variare, & locum mutare, viz. de Pleuritide in Peripneumoniam, ac vice verſa; dein ab utroque, aut alterutro in Phrenitin, aut Anginam migrare: in quantum ſcil. cruor inter efferveſcendum exuvias ſuas viſcoſas modo in hac parte, modo in illa, modo ſimul in pluribus deponit, dein iterum reſumit, ac varie transfert.

Cauſæ Pleuritidis remotiores eædem prorſus ac Peripneumoniæ, viz. quæcunque ſanguinem ad lenteſcendum, ſimulque efferveſcendum prædiſpoſitum exagitant, inque turgeſcentiam febrilem concitant. Huc ſpectant caloris & frigoris exceſſus, pororum conſtipatio ſubita, crapula, vini aut liquorum ardentium potus, exercitium immodicum; quandoque aëris conſtitutio maligna hunc morbum fere quibuſvis inducit, & epidemicum reddit: cui accedit, quod nonnullis à conſtitutione ſua, aut conſuetudine, hic morbus admodum familiaris exiſtat; proinde ut ſanguinis intemperies, per quamvis fere occaſionem inducta, mox in pleuritida tranſeat.

Ex prædictis, morbi hujus ſigna, quibus tum quoad eſſentiam ſuam dignoſcitur, tum ab aliis morbis, & præſertim à Pleuritide notha, & Peripneumonia diſtinguitur, ſatis manifeſta apparent. Notandum vero lateris dolorem quandoque valde moleſtum exoriri, qui cum pleuritin mentiatur, pro ea interdum, licet perperam, ſumitur. Enimverò in quibuſdam ſcorbuto, & affectibus nervoſi generis obnoxiis, nonnunquam accidit humorem acrem, & ſumme dolorificum in pleuram, aut muſculos intercoſtales deſcendere, ibique defixum, cruciatus acerrimos inferre; quæ tamen affectio à pleuritide diſcriminatur, quatenus ea febre ac ſiti vacat, pulſus uſque moderatus & laudabilis perſtat, non raro appetitus, imo & vires conſtant; porro dolor haud diu fixus eſt, aut uni limitatur loco, ſed ſenſim huc illuc in partes vicinas repit, juxta quod materies, per fibrarum ductus, è loco in locum dilabitur.

Morbi hujus differentiæ haud plures occurrunt; attamen diſtingui ſolet, quod nempe ſit vel exquiſita & vera, qualem modo deſcripſimus; vel notha, quæ ſedem in muſculis intercoſtalibus, vel in eorum interſtitiis habens, à flatu, vel humore ſeroſo & acri ibidem aggeſto, procedit; atque ſine phlegmone, aut febre, dolorem minus acutum excitat: cumque dolor exterius conſitus ſit, ægrotantes plerumque in latus oppoſitum melius quam in affectum decumbunt, ſecus ac in pleuritide verâ. Secundò Pleuritis aut ſimplex eſt, vel cum Peripneumonia, aut alio quodam affectu complicata; & ſic vel primaria vel ſecundaria eſt, vel cum altero affectu connata.

Quod ſpectat ad morbi hujus prognoſin, Hippocrates pleura tecmeria notavit, quibus pleuriticis bonus aut malus eventus ſignificatur. Singula hæc percurrere, & commentariis adjectis explicare, nec otium erit, neque operæ pretium videtur. Quod rei ſumma eſt, de pleuritico expectatur, vel ut morbus ſtatim ſolvatur, partim crebra & libera phlebotomia, & partim ſudore critico die quarto vel citra octavum exorto; vel ut his non rite ſuccedentibus, diu-

tius protrahatur; & tunc ſæpiſſime huic morbo peripneumonia, aut empyema, vel utrique affectus ſuperveniunt, è quibus ſequitur morbi ſolutio non niſi lenta & incerta, & ſæpiſſime aleæ periculoſæ plena.

Peripneumonia pleuritidi non ſtatim judicatæ (uti ſæpius aſſolet) superveniente, tota ſpes in ſputo maturè concoquendo & cito expectorando conſita eſt: hoc enim ſi laudabile & copioſum fuerit, atque facile & feſtine excernatur, ſæpe morbum utrumque in totum ſolvit. Attamen haud propterea ſequitur materiam pleuriticam è latere in pulmones per ductus neſcio quos cæcos derivari, aut eandem, è pleura in cavitatem pectoris exudatam, à pulmonibus imbibi, & demum per ductus ſurſum antlari, & foras excerni. Sed cum Peripneumonia Pleuritidi ſupervenit, atque materies, pulmonibus impacta, per ſputum evacuari incipit, adeo ut loca affecta pulmonaria continue depleantur; ſanguis ſaburram alteram in pleura defixam reſumit, eamque ad pulmones, ubi exportationis loca patefiunt, ſputo ejiciendam defert. Quod ſi pleuritis neque per ſe, neque per peripneumoniam adſcitam judicabitur, tandem vel abſceſſu in pleura, aut etiam in pulmone facto, Empyema ſuccedit; vel materies omnis, in pulmonem delata, ibidemque putreſcens, & viſceris unitatem ſolvens, Phthiſin ægre ſanabilem, aut exitialem parit.

Circa pleuritidis curationem, quandoquidem hujus morbi ſtatus, criſis & tendentiæ multiplices fuerint, pro vario ipſorum reſpectu indicationes Therapeuticæ diverſimodæ occurrunt; & pro re nata, juxta prudentis Medici conſilium, primitus inſtitui, & ſubinde alterari, aut continuari debent. Enimvero alia convenit methodus ad Pleuritin ſimplicem, & ſolitariam, atque alia ſi cum Peripneumonia complicetur; inſuper aliam atque aliam ordinare oportet, ſi forſan aut per ſputum criſis expectatur, aut, rebus in pejus euntibus, morbus, vel in empyema tranſiturus, vel ad phthiſin inclinat. Quod ad tres caſus poſteriores, viz. quando Pleuritis primò incipiens in Peripneumoniam, vel Empyema, aut denique diatheſin phthiſicam tranſit, ratio medendi appropriata in cujuſque horum morborum pathologiis particulatim traditis deſignatur. Quod itaque ad præſens inſtitutum pertinet, ad Pleuritin primariam, & ſimplicem tres indicationes ſe offerunt, ſcil. Curatoria, Præſervatoria, & Vitalis.

I. Prima Indicatio Phlegmonen, ſive ſanguinis in pulmone obſtructionem, omni modo quàm citiſſimè tollendam curat; in quem finem Phlebotomia omni ſemper ævo à medicis quibuſq; (exceptis tantum fanaticis quibuſdam aut pſeudo-chymicis) velut remedium præcipuum præſcribi ſolebat. Cujus ratio prorſus eadem eſt, ac in Peripneumonia, & pleriſque aliis affectibus, propter ſanguinis alicubi remoram, & proinde aggeſtionem excitatis: nimirum quod vaſa ſanguifera multum inanita, non tantum morbi fomitem reſcindant, ſed & materiem, quæ cauſa ejus conjuncta eſt, reſorbeant, & aliò deferant. Quamobrem ſanguis in pleuritide, modo vires conſtant, & pulſus ſit fortis, liberrimè detrahatur. Et quidem longè præſtat eam prima, & quaque deinceps (quoties repetere opus erit) vice plenius emitti, quàm phlebotomias parciores ſæpius iterare. Quippe ſanguinis lenteſcentis, ac in viſcoſitatem degeneris, portiones quamplurimæ circa locum affectum aggregantur; quæ niſi vaſis per phlebotomiam copioſam valde depletis, illinc avocentur, & magna ex parte foras effluant, ſanguinis miſſio affectu deſiderabili fruſtrabitur. Quare quod medici quidem præſcribunt, ſanguinem in pleuritide uſque ad leipothymiam hauriendum eſſe, rationi haud incongruum videtur: quamvis ea praxis haud temere facienda ſit; quoniam omnis evacuatio virium tenori & tolerantiæ proportionari debet, quam regulam talis phlebotomia excedit.

Quamquam autem de ſanguine in pleuritide mittendo generalis ferè omnium medicorum fuit conſenſus; attamen circa locum, quæ vena aperiri debeat, maxima ſemper lis erat. Hippocrates & Galenus è directo latere laborantis venam ſecabant; poſtea Arabes & eorum aſſeclæ Itali, ac Galli, aut ſaphenam aut baſilicam lateris oppoſiti aperiebant, phlebotomiam ejuſdem lateris ſub piaculo damnantes. In ſequiore tamen ævo Græcorum antiquorum praxis paululum revixit, ut nonnulli venam ejuſdem lateris ſecare auderent, uſque tamen alteri alteros oppoſitæ ſententiæ authores, quoties infauſtus contigit eventus, quaſi homicidii reos judicabant. Dumq; adeo inter medicos circa phlebotomias haud minor quàm inter Judæos & Samaritanos circa latreias ſacrum locum decertatio eſſet, tandem circulationis ſanguineæ doctrina à Cl. Harveo, novæ inſtar facis prodita, controverſiæ hujus nebulas omnes diſcuſſit; ſtatim ut liquido appareret perinde eſſe, ſive in pleuritici latere affecto, ſive oppoſito vena ſecetur; quamvis noſtro ſæculo mos invaluerit, primò & potiùs venam affecti lateris aperire. Attamen vena brachii, ſive hujus, ſive iſtius aperta, immediate nihil omnino ab arteria vertebrali aut à pleura detrahit; tantum venæ Azygi aut vertebralis rami ſunt, quæ ſanguinem è loco affecto excipiunt: hoc autem ut faciant, non alio modo deplentur illi, niſi quod totius ſanguinis quantitas per phlebotomiam ubicumque factam minoratur. Pro vena lateris affecti potius ſecanda tantum hoc dici poteſt, quod vena baſilica depleta arteriæ brachiales uberiorem ſanguinis penum excipiunt; hinc Aortæ rivus ſanguineus, ex iſto latere rapidiùs verſus ramos brachiales decurrit, ac interea forſan in celeri iſto tranſitu ſuo, paulo minus ſanguinis arteriis vertebralibus pro morbi fomite infundit. Quod ſpectat ad opinionem iſtam, ſanguinem κατ' ἴξιν è loco in locum quandoque uberius deferri, hinc ut, pulmone dextro aut hepate phlegmone aut obſtructione obſeſſis, pars dextra capitis doleat, & faciei plus rubeſcat; dico interdum ita fieri, quoniam ægrotantes ſuper latus affectum conſtanter in lecto decumbunt; proinde ob vaſa compreſſa, ſanguis in partibus aliis ejuſdem lateris inter circulandum diutius moratur. Super his, cum phlebotomiæ hiſtoriam, & Ætiologiam trademus, altius inquiretur.

Quod ſi phlebotomia, ob pulſum debilem, & functionis Animalis languorem, nec primo celebrari, neque dolore licet plurimum urgente, iterari debeat; hujus vicem cucurbitæ cum ſcarifica-

rificatione, loco dolenti adhibendæ, bene ſupplent. Riverius & Zacutus Luſitanus notabilia curationum hoc remedio effectarum exempla citarunt. Et quidem hæc praxis rationi ſatis firmæ inniti videtur; nam ſanguine è latere affecto detracto, qui in vaſis vicinis aggeſtus, morbi cauſa conjuncta eſt, commovetur, & partim extrahitur, partimque circulationi redditur. Porro ad tollendam pleuræ phlegmonen, præter ſanguinem phlebotomia libera aut ſcarificatione detrahendum, etiam humores ſeroſi, aliique recrementitij, tum è maſſa ejus, tum è viſceribus per ſedem, urinam, ac ſudorem ſollicitari, ac blande excerni debent. Cathartica fortiora jure interdicuntur, quia ſanguinem exagitant, inque loca affecta altius impingi faciunt. Quod autem chymici quidam celebres, viz. Ang. Sala, Hartmannus, M. Rulandus, cum multis aliis, vomitoria ſtybeata pleuriticis quibuſque audacter exhibent, & pro remedio optimo prædicant, mihi ſanè nec tutum hoc, nec rationi congruum videtur, unica, ut opinor, juvandi ratio, eaque valde incerta & diſcrimine plena poteſt eſſe, viz. ut pharmaco vehementius operante, dum laborantes ſpirituum exolutiones, aut leipothymias patiuntur, ſanguinis vigor omnis & turgeſcentia concidant, proindeque fibræ nerveæ corrugationes aut contractiones ſuas dolorificas remittant, atque vaſa ſanguifera plurimum inanita materiam morbificam reſorbeant: interea periculum eſt ne humores violenter commoti, ad partem affectam impetuoſius ruant; ſaltem ne ſpiritibus nimium dejectis, & naturæ opere circa materiæ morbificæ coctionem, aut ſecretionem, perturbato, vires ſuccumbant, antequam morbus judicabitur, Interea tamen enemata crebri aut quotidiani ſint uſus: quinimo pharmaca interdum ſolutiva mitiora, modo febris non admodum intenſa ſit, conceduntur. Julapia, & decocta attemperantia, atque ſudores, vel urinas blande moventia, qualia ſupra ad Peripneumoniam præſcripſimus, hic etiam convenient; calidiora quæque acria, ſive aromatica, aut ſpiritu vinoſo prædita, ſedulo vitentur.

II. Secunda Indicatio Præſervatoria, contra ſanguinis lentorem, & efferveſcentiam deſtinata, ejuſmodi medicamenta præſcribit, quæ, cùm ſale volatili aut Alcaliſato conſtent, ſalium acidorum, fixorum, aut alias νοσερῶν, cum aliis particulis craſſioribus combinationes initas deſtruunt. In quem finem oculi, aut chelæ cancrorum, dens apri, lapis carpionum, mandibulum piſcis Lucii, os cordis cervi, priapus cervi, ſal prunel. Sal coralliorum, ſal urinæ, aut C. C. volatilis, pulvis ſanguinis hircini, infuſio ſtercoris equini, Sp. C. cervi, ſalis Armoniaci, Sp. Tartar. Mixtura ſimplex, Bezoarticum minerale, Antimonium diaphoreticum, flores ſalis Armoniaci in pleuritide remedia perquam celebria exiſtunt.

III. Tertia Indicatio vitalis, quæ proſpicit, ut vires, & calor vitalis durante morbi curſu in debito tenore ac ſtatu præſerventur, præſcribit, imprimis aptam victus rationem, ac inſuper remedia Cardiaca, & Anodyna, quæque aliis, ſi forſan emergant, ſymptomatis tempeſtivè occurrunt. 1. in pleuritide vera victus tenuiſſimi ratio, ex meris ſcil. avenaceis ac hordeaceis inſtitui debet; & pro potu ordinario ptiſana, aut cerviſia lacteata potius, quam cerviſia ſimplex convenit, quanquam in ſiti immani etiam hæc in quantitate moderata concedenda ſit. Inſuper ad ſitim reſtinguendam Iulapia, Apozemata & emulſiones per intervalla ſumantur: quibus omnibus ſal prunellæ adjiciatur. 2. Cardiaca ſolum temperata adhibeantur, quæ ſpiritus animales blandè refocillent, & ſanguinis, plus debito efflagrantis, accenſionem minimè intendant. Propter has intentiones Aq. Cardui Mariæ, card. benedicti, meliſſæ, boraginis; paralyſeos, ceraſorum nigrorum, cum fructu exhiberi ſolent: quibus margaritarum & coralliorum pulvis adjiciatur. Tertio Anodyna tum intus ad ſomnum, ſi quando valde deficiat, conciliandum, tum extus ad dolorem lateris leniendum adhibere oportet. Prioris generis uſitatiora ſunt papaveris rhæados aqua deſtillata, ſyrupus, & pulvis, quæ in pleuritide æquè ac Peripneumonia, Specifica æſtimantur. Porro cum dolor valde acutus, & vigiliæ plurimum urgebunt, etiam Diacodiata propinare licebit. Contra dolores linimenta, fotus, cataplaſmata, ac interdum animalium recens mactatorum viſcera calentia, applicanda conveniunt. Hæ ſunt præcipue medendi intentiones quæ ad exquiſitam & ſimplicem pleuritida, antequam Peripneumoniam ſibi conſciſcat, vel in ipſam aut empyema tranſeat, ſanandam requiſitæ videntur. Reſtat modo ſingulis hiſce ſelectiores medicamentorum formulas adaptare.

Primo igitur circa morbi initium, ad phlegmonem tollendam Iulapia, Apozemata, pulveres, clyſteres, & blandè ſolutiva præſcribi ſolent.

♃. Aq. Cardui Mariæ ℥viii. Papaveris Rhæados ℥iv. Syrup. ejuſdem ℥ß. ſalis prunel ʒi. f. Iulap. Doſis ℥ii. vel iii. 3. quaque hora.

♃. Radic. graminis ℥iv. hordei ℥ß. corticum pomorum M. j. paſſularum ſolis ℥i. liquiritiæ ʒii. coquantur in aq. fontan. lib. iii. ad ii. colaturæ clarificatæ adde ſyrupi violacei ℥iß. ſalis prunel. ʒiß. f. Apozema. Doſis ℥iii. vel iv. ſæpius in die.

♃. Salis prunel. ʒii. florum nitri ʒi. pul. florum papaveris Rhæados ℈ii. ſacchari candi ℈iv. f. pulvis; Doſis ʒß. ter vel quater in die.

♃. Decocti malvæ totius cum prunis dulcibus lib. i. Syrup. violacei ℥iii. prunel. ʒi. f. enema.

♃. Caſſiæ totius contuſ. ℥ii. tamarindorum ℥i. florum roſarum pallidarum M. i. ſem. coriandri ʒii. coquantur in ſ. q. aq. font. ad lib. i. colaturæ adde Syrupi de cichorio cum Rhabarbo ℥ii. clarificetur cum ovi albumine; Doſis ℥v. vel vi. mane per duos vel tres dies continuos.

2. Ad ſanguinis lentorem ſive viſcoſitatem coagulativam diſſolvendum ſequentia ex uſu erunt, ſcil. formâ potus, pulveris, & ſpiritus.

♃. Stercoris equini recentis ℥iv. Aq. cardui lib. i. ſſ. f. infuſio clauſa & calida per horas ii. dein liquor filtretur; cui adde ſyrup. è ſucco Taraxaci, vel cichor. ℥ii. ſp. ſalis Armoniaci ʒi. detur ad coch. v. vel vi. ter aut quater in die.

In hunc finem aq. ſtercoris equini egregiè convenit.

♃. Stercoris equini lib. iv. foliorum cardui benedicti, Mariæ, Scabioſæ, Anagallidis, ana M. iii. ſimul conciſis & commixtis affunde lactis recentis lib. vi. deſtillentur organis communibus; Doſis ℥ii. ad iii. vel cum aliis aq. deſtil. in forma Julapii.

In eundem uſum tincturæ, aut ſolutiones aliorum ſtercorum à medicis quibuſdam exhibentur, & ſummis laudibus prædicantur. Helmontius jure ſtercus Iumenti, Panarolus ſtercus columbinum, alii ſtercoris gallinacei album in pleuritide commendant. Epiphanius Ferdinandus decoctum Nicotianæ cum ſapa diſſolutæ pleuriticis cum fructu exhibere ſolebat; Valeriola Decoctum florum papaveris Rhæados pro experto, & familiari remedio habuit: Cl. Sylvius mixturam ſequentem, cochleatim per brevia intervalla ſumendam, præſcribit.

Aq. petroſelini, hyſſopi, an. ℥ii. fænicul. ℥i. theriacalis ſimpl. ℥ß. laudan. opiat. gr. iv. ſalis armoniaci ʒß. ſyrup. papaveris erratici ℥i. miſce.

Huic compoſitioni Fredericus Deckers addit pulv. Oculor. cancri, & Bezoartici mineralis, ana ℈i.

Medicamenta, in hunc uſum maximè efficacia formâ pulveris exhiberi ſolent. Exempli gratia.

♃. Pulveris oculorum cancri ʒii. ſalis prunel. ʒiß. florum papaveris Rhæad. ʒß. miſce f. pulvis; Doſis ʒß. ter aut quater in die cum vehiculo idoneo.

Loco oculorum cancri, pulvis mandibulæ piſcis Lucii, aut dentis aprugni, aut priapi cervini, vel taurini uſurpari poſſunt; & ſi iſtis ſucceſſus defuerit, tentari debent ſequentia.

♃. Antimonii diaphoretici, vel ceruſſæ ejus, aut Bezoartici mineralis ʒii. ſalis volatilis C.C. ʒß. pulv. florum papaveris Rhæados ℈ii. f. pulvis. Doſis ℈i. ad ʒß. ter aut ſæpius in die.

Propter eandem medendi intentionem eſt, quod Riverius pulv. fuliginis camini à ʒß. ad ʒi. alii pulverem ſtercoris columbini aut gallinacei exhibent. Quinimo propter analogiam hanc, quâ animalium ſtercora ſale volatili refenta, in hoc morbo juvant, probabile eſt, quod ſtercus caninum pleuritidi haud minus quam Anginæ ſanandæ conferat, ac ita potius, quoniam hi morbi ſæpe Typos invicem commutant, atque alter alterutrius ſpeciem aſſumit, Liquores chymici, ſale volatili præditi, etiam in pleuritide interdum inſigniter juvant.

♃. Sp. ſanguinis ʒii. aq. papav. Rhæad. ℥iii. ſyrup. ejuſdem ℥i. miſce, detur cochleatim per brevia intervalla.

℞. Sp. ſalis armoniaci cum olibano deſtill. ʒiii. Doſis gutt. xii. ad xv. vel xx. ter aut quater in die in vehiculo idoneo: Eodem modo ſp. urinæ, ſanguinis vel C. C. exhiberi poteſt.

♃. Spiritus Tartari ʒiii. Doſis ℈i. in vehiculo idoneo.

♃. Mixturæ ſimplicis ʒiii. Doſis ℈i. ad ʒß.

3. Quoad indicationem tertiam, præter victum tenuem, remedia cardiaca & Anodyna præſcribuntur. Prioris generis formulæ per Julapia & Apozemata pro indicatione primâ; per ſpiritus & pulveres pro ſecundâ præſcriptæ ſuppleri poſſunt. Anodyna interna in vigiliis & dolore admodum intenſo exhibenda, juxta modos ſequentes, præſcribuntur.

♃. Aq. papaver. rhæad. ℥ii. ſyr. ejuſdem ʒvi. ſp. C.C. gtt. xii. f. hauſtus ſumendus horâ ſomni.

Si ad altiora procedendum ſit.

♃. Aq. cardui ℥ii. diacodii ʒiii. ad ℥ß. vel ʒvi. ſp. ſal. armon. cu thure ℈ß. f. hauſtus. (Quandoque, tametſi rarius, ad laudana aſcendere expedit, quæ tempeſtivè exhibita, quatenus ſomnum concitant & ſudores & urinas movent, inſigniter proſunt.

♃. Aq. flor. paralyſ. ℥ii. laudani tartariſ. gtt. xvi. ad xx. ſp. ſanguin. ℈ß. ſyr. violacei ʒii. M. f. hauſtus.

Anodyna exteriora in formâ linimenti, fotus & cataplaſmatis præſcribi ſolent.

♃. Unguent. dialth. ℥ii. olei amygdal. dulc. ℥i. alb. græci ʒii. miſce ſimul terendo.

♃. Emplaſtr. de mucilaginib. ℥iiß. malaxetur cum oleo lini & applicetur ſupra chartam emporeticam.

♃. Summit. malvæ utriuſque, folior. mercurial. betæ an. m. iv. coq. in aq. font. ſ. q. colatura uſurpetur pro fotu.

♃. Magma herbarum poſt liquoris expreſſionem contus. adde farinæ avenaceæ ℥vi. ſem. lini, fænugræci, an. ℥ii. unguenti dialth. ℥ii. f. cataplaſ.

Pleuriticorum hiſtorias & inſtantias non eſt ut longè perquiram, hujus enim morbi exemplum notabile jam ſub manibus verſatur: nimirum virgo lectiſſima affectui iſti frequentiſſimè, & velut habitualiter obnoxia curæ noſtræ committitur Hæc juvenis, admodum pulchra, temperamenti ſanguinei, ſed conſtitutionis valetudinariæ, à leviſſimâ quâvis occaſione, viz. à frigore ſuſceptô, aut erratis in quolibet ſex non naturalium, quinimo interdum à merâ anni aut aëris mutatione, in febrim (cui mox dolores pleuritici cum tuſſi, & reſpiratione difficili, & plerumque dein convulſiones horrendæ ſuperveniunt) à multis nunc annis incidere ſolebat: cujuſmodi pathematis adeò graviter olim ſuccumbebat, ut non raro quotannis per aut ſupra ſex menſes intra cubiculum ſe continere cogeretur. Nuper autem, etſi ab hâc plagâ non abſolvitur, rariùs tamen eâ plectitur. Superiori anno per totam æſtatem, & ferè autumnum mediocriter valuit, ſub initium hiemis ab eô morbô decubuit, jamque circa finem ejus denuò ægrotat. Dolor pleuriticus latus dextrum conſtanter occupat, ubi ſanguine circa muſculos intercoſtales in tranſitu hærente extravaſatô, fibræ irritatæ ſenſum moleſtiſſimum; ſimulque motum tuſſiendi cõvulſivum ineunt, & ferè perpetuò iterant: inter ea pulmones ſatis firmi & quoad ductus aperti, ſanguinem, ut ut lenteſcentem, ſine remorâ (quæ peripneumoniæ ſæpe parens eſt) expeditè trajiciunt. Huic nulla remedia ſine phlebotomiâ prodeſſe ſolent; quæ ſemper adeò potiſſimùm neceſſaria eſt, ut unaquaque ægrotationis vice, invitis omnibus, eam ter aut quater, imò interdum ſæpius repetere cogeremur: cruor emiſſus in ſuperficie pelliculam viſcidam & albicantem conſtanter habet. Hic morbus ſemper fuit pleuritis ſimplex, peripneumoniæ expers, & pro curatione ejus methodô ſequenti conſtanter cum ſucceſſu uſa eſt.

♃. Sp. ſal. armon. cum gumm. ammon. ʒiii. capiat. gtr. xv. ad xx. ter in die cum julap. ſeq.

♃. Aq. card. ceraſor. nigr. an. ℥vi. hiſteric. ʒi. ſacch. ʒvi. Intermediis temporibus cepit doſin pulveris cum apozemat. ℥iii.

♃. Pulver.

℞. Pulver. ocul. cancr. dent. aprug. ſal. prunell. an. ʒi. divide in ſex partes.

℞. Radic. eryng. ℥i. gramin. ℥iij. raſur. ebor. C. C. an. ℥ij. corticis pomor. mj. paſſularum ſolis ℥i. coq. in aq. font. ℔. iij. ad ii. colatur. adde ſyr. violacei ℥j. ſal. prunell. ʒi. M. f. Apozema.

Enemata ex lacte cum ſyrupô violaceô, diebus modò ſingulis, modò alternis fuerunt injecta. Si quando ad ſopiendum dolorem opiata ut ut mitiora fuerant exibita, dolor & torpor capitis atque affectus convulſivi graviſſimè eam exinde infeſtare ſolebant. *Idem ibidem.*

Curationes.

Pleuritis.

Hunc in morbo pellendo mihi ſcopum propono, ut ſcilicet ſanguinis inflammationem reprimam, & particulas ejuſdem accenſas, quæ in membranam coſtas ſuccingentem vim fecerunt, & incendio collabefactarunt omnia, per evacuationes debitas revellam.

Quamobrem in Venæſectione ſpem ponens maximam, ut primùm accerſor, ſanguinem è brachio lateris affecti ad uncias decem aut circiter mittendum curo. Potionem deinde ſequentem ſtatim à Venæſectione primùm celebrata ſumendam præſcribo.

℞. Aq. papav. rhæad. ℥iv. ſal. prunell. ʒj. ſyr. violar. ℥i. M. F. Hauſtus.

Item ℞. Amygd. dulc. N. vii. ſem. melon. pepon. an. ℥ß. ſem. papav. alb. ʒii. contundantur ſimul in mortario marmoreo, ſenſim affundendo Aq. hord. ℔ iß. aq. roſar. ʒii. ſacchar. cand. ℥ß. m. f. Emulſio; Cap. ℥. iv. quartâ quaque horâ. Pectoralia etiam impero frequenter uſurpanda e. gr.

℞. Decoct pectoral. ℔ ii. ſyr. Violar. & capillor. ven. an. ℥ iß. m. f. apozema. Cap. ℔ ß. ter in die.

℞. Olei Amygd. dulc. ℥ii. ſyr. violar. capill. ven. an. ℥i. ſacch. cand. ʒß. m. f. ſ. a. Eclegma, de quo lambat ſæpius in die. Oleum etiam Amygd. dulc. per ſe, vel Oleum Sem. Lini recenter extractum magno ſæpe cum fructu aſſumuntur. Diætam quod ſpectat, carnibus omnino interdico, atque inſuper earundem decocto quamlibet limpidiſſimo. Conſulo ut juſculis veſcatur Hordeaceis, Avenaceis, & Panatellâ, & pro Potu utatur Ptiſanâ ex decocto Hordei cum rad. Acetoſæ, Liquirit. &c. ac nonnunquam Cereviſiâ lupulatâ tenui. Porrò, ſequens Unguentum præſcribo.

℞. Oleum Liliorum, Amygd. dulc. & Unguent. Dialtheæ an. ℥i. m. f. Linimentum, quo inungatur latus affectum mane & ſerò, ſuperimponendo folium braſſicæ. Jubeo item ut in dictorum remediorum uſu perſiſtat per omnem morbi decurſum. Eodem ipſo die, ſi dolor vehementer urgeat, ſanguinis eandem quantitatem rurſus detrahi præcipio, vel nihilominus, die ſequenti, ut etiam tertio die; atque hoc modo ad quartam uſque vicem, continuis quatuor diebus, (niſi priùs æger convaluerit) Venæſectionem repeto, ubi ſcilicet dolor, atque alia ſymptomata admodum ſæviunt. At verò, ſi vel morbus remiſſior & minoris periculi, patiatur ut lentiori pede progrediar, vel etiam dejectæ ægri vires non facilè ferant Venæſectionem poſt tam brevia intervalla repetitam; Phlebotomiam jam bis celebratam non deinceps repeto niſi interjecto die uno aut altero inter ſingulas vices. Quâ quidem in re normam mihi ſtatuo Contraindicantia; hinc nempe morbi violentiam, inde verò imminutas fractaſque ægri vires ad invicem trutinatas. Et quanquam in curandis morbis integrum mihi eſſe volo, ut plus minuſve ſanguinis, pro rei ratione, demendum præcipiam, rarò tamen obſervavi Pleureſin confirmatam in Adultis minori quàm 40. circiter unciarum ſanguinis impenſâ ſanatam: licèt in Pueris ſemel tantùm aut bis ſecuiſſe venam ut plurimùm ſuffecerit. Neque, quæ nonnunquam ſupervenit, Diarrhœa, repetendis jam dictis Venæſectionibus obicem ponit, quæ quidem ipſa hâc Methodo brevi ſiſtetur, etiam non adhibitis medicamentis reſtringentibus. Enemata vel in ſolidum omitto, vel maximâ, quâ fieri poteſt, inter repetitas Venæſectiones intercapedine curo injicienda, eaque non niſi ſimpliciſſima illa è Saccharo in lacte ſoluto. Durante morbo id ago, ne æger nimis exæſtuet, ac proinde liberum illi facio ut lecto quotidie eximatur, idque ad horas aliquot, prout vires ſuaſerint; quod quidem tanti eſt in hoc morbi genere, ut ſi æger lecto jugiter affigatur, neque hæc tam larga ſanguinis evacuatio, neque remedia alia utcunque refrigerantia, ad dicta ſymptomata perdomanda vel minimum aliquando proficiant. Mox ab ultima Venæſectione (niſi fortè prius id contingat) ſymptomata omnia miteſcent, & æger (qui per aliquot adhuc dies, & à liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque, & à craſſioribus cibis arcendus eſt) priſtinas vires non ita diu pòſt reſumet; quo quidem tempore non abs re erit ut alvus tenuiori aliquo Cathartico ſolicitetur.

Jam verò ſi quem moveat, quòd huic viæ inſiſtentes, Expectorationem vix quidem attingamus, nedum quibus illa rationibus per varia morbi tempora ſit promovenda, operoſiùs diſſeramus; ſciat ille, hæc non per incuriam nobis excidiſſe, ſed deditâ operâ diuque ſatis cogitata, neglecta tandem fuiſſe & præterita, Cùm ſemper exiſtimaverim in ſummo diſcrimine verſari illos qui morbum hunc expectorationi eliminandum committerent. Nam ut tædium hujus Methodi, quâ Natura materiæ morbificæ ejiciendæ ſatagit, omittamus, nimiùm periculoſæ inſuper res eſt aleæ; cùm non rarò eveniat, parte aliquâ materiæ jam concoctâ, fortè etiam per ἀνακάθαρσιν rejectâ, reliquam adhuc crudam manere, idque ſucceſſivè, præſtantiſſimis quibuſque remediis maturantibus expectorantibuſque incaſſum uſurpatis, cùm expectoratio nunc quidem ſatis auſpicatò procedat, nunc penitus ſupprimatur; ægro interim uſquequaque periclitante, atque pro meo in expectorationem imperio (quod ſanè nullum prorſus eſt) ſive vivis, ſive etiam mortuis adjudicando. Cùm è diverſo, mediante Venæſectione, morbifica materia penes meum ſit arbitrium, & orificium à Phlebotomo inciſum tracheæ vices ſubire cogatur. Quinimò conſtanter aſſero, huncce morbum,

qui, ſi juxta præcepta à nobis damnata tractetur, inter patentiſſimas orci januas meritò recenſetur, æquè certò ac tutò, Methodo jam à me præſcriptâ (ut de breviſſimo quo profligatur tempore nihil jam dicam) ac alium quemlibet morbum debellari. Nec dum mihi innotuit minimum damni à tam largâ ſanguinis, (ut imperitis videri poteſt) detractione cuiquam fuiſſe illatum.

Sæpe quidem aggreſſus ſum in tractando hoc affectu, Θεραπείας rationem aliquam ſtabilire quæ citra ingentem hanc ſanguinis jacturam ſubſiſteret: nempe vel humorem reſolvendo, vel expectorationis promotione illum evacuando. Sed nondum ea ſors mihi contigit, ut huic ipſi, ſuprà memoratæ, praxi, parem aliquam reperire potuerim; cujus beneficio (non obſtante triſti illâ de Pleuritide ſicca, prognoſi) ægrum etiam non moratus expectorationem ab inſultu morbi vindico; per ipſum ſectæ venæ orificium & Pleuritidi fugam parans & ſanitati reditum. *Thom. Sydenham tract. de morbis acutis.*

Peripneumonia Notha.

Sub hyemis exitum, Vereque adhuc naſcente, quotannis emergit Febris Symptomatis Peripneumonicis haud paucis conſpicua. Paulò habitiores ac craſſos ea præ cæteris aggreditur; virilem ætatem vel aſſequutos, vel etiam (quod ſæpius accidit) prætergreſſos, liquoribus ſpirituoſis (vini maximè ſpiritu) plus æquo addictos. Cùm enim in hujuſmodi hominibus ſanguis humoribus pituitoſis, brumæ tempore congeſtis, fuerit oneratus, atque idem ab ineunte Vere in novum motum cieatur, Tuſſis hanc nacta occaſionem, mox ſubingreditur; quâ miniſtrâ dicti humores pituitoſi in pulmones irruunt: quo tempore ſi fortè æger, nullo vivens conſilio, liquores ejuſmodi ſpirituoſos adhuc liberaliùs hauriat, craſſeſcente jam ferè quæ tuſſim excitabat materiâ, & ab ea præcluduntur Pulmonum aditus, & Febris omnem ſanguinis maſſam depaſcitur. Primo Febris inſultu nunc incaleſcit æger, nunc friget: Vertiginoſus eſt, de capitis dolore queritur lancinante, quoties Tuſſis importuniùs fatigat. Potulenta omnia vomitu rejicit, nunc ſine Tuſſi, nunc illâ vexatus. Urina turbida cernitur, & rubens intensè. Sanguis detractus Pleuriticorum ſanguinem refert. Anhelus ſæpenumerò ſpiritum crebrò ac celeriter ducit. Si moneatur ut Tuſſim provocet, haud aliter dolet caput, ac ſi in partes mox diſſiliret (qua loquendi formula ægri ut plurimum utuntur;) dolet & Thorax omnis, vel ſaltem pulmonum coarctatio adſtantium auribus percipitur, quoties tuſſit, æger, pulmone non ſe ſatis dilatante; præcluſis adeò ab intumeſcentia, ut videtur, meatibus Vitalibus; unde intercepta circulatione, ſanguineque quaſi præfocato, nulla ferè, præſertim in habitioribus, Febris indicia ſunt; licèt hoc accidere etiam poſſit ob materiæ Pituitoſæ copiam, quâ horum ſanguis gravatus in plenam ebullitionem nequit aſſurgere.

Curatio. In curandâ hac Febre id mihi negotii dari ſentio, ut ſanguinem iſtum, qui ad Pulmonum & ſuffocationem & incendium facit, Phlebotomiâ revellam; ipſos pulmones remediis Pectoralibus deobſtruam atque eventilem; & diætæ refrigerantis ope, totius corporis calorem compeſcam. Cùm verò hinc materiæ Pituitoſæ ſaburra in venis contenta, Pulmonum inflammationi fomitem quotidiè ſubminiſtrans, Venæſectionem ſæpe repetitam videretur indicare; illinc verò obſervatio, quam facere potui diligentiſſima, me doceret Plebotomiam ſæpe repetitam Febricitantium iis qui craſſiore eſſent corporis habitu (præſertim ætatis florem prætergreſſis,) peſſimè ceſſiſſe, atque adeò ab ejuſmodi repetitione haud minùs abſterreret; Catharſin ego crebriorem Venæſectioni ſuccenturiabam, quæ ei ſatis rectè ſubſtituitur, in illis qui à largiori & iterata ſæpiùs Phlebotomiâ abhorrent. Ad hunc itaque modum proceſſi, ſanguinem è brachio in lecto jacentis extrahendum præcepi, nec paſſus ſum ut ex eo ſurgeret ad duas treſve horas; cùm omnis ſanguinis eductio, quæ univerſam corporis compagem labefactat quadantenus concutitque, hoc pacto faciliùs tolleretur; ita ut mitiùs cum ægro agatur cùm in lecto cubanti unciæ decem fuerint detractæ, quàm ſi ſex ſeptemve tantùm amiſerit, poſtquam è cubili ſurrexerit. Die ſequenti Potionem ſequentem mane ſumendam propino.

℞. Caſſiæ extract. ℥ j. Glycyrrhizæ ʒii. Ficus pingues N. iv. fol. Senn. ʒ ii ß. Agarici trochiſcat. ʒi. Coq. ſ. q. aq. Colat. ℥iiii. diſſolve Mannæ ℥ i. Syr. Roſ. ſolut. ℥ß. Poſtridie ſanguinem ſecundâ vice mittere ſoleo, atque interjecto die uno Potionem Catharticam modò præſcriptam iterum exhibeo, diebus alternis jugiter repetendam, donec omnino convaluerit æger. Diebus à purgatione vacuis, Decocto Pectorali, Oleo Amygdal. dulc. ac id genus aliis, ut utatur conſulo. A Carnibus & earum juſculo, maximè verò à liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque, ægrum interim inhibeo; quorum loco Ptiſanam ex hordeo & liquiritia, (Cereviſiam item tenuem, ſi eam efflagitet) pro potu ordinario concedo.

Atque iſtâ quidem methodo vincenda erat Peripneumonia hæc Notha, orta ab exundanti colluvie Pituitoſa in ſanguine aggeſtâ ob Hyemis analogiam, & in pulmones exploſâ; in qua non tantùm iterata Venæſectio, ſed & Catharſis etiam indicabatur; ſecus atque in Vera Peripneumonia; quam ego ejuſdem planè indolis cum Pleuritide eſſe arbitror, atque ab illa in eo tantùm differre, quòd Peripneumonia Pulmones univerſaliùs afficiat. Quin & utrique morbo pari omnino methodo medemur, Venæſectione, ſcil. præ cæteris, & medicamentis Refrigerantibus.

Notha hæc Peripneumonia, licèt ad Aſthma ſiccum aliquantulum accedat, tum quoad ſpirandi difficultatem, tum etiam alia quædam ſymptomata, ab illo tamen ſatis dignoſcitur, cùm in iſta manifeſta Febris atque Inflammationis ſigna ſe prodant, quæ in hoc nuſquam comparent; quamlibet in hac ſpecie minora ſint longè, at obſcuriora illis quibus inſignitur Vera Peripneumonia, *Idem ibidem.*

Pleuritis.

Præmiſsâ phlebotomiâ, quæ in omnibus internis inflammationibus, præſertim verò partium ventrem medium conſtituentium, eſt unicum remedium: ac etiam clyſtere, qui morbi decurſu ſæpius repetendus eſt, ni alvus reſpondeat; remedia ſequentia ſunt mihi expertiſſima.

℞. Olei ſem. lini ſine igne extracti ℥ iij. vel ℥ iv. pro doſi. Propinetur cum aq. ſtillat. vel decoct. bardanæ.

Antimonium diaphoreticum potenter prohibet humorum coagulationem, & jam coagulatos diſſipat; unde initiò pleuritidis, incipiente phlegmone tutò poteſt exhiberi in aquis idoneis, ſcabioſæ, aparines, &c. cùm præſertim manifeſtâ omni qualitate careat, nec calefaciat. Si ſudor profluat, bonum; ſin minùs, etiam operabitur.

Lapis prunellæ bis terve in die per biduum aut triduum primis morbi diebus exhibitus, mirabiliter calorem extinguit, febrem ſedat, & pleuritidis materiam deducit per urinas.

Stercus equinum recens vino albo dilutum & expreſſum utiliter multis exhibui, qui poſt copioſum ſudorem, aliàs deſperatis rebus convaluerunt.

℞. Succi naſturt. aquat, recenter expreſſi, ſive etiam naſturtii hortenſis; aceti roſacei ana ℥ j. olei olivarum ℥ ß. ſal. commun. ℈ j. mſ. f. hauſtus.

Pomum excavetur & olibano repleatur, atque operculo proprio tectum coq. in foco igne lento, ut liquatum olibanum faciliùs poſſit penetrare pomi medullam, quæ tandem à cortice ſeparata ſenſim lambendo deglutiatur. Optimè maturat lateris apoſtema, ejuſque expectorationem promovet.

Pulli gallinacei juniores per medium fiſſi applicentur calentes lateri dolenti.

NB. In ſero acri latet ſal pungens & membranam vellicans, unde dolor; hoc ſerum ſi divertatur, ſublatâ cauſâ procul dubio tolletur effectus.

Ego Thomæ de Vaux Londini, poſt omnia facta quæ Pleuritidi conferunt irrito labore, perſeverante lateris dolore intolerabili cum febre ſumma, &c. parti ipſi dolenti juſſi applicari amplum Veſicatorium, à quo per plures dies attracta & evacuata ingens ſeri ſive ichoris copia, ſublatus dolor, & æger variis morbis attritus & moribundus convaluit.

Hæc in Pleuritide remedia maximè ſpecifica habeo; alia verò, qualia in Tuſſi, Empyemate, Phthiſi, &c. invenire eſt, pro re nata neutiquam ſunt contemnenda: illa præcipuè quæ expectorationem promoveant. *Theod. de Mayerne Prax. Medic. lib. 2.*

Peripneumonia & Pleuritis.

Peripneumoniæ curationem explendam in praxi putant miſſione ſanguinis, & catharticis levioribus ex manna, caſſia, diapruno, rhabarbaro; mox etiam maturantibus, & ſputum è pectore educentibus, præſertim hydromelle, ſyrup. de hyſſopo, de tuſſilagine, de zizyphis, de malis appiis, de althæa, cum decocto paſſularum, ſcabioſæ, pulmonariæ, radicis iridis, hordei, glycyrrhizæ, capillorum Veneris; externè verò linimento ex butyro, adipe anſeris, & vervecis, cum oleo amygdalarum dulcium, chamæmeli, liliorum. Pro victu denique dulcia commendant, ab acidis autem abſtinent, licèt Hippocrates 3. *de Rat. Vict. in acut.* oxymel perutile cenſeat in affectibus pectoris.

At Helmontius Peripneumoniam, & Pleuritidem certò curari ait pulvere ex virga cervi, vel Tauri, cruore hirci, ex reſectis teſtibus collecto, ſucco cichorii ſylveſtris, floribus papaveris rubri, & ſimilibus.

Hartmanno vomitum moventia ab initio juvare dicuntur, præſertim aqua benedicta: eique inhæret etiam Cardilucius innixus authoritati Hippocratis 4. *Aphor.* 18. dicentis Dolores ſupra ſeptum tranſverſum purgatione indigere per ſuperiora ſignificant. Verùm plura de hac re ſequenti capite.

Pleuritidem cùm communiter Medici conſtituant Pleuræ inflammationem, illamque à ſanguine dependentem, proindè ſola, & repetita ſanguinis miſſione ejus Curationem abſolvi poſſe arbitrantur, ſive ab oppoſito, ſive è latere cum parte affecta conſentiente: de qua re plurimæ, & graviſſimæ apud ipſos omni ævo extitere altercationes. At Hippocrates 2. *de Rat. Vict. in acut. inter initia.* Lateris dolorem, ſive is per exordia fuerit, ſive poſteà obortus ſit, medicamentis calidis diſſolvere tentat; mox verò dolore ad claviculam pertingente, cubiti internam venam ſecandam ſuadet, ad coloris uſque in ſanguine mutationem; at ſi partes ſub ſepto tranſverſo afficiat, ventrem vel nigro veratro, vel peplio, ſolvendum ait.

Verùm Helmontius ejuſmodi curationem multis improbat, præſertim quia, ſicut Apoſtema natum ab infixa digito ſpina, procul dubio temerè curatur per venæſectionem, niſi ſpina ipſa evellatur; pari ratione pleuritis per eam ſanari nequit: quamobrem, ſubdit: quod facti Apoſtematis cruor non poteſt per venam ſectam evacuari, utcumque nomen revulſionis, aut derivationis in ægrorum deluſionem jactitetur. Neque inſuper venæſectio impedit, ne quid deinceps ampliùs aceſcat, cùm phlebotomia privationis tantùm vim habeat, nec poſſit eductus cruor inhibere, ne qui intùs aciditatem contraxit, eandem deponat. Pleuritidem præterea, quæ ſit per phlebotomiam reſtituta, ſæpè poſt annum recurrere, ſæpiuſque tabem poſt ſe relinquere advertit. Quare propria hujus ægritudinis remedia eſſe inſinuat pulverem de virga cervi, vel Tauri, cruorem hirci, ſuccum cichorii ſylveſtris, flores papaveris erratici, ac plura talia: hæc enim, inquit, cauſam immediatam corrigere, acorem tollere, ad diaphoreſim diſponere, doloremque lenire, aciditate ſublata. Alibi quoque commendat dentem apri, fimum Equi, & Herbam bellidem, quam primulam veris appellant.

Rulando fuit in uſu Aqua benedicta, quâ concitato vomitu in principio, plurimos à Pleuritide ſanatos commemorat. Habuere quoque in uſu quæ movent vomitum Hartmannus, Angelus Sala, Joh. Petrus Faber, aliique. Et Pachequus apud Riverium teſtatur ſe infinities obſervaſſe pleuriticos, qui in principio morbi vomunt, evadere.

Oleum è ſeminibus lini recenter extractum

Veteribus etiam comm_ndatum fuit: & pleriſque dicitur ſolo ejus uſu ad uncias duas, vel tres, pleuritides fuiſſe reſolutas, additâ potiſſimùm raſuræ dentis apri drachmâ unâ. In quam rem ſcribit Tacchenius ſpiritum vini ſaturatum camphorâ, & croci tinctura ad gutt. xx. in ℥ ij. Olei lini recenter expreſſi, indubitanter pleuriticos ſanare. Alii etiam oleum amygdalarum dulcium efficax eſſe aiunt; ſicut & oleum olivarum.

Decoctum florum papaveris rhœados, ejuſque ſyrupus, & extractum quoque proſunt ex Valleriola, & Quercetano. Decoctum pariter Tabaci mirum medicamentum inquit eſſe Epiphanius Ferdinandus; itemque aquam florum chamæmel. ſtillatitiam, Lelius à fonte. Efficacia ſimiliter cenſentur, quæ conficiuntur ex Carduo benedicto, ſcabioſa, radice lappæ majoris, floribus cynosbati; ſive tincturæ, ſive extracta, ſive ſalia ex his eliciuntur.

Parat Quercetanus Pomum cum olibano, & intrà triduum exhibet utiliter: idque approbant Riverius, & Simon Jacoz. Idem Riverius felici cum ſucceſſu exhibuit fuliginem camini in pulverem redactam in aqua Cardui benedicti.

De raſura eboris, pulvere dentis apri, cornu cervi, oculorum Cancri, mandibulæ lucis piſcis, coralliorum rubrorum, ligni viſci quernei, jam innumeri meminêre, quod pleuritidi conferant; & paſſim de eorundem fructuoſa exhibitione referuntur hiſtoriæ. Conficitur etiam pulvis ad eundem finem ex Ariſtolochia, ſcordio, dictamno, rhabarbaro cæteriſque, qui ſub nomine Cardinalis Pallotti, Ducis Aquæſpanæ circumfertur. Conferunt quoque ſal volatile cornu cervi, ſalis ammoniaci, fuliginis, urinæ, & omnia alcalia diaphoretica.

Dominicus Panarolus optimum remedium eſſe fatetur, & apud magnates quoſdam inter arcana principaliora repoſtum, ſtercus columbinum in pulverem redactum ad ʒ ß. ſicuti Helmontius teſtatur de ſtercore jumenti.

Apud Robertum Boylæum, magnum & perutile medicamentum celebratur Urinæ humanæ ſpiritus per deſtillationem elicitus, & purgatus à gutt. x. ad xxx. in convenienti liquore. At præcellit ſpiritus ſalis ammoniaci dulcis redditus.

Bezoardicum Minerale, Solare, Joviale, Martiale, ſicut & diaphoreticus pulvis Antimonii primas in hac re occupant: quorum uſu plurimos brevi, & feliciter curatos vidimus. Conficit tincturam anti pleuriticam Adrianus à Mynſicht, eamque mirificâ commendat, pariterque ſpecies anti-pleuriticas: & Penotus ſpiritum nitri. Valet etiam Nitrum Antimonij, magiſterium oculorum Cancri, galbanum, ſagapenum, ſperma ceti, Mumia, & quidquid multo alcali præditum eſt. Fridericus Deckers tragæam anti-pleuriticam Ausfeldianam laudat, apud quem vide. Et Sylvius Leboë miſturam conficit ſudorificam, cujus uſu Pleuritidem, cæteraſque inflammationes brevi curari fatetur inducto ſudore.

Inter externa verò dolenti parti adhibenda recenſentur unguentum de Althæa Fernelii, pectorale Mynſichti martiatum, de mucilaginibus, meliloto & oxycroceum; butyrum recens, adeps vervecinus, anſerinus, gallinaceus, cum oleo amygdalarum dulcium, chamæmeli, liliorum, lini, nucum juglandium, ſeſami, & à Mynſicht oleum camphoræ, & anodynum, dictum. In Ephemeridibus Germanicis anni 1670. memoratur oleum antipleuriticum ex oleo olivarum, & raſura cucurbitarum ſimul frixis, quo pleuritides certò ſanari teſtatur ejus promotor Petrus à Caſtro. Fatetur Digbæus ad rumpendum in pleura apoſtema feliciter ſucceſſiſſe hoc experimentum. Panem recèns coctum, atque calentem adhuc, è furno extractum, in duas partes diviſum, theriaca ex interna parte oblinit; applicat autem dolenti lateri unam & alteram medietatem ex adverſo, & faſciâ circumligat donec abſceſſus dirumpatur: quod remedii genus memini quoque deſcriptum ab Alexio Pedemontano. Hartmanno probatur cataplaſma ex herba Kaly, radicibus liliorum alborum, & axungia ſuilla. Pro eo autem ſubrogat Cardilucius cœpam aſſam, cum axungia, & modico ſaponis nigri ſimul miſtis. Aliud cataplaſma ex cæpis deſcribit Sylvius Leboë, commendatque præterea emplaſtrum de ſpermate Ceti ſanguinem à coagulatione præſervans, & jam coagulatum diſſolvens.

Ad hanc Morbi claſſem referuntur inflammationes, & abſceſſus in diaphragmate, & Mediaſtino, qui cùm pleuritidem mentiantur, vulgò ad Pleuræ inflammationem reducuntur, quamvis longè graviores eſſe ſoleant, præſertim ſi non tam facilè pateat aditus excreationi, cùm fortaſſe ſuppuraverint. Cæterùm iiſdem utendum, quibus in Pleuritide. *Clariſſ. Lucæ Tozzi Medicin. Practic. part. 1.*

Conſultationes.

Pleuritis.

Patiens Perill. & Excellent. ſexagenarius, temperamenti ſecundum totum ad calidum & humidum vergentis, hepatis calidioris, ſubplethorici habitus, cibis & potibus promiſcuè indulgens, & vitam ſedentariam agens, tempore hyemis, tempeſtate Aquilonia, correptus eſt repentina febre, cum dolore circa ſternum incipiente, paucis tamen horis poſt ad latus ſiniſtrum circa legitimas coſtas propagato, valdè pungente, ac uſque ad jugulum tandem protenſo, cum difficili decubitu in latus affectum; cui acceſſerunt difficillima reſpiratio, tuſſis, cum excretione materiæ tenuis, pulſu parvo, celeri, duro, ſerrino, mentiſque moleſta perturbatione. Tertia die invaluit febris, abſque manifeſto inſultu, cœpitque apparere ſputum flavum, pallidum & craſſum, quod tamen difficulter extruditur. De agendis itaque conſulit.

Medicus eſt Artifex conjecturalis; conjectura autem argumentum ſatis fallax; ut propterea mirum videri non debeat, ſi aliquando in dignotione morborum vel maximè peritus decipiatur. Duorum verò tantummodo morborum, in univerſa Arte, admittitur à Gal. cognitio, ſcientifica potius quàm conjecturalis, Dyſenteriæ ſcil. & Pleuritidis. Quis enim videns ægrum correptum dolore pungente

gente, acuta febre, difficili reſpiratione, tuſſi, cum pulſu duro, parvo, ſerrino, non fateatur ipſum neceſſario pleuriticum? Eſt enim ea ſignorum ſyndrome, quæ ſoli & ſemper pleuritico convenit, ita ut impoſſibile ſit, his apparentibus, non dari Pleuritidem. Talis itaque eſt affectus, affligens Perill. & Excellentiſſimum Patientem noſtrum, ita dictus à pleura, parte læſa; cujus proprium indicium eſt durities pulſus, quæ læſos muſculos non comitatur, partibus enim duris ſolùm, & denſis tumefactis, fit pulſus durus. Afficitur autem hoc caſu pleura ſecundum partem externam; quod colligitur ex facili decubitu in latus oppoſitum; ſic enim neque comprimitur oſſibus alliſa, neque pendet inflammatio; jugulum autem infeſtat, quia illuc membrana exporrigitur, quæ licet à quolibet humore inflammari poſſit, facilius tamen à ſanguine bilioſo affici conſuevit, ut præſenti caſu, cùm facilius ſua tenuitate in corpora etiam duriora penetrare poſſit; cujus humoris peccantis indicium eſt hepatis intemperies calida. Et licet ad plethoricam diſpoſitionem ſit proclivis æger, ob liberalem cibum & potum, vitàmque ſedentariam; ſanguis tamen inflammatus, aut corruptus, citò & neceſſario in bilem converti, nemo ignorat. Sed præterea hujus humoris peccantis certum ſignum habetur ſputum flavum & pallidum, tranſudatione excretum, necnon febris tertio die invaleſcens, exquiſitæ pleuritidis propria, qualis hæc eſt, non ſolùm ratione loci, ſed etiam materiæ, ſanguinis ſcilicet bilioſi, qui à venis majoribus ad minores, & tandem extra vaſa, vi caloris expulſus & detruſus per mediaſtinum in pleuram, in eaque concluſus nec difflatus & mox corruptus, in parte quoque continenti neceſſario inflammationem excitavit, quam nil mirum ſi prædicta ſequantur ſymptomata, pungens nimirum dolor, quia pleura exquiſito eſt ſenſu donata; febris acuta, tum propter exquiſitam inflammationem, tum propter viciniam cordis, quarum conditionum altera deficiente, non fieret hujuſmodi febris, difficilis vero fit reſpiratio, quoniam læſa ſunt inſtrumenta illi dicata; tuſſis, quia natura ſemper tentat evacuationem materiæ noxiæ, quæ quoniam facilis eſt per ſputa, ideo facultas expultrix pulmonum irritata ejuſdem excretionem moliri non deſinit: pulſus parvus, ratione alioqui inflammationis magnus futurus, quia non ita commodè dilatatur arteria, durus inſuper, tum ob extenſionem membranæ, tum ob ejuſdem ſiccitatem & tenſionem. Et licet capitis affectus non videatur ſymptoma neceſſario conſequens pleuritidem, attamen nunquam ferè accidit quin afficiatur, quod ſcil. ſuſcipiat humorum corruptorum in inflammationibus fuliginem, potiſſimum vero bilioſorum, ut in caſu noſtro, quæ ſi ingraveſceret, delirium quoque omnino excitaretur.

Curanda autem hæc, ut cæteræ inflammationes, exceptis repellentibus, ne magis materia impingatur, tum in partem affectam, tum in nobiliores. Quare conſideranda inflammatio, quæ ut eſt in fieri, revellentia poſtulat, ut in facto eſſe, evacuantia ſenſibiliter & inſenſibiliter, & ad has evacuationes præparantia, ſedantis interim doloribus, ne proſternant vires, neve majorem materiæ copiam ad affectam partem attrahant, nec capitis cura negligenda, revellentibus ſaltem, necnon etiam repellentibus, cum ſymptomaticè afficiatur.

Quod nos aſſequi poſſe, ſicuti non eſt impoſſibile, difficile tamen fuerit, etenim morbus ex acutorum genere eſt, quos ſemper concomitatur cum brevitate periculum, & potiſſimum cum palam ſcribat Gal. quod inflammationes pulmonum, pleuræ, ventriculi, &c. cum acuta febre, exitiales & mortiferæ eſſe ſolent, non ſolum imbecillibus viribus, verùm etiam validioribus. Augetur periculum ab ætate ſenili, cui non congruit morbus, & à difficultate ſputorum, quæ neque ab initio cruenta apparuerunt. Attamen quia vires validæ, in quibus, hoc potiſſimum morbo, ſpes ſalutis ſita eſt, nec temperamento, nec anni temporibus morbus adverſatur, ideo aliqua eſt ſalutis ſpes, eo potiſſimum nomine quia cœpit apparere ſputum flavum, quod ſolet eſſe bonæ judicationis prænuncium, ſi enim Anaxion tertia die coloratum expuiſſet, die 7. vel 9. vel 11. liberatus fuiſſet, poterit tamen protrahi morbus, ſed circa 14. à qua ad ſuppurationem tranſiret. Solvi autem ſolet tribus modis, per concoctionem, & per ſuppurationem, & per reſolutionem, hic vero primo modo terminabitur. Ad curationem itaque triplici inſtrumento perficiendam, Chirurgico ſcilicet Pharmaceutico & Diætetico accedendum.

In Chirurgico potiſſima materia remedii eſt, per ſectionem venæ ſanguinis miſſio, confeſtim adminiſtranda, ſemper quidem, ſed potiſſimum cum dolor ad jugulum aſcendit; auxilio enim miſſi ſanguinis Pythio, qui nihil expuebat, initium coctionis ſexta die habuit. Quantitas vero juxta Hipp. erit ad coloris uſque mutationem, obſervato tamen Gal. monito, melius eſſe virtutem non exſolvere. Locus erit ex latere læſo. Proximum enim ventrem purgare & proximum ventrem incidere oportet, dixit Hippocr. Evacuatio enim ex latere oppoſito obſcuram & tardam utilitatem afferre ſolet, perdurante vero dolore, cum pectoris anguſtia, repetita ſanguinis miſſio ex eodem latere neceſſaria fuerit, licet contrarium videatur præceptum Gal. dicentis, ante 14. & poſt 60. an. ſanguinem non eſſe mittendum; quod tamen exceptionem admittit, longa & quotidiana experientia confirmatam, in Sene robuſto, & boni habitus puero: non enim metiendæ vires annis de Sang. Miſſ. 13. Nec cætera genera revulſionum in principio, à pectore & capite erunt omittenda. Perdurantibus vero doloribus, & pleuræ, & capitis, opportuniſſima fuerit applicatio hirudinum venis ſedalibus externis, cum vena cava communicantibus, quæ præterea quod à capite revellunt, pectori mirificè conſentiunt. Sanguifluis enim venis laborantes, neque morbo laterali, neque pulmonario, neque aliis morbis corripiuntur, ait Hipp. Quod ſi affectus capitis paraphreniticus phrenitici futuri indicium præberet, veſicantia quoque partibus inferioribus peropportuna erunt, ſicuti & oxyrrhodina capiti, ex Oleo Roſar. & Succo Citri.

In Pharmacia Purgantia hic locum non habent. Quicunque enim inter initia inflammatio-

nem medicamento ſolvere conantur, non ſolum ab intenta & inflammata parte nihil adimunt, cum cruda ſit affectio, verum quæ ſana ſunt, & morbo adverſa abſumuntur, unde ducto ad imbecillitatem corpore, morbus ſuperior evadit. Imo hoc caſu neque medicamenta lenientia admitterem, ſed horum loco ex Hipp. frequentes clyſteres præciperem, & quidem ſtatim ante ſanguinis miſſionem, quanquam, ſi dolor infra ſeptum deſcenderet, tunc à medicamento incipienda foret curatio, ut monet idem Hippocr. Tunc autem propinanda Manna, vel ſimplex vel cum ſyr. & Mel. Roſ. ſol. & decoct. pector. Interim alterantibus inſiſtere oportebit ex decoct. cich. borrag. end. malv. viol. hord. pomor. ſem. mel. & Citri. cui admiſceri poterit Julap. acet. viol. ſyr. de Ibiſ. & urgente calore, aqua hordei cum iiſdem exhiberi, in quorum, ſicut cæterorum uſu, cavendum ne quid unquam Pleuritico actu frigidum exhibeatur, quo tempore, poſt ſecundam ex vena ſanguinis miſſionem, ſi dolor urgeat, accedendum ad uſum Ol. vel Amygdal. dul. rec. ſimpl. vel hoc caſu, ætate & tempore Ol. de Lino miſti, ad ℥ VII. vel VIII. præterquam quod enim demulcebit dolorem, movebit etiam alvum, (& opportunè, à miſſione ſcilicet ſanguinis) qua occaſione natura ſæpe ſolet per venam Azygon pectus expurgare, quod facilius contingit quo tenuior eſt humor peccans. Materiæ autem in pectore concluſæ erit ſemper tentanda præparatio & evacuatio ſenſibiliter & inſenſibiliter, internis & externis. Interius ex uſu erunt lambitiva, aliquo pacto incraſſantia, & refrigerantia in principio, ut Julap. Viol. de Ibiſ. de Farf. de Jujub. mox minus incraſſantia uſurpanda, ut Julep. acet. cum ſyr. de Ibiſ. poſtmodum Acetoſ. ſimpl. & Oxymel. & demum, craſſiori reddita materia, ſi tenacior fuerit, addi poterit, etiam portio ſyr. de Hyſſop. & de Praſſ. in quorum uſu obſervandum ut præbeantur lambitiva jejune, vel à cibo tribus ſaltem horis. Dum hæc adminiſtrantur, clyſteribus ſi opus fuerit, utendum, nullo vero modo medicamentis ſolventibus, præterquam quod enim materiæ concoctionem perturbarent, ejuſdem quinetiam concoctæ evacuationem per ſputum propriam inhiberent, unde nil pejus afflicto pleuritico contingere poteſt alvi profluvio.

Exterius convenit in principio butyrum cum Ol. Amygd. & Viol. mox in progreſſu, Ung. de Althea, cum iiſdem Ol. & tandem cum Ol. de Lino. Recentiores ſecreti loco habent adverſus materiæ viſciditatem & contumaciam, braſſicam appoſitam, illitam butyro antiquo, cum axungia porcina & pulv. Cymini. Laudantur etiam fomenta ab Hippocr. acrimonia carentia, & potius demulcentia, ex decoct. Mal. Alth. Viol. Hord. Flor. Chamæmel. Rad. Malv. Alth. cum ſem. Lini, & Fœnugr. ſpongia magna molli linteo obvoluta, aut filtro optimè madefacto, quibus tamen etiam cautè utendum, aliquando enim diuturniori calefactione, aut exſiccantur pulmones, aut morbus ad ſuppurationem deducitur. Quare ſolum in principio convenire ſolent, & fine, quando ſcil. materia contumax & craſſior reddita, cum ſtertore ad exitum omnino reluctatem ſe prodit. Nec omittenda à proprietate juvantia, ut Dens apri, Priapus Tauri, in aqua Scabioſæ, ut obſervavit Rondeletius, Flos item papav. ſylveſtr. in principio, vel bolo, cum ſuperioribus, vel cum alterantibus decoctus, ut Avic. & Fallopius, hauſta ab eo aqua vel Scabioſæ, vel Pimpinellæ, vel Card. Sancti.

Victus ratio generatim tenuis eſſe debet, ita ut ſola ptiſana ſufficiat, in jure pulli junioris, cum pomo ſub Cineribus cocto, grano thuris repleto, vel fluore alvi ſuperveniente, panatella cum emulſ. ſemin. mel. qui cibi modus ſufficiet præſenti huic Patienti. Non tamen poſthabendum Gal. documentum, nimirum quod, Si Pleuriticos omnes æqualiter cibabis, multos trucidabis, alios citiſſimè præfocando, alios vires proſternendo. Potus ſit vel aqua hordei, vel aqua ex pectoralibus parata, & tandem mulſa diluta. *Raym. Joh. Fortis Conſ. & Reſp. Medic. Tom. 1. Cent. 2.*

Peripneumonia.

Quinquagenarius Vir, temperamenti totius, calidi & humidi, hepatis calidioris, tuſſi ex capitis deſtillationibus obnoxius, hoc hyemali tempore, poſt prægreſſam æſtatem pluvioſam & Auſtralem, & conſuetum vini generoſi potum, quatuor abhinc diebus febre acuta correptus fuit, ac mox difficultate reſpirationis, gravitatis ſenſu in pectore & tuſſi, primo ſtatim die humida, dolore item gravativo uſque ad claviculam dexteram protenſo, nunc vero ad ſternum & ſpinalem medullam, ſputaque copioſa cruore tincta nonnunquam apparent. Pulſus autem fuerunt, & adhucnum ſunt molles & magni. Urina craſſior non cruda. Lingua ab initio albicans quidem, nunc vero rubra, ſicut rubor quoque cum inſigni calore faciei & genarum potiſſimum efflorefcunt. Initio vero quartæ diei capitis dolor, & aliqua mentis alienatio ſupervenerunt, Accerſitus Medicus Leniens exhibuit, & ſemel cubiti venam aperiri juſſit. Modo conſanguinei nos de agendis pro ſalute conſulunt.

Spirandi difficultas atque anguſtia, cum ſenſu gravitatis pectoris acutaque febre, conſtituerunt, ſeu ſignificarunt in Nobil. hoc Viro pulmonis inflammationem, à parte Læſa, Peripneumoniam, denominatam, Pulmo ſiquidem Græcis Pneumon, à ſpiritu nuncupatus, ſicut Pulmonaria ſignificat cæteros omnes pulmonis affectus, citra inflammationem, quibus ſi accederet intolerabile thoracis incendium, cum minori anguſtia ac ſenſu gravitatis, Eryſipelas vocaretur. Spirandi autem difficultas fit per ſe, cum proprium reſpirationis inſtrumentum læſum ſit, non vero per accidens, ut in Pleuritide. Senſus eſt gravitatis, dolor ſcilicet gravans, ſicut in renibus, ex inflammata pulmonis ſubſtantia, quæ ſenſu hebeti pollet, prout exquiſito membrana, protenditur autem dolor hic ad claviculam dexteram, quia inflammatio cœpit ab ala ſuperna dextera pulmonis. Febris acuta neceſſario hunc affectum comitatur, imo gravior quàm in pleuritide, proinde acutiſſima. Tuſſis ab initio ſtatim humida, ad differentiam peripneumoniæ ſiccæ ab Hippocr. 3. de morbis deſcriptæ. Pulſus ſunt molles & magni, ob partis inflammatæ ſubſtantiam mollem, & nullis ferè nervis interſtinctam; lingua ab initio albicans, liquata

liquata circumſtantium partium pituita ab inflammatione ipſa, in præſens rubra, ab eadem exſiccata atque conſumpta. Rubor vero faciei, & potiſſimum genarum, quia ſanguis in pulmone efferveſcens vaporem præcalidum expirat, orta enim ſuis cauſis ſimilia eſſe ſolent: vapores autem hujuſmodi facilè ſuſcipiunt genæ, ob earum carneam mollitiem, laxitatem & raritatem. Quibus tandem acceſſerunt capitis dolor, & mentis alienatio, ab iiſdem vaporibus in caput elevatis, etenim raro fit ut caput in hoc affectu non lædatur, imo etiam aliquando delirio afficitur. Facilis autem in Peripneumoniam huic Viro fuit prolapſus, temperamenti calidi & humidi ratione; etenim licet ex quolibet humore fieri poſſit, facilius tamen à calido & humido, & à capite humidiori, ſanguine in toto pituitoſiori, & à vini generoſioris conſueto potu calidiori reddito, pulmones enim, utpote laxi, vix humorem tenuiorem atque bilioſum admittunt, prout ætas declinans non parum huic affectui opportuna, ſicut & anni tempus, maximè poſt æſtatem pluvioſam & auſtralem, qua caput, & totum humiditatibus repletur, quæ redundantes ab hyemis frigore in partem laxiorem atque debiliorem exprimuntur, quod facile huic Patienti contigit, ob pulmones à perenni capitis deſtillatione, tuſſique frequenti imbecilliores redditos, unde pituitoſi ſanguinis influxum non ſolum admittere, verum & tuſſi quodammodo allicere potuerunt. Afficiuntur autem, in hoc affectu, ſecundum ſubſtantiam carnoſam cum Eraſiſtrato, ſecundum vaſa vero cum Archigene, ſed potiſſimum ſecundum totum, nam ratione phlogoſis, vaſa magis, ratione vero tumoris, membrana, & ſi œdematoſus foret, ſubſtantia. Bronchia autem omnino ſemper, quia materia exitum quærens circa eadem ſemper hæret, hoc vero caſu cœpit quidem inflammatio in ſuperna pulmonis ala dextera, quæ tamen, me judice, ulterius ad totum ferè pulmonis corpus propagata eſt, cum ponderis ſenſus & oſſi pectoris, & ſpinæ impertiatur.

Peripneumonia autem eſt de genere acutorum, ægritudo mortifera à Gal. appellata, potiſſimum vero in hoc Viro deſtillationibus antea obnoxio, & cui mentis alienatio quarta die acceſſit, etenim ex qualibet alia inflammatione periclitantur magis juniores, ex hac vero ſeniores, quia infirma habent latera. Attamen, quia Patiens ſenior non eſt, & ſtatim ſputum apparuit, quarta vero potiſſimum cruentum, quod levamen, imo ſecuritatem polliceri videtur, urinaque craſſa quidem, ſed non cruda eſt, ideo ut expugnari poſſit, abſque puris collectione, ſperandum, quod cum diebus judicatoriis à natura tentari ſoleat, & quartâ cruenta cœperint apparere ſputa, ſeptimâ copioſa excretio expectanda, ſequentibus poſtea diebus criticis omnino judicatio.

Pro curatione itaque. Primo materia fluxa evacuanda. Secundo fluens revellenda. Tertio calor contemperandus. Quarto dolor anodynis & laxantibus demulcendus. Et ultimò ſymptomatibus occurendum.

Et in fonte Chirurgico, adeo neceſſaria eſt ſanguinis miſſio, ut de illa dubitantes dementes appellet ipſe Gal. Ideo ſanguinis diminutionem confeſtim adhibendam eſſe jubet, & potiſſimum cum aliis morbis non ſuccedat, Anginæ ſcilicet, vel laterali morbo. Sic Aretæus utramque cubiti venam aperiendam conſulit. Quare jecorariæ ſectio repetatur dextri lateris, ſicut enim prima evacuatio revulſionem, ita repetita, & revulſionem & derivationem utiliſſimam præſtare ſolet, non tamen ſit valdè copioſa, minuſque ad animi uſque deliquium, ne vires concidant & ſuffocetur Patiens, quinimo non permittentibus viribus (ut aliquando contingit, & potiſſimum dum Peripneumonia aliis ſuccedit affectibus) repetitam ex cubiti vena ſanguinis miſſionem, tunc venæ ſedales aperiendæ ſunt, ut quæ ex Hipp. magnum conſenſum cum pectore habeant: ſicuti quoque ſi tardius acceſſiti fuerimus, nimirum in ſtatu morbi, omnino à ſanguinis miſſione abſtinendum, ne natura à concoctione revocetur, ſputum ſupprimatur, & ita Patiens ſuffocationis periculum ſubeat. Venæ ſectioni Aretæus ſubſtituit inanes cucurbitulas tergo, dorſo, aliiſque corporis partibus appoſitas, ratione diverſionis, ſicut ratione derivationis pectori & lateribus ſcarificatas proponit Paulus, quæ tamen nonniſi deploratis apponendæ. Ab initio, loco venæſectionis, in quibuſdam ob virium defectum, acris clyſter convenire poteſt. Pectus illinatur vel ung. roſ. Meſues, vel butyro, vel ol. Viol. & butyro recenti, ab adſtringentibus enim cavendum, ne magis repellatur materia in pulmones, & in cor ipſum. In progreſſu vero, butyro addi poterit pulvis Iridis, & reformari cum ol. Lilior. alb. linim. ſic & Paulus linimentum componit ex butyro, medulla, Oeſypo, iride ſicca, unguent. Nardino & Cera.

Et quoniam ſymptomatibus quoque occurrendum, ideo, cum caput per conſenſum à pulmonibus, doloribus & mentis alienatione laboret, repellantur vapores ac humores oxyrhodino ex roſaceo & ſucco citri parato, & revulſionis gratia, Phænigmi duo ſtatim infernis partibus apponendi, pedumque calentes lotiones ante cibum adhibendæ uſque ad morbi ſtatum, tunc enim à revulſionibus abſtinendum ne ſputum ſiſtatur, quod ſi urgeant vigiliæ, nares & tempora illinenda Laudano Nepenthes Quercet. aquæ roſac. momento diſſoluto.

Ex fonte Pharmaceutico deſumenda Evacuantia, Præparantia, & calorem Contemperantia. Cùm vero jam initio Leniens fuerit exhibitum ex Manna clariſ. & ſyrup. roſ. ſol. modo aliquo leni clyſtere utendum, nec deinceps medicamento alvus ſolicitanda, ut nos monet Hippocr. ſed materiæ evacuatio per ſputum molienda, atque ſicut ab initio conveniebant Diapenid. Diacod. Diatragac. frigidum, flos quoque Papav. erratic. aqua Pimpinellæ & hederæ terreſt. vel hujuſmodi Eclegma.

℞. Syr. de Jujubis, Viol. an. ℥j. mucilag. ſem. mel. Citon. extr. cum aqua viol. an. ℥j. ſ. ſacch. fin. ℥ ſ. m. hæc enim ſanguinem fluentem ſiſtunt & valdè refrigerant, ita modo in progreſſu.

℞. Julap. acet. ℥ij. ſyrup. de Ibiſc. ℥j. m. pro lamb. paulatim ad magis attenuantia & expectorantia progreſſu facto. Sic Ætius exhibet mulſam decoctam cum hyſſopo, aut Iride ſicca, quod forſan deſumpſit à Celſo: ſi autem urgeat ſuffocatio, nitrum quoque hyſſopi deco-

cto

cto addunt, & Areteus & Ætius, acetum quoque cum melle, unde oxymel. Nos vero tale eclegma parare poterimus.

℞. Looch de pulm. Vulpis, ſyrup. de Farfara, oxymel. ſimpl. an. ℥ß. rad. ireos ʒi. ſacch. cand. ℥ ſ. m. pro lamb. quibus Chymici addunt gr. ii. aut iii. ſulph. ſaturni, aut ol. ſupernatantis.

Quod ſi fortè materia exuberet in pulmonibus cum ſtertore, nec per ſputum educi poſſit, atque ob id immineat ſuffocatio, ut nos aliquando vidimus, tunc ad evacuationem per alvum nos compellit neceſſitas, quo caſu non ſemel felici ſucceſſu experti ſumus Mannam, alternis diebus exhibitam, cum ſero copioſo tribus poſt horis in bilioſis, in pituitoſis vero cum mulſa ex aqua hordei parata, & duabus horis ab his, aſſumpto cibo, quod tribus aut quatuor vicibus repetendum, natura enim anguſtis rebus à medicamento ſolvente prolectata parat ſibi vias, & per venam Azygon materiam ad alvum deponit.

Alterantis loco, & calorem febrilem ac inflammatorium contemperantis, frigidæ potus proponitur ab Hipp. qua tamen cautè utendum, & nonniſi inflammatione Eryſipelacea, aut omnino in principio, ne alioquin pars inflammata, & materia ipſa magis magiſque denſentur. Serum Aſininum hoc caſu præbendum, vel talis ſyr.

℞. Decoct Malvæ, Viol. End. Liquir. quatuor ſem. frigid. ℥viii. ſyr. de Jujub. Viol. an. ℥i. m. pro ſyr. In progreſſu vero addantur fol. farfaræ & julap. acet. Et hæc de Medicamentis. Quod ſi ad ſuppurationem convertatur, non expurgata judicatoriis diebus, tunc curatio ad Empiema ſpectat de qua nihil in præſentia.

Victus ratio ſit tenuior quàm in Pleuritide, non tamen tenuiſſima, ut in inflammatione Ventriculi & Iecoris. Convenit vero ptiſanæ cremor, aut alica cum ſaccharo & juxta Areteum & Paulum, cum melle. Potus ſit aqua hordei in principio, in fine vero mulſa ex eadem aqua parata, ſi enim permittatur exſiccari pulmo, durior fit, nec ſputum rejicit, Aetius tamen vult quod humiditas ſit noxia pulmoni, atque ideo exiguum præcipit potum, Gal. autem ſtatuit quod in tuberculo & abſceſſu parcus debeat eſſe potus, ad humores vero in bronchiis hærentes, multus & crebrior, quod ſitis pulmonum frigidi aeris inſpiratum deſiderat. Vinum in declinatione, recedente febre, cõvenit dulce, ad ſputi eductionem. Somnus ſit nocturnus & elato thorace. Abſtineat à multa locutione. Alvus in progreſſu potius ſicca quam lubrica ſervanda. Compoſito animo degat Patiens, ab ira alienus. Quæ pro ſalute ejuſdem, dicta ſatis. *Idem ibidem.*

De Pleuritide.

Vir quidam Nobiliſſimus, ætatis annorum 35. temperamentô calidô & humidô præditus, corpore obeſus & plethoricus, poſtquam ſub veris initium iter aliquod per diem unum alterumve equitando faciens aëri, tum temporis, frigidiori ſe expoſuiſſet, ventô latus dextrum potiſſimum impetente, variaque in diverſoriis vivendi ratione eſſet uſus; domum delatus, atque redux factus, noctù inſignem rigorem, per horam ferè durantem, ſentit; quem febrilis calor valdè intenſus continuò affligens excipit, accedente dolore pungitivô dextrum latus occupante, nec non tuſſi, primùm ſiccâ, poſt humidâ, ſputumque, quod rejicitur, flavum & interdum ſanguine tinctum apparet. Reſpiratio inſuper adeſt difficilis; Pulſus durus celer & inæqualis. Urget ſitis; Alvus per biduum ſuppreſſa eſt; ſuccedunt Vigiliæ. Petit conſilium.

Reſolutio.

Affectum, quo præſens, laborat, Pleuritidem eſſe cenſeo; cui nomen à parte affectâ, membrana ſcil. coſtas cingente, quæ communiter pleura dicitur, impoſitum eſt, & definiri à pleriſque ſolet: Quod ſit inflammatio membranæ coſtas ſuccingentis cum febre acuta, dolore lateris punctorio, reſpiratione difficili, tuſſi & pulſu duro &c. prout ex Galen. 5. loc. affect. 3. & Comment. in aphor. 6. & 33. ſect. 6. aliiſque patet. Quo ipſo inſuper morbum eſſe non ſimplicem, ſed compoſitum, ex Morbo puta intemperiei, conformationis vitiatæ, atque ſolutæ unitatis innuitur.

Adeſſe autem hunc morbum, quinque illa Signa Pathognomonica, â Galeno allegata, ceu inſeparabilia demonſtrant: Siquidem ſingula quoque Ægrum noſtrum affligunt, conqueritur enim (1) de dolore lateris pungitivo (2) de reſpiratione difficili (3) adeſt febrilis calor continuus & intenſus (4) Pulſus durus, celer & inæqualis, cum tuſſi (5) ſatis moleſta, initio quidem ſicca &c. quæ omnia rigor inſignis per horam ferè durans anteceſſit.

II. Docent id etiam alia ſupervenientia, ſitis nimirum urgens; vigiliæ contumaces; Alvus ſuppreſſa.

III. Præceſſerunt, cauſæ tales, quæ hunc affectum producere aliàs & poſſunt & ſolent, de quibus mox dicemus.

Hiſce rite perpenſis, veram & exquiſitam eſſe pleuritidem, qua correptus æger decumbit, ſua jam luce radiare arbitror.

Pars affecta eſt Pleura ſive membrana dextri, hoc quidem in ægro, lateris coſtas ſuccingens: quam tamen ita cenſemus inflammari, ut tùm muſculi intercoſtales tum ipſi etiam pulmones facile in conſenſum rapiantur. Cœterum afficitur Pleura non ſolùm ſecundum ſuam ſubſtantiam & fibras, ſed etiam ſecundum vaſa; ſiquidem hoc plenior humorum affluxus plethoricis familiaris, illud verò ipſius affectus exquiſita ratio evincunt. Non eſt itaque, ut vl. diaphragma inflammatum quis putet, cum abſit præcordiorum tenſio, circa diaphramatis regionem, palpitationis vl. ſaltus ſenſus nec non delirium, neque inſuper ægrum peripneumonia laborare quis dixerit, quandoquidem dolor non tam gravativus in pectore, quàm potius pungitivus in latere urget & excruciat, neque ullus in malis rubor, aut venarum in oculis & circa tempora intumeſcentia obſerventur.

Cauſa Proxima & Immediata eſt ſanguis, qui in membranæ thoracem interiùs veſtientis vaſis reſtagnat, is enim mox iiſdem vel per anaſtomoſin quod frequentius; vel diæreſin, quod aliquando; vel per diapedeſin, quod rarius accidit, in interſtitia ſeſe effundens & efferveſcentiam concipiens, phlegmonem excitat. ſanguinem verò dum hic accuſamus, illam maſſam intellectam volumus, quæ ſuo ambitu diverſæ naturæ particulas, noxam

noxam corpori humano inferre aptas continet: verbo, complexum quoddam heterogeneum à vitioſis humoribus præcipuè ſalſis bilioſiſque non omnimodè liberum, atque hinc ſanguis copia, inſimulque qualitate, acrimonia puta peccans, ſeroque & bile permixtus cauſæ mediatæ proximioris rationem habebit.

Materiam autem hancce peccantem in parte affecta non ſenſim fuiſſe collectam, ſed confeſtim eò affluxiſſe ex eo colligendum exiſtimo, quod citra aliquem præcedaneæ moleſtiæ aut alterationis perceptionem mox ægrum hoc ipſo affectu correptum eſſe obſervatum fuerit.

Cauſæ Mediatæ Remotiores præſenti quidem in caſu duplici, ſeſe ordine oſtendunt; quorum primus exhibet res naturales, ad quas pertinet ægri ætas virilis, febribus acutis ob caloris nativi vim & vigorem valdè obnoxia tumque plethorica & obeſior corporis conſtitutio, quæ quemadmodum omni inflammationi, ita quoque maximè, modo cætera ſint paria, Pleuritidi non raro anſam præbere ſolet. Accedit bonus Athletarum habitus, qui periculoſus valdè habetur, ſi in extremo conſtiterit, cum ſic facile teſte *Hippocr. ſect. 1. Aph. 3.* in deterius labatur: in altero ordine occurrunt res non naturales: Aërem ergo & quæ hunc variis modis alterant anni tempora quod attinet, jam dum ſupra dictum eſt in proœmio, Pleuritidem licet affectus hyemalis potius, quàm vernalis ab Hippocrate pronuncietur, non raro tamen veris etiam, ſi frigidius illud fuerit, eſſe ſobolem, præſertim quotieſcunque hyemalis aëris inclementia ſub veris quoque initium ſuam adhuc vim valdè exerit, ſicque non modò per inſpirationem, ſed & ambiendo ſæpius non adeò veſtibus munitum pectus & latera facile affligere poteſt, tantoque id efficacius in hoc caſu expectandum fuit pleureſeos productum, quo magis victus ratio varia, hincque tum in potu, tùm in cibis ratione qualitatis, quantitatis, aliarumque circumſtantiarum commiſſi errores varii, plethoræ nothæ generandæ occaſionem ſuppeditarunt, atque inſuper ſupervenit exceſſivus ex continuata per aliquot dies equitatione corporis motus, quem in plethorico atque obeſo habitu potiſſimum, incendium humoribus, æque ac vehementiores animi motus ſpiritibus, conciliare valere, ex inſtitutionibus plus ſatis cognitum eſt.

Præfatis hiſce cauſis in noſtro ægro concurrentibus quid mirum ſi exorta pleuræ inflammatio recenſitis in hiſtoria Symptomatibus ſtipata, quorum rationem exponere ulteriuſque deducere nunc aggredimur.

I. Rigor inſignis, per horam ferè durans, ægrum corripuit, quod bilioſiores aliæque degeneres ſanguineæ maſſæ particulæ ab erroribus in victu paſſim in diverſoriis commiſſis genitæ auctæque & ad fluxionem diſpoſitæ atque per motum corporis hinc indè agitatæ, tandem per ambitum corporis divagari cœperint; delata ſic ſanguinis maſſa ad dextrum latus à præcedaneo frigore alterationem paſſum, quandoquidem frigoris eſt adſtringendo repellere humores in iis contentos ab ambitu corporis in intimiores partes retrocedens, aut propulſa, firmiſque pleuræ, ejuſque fibrarum interſtitiis impacta tandem inflammationem excitavit.

II. Hæc membrana coſtas ſuccingens, cùm ſenſu exquiſito prædita ſit, non potuit non inſignem pati Dolorem & quidem tam ob ſubjecti, quàm vellicantis cauſæ rationem, punctorium, eumque indeſinentem propter continui ſolutionem conſtanter affligentem.

III. Excepit verò rigorem ſupra dictum Febris continua & acuta, tum quod Cor parti affectæ valde ſit vicinum, tùm quod in eo febrile ſanguinis incendium, ſubminiſtrato novo ſemper fomite, alatur.

IV. Acceſſit difficilis Reſpiratio ob fibras muſculares, quoad actionem ſuam læſas, quæ dum contractiones validas & longiores perficere amplius nequeunt, debiles, ſed crebriores inſtituere coguntur.

V. Moleſta inſuper eſt Tuſſis, ob partium reſpirationi dicatarum, quæ admodum ſenſiles ſunt, irritationem.

VI. Hanc ſequitur Sputum modo flavum, modò (ſed rariùs) ſanguine tinctum, propterea, quòd particulæ bilioſæ unà permiſceantur & quandoque nonnihil ſanguinis ex plenioribus motuque compreſſis vaſis protrudatur.

VII. Pulſus eſt inæqualis, febribus putridis familiaris; durus, ob vaſorum ſubſtantiam, quam calor ſicciorem reddidit; celer, eò quod intemperies ſanguinis calida, motum illius circularem, urgente ſic neceſſitate, concitatiorem efficiat.

VIII. Hinc ab eodem fervore quatenus ſerum abſorbetur & imminuitur, vigiliæ oriuntur, quas alii particulis meninges ſua acrimonia vellicantibus adſcribere ſolent.

IX. Sitis ob eandem intemperiem, fermentum ventriculi acrius unà reddentem, moleſta eſt, cui interioris tunicæ Oeſophagi & Ventriculi ariditas a calore p. n. oriunda inſigne pondus addit.

X. Alvus denique ſuppreſſa concurrit, quoniam ipſa equitatio alvum ſupprimere apta nata eſt & in febribus aliàs ob calorem & hinc inductam ſiccitatem plerumque feces indurantur, alvuſque adſtrictior reddi ſolet.

Expoſitis ſymptomatum rationibus & cauſis, de Eventu morbi quid ſperandum ſit ægro, proximum eſt ut diſquiramus. Cæterum cum Hippocr. moneat, morborum acutorum non eſſe determinatam certamque prædictionem, hancque pleuræ inflammationem his ipſis acutis annumeret, ancipitem quidem exitum, nec omni periculo vacantem plethorica ægri conſtitutio minatur: Interea tamen cum graviora, quàm ipſa morbi hujus fert natura, ſymptomata neutiquam obſerventur, adeoque nulla malignitatis alicujus ſubeſſe videatur ſuſpicio, imò virium Robur ſic ſatis adhuc vigeat, fore confido, ut æger priſtinam recuperet ſanitatem, ſi maturè principiis obſtet & Medici conſilio ſeſe exhibeat obſequentem: quorum quidem illud morbi curſus celerior, hoc verò ejus gravitas omninò requirit.

Ut autem Curatio methodicè perficiatur, danda erit opera, ut 1. ſanguis in toto abundans imminuatur, ejuſque motus, quô impetuosè ad partem affectam ruit, corrigatur: 2. Materiæ peccantis expectoratio promoveatur: 3. Febrile incendium extinguatur: & 4. Virium conſervationi proſpiciatur.

Quibus indicationibus ſatisfacturus ſuaderem

Ægro,

Ægro, ut, præmiſſo quidem clyſtere emolliente, ſine ulteriore mora V. S, admittat, quam quidem in brachio affecti lateris adminiſtrandam, ſanguiniſque ℥vi. educendas eſſe arbitror: Neque enim eſt, ut auſcultemus illis, qui etiam abſque V. S. pleuriticos reſtitutos eſſe perhibent; ubi nempè vel ætas ſenilis eam diſſuaſiſſe viſa, vel ſputum valdè cruentum, vel aliæ circumſtantiæ illius uſum ſufflaminârunt. In plethorico ſane nemo rectiùs ſentientium V. S. facile negliget, cùm aliàs Pleuritis in Empyema facile degeneret.

Quod ad ſecundum ſcopum, ægro profuturum reor, ſi ſequentibus diligenter utatur remediis.

℞. Pulv. ocul. cancr. dentis apri, Mandib. lucii piſc. an. ℈i. Spec. diamarg. frig. ℈ii. Sperm. Cet. non rancid. ℈i. Sacchar. Candid. Violac. parùm. M. S. *Pulver zwey Meſſerſpitz voll alle vier Stund.*

Sumi verò po erit hic pulvis cum tali vehiculo:

℞. Aq. Card. bened. mar. lact. Aq. Scabioſ. Cerefol. ana ℥i. Syrup. papav. errat. ʒvi. Spirit. Veronic. per ferment. ʒi. M. S. *Waſſer zum Pulver, 3. Löffel voll auf einmal.*

Vel tali aut ſimili utatur mixturâ:

℞. Aq. Scorzon. Cerefol. Card. Mar. lact. bened. Flor. ſamb c̄. an. ℥i. Syrup. liquirit. viol. an. ʒvi. de hiſpidul. ℥ß. Ocul. Cancr. ppt. ʒß. C. C. ſ. igne, Dentis apri ppt. an. ℈i. antim. diaphor. ℈ß. M. S. *Mixtur 2. Löffel voll auf einmal.*

Febrile incendium ut juxta tertiam indicationem mitigetur, ſimulque tum oriundæ hinc ſiti, tum vigiliis obviam eatur, proderit decoctum tale:

℞. Raſur. C. C. Priap. C. an. ℥ß. Rad. liquirit. acetoſ. an. ʒii. Flor. Papav. rhead. m ß. Coq. in ſ. q. aq. ſimpl. vel hord. Col. ℞. ℔. i. ß. adde Syrup. papav. errat. ℥i. rubi Idei ℥ ß. Tinct. flor. papav. errat. ʒii. M. S. *Alterier-Tranck.*

Circa tempus ſomni autem conveniet Emulſio, quæ

℞. Sem. Card. bened. ſem. mar. an. ʒii. Papav. alb. ʒiß. aq. papav. rhead. ſcorzon. ſcabioſ. an. q. ſ. F. Emulſio. adde aq. hypnot. Dorner. ℥i. Magiſt. C. C. ℈i. mercurii diaphoret. ℈ß. M. edulcor. diacod. ſolid. Auguſt. q. ſ. ad gratiam. S. *Kühlende Milch bißweilen 1. Löffel voll.*

Virium conſervationi quamvis potiſſimùm conveniens Victus Ratio ſuccurrat, ſuus tamen hic etiam Remediis pharmaceuticis locus relinquitur, hinc proficuum cenſeo, ſi æger interdum ſeq. uti voluerit.

℞. Pulv. analept. fr. Mind. ʒß. Mag. antipleurit. Michael. ℈i. Spec. el. d. gem. frig. ℈ii. Confect. Alkerm. incomplet. ℈i. Sacchar. perlat. parum. S. *Sterckendes Pülverlein auf drey mal.*

Sumatur cum aq. Cord. frigid. H. S. & Rubi idei, cui aliquid ſyrup. rubi idei & ſucci aurantiorum dulc. recept. admiſceatur, convenienſ quoque vehiculum præbebunt juſcula hordeacea & alia.

Internis dum utitur Æger remediis, non negligenda quoque ſunt externa auxilia, utpote quibus magnam pa iter ineſſe virtutem quotidiana docet experientia.

Quod ſi igitur Dolor lateris pungitivus valde ſit moleſtus (uti plerunque fieri obſervatur) hincque mirè adaugeri difficilis Reſpiratio ſoleat, conducet ſanè vel unguent. vel cataplaſmat. aut ſaccul. hoſce mitigare cruciatus. E. g.

℞. Rad. alth. lilior. alb. an. ℥ß. Herb. Malv. c. fl. Chamomill. c. fl. an. m ij. ſl. Verbaſ. Sambuc. an. mß. Sem. lin. fœnugræc. an. ʒiii. Coq. in ſ. q. lact. ad conſiſtentiam cataplaſm. S. *Aufſchlag auf die ſchmertzhaffte Seiten.*

Vel ℞. Unguent. Dialth. ℥ß. ʒii. Anodyn. ʒii. Ol. amygd. dulc. Chamomill. an. q. ſ. ſtillat. aneth. ℈ß. M. F. Linimentum. S. *Sälbchen für das Stechen in der Seiten.*

Pro virium refectione proſunt ſacculi ad pulſum corporis manuum imponendi, qui priùs aq. roſar. Carbuncul. & pauco acet. rubi idei vel fl. tunic. &c. imbui atque impraegnari poterunt. *Joh. Michaelis in Praxi Clynica ſpeciali.*

Obſervationes.

Pro Pleuritide.

℞. Flor. chamæm. melil. roſar. an. M. j. contund. groſſo modo, & in aqua coq. pro fomentatione loci affecti cum ſpongia. Item,

℞. Ol. chamæm. ol. ſem. lini, an. ℥i. ol. roſ. compl. aneth. an. ʒii. M. cum modico ceræ F. linimentum, poſt fomentationem, aperiatur vena è baſilica ſiniſtri lateris, ubi erat dolor, & extrahatur ſanguis ad ℥vi. donec mutaretur color. Deinde,

℞. Syr. viol. ℥ii. penid. ℥i. ſyr. de liquir. ℥ß. M. pro lambitivo. Item,

℞. Aq. ſcabioſ. & helenii, an. ℥ii. ſyr. viol. & tuſſilag. an. ℥i. M. F. julepus: ſumatur bis in die mane & veſperi.

℞. Ol. amygd. amar. adipis anſer. an. ℥iß. M. pro unctione totius pectoris ad facilitandam tuſſim & reſolvendam materiam; adeps anſeris additur propter penetrationem, quia hic inter omnes adipes maximè penetrat, eſt enim ſubtiliſſimarum partium: relaxat, reſolvit, & habilitat pectus ad motum. *Jo. Baptiſta Montanus conſil. 172. & 174.*

Internam ejuſdem lateris, ubi dolor erat, ſecare juſſi venam, ſanguinemque ad ℔ii. fluere; paucis tandem admotis ad locum doloroſum topicis medicamentis, intra ſeptem dies ſanitati reſtitutus fuit; erant verò illa veſica bovina ſemiplena aqua, in qua incoctæ fuerint chamæm. melil. viol. parietar. roſ. malv. ſem. lini & fænugræc. an. partes æquales, cum multo viol. & roſac. oleo. *Amatus Luſitanus cent. 1. cur. 12.*

℞. Aq. benedict. aq. hyſſop. an. ℥i. ſyr. de hyſſopo, ʒiii. M. F. potio; qua epota, ore & alvo rectè purgatus fuit, ac ſtatim ſe revaleſcere aſſeveravit; ſequenti die poſt aſſumptam purgationem baſilicam venam ejus lateris, ubi hærebat dolor, pertundere jubebam, ex qua multum ſanguinis extractus eſt, & longè rectius habere cœpit; ab initio curationis latus dolore affectum perungi ſingulis ternis horis jubebam ſequenti linimento.

℞. Unguenti de alth. ℥ii. ol. amyd. d. ℥ß. M. ad ignem; ut F. linimentum; perunctò loco calida applicentur lintea, vice potus utebatur iſto decocto.

℞. Hord.

℞. Hord. mund. ℥iij. card. mariæ, hyſſop. an. M. j. liquir. ℥ß. ficuum, num. 6. paſſar. uvar. ℥iij. ſacch. ℥j. coq. in aq. ſ.q. ad tertias. *Martinus Rulandus curat. 25. cent. 2.*

Ad antecedentem cauſam tum revellendam tum derivandam phlebotomiam inſtitui in vena hepatica affecti lateris; dolor inde ſe remiſit: à venæſectione ad proximam cauſam extirpandam converſus ſuadeo hanc potionem.

℞. Aq. Card. bened. ℥vi. elect. de ſucco roſ. ʒ vij. M. hauſtu fœliciter operante, quatuor dierum ſpatio convaluit. *Martinus Rulandus. curat. 26. cent. 7.*

Ad pleuriticum quendam quartò die vocatus, cum eodem die alvum ex ſe depoſuiſſet, illicò venam baſilicam ejuſdem lateris, ubi dolor erat, ſecare feci, ſanguiniſque ℥ viij. extrahere; à qua ſanguinis miſſione dolor nonnihil evanuit, qui tamen ſub noctem redibat ex parte; ſed fotu ſequenti plurimùm mitigatus eſt, loco affecto ſimul uncto.

℞. Flor. chamæmel. melilot. malv. an. M. j. ſem. fænugræc. ℥ß. F. decoctio in aq. pro ℔j. pro fotu cum ſpongiis expreſſis ut artis eſt.

℞. Ol. amygd. d. chamæm. pingued. gallin. butyr. rec. an. ℥ß. ceræ modicum F. Unguentum; unde dolor multum ſedatus eſt, interea utebamur lambitivo in hunc modum parato.

℞. Syrup. jujub. viol. an. ℥j. ſyrup. liquir. ℥ß. diatrag. ſc. frigid. ℥ß. M. F. eclegma; die ſequenti eum purgavimus cum ℥j. diacathol. & ſeri lactis ℥iij. quo quinquies alvum depoſuit, & cœpit melius habere, & facilius expuere, lambitivo ex ſyr. jujub. & liquir. adjecto ſacch. penid. utens; & ita paucis diebus hic ſanus evaſit, pro potu ptiſanam confectam ex hord. mund. paſſulis & liquir. capiebat. *Petrus Foreſtus. obſerv. 26. lib. 16. De pectoris pulmoniſque morbis.*

Hippocrates Anaxioni pleuritico octavo die venam ſecuit; ſic ego aliquando in muliere pleuritica octava die venam ſecari feci, quæ poſtea aliis adhibitis remediis ſana evaſit: itaque ſi tardius vocati fuerimus ad pleuriticos, & omiſſa fuerit venæſectio, etiam poſt quartum diem ſanguinem mittere licet, modo vires adſint, ac dolor ac febris urgeat, & ſputum nondum maturuerit, *Idem obſerv. 33. lib. 16.*

Licet multi aliter ſentiant, ſemper mittendus eſt ſanguis ex latere affecto. *Idem ſchol. obſerv. 32. lib. 16.*

Ego ut ingenuè fatear, nunquam, aut ſaltem rariſſimè optatum ſucceſſum vidi ex ſectione venæ in oppoſita parte facta, facilè enim ſic ex ſimplici pleuritide duplex ſequetur, quod & nonnullis maximo eorum damno accidiſſe memini: tutius itaque erit ex eodem latere venam ſecare: egregiè enim materia peccans, & in parte affecta conjuncta hoc modo evacuatur. *Guil. Fabrit. Hildanus. obſerv. 30. cent. 5.*

Sutor quidam juvenis & bilioſus pleuritide laborans, poſt multas phlebotomias, aliaque remedia ordinaria, die quinto, perſeverante febre intenſa, & lateris dolore, ſumpſit pomum coctum cum ʒj. thuris, ſuperbibendo aq. Card. bened. ℥iv. & poſtea tectus eſt, ſudavit parum ſine febris imminutione, ſequenti die multum ſudavit; & inde convaluit. *Lazarus Riverius. obſerv. 56. cent. 1.*

Puerulus quidam quinque annorum correptus eſt pleuritide lateris ſiniſtri, cum febre acutiſſima. Poſt remedia ordinaria per quinque dies uſurpata, & quatuor phlebotomias, juſſi ut cucurbitulæ duæ lateri dolenti applicarentur, cum profundis ſcarificationibus: contigit autem ut ex ſcarificationibus illius cucurbitulæ, quæ dolentem locum propius attingebat, ſanies multa effluxerit per totum diem, ſimulque dolor, ac febris deſierit: juſſi ut admoverentur folia betæ ſupra loca ſcarificata, & per duos dies ſaniei fluxus continuatus eſt, ac denique in fine verum pus è vulneribus emanavit: atque ita æger omnino curatus eſt: credo ſcarificationes ad locum pleuritidis perveniſſe, & materiam morbificam per ea vulnera emanaſſe. *Lazarus Riverius, obſerv. 39. cent. 3.*

Puer quidam duodecim annorum laborabat pleuritide lateris dextri; quinquies ſecta fuit vena, & alia remedia ordinaria adminiſtrata uſque ad ſeptimum diem, febris erat intenſa cum inquietudine magna, dolor valde urgebat; exhibita fuit die ſeptimo, fuligin. camini pulv. ʒß. cum aq. Card. bened. intra duas horas ab aſſumptione, omnia ſymptomata valde remiſerunt, ægerque multo melius habuit, & poſtmodum ſenſim convaluit. *Lazarus Riverius. obſ. 79. cent. 2.*

Multos & præcipuè mulieres ex pleuritide ad extrema ferè redactos, reſtitutos vidimus uſu pomi Quercetani ſemel aut bis ſumpti intra viginti quatuor horas, unde præter ſpem, vel copioſus ſudor, vel anacatharſis libera ſequebatur: plurimos certè nominare poſſem quibus ferè deſperatis hoc remedii genus præſcripſi, nec unquam alium quam felicem eventum ex eo animadverti: multique qui hoc apud ægros obſervaverant, ita ſucceſſiſſe multoties audivi. *Simeon Jacoz. obſerv. 88. cent. 4. obſervat. River.*

Puella quædam atrabilaria ſæviſſimo pleuritidis dolore excarnificata, jam undam letheam bibebat; à qua eam extraximus ſic.

℞. Ol. Amygd. d. ℥ij laudan. gr. iij. M. paulò poſt quievit dolor & melius habuit. *Petrus Pachequus. obſerv. 20.*

Omnes pleuritici qui vomunt ſtatim in principio morbi, evadunt, ut in infinitis obſervavi, levata pleura ab humorum ſarcina vomitûs beneficio. *Idem. obſerv. 29.*

Ut in anginâ, conclamatis omnibus, in gutture foris ſectio fieri poteſt, fortaſſis idem & in pleuritide factitari poteſt inter quintam & ſextam coſtam: exigua enim puris evacuatio magna affert commoda mortalibus. *Guil. Ballonius. lib. 2. epid. & ephem. pag. 249.*

Hircum ſuſpendo cornibus, & crura poſteriora reflecto ad cornua: teſtes abſcindo, & recepto inde cruore exanguem dimitto pro lanione; hic autem cruor ſiccatus, eſt inſtar vitri, difficillimæque triturationis, atque longiſſime ab hircino ſanguine officinarum differens; aſſumptus autem ʒj. pondere, confeſtim ſopit & curat pleuritidem abſque venæſectione, nec te deſeret unquam. *Joh. Helmontius tract. cui tit. Sextuplex digeſtio alimenti.*

Sunt mea remedia quæ neminem in pleuritide & peripneumonia derelinquunt, pulvis de virga cervi, vel tauri, vel cruor hirci, vel ſuccus

cichorii ſylveſtris, flores papav. ſed potiſſimùm laudo cruorem hirci, non quidem venalem, ſed qualem ſupra deſcripſi; a venali cruore (qui nil niſi ovillus eſt) dignoſcitur, quod venalis facilè teratur, ejuſque pulvis ſit puniceus, hircinus autem verus difficillimè teritur, eſtque picei coloris illius pulvis; hujuſmodi præſidia Archeo amica, atque domeſtica naturæ humanæ, cauſam immediatam in Archeo corrigunt, tolluntque acorem, & ad diaphoreſin diſponunt cruorem, dolorem pacant, quia aciditatem extinguunt. *Joh. Helmontius tract. cui tit. Pleura furens.*

Vidi Ruſticum omnes pleuriticos tertio potu ſanantem; utebatur enim ſtercore jumenti pro viro, & caballi pro muliere, quod diluebat in cerevifia, ac colaturam expreſſam propinabat. *Joh. Helmontius. tract. De febribus.*

Adminiſtretur cum jure, aut aliquo convenienti liquore ſtercus columbinum in pulverem redactum ℥ß. pondere; eſt hoc pleuritidi remedium optimum & apud magnates aliquos inter ſecreta principalia celebratur. *Dominicus Panarolus. obſerv.14. Pentecoſte 4.*

Dux Arſchotenſis æſtate, dum gallinæ per gramina aluntur & paſcuntur, id album quod in ſtercoribus earum apparebat in pulverem ſiccatum redigebat, & dabat ℈j.

In magnis pleuritidis doloribus venæſectio etiam copioſa, formidari non debet, quam in hoc caſu. *Joh. Heurnius* in viro florentis ætatis ad libras 4 felici cum ſucceſſu inſtituit, notis ad *cap. ii. lib.5. pathalog Joh. Fernelii.*

Adrianus Spigelius noſtra memoria quendam cum diſcrimine à lateris dolore decumbentem ſervavit aperta lateris vena, quæ in conſpectum venit. *Joh. Rhodius. obſerv.17. cent.2.*

Johan. Prævotius ſiniſtri lateris pleuritidem plerumque per urinas deponi obſervavit; ideo hoc in caſu fœliciter diuretica exhibebat mitiora; è quibus diacuminum ipſi erat familiare, diaphoretica nunquam voto ſuccedere. *Joh. Rhodius. obſerv.13. cent.2.*

Inter remedia interna mirum in modum confert aqua flor. chamæm. ſtillatitia: partem enim lenit, reſolvit, aperit, & ſudorem movet *Lælius à Fonte. conſult. 147.*

Urina hominis vaſis accuratè clauſis, in ſtercore equino per ſex hebdomadas fermentata, leni calore ſpiritum per deſtillationem ſuppeditat, qui ſemel aut iterum rectificatus magnum eſt pleuritidi & utile remedium; à decem uſque ad triginta guttas ſumi poteſt, cum liquore convenienti. *D. Roberius Boyle. lib.2. De utilit. phil. natural. ſect.5. cap.5.*

Mulier quædam pleuritide acutiſſima laborans, nullo alio auxilio magis levata eſt quam decocto flor. papav. rubei, quo utendum omni die cum ſyrup. hyſſop. jubebamus, calida accepta potione; mirabiliter enim flores hujuſmodi levandis laterum doloribus valere experientia quotidiana docet, & mihi familiare & expertum id remedium eſſe ſolet. *Franciſcus Valeriola. obſerv.10. lib.5.*

Pro pleuritide ad ſuppurationem tendente decoctum tabaci mirum eſt medicamentum; teſtor Deum, me anno elapſo, à morte ad vitam revocaſſe quandam meam vicinam, quæ jam erat per tres menſes pleuritica ſuppurata cum febre hectica, quæ ab iſtius decocti adſumptione, per tres vices, & ab ejus fumo per fiſtulam accepto tribus diebus plus quam ſex libras puris albi tuſſi evomuit, & nunc libera & ſana eſt; decoctum ita paratur.

♃. Fol. tabaci ℥j. bulliat. in aq. dulcis ℔ij. ad medietatis conſumptionem, addendo ſub finem fol. malv. & branc. urſinæ & viol. an. M. j. colatura cum ſapa miſceatur, & detur calidè pluries; fumum tabaci aſſumat quandoque ante decoctum, & quandoque poſt. *Epiphanius Ferdinandus. hiſtor.32.*

Equitem quendam Gallum quatuor docti Medici curabant pleuritide affectum, quæ ob parvum dolorem, mitem tuſſim, leniſſimam febrem, expectorantibus ſolis, fomentiſque curanda viſa eſt; ſed cum hæc ſymptomatum lenitas cum interna malignitate conjuncta eſſet, quinto die malitia manifeſtè deprehendi cœpit, nam ablató omnino dolore, delirare viſus eſt, inſomnis, vigil, & cohibito ſputo, lipothymia ex intervallis vexabatur; huic malo cum occurrerem, & æger viribus eſſet penè exhauſtus, ſymptomataque vehementius invaleſcerent, loco ſpretæ phlebotomiæ cucurbitulas ſcarificatas ſcapulis impono, quibus aliquantiſper levatus, reſpicere cœpit; cui deinde redintegratis viribus ſuper partem affectam cucurbitulam cum ſcarificatu impono, qua detracta hirudines ſex circumcirca admoveo, quæ tantam utilitatem attulerunt, ut intra decimum ſeptimum diem, concocto ſputo, & facilè excreto, priſtinam recuperaverit ſanitatem. *Zacutus Luſitanus. obſ.113. lib.1. prax. admir.*

Quidam pleuritide vera laborans, extracto è cubito ſanguine, accepit hunc Julepum pectoralem.

♃. Aq. ſcabioſ. tuſſilag. papav. rhæad. an. ℥iß. ſyrup. jujub. julep. viol. an. ℥j. ſyrup. de hyſſopo de liquirit. an. ʒiij. Ol. fœnic. gt. iij. M. F. Julep. latus dolens inungebatur ſequenti linimento.

♃. Unguenti reſumptivi ℥iß. Ol. fœnic. ſalv. an. gt. ij. M. punctivis doloribus valde urgentibus ſequens fomentatio profuit.

♃. Fol. rutæ abſinth. menth. artemiſ. abrot. flor. chamæm. aneth. an. M. j. ſem. aniſ. cumini, an. ℥iiß. bacc. lauri, ſalis communis toſtor. an. M. iß. conquaſſ. & incidantur ut F. ij. ſacculi interbaſtati in vino coquendi, alternatimque applicandi: exhibeatur hic Julepus contra ſitim.

♃. Aq. fontis ℔ij. cinnam. el. ℥j. ſacch. ℔ß. cruda trajiciantur per manicam Hippocrat. F. claretum abſque coctione. *Joh. Petrus Lotichius. obſerv.3. cap.3. lib.3.*

Pro Pleuritide notha.

In corporibus frigidis ac pituitoſis ſæpe graviſſimi dolores laterum à flatibus oriuntur fotibus mitigandi; ſi venam pertuderis necabis. Vidi formoſiſſimam mulierem, quæ cùm flatibus obnoxia eſſet, ac cum cœnaſſet liberalius, noctu in acerbum lateris dolorem conjecta fuit, ilico à ſecta vena periit. *Joh. Heurnius ad Aph. 33. ſect. 6.*

Incredibile eſt dictu, quam multos trita, vulgataque medendi via, ac præſertim in pleuritide per-

perdidit: nam audito lateris doloris nomine, ſi quis aliud præter venæſectionem remedium tentet, ἀνάθημα ἔςω; imò quod pertinet ad dolores lateris, nullus hodiè non Medicus eſt: quamquam hic multorum carnificina & fruſtranea ſanguinis (in quo vita ſedet) eductio, ſpirituumque evacuatio committitur magno artis vituperio, ut etiam hac una medendi pleuriticis via bajuli, carnifices, ſutores, ac univerſa mulierum garrulitas Medicorum celebrium induſtriæ obſtrepat ac ſeſe opponat; imò ſi quis de latere queritur, quocunque id modo fiat, ne articulo horulæ differre fas ſit: at non novit imprudens mulier, & impudens barbitonſor, nugigerulaque mediaſtrica: mulier multis ex cauſis dolores laterum oriri, in quibus ut aliquando venam non ſecare nefauſtum eſt, ita eandem aperire crudele, impium ac ignorantiæ plenum ſit; nam nulla eſt cauſa tam exilis, tamque parum efficax, quæ non dolorem in latere excitet; ac æquumne eſt tanquam cauſa eadem ſit, ac idem malum, remedium idem uſurpare, & omnibus eundem cothurnum attribuere. *Guil. Ballonius lib. 1. epid. & ephem. pag. 79.*

Cum dolores vagabundè teneant nothas coſtas, & continuatione membranarum attingunt aliquando mammas & partes ſterni anteriores, cautè videre oportet, an propter vapores ex viſceribus elatos dolores ſurgant, an cauſa à partibus ſuperioribus pendeat, an verò in thorace ipſo ſit; vulgo enim ſecatur vena undelibet dolor ſit, atque id quidem male: quis enim neſcit, ſi dolor alte agnoſcat cauſam in ventre interiore, non modo non prodeſſe phlebotomiam, ſed etiam nocere ſæpe, quod attractio fiat à partibus inferis, & ſi nondum adſit pleuritis, ea per ſectionem venæ acceleretur, *Guil. Ballonius. lib. 1. epid. & ephem. pag. 88.*

Pro Peripneumonia.

Venam aperire (quod ab initio admodum conduxiſſet) cum jam quartus eſſet dies, & non amplius cruenta expueret, nolui: juſſi itaque hoc julepo tribus uti vicibus ſtatim manè, iterùm ſub veſperam, & circa medium noctis.

♃. Julep. viol. ℥ iij. Syrup. de jujub. ℥j. Aq. viol. ℥ß. manus ch. ℥ß M. F. Julepus. Unguentum etiam reſumptivum in panno lineo extenſum lateri dolenti applicavi. quinto die quia excretio fuit nonnihil cocta & urina tincta, hunc julepum præſcripſi.

♃. Julep. viol. ℥ ij. ſyrup. de Jujub. oxymel. ſimpl. ſyrup. de tuſſil. an. ℥j. Aq. tuſſil. viol. an. ℥iß. M. utatur frequenter: pulverem quoque hunc exhibui.

♃. Oculi cancri ʒiß. manus ch. perl. ʒ ij. F. pulvis ſubtiliſſ. capiat mediam partem manè, cum Julepo, alteram ſub veſperam, unguento reſumptivo manè & veſperi inungatur latus dolens; quia tenax erat materia quam expuebat, hunc ſyrupum præſcripſi.

♃. Oxymel. ſimpl. ℥j. oxym. ſcilit. ℥ß. M. capiat frequenter lambendo, ob dolorem hunc fotum in uſum vocavi.

♃. Rad. alth. ℥j. lil. rec. ℥ iij. flor. chamæm. melil. roſ. an. p. j. ſem. lini fænugræc. an. ℥ß. ſem. carvi ʒ ij. F. decoctio in vino & aqua; infundatur colatura in veſicam; quæ ſemi impleatur, & ſtrictè ligata ne quid effluat, loco dolenti tepide applicetur, cujus uſu mitigatum malum ſequenti die, quo & continuavit fotum. Ut promoveretur expectoratio purulentæ materiæ, & coqueretur, eclegma hoc ordinavi.

♃. Tab. diatr. diamargar. frigid. an. ℥ß. lohoch. ſani & experti ʒiij. ſacch. cand. ʒij. ſyrup. de liquir. q. ſ. F. lohoch. capiat cum baculo liquirit. lambendo. Item,

♃. Ol. amygd. d. rec. expr. ℥ij. ſacch. cand. ℥j. oxym. ſcilit. ʒij. M. capiat aliquoties. pectori cataplaſma hoc ad concoctionem materiæ applicandum præſcripſi.

♃. Caricar. inciſ. paria ij. mic. panis p. j. coque in lacte, adde farin. ſem. lini ℥ij. contuſis adde ol. viol. amygd. d. an. ℥ i ß. croci parum. M. illinatur eo pannus linteus, tepideque applicetur, quia poſtea excretio non tam promptè ſuccederet, mutavi eclegma hoc pacto.

♃. Tab. diatragac. frigid. oxym. ſcilit. ſyr. liquir. de hyſſopo, penid. an. ℥ß M. item teneat in ore ſacch. penidium. *Felix Platerus. obſervat. lib. 2. pag. 424.*

Tertio die vocatus ſtatim venæſectionem præſcribo: hinc ſi alvus non eſt aperta, lenitivum præmittatur, alias ſtatim ad uſum illorum procedendum quæ materiam ad expectorandum præparant, ac febris ardorem temperant, qualis eſt hæc potio.

♃. Aq. beton. fragar. ungul. caballin. an. ℥j. ſyrup. viol. liquir. an. ℥ß. ſpirit. vitriol. gt. iij. M. F. Hauſtus: poſt hanc potionem refrigerantem & præparantem, addatur lambile pro majore maturatione materiæ, quod

♃. Syrup. viol. de liquirit. de Jujub. hyſſop. an. ℥j. Syrup. de praſſio ℥ß. Aq. hyſſop. fragar. an. parum F. lambile: quibus poſt biduum continuatis, tertio die poſt venæſectionem, purgatio lenitiva inſtituatur diluto agar. hoc modo.

♃. Agar. ʒij. Zinzib. ℈j. ſal. gemmæ, gr. iij. affunde aq. veronic. & vini q. ſ. ſtent in loco calido per noctem manè leviter bulliant, & exprimantur ℥ ii ß. in quibus diſſolve el. diacarthami ʒij. oxymel ſcilit. ℥ß. M. F. Hauſtus, poſt purgationem materia magis præparetur per continuum uſum incidentium & alterantium, quotidie bis uſurpata potione pectorali.

♃. Rad. ireos, alth. an. ℥ß. liquir. ʒv. ſem. aniſ. fœnic. urtic. an. ʒj. fol. praſſ. hyſſop. major. an. M. j. tragacanth. ʒj. cubeb. paſſul. an. ℥j. nucleor. pinear. piſtach. an. ℥ß. dactyl. caryc. an. num. 6. fiat decoctio ſ. a. colatura dulcoretur cum ſacch. cand. q. ſ. F. potio ad vices aliquot. *Gregorius Horſtius. obſerv. 7. lib. 3.*

Quidam ſexagenarius laborabat peripneumonia pituitoſa; cùm multa pituita refertus videretur, clyſtere injecto, & ſemel tantùm venæſectione celebrata, purgans medicamentum fuit exhibitum ex infuſo rhei cum manna & ſyrup. roſ. quo optimè purgatus eſt quarto die morbi; & poſtridie à febre aliiſque ſymptomatis liberatus apparuit. Unde patet purgationem in peripneumonia interdum convenire quamvis ut plurimum ante ſeptimum diem uſurpata pernicioſa ſit. *Lazarus Riverius. obſerv. 98. cent. 1.*

De Pleuritide vagante.

Chirurgus quidam, nomine Matthæus *Liebe*, circa mammillam dextram cum difficultate reſpirandi & calore præternaturali graves punctiones ſentiens, juſſit me ad ſe vocari. Acceſſi, vidi morbum hunc eſſe pleuriticum, ſed quoniam erat debilitate ſumma confectus, non poteram ſanguinis miſſionem accelerare. Sed diaphoretica erant præſcribenda e. g.

℞. Sanguinis hirci ℈j. Antim. diaphoret. gr. xij. Flor. ſulph. gr. viij. f. Miſturam hanc cum aceto calefacto aſſumpſit, & ad ſudorem ſe compoſuit. Quoniam verò punctiones nimis erant graves, cogebar externè etiam auxilium quærere. Præſcripſi ſequentia.

℞. Bol. armen. præpar. ʒj. ſandal. rubr. ℈iß. camphor. ℈j. M. F. l. a. pulvis; quem cum aceto coctum juſſi, quantum fieri poterat calidè, dolenti loco applicare. Non quadrans horæ præterierat, quum patiens exclamaret, ſentire ſe graves eas punctiones in ſuprema parte axillæ ſiniſtræ, cum difficultate anhelandi, in parte autem antea dolente, nempè mammilla dextra, eas evanuiſſe. Jubeo ſtatim linteamina loco dolenti applicata removeri, novo tepefacto aceto cum pulvere intingi, & axillæ dolenti imponi, ſed non diu applicata jacebant, cum iterum patiens exclamaret, ſe circa mammillam eaſdem punctiones ſentire. Proſequor hoſtem, & relictis in loco prioribus linteaminibus, nova, de novo imbuta, & calida mammillæ dolenti applico. Sed ecce! anhelitus fiebat gravior, videbatur ſuffocari patiens; & poſtquam ſentiret, quod quaſi aqua frigida per totum corpus aſpergeretur, in ſiniſtra planta pedis de atrociſſimis conqueſtus eſt punctionibus, cum difficultate reſpirandi. Nec ego ceſſabam hoſtem profligare, & de loco in locum pellere, iteratis iſtis calefactis linteaminibus, continuatiſque per duos dies ſudoriferis. Tandem mitigatæ punctiones, poſt ſe relinquebant lividas & rubeas maculas, quæ ſe contrahebant, & poſt duas ſeptimanas & tres dies ægro nuntius ſanitatis exiſtebant. *Andreæ Cnoffelii.*

Pleuritis periodica.

In *Caſparo Lhiel* Ludi moderatore *Beegæ*, obſervavi Pleuritim periodicam, quæ ſingulis ſeptimanis ſeptem per biennium hactenus recurrit; quia vero nunquam ultra quartum diem duravit, ideo remedia ordinaria pauca fuerunt adhibita: Nunc cum malum quo ſæpius eo gravius repetat, Venæſectione, & ſpecificis aliis tum curatio tum præſervatio inſtituta, unde expectandus terminus recidivæ, an periodicus rurſus futurus. *Godofredi Schuberti.*

Ex Riſu Pleuritis.

-------- Riſum teneatis Amici!

Ex riſu enim Pleuritis nuper oborta; Ancilla enim cujuſdam Reverendi Viri germana, ad riſum alioquin prona & facilis, dum inter conſuetos ancillares labores cum ſocia Ancilla verba conferret, & fortè fabulas vel narraret vel audiret, ſubitò in riſu agitata fuit, & cum ipſo riſu ſternutatio ſimul oborta pleuritidem peperit: hinc illæ lachrymæ! ex nimia enim illa pectoris commotione proculdubio Venula aliqua intercoſtalis (ſive ramulus Venæ ἀζύγ*) rupta dolorem illum lateralem, ex ſanguine inter pleuram ſubſiſtente & tumorem ibi excitante, procreavit: exquiſitiſſimi enim eſt ſenſus membrana illa coſtas ſuccingens, propago duræ matris; ratione nervorum intercoſtalium ex ſpina dorſi egredientium, ex quorum tunicis, quæ nervos illos tegunt, membrana hæc oritur. Vocatus ad ægram iſtam, præſcripſi pulverem ex oculis Cancri crudis in vehiculo aliquo convenienti ſumendum (crudi enim Cancrorum oculi, ſive Lapilli, efficaciores ſunt præparatis, & per crudos intelligo illos qui ex Cancris vivis certo tempore colliguntur; illi enim, qui ex Cancris coctis aſſervantur parum efficaciæ nobis præbent, & eo minus ſi præparati ſint) cum Unguento & emplaſtro lateri dolenti inungendo & applicando: ſequente verò luce cum dolor ille lateralis adhuc perſeveraret, & ſputa cruenta ſequerentur, Venæ ſectionem inſtitui in brachio lateris dolentis, & ſic, Deo adſpirante, feliciter reſtituta impoſterum cautius ridere didicit. *Caſpari Koelichen.*

Ex glandulis ſubalaribus Pleuritis.

Nobilis annorum 19. jam ante triennium ſub initium autumni; glandularum ſub ala ſiniſtra tumore, & pertinaci duritie tentatus, ex meo conſilio, poſtquam in iiſdem pus collectum exitum moliri prævidiſſem, aperiri locum ferro juſſi, exoneravitque ſe tanta cramatis purulenti copia, ut vel quinque libras aliquot hebdomadum decurſu inde exſtillantes notaverim. Nec ante deſiit profluxus, quàm ad decocta lignorum exoticorum, ut exſiccantia, perventum. Superiori iterum anno recruduit eodem loco malum, eademque arte ſublatum eſt. Ut ergo hornam calamitatem evitaret futuri metuens equeſtribus ſeſe exercitiis obfirmare paravit, & factis hinc inde itineribus diſcutere materiam ad alas alioquin prolapſuram. Sed nè ſic quidem recidivam evaſit; redeunte enim autumno novi iterum ſub axilla nodi, novi dolores, quos cum juſſiſſem ſudoriferis diſſipare, ille, ut fit, paulò ſui negligentior diem ex die procraſtinando effecit, ut aliquando toto quidem triduo evaneſcerent, mox tamen iterum magno recurrerent impetu. Quas vices ubi ter, quaterve obſervaſſet, ratus malum ſponte tandem ceſſaturum, cum die quodam incautiùs ſe frigoribus objeciſſet, ecce tibi raram metaſtaſin; evanuere ſubito nodi, ſed tranſlato in pleuram & pulmones humorum peccantium impetu, violentiſſima ſurrexit tuſſis, & illa triſtiſſimis comitata ſymptomatis, frigore extremorum, ſumma virium debilitate, vigiliis perpetuis, dolore præcordiorum & laterum, ſputo cruento, quibus febris ſe adjungens ultima minabatur. Quam malorum συνδρομήν, cum iis oppugnarem pharmacis, quæ pleuritidi opponi ex arte ſolent, expugnari ſe denique paſſa eſt, & fortunante Deo opt. max. per frequentiſſimas purulenti & viſcidi magmatis exſcreationes noviſſimè quievit, relicta curioſis ingeniis materia ſpeculandi, qua via tam prompte à glandulis ſubalaribus eatur in pulmones. *Olai Borrichii.*

De Pleuritide poſt morbillos ſine V. S. curata.

Venæſectionem in Pleuritide tantum non omnes Medici tàm veteres, quàm recentiores commendant, illam contra Helmontius non modo diſſuadet, verùm etiam tanquam nocivam improbat, *tract. de Febr. cap.* 4. & faventem quodammodò habet Hippocratem, qui ſive ab initio ſive poſteà lateris dolorem calefactoriis tentate ſuadet diſſolvere *lib. de Vict. Rat. in Acut. t.* 11. & 12. expresſè habet: Solvit autem hujuſmodi mollitorium fomentum etiam dolores ad claviculam pertingentes. Sectio autem venæ ſimiliter non ſolvit. Quod quidem alii de Pleuritide ſpuria à flatibus, non de vera & exquiſita dictum volunt. Refert *Henr. à Moinichen in Obſ.* 11. *cultro Lyſeri anatom. à Barth. annexa*, Joſephum Aromatarium omiſſa V. S. & purgatione ſolum C. C. in aqua rutæ capratiæ exhibuiſſe, atque ita Nobilem Pleuriticum feliciter curaſſe, quod jam ſæpiùs & proſperè ab ipſo tentatur. Meminit etiam cujuſdam Viri Clariſſimi Romæ, qui ſpiritu quodam thoracem & pectus inungit, ſicque ſine V. S. vel purgatione Pleuriticos reſtituit, maximè morbi in principio. His addere lubet ſequentem obſervationem. Octo annorum puella, conſanguineæ meæ filia, poſtquam ſana & benè valens cubitum iviſſet, noctu inquietius dormivit, ſenſit adjacens mater calorem quendam præternaturalem, & in expergefactæ vultu manè maculas quaſdam notavit rubras. Vocatus, ſtatim pro morbillis epidemialiter tùm graſſantibus habui, præſcripſi pulverem expellentem ter in die exhibendum. Altero die reverſus nec minores, nec plures inveni maculas, pulſus erat mutatus ab heſterno, non tamen omnem abeſſe calorem arguebat. Juſſi inſiſti expellentibus. Tertio die circa veſperam iterùm ipſam viſitans maculas ut jam per triduum in ſola facie, in toto corpore reperi nullas. Læta inſuper ægrota ſe nihil præter tormina ventris quædam ſentire ajebat, nam per tres dies erat conſtipata. Ordinavi Clyſterem, jam de morbo, qui non more conſueto augebatur, ſed potiùs imminutus, dubitabundus: ex quo tres largas habuit evacuationes, & ecce derepentè calor auctus, delirium introduxit inſomne, manè appellatus totum corpuſculum cum admiratione morbillis impletum vidi. Credidi, abundantibus in corpore excrementis naturam quaſi oppreſſam non potuiſſe ad illorum expulſionem concurrere. Id quod etiam hac æſtate obſervavi in quodam alio, cujus jam in octavum diem ægrotantis calore non exceſſivo detenti, poſt laxativum totum corpus copioſiſſimis fœdatum una nocte eſt petechiis, exemplo tamen non ſemper imitando. Sed ad noſtram: Conſolatus matrem bono animo eſſe juſſi, præſcriptis præſcribendis. Septimo poſt primam invaſionem die diſparuere maculæ nunquam ſatis rubicundæ, ſed ſemper pallidiores, calor autem febrilis non modò non imminutus, ſed potiùs auctus, tuſſis urgebat, vehemens dolor circa cor, imprimis in ſiniſtro latere novum malum prædicebat, quare ſi quid maligni adhuc ſupereſſet, ut extruderetur, potiunculam præſcripſi ſudoriferam ex Aq. Scorzon. Diaſcord. Fracaſt. & Mixt. ſimpl. qua largiter ſudavit, neque tamen calor aut dolor lateris (quem illa cordis dolorem ex inſcitia nominavit, & nobis quoque prima fronte impoſuit) aut tuſſis vehementia ceſſavit. Continuavi Diaphoreticis, & loco dolenti imponi curavi Cataplaſma conveniens, ſicque die duodecimo inopinato ruptum Apoſtema, & ſanguinem exſpuit primò inſtar loturæ carnium, mox ſubſecutum aliud ſputum album craſſum ſtriatum. Exhibui Antipleuritica, imprimis autem Oleum Lini (quod tantopere commendat Geſnerus, & cujus uſum approbatum habeo) cum ſpeciebus diaireos, quibus auxiliante Deo feliciſſimè reſtituta. Manſit per aliquod tempus calor quaſi hecticæ initium, quem uſu lactis caprilli penitus extinxi. *Caroli Raygeri.*

De Cortice contra Pleuritidem.

In India ſimpliciſſimis Protugallenſes utuntur medicamentis, à crebra experientia edocti; præ aliis compoſitis multum ſibi commendatis: E quorum cenſu hunc imprimis corticem *Pavvo de portada* dictum, quaſi lignum contra Puncturas (cortices quippe nomine ligni appellant) extollunt, qui coloris ſubflavi, ſubſtantiæ craſſioris, ſaporis amari, friabilis conſiſtentiæ, tantoque ad pulverandum facilioris: Ægrotis unciæ ſemi ſpondere cum vino adſumendum porrigunt, & extrinſecus pulverem iſtum loco dolenti vel cum Anach, aut vino in frigida intemperie, vel cum aqua ſimplici in calidiore miſtum beneque tritumque illinunt. *Hermanni Nicolai Grim.*

Remedium Anti-pleuriticum.

Sumantur cucurbitæ longiores (quæ Italis ſtorti & Zucche vocantur, & ſemina habent quaſi quadrata) ſuſpendantur in loco concluſo, quo Solis radii non pertingunt, diſcindantur, & pulpa abjiciatur, cortex aſſervetur, & à cortice caro ſeparetur, ita ut cortex craſſitiem non habeat majorem quàm Patavinorum moneta Juſtina dicta, & 26. ſolidos valet. Hujus corticis ſume ℔ j, olei olivarum vetuſtiſſimi (10. 20. imò ſi poſſibile ſit 100. annorum) ℔ ij; huic oleo incoque corticem donec humiditas corticis omnis ſit abſumpta. Signum abſolutæ coctionis quando culmus ſtraminis huic oleo intinctus, candelæ ardenti applicatus & oleo imprægnatus accendatur, ſine ſtrepitu ardet, & cortex quoque apparet ferè combuſtus, & quaſi in carbonem redactus, tunc ceſſa à coctione. Cola oleum per manicam, Denique accipiatur ſartago ferrea geminum, aut ad minimum unum habens orificium in latere, ut oleum poſſit tranſire: fac ut candeſcat ſartago & per candentem ſartaginem oleum transfunde, ita ut per unum orificium infundatur, per alterum rurſus exeat in vaſculum ſubjectum, pro inunctione lateris dolentis uſurpandum. *Ex Obſervation. MSS. D. P. à Caſtro è Muſeo D. P. J. Sachſii à L.*

Scholion.) *D. Petrus à Caſtro*, feliciſſima & frequentiſſima Praxi primum in Hiſpania, in Provincia Biſcaia, mox in Italia noſtro ſeculo maxi-

mè nobilis Medicus Veronæ, poſtmodum Mantuani Ducis Archiater, hoc oleo Antipleuritico Pleuriticis, quorum in Italia ingens numerus, tum ratione ipſorum temperamenti, tum ratione climatis & aeris, ſæpius egregiam præſtitit operam, & ab ipſis orci faucibus quaſi reduxit in vitam.

Ipſo ante novennium Mantuæ demortuo, tamen ſupervixit fama utiliſſimi Euporiſti hujus remedii: quare cum Anonymus quidam Ferrariæ degens ſummam hujus remedii utilitatem perſpexiſſet, ex amore Proximi commotus idem Remedium dignum cenſuit, ut publici juris factum, & è latebris extractum non tantùm typis divulgaretur, ſed miſſo Exemplari impreſſo ad celebriora Hoſpitalia Europæ, ubique innoteſceret. Simile Exemplar Ferrariæ per Alphonſum & Johan. Baptiſtam Mareſtus cum licentia Superiorum 1669. impreſſum Uratislaviam Anno 1670. ad celebre Hoſpitale St. Matthæi in forma patente tranſmiſſum fuit, & mihi benignè ad deſcribendum conceſſum, quod ex Italico ſermone Latina civitate donatum pro majori explicatione prædictæ obſervationis ſubjungere placet.

Illuſtriſſimi Domini,

Quoniam (quemadmodum Angelus ad Tobiam dixit, poſtquam eum pulcherrimum ſecretum pro Patris cœcitate curanda docuerat) opera Dei revelare honorificum eſt; Ego N. de N. qui ſupra omnem humanam fidem virtutem mirabilem cujuſdam olei expertus ſum, quod intra paucas horas ſanat Pleuritidem, aut dolorem punctorium, aut, quemadmodum alii vocant, morbum Lateralem ſeu Intercoſtalem; (illo,) ex quo cognovi, multi abhinc annis omnes illas perſonas curavi quæ eo uſæ ſunt, citra quod poſſit allegari exemplum ſolius unici ex centum, cui non optimè contulerit, etiam cum ſtupore Dominorum Medicorum, qui videntes mirandum affectum, quem indifferenter apud omnes præſtabat, adeo ut nunquam falleret, veteri modo curandi patientes, abſtinentes, re manu admotâ, dicebant ad ægros, mittite, & emite Oleum Patris illius; exiſtimavi rem honorificam, immò officium grande charitatis erga proximum, ſi curarem imprimere dictum ſecretum, ſcilicet modum conficiendi & applicandi ſupra nominatum Oleum, & communicarem Dominis Curatoribus Noſocomiorum in omnibus civitatibus Italiæ, immò Europæ, ut univerſos adjuvarem, & ab omnibus detur Deo gloria, cui tot modis placuit ſuccurrere generi humano. Obſecro ergo Illuſtriſſimas Dominationes, ut jubeant præparari dictum Oleum modo hic ſubjuncto, & publicam faciant notitiam Civitatibus, ut (omnes) ſciant, quo confugere debeant in tempore neceſſitatis: curent etiam idem ipſum ſecretum iterum iterumque typis excudi, ut diſtribui poſſit in omnes ditiones, oppida & loca ſuæ juriſdictioni ſubdita, ut, ſive graſſetur Pleuritis, ſive in genere ſic dictus dolor punctorius, quod ſæpè experimur, unuſquiſque, etiam Pauperculi, qui utplurimum centuriatim inprimis hieme ex hoc morbo pereunt, præſens habeant auxilium. Habebunt certè; præter meritum apud Deum, maximam conſolationem, quando perſpicient Olei hujus effectum, ut ita loquar, miraculoſum.

Modus præparandi ſupra dictum Oleum.

Accipiantur illæ cucurbitæ longæ, quas Tromboni (Tubas) vocant, quando ad debitam magnitudinem excreverunt, idque ideo, ne fiant nimium duræ, ſed ſaltim ejuſdem craſſitiei, ut oleum intromitti poſſit. Raduntur (iſtæ) totæ ad modum quo raphani, ſed advertatur, nè mundentur ad modum pomorum, ſed ſolum radantur, & inde auferatur ſolum pellicula illa ſubtilis, quæ illas contegit, unde permanent virides. Hoc facto, ſecetur cucurbita per longitudinem circumcirca fimbriatim (ut ſingulæ fimbriæ) non magis latæ fiant, quàm eſſe ſolet latitudo cultri Genuenſis, aut certe in margine deſcripta figura, & abiiciatur aut ſaltem coquatur reſiduum cucurbitæ, quod eſt album (pulpa alba) quoniam nihil pro noſtro uſu confert. Hoc peracto ponderentur omnes illæ ſtriæ ſive fruſtula, quæ exciſa ſunt è cucurbita, ipſam intrinſecus mundando à dicta pulpa, & ſumatur tantum Olei olivarum (quo id præſtantius, tanto magis inſerviet) quantum pependit cucurbita. Et ſi cortices cucurbitæ pendent duas libras, duas pariter libras olei oportet ſumere, ſi quatuor, quatuor, & ſic conſequenter tantũ oportet eſſe pondus Olei, quantum eſt cucurbitæ. Hoc facto immittatur oleum & cucurbita in ollam figulinam novam & ſatis validam, ob rationem quam infra dicam, & coquantur ad ignem carbonum vel lignorum (modo non adſit flamma) cucurbita in fruſta conciſa, ut ſupra uſque dum reddatur omnino ſicca, &, ita loquendo, aduſta. Peracto hoc, eximatur cum cochleari ex oleo cucurbita exſiccata & arida, & abiiciatur, quia nullius uſus eſt. Poſtmodum oportet tranſmittere ferrum (non chalybem ſed ferrum) nullis aliis uſibus antea adhibitum ſedecim aut octodecim vicibus calefactum & benè fervens per dictum oleum, & ego procedo modo ſequente: Ollam cum oleo mando deferri in officinam fabri ferrarii, eumque in ignem mittere (jubeo) ſex fruſta, paulo grandiora dimidio palmo, ferri virginei, ſicut dixi, ſcilicet uſum nullum experti, & quando candefacta ſunt & benè fervent, unum poſt alterum ſubmergo cum volſella, & exſtinguo in dicto oleo, & deinde iterum in ignem coniicio, & quando hanc operam ter repetii, ferrum quia ſunt ſex ferri fruſta) octodecim tunc vicibus tranſivit, & tantum ſufficit ad perfectionem olei.

Ego nunquam præparo pauciores quâm octo vel decem libras, ſed poteſt ejus major vel minor quantitas parari pro lubitu, modo tantundem ſumatur olei, quantum cucurbitæ. Quoniam, dum ferrum immergitur candefactum & fervens in dictum oleum, quandoque oleum incenditur, oportet habere ad manum operculum pro contegenda olla memorata, ut ſuffocata flamma extinguatur; ſed quia poteſt accidere, ut ſuppreſſa flamma rumpat ollam, ob id ſupra monui, ut adhibeatur olla validior; & ego, quo magis ſecurus eſſe queam, antequam ferrum ignitum demergo in ollam, pono eam in aliud vas terreum, ne ſi in dicta operatione olla frangeretur, oleum profundatur; id refrigeratum in vitream lagenam infunditur & pro uſu neceſſario aſſervatur.

Modus

Modus utendi hoc Oleo.

Accipiatur parum hujus olei in patella (in qua ova tremula apponuntur) & bene incaleſcat quoad (tactu) perferri poſſit, & infundatur oleum; poſt accipiatur mappella immunda, quæ uſurpata fuit & complicetur in quadruplum, pariterque calefacta, in quantum perferre poteſt patiens, ponatur ſuper ſtupam, & cum ligamento adalligetur, ne motu oleum à parte affecta recedat. Quoniam quandoque dolor etiam alteri lateri communicatur, ſimili etiam ratione alterum inungitur, imponitur ſtuppa & mappella, & quoniam interdum dolor ab una coſta ad aliam ſerpit, inungatur perſequendo dolorem quocunque proceſſerit: Quando patiens eſt inunctus dicto modo, ſi non incipiat ſputare, poſt quinque horas, removetur inunctio, ſed rarenter opus erit repetitione, cum experientia comprobatum ſit quod intra paucas horas apoſtema rumpatur; pro argumento eſt quod multi exteri fere agoniſantes in noſocomiis potuerunt proſequi iter ſani & liberi. *Ferraræ 5. Julii 1669. Petrus à Caſtro.*

Parum hujus Olei deſcriptio differt: à præparatione *Caſtri*, viribus tamen convenit, & pro uſu in Pharmacopolia videtur introducendum.

Pleuritis ſpiritus vini potu fugata.

Miles quidam noſter Ferrarienſis, temperamenti calidi & ſicci, ætatis annor. 34. in hiemis principio valde frigidô, poſt exercitium violentum, ac nimium, & multos in re venerea errores, conqueri cœpit de dolore ſub mammâ ſiniſtrâ, & die ſequenti de febre cum dolore, tuſſi ſicca, reſpiratione difficili; omnia, unô verbô, aderant ſigna quæ veram pleuritidem denotant. Urinæ autem erant veluti aqueæ. Vocatus ſtatim juſſi educi è cubitô ſiniſtrô ſanguinis uncias decem, oleô cucurbit. calidô latus affectum inungi; pulver. etiam dent. apri, mandib. lucii &c. cum aquâ, papaver. rhæad. exhibui. Die quartâ morbi iterum ſanguinis miſſionem celebravi in ſalvatella manus ſiniſtræ. Dolor tamen non ceſſabat, ſputa pauca erant, tuſſis moleſta, ſomnus pauciſſimus. Sextâ die æger è cubili ſurgit, & cùm nullum domeſticum in cubiculô, obſervaſſet, arculam aperit in quâ erat vaſculum vitreum non exiguæ quantitate ſpir. vini plenum, cujus ad quantitatem unius libræ bibit; ad cubile denuò redit, atque ad ſoporem ſe componit; in ſomnô nonnihil delirat, ac varia incomptè loquitur; expergefactus ſudore eximiô perfuſus invenitur, dolorem non ampliùs ſentit, ceſſant omnia ſymptomata, & ita ſeptimâ die liber à febrè evadit. Sic multa in praxi accidunt omnino contraria rectæ curationi morborum, & ſæpe ægri erroribus ſuis, *al diſpetto de' Medici e della Medicina*, ut ipſi dicunt, ſanantur. *Clariſſ. Joſeph. Lanzoni Ephemer. German. Decur. 2. Ann. 10.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Pectoris Dolor & ardor à Mediaſtini inflammatione.

Vidi Nobilem Januenſem, qui cum febre acuta detineretur, ad quam inquietudo magna, ingenſque ſitis conſequebatur & cætera quæ febres ardentes comitari ſolent (in his ſpiratio frequens admodum & celer erat) in thorace maximum aderat incendium, unde & frigidum aerem inſpirare deſiderabat, & calidum ſpiritum reflare: Nullus in thorace aderat dolor inſignis, præterquam ad ſternum; ubi anguſtiam & offendiculum quoddam inſpirando potiùs, quam dolorem perſentiebat, Tuſſis initio ſicca, quæ poſtea ſubſequuta eſt humida: quæ per tuſſim excernebantur, erant colorata, vel rubra vel flava, plurimum tamen flavi coloris, pauciſſima rubei: Pulſus qualis pleuritico eſſe ſolet, ut ſi dolorem lateris habuiſſet, certo pleuritide laborare judicaſſem: Hic inquam cum omnibus his ſymptomatibus teneretur, & ad oblata cæteraque omnia tamen belle ſe haberet, lotiaque admodum laudabilia eſſent coctionemque indicarent, quorum merito judicabatur ex morbo eum convaliturum, ex inſperato præcedentibus nonnullis ſyncopis, nona die defunctus eſt.

Cum dubitaretur inter Medicos de morbo, & ejus amici ſuſpicarentur de veneno, ob ſyncopas dictas, ſectus eſt, in quo nulla alia re p. n. præſente, inventus eſt in membranis interſepientibus tumor inflammatorius ſatis notabilis magnitudinis, qui etiam in parte communicabatur pericardio. *P. Salius Diverſus de affectibus particul. cap. 6.*

Pleuritis ſedem aliquando in ſola pleura habet non coaffectis Pulmonibus.

§. 1. Pleuritidis (quoties morbus primarius & ſolitarius exiſtit) ſedem in pleurâ, ſeu membrana interna coſtas ſuccingente conſiſtere, tum doloris ſenſus, tum obſervationes anatomicæ Pleuriticorum defunctorum habitæ plane teſtantur. *Willis Pharmac. rat. lib. 2. ſect. 1. cap. 9.*

§. 2. Videmus in Pleuriticis cadaveribus Pleuram ſyderatam decuplo craſſiorem. Ergo in ſe morbum continebat, Non inficior poſſe communicari Pulmonibus & Pleuritidem degenerare in peripneumoniam. *Riolanus Encheir. Anat. lib. 3. cap. 4.*

§. 3. Obſervatum fuit in Pleuriticis poſt mortem apertis Pleuram adeo intumeſcere ut decuplo ſolito ſit craſſior, & propter φλεγμονὴν hujus membranæ coſtæ livent: Propterea ſcripſit Hippocr. cadavera pleuriticorum diſſecta apparere fulgurita, quod de partibus internis thoracis eſt intelligendum. *Riolanus Anthrop. lib. 3. c. 5.*

§. 4. Quod in plurimis ex Pleuritide interemptis pulmo affectus inveniatur, inde concludendum non eſt ſemper ita contingere; nam pleuritides vehementiores quæ mortem inducere conſueverunt in peripneumoniam ut plurimum degenerant: Sed plurimi teſtantur, & nobis etiam experientia compertum eſt, in multis pleuriticorum cadaveribus, ſolam pleuram corruptam & putrefactam inveniri. *Laz. Riverius Pract. lib. 7. cap. 2.*

§. 5. Scio in Archihoſpitali St. Spiritus, ad quod pauperes ex Romano agrô curandi afferuntur, quotidie obſervari cadavera pleuriticorum, in quibus latus læſum & corruptum reperitur, cujus rei plures & ego oculati teſtes ſu-

mus: *Proſper Martianus comment. in verſum 261. lib. Hippocr. de loc. in homine.*

§. 6. Subcoſtalis tunica ampla eſt, thoracis cavitati reſpondens, tenuis ſed robuſta, craſſior tamen circa dorſum; atque in thoracis morbis quibuſdam ita ſæpe excreſcit tumetque, ut decuplo craſſior quam cum ſana erat, ſicut obſervavimus, evadat: *Platerus lib. 2. de hum. corporis fabrica. pag. 168.*

§. 7. Hoc notavi minime veram eſſe, *Zecchii, Fel. Plateri* aliorumque doctrinam, pertinaciter defendentium in Pleuritide, quæ frequens eſt morbus, vel nunquam vel rariſſime Pleuram, ſed ſemper inflammari exteriorem Pulmonis membranam, in eaque propter exquiſitum ſenſum (hunc male & præter omnem experientiam ei tribuunt) tam crudeles dolores excitari: in Peripneumonia vero inflammari interiorem Pulmonis ſubſtantiam, quæ obtuſiſſimi ſenſus eſt, atque hinc tantum obtuſos in ea fieri dolores: Quippe ex multijuga cadaverum pleuritide extinctorum diſſectione, rem aliter ſe habere invenimus, & Medicinæ Studioſis non ſemel demonſtravimus: Scilicet comperimus, in omnibus Pleuriticis inflammari pleuram, eamque ſolam ſi Pulmo liber eſſet ab ejus connexu: ſed ſi ille pleuræ adnecteretur firmius, tunc una cum pleura etiam pulmonis adhærentem partem inflammari, *De Diemerbrok Anatom. lib. 2. cap. 13.*

§. 8. Anno 1656. menſe Decembr. in Noſocomio proſecui cadaver mulieris Pleuritide interemptæ, qua primis 14. diebus acutiſſime afflicta fuerat: Poſtea vero inflammatione ad ſuppurationem deveniente, morbus per aliquot dies mitior viſus, ſed tandem morte finitus eſt: Invenimus Pulmonem à Pleura omnino liberum, & in dextro latere totam pleuram, ab axillis uſque ad driaphragma inflammatam; abſceſſum vero diſruptum fuiſſe ad quintam & ſextam coſtam, quæ duæ coſtæ digitorum latitudine, per ruptionem abſceſſus omnino erant à pleura liberatæ, & pus in thoracis capacitatem mediocri quantitate effluxerat: Pulmo autem prorſus nulla inflammatione, aliave prava affectione læſus inveniebatur. *Idem ibidem.*

§. 9. Plane ſimilem caſum etiam demonſtravi anno 1657. in utro pleuritico extincto, qui media æſtate in fœno colligendo occupatus, & valde ſudans, cereviſiam frigidam magno hauſtu biberat, ſicque illico morbum, & paulo poſt mortem contraxerat; In quo etiam tota pleura unius lateris inflammata reperiebatur, Pulmone prorſus illæſo. *Idem.*

§. 10. Ex his liquet minime verum eſſe quod ſcribit *Regius lib. 2. Inſtit. cap. 11.* In omni pleuritide exterioris partis Pulmonis inflammationem etiam adeſſe, idque omnium pleuritide extinctorum corporum ſectiones docere, in quibus ſemper Pulmones affecti inveniuntur, Pleura ſæpe integra; Credo Clariſſ. Virum ex præconcepta opinione hæc docere, nam ut certum duco eum Pleuriticorum ſectiones nunquam feciſſe, ita etiam vero ſimile exiſtimo: illum eaſdem ab aliis inſtitutas, vel nunquam vel rariſſime vidiſſe; Nam autopſia omnino contrarium docet, ut ex multa pleuriticorum extinctorum ſectione, quam in ſtudioſorum Medicinæ gratiam privatim inſtitui, abunde liquet: Nunquam enim Pleuritidem illæſa pleura factam invenimus, ſed in quibus pulmo pleuræ affixus adhærebat, in iis Pulmonem, qua parte pleuræ adnectebatur, ſimul etiam affectum vidimus: In aliis vero, quibus Pulmo liber à Pleura erat, eum nihil affectum fuiſſe: hacque in parte oculis noſtris magis confidimus quam dictis aliorum qui forte nil tale viderunt: Si Platerus ſe quid tale aliquando obſervaſſe ſcribat, nihil miror, fortaſſis ille (quod etiam aliis contingere poteſt) inter plurimos variis morbis interemptos, tamen paucos Pleuriticos ſecuit, Et forte paucis illis quos ſecuit, etiam pulmo pleuræ affixus fuit. Quemadmodum ex diſſectionibus comperio illud tertiæ vel quartæ hominum parti contingere: ſed alios quibus Pulmo à pleura erat liber, ſecuiſſe non videtur: Quales tamen non ſemel nos ſpectandos exhibuimus, cum gravi pleuræ, nulla vero pulmonis inflammatione, aliave affectione. *Idem.*

Lateris dolor ab abſceſſu in pleura & muſculis interioribus thoracis.

Quondam Viri Illuſtr. à Pleuritide ſpuria & diuturna defuncti cum Anatomen faceremus, manifeſto liquebat abſceſſum magnum in pleura & muſculis intercoſtalibus ſuppuratum ac interius diſruptum, puris copiam ingentem in thoracis cavitatem profudiſſe, quod diaphragma ſubſtratum corrodens, ingens in eo foramen excuderat. *Willis cap. de Phrenitide.*

Siniſtri lateris dolor ab abſceſſu ſub ala ſiniſtra, cum vitio Pleuræ relaxatæ, Diaphragmatis ſuppuratione.

Virgo annum agens 11. ſæviſſimis doloribus cruciatur, qui regionem ſub ala ſiniſtra lateris, & coſtas mendoſas occupant, & interdum ad thoracis vertebras & ad imum ventrem exporriguntur: ſæpe motibus convulſivis tentatur, & non raro ſuffocari videtur: Tuſſis deliriumve aliquando coram eſt: aſſidue febricitanti lotia mingunt craſſiora: Anno præterito experta eſt tumorem in eodem latere, qui ſuppurari non potuit: Infelix juvenis vixit uſque ad 44. diem.

Secto cadavere inventum eſt ſeptum transverſum in interiori parte ſuppuratum, ulcuſculis refertum, quemadmodum tota Pleura contaminata & relaxata, & abſceſſus manifeſtus ſub ala ſiniſtra, in parte interiori non diſruptus. *Lælius à Fonte conſult. 132.*

Pleuritis & Peripneumonia ſæpiſſime complicantur, ut pleuritis ſolitaria raro exiſtat.

§. 1. Semper in hac fui ſententia ut Lateris doloris magna ex parte ad Pulmones pertineant, raro autem ad membranam illam coſtas ſuccingentem: Cum in pluribus præſertim corporibus poſt obitum diſſectis, ægrorum qui communiter accepta pleuritide periiſſe judicabantur non membranam hanc affectam fuiſſe ſed Pulmones obſervaverim, una cum ſua membrana laceratos & corroſos. *Zecchius appendice ad conſult. 26.*

§. 2. Dom. de Gatinois à Pulmonia & Pleuritide complicatis convaluit beneficio tam copioſæ excretionis cruentæ, ut quotidie linteum unum & alterum lecto inſtratum tabo rejecto compleret: Sed quadriennio poſt ſimili affectu re-

recrudeſcente, in interempti cadavere abſceſſus in Pulmone relictus poſt detectus. *C. Piſo de morbis ab illuvie feroſâ ſect. 3. c. 9.*

§. 3. Steph. Jonam corripuit acutiſſimus lateris ſiniſtri dolor: Pulmo mortui totus vitiatus deprehenſus coſtiſque accretus. &c. *Tulpius obſerv. lib. 4. cap. 19.*

§. 4. Vidimus apertum cadaver Johannæ, Navarrorum Reginæ, Caroli Noni Gallorum Regis, Joh. le Mire & aliorum, qui omnes intériere a latente Peripneumonia, præcedente dolore lateris aliquo, ſed non magno. Et iis omnibus corpus putre erat, ſanioſum & fœtidiſſimum: Carolus Rex peripneumonicus erat, ſed inflammatio vere eum non ſuſtulit, quanquam dolores lateris eum ſæpe fatigarent: Alii vero Peripneumonici intra ſex aut ſeptem dies periere, cum in latere dolor ottus eſſet qui derepente evanuit. *Ballonius Ephem. l. 2. p. 154.*

§. 5. Joh. le Mire, cum Meloduno Pariſios lintre devectus petit, rigente admodum hyeme, vi frigoris ita calor intro cogitur, ut inde horruerit valde, deinde calorem ingentem conceperit: Media nocte cœpit queri de dolore fixo ac pungente ad nothas coſtas: Magna nothæ Pleuritidis ſuſpicio eſt: Is narrabat ſæpe ſe ea in parte dolores, quos colicos vocabat, ſolitum eſſe ſentire, qui fomentorum uſu non ita multo poſt levarentur: Ac primum ei credidimus, cum tamé apud nos potius valeret opinio ac ſuſpicio pleuritidis per congeſtionem aliquam excitatę quam narratio de vetere dolore, coegimus ut alvus enemate ſublueretur: Ac dolore perſeverante, ut urgeretur occaſio, tertia pomeridia bolum caſſiæ, addita confectionis de dactylis portiuncula, ne medicamentum ignavum maneret, exhibuimus: hujus uſu multa corrupta admodum educta ſunt: Sequenti die relicta ſede priore, dolor ad orificium ventriculi pertinebat; Tunc nos pœnituit quod non die præcedente venam ſecuiſſemus, ut ne inflammatio ad aliam partem nobilem, uti contingit, ſerperet ac oberraret; valdeque timuimus ne in ventriculo malum figeretur, gravioraque omnia naſcerentur: Per dies tres continuos venam ter ſecuimus, purulentus ſanguis detractus eſt, ne guttula quidem puri ſanguinis: viribus metuebatur ob ætatem ingraveſcentem, Dolor non erat fixus, thoracem dilatare omnino non poterat: Reſpiratio alioqui erat facilis, niſi cum magnum reſpirare cogeremus: At tum narrabat ſe aliquid imis coſtis inhærens ſentire quod reſpirationem elideret: Sitis & febris erat ingens, omnia cruda, nam nec alvus niſi ſollicitata ferebatur, nec quicquam ex facili è Pulmone educebatur: Dubitamus an diaphragmatis eſſet inflammatio, præſertim in parte concava, præſertim qua attingit nothas coſtas: Si inflammatio foret illius partis, cur non deliraret quærebamus: Suſpicabamur collectam ibi illam materiam & præſertim ſeroſam (quod dolores vagi apparerent) quæ olim colicos dolores excitarat: idque eveniſſe arbitrabamur ob ambientem frigidum impenſe, unde ſuppreſſio nata foret: Ad id cogitandi m ſitus partis dolentis incitabat; Tamen quærebatur, ſi ea in parte inflammatio eſſet, cur non ad claviculas dolor pertineret? Sed ſectio corporis poſt mortem omnia aperuit: Ergo cùm circa finem diei quarti dubitaremus an quarto ſecanda vena eſſet in tanta ſiccitate morbi, febre, difficultate ſpirandi, Ecce primarius Medicus videns noſtras ſectiones inutiles, ratus collectionem eſſe quandam, ad catharticum confugit, idque vehemens admodum, ut vi deturbaretur humor qui infra diaphragma conſiſteret: At cum humor nullus eſſet infra diaphragma morbi author, irritum medicamentum fuit, & duabus poſt horis hypercatharſin induxit, perturbationem tantam ut brevi ægro intereundum fuerit.

Aperto cadavere, Ren ſiniſter plane putris & corruptus repertus eſt: Inventi duo in veſica calculi, qui ſuppreſſioni urinæ in progreſſu morbi occaſionem dederant: Morbi mortiſque cauſa hæc erat, Pulmo erat admodum amplus, thorax anguſtus: Semiputris erat pulmo, & ita contumaciter ad latus dextrum adhæreſcebat, ut vix avelli potuerit: Abſceſſus in ea parte erat; & ſua mole & magnitudine ad nothas fere coſtas deſcendebat: Erat inflammatio mediæ partis pulmonis, præſertim ejus quæ abſceſſum fovebat: Adacto cultello Chirurgico, putris & fœtens ſanies manavit, cujus portio dum decurreret per membranarum continuitatem, dolorem excitabat; & cùm effluebat, dolor ceſſabat, ut mirum non eſſet ſi modo pars doleret, modo non doleret: Et quoniam oſculum alvi medium diaphragma tranſcurrit & ſecat, dum per gibbas diaphragmatis ſerum decurreret à parte putrefacta manans, attingeretque oſculum ventriculi; non mirum ſi dolorem in ventriculo ſentiret, ac ſi in capacitate ejus malum foret: quanquam non erat inflammatio in ventriculo, tametſi adeſſe videretur: Hepar erat maxime vitiatum, & præſertim pars ejus ſuperior erat friabilis & ἰχωροφάθυς. *Gulielmus Ballonius conſil. 94. lib. 1.*

§. 6. Quadragenarius febre ardentiſſima correptus, doluit etiam à latere: detractus mediocriter ſanguis ad vaſcula duo, perſeverant omnia, neque cedit dolor remediis: 6. die detractus iterum ſanguis ad duo vaſcula, putris & corruptus: Sudor 7. levis, tenuis & tantum in capite & thorace: nihilo melius habuit: deliria nocturna, æſtus & inquietudo magna; urinæ turbidæ, ſudavit 9. & 11. nihilo levata febre: decimo levius habere viſus eſt; nocte eadem patitur: 12. urinæ ſubſident, ſed divulſo & nigro ſedimento: Sudat ut prius; pulſus perpetuo frequens & magnus cum pauca inæqualitate; Jam tendines manuum, ſine manifeſto membri motu, revelli ſentiuntur: Urinæ bene coloratæ & corporatæ cum ſedimento nigro: 13. floccos colligit manibus, revelluntur digiti; delirium fere perpetuum: 14. media nocte mortuus eſt.

Pulmonibus corruptis & nigricantibus inventus eſt. *Hollerius libello obſervationum propri. 13.*

§. 7. Pleuritide interemptum ſecui qui maximam ſaniei copiam tum in pleura tum in pulmonibus, firmiter coſtis adhærentibus habebat: Sed cordis inſpectio maximum ſtuporem pariebat: Illud enim totum albidum & tomentoſum, inſtar pellis quæ vulgo *cerviotto* dicitur, aſpeximus: Pus enim, ut credo, cum ob craſſitiem & copiam totum per anacatharſin expui non poſſet, tunicæ cordis, ob immenſum ipſius calorem, dum aliquomodo exſiccaretur, adhærebat, unde totum tomentoſum nobis conſpicuum fuit. *Dom. Panarolus obſerv. 48. Pentecoſte 1.*

§. 8. Stug

§. 8. Studioſus, calidi temperamenti & ſicci, eryſipelate cruris eodem anno bis infeſtatus, Erfurto Jenam media hyeme, frigore intenſiſſimo iter faciens, inſignem perſenſit rigorem in latere thoracis ſiniſtro: Eum excipit inſignis calor, dolor, tuſſis ſicca, poſt humida, excernitur ſpumoſum quid ſanguini permiſtum puro: difficultas reſpirationis adeò ingens: Increſcente morbo excernit purulenta in magna copia duarum ſeptimanarum ſpatio, poſt ſanguinem purum, Tandem per alvum nigrum grumoſum ſanguinem fœtidiſſimum: adſtantes civitate donatis opinionibus imbuti, pulmonem & jecur excerni putaverunt.

Aperto poſt obitum cadavere, inventum ingens in latere ſiniſtro pleuriticum apoſtema, quod pulmonem ſimul occuparat, συστροφικῆ prægreſſa inflammatione, eumque totum abſumpſerat: ventriculus & inteſtina grumoſo plena ſanguine; qualis per alvum copioſe fuerat excretus. *Rolfinckius Diſſertat. Anatom. lib. 6. cap. 27.*

§. 9. Taſſinus vertigine oppreſſus linguaque minime continens repente concidit: Obmutuit, &c. deſignabat locum dolentem ad dextras lateris partes, qua ſeptum alluit, &c. Dextrum latus dolere narrabat, & ſiniſtrum ante doluiſſe &c. Reſtitutus tandem de reliquiis doloris in latere & capite querebatur &c. Pulmonicum quid putabant, aut à pure vaporem, aut tuberculum, aut convulſionem articulorum pulmonis, aut adhæſum, &c. Poſt magnam purgationem convaluit, *Ballonius hiſtor. 1. conſil. lib. 2.* Exitus morbi, qui eum uno poſt anno prehendit & de medio ſuſtulit, unam ex conjecturis veram eſſe comprobavit; Vomicam aliquam ſubeſſe conjiciebamus à qua vapor teter efferretur vehementium ſymptomatum author: Nec ego unquam putaſſem elatum à pure materiave purulenta vaporem tanti eſſe: Ad menſem Auguſtum dolore capitis incredibili tentatur, febris aſſidua, jactationes, verebamur ne in ea incurret in quæ prius ceciderat: multum ſanguinis è naribus fuderat antequam morbo prehenderetur: ſtatim injectum enema, miſſus ſanguis, Eodem die datum medicamentum; alvus liquidiſſimis excrementis fluxerat, nec quicquam compactum apparuit: Ingens erat incendium & vires naturæ dejectæ erant: Dolorem lateris querebatur, & ad regionem Hepatis: Illis locis pungentem ſe dolorem & lancinantem percipere ac ſentire narrabat: De vomica conjectura augebatur: Sæpe vox deficiebat, ac ſi aut pulmo confoſſus, aut perforatus, aut adhærens eſſet: Nihil purulentum expectoravit: Non poterat multum & affatim bibere quia deficiebat ſpiritus & potus velut in cavum deſcendere videbatur, ſeptimo die tandem cum ſudore pingui interiit.

Aperto cadavere deprehenſus eſt pulmo adhærens tum in parte dextra tum ſiniſtra coſtarum: membranæ utrinque ſublivebant: Circum gibbum diaphragmatis, pars pulmonis tota in pus & ſaniem fœtentem liquefacta erat: Magna quoque puris materia transfluxerat in Hepatis regionem, & ibi concluſa erat, Nova ibi vomica concluſa videbatur, at non erat: Totum corpus internum fœtens admodum, Hepar ſanum & Lien: Inteſtina alieno maxime colore. *Ballonius conſ. 6. lib. 1.*

§. 10. Ex pleuritide peripneumonicum ſecui, in delirio mortuum, Dextro in latere pulmones ſterno & coſtis, fibrillarum plurium ope adhærebant; quarum quædam rotundæ, aliquæ latiores, tum albidæ tum rubicundæ: in ſiniſtro liber ab ejuſmodi nexu pulmo fuit: Pleuræ pars dextra ſuperne purulenta erat, ipſaque tunica diſcedebat corrupta, pus tenacius referens: Eadem & craſſior juſto obſervabatur: Dextræ pectoris cavitati vel integra puris menſura inerat, fœtidi, obſcure flaveſcentis, & ſtriis ſanguineis cruentari aque acido acris: Qualis etiam intra pulmones ipſos ſtagnabat, Ex quibus diſſectis tabes & ſanies copioſe dimanarunt. *Ex literis Joh. de Muralto Medici & Chirurgi Tigurini, die 6. Aug. 1677. datis ad Clar. J. Jac. Peyer Doct. Medicum Schapuſanum cujus benevolentia debeo obſerv.*

§. 11. In cadavere cœnobitæ cucullati, empyemate cum tabe extincti, conſpexit Bened. Silvaticus læſos ante pleuram pulmones: Æger nempe ab angina in peripneumoniam, & ex hac in pleuritidem inciderat. *Joh. Rhodius centur. 2. obſerv. 11.*

§. 12. Matronam ſuſtulit pulmo & thorax purulentus, copia autem puris erat inſignis & omni ſuperior fide; Antequam ita purulenta diem ſuum obiiſſet, per annum unum & dimidium ante querebatur de ſiccitate linguæ, ſiti & calore incredibili thoracis, omnia ſicca erant, nihil expectorabat, ne tuſſiebat quidem: Cum poſtea per dies xx. continuos de dolore ſiniſtri lateris queſta fuiſſet, & novies φλεβοτομηθεῖσα, cum ſpiritu frequenti, & inquietudine incredibili fatis conceſſit. *Ballonius conſil. 3. lib. 3.*

§. 13. Nos non tantum in peripneumonia, verum etiam in pleuritide, quam veram vocant, pulmones inflammatos fuiſſe, in mortuis aliquoties apertis ſpectavimus. *Platerus Pract. tom. 2. p. m. 339.*

§. 14 Poroſa eſt pulmonum membrana, ut ſi forte quid ſaniei in thorace colligeretur in pleuritide, & peripneumonia, in eos pateat aditus, quo per tuſſim rejiciatur: In quibus tamen affectibus & pulmones affici ſtatuimus: Sic ex pleuriticorum anatome, & remanente difficili reſpiratione, ejuſque lateris aliquo dolore, in iis qui convaluere ad finem vitæ, edocti. *Bauhinus Anat. lib. 2. cap. 26.*

§. 15. Quibus pulmo totus vitioſus, eſt, ut Regi Carolo contingit, iis ſanies in pulmone eſt quæ falſas pleuritides infert, nec ſanguinem expectorant. *Gul. Ballonius Epid. lib. 2. p. 165.*

§. 16. Pleuriticorum duorum ſectioni adhibitus, cum examinarem coſtas ſuccingentem membranam, maculam tantum lividam in ea deprehendi, illique affixos pulmones, qui ægre ab ea nonnihil lacerando avellebantur, eoſque potius quam ſuccingentem membranam affectos. *F. Platerus.*

Phthiſicis ſuperveniens Lateris dolor, ortum debet pulmonum cum pleura cohæſioni.

Cautio adſit ne longa à Tabe emaciatis ſanguinem abducamus, cùm his lateris ſupervenerit dolor, Etenim ſecari vidimus plurima talia corpora, ac deprehendimus eorum pulmones arcte, ἀδιὰ φύσιν, membranæ coſtis intextræ anne-

annecti; Dum enim ventoſus quis vapor ſe inſerit huic nexioni, continuum avellit. *Heurnius lib. de Aff. Pectoris.*

Pleuritis lethalis ob ſuccedentam pleuræ Sphacelum.

In Pleuritide dolor adeſt perſæpe immanis, ita ut æger de vita periclitetur: Si vero perſeverantibus ſignis deterrimis ipſe conquieſcat, timendum quia inflammatio, peſtilens quandoque & maligna, in corruptionem abit & ſenſum partis aufert; Quo cum premeretur quidam immiſericorditer, ut præ doloris vehementia inſomnes noctes ac dies duceret, tandem cohibito ſputo evanuit dolor, qui cum ſanus à Medicis judicaretur, poſt diem ſubito occubuit.

Aperto cadavere, inventa eſt pleura in parte interna tota fere nigrore peruſta: Quod ſignum veneni intus ſævientis & ſphaceli eſt certiſſimum *Zacutus Praxis adm. lib. 2. Obſerv. 6.*

§. 2. In pleuritide gangræna aliquando accidit, quod vidi in Duce Medinæ Cœli, qui ante ſextum obiit; Tunc nullus dolor in parte ſentitur, cum ſphaceli ratione ſenſus deficiat. *Lazarus à Soto Comm. in lib. Hipp. de loc. in homine text. 10.*

Lateris dolor peripneumoniam ſequutus cum hydrope Pectoris.

Parentum morboſæ diſpoſitiones jure hæreditario in liberos transfundi apud omnes in confeſſo eſt, quanquam non eadem ſemper idea affectus erumpant. Id ut in pleriſque partibus, ſic & in thorace eluceſcit. Virum nobilem Dom. Jacobum Favre, Senatorem Genevenſem, hydrops pectoris abſtulit, ſub febriculæ ſpecie, in hypochondriis fomitem habentis imponens. Ejuſdem Filium annos 40. natum, virtutum, bonorum & muneris Senatorii hæredem, idem morbus, aliis thoracicis affectibus, peripneumonia ſcil. & pleuritidi connexus, abſtulit anno 1669. menſe Decembri: Peripneumoniæ, toto morbi decurſu indubia fuerunt argumenta, pridie vero ante obitum ingens lateris ſiniſtri dolor obortus eſt, qui Medicis non parum negotii dedit, quod virium debilitas à principe remedio, venæſectione, dehortaretur. Pluribus ante menſibus fœdus faciei color & cachecticus, ac luridus labiorum, difficilis greſſus imarumque tibiarum ſub veſperam intumeſcentia, cum pectore anhelo, vitii paterni ſuſpicionem apud me movebant; Vix animam trahenti ſuppetias, inter plurima præſidia, ſolum urticæ decoctum, attulit, cujus ope cruenta è pectore excludebantur.

Diſſecto cadavere, Cor & Jecur nihil vitii præ ſe tulerunt. Pulmo dexter à conſtitutione naturali quodammodo deflexerat. Siniſter fere conſumptus, uterque plane exanguis: Pleura, qua parte dolor fatigavit, pene ſyderata erat. In cavitate thoracis aquæ libræ 18. repertæ ſunt. Glans itidem plumbea, eo è ſumma ſcapula, ante aliquot annos vulnerata (quam nulla Chirurgorum induſtria eximere valuit) deducta. Lien parte ſuperna vitiatus & corruptus erat: Ren ſiniſter lapillum continebat; maximum veſica, quatuor unciarum & ſemis pondo, extremitate acuta fundo veſicæ annexum, neque pondere neque urinæ difficultate moleſtum. A pueritia Nob. patiens nephritidi obnoxius fuerit, hinc calculi in veſica latitantis certa ſigna exhibuit; quamobrem in conſilium adhibitus Illuſtr. Dom. de Mayerne lapidem exterentia præſcribit, à quorum uſu omnes moleſtiæ deſierunt: creditque in poſterum vir Excell. efficacia medicamentorum detruſum calculum, qui ſe veſicæ ſupernæ affigens omnibus impoſuit. *Clar. Theoph. Bonetus in Sepulchreto, ſeu Anatomia Practica.*

In Peripneumonia ſæpe unus aut alter lobus tantum Pulmonum inflammatur.

In Pulmonia non eſt neceſſe totum Pulmonem inflammari; quia ſæpiſſime unus aut alter lobus tantum id patitur, ut infinitorum Cadaverum apertio nos docuit. *Joubertus cap. 10. de affect. Thoracis.*

Pectoris dolor gravativus in Peripneumonicis contingit ubi Pulmonis viſcus inflammatum eſt, Punctorius ubi pleura coafficitur.

In Pulmonis inflammatione pectoris anguſtia adeſt cum dolore; Dolorque non eſt pungens ſed gravativus, ſpinam attingens, ubi membranæ pleuram attingentes ſuſtentantur, iſque dolor remiſſior eſt, niſi membrana ſimul inflammata fuerit. Nam deprehenſum eſt in diſſectis peripneumonia mortuis ſæpe membranam pulmones ambientem ſimul inflammari, & aliquoties ſimul cum pulmone pleuram quoque ſimul inflammatione corripi, ubi dolor acutior & punctorius eſt. Ubi vero ipſæ membranæ primario non afficiuntur, ſed viſceribus quæ ambiunt inflammatis extenduntur, dolor tantum gravis excitatur. *Sennertus Pract. lib. 2. p. 2. cap. 3.*

Pleuritis à vomica ſub mamma, plena humore vireſcente.

Interdum malignæ & vulgares Pleuritides graſſantur, qualem anno 1598. vidi, quæ generabatur ex humore tenui vireſcente, & omnibus qui ea corripiebantur fere lethalis erat.

In cadaveribus diſſectis, ſub mammis reperiebatur vomica plena vireſcente liquido humore: Huic Pleuritidi unicum in ſectione remedium, quod humoris pravi nulla ſit mitigationis & coctionis ſpes. *Jac. Fontanus Med. Pract. lib. 2. c. 3.*

Anatome Pleuritici, à Pericardii inflammatione extincti.

Quidam in ætate florente acuta febre eſt prehenſus cum ſiti ingenti, anxietate, reſpiratione celerrima & frequenti, thoracis incendio, tuſſi ſicca, ſyncope, cordis tremore, leviſſimo in thorace dolore ſternum verſus, cum anguſtia ſumma, pulſu duro & inæquali. Hic pro pleuritico curatus, triduo è vita ſublatus.

Sectio à morte palam fecit fuiſſe Pericardii inflammationem, nam tota fere tunica livida & rugoſa viſa eſt, & in multis partibus aſperitudines apparuere miliaceæ, nigrore infectæ, omnia ab adurente calore profecta. *Zacutus Praxis adm. lib. 2. Obſervat. 138.*

Anato-

Anatome mulieris Pleuriticæ, cujus pericardium pure plenum inventum eſt.

Secabatur fœmina quædam Patavii, quæ pleuritide laboraverat, atque pro tali curata fuerat, cui etiam ſectio reſpondit. Poſtquam vero ad cor perventum eſt, totum pericardium pure plenum, & quaſi illo obductum, cordis ſubſtantia illæſa reperiebatur. *Phil. Salmuth. cent. 1. Obſervat. 15.*

In Pleuriticis quibuſdam doloris ſedationi ſuccedit cordis gravamen, ob ſanguinem in ſinibus cordis & vaſis concreſcentem.

Solent pleuritici nonnulli, cum dolores evanuerunt, de inſigni gravamine, & velut pondere circa cordis regionem defixo queri: Cumque ex hujuſmodi affectibus obeuntium cadavera aperuimus, in cordis ſinubus, & vaſorum circumcirca cavitatibus, ſanguinem in fruſtula & glomeres oblongos concreviſſe vidimus. *Willis lib. de Febrib. cap. 11.*

Anatome pleuritici in cujus thorace copia puris deprehenſa eſt.

Pus aliquando ex aperta vomica in pleuritide in thoracis ſpatium confertim effunditur: Sic in Dom. Danſerville & de S. Ygnon cadaveribus, præ vehementia pleuritidis quarta morbi die extinctis, pus ad libras plures collectum repertum eſt, præter eam particulam quæ à naribus effluxit. C. *Piſo de morbis à ſeroſa illuvie ſect. 3. c. 4.*

Lateris dolor aliquando excitatur quia Hepar fibrarum ope nothis coſtis alligatur.

Corporibus nonnullis à natura datum eſt, ut Hepar fibris quibuſdam ita coſtis inferioribus hæreat, ut hoc viſcere laborante diſtentoque, coſtarum regionem dolor infeſtet, atque Pleuritidis ſpeciem referat, quemadmodum multis abhinc annis obſervavi, & experimento comprobavi. *Zecchius conſult. 26. Hollerius lib. 1. c. 26.*

Lateris dolor ab Hepatis vomica excitatus

Cum æger temperamento bilioſo, 35. circiter annorum, corpore ſqualido, inflammatione Hepatis laboraret, Medicus quidam pleuritide excruciari eum aſſeruit; deceptus quia aderat febris, pulſus durus, difficultas reſpirandi & dolor in ſuperiore parte thoracis. Quibus ſignis, quaſi veris pathognomonicis, calidis remediis uſus eſt, me ſemper renuente, qui refrigerantia præſcribi volebam ob igneitatem Hepatis; Anatomica enim ſectio alias mihi annuebat indicationes: ex qualibet enim inflammatione, etiam minimi digiti, oriri poteſt febris. Inflammato ſuſpenſorio Hepatis, per conſenſum, cùm ſit membrana, poteſt fieri pulſus durus: Difficultas porro reſpirandi & dolor pectoris circa claviculam dextram, non magnæ erant conſiderationis: cum enim Hepar communicet cum peritonæo, indeque cum pleura, (quæ nihil aliud eſt quam vitalium partium peritonæum) mirum non eſt ſi ipſo accenſo, dolor circa claviculam perſentiatur & difficultas adſit reſpirandi. Aderant alia ſigna quæ ſi accurate ab illo enucleata fuiſſent, æger forſan viveret, ſicuti dolor acerbus ſupra regionem Hepatis, calor immodicus, vomitus bilioſus cum cardialgia, diarrhoea bilioſa, poſtmodum dyſenteria cum ſiti vigiliaque intolerabili, atque totius corporis emaciatione: tandem poſt xv. dierum ſpatium, magna puris graveolentis quantitas per alvum excreta fuit; quam paulo poſt mors ſequuta eſt.

Secto cadavere vomica in Hepate cum maxima puris coacervatione inventa fuit. *Dom. Panarolus Pentecoſte 1. Obſervat 37.*

Lateris dolor à Puſtulis duabus, una in ſtomacho, altera in cavo Iecoris, ſobole morbi Venerei, inductus.

Fuit juvenis qui maximis tenebatur doloribus dextri lateris: Nullum ei remedium proderat: Poſtquam verò mortuus eſt, facta ſecandi poteſtate, animadverſa eſt, cicatrix circa genua, unde facta conjectura eum morbo Gallico laboraſſe.

Aperto corpore, invenerunt quod morbo Gallico etiam interius totus laboraſſet. In Diaphragmate videbantur maximæ puſtulæ: Ubi autem fuit dolor maximus dum viveret, ibi ſtomachus habuit cavæ manus inſtar puſtulam, & in ſuperincumbente cavo hapatis, ſimilem aliam puſtulam, ut una alteram comprimeret. *Ex Schedis C. Geſneri.*

Pleuritis à vermibus in imo ventre latentibus producta.

Fuit à nobis aliàs in obſervationibus noſtris animadverſum, Pleuritidis quandam ſpeciem eſſe, quæ in omnibus veram & legitimam, non autem ſpuriam æmuletur: Orta eſt à malignis & acribus vaporibus, ab inferioribus partibus ſurſum in pectoris regionem delatis: ex quorum virulentia & acrimonia, Pleuræ inflamatio, nec non venarum eroſio excitatur, unde ſanguinis exſpuitio, ſpirandi difficultas, febris & alia ſymptomata, quæ veram Pleuriſim comitari ſolent, conſequuntur. Ubi purgatio ſanguinis detractioni longe lateque præferenda erit. Sed hujus rei veritatem cognoſcent hi qui Ferrariæ in Xenodochio aliquandiu degerunt, ubi infinita Pleuriticorum cadavera quotidie diſſecantur, in quibus viſcera interiora, ſtomachus ſcil. & inteſtina, lumbricis & vermibus tota infarcta reperiuntur: Hujuſmodi Pleuritides, quæ ab iiſdem quibus peſtilentes, ortus ſui cauſam ducunt, auxilium tale expoſcunt quod facultatem habeat vermes expellendi & corruptionum incommoda tollendi: qualis eſt virtus & proprietas mercurii, rerum mercurialium, &c. *Quercetanus Pharmacop. Reſtit. cap. vii.*

Pleuritidi quidam fuit obnoxius, quod in vena azygo unica eſſet valvula.

Primus poſt Amatum valvulas venæ azugos detexi, & in omnibus cadaveribus privatim & publice demonſtravi, atque in vena intercoſtali valvulam adhuc ſæpius obſervavi: Quum thorax ob

ob reſpirationis neceſſitatem perpetuò moveatur, ne ſanguis in venam azygon affatim irruens Pleuritidem inferret, benigna parens natura ut huic incommodo proſpiceret, tres valvulas tanquam oſtiola in caudice venæ azugæ alternatim diſpoſuit: prima eſt in exortu venæ, duæ aliæ directè oppoſitæ in medio caudice ſunt affixæ, affatim irruenti ſanguini obſiſtunt, ſed remeanti cedunt, Propterea non impediunt quominus materia pleuritica ab azugæ ramis in cavam refluat: Quod ſi unica tantum adſit valvula, ut ſemel mihi videre contigit, ejuſmodi corpora Pleuriticis affectibus ſæpiſſimè tentantur. *Riolanus Anthropogr. lib. 3. cap. 8.*

PLEURIPNEUMONIA
Vid.
PLEURITIS.

PLICA
Vid.
PILORUM MORBI.

PNEUMATOCELE
Vid.
HERNIA.

POLLUTIO NOCTURNA.

DE hoc morbo ſufficiat per *Conſultationes* è variis petitas Celeberrimis Autoribus, egiſſe.

De frequenti ſeminis ejaculatione in Somnis & Vigiliis, cum pruritu in Venerem. Pro Nobili Hiſpano.

Vir Nobilis, ætatis annorum 28. temperamenti calidioris totius, cordis, & jecoris, hirſutus, ſucci plenus, brevis ſtaturæ, veneri à pueritia addictus, qualibet nocte, vel alternis ſaltem, iterum & tertiò pollutionem patitur, ex libidine per inſomnia, necnon interdiu, ex attenta rei venereæ cogitatione, & formoſæ alicujus mulieris conſpectu, cum colis tentigine, vel ex leviſſima ejus contrectatione, non ſine virium languore quandoque, ut propterea medicam imploret opem. Nec præter rem, cùm periculum immineat, ne durante hoc affectu, quo novem adhinc annis conflictatur tabidus moriatur, prout Satyro in Thaſo contigiſſe prodidit Hippocr. 8. in 6. Epid. Text. Comm. 47. qui cùm eſſet annorum 25. ſemen per ſomnum effudit frequenter, quod interdiu quoque ipſi ſæpius prodibat, cùm autem annum 30. attigiſſet, tabidus fiebat, inquit, & mortuus eſt.

Cùm itaque, ex vocis etymo, affectus præſens gonorrhœa nuncupari poſſit, copioſa ſcil. ſeminis profuſio, minus tamen convenit illi hoc nomen, ratione facultatis animalis cùm principis, tum partium genitalium; illius quidem, quia vera gonorrhœa eſt invita ſeminis profuſio, ex Gal. 6. de Loc. Aff. ult. hæc verò nonniſi ex imaginationis vi, & voluntatis imperio, ac in ſomnis, cùm fiat per libidinis inſomnia, & in vigiliis, ex levi colis contrectatione; ratione vero partium genitalium, quoniam vera gonorrhœa fit citra colis tentiginem; cùm in hac ſemper arrigatur. Quòd ſi Galen. prodidit 6. de Locis Affect. ultimo, Priapiſmum fieri concepta libidine, non tamen ſeminis ejaculationem adjecit; neque quod fiat ad noſtrum arbitrium; ut propterea ſtatuendum ſit, eſſe gonorrhœam ſpuriam; cujus in hoc caſu cauſa ſit exſuperantia, & acrimonia ſanguinis, ac ſpirituum ad genitalia confluentium, ob temperamentum caldum Nobilis patientis, & alimenta copioſiora; quorum ratione majori copia exuberat, quàm nutriendi corporis poſtulet uſus; cùm ſit humilis ſtaturæ; necnon ob dilatata vaſa, venas ſcil. & arterias, quæ non ſolum facilè replent meatus fiſtuloſos penis, unde facilis ejus tentigo; ſed etiam ad proſtatas ſanguinem, & ſpiritum convehunt; itaque non minus ob copiam, caliditatem, ut luculentiſſimè patet ex temperamento, propenſione ad iram, & venis amplis, & acrimoniam ſanguinis, & ſpirituum, quam ob intempeſtivum, & frequentem coitum: cujus vim in Venereis ſuſcitandis ſtimulis Galen. 6. illo de Loc. Aff. ultimo graphicè expreſſit his verbis: Nam præter ea, quæ accidere ſolent iis, qui protinus à prima juventute immodicæ veneri ſeſe permiſerint, id etiam evenit, ut horum locorum vaſa amplius patentia, majorem ad ſe ſanguinis copiam alliciant, & coëundi cupiditas increſcat, ea videlicet ratione, quam in cæteris facultatibus videre eſt, quæque à Platone notata eſt, cùm inquit. Ignavia quidem exſolvit, proprii autem officii exercitatio robur augere ſolet. Atque hæc de eſſentia, & cauſis hujus affectus.

Qui quidem, me quoque judice, magni æſtimandus, quippe qui vires magis in dies labefactare poſſit, quæ hac ætate adeò languent; cùm ſcil. ſanguine & ſpiritibus minori copia affluentibus abſumetur etiam humidum primigenium: ut proinde impendat metus, ne Satyri exemplo tabidus pereat; cùm potiſſimùm tot, & validis adeò remediis internis, & externis, ex methodi lege præſcriptis in patria à Præclar. Medicis aulicis uſus fuerit nullo juvamento: quanquam ſi hic affectus ſolam copiam, aut acrimoniam ſanguinis, vel utramque cauſam agnoſceret, ſpem aliquam ſalutis nobis facere poſſet; ex temperantia in cibo, potu, & Venere: ſine Cerere enim, & Baccho friget Venus; futura potiſſimùm ſenecta, qua ex Hippocr. in Epidemiis, Morbi connutriti, hoc eſt à naturæ ortu, deſinunt; imminuta ſcil. ſeminis copia, ob ſanguinis penuriam, ejuſdemque & viſcerum contemperationem, & refrigerationem, ex mutato temperamento ea ætate. Verùm cùm in hoc caſu majus negotium nobis faceſſat vaſorum laxitas, ex diuturno ſanguinis, & ſpiritus confluxu ad pudenda; hac non ſublata, imminuto licet ſanguine, ſine ulla colis tentigine; non tamen continua fluxio, ſeminiſque ſpontanea profuſio, cum extenuatione omnium aliarum partium firmabitur; ut in quibuſdam affectæ ætatis à me fuit obſervatum, qui tandem ſi non tabidi, apoplectici ſaltem fato ſunt functi: quod in Nobili Patiente DI avertant.

Non tamen Medicis præſidiis propterea ſuperſedendum; & quidem cùm copiam, & acrimoniam ſanguinis contemperantibus, refrigerantibus, humectantibus; ac evacuantibus ſenſibiliter, & diſcutientibus, tum vaſa laxata adſtringentibus.

Atque ideò ſi de ſanguinis miſſione ſermo fiat, probatur mihi Avicennæ conſilium à Viro Clariſſ. in medium allatum; ut ſcil. quolibet menſe mittatur ad ſeptem, vel octo uncias; modò ex jecoraria dextri brachii; modò ex ſaphena, & potiſſimùm ex vena poplitis propiore, & cui major cum pudendis intercedit conſenſus. Nec præter rem fuerint frictiones memoratæ totius corporis, ac præſertim partium ſuperiorum.

In Pharmaceuticis, ex uſu erunt blanda purgantia, & bilem illam cum ſanguinis fervore contemperantia; non tamen, quæ ipſum fluxioni magis opportunum efficiant. Quo nomine Aquæ omnes Thermales, & quidem refrigerantes, à Viro Præclariſſ. præſcriptæ, cùm Villenſes, cum Patavinæ B. Virginis, utcunque mihi ſunt ſuſpectæ; utiles alioquin compeſcendo viſcerum, & ſanguinis fervori; metu ſcilicet ne ſeroſitatem, in eo quæ ad fluxionem augeant, proclivem magis reddat. Cujus cauſa abſtinerem quinetiam à copia ſeri lactis caprini, vel aſinini; illi, præmiſſa univerſali corporis purgatione, præferens ſuccum cichorii, & ſonchi optimè depuratum, quotidie exhibitum ad unc. ii. cum ſemiuncia ſucci nympheæ, in tribus unciis juris vervecis, in quo elicita fuerit emulſio ex quatuor ſeminibus majoribus frigidis, ad unc. iii. addita uncia ſemis ſeminum cannabis ſylveſtris. Cujus uſus erit menſem circiter; præmiſſa unc. i. ſacchari roſati antiqui, cum unc. ſem. conſervæ ex fl. nymphææ. Nec præter rem cenſerem potum aquæ roſarum, ad unc. iii. cum unc. i. ſucci limonum, & albumine ovi crudo, quarta qualibet die; cùm experientia compertum ſit, præſenti eſſe remedio ad ſiſtendam gonorrhœam. Inter externa probatur inſeſſus in aqua fabrorum, in qua ſæpius extinctum fuerit ferrum candens; infuſis in eadem foliis lactucæ, nymphææ, plantaginis ac decoctis corticibus mori, ſantalis, & myrto: quæ tamen frigida ſit; imò & nive, aut glacie quandoque refrigerata, quò prædictarum partium ſenſus hebaſcat, abſque viſcerum principum noxa, quam alioquin inferre poſſint narcotica per os aſſumpta. Lamina item plumbea pertuſa lumbis admoveatur; qui juxtà cum perinæo inungantur unguento roſ. infrigidante Gal. & de corticibus caſtanearum. Atque hæc potiora medicamenta, non neglectis illis, quæ à Viris Præclariſſ. fuerunt in uſum revocata. Omnia namque ſecundum rationem facienti, etiamſi non ſuccedat ſecundum rationem, ad alia non eſſe tranſeundum, Hippocratis ſancitum eſt.

Victus rationem quod ſpectat, accurata hæc ſit in omnibus ſex rebus nonnaturalibus. Cibi proprerea parum nutriant, ſeminiſque productionem prohibeant. In quam rem ſemen agni caſti, ſemen filicis, cannabis ſylveſtris, mentha, calamentum, lactuca, & nymphæa cibis immiſceantur; ut laudem proprerea mereatur conſilium Viri Præclariſſimi, quod ſcil. panis conſtet parte aliqua furſuris; cum aqua nenupharis, vel portulacæ ſubactus. Vinum ſit dilutum, & parcum; alvus continuò laxetur; vel familiari uſu pilul. ex aloe lota, exſiccante, & bilem evacuante. Exerceat corpus ad ſudorem uſque; & decumbat in alterutrum latus, ſubſtrato lodicibus corio; animi perturbationibus; & ira pro virili ablegatis. Omnium tamen maximè averſo à venereis cogitationibus, aſpectu, & ſermonibus animo. *Benedictus Silvaticus Conſilior & Reſp. Medic. Cent. 4.*

De Oneirogonia, ſive Pollutione nocturna, & aliis ſymptomatibus. Pro Perilluſtri, & Reverendiſſ. Patiente Lucenſi.

Perilluſtris & Reverendiſſ. Patiens, annorum 28. temperamenti calidi, & ſicci, habitus gracilis, coloris ſubrubri; de tribus potiſſimum affectibus conqueritur. Oneirogonia; oculorum & palpebrarum motu læſo; & de frequenti ſalſæ pituitæ expuitione. Quibus accedit, ex levi qualibet occaſione, anguſtia quædam moleſta circa regionem cordis, cum difficili reſpiratione, & palpitatione; durities inſuper quædam levis utriuſque hypochondrii & arteriæ magnæ vehemens pulſatio. Oneirogoniæ, ſeu nocturnæ pollutioni eſt opportunus ab adoleſcentia; nunc tamen frequentius, ut vix unam, aut alteram noctem ea vacuam ducat; quam præcedunt inſomnia Venerea, atque ſemen profunditur liquidum, & tenue, & vix flaveſcens. Oculos, & palpebras ſuperiores ægre attollit, harum licet tumore vix conſpicuo. A ſomno præterea objectum, vel non admodum lucidum oculi averſantur, & illacrymant; quanquam paulatim poſtea luci aſſueſcunt, quorum à meridie minor noxa eſt. Hæc verò oculorum vitia à 14. circiter annis eum exercent; variis medicis præſidiis tentata, nondum tamen ſanata; in quibus fuere potus aquarum Noceræ; & fonticulus, ac ſetaceum multa. Frequens & copioſa expuitio cum ſalſedine, eſt pituitæ non admodum craſſæ, ſpumoſæ, viſcidæ; ſubflavæ quandoque, & ſubviridis, ſine tuſſi; cujus cauſa lacte uſus eſt. Quia verò perdurant hi affectus, cum prædictis ſymptomatibus, noſtram efflagitat opem.

Ex diſertiſſima itaque hiſtoria Viri Perilluſtris Excellentiſſ. Oneirogoniam, ſive nocturnam pollutionem principem affectionem eſſe cenſemus; quia antiquior eſt, in dies invaleſcens atque origo veluti aliorum affectuum; vel quæ eandem cum iis ſaltem agnoſcat cauſam. Hæc verò eſt ſymptoma in excretis, ratione copiæ, & malæ qualitatis: quod ſequitur actionem depravatam expultricis genitalium; non verò imbecillitatem retentricis vaſorum, cum non fiat præter voluntatem. Irritatur autem expultrix ab acrimonia potius, quàm copia ſeminis à fervore jecoris producti; liquidi proinde, ſubflavi, & acrioris in ſomnis; à quo dum vapores in caput efferuntur, venerea phantaſmata imaginationi obverſantur; à quibus ſuſcitatur appetitus ad congreſſum, cum præſentia phantaſmatis appetibilis in ſomno occurrentis; ſuccediteque coitus ſimulachrum, & nocturna pollutio, qua Reverend. patiens ab adoleſcentia inquinatur: cujus cauſa & vaſa laxiora facta ſunt, atque hac ætate potiſſimùm ſemen acrius evaſit; quod calore in ſomnis ad intima corporis

recur-

recurrente, cùm ſanguine, & ſpiritu in caput effertur; qua omninò ratione à bile redundante oritur inſomnium ignis, & incendii; à pituita, aquæ currentis, vel nivis; à melancholia, phantaſmatum nigricantium; & ſic deinceps: unde nocturna pollutio frequentior evadit: à qua proinde diſſolutis ſpiritibus, & labefactato calido innato cerebri, & ventriculi, præ aliis partibus, ob eorum viſcerum languidum calorem, magnus pituitæ proventus ſuccreſcit; cui ſalſedo accedit, cùm ex corruptione lactis aſſumpti, tum potiſſimùm ex biliosa materia illi immixta, atque majori aduſtione à jecore fervido; quod & ventriculi calorem afficit magis; ut hinc ſuccedat ptyaliſmus, ſeu frequens exſpuitio. Nec alia ratione ab utroque affectu manat oculorum vitium, in motu; primò propter confluxum pituitæ palpebras tum efacientis, gravantis, & laxantiſque fibras muſculorum, palpebras, & oculos attollentium; unde illæ lacrymæ, à ſomno uberiores potiſſimùm, ob fluxionem nocturnam graviorem: in ſenſu quinetiam, cùm ob ſpirituum penuriam; tum ob eorumdem impuritatem, ex frequenti pollutione, & vaporibus quibus offuſcantur; unde cum à ſomno deficiant, & ſint impuriores, quid mirum, ſi Reverendiſſ. patiens tunc temporis ægrè ferat aërem lucidum; qua omnino ratione contingit alto ſomno conſopitis, & in obſcuro aliquo loco aliquandiu concluſis: quanquam paulatim diſſolutis vaporibus, ſpiritibuſque purioribus redditis, utcunque non copioſis, melius videat, & minori moleſtia dum adveſperaſcit, cùm tunc ab aëre minus lucido minor fiat ſpirituum diſſolutio. His accedit incipiens hypochondriaca, ab obſtructionibus ſubortis in hypochondriis, cùm à pituitoſo, tum à melancholico humore, in qua, facta quadam phlogoſi, valida ſuccedit arteriæ pulſatio, atque materia in cor exhalante, ejus anguſtia veluti, & palpitatio, cum anxietate, & difficili reſpiratione. Atque hæc de eſſentia, & cauſis prædictorum affectuum.

Quorum difficilis ſanatio cuilibet patet, ex eorum duratione 14. ſcil. annis Perilluſtrem, & Reverendiſſ. patientem divexantium, tum potiſſimum ex imbecillitate virium; cujus ratione à validioribus remediis ſemper nocumentum cœpit. Non tamen propterea medicis præſidiis ſuperſedendum cenſeo, ob imminens periculum phthiſis, & tabis, ob profuſam nimis ſeminis ejaculationem, & ſalſam deſtillationem.

Age ergò, & expurgato accuratiſſimè toto corpore, & capite, divertatur fluxio, & ſenſim diſcutiantur humores ubique reduntantes, exſiccandum item cerebrum; ventriculus calefaciendus, & exſiccandus, jecoris fervor contemperandus, atque aſtringenda ſunt vaſa ſpermatica, cum renibus, totumque corpus alimento eſt reparandum. Quæ præſtabunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Dietætica.

Chirurgiam quod ſpectat, toti evacuando, & contemperando jecoris fervori, aliqua ſanguinis eductio per vices tentanda eſt, ob virium imbecillitatem, primò ex jecoraria dextra, tum ex ſaphena ſiniſtra; ac tertiò ex venis ſedalibus. Nihil enim efficacius divertit, & refrigerat ſanguinis evacuatione. Fonticuli quinetiam duo inurendi, alter quidem ſiniſtro brachio, & alter dextro femori. Quanquam enim antehac inuſtum ſit ſetaceum occipiti cum aliquo ab ipſo nocumento, in partibus tamen illis magno fore juvamento ſpes eſt. Neque ulcuſcula quædam lacte thithymali retro aures excitata, & aliquandiu manantia, præter rem erunt; necnon cucurbitulæ ſcatificatæ ſub ſcapulis, & femoribus appoſitæ; ac tandem frictiones totius corporis; quas Galenus uxori Boeti, muliebri profluvio laboranti præſcripſit.

Pharmaceutica remedia ſunt lenientia, Præparantia & Purgantia; non valida tamen; primò univerſalia, tum particularia capitis; quæ ut Viris Doctiſſimis quàm notiſſima miſſa facimus; hoc ſolùm conſilio excepto, ut ſcil. caputpurgia per os potius evacuent, quàm per nares, ne alliciatur materia ad oculos; quorum uſum, non validiorum tamen, in progreſſu morbi non improbamus, derivandæ materiæ ab oculis ad nares. Topica interna erunt decoctum ſantalorum citrinorum, myrti, & lentiſci, paratum in aqua fabrorum, cum nymphæa, lactuca, ſemine agni caſti, plantagine, mentha, & coriandro præparato; cujus uſus erit 20. & plures dies; præmiſſo bolo ex trochiſcis de carabe, de ſpodio, & maſtiche; aſſumpto poſtea ſaccharo roſato antiquo, cum bolo Armena, & hauſto decocto cichorii, & plantaginis. Bolus quoque parari poterit ex ſeminibus lactucæ, rutæ, agni caſti, plantaginis & cannabis, contuſis, exceptis ſucco granatorum, vel ſyr. de roſis ſiccis. Extrinſecus illinantur renes, & perinæum unguento roſato, & infrigidante Gal. cum aceto. Applicetur etiam ſæpius cicuta contuſa teſtibus. Fiat inſeſſus in aqua fabrorum, in qua ebullierint lactuca, cicuta, plantago, nymphæa, ruta, & mentha: paretur emplaſtrum ex hyoſciamo albo, & nigro, cum opio, gummi Arabico, tragacantho, acacia, & oleo roſ. omphacino, ac myrthino. Oculis conferet collyrium ex vino rubro generoſo; in quo ebullierint pulegium, calamentha, ſalvia verbena, & euphragia; cucurbitulis vitreis in hunc uſum arte paratis contentum: ut & aquæ Thermales nitroſæ; necnon urina deſtillata, cum ſalvia, fœniculo, & euphragia uſui erit.

Victus ſit refrigerans, & exſiccans, ex lente ſcil. milio, panico, & caulibus, coctis cum ſemine cannabis. Carnes aſſentur cum fœniculo, & coriandro. Vinum ſit ſubaſtringens; fructus adſtringendi vi polleant; qualia ſunt ſorba, meſpila, cydonia, mora, & pyra. Dormiat in alterutrum latus, inſtrato corio; & pulvinar farciatur Alga marina; exercitio utatur; ſomnus pomeridianus arceatur, & potiſſimum de venereis nec verba faciat; nec cogitet quidem. Atque hæc ex uſu futura ſpero, ſi quid aliud in affectu adeo refractario. *Idem ibidem.*

Pollutio nocturna in hypochondriaca Muliere.

Cum mala Nobiliſſimæ Mulieris affectio ex naturalis corporis conſtitutione proficiſcatur, præſtat in in primis hanc cum ætate deſcribere, ac deinde haud fallaci conjectura, quæ & qualis ſit æſtimare. Mulier ergo agit annum ferè trigeſimum, habitus corporis gracilis eſt, color ſubobſcurus, ſenſus vegeti, oculi nigri & vividi, ingenium promptum & acre, adeo ut temperamentum totius & partium calidum, & ſiccum, & melancholicum plane demonſtrent;

affectus vero eſt nocturna pollutio, quæ illam decem abhinc annis male habet: noctu enim bis & ter ſemen effundit invita, eaque perfunditur voluptate, ut nimia dulcedine exolvantur vires. Idem ſymptoma pariter accidit, dum Viri concubitum patitur, ut ob exolutionem ſpirituum animo deficere videatur, & propterea hujuſmodi congreſſus injucundus omnino fiat. Hinc ob magnitudinem & longam affectionis moram, abſumptis ſpiritibus, & ſanguine, corpus imminuitur, & quod multis accidit, illi quoque imminet Tabes. Plura remediorum genera hactenus libens admiſit, ſed incaſſum, quamvis à nonnullorum virtute levari viſa ſit; affectio tamen recrudeſcens, in hunc uſque diem perſeverat. Conſilio Chymici cujuſdam olim quadraginta diebus uſa eſt ſale Martis: viginti quatuor autem aqua vitriola; quæ remedia viſa ſunt aliquod attuliſſe præſidium. Sex tandem integros menſes, ſemel in hebdomada, ſumpſit cochlear aquæ cinnamomi. Conſilio vero alterius Medici adhibuit viginti diebus Magiſterium Oſteocolæ; deinde aliis viginti diebus ſal nitri à prandio: quadraginta vero ſal Martis. Itaque cum morbus moram trahat, hujuſmodi remediis nondum victus, & alia impoſterum graviora mala pertimeſcat, jure rogat ut ab Arte meliora eligantur, & pro ſalute comparanda proponantur.

Ex duobus affectibus quibus Nobiliſſima Mulier conflictatur, hypochondriaca nimirum affectione, & frequentiſſima nocturna pollutione, urgentiori incumbendum eſſe videtur, nocturnæ nimirum involuntariæ pollutioni, cum ab hac proſternantur vires, totumque emacietur. Verum quoniam hæc ab altera non parum fovetur, imo ipſius Curatio impeditur, idcirco hypochondriacam affectionem prius, mox pollutionem examinandam, & ambas ſimul, ſi poſſibile fuerit, curandas eſſe cenſeo. Hypochondriaca itaque obſtructiones in viſceribus, una cum intemperie fervida jecoris, & privative frigida ventriculi ſupponit, quæ calorem ipſum ſanguini communicando, eundem acriorem & acidiorem reddit, ex quo ſemen quoque ejuſdem conditionis gignitur, quod non quidem copiâ, ſed qualitate peccans, veluti turgens, vaſorum ſeminalium expultricem irritando, eandem ad ſui ipſius expulſionem in ſomnis excitat, ut optime conſiderabat Gal. dicens, quod Sane peſſimus ſtatus eſt illorum qui genitale ſemen copioſum, calidumque gignunt, quod eos ad expulſionem ſui proritat: poſtquam & ventris os illis reſolvitur, & ipſi toto corpore non ſolum relaxantur, imbecillique fiunt, ſed etiam ſicci, graciles, pallidi, caviſque oculis cernuntur; ita & Aëtius. Addamus nos naturalem exquiſitum ſenſum, & lubricitatem vaſorum, ob quam Nob. Mulier quam maxime in congreſſu delectatur, & ſemen effundit, concurrente quoque ſpiritu flatuoſo, quo, ex Ariſtotele, Melancholici hypochondriaci abundare, & libidinoſi eſſe ſolent.

Cum autem Nob. Mulier iſta valde gracilis & excarnis reddita ſit, periculum Tabis imminere, unicuique in Arte verſato patere poteſt, ut Satyro contigit; & ideo quamprimum Curatio adverſus hypochondriacam affectionem dirigenda; ſimulque Topicis, ſaltem externis, pollutioni incumbendum. Quare blande primæ viæ ſunt expiandæ. Secundò leniter obſtructiones aperiendæ. Tertiò Intemperies calida jecoris, ſanguinis, renum & vaſorum remittenda. Quarto Semen extinguentia, & ejus acrimoniam edulcorantia exhibenda. Quintò Facultas expultrix demulcenda atque cohibenda; & tandem totum corpus renutriendum.

Pro prima intentione, repetitum conveniet Leniens ex ſyr. roſ. ſolut. cum decoct. pulpæ tamarindorum; vel Caſſia cum pulpa tamarindorum; & quinque intermediis diebus Præparans ex julapio acet. corticib. citri aromatiz. cum ſyr. de pom. & aqua florum citri, ad an ℥. j.

Pro ſecunda intentione convenire poterit jus pullæ, alteratum foliis violarum, endiv. borag. ſonchi, lactucæ & pentaph. additis granis ſalis prunelæ, aut ſalis tart. fixi, ut aliquot tranſactis diebus, exhibeatur electuarium lenitivum cum exiguo rhabarbaro, cui ſuperbibat ſerum depuratum.

Inde tertiam intentionem explere incipiendum, jure pullæ chalybeato, & foliis violarum, lactucæ, plantag. & hepaticæ alterato, cui addantur guttulæ tincturæ coral. chymicæ. Et ſi ventriculus ſtillatitiam aquam tolerare poſſit, exhibeatur ſerum capr. deſtillatum & chalybeatum, cum portione aquæ ſtillat. lactucæ & aliquot camphoræ granis. Et interim niſi macies inſignis prohibeat, & vires ſuſtineant, Jecoraria aperiri poſſet, ad maſſam ſanguineam eventandam, & viſcerum calorem nonnihil remittendum.

Inde pro cæteris intentionibus uſu lactis caprini opportuniſſimus erit, quia aquæ aluminoſæ Brandulenſis, aut vitriolatæ Vallis Solis exhibendæ tempus non erit, nec forſan ventriculi & totius ſiccitas eaſdem facile perferre poterit.

Quo tempore ſemen à proprietate extinguentia, tum intrinſecus, tum extrinſecus, quotidie ſunt in uſum ducenda, præſertim veſpere ante cœnam uſurpanda. Intrinſecus ſemen extinguunt, & tentiginem reprimunt ireos, ruta, ſemen cannabis, menthaſtrum, agnus caſtus, carabe, ruta ſylveſtris; ſed quoniam calida nimis ſunt, ideo frigidiora eligenda, ut coriandrum, lactuca, nenuphar. portulaca, radix cannæ montanæ, ſepiarum oſſa, mumia, coralium rubrum & Narcotica. Paretur itaque potio in jure carnis, veſpere in prima menſa aſſumenda hunc in modum

♃. Decoct. fol. lactucæ, nympheæ, plantag. ſempervivi ℥. vj. in qua diſſolvantur gr. xv. camphoræ, & m. Pulvis quoque mane in prima menſa in ovo ſorbili deglutiendus, ita parari poterit

♃. Mumiæ, oſſium ſepiarum cremat. coral. rub. an. ʒ. j. camphoræ ʒ. ß. m. f. pulvis ſubtiliſſimus, cujus detur ℈. j. in ovo ſorbili. Extrinſecus verò renes illiniantur hujuſmodi linimento

♃. Unguenti roſ. Meſ. ſantalini, populeonis an. ℥. j. ol. nenuphar. ℥. ß. ol. expreſſi ex ſeminibus hyoſcyami ʒ. ii. m. reform. linimentum. Prodeſſe ſolet etiam ſuccus ſempervivi, quo reformentur unguenta, roſaceum & populeum,

In uſu vero lactis ſummo mane ſemper inſiſtendum, & eodem tempore, veſpertinis horis, Balneo aquæ dulcis vix tepidæ erit utendum, alteratæ foliis lactucæ, violarum, nenupharis, plantag. portulacæ, & inde corpus totum molliter detergendum, & oleo amygdalino rec. inungendum.

Quibus omnibus addenda congrua vivendi ratio, quæ totum corpus nutrire valeat, quamvis ſemen augere poſſit, cùm qualitate potius, ut dictum fuit, quam copiâ peccet: etenim ſi copia peccaret, corpus totum non adeo extenuatum fuiſſet. Sat itaque ſit, quod abſtineat à potibus meracioribus; ab acribus, ſalſis, flatulentis; item caveat decubitum ſupinum, imo linteolo ſubterni poterit pellis vervecina, vulgo dicta Moſcovina. Quies quam maxime proderit. Alvus, quam fieri poſſit, lubrica ſervanda prunis Damaſcenis vel Gallicis decoctis, & ſaccharo conſperſis; primâ menſa comanſis. A congreſſu Venereo abſtineat, & alacriter vivat. Summus vero Deus omnia præſcripta ſalutaria reddat. *Rajm. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medic. T. 2. Cent. 3.*

De Pollutione nocturna.

Juvenis 20. annorum, temperamenti calidi & ſicci, habitus corporis macilenti, fuſci coloris, cujus in themate natalitio Ven. in VI. Domo a Mart. quadr. fuit afflicta, cum hactenus equitando, ſaltando & gulæ deliciis variis deditus fuiſſet, ſomno indulgens largiori, ſtudiis nihilominus etiam in multam noctem apprime deditus, cibis delectatus acribus, ſalſis, piperatis, S. V. & tabaci potu, virgini inſerviens hactenus, ſenſit jam per annum integrum & amplius ſomnia venerea, imprimis decumbens in dorſo; prægreſſo motu fortiori, & inſtante aëris mutatione a ſudo in pluvium cœli ſtatum, poſt mediam noctem peracta coctione, prius alto ſomno ſepultus, rigido veretro, in principio imprimis affectus, notat excerni involuntarie ſemen, idque bis vel ter ſæpè in ſeptimana, caligant oculi, animus mœſtus eſt, memoria vacillat, timens pejora, imprimis ſterilitatem, petit conſilium.

Reſolutio.

Affectus, quo cum æger conflictatur, eſt Pollutio Nocturna, ſeu ἐξονειρωγμός, in ſomnis Venus, Symptoma ætati nunc perquam familiare, quod diverſo reſpectu tum ad actiones læſas naturales, ceu id nonnullis magis placet, tum ad excretorum claſſem, & longè rectius quidem, referri poteſt.

Non eſt Gonorrhœa ſimplex, quæ continuo effluvio tam de die imprimis, quàm noctu exercet ægros modò cum, modo ſine dolore, abſque delectatione & venereo ὀδαξισμῷ, neque enim in noſtro ea reperiuntur.

Neque gonorrhœa eſt virulenta, quæ à contagio impuri coitus cum virore & fœditate aliiſque membri vitiis, non ſine dyſuriâ, quo nomine lubentius ægris venire ſolet, contingit, cum & hæc ſigna in hoc ægro abſint, neque ulla ſuſpicio in eundem fœdæ luis cadat.

Adeſſe verò gonorrhœam hanc nocturnam confirmant & patefaciunt abundè ſigna in hiſtoriâ recenſita.

1. Eſſentialiter Inhærentia ſeu pathognomonica, ipſis ſenſibus obvia, antecedentia quidem, ſomnia Venerea, ligato licet ſenſorio communi phantaſiæ oblata, quæ vacuâ, ut ſic loquamur, aulâ, ut alia plura fingit ſæpe, ita in hoc caſu, anſa ab ipſis ſpiritibus abundantibus & ſanguine fervidiore, ipſiuſque ſeminis copia, imagine gratâ ludit. Conſequens eſt ipſa ſeminis excretio, ſeu à pollutis linteaminibus nominata pollutio, quæ utraque ſatis arguunt hoc ipſum ſymptoma.

Utut enim in confirmato affectu & magis debilitatis vaſis citra ven. inſomnia contingat ſæpè hic affectus aliaque inſomnia crudelia, terrifica, vel alias phantaſiam fortius moventia in hunc cenſum veniant; frequentius tamen & ut plurimum venerea eſſe conſueverunt, eoque magis pollutio appellari meretur, quo magis cum hiſce inſomniis potius quam aliis evenit.

Eſſentialiter Conſequentia ſymptomata alia idem conteſtantur, inſequutæ enim ſunt diverſarum facultatum actiones læſæ: Et quidem in naturali nutritio membris ſenſim atque ſenſim ſubtrahitur, & ſic corpus exaret, metuſque ſterilitatis inſequuturæ adeſt. In vitali vires labaſcunt, & imminuuntur: In animali memoria vacillat, oculi caligant, triſtitia ac mœror, & quæ ſunt alia, compati maximè cerebrum docent.

Lucem his addunt majorem Cauſæ Prægreſſæ, præprimis uſus ciborum acrium, ſalſorum & piperatorum, quæ inferius pluribus libabimus.

Neque Similitudo abludit; vidimus ante annum eodem modo laborantem ægrum, ab omnibus pro tali habitum, ut adeò hoc ſymptoma adeſſe, vel ipſis ſenſibus teſtibus, extra omnem dubitationis poſitum ſit aleam.

Subjectum, ſeu pars affecta quænam ſit, dubium videri poſſet, ſive Helmontium attendamus, qui lienem conſtituit ſubjectum ut ſomnii & ſomniorum, ſic & ipſius veneris, præcipuè cum in noſtro ægro ob diætæ vitia non minima ad affectum hypochondriacum videatur adeſſe inclinatio; ſive juxta alios id potiſſimum ſpectemus, quod ſupino poſitu, incaleſcentibus renibus excretio hæc involuntaria fiat, ex quo fundamento renes incuſare ſolent ceu ſeminis fabros, adeoque etiam in ſtatu hoc magis affectos. Verùm miſſis hiſce, præſuppoſito quod excernitur involuntarie ſemen confectum, ſtatuimus rectius.

Subjectum Principale veſiculas ſeminales; hæ enim ſunt vaſcula adſervantia, in quibus ſemen beneficio teſtium & epididymidum elaboratum reponitur, ulteriori perfectionis gradu donatur, & ad ejaculationem aſſervatur.

Subjectum Adæquatum ſunt reliqua ſeminis laboratoria, teſtes & proſtratæ: Afficiuntur verò iſta in noſtro ægro non tam per ἰδιοπάθειαν, non quippè corruptum eſt ſemen, non ichoroſum & purè remixtum, nec aqueum nimis, ut in reliquis ſpeciebus gonorrhœæ fieri aſſolet magis, licet copia hic collecti & repoſiti ſeminis ex parte etiam urgeat exitum; quàm per συμπάθειαν renum ac corporis ipſius, ut poſtpaulo videbimus. Aſſervant materiale hujus ſymptomatis ſeu ſemen, ſtimulum verò & ὀργασμὸν aliundè recipiunt, unde partes membranaceæ & nervoſæ pruritum quendam experiuntur, ut quando de-

inceps in ſubſidium venit imaginatio ac canalis erectio, è carceribus ſuis ſemen erumpat, &, juxta Horatium, nocturnam veſtem maculet ventremque ſupinum.

Cauſam Immediatam profluvii hujus ſeminalis ſtatuimus facultatem expultricem irritatam, quæ irritatio ſeu perceptio moleſtiæ & conſequens expulſio à materiâ retentâ dependet. Hinc

Mediatam Proximiorem, ſecundum eſſentiam conſideratam, duplicem aſſignamus, unam humoroſam ſeu corpulentam, alteram flatulentam ſeu ſpirituoſam. Flatus quippe, ſeu φυσῶδες πνεῦμα à cauſarum hoc conſortio minimè excludendum venit.

Humoroſa tamen & corpulenta materia præcipuè accuſanda venit, cum enim in humidi excretione affectus hic poſitus ſit, ſuſtinet hunc titulum primariò & affectivè ſemen ipſum, effectivè vero omnes reliqui humores concurrunt, imprimis autem ſeroſi, commodiſſimum ſalinarum atomorum vehiculum.

Chimici accuſant ſal reſolutum, ſi rupto miſtionis fœdere in partibus genitalibus ſibi rapiat imperium, & tenella vaſcula ſtimulet ad exitum, quod tamen remiſſiori longè gradu quàm in gonorrhœâ contingit.

Sylvius ſuccum pancreaticum pro principio quidem ut quod habet, principaliter tamen ſalinam quoque aciditatem accuſat. Helmontius verò à chimicorum ſententiâ parum fortaſſe differt, dum ab acore quodam nimio derivat negotium, qui ſalini principii, uti vocant, affectio eſt.

Quod eſſendi modum attinet, peccant hæ cauſæ, remotius quidem ipſe ſanguis, qualis enim ſanguis, tale ſemen, proximius verò ſemen, quoad ipſam ſubſtantiam ſeu molem & partes ſpirituoſas conſideratum, 1. quantitate, in ægro enim noſtro abundat & copioſius generatur, quò ipſo naturæ moleſtiam parit, ut ὀργασμὸν acquirat, exitum affectet, ac non rarò inter dormiendum ſe exonerare cogatur. Sunt enim, autore *Galeno lib. 6. de tuend. ſanit. cap.* 14. qui ſemen genitale copioſum gignunt, quod eos ad ſui expulſionem proritat. Videlicet omne nimium, licet in ſe bonum ſit atque præſtans, naturæ eſt inimicum. Quò metaphyſicorum pertinet diſtinctio inter bonitatem abſolutam & reſpectivam, bonum in ſe & bonum alteri.

(2) Qualitatibus, cùm primâ tum ſecundis; excedit enim tum ſanguis, tum conſequenter ſemen caliditate, ſalſedine, acrimoniâ ac mordacitate, item nimiâ tenuitate, poſtquam jam per longum ſatis tempus adſuetum eſt hoc modo excerni.

Peccant etiam humores (3) motu generationis & locali, in loco affecto ipſo ipſius naturæ ordine congeſtum fuit ſemen per συναθροισμὸν quendam, excernitur verò in ægro noſtro tum à faculate læſâ & irritatâ, ſive reſpiciamus intemperiem calidam & conjunctam acrimoniam, ſaltem quoad haſce partes, ſive pororum in ſeminalibus vaſis laxitatem, quam frequens ipſius excretionis ſucceſſio parit; Vaſa enim ſæpius evacuata, ruſuſque novâ affluente materiâ repleta, viæque rigatæ, tandem laxitatem & amplitudinem acquirunt, per quam poſtea facilis eſt ſeminis præſertim ſpirituoſi decurſus; ſive tandem quandam in veſiculis ſeminariis vel anaſtomoſin vel diæreſin.

Extra locum affectum tam determinatæ partes ſymbolum ſuum addidere, v.g. renes imprimis calidiores & vaſa ſpermatica intemperata, quàm vitium totius, quod meritò accuſari poteſt, cum ad cacochymiam bilioſam & ſeroſam inclinet corpus.

Hinc & motus cauſæ morbificæ localis attendendus. Quamvis enim materia ſeminalis excernenda in torulis ſuis colligatur, meritò tamen ῥευματισμοῦ & ἐπιχύσεως influxione & irruptione magis ſanguis & ſerum ad locum affectum promovetur, præprimis cum pollutio hæc diu jam duraverit.

Membrum quippè Mandans eſt totum corpus, non eo quidem ſenſu, quo deduci à toto & ab omnibus totius partibus ſemen à divino ſene ſtatuitur, ſed quia tota maſſa ſanguinea, (non excluſis ſpiritibus,) quæ toti eſt communis & quaſi lar corporis, præter ordinarium tributum, quod & hîc confert, eò magis concurrit, quò magis per emiſſionem & partium debilitatem, calorem, ac conſequentem quaſi ἕλξιν ad id invitatur, & ſecum geſtat ſalinum ſtimulum ac vitium, quod affricare partibus genitalibus, quæ Recipientis vicem obeunt, & imprimis veſiculis ſeminariis geſtit.

Viæ ſunt Arteriæ, quas hoc loco venis majores provida natura eſſe voluit, ut eò largiùs impertiri, quem vehunt ſuccum, poſſint.

Accedit ſeminalis liquoris turgentia, fermentatio ac ad excretionem parata facilitas, ſi nil ac motor calor acceſſerit agitatioque.

Inter Cauſas Mediatas Remotiores Naturales memorandum eſt Temperamentum juvenis hujus calidum & ſiccum, præ reliquis ad productionem acrium & ſalſorum humorum ac flatuum maximè diſpoſitum.

Ætas juvenilis quantum conferat in aprico eſt, in hâc enim calor innatus majorem acquirit acrimoniam, &, confirmato ferè jam individui augmento, ad ſpeciem propagandam ubere proventu cedit, quòd antea ipſarum partium incremento impendebatur, unde etiam inter ſigna pubertatis præcipuum habetur, cum naturæ maturitas per ſomnum effuſa ſe oſtendit.

Influxus aſtralis ob Venerem in themate natalitio in VI. domo à Martis quadr. afflictam, ut & habitus corporis macilentus ad hoc ſymptoma conſtituendum aptiſſima quoque ſunt: Graciliores enim & rarioris texturæ homines frequentius, quàm obeſi patiuntur ejuſmodi pollutiones, quod in his diſperſi quaſi magis, in iis uniti magis ſint ſpiritus.

Ad Cauſas Nonnaturales referimus Aëris mutationes. Quantum enim conſentiat corpus cum athmoſphærâ hâc, ac quantum mutationes tempeſtatis à ſudo in pluvium ſtatum in commotione ſeri valeant, tum alia à ſeroſâ colluvie oriunda, tum imprimis hoc deſignat ſymptoma, quamobrem eleganter, juxta Piſonem, ἐξονειρωγμὸς certiſſimus præco dicitur pluvii ac uvidi cœli. Experitur hunc macrocoſmi conſenſum in corpore ſuo noſter quoque, cum inſtante taliſmodi vice affectum patiatur.

Motus corporis, quo fortiori & delectatum & uſum refert hiſtoria, non minimum addidit momentum: ἐξονειρωκτικοὶ γάρ εἰσιν οἱ κοπιῶντες, autore

tore. Theophraſto l. de laſſit. qui enim fatigantur, ſolent noctu genitura pollui.

Ut verò omnis motus excedens agitando & concutiendo materiam ſpermaticam reddit calidiorem, ita imprimis equitatio crebra inſtituta, ut venerem, ita etiam pollutionem nocturnam excitare potis eſt: Renibus enim, quos imprimis exercet, ſubjectiſque partibus genitalibus agitatione hac incaleſcentibus, non poteſt non oriri humorum major rarefactio, ſubtiliſatio, ac, ut Hippocratico utamur termino, ſpumeſcentia, exinde vero vaſa irritari & ad excretionem incitari neceſſum eſt.

Nec obſtat, quod *Cous l. de aër. aq. & loc.* de Scythis ait, illos ob juges & aſſiduas equitationes minus ad venerem incitari, quàm alias gentes; Nam hoc per accidens fit, ob frigiditatem, humiditatem, obeſitatem, & imbecillitatem corporis, partim ex deſidiâ, partim verò ex frigiditate & humiditate regionis contractam.

Saltatio itidem in exceſſu peccans ſuum ἐπιβάλλον μέρος addidit, imprimis vehemens: quia & hæc calefaciendo ſpiritus in quiete conſtitutos excitat, humores fundit, adeoque ad hunc affectum procreandum addit ſtimulum.

Cibus & Potus ſummoperè etiam accuſandi veniunt: Nam gulæ deliciis fuit deditus, & principio quantitate peccantia ingeſſit alimenta; quæ ſanè fomitem ſuum non minus adjecerunt. Quemadmodum enim ſine Cerere & Baccho venus friget; ſic eorum nimio uſu incenditur atque augetur.

In qualitate etiam deliquit, cibis enim delectatus fuit acribus, ſalſis, piperatis, imò & S. V. & potu tabaci, quod juxta Monardum de ſimplicib. medic. acrimoniam ſummam ſapit; At hæc omnia magnæ ſunt efficaciæ ad hoc malum conſtituendum.

De pipere imprimis, ut & omnibus aromaticis conſtat, quod ob partes tenues ac ſpirituoſas, ſanguinem attenuandi, eumque ſuâ acrimoniâ alterandi vim habeant, unde & uberius ac acrius generatum ſemen, ob ὁρμὴν hanc & acrimoniam partes irritat genitales ad expulſionem.

Nec Somnus abludit, ſive attendamus tempus, ſive decumbendi modum ſupinum, hic enim imprimis πρὸς τὸν ἐξονειρωγμὸν συνεργεῖ, ad pollutionem nocturnam cooperatur, unde tum renes tum vaſa ſanguiflua majora incaleſcere par fuit, tum in ipſo quoque cerebro ſerum minus aptè in vaſa recipi potuit, præcipuè cum poſt mediam noctem peractâ concoctione & novus vigor membris acceſſerit, acceſſione etiam ſuâ factâ ad genitalia vaſa, & luſus ſuos tum phantaſia magis exerceat, non adeò, ut primo ſomno, cerebri poris clauſis, nec ita fortiter ligato primo ſenſorio.

Laſſata hinc prius à prægreſſis lucubrationibus in multam noctem productis natura, eò promptius abire paſſa fuit, quo & onerabatur, & ad excernendum accipiebat calcar, ſùi quaſi magis de nocte juris.

Tandem & vita cœlebs & prima amoris germina ob ſervitia virgini hactenus præſtita plurimum contulêre; Si enim ſomnia ſpeculum quaſi exhibent interdiu obverſantium objectorum, quid mirum, ſomnia venerea in noſtro delectata ſibi relictam phantaſiam & deluſionem talem conſecutam, quam vigilans ſomniabat.

Perluſtratis nunc affectus hujus cauſis, ad agmen ſymptomatum inſequentium ut nos convertamus, operæ pretium ducimus.

1. Oculorum caligo adſcribenda venit non tam organo, quod ſalvum eſt, quam ſpiritibus diſſolutis, & continuatâ excretione imminutis: Fatalis enim oculis tum teſtibus intercedit communio, unde & hi vel potiſſimum compatiuntur, eoque magis, quò ſæpius involuntariè ſemen emittitur.

2. Animus mœſtus, eſt ob debilitatos & perturbatos antedictos ſpiritus animales, per hos enim vegetos & in juſtâ ac debitâ temperie conſtitutos, toti corpori alacritas & promptitudo peritat, contra ea debilitatos, laſſitudo & moleſtia conſequitur. Accedit fruſtrà impenſæ operæ memoria & nocumentorum variorum metus, animum fatigans.

3. Memoria vacillat ob eoſdem diminutos & deperditos ſpiritus, ac facultatem animalem debilitatam: ſi quid enim ſpermatis, ſupra quam natura toleret, profluat, obeſt magis memoriæ, quàm ſi quadragies tantundem ſanguinis emanarit, inquit ex *Abuali* doctrinâ *Gliſſon. l. de anat. hepat. cap.* 45.

4. Corpus exaret, ob nutrimenti detractionem, cum enim ſeminis materia ſubtilior pars ſit ſanguinis, per crebram ejuſdem ejectionem magis magiſq; ad reſtaurandum ablatum ſanguis expetitur, ſicque quod in nutrimentum cedere debebat, ad teſtes demittitur, corporique ſubtrahitur.

5. Sterilitatem timet, quod à vigore ſuo deſciſcere organa perſentiſcit, & debilitari magis vaſa, enervari verò ſimul ſemen.

His jam ſubjungenda eſt Prognoſis. Quoad Eventum malum videtur certè non contemnendum; quod per moras longas ulterius invaleſcens, magis dejicere corporis vires, & tum individuo nocere laſſatis & debilitatis actionibus neceſſariis omnis generis, minari maciem & alia mala, tùm ſpeciei; cum ſterilitatem poſt ſe trahere poſſet, perdito vigore ſeminali, & calore nativo depauperato: Semen enim eſt craſis & eſſentia quaſi quinta ipſius ſanguinis, juxta Heerium. Et ſi per ſudorum, urinarum, aliarumque excrementorum nimiam evacuationem calidum noſtrum magnopere debilitatur, per ſeminis, ſpiritibus referti, effluvium nimium idem accidere poſſe, quis dubitabit?

Tantum tamen abeſt, ut juveni noſtro malè ominemur, vel ſiniſtrum prædicamus eventum; ut potius cùm ætati ac temperamento affectus conveniat, argumento 2. *Aphor.* 34. fœdum licet & moleſtum, innoxium, pronunciemus ac ſecurum. Non opus habet ergò ut timeat ac triſtetur, quod natura ſuperfluum exoneret, modò commodo victu inſtituto, vitioſam qualitatem ſemini non conciliet, eamque corrigi patiatur aptis remediis.

Tempus Eventus ad votum brevius determinare vix licebit, cùm natura in eo maximè ſit occupata, ut vi morbi ablatum, ſuppeditando ſc. novam materiam reſarciat, & ſic per accidens quaſi in longum tempus affectum protrahat, unde licet expellas furcâ, tamen uſq; recurrit. Adde, cavendum eſſe, ne ſemen extinguentibus, contrarium inducamus vitium. Spes tamen eſt, omnia ceſſura ad votum, & utut non penitus, donec cum aliâ hanc commutet vitam cœlibem,

tolli poſſe videatur; attamen ſpes certa eſt imminutum iri malum & ſublatum ſymptomata omnia alia, modò dictis audientem ſe præſtet.

Eventus quippe Modum deſignamus ad ſalutem, roboratis partibus debilibus, ablato ſalino ſtimulo & cacochymiâ correctâ, unde ſuus maneat membris vigor, nec niſi ad juſtum exitum deproperet ſanguinis magiſterium.

Spe hac freti aggredimur Curationem, methodo medendi per indicationes & materias auxiliorum illis reſpondentes inſtitutâ.

Curatoria excretionem moderandam ſuadet, roborando vaſa adſervantia, & ſeminis tum copiam; tum ὀργασμὸν ac acrimoniam alterantia ac reſtæn. ntia.

Præſervatoria cauſas attendit, cacochymiæ bilioſæ & ſeroſæ in corpore exſuperanti proſpiciendo, ne vel affluat nimis, vel natura vitioſè huic viæ adſueſcat.

Vitalis denique vires diſſipatas & proſtratas reſtituere, reſtitutaſque conſervare allaborat.

Apparatus materierum, quibus indicationibus hiſce ſatisfit, depromitur ex tribus conſuetis & uſitatis fontibus.

E Chirurgiâ mutuabimur ſalutare illud & inter remedia univerſalia generoſiſſimum Venæſectionem: Cum enim non ſolùm juvenilis ætas, ſed & temperamentum calidum, vireſque adhuc ſatis conſtantes illam admittant, ac victus prægreſſus ad proventum largiorem ſanguinis juxta ac ſeminis multum fecerit, nulli dubitamus, quin admodum proficua futura ſit. Hæc æſtuantem ac fervidiorem ſanguinem temperabit ac corriget; abundantem & ſemini materiam ſuperfluam ſuppeditantem (ejus aliquam partem exhauriendo) imminuet; cum impetu quaſi ad officinam ſeminis generationi dicatam properantem ad alias partes divertet, totum denique corpus ab æſtu nimio liberabit, ſicque per accidens refrigerabit.

Nec Cucurbitulæ ſcarificatæ erunt de nihilo, quæ & ipſæ leniter ventilabunt, & ad intercutanea ſpatia educent ſanguinem.

His felici, ut ſperamus, cum ſucceſſu peractis compellamus Pharmaciam, quæ ut intemperies viſcerum calida commodius alterari & emendari poſſit, tum alterantia, tum evacuantia ſuppeditat.

Ex Lenientibus commendamus ea, quæ ſimul ipſam acrimoniam reſpiciunt, mitigant & contemperant, & humores leniter ad alvum divertunt. Inter hæc autem caſſia fiſtularis, quæ juxta Hoffm. l. 1. de medic. offic. cap. 7. in acrioribus tàm internis, quàm externis, ut & in iis, in quibus præſupponuntur calidi renes, inſigne eſt remedium, primam meretur laudem: manna, tamarindi, ſir. de cichor. cum rhab. ſir. roſ. ſol. & alia commodè adjunguntur.

♃. Aq. cich. nymph. plantag. an. ℥i. elect. diaprun. ſol. ℥ß. man. el. ʒiii. cryſtall. tart. mart. gr. xv. ſir. de cichor. cum rhab. ℥ß. M. F. l. a Potio. S. *Laxiertrancklein.*

℞. Decoct. pulp. tamarind. c. fer. capr. ℥iii. man. alex. in morſul. ʒii. ſir. de cichor. cum rhab. de pom. an. ℥ß. M. F. Potio. S. ut ſupra.

♃. Pulp. tamarind. caſſ. rec. extr. an. ʒii. cryſtall. tart. ſacch. ſaturni g. v. elæoſacch. aniſ. M. F. l. a. Bolus. S. *Laxierbiſſen auf einmal.*

♃. Pulp. caſſ. rec. extr. ℥ß. terebinth. venet. cum aq. malv. lot. ʒß. camph. g. iii. ſir. de alth. Fernel. q. ſ. M. F. l. a. cum ſacch. Bolus. S. ſupra.

Lenitis & mitigatis humoribus ferocientibus, quæ enim hic recenſeri poſſent Præparantia, ex alterantibus poſt dicendis mutuari facile eſt, ad Purgantia nos convertimus, eo tamen cum ſelectu, ut ſcammoniatis, helleboratis, aliiſque μοχθηροῖς parcius utamur, quæ nimirum humores turbant & acrimoniâ ſuâ ac calidiori facultate vicina vaſa genitalia magis ad excernendum ſtimulant, ſeu quæ acrimoniam humorum ſuâ orritant.

♃. Aq. cichor. endiv. an. ℥i. ſpec. diaturbith. cum rhab. ʒß. ſir. roſ. ſolut. ʒvi. M. F. l. a. Potio. S. *Purgiertrancklein auf einmal.*

♃. Conſerv. roſ. rub. ʒiß. rhab. elect. ℈ii Merc. dulcif. gr. vi. ſir. cich. cum rhab. & ſacch. q. ſ. M. F. l. a. Bolus. S. *Purgierbiſſen.*

♃. Spec. diatereb. Mynſ. diagalap. ejuſd. an. gr. xv. nitri. antimon. M. F. pulvis D. in chart. S. *Purgierpülverlein.*

Vomitoria etiam locum habere ad revellendam materiam acrem, & primas vias à cruditatibus, quas æger abundè diætæ erroribus collegit, liberandas, haud eget probatione qualia ſequentia eſſe poſſent:

♃. Tart. emet. g. ij. conſerv. roſ. ʒi. ſacch. q. ſ. M. F. Bolus. S. *Brechbiſſen.*

♃. Sal. vitr. ℈i. aq. endiv. acetoſ. an. ℥i. ſyr. fl. perſic. ʒvi. M. S. *Brechtrancklein.*

♃. Extract. rhab. vel centaur. min. gr. vi. tart. emet. gr. iii. elix. propriet. q. ſ. M. F. l. a. Pil. N. iv. S. *Brechpillen.*

Verùm cum oculorum debilitas obſtet, ſatius ducimus in καταπειακοῖς acquieſcere, ne affluxus major ad oculos derivetur.

Diaphoretica his veniunt ſubjungenda temperatiora, quæ materiam ſeroſam, acrem & tenuem, facileque ſpumeſcentem abſorbendi, diſjiciendi atque præcipitandi vim habent.

♃. Rob. ebul. ℥i. bez. martialis ℈ß. Merc. diaphoret. gr. iv. M. F. l. a. Bolus. ſ. *Schvvitzbiſſen.*

♃. Terr. ſigill. alb. ebor. ſ. igne ppt. C. C. uſt. diaphoret. antimon. Martialis an. ℈i. alcaheſt. mineral. ℈ß. bezoard. ſolar. gr. vi. M. F. l. a. Pulvis. S. *Schvvitzpülverlein auf drey mal.*

Inter Diuretica illa ex uſu eſſe queunt, quæ ſanguinem non ita fundunt, nec colliquant, vel ſaltim ea cautius adhibenda, inprimis verò temperatiora.

♃. M. P. de terebinth. ʒi. extr. ſolan. veſic. ſuccin. panac. Glaub. an. ℈ß. M. cum eſſent. ſuccin. F. l. a Pilulæ. S. *Nierenpillen.*

♃. Mag. lap. cancr. cryſtall. an. ʒß. terebinth. venet. ad durit. c. aq. malv. coct. ſuccin. alb. ppt. an. ℈i. M. S. *Harntreibendes Pülverlein.*

♃. Tinct. Saturn. cum ſpir. terebinth. fact. ʒß. camph. ℈ß. M. S. *Nierenœl.*

Alterantia deinque & Confortantia ſpecifica cum interna tum externa ex triplici regno deſumpta, reliquis colophonem addent.

♃. Tinct. vitr. martis ſaturniſatæ ʒii. D. in vitro. gtt. 16. pro doſi.

♃. Tinct. coral. cum phlegm. vitr. ʒiß. D. In vitro.

♃. Eſſent. lignor. comp. D. D. Præſid. vitr. mart. M. In vitro. S. Mixtur.

♃. Magiſt. oſſ. ſep. ʒii. coral. ſuccin. ebor. ſine

ſine igne an. ℈i. cap. mort. terrebint venet. ʒß. camph. gr. vi. M. F. Pulvis. S. *Sterckendes Pulver*.

♃. Sem. 4. frig. maj. an. ℈ii. portul. acetoſ. an. ℈i. ſ. nymph. roſ. an. ℥ß. gumm. tragacanth. g. xv. camph. gr. v. lign. ſandal. rubr. ʒß. M. F. l. a. Pulvis.

♃. Sem. vitic. ʒi. croc. mart. aſtr. terr. Jappon. ppt. ſpod. ppt. an. ℈i. ſacch. ſaturn. ℈ß. M. F. l. a. Pulvis.

♃. Emulſ. cannabin. Mynſ. ℥viii. S. *Alterier-Milch*.

℞. Sem. 4. frig. maj. an. ʒii. papav. alb. ʒß. cannab. ℥i. aq. ſolan. plantag. nymph. lactuc. an. ℥ii. F. l. a. Emulſio. adde magiſt. oiſ. ſep. ʒi. ſir. papav. ſimpl. q. ſ. ad grat. D. in ſict. S. Ut ſupra.

℞. Conſ. roſ. rubr. vitr iolat. rut. an. ℥i. ſpec. diatr. ſand. mag. oſſ. ſep. an. ʒi. corall. rubr. ſuccin. alb. ppt. an. ℈ii. ſem. vitic. ʒß. ſyr. corall. Q. q. ſ. M. F. l. a. Electuarium. S. *Stopfflauverg*.

Externa maximè etiam hîc in uſum ſunt vocanda, præprimis frigida lumbis ſubdita, e. g. portulaca, cicuta, fol. viticis, rutæ, calaminthæ &c.

Neque fragaria prætereunda erit, quam in vino rubro coctam, & aliquoties pubi & pectini impoſitam, in pollutione nocturna efficaciſſimam comperit Simon Pauli Botan. Quadrip. p. 307.

Optimum quoque eſt, laminam plumbeam tenuem, ſive integram ſive multis in locis perforatam, lumbis alligare. Sin delectetur operoſioribus, ex prædictis herbis refrigerantibus quædam arefactæ & in ſacculum conſutæ ſubſternantur, quibus maximè roſæ commiſceantur; proſunt enim hæc citra renum læſionem. Nam vehementes refrigerationes eorum, quæ lumbis ſubduntur, renes injuriâ afficiunt, inquit Aëtius. Vanus tamen metus eſt, à plumbeâ laminâ arenam in renibus congeri & calculum produci.

Smaragdus etiam libidinoſa arcere phantaſmata exterius loco amuleti geſtatus, perhibetur. Ex Unguentis conveniunt: refrig. Gal. album camphor. roſat. Meſue &c.

♃. Ungu. roſ. Meſ. comitiſſ. an. ℥ß. ol. rut. nigr. ℈ß. M. in fictili. S. *Lendenſalblein*.

♃. Empl. de hyoſc. Sat. D. D. Præſ. an. ℥ß. ſacch. ſat. ʒi. camph. ℈i. M. c. ol. nymph. q. ſ. F. l. a. Empl. S. *Nierenpflaſter*.

Ceratum ſandalinum alutæ inductum hepatiſque regioni applicatum, celebratur à Timæo l. 3. caſ. medic. p. 189.

Fontem denique Diæteticum brevibus etiam dum ſimus perluſtraturi, triplex nobis obſervanda venit diæta, Vitalis, Naturalis & Animalis.

In Vitali aër ſit temperatus, ad ſiccum & frigidum vergens: calidus enim nimis ut liquat humores; ita frigidus concentrat. Radiis ſol. & lun. ne nimium ſe exponat.

In Naturali cibis moderatè utatur, atque iis, qui boni ſunt ſucci, facilisque digeſtionis; vitandi ſunt cibi ſaliti, aromatiſati, acres, fumo & ſale macerati, flatulenti, multum ſeminis generantes, carnes ſuillæ, lacticinia, frixa.

Potus ſit cereviſia tenuis optimè fermentata, non nimis lupulata, triticea, vinum potens fugiatur, neque niſi maximè temperatum & ὀλιγοφόρον concedatur.

In Animali ſomnus ſit moderatus, in cubili frigido; decubitus fiat in latus dextrum vel ſiniſtrum, vitato ſitu ſupino, ne vaſa circa lumborum regionem incaleſcant. Optimum eſt, elato capite decumbere, quo pacto nec in dorſum facile erit reſupinari; quó ſolo conſilio alios quoque plurimos novimus optimè ſe præſervaſſe ab hoc malo. Vitentur culcitræ plumis refertæ; eligantur, quæ lanâ aut goſſipio farctæ ſunt.

Vigiliæ etiam naturalem cum ſomno ſervent συμμετρίαν.

Motus modum non excedat, omnis enim nimius ad mali proventum confert.

Quies quoque nimia evitetur, & lucubratio poſt cœnam immoderatior, utpote quæ mater hypochondriaci affectus & aliorum ingentium malorum exiſtit.

Alvus & veſica urinaria, quantum licet officio ſuo tempeſtivâ dejectione etiam noctu, ſi urgeant, ſatisfaciant, ne vel inteſtinum rectum, vel veſica repleta ob viciniam premat & afficiat ſimul vaſa ſpermatica, unde augmentum pollutionis.

Inter Animi Pathemata relegentur amor & libido omnis. Cogitationes, ſermones, oculi, aures caſtitati conſocientur. Neque verò ob hanc ipſam juvenilem moleſtiam vel tantillum contriſtetur, more illorum, qui anxio eam verſantes animo plus mœrore hoc, quàm ipſo affectu ſibi nocent.

Ultimum conſilium eſt conjugium legitimum, quo uti multi à pollutione nocturnâ evaſere immunes: ita etiam noſtro id erit omnium convenientiſſimum. *Joh. Michaelis in Praxi Clynica Speciali*.

POLYPUS.

HUncce morbum Hippocrates ſuſpenſo curgulioni aptiſſimè comparavit. Quemadmodum autem gurgulio delapſus, ſi æqualiter protendatur ad formam teretis columnæ, κιὼν & κιονὶς, Latinis columella nominatur; ſi verò ſummâ parte tenuior fuerit, imâ craſſior ac inſuper rotundus & ſubrubeſcens ita ut grano uvæ vitigineæ è pedunculô pedenti, magnitudine, figurâ & colore extet perſimilis, σταφύλη ſive uva ſimpliciter, & à Pliniô cum adjunctô uva jacens appellatur: Ità metaphoricè caro in nares pendula, polypi, hoc eſt piſculi cujuſdam marini atque multipedis ex genere τῶν μαλακοδέρμων, nomen ſibi adoptavit; ſeù quòd polypi carnem æmuletur molli lubricâque conſiſtentiâ, ſed præſertim colore quem pro humorum è quibus conflatur diverſitate, polypi modô varium nanciſcitur, album præcipuè rubentem vel plumbeum; ſeù quòd è petiolis exilibus in craſſum latumque corpus ſeſe porrigat, inſtar polypi qui è pediculis exiguiſſimis, crines vocat Plinius, in amplum ventrem deſinit; ſeu denique quòd ut piſcis iſte ταῖς ἰδίαις πλεκταναις περιληφθέντα, res omnes maximeque venatorum manus ſuis cotyledonibus hoc eſt acetabulis & velut brachiorum flagellis nactas firmiter ſtringit, adeò ut ſe truncari patiatur potiùs quàm avelli, unde Plautus de hominibus rapacibus atque tenacibus,

bus; Ego iſtos novì polypos qui quicquid tetigerint, tenent; ſic polypoſa ὑπεροχὴ vel ſimplici ſtylô vel potiùs multiplici radiculâ ceu chelis quibuſdam pertinaciter naribus ſeſe affigat. Arabes ab externâ quâdam affinitate cum capitulis hæmorrhoïdum ani, quæ turpes ani papillas vocavit Q. Serenus, hæmorrhoin naſi nuncupavêre.

Hujuſce morbi ſubjectum, ut loquuntur, inhæſionis vel potiùs adhæſionis, ſunt ſubrubræ ac ſpongioſæ carunculæ quæ intrà concava narium latitantes, decumbentem è cerebrô pituitam naturaliter ebibunt, obſtantque nè ſtiria perpetim ſtillet è naribus.

Sed de naturâ & cauſis polypi non æquè conſtat. Vulgò dicitur eſſe tumor ab humore craſsô & viſcidô genitus qui vel è capite defluit, vel propriâ affectæ particulæ culpâ congeritur. Atque pro duplici iſtius humoris differentiâ, duplex quoque aſſignatur polypus; unus à pituitâ, mollis, laxus, albicans, indolens ac benignus; alter ab humore atrabilariô, durus, tactui renitens, inæqualis, venoſus, lividus, aſpectu teter & dolorificus, qui malignus eſt & καρκινώδης; quibus phlegmonoſus rubeuſque adjicitur, inter albicantem & lividum medius.

Veruntamen cùm polypus prolectatô per propria vaſa ſanguine nutriatur, ac per intuſſuſceptionem viventium more ſuum in omnes ſimul dimenſiones capiat augmentum, adeò ut ſi filô ſericô benè ceratô vel equinâ ſetâ radix ejus arctiſſimè conſtringatur, vaſis alumnis interceptis contabeſcat, atque intra ſeptem octove dies commeatus penuriâ ſpontè decidat emortuus, imò cum ſenſu tactus orbatus non ſit; profectò minimè videtur è pituitoſorum vel melancholicorum excrementorum congerie οἰκοδομηθῆς, ſed potiùs eſſe vera & animata caro vitam ſenſitivam participans præter φυτικὴν, etſi caro iſta peregrina ſit & exceſſu morboſa. Quamobrem Galenus βλάστημα σαρκὸς germen carnis in naribus retulit ad morbum in numerô auctô, non quidem rei totô genere præter naturam ut calculus & lumbricus, ſed ex genere naturali ut oculi pterygium, ac ſuperfluus digitus in ſedigitis.

Potentia ſiquidem θρεπτικὴ otii neſcia è ſanguine paulatim ſuperfluente & ad roris modum exudante carneam ejuſmodi molem coagmentat, proindeque membri unitatem ac ſeriem neceſsè eſt interpellari, ſive inſenſibiliter, ſive ſenſibiliter ut in ulceribus, quibus non maturè ſiccatis apophyſes carnoſæ ſolent adnaſci; haud ſecùs ac convulneratô arboris cortice ſuccus nutritius extillans in γόγγροις ἢ κροτῶνας hoc eſt ligneos nodos toroſque transformatur; potiſſimùm ſi propter tenacitatem è labiis vulneris non facilè effluxerit, ut in oleis cæteriſque fruticibus pinguibus & reſiniferis, proindeque non φυλλοβολέσαις ſed ἐμπεδοφύλλοις æternô frondis honore virentibus. Nihil novum ergò ſi natura vegeta uberrimôque ſanguine redundans, dùm partim integritatem etiam leviter delibatam immani deſideriô reſarcire ſatagit, non deficiat in neceſſariis, quin potius largâ ac munificâ ſanguinis auxiliarii ſuppeditatione luxuriet, ac è diſpenſatrice fiat profuſa; ſicque ſupernutritione quâdam pro σαρκῶδ præſtet ὑπερσάρκωσιν, ſimiliter ac in oſſibus rimulas argente perioſtiô pro ὀστεῶδ oſſeos quaſi umbones, quos ἐξοστώσεις dicunt, nonnunquàm reponit.

Ne mireris porro quamvis in genere partes ſpermaticæ etiam adhibitis pæoniis pharmacis non putentur renaſci, polypum tamen venulis, arteriolis ac nervulis eſſe interſitum. Neque enim puſilla vaſcula ibi de novô creantur, ſed è viciniô adducuntur, nempè è cæterorum vaſorum extremis oris ceu ipſorum appendices ac additamenta; quomodò ulcerum ventriculi quotidiè cernuntur expleri, ac ipſemet Galenus venas & quidem multas ſatiſque memorabiles in magnis ulceribus obſervavit regenitas; vel architectante facultate πλαστικῇ non ſolùm in certis locis ad ὑστέρων μορίων ut dentium formationem ſuperſtite, ſed etiam in ſingulis membris pro ipſorum neceſſitatibus ad mortem uſque reſiduâ, quanquàm longè ignaviore quàm in fœtu. Neque enim reliquit natura animal, neque oblita eſt virium ſibi inſitarum, nam quas à nullô acquiſivit, ſed ex ſemine habet, eas impoſſibile eſt ipſam abjicere; vel ſaltem operante altrice virtute valentiſſimâ, cùm nutritio, publicâ Philoſophorum conſcientiâ, ſit generatio quædam partialis, ac juxta Galenum ἀναπλήρωσις τῆς ἀπορρεούσης οὐσίας, expletio ſubſtantiæ defluentis, ſicque terminetur ad novum eſſe partiale viventis.

Igitur ſi ad validam vim membri σαρκοποιητικὴν floridus ſanguis acceſſerit, dubium non eſt quin caro laudabilis atque ſolida naſcitura ſit, quæ alioquin flaccida ſuccreſceret & fungoſa, ut contingit ab uſu ſarcoticorum debiliorum ac minùs quàm par eſt ſiccantium, quibus neque membri exulcerati nativus calor ſatis fovetur, neque ulceris ſordes ſufficienter eluuntur. Quodque notatu dignum, proba caro extuberans non rarò inflammatione, eryſipelate, œdemate, ſcirrhô, necnon etiam cancrô tàm ulceratô quàm non ulceratô tentatur; ac quemadmodum in inſitionibus, quas arborum adulteria appellabat Plinius, fibræ inſiti cum fibris adoptantis nodô quaſi conjugali coëunt, fiuntque veluti duo in carne unâ; Ità morbus morbo hic ſuperſtruitur & quodammodò ἐγκεντρίζεται.

Polypus aut eſt uniformis, aut ex multis quaſi carunculis ſimul junctis compingitur, inſtar fermè mororum è quamplurimis granulis coacervatorum. Secundò polypus vel alterutram narem vel binas nares & quidem ſæpè ſæpiùs occupat, quas interdum adeò impedit ut blennæ delapſum moretur; quâ ſuppreſsâ & computreſcente, ut in iis qui retruſum ſimumque naſum gerunt, fœda conſequitur olidarum narium labes, ægrô tamen propter aſſuetudinem inconſciô; ſic cloacarum mundatores ad oletorum κακωδίαν obſtupeſcunt, ac pariter quicunque gratis odoribus ſolent perfundi, eorum ſuaveolentiâ minimè capiuntur. Non ſentit, *inquit Plinius*, ipſe qui gerit, ſummaque commendatio habetur, ſi tranſeunte illô, invitet odor etiam aliud agentes, tanti emitur voluptas aliena. Propter eandem naris obturationem polypoſus non aliter quàm hiante ore cæli animam ducit; ſorbilem capit ſomnum, hoc eſt altè ſtertit inter dormiendum; δυσχερῶς καὶ ἀηδῶς loquitur, voce in calamos narium non ampliùs reſonante; ſubſiſtit ab olfactu, quòd fumidæ anathymiaſeos odorum vecturam factitantis fluctus

ctus aditu intercludatur ad nares internas, per quas ſenſus odoris nobis datur. Quandoque etiam tanta eſt polypi latitudo ut naſum conſpicuè dilatet, tantaque longitudo ut ad labra uſque penſilis ſit inſtar criſtæ illius carneæ ultrà πρόσωπον hoc eſt roſtrum gallorum gallinaceorum irâ percitorum dependentis, potiſſimùm in expiratione, nam inſpirando reconditur in nares polypus ſi mollior extiterit. Tertiò polypus aut narium lateribus, aut earum diaphragmati adhæreſcit; iterumque vel infimæ narium regioni harum ſcilicet cartilaginibus, vel mediæ nempè naſi oſſibus, vel ſupremæ putà oſſi cribroſô appenditur, indeque lacunas ſuprà palatum explens ad fauces nonnunquam protrahitur, ore adapertô ponè gargareωnem conſpiciendus, magnô non tantùm ſpiritus & vocis ſed deglutitionis quoque incommodô, maximè ſi ambarum narium polypus per duplices meatus ad cameram palati pervios retrò prolapſus fuerit.

Piſcatores, μηχοταλάντων incolæ, homines rei nauticæ plurimùm dediti ac Σάρωνος ναυτικώτεροι, polypo opportuni vivunt, ob temperiem humidiorem functionibus naturalibus, nutritioni, accretioni & generationi accommodatiſſimam. Quantò hæcce σαρκοφυΐα eſt ἀνώτερος altiuſque radicatur, tantò rebellior exiſtit, quoniam cerebro propior ac medicamentis minùs obvia & expoſita. Eò etiam moleſtior quò tumidior, ut Auſtrô vel Eurô afflante, necnon Θεῶ πανσελήνῳ regnante, quô tempore more oſtrearum & conchyliorum πληρῶν καὶ θαλασσιζόντων conſuevit intumeſcere; ſicut ex adverſô ac ſitiente Lunâ detumeſcit, itaut polypus ſit mutationum cæleſtium quaſi Ephemeris.

Polypum carcinωmatoſum, ſi exquiſitus fuerit atque confirmatus, ἀσκληπιαδῶν primicerii apertè ac ingenuè confitentur immedicabilem, muſſatque tacitô medicina pudore: Quamobrem Trophilus apud Stobæum interrogatus quem Medicum cenſeret perfectiorem, ſapienter reſpondit qui poſſibilia ab impoſſibilibus poteſt dignoſcere, ſed pleniſſimæ iſtius deſperationis cauſa inveſtiganda eſt.

In cancrô tria occurrunt ſpectanda, materia, qualitas & ῥιζοβολία. Materia eſt atrabilaria, ideoque, ex Hippocrate, glutinoſiſſima, repercuſſionis, reſolutionis & ſuppurationis æqualiter ignara, ἀπηνὴς καὶ ἀτέραμνος ὅκως λίθος, ut ait Aretæus, lapidis inſtar contumax & indomita; quin etiam durioris rigoris quàm ipſæmet petræ, rupes enim cedunt violentiæ cauſarum diſſolventium, legiturque mons acetô ruptus vel, ut Livius loquitur, putrefactus; ſed cancer cathæreticis agitatur & efferatur, fitque è non ulceratô ulceratus, è quietô ἑρπυστικὸς ac populabundus. Qualitas quoque materiæ cancroſæ ob ſuperaſſationem ſupremè acris eſt atque acida, ac idcircò, judice Hippocrate, δυσαλθεστάτη, nec ab aliis quantumvis activis qualitatibus comprimenda & edomanda, itaut cancer ſtet undique tutus à machinis pharmaceuticis utut induſtriis ac impigris. Imò irrita ſunt Medici ferrô & igne ſævientis conamina, vel potiùs noxioſiſſima, mortemque accelerantia; etenim carcinωma ad modum Excetræ cui datum erat

Creſcere per damnum, geminaſq; reſumere vires

ſi amputetur amburaturve peſtiferô fœnore repullulat, propter numeroſas, varicoſas, altas nec extirpandas radices, more arborum quas radicibus hinc inde ſparſis ac inſtar forcipum cancri divaricatis καρκινοῦσθαι ſcribit Theophraſtus. Favet etiam internum βλάστημα videlicet inemendabilis principis alicujus viſceris κακοπραγία perniciοſum fœtum jugiter lactantis: poteſtque carcinωma aſperiorum remediorum contactu invaleſcens aſſimilari vel plantis illis quæ calcari gaudent & atteri pereundoque lætiùs proveniunt, quod tota vis deprimatur in radices; vel metallis opulentiſſimis quorum, ut ait Romanus ſapiens, in altô latet vena, aſſiduè pleniùs reſponſura fodienti. Jure igitur odorus ſagaxque indagator Hippocrates, cujus Medicis dogmaticis ſemper vivet autoritas, de hôcce morbô εὐθήνοι τραπίδεσι ſic pronunciavit, quibus fiunt cancri occulti (hoc eſt ἀνέλκωτοι quantò magis ulceroſi atque πορευτικοὶ) non curare meliùs, curati enim citiùs intereunt, non curati verò longiùs vitam trahunt: proindeque non licet ipſos συφελίζειν, quin potiùs τιθασεύειν καὶ μειλίσσειν, nimirùm molli manu nec ἀγωνιστικῶς tractandi ſunt, blandæ fucatæque medicinæ quaſi palpum obtrudendo, ῥαστώνῃ μᾶλλον ἢ βίῃ benignè non violenter; planeque capitale eſt iraſci ac ſuccenſêre tàm feroci belluæ.

Audio tamen Mediculos ἀλαζόνας magnificare certa præſidia volatiliſantia, quibus humor cancri è fixô reddatur evanidus; quô pactô operâ argenti vivi diſſlantur venerea oſſium tubera. Sed hi propriis rationibus incauti irretiuntur, & quaſi plagas ipſi contra ſe texunt; admotô namque hydrargyrô artificioſâ quâlibet induſtriâ adornatô, vel provocatâ per hydrargyrωſin plenis labris ſalivatione, nec ulcera καρκινωματώδη reſiccantur; nec tumores cancroſi deſidunt; tametſi mercurius ſit maximè deſiccatorius, adeoque volatilis ut idolum iſtud ſuum, Aquilæ ac ſervi fugitivi nomine donent fuliginoſi Myſtæ.

Alii igitur venditare malunt ac ebullire arcana nonnulla ſpecifica atræ bilis acrimoniam & aciditatem utut excellentem cicurantia & quaſi edentantia; ſimiliter ac ſpiritus vitrioli & ſal tartari mutuâ mixtione condulceſcunt, atque ex ſublimatô corroſivô ac hydrargyrô crudô concinnatur mercurius dulcis. Verùm μεγαληγορίαν hoc eſt grandiloquentiam ac, ut loquitur Satyricus, magnos montes tàm divitis promiſſi, experientiæ pignoribus fulcire opus eſſet: Nàm αἰσχρὸν καὶ ἐν πάσῃ τέχνῃ, καὶ οὐχ ἥκιστα ἐν ἰατρικῇ, πολλὴν ὄχλον, καὶ πολλὴν ὄψιν, καὶ πολλὴν λόγον παρασχόντα, ἔπειτα μηδὲν ὠφελῆσαι, Turpe eſt cùm in omni arte, tùm præcipuè in Medicinâ, multam turbam, multam oſtentationem, ac multum rumorem concitare, tandemque nihil opis afferre. Quamplurima, inquit Galenus, μέχρι γραμμάτων καὶ λόγων τὸ πιθανὸν ἔχοντα, ἐπὶ δὲ τοῖς νόσων ἔργοις ἐλεγχόμενα, ad literas & verba veriſimilia ſunt, at in morborum operibus redarguuntur. Non deſunt E.G. cinifiones qui bellulis ejuſmodi ſimilitudinibus nitantur probare mercurium arte Chymicâ figi poſſe ac tingi in aurum, ipſi interim auri non minùs quàm mentis inopes. Ea eſt pyrotechnicorum nonnullorum intemperies, ut activa paſſivis applicando hominem intrà alembicum effingi poſſe aſſeverent, haud aliter quàm è ſe-

mine

mine intrà formandi fœtus monetam locatô. Quidam ἀθανασίας venatores nihil obeſſe aſſerunt, quominùs reparatô alimentis ἐξανθρωπισμένοις, hoc eſt manſuetis ac naturæ humanæ accommodatis, calidô nativô ἀντιταλάντῳ, lucrôque jacturam adæquante, vita in æternum naturaliter prorogetur, ipſi ſæpè valetudinarii atque βραχύβιοι. Quis non derideat, qui habeat aliquid ſanitatis, Philoſophum illum Sophiſtam octogenarium atque σκελεφρὸν, commentarium edentem de ſenectâ removendâ & corporum immortalitate comparandâ? cujus meminit Galenus librô de maraſmô? Virum novimus heteroclitum prorsùs in praxi Medicâ atque σκαιότατον, qui vivificô ſpiritu arteriis dextrè immiſsô, homines ἀρτιθανεῖς ſe excitaturum seriò pollicebatur, non territus ſorte Æſculapii Vejovis ignibus percuſſi

--------- Reduces quòd tradere vitas
Noſſet, & in cœlum manes revocare ſepultos.

Ignoſcant ergò Herculei cancrorum domitores προῤῥήμασι λαμπροῖς καὶ ἀγωνιστικοῖς ἐπιθυμέοντες ἐκχαυνοῦν τὸν πολὺν ὄχλον, ut loquitur Magnus Medicinæ Profeſſor, Prædictionibus ſplendidis ac palmaribus aucupantes multitudinis rumuſculos, plebiſque grande & inſanum ſophos affectantes, quam gloriolam generosô faſtidiô ἀνδραγαθικώτατος καὶ τεχνικώτατος Hippocrates ibidem appellabat δημοειδέα κιβδηλίην popularem ſcoriam, & ad cujus mentem aiebat Seneca, Si te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi, ſi totâ civitate fœminæ te puerique laudaverint, quidni ego tui miſerear, cùm ſciam quæ via ad iſtum favorem ferat? Ignoſcant, inquam, muſtei Anticarcini, ὠδίνοντες ἀπὸ τοῦ στόματος βαύχησιν τὴν σοφιστικὴν, ſi aures nobis deſint aptæ grandioribus fabulis, renuamuſque circumferri omni ventô doctrinæ in nequitiâ hominum, in aſtutiâ ad circumventionem erroris.

Πίστις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας,
Ipſa fides homines & diffidentia perdit.

Mirum tamen quo procedat humana credulitas, nullum tam impudens mendacium quod teſte careat; O homines ſecuros de negligentiâ generis humani, ad occultandas deceptiones ſuas! *Antonius Meniotius Diſſertationum Pathologicarum parte 3.*

Curationes.

Curandi polypum ratio ſatis difficilis eſt. Ejus incremento per initia, quantum fieri poteſt, obſiſti debet. Sed factus, confirmatuſque Polypus (ſive is exulceratus ſit, ſive non) auferri & exſtirpari oportet, ſi ipſius radix ſeu pedunculus comprehendi inſtrumento convenienti queat.

Igitur tentetur primum, poſſitne Incipiens Polypus per admota Medicamenta tolli. Quem in finem varia proponuntur: Mitiora viz. quæ partim adſtringunt, partim exſiccant: vel Erodentia ſeu Eſcharotica. Inter hæc meritò laudatur Pulvis Vitrioli Calcinati, Chymici Caput Mortuum ſeu Colchotar Vitrioli vocant.

Scribit Pigræus *Prax. Chirurg. lib. 5. de Ulceribus cap. 9.* præſtantiſſimum ad tollendam carnis hujus ſuperfluitatem remedium eſſe Pulverem Sabinæ: quod ſi tertia pars Ocræ illi admiſceatur, majoris efficaciæ fore putat. Quibus Remediis ſanè corrugatur magis, quàm aperitur Polypi tunica. Nec penetrat hic Pulvis per anguſtiam prope naſi finem, ab excreſcentia hac obturatam.

Barbette hoſce proponit pulveres,

℞. Cort. Granatorum, Flor. Balauſtiæ an. ʒj. Cadmiæ Foſſilis ʒij. Antimonii Crudi, Croci Martis an. ʒß. Maſtichis, Myrrhæ, Lithargyri, Lapidis Magnetis an. ʒj. M. F. Pulvis ſubtilis.

℞. Aluminis Uſti, Balauſtiæ, Boli Armeni an. ʒij. M. F. Pulvis ſubtilis.

℞. Vitrioli ℥ß. Gallarum, Aluminis, Cort. Granatorum an. ʒij. Myrrhæ Rubræ, Ariſtolochiæ Uſtæ an. ʒj. M. F. Pulvis ſubtilis.

Idem teſtatur, ſe Polypos radicitus extirpatos vidiſſe Aquâ, cui incoctus Mercurius Sublimatus.

Haud ſecus Johannes de Vigo *Chirurg. lib. 2. cap. 5.* laudat linteum diſcerptum cum Mercurio Sublimato Aquæ ſequenti modo incoctum, ac iterum exſiccatum; quod dein Aquâ Plantaginis rurſus madefactum Polypo admoveatur, & bis quotidiè renovetur.

℞. Filorum Diſcerptorum panni linei veteris ℥ij. Medullæ Panis Albi ℥iij. Mercurii Sublimati ℥ß. Aquæ Roſarum, Plantaginis an. ℔j. Coq. in Vaſe Stanneo ad conſumptionem dimidii, dein fortiter linteum carptum exprimatur, & in furno ſiccetur.

Platerus *Obſervat. Med. lib. 3.* acriora adhuc proponit remedia. Atque bis, terve de die cum penicillo Polypo admovet Oleum Vitrioli, vel hunc liquorem,

℞. Olei Vitrioli ℈j. Aluminis Uſti ʒj. Aquæ Plantaginis ℥j. Miſceantur.

Vel ℞. Mercurii Sublimati ʒj. Coq. in Aquæ Fabrorum ℥iij. ad conſumptionem medietatis, add. Olei Vitr. ℈ß. Aluminis Uſti ʒj. Miſceantur.

Dein Unguentum hoc cum petia naribus intrudit, & Polypo admovet,

℞. Unguenti Ægyptiaci ℥ß. Pulv. Gallarum, Cort. Granatorum an. ʒß. Olei Vitrioli ℈j. Miſceantur.

Sed rarum valdè eſt, Medicamentis Polypum tollere. Et verè docet Julius Cæſar Arantius *lib. de Tumor. pr. nat. cap. 21.* admota medicamenta pro Curando Polypo plus moleſtiæ, quam utilitatis adferre. Adhæc Cauſtica, & Eſcharotica, fungoſam hanc carnem profundius erodendo, Diatheſin Cancroſam facilè acceſſunt. Idem eſto judicium de Cauterio Actuali: nihilominus tamen Obſtructionem utriuſque naris à Polypo Spurio, Ejus opê feliciter ſe ſanaſſe, refert Petrus de Marchettis *Obſervat. Chirurg. 27.*

Si ergò Mitiora Adſtringentia, & Exſiccantia pro Polypo Curando nihil adferant emolumenti, ad Chirurgiam ſeu Manualem Operationem deveniendum; quæ genuina & certiſſima eſt Polypum curandi ratio. Atque in hac Polypi per Chirurgiam Cura monet C. Celſus *lib. 7. cap. 10.* oportere ſurſum per nares immittere ferramentum acutum, in modum ſpathæ factum, & ipſum Polypum ab oſſe liberare, adhibitâ diligentiâ, ne ſubjecta cartilago lædatur, quia difficilis ſuccedit curatio. Ubi Polypus abſciſſus eſt; unco ferreo extrahendus; tum implicitum linamentum, ad ſupprimendum ſanguinem, imponendum; hinc purgandum; & denique pinnâ impoſitâ

poſitâ medicamentô cicatricem inducente obductâ, ſanandum.

Paulus Ægineta vult, ut, ægrô collocatô in ſedili adverſus ſolis radios, Chirurgus ſiniſtrâ manu narem aperiat, & dilatet; dextrâ verò ſpatulâ ad id factâ, in myrthacei folii modum acutâ, orbiculatim polypum præcidat; illic acie ferramenti impoſitâ, ubi naribus coaluit; poſtea inſtrumentô in oppoſitum converſô, ipſius manubriolô ſucciſam carunculam foràs eximat; idque toties efficiat ſecando, & eximendo, quouſque totus polypus fuerit exemptus. Judicat verò totum eſſe exemptum polypum, ſi reſpiratio per nares libera, & ſine obſtaculo recurrat, ſiquè vox, ſeu loquela concinna ſequatur.

Aquapendens novum proponit inſtrumentum, quô utitur pro extrahendô polypô, id quod apprehendit ſimulque præcidit & foràs trahit. Sed ineptum huic operationi cenſemus hoc inſtrumentum; quippe quod radicitùs polypum non evellit, ſed radicem prope fungoſam hanc carnem exſcindit; quæ idcirco velociùs poſtmodum ſolet repullulare. Verùm ſumendum potiùs ferramentum, vulgò roſtrum corvinum dictum, nec quicquam ſecandum; ſed ejus ope polypus firmiter apprehendendus, atque hinc inde vertendus, ut illius radix frangatur, & integra evellatur caro fungoſa.

Quòd ſi poſt polypi extractionem, fluxio ſanguinis ſupervenerit, illi medendum eſt, ut cæteris ſanguinis ex naſô fluxionibus; medicamentis viz. adſtringentibus naribus impoſitis.

Exemplum polypi admirandi, utramque narem cum ſpiritu difficili, & continuô ſuffocationis metu, obturantis, atque in faucibus deinde extracti, videri poteſt apud Ampliſſimum Tulpium *Obſerv. Medic. lib.* 1. *cap.* 26. Inſuper de polypô, ejuſdemque curationis modô, conſulatur Jobus Meekeranus *Obſ. Chirurg. cap.* 10. 11. 13. *Joh. Mannick in Chirurgia ad Praxim hodiernam adornatâ.*

Polypum narium ſequentibus non ſemel feliciter vidimus curatum. Præmiſſis præmittendis, venæſectione ſcil. & purgantibus, præſcribebatur ptiſana, è fortiori guajaci, ſarſæparillæ, ſaſſafras & ſantalorum decoctô, additis etiam iiſdem lignis in pulverem redactis, & uſurpabatur quater die longè à paſtu ad ℥vi. per aliquot ſeptimanas. Præterea manè & veſperi pulvis ſequens in nares inſufflabatur.

℞. Calcis vivæ & mellis crudi an. ℥iv. fiat paſta, quæ igne comburatur & pulveretur, tum adde tutiæ præparat. alum. uſti, radic. gentian. pulver. an. ʒj. M.f. pulvis. Tandem ſuffumigium adhibebatur ſequens.

℞. Rad. ellebori albi & nigri an. ℥ß. fol. betonic. pulver. ʒiij. majoran. origan. calamenth. an. ʒj. flor. roriſmar. M. ß. baccar. juniper ℥ij. muniæ Ægyptiac. ℥iß. f. omnium pulvis cujus pugill. in ignem pro ſuffumigio injiciatur, naribuſque fumus ex infundibulô aptô excipiatur. Hiſce tamen aliiſque etiam quàm multis, nihil proficientibus, vidimus etiam aliquando polypum rebelliorem radices ſuas è naribus ad oculi uſque canthum minorem egiſſe, atque nec cauſticis, nec ferrô, nec igne millies applicitis curari potuiſſe; imò ſic augmentum in dies cepiſſe, & quaſi aliam hydram è propriis renatum vulneribus, ad totalem tandem faciei deformationem, noſtrique ægri etiam ſuffocationem, accreviſſe.

Conſultationes.

De Polypo in Nare dextra. Pro Nobiliſſimo Viro.

Carnis excreſcentia in dextra nare hujus Viri nobiliſſimi, ſive ſit polypus, aut ſarcoma, originem ducit à cauſa interna, & me judice, ſanguine pituitoſo, abſque permixtione inſigni humoris melancholici; quod ex ætate conjicere licet, & ſubſtantia carnis exulceratæ.

Pro cujus affectus curatione, ſingulæ illæ indicationes implendæ erunt, quæ prudentiſſimè à Viris præclariſſimis propoſitæ fuerunt. Et quia univerſalis curatio eſt notiſſima, ideò hac prætermiſſa, ad fonticulum devenio, de quo conſulitur, an inurendus ſit occiput, pro diverſione. Verum ſi liberè proferre licet quod ſentio, minimè neceſſarium eſſe cenſeo. Sufficit enim jam inuſtus brachio, partem affectam ſpectanti, quem aliquandiu in ulcus ſervare expediet, donec ſcilicet omnino morbus hic ſit ſublatus, & pars affecta roborata. Quapropter ſupereſt tantum expendendum, qua ratione extirpanda ſit hæc caro excreſcens, & præſervari poſſit nobiliſſimus hic patiens ab eadem affectione.

Quoad primum, duo remediorum genera propoſita obſervo, quibus averruncari poſſit hujuſmodi carnis excreſcentia: primum eſt ferrum, alterum ignis potentialis. Inter hæc duo, tutius, ac promptius abſque dubio ferrum eſt, præcipuè ſi fiat hæc operatio inſtrumentô propoſito ab Excellentiſſimo Marchetto Equite, quo feliciter uſus fuit olim Excellentiſſ. ab Aquapendente, & idem D. Marchettus, qui polypum in quodam Tridentino, cujus curam ipſe ſuſceperam, pluribus abhinc annis evulſit, ut innumeros taceam ab eodem hoc inſtrumento ſanitati reſtitutos. Et ſanè hæc operatio citò fit, parum moleſta, ac ſine periculo effuſionis inſignis ſanguinis. Quoad medicamenta erodentia, hæc minime tuta eſſe cenſeo. Horum enim loco præſtaret partem affectam ferro ignito in eam immiſſo per cannulam perforatam, linteolis madefactis ſuccis refrigerantibus involutam, contingere, præmiſſa partium proximarum neceſſaria cura: quo paulatim contabeſceret caro illa luxurians, & exſiccaretur, ſine ullo metu lædendi partes adiacentes, quæ facilius ab erodentibus medicamentis læderentur. Hæc tamen operatio minimè tuta erit, atque cum tædio, & forte dolore.

Idcircò ſi patiens hic Illuſtriſſimus manualem reſpueret operationem, tutior modus reſolvendi carnem illam exuberantem erit à Gal. propoſitus Tertio de Medicamentis ſecundum Loca cap. 3. per medicamenta ſcil. non ea quidem, quæ ab ipſo proponuntur ex aliorum ſententia, ſed quæ finem capitis ex propria in medium afferuntur: & ſunt ſucci granatorum dulcium acidorum, & auſterorum exſiccati, pulverizati, & applicitis modò formâ collyrii, cum ſucco plantaginis, additâ pauca quantitate diphrygis: modò madefaciendo partem affectam

eodem ſucco, modo inſufflando eadem mala granata pulverizata. Modus autem manifeſtè expreſſus eſt ibi loci ab eodem Galeno. Quæ quidem operatio lenta eſt, ſed blanda. Quo in loco propoſuit etiam pulverem roſarum exſiccatarum, qui excipi poterit omphacio, cum portione aliqua diphrygis. Atque remedia omnia adſtringentia, exſiccantia, & digerentia opportuna erunt, dummodò erodentia non fuerint. Idcircò pulveribus ſupradictis addi poterit parum ſpiritus vitrioli, & aluminis uſti. Tutius tamen, celerius, & minori moleſtia hæc operatio ferreo inſtrumento antea propoſito adminiſtrabitur, exſiccatione, ac cicatrizatione poſtmodum curata.

Interim ex uſu huic patienti exiſtimarem decocti uſum, blandi tamen, parati ex radice chinæ, ſantalis, & viſco quercino. Hoc enim redundans in capite humiditas abſumi poſſet, ac in toto pariter corpore, ſervata congrua victus ratione, quæ à Viris Excellentiſſ. optimè quocunque tempore veniet præſcribenda. *Benedictus Silvaticus Conſil. & Reſp. Medic. Cent. 2.*

Polypus.

Polypo in utraque nare octo abhinc annis laborat Nobilis Vir quinquageſimum annum agens, temperamenti totius & jecoris calidioris, melancholici habitus, & capitis valde humidi cum calore; quarum partium intemperies, & præſertim capitis, à repetita lue Gallica antea contracta, neque propriis Alexipharmacis curata, magnopere adauctæ fuerunt, adeo ut propter abundantem à capite deſtillationem ſudorifico Decocto in hypocauſto reſiſtere nequiverit, dum in aſperam arteriam & Bronchia pulmonum irruens, aſthmaticam affectionem intulit, ſicque à Curatione propria deſiſtere coactus fuit. Hinc factum eſt quod cacochymum quotidie magis redditum fuerit totum corpus: & quod pejus eſt, capitis intemperies calida & humida magis magiſque ſemper adaucta, & ita valde excrementoſum caput redditum, à toto quoque pravum alimentum recipiens. Interim natura caput ipſum exonerare cupida, ad nares tanquam ad proprium emunctorium ſanguinem craſſum & viſcidum depoſuit, & carnoſam quandam molem in utraque nare produxit, Polypum nominatam. Hæc autem non ſemel ferro & igne ablata fuit, ſed rurſus reverſa, non extirpata mali radice, ſiquidem adhuc latet anguis in herba: latet nimirum Gallica infectio, viget in toto ſanguinis impuritas, & magis adhuc calida & humida capitis intemperies, craſſa & viſcida excrementa continuo regenerans, à quibus ſicut Polypi primam originem duxerunt, ita ſemper fomitem ſuſceperunt atque ſuſcipiunt, & quoties iterum amputati fuerint, cauſa non ablata, toties redibunt.

Quare ut tanto malo finis imponatur, omnia agenda: aliquando enim intrinſecus adeo augentur, ut vocem auferre & reſpirationem impedire valeant; & præterea quoniam ætatis progreſſu frigida excrementa in capite neceſſario multiplicantur, aut in capite ipſo retenta, aut ad inferiores partes, & potiſſimum ad ſpiritales delabantia, alia majora mala afferre poſſent.

Et ideo ut præſenti malo ſuccurramus, & imminentia præcaveamus, ſtatim hoc anni tempore congrua eſt ineunda Purgatio, primas vias mundando. Secundò Obſtructiones quæ ſupponuntur, aperiendo. Tertiò Maſſam ſanguineam ab excrementis vindicando. Quartò Caput purgando. Quinto ejuſdem intemperiem corrigendo, & Alexipharmaco Gallicum extirpando. Sextò Jecoris fervorem contemperando; & interim Polypum medicamentis localibus auferre tentando; hiſque non ſufficientibus, & igne demendo.

Quibus intentionibus ſatisfaciendum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis & Diætericis; & inter Chirurgica, duplex erit conveniens ſanguinis miſſio, ex Jecoraria dextera & ex ſedalibus venis. Cauterium in brachio, ſi adeſt, cuſtodiatur.

Inter Pharmaceutica, pro prima intentione explenda conveniet repetitum Leniens ex manna clarificata, aut ex elect. lenit. cum tartaro; & intermediis diebus julapium acet. ad ℥. iii. aqua florum citri diſſolutum, erit idoneum Præparans.

Pro ſecunda & tertia intentione, ſucci herbarum depurati ſunt uſurpandi, nimirum cich. borag. & agrim. in decocto malvæ, meliſſæ & lupulorum, addito ſale tart. fixo ad gr. x. Tranſacta hebdomada, præbeatur Purgans ex manna clariſ. addendo infuſioni conſuetæ rhabarb. ſenam & polypodium; vel ex elect. lenitivo, de ſucco roſarum & diacarth. quibus ſuperbibat aquæ Nucer. aut hordeaceæ lib. ii. Mox repetantur ſucci cich. borag. & betonicæ, decoctioni addendo folia beton. ſtœchad. & ſalviæ, cum gutt. xii. ſpirit. tart. ter rectificati: & tranſacta hebdomada, præbeatur aliud Purgans; nimirum decoctio Epith. Meſ. elleborata ad ℥. vi. aut Extractum ellebori nigri cum Caſſia, quibus pariter ſuperbibat aquam, ut ſupra.

Quarta intentio exigit medicamentum ab alto trahens, & eſſe poterunt pilulæ capitales Paracelſi, quæ conſtant ex Extractis colocynth. ellebori nigri & diagrydii, ſub Sole diebus Canicularibus paratæ, & hic Patavii reperiuntur; quarum doſis eſt ʒ. ß. aut ℈. ii. quibus pariter ſuperbibenda concedatur aqua; duabus vero aut tribus vicibus tertio quoque die exhibeantur, & intermediis diebus propoſiti ſyrupi ex ſuccis præbeantur.

Ad quintam intentionem neceſſario explendam paretur Decoctum ſudorificum ita:

℞. Salſæ parillæ el. viſci querc. veri an. ℥. j. chinæ opt. ligni. ror. mar. medullæ guajaci an. ℥. ß. aq. ſtillat. cich. beton. an. lib. j. ß. m. f. inf. per hor. 24. deinde bull. ad conſumpt. ultra dimid. & facta colatura ſervetur pro duabus vicibus ſummò mane hora una ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda. Maneat autem in hypocauſto primis diebus ſolum per horæ quadrantem, ſequentibus verò non ultra horæ dimidium, mox ſudet in lecto. Perſeveret in uſu Decocti ſupra menſem. Decimo quoque die præbeantur pilulæ capitales Paracelſi, & ad vires ſuſtinendas concedatur tertio quoque die portio aliqua carnis, aut pullæ junioris, aut palumbi ex turre; die vero intermedio ptiſana hordeacea,

deacea, ultra panem biſcoctum, nucleos pineos ſaccharo incruſtatos & paſtulas ad hortum. Pro potu vero conſueto paretur ſuavis aqua hunc in modum.

♃. Reſiduum, aquæ com. opt. lib.xii.m.bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine ebullit. adde cinnam. integri ℥ iij. bulliant parum, & colaturæ adhuc ferventi adde ſacchari albi ad libitum Patientis, & fruitula citri rec. ut agitando fiat aqua vulgo dicta Cedrata.

Pro poſtrema intentione adimplenda opportunus eſſet lactis aſinini uſus ad jecur contemperandum, totum ſanguinem demulcendum & univerſum corpus nutriendum. Verum quoniam humida nimis fuit capitis intemperies & excrementorum ferax, ideo ſuſpectum cum Hippocr. nobis quoque videtur, ut propterea & thermalium aquarum potus tutus non habeatur; quare ſuppleat lac arte factum ita

♃. Semin. melon mundatorum ℥j. ſem. cucurb. anguriæ mundat. an. ℥ß. juris pullæ ℥ viii. contund. ſemina, & cum jure extrahatur emulſio, cui adde ſyrupi de pomis, aut de ſucco limon. ℥j. m. pro potu matutino tempore quatuor horis ante prandium, ſaltem integro menſe quotidie aſſumendo.

Interim Polyporum cura eſt habenda: etenim licet præſcriptis medicamentis, & præſertim ſudorifico Decocto nonnihil imminui potuerint, non tamen ex toto aboleri & tolli potuiſſe credendum. Quare medicamenta prius exſiccantia, mox attenuantia & digerentia adaptari debent: neque ſpernenda, ſiquidem ab ipſo Gal. & ab aliis Medicinæ Principibus non proponerentur, ſi fruſtra forent. Sic proponit Galenus idem ſuccum Mali punici ad mellis conſiſtentiam redactum. Paulus vero pulverem ita paratum per nares attrahendum

♃. Squamæ æris ℨ iv. atram. ſutorii ℨ iij. Sandarachæ ℨij. veratri nigri ℨj m. quo quatuordecim dierum ſpatio ſanitatem promittit. Ad inveteratos, Trallianus proponit pulverem ex chalcantho; chalcitide, ære cremato; & miſy, uſtis. Bayrus Cauſticum conſulit in cannula plumbea poſitum & naribus inditum, ut caro paulatim erodatur, & poſtea butyrum apponatur. Verum ſi neque medicamentis appoſitis Polypi ceſſerint, ad ferrum & ignem deveniendum, ut cum Hippocr. conſulunt Celſus & Oribaſius. Polypi ſeparatione prægreſſa, ut docet Galen. mox fiat amputatio, & pulveribus aſtringentibus ſanguis ſupprimatur. Quibus non ſufficientibus, ferro candenti cannula argentea involuto erit utendum. Et interim congrua vivendi ratio à Viro Excellentiſſ. Adſtanti præſcribenda. *Raym. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medic. Tom.2. Cent.1.*

Obſervationes.

Pro Popylo narium.

Præmiſſis venæſectione & purgatione, juſſi ut guajaci decocto uteretur cum tenui victu; nam multis guajaci uſus profuit, deinde partem attingat fortiter aſtringentibus & parum cauſticis; qualis eſt aqua ſequens utiliſſima in principio adhibita, Authore *Rondeletio*.

♃. Uvar. immaturar. ℔iij. cortic. malor. granat. balauſt. ſumach. an. ℔iij. macerentur omnia in aceto & deſtillentur; deinde adde alum. ℔. vitriol. ℥ iij. deſtillentur iterum omnia ſimul, & aquâ illa tangatur pars affecta, quidam utuntur aqua ſeparationis auri, vel ſi nimium vehemens ſit, utere medicamento ex punicis malis confecto, quod ſic ſe habet, Accipiantur tria mala granata, ex tribus generibus eorum, acidis ſcilicet, dulcibus & auſteris, eaque matura, ac recentia terantur ſimul in mortario. Deinde ſuccus exprimatur, & coquatur in linimenti formam, ſpecillum ex lana vel linteo confectum eo ſucco imbuatur, & frequenter in narem demittatur, hoc remedium ſiccat & aſtringit ſine morſu, & excrementitium humorem abſumit. Puer quidam quinque annorum in nare altera polypum habebat. Carpus ille inſignis Chirurgus hoc Medicamento Galeni ex punicis uſus eſt, & puero rhei el. pulver. ℈j. exhibuit: deinde uſus unguento ſuo ad polypum valente.

♃. Ceræ alb. ℥ iij. ol. roſ. ℥ij. butyr. antiq. ℥ vi. ſimul liquefiant ad ignem, deinde extrahas, & pone in aqua & benè laventur duabus vicibus: cui addantur ova numero 2. cum ℥ß. ſublimati M. nimis forte eſt, fortaſſe ℨß. in poſuit: præterea tangebat aqua vel ſpiritu vitrioli, & curatus eſt. *Petrus Foreſtus. obſerv. 8. lib. 13. De naſi affectibus.*

Unguentum ſequens cum petia linteoli naribus intrudat, illic ubi inter polypum & nares adhuc patet aditus, repetatque bis in die.

♃. Unguenti Ægyptiac. ℥ß. cortic. granat. gallar. an. ℨß. ol. vitriol. ℈j. M. deinde irroret nares ſequenti liquore, capite adeo reſupinato, ut nares ſubire poſſet.

♃. Ol. vitriol. ℈j. alumin. uſti ℨ; aq. plantag. ℥j. m. poſt dies quatuordecim, aliquouſque jam abſumptus erat polypus. Verum ut penitus auferretur, ſequenti dein uſus eſt.

♃. Sublimati ℨj. coq. in aq. fabror. ℥ iij. ad conſumptionem medietatis, adde ol. vitrioli ℈ß. alumin. ℨj. M. & eum penicillô intinctô ſæpe tangat polypum, & ſic penitus ablatus eſt polypus. *Felix Plateri obſerv. lib.3. pag.665.*

A frequenti narium fricatione polypus, & ab illo mors.

Etiam in ſanitate conſervanda utile eſt illud obſervaſſe tritum omnium ore proverbium, exiguam ſcintillam ſæpe non exigui cauſam eſſe incendii. Vin hoc tibi in morbo, imo in morte oſtendam? Polypo laborabat juvenis quidam tam profundo, ut ad guttur uſque penetraret; tam potenti, ut naſi oſſicula loco moveret; tam fœdo denique, ut longè extra nares emineret: non exiguam hic morbus in miſeriarum humanarum iliade conficeret paginam, ſi quis hanc Medicus vates conſcriberet, in qua pathos maximum excitaret, quando tantorum malorum, quibus hic, cum triſte ſui omnibus feciſſet ſpectaculum, tandem exſtinctus eſt juvenis, maximè cum adderet innoxiam, & puerilem propemodum cauſam, quam jam audies.

Conſuetudo ei fuerat ſæpe digitis interiora narium fricare, quod cum fere (ut aſſiduitate invaleſcunt mali iſti mores, quibus circumſpectio quædam ſui non adhibet modum) faceret,

aſſiduò, primò inflammari cœpit naſus, deinde oriri, quem dixi, polypus; qui miſerum enecavit miſerrimè. Tantum ex tantula ſcintilla, quis exſpectaret, quo tota conflagraret domus, incendium? Retuli hoc ad cautelam eorum, qui vix unquam manus a naribus abſtinent, ne ſimiles ibi reperiant, quos perpetuò ſcrutari videntur, theſauros; & eo retuli libentius, quod Anatomiæ quoddam ſpolium videatur ad ſpectaculum ſervatus hîc à me polypus. Alterum ſubjungo, quod mihi in praxi occurrit, et iſte ſimilis incendii exemplum de femina, quæ dentes aciculis purgare ſolita, cùm id invaleſcente conſuetudine facit frequentius, inde gangrænam contraxit, gangræna mortem peperit; hæc & ſimilia ad cautelam non parum facere poſſunt iis, qui malis iſtis moribus vel imbuti ſunt ipſi, vel aliis, ne imbuantur, ex officio debent providere. *Theodorus Kerckringius in Spicilegio Anatomico.*

De Polypo Narium Epiſtola Nicolai Zas, Medici Rotterodamenſis: Ad Jobum à Meek'ren.

Experientiſſime Vir.

Curæ noſtræ nec non Chirurgi cujuſdam Civitatis noſtræ haud poſtremi commiſſa eſt Puella 13. annorum, temperamenti frigidioris, polypo narium laborans, varia jam ab aliquo tempore adhibita medicamenta, interna æque ac externa, aſt nihil hactenus effecerunt. Res non naturales quas exactè obſervari in omnibus morbis exigit *Hippocrates lib. 4. de morb. vulg. & lib. 2.* curioſe etiam ab ægrâ noſtrâ obſervatæ, fluxiones à capite ad hanc partem deſcendentes, ex præcepto Galeni ſiſtere allaboravi, promiſſa univerſali corporis evacuatione. Decoctum radicis chinæ jam à longo tempore ſine fructu uſurpatum. Inſtitutæ etiam ex doctrinâ *Celſi lib. 6. cap. 8.* Capitis fricationes; Cucuphæ capiti applicatæ ex herbis, floribus, &c. cephalicis exſiccantibus paratæ, nec fonticulum neglexìmus.

Topica à Chirurgo adhibita varia itidem fuerunt: pulvis ſabinæ *Paræo lib. 5. cap. 19.* in hoc caſu uſualis, inſperſus, aut etiam, pro unguento illinendo, unguento Ægyptiaco mixtus; Trochiſci itidem vigonis. At nihil omnium profuit.

Dolore accedente, ex uſu forſan medicamentorum acrium, mali moris affectum futurum, metuebamus, maximè cum carnoſior, ſanguinolentuſve magis polypus hîc notaretur, coacti adeoque Medicamentum adſumere illud quod *Ambr. Paræus lib. 8. cap. 2.* in curatione Polypi commendat, dolores imminuere, haud tamen Polypum ipſum tollere valens.

Enarratis omnibus fruſtra hactenus adhibitis nihil ſupereſſe, & parentibus, & ægrotanti ipſi indicavimus, præter extractionem Chirurgicam, at admittere eam detrectabant omnes.

Hæremus adeoque, nec quid agendum conſtat. Tu, ſi quid habes Vir Clar. imperti; quo tandem miſera ægrotans moleſto hoc malo liberari queat. Quod ſi non, niſi manualem extractionem hîc locum habere nobiſcum ſentias, Epiſtolio quodam notifices rogo, quo & parentes, & ægrotans, quam neceſſaria ſit hæc operatio, informentur. *Vale.* Tuus *N. Zas.*

Reſponſio Jobi à Meek'ren ad literas N. Zas, Medici Roterod. de Polypi narium verâ curatione.

Domine.

Quod polypum auferendi methodum ex me cognoſcere deſideres, valdè afficit, non video quæ proponere queam tibi ignota, viriliter adeo, paſſibuſque certis hic procedit, aut quis æquiparari multo magis anteponi poſſit, non videam; Gratias refero maximas, quod eo me honore dignum æſtimes, cui publicum in commodum, quæſtio de verâ polypos curandi viâ proponatur; Beſtia illa (eo enim nomine Polypus venit, & quidem merito) quomodo vel per media Topica in naſi cavo conſumentia, vel per inſtrumenta ipſa auferri queat, paucis docere aggrediar.

Notum nobis Polypum hunc eſſe *Galeno de comp. med. sec. loc. cap. 3. Paulo Æginetæ lib. 3. c. 24. Aetio lib. 6. cap. 90. Cornelio Celſo lib. 6. cap. 8.* in primis *Fabr. ab Aquapendente parte 1. Oper. Chir. cap. 24.* debemus.

Locus non ipſi ſolum naſus, ſed & palati pars ſuperior, & cum eâ fauces ipſæ, quæ loca adeo ſæpe carnea hac excreſcentiâ anguſtari poſſunt, ut ſuffocari ferè videatur æger.

Quomodo tractaveris Polypum, quo correpta ægra tua, quæque adhibueris medicamenta, accurato ſatis ſtylo proponis. Ut verum fatear, atque ex animo Tecum agam, Medicum hic præſtiti talem, qualis deſiderabatur; nec aliquid omiſiſſe Te teſtari paſſum eorum quæ ad auferendum malum requirebantur; haud equidem in medicina ſatis me expertum agnoſco, profiteorque, qui Chirurgiæ deditus, diuturno nihilominus exercitio etiam ea quæ Medicæ magis conſiderationis habentur, imò revera ſunt, Chirurgis innoteſcere, quotidie experimur.

Localia quod ſpectat media affectum ipſum quibus tollere allaboraſti; non ſolùm ut haud rejicienda ea habemus, ſed & quæ iis anteponi queant nulla nobis nota, teſtamur.

At, Vir humaniſſime, concedas precor, quod, cum ægra tua filiola ſit tredecim annorum, cur Vena pedis ſiniſtri ſaphena non fuerit ſecta, ad menſium promotionem, quærere audeam. Carneæ etenim ſubſtantiæ eum dicis, imò indies ſanguineam magis conditionem aſſumere, carnoſioremque fore, at hæc unde deduci poterunt, ſi non ex ſanguine.

Ad extirpationem manualem admittere Chirurgum quod recuſant parentes, nolit ægrotans, doleo, cum præſtantius medium hactenus nullum innotuerit, citò imò, etiam certo hac via procedimus; Teſtantur hæc in arte Chirurgica viri celebres, Fabr. imprimis ab Aquapendente loco ſupra allegato. Nobis eadem non ſemel ex voto ſucceſſit, inter alios in Ancilla Medici hujus loci *Simonis Dilmans, Ma. ja Stevens*, cui auxiliante *Henrico à Roonhuyſen*, Chirurgo magni nominis, polypum extraximus incredibilis magnitudinis, & craſſitiei.

Attamen, Vir Celeberrime, quod ſi recuſare perſeverent parentes extractionem manualem, non inconſultum videretur (pace tua dixerim) pluma-

plumaceolum hoc medicamentum inſigne, à *Johanne Vigone lib. 2. cap. 5.* deſcriptum, ſaliva aut aqua plantaginis madefactum, naribus imponere, ad eam altitudinem, ut attingat polypum, idq; bis ſingulis iterare diebus. Deſcriptio hæc eſt:

℞. Pilor. carptor. panni linei veteris ℥ij. Medull. panis alb. ℥ iij. Sublimat. triturat. ʒj. Aqu. Roſar. Plantag. an. ℔ j. Coquantur in vaſe ſtanneo ad ſecundæ partis conſumptionem, dein fortiter exprimantur, & filum carptum ſiccetur in furno.

Medicamento huic, quod cautè admodum uſurpari debet, eò quod ſublimatum recipiat, de quo conterraneus tuus, Medicus olim celeberrimus Johannes Beverovicius, libro cui titulus Theſaurus ſanitatis, *Schat der Geſontheyt, cap. 8* addimus aliud, cujus vires egregias non ſemel experti. Valdè hoc commendat Alexander Tralianus, referente Durante Scacho ſubſid. Med. conſ. de Polypo cap. 1. Caput hoc eſt, caput mortuum Vitrioli, ſequenti modo uſurpandum.

℞. Cap. mort. Vitriol. ʒj. Subtil. pulv. miſceatur cum Unguenti Ægyptiaci portione liquidiore.

Unguentum hoc bis terve quovis die applicetur plumaceolo exceptum polypo, penicelli operâ; Benè hoc ſucceſſit in Conſue hujus loci, brevi tempore. At quum uſu immoderato hujus unguenti ardor nimius dolorque excitaretur, coacti fuimus ad utriuſque mitigationem, Unguentum ſequens, à prædicto Scacho præſcriptum cap. allegato; adhibere, quod bene ſucceſſit.

℞. Spumæ Argent. ʒ ij. Ceruſſ. ʒ iij. Alum. ſciſſil. ʒ ij. Tund. & cribrentur, hinc in mortario plumbeo, cum vino odorato ad mellis conſiſtentiam reducatur, huic addatur Olei myrtini q. ſ. conquaſſatumque in pyxide plumbea ſervetur.

Crede mihi, Vir Doctiſſime, medicamenti hujus vires eſſe ſummas, imò notum mihi hactenus nihil eſſe quod ei anteponi queat.

Quod ſi vero nec hoc medio tolli polypus queat, neceſſarium omnino ducimus parentes ægrotantis, ipſamque ægram eo deducere, ut concedant Extractionem manualem, quam commodiſſimè fieri poſſe, expertus indico, inſtrumento ſ. forcipe, cujus deſcriptionem Fabr. ab Aquapendens exhibet allegato capite, quod magis commodum Cauterio, quod commendat *Cornelius Celſus lib. 7. cap. 10.* ne nimium increſcat, quale incrementum enorme notavimus in virgine religioſâ *Grietje Kroonenburg*, quæ, quod in principio eradicationem omnem quovis modo inſtituendam recuſaret, monſtro magis ac homini ſimilem faciem tandem exhibuit, effigiem addimus; Finem imponimus diſcurſui noſtro minus erudito, ne tempora tua aliis ſeverioribus dicata moremur.

Succeſſum optamus eum, quem non ſemel experti. Benedicat is qui dator omnis boni. Vale Vir Magne, diuque vivas in commodum ægrotantium, honorem artis noſtræ, & urbis veſtræ gloriam. Tuus *Job à Meek'ren.*

Scias, *benevole Lector*, cancroſum hunc Polypum, cujus in Epiſtolâ prædictâ mentionem feci, ad eam magnitudinem excreviſſe, ut totam propè faciem occuparit.

De Polypo cartilagineo, à parte poſticâ uvulæ ex faucibus ablato.

Polypus non ſolum nares, ſed & fauces replet, Authore Fabr. ab Aquapendente *part. 8. c. 2.* Undè gravis adeò reſpirandi difficultas, ut ſæpiùs ſuffocari videatur æger.

Pediſſequus Dn...... Six, ex ictu graviori, reſpirandi contraxit difficultatem, adeò ut ſpiritum ducere grave ipſi valdè, imò ſucceſſu temporis incrementum tale ſumpſit malum, ut ne quidem cibum deglutire, niſi cum moleſtiâ ſummâ, valeret.

Variorum Medicorum, Chirurgorumvè auxilia hic fruſtra imploraverat æger; quibuſdam incurabile malum habitum, adeoque, medicamenta nulla in uſum ducenda, ſtatuerunt, alii eo uſque artis Medicæ præcepta extenderunt, ut lue venereâ ægrum laborare aſſerere auſi fuerint eò quod obſcurè admodum loqueretur.

Tandem innotuit quibuſdam ex hæmorrhagiis gravioribus, fluxuque humoris tenuioris acrioriſvè per nares, eoque continuo, in naribus ipſis certo hærere malum. Ad hoc medicamenta varia adhibita, at ſine ſucceſſu.

Amore ſervi incitatus Dn. Six nullius non operam implorare pergebat, modò curationis aliquâ ſpes, tandem etiam noſtram, collegæque noſtri Dn. Floriani.

Ægrum quamprimum viſitare nobis conceſſum, non ſolùm nares polypo repletas obſervare licuit, ſed & fauces anguſtatas à maſſâ carneâ, gravi, durâ, cartilagineâ, circa uvulam deorſum ad œſophagum ſe extendente, muſculis œſophagæis incumbente; Hic cura nulla niſi quæ per eradicationem manualem, primò adeoque forcipe id quod fauces palatique poſteriora occupabat, tollendum eſſe monuimus.

Operationem hanc admittente ſervo æque ac Domino, potio præparans & ſimul laxans, ad aliquot dies præſcripta. Hujus uſu præmiſſo, ad ipſam extractionem devenire placuit, quæ præſente Domino Six & Floriano Chirurgo, à nobis ad hunc modum peracta.

Primò omnium, nihil eorum hìc deeſſet quæ ad extractionem non magis quam ſanguinis fluxus inhibitionem, requirebantur, curam geſſimus.

Pulverem ſtypticum parari curavimus in hunc modum præſcriptum, ab acrioribus enim abſtineremus aſperæ arteriæ ſtructura atq; ſitus fecit.

℞. Lapid. Hæmatit. ℥ß. Bol. Armen. veri. Terræ Lemn. an. ʒij. Nuc. Gall. immat. ℥ij. F. Pulvis ſubtiliſſimus.

Hoc quo convenienti modo uti liceret, turundas confecimus operi aptas & plumaceolis, & ſpongiæ exſiccatæ particulis, longas equidem, craſſaſque, attamen molles; has filo fortiore conſtrinximus, quò, ſiquidem ad fauces prolaberentur, ejus beneficio extrahi poſſent; hinc mixturæ ex albumine ovorum & ſucco limonum paratæ impoſuimus, quo pulvis præſcriptus ſtypticus melius iis adhærere, ſicque commodius applicari poſſet.

Ipſam operationem aggredi ubi conſtitutum, ægri, ſellæ altiori inſidentis, animoſi admodum, faciem, fauceſque luci obverſas poſuimus, quo certius & oculis polypum cernere, & inſtrumenti tractare, nobis liceret.

Mox polypum ipſum, ovi gallinacei magnitudinem habentem, planioris licet figuræ, forcipe recurva apprehenſum, forti manu, variè agitando, ſeparare à partibus quibus adnatus, extrahereque allaboravimus, at verò nihil omninò effecimus; inſeparabilis relinquebatur polypus, fracturam patiebatur forceps, magni alias roboris; æger, qui omnia patienti animo perferebat, oris nariumque oſſa violentiâ Chirurgicâ diffracta ſibi eſſe credebat, ſanguinis accedebat fluxus enormis, qui tamen ex ſe ipſo ſine ullo medicamentorum adſtringentium uſu ſedatus. Pergebamus interim in opere noſtro, quinquies, ſexieſve extractionem modo dicto tentando; aſt irritus omnis labor.

Tandem quòd polypus extractionem omnem reſpueret, licet deorſum magis deſcenderit, forfice eum auferre aggreſſi ſumus, quod ad eam altitudinem fecimus, quam attingere licuit, conſideratione habitâ uvulæ, ne tæderetur.

Extirpatô polypô hæmorrhagia nulla obſervabatur, quæ in principio conſiderabilis ſatis fuerat, eò quòd hîc vaſcula ſanguifera nutrimentum excreſcentiæ adferentia, læſa ſint, ibi ob cartilaginoſam polypi conſtitutionem deſiderentur.

Faucium, uvulæ, palative ad alterationem, gargariſmata convenientia, eclegmataque præſcripta, quæ die noctequе uſurpare haud detrectavit æger. Vigiliæ hic continuæ, doloreſque capitis vehementes, amygdalata exigebant, quæ tamen parum aut nihil efficiebant, antequam laudani opiati aliquid miſceretur diaſcordio & aquæ alexipharmacæ, cochlearibus per vices uſurpandum.

Ad virium deperditarum reſtitutionem, neceſſarium omnino fuit alimenta bene nutrientia uſurpare, quæ etiam largiter adſumpſit juvenis.

Die octavô ſanguinis per os & nares immodicus ſuperveniebat fluxus, ex eô quòd vaſorum laceratorum extrema cruore repleta jam etenim aperirentur, quæ tamen ſimili cruore denuò repleta fuerunt, ſed tamen ſic ut fluxus dictus ceſſaret.

In dies hinc æger vires ſumpſit, ſic ut quatuor ſeptimanarum ſpatiô integrè fuerit curatus, robuſtior quàm antehac unquam fuerat. *Jobus à Meek'ren in Obſervat. Medico-Chirurgicis.*

De Polypô ligneô quinque aut ſex dierum ſpatiô curatô.

Filiolus Dom. Franciſci Reatal, Reineri filii, ætatis ann. 3. per aliquot dies ſtillicidiô narium ſanguineô, fœtidô, laboraverat, dextram partem naſi occupabat malum, rei gravitatem perpendentes cum matre conſanguinei, me advocârunt; polypus narium eſſet, nec ne, dignoſcere deſiderantes, imò auxilia Medica exigentes.

In affectum inquirentes, non ſolùm humore ſanguineô, purulentô, eôque fætidiſſimô nares ſcatere reprehendimus, ſed & carneâ, ſubrubicundâ excreſcentiâ ſuperiùs repletas.

Hæc obſervans, quis non naſi hanc partem anguſtatam diceret polypô verô, ex fluxu purulenti humoris cauſatô?

Evacuatô corpore, quod ſeq. factum medicamentô?

℞. Syrup. diacnic. ℥ß. reſin. Jalap. pulver. gr. iij. M. & detur pro doſi. Topicô hoc polypum conſumere ſtuduimus;

℞. Mell. roſar. ℥ i ß. liquoris Ægyptiaci ʒj. capit. mortui vitrioli, calcinat. & dulcificati ʒß. Miſtura hæc bis terve de die penicilli ope applicabatur excreſcentiæ dictæ; paucorum dierum ſpatiô non ſolùm polypus imminutus, ſed etiam fruſtum ligni in mediô ejus obſervatum; hôc ope inſtrumenti commodi extractô, brevi ſanatio abſoluta.

Obſervatio hæc attendere nos docet ad ſuppurationes eas quæ in aure aut naſo puerorum occurrunt, ſæpius enim externum aliquod partibus iis imponitur, ut bene notat Paræus *lib. 17. cap. 23.* unde mala varia. *Idem ibidem.*

Uteri polypus carnoſus.

Sicut nares ſunt corporis partes per quas humores ſuperflui continuè excernuntur; ſic etiam uterum humanum ei muneri inſervire palam eſt. In naribus tumores præter naturam, polypi dicti, non rarò excreſcunt; nec etiam uterus humanus ab iis eſt immunis. Non omnes polypi è naribus erumpentes ejuſdem generis ſunt, nonnulli carneam ſubſtantiam repræſentant; multi è contra membranâ involuti ſubſtantiam pituitoſam & limoſam nacti ſunt. Modò nobis polypus malignus & cancroſus occurrit: modò eum omnis malignitatis expertem offendimus. Annô 1673. me vocarunt ad mulierem, à longô tempore, ut fluore albô immani, uteri prolapſu laborantem, è cujus orificiô interiori variæ excreſcentiæ (quas ob ſimilitudinem cum polypis narium, eôdem nomine aptè vocari poſſe putamus) membranaceo-carnoſæ propendebant. Hi polypi adeò dolebant, uteruſque tantum humoris aquoſi & acris quotidie profundebat, ut ordinaria remedia proficere nil potuerint, & vehementiora uſurpare non auſi fuerimus, propter malignitatis indicia, & rectè, ut eventus docuit: ulcus enim malignum mortem acceleravit, brevique poſt expiravit ægra. Ejuſmodi etiam tumores polypoſos, bellius, Chirurgus Wormer-Veriæ expertiſſimus, mihi quoque miſit; quos mulier quædam ibi habitans diverſis vicibus excrevit. *Clar. Frideric. Rhuyſchius in Obſervat. Anatomico-Chirurgicis.*

Polypus Naſi tentata curatione lethalis.

Adfuimus cum aliis Medicis Experientiſſimis D. Simone Paulli, D. Henr. à Moinichen, D. Olao Borrichio, & Chirurgo Philippo Hacquart, Telonario quondam Regio Johanni Schmid, cui polypus nares ſiniſtras oppleverat, & ſimul tumor ingens genæ ſiniſtræ, durus, ſcirrhoſus, immobilis, cancrum minitans dolore pungente. Videbatur autem abſceſſus totius oſſis maxillæ ſuperioris, cum ſuturæ diſlocatione. In nare ſiniſtra propendet ramus quidam ejuſdem tumoris, polypum imitatus, ad palatum ſuperius ejuſdem ramulis protenſis. Naſum tumor ad dextrum latus torquet, oculo quoque ſiniſtro ſede ſuâ moto, extra orbitam prominente. Viſu horrenda facies. Delibera-

tum

tum inter nos, an ferro poſſet aperiri, vel prorſus exſecari. Concluſum tandem, tangi non debere, cum nulla ſalutis ſpes ſupereſſet, ne optima auxilia deſamarentur. Tormenta quippe majora ægro ſupereſſe, Medicis opprobrium. Ex occulto manifeſtum cancrum imminere, ſi tangatur. Tentavit verò, doloris impatientia, proprio conſilio, diſſuadentibus Medicis, ſub Empiritico crudeli exſciſſionem carcinomatis. Sed ſucceſſit gangræna, convulſio, mors tertio die. *Thom. Bartholini.*

Polypus Narium fonticulo curatus.

Dum hic Pſeudopolypi & coaguli Kerkringiani facio mentionem, incidit commodum obſervatio de medela Polypi, aut Sarcomatis narium, quam ex ore Tuo, venerande Domine, nuper hauſiſſe memini, & data occaſione ut ſtylo attingerem meo ſuaſor extitiſti: Erat utrique noſtrum virgo notiſſima Huſumenſis, ſeroſi utcunque temperamenti, quæ ſine manifeſta cauſa in tumorem naſi internum prolapſa eſt, lente ut ſolet proſerpentem, donec cum tempore grandior opplere unius hiatus cavum, & narium angustare ſeptulentum inciperet, tandem etiam manifeſto lobulo extra naris limbum propendere, magno affinium dolore, neque exigua gratiæ jactura. Exploratus tumor non adeo repertus durus, ſed molliculus & cedens, albus & pituitoſo œdemati concolor; figura rotundior, nec in ramulos aut pediculos fiſſus, multo minus ad poſteriora gulæ reflexus, magnitudine verò nucem avellanam vel ſuperans aut æquans. Hic ut neque ſolennibus adhibitis purgationibus, neque aliis domari potuit, conſilium erat præcipui Chirurgi, intempeſtivum & fatalem hoſpitem ferro, ut vocant, exſtirpare, invitante fortè loci oportunitate, in medio enim potius & latiore naris hiatu, quam poſterioribus reſederat. Verum; ut fieri in talibus ſolet, detrectantibus violentiam amicis, ultimum adhuc à Medico ſperabatur auxilium. Itaque cum Tua affinitate, Vir Ampliſſime, & fideli imprimis cura, qua adeſſe laborantibus ſoles, niterentur, opemque rogarent, primùm, ne quid præter receptam methodum & vulgata arcana ageres, pulverem conſumentem ex corticibus Granatorum, Gallis, magiſterio Saturni, & cujus alias in atterendo vires notaſti egregias, Colcothar Vitrioli adhibere conſultum fuit; quo medicamine etſi nonnihil tumor imminui videretur, tamen vix aliquo notabili ſigno reddita exilior ſuperficies. Quare ſucceſſu illo fruſtratus, tumoris attendens naturam ſeroſamque corporis complexionem, velut divino conſilio ad Fonticulum brachialem confugiſti, ea quidem felicitate, ut poſtquam ſtillare ſanies cæpit, ſtatim magnitudo contrahi, & paulatim intercidere, occultarique viſa ſit, & à portentoſo nævo Virginem, Affines ſollicitudine liberaverit. Alia etiamnum Virgo novendecim annorum tanti beneficii auctorem, fonticulum, aleretque amplius, niſi ſoboleſcentis carnis impetus conſolidationem vi minaretur. Hæc, quam humanitati Tuæ debeo, hiſtoria digna mihi viſa eſt, quæ adnotaretur, atque pro occaſione in uſum traheretur: id tamen, ſcio, facile mihi concedes, non promiſcuè, neque in omni perinde Polypo remedii hujus ſucceſſum expectari poſſe, ſed in illo tantum, qui ſeroſus vel pituitoſus, formaque Sarcomati, quam Polypo propior, qualis hic fuit in Virgine tumor: non enim puto negligendum eſſe, quod Auctor definitionum Medicarum attendit, differe nimirum σάρκωμα πολύπυ μεγέθει, καὶ κατασκευῇ. Equidem ut Polypum referat tumor, neceſſe eſt in cirros aut pedes dividatur; ut Sarcoma ſit, ſatis eſt, unam adeſſe & globoſam ferè partis protuberantiam. Quando autem multifida expanſione palatum tumor inequitat, inque gulam penſilibus lobis deſcendit, ſive pituitoſus ſit, ſeu carneus, non ſic ſatis tutam eſſe per externa adhibita curationem manifeſtum eſt, quia remedia iſta ad omnes angulos, fugientique morbi latebras pervenire nequeunt: an verò etiam Fonticulus aliquid poſſit, non temere dixerim, cum plerumque poſt moram tam longam medicaminum generoſorum rarior ſit ſucceſſus. In ſarcomate autem, & initio Polypi, Fonticuli inſignem uſum eſſe poſſe perſuaſiſſimum habeo, imprimis, ſi pituitoſa ſit vel ſeroſa concretio; in ſanguinea enim & carnea operam luſeris, cum venæ ſectionem ibi principio adhibere ex optimorum Medicorum conſilio ſatius ſit, commendetque identidem Meekeranus, Chirurgus olim Amſtelædamenſis, atque in hoc opere verſatiſſimus. In cancroſa autem vel cartilaginea, qualem Belgico idiomate Obſervationum ſuarum Capite ix. deſcripſit idem Meekeranus, tantum abeſt, ut alterutro remediorum genere aliquid efficere poſſis, ut nec exſtirpationem quidem, niſi ſumma cum prudentia, adhibendam eſſe exiſtimem, adeò difficilis illa molitio & periculi plena, ut, cum jam ſemel inceperis, aliquando deſiſtendum eſſe ducas, ad tot ſymptomatum ipſa ſectione ſæviorum, deliquiorum, hæmorrhagiæ, ſuffocationis & reliquiarum metum. Ceſſerit aliis iſtud artificium, ſemelque ac iterum Meekerano ex voto, tum illi apud Tulpium lib. 1. Obſerv. Cap. 26. attamen non eſt hoc perpetuum, & vidimus cui poſt tentatam hanc curam nihil præter immenſam dolorum vim & tumoris cancroſam malignitatem relictum fuit ſolatii. *Joh. Nicol. Pechlini.*

Polypus Curatus.

Patiebatur virgo quædam conſiſtentis ætatis E. V. H. Polypum naris dextræ; qui in eam excreſcebat quantitatem, ut non ſolum cavitatem naris impleret, ſed, quod moleſtiſſimè omnium ferebat, penè extra propenderet, & quia per nares trahere aptè ſpiritum non poterat, in reſpirando difficultatem percipiebat non levem: quid quod ad ſiniſtram etiam narem reperet. Radices Polypi narium partibus affixæ conſpiciebantur, circa pinnas autem naris dextræ ad pollicis tranſverſi longitudinem carnis fruſtulum propendebat; hæmorrhagias ſubinde patiebatur ſubinde patiebatur ſpontaneas largiſſimas, quæ nec internis nec externis ſiſti poterant remediis. Vocatus ad ægram, corpus evacuationibus per ἐπίκρασιν factis præparabam, revulſionem ſanguinis venæ ſectionibus tentabam, nec infelici progreſſu: reſtabat opera chirurgica; ſectio, ob moleſtiſſimæ hæmorrhagiæ

metum, locum non inveniebat, quæ ut plurimum ſponte propria accidebat, interdum tamen motu etiam vel leviſſimo Polypi, qui conſpicuis admodum abundare venis videbatur, interdum etiam acriorum remediorum ad partem adfectam adhibitione facilè concitabatur; unde impetuosè tractare Polypum, ſectionibus, ligaturis, auſus non ſum. Tentabam quidem vicibus aliquot locum attingere, num excitata per mortificationem eſchara, imminui ſenſim poſſet; ſed non reſpondebat voto conſilium, hæmorrhagia enim ſtatim ſubſequebatur, quam vix compeſcere iterum licebat: ſuperſedere itaque remedio hocce neceſſitas ſuadebat. Tandem placentulas parvas & tenues ex Mercurii ſublimati optimi & viridis Æris an. q.ſ. cum fermenti tantillo curabam præparari, harum unam parti prominenti imponi, & ne decideret goſſypium admoveri; eſcharam, poſt horarum aliquot moram, conciliatam, blanda manu ſeparari, & iterum iterumque novam imponi placentulam, idque toties repeti, uſque dum totaliter ablatus Polypus appareret, nec veſtigium amplius relictum conſpiceretur. Redibat quidem non ſemel hæmorrhagia; ſed levis ea admodum erat, ut placentularum impoſitionem vix ſemel atque iterum turbaret. Et ita quidem à moleſtiſſimo & periculoſo affectu liberata, ſana, ſine ſymptomatibus, ſine nova excreſcentia, vivit & incolumis, bis tamen circiter in menſe pilulis quibuſdam magiſtralibus caput ab humorum ſaburra, qua repletum id eſſe ſigna non obſcura commonſtrant, liberatur. *D. Joh. Schmidii.*

De Polypo Naſi.

Puella 13. annorum cachectica, à longo tempore Ozæna laboravit, puſque naribus excrevit, hinc ampliùs per naſum reſpirare non poterat, & ore obturato ſuffocationis periculum ſubibat: conſpecti ſunt duo polypi interna narium foramina adimplentes, fluctuantes, neque membranis vel cartilaginibus adhærentes, ſed oſſi cribriformi altiùs innexi, albicabant, & duriores erant: tali autem modo extirpati ſunt. Venæſectio brachii ante omnia celebrata fuit, & ex adverſo in altero brachio fonticulus excitatus, purgatum verò cum Agarico, Jalappa & Sena diverſis vicibus; dein die & loco claro, ægra in ſedili collocata, capite firmato, forcipe extractorio cavo & in ſummitate denticulato prehenſus eſt polypus, parum circumductus, & radicibus ex utraque nare avulſus: ægra reſpirare liberius cœpit, & quantitatem pituitæ coctæ & crudæ emunxit, vix quicquam ſanguinis amiſit, turundæ verò unguento detergente imbutæ naſo inditæ ſunt, omnia accidentia præcauta, aliquanto tempore ita deligata ægra meliùs quidem reſpiravit, ſed & conqueſta eſt de impedita deglutitione, ob dependentem maſſam in palatum è foraminibus narium internis; maſſa hæc erat quoque polypus ad interiora vergens, qui ægrè quidem ſed fortiter prehenſus forcipe extractus eſt: reliquiæ autem inuſtæ ſunt ferramento per cannulam naribus immiſſam, trajecto: Uſa eſt gargariſmo ex hordei decocto, vini ſpiritu & melle parato, idemque ſyringa per nares injecit; intus decoctum Guajaci ad humores ſiccandos, & temperiem pituitoſam corrigendam bibit, ſicque reſtituta eſt.

Huc pertinet Obſervatio curæ Polypi cancroſi ab Atavo meo, Dn. Franciſc. Muralto, p. m. feliciter peractæ, his verbis notata: Mihi adducta fuit Ruſtica, quæ aliquandiu in utraque nare Polypo cancroſo laboravit, nareſque carne obſtructas & repletas, ut reſpirationi via non concederetur, habuit.

Ademi carnem ſuperfluam totam erodentibus medicamentis, ſed iterum pullulabat, meque coëgit, ut candente ferro rotundo per cannulam trajecto aliquot vicibus eandem adimerem & comburerem: Immiſi poſt operationem turundam albumine ovi cum oleo roſato imbutam; poſtea aliam impoſui digeſtivo oblitam, per integrum octiduum, hinc unguento albo & de plumbo ægrotans uſa, obſervans exactam victus rationem, reſtituta eſt.

In narium Polypo uſus quoque eſt inſtrumento plumbeo, longitudine unius digiti, forma pyxidis excavato, cui imponebatur cauterium potentiale, quod ita excreſcentiam carnoſam inſtrumento ſuſceptam abſumpſit; remota hac cannula, butyrum applicuit, donec eſchara & caro combuſta deciderint; toties autem hoc repetitum erat, quoties neceſſum ad omnem carnem abſumendam.

Scholium.) Plura curati polypi per pharmaciam vel Chirurgiam exempla qui deſiderat, inveniet in *Ephemer. noſtr. Curioſ. Dec.1. Ann.8. obſervat.91. Ann.9.obſerv.26. Joh.Georg.Schenckii obſerv. Fel. Plateri lib. 3. obſerv. medic. Nicol. Binningeri cent.3. obſerv.69. Nicol. Tulpii lib.1. obſerv. cap. 26. Henrici ab Heer obſerv. med. &c.* D. Joh. de Muralto.

PORRIGO

Vid.

PILORUM VITIA.

PRÆGNANTIUM MORBI.

Fœminis Liberos gignentibus Regimen & Remedia ſalutaria.

Ad Conceptum promovendum.

CIrca medium à Menſibus intervallum fiant ſequentia.

Poſt univerſalia, ſcilicet purgat. balneum, &c. Umbilico applicetur Empl. ſequens.

℞. Gumm. tacamahac. puriſſ. ℥j. galban. in vino Malvat. diſſolut. traject. & denuo inſpiſſat. ℥ß. pulv. ſubtiliſ. cort. citr. & aurantior. na. ʒi. pulv. flor. lavend. caryophyl. an. ʒß. Mſ. & addito pauco oleo nuc. moſchat. per expreſſ. f. Emplaſtrum cujus portio extend. in aluta pro Emplaſt. umbilical. Umbilico autem indantur zibet. gr. ij. moſch. gr. i. bombace involuta.

Ante ingreſſum lecti utatur ſuffitu ſicco ſequenti, per horæ ſemiquadrantem.

℞. Ladan. puriſſ. ℥i. benzoin. ʒiß. ſtyrac. calamit. ℥ß. lign. al. ʒiii. lign. Rhod. juniperin. ſantal. citrin. an. ʒii. cort. citr, flor. lavendul. an. ʒiß. caryophyl. cinamom. macis an. ʒi. maſtich.

ſtich. oliban. an. ʒiii. gum. anim. balſam. Peruv. ſicc. an. ʒß. f. omnium pulvis, addendo carbonis ſalicis ad pondus omnium.

Poſt ſuffitum indatur Naſcale ſeq. per totam noctem geſtand.

℞. Trochiſc. de gallia moſchat. ℥ß. benzoin. puriſ. ʒi. ladan ʒ vi. pulv. ſubtiliſſ. nepetæ, mentaſtr. majoran. ſalv. rubr. flor. lavendul. an. ʒii. cortic. aurantior. & citr. an. ʒiß. coagul. lepor. ſtercor. ejuſdem, cortic. Winteran. ſive coſt. caryophyl. cinamom. an. ʒi. f. omnium alkool excipiend. ſ. q. balſam. Peruv. nigr. F. veluti paſta inſtar maſſ. pilular. cujus portio ad quantitatem glandis maj. formâ oblong. includatur ſyndon. rariſſ. appenſo oblongo filo. l. Naſcale indendum ut dictum eſt, mane removendum. A remotione autem claudatur uterus ſuperappoſito linteo calente faſciâ colligato.

Amoto Naſcali capiat quotidie (donec menſes ſupervenerint) Elect. Aphrodiſiaſtic. ſeq. doſin, viz. inſtar caſtan. ſuperbibend. vin. Hippocrat. cum ſolo ſacch. & cinam. parat. hauſtulum, blande ſuperambulando, dilato ad tres horas prandio.

℞. Rad. Satyrion. condit. myrobalan. emblic. condit. an. ℥i. zinzib. virid. condit. nuc. moſchat. condit. an. ℥ß. confect. alkerm. ʒvi. medul. nuc. Indic. recent. ʒvi. cortic. citr. & aurant. condit. ſiccor. an. ʒiiiß. cerebel. paſſer. teſticul. gall. ſiccat. an. numero 34. pudendi cervi ab animali in Venerem ruente reſciſſi optimè ſiccat. ʒiii. renes ſcincorum numero 2. non putidos, magiſter. perl. cum oleo ſalis præpar. ʒii. borac. natural. ʒiii. ambr. griſ. ʒi. pulv. elect. diambr. ʒii. Mſ. & cum ſyr. ex vin. Malvat. aut Malagenſ. f. Elect.

Fluentibus Menſtruis nihil moliatur: Caveat ſedulò à frigore externo.

Si alvus ſit adſtricta, moveatur Enemate leniente, cui ſemper add. vinum muſcatellinum.

Die à ceſſatione menſium ſecundo, deglutiat mane in lecto ovum ſorbile ſequens, ſuperhauſto vin. Hippocrat. momento, per totum diem ſe in lect. continend.

℞. Octo ova gallinæ gallo junctæ recenspoſit. quorum germina ſeparata nono ovo aliquantulum coct. indantur; inſperſis pulv. nuc. moſchat. tantillo, ſal. artemiſ. gr. v. & ambr. griſ. gr. iv.

Utero indatur Naſcale ſupra præſcript. cujus apex ungatur mixturâ ex fell. perdic. & gall. an. ʒi. zibet. gr. viii. ambr. griſ. gr. x. moſch. gr. v. Per totum diem contin. in utero, & hypogaſtrium continuò foveatur pannis calidis.

Cœna ſit parca; comedat ſuccum coxæ vervecin. cum ovis Portugall. cum ambr. & pauco moſch.

Horis duabus à cœna tradat ſe ſomno remoto Naſcali, & rejectis omnibus aliis medicamentis, emplaſtro, &c. poſt primum ſomnum, præmiſſâ mariti titillatione & laſcivis amplexibus atque oſculis ad irritandum Veneris æſtrum coeat. Ne ſejungatur nimis citò à viro. Supina jaceat aliquandiu clauſis coxis. Mox blandè ſe convertat in latus dextrum, atque iterum ſomnum capeſſat.

Vir ungat glandem eodem linimento ex fellibus, &c.

Si irritus fuerit primo menſe horum effectus ſecundo & tertio eodem modo repetantur præſcripta, uſque dum conceptus fiat.

Tempore Geſtationis agenda.

Bona ſit Victûs Lex: cibi boni ſucci & coctu faciles. Potus ordinarius eſto cereviſia lupulata defæcatiſſima; nonnunquam hauſtus vini clareti oligophori veteris. Raro utatur potu præcalido & admodum generoſo; multo minus bibat Metheglin Cambric. generoſius aut herbis & ſpeciebus calidis medicatum, aliquoſve liquores quos Angli aquas calidas vocant: Iſta ſanguinem excalfaciunt, humores acuunt eoſque fluxiles reddunt, unde metuenda in partu hæmorrhagia, & poſt partum febris continua.

Conceptus retinetur pulvere ſequ. Cancri fluviatiles vivi in olla vitreata poſt panis extractionem clibano immittantur (ſemel vel ſæpiùs) dum redigi poſſint in pulverem ſubtiliſſimum: cujus doſis ʒii. mane & ſero in cibis.

Si debilis ventriculus cruditatibus ſcatens & flatibus turgidulus, vel everri, vel corroborari poſtulet, convenit blanda κάθαρσις ſemel aut bis in ſeptimana cum pil. ſeq. quas gravidis millies ſine ulla noxa, imo ſummo cum levamine exhibui.

Pil. pro gravidis Riverii.

℞. Gum ammon. in ſucc. cydon. diſſolut. ℥i. aloës in lacte nutrit. ʒvi. maſtic. benzoin. ladan. an. ʒii. ſalis abſinth. ℈ii. cum miva aut ſapa cydoniorum f. maſſa. Doſis ℈i. immediatè antè levem cœnam.

Pil. ſtomach. Meſuæ ſunt etiam convenientiſſ. dummodo aloë in ſucc. cydonior. diſſolvatur:

℞. Aloës ʒ vi. maſtich. roſar. rubr. an. ʒii. cum ſyr. de abſinth. f. maſſa.

Sic velim. ℞. Aloës in lacte nutrit. & coagulat. ʒvi. maſtich. roſ. rubr. an. ʒii. ſal. abſinth. ʒß. Mſ. & cum mellagine ʒii. rhabarb. extract. per infuſion. in ſucc. cydon. limpidiſſimo, expreſſionem fortem, & coagulationem in balneo vaporoſo f. maſſ. pilular. Doſis ℈i. ad ʒß. ſumend. ut ſupra ante paſtum.

A paſtu cap. aliquid vel cortic. aurant. & citri condit. ſicc. vel pulveris digeſtivi ſeq.

℞. Cruſt. panis alb. ſicciſſ. ℥i. ſem. aniſ. & fœnic. dulc. an. ʒiß. ſem. coriand. præp. ʒiij. magiſt. perl. & corall. dulc. an. ʒiiß. roſ. rubr. ʒiß. cinam. interior. cortic. exterior. citr. & aurant. condit. ſicc. an. ʒii. ambr. griſ. ʒß. ſacch. cand. quadruplum pondus omnium miſt. pulvis utend. è cochl. horâ dimid. poſt ſingulos paſtus.

Immunis à fiſſuris rugas procurantibus & nimiæ cutis extenſioni ſuccedentibus ſervetur Venter Pomato ſeq. quo mane & in ingreſſu lecti venter linatur, ſuperpoſitâ faſciâ artificialiter paratâ ex pelle caninâ.

℞. Ped. vervecin. crudos, detractis tantùm per aquam bullientem pilis, numero 200. Contractis oſſibus bulliant in olla terrea ad putrilaginem. Refrigerato decocto colligatur ſupernatans pinguedo, quæ ab aqua ſedulò ſeparetur, de qua pinguedine cape ℔ß. ſpermat. ceti recent. olei ſine igne expreſſi ex amygdal. dulc. ſemin. cucurbit. melon. & pineol. an. ℥ii. medul. cervin. ſebi damæ, axung. ſuill. recent. an. ℥iij. ceræ granat. ℥iiß. Liquentur ſimul omnia, deinde in mortar. marmor. piſtillo buxeo feriend:

agi-

agitentur donec f. inſtar unguent. pomati: addantur aq. roſar. & naphæ ad odoris gratiam & majorem albedinem. Servetur in pyxide vitrea ad uſum.

Partu appropinquante.

Noni menſis initio incipiat paulatim corpus magis ac magis ante partus exercere: poſtea vero uſque ad partus terminum augeatur exercitium mane & veſperi, non tamen ad laſſitudinem importunam.

Victus ſit tunc temporis aperiens, & in juſculis diluatur tantillum croci.

Per totum nonum menſem in ingreſſu & egreſſu lecti linantur interius pudendum, os pubis, & oſſis ſacri cum oſſibus Iliorum connexio, ipſiuſque coccygis regio, linimento emolliente ſeq.

♃. Bulb. lil. alb. in fruſta ſect. numero 2. rad. alt. conciſ. ℥iii. fol. malv. virid. m. iii. ſem. lin. contuſ. ℥iß. verm. terreſtr. lotor. ℥iv. ol. amygd. dulc. recenter extract. q. ſ. ut ſupernatet 3. digit. Digerantur omnia in B. vaſe vitreo per quatriduum: mox f. fortis expreſſio; de qua cap. ℔i. axung. ſuill. recent. pingued. gallin. recent. an. ℥iii. ſpermat. ceti, medul. ped. vervecin. prædict. an. ℥iv. medul. crurum vituli ℥ii. mſ. f. unguent. (inſtar Pomati) bene agitando in mortar. marmor. Servetur ad uſum tam ante partum quàm ipſo partu.

Incepturis partus doloribus, ſi fieri poſſit, injiciatur Clyſter ſeq.

♃. Quatuor emollient. an. m. j. artemiſ. m. jß. flor. chamæmel. & melilot. an. p. ii. ſemin. lini ℥ß. ſem. aniſ. fœnicul. an. ʒiii. f. omnium decoctio in jure capit. arietin. Cap. de colatur. ℔j. in qua diſſolv. Cathol. ℥i. ſacchar. alb. ℥ii. butyr. recent. ol. violac. vel amygd. dulc. an. ℥iß. vitel. ovor. numero 2. Mſ. f. Enema. Hoc remedio evacuabitur Inteſtinum, fiet fœtui via, diſſipabuntur flatus, & partes lubricæ ac molles reddentur,

In ipſo Partu.

Invadentibus doloribus primis quantum poterit ambulet, & premente dolore ſtet ad cathedram, vel nexis ad robuſtarum famularum collum & humeros brachiis, nitendo veluti egeſtura fæces alvi, adjuvet fœtus naſciturientis conatum. Mox ambulet; nec ad ſedile perforatum veniat, ſedeatve niſi aperto utero, & capite fœtus jam coronam oſtentante, ipſaque oſſa diducente; ſic enim & facilior erit & brevior labor partus.

Parentur jus Capi, Vituli, Vervecis, additis paſſulis, calendulâ, thymo, ſatureiâ, artemiſiâ, croco; & ſi longior ſit labor partus, vires iſto alimento refocillentur. Vel fiat brodium (Chaudeau, Caudle) ex vino Rhenano, ovis, cinamomo, ſaccharo, additâ, ſi lubet, paucâ aquâ.

Reſtitante fœtu, & evaneſcentibus partus doloribus, dentur remedia fœtum expellentia.

♃. Artemiſ. m. j. rut. p. j. ſabin. ʒi. f. decoctio in vino Rhenano; in colatura redacta ad ℥iii. diſſolv. pulv. off. dactylorum & bauracis an. ʒi. vin. Hiſpan. ℥ß. mſ. f. hauſtus.

Aut dentur trochiſc. de myrrha ad ʒi. cum aq. artemiſ. & è rad. bryon.

In radicibus dictamni Cretici albis, quæ in pulverem redactæ iridem referunt, & in bauraçe maxima vis ad promovendum partum. Baurax innoxiè datur ad ʒii.

In Italia datur Mercurius crudus ad facilitandum partum.

♃. Aq. lil. alb. ℥v. ſacchari ʒß. croci pulveriſat. ℈i. ſabin. ʒß. mſ. f. hauſtus.

Oleum ſem. napi vetuſtate albidum, ſumptum cum aqua puleg. regalis conceptus falſos, molas, &c. excludit.

Eadem remedia ſecundinam morantem expellent.

Sit ſedula obſtetrix patienter tempus debitum expectans, non temeraria nec feſtinantior æquò.

Poſt Partum.

Pulvis ad Tormina ſequens exhibeatur immediatè poſt partum.

♃. Rad. conſolid. maj. ʒi. nucleor. Perſic. nuc. moſchat. an. ℈ii. ſuccini ʒß. ambræ griſ. ℈ß. f. pulvis de quo capiat ʒi. ex vino albo.

NB. Si in primo partu exhibeatur mulieri, nunquam patietur tormina in partubus ſequentibus, ſi in aliis, imminuet.

Tormina præcavebuntur ſi poſtridie partus ventriculo vacuo exhibeantur ℥ii. ol. amygdal. dulc. recent. extract. ſine igne, addito ſacch. cand. in vin. Rhenam. Idem remedium minori quantitate utiliter repetetur diebus ſubſeq., quo etiam promovebuntur lochia, & alvus libera ſervabitur.

Tormina à partu mirè ſedat enema ex decoct. chamæmel. aniſi, anethi, cumini, cui addatur pars dimidia vini muſcatellini cum vitello ovi.

♃. Ceræ novæ ℥ii. ol. nucum, olei ſem. napi diſtillat. vel potiùs expreſſ. ℥ß. liquetur primò cera, deinde add. ol. & f. tela intingendo; applicetur juſtæ magnitudinis.

Per hor. 12. à partu Mammæ ſaltem tegendæ ſunt & fovendæ linteis calidis donec omnia reſederint, & quieverit commotio univerſalis totius corporis quæ fit in partu: poſtea applicanda mammis ſequentia, ſi Lac fugare ſtudueris.

♃. Ceræ novæ, mell. comm un. crud. an. ℥iv. ol. roſat. butyri recentis an. ℥i. ſucci ſalv. & chærephyll. q. ſ. f. mixtura extend. ſuper umbonibus ex canabe optimè conſutis: f. embrocat. ex ol. roſ. & aceto ante applicationem: medicamentum calidè applicetur, tegatur linteis calidis, neque ante nonum diem removeatur.

Vel extenuantur mammæ Terebinthinâ lotâ in aq. roſ. & agitatâ cum ovorum vitellis, croco & farinâ.

Cataplaſmate ex napis & oleo roſato fugatur lac.

Emplaſtrum Diachylon Ireatum prodeſt, in Emplaſt. forma applicat.

Lac ex mammis citò fugant folia nucum virid. ſi cum iis bis in die mammæ teg intur.

♃. Cimar. ſambuc. ſalv. menth. an. m. j. Coq. ad mollitiem, piſtentur pro cataplaſmate mammis imponendo.

Lens item in aq. marina coct. poterit apponi.

Item fit cataſplaſma ex farina fabar. ervi, lupinor. cocta in oxymelite.

Ad lactis coagulationem applicentur ſequentia.

℞. Fol. apii, cicutæ, vincæ pervincæ, buxi, chærephyll. an. m. j. bulliant in aceto acerrimo, deinde f. colatura.

℞. Ol. roſar. liliacei. amygd. dulc. an. ℥i. acet. prædict. (in quo lithārg. auri percoctum fuerit) ℥iv. miſ. & agita in mortar. marmor. ad linimentum, addendo camph. in parte olei diſſol. ℈i. & ſub finem, cerati albi refrigerantis Galeni, unguent. Roſ. Meſuæ an. ℥iß. m.ſ. & applicetur parti tumenti & duræ.

NB. Camphora duris tumoribus dolentibus & inflammatis applicata, dolorem auget, & propterea nè applicetur in principio, vel augmento, ſed in fine ſtatûs & declinatione.

Vide num butyrum poſſit parari ex lactis cremore, in quo fuerint macerata cicutæ, apium, vinca pervinca. ſenecio, & in magno dolore hyoſcyam. contuſ.

Flores fabarum coq. cum butyro recenti, ungantur mammæ. Servari poteſt in annum.

In papillarum fiſſuris. ℞. Pingued. ex ſegmin. coriorum in aqua coctis ſupernatantis (Anglice *Piecegreale*, Gallis *Surpoint*) q. v. Liquefiat ſæpiùs, & abluatur aquâ roſarum ad coloris & odoris mutationem, f. inſtar pomatæ: illinantur papillæ; citò ſiccat & cicatrizat.

Poſt partum ſi magna ſuccedat hæmorrhagia, occurrendum revulſione per ligaturas brachiorum, cucurbitulas appoſitas ſub mammis; exhibitionem lap. prunel. in aq. plantag. vel in aq. hord. applicationem emplaſtri aut catapl ſinatis ex argillâ, ſucco plantag. aceto forti ad regionem lumborum. Removeatur ceſſante periculo, ne noceat lochiorum expurgationi. Si nihil nimis, committatur Naturæ negotium.

Pudendo applicetur illico poſt partum ol. hyperic. cum vitell. ov. è bombace.

Poſtea primæ ablutiones fluentibus lochiis f. cum ſalvia & chærephyllo coctis in vino albo & aqua: deinde progreſſu temporis adminiſtrentur detergentia & tandem adſtringentia.

Fotus ad lochia promovenda. ℞. Rad. ariſtoloch. utriuſque, enul. bryon. an. ℥ii. fol. rut. artemiſ. ſalv. majoran. matricar. puleg. calamint. origani, nepetæ an. m. jß. ſabin. m. ii. chamæmel. totius m. iii. flor. roriſmar. cum ſummitat. ſtœchad. utriuſque, lavendul. an. p. iii. ſem. aniſ. fœnicul. an. ℥i. cortic. aurant. ℥ii. caryophyl. ʒvi. ſem. lin. ℥iiß. f decoct. in 2. part. aq. & una vini Hiſpan. ſub finem addendi.

Si quid reſtet ex Secundina, extrahatur manibus Obſtetricis, vel eluatur injectionibus factis in uterum ex aqua hordei cui incoxerint pulegium, matricar. caprifolium, chamæmel. abſinthium, addito vino Hiſpanico & mercuriali.

Aſtricta alvus alternis diebus ſolvatur Enemate emolliente ex jure capitis vervecini; additis hyſtericis.

Ante quintum diem vel ſeptimum carnibus nè veſcatur, ſed ſolis juſculis alteratis hyſſopo, thymo; gelatinâ cum croco modico; panatellâ liquidiuſculâ.

Si hæmorrhoides ſæviant, ſequentibus leniri poſſunt.

Cæpe coct. ſub cineribus, piſtetur cum butyro recenti, vitel. unius ovi & pauco croco, & applicetur.

Vernix quo pictores utuntur, eſt remedium ſingulare in curandis hæmorrhoidibus tam. pertis quam latentibus: debet autem in illo vernice pannus lineus madefieri & adaptari.

Rad. chelidon. min. tuſæ q. ſ. cremoris lact. vaccin. q. ſ. Agita ſimul & f. cataplaſma.

℞. Ol. ſem. lin. ℥j. opii ℈i. f. unguent. in mortar. plumb.

Album Græcum cum ol. roſac. in mortar. plumb. agitat. efficax eſt remedium.

Pulvis ſubtiliſſimus rubiginis ferri cum ſucco tapſi barbati applicetur.

De hæmorrhoidibus autem conſulatur hujus Libri Cap. 4.

N B. Si natus Infans debilis fuerit, percutiantur nates & plantæ pedum. Ori autem indatur taleola Cepæ, quod eſt præſens remedium excitans: *Theodor. de Majerne Praxeos Medica lib. 3.*

Conſultatio.

De Incerto Conceptu. Pro Nobiliſſima Matrona.

Matronæ Nobiliſſimæ, annorum 30. temperamenti calidioris parcius ſemper fluunt menſes; quæ ab aliquot annis Viro Nobiliſſimo matrimonio juncta; nunquam tamen concepit, pluribus licet Medicis præſidiis adhibitis. Cum autem tribus abhinc menſibus peſſario uteretur ex aſſa fœtida, mulierculæ cujuſdam conſilio, in venereo congreſſu toto corpore æſtuare ſibi viſa eſt; mammis triduò poſt intumeſcentibus, & obdureſcentibus, cum quodam totius corporis languore, & nauſea, anorexia, potiſſimùm carnis, renum dolore, coxarum refrigeratione, & quodam veluti horrore; necnon levi ventris intumeſcentia, cum quadam duritie, & ponderis ſenſu; quæ dubiam propterea faciunt prægnationem: cujus ſe produnt indicia ex quibuſdam ſymptomatibus utero gerentium; mammis ſcil. tumeſcentibus, vomendi deſiderio, quorundam ciborum alieno appetitu, & ventris intumeſcentia cum laſſitudine corporis; quæ gravidis accidunt, quòd à ſuppreſſione menſium mammæ non ſolum turgeſcant, ſed etiam ſanguinem ipſum in lac convertant; ut propterea à Divino Sene proditum ſit 5. *Aphor.* 39. quòd, Si quæ, neque prægnans, nec puerpera lac habet, ei menſtrua defecerunt. Ubi Galen. in Commentario ſcribit communes mammarum & uteri venas ſanguine turgere, non fluentibus menſibus in gravidis, octavo potiſſimùm, & nono prægnationis menſe, quo cùm illarum exſangues glandulæ alantur, ab iis quinetiam in lac convertitur. Ab ejuſdem verò ſanguinis vaporibus in ventriculum elevatis, anorexia, & vomitus ortum ducunt, prout ejuſdem ſuppreſſio laſſitudinem gravativam, renum dolorem, & alia accidentia inducere poteſt. Contrarium tamen ſuadent, quæ ſe produnt indicia cùm nunc menſes non ſint ſuppreſſi, ut in gravidis, quinimo ſtato circuitu fluant, quatuor, aut quinque dies, pro Nobiliſſimæ Matronæ conſuetudine. Accedit dolor lancinans in imo ventre, & uteri regione, cum ponderis ſenſu ferè continuo, nullo motu in illo percepto tertio menſe à congreſſu venereo. Quo nomine facilis eſt error, cùm contraria indicia, ancipitem ſententiam reddant, ut non

præ-

præter rem fore exiſtimem experimentum Hipp. 5. *Aphor.* 41. Si velis ſcire an mulier conceperit, dormituræ aquam mulſam potui dato, quòd ſi ventris tormina patietur, concepit, ſin minus, non concepit. Quanquam ſignum hoc fallax fortaſſe videri poſſit, cùm mulſa frigida hauſta, quibus imbecillior venter eſt, tormina inducere poſſit, etiam à cœna, & dormituræ mulieri exhibita, ſine conceptu. Quo certius propterea fuerit aliud experimentum, ſcil. cùm obſtetrices immiſſo digito in uteri vaginam explorant utrum os uteri occluſum ſit, necne, quod utero gerentibus alioquin connivet ex Hipp 5. *Aph.* 51. Cui adſtipulatur Gal. Lib. de Loc. Affectis, dum ſcribit, contrahi adeò os uteri, ut ne ſpecillum quidem admittat. Quod tamen nec ſemper contingit, ex Hippocr. enim Lib. de Superfœtatione. Superfœtant mulieres, in quibus uteri os, ſtomachus dicitur, poſt primum conceptum non adeo clauditur. Cæterum, cùm hoc rarius accidat, & mulieribus tantùm ſuperfœtaturis, ſi hoc experimentum neglectum fuerit, tentandum erit, atque ſi uteri os arctius clauſum deprehendatur, conceptionis certum præbebit indicium, juxta cum aliis, quæ in Nobiliſſima Matrona ſe produnt, phlogoſi nempe illa, mammarum intumeſcentia, carnis faſtidio, corporis laſſitudine ab hoc; & non à præteritis congreſſibus: quæ ſanè in ſolam humorum vitioſorum copiam referenda eſſe vix mihi perſuadere poſſum, niſi forte ex peſſario aſſæ fœtidæ calidiſſimæ attenuati fuerint humores in uteri venis concluſi, vel triſti quodam ſenſu ejus orificium afficiatur, quæ fuerit cauſa horum ſymptomatum ab hoc, non verò à præteritis congreſſibus; quod tamen admitti non poteſt, cùm nec humorum illa attenuatio, neque triſtis ſenſus ex peſſarii uſu, ad carnis faſtidium, vomendi deſiderium, mammarum intumeſcentiam, atque renum dolorem quicquam conferat; quinimo conceptus hæc ſint potius indicia, cùm potiſſimùm eo tempore agitetur totum corpus, & retineantur humores, ac vapores ex utero effluere, & diſſlari conſueti; qui irrumpentes ad ventriculum, mammas, & totum corpus, hæc inducunt ſymptomata; ut propterea, ſi conjecturis locus ſit, ſtatuendum cenſeam, Nobiliſſimam Matronam utero gerere, fluentibus licet menſibus; cùm id fieri poſſit per venam exteriorem uteri partem, cervicem ſcil. & pudenda perreptantem: cujus cauſa proditum ab Hippocr. 5. *Aphor.* 61. Si mulieri utero gerenti purgationes menſtruæ curſum ſuum ſervant, fieri non poſſe, ut fœtus ſanus ſit: Ubi Gal. in Commentario addit, curſum ſuum ſervare, non pauci ſanguinis indicium eſſe, qui excernitur; neque ſemel erumpere, ſed ſæpe, & multum. Minus negotii faceſſit, quòd tribus menſibus nullus percipiatur motus; cùm id raro contingat in fœtu perfecto eo temporis ſpatio: præterquam quod conceptus hinc imperfectus eſſe poteſt; mola ſcil. cujus vix ullus motus, octavo quinetiam, aut nono menſe. Quæ ſane mea eſt ſententia, quòd nempe Nobiliſſima Matrona utero gerat, & quidem potius molam, quàm legitimum, & perfectum fœtum. *Benedict. Silvaticus Conſil. & Reſp. Medic. cent.* 4.

Obſervationes.

De ingravidatione ſine Membri virilis intromiſſione.

Puella quædam 8. circiter annorum, cùm ſeſe ut calefaceret, carbonibus in olla contentis inſideret, obdormiens, perfracto fictili, in carbones incidit, & totam perinæi, vulvæ & pubis regionem combuſſit, vocatus verboſus quidam Chirurgus, adeò negligenter eam curavit, ut integre vulvæ labia, firma cicatrice, ſibi conjungi, & relictis tantùm duobus foraminulis, uno infra os pubis, altero propè anum, in perinæo coaleſcere permiſerit. Puella taliter conſtituta, ad pubertatem pervenit, & cùm, tum ob hæreditariam levitatem veneris œſtro non parum ſtimularetur, tùm ob elegantem formam, à procis non paucis ſollicitaretur, tandem ab uno per contactum abſque membri intromiſſione ingravidata fuit, cumque partus adeſſet tempus, doloreſque biduo jam toto vehementer urgerent, dempta, omnimoda ſpe felicis partus, de ſectione & apertione vulvæ conſultum fuit, quam etiam, me præſente & ſuadente, feliciter perfecit Chirurgus quidam peritiſſimus, & cùm ex arteriola quadam ſecta uberrimus proſiliret ſanguis, impoſito calchanti pulvere illico ſiſtebatur, & paulo poſt ſumma vi prolem ſat robuſtam enixa eſt, non per recens aptatam & ſectam vulvam ſed per antè dictum foramen ano proximum, à Natura tanta vi dilatatum, ut totius Perinæi rupturam cauſaverit, relicta adhuc ſat valida cicatrice, inter hoc & prius factum foramen, quod poſt partum novæ ſectioni ſubmiſſum fuit, ita ut ampliſſima pervia foret vulva, quæ exceptis cicatricibus ex integro ſanata fuit. Veriſſima hæc Obſervatio docet, quanta vi per impervium corpus Natura fœtus ſuos enitatur, deinde quod etiam conceptus abſque Membri virilis intromiſſione fieri poſſit, quod plurimi negarunt. *D. Pauli de Sorbait.*

Prægnans quadraginta menſium.

Anna Caſtania, poſt ſuſceptam ex conjugio primo ſobolem numeroſam, ab obitu mariti iterum uxor gravida redditur, læto conjuge, ſed tandem, quod ultra geſtationis ſuetæ terminos extenderetur partus, futuri anxio. Mittit eam ad Medicos crebro, præcipuè Ampliſſ. Th. Bartholinum & me inquietat, uti remoram amoveamus. Nos fœminarum querelis aſſueti, ſed non ſemper creduli, oſtendimus videri tumorem illum mentiri potius infantem, quam afferre; temporique exitum commendamus; illa contra, proprium infanti motum ſe jurat agnoſcere, & cætera omnia pati quæ futuræ puerperæ ſolent. His nihil moti fœminam dimittimus. Illa poſt menſem unum alterumque reverſa eadem inculcat, nobis ad ſuſpectas preces obſurdeſcentibus; Inter hæc labitur biennium, maritus uxorem monſtrum viſceribus alere vociferatur, quod, ſi detrectent Medici, fuſtibus ſe minatur exacturum, & promiſſi tenax, quoties vinum liberalius hauſtum invitat, non parca manu verbera ingerit, quod liventibus illa ſcapulis docebat. Nos ad hydropicum,

gen-

ventoſumque humorem exigendum operam pollicemur, illa perſiſtere, gravidam ſe eſſe, calcitrantem experiri infantem, immo jam eo uſque excreviſſe, ut in partu exſpirandum ſibi omnino ſit, proinde non optare amplius Deas Nixias, commoriturum ſecum infauſtum filium. Tandem pondere inviſo fatigata, poſt finem anni tertii iterum me adit, poſtulat opem: ego, quod tempus D. Joanni ſacrum à fonte Helenæ auxilium ægris promitteret, iſtuc parturientem amando, ubi hauſtis liberaliter aquis peperit non infantem quidem, ſed infinitos borborygmos, quibus per naturalia excluſis ſana ad nos rediit, & hodie vivit vegeta & valens, nuperque adeo in empiricam transformata comitialis & paralyſeos curam pollicetur. *D. Olai Borrichii.*

Gravida menſes fundens.

NImptſchii Molitoris uxor eſt annorum 24. ea hoc anno 1597. octo annis habuit maritum, & illi nunquam fluxerunt menſes, niſi cum prægnans eſſet, & cum fluere inciperent, jam certa erat quod eſſet prægnans. Hydrope tandem mortua eſt.

Scholion.) Hipp. S. 5. Aph. 60. oraculum reliquit: Si mulier gravida ſit menſtrualis, non poteſt fœtus eſſe ſanus. Cui contraria videtur hæc Obſervatio, abortus enim mentionem non facit. Veram eſſe ſententiam Hipp. ſi per venas uteri menſtrua fluant, puto; in hac verò muliere ſaltem è venis vaginæ uteri vel etiam hæmorrhoidibus uteri fluxiſſe, exiſtimo. Fuit procul dubio propter obſtructionem vel potius defectum menſium valdè plethorica, & fluxu ſanguinis per imprægnationem ad uterum quaſi vi concitato & attracto, natura ſuperfluum per iſtas venas depoſuit. Hydrope eam mortuam non mirum, cùm menſibus non ritè fluentibus Cachexia, & ex illa tandem Hydrops plerunque oriri ſoleat. *D. G. C. Wincleri.*

De dubia Conceptione.

Dn. Hofmanni Conjux gravida fuit uſque ad quintum Menſem interea tumor acceſſit in ſuperiore parte Ventris, ita ut tandem longè major eſſet inferiore; itaque dubitare cœpit fœtus adſit, nec ne; præſertim cum motum nullum ſentiret. Acceſſerunt maximæ hypochondriorum diſtenſiones & punctiones, præſertim nocte, dolor etiam dorſi, calor febrilis, tumor pedis dextri, ita ut de vita deſperaret. Tandem peperit duos filios circa finem quinti menſis, eoſque mortuos. Præceſſit partum magna copia ſeroſi humoris, ut hydria magna impleretur. Primus natus eſt hora 11. noctis, ſecundus h. 1. matut. ſtatim melius habuit.

Scholion.) Hydropem uteri ſimul cum fœtibus adfuiſſe nullus dubito. Nam Fabric. Hildanus c. 2. Obſerv. 56. ſimile exemplum refert, & ideo mirabilius, quia fœtus erat vivus & robuſtus. Uterus enim valdè dilatari poteſt, ita ut ſecundum Obſervationem Schenckii, p. 684. puer 10. annorum facilè in ejus cavitate deliteſcere poſſit. *Ex Eodem.*

De naturæ robore in gravidis.

Notatu digna ſunt oracula à divino Sene prolata 5. Aph. 30. Lethale eſſe mulierem gravidam morbo quodam acuto corripi, & 5. Aph. 34. mulieri gerenti uterum, ſi alvus multum fluat, periculum eſſe ne abortiat. Hinc febribus acutis & malignis correptæ gravidæ periculum incurrunt, non abortus ſolùm, verùm etiam vitæ, cum autore Celſo l. 3. de R. M. c. 6. Mulier gravida acuto morbo facilè conſumatur; hinc etiam tam delicaté tractandas eaſdem purgantibus, communis eſt ſententia, ex eodem loco, ſc. 5. Aph. 29. nihilominus utroque licet caſu combinato, morbo nempe acutiſſimo & fluxu alvi vehementiſſimo, ſæpè evaſiſſe gravidas, exemplo ſit Dyſenteria Epidemica An. 1669. nobiſcum graſſata. Cùm enim in plus quam quadringentis ægrotis tunc multa obſervare licuerit, nil magis miratus ſum, quàm nullam gravidam ea affectam fuiſſe mortuam. Suggerunt mihi Ephemerides meæ ultra decem, quæ omnes partim primis, mediis, partim & ultimis fœtum geſtantes menſibus, eâ correptæ, cum vomitu ſimul moleſtiſſimo: dejectis viribus, febre petechiis horrenda, cum torminibus maximis & dejectionibus frequentiſſimis ſalvæ evaſerunt, felici partu debito tempore ſubſequuto. Quoddam majus eſt, in binis aliis cum ipſo partu, termino menſium completo, dyſenteria illa gravis coincidit, fœtu matreque ſalvis manentibus. Inter alia, quæ jocoſa videbuntur, nobilis fœmina Dyſenteriâ mirum quantum vexata, circa Julii finem feliciter à me percurata, Menſe Decembris filium poſthumum edens, me gratam teſtatura mentem. Suſceptorem ejuſdem eſſe voluit, utriſque adhuc, dum hæc ſcribo, vegetis & ſalvis. Hinc verò confidentius poſtmodum gravidis purgantia exhibui, manifeſto cum emolumento. Et apparet ex his, quàm ſtudioſe & ſollicitè admodum natura ſpem uteri defendat, ut ecbolia ejuſmodi etiam ab ſubleſtæ fidei hominibus in uſum vocata & celebrata v. g. decoctum Sabinæ &c. tanto cum ſucceſſu non adhibeantur plerumque, quantum exin ſibi vulgo promittunt veſanæ meretriculæ. Et plerumque non ſine periculo gravidæ ipſius expulſio taliſmodi inhumana & pluſquam beſtialis inſtituitur, quod veriſſimum eſt, dicente Heccio Obſ. 14. p. 179. ægerrimè poſſe occidi fœtum niſi ſimul enecetur mater, cum magna opus ſit violentia, ſive extra adhibeas medicamenta. *D. Georg. Wolfg. Wedelii.*

Aquæ ex utero prægnantis, II. ante partum menſibus quotidianus, quidem, at innoxius effluxus.

Humorem qui aquæ ad inſtar paulo antè partum ex utero prægnantium, ad lævem, lubricam & facilem viam fœtui per uteri collum exeunti parandam, effluere conſuevit, in membrana fœtum in utero immediatè cingente, amnios dicta, contineri, inque eo fœtum, ferè natare notiſſimum eſt. Humor hic naturaliter non effunditur, nec continens ejus rumpitur, niſi partu inſtante & fœtu membranas ſe involventes lacerante. Præternaturaliter verò nonnunquam contingit, ut membranæ fœtum in utero continentes variis ex cauſis vel rumpantur, vel nimium quantum dilatentur, ita, ut per eas humor ille inibi contentus, vel ſubito & copioſè in diſrup-

tione, ſenſim verò & paulatim facta dilatatione ex utero profluat vel deſtillet; Quod ſi contingat, malum utplurimum ſignum vel partus laborioſi, vel fœtus imbecillis & ægrotantis, aut planè abortus futuri à Medicis habetur. Mulierem tamen hic locorum novimus, cui duobus ante partum menſibus ſingulis diebus aqua ſenſim ex utero effluxit, unde perterrita conſilium petit. Quamvis verò dubiam propoſuerim prognoſin, malumque vulgo haberi ſignum hunc multo ante partum tempore contingentem effluxum monuerim, bona tamen ſpe eam erexi, cum aqua jam dicta non confertim ex utero proruat, ſed paulatim & ſenſim deſtillet, ſicque dilatationem potius, quàm ruptionem membranarum fœtum cingentium denotet; Ut tamen non bona ſolùm victus ratione, verùm etiam internis externiſque fœtum roborantibus medicamentis (licet fœtus motus ſatis robuſtus & liber obſervetur) utatur autor fui, & ſequentia præſcripſi:

I. ℞. Aqu. fl. borrag. bugloſſ. an. ℥ ij. cordial. frig. Balſ. Embryon. an. ℥ij ß. Succ. granat. Aurant. an. ℥ j. Syr. rub. Id. Corallor. cort. Citr. an. ℥iß. Tinct. corallor. cort. Citr. an. ʒiß. M. D. S. *Starck* Liquor, *alle drey Stunden drey Löffel voll davon zu nehmen &c.*

II. Externè. ℞. Fol. Roſmarin. Meliſſ. Baſilic. Flor. lavend. roſar. aurant. an. M ß. Caryophill. macer. cinamom. Nuc. Moſch cardamom. an. ℈iiß. M. & groſsè conciſ. contuſ. aſperg. ol. cort. citr. aurant. an. ℈ ß. ol. cinamom. gut. v. caryophyllor. gut. vii. Vin. Hiſpan. q. ſ.

Includantur ſacculo ex ſyndone confecto, imponantur Umbilico. Hiſce adhibitis & continuatis, partus juſto elapſo temporis ſpatio, licet aqua extillans parùm remiſerit, feliciſſimus contigit, puerque elegans & robuſtus in lucem eſt editus, quamvis aliquot poſt hebdomadas epilepſia obierit. *D. Benjamini Scharfii.*

Fluxus menſium cum gravibus ſymptomatibus in gravida.

Eliſabetha A. è pago Tallwyl oriunda, & annum ætatis quadrageſimum ſuperans, parvæ ſtaturæ fœmina Anno 1681. menſe Septembris, cùm jam ſeptem menſes gravida eſſet, fluxum ſanguineum paſſa eſt, per quinque hebdomadas, cum virium debilitate, tuſſi, reſpirandi difficultate, dorſi, lumborum & coxendicum dolore. Ut præcaveretur abortus, ſumpſit aquam plantaginis, equiſeti, fol. quercus, bellidis, flor. tiliæ & roſarum cum Saccharo roſato, & Syrupo violarum per cochlearia: In victu regulariter ſe geſſit, In lecto quievit, tincturam roſarum cum vino bibit; cubitum eunti exhibui tantillum Conſerv. flor. papaveris & betonicæ. Quibus uſurpatis convaluit, & legitimo tempore peperit.

Scholium.) Gravidæ ante partum pluribus vexantur incommodis, vomitu, pica, mammarum dolore, difficultate & incontinentia urinæ, tumore pedum, hæmorrhoidibus, hydrope, albo & ſanguineo fluore, menſtruis, alvi fluxu, tuſſi, & reſpirandi difficultate, dorſi, lumborum & coxendicum dolore, uteri procidentia, febribus & aliis morbis, atque imprimis abortu. In ipſo partu jam narratis malis accedunt matricis paſſiones atque tormenta, pariendi conatus præpoſteri, ſitu infantis vitiato, lipothymiæ, convulſiones, molæ, monſtra, ſecundinarum retentio, infantis mors, genitalium anguſtiæ, oſſis ſacri & coccygis obſtinata & inflexibilis durities, denique naturam obſidens tumor vel cancer.

A partu puerperas urget hæmorrhagia, inflammatio & ulceratio matricis, & perinæi, tormina ventris. Quin iiſdem quandoque ſupprimuntur lochia, uterus prolabitur, anus procidit, nervi debilitantur, paralyſes, deliria, febres oriuntur, mammæ corrumpuntur, abſceſſu papillarum, fiſſuris & ardore inter lactandum, ut ſexcenta mala alia ſilentio prætaream. Summa, concipere, utero geſtare & prægnantem eſſe, ac parere, tantæ molis res eſt, ut miſericordia ductos homines ad iis omni auxilio & arte ſuccurrendum invitet. Quicquid ergo poſſumus ad mulierum ſolatium largiter contribuamus. In ægra noſtra intempeſtivi & diuturni menſium fluxus cauſæ plures eſſe potuerunt, nempe ſanguinis abundantia & acrimonia, vaſorum debilitas, denique infantis motus. Sanguinis abundantia efficit ut ſponte abſcedat id quod naturam gravat, nec in nutrimentum embryonis cedit. Hoc ſubinde accidit Naturæ robore, quo levantur gravidæ, & liberantur embryones. Oboritur tamen abortus periculum quòd via lubricata uterus ad infantis motum facilè aperiatur. Quo in caſu V. S. brachii magnoperè conducit, juxta Hiſtorias præcedentes.

Plethoricis hæmorrhagiæ iſtæ protinus cohibendæ non ſunt; ne Inflammatio & ulcus in utero excitetur. E contrario ſanguine exiſtente bilioſo & acri, exhibenda ſunt demulcentia, & ea quæ motum ſanguinis remorantur; quieti ſtudendum eſt, & paſſiones animi fugiendæ. Prodeſt gelatina C. C. cum ſucco cydoniorum, & confectione hyacinthorum, item alimenta ex hordeo.

Spina dorſi oleo violato & roſato inungenda eſt, & lac vaccinum chalybeatum in potu adhibendum.

Vaſis porrò laxatis ſi placenta ab utero abſcedit, & ſanguis effluit, niſi vulnus citò per gluten naturale fibroſum ſanguinis uniatur, abortus imminet. Quamobrem in uſum trahenda ſunt ova ſorbilia, caudæ cancrorum, extremitates animalium, mucilagines, cydonia, roſæ, muſcus pulmonarius ſaxatilis, trochiſci de carabe, ſanguis Draconis, conſolida major, flores juglandium ſiccati & pulverati. Præterea Cataplaſma è duorum ovorum albuminibus cum bolo paratum, & lumbis applicatum, experientia commendat. Motus infantis fluxum hunc quoque concitavit, attracto funiculo umbilici, & læſa placenta, quare uterum roborantia, adſtringentia & cordialia exhibui, ne vires magis dejicerentur.

Re hortante, hæmorrhagiam inhibere quoque potuiſſem radicibus biſtortæ, tormentillæ, filipendulæ, corticibus mori, foliis burſæ paſtoris, fructibus berberum: Mammis præterea applicare potuiſſem magnam cucurbitam & extrema ligare. Tuſſim & reſpirandi difficultatem augebat ſtatura parva, dum enim infans ad pectus propius accedit, diaphragma inde moleſtatur; deinde eandem fovebat acrimonia bilioſa ſanguinis & catarrhorum pectus obruentium. Optimum in caſu medicamentum ſunt pilulæ è

Styrace

Styrace S. Cloſſæi, quæ & à phthiſi præſervant & abortum præcavent: item augmentum pectorale. Hic loci notandum eſt, gravidarum pectora thoracibus arctis & balænarum oſſibus neutiquam conſtringenda eſſe, quia tuſſis & præcordiorum compreſſio inde oritur, qua infans facilè necatur. Dorſi dolor à dilatatione matricis & compreſſione partium vicinarum, puta Diaphragmatis, Inteſtinorum, Renum, Lienis &c. originem ſuam traxit. Commodè hic inungitur parti affectæ ol. liliorum alborum, hyperici, carminativum, verbaſci.

Coxæ & lumborum dolor à ſimili cauſa eſt, potiſſimum autem à diſtentis uteri ligamentis, quibus uterum hærere diximus in Clav. Med. Exerc. 9. pag. 419. Urgente hoc dolore ſubligandus venter eſt, & mollitet geſtandus faſcia de collo ſuſpenſa. Cæterum ægra in victu regulariter ſe geſſit: aëre uſa eſt temperato, nam frigus puerperas lædens, hyſtericas paſſiones, tormina, febres, aliaque mala acceſſit, Calor quoque immodicus enervat & fluxiones concitat. Cibus fuit laudabilis, juſcula confortantia ex decocto capon. galli veteris, carne vitulina, cremore hordei; à carnibus & victu pleniore ægra per dies aliquot abſtinuit, potus erat tinctura roſarum cum vini modico. Quievit in lecto, ne ſanguis promoveretur, vel uterus agitaretur. Somnus & vigiliæ alternabant, itemque motus & quies; ſomnus neceſſarius erat, ad inſtaurandas vires & ſanguinem. Alvus ſemper naturæ legibus reſpondit: Menſes tamen ſiſtere conſultum fuit, ne evacuatione immoderate labefactaretur, vel abortiret ægra. Abfuit quoque ira, quæ alias ſpiritus & humores exagitat. Terror aliquando in hæmorrhagia conducit, ob ſpirituum repentinam cohibitionem. *D. Joh. de Muralto.*

De ſtyllicidio uteri in gravida innoxio.

Hippocrates in Aphoriſmis, Ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύωνται ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν. Quod certe niſi cautè explicetur, fidem ægre reperiat, adeò bene multis experimentis contrarium hodie probatum: quin imò in Galliis ſæpè, hiſque ipſis in locis aliquando non aliter ſalvus eſt aut incolumis fœtus, quàm per menſium fluorem, ſaltem principio gravidationis; atque ideò, niſi ſanguis ſe ipſe in illa copia deturbet, neceſſum eſt in plurimis venæ ſectione occurrere, ut, quæ Naturæ eſt ſegnities, artis ingenio corrigatur, & abortus periculo fœtus careat. Id tamen etiam non negaverim, ſi ultra dimidium gravidationis fluor prorogetur, invaleſcente jam fœtu periculoſum videri & nonnihil ſuſpectum. Memini Anno 1669. Lugduni in Batavis, qui potiſſimæ Urbis parti erat fatalis, ſive ob peculiarem illam cœli atque athmoſphæræ κατάστασιν, ſive aliam cauſam, nonnullis gravidis menſes toto penè gravidationis tempore fluxiſſe, nec tamen ullo, res mira! fœtus diſcrimine. In una verò hoc ſingulare adnotandum, quòd circa medium gravidationis tempus incumbens ſanguinis ſtillicidium ad partum uſque continuarit, omnibus remediis, etiam vini iſtius Gallici vitriolati; quod *Vin tint.* appellant, talibuſque in caſibus exploratiſſimum eſt, uſu quotidiano votum fruſtrantibus. Ergo Medici de fœtu conclamatum eſſe exiſtimabant, nunc etiam matri malè metuentes; ſed præter opinionem aliud accidit; nam Mater, etſi ad funus ſe jam paraverat, non tantum liberius commodiuſque quàm olim enixa, ſed ipſe etiam fœtus integer, obeſulus, ſatis ſuis ipſe viribus oſtendit nihil illo ſtillicidio nutrimentis deceſſiſſe; Nimirum natura, provida mater, hic quoque conſuluiſſe utriuſque ſaluti per ſupervacuam ſanguinis purgationem viſa eſt nulla demenſi jactura, modo tamen inuſitato, & in Medicorum ſcholis ſuſpecto; Quis vero in hiſce Naturæ ſolicitudinem pro merito celebret, quando etiam οὐ μαθοῦσα δέοντα ποιεῖ, ut idem ille Pater ſcientiæ noſtræ alibi loquitur *D. Joh. Nicol. Pechlini.*

Vteri hæmorrhagia lethalis in gravida.

Anno 1673. Ratisbonæ, Matrona quædam nobilis & ingenua fœtu gravida, quinto conceptionis menſe hæmorrhagia uteri improviſo adfligebatur, tam vehementi ac immodica, cum virium debilitate, ut ſæpius in animi deliquium incideret, & pro agonizante haberetur, fœtu tamen ſemper ſe in utero naturaliter movente; cui malo quidem venæſectione atque variis & Nobiliſſimis Medicinis obviam itum fuit, ſed omnia penitus incaſſum, ac fluor iſte per iteratas vices uſque ferè ad ultimum geſtationis menſem continuavit, quo fœtus demum debilitatus in utero ſubito moriens, matri quoque mortem attulerat. *Dom. Johan. Helvvigii.*

Scholion Schrœckii.) Quanquam ex menſtruo ſanguinis ceſſante fluxu non minimum factæ conceptionis ſignum deſumatur, multoties tamen illud fallere, quotidiana docet experientia; prout etiam ingravidatio ex eodem ſtato tempore redeunte, haud infallibiliter negatur; cùm non tantùm præter naturæ intentionem uteri hæmorrhagiæ, abſq; inſequente abortu, quandoq; accidant; ſed in multis etiam plethoricis, tū in principio graviditatis, tūm toto geſtationis tempore, nulla tamen inde in embryonem noxa redundante, ſed ipſiuſmet potiùs in ſalutem, à copia ſanguinis aliàs facilè ſuffocandi, aut alia in graviſſima ſymptomata conjiciendi, Natura à ſuperfluo ſanguine ſeſe ea ratione liberare ſtudeat; ubi imprimis rarum admodum notari meretur exemplum in Anno 3. Ephem. Germ. Curioſ. obſervat. 348. propoſitum, gravidæ ſcilicet, cui nunquam menſes fluxerant, niſi cùm prægnans eſſet, & cùm fluere inciperent, factæ imprægnationis certum ſignum dederant. Unde Hippocraticum aphoriſmum, ſect. 5. aphor. 60. exceptionem pati, atque de eo ſolùm, quod fit ut plurimum, & cum vehementia, intelligendum eſſe, patet, quo nempe, menſtruis purgationibus curſum ſuum in prægnante tenentibus, benè valere fœtum, impoſſibile eſſe, judicat; non tantùm quòd ſanguinis in orgaſmo conſtituti efferveſcentia ſive fermentatio ipſi etiam fœtui, eidem cum matre circulationi ſanguinis expoſito, communicetur, ideoque varios morbos à motu illo concitatiori oriundos, producere valeat,

ſed etiam placentæ uterinæ ab ipſo utero ſeparatio hac ratione ſit pertimeſcenda. Quamvis enim ſint, qui menſtrui ſanguinis rivulum non ex ipſo utero, ſed ejus tantum vagina & collo oriri ſtatuant, communi tamen naturæ curſu ex ipſa uteri cavitate extillare, rationibus & experimento confirmat Regner, Graafius cap. 9. tract. de mulier. organ. generat. inſerv. Licet & hic diverſis experimentis ſuffulti alii contrarium adſerant, quos inter eſt Reald. Columbus lib. 6. Anatom. & Sever. Pinæus cap. 2. de gravidit. & partu natur. Ubi ſanè, nemini ut fidem detraham, utrumque locum fluxui iſti eſſe expoſitum, dicere licebit, ita ut ille modo ex ipſo utero, modo ejuſdem collo, modo ex utroque accidat, prout natura huc vel illuc magis inclinat, viaſque laxiores & patentiores hic vel ibi invenit.

De vomitu ſanguinis quotidiano gravidæ innoxio.

Mulier hic locorum eſt honeſta, ætatis 30. annorum, habitus corpulenti & conſtitutionis plethoricæ, primipara. Hæc à primo conceptionis menſe uſque ad ultimum ſingulis diebus vomuit ſanguinem nonnunquam floridum, nonnunquam aliquatenus coagulatum, in ſatis magna & unc. viii. quantitate, ſine tamen noxa vel graviori læſione, integra cæteroquin valetudine utitur. Suaſimus venæ ſectionem: Verum, neſcio quid mali fruſtra metuens, illam recuſavit, quam tamen non in Illuſtribus & Nobilibus ſolum perſonis; verum etiam aliis tenuioris fortunæ hominibus plethoricis, quoties utero geſtarunt, maximo cum fructu & feliciſſimo ſucceſſu adminiſtravimus. Vidimus ejuſmodi fœminam, cum illi parcius ſanguis ſubtractus eſſet, in hæmorrhagiam narium ſatis largam poſt venæ ſectionem incidiſſe, quia mediante natura ſolers ſanguinem quantitate & mole nimia peccantem evacuavit motu ſpontaneo. Ut itaque non amplius metuendum ſit abortionis periculum, quod Hippocrates 5. aphoriſm. 30. minatur: cautè modo & cum judicio ſi V. S. adminiſtretur, & temperamentum conſtitutioque gravidarum recte perpendatur. *D. Benjamini Scharfii.*

Uterus in Gravida dehiſcens.

Fœmina in urbe Eperienſi hic eſt juvenis, cui os uteri ante partum, fere ad unum menſem hiat inſtar nummi Polonici, qui valet quatuor Poltracones; nullis aquis effluentibus, imo & aliquando plus hiaſſe ab obſtetrice obſervatum fuit. *D. Joh. Paterſin Hain.*

Singularis curatio Rigoris & Frigoris maximi in Gravida.

Ut Excellentiſſ. Dom. D. Olaus Borrichius S. R. M. Daniæ Medicus, & in Haffnienſi Academia Profeſſor P. tertianam exquiſitam lagenis aqua calente ferventibus, corporique hinc inde circumdatis, & ſudorem exeitantibus, planè ſuſtulit, ut videre eſt obſervat. 238. Miſcell. Cur. Med. Phyſ. Germ. anni 3. Ita nos anno 1674. conjugem fabri Georgii *Leſſigs* civis Thorunenſis Novo oppidani primis menſibus ingravidationis, rigore & frigore totius corporis inſolito aliquoties correptam, indeque valde debilitatam, per lagenam aqua calida plenam, plantis pedum ſuppoſitam, poſt ſudorem copioſe erumpentem, ab eodem ſymptomate per Dei gratiam feliciter liberavimus. *D. Simonis Schultzii.*

Gravidarum Imaginatio.

Pluſcula exempla imaginationis prægnantium paſſim apud Autores noſtros leguntur, quæ repetere nolo, contentus hic deſignaſſe hujus Anni, cujus Acta ſcribimus, nonnulla forte occurrentia, idque eo fine & inſtituto, ut cavere diſcant fœminæ quibus conceptus uteri curæ eſſe debet; ne vel nimium curioſæ ſint in rerum novarum contemplatione, vel viſa, & caſu aliquo accidentia, firmo animo imprimant, aut frequenti cogitatione recolant. Alienorum exemplorum uſus ad prudentiam neceſſariam viam pandet, cum, ut verè Seneca, longum iter ſit per præcepta, breve per exempla.

Ruſtici noſtratis filius crines varios à primis incunabulis in capite alit, una parte nigros, albos altera capitis parte. Matris id culpa eveniſſe, confeſſione ejuſdem credimus. Fatetur quippe illa, cum uterum gereret, ſacculum carbonum una capitis parte excepiſſe ſe, & exinde frequenti hujus rei imaginatione vexatam. Crines ipſos ex utroque capitis latere reſciſſos ſervo, cuivis eos monſtrare paratus.

Majori periculo prægnantium occurrunt in plateis locisque publicis mendicantes, vel morbo ſacro concidentes, vel membris mutili. Utinam his provideretur in Rebuſpublicis, ne publicè oberrando inficerent mortale genus. Nuper admodum, Auguſto nempe menſe, uxor honeſti Civis Hafnienſis enixa eſt filium, tam acceptum, quia primogenitus, quam ingratum quia primam lugendi materiam bonis parentibus præbuit; una enim manu mancus puer prodiit, & altero pede curvus. Fortè obvium prægnans Mater mendicantem manu truncatum & pede flaccidum viderat, cujus ſpeciem nec die nec nocte potuit obliviſci.

Natum putabatur monſtrum Hafn. 7. Auguſti, in vico Laurentii Biornonis, publicis rhythmis celebratum, criſpis capillamentis & muliebri ornatu, qualis hodie in uſu, caput oſtendens. Vulgus ad iratum Deum inſenſumque muliebri Corymbo oſtentum retulit, alii ex imaginatione matris viſo habitu iſto aulico dependere ſuſpicati, execrabantur crinium novitiorum circulum, quo facies & frons obvallatur. Hinc varia excogitata ſcommata quibus illuderetur Corymbus ex pilis hircinis confectus, quem etiam vaccinis cornibus per contumeliam impoſuerunt, & canes eo ornatu circumferebant. Nugæ. Monſtroſus ille fœtus nihil monſtroſi habuit; partus difficultate oſſa cranii divulſa ſpeciem monſtroſam mentiebantur, & pilos in Corymbi formam intorſerant, quos etiam nuper natis excreviſſe, quotidiana experientia docet. Fœminas comatas eſſe decorum pronunciat, Dom. Paulus 1. Cor. 11. 15. At formam

formam comarum determinat conſuetudo, & mos vulgatus, à quo excuſationem habent, ſi hac parte aliquid peccetur. Eleganter Manilius lib. 5.

Illis cura ſui vultus, frontiſque decora
Semper erit, tortoſque in flexum ponere crines,
Aut nodis revocare, & rurſus vertice denſo
Fingere, & appoſitis caput emutare capillis.

Nihil in ornatu muliebri deſidero, præter conſtantiam, quam optare poſſumus, nunquam ſperare. Miror, quod Virorum capita capillamentis criſpatis pluſquam muliebri more ornata & ſuperbientia tam æquo animo feramus, contra decretum Apoſtolicum, qui Viro comatum eſſe dedecori judicat. Tertulliani lib. de Cult. femin. cap. VII. huc quadrat invectiva: Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti; ne exuvias alieni capitis, forſitan immundi, forſan nocentis & gehennæ deſtinati ſancto & Chriſtiano capiti ſuppares. Regulam ac normam, quam in barba & capillo tenendam Magnus Salmaſius Epiſt. de Coma p. 610. conſtituit, etiam nos laudamus, ut qualiſcunque habitus in utroque ferendus ſit, ceu res indifferens, circa longitudinem, brevitatem & formam, præter illum, quo Vir in mulierem transmutatur, & ſexus confunditur. *D. Thomæ Bartholini.*

De Singulari Prægnantium Imaginatione.

Quam præpoſtera interdum ſit Prægnantium curioſitas, ſubſequentes caſus confirmabunt. Anno 1676. in nundinis noſtris vernalibus hoc Anno ad nonas Maii incidentibus, ſartoris cujuſdam pagani Georgii *Enders* ex pago *Neuhœrnitz* Uxor, Catharina, Circumforanei hiſtrionem cum Saltatrice ſua in utriuſque manus annulari crotalum geſtante, in publico loco choreas agentem, miraſque geſticulationes, deformes oris diſtractiones, corporiſque tortuoſas flexiones perficientem, ore, quod dicitur, & oculis, intentoque animo adſpicit. Ipſis Calendis Julii eadem ex difficili partu enititur puellulam viventem, depreſſis naribus & labiis ad utramque maxillam duplici modo ſciſſis. De minimo utriuſque manus digito itidem loco cymbali exigua eaque rotunda carnis portiuncula dependebat. Corpuſculum vero anterius, poſterius, dextrorſum, ſiniſtrorſum quocunque lubebat modo projici poterat, ac ſi lumbares vertebræ vel nullam Oſſis conſiſtentiam haberent, vel planè deficerent. Mirandum ergo qua ratione imaginatio matris magnam ſuam Virtutem in fœtum integerrimum & partui ferè vicinum exercuerit.

Alia fœmina, Civis cujuſdam hujus Urbis, Cuſtodis ad D. Johannis Uxor, ante ſexennium gravida, ſub concione, Virgunculæ à dextris aſſidenti, & cum pyxide ſua balſamica ludenti, cum oculis mentem aliquoties communicans, tempore debito pariebat puerulum alioquin formoſum, cui in utroque annulari pars carnoſa, dura, rotunda adnata erat; hanc Obſtetrix ſtatim à primo intuitu cultro tonſorio abſcidit, puerque adhuc vivens, exiguum, carnoſæ ſuæ pyxidis balſamicæ veſtigium cuilibet monſtrabat. *D. Chriſtophori Seligeri.*

De Falſo Gravida.

Fœmina quædam honeſta juvenis, poſt diuturnam menſtruorum emanſionem, iterum eadem ſentit & quidem rubra, apparuerunt ſigna nonnulla quæ primis menſibus in gravidis ſolent apparere, Putat ſe eſſe gravidam, quicquid dicatur contra de motu infantis. Ventre enim intumuerat & motum aliquem perceperat. Ita nonus menſis & dies expectabatur. Conſulebantur obſtetrices tam Bregenſes, quam Wratislavienſes; conſenſerunt omnes. Ego contrarium ſentiens expectavi tempus partus. At cum tranſiit decimus menſis, venter iterum ſua ſponte ſubſedit, ſpeſque cum prole nulla fuit.

Scholion.) Falſa ingravidatio fit, vel à mola, vel à monſtro, vel ab aqua, vel à flatu. A tribus prius enarratis non proveniſſe hanc falſam ingravidationem ſatis ſuperque conſtat ex eventu, cum nihil ejuſmodi excretum ſit. A flatibus itaque gravidam hanc fœminam aſſerere non dubito. Sunt quidem qui negant, flatus tanto temporis ſpatio in utero contineri poſſe, & inter illos Platerus, cui adſtipulatur ferè Riverius c. 2. *Obſ.* 100. ubi quidem concedit Flatus in utero concludi poſſe, ſed non longo temporis intervallo, quin excludantur & diſſipentur. Sed l. 4. P. 1. S. 2. c. 10. p. 65. Prax. omnes has cogitationes tam rationibus, quam exemplis & Hippocratis authoritate ita refellit, ut nihil reſtitet, ne illi calculorum adjiciamus. *Dom. Danielis Wincleri.*

Falſa impregnatio.

Nobilis à Fritſchen vidua, 55. annorum, jam mea marita, patiebatur vomitum, nauſeam, horrorem, uteri contractionem & quæ alia, ſueto prægnantibus tempore; venter intumeſcebat, motus aderat etiam ſatis fortis in ventre, mammæ preſſæ fundebant liquorem aquoſum: Dicebat ſe gravidam, (utpote antea decem liberorum mater, hujuſque rei ſat gnara) aſt ego, repugnabam multas propter rationes. Expectamus tempus partus, & juſto tempore accedebat, cum alteratione inſigni; aderat quippe cephalalgia, cardialgia, extenſio abdominis dolorifica, anguſtia pectoris cum metu ſuffocationis. Adplicamus interna & externa, ſpirituoſa & bezoardica, ſudat per noctem copioſiſſimè, (nam circa veſperam erat hæc invaſio,) mane alvum deponit aliquoties, reſpiratio fit melior, extenſio abdominis evaneſcit, venterque ſenſim ac ſenſim indies detumeſcit adque priſtinam figuram redit. Et ſic ſpes pariendi cum prole aufugit. Figuli uxor juvencula, Grunebergæ, eadem perſuaſione laborabat, obſtetrixque loci, uti ſagax ſatis, cum omni fœminarum choro idem affirmabat. Tempore partus legitimo adſtat obſtetrix, omnia apparantur, fœmina ad partum ſe accingit, exſibilant flatus per uterum, fluitque materia rubra aquoſa cum fruſtis ſanguinis craſſioris & nigricantis, nullus autem fœtus. Eandem pariendi fortunam habebat fœmina primaria in noſtra vicinia, pro qua etiam in ſuggeſtu publicæ preces inſtituebantur, ut Divina Clementia ipſam felici partu beare velit, aſt poſt nonum menſem nil ſe movet, ſe-

quuntur adhuc tres menſes & nullum adeſt amplius ſignum fœtus. Tandem preces in templo intermittuntur, & ipſa hunc omnem pariendi ſpem depoſuit, abdomine equidem cum mammis adhuc diſtento, & fluxu menſium inordinatè & parum ſe exerente: Ita fœminarum ſpes in conceptione, numeratione & partu ſæpe vana. *D. Samuelis Ledelii.*

Falſa Ingravidatio vomitu ſanguinis coagulati detecta.

Quam mirè miſereque mulierculis ſæpenumero imponant ſigna, ex quibus imprægnationem metiri aſſolent, experientiam quotidie ſuffragantem habemus. Quid quæſo frequentius, atque audito Lunari tributo ſubſiſtente, de ingravidatione ſtatim cogitare? Quod evidentius puerperii ſubſecuturi ſignum, quam ventrem geſtare tumidum elatoque ſuperbientem faſtigio? Non mens eſt hac vice omnes recitare hiſtorias, quas circa hoc negotium ſæpè obſervavi Practicus, qui optime recordor, fuiſſe quæ per tres anni quadras ventres geſtarent prætumidos, aliaque etiam gravidis alioquin familiaria experirentur ſymptomata, imò preces pro felici partu Eccleſiaſticas fieri procurarent; poſthac tamen per meras abdominis inflationes, menſeſque circa vaſa uterina diutius ſubſiſtentes, ſe deceptas ſentirent. Admirabilitatem autem habet caſus, qui ſequitur.

Ceſſant apud fœminam quandam Catamenia, venter indies juſta intumeſcit mole, alia quoque in puerperium conſpirant indicia, elabitur hebdomas à conceptione decima nona, unde nulla audiviſſes verba alia, niſi de rebus ad puerperium neceſſariis ritè adornandis. Sub initium (en vanum ante victoriam triumphum) hebdomadis vigeſimæ conqueri cœpit miſera de nauſea, abdominis dolore; hinc cum conſternatione ſui adſtantiumque ſequitur vomitus ſanguinis coagulati, fœtidiſſimi, lobos pulmonum æmulantis, & cuticulis undique circumdati, ut inde viſcerum exulceratorum metus quibuſdam incuteretur. Vomitio taliſmodi per tres circiter dies ægerrimam affligebat periodicè, tanta vero copia, ut animam exſpirare jamjam videretur. Venter inde detumuit inſigniter, ſubſecuta febris continua cum vigiliis, lipothymiis, extremaque imbecillitate. In limine mortis ſic conſtitutæ uxoris gratia maritus me acceſſit, allata inſimul parte ſanguinis excreti. Ego viſo cruore, auditoque ſtatu ægrotantis antecedenti, eundem non à pulmonibus aliiſque viſceribus, verum ex vaſis uterinis per totum falsò putatæ geſtationis tempus imbi cumulatum, diuturnaque mora in ejuſmodi formas concretum eſſe pronunciavi. Obviam poſtea ivi miſeræ confortantibus, reſolventibus & febrim una reſpicientibus. Unde Deo benedicente indies ſpes valetudinis affulſit melior. *D. Ehrenfridi Hagendornii.*

Conceptus Falſus.

De Conceptu falſo hanc accipe hiſtoriam, Nobiliſſima Matrona, poſt multorum annorum ſterilitatem, ſe concepiſſe gaviſa, ex omnibus ſignis apud alias conſuetis ad Partum, omnia debito tempore præparat, advocataque Obſtetrice & aliis Amicis advolantibus uteri dolores quaſi jam paritura experitur, nullo tamen fœtu prodeunte. Poſtea ſenſim detumuit venter ſicut antea accreverat, & ſpe excidit optima fœmina, prolem in ſecundo Conjugio tandem deſiderans. Teſtis falſæ hujus parturitionis quoque eſt D. Paul. Moth, Medicus Regius, qui puerperæ adfuit & Medicinam adhibuit. *D. Th. Bartnol. in Litter. ad D. Sachſium Hafnia Vratislaviam miſſis.*

Scholion.) Naturam Fœminarum non raro à deſtinato legitimi Fœtus opere ob varia impedimenta aberraſſe teſtari poterunt tam varia molarum differentiæ, quarum aliæ repræſentarunt Figuram cordis pericardio incluſi cum cono & baſi Thom. Barthol. Cent. 3. hiſt. 1. aliæ figuram ſtellæ marinæ arl oreſcentis; Plater. in obſervat. aliæ urticam marinam, Lemn. l. 1. de Occ. Nat. mirac. cap. 8. aliæ fungum ſeu manum complicatam. Hildan. cent. 2. obſerv. 52. aliæ bulbum Panarol. cent. 4. obſerv. 46. aliæ ad magnitudinem gallinæ, in qua caput figuratum cum roſtro in ſimilitudinem aquilæ, cujus figuræ cauſam Cronenburchius, Colon. Medicus rejecit in monſtroſas tales imagines in cubiculi camino ſculptas: Foreſt. l. 28. obſervat. 61. p. 308. aliæ membrum Virile P. Salius Diverſus Annot. in Altimar. cap. 112. alia globi inſtar membranoſi flatuoſo ſpiritu turgens, pellucens ut facies Lunæ, unde partus Lunæ dictus. Carolus Piſo de morb. ex ſero ſect. 4. cap. 6. p. 332. alia quæ caput ovillum cum dentibus in maxilla prominentibus, cum piloſa cute & oculis ovillis, Thom. Bartholin. Cent. 4. hiſt. 84. alia pyriformis, intus villoſa, externus lævis, qualis mulieris Hebrææ Anno 1647. Veronæ obſervata à D. Petr. à Caſtro in obſervat. M. S. aliæ Scarabæos cornutos & mures. Salmuth. cent. 1. obſervat. 65. imò quædam quaſi viventes inſtar Zoophytæ, qualem Marc. Gattinaria l. de curat. ægrit. partic. cap. de Mola deſcribit, Tineæ piſci non abſimilem, Erinacei inſtar ſeſe complicantem, ſimilemque à Salmutho cent. 3. obſerv. 98. deſcriptam figura oris lati, qualis cyprini piſcis abſque cavitate tamen cum duobus nigris punctis inſtar ocellis, quæ in terram prolapſa non palpitavit modo, ſed & varie ſe commovit, ac inſtar piſcis ſe convolvit. Obſervavit & Zacutus l. 2. Pr. obſerv. 155. mirandam carneam, humani capitis magnitudinem ſuperantem, in cujus medio tres oculi, quæ aquæ injecta duobus diebus ſupervixit.

Aberravit Natura à legitimo partu, quando in Norvvegia à Fœmina partus tempore ovum excluſum. Bartholin. cent. 1. obſervat. 4. quod & in ægro Vicentino Anno 1621. fœminæ obortis doloribus parturienti conſuetis accidiſſe refert *Joh. Rodius cent. 5. obſerv. 57.*

Aberravit Natura, quando loco legitimi fœtus ſolum, aut una, vel poſt fœtus, varia excluſit ex utero animalia, glirem & piſciculos. Thom. Bartholin. cent. 1. obſervat. 10. Ranas, quod in quibuſdam Regni Neapolitani locis familiare eſſe ex Ant. Torquemada Delrio Diſquiſ. mag. l. 2. quæſt. 7. mures Egræ 5. enixos Salmuth. c. 1. obſervat. 62. Serpentes ex Schenck. lib. 4. obſervat. 230. & ex Caſp. Bauhino notis in Rouſſetum de Part. Cæſ. adducit Melch. Sebizius in deſt.

deſc. caſus Adoleſcent. Argentorat. à ſerpent. interf. pag. 53. Aſtacorum copiam. Schenck. lib. 4. obſervat. 33. Rubetis ſimilia animalia. Holler. lib. 1. de morb. intern. cap. 61. in Schol. Alarum animal. Lev. Lemn. de occult. nat. mirac. cap. 8. & Matth. de Gradib. comm. in Rhaſ. cap. 29. de mola. Aveni in Comitiſſa, Mansfeldia Salmuth. c. 1. obſervat. 66. Arparum in Lombardis fœminis Lombardorum, fratrum nomine partus Familiaris River. cent. 2. obſerv. 100. ex crebro fructuum, olerum aliorumque ciborum mali ſucci eſu; quos monſtro os Uteri verminoſos partus Platearius vocat fratres Salernitanorum, Tornamira Harpas, Alex. Benedictus Harpyas, Savanorola, & Bonacciolus Feras, malumque Argentoratenſibus fœminis non infrequens eſſe aſſerit Sebiz. l. a. p. 58.

Aberrat non minus Natura, quando Gravidarum venter tandem rurſus ſponte detumeſcit, ut in adducta obſervat. factum fuit. Imponit interdum Hydrops, ut graviditas putetur, quale exemplum apud Cl. Bartholin. cent. 3. hiſt. 6. ubi proponit Anatomen fœminæ, quæ falsò prægnans credita fuerat ex affuſione ſeroſi ſanguinis e venis in abdomen. Adhuc magis deludit mola Aquoſa, cujus notabilis caſus apud Rhodium cent. 3. obſervat. 55. extat Matronæ 32. annorum, cui menſes ſuppreſſi, rugitus ac flatus ventris cum videretur partui vicina excreto humore ea quantitate quam 3. vel 4. occuparent pelves venter rurſus detumuit. Et Zacut. l. 11. Prax. Adm. obſervat. 152. fœminam narrat per 10. dies ſingulis diebus 5. ℔. aquæ ſero lactis ſimilis ex utero profudiſſe, detumeſcente tandem ventre. Interdum quidem vera fit conceptio, ſed cum nullus legitimo tempore edatur partus, falſus putatur fuiſſe conceptus. Nam vel exſiccatur fœtus in utero, cujus hiſtoria apud Bartholin. c. 1. hiſt. 12. non aliter ac vitulus in utero vaccæ exſiccatus. Idem cent. 2. hiſt. 2. vel petrificatur, uti fœtus Senonenſis præterito ſeculo, de quo Sennert. lib. 4. Pr. pag. 2. ſect. 4. cap. 7. Alboſius Medicus Gallus ſingular. tract. Johan. Georgius Schenkius in lithogenenſia pag. 83. Ludov. Burgeſia de offic. obſtetric. pag. 102. Ambr. Paræus lib. 25. de monſtr. cap. 11. Fortun. Licetus lib. 2. de monſtr. cap. 45. Thom. Bartholin. cent. 2. hiſtor. anatom. 100. pag. aut fœtus Muſſipontanus noſtro ſeculo gypſeus factus, de quo Laur. Strauſſ. & Deuſingius ſingular. tractatibus. Non raro tamen totus perit Conceptus, & in putrilaginem vertitur ſenſim in dies tanquam fluores albi emanans: oſſibus relictis in utero, & poſt aliquot annis tandem expulſis, cujus rei exempla ex antiquis collegit Sennertus Prax. libro quarto pag. 2. ſect. 6. cap. 7. à pag. 420. uſque 437. nova & recentia adducunt Ronſeus Epiſt. med. 1. p. 2. Diomed. Cornar. hiſt. 6. & 8. Tulpius lib. 4. obſervat. cap. 39. meminit Bartholin. cap. 4. hiſt. 14. fœminæ quæ fœtus oſſa conſumti per 6. annos in utero geſtavit, matre nihilominus intra illud temporis ſpatium vivum fœtum edente. Et Exercitatiſſimus Gu. Harveus Exercit. de partu pag. 499. narrat Londini mulierem poſt abortum denuo concepiſſe, debito tempore infantem peperiſſe; poſt aliquot menſes ſine dolore prioris abortus oſſicula nigra ſpinæ & femoris fruſtulatim ejeciſſe, itaque poſt primam conceptionem nihil excretum fuit, remanente corrupto fœtu in Utero.

Maximè tamen credibile in falſa conceptione Flatus Utero incluſos loco veri Embryonis ſuppoſititium Æolium & Anemium Partum Producere. Exſpectant Matres & Obſtetrices fœtum, ut

Parturiant ventres, naſcetur ridiculum ST
Aut ſine mente ſonus reboat, crepitus ſtrepituſque.
Editur. --------

Et ut alterius Poëtæ verba adducam, qui Acciellæ falſum conceptum eleganter deſcribit.

Venter cum tumuiſſet Acciellæ
Septem menſibus & novem diebus,
Cœpiſſetque Lien parum dolere,
Accerſi jubet illico obſtetricem;
Quæri faſciolas & apparari,
Sperato puerum edutura partu,
Mox inter medias manus miniſtræ
Laxo poplite cruribus levatis
Lucinam geminans, quater pepedit.

Obſervavi, inquit Bartholin. cent. 3. hiſt. 21. in f. ex flatibus ſæpè commotum Uterum impoſuiſſe mulieribus, quæ falſo ſibi perſuaſerant ſe & uterum geſtare & Embryonis motum percepiſſe. Exemplum quoque Hoechſteter. decad. 6. caſ. 4. affert Fœminæ, quæ cum biennio tumidum geſtaſſet ventrem, tandem dolore parturienti ſimili accedente, ter cum maximo conatu flatum ex utero per pudenda excluſit: pari ratione qua Baronis Uxor pro gravida habita, octavo menſe loco fœtus ſonorum flatum dimidii quadrantis horæ ſpatio Utero extorſit cum albæ pituitæ colluvie multa. Zacut. Pr. Adm. l. 2. obſer. 151. aut alia nonimeſtris dolore partus vexata ter bombum ex utero magna vi elidens ac ſi tonitruum exaudiretur. Ibid. obſervat. 150. Paucis abhinc annis ſimilem caſum Lugduni Batav. Eximii cujuſdam viri Uxori contigiſſe ſuo tempore, cum ibi moraretur, teſtis eſt Collega noſter Curioſus D. Joh. Georg. Elſnerus. Novit Juvenculam Harveius Exercitat. de partu, pag. 500. quæ gravida facta omnia prægnantis ſolita experta eſt ſymptomata, ea ſana poſt 14. ſept. fœtus in utero motum ſenſit, tempus partui debitum emenſa eſt, indicia imminentis partus adeſſe rata omnia jubet eſſe in promptu incunabula, obſtetricem: ſed fruſtra omnia, motus ſoliti ceſſarunt, paulatim ut increverat venter detumuit abſque ulla ægritudine, manſit tamen ſterilis. Idem denique Harveus aliam novit Matronam, quæ plus decies enixa fuerat, quamque menſtruorum ſuppreſſio citra prægnationem nunquam fefellerat, poſt alteri nupta, præter alia ſigna ſolita ex motu quoque (quam ipſa Sororque ejus juxta cubans ſæpe noctu ſentiebant) ſeſe gravidam judicabat, tandem ſpes omnis in flatum & pinguedinem ceſſit.

His & ſimilibus de cauſis falſi fieri poſſunt conceptus: Quod vero fœtus vivus in ipſo partu, tum Obſtetrix jam caput infantis tangeret in Comitiſſa, pluribus fœminis præſentibus evanuerit & ſurreptus fuerit, adeoque mater ſummo cum ſtupore fœtum nullum viderit exeuntem, recte Obſtetricis tanquam Sagæ maleficio quam cauſis naturalibus imputandum cum *Salmuth cent. 2. obſerv. 66.* cenſemus.

Stillicidium uteri gravidæ innoxium.

Non eſt novum Lucæ illud depoſitum ad tertium quartumque, menſem in Gravidis fluere, ad ultimum menſem rarius, rariſſimum verò, ſi ſpecie ſtillantis ichoris toto graviditatis tempore profluat. Uſitatiſſimum eſt in Galliis hodieque in Belgio, nunc & Septentrione, Gravidis ante quartum menſem ſanguinem mittere, ne in Uterum deſæviens Orgaſmus fœtum intempeſtivè expellat, felici ſanè compendio; poſcit enim demenſum ſuum Embryo, cujus quod reliquum eſt, deflexo paulum curſu in Vaginam ad ſecundum tertiumque menſem incumbit, aut, niſi Venæ Sectione minuatur, in ipſum tandem uterum fœtumque diluvio erumpit. Ne jam ſimpliciter intelligendum putes Aphoriſmum; Mulieri gravidæ ſi vena ſecetur aut menſes eant, fœtum ſanum eſſe non poſſe. Enimvero, ſi revulſionis aliqua vis eſt, etiam tum, cum anæmia quædam eſt, profuturam eſſe brachii Sectionem credibile eſt, cum hodieque aliud promptius Hæmorrhagiæ Uterinæ remedium non ſit, quàm Venæ in ſupernis Sectio. At nunc aliud recenſebo ſatis portentoſum exemplum. Anno hujus Seculi 69. qui annus Lugduni in Batavis plurimis fuit luctuoſiſſimus; non paucis in urbe matribus, ob κατάςασιν, toto graviditatis tempore menſes fluebant, ſed æquo ordine, nonnullis etiam paucis ante partum menſibus. Illæ autem feminæ, quæ ſic affectæ erant, à morbo Epidemio, qui totam urbe ſine diſcrimine vaſtabat, degebant immunes, cum aliàs ejus ſexus ferè omnes laborarent. In unâ verò Matronâ mihi notiſſimâ, jamque quinque liberorum matre, hoc contigit notatu dignum, quòd eam circa medium geſtationis tempus Stillicidium ſanguinis corriperet adeò contumax, ut ſpretis omnibus remediis, Diætæque & Vini *Tint* (ita Galli appellant vinum illud nigrum craſſum & aluminoſum) fruſtrato uſu ad extremam uſque partus horam duraverit, deſperantibus jam Medicis & ipsâ matre generoſo ſibi conſilio funus apparante. Sed quid fit? Adventante Lucinâ commodiorem experitur partum quàm unquam aliàs, fœtuſque obeſulus & nitidus viribus oſtendebat corporiſque figurâ, nihil ſibi illo Stillicidio fuiſſe ſubtractum. Nempe provida mater Natura hîc quoque utriuſque ſaluti ſupervacui ſanguinis purgatione conſuluit, matrem à contagio corrupti aëris, fœtum à copiâ ſanguinis liberando, modo quidem, fateor, inuſitato Medicorumque Scholis ſuſpecto, attamen tali, qui naturæ individuique commodis ſervire in totum potuit, adeò ἀπαίδευτος ἐοῦσα ἡ φύσις τὰ δέοντα ποιεῖ. Quid quod nuper admodùm Advocati conjux faſſa mihi ſit, ſe toto graviditatis tempore, ut erat valdè cachectica, Stillicidium non ſanguinis ſed fluoris albi ſemper & uſque paſſam tandem feliciter peperiſſe, nihil imminuto propterea fœtu, quod equidem factum fuiſſet, ſi chyloſi potius quàm fæculenti perditique humoris illa eluvies eſſet. *Joh. Nicolaus Pechlinus in Obſervationibus Anatomico-Medicis.*

Vomitio & Dejectio cruenta in Gravidâ ſine periculo.

Sempronia triginta ſex annorum, ſcorbuticæ & ſeroſæ conſtitutionis, facie miſerâ & poſt varios difficileſque partus attrita, denuo a Viro & ipſo mutili ſtrigoſique corporis, planè etiam Hectici imprægnatur. Menſes, indè ſiſtuntur; conquerebatur autem etiam ante graviditatem in præcordiis ſævire dolorem & ſibi male eſſe; tertio menſe ingraveſcunt in lævo latere dolores reſpiratione ægrè procedente, appetitus lentè deficiebat, & ſi quid adſumeret, quod ſanè perpaucum erat, perpetuo vomitu rejiciebat; facies adhæc uſque triſtis & livida aliud potius quàm graviditatem minari videbatur; tandem continuatis uſque præcordiorum anguſtiis in Vomitum & Dejectionem ſanguinis copioſam incidit. Prodeunt initio ferè & intra horas quatuor libræ ſanguinis ſex: mirus inde virium defectus, nec tamen inde doloris in ſiniſtris abſentia, qui uſque eò inſtabat, donec tertiò die poſt in novum ſanguinis Vomitum ſeceſſumque exiret, atque tùm iterum libra ἄνω καὶ κάτω prodiêre, adeoque junctim decem. Nova inde virium defectio Cordialia provocabat, inter quæ etiam à Clyſteribus & Laxativis feriari non licuit; pulſus interea ſemper & uſque citatus, facieſque indies magis Hippocratica jam matris jam infantis, cujus obſcura hactenus erat indicia, interitum portendere videbantur. Attamen poſt quatuor ſeptimanarum tædia hoc periculum evaſit, manente tamen uſque valetudine miſerâ & variis ſymptomatum ſcenis notabili, ſemper enim reſpiratio difficilis, ſitis immenſa, & poſt ſingulos paſtus, jejunos illos & Vomitu vindicatos, febriculoſum quid, ita ut toto graviditatis tempore pomeridiana ſaltem ſervare lectum cogeretur; jamque movere ſe apertius Embryo vitamque tripudiis teſtari cœperat, nunquam autem magis, quàm ingraveſcente poſt meridiem febriculâ, tum enim intempeſtivæ Circulationis onus propulſare velle jactigatione videbatur. Quidquid hactenus comederat, tenue erat & pauxillum, & illud plerunque Vomitu rejectum. Tandem quatuordecim dies ante partum, cum ultima quæque inſtare opinarentur, paulò melius ſe habere cœpit, præparatis veluti in futuros labores viribus, & quæ aliàs peſſimè & difficillimè parere ſolebat, nunc juſto tempore &, quod mireris, facili opera enixa eſt fœtum boni habitus, & corpore in illa parentis utriuſque macie jejuniiſque obeſulo. Primis quinque ſeptimanis vitalem ſe futurum promiſerat, at repentina mutatio ſpem ſimul vitamque eripuit. Cadaver pueruli novaculâ aperiri permittebant Parentes, atq; ibi deprehenſum ex Colicâ obiiſſe: namq; inflata univerſa Inteſtina cum Ventriculo pellucidam tenuitatem nacta erant eliſo in Cor Pulmoneſq; omni ſanguine, vix enim toto illo ambitu ullæ venularum notæ apparebant. Teſtem hîc laudo Protomedicum celeberrimum D. Garmerum, Virum plurimorum annorum experimentis exercitatiſſimum. *Idem ibidem.*

PRIAPISMUS.

Vitium in penis erectione eſt, quando erectio eſt aucta, quando nempe nimium aut ſæpiùs

ſæpius, aut diutius, quàm naturaliter fieri ſolet, immò tantùm non continuò, erectum ac turgidum eſt membrum duobus modis imprimis hæc nimia membri fieri ſolet erectio.

1. Quando ægri ex ſtimulo veneris, cui acriter inhiant, ſæpiùs & diutius membri tenſionem cum prurigine in venerem patiuntur, & tunc dicitur ſalacitas ſeu nimia in venerem propenſio.

Malum quod uſque eò interdum excedit, ut etiam delirium aut furorem quendam venereum inducat ex nimia ſeminis turgeſcentia & orgaſmo: qui ipſe furor vix niſi uberiore ſeminis excretione ſedari poteſt, tumque eſt affectus ſimillimus brutorum omnino œſtro venereo, dum certo tempore & certis anni temporibus ex liquoris genitalis turgeſcentia & hinc acriori ſanguinis efferveſcentia cum ſpirituum inſigniori fervore in venerem impetuoſius ruunt.

Exceſſivus hic ſalacitatis gradus coitu vix ſatiabilis, interdum uſitato vocabulo ſatyriaſis appellatur, affectus in quo poſt coitum venereum membrum adhuc rigidum & tenſum perſiſtit cum tanta prurigine in venerem, ut coëundo vix ſatiari poſſit.

Dicitur ſatyriaſis à ſatyris, qui membro erecto adque venerem prono ſemper finguntur & pinguntur, monſtris ſcilicet talibus quæ & ipſa ex nefando hominum vivorum cum capris congreſſu pronata fuerunt.

Exemplum talis ſalacitatis & ſatyriaſeos ſi quid aliud recenſet inſigne Timæus lib. 3. conſ. 52. cauſa hujus ſalacitatis eſt ſeminis naturalis aut uberiùs collecti, ſimulque volatilioris ac acrioris turgeſcentia à quacunque etiam inducatur cauſa, ſive ab aſſumptis verbi gratia medicamentis venereis, ab aſſumptis & propinatis purgantibus; ab uſu aromaticorum, vel ex alia quacunque cauſa excitata fuerit. Hoc eſt primus modus nimiæ penis erectionis.

Secundus modus nimiæ penis erectionis eſt, dum penis ita rigidus & ita diſtentus eſt in omnem dimenſionem, ut exinde graviter doleat, in qua ipſa diſtentione nullum veneris eſt deſiderium, unde & coëundo nullum aut pauciſſimum emittunt ſperma, coitu nullo levantur, quin potiùs malum inſigniter exaſperatur, adeò ut ſi ſæpius tentare volunt tales coitum, incidant ſubinde in convulſionem totius corporis.

Morbus hic uſitatè Priapiſmus vocatur, à Priapo apud Gentiles ſcortorum patrono, qui tali membro ſemper erecto & turgido fingitur.

Cauſa Proxima hujus priapiſmi eſt convulſio muſculorũ penis, quorum continua & ſpaſmodica contractio venam penis occludit, unde ſanguis eum diſtendẽs in ſuo refluxu omninò impeditur & ſiſtitur, ac ſimul dolorifica tenſio in radice penis ſentitur, unde dum ſanguis copioſiùs in penis corporibus ſpongioſis coërcetur, coacervatus hic tandem membrorum dolorifico diſtentionis ſenſu cruciat, à tali nempe muſculorum penis convulſione eſt quod quibuſdam in epileptico paroxiſmo inſciis & invitis membrum erigatur, immò quod & iiſdem in paroxiſmo epileptico interdum ſemen excernatur à tali ſcilicet muſculorum penis vicinarumque partium membranoſarum convulſione, hinc etiam eſt quòd interdum quibuſdam ſuſpenſis membrum tendatur, referente hoc Schenckio in obſervatione de ſpaſmo, quale etiam exemplum recenſet Salmuth. cent. 3. obſ. 40. ex ſimili ſcil. membri convulſione.

Verum ne fiat confuſio, dum ſuperius dixi, inflammationem teſtium, ſcroti ac penis fieri ex impedito ſanguinis refluxu & motu: hic verò dicam priapiſmum oriri ex impedito ſanguinis motu propter convulſionem muſculorum. Ne, inquam, circa hæc fiat confuſio, obſervandum moneo, quod ſanguis in corporibus penis membranoſis excavatis coërcitus, & in refluxu impeditus, det membri pertinacem erectionem & tenſionem, ubi verò ſanguis in ipſa ſubſtantia penis, quam irrigat, pro uſu nutritionis in motu impediatur, ut ibidem ſtagnet, tunc in procinctu eſſe ſolet periculoſa ejus inflammatio.

Convulſionis hujus muſculorum penis & inde oriundi priapiſmi cauſa eſt, irritatio quæcunque aut muſculos penis aut nervos eorum afficiens, unde continuato ſpirituum animalium influxu, hi contracti, ac convulſi manent, non ſecùs ſcilicet atque punctura nervi quædam per irritationem partes ad quas nervus tendit, convellit.

Irritatio hæc rarius eſt, à cauſa interna, ſubinde fit, à cauſa externa, quas inter primatũ obtinet intẽpeſtivus ac incautus cantharidum uſus. Hi enim cantharides ut tam externa applicatione quàm interna aſſumptione urinam cruentam aut ulcus veſicæ inducunt: ita à quibuſdam loco ſtimuli venerei (Itali præſertim hoc faciunt:) uſurpati malè, omnino priapiſmum inferunt, dum eorundem acre & ſalinum virus ad muſculos penis delatum continuâ irritatione pertinacis priapiſmi cauſa evadit. Præter cantharides etiam alia aphrodiſiaca acriora aut frequentius uſurpata interdum priapiſmum inferunt: hinc enim Salmuth. Cent. 3. Obſervat. 28. refert de ſene defuncto, qui poſt mortem pertinacem penis obtinuit erectionem ex nimio uſu medicamentorum venereorum quibus uſus fuerat ut noviter nuptæ juvenculæ meliùs placeret, unde in ipſa morte muſculi penis convulſi poſtmodum etiam rigidi manſerunt: facilè enim fibræ eorundem poſt mortem in eodem tono, ſed modo mechanico proſtare & ita ex ſanguinis in pene morâ Priapiſmus & tentigo induci potuit, ſed malum hoc priapiſmi rarum eſt ſatis, ut plura addere verear.

Signa relatione ægri & ſupra dictis per ſe patent.

Quoad Prognoſin, ex ſalacitate & ſatyriaſi debilitas corporis ejuſque tabes in ſpecie actionum animalium inſignis læſio ac labefactatio oriri ſolent. Priapiſmus cum ſit interdum ſatis dolorificus ac dolorem ferè inferre ſoleat ſimilem tetano ceu membris tetano correptis, propterea interdum convulſio univerſalis ſupervenit, ægerque ſic moritur aut periculoſum apoſtema membri poſt ſe trahere ſolet.

Qnoad curam in ſalacitate ac ſatyriaſi ſemen genitale ac ſpiritus animales fervidiores ac alacriores ſunt abſumendi ac diſſipandi, unde præter animum curis occupatum, vigiliæ nimiæ, victus tenuis, labores & motus hic conducunt: venæ ſectio itidem convenit, ac omnia ea quæ

ſuprà de gonorrhœa ad ſeminis turgeſcentiam & copiam corrigendam commendavimus, in ſpecie acida hic conducunt; ut ſpiritus vitrioli crebro ac diu uſurpandus, item tinctura papaveris rhæados, ac flor. cyan. & tunicæ. Hinc nitrata ſunt optima, aliis namque omnibus irritis per nitrum bis in die uſurpatum Timæus curavit ſupradictum ſalaciſſimum ſocium, manè nempe & veſperi. Unde etiam ſpiritus nitri & omnia ex nitro acido ſpiritu adhuc turgida ſunt uſurpanda.

Succedunt his citrata, ſuccus mali citrei, ſuccus limoñum, quibus & ſuccus menthæ eſt permiſcendus.

Nec minus conveniunt alia per experientiam cognita, quæ inter eſt Nymph. flore albo, quæ hic ſpecificè commendatur: item lactuca ejuſque ſuccus, portulaca, millefolium, ruta & quæ ex citatis interne uſurpari poſſunt remedia: imprimis mentha his addita mirè laudari ſolet, De vitice ſ. agno caſto, cujus folia, flores & ſemen ſunt uſitatiſſima, res ſatis eſt nota.

Poſt viticis ſemen, ſemen cannabis etiam eſt inſignis laudis, item ſemen lactuca, portulacæ, ac ſimilia.

Folia ſalicis cocta, item cum his folia verbenæ miſta, cocta & diutius continuata mirè ſtimulum venereum interimunt: his optimo cum conſilio nitrata adduntur. Camphora hic non eſt negligenda, non quod abſumat, ut volunt ſemen, aut vim genitalem imminuat: ſed quod certa quadam virtute ſpirituum fixativâ ſit prædita, quâ ratione & deliriis febrium malignarum adeo potenter reſiſtit. Ratione cujus virtutis ſpirituũ fixativæ & opiata conveniunt quæ per ſe uſurpata, ſpirituum ferociam & agilitatem compeſcendo impetum venereum retundunt, ſpiritus figendo & eorum impetum cohibendo.

Sic ut formulas quaſdam annectamus. Egregia hic eſt emulſio Mynſichti cannabina.

℞. Sem. cannab. ℥ i ß. 4. frig. maj. an. ʒj. c. ſ. q. aq. flor. Nymph roſar. an. f. emulſio, hujus.

℞. ℥ xiii. ſyr. è ſucc. violar. ℥ ij. aq. cinnamom. bugl. ℥ j. m.

Hæc in pollutione nocturna, ſatyriaſi, priapiſmo & omnibus aliis, à nimia ſanguinis quantitate vel acrimonia provenientibus affectibus eſt nobiliſſima.

Notandum quod aqua cinnamomi bugloſſata omittatur commodius, niſi ob nimiam ſeminis projectionem inſimul vires defecerunt, aliàs enim, cum ſpirituoſa ſit & aromatica, malum nonnihil exaſperare poſſet, aliàs & ita præſcribere ſoleo,

℞. Semin. cannab. melon. an. ʒij, 4. frig. maj. an. ʒ i. aq. lactuc. acetoſ. flor. nymph. an. ℥iij. fiat emulſio, edulc. cum ſ. q. ſyr. papav. albi.

Sic & mixturæ præſcribi poſſunt;

℞. Aq. fol. vitis, ſalicis an. ℥iß. ſpir. nitri dulc. ʒß. vel vitriol, edulc. cum ſ. q. manus Chriſti ſimpl.

Vel ℞. Mart. vitrioli ʒij. tinct. flor. bellid. roſar. an. ℥ß. M. F. tinct. adſtring. doſ. gut. à 7. ad 9. vel in forma pulveris.

℞. Pulv. agn. caſti. nitri depurat. an. ʒij. camphoræ ℈ß. laud. opiat. gr. vi. M. F. pulvis adſtring. ſumendus ad ʒj. in aq. ſeq.

℞. Aq. acetoſ. flor. Nymph. an. ℥ ij. liq. ſalicis ℥ i ß. ſyr. de Nymph. q. ſ. M. F. aqu. uſ. dicat.

Externè commodè applicantur genitalibus, in ſpecie ſcroto, ſucci plantagin. ſolani, cicutæ, hyoſciami, ſempervivi cum aceto miſti; hi inquam applicantur ſcroto ad compeſcendum lenien & impediendum ſeminis vim fermentativam: aut fiant ex his cataplaſmata aceto impræguanda.

His ſuccis, v. gr. lactucæ convenienter additur nitrum vulgare ſ. ſal petræ purgatum: & ita applicatur teſtibus, cùm mire hinc eorum impetus refrenatur; quin & poſtea regio lumbaris, ſ. renes ipſumque ſcrotum humectetur ſubinde, aut epithemate irroretur facto ex aqu. nymph. cui additum ſit opium. Sin ob penetrationem ad aliquam opii correctionem acetum admiſceas, eò meliùs agis.

Quod attinet Priapiſmum, in hoc ipſo imprimis cohibenda eſt muſculor. convulſio, removenda cauſa irritans; nam ſic ſpontè flacceſcet penis.

In Priapiſmo ergo, commendant autores vomitorium: nam ubi ſimul cauſa occaſionalis excrementitia latet in corpore, ut ut purgantia per inferiora eandem removere videantur, eorum tamen vis minùs eſt valida: prætereaque notum eſt, quod purgantia ſubinde tentiginem inducant, & venerem ſtimulent: Exemplum habet de viduo Platerus qui ex uſu pilularum aromaticarum & maſtichinarum tale quid percepit. Potius ergo vomitoria laudantur in Priapiſmo ad revulſionem, ut dicunt, cauſæ irritantis. Vid. Foreſtus lib. 26. obſerv. 6. idem habet Epiphanius Ferdinandus hiſtor. Medic. 26.

Juxta hæc vomitoria commendãt auctores imprimis medicamenta carminativa cum rebus venerem imminuentibus miſta, ut eſt v. g. aqua carminativa communis miſta cum aqua caſtitatis Quercetani, aut aqu. caſtitatis Riverii miſta cum ſpiritu nitri dulcis: dico, commendant auctores quibus tamen minimè poſſum conſentire, hypotheſis enim eorum eſt, quod oriatur Priapiſmus ex liquore flatuoſo, ſ. ex flatibus penem diſtendentibus, quod tamen minus philoſophicè aut ſcientificè locutum videtur: unde ex hac hypotheſi carminativa commendant, unde etiam Zacutus Luſitan. lib. 2. prax. admirab. obſerv. 105. aquam ex caryophyllis viridibus deſtillatam laudat.

Potius acida vitriolacea commendo & juxta hæc nitrata, quæ & ipſa Priapiſmum curare valent. Refert Lindanus ſe aliquando curaſſe ſenem ſeptuagenarium priapiſmo laborantem, in quo externè & internè ol. rutæ, aliàs inſigniter commendatum, fruſtrà adhibuerit, poſtmodum v. reſtituit eundem decocto lactucæ & ſemine agni caſti crebriùs ac diutius uſurpato. unde & externè cataplaſmata ex ſemine agni caſti, ex foliis nymphææ & ex ruta cum aceto deſtill. & aq. nymph. facta applicantur & commendantur.

Joel in ſua praxi in uſu habet epithema ex vino in quo decoctum ſit cuminum & ruta.

Poterius qui non habuit nec habebit inter Italos parem cent. 1. cap. 54. refert quendam 30. annor. diu pravè tentigine tentatum, tandem per uſum auri diaphoretici fuiſſe curatum. *Michael Ettmullerus in Praxi Medicâ.*

Conſultationes.

Quidam uxorem duxit, poſt aliquot annos labo-

laboravit ſatyriaſi, eaque vehementi & moleſta, longè ante gonorrhœa laborarat, à qua liberatus erat, & à matrimonio uxor ejus ne minimum incommodi ſenſerat, viſcera habet calida, & æſtum internum (is enim eſt temper. melancholicus) ſæpe conquerendo objicit ſentit acrimoniam & nitroſi humoris velut inſultum & impetum. opinio primi deliberantis, ſalvo noſtro judicio, ut benignè præfatus eſt, fuit ut enematis primùm conſuleretur, phlebotomiâ, blandis medicamentis, non neglecto reſpectu humoris melancholici additis ſeminibus viticis & nymphææ, probavit quoque balneum, lac caprillum, opiatam ex conſervis refrigerantibus & aliquantum corroborantibus, litum ad partes naturales & lumbos ex nenupharino oleo, & roſato Meſuæi. Animo & corpori providendum putavit: animo contra pathemata, quod ad illecebras & imaginarias voluptuarias cogitationes attinet: cogitatio voluptuaria cum illecebris ſemen auget, alliciendo & ſenſim deorſum attrahendo, maximè cum picturas pulchras, aut mulieres cogitant, aut vident.

Utatur juſculis æger cum extremitatibus vitulinis & Gallinis, cum hordeo & paſſulis, ita moderatos eſſe oportet ut contemperatio adhibeatur, & ſtimulus veneris omninò non tollatur: valet ſyrupus de pomis ſimplex & cum ſenna, ſyrupus nenupharis, juleb. roſatum, ſyrupus violatus, opiata laxativa cum ſenna, tamarindis, materialibus ſyrupi de cichoreo compoſito, caſſia, manna, conſervis temperantibus, tabellæ diatragacanthi frigidi ex intervallis, opiata corroborans, balneum univerſale & particulare, lac aſininum, ſerum lactis clarificatum cum albuminibus ovorum, addito ſyrupo violato & julepo roſato, aut ſaccharo violato, aut bugloſſato, injectiones in penem ob glandulas malè affectas, aliquando ob ulcuſculum in glandulis ipſis.

Alvus ſit ſemper mollis, vel arte, vel naturâ: qui alvo ſunt ſicciore, ſunt libidinoſiores (quanquam hoc diſputari poteſt) priapiſmò, ſatyriaſi & gonorrheæ obnoxii magis, in pelvi lacte plena inſideat, addita portulaca, trifolio, nymphæa.

Æizoon & cichoracea ſunt minùs apta, quia generationi obeſſe dicuntur.

Sunt qui laudant trochiſcos de camphora. *Gulielmus Ballonius Conſilior. Medicorum lib. 3.*

Salacitas Nitro curata.

Fidicen quidam Glandenſis, vir quadratus, & validi femoris facie & capillamento ruffus temperamenti calidi, vehementi veneris deſiderio subinde tenebatur, ut nullis etiam per exigua horarum intervalla, repetitis congreſſibus, ſatiari poſſet, unde ſibimetipſi quaſi infenſus, & iræ divinæ ſcortatoribus incumbentis metuens, auxilium meum implorabat.

Reſolutio.

A ſeminis copiâ ſalacitatem hanc excitari ipſa corporis conſtitutio & ſanguinis abundantia innuit, accedit vaſorum ſemini generando inſervientium calor nimius, quo mediante & ſanguis attrahitur copioſiùs & in ſemen mutatur citiùs.

Ad imminuendam itaque ſanguinis copiam evacuato corpore, phlebotomiam in cubito dextri brachii inſtitui.

Mox pro calore totius & imprimis vaſorum ſeminalium reſtinguendo refrigerantia quædam præſcripſi:

℞. Aq. Nymphææ, lactuc. portulac. endiviæ, an. ℔j. acet. roſac. ℥j. ſacchar. albiſſ. ℥ij. m. bibat ſingulis matutinis cyathum unum vel duos; veſperi emulſiones 4. ſeminum frigidor. majorum cùm aquis modo deſcriptis extractas, exhibui.

Extra etiam topica quædam refrigerantia renum & lumborum regioni applicui.

℞. Unguenti refriger. Galen. ℥vi. mucilag. ſem. pſyll. cum aq. lact. extract. ℥ß. ol. violar. nymph. an. ʒ ij. ſacchar. ſaturni ℈ij. ceræ alb. q. ſ. M. F. unguentum.

Diætam commendavi tenuem & ſobriam, proſcriptis aromatibus cibiſque calidis & acribus, raphano imprimis, porro, cœpis, allio, ſinapi, rapis, paſtinaca, ovis, lacticiniis & ejuſmodi venerem ſtimulantibu eduliis.

Cereviſiam bibat ſecundariam, vel quod melius aquam; ſine Cerere namque & Baccho friget Venus.

His non proficientibus denuò ſanguinem detraxi, & majoris refrigerationis ergo ſerum lactis caprini cum ſeminibus 4. frigidis per integrum menſem exhibui, & cum ne ſic quidem immenſa in Venerem ſedari poſſet propenſio, ſpecifica quædā ſemen extinguentia præſcripſi, ſaccharum imprimis ſaturni, aquam caſtitatis, ſuccū lactucæ recenter expreſſum, emulſionem ſeminum cannabis, pulverē cryſtalli & id genus alia.

Monui præterea, ut ad evitandas vagas libidines legitimum conjugium iniret, cùm melius ſit nubere quam uri; paruit conſilio, & ductâ in uxorem villici cujuſdam filiâ ſatis robuſtâ & vegetâ, paulò mitiùs agere viſus eſt; verùm cùm & hanc delaſſaſſet, ad ingenium rediit fornicator inſatiabilis, aliudque remedium præter anteà uſurpata petiit; commendavi preces & jejunium, ſed cùm illis nihil ſe juvari, hoc verò ventrem non ferre prætenderet, extrema pati & caſtrari potius quam aſſiduæ libidini cum æternæ ſalutis jactura, inhærere maluit.

Ego operationem periculoſam propter ſubſecuturæ vitæ & valetudinis incommoda, intermittendam, vel ad tempus differendam eſſe, cenſui.

Ille contra acriùs inſtare & caſtrationem vehementer urgere, quin & munuſculis aſſenſum renitentis conciliare annitebatur. Oblato enim equo tolutario, non contemnendæ formæ, deſideriis ſuis ut ſatisfacerem, inſtanter rogabat.

Fateor me hic in ruborem datum, cùm Domeſtici immenſæ libidinis ignari ex me quærerent, quid ſibi vellet fidicen toties me interpellans, cùm ne minimum quidem morbi alicujus in homine robuſto & vegeto appareret veſtigium, & parum aberat quin importuniſſimum, futurorem ſectioni ſubjicerem; hæſitanti tamen & ulteriùs deliberanti in mentem venit, quod olim Patavii ab excellentiſſimo Prævotio audieram; nephriticum quendam diuturno nitri præparati uſu à renum calculo perfectè liberatum, ſed poſtea ad rem veneream prorſus inhabilem redditum. Feci periculum & ſingulis matutinis & veſpertinis nitrum in aqua Nymphææ ſolutum exhibui; cujus non diebus circiter triginta continuato, adeò deferbuit, ut uxori demulcendæ vix ſufficeret; dignus fidicen, qui Meſſallinæ temporibus vixiſſet.

Quæ reſupina jacens multorum abſorbuit ictus,
Et laſſata viris nondum ſatiata receſſit.

Baldaſar Timæus Caſuum Medicinalium lib. 3.

PROCIDENTIA ANI.

I. PRolabitur interdum Anus ſive Podex, ac recti inteſtini pars extrema ita, ut poſt conſuetam illam, quæ in egerendis alvi fæcibus accidere ſolet, eminentiam, rurſus ſuum in locum, & intra corpus reduci nequeat; ſed extrà promineat, quod malum Ani Procidentia nuncupari ſolet.

II. Accidit autem Ani Procidentia, interdum ex nimiô in excernendis alvinis excrementis conatu, quô anus adeò propellitur, ut partem recti inteſtini ſecum ducat; item in difficili ac laborioſo partu. Fit quoque nonnunquam ob magnam irritationem, unde in Dyſenteria, Teneſmo, & Lithotomia ſæpius contingit. Inſuper ob muſculorum, qui poſt alvi egeſtionem anum propulſum retrahere ſolent, imbecillitatem aut reſolutionem quandoque oritur hic affectus; & ex hac cauſa ſymptoma hoc interdum ita adaugetur, ſævitque, ut ſe vidiſſe ſcribat Aquapendens Ani Procidentiam tam longam, ut cubiti menſuram æquaret, ac ita craſſam, ut ambos cubitos ſimul junctos metiretur. Atqui hæc muſculorum Ani Levatorum imbecillitas accidit, vel quia frequens & diuturna fuit ani procidentia, vel à ſeſſione ſuper lapide frigido, aut mora in aqua frigida, adeoque horum muſculorum refrigeratione. Quibus nonnulli & mollitiem nimiam ac humectationem addunt, qua de cauſa infantibus hoc malum familiarius eſt.

III. Malum hoc per ſe patet, & viſui manifeſtum eſt. Difficilius verò curatur in ſenibus, quam in junioribus. Si ob ſolum conatum vehementem, nullâ aliâ accedente cauſâ, podex foras prolabatur, ſponte interdum in locum ſuum redit, vel manus operâ facilè reducitur. Sin ex dyſenteria aut teneſmo fit Ani Procidentia, vix curatur, niſi ſublatâ cauſâ. Quum autem ab imbecillitate aut reſolutione muſculorum anum retrahentium originem habeat, & quotieſcunque alvus excernitur, procidat, vix aut ſaltem difficulter curam ſuſcipit.

IV. Igitur Anus ubi prolapſus eſt, molliter manu Ægri vel Chirurgi intra corpus reponendus: vel, ne facilè deinceps prolabatur, inungatur prius unguento adſtringente Fernelii, aut Oleo Roſarum & Myrtillorum, cui tantillum pulveris adſtringentis additum, hinc, digitorum aut lintei mollioris ope prolapſum inteſtinum reſtituatur.

Quod ſi intumuerit, atque hinc repoſitio impediatur, fovendus anus Lacte Dulci tepido, vel Decocto Malvæ, Althææ, Florum Camomillæ, Seminum Lini, Fœnigræci, & ſimilium. Vel talis fiat Fotus, præſertim Inflammatio ſi adſit.

℞. Summ. Abſynthii, Hyperici. Flor. Sambuci, Camomillæ, Meliloti an. M ß. Roſarum Rubr. p. ij. Coq. in Lacte Dulci, vel Vino Rubro adſtringente.

Noxium hîc valdè externum frigus, ſiquidem Gangræna ſubitò accederet. Celerrimè adeoq; Chirurgus repoſitioni ſeſe accingat, hinc conſervationi vitalis caloris, uſu Fomenti præſcripti, calidiorumque linteorum, operam omnem impendat.

V. Repoſitus Anus ſuo in loco ut retineatur, Adſtringens aliquod Fomentum ſpongiæ ope aliquamdiu ei admoveatur. v. gr.

℞. Cort. Granatorum ℥ iij. Fol. Plantaginis, Quercus an. M j. Flor. Camomillæ, Roſarum Rubr. an. p. ij. Balauſtiæ ʒ ij. Aluminis Crudi ʒ iij. Coq. in aqua ferrata, vel Vino Rubro adſtringente ad ℥ xx.

Interea danda opera, ut laxa ſervetur alvus, fæceſque molliores & ad facilè excernendum aptæ reddantur, ne tanto conatu in iis excernendis opus ſit.

VI. Modum adhuc alium, (ridiculum ſanè!) prolapſum hoc inteſtinum in ſuum locum reponendi deſcribit Barbette Chirurg. part. 1. cap. 9. viz. manu forti aliquoties nates ægri percutit, unde ani levatores muſculi illicò rectum inteſtinum in ſuum locum retrahunt.

VII. Quod ſi nec hiſce modis Anus ſuo loco reſtitui queat, jubet Hippocrates, ut ex pedibus pendens Æger concutiatur; futurum enim, ut illa concuſſione remigret hocce Inteſtinum. Atque in hunc ferè modum refert Fabritius Hildanus Cent. 3. Obſervat. 76. ſe virum quinquagenarium, cui, cum in via publica alvum exonerare vellet, anus prolapſus erat, & ex aëre frigidiore maximus in eo exortus dolor, nec non prolapſum inteſtinum ad magnitudinem ovi ſtrutio-cameli tumefactum, curaſſe. Primo hoc applicuit Fomentum,

℞. Fol. & Flor. Verbaſci. Flor. Camomillæ, Meliloti, Rad. & Fol. Althææ an. M j. Sem. Lini, Fœnigræci an. ℥ j. Aniſi ʒ j. Coq. in Lacte Vaccino pro Fotu; cui linteamina duplicata intinxit, & per integram horam calidè applicuit. Deinde toti inteſtino hunc inſperſit Pulverem,

℞. Flor. roſarum rubr. cort. granator. nucum Cypreſſi, Maſtichis, Thuris, Croci Martis, Plumbi Uſti an. ʒ j. F. ex his S. A. Pulvis.

Tandem caput Ægri in terram inclinavit, pedes verò in altum à duobus fortiſſimis viris elevari curavit; mox indice manus dextræ molli linteo involuto, & præſcripto decocto intincto, atque in medium inteſtini prolapſi immiſſo, id ſuum in locum feliciter reduxit; & porrò quæ neceſſaria erant peregit. *Johan. Munnicks in Chirurgiâ ad hodiernam praxin accommodatâ.*

Prolapſum inteſtinum rectum quomodo reductum?

Anno 1605. Menſe Novembri, quinquagenarius quidam ex pago prope Paterniacum, cum muſto oneratus, ex oppido domum rediens, in via alvum exonerare vellet, ac ſeſe inclinaret, prolapſum ipſi eſt inteſtinum. Et quia tunc aër frigidiuſculus erat, exortus eſt dolor maximus, ita ut ulterius ad ſuos progredi, neque ad oppidum redire poſſet. Verùm fortè fortuna à prætereunte quodam ſemiaminis repertus, Paterniacum mihi adductus fuit. Tum inteſtinum

rectum

rectum prolapſum, & ad magnitudinem ovi ſtruthii tumefactum reperi. Dolor ingens aderat, & excrementa continuò, eaque liquida & viſcida, effluebant. In curatione ſic proceſſi. Primò protinus ſequens applicui fomentum.

℞. Foliorum & florum verbaſci albi, flor. meliloti, Chamomillæ, Radicum & foliorum altheæ an. Mj. Seminis lini, fœnigræci aa. ℥ß. Aniſi ℥i.

Coquantur in lacte vaccino, recens emulcto. In decocto iſto linteamina reduplicata intinxi, & per horam integram calidè applicui. Deinde toti inteſtino ſequentem inſperſi pulverem.

℞. Roſarum rubearum, Corticum granatorum, Nucum cupreſſi, Maſticis, Thuris, Croci martis, Plumbi uſti an. ℥i. Miſce, fiat pulvis.

Tandem caput ægri in terram inclinavi, pedes verò ut in altum à duobus viris fortibus elevarentur, operam dedi, mox indice meo dextro, linteo molli & ſuavi involuto, & decocto præſcripto intincto, necnon in centro ejus quod prolapſum fuerat poſito, inteſtinum in locum ſuum feliciter reduxi. Altera die os ſacrum & coccygis ſequenti linimento inunxi.

℞. Ol. lumbricorum, Roſarum an. ℥i. Ol. ex floribus verbaſci ℥ß. Miſce.

Sequenti die ſyrupo roſato ſolutivo compoſito, cum rhabarb. agarico, & ſenna corpus leviter leniterque expurgavi, venamque in brachio incidi. Sic in priſtinam ſanitatem reſtitutus fuit, nec poſtea amplius prolapſum eſt inteſtinum. *Gulielmus Fabricius Hildanus obſervation. Chirurgic. Cent.3.*

PROCIDENTIA UTERI.

Vid.

UTERI MORBI.

PROCIDENTIA UVEAE

Vid.

UVEAE MORBI.

PSOROPHTHALMIA

Vid.

PALPEBRARUM AFFECTUS.

PTERYGIUM

Vid.

CORNEAE VITIA.

PSORA

Vid.

SCABIES.

PTILLOSIS & MADAROSIS

Vid.

PALPEBRARUM AFFECTUS.

PUDENDAGRA

Vid.

LUES VENEREA.

PUERPERARUM MORBI.

De iis jam ex parte in Prægnantium morbis, hic rurſus quædam, & primò Diſſertatiunculam cui titulus *Felix Puerpera*, ab Excellentiſſimo D. Movio, *Præclariſſimo Domino Carolo Drelincurtio* dicatam; quâ præcipuè de regimine Puerperarum ac Infantium recens natorum, agitur. Indeque continuò deveniemus ad *Conſultationes*, *Obſervationes* ac *Anatomicas inſpectiones* in Puerperio habitas.

Felix Puerpera Seu Obſervationes Medicæ, Circa regimen puerperarum & Infantium recens natorum.

Cum tantus in his Provinciis committatur error circa regimen puerperarum & infantium recens natorum mihi animus non eſt quæcunque ad noſtrum propoſitum pertinere videntur ad amuſſim percurrere, ſed tantum quædam Concilia tradere neceſſaria, quibus ſi fieri poſſit, emendetur error ille. Et quamvis Ætius Tetrabiblum 4. Sermone 4. Cap. 5. dixerit ſcriptis inutiliter mandari quomodo opitulandum ſit mulieribus naturaliter parientibus, quòd hoc non modò obſtetricibus ſed etiam aliis mulierculis omninò cognitum ſit, & quamvis inſuper eodem Conſilio Oribaſius, Trallianus, Paulus Ægineta & alii primæ Claſſis Medici de ejuſmodi re ſiluerint, non tamen ſicco pede tranſeundum duximus, quicquid ſuper regimine puerperarum & puerorum recens natorum Felix Platerus Archiatros Baſileenſis, in ſuâ Praxi Medicâ Literis mandavit, multa quippè in nonnullis locis illuſtratione quadam digna eſſe duximus ne iis qui nondum benè initiati ſunt rebus Medicis malè intellecta imponere poſſint, vel ſaltem ut liceret illis faciliori negotio dirimere atque diſtinguere eam methodum quæ apud melioris notæ Medicos recepta eſt ſuper regimine iſto puerperarum & puerorum recens natorum ab ea quæ in more poteſt eſſe apud Helvetios aut Romanos. Sic autem de ejuſmodi re verba fecit Platerus.

Poſt quam partus jam peractus tunc & matri atque infanti cura adhibetur, & paulo poſt ſubdit agens de puerperâ, ex ſellâ in lectum placidè ne animo deficiat, quod ſæpe fit, collocetur exhibitis juſculis.

In eo textu ſtatim nonnulla ſunt quæ offendunt, noſtræ non eſt conſuetudinis parturientes mulieres ut commodius pariant in ſella conſtituere, quod tamen in more poſitum eſt apud Helvetios & Germanos & quoſdam Batavos; varii quidem ſunt; mulieres ut facilius pariant conſtituendi modi, nonnullæ in genua, aliæ rectæ cubitis menſæ, vel lecti lateribus admotis, aliæ ſuper lodice humi conſtratâ, alæ juxta Platerum in ſella, aliæ demum in lecto ſe putāt facilius parituras. Si ex his omnibus figurationibus ſella magis probetur Platero, apud nos magis lectus commendabilis eſt, ſuper quo enixuræ commodius habita ratione ſui; commodiuſque habita ratione obſtetricantis & famulantium collocari poſſit. Duplex autem eſt modus apud nos

ſuper lecto pariendi, vel ſuper alio in eam rem apparato, vel ſuper eodem ſuper quo ſolent obdormire. Habent verò in more prædivites mulieres peculiari ſuper lectulo parere, nec immerito, etſi enim neceſſe poſt modum ſit eas ab eo lectulo in conſuetum transferre, id tamen fit ita blandè & tranquillè non pedibus ambulantes ſed alicujus valentioris vel fœminæ vel viri brachiis fultæ atque delatæ, ut nulla poſt modum conſequatur noxa: porrò beneficium ea ratione eis accedit aliud, dum enim in conſueto lectulo pariunt, etiam ſi variis linteis multiplicitér replicatis munitus ſit quæ ſtatim à partu removeantur: quia tamen purgamenta illa quæ ſolent una cum partu prodire non adeo grati ſunt odoris, fit ut lectus iſte, etſi linteis inquinatis repurgetur, ſervet nihilominus odoris iſtius pravitatem illorumque pravorum velut miaſmatum inquinamenta. Iſtud autem non contingit ubi ſuper lectulo peculiari pariens collocata poſt partum lectulo conſueto committitur nullis ejnsmodi inquinamentis infecto. Itaque lectus, noſtro Judicio, iſque peculiaris præferendus eſt omnibus aliis ad partum uſurpari ſolitis figurationibus & maximè ſellæ Plateri in quâ mulieres veluti duplicatæ nuſquam commode collocari poſſunt neque obſtetrices commode ſuum munus exequi in partu naturali, multò minùs in partu præter naturam. Aliud in textu Plateri obſervandum eſt quod ſcilicet velit juſcula eſſe exhibenda mulieri, poſt quam in ſella in lectulo placidè fuerit poſt partum collocata, tum verò ſubdit vino & odoribus eſſe refocillandam, hæc quippè videntur ὕςερον πρότερον dici & certè hæc adeò indiſtinctè confuſeque prolata ſunt ut quid maximè ſequendum ſit, aut ſaltem quo ordine non liqueat: videretur equidem convenientius ſi mulier quæ peperit, ſtatim à partu quemadmodum & in partu ad virium reſtaurationem vino & odoribus refocillaretur quod in more poſitum eſt apud nos in partus difficultate, dum enim ægre paric mulier vino cardiaciſque auxiliis adjuvatur, in quam rem ſequens potio ſatis feliciter ſuccedit ad naturalem partum accelerandum ubi tardior eſt;

℞. Aquæ ſtillatitiæ card. benedict. & lilior. albor. an. ℥iij. in quibus diſſolve ſyrup. de capillar. ℥ i ß. aq. ſtillatit. è capite cervi ʒ ij. confectionis de hyacinth. ſine ambra & moſcho ℈i. aquæ cinnamomi ʒ j. fiat potus in duas doſes ex duarum horarum ſpatio exhibendas interaſſumpto juſculi tantillo.

At ſtatim à partu vino odoribuſque illam recreare liceret, niſi ſtatim à partu aliud in more poſitum eſſet præſtare adverſus tormina quibus divexari ſolet, itaque ſtatim à puerperio ℥ j. ſyrupi de capillaribus cum ℥ j. olei amygdalarum dulcium permiſcetur & exhibetur adverſus ea tormina, apud vulgus nimirum nec de Juſculo ſubit cogitatio quam una aut altera hora fuerit elapſa ut iſti remedio locus fiat. Ut tamen libere dicamus quod noſtra eſt in mente ejuſmodi remedium parum proficuum; videtur permittendum tamen arbitrio volentium, ſed intermittendum noſtro, Juſculum ſiquidem longe majoris nobis videtur eſſe utilitatis atque adeo deſcenderemus in ſententiam Plateri ſuper ea juſculorum exhibitione niſi poſt modum adjeciſſet vino & odoribus poſt juſculorum exhibitionem recreandas eſſe mulieres, quod nuſquam nobis arridere poteſt, periculum enim eſſet ne vino & iſtis odoribus accenderetur quidam calor inſolitus qui febrem poſſet excitare; præterea quantum odoramenta ejuſmodi (quæ de benè odorantibus intelligi debent) inimica ſint utero & maxime ſtatim à partu omnibus vel mulierculis notum calamitoſa ſæpè experientia, cum eo tempore uterus imbecillior factus propter toleratos labores, cauſis iſtis inſolitos in eo motus, excitantibus reluctari non poſſit. Juſcula potius exhibeantur concinnata ex carnibus pullaſtrorum & vituli interdum & perdicis veteris primo quoque tempore quibus & caro vervecina adjici poterit, ſi nihil gravioris ſupervenerit; Addit Platerus cibo ſomnoque uti decet puerperam eſſe gubernandam. Circa quem articulum duo ſunt expendenda. Primum quo tempore mulieribus quæ peperere ſomnus ſit concedendus, alterum quæ victus ratio puerperis conveniat. Circa verò utrumque id inſuper venit obſervandum, diſtinguendum eſſe ſcilicet de primis puerperii diebus & de ulterioribus, ad ſomnum ergo quod attinet non ſtatim à puerperio concedendus nobis videtur, ita ut peccaverit Platerus qui indiſtinctè cibo ſomnoque uti decet puerperam eſſe gubernandam dixerit. Quid enim tunc temporis deceat, id certe eſt quod erat definiendum. Præterea ad cibos quod attinet, cum prius juſculà exhibuerit, quidnam per cibos intelligere voluerit non adeo liquet; niſi apud eum cibi ſint aliquid ſolidioris edulii, juſcula liquidioris, quo poſito quoto tempore juſcula, quoto cibi ſint exhibendi id operæ pretium erat declarare.

Huic itaque difficultati lux ut afferatur dicimus non prius ſomnum puerperis eſſe permittendum quam juſculo fuerint recreatæ à quo una hora vel altera elapſa omnibus inquinamentis debent repurgari, amotis ab illis omnibus linteis inquinatis, ſi in conſueto pepererint lecto, aut elapſo ejuſdem temporis intervallo pepererint in peculiari lecto, debent prius in conſuetum transferri antequam de ſomno mentio fiat. Non debet igitur ſomnus concedi niſi tribus quatuor aut quinque à puerperii horis elapſis, aut potiſſimum quia antequam ſomnus concedatur debemus eſſe certi de modo lochiorum effluentium cum ſæpè fiat ut mulieres quibus citius conceſſa ſit dormiendi libertas incidant in aliquam lipothymiam ob nimium lochiorum fluxum qua par eſt adſtantibus imponere, dum putant mulieres ſomno indulgere, unde non leve vitæ periculum incurrunt: ſæpè etiam fit ut quædam mulieres propter graviſſimos quos ſuſtinuere dolores incidant in ſoporoſos affectus à quibus vindicare illas vix poſſemus, ſi bonâ fide adeò citò ſomnus eis permitteretur. Itaque prius debemus eſſe certi de rerum præſentium ſtatu ut ſi omnia benè ſe habeant ſecurè ſomnus concedatur. Ut autem liquere poſſit an omnia ſint juxta notata diſpoſita, tres, quatuor vel quinque horis ad minimum à partu ſunt relinquendæ; Itidem non levis eſt difficultas circa cibum ſi per id vocabuli ſolidum alimentum ſit intelligendum. Quod igitur confuſe pronuntiavit Platerus hacce ratione diſtinguendum eſt, puerperis primum parturientibus nuſquam puto cibum ſolidiorem eſſe concedendum ante quintum aut ſeptimum diem à partu, quamvis nulla gravia ſymptomata

à cibi

à cibi ſolidioris uſurpatione videantur orta; Ratio eſt quod omnino incertum ſit qua ratione ſucceſſura ſit iſta parturitio, perpetuo quippe fit ut puerperæ duobus tribus, aut quatuor diebus à partu incidant in febrem quam lactis febrem ſolent mulieres appellare, quæ ex genere Ephemerarum ſolet contingere, dum natura fœtui conſulens ad mammas materiam lactis tranſmittit, idcircò majoris ſecuritatis ratione ne tunc temporis febris ſymptomatica abeat in eſſentialem non debemus prius ſolidiorem cibum conceſſiſſe, qui culpari non injuria poſſet & haberi tanquam vel autor iſtius febris vel fautor alterius ſupervenientis, itaque iſtud febricitationis tempus debet prius effluxiſſe ne Medicus accuſetur indulgentiæ, ſolaque concedi interea juſcula tribus quatuorve horis (ut dictum eſt) aut ova ſorbilia juſculi vice ſufficiantur cum gelatina, quo uſque ſeptimo à partu accedente die & febre fideliter ſedata, horis meridianis concedantur cibi ſolidiores, boni ſucci & facilis coctionis, elixi potius quam aſſi, ut accedente quarto-decimo à puerperio die & horis ſerotinis quemadmodum & meridianis, detur pariter locus ſolidioribus eduliis.

Res autem non ſic ſe habere debet circa mulieres jam alias partum expertas quibus vel primo à partu die 8, vel 10. horis ab eo partu elapſis ſolidior cibus ſemel in die concedi poteſt, quia jam puerperium expertæ de eventu velut ſunt ſecuræ, eâ nihilominus cum lege ut verſus tertium à partu diem interea dum viget iſte motus febrilis deſignatus ſola juſcula in uſum veniant per unum vel alterum tertiumve diem; Cavendum eſt autem tum primùm puerperis tum in aliis ne (quod clinicæ mulieres ſolent) nimiâ ciborum copia excipiantur, à qua ſæpè non expectata ſuperveniunt ſymptomata, id enim licet ſæpius à Medicis recantatum, vix poteſt ab ejuſmodi clinicis obſervari, quæ id ſolum intentum habere videntur ut plurimis & ſæpius ingeſtis eduliis vires ut dicunt reſtaurent puerperarum quas ejuſmodi copia potius obruunt & peſſundant.

Pergit Platerus nec tum (donec vires receperit uteruſque ad priſtinum ſtatum redierit, quod citius fiet ſi faſcia ventri circumdata leviter ut ſubſideat ſtringatur) ambulando aut exercendo ſe nimium commoveat aut aërie intempeſtivo ſe credat. Hæc poſtrema ſunt de regimine puerperarum Plateri verba, quæ nec magis ſunt probanda quam ea quæ jam examinata fuere, quippè hic primum agit de faſciâ admovenda puerperis poſtquam egit de cibis ſolidioribus eis exhibendis, quod præter rerum agendarum ordinem eſt; ſcilicet debuerat verba facere primo à partu die de faſcia quæ tunc neceſſaria eſt, non verò poſt cibi ſolidioris conceſſionem, quæ admittenda ſolum eſt aliquot à partu diebus, præterea quo die permittendum ſit mulieri ut deambulare poſſit ex his non liquet. Tandem & multa circa regimen iſtud à Platero ſunt prætermiſſa, de quibus omnibus paucis acturi ſumus; atque ut primum quæ ab eo male obſervata ſunt circa faſciam ventri admovendam illuſtremus; dicimus tribus aut quatuor horis à partu eam eſſe admovendam, ſed eam à primâ die ad diem uſque quintam ſextam aut ſeptimam, atque ſequentibus laxiorem eſſe relinquendam, ne ſi arctius conſtringeretur primis hiſce partus diebus uterus vim pateretur, cum enim per novem menſium ſpatium venter intumuerit in eam molem quæ in gravidis conſtituta eſt, male conſultum eſſet mulieribus, ſi per unum aut alterum diem faſciâ ſtrictiori ad ſolitam magnitudinem quis vellet & abdomen & uterum revocari, maximè cum ab ea conſtrictione uterus inflammationem facili negotio pati poſſet, hæc itaque circa faſciam cautio eſt adhibenda, ut primis diebus laxior, ſenſim ſtrictior reddatur, per faſciam autem intelligimus non linteum in plures circulos per abdomen revolvendum ſed linteum palmaris altitudinis quadruplicatum abdomen circumdans una tantùm revolutione aciculis ſolummodo firmandum & potiſſimum circa regionem umbilicalem admovendum ut ſic uterus grandior graviditate redditus & umbilicum ſua dilatatione excedens ad ſuam ſedem hypogaſtricam blandè reduci queat velut abdomen ad legitimam amplitudinem.

Quod ad deambulationem pertinet, nuſquam niſi temere permittenda venit ante decimumquartum à partu diem, nam quamvis ruſticæ mulieres & aliæ nonnullæ diebus aliquot à partu pedibus ſuis ſe committant variaque peragant opificia ſine ullâ interdum noxâ, nuſquam id tamen trahi debet in exemplum. Medicus debet eſſe judex ſeverus qui ſuis fultus præceptis ab eis non debet recedere, propterea quod qui ea religiosè non ſervaverint, perpetuo non læduntur; Sufficit ut una mulier ſic lædi poſſit ad hoc ut nuſquam quid ſimile debeat concedi ab artis perito, at plures novimus quæ citius quam par eſſet pedibus ſuis ſe committentes in uteri Rheumatiſmos, inflammationes abſceſſus, hydropem incidêre, quod non contigit ubi ex methodo omnia fiunt, hæc itaque à Platero circa regimen puerperarum fuere annotata, ſed nonnulla alia ſunt ab eo prætermiſſa non tamen contemnenda.

Inter illa poſtremum locum non obtinent enemata quæ in puerperis maximæ ſemper fuiſſe utilitatis obſervata ſunt, itaque rebus benè ſe habentibus, id eſt nullis gravioribus, vel torminibus vel doloribus præſentibus riteque lochiis procedentibus, de iſtis remediis non cogitandum niſi 24. à partu horis ad minimum elapſis; illa autem ſic concinnari ſolent.

℞. Folior. malv. biſmalv. violar. parietar. Mercurial. hord. an. M. ß. Seminis lini p. ij. bulliant in ℔. iij. vel iv. aquæ ad tertiæ partis conſumptionem aut circiter, in colaturæ librâ unâ diſſolve mellis nenupharini, ℥iij. olei amygdalarum dulcium ℥ ij. fiat clyſter, qui nullo graviore ſymptomate urgente ſemel quibuſcunque diebus manè debet injici ad ſeptimum uſque à puerperio diem, poſt modum verò miſſo omnis olei uſu alternis ad tertiam uſq; ſeptimanam aut circiter iterari poterit, tum melle omninò deſpumato in locum mellis nenupharini ſuffecto addita interdum uncia ſemiſſe electuarii lenitivi, interdum ſi flatus adſint eadem quantitate Catholici duplicati cum Rheo. Quod ſi tormina primis diebus negotium facerent bis de die Clyſteres eſſent injiciendi uſque ad 5 aut 7 à partu diem ſed ea lege ut in eo qui ſub veſperam injiceretur, nullum penitus mel adjiceretur ſi lochia profluerent ex debito & ſi dolorum acerbitas lochiorum fluxum cohiberet tum alia

quid mellis eſſet addendum & potius Mercurialis quam alterius hocce modò.

♃. Decocti ſupra deſcripti libr. unam, diſſolve mellis mercurialis ℥iv. Olei amygd. dulcium ℥ij. trochiſcorum de myrrha ʒß. fiat clyſter.

Hæc rebus debitè ſe habentibus circa clyſteres ſunt peragenda qui immutari poterunt pro ſymptomatum ſupervenientium conditione, ſed quia de regimine gravidarum benè ſe habentium poſt Platerum hic ſolum agere ſuſcipimus, idcircò de remediis ad morborum ſupervenientium curam conducentibus diſſerere ſuperſedemus, nam altioris & longioris indaginis id eſſet.

Aliud prætermiſſum à Platero eſt, obſervatio ſcilicet circa lintea uterum obturantia, quæ ſæpius de die immutanda, ne fœtorem contrahant, & maximè ut illorum auxilio cum quantitas tum qualitas lochiorum penes odorem & colorem poſſit examinari; unde intelligitur error Primeroſii cap. 8. lib. 1. de Morbis mulierum qui humores ejuſmodi fluentes vel ſpongiâ, vel pulvino ſulphure repleto vel mollibus linteis excipiendos conſulit, inibi quippè dupliciter peccat, tum quia excipiendos ſolum dicit ejuſmodi humores nullâ factâ uteri obturatione quam per crura decuſſatim diſpoſita faciendam eſſe malo conſilio dicit, tum quia præter lintea ſpongiam & linteum ex ſulphure conducere poſſe ſcripſit, quæ tamen nuſquam accuratè aut qualitatem aut quantitatem lochiorum deſignarent. Sola itaque lintea molliora venire debent in uſum, ex quibus nulla cum ambiguitate quod percupimus accipere poſſumus.

Tertium à Platero omiſſum eſt lochiorum muliebrium deterſio & mundificatio, cum tamen propter effluvium acriorum humorum per novimeſtre ſpatium retentorum, calor quidam inſolitus eas partes invadere ſoleat & cum propter inſignem quam patiuntur dilatationem contuſiones, excoriationes & dilacerationes incurrunt, neceſſe eſt ut ad meliorem ſtatum reducantur & fieri ſolet inſtituta lotione tepidiuſcula ejuſmodi partium bis, terve, quaterve de die, ea tamen lege ut iſta lotio non veniat in uſum niſi duabus aut tribus à partu diebus, ne aër externus ſubeat ejuſmodi partes non ſatis adhuc primis hiſce diebus coarctatas & ad ſe reductas.

♃. Hordei integri nodulo latiore incluſi man. j. Fol. telephii M. ij. bulliant in aquæ communis libris duabus ad medias ut ex ſpongiâ leviſſima vel ex foliis ipſis telephii fiat fotus, qui tamen ea ratione debet inſtitui ut non ſublato operimento manibus in lectum immiſſis peragatur. Quod ſi vel excoriationes vel dilacerationes ſint nimiæ fotu facto apponatur illud præſidium in unguenti formam redactum & ſuper linteolo extenſum.

♃. Olei amygdal. dulcium recenter extracti ℥i. Vitellum ovi recentis, ceræ albæ ʒ vi, eliquatâ cerâ miſceantur omnia ſimul & agitentur in unguenti formam, quod ſi drachma dimidia vel drachma una Terebinthinæ pluries in aqua plantaginis vel ſolani elotæ cum ovi vitello prius agitetur, magis proficuum futurum iſtud præſidium. Nonnulli oleum hyperici anteponunt oleo amygdalarum dulcium, quod non culpamus ubi inſignis dilaceratio, ſed vulgò magis probatur oleum amygdalinum.

Quartum illud graviſſimum à Platero neglectum circa mammas verſatur, ſiluit quippe de modo quo per totum puerperii tempus ſint gubernandæ, ne aut pilare malum aut abſceſſus aut aliud quid ſimile incurrant propter lactis ſolitam ad eas confluere copiam; & quia ut plurimum nobis communis mulieribus ratio eſt qua alienis nutricibus alendos ſuos fœtus committunt, idcircò quid circa illas ſit moliendum ne a lactis copia & concretione vitium patiantur potiſſimum docere debemus. Varii varia in eam rem comminiſcuntur; Suſcipiendas nonnulli volunt ex collo quæ intermedium mammarum ſpatium perreptent æreas catenulas, alii aureum roſatum cum aceto permiſcent, atque ex Charta bibulâ imponunt mammis, alii ex unguento populeo æquis partibus cum cerato Galeni permixto litus inſtituunt, ſed noſtro judicio catenulæ iſtæ inutile ſunt præſidium, alia etiam præſidia minus ſunt ſecura, vel eo nomine quod unaquaq; die ſemel & iterum debeant celebrari, unde aëri externo expoſitæ mammæ majus damnum incurrere poſſunt. Securiori itaque ratione agetur ſi paulo ante partum lintea quadruplicata tepidiuſcula mammis imponantur quæ poſt modum ab illis partibus nuſquam removeantur, niſi ubi lac per eas effluens, madefacta ejuſmodi lintea cogit immutare, quo in caſu alia prius ſunt mammis imponenda quam antiqua removeantur. Eâ autem ratione antiqua debent removeri ut mamæ nuſquam aëri externo imponantur, per inferiores ergo partes detrahantur, dum enim mammæ aëri externo non patent, vix fit ut in lactis concretionem, aliaque ſymptomata incurrant, quæ potius ſolent contingere ubi juniores puerperæ nondum de rebus edoctæ velut voluptuarium aliquid, mammas ſuis fœtibus ſugendas exhibent planè nudatas, licet prius monitæ de infauſto qui exinde contingere ſolet, ſucceſſu.

Quintum & ultimum, nec ſilendum, potus eſt, de quo ut breviter abſolvamus, cereviſiam à puerperis ablegamus velut flatulentam, vinum pariter damnamus & omnia illa decocta calidiora ex cinnamomo, coriandro, paſſulis, glycyrrhiza aut ſimilibus concinnata quæ legere licet apud Liebautium, Primeroſium & alios. Itaque paretur decoctum ſequens vulgarius.

♃. Radicum graminis & altheæ an. ℥ij. bulliant in lib. v. aquæ communis ad quintas, adde glycyrrhizæ quantum volueris, fiat ptiſana pro potu ordinario, quod ſi ſyrupi de capillaribus unciæ duæ cum libris duabus decoctionis hordei etiam ad potum commiſceantur & proficua erit iſta cautio. Ad potum pariter pertinere poſſet, non quidem limonata, quæ tormina ſua aciditate poſſet concitare, ſed orantiata, ſi quippe ſuccus unius aut alterius mali orantii cum unciis duabus ſacchari in libris 3. vel quatuor aquæ utiliter iſte potus exhibebitur, quia pomorum orantii ſuccus lochia ut menſes promovere putatur, qui propterea ſæpiuſculæ ſolitarius juſculis exhibetur.

Hæc præcipua ſunt circa regimen puerperarum benè ſe habentium obſervanda, ad Plateri textum illuſtrandum. Jam pergendum nobis eſt ad explanationem regiminis quod inſtituendum voluit circa puellulos recèns natos hæc itaque ſunt ejus omnia verba quæ una ſerie à nobis traden-

tradentur ſed quæ per partes poſt modum examinabuntur.

„ Fœtum quod attinet non ille more conſueto in balneo aquæ tepentis à ſordibus adhæreſcentibus abluatur, panniſque mollibus leviter abſtergatur, lactis cremore vel butyro oleoque amygdalarum dulcium recenti inungatur, poſtea faſciis involvatur atque cunis impoſitus continuo donec dormiat, agitetur, & ut lactere diſcat uberibus matris adhibeatur, illud autem poſtquam à ſordibus in primo ſui balneo abſterſus tentare omnium optimè, cum ſic à calore balnei ſitibundus quaſi prodiens mox papillas ore apprehendat & ad ſugendum accommodat. Hæc ille, inter quæ primum illud licet apud Germanos aut Helvetios conſuetum ſit ut loquitur, apud Nos tamen nuſquam in uſu eſt, ut videlicet balneo aquæ tepentis puerorum recens natorum corpora immergantur quo à ſordibus poſſint repurgari, olim quidem in more receptum fuit Galeno referente lib. 10. de ſanitate tuenda cap. 10. apud quoſdam Germaniæ populos recens natos in flumina demergere, ſic enim illorum robur explorandum contendebant, nam ſi ejuſmodi immerſionem ſine damno ſuſtinuiſſent, exinde conjiciebant robuſta eſſe viſcera quæ frigiditatem aquæ eluſiſſent imò firmiora evaſiſſent qua ratione candens ferrum in aquam frigidam demiſſum durius ſolet extrahi, hunc morem periculoſum eſſe probavit Galenus eo loci, ſed quod balneum aquæ tepentis, non ad roboris explorationem ſed ad ſordium expurgationem foret conducibile nuſquâ obſervavit, certe quicquid aliter ſentiant Germani, omnis illa etiam in aquam tepentem immerſio tenellulis corporibus videtur eſſe inimica, tum quod omni tempore partus edatur, etiam per hyemis ſævitiem, quo tempore vel majoribus natu infidus eſt balnei uſus, tum quod balneum ſæpè fluxiones moveat, ſed maximè quod longè ſecuriori ratione ſordes ablui poſſint quàm iſta balneatione, fatemur itaque neceſſariam eſſe eam ſordium deterſionem, ſed contendimus eam tutiori ratione inſtitui coram igne ex vino rubicundo tepente cui 3. aquæ pars fuerit admixta & quia ſordes majori ſunt in copia circa caput, maxillas, ſcrotum, idcircò ejuſmodi partes accuratius ſunt fovendæ vel ex panno molli, vel ex ſpongiâ vino madidis: Quod ſi ut ſæpè fit ſordium ejuſmodi craſſamentum aliquod firmius adhæreat cuti, tunc vel oleo amygdalarum dulcium, vel butyro recenti diluendum erit ut linteis mollibus tandem poſſit omnis impuritas detergeri: Cavendum tamen ab oculis, de quibus ſiluit Platerus, quibus nec vinum, nec butyrum nec oleum convenit, ſed qui ſolumodo vel linteo molli ſicco vel eadem aqua tepente madefacto ſunt eluendi; Nonnulli ad totius corporis abſtertionem oleum roſaceum & oleum myrtinum adhibent, aut ſaltem in vino auſtero roſarum & myrti folia incoquunt, eo conſilio ut pori cutis minus aperti maneant cutiſque vis aſtringentibus firmior evadat: Sed quia tranſpirationi ea ratione intercipitur aliqua libertas, ſufficiat ut ſordes extergeantur per ea quæ deſcripſimus remedia, ne adhibitis adſtringentibus pori cutis adverſus externas injurias minus quidem pateant, ſed totum corpus internis affectionibus magis ſit obnoxium.

Addit Platerus lactis cremore vel butyro, vel oleo amygdalarum dulcium recenti, puellulorum eſſe inunguendum corpus poſt balneationem, quæ verba, ſi ad ſordium deterſionem prolata ſint, inutilia prorſus videntur, nam balneum ad iſtas ſordes eluendas jam conſuluit Platerus, ergo iſthæc inunctio nullius utilitatis erit.

Faſciarum involutionem equidem commendat Platerus, ſed quia de recens nati umbilico ſiluit, idcircò quid ſuper eo præſtandum ſit priuſquam de faſciis agamus expendendum eſt;

Statim atque prodiit fœtus in lucem quia placentæ per umbilicum adalligatur, quædam obſtetrices antequam placentam & ſecundinas ex utero detrahant umbilicum eſſe reſecandum volunt, ut poſtmodum facilius, ut putant à ſecundinis & placentâ liberare poſſint puerperas, ſed mos iſte nobis non arridet qui putamus de ſecundinis educendis quàm de umbilico reſecando potiorem debere eſſe curam, hâc maximè impulſi ratione quod metus ſit dum in reſecando umbilico tempus teritur ne nimiâ morâ interpoſitâ vel aër externus uteri cavitatem ſubeat, vel ejus partes anguſtiores reddantur, unde utrinque periculum immineret. Itaque non prius de reſecando umbilico cogitandum quàm puerpera à ſecundinis fuerit liberata; Intereà fœtus inter femora matris ejulans ſupinus eſt conſtituendus, ne ſi pronus eſſet ſuffocationis periculum incurreret. Liberatâ itaque muliere à ſecundinis, fœtus primò involvatur & ad ignem poſitus ei umbilicus reſecetur, hacce ratione ut ſpatio inter abdomen & ligaturam faciendam craſſitudinis pollicis relicto, vinculum admoveatur ex filo craſſiore quadruplicato & leviter torto quod prius præſto eſſe debet magnitudinis pedalis, cujus extrema nodulo contineantur; vinculum autem iſtud neque adeo arctè ſtringi debet ut umbilicum diſſecare par ſit, neque adeò laxum eſſe ut per vaſorum umbilicalium cavitatem aliquid ſanguinis fœtus refluere valeat, ſed moderatæ debent eſſe conſtrictiones, ſi enim nimia ſtrictura ſit, citiùs quam par eſſet diſſecaretur umbilicus & periculum eſſet ſanguinis effuſionis, partibus nondum ſatis ad ſe adductis, quod idem periculum ſequeretur à vinculo laxiore. Ultra locum vinculi debet etiam ante ſectionem umbilici ejus portio altera relinqui altitudinis duorum vel trium digitorum, quæ portio intra 4, 5, 6 aut 7. dies propter interceptionem caloris factam à vinculo putrida decidere debet dum pars altera intra vinculum ad ſeſe adducta formatur in umbilicum vulgo dictum, ſed prima ut diximus pars ultra vinculum putrere debet. Inde duo neceſſariò facienda veniunt, primum ut pannulo reſiduus umbilicus involvatur, ne pars ea exanguis reddita ſua frigiditate fœtum lædat, alvique tormina concitet, alterum ut quatuor digitos latâ faſciâ, abdomen prius linteo munitum conſtringatur & umbilicus certa in ſede permaneat, atque adeo citius quàm decet non decidat, quod forſan contingeret ſi nulla re firmatus huc & illuc divagaretur.

Accedat tertium, non minus obſervatu dignum, ut ſcilicet reſiduum illud umbilici verſus partes ſuperiores adducatur, non verſus inferiores, ſic enim tanta cum copia ſanguis non erumperet ſi dum ſi acceſcit, ſanguinis per illas daretur

exitus. Exiſtimant nonnulli in maſculis alia ratione umbilicum eſſe reſecandum aliâ in fœmellis; relinquendam ſcilicet volunt umbilici intra vinculum majorem portionem in maſculis, ut penis exinde, ut inquiunt, grandior evadat, minorem in fœminis ut altiorem ſedem obtineat uterus, illique cervix fiat ſtrictior. Sed hanc obſervationem refutat Anatomia, quia nullum admittit conſenſum vel penis vel uteri cum umbilico, fœtus enim omnis umbilicalium partium conſenſio eſt cum veſicâ ratione urinariæ quæ ſuſpendit veſicam, non vero cum utero aut cum pene. Error itaque unus ſit: alius verò pariter annotandus, quem vulgò mulierculæ committunt, quæ ubi fœtus eſt debilior conſulunt ſanguinem in toto umbilico contentum, eſſe ad interiores partes propellendum, fœtus ea ſanguinis acceſſione roborandi gratia, ſed quia iſte ſanguis ſua frigiditate ſuaque, propter aëris externi appulſum, velut concretione & congelatione utilis eſſe non poteſt, idcircò prohibendum ne quid ſimile ab ignavis mulierculis præſtetur cum plurimo fœtus damno, hæc de umbilico.

Ubi ergo umbilicus fuerit ex arte diſſectus jam fœtus eſt involvendus faſciis, ad majorem tamen ſecuritatem omnes ejus partes ſint ut decet patentes & liberæ; explorandum os, nares, aures & potiſſimum urinæ canalis & podex: ſæpè quippè fit ut iis partibus membrana præter naturam obtendatur quæ ſcalpello eſt aperienda meatuſque patens relinquendus admotis mollibus linamentis, nec difficile erit de urinæ ductu & de podice Judicium ferre cum ſtatim à natalibus urinas reddere debeat fœtus & nigrum illud recrementum, quod papaver ſeu meconium appellatur. An itaque ejuſmodi viæ à partu perforatæ ſint ac benè conformatæ expendendum antequam faſciis fœtus involvatur, cum non paucos liquerit obſervare imperforatos in lucem prodiiſſe, quibus mors ſuccedit ineluctabilis, niſi factâ operatione Chirurgica. Præterea ante faſciarum admotionem de Capitis conformatione cogitandum eſt, atque examinandum an aliquâ centuſione non ſit affectum, interdum quippè ita premitur inter exeundum caput fœtus ut ejus parietes, pro ea qua tunc donantur mollitie comprimantur, atque adeo caput non longam & rotundam figuram ſed vitiatam & ex longitudine compreſſam obtineat. Quod ut fiat manu obſtetricis corrigenda ejuſmodi figura & ad naturalem reducenda, quia ſuturæ tunc ſunt molles ac proinde facili negotio ſuum locum pares ſunt immutare & ad ſuum legitimum reduci; Quod ſi contuſum ſit caput, uti ſæpè contingit, ubi potiſſimum in primo partu anguſtiores ſunt partes, in eadem ſede oleo hyperici æquis partibus cum ſpiritu vini permixto tepidè foveri poteſt ter aut quater quoque die: Iis itaque prius ſic obſervatis faſciis eſt involvendus infans, circa quas id ſolummodo ad Medicum ſpectare videtur ut moneat obſtetricem aut clinicam vel nutricem Primo ſinciput fœtus quadruplicato panno molli eſſe muniendum, cum ejuſmodi pars adhuc mollis eo debeat defendi munimento adverſus frigus externum. Secundo aures, axillas & inguina pannulis debere muniri, quo exeuntes ſordes abſorbeantur facilius. Ad faſcias autem quod ſpectat pectus primo liberum eſt relinquendum, ut omnis ſit inter reſpirandum libertas, cum liquerit quoſdam obſervaſſe à nimia faſciarum circa pectus conſtrictione ſuffocatos; Secundò ventriculi regio pariter ſit libera ne dum lac ſugitur impar ſit extendi, unde lactis ejectio conſequeretur; Demùm quod æqualiter totum corpus faſciis contineatur, maximè verò crura & tibiæ ita æqualiter extendantur ut in debita figurâ poſſint permanere.

Obſervandum eſt inſuper brachia ſecundum longitudinem corporis extenſa à corpore, femora & tibias à ſeſe, interpoſito linteo molli, debere diſtingui; ne mollities corporis attritus aut excoriationes perpetuas patiatur; cætera mulieribus permittantur quarum illud intereſt potiuſquam Medici. Deductis bellè faſciis de cunis cogitandum, ſed obſervat Platerus cunis fœtum impoſitum, continuo donec dormiat agitandum, qui certè mos vitioſus omninò eſt neque in quantum fieri poteſt tolerandus: Duo itaque ſe offerunt examinanda primum quâ ratione cunis imponi debeat fœtus, alterum an cunis impoſitus perpetuo donec dormiat ſit agitandus? Ad primum dicimus non ſupinum ſed ad latus alterutrum leviter inflexum fœtum eſſe conſtituendum, quia ſi ſupinus eſſet ne à viſcida pituita in ventriculo partibuſque vicinis cumulata ſuffocaretur periculum eſſet. Ut ergò pituitoſis liberior decubitus in utrumque latus præferendus; Id præterea annotandum, cavendum eſſe ne nutrices cunis omiſſis in eodem in quo decumbunt lecto, fœtus conſtituant quò facilius mammas eis admovere per noctem poſſint. Sæpè quippè factum fuit ut dum in eodem lecto ubera admovent puellulis, ſomno oppreſſæ eos ſuffocaverint, ſcilicet mammis inſcienter & mala ratione diſpoſitis; Idcircò lectulus ille peculiaris ſternendus lodicibus & pulvinis ut decet munitus, qui cunæ vel cunabula appellantur *ἀπὸ τοῦ κύειν*, quod in illo *κύ*[illegible] ſeu *κύημα* hoc eſt partus ſeu fœtus reponi ſoleat; Annotandum inſuper cunas ita debere in cubiculò conſtitui ut ad eas feneſtrarum lumen recta pertineat, ne dum lumen obliqua ratione oculos infantum verberat, ſtrabiſmus ſeu oculorum diſtortio excitetur: Ad alterum autem quod ſpectat, videtur perpetuo in uſu fuiſſe cunarum motitatio vel ex Galeni loco ubi de Elephanto agit nutricis munia obeunte, atque ubi inter alia narrat quomôdo plorante infante etiam cunas motitarit ſua proboſcide quo is ſopiretur, unde & forſan cunæ *ἀπὸ τοῦ κινεῖν* à movendo deductæ, qua ratione ab inſulando inſula dicta, ut notavit Voſſius in Etymologico. Verùm enim verò ſi uſu recepta fuit iſta cunarum motitatio etiam juxta Galenum lib. I. de ſanitate tuenda, ea ſolummodo ad fœtum ſopiendum fuit inſtituta, ſi itaque poſſimus obtinere ut infantes abſque motitatione ſomnum capere poſſint, non levis exinde ſequeretur utilitas, quia dum nutrices moleſta conſuetudine cunis motitandis operam dant, per noctem ſomnum capere non poſſunt, unde lac illarum calidius multo redditur, à quo poſtmodum maximè læduntur infantes, non ergo benè conſultum à Platero qui ſtatim à faſciis continuè donec dormiat agitandum eſſe fœtum monet, cum apud nos iſte motus ſomni non accedentis remedium eſſe ſoleat poſt Galenum, de

debeamuſque prius experiri an ſomno ſine motitatione indulgere poſſint infantes quàm illicò de illa cogitare, quæ ſi omninò non admitteretur res infantium felicius ſuccederet.

Tandem adjicit Platerus infantem ut lactere diſcat uberibus matris eſſe admovendum, illudque faciendum vult ſtatim à Balneo à quo ſitibundus ſolet exire, in quibus verbis, primum illud annotandum à Balneo non eſſe admovendum uberibus matris infantem cum nullum admiſerimus balnei uſum. Secundùm malè Platerum dixiſſe uberibus matris eſſe admovendum infantem ut lactere diſcat, habet quippè illud documentum à naturâ ipsâ, quæ pueros ſugere lac à mammis docet; Sed an uberibus matris, quod voluit Platerus, an uberibus nutricis admovendus ſit inquirendum. Obſervandum tamen eſt prius neſcio quoddam plegma viſcidius ventriculi fœtus parietibus adhæreſcere, quod prius ſit educendum quàm lac ingeratur, quod quidem faciliori fiet opera ſi vini tantilla portio ſaccharo medicata, puta drachma una ſacchari pro unciis duabus vini, ex digito ſugenda vel ex cochleari ſorbenda ei exibeatur, oleum amygdalarum dulcium etiam ſaccharo medicatum.

℞. Olei amygdalarum dulcium & ſine igne extracti ℥j. Sacchari candi. ℥ii. Miſce ad uſum vel digito vel ex cochleari, ut dictum eſt; Quorum vicem ſubire poteſt ſyrupus violaceus ad unciam unam cum uncia ſemiſſe olei amygdalarum dulcium permixtus ad eundum uſum, his per ſolidum diem utatur infans recens natus, donec præſto ſit nutrix & omnem ſputando rejecerit pituitam, nec enim aut mel aut butyrum in eam rem probamus. At quæritur an tunc de caſſiæ medulla vel de mannæ decocto tutius ſit cogitare: quicquid alii aliter ſentiant, nos à catharticis iſtis abſtinendum exiſtimamus rebus rectè compoſitis, at morbo aliquo poſtulante pro rerum momento conſilium eſt capiendum. Elapſo tempore deſignato & magna pituitæ portione repurgata, lacti infans committendus, an materno, an alieno quæſtio inſtituitur, quam ut brevi diſſolvamus, dicimus optandum eſſe ut omnes ex æquo matres forent pares alendis fœtibus, cum plurimas liceat obſervare inidoneas huic operi propter pectoris, pulmoniſque intemperiem fervidiorem, quam vulgò imbecillitatem vocant, aut propter Viſcerum nutritiorum pravam diſpoſitionem. Inſuper dicimus vel matres alendis fœtibus idoneas 8. ſolummodo diebus à partu Mammas eis præbere non debere, quoniam id quod primis diebus erumpit ex mammis lac convenientibus dotibus deſtitutum, infantem potius lædere quàm nutrire poteſt, ut pote quod ſua tenuitate ſeu potius aquoſitate & alvum ſolvere & in eo tormina excitare par ſit; Demùm quia non paucæ plantæ alieno ſolo traditæ felicius luxuriant ſuamque (quod de malis Perſicis dictum) deponunt malignitatem, & quia vel ferocia animalia mitioris animalis lacte miteſcunt, ita & pluries liquit obſervaſſe alienam nutricem alterius quàm matris ſit temperamenti, ſuo lacte emendaſſe in viſceribus matris contractam in fœtu intemperiem. Id licet Gellius cap. 1. lib. decimo noctium Atticarum culpaverit licetque major multa ſit convenientia alimenti extra uterum à matre ſuffecti cum alimento ab eadem ſuppeditato intra uterum, quia tamen non levia exinde emergunt incommoda, quibus ſuſtinendis melioris ſortis mulieres non ſunt pares, & quia alienas nutrices non difficile eſt invenire bona valetudine, laudabilibuſque dotibus inſtitutas, idcircò ſatius duximus alieno quam materno lacte fœtus nutriendos exhibere, neque enim Vitellii Imperatoris crudelitatem vel Caligulæ ebrietatem poſt Suetonium, nutricibus alienis tribuendum putamus, aut ſi nutricibus, illud imputandum intemperatis quas à fœtus nutricatu prorſus arcendas exiſtimamus, nec melius valet quod ſuper ea re Joubertus refert niſi ad ſuæ ipſius fæminæ encomium quam quatuordecim, ni fallor, puellulos nutriſſe venditat, quod nuſquam in exemplum ſumi debet à prædivitibus mulieribus.

Reliqua Plateri verba quæ hortantur ut puellulo à balneo ſitibundo potius mammæ admoveatur inutilia prorſus ſunt, cum balneum ipſum nullius apud nos ſit utilitatis, itaque hæc ſuper puerperæ infantiſque recens nati regimine ex Plateri textu licuit annotaſſe, quibus plura licuiſſet adjicere, ſi ut de regimine puerperæ benè ſe habentis & pueri recens nati in bona valetudine conſtituti ita de morbis illorum diſſerere animus fuiſſet.

De Lochiorum retentione cum urinæ ſuppreſſione & Doloribus poſt partum.

Mulier partu laborioſo, in quo ab oſtetrice ruditer tractata, filium enititur, quem difficilis & tarda ſecundinarum earumque fruſtulatim diſcerptarum excluſio ſequitur. Hinc lecto impoſita altero mane graves abdominis lancinantes, & ad pubem uſque protenſos dolores patitur, repetitis vicibus recurrentes, ſimiles partûs doloribus. Dolet ſimul acerbiſſimè circa pubis regionem, ita ut præ dolore tantùm non ejulare conatur. Lochia parcè fluunt, ſimilia loturæ carnium, eaque pauca, urina difficulter redditur, & tandem penitus ſupprimi videtur. Ponderis ſenſum in regione abdominis hypogaſtrica intrinſecus ſentit, verſus genitalia prementis. Tertiâ demum die vocatur Medicus, qui ægram præter enarrata frigidiuſculè circa extrema, ac frontem ſudantem cum ſingultu offendit, ſimulque pulſum celerem, frequentem magnitudine & vehementiâ moderatum, durum nonnihil deprehendit. Adſtantes flagitant curam.

Reſolutio. Affectus eſt complicatus, conſiſtens primariò in lochiorum retentione, ſecundariò in ſuppreſſione urinæ & doloribus poſt partum.

Pars affecta, Uterus, hinc veſica & partes membranoſæ vicinæ.

Cauſa proxima, grumi ſanguinis, à quibus irritatur uterus, unde dolores ſpaſmodici, quales ſub partus tempore adſunt; ab iiſdem grumis ponderis ſenſus in regione hypogaſtrica.

Cauſa remota, aër frigidus ſub partu laborioſo, & tardiore ſecundinarum excluſione admiſſus, qui puerperis ſicut & potus frigidus, pernicioſiſſimus, ita hic grumeſcentiam ſanguinis introduxit, & conſequenter lochiorum ſuppreſſionem. Quod effluit, eſt ſaltem ſerum, à ſanguine grumeſcente ſeparatum, & pauxillo ſanguine tinctum, hinc loturam carnis refert.

Urinæ ſuppreſſio eſt à læſione genitalium circa collum veſicæ, quæ imperita obſtetricis manu duriùs tractata tumeſcunt, quem tumorem occurſus aëris frigidi auxit; ſæpe collum veſicæ planè laceratur, unde urinæ ſtillicidium planè incurabile.

Fruſtula ſecundinæ retentæ potius hæmorrhagiam quàm ſuppreſſionem lochiorum inducunt. Sicut etiam mola retenta, fœtus mortuus, debilis, ad copioſum ſanguinis fluxum diſponunt.

Sæpè à frigore ſuſcepto, vel potu frigido hauſto abdomen à partu tumidum manet, vix niſi maturè, vel. novo partu curabile.

Metus eſt, ne lochiorum ſuppreſſioni febris acuta, urinæ retentioni graviora ſymptomata ſuperveniant.

Excretio loturæ carnium ſimilis innuit orificium apertum adhuc: dolor ſpirituum motum ad uterum, molientem excretionem arguit: neutrum malum.

In cura. (1) Lochiorum fluxus promovendus ſtimulantibus, & aromaticis, grumos reſolventibus. Solis ſtimulantibus nihil obtinebis, quàm ut dolores intendas, excellunt Myrrha, crocus, borax in aqua cinnamomi. Item pro grumis reſolvendis, lapis cancror. propter vim traumaticam, decoctum artemiſiæ in cereviſia addito croco, tinctura antimonii ex ſcoriis reguli ad ℈ß. egregia.

Externè ſuffitus ex colocynthide, vel ſcoriis reguli antimonii, vel urina putrefacta, quæ leni calore ſal volatile acerrimum emittit, per infundibulum excipiendum in lochiis & menſibus ſuppreſſis. Si ægra habitior, & metus febris ardentis urget. vena ſecanda in pede.

Puerperæ noſtræ ad lochiorum fluxum promovendum, dedi.

℞. Borracis venet. ℈ß. myrrh. gr. xvii. croc. ℈ß. M. Pro 2. doſibus primam doſin ſumpſit mane, alteram evomuit, unde præſcripſi.

℞. Sal. Card. bened. artem. an. ℈ß. Borrac. venet. ℈ß. M. Pro 3. doſibus, à prima doſi ſub veſperam ſumpta ſat commodè fluxere lochia, in ſequente manè penitus ſupprimuntur cum ventris tumore, intenſoque dolore, ſudoribus frigidis, unde cum ſanguinis grumos ſuſpicarer.

℞. Aq. Chærefol. matricar. an. ℥iß. Aceti vini acerrim. ʒvi. lapid. cancr. præp. ʒj. Myrrh. gr. xv. ſyrup. artem. ʒvi. laud. opiat. gr. iß. M. capiat probè agitatum ſaltem cochlear. hinc ſequentes ſacculos calidè ſimul abdomini applicandos præſcripſi.

℞. Herb. abſinth. chamom. an. M. iij. Matricar. M. ij. rad. angel. ℥ ij. ſemin. 4. calid. major. an. ʒij. baccar. junip. ℥ß. conciſis & contuſis includantur ſacculis duobus, repetitis vicibus applicandis.

A mixtura prædicta ſanguis diſſolutus fuit & evacuatus, cujus uſum etiam in caſu ab alto, lochiis à partu reſtitantibus & læſionibus uteri conſolidandis multiplici experientia confirmatus recommendo.

(2) Urinæ excretio promovenda leniter ſtimulantibus, potiſſimùm lapid. cancr. ægræ dictæ ſequens applicatum fuit,

℞. Herb. parietar. M. ij. chærefol. M i ß. inciſa coq. ad conſiſtentiam pult. adde butyr. recent. nonſalit. ℥ij. ol. ſcorpion. ʒiij. terebinth. deſtill. ʒiß. M. f. cataplaſin. calidè applicandum pectini.

(3) Doloribus urgentibus providè obviandum, commendo decoctum chamom. vulg. cum cortic. aurant. (quamvis ſit nauſeoſum) addita ad ſtimulandum myrrhâ & artemiſia. externè ſacculi calidi imponantur, illito prius hypogaſtrio oleo deſtillato ſuccini & juniperi.

(4) Virium proſtrationi ſuccurrendum, quod fit, abſente febre, ſpirituoſis, aqua cinnamom. vino generoſo, cujus odor & potus egregius ad refocillationem tinctura corall. cum ſpiritu cornu cervi. *Michaël Ettmullerus in Collegiô Conſultatoriô.*

De Lochiis per alvum expurgatis.

Lochiorum poſt partum expurgatio copioſior nonnunquam eſt juſto, parcior nonnunquam, interdum planè intercepta. Pro diminuto vel ceſſante fluxu lubrica alvus confert, cujus rei cauſam non raro admiratus ſum: novi puerperas quibus nulla lochia poſt partum ſucceſſerunt, magno vitæ diſcrimine: injecto verò clyſtere ſimplici, alvoque ſoluta convaluerunt, quibus diarrhœa loco ſanguinei purgamenti fuit ſaluti: quum uxor mea chariſſima fœliciter filiolum meum Caſparum enixa eſſet, parciſſimé præter morem lochia fluxerunt, ſed continua ferè aliquot dierum diarrhæa ſine ulla virium jactura purgata fuit. Dubitavi per quas vias retracta ſit materia ad inteſtina; longæ viæ ſunt, nec hic per alvum cruor decurrit: igitur verò mihi fit ſimile per alvum revelli & evacuari ſerum quo alioqui diluitur ſanguis & impregnatur ad venas uteri patentes deducendus. *Thom. Bartholinus. Hiſtor. 19. cent. 3.*

Pro Lochiorum fluxu immodico.

Mulier quædam poſt abortum à ſanguinis fluxu immodico ſummam patiebatur virium dejectionem: illi præſcribo frictiones & ligaturas partium ſuperiorum, cucurbitulas ſub mammis, epithemata & pullos columbinos, fotus manuum cum vino calente, in quo confectio alkerm. diſſoluta ſit, & ſequentem potionem.

℞. Aq. plantag. naph. & roſ. an. ℥i. ſyr. corall. ℥i. ſal. prunell. ʒi. ſang. drac. ℈ß. M. F. potio, quæ ſtatim fuit exhibita, antequam reliqua remedia fierent, & intra horæ quadrantem dolore ventris & lumborum quieverunt, & fluxus imminutus eſt, ut aliis remediis non indiguerit. *Lazarus Riverius. obſ. 69. cent. 1.*

Curatio fluxus ſanguinis immodici in illius cohibitione tota verſatur: ſumma tamen cautio adhibenda eſt, ne quod per hujuſmodi purgamenta excerni conſuevit, intus retineatur, & graviſſimorum affectuum cauſa evadat. Ideo ſi affectus non vehementer urgeat, à levioribus incipiendum erit, ad potentiora, ſi opus fuerit, ſenſim progrediendo, ac primùm ſanguinis impetus cohibendus eſt alimentis incraſſantibus, ut panatellis, gelatinis, oryza, amylo, cum juſculis pedum vituli, pyris, cydon. coctis, carnib. aſſis ſucco granatorum aſperſis. Cibus paulò copioſior exhibeatur, non tamen una vice, ſed potius frequenter, cum modo

calor & ſpiritus, qui expulſionem in utero adjuvant, ab utero ad ventriculum avocetur, vires inſtaurentur. Vitelli ovorum huic conveniunt: nam & facilè coquuntur, & calorem ad ventriculum avocant; potus ſit aqua ferrata, vel extinctionis auri, vel in qua parum maſtiches bullierit, venter faſcia mediocriter conſtringatur: quia hoc modo comprimuntur vaſa & fluxus immodicus impeditur, lumbis admoveantur lintea oxycrato madefacta, ſi diutius duret fluxio, pulvis vel opiata ad plures doſes præſcribi poteſt in hunc modum.

℞. Lapid. hæmatit. ℈iv. pulv. bol. arm. corall. rubr. margar. præp. an. ʒi. ſem. plantag. coriandr. præp. & gran. ſumach. an. ℈ii. M. F. pulvis tenuiſſimus, de quo capiat ʒi. cum decocto centinodiæ & ſyr. cydoniorum.

℞. Conſerv. roſ. rad. ſymphyt. an. ℥j. bol. arm. troch. de carabe, & corall. an. ʒi. cum ſyr. corall. vel de roſ. ſicc. F. opiata de qua capiat ad magnitudinem caſtaneæ, ſuperbibendo parùm aquæ potus ordinarii.

Exterius verò fotus & unguenta utiliter admovebuntur in hunc modum.

℞. Summitat. lentiſc. rubr. plantag. cupreſſ. olivæ, polygoni, an. M. j. roſar. rubr. p. ii. granor. myrti ℥iß. nuc. cupreſſ. numero vi. cortic. granat. p. ii. coq. in aq. chalybeata & vino rubro aſtringente, & colatura foveantur partes muliebres valdè tepidè & ferè ſubfrigidè.

℞. Unguenti comitiſſ. ℥ ii. ſucc. plantagin. ℥ i. agitentur ſimul, & fiat linimentum, applicandum poſt fotum.

Injectio in uterum etiam poteſt fieri ex ſucco plantag. à Galeno laudato, vel decocto fotus prædicti.

Reliquis remediis non conferentibus, venæſectio in cubito præſentaneum eſt remedium, ſi paulatim & per quædam intervalla ſanguis educatur; ſic enim multas deploratas convaluiſſe experientia docuit.

De ſomno peculiariter hic annotandum, dum ſanguis copioſè effluit, eum eſſe penitus arcendum, multæ enim ex eo de medio tolluntur, quia calor ad interiora retractus majorem fluxum efficit: & ſi aliquando is concedendus ſit, aliquis ex miniſtris ſemper adeſſe debet, qui ægrotantis pulſum & reſpirationem obſervet. *Lazarus Riverius. prax. medic. lib. 15. cap. 21.*

Pro Lochiis ſuppreſſis.

In puerpera lochiis ſuppreſſis laborante: rectè uſus ſum hoc decocto.

℞. Hord. mund. M. j. liquir. raſ. ʒß. ſchænanth. ʒiß. coq. in aq. pro ℔i. id quidem vel in febre non obeſt, & ſimul purgationes ſopitas aperit, debilioribus ʒi. ſchœnanth. in jure pulli bullire jubeo: hoc enim modo Florentiola medicus Bononienſis utebatur: valet & jus cicerum. Mulieres Bononienſes dant jus columbæ in quo bullierit ſchænanthum ad purgationes promovendas; eſtque remedium Nicolai, at in robuſtioribus puerperis, ſi menſes diu retineantur, vena tali incidenda, ut in quadam cum maximo ſucceſſu fecimus, menſtrua purgatione ſubſequente: etiam ſine udo ʒi. pulv. dominarum cum aq. artemiſ. *Petrus Foreſtus. obſ. 82. lib. 28. De morbis mulierum.*

Hunc potum ſibi reddat familiarem aliàs à me expertum.

℞. H. chamæm. M. jß. pulv. cortic. arant. ſicc. ʒj. coq. in ſ. q. cereviſ. cujus colaturæ ſacch. albiſſ. parum miſceri poteſt: ab eo aliquoties aſſumpto melius habuit, *Jo. Petrus Lotichius. obſ. 21. cap. 1. lib. 5.*

Purgatio convenire poteſt ſeptem vel novem diebus à partu, ex infuſ. rhei, agar. aut ſenæ; vel cum juſculo laxante ex herbis ac rad. aperient. cum ſena parato; vel cum mannæ ℥iß. in juſculo diſſolutæ. *Lazarus Riverius. prax. med. lib. 15. cap. 22.*

Nobilis mulier pudicitiam ſuam proſtituerat, uteroque conceperat, conceptus ferè trimeſtris. Cum de ea re nulli ſuboleret, fortè cum joco multa faceret patereturque, in vicinum lectum conjicitur, in ejus ventrem incidit juvenis, qui impetu lapſus, & ſua ipſe mole opprimens, tantam utero vim intulit, ut illiſus fuerit fœtus: ingens copia ſanguinis fluit. Qui aderant nil tale de conceptu cogitabant. Advocatus medicus, de amiſſa pudicitia ne cogitare auſus, totum id ad preſſum illum referebat, ideò rogatus ut omni ratione ſanguinem cohiberet, & ſupprimentia, & ſectionem venæ recens enixæ adhibuit. Sequenti die rheum præſcribit, nihil inde alienum conſecutum, an urgente neceſſitate recens enixas ad ſolennia remedia adigere audebis. *Guil. Ballonius. lib. 1. Epid. & Ephem. pag. 53.*

Lochiorum fluxus nimius uſu Lapidis Hæmatitis cohibitus, manu detenti.

Fœmina Limburgi ad Lhanam nimio Lochiorum fluxu laborabat, multa nec non optima remedia fruſtra adhibuit, tandem ex conſilio fœminæ cujuſdam lapidem Hæmatitem manu tenebat, Quid fit? illico fluxus ſiſtitur, *D. Joh. Dolæi.*

Lochia aquoſa.

Uxor cujuſdam Mercatoris expletis Menſibus abſque laborioſo nixus puerperio, natura ipſa obſtetricante partum abſolvebat. Circa fœtus excluſionem mirum & inſolitum quid contigit: Conficiebatur enim abſque ulla ſanguinis profuſione, cujus ne guttula in conſpectum venit, ſed loco ipſius lympha viridis non abſimilis ſolutioni vitrioli commun. cum aqua ſimplici factæ; præter propter pondere 20. librarum lochia conſtituebat. Aqua erat limpida, dulcis, omnis acrimoniæ expers, duravitque ejus fluxus integrum menſem ſatis copioſus abſque ullius ſanguinis veſtigio: Neque puerpera hinc male habebat, ſed uti feliciter enixa erat, ita reliquo tempore puerperii, abſque multis torminibus aliiſque incommodis traducto, in hunc uſque diem vivit ſana optimaque utitur valetudine. Notandum, quod ſecundinæ, quanquam dilaceratæ & cultelli acie multoties diſciſſæ nihil ſanguinis, ſed ſimilem liquorem limpidum & aquoſum profuderint. Haſce ob cauſas fœtus non eſt excluſus juſto infirmior, ſed uti integris viribus mundum intravit, ita iiſdem adhuc abſque ullo ſanitatis vitio benefruitur. Hinc evidenter apparet, quam

quam lubrica ſit illorum opinio, qui ſuſtinere conantur, lochia eſſe reſiduam ſanguinis partem pro nutritione & augmento fœtus ad uterum delatam.

Scholium.) Cùm humorem fœtus nutritium à matre ſuppeditatum non purpureum illum eſſe, ſanguinis nomine propriè venientem, compertum ſit, verum albicantem aliquem & ſeroſum, ſimilem ſeri evacuationem ex oſcillis uterinis hic contigiſſe; & cum ſanguis puerperis à partu recenter exſtillans non aliam originem agnoſcat, quam vaſorum ſanguineorum, in uteri ſubſtantia radices agentium, à prægreſſo enitendi conatu, ſive uteri forti commotione, & hinc ſubſequente placentæ ſeparatione violentam reſerationem, in hoc autem caſu abſque laborioſo nixu puerperium ſucceſſerit, & ita oſcula vaſorum ſanguifluorum non dilacerata fuerint, porulos iſtos, qui liquorem nutritium graviditatis tempore ex arteriis uterinis in placentam derivaverant, ulteriorem ſaltem ſeri iſtius à ſanguine ſeparati fluxum conceſſiſſe, craſſioribus autem cruoris particulis exitum denegaſſe, foret credibile, niſi & ipſa placenta diſciſſa, ſanguinis loco, ſimilem aquoſum liquorem ſuppeditaſſet; Unde potius in hoc ſubjecto ipſi ſanguini tincturam purpuream omnino defuiſſe dicendum erit. Qualem rubedine deſtitutum ſanguinem in aliis quoque fuiſſe deprehenſum novimus, exempla promentibus Joh. Rhodio cent. 1. obſerv. 36. cent. 3. obſ. 72. Petr. Borello cent. 1. hiſt. 25. Thom. Williſio de febrib. cap. I. Henr. Oldenburgio Act. philoſoph. Angl. Num. 6. §. 4. 10. & Num. 8. §. 8. Ephemeridibus Nat. Cur. Ann. 2. obſerv. 210. & Ann. 3. obſ. 123. &c. Quæ tamen dum vel recenter è cibo comeſto prolectum, & nondum cum ſanguine intimius permiſtum chylum proponunt, vel ſaltem ſanguinem illum in cachecticorum, febricitantium, aut alio morbo laborantium corpore exſtitiſſe innuunt, quid hic decernere liceat, haud video. Chylum enim non fuiſſe, nec puerperæ fœtuſque ſanitatem admodum laboraſſe, ipſa hiſtoria loquitur. Sanguinis equidem in genere conſiderati eſſentiam in purpura non conſiſtere, vel Hippocrates lib. de glandul. teſtis eſt, illud album, quod ex glandulis diſſectis erumpit, ſanguinis nomine dignatus, per hunc ipſum tamen ſanguinem album nil niſi ſerum intellexiſſe, Hier. Barbatus tr. de ſang. & ejus ſero benè interpretatur, utpote cujus ſeri quoddam quaſi promtuarium ſunt glandulæ; idipſum vero ita ſolitarium in humano corpore pro ſanguine vitali & ſano nemo facile agnoverit. Licet enim imperfectiorum quorundam animalium, uti cochlearum (vid. Exc. D. Joh. Jac. Harderi examen anat. cochl. terr.) liquorem vitalem albicare certum ſit, in homine tamen ſimilis ubi occurrit, aliquid præternaturale, & ita morboſum, à quacunque demum cauſa, ſulphur ſanguinis rubicundum ſubjugante, eorum habuerit, evincit. *D. Joh. Petri Albrechti.*

Lochiorum Suppreſſio.

Autumni frigidi injurias experta puerpera Hafnienſis, non ſatis forſan cautè ſe in actu hoc gerens, nec fortuna ſatis lauta id concedente, poſt partum cæteris benè ex voto fluentibus, lochiorum ſuppreſſionem paſſa eſt. Quid inde? id certè rarum non eſt. Sed inter raros caſus referendum quod huic accidit. Totum enim corpus tuberculis hinc inde obſitum fuit & defœdatum raro ſpectaculo, incaluitque à ſanguine reſtitante, ſive ab uteri vaſorum obſtructione, ſive ſanguinis craſſitie. Vaſorum obſtructio impedire potuit ſanguinis aliàs ex reliquo corpore, ubi geſtationis tempore retentus fuerat, nec expurgatus menſtruis purgationibus, excernendi curſum, unde ille in tubercula congeſſus. Conſultus ſectionem Saphenæ ſuaſi, & pellentia interna, ſed moderate ſumenda. Memini in alia puerpera parciorem lochiorum fluxum, alvi liberaliori obſequio compenſatum. *D. Thomæ Bartholini.*

Lochiorum Fluxus per Nares.

Muliebria purgamenta (ſive menſtrualia ſive puerperalia fuerint) non ſubſiſtere utile, prædixit Hippocrates in 512â Coacâ, quod in præced. 516â ſic explicuit: Quæ ex partu & abortu copioſè, celeriter, cum impetu ferri, i. e. fluere ſolent, ſi ſubſiſtunt, moleſtiam exhibent, quæ moleſtia conſiſtit in rigore, præcordiorum dolore, è quibus (uti habet prædictio Coaca 512.) comitiales morbi oriuntur, niſi videlicet poſtmodum decenter fluant.

Veritatem harum prædictionum proprio q. corio ſtabilivit Lipſiæ Menſ. Jul. Anno 1670. paupercula quædam meretrix, Deſſavia Anhaltina, hæc fœtum furto conceptum, depoſitura, cogebatur ob fortunam ſumme tenuem ſub Dio Lucinam vocare, quæ ipſi quoque optatas tulit ſuppetias, filium optime formatum in lucem mittendo. Aſt, dum enititur, ob externum, eumque udum aërem (qui in canicularibus quoque utero infenſus) Lochia retinebantur, quo facto, Symptomata ex ſupra citatis prædictionibus coacis, ipſam miſerculam ſtatim invadebant: Interim providentia magiſtratus oppidani deferebatur in Noſocomium, in quo cum de Lochiis ſuppreſſis conquereretur, atque meo conſilio uteretur, ſtatim curationem direxi eo ut Lochiorum fluxus via ordinaria promoveretur, ad hunc ſcopum facientibus medicamentis: Verum irrito omnia conatu: Die tertia poſt partum, circa medium noctis, incipiebant Lochia erumpere per largiſſimam hæmorrhagiam narium, quæ duravit uſque ad meridiem diei quartæ, quo fluxu etiam perfecte purgata atque reſtituta fuit citra aliorum medicamentorum uſum. *D. Pauli Ammanni.*

Secundina in utero retenta.

Anno 1667. Furſtenvvaldiæ ædes locaram paternas cuidam Bibliopego, cui nomen Michaël Koch: ejus uxor 30. annorum, nomine Anna Schachin Zullichia oriunda peperit filium, ſed mortuum. Provida obſtetrix cum ſentiret ſecundinas, quas avellere non poterat, utero eſſe accretas, umbilici partem ex utero propendentem filo robuſtiore confirmatam femori alligavit, ut eo indies ſecundinarum ſolutionem citra detrimentum uxoris tentare poſſet. At fruſtra hoc genus remedii adhibitum fuit;

fuit; etenim pars umbilici extra uterum citò putredine abſumebatur, ſecundina in utero firmiter remanente. Cum autem mulieri propterea nullum gravius ſymptoma accideret, & medicamenta averſaretur, nulla ei fuerunt adhibita remedia, obiitque mulier ſua munera in ædibus ſana per annum integrum cum dimidio, quo tranſacto tempore ſecundinam aridæ inſtar pellis ſponte excidiſſe eadem jurato affirmabat. Concipere verò non poterat per id tempus, quo ſecundina in utero hæſit. Altera vice imprægnatæ mulieri eadem acciderunt, quæ jam de ipſius partu & ſecundina per unum & dimidium annum in utero retenta enumerata ſunt. Tertia autem vice cum in partu ipſi ſimiliter non poſſent ab utero ſolvi ſecundinæ, mulier cum infante ſuo in ipſo partu mortua eſt. Rarus mihi hic caſus videtur, & notatu dignus, cui fidem vix adhibuiſſem, niſi mea is conſtaret experientia, & conjuges prædictos ipſe in ædibus aluiſſem. Docemur hoc caſu, noſtri eſſe officii, jubere Obſtetrices in ſimilibus caſibus, ubi ſecundinæ ſponte non excidunt, nec facile ab utero ſeparantur, ut eas ab utero vi ſumma minimè diſſolvant, aut accretas ſuis unguiculis, ad id opus acuminatis felium inſtar ſcalpendo dilacerent & ſic violentia quadam eas extrahendo præſentaneam mortem accelerent, quod equidem ſæpius à me & aliis in Praxi Medica obſervatum eſt.

Scholium.) Quamvis ſecundinæ retentæ magnum ut plurimum minentur periculum, aut ipſam etiam mortem accelerent, nonnunquam tamen abſque ſingulari incommodo eaſdem in utero diu reſtitare novimus. Id vero perrarum eſt; qualia præter hic allatum rariſſimum exempla tum in Ann. 3. Ephem. N. C. obſ. 117. tum in Actis Medd. Hafn. Barth. Vol. 2. obſ. 22. apud Theod. Kerckringium obſ. anat. 30. & Laz. Riverium cent. 2. obſerv. 3. occurrunt. Idque fortaſſis accidit, corpore illo arctius utero etiam poſt partum adhærente, eique per humoris ex utero in illud inſtillantis glutinoſitatem quaſi adcreto, humidis autem ſecundinæ particulis ſenſim dein evacuatis aut evaporantibus; vel etiam uteri oſculo poſt partum arctius occluſo aëris corruptionem minantis, adpulſum inhibente. Qua ratione autem tardior illa poſt partum ſecundinarum ab utero ſeparatio provide ſit promovenda, (ne, quod Hippocrates lib. de ſuperfœtat. habet, violenter detractæ inflammationem excitent) præ aliis eleganter edocuit Franc. Mauriceau de Morb. mul. lib. 2. cap. 9. & 13. *D. Chriſtiani Menzelii.*

Secundinarum poſt laborioſum partum ultra ſequimenſem retentarum fruſtillatim facta excluſio.

Civis apud nos uxor, aliquantum corpulenta, ſtaturæ propemodum mediocris, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, annorum 42. mater tredecim liberorum, jamque quarta & decima vice utero gerens, anno 1682. D. 30. Nov. poſt laborioſum non in ſedili, ſed in lecto inopinato enixum partum, quo integrum biduum tranſegit, non ſubſequentibus ſecundinis, ex earum retentione periculosè laborare cœpit. Paulo enim pòſt præcordiorum ingruit anxietas, vires decidere, venter intumuit, dolor in inguine & infra ſiniſtrum cruciavit hypochondrium. Interea, excluſo fœtu, haud mora adhibuimur omnis penè generis remedia ſecundinas expellere apta alias nata, qualia ſunt:

♃. Pul. ad part. valid. ℈ß. ægagropil. teſticul. equin. præpar. an. gran. v. M. D. pro una doſi.

♃. Ol. ſuccin. deſt. ſabin. deſt. an. gutt. v. Sacch. alb. ʒß. ſal. volatil. ſuccin. gr. vii. Aq. artemiſ. meliſſ. an ℥j. M. D. pro una doſi.

♃. Sem. melon. exc. Nucl. perſic. an. ʒi. Aq. artemiſ. Aq. puleg. calcatripp. meliſſ. an. ℥i. F. l. a. Emulſ. add. Ocul. cancr. præpar. ſuccin. alb. præpar. an. ℈ß. borac. Venet. ſol. Margarit. an. gr. v. Man. Chriſt. perlat. ℈ii. Aq. cinnamom. flor. cordial. ʒvi. M. D. pro aliquot doſibus.

♃. Mag. ſuccin. ʒß. Sol. ocul. cancr. teſticul. equin. præpar. an. ℈i. borrac. Venet. diagryd. ſulphurat. ſal. ſuccin. volatil. an. ℈ß. aq. conſolid. regal. artemiſ. meliſſ. flor. cheir. an. ℥i. cinamom. opt. ℥ß. Man. Chriſt. perlat. ʒi. M. D. pro aliquot doſibus.

♃. Aq. artemiſ. puleg. meliſſ. an. ℥ß. Pulv. ad dyſtociam Auguſt. ʒß. borrac. Venet. ſtamin. lil. alb. an. ℈i. ol. ſabin. deſt. cum ſaccharo albo ritè ſubact. gutt. vi. ſyr. artemiſ. ʒiij. M. D pro una doſi.

♃. Rad. Ariſtol. r. ver. liquirit. pimpinell. an. ʒii. H. ſcord. betonic. meliſſ. an. Mj. Flor. calendul. ſambuc. hyperic. an. p. j. bacc. laur. contuſ. Myrrh. ſem. fœnugræc. an. ℈i. Coq. in ſ. q. aq. lil. ab. ad dimid. part. conſumption. Colaturæ ℥viii. add. Mell. anthoſ. Mercurial. an. ʒiii. Ol. è vitell. ovor. amygd. dulc. hyperic. ſimpl. momordic. an. ʒii. Balſ. Peruvian. ℈i. M. pro injectione uterina aliquoties repetenda.

♃. Ung. Baſilic. ℥i. ſucc. rutæ ℥ß. trochiſc. de myrrh. ʒi. pulv. caſtor. ℈i. aq. puleg. artemiſ. meliſſ. an. ℥iiß. balſ. Peruvian. ℈ß. M. pro injectionibus uterinis.

His potioribus hic adductis aliiſque ſimilibus, ſummæ alias in exturbandis ſecundinis virtutis, una cum interpoſitis pro virium refectione cordialibus, fomentationibus item humidis ſicciſque, nec non inunctionibus, peſſis, inque ſimilibus caſibus commendabilibus cæteris pluribus præſidiis, ſolicitè in uſum vocatis, hoc ſolum effecimus ut tertio à partu die membranacea portio vix ſemithaleri magnitudinem æquans, & elapſo integro octiduo carnoſo-membranaceum fruſtum longitudine & craſſitie pollicis digitum æmulans ex utero proruperit; relicta in eo cætera ſecundinarum congerie, quæ pluries, nempe vel duodecies repetitis in uterum factis injectionibus balſamicis quaſi ac aloëticis à vehementiori putredine ita præſervatæ ſunt, ut acrior febris putrida nulla exarſerit; utut inde exhalans fœtor putidus adſtantium nares graviter ferierit.

Exacto integro Menſe, die nempe 30. Decem. iterum ſeceſſit totum carnoſum conglobatum fruſtum pugni magnitudine, molæ carneæ, quam ſecundinarum portioni ſimilibus; injectis intra id temporis continuis cum uterinis, tum pro ſolicitanda ſegniori alvo, ano immiſſis Enematibus, itemque laxativis communibus ſuperiori gutturi oblatis; nondum etiam omiſſis ſecundinarum excluſioni dicatis, jamque partim ſuperius commemoratis, licet minus fortibus & parcius exhibitis medicaminibus. Cum enim interea

terea febrilis quidam calor, cum ſiti, interpolato capitis dolore, & pervigilio continuo ingruiſſet, mutatis hinc indicantibus, ipſa remedia methodi medendi lege mutari debuerunt. Proinde ad febrem aliaque urgentia ſymptomata reſpicere coacti, relicta ipſi Naturæ ſecundinarum excluſione, quæ ad ea averruncanda neceſſaria videbantur præſidia, inter quæ & venæſectio in pede erat, ſurrogavimus, maximè cum advertere liceret, adhibitis quantumvis fortiſſimis ſecundinas expellentibus nihil unquam; contra verò nullis uſurpatis remediis, ſua ſponte illam molam, cæteraque ſecundinarum fruſta ex utero abſceſſiſſe, eleganti argumento, quam impoſſibile ſit, Naturam cogere, quamque nihil illa invitâ efficere liceat. Quin ſæpe præſtat reſtituendæ ſanitatis negotium patienter officioſiſſimæ Naturæ officio ac tempori committere, quam præfeſtinata curatione graviora mala, uti haud raro fit, accerſere. Adhuc enim quotidie comperimus, Naturam morborum eſſe præcipuam medicatricem, Medicum verò Naturæ miniſtrum. Ita perſuaſiſſimi ſumus, ſecundinas utero tenaciter adnatas nulla medicaminum vi prius avelli potuiſſe, quam facta demum tempore earum maturatione & ſpontaneâ ſeparatione, quemadmodum abſceſſus non prius dehiſcit, quam ſuum maturitatis tempus fuerit nactus.

Potiſſimum ſymptoma, quod hic plurimum negotii faceſſit, propterea que in ſpecie commemoratu dignum, eſt faucium, uvulæ, amygdalarumque inflammatio, & linguæ ſumma ariditas, ab elatis ex utero putridis vaporibus, accenſoque inde ſanguinis calore dubio procul orta. Hoc ſymptoma tantum minatum eſt periculum, ut, labefactata inde deglutitione, viribuſque ſubinde magis labaſcentibus, conclamata res videretur ancipiti prognoſtico relinquenda, maxime quando omnia illa præſidia, ut ſunt injectiones acidæ per ſiphonem frequentiſſimè inſtitutæ, ablutiones faucium penicilli beneficio in horas factæ, gargariſmi acidiuſculi, epithemata collo inducta, ipſaque raninarum venarum ſectio, nihil aut parum profeciſſe viſa ſunt.

Sed quid fit? In mediis dum verſamur anguſtiis, D. 15. Januar. 1683. adeoque ſexta à fœtus enixu ſeptimana, vix tale quid ſperare nobis audentibus, totus ſecundinarum acervus ex utero proſilit; quo factum, ut non ſolum dictum faucium malum paucis poſt diebus remittere cœperit, ſed & vires paulo poſt paulatim redierint, illaque circa inguina, ex retentarum ſecundinarum conglomeratione ac adhæſione enata intumeſcentia, indeque prognatus infra ſiniſtrum hypochondrium aggravans dolor, excluſis ſecundinis mox evanuerit, ſubſecuta non longe poſt priſtina valetudine, ſolumque relicto levi ſiniſtri pedis circa malleolos tumore, quem itidem ſponte brevi ſperamus. *D. Georgii Abrahami Merclini.*

De Secundinæ fruſtulo ultra menſem in utero retento, excreto.

Inchoante anno 1667. Hannoveræ curavi matronam primiparam, mihi cognatam; huic per 5. ſeptimanas fruſtulum ſecundinæ in utero reſtiterat ſine ullo tamen incommodo. Quinta autem ſeptimana repentè inſignibus cordis anxietatibus & doloribus ventris corripitur, cui fini aromaticam miſturam cum laudano opiato præſcribo per intervalla aſſumendam. Uſa hac eſt per 6. horas cum levamine; hinc in ſomnum incidit per tres horas durantem. Expergefacta dolores inſtar parturientis ſentire incipit, & paulo poſt excernit fruſtulum carneum pugni magnitudine, quod ego pro reſiduo ſecundinæ non habere non potui. Exinde fluxus materiæ primò viridis poſt flavæ per biduum, à quo optime convaluit. Memini hic Præceptorem quondam meum honoratiſſimum Dn. Johan. Theodorum Schenckium, aliquando in lectionibus botanicis retuliſſe Illuſtriſſimæ cuidam Comitiſſæ ſecundinam poſt partum per tres ſeptimanas ſine ullo tamen notabili incommodo reſtitiſſe: cum autem ſuaſu alicujus vetulæ juſculum ex Chærefolio Romano ſumſiſſet, ſubito onere fuiſſe levatam. Et ſanè, verum ut fatear, vix herbam novi, cujus in partu difficili, & reſtitante ſecundina, majores vires fuiſſe cognoverim, quam Chærefolii & majoris ſempervivi; ſat ſcio neminem qui experientiam horum rite facit falſum iri. *D. Alardi Hermanni Cummeni.*

De puerperio infelici à potu frigido.

Quantum actu frigidus potus puerperis præſertim non longe à partu obſit, docuit celeberrimus D. D. Marcus Gerbezius Medicus Labacenſis, & amicus meus ſingularis, in ſuo tractatu de morb. complicat. part. 2. cap. 20. p. 455. una cum Clariſſ. Dno. Dre. Georgio Franco patrono atque collega meo ſemper colendo in Ephem. nat. cur. decur. 2. anno 9. obſerv. 200. quod etiam ſequenti obſervatione patet.

Juvenis quædam fœmina, hîc Ferrariæ, uxor unius fabri lignarii annor. 21. feliciter peperit filiolam; puerpera hinc facta, ſine ullo ventris dolore, lochia benè ac ritè fluebant, ejus die quinta à partu ſiti vehementi moleſtabatur, ad quam expellendam libram unam emulſionis ſemin. pepon. fact. ſ. a. in aq. ſtilat. cichor. gelid. ebibit, poſt cujus aſſumptionem totius corporis improviſus rigor acceſſit cum ventris tumore, dolore, ac nonnulla, exigua tamen convulſione; lochia ſuppreſſa ſunt, ac die ſequenti ingenti affecta fuit febri, à qua occiſa eſt. *Ex communicatione Viri Præclariſſ. D. Joſephi Lanzoni Ferrariæ Medicinæ Profeſſoris.*

De Terrore lethali in puerpera.

Hanc quoque obſervationem mihi nuper per literas communicavit prælaudatus D. D. Franc. de Evangeliſtis. Salaciſſima quædam muliercula, tempore diuturnæ abſentiæ fratris ſui adulterè compreſſa, maſculum concepit, & hunc die 21. Novembr. 1691. feliciter peperit, ſed partum ab oculis fratris occultare non potuit, uno enim eodemque tempore, quo obſtetrix filiolum vix natum in ulnis tenebat, ex improviſo ejus frater ad eam ingreditur, & ex crimine ſororis irâ percitus, ipſam ſtrangulare contendit. Mulier perterrita in ſyncopen incidit, & vix ope aceti refocillata, laborioſe reſpirare incepit, hinc ſingultire, & in ſingultu, valdè concuſſivo per plures horas perſeveravit. Secundinam ope ſin-

ſingultus ejecit quidem poſt duas horas à ſyncope, ſed lochia retroceſſerunt adeo, ut muliebria pudenda omnimodè exſiccata apparuerint. Tandem poſt ſeptem vel octo horas ceſſit majori ex parte ſingultus, ſed incidit in alium perverſum diaphragmatis motum, quem à ſimilitudine veri riſus, riſum præternaturalem appellare liceat; ſed hunc valdè atque iterum valdè tumultuoſum, cum lacrymis continuè largeque profluentibus, qui riſus perſeveravit ſupra horas 30. & intermittebat ſolum per ſpatium, quo ſalutatio Angelica recitari poteſt, & tempore hoc intermedio bis, ter, & quater ſingultiebat, poſtea ad eundem riſum revocabatur. Non bibere, non manducare, nec loqui poterat. Oculi adeo prominentes erant, ut ex orbita prolapſuri viderentur. Ego vocatus poſt horas 22. à partu, obſtupui ob ſimilem affectum apud me omnimodè novum, ejuſque cauſa penſitata, & indicatione ſumpta ab animi pathemate, & lochiorum retroceſſione ad partes ſpiritales, medicamenta cordialia, & quæ ſale volatili abundant præſcripſi. Sed hæc ob riſum & ſingultum ſumere non potuit, unde ſolummodo externis uti coactus fui, inter quæ nonnulla, quæ lochia prolicere poterant, uteri regioni admovi, interim quamvis pulſus valde obſcurus (ex nimia ſarcina) appareret, unam tamen ex ſaphænis tundi præcipio, ſed incaſſum, quia nullus ſanguis ex aperta vena prodiit, idque non alia ex cauſa quàm quòd in formam gelatinæ abierat, ut ex duabus vel tribus guttulis obſervare potui, tandem cum ex carnoſa, valde extenuata evaſiſſet, & per tot horas cachinnaſſet, lacrymaſque profudiſſet, à valido terrore correpta, vitam cum morte commutavit, poſt horas quadraginta à partu. Puerperæ poſtquam parentatum fuit, cadaver aperuimus, & quod obſervatione dignum, vidimus ejus venas ſanguine deſtitutas ferè, ac qui aderat; ſine humiditate apparebat, obſervavimus inſuper diaphragma undiquaque veſiculis polyporum colore protuberans, quarum nonnullis phlebotomo adapertis, emanabat ſeroſus liquor aqueo liquore, ſed acidiſſimo odore ita imbutus, ut ob acutiem nares offenderet. Cum iſto humore goſſypium imbuimus, & aliquot guttulas expreſſimus in tincturam floris cærulei coloris, cum qua plura experimenta ad explorandas differentias ſaporum acidorum olim feceramus; invenimus autem iſtam tincturam in colorem rubro flaveſcentem converſam fuiſſe, non aliter ac ſi in eandem ſpiritum vitrioli inſtillaviſſemus, atque ita ab inſigni aciditate hanc mutationem eveniſſe credidimus. Quod naturaliter poſſit dari tam inſignis aciditas in humoribus, aut ſaltem in ſucco pancreatico, pro impoſſibili habemus. Quare putamus, probam hujus mulieris ſanguinis maſſam, à vehementiſſimo animi pathemate, illam inſignem aciditatem contraxiſſe, unde ſanguinis fuſio in inſtanti, ut ita dicam, ſequuta ſit, & in ſeroſitates abierit, ut demonſtrarunt copioſiores lacrymæ, non ſecus ac paulatim in quamplurimis accidit; quia prægnantes & puerperæ habent corpus prædiſpoſitum ad quaſcunque impreſſiones & mutationes ſubeundas; citiſſimè enim fit metaſtaſis ab anima ad corpus, nam in iis valde pollet imaginationis vis, ex qua ſpiritus commoventur, humoreſque alterantur. In eam inſuper devenimus ſententiam, quòd ſingultus in caſu noſtro vel ortum duxerit ex affecto ſepto transverſo, non ventriculo, (ni dicamus ſympathicè) ut Medici communiter ſtatuerunt, aut pulmonibus ut Ariſtoteli placuit ſect. 33. problem. 1. riſum præternaturam non alia ex cauſa inductum fuiſſe arbitremur, quàm ex vellicatione, quam inducebat ipſe humor acidus, vibrationes ſpaſmodicas ſuis puncturis excitando in ipſo diaphragmate, non aliter quàm accidit Tychoni telo leviter in ſepto tranſverſo percuſſo, ut refert veterum Medicorum Maximum Epidem. lib. 5. Cur verò tam citò mortua fuerit, difficilè non erit rationem reddere, & maximè ſi ſectemur opinionem Platonis, qui 3. de Republ. dixit, quod effuſum riſum vehemens mutatio ſequatur, id eſt, mors, ut explicat Platonicorum Princeps Ficinus. Nec moraliter interpretandus videtur, & maximè quia extat exemplum apud Homerum, videlicet; *tum proci illuſtrès manus extollentes riſu emoriebantur*, quod ſi tanquam à Poëta prolatum pro fabuloſo judicetur, alia exempla patent apud Valerium maximum, & præcipuè ex Philemone qui nimio ex riſu obiit, & meritò ait inſignis Philoſophus Lælius Peregrinus: *Riſus intempeſtivus inter mortales eſt grave malum, quia ad mortem uſque perducit*. Et multo magis hæc efficere valebat riſus non naturalis in puerpera, ad quam plurima malorum ſyndrome acceſſerat. *Ex eodem Ephemeridum Germanicar. Dec. 3. Ann. 1.*

In Puerperæ cadavere os uteri hians, & pelvis humoribus repleta.

Quam malè ſibi conſulant puerperæ in hac regione, quæ purgationis tempora haud bene obſervant, & nimis citò domo exeunt, ſequenti obſervatione ſatis conſtabit. Annò 1676. menſe Martio in uſum obſtetricum cadaver cujuſdam mulieris, à tribus cum dimidia ſeptimana puerperæ, publicè diſſecui, (præſentibus ſpectatiſſimis Viris Collegii Medici inſpectoribus) cujus os uteri ad naturalem coarctationem tantùm aberat ut perveniſſet quin facillimè, & ſine ulla vi digitos duos immittere potuerim. Dicet forſan aliquis, illud rarum & contra naturæ leges eſſe: Reſpondebo, Sufficere hoc in aliquibus locum habere, præterea nemini notum eſſe, quoties hoc quidem contingat, &c. Hinc ſæpiſſimè illæ lacrymæ & querelæ de intolerabili hypogaſtrii dolore & frigiditate, obſtructionibus, imò non rarò quoque de menſtruorum ſtillicidio perpetuo. In hac anatome hujus cadaveris quoque obſervavi pelvim ab humorum colluvie refertam, imò pintas ferè duas continere, non ſine magno fœtore. An iſti humores ex utero per tubas aut ovi ductus ad pelvim propulſi fuerint; quod facile crediderim; quia pluries in pelvi humores reperi illis ſimiles, quos in utero inveniebam; an aliunde venerint, aliorum judicio relinquo; ſaltem ego ſum in ea opinione, in difficillimo partu caput aut clunes infantis vaginam uteri non raro ita ocludere poſſe, ut ne gutta quidem ampliùs utero exire valeat: atqui in tali caſu non video quid poſſit eſſe obſtaculo, quò minùs humores in utero

contenti conatibus aut partus doloribus vehementiſſimis per tubas Fallopianas ad Pelvis cavitatem deriventur, eò magis quod nullæ in dictis tubis reperiantur valvulæ; & hinc febres atroces, tormina circa hypogaſtrium, lipothymiæ, & ſimilia mala, imò mors ipſa, ſuperveniunt. *Clariſſ. Fridericus Rhuyſch. in Obſervationibus Anatomico-Chirurgicis.*

Veroſimilis Lochiorum eruptio per Fallopianas in abdominis cavitatem.

In platea vulgo dicta *de Kalverſtraat* viſitavi nuper puerperam acriter febricitantem, & de hypogaſtrii tenſione ac induratione, non ſine immani dolore, conquerentem: remediis emollientibus doloremque lenientibus uſa fuit; aſt verò nihil proficientibus illis, brevi poſt è vita diſceſſit. Aperto abdomine inveni in pelvi multum materiæ fœtidæ, (vide quoque obſervat. præced.) loturæ carnis aut lochiorum corruptorum ad exemplum, qualis etiam à me reperta eſt in uteri cavitate. Hoc ſuſpicandi mihi anſam auxit, dictum humorem per oviductus aut tubas Fallopianas perveniſſe ad abdominis cavitatem & pelvim, & hoc puerperis pluries contingere, ſi pariendi conatus & dolores ſint vehementiſſimi, & os uteri ita clauſum ſit, ut per idem lochia exitum invenire haud valeant; imò etiam in ipſo partu laborioſiſſimo, fœtus capite dictam viam in totum occludente, humoribuſque pone fœtum aliam ſibi viam quærere non valentibus: hinc ſæpe immanes illos hypogaſtrii dolores, de quibus frequenter queruntur puerperæ, ortum ducere, non eſt cur dubitemus. *Idem ibidem.*

Sequens obſervatio affertur propter affinitatem materiæ.

Veroſimilis eruptio menſtruorum per tubam Fallopianam in Pelvim.

Probabile eſſe humores heterogeneos in utero contentos per oviductus ſeu tubas Fallopianas ad Pelvim & abdominis cavitatem poſſe deduci in parturientibus, ſuperius innui. Quò minùs quoque ſanguis ex uteri cavitate per dictos ductus ore uteri clauſo ad Pelvim pervenire poſſit extra ſtatum partus, haud video; imò rem probabilem in medium proferam. Menſtruatæ olim cadaver aperuit R. Roonhuſius Chirurgus dexterrimus, (præſentibus D. Dortmuntio, ejuſdem Nozocomii Medico meritiſſimo, nec non Adriano Coenerdingio Chirurgo eximio) in cujus uteri cavitate coagulatum & utero leviter adhærentem obſervavit cruorem, quo tuba ejuſdem lateris quoque non ſolum erat conſperſa, verum etiam Ovarium, in cujus ſuperficie coagulatus copioſe firmiterque adhærebat. Hunc uterum cum ovario annexo & ſanguine coagulato, prout mihi demonſtrarunt dicti amici, in Muſeo noſtro reſervo, balſamo ita conditum, ut omnia naturalem ſitum, magnitudinem & figuram ſervaverint, idque ſine rugis, quæ poſt exſiccationem ſæpius remanere ſolent. *Idem ibidem.*

PULMONUM MORBI.

De Structurâ pulmonum nihil opus eſt hic edifferemus, quandoquidem in Anatomicis id abundè perficitur. Morbi verò hujuſce partis omnes præter ſolam Vomicam, tum capite de Reſpirationis morbis, tum alibi paſſim, ubi de Epyemate, Pleuritide, &c. explicantur. Vomicam Pulmonum quod attinet eam ſic explicant Celeberrimi Viri, Laurentius Bellini & Thomas Willis.

Vomica Pulmonis.

Agunt de pulmonis Vomica Medici admodum pauci, licet ejus meminerit Galenus primo de Loc. Aff. Concipit illam facilè pulmo viſcus flaccidum, ac putredini ſumme obnoxium, de qua ſic teſtatur Tulpius. Latet hoc vitium inter initia adeò clanculum, ut vix ulla ſui proferat indicia præter tuſſiculam primùm ſiccam, ſed mox humidam Qua aliquandiu continuante trahitur difficulter ſpiritus, deficit anima, & emarceſcit paulatim corpus, licet interim nec pus, nec ſanguinem præ ſe ferant ſputa, ſed ſi rumpatur, nec opinanti vomica, occiditur dictum factum homo, vel ſi manſerit aliquandiu exitio ſuo ſuperſtes, conſumitur tamen lentè à febricula, ſive ob pus, ſive ob ſanguinem per thoracis interiora effuſum. Hæc ille. Willis tamen in morbis pulmonis plures habuit à pulmonis Vomica ſuperſtites, atque ſanos. Sputa poſt ruptionem pura, purulenta, concocta, ſanguinea, fœtida: febris ſub initium nulla.

Admirabile eſt, in hoc morbi genere in tam facili ad mortem via per abſceſſum, vel collectionem puris intra pulmonis corpus nihil doloris, aut moleſtiæ ſentiri, cum tamen interim adſit difficultas ſpiritus, deficiat anima, & paulatim emarceſcat corpus: adſit inſuper levis tuſſicula, argumento ſatis manifeſto, pulmones malè affici ac ſtimulari, neque cum his omnibus adſit febris. Hæc autem ut aliquatenus exponantur, quoniam ea eſt compoſitio pulmonis, ut extendi ejus membranæ plus minus poſſint, ac debeant in diverſis reſpirationum magnitudinibus, prout exigit major, aut minor quantitas aëris intra pulmonem ducendi, neque per maximas reſpirationes dolor percipitur lancinans, aut divellens, quanquam tum membranæ maximè diſtrahuntur, igitur ſi adſit aliquid intra pulmones, quod partem ipſorum aliquam diſtrahat etiam in minoribus reſpirationibus, illa tamen diſtractio non ſit major, quam quæ haberi ſolet per maximas reſpirationes, ab ejuſmodi diſtractione nihil doloris patiemur, cum talibus diſtractionibus aſſueverimus, & naturales reddiderimus per maximas reſpirationes. Rursùs quoniam aer circumfuſus corpori ſibi ipſi quieſcenti eſt æquilibris, per motum autem deorsùm fit momenti majoris; exceſſus igitur momenti aëris intra pectus ſupra momentum aëris circumfuſi pectori eo erit major, quo major quantitas aëris in pulmones fuit; ſeu quo major fit reſpiratio: ſed hic ipſe exceſſus ſubſtinendus, & ſuperandus eſt

eſt à membranis, & nervis, ne nos gravari intra pectus, & trahi ſentiamus; ſeu ne dolorem gravativum, & tenſivum patiamur: huic autem ſuſtinendo exceſſui in magnis reſpirationibus aſſuevimus; ſi igitur etiam in parvis reſpirationibus adſit aliquid intra pulmones gravans, tanta tamen gravitate, quæ non ſit major momento, quo aër in magnis reſpirationibus hauſtus ſuperat momentum aëris externi, ſenſus gravitatis nullus percipietur, cum ejuſmodi ſenſui jam aſſueverimus, & naturalem effecerimus. Sic pondus veſtium non ſentimus, licet ſint ſatis graves. Fac ulteriùs, minimam materiæ molem intra pulmonem deponi, ita ut ſenſum movere non poſſit ob ſui parvitatem: mox minimam alteram, quæ ſenſum quidem moveat, ſed tam debiliter, ut vix curandam eſſe judicemus; atque hoc ſucceſſivè repeti, quouſque demùm fiat perſpicuus, & vividus ſenſus; per totum igitur præcedentis temporis ſpatium nihil doloris ſenſiſſe nos affirmabimus, ſed cumulata demùm inſigni mole materiæ inſignis effectus producetur ſimul totus, & membranæ divellentur ſubitò. Primò itaque concipiatur colligi intra pulmonis folliculos, vel interſtitia eorundem quidlibet in pus mutabile, ſed minimæ quantitatis, quæ ſucceſſivè augeatur, ſit tamen augmentum ſemper minus, quam quod vel pondere, vel diſtractione poſſit tam diſtrahere, vel premere pulmones, quantùm premuntur, & diſtrahuntur ab exceſſu momenti, quo aer in magnis reſpirationibus hauſtus ſuperat momentum aëris externi; per totum igitur illud ſpatium temporis nullus moleſtus ſenſus percipietur. Quia verò interim illa materies vellicat nervos; igitur in refluxum aget ſpiritus, qui proinde cumulatiores deducentur ad muſculos pectoris, & levem tuſſiculam excitabunt. Inſuper quoniam materies illa intra pulmonem collecta ſuum ſibi ſpatium exigit; premet igitur folliculos, ramoſque aſperæ arteriæ, unde difficiliùs irruere poterit aër, ſive fiet reſpiratio difficilis, quæ tamen continget, poſtquam tuſſis excitata eſt, nempe poſtquam tantum materiæ cumulatum, ut ſtimulare nervos, ſeu excitare refluxus poſſit, & poſtquam eadem per aliquod tempus perſtitit in pulmonibus, tantum nempe, ut interim pulmo premi magis potuerit à materia copioſiùs aggeſta. Cum igitur collecta materies tuſſim excitare debeat, & ut excitet, ſatis eſt, ſi membranas contingat, non autem per aſperam arteriam ducatur; primò igitur tuſſis ſicca eſſe poterit, vel quia materies adhùc ſit pauca, & utpote parum ſtimulans non tantum truſionis excipiat à pectore, ut à ſuperficie, quam contingit, abripi poſſit, vel quia adhuc ſit durior, vel quia ſit in imo pulmone, per cujus altitudinem totam duci nequeat, vel quia contineatur intra aliquam cavitatem quaſi folliculum cum aſpera arteria communionem non habentem, & denſis, duriſque membranis compræhenſum; ſi verò hæc contra ſe habeant, ſicuti ſe habebunt proceſſu temporis, tuſſis fiet humida, & reddetur pus per ſputum, vel aliquid tenue, ac liquidum quaſi rudimentum puris, vel quod eſt liquidiſſimum in illa materia, quæ in pus convertenda eſt. Interim nulla febris, cùm nihil adhuc mali communicatum ſit ſanguini: tamen ſi materies intra pulmonem collecta ſit extenſa per inſigne pulmonum ſpatium, ita ut plurima vaſcula ſanguinis comprimat, ſanguis, perfectè ſolvi non poterit, unde æger ſenſim anima deficere videbitur, & corpus totum macie conſumi, & emarceſcere. Interim tamen ſi pus confectum adhuc non ſit, vel deſint cætera ſuperiùs expoſita, quæ requiruntur ad hoc, ut pus per tuſſim excernatur, nihil puris reddetur, immò nec ſanguinis, cum nec vaſa rupta ſupponantur, nec tam compreſſa, ut exſudare poſſit. Quoniam verò inſuper per ejuſmodi preſſionem occluduntur aditus, quibus folliculi mutuò, & in aſperam arteriam hiant; duci igitur pus etiam confectum in eandem aſperam arteriam non poterit, niſi divellentur membranæ, ſeu rumpatur abſceſſus, ac tum dolor, & quidem vehemens ſubitò corripere debebit, ſicuti correptum narrat tali morbo laborantem Tulpius ſub ruptionem apoſtematis propter ſubitam divulſionem plurium villorum, unde divellentur etiam plurima vaſa ſanguinis, & pus cum cruore reddetur per os album, nigrum, viride, pallidum, confectum, non confectum, cujuſcunque demum generis, fœtidum præcipuè, ſi longa mora corruptum fuerit intra Vomicam, & derivari etiam poterit intra cavitatem pectoris, hinc ad pectus externum ad uſque cutem, unde tumor in ipſa à ruptura Vomicæ generari poterit, & etiam non enato tumore educi pus per paracenteſim, vel cauteria igne actuali, vel potentiali facta poterit, quæ ſingula à ſe præſcripta cum fœlici exitu aſſerit ibidem Willis. Si igitur à ruptura Vomicæ puris inſignis quantitas expurgetur, mori ſubitò poterit æger eadem de cauſa, qua moriuntur empyici hydropici &c. ex quibus humor confeſtim educitur, vel quia abruptis plurimis canalibus ſanguinis plurimum ſanguinis ſimul effunditur. Si verò ſuperſint, ſuccedet febris admiſto pure cum ſanguine, & quidem pure corrupto, fœtidoque. Quæ quidem ita ſe habere poſſe videntur, ſi nullum vitium in ſanguine ſupponatur, antequam Vomica generetur, ſed tota mali cauſa ex parte pulmonis ſe teneat. Videtur tamen fieri poſſe, ut ſanguis prius ſit vitiatus, nempe permiſtus humoribus craſſis, viſcidis, corruptis, ac tantum non pus dicendis, qui per pulmonem fluentes ſenſim agglutinentur vaſis, quouſque vel eorum aliquot infarciant, vel ex iis exſudent in folliculos, & interſtitia, in quibus ſenſim cumulentur, & ſuccedant ſingula modo ſuperiùs expoſita, ut patet. In hoc tamen caſu febris etiam ſub initium Vomicæ, & quidem lenta adeſſe poterit, & hujuſmodi Vomica dici poterit ſympathica, cùm ipſius cauſa primaria non à pulmone, ſed à ſanguine, & humoribus ſit deducenda. Certe hac Vomica ſympathica nos laboraſſe videmur, cùm febre lenta correpti tuſſi non ſatis vehemente, & excreatione materiei purulentæ, & cujuſcumque coloris etiam cruenti per plures dies morti proximi viximus; vitium enim primarium non fuiſſe in pulmonibus, vel ex eo conſtitit, quòd antequam adeſſet febris, ejuſmodi materies viridis, lividaque & maxime tenax per nares excernebatur emun-

ctione maximi niſus: tum reddi cepta etiam à faucibus, & eo tempore febris invaſit ſine ulla fere tuſſi, mox tuſſis levior, mox eadem gravior cum manifeſto ſenſu materiei, quæ abripi à pulmonibus videbatur. Ex quo progreſſu facile patet, vitium fuiſſe in univerſo ſanguine, & materiem morbificam excerni incepiſſe in glandulis, quæ deſtinatæ ſunt ſeparandis mucis naturalibus, è quarum numero ſunt etiam illæ plurimæ, quæ interiori tunicæ pulmonaris fiſtulæ inſeruntur. Hoc ipſum ſuadent cauſæ antecedentes; pluribus enim menſibus Piſis vixeramus ſemel ſtudiorum gratia, & parcè in die paſti: Florentiam reverſi familiarium ſuaſione bis paſci cæpimus, nihil de ſtudiorum aſſiduitate, & gravitate remittentes, foris ruri nulla hilaritate, aut amæniori ſtudio laxantes animum, tempore æſtivo, & quidem ſingularis æſtus, cujuſcunque generis cibis, & vino mero utentes. Ab illo tranſitu in largum, & boni ſucci paſtum cum contentione animi, tempeſtate calida, nullo motu corporis &c. genitam inſignem humorum crudorum, viſcidorum &c. quantitatem arbitror, ex quibus omnia, quæ expoſuimus. Eſt igitur Vomica pulmonis abſceſſus intra eundem genitus vitio pulmonis, vel humorum eò cortivatis materiebus in pus abeuntibus cum affectionibus expoſitis. *Laurentius Bellini Tractatu de Morbis Pectoris.*

Indicationes primariæ in Pulmonis Vomica, juxta communem in pleriſque morbis ritum erunt hæ tres ſc. curatoria, præſervatoria & vitalis. Prima abſceſſus materiem celeriter exponendam ejuſque latera detergenda, quantum fieri poſſit conſolidanda eſſe præcipit. Secunda novæ materiæ ad nidum iſtum, aliave pulmonis loca vicina (unde phthiſis gigneretur) confluxum præcavet. Tertia ſpirituum languores ſanat, atque vires collapſas, & nutritionem fruſtratam inſtaurat.

1. Propter indicationem primam, remedia expectorantia vulgo dicta ex iis quæ calidiora & aſperiora, plus detergent & exiccant, atque in primis (ſiquidem plerumque febris hic deeſt) ſulphurea conveniunt: quæ item juxta formulas ſequentes præſcribantur.

♃. Tinct. ſulph. ʒiij. ſumantur gtt. vii. ad xx. horâ ſomni & primò mane in cochleari j. ſyr. è ſuccô hæderæ terreſtr. vel,

♃. Syr. diaſulph. noſtri ℥vi. ſumatur cochlear. i. iiſdem horis.

♃. Fol. ſiccat. hæderæ terreſtr. chamædryos, adianthi, tuſſilagin. hyſſop. marrub. alb. ſatur. an. M. j. rad. enulæ, ireos Florent. cherefol. an. ℥i. ſem. aniſi ℥ß. coquant. in aq. font. ℔ vi. ad iiiß. adde circa finem vini alb. ℥vi. mellis opt. deſpum. ℥iii. colatura clarificetur. & ad uſum ſervetur, doſis ℥vi. ter in die, calidè. vel,

♃. Aq. calcis vivæ ℔. vi. pone in vitro ampli orificii cum ſacculo ſequenti.

♃. Folior. ſiccat. chamedryos, hæderæ terreſtris, marrubii albi, an. M. j. radic. enulæ, Ireos florentin. inciſ. an. ℥iſ. ſem. aniſi contuſ. ℥ii. liquiritiæ ℥iſſ. paſſul. exacinat. ℥iii. ſtent frigide & clauſe. Effundatur inter utendum, ſacculo uſque relicto.

♃. Lohoch. ſani. ℥iii. ſpec. diaireos ʒiiſ. flor. ſulphuris ʒiſ. oxymelitis ſimpl. ℥ii. f. linctus de quo lambatur, cum bacillo liqueritiæ.

♃. Pul. fol. eryſimi, hæderæ terreſtris an. ℥ſ. flor. ſulphuris ʒiß. ſyr. diaſulphuris (vel è ſucco hæderæ) q. ſ. f. Eclegma molle pro linctu.

♃. Myrrhæ opt. ſuccin. albi an. ℥ß. ſulphuris vivi, auripigmenti an. ʒii. corticum piſtachiorum ʒiii. f. pulvis pro ſuffitu, uſurpetur cum infundibulo chartaceo mane, & veſperi.

2. Indicatio præſervatoria, materiem morbificam reſcindens, adeoque Phthiſin ſuccedere aptam præcavens, ſanguinis depurationem, & pulmonis corroborationem molitur; in quos fines purgantia, decocta traumatica, aq. deſtillatæ, & potus medicatus conveniunt.

♃. Decoct. ſennæ Gereonis (cum Agarici ʒiß.) ℥iiiß. ſyrup. de pomis purgant. ℥i. Aq. mirabilis ʒii. f. potio ſumenda cum regimine ſemel in hebdomad.

Decoct. traumatici formula ſit eadem ac quæ pro empyemate poſt ſectionem præſcribitur, vel decoctum illud officinarum, (quia febris hic deeſt) exhibeatur ad ℥iv. vel vi. ter in die.

♃. Summitatum Abietis M. vi. folior. hæderæ terreſtris recentium, hyſſopi ſatureiæ, erucæ, eryſimi, Barbareæ an. M. iv. ſem. flor. ſolis ℥vi. fœnicul. dulc. ℥ii. radic. enulæ, Ireos florentin. an. ℥iij. inciſis & contuſis affunde cerviſiæ Brunſvicenſis, vel ſprucenſis ℔. viii. deſtil. organis communibus. Liq. totus miſceatur, & edulcor. ad placitum inter utendum, cum ſyrupo è ſucco hæderæ terreſtris, doſis ℥iii. vel iv. ter in die.

♃. Radic. ſarſaparil. ℥vi. chinæ ℥ii. ſantal. omnium an. ʒvi. raſ. eboris C. C. an. ℥ß. ligni lentiſcin. ℥i. inciſa & contuſ. ſ. a. infundantur & coquant. in aq. fontan. ℔ xii. ad medietatem, addendo liqueritiæ ℥i. paſſularum ſolis ℥iv. colatura uſurpetur pro potu ordinario.

3. Indicatio vitalis, præſcribit remedia Cardiaca, Anodyna, & idoneam victus rationem. Medicamentorum formulæ eædem fere ac pro Empyemate poſt ſectionem præſcriptæ, hic conveniunt, item diæta eadem, ac in Phthiſi incipiente inſtituatur; etiam in hoc caſu lac Aſininum ſæpè prodeſt. Circa morbi hujus curationem obſervavi fontanellam in latere excitatam, non raro inſigniter profuiſſe. Memini duos affectu iſto laborantes, & poſt ruptam pulmonis vomicam pus merum & fœtidum copioſe expuentes, ab hoc remedio brevi ſanatos fuiſſe. Curationum hiſtoriæ infra ſubdentur; in utriſque ex foramine cutaneo per ſectionem in latere facto intra tres aut quatuor dies purum pus effluere, & perinde ſputum diminui cœpit; & poſtquam effluxus iſte indies auctus aliquandiu continuaretur, ſputum omnino ceſſavit, & ægrotans integrè convaluit.

Effectus hujus admirandi ratio videtur eſſe quod pulmonis pars affecta, aut quæ huic contermina eſt, dum morbus erat in fieri, aut prius ipſo, lateri accreverat, itaque natura imprimis hac via, puris vomica contenti excluſionem molita fuerat; atque id propter ductus forſan ſecretos, uſque ad lateris fere ſuperficiem excuderat; quare poſtea exitu per cultrum penitus patefacto, materies morbificæ excretio illuc dirigitur. Probabile eſt item lobi pulmonaris partem quandam prius morbo lateri accreviſſe, & propterea adhæſionē ejus, vomicam deinceps ſubortam fuiſſe; quippe cum pars ea fere immobilis, non uti reliquus

pulmo

pulmo agitari potuit, illuc materies morbifica deponi, & reſidere ſive nidum ſuum melius efformare valuit.

Quamvis vomica pulmonis à pleriſque medicis affectus admodum rarus, & à Tulpio adeo lethalis cenſeatur, ut quando rumpitur dictum factum interimat; tamen novi plures hoc morbo laboraſſe; & medicamentorum ope, ab eo convaluiſſe. Libet eorundem hiſtorias duas, vel tres inſigniores hic deſcribere.

Generoſus mediæ ætatis, & antea robuſtus & ſemper ſanus, abſque cauſa manifeſta non bene habens, valetudinem quaſi neutram contraxit, nam ſine dolore, vomitu, tuſſi, aut febre notabili, brevi languidus, inappetens, ad ſomnum difficilis, ſitibundus, ac circa præcordia æſtuans fiebat; hic diu à Medicis quibuſdam pro ſcorbutico, & ab aliis pro hectico tractabatur; & poſtquam variæ medendi methodi incaſſum tentarentur, tandem morbus velut è latebra erumpens aperte ſe prodebat: dum enim nocte quadam ſolito irrequietior, in lecto ſe valde jactaret, ſubito abceſſu intra pulmonem diſrupto, puris tetertimè fœtentis copia ingens per tuſſim rejiciebatur; ita ut intra 4. aut 5. horas duas circiter libras excreverit: porro deinceps tuſſi ſupra duos menſes continuata, ejuſmodi materiam purulentem, craſſam & ſumme fœtidam quotidie expuebat; donec carnibus abſumptis, & viribus proſtratis, ad languorem, una & marcorem inſignem redigeretur. A ſputi & anhelitus fœtore, totum conclave afficiebatur adeo, ut graveolentiam ejus famuli, aut miniſtrantes diu ſufferre nequirent.

A vomica ita diſrupta, ipſe & bini alii celebres medici, in conſilium adſciti, medicamina quæ abſceſſum abſtergant & ſanent, ſanguinem & pulmones mundificent, ipſoſque à Tabe imminenti vendicent, ſedulo exhibuimus: Tinctura & ſyrupus noſter diaſulphuris, una cum decoctis, & deſtillatis pectoralibus & traumaticis, item linctus & pilulæ Balſamicæ de die in diem methodo conſtanti capiebantur: cum his enemata, item blande cathartica, & diuretica intercalabantur; vaporationes primo, dein ſuffitus, tum ſulphurei tum Arſenicales mane & veſperi adhibebantur. Poſtquam hæc diu & ſedulo uſurpata nihil juvarent, thoracis apertionem ſæpius proponebam; attamen dominus Ægrotans hanc ἐγχείρησιν obſtinatè renuens, ſe mori quàm occidi malle profitebatur: tandem vero cum hoc remedii genus aut nullum amplius tentandum inculcarem, deliberare cœpit; & ſtatim pectus denudando, me locum ubi cauterium applicare indagare ſinebat: Hoc ſtatim extra dubium fuit, nam è læva ſterni parte, inta quintam & ſextam vertebram tumor apparebat. Vice cauterii huic emplaſtrum ſuppurativum admovi, atque intra tres dies moleculæ iſtius ſummitas, rubra & mollis evaſit; è qua poſtridie aperta, primo ichor tenuis, & paulo poſtea pus flavum & concoctum effluxit, & poſtea quotidie uberius emanare perſtitit: exinde ſputum fœtidum diminui cepit, & intra XIV. dies penitus ceſſabat. materia morbifica per foramen iſtud exitum & facilem, & congruum magis obtinente. Quamvis ab effectu conſtabat orificii iſtius ductum interne in pectus, mediumque forſan pulmonem patere, attamen nullus per ſyphonem liquor injectus, illuc penetrare, aut adigi potuit; adeo ſecreti ſumeq; intricati ſunt meatus, quos natura in ultima ſua ſubſidia efformat; ut eadem via qua materia morbifica exterminatur, nihil amplius noxiū ingredi poſſit. Iſta lateris Apertura tandem in fontanellam mutabatur, & piſo aut pilula lignea quotidie indita, per ſeſquiannum, ichorem copioſum quotidie profundebat; ac interea Dominus inſignis, labe quavis pectorali penitus excuſſa, & toroſa corporis habitudine recuperata, quoad omnia ſanus evaſit; deniq; fontanella iſta ad Brachia tranſlata, circa pectus nec morbum iſtum, nec amplius munimentum gerit.

Poſt curationem hanc ita caſu peractam, ad hujus imitationem contigit me alteram huic ſimilem, ex conſilio non minus feliciter perficere; nam propediem ad fœminam illuſtrem accerſebar, quæ cum tuſſi, & præcordiorum æſtuationi à multis annis fuerat obnoxia, quodam die inter tuſſiendum, in pulmone aliquod diſruptum perſenſit, ſtatimque puris puri, ac putidi copiam excrevit; poſtquam ejuſmodi ſputum cum tuſſi, non obſtante remediorum uſu, per ſeptimanam perſiſtens, augeri potius, quàm diminui videretur; conſului, ut fontanellam in latere, prope locum unde pus aſcendere percepit, ſecari pateretur: cum hoc facile admitteret, intra triduum ex foramine aperto merum pus quale per tuſſim expuebat, effluere cœpit. Dein poſtea materia morbifica per fontanellam iſtam exitum ſatis uberem offendente; & tuſſis, & puris ſputum penitus ceſſabant, atque intra ſeſquimenſem ægrotans integre convaleſcebat.

Poſt hæc ad alium, viz. Virum Robuſtum, & potatorem ſtrenuum accerſebar, qui etiam pulmonis vomica affectus, pus copioſum & maxime fœtidum expuebat. Hic rudi quadam pervicacia fontanellam quamcunque abhorrebat, quare non paſſus eſt ullam in latere excitari; nihilominus cum medicamina quævis oblata libentiſſime ſumeret, longo remediorum uſu, tandem morbo iſto immunis evaſit; pharmaca à quibus potiſſimum juvamen recepit ſulphuris erant præparata; quare ſyrupus noſter & tinctura quotidie, & crebrò ſumebantur. His pro vehiculis adjecimus, modo decoctum, modo hydromel pectorale, modo aquam calcis cum infuſione ingredientium, tum pectoralium, tum traumaticorum. Porro fumigationes & ſuffitus, præſertim ex ſulphureis & Arſenicalibus opem egregiam præſtitere.

Thomas Willis Pharmaceutices Rationalis Parte 2.

PULSUS INTERMITTENS & DEFICIENS.

Vid.

CORDIS AFFECTIONES.

PURPURA

Vid.

FEBRIS & EXANTHEMATA.

PUSTULA

Vid.

CUTIS VITIA.

Finis Partis Secundæ Libri XIV.

kk 3

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER DECIMUS QUINTUS.

De Morbis à Litera R incipientibus.

RABIDI MORSUS.

Curationes.

EX Vulneribus quæ venenatorum animalium ictu aut morſu inferuntur, hic tantum ejus, quod rabioſus canis infligit, curandi rationem trademus. Noſtra enim hæc frigidior regio, venenatis feris, quas & Gallia Narbonenſis, & Italia, calidioreſque alii terrarum tractus, frequentiſſimas alunt, deſtituta, inveniendorum aut explorandorum remediorum, quæ illarum ictibus aut morſibus auxilientur, occaſionem nobis prorſus adimit. Rabies igitur Græci λύσσα furor eſt, in quem quovis anni tempore, ſed ſub canicula maxime, canes aguntur, quemque cum ad homines, tum ad reliqua animalia contagione transferunt. Quum canis animal maxime iracundum ſit, ſi per æſtatis ardores, aut brumæ frigora frigidæ, potu prohibetur, bilis in eo inexplicabilem malignitatem contrahens, ipſum in rabiem agit. Quumque animal domeſticum & frequentiſſimum ſit, ſi rabie corripitur, ab eo cavere perquam difficile eſt: & ſi quempiam momordit, tametſi nulla gravia ſymptomata, niſi forſitan ex vulnere dolor, protinus urgeant, periculum tamen maximum ac inevitabile imminet, niſi certis præſidiis confeſtim obviam itur, quippe venenum in partem morſu vulneratam infixum ſi ſinitur, ſenſim ac clanculum in totum corpus irrepens omniaque contaminans, & in ſui naturam depravans, tandem hydrophobiam ac brevi mortem accerſit. Canis autem alias ſponte intimoque vitio, alias alterius canis rabioſi demorſu, interdum devorata animalis rabie aut peſte demortui, aut putidi, aut fulmine percuſſi, aut venenato morſu interfecti carne, nonnunquam & aquarum fœtidarum potu, & ſalſorum acrium & calidorum ciborum eſu, furorem concipit. Accedit etiam ingenita quædam canis ipſius ad rabiem proprietas atque propenſio. Neque vero canes temperamento calidi & ſicci, atque in iracundiam propenſi, per æſtatis duntaxat flagrantiſſimos æſtus, ſed etiam per intolerabilia brumæ frigora ſponte in rabiem efferuntur: utraque enim ambientis conſtitutio licet contraria, eundem tamen effectum profert: Nam ut calida, ſic etiam gelida ſanguinem perurere ac torrefacere ſolet: Sic vero exuſtus ſanguis venenata labe, quæ rabiem infligat, poſtea facile inquinatur: idque maxime contingit, quum vel longiori inedia inareſcunt, vel ſalſis poculentis aut eſculentis ſeſe replent, vel poſt vehementes labores atque exercitationes bibere prohibentur. Itaque regiones in quibus maximæ & inæquales ambientis mutationes inordinatæ fiunt, aut in quibus & gelidiſſimæ hyemes, & ardentiſſimæ æſtates ſunt, morbo huic maxime patent. Et quamvis (ſi Galeno lib.6. de loc. aff. credimus) ſoli canes abſque morſu & contactu, interna humorum corruptela, & vitio in rabiem agantur, quæcunque tamen animalia ab his demorſa fuerint, ut ſimiæ, ſues, feles, boves, equi, oves, muli, vulpes, lupi, & reliqua, rabie corripiuntur: ita enim aliquando ruri commorantes, fieri in omnibus fere animalium generibus obſervavimus, tantamque eſſe ejus veneni perniciem, ut non morſu modo, ſed ſolo etiam contactu, rabidi canis ſaliva rabiem excitare, & hydrophobiam parere viſa fuerit: Interdum etiam inquinati & furore perciti oſculum contagione inficit. Quod ita habere certa comprobavit, atque mihi fidem fecit experientia. Cum enim ruſticus quidam rabie perculſus furiiſque agitatus ſibi è vivis brevi migrandum eſſe intelligeret, aſſidentes qui eum vinculis conſtrictum tenebant, in furoris intermiſſione obnixe rogavit, ut quos mox deſerturus eſſet liberos, ſibi deoſculari liceret: quod quum ei fuiſſet conceſſum, liberiſque oſcula libaſſet, præfocatus eſt: ſed ecce ſeptimo poſt die liberi eodem morbo correpti, eiſdemque cruciatibus

tibus

tibus torti, brevi miſerrimam vitam cum morte commutarunt. Vidi præterea ex ſtraminis, in quod rabie perciti ſues decubuerant eſu, equos, boves, oves, & reliqua animalia, quæ ſtramentum deguſtaſſent, rabiem contraxiſſe, tandemque periiſſe. Obſervavi lupos viginti rabie percitos, eodem fere tempore è ſylva egreſſos in omnis generis animalia obvia magna ſtrage debacchatos fuiſſe, paucaque ex iis, quæ demorſa fuerant evaſiſſe. Sed canis frequentiſſime hoc morbo conflictatur ac perit. Jam vero furentem ac rabioſum canem his ſignis ab aliis internoſces.

Rabidus canis, toto corporis habitu & temperamento immutatur, gracilis & ſiccus evadit, ſiticuloſus quidem eſt, non tamen bibit, plerumque anhelat, oculis rubentibus & inflammatis, horrendo & torvo aſpectu, cauda & auribus demiſſis, aperto ac ſpumante ore, lingua exerta, eaque bilis colore infecta, contractis naribus, è quibus ſæpe fluit mucus aliquis. Eſculenta & potulenta averſatur, ſed aquam omnium maxime, caput in alterutrum latus inclinat atque deprimit, triſtis & ſolitarius oberrat, neque Dominum agnoſcit. In obvios quoſque ſine latratu irruit, & æque feras hominesque, familiares & notos, pariter atque ignotos mordet ac dilaniat, atque in id quodcunque obvium eſt, impetum facit. Modo huc atque illuc intempeſtive ac inordinate, citraque modum vagatur & diſcurrit, deinde rurſus ſubito vel prorſus conſiſtit, vel ſegnius incedit. Suas enim morbus hic, pro febris, quæ illi perpetuo comes eſt, motu, exacerbationes habet, atque in remiſſione mutus fere & veluti ſomnolentus exiſtit. Reliqui canes ab eo diffugiunt, eique ſi repente fit obviam, cedunt & blandiuntur. Qui momordit canis, ſi ita ſe gerit, rabidus cenſendus eſt. At ſi forte is rabidus ſit necne incertis adhuc ſignis ambigitur, nuces juglandes contuſas in cataplaſmatis modum vulneri per integram noctem admotas, pullis gallinaceis in eſcam præbere jubent: & ſiquidem illi poſtridie mortui concidant, rabidum canem fuiſſe, ſin minus, nequaquam. Nonnulli panis fruſtum cruore qui ex vulnere manat, imbuunt, illudque ſanis porrigunt canibus, quod ſi comederint, certo colligunt experimento, canem qui vulnus inflixit, rabidum non fuiſſe: ſi vero reſpuit, & alia ſigna concurrant, rabie percitum eſſe pronunciat. Sunt etiam qui micas panis ſanguine perfuſas gallinis comedendas exhibeant, quas (ſi canis in rabiem verſus fuerit) gallinis intra viginti quatuor horas mortem afferre contendunt, quarum rerum me nunquam periculum feciſſe ingenue fateor; cum tam multa eaque fidiſſima rabie perciti canis argumenta ſtatim ſe prodant, ut hujuſmodi experimentis non ſit opus. Jam vero ex illato vulnere ubi parum oportune occurſum eſt, aquæ timor (Ὑδροφοβίαν Græci appellant) naſci conſuevit, miſerrimum profecto mali genus, in quo ſimul æger & ſiti & aquæ metu cruciatur, & in canis rabioſi modum furit, atque in obvios quoſque debacchatur. Rabiei autem cauſa cenſetur maligna & venenata, eaque cæca & inexplicabilis qualitas è rabioſo cane, in partem demorſu apertam, vel ſalivæ contagione infectam, inſerta. Ea autem quoniam ſpumoſæ rabidi canis ſalivæ inſidet, in integram cutem ſi inciderit, nihil ſiniſtri tantopere metuendum hortatur, modo ſtatim probe deterſus & elotus fuerit locus. neque enim denſa & adſtricta epidermis craſſiorum venenorum (cujuſmodi eſt venereum, elephanticum & rabioſum) vim humori inſidentem protinus altius in corpus penetrare ſinat, niſi vel fiſſa vel dilacerata ſit: alioqui vulnera demorſu illata quis unquam ex veterum præſcripto ſugere audeat? At in partem demorſu vulneratam quum incidit venenum, tempore membratim inſinuatum, non ſolum humorum & ſpirituum, ſed etiam viſcerum conſtitutionem ſenſim pervertit ac labefactat, dum tandem victoriam conſequutum, in corde vitæ principio triumphet, in eoque accenſum manifeſta ſui furoris edat ſymptomata, qualia ordine recenſebo.

Antequam hydrophobia inſiliat, multa illam præcedunt atque prænunciant. Demorſus ſolito triſtior & cogitabundus eſt, hominum conſuetudinem, conſpectumque fugit, multa animo fingit & obmurmurat perturbata atque à ratione abhorrentia, eaque fere triſtia obloquitur. Iracundia ſæpius ardet: ſomnus deliriis interturbatur, leves quædam extremorum convulſiones ac retractiones ex intervallis fatigant, ſitis & oris ſiccitas moleſta eſt: vox rauceſſit, facies rubet, oculi lumen refugiunt, & lachrymis nulla manifeſta cauſa madeſcunt. Hæc igitur cum in demorſis ſe prodent, hydrophobiam proximam putato. Ejus vero jam factæ hæc ſigna ſunt. Mente capti quum ſint hydrophobia prehenſi, ſe ſuoſque ignorant, quo fit, ut modo huc atque illuc, in canis rabioſi morem impetu ferantur, modo velut ſomnolenti, ſtupidi ac languidi, vel ſubſiſtant prorſus, vel lento gradu incedant: atque horum alii ſine ulla furoris intermiſſione vexantur, alii remiſſionem habent. Fere autem exacerbationes recurrunt cum diſtentione nervorum, totiuſque corporis rubore, præſertim vero faciei. Solvuntur autem cum frigidiuſculo ſudore, languore quodam, & virium reſolutione. Omnes in exacerbationibus adeo furunt, ut in obvios quoſque involent, niſi arctis vinculis, cohibeantur. In remiſſione multi miſeriam ſuam agnoſcunt ac deplorant. Acceſſiones autem & ſæpius movet, & exaſperat aquæ conſpectus, hactenus ignorata cauſa, niſi forte eos exiſtimes, quoniam mente non conſtant, id quod ſibi opem ferre poteſt non agnoſcere, ideoque aquam perhorreſcere, & ab ejus potu abſtinere, hincque fieri, ut ob febrem qua intus uruntur, inareſcant & convellantur, miſerrimoque tandem, mortis genere intereant. Non minus illos diſcrutiat ſpeculi alteriuſve cujuslibet rei pellucidæ intuitus. Hæc enim omnia ingentiſſimis clamoribus, ac veluti canum latratu vociferantes, è conſpectu ſuo auferri poſtulant, quod ni confeſtim feceris, tremunt, ſudant, deficiunt animo, delirant, miroque pavore concutiuntur. Ego venenatæ rabiei cauſæ, quæcunque ea ſit, maximam cum aqua antipathiam ineſſe opiner: Nam præterquam quod ejus conſpectus hydrophobiam celerius accerſit atque exaſperat, recens etiam inflictum vulnus, ea ſi abluitur, vix ullo poſtea remedio æger reſtitui queat, alte adeo aqua venenum ejuſmodi in corpus dejicit atque impellit. Quo commorſus

quiſque deteriore eſt corporis conſtitutione & habitu; & quo impreſſum virus acerbius, hoc & citius hydrophobia prehendit, & crudelius diſcruciat. Non enim ſtato definitoque tempore illa exoriri ſolet, ſed alias quidem quarto, aut ſeptimo, aut nono à morſu die, alias decimoſeptimo, aut vigeſimo, plurimum quadrageſimo, nonnunquam & ad ſeptimeſtre, aut etiam ad annum differri conſuevit. Narrant & aliquos poſt ſeptennium aquæ metu fuiſſe tentatos, ut quam vim in acutis morbis criticos dies Hippocrat. habere prodidit, eandem in hujus invaſione & hebdomadas & menſes & annos nonnunquam obtinere credendum ſit: tametſi in hoc etiam, ſi quo in alio diuturno morbo criticorum dierum naturam vimque luculenter eluceſcere non dubito. Neque enim aliis, quam vel vere criticis, vel intercalaribus diebus exoriri deprehenditur, modo ne ultra annum cunctetur. Quam cæcam & inexplicabilem hydrophobiæ cauſam diximus, quidam non niſi immodica ſiccitate, qua totius corporis habitum immutet, nobis noxiam & venenatam eſſe prodiderunt. Quod ſi verum eſt, quomodo impendens ea ſiccante cancrorum cinere, aut alexipharmaco noſtro prohiberi, vel jam genita, penitus extingui poteſt? Alii hydrophobiam inſaniæ ex atra bile ſpeciem autumant, ob eam quæ venenatæ hujus cauſæ cum atrabilario humore interceſſit, ſimilitudinem & ſymptomatum affinitatem, quorum juſtior videtur opinio. Hydrophobici namque perinde atque melancholici, & ab atra bile inſanientes, quanquam alii alia timent, fugiunt atque perhorreſcunt, omnes tamen multa falſa & commentitia, eaque fere triſtia animo fingunt atque comminiſcuntur. Neque enim aliam ob cauſam eos vel ſpeculum, vel aquam fugere & averſari, veteribus veriſimile viſum eſt, quam quod canis qui eos momorderit imaginem in iis ſe videre exiſtiment, cujus aſpectu terreantur, nec alia ratione canum more latratus edere, aut obvios quoſque dentibus impetere, quam quod ſe factos canes opinentur. Sed hujus rurſum metamorphoſeos abdita & occulta cauſa eſt.

Plurima veteres ad præcedendum hydrophobiam remedia literis ac memoriæ commiſerunt: ad eam verò jam natam profligandam, perpauca. Illa efficacia eſſe multorum fide confirmatum eſt: hæc fere ſemper irrita longo medendi uſu comperta ſunt. Nam & Dioſcorides ex iis, qui jam hoc vitium ſenſiſſent, neminem unquam ſe ſervatum vidiſſe teſtatur. Et Celſus hydrophobia oppreſſis in anguſto ſpem eſſe literis prodidit. Et noſtra hac ætate vulgus ea tentatos dum nullo remedio reſtitui poſſe reputat, vitæ pariter ac morbo ſtrangulatu finem opponit. Triſte profecto & crudele nimium ſpectaculum. Niſi forte ex hiſtoria unum aut alterum evaſiſſe audiamus: ſiquidem Eudemus convaluiſſe quendam affirmat: Themiſonem etiam demorſum, quidam in hunc furorem incidiſſe & evaſiſſe fatentur. Referunt & alii Philoſophum egregii animi conſtantia, aquæ pavore excuſſo, quam perhorreſcebat aquam, hauſiſſe, & malum tandem ita ſuperaſſe. Pauci itaque natæ jam hydrophobiæ diſcrimen evaſiſſe notati ſunt. Sed nec præcautionis ratio à veteribus tradita, in multis reſpondere comperta eſt. Quæ res effecit, ut poſthabitis Medicis ad divorum opem confugere cœptum ſit. Sed poſteritatis induſtria certum jam & minime fallax alexipharmacum inventum eſt, quod & futuram hydrophobiam antevertere, & præſentem extinguere, cohibereque poſſit, modo inflictum vulnus capitis partes ore ſuperiores non attigerit, aut aqua elotum fuerit, alioqui in anguſto fere (quod veteres non animadvertiſſe miror) ſpes eſt. Quod antequam in republ. utilitatem poſteritatis memoriæ conſecro, præcautionis ac curationis hujus affectus rationem à veteribus pluribus traditam, paucis complectar. Non quidem, quod de noſtro antidoto, cujus vis eſt mirabilis diffidam, ſed ut iis quoque ſatisfaciam, qui poſteriorum induſtriam & diligentiam condemnantes, niſi quod à veteribus prodierit, nihil profuturum putant. Veteres igitur præcautionis duos ſcopos ſtatuerunt: quorum prior venenum demorſæ parti impactum introque ſubiens revellere & extrahere, alter autem impreſſam partibus quas jam attigerat, malignam affectionem delere hortatur. Illud præſtant cucurbitulæ, cornua quibus nonnulli illarum loco utuntur: oris ſuctio, uſtio quæ vel igne, vel ſeptico medicamento fit: deinde calefacientia & vehementer attrahentia medicamenta, unguenti aut cataplaſmatis, aut emplaſtri forma admota. Hoc vero efficiunt antidota & alexipharmaca quædam tota ſubſtantia, & occulta proprietate veneno corpori inſerto adverſa, de quorum uſu paucis diſſerendum. Quum primum inflictum vulnus eſt, cucurbitulæ cum multa flamma affixæ, id adjumenti præſtant, ut veneni vis cum ſanguine extrahatur. Quod ſi forte ab illato vulnere ante cucurbitulas aliquot effluxerint horæ, ſæpius illas admovere præſtiterit, & viciniam altioribus ulcuſculis ſemel atque iterum ſcarificare, non ſolum ut copioſior ſanguinis vacuatio prohibeat, ne venenum membratim in corpus inſinuetur, ſed etiam ut ſi forte jam altius illud ſubierit diſſecta cute cucurbitulis validius revocetur. Si forte cucurbitulæ demorſæ parti non poſſint agglutinari, aut ſi deſint, poſt ſcarificatum quam copioſiſſimus ſanguis effluere ſinatur. Deinde ſicca ſpongia quicquid in vulnere ſupererit exugatur: poſtremò unguentum aut cataplaſma, aut emplaſtrum aliquod ex iis, quæ excalfaciunt, & valenter attrahunt, imponatur: cujuſmodi ex alliis, aut cepis, aut utriſque ſub prunis coctis, adjecta theriaca aut mithridatio, aut utroque confici ſolet, quibus & ſal & fermentum nonnunquam miſcere contulerit. Stercus columbinum cum ruta viridi ſubactum, non minus utile quam paratu facile remedium eſt. Quin & ſinapi cum nucibus juglandibus, allio crudo ſale & melle piſtum, cataplaſmatis loco vulneri commodè imponitur. Majorem artis oſtentationē præ ſe ferunt, quæ è dictamno, magnete, thapſia, ſulphure, aliiſque longius petitis medicamentis calfacientibus, & vehementer attrahentibus concinnantur emplaſtra vel cataplaſmata: quorum infinita exempla facile ſibi comparabit, qui vel leviter in artis operibus verſatus eſt: quæ omnia & virus potenter evocat, & quominus vulneris labra præpropere coaleſcant, impediunt. Galenus iſtorum loco theriacam oleo roſato ſolutam recenti vulneri indebat: Veteres non ita majora vulnera verentur uti minora, & ulcuſculis cutis ſimilia. Quippe è majori vulnere

nere

nere confertim copioſus ſanguis manans, virulenti liquoris non nihil exhauriri poteſt, quod minoribus non accidit. Quin à majoribus abſcedentes carnes auferre, & labra ſcalpello abſcindere, & prehenſam hamulo carnem amputare licet. Itaque exigua quum erunt, arte amplificabuntur, carne multo intervallo, orbiculatim ſi pars commode ferat, præciſa, ne facile ad cicatricem ulcus perveniat, ſed diu pateſcat, ut per ipſum virus emanet. Cucurbitæ loco, nonnulli vulneratæ partis ſuctionem commendant. ſed cùm periculi plena ſit, nemini ea tentare ſuaſerim. Alii gallinarum vivarum podicem vulneri admovent, quæ ſi moriantur, venenum extractum eſſe arbitrantur: alii pullos gallinaceos, aut columbinos vivos per medium diſſectos demorſæ parti adhibent eadem ratione, alias quidem poſt cucurbitulas, alias ſine his. Horum omnium calor demorſæ partis calorem langueſcentem erigens, ipſum pariter ad depellendum venenum ſuſcitat idque allicit & evocat. Poſt cucurbitulas uſtionem expeditiſſimum remedium cenſuit Dioſcorides, tum quod ea virus domet, & intromitti penitius non patiatur, tum quod diuturnum ulcus relinquat, per quod virus diu effluat. Uſtionis vicem ſupplent ſeptica & exedentia medicamenta, cujuſmodi multa adurere, & cruſtas ulceribus inducere uſus comprobavit. Inter ea uſurpant nonnulli argentum ſublimatũ unguento aliquo refrigeranti mittum. Nam præterquam quod omnium vehementiſſime adurit, cruſta etiam ab eo inducta, exultaque caro citiſſime excidit: quod in hoc affectu perquam neceſſarium eſt, ne diutius ſub cruſta cohibitum virus exitum non habens in corporis intima convertatur. Nudatum cruſta ulcus dies minimum quadraginta apertum ac patens eſſe volunt. Quamobrem attrahentia & valde extergentia unguenta aut emplaſtra inducunt, cujuſmodi ſunt, tum quæ ſupra poſuimus, tum quæ ex pice, tapſia, ærugine, calcantho uſto, argento vivo præcipitato, aliiſque ejuſdem claſſis confici poſſunt. Qui dolorum metu ignem & ſeptica medicamenta contemnunt, poſt cucurbitulas lixivio ulcus accurate abluunt, deinde cataplaſma è cinere ſarmentitio cum aceto ſubacto imponunt; aut theriacam ol. roſaceo dilutam. Nonnulli & ſale aut præcipitato mercurio inſpergunt, aut ſalſamentum ſuper vulnus deligant, omni cura & diligentia demorſæ partis inflammationem proritantes, ut humores ad eam majori impetu confluant. Quæ ad partem demorſam pertinent remedia ita ſe habent. Verumenim vero ſi ea, quæ retulimus auxilia primis diebus prætermiſſa fuerint, nec ſcalpro carnem incidere, nec uſtionem experiri operæpretium eſt. Neque enim quod jam altius penetravit, inſeditque viſceribus, illa revocare poſſint, ſed nullo profectu corpus doloribus proſternunt.

Alter igitur curationis modus accedat. Catharſim his tantum opis ferre teſtatus eſt Dioſcorides, ut quidam jam aquæ metum ſentirent, ſumpto elleboro ſimul ac primum morbi impetum experirentur, fuerint ſervati. Quocirca eo non ſemel atque iterum, ſed frequentius ante quadrageſimum diem, vel etiam poſt hoc tempus, cum fiducia utendum præcipit. Addunt nonnulli canes rabioſos elleboro cum polenta accepto vomuiſſe, & ſtatim à rabies liberatos ad ſe rediiſſe. Quin & hieram, quæ colocynthidem recipit, non parum commendant. Hæc enim omnia quoniam vehementer movendo corporis habitum tranſmutant, ab hydrophobia liberare poſſe. Eadem de cauſa & ſudores conferre arbitrantur. Avicennas primis diebus catharticis abſtinet, poſtea vero purgantia propinat, ſi cacochymum corpus ſit. Sunt tamen qui nec validiorum catharticorum, nec venæ ſectionis uſum, nec ſudorum promotionem idcirco admittant, quod elleborus & colocynthis, & reliqua omnia vehementer purgantia, maleficum rabioſi canis virus (ſive demorſo tantum loco, viciniſque partibus affixum erat, ſive altius jam irrepſerat) una cum vacuando humore noxio exagitent, & à corporis ambitu ad interiores ejus partes (à quibus in cor & viſcera facile illabitur) convertant; verendum enim ne carnibus, aliiſque ſolidis partibus in tranſitu obhæreat, & quicquid attigerit, contaminans, in præſentiſſimum hydrophobiæ periculum laborantem conjiciat. Eandem de venæ ſectione, & ſudorum provocatione, ſententiam ferunt: quod univerſi corporis humores exagitent atque confundant, & rabidi canis virus (quod alioqui intus ſopitum ſine incommodo diu forſitan latuiſſet) commovent, manifeſto hydrophobiæ diſcrimine. Niſi forte in externa aliqua parte contractum vulnus eſt, è qua, nulla reliqui corporis perturbatione, ſtatim poſt demorſum revulſionis ergo ſanguis detrahi poſſit, puta in crure, tibia, brachio aut manu. His quidem rationibus contendunt catharticis medicamentis, & venæ ſectione neminem ab hydrophobia, aut venerea lue, aut alio venenato morbo, ſi inſertum in corpus jam virus eſt, vindicari poſſe, ſed alexipharmacis opus eſſe contraria veneno vi, eaque cæca & occulta agentibus. Multos tamen novimus ruſticos, qui vehementi propinato pharmaco, quod una eademque opera vomitione & dejectione ſupervacanea omnis generis è corpore excluderet, totiuſque corporis habitum immutaret, demorſos ab hydrophobia arcerent: cujuſmodi eſt, quod è ruta, abſynthio, allio, bellide minore, calendula, meliſſophyllo, pauco elleboro nigro, ſale & aceto potionis forma conficitur, tribuſque diluculis alternis repetitur. E multis autem internis præſidiis, à tota ſubſtantia & occulta proprietate agentibus, quæ veteres demorſos à cane rabido ab hydrophobia tutos reddere prodiderunt, duo Galenus efficaciſſima ſelegit, theriacam & cancrorum fluviatilium cinerem. Theriacam hoc mali genus tollere, tum extrinſecus vulneri impoſitam, tum introſumptam ſcriptum reliquit. Aëtius illam in potu dat per primos tres dies, nucis avellanæ magnitudine, neminem qui ita eam hauſiſſet, hydrophobia correptum ſe vidiſſe affirmans. Theriacæ vires proxime imitatur mithridatium. Fluviatilium cancrorum exiccatorum cinerem ſubſtantiæ proprietate mirabilem in his, qui à rabioſo cane ſunt demorſi, effectum præbere, ſive ſolus ſive cum gentiana, & thure exhibeatur, ex præceptoris ſui ſententia tradit Galenus. Thuris partem unam eſſe

vult,

vult, quinque gentianæ, cancrorum decem: præberique modum cochlearis magni cum aqua bibendum, quotidie diebus quadraginta. Quod ſi aliquot poſt dies curam ceperis, duo cineris cochlearia miſceantur. Celeberrimum hoc ex cancris antidotum, ſi menſe auguſto præparetur, efficacius eſſe tradit Aetius: & in vaſe æris rubri lignis vitis uri præſtare contendit. Avicennas & alii, quo tempore ſol leonis ſignum peragrat, cancros & capi & uri, non parum ad ejus efficaciam facere contendunt. Omnes in hoc conveniunt, quocunque tempore vel capiantur, vel urantur, eorum cinerem, vel ſolum ſumptum hydrophobiam arcere. Interim vero dum eo utuntur, ad vulnus emplaſtrum applicant, quod ex pice brutia, opopanace acetoque conficitur. Cancrorum pulvere qui recte uſus ſit, neminem unquam mortuum fuiſſe affirmat Galenus. Dioſcorides cineris cancrorum in ſarmentis albæ vitis crematorum bina cochlearia, ſingula vero radicis gentianæ tritæ & excretæ, in quaternos cyathos vini meraci conjicienda præcipit, quatriduo bibenda. Quod ſi ab illato morſu, ante cœptam curationem, aliquot dies fluxerint, à triplicato pondere, curationem auſpicandum jubet. Quidam inter præcipua hujus morbi præſidia, aſſum canis qui momordit jecur commemorant, idcirco eo cocto demorſum uti triduum præcipiunt, & certe aliquot ruſticorum, qui id poſt demorſum eſitarunt, experientia didici, eo remedii genere aquæ pavorem prohiberi: Senis cujuſdam experimentum celebrat Aëtius, quem demorſos à rabioſo cane ſola oxalide curaſſe teſtatur. Idem præſtare dicitur & oxylapathum. Decocto vulnus fovetur, magna vero aut herba ipſa vulneri inducitur, ſuccus cum vino aliquot dies bibendus datur, urinam acrem & multam movet, ac regium morbum expurgare dicitur hoc præſidii genus. Alyſſum herbam Græcis quod rabiem eximat ita nuncupatam veterum ſcripta percelebrant: verum quænam hodie ea ſit recentioribus inter ſe non ſatis convenit.

Cæterum victus ratio nec tenuis eſto, nec plenior, utraque enim hydrophobiæ pabulum ſubminiſtrat. Tenuis humorum omnium acrimoniam adauget, biliſque fervorem accendit. Plenior excrementis putrere paratis nativum calorem obruit. Quin ejuſmodi quoque ſit, ut & veneni vires hebetet, reſtinguatque, & impediat quominus ipſum ad intima facile inſinuetur. Veneni vires reſtinguunt & hebetant alimenta, quæ præterquam quod probe nutriunt, peculiari etiam dote veneno reſiſtunt & adverſantur: cujuſmodi ſunt quæcunque cor parteſque principes adverſus ipſum muniunt atque corroborant, & nativum calorem ſpirituſque recreant & erigunt. Veneni acceſſum intercipiunt, ejuſque vires retundunt, & remorantur, quæ vias, quibus ad viſcera iter eſt, obſtruunt, & humorem in quo illud inhæreſcit, incraſſant, acrimoniamque contemperant. Itaque vinum deligatur generoſum, tenue, & odoratum, idque abunde diluatur. Carnes ſint boni ſucci, coctu faciles, interdum quidem aſſæ mali punici, aut medici ſucco conditæ, interdum vero elixæ cum bugloſſo borragine, lactuca, portulaca, oxalide, pimpinella, calendula, plantagine, menta. Nam & horum juſculum adverſus omnes venenatorum animalium morſus, aut ictus inſigniter prodeſſe, multorum fide & experientia certum eſt. Lactis quoque potus, quum venenorum omnium acrimoniam obtundat, commorſis haud negligendus, ſicut nec reliqua omnia, quæ probabili ratione & experientia, adverſus venena, aut occultas, aut manifeſtas vires habere videbuntur. Nonnulli alia, porros & cepas idcirco commendant, quod & difficile in ventriculo confici, & ægre forſitan à veneno vinci poſſint. Sed tamen horum uſu humorum omnium acrimoniam, quam illi metuunt augeri manifeſtum eſt. Ira, excandeſcentia, mœror, & graves aliæ animi perturbationes, curæque omnes declinandæ, venus in totum intermittenda, dum ſuſpectum tempus præterierit. Hæc enim omnia quum corporis humores exagitent atque conturbent, venenum in corpus præpropere impellunt. Alvus ſi quando pigrior videbitur, vel enemate, vel blandiore aliquo medicamento atram bilem ducente mollienda: Atque hæc quidem ex veterum ſententia demorſis à cane rabido curatio decernenda eſt. Jam præſentaneum alexipharmacum noſtrum tradendum, quod ſolum neglectis catharticis medicamentis, omiſſa etiam quam modo diximus vulneris cura quocunque à morſu tempore uſurpetur, certiſſimum ac tutiſſimum exiſtit, ut quo nullum unquam animal uſum viderim, quod non tam atrocis morbi periculum evitarit quacunque uteretur victus ratione, illæſis tamen capitis partibus, quæ dentes ſuperant: his enim vulneratis exigua ſalutis ſpes eſt, ut & vulnerata parte, ſtatim à morſu frigida elota.

♃. Foliorum rutæ, verbenæ, ſalviæ minoris, plantaginis, foliorum polypodii, abſinthii vulgaris, mentæ, artemiſiæ, meliſſophyli, betonicæ, hyperici, centaurii minoris, ſingulorum æquale pondus. Legantur ſingula, quo tempore viribus pollent maximis, quod ad Junii fere plenilunium, in hoc Galliæ tractu aſſequuntur. Papyraceis dein chartis concluſa ſiccentur ſeorſim in loco, ad quem neque ſol, neque pluvia pertingat, ne vel nimium exareſcant, vel ſitum contrahant. Siccata ad futuros uſus aſſerventur, ea lege, ut quotannis renoventur. Quum autem utendi neceſſitas incidet, ſingulorum æquale pondus in pulverem tenuiſſimum redigito, cujus ℥ß. demorſis quotidie præbeto, idque vel ex cochleari cum duplo ſacchari, vel ex vino, vel ex pomaceo, vel ex juſculo, vel ex butyro, vel ex melle opiatæ forma, jejuno ſtomacho, & tribus horis ante cibum. Quanquam autem ſeſquidrachma aut drachmæ duæ ſatis ſint, tum homini, tum omni animali quantumvis crudeliter ſauciato, nihil tamen obfuerit ad tres, quatuorve proceſſiſſe, quum præſertim vel longo poſt demorſum tempore, vel nata etiam hydrophobia, curationem aggredimur. Qui hydrophobia jam correptus eſt, arcte vinciendus, ut quem dixi pulverem vino, aliove liquore ſolutum (nihil enim ad curationem refert) deglutire cogatur, ore etiam ſi opus ſit, vi adaperto. Satius autem fuerit in furoris intermiſſione quum mens integra eſt, remedium propinare.

Jam vero quum primum contractum vulnus eſt, ne in ſordidum ulcus degeneret, ſpongia aut ſiccis

ſiccis linteis exiccatum, vino aut hydromelite, in quo ſuprapoſiti pulveris ℥ ß. ſoluta ſit, bis, terve, quotidie foveto: deinde unguentum aut emplaſtrum inducito, quale aliis vulneribus ex uſu eſt, & ita ſaneſcere ſinito, nullo hydrophobiæ metu. Hæc dum fiunt, nec conſuetam victus rationem immutare, nec domi ſe continere, nec purgans medicamentum uſurpare neceſſe eſt, niſi forte ante cœptam curationem nata erat hydrophobia: ea quippe ſublata qui jam vitium fecerant corporis humores, partim expurgati, partim idonea victus ratione immutari debent.

Henrici ſecundi Galliarum regis venator, gravi morbo decumbens, bona fide Johanni Fernelio, præceptori meo amantiſſimo, aſſeveravit pimpinellam ad præcavendam hydrophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis, vel in acetariis, vel alio quovis modo apparatam, poſt demorſum comederit, nihil inde incommodi ſentire poſſit: quod in canibus regiis ſe primum expertum fuiſſe dicebat, quibus demorſis illam fœlici ſucceſſu offerebat. Si quis igitur eam volet in brutis primum experiri, dein ſi reſpondeat, ut reſpondere in aliquot comperi, ad demorſos homines transferre, præſidium erit paratu facillimum. Verum enimvero quum nullum hactenus animal noſtro alexipharmaco uſum ſit, cui non feliciter ceſſerit, ſive jam nata, ſed non ultra tres paroxyſmos, erat hydrophobia, ſive ea ex demorſu metuebatur, fruſtra in aliis inveniendis tempus & operam poſtea luderemus. Hujus autem præſtantiſſimi antidoti inventio atque exploratio Jacobo Sylvano Domino de Pyron viro antiquitate generis & nobilitate præſtanti, accepta ferenda eſt. Vellem interim argutulos quoſdam acerrimos abſtruſarum rerum, ſi diis placet, inveſtigatores, qui occultas medicamentorum proprietates pro ignorantiæ aſylo reputantes, eorum omnium, quæ in arte fiunt cauſam ad manifeſtas medicamentorum qualitates acceptam referunt, mihi indicarent, quomodo deſcriptus pulvis calidus quum ſit, febrem tamen malignam, eamque continuam, delirio, aliiſque pernicioſis ſymptomatis comitatam nulla excretione manifeſta profliget, atque hydrophobiam tam facile vel præcavere, vel perſanare poſſit? Quinam, cedo, temperiei intemperieive gradus, omni animali, ætati, ſexui, & corporis conſtitutioni, ita reſpondeat, ut eundem effectum in omnibus producat? Sed valeant illi, & ad ſenium uſque nihil præter intemperiem circumtonent. Celſus unicum hydrophobia oppreſſis remedium eſſe putat, nec opinantem ægrum in piſcinam, non ante ei præviſam projicere: Et ſi natandi ſcientiam non habet, modo merſum bibere pati, modo attollere: ſi habet, interdum deprimere, ut invitus quoque aqua ſatietur. Verum ſi hyems erit, ne corpus infirmum in aqua frigida vexatum nervorum diſtentio adoriatur, à piſcina protinus in oleum calidum demittendus æger eſt. Noſtrates hoc remedii genus ad præcautionem uſurpant, mare fluviis præferentes. Hydrophobia jam oppreſſis, iſtam curationem infœliciter ceſſiſſe: at præcautionis gratia pleriſque profuiſſe, multorum experientia compertum eſt. Quanquam ne huic quidem remedio prorſus fidendum eſſe per multorum mortes didicerunt populi maritimi. In pleriſque enim aquæ conſpectus hydrophobiam veneno in corpore commoto celerius exſuſcitat, quod alioqui ſine ullo ægri incommodo diutius deliteſcere, & alexipharmarco extingui, domarique potuiſſet. *Julius Palmarius de morbis contagioſis.*

Rabies quamvis plures in ſe ſpecies habeat; non eſt tam amplum latumque genus quàm angina. Eſt igitur videndum, quænam angina ſit quæ Rabies dicitur; quod forſan facile colligemus, dum proprium rabiei ſignum ad memoriam revocabimus. Id rabidis proprium eſt, ut potulenta deglutire nequeant; ſique tentent: vel potius ad nares reſiliat: vel ægri ſtrangulentur. Conſiderandum ergo venit, qua ratione fiat, ut in quibuſdam cynanchicis difficilis potatio fiat: in quibuſdam verò difficilis deglutitio. Methodicorum plurimi crediderunt in ſtomacho, ſcilicet in infima gulæ parte, ac in ventriculo, fieri famem atque ſitim: illam quidem quadam conſtitutione parvarum viarum: hanc autem majorum. Undè ſecundùm ipſos, patientibus parvis iis viis, potus abominatio ſequitur: Verùm nos hoc loci non concedimus vel negamus id ſic fieri; Sed aſſerimus, ſtante eo principio non poſſe fieri ſitim & appetentiam potus eodem prorſus tempore, quò fuga ſuadetur. Quòd ipſi verò ſub nomine ſtomachi intelligant infimam gulæ partem, quæ ori ventriculi conjungitur, optimè apparet ex 89. prob. Caſſii. Nec id novum exiſtimari debet; Habemus etenim ab *Hippocr. lib. de corporum diſſect.* Οἰσοφάγος δ' ἀπὸ τῆς γλώσσης τὴν ἀρχὴν ποιεόμενος ἐς κοιλίην τελευτᾷ, ὃν δὴ καὶ ἐπὶ σηπτικῆς κοιλίης στόμαχον καλέουσιν, *id eſt*, Gula verò, à lingua principium faciens in ventriculum definit, quàm ſanè etiam juxta putrefacientem ventriculum ſtomachum nominant. Alii verò credidere id cynanchicis accidere ex diſpari pondere, è ſoliditate ciborum & potionum; quod & nos quoque magnam vim habere credimus: ſed ſi alimentorum actio tantum ſpectanda venit; cur non ſemper anginoſi denſiora devorant facilius? Aliqui id fibrarum conſtitutioni tribuunt; aiunt quippe internas rectas gulæ fibras deglutitioni potus inſervire: externas verò tranſverſas deglutitioni ſolidorum; Undè aiunt, patientibus internis fibris gulæ, difficillimè poſſe ægrotantes potum ſumere. Nos hoc loco non negamus nec aſſerimus has actiones à diverſis fibris provenire: Sed aſſerimus vidiſſe ægrotos, qui difficillimè ſolidam eſcam devorabant; imò ſæpius non poterant aſſumere: Liquidam verò ſive dicas fluidam facillimè recipiebant; & nihilo tamen minus horum aliqui laborabant interno gulæ tumore, eoque inflammato: Alii vero levi internarum fibrarum excoriatione vexabantur: & nonnulli gravi earundem partium ulcere.

Cum igitur ab iis, qui anteceſſere, nihil certi videatur ſtabiliri poſſe, non erit equidem incongruum, ut ex natura id rimari nos tentemus. Pluribus ergo modis videtur potus impediri poſſe, vigente adhuc libera facultate deglutiendi ſolida. Alter modus erit ratione abominationis, quæ poteſt progigni vel ab intenſa humida qualitate ſtomachum alterante, vel à frigida humidaque materia ipſum occupante,

in quo quidem caſu accidit ſitim undequaque extingui. Sed cum rabidi valdè ſitiant, hac ratione potum non abhorrent. Alter modus eſt, quotieſcumque palati extrema pars poſtica inflammatur, tunc enim temporis potus deglutiri nequit, vel ſaltem difficulter, quin ad nares potius reſiliat, ſtrangulatuſque moveat; cujus rei cauſſam inferius declarabimus: Poteſt inſuper impediri potus tranſitus à nimia pituita cruda atque viſcida œſophagum replente; propterea quod impulſus potus non habet tantam vim impulſivam, ut pituitam penetrare valeat, quantam habent ſolida cibaria: imo pituitam elevat in ampullas, undè magis compreſſa proxima arteria ſtrangulatus patitur. Tandem depravatur quandoque potulentorum tranſitus nulla apparente manifeſtâ læſione: ſed larynge patiente. Cur autem inflammata palati extrema parte ſive larynge læſa id contingat, facillimè videbimus, dum cognoverimus, quonam modo organa ſeſe gerant in potando, quonam verò in comedendo. Præaccipere igitur oportet gulam & aſperam arteriam à faucibus incipere, hoc tamen diſcrimine, quòd non ſolum poſtica ſinguli, ſed etiam videatur altius principium retinere: larynx verò non ſolùm ſit in anteriori colli parte ſita, ſed inferius videatur obtinere principium, quo gulam impingere & claudere videtur. Undè quoties facienda eſt deglutitio, larynx debet elevari ſupra œſophagi principium, quod deprimi & dilatari debet. Id autem facillimè contingit opè muſculorum laryngis, quos communes œſophago cognominant; quibus quidem alteram partem comprimentibus oppoſita elevatur, & vice verſa. Inſuper diligentiſſimè animadvertendum eſſe credimus, laryngem dum potamus altiori loco & longiori tempore deduci, quàm dum comedimus, & per conſequens ipſam & arteriam conſtringi magis & longiori tempore; unde longiori tractu reſpiratio detineri debet in potando quàm in comedendo: Sic etiam ex altiori laryngis elevatione profundiorem fieri compreſſionem ipſius oris gulæ. Nec id prætereundum eſſe credimus, quod ſcilicet in deglutitione extrema pars palati gulam verſus tendit: quod, ea parte inflammata, difficilius accidit ex potu, quam ex cibario ſolido; cum ille non valeat tam fortiter impellere, quàm iſtud. His igitur ſic ſtantibus, ſi extrema pars palati inflammata fuerit, difficillimè deprimetur gula quantum ad potandum ſatis; ex eo quod muſculi, qui palato & gulæ communicant, breviores redditi id fieri negant. Potus igitur cum ob eam cauſſam permeare nequeat, adventante ſpiritu à pulmonibus, impellitur per nares; vel ſi non dimovetur, ſuffocationem commovet. Præterquam quod palatum difficilius à potu quàm à cibo gulam verſus pellitur. Dum vero larynx inflammatur, fit rationabiliter difficilis reſpiratio; quæ difficillima redditur, imo omni modo negatur, ſi elevari & conſtringi debet, quantum pro potando ſatis. Undè natura, tanquam ſuffocationi proxima, potum validiſſimè refugit & per nares repellit, impellente ſpiritu. Ex his igitur apparet rabidos laborare vel palati inflammatione, quod non videtur, vel ea angina, quæ laryngem occupat; vel ea, qua œſophagum phlegmate repletur. Quæ quidem duo in ipſius fieri, per ſectionem facillimè patere poteſt.

Diximus quid ſit rabies: at res dubiæ non ſic determinandæ veniunt: ſed rationibus, auctoritatibus & experientia comprobari debent. Videamus igitur primò, an aliquod nomen habeant angina & rabies, quod idem ſaltem innuat. Rabies in brutis animantibus *Ravia* dicitur ab aliquibus, quod raucedinem progignat; Angina vero & ipſa in quibuſdam brutis κραῦρος, ſcilicet Raucedo nominatur ab Ariſtotele. Sed non eſt nomini fidendum. Canes angina laborare clarius patet, quàm diligentiori egeat probatione; ob hoc nempe κυνάγχη dicitur à Græcis; undè apud Aurelianum legimus *lib. 3. Oxeon cap. 1.* Alii verò etiam cynanchen & lycanchen hanc paſſionem vocaverunt, ſiquidem frequenter hæc animalia afficit; nam canes cynas, lupos lycos vocaverunt. Nec dicendum eſt canes ea tantum angina laborare, quæ occupat externas colli partes; cum ea, quæ fit cum apparente tumore interno, peculiari nomine κυνάγχη dicta fuerit, propterea quod ſæpiſſimè canes ipſa ſtrangulentur. Sed videtur non eſſe ulterius progrediendum; quippe Ariſtoteles dixit *lib 8. de Hiſt. Anim. cap. 22.* Οἱ δὲ κύνες κάμνουσιν νοσήμασι τρισίν. ὀνομάζεται δὲ ταῦτα λύττα, κυνάγχη, ποδάγρα. *id eſt*, Canes laborant tribus morbis: iſti autem vocantur rabies, cynanche, podagra. Quibus verbis clariſſimè videtur noſtram evertere ſententiam, cum rabiem ab angina ſeparet. Sed non ſic forſitan ſeſe res habet. Cum & nos quoque anginam à rabie differre dicamus, ex hoc quod angina ſit latius quoddam genus. Sic etiam *Hippocrates 21. Aphor. ſect. 3.* dum de morbis, qui æſtate fiunt, loqueretur, dixit: καὶ πυρετοὶ συνεχέες, καὶ καῦσοι, *id eſt*; Et febres continuæ & febres ardentes; quamvis febris ardens ſit ex genere continuarum Sed ulterius urgebunt forſan alii, aſſerentes Galenum alioſque Medicos magni nominis longè aliter de natura rabiei, quàm nos ſenſiſſe: Sed de hac re ſolliciti non ſumus. Admiramur Galenum reliquoſque eruditos viros & eorum placita, ſed veritatem longè magis. Imo ſi nobis notum fuiſſet Galenum alioſve attigiſſe hanc opinionem, quam nos ſequimur, non fuiſſet cur libellum hunc conſcriberemus; cum poſſit unuſquiſque Galeni dogmata, nullo adhibito noſtro auxilio, recognoſcere in mirabilibus libris ab illo conſcriptis.

Redeamus igitur ad inceptum, & videamus an accidentia, quæ in cane rabido apparere ſolent, poſſint fieri etiam ab angina. Hujus rei teſtimonium præbet Aretæus, cujus verba eruditiſſimus Paulus Junius Craſſius elegantiſſimè interpretatus eſt hoc pacto: Adeſt ſanè canis angina laborantis tonſillarum, faucium, totius oris inflammatio: lingua extra dentes & labia prominens: ſaliva effunditur: pituita craſſiſſima ac frigida defluit; facies rubicunda & inflata eſt: oculi exerti, patentes valde rubent: potus in nares refunditur: dolores acerbi ſunt: Sed ſtrangulatione vexati eos obſcuriùs ſentiunt. Pectus & cor ardent; frigidi aëris deſiderium adeſt, & admodum exiguum inſpirant, eouſque donec demum intercluſo ad pectus aëris tranſitu ſtrangulentur. Si quis igitur hujuſmodi accidentia in cane viderit, nonne ſtatim ipſum

ipſum rabidum affirmabit? Nonne ſunt iſta, quæ nos deducunt ad rabidorum cognitionem, dictitantibus auctoritatibus & ipſa inſuper natura; Sunt qui viſis hujuſmodi paſſionibus in homine, cum non potuerint ad bruta cauſſam referre, non dubitarunt conſiteri rabiem in hominibus ab interna cauſſa generari poſſe abſque ulla contagii ſuſpicione. Sed non tam breviter ſententiam noſtram demonſtratam volumus: Verùm diſtinctè magis oſtendemus tempora & accidentia eadem prorſus eſſe rabiei & cynanches, nec varias inſuper habere cauſſas.

Quatuor anni temporibus, Avicenna teſte & experientia comprobante, rabies fieri ſolet, quicquid alii quidam dicant: Iiſdem temporibus cynanchen fieri ſcripſerat Hippocrates, vel ſi alius fuit Auctor lib. de victus rat. in morb. ac. Caloris & frigoris exceſſus rabiem excitare ſolent. Quid mirum? fluxiones pariunt: à fluxionibus cynanchen fieri ab omnibus habemus; eas vero à nimio externo frigore vel calore gigni videmus quotidiè, & habemus ab Hippocrate lib. de veteri Med. lib. de locis in hom. & alibi; teſtatuſque eſt Halyabbas lib. 9. Theor. cap. 19. Avicennas, Galenus, Aretæus, & unuſquiſque (ut ita dicam) Medicinæ ſcriptor. Nec à ratione diſcrepat; nimirum excellens & immoderatum frigus cerebrum refrigerat, conſtringit, & humiditatem ejus exprimit, redditque impotens ad benè concoquendum nutrimentum, quod defertur illi, & ad reſolvendos elevatos ad ipſum vapores. Undè non ſolùm aſſidui ſunt ab illo fluxus, ſed inſuper, cum ſanguis liberum tranſitum non habeat, jugulares venas improportionatè replens, craſſeſcit, & eos inflammatione concepta lædit. Calor autèm excedens longe magis attrahit, quàm concoquere & retinere poſſit, improportionatè cerebrum calefacit, ac indè liquat, carnes rarefacit, & humores tenuiores reddit nec non calidiores; undè (quemadmodum Hippocrates dicebat) calida, acris & nitroſa fluxio. Præterea incaleſcit etiam cerebrum à frigore quandoque, veluti dixerat Hippocrates lib. 2. de morb. Item ſi rabies ortum habere ſolet à calidioribus & frigidioribus potionibus & cibis, ipſiſque acrioribus & putridis: Sic cynanchen fieri Aurelianus affirmavit: imò Aretæus inter cauſſas anginæ non ſolum refrigerationes, & calefactiones, ebrietates, frigidoſque potus, ſed etiam ſaturitates ſolas poſuit. Et Hippocrates lib. de vet. Med. inter fluxionum cauſſas, acrimoniam & intemperantiam humorum numeravit; quæ duo quàm facilè ab enumeratis cauſſis proveniant, omnibus clarè patet. Quòd autem accidentia rabiei ſint cynanches accidentia, nunc remanet nobis demonſtrandum.

Quicunque ab animali rabido vulneratur; à principio nihil præter vulnus, non magis quàm aliud dolorificum, pati conſuevit. Sic etiam nihil præternaturale à principio percipit, qui ſpuma vel ſpiritu rabidorum fuerit infectus. Proceſſu verò temporis, modò longioris, modò brevioris, accidentia multa patitur. Quæ primò cum Aureliano dividemus in antecedentia & ſubſequentia. Et in ordine primo numerantur corporis difficultas, inſolituſque motus, ſomni ſuſpenſi atque turbati; quibuſdam dolor capitis, & aurium tinnitus, ſtomachi gravedo, cum parva bibendi voluntate, & ciborum corruptione; crurum & brachiorum extenſio; crebra jugiſque oſcitatio; inſueta querela, quòd aër ſit veluti auſtrinus, quamvis fuerit ſerena quies; Viſus quoque falſitas pervolantium veluti culicum; vultus fervor; Anxietas quædam ſine ulla ratione & iracundia. De quibus omnibus priùs quàm ad alia deveniamus, rationem reddere tentabimus. Primo igitur præſcire oportet, quod in fluxionibus non ſolùm pars recipiens, ſed & illa quæ demandat, patitur. Habemus namque ab *Hippocr. lib. de nat. hum.* Neceſſe eſt enim cum quid horum (loquitur de humoribus) ſecretum fuerit & per ſe ſteterit, non ſolùm eum locum undè ſeceſſerit, ſed etiam in quo ſtat, & in quem propter nimiam copiam diffuſum eſt dolore ac morbo vexari. Unde non ſolum gulam & alias colli partes in cynanche malè affici aſſeverandum erit, ſed etiam caput præpati dicendum. Quam facile inſuper fluxiones à capite ad ventriculum proveniant, omnibus quidem apertiſſimè patere credo, & experientia ipſa demonſtrante, & graviſſimorum etiam auctorum teſtimonio comprobante, Hippocratis præſertim in lib. de Glandul. in lib. de locis in hom. In 1. & 3. de morb. & aliis pluribus in locis. Hoc igitur ante omnia retinendum eſt, in cynanche non ſolum (quemadmodum diximus) gulam & reliquas circumpoſitas partes malè affici, ſed etiam caput, oculos, pectus, ſtomachum, &c. coaffici: partim ob præſentem materiam, partim ob infenſos delatos vapores, communicatamque aliam præternaturalem affectionem. His ſic ſtantibus, cum caput patiatur, mirum non eſt, dolores in ipſo fieri, ſomnos ſuſpenſos atque turbatos reddi: nec mirum eſt, aërem apparere nubiloſum, & parvis animalculis volantibus refertum; Habemus etenim ab Hippocrate lib. 3. de morb. quod cynanchici obtuſiùs vident; provenit autem hoc præcipuè à vaporibus, à fluxione, ab excedente communicato calore, & ab impulſione venarum jugularium, eſtque ſignum adventantis maniacæ paſſionis. Ventriculus autem ob capitis conſenſum & ob defluxum, ab ea parte læditur gravedine, parva bibendi voluntate; ac ciborum corruptione; ab hac eadem cauſa anxietatem fieri aſſeverandum erit, ſi Galeno credimus, cum 7. *Aphor. com.* 56. legamus: Eodem modo & ægrotos illos anxios eſſe (ſcilicet dicimus) qui accubitum non ferentes jacendi figuram evariant, quia ſemper præſens aggravat eos. Hoc vero præcipuè illis evenire conſuevit, quibus in ore ventriculi (quod nos ſæpè ſolemus ſtomachum nominare) certa quædam humoris qualitas continetur ventriculo moleſta, quæ neque plurima eſt, neque in ventriculi fluctuat cavitate: ſed eam ipſæ imbibêre tunicæ. Et Hippocr. dicebat lib. 2. de morb. de iis, quibus gurgulio inflammatur, quod neſciunt ſtare loco: ſed ſeſe vibrando ſpiritum & animam efflant; & de cynanchicis lib. 3. de morb. quod crebro ſeſe jactant & exiliunt. Indignatio autem & ira (ſecundum Caſſium) proveniunt & ipſæ quoque ob materiam, quæ defertur

ad infimam gulæ partem & ventriculum, undè exiſtimavit iræ & indignationis cauſſas promanare: nos verò addimus, ab excedente calore, & commoto bilioſo humore, & à percalefacto ſpiritu, ob impeditum reſpirationis tranſitum, ſanguinem aliquantulum accendi circa cor, & inde iram ac indignationem provenire. Crurum & brachiorum jugis extenſio & oſcitatio crebra fiunt à detento ſpiritu, detentaque flatuoſa humiditate in muſculis, per quos tales motus fiunt; dum etenim viam ibi ipſis aperire tentant, hujuſmodi motum gignunt. Sic apud Hippocrat. legimus; Multus aër coacervatus cumulatim ſuperne petens, commovet ac diducit os, cum per hoc facillimus ei exitus pateat; quemadmodum enim ab aquis in lebete ferventibus vapor multus elevatur: ſic & corpore calefacto penetrat per os aër convolutus & quadam vi erumpens. Sic etiam legimus apud Gal. in 2. epyd. com. 6. part. 3. Hæc itaque & aliæ hujuſmodi infirmæ diſpoſitiones dum incipiunt adnaſci, ſolvuntur, ſecernente natura eos ſpiritus & humores, qui ipſas generarunt: veluti oſcitatio, & diſtenſio cum oſcitatione, quæ fiunt ex ſecretione excrementorum. Sic etiam Ariſtoteles in prob. retulit oſcitationem ad vapores. Quod autem in cynanchicis vapores fiant, & eleventur fortiter, nulli dubium eſſe credimus. Poſſemus forſan aliam quoque reddere rationem, quod nempe jugulares venæ meningem percalefaciant, & inde levia quædam principia convulſionis generentur, quæ à vaporibus quoque fieri poſſunt; non eſſet enim forſitan arduum & inconveniens, oſcitationem ad levem quandam convulſionem redigere; ſic & brachiorum extenſionem fieri à natura pugnante contra principia quædam levia convulſionis adventantis.

Diximus de accidentibus, quæ ſeſe primo propalare ſolent in iis, qui à rabido ſunt infecti, veluti nuntia crudelioris agminis: Sequuntur namque plurima, quæ momentum longe majus habent, Horum autem nonnulla pertinent ad reſpirationem: nonnulla ad vocem: Aliqua ad locutionem, alia ad deglutitionem: quædam ad oculos: quædam ad faciem: Plurima ad ſtomachum: plurima ad alias partes: Multa ad totum corpus, alia denique ad animæ operationes. Facies ergo inflammatur, oculi exerti, rubenteſque patent. Hoc idem in cynanchicis evenire adeo clarum eſt, ut non indigeat probatione; teſtantur tamen Avicennas, Aurelianus, Aretæus, Galenus, Hippocrates, & alii. Cauſſa vero videtur eſſe ſtrangulatio, quæ ſanguinem ad eas partes compellit, nec non communicata inflammatio, & impeditus venarum tranſitus. Lumen rabidi adverſantur, quemadmodum Avicennas docuit nos: Hoc idem de cynanchicis omnes affirmarunt; Quod ab ipſa inflammatione ac intumeſcentia oculorum provenit, Difficulter ſpirant rabidi: Hoc idem de cynanchicis dicebant Hipp. Galenus, & quicunque alii; Quid mirum, ſi, quid ſit angina, memoriæ repetamus; Vocem raucam ab illis reddi Avicennas affirmavit: & de cynanchicis Hippocrates dicebat, vox obtuſa. An forſan latet cauſſa? Nonne clarum eſt à fluxionibus id quotidie fieri? Linguam difficulter movent rabidi: Sic & cynanchici cùm ipſis intumeſcant venæ, quæ linguam penetrant; & hujus partis muſculi ad anginarum loca deducantur, ſintque male per conſequens affecti. Linguam aliquando rabidi extra os protendunt: hoc etiam & cynanchici, veluti & apud Aretæum, Aurelianum, & alios plurimos habemus. Rabidos murmurare dicebat Avicennas & Aurelianus, cynanchicorum loquutio non articulata ſed confuſa. Vox veluti latrabilis vel luporum vocem æmulans in rabidis narratur. Sed quid? Cælium auſcultemus: Alii verò etiam cynanchen & lycanchen hanc paſſionem vocavere, ſiquidem frequenter hæc animalia afficit; Nam canes cynas, lupos lycos vocaverunt, quorum quoque ſimiles voces ſive ululatus in cynanchica paſſione conſtituti, cum perſocari cœperint, emittunt, &c. & cap. 2. repetebat ſic: Quibuſdam caninus vocis ſonitus: Et nos vidimus mulierem laborantem anginâ ob menſtruorum retentionem ſubitam, genitam à calore prunarum accenſarum loculis ſuppoſitarum, quæ quoties bibere tentabat, tremens voces modo lupinas modo caninas reddebat. Hoc autem manifeſtiſſimis cauſſis, non occultis fieri credimus. Præaccipere igitur oportet, quod Hippocrates dicebat, cynanchicos in naſo loqui, quamvis Avicennas aliter crediderit. Inſuper hoc etiam retinendum eſt, cynanchicorum linguam fieri tumidam difficiliſque motus, vocemque reddi raucam: Quibus ſic ſtantibus neceſſario ſequitur canina vel lupina vox: cum etenim loqui volunt, duobus modis poſſunt aërem impellere, vel violenter & interrupte: vel ut ita dicam, querule & extenſe: ſi violenter ac interrupte faciant ob reſpirationis indigentiam, cum aër impulſus non poſſit à lingua bene articulari, & ab organis vitiatis aliquo modo reprimatur, neceſſario vocem, veluti latrantem, facit: Si vero querulè & extenſe, luporum more ululant; cum lente admodum per nares tranſeat, quemadmodum unuſquiſque ex arbitrio experiri poterit. Non eſt enim vere latratus, ſed potius, uti apud Hippocratem habemus, vox abrupta, obtuſa, ac violenter reddita: Non proprie ululatus, ſed indiſtincta, homotona, querula vox rauca. Aliena quandoque loquuntur rabidi: Et de cynanchicis idem apud Hippocratem habemus lib. 2. de morb. pop. & aliis pluribus in locis. Hujus autem clara cauſſa; malè ſiquidem afficiuntur mentis ſedes. Amittunt rabidi vocem, ac ſtertunt: Hoc & cynanchici; ſuffocantur etenim ac ſtrangulantur. Rabidi ſpumam ore reddunt: Hoc etiam de cynanchicis Aretæus, Cælius, Hippocrates, & alii ſunt teſtati: cujus rei cauſſa legitur apud Galenum 43. com. lib. 2. Aphor. aliiſque pluribus in locis. Sitiunt rabidi: ſitiunt & cynanchici, dum paſſio incrementum habuit, propter nimium intrinſecum calorem, à quo tandem aqua pericardii conſumitur, non aliter ac in ardenti febri conſumptam vidit *Johannes Jeſſenii à Jeſſen*. Sed quamvis ſitiant, cum non poſſint deglutire, potum & eſcam averſantur rabidi; Quod etiam de cynanchicis Hippocrates dicebat lib. 2. de morb. pop. ſect. 2. & aliis pluribus in locis, & Avicennas cap. de ſignis angin. & Aurelianus cap. 2. lib. 3. *Oxeon*, nec non omnes, ut ita dicam, Medicinæ ſcriptores. Sed hujuſcemodi ratio inſufficiens ali-

aliquibus apparere poterit; cum rabidi aquam videre non ſuſtineant. At nos hoc quoque in cynanchicis evenire demonſtrabimus. Nunc ad alia nonnulla accidentia deveniamus. Qui (ut dicunt) Hydrophobici jam ſunt, ac morti proximi, tentantur nauſea & vomitu: Sic & cynanchici. Nec id irrationabile dicendum: cum ſupernus ventriculus excalfactus, attrahat in ſe, fiatque inde vomitus, quemadmodum *Hippocrates lib. 2. de morb.* nos docebat. Convelluntur rabidi; convelluntur cynanchici. Emittunt illi involuntarie ſemen: ſic & iſti ob convulſionem. Obſervatum fuit generari quandoque vermem in anteriore parte capitis, tam in cane rabido, quam in homine: Hoc etiam in cynanchicis obſervavit quandoque Philippus Aureolus, integræ ſcholæ Princeps. Rabidorum aliqui febricitant: aliqui vero non: Sic & cynanchici. Difficillime potant illi; imo à potu ſtrangulantur: ſic etiam difficillime cynanchici nonnulli; imò à ſaliva ſola ipſos quandoque ſtrangulari dixerat Hippocrates, ſi eam deglutire tentent.

Verùm dubitabit aliquis, qua ratione fiat, quod rabidi turbentur ex ſolo audito aquæ ſonitu, vel etiam nomine? Qui ejus rei cauſſam exoptat, memoriæ recolat, rabidos non levem læſionem pati à potulentis; unde neceſſario apprehendunt ſpeciem illius tanquam aufugibilem. Et eo quidem magis, ſi mente alienati fuerint. Quippe Maniaci videntur fortius retinere ſpecies jam apprehenſas; unde mirum non eſt ſi quandoque ad ſonitum decurrentis aquæ vel audito tantum nomine exacerbentur ægri; fit etenim ab imaginatione ad organa regreſſus: quomodo autem id contingat per recordationem, Caſſius nos docebat 73. prob. & Suidas in verbo Ἀνάμνησις, totum id ſpiritui tribuentes. Nec inſtet aliquis ex hoc, quod quandoque accidat, rabidos ex aquæ intuitu lædi primo quam ex ipſa potatione: id etenim & nos quoque ſcimus ab Aureliano & Caſſio confirmatum, quibus aſſentimur: Sed addimus id ob aliam cauſſam contingere: ob nimiam ſcil. diſgregationem jam ægrotantis oculi, factam à rebus lucidis. Anginoſi namque ſplendida & lucida non ſuſtinent, ob eam affectionem quam oculis patiuntur. Hinc forſitan Democritus jubebat (referente Cælio) potum præbendum in poculo ſphærico. Et Methodici mandabant ipſos obnutu vultu bibere. Et Arabes alii voluere illis dari potum in vaſe confecto ex cute lupi, vel alterius animalis, & cooperto eodem cutis genere, vel latrinæ panno: Alii per canalem longum optime cooperto per os infundi potum voluere: Non quod virtus ſit in cute vel panno aliiſque talibus ridiculis: verum ut ægrorum oculi non exaſperentur, quemadmodum fieri ſolet, ex reflexione luminis, quæ provenit facillime ab aqua, vitro, ſpeculis, cæteriſque [illegible]ibus. Addas à viſione citius & fortius imaginationem commoveri, quam ab alio ſenſu.

Sed amplius. Non incongrue videbitur plurimum diſtare ab angina rabies, dum meminerimus à rabidis comminqi res carnoſas veluti parvos catulos. Sed id plurimi negarunt: & qui aſſerunt non conſentiunt: alii quippe dixere id contingere in fine morbi, quod à Rudio & pluribus aliis reprobatur: Alii vero aſſeruere id fieri intra ſpatium ſeptem primorum dierum, quibus tranſactis aiunt animalcula in renibus congenita non poſſe amplius pertranſire urinarias vias. Sed hæc ridicula videntur, cùm nullum horum appareat in urina, vel in renibus. Expurgatur quidem cum urina & pituita & ſemen putrefactum, unde curioſiores quidam poſſunt ſibi ipſis varia ſimulacra fingere, potius per acriorem imaginationis vim, quàm per exiſtentiam rei, ut de lunæ maculis evenire videmus, quæ unicuique pro imaginationis propenſione varias formas repræſentare poteſt. Nec equidem credimus irrationabile quandoque accidiſſe in rabidis cynanchicis, ut ex putredine genita fuerint quædam animalcula, & excreta per urinas; ſed id non eſt proprium rabiei, nec perpetuum. Legimus apud *Plut. 8. ſympt. prob. 9.* Athenis ephebum cum multo ſemine ejeciſſe beſtiolam aſperam, multis pedibus ambulantem; nec deſunt plurimæ hiſtoriæ, apud Schenckium, illius generis.

Quod majus negotium faceſſere videtur, eſt quod rabiem contagioſam diximus, cynanches vero contagioſa non videatur. Sunt equidem qui negent, rabiem eſſe contagioſam, ex hoc, quod ſuppoſuere ipſam eſſe ſicciſſimæ naturæ & potius venenum, quàm contagioſum morbum. Sed à veritate forſan aberrarunt, non dirigentes oculos ad humiditates plurimas rabientium corporum, & non diſtinguentes venenum fieri à corpore incontaminato in propria ſpecie: contagium verò à putrido & corrupto, ſiquidem vipera, aconitum, arſenicum, & alia quæ ſunt venenoſa, vel venenum pariunt, occidunt venenando, quamvis nullam patiantur putredinem & corruptionem: ſed hoc ſatis eſt, quod habeant naturam contrariam iis animalibus, quæ necari debent. Contrà verò à propria naturali conſtitutione receſſere plurimum oculi laborantes humida inflammatione, cutis vitiata ob ſcabiem, pectus læſum phthiſi, aër infectus peſte, caniſque rabie detentus. Cum igitur ſit contagioſa rabies; videndum eſt, repugnet ne Anginæ contagium. Ariſtoteles dicebat illas ægritudines contagio fieri, quæ vitiant ſpiritum, gravemque reddunt & humiditati jungunt, adeo ut illius ope adhærere poſſit corpori afficiendo. In quibuſdam anginis vero, quid vetat maximam adeſſe commixtionem ſpiritus & excrementi pituitoſi? Nonne fit ſpuma? Quid vetat excrementa putreſcere, & vitiari ſpiritus? Certiſſimum eſt hic Venetiis Sacerdotem quendam digito commorſum fuiſſe à febricitante quodam cynanchico, dum ob illius deliramenta crederet ipſum dæmonio vexatum, admoveretque digitum illius ori. Et certiſſimum eſt eundem religioſum virum, poſt octo dies, rabie correptum obiiſſe. Quo autem modo per contagium communicari accidat, nunc remanet declarandum. Fit primo angina rabida, ſcilicet putrilaginoſa & occupans gulam, laryngem, eique adnatas glandulas. Spiritus hinc humido putrido admiſcetur, & quaſi computreſcit; ambo ſpumæ commiſcentur, vel ſaltem aëri, quem rabidus ore reddit. Si ſanum corpus tangant, ad ſui naturam alterant obvios ſanos ſpiritus, ſanguines & humores.

Et id quouſque ad determinatum locum perveniat infectio, & gignatur ſimilis rabida angina; quæ inde totum corpus alterat, quouſque mortem inferat. Nec ſit qui miretur, quomodo infectio determinatum locum petat; evenit etenim aliquando, ut determinatæ partes per contagium lædantur: idque fit vel affecta parte poſt partem uſque ad determinatum locum: vel tendente contagioſo ſpiritu primario ad partem determinatam. Afficitur hoc modo oculus in ophthalmia, pulmo in phthiſi, ſummum corpus ob ſcabiem, & quæcunque tandem primo & facile moventur ab eo quod movet: Altero vero modo afficiuntur inguina, caput, articuli, & alia membra plurima nonnunquam in morbo apud nos vocato Gallico. Hæc a. determinatarum partium defectio provenit ab ortu, & humini ſimilitudine: dum etenim vitiatus ſpiritus corpora ingreditur; conjungi ſolet materiæ, quam nactus fuerit ſuæ propinquiorem, concomitaturque eam, quocunque tendat. Si namque deſtinata fuerit ad aliquod membrum, puta cerebrum, vel inguina, eo ipſam inſequetur etiam ſpiritus. Hinc eſt quod quotieſcunque pituitoſam habuerit materiam, pituitoſo ſanguini conjungitur, & aſcendit ad cerebrum, cui talis ſanguis demandatur. Sic, qui morbo Gallico laborant, ſolent quandoque impertiri eaſdem affectiones & in iiſdem partibus, quas & in quibus patiuntur ipſi; propterea quod ſpiritus vitiatus ad eas defertur, vel cum nutrimento, vel cum excremento; utpote cum nutrimento ad hepar, cum excremento ad inguina: cum nutrimento ad cerebrum, cum excremento ad fauces & tonſillas. His ita poſitis, cum in rabida angina ſpiritum vitiari accidat, & pituitoſo humido atque ſalivæ jungi; quid mirum, ſi progignat in aliis rabidam anginam; Si quippe inſpiretur aëri commixtus, laryngem illico contaminat; inde gulam, jugulares venas, caput, necnon reliqua. Sic etiam, ſi ſalivæ, vel cybariis commixtus deglutiatur, afficit illico tonſillas, epiglottidem atque gulam. Si vero ſpumæ immixtus adhæreat corpori & præſertim ulcerato, per partem poſt partem contaminando quæ veniunt obvia, eſt in cauſſa rabidæ cynanches; cum etenim vitiatus ſpiritus fundamentum habeat & vivat, ut ita dicam, in materia, quæ à capite & ab ore fluxit, nulli mirum eſſe debet, ſi admiſceatur ſuccis & excrementis gulam, laryngem, caputque petentibus: ſique perveniat ad eas partes commixtus illis, eaſque lædat: quod eo facilius advenit, quo cerebrum & glandulæ laxam, mollem, & imbecillem naturam habent: unde non ſunt, quemadmodum aliæ partes, aptæ ad reſiſtendum & expellendum: ſed aliis frigidiores & humidiores facilius pati ſolent: & præcipue glandulæ, quæ tanquam excrementorum ſpongiæ videntur conſtitutæ, & gula, quæ naturaliter aliqua pituita abduci videtur. Cur a. aliqui tardius, aliqui vero citius in morbum incidant, id provenit à fortiori vel leviori rabientium morbo, à complexione, ſpirituum vitio, ſpumæ vel pituitæ copia, propinquitate vel longinquitate partis primario inquinatæ; à communicantia partium læſarum cum partibus anginæ ſubditis: ex diverſa hominum ac temporum conſtitutione, ex dictæ varietate. Sic etiam citius ac tardius pereunt ob eaſdem cauſſas & anginarum differentias: quarum aliæ ſunt diuturniores, aliæ velociores, quemadmodum Hyppocrates dicebat lib. Præn. & Avicennas, nec non alii. Ut plurimum autem creduntur poſt quadraginta dies periculum evaſiſſe; propterea quod hic eſt quaſi ultimus terminus anginarum acutarum, veluti legimus apud Avicennam, Raſem, & Hippocr. *lib.2. de morb. pop. ſect. 2.* Quod ſi aliqui incidunt in rabiem poſt longum tempus, id non abhorret à ratione; cum, veluti jam ſuperius diximus, angina ſit aliquando morbus chronicus. Unde habemus ab Hippocrate loco jam citato: Multi vero ad valde longum tempus partem aliquam tumoris habebant, & columellæ liqueſcentes ſignificationem parvam exhibebant. Et Demetrius (referente Cælio) dixerat, homines à cane rabido commorſos levi tumore affectos fuiſſe ultra biennium; quod optime dictum credimus, quamvis Cælius aliter exiſtimaverit. Poteſt inſuper abſque apparente tumore vel liqueſcentia relinqui debilitas quædam in partibus anginæ deditis; unde accedente poſtea quavis cauſſa apta gignere fluxiones putridas, rabida cynanche excitetur; & eo quidem facilius, quo angina eſt morbus, qui recidivas facere conſuevit: veluti adnotabant Aurelianus & Hippocrates. Imò, uti in principio dicebamus, gignitur quandoque rabies in hominibus abſque præcedente contagio. Unde non ſemper ad externam læſionem eſt confugiendum. Si quis vero dubitet; cur rabidi non conquerantur de faucium reliquarumque partium colli dolore, ſi cynanchen patiuntur; adeat Aurelianum, qui de cynanchicis incipientibus dicebat: Sequitur autem eos, qui hac paſſione tentantur querela ſine ulla ratione; & Hippocratem *lib.*3. de Morb. qui de confirmatis cynanchicis dicebat: Videntibus nihil mali habere videntur, & vident ac audiunt obtuſius, & præ ſuffocatione non intelligunt, neque quid dicant, neque quid audiant, aut faciant: Et Aretæum; cujus ſententiam ſic tranſlatam legimus: Dolores acerbi ſunt, ſed ſtrangulatione vexati, eos obſcurius ſentiunt: imo Avicennam audiat expreſſe docentem nos, aliquando cynanchicos dolore privatos eſſe; quod ante ipſum adnotaverat Galenus 4. *Aphor. com.34. ſub. fine*, dum loqueretur de illis anginis, quæ à multa pituita fieri ſolent, quales rabidos pati diximus. Et habemus apud Hippocratem lib. præn. quod ſi anginoſi facile, ac ſine dolore degere videantur, tuberculo ad extremam partem converſo, &c. ſignificatur mors, aut ruboris recidiva. Præterquam quod delirant fere ſemper omnes; qui vero mente conſtant, narrant fauces & gulam magnam habere conſtrictionem & anguſtiam; uti Petrus Salius etiam adnotabat.

Ex dictis (ni fallimur) clariſſime colligitur rabiem eſſe anginam quandam contagioſam; cùm iiſdem excitetur cauſſis, in iiſdem animantibus, iiſdem temporibus, habeatque accidentia prorſus eadem & effectus ejuſdem conditionis; & apparet quomodo unumquodque accidens, habeat determinatam cauſſam & patentem; quomodo morbus contagio inficiat homi-

mines & bruta, ac vitam adimat. Nunc remanet loquendum de curatione, ſed breviſſimè, cum ea planiſſima haberi poſſit apud Auctores in tractatibus de angina; & qui ſufficit ad cognoſcendum, ſufficiat ad ſanandum, quemadmodum Hippocrates dicebat, vel ad prædicendum ſaltem.

Cum vero prudentis Medici officium ſit non ſolum præſentes morbos debellare, ſed imminentium quoque vim infringere, tota hæc tractatio, quæ curationem explicat per capita, dirigetur vel ad utilitatem eorum, quos tetigit cotagioſus ſpiritus, non tamen hucuſq; læſit evidenter: vel illorum, qui aliquales, ſed leves, ſuſtineant paſſiones, anginam ſolitas præire: vel tandem eorum quos cynanches obtinet. Quicunque igitur voluerit primis opem ferre, in memoriam revocare debet, quod iſti in plures diſtinguuntur ſeries. Horum quippe alii commorſi ſunt: alii per os infecti, vel ſpiritum attrahendo, vel aliquid ore contrectando, vel aliquid comedendo. Poſſent etiam adjungi forſan alii, qui ſcilicet intentè nimium oculos rabientium proſpexere: propterea quod rabidi ſunt ophthalmici, & ophthalmia contagioſa extat. Inſuper animadvertendum eſt, eandem eſſe cauſſam immediatam, qua omnes iſti malè ſolent infici: vitiatum nempè ſpiritum. Quale autem vitium habeat ſpiritus, qui contagio inficit, optimè nos docebat Ariſtoteles prob. 4. ſect. 7. dum dicebat, aliquas ægritudines contagio fieri, quoniam ſpiritum vitiant gravemque reddunt: innuens ſcilicet, vitium in nimia gravedine & craſſitie conſiſtere, quæ ab humido excedente & craſſa nimis materia provenit: Undè in fine problematis addebat, ad contagium duo eſſe neceſſaria: quod ſpiritus attingere poſſit corpus, quodque poſſit perſiſtere ob glutinoſitatem. Hinc inſurgit indicatio exſiccandi & attenuandi: Hoc autem externis & internis præſidiis tentari poteſt. Externa ſunt, ex urina & aqua marina lotiones: pulveres, emplaſtra, & unguenta, quæ id præſtare valent, ſi contagium per vulnus timeatur. Si verò per os: externa præſidia erunt gargariſmata & pulveres inſufflati, omnia confecta ex attenuantibus & exſiccantibus: in quorum numero ſunt pulveres ex cineribus cancrorum, hyſſopi, hirundinum, ſtipticum braſſicæ: vel potentiores, ex nitro & flore ſulphuris, &c. gargariſmata ex aquis appropriatis, in quibus admixta fuerint nitrum, alumen, ſpiritus aceti, oleum ſulphuris, ſpiritus vitrioli, pulvis ſclopetorum, atramentum ſcriptorium & ſimilia; item linimenta ad internas gulæ partes, ſecundum artem applicata ex unguento Ægyptiaco Meſues & ſimilibus; quæ omnia aliquo modo, cum non deglutiantur, externa nominari poſſunt. Si verò ex inſpectione infectionem timeamus, poſſumus lavare oculos cum aqua fæniculi, vel euphragiæ & ſimilium, admixtis ſale, ſaccharo, vel felle, vel viridi æris, vel alumine Cypro, ſeu Italo, & ſimilibus, quæ attenuant & excitant, & ab oculo tolerari poſſunt. Interna præſidia in hoc genere ſunt phu, gentiana, cinis cancrorum, alyſſon, centaurea minor, hyſſopus, capparorum cortex, ſal prunellæ, ſpiritus vitrioli, & alia cum vino, vel aquis appropriatis, ſcilicet rutæ caprariæ, urticæ, ulmariæ, eringii & aliorum ex ratione plurium. Altera inſuper indicatio ex eodem ſpiritu elicitur, ab ipſius nempe motu. Cum enim ſpiritus infectus à partibus externis ad internas tendat, neceſſum eſt ipſum ad exteriores partes revocare, vel ejus tranſitum impedire. Ad extra revocabunt ſcarificationes, hyrundines, cucurbitulæ, emplaſtra & cerata attrahentia, nec non glutinum, ſupra vulnus impoſita; vel alia ſimilia; hoc idem præſtabit motus, &, ſi æger valdè timuerit, ſanguinis extractio à commodiori ad hunc uſum parte: timor etenim ſanguinem ad cor retrahit; & venæſectio, ſi debito modò exerceatur, revocat ad ambitum: ſic vini potio & exercitatio, modò modum habeant. Tranſitum impediunt ligamenta, vel conſtrictiva medicamina debito loco appoſita: & aliqui ad hoc utuntur opio. Poteſt etiam alia extrahi indicatio partim à ſpiritu & ſpuma, partim à parte malè affecta: quòd ſcilicet abſolutè removeatur ſpiritus ejuſque conjuncta humiditas, nec non etiam caro quæ infecta fuerit. Præſtabunt hoc ignis actualis & potentialis ſuper vulnus, à rabido inflictum. Actualis autem vel ferro, vel argento, vel auro, vel ære, & aliis quam plurimis adminiſtrari poteſt. Potentialis verò erit unumquodque cauſticum, veluti aqua aluminoſa, & aliæ omnes vocatæ fortes, & compoſita cauterizantia; & oleum ſulphuris, vel vitrioli; & dum per os timuerimus infectionem, ſpiritus vitrioli cum aquis appropriatis, qui non ſolum attenuabit & exſiccabit, ſed hoc potenter agens, humiditatem & ſpiritum conſumet; non eſt enim in iis partibus caro conſumenda. Alia etiam indicatio deſumitur à materia, quam noſtrum corpus præbet, quæ nihil aliud eſt quam humiditas excrementitia, in qua recipiuntur infecta materia & ſpiritus infectus. Hæc verò indicat ſui ipſius ablationem; & obtinebimus purgantibus, diureticis & ſudorificis. Inter purgantia principem locum videntur obtinere, quæ à capite, à tonſillis & à faucibus materiam educunt: veluti agaricus, iris, jalappa; ricinum Indicum, coccognidium, &c. pilulæ Cocchiæ, hiera diacolocintidos: Item cliſteres & ſuppoſitoria, in quorum genere, acria dulcioribus meliora credimus. Diuretica etiam ipſa aliqua leviora, aliqua potentiora ſunt; plurimum autem præſtabunt ſi admixtum habuerint rhododendrum; & ſunt ſaxifragiæ, halicacabus, critmum, paſtinaca terreſtris & marina; raphani domeſtici & ſilveſtres, ſales & aquæ harum rerum & fabarum, & ononidis, &c. Item cantharides præparatæ, &c. Sudorifica erunt decocta ex ligno ſancto, ſalza parilla, ex chyna, ex ligno ſaſſafras, urtica, aliiſque plurimis, item aurum diaphoreticum, præcipitatum diaphoreticum, & alia plura chymica hujus generis. Quæ omnia non tantùm materiam evacuabunt, verùm etiam motum ſpirituum inficientium cum materia ad exteriora revocabunt, eorumque ſubſtantiam extenuando & exſiccando poterunt conſumere. Hæc ſunt ea, quæ videntur facienda in iis, qui hucuſque nulla apparente paſſione detinentur, ſed tantum à rabido commorſi ſunt, vel per os, vel per oculos in-

ſectionem timent. Dum autem aliquales paſſiones incipiunt propalari, ad alia etiam remedia devenire licet; & ſecundùm ea quæ apparent operari. Oportet fluxiones ſiſtere, partem recipientem roborare, materiam revellere, derivare & evacuare, à toto corpore, à parte demandante, & ab ea, quæ recepit; inſuper dolores lenire, ſi qui adſunt; ſanguini, qui per Hippocratem in venis ſiſtitur, motum reddere; inflammationes extinguere ſi quæ ſunt; vias corporis patentes reddere, &c. Ad fluxiones ſiſtendas animadvertendum, an caput nimio incendatur calore: quo quidem caſu refrigerandum erit lotionibus ex decocto hordei, malvæ, lactucæ, papaveris, &c. & odore papaverum in aqua roſacea cum ſantalis & floribus nimpheæ, vel odore opii: Item oxyronidis ex oleo nimpheæ, roſarum, violarum, unguento populeonis, cæteriſque ſimilibus, & ſanguinis evacuatione. Si caput autem maximo frigore conſtringatur, tunc poroſitates aperire convenit lotionibus ex decocto meliloti, fœnugræci, capillorum veneris, &c. Si verò nimio humido laboret, exſiccandum erit pulveribus, aliiſque notiſſimis præſidiis; ſic etiam ignis actualis ſupra ſuturam coronalem, & ceratum Barbarum, & alia capitalia eidem parti & temporibus adhibita fluxiones ſiſtent, nec non materiam aliquomodo evaporare facient. Firmabit eas etiam diacodion & Theriaca recens, ſi à calido provenerint, vel fluidiores fuerint. Siſtet item vomitus, qui materiam quoque vacuabit; conciliari vero poteſt remediis quam plurimis ad hunc uſum aptis; Nos tamen credimus in hoc caſu non eſſe tentandum ope relaxantium, ſed abſtergentium & expurgantium; ſcilicet ope aſari & hellebori albi, &c. Evacuabunt inſuper reliqua purgantia ſuperius jam recenſita, & alia plurima; Revulſio fiet dolorificis, aliiſque attrahentibus poſitis ſupra vulneratum vel cicatrizatum locum, ſic etiam ligaturis, veſicantibus, &c. Derivabunt materiam à colli partibus, naſipurgia ex helleboro albo, elaterio, euphorbio, cæteriſque modò ejuſdem generis, modò mitioris, nec non etiam, ſi occaſio poſtulet, extractio ſanguinis per venas frontis, oculorum, narium, poſt aures, quas tamen tentandas non probamus, niſi prius ſecta vena brachii; Hiſce remediis non ſolum derivabimus, verum etiam aliquo modo evacuabimus; Et inflammationes & dolores, ſi aderunt, extinguemus; & curſum ſanguini reddemus, ſi in colli venis impeditus fuerit. Fauces roborabimus adſtringentibus, quibus attenuantia & reſolventia admixta fuerint, ne materia inimica detineatur illic. In hoc genere ſunt pulveres roſarum exſiccatarum, foliorum myrti, balauſtiorum, gallarum, Hypociſtidis, acaciæ, admixto nitro, hyſſopo, &c. Materiam adhærentem abſtergere ſunt apta ſuffumigia, ab antiquis recenſita, per longas fiſtulas, ad hoc, ne calefaciant nimium, in os recepta; quæ ex farfara, nitro, ſulphure, hyſſopo, &c. Secundum rei urgentiam fieri poſſunt: ſic oxymel, electuarium ex helenio, vel ex iride ſiccata, &c. Poroſitates corporis aperient frictiones, cucurbitulæ, unctiones, ad hunc uſum aptæ, balnea, & lotiones aptæ. Si verò jam ſynanches adſit, ſecundùm morbi naturam prudens Medicus ſe gerat; non eſt enim inſtituti noſtri hoc loco recenſere illa, quæ apud omnes auctores plana & in confeſſo ſunt. Recurrat igitur ad Avicennam, Alexandrum, Aretæum, Paulum, & Aëtium, Actuarium, Aurelianum, Galenum, & Hippocratem, ac alios, à quibus curationes recognoſcet. Cùm verò apud hos non extet (quod nos ſciamus) Medicamentum à nobis inventum, non pigebit id referre; uſum ſcilicet nivis & aquæ concretæ gelu, quibus mirabiliter extinguitur inflammatio, ſi diù detineantur ore. Id quoque animadvertendum eſſe duximus, quòd ſi neceſſum ſit, ob aliquam cauſſam os pertingere, cautè incedatur admodum, nè commordens æger contagio lædat. Addimus inſuper, quod Medici non timeant aliquando (ſi ratio dictitet) dexterrimè incidere venas temporales & jugulares minores, velut etiam in Ægypto aliis de cauſſis fieri narratur. Si vero morbus adeo furiat, ut ſpuma jam appareat, poſſent per os immitti fiſtulæ ab Hippocrate recenſitæ, ad reſpirationem & nutritionem excogitatæ; an vero expertæ, neſcio, cum veriſimile ſit potiùs ab iis vomitum excitari poſſe. Sic etiam forſitan tentari poſſet laryngotomia, diviſura ſcilicet aſperæ arteriæ ab *Aſclepiade* inventa, quæ non immerito forſitan ab Aureliano acriter reprehenditur; quæ ſi tentari debet, meliùs equidem tentabitur inſtrumento ferreo candenti vel aureo: Sed eo temporis mihi videntur ægroti prognoſtico potiùs relinquendi; His omnibus reſpondere debet accommodata victus ratio. Hoc tamen addimus, quod dum æger timet aquam, glutinoſus lubricuſque debet eſſe potus lentorem habens, ne ampullas elevet, non admodum fluidus, ſed potius lubricus, ut gulam & laryngem defatiget minus, retroque non cedat, ſed quo facilius poteſt, permeet. Ob hoc licebit uti lacte, præſertim coagulato, gelu cornu cervi, gelido pullorum jure, luteis ovorum, cæteriſque talibus. Et hæc ſunt ea, quæ ad curationem genericè ſpectantia à nobis videbantur recenſenda.

Cùm vero adſint etiam nonnullæ curationes, quæ mirabiles & quaſi non naturales hucuſque exiſtimatæ ſunt, non pigebit eas hic recenſere, & noſtram de illis promere ſententiam. *Lucæ* (ut referunt) ſunt quidam ex quadam familia, qui accepto poculo terreo, in fundo ipſius quoſdam characteres inſcribunt: Benedicit ſacerdos poculum: Poſt hæc qui notas deſignaverat, gladiolo ipſas poculique portionem abradit, & cum vino infuſo raſuram bibendam præbet illi, qui à rabido vulneratus fuit; dummodo hucuſque aliam non ſubſtineat læſionem. Hoc nos credimus nihil in ſe mirabilis habere una excepta benedictione. Omnia ſcilicet quæ talem ingrediuntur potionem, attenuant & exſiccant, & aliquo modo roborant. Undè in principio rationabile præſidium erit: & eò quidem magis, quò adhibita ſacerdotalis benedictio majorem illi virtutem facit. Sic etiam in Gallia apud D. Huberti Templum juxta mare poſitum, commorſi mare ingrediuntur, & in ipſo ambulant.

Sic

Sic in Italia pluribus in locis Divi Bellini clavibus ferreis ignitis, in nomine Dei exuunt vulnus à rabido inflictum. Quæ duo, quamvis naturalia ſint, cauſſamque manifeſtam habeant, eò evadunt meliora, quò Chriſtianæ pietati ſunt proximiora. Celſus & alii, cum æger ad aquæ fugam jam devenit, ipſum in aquam ſubmergendum ſuaſerunt. Hoc periculoſiſſimum eſt remedium, veluti quod facillimè ſtrangulare ſolet. Poteſt tamen aliquando contingere, ut æger ſupervivat, & ex nimia aquæ copia pituita abſtergatur; perque vomitum & ſeceſſum expurgetur: & ſi quæ adeſt inflammatio extinguatur. Si quis hoc utatur medicamine, aquam ingrediatur tepidam, & occaſione poſtulante patiens ab aqua tractus oleo tepido foveatur. Cinis cancrorum, aliſſon, & ſpongia canini rubri, quæ occulta proprietate credebantur operari, attenuantem ſiccantemque naturam poſſident. *Ælianus cap. 20. lib. 9. de Anim.* docet nos Piſcatorem quendam Cretenſem ſanaſſe filios à canicula rabida commorſos, Hyppocamporum exenteratorum ope: quorum alios aſſos eis comedendos dedit; alios cum aceto & melle contrivit, eoque cataplaſmate ulcera obligavit: atque (credente Æliano) adoleſcentium rabiem vicit: excitatio in ipſis per Hyppocampos aquæ deſiderio. Credidit enim elegantiſſimus ille Auctor hanc eſſe proprietatem eorum, qui Hyppocampum comedere, ut aquam ſummo ſtudio quærant & ab ipſa delectentur admodum. Verùm piſcator ille non curavit præſentem Hydrophobiam: ſed futuram à filiis declinavit, non ob occultam Hyppocamporum vim & aquæ deſiderium; ſed ob illorum naturam attenuantem & exſiccantem, quam in illis Galenus quoque recognovit.

Propoſuimus ſuperiùs aliqua valida dubitatione non carentia. Diximus in principio morbi convenire purgantia & diuretica, nec non aliquando ſectionem venæ: Sic etiam dum incipiunt, quædam anginæ præludia fieri, vomitum laudavimus. Tandem inter purgantia per infernum ventrem, coccognidium, & inter vomitoria album helleborum recepimus; quæ quidem omnia non paucam in ſe difficultatem habent. Sint igitur qui negent, in principio purgantia & diuretica deberi. Eorum verò rationes ſint: *Prima*, quòd medicamenta motum gignant; in venenis verò potiùs requiratur quies; nè venenum ex agitatione fortiùs humores & corpora inficiat: *Secunda*, nè vi medicaminum major fiat ad intrà veneni tractio; cum purgantia & diuretica ab externis partibus ad internas trahant. Nos autem credimus aliquando diureticis & purgantibus utendum eſſe etiam in principio. Primò namque adeſt indicatio, quæ deſumitur à materia, quam noſtrum corpus præbet, quæ nobis plurimi facienda viſitur, cum plures homines optimè conſtituti & ab excrementis mundi nullam aliam à cane rabido noxam receperint, quàm ſolum vulnus, nullo etiam adhibito præſidio: imò patet etiam corpora puriora peſti quoque plurimùm reſiſtere. Undè credimus in corpore impuro & cacochymico nullo modo prætermittenda eſſe. Nec allata in contrarium argumenta nos deterreant, *Primò* namque dubitari poſſet, an ſpiritus contagioſi venenoſi dici poſſint, quamvis ab Actuario, Dioſcoride, Galeno, & aliis canis rabidus inter animantia venenata recenſeatur. *Secundò* falſum eſt; venena ſemper indigere quiete, veluti in noſtro de viperarum & ſcorpionum vi mortifera & medica demonſtraturi ſumus. *Tertiò* ea, quæ noſtrum corpus in deterius alterant, non quiete, ſed extinctione & expurgatione indigent. Quantum autem ad ſecundum argumentum attinet, hoc nullum robur haberet in iis, qui vel reſpirando, vel alio quovis modo per os infecti ſunt; cum ſpiritus inficiens jam aditum habuerit. In iis verò, qui fuere morſu vulnerati, dubium eſt, an contagioſus ſpiritus in ſola corporis ſuperficie ſteterit, annè intrò repſerit; quod veriſimilius credimus; cum per totum corpus venæ & arteriæ diſpergantur; quæ perpetuò fluentes facillimè receptum ſpiritum & ſpumam huc & illuc citiſſimè deferre valent, & eo quidem magis, quò ſæpiùs homines aliquo modo timent, dum à rabido mordentur, quo caſu ſanguis ad cor retrahitur. Hiſce de cauſſis ſæpius vidimus homines in rabiem incidiſſe, quamvis uſi fuerint in principio medicaminibus ad externam partem attrahentibus. *Secundò* animadvertendum eſt, prædicta medicamina non ſolum evacuare materiam, quam noſtrum corpus præbet; verùm etiam unà infectum adhærentem ſpiritum purgare, vel ſaltem tenuando ſiccandoque refrangere. *Tertiò* falſum eſt fundamentum, quòd purgantia & diuretica ad partes internas trahant; non etenim ad eas, ſed per eas motus; valde quippè diſtat, ad locum intra corpus trahere, & per locum extra corpus ducere. Illud quidem irrationabile & inconveniens: hoc autem rationi & naturæ conſonum: cum natura ex ſemetipſa ſæpius per urinam, vomitum, & ſeceſſum venenatos liberet. Nec dicendum eſt, quòd in tranſeundo corpora ſpiritus inficiat; eſt enim ex ſemetipſo ad operandum ſegnis & impotentior redditus, atque forſitan extinctus ab ipſa attenuante vi medicaminum; quorum etiam proprium eſt, naturam mirabiliter ad expulſionem incitare. Unde nos credimus in principio non eſſe à medicaminibus purgantibus & diureticis abſtinendum, ſi corpus excrementis ſcateat; ac eo præſertim quo diximus ordine; ſcilicet poſt adhibita localia, quando decet. Erat altera dubitatio, an conveniat miſſio ſanguinis. Hoc poſſet negari: *Primò* ex eo, quod major fieret retractio veneni ad interna: *Secundò*, quia non videntur adeſſe indicationes: *Tertiò* propterea, quòd in caſu venenoſo indigemus virium robore, ſanguinis autem evacuatio virtutem frangit. His attamen non obſtantibus nos credimus aliquando ſanguinis miſſionem convenire: ſcilicet dum æger valde timuit, vel per os infectus fuit, nec non etiam dum per morſum; ſi tempus aliquod introeundi ſpiritus habuerit; ſic etiam dum patiens valdè fuerit plethoricus. Tantum enim abeſt, ſi æger timuit, ut per ſanguinis miſſionem ad interiora fiat retractio, quin potius per ſectionem venæ ſanguis ad exteriora revocetur, & ſecum etiam infectus ſpiritus, ſi ad cor redierat; eſt enim

naturæ proprium, ſtatim ac ſectam habet venam, illuc deteriorem ſanguinem & ſpiritum impingere. Hac eadem cauſſa, laudanda eſt ſanguinis evacuatio, ſi ſpiritus infectus tempus aliquod introeundi opportunum habuerit, vel per os ingreſſus fuerit; ſique corpus ſanguine repletum fuerit; ſolet enim natura in tali caſu ab onere quodam ſublevari, unde fortiùs contra inimicum ſpiritum inſurgit ad vincendum; non poteſt enim probe, quod noxium eſt, expellere, nimia ſanguinis copia impediente venas. Eſt igitur aliquando ſanguis equidem mittendus & a proximiori vena, quæcunque ſit, ſi æger morſu vulneratus fuerit: ſi verò per os ſpiritum ingeſſerit, à communi; ut jecur & caput expurgentur, & inde ab iis, quæ ſub lingua ſunt. Nec deterreant nos allatæ in contrarium rationes: Propterea, quod primo falſum eſt non adeſſe unquam indicationes. Retractio enim ſanguinis ad cor, revocationem ad ambitum requirit; inter ea vero, quæ præſtant, eſt equidem venæſectio. Amplius duo ſunt ea, quæ ſanguinis miſſionem indicant, vel ſcilicet nimia copia, vel immedicabilis conditio, quod n. nimium eſt, diminutionem poſtulat: quod naturæ & medicaminibus repugnans, evacuationem indicat: Unde ſi corpus nimio abundet ſanguine, vel vitiato valde ſcateat, noſtro equidem judicio, ſanguis mitti debet. Nec fortius eſt alterum argumentum, quod egeamus virium robore; Quis etenim eſt tam fatuus, ut viribus oculum non dirigat? Sunt vires quidem attendendæ: ſed juxta & requiſita ſanguinis miſſio eas non extinguit. Præterquam quod dum morbum oppugnamus, viribus conſulimus, contra vero, dum timentes ne robur infringatur, neceſſaria prætermittimus, morbus invaleſcit, vires decidunt, ac vita perit. Erat tertia dubitatio, An conveniant vomitoria, dum incipiunt pandiculationes, & alia quæ cynanchen præire ſolent. Hoc plurimi negabunt, propterea quod vomitus in angina aliiſque morbis lædentibus ſpiratum non conveniat, plurium Medicinæ ſcriptorum teſtimonio. Cumque non conveniat per affectum locum trahere: Nihilominus contrariam nos amplectimur ſententiam, quod ſcilicet aliquando conveniat. Hippocr. lib. de locis in hom. dixit fluxionibus ex capite manantibus vomitum conferre. Quod autem in iſtis fluxiones fiant & ſiſti debeant, dubium equidem non eſt. Inſuper idem Hippocr. lib. 5. de morb. vulgar. ſtatim, ac de cynanche locutus fuit, dixerat convenire purgationes ſuperioris ventris in acceſſionibus morborum, quando humores per ſe in ſublime efferuntur, cum anxietate & capitis gravitate, aut incontinenti corporis jactatione; quæ quidem omnia in jam dictis ægris facillimum eſt reperire. Et Celſus optime dixerat lib. 1. cap. 3. quod ſi aliquid corruptum eſt, nihil commodius exiſtimari debet, quam id qua via primum expelli poteſt, ejicere, per vomitum ſcilicet; Unde materia quæ vitiata reperitur in ſtomacho, gula, & faucibus, per vomitum nobis ejicienda viſitur; facilior enim, brevior, latior, & promptior via. Nec argumenta jam allata nos ab iſta revocant ſententia. Quippe non purgare per vomitum in angina, non eſt adeo receptum dogma, quod contrarium plurimi non ſenſerint. Praxagoras etenim & Heraclides Tarentinus magni nominis auctores cynanchicis dabant medicamen vomificum Emeticum ab ipſis dictum. Et Hippocrates lib. 6. de morb. vulgar. ait, ſe quoſdam cynanchicos ex ſuperioribus purgaſſe. Imò quandoque non poſſumus rationabiliter niſi per vomitum purgare, propterea quod ſi deorſum trahentes, in pectus materiam deducamus, æger in maximo vexabitur diſcrimine; & natura ut plurimum per os hujuſcemodi morbum ex ſemetipſa ſolet expurgare. Inſuper concedimus per affectum locum nos non debere aliquando purgare; tunc ſcilicet quando periculum eſt, ne major copia ad partem attrahatur, quam expurgari poſſit. Sed in caſu noſtro contrario modo ſeſe res habet, propterea quod tantum abeſt ut materiam vomitus impingat in partem læſam, quod ipſam ab illa extrahit & expurgat. Et hinc eſt, quemadmodum dixerat Hippocrates lib. de loc. in hom. quod vomitus vomitu ſedatur, cum ab ipſo eluantur, quæ ſunt ipſius cauſſa; & hac eadem ratione lib. 3. de morb. jubet fricari paracynanchicorum linguam & fauces iis, quæ pituitam educunt; ad hoc ſcilicet, ut materia morbum gignens per promptiores vias expurgetur. Addimus inſuper, quod Petrus Salius & alii, qui in demorſis à cane rabido vomitum concitavere, teſtantur pulcherrimum inde veniſſe opus. Quod ſi poſtea negent in morbis reſpiratum lædentibus vomitum opportunum, id nihil refert; cum repugnet illis ipſorum quoque experientia, quæ certiſſimum eſt teſtimonium veritatis. Et Hippocrates dicebat, quicquid artificioſe factum eſt, ex ratione prolatum eſt ac productum. Quicquid a. artificioſe dictum non autem factum, methodi inartificialis demonſtrativum eſt. Dubitabatur ultimò, an relatæ materiæ præſidiorum convenirent, ſcilicet coccognidium & Indici phaſeoli inter purgantia internum ventrem; & album veratrum inter vomitoria, cum iſta apta ſint ex ſemetipſis fauces inflammare. Pro cujus dubitationis ſolutione hoc animadvertendum eſt; quod quamvis coccognidium & Indicum ricinum, ſi deguſtentur, fauces inflamment, nihilominus id non præſtant, ſi debitis modis propinentur, ſcilicet in vino dulci, vel melle cocto, vel in aliis rebus abſcondantur, ne tranſeundo propria ſuperficie tangant immediate fauces. Sic etiam veratrum nullam affert faucium læſionem, ſi debitis modis ipſum, & noſtrum corpus præparemus; de quorum quidem præparatione, doſi, &c. in noſtro de helleboro libello tractaturi ſumus. Hoc interim ſufficiat, in caſu noſtro optimum eſſe poſt cibum ejus ſecundam decoctionem propinare eo modo paratam, quo apud Petrum Salium legimus in tractatulo de rabie. Quantum a. in rabie debellanda valeat hellebori albi potio, colligitur facillime ex eo, quod canibus etiam opitulatur, & ex Actuario cap. de rabie: ſed hoc præſidium tentandum non laudamus, niſi reliqua alia fuerint tentata fruſtra, vel dum maxima adeſt occaſio.

Abſoluta jam ſunt omnia quæ ad cognitionem, cauſſas, prognoſticum, & curationem attinent. Nunc verò recenſenda venient quædam, quæ fugienda omnimodo creduntur. Compertum eſt eos, qui à rabido ſunt infecti, per annum ſaltem debere à fructibus cornorum abſtinere; fecit enim fructus iſte rabiem ſæpius. Sed quid mirum? ora gingivaſque lædit, quemadmodum Dioſcorides nos docebat, & experientia ſæpius comprobavit. Hac igitur ratione, ſi quæ adeſt debilitas vel malignus fomes in venis linguæ, tonſillis, faucibus, aliiſque partibus, facillime ob novam earum læſionem radices altius figit. Præterquam quod, nimia adſtringentia poſſunt fructus per antiperiſtaſin ipſum ſpiritum exaſperare: nec non ſanguinem in venis coagulare, unde fluxiones & anginæ ſolent evenire, docente nos Hippocrate. Sunt qui rem ampliaverint ad contactum, & ad umbram cornorum, ſorborum, ſanguineæque virgæ; aſſerentes experimento conſtare, harum arborum virgas rabiem excitaſſe, dum tamdiu manibus tractatæ fuerint ab illis, quos rabidus momorderit, quouſque incaleſcant: eandemque vim retinere umbram earum arborum, propterea quod pluries viſum ſit rabiiſſe eos, qui lanas purgant cædendo virgis corneis, nec non eos qui ſummo æſtu ſub harum arborum umbra recubarunt, dummodo prius à rabido læſi fuerint. Verùm dubium quidem eſſe poſſet, an rabies ab harum arborum virtute excitetur: an vero fiat (quemadmodum rationabilius eſſe credimus) ab aliis cauſſis cynanches. Peccant nempe lanarii vociferando nimium, nimiaque frequenti ebrietate, & os illorum multo impletur pulvere, qui faucib. adhærens plurimum affert nocumentum. Sic etiam qui ſub umbra cubant, veri eſt ſimile, fuiſſe à ſole prius alteratos. Non negamus tamen poſſe aërem inſpirandum, à ſorbo & ſanguinea virga alterari adeo, ut fauces etiam aliquo modo lædat. Fugiant ergo qui rabidam infectionem timent omnia, quæ jam diximus, & alia quæcunque cynanchem generare poſſunt. Caveant illi qui tentantur morbo, lumen & ſplendida, ſic etiam aquam, ejus ſonum atque nomen, & ſanguis dum mittendus eſt, (ſi potulenta jam abhorrent) excipiatur manu, ne ſonitu fluoris perculſus commoveatur æger. Hæc ſunt ea quæ nobis de hoc morbo & ejus curatione dicenda videbantur. Prudens Medicus plura apud Hippocratem & Galenum, aliosque Magnos viros, de angina loquentes, videre poterit; unde cauſſam, naturam, differentiam, curationem, & prognoſticum eliciet. Ex quibus vel ægro ſanitatem, vel ſibi ſaltem prævidentiæ famam comparabit; inter eos vero qui curationem hujus morbi ſub rabiei nomine optime tractarunt, Actuarius extitit.

Exactam certitudinem raro cerni dixerat Hippocrates: Nec immerito; Nihil enim probatum eſt & receptum adeo, ut tanquam falſum & inveriſimile ab aliis non fuerit acriter reprehenſum: Nihil abſurdum adeo & incredibile, quod idem aliquibus certiſſimi faciem non habuerit. Hinc tot variæ & inter ſe pugnantes Philoſophorum & Medicorum Scholæ. Unde Plato ſupra cœlos Veritatis campos collocavit omnem ſenſibus fidem abrogans. Non deerunt ergo, quibus hæc noſtra improbanda, & à veritate diſſona credantur. Quibus hoc ſolum reſponſum volumus, opinionis errore decipi, & ſi ſapientis non ſit, hominis ſaltem eſſe: Noſque, inſuper non eorum, ſed noſtram ſcripſiſſe ſententiam: quam ideo amplexati libenter ſumus, quia ſub veritatis forma ſeſe nobis propalavit, ſenſibus & ratione ipſam quæritantibus: Unde ſi falſam cognoverimus, eam ſtatim reprobatam volumus. Si aliis igitur aliter appareat (abſque noſtræ reclamationis ſuſpicione) credant & ſcribant quicquid lubet. *Joſephus de Aromatariis tractatu de Rabie contagioſâ.*

Rabidi morſus Hydrophobia; Latinè, aquæ pavor: Miſerrimum genus morbi, inquit Cornel. Celſus, in quo ſimul æger & ſiti & aquæ metu cruciatur.

Quemadmodum autem proximè ſuperior morbus Diabetes, à morſu beſtiolæ cujuſdam venenatæ, ex ſerpentium genere, interdum naſci ſolet; ita hic, de quo tertio loco tractaturi ſumus, Canis rabioſi venenato morſui primariò originem ſuam debet. Atque ſimiliter quoque hic, atque ille, Dei Providentia, mortalibus rarò accidit. Quod tamen vehementer miror, cùm nulla domus ſine cane ſit, ejuſque totiuſque familiæ non ſine ratione præſidium vocetur; imò cùm omnium gregum, beſtiarumque ruralium aſſiduus & fidelis cuſtos ſit. His adde, Canes venatici plurium generum apud nos infiniti ſunt, & primarii viri eorum etiam greges nutriunt; imo mulieres, cujuſque ferè ſortis, ſolius voluptatis & animi cauſa, eos in ſinubus ſuis geſtare amant, & intra ipſos lectos admittere; adeo non ſatis eſt, eos eſſe domeſtica Animalia, niſi menſa & toro quoque accipiantur: item hominum plurimos rabie perire, ſcilicet morbo Canibus, & id genus animalibus ſolis peculiari, teſte Galeno. Idcirco Providentiam divinam magnopere laudo; à morbo omnium longè ſæviſſimo, humanum genus etiam invitum, tueri velle.

Non autem ignoro Hydrophobiam aliter, atque aliter in morborum claſſibus diſponi. At tota illa contentio, an celeribus tardiſve paſſionibus annumeretur, pauci momenti eſt. Etenim cùm rarò ante trigeſimum quintum diem aquæ pavor à quo prima morbi cognitio eſt, incipiat; & quod celerrimè deinceps hominem interficiat, acutus morbus dici poteſt. Veruntamen, quia poſt plurimum tempus morſû inflicti ægri morte afficiuntur, & quòd ab ipſo ferè morſu diverſimodè ſeſe malè habeant, etiamſi morbi genus nondum percipitur, aut ne dum ille animadvertitur; ideo cum aliis antiquorum ſectis (quales fuerunt Aſclepiadis ſectatores, authore C. Aureliano) hanc tardam paſſionem eſſe putare licet.

Ut autem hujus morbi deſcriptio perfectior ſit, tàm ipſius canis rabioſi, quàm hominis à morſu rabioſi conditiones exponendæ ſunt;

Canis vero inſania propriè rabies dicitur; huic tùm ferè cauda demiſſa, oculi inflammati, lingua exerta, citra rationem currere, deinde ſurſus ſubitò conſiſtere. Siticuloſi quidem ſunt, non tamen bibunt, & plerumque anhelant. Multi ſunt & adeo deliri, ut ne familiariſſimos

riſſimos cognoſcunt, ſed hos primùm attingunt. Segnius ferè incedunt, & velut ſomnolentiores exiſtunt; ſi vero etiam cucurrerint velociùs, ſubito currunt, at intempeſtivius & inordinate. Rufo & Poſidonio authoribus antiquis apud Ætium: non ſolum maxime æſtu, ſed etiam per maxima frigora canes in rabiem agi ſolent. Item potum & eſcam averſantur; largam ſpumántemque pituitam naribus & ore projiciunt; torve & ſolito triſtius intuentur: in omnes paſſim ſine latratu irruunt, æquè feras homineſque: tam familiares, quàm ignotos mordent, nec protinus infeſtum quidquam infligunt, niſi vulnus, doloremque; exinde morbus ille contrahitur, qui aquæ metus denominatur. Illudque noſſe convenit, pavorem aquæ non ſtato definitoque tempore exoriri. Quidam poſt morſum celerius in paſſionem veniunt, quidam tardius: ideo etiam poſt annum, aut eo amplius afficiuntur; ſed magis plures poſt quadraginta dies. Cœl. Aurel. Plurimùm tamen ad quadrageſimum uſque diem neglectis differri conſuevit. Poſt ſemeſtre etiam nonnullos invadit. Quendam poſt annum aquam horruiſſe conſtat, quæ nobis viſa & comperta fuere; narrant & poſt ſeptennium aquæ metu fuiſſe tentatos.

Jumentorum Hydrophobia correptorum hæc ferè eſt conditio, Vegetio authore.

Aliquando jumenti aquas timentis ſigna hæc ſunt, venas omnes habebit extenſas, ſudabit, ſuffuſis oculis tremorem fremoremque patietur, illidet ſe parietibus; ex qua paſſione converti conſuevit in rabiem.

Homini autem evenit id malum cum diſtentione nervorum, totiuſque corporis rubore, præſertim faciei, cum ſudore & languore quodam. Aliqui auræ ſplendorem fugiunt; alii ſine ulla doloris intercapedine vexantur; ſunt etiam qui canum more latratus edunt, & obviam factos, morſu adoriuntur, ac mordendo ſimili vitio labefactant.

Cœl. autem Aurelianus omnium Antiquorum diligentiſſimus fuit in colligendis nominibus & ſignis hujus morbi. Hydrophobiam, inquit ille, alii Phobodypſon appellant, quòd cùm timore ſitiat aliquis; aliis aquæfuga audit: aliis cynolyſſon, veluti ex rabie canina morbum conceptum.

Antecedens certè cauſa paſſionis eſt canis rabidi morſus; at quidam in hanc paſſionem devenerunt ſolius aſpirationis odore, ex rabido cane abducto; alii rabidi canis unguibus læſi: alii à catulo parvulo læſi Hydrophobici memorantur.

Sartrix quædam ex chlamyde ſciſſa rabidis morſibus ſarcienda, ſuturis & filo linguam pro more ſæpius admovendo.

Alia quoque animalia apud eundem Cœl. Aurel. numerantur ſimili rabie noxia, ut Lupi, Urſi, Leopardi, Equi, Aſini, etiam Gallus Gallinaceus.

Imò apud illum poſſibile eſt ſine manifeſta cauſa hanc paſſionem corporibus innaſci.

Hydrophobiam autem, ſecundùm eundem Cœl. Aurelianum hæc ferè indicia circumſcribunt: nempè, pronis in illum, cum jam prætangi cœperint. Anxietas quædam ſine ulla ratione: Atque iracundia, & corporis difficultas: inſolitus motus: Somnus etiam ſuſpenſus atque turbatus, vel vigilia: & ſimul cibi corruptio: ſtomachi gravedo: crurum atque brachiorum extenſio, oſcitatio jugis, & impigra levandi (an ad ambulandum) voluntas: inſueta etiam querela aëris, tanquam auſtrini, quamvis ſerena fuerit quies: item difficilis toleratio, atque tædium, & reculatio imbrium, parva bibendi voluntas contra conſuetudinem.

Obtinente verò paſſione, appetentia bibendi atque timori primùm ad ipſius aquæ viſum, ſecundo etiamſi ejus audierint ſonitum vel nomen, dehinc timor fomentationis olei. Pulſus denſus, parvus, inordinatus: quibuſdam ſaltus ſtomachi, torpor atque ſtupor articulorum; ſubreptio atque extenſio præcordiorum ad ſuperiores partes, & officii ventris abſentia. Urinæ reddendæ paulatim frequentatio, tremor atque conductio nervorum. Vox obtuſa & velut latrabilis: corporis canina involutio, (ſive decubitus caninus) ſpiratio difficilis. jactatio corporis omnis ad ingreſſum hominum, tanquam ſecum aquam afferentium: rubor vultus atque oculorum, & corporis tenuitas; atteſtante pallore cum ſudore partium ſuperiorum. Veretri frequens tenſio cum ſeminis involuntario jactu: lingua prominens.

In ultimo etiam ſingultus, & vomitus fellis, ac frequentiùs nigri: quibuſdam etiam timor, manus oculis tenus admotæ vel circumtractæ.

Quidam ſe agnoſcere fatentur eſſe naturalem, vel conſuetum aquæ liquorem, cum ſibi monſtratur; ſed commoveri cum viderint.

Soranus ipſe teſtatur ſe vidiſſe Hydrophobum ſeſe hortantem, ut liquorem ſumeret, nec tamen potuiſſe. Aiunt & militem quendam Hydrophobum, ut Artorius memorat, ſibi indignatum, quod in bello nulla timuerit vice, ſed nunc, aquam cùm vidiſſet, quæ eſſe conſuetudinis jucundæ ſolet, metu inenarrabili terreretur.

Eudemus, Themiſonis ſectator, memorat fuiſſe Hydrophobum medicum, qui cum prænoſceret periculum, ſuppliciter ingredientes exoraret, & cum lachrymarum fluore guttis deſtillantibus tangeretur, exiliens veſtem conſciderit.

Soranus memorat ſe infantem Hydrophobum vidiſſe, Ubera matris expaveſcentem.

Atque hæc ex Cœlio Aureliano, veterum medicorum nulli ſecundo, exſcripta habui.

Unum autem morbi ſæviſſimi prognoſticon reſtat; nempe ex iis qui hoc vitium ſenſerint, neminem ſervatum eſſe: niſi forſitam ex Hiſtoria unum aut alterum evaſiſſe audimus, teſte Dioſcoride; & idem alibi; Hoc vitio tentatus nemo ſervari poteſt. Huic etiam prognoſtico conſentiunt ferè omnes Antiqui Scriptores. Aquæ metu oppreſſis in anguſto ſpes eſt: ſic C. Celſus. Quum liquorem timent, & latratus edunt, ſpaſmoque vexantur, horum nemo ita correptus, quantum ego ſcio, inquit Scribonius Largus, expeditus eſt: ad idem redit ſententia Galeni; hoc autem morbo omnium peſſimo correpti aquam timent; ac propter multam ariditatem, humidi deſiderio tenentur, cæterùm à potu abſtinent, quia men-

mente alienati, id quod auxiliari poteſt, non conſiderant. Proinde fit, ut aquam fugientes inareſcunt, & convelluntur ob febrem, qua intùs uruntur, miſerrimoque tandem mortis genere intereunt. Aquæ, id eſt, cujuslibet liquoris timor, ubi accedit, ſummo cruciatu ad mortem eos compellit: hæc etiam prodidit Scribonius Largus.

Ipſo autem morbo hactenus deſcripto, proximum eſt, ut aliquot Ægrotos, pro more noſtro, exhibeamus; nempè ad majorem morbi elucidationem. At rariſſimi hi ſunt; imo in tota Hiſtoria medica, quantùm legi, tàm antiqua, quàm moderna, vix unum aut alterum ægrum ex integro narratum invenire licet; quòd fortè ab iſtiuſmodi ægrotis etiam medici abhorrere conſueverunt; cùm ſaliva non ipſius canis tantùm, ſed & hominis rabioſi inficere potis eſt: neque enim infectionem aliquibus aſſidentibus, maximè ſi vitioſi corporis habitus ſint, mediante ſpiritu communi, communicari poſſe, non multùm dubitare videtur Dioſcorides.

Ægrotus 1. Jacobus Corton, juvenis procerus, atque admodùm robuſtus: à Cane quodam rabioſo dextra manu leviter morſus eſt; vulnuſculum per ſe ſanatum eſt; imò res ipſa & ſibi & ejus uxori omninò oblita eſt; mihi tamen reſpondit (cùm Hydrophobia correptus eſt, & ea à me cauſa aſſignata eſt, cur aquam jam bibere non potuit) ſe uxori dixiſſe, illud ſibi valdè mirum viſum fuit, quòd canis, antea ſibi tam familaris, ipſum tunc morderet: at è memoria id totum ſibi excidit. Poſt quadraginta verò plus minus dies de dolore quodam totum quidem corpus, maximeque dorſum & tota circumcirca præcordia, vehementer afficiente queritur; palleſcit, huic cavi oculi, &c. Die autem tertio à primo inſultu ad veſperum, circiter medium Martium, Anno 1681. Spiritum Vini dictum meracum, & calefactum, petiit, potavit, lecto decubuit, vomuit, noctem inquietam egit, & poſtridie manè valdè ægrotavit cum ſtomachi vehementi inſultu; & quamvis minimè ſitiebat, tamen omninò bibere non potuit; imò jam propriam ſalivam ægrè quidem deglutiebat, quod ipſi, ut nobis ſeriò multoties aſſeveravit, vel morte pejus erat: ejuſdem autem diei manè, & Diaſcordii tantillum, & aquam Theriacalem ei obtulit quidam Pharmacopola. Diaſcordium quidem ſumpſit, at aquam guſtare non potuit. Atque hæc manè: Prima autem ejuſdem diei pomeridiana hominem primùm vidi, lecto decumbentem; pulſum protinùs exploravi admodùm tardum, & interdum inæqualem, at neque id, niſi ab aliquo ſtomachi gravi inſultu; habitus corporis frigidus, lingua non ſicca, ſed flexilis & humida, ſubalbida. Hominem ſurgere juſſi, & ante claram lucem eum poſui; & quòd de neſcio qua gravi ægritudine circa ſtomachum multùm querebatur, aquam Theriacalem, quæ ad manus erat, propinavi; at cùm ori ejus poculum appropinquarem, inhorruit quidem tremuitque: illud equidem infinita admiratione ſpectabam; adeoque vinum aquamve petii; & aquam mihi ejus neceſſarii attulerunt, quam ei ſtatim potandam dedi; ſed vehementer ad eam reſiliit, & ejus ſtomachus modo quodam inſolito valdè intumuit, & tunc pulſus ei multùm tremulus & commotus eſt: ampliùs autem eum ad bibendum provocavi; ſed ut ad ejus os aquam propius moverem, magis magiſque attonitus, caput retrò avertebat, ſingultiens, & eam torvis oculis intuens, non ſine dentium ſtridore tandem & vociferatione. Illud vehementer miratus ſum, nec ejus ſymptomatis rationem ullo modo reddere potui; diu verò cogitabundus, feliciter mihi in mentem venit, hunc Aquæ metum eſſe, mihi tantùm ad hoc tempus ex libris cognitum, nondum tamen viſum. Quo animadverſo, iterùm atque iterùm hominem ad bibendum provocavi; & totiès illum valdè perturbatum expertus ſum, maximè ad aquæ appulſum: Tandem uxoris matrem & ancillam adſtantes interrogavi, quâ corporis parte nuper vulneratus eſt; quâ quidem quæſtione confuſæ, reſponderunt, Quare id quærebam ſe velle ſcire: Illum à quodam cane morſum eſſe dixi. Id verum eſt, ipſe ægrotus territus ſubitò mihi reſpondit, à cane cujuſdam *Sutton*, vicini mei, morſus ſum; ſed vulnus jamdiu ſanatum eſt. Poſthæc hominem rurſus decumbere juſſi, illumque reliqui. Uxorem autem & neceſſarios alibi domi conveni, & ejus mortem, ut rem certiſſimam prædixi; ſiquidem tardiùs eſſet, quàm ut opem aliquam ferre potuerim; item neminem præter cuſtodes, ſtrenuos aliquot viros, illi adeſſe permittere volui.

Venam autem in brachio demorſæ manus ſtatim ſecandam curavi; vulnus ſcarificatione profundiore aperui & veſicatoria ſuperinjeci, eadem regioni interſcapulari, tibiis & brachiis ex internâ parte admovi; item Antdidotos famoſas & uſitatas, ut Theriacam Andromachi, cinerem Cancrorum fluviatilium, Rutam, Agaricum, &c. forma boli propinavi. Illud autem notandum eſt, ſolida quæque cochleari aſſumere potuit, (quod ut jam video C. Celſum non latuit) ſed id non ſine multo tremore & metu; obnixè ſupplicans, ut cautè id fiat, neque aliquis ea ſubitò & improvisò afferret, & ut in ejus manus leniter deponerentur; quibus acceptis, manum ſuam ſuſpenſam paulatim verſus os dirigens, ſubitò cochleare intra id, velut ejaculando, conjicere voluit, & dicto citiùs, velut canis ad offam, quicquid in cochleare contentum eſt, deglutire, idque multo expeditiùs, voraciuſque quàm eſt hominum aut conſuetudo aut natura. Ex variis autem Antidotis aliquid ſingulis horis ad multam noctem ſumpſit, & ſemper admodum jam deſcriptum: item Potionem plurium generum ſubinde obtulerunt die nocteque, quam tamen nunquam ſine horrore vidit, gravi ſtomachi motu ſuperveniente. At Salivam deglutire ei horrendum fuit; perinde, acſi mortem ipſo momento inferret. Nox illa ex toto inſomnis fuit.

Poſtridiè verò ejus ſanguinem, è venis miſſum, diligenter inſpexi; optimè quidem ſe habentem, & colore, & conſiſtentia, & proportione utriuſque partis ſeri ac craſſamenti rubri, & ſanorum ſanè quàm ſimillimum.

Febricitavit jam primùm, & pulſus jam celerrimus, fortaſſe magis à calidis Antidotis, multoties exhibitis, & vigilia perpetuâ & animi anxietate, quàm à morbo. Aqua denuò oblata eſt, ſed fruſtra; imò me magnopere rogavit, ut non ampliùs ei moleſtus eſſe velim, ut ſaltem quietè mori ſinerem, adeò aqua ei terribilis, ut nihil ſu-

prà;

pra; ſed & omnia alia quæcunque illi jam terrorem incutere dixit; ejus mortem jamjam inſtare ſentit, quòd animo, inquit, penè defecturus ſum; & admodum quidem pallidus, & cavo & tenui vultu erat.

Multâ autem difficultate hominem veſtitum perſuaſi, ut ſe in faciem inclinaret, lectoque incumbentem, ſeſe ſuper ventrem proſterneret; pectore tamen & vultu in terram ultra lectum liberè deorſum proſpiciente: nam mihi veriſimile eſſe videbatur, ut hoc corporis poſitu (ſcilicet canino, aut quadrupedum more, quàm erectiore, humanoque;) faciliùs biberet. Itaque cereviſiæ tenuioris Urnam capacem ipſius ori placidè ſubjici curavi; quam, protinùs ut aſpiceret, infinito gaudio amplexus eſt; & ejus odore ſe admodum refici dixit; potionemque jam cum inſigni voluptate vidit; ſeque minime dubitare, quin totam Urnam ſiccare poſſet affirmavit; & qui jam tantùm non moribundus videbatur, jocosè loquutus eſt, & cum uxore & neceſſariis ejus multa lepidè & jucundè confabulatus eſt; inventionem meam mirificè laudat, mihique gratias quàm maximas ex animo dedit, &c. Caput autem verſus cereviſiam maximâ feſtinatione impetuque movebat, ſed fruſtrà, nam, quoties labia aperuit, ſtomachus vehementer offenſus eſt; linguam jam exeruit, ac ſi lamberet; ſed cùm vel ſummo ejus apice cereviſiam tangere contigit, territus reſiluit; bibendi tamen vana imagine uſque delectatus eſt; amphoramque è conſpectu ejus ſubducere ancillam ſinere noluit, & quoties eam parùm & leniter ſubtrahere conata eſt, odorem ſequutus eſt naribus, canum more, follicans. Diu & multùm ſic fruſtrà fatigatus, ſe jam plurimùm offendi dixit odore cereviſiæ tenuioris, ſcilicet nimiùm vapido & languido; idque ſibi ne biberet impedimento eſſe; itaque alam (fortiorem cereviſiam noſtratibus dictam) petiit. Atque illa ex voto dicto citiùs oblata eſt; ſed poſt infinitos conatus, & linguam millies, canino more, exertam, neque ex ea vel primis labiis guſtare potuit. Atque hâc poſitione modo ventri incumbens, modò manibus & genibus innixus, integrâ minimùm horâ perſiſtebat (Tantalum agens) at omnino citra potionem. Deinceps, tenuis fiſtulæ, è pennis coagmentatis confectæ, alterum caput ejus ori, atque alterum cereviſiæ, immittimus; ſed illo Syphone uti non potuit: atque idem eſſe videbatur, ac ſi quis illum Canis ori intruſiſſet. Ità vexatus, me perſuadente, tandem decubuit, & non multò poſt exitum meum nervorum contractione correptus eſt, ore ſpumavit, latravit, adſtantes dentibus petiit.

Hoc autem paroxyſmo finito Elleboriſmum in bolo propinavi, quod libenter avideque, perinde ut cætera, ſumpſit; ab eo ter quaterve copiosè vomuit, eoque ſe multum levari dixit; tamen ſubinde convellebatur, & in acceſſionibus ſemper deſipiebat. Poſt quatuor autem horas hominem rursùs viſitavi, & jam Sacerdos etiam acceſſitus eſt, quocum multa loquutus eſt ſobriè & piè, præceſque publicas ab eo repetens, & ſacramentum menſæ Dominicæ vehementer petiit; quod tamen propter morbum dare non licuit; Teſtamentum ſcribi juſſit & rationum libros inſpexit. Poſt hæc rursùs hominem ad bibendum ſollicitavi, & jam promptè ſeipſum in ventrem ſua ſponte vertebat, omnique artificio & ingenio uſus eſt, ut de cereviſiâ capiti ſubjectâ biberet; ſed nunc ut olim fruſtra. Inſuper poculum exiguum argenteum, Potionis plenum, in ejus manum tradidi; quod, cùm propè os leniter & ſuſpenſa admodum manu admoviſſet, ſubitò intra proprias fauces illud ejaculare voluit, ut de bolis facere conſuevit, ſed dentibus alliſum, in amphoram ſubjectam cecidit.

Illum autem, cum non meminiſſem, toto decubitus tempore vel minxiſſe vel ſemel dejeciſſe; ideò enema dari curavi, quod protinùs rejecit & convulſus occubuit. Ac cùm non minxiſſe, & ſatyriaſi moleſtiſſima correptum fuiſſe, (de quâ plurimùm queſtus eſt, maximè cùm in genibus & manibus incumbebat lecto) à veſicatoriis potiùs, quàm à morbo oriri, veriſimilius mihi eſſe videbatur; at lecto poſtea Cœlio Aureliano, Antiquorum diligentiſſimo (ſi quis alius) ſcriptore, ipſius morbi unum è propriis ſignis eſſe cognovi.

Ne quid autem omitterem de iis, quæ aliquo modo ad morbi intelligentiam facere poſſint, inſuper dicam, me quandam mulierem è propinquis ejus fortè convenire, cujus filia, ut mihi retulit, valdè anxia erat, ne illa quoque periclitaretur, quòd hic vir à ſua domo redeuntem puellam nocte conducere ad ædes maternas voluit; ſeque benè meminiſſe ejus manum, qua illum tenebat, totumque corpus tremuiſſe, & frigido ſudore maduiſſe, multumque ſecum murmuraſſe; ut illum rogaret, quomodo ſe haberet; reſpondit, poſt operam quotidianam, (nam ſupellecticarius erat) ita ſe malè habere nuper conſuevit.

Neque illud ſilentio prætereundum eſt, ipſum canem, à quo morſus eſt, hominem ea nocte ſequutum eſſe: imò ipſe canis vivus & ſanus eſſe videbatur, quo tempore homo mortuus eſt.

Ægrotus 2. Ad hæc: *D. Widdovv*, ipſo authore, mihi hæc narravit; nempè ad illud tempus, quo *Corton* morſus eſt, ab eodem ipſo cane nigro ejuſdem *Sutton*, Catulus in ejus officina morſus eſt. Poſtridiè autem à morſu idem Catulus & Dominum & ancillam, illum in manu, hanc in tibia, & eo ipſo die moriebatur. Poſt menſem verò malè ſe habuit, & cordis dolore vexatus eſt, non ſine aliquo tremore & metu, per triduum vix dormivit, ſanguinem mitti curavit, & melius ſe habuit. Ancilla autem de nulla noxa adhuc querebatur.

Ægrotus 3. Puella quædam, duodecim annos nata, à cane rabioſo morſa eſt ad Talum: cutis autem ejus non lacerata eſt aliquo vulnere; at penitùs impreſſi ſunt canis dentes, eorumque veſtigia ad aliquot dies manebant: huic autem in ea parte neſcio quis dolor Urens, per intervalla accedens: à ſexto verò, ut memini, die à morſu adeo intolerabilis fuit, ut præ dolore vehementer vociferavit; pungente, atque urente dolore, ac ſi carbone aliquo vivo afficeretur; is verò dolor uſque ad genu aſcendebat; imò eo tempore planè aliena loquuta eſt.

Ægrotus 4. Quædam mulier, 60. annos nata, ex matre vehementer phrenetica; ab ipſis cunabulis (ut mihi à fide dignis relatum eſt) hujus mali materni quædam ſigna habuit: ex. gr. nunquam in vita niſi pitiſſando, & cum

neſcio

neſcio quâ difficultate, bibere potuit; contra, cibum & mutum & avi ie tumeb it: aquam ſemper vehementer inhorruit, ut naviculæ in flumine ſe nunquam committere perſuaderi potuit; imo iter factura vehiculo, aquæ metu ſupra modum affecta eſt; item repentinos pavores ſine cauſa vehementer paſſa eſt: ſubitò & ſupra humanitatem, præterque omnem rationem (aliàs mitiſſima Fœmina) iraſci ſolebat.

Ægrotus V. Quidâm quinquagenarius, Mercatoribus notiſſimus inſtitor, habitans in *Pye-alley*, ad vicum vulgò dictum *Fenchurch-ſtreet*: morbo quodã, valdè inuſitato ex 25. an. graviter affectus eſt: me verò per Pharmacopolam vicinum acceſſivit ejus uxor, ut de re, per neminem adhuc vel infinitis remediis levatâ, ſaltem judicium meum ferre velim: hominem vidi athleticum quidem & aliàs ſanum, & dum ei adſtabam, bis aut ter convulſus eſt ad hunc ſemper modum; nimirùm, caput ejus de humero ad humerum admodùm veloci vibratione concuſſum eſt, non ſine dentium ſtridore; idque ſi nocte in lecto contingat, quod tamen ſæpiſſime fit, cum quodam horrendo murmure perpetrari ſolet; ut ejus uxor nobis author fuit: hæ autem vibrationes tanta pernicitate tranſactæ non diu durant; tamen cum frequentes ſunt, hominem ſupra fidem fatigant; ad plures verò menſes in anno nihil iſtiuſmodi mali patitur, ſed integer eſt. Ego autem, cùm is caninus concuſſus planè mihi viſus fuit, hominem protinus interrogavi quoties (Pharmacopolâ præſente) & quibus corporis membris Cane morſus eſt? At mihi non ſine gravi iracundia reſpondit, bis: ſed utrumque in tibia, & ſibi vel puero vel adoleſcentulo contigiſſe. Cùm hæc mea interrogatio hominem valdè moroſum reddiderat, parùm aut nihil amplius loquutus, ei valedixi.

Elapſo autem anno, rurſus, ſuâ jam ſponte, eodem Pharmacopolâ nuncio, me rogavit ut ad ſe venirem; excuſatione autem ab ipſo præfatâ. Ejus malum à Canum morſibus, tibiæ olim inflictis, quorum cicatrices, nudatâ tibia, mihi libenter oſtendit, poſſe oriri veriſimile eſt; maximè quod ejus Uxor, ſæpius obſervaverit iſtum ſtridorem, & dentium concuſſionem & murmurem in nocturnis Paroxyſmis uſitatum, canem quendam latrantem valde propè imitari; aliaque non dicenda mihi narravit, quæ nobis fidem utique faciebant, me de morbi natura rectè conjecturam feciſſe; opémque meam ſuppliciter rogarunt, quòd quò vir ſeneſcat, eò etiam malum graviùs inveteraſcere & multò pejus fieri. Pulverem autem *Antilyſſum* diu ſumendum præſcripſi, &, ut memini, aliquoties in menſe Helleboriſmum; de effectu autem medicamentorum, & an illa ſumpſerit, nunquam audivi; & iſtiuſmodi homines citò remediis ſatiari credibile eſt: & ſi boni alicujus eventus fuerint, ſanè præter expectationem meam id eſſe, propter diuturnum vehementis morbi malum habitum. At Ægrotus jam vivit, & mihi nuperrimè narravit ipſe Pharmacopola, vicinus ejus.

☞ Ægroti quidam (manuſcripti ex minio) ad marginem cujuſdam libri S. Ardoin de venenis, ad medicum quendam eximium, *Herenhook*, olim pertinentis: hos autem mecum communicavit pro candore ſuo notiſſimo, Doctiſſimus vir D. D. Franciſcus Bernard, illoſque ſanè publicâ luce dignos exiſtimavi.

Ægrotus VI. Notanda Hiſtoria cujuſdam, qui tertio demum anno poſt morſum interiit: Septimo autem quoque die, eadem hora, qua demorſus fuerat, toto triennio in rabiem agebatur: an rabiei ſupervenit ſeptimana febris?

Ægrotus VII. Vidi in ſene Septuagenario, qui poſt 40. dies Hydrophobia correptus, quinto ab ejus inſultu die, me mordere appetens, & ſalivam plurimam ex ore profundens, interiit: demorſus autem fuerat ad auris pinnam.

Ægrotus VIII. Memento Inſtitoris Pariſienſis, quem vidi: is à cane non rabido demorſus circa malleolum, ſine vulnere, per ſeptem annos integros, me ſpectatore, & ſi adhuc vivit, per decem, quotidiè millies in quacunque corporis parte, ſæviſſimos percipiebat cruciatus, præſertim in *Pene*, quaſi ab adactis vitri fragmentis: carnoſus aliàs & boni habitus: nullum ipſi levamen niſi in vino generoſo, & laudano, quo per plures menſes ſæpiùs in die uſus eſt.

Atque hæc hactenus de Ægrotis: deinceps verò hujus mali rationem explicare aggrediar.

At breviter videamus, quæ Antiquorum de hac re notitia fuit.

Igitur alii, referente Cœl. Aurelian. Hydrophobicam paſſionem melancholiam eſſe voluerunt.

Ab Hypocrate verò βραχυπόται, i. e. parvi bibuli, appellantur Hydrophobi, quos brachypotos vocant, hoc eſt, quod modicum biberent, ob timorem liquoris.

Corporis paſſionem eſſe, i. e. omne corpus pati: plus tamen ſtomachus patitur, atque venter, ſiquidem in ipſis ſigna plura & manifeſtiora; ut ſingultus, egerendorum retentio.

At ex noſtra obſervatione ipſam Salivam præcipuè vitiari; atque in ea unicum eſſe virus, experimentis credo. Etenim hæc ferè vulnera inficere ſolet: at ſine vulnere, etiam vel ab ipſis labiis aut linguæ ope communicata idem aliquando malum attuliſſe, ut ex ſartrice C. Aureliani conſtat, idemque atteſtante hujus ſeculi fide digniſſimo Fab. Hildano.

Huic accedit illud, nempè aliorum morſuum venenatorum non aliam cauſam eſſe, Viperæ puta, aut Dipſadis, &c. ſiquidem ab his Animalibus una evidens ſaliva vulneri infunditur; quam ſalivam per ſe quoque venenatam eſſe extra dubium ponitur, infinitis experimentis à F. Redi excogitatis.

Porrò, canem ore tenus plus imitantur hi ægroti, quàm ullis aliis corporis membris; ubi ſcilicet Salivæ propria excretoria vaſa ſunt.

Poſtremò hominis & aliorum omnium quadrupedum rabioſorum, videlicet ex canina rabie affectorum, morſum identidem viroſum eſſe, aliàs innoxium; licèt id ſæpiùs fiat ab ægrotis ex febribus putridis, aut aliàs vehementer inſanientibus, notiſſimum eſt. Atque adeò ipſa eorum ſaliva, æquè ac canum, contagioſa eſt.

Ad ejus verò rei explicationem hæc imprimis faciunt: nimirùm à morſu canis rabioſi novam naturam caninam aliquatenus homini ſuperinduci. Id quod liquidò conſtat; ex ejus latratu verè canino; ex linguæ exertione, rapidoque

deglutiendi modo: ex potionis horrore in erectiore hominis poſitione; contra, procumbenti, quadrupedum more, ejus delectabilis proſpectus, ſpontanea & vehemens appetitio.

At bibere tamen non poſſunt, alterutro demùm modo iis offeratur aqua: adeoque aliquid intus impedimenti; verbi cauſa, vel faucium tumor, qualis in Angina, quod aliquibus, ut video, modernis placuit; vel quod eædem contractæ & aridæ ſint. At omnino nullum horum eſt: ſiquidem bolos dictos optime & facillimè, imò avidè, canum more, appetunt devorantque, cùm ne linguæ quidem apice potionem ullius generis tetigiſſe valeant. Quid ergo eſt? planè ipſa ſaliva in cauſa eſt: nam quoties illam deglutire contingit, ut ex noſtro primo ægroto centies dictum audivi, ſtomachus tanquam contra rem maximè odioſam inſurgere ſolet: nec aliud moleſtius, aut gravius ſymptoma, quam quod ex mota ſaliva oritur. Quæ itaque humida ſunt, cum ex ſimilitudine naturæ communis craſſis & ſolidis cibis promptiùs ſalivam movere ſoleant, ideo multò magis abhorreri credibile eſt. Potionem itaque hi miſeri per ſe non recuſant, ſed quòd propriam ſalivam venenatam, à potulentis vehementiùs motam, ampliùs deglutire in ſtomachum non ſuſtineant. Galenum itaque multum erràſſe à vero conſtat, dicentem hoc morbo malè affectos à potu abſtinere, quia à mente alienati ſunt: ut id, quod iis auxiliari poteſt, non conſiderent.

At noſter Ægrotus, ut potionem primis paroxyſmi diebus non magnopere deſiderabat; ita a calidis medicamentis cùm ſitis ei infinita excitata ſit; tamen & potionum genera optimè cognovit, earumque uſum, & neceſſitatem; at citra potentiam bibendi.

Alia autem dubia reſtant ſatisfacienda. Primùm, cur ſola ſaliva inficiatur, & non alii humores & ipſe ſanguis? Reſpondeo, ita quidem aliquatenus eſſe; quod liquet ex ægrotorum habitu, & conditione corporis ante paroxyſmi adventum; ſiquidem tremunt frigentque; at ipſe impetus morbo iis in ſalivam maximè erumpit, utpotè congenerem humorem. Sanguinis autem maſſam eſſe duos diſtinctos humores alibi oſtendi; aliumque adeò poſſe infici, alio integro, credibile eſt; Cumque è ſero ſaliva proximè conficiatur: qui in ſanguine caninæ ſalivæ magis affinis eſt, ex communi natura potiùs affici, veriſimile eſt.

Altera quæſtio eſt, Cur Canini generis ſaliva ſola rabie afficiat, & non aliorum quorumvis quadrupedum inſanientium? Galeno authore, (de locis affectis, lib. 2. cap. 5. item 6. de interioribus, cap. 4.) reliquorum animalium nullum rabie arripitur; ſolus canis eo affectu corripitur, tantaque ſit in ipſo humoris corruptio, ut vel ſolum ejus ſputum, ſi humanum corpus contigerit rabiem excitare ſit potens. Proculdubio hoc exhibuit Galenus ex veterum naturaliſtarum fide & authoritate.

Non autem ignoro alios ex antiquis aliter ſenſiſſe: nam C. Aurelianus inter caninum genus, ut Vulpem, Lupumque, etiam Urſum, Leopardum, Equum, Aſinum; imò ipſum Gallum Gallinaceum, numerat.

Hæc omnia & alia plurima animalium genera ex febribus, & ob alias cauſas, inſanire non dubitandum; imò & rabie interdum affici, aliaque quæ momorderint, in rabiem ſimiliter adigere ſolere. At ex rabie canina hæc effecta eſſe, non ex ſeipſis illæſis, credibile eſt.

Morſus humanus, (etiam phrenitici aut aliter inſanientis) niſi ex aliquò canino prævio infectus, nocivus non eſt. Siquidem nuſquam, quod ſcio, proditum eſt maniacum, mania aliquem ex vulnere aut morſu affeciſſe. Ita de aliorum animalium furore naturali cogitandum eſt. Soli itaque canes rabie infectoria noxii ſunt, & qui ab iis rabioſis morſi inſaniunt: quæ Galeni ſententia fuit.

Et ſi contingat, inquit S. Ardoynus, aliquod aliud animal rabioſum effici, illud accidit, quia à rabido cane, aut à morſo ab ipſo, morſum fuerit: & ſi abſque hoc aliquod aliud animal videatur rabidum effici, erit rabidum non vera rabie, juxta Galeni mentem, ſed diſpoſitione quadam ſimili rabiei caninæ: vera itaque & propria rabies aliis animalibus non accidit: cani ſoli & id genus animalibus proprietas eſt, quatenus ita mirabilia & ſæva ſymptomata communicari poſſunt.

Apud veteres tamen quoſdam alia invaluit opinio; nempè eſſe poſſibile ſine manifeſta cauſâ hanc paſſionem corporibus aliquando innaſci. At hæc mera eorum conjectura eſt, & ob ignorantiam facti prodita.

Quid autem ſit peculiare in genere canino, quod hanc infectoriam rabiem efficiat; difficile eſt dicere.

Illud interim notare lubet: Canes ferè omnium quadrupedum minimè ſudare, etiam æſtuantes & ex vehementi & diuturno curſu fatigatos; ſed linguis valdè exertis, ſalivam magno & continuo anhelitu effundunt; quam ob rem eorum ſalivam magis ſalſam acremque eſſe veriſimile eſt; maximeque ſi quando, more aliorum animalium, ægrotantes inſaniant. Imò propter eandem fortaſſe rationem omnium Serpentum, id eſt, frigidorum, & non ſudantium animalium, etiam omni tempore & ſanitate integra, ſaliva viroſa eſt, & in plerisque ſupra fidem ſeptica; quod nempè nullibi corporis niſi in ore ventiletur, & ab acredine ſua purgetur. De ſalivæ autem natura ſalſa & excedente alibi multa à me dicta ſunt ſcilicet in Tractatu de Humoribus, ubi de Concoctione agimus.

Ampliùs quæri poteſt, cur aliqui ex morſu canis rabioſi non Hydrophobici fiunt! atque adeo de vita non multùm periclitantur; ſed minoribus quibuſdam ſymptomatibus & citra aquæ pavorem certis anni temporibus, & certis hominum ætatibus ægrotant.

De hac autem quæſtione veterum nonnulli cum noſtris obſervationibus non conveniunt. Democrito (Hippocrati coætaneo, & naturæ rerum omnium longè ſagaciſſimo) non danda fides eſt, inquit Cœl. Aurelianus, dicenti, Hydrophobas quoſdam levi (aquæ) timore affectos, biennium tranſegiſſe. At ipſe Hippocrates idem cum Democrito videtur exhibuiſſe, cùm parvibibulos Hydrophobas appellet, & brachypotas, ut ſuprà dictum eſt.

At ex noſtris ægrotis, id eſſe verum abundè conſtat.

Quæſtioni itaque benè fundatæ reſpondeo: Canis alicujus ſaliva poſſit interdum graviter eſſe

viroſa

viroſa, & Hydrophobiam inducere interdum ex alio aliquo morbo, quo canis laborare poſſit, multò mitiùs inficere. Rurſus, incipiente, aut declinante canis alicujus rabie, quos tunc is mordere contigerit, eos leniùs infici, quàm alios in vigore acceſſionis morſos, veriſimile eſt. Deinde, quod aliquod extremum membrum, pes puta, morſum ſit; cùm labium aut manus iſtiuſmodi infectioni opportunior eſſe videtur. His adde remedia etiam prophylactica, vel minore modo, quam par erat, aut graviſſimum malum futurum exigebat, data fuiſſe, adeoque hominibus morſis tantum ex morbi maligna certè parte, & non ex toto occurſum eſt. Poſtremò, cùm canibus hæc lues propria & peculiaris ſit, is tamen omnibus & ſingulis non tam funeſta eſt; ſed ſæpe per ſe ſanantur, ut qui venaticos canes nutriunt, benè nòrunt: imò & homines ſimiliter, etiamſi à cane rabioſo morſi ſint; non ſemper tamen Hydrophobici moriuntur; ſed à morbo tuti eſſe videntur; cùm tamen vel iidem ipſi, vel eorum nati inſania peculiari & infectoria vitientur in plures uſque generationes.

Ex hac itaque & ſuperiore Quæſtione triſte corollarium deducère licet: nimirum hinc familiarum plurimarum inſignem calamitatem oriri poſſe veriſimillimum eſt. Etenim ſi ſola canina rabies ex omnibus animalibus communicari poteſt, ſcilic. de cane in hominem transferri, deque homine ſimiliter in hominem, & ſic ita in infinitum; idque a ſolo contactu ſalivæ abſq; vulnere; quidni per ſemen genitale? Et ſi illa lues ad Hydrophobiam non ſemper attingat; ſed, ſalvâ hominum vitâ, non dicendis ſymptomatibus, quod adhuc pleriſque noſtris hominibus non animadverſa fuerint, propagari poſſit; tot & tantarum maximè illuſtrium familiarum (quibus canes præ pauperibus in deliciis ſunt) ubique terrarum melancholiam neſcio quam & inſaniam hæreditariam ex his ferè cauſis naſci non ſine ratione vehementer ſuſpicari fas eſt.

Hæc autem non protuli inſolentiæ aut animi cauſa; ſed veras cauſas tanti mali indagando, quò noſtri homines meliùs & majori cum effectu curas intendant! cùm alia profectò ſit vulgaris phrenitis maniave, atque alia rabies, & ab ea orta melancholia hæreditaria mille larvis ſimulata.

Reliquum eſt, ut rationes curativas & remedia huic morbo præcipuè accommodata expediam. Hæc autem ad duas præcipuè intentiones dirigi ſolent; nempe vel non permittunt homines morſos in aquæ timorem incidere; vel Hydrophobicos, quos ipſe morbus aquæ timore occupavit, curant: at utriuſque intentionis pleraque remedia communia ſunt.

At cùm ſaliva venenata præcipuè noxia ſit, illa imprimis evacuanda, temperandaque, ne ſtomachum ampliùs offendat.

In primo autem cenſu ſunt chirurgica; ut cucurbitula, ignis, medicamenta exedentia vulneri admota, balneum, & vehementes ſudationes, fricationes ex oleo, multum & meracum vinum, lac, pinguia juſcula, &c. At hæc omnibus venenis communia remedia ſunt.

Item, Antidota: quorum præcipua Theriaca Mithridatica, ſecundum Andromachum, aut ipſum Mithridatium: hæc autem ideo bene faciunt quòd ex aromatibus conficiantur, quæ medicamenta viribus & ſubſtantiis ægrè permutantur à ſtomacho viſceribuſve; cùm itaque intra corporis habitum parùm mutata & tantum non integra admiſſa fuerint, qualitates alienas, ſi quæ occurrant, & naturæ inimicas, facile vincunt. Etenim quæ difficulter concoquantur, vix alibi corporis aboleri poſſint; itaque venenis rectè objiciuntur ad ejus acrimoniam obtundendam, Dioſcoride aliiſque veteribus authoribus: imò propter hanc rationem intinctibus & condimentis miſcentur aromata, ut acida & ſalſa temperentur; ſic vinum, ex. gr. ingratum, acidumque, abſinthii tantillo fit jucundum & potabile: adeoque ad viroſam Salivam corrigendam, ne ſtomachum nimium lædat, bene facere exiſtimanda ſunt. Atque hæc Antidotorum communis ratio eſt; ut quæ illis facultates naturæ, id eſt, communibus ſenſibus amicæ & gratiſſimæ inſint, illas & ipſo ſtomacho corporiſq; habitu, ad ipſa uſque excretoria vaſa ſartas tectas conſervent.

In eodem autem cenſu Antidotorum à veteribus numerantur etiam ſimplicia quæque medicamenta: imò & interdum medicamenta propriè & per ſe purgantia, ſi minori modo dentur, quàm ut alvum movere poſſint; ut Hiera in hoc morbo quotidie exhibita citra purgationem: & tunc auxiliare medicamentum, id eſt, Antidotum, apud eoſdem audit.

Pergo ad alia Antidota: illud autem è nucibus juglandibus per ſe quoque alvum, at leniter, movet; ſed ad venena mirificè apud antiquos commendatur: ſiquidem in his nucibus inſunt qualitates maximè deſideratæ: earum oleum verè anodynum eſt, & privatim adhiberi ſolet ad inflammationes: idem de iſtiuſmodi nucibus teſtatur Ætius ſuprà hoc, quod affectioni rabioſæ reſiſtit; Somnum, inquit, conciliat, & febricitantibus convenit. At alia peculiaris qualitas his nucibus donatur, (quæ ei cum oleo ex ſemine lini & papaveris communis eſt) nimirum per ſe ſiccari; pictoribus hodiernis notiſſima. Atq; adeo hæ nuces propter hanc præcipuè rationem aptæ natæ ſunt ſalivam acrem & venenoſam obtundere. Etenim cùm corporis humani omnia ſalia ferè urinoſa ſint, id eſt glabra & pinguia, quod digitorum attritione planè conſtat, hujuſmodi olea ex ſimilitudine & natura quadam communi propiùs aſſociari, & cum levi corporis calore quæ earum proprietas eſt, ſtrictiùs uniri poſſe credibile eſt. Quemadmodum in ſaponis confectione, calcis vim ſepticam & ſalis lixivii pinguem acrimoniam, ob facilem coalitionem cum oleo olivarum, piſciumve (etiamſi illa præ noſtris oleis tam dictis minimè apta ſint per ſe ſiccari, qui ad ſtrictiorem inter ſe unionem aliquis tamen defectus eſt) admodum retundi, & mitiſſimum medicamentum reddi videmus.

Procedo ad alia Antidota prophylactica, inter quæ numerantur Cinis cancrorum fluviatilium; Hippocampus marinus; item Silveſtris roſæ Tuberculum ex Plinio. Hæc autem omnia quandam inter ſe affinitatem habent: nam & cancri, & animalcula roſæ ſilveſtris exanguia ſunt; Hippocampus verò marinus, etiamſi è piſcium pinnatorum genere ſit, cùm tamen valdè oſſeus eſt, ideoque & propter parvitatem ſuam veteribus exanguis quoque viſus eſt: imò verò piſcium oſſa, cruſtæ, teſtæque exanguium eandem

ferè naturam qualitateſque analogas habent.

At cineres cancri uſti in præcipuis medicaminibus ſunt: ad magnum modum (ad ʒj. puta minimum, aut ʒij. ſi tardè dentur à morſu) & per ſe à veteribus multâ fiduciâ ad hoc malum præcavendum iidem dabantur; de pulverum verò teſtaceorum facultatibus, tàm crudorum, quàm uſtorum, in Tractatu de humoribus fuſius egimus. Interim illud ſcire licet, illos eſſe è mitiſſimis colliquantibus medicamentis, adeoque apprime utiles ad imbecillum ſtomachum ſalivâ venenoſâ perpetim offenſum, ejuſque acrimoniam optimè iis temperari poſſe veriſimile eſt; multoque magis, quòd is pulvis è cancris fluviatilibus confici debet; utpotè marinis, quibus ſalſedo major, lenioribus; item ob ſimilem rationem ad ſerpentum morſus & ad tabem benè faciunt, authore Dioſcoride.

Porrò Helleborus albus apud antiquo slaudatur, & ſternutamentis, & clyſteribus aut balanis podici ſupponendis inditus. De infinita autem efficacia hujus medicamenti ad inſaniam curandam alibi erit diſputandi locus, ſed an ad Hydrophobiam privatim benè faciat, hæreo. Illud quidem verum eſt, hoc medicamentum pituitam vehementer movere, evacuareque; quæ cùm ſalivæ venenatæ proxima materia ſit, ſic fortè adjuvare poſſit. At metuo ne nervorum contractiones acceleret. Idem de Diagridio & Elaterio dando ſentit C. Aurelianus; nempe incongruè agitant atque gravant ægros, & non eo tempore, quo permitti potuit uſus ſuprà dictorum, præcautionis cauſa ac effugiendæ paſſionis. Hæc itaque & ſimilia ante acceſſionem Hydrophobiæ, & proximè à morſu, ſi quid commodi inde expectare licet, exhibenda ſunt. Siquidem incepto ſemel aquæ pavore nunquam puram & ſinceram dimiſſionem habeat Hydrophobia, in qua ſola dandum eſt Helleborum.

Proximo loco Antidoti Apulei Celſi exhibendi modum paucis perpendamus: illo verò in ipſa correptione uti oportet; ad ʒ j. dato cum roſæ cyathis tribus & exigua aqua? Hoc proficit ut aquam poſtea ſine timore ſumant, & minùs quidem liberati hac difficultate crucientur. De Antidotis autem ſuprà ſatis diximus.

De oleo verò roſato mihi ampliùs diſſerere lubet. Non ita diſſimile remedium & optimæ, ut mihi ſanè videtur, ſpei. Cum Aceto jumentis Hydrophobicis adhibet Vegetius; at illo tantùm eorum nares & caput diligentiſſimè perungit, & ſanitatem promittit. At ſumma difficultas eſt in exhibitione alicujus humoris, quod Scribonio tamen Largo ſatis benè proviſum eſt; remedium ejus ipſa correptione ineunte exhiberi debet: concedatur itaque id fieri poſſe; olei tamen roſati quantitas præſcripta admiranda eſt, ſcilicet ad quinque ferè uncias: attamen ſalivæ venenatæ ore, faucibus, ſtomachoque commiſtum, ejus virus habitare poteſt; maximè quod oleum ipſarum roſarum, rerum inſigniter lenientium, ad ſatietatem uſque particeps eſt; ita ut poſtea ſine metu bibant, haud incredibile eſt. Ulterius videant, quibus opportunitas eſt id genus medicamenta experiundi.

Ultimo loco, Aquæ exhibitionem violentam conſideremus. Nam ſunt apud veteres qui nihil aliud, quàm potum dare quoquo modo nituntur.

Nunc gelu, vel nivem offerentes ægrotis, nunc viridem ficum, vel pyrum, aut cucumerem, & his ſimilia, referente C. Aureliano.

Antiqui autem Medici alios atque alios modos bibendi invenerunt.

Alii calami perforati initium ori ægrotantis immittunt; dehinc ex alia parte per aliam cavernam aquam infundunt.

Alii poculo, lineo panno ſubter impoſito, vel belluæ pelle (hyenæ puta) potandum putant: ſcilicet ſuperſtitione traducti, quòd naturalis authoritas belluarum, quæ canibus eſt contraria, timorem ægrotantium ſolvat.

Democritus autem ex antiquiſſimis medicis, & qui Hippocrati convixit, jubet origani decoctionem dari atque ipſum poculum, quo bibant, in ſphæræ rotunditatem formari.

Si commoti aut irati fuerint audito potu, erit differenda oblatio: dandus interea potus in fictili vaſculo ſubtili caverna perforato, tanquam ſunt papillæ Uberum, & dandus, projecto oculis obſtaculo, vel temporaliter clauſis feneſtris.

At de his ex noſtrâ obſervatione ſuprà comprehenſa dicere licet cum C. Aureliano, nempè hæc quæ vulgus per experimenta probata putat, longe aliena ab arte monſtrantur & fruſtrà omnia excogitata fuiſſe.

Porrò, parum olei, ſive calidæ, ut poterit contineri per podicem, clyſtere injiciatur: Atque id ad minuendam ſitim; nam non ſolùm dyſentericis injectum medicamen ſuperiora invadens, ſæpè ſtomachum atque caput vexare accepimus, ſiquidem eò neceſſariò pervenit, ſed etiam calidam & oleum pervenire poſſe concepimus, quò partibus iiſdem irrigationis præbeat laxamentum.

Reſtat autem dimerſio involuntaria in frigidam, quod & noſtris hominibus, ut video placuit: de hoc verò remedio C. Aurelianus audiendus eſt. Quidam medici, inquit ille, ut Artorius memorat, alios in vaſculum plenum frigidâ miſerunt, alios in puteum poſuerunt, ſaccis immiſſos, vel incluſos, ut neceſſitate bibere cogerentur. Alii in aquam calidam.

Quos optimè reprehendit idem antiquiſſimus ſcriptor, dicens illos neſcios eſſe, quòd paſſionis curationem illam eſſe, non ut bibant ægrotantes, ſed ut bibere velint: quod fit cum paſſio fuerit adjutoriis deſtructa.

Multi denique etiam bibentes raptu affecti ſunt graviore, & convulſi ex frigida interficiuntur.

Strangulatio quoq; ac mors quandoque ex ſorbitione aquæ accidere ſolet, teſte Ardoyno.

Haud ita diſſimile experimentum a docto quodam medico Nottinghamienſi, *Thoroughton*, mihi olim narratum eſt. Is Hydrophobici cujuſdam oculis mappam craſſam ſuperinjecit, manibuſque ligatis, potionem bibere invitum aliquoties cogebat; at prorsùs ſiniſtro eventu, nam ſtatim vehementer convulſus obiit.

Nec opinantem in Piſcinam projicere, non ante ei proviſam, inquit C. Celſus, ut invitus aquâ ſatietur, ſic enim & ſitis & aquæ metus tollitur.

At hæc vana ſunt, & ſine fundamento: illud ſanè ex noſtris ægris ſatis jam evidens eſt, ſitim non eſſe Hydrophobiæ perpetuum ſymptoma; adeoque non de morbi natura ægros ſitire; ſi tamen aliquando per accidens id fiat; ſcilicet in

aliâs

aliàs vitioſo corporis habitu, aut æſtivo tempore maximè calidâ aliquâ & æſtuosâ regione, à vigiliis & antidotis calidioribus nempe medicamentis multùm exhibitis; ſi quid boni expectare liceat à tali dimerſione, id à vomitu plurimæ aquæ deglutitæ oriri debet; ita fauces & ſtomachus à ſaliva venenatâ abſtergi poſſint: at quomodo cauſam tam altè radicatam tollat levis vomitus, non video: adeoque inter remedia contingentia, & non privata & ſpecifica ponenda ſunt.

Noſtri autem Homines, certè maritimi, in altum mare ægrum demergunt. At aqua, inquies, marina ſitim accendere quàm tollere aptior eſt, propter vehementem & peculiarem ſalſedinem ei naturaliter inſitam. Aliter tamen de aqua ſalſa marinaque cogitandum eſt; ſiquidem adverſus omnigenum ferarum morſus ſal privatim utilis eſt. Teſte Dioſcoride.

Inter prophylactica privata oblitus ſum memorare ipſius rabioſi canis Hepar coctum: Catuli lactantis coagulum. Hæc autem nomino, quia remedia ſunt ab antiquitate ad nos tranſmiſſa, & quòd non rarò à noſtris quoque hominibus adhibeantur; at, quantum intelligo, fruſtrà. Mihi quidem videntur antiquitatis religioſa quædam deliramenta; alia certè antidota ſuprà comprehenſa non negligant, ſuadeo.

Antequam verò hanc diſſertationem dimittam; quæri poteſt, cur Hydrophobia morbus inſanabilis ſit? Reſpondeo primò, ob cauſam fortaſſe adhuc ignoratam; adeoque remedia rectè adhiberi non potuerunt. Rurſus, cùm duo præcipuè tempora medicamenta dandi in hoc morbo ſint; unum, ab ipſo morſu ad præſervationem ab Hydrophobia; alterum, ad ipſam Hydrophobiam initam curandam. Cumque plurimos à rabioſo cane morſos ab antidotis appropriatis ſanos evaſiſſe; imò Galenus, aliique affirmant, neminem, cui ciniis cancrorum fluviatilium, ex. gr. ad ℥ij. ex vino puro quotidie exhibitus eſt ad 40 dies, mortuum eſſe: contrà, Hydrophobicum aliquem rariſſimè, ſi unquam, curatum fuiſſe. Hujus itaque in ſucceſſu medicamentorum differentiæ ratio eſſe videtur, quòd in ipſo ſtatu & paroxyſmo pleríque morbi medicinam ægrè admittunt; at eadem medicamenta ante paroxyſmum exhibita benè faciunt. Imò morbòrum initia maximè accommodata ſunt medicinæ faciendæ, quòd noxios humores reprimunt, foraſque eliminant, antequàm habitus corporis vitietur: à morſu itaque ipſoque morbi initio medicandum eſt, ſi quid feliciter moliri velimus.

Quod non alio quidem exemplo (ut id hîc obiter notem) meliùs elucidatur quàm è varia exhibitione Corticis Peruviani in Febribus intermittentibus, aut in ipſis putridis febribus, ubi tantùm remiſſiones eædemque ſtatæ ſunt. Nam ſi febris paroxyſmo declinante is propinetur, & intermiſſione tota, remiſſioniſve intercapedine aliquoties iteretur, ut Sydenham, ejuſq; ſectatores faciunt, magnis & multis modis ejus pulveris pugnandum eſt, & fruſtraneo ſæpiùs eventu; certè ad infinitam nauſeam & crapulam ſtomachi à morbo labefactati: contrà, ſi è vino puro, per diem unum maceratus, propinetur, vel aliquot tantùm paucis horis (unâ vel alterâ putà) ante adventum paroxyſmi, quando ſcilicet maxima corporis integritas eſt, maximeque ſi id fiat ipſo ineunte morbo debellat plus una ejus doſis, quàm decem alias exhibitæ: loquor autem de morbis longis, quales intermittentes ſunt; id quod centies felici eventu expertus ſum.

Unde ſatis conſtat falſùm eſſe, quod aliqui vehementer volunt; nempe Antidotum illud mirabile (ipſe autem inter primos, quantum ſcio, illud medicamentum olim in antidotis poſui) multò minoris efficaciæ eſſe nunc quàm aliquot viginti retrò annis, mercatoreſque, ac Pharmacopolas noſtros (ut quidam volunt) injuriâ fraudiſque inſimulando; cùm tamen non in medicamenti bonitate, ſed in exhibitionis tempore & modo diſcrimen ſit.

De hac autem re provoco ad Badum, qui elegantiſſimum ac doctiſſimum Tractatum ante triginta annos de Cortice Peruviano edidit, unde, S---aliique nuperi ſcriptores noſtri, omnia ſua habuerunt, præter unum illud, de corticis exhibendi modo inepto, ne pejùs dicam, & intempeſtivo, authore ſuo, miſero illo agyrtâ Talbor, dignum inventum.

Porrò, ſi ſit potior aliquis dilectus in Cortice, ipſi nos medici videmur culpandi, qui peſſimum volumus ex inadvertentia. Nam is cortex, mè judice, optimus eſt, qui è trunco arboris; mox qui è ramis majoribus; deindè qui è ramuſculis habetur: at ex ipſis ſummis & tenuioribus ſurculis non niſi crudus & acerbus cortex detrahitur. Atque hoc ſatis conſtat ex analogia corticis noſtrarum arborum, (quercus putà) qui maturior, magis concoctus; majorumque longè virium, quo craſſior, vetuſtiorque, vel ipſis coriariis notiſſima res. Illud forte noſtris hominibus impoſuit, cinnamomi ratio prætiumque, nempè in corticis illius quadam tenuitate parvitateque; at in illo medicamine quò acrior vehementiorque guſtus, eò gratiùs, acceptiuſque aroma: cùm tamen ex cortice majori camphir copioſiùs oleumque elici ſolent, clara maturitatis indicia.

Illud equidem propriâ experientiâ teſtor, me ante viginti annos corticè Trunci ſæpè uſum eſſe, ad craſſitiem & latitudinem volæ manûs, magnis & profundis ſulcis & fiſſuris conſpicuo, velut in vetuſta arbore. Imò eundem aliquando valdè carioſum putridumq; ex neceſſitate, quòd melior nullo prætio tunc temporis haberi potuit, & olim & nunc me vix unquam fruſtravit eventu optimo & deſiderato; maximè ſi ejus modus & tempus exhibitionis ritè obſerventur. Sed tanti medicamenti rationes cæteras alibi, cum de morbis acutis agam, opportunior dicendi locus erit. Atque hæc hactenus de Hydrophobia, ad alios morbos longos procedo.

Superiores autem Schedæ de Hydrophobia tantùm non impreſſæ fuerunt, cùm librum Petri Salii Diverſi, proximè ſuperioris ſeculi doctiſſimi medici, primùm viderim. At multa ſanè fide digna, atque aliter quàm ab ullis aliis ſcriptoribus, apud eum dicta inveni.

Itaque & quæ nova ad hunc morbum pertinent, excerpere; & quatenùs nos ab eo in aliquibus diſſentimus, pauca hîc reponere lubet.

Imprimis, apud illum non video ullam bonam rationem, quâ convellatur ſententia Galeni; nempè ſolum canem ex omnibus animalibus rabie corripi. Admittam licèt à Lupo ſæviora & magis horrenda ſymptomata poſſe conſequi: at Lupus à cane non niſi ſpecie differt. Cætera au-

tem animalia, quæ ab Ariſtotele, aliiſque, rabie tentari dicuntur, à canino morſu priùs infici poſſunt. Eſto! & Aſinus & Leo rabie inficere primariò poſſunt; cur homines ſic tentati non irrugiant, rudantve, ſed ſemper ut canes latrent, vel ut Lupi ululent? Hoc itaque rem planè conficere mihi videtur; morbi nempè malitiam ex integro à canino genere oriri, non homini tantùm, ſed & aliis quibuslibet animalibus.

Nec multum commoveor ab inſtantia mulieris Hydrophobicæ ex febre recens ſanatæ; nam potuit, ut ſuprà diximus, ea ex traduce tranſmitti à parentibus, ut alii morbi hæreditarii. Et in his ſic propagatis mitiora ferè ſymptomata eſſe ſolent.

Inter ſymptomata verò titubat, dicens, dum rabiant homines, ſitiunt admodum. At ſitis non minùs, quàm Febris, (quam ipſe excludit) ex morbi natura eſt.

Ut verò Febrem rectè explodit, ita delirium quoque nolit hujus morbi ſignum Pathognomonicum conſtituere, nec neceſſariò rabiem conſequi; quæ ex noſtris quoque obſervationibus fidem habent.

Rationem verò Salii libenter admitto, cur oblatio, viſus, ſolaque imaginatio aquæ, Hydrophobicos lædat, nempè ex conſenſu ventriculi cum rebus vel viſis vel imaginatis: quæ infinitis exemplis expediri poteſt.

Cauſas timoris aquæ, quæ ab aliis afferuntur, doctè refutavit: at ejus non libenter admitto.

Etenim illa Antipathia, quam cum viroſa ſalivâ liquida alia habeant, res vana & futilis eſt. Atque hæc averſio ex accidenti tantùm eſt: nam pejorante malo, ubi valdè cupiunt bibere, ſi virus ſalivæ abominandum non impediret, promptè biberent.

Item illa altera ejus cauſa falſa eſt; nempe eſſe materiam ullam, quæ obſtruat fauces; vimque deglutiendi in rabidis hominibus ullo modo ex pituita cruda, viſcida, & virulenta eſſe præpeditam: ſed ſtomachum potiùs à tanto veneno vehementer offendi; ne itaque lædatur, ad aquam inſurgere.

Quod autem ſolida avidè deglutiant, cùm liquida averſentur, ratio eſt, in abſorbendis liquidis arctiùs aſtringi gulam, quàm in aſſumendis ſolidis cibis, ideò iis magis offenduntur, quòd è ductibus excretoriis ſaliva copioſiùs à liquidis elicitur.

Si quis verò quærat, cur liquida [ut in noſtro Ægroto I. ſupra oſtenſum eſt) non averſantur in poſitu canino & pronis capitibus, erecti verò illa maximè abhorreant? Reſpondeo, Quia ſaliva viroſa, in illo poſitu effuſa, ad labia decurrit, in hoc ad fauces relabitur, eaſq; ad illam deglutiendam magis provocat.

Etiamſi verò Timoris aquæ cauſas non benè, ut opinor, expedivit, cum illo tamen aſſerere neceſſe eſt; verum characterem hujus mali eſſe cruciatum internum, ab aqua vel aſſumpta vel oblata inductum, & non vanum aliquem timorem aquæ liquidorumque, aut aliquam falſam de iis imaginationem, ſed quia verè & ſenſibiliter ab iis interius admodùm & in ſtomacho læduntur.

Hæc autem quæ ſequuntur ferè ſingularia ſunt, atque ad intelligentiam morbi maximè faciunt; eaque ideo in noſtras chartas transferre non gravabor; & præcipuè quòd cùm noſtris obſervationibus, ſuprà comprehenſis, ex magna parte bene concordant.

1. Senſui quidem nullus rabientium à proprio habitu & temperamento, ex aſpectu immutatus apparet, cùm nec in colore, nec in mole corporis, nec in facultatibus, nec in affectionibus, nec in ullis accidentibus ſenſibilibus, antequam rabiem incurrant, ullam mutationem ſubeunt.

2. Rabientes ratione proprii virus non febricitare: ſi autem aliquando febricitant, hoc ex corporis prævia altera indiſpoſitione fieri.

3. Præter ſigna ab aliis commemorata, unum ſe (quod præcipuum & infallibile futuræ rabies appellat) animadvertiſſe ait, omnibus ignotum; atque hoc ſignum eſt, dolor quidam in loco jam commorſo, licet ulcus antea per dies & menſes integre fuerit ſanatum, accedens, qui intenſus eſſe non conſuevit, niſi morſus partem nervoſam petierit. Hic dolor à loco jam commorſo incipiens, leviterque patientem affligens, per partem poſt partem, ſpatio trium aut quatuor dierum, aliquando paulò plùs, aliquando paulò minùs, aſcendit ad cerebrum: cui cum communicatus fuerit, in eo quaſi vertiginem cauſat, ſimulque confuſionem quandam, quorum merito, modo ad hanc partem, modò ad illam declinantes rectâ progredi nequeunt; indeque ſtatim homo in rabiem deducitur.

4. Etiamſi rabie correptis omnia excrementorum genera, ut plurimùm retineantur: In uno tamen vidi maximam & ingentem urinæ copiam excretam, ſine ullo ægrotantis ſenſu.

5. Vidi aliquot ſimul carnes & oſſa apprehendere & conterere, & ita facilè eſitare, ut profectò non adeò facilè Canes ipſi oſſa edant.

6. Narrat, quâ fide neſcio, Lupum à venatoribus captum, in diverſaque opſoniorum genera apparatum & coctum, fuiſſe in cauſa, ut qui eum guſtârint, eſitârintque, rabie non multò poſt correpti fuerint: ſi verum eſt, remedium ſanè illud ex Hepate denteve Canino ſuſpectum imò abominandum reddit.

7. Ubi Hydrophobiæ indicia acceſſerint, ſi quid in tali caſu prodeſſe poterit, hoc unum erit Helleborus albus, ab antiquis valde celebratus, qui admirandus eſt in hiſce affectionibus. At ubi rabies facta eſt, morbuſque graviſſimus evaſit, adeò lethalis eſt, ut auxilia humana, niſi tantùm ad remittenda ſymptomata, quæ in his verenda & horrenda ſunt, incaſſum cenſeam. *Martinus Liſter tractatu de morbis quibuſdam Chronicis.*

Conſultationes.

Hydrophobia.

Ad Ancillam Illuſtriſſ. Matronæ Patriciæ inviſendam, Autumno vocatus 40. circiter annos natam, formoſam & boni habitus eam ſedentem inveni, inculto capite, capillis ſparſis, anhelam, huc atque illuc ſeſe jactantem, quæ à duabus aliis famulis vix tenebatur, & à Religioſo quodam exorciſmo expiabatur, dum interim ululatus ederet, adinſtar Canis, quinimò & mordere tentaret alias famulas, niſi minis & verberibus ſe ipſas tuerentur. Omnia autem exaſperabantur quando Aqua benedicta aſpergebatur, quanquam hoc idem eveniebat aquæ quo-

quoque putealis, non benedictæ aſperſione, prout ego ſtatim expertus ſum, imò ſi cyathus aqua plenus eidem offerebatur, magis jactabatur. Præterea convellebatur, nec quicquam comedebat, omnium verò minimè potum, aut potulenta admittebat. Erat autem illius afflictionis quarta dies, licet & antea potum renuerit. Interrogavi adſtantes num à cane aliquo unquam demorſa fuiſſet, qui affirmarunt æſtate proximè præterita à catello Bononienſi domeſticò demorſam fuiſſe in brachio, juxta Deltoidem muſculum, ut ego vidi, verùm morſum, utpote exiguum, abſque ulla curatione ex ſe ſanatum, & facilè cicatrizatum eſſe, catellum tamen in aquam projectum & ſuffocatum fuiſſe, quoniam paucis ante diebus Dominæ quoque digito manus vulnuſculum inflixiſſet, quod tamen ſola proprii oris exuctione & expuitione ſanatum fuit.

Quibus auditis, & à me conſideratis, jam hydrophobam, mortique proximam miſeram Ancillam pronunciavi, longo enim tempore rabies inducitur, at invaleſcens repentinam quoque nonnunquam mortem affert, ut eidem contigit, ſiquidem poſt paucas horas convulſa è vivis deceſſit. *Raymund. Joh. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medic. Tom. 1. Cent. 1.*

Hydrophobia Imminens.

Dies igitur ſexageſimus jam agitur, ex quo Illuſtriſſ. Matrona ab eodem catello fuit in manu ſiniſtra demorſa, cujus ætas quadragenaria eſt, totius & jecoris temperamentum ad calidum, & ſiccum vergens, gracilior habitus, & fuſcus color, in potu meraciori, de more, delinquens. Vulnus autem à catello inflictum fuit, aliquot diebus ante Ancillæ infortunium, fuitque exiguum, ex quo tamen ſanguinis guttulæ emanarunt ſponte, quanquam & aliquas ore ſibi ſuxerit Illuſtriſſ. Pat. cui propterea ſpatio trium aut quatuor dierum, idem vulnuſculum, licet neglectum, cicatrizatum fuit.

Modò, cùm infauſtus atque funeſtus eventus, ex morſu ejuſdem canis, in miſera ancilla fuerit ſequutus, ſciſcitantur à nobis Domeſtici, num virus caninum in corpore Dominæ adhuc latere poſſit, & ancipites noſtrum implorant auxilium. Quare unà cum duobus aliis Medicis, ita conſultum fuit.

Inquirendum à nobis non eſt, utrum Matrona Illuſtriſſ. hydrophobia correpta ſit, patet enim imaginationem in ea depravatam non eſſe, adeo ut & aquam, & liquida omnia fugiat atque formidet, ſed quæritur, num rabie infecta eſſe poſſit, quæ tamen nondum ad aquæ formidinem pervenerit?

Et quidem, ut partem negativam & favorabilem magis ſuſtineam, aliqua prælibare, hoc ſermone mihi liceat. Hydrophobia eſt intemperies ſicca habitualis ſolidarum omnium partium corporis, cum depravatione imaginationis, inducta à veneno canino, natura calido, & ſicco. Ita Gal. narrat, ſe vidiſſe quendam tranſacto anno hydrophobiam incurriſſe, cui Medicis omnibus ſumma in ſolidis animalis partibus ſiccitas eſſe videbatur, quod paulatim fit, & ideo immedicabilior. Hanc autem intemperiem inducit virus caninum, calidum & ſiccum, de quo dicebat Ætius, quod Canes naturâ calidi & ſicci, per æſtatem ex ambiente nos aere, aliam caliditatem ac ſiccitatem acquirunt, & ob immoderatam intemperiem inſaniunt, quæ inſania Rabies vocatur. Et quoniam febre vacat, non phrenitica eſt inſania (& licet febris adeſſe quoque poſſit, non tamen hujus affectus propria) prout, quia cum metu, melancholica eſt, in ſe tamen maniam continens, quia cum furore fit, dum in adſtantes morſuri invehuntur. Sic & Paulus dicebat, quod adeò deſipientes ſunt ut familiares non cognoſcant, venenum enim hoc, utpote atræ bili proximum, ferinum & maniacum delirium producit, ſcribente Ariſt. quod facit hæc Rabies furorem. Depravatur autem imaginatio, non ratio, Philoſophus enim ille ab Ætio deſcriptus, à cane rabido demorſus, & hydrophobus factus, quia rationem illæſam habebat, cùm canis in balneo ſibi appareret, ſecum locutus, dixit; Quid cani cum balneo? unde vicit affectionem, & ſanatus fuit cum intrepide bibiſſet. Nec quærendum, cur in aqua canem ſe videre putent hydrophobi? rationem enim reddere cujuſcunque objecti, circa quod decipiuntur inſani, impoſſibile eſt; niſi dicamus quod depravata ſit imaginatio circa illud objectum à quo læſi fuerunt, cujus ſpecies, mediante virulentia canina, ad cerebrum defertur, dum hæc eidem calidam & ſiccam intemperiem inurit.

Antequam autem talis alteratio, dicit Gal. ſolidis corporibus communicetur, in humoribus reperitur, quibus evacuatis, licet & ſolida occupare inceperit, illico ceſſat, & ad naturalem habitum ſolida redeunt. At ſi completa fuerit affectio, & non amplius in fieri, etiamſi vacuata fuerint, quæ eandem produxerunt humida, nihil facit ad ſanationem, ſed tandem ob nimiam ſiccitatem corrumpitur mentis judicium, adeò ut quid ſibi prodeſſe poſſit non intelligant, ſicque remedium vitando, & aquam metuendo, miſerabili morte pereant.

Quibus præmiſſis & conſideratis, primò ab Illuſtriſſ. Matrona aquæ formidinem abeſſe, hydrophobiam ſcilicet, pro certo habendum, non ſolùm enim præludia imminentis non adſunt, ſed rabie quoque vacat; imò nec eadem infecti humores fuerunt, quoniam qui vitioſis humoribus ſcatent, & analogiam, ſeu ſymboleitatem, cum hydrophobia habent, citò, imò aliqui ſtatim ab ea corripiuntur, ut conſiderabat Ætius. Quare cum Matrona hæc, temperamenti calidi & ſicci, gracilis, & melancholici habitus, & cacochyma ſit, & jam à morſu ſexageſimus præterierit dies, ſumma cum ratione credi poteſt, venenatum non fuiſſe vulnus tunc temporis inflictum, eò quod catellus nondum rabie fuerit infectus, licet ad rabiem pronus; & ſi fortaſſe gradum aliquem rabiei foviſſet in ſaliva, ſperari poteſt quod exuctione ſibi ſtatim facta, extractus & ſimul cum ſputo ejectus fuerit fomes; eadem quippe ſuctione Gentiles à mancipiis ſuis facta utebantur, quam Chriſtiani omiſerunt, utpote non adeò tutam.

Verùm quoniam in dubiis tutior pars eſt eligenda; & dum agitur de ſumma rerum nunquam ſatis cautè agitur, ideo remedia in præſenti rerum ſtatu uſurpare conſultum exiſtimo, ut humores, ſi fortaſſe infecti forent, è corpore

educantur; ſtatim enim ſolida ad priſtinum ſtatum revertentur, quia in fieri adhuc eſt affectio, non in facto eſſe. Secundò humida alteratio in ſolidis inducenda. Tertiò alexipharmacis virus caninum oppugnandum.

Impoſito itaque Clyſtere, aut medicamento ex ſyr. roſ. ſol. & de polyp. præmiſſo, aperienda eſt brachii dexteri vena, ſanguiſq; modicè educendus, habita cacochymiæ ratione, quæ ſanguinis miſſio in principio nullo modo conveniret, prout convenit veneno jam ad humores propagato.

Inde aliqua præparantia utilia quam maximè fuerint, ex Decoct. Bugl. Meliſ. Oxalid. Gent. Zedoar. Dictamni albi, Angel. & Vincetox. additis ſyr. de Cort. Cit. de ſucco Bugl. & de Pomis. Quinque verò aut ſex poſt diebus, purgans quod validum ſit, erit exhibendum. Ita ſcribit Dioſc. quendam hydrophobiæ proximum, ſumpto Helleboro convaluiſſe, & Orib. quotidie porrigebat purgans ex Colocyn. ad fabæ quantitatem. Nos præbere poſſumus Elect. Diacath. Diaph. cum conf. Hamech. vel Extr. Helleb. ad ʒ ß. Caſſiæ immitum. Quæ Cholagoga medicamenta conveniunt, cùm caninum virus exuſtionem contineat, præſertim verò in hoc temperamento calido & ſicco, habitu gracili, atque cacochymo. Aliqui ad uſum quoque Antimonii deveniunt, ut quod agitatione, & calida humorum commotione, ab alto trahere, & educere venenatos humores valeat; à quibus tamen omnibus ſerum depur. copioſum eſt ſemper præbendum, quorum etiam repetitus debet eſſe uſus. Nec ullo modo audiendus Rhaſis, qui valida purgantia, non modò in progreſſo, ſed etiam in principio exhiberi conſulit, contrà communem tum Arabum, tum Græcorum ſententiam.

Tandem Alexipharmaca virus oppugnantia ſunt diutius quotidie exhibenda. Galenus Alyſſum commendat. Lycium, & Laſerpitii ſuccum Paulus, & Orib. Ætius viticis ſemen. Avic. præter cætera, Gentianam. Verùm principem locum, non ſolùm apud Gal. ſed & apud omnes, tum Antiquiores tum Recentiores, tenet Pulvis Cancr. fluviat. quem Æſcrion Empiricus, Gal. præceptor, ita parabat.

℞. Pulv. Cancr. fluviat. ʒ x. Gentianæ ʒ v. Thuris ʒ j. m. cujus doſis erit ad ʒ ij. qui diſſolvi poterit in Aq. Card. ſanct. Scorzon. & tot. Cit. ut ad venoſum genus pervadat, in cujus uſu perſiſtendum ad 40. dies Et interim ſedeat Matrona Illuſtriſſ. ſub arbore Cornus, & Virgam ſanguinariam manibus tractet, ita enim venenum caninum intus latens detegitur.

Victus ratio debet eſſe refrigerans, & humectans, licet Paulus vinum dulce, meracum, & vetus concedat, etenim idem Lactis uſum & lactaria edulia proponit. Quæ in caſu præſenti, dicta ſatis. *Idem ibidem.*

Quæſita de Virulentia Canina Reſponſum.

Caſus equidem ſicuti rarus, ita periculi plenus, offertur mihi conſiderandus, cujus deciſio ſicut, apud ignaros & Laniones ipſos impoſſibilis, ita apud Eruditos difficillima, atque tandem apud Medicos, in Arte peritos, difficilis evadit, primò quia non adeo omnibus innoteſcat, animalia cætera rabie tentari poſſe, cum ab Eruditis Viris jam Vulgus acceperit, ſolum Canem rabie corripi; ſecundò quia ſi animalia à cane rabido mordeantur, eorum qualitatem veneficam ab igne qui omnia conſumit, prorſus abſumi poſſe, à quam plurimis facile creditur; & propterea jure merito Magnates Illuſtriſſimi illius Urbis Nob. plures conſuluerunt Medicos pro deciſione, num Vitulus & Porcus, à cane rabido demorſi, rabie infici, & inficere potuerint homines, qui comederint ipſos, nec ne? ſimulque à partem affirmativam ſuſtinentibus, pro curatione atque præſervatione opem medicam exigunt.

Antequam igitur ad remedia proponenda deveniam, in caſu mihi propoſito duo neceſſario prius conſideranda veniunt, alterum, num Vitulus & Sus, animalia à cane rabido demorſa, venenum caninum contrahere, & rabie affici poſſint, nec ne? alterum vero conſiderandum, num canino veneno infecta, & ab hominibus paulo poſt morſum comanſa, eoſdem inficere potuerint?

Et primum quod attinet, quamvis Galen. aſſeruerit, canes tantum inter omnia animalia rabie tentari, & ſolos Camelos addiderit Ariſtot. locuti tamen fuerunt de innata rabie, non autem de contracta, & acquiſita à canis rabidi morſu: hanc enim omnibus animalibus communicabilem eſſe idemmet Ariſtot. apertis verbis aſſerit. Quare rabiem & Vitulo, & Porco rabidum canem morſu communicaſſe, non eſt quod dubitemus; quæ tamen affectio quoniam inſignem latitudinem habet intentionis & remiſſionis, idcirco ſi paulo poſt morſum à Lanione mactata fuerint, veneno canino progreſſus interceptus fuiſſet: non enim ſerpit in animalium corporibus ſine vehiculo ſpirituum, & in hoc caſu non adeo facile venefica canina qualitas comedentibus carnes illas communicabilis foret, eoque minus (ut ad ſecundum quæſitum deveniam) ignem pro coctione experta, cum à Galen. habeamus, quod integri Serpentes cum ſale aſſi, ignis opera noxiam, excedentemque corporis noſtri virtutem deponunt. Negandum tamen non eſt caninum virus hominibus, qui carnes illas non aſſas, ſed elixas comederint, communicari potuiſſe. Et quamvis Galen. aſſeruerit, quod ſpicula venenata necant quidem Cervos, ſed ipſorum caro comeſta hominibus minime obeſt; ſolvitur tamen objectio, eo quod venenum illud quod helenium eſſe ſolet, humanæ Naturæ, ſicut Cervinæ, non adverſatur; quod de veneno canino aſſerere nequeo: narrat enim Surius in ſua Hiſtoria de rebus in Orbe geſtis, quòd cùm Caupo quidam porcellum à rabido cane demorſum, decoctum & conditum, hoſpitibus comedendum obtuliſſet, rabie omnes correpti fuerunt. Sed præterea habemus à Petro Salio, Medico egregio, lupum quemdam rabidum, à Venatoribus captum, decoctum, & in diverſa obſonia diſtributum, multis hominibus qui ex eo comederant, rabiem intuliſſe; rationemque reddit, cur ab igne canina illa virulentia prorſus abolita non fuerit; idque quoniam non ab exceſſu alicujus manifeſtæ qualitatis, verum à

tota

tota ſubſtantia venenum caninum procedit. Igitur cum & Vitulus & Porcus à cane rabido commorſi, rabiei capaces fuerint, & eorum carnes ab hominibus comeſtæ rabiem iiſdem communicare potuerint, reliquum eſt ut modum proponam, quo & à rabie præſervari, & ab interitu præcaveri poſſint: non enim neceſſe eſt quod ſtatim à comeſtione rabie detineantur, aſſerente Galeno, quod Canis venenum licet in demorſis non oriatur, longo tamen tempore, cauſa, quæ rabiem efficit, augetur, quouſque tandem ad aquæ formidinem, hoc eſt, ad rabiem ipſam pervenerint, tuncque quarto aut ſeptimo die convulſi pereunt, ut propterea Anthidotis alexipharmacis adhibitis, venenoque à corpore educto demorſi homines à veneno canino vindicati, & à rabie atque interitu præſervari poſſint, cum frequenter, ſpatio menſium, & nonnunquam annorum, virus caninum ſuas exerat vires, dum non tantum humores, ſed ſolidas quoque partes tandem occupaverit.

Affectus iſte quod medicamentis tolli poſſit antequam ſolidas corporis partes obſideat, jam innuebat Gal. citatis locis, & confirmavit, dum pulverem ex cancris fluviatilibus, remedium certo ſanans appellavit, de quo pluribus locis mirabilia quoque repetit. Et quamvis, Dioſcorides tertium aut ſeptimum diem, tanquam ultimum terminum aſſignaverit, quibus tranſactis nulla ſpes ſalutis ſuperſit, tunc intelligendus eſt, quando jam ad rabiem & hydrophobiam pervenerint; tunc enim nullum ſe vidiſſe ſanatum, Dioſcorides idem aſſerit, admiratus ſe audiviſſe Eudemum & Themiſonem ſanitati reſtitutos. Confidenter itaque remedia ſunt opportune adhibenda, quibus ſe nullum vidiſſe mortuum aſſeruit, Galenus, atque ego pluries expertus ſum.

Et quamvis in morbis curandis, utiles prius deſumi ſoleant indicationes à morbi eſſentia & à cauſis, in hoc tamen affectu curando, indicato ab eſſentia, neque à cauſa deſumi poteſt, quia ut morbus à tota ſubſtantia, occulta vi agit, nobis ignota, ut propterea ad experientiam & experta remedia confugere debeamus, occulta & alexipharmaca facultate huic veneno ſeſe opponentia; quibus tamen ſolis ego non acquieſco, cum ab evacuatione infectorum humorum liberatos viderit Galenus, & Dioſcorides ipſe; quare prima intentio erit humorum venenatorum eductio; mox Alexipharmacorum qualitati veneficæ oppoſitio; atque tandem, quoniam hujus veneni finis & effectus eſt ipſa ſiccitas, humectantia quoque indicari videntur.

Primæ intentioni ſatisfacere nequeunt ſola Lenientia, ut quæ humores à venis & longinquioribus corporis partibus trahere non valeant: unde Dioſcor. narrat, ſe vidiſſe quendam Hydrophobiæ propinquum, uſu hellebori ſanatum; quare mundatis primis viis leniente aliquo medicamento, ſtatim Purgantia in uſum ducenda, hæcque ſint, Extractum hellebori nigri & ſenæ cum caſſia, Melancholicis; Extractum rhabarb. & diagrydii, Bilioſis, quibus ſuperbibant ſerum aſin. depur. ad libras: Pituitoſis vero trochiſci Alhandal cum Diaphæn. cui ſuperbibant mulſam dilutam, aqua hordei paratam; Diebus vero intermediis aſſumant quotidie ſummo mane pulverem cancrorum fluviatilium, quem Æſchrion, Galeni Præceptor, Empyricus, diebus Canicularibus ita parare ſolebat.

℞. Cancrorum fluviat. in panatella rubra uſtorum, ℥ x. gentianæ ℥ v. thuris ℥ j. m. f. pulvis, cujus doſis à ℨ j. ad ℨ ij. in cyatho aquæ ſtillat. cardui ſancti, aut pimpinellæ aut pæoniæ quadraginta diebus aſſumendus. Et ſi hujuſmodi prava canina diſpoſitio ultro proceſſerit, Patientes etiam juvenes fuerint, plurimo aut fervido ſanguine abundantes, venas quoque aperire & ſanguinem educere minime verendum, ex pede primò, mox etiam ex brachio, cum infecti humores jam in maſſa ſanguinea contineantur; & idcirco ſumma cum ratione, dierum progreſſu, Celſus commendat quoque ſudorem in Balneo, prius nimirum evacuato corpore per centrum, quod Balneum parari poterit duabus vel tribus horis ab aſſumpto Alexipharmaco ex cancris; ita primæ & ſecundæ intentioni ſatisfactum erit.

Pro tertia vero explenda, Paulus tanquam egregium remedium, hæc proponit, quod quoniam horis matutinis remediis tum educentibus, tum alexipharmacis propoſitis locum cedere debet, idcirco horis veſpertinis in uſum duci poterit, ſimulque alia ſubſtantifice humectantia alimenta boni ſucci: non tamen excludendo pepones optimos, perfica natura & à Sole bene confecta, ut ſiccitas à virulentia canina produci ſolita, quàm fieri poteſt, arceatur, in quem finem à calefacientibus & exiccantibus alimentis, vigente & perdurante hujuſce veneni ſuſpicione, prorſus abſtinendum. *Idem Tom. 2. Cent. 4.*

Obſervationes.

De morſu humano, ejuſdemque curatione.

Duplex homini ab homine morſus infertur nam alias fit ab homine rabioſo, iſque ſumme malignus atque venenoſus eſt: ideoque non ſecus quam ſi à cane rabioſo factus eſſet, curari debet. Alias fit itidem ab homine, aut phrenetico, aut furioſâ irâ percito. Quem morſum poſtremum periculo non vacare, exempla quæ ſequuntur, fidem faciunt.

Anno 1582. Girhardus Muchs, mercator *in Langenberg*, in Ducatu Montenſi, quum inter pocula cum alio quodam litem haberet, eique colaphum impingere tentaret, dentibus haud leviter infixis apicem dextri ejus indicis apprehendit. Unde, quia non recte curatus, nec ulla vitæ regiminis ratio habita eſt, exortus eſt dolor magnus, aliaque graviora ſymptomata. Quum vero de abſciſione manus barbitonſores duo, quibus curandum ſe commiſerat, in ſe conferrent; is vocari juſſit præſtantiſſimum Coſmum Slotanum, apud quem tunc temporis praxim exercebam. Quum itaque perveniſſemus ad ægrum 26. Julii, invenimus totam manum inflammatam, & jam incipiente gangræna correptam; dolores quoque extremi, convulſiones, febris ardentiſſima, ſyncope, & inquietudines maximæ aderant; ita ut non ſolum de manu, verum etiam de vita periclitaretur.

Scarificavimus itaque ſtatim totam manum, & applicuimus quæ gangrænæ adverſantur. Mox univerſalibus, veluti clyſmatis, purgationibus, venæſectione, epithematibus, cordi & hepati applicatis, & vitæ regimine frigido & humido, humores & ſanguinem ad manus cum impetu fluentes, repulimus, detraximus, diminuimus, & partes principes ad temperiem vocavimus. Sic tandem æger, divino favore convaluit, ita ut non manum, imo ne digitum quidem morſum amiſerit.

Anno 1603. menſe Aprili, quum phreniticam quandam mulierem tractandam haberem, & linguam an arida eſſet, explorare vellem, illa digitum incauti, & nimis curioſi Medici dentibus arripuit, atque adeo dentes digito impreſſit, ut ſine violentia eum inde extrahere non potuerim. Hinc ſtatim dolor vehemens non ſolum in ipſo digito, ſed per totum brachium exortus eſt. Applicatis tamen iis, quæ ſequuntur, paulatim dolor ſedatus eſt: & quinque, vel ſex dierum ſpatio digitus convaluit. Primo diligenter ſanguinem ex morſibus (diverſis enim in locis dentes infixerat) expreſſi, mox aceto acerrimo ablui tum morſus, tum etiam totum digitum. Poſtea theriacam diſſolutam in aqua vitæ, cum goſſipio morſibus impoſui, ac emplaſtro baſilico apicem digiti, totam vero manum linteo reduplicato, ac in oxycrato madefacto involvi. Atque his remediis quotidie bis vel ter iteratis, Dei beneficio convalui. *Gulielm. Fabricius Hildanus Obſerv. Chirurgic. Cent.* 1.

Alia morſus humani curatio.

Anno 1604. ſub Canicula Eſaias Rapin, Corfellis prope Paterniacum, à quodam viro, furioſa ira percito, ad primam articulationem pollicis graviter morſus fuit. Hinc ſtatim exortus eſt dolor vehemens per totum brachium. Neglecto ab initio morſu, dolores, reliquaque ſymptomata ſingulis momentis ingraveſcebant. Ego quarto die morbi accerſitus, febricitantem ipſum comperi; ſyncopæ item aderant, & dolor acutiſſimus. Pollex item uſque ad carpum correptus erat phlegmone, quæ poſtea in putridum & ſinuoſum ulcus degeneravit. Morſus lividi erant, ex quibus ſubtilis, acris, & fœtidiſſima materia affluebat. Doloris leniendi gratia, brachium oleo roſaceo & lumbricorum inunxi. Ad carpum, defenſivum morſibus, toti vero digito ſequens unguentum applicui.

℞. Unguenti baſilici. Butyri recentis an. ℥ß. Ol. amygdalarum dulcium ℥ j. Theriacæ opt. ℥j. cum vitello ovi, fiat unguentum ſ. a.

Poſtero die electuario de ſucco roſarum ipſum purgavi. Poſtea baſilicam brachii ſani incidi: & vitæ regimen præſcripſi. His ſedato dolore, & probe digeſtis morſibus, ulceribus mundificativum ſequens impoſui.

℞. Pulveris Myrrhæ, Aloes, radicum ariſtolochiæ rotundæ, Iridis florentinæ, Angelicæ an. ʒ j. Theriacæ diſſolutæ in aqua vitæ ʒ ij. cum melle roſaceo, fiat unguentum.

Tandem ulcera aliorum ulcerum more conſolidavi, curamque Dei beneficio, maximo cum labore abſolvi. *Idem ibidem.*

De morſu canis rabioſi.

Matronæ cuidam in via obviam venit canis rabioſus, qui veſtem ejus dentibus arripiens, huc & illuc trahebat, donec tandem veste lacerata, cute tamen mulieris illæſa & intacta, canis aufugit. Illa verò neſcia canem rabioſum fuiſſe, laceratam veſtem filo (prout ſarcinatrices factitare ſolent) dentibus abſciſſo, reſarcire cœpit. Unde nullum quidem per tres menſes ſenſit incommodum. Poſtea verò ſenſim melancholica facta, imaginationibus, viſionibus horribilibus & pavoribus agitari cœpit, & paulò pòſt, aquam & vinum odiſſe, & quod pejus eſt inſtar canum latrare, domeſticos non agnoſcere, dentibus arripere, atque modò hunc, modò illum mordere tentans: Donec tandem in ea miſeria animam efflaret.

Quomodo autem venenum partes nobiles infecerit, jam operæ pretium eſt perquirere. Venenum hoc univerſam complexionem ac molem humorum in corruptionem trahere, ac omnes partes principes invadere, ſymptomata, quæ inde ſequuntur, ſatis ſuperque teſtantur. Cerebrum enim inprimis à veneno occupari, furor & inſania denotant: quandoquidem ſpiritus animales, aliis ſubtiliores, primò offenduntur. Poſtea quoque in corde, & hepate ſummam intemperiem calidam & ſiccam exoriri, leipothymia, incendium, febris, ardor linguæ, ſitis vehemens, anxietas, inquietudines, & hujuſmodi ſymptomata denotant. Hinc certum eſt, excrementa & ſalivam præcipuè (quæ in canibus rabioſis partim cerebri, partim pulmonis excrementum eſt) venenoſam eſſe. Veſtis igitur matronæ virulentâ ſalivâ canis madefacta, filum infecerat, atque inde mulier dentibus filum abſcindens, venenum partim ex filo, partim ex ipſa veſte, labiis ad ſe attraxerat, quod deinde paulatim ad partes nobiles ſerpſit. Tanta enim eſt hujus veneni ſævitia ac malignitas, ut hominis judicio comprehendi non poſſit. Neglecti enim morſus canis rabioſi, quantumvis minimi, cute vix læſa, ſine dolore aut inflammatione, nihilominus poſt longum tempus omnibus partibus principibus, labem atque perniciem communicant, ita ut tandem homo in furore moriatur. Nonne Baldus, eximius ille Juriſconſultus, à caniculo ſuo in labiis morſus, neglecto morſu, poſt quatuor menſes rabidus periit? Sed non tantùm morſum pernicioſum, & mortiferum eſſe, ſed ipſam ſalivam, teſtantur Galenus, & poſt eum multi viri docti.

Quanta autem hujus veneni ſit ſævitia atque malignitas, licuit hoc anno binis exemplis mihi obſervare. Primum fuit Sebaſtiani Cuiſineri, Paterniacenſis filia, quatuordecim annos nata. Illa à rabioſo cane vulnuſcula quinque in tibia acceperat. Parentes illam vetulæ empiricæ curandam commiſerant. Illa vulnera ferro candenti inuſſit, poſtea neſcio quo unguento 15. dierum ſpatio, curationem abſolvit. Sed quia (ut ex parentum relatu colligo) non ſatis profundè immiſſum fuit cauterium, & maturè nimis obductæ fuerunt cicatrices, accidit ut poſt menſes tres ſubitò melancholiâ, triſtitiâ, mœrore, & timore, ac paulò poſt hydrophobiâ correpta ſit. Ego tandem accerſitus, inveni ipſam in mortis

agone

gone. Maximus ardor, ſudores, anxietates, & ſitis aderant: aquam tamen, neque vinum videre potuit, neque etiam ſibi nominari paſſa eſt. Lingua arida erat. Domeſticos non agnoſcebat, quos quandoque dentibus apprehendere tentabat. Atque in eo angore paulò pòſt è vita deceſſit.

Alterum exemplum fuit de Juvene quodam viginti annos nato, Daniel Perrin nomine. Is ſuperiori æſtate, tempore meſſis, à fele rabioſo ſcalpturam in dextro pollice accepit: ubi epidermis vix offenſa fuit. At quia ipſe inſcius felem rabioſum fuiſſe, hanc ſcalpturam (quæ non diu poſt ſponte coaluit) planè neglexit. Nullus enim ſequebatur dolor, nullaque inflammatio, aut aliud ſymptoma. Proxima verò die 1. menſis Martii, paulatim incepit melancholicus fieri, & pavoribus, atque falſis imaginationibus commoveri: ita quidem ut poſtero die domo egredi, atque in publicum prodire non auderet. Ego tertio die ejuſdem menſis vocatus, inveni ipſum hydrophobiâ correptum. Aquam enim, vinum, omniaque ſplendida adeò aborrebat, ut ne videre quidem poſſet, neç vellet: imò interrogatus an vellet bibere, ſtatim alta voce exclamabat, ſeque abſcondebat. Vultus, collum, & pectus inflammata erant: colore cæruleo miſto, ſudores & anxietates aderant: maximo cum impetu ex una in alteram lecti partem ſeſe ita projiciebat, ut tres viri quantumvis validi, vix eum continere poſſent. Nonnunquam exclamabat, & ſeſe in adſtantes projicere tentabat: quos dentibus arripuiſſet, niſi cuſtodes eum retinuiſſent. Cibum & potum non ſolùm reſpuebat, ſed ex ſola nominatione aut inſpectione calicis, expaveſcebat & tremebat, atque in ea miſeria eâdem nocte è vita deceſſit. *Idem ibidem.*

Anno à Deiparæ virginis partu 1581. menſe ſextili, matrona quædam, honeſtaque mulier, doctoris celeberrimi filia, quam nobilis vir ante duos annos in uxorem duxerat, hæc mihi familiariter nota, proximeque affinis: quum quodam die per urbem negotia haberet & ageret, à cane rabido ex improviſo impetitur, in ſiniſtro brachio mordetur. Vicini, & concomitantis rei magnitudine, & triſtiſſimo caſu vehementer perculſi, illico canem interficiunt. Dein præſto advocati adfuerunt ſeduli doctiſſimi Medici, qui exquiſitè remedia præſcripſerunt, partique affectæ apponenda juſſerunt. Per os item Alexipharmaca propinari curarunt. Brachium ſupra vulnus, ligatura valida, vinculo arctiſſimo exceptum fuit. Topica attrahentia, foraſque venenum evocantia, ejuſque vim retundentia, adhibita. Denique ferrum & ignem loco læſo applicuit Chirurgus. Tandem elapſis paucis diebus, Deo volente, ſalva & incolumis evaſit, vel evaſiſſe videtur, nulla in brachio noxa, nec tantùm cicatrice ferè relicta, nulloque in corpore, ut apparebat, reſtante veneno. Verùm quid evenerit, audi quæſo. Septimo ab hinc anno recurrunt ſymptomata ſæviora multò: perſentit in brachio aliàs læſo dolorem acerbiſſimum, veluti à caninis dentibus diſcerpi, & dilaniari. Inde pauco interjecto tempore furor & mentis alienatio ſubſequuntur, mœror, triſtitia, vigiliæ ſummæ, ſitis inexplebilis, febris tandem; & maxima virium proſtratio: ciborum denique omnium odium, nunquam tamen à potu abhorruit. Nec liquida, quæ ſitim extinguere valebant rejecit. Morti proxima judicata eſt, imò nulla nobis relicta erat vitæ vel ſalutis ſpes. Sed in tot tantiſque malis, ita diligentiſſimè ei manus auxiliares adhibitæ fuere, tum à præſtantiſſimis Medicis, tum à domeſticis, ut intra paucos dies perfectè ſanata viſa ſit.

Sæva etenim illa accidentia, paulatim miteſcendo, abſolutè ceſſarunt. Poſt annos ſeptem ab hac invaſione, & decimo quarto à canis morſu, & tertio ab obitu mariti ſui, mirabilibus, iiſque graviſſimis morbis, iterum tentari cœpit, principio ducto à ſiniſtro illo brachio. Tormina lethalia ſenſit, vomitiones & ructus incredibiles, omniaq; ſymptomata atrabilaria ſuſtinuit, vigilias & ſitim maximam paſſa eſt. Vellicationem, & dolorem ingentem in loco prius morſo habuit. Curatur iterum diligentiſſime, & me præſente ſanitati, ut videbatur, reſtituitur perfectè, aptis ad id adhibitis remediis. Sopitum tantùm judicavi malum, non deletum. Sic manſit per annos ſex. Anno vigeſimo à vulnere accepto, denuò recurrit affectus, excitantur accidentia ut prioribus annis, redeuntque eadem ſymptomata. Sedatis anno ſequenti iiſdem, rurſus tentatur honeſta fœmina. Subſequenti anno repetiit malum bis. Anno proximo illapſo ter ita correpta fuit. Hoc anno jam bis. A tribus annis frequentiores, ſed breviores fuerunt paroxyſmi. Tres aguntur hebdomades, quod ab ultimo prehenſa fuit, & evaſit paroxyſmo. In omnibus ferè temporum mutationibus ſibi brachium vellicari perſentit. Vereor, ne brevi vitam anxiam & calamitoſam, cum morte ſæpius optata commutet. Hujus rei teſtis ſum: hæc egomet vidi. *Idem, ibidem ex communicatione Abelis Roſcii Medici Lauſannenſis.*

Morſus canis rabidi curatio.

Anno 1602. 30. Julii adoleſcens quidam Paterniacenſis, David Willometus nomine, prope cubitum dextrum à cane rabido vulnus accepit. Venit ad me primo Auguſti. Tum præparatis omnibus, ſic proceſſi. Primò morſum ſcalpello ſcarificavi, cucurbitulamque cum largiori flamma appoſui, & quantum fieri potuit, ſanguinem extraxi. Deinde totum brachium poſca, in qua diſſoluta erat theriaca, parumque ſalis marini, ablui. Saliva enim canis rabidi in parte aliqua cutis exſiccata, niſi maturè & diligenter abluta & abſterſa fuerit, rabiem excitare potens eſt. Poſtea cauterio actuali morſum undique ac profundè inuſſi. Hic monitos velim tyrones Chirurgos, ut diligenter proſpiciant, ne nimis leviter & ſuperficialiter inurant hujuſmodi morſus, ſed ut potiùs in exceſſu, quàm in defectu peccent. Quum enim morbus ſit extremus, extremum quoque requirit remedium. Expertus loquor. Filia enim Sebaſtiani Cuiſineri (cujus antea memini) fruſtra paſſa eſt cauterium, ab empirica vetula adhibitum, quòd non ſatis profundè impreſſum fuiſſet. Audacter itaque atque ſatis altè, ſi pars affecta conſentit, imprimendum eſt cauterium admodum ardens, ut Galeni verbis utar. Quandoquidem ex levi applicatione cauterii, duo ſequuntur incommoda. Non enim ſatis conſumitur virus illud, atque malignitas à cane relicta, & maturè nimis coaleſcit ulcus. Hinc remanens

manens portio aliqua veneni in parte affecta, tandem ſerpendo ad partes principes pervenit, eaſque in perniciem trahit.

Nunc ad propoſitum noſtrum redeamus. Poſt inuſtionem non uſque adeò ſollicitus fui de leniendo dolore. Unctuoſi enim & eſcharam relaxantia, veluti butyrum, oleum, & ſimilia, multò minùs refrigerantia & repellentia medicamenta, mihi in hujuſmodi ulceribus non uſque adeò probantur. Illa enim exhalationem, evaporationemque veneni impediunt, hæc verò ſanguinem, atque cum eo venenum ad partes nobiles repellunt. At quia omnis dolor, ad ſe attrahit ſanguinem & humores ex corpore (ut Galenus teſtatur) veriſimile eſt, dolorem prodeſſe hujuſmodi ulceribus, dummodo levis fuerit. Itaque poſt uſtionem, vulneri impoſui goſſipium madefactum aquâ vitæ, in quo diſſoluta erat theriaca. Poſtea ſequens emplaſtrum ſupra linteum extenſum applicui.

℞. Cepæ aliquantum ſub prunis coctæ Fermenti, Farinæ ſinapi an. ℥ij. Theriac. ʒß. Foliorum rutæ & Scordii an. M ß. Miſceantur in mortario, addendo parum mellis.

Sequenti die ſcapello eſcharam undique, quantum fieri potuit, incidi; deinde jam memorata medicamenta applicui: atque ſic uſque ad casum eſcharæ proceſſi. Poſtea ne labia ulceris coaleſcerent, bis in die piſum impoſui, quemadmodum fit in fonticulis: & præſcriptum emplaſtrum applicui. Atque hoc modo ulcus ad menſes tres apertum retinui. Interim tamen per intervalla, ſingulis ſcilicet hebdomadibus, bis terve ulceri ſequentem inſperſi pulverem.

℞. Pulver. præcipitat. Lapidis bezoardici, Pulv. radicum angelicæ an. ℈ j. Miſce.

Mirificè enim malignitatem ad ſe ex profundo attrahit, & veneno adverſatur pulvis ille. Per os alexipharmaca, veluti theriacam, mithridatium, cornu cervi uſtum præparatum, & lapidem bezoardicum propinavi. Sequens quoque pulvis, cum aqua bugloſſæ aut boraginis exhibitus, ſummopere laudatur à veteribus & modernis Medicis.

℞. Cineris cancrorum fluviatilium ℥ x. Radicis gentianæ ℥ v. Olibani ℥ j. Miſce, fiat pulvis tenuiſſimus.

Venam non incidi, neque pharmacum ſolutivum exhibui, ne venenum ab externis ad interiora traherem membra. Sic divino Numine curatus fuit. Atque ad hunc uſque diem, quo hæc ſcripſi, proſpera valetudine fruitur.

Eodem tempore hujus juvenis fratrem, ab eodem cane, ſeptem in locis morſum, ſuperiori methodo curavi, qui à curatione per annum integrum ſanus vixit, tum pleureſi correptus obiit. *Idem ibidem.*

Anno 1604. die 10. Novemb. Matrona quædam honeſta Paterniacenſis, quinquagenaria, uxorque Petri Deniſii, à cane ſuo domeſtico ac rabioſo quatuor diverſis in locis morſa fuit. Primò quidem in dextræ manus digiti medii dicti, tribus locis diverſis, quorum morſuum vulnera duo ex una ferè digiti parte in alteram penetrabant. Deinde quoque ſupra cubitum in muſculo bicipiti. Unde meo conſilio uſa, modo ſequenti proceſſi:

Primùm vulnera phlebotomo aliquantum ſcarificavi, quò ſanguis effluere poſſet, quum à vulneribus acceptis nihil ejus effluxiſſet. Dein de brachium ac manus undique ſequenti lotione abluti.

℞. Aceti acerrimi ℔ ß. ſalis marini ſubtiliſſ. pulveriſati ℥ ij. theriacæ ℥ ß. Miſce.

Poſtea cauterio actuali vulneribus cauterizatis, goſſipium ſpiritu vini, in quo theriaca diſſoluta, madefactum, impoſui, & ſequenti Emplaſtro totum digitum involvi, idemque brachio quoque applicui.

℞. Cæparum ſub prunis aliquantum coctar. pulveris ſem. ſinapi, ſalis marini, fermenti acris an. ℥ j. fol. rutæ, ſcordii an. M ß. theriacæ opt. ℥ ß. Miſceantur, & cum ſ. q. mellis in formam unguenti diligenter incorporentur.

Alterâ die eſcharas ſequenti hamulo apprehenſas, ſeparatorio blande excidi, idque in eum finem, ne ſeroſus aliquis humor ibi detentus, ab eſchara malignitatem aliquam acquireret. *Idem Cent. 2.*

De morſu hominis.

Ruſticus quidam in pago *Worb*, probe Bernam, *Hans Schliechter*, nomine, in conflictu ab adverſario ſuo iracundiâ excandeſcente, ad ſecundum articulum medii digiti manus ſiniſtræ morſus fuit. Ab initio à balneatore quodam in ſecundum menſem uſque curatus fuit, ſed parum feliciter: quandoquidem malum ita auctum, ut tandem Bernam ad barbitonſorem primarium Xenodochii ſe conferre coactus fuerit. Is cum nullum aliud remedium, quàm ut ad metacarpum abſcinderetur digitus, ſupereſſe bono illi ruſtico perſuaderet, operationemque ſtrenuè, & per dies aliquot urgeret, author fuit nobiliſſimus Vir Dn. Petrus à Wattenville Dn. in Wyll, ut ad me ſe contulerit æger. Tum manum, brachium, imò totum corpus propter doloris vehementiam & diuturnitatem extenuatum, digitum verò præter modum intumefactum reperi, qui & in ſuperficie junctura exulceratus, & ligamenta, ipſæque cartilaginis juncturæ eroſæ, oſſaque inter ſe disjuncta & ſeparata erant. Purgato corpore, & parum dilatato ulcere, & impoſito pulvere catagmatico, aliiſque, quæ in ſordidis ulceribus, & eis, in quibus oſſa carioſa ſunt, adhiberi ſolent, cartilagines, nec non ſquamulæ appendicum exciderunt. Deinde brevi conſolidatum fuit ulcus, ita quidem, ut ſpacio ſex hebdomadum, divino aſpirante numine, totam curationem abſolverim. Juncturam verò cum rigidam & immobilem permanſuram eſſe ſcirem (eroſis enim cartilaginibus, quæ appendices oſſium regunt, oſſa juncturæ mediante callo connectuntur; uti Obſerv. 77. Cent. 3. fuſiùs declaravimus) maturè ipſam aliquantum incurvavi, ita ut manus priſtinum robur adepta ſit. Idem in Mercatore quodam in Langenberg prope Duſſeldorpium Anno 1583. obſervavi, de quo vide tractatum noſtrum de Ichore & meliceria Celſi cap. 3. fuſiùs. *Idem Obſervat. Cent. 4.*

De morſu canis rabidi.

Circa feſtum purificationis beatæ Mariæ virginis, proximè, elapſum, ruſticus quidam Hildenæ Vir robuſtus, virgini ſeptem annorum ætatis

ætatis, & optimo corporis habitu præditus, à cane rabido circa poplitem & genu dextrum variis in locis morſus fuit. Eadem die in pagum Ater vocatum, & ad marginem ferè Rheni ſitum, ipſum conduxerunt: ubi ſacrificulus ejus loci clave ignita S. Huberti, ut vocant, vulnera inuſſit: ipſumque eadem die ad ſuos remiſit, ad majorem quoque ſecuritatem, potionem *Lüchtenbergianam* tantopere in morſu canis rabidi celebratam ſibi adferendam curavit, eaque ſumma cum diligentia, & prout præſcripta, uſus fuit. Nullum ſupervenit ſymptoma, & ulcera intra dies quatuordecim planè coaluerunt. Eodem autem tempore porci tres ab eodem cane morſi erant: quibus prædictam potionem ſimiliter exhibuerunt: nihilominus tamen poſt menſem rabie correpti fuere; Ruſticus verò ad finem menſis Aprilis abſque omni incommodo ſupervixit. Tunc primò dolores maximi, & peracuti in tibia dextra exorti ſunt, urina quinetiam ſimul, & excrementa alvi ſuppreſſa fuere. Tertia die morbi cum ego accerſitus eſſem, vires adeo proſtratas inveni, ut cùm è lecto ſurgeret, ex una in alteram partem veluti ebrioſus vacillaret, & ſolus minimè incedere poſſet. Inquietudines, nauſea, anxietates & anguſtia pectoris, nec non dolores in inferiori ventre aderant, & urina ſimul & excrementa alvi, ut dixi, ſuppreſſa erant. Circa genu tamen, & in ipſa tibia nihil apparebat, præterquam quod cicatrices lividæ, aut potius nigræ eſſent. Enema emolliens & anodynum protinus infudi, quo rejecto, ſequuta ſunt excrementa prædura, parumque urinæ. Sacculum quoque ex radicibus, herbis, floribus, & ſeminibus emollientibus & dolorem ſedantibus calidè applicui: inferiorem ventrem perinæumque butyro recenti & oleo lumbricorum (urinam enim provocat) inunxi. Poſt horas duas, cum iterum alvum exoneraret, excrementa copioſè rejecit: ſequutum eſt & multum materiæ pituitoſæ, viſcidæ & ſalivoſæ, veluti ſperma ranarum, multum item reddidit urinæ, quæ etſi obſcura, turbulenta & ſpiſſa eſſet, abſq; impedimento tamen & liberè deinceps ad finem uſque vitæ ſuæ ipſam reddidit. Semel atque iterum ita copioſè exonerata alvo, ipſum jam evaſiſſe penitus ſperabam, ſed fefellit opinio: quandoquidem paulò poſt correptus eſt rigoribus maximis: ſubſequens nox gravis & vires magis magiſque proſtratæ fuere: & quia ab initio morbi uſque in quintum diem nihil dormiverat, paulatim in delirium incidit: exclamabat, vociferabatur, adſtantes arripiebat, & objurgabat, ex una in alteram partem lecti ſeſe projiciebat cum impetu, & ſanguinem atrum, & in grumos concretum exſpuebat. Cum verò poſt cœnam nonnihil laudani, & confectionis alkermes exhibuiſſem, omninò remiſit delirium & ea nocte benè quievit. Altero tamen die cum à ſomno pejus haberet, mortem ex Hippocrate Aphor. 1. lib. 4. proximam adeſſe prædixi. Aucta itaque febre, auctâ etiam imbecillitate virium, & ſudore frigido correpto ægro, placidè & mente conſtanti, animam ſexta die morbi effudit.

Cæterùm, etiamſi Hydrophobia, quæ præcipuum, & veriſſimum ſymptoma eſt morſus rabidi, correptus non fuerit; ipſum tamen peſtifero hocce veneno necatum fuiſſe exiſtimo. Primò enim morbum in ſummo gradu, ut ita dicam, malignum fuiſſe, ſumma illa virium proſtratio, anguſtia circa præcordia, anxietates, nauſea & hujuſmodi, fidem faciunt. Deinde cauſam mortis fuiſſe morſum canis, dolor ille pungens, qui per dies aliquot, antequam reliqua ſymptomata ſupervenerint, tibiam exercuerat, certiſſimum eſt indicium, aliquid veneni ibi remanſiſſe. Et profectò malignitatem aliquam adfuiſſe, præter dolorem lividitas, aut potius nigredo cicatricum indicat. Itaque nulli remedio, nullique alexipharmaco, quantumvis approbatiſſimo, in morbis præcipuè acutis, niſi methodicè adhibito, fidendum eſt. Præſentaneum & à multis ſeculis approbatiſſimum remedium in morſu canis rabidi, eſt cauterium actuale: at hic inutile fuit! Cauſſam quæris? Dicam paucis quid ſentiam. Primò an ſacrificulus clavem iſtam ignitam S. Huberti ſatis profundè infixerit, incertum eſt. Uſtio enim ſuperficialis nequaquam ſufficit. Deinde poſt inuſtionem eſchara excidenda: vulnus quinetiam ad menſes duos aut tres apertum eſt retinendum. Eſchara enim niſi prima aut ſecunda die auferatur, retinetur in ipſa portio aliqua veneni, quæ vi ignis inſpiſſata fuit, iterumque dum putreſcit eſchara, in liquorem diſſolvitur, & per venas capillares ad majora vaſa tranſit, parteſque nobiles ſerpendo paulatim inficit; At quia in hoc ægro eſchara minimè exciſa, & ulcera nimis maturè cicatrice obducta fuerant, mirum non eſt, ipſum tandem peſtifero hocce veneno extinctum fuiſſe. Quia tamen inuſtio aliqua vulnerum præceſſerat, & potione Lüchtenbergiana uſus fuerat, venenum extremam ſuam ſævitiam exercere, & hydrophobiam excitare non potuit. *Idem ibidem.*

De morſu Lupi.

Anno 1610. menſe Februario, cum ruſtici prope Lauſannam in venatione lupum in obſtantes plagas truſiſſent, & quinquagenarius quidam ex illis lupum trucidare vellet, inſurgit contra ipſum lupus, ipſiuſque genu dextrum arripit, & circumcirca rotulam quatuor in locis dentes altè infigit, ac miſerum in terram projicit, & niſi reliqui ruſtici accurriſſent, lupum quinetiam occidiſſent, de bono iſto viro actum fuiſſet. Ab initio etſi dolores & magni & continui adeſſent, affectum tamen neglexit, neque ulcera ut aperta manerent, & ichor efflueret, operam dedit. A fera itaque inflictum virus cum effluere liberè non poſſet, auctus eſt dolor, aucta eſt & inflammatio. Cibi item faſtidium & diarrhœa ſupervenerunt. Tandem cum materia purulenta undiq; circumcirca genu, & in ipſo poplite collecta eſſet, & ſinus aliquot ſibi paraſſet, adductus mihi fuit Lauſannam. Plurimis itaque factis inciſionibus & aperturis, pus tam copioſè & tamdiu effluxit, ut vires inde mirum in modum proſternerentur. Tandem propter labefactationem virium diarrhœâ in lienteriam converſa, planè extenuato corpore, naturæ ſatisfecit.

Verùm, hic perpendendum eſt, primò huncce virum cacochymicum, & melancholico ſucco refertum fuiſſe; ſecundò morbum ab initio neglexiſſe. Ego enim cum advocare, jam per multos dies decubuerat, & labia vulnerum ferè coaluerunt. Deinde propter injuriam temporis, & adverſam valetudinem meam (nondum enim à quartana planè reſtitutus eram) rarò

ipſum inviſere potui, ſed negotium famulo, & ipſis domeſticis (qui nonnunquam abſente famulo turundas extrahebant, ita ut labia vulneris nimis citò coaluerint) committere coactus fui: circa affectum itaque externum errores commiſſi fuerunt. Tertiò non illam, quæ requirebatur, victus rationem obſervabat. Quartò partem læſam valdè debilem fuiſſe perpendendum eſt: antea enim per multos annos, & diverſis quidem temporibus ulceribus in ipſa tibia laboraverat. Ab initio itaque morbi, qui corpus purgatum non fuerat, & dolores vehementes (qui, ut Galenus teſtatur, inſtar cucurbitulæ attrahunt) adeſſent, ſanguis & humores copioſè affluebant, qui à parte debili & in decliviori loco ſita, facile excipiebantur. Interitum itaque hujus viri potius ad ſupradictas cauſſas, quàm ad venenoſam aliquam qualitatem à fera inflictam referendam eſſe, rationi aliquomodo conſentaneum eſſe videtur. Ego, ut ingenuè fatear, hujuſmodi morſus malignitatem non ſpernendam, cùm maximam contuſionem, tum etiam ſalivam feræ inflictam, ſibi adjunctam habere, exiſtimo. Id enim non ſolùm viri eruditi, verùm & ſymptomata, quæ in hoc viro apparuerunt, ſatis ſuperque teſtantur. Civem inſuper quendam in oppido Corſonnay propè Lauſannam, Minicus Maria ſi rectè memini, ex morſu lupi obiiſſe, Joh. Colonnay Archigrammateus Corſonnenſis, vir virtute & ingenio præſtans, mihi retulit. *Idem ibidem.*

Pro Canis rabidi morſu in puero duorum annorum.

Cum extra urbem in prædio vicino caſus hic accideret, protinus puerum parens ruſticus adduxit, medicam opem implorans, ne gravius quid innocenti filio ſit expectandum. Mox enim à principio laborandum in hoc malo, quo malignitas morſu venenato inflicta funditus extirpetur, & ne ſerpat interius, antidotis appropriatis prohibeatur. Idcircò indicationem utramque reſpiciendo, primùm exterius ordinavimus collutionem mundificantem & extrahentem. Sic.

♃. Theriac. veter. ʒ ij. fol. rutæ, Mß. Syrup. acetoſ. citri ℥ j. cum hydromel. q. ſ. leviter bulliant, & per expreſſionem colentur; cū colatura vulneratæ partes durius fricentur & eluantur.

Mox apponatur cataplaſma ex allio, ſale & terebinthina ſubactum.

Aſt interius quoque cito remedio opus eſſe ſtatuebam, quam ob cauſam canis rabidi jecur coctum ad ℥ ij. in particulas diſſectum puello dedimus, experimento confirmati, quod primis 24 horis poſt morſum nondum abſolutis, antidotum ſit præſentiſſimum. Ne quid verò ad miſerabilem Hydrophobiæ morbum præcavendum intermitteretur, mox in officina parabatur pulvis alexipharmacus contra rabiem caninam quem habet Palmarius. Qui.

♃. Fol. rutæ, verben. ſalv. min. plantag. polipod. abſinth. vulg. menth. artemiſ. meliſſophyl. beton. hyperic. cent. min. an. q. ſ. Legantur omnia ubi ſunt efficaciſſima. Siccentur in umbra: hujus pulveris externus & internus uſus fuit, juxta præſcriptum authoris: Exterius ʒ iß. pulveris cum hydromelite coquebatur pro vulneris deterſione. Interius quotidie ℈ j. cum ſaccharo permixtus in juſculo vel ſolitariè cum hydromelite, vel ſyr. de ſucco citri dabatur, non neglecta interim in aquâ quotidiana læſi puelli immerſione.

His remediis Dei gratia liber fuit æger ab ulterioribus gravioribus ſymptomatis.

Sicut & alius ſeptem annorum puer, qui ſimiliter à cane rabido demorſus, meam opem primo ſtatim die implorabat; at neglectis vulneribus hiſce per caninam rabiem inflictis, Nobilis cujuſdam miniſtrum, necnon alium Baronis in vicinia Sartorem; hydrophobia ſuccedente, miſerabili delirio vitam cum morte commutâſſe recordor. Quare ſi unquam, ſanè verum hic illud, principiis obſta. *Gregorius Horſtius, obſerv. 23. lib. 7. De Morbis malignis.*

Potionem hanc hydroticam contra morſum canis rabidi expertam pro tribus vicibus propinavi.

♃. Myrrh. gentian. an. ʒ j. theriac. ʒ iß. ocul. cancror. uſt. ℈ ij. aq. gentian. & Scabioſ. an. ℥ iß. M. F. hauſtulus hydroticus.

Externe vulneri applicet rutam cum allio & pauca theriaca mixtam. *Joh. Petrus Lotichius. obſ. 1. cap. 5. lib. 6.*

Matrona quædam Nobilis pluries à cane rabido demorſos curabat, urendo vulnus clavicula ignita, & exhibito hoc pulvere.

♃. Rutæ, veronic. plantag. latifol. rad. gentian. an. pt. æq. F. pulvis; dabat quantum nux juglans dimidiata caperet manè per quinque dies continuos. *Jer. Martius. obſerv. 57.*

Nuper cujuſdam militantis in Prætorio mater vidit in quiete, ut radicem Sylveſtris roſæ, quam Cynorrhodon vocant, blanditam ſibi aſpectu pridie in fructeto mitteret filio bibendam: in *Lacetania* res gerebatur, *Hiſpaniæ* proxima parte: caſuque accidit, ut milite à morſu canis incipiente aquas expaveſcere, ſuperveniret Epiſtola orantis ut pareret religioni: ſervatuſque eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxilium ſimile tentavit. *Plinius, Nat. Hiſt. lib. 5. cap. 2.*

Pro Canis rabidi morſu.

Hujus curationis exemplum habes apud Amatum Luſitanum, cent. 5. curat. 45. de puero annos 12 nato, à cane demorſo in crure. Sequenti enim die puer eadem horâ rigore, ſuccedente ingenti poſtea febrè correptus eſt; ad quem vocatus Amatus, & accito Chirurgo locum demorſum ſcarificare juſſit, non ſine profundioribus inciſuris, & calido vino lavare: optimè abſterſo loco affecto, hoc emplaſtrum admovit: cæpam unam acrem accipiebat, alliorum caput ſive radicem mediam, theriacæ opt. ℥ ß. fol. Marrhubii fœtid. meliſſ. an. p ß. rubeæ min. ℥ ß. fermenti, ℥ ß. omnia piſtentur, & loco affecto ſuperponantur, quibus puer ſanitatem brevi obtinuit. Noſtri verò demorſos à cane rabido ad Oceanum mittunt, ut ibi ter aqua marina immergantur, idquè in principio vulnere inflicto, antequam in hydrophobiam incidant. Novum hoc non eſt remedium. Ejus enim meminit Celſus lib. 5. cap. 27. Puero 10. annorum Delphenſi, cum à cane rabido morſus eſſet, ne in hydrophobiam incideret, conſului, ut in mari immergeretur, & cum ab immerſione domum rediiſſet, mandavi, ut decoctionis radic. Gentian. in vino, ℥ iiiß. adjectis ℈ ij. theriac. opt. ebiberet, & nihil mali amplius ſenſit. Chirurgo imperavimus ut vulnus probè tractaret, neque ſubito occluderet.

Imò

Imò multis poſtquam mari immerſi eſſent, ſolam theriacam exhibui. *Petrus Foreſtus. Schol. ad obſerv. 28. lib. 10. Cerebri Morbis.*

Vidi non procul *Gandavo* tranſnatantem navem & in ea ſenem nudum funibus vinctum, habentem pondus in pedibus; ſubter axillas zona cingebatur, quâ ad antennam ligatus erat. Rogavi quid ſibi vellet illud ſpectaculum: Unus è Nautis dixit, ſenem illum jam hydrophobum, & à rabiente cane demorſum fuiſſe pridem, Petivi quorſum illum ad mare veherent, an necem ejus intenderent; Quinimò (ait Nauta) mox ſanus rediturus; illamque eſſe maris benedictionem, quod ejuſmodi rabiem extemplò ſanaret: Arrham obtuli ut me ſocium & teſtem aſſumerent. Cum navigatum fuiſſet per miliare Italicum duo viri ſubducta cauda antennæ elevarunt ejus cuſpidem, & ſenem in altum ſuſtulerunt, inde verò in mare præcipitem dedere, eratque ſubter aquas ad ſpatium miſerere, quem dein adhuc binies ſubmerſerunt ad ſpatium ſalutationis angelicæ, tunc collocârunt illum ſuper vas teres ſupino dorſo chlamyde tectum. Ego ſuſpicabar illum obiiſſe, ſed metum riſit Nauta. Nam ſolutis vinculis, cœpit omnem muriam rejicere quam inſpiraverat; & mox revixit, qui dein rabie liberatus, ſoſpes vixit. Referebat Nauta Batavos cruda halece ſalſa triduo renovata, & ad morſum rabientis applicata, omnem auferre metum rabiei. Ubi vero id negligentia impediviſſet, ſpectato ſaltem ſubmerſionis modo omnes ſanari. Manſit id mihi alta mente repoſitum, perſuadens id in aliis amentiis non fore inutile. *Joh. Helmontius, tractat. cui Titulus, Demens Idea.*

Honeſtæ cuidam fœminæ in forum eunti, canis rabioſus obviam venit, illiuſque pedes furenter ac violenter petit, ipſa periculum hoc ut evitet, inclinat ſeſe, & genua paululum flectit, unde canis veſtem, & quidem hujus potiſſimum fimbriam mordicus arripere, aliquantum latrare, & ſtatim aufugere. Quo facto, fœmina adhuc perterrita, hæret primo, an canis rabidus fuerit: recollecta autem mente, de rabie ejus ſuſpicatur; cum ipſi antea familiaris admodum, imò domeſticus ferè extitiſſet. Domum igitur ſe confert, ſubque tecto veſtem laceram ligno ſuſpendit. Poſtquam verò eam quarto die repetit, atque reſarcire cogitat, res mira! vermes capite catulis prorſus ſimiles, iis in fimbriæ locis, quibus canis dentes infixerat, enatos reperit, eoſque ceu miraculum novum, vicinis quibuſdam convocatis conſpiciendos præbet. *Phil. Salmuth. obſerv. 83. cent. 2.*

Morſus rabidi lethalis.

Joh. Janſonii, ſervus Subprætoris Joh. Voerknecht canem Prætoris rabioſum gladio jugulare tentans, exiguo foramine circa carpi manus dextræ interiora morſu canis vulneratur.

Die nono, neglectâ in mare præcipitatione, cum accedo, delirium aderat, febris ardens, hydrophobia, convulſio, ſputatio continua, ſitis ingens, anxietas, linguæ ariditas ſumma, oculorum ſcintillantia.

Vulneri illicò applicari curavi cucurbitulam, & quidem tertium iterandam, hinc locum vicinum, ſimiliter ac vulnus ipſum hoc tegebatur Cataplaſmate.

℞. Theriac. veter. ℥ ß. Succ. Cepæ ℈ i ß. Stercor. columb. ℥ iiß. Sal. commun. ʒ ij. Pulv. Ruthæ, Scordii an. ℥ ß. Aq. vitæ q. ſ. F. in formam Cataplaſmatis.

Veſperâ Cauterium actuale vulneri applicabamus, quo apertum ſervaretur, & venenum conſumeretur, loco cauteriſato applicabamus Unguent. Baſilic. cui Theriaca mixta, ad ſeparationem eſcharæ, præterquam quod & præcedens Cataplaſma ſuperimpoſitum, ſudoriferum itidem præſcriptum, quod ægrè admodum, ſimiliter ac omnia liquida, aſſumebat. Pro potu tamen ordinario hoc præſcriptum:

℞. Fol. Ruth. Rad. Scorſoner. an. M j. Fol. Salviæ min. P. ij. Beton. Nepet. an. M j. Leviſtic. M. ß. Coq. in vino gall. q. ſ. Colatura uſurpetur pro potu.

Die decimo, vigiliæ continuæ, abſtinentia à potu, ſudoris nulla eruptio, graviter moleſtabant, imò delirium valdè augebatur, mordendo enim, ſpuendo, lacerando, vociferando, ſimilibuſque actibus, omnia turbabat, latratus tamen, contra ac vulgus docet, nullus notabatur.

Die undecimo omnia parum remittebant, quod nox præterita placidior, at duodecimo, defatigatus admodum exſpiravit; Et hac mortis ratione vulgum evidenter docet, vanum eſſe quod, rabioſum ejuſmodi non niſi ſuffocatione interfici poſſe, ſtatuant. *Jobus à Meeckren in Obſervationibus Chirurgicis.*

Rabiei & lumbaris impotentiæ cauſa in Lupis.

Venatores in Lupo & rabiei & lumbaris impotentiæ atque doloris cauſam credunt ſingulari providentiâ naturæ Serpentes in renibus natos, ſine qua ferociſſima beſtia multò diutiùs victura & robuſtioribus viribus prædatura, multò majus damnum ſit illatura. An hoc perpetuum ſit inquirant alii: Ego ſequentia notavi. Anni poſt ſeculum ultimum quinquageſimi tertii, Februario capta eſt Ottovillæ (circa quod tempus lupus niger viſus eſt) ab Illuſtr. Dom. Comite Naſſovio Lupa, in cujus ſiniſtri renis planè conſumpti ſuperſtite membrana vermis viginti & unam unciam ſeu pollicem longus ſerpentis forma, enectus, ſub tenera cute quaſi ſanguine ſuffuſus alter apparuit; alter pedem longus multò gracilior, ore patulo, quale mordilapides habent, cruentum caput erexit; plures inſuper albi longè minores inventi. Renum verò dexter inſignis & integer viſus. In narium dein ſpongioſo oſſe duo viſebantur vermes latiuſculi, veluti qui in ovium hepate ſunt, *Egeln* dicti, ſed hi rotundo capite, caudaque magis magiſque gracileſcente, ſub quorum ventre tenuia quædam ab cauda extrema removebantur, cum ore verò continui mihi videbantur. Quos vermes potiùs rabiei cauſam conjicerem, ubi incrementa proles ſumſerit, quàm dolorem renum, quãdo & in canibus ſub lingua inveniuntur, quos recens natis eximunt, ut præcaveatur Rabies.

De morſu Canis Rabidi.

Domina à *Stange in Wagniſ* dedit duos Vermes Majales ſine capite duobus pueris demorſis à cane rabido. Sed male ſeſe habuere exinde, ita ut mortem inſtare putaretur. Poſtquam

autem ſanguinem minxerunt, intra aliquot horas reſtituti ſunt. Filia ejus Domina à *Domnig in Elgut*, dedit ancillæ, cui canes multa vulnera morſibus infixere, cum magno commodo.

Scholion. Hoc experimentum eſt ruſticorum (quibus Scarabæi inſtar Cantharidum ſunt) teſte Sennerto l. 1. p. 2. c. 16. Prax. Ubi Avicennæ authoritate, urinas ad ſanguinis mictum provocandas, refert. Avicenna enim l. 4. fen. 6. tract. 4. Trochiſcos è Cantharidibus peculiari modo præparatos commendat, ac addit: Cum ergo minxerit ſanguinem, tunc jam ſecurabitur à timore aquæ. Cum itaque cum authoritate Experientia adſit, videndum & indagandum, qua ratione diuretica hoc in caſu proſint. Ego, ſalvis aliorum judiciis, putarem: cum diuretica ſerum ſanguinis ab ipſius maſſa ſegregent, & per renes & ureteres ad Veſicam detrudant, ſi principio ſtatim exhibeantur, quando fermentatio à veneno adhuc ſit in fieri, & miaſma ipſius nondum ſit Viſceribus impactum, diuretica illud unà cum ſero extrudere & per urinam expellere. *D. C.G. Wincleri.*

Remedium Euporiſton In morſu Canis rabidi.

Adverſus morſum canis rabidi infallibile Euporiſton matris meæ, Annæ Giſenæ de Calis, cujus beneficio multos commorſos, & aliquot jam actu rabidos feliciſſime reſtituit, communicabo, &

℞. Rutæ, Abrotani, Betonicæ anguſti fol. Salviæ anguſt. fol. an. M. j.

M. inciſ. aff. aceti vini optimi lib. 1. ſique tempus permittit, per aliquot horas maneat in infuſo, exprime, expreſſo adde Theriac. Andromach. ℨii.

Adultus magnum de eo faciat hauſtum, junioribus & puerulis datur cochleatim: ſin verò periculum metuatur, additur Herb. cardui fullonum M j. vel hujus ſemen contuſ. ℥i.

Vulnus commorſum per 9. dies apertum tenendum, ac prædictæ herbæ expreſſæ poſt fricationem cum bacillo è vite applicandæ omni mane, tamdiu donec æger in portu naviget: ſi metus periculi adhuc ſit, repetatur potio. Tota Reſpublica Medica ſimile Euporiſton vix habet, quod æque prodeſt.

Experientiſſimus Franciſcus Joel integram curandi Rabidi canis Morſum Methodum tradit, qui videatur: ſi ſuperius Euporiſton in uſum vocare non lubet, præprimis cataplaſmata venenum elicientia placent.

Sequens noſter etiam omni voto reſpondet.

℞. pulv. ſemin. card. fullon. ℨ. j. c. c. præp. ℈ii. Lap. Bez. gr. xv. herb. Card. bened. Scordii an. ℨß. Terræ Sigill. præp. gr. 20. Radic. Tormentill. ℨi. ocul. cancr. præp. ℈i. Magiſt. Antim. diaphoretic. ℈iß. Lapid. Percar. ℈ii. cortic. citr. ℈iiß. M. f. l. a. P. *D. Joh. Ludov. Hannemanni.*

Auctarium Th. Bartholini.

Euporiſton expertum compendio laudat Ferd. Ponzett. de Venen. L. 3. c. 19.

℞. Pulv. gentianæ ℨi. pulv. cancr. fluviat. uſtor. ℨii. myrrh. ℨi. pro duabus doſibus. Cui ſimilis pulvis inter ſecretos à Galilæo Galilæo Mathematico percelebri habitus.

℞. Pulv. cancr. fluviat. 18. Jul. capt. & in pulv. comb. ℥v. Rad. Gentianæ ℥iiß. thur. pulv. ℨiv. f. pulv. ſubtil. in vitro ſervetur. Doſ. ℨi. mane. ℨß. veſperi in aquæ font. vel alterius quant. æq. 40. diebus.

Ex Galeno verò hæc deprompta l. xi. de ſimpl. Med. Facult. quæ quomodo præparanda, & miſcenda & augenda tradit laudatus Fr. Joel, quem ſemper magni feci à primis tyrocinii annis, quia cœlo noſtro accommodantur remedia, facilia, & pleraque inquilina. Unde præfero cataplaſma ejus ex cinere fraxini cum urina pueri aut aceto. In eo enim totus ſum, ut ex domeſticis remediis morbos noſtros curare doceam, ne in peregrinis incertis, mangonio ſæpe corruptis, & naturæ noſtræ cœloque minus convenientibus poſthæc indormiamus. Hinc ad Theriacam Danicam conficiendam curas converti, ſi cœptis Deus faverit, cui interea ſubſtituatur pulvis Card. Ben. ſcordii, C. C. vel unicornu Grönlandici, cancrorum, cent. min. & alia quæ ex gentiana noſtra, angelica, fraxino, inprimis nuce juglande huic intentioni ſufficiunt, ne peregrinis Dis litare ſemper cogamur. Euporiſton Matris Cl. Hannemanni omne punctum feret, ſi Theriacæ, quam ruri vulgus habere non poteſt, Rob ſambuci uſus inter vulgus noſtrum quotidiani ſubſtituatur, vel cancrorum decoctum, quos hujus veneni bezoar vocat Guainerius Ven. c. 12. Rabiei promptam medicinam affert aqua ſola, ſi eam attingere rabioſus audeat, Philoſtrato autore de Vita Apollonii Thyanei Lib. vi. c. 18. Oleum lucernæ perennis à canibus demorſos curabat, ſicut tradit *Octav. Rubeus in monum. Brixienſibus.*

De Tetrace rabioſo.

Hominem, equum, camelum, leopardum, aſinum, mulum, urſum, lupum, vulpem, canem, felem, ſimiam, cercopithecum, muſtelam &c. rabie nonnunquam affici experientia & authorum teſtimonia loquuntur, qua de re videre licet Schenckium lib. 7. Obſ. 13. De avium autem genere nullum exemplum legere mihi licuit, præterquam quod loco cit. poſt alia egregia de hac materia annotata additum eſt de veteri gallo gallinaceo olitorem, herum ſuum, ex improviſo inſultante & roſtro manum ſiniſtram ſauciante, ex qua cauſa olitor eodem, quo hoc factum, die, os ringebat, & irritis omnibus adhibitis remediis, cum aſtantium & de hoc admirando exemplo audientium horrore, tertio die venenoſo galli morſu vitam cum morte commutabat.

Caſus huic non adeò abſimilis æſtuante hac æſtate media in Sylva Semana accidit, ubi Tetrax quidam virorum in ſylva negotia ſua tractantium capitibus aut humeris inſedit, eoſque unguibus & roſtro impetivit, (nullum autem ſauciavit,) quod poſtquam crebrius factitavit, demum ab Illuſtriſſimo comite, Domino Anthonio Günhero, è quatuor Sacri Rom. Imper. Comitibus, Comite de Schvvarzburg & Honſtein &c. Domino meo gratioſiſſimo, avis hæc cædi impuni vulgo expoſita eſt. Et poſtquam vertici arboris (citra ſolitum hujus avis) non altæ inſideret, vir quidam ejuſdem arboris caudicem ſecuri ſua irritationis cauſa pulſabat, ad quod tetrax ira excandeſcens in viri caput & humeros citò involabat,

bat, qui alios duos viros in ſubſidium vocabat, qui ſub tam furioſa violentia tetracem manibus prehendebant & Illuſtriſſimo Comiti vivum extradebant, cui alias ligato in viridario deambulare permittebatur, ſed brevi poſt moriebatur. Ex quibus apparet, hanc avem ad dictos conatus inſolitos itidem rabie fuiſſe adactam, æque ac, inprimis circa urentem Syrium, in hominibus & ſupra nominatis brutis fieri aſſolet. *D. Joh. Georg. Sommeri.*

Hydrophobia annis 20. occulta.

Occultari morbos plurimos per temporis aliquod intervallum poſſe, plurimæ confirmant Medicorum obſervationes. De morbillis & variolis, res certa eſt: queis cum ſenibus etiam non raro conflictandum eſſe praxis docet; timendum ad minimum malum hocce ad mortem uſque, etiamſi caſu aliquo plurimi immunes ab eo moriantur. An cauſa in fermento quopiam hæret? quod ubi latet, à cauſa ut plurimum externa caloris beneficio in actum deducitur, & circulationis ope infecta nimirum & corrupta ſanguinis maſſa, cum diris ſymptomatibus, pro fermenti quantitate & qualitate & corporis temperamento naturali, ad partes protruditur exteriores, exanthemata illa nota efficiens. Μιάσματα itidem peſtifera per literas etiam ad remota deferri loca poſſe; res ipſa loquitur. Quid quod veſtes, lintea, & ſimilia peſtifera lue infectorum, vertente anno etiam, cum aër non benè res illas perflaverit, ſi incautè moveantur, iterum inficiant. Luis venereæ virus ſæpius latere, & vires tandem ſuas exſerere poſt annos etiam aliquot, obſervationes confirmant. In hydrophobia, affectu graviſſimo, idem evenire Salmuth cent. 1. obſervat. 96. teſtis eſt, qui ad ſeptimum, decimum octavum etiam annum venenum canis rabidi occultari poſſe ex aliis citat, & ipſus exemplum horrendum commorſæ à ſponſo hydrophobo per aliquot annos optimè diſpoſito ſponſæ, enarrat.

Rarum occulti affectus hujus caſum ipſus vidi in uxore Wilhelmi Richter, lapicidæ apud nos νῦν ἐν ἁγίοις, quæ maligna febre laborans, meam implorat opem; ſecabatur prima ſtatim die vena, exhibebantur remedia cordialia contra malignitatem pugnantia, quæ, ut ſibi conſuleret, quamvis propter eorum liquiditatem faſtidiret, vi tamen exhaurire tentabat, ſed fruſtra, nam dum vaſculum ori admovebat, ita terrebatur, ut convulſiones metueret; quarto morbi die exaſperabatur malum, fauces erant ſicciſſimæ, & tandem ob defectum humidi inflammabantur. Juſcula, julepos, potiones omnes magis magiſque averſari incipiebat, imò tandem ad liquidorum & aquæ ipſiuſmet mentionem horrebat. Quæro, num aliquando à cane rabioſo commorſa fuerit? Ante viginti, inquit, annos id quidem factum eſt, ſed nihil per vitam exinde incommodi ſenſi. Chirurgus faucibus gargariſmis ſubvenire non poterat, ego remediorum nulla forma naturæ ſuccurrere valebam, malignitas indies creſcebat, deliria accedebant, ſicque octavo morbi die animam efflavit. Habet ſupra citatus Salmuth. ſimilem quà ſymptomata caſum cent. 2. obſ. 52. ſed hydrophobiæ ſpeciem in febre maligua fuiſſe autumat: non video quare quaſi hydrophobiam appellet, cum genuinum fuiſſe affectum ſymptomata ſatis comprobent.

Obſervari etiam recidivam hydrophobiæ per annos aliquot in ancilla quadam Simonis Krohn, quæ morſa & vulnerata à cane rabido in digito, me cum Chirurgo apud nos expertiſſimo Mart. Brandt vocari jubet. Exhibebantur ſtatim alexipharmaca, imò & ſpecifica in forma, ut petebat, quantum fieri poterat, ſolidiore, ſudores vicibus aliquot tecto probè corpore prolíciebantur, vulnus cautiſſimè & prudentiſſimè admixta reliquis ingredientibus ſemper theriaca à Chirurgo tractabatur, & ſic Dei O. M. ope ſalva evaſit & incolumis, quotannis tamen circa morſus tempus mens leviter aberrabat, & circa liquida quædam quaſi averſio ſuperveniebat, tandem autem perfecte ſana diu ſupervixit. *Joh. Schmidius.*

Hydrophobiæ hiſtoria rara.

Jacobus Dumas Lanificus, juvenis, à cane rabido in utroque brachio commorſus, ſe commiſit Chirurgo, cujus operâ & conſilio perductis celeriter ad cicatricem Vulneribus, ad Mare ſe contulit, ubi non ſolum per triduum, uti mos eſt, balneum aſſumpſit; Verùm ad majorem, ut opinabatur, prophylaxin, aquam marinam per ipſum triduum potavit. Paucis à reditu in domum diebus, decubuit, ſenſimque ingraveſcente morbo, in hydrophobiam incidit, vocatus ad illum ſequentia obſervavi. Ad ignem ſedebat æger, amictus pallio, frigore totum corpus obſidente aſtrictus, laſſitudinibus fractus, doloribuſque, caput & præcordia occupantibus, cruciatus. Univerſum corporis habitum quaſi aculeis pungi quærebatur, rigoreſque illum identidem invadentes deſinebant in ſudatiunculam frigidam, quâ deterſâ, prædicta ſymptomata protinus recurrebant. Suſurros modo, tinnituſque auribus percipiebat, modo fulminei Venti ſonitu perterrefactus, oſtia & feneſtras cubiculi diligentiſſimè claudi curabat. Ardentes oculi, ſuffecti ſanguine & igni a diurnâ luce perſtringebantur, idcircò lumina detorquens ab illa, abditum manibus vultum verſus tenebras convertebat. Difficilis reſpiratio à flebili ſuſpirioſaque voce, item & à gemitu, frequentique ſingultu interrumpebatur. Sudarium ori admovebat, ut ſalivam largo flumine erumpentem abſtergeret; illudque frequenti morſu premebat, ut ſtridorem, crepitumque dentium cohiberet. Pulſus, ut & reſpiratio, ipſi erat inordinatus, modo ſcilicet intermittens, modo deficiens reciprocus, & intercurrens. Cum autem omnia cujuſcumque generis alimenta faſtidiret, & per triduum jejunus, tandem parentum amicorumque ſuaſu cibum aſſumpſiſſet, ſiti ardens aquam haurire enixus eſt. Verùm ad ejus conſpectum horrore perfuſus, nauſeam, lipothymiam, dyſpnæam & motus convulſivos paſſus eſt. Poſt tam dira ſymptomata, exurentem ſitim relevare ſtudens, aquam in lagenam immitti juſſit, ne illius intuitus prædicta ſymptomata revocaret. Sed lagenam ad os admovens, iterum nauſeabat miſer, ſingultiebat, convulſuſque non minus in furias ſublatus erat, quàm ſi aquam

ipſam, terroris ſui cauſam, vidiſſet. Tunc autem interrogatus à me, cur aquam bibere recuſaret, aut etiam quâ de causâ illius aſpectum ſuſtinere non valeret, oculos in me torquens, minaciaque murmura pro verbis reddens, repentino impetu terga dedit, & in lectum toto vultu procumbens, ſudarium morſu corripuit & conſcidit, terramque pedibus ſupploſit. De ſalute miſelli actum eſſe judicans, rabieique illum brevi exagitaturæ prodromos advertens, præcepi quamprimum vinculis coërceri. Probavit conſilium ægrotans ipſe, quod jamjam futurus impos ſui, morſus cuique obvio paraturus eſſet. Interim de ægrotantis anima ſolliciti parentes, verbi divini Miniſtrum advocarunt, ut illum verbis amicis ſolaretur & appropinquantem æquo animo accipiendam mortem hortaretur. Mirùm quàm piè placideque conſolatoris ſui dictis auſcultaverit. Etſi enim ſpumante rictu frendens, & canis inſtar in auras latrans, morſus quandoque inferre niteretur, attamen, intermittente diro ſymptomate, in vota & preces effundebatur. Sed vires eundo acquirens furiale virus, præcordia contagione ſua labefecit; pulſu enim & reſpiratione deficientibus, gelidoque ſudore è toto corpore manante, reliquias vitæ, cum larga & ſtridente ſpumâ ex membris abſtulit.

Eadem die qua prædictus juvenis à rabido cane commorſus fuerat, vinitor quidam ſeptuagenarius, & juvenis famulus, hic in brachio, ille in facie, mordicus impetiti fuere. De vetulo accepi, præter horrenda ſymptomata quæ ſuſtinuerat, priapiſmo ardentem uxori concubuiſſe, liberoſque Miniſtrantes momordiſſe, verum innoxiè omnia. Occidit uterque. Sed quoniam acriùs commorſus, & lacerus crudeliter ora, vinitor, citius occubuit. Famulus verò in unico brachio demorſus, tanta non paſſus eſt numero. Verùm melancholicus & penè furiis agitatus, noctu per vias & compita vagans, ſeſeque à dæmone poſſeſſum putans, ſacrificuli cujuſdam auxilium imploravit, qui aquam luſtralem ipſi potandam præbens, quandoquidem ejuſdem intinctio ne hilum profecerat, rabioſum ita exaſperavit, ut mentis alienatione, ſingultibus & fermè latratibus, convulſionibuſque univerſalibus, tunc temporis recrudeſcentibus ab omnium conſpectu, verè lymphaticus, aufugerit.

An interimendi ſint rabioſi, utrumque ipſorum ſputa, morſuſque rabiem aut lethum inferant, prædicta docebit hiſtoria, quæ illuſtratur à Tulpio obſervat. vigeſima lib. primi. Aleſiæ, Martio menſe ann. 1671. *Ex communicatione Clariſſimi Viri D. Rivalier Medici Nemauſenſis, jam Lauſannæ degentis.*

Venenum canis Rabidi eſu lactis vaccini communicatum.

Non tantùm morſu ſed & aliis modis venenum canis rabidi corpori humano communicari ex obſervationum ſcriptoribus notum eſt: *Per odorem ex cane rabido* attractum nonnullos in hydrophobiam incidiſſe Aurelianus lib. 1. de ſign. & cauſſis morbor. acutor. cap. 7. ſcriptum reliquit. *Per halitum & oſculum canis rabidi*, quendam infectum & mortuum eſſe Cardanus refert lib. 2. contradict. 9. tractat. 5.

Per ſalivam canis rabidi Johannem Coquetanum rabiem contraxiſſe narrat Johannes Matthæus de Gradibus conſilio 82.

Per carnes coctas & comeſtas, quoſdam rabie correptos periiſſe, recenſet Fernelius lib. 2. de abdit. cap. 14.

Ex lacte vaccæ à cane rabido demorſæ ruſticum quendam ejuſque uxorem, liberos & alios rabie infectos ipſe memini; Maritus & filiorum natu maximus auxiliis idoneis, ſervati ſunt; Mater cum reliquis duobus filiis & totidem filiabus periit; Poſtmodum ex intervallo trium quatuorve menſium etiam ancilla & vicina cum quatuor liberis, qui lacte iſtius vaccæ uſi erant, omnes in furorem acti miſerè interierunt, horrendo & notabili exemplo. *Baldaſſar Timæus in Caſibus Medicinalibus.*

Aquæ metus.

Ex venenato canis rabidi morſu oritur terribilis, ac exitialis ille aquæ metus; quem ὑδροφοβίαν appellant Græci. In quo ſiti enecantur, nec tamen bibunt ægri, cujus miſeriæ unicum remedium eſt, (ſiquidem credimus Celſo, lib. 5. cap. 27.) nec opinantem in piſcinam projicere; præſertim eò ſi deveniant, antequam aquam metuant: alias foret ſpes in auguſto, ex eodem Celſo, Avicenna ac Cœlio Aureliano: imò ipſo uſu, efficaciſſimo omnium rerum magiſtro.

Quod ipſum auxilium, tanti, in hoc morbo fit noſtratibus, ut eo ſolo fermè contenti, vix expetant aliud. Neque ſanè injuriâ. Sanat quippe mare quoſcunque. Neque vidi hactenus quenquam (licet viderim plurimos) cui tempeſtivè in mare projecto, quidquam ſiniſtri poſtmodùm evenerit. Sed ſalutari hoc remedio, vel flocci facto, vel tardè, ac timidè adhibito: dedere multi irreparabiles ſupinæ ſuæ incuriæ pœnas; obſeſſi jam tum penitiùs, ob longiorem moram: quam ut ullâ arte diſpelleretur inevitabile ſtrangulationis periculum.

Viro æſtuanti, ac ſummè irrequieto, incenſum cùm foret guttur, utique impedita deglutitio; intenta præcordia; ſpiritus difficilis; ſitis inexhauſta & vibrans arteriæ pulſus: imperabatur confeſtim ſanguinis detractio: præter clyſterem & potiones frigidas: quæ duo poſtrema auxilia, ceu humida, expaveſcebat tam evidenter, ut moverit ſuſpicionem hydrophobiæ, quam deinceps confirmavit certò adeſſe, exile aliquod vulnuſculum: quod ante quintum menſem inflixerat rabida canicula.

Quô neglectui habitô, neque tanti factô, ut vel convenienter inde extraheretur conceptum virus, vel propterea proficiſceretur maturè ad mare: proſerpſit ſanè hæc labes tam altè, ut infectis viſceribus, degeneravit in efferam rabiem, & furorem adeò indomitum, ac Belluinum, ut nullis coërceretur repagulis, quin potiùs miſerabiliter peſſundaret hominem, cùm per terribiles nervorum contractiones, tum per incendium, ne toto quidem mari, extinguendum.

Adeò ut opus non fuerit, nec huic, nec aliis ægris, (quos equidem vidi ſatis frequentes) mortem maturare, ſive per ſtragula, ſive per culcitram (uti loquitur vulgus) ori impoſitam.

Peretint

Pereunt quippe, per ſe ſatis celeriter: utpote rarò ſuperſtites, cum aquæ formidine, in diem, vel tertium, vel quartum. Quibus addo, quod equidem neminem hactenus, vel audiverim latrare; vel viderim mordere; nedùm cuiquam detrimento fuiſſe rabidorum ſputa: quæ tamen, ne fortè nocerent, juſſi nihilominùs, curiosè mari ſemper abluere: territus exemplo illius ſartricis, quam Cælius Aurelianus lib. 3. acut. morb. cap. 9. ſcribit tertio die, in rabiem converſam: quòd linguâ tetigiſſet, pannorum ſuturas, à rabido morſu conſpurcatas *Nicolaus Tulpius in Obſervationibus Medicis.*

Senex rabioſus.

Nauta ſeptuagenarius, demorſus à cane rabido, elicuit minùs maturè virus bracchio ſuo impreſſum: neque demiſit ſe ita in aquam: ut invitus eâ ſatiaretur: in quo tamen Cornelio Celſo, hujus auxilii ſumma, ſed blandiùs, propter ætatem, à liberis habitis, perfundebatur Tyâ fluvio, non minus leniter, ac ſi ſolius cutis immunditiem deterſum veniſſent. Quum tamen expediiſſet, & penitùs ſubmergere, & inopinato illo terrore, integrè expellere aquæ metum; ipſum aliâs certò occiſurum.

Ubi etiam, haud diu poſt, contigit; proſerpente paulatim veneno: & infeſtante ejus acrimoniâ, primum quidem brachium læſum: ſed mox etiam alas, illi adpoſitas; à quarum æſtu, ubi accenderetur cor, occupavit ipſum illicò, non tantum febris, ſed tam vehemens faucium ſiccitas; ut immenſùm ſitiret: neque tamen vel tantulum biberet, ob formidinem conceptam, non tantùm ex aquæ intuitu, ſed & ex qualicunque ejus mentione.

Hinc torreri viſcera, & præ fervido ardore, tantas intùs excitari anguſtias, ut demorſus Senex rejiceret modo ſtragula ſibi impoſita, modo verò exiliret nudus ex lecto: exclamans ſtentoreâ voce, ardentiùs ſibi eſſe incendium, & urgentiorem ſitim: quàm ut poſſet ab homine tolerari.

Quem tamen fervorem, ſiquidem ſatageret bibendo compeſcere, contremiſcebant protinus omnia membra: & ſentiens brachii nervos minùs firmos, ad retinendum poculum, ratiocinabitur ſecum, ad inſtar illius Philoſophi, qui apud Ætium, tet. 2. ſerm. 2. cap. 24. deſcribitur ſe ipſum rogare; quid cani cum balneo? Quod ſi verò, tantulum liquoris ſorberet, decideret illicò poculum à manibus, & exhorreſcere uſque adeò corpus univerſum, ut exclamarit non ſemel, ô homines quid me cogitis ad ea, quæ naturæ meæ tantopere adverſa.

Tantùm itaque profuit huic ſeni blandior hæc aquæ ablutio: ut potuerit interdum, licet moleſtè bibere: præſertim circa poſtremos vitæ dies, in quibus licèt biberit affatim, nequit tamen extinguere incendium, nimis diu inveteratum: multò minùs ſupprimere convulſiones, quæ haud diu poſt ipſum jugularunt. *Idem ibidem.*

Rabidi morſus lethalis.

Venator nobilium Tigurinorum ante tres circiter menſes à cane rabido demorſus, uſus eſt aliquot remediis Sudorificis, et melius habuit; cùm è contra faber quidam ferrarius nulla remedia ſumens derepentè rabie tactus, liquida faſtidiens, torvo vultu et quaſi latrans ſuccubuerit. Venator prædictus, tertio poſt morſum menſe in itinere probè excalefactus potum vini ingurgitavit frigidum, ſtatimque rigore correptus: laſſitudinem ſpontaneam concepit, demumque magnâ moleſtiâ veniens ſuſpiria movere & anhelare cœpit, nihil penitus deglutire poterat, & ſtatim atque appropinquaret potus, eſus, vel medicamentum, altâ voce clamare, atque cum maximis anxietatibus ſpiritum trahere cœpit, ſudore frigido per totum corpus diffuſo; aërem verò in ullo membro vel articulo præ ſuffocationis metu tolerare nequivit: convulſiones quoque tantæ erant, ut brachium non potuerimus de loco movere ad inſtituendam venæſectionem vel porrigendam theriacam, tandem ferè rabioſus factus derepentè moriebatur.

Rabiei fermentum in venatore diaphoreticis oppugnatum tardiùs vires exeruit, ſecùs neglectis remediis, hinc citiùs ad ἀκμὴν pervenit in fabro ferrario, ipſumque interemit. Vini cyathus frigidus, quem excalefactus hauſit, frigore excalefactioni ſubinde inducto, ſub ratione motuum contrariorum ſibi invicem & derepentè advertantium, humores exagitavit, miaſmaque rabioſum latitans exaltatum eſt; anhelitus; Deglutitionis impotentia, horror ad potum, eſum, anxietates, convulſiones generis nervoſi affectum indicabant; rabies ſiquidem inflammatio membranarum cerebri à priſcis Medicis definita; ipſorumque ſpirituum inſignis & furioſa excandeſcentia etiamnum apud modernos audit, quæ præ cæteris quibuſcunque aliis morbis gravia horrendaque ſymptomata inducit. Præ ſuffocationis metu refugiebat aërem, ex eô quòd membranæ ſpiritibus aculeatis exquiſitiùs ſentirent, & ab effluviis vaporoſis aëre externo propulſis intuſque recurſantibus præcordiis, ſuffocationis periculum immineret. *D. Joh. de Muralto Ephemer. Germanic. Decur. 2. Ann. 7.*

De Rabie.

Propè Pontiſvellam apud Sebuſianos lupa rabida è nemoribus duabus circiter horis ab urbe diſſitis proſiliens, in quos incidebat adoriens rictu diducto momordit, ita ut quinque perſonæ ab ea demorſæ fuerint, uſque dum ultimò infante ab ea demorſo, horæ quadrante ab urbe, ab ipſius parente ſcipione mucrone ferreo inſtructo interfecta fuerit. Quatuor priùs demorſi ante quadraginta dierum lapſum, rabioſi facti, obierunt; ultimò demorſus infans evaſit. Ex quatuor priùs demorſis adoleſcentem quindecim circiter annor. curæ noſtræ ſubjectum vidimus, qui variis dentis rabioſi morſibus manum dilaceratam habebat, manus ſubindè fuit ſcarificata, & aliquandiu vulnera aperta detinebantur, verùm cùm nullius prorſus mali augurium minaretur, nec parentes ideo curam longius protrahi permitterent, poſt viginti circiter dies à morſu occluſa ſunt, neglectis interim remediis internis, trigeſimo autem octavo à

morſu ſub veſperam inquietudine affici cœpit, animi corporiſque jactationes patiebatur, noctem inſomnem tranſegit, poſtridie exaſperatis ſymptomatibus, excandeſcebant oculi cum aſpectu lurido & torvis oculis, os diſtortis motibus circumagebatur, jactationes inchoatæ adaugdebantur, faſtidibat, corpus calore immodico perfundebatur, vomitus infeſtabat, ſpumam circa os ejiciebat, incendium internum patiebatur, lingua exareſcebat; hiſce ſymptomatibus divexatus, tandem circa mediam noctem è ſuo cubili in terram ſe projecit, pedibusque in altum circa dolium erectis, capite in terram proſtratô, terram commordens, animam efflavit. Intereà tum temporis expoſtulatô pro infante, de quo ſupra, conſiliô, cùm fortè, propter mollitiem, humoriſque decubitum nativum in genas, quæ fuerant demorſæ, vulnus à morſu nondum occluſum eſſet, juſſi, ut perdiu maneret apertum, purgantibus intereà convenientibus, per epicraſin repurgatô corpore, hiſce auxiliis, maximè vulneris diu manantis aperturâ, incolumis evaſit, & etiamnum poſt quinquê circiter annos à morſu ſartus tectus vivit.

Notandum quòd, quamvis hydrophobia pro pathognomonicô ſignô rabiei habeatur, ipſe tamen adoleſcens, de quo ſupra in ipſo ſymptomatum lethalium vigore hauſerit quoſdam julepos, ſed tamen etiam quod non minus notatu dignum, ipſe patiens, à morſu, quamvis æſtas vigeret, fuiſſetque ſolitus anteà, uti alii ejuſdem ætatis, ſæpiùs etiam in die lavare corpus, nullatenus tamen balneum ingreſſus fuerit. *Idem ibid.*

Venenum morſu canis rabidi inductum & poſt octo annos in Puella excitatum.

Novi puellam civilem dum Viennæ frequentarem collegium medicum, quæ ſexto ætatis anno in pede à cane rabido fuerat morſa; Vulnus cùm læve erat, nec ullum malignitatis vel rabiei ſignum appareret, curabant domeſtici per remedia vulgaria, & etiam citò cicatricem inducebant; puella iſta octo integris annis optimè valuit. Tandem decimo quarto ætatis anno, variolis epidemicè tunc graſſantibus corripitur, antequam autem illæ in cute ſe manifeſtant, variis cruciatur ſymptomatibus; jam delirat, modò inſtar canis latrat; (quod mirum dum & ipſi canes rabidi latratum omittunt.) Aquam autem coctam & omnia liquida, imò & aquam deſtillatam pro pulveribus alexipharmacis ſumendis ſummè fugit. Adhibentur varia remedia in forma boli ex oculis cancri, radice cynorrhod. compoſita, & medicamentis ordinariis variolas expellentibus admixta, immerſio autem aquæ in hydrophobiâ aliàs uſitata hic omittitur, ne naturæ motus à centrô ad peripheriam impediatur. Tandem præter omnium ſpem, variolis perfectè jam protruſis, præfata ſymptomata ceſſant; & medicamentis ulteriùs continuatis ex integro convaluit. *D. Joh. Benedictus Grundelius Ephem. Germ, Dec.2. Ann.7.*

De Fele rabida.

Canes rabidos venenato morſu homines occidiſſe, experientiâ conſtat; raró autem de Fele hoc accidiſſe narratur; Verùm Cornelius *Stalpart. Wanderwiel* obſervat. cent.1. refert de cive Lugdunenſe in Bataviis mortuo ex morſu rabidæ felis; hìc autem Ferrariæ anno 1693. menſe Maji adoleſcentulam ann.15. obſervavi; cui pollicem manus dextræ momordit rabida felis; de quo morſu parùm ſollicita fuit, & parùm pariter ſolliciti fuere parentes; aſt ſupervenientibus pravis ſymptomatibus, immenſâ ſiti, cephalea, & potus faſtidio, ſequuto delirio, aut convulſione obiit. *Ex communicatione Viri Clar. D. Joſephi Lanzoni Medici Ferrarienſis Celeberrimi.*

De noxa ab eſu carnis vaccinæ à cane rabido demorſæ.

Doctiſſimus D. Petrus Borellus cent.1. obſ.75. narrat, Porcum à cane rabido demorſum fuiſſe, omneſque qui ejus carnem deguſtarunt, rabidos effectos fuiſſe, unde colligit maximè cavendum eſſe ab eſu animalium à canibus rabidis demorſorum; hinc pariter ego anno elapſo 1694. menſe auguſti obſervavi familiam integram Ruſticorum veneno affectam ob eſum vaccæ demortuæ à cane rabido morſæ: tres autem ab illo veneno emortui ſunt, alii vero ope remediorum, Deo favente, ſani evaſerunt. *Ex eâdem communicatione.*

Anatomicæ Inſpectiones.

In demorſo à cane rabido, Pericardium ſine humore repertum, & ex parte conſumptum, Sinus cordis aridi.

Rabidi canis venenum quarto ordine calidum eſſe videtur, cum enim diſſectum eſſet Monachi cujuſdam cadaver, tria notanda apparuerunt. 1. Nulla aderat humiditas aquoſa in pericardio, tota erat conſumpta ab hoc igneo veneno: 2. Sinus cordis conſpiciebantur aridi & ſanguine prorſus deſtituti, 3. in Pericardio portio quædam fuit obſervata ferme combuſta & in pulverem redacta. *Capivaccius pract. lib.7. cap.12.*

In quodam hydrophia affecto ſumma ſiccitas viſcerum reperta.

Anno 1674. menſe Maijo juvenis artis Saltatoriæ magiſter, à cane rabido mordetur. Tertia poſt ſeptimana in hydrophobiam incidit, ſalvo tamē judicio; dantur illi pilulæ purgantes, à quibus ritè expurgatur: poſtridie, quod nauſearet, exhibitum vinum emeticum; Paulo ante aſſumptionem, cum alio ejuſdem Artis magiſtro, cui cum jurgium extiterat, in gratiam redit mutuiſque amplexibus uterque ejus firmitudinem teſtatur; tertia ab hauſto hora extinguitur: Pro more loci, ante ſepulturam, à Chirurgo, ad id officii deſtinatô, cadaver examinatur: Ille livore digitorum animadverſo, (qui à convulſionibus inter irritos vomendi conatus ortus erat) malignitatem ſuſpicatus, & ignarus eorum quæ præceſſerant, aperiri cadaver voluit. Intactum fuit cerebrum, ſed in viſceribus naturalibus & vitalibus ſumma ſiccitas fuit deprehenſa, quæ an veneni indoli, aut potius inanitionibus præcedentibus adſcribenda fuerit, dubium remanſit. *Clar. Theophil. Bonetus Anatom. Practic. lib.1. ſect.8.*

Lupo-

Luporum morſus, præſertim Rabientium eſt venenatus, quod in eorum renibus ſerpentes naſcantur.

In Luporum ſenum renibus ſerpentes obſervavi; ita ut aliquando Lupus in uno rene duos habeat ſerpentes, quorum unus pedem longus, alter pollicis longitudine, alii etiam breviores ſint, qui venenatiſſimi redduntur & cum tempore Lupum enecant. Hinc videmus ſi animal aliquod à Lupo fuerit præmorſum, raro & quam difficillime curari, quod dubio procul propter peculiare venenum in Lupo deliteſcens uſu venit: pleraque enim animalia præmorſa moriuntur, aut ſaltem membrum præmorſum putreſcit. Carolus Stephanus *Agricult. lib. 7. cap. 1. Gaſpar Bauhinus lib. 1. cap. 17. de corp. hum. fabrica. Joh. Bauhinus Tract. de Luporum rabie memorabili p. 77.*

In iis qui demorſi ſunt à cane rabido nihil anginoſum deprehenditur.

Mordendi deſiderium in à Cane rabido morſis, magni nominis Medicus referebat ad inflammationem faucium, & conjunctam Anginæ ſpeciem: Sed aperta aliquoties cadavera, nulla inflammationis veſtigia oſtendêre. *Gu. Rolfinkius Diſſertat. Anat. lib. 1. cap. 13.*

In Equis, Bobus & ovibus Rabie affectis vermes in capite deprehenſi.

Æſtas hæc ſicca æſtuanſque multa animalia in phrenitidem & vertiginem agit; quod damno ſuo multi apud nos agricolæ experti ſunt. Notandum id imprimis de equis, bobus & ovibus, vermes capiti ineſſe ita affectorum ruſticorum noſtrorum eſt obſervatio *T. Bartholinus Cent. 3. obſerv. 48.*

Idem hoc ex multiplici demonſtratione affirmat Clar. Chriſtian. Franciſc. *Paullini Cynographia Curioſa Sectione 4.*

Anatome Hydrophobici.

Laurentius Sereniſſimæ & Clementiſſimæ Reginæ meæ à pedibus d. 1. Mart. 1678. in ſubitaneam incidit hydrophobiam ut ne guttulam liquidi cujuſcunque generis poſſet deglutire, cum tamen ſolida quæcunque promptè per gulam demitteret. Ab exhibitis bezoarticis & alexipharmacis parum juvabatur, die tertio rabie correptus ſaliva ubertim ex ore fluente adſtantes omnes conſpuebat, quarto demum morbi die extra lectum in ſella ſedens facto uno, & altero corporis ſubſultu ſuffocabatur. Aperto per Chirurgum Regium Philippum Hacquardum, me præſente, cadavere, corpus prorſus extenuatum erat ac ſi hectica diuturna tabefactum fuiſſet, caro muſculoſa omnis ut & pinguedo penè conſumpta, omentum item penitus abſumptum ut inteſtina flatibus turgida nuda jacerent, menſenterii glandulæ & pancreas prorſus extenuata. Hepar in parte convexâ ſano ſimile, in parte concava inflammatum & gangrænæ proximum cum pleura tàm firmiter coaluerat ut vix nec ſine ruptura avelli poſſet, ſiniſter lobus hepatis lieni tam arctè adnatus erat ut non non niſi ſectione ab invicem poſſent ſeparari. Veſicula fellis bile viridiuſcula plena, coſtis itidem firmiter adhærebat. Ventriculi interior tunica corrupta ut digitis poſſet abradi. Ejus ſuperius orificium exile admodum, ut & totus œſophagus anguſtus valdè & quaſi conſtrictus. Pulmones aridi & exſucci coſtis utrinque adnati. Pericardium ne guttulam aquæ continebat. Cor flaccidum & extenuatum, cujus dextra auricula inſigniter tumebat, dexter ventriculus ſanguine grumoſo plenus, in ſiniſtro ſanguis planè fluidus. Renes ſatis magni notabili vitio carebant, ſuccenturiati egregiè conſpicui. Cerebrum non introſpectum, quia inſtrumenta ad calvariæ depoſitionem neceſſaria ad manum non erant. An à cane rabido demorſus unquam fuerit, à me, cum mente adhuc conſtaret interrogatus, ſe id non meminiſſe aiebat, ſuadere tamen id videbatur cicatrix in ſiniſtro crure poſt mortem conſpicua, quanquam non deſint exempla lethalis hujus aquæ metus ut Plinio. l. 8. N.H. c. 40. vocatur etiam citra morſum canis rabidi prout videre eſt apud Marcel. Donat. hiſt. med. mirab. l. 6. c. 1. Salmuth. cent. 1. obſerv. 51. Zacut. Luſit. de Med. P. P. hiſt. 20. Borell. cent. 3. obſerv. 38. Proinde etiam famoſum illud aquæ marinæ balneum in cura neglectum, quod demorſi antequam hydrophobia ſuperveniat juvamẽ aliquando inde accipiant, ubi verò aquas jam horrent,

Nec formidatis auxilientur aquis.

Johan. Henric. Brechtfeld in Actis Danicis Bartholinianis, Ann. 1682.

RACHITIS.

UNus eſt, quòd ſciam, Clariſſimus Gliſſonius, qui de Rachitide quicquam ſcripſit: quod mirum eſſe videatur, cùm plerunque vix tantum graſſatur morbus, quantum de eodem ſcribendi cacoethes. Et me quidem à ſcribendo deterreret accuratus adeò de hoc morbo Tractatus, jampridem à Gliſſonio editus, tantique viri authoritas; niſi eum eſſe crediderim, qui veritatem colenti, quanquam aliquando à ſe diſſentienti, lubens ignoſceret. Cum tamen ad eandem cum illo metam properem; neceſſe eſt, ut iiſdem quoad magnam partem veſtigiis inſiſtam: quapropter tanti viri cum veniâ liceat nonnulla ab eodem prius dicta, (cum aliter fieri non poteſt) nonnunquam repetere.

Morbus hic antè quadraginta circiter annos in Occidentalibus Angliæ Regionibus ortum habuit: poſtea autem (ut morbis, maliſque latiùs ſerpendi mos eſt) per totam fere Angliam, in Septentrionalibus tamen regionibus rariùs, infantum cunas infeſtavit.

Infantes ergo ſunt, qui morbo hoc imprimis laborant, iique à ſexto menſe à partu ad ſeſquiannum frequentiùs, à ſeſquianno ad finem ſecundi anni cum dimidio frequentiſſimè infeſtantur: ita ut tempus plerunque invaſionis, ſint anni illi duo, qui ſemeſtrem à partu ætatem mox ſequuntur.

Diagnoſis morbi hujus, uti cæterorum, à ſymptomatum notitiâ dependet; quæ ſequentia ſunt.

Proportio partium irregularis eſt : Caput nempe juſtò majus; Facies habitior; Ingenium, quàm pro ætate acutius; membra externa, præſertim muſculoſa gracilia, & extenuata; Cutis laxa, & flaccida; Oſſa quoad maximam partem incurvata, & quæ circa articulos ſunt prominentia, & nodoſa; Spina etiam varie inflectitur; Pectus anguſtum eſt; Sternum vero acuminatum; Coſtarum extremitates nodoſæ; Abdomen ſubtumidum, & tenſum : hæc exterius obſervantur.

Interius autem cernitur Hepar juſtò majus, uti etiam Parenchymata ferè omnia; Ventriculus, & Inteſtina in majorem quàm in ſanis molem aſſurgunt; Meſenterium glandulis juſtò majoribus, ſi non ſtrumis afficitur; hæc in Abdomine.

In Thorace Pulmones infarcti, & tumidi cernuntur, iidemque nonnunquam purulenti, ſtrumoſi & pleuræ ſæpiſſimè adnaſcentes. Jugulares venæ, & Carotides arteriæ juſtâ proportione ampliores nonnunquam reperiuntur; cerebrum autem non niſi proportione & mole peccat.

His denique accedit partium fere omnium enervatio, item torpor quidam, & laboris exercitiique impatientia; neque enim pueruli niſi ſedentes ludere poſſunt; & vix pedibus inſiſtunt; & tandem in morbi progreſſu à debili collo vix ſuſtineri poteſt capitis onus.

Hæc tot tantaque ſunt morbi hujus ſymptomata; quodnam autem ſit tam numeroſæ prolis ferax malum, proximè inquirendum eſt.

Et primò ſupponimus morbi hujus cauſam in vitiato cordis influxu non conſiſtere : ita enim tota ſanguinis maſſa corrumperetur; quæ cum indiſcriminatim ad quaſcunque partes tranſmittitur, nullas non plus minus afficeret ſanguis impurior; quod tamen in hoc affectu nunquam accidit : Caput enim, uti etiam viſcera, niſi quòd ſolitò majora, benè habent : imò ipſa Parenchymata, quæ præcipuè ex ſanguine affuſo conſtant, cum ſanorum ſimillima reperiantur, laudabilem utique ſanguinem eſſe arguunt : abſurdum enim eſſet Attractionem, neſcio quam, Electivam aſſerere, propter quam caput, cæteraque viſcera benè ſe habentia, quicquid ſit boni ſanguinis attrahunt; ſanguinem autem malum cæteris partibus amandant : hæc enim attractio, ſi qua eſſet, ab omnibus ſimiliter partibus foret, cùm eadem ſit quibuſcunque partibus boni ſanguinis congruentia, & neceſſitas; quæ iſtiuſmodi motum efficere creduntur.

Secundo aſſerimus affectûs hujus fundamentum in depravatâ partium ipſarum conſtitutione non conſiſtere, quaſi partes frigidâ humidaque intemperie laborantes, ineptæ eſſent ad influxum cordis recipiendum : unde enim hæc tanta partium nonnullarum præ cæteris humiditas frigiditaſque oritur, cum omnes ſimili, & æque ſpiritibus incaleſcenti ſanguine irrigentur? neque enim frigiditatem partibus innatam, ſed præter earum naturam ineſſe exiſtimo : neque quidem partes ipſas nutritioni ſuæ obſtare credendum eſt. Iſtæ enim in nutritionis actione nihil operantur, ſed nutrimentum allatum tantum patiendo recipiunt : planè ut nullam aliam partibus ineptitudinem ineſſe credam, quo minùs nutriantur, præter unicas obſtructiones, propter quas alimentum recipere non poſſunt : quapropter morbi hujus cauſa ipſarum partium conſtitutioni ineſſe non poteſt; neque humiditatem illam morbi cauſam, ſed potius effectum exiſtimare fas ſit.

Cum tamen partes revera frigeſcant, neque nutriantur, licet ſanguine ſatis idoneo profundantur, omnino concludendum eſt, aliquid aliud præter ſanguinem ſolum ad calorem & nutritionem neceſſarium eſſe. Quicquid autem hoc fuerit, neceſſe eſt, ut per vaſa aliqua adferatur. Arteriæ ſanguinem advehunt, Venæ allatum reportant; & unici Nervi reſtant, qui ſuccum, aut ſaltem ſpiritus nutritios, afferre poſſint. Ne tamen cuivis dubium ſit, quin nervi nonnihil ad nutritionem neceſſarium, advehant, Experimentum nemini non notum proferam, nempe ſi nervus parti cuivis inſerviens præcidatur, partis ejuſdem non tantum ſenſus, ſed etiam nutritio quævis omninò ceſſat, ita ut dicta pars in futurum marceſcat.

At vero ſuccus hic nervoſus integrum nutritionis munus ſolus non exequitur. Etenim præter illum, ſanguis per Arterias diffuſus, non minimas in nutriendo partes obtinet. Nimirum ſuccus nervoſus cum ſanguine mixtus, efferveſcentiam quandam, & calorem efficit, unde materia partibus nutriendis idonea præcipitatur: atque ob influxus hujus nervoſi defectum, ſanguis in hoc affectu, quanquam ſatis laudabilis, fermento tamen debito indigens, neque calorem in partibus debitum excitando, neque nutritionis munus exequendo valet.

Ut jam non dubitemus aſſerere Rachitidem eſſe morbum, ex inæquali ſucci nervoſi diſtributione ortum; ob cujus defectum, aut ſuperabundantiam, partes aliæ nutrimento defraudatæ attenuantur; aliæ plus ſatis ſaturatæ, in molem juſto majorem excreſcunt.

Hujus autem inæqualitatis vitium in Cerebri influxu non conſiſtit : ab hoc enim fonte vitiato nullis omninò partibus nutrimentum idoneum adveniret : at vero caput cæteraque partes, quæ nervos à cerebro ortos ſortiuntur, ſatis laudabili, quanquam juſto pleniori nutrimento fruuntur. Cum tamen partes, quæ à Spinali Medullâ nervos oriundos habent, iſtæ ſucco nutritio defraudatæ, emaciantur. Certo utique indicio, proventum ſpirituum vitalium ſatis amplum in Cerebro, tanquam publicâ totius corporis officinâ, elaborari : Medullam autem Spinalem, veluti Viam Regiam ab Emporio illo exeuntem, à craſſis, & glutinoſis humoribus obrui prorſus & impediri; ita ut nutrimento nervoſo aditus præcludatur : unde fit, quod nervi à ſpinali medullâ oriundi, ſucco illo nutritio deſtituti, partibus quibus accedunt, languentibus nullas omnino ſuppetias ferant. Hinc partium earum atrophia, & ſumma extenuatio. Atque hanc demum morbi hujus cauſam ſtatuere fas ſit : & præſertim cum ratio ſymptomatum omnium huic morbo propriorum, ex hoc fonte clarius, faciliuſque derivari poſſunt, ut ex ſequentibus manifeſtum erit.

1° In hoc affectu contingit, ut caput in molem præter rationem augeatur; quod quidem ex noſtra ſuppoſitione omnino fieri debet : ſuccus enim cerebri nutritius, qui aliàs in Spinalem Medullam ex magnâ parte exonerari ſolet, inter-

ter-

tercluſo jam aditu iſto, totus in nervos à cerebro oriundos diſpenſatur. Hinc cum caput ex nervis illis, ſucco nutritio turgidis, liberaliorem nutrimenti proventum ſortiatur, neceſſe eſt, ut in molem juſto majorem creſcat. Hinc etiam vultus quàm pro annis habitior, & ingenium acutius; uti enim exhauſti ſpiritus torpidos nos languidoſque, ita eorundem copia in cerebro collecta, ſagaces efficit, & ingenioſos.

2° Solent plerumque viſcera Abdominis juſtam proportionem excedere; in his nempe eadem ratio obtinet, quæ in capite; plexus enim illos nervorum, infimo ventri inſervientium, quoad maximam partem nervorum Paris Vagi, ac Intercoſtalis, à cerebro oriundorum propagines eſſe certò conſtat: ut jam mirum non ſit, ſi viſcera prædicta, pleniori nutrimento per dictos nervos allato fruentia, latiùs excreſcant. Quanquam enim nervi paris intercoſtalis à ſpinali medulla ramos accipiant, qui ſuccum nullum nutritium adferre poſſunt; hujuſmodi tamen defectum abundè compenſat liberior iſte à cerebro influxus. Quoad Hepar, cæteraque parenchymata, quæ præſertim ex ſanguine affuſo conſtare videntur, ad horum fortè nutritionem ſuccus nervoſus non adeò neceſſarius eſt. Cum tamen muſculi Abdominis iis ſuperſtrati, à ſpinali medullâ nervos habeant, qui nutrimentum plane nullum à fonte iſto exſiccato afferre poſſunt, hinc fit, quòd aſſurgentia interius viſcera muſculos prædictos, utpote pari paſſu non creſcentes, mole ſuâ premant, & tenſos efficiant.

3tio Accidit præterea, ut Meſenterium glandulis majoribus & ſtrumoſis tumoribus afficiatur. Ut hujus ſymptomatis cauſa melius innoteſcat, glandularum ortum breviter præmittam. Succus nervoſus debitâ fermentatione cum ſanguine permixtus, in ſubſtantiam nutritiam & carnalem tranſit: ſi tamen nervus repletus, turgiduſque ſuccum ſuum albumini ovi ſimillimum, in carnium interſtitia effundat, materia ſic effuſa non amplius jam carnem, ob ſanguinis ad hoc requiſiti defectum, efficit; ſed in corpus glanduloſum, ſui ſimillimum coagulatur: id quod ex obſervatione patet; etenim experimentum aliquod in Cane facturus, nervum vulneravi; quo facto canis poſtea convulſionibus miſerè torquebatur: poſt tres autem circiter menſes in eodem diſſecto, ubi vulnus illud antea inflictum fuerat, glanduloſam concretionem ſatis inſignem reperiebam; quàm à ſucco nervoſo è nervi puncturâ emanante, ortum ſuum habuiſſe videtur. His præmiſſis, cum tantus à cerebro repleto ſuccus nervoſus per dictos Paris vagi, & Intercoſtalis nervos in Abdomen transferatur, quantus in viſcerum ſubſtantiam mutari non poteſt; ſuccus iſte in membranarum interſtitia, quæ multa occurrunt, deponitur; ibique ſtrumas numeroſas efficit: nec in abdomine tantum, ſed ubicunque nervi à cerebro oriundi, eoque ſucco turgentes, accedunt, illic videre eſt ſtrumoſos tumores: qui tamen poſt morbi curationem brevi evaneſcant; nempe ſuccus nervoſus, qui tantâ copiâ à cerebro per nervos exinde provenientes effuſus, ſtrumarum generationi abundavit, maximâ jam ex parte in ſpinalem medullam derivatur; adeo ut ſtrumæ nutrimento defraudatæ, brevi exareſcant.

4to Solent etiam in hoc affectu Oſſa nunquam non plùs minùs incurvari: præſertim Oſſa Tibiæ & Cubiti. Articuli etiam plerunque extrorſum inclinantur; coſtarum extrema, ubi cum cartilaginibus Sterni committuntur, nodoſa; articulorum Oſſa protuberantia; item tota Spina partim extrorſum, partim introrſum variè inflectitur. Incurvitatem hanc oſſium ab eorum flexibilitate procedere non exiſtimo; ſiquidem pueris morbo hoc afflictis, majora potius & firmiora ſint oſſa, quàm in aliis: uti mox fuſius dicetur; cum tamen notabilis adeò ſit hæc oſſium incurvitas; liceat in ejuſdem diſquiſitione, paulo prolixiorem eſſe: & primò Doctiſſimi Gliſſonii opinionem, dein noſtram breviter proferam.

Comparemus, inquit Vir Clariſſ. Oſſa, quibus curvitas accidere ſolet, columnæ, & certè ſatis appoſitè, cum ſi erigantur, columnam quodammodo referant; atque inde demonſtrationem, rem hanc explicantem deducimus: eſto ergo columna è tribus lapidibus, ſibi invicem impoſitis, exſtructa; ſupponimus talem, quæ ab omni latere perpendiculariter ſit erecta, ejuſdemque altitudinis: ſi ergo à dextro latere immiſeris cuneum inter lapides duos inferiores caput columnæ, ſupremus nempè lapis inclinabitur ad latus oppoſitum, angulumque efficiet; & altitudo columnæ erit elatior, quam ab unâ parte ab aliâ. Similiter ſi alterum impuleris cuneum inter duos lapides ſuperiores amplius adhuc inclinabitur columna, fietque alius rurſus angulus ſicque reinclinabitur eadem columna. Quò autem ex pluribus lapidibus columna extruitur, ſi inter quoſvis duos uti dictum eſt, cuneus ab uno ſolo latere interponatur, lapides iſti non columnæ ſpeciem, at portionem arcus referent.

Ut ergo hoc ad præſens negotium accommodemus; ſi oſſa prædicta ab uno latere plenius alantur, atque proinde ſecundum illud latus pleniùs excreſcant, quàm ſecundum oppoſitum, neceſſe eſt, illa eo ipſo incurvari; nam hic eodem modo ſe habet plenior iſtius lateris nutritio ad incurvandum os, quo ſe habet cuneus immiſſus ad columnam incurvandam, niſi quòd cuneus certis tantum locis lateris columnæ infigatur; plenior tamen nutritio lateris oſſis ſint ex æquo ferè ſecundum totam illius longitudinem; & ob hanc æqualem nutritionem, oſſis inclinatio exactè ſegmentum circuli ſine ullis angulis effingit.

Secundum hanc hypotheſin, pleniorem viz. lateris unius nutritionem, Vir Clariſſ. ingenioſo utique commento, oſſium incurvitatem demonſtrat. Sed tanti viri pace, unde conſtat de pleniori illâ lateris unius nutritione, cum ſanguis, ex quo nutriuntur oſſa, non minus, in hoc affectu, quàm in ſanis, æqualiter diſpenſetur? & ſi qua eſſet hæc inæqualitas, in poſteriori Tibiæ latere, ut pote frigori minus expoſito, eoque molliori, alimentum plenius admitteretur; & ita poſterius, & elongatum latus Tibiæ incurvatæ eſſet convexum; anterius autem concavum; cujus tamen contrarium obtinet; etenim Tibia in hoc affectu antrorſum prominere ſolet.

Imò ulterius, ex ipſa oſſium incurvatorum

figurâ

figurâ colligere eſt, quòd ab utroque latere æqualiter excreſcant. oſſa enim in Tibia habent latus concavum æque longum ac latus convexum alioquin enim os cruris ei ſuperimpoſitum non ſine manifeſtâ corporis obliquitate ſuſtineri poterat.

Liceat ergo aliam incurvitatis hujus cauſam inveſtigare; & quò clarius res procedat, ſequentia breviter præmittenda ſunt.

Primò Aſſerimus oſſa in hoc affectu non eſſe numeranda inter partes affectas reſpectu nutritionis; illa enim non minus, quàm in ſanis aluntur, & creſcunt; uti obſervatione compertum eſt: ad horum enim nutritionem, ſanguinem ſolum ſufficere, neque ſucco nervoſo, uti in cæteris partibus nutriendis, opus eſſe videtur: Etenim oſſa, cùm ex ſe ſentire non creduntur, parum utique aut nihil commercii cum nervis habere putandum eſt.

Secundò Pro conceſſo habemus partes Nervoſas, & Muſculoſas propter ſucci nervoſi, ad earum nutritionem requiſiti defectum, haudquaquam in hoc affectu excreſcere.

His præmiſſis, ſi os tibiæ creſcat, & elongetur; idè tamen à muſculis qui pari paſſu non creſcunt, tanquam à chordâ detineatur; ita ut non poſſit recta extendi: neceſſe eſt ut os illud à muſculorum fibris brevioribus tenſum, tanquam arcus incurvetur. Liceat Hypotheſin hanc noſtram exemplo illuſtrare. Si arbori teneræ, & creſcenti chorda ſuperiùs, & inferiùs alligetur, ita tamen ut eadem à chordâ non tendatur; nullus dubito, quin arbor dicta creſcendo incurvabitur. Etenim demonſtratio hæc mathematicæ huic aſſertioni innititur; viz. ſi linea quævis intra eoſdem terminos elongetur, neceſſe eſt, ut ea à rectâ in obliquam mutetur; id quod oſſibus in hoc affectu contingit.

Atque hoc ulterius ex eo confirmari poteſt, quòd oſſa incurvata muſculum ſibi annexum, tanquam arcus chordam ſuam, concavo ſemper latere reſpiciant: uti in Tibia videre eſt, quæ anteriùs prominens, & convexa eſt; in latere tamen poſteriori, muſculos reſpiciente, concava: & hoc idem in cæteris oſſibus locum habet; argumento haud invalido, non aliter à muſculis, quàm à chordâ arcum, oſſa inflecti.

Ex quibus ratio petenda eſt, cur Medicaſtræ ſolent quotidie latera oſſium concava, & non convexa cum ſucceſſu fricare: nempe per hujuſmodi frictionem ſucco nutritio uberiùs evocato, muſculus in concavo oſſis latere ſitus alitur, creſcitque; ut jam mirum non ſit, ſi chordâ elongatâ, os ab eâdem tenſum, & incurvatum relaxetur ſimul, & rectius fiat. Et ob hanc cauſam, ab affectu hoc curati, quàm maxime in ſtaturâ aſſurgunt; etenim oſſa non tantum, uti in aliis creſcunt; ſed etiam dum ab incurvatis rectiora evadunt, magis adhuc elongantur.

Spina etiam variè inflectitur, partim introrſum, & partim extrorſum; quod à variâ muſculorum in diverſis ſpinæ partibus poſitione oritur; nempe Spina in ſuperiori parte à muſculis exterius affixis introrſum; parte tamen inferiori à muſculis Pſoas interius annexis, & præpollentibus extrorſum incurvatur.

Et hanc utique incurvitatis cauſam non tantum in hoc affectu, ſed etiam aliàs locum habere exiſtimo; Enimverò ſi quando in tenerâ ætate contigerit, muſculum quemvis ob nutrimenti defectum extenuari, neceſſe eſt, ut ab eodem inflectatur os, cui idem annectitur.

In Crure, & Humero, ubi oſſa à muſculis, ab omni latere affixis æqualiter reſtringuntur; ea in æquilibrio poſita, à nullâ parte, niſi rariùs inflectuntur; cum tamen ea in longitudine extendi nequeant, neceſſe eſt ut in magnitudine, uti fit, & aliquando etiam in nodos excreſcant.

Quintò Accidit inſuper in hoc affectu, ut Pectus anguſtum ſit, & acuminatum: & hoc utique ſymptoma à noſtrâ hypotheſi facile illuſtrari poteſt: etenim Coſtæ non poſſunt arcus ſuos ampliare, niſi muſculi intercoſtales etiam extendantur; at pro conceſſo habemus, muſculos dictos, utpote quibus nervi à ſpinali medullâ impertiuntur, non poſſe ob alimenti defectum elongari; quapropter neque Coſtæ, eoque nec pectus ulteriùs ampliari poſſunt; cum autem alantur coſtæ, neque tamen à muſculis dictis impeditæ, poſſunt ſecundum longitudinem augeri, neceſſe eſt, ut in nodos, uti fit, excreſcant: at neque hujuſmodi augmentum alimenti copiæ reſpondet; quapropter coſtarum extremitates anteriores ulteriùs adhuc in acumen elongantur; quippe hic unus reſtat iis creſcendi modus, neque enim introrſum inflecti poſſunt, cùm hoc magis adhuc contra naturalem ſitum eſſet.

Ad iſtiuſmodi pectoris anguſtiam haud parum etiam conducunt muſculi Abdominis, qui extenuati, uti diximus, tenſique, coſtas quibus connectuntur, inferiores deorſum trahunt, & ita pectus anguſtant.

Simili plane ratione oſſium cæterorum vitia illuſtrare poſſumus: nempe Articulorum oſſa in Carpis, Taliſque, cum præ brevitate incurvari nequeant, in nodos protuberant. Sed hæc de oſſium incurvitate dicta ſufficiant.

Sextò Ob prædictam pectoris anguſtiam haud mirum eſt, ſi Pulmones, quibus ſe dilatandi ſpatium non conceditur, ſanguine grumoſo, uti fit, infarciantur, & intumeſcant, hinc nonnunquam iidem purulenti evadunt, & Pleuræ plerunque adnaſcuntur; hinc etiam Aſthma, & ſpirandi difficultas affligunt.

Septimò. Quoad ſummam in hoc affectu corporis imbecillitatem, & ad motum quemvis ineptitudinem, quanquam muſculorum extenuatio ad hoc ſymptoma nonnihil conducit, hæc tamen ſola non videtur ſatis efficax; cum major ſit, quam pro muſculorum extenuatione virium imbecillitas; neque enim ægri pedibus inſiſtere, nec in morbi progreſſu capitis onus ſuſtinere poſſunt. Quapropter tantæ imbecillitatis cauſa ulterior inveſtiganda eſt; quæ quidem nihil aliud eſſe poteſt præter Spirituum Animalium defectum, dictas nervorum obſtructiones neceſſariò conſequentem. Spiritus enim Animales non tantum ad nutritionem, ſed etiam ad motum omnino requiruntur.

Et ita demum morbi hujus ſymptomata à Medullæ Spinalis obſtructione, tanquam à fonte deduximus.

At hic quæri poteſt, quî fiat, quòd ætate grandiores morbo hoc nunquam infeſtentur, cum illi, æque ac infantes nervorum obſtructiones patiantur, uti in paralyſi, aliiſque iſtius generis morbis contingit? Reſpondeo, quan-

quanquam fortè pueruli morbo hoc præcipuè ſint obnoxii; grandiores tamen hoc affectu ſub diverſo nomine nonnunquam laborare. Quòd tamen ſymptomata prædicta quoad maximam partem ſenioribus nunquam adveniunt; non hoc à morbi, ſed ab ætatis differentiâ oritur: Etenim cum Capitis moles, oſſium incurvitas, & alia nonnulla ſymptomata ab enormi partium augmentatione proveniant, adultos, grandeſcendique apicem adeptos, qui ſc. amplius accreſcere omnino non poſſunt, eos enormiter creſcere, omnino impoſſibile eſt: nempe ideo grandioribus morbo hoc laborantibus, non uti pueris plus juſtò augetur capitis moles, quia metam creſcendi jam adeptum eſt caput, quam præterire negant ipſius naturæ leges. Utcunque tamen ſenioribus partes enormiter augeri non poſſint, ſatis tamen ſe morbus prodit, quod unum in illis poteſt, eaſdem extenuando.

Quoad prognoſin morbi hujus, plerumque ex ſe lethalis non eſt: nonnunquam tamen, ingraveſcentibus ſymptomatis, in Phthiſin, Tabem, Febrem Hecticam, Hydropem Pulmonum, aut Aſcitem degenerat, & ita demum fit patienti exitialis. Prognoſis autem facilior ex regulis ſequentibus inſtitui poteſt.

1. Affectus hic, ſi ante partum, aut ſtatim à partu invadat, periculoſiſſimus eſt, & plerumque lethalis.

2. Quo citius à partu morbus hic invadit, eo periculoſior eſt.

3. Quanto magis ingraveſcunt morbi ſymptomata, viz. ſi nimia ſit partium diſproportio, & extenuatio ſumma, eo difficilior eſt curatio.

4. Si affectus hic morbos prædictos ſibi conjunctos habeat, vix unquam in ſalutem terminatur.

5. Quicunque ante annum quintum non curantur, poſtea per totum vitæ ſpatium valetudinarii ſunt.

6. Scabies, aut pruritus morbo huic ſupervenientes, ad ejuſdem curationem multum conferunt.

7. Quibus morbi ſymptomata non augentur, ſed potius minuntur, non eſt quod de eorum ſalute dubitetur.

Methodus Medendi.

Poſtquam de morbi hujus cauſâ, & Prognoſi diſquiſivimus, ſupereſt, ut ad ejus præcautionem, & curationem deveniamus.

Quandoquidem ergo affectûs hujus cauſa in obſtructione Spinalis Medullæ, Nervorumque inde oriundorum imbecillitate conſiſtit, præcipuæ Indicationes tam Præſervatoriæ quàm Curatoriæ ſunt, ut Nervi roborentur, & obſtructiones præcaveantur, aut tollantur. In hunc finem Medicamenta Cathartica, ſanguinis Miſſio, item Digeſtiva, Diuretica, Diaphoretica, & Specifica in uſum vocentur: quorum formulæ, & modus utendi infra ſubjicientur.

Quod ad morbi Curationem ſpectat, in eadem inſtituendâ à Catharſi incipiendum eſſe arbitror; quæ eo magis in hoc affectu convenit; quia humores Phlegmatici magnâ copiâ in infimo ventre plerunque congeruntur; visceraque Abdominis tumoribus ſtrumoſis crebrò afficiuntur. Catharſis autem per Enemata, Emetica, aut Purgantia Lenitiva inſtitui poteſt.

Enematum uſus & exempla quædam.

Si Alvus adſtricta ſit, aut inteſtina flatibus, torminibuſve colicis infeſtentur, Enemata frequenter in uſum adhibeantur. Quæ non tantum ſolutiva, ſed ſubinde etiam ex alterantibus, & corroborantibus componantur. Illorum formulas aliquot ſubjiciemus.

♃. Fol. Malv. m. j. Flor. Melilot. Chamæm. Sambuci an. P. j. Sem. Aniſ. Fœnic. contuſ. an. ℥ß. Coq. in lactis vaccin. rec. ſ. q. Colaturæ ℥iv. v. vel vi. adde ſacch. rubr. ſyrup. Viol. vel Roſat. an. ℥j. M. F. Enema Injic. tepide longe à paſtu.

♃. Rad. Alth. Contuſ. Fol. Malv. Parietar. an. m. ß. flor. Chamæm. Sambuci an. P. j. ſem. Carminat. ʒii. Coq. in ſ. q. ſeri lactis cereviſiati, colaturæ ℥v. vel vi. adde Elect. Lenitivi, vel Diacaſſiæ ℥ß. Butyr. rec. ʒvi. M. F. Enema. Injic. tepide.

Enemata corroborantia ad hunc modum formari poſſunt.

♃. Fimi equi non caſtrati recent. ℥i. ß. flor. Roriſmar. Salv. an. P. i. baccar. Junip. ʒii. ſem. Aniſ. Fœnic. an. ʒß. digerantur calide, & clauſe cum ſeri lactis cereviſ. ſ. q. in Colaturæ ℥iv. v. vel vi. ſolve ſacch. rubr. ℥i. Butyr. rec. ʒvi. M. F. Enema, addi inſuper poteſt, ſi viſum eſt, Mannæ Calabr. ʒvi.

Vel ♃. Millep. lotor. n. 20. vel 30. quibus contuſis affunde ſeri lactis ex vino albo parati ℥iv. vel v. in expreſſione ſolve ſacch. rubri ℥i. Terebinth. Venet. in vitello ovi unius ſolut. ʒi. vel ii. M. F. Enema tepide injiciendum.

Emeticorum uſus & formulæ quædam.

Si ventriculus humoribus vitioſis aggravetur, iique ſurſum tendant, Emetica exhibeantur. In quorum tamen præſcriptione teneræ ætatis ratio habenda eſt. Vomitoria potius è ſale vitrioli, & vino Scillitico, quàm pharmacis ſtibeatis conſtent; quippe quæ infantibus exhibere non adeo tutum eſt ob convulſionum periculum: quanquam aliquando etiam Emetica ſtibeata ex uſu eſſe poſſunt.

♃. Vini, vel Oxymel. Scillit. ab ℥ß. ad ℥i. quo ſumpto, poſt. horæ ſ. ſerum lactis Cereviſ. in magnâ copiâ ſuperbibatur, dein digito, vel penna gutturi immiſſis, vomitus provocetur, & aliquoties repetatur.

Vel ♃. Oxymel. Scillit. ab ℥ß. ad ℥i. ſi vomitus non ſuccedat, poſt horæ ſ. ſal. vitrioli ℈ß. vel gr. xv. in hauſtu ſeri lactis cereviſ. exhibeatur.

Si vires ferant Emetica fortiora in uſum vocentur.

Ut ♃. Infuſ. Croci Metallor. per ſubſidentiam optime depuratæ à ʒi. ad ʒii. pro ratione ætatis, viriumque: Oxymel Scillit. ʒiii. vel ʒſ. Aq. Jugland. ſimpl. vel Centaur. Minor. ʒvi. m. f. vomitor.

Catharticorum exempla quædam.

Poſt aliquot dies à Vomitorio, aut etiam ſi vomito locum non habeat, purgatio lenis inſtituatur, & per intervalla repetatur. Ut

℞. Syrup. Auguſtan. vel è Cichor. cum Rhabarb. à ʒvi. ad ℥i. Cremor. Tartar. gr. x. vel xv. miſce, capiat primo mane, aut per ſe, aut in hauſtu ſeri lactis cerevisiat.

℞. Mann. Calabr. ab ℥ß. ad ℥i. Tartari Vitriol. à gr. v. ad gr. x. miſce, ſumatur mane in juſculo, aut ſero lactis cereviſiati.

℞. Rad. Polypod. querc. Lapathi acut. an. ʒvi. Cort. rad. Sambuci, Ebuli an. ℥ß. rad. Oſmundæ regalis, Filicis mar. Cichor. an. ℥ß. herb. Agrimon. Hepat. Veronic. Ling. Cervin. Aſplenii an. m. ß. Coquant. in aq. fontan. lib. iii. ad tertiæ partis abſumptionem. Liquor Coletur in matracium, cui imponantur fol. Sennæ ℥ii. Rhabarb. ℥i. Epithymi, Santali Citrin. an. ʒii. ſem. Aniſ. Fœnic. an. ʒi. Sal. Abſynth. ʒi. ß. f. infuſio calida, & clauſa per horas 12. Colaturæ per ſubſidentiam depuratæ, adde ſacchari æqualem quantitatem, & ſola ſacchari diſſolutione, aut leni ebullitione f. ſ. a. ſyrupus. Doſis cochlear. j. ad iii. vel per ſe, aut in liquore appropriato.

Vel Infuſioni ſuperiori purganti adde Caſſiæ, & Tamarindor. cum parte infuſionis ejuſdem extract. Mannæ Colatæ, ſacchar opt. an. ℥i. ß. Evaporent leni calore ad conſiſtentiam electuarii. Doſis qu. nucis Jugland. plus minus pro ratione operationis.

℞. Specier. Hier. picr. ſimpl. ʒj. Rhabarb. opt. pulv. ʒſ. Tartar. Vitriol. ℈i. Gum. Ammon. in aceto ſolut. gr. xv. cum ſ. q. Elixir propietat. Paracel. f. Maſſ. Pil. cujus ℈ß. ad ℈i. in exiguas pilulas formetur, & exhibeatur horâ ſomni.

Bochetum ex Rhabarb. & ſant. citr. in aquis deſtillatis idoneis fact, ex uſu eſſe poteſt.

Si æger vermibus, aut Strumis, afficiatur, aut Luis Veneræ ſuſpicio fuerit, bolus ſequens per intervalla exhibeatur.

℞. Mercur. dulc. à gr. 6. ad x. Reſin. Jalap. vel Scammon. gr. ii. ad iv. ol. Junip. Chym. gutt. j. F. Pulv. qui cum pulpæ pomi coct. aut conſerv. Viol. ʒi. in bolum redigatur. Capiat primo mane,

Vel ℞. Mercur. dulc. gr. vi. ad x. Conſerv. flor. Cichor. ʒß. m. f. Bolus. Detur primo mane, ſuperbibendo mox ſyrupi, vel infuſionis purgantis doſin idoneam.

Remedia Chirurgica.

Poſt purgationem leniter inſtitutam, ſi æger temperamento ſanguineo præditus ſit, ſanguinis miſſio locum habet. Empirici noſtrates ſcarificatione in conchâ aurium factâ, ſanguinem parvâ quantitate detrahere ſolent; quam operationem potius cultello obtuſiore, quam ſcalpello acutiore perficiunt; idque bis aut ter, interpoſitis ſeptem circiter dierum intervallis, repetunt. Quanquam Practici ſcarificationem hujuſmodi multum celebrant, neſcio tamen annon Hirudines æque, aut etiam magis prodeſſent. Neque enim metuendum eſſe arbitror, ne hirudines ſuctione ſuâ affluxum ſanguinis majorem verſus caput efficerent. Etenim quicquid ſanguinis ob earum ſuctionem ad partem, cui admotæ ſunt, accedit, idem ipſa ſuctione evacuatur; & quoad majorem ſanguinis affluxum, qui propter vaſorum depletionem efficitur, iſte etiam in venæſectione locum habet.

Fonticuli inſuper in hoc affectu opem egregiam præſtant, præſertim vero fontinella inter primam, & ſecundam colli vertebras excitata; ita enim eadem ad morbi originem appoſita, majoris efficaciæ erit. Fonticulorum autem utilitas in eo conſiſtit, quòd iidem ad ſuperfluam Cerebri ſeroſitatem evacuandam, proindeque ad magnitudinem ejus enormem imminuendam, item ad nimiam Spinalis Medullæ humiditatem reſiccandam, & conſequenter ad Nervos inde oriundos corroborandos maxime conducunt. Fontinellæ vicem Setaceum ſupplere poteſt.

Quoad Veſicatoria, minime dubitandum eſt, quin ea ſuper vertebras colli, aut pone aures appoſita, levamen allatura ſunt. Verum vis eorum ſubitò exeritur, & frequens eorum uſus pueris nimis moleſtus, & dolorificus eſſe videtur.

Cucurbitulæ inſuper ſine ſcarificatione ſecundum ſpinæ longitudinem applicatæ, ad temperiem humidam, frigidamque ſpinalis medullæ corrigendam, nervorumque torporem tollendum haud parvi momenti eſſe videntur. Imo nonnunquam eaſdem etiam cum ſcarificatione leviori juxta ſupremas colli vertebras applicandas eſſe arbitror.

Alterantia Specifica.

Præter Catharſin, & remedia Chirurgica, alterantia inſuper Specifica uſurpentur, quibus interdum Diaphoretica, & Diuretica adjicienda ſunt; quorum exempla quædam ſubjicienus.

Remedia Specifica, quæ ad affectum hunc impugnandum præcipue idonea comperiuntur, vel ſimplicia vel compoſita ſunt; & quidem inter ſimplicia maxime probantur ſequentia. Lignum Guaiacum, & ejus cortex. Saſſafras. lign. Lentiſcinum. Roſmarin. Partes nodoſæ lign. Abietini. rad. Chinæ. Sarſaparil. Tria Santala; rad. Oſmundæ regalis, ſeu potius ſpicæ rad. ejuſdem; rad. Filicis maris, vel potius gemmæ vix dum è terrâ erumpentes. Rad. Graminis; Aſparagi. Eryng. Cichor. Bardan. Cort. rad. Capparum; Herbæ capillares, imprimis Trichomanes; ceterach. Ruta muraria; Ling. Cervin. Hepatica. Veronica mas. Agrimonia; Beccabung. Naſturt. aquat; Fol. & Flor. Salviæ, Roriſmar. Betonicæ; Lamiæ, Tamariſci. Item chalybis præparat. ut ejus ſal, aut Vitriolum. Tartarum; caſtoreum; Flores ſulphuris; Vermes Terreſtres; Millepedes præparati, & ſimilia.

Ex quibus compoſita ad huc modum Formari poſſunt.

℞. Spicar. rad. Oſmund. regal. vel rad. Filic. mar. aut Gemmarum rad. ejuſdem vix dum è terra erumpentium m. i. Coquantur in lactis, vel aq. font. ℔. i. ad tertiæ partis conſumpt. Colatura ſaccharo edulcoretur, & ſumatur bis, aut ter in die.

℞. Fol. Teæ ʒi. flor. ſalv. Beton. an. ʒß. quibus vaſi idoneo impoſitis, ſuperfundatur aqua, quæ aliquandiu ferbuerit, lib. j. infundantur clauſe, & tepide per horam circiter unam,

cola-

colatura ſaccharo edulcoretur, & bibatur ut ſupra.

Bochetum, è Rad. Chin. Sarſapar. & Saſſafras aq. fontan. incoct. ex uſu eſſe poteſt.

℞. Spicar. rad. Oſmund. regal. rad. Bardan. Gramin. Cichor. an. ℥i. Herb. Veronic. mar. Agrimon. ling. Cervin. Hepat. Capil. vener. an. m. ß. raſ. C. C. Ebor. an. ℥ß. Paſſul. exacin. ℥i. coquantur in aq. fontan. ℔ iv. ad tertiæ partis conſump. adde vini alb. vel Rhenani lib. ß. & ſtatim coletur in vas idoneum, cui imponantur, Fol. Beccabung. Naſturt. ſummit. Abietis an. m. ß. Baccar. junip. ℥ß. F. infuſio tepida, & clauſa per horas circiter duas. Colatura ſervetur vitris occluſis, & edulcoretur pro libitu. Doſ. ℥ii. vel ℥iii. horis medicis.

℞. Lign. Lentiſcin. Roſmarin. rad. Sarſaparil. Oſmund. regal. vel Filic. mar. an. ℥iii. Herb. Agrimon. Capil. Ven. Veronic. Ling. Cervin. Salv. Beton. an. m. ii. ſummitat. Abietis, Tamariſc. an. m. j. coquantur in cereviſiæ non lupulatæ cong. iv. ad unius conſumptionem, colatura fermentetur, & in doliolum reponatur, in quo ſuſpendatur ſacculus ex telâ rarâ confectus, & ſequentibus repletus, viz. Milleped. in vino alb. lotor. & leviter contuſ. n. 200. Baccar. Junip. ℥ii. Nuc. Myriſt. inciſ. n. ii. unà cum fruſtulo chalybis ad ſacculum ſubmergendum. Si ſcorbuti ſuſpicio ſit, vaſi inſuper imponi poſſunt, Fol. Beccabung. Naſturt. aquat. an. m. ii. maneant per ſeptimanas circiter duas, deiſi liquor ſumatur pro potu ordinario.

℞. Conſerv. rad. Cichor. Flor. Beton. an. ℥i. Conſerv. Anthos, flor. Tamariſc. Flaved. Limon. an. ℥ß. Myrobal. condit. n. ii. Pulv. è Chelis Cancror. compoſ. ʒi. Cremor. Tartari, flor. Sal. Armoniaci an. ʒß. ſantali Citrin. ℈i. cum ſyrup. de Coral. ſ. q. f. Elect. capiat qu. nuc. Moſchat. mane, & hora quinta pom. ſuperbibendo liquoris appropriati hauſtulum.

℞. Pulv. Milleped. præpar. ʒii. Nuc. Myriſt. ʒß. flor. ſal. Armoniaci ℈ii. f. Pulvis. Doſ. gr. viii. ad xv. in Apozemate, Juſculo, aut liquore quovis convenienti.

Pulvis iſte cum Balſami Capiv. q. ſ. in maſ. Pil. redigi poteſt, quæ in palulis exiguas formetur. Doſ. circiter ℈ß.

℞. Rad. Oſmund. regal. vel Filic. mar. ʒiß. rad. Pæon. Mar. ʒi. lign. ſaſſafraſ. ſantali citrin. ſem. Naſturt. aquat. an. ℈i. flavedinis Aurant. Condit, ʒii. f. Pulvis. Doſ. ℈ß. ad ℈i. ut ſupra. E pulvere præſcripto cum ſacchari albi in aq. Ceraſor. nigr. ſolut. & ad Tabulat. coćti ſeptuplo, Tabulæ formari poſſunt, quæ ſingulæ pendant ʒi. Capiat ʒß. ad ʒi. bis in die ſuperbibendo liquorem appropriatum.

℞. Rad. Ari, Pæon. Mar. Oſmund. regal. vel Filic. mar. an. ℥iv. fol. ſalv. Beton. Roriſmar. Naſturt. aquat. Beccabung. Veron. Mar. Hepat. ſummit. Abietis an. m. 3. jugland. virid. lib. ß. Milleped. lotor. ℥iii. Lumbric. mundat. lib. j. Caſtor. opt. ʒi. Inciſ. & contuſ. affunde ſeri lactis ex vino alb. parat. lib. vi. deſtillentur Communi deſtillatorio, liquor totus miſceatur. Doſ. ℥j. ad ℥ii. bis in die poſt doſin medicamenti ſolidi.

Inter remedia, quæ in hoc affectu probantur, Celebratiſſimum eſt illud à Nob. D. Boyle inventum, cui nomen eſt Ens Veneris. Componitur è Sale Armoniaco, & Colcothare edulcorato, bis aut ter ſimul ſublimatis, doſ. gr. iii. ad vi. in convenienti liquore horâ ſomni. Medicamenti iſtius efficaciam à ſale Armoniaco præcipue oriri exiſtimo; utpote quod ob ſummam partium ſuarum tenuitatem ad obſtructiones morbum hunc efficientes, tollendas maxime idoneum eſt. Et utique probabile eſt, Flores ſalis Armoniaci æque, aut etiam magis in hoc affectu profectutos eſſe: quippe dum ſal Armoniacum unà cum Colcothare ſublimatur, Sulphur quoddam narcoticum Colcotharis, indolis Terreæ, aut Cupreæ unà cum ſale Armoniaco in altum aſcendit. Sulphur autem iſtiuſmodi morbo huic minus convenire videtur.

Sal quoddam artificiale indolis Armoniacalis, virtutiſque egregiæ ad hunc modum componi poteſt.

℞. Sal. volatile C. C. Sanguinis, aut Urinæ ſ. q. quibus phialæ oblongæ immiſſis, ſp. ſal. rectificat, aut etiam ſulph. per Campan. rectific. guttatim affundatur, quouſque ebullitio non amplius excitabitur: ſal hic reſolutus, per filtrum trajiciatur, & leni calore ad ſiccitatem ſalis abſtrahatur. Doſ. gr. 3. ad vi. primò mane, aut horâ ſomni in liquore appropriato.

Porro ea, quæ Sale Volatili pure ſalſo conſtant, in morbo hoc opem inſignem præſtant; in quorum cenſu ſunt, Sp. Sanguini. Corn. Cerv. Sal. Armoniac. & ſimilia: præſertim verò ſpiritus iſti ſuccino, aut Caſtoreo impragnati.

Elixir Propriet. cum tinctura ſalis Tartari, aut etiam modo vulgari præpar. ſubinde in uſum vocetur; utpote quod non tantum digeſtivum optimum eſt, ſed idem inſuper verminibus necandis, & corruptioni humorum impediendæ, alvoque leniter ſubducendæ idoneum eſt. Doſ. gr. vi. ad x. in Coch. ii. liquoris idonei.

Si Pulmones humoribus viſcidis, (ut crebro aſſolet) infarciantur, & Meſenterium glandulis ſtrumoſis afficiatur, Balſamum ſulphuris exhiberi poteſt. Cujus gutt. 3. aut 4. in convenienti liquore, aut ſyrupo ſumantur.

Nonnunquam etiam chalybis uſus convenit, utpote qui virtute inſigniter aperiente donatur, idemque non tantum coctionem juvat, ſed etiam viſcerum tonum firmat, roboratque; verum illius uſus non ſine cautione inſtituendus eſt, etenim in Tuſſi, Pleuritide, Infarctu Pulmonum, Febre Hecticâ, morbiſque id genus aliis à Chalybis uſu omnino abſtinendum eſt.

Medicamentis prædictis Diaphoretica nonnunquam adjiciantur. Veluti decoctum Guaiaci, idque genus alia, quæ in lecto ſumantur, & ſudor pro virium ratione promoveatur.

Huc quoque referre poſſumus Balnei uſum; ſive naturalis, veluti Thermarum Bathonienſium, quæ ſudorem provocando, nerviſque roborandis in hoc affectu multum probantur. Et qui-

dem obſervatione frequenti expertus ſum, quod ad abdominis intumeſcentiam, quæ in morbo hoc valde inſignis eſſe ſolet, tollendam, Thermarum prædictarum uſus maxime conducat. Balnea etiam artificialia ex herbis Cephalicis & Tartaro vel Nitro aquæ incoctis, ex uſu eſſe poſſunt.

Fomentatio ſequens multum probatur. Nempe ægro in vaſe ſatis amplo collocato, hordeum fermentatum, quod in aquâ coctâ aliquandiu infuſum eſt; (ut in cereviſiâ conficiendâ fieri aſſolet) eidem circumcirca tepide apponatur, maneatque æger eodem pene opertus ad ſudoris provocationem.

De Symptomatis.

Symptomatum inſuper morbo huic ſupervenientium ratio habenda eſt, ex quibus maxime frequens eſt Alvi fluxus: ad cujus curationem Cathartica leniora, veluti infuſio Rhabarb. Tomarindor. & Santalor. vel bolus ex iiſdem compoſitus, præcipue conducit; Quinetiam nonnunquam ad adſtringentia, & opiatas blandas, purgatione tamen & aliquando etiam vomitu præmiſſis, deveniendum eſt, quorum formulas paſſim apud authores reperire eſt.

Sudor inſuper immodicus in affectu hoc affligere ſolet. Qui ſi paroxyſmo febrili superveniat, criticus eſſe poſſit; neque temere cohibendus eſt. Si tamen idem inordinate, & præter cauſam fluat, indicium eſt, corpus humoribus cacochymicis gravatum eſſe: proindeque ſudor iſtiuſmodi purgatione blandâ per intervalla repetendâ corrigendus eſt; purgatio autem præcipue è Rhabarbaro inſtituatur; Nonnunquam etiam vomitus hîc conferre poteſt. Neque aperientia, & coctionem juvantia omittenda ſunt.

Porro Dentitio laborioſa morbo huic familiaris eſt, quæ haud rarò febrem inducit. Quo caſu, evacuatio lenis præſertim per Clyſteres fiat: quanquam aliquando, Purgatio, & etiam Vomitus (qui leniter provocatus multum probatur) ex uſu eſſe poſſunt. Si dens gingivam pertuſurus ſit, ſolent nutrices eundem fruſtro Corallii politi perfricare: cujus tamen vicem radix Altheæ, aut Lapathi acuti ſupplere poteſt. Quinetiam aliquando conſultum erit, viam denti erupturo ſectione aperire. Item emplaſtra epiſpaſtica pone aures applicata levamen afferunt. Si tamen dolor, & vigiliæ urgeant Hypnotica; veluti Syrupus de Meconio ad ℥i. vel ii. exhiberi poteſt.

Præter medicamenta interna & præſidia Chirurgica, etiam externa uſurpentur. Ex quorum cenſu ſunt Exercitia cujuſcunque generis. Si vires ferant, obambulatio crebro in uſu ſit. Aut ſaltem pueruli ſedentes ludant; & geſtatione in ulnis nutricum, & cunarum jactatione exerceantur. Exercitio enim ſanguinis & inſuper ſpirituum animalium influxus ad partes muſculoſas promovetur; unde calor in iiſdem elangueſcentibus excitatur: porro cruoris maſſa muſculorum conſtrictione in motum velociorem cietur; eademque in pulmonibus ob reſpirationem in exercitiis intenſius inſtitutam, ſubigitur, & particulis fermentativis impregnatur; cùm tamen è contra ſanguis otio diuturniori grumoſus evadit; proindeque obſtructionibus efficiendis aptior fiat.

Porro Frictiones in morbo hoc curando haud parvi momenti ſunt, quæ cum pannis laneis calefactis fiant. Partes fricandæ ſunt Spina, quæ ut ſupra oſtenſum eſt, primario laborat; item partes muſculoſæ; hâc tamen cautione, ut quâ parte oſſa prominent, à frictione abſtineatur; partes autem oſſium concavæ liberius fricentur; cujus ratio ſuperiùs aſſignata eſt.

Huc etiam ſpectat Hypochondriorum contrectatio, quâ viſcera modò ſurſum modo deorſum premantur, intrudendo nonnunquam digitorum apices ſub coſtis nothis: hac enim ratione cavetur, ne Hepar, cæteraque viſcera præternaturalem quamvis adnaſcentiam, cum Peritoneo, aut aliàs patiantur; quæ in affectu hoc ob tenſionem Hypochondriorum haud rarò accidit.

Ligaturæ inſuper emolumentum adferunt, quæ cruribus ſupra genu, item brachiis ſupra cubitum adaptandæ ſunt. Verum oportet eas ſatis laxas molleſque eſſe; ut ita incremento partis, cui applicantur, non obſtent: ligaturarum autem utilitas in eo conſiſtit, quòd eædem ad ſanguinis affluxum à capite revellendum, eumque verſus partes extenuatas deducendum conducunt.

Huc quoque referenda eſt certarum partium faſciatio; uti etiam ocreæ fibulatæ, quæ non tantum ad partes obfirmandas, ſed inſuper ad incurvitatem oſſium, Articuloſque inflexos reducendos, haud parum conferunt. In harum autem uſu curandum eſt, ut premant aliquantulum protuberantem oſſis partem, Cavam autem vix tangant.

Ad corporis truncum erigendum Thoraces è duplici panno conſuti conficiantur, aſſerculis oſſis Ceti denſe interpoſitis; qui Corporibus infantum ita adaptentur, ut Spina erecta ſiſtatur, oſſaque prominentia reprimantur.

Neque hic omittenda eſt artificialis corporis ſuſpenſio ope inſtrumenti cujuſdam penduli ex faſciis ita formati, ut pectus ſub axillis complectatur, caputque ſub mento alia faſcia circundet, manuſque binis anſis excipiat; quo coporis onus partim à pueri manibus, partim à capite, partimque ab axillis ſuſtineatur.

Subjiciamus nunc poſtremo nonnulla de iis quæ extrinſecus applicanda ſunt.

Fomentatio ex vino cujuſcunque generis, uti etiam ex aquâ vitæ vulgari ad partes nervoſas corroborandas multum confert, quæ partibus debilitatis, Spinæ vero præſertim applicetur: quâ peractâ, partes iſtæ oleo, aut unguento idoneo inungantur, de quibus poſtea. Loco vini decoctum ſequens uſurpari poteſt, ut

℞. Rad. Oſmund. regal. aut Filic. Mar. an. ℥iii. Fol. Beton. Salv. Roriſmar. majoran. Naſturt. aquat. an. m. j. flor. Chamæmel. Melilot. Sambuci an. P. i. Baccar. Lauri, Junip. an. ℥ß. Coq. in aq. font, ſ. q. ad lib. ii. adde vini albi, vel aquæ vitæ vulg. lib. j. Colatura uſui ſervetur.

℞. Fol. Sambuci, Lauri, Majoran. ſalv. Roriſmarin. Beton. ſummitat. Lavendulæ an. m. ii. Baccar. junip. lauri an. ℥i. inciſa & contuſa vaſi idoneo indantur cum butyri

Maial.

Maial. vel butyr. recent. non ſaliti, lib. iii. & aquæ vitæ lib. ß. Coqu. lentè ad aq. vitæ conſumpt. Expreſſioni adhuc calide adde ol. nuc. Myriſt. per expreſſionem ℥ß. Balſam. Peruv. ℨi. Miſce F. Unguentum, loco butyri maialis ſubſtitui poteſt medullæ Bovinæ, vel ſevi Cervini, & Ol. Lumbricor. vel Vulpin. an. lib. i. ß.

Unguenta tepide coram igne luculento applicentur, & calida manu ad ſiccitatem uſque affricentur: quò autem magis penetrent, liquoris appropriati aliquantulum iiſdem tempore uſus admiſceatur.

Si Abdomen tenſum, tumidumque ſit, unguentum ſequens applicetur.

♃. Ol. de Cappar. Abſinth. Sambuc. an. ℥i. ung. de ſuccis aperit. vel unguent. ſupra præſcript. ℥i. ß. Gum. Ammoniaci in aceto ſolut. ℥ß. F. linimentum: cui tempore uſus portiuncula liquoris ſequentis admiſceri poteſt.

♃. Rad. Bryon. alb. ℥i. fol. Abſinth. Centaur. Salviæ an. m. j. Flor. Sambuci, Melilot. an. P. j. Baccar. Lauri, Juniper. an. ℨii. Coqu. in aq. font. lib. iii. ad dimidias. adde vini Rhenani lib. ß. Colatura uſui ſervetur.

Dum unguenta Hypochondriis applicantur, viſcera manu nutricis contrectentur, ut ſupra dirigitur.

Emplaſtra inſuper hic conferre poſſunt.

Ut ♃. Emplaſtr. de Melilot. compoſ. ſ. q. extendatur ſuper alutam & Hypochondriis applicetur. Si tumor juxta regionem Hepatis fuerit, adde Emplaſtri prædicti ℥i. Santal. Citr. pulv. ℨi. ol. de Abſinth. & ceræ ſ. q. pro emplaſtro conficiendo.

Vel ♃. Succ. Beccabung. Naſturt. aquat. Sambuci, Abſinth. an. ℥i. Succi depurati lento calore ad conſiſtentiam extracti redigantur, quibus adde Gum. Ammoniaci in vino ſolut. & ad ſpiſſitudinem cocti ℥ii. Terebinth. Venet. ℨj. ſant. Citrin. pulv. ℨi. ol. de Cappar. & Ceræ ſ. q. f. Empl. applicand. ut ſupra.

Si Pulmones afficiantur, Pectus unguento Pectorali, vel Dialthææ, vel utriſque commixtis inungatur, quibus tempore inunctionis admiſcendum eſt aliquid Ol. Nuc. Myriſt. per expreſſ.

Vel ♃. Glycyrrhizæ rec. ℥iv. Butyr. rec. non ſalit. lib. i. Contundantur ſimul in mortario lapideo, & macerentur calore Balnei per horas 4. dein exprimantur; idemque labor ter iteretur cum pari quantitate novæ Glycyrhizæ. Unguentum ſ. a. depuratum, uſui ſervetur. Cui tempore uſus ungueat. Pector. æqu. quant. cum ol. nuc. Myriſt. per expreſſ. parum admiſceatur.

Quoniam morbus hic à Medullæ Spinalis obſtructione, & debilitate oritur, Fomentationes & unguenta corroborantia, qualia jam ante præſcripta ſunt, eidem applicentur, quibus Balſamum de Tolu in parva quantitate admiſceri poteſt. Emplaſtra inſuper hic conferunt: qualia ſunt, Empl. Nervinum, vel de Betonicâ, uti etiam ſequens.

♃. Unguentum. Primò præſcript. ℥ii. Gum. Ammon. in vino ſolut. Pic. Burgund. an. ℥ß. Maſtich. Oliban. Caranu. an. ℨii. Caſtor. ℨß. Lumbricor. præpar. ℨiß. Sal. Armoniac. ℨii. Ceræ ſ. q. pro emplaſtro conficiendo. Hujus portio ſufficiens extendatur ſuper alutam, cujus figura variari poteſt; etenim, prout partes ſuperiores, aut inferiores infirmæ ſunt, Emplaſtrum ſuperiori, aut inferiori parti Spinæ; aliquando etiam ſecundum ejus longitudinem applicandum eſt. Atque, hæc de Methodo Medendi. *Joh. Mayow diſſertatione de Rachitide.*

Materia Chirurgica in hoc affectu communiter recepta ac probata, & præ cæteris famoſa, duplex præſertim ſeſe offert: ſcarificatio aurium & fonticulus. De pluribus vero aliis (ut infra videbimus) inquiſitio inſtituetur, videl. de cucurbitulis, de ſanguiſugis, de veſicantibus, de ligaturis & faſciis. Venæſectionem vero ipſam vires non tolerant, ut cuivis facilè innoteſcit, qui ad ætatis fragilitatem, habitus partium extenuationem, venarumque gracilitatem attendere velit.

Agmen ducet ſcarificatio aurium. Empirici noſtrates, qui hunc affectum tractant, eam pluris faciunt quam quis facile putaret. Solemniter quippe in ſua praxi eam celebrant, abſque ea vix felicem curationem ſperant, nos vero, licet hoc remedii genus non improbemus, vidimus tamen abſque ejus uſu nonnullos pueros feliciter ſanatos, & illi ipſi qui ei plurimum tribuunt, maxima ex parte vix notabilem quantitatem ſanguinis eliciunt; aliqui tamen teſtantur ſe vidiſſe ſatis largam ſanguinis copiam cum euphoria hac operatione eductum: utut ſit, credibile eſt eos pueros facilius hoc remedium ferre, pluſque emolumenti ex ejus uſu obtinere, qui ſanguinei ſunt & habitiores, quippe Alogotrophia potius quam Atrophia, aut tabe, aliave magna partium extenuatione detinentur. Practici noſtri bis vel ter, interpoſitis ſeptem circiter dierum intervallis, hanc operationem repetunt, rariùs lanceola, aut acutiori ſcalpello, frequentiùs ordinario obtuſiorique cultello id perficiunt, nihil dolorem ejulatumque infantis morantes. Porro in concha auris utplurimum hanc ſcarificationem inſtituunt; aliqui verò eam ad interiorem & exteriorem alæ ſive pinnæ aurium circumferentiam, imò ad Helicen uſque extendunt. Nemo hactenus, quod ſcimus, poſterioris lateris auriculæ ſcarificationem tentavit: quamvis revera haud obvium ſit rationem reddere, cur illic adminiſtrata, non minus conduceret quam in ipſa auris concha.

Adferre tamen libet conjecturam ſaltem noſtram, cur concha auris præ cæteris ejus partibus ad hanc operationem eligatur, quam tamen nondum confidenter adſtruimus: etſi probabiliter ad minimum ſuſtinere poſſe putemus, modò verum ſit id, quod diligentiſſimus *Fabricius Hildanus* (*obſerv.* 4. *cent.* 1.) de nervo quinti paris retulit: huic enim obſervationi conjectura hæc funditus innititur, eaque fortè vacillante unà corruit. Conjectura ipſa hæc eſt: Suppoſitis diſtributione & uſu nervi quinti paris loco citato memoratis, ſcarificatio in concha auris commode cum liberare iſtum nervum à qualicunque oppreſſione, tum torporem ejuſdem excutere, eique vigorem præſtare poteſt. Eſt enim concha auris locus ei proximus, quam ferro licet attingere. Quare evacuatio hîc facta materiam prementem ferè originem illius nervi, immediate derivare, ſimulque dolorem in-

ferendo, caloremque augendo, qualemcunque torporem ejuſdem excutere, vigoremque ei addere poterit. Si ergo nervus hic (ut ibidem aſſerit celeberrimus ille Chirurgus,) aut pars ejus ad ſpinalem medullam diſtribuatur, neque ſpinalem medullam unquam deſerat, ſed continuè ramulos cum nervis ſpinalis medullæ ad crurum & pedum extrema emittat; facile concedi poteſt, nervum hunc ab obſtructione ſic liberatum, excitatum, ac vigorem nactum, ipſam ſpinalem quoque medullam omneſque inde ortos nervos, quos ex iſta ſententia ad extrema concomitatur, nonnihil excitare, iiſque vigorem aliquem imprimere. Quare neceſſe eſt ſcarificationem hoc loco factam, in concha nempe auris, longe majoris eſſe efficaciæ, quàm ſi in ulla parte ejuſdem auris à nervo quinti paris remotiore adminiſtraretur. Idem fere dici poteſt de vulnuſculo hic facto per obtuſiorem cultellum. Etenim affirmant nonnulli practici præſtantiam hujus operationis non tam quantitatem ſanguinis extrahendi, quam doloris in iſta parte excitationem reſpicere: quod ad excitationem vigoriſque conciliationem nervo quinti paris facile quis reducat.

Sed, miſſa hac conjectura, alias proponamus conſiderationes, quarum reſpectu ſcarificatio hæc ex uſu eſſe poſſit in hoc affectu.

1. Hinc obtinemus particularem quandam capitis evacuationem: quæ pars, ſi quæ alia, in hoc morbo particulari plenitudine gravatur. 2. Ipſa ſanguinis evacuatione ejuſdem craſſitiem & viſciditatem nonnihil corrigimus, adeoque æqualiorem ejus diſtributionem, æqualioremque partium nutritionem, promovemus. 3. Hinc nonnihil excutimus partium torporem.

Notandum, hanc operationem, quum evacuationem particularem & topicam præſtet, non ſimpliciter primum locum in methodo curandi mereri, ſed, præmiſſis univerſalibus, ſuo loco ſubſequi debere.

Denique ridiculum quid, & ſuperſtitioſum ſapit, quod aliqui in hujus ſcarificationis adminiſtratione factitant; dum dextræ auris ſanguinem lanâ exceptum ſiniſtro hypochondrio, ſiniſtræ dextro alligant. Hæc de aurium ſcarificatione.

Fonticulus in hoc affectu multum probatur, atque hôc ſolô ferè præſidiô nonnullos pueros liberatos fuiſſe novimus. Etenim non tantum ea omnia præſtat, quæ ſcarificationi aurium modò adſcripſimus; ſed & ſpecialiter Hydrocephali potens cum curativum, tum præſervativum remedium eſt, & ad enormem capitis magnitudinem paulatim imminuendam, ejuſque ſuperfluam ſeroſitatem evacuandam, tum inordinatum oſſium augmentum reprimendum multum conducit. Manifeſtè quoque nimiam ſpinalis medullæ humiditatem exſiccat, calorem ſuſcitat, nervos roborat, eorumque torporem excutit.

Quum verò hoc remedii genus per ſe ulcus quoddam ſit, & nonnihil doloris puello geſtanti inferat, nutricique inſuper aliquid moleſtiæ indies creet, non id præſcribendum, niſi ea morbi magnitudo ſit, ut eam aliis remediis, abſque hoc ſatis domari poſſe vix ſperemus.

Excitandus eſt fonticulus inter ſecundam & tertiam colli vertebram. Aliqui cum cauterio actuali inurunt, ſed hunc modum ob doloris vehementiam minus probamus: alii cauterio potentiali; ſed neque hic arridet, quod cauſtica infantuli naturæ nimis ſint adverſa, & neſcio quid venenoſi inſinuent, ſpirituſque ſaltem nimiopere diſſipent, parteſque debilitent. Probamus ergo potius fonticuli excitationem per ſimplicem inciſionem acuto ſcalpello factam.

Aliqui utuntur forcipe ferreô in hunc uſum concinnatô, quô cutem, locô inciſionis, prius atramentô notatô, comprehendunt, moderataque compreſſione ſenſum partis obtundunt, dein per forcipis medium quod oblongô foramine pertuſum eſt, ſcalpellum adigunt, inciſionemque perficiunt. Factô vulnere piſum ſeu artificiale, ſeu naturale intrudunt, ſuperimpoſitô emplaſtrô digeſtivô; huic chartam vel linteum multoties complicatum imponunt, eique ſcutum parvulum ex materia aliqua ſolida factum adhibent, cui faſciæ quatuor aſſuuntur quarum duæ ſuperiores fronti circumductæ aciculis capitis integumentis annectuntur; quæ inferiores involucris pectoris ſimiliter aciculis affiguntur, atque hôc modô deligatô vulnere piſum non excidit, ſed fonticulum format. Aliqui locô fonticuli ſetaceum ſurrogant, quod non plane improbamus, niſi quod nimis moleſtum ac dolorificum videatur, ſoluſque fonticulus utplurimum ſufficiat. Hæc de fonticulis, ſequuntur jam aliæ nonnullæ Chirurgicæ operationes examinandæ.

Primô locô hirudines ſe offerunt. Harum certè applicatio quid in hôc morbô curandô præſtet, vix dum ſatis experti ſumus. Si rationem ſolam conſulamus, ſuſpicamur plus damni quàm emolumenti ab hoc remedio exſpectandum eſſe: etenim ſi alicui capitis parti admoverentur, ob continuam ſuctionem facilè effluxum ſanguinis eò verſus concitationem efficerent. Sin aliis partibus applicarentur, ſanguinem à partibus ejus inopiâ priùs laborantibus detraherent.

II. Cucurbitulas non tam noxias quam inutiles exiſtimamus. Equidem eas quæ cum ſcarificatione adhibentur planè rejicimus, non tantum argumentis modo allatis de ſanguiſugis ducti, ſed & metu dejectionis virium ob dolorem, & adminiſtrationis moleſtiam, moti. Cucurbitulas ſine ſcarificatione, ut dicere cæperamus, neque vires, neque morbus, ejuſve cauſæ videntur reſpuere. Verùm tamen parum hæ efficaces ſunt, & perpendendum relinquimus, an utilitas, qualis qualis, ex earum uſu emergens, applicationis moleſtiam ſatis compenſet.

Nihilominus fieri poteſt, ut reſpectu alterius morbi conjuncti earum uſus alicujus ſit momenti: ut in pleuritide, phrenitide, atque ubi imminet periculoſus aliquis fluxus in partem quandam principem. In quo caſu, forſan iſtæ, quæ cum ſcarificatione adhibentur, in grandioribus & robuſtioribus puellis admitti poſſint. Applicentur autem vertebris colli, humeris, natibus, interioribus femoris partibus, plantis pedum, aliiſque locis, prout peculiaris affectus complicatus poſtulaverit.

Notandum interim in tam tenera ætate, multò minores eligendas eſſe cucurbitulas, eaſque minori cum flamma admovendas, quàm

quàm alias in adultis ſolent, ſcarificationemque, ſi omnino admittatur, leviori manu infligendam eſſe.

III. Quod ad veſicatoria attinet, licet eorum etiam uſum nondum ſatis experti ſimus, & licet tum σηπτικὰ, quod partes eliquent; tum καυςικὰ, quod altiùs penetrent, cruſtamque inducant ab hoc affectu arceamus: illa tamen πυρωτικὰ, quæ veſicas tantum in cute excitant, utiliter interdum admitti poſſe conjectamus.

Dicas; cantharides (è quibus fere conficiuntur) impensè eſſe calidas, & præterea venenoſæ cujuſdam qualitatis ſuſpectas.

Reſpondemus, ne quid de cantharidum qualitatibus hic interſeramus, concedimus id quod aſſeritur: verùm cùm externæ tantum cuticulæ, & particulæ ejus non adeò extenſæ adhibeantur, & cum ſtatim excitata veſica amoveantur, earum caloris exceſſus, viruſque, vix ultra cuticulam altius in corpus penetrat; adeoque ſinè notabili detrimento, remedium hoc adhiberi poteſt. Sed quæras, hinc commodi expectare liceat? dicimus, efficaciter intemperiem frigidam & humidam corrigere, torporemque ſpinalis medullæ, cerebri, nervorum, partiumque nervoſarum excutere, ſimulque omnes partes firmiores ac rigidiores præſtare, pulſumque fortiorem in externis partibus proritare: quæ omnia in hujus affectus curatione non parvi ſunt momenti.

Aliquis noſtrûm teſtatur ſe bienni puello, qui hoc morbo affectus, in febrem quoque continuam & malignam inciderat, quique jam propè phreneticus factus fuerat, præſcripſiſſe inter alia veſicatorium vertebris colli adhibendum. Manifeſtum hinc levamen puellus mox ſentire viſus eſt. Poſtea bis vel ter infuſione Rhabarbari &c. purgatus, præter omnium expectationem, fere abſque aliis remediis hunc affectum quoque excuſſit. Verùm enim vero ut vix reperias commodum, quod nulla ſecum incommoda trahat, ita neque hoc remedium ab omni parte culpâ ſuâ vacat. Moleſtum quippe & dolorificum atque ingratum pueris eſt: eorum porro luſus & exercitia ad tempus interturbat; cujus rei reſpectu, niſi fortè alius morbus complicatus exercitia unà interdixerit, vix plus utilitatis, quam damni præſtare poterit. Ad hæc, vis ejus ſubito exeritur, & mox paulatim exhauſta eſt, quod non uſque quaque chronico morbo quadrat. Deniquè Fonticulus, qui chronicis morbis proprius eſt, in hoc affectû ejus vicem ſupplere poſſe videtur. Quocirca, vix medicamenti veſicatorii applicationem in hoc curando morbo admittimus, niſi acutus unà complicetur morbus, qui ſui cauſâ hoc remedii genus exigat; ut in caſu modo propoſito evenit.

Ubi autem res poſtulat; ut applicetur veſicatorium commodiſſime id fieri poſſe videtur ſuper vertebras colli, niſi forte fonticulus excitatus locum præoccuparit; in quo caſu, vel pone aures, vel quatuor digitos infra fonticulum admoveatur. Non negamus, illud, reſpectu aliorum, aliis atque aliis locis adaptari poſſe: hic vero deſignamus locum, qui maxime reſpiciat præſentem morbum.

IV. Ligaturæ quoque ad hunc titulum referri poſſe videntur, & quidem concedimus eas aliquando in hoc affectu non planè eſſe inutiles, nimirum, ſi eæ valde moderatæ, ſi per juſta intervalla, ſi locis convenientibus adhibeantur; verùm cavendum, ne incremento partis, cui applicantur, obſtent; quod fit, ſi ſatis laxæ ſint, ſi ex lanâ molliori confectæ, ſi interdiu aut aliqua diei parte, leviterque conſtrictæ, noctu vero ſolutæ, ſi cruribus ſupra genu, brachiis ſupra cubitum adaptentur.

Videntur autem ligaturæ hic conducere ad ſanguinis affluxum à capite revellendum, eundemque verſus partes extenuatas externaſque & extremas promovendum; præterea ad nimis lubricum ſanguinis regreſſum in illis partibus, quibus adhibentur, retardandum.

V. Huc quoque ſpectat certarum partium faſciatio, quippe quæ cum ligaturis affinitatem habet. Solent enim aliqui ad firmandas partes earumque calorem fovendum faſciis laneis eas involvere; pedes nimirum, tibias, genu, & vicinas femoris partes. Cavendum verò ne eæ nimis ſtrictæ liberam partium accretionem impediant.

Alii loco faſciarum ocreas fibulatas panno lineo ſuccintas conficiunt; has vero non ſola firmitatis aut caloris gratiâ, effingunt, ſed etiam ad curvitatem oſſium reducendam, vel ad inflexos articulos erigendos. Aliqui ferulas addunt, aut particulas fiſſi oſſis ceti.

Verum tria potiſſimum in harum ſtructura ſunt notanda.

1. Ut premant aliquantulum extantem & convexam oſſis partem.

2. Ut cavam vix tangant, quin potius à compreſſione defendant.

3. Ut parti ſint bene adaptatæ, & articulorum motum quàm minimum impediant.

In hunc finem iſtæ ocreæ anteriori parti qua genu ſpectant, transverſim ſecari poſſunt, ſimiliter ſi opus ſit, ut ferulæ ſupra genu extendantur, ad ſuſtinendam & erigendam quidem deflexionem, requiritur, ut cum duplici articulo formentur in loco flexionis.

Loco ferularum commodius ſubſtitui poſſent tenuiſſimæ laminæ ferri, totumque inſtrumentum ex ferro fabricari poſſet.

Axes bini ſuper quos flectuntur aſſerculi ſive ferulæ, duobus orbiculis infiguntur: orbiculi vero ipſi ex laminis ferri quàm tenuiſſimis (modo firmis) ne nimis graves ſint, fabricantur; ſimulque admodum politis, ne aſſerculorum motum impediant: qualis ſunt diametri, ſeu latitudinis, hi orbiculi, puta duorum circiter digitorum tranſverſorum, atque ita inter ſe coaptantur, ut ab omni parte paralleli ſint: interſtitium verò inter illos tantum ſit, ut aſſerculorum capita appoſitè excipiat. Porrò orbiculi hi, non modo duplici axe, ſed & quinque clavis ferreis, transfigendi, firmiterque copulandi ſunt. Denique tota inſtrumenti compoſitio, ita comparanda eſt ut commode alligari poſſit ad prominens latus genu inflexi, ſimulque tam extenſioni quam ordinariæ ejuſdem flexioni inſerviat, deflexionem vero ejus ad alterutrum latus, præſertim ad prominens, coërceat: quæ cauſa eſt cur duplici orbiculo axes infigantur, ſcil. ne quâ juncturæ vacillent & deflexioni genu cedant.

Similiter torſio pedum faſciis quoque frequenter emendatur. ſi digiti pedum extrorſum diſtorquentur, nocte faſciis colligandi ſunt, interpoſitô inter calcaneos taloſque pulvinari. ſin introrſum digiti pedum torqueantur, colligandi ſunt tali, immittendumque pulvinar inter majores pedum digitos.

Denique ad truncum corporis erigendum, aut erectum ſervandum ſolent thoraces ex duplici panno conſutos conficere, interpoſitis exiguis aſſerculis oſſis ceti, quos ita corporibus infantum adaptant, ut ſpinam erectam ſiſtant, oſſa prominentia reprimant, incurva ab ulteriori compreſſione defendant; curandum quoque ne ſint, aut ſaltem quam minimum, puellis geſtantibus moleſtæ, atque ut ſuper ſpinam dorſi, funiculo in hunc uſum accommodato fibulentur.

Materia φαρμακευτικὴ. Multiplicis ac nobiliſſimi uſus eſt, plurimiſque indicationibus ſatisfacit; omnia quippe medicamenta, quæ vel morbi cauſas, vel morbum ipſum, vel ſymptomata primò reſpiciunt, exceptis ſolis Chirurgicis, complectitur.

Dividitur in interna & externa remedia, & utraque in ſimplicia & compoſita. Interna demum ſubdividi poſſunt in eluentia primas vias, in præparantia, in elective evacuantia, in alterantia ſpecifica, & roborantia, denique in corrigentia ſymptomata.

Primum locum inter hæc merentur interna, atque ex illis eluentia impuritates primarum viarum: cùm hæ ut ſupra monuimus, habeant rationem impedimenti reſpectu remediorum ſequentium, & ſimpliciter primo ſint amovendæ. In ſingulis autem titulis, quantum rei natura fert, ſimplicia compoſitis præmittemus.

Eluentia hæc tria genera adhuc comprehendunt, videl. Enemata, Vomitiva & Cathartica lenitiva.

Enematum injectio, priuſquam preſſius curationem aggredimur, tunc potiſſimum prærequiritur, cum alvus adſtricta eſt, fæceſque induratæ; aut cum flatus inteſtina torquent, aut quævis inteſtinorum tormina ægrum affligunt. In quibus caſibus non modo ante quamvis præparationem, ſed & ante vomitionem, imo ipſam lenitivam purgationem nonnunquam utiliter præmitti poſſunt. Nunquam hæc è violentioribus purgantibus, frequenter verò è lenitivis & benignis, aliquando etiam è ſolis lubricantibus & flatus diſcutientibus conſtant. Longiùs à paſtu injicienda ſunt tepidè. Formulas aliquot ſubnectemus.

℞. Lactis vacc. rec. calfact. ℥ iij. iv. vel v. ſem. aniſ. pulv. gr. x. ſacchar. comm. ℥j. ℥ i ß. vel ℥ij. vitellum unius ovi. M. F. Enema. addi inſuper poteſt butyr. recent. ℥ß.

℞. Decoct. emoll. q. ſ. elect. lenit. ℥ß. ſyrup. roſar. ſolut. violar. an. ʒ vi. ol. cham. ℥j. M. F. Enema injiciendum tepidè.

℞. Rad. alth. contuſ. ℥ß. vel ejus loco fol. malv. vel flor. ejuſdem M. ß. flor. chamæm. p. j. ſem. carminant. ʒij. coq. in ſ. q. ſeri lactis cereviſiati. Colat. ℥ iv. vel v. adde diacaſſiæ vel Elect. paſſulati ℥ß. ſyrup. roſat. ſolut. ſimpl. ſacchar. culinaris an. ℥j. butyr. recent. ʒ vi. addi poteſt, ſi viſum fuerit vitellum unius ovi.

℞. Fimi equi non caſtrati recentis ℥iß. ſem. aniſi. fœnic. malvæ contuſ. an. ʒiß. flor. cham. p. j. coq. in ſ. q. ſeri lactis cereviſiati. in colat. ℥ iv. vel v. ſolve ſyrup. viol. ʒ x. ſacch. comm. ol. roſat. an. ℥ß. M. F. Enema.

Emetica, ſeu vomitoria, tria potiſſimum præſtant. 1. Humores ſive crudos, ſive corruptos, & quaſcunque impuritates in ventriculo contentas evacuant, idque per viam breviorem & expeditiorem, quàm ſi per ambages & anfractus inteſtinorum circumducerentur. 2. Agitando omnes partes, imprimis viſcera, humores craſſos viſcidoſque iis adhærentes, aut iiſdem impactos magis fluxiles reddunt, & frequenter excutiunt, præſertim in ventriculo & inteſtinis collectos: quô nomine colicis doloribus ſubveniunt, & ad obſtructiones reſerandas multum conferunt. 3. Omnium partium corporis, & maxime viſcerum excretricem facultatem efficaciter ſtimulant, hincque latentes morborum, imprimis febrium intermittentium fomites & cauſas ſæpe unica vice exhibita eliciunt. Enimverò inter vomendum inteſtina quoque ad excretionem per ſedem ſtimulantur; hepar per porum biliarium, bilem, pancreas peculiare ſuum excrementum per novum ejuſdem vas profuſius in inteſtina effundit; lien quoque forte ſuum excrementum in ventriculum per vaſa nondum ſatis nota uberius exonerat; renes ſerum per ureteres; Pulmones efficatiori tuſſi concitata, pus mucumque per tracheam arteriam; Cerebrum, pituitam, & ſalſum ſerum per palatum, per nares, oculoſque copioſius ſolito excernit.

Denique totum corpus ad diaphoreſin, ſive manifeſtam per ſudorem, ſive occultam per inſenſibilem tranſpirationem, pronius plerumque redditur. Notandum interim eſt, non læviora quæque vomitoria, neque etiam ipſa fortiora, ſi imminuta doſi exhibeantur, ſtatim hæc omnia plenè perficere; attamen ſua operatione plus minuſve pro viribus & quantitate medicamenti eo collimare & fortiora quidem, plena doſi data, tres metas propoſitas, efficaciter attingere.

Ex prædictis facilè cuivis innoteſcit fortiora Emetica pleniori quantitate præſcripta, puellis hoc morbo correptis competere non poſſe, neque teneras eorum vires tantos in corpore tumultus, & tam univerſalem evacuationem ſubitoque factam perferre poſſe. Quapropter circumſpectè admodum hoc remedii genus puellis eſt præſcribendum, tum etiam atque etiam vires & medicamenti efficatia ac quantitas contra ſunt penſitandæ. In hunc ergo finem aliquot cautiones juniorum gratia hic ſubnectere non erit inutile.

1. Vomitus in hoc affectu concitandus non eſt, niſi humores ſponte ſua, nonnihil ſurſum vergant, iique per ſuperiora non difficulter exigi poſſint.

2. Niſi puelli per ſe ad vomendum ſint proclives, vomitumque facile ferant.

3. In ſputô ſanguinis, phthiſi ſeu tabe, hæmorrhagia narium, in quavis interna venarum apertione, ſimilibuſque caſibus ab hoc remedio abſtinendum.

4. Potentiora Emetica liberaliori doſi exhibita hic interdicuntur. Etenim metus eſt, ne inſitos ſpiritus nimium depopulentur, ipſaſque

partes

partes ſolidas plus æquo prius extenuatas ulterius eliquent.

Oportet ergo, ut vomitoria, hic in uſum vocanda, vel naturâ ſuâ leniora ſint, vel ſaltem fortiora ſatis correcta & parca doſi adminiſtrata.

Object. Dicas ſi leniora ſint, aut diminuta quantitate exhibita, vix efficaciter, poſſe humores evacuandos educere.

Reſp. Revera ubi naturam, aut non omnino, aut parum adminiculantem habemus ita rem ſe habere; in quo caſu negamus vomitoria omnino eſſe exhibenda: ſuppoſita vero aptitudine tum humorum, tum corporis ad hanc evacuationem, (ut in prima & ſecunda cautione requiritur) etiam leniora vomitoria humores in primis viis ſtabulantes evacuare queunt: quod idem dicendum quoque eſt de fortioribus probe correctis parcaque manu exhibitis. Etenim ob correctionem & diminutam quantitatem haud multum corpus exagitant, aut naturam laceſſunt, atque interim ob ventriculi humorumque proclivitatem huic ſcopo ſatisfacere valent.

Paradigmata jam aliquot ſubjungamus.

♃. Summ. Erigeri M. ß. paſſul. corinth. ℥j. coq. in ℔j cereviſiæ non lupulatæ ad medietatis abſumptionem. Colaturæ ℥iij. adde ſyrup. acetoſ. ſimpl. ℥ß. M. & exhibe tepide.

Vel ♃. Infuſionis croci metallor. in vino Hiſpan. loco frigido factæ, & per ſubſid. optimè depurat. ʒj. ʒiß. ʒij. (pro ratione ætatis ac roboris) ſyrup. acetoſ. ſimpl. ℥ ß. ſeri lact. cereviſiati ℥ i ß. Aquæ cinnam. gutt. x. vel ejus loco, ſi convulſiones metuuntur, aq. anti-epilept. Lang. ℈j. M. & ebibat tepidè mane cum regimine.

♃. Succi fol. aſari ʒß. ℈ij. vel ʒj. Syrup. acetoſi ſimpl. ʒij. ſeri lact. cereviſiat. q. ſ. M.

♃. Salis vitrioli præpar. à gr. v. ad gr. x. exhibe ſimiliter in ſero lactis cereviſiato.

Catharticalenitiva, cum effectus ſuos placidè ſine tumultu exequantur, non illam Medici circumſpectionem quam Emetica aut electivè purgantia poſtulant. Tria tamen circa illorum uſum cavenda ſunt. 1. ne ingrato ſapore eam ventriculo nauſeam inferamus, ut poſtmodum omnia medicamenta averſetur & abhorreat. 2. ne nimia pharmaci quantitate ventriculum gravemus. 3. ne aſſumptum pharmacum vomitu ſtatim rejiciatur. In hunc ultimum ſcopum ſolent aliqui os puelli grato aliquo liquore ſtatim colluere; alii tantum in os ejuſdem ingerunt, vel ceraſa condita, vel pruna brigniolenſia, vel conſervam berberorum, vel ſuccum aurantiorum ſaccharo admixtum, aut ſimilia.

Dividi hæc lenitiva poſſunt in ſimplicia & compoſita; & hæc iterum in ea quæ in pharmacopoliis extare ſolent, & ea quæ pro re nata de novo parantur.

Simplicia quæ huic ſcopo per ſe ſatisfaciunt, admodum pauca reperiuntur; ut manna, caſſia fiſtularis, Aloë ſocotrina, Tamarindi, polypodium quercinum. At vero minus efficacia quæque (niſi purgantibus aliis fortioribus acuantur) lenitivam indolem non induunt, plura occurrunt ut uvæ paſſæ majores, tum corinthiacæ, Jujubæ, Sebeſtenæ, pruna dulcia & damaſcena, ficus, dactyli, pulpa pomorum aſſatorum, flores malvæ, violarum, herbæ parietariæ, mercurialis, Rad. altheæ, glycyrrh. ſem. 4 frigid. maj. ſemina malvæ, amygdalæ dulces, ova ſorbilia, pinguedines, butyrum, oleum olivarum, oleum amygdalarum dulcium, ſerum lactis, & ſimilia. Hæc licèt per ſe parum efficacia ſint, aliorum tamen purgantium admixtione, non contemnendam vim lenitivam acquirunt.

Compoſita lenitiva hæc in Officinis proſtant, caſſia extracta cum vel ſine ſenna, diacaſſia, Elect. lenitivum, diaprunum lenitivum, Elect. paſſulatum, decoctum commune pro Medicina, decoctum flor. & fruct. ſyrup. & mel violarum, ſyrup. roſatum ſol. mel mercurial. mel paſſulat. conſervæ roſar. pallid. flor. malv. violar. Formulas nonnullas extemporaneas his ſubjungere poſſumus. Ut,

♃. Mannæ calabrinæ optimæ ʒ vi. Crem. tartari gr. vii. ſeri lactis cereviſiati, (poſſet Ale dicti) in quo parum ſem. aniſ. ferbuerit ℥ i ß. Miſce & exhibe mane, loco ſeri ejuſd. ſubſtitui poteſt juſculum aliquod vel decoctum commune pro Medicina, vel decoctum florum & fructuum.

♃. Elect. lenitiv. ʒ i ß. vel ʒij. ſyrup. roſar. ſolut. ʒ ii ß. viol. ʒj. crem. tartari gr. x. ſeri lact. cereviſiati ℥ i ß. M. & capiat in aurora, aliqui parant ſyrup. lenitivum in hunc modum.

♃. Polypod. querc. ℥ij. tartari albi præpar. ʒij. poma dulc. num. 12. uvar. paſſ. exacinat. ℥j. coq. in ſ. q. aq. font. ad ℔j. in colat. infunde per noctem fol. ſenn. elect. ℥iß. rhab. ʒij. pulp. caſſiæ recenter extract. ℥ß. tamarind. ℥j. glycyrrh. ſem. aniſi coriandr. an. ʒiß. mane per pannum lineum exprimantur.

♃. Expreſſionis ℥ viii. ſacch. albi ℥ vi. coq. parum, tum adde mannæ opt. ſyrup. roſar. ſolut. an. ℥ij. viol. ℥j. F. Syrup. lenitivus. capiat puellus ℥j. aq. cichor. vel parietar. ℥ß. & ſucci limonum ʒj. dilutam.

♃. Aloës lotæ, vel pil. Aloëphang. gr. vii. F. pil. ij. cum ſyrup. roſar. ſolut. immittantur in duo ceraſa condita, exemptis oſſiculis, quæ integra deglutiantur, ne ſapor offendat, horâ ſomni veſperi. Mane ſuperbibat ſyrup. roſar. ſolut ℥j. in ſero lactis cereviſiato.

Vel ♃. Syrup. roſar. ſolut. ʒ vi. viol. ℥ß. ſucc. limon. ʒj. Elect. paſſulat. ʒj. Aq. cichor. vel parietar. ʒiß. M. F. hauſtus, quem capiat mane jejunus. Atque hæc de Eluentibus primas vias: ſequuntur præparantia.

Remedia præparantia, partim humores præparandos, partim vias, per quas ii educendi, partim ipſas partes in quibus ſtabulantur, reſpiciunt. Sciendum autem evacuationem illam, quæ *Emeticis* perficitur, minime omnium præparationem prærequirere; illam verò quæ catharticis aut expectorantibus maxime.

I. Humores præparandi in genere ſunt vel pituitoſi, nimirum frigidi, qui calidis attemperandi, craſſi attenuandi, viſcidi incidendi; vel bilioſi, viz. acres, amari, urentes, corroſivi, qui lenientibus & compeſcentibus cicurandi; vel melancholici, ſcil. terreſtres, fæculenti, tartarei, qui benigniori materiæ commiſcendi & fluxiles reddendi: vel denique ſeroſi, qui diſponendi & quaſi manu dirigendi ſunt, vel ad vias urinarias, ut per mictum vel ad alvum, ut per ſeceſſum; vel ad partes cutaneas, ut per ſudationem faciliùs exigantur.

II. Viæ

II. Viæ per quas evacuatio decernitur, muniendæ quoque ſunt ac adaptandæ; & non tantum communes, ſed & ipſæ ſpeciales, per quas materia peccans in ſpecie ad communes vias deducatur. Alia enim eſt præparatio vaſorum renum, (quæ ſcil. lubricantibus & laxantibus maximè perficitur) alia vaſorum hepatis, quæ fit aperientibus, abſtergentibus, & non nihil ſimul adſtringentibus. Alia vaſorum pulmonum, quæ potius lenientibus & maturantibus peragitur, admixtis forte pro ratione materiæ, vel incidentibus & attenuantibus, vel contra incraſſantibus & fluxionem avertentibus.

III. Partes ipſæ, in quibus præ cæteris humores vitioſi impinguntur vel fluitant, medicamenta ſibi appropriata admiſcenda poſtulant; & prout hoc vel illud viſcus plus minuſque afficitur, modo cephalica modo hepatica, modo pulmones reſpicientia &c. dominium in præparantibus obtinent, & liberalius ſunt adⷶiſcenda.

Porrò (ut ſimul omnes prope qualitates præparantium in hoc affectu requiſitas complectamur) dicimus hæc remedia ex arte præſcripta ut plurimum eſſe moderatè calida) niſi ſcil. febris adfuerit) attenuantia, & deobſtruentia, ſimulque peculiari jure, non nihil hepar & pulmones, & caput reſpicere, quæ partes plerumque humorum copia in hoc morbo gravari ſolent; eſſe adhuc huic affectui in ſpecie nonnihil appropriata: ſi vero non occurrant, quæ ſimul ſub cenſum præparantium cadant, morboque approprientur, ſaltem aliæ tunc ſpecifica præparantibus admiſcenda.

Tandem in memoriam revocandum eſt, morbum hunc eſſe Chronicum, materiamque ejuſdem eſſe tardi motus, totamque vix ſimul præparari, aut non continuè inſiſtendum eſſe præparantibus, donec tota materia fuerit præparata; ita quippe pars præparata, & jam fluxilis reddita, vel alios affectus, vel etiam gravia forte ſymptomata, facile concitet. Quare per vices modo præparandum, modo materia jam præparata pharmaco exigenda qua ſane alterna remediorum adminiſtratione, tum viribus proſpiciemus, tum cauſæ morbificæ tuto (utut ſenſim) occurremus. Notandum quoque hic, quod & ſupra monuimus, ubi cauſæ morbificæ eo uſque diminutæ ac edomitæ fuerint, ut ad tempus non impediant ſpecificam curationem; huic quamprimum propriis alterantibus eſſe incumbendum, & in eadem perſiſtendum eſſe, donec cauſæ denuo proceſſum interturbaverint.

Hiſce jam præmiſſis, præparantia ſimplicia, ut & compoſita illa, quæ in pharmacopolis aſſervari ſolent necnon exempla quædam de compoſitorum ordine ſubjungere ulterius viſum eſt: monemus tamen haud expectandum eſſe ut ſingula ſimplicia, (aut forte eorum aliquod) omnes qualitates, quas modo exquiſitis illis & appropriatis præparantibus attribuimus, complectantur; (ita enim nulla compoſitione foret opus) ſed tot & talia è ſimplicibus à nobis enumeratis à prudenti Medico ſeligenda, ac inter ſe contemperanda ſunt, quæ ſimul juncta remedium omnibus iſtis qualitatibus donatum concinnent.

Simplicia, & compoſita in officinis aſſervata ſunt ſequentia; Herbæ omnes capillares, imprimis, Trichomanes, ruta muraria; ſpicæ radicis oſmundæ regalis; gemmæ vixdum erumpentes filicis maris; polypodium murale; phyllitis ſeu lingua cervina, ceterach, hepatica, agrimonia, cuſcuta, ſcabioſa, betonica, veronica mas, folia & cortex tamariſci; cortex radicum capparum; Rad. cichor. endiv. gramin. aſparag. myrrhidis, glycyrrh. tartarum; (quanquam forte ejus lubricitas minus congruit) paſſulæ, imprimis corinthiacæ; pruna damaſcena; ſemin. aniſ. fœnicul. dulc. coriand. carvi; anethi; Syrup. capill. veneris, de betonica ſimpl. & compoſ. byzantin. cichor. de eupator. de 5. radicibus, de ſcolopend. de ſtæch.

Ex his ulterius decompoſita pro re nata formari poſſunt; ut,

℞. Spicas, vel gemmas rad. filic. maris n. 5. coq. in ℔ß. lactis ad ℥iij. colaturam bibat mane, jejuno ſtomacho. Convenit maximè junioribus & lacti aſſuetis.

Vel ℞. Gemmar. filicis maris tenellar. è terrâ modo erumpentium m. j. Veronic. maris, ling. cervin. hepat. an. M. ß. flor. tamariſci p. j. paſſul. min. ℥iß. macis ʒß. pullum unum exenteratum, &c. Et cum farina avenacea, q. ſ. f. juſculum. Ut artis eſt, capiat puellus ℥ iij. vel iv. mane & hora quarta pomeridiana, addendo, ſi lubet, crem. tartari gr. x.

Vel ℞. Capill. vener. hepat. agrimon. cuſcutæ, an. m. ß. radic. filic. maris, gramin. aſparag. an. ℥ß. flor. tamariſc. p. j. paſſul. corinth. ℥j. tartar. alb. præpar. ʒj. glycyrrh. ʒß. macis ℈j. coq. in ℔ ij. aq. font. colat. ℔ j. adde vini alb. vel rhenan. ℥iij. Syr. de ſcolopendr. ℥ i ß. M. F. apozema. De quo bibat puellus hauſtum, mane & hora quarta pomeridiana. Valet potiſſimum ubi pertinaces obſtructiones, in meſenterio hepate &c. adſunt.

Vel ℞. Tuſſilag. capill. vener. ling. cervin. hepat. an. M. ß. Rad. myrrhid. aſparag. an. ℥ß. glycyrrh. Hiſpan. ʒij. macis ℈j. paſſul. exacinat. ʒj. Jujub. ſebeſten. an. num. 8. fic. inciſ. num. 2. coq. in ſ. q. aq. hord. Colat. clar. ℔j. adde ſyr. capill. vener. ℥ i ß. M. hujus apozematis uſus præcipuus eſt, infarctis ſimul aut obſtructis pulmonibus.

℞. Muſti cereviſiati ℔ ij. hepat. capill. vener. phyllit. ſcabioſæ, tuſſilag. matricar. arthemiſ. an. M. j. fic. inciſ. paſſul. exacinat. an. ℔j. glycyrrh. ſem. aniſ. an. ʒ ij. coq. lento igne per horas 6. colatura ſervetur in uſum. In eodem prope caſu conveniens eſt.

Vel ℞. Sarſæparill. inciſ. ℥iij. rad. chin. raſur. corn. cerv. eboris an. ℥j. fol. veron. mar. phyllit. hepat. ſcabioſ. an. M. iij. ſpic. rad. oſmund. regal. filic. an. ℥ij. coq. in 4. congiis muſti cereviſiæ non lupul. (*Al*, dictæ) lento igne per horas 4. vel 5. dein poſt aliquot horas coletur liquor per ſetaceum; tum adde ſucci cochleariæ, becabung. an. ℔ß. ferment. cereviſiat. q. ſ. fermentetur more ſolito, & in dolium reponatur, è quo ad uſum pro potu ordinario depromatur, conducit præcipuè ubi adeſt ſuſpicio luis venereæ, vel ſcorbuti complicati.

Præparata materia morbi, apertiſque viis, per quas evacuatio inſtituitur, proximum eſt,

ut conſideremus quæ pharmaca humores in ſpecie peccantes electivè educant. Hæc autem medicamenta partim humores, partim partes in quibus ſtabuiantur, reſpiciunt: in ſingulis vero juſta virium habenda eſt ratio.

Violentiora, vel plane abdicanda, vel optimè correcta & parca non circumſpecteque adhibenda ſunt: & junioribus quidem pueris ac infirmioribus, vel mitiora, vel minori doſi, magiſque correcta: majoribus & robuſtioribus fortiora pleniorique doſi (modo non tranſcendant vires) permittenda. In utroque caſu, tutiùs eſt paulo infra vires ſubſiſtere, quam eaſdem vel tantillum excedere; & omnino in hoc affectu tutius eſt per epicraſin procedere, quam ſimul & ſemel, plenariam humorum peccantium evacuationem tentare.

Humores porrò in corpore dominantes, ſibi appropriata pharmaca deſiderant; ut bilis *Cholagoga*, pituita *phlegmagoga*, melancholia *melanogoga*, ſerum humorque aquoſus *hydragoga*.

Ad hæc ſi hepar præ aliis partibus humoribus gravetur, talia ſunt eligenda purgantia, quæ peculiari jure hepar reſpiciunt. Similiter, obſeſſis multum pulmonibus, aut cerebro, aliiſve viſceribus, ejuſmodi ſunt eligenda purgantia (quantum quidem fieri poteſt) quæ hiſce partibus reſpectivè ſunt appropriata. Sin vero non occurrant ſimplicia purgantia nonnullis partibus latis ſpeciatim dicata, apta aliorum ingredientium iſtis partibus familiarium admixtione eorum defectus ſupplendus eſt.

Denique (quoad fieri poterit) purgantibus directè morbi eſſentiæ oppoſitis inſiſtere conandum eſt, hoc nomine Rhabarbarum præ aliis ſimplicibus commendamus. Eſt enim medicamentum moderatè calidum & ſiccum, ſpiritibus inſitis omnium partium ſatis familiare, & amicum, torporem ſpirituum benigne excutit, mollitiem, laxitatemque partium firmat, internam lubricitatem nonnihil corrigit; pulſum ad artus evocat, calorem externarum partium auget, internarum & imprimis earum, quæ nutritioni inſerviunt; vigorem & activitatem fovet. Adde quòd rariſſimè (modo juſta doſi adhibeatur) ſuperpurgationem invehat, medicamentum profecto omni ætati & complexioni ſatis tutum.

Hiſce jam præmiſſis, nonnulla ſimplicia purgantia, quæ huc ſpectant, necnon paradigmata quædam compoſitorum proponenda ſunt. Neque etiam quidquam prohibet, quin multa ex lenitivis ſupra citatis huc quoque diverſo tamen reſpectu, referantur: illic enim reſpiciuntur, ut acuunt lenitiva aliàs ignaviora hic vero potius, ut temperant purgantia fortiora.

Purgantia ſimplicia, tum compoſita officinalia.

Manna, caſſia fiſtularis, tamarindi, Myrobalanorum genera, rhabarbar, Aloë, ſyr. roſar. ſolut; de cichor. cum rhabarb. dupl. auguſtan. ſcamonium, agaricus. Sem. chartami, mechoacana, jalappa, turpethum, mercur. dulc. ſyr. roſar. ſolut. cum agar. Epithymum, polypodium quercin. ſenn. ſyr. magiſtralis ad melancholiam, de pomis reg. ſapor. diabalzemer, elect. lenit. de prunis. ſolut. elect. paſſulat. diacathol. confect. hamech. benedict. laxat. &c.

Extemparaneorum compoſitorum exempla quædam.

℞. Syrup. Auguſtan. ℥j. roſar. ſolut. ʒij. aq. cichor ℥ß. pro dilutione F. potio exhibenda mane jejuno ſtomacho.

℞. Rhab. opt. pulv. gr. xvIII. ſyr. de cichor. cum dupl. Rheo ʒvi. roſat. ſolut. ʒij. aq. fol. filicis. ʒvi. M. F. hauſtus. bilioſis ut & hepaticis maximè convenit.

℞. Fol. ſennæ, polypod. querc. Epithym. an. ʒi. Rhab. opt. ℈i. Chryſtall. tartar. ſem. fænicul. dulc. an. ℈i. f. infuſio in ſ. q. aq. fumar. ſ. a. pro ℥iß. colaturæ; expreſſ. adde ſyrup. magiſtral. ad melanchol. ʒvi. aq. cinnam. gutt vii. vel anti-epilept. Lang. ℈ß. M. F. hauſtus, melancholicis maximè deſignatur.

℞. Fol. ſenn ʒij. pulp. tamarind. ʒvi. ſem. aniſi ʒß. cremor. tartar. ℈ß. F. infuſio in ſ. q. aq. font. per noctem cum expreſſionis ℥iij. F. ſec. art. emulſio ex amygdal. dulc. decort. ℥ß. 4. frig. maj. an. ℈ij. pro duabus doſibus; addendo ſingulis ſyrup. de cichor. cum quadrupl. rheo, mannæ optim. an. ʒiij. humores acres & aduſtos evacuat & contemperat.

℞. Elect. lenit. ʒiij. Rhab. ℈i. crem. tartar. ſem. aniſ. an. ℈ß. flor. borrag. anth. an. p. ß. aq. fumar. q. ſ. f. infuſio per aliquot horas. Colaturæ, per pannum laneum denſum factæ, ℥iß. adde ſyrup. de pomis Regis ſaporis ℥ß. M. F. H.

℞. Fol. ſenn. ʒiß. vel ʒij. agaric. trochiſc. ʒß. ſem. fœnic. dulc. ʒß. flor. chamæm. num. x. coq. in ſ. q. aq. font. ſ. a. expreſſ. ʒx. vel ℥iß. adde ſyr. roſar. ſolut. cum agar. ʒv. mann. optim. ʒiij. M. F. hauſtus, humoribus craſſis & pituoſis, potiſſimum dicatur.

℞. Flor. ſambuci p. i. Rhabarb. ℈ij. Jalapp. Mechoacan. an. ℈i. cremor. tartar. ℈ß. nuc. moſchat. gr. xv. f. infuſio & brevis ebullitio in aq. flor. ſambuci, & vini rhenan. an. q. ſ. Colat. ℥iß. adde ſyrup. roſar. ſolut. ℥ß. vel ʒvi. f. potio, pituitoſis, cachecticis, & hydropicis convenit.

℞. Fol. ſenn. ʒiß. Rhab. ℈i. agaric. trochiſc. ℈i. pulp. tamarind. ʒij. ſem. aniſ. crem. tartar. an. ℈i. flor. anth p. ß. f. infuſio in ſ. q. aq. font. & levis ebullitio. Expreſſ. ℥iß. adde ſyr. roſar. ſolut. cum agar. magiſtr. ad melancholiam an. ʒiij. M. F. hauſtus. Mixtos humores evacuat.

℞. Merc. dulc. gr. xv. conſerv. violar. ʒi. Pulv. tragac. gr. i. M. F. bolus cum ſyrup. viol. ſumendus in aurora, ſuperbibendo mox ℥i. Syrup. roſar. ſolut. in hauſtulo ſeri lactis cereviſiati ſolutam. Commendari poteſt pueris, qui vermibus ſimul cum hoc affectu laborant, uti & lue venerea unà infectis; item ſtrumoſis.

℞. Merc. dulc. gr. xii. Jalapp. gr. xi. nucis myriſt. gr. ß. Pulp. paſſul. ʒi. M. F. bolus cum ſyrup. viol. quem capiat mane, loco Jalappæ ſubſtitui poſſunt ſcamm. præp. vel reſin. Jalapp. gr. iii. vel iv. convenit pueris ſimul ſtrumoſis; ut & iis qui lue venerea ſuſpecti ſunt laborare, iiſque qui difficulter purgantur, & ingrata planè reſpuunt.

℞. Merc. dulc. ʒj. reſin. Jalapp. ℈ß. ſacch. puriſſ. in aq. beton. vel ſimili diſſolut. ʒiij. vel ℥ß. F. ſec. art. tabell. pond. ℈jß. vel ʒj. capiat unam pro doſi.

℞. Aloës ſocotrin. opt. gr. vii. rhab. pulv. gr. xi. ſyrup. roſar. ſolut. q. ſ. f. pil. quas capiat puel-

puellus in ceraſis conditis abditas, exemptis oſſiculis. Poſſunt & deaurari pilulæ commodioris exhibitionis ergo.

♃. Rhab. opt. ʒiß. uvar. paſſar. exacinatar. M. j. cereviſiæ commun. ℔. j. infund. per 12. horas, de colatura hujuſmodi bibant puelli, qui noctu avide potum expetunt.

Præparatis jam atque ex parte evacuatis morbi cauſis, vel ſaltem ita edomitis, ut ad tempus ulteriorem curationem non impediant, ſtatim ad hæc alterantia ſpecifica procedendum eſt; quæ quidem jugulum quaſi ipſius morbi petunt, & quorum gratia iſta cum præparantia, tum evacuantia præmiſſa fuerunt.

Definiri autem poſſunt hæc ſpecifica, Remedia quæ ipſi eſſentiæ morbi è diametro contraria ſunt, adeoque eam directè oppugnant.

Sunt autem ea vel ſimplicia, vel compoſita; & ſimplicia quidē quæ nobis hactenus innotuerunt, ſunt ſequentia. Radix oſmundæ regalis, ſeu potius ſpicæ radicis ejuſdem abjecta media parte; radix filicis maris; item turiones vel potius gemmæ ejuſdem, vixdum è terra prorumpentes; Radices graminis, cichor. aſparagi, rubiæ tinct. Eryng. herbæ capillares, ceterach, lingua cervina, hepatica, veronica mas, flores & folia lamii, borrag. ſalviæ, roriſmarini, tamariſci, abrotanum, abſinth. ponticum, chelidonium majus, crocus, radic. curcumæ, ſarſaparill. ſaſſaphr. chinæ, tria ſantala, lignum guajaci, ejuſque cortex. flor. ſulph. chalybs præpar. crocus martis, ſal chalyb. vinum chalybeatum, ſyrup. chalyb. vinum alb. gallicum, & Rhenanum, ſperma ceti, moſchus, ambra griſea, caſtoreum, vermes terreſtres, Jecora ranarum, pullorum corvi, millepedes vino albo lotæ, & in clibano ſiccatæ ac pulveratæ & ſimilia.

Si quis autem quærat quomodo, quave actione medicamenta hæc affectus hujus eſſentiam ſpecialiter impetant.

Reſpondemus forte non neceſſe eſſe, ut ad Aſylum iſtud ignorantiæ, occultas qualitates, ſtatim confugiamus; ſed in memoriam revocandas eſſe partes eſſentiæ hujus morbi; ſiquidem facta collatione, inter illas partes & hæc medicamenta, haud obſcuram contrarietatem ac repugnantiam erga illa invicem deprehendemus. Morbus enim hic conſiſtit, in intemperie frigida & humida, in ſpirituum inſitorum inopia ac torpore, in toni partium enervatione: E contra remedia hæc, calefaciunt & ſiccant, ſpiritus inſitos fovent, torporem eorum excutiunt; tonumque firmant.

Porrò quandoquidem cum caliditate ac ſiccitate remedia hæc inſignem obtinent friabilitatem ac tenuitatem partium, fit, ut non tantum viſcida incidant, craſſa attenuent, ſed & æquationem quandam omnium ſuccorum in maſſa ſanguinea fluitantium concilient, æqualemque (habita ratione diſtantiæ à fonte caloris) diſtributionem tum caloris tum ſanguinis procurent. Hinc partes externæ prius extenuatæ liberaliori alimento caloreque fruuntur; parenchymata viſcerum, mole nimium aucta, à craſſioribus & viſcidioribus ſuccis alimentariis liberantur, & nonnihil inde imminuuntur; hinc irrationalis illa partium nutritio, ſeu ἀλογοτροφία, à qua tanta vitiorum organicorum ſeries dependet, emendatur. Denique remedia hæc partes nervoſas quoque ipſam ſpinam dorſi nimis debilem roborant ac fovent.

Dicas, omnia ſimplicia à nobis ſupra citata non hæc omnia plene perficere. Concedimus. Nam ſantalorum genera, licet ſua ſiccitate, friabilitate ac tenuitate partium, fortiter hunc affectum impugnent, ſua tamen frigiditate, videntur potius ad morbi partes accedere. Dicimus ergo hujuſmodi ſimplicia per ſe ſola non eſſe adminiſtranda, ſed aliis duntaxat admixta, quæ qualitatem noxiam ſatis corrigant. Similiter nonnulla ſimplicia impensè calida, ut Crocus, Caſtoreum, flores ſulphuris, &c. huic morbo multum repugnant: ſed in uſum non ſunt vocanda, niſi prius contemperata.

Porrò Sarſaparilla, Saſſaphras, Oſmunda regalis, filicis genera, herbæ capillares, ceterach, lingua cervina, & ſimilia (caliditate ac ſiccitate ſimul junctis cum inſigni friabilitate ac tenuitate partium) plurimum ad æquationem ſanguinis, tum ad multas alias morbi partes ſubigendas contribuunt. Verum partes nervoſas ac fibroſas vix ſatis roborant firmantque; quare cephalicorum admixtionem deſiderare videntur. Ad hæc lignum vitæ ſuo calore, ſiccitate, friabilitate, reſinoſa ac balſamica ſubſtantia, tonum partium multum firmat, nonnulliſque aliis morbi partibus contrariatur: cum tamen parum conferat ad æquationem ſuccorum in maſſa ſanguinea contentorum, quin potius eam forte impediat; non ſine ſumma cautione, correctumque, & exigua quantitate eſt præſcribendum. Denique ex ſimplicibus hic recitatis nonnulla, magis ad vires omnes corroborandas, quàm ad morbi eſſentiam debellandam, recipiuntur; ut Salvia, Moſchus, Ambra griſea & ſimilia, quæ nonniſi aliis efficacioribus magiſque appropriatis admixta in uſum veniunt.

Quod ſi quis ulterius quæſiverit quænam ſimplicia è propoſitis efficaciora ac nobiliora ſunt æſtimanda; huic regulis ſequentibus reſpondemus.

1. Illa ſunt nobiliora medicamenta, quæ ſimul pluribus eſſentiæ morbi partibus opponuntur.

2. Illa, cæteris paribus, nobiliora habenda, quæ primarias eſſentiæ morbi partes directè impetunt, præſertim ſi ſimul faciant ad æqualem diſtributionem ſanguinis & caloris, quâ tot vitia organica corrigantur.

3. Quæ cæteris morbi eſſentiæ partibus eminentiori gradu, ita tamen ut vires ea ferant, contrariantur.

4. Quæ unà & morbo adverſantur, & naturæ ſimilia ac familiaria ſunt, eique quam minimam vim inferunt.

5. Quæ magis grata puello laboranti ſunt, minoreque cum moleſtia atque averſatione admittuntur.

His jam præmiſſis Paradigmata quædam medicamentorum compoſitorum ſubjicienda ſunt.

Apozemata & Cereviſiæ medicatæ.

♃. Rad. Oſmundæ regal. ſpicas num. 6. herbar. veronicæ mar. ling. cervin. ceterach. capill. vener. hepat. an. M j. ſalv. anth. an. M. ß. paſſul. min. ℥ iij. Glycyrrh. Hiſp. ℥ß. macis ℈ij. Coq. in ℔. vi. aq. font. ſ. a.

♃. Co-

paſſul. min. ℥ iij. glycyrr. Hiſp. ℥ ß. macis ℈ ij. coq. in ℔ vi. aq. font. ſ. a.

♃. Colat. ℔ iij. adde ſyr. capill. vener. ℥ iij. M. F. Apozema, capiat puellus hauſtulum hujus quotidie mane, hora quarta pomeridiana, tum etiam noctu, ſi potum tunc petierit, immò ſi voluerit, utatur eo pro potu ordinario: tuſſi & obſtructione pulmonum ſimul cum hoc affectu graviter afflictis maximè convenit.

♃. Fol. oſmundæ regal. ling. cerv. hepat. ceterach. fl. tamariſci, radic. filicis mar. an. m. j. paſſul. min. ℥ ij. ſantal. albi & rubr. lign. ſaſſaphr. an. ʒ ij. ſem. coriandr. ʒ j. macis ℈ j. fol. ſalv. m. ß. coq. in ſ. q. aq. font. ſ. a. ad ℔ iij. colatura edulcoretur ſaccharo vel melle, pro potu ordinario, hepaticis hoc affectu laborantibus ſuccurrit.

♃. Sarſæparill. inciſ. & optimè contuſ. ℥ iij. rad. chin. in talleol. conciſ. ℥ j. infund. & coq. ſ. a. in ℔ vii. aq. font. ad ℔ iv. ß. tum adde rad. ſaſſaphr. ʒ ij. oſmund. regal. ling. cerv. ceterach. capilli vener. lamii an. man. ß. glycyrr. Hiſp. ʒ ij. macis ʒ j. coq. ad ℔ iij. colaturæ adde mellis vel ſacch. ℥ iij. M. pro potu ordinario, conducit præcipue iis qui lue venerea laborare ſuſpecti ſunt, ut & ſtrumoſis.

♃. Fl. tamariſc. recent. m. j. veron. mar. M. ß. leviter contundant. & infund. frigidè per 6. horas in ℔ ij. cereviſiæ communis in lagena lapidea vel vitrea, ſubere optimè clauſa; pro potu ordinario.

♃. Rad. ſarſæparill. ℥ viii. rad. chinæ ℥ ij. lign. ſaſſafras ℥ ß. Eboris ℥ j. oſmundæ regal. veron. mar. ling. cervin. ceterach. capill. vener. hepat. ſummit. lamii an. manip. ij. conciſa & contuſa ſ. a. coq. in congiis iv. cereviſiæ recent. ad unius abſumptionem, ſublatis ab igne adde congium ejuſmodi cereviſiæ, agitentur ſimul baculo, & deinde colentur, ingredientia eadem ſacculo ex tela rara includantur cum fruſto ferri in ejus fundo repoſito, & ſuſpendantur in cereviſia; tum addito fermento, F. fermentatio cereviſiæ ad perfectam uſque depurationem. Liquor limpidus poſt aliquot dies depromatur pro potu ordinario, deinde ubi ad medietatis exhauſtionem deventum fuerit, excipiatur reliquum lagenis vitreis, vel lapideis quæ ſubere optimè clauſæ, reponantur in loco frigido ad uſum.

♃. Vini chalyb. ℥ ß. ſyrup. de cichoreo cum rhab. ʒ ii. bibat æger quotidie mane per v. vel vii. dies, aut plures, niſi fluor alvi aut ventriculi debilitas prohibuerint, in quo caſu loco ſyrup. de cichor. addatur ſyrup. de roſis ſiccis.

Juſcula & Panatella.

♃. Scolopendr. ceterach, Hepat. capill. vener. ſalv. an. Manip. ß. cort. tamariſci, ſantal. rubr. an. ʒ ij. indantur ventri pulli majuſculi aut gallinæ vel galli veteris, & contuſo ventre, coq. cum ℥ ij. paſſul. min. in ſ. q. aqu. fontan. additaque ſufficienti quantitate farinæ avenaceæ purioris, F. juſculum perfectè coctum.

♃. Rad. chinæ in talleol. conciſ. ℥ ij. ſarſæparil. alb. & medulloſæ inciſ. & optimè contuſ. ℥ iij. infunde per noctem in ℔ x. aq. font. mane, poſt levem ebullitionem, inde colaturæ ling. cervin. veron. mar. an. manip. j. macis ʒ ß. paſſul. corinth. ℥ j. & cum carne vervecina, vitulina, vel capon. addita farina avenacea F. ſ. a. juſculum.

Quod ſi tenuiora juſcula deſiderentur, loco farinæ cruſta panis incoqui; ſin verò craſſiores, mica panis cum vitellis ovorum admiſceri poterit. Porro ob debilem puelli coctionem nonnunquam cochlearia aliquot vini addantur.

Panatellæ ex ejuſmodi juſculis colatis, iteratumque cum mica panis coctis, additis tandem, ubi ab igne ſublatæ fuerint, butyro & ſaccharo q. ſ. concinnantur. Eædem quoque è decoctis modo præſcriptis, niſi forte quid amarum aut aliter ingratum contineant, concinnentur. Præterea panatellæ pulticulæque communes, uti & juſcula ordinaria, pulveribus modò ſcribendis alterari, adeoque huic morbo curando appropriari queunt. Sin verò ex lacte pulticulæ parentur, & farina tritici incraſſentur, præter alios pulveres tantillum croci inter coquendum addi convenit. Quod ſi quid in pulveribus minus gratum, aut quod nauſeam moveat, deprehendatur, id omittatur, aliudque, (ſi res ita exigat) quod gratius eſt, in ejus locum ſubſtituendum.

Pulveres & Electuaria.

♃. Rad. filicis mar. (vel potius gemmar. ejuſdem vixdum è terra prorumpentium, & in umbra ſiccatar.) ſpicar. oſmundæ regal. an. ʒ ij. macis, ſem. aniſi an. ℈ ß. croc. gr. ß. F. pulvis, doſis à ℈ ß. ad ℈ j. in lacte, ſero lactis cereviſiato, Apozemate aliquo, juſculo, panatellis &c.

♃. Medulloſæ part. rad. ſarſæp. ʒ ij. rad. chinæ ʒ j. rad. ſaſſafras ℈ j. ſem. carvi & coriand. an. ℈ ß. rad. filicis mar. oſmund. reg. an. ℈ ij. M. F. pulvis, qui uſurpandus ut prior.

♃. Milleped. aq. prius deinde vino alb. lot. in clibano poſt extract. panem ſiccat. q. v. F. pulvis, doſis ſimiliter ℈ ß. ad ℈ j. in juſculis &c. ut ſuprà eodem modo præparata jecinora ranarum, & pullorum corvi pulveriſ. præſcribuntur.

♃. Flor. ſulphur. ʒ ij. ſpec. diarrhod. Abbat. diatr. ſantal. an. ℈ ß. croci gr. ß. ſacchari chryſtallini ℥ iij. pulverata ſubtiliſſime cum aq. roſ. rubr. q. ſ. F. paſta lento calore ſiccanda, quæ denuo ubi uſus fert, in pulverem redacta exhibeatur ad ʒ j.

♃. Conſerv. roſ. rubr. ℥ j ß. flor. borrag. lamii, ſalv. anth. an. ℥ ß. chalyb. præparat. ʒ j. cinnam. glycyrr. Hiſpan. an. ʒ ß. croci ℈ ß. ſantal. rubr. ℈ j. pulv. pulverand. f. ſ. a. Elect. cum ſyr. de cichor. cum rhabarb. q. ſ. capiat æger ʒ ß. ℈ ij. vel ʒ j. quotidie mane vel per ſe, vel in cochlear. ſeri lactis cereviſiati, vel decocti alicujus appropriati, vel etiam vini.

♃. Conſerv. flor. lamii ℥ j. borrag. ſalv. caryoph. rubr. anth. cort. myrobalan. in India condit. cort. citr. an ℥ ß. ſantal. rubr. cinnam. glycyrr. Hiſp. an. ʒ ß. ſal. chalyb. vel ejus loco croci ℈ ß. ſyr. de Abſinth. q. ſ. F. Elect. doſis & modus utendi, ut prioris.

Corrigentia Symptomata.

Symptomata nonnulla, huic affectui ſupervenientia, aliquando legitimam curandi rationem anticipant, peculiaremque tractandi rationem expoſcunt. hujus generis ſunt Fluor Alvi, ut Diarrhœa, cui frequenter aliquid Lienteriæ eſt admixtum; ſudores profuſi; Dentitio laborioſa, Dolorque Dentium.

Fluxus alvi hunc affectum frequenter ſequitur; qui cùm diutius perſeverat, aut paulò violentior eſt, facilè vires dejiciet, ipſaſque ſolidas partes eliquet, & abſumat, manifeſte naturam cauſæ induit, & ut cauſa ſuam indicat correctionem. Dyſenteria rariùs huic morbo accidit; Diarrhœa vero cum inteſtinorum torminibus, vel cum Lienteria complicata ſatis frequens. Etenim ob partium coctioni inſervientium debilitatem, cùm Diarrhœa, tum Lienteria facile; non item dyſenteria, ſupervenire poſſunt. Concurrunt tamen frequenter & aliæ cauſæ, ut ingeſti cibi, vel quantitate nimii, vel qualitate vitioſi; febris aliqua, vigiliæ, dentitio laborioſa, lumbrici, &c. Quæ omnia quoque Diarrhœam, vel Lienteriam, potius quam Dyſenteriam, facilè pariunt. Ad curam quod attinet, perficitur ea partim purgantibus partim ſedantibus & adſtringentibus, partim aperientibus ſimulque partes roborantibus.

Purgantia hic conveniunt ea quæ evidentem adſtrictionem poſt evacuationem relinquunt, ut Rhabarbarum, ſenna, Tamarindi, Myrobalani, &c. ex quibus pro re nata, ut plurimum, vel bolos vel potiones concinnamus; quod ſub illis formulis facilius deglutiantur. Ut,

℞. Conſerv. roſ. rubr. ℥ß. rhab. opt. pulv. gran. xii. ſyr. de Corall. q. ſ. f. bolus deglutiendus mane. Vel,

℞. Pulp. Tamarind. ʒj. Rhab. pulv. gr. vii. ſacch. roſat. ʒß. ſyr. cydon. q. ſ. ut F. bolus, loco hujus ſyr. ſubſtitui poſſunt, ſyr. Myrtil. granat. de Coral. Menthæ. vel,

℞. Fol. ſenn. elect. ʒß. rhab. ℈j. pulp. tamarind. ʒiß. ſem. aniſ. contuſ. gr. x. F. infuſio in ſ. q. aq. font. leviſque ebullitio.

℞. Colat. ℥iß, ſyr. de roſ. ſicc. ℥ß. M. F. hauſtus. vel,

℞. Aq. plantag. vel aq. cichor. vel ſaxifrag. ℥j. rhabarb. pulv. gran. x. ſyrup. de rhabarb. Auguſtan. ſyrup. de roſ. ſicc. an. ʒj. M. F. potio.

Notandum, aliquando paulò pleniorem evacuationem requiri poſſe; nimirum, ubi fluxus ipſe parciùs proceſſerit, vel non diu perſeveraverit, & interim materia peccans copioſa in corpore collecta fuerit, in quô caſu, locô ſyrupi de roſis ſiccis, drachmæ aliquot ſyrupi roſarum ſolutivi, ſyrupi Auguſt. vel de cichoreo cum Rhabarb. vel mannæ ſubſtituantur: tutius vero plerumque eſt doſin rhabarbari aut etiam ſennæ augere; non omiſſo ſyrupo de roſis ſiccis.

Veſperi, poſt purgationem, gran. x. diaſcordii in vino cum Caryophyllis, & tantillo cinnamomi cocto, & tertia parte aq. papav. rhæad. diluto, ſyrupoque aliquo cordiali, (ut caryophillorum) edulcorato, virium inſtaurandarum fluxuſque ſedandi gratiâ, concedantur: vel, ſi fluxus pertinacior ſit, ʒ ij. diacodii, pro vice, loco ſyrupi prædicti, admiſceantur. vel,

℞. Poſſeti, è lacte & vino albo parati, detracto coagulo, quod aromatizetur tantillo croci in nodulo ligati, in id immerſi, leviterque expreſſi, donec pallidæ flavedinis tincturam acquiſiverit ℥iß. confect. Alchermes ℈j. cortic. granatorum pulv. gr. vii. diacodii ʒij. m. F. Potio, hora ſomni propinanda. vel,

℞. Laudani diſpenſatorii Londinenſ. gr. ß. magiſt. corall. gr. xii. conſerv. Caryophill. vel roſ. rubr. ℈j. ſyr. Cydon. q. ſ. ut F. bolus deglutiendus veſperi, hora ſomni.

Quod ſi obſtructiones adſuerint, Crocus martis, vel ſal chalyb. mané præſcribantur. Ut,

℞. Conſerv. roſ. ℥j. rad. cichor. condit. cort. myrobalan. in India condit. an. ℥ß. ſal. chalybis ℈ß. vel croci martis ℈j. cinnam. glycyrr. corall. rub. an. gr. xviii. croci gr. iß. ſyr. de cichor. ſine rhabarb. q. ſ. F. ſ. a. Elect. de quo capiat quotidie mane ʒß. In hunc etiam uſum ferrum candens extingui poteſt in potu ordinario.

In fluxu pertinaci aliquid conſervæ, vel ſyrupi pruneliorum ſylveſtrium eduliis admiſceri poteſt, ita tamen, ne ea reddantur ingrata.

Sudor profuſus, & modum excedens, peculiare aliquando Medico negotium in hoc affectu faceſſit: quippe qui vires multum diſſipat morbique curationem remoratur.

Cavendum tamen eſt, ſi fortè febris adſuerit, aut Paroxyſmus aliquis febrilis calorve immodicus præceſſerit, ne temerè coërceatur: in his enim caſibus, criticus eſſe poſſit, vel ſaltem plus utilitatis corpori ex mitigatione febris calorisve, quam damni ex virium jactura adferat. Neſcimus enim an quidquam potentius, aut etiam ſuavius febrilem calorem ſolvat, quàm ipſe ſudor. Interim, quando inordinatè fluit, & præter cauſam, (quam ſcilicet amovere queat) arguit corpus obſtructionibus, crudis ſucciſque inutilibus & ſuperfluitatibus gravari, quos dum regere ac domare ſatagit natura, ex ipſo labore (concurrente unà laxitate partium cutanearum] in ſudorem profunditur, & quidem inutilem ac laborioſum vireſque depopulantem, qui idcircò quamprimum corrigendus eſt, huc reſpexiſſe videtur Hippocrates, ubi dictat, ſudorem illum, qui præter cauſam fluit, purgationem poſtulare. Quid enim commodius has ſuperfluitates minuat & eliminet? Deinde motus hic ſudori contrarius eſt, unde inter remedia huic ſymptomati oppoſita primum locum meretur, & cùm viam ſternat aperientibus cutemque firmantibus, & coctionem promoventibus (quæ ultimam partem curæ abſolvunt) iis jure præmittendum eſt.

Purgantia huc ſpectantia ſunt; illa quæ naturæ amica & familiaria obſervantur, quæque ſimul obſtructa aperiunt, veraque roborant ac firmant: quæ omnia an ex ſimplicibus quidquam efficacius quam ipſum Rhabarbarum præſtet, dubitamus. Omnia tamen, cùm ſimplicia, tum compoſita ſupra de elective evacuantibus propoſita, pro varia ægrotantis conditione, huc à prudenti Medico transferantur

rantur. Aliqui cereviſiam Rhabarbaro medicatam hic multum commendant, ut.

℞. Rhabarb. in taleol. inciſi ℥ ij. uvar. paſſar. exacinat. & inciſor. ℥ ß. cereviſiæ tenuioris ℔ ij. indantur, lagenæ lapideæ vel vitreæ ſubere optimè clauſæ, quæ in loco frigido reponatur, ſæpius agitata: Ante uſum verò iterum ſubſidant per diem unum, deinde depromatur liquor pro potu ordinario. Exhauſto liquore lagena denuo repleatur cereviſia, ſed abſque novo Rhabarbaro.

Porrò nobiliora aperientia, quæ ſimul coctionem promovent, inutilem ſudorem reprimunt: ut vinum Gallicum, & Rhenanum, quòd ſi horum calor in tam tenera ætate metuatur, temperari poſſunt pomis aſſatis, aqu. roſ. rubr. borrag. addito ſaccharo & tantillo nucis moſcatæ raſæ; propinantur etiam in minori quantitate, & tantùm tempore paſtûs:

Sunt & aperientia efficaciſſima, quæ non tantùm coctionem juvant, ſed & ſimul omnium partium tonum, præcipuè viſcerum, firmant ac roborant, inter quæ præ cæteris chalybeata commendamus; ut vinum chalybeatum, electuarium chalybeatum ſupra deſcriptum. Et ſimilia. Verùm licet Chalybs reipſa ea efficaciter præſtet, quæ diximus; cum tamen is nonnullis aliis ſcopis magni in hoc affectu momenti non uſquequaque reſpondeat, quin potius nonnunquam ex una parte plus noceat, quam ex altera proſit, cautiones ſequentes circa ejus uſum hoc proponere viſum eſt.

I. Quandoquidem Chalybs pulmonibus inimicus eſt, facileque ſævum pituitoſæ materiæ fluxum in tenellis corporibus concitat: ubi Catarrhus, Tuſſis, Infarctus pulmonum, multoque magis inflammatio quævis, Pleuritis, ſputum ſanguinis, aut diſpoſitio ad quemvis horum affectuum adeſt, ab ejus uſu planè abſtinendum eſt.

2. Cùm Chalybs parum aut nihil ad æquationem ſanguinis contribuat, quin potius contra (ut ut attenuet caſeoſam & pituitoſam ſanguinis partem) ad ejus tamen ſeparationem à reliqua maſſa ſanguinis ob vitriolatam aciditatem ſimul faciat, omninò circumſpectè admittendus eſt; præſertim vigente illa maſſæ ſanguineæ inæqualitate.

3. Cùm vis attenuandi, incidendi & aperiendi in Chalybe cum inſigni ſiccitate & adſtrictione conjuncta ſit, illoſque idcirco humores, quos fortè non diſſolvat & diſcutiat, magis adhuc impingat: in alogotrophia oſſium notabilis ejus uſus eſt ſuſpectus. Etenim metus eſt ne curtas oſſium partes minuſq; debito nutritas nimium conſtringat & conſolidet; unde poſtea minus promptè ſecundum longitudinem accreſcant; partes autem protuberantes (ut & convexa oſſium latera) liberabilius nutritas cum diſſolvere non valeat, amplius confirmet & contumaciores reddat; eas nimirum pluſculum condenſando & indurando.

4. In omnibus acutis febribus Chalybis uſus noxius eſt; quòd nimium partes deſiccet & conſtringat: immò eô ipsô, quòd ſudores reprimat, humoreſque acriores ac ferociores præſtet.

His cautionibus ritè obſervatis, chalybis uſum in hoc affectu admittimus: verùm cum Medicaſtræ, Empiricique nequeant uſum ejus ab abuſu diſtinguere, non ſuaderemus tam nobilis medicamenti uſum ſine conſilio exercitati prudentiſque medici: quoniam niſi circumſpectè præſcribatur, tanto cum periculo adhibetur. Alia minoris notæ aperientia huic ſcopo etiam inſervire poſſunt; Ut, radic. fol. cichor. borrag. vel conſerv. flor. eorundem; rad. gramin. aſparagi, filicis, rubiæ tinctor. fol. ceterach, Aſplen. Capill. vener. &c. inter compoſita, Species diatr. ſantal. diarrhodon. Abbat. &c. vel,

℞. Sacchar. opt. ℥ iij. ſolvent. in aqu. roſ. & coq. paulum ultra ſyrupi conſiſtentiam; deinde adde conſerv. berberorum ʒ j. ſpecier. diatr. ſantal. diarrhod. Abbat. an. ʒ j. croci pulver. gr. j. m. F. Electuarium.

Dentitio laborioſa, dolorque dentium, familiaria Rachitidis ſymptomata, cum febres, inquietudinem, vigilias, aliaque mala producant, peculiarem quoque merentur mitigationem. Itaque ſi Deus gingivam pertuſurus inſignem moleſtiam puello creet, ſtatim ab initio univerſalis aliqua evacuatio, niſi ea paulò antè facta fuerit, inſtituenda eſt; ut vomitus qui dolori dentium potenter ſubvenire creditur. Proritari autem is poteſt, vel ſola gutturis titillatione, immiſſa penna, vel digito nutricis in fauces puelli, vel etiam frictione dentis erupturi cum folio tabaci circa nutricis digitum involuto, & cereviſia parum madefacta vel denique propinato hauſtu aliquo Emetico ſupra deſcripto. Non eſt autem remedium hoc frequenter iterandum, ne ventriculum nimium debilitet. Sequenti die (dolore perſiſtente vel recurrente) potio aliqua cathartica boluſve ex ſupra præſcriptis aut ſimilibus exhibenda. Facta hôc modô univerſali evacuatione ad Topica deveniendum. Solent nutrices dentem erupturum fruſtô Corallii in hunc uſum polito perfricare. Medici potius commendant radices Althææ, quæ emolliunt & laxant gingivas, quo faciliùs pertundi poſſint. Aliqui pro ſecreto habent frictionem dentis dolentis cum radice lapathi acuti. Alii plurimum commendant frictionem gingivæ è qua erupturus eſt dens, cum criſta galli recenter abciſſa, aut ſanguine calido ex iſto vulnere extillante. Quæ in aures inſtillari ſolent. In hac ætate non experti ſumus; ſimiliter neque Emplaſtra maſtichis, Olibani vel de minio, quæ in adultis fluxionem ſiſtere obſervantur. Aliqui parva Emplaſtra Epiſpatica pone aures applicant, quæ forte materiam dentibus dolorem inferentem revellunt. Sed neque de his judicium noſtrum interponimus. Tandem non proficientibus univerſalibus, ſolemus ad hypnotica confugere; quæ quidem extra applicata parum efficiunt; intrò verò aſſumpta ubi ritè præparata & correcta fuerint, plurimum juvant. Urgente ergo inquietudine, & vigiliis, hæc vel ſimilia præſcribimus.

℞. Diaſcord. gran. vii. ſyrup. de meconio ʒ i ß. vel ʒ ij. poſſeti ex lacte & vino albo parati, paucoque croco tincti ℥ j. vel ʒ x. m. & capiat hora ſomni, nocte iſta, quæ purgationem proximè ſubſequitur.

℞. Laud. diſpenſatorii Londinenſis gran. ß. pulv. cord. è chelis cancror. gr. x. conſerv. caryophyll. ℈j. ſyr. meliſſ. q.ſ.F. bolus deglutiendus veſperi hora ſomni. Atque hæc de corrigentibus ſymptomata.

Remedia externa.

Abſoluta tandem diſquiſitione de materia & ſpeciebus internorum medicamentorum, ad externa remedia ſermo noſter dirigendus eſt, quæ quidem ad ultimum locum reſervavimus: non quòd ea perpetuò ultimò ſint exequenda, ſed quò diverſi planè generis ſint ab internis; adminiſtranda vero immediàte poſt evacuantia univerſalia, aut ſaltem poſt electivè purgantia, ſimulque cum alterantibus ſpecificis, ad quorum genus pertinent, licèt quatenus externa ſunt, ab iis, ut dictum eſt, differant: monendum hic autem externi remedii nomen paulo latiùs hic à nobis accipi, adeo ut omne medicamenti genus, quod propriè neque ad Chirurgica, neque ad intus aſſumpta referatur (modo in hujus affectus curatione uſum) ſub ſe complectatur.

Exercitii modis, ſeu genera omnia puerò conſueta, ſuô locô & tempore in uſum venire poſſint. Quandoquidem autem Puelli Rachitide laborantes motum nonnihil averſantur, atque ob virium languorem & exercendi desſuetudinem, ſtatim à curationis principio, vix, aut ne vix quidem violentiores motus perferunt; à mitioribus exercitiis perpetuò ordiendum, & dein paulatim gradatimque ad fortiora progrediendum: ſimiliter breviori tempore ab initio, poſtea autem longiori abſque intermiſſione ſunt continuanda.

Diſtinguimus ergo exercitia in leniora & fortiora, ſeu maſcula.

Leniora referimus, 1. ad morem decubitûs: 2. ad agitationem in cunis: 3. ad geſtationem, vel tractationem in ulnis, vel manibus nutricum. 4. ad luſus ſedentarios.

1. Decubitus ſupinus inter omnes corporis poſitiones maximè ab exercitio recedit, & in extrema virium debilitate fere ſolus convenit; ut in febribus acutis, exhauſtis jam viribus. Solus etiam in multis Thoracis & Hypochondriorum caſibus convenit; ut frequenter in inflammatione Hepatis, Lienis, Pulmonum, in Pleuritide, in Adnaſcentia Pulmonum cum Pleura, in Empyemate &c.

Decubitus lateralis verſus ſupinum, ſive dexter, ſive ſiniſter, quamproximè ad hunc decubitum accedit, & tantillum de natura exercitii participat. Quare convenit etiam in magnâ virium debilitate, ſaltem poſitionis corporis mutandæ cauſa, ut & quando profundior ſomnus non expectatur. Porro & proficuus eſt ſatis robuſtis, tempore primi vel ſecundi ſomni, mutatis poſt juſta intervalla lateribus. Sed non æque forſitan iis poſteà convenit; præſertim corpore ſomno ſatis refecto, tunc enim decubitus, qui propius accedit ad exercitii naturam, potior eſt.

Decubitus ſimpliciter lateralis pluſculum exercitii continet, & debilibus ac inſuetis tempore profundioris ſomni vix quadrat, aliàs autem familiaris iis reddi poterit, ſi paulatim ei aſſueverint. Robuſtis omni tempore, modò juxta ratio debitæ variationis habeatur, competit.

Decubitus lateralis verſus pronum laborioſus admodum eſt ac moleſtus, vixque ipſis robuſtis inſuetis diu continuandus. Attamen paulatim per conſuetudinem ſeparata moleſtia, facilius toleratur; & cum dolores capitis ſedet, concoctionem ventriculi promoveat; colicos dolores mitiget, alvum adſtrictam lubricet, peractô ſomnô naturæ debitô, in uſum nonnunquam vocari, & in hoc affectu exercitii vicem ſupplere poteſt, accidit enim interdum in hoc morbo, ut pueri ad tempus aliquod vix citra damnum pedibus commitantur, immo ut plus emolumenti ex ipſo decubitu, quam ex deambulatione percipiant. Etenim inflexos articulos deambulatio confirmat potius, quam curat. Decubitus autem, ubi partes debito modo faſciis munitæ ſunt, non parum ad eorum erectionem conducit. Deinde ad curtas partes proceriores reddendas, multum ipſa decubitûs poſitio confert, quemadmodum cernere licet ex partium ſecundum longitudinem per morbos accretione. Tertiò decubitus ratione communium totius corporis involucrorum, facit ad caloris in omnibus partibus æquationem. Ultimò, decubitus, ſi juſta ratio ſternendi lectum obſervetur, multum contribuere poteſt ad ſpinæ truncique corporis incurvationem erigendam. Etenim ubi in latus gibboſum decumbit parvus pulvillus, in hunc uſum aptè formatus, ſub extantibus partibus immitti poteſt, atque ita adaptari, ut partes gibba magna ex parte totius corporis onus ſuſtineant, adeoque ad rectitudinem repellantur. Quando autem puelli in alterum latus devolvuntur, ita lectum ſterni oportet, ut detracto pulvinari pars cava lectum vix tangat, niſi ſe ad rectam lineam conformet quò pondere ſuo ad rectitudinem deprimatur. Atque hæc de Decubitu.

2. Decubitum proximè æmulatur exercendi illud genus, quod cunarum agitatione perficitur. Cunæ binis arcubus, ſeu portionibus rotæ, ſeu circuli, ſuſtentantur: quo autem majoris circuli portiones ſunt hi arcus; eo efficacius exercitium puello præſtant. Motus hic profundioris ſomni tempore intermittendus, aut ſaltem remittendus eſt; tempore vero vigiliarum, per vices modo intendendus, modo remittendus eſt. Convenit maximè debilioribus, vix dum pedibus inſiſtentibus, aut aliter ab inceſſu impeditis.

3. Geſtatio in nutricum obambulantium ulnis, iiſdem prope puellis & ſub iiſdem conditionibus convenit, ſimiliter Geſticulatio puelli ad rhythmum cantûs, ſive dum Nutricis genibus inſidet, ſive dum ejus manibus ſuſtentatur, ut & ejuſdem horſum illorſum jactatio, frequenſque elevatio & demiſſio, leniter apprehenſis manibus, ſi puellus fortior ſit, aut axillis, ſi debilior, ita quidam, ut crura & truncus inter movendum dependeant; Præterea tractio & retractio puelli, ſuper lectum vel menſam inter binas nutrices altera manus, altera pedes apprehendente. Duo ultimi motûs aliquid videntur contribuere ad ſpinæ curvæ ſeu inflexæ erectionem, præſertim ſi manus, quæ

humero

humero depreſſo, & pes, qui coxendici elevato inarticulatur, paulo fortius quam altera manus vel pes trahantur. In eundem prope ſcopum collimare videtur elevatio puelli, apprehenſis ſolis pedibus, ita ut truncus & caput puelli inverſo ſitu aliquandiu dependeant; licet hæc actio videatur quoque nonnihil reſpicere Hepatis adnaſcentiam, ſi qua adfuerit. Ut & convolutio illa corporis, qua demiſſo capite, attolluntur pedes, iterumque elevato capite corpus totum invertitur. Huc quoque referatur rotatio illa puelli, à nonnullis uſurpata, ſuper lectum vel menſam corpore lateraliter reclinato: quam magis probamus, ſi non integrè circumvolvatur: ſed tantum volvatur ac revolvatur corpus ſuppoſito duriuſculo pulvinari, cui pars gibba incumbat, onus corporis ſuſtineat. Hoc exercitium rectè adminiſtratum multum ad corporis defflexi erectionem confert.

4. Luſus ſedentarii minimum inter omnia exercitia emolumentum pueris Rachitide detentis adferunt, iiſque placandi cauſa potiſſimum permittuntur, utiliores vero erunt, quô magis eos ad movendos pedes provocant, ut, verbi gratia, ſi à Nutrice, erecto vel projecto coram pedibus corpuſculo aliquo, irritantur ad id calcitrando evertendum, vel abigendum. Quòd ſi puelli corpus incurvum ſit, ii luſus adinveniendi ſunt, quibus puellus ad corpus in partem contrariam movendum alliciatur. Ubi ergò alter humerus altero eſt depreſſior, alliciantur ab iſto latere, oſtenſis supernè pupis vel crepundiis, manum humerumque ſimul elevare & extendere, quò oblatum objectum arripiant. Innumera prope ejuſmodi particularia exercitia fingi poſſunt, quæ nutricum induſtriæ relinquimus.

Maſcula exercitia majoris notæ ad tres titulos reducimus.

1. Ad Inceſſum; 2. ad Artificialem corporis ſuſpenſionem; 3. ad Frictionem, & Hypochondriorum atque Abdominis contrectationem.

1. Inceſſus, Greſſus, ſive Obambulatio inter nobiliora exercitia numerari poteſt. Etenim puelli ætate grandiores, ut & robuſtiores, quique huc illuc quotidie diſcurrere ſolent; hoc ipſo, cæteris paribus faciliùs affectum hunc excutiunt. Verùm hoc exercendi genus iis non temerè permittendum, quorum articuli genuum, talorum aut vertebrarum dorſi nondum eo uſque confirmati ſunt, ut oneri corporis ſuſtinendo ſint pares. Ubi enim pueri ex incuria Nutricum (ut ſupra monuimus) præmaturè pedibus committuntur, facile fit, ut articulos iſtos vel introrſum, vel extrorſum, vel antrorſum, vel retrorſum, deflecti ſinant, adeoque deformitati illi in debita corporis erectione occaſionem præbeant.

Porro, illi puelli, qui vel ex nativa debilitate & laxitate ligamentorum, vel ex incuriâ Nutricum, malove uſu, articulorum deflexionem jam contraxerunt, non ſunt pedibus exercendi, donec ferulæ, aliave munimenta, quæ articulos deflexos erigere erectoſque ſervare valeant, iis adaptentur: Atque aliis interim proficuus exercitiis, ſaltem non nocivis, partim ſuperiùs, partim inferiùs deſcriptis, aſſuefaciendi ſunt. Diſcurſus puerorum in ſuis curriculis, ita conſtructis ut eos à titubatione & caſu inter incedendum defendant, in eundem ſcopum collimat, iiſdemque legibus ſubjicitur.

2. Artificialis corporis ſuſpenſio perficitur ope inſtrumenti cujuſdam penſilis ex faſciis ea arte formati, ut pectus ſub axillis complectatur, caputque ſub mento alia faſcia circumdet, manuſque binis anſis excipiat, unde corporis onus partim à pueri manibus, partim à capite, partim ab axillis in aëre pendulum ſuſtineatur ita, ut ab adſtantibus non ſine voluptate huc illuc impelleatur. Hoc exercendi genus multis modis in hoc affectu conducere creditur. Etenim ad oſſa curva reſtituenda, ad articulos deflexos erigendos, ad curtam corporis ſtaturam elongandam, conducit, Quinetiam, quod & alia præſtant exercitia, calorem vitalem excitat, unaque uberiorem alimenti ad partes externas primoque affectas diſtributionem promovet: atque interim puellis huic exercitio aſſuetis voluptatem potiùs, quàm moleſtiam creat. Aliqui, ut magis diſtendantur partes, calceos plumbeos pedibus adaptant, & contractiori corporis lateri pondus adjiciunt, quo facilius partes ad æqualem longitudinem extendantur. Hoc autem exercitium ſolis robuſtioribus competit.

3. Frictio quoque ad maſcula exercitia ſuo modo referri poteſt: non quidem reſpectu activi alicujus motus in puello ad ejus adminiſtrationem requiſiti (ſiquidem Nutricis potius actione quam pueri perficitur) ſed ob conſimilem vim & efficaciam, quam habet in morbi hujus curatione. Videtur autem frictio dubii eſſe generis, & partim ad exercitii, partim ad exteriùs applicandorum genus pertinere, quô reſpectu ad hunc locum eam reſervavimus, ut ſimul exercitiorum agmen claudat, & extrinſecus applicanda immediatè præcedat. Adminiſtranda hæc eſt (hyberno ſaltem tempore) coram luculentô igne, puellô undique bene munitô, ne afflatu frigidi aëris lædatur. Perficiunt hanc frictionem nutrices, aliæ manu calida, aliæ linteis ſiccis & calefactis, aliæ pannis laneis, aliæ verriculo. Et quidem aliquæ plurimum laudant verriculum, cæteriſque modis præferunt: verùm cùm tantillum intereſſe videatur quo ex his modis peragatur, ſingulos probamus, electionemque penes Nutrices ſagaces permittimus. Cæterum ordiantur hanc frictionem à ſpina dorſi corpore puelli pronô collocatô, & manum modo ſurſum, modo deorſum, modo lateraliter promoveant, deinde illinc ad clunes, femora, ſuras, talos, plantas pedum deſcendant; poſtea reſupinatô corpore, pectus, ventrem, hypochondria & latera, necnon anteriora crurum, tibiarum, pedum, moderatè fricent, abſtinendo tamen à frictione, quâ parte oſſa prominent, & liberaliùs fricando partes eorum cavas. Non continuanda eſt hæc actio ultra levem ruborem in partibus excitatum, ne

magis diſſipetur, quam ſuſcitetur nativus calor Hoc exercitii genus maximè infirmioribus puellis convenit; quique aliàs ſtatione aut greſſu vix ſatis valeant ſe ſe exercere. Supplet enim vicem hujuſmodi exercitii, & calorem inſitum excitat, vitalem evocat, alimentum ad partes affectas attrahit. Concedimus tamen frictionem paulo minus ad muſculorum carnes, licet forte magis ad partes cutaneas, nutrimentum ac calorem allicere, quàm exercitium propriè ſic dictum, adeoque eam veris exercitiis dignitate ac præſtantia cedere. Ad frictionem quàm proximè accedit illa nonnullis uſitata contrectatio ventris, ſeu hypochondriorum & abdominis; qua viſcera, modo ſurſum, modo deorſum modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum premunt, intrudendo nonnunquam digitorum apices, ſub coſtis nothis.

Et ſperant Practici, neque præter rationem, ſe hac actione Hepar à præternaturali quavis adnaſcentia cum peritonæo liberare, ſi qua forte talis adfuerit. Atque hic obiter notamus, talem Hepatis adnaſcentiam in hoc affectu facile ob tenſitatem hypochondriorum & magnitudinem hepatis accidere poſſe, unde preciſè admodum arcteque Peritonæum & Hepatis membrana conjungantur, conjunctaque diu in eadem poſitione maneant, adeoque tractu temporis promptè coaleſcant. Coaleſcentia hæc quatenus ab Hypochondriorum tenſitate, & mole Hepatis, ut diximus, dependet; non incongruè ad eſſentiam hujus morbi ſecundariam referri poteſt, viz. ad vitia Organica, inter quæ recenſeri meretur, quamvis ſupra ſuô locô. caſu à nobis fuerit omiſſa, ideoque hic viſum eſt ejus mentionem facere. Hæc de exercitiis, ſequuntur exteriùs applicanda.

Remedia hæc non tantùm ut diximus frictionem prærequirunt, ſed & plerumque cum ipſa frictione, at leviori, adminiſtrantur. Sunt autem vel generalia ſeu univerſalia, omnes partes ex æquo reſpicientia; vel particularia, certis regionibus corporis dicata. Generalium materia eadem fere eſt, quam ſupra propoſuimus, ubi de alterantibus ſpecificis; particularium vero varia, pro varietate regionum corporis, quibus applicanda ſunt. Formulæ utriuſque generis prope omnes communes videntur, & quinque numero occurrunt; Liquores, olea, linimenta, Unguenta Emplaſtra; quanquam Emplaſtra coſtis potius partibus dicata, nunquam univerſo corpori ſimul applicanda veniunt.

Liquores in hoc affectu longo uſu probati, ſunt omnia prope vini genera; imprimis verò vinum Moſcatellinum. Aliqui verò potius commendant, viniſque præferunt cereviſiam Gedanenſem, ſeu Pruſſiacam: quæ quidem ad conſolidandas & firmandas partes plurimùm, ad ſanguinis autem æquationem ejuſdemque æqualem diſtributionem parum aut nihil poteſt, idem quoque judicium eſto de vino Alicantico, ut & de vino rubro. Aliqui loco vini utuntur aquâ vitæ vulgari, quæ nihilo inferior vino creditur. Decocta quoque in eundum uſum parari queunt. Ut,

♃. Rad. oſmundæ regal. fol. ſalv. flor. calend. fol. lauri, ſcolopend. veron. mar. an. m. ß. roris marini, roſ. rubr. ſiccat. an. p. j. coq. in aq. font. & aq. vitæ vulg. an. ℔ j. ad tertiæ partis abſumptionem. Colatura ſervetur, ad uſum. Vel,

♃. Rad. filic. mar. ℥ j. fol. Oſmundæ reg. hortini, lauri, ſalv. veron. mar. an. m ß. F. infuſio in vino aliquo, & liquor colatus ſervetur in uſum.

Cæterum liquores hi raro, aut nunquam, ſoli adhibentur, ſed oleis, linimentis vel unguentis, æquis fere partibus admixti; & quidem coram luculento igne tepidi uſurpandi, calida Nutricis manu, donec exſiccentur, affricari.

Olea compoſita, & probata in hoc affectu, pauca admodum, eaque vix ſatis efficacia, in officinis parata ſervantur. Simplicia verò paulo plura; ut oleum vermium terreſtrium, chamæmili, florum calendular. veronicæ mar. è pedibus bovinis: quibus etiam addere poſſumus oleum vulpinum, catellorum, hirundinum; modo hæc ultima ſimpliciora, & ſaltem abſque impensè calidis parentur.

Oleum Excetrenſe (licet eo nonnulli practici utantur) videtur calidius, quam ut per ſe ſolum in tam tenera ætate facile probemus. Idem judicium eſto de Oleo Caſtorei Jacobi de Manliis, ut & de plurimis unguentis antiparalyticis, Unguento Nervino, Martiato, Aregon, & ſimilibus. Torpor enim in hoc affectu non paralyticus eſt; neque perinde ac in vera paralyſi, impensè calida expetit; neque etiam conjuncta partium flacciditas talia, abſque ſpirituum inſitorum diſſipatione, facile admitteret. Quare cum hic morbus novus ſit, ſi velimus olea, unguenta vel linimenta ei appropriata, ad manum, habere oportet recta methodo compoſitionem inſtituamus; nimirum ſpecifica alterantia ſupra uſitata, Oleis vel pinguedinibus, debito modo admiſcendo. ut;

Prima ♃. Fol. ſalv. rubr. veron. mar. anagallid. flor. calendulæ, an. m ij. rad. oſmundæ reg. ℥ vi. butyr. Majal. ℔ iij. vini alb. ℔ ß. conciſæ herbæ, & contuſæ radices coq. ſ. a. ad vini abſumptionem: dein F. expreſſio, dum adhuc calent, cui adde oleum nucis Myriſticæ per expreſſ. ℥ i ß. Miſceantur diligenter, & poſt ſubſidentiam abjectis fæcibus, F. ung. purum, quod in olla vitreata reponatur ad uſum. vel,

Secunda. ♃. Fol. chamæm. beccabung. naſturt. aquat. cochlear. hort. veron. mar. cardiacæ, capill. vener. ling. cervin. ceterach. lauri, ſummit. menth. rubr. ſalv. rubr. roriſmar. baccar. hederæ an. m ß. rad. oſmund. regal. ℥ iv. vini Moſcatellini ℔ ß. butyr. Majalis ℔ iij. incidenda inciſa, & contundenda contuſa, coq. omnia ad vini abſumptionem, exprimatur dum calet, &, ſeparatô impurô ſedimentò, F. ſ. a. unguentum. Vel,

Tertia. ♃. Fol. ſalv. rubr. veron. mar. ling. cervin. Xiris, an. m ij. rad. oſmundæ reg. ℥ vi. ſummit. lavendulæ, roris mar. fol. lauri, an. m ß. aq. vitæ vulg. ℔ j. ol. è pedibus bovin. ol. vulpin. an. ℔ j. ſevi cervin. vel vervecin. vel medull. bovin. ol. lumbricor. an. ℔ j. coq. ad conſumpt.

ſumpt. aq. vitæ, exprimatur ung. dum calet, & ſeparatis fæcibus reſervatur, in uſum.

Quarta. ℞. Fol. oſmundæ regal. virentis M vi. anagallid. flor. calendul. fol. ſalv. rubr. hormin. carulacæ, becabungæ, naſturtii aqu. an. manip. j. fol. roris marini, lauri an. m. ß. concila omnia minutim contundantur optimè in mortario marmoreo, vel ligneo, cum ℔ vi. butyri non ſaliti; dein macerentur per dies 14. tum paulatim liquefcant in balneo Mariæ & ſimul ac ferveſcere incipiunt, F. Expreſſio, iterumque addantur herbæ ut prius. Tandem unguentum expreſſum, & depuratum, recondatur in vaſibus idoneis, ad uſum.

Hiſce generalibus externis remediis nonnulla particularia, certas corporis regiones ſpectantia, ſubjungi poſſunt; Ut,

Si regio abdominis præcipuè Hypochondriorum, tenſa, dura tumidaque fuerit; neque durities, tenſitas, tumorve purgationi debitò modo adminiſtratæ ceſſerit, ad hujuſmodi topica deveniendum eſt. Ut,

℞. Ol. de capparibus, abſynthio; ſambucini, an. ℥ j. ung. generalis primi ſuprà deſcripti ℥ i ß. M. F. linimentum, vel,

℞. Unguent. è ſuccis aperit. Foeſii ℥ iij. ung. primi generalis ℥ ij. M. F. unguentum. Commendatur etiam oleum, ſaxifragiæ ex multiplici infuſione & coctione herbæ conciſæ & contuſæ fact. in oleo vulgari.

Tempore uſûs hæc, ſimiliaque unguenta, vel linimenta, cum aliquo appropriato liquore, facilioris penetrationis cauſa miſceri poſſunt, Ut,

℞. Flor. ſambuci, fol. ſalv. rubr. contuſorum; baccarum lauri contuſar. ſantal. albi craſſiuſculè pulv. an. ʒ ij. vini albi ℔ ij. macerentur, per tres dies in loco frigido, in ampulla vitrea, ſubere acuratè clauſa, bis in die concutienda, tempore uſûs portio liquoris, quæ pro una vice ſuffecerit, effundatur colata; denuo clauſum vas reponatur in uſum, vel (ſi fortiorem malis)

℞. Rad. bryon. alb. ſiccat. & inciſ. baccar. lauri, ſtercor. Anſerini, an. ʒ ij. ſem. Cymini ʒ j. fol. ſalv. rubr. flor. ſambuci an. pug. j. coque in ℔ i ß. vini Rhenani, ad ℔ j. colatura ſervetur in vaſe clauſô, locô frigidô.

Liquores hi, ſimileſve unguento commixti, & ad ignem calefacti, calida nutricis manu, abdomini & præcipuè Hypochondriis, ad ſiccitatem uſque affricentur: ſimulque Nutrix iſtas partes molliter contrectet; viſcera modo ſurſum, modo deorſum, dextrorſum vel ſiniſtrorſum premendo ut, ſupra dirigitur.

Egregiè etiam hic confert balſamum de Tolu, Unguentis vel Emplaſtris admiſtum. Poteſt & ex eo fieri Emplaſtrum, quod ſpinæ debili utiliter applicatur.

Emplaſtra quoque huc nonnihil contribuere videntur: ut,

℞. Cerati ſantalini ℥ iij. Gummi Ammoniaci in vino Rhenano, vel vino aliquo medicato modô deſcriptô, ſoluti, depurati, & ad ſpiſſitudinem iterum cocti ℥ j. F. ſ. a. Empl. hujus porro ſufficiens quantitas extendatur ſuper alutam, & dextro hypochondrio coaptetur vel etiam ſiniſtro [ſi durities quod raro accidere putamus) illic magis urgeat. vel,

℞. Succor. beccabungæ, naſturt. aqu. cochleariæ hortenſis; abſynth. cortic. ſambuci, rad. filicis maris, an. ℥ j. ſucc. depurat. lento calore, ad craſſitiem ferme extracti redigantur; tunc adde in pulverem ſubtiliſſimum comminuta ſantali citrini ʒ ij. macis ʒ i ß.

℞. Mixturæ hujus ℥ i ß. gumm. ammoniaci in vino ſoluti & ad ſpiſſitudinem cocti, ℥ iv. miſceantur calidè, & continuè agitentur, donec incipiant frigeſcere & indurari: & fiat Empl. applicandum ut prius.

Porro Pulmonum male affectorum gratiâ, frequenter quoque peculiare unguentum pectorale ex uſu eſt, in quo caſu.

℞. Ol. viol. lilior. alb. unguenti è floribus Arantiacis, an. ℥ j. m. F. linimentum, calida manu pectori affricandum, ſuperimpoſita charta, mollique lana interſuta, vel panno laneo, addi huic linimento poteſt exigua quantitas balſami peruviani. Vel,

℞. Unguent. pectoralis ℥ ij. ung. Glycyrrhizæ ſimplicis ℥ i ß. ol. viol. ℥ j. M. F. linimentum, eodem modo adhibendum.

Cæterum ung. glycyrrhizæ ſimplex ſic conficitur.

℞. Glycyrrhizæ recent. & ſucculentæ, ℥ iv. butyr. recent. non ſaliti, in aqu. roſacea loti, ℔ j. glycyrrhiſâ inciſa contunditur optime cum butyro in mortario lapideo; poſtea ſimul frigantur in ſartagine: tunc F. colatura cum expreſſione; idemque labor ter iteretur, cum pari quantitate novæ glycyrrhizæ.

Denique propter ſummam ſpinæ dorſi debilitatem, quæ in hoc affectu frequens eſſe ſolet, Emplaſtra quædam iſti appropriata, parari poſſunt. In pharmacopæis extant Empl. de betonica & Diacalciteos; cui tamen tempore uſûs addenda eſt maſtiches, olibani pulv. an. ʒ ß. Emplaſtrum quoque, flos unguentorum dictum, huc referri poteſt, modo caphura omittatur, ſimiliter & Emplaſt. nervinum: vel,

℞. Unguent. primi generalis ℥ ij. herbar. ejuſdem compoſitionem ingredientium, minutim conciſarum ℥ v. ceræ citrinæ ℥ iv. reſinæ puriſſimæ ℥ viii. unguento, reſinâ, & cerâ liquatis, adde herbas, & ſ. a. F. Emplaſtrum. Vel,

℞. Unguent. generalis tertii ℥ xv. lithargyri auri triti & cribrati ℥ ix. coque ſimul ſpathulâ agitando ad Emplaſtri conſiſtentiam. Tum adde ceræ, picis burgundiacæ, an. ℥ iij. olei nucis Myriſticæ expreſſi ʒ iij. maſtiches, olibani, myrrhæ an. ʒ i ß. caſtorei ʒ ß. vitrioli albi pulverati ʒ ß. F. Emplaſtr. ſ. a.

Diſcrepant autem practici, in figura & applicatione horum Emplaſtrorum. Aliqui oblongam, & anguſtam figuram eligunt, & ſecundum longitudinem ſpinæ applicant. Alii potius figuram latiuſculam & prope triangularem probant, & à lumbis deorſum ſuper os ſacrum ad Coccygem uſque, extendunt. Nos autem exiſtimamus, ubi inferiores partes ſpinæ, tum crura ac tibiæ, partes illæ nimirum, quæ ab inferiori

ſpinæ parte nervos ſuos mutuant, præ ſuperioribus infirmæ ſunt, formam poſteriorem convenire poſſe; ubi vero potius ſuperiores ſpinæ partes videntur debiliores, priorem & oblongam formam magis quadrare.

Similiter à nonnullis pro ſpinæ debilitate linimentum commendatur, quod conſtat ex gelatina cornu cervi facta cum nervinis & radicibus ſigilli mariæ, floribus ſalviæ & conſolidæ, tempore inunctionis admiſcendum eſt aliquid olei nucis Myriſticæ per expreſſionem, vel olei lumbricorum terreſtrium, aut adipis humani. Atque hæc de medicamentis externis. *Franciſcus Gliſſonius, Tractatu de Rachitide.*

Rhachitidis & reſpirandi difficultate laborantis, anatomica inſpectio.

Infans dentitionis tempore languebat. adfuit à principio tuſſis moleſta & ſpirandi difficultas, quæ indies increſcebant; caput ſolito majus erat: membra flaccida: carpi ac tarſi protuberabant; aderant nodi in coſtarum cartilaginibus; venter tumebat: pectus macre fuit. Tandem emaciatus obiit diem.

Abdomine inſpecto, cuncta ſana, ſed juſto majora. Inteſtina aëre turgida. In thorace ſternum reflexum, pulmones exucci & plumbei coloris. Mirum, membrana pulmones ſuccingens aſpera erat & protuberantiis, tuberculiſque, verrucis non diſſimilibus. Apertis pulmonibus, in plurimis locis tartarea ſeu gypſea ſubſtantia concreverat.

Infantem hunc ex diætæ vitio, ſive cibi ſive lactis, quo ſugendo alebatur, Rachitide ſeu morbo anglico, laboraſſe certum eſt, cum omnia ſigna huic quadrant. omnia viſcera in hiſce ſymptomatibus, quæ nervos à cerebro accipiunt melius habere videntur, quam membra, quæ nervis ex ſpinali medulla gaudent. Cauſam genuinam in obſtructione medullæ ſpinalis pono: quæ non quidem plane paralytica eſt, ſed pro parte. Succi enim nervoſi talem particularum proportionem poſſunt habere; ut cerebri glandulas, ejuſque nervorum originem facile permeent medullamque ſpinalem quaſi obſtruant. Hinc cauſa petenda cur quædam partes nimium nutriantur, quædam autem flacceſcant.

Incurvantur oſſa, quia muſculi non creſcunt, eodem ritu ac ſi funis arbori circa radicem & ſummitatem accommodetur, tum arbor primo eſſet recta, elapſis vero aliquot annis plane eſſet curva hoc modo etiam tota ſpina incurvatur, adeo ut κυφώσει vel λορδώσει laborent.

Oſſium nodi protuberant, quia alimentum tenax ad nodos copia quidem affluit, ſed propter lentorem altius in ſubſtantiam magis oſſeam non penetrat, ideoque intra oſſium tubercula magis ſpongioſa ſubſiſtit, & protuberare facit.

Cum ſpina ita contrahitur, thorax anguſtatur, hinc pulmones haud juſte explicantur & anſam difficili reſpirationi præbent. Humores interim ibi ſtagnantes ſi particulis ſalinis ſcateant, cryſtalliſantur, & calculoſos pulmones efficiunt. Glandulæ enim minimæ, quæ pulmones perreptant, facile lentis & ſalinis humoribus obſidentur. Vidi ſæpe calculos tracheæ adhærentes, qui unciam ſemiſſem & aliquando integram pendebant, ut dixiſſes totam tracheæ fiſtulam petrefactam fuiſſe, adeo calculoſa erat. Ejuſmodi petrefactio refert *Clariſſ. Theod. Kerckringius obſ. 27.*

Non mirum igitur in infantulo noſtro pulmones ita inæquales fuiſſe tactu, cum calculi per ipſam membranam ferè protuberabant, hinc liquet cur reſpiratio difficilis fuerit, aër enim ab hiſce tuberculis excludebatur, quo melius ſucci petrefacturi cryſtalliſando anſam habebant, quam cum moverentur: nullus liquor ſalſus cryſtallos mittet, quamdiu moveatur, ſed duntaxat, cum quietus ſit. *Stephanus Blancardus in Anatomiâ practicâ.*

Rachitidem conſequutus dolor Colicus lethalis, in quô Inteſtina, ac præcipuè craſſa, rubore inflammatorio hinc inde perfuſa, Cæcum tumidum ac ſphacelô tactum, Bilis ad inſtar picis paulò dilutioris nigra &c.

Rachitide priùs affecta puella, ſpinamque propterea ad lumbos non parum intro adactam gerens, languida ſemper vixit, ac ſubinde de doloribus colicis conquerebatur, qui tandem eò atrocitatis devenere, ut ſibi quandoque inteſtina dilacerari crederet, tumque quicquid abdominis regioni umbilicali & cordis ſcrobiculo interjacet, non parum attollebatur. Singultu præterea ac vomitibus frequentibus, ſubſiſtente tamen appetentiâ, vexata, die Jovis 25. Junii 1696. circa ſextam matutinam, anno ætatis prope 19. adhucdum tamen non menſtruata, ſtaturæ pro ætate humilioris, ac tabida moritur. Cùm poſt meridiem ejus exenterationi aſſideremus, adnotavimus primùm exteriùs cutem admodum deſiccatam, Abdomen tenſum ac tumidum, ſpinam, ut jam diximus, intrò incurvaram. Abdomine autem apertô vidimus Omentum rubrum, tenue, ſed vaſis varicoſis ad ſuas origines conſitum, omni prorſus adipe deſtitutum, & ad uſquè umbilicum non deſcendens. Lien ſine vitiô erat, quantumvis totam morbi culpam in ipſum rejicientes mulierculæ eidem innumera, applicuiſſent remedia. Hepar grandius, malè coloratum, pallidum, maculis lividis conſperſum, diaphragmati per ſui convexam partem largiùs ac intimiùs adhærens, minimè interim purulentum; verùm ejus ſubſtantia quaſi friabilis erat, velut aquæ diutius incoctum fuiſſet. Veſicula fellea adeò viſa eſt turgida ut aliquid bilis contentæ tranſudaſſet quô proximum inteſtinum extus inficiebatur. Hæc autem bilis adeo degener erat ut colore ac conſiſtentia picem nigram aliquatenus liquatam, referret; ejus verò ſapor diſſectori ſubdulcis apparuit, non aliter quàm cùm animalium bili ſpiritus admiſcemus acidos; prædictæ autem veſiculæ parietes glutine illô bilioſô ita erant infecti, ut eô niſi adhibitis multis

multis lotionibus, digitorumque confricationibus expurgari minime quiverit. Pancreas bene ſe habebat, ut & itidem Ren ſiniſter; dexter verò purulentus reperiebatur circa pelvim, nullâ tamen apparente ulceroſâ cavitate, ſed totâ illâ purulentiâ potiùs è fibris viſceris tubularis per diſſectionem, non aliter quàm alibi lôtii materiâ, emanante. Uterque figuræ erat inæqualis, quam loculamento à contortâ ſpinâ efformato, in quod profundiùs compulſus erat, acceptam debebat. Uterus cum ovariis ſuis bene ſanus, cavitate; vix excipere potis ſemen orobi, & tamen inde ad exteriora ſpecillum libere tranſmittens. Inteſtina, quorum aperturam ab inferioribus ordiebamur, eâ ratione, quô ordine deſcribemus affecta, obſervata ſunt. Rectum rubicundius undique, ac eô mucore, qui illud contra excrementi acrimoniam tuetur, prorsùs ſpoliatum, materiam continebat pultaceam, griſeam, odoris non ita exquiſiti. Colon admodum erat dilatatum, tam ſecundùm ſui latitudinem, quàm ſecundùm longitudinem, ita ut vi ſic factâ freno ipſum corrugante, ac in plicas minus profundas cogente, in longum non parum explicaretur, valvulaſque conniventes intus ſibi appenſas, ſeu potius per interioris tunicæ corrugationem efformatas aptèque ſe interſecantes, ex parte obliteratas exhiberet: Hinc inde bi em viſcidam parietibus ſuis agglutinatam cum exquiſita circum inflammatione oſtentabat. Materiam ejuſdem indolis, quam in Rectô deſcripſimus complectebatur. Cæcum tumidius, coloris extus atri, vaſis varicoſis totum conſitum, circa ſui originem craſſius, prorſus ſideratum, ac putridum, digitis æque facilè ac charta madida lacerabile ſuprà dictâ materia cum aliquot ceraſorum nucleis plenum, repeciebatur. Ileon, Jejunum ac Duodenum rubore inflammatoriô, non parum perfuſa: Ventriculus admodum contractus, ſui cavo materiam pultaceam bile ſaturatam gerebat. Thorace hinc reſeratô nihil quod contra naturam foret in eo advertere licuit; ut nec in ipsô cerebrô quod firmioris erat texturæ, per omnes ſuas partes perquam ſanum & probè conſtitutum, præterquàm quòd glandula pinealis naturali grandior, ad fabæ minoris magnitudinem accedebat.

Non poſſumus cauſam mortis dolorumque illam accerſentium ex aliô repetere quàm pravâ hepatis conſtitutione, rachiticis familiari, unde bilis degener ferocioriſque indolis efformata, ac ſecreta eſt, quæ poſt varios per totum inteſtinorum tractum dolores excitatos, impreſſiones tandem funeſtas pluribus locis peperit, quas cultrô anatomicô detectas, mox explicuimus.

RAMEX
Vid.
HERNIA.

RANULA.

I. Nonnunquam ſub linguâ, prope ejus vinculum, ſeu ligamentum, tumor oritur, Græcis βάτραχος, Latinis Ranula, dictus, quòd hòc ſublinguali tumore correpti, coaxando magis quàm loquendo mentis ſenſum enunciare videantur. Eſt autem Ranula tumor mollis, laxus, muci plenus; ſub lingua prope ejus frenulum ſubſiſtens, atque loquelæ libertatem adimens. Enimvero tumore hoc apertô mucus prodit, ovi albumini colore & conſiſtentiâ non multum abſimilis. Et ſcribit Aquapendens, ſe aliquando hujuſmodi tumorem vidiſſe adeò ingentem, ut omnes fermè oris partes labefactarit. Equidem errat ille, quando Meliceridis ſpeciem hunc tumorem eſſe putat; quum non eadem in hoc, atque in Meliceride, contineatur materies.

II. Circa cauſam verò hujus tumoris, Veteres omnes, tum Medici, tum Chirurgici, quibus latuit vera organorum ſalivalium ſtructura, perperam ratiocinantur, ſanguinem accuſantes craſſum & terreſtrem, ſeu, ut loquuntur, humorem tartareum in venis ſub lingua coacervatum, aut pituitam lentumque humorem è cerebrô eò ſtillantem, partibuſque hiſce infixum. Sed repertis, ac palam oſtenſis, organis ſalivæ generationi & excretioni dicatis, potiùs dicamus oriri ranulam à ſalivâ nimis acri ſimulque viſcidiore, quæ per inferiores ductus ſalivales erumpens atque ob ſuam ipſius viſciditatem extrema ipſorum orificia liberè permeare nequiens, hinc ſub linguâ, prope ejus ligamentum ſubſiſtens, hunc ibidem tumorem, ingenti cum dolore, excitat.

III. Sed ut tollatur ſublingualis hic tumor, laudant pulverem, quô identidem ranula fricetur, e. g.

℞. Pyrethri, zinziber. an. ℥ j. ſal. comm. gem. an. ℈ ij. radic. iridis, hermodact. an. ℥ß. origan. calaminth. maſtich. an. ℈ j. M. F. pulvis. Ex iiſdem in aq. & vinô decoctis, oris collutio fieri poteſt.

Avicenna extollit origanum, cortices granator. & ſal, quibus mixtis & pulveratis ranula fricetur. Veruntamen hiſce, aliiſque medicamentis, quæ paſſim apud Autores deſcribuntur, raro admodùm curatur ranula, vixque ea ſanatur niſi Chirurgiâ.

Paræus Chirurg. lib. 7. cap. 5. Vigierius Chirurg. lib. 1. cap. 36. & alii, tumorem hunc ſublingualem aperiendum cenſent actuali cauteriô, hinc ſublingualem aperiendum cenſent actuali cauteriô, hinc materiem intus contentam educendam, ne malum revertatur. Alii acum per tumorem tranſmittunt, atque vulnus deinceps cum ſcalpellô dilatant, ut concluſus humor effluat; quô affuſô cum aquâ mulsâ gargariſare jubent, quam & per ſyphunculum in apertum tumorem immittunt, ac ulcus tandem legitimè claudunt. Sed quoniam contentus in hoc tumore humor nimis viſcidus eſt & tenax, quàm ut per exiguam hanc aperturam poſſit evacuari; ideò cum Fernelio, multiſque aliis, legitimam hujus tumoris curationem eſſe puto, ut ranula ſcalpellô utrinque aperiatur, & quidem ſectione latâ, & profundâ, quæ citra periculum fieri poteſt. Ubi verò humor effluxerit, & ultrà expreſſus ſit, ſæpius os colluatur hordeî decoctô cum melle roſaceô, tantillô additô ſalis prunellæ, donec nihil amplius tumoris in loco affecto

affecto reliquum ſit. Nigra autem, vel folia, & dura ranula, quæ cancroſa eſt, attingi non debet. *Joh. Munnicks in Chirurg. ad Pravin hodiernam adornatâ.*

RAUCEDO
Vid.
CATARRHUS.

REDUVIA.
Vid.
PARONICHIA.

RECUTITI
Vid.
PENIS VITIA

REGIUS MORBUS.
Vid.
POTERUS.

RESPIRATIONIS VITIA.

SI omnes morbi qui reſpirationi, officiunt hôc recenſendi forent capite, in immenſum ſanè id excreſceret quandoquidem & Tuſſis, & Pleuritis, & Peripneumonia, & Empyema, & Pulmonis Vomica, & Phthiſis, & Hæmoptoë, ipſeque etiam Pectoris Hydrops ſic venirent explicandi. At cum de iis ſeorſum variis hujuſce Bibliothecæ Medico Practicæ capitibus actum, ſit; unicum hic rurſus incumbit ſcilicet Aſthmatis tractationem exhibeamus ſub quo non incommode & Dyſpnæam & Orthopnæam comprehendimus. De illo autem ſic Clariſſimus Thomas Willis.

Inter affectus quibus pectoris regio infectari ſolet: ſi illorum Tyrannidem & feritatem ſpectes Aſthma (quæ ob peculiare interdum toma etiam Orthopnœa dicitur) locum non ultimum meretur; hujus enim paroxyſmis vix quidpiam aſperius, aut terribilius occurrit; reſpirationis organa, quinimo & præcordia, quæ ipſius vitæ fundamenta & columnæ ſunt, ab hôc morbô tanquam à terræ motu concutiuntur adeò & nutant, ut nihil minus quàm totius fabricæ animalis ruina imminere videatur; quippe reſpiratio, per quam potiſſimum vivimus, hujus morbi inſultu valde impeditur & tolli periclitatur.

Aſthma dicitur ab ἀσθμαίνειν (quod eſt anhelare, ſive difficulter reſpirare) & deſcribi poteſt, quòd ſit reſpiratio difficilis; crebra & anheloſa, cum magna pectoris agitatione, & plerumque citra febrem.

Reſpirationis actus dependet, tum à pulmone movendo, cujus conformatio ejuſmodi eſſe debet, ut ductus ejus, & meatus omnes pro aëre liberè inſpirando, & expirando ſemper pateſcant; tum à partibus ſive organis ipſum moventibus, quæ per alternas ſyſtolῶν & diaſtolῶν vices, pectoris cavitatem, & conſequenter ipſos pulmones dilatari,& contrahi facient: Cùm itaque plures & diverſimodæ ſint afficiendi rationes, quibus reſpiratio læditur, adbina hæc capita ferè omnes reduci poſſint; nempè quòd vitium ſit, vel in pulmone movendô, vel in partibus ſive inſtrumentis quæ ipſum movere debent; atque hinc morbi itius differentiæ, & ſpecies optimè deſignantur; nam juxta variam cauſæ morbificæ naturam & ſitum, Aſthma dicitur vel mere pneumonicum, omnino à ductibus aëriferis obſtructis, aut non ſatis patentibus, procedens, vel mirè convulſivum, quod tantummodo ob defectum, aut culpam in organis motivis exoritur; vel mixtum; quando utræque partes in vitio conſpirant, cujuſmodi originem Aſthma quodvis immane & inveteratum habere ſolet: ſuper his ſingulis ordine dicemus.

1. Medici veteres, & plerique adhuc moderni primam ſolummodò Aſthmatis ſpeciem agnovere; morbi hujus cauſam uſque proximam & ferè unicam ſtatuentes, Bronchiorum anguſtiam: quòd ductuum illorum ſpatia, vel per obſtructionem; vel per compreſſionem coarctata, quoties reſpirationis uſus augeatur, aërem in copia ſatis idonea donec non admittunt: quare ob pleniorem aëris quantum opus erit εἰσπνοὴν, reſpirationis organa, nixibus creberrimè repetitis difficillimè laborant. Quòd autem nonnulli ſine manifeſtâ pulmonum labe paroxyſmis Aſthmaticis obnoxii reperiuntur, totum hoc vaporibus, à liene, uterô, meſenteriô, aut aliô quôdam viſcere ſatis immerito adſcribi ſolebat: at vero Pathema iſtud, abſque bronchiorum anguſtia, aut viſcerum iſtorum culpâ, à partium motricium ſpaſmis oriri alibi ſatis evicimus, & mox clare oſtendetur. Porro interim quo ritu etiam à tracheæ ductibus vel compreſſis oriatur declarare incumbit.

Bronchiorum anguſtia primam Aſthmatis ſpeciem inducens, per obſtructionem fieri ſupponitur, quoties aut humores craſſi, & viſcidi, vel materies purulenta, vel ſanguis extravaſatus iis impinguntur, aut tubercula, ſcirrhi vel calculi eorum ductibus inſidebant, vel denique humoris ſeroſi catarrhus in eos confeſtim depluet. Porro idem affectus per compreſſionem excitari putatur, quoties ejuſmodi (cujuſque illorum generis) materies Arteriæ aut venæ pneumonicæ ductibus inhærebit. Profecto à variis hiſce cauſis & afficiendi modis diatheſis Aſthmatica dependet: verum morbi inſultus, quique, aut ſaltem paroxyſmi majores, propter accidentia quædam, aut occaſiones excitari ſolent. Quippe dum ſanguinis rivus dimiſſus, & leniter decurrens, reſpiratione modicâ contentus eſſe poteſt, præcordia ſine magno pulmonis, aut pectoris labore pertranſit. Sin vero effervescens iſte, & pulmones impetuoſius trajiciens, pleniorem aëris εἰσπνοὴν deſiderat, propter hunc per vias anguſtas uberius admittendum: organa pneumonica ſtatim omnia in nixus creberrimos accientur. Quicquid igitur ſanguinem effervefacit, inque orgaſmum concitat, uti motus violentus corporis aut anim, frigoris, is caloris externi exceſſus, vini potus, venus, quinimo interdum merus lecti calor, prædiſpoſitis inſultus

Aſthmaticos acceſſit. Uſitatum eſt huic morbo obnoxios ſæpe lectum ingredi non auſos, tantummodo in Cathedra, aut ſuper cubile veſtibus indutos dormire poſſe. Cujus ratio eſt, quod corpore ſtragulis cooperto & concalfacto, ſanguis proinde in motum paulo citatiorem concitus, & ferveſcens, uberiorem aëris inſpirationem requirit, quam per tracheæ ductus coarctatos ſuppleri queat: nam quo plus ſanguinis quaque ſyſtoles & Diaſtoles vice pulmones trajicit, eo propter accenſionem, ſimulque eventilationem ejus, aër copioſius & celerius ingeri, regerique debet: cui penſo (cum propter impedimenta non facile abſolvitur) tamen quoquo modo peragendo, partium omnium reſpirationi dicatarum, cum magna totius pectoris contentione, conatus ultimi exeruntur. Porro ſanguis agitatus, in prædiſpoſitis non tantum Aſthmatis occaſio, ſed aliquatenus etiam cauſa exiſtit: nam proinde vaſa ſanguifera intra pulmones magis impleta & diſtenta, ductus tracheales jamjam anguſtos comprimunt, & multo arctiores reddunt.

II. Aſthma convulſivum (quod ſecundam hujus morbi ſpeciem eſſe, & ſine magna Bronchiorum obſtructione, aut compreſſione, à meris fibrarum motricium ſpaſmis excitari ſtatuimus) non uni loco, aut peculiari cuipiam organo limitatur, ſed ἐνεργείας valde diffuſæ, ad partes fere omnes reſpirationi dicatas (quarum modo hæc, modo illa, vel alia in culpa eſt) extenditur. Enimvero affectio ſpaſmodica inſultum aſthmaticum ciens, ad vaſorum pulmonarium fibras motrices, ad diaphragma, ad muſculos pectoris, ad nervos, qui è pectoris aut pulmonis ditione ſunt, quinimo ad nervorum iſtorum origines intra ἐγκέφαλον conſitas ſpectat, atque ſingulis hiſce in locis dum materies morbifica hoſpitatur, reſpirationis opus inhibens, aut pervertens, morbi iſtius paroxyſmos infert: prout in alio tractatu olim plane oſtendimus. Quippe ſpiritus animales ad reſpirationis munus deſtinati, ſi quando moleſtantur valde, inque motus irregulares urgentur, organorum ſpirabilium fibras tum nerveas, tum motrices inordinate ſubeunt, eaſdemque proinde irregulariter modo contrahi, modo diſtendi; nec non ſolennes & æquabiles ſyſtολῶν & Diaſτολῶν vices varie perturbari, aut impediri faciunt.

Cauſa morbifica ſive materies ſpiritus operi pneumonico accinctos irritans, cum variis in locis, tum præcipue in his tribus, vim ſive potentiam ſuam exerere ſolet; viz. 1. aut in ipſis fibris muſcularibus, aut 2. in ramis vel propaginibus nerveis, vel 3. denique intra ἐγκέφαλον juxta nervorum origines. 1. Quoad prius interdum materies heterogenea & ſpiritibus inimica ab ἐγκεφάλυ in nervorum truncos excuſſa, exinde per eorum ductus & propagines, ſi forſan in quantitate perexigua fuerit, abſque noxa magna, aut multum ſenſibili, in fines ultimos dilabitur. Cumque dein fibris nerveis inciderit, & ſenſim indies aggeſta demum in molem accreverit, ſpiritus incolas moleſtare, inque ſpaſmos Aſthmaticos concitare incipit: qui ſubinde infeſtant, & pro ratione cauſarum evidentium, augentur, nec plane ceſſant, donec penus materiæ ſic aggeſtæ diſcutiatur penitus, & abſumatur; dein quando renovatus iſte ad plenitudinem aſſurgit, morbi iſtius paroxyſmi repetunt, proindeque, uti obſervationi communi patet, ſæpenumero periodici exiſtunt. Juxta hanc afficiendi rationem Aſthmatis convulſivi cauſam nonnunquam in vaſorum pneumonicorum tunicis muſcularibus, quandoque item in ſepti aut proceſſuum ejus lumbarium fibris delituiſſe merito ſuſpicamur. Haud multum probabile eſt, morbi iſtius nidum, intra hujus aut iſtius muſculi pectoralis fibras conſiſtere; quanquam in ſcorbuticis etiam ab his materia ſpaſmodica obſeſſis, dolores & ſpaſmos leviores cum reſpiratione læſa obortos novimus.

2. At vero (prout alibi non tantum ratiocinio, ſed per obſervationes Ægrotantium hiſtorias plane oſtendimus) Aſthma convulſivum ſæpius infertur, quoties materies morbifica; in nervos pneumonicos delapſa, alicubi intra ductus eorum, & præcipue circa plexus hæret: unde quoties ad plenitudinem aggeſta, diſcuti & moveri incipit; propterea ſpiritus ibidem ſcatentes, & ad reſpirationis organa affluentes perturbati; inque Anomalias adiguntur, illique mox ſpiritus alios fibrarum pectoralium aut pulmonarium incolas afficiunt, inque ſpaſmos irregulares & Aſthmaticos excitant. Propter hujuſmodi cauſam & afficiendi rationem, non tantum morbi hujus inſultus; ſed inſuper, & præcordiis proinde perturbatis, paſſiones cardiacas accieri declaravimus.

3. Aſthmatis convulſivi cauſam nonnunquam in occipite juxta nervorum origines conſiſtere, per obſervationes Anatomicas plane deteximus. Nimirum adverti, quoſdam Ægrotantes, qui cum ab aliis morbis deploratis decumbentes, inſuper Aſthmatici fierent neceſſum habuerunt, intra lectum aut cathedram cum capite ſemper erecto, aut prono detineri; reclinati autem, aut ſupinati, ſtatim angeli ac velut moribundi, difficillime reſpirabant, cujus cauſa (prout per diſſectionem apparuit poſtquam obierunt) tantum erat, quod cum intra cerebri cavitates ſeri acris colluvies ingens aggereretur, ſi ob caput reclinatum; illa in nervorum octavæ paris originem recideret, illico præcordia, ac imprimis ſpirabilia ſpaſmis horrendis tentabantur. Porro interdum ob hanc rationem videtur eſſe, quod Orthopnoici in lecto abſque ſuffocationis periculo decumbere nequeunt, quin corpore erecto ſedere coguntur.

III. Quamvis Aſthma nonnunquam ab initio ſimplex, ſcilicet vel Pneumonicum mere, vel Convulſivum exiſtat, attamen poſtquam alteruter morbus aliquandiu increbuit, plerumque alterum ſibi conſciſcit; hinc ut concludere liceat, Aſthma quodvis inveteratum, affectionem mixtam eſſe, & partim pulmonis male conformati, partimque nervorum & fibrarum nervearum ad ſpirabilia pertinentium vitio excitari. Quippe cum ductus pneumonici à qualibet cauſa coarctati, vel obſtructi, liberam aëris inſpirationem, exſpirationemque non admittunt, propterea etiam ſanguis, quinimo & humor nerveus à curſibus ſuis præpediti, atque lente procedere & ſtaguare

gnare coacti, fæculentias ſuas, & recrementa partibus nerveis affigunt; unde ſpirituum meatus obſtruuntur, aut pervertuntur, ipſiſque demum labes ſpaſmodica accreſcit. Porro ſanguis, ſiquidem intra præcordia haud debite inſpiratur, eventilaturque, tandem in craſi ſua vitiatus, cerebro & nervoſo generi ſuccum non niſi depravatum ſuppeditat, cujus delicta reſpirationis organa, utpote prius læſa & debilitata, maximè luunt. Pariter etiam è contra reciprocatur malum, quoties hic morbus nervoſi generis culpa incipit; nam quatenus pulmonum motus, propter fibrarum muſcularium ſpaſmos crebro ſiſtitur, aut impeditur; tum ſanguis, tum liquor nerveus à motibus ſolitis coërciti, recrementa & fæculentias congerunt, eaque partibus continentibus affigunt, à quibus non tantum humores viſcoſi & ductuum obſtructivi, ſed & tumores, aliaque ſolidiora concreta, pulmonis conformationem vitiantia, producuntur.

Si quando igitur Aſthma aliquandiu confirmatum, & habituale factum, paroxyſmos crebros & quavis occaſione emergentes habuerit; cauſa ejus conjuncta, quin etiam procatarctica, tum intus in ipſo pulmone, tum forinſecus in fibris ac nervis, inque ſpiritibus ad reſpirationis munus deſtinatis collocanda erit. Nec difficile erit, ſingula perveſtigando, in quolibet Ægrotantis caſu materiæ morbificæ tum nidos præcipuos, tum fomites reperire. Quod vero ad cauſas Evidentes ſpectat, etiam hæ multiplices admodum & diverſimodæ exiſtunt. Huc enim referri debent quæcumque aut ſanguinem alioſque humores exagitant, aut ſpiritus Animales perturbant, inque ἀταξίας adigunt. Aſthmatici nihil violentum, aut inaſſuetum ferre poſſunt: à frigoris vel caloris exceſſu, à vehementi quovis corporis aut animi motu, ab aëris aut anni mutationibus quibuſque magnis, ab erratis vel levioribus circa res non naturales, imo propter mille alias occaſiones in dyſpnϾ paroxyſmos incidunt.

Quod ad prognoſin ſpectat, Aſthma inveteratum difficillime aut vix unquam curatur, verumtamen medicamentis & medendi methodo rite inſtitutis, magnum ſæpe juvamen affertur, viz. paroxyſmorum ferocia minuitur, induciæ longiores procurantur, quinimo ipſius vitæ diſcrimina frequenter imminere viſa tolluntur.

Morbus iſte in deterius vergens, aut Phthiſin, aut hydropem, aut affectum quendam ſoporoſum, vel convulſivum minatur; juxta quod ſerum propter διαπνοὴν præpeditam (quia Ægrotantes in lecto ſatis dormire nequeant) copioſius aggeſtum, aut in pulmone defigitur, aut in habitum corporis, aut ad cerebrum transfertur. Propter hanc rationem, Affecti melius in æſtate quando liberius tranſpirant, quam in hyeme degunt, melius item in regione calida, quam frigidiori, flantibus Auſtro aut Zephyro, quam Euro, vel Borea.

Circa Aſthmatis Therapeiam duæ erunt primariæ Indicationes, ſeu potius tot diſtinctæ medendi methodi; ſcilicet Curatoria & Præſervatoria. Prima docet, quid agendum ſit in paroxyſmo, ut laborans à præſenti periculo liberetur; altera quid extra paroxyſmum, pro cauſæ morbificæ ſublatione, ne affectio iſtæc ſæpius aut gravius repetat, moliri oporteat.

1. Itaque paroxyſmo urgente duæ erunt præcipuæ medendi intentiones, viz. 1. Ut ratione tum aëris, tum pulmonis habita reſpiratio uberior, ſaltem quantum pro vita ſuſtentanda ſufficiat, procuretur; & ſecundo ut reſpirationis organa à ſpaſmis initis; & pervicaciter continuari ſolitis, quam primum avocari, & compeſci queant.

1. Ad priorem quod ſpectat, imprimis Ægrotans ſitu corporis erecto, in loco apertiori & modice perflato, à fumis & adſtantium halitibus libero collocetur; deinde navetur opera, ut pulmones ab omni infarctu, & oppreſſione interna, nec non compreſſione externa immunes facti, ſpiritum altius ducere & reciprocare poſſint. In hos fines ne viſcerum inferiorum ὄγκος præcordia comprimat, aut anguſtet, alvus ab enemate ſubducatur, veſtimenta & alia quæque Thoracem operientia, aut ſuccingentia laxentur; cumque inſuper in hoc caſu, aut à ſanguine intra vaſa pneumonica ſupra modum turgeſcente, aut à ſero in ductus tracheales ex arteriis & glandulis depluente, opprimi ſolent, utriuſque humoris orgaſmi & impetuoſitates compeſci, ac ſedari debent: hinc ſi vires ferent, & pulſus ſatis robuſtus fuerit, phlebotomia ſæpe convenit. Porro quæ ſanguinis æſtuantis ſerum ac ſuperfluitates per urinas, & ſudores amandant, ſedulo exhibeantur; cui intentioni Julapia, Apozemata, Pectoralia vulgò dicta, egregie interviunt: quinimo Pulveres teſtacei, Millepedarum præparata; Spiritus & Sales volatiles, cum fructu ſumuntur. Interim præterea exhibeantur, quæ tracheæ ductus aperiant, lubricent, & expectorationem cieant, quæque inſuper ſi opus fuerit, catarrhum in eos depluentem ſiſtant; in quos fines linctus, Eclegmata, decocta pectoralia, & ſuffumigia conveniunt,

2. Quoad alteram in paroxyſmis Aſthmaticis medendi intentionem, viz. ut reſpirationis organa à ſpaſmis initis ad penſa ſua ordinaria tranquille redeant (niſi hoc ſponte poſt ſedatas ſanguinis & ſeri intra pulmonem æſtuationes ſuccedit) remediis Antiſpaſmodicis & Anodynis utendum erit: etenim medicamenta in paſſionibus hyſtericis exhiberi ſolita in Aſthmate convulſivo conveniunt.

Spiritus C. C. fuliginis, & imprimis Sp. ſalis Armoniaci cum gum. Ammoniaco deſtillat, item Tinctura gumm. Ammoniac. Sulphuris, Caſtorei, Aſæfœtidæ; Syrup. ex Ammoniac. de Sulphure, Oxymel ſcilliticum, & ſimilia quæ, cum ingrati ſaporis aut odoris ſint, Spiritus quaſi diſſipant, & à tumultibus retrahunt, nonnunquam egregie juvant. Quod ſi hoc modo ſpiritus debacchantes ſedari nequeunt, ad narcotica perveniatur, ut quibuſdam profligatis cæteri in ordinem redeant: enimvero niſi obſtat pulmonum infarctus cum inſigni præcordiorum oppreſſione; Opiata nonnunquam inſigniter proſunt. In horrendis morbi hujus paroxyſmis cum alia medicamina minus effeciſſent, ſæpe bono cum fructu, Diacodium, imo Laudanum Tartariſatum exhibui. Verum hæc non ſine magna cautione propinentur; quia cum reſpirationem

(quæ

(quæ jamjam difficilis & præpedita eſt) amplius nimis impediunt, non raro in vitæ diſcrimen adducunt. Inſuper his, ut ſpiritus pneumonici à ſpaſmis ſuis avocentur, nonnunquam expedit ſpiritibus aliis in locis moleſtiam inferre; nam aliquibus ullibi afflictis, ut plurimum cæteri quique perculſi inordinationes ſuas dimittunt: quapropter veſicatoria, cucurbitæ, ligaturæ, & frictiones doloriſicæ juvamen conferunt; imo ob hanc rationem vomitoria in medio paroxyſmo ſumpta proſunt. Medendi ſcopis, quomodo Aſthmatici urgente morbi inſultu tractari debent, modo deſignatis, adhuc reſtat remediorum in eos fines appropriatorum formulas quaſdam ſelectiores proponere.

Primo igitur ad ſanguinis ac ſeri fluxiones ſedandas, eorumque ſuperfluitates, à pulmone derivatas, per Diaphoreſin amandandas, ſequentia præſcribantur.

♃. Aq. fol. hederæ terreſtris ℥viii. Rutæ, Pulegii, Dracontii, an. ℥ii. ſalis prunel. ʒiß. ſyrup. Byzantini, papaveris Rhæados, an. ℥i. miſce, f. Julapium, ſumatur ad ℥iii. vel. iv. ter aut ſæpius in die.

♃. Radic. graminis ℥iii. Ruſci, Bruſci ℥ii. Enulæ campanæ condit. ℥iß. hordei ℥ß. paſſularum ſolis ℥i. coquantur in aq. fontan. ℔. iii. ad ii. colaturæ adde ſalis prunel. ʒiß. edulcoretur, ſi opus fuerit, cum q. ſ. ſyrup. Byzantini. aut Violacei.

♃. Tinct. Sulphur. ʒ iii. Doſis gutt. vi. ad x. veſperi & primo mane in cochleari uno ſyrup. è ſucco hederæ, vel violacei.

♃. Fæculæ Aronis, Bryoniæ, ana. ʒiß. flor. Sulphur. ʒi. flor. Benzoin. ʒß. ſacchari candi ℥ß. liquiritiæ ʒii. f. pulv. ſumend. ad ʒß. vel ℈ii. bis in die cum Julapio, vel Apozemate ſuperiori;

Vel ♃. Pulv. præſcript. ʒii. mellis, vel oxymelitis q. ſ. f. linctus, capiat hora ſomni & primo mane circiter cochl. ß. aliis temporibus lambat cum bacillo liquiritiæ.

♃. Syrup. de Praſſio, de Allio, an. ℥iß. tinct. Croci, Caſtorei, ana ʒii. miſce, ſumat circiter cochl. parvum in agonibus.

♃. Sp. ſalis armoniac. cum gum. ammoniac. ʒiii. Aq. limacum, lumbricorum, ana ℥ii. ſyrup. de praſſio ℥ii. miſce, ſumat cochleatim repetendo intra iv. vel v. horas.

♃. Pulveris de Eryſimo, vel ex hedera terreſtri æſtivo ſole collect. ℥i. Oxymelitis ſimp. q. ſ. f. linctus.

II. Hæc de methodo, & medicamentis in paroxyſmo Aſthmatico requiſitis. Indicatio altera præſervatoria cauſæ morbificæ, & totius προκαταρξεως νοσερῆς ſublationem intendens, duas habet partes, ſive diſtinctos medendi ſcopos: qui ambo plerumque in uſu adhiberi & complicari ſolent. Unus horum pulmonis conformationem, ſi quovis modo læſa aut vitiata fuerit, emendandam, atque alter partium motricium, & ſpirituum ad eos deſtinatorum Anomalias tollendas molitur. Utriſque his intentionibus optime ſatisfiet ſi remedia vulgò dicta pectoralia cum Antiſpaſmodicis conjungantur, atque horum uſus cum medicamentis aliis, totius corporis præparationem, & ſymptomata emergentia reſpicientibus intercaletur: in quos fines methodus & remediorum formulæ ſequentes adhiberi poſſint.

♃. Aloes roſat. ℥ iß. flor. ſulphuris ʒi. ſalis ſuccini ʒß. picis liquidæ q. ſ. f. pilul. xxiv. ſumantur iv. veſperi noctibus ſingulis, vel alternis aut tertiis.

Vel ♃. Gum. ammon. & Bdelli in aceto ſcillitico ſolut. ana ℥ß. flor. Sulphuris ʒiii. pul. foliorum eryſimi, & ſatureiæ, ana ʒß. cum ſ. q. ſyrup. Diaſulphuris, vel Oxymelitis ſcillitici, f. maſſa formetur in pilulas exiguas, ſumend. iii. omni veſperi.

Vel ♃. Millepedarum præparat. ʒii. flor. Benzoin. ʒß. ſalis ſuccini ℈ii. extract. Elenii ʒß. Caſtorei ʒß. croci ℈i. Terebint. Venet. q. ſ. f. maſſa in pilulas exiguas efformanda, capiat iv. omni veſperi & mane, exceptis purgandi temporibus.

Quod ſi formula pilularis non arridebit; aut Pharmaca prædicta minus juvabunt, ſequentia deinde pro pulmonibus ab infarctu liberandis tententur.

♃. Spir. gum. Ammon. cum ſale Armoniaco deſtil. ʒiii. Syrup. è ſucco hederæ ℥iii. Aq. limac. Magiſtral. lumbric. ana. ℥i. tinct. croci ʒii. miſce, ſumat cochl. i. horâ ſomni & primo mane.

Vel, ♃. Tinct. gummi Ammon. ʒiii. Doſis gut. xv. ad xx. in cochl. j. Oxymelitis, aut ſyrupi ex hederâ terreſtri.

Vel ♃. Tincturæ Sulphuris ʒiii. Doſis gutt. vii. ad xii. aut xx. iiſdem horis Medicis, cum vehiculo idoneo.

Pari inſuper modo Spiritus alii ſale volatili præditi, cumque ſyrupis pectoralibus, & aquis Cephalicis permixti, veſperi & mane utiliter præſcribi poſſint.

Loco mixturæ, vel Julapii Aſthmatici ex aquis deſtillatis officinalibus ſequens magiſtralis in uſum crebrum & multiplicem paretur.

♃. Radic. Helenii, Ireos Florentini, Angelicæ, Imperatoriæ, ana ℥iv. Bryoniæ ℔. j. folior. Marrubii albi, hyſſopi, ſatureiæ, pulegii, heder. terreſtris, ana M. iv. baccarum Juniperi, hederæ recentium, ana ℔. j. laur. ℔. ß. ſem. fœnicul. dulc. Carvi, Aniſi, Leviſtici, Aneth. ana ℥i. cubebarum ℥ii. piperis longi, caryophyll. macis, ana ℥i. inciſis omnibus, & contuſis affunde cerviſiæ Brunſvicenſis ℔. viii. deſtillentur organis communibus, liquor totus miſceatur, & utendum edulcoretur ad placitum cum ſaccharo, vel ſyrupo de ſucco hederæ, vel cum oxymelite.

Porro loco Oxymelitis, vel ſyrupi pectoralis cujuſpiam vulgaris, ejuſmodi medicaminum in Aſthmate magis appropriatorum formulæ ſequentes præſcribantur; atque imprimis ſyrupus de Helenio ab Horatio Augenio inventus, eoque nomine inſignitus; dein à Platero, Sennerto, Riverio, aliiſque practicis celebrioribus commendatus hic notari, inque uſum crebrum adhiberi debet.

℞. Radic. Helenii & polypodii, quer. præparat. an. ℥vi. paſſularum Corinth. ℥ii. Sebeſten. num. 15. Farfaræ, pulmonariæ, ſatureiæ, calamenthæ, an. M. i. fol. unum Magnum Tabaci, liquiritiæ raſæ ʒ ii. ſem. urticæ, bombacis, an. ʒ iß. Coquantur in mulſa diluta, ad ℔ i ß. &

cum ſacchari tantundem f. Syrupus ſumatur vel per ſe in forma linctus; aut cochleatim veſperi, & mane; vel addatur cochlear. i. doſi aquæ deſtillatæ aut Apozematis.

℞. Rad. Ireos Florentin. Elenii, an. ℥ß. Allii excorticat. ʒ iv. Caryophyll. ʒ ii. Benzoini albiſſimi ʒiß: Croci. ℈ i. inciſa & contuſa digerantur calide in ſpirit. vini rectificat. ℔ i. per 48. horas; Colaturæ adde ſacchari albiſſimi ℔i: pone in ſcutella argentea ſuper prunas ardentes, dein liquor accenſus agitetur quouſque flagrabit; dein flamma extincta in ſyrupum abibit. Exhibeatur eodem modo ac ſuperior.

Porro huc referri debent decocta galli veteris, à Medicis celebribus tum Antiquis, tum modernis pro curatione Aſthmatis tantopere laudata; quæ licet Septalius velut craſſa & effœta damnavit, Riverius tamen poſtliminio vindicat; atque ad teſtandam remedii hujus efficaciam, experientiam ſuam alterius experientiæ opponit. Jura hæc bini generis, viz. cum vel ſine purgantibus, & utriuſque varia & diverſimoda apud Authores practicos Recepta extant; quæ ſingula cum tædio hîc eſſet recenſere, libet unam aut alteram ſolummodo formulam proponere.

Sine purgationibus exemplum vulgare hoc eſt:

♃. Radic. enulæ & Ireos flor. an. ℥ß. folior. hyſſopi & praſſii ſiccat. an. ʒ vi. ſem. carthami ʒi. Sem. Aniſi & Anethi an. ʒii. liquiritiæ raſæ, & paſſular. mundat an. ʒ iii. præparentur & inſuantur ventri galli veteris, qui decoquatur, in aq. fontan. lib. xv. donec caro oſſibus abſcedat; Colatura per ſubſidentiam depuretur; liquoris clari doſis ℥ vi. cum oxymelitis ſimpl. ℥i. vel ſi remedium hoc ſolutivum deſideratur, in unoquoque hauſtu diſſolve caſſiæ recentis & mannæ an. ℥ß. ſumatur per plures dies continuos; quandoque per menſem integrum.

Juſculi hujuſmodi purgantis formulam idoneam Riverius præſcribit:

♃. Radic. enulæ & ireos florentin. an. ʒiß. folior. hyſſopi, tuſſilaginis, an. M. i. liquiritiæ raſ. paſſular. mundat. an. ʒ i. ficuum pinguium num. iv. ſennæ mundat. ʒ iij. Radic. polypodii quer. ſem. carthami an. ℥ ß. ſem. Aniſi ʒ i ß. Coquantur cum tertia vel quarta parte galli veteri ſ. a. & fiat Juſculum pro una vice mane ſumendum, continuetur per x ii. vel xv. dies. *Thomas Willis Pharmaceutices Rationalis parte 2.*

Curationes.

Aſthma, Orthopnæa, Dyſpnæa facilè curantur vomitoriis, imprimis aquâ benedictâ. Idem facit præſertim in craſſis humoribus bronchia pulmonum obſtruentibus ſuccus fæcula etiam radicis ireos noſtratis, cujus ʒſ. ad ſummum, interdum tamen ʒ ij, vel ʒiij. in convenienti liquore datæ, inprimis verò in vino Malvatico citiſſimè humorem craſſum expellit. Confirmata aſthmata difficulter uno atque altero vomitorio cedunt: itaque uſus. 1. Flor. ſulphuris, vel etiam ſulphur. vivi cum aſa dulci in ovis tremulis (ad ſulphur. vivi ʒi. Benzoes ℈i. vel ʒi. hujus compoſiti datur ℈i. in ovo tremulo, addito ſalis momento) per aliquot dies exhibitus; pulmones infarctos à craſſis humoribus liberat. Idem præſtat lac ſulphur. de quo vide notas ad Crollium. Præſtantiſſimum omnium ſunt flores ſulphuris albiſſimi, quorum præparationem vide in Exegeſi Chymiatrica Tenzelii. 2. Per pulverem Aſthmaticum purgantem, qui eſt apud Rulandum cent.8. cent.6.

♃. Fol. Card. bened. Carthami an. ʒ ii. piperis longi ʒi. fol. ſenn. mund. rad. Aronis exſiccat. an. ʒ ii. aniſi ʒſ. Diagrydii ℈ſ. F. pulvis ſubtiliſſimus, qui diſtribuatur in partes xii. æquales, ac per 6. dies continuos detur earum pars una manè jejuno ventriculo, pars altera veſperi circa horam tertiam cum vino albo, juſculo, &c. Quod ſi contumacior fuerit morbus aliquandiu; hoc eſt per aliquot dies, deſiſtendum à cura, poſtea eadem repetenda uſque ad morbi declinationem. Doſis pro una vice fermè ʒſ. & gr.2. In Aſthmate aqua deſtillata ex fructibus rubi cum Rob. nucum ſumpta pro placito; Aſthma reſolvit mirabiliter. Potentiùs operatur, ſi aquæ quæ fit ex compoſitione ſacchari albi, cum raphani taleolis ſimul in duabus patinis hinc inde commotis recenter facta (ſi nimiùm ad horam unam vel alteram ſervatur, fætet) cochlear.i. manè ſeroque exhibetur. Magnum levamen Aſthmatici habebunt ex uſu extracti helenii quod ita præparabis.

♃. Rad. Helenii groſsè pulveriſatas, affunde in circulatorio, vini albi optimi ad eminentiam quatuor digitorum, digere calore lento, donec vinum flavo colore, ſapore & odore ſatis imbutum ſit, quod effunde & recens vinum affunde, uſque dum vires omnes extractæ ſint. Quod reſiduum exprime & expreſſum cum extracto miſce & in cucurbita per B. M. ſpiritum ſepara, remanentiam albumine ovi; l. a. clarifica & in ſcutella terrea ad formam extracti parare facito. Cujus doſis à ʒi. ad ℥ß. *Joh. Hartmann. Pract. Chymiatr.*

Curationem Reſpirationis affectæ in Aſthmate &c. Medici aggrediuntur per attenuantia, & expellentia materiam pulmones occupantem, quam ipſi plerumque craſſam, viſcoſamque exiſtimant. Sed ſi multiplex & varia poteſt eſſe cauſa, procul dubio varia quoque expoſtulabitur medicamentorum exhibitio. Aliter enim operandum in tumoribus, tuberculis, lapillis, & ſimilibus in pulmone contentis; & aliter omninò cùm aliundè Reſpirationis læſæ cauſa ſuppetit, ut ſuperiùs notatum eſt. A materia tenaci, ac viſcoſa inductum Aſthma, Vomitum validè moventibus curari teſtantur præ cæteris Horſtius & Rulandus, ille quidem ſyr. emetico; hic verò aquâ benedictâ ad ℥. j. cui conſentit etiam Harmannus. Rulandus prætereà curat. 8. cent. 6. præmiſſo vino emetico, exhibet pulverem compoſitum ex card. bened. & ſinap. ſylveſtr. ſingul. ℈ ii. piper. longi ℈i. fol. ſen. mund. ʒ. ii. aniſ. ℈ſ. ad doſim ℈ ſ. uſque ad ʒi. per ſingulos dies manè, & veſpere cum vino albo, vel juſculo ad morbi declinationem uſque: his enim plures priſtinæ, integræque ſanitati fuiſſe reſtitutos aſſeveranter affirmat. Alii verò potiùs purgantibus inſiſtunt ex agarico, carthamo, aloë, jalapa, tartaro, & ſimilibus; quin imò in difficultate ſpirandi non eſſe formidandam etiam frequentem; & magnam purgationem conſulit Guil. Ballonius. Præ cæteris efficaciſſimus dicitur pulvis aſthmaticus purgans

ejuſdem

ejuſdem Rulandi, qui fit ex fol. Card. bened. & cartham. ſingul. ℥ ii. piper. long. ʒ j. fol. ſen. mund. & rad. ari exicc. ſingul. ʒ ii. aniſi. ℥. ſ. diagrid. ℈. j. Hæc in pulv. ſubtiliſſ. radacta divid. in xii. partes æquales, ac per ſex dies continuos exhib. ſingulatim pars una mane jejuno ventriculo, pars altera veſpere cum vino albo, vel juſculo.

Deſcribitur etiam à Cardilucio in Hertmannum potio Cathartica, præmiſſo tamen ſyr. tenacem materiam incidente, ex radice iridis, glycyrrhizæ, enulæ campanæ, quem mirabilem ipſe prædicat.

Commendantur præterea ab Hartmanno flores ſulphuris, ipſumque ſulphur vivum; itemque aqua ſtillatitia ex fructibus Rubi cum Rob nucum ſumpta: & ſuccus radicis Ireos, ejuſque fæcula. In Aſthmate à craſſa, & viſcoſa materia linctum Geſneri optimè contuliſſe teſtatur Achilles Gaſſerus: conficitur autem ex ſulphur. pulver. & ſæpiſſimè cum aq. tuſſilag. ſgt. ℥. i. & diapenid. ℥. viii. Et Jeremias Martius quendam diuturno aſthmate curatum fatetur aquâ ſalis ammoniaci, quam parat hoc modo: fol. ſemperviv. 20. aut 30. contund. in mortario; affuſo modico aq. fontis, col. cum expreſſ. & add. ſal. ammoniac. ℈ ii.

Idem etiam præſtare dicit ſpiritum ejuſdem ſalis ammoniaci, Radix Ari in vino albo excocta pondere ſemiunciæ, cum loch de pino, vel cum ſyr. de hyſſopo eclegmatis modo exhibita paroxyſmum aſthmaticum mirificè ſedare dicitur à Jo. Zecchio. Efficacior verò creditur Ari fæcula cum floribus ſulphuris in ſyr. Nicotianæ, vel hiſpidulæ ab Horſtio. Flores roriſmarini, atque in defectu horum, folia, ſi coquantur cum vino optimo, & melle ad dimidiæ partis conſumptionem, capianturque ante ſomnum, Aſthmati mirè conferunt, & vocem clarificant, ex Borello cent. 4. obſ. 46. In ſeptuagenario ex multis annis Aſthmate affecto, ut vix ſpiritum ducere poſſet etiam erecta cervice, atque hianti ore continuò ſterteret hæc plurimum contuliſſe expertus eſt Riverius cent. 3. obſ. 21. aq. cinnam. ℥. ii. oxymell. ſcillit. ℥. i. m. & crebrò ad cochleare exhib.

Itemque radic. enulæ campan. ſaccharo conditæ ʒ iii. ſacchari candidi ℥. ſ. ſyr. de hyſſop. ℥. ii. gumm. ammon. aq. vitæ diſſol. ʒ. ſ. m. ad formam loch. & manè, ac veſpere cochlear. i. ſenſim ſumendum.

Nunquam fallax remedium inquit eſſe Philippus Grulingius hanc potionem, eamque tantâ efficaciâ à ſuffocatione patientes liberare, ut præclarius remedium ipſe non viderit. Paratur autem ex ammoniaci ʒ. ſ. aq. hyſſop. ℥ iv. vini Rhen. ℥ ii.

Ab Helmontio magnifit elixir proprietatis cui addit memoratus Grulingius aquam tuſſilaginis, vel hyſſopi.

Apud Hertodium Arcanum dicitur decoctum radicis Ireos, addito croco ad ℈. ſ. & moſcho ad gr. iii. Et in Aſthmate puerorum certiſſimum experimentum affertur infuſio millepedum in vino cum croco, & cinnamomo, addito modico ſacchari candidi: ut & ſpiritus ex viride æris, & gummi ammoniaco deſtillatus, ac cum croco purior. & efficacior effectus.

Spiritum vini cum junipero, & croco conficit, & commendat præ cæteris Mynſicht, nec non ſpecies diaſulphuris.

Ex Horatio Augenio recipiunt, & ſalutarem prædicant Platerus, Sennertus, Riverius, Williſius, aliique ſyrupum Helenii, & Petr: ex quibus alii extractum parant longè efficacius.

In uſu eſt apud pleroſque jus Galli veteris alvum-ſolvens deſcriptione Victorii Faventini: quod tamen improbat Septallius lib. 6. Animadverſ. quamvis poſtliminio vindicare nitantur Sennertus & Riverius.

Ad difficilem Reſpirationem à potu frigido inductam certum remedium ſtatuitur. Acetarium ex Bellide Mindereri: ejuſque ſucco ſanatum hunc affectum à D. Joh. Michael. memorat Fridericus Hofmannus in methodo. A fumo Mercurii efficax fertur cinnabaris antimonii, vel ejuſdem ſulphur ſolare. Ex anguſtia Pectoris mirabilis dicitur ſuccus Bryoniæ, cujus præparationem, & uſum tradit Hartmannus in ſua praxi. Ex flatibus pulmones inflantibus, & diſtendentibus, pulvis Ari, ejuſque fæcula ad ℈. i. laudatur ab eodem Hartmanno.

Quæ ex aliis ægritudinibus accidunt Reſpirandi difficultates, ſuis locis cum adjunctis medicamentis, memorabuntur. *Clariſſ. Lucas Tozzi Medicina Practica Parte* 1.

In Aſthmate &c. totum corpus evacuatione generali primò deplendum eſt, dein à pulmonibus revellendum, denique partes illæ ab obfarctu liberandæ ſunt & à corruptione immunes tuendæ.

In plethoricis poſt clyſterem injectum & rejectum, ſanguis imprimis mittendus eſt è brachio: dein ſi ventriculus humorum ſaburrâ gravari videatur, Emeticum aliquod lenius propinandum eſt. Poſtea ad purgantia per alvum pergendum eſt, quorum hæ ſint formulæ.

♃. Sarſaparill. ʒ iij. raſ. ligni ſancti ʒ iſ. lign. ſaſſafr. ʒſ. ſummit. hyſſopi & marrub. alb. an. pi. cremor. tartar. ʒ ii. fol. ſenn. mundat. minutim inciſor. vino albo odoro nutritorum ʒ v. turbith. gummoſ. ʒ i ſ. Zinzib. ℈ i. f. omnium decoctio & colatura: In qua reduct. ad doſin mediocrem diſſolve diaphænic. ʒ ii. ſyrup. roſar. pallidar. comp. cum agaric. mann. Calabr. an. ℥ i. M. F. potio danda in aurora horis tribus ante juſculum; cum exacta cuſtodia.

Vel ♃. Sarſæparill. rad. chin. an. ʒ iii. rad. tuſſilag. ſcabioſ. pulmonar. glycyrrhiz. ſem. aniſ. cartham. an. ʒ ſ. fol. ſenn. ℥ ſ. agaric. ʒ i. f. decoctio & colatura, in qua diſſolve ſyrup. roſ. comp. cum agaric. & mann. Calabr. an. ℥ i. f. potio pro una doſi, bis terve (prout opus fuerit) repetendum diebus paucis interpolatis.

Vel ſi pilulæ magis ægro gratæ ſint, ad minus ſemel in ſeptimana purgetur pil. ſeq. ſumendis horis duabus poſt cœnam levem.

♃. Maſſ. pilular. de hiera cum agarico & maſtichinar. Fernel. an. ʒ ii. pilular. macri ℥ ſ. m ſ. & cum ſucco caulium ſaccharato f. maſſa, addendo olei aniſ. gutt. xii. Capiat à ʒß. ad ℈ii. vel ʒi.

Toto curationis decurſu alvi adſtrictio caveatur, quod optimè f. medicamento ſeq.

♃. Prunor. major. ſiccor. Turonenſ. (ſi haberi poſſint) ℥ xvi. Coq. in ſ.q. & æq. part. aq.

fontan. puriſſ. & vin. alb. tenuis non acidi donec perfectè intumeſcant; Syrupus ſive ſuccus prunorum ab iis ſeparetur: ſeorſim verò

℞. Fol. ſenn. mundat. cort. med. frangul. ſicc. an. ʒi. cinamom. inter. ʒß. Omnia infundantur per horas 24. in prædict. liquoris ſ. q. ad levem balnei vel cinerum tepidulorum calorem; f. expreſſio & colatura, in qua diſſolve ſacchar. cryſtall. mann. calabr. granatæ an. ℥iv. f. autem ad leviſſimum calorem hæc diſſolutio, quæ reducta in Syrupum, & permiſta ſucco prunorum reſervato affundatur prunis, quæ ſerventur in vaſe fictili vitreato idoneo ad uſum. Cap. quotidie manè pruna ad minùs quatuor & cochleare unum ſyrupi.

Ingruente paroxyſmo tentetur ſtrenua revulſio clyſtere acriori, cujus liquori incoxerit ſenna, in colatura verò diſſolvatur diaphænic. confectio hamech, hiera, diacolocynth. Imò ſi potentiùs revellere ſit animus ʒ i ß. vel ʒ ii. pulpæ colocynthidos macerentur per diem naturalem in ℥viii. vini albi. Expreſſio miſceatur cum ℔j. juſculi omaſor. & inteſtin. vervecis, atque injiciatur.

Revellendum quoque frictionibus, cucurbitulis & veſicatoriis, quæ ex mediano viburni cortice potiùs fiant quàm ex cantharidibus.

Suſpendatur fluxio à capite in pulmones Emplaſtro ſuturis applicito ex ladano, maſtiche, thure, ſandaracha, ſtyrace, benzoin. roſar. rubr. ol. cydon. paucâ ſtyrace liquidâ & ſ. q. ceræ exceptis.

Vel ℞. Emplaſtr. de betonic. partes duas emplaſtr. contra herniam part. 1. ſuccin. ladan. an. ½. Incorporentur cum balſamo Peruviano, & ſuturæ ſagittali admoveantur in alut. extenſ.

Ad pulmones ipſos ab obfarctu liberandos exhibeantur ſequentia.

℞. Rad. enul. & Ireos florent. an. ℥iß. rad. tuſſilag. ℥ ii. rad. alth. ʒ vi. Glycyrrhiz. raſ. ʒx. fol. hyſſop. marrub. alb. pedis cati an. m.j. baccar. juniper. recent. contuſar. ℥ i. ſem. tabaci ʒß. f. omnium decoct. in ſ. q. aq. ſcabioſ. tuſſillag. Card. benedict. Colatura clarificetur, cui adde mellis Narbonenſ. deſpumat. ℔ i. Levi coctura reducantur in ſyrupum perfectè coctum, qui acidus reddatur ſ. q. ſpir. ſulphur. Utatur è bacillo glycyrrhiz. contuſ. vel è cochlear. ſenſim lambendo & deglutiendo, bis vel ter in die, præſertim cum viſcidior pituita bronchiis impacta hærebit.

℞. Rad. enul. per tenues taleolas ſect. ʒi. Glycyrrhiz. Hiſpan. itidem diſſect. ℥ß. ſummit. ſiccat. marrub. alb. & hyſſop. an. ʒii. ſem. aniſ. recent. contuſor. ʒ v. flor. ſulphur. ℥ ß. Hiſce omnibus in paropſide ſtannea affund. aqu. vit. quæ habeat circiter quartam partem phlegmatis ℔ ij. ſacchar. alb. ℔i. mell. albiſſ. ℔ß. Incendantur ſuper lento igne, & f. continua agitatio, donec liquor fuerit reduct. ad ſyrup. conſiſtentiam: f. Colatura per pannum ſtamin; cujus portio reddatur acidula pauc. gutt. ol. ſulphur. per campanam extract. ſumend. ex cochlear. urgente ſpirandi difficultate & ſtertore, ſedulò extuſſiendo id quod attenuatim à pulmonibus aſcendet.

Oleum item ſacchari utile eſt, quod paratur ex ſacchar. cum aqu. vit. quæ habeat aliquid phlegmatis, accendantur, & f. continua agitatio donec conſumpto ſpiritu remaneat veluti ſyrupus, cui ad majorem penetrationem aliquid aq. cinam. & ol. ſulphur. poterit admiſceri. Incidit potenter in aſthmate, multo verò magis ſequens compoſitum.

℞. Rad. ireos Florent. ℥ij. enul. campan. ℥i. Rad. tuſſilag. & glycyrrhiz. an. ℥ ii ß. fol. ſicc. ſcabioſ. roris ſolis an. m.i. ſummit. ſicc. hyſſop. & marrub. alb. an. p. ii. Omnia minutim concisa infunde in tribus partibus optimi ſpiritus vini & una aq. roris ſolis, & ea quantitate quæ ſupernatet iv. digit. per 3. dies, vas quotidie agitando, mox fiat colatura, cui adde dimid. pondus ſacchar. Incende ut ſupra, & fac veluti ſyrupum, continuò agitando. Huic adde tertiam partem mellis paſſulati. Utere ex bacill. Glycyrrhiz. aut cochlear. Mel paſſulatum ſic fit.

℞. Uvar. paſſar. ℔iv. aq. ℔xii. Macerentur horis 24. deinde coquantur ad remanentiam tertiæ partis; colentur; Colatura coquatur ad mellis conſiſtentiam; deinde reponatur.

℞. Flor. ſulph. ter ſublimator. ʒi. flor. benzoin. bis ſublimatorum ℥ß. croc. orient. ſubtiliſſ. trit. ʒij. m ſ. capiat ʒß. ſingulis matutinis ex ovo ſorbili horis 3. ante prandium.

℞. Flor. ſulph. gr. v. part. alb. benzoin. ſuccin. præp. ana gr. vii. ſacchar. roſat. gr. x. M f. pulvis ſubtiliſſ. ſumend. ut prius, ſuper hauſto cereviſ. medicatæ poſtea deſcribendæ momento.

Vel ℞. Flor. benzoin. vel, ſi deſint, unguium ejuſdem ſive part. alb. flor. ſulphur. ana ℈j. myrrhæ elect. ℈ſ. f. pulvis ſubtiliſſimus excipiendus paucâ terebinth. Venet. in aq. hyſſop. ad albedinem lotâ, f. bolus exhibendus manè ſuper hauſto alæ maciatæ calentis momento, ſuperambulando leviter, dilato ad 4. horas prandio. Repetatur per 8. vel plures dies conſequentes.

Prodeſt Electuarium ſequens. ℞. Rad. enul. recent. opt. mundat. & contuſ. ℥v. paſſular. ſolis exarillatarum ℥xij. ficuum mollium, uvar. Corinthiac. ana ℥iv. Glycyrrhiz. Hiſpan. per taleolas ſect. vel contuſ. & conciſ ℥iß. Coquantur omnia donec molleſcant in ſ. q. aqu. hyſſop. eryſim. heder. terreſtr. & enul. terantur dein in mortario marmor; & trajiciatur pulpa per ſetaceum, quæ cum reſiduo decoctionis lentè coquendo, inſpiſſetur; Ad hujus ℥xii. Adde mell. albiſſ. deſpumat. cum aq. diſt. ℥iv. ſacchar. cryſtallini ℥ vi. macis ſubtiliſſimè pulverizati ʒi. caryophyllor. ʒß. croc. in alkool reduct. ℈i. ol ſtillatit. anis. gutt. xxx. acetoſitat. ſulphur. q. ſ. ad gratum ſaporem: Mſ. f. Electuarium inſtar. Eclegmatis, de quo capiat ſubinde ex apice cultri ad quantitatem fabæ ſenſim deglutiendo moleſtantibus & ingraveſcentibus diſpnæâ, ſtertore & tuſſi.

Vel ℞. Glycyrrhiz. Hiſpan. per tenues taleolas ſect. ℔ ß. infunde in ſ. q. aq. hyſſop. pe. 3. dies & totidem noctes, f. colatura, cui adde ſacchar. albiſſ. ℔i. pulp. rad. enul. longâ contritione in mortar. marmor. in pulpam redact. ℥iv. f. Electuar. de quo cap. ſubinde ad quantitatem avellanæ, tenendo in ore, ſenſim deglutiendo id quod diſſolvetur.

Mumia ex pulmonibus inſignis eſt efficaciæ.

℞. Pulm. hom. ſan. violentâ morte interempt. vel ejus defectu, vulpis, agni vel vituli;

tuli; ſecetur plurimis diviſuris, ita ut vaſa omnia ſive aſpera ſive lævia aperiantur. Exprimantur optimè contenta, mucus & ſanguis; abluantur vino generoſiſſimo albo, Hiſpanico aut Græco, ſiccetur linteo, ſecetur in particulas, atque in aſſere ſiccetur in clibano poſt exemptum panem. Hujus in minutiſſimas partes redacti.

♃. ℥vi. Ireos Florent. ℥iij. ſtyrac. calamit. ℥i. m ſ. & cum aq. roris ſolis per digeſtionem in balneo roris f. tincturæ extractio, liquoris tincti per chartam filtratio, & evaporatio in extractum mellagineum, cujus ℥iv. addatur ʒß. flor benzoin. albiſſimor. non fœtidor. ab empyreumate.

♃. Tuſſilag. tot. in umbra ſiccat. (id quod cæteris ſimplicibus etiam intelligendum eſt) ℥vi. glycyrrhiz. recent. ℥iv. Rad. enul. campan. ℥ij. ſcabios totius ℥iii. roris ſolis, pedis cati an. ℥iß. marrub. alb. eryſimi, hyſſop. an. ℥i. cum hydromelite Malvatico limpidiſſimo, vel cum aq. pectorali paretur Extractum mellagineum, ut ſuprà.

♃. Extract. primi ex pulmon. ℥ii. Extract. ſecund. ℥iv. mell. parati ex ſex partibus paſſul. quatuor dactyl. & duab. Jujub. ſimul in hydromelite coct. ℥viii. Penid. mell. deſpumat. albiſſim. ſacchar. violat. an. ℥v. Lact. ſulphur. non fœtentis ℥ii. Rubin. ejuſd. non fœtid. ℥ſs. Pulp. rad. alth. & ſymphyt. major. extract. per decoct. in hydromel. malvat. vel per coct. ſub cineribus an. ℥iiſs. mucilag. ſem. cydon. pſyll. & malv. æqual. proport. mixtor. eodem liquore extract. ℥i. M ſ. agitentur diutiſſimè, inſolentur, vel in ſimili calore ſerventur per dies 40. ad perfectam fermentationem quotidie ſpatulâ ligneâ ſedulò agitando.

Confectio iſta optimè fermentata in duas partes dividatur, altera ſervetur uſurpanda in affectibus pulmonum qui irritationibus non indigent, ut fluxione ferinâ, tuſſi ſiccâ, tabe ſine ulcere, pleuritide etiam & peripneumoniâ, ſatis per phlebotomiam ſublato inflammationis periculo. In ſumma, ſit dirigens & præſervans hoc remedium, cui juxta indicationes varias & mixtas idonea addere licebit.

NB. Putredinem & corruptionem ex pulmonibus perbellè arcebit mumia, quæ ob ſimilitudinem in partem affectam aget potentiſſimè.

Pars altera reddatur acida inſtillato ſulphur. oleo, eique juxta neceſſitatem addatur quarta aut ſexta pars olei ſacchari compoſiti ſuprà deſcript. (ubi hæret in bronchiis pituita viſcidiſſima) olei aniſ. gutt. aliquot. Valet in Aſthmate, catarrho ſuffocante, &c. ubi expectoratione opus eſt.

♃. ℥i. Mucilag. rad. alth. extract. per decoct. in ptiſana, ſive decoct. rad. enul. ireos, glycyrrhiz. & comarum hyſſop. pulveris diaireos ʒiii. flor. vel potiùs lactis ſulphuris in ſpir. vin. ſæpiùs infuſ. & ad ſolem vel ſimilem calorem ſiccat. ℥ſs. flor. benzoin. ʒii. Sacch. albiſſ. ℥viii. M ſ. & addito pauco hydromelite malvatico f. tabellæ ponderis ʒ ii. quarum unam ſenſim deglutiat ſingulis noctibus in ingreſſu lecti.

Vel ♃. Fol. tuſſilag. ſiccor. dempto tomento alb. ℥ſs. Glycyrrhiz. ʒvi. Pulver. rad. alth. ℥viii. Lactis ſulphur. (vel ſi deſit, flor.) ʒſs. Exactè redacta in alkool excipiantur mucagine gumm. tragacanth. ſatis liquid. extract. in aq. ſtillatit. hyſſop. & marrub. alb. f. paſta ex qua tabellæ hypoglott. ad uſum ordinarium.

♃. Succ. alb. præp. oliban. maſtiches, ſandarac. an. ʒß. Gumm. anim. pellucidiſſ. myrrhæ an. ʒi. Gumm. guaiac. ℈ij. croci ℈i. Trita omnia ut alkooſ, excipiantur ſ. q. Balſam. Peruvian. nigri f. maſſa pilular. ex cujus ʒi. Formentur pilulæ num. vi. Cap. quotidie manè pilulas primò tres, deinde ſucceſſivè 4. 5. 6. ſuper hauſto cereviſiæ Medicatæ ſequent. vel alæ maciatæ calentis momento, dilato ad 2. vel 3. horas cibo.

A cibis flatulentis, & craſſum viſcidumve ſuccum præbentibus abſtineat æger; coctâ autem facilibus, partibuſque tenuioribus conſtantibus veſcatur.

Potus ordinarius ſit iſtiuſmodi. ♃. Rad. chinæ per taleolas ſect. ℥iv. Raſ. abiet. recent. reſinol. ℥vi. Santal. albi & rubri an. ℥ij. Lign. nephrit. ℥iij. raſ. C.C. & ebor. an. ℥iß. Betonic. & veronic. mar. ſcabioſ. ſicc. an. M iß. Flor. herb. paralyſ. p. viii. flor. ſalviæ & roriſmar. an. p. iv. nuc. moſchat. ℥ß. Hiſce conciſis, ſacculo ex tela rara incluſis & conjectis in doliol. juſtæ capacitatis affund. cereviſiæ non lupulatæ gallon. vi. cereviſ. lupulat. rec. gallon. ij. ſinatur fieri fermentatio ad perfectam depurationem per octiduum: liquor limpidus ad medias uſque depromatur ex vaſe uſus tempore; reliquum excipiatur lagenis lapideis appimè obturandis.

♃. Rad. chin. ℥ij. Sarſæparill. ℥iv. lign. ſaſſafr. ℥i. Rad. enul. ℥ß. tuſſilag. ſcabioſ. pulmonar. marrub. hyſſop. an. m i. Coq. in aq. com. q. ſ. ad ℔iv. additâ octavâ mellis parte f. hydromel, condiendum pulvere ireos Florent. Cap. per plures ſeptimanas bis in die longè à paſtu ℥viii. ſufficient hæc in ſex doſes.

Præter medicamenta interna jam tradita, externa quædam quandoque utiliter adhibentur v. g.

Suffitus ſiccus. ♃. Sulphur. ʒ ii. oliban. ℥ß. Succin. ʒ iij. trita omnia ut alkool ſubigantur cum duobus ovorum vitellis in porphyrite inſtar pigmenti pictorum; hæc mixtura illinatur foliis latis tuſſilaginis: Siccentur omnia, & f. pulvis craſſiuſculus pro ſuffitu interioris lecti, uſurpando paulò ante horam ſomni. Pro ratione tolerantiæ excitetur idem fumus in cubiculo manè circa horam nonam, videndo ne quid nimis, ut ei paulatim æger aſſueſcat. Vel ſi ſuffitus cum aviculis cipriis ex ladano, ſtyrace, benzoin. thure, maſtiche, carbone ſalicis, &c.

Suffitus humidus ex lavendula, thymo, hyſſopo, ocymo, caryophyllis, cortice citri flavo, maceratis in vino albo generoſo & tantillo aceti.

Fumus per tubum exceptus. ♃. Rad. enul. ſicc. fol. marrub. alb. & hyſſop. an. ʒ ij. Tabaci Indici ʒ iij. auripigmenti ℥ß. f. omnium pulvis ſubtiliſſimus qui excipiatur vitell. ov. & lævigetur in porphyritide inſtar pigmenti pictorum, atque extendatur penicillo in foliis tuſſilag. & ſinantur omnia ſiccari perfectè. Incidantur folia uſûs tempore inſtar tabaci, & fumus excipiatur ex tubo ſeu fiſtula manè jejuno ventriculo, & paulò ante ingreſſum lecti valdè extuſſiendo.

Vel ℞. Fol. tuſſilag. ſiccor. ℥i. fol. roriſmar. ʒiij. Tabaci Indici ʒij. ſuccin. ℥ß. f. pulvis cui inſtillentur paucæ guttæ ol. aniſ. ſervetur in pyxide atque ejus fumus attrahatur ex tubo, præſertim manè jejuno ventriculo, aliàs longè à paſtu diſpnæâ premente.

Expectorationem procurat fotus ex decoct. tuſſilag. Juniper. hyſſop. marrubii, enul. tabaci, mixto cum parte una hydromelitis Malvatici, & partibus duabus olei communis.

Emplaſtrum ſeq. præſertim hyeme, toti pectori applicat. & continuò geſtat. decimo quoque die renovand. ſuperpoſito panno laneo molli, valdè proficuum eſt.

℞. Emplaſtr. diachyl. ireat. ℥xvi. Picis Burgund. depurat. ℥viii. Ol. hyperic. ℥iß. Terebinth. Venet. ℥ß. Liquentur ſimul lento calore, mox addantur ſequentia ſubtiliſſimè pulverizata, viz. Rad. enul. ſem. cumin. an. ℥i. Sem. aniſ. agaric. albiſſ. an. ʒvi. folior. marrub. alb. hyſſop. chamæmel. an. ℥ß. cort. rad. ſaſſafr. ʒiij. ſulphur. viv. ℥ii. croci ʒii. Redigantur in maſſam emplaſtri, addit. ſ.q. ceræ flavæ. Hujus portio extendatur in aluta molli formæ debitæ.

Veſicæ denique aptis locis (v. g. brachiis) excitatæ aliquando levamen aliquod ferunt. *Theodorus de Mayerne Praxeos Medicæ lib. 2.*

In Aſthmate. ℞. Sulphur. antimonii gr. vj. Cremor. tart. ℈ß. Syrup. de Hyſſopo ʒii. Aq. Marrub. ℥ii. Miſce f. Vomitorium.

Seu ℞. Tartar. emet. gr. iii. Oxymel. ſquillitic. ℥i. Miſc. f. Vomitorium.

Seu ℞. Sapæ vomitoriæ gt. vi. Vini Gallic. cochl. i. M. f. Vomitorium.

In India. ℞. Syrup. Nicotianæ ℥i. Vitriol. mart. ʒß. Miſce f. Vomitorium.

Vel ℞. Sal. vitriol. ʒſs. Syrup. fol. cinnam. ʒii. Aq. fol. cinnam. ℥ii. Miſc. f. Vomitorium.

℞. Pulp. Caſſiæ ℥ſs. Reſin. Jalapp. gr. viii. Extract. Agaric. gr. xv. Tartar. vitriolati ℈i. Ol. ſtill. Fœniculi gt. 2. Miſce f. bolus purgans.

Vel ℞. Pulp. Paſſularum, Caſſiæ an. ʒii. Reſin. Scammon. gr. x. Cremor. tart. ℈i. Ol. aniſi gutt. iii. M. f. bolus purgans.

In India. ℞. Pulp. Caſſ. ʒii. Reſin. Turbith, Magiſt. Gumm. Gutt. an. gr. viii. Ol. cinnam. gt. ii. Miſc. f. bolus purgans.

℞. Syrup. pectoralis ʒii. Fæcul. Aronis ʒiiſs. Flor. ſulphur. cum Benzoe ʒſs. Balſam. ſulphur. aniſat. gt. xii. M. f. linctus.

Vel ℞. Syrup. Althææ, Marrubii, liquiritiæ an. ℥i. Gumm. Ammoniac. ſpir. aſthmatico ſolut. ʒi. Balſam. Peruvian. ℈i. Sulphur. antimoniat. ʒſs. M. f. linctus.

Seu ℞. Syrup. Pectoralis ℥ii. Elix. Pectoral. ʒii. Sperm. ceti ʒſs. Ocul. cancr. ʒi. Miſc. f. linctus.

Vel ℞. Aq. Marrub. Hyſſop. an. ℥iiſs. Spir. Gumm. Ammoniac. ʒi. Tinct. ſulphur. antimoniat. ʒſs. Tinctur. croci gt. xv. Syrup. pectoralis ℥i. Miſc. doſis cochleatim.

Vel ℞. Aq. ſcabioſ. Veronic. Hyſſop. an. ℥ii. Elixir. pectoralis ʒi. Elix. Matthioli ʒii. Tinct. croci, Tinct. Caſtorei an. gt. xii. Syrup. liquiritiæ, Marrubii an. ℥i. Miſc. detur cochleatim.

Seu ℞. Aq. Pectoralis Mynſichti ℥iii. Spirit. Gumm. Ammoniac. ʒi. Spir. C. C. gt. xx. Tinct. Caſtorei gt. x. Syrup. pectoral. ℥i. Miſce detur cochleatim.

Nullibi profectò terrarum majorem Aſthmaticorum numerum habuimus, quam in Inſula Ceylon. Cauſa tamen una, eademque apud quoslibet non exiſtit. Quidam enim ventris, alii pectoris hydrope laborant, alii cachexiâ torquentur. Quando itaque viſcera pectoris, ſuo ſpirituoſo privata ſunt alimento, & quaſi areſacta; tum hicce affectus neceſſariò ſuccedit. Non pauci, per continuam illius ſpiritûs, qui ex vino palmatico à Chinenſibus deſtillatur ex Arack vocatur, potationem, thoracem fermè habent aduſtum, aliqui ex continuis effervescentiis, ventriculum & inteſtina inflantibus, diaphragmaque plus debito ſurſum pellentibus, in hunc morbum incidunt. Cæteri eorum, pleno adhuc corpore ſubitam mortem obeunt. Dominus Rycklof de Goens junior, Batavici in Ceylon Territorii Gubernator, veram morbi naturam inquirens, mortuorum aliquos aperire mandavit, ex illis uni pulmo ad pleuram, ſed imâ etiam parte, ad diaphragma erat annexa. Cæterum, ægrotis hiſce debitam adhibere curam medenti vix eſt poſſibile, quia ægroti, in damnata vitæ methodo permanentes, id magis, quod proprio palato ſapit, impetuoſe requirunt, quam quod prodeſt: ſibi ipſis, nunc vomitorium, tunc purgationem & alias rurſus aliud præſcribentes: ſicque continuabant, donec morte capti, ſub terra quieſcere coguntur. Quando verò unus vel alter, præter ſpem & conſuetudinem, Medici præcepta meliori obedientia obſervaret, curatio pro diverſitate cauſarum inſtituenda eſſet. *Hermann. Nicol. Grumm. de morbis Thoracis in Compendiô Medicô Chymicô.*

Conſultationes.

Adoleſcens quindecim annorum, habitus plenioris, temperamenti ferè ſanguinei, & ex parte phlegmatici, anno ſuperiori 1609. ſtudiorum gratiâ hic Gieſſæ vivens, diuturni affectus acceſſionem frequenter patitur, ita ut in creſcente Luna afficiatur anhelatione crebra, reſpiratione ſonante, pectoris dolore gravativo, & quaſi ſuffocante, cum tuſſi, materiæque viſcidæ rejectione, noctu magis, quam interdiu ſuccedente, non raro mæſtitia & timor abſque cauſa, anxietaſque & quaſi principium lipothymiæ ſuperveniunt. Ventriculi conſtitutio frigidior, jecoris calidior, cerebrique humidior, ex certis ſuis ſignis colligitur.

Affectus hic nihil aliud eſt, quàm difficilis reſpiratio, quam Aſthma vocant Medici, cujus cauſa proxima conſiſtit in anguſtia pulmorum, quæ citra febrim à lentis & craſſis humoribus bronchia, hoc eſt, vaſa pulmonum, reſpirationi ſervientia coarctantibus oritur. Ingraveſcit igitur hoc malum anhelatione crebrâ, maximè quando corporis motus concitatior accedit, propterea quod viſcidus humor meatus pulmonum obſtruat & aëris introitum, fuliginumque exitum liberiorem impediat, unde natura crebritate reſarcire conatur, quod magnitudini propter anguſtiam meatus deeſt; reſpiratione ſonante, ob coarctatas vias ſpiritus, qui dum per anguſta itinera progreditur ſonum quendam obtuſum efficit; dolore pectoris gravativo,

vativo, prout plenitudo pectoris cum labore quodam reſpirationis adeſt, coadjuvante copia cruditatis & flatuum ventriculi, quâ thoracis anguſtia major redditur: cum tuſſi materiæque viſcidæ rejectione, quatenus natura eò allaborat, ut viſcidos humores obſtruentes expellat. Succedunt interdum mæſtitia & timor abſque cauſa, propter fuligines ob reſpirationem imperfectam in corde remanentes & ſpirituum ſubſtantiam inficientes. Item anxietas & q. incipiens animi defectus, propter liberam eventilationem cordi denegatam. Quæ omnia magis noctu quàm interdiu exacerbantur, quia ſomni tempore pituitoſi humores magis ad pectus defluunt, quorum collectio potiſſimum circa mediam noctem inimica eſt thoraci, propter fuligines à membris collectionis excitatas. Oritur hoc malum reſpectu præſentis ſubjecti, partim à nativa imbecillitate pectoris, quod ex diuturnitate affectus colligitur, partim etiam à dyſcraſia partium principalium cerebri, jecoris, ut & ventriculi. Conſiderentur ergo primò membra peccantem materiam producentia, deinde eandem recipientia. Ad materiæ productionem & collectionem faciunt ea membra, quæ concoctionibus alimentorum proſunt. Hîc primò ventriculus conſideratur, qui frigiditate quadam p. n. affectus imbecillior eſt in concoquendo, quod unicè proventus pituitoſorum humorum non raro vomitu projectorum declarat. Ut autem aliàs imbecillitas ventriculi plerumque cum jecoris caliditate quadam p. n. jungitur; ita illud ipſum hîc quoque accidit. His accedit cerebri diſpoſitio humida quam ventriculi jecoriſque temperatura difficilis augent & fovent, ut cauſam & originem catarrhis præbeat, qui præter nativam imbecillitatem pectoris circa vias reſpirationis recipiuntur, adeoque per certa intervalla difficultatem reſpirationis producunt. Etſi v. talis affectus inveteratus chronicus in ſenibus omninò ſit incurabilis, cum ſua natura debiliorem calorem habeant, plurimiſque pituitoſis excrementis abundent, in hoc tamen adoleſcente non deſperamus, cum naturali temperamenti mutatione ſenſim ſuperfluitates, procedente ætate conſumantur. ſit ergo.

Primò victûs ratio morbi cauſis contraria: aër ſit ſiccus & temperatè calidus, ſi non naturâ fiat talis arte, per fumos odoriferos in hypocauſto excitatos, antequam è lecto ſurgat æger, ut fiat craſſiorum exhalationum diſſipatio, cùm aliàs facillimè gravitatem capitis moveant. Calidiſſimus aër noxius, quod ſolvat humores, & cerebrum ad fluxiones diſponat, ut inſtar ſpongiæ ſuperfluitates attrahat. Venti meridionales & ſeptentrionales fugiendi, quod hi humores frigiditate ſua exprimant & ad inferiora depellant, illi contra vaporibus & humoribus caput repleant. Cibus non ſit nutrimenti craſſi, viſcidi, frigidi, caput replentis & onerantis. A vino generoſo abſtinendum, conceſſo Rhenano albo, tenui & diluto, cum infuſione hyſſopi, ſalviæ & rad. Ireos. Cereviſia ſit optimè defæcata & in his locis parcè bibatur. Exercitia tantùm extra acceſſionem, non ſubitò ſed ſenſim fiant, ante prandium, corpore à ſuperfluis evacuato: Somnus ſit moderatus & non fiat corpore ſupino. Excretiones alvi promoveantur quotidie, & perturbationes animi, præſertim mæror & ira vitentur.

Quoad pharmaciam duo potiſſimùm conſideranda, ſcilicet uſus medicamentorum extra acceſſionem & in ipſa acceſſione. Extra acceſſionem eò allaborandum, ut ante omnia dyſcraſia partium corrigatur per alterationem, & materia collecta præparetur & evacuetur. Quoad priùs cautè procedendum, nec natura medicamentorum copiâ obruenda, cum ſua ſpontè mutationem in hac ætate intendat.

Quoad poſterius medicamenta præcribentur eo fine ut materiæ collectio, quæ cauſa eſt Aſthmatis, impediatur, atque illud, quod collectum eſt corrigatur & educatur. Ut ergo concoctio juvetur, poſt cibum tragæa ſtomachalis convenit, & ne materia cumuletur, uſus lenitivi medicamenti ſingulis ſeptimanis repetatur: collecta verò materia circa pectus præparetur & partim exiccetur & abſumatur, partim etiam per ſputum educatur, uſu quotidiano Oxymellis compoſ. quod habet Quercetan; illudque Oxymel de Petò purgatorium vocat, quo alvus retinetur aperta, & non rarò datâ materiâ vomitus provocatur. In ipſa acceſſione eò reſpiciendum, ut materia, quæ facit anguſtiam, reſolvatur, & per ſputum vel alia ratione educatur, ubi Oxymel Cratonis exhibeatur, quod.

♃. Herb. Hyſſopi, Origani, Marrubii, Pulegii Betonic. Scabios. Card. bened. an. m. i. Rad. Ireos inciſæ ℥i. Agar. ʒx. Zing. ʒii. Coquantur in ſ. q. aceti; affuſa tertia parte aquæ, poſt colaturam adde mellis puriſſimi quantum ſufficit, coq. ad juſtam conſiſtentiam, & fiat Oxymel, de quo urgente neceſſitate cochlear unicum ſenſim deglutiatur. Si materia fluctuat in ventriculo vomitus decoctione raphani vel aliâ ratione provocetur, utpote quo plurimùm affectus levatur, quibus omnibus Deus ἀρχίατρος felicem ſucceſſum largiatur.

Nota, quòd Illuſtriſſ. hic adoleſcens à nobis ad Illuſtriſſ. Collegium Würtembergicum, quod Tübingæ eſt, diſcedens, per unum atque alterum annum huic conſilio obtemperans, leviores acceſſiones hujus mali ſenſerit, donec in variolas incidens vitam cum morte commutârit, forte quòd propter pectoris imbecillitatem peccans materia magis ibidem collecta difficili reſpirationi conſequenterque ſuffocationi lethali occaſionem præbuerit. *Gregor. Horſtius de morbis Pectoris.*

Illuſtriſſimus militum Dux annum agens quinquageſimum, temperamenti totius ad calidum & ſiccum vergentis, fervidi jecoris, capitis calidi & humidi, cùm antehac ſatis incolumem vitam duxerit, duobus abhinc annis incidit in febrem, cum capitis copioſa deſtillatione, à qua quidem evaſit, ſed poſt paucos menſes recruduit deſtilatio ipſa, & per ſpatia, ſeu per infundibulum & glandem pituitariam tandem ad laryngem & aſperam arteriam præcipitans, inſignem attulit ſpirandi difficultatem, non ſolùm aſthmaticam, ſed orthopnoicam: erecta namque cervice ſtare & reſpirare cogebatur. Hoc tempore multoties

adhuc febricitavit ſed frequentiores aſthmaticos inſultus expertus eſt & experitur, à quibus liber evadit, catarrhali materia craſſiori reddita, & vel exigua tuſſi per ſputum excreta. Interim in intervallis liberè ſpirat, neque in acclivium locorum aſcenſu ullo modo reſpiratio laborat. Modo ab hoc affectu præſervari & liberari cupiens, Patavinum auxilium implorat.

Affectus quo premitur Vir Illuſtriſſimus, ſicut in genere eſt Anhelitus difficultas, ita ſub ſe continet omnes ſpecies, Apnæa excepta; primò namque, Orthopnæa correptus fuit, quia decumbere non poterat ſine ſuffocationis metu: deinde Aſthmate, quia reſpirabat decumbens, ſed cum ſtertore, nimirùm cum ſibilo & cantu in bronchiis pulmonum: Aſthma enim Græcè, latinè Cantum ſignificat, hoc declinante, Diſpnæa per aliquod tempus perſeverabat, donec omninò liber evaderet. Cauſa autem immediata hujus affectus, ſicut eſt anguſtia viarum per quas aër ingreditur, in bronchiis ſcilicet pulmonum exiſtens, ita mediata cauſa anguſtiam faciens, eſt catarrhalis materia, nullo modo tuberculum, ut quandoque contingere ſolet: tunc enim nec ullus ſtertor obſervatur, nec materiæ catarrhalis per tuſſim excretione levantur aut liberantur Patientes. Catarrhalem verò materiam à calido atque præhumido deſcendere, & per jam dictas vias ad pulmones deferri non eſt dubitandum: etenim ſi à toto venoſo genere ad pulmones traduceretur, adeò ut pulmonum ſubſtantia cum cavitatibus eâdem materiâ eſſet imbuta, ad quemlibet vel levem corporis motum moveretur ipſa materia, & à facultate expultrice ad bronchia pulmonum detruderetur, ſicque continua foret ſpirandi difficultas, nec diuturna obſervarentur intervalla: Quam veritatem confirmat Autopſia ſanguinis jam educti, qui quidem fervidiſſimus, imò niger & aduſtus viſus eſt, ſed à pituitoſa & cruda materia immunis, atque etiam modus quo liberatur Patiens Illuſtriſſimus, nimirum catarrhalis materiæ craſſioris redditæ excretione: ſicque ut dicebat Hippocr. morbum & cauſam morbi oſtendit ſanatio, ſanationis ſcilicet modus. Caput igitur eſſentialiter affectum eſt, & calida multoque magis humida intemperie laborat, ut capillitium manifeſtè indicat: aliquem tamen conſenſum à fervido jecore ſuſcipere non eſt negandum, à quo frequentes quoque bilioſæ febres ſoboleſcunt; Præterea facies ejus rubore intenſo affecta frequenter conſpiciebatur; elevati namque calidiſſimi vapores à jecore & ſanguine ad caput, humiditatem ab ipſo genitam & in eodem contentam liquantes atque fundentes, ad motum atque deſtillationem faciliorem reddebant: ut propterea tenuis ipſa deſtillatio obſervata fuerit, quæ impetum pulmonum ſubterfugiens, & delabens, ſicque expulſioni reſiſtens, non ante ejuſdem craſſefactionem uniri & ab expultrice facultate pulmonum excerni poterat, ad cujus expulſionem levabatur, imò liberabatur ipſe Patiens.

Eſt affectus quidem gravis & magni faciendus quia reſpicit vitam: conſque enim vivimus, quouſque reſpiramus: Etenim præterquam quod ſuffocationis periculum affert, progreſſu quoque cor debita ventilatione privatum conflictatur: & ingenito calore labefactato, influens imbecillior ad viſcera, & præſertim ad hepar tranſmittitur, ſicque frequenter Hydropes ſuccedunt. Purgatio itaque præſervativa, etiam hoc anni tempore non adeò congruo eſt ineunda, futuræ ſanitatis ſpe, cùm inveteratus non ſit affectus, & Patientem obſequentiſſimum habeamus.

In quem finem primæ viæ ſunt expiandæ, Secundò Maſſa ſanguinea à fervidis & aduſtis humoribus depuranda. Tertiò caput purgandum. Quartò materia catarrhalis à pulmonibus divertenda, & quod magis eſt, ejuſdem reproductio inhibenda. Pulmones quoque exiccatione roborandi; atque tandem jecoris fervor contemperandus.

Quibus intentionibus ordine executivo erit ita ſatisfaciendum. Et primò aſſumat

℞. Pot. ex mann. clarif. ℥ vi. aq. flor. citr. parùm m. f. potio quatuor horis ante prandium aſſumenda. Mox quinque diebus ſummo manè aſſumat

℞. Julap. acet. ℥ ii. Syrup. de pomis ℥ i. aq. florum citri parùm, m. pro una vice, & ſic pro aliis. Tranſactis quinque diebus aſſumat ſyrupos præparantes in hunc modum parandos.

℞. Succi depur. cichor. endiv. pom. dulc. an. ℥ i. decoct. borag. ſonchi, malvæ, violarum, pulmonariæ ℥ iv. M. pro ſyrup. & ſic pro aliis. Secunda verò die dictorum ſyruporum aperiatur Jerocaria dextra, & educatur ſanguis ad ℥ vi. In intermedio autem & fine quindecim horum dierum aſſumat potionem ita paratam

℞. Pot. magiſtr. ex mann. clarif. ℥ v. addendo infuſioni conſuetæ agar. trochiſc. ʒ ii. Rhabarb. maturi ʒ i. Aq. flor. citri parùm M. f. potio, & duabus horis ab aſſumpta potione ſuperbibat aq. Nocerian. ℔ ij. aut iij. tribus verò horis ab epota aqua prandeat.

Ita primæ & ſecundæ intentioni ſatisfactum fuerit. Tertiæ verò ſatisfaciendum præſcribendo Præparans capitale ita

℞. Succi depur. cichor. beton. ℥ i. Decoct. borag. endiv. pulmonar. majoran. ſalv. ℥ iv. M. pro ſyrupo duobus diebus aſſumendo. Tertio vero die in Aurora aſſumat pilulas

℞. Pilul. capital. Paracelſi ℈ ii. reform. pilulæ, & aurentur, quibus ſuperdormiat, & tribus horis ab aſſumpta aqua prandeat; quæ pilulæ duabus aliis vicibus quarto quoque die repetendæ; & intermediis diebus præſcripti ſyrupi erunt præbendi, & caput per nares quoque purgandum Errhino hujuſmodi pulvere parato

℞. Pulv. majoranæ, Ireos an. ʒ ii. nigellæ ʒ i. M. pro Errhino.

Hinc ad quartam intentionem explendam deveniendum erit; & pro diverſione materiæ catarrhalis à pulmonibus ipſis, Cauterium, ſi non geſtat in brachio ſiniſtro, erit inurendum: & ad intercipiendam materiam à capite ad pulmones noctu fluentem, in ore detineat, etiam dormiens, confectionem ex Diatragacantho frigido cum bolo Armena Orientali paratam. Pro capite verò ut mali fonte exſiccando, Decoctum ſudorificum quadraginta diebus aſſumendum, inſtituendum erit hunc in modum

℞. Sar-

℞. Sarſæparill. electæ, viſc. querc. veri an. ℥i. Lign. rot. mar. rad. enul. campan. an. ℥ß. Aq. ſtill. cichor. beton. farfar. an. ℔i. M. f. infuſio per horas 24. deinde bulliant ad conſumpt. dimidii, & facta colatura ſervetur pro duabus vicibus, unâ horâ antè ingreſſum hypocauſti ſumenda; progreſſu verò addi quoque poterit ſantalorum alb. ſemiuncia. Sudet autem modo atque menſura ore tenus eidem expoſita. Pro potu verò conſueto

℞. Reſiduum, abjecta enula, aq. comm. opt. ℔xii. M. bulliant ad conſumpt. tertiæ, in fine verò ebullitionis adde cinnam. integr. ʒiii. bulliant parùm, & colaturæ adhuc ferventi diſſolve ſacchar. alb. ℥iv. vel ad libitum Patientis, & fruſtula citri recent. ut agitando fiat aqua ſuavis vulgò dicta Cedrata. Decimo quoque die aſſumat potionem ex manna clarif. aut ſyrupo roſ. ſolutivo. Victus ratio Decocti tempore non debet eſſe adeo tenuis, nec attenuans, ita ut etiam quotidie concedi poſſit caro aſſa, aut palumbi, aut pulli junioris: in Cœna verò ptiſana hordeacea cùm ſaccharo, ultra panem bis coctum, nucleos pineos & paſſulas.

Terminato ſudore, poſtremæ intentioni ut ſatisfiat quindecim ſequentibus diebus horis matutinis hauriat

℞. Aq. ſtillat. de ſucco cichor. ℥vi. malvatum ℥iii. ſyrup. de pomis ℥i. m. pro potu, cui præmittat cochlear conſervæ violarum. Sub ingreſſum verò lecti aſſumat cochlear conſervæ aut botridis.

Et jam dictis omnibus congrua & valdè cauta addatur vivendi ratio, non ſolùm in cibo & potu, ſed in reliquis quoque ſex rebus non-naturalibus: & præſertim caput cuſtodiat à longo ad ignem acceſſu, à diuturna mora ſub radiis ſolaribus, necnon ab inclementiis ambientis frigidi: totum verò corpus diu veſtibus, & noctu culcitris benè munitum. A Venere abſtineat, aut valdè rara ſit; & bis ſaltem in menſe, familiarem habeat pilulam hora ante cœnam aſſumendam

℞. Pilul. de Agar. Meſ. ʒß. Mag. mechoac. gr. vii. M. reform. pilulæ iii. & aurentur. Atque tandem à vehementibus & intenſis applicationibus abſtineat, præſertim ab aſſumpto cibo, & hilari atque confidenti animo vivat.

Quamvis tum ſcribendorum copia, tum viri dignitas, cui juvando ſtudemus, calamum mentemque ultra brevitatem videantur urgere, quæ res affectura tædio Lectorem credi poſſit, tamen villicorum more, qui Cererem multiplicem uno acervant in horreoio, omnia ſic cumulare ſtudebo compendii beneficio & laconiſmi, ut neque brevitas ſcribenda mutilet, neque prolixitas Lectori adimat patientiam.

Vir Illuſtriſſimus quinquageſimum annum agens, temperamenti totius & capitis calidi & humidi, jecoris verò præcalidi, ad operationes promptus, curiſque & applicationibus maximè addictus, ut pote à Secretis Sereniſſimi Ducis, longis & meridianis ſomnis aſſuetus, quique juvenili florente ætate balneo ſtatim à cibo delectabatur, à quo egreſſus, vix ſubbucula & femoralibus indutus, ventis non raro expoſitus, ad ſomnum ſe componebat, quem ſæpe trahebat uſque ad noctem; Tertianis præterea, Ardentibus & Synochis febribus obnoxius, viginti adhinc annis pati cœpit gravem ſpirandi difficultatem, quæ ipſum invadens, ultra quintam horam ſemper, nunquam ultra quinquageſimam ita illum torquet, ut ſpiritum, niſi erecta cervice, ducere non poſſit. Dum proximè inſtat affectus, caput grave fit, inferiores oculorum palpebræ intumeſcunt, &c. Urinæ copia, alvus leviter ſolvitur, tenſio circa præcordia. dum verò actu urget, magnus æſtus, tuſſis, ſputa viſcida, inæqualis & humilis pulſus, pondus thoracis, ſpiratio erecta cervice, ſudor circa eandem frontem, & nonnihil etiam rorantibus extremis; aliquando urinæ crudæ & paucæ, aliquando etiam alvus laxatur & acria atque calida excrementa deponit. Æſtatis progreſſu invaluit potius hoc morbi genus, ſuas ſemper periodos ſervans, & Patientem Illuſtriſſim. Auſtrinis conſtitutionibus, & utroque Æquinoctio ut plurimum ſævius corripiens; nec unquam inducias conceſſit, niſi quindecim, quinque & duobus abhinc annis, quibus Arthritis primò, ſecundò Nephritis, tertiò univerſalis ſcabies illi veluti ſubſtituta eſt. Perſeverat adhucnum hujuſmodi affectus, imò præterito Autumno adeò deſæviit, ut hactenùs Viro Illuſtriſſimo liberam ſpirandi facultatem nunquam reliquerit, Plura pluries adhibuit medicamenta, ſed nullo aut inſenſibili emolumento, præter pulverem viperinum & Chinæ Decoctum, quod ab hoc malo biennio illum abſolvit. Varios Illuſtriſſimus Æger conſuluit Medicos, quorum tamen non una opinio fuit, cùm alii caput, alii naturalia viſcera, alii totum venoſum genus tanquam mali fontem accuſent, omnes utique ſuis innixi fundamentis: namque capitis eſſentialiter affecti manifeſta videntur indicia, gravedo ejuſdem, quæ immediatè acceſſionem præcedit, illius calida & humida intemperies, ac conſueta imbecillitas, oculorum lacrymæ, materiæ conditio, ut plurimùm intemperati capitis neceſſaria ſoboles; ſomni longi, prægreſſi errores ad caput ſpectantes &c. & facilis affectus invaſio. Viſcera naturalia primariò laborare arguit hypochondriorum fervor & tenſio, affectu vigente, levamen quod flatibus exploſis percipitur, acriſque & mordax materia quam acceſſionis tempore non ſine fructu ſoluta alvus extrudit; Juvamen quod à frigidis, læſio quæ à calidis percipitur, prout applicationes intentæ valdè & continuæ. Tandem pugnat pro venoſo genere calida & humida totius temperies, Arthritis, Nephritis & Scabies (quibus præſentibus ſolitus affectus nunquam apparuit) ſanguineam maſſam inquinatam eſſe indicantes; juvamen quod Chinæ Decoctum & viperinus pulvis humiditates in toto abſumentes & expellentes attulerunt; & demum errores in frequentibus natationibus ſomniſque longis ſub dio. In hac opinionum varietate, quæ Patavinis Medicis opinio ſit, quæque remedia opportuna cenſeantur, anxiè tandem expeſcitur. Aves tamen fortaſſe, Lector, audire, quid nos ſentiamus? Alias & ſæpè dictum, ne plura. Putaſne deeſſe nos Medico muneri? Parce, benigne Critice; negotium hoc quod tot pridem Gymnaſiarchas exercuit, novos occupet; quæ nobis mens ſit, verbotenùs maluimus prodeſſe, quam ſcripto, ut cuique dicendi quid ſentiat, integrum jus relinquatur, omiſſo placendi ſtudio

dio aut cavillandi; fortaſſe non aberraſſemus à vero, hoc nempè lenocinium trahit omnes, trahit nos; cuique ſua placent, noſtra nobis; quidni placeant? ſunt noſtra. Ergo dicat quiſque, prout ſentit, prout malit, ſcribat; nos juſto rigere calamo, quid ſentiamus ſæpè atque iterum locuti, Doctiorum ſententias expectamus.

Quamvis mirum non ſit tres auditas fuiſſe opiniones diverſas de affectu præſenti Illuſtriſſimum Virum affligente, quoniam de abſentibus certum concipere judicium, certamque Curationem proponere, difficile ſemper etiam ab Anteſignanis in arte judicatum fuit, cum in relationibus, licet abundantibus, aliquid tamen ſemper deſideretur; præterquam quod in arte conjecturali ſenſus non parùm ad cognitionem conferre poteſt. Nihilominus meliori & breviori, quo licuerit, modo noſtram de affectu præſenti ſententiam afferemus, remediaque ſelectiora proponemus.

Sicut in ideæ hujus affectûs cognitione omnes conveniſſe exiſtimo, cùm non ſolùm Diſpnæa, verum & Aſthma, ut ex ſibilo, & Orthopnæa, dum erecta cervice reſpirare cogitur, Patientem Illuſtriſſimum torqueant, ita de cauſa diſſenſiſſe in relatione video; & ſi de immediata loquamur, dubio procul eſt pulmonum anguſtia, quam in caſu noſtro nullo modo à tuberculo, ſed à materia viſcida & cruda provenire citra dubium credendum, quoniam adeſt ſtertor, ſibilus, & ſputa viſcida atque cruda excernuntur. Dubitatum autem fuit cùm affectus non primario & eſſentialiter pulmones occupet, à quanam parte ſuſcipiat conſenſum, num à capite, an à toto venoſo genere, ſive potius ab hypochondriis & viſceribus naturalibus primariò procedat. Et quidem dùm de ſingulis hiſce partibus non ſine ratione ſuſpicati fuere, ita ego omnes concurrere probabile cenſeo: capitis enim primò temperamentum ſupponitur calidum & humidum, & inde fluxionibus maximè obnoxium, à quo frequentiſſimè & ferè ſemper in aſperas arterias deſtillationes fieri ſolent; raro autem à venoſo genere, cùm vix obſervari poſſit vaſorum lævium cum aſperis communicatio, rariſſimè verò, imò nunquam à ventriculo & viſceribus naturalibus, ſine interventu venoſi generis & ipſius capitis; præterquam quod capitis affecti non exigua extant indicia, capitis ſcil. ejuſdem conſueta imbecillitas, oculorum lacrymæ, læſio facilis ab ambiente calido & humido, materiæ catarrhalis copioſa excretio, querelæ de capite affecto, aſthmaticas acceſſiones præcedentes, ſomni longi & errores prægreſſi, humidam capitis intemperiem augere valentes, atque tandem facilis & inſtantanea affectus invaſio, à facilitate materiæ catarrhalis ad pulmones delabentis procedens. Et revera de capite affecto mihi videtur dubitari non poſſe. Vertitur dubium, num pars hæc eſſentialiter tantùm & primariò, an ſecundariò & per conſenſum à toto, quinimo & ab hypochondriis afficiatur. Nec deſunt rationes totum affectum eſſe accuſantes, quarum potiſſimæ cenſentur, totius temperies calida & humida, prægreſſi errores in natationibus frequentibus ſomniſque diuturnis ſub dio, ſecundò quod tranſmiſſio excrementoſæ materiæ ad articulos, renes & ambitum corporis, aſthmaticam acceſſionē diverterit. Tertiò juvamen à totius diaphoreſi adaperta; atq; tandem ab uſu viperini pulveris, qui extenuantis ac digerentis eſt facultatis, & ad cutem properat; quare caput in caſu noſtro, non ſolum eſſentialiter, verùm & per conſenſum à toto lædi credo, ut frequenter obſervavit quoque ipſe Galenus. Sed neque hypochondria excludi poſſe videntur; ſicuti totum pravis humoribus ſcatere, viſceribus naturalibus optima temperie præditis, quomodo fieri poſſit non video, præſertim cum cauſæ & indicia earundem intemperierum non deſint; cùm enim catarrhalis materiæ à capite deſcendentis, pars major per œſophagum à ventriculo excipiatur, & ab eadem coctiones vitientur, neceſſariò inde in hypochondriis cruditates multiplicantur, eoque magis, cum Illuſtriſſ. Vir à Secretis ſit Sereniſſimi Ducis, ac proinde curis & applicationibus maximè addictus; Studioſis autem ventriculi imbecillitatem neceſſariam exiſtimaverit magnus Aretæus: quibus quoniam additur jecoris fervor, ut ex tertianis & ardentibus febribus quibus Patiens obnoxius eſt, ex calidorum & acrium excrementorum excretione, juvamine à frigidis, & à calidis læſione colligi poteſt præter jam dictas intemperies, obſtructiones quoque in hypochondriis reperiri facilè puto (quas tactu explorare domeſtici Medici munus erat) & ideò Virum Illuſtriſſ. ab hypochondriaca & flatuoſa affectione non immunem pronuncio. Quamobrem & hypochondria ad difficilem reſpirationem reddendam concurrere credo, non quidem quod cruditates immediatè ad pulmones tranſmittant, ſed mediante genere venoſo; & immediatè quod ab iiſdem flatuoſa materia epigaſtricam partem diſtendens, ſeptumque magnoperè comprimens, ſit modo concauſa difficilis reſpirationis diu permanentis, qua erumpente, levamen quoque percipitur; Et ita à catarrhali materia, à ſuperioribus partibus deſcendente, & pulmonum bronchia obſtruente, & à flatuoſa ab inferioribus aſcendente ſeptumque comprimente, difficilis redditur, & quandoque difficillima reſpiratio; cujus catarrhalis materiæ copia nonnunquam in pulmonum cavitate coacervari ſolet, dum cum ſanguine circulando per venam cavam ad cordis ventriculum dextrum, indeque per venam arterioſam in pulmones transfunditur; aut dum tandem imbecillitatem adepti pulmones ipſi eſſentialiter quoque afficiuntur; cujus materiæ præſentiam ſignificare ſolet nobis adaucta ſpirandi difficultas ad motum vel minimum ipſius Patientis, quod in relatione obſervatum non videt.

Invaleſcit autem magis affectus in conſiſtenti ætate, quàm in juvenili, tum non mutata vivendi ratione, tum facultate imbecilliori reddita, ut dicebat Gal. & nos cum eodem addamus frequentiores fluxiones, & quia non raro inſtrumenta reſpirationi dicata acquirunt proprium ſui vigoris principium. Neque mirum circa Æquinoctia pejus, melius circa Solſtitia degere Patientem Illuſtriſſ. quoniam in illis inæqualia, in his verò æqualia anni tempora ſunt.

Virum Illuſtr. jam quinquagenarium ab hoc affectu penitùs vindicari poſſe vix credendum, cùm

cùm jam inveteratus vigeſimum annum attigerit, & altas radices ſibi jecerit, non in capite ſolùm, verùm in toto & viſceribus ipſis. Nihilominùs quoniam nondum in ultimo Senio conſtitutus eſt, in quo omnem ſpem adimunt ſimul Gal. & Avicennas, ideo aliqua ſunt etiam hoc rigido tempore agenda, & aliqua alia in Ver proximum differenda, ne adauctus affectus brevi ſuffocationis periculum inferat, vel longo tædio Virum Illuſtriſſ. ad Hydropem ducat.

Et quoniam curàre caput non licet ante totum, neque totum ante viſcera ipſa, ideò à viſcerum Curatione auſpicandum eſſe neceſſarium credimus, ut unam è cauſis foventibus tollamus; quorum expiatio quoniam per centrum procuranda & facienda, ideo hoc quoque hyemali tempore eandem moliri poſſumus, primas vias mundando; obſtructiones reſerando; flatus diſcutiendo; pravos humores in toto exiſtentes minuendo, & hepar nonnihil refrigerando: ita enim Vere proximo, levi præmiſſa totius expurgatione, expurgandum quoque caput, materia in pulmonibus, ſi aderit, expectoranda: atque tandem ventriculi, totius & capitis intemperies humida corrigenda; caputque cum pulmonibus roborandum.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, à fonte Chirurgico etiam in præſens aliqua ſanguinis ſubtractio depromi poteſt ex venis ſedalibus.

Reliqua ex Pharmacia deſumenda, ut Leniens ex Man. clariſſ. vel ex caſſia, lenit. & tartaro. Præparans julapium acet. aq. agrim. & aceto paratum, in quibus per noctem radices aperientes maceratæ fuerint. Leniens idem repetendo, ſex præteritis diebus Præparationis. Mox ad rhabarbarum erit procedendum ad ʒi. in jure endiviâ alterato infuſum, pluribus diebus in hujus uſu inſiſtendo: ſed quinto aut ſexto quoque die præbeatur pilula de tribus cum rhabarbaro ad ʒi. cum ſemiuncia floris caſſiæ, cum tra hſactâ horâ ſuperbibat libram aquæ ſtilat. malvarum. Quæ viarum & viſcerum expiatio, ſi Excellentiſſimo Adſtanti ſufficiens viſa fuerit, ad pilulas aggregat. & de agarico Meſues erit deveniendum, pluries repetendas & flori caſſiæ immiſcendas, quibus ſemper ſuperbibat aquam jam dictam aut ſerum deſtillatum. Nec de flatibus quicquam verendum, cùm eorum minera majori ex parte ſicca ſit atque exuſtâ; quatenùs tamen jam geniti aliqua indigent diſcutione; in quem finem cochlear aliquod aquæ cinnam. aut aq. theriacalis, aquâ florum citri diſſolutæ, per intervalla aſſumere poterit, ut cedentibus flatibus ſeptique compreſſione, ſpirandi difficultas imminuatur.

Quod ſi ulteriori reſeratione viſcera indigeant, id præſtare poterit tart. vitriol. vel ſal tartari, in aq. ſtillat. cichor. & agrim. cyatho, pilulas de tribus repetendo; moxque ad ſuperius propoſitas deveniendo, quibus addantur expectorantia adhuc experta & Viro Excell. nota, victûſque ratio congrua ſervetur, Electuarium de enula manè præbendo; ſicut ſub ingreſſum lecti Conſervam è floribus botridis cum granis butyri ſulphuris, tum in hac, tum in illo: & pro jecoris calore contemperando, prima menſa de more bibat jus endivia alteratum.

Vere autem ineunte, repetenda tum viſcerum, tum totius venenoſi generis expurgatio, ſanguinem rursùs ex brachio emittendo, ut expurgetur quoque caput pilulis capitalibus Paracelſi ad ℈ ß. exhibendis, vel cochiis & aureis, quæ pilulæ ter ſaltem quarto quoque die repetendæ; & diebus intermediis ſyrapi capitales & pectorales offerendi. Errhinis interim lenioribus ex pulvere majoranæ, ireos & nigellæ, capitis expurgationem adjuvando, ut tandem ad Decoctum ſudorificum tanquam ad egregium & ſpecificum remedium ducatur Patiens Illuſtriſſ. quod ſaluberrimum fore mihi pollicetur uſus chinæ & pulveris viperini jam proficuus, licet remedia multò minoris efficaciæ: Etenim omnibus intentionibus ſatisfacere poterit, humiditates à toto & capite educendo, atque à pulmonibus divertendo, & ventriculum, caput & pulmones roborando; Decoctum ante parari poterit ita.

℞. Salſæ elect. viſc. querc. veri, ligni roriſmarini an. ℥i. lentiſci è Chio, ſantal. alb. radic. enul. campan. an. ℥ß. Aq. ſtillat. cichor. lib. ii. betonic. ℔i. pulmonariæ, ſeu farfaræ lib. i. M. f. infuſ. per horas 24. deinde bulliant ad conſumptionem dimidii, & facta colatura ſervetur pro tribus vicibus, matutinis horis horâ unâ ante ingreſſum hypocauſti propinanda, cui prætermittatur bolus ita parandus.

℞. Extracti enulæ ʒß. Butyri ſulphuris gr. v. M. f. bolus, quotidie ante ſyrupum exhibendus. Pro potu verò conſueto, detracta enula,

℞. Reſiduum, aquæ fontis lib. xii. M. bulliant ad conſumpt. tertiæ, in fine ebullit. adde cinnam. integr. ʒ ii. bulliant parùm, & in colaturâ adhuc ferventi diſſolve ſacchari albi ad guſtum Patientis pro potu conſueto. Decimo quóque die præbeatur potio ex mann. clariſ. aut ſyrup. viol. ſolutivus. Perſeveret in hujus Decocti cum ſudore uſu quadraginta diebus cum victu non adeò tenui: ſæpè enim ptiſana hordeacea, nonnunquam palumba turricola aſſa, quandoque pullus junior concedi poterunt, at nunquam vinum. Nec vereatur ingreſſum hypocauſti, cùm omninò ſit neceſſarium, ut caput ſudet cum toto reliquo corpore. Et licet primis diebus aliqua fluxio ad pulmones inſurgeret, antequam liquata materia in capite tota ad exteriora evocetur, non tamen provincia erit deſerenda, ſed potiùs aliquo die à ſudore vacandum, moxque redeundum. Et niſi Decoctum hoc ab Illuſtriſſimo Patiente toleretur ob hypochondriorum fervorem & obſtructiones, ſubſtituatur hujuſmodi.

℞. Salſæparill. elect. inciſ. ℥ vi. Rad. rhodiæ, inc. ligni roriſmarini inciſ. an. ℥iv. lentiſc. è Chio inc. ſantal. alb. raſp. an. ℥ iii. Aq. Nocer. lib. xx. M. f. infuſ. per horas 24. deinde adde rad. enul. campan. ℥ ii. Fol. farfaræ, pulmonariæ, malvæ, botridis, hyſſopi an. m. j. M. bulliant in vaſe cooperto ad conſumpt. tertiæ, deinde fiat torcularis expreſſio. Fæces omnes mox calcinentur, & cineres in colatorio, ſeu manica Hippocr. reponantur, quibus quater ſuperaffundatur tota colatura fervens, ut ſal inde, Balſamum ſcilicet omnium ingredientium extrahatur, deinde colatura hujuſmodi, ſive lixivium in vaſe vitreo reponatur, & B. M. deſtilletur, ut aqua ad uſum ſervetur. In fine autem deſtillationis, in fundo vaſis colligatur butyrum ſive Extractum, quod pariter ſervetur ad uſum.

℞. Jam

℞. Jam dictæ aquæ ℥ vii. Sacchar. alb. ℥ ß. vel ad libitum, m. pro una vice, & ſic pro aliis, cui præmitti poterit bolus ex ſemidrachma Extracti jam dicti, & ſi pulvis aliquis ad Extracti majorem conſiſtentiam requiratur, ſit pulvis viperinus ad grana.

Terminato ſudore, quindecim aut viginti continuatis diebus, matutinis horis bibat cyathum aquæ de ſucco cichor. vel fragorum, præmittendo Conſervam violarum, ut jecoris fervor nonnihil contemperetur.

Ineunte verò Autumno, levi præmiſſa expurgatione, pulverem viperinum cum aliqua aqua pectorali aut diaphoretica aſſumat Illuſtriſſ. Vir, & vinum paretur pro menſa medicatum ligno ror. mar. lentiſc. & rad. enulæ.

Quibus omnibus addat ſemper congruam victûs rationem ab Excellentiſſimo Aſſiſtanti præſcribendam. Hæcque eſt mea de hujuſmodi affectu opinio, atque de ejuſdem Curatione, quæ tamen mihi non adeò placet, licet mea, ut Præſtantiſſimi Viri correctionem ſubterfugere debeat. Utinam tanti viri genio ſatisfaciat, qui benigne integrum jus ſcribendi ſilendo mihi permiſit. Deus interim omnia ſalutaria reddat. *Raymund. Johannes Fortis Conſult. Tom.2. Cent.1.*

Vir triginta ſex annorum, temperamenti pituitoſi, interim ſatis fortis, ſed in diæta negligens, & ſedentariam vitam agens, ante aliquot annos, autumnali tempore, cùm à deambulatione majore admodùm incaluiſſet, hincque apertis veſtibus & capite detecto, ſe aëri frigido expoſuiſſet, & vinum Rhenanum frigidum bibiſſet, incidit in difficilem & anheloſam reſpirationem, cum ſibulo ſeu rugitu aliquo procedentem; qui affectus poſtridie tantoperè adauctus eſt, ut tertiâ die nonniſi aut erectus aut ſedens reſpirare, & totis quatuordecim diebus in lecto decumbere non potuerit, ſed tot integras noctes & dies ſtans aut ſedens tranſire coactus fuerit; de nocte tamen majore anguſtia preſſus, quàm de die. Poſtea aliqua tuſſi, cum tenacis viſcidique ſputi copioſa rejectione accedente, paulatim illa reſpirandi difficultas imminuta eſt, ſicque tandem ad priſtinum ſtatum rediit. Ab eo tempore ſæpiùs per intervalla eodem illo malo afflictus fuit, modò paucioribus, modò pluribus diebus; imprimis ſi plus ſolito calefactus, ſe aëri frigido exponeret, aut vinum Rhenanum biberet; ac proinde hoc etiam obſervavit, flante borea, ſe facillimè hunc affectum incurrere, niſi curioſiſſimè ſibi caveat ab ejus injuriis, idque æſtate & autumno magis, quàm hyeme. Durante hoc malo appetitus quidem mediocriter conſtat, ſed præ anguſtia vix poteſt comedere, & poſt ſumptum alimentum etiam exacerbatur reſpirandi difficultas. Proclivis quidem eſt ad ſomnum, ſed vix concidentibus oculis, cum terrore & ſumma anxietate mox expergiſcitur, ita ut durante paroxyſmo dies noctesque velit, nolit, inſomnes ducere cogatur. Venter & pectus quaſi à flatibus diſtendi videntur. Nonnunquam in capite gravativum quendam dolorem ſentit cum refrigeratione aliqua in poſtica parte, verſùs cervicem. Jam hoc tempore rurſùs in ſimilem paroxyſmum admodum gravem incidit, cum magno ſuffocationis periculo. Non febricitat, nec de aliarum partium dolore conqueritur.

1. Affectio, quâ hic æger detinetur, & quæ per ſe ſine aliis ſignis facilè cognoſcitur, eſt *Aſthma ſeu difficilis & anheloſa reſpiratio*; & quidem ſummus illius gradus, quem Orthopnæam appellamus, quæ eſt ſumma reſpirandi difficultas, qua ægri nonniſi erecti reſpirare queunt, ab anguſtia reſpiratoriarum partium procedens. 2. Cauſa antecedens hujus mali fuerunt pituitoſi humores in corpore redundantes. Procatarctica duplex eſt, calor & frigus. Continens verò eſt pituita viſcida & tenax in pulmonum bronchiis copioſior cumulata, iiſque firmiter agglutinata. 3. Propter pituitoſam totius diſpoſitionem multi frigidi, crudi & pituitoſi humores in corpore redundant, quorum nimia cumulatio facillimè fit in iis partibus, quæ per ſe frigidiores ab externa aliqua cauſa facile nimis refrigerantur; quales inter alias ſunt cerebrum & pulmonis bronchia. Corpori igitur per majora exercitia, aliumve quemcunque modum, præter conſuetudinem excalefacto, ſanguis & humores velociùs moventur, multique vapores in ventribus excitantur, qui, ſi calor ille ſenſim imminuatur, ab eodem etiam paulatim diſſipantur: at (ut in ægro noſtro multoties contigit) ſi repentinum frigus ſuperveniat, mox condenſantur, & in cerebro, quod per ſe frigidius eſt, majore copia cumulantur, poſtea catarrhorum materia futuri. Pulmonum verò bronchiis, ſubſtantia frigidiore præditis, & ab inſpirati aëris frigiditate magis refrigeratis, inſtar tenacis viſci firmiter agglutinantur, eaque anguſtant, & reſpirationem difficilem faciunt, quibus deinde accedens crudorum humorum è capite in bronchia defluxio, omninò maximè difficilem reſpirationem fieri neceſſe eſt, propter majorem viarum anguſtationem; cujus ratione etiam ſibulus ſeu rugitus in reſpirando obauditur, & reſpiratio nonniſi erecto corpore fieri poteſt, cùm pulmones penduli, nec aliis partibus incumbentes faciliùs dilatentur, eorumque bronchia in illo ſitu magis aperta ſint, & inſpiratum aërem faciliùs admittant. 4. Nocte exacerbatur malum, quia per aëris nocturni frigus in pulmone magis craſſeſcunt & tenaciores fiunt pituitoſi humores, ſicque bronchia magis obſtruunt: in capite etiam eadem de cauſa plures colliguntur, & copioſiores ad thoracem defluunt. Adde quod nocte per quietem minor etiam fiat vaporum diſſipatio. 5. Tandem ubi viſcera materia in pulmone collecta aliquo modo cocta, & illius ſumma tenacitas aliquantum imminuta eſt, eaque per tuſſim ejicitur, tunc obſtructio bronchiorum imminuitur, & ſic æger ab illa reſpirandi difficultate paulatim liberatur. Ab ea autem liber remanet, quouſque rurſus à majore calore excitat; in corpore copioſiores vapores ab inſolito aut repentino frigore externo in pulmone condenſantur, ejuſque bronchiis agglutinantur, & in capite majori copia collecti ad thoracem etiam defluunt.

6. Hinc jam liquet quare ſeptentrionalis ventus ipſi adeò inimicus ſit; quia nimirùm ſuo frigore poros conſtringit, humores ac vapores condenſat, caput & pulmones refrigerat. Qui ventus ipſi æſtate & autumno damnoſior eſt, quàm hyeme; quia tunc à calore externo corpus ſæpè nimis incaleſcit, hincque copioſi vapores excitantur, qui ſuperveniente repentina

tina aliqua refrigeratione bronchiis frigidioribus factæ adhærent & agglutinantur. Hyberno verò tempore pulmo, aliaque medii & infimi ventris viſcera (conſtrictis ab externo frigore poris) ſunt calidiora (juxta Hippocr. Aphor. 15. ſect. 1.) habent calorem æqualem & permanentem, ita ut excitati vapores in dictis partibus non facilè condenſentur, ſed ulteriore coctione attenuati conſumantur. 7. Durante hoc affectu conſtat appetitus, quia nec inſpiratus frigidus aër, nec frigidæ defluxiones è capite ad ventriculum perveniunt; atque hinc ejus actio non magnoperè impeditur. Ab aſſumpto tamen alimento exaſperatur reſpirandi difficultas, propter vapores in ventriculi coctione excitatos, qui ad medium & ſupremum ventrem aſcendentes, in utroque condenſantur, atque in illo pulmonum bronchiis agglutinantur; in hoc copioſioris defluxionis cauſa fiunt. Peracta verò coctione ventriculi, rursùs mitius evadit malum, quia tunc pauciores elevantur. 8. Licet admodum proclivis ſit ad ſomnum, tamen non poteſt dormire, quia vigilans ſumma vi cogitur uti in dilatatione thoracis, ut neceſſitati reſpirationis ſatisfaciat; per ſomnum verò illam neceſſitatem tam accuratè non perſentit, atque hinc tanta vi in dilatando thorace non utitur, qua deficiente, ſtatim deficit reſpiratio, utpote quæ ob bronchiorum obſtructionem ſine magna vi peragi nequit, atque ſic æger mox cum terrore & ſumma anxietate expergiſcitur, & cogitur vigilare, ut ſatis reſpiret, ac cum violentia reſpirare, ut vivat. 9. Venter & pectus quaſi à flatibus diſtenta videntur, licet flatus nulli, vel fortè pauci inſint. Et hoc quia propter ſummam reſpirandi difficultatem & neceſſitatem ſpiritus animales copioſiſſimi continuè determinantur in muſculos reſpiratorios, quorum continuus & copioſus influxus dictos muſculos admodum diſtendit, ita ut inde talem aliquam moleſtiam perſentiat ægrotus, ac ſi ab internis flatibus diſtenti teneretur. 10. Gravativus capitis dolor nonnunquam adeſt, à frigidorum humorum in capite collectorum copia: atque hinc etiam ſenſus frigiditatis in poſtica capitis parte procedit. 11. Febris adeſt, quia nulla in humoribus aut ſanguine eſt putredo. Neque dolent aliæ partes, quia frigidi illi humores in hoc ægro non ſunt acres, neque in aliis partibus, quàm capite & pulmone, copioſiores colliguntur. 12. Admodùm periculoſus eſt hic affectus, qui ægro ſuffocationem minatur, imprimis ſi durante malo fortè nova copioſa defluxio è capite ad pulmonem irruat. Sanationis ſpem faciunt ætas florens, virium robur, & aliorum morborum abſentia.

13. Indicationes curativæ ſunt 1. Tollere cauſam continentem, quæ bronchia obſtruit. 2. Impedire catarrhi defluxum ad pulmones. 3. Frigidam capitis & pulmonis intemperiem emendare. 4. Totius corporis pituitoſam diſpoſitionem immutare, frigidoſque humores in toto redundantes imminuere. Ut autem his indicationibus ſatisfiat, alia curatio in præſenti jam paroxyſmo, alia extra eam eſt inſtituenda.

14. In præſenti paroxyſmo ad reſpirationem facilitandam, æger erectus ſedeat, pectore nullis veſtimentis conſtricto, idque in aëre libero & temperato. Injiciatur clyſter communis; vel ſi eum admittere nolit ſuppoſitorium immittatur. Victu utatur tenui, & cibi condiantur cum hyſſopo, ſalvia, betonica, croco, aniſo, fœniculo, paſſulis aliiſque ſimilibus. 15. Sumat ſubindè, quaſi lambendo, cochleare hujus ſyrupi.

♃. Syrup. de hyſſopo, de praſſio, conſervationis Zingiberis & rad. hel. condit. an. ℥ß. Oxymelis compoſiti magiſtralis ℥i. Miſceantur. Detur etiam manè, horâ quintâ pomeridianâ ʒi. hujus pulveris cum vino malvatico, hydromelite, aut juſculo.

♃. Rad. helenii ʒi. rad. irid. Florent. ſem. ameos an. ʒi. benzoini, croci optimi an. ℈i. moſchi gr. 1. ſacchar. candi alb. ʒ iij. F. pulvis, cui admiſce olei aniſi gutt. iv. vel v. 16. Paroxyſmo ceſſante, purgetur æger ſingulis ſeptimanis ſemel cum pilulis cocheis, aureis; hiera picra, vel hauſtu aliquo phlegmagogo, ex infuſione agarici, Jalappæ, ſenæ, &c. Venæſectio in hoc ſubjecto pituitoſo & frigidiore minùs convenit. 17. Reliquis diebus utatur tali Apozemate.

♃. Rad. helenii, fæniculi, an. ℥i. acori, glycyrrhizæ raſæ, an. ʒ v. Majoranæ, ſcabioſæ, capill. veneris, hyſſopi, praſſii albi, ſabinæ, an. m. j. botryos, ſalviæ, an. m. ß. baccar. juniper. ℥ß. ſem. aniſ. fænicul. an. ʒ ii ß. Paſſular. mundat. ℥ ij. Aq. q. ſ. coquantur ſ. art. ad lib. iß. adde colaturæ, oxymelis magiſtralis, ſyrupi de ſtœchade, de praſſio an. ℥i. M. f. Apozema. 18. Subinde etiam utatur particula hujus conditi.

♃. Specier. dianthos, diambræ, an. ʒi. radic. helen. condit. conſervæ florum ſalviæ, anthos, an. ʒv. Syrupi helenii q. ſ. Miſce, f. conditum. 19. Ad imminutionem pituitæ in toto corpore conveniens erit uſus decocti ſarſæparillæ & ſaſſafras, cui ſub finem decoctionis adjici poſſunt nonnulla appropriata cephalica & thoracica medicamenta, ad capitis & pulmonum corroborationem. Capiti etiam cucupha, ex cephalicis calefacientibus conſuta, eſt imponenda; & ſi catarrhus pertinaciter ad pulmonem ruere perſiſtat, excitandus erit fonticulus in alterutro brachio, aut in cervice. 20. Ubi æger his remediis aliquandiu uſus fuit, & jam meliùs valere videbitur, ad ulteriorem cauſæ mali ſublationem, utatur alternis diebus, matutino tempore hauſtu hujus vini medicati.

♃. Radicum helenii ſicc. ℥ß. iridis Florent. Jalapp. an. ʒiß. Herb. hyſſopi, praſſii albi, an. m. ß. Bacc. juniper. ℥ß. ſem. aniſ. fænicul. an. ʒß. Agaric. albiſſ. ℈ v. Aloës lucidæ ℈ iv. F. puppa, ſuſpendenda in vini albi lib. iv. vel v. 21. Ad præſervationem utatur etiam per tres menſes, bis in ſeptimana, bolo ex terebinthina optima.

♃. Terebinthinæ Venet. ʒ iij. ſacchar. alb. ʒ ij. Miſce, fiat bolus in nebula cum vino malvatico deglutiendus. 22. In diæta ſit æger calidus, & clarus, fugiatur nebuloſus, craſſus, tempeſtuoſus & humidus. Cibi ſint boni ſucci & facilis digeſtionis, conditi cum hyſſopo, ſerpillo, ſalvia, roſmarino, meliſſa, betonica, rapis, ſemine aniſi & fœniculi, croco, nuce moſchata, Zingibere, garyophyllis, paſſulis, ſaccharo, melle, aliiſque ſimilibus. Potus ſit parcior, iſque cereviſia mediocris notæ, & ſub-

dulcis & ſubamara, minimè acida, vinum tenue, ſubdulce aut melicratum, in quo ſuſpendi poterit puppa ex hyſſopo, majorana, ſalvia, &c. In ſomno ſervetur modus. Corpus levibus exercitiis mediocriter exerceatur. Alvus ſit facilis, & fugiantur animi perturbationes. *Isbrand. de Diemerbroëck. de Morbis Thoracis medicat. 4.*

Obſervationes.

Senex ſeptuagenarius, à multis annis aſthmaticus, ad eam redactus erat anguſtiam, ut vix ſpiritum ducere poſſet, etiam erectâ cervice, & hiante ore continuò ſterteret, nelle ullo modo quieſcere poſſet, quin ſtatim ſuffocari videretur, ſequentium remediorum uſu ſtertor deſiit, facilior reſpiratio fuit, & æger multùm levatus eſt.

♃. Aq. Cinam. ℥ ii. oxymel. ſcillit. ℥i. M. utatur ex cochleari frequenter.

♃. Rad. enulæ campan. ſacchar. conditæ ʒ iii. ſacchar. cand. ℥ ß. Syrup. de hyſſop. ℥i. Gumm. ammoniac. aq. vitæ diſſolut. ʒß. M. F. loch. de quo capiat cochlear unum manè & ſerò, ſenſim lambendo. *Lazar. Riverius, obſ. 21. cent. 3.*

Quædam orthopnoica erat, magna copia pituitæ putris in pulmone; purgatione & ventris inferioris, & multa anacatharſi meliùs habuit: In difficultate ſpirandi non eſt formidanda etiam frequens & magna purgatio. *Guil. Ballonius, Epidem. lib. 2.*

In Aſthmate & craſſa & viſcida materia, in duobus expertus ſum ſequens lambitivum *Geſneri.*

♃. Sulphur. pulveriſati, & ſæpiſſimè cum aq. tuſſilag. loti ℥ i. diapenid. ℥ viii. M. optimè contulit. Mulieri cuidam ſæpiùs benè profuit ſequens apozema, in anguſtia pectoris & diſpnæa.

♃. Paſſul. Corinth. ℥ iij. dactyl. num. 12. ficuum num. 8. Jujub. num. 10. Sem. fœnicul. aniſ. an. ʒ vi. fænugræc. ʒ iij. Rad. ireos ℥ ß. Fol. hyſſop. praſſ. capill. ven. an. m. j. liquirit. ℥iß. polypod. q. ℥i. Coq. ſ. a. in ℔ viii. Aq. fontis ad medias, deinde adde mellis deſpumati ℔j. Coq. iterum ad conſumptionem ℔j. poſtquàm refrigerata fuerit, coletur & ſervetur in vitro. Doſis ℥ iij. manè, calidè, quamdiu durat. *Achilles Gaſſerus, obſerv. 11.*

Aſthma diuturnum in Patricio quodam, cùm aliis non poſſet, tandem curatum eſt aqua ſalis armoniaci, quæ paratur hoc modo.

♃. Fol. ſempervivi xx. aut xxx. Contunde in mortario adfuſo aq. fontanæ momento, col. cum expreſſione, ſicut emulſiones fieri ſolent, & adde ſalis armoniaci ℈i. M. plurimis etiam contulit egregiè. Idem præſtat ſpiritus ejus vi ſcilicet diuretica. *Jeremias Martius obſerv. 92.*

Præmiſſo vino emetico, quod Pulmonum & Pectoris mala mirè ſublevat; exhibeatur ſequens pulvis à ℈ ß. ad ʒi. per ſingulos dies manè ac veſperi, uſque ad morbi declinationem cum vino albo, vel juſculo.

♃. Cardui benedict. Sinap. Sylveſtr. an. ℈ij. piper. long. ℈i. Fol. ſen. mund. ʒ ij. Aniſ. ℈ß. F. pulvis ſubtiliſſ. hiſce paucis perplures priſtinæ, integræque ſanitati reſtituimus. *Martinus Rulandus, Curat. 8. cent. 6.*

Aſthmaticus quidam, aſſumpto alternis diebus hoc ſyrupo, & excreto per ſputum viſcido humore, convaluit.

♃. Fol. Nicotian. virid. aut ſiccor. m. j. Ariſtol. rot. enul. campan. an. ℥i. hyſſop. mont. Capill. vener. flor. violar. ana m. i. paſſul. exacin. ℥iv. liquirit. raſæ & contus. ℥iß. fænugr. ℥i. caric. ping. numero vi. dictamn. origan. praſſ. ſcabioſ. ana. m. i. ſem. urticæ aneth. ana ʒi. aniſ. ʒi. ligni guajac. ſmilac. aſper. rad. chin. ana ℥i. tuſſilag. m. i. ſtrobil. numero xx. dactyl. numero x. coq. ſ. a. ad ℔iii. colat. adde ſucci ſcillæ ℥ß. ſucc. Enul. & hyſſop. ana. ℥i. bulliant quouſque ſucci abſumantur, adde balſami aut olei de liquidambr. ℥i. & cum melle & ſaccharo f. Syrupus. *Zacutus Luſitanus Obſ. 123. lib. 1. Prax. Admirand.*

Vivit hic puer quadrimus, tinctoris filius, qui ab ineunte ætate pectoris quadam anguſtia, adeoque gravi aſtmate affligitur ſtatis periodis, menſtruis ferè, nunc citiùs, nunc tardiùs, prout in victu vel excedit, vel modum ſervat. In ipſo paroxyſmo tam graviter angitur, ut jamjam ſuffocari & animam agere videatur, qui paroxyſmus ante non ceſſat, quàm materiam craſſam, viſcidam, compactam, graviſſima tuſſi & ſummis conatibus per os excernat. Sæpiùs autem hactenùs excrevit talem materiam, unitam, albiſſimam, arboris radices, caudicem & ramos omni ex parte referentem, quam, ſi ὀνοματοποιῶν mihi liceret, φλεγμαδένδρον nuncuparem. Ubi autem viſcida illa materia coacervetur & coaguletur, ſi dicere cogar, in ipſa aſpera arteria (qua parte ad pulmones pervenit bifida & in minores ramos diſperſa, quos bronchia pulmonum vocant) ſedem reponam, ubi paulatim partim ex naturali pulmonum debilitate, partim à defluxionibus à capite factis colligitur. *Gregorius Horſtius ex literis D. D. Marci Widemanni.*

Vir illuſtris, procerus, toroſus, & antea ſatis ſanus, poſtquàm à caſu latus ſiniſtrum ſolido cuipiam alliſiſſet, exinde tunc noxam, & poſtea labem Aſthmaticam contraxit. Enim verò ſuſpicari fas eſt, nervorum ad præcordia ſpectantium, plexum quendam juxta conſitum per accidens illud læſum fuiſſe, proindeque poſtea à tabi cauſa affectum hanc originem duxiſſe; viz. ut quibuſdam temporibus haud certis, primò dolor circa locum iſtum ingraveſceret, & ſubinde ſtatim diſpnæa graviſſima, cum ſpirabilium omnium contentione laborioſa & diuturna inſequeretur, adeò ut durante paroxyſmo ægrotans in ipſo mortis agone verſari putaretur. Ad hunc primò accerſebar, poſtquam per duos dies tali inſultu Aſthmatico laborans, penè pro deplorato haberetur; cognito tamen pulmones fuiſſe illæſos, prognoſticon noſtrum adhuc benè ſperare juſſit, & ſtatim inito cum aliis medicis conſilio, juxta modum ſequentem præſcribebatur.

♃. Spiritus gumm. Ammoniac. cum ſale armoniac. deſtillat. ʒiii. ſumat gutt. xv ad xx. in cochl. i. Julapii ſequentis ſuperbibendo cochl. v. repetatur ſextâ quâque horâ.

♃. Aq. flor. ſambuc. chamomeli, pulegii, ana ℥iv. aq. limacum ℥ii. Sacchar. ℥i. miſce. Intermediis temporibus capiebat doſin pulv. ſequentis cum eodem Julapio, vel Decocto pectorali.

♃. Pulv. ocul. cancr. ʒii. Salis prunellæ ʒiß. ſalis ſuccin. ʒß. Miſce dividatur in vii. partes pro totidem doſibus. Veſicatoria ampla internis Brachiis propè axillas applicabantur; enemata quotidie, & frictiones crebrò adhibebantur.

Ho-

Horum uſu levamen ſubitum ac inopinatum recipit, atque intra paucos dies paroxyſmo iſto prorsùs immunis evaſit. Poſtmodùm verò quoties morbi iſtius velitationem quandam præſentiſceret, illicò ſpiritus iſtius doſin largam cum eodem Julapio, ter aut quater in die ſumebat; quo remedio modò præſervationis, modò curationis gratia frequenter ſumpto, ſupra biennium Aſthmatis antea habitualis inſultu quovis immani & terribili caruit, ejuſdem interea leviores quoſdam attactus facilè diſflabiles ſubinde paſſus.

Senex perhonorificus, multis magniſque titulis inſignitus, iiſdemque omnibus major, poſtquam per aliquot annos unaquaque hyeme tuſſi cum ſputo moderato, & ſatis benigno obnoxius degiſſet, ſub finem noviſſimi Autumni, à longo itinere domum reverſus (à frigore uti putabatur ſuſcepto) minùs rectè valebat: querebatur enim de dolore in medio pectore juxta ſternum excitato, qui veſperi quamprimum lecto incaleſceret, ingraveſcens, ſomnum perturbabat, & plurima nocte valdè moleſtus erat; ſine quavis tamen diſpnæa, aut Aſthmatis ſigno evidenti. Ad dolorem hunc tollendum, & purgatio, & phlebotomia celebrantur, pectoralia & Anti-ſcorbutica quotidie exhibentur, loco dolenti linimenta, & fotus, applicantur, ſine magno tamen fructu aut levamine; namque deinceps alteratio contigit, potiùs in deterius ceſſit; nam dolori paulò remiſſiùs habenti, reſpiratio difficilis & impedita ſupervenit; ita ut à primo ſomno aut appulſu ejus ſtatim Aſthmaticus fieret, atque anhelus, & circa præcordia laborans in lecto erectus ſedere cogeretur. Porrò hujuſmodi diſpnæa, & ſpirabilium agitatio convulſiva non modo quovis veſperi redibant, ſed in dies immaniores facti longiùs durabant; proinde ut nocte quadam à primo ſomno evigilans, Aſthmatis paroxyſmo graviſſimo, qui ipſum tantùm non interemit, per plures horas afficeretur. Medici longè abſentes, quamvis circa μεσονύκτιον deſiderati, non ante auroram ſequentem advenerunt; interea propter phlebotomiam à Barbitonſore celebratam, Dominus illuſtris ab ipſo ſepulchri ore revocatus revixit; deinde verò initis Medicorum conſiliis, iſto die diæta tenuis, & alvi per enema ſubductio præſcribuntur: veſperi & primo manè cepit ſpiritus gumm. Ammoniac. cum ſale armoniaco deſtillati gutt. xii. cum vehiculo appropriato, ejuſque uſum poſtea per plures dies continuabat, veſicatoria internis brachiis propè axillas applicabantur; inſuper Julapia & decocta pectoralia, eclegmata, enemata, quin & blandè cathartica interdum vices ſuas habuerunt; item phlebotomia poſt biduum iterabatur. Cùm prius pro hauſtu matutino cereviſiæ cum abſinthio & cochlearia circiter libram bibere ſolebat, loco hujus circa horam octavam cepit Elixiris proprietatis Tartariſati gut. xv. cum hauſtu Coffee ex decocto ſalviæ parati. His remediis paroxyſmi Aſthmatici de ſolita ferocia ſtatim remiſerunt, in tantum ut cujuſque noctis initium & finis ſatis tranquilla fuerint, circa mediam verò leves circa præcordia perturbationes eum inſomnem, & erectum, per horam unam aut alteram detinebant. Medicamenta quædam alia à Medicis fuerunt propoſita, aliaque diverſimoda ab amicis clanculum oblata, quæ tamen Vir Honorabilis aut penitus reſpuit, aut citò faſtidivit; idque potius quia vergente tunc hyeme, à veris appropinquantis adventu, & auræ agreſtis fruitione, citra multæ pharmaciæ opem, reconvaleſcentia ſperatur. Quare è medicamentis ſuprà citatis modò hæc, modò illa per vices tantùm breves uſurpavit, & interdum à quibuſque feriari ſolebat: interim verò licet inſultus Aſthmatici parùm aut minimè eum uti prius noctu inceſſerent, tamen ob pulmones plurimùm infarctos, & humorem ſeroſum in pedes delapſum, citatiùs incedere, aut loca acclivia aſcendere, ſine gravi diſpnæa, & præfocationis periculo nequibat; jamque (dum hæc ſcribo) deinceps non tam Aſthma, aut Phthiſis, quam hydrops timetur.

Caſus hujus Ætiologia ex ſuprà dictis ſatis liquet, viz. Aſthmatis hujus procatarxis una in pulmone valdè obſtructo verſabatur, proinde ut cùm ſanguis effervescens præcordia impetuoſius pertranſiret, aer ad ipſum eventilandum requiſitus non ſatis uberi copia admitti potuerit; quare ad hunc defectum ſupplendum neceſſe fuit pulmones, eorumque organa motiva, in nixus crebriores & vehementiores concitari. Poſtea dein hinc acceſſit fibrarum pectoris motricium diatheſis ſpaſmodica, quippe materies heterogenea unà cum ſucco nerveo in eas partes deſcendens, & ad plenitudinem aggeſta, primò dolorem & poſtea in organis pneumonicis ſpaſmos atroces, & periodicos excitavit: jamque diatheſi hac poſteriori quamvis ceſſante (quia ſcilicet materia elaſtica & ſpaſmodica à ſeroſa illuvie obtunditur, aut obruitur) adhuc tamen procatarxis altera manet, alterumque comitem, viz. cacodæmonem ſeipſo deteriorem, ſcilicet hydropem conſcivit. *Thomas Willis, de Aſthmate.*

Andreas à Salingen menſe Maio vehementi aſthmate laborabat, quô tantoperè angebatur, ut propter difficillimam reſpirationem vix loqui poſſet: ſine tuſſi erat, nihil aut parùm exſpuebat; appetitum quoque dejectum habebat. Se hoc malo ſæpius quidem, ſed maximè ſex proximis ſeptimanis vexatum fuiſſe, multaque aliorum conſilio aſſumpta remedia nihil omninò profuiſſe dicebat, metuere autem ſe tandem, ſuffocatum iri poſſe. Ego malum hoc in corpore ſenili ſexaginta annorum non penitùs eradicari, ſed multum tamen imminui ac leniri poſſe prædixi, atque proinde bono animo eſſe, & ſequentis electuarii (licet amari) quotidie manè & veſperi particulam magnitudinis avellanæ aſſumere, & ab omnibus acidis, fumo induratis, frigidis, flatulentis, viſcoſis, duræ concoctionis aut pravi nutrimenti cibis abſtinere juſſi.

♃. Myrrhæ elect. Aloës lucidæ, florum ſulphuris, rad. enul. campan. glycyrrhiz. raſ. an. ℈ ij. Croci opt. benzoini, an. ℈ i. F. pulvis ſubtiliſſimus, cui adde mellis optimi ℥ vii. olei aniſ. gut. ix. Miſce, fiat electuarium. Hujus uſu alvus leniter ſolvebatur, & appetitus reſtituebatur, aſthma etiam mirabiliter ceſſabat, ita ut intra paucos dies ab eodem planè liber evaſerit: & malo poſtmodum redeunte, eodem illo electuario ſibi ipſi ſtatum medebatur. *Isbrand. de Diemerbroeck, Obſerv. & Curat. Medic.*

Notum ſatis mulierculas, quæ in formandis ex ſebo candelis occupantur ſæpius, tentari gravedine, doloribus capitis, & vertigine nonnunquam, ob exhalantes ex calente pinguedine frequentiſſimas atomos, quæ & nares & oculos quandoque obſident, & cum anhelitu in pulmones admittuntur, ſed ut notius evadat periculum, quod ex contemptu admonitionum ejuſmodi naſcitur, exemplo viſum eſt rem illuſtrare. *Maria Lamprechtia*, vicina mea, dum ſuperiori hyeme, argento quàm ſanitati intentior, in anguſto conclavi totas noctes fingendis pro mercalibus ex ſebo candelis impendit, advertit ſenſim aggravari caput, erubeſcere oculos, anguſtari ſpiritum, ſed bonus lucri odor effecit ut odorem ſebaceum (liceat enim penuria melioris ævi, Madaurenſis uti vocabulo licet) noxium Spartana aliquandiu nobilitate concoqueret, donec noviſſimè victa nec inſiſtere pedibus, nec anhelitum amplius poſſet reciprocare, tota decolor, & deſperabunda. Vocatus, cauſa mali intellecta, cum inter συνδρομῶν ſymptomatum gravius ægram ab aſthmate & orthopnæa, quàm à reliquis malis urgeri notarem, ad emeticum blandius provoco, & poſtea aquis convenientibus, oxymelli ſcillitico permiſtis, reliquias curæ diebus aliquot abſolvo, in diſceſſu admonens, ut hoſtem magis ſopitum crederet, quàm ſublatum, niſi perſiſteret in medicamentorum uſu, neque enim poſſe una vice omnem illam fuliginum candelarum ſaburram ita excludi, ut recidivæ metum omnem avertat. Illa tamen ſibi reddita confidentior, pharmacorum citò oblita ad negotia domeſtica tranſiit; unde inſequente proximè hebdomade in priſtinum malum relapſa, & ferè funeſtius, quàm ante, omnem vitæ ſpem orthopnoica & præ anxietate penè rigida atque obmuteſcens depoſuit. Rediit tamen ad ſeſe repetitis iiſdem medicamentis, & imperatis quandoque ſudoribus, jamque ſaniſſima ſpondet ſe omnibus candelarum opificibus conſulturam, ut, ſi ſalvum vel inſpectus, in ampla, & perſtabili officina magiſterium ſuum exerceant. *Ol. Borrichii.*

Illuſtris quædam Matrona *Köpſchinii* in pago Trans-Danubiano habitans, quinquagenaria, diu podagra divexata nodoſa, vulnuſculum aliquod exiguum in talo dextri pedis, ſponte ſcil. ſe ibidem aperiente nodo podagrico, jam ab aliquot annis habuit. Die 1. vel 2. Novembr. anno 1674. poſtquàm benè valens cubitum iviſſet, derepentè noctu corripitur paroxyſmo aſthmatico, quo ita torquebatur, ut rariſſimè decumbere, crebriùs ſedere, deambulare autem non potuerit. Adhibita in principio, quæ adhibenda videbantur. Octavo morbi die, paulò ante adventum meum, iterum corripitur paroxyſmo aſthmatico, tam vehementi, ut inhibita reſpiratione exſpiratura fuerit viſa, cui ſupervenio, frictiones & neceſſaria alia adhibeo, quibus reſpiratio quidem levior facta, ſed ſenſum in utroque pede ad uſque genu abolitum, viderique ſibi pedes glaciei inſtar frigidos querebatur. Continuavi frictiones linteis calidis, quin & lateres admovi calidos, ita ſenſum & calorem acquiſivit pes ſiniſter, non item dexter, cujus planta quaſi emortua erat, remanente ſupra calcaneum circa malleolum horribili, & intolerabili dolore; vulnuſculum erat lividum, indolens, ex quibus omnibus indubitata ſigna ſphaceli collegi, multus fui tota nocte, ut tantùm dolores demulcerem. Manè adveniente Chirurgo dilatari vulnuſculum lanzettâ, quin & pedis partem ſuperiorem ad explorandum, an omnis ſenſus evanuerit, hinc inde ſcarificari juſſi, effluxit ſanguis nigricans, & in momento omnis ceſſavit dolor, applicata deinde quæ ſphacelum impedire ſolent, ſed latius vagatus, tertia die ad genu aſcendit, jamque & in altero pede eadem mortificationis intrinſecæ & inſenſationis ſentiebat initia, quæ tamen blandiſſima mors ſuperveniens ſolvit. Credo cùm ultimis menſibus nullos penitus habuerit dolores podagricos, regurgitaſſe materiam illam ſeu ſerum podagricum ad pectus, & generaſſe aſthma, quod autem in pedibus ſtagnavit, quos tumidos, & aqua plenos habuit, calorem extinxiſſe naturalem, ſphacelumque hunc introduxiſſe lethiferum. Obſervavi namque quo latiùs ſerpebat ſphacelus, eò magis defeciſſe aſthma; & liberiorem fuiſſe reſpirandi facultatem. Nihil enim novi in podagra, imprimis nodoſa, talem fieri metaſtaſin humorum ad partes nobiliores, vid. *Thom. Bartholin. de morb. bibl.* Noti mihi, qui epileptici fact. & per pediluvia accerſita podagra optimè iterum valuere. Item alius, qui colica immani torquebatur, ſuperveniente autem podagra nihil penitùs ſenſit. *Caroli Raygeri.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Decimo quarto Aprilis 1676. in virgine 30. annorum aperta, inveni pulmonem dextrum inſigniter, ad intima uſque inflammatum, cum duritie ſumma, variis in locis ſuppurationis ſeſe oſtendebant initia: utroque in latere ſimiliter ac circa dorſum firmiter Pleuræ cohærebat Pulmo: imò etiam Epar, Lien, quæque ipſis nexæ partes, interventu fibrillarum nervearum innumerabilium miro modo ſibi invicem uniebantur: Jam ab aliquo tempore Orthopnæa laboraverat, ſubitò valdè extincta. *G. Blaſius Obſervat. Med.*

Magnus in Germania Princeps, cum ætatis anno 16. frigidam liberaliùs potaſſet, difficillimo mox Aſthmate correptus eſt per intervalla: paroxyſmi, ut qui craſſo & obeſo eſſet corpore, graves erant: Sellæ in id paratæ ut integros dies & noctes ſedens etiam dormire poſſet: Sæpè per biduum & ultra ita rectus inſidere ſolebat, ut verè orthopnoïcus dici poſſet: Liberatus tamen eſt à difficili hoc malo, ætatis annum agens circiter 40. cuique plurimùm profuerunt Badenſes thermæ. Poſt mortem tamen inventi *Pulmones magna ex parte nigri* & putridi, non ſine pure ea præſertim parte qua dorſum attingebant. *Oſvvaldus Gabelchovverus.*

Quidam difficulter ſpirabat, anheloſus erat, macruerat, omnes accuſabant pulmones, aperto cadavere, nil commemorabile in pulmone repertum eſt, cor (quod admirabile eſt) majuſculi capitis magnitudinem adæquabat. Adeò increverat, ut omnis ſanguinis & ſpiritus, eò facta ſit συῤῥοὴ & συνδρομὴ *Guil. Ballonius, lib. 2. Epidem. & Ephem. pag. 144.*

Filius Dom. ab *Haltzwelt* à commotione cere-

cerebri poſt caſum Aſthmaticus factus eſt: Tandem novo incidente catarrho in pulmonem, deceſſit è vivis. Cadavere inciſo Pulmo ubique pituitoſis & viſcidis humoribus oppletus, repertus. *Fabritius Hildanus centur. 1. obſerv. 11.*

Clariſſima Domina de la Roquette ſexagenaria, pinguis admodum & obeſa, vitam agens ſedentariam, à xv. annis diſpnæa laborare cœpit, quæ paulatim incrementum ſuſceperat, ita ut jam ſcalas aſcendens in tertio vel quarto quoque gradu quieſcere cogeretur; Circa principium Januarii 1642. cùm iter faceret in aëre auſtrino & pluvioſo, ſubito correpta eſt catarrho, partim in pulmonem, partim in mandibulas delabente. Inde aucta eſt difficultas ſpirandi, & tumor apparuit in gena dextra, tum mandibulæ ita erant coarctatæ, ut juſculum tantum ſorbilare poſſet. Corripi ſolebat per intervalla, jam à multis annis, Eryſipelate tibiæ ſiniſtræ, quod ſæpè exulcerari conſueverat, & ante hujus catarrhi invaſionem etiam apparuerat cum ulceratione inſigni. Vocatus ad eam octava die morbi, invenio Pulſum admodum inæqualem & tertia vel 4. quavis pulſatione intermittentem, cum difficillima reſpiratione. Unde conjeci grave eſſe malum non ſolùm in pulmone, ſed & in corde, aut vaſis cordi proximis. Quod prognoſticum certius reddebatur, ex eo quod ulcus Eryſipelatis ſubitò ac derepentè exſiccatum fuerat, juxta Aphoris. 25. 6. Præterea reſoluto paucis diebus genæ tumore, mandibulæ nihilominus clauſæ permanſerunt, tumque apparuit illam conſtrictionem mandibularum, à muſculorum eas moventium convulſione pendere: xv. morbi die matutinis horis dexter oculus clauſus apparuit, altero aperto exiſtente, quod contingit ex palpebræ paralyſi, quæ graviorem affectum minabatur, qui eodem die poſt meridiem contigit, ſcil. Apoplexia levis, à qua intra duas horas aliquantulùm reſurrexit, ſed media corporis pars, ſiniſtra nimirùm, reddita eſt paralytica, Et triduo poſt, ſenſim fatiſcentibus viribus, extincta eſt. Toto morbi decurſu nulla tuſſis difficultatem ſpirandi comitata eſt, neque ſtertor, niſi per unum diem ante interitum.

Aperto cadavere, Lien repertus eſt putredine affectus, ita ut levi compreſſione in fruſta diſcederet. Pulmonis ſubſtantia livida, & humore aqueo perfuſa, unuſque illius lobus, ad ſiniſtram partem ſitus, pituita putrida & purulenta refertur. Cordis ventriculus dexter parte interiori menbrana denudatus, putridus & exulceratus apparuit, ut illius fibræ carnoſæ, ſummis digitis contrectando, in fruſtula ſecederent: Auricula dextra ſolito major apparuit, & omninò referta ſubſtantia quadam carnoſa, partim rubra partim nigricante, ſanguini concreto ſimili, quæ tamen manibus dividi non poterat; Hos duos affectus, auriculæ nempe & ventriculi dextri, puto cauſam fuiſſe tantæ Pulſus inæqualitatis & intermiſſionis, dum Cor rem ſibi moleſtam excutere tentans, variis motibus quateretur: Unde Pulſus naturalis interruptio atque interceptio ciebatur. Spirandi verò difficultatem à Pulmonis infarctu ortam eſſe ſatis manifeſtum eſt. *Riverius cent. 2. Obſerv. 77.*

Illuſtris Cardinalis Caetanus poſt fonticuli in crure dextro occluſionem, quatuor à menſibus afficitur reſpiratione præter naturam, celeri, frequenti, inſtar eorum qui vehementer ſunt moti, major tamen in inſpiratione quàm in exſpiratione difficultas occurrit, cui immenſa ſitis, faciei calor & vigiliæ connectuntur: quod exſpuitur exiguum eſt, ſalſedinis non expers; febris quoque lenta comes eſt: In ſpatio trium menſium ad ultimum vitæ exitum eſt deductus.

Secto cadavere inventus eſt *Pulmo veſicis plenus*, quibus apertis aqua exibat flavum colorem referens. *Lelius à Fonte Conſultat. 8.*

L. Rochalſinger permultos annos aſthmate & tuſſi laborans, tandem extenuatus obiit: In ejus cadavere (præter epatis, lienis, aliorumque viſcerum obſtructionem ac ſcirrhoſitatem) in pulmonis ſubſtantia lapidem prædurum inveni: præterea hinc inde per pulmonis ſubſtantiam, præcipuè circa ramos tracheæ arteriæ Tubercula plurima ex viſcida materia in ſcirrhos concreta reperiebantur: In pectore quoque & pericardio multum aquæ innatabat, &c. *Fabritius Hildanus cent. 2. Obſerv. 29.*

Strenuus Nob. G. à Sebottendorff per plurimos annos ferè ſemper decubuit, ſtatis horis omni carens ſpirandi facultate, nec ulla ratione convaleſcere potuit: ſed tandem fato conceſſit.

Aperto poſt obitum cadavere, inveni peritonæum ſatis putridum, ventriculum penè inanem, omni chylo deſtitutum, nec ullam aliam humoroſam in ſe continentem materiam, & conſequenter occluſum quaſi ac parvum: Inteſtina nullo repleta excremento: Hepar corruptum, maxime in illa parte ubi à coſtis tegitur: Splen in ſiniſtro latere ſuis ligamentis fuit ſolutus, duplicatus quaſi, ac ex omni parte ſemiputridus: Inciſo vel aperto diaphragmate, dum perveni ad pulmonem, maſſam admodum induratam, coadnatam eſſentiæ pulmonis, & ingenti copia lapillorum refertam, plenis manibus extraxi: Pulmoni adeo adnati fuerunt ſui lobi, ut nullum illi motum communicare potuerint: Tracheæ arteriæ & Gulæ tantum adipis (à pinguiſſimis haud dubiè carnibus ſæpiuſculè ingeſtis contracti) indurati adhæſit, ut non modò beneficium ſpirandi & reſpirandi crebrò deſideraverit, ſed paucos quoque dies ante obitum cibum aſſumere nequiverit, ſolo potu ſuſtentatus; Et facilè credo ſi diutiùs ſupervixiſſet, illum inedia periturum fuiſſe: Cæterùm externam mihi cauſam talem retulit; Ex Italia redux, cùm ægrotare incepiſſet, imperitum Chirurgum in conſilium adhibuit, qui poſt primum ſtatim intuitum audacter aſſeveraverat illum infectum morbo (lue ven.) quo tamen haud unquam laboraverat: Præparavit itaque unguentum ex argento vivo, nunquam ſ. a. extincto: Adhibita inunctione, in dies magis ac magis, ob efficaciam penetrationis & reſolutionis quæ eſt in hydrargyro, pejus ſeſe habuit uſque ad finem vitæ: Cauſam ergo nullam aliam extitiſſe judicó, quàm quod argentum vivum in ipſam eſſentiam pulmonis, propter raritatem ac viſcoſitatem ejus, inſederit, ac in minutiſſimas poſtea diſſolutum partes quantitate ſit adauctum. *Schenckius ex M. Joh. Fabri obſerv.*

Mulier Romana 35. annorum per plures an-

nos inappetentiam paſſa, cum tuſſi ſicca & ſpirandi difficultate, cùm fruſtra variorum medicorum auxilia tentaſſet, tandem moritur.

Diſſecto ejus cadavere, ventriculi fibræ omnes nigræ, duræque repertæ ſunt: Tres verò pulmonum lobi adeò durati, ut potiùs tophos lapideos quàm carnem omnibus videntibus ementirentur; Lien ipſius ovi gallinacei magnitudinem non excedebat. *Ex Obſerv. Petri Sphererii Medici Florent.*

Puellum ſecui cujus Pulmo juſto major omnem cavitatem totius thoracis replebat, & latera illius velut inflatus attingebat: Erat duorum ſaltem menſium, & ſi diutiùs illum vivere contigiſſet, Reſpiratio illius qualis futura fuiſſet ſanè ignoro: hærebam quidem annon ex ultimo reſpirandi per agonem conatu, dilatari ab aëre inſpirato. Pulmo ita potuiſſet, & poſt mortem per aliquot temporis ſpatium talis permanere: Unde etiam aliàs cadaveribus ſpuma circa os & nares continuo etiamſi abſtergatur, colligitur cum manifeſto aëris per bullas egreſſu; veram tamen ipſius parenchymatis eam magnitudinem fuiſſe inde conſtabat, quod licet compreſſo multoties pulmone, ut aër ſi quis ibi craſſior detineretur, expelleretur, priorem tamen magnitudinem ille ſemper retineret: Viſus tum mihi ſum videre quomodo Ferdinando Imperatori, & aliis, Pulmo thoraci adhæreſcere potuerit, per pituitam ſcil. glutinoſam, quæ gypſea poſtmodùm fuit reddita. *Phil. Salmuth. cent.2. obſerv.22.*

Maji 3. 1676. aperui cadaver juvenis 22. annorum, qui ante annos octo, dum calebat maximè ex curſu, frigidam poſtquam ſumpſerat, pleuritidem contraxit, quam neglectam, nullâ inſtitutâ venæ ſectione, ſequutum aſthma grave cum purulenta & ſæpiùs ſanguinea expectoratione: dolor circa lumbos graviſſimus, qui nephritidem ſemper mentitus, melancholicus ſemper.

Veſica fellea exigua valdè, inſigniter craſſa, lenta materia repleta, ubi attingebatur ſatis dura, nigerrima hæc materia, interior cruſta craſſa etiam, & facilè ſeparabilis inſtar tunicæ ſpecialis, nigerrimi etiam tota coloris: Hepar maximum, ultra Lienem, ſatis validè ope ligamenti tranſverſi, eo uſque ſe extendentis diaphragmati cohærebat, tuberoſum valdè, & ſatis ubique ſcirrhoſum: Ren uterque integer, Lien etiam circa dorſum diaphragmati nectebatur: Venter totus tumidus aqua obſcuri coloris, lenta: In Thorace uterque Pulmo inſeparabiliter totus coſtis cohærebat, maximè circa vertebrarum corpora, uſque ad diaphragmatis inferiora, ferè conſumptus: In Pericardio ultra ℥ xxx. aquæ limpidiſſimæ, dulcis ſatis ſaporis erat, unde valdè extenſum: Hoc remoto, cor & auricula dextra inſignis magnitudinis ſe offerebant: Ligatis omnibus aliis vaſis, ex aperta auricula, & ventriculo dextro eduximus ſanguinis fluxilis, lentæ pituitæ, cruoriſque nigerrimi pluſquam ℥ xx. *G. Blaſius obſerv. Medic. 19.*

Filius Mercatoris quinque annos natus, cùm malè educatus fuiſſet à nutricibus, inter varia ſymptomata hoc præcipuè pati ſolebat, ut cùm curreret, aut vehementius moveretur, ſpirandi difficultate laboraret; Tandem 3. Julii cùm ab exercitio multùm incaluiſſet, incidit in tuſſim cum difficultate ſpirandi & febricula, cum alvi fluxu mediocri, in quo flava, pituitoſa, & aliquando ſubviridia apparebant: hæc tamen ſymptomata adeo levia erant, ut de vocando Medico parentes non cogitarent, ſed à Pharmacopæo admotum fuerat veſicans poſteriori cervici: Die quinta morbi vocatus ego, eadem invenio ſymptomata, ex quibus fluxionem conjiciens in Pulmonem, cum metu peripneumoniæ, V. S. præſcribo, quæ facta non fuit, quia vena non erat conſpicua, ſed cucurbitulæ ſcarificatæ ſtatim fuerunt admotæ, & julepus pectoralis refrigerans exhibitus: Hæc circa meridiem fiebant: at hora 3. veſpertina ſubitò æger correptus eſt leipothymia, à qua brevi excitatus eſt: poſtmodùm verò pulſus apparuit parvus, languidus, frequens & pulſibus morientium ſimilis, venter admodum tenſus & dolens, reſpirandi aderat ſumma difficultas & ſitis inexplebilis: multa fruſtrà uſurpata, ſed æger continuò in pejus ruens mediâ nocte interiit.

Aperto cadavere, partes naturales benè conſtitutæ apparuerunt, niſi quod cyſtis fellea grandior & humore nigricante referta erat: Sed pulmonis pars ſiniſtra diaphragmati hærebat ita firmiter, ut ſeparari non potuerit, unde difficultatem ſpirandi ex parte provenire cenſuimus: ſiniſtra verò cordis auricula, ſolito amplior, referta erat materia craſſa & compacta, omninò alba, laridum coctum referente, quam ſubitaneæ mortis cauſam fuiſſe cenſuimus, cordis ventriculum ſiniſtrum ſuffocando & illius ventilationem impediendo. *Laz. Riverius cent. 1. Obſerv. 83.*

Anno 1646. apertum eſt cadaver Walonis annorum 50. qui diuturno & miſerando aſthmate attritus & enecatus erat: Deprehenſus eſt pulmo planè exanguis, ejus parenchyma, omneſque ſpirabiles meatus infarcti, impleti & inſuccati craſſa viſcida pituita, concurrentibus multis, parvis vomicis in ipſo parenchymate: Adnatus erat in utroque latere adeò pleuræ firmiter, ut vix multâ manuum vi poſſet avelli: color erat pallidus, luridus, ita ut omni robore ad excutiendam materiam deſtitutus fuerit, nullaque ventilationis cordis erat opportunitas: quoniam manifeſtæ ſpirabiles viæ aſperæ arteriæ, arteriæque venoſæ, planè erant impletæ & anguſtatæ copia materiæ, quæ cauſa tandem calorem vivificum cordis, retentis fuliginibus, oppreſſit & extinxit. Cauſam tanti mali prava diæta, indeque debilitata viſcera naturalia poſſidebant: quippe ipſe ventriculus parvus languiduſque exiſtebat, ac tenuiſſimæ ſubſtantiæ: Omentum planè erat extenuatum & omni pinguedine expoliatum: Hepar pallidum, & ſatis exile, quæ atteſtabantur nec primam nec ſecundam coctionem ſatis officio functas fuiſſe. *Otto Heurnius Hiſtor. 9.*

Famula cujuſdam piſtoris, quum die quadam lixivium ad linteamina mundanda pararet, factum eſt ut inter loquendum, capite in ahenum forte prono, ore hiante vapores lixivii elevatos confertim imprudentius intra præcordia receperit, à quibus mox pectoris anguſtiam ſenſit, quæ ad ſeptennium uſque duravit: Ego, quum paupercula eſſet, ex perennibus forte deſtillationibus hanc anguſtiam autumans, pilulas ex Aloë roſat. lambitivum & ſudo-

ſudoriferum præſcribo, a quibus nonnihil levaminis accepit: Haud pauco interjecto intervallo, cùm fortiora à me remedia quæreret, pilulas illi fortiores & alia præſcripſi, a quibus nonnihil opis perſenſit, ſed non diu. Tandem deſperabunda uſum remediorum omninò neglexit, hinc anguſtia hac magis magisque negotium faceſſente, contigit nocte quadam, cùm bene ſaturata de menſa cubitum pergeret, ut tanta pectoris anguſtia corriperetur quæ ſuffocationem & interitum produceret.

Corpus aperuimus, pulmonemque colore livido, ad nigrum vergente deprehendimus, abſque tamen omni labe, ipſo etiam diſſecto poſt aſperam arteriam ſecundum longitudinem diſſecuimus, & ecce, quàm propè meatus Pulmonum, caruncula quàmplurimæ nigræ, in modum parvarum glandularum, fabarum & piſorum magnitudinem nunc æquantes, nunc excedentes inventæ ſunt; quæ Pulmonum meatus replendo, externo aëri introitum & fuliginibus exitum impediebant: Hæc præterea diminuta menſtruorum fluxione laboravit quæ fortè anguſtiam hanc nonnihil auxit. *I. Bilgerus apud Gr. Horſtium Tom. 1. p. m. 142.*

Benjamin de Clerck cadaver poſtridie à morte, die Auguſti x. 1637. apertum fuit, & deprehenſum eſt latus thoracis dextrum humore aquoſo ſubrubente, ſed non fœtente, repletum, ita ut ℔xii. æquaret: Lobi Pulmonis ibi erant omninò flaccidi, dimidiam naturalem magnitudinem obtinentes: Vomicæ in iis exiſtebant parvæ quatuor, & una magna ad aſperæ arteriæ divaricationem; ſed liberè fluctuabant lobi, nullis villis pleuræ annexi: ſiniſtrum latus thoracis vix effatu dignum humorem continebat, ibique pulmo in naturali erat conſtitutione, ſed colore paulo pallidior: Pericardium cordi erat firmiter annatum, ita ut digitis ab ipſo ſine dilaceratione ſeparari non poſſet. Subſtantia ipſius erat potiùs carnoſa quàm membranoſa, & ſextuplo naturali craſſior: Cor omniaque ejus vaſa nigro liquido ſanguine repleta erant: In abdomine libræ duæ tantùm aquæ rubicundæ continebantur: viſcera naturalia omnia erant integra, excepto omento, quod marcidum nigricabat, & folliculo fellis, in quo tres erant calculi, quorum major caſtaneæ majoris habebat magnitudinem, & figuram triquetram in pyramidale faſtigium extenſam: Duo reliqui phaſeoli erant magnitudine, ſed figura planiore, & anguloſa ac triquetra ferè: Omnes erant tophacei, leves, exteriùs nigricantes, interiùs lutei & mediocriter ſolidi, ſed non adeò ac renum aut veſicæ calculi eſſe ſolent: aquæ injecti non natabant, ut multi ſcribunt, ſed ſubſidebant: nec diſſolvebantur aut aquam colorabant: In eorum majore apparebant circuli corticales ſibi inſidentes, ex agglutinatione ſenſim facta, ſicuti in veſicæ calculis per agglomerationem & adhæſionem contingere ſolet. *O. Heurnius obſerv. 6.*

Fuit Ingolſtadii vir doctus, qui quod incautior eſſet in victu, & ſtudiorum graviorum occupationibus detineretur quotidie, raròque exerceretur, ſenſim in cachexiam inciderat, quæ hypoſarcam in propinquo eſſe denuntiabat: Solicitus de ſalute, me & plurimos conſuluit: Etſi autem venter, qui prius ſubtumidior videbatur, factis purgationibus convenientibus humorum mole ſublevaretur, tamen ſpiratio difficilis tam non diminuta eſt, ut etiam ſenſim augeretur: Itaque cùm diu hæc affectio protracta eſſet, tandem hic vir optimus ſuffocatione periit, cujus demortui thoracem cùm aperiremus, aqua ſanguinolenta eſſe omninò plenum, ita quidem ut ea exempta, libras quatuordecim exæquaret: Ex qua frequentem apparere hunc hydropem, ſi modò advertatur, conjici facilè poteſt. *Ex Othæi Obſervationibus.*

Uxor Nobiliſſ. N. initio Februarii anni 1616. eam ſpirandi difficultatem ſenſim incurrit, quæ tandem evidenter gravis, crebra ſublimiſque eſſet & cum erecta cervice, ſed inæqualis; de nocte ſcilicet plurimùm, ſed diverſis horis ingraveſcens, modò prima vigilia, modò 2. aut 3. pro vario canæ pruinæ caſu, at de die remittens de ſua vehementia: Huic difficultati palpitatio cordis ſeſe adjunxit, ut pulſus non admodum depravaretur, ſed increbeſceret tamen & minueretur admodùm, adeò ut in ἀκμῇ paroxyſmi prorſus in brachio ſiniſtro deliteſceret: Quartana Nobilem mulierem magnam ſuperioris autumni partem detinuerat ſatis, vehemens illa quidem, continua ſiti urens, & ad frigidæ potum largum & frequentem quotidie cogens: Superiores hyemes totas coryza tuſſiſque negotium exhibuerant, ſed hoc tempore acrius infeſtare cæperunt: Prurire quin etiam erubeſcereque præter modum nares parteſque confines, ac ſanguis ex iiſdem grumoſus ſæpe ſtillare, ſiti & in morbi decurſu puſtulæ aquoſæ os fœdare, & aqua ex dormientis ore continuò diffluere, denique caput gravari & ſternutatione frequenti concuti: Cùm igitur adeò manifeſta eſſent capiplenii & catarrhi in pectus indicia, atque propinato medicamento phlegmagogo gravis illa dispnæa tantum cepiſſet levamentum, ut ægra itare per domum, propè ſui juris facta, poſſet, ecce derepentè tertio die, ſub crepuſculum & primam vigiliam, diſpnæa ingraveſcere adeò vehementer cæpit, ut ſuffocationis periculum penè venerit: Exinde diſpnæa, & præſertim de nocte gravior non deſtiterit opprimere, ſed ita ut per inſignes temporum mutationes valdè ſemper augeret ac propè ſuffocaret per aliquot dies, deinde verò mitius, ſed premeret tamen: Febris interea non dare quietem, etſi levis admodum, ſed tamen ſiti vigiliiſque ferè perpetuis comitata; Lingua autem nigra quidem, non tamen arida, & urinæ perpetuò decolores, h. e. aqueæ, ſeri lactis, ſed non exquiſitè depurati inſtar, & ſedimento carentes, niſi quod aliquando purulentum quid in imo ſubſideret; Cùm hic ſtatus rerum eſſet toto quadragenario, vomitus inde urgere cæpit, & de nocte ferè quotidie, non ſolum aſſumptorum ciborum, ſed & aquæ ſinceræ, cui, quanquam non ceſſanti, ſeſe poſt octiduum diarrhæa etiam aquoſa & diuturna ſeſe adjunxit. Notandum ab initio ferè morbi univerſum caput cachexiam evidentem præ ſe tuliſſe, abdomenque, ſed præcipuè hypochondrium dextrum, diſtentum apparuiſſe, & maximè pedes, qui ſedenti præſertim adeò immanem in modum intumeſcebant, ut aqua per cutem qua tralucere videretur;

nedum fluctuantem eam tactu deprehendere erat: Ad hæc acceſſit circa deliquium Lunæ, Maji initio, ſoporoſa affectio & inſolens, quæ apoplexiæ aut lethargi non inanem metum mihi injecit, nam vix exacto dimidiato die apoplexia gravis & lethalis ingruit.

Diſſecto cadavere *Cerebrum univerſum aqua totum perfuſum* repertum, & thoracis dextri ſpatium magna vi aquæ diſtentum: quum etiam nonnihil aquæ in imo abdomine collectum repertum: Apparuit præterea ſubſtantia Hepatis, & utriuſque Renis, omninò decolor & albida: Pulmones ipſi retorridi & multo purulento tabo prægnantes reperti, alterque è pulmonibus fere torrefactus & corruptus totus inventus. *Carolus Piſo de morbis à Sero ſect. 3. cap. 7.*

Nobilis N. temperamento impensè calido, & annorum aliquot ſupra 80. ſenſim gravi ſpirandi difficultate opprimi cœpit, & ea quæ de nocte potiſſimùm negotium exhiberet, ſcilicet cum primum ſomnus eum de more teneret, tum de ſubito ſuffocatio, ſomno interrupto, ſenem excitabat, ut invitus è lecto ſurgere & ſimul ad feneſtras cubiculi confugere, liberioris aëris ſtaribus apertis captandi gratia cogeretur: Videre erat ſenem inflammata facie ſpiritum ex alto citantem, ſcapulis palpitantibus, & nullibi locorum conſiſtentem placidè, & vel rigidiore hyeme ab omni foco maximè averſum, imò dio ſeſe ultrò exponentem, ab ea tamen anguſtia ſenſim ſine ſenſu, die procedente liberiorem fieri, præſertim poſt meridiem, ſed ſuccedente ſomno iterum affectio recurrebat & urgebat pariter optimum ſenem: Jam autem unum & alterum annum ita mirè ſuſpirioſus vixerat, ut animam in dies, aut potiùs in noctes agere videretur: Medicis, quos ille conſuluerat, aliis Incubum, aliis Sonticum morbum opinantibus, ſed tandem morte non immatura exceſſit è vivis.

Chirurgus mortuum diſſecans reperit pulmonem præcordiaque in plurima aqua ſeptis thoracis intercluſa innatantia. *C. Piſo ibidem cap. 7.*

Reverendus N. primo autumni frigore, febre & catarrho in pectus decumbente correptus, exactis ſex ſeptimanis circiter utcunque revaluit, ſed die natalis Domini aquilonia tempeſtate deſubitò ſæviente, cùm ſacri pervigilii celebrandi cauſa, media de nocte domo exiiſſet, ab horrore longe in febrem rurſùs ac diſpnæam gravem incidit, quæ ſomnum abrumperet, nec niſi ſedenti & erecto ſpiritum ducere permitteret: Ego tum inſignem in hypochondrio utroque, ſed præſertim dextrò, tumorem, febri vehementi conjunctum cùm deprehendiſſem, non aliam, ut ingenuè fatear, diſpnœæ cauſam ſum ſuſpicatus, quàm evidentem illam diaphragmatis compreſſionem à diſtentis nimiùm viſceribus.

Sed in demortui cadavere, 60. die à recurſu febris, præter hepar tumidum, induratum, retorridumque, & pumicis inſtar hiulcùm ac poris diſtinctum, univerſum thorax aqua pura plenus inventus & in ſtupenda copia. *C. Piſo de morbis à ſero cap. 7. ſect. 3.*

Vixit in aula Imperatoris *Marchio de Finali*, Is per omnem ferè ætatem, proſpera uſus valetudine, robuſto & procero corpore, circa extremum, ultra 50. annum, multis & variis affectibus conflictatus fuit, nunc catarrhis, nunc ſcotomia, nunc melancholia, nunc pedum inflatione, nunc hydropis ſuſpicione, poſtremo etiam diſpnœa: multa tentata remedia, ſed calor naturalis actuare ea nequivit; ita reſpiratione intercepta, cùm nequicquam expueret, ſuffocatus obiit, cubans utplurimum in ſiniſtro latere.

Dum cadaver exenterabatur, in ventre inferiore nihil vitii conſpectum fuit, ſed pectoris ſiniſtra cavitas aquâ purpureâ referta fuit, lixivio ſubſtantia & colore ſimili; qua ſpongia exhauſta, apparuit in pulmone ulcus grande cum cineritio ichore; dextra pectotis cavitas naturali formæ per omnia reſpondebat. *Ex Joh. Aicholtzii obſervationibus.*

Sutor noſtras anno 1586. Vir annorum 30. apertus fuit, pituitoſus, hydrope ratione aſthmatis cauſato periit; Is antequam tumere venter inciperet, in regione dorſi latere dextro, tumorem habuit carnoſum, non recedentem à colore cutis, quem Tonſor cultello incidit, quo aperto, nihil niſi aqua effluxit per aliquot dies, poſt modùm vulnus curatum fuit: Sed cùm tuſſi vehementi divexaretur, pedes cum ventre tumere inciperent, diſpnœa adeſſet, Medicorum conſilio uſus, tandem & meo, exhibitis iis quæ videbantur ad morbi curationem palliativam potiùs facere, per certa intervalla melius babere cœpit, mox recidivam paſſus periit.

Abdomine aperto, quatuor vaſa ænea tonſorum aquâ repleta citrinâ effluxere: Viſcera omnia in abdomine contenta ſatis commodè habebant, ſolo omento excepto: Diaphragma verò non ab hepate ſurſum comprimebatur, ſed à materia in thorace contenta prætermodum deprimebatur: Thorace aperto purulentæ materiæ vaſa tria ænea repleta effluxere ex latere dextro, cujus lateris pulmo totus in pus abierat, ſiniſtro integro perſiſtente & ſatis commodè ſe habente: Hinc aſthma, hinc tuſſis, hinc hydrops, ex pulmonis ulcere dependentia omnia. *Gaſparus Bauhinus de Obſervat. propriis.*

Vir temperamenti laudabilis, ann. 32. cùm aliquandiu potationibus nimiis indulſiſſet, præſertim vino Gallico ſtillatitio, paulatim in gravia incidit ſymptomata, Dejectus ciborum appetitus, adaucti dolores hypochondriorum, maximè ſiniſtri; anhelitus difficulter reciprocatus, urina cùm redderetur, turbida & pauca; ſanguis ſcorbuticus, ſupernè viridis, glutinoſus, ſerum ejus multum & quaſi croco tinctum, ſomnus vel parciſſimus: occurſum fuit tot malis ſanguinis miſſione reperita, emetico, catharticis, vino medicato & per epicraſin operante, diureticis, anti-ſcorbuticis chalybeatis, aliis: Incaſſum univerſa: invaluit violentiſſimè aſthma & dolor ſiniſtri hypochondrii, quibus tandem ſuccubuit, & corpus ſuum poſt fata Anatomicorum ferro obtulit.

In aperto cadavere quæſitum ſtatim hypochondrium ſiniſtrum, ubi mox in conſpectum prodiit Lien, juſta magnitudine quadruplo auctior, durior naturali temperie, & nigra quadam amurca hinc inde diſtentus, cui viciniſſima coſta ſuprema notha, & illa vitiosè diſtorta

ſtorta labem affricuerat. Inteſtina ſuperiora lividiuſcula, & gangrænam minantia in aquis turbidis natabant, vero hydropis abdominis argumento: Hepar tamen cætera ſanum, niſi quod juſto durius eſſet; In pectore novus ſe calamitatis fons aperuit, enimverò & pulmones parvi, exſucci, flaccidi, & ſi ultimos margines excipias, ſemiputridi, aquis fœdis copioſiſque innatabant, &, quod ſtupori proximum, pericardium ita ampliatum diſtentumque, ut tres libras, & quod ſuperat, acris turbidique liquoris ſinu ſuo complecteretur: Acrimoniam confirmabat non tantùm aſtantium & deguſtantium lingua, ſed & miſeri cordis externa facies; quippe non modo membrana cordis propria abſumpta erat, ſed & exterior caro cordis, ab humoris illius vi profundè exeſa, in lacinias & villos carneos putreſcentes abierat, reliqua ſubſtantia interiori contracta, flaccida & marceſcente. Idque eo magis mirum, quod de cordis dolore æger nunquam conqueſtus fuiſſet, ſed tantùm de Aſthmate & hypochondrii ſiniſtri dolore: Credibile ipſam cordis carnem, ſublata membrana veſtiente, non eſſe admodum ſenſilem: Incumbebat vivus dextro hypochondrio ægerrimè, ſiniſtro facilius, ideo haud dubiè, quia incumbens dextro lateri, pondere illo graviſſimo vaſtiſſimi lienis, ſentiebat inteſtina affecta gravari: contra ſiniſtro incumbens, ab epate ſano nullum adeo doloris ſenſum percipiebat: Quia autem pulmones, & ab aqua in cavitate pectoris hærente, quæ ad IV. libras excreverat, premebantur, & ab ampliſſimo illo diſtentoque humore pericardio, hinc aſthma illud intolerabile profectum: Ita in uno corpore juvenili, & hydrops abdominis deprehenſus, & pectoris & pericardii mala quæ vix ipſe curaſſet Æſculapius. *Olaus Borrichius in Actis Medicis Th. Bartholini annor.* 1671. *&* 1672. *Obſerv.* 89.

Filiolus Nobiliſſ. Comitis, circiter decem menſes natus, antea ſatis ſanus eodem morbo obiit, poſtquam ille per 4. aut 5. dies tuſſi cum febricula laboraſſet, ſubitò deterior factus, reſpiratione crebra & laborioſa, lingua ſicca, magna inquietudine & jactatione totius corporis afficiebatur: quibus ſymptomatis ferè continuò infeſtantibus, intra biduum extinctus eſt.

Cadavere aperto, viſcera imi ventris ſine culpa; Thorace inſpecto pulmones ſanguine ſtagnante infarcti, diſcolores, ſcilicet purpurei, inque multis locis nigricantes apparebant: erant tamen abſceſſu, tumoribus, aut ichoris ſuffuſione ſatis immunes, ut illorum affectio febris productum potiùs quàm cauſa videretur: Dum verò hanc, & lethi adeò ſubiti occaſionem ſedulo rimamur, tandem corde diſſecto, in ſinubus ejus Polypi ingentes, concretionibus adipoſis ſimiles, inque omnes arterias exporrecti, earumque cavitates obſtruentes reperiebantur: Novi inſuper ante aliquot annos, puerum alium trienalem, propter eandem cauſam morbificam ſubitò, acſerè improviſo diem obiiſſe. Quin etiam ſuſpicari fas ſit plurium aliorum morbos, aut mortes vulgo dentitioni, aut lumbricis imputari ſolitas, à tali cordis affectione procedere. *Ballonius Epid. & Ephem. l.* 2. *p.* 144.

In fœmina quadam diu aſthmatica, & cum cordis palpitatione conflictante, tandem cardiaca Syncope interempta, corpora, ſive pituitoſa, ſive fibroſa, ulnæ longitudinem ſuperantia ex aorta extraxi. *J. Jac. Wepferus. Exercit. de Apoplex. p.* 197.

Ne ſemper eclegmatis, bechicis, aliiſque ad aſthma & pectoris morbos conducentibus remediis operam ſuam ludant Medici juniores dum iis æger abutitur reſpirationis difficultate pectoriſque anguſtiis laborans, narrandum videtur quod anno 1669. mihi oblatum eſt rarius circa id morbi genus phænomenon: Obierat mortem poſt longas paulatimque auctas pectoris anguſtias reſpirandique moleſtias Vir quidam annorum 45. Tuſſis nulla, nullæ inflammationes adfuerant, omnis denique ſymptomatum caterva, quæ ſtipare ſolet pectorales illas ægritudines abfuerat, & tamen reſpirandi difficultas de medio ſuſtulerat ægrum.

Simul atque ventrem inferiorem diſſecuiſſet culter Anatomicus, objecit ſe corpus quoddam, ea conſtans tunicæ ſpiſſitudine quæ ſolet eſſe eorum petaſorum quibus noſtrates à capite arcent cæli injurias: Continebat autem aquæ inſipidæ, niſi quatenùs eam fœtor corrupuerat, uncias circiter 40. Innatabant aquæ filamenta quædam oblonga, quæ digitis contrectata etiam in latitudinem quandam diduci poterant: Locus unde corpus iſtud enaſcebatur, erant eæ lumborum vertebræ quibus bini diaphragmatis proceſſus implantantur: Quod diaphragma tanto verſus pulmones compellebatur vehementius, quanto in dies capiebat incrementa majora corpus hoc, tam importuno loco ſuccreſcens: unde reſpiratio reddebatur primò difficilis: deinde coarctatis nimiùm pulmonibus, etiam impoſſibilis: Ita ut mirum non ſit hominem, non alia vexatum ægritudine, præcluſa reſpirandi facilitate, reddidiſſe animam. *Theod. Kerkringius Obſervat. Anat.* 89.

Abrah. Clef Montbelgardenſis Bielæ incola, hydrocephalo olim ſub cura mea liberatus, anhelolus cacheticus, fœda crurum & pedum ſcabie conſpurcatus, eryſipelati phlegmonodi aliquando obnoxius, die 7. Januar. 1657. Nidavio benè potatus rediens, flante oriente & rigido cælo friguit, & calidum domi ingreſſus hypocauſtum, circiter horæ quadrantem poſt fornacem dormivit: Expergefactus ſurgit, cadit ſtupente lingua & latere ſiniſtrorſum: Edormitâ crapulâ ſequenti die melius habuit, ſed cùm à vino ſibi non temperaſſet, veſperè ſenſit inſignia circa umbilicum tormina cum dyſuria: Acceſſit die 29. in dextro hypochondrio dolor punctorius cum ſpirandi difficultate, ſolita majori tuſſi ſicca ſine febre: Detractus ſanguis cute flava obductus erat, circumducta aqua citrina: A die quarta ad mortem circa claviculas obaudiebatur inſignis ebullitio & ſtrepitus materiæ craſſæ in trachea ſurſum & deorſum agitatæ, non expectorandæ. die 7. pulſus febrilis factus eſt, ſupervenit loquelæ impedimentum, tuſſis ſuppreſſio, inquietudo: Diei nonæ hora 5. veſpertina obortus eſt ſudor calidus, univerſalis, copioſiſſimus, & poſt ſeſquihoram mortuus eſt ſuffocatus, ſpumante ex ore pituita.

In aperto cadavere nullam inveni veſicam urina-

urinariam, Hepar & lienem habebat ampliſſimum; Fellis veſiculam ovi anſerini magnitudinis plenam; Abdomen pinguedine refertiſſimum: In thorace Cor erat maximum: Pulmo ſiniſter tertia manus palmæ parte nec major nec craſſior, ſed aliquanto dextrum ſuperans, extravaſati ſanguinis, phlegmati confuſi cochlearia ferè tria continens (ſonitus in reſpiratione cauſam) color utriuſque pulmonis diverſus erat, ſubalbus, ruber, viridis & ſublividus: inter utrumque cernebatur Mediaſtinum merè adipoſum, 4. digitorum tranſverſorum latitudinis: ipſa pleura undique tanto tegebatur adipe quantum ad implendum thoracem imminutis pulmonibus, ſufficiebat: Quæ omnia in vitæ curſu & morbis contingentium ſymptomatum rationem patefecerunt apertiſſimam nempè conformationis vitium ſola Anatome detegendam. *J. Nic. Binningerus obſerv.* 34. *cent.* 2.

Anno 1595. cum Sereniſſ. Erneſtus Archidux Auſtriæ, Prorex Belgii, vehementer frigida aëris conſtitutione domum reverteretur, in arthritidem, ut ſæpè ſolebat, incidit; qua, cùm per aliquot dies detineretur, acceſſit capitis dolor, deſtillatio in pectus, mox febricula, cum nauſea, vomitu, cibi faſtidio, ac dolore ad ureteres, cum mictu laborioſo & ſtrangurioſo. Viſum fuit Medicis tum ratione dolorum, tum febris, tum nephritidis, cujus non obſcura ſigna aderant, non aliud commodius ac præſentaneum remedium, nec citius ac ſecurius eſſe V. S. quæ adhibita fuit; a qua levius viſus fuit habere; quanquam id ſine ratione Medicis viſum fuerit, cum urinæ albæ, perſpicuæ, ac tenuiſſimæ forent, ac omni ſui ratione calculus eſſe videretur, Itaque cùm perſeverarent ureterum dolores, vomitus ac meiendi difficultas, propinatum eſt oxymel cum contemperante ſyrupo, quo hauſto per aliquot dies, calculum excluſit album, rotundum, à quo dolor abſuit, & meiendi difficultas ſed non vomitus: Cùm verò ex eo Medici & alios lapillos eſſe ſuſpicarentur, caſſiam dedere cum ſpeciebus hieræ, à qua bis terve, ſine ullo incommodo, multa pituita tenaci levatus eſt, ſed perſtitit vomitus cum nauſea, ac urinæ omninò limpidæ: nocte non benè dormire, non quieſcere poterat, anxius ac circum præcordia oppreſſus: fluxit præterea ſanguis ex naribus, non multus, albidus & ſeroſus, ex quo Medici deſperare cæperunt; Conſilium tamen fuit clyſteribus ac levibus vomitoriis, ſurſum deorſumque humorem peccantem ducere, revellere, retrahere, ſed omnia fruſtra, creſcente anxietate & auctâ pulſus imbecillitate, ita ut interſectus videretur, myurus, mox capillaris, tandem ſine pulſu, quo cum per biduum vixiſſet, eſſe deſiit 20. Februarii, (initium ægritudinis 15. Januar.)

Quo jam vitâ defuncto, cùm corpus diſſecaretur, in conſpectum venere, pulmo, cor, pleura ac ſeptum vi retracta, ac in anguſtum coacta hepatis mole, & ventriculi, ſeptum quaſi ſuperantia: Pulmones nigricantes, ſine ulcere quidem, ſed digitis compreſſi tabum quoddam reddidere; cor integrum, ſed inæquali figura præditum; Hæc in ſuperiore ventre, inferior talis erat: Meſenterium valdè pingue, Hepar multo maximum in uno lobo livebat: Renum uterque magnus, durus, colore livido; in dextro puſtulæ, phlyctænas eſſe diceres; ſiniſter, præterea dicta, in acuta cuſpide, ulcus cavum habebat, nigrum & cum ἐσχαρωτικὸν eſſe videretur, non immeritò cancer eſſe videbatur: Aderant in cavitate fragmenta calculi & majores arenulæ multæ, ut videretur aliquis calculus egreſſus in ureteres delituiſſe, Et veſica putrida, fœtens, livida &c. *Schenckius lib.* 3. *p. m.* 440.

Hoc anno circa finem Janu. mortua matrona quædam, vidua N. per triennium aſthmate periodico detenta: hanc humi ſedentem, erecta cervice reſpirantem, pedes & ventrem tumidum biduo ante mortem, cum ordinario alias Medico D. D. Schilpachero, viſitavi. Cùm adſtantes vomitorium urgerent, nos verò ſummam virium proſtrationem & extrema inſtare adverteremus, timendo ne in ipſa operatione medicamenti ægra deficeret, illudque ac ſi eo ſtrangulata fuiſſet nobiſcum diffamaretur, poſtulatum cautè declinavimus, alia præſcribendo: Avidus filius ſciendi unde hæc Diſpnæa, aperiendam conceſſit.

Diſſecto itaque thorace; ubi omnes alias Medici veram ſedem figunt Aſthmatis, in Pulmonibus nil neque viſcoſi, neque ſeroſi, neque impacti quicquam in illorum bronchiis obſervavimus, ſed benè conſtitutos ac laudabiles invenimus, præterquam quod exiguis fibrillis hinc indè, imprimis in dextro latere pleuræ adnexi hæſerint: In hoc tamen non acquievimus, cùm vitium illud à prima conformatione videretur, ipſa verò à triennio demum aſthmatica; Continuavimus itaque ſectionem, ventremque, qui, ac ſi hydropica fuiſſet, diſtentus erat, aperuimus; ſed remotis integumentis ne gutta effluxit aquæ, inteſtina verò omnia, imprimis jejunum mirè inflata, diſtenta & tota vacua conſpecta: Lien bonus, ut & Hepar laudabile: veſica fellea magna, aperta nihil continuit bilis, ſed lapidem incluſum habuit magnum inæqualem, pondere quatuor drachmarum officinalium: *Carolus Raygerus Obſerv.* 11. *Miſcell. curioſ. anni quarti.*

Vir Nob. dolore hypochondrii dextri per plures annos conflictatus fuit, cum ventriculi & diaphragmatis compreſſione. Initio, cùm degeret in agro Pictavienſi, hic dolor pro colico, huic regioni vernaculo, à Medicis judicatus fuit. Ex remediis parùm utilitatis habuit: poſtea Lutetiam ſe contulit celebrioreſque urbis Medicos advocavit, quorum judicio abſceſſus in Hepate genitus dicebatur, variaque abſque emolumento exhibita: Ego ſub finem morbi & vitæ vocatus, inveni ipſum gravi Diſpnæa laborantem, & dolore hujus lateris & abdominis ita vexatum & compreſſum, ut neque in dorſum nec in latus poſſet recumbere, ſed cogeretur reſidere in lecto, & pro doloris gravitate & vehementia ipſe diſrumpi ſibi videbatur, tandem atrocibus hiſce doloribus confectus extremum obiit diem.

Aperto cadavere, Hepar magnum multis abſceſſibus refertum inventum eſt, & materia quadam indurata, vitelloſque ovorum colore referente repletum. Pancreas erat admodum ingens: Ren erat luxatus & è ſuo loco dimotus,

tus, propellente ſcilicet ipſum paulatim deorſum Pancreate. *Cattierus Obſerv. x.*

Nobilis vidua per multos annos pedem graviter ulceratum & fontanellam etiam in altero habuit, horum diuturna moleſtia defeſſa, per Chirurgum, diſſuadente me, conſolidari tamen & ad cicatricem perduci curavit, quo facto, ſtatim ſpirandi difficultas occupat, appetitu edendi non dejecto, imò ipſa dicente, jam vegetiori reddito ita ut deſiderio indulgere, ob aſthma, nunquam audeat. Tandem facies & manus extremæ, cum abdomine atque pedibus, ob humores ſtagnantes, & exitum amplius non habentes, intumuerunt, & aſthmate aucto, viribus diuturnitate fractis & attritis, vitam naturæ reddidit.

In hujus poſt mortem latere ſiniſtro ad lienis ſitum, abſceſſus, quem omnium cum admiratione, occultum habuerat, apertus inventus eſt, ex quo, defuncta jam ipſa, magnam fœdiſſimæ ſaniei copiam effluxiſſe mihi relatum: Hinc patet ulcera diuturna, aut abſceſſus, in quos natura ſe exonerat, cautè tractandos eſſe, niſi in aliud triſtius diſcrimen ſe conjicere quis velit. *Greg. Horſtius Obſerv. 15. lib. 9.*

Illuſtris Virgo annorum circiter 30. optimo corporis habitu, ſed paululum gibboſa, ex ſuborto in proprio conclavi igne, ita perterrita fuit, ut menſes ab eo tempore non amplius fluxerint: interea utcunque ſe habuit, niſi quod aliquando de difficultate reſpirandi, necnon dorſi dolore conquereretur, cujus nomine varia tentata remedia. Elapſis verò ſedecim annis, computatione à retentione menſtruorum facta, prædicti dolores magis magiſque intenderunt, ut mors tandem ſubſequuta ſit.

Corpus cùm condiremus, ſpinam dorſi inſtar majuſculæ litteræ S. Binos etiam lapides in ſiniſtro rene inveni. *Hildanus cent. 4. Obſerv. 43. ex Communic. Lucæ Juſti.*

Retulit mihi D. D. Gualtherus Needham ſe noviſſe Lanium, qui cum diu laboraverat aſthmate periodico, intra 14. vel 20. dies, utplurimùm recurrente, tandem in ipſo paroxyſmo extinctus eſt.

Cadaver apertum exhibuit viſcera omnia ſana, præſertim Pulmones: neque aut excrementi in bronchiis collecti, aut ſanguinis in venis reſtagnantis ulla indicia prodita ſunt: Hoc tantùm præter naturam accidit, quod veſica fellea calculos complures in ſe continuit: Cætera, ſubdit ille, vel generi nervoſo affecto tribuenda erant, vel cauſæ nobis ignotæ, certè oculis non conſpicuæ: *Thomas Willis. Pathol. cerebri cap. 12.*

Juvenis ab incunabilis gibbo cum aſthmate laborans decimo quinto ætatis anno phthiſicus periit. Aperto capite, criſta galli, quæ ſepti inſtar os ethmoidis in duas partes dividit, in latitudinem & altitudinem ita aucta fuit, ut totum os cribriforme obtegeret, ejuſque foramina quaſi obſtrueret: imò poſt coctum cranium nulla cavitas in eo patuit. Oſſiculo porrò maxillæ ſuperioris, quæ canthum oculi majorem conſtituunt, ita excreverant, ut naſi ſeptum ferè attingerent. Oſſa omnia præter conſuetudinem tenera & propè inſtar cretæ mollia erant. Dorſi vertebra ſexta, ſeptima, octava, nonâ & decima, quæ gibbum conſtituebant, carie exeſæ & in partes fractæ fuerunt, præſertim ab interna parte. Harum particulæ in ipſis pulmonibus à parte dorſi ulceratis, inveniebantur.

Cui non latuit ex cauſa morbi? ineſt ſæpè & in incredibili verum, & in veriſimili mendacium: ideoque medicina ipſis Medicis nil niſi ratione utentibus conjecturalis eſt. Qui gibbi ex aſthmate aut tuſſi fiunt, ante pubertatem moriuntur, inquit *Cous Hippocrates*: à præpoſtero partu ſæpe infantibus contingit Vertebras luxari; unde, collabeſcente Thorace, pulmones comprimuntur, & reſpirandi actionem impediunt. Provectiori ætate, gibbo etiam accreſcente, omnes membranæ, quibus pulmones vertebrarum regioni connectuntur, magis dilatantur, & vaſcula quædam interrepentia rumpuntur: ex quibus liquor ſtillat, qui reduci ineptus, ibidem ſtagnare cogitur, & corrumpendo vicinas partes, pulmones nempè & vertebras, corrumpit. Perceptu igitur difficile non erit: juvenem illum pulmones exulceratos, vertebraſque carioſas habuiſſe; cùm ob membranarum concluſionem pus in cavitatem thoracis dilabi non potuerit; ideoque circa vertebras quaſi in nido purulentum omne concluſum fuit. Atque ſic mirum non eſt, fruſtula quædam vertebrarum in ipſis pulmonibus eſſe inventa, cùm per ſe partim, partim à reſpirationis quaſi tractu, in pulmones ceciderint.

Rogabit me quis, cur ante pubertatem, non moriebatur, ſecundùm Hippocratis textum? Regero, adoleſcentem hunc fortaſſe pubertatis notam externam quidem habuiſſe, aſt quoad coëundi poteſtatem (quæ propriè pubertatem facit) eum ad id opus ineptum fuiſſe, veri quidem ſimile eſt. Ejus impotentia, non tantùm ex morbi diſpoſitione, ſed ex oſſium teneritudine & mollitie apparet.

Structuram criſtæ Galli in oſſe ethmoïdis monſtroſam, nihil ad morbi geneſin contribuiſſe, credo: nam per illud cribrum vaſa ſanguinea & nervi quidem excurrunt, ſed per illud nihil humoris ex ventriculis cerebri in nares deſtillat, verùm omnis humor per infundibulum ablegatur.

Quod autem ſpectat ad maxillæ ſuperioris oſſicula narium cavitates reſpiratorias præcludentia: reſpirationi quidem impedimento fuerunt, aſt quia per os liber in pulmonibus aëri aditus patebat, nihil aut parùm huic morbo anſam dediſſe credibile eſt. *Steph. Blancard. in Anatom. Pract. Rational.*

Vidua ſæpè Hyſterica noctu ſurgens è feneſtra jacuit, inde reſpiratio difficilis ad inſtar aſthmatis, cum tuſſi, Hæmoptyſi, febri ac facie rubicundâ. In medio pectoris grave pondus cum ardore interno, & puncturis in variis thoracis locis. Tertio die dolorem circa claviculam dextram ſentit. Hiſce aderat magna cordis palpitatio, quæ etiam in Hypochondrio dextro tum in eodem latere per aliquot horas percipiebatur. Sed è regione cordis perſeverabat, idque ictibus vehementibus, hæc convaluit. Sed aliquot dies poſt in ſedili ſedens repentè in pavimentum concidit exanimis.

Diſſecto cadavere, mediaſtinum lymphâ cruentâ plenum inventum eſt. Pulmones toti purulenti & fœtidi. Ovarium ſiniſtrum, ovum colum-

columbinum facilè æquabat, lividum, ſphacelatum & intùs ſpongioſum. Intus globulus nuclei magnitudine, grumo ſanguinis ſimilis, concludebatur.

Calida fortè ſurrecta, refrigerii gratiâ feneſtram aperuit, ut aura nimirùm veſceretur frigida; unde conſtipato ſanguine, ac diaphoreſi impedita, pulmones ab eodem obſtructi, ita ut libera reſpiratio ei denegata fuit. Ab obſtructione putredo, pus, febris ſimiliaque ſymptomata, quæ ſuperiùs in aliis ſubjectis plus ſemel explicuimus: Sanguis coagulatus cordis ventriculos obſtruens, eoſque liberè pervadere impotens, latera cordis ampliavit, ac ob majorem motum Palpitationem induxit. Hiſce tamen nonnihil quietis, quaſi recumvaleſcebat; poſtea verò levi occaſione vel ſponte ſua vaſcula pulmonum rupta, pus effluxit reſpirandique actionem impedivit.

Quoad ovarium ad ovi columbini magnitudinem auctum, fortè à prævia obſtructione & inflammatione ortum habuit & paſſioni hyſtericæ anſam præbuit: eſt enim malum cum præcedenti nihil commune habens. Globulus iſte, qui intus erat concluſus, ovum procul omni dubio fuit ab inflammatione auctum, ut in iis, quæ rabie uterina, ut vocant, laborant, obſervavi. Illud ovum quoque ſphacelatum fuiſſe & corruptum eſt ſimilitudine, quam cum ſanguinis grumo habet, apertè liquet. *Idem ibidem.*

Venetus quidam annorum quadraginta, temperamenti calidi, & humidi, crapulæ deditus, de difficultate reſpirationis, & hypochondriorum anguſtia conquerebatur, qui multis adhibitis fruſtrà remediis, Patavium cùm veniſſet, poſtera nocte morte repentina extinctus eſt.

Hujus aperto cadavere, in hypochondriorum regione nihil quidem præter naturam ſe prodidit; verùm in Thorace Cor adeò amplum obſervavi, ut tria naturalis magnitudinis æquaret, ventriculis itidem ampliſſimis, cujus capſulæ ubique preſſius adhærebat, ſuperiori, ac lateribus partibus pleuræ etiam annexum; inferiori verò, diaphragmati, nec ſolùm membranoſæ ejuſdem parti, ſed ob ejus molem, carnoſæ quinetiam. Ex quibus conjicere non præter rationem fuit, præfatam gravem reſpirationem non aliunde ortum duxiſſe, quam à pulmonum & diaphragmatis compreſſione, quæ & cauſa fuit dolorum hypochondriorum, & potiſſimùm diſtentio ejuſdem. *Petr. de Marchettis in Obſervat. Medico-Chirurg. ſylloge.*

Aſthmatis perpetui, icteri, alvi ſiccæ & atrophiæ ſontica cauſa, per Anatomen.

Glandulas ſub cute miliares in cachecticis atque leucophlegmaticis redundante ſucco turgidiores nobis ob oculos poſuit, C. D. Imò glandulas illas in Matronâ quadragenariâ, atrophâ, exſuccâ, auriginoſâ, atque ſuſpirioſa reperit ad myriadas uſque pilorum mole atque duritie, ſub univerſâ cute, ubi integro biennio, digitis cute ductâ atque reductâ, mobiles atque ductiles erant.

Biennio illo exacto inter balnea & alia præſidia caſſa, ſuſpirium ceſſit in orthopnœam & apnoeam. Jecur detectum eſt mole enormi. Ejus enim acini in globulos excreverant tophaceos, tartareos atque calcarios, qui bilis ductus ita ſtringebant, ut bilis omnem in ἔκφυσιν effluxum interceperint, undè fæces raræ, ſicciſſimæ atque candicantes.

Pulmonum bronchia gangliis arctabantur, ſeu lupiis coriaceis, innumeris atque duriſſimis. Tot primùm dixit Præſes meus globulos eſſe nervoſos, ſed compactiſſimos omnes ac mirè lubricos. Attentiùs autem dum illis ſtuduit veterum profeſſus eſt eſſe tubercula cruda, quæ matureſcunt nunquam, ſed incubitu jugi atque compreſſu predurô, bronchia adeò anguſtant ut per ipſa eliſus aër aſthma perenne, nec periodicum, ingeneret. *E Theſibus Diſcipulorum Præclariſſimi Viri Dom. Caroli Drelincurtii.*

Tumor abdominis.

Dyſpnæa & ἀσφυξία recurrens.

Dominus de l'Ezcous, ordinum ductor, juvenis, vultu pigro, flaccido, decolori, fronte ſollicita, prominenti erat abdomine, cujus dimidiam partem ſiniſtrorſum occupabat tumor ingens à coſtis nothis ad pubim uſque protenſus, durus, æqualis, circumſcriptus. Languore ſolutus erat perpetuô. Moroſus. Difficilis. Suſpirioſus. Multo illi ſanguine identidem nares manabant, dolebantque è tumore hæmorrhoïdes. Incitatiori palpitatione anxium, languidum, attonitumque cor frequenter rigebat, ipſeque collapſus ἄσφυκτος, & ſemi animis, haud ſine negotio reviviſcebat. Curas & angorem animi comeſſationibus lenire ſtudens, largiore vino incaluit, abeunte Martio 1692. Dyſpnæa tunc gravior incubuit, cum febri rapida, ventris torminibus, vomitu, punctorio lateris dolore. Injecti clyſteres, phlebotomia bis adminiſtrata, hauſti potus refrigerantes, invalida præſidia. Elapſo quindecim horaram ſpatio, confuſus, delirans, pulſu carens, anxios & turbatos greſſus ferens, moriebatur.

Apertô abdomine omenti membranæ & glandulæ admodum tumuere. Lienis parenchyma belliſſimè conſtitutum. Verùm fuit ejus moles monſtroſa. Suſpenſus lance, quatuor cum ſemiſſe libras pependit. Majori adhuc mole ſeſe tulit jecur, vitioſus tantummodo gibbâ ſui parte, in qua parvi calculi latuere. In veſicula fellea contentus liquor nigricans, incumbentem ventriculum colore ſuo infecerat. A liene & hepate compreſſus ventriculus ſede ſua extrudebatur. In pectore ſiniſter pulmonis lobus hepatis inſtar compactus & ſolidus, extra livens, intùs nigro cruentoque tabo ſqualebat, dexter lobus, ſubſtantia molli, ſecundum naturam conſtitutâ gaudens, totuſque pleuræ cohærens, adacti olim in latus enſis veſtigium gerebat: extra etiam livens, interiora putri habens liquentia tabo. Dexter cordis ventriculus, concreto infarctus ſanguine, polypum vagum habebat, cujus diſcuſſo craſſamine, ſanguine ſcilicet conglobato, membrana illius fundamentum, ſphærica, tenax, pelluceſque patuit. *Ex communicatione Viri Clariſſ. Dom. Rivalier. Medici Nemauſenſis Celeberrimi Lauſannæ nunc degentis.*

RHA-

RHAGADES
Vid.
PAPILLARUM FISSURÆ.

RHEUMA.
Vid.
CATARRHUS.

RHEUMATISMUS.

Ρευματισμὸς ſpecialiter pro catarrho nonnunquam auditur, ſive humoris è capite decubitu; interdum generatim, ac juxtà vim etymi ſumitur pro materiæ undecunque ad quamvis partem appulſu; quâ ſignificatione congeſtioni opponitur, & tumores vel κατὰ ῥευματισμὸν ab humore advenâ, vel κατὰ συναθροισμὸν à materiâ indigenâ dicuntur generari.

Uſus verò obtinuit ut rheumatiſmi nomine, dolores erratici intelligantur externum corporis habitum occupantes, ab efferâ materiâ ultro citroque pervolitante. Quemadmodum populares morbi ſub eadem ſpecie plurimos homines peræque corripiunt, ſic in rheumatiſmo unius ſpeciei dolores, ceu privata quædam Epidemiâ, in plures hominis partes ſparſim graſſantur.

Hi dolores deſultorii ac humorum ὀργασμὸς ab Hippocrate celebratus in eo conveniunt, quod in utroque affectu errabundus humor quaſi laſciviat, more animalium quæ libidinis œſtro percita ſtare loco neſciunt: at in tribus diſcrepant. Primò quidem Hippocraticus humorum orgaſmus acutiſſimarum atque malignarum febrium comes eſt, ac licet hæ tempora ſua velociter percurrant; orgaſmus tamen rapidiore adhuc celeritate ſuum conficit curſum; furit ſiquidem per initia febrium; ſed iiſdem jam provectis conquieſcit: contrà verò rheumatiſmi non infrequenter ſunt ἀπύρετοι, vel ſaltem blandâ febre comitati, ac diutiſſimè ægrotantes exercent. Secundò rarò turgent humores; τὰ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ, inquit Hippocrates; rheumatica autem affectio haud inſolenter ſævit. Denique in orgaſmo impacati humores atque procelloſi penetralia corporis magis quàm ejus atria perambulant, ideoque juxtà Hippocratis præceptum, in ipſo ægrimoniæ principio, quamvis integra ſit cruditas, ipſos cathartico feſtinanter deturbari æquum eſt, ne impetuosè ruant in partem aliquam internam & principem. Rheumatiſmorum verò dolores corporis duntaxat pomœria obſident, nec penitiora ejus ſubeunt adyta; proindeque ſi alicui parti humor ſeſe affigere meditetur, hæc externa eſt atque ignobilis, nec idcircò materiæ inclinatio præcipitem ante pepaſmum purgationem extorquet.

Moventur vagæ illæ dolorum tempeſtates à biliosâ vel ſeroſâ colluvie, ex alto corporis in tertiam ejus regionem ablegatâ, cujus ἐρεθισμὸν cum ſingulæ partes ægrè tolerent, eam confeſtim à ſe amandant, unde humor horsùm vorsùm varie impellitur, nec ullibi locorum deſidet, ita ut non pauciora ſint ſupplicia quàm membra. Imò ſubitanei ac incerti ejuſmodi transfluxus cauſam agnoſcimus, non modò conatum naturæ, humoris γαργαλισμὸν impatienter ferentis; verùm quoque indolem ex ſe volubilem ipſiuſmet humoris, qui non ſolùm qualitate quâ naturam proritat, acerrimus eſt; ſed etiam ſubſtantiâ tenuiſſimus, & temperamento vel corruptione calidiſſimus; ideoque ſpontaneo & velut meretricio appetitu alias aliaſve partes πολυπλανῶς affectat, nova ſemper quærens hoſpitia: quæcunque enim calore excellunt, ſimulque conſtant exilitate partium, ſunt αὐτοκίνητα καὶ ἀεικίνητα, ut patet ſpirituum exemplo.

Quidam forte arbitrabuntur frequentem illam ac inordinatam dolorum παραλλαγὴν, minime pendêre ab unius ejuſdemque humoris actuarii atque ἐναγώγου huc & illuc deportatione; ſed vel materiæ propagationem ſubinde fieri, vel materiam in omnibus partibus eodem tempore contineri; atque in illis ſucceſſivam pati fermentationem: ſimiliter ac pruriginoſi, mox unius, mox alterius membri prurigine uruntur; non humore hinc inde traducto, ſed ſucco acri qui ſub universâ cute diſperſus eſt, modo hîc, modo illic fervente. Veruntamen ſi daretur in rheumatiſmo materiæ morbificæ non μετάστασις, ſed ἐπιγένεσις, recentes dolores priſtinis adjicerentur; at nullo pacto ſeſe invicem exciperent, nec uno dolore naſcente, alter actutùm deneſceretur: tam momentanea etiam atque fugax eorumdem humorum in eodem loco conſiſtentium nunc commotio, nunc quies vix poſſibilis eſt, ita ut erroneos dolores à divagante & quaſi omnivolâ materiâ oboriri longè probabiliùs videatur.

Materia rheumatiſmi duplex conſtituitur, bilis flava eaque ſubtiliſſima, ardens atque mordax, ſeu putrefacta, ſeu putredinis expers; & ſerum quod non eſt pura puta aqua, ſed phlegma, ut loquitur novitia pyrotechnicorum gens, ſale imprægnatum. Si itaque ſerum vel uberiore, vel acriore ſale aſperſum fuerit, dolores πλανητιάδας procreare aptum natum eſt: appoſiteque Ariſtoteles ichorem ita diſtinxit, ut alius generetur neceſſitate materiæ, alius verò gratiâ finis, quo tanquàm vehiculo per omne corpus ducitur ſanguis: ὁ μὲν ἐξ ἀνάγκης ἰχὼρ, ὁ δὲ αἵματος χάριν ἐστί: hîc per ſe mitior, ille ægrelior ac rheumatiſmorum parens, cujus quoque feritatem auget διάκρισις. Nam quemadmodum tertianarum intermittentium paroxyſmi crudelioribus ſtipantur ſymptomatis, quàm continuarum anadiploſes, quoniam illîc extravaſata ac ſincerior bilis & eſt ἀχάλινος totaque ſui juris, hîc vero bilis quæ in venis ſtabulatur, non eſt αὐτόνομος, ſed à commixto ſanguine χαλιναγωγεῖται; ſic in rheumatiſmo biliosi, ſeroſique humores exinde petulantiores evadunt, quod à proborum ſuccorum cœtu ſint ſecreti, nec ſanguinis commercio amplius contemperentur.

Si quis duabus hiſce cauſis pungentes vapores, flatuſque diſtendentes annumeret, ille profectò à veritate non aberrabit, cum in halituosâ ac flatulentâ materiâ, nullæ earum conditionum deſiderentur, quæ ad mobiles ac circumvagos dolores membris infligendos neceſſariæ ſunt.

Cæteri ſucci ut pituitoſi atque melancholici, utpote qualitate mites, ſubſtantiâ craſſi, ac temperie frigidi, & naturam minus percellunt, & pigriores ſunt quàm ut tam promptè currere &

tranſcurrere queant: ſanguis quoque partim quia viſcidior atque βραδύπορος, partim quia ἀκίντρος carens aculeo, inconſtantes ejuſmodi dolores nuſpiam ciet, niſi vel putredinis maleficio faceſſat in bilem, vel caloris colliquantis ope ſereſcat.

Cauſa rheumatiſmi, ulceroſæ laſſitudinis & rigoris, tametſi cognata ſit, adeo ut hi tres affectus perſæpe conſocientur; differt tamen quod ulceroſæ laſſitudinis materia immota perſtet, membris pertinaciter aſtricta; humor vero ῥιγοποιὸς circa particulam cui adhæret, agitetur quidem, ſed ſedem non mutet, neque inde aliò tranſmigret: hinc enim fit ut concutiantur partes ad objecti laceſſentis ac immorantis excuſſionem: quod non contingit in rheumatiſmo, cujus humores palantes, vel potiùs diſcurrentes acriter ſed non diu unamquamque partem fodicant.

Bilioſam ſeroſamque illam πλεονεξίαν cumulant hepar & lien, ſi præcalidâ æſtuent intemperie; ac ſicut hepar bilis ἐργαστήριον, ita lien ſeri μητρόπολις exiſtimari debet.

Viſcera hæcce nobilia, ut vegeta vis expultrix ad propriam tutelam ipſis naturaliter indita eſt; ſic degeneres ac noxios quos progenuerunt humores tanquam adulterinam ſobolem reſpuunt, eoſque propulſant in vaſa primùm majora, dehinc in minora, ac tandem in minima, è quibus in habitum corporis eructantur. Febris ardens fit, inquit Hippocrates, cum venulæ æſtivo tempore exareſactæ, acres & bilioſos ichoras ad ſe attraxerint. Origo atque genitura rheumatiſmi è diametro oppoſita eſt, ubi nempe venulæ acri & bilioſo ſero prægnantes, illud in corporis ambitum per quamdam veluti ναυσίωσιν evomunt. Itaque affinis eſt cauſi & rheumatiſmi materia; ſed in illo fertur humor foris intrò, in hoc intus foras movetur; illic venulæ exhauſtæ ſunt atque ſitibundæ, hic verò turgidæ atque ſaturatæ. Juvat humorum μετάληψιν partium ſuſcipientium imbecillitas; nam Oeconomia corporis Oligarchiæ jure comparatur, in qua Magnates plebeculam opprimunt, publicis oneribus in ipſam depoſitis. Nec tantùm κατ' ὦσιν humores eò truduntur; ſed καθ' ἕλξιν quoque raptantur à carnibus, ſive excalefactis, ſive dolentibus.

Favet huic morbo cæcorum cutis ſpiraculorum, ſeu obſtructorum, ſeu denſatorum anguſtia, obſtans τῇ ἀδήλῳ διαπνοῇ quam latentem disjectionem vocat alicubi Aurelianus: unde hyeme dolores μεταβλητικοὶ ſunt magis familiares, ac per noctem potiſſimùm invaleſcunt. Attamen vidimus, quod obiter dictum ſit, inveteratum rheumatiſmum in juvene robuſto ac per æſtatem ψυχρολουσίᾳ perſanatum; collecto per antiperiſtaſin intùs calore qui materiam morbificam vel mitificavit vel diſcuſſit, eo pacto quo liberalis frigidæ perfuſio tetano medetur apud Hippocratem.

Ex allatis planum eſt eos hallucinari qui hanc paſſionem catarrhis adſcribunt. Nam ſicut aqua è fluminis alveo in proximos campos exundans, pluvia dici non debet, quippe quam de cœlo cadere neceſſe ſit: Ita in corpore humano humorum è venarum rivis effuſio, catarrhi nomen non meretur, quod hujus materia ad imbris modum è capite neceſſariò depluat. Adde quod in universali catarrho membrorum dolores conſtantes permaneant, vel ſaltem ſuperne deorſum devolvantur; non ſint vero ἄζυγοι καὶ πεπλανημένοι, nec φορὰν habeant inferne ſurſum, aut è latere ad latus ſaliant.

Patientem locum dicebamus eſſe exteriorem corporis habitum, videlicet vel illud totius corporis integumentum quod panniculum carnoſum Anatomici vocitant; vel muſculos, ſive ſecundum eorum carnem, ſive ſecundum membranam unicuique muſculo peculiarem, aut etiam communem illam tunicam quæ omnem muſculorum turbam amicit, ne in motibus diſſiliant: nam authore Hippocrate, Interſtitia muſculorum ut ſpiritu plena ſunt in ſecundâ valetudine, ſic ichoribus in adverſâ.

Articuli præterea non rarò infeſtari ſolent rheumatiſmo arthritidem mentiente; diſtinguuntur tamen quod ille careat circuitu (quia nondum adepta eſt articulorum imbecillitas reducem faciens morbum) hæc vero periodice recurrat: deinde quod ille plures ſimul articulos, hæc unum fere articulum affligat. Rheumaticos articulorum dolores Hippocrates ὀδύνας vel πόνους τῶν ἄρθρων, aut περὶ τὰ ἄρθρα conſuevit appellare, interdumque addit ῥευματικῷ τρόπῳ, quo ſenſu eos qui in Aëno ex nimio ervi eſu ejuſmodi dolores genuum contraxerant, non ἀρθριτικοὺς vocat, ſed γουναλγέας: ita eunuchi, mulieres & pueri, in quibus podagræ ἀπορίαν ſive vacuitatem tribus aphoriſticis ſententiis raram eſſe voluit Hippocrates, à rheumatiſmo articulorum immunes non ſunt.

Porrò ſicuti dantur orgaſmi particulares, ac humore, verbi causâ, intra cranium tumultuante, mox cephalalgiæ, mox convulſiones, mox deliria per vices conſequuntur; horumque rurſùs magna exurgit diverſitas, prout materia, ut ita loquar Epidemica, varios cerebri tractus peragrat: Ita nec deſunt ſingulares rheumatiſmi aliquod membrum impetentes, intacto reliquo corpore. Non ita pridem vir ſplenicus quadraginta annos natus, rheumatiſmo brachii ſiniſtri κατ' ἴξιν affecti lienis laborabat; diri dolores, omnes alternatim particulas inter humerum & extremos digitos ſitas raptim, & quaſi petaurica jactatione percurrebant, itaut mulierculæ veneficium ſubeſſe ſuſpicarentur.

Rheumatiſmus per ſe ſatis innoteſcit: dolores pro materiæ qualitate modo leviores involant in exteriora membra, modo acutiores, itaut ægri à ſubjectis ſtragulis, & inſtratis veſtimentis non impune tangantur, ἐν στρώμασι καὶ ἱματίοισι ὀδυνώδεες (inquit Hippocrates.) Eo autem crebrior rariorve eſt dolorum alternatio, quò humor propter majorem minoremve tenuitatem, irrequietior aut tranquillior fuerit. Situm dolorum quod attinet, hi ſæpe ſæpius ſublimes ſunt, rarenter profundi atque ὀστεοκόποι, quoniam materia λεπτομερὴς perioſtio vix adhæreſcat; ſed corporis ſuperficiem appetit; pariter ac in febris tertianæ rigoribus oſſei cruciatus abſunt, qui in horroribus quartanariis ob materiæ in imo deliteſcentis παχυμερείαν ſæviſſime torquent. Crebri quandoque ac leviuſculi horrores fatigant, ſed ἀπυρέκτως, aut ſaltem febris quæ aſſectatur, tepida eſt, à ſimplici videlicet efferveſcentiâ ſeroſæ plenitudinis; eademque noctu recrudeſcit, quo tempore ichoroſis humoribus,

ob

ob ſymbolas ratione aquoſæ ſubſtantiæ cum nocte qualitates, datur perturbari. Quod ſi febris æſtuoſior emicet, hanc utique præter rheumatiſmi genium aliunde accedere indubitatum eſt: ſæpiuſcule autem per rheumatiſmos perfecta notatur integritas à febre, vel quod humor præfervidus ſit, ſed incorruptus; imputris enim humorum excrementitiorum φλόγωσις nullam febrem ſuccendit, ut liquet ex cholerico pathemate, maniâ ac hypochondriaſi, in quibus omnibus, ſicut in ira, calor augetur, ſed non πυρετώδως; vel quod licet humor computruerit, hic tamen à præcordiis procul ad circumferentiam corporis arceatur, naturâ legitimos ſuccos ad vitæ cuſtodiam intus aſſervante; unde ſanguis primis diebus corruptus detrahitur, ſed iteratâ multoties phlebotomiâ, tandem laudabilis effluit, aut ad ſummum ἀκριβῶς, id eſt orbatus roſulentâ ſua humiditate quæ è venoſo genere quaquaverſùm in carnes totâ ferme diffunditur; nam forte ea ſit ſeri copia, ut venas repleat, ſimulque in carnes reſtagnet. Quidquid ſit, febres putridæ in continuas ac interpolatas dirimuntur, quarum illæ in grandioribus vaſorum ſtipitibus, hæ in partibus alvinis focum ſuum habent: At nullarum minera poſita eſt in corporis habitu; ſic à laſſitudine phlegmonoſâ febris per ſe re nota eſt, licet omne muſculoſum, nervoſumque genus ἐπιφλόγισμα perpetiatur.

Rheumatici dolores ut ſede & nocturnâ exacerbatione, ita etiam contumaciâ, cruciamenta venerea æmulantur. Nam plurium menſium, imo etiam annorum ſpatia quandoque ſuperant, cùm ob partium nutritiarum firmatam intemperiem quæ perenni & continuatâ generatione materiam renovat, tùm quod vagabundâ ac diſſeminata materia coctiva non ſit; nam ut ait Hippocrates, ὅσα πεπαίνεσθαι δεῖ, καταπιλεῖσθαι δεῖ, quæ maturationem poſtulant, ea occludi convenit. Si effrænis humor poſt tot velificationes & circumlationes, in membro aliquo externo tandem ſiſtatur, ac è πεζομένῳ fiat στάσιμος & quaſi in volucris, illud in tumorem attollit, motu ſpoliat, doloreſque ſtabiles ei infert, prioribus tantò rebelliores quantò incuneata materia, volatilis minus eſt morigera. Notum eſt illud Hipp. ἐν τοῖσι παλιμβόλοισιν αἱ μεταβολαὶ ὠφελέουσιν. In morbis facile mutabilibus mutationes juvant. Lubricus eſt rheumatiſmi in arthritin tranſitus, præſertim ſi æger peccet in vitæ genere, & articularum tormento aliàs obnoxius vixerit; communis namque eſt utriuſque morbi materia, itaut nonnulli rheumatiſmum univerſalis arthritidis nomine donaverint. At internæ ac principales partes ab incurſu ſeditioſi humoris tutæ eſſe ſolent; ni tantâ ubertate circumfluat, ut vix ullum ſit membrum, vel externum vel internum quod oberrantis cacochymiæ ictus declinare valeat. Datur rheumatiſmus criticus naturâ ſub finem morborum ἀπόστασιν ſive ſeceſſionem humoris moliente non κατ' ἔκρουν, ob vires materiæ eliminandæ impares; ſed κατ' ἀπόθεσιν tanquam excretionis vicariam. Rheumatiſmus utiliter urinis, ſed commodiùs ſudoribus ſolvitur; quandoque etiam craſſior hujus materia in cutaneas turpitudines ut ſcabiem & phlyctænas egerminat. Tandem venæ ejectam materiam interdum reſorbent, fitque ἄμπωτις illius ſucci, cujus facta fuerat πλημμυρίς, ægrique vorſuram ſolvunt propter humoris παλινδρομίαν ad incava corporis ſpatia, quæ κοιλίας vocat Hippoc. in quibus vitæ præſidia locata ſunt. *Antonius Menjotius Diſſertationum Pathologicarum. Part. I.*

Nullo non tempore inceſſit Rheumatiſmus, maxime Autumno, & præ cæteris annis florentes & εἰς γόνυ χλωρόν. Hac ut plurimùm occaſione naſcitur; æger ſc. ſive exercitiò aliquo vehementiori, ſive aliò modo excalefactus, mox repentinum frigus admittit. A rigore atque horrore orditur tragædiam, quos ſtatim excipiunt calor, inquietudo, ſitis, & reliqua illa infælix ſymptomatum caterva, quibus ſtipantur febres. Elapsó die uno alteróve (eſt & ubi citiùs) æger atroci dolore, nunc in hoc, nunc in illo artu infeſtatur, in carpis, humeris, genubus præſertim; qui locum ſubinde mutans, viciſſim illos occupat, rubore quôdam & tumore in parte quam poſtremùm affecit, adhuc reſiduis. Primis aliquot diebus, Febris & Symptomata jam memorata rarò coincidunt: Febris autem ſenſim evaneſcit, manente dolore, quin & nonnunquam immaniùs ſæviente, materia ſc. Febrili in artus tranſlata; quòd ſatis arguit Febris ipſa ſæpiùs recrudeſcens ob materiam morbificam ab intempeſtivo Externorum uſu repercuſſam. Morbus hic quoties à Febre ſejungitur, Arthritis ſæpe audit; quamvis eſſentialiter ab illa diſtinguatur, prout cuivis facilè conſtabit, cui uterque morbus intimiùs fuerit perſpectus: unde forſan petenda eſt ratio, cur tam ſicco illum pede tranſiverint ſcriptores Medici: Niſi fortè arbitremur, hanc morbi ſpeciem ad reliquam malorum Iliada de novo acceſſiſſe. Ut ut ſe res habeat, jam plus ſatis graſſatur hic morbus; & licèt rariſſimè hominem è medio tollat, Febre ſemel depulsâ, tamen & vehementia doloris & diuturnitas eum prorſus contemni non ſinunt. Etenim ſi minùs peritè tractetur, non ad menſes tantùm, ſed annos etiam aliquot, imò per omnem adeò vitam miſerum haud infrequenter diſcruciat; quamvis in hoc caſu, non eodem ſemper vigore, ſed Paroxyſmis quibuſdam periodicè repetitis, ad inſtar Arthritidis, ſubinde laceſſit: imò verò poteſt fieri ut ubi diu multumq; vexaverint dicti dolores, tandem ſponte deſiſtant; atque interim æger omni membrorum motu ad mortem uſque privetur, digitorum articulis quaſi inverſis, & protuberantiis, ut in Arthritide, nodoſis in interna magis quàm externa digitorum parte ſe prodentibus: ſtomacho nihilominus valeat, & cætera ſanus vitam toleret.

Eſt & alia hujus morbi ſpecies, licèt non hujus eſſe proſapiæ vulgò credatur, quæ Lumbago Rheumatica aptiſſimè dicetur: immanis dolor ſc. idemque fixus circa lumborum regionem, ipſumque aliquando ad os ſacrum ſe demittens, Paroxyſmum Nephriticum mentitur; niſi quòd æger non vomituriat: nam præter dolorem atrociſſimum & vix ferendum circa ipſos renes, aliquando & ureteres per omnem eorum ductum ad veſicam uſque, eodem, licet mitiori, tentantur. Qui & mihi olim impoſuit, tanquam à materia aliqua ſabuloſa in iis partibus hærente penderet; cùm reverâ materiæ Rheumatiſmi peccanti & inflammatæ ortum ſuum debeat, quæ quidem partes illas jam ſolas urit, intacto reliquo corpore. Immanis hic dolor, niſi abiga-

etiam perdurat, pari ſævitiâ excrucians; adeò ut miſer nequeat procumbere, ſed vel è lecto exiliat, vel ſuper eodem erectus ſedeat, corpore interim perpetuâ agitatione, nunc verſus anteriora, nunc poſteriora inclinato, reductoque.

Curatio. Cùm utraque hæc morbi ſpecies ab inflammatione videatur oriri, quod tum jam dicta arguunt Phænomena, tum præſertim ſanguinis Venæ-ſectione educti color, utpote qui Pleuriticorum ſanguini tam eſt ſimilis quàm ovum ovo, neque quiſquam reperiatur, qui hos inflammatione laborare vel quidem dubitaverit; his, inquam, ita ſe habentibus, cenſeo ego, Curationem non aliunde quàm à Phlebotomia debere ſumi, ſanguine interim contemperato, ejuſque nimio fervore repreſſo, tum medicamentis refrigerantibus atque incraſſantibus, tum etiam conveniente regimine.

Ac proinde, ut primùm acceſſor, ſtatim ſanguinis ℥ x. è brachio lateris affecti mitti jubeo, & Julapium refrigerans incraſſanſque ad hanc ferè normam præſcribo.

℞. Aq. Nymph. Portulac. & Lactuc. an. ℥iv. Syr. è ſucco citri ℥ i ß. Syr. viol. ℥ j. M.F. Julap. de quo bibat ad libitum; vel etiam emulſionem in curatione morbi Lateralis jam deſcriptam. Ad dolorem ſedandum, Cataplaſma è mica Panis ſiliginei & lacte croco tincto, parti affectæ applicandum, & ſæpe renovandum curo. Diætam quod ſpectat, carnibus prorſus interdico, quin & eorum juſculo quantumlibet tenui limpidoque, quibus ſubſtituo juſcula Hordeacea Avenacea, Panatellam, &c. ejuſmodi. Cereviſiam tenuem mitemque pro potu tantùm concedo, vel etiam [quæ magis ad rem facit) Ptiſanam ex hordeo, rad. Liquirit. Acetoſæ, &c. in aqua fontan. incoctis. Volo interim, ut per aliquot horas ſingulis diebus lecto ſe abſtineat, cùm calor qui à jugi decubitu naſcitur, morbum promoveat intendatque.

Die ſequente ſanguinis tantundem detrahi præcipio; atque intercalato die uno alterove, pro ægri viribus, tertiò; dein interjecto trium quatuorve dierum intervallo (prout ægri vires, ætas, conſtitutio, aliæque circumſtantiæ ſuadent monentque) quartò, atque, ultimò ut plurimum, Venæ-ſectionem repeto: rarò enim uſu venit ut ultra quartam vicem venam incidamus, niſi vel regimen juſtò calidius præceſſerit, vel medicamina calidiora ægro præter neceſſitatem fuerint ingeſta. Quin & Anodyna ſive Pategorica dicta Remedia effuſiorem ſanguinis miſſionem poſtulant: Quamobrem, ut ut ſæviat dolor, per omnem hujus morbi decurſum religioſè mihi ab his temperandum exiſtimo, cùm illorum uſu figatur morbus, neque tam facilè Venæ-ſectioni cedat; quæ ideo ob hæc medicamenta officioſè nimis exhibita, ſæpius quàm erat opus, celebranda eſt. Quid quòd & in morbi ſtatu, neque eam quam titulò pollicentur, ἀναλγησίαν, valeant præſtare.

Interim dum prædicta remedia, Diætaque ſedulò uſurpantur, Enema è Lacte Saccharato ſubinde injici curo, diebus ſcilicet à Phlebotomia vacuis. Porrò ut hæc omnia ad dies minimùm octo ab ultima Venæ ſectione diligenter obſerventur, ſeriò hortor moneoque; quibus elapſis, Potionem Catharticam è Lenitivis præſcribo mane hauriendam, & inſequenti veſperi, doſin paulò liberaliorem Syr. de Meconio in aq. flor. Paralyſ. quo ſc. ſanguinis orgaſmus, unde & recidivæ periculum aliter intentari poterit, penitus reprimatur. Quibus ritè peractis, ut in priſtinum vitæ genus (quoad victum, exercitia, atque aërem) pedetentim ſe recipiat, lubens patior; ita tamen ut neque vinum neque liquorem ſpirituoſum quemlibet, neq; etiam cibos, ſive ſale, ſive aromatis conditos, ſive etiam ὀψοποιήματα quæcunque, niſi diu poſtea, deguſtare liceat.

Poſt venam, quoties ſupra innuimus, pertuſam, ægri dolores admodum imminuentur, neque tamen adhuc prorſus evaneſcent; at verò reſarcitâ, quam fecerat ſanguinis detractio, virium jacturâ, (ſuperveniente maximè proximo illo anni tempore, quod magis faciet ad redintegrandum corporis robur, quàm id quo primum decubuit æger (ſymptomata ad unum omnia certo certiùs ceſſabunt, atque æger pancraticè impoſterùm valebit.

Jam verò, tametſi prædictâ Methodo, aut aliâ huic ſimili tempeſtivè atque ſub ipſo morbi ingreſſu adhibitâ, eum, quem jam dixi, finem, ut plurimum ſortiatur; non rarò tamen accidit, ut ubi æger per errorem contrario plane modo fuerit tractatus, doloribus vagis, nunc quidem mitioribus, nunc verò atrocioribus, per omnem vitam miſerè diſcrucietur: qui quidem minùs cautis nullo negotio imponunt, & pro Scorbuti ſymptomatis vulgò habentur. Hic enim obiter, ſed & liberè tamen dicam, quòd licèt nullus dubitem quin Scorbutus in his Plagis Borealibus revera inveniatur, tamen eum morbum non tam frequentem, quàm fert vulgi opinio, occurrere, perſuaſum mihi habeo; multos autem ex iis Affectibus (ne plurimos dicam) quorum nomine Scorbutum incuſamus, vel morborum Fientium, nondum verò Factorum, quique nullum adhuc certum induerunt Typum, effecta eſſe; vel etiam infœlices reliquias morbi alicujus nondum penitus devicti, à quibus ſanguis cæterique humores contaminantur: Verbi gratiâ, quibus in corporibus materia aliqua Arthritidi producendæ apta recens generatur, nondum tamen in artus depluit, varia ſe oſtendent ſymptomata, quæ Scorbuti ſuſpicionem facient, donec Arthritis jam formata, atque actu ſe exerens, nullum amplius dubitandi locum relinquat. Neque ignoramus, non pauciora ſymptomata Scorbutum mentientia, Podagricos jam à Paroxyſmo liberatos infeſtare; dum ſcilicet vel intempeſtivus evacuantium uſus, vel ægri affecta ætas, vel alia aliqua cauſa, naturam interpellaverit, quò minus materiam omnem Arthriticam in artus exonerare valuerit: quæ adhuc retenta, cùm τὸ ἀντιπάθειον exiſtat, totam ſanguinis maſſam inquinat, & confertiſſimo peſſimorum ſymptomatum agmine hominem laceſſit. Quod quidem non de Arthritide tantùm, ſed & de Hydrope adhuc incipiente dictum volo: de quo morbo licèt vulgò jactetur, Ubi deſinit Scorbutus ibi incipit Hydrops; hæc tamen regula ſæpe ſæpiùs non aliter eſt accipienda, quàm quòd, ubi primùm ſe Hydrops manifeſtis prodit indiciis, præconcepta de Scorbuto opinio ſtatim collabaſcit. Poteſt & idem hoc affirmari de quàm plurimis aliis morbis Chronicis, vel adhuc in corpore humano naſcentibus, quique proinde nondum certum aliquem ſibi cuderunt typum;

vel

vel etiam de illis, qui, licet partim fugati ſint, nondum tamen penitus debellati exterminatique videntur. Et ſane niſi hoc concedamus, Scorbuti nomen, uti hodie fit, in immenſum creſcet, & omnem fere morborum numerum abſolvet. Cùm, ſi id ſedulo agamus ut abdita cujuſque morbi penetralia perſcrutemur, eumque poſt irregularium ſymptomatum vela latentem eruamus, ſua ſe mox ſpecie ſit proditurus, & ad illam ad quam attinet familiam haud difficulter relegandus. Quia & methodus quâ hujuſcemodi morbi ſunt abigendi, non adulterinis illis ſymptomatis, ſed ipſi morbo, qualiſnam is demum fuerit, ceu perfecte formato, jamque actu exiſtenti accommodanda.

Sed hic notandum, non adeò conſultum eſſe, quando Rheumatiſmus aliquot annorum diuturnitate altas radices egit, ſanguinem tam brevibus, ac ſub ejuſdem primordiis fiebat, intervallis mittere; quin præſtare, ſeptimanarum aliquot intercapedine repetitas illas venæſectiones diſterminare; quæ tandem vel penitus materiam morbificam averruncabunt, vel ſaltem eo conducent, ut fontanellâ incruento alterutrô excitatâ, & ſpiritu quôvis volatili in vinô Canarinô mane & ſero exhibito, reliquiæ ejus extirpantur.

Jam verò quantumcunque diſcriminis inter verum Rheumatiſmum, ut ſuprà innui, & Scorbutum intercedat, aliam tamen ſpeciem eſſe Rheumatiſmi quæ ad Scorbutum quam proximè accedit, omnino contendum eſt, ut pote quæ in ſigniora hujus morbi ſymptomata æmulatur, & pariter eadem fermè remedia ſibi vindicat, ideoque mihi Rheumatiſmus Scorbuticus audit. Dolor nunc hanc, nunc illam partem obſidet, ſed eandem in tumorem, ac in aliâ ſpecie, rarò attollit, neque febrim ſibi comitim adjungit. Inſuper non adeò fixus manet, ſed indolem magis vagam & incertam refert, cum anomalis inconditiſque ſymptomatis ſtipatus. Nunc hunc vel illum artum diſcruciat, mox internas ſolùm partes afficit, proindeque ægritudinem parit, quæ redeunte externarum partium dolore, iterum ſe proripit; ita ægrum alternatim divexans, ac in diuturnitatem longam ſe protrahens, ad inſtar morborum qui vel maximè Chronici habentur. Fœminas præ reliquis adoritur, ut & viros qui imbecilliori natura ſunt; adeoque ad affectuum hyſtericorum claſſem referri debere planè ſuſpicarer, niſi quod iteratâ experientiâ comprobaſſem eum remediis hyſtericis minimè cedere. Illi etiam qui longum & repetitum corticis Peruviani uſum experti ſunt huic malo ſunt obnoxii; quod quidem (ut obiter id attingam) unicum eſt incommodum quod ex hoc remedio illatum novi unquam. Sed ut ut id ſit, hic affectus, ſive ex hâc occaſione, ſive ex aliâ quâcunque causâ originem duxit, quàm facillimè debellatur vinciturque uſu ſequentium, quæ niſi privato commodo publicum prætuliſſem prorſus mihi reticenda eſſent. Etenim his ſolis quàm multos, eô quô deſcripſimus modò laborantes, ſanavi, quibus venæſectiones, quantumlibet repetitæ, cathartica, diæta lactea, pulveres teſtacei, &c. ne hilum profecerunt. Atq; hæc ſunt,

♃. Conſerv. cochlear. hortenſis rec. ℥ij. luJulæ ℥ j. pulveris ari compoſ. ʒvi. cum ſ. q. ſyr. aurantiorum f. electuarium. Capiat ʒ ij. ter in die per menſem integrum, ſuperbibendo aq. ſequentis ℥ iij.

♃. Cochlear. hortenſ. M. viii. beccabungæ, naſturtii aquat. ſalviæ, menthæ an. m. iv. cortic. aurant. num. vi. nucis moſchat. contuſ. ℥ß. Infundantur in cerevisiæ Brunſvicenſis ℔ xiv. ac deſtillentur organis communibus, & eliciantur tantummodo aq. ℔ vi. pro uſu. Atque præciſa doſis pulveris ari compoſ. obſervetur, aut altem eadem non minuatur. *Thomas Sydenham de morborum acutorum hiſtoriâ & curatione.*

RHYAS

Vid.
OCVLORVM MORBI.

RIGOR

Vid.
CONVVLSIO

RISVS SARDONIVS.

Vid.
CONVVLSIO.

Finis Libri Decimi quinti.

BIBLIOTHECÆ

MEDICO-PRACTICÆ

LIBER DECIMUS SEXTUS.

De Morbis à Litera S incipientibus.

SAHAFATI.
Vid.
CRVSTA LACTEA.

SANGVINIS FLVXVS.
Vid.
HÆMORRHAGIA.

SANGVINIS SPVTVM.
Vid.
HÆMOPTISIS.

SARCOCELE.
Vid.
HERNIA.

SATIRIASIS
Vid.
PRIAPISMVS.

SCABIES,
Vid.
CVTIS VITIA.

SARCOMA.
Vid.
CANCER

SCABRITIES VNGVIVM.
Vid.
VNGVIUM VITIA.

SCIRRHUS.

SCirrhus, Græcis & Latinis ita dictus, Arabibus Sephiros, hoc eſt Lapidoſum Apoſtema, aliis durus tumor vocatur. Eſtque Tumor durus, renitens, doloris expers cum ſenſu exiguo, aut prorſus nullo, ex craſſo, viſcido, lento, & auſtero humore genitus.

II. Hunc autem Tumorem ab humore melancholico, aut pituitoſo, aut ſimul ab utroque originem habere, non ſine ratione cenſuerunt Veteres. Humorem namque Auſterum, ſanguinem facilè in aliqua parte fundentem, ſimulque lympam vehementer coagulantem, Præcipuam exiſtimamus Scirrhi Cauſam.

III. Auſterum, hoc eſt, Acidum potentius ac validius nos accuſamus, ſive in Cruoris maſſa genitum, & ad partem aliquam propulſum, in eaque collectum & concretum, ſive relictum ex alio Tumore nimis tardè, negligenter, vel malè Curato, quapropter facile in magis Auſterum deſinere poteſt Scirrhus, ac in Cancrum degenerare, qui tandem ob ſummam & pertinacem Auſteritatem vim Corroſivam nactus exulceratur, atque incurabilis redditur.

IV. Igitur Scirrhus aliquando eſt Primarius fitque à principio, nullo præternaturali Tumore præcedente; quum Nimirum Humor ille Auſterus, Sanguinem fundens, Lymphamq; coagulans, in Aliqua Parte congeritur, minimiſque ejuſdem meatibus inhærens Tumorem hunc excitat. Congeritur autem Humor Craſſus, Viſcidus, Auſterus in Partibus, vel propter Malam Victus Rationem, vel ab Hepatis, Lienis, aliuſve Viſceris Dyſcraſiam, vel ob Hæmorrhoidum aut Menſium Suppreſſionem, adjuncta Partis Affectæ imbecillitate, qua vitioſi hujuſmodi humores in Sanguine redundantes facilè ſuſcipiuntur.

V. Sed nonnunquam Symptomaticus eſt Scirrhus; viz. qui Malæ Phlegmonis, Eryſipelatis, aliorumve Tumorum Curationi ſuccedit, uti non rarò fit Chirurgi imperitiâ, quod præter modum uſus fuerit Narcoticis, aut nimium Refrigerantibus, vel immodicè Reſolventibus, quibus tenuiores humorum particulæ diſcutiuntur, ſolis craſſioribus viſcidioribuſque remanentibus, atque in Parte induratis.

VI. Haud ineptè ergò Scirrhus dividitur 1. In Primarium, Verum, Exquiſitum, & Symptomaticum, Illegitimum, Spurium; qui magis propriè Tumor Scirrhoſus nominatur. 2. In Purum & Impurum; qui fit, quum humori viſcido, craſſo, auſtero, Scirrhum facienti admiſceatur alius humor, unde Scirrhus dicitur Phlegmonodes, Oedematodes, Eryſipelatodes.

VII. Diſtinguitur porrò Scirrhus ab aliis Tumoribus hiſce Signis. A Phlegmone, dolore. Ab Eryſipelate, duritie & calore. Ab Oedemate, tactus renitentiâ. A tumoribus Aquoſis & Flatuoſis, quod hi percuſſi ſonitum edant,

edant, Scirrhus verò minimè. A Struma, Ganglio, Lupia, aliiſque folliculis incluſis Tumoribus, ſua immobilitate. Denique à Cancro, quod in Cancro dolor adſit pungitivus, Scirrhus autem dolore caret; dein Cancer citius augetur Scirrho, quia Materia ejus eſt magis mobilis.

Atqui deprehenditur Scirrhus ex duritie ſumma, immobilitate, omniſque doloris abſentia. Et hujuſmodi Scirrhoſi Tumores non tantum in partib. conſtituunt externis, ſed internis quoque, ut in Hepate, Liene, Pancreate, Utero, aliiſve.

VIII. Cæterum Exquiſiti Scirrhi nullam admittunt Curationem, atque Remediis quandoque ita efferuntur, ut in Cancrum tranſmutentur. Verum Scirrhoſi Tumores, in quibus aliquis, etſi valde obſcurus, ſupereſt Senſus, aliquando licet admodum difficulter, Curationem ſuſcipiunt. Sed lividi coloris Scirrhus valdè periculoſus eſt, & ſæpius in Cancrum degenerat.

IX. In Curatione haud neglecta legitima rerum nonnaturalium diſpenſatione, uſurpatiſque humores craſſos, viſcidos, auſteros Præparantibus ac Expurgantibus Remediis, applicentur leviter Emollientia, Attenuántia, Incidentia, Reſolventia. Fugiantur tamen nimis vehementer Emollientia, ne Tumor in Ulcus Cancroſum abeat. Vid. Fabrit. Hildan, Cent. 1. Obſ. 89. Immodicè quoque Diſcutientia caveantur, ne craſſiore tantum humoris ſubſtantia remanente, diſcuſſa tenuiore, Tumor reddatur incurabilis. Validioribus namque adhibitis Digerentibus, primis diebus Cura procedere videtur: ſed quod remanet, id inſanabile omninò evadit, quod reſoluto tenuiore, craſſum reſtitet lapidoſum. Leviter igitur Emollientia, & Reſolventia, nec non Auſterum Humòrem Mitigantia Tumori applicentur, quale eſt Emplaſtrum de Ranis cum aut ſine Mercurio. Idem efficiunt Gummi in Aceto ſoluta, quæ emolliunt ſimul, & reſolvunt. Vel

♃. Gummi Ammoniaci, Galbani, Sagapœni in Aceto ſolut. Styracis liquidæ an. ʒiß. Empl. de Meliloto, de Mucilaginibus an. ʒij. M. F. S.A. Emplaſtrum. Barbette commendat Emplaſtrum, & Cataplaſma.

♃. Gummi Galbani. Ammoniaci, Opoponacis in Acet. Sol. an. ℥j. Flor. Sulphuris, Myrrhæ rubræ an. ℥ß. Camphoræ ʒ j. Olei lilior. albor. Axung. Anatis an. ʒvi. Ceræ q.ſ. M.F.S. A. Empl.

♃. Rad. Althææ rec. ℥iij. Iridis ℥j. fol. Braſſicæ, Parietariæ, Malvæ, flor. Camomillæ, Meliloti an. Mj. Seminis Lini ℥ij. Coctis in aqu. Pura ad mollitiem, & minutim contuſis, adde Stercoris Caballini rec. ℥ij. Cæparum coctarum ℥ ß. Axungiæ Porci, Olei Chamæmelini an. ℥ j. M. F. S.A. Cataplaſma.

X. Sed priuſquam admoveatur Emplaſtrum vel Cataplaſma, Nonnulli Scirrhum foveri volunt Decocto aliquo Emolliente. Alii deſiderant Suffitum ex Aceto forti & Spiritu Vini ſuper lapidem molarem, pyritem, aut laterem candentem effuſis: ſic namque viſcidum craſſumque humorem incidi, attenuari, & reſolvi cenſent. Mox per intervalla repeti volunt Emollientia, hiſque ſuccedant Reſolventia ad reliquam portionem, quæ ſimul evacuari non potuit, abſumendam; Atque ſic Cercilii Filio Scirrhum ſanavit Galenus. Verumenimverò etſi Acetum craſſos humores diſſolvat, exſiccetque, quoniam equidem Auſterum, hoc eſt, Acidum Potentius & Validius hic peccat, videtur mihi frequentem nimis Aceti uſum hunc affectum augere poſſe; adeoque uſus ejus ut mediocris ſit, neceſſe eſt, id quoque monente Fabritio Hildano Cent. 6. obſerv. 75.

XI. Itaque inter Remedia Scirrho Imponenda præſtant leviter Emollientia, & Reſolventia, nec non Auſterum humorem Mitigantia, ita tamen ut toto Curationis decurſu conjungantur, modo unius, modo alterius quantitatem augendo. Suppurantibus verò nunquam utendum, quoniam quæ Exulcerationem, vel etiam minimam Tumoris Excoriationem promovent, facilè Tumorem Scirrhoſum in Ulcus Malignum & Cancroſum degenerare faciunt.

XII. Sunt qui Exſciſſionem vel Inuſtionem tentant, ſed nimis audacter, niſi proprio contineatur folliculo, tuncque Scirrhi nomen talis Tumor minimè meretur. At quam periculoſa ſit Scirrhoſi Tumoris Exſciſſio docet Fabritius Hildanus Cent. 3. obſer. 82. exemplo cujuſdam, qui, cum ipſi excidendus eſſet Tumor Scirrhoſus ex interna Femoris parte, inter operandum Animam Deo reddidit. Inſuper docet idem Cent. 2. obſer. 80. quomodo incipiens Mammarum Scirrhus ex lacte coagulato fuerit ſanatus. Et Cent. 3. obſ. 79. Scirrhi graviſſimi in Carpo Curationem tradit. Quemadmodum Cent 2. obſ. 49. Scirrhi Lienis compendioſam deſcribit curationem. *Joh. Munnickſ in Chir. ad hodiernam Praxin adornatâ.*

SCORBUTUS.

PRoximo Lui Venereæ loco Scorbutus reponi poteſt & propter morbi novitatem, & quod illi tot tantiſque ſignis communibus, valdè affinis ſit; imò unum ab altero dignoſcere, niſi admodum exercitato medico, haud ita facile eſt. Etenim Scorbuto ſui quoq; dolores ſub noctem graviùs infeſtantes; item ſui tumores duri; ſuaq; Ulcera exedentia, puſtulæque & maculæ, ſuæque pedum punctiones, & crurum lancinationes ſunt: Veruntamen Scorbuto etiam peculiaria ſymptomata ſunt, in Lue Venerea minimè notanda; nimirùm Gingivarum tumor, mollities & fœtor; in toto ore, cruribus, aliiſque corporis partibus purpureæ maculæ verè violaceæ; ventris tormina; præcordiorum gravitas moleſtiſſimuſque anhelitus, ſæpiùs ad delibuium; crurum debilitas & mira laſſitudo. Dyſenteriam, Febres erraticas, intermittentes cujuſcunque Typi, peſtilentiales, Pleuritin, Dolorem Iſchiadicum, Arthritidem, Paralyſin, Hydropen, Atrophiā Scorbuticam, aliaq; infinita ſymptomata taceo, quæ primâ facie alios, atque alios morbos mentiuntur; ſumma tamen induſtria & admirabili ſagacitate ab Eugaleno primùm, ſuperioris ſeculi medico docto, hæc morborum ſimulachra à ſuis archetypis penitùs diſcernere & diſtinguere docemur. Illud quidem non ignoro, apud Plinium ſtomachaces, & ſcelotyrbes cujuſdam mentionem fieri, quo Milites Romani olim in Belgiæ maritimis ſubitò correpti ſunt; unum eundemque morbum cum Scorbuto hodierno fuiſſe, vero non admodum diſſimile eſt: tamen à veteribus medicis prorsùs neglectus eſt, neque apud eos ullibi, certè de induſtria ſcriptus, ut tantus morbus meruit, occurrit; quòd loci alicujus remoti & tunc temporis parum noti, tantùm indigena fuit. Superiore autem ſeculo exeunte, ut diximus, Eugalenus multùm de Rep. literaria meruit, quod

hunc primùm morbum accuratè deſcripſerit. At hic Morbus jam diu quaſi lateſcens inter haud ignobilem gentem Haudriæ Populum, ex aſſidua & aucta navigatione apud Indos novas vires acquiſivit, ut maris ipſius morbus proprius & peculiaris pleriſque jam audiat, verè morbus nauticus, & omni populo longis itineribus naviganti, cujuslibet terræ Europæ ii fuerint, communis, ſive ea Navigatio calidis, frigidive regionibus fiat: modò nimius iis labor, & victus præter rationem ſalſus & craſſus tantùm præbeatur.

Hujus autem cauſa efficiens victus ſalſus eſt, ex. gr. Salſamenta e marinis piſcibus vel muriâ conditis, vel per ſe ſiccatis, item caſeus (omnis in Salem caſeus ſeneſcit; id eſt, urinoſum ſepticumque; Plin. lib. 11. cap. 42.) vetus & ſalſus; atque id genus alia victûs genera. Identidem potio quælibet ſalſa in hoc cenſu eſt; ut cereviſiæ ex aqua ſubſalſa coctæ, vel quibus ſal aut calx viva adjecta eſt: quæ peſſimæ conſuetudines, in coquendis cereviſiis non lupulatis, ferè per totam Angliam jam obtinuerunt; ſiquidem inde cereviſiarii multùm lucrantur, quòd ita Potiones hordeaceæ confectæ, & ſubitò claræ fiunt, & ab acrimonia diu ſervantur. At ſanitati noſtræ interim infeſtiſſimæ ſunt. His adde ipſum marinum aërem verè ſalſum, quod ſalſæ pluviæ, calidis maximè regionibus, (ex fide navigantium) ſatis teſtantur.

At quomodo, inquies, id fieri poteſt; ut ex ſale condimentorum antiquiſſimo, & in auxilium ſtomachi concoquentis apto nato, peſſimum morbi genus oriatur; huc accedunt ſalis eximiæ virtutes; nimirùm à putredine vindicat, pruritus ſedat, Lichenas, Lepras, Pſoraſq; medetur; contra omnigenûm ferarum morſus optimè facit; adverſus Opium & Fungos præclarum antidotum; ad Hydropicorum tumores diſſipandos: item abſtergit, extenuat, &c. & infinita alia, authore Dioſcoride, Hæc quidem contra nos maximè facere videntur. Reſpondeo; crudum ſalem his uſibus veteres non adhibuiſſe, ſed uſtum, ex eodem Dioſcoride, conſtat; ſcilicet uſtum, ſemelque lotum, atque ſiccatum. Quòd nobis innuere videtur aliquid mali ab ejus cruditate illos metuiſſe. Deinde, ex ſalis modico uſu quotidiano hoc malum non naſci ſolere, orbis terrarum populi univerſi conſuetudo magno argumẽto eſt. Itaq; ab ejus exceſſu tanta vitia gigni, credibile eſt; eamque rem ſic paucis expediam.

A nimio ſale ſtomachus & inteſtina primùm vitiantur, ejus filamenta exedi, totumque ventriculum tenuiorem reddi, inflammariq; quemadmodum ab aliquo alio medicamento ſeptico copioſè & aſſiduè in victum quotidianum dato, tandem evenire, neceſſe eſt. Huic autem rei fidem faciunt inanis vomendi cupiditas, præcordiorum, etiam jejuno, mira gravitas & diſtentionis ſenſus, cum moleſtiſſimo anhelitu, non ſine animi defectione & ſubitâ interdum morte; imò hic & alibi cardialgia ſubito deliquio exanimare ſolet. Inflammatione autem ſemel vitiato ſtomacho chylus crudus confici ſolet; quòd is ne cibi quidem pondus diu pati poteſt: maximè cùm ab eodem cibo ſalſo potionéve continuò irritetur. Itaque crudus chylus feſtinanter in inteſtina deducitur, lacteiſque receptus, vi cordis arteriarumque elaſtica, habitum corporis permeat; at cùm crudus & ſupra modum ſalſus chylus in Lymphæ ductus ſeparatur, eos maximè vellicat, inflammat, corrodit; unde vaſorum tenerrimorum & anguſtiorum adſtrictio mirifica, & ad circuitum Lymphæ ineptitudo. His itaque ſalefactatis, ſalſus, & lentus, & craſſus chylus in venis ſanguiferis deinceps, ex magna parte, circulatur; arteriaſque adeo ob nimiam lympham multùm diſtendi earumque pulſum impediri, neceſſe eſt: Pulſum autem laborare conſtat, cùm illo morbo pulſus celer, parvus, inæqualis inter præcipua indicia pathognomonica numeretur. Ab ejuſmodi autem pulſu ſanguinem crudum, lentum, craſſum, ſalſumque tardè, ægrè in orbem moveri neceſſe eſt, a motu vero ſanguinis lento & inæquali, cum, maxime vaſis capillaribus, ipſiſque excretoriis ductibus ob pulſus impotentiam ac languorem, coaleſcere & ſtagnare aptum eſſe. Hinc Symptomatum facilis explicatio: nimirùm maculæ purpureæ, ut in ſuggilationibus, & in omni vulnere contuſo latè circumcirca fieri à ſanguine coagulato novimus: item hinc proveniunt Tumores, & Hydropis Scorbutici ratio manifeſta eſt; ſcilicet à chylo ſalſo & crudo minimè circuire apto; & in hujuſmodi Hydrope tumor durior & magis renitens eſſe ſolet, utpote à majore vaſorum inflammatione. Item Arthritidis vagæ ratio apparet a ſalſedine ſanguinis ægrè moti, & hic & illic membraneis ductibus reſtibilis ac corrumpentis. Item laſſitudinum cauſſa intelligitur membrorumque diſtentio ab arteriarum nimia plenitudine. Item torpedinis, nervorum reſolutionis & contractionis; nimirum à lympha ſalſa nervis impacta & adplicita, & à nutritionis paucitate & defectu: nutritionis ſanè ratio, etiamſi conſiſtere videatur in perpetua arteriarum plenitudine; niſi tamen ſanguis debitè per corporis habitum, neutro venarum genere obſtructo, circumferatur, ductibuſque univerſis excretoriis perperam ventiletur, accretio corporis infida erit & ſimulata; vitiumque, non vigor (qui nutritionis tamen præcipuus effectus & ſumma utilitas) à corrumpentibus humoribus expectandus eſt. Item dolores acuti ſub noctem maximè infeſtantes, ut in lecto ne horæ quadrantem manere poſſint, quòd a lecti calore ſalſus & concreſcens ſanguis paulatim fuſus liquatuſque celeriùs per lymphæ ductus torpentes moveri ſolet; quemadmodum in digitis nive frigefactis; quò incaleſcunt, eò acerbiſſimo dolore punctorio afficiuntur. Ultimò Atrophia explicatur cùm Lympha à nimia ſalſedine vitiatur, & qui mitiſſimus humor eſſe debet, fit ſupra modum ſalſus, craſſus, crudus, lentus, nutritionique adeò minimè aptus; id eſt, qui commodè & æquabili quodam tenore per omnes venas circumferri, perque vaſa excretoria à ſuperfluitatibus continuè expurgari non poſſit. Hujus autem rei illuſtre exemplum in infantibus lacteſcentibus videmus; ubi lac à Nutricis conceptione fit ſalſum & Urinam ſalſam plenè redolet ſapitq; quo lacte paucis ſeptimanis nutriti infantes, toto corporis habitu ſic vitiantur, ut tabes illa vix totâ vitâ delenda ſit; imò infiniti atrophiâ pereunt, aut ſcrophulis aliiſve malis inde ortis conficiuntur. Huic autem infortunio (ut id hic obiter notem) non aliud remedium æquè bonum unquàm expertus ſum, ac lac novum ex aliâ nutrice ſanâ.

Quod autem Gingivæ intumeſcere, & cruentari, vel levi de cauſa, & putreſcere ſolent, (id quod nautis, præcipuè in longâ & moleſtâ navigatione, indicium eſt futuri Scorbuti) ratio

eſt, lympham ſalſam & lentam à ſanguinis craſſamento ægrè ſeparari poſſe & propter vitiatos lymphæ ductus, ad ductus ſalivales excretorios propellitur ab arteriis; ubi in ſalivam lentam, ſalſamque conficitur; non admodum adeò effundi aptam; Gingiviſque itaque impacta, vaſis excretoriis ſubſiſtit, ampliuſque ibidem corrupta, eas tumefacit: imò hæmorrhagiis funeſtis ſubitò Scorbuticos corripi, propter vehementem hujus ſalſi humoris ſanguinem colliquatum ex putredine appulſum ad caput in exemplis noſtris infrà videbitur: cujus quidem ſymptomatis in hoc morbo ipſe primus, quòd ſcio, author ſum.

Hinc liquet inſuper, cur Hydrargyrus in hoc morbo curando [Hartmanni monitu, alias plurimùm addicti chymicis remediis) nihil prodeſt; cùm & lymphæ ductus ampliùs infirmet, & à ſalſa ſupra modum lympha ipſe tandem vitietur; cùm ſal urinoſus vim & efficaciam ſalium acidorum deſtruat; & quòd hîc lympha craſſior & lentior eſt, quàm quæ ſalivæ ductibus effundi poſſet.

At de ſalſedine ſanguinis aliqui meritò dubitant, cùm cibum ſalſum comedentium ſanguis minimè muriaticus eſt, nec ex analyſi ſpagirica ſal marinus in eo ad pauca grana inveniri poteſt. Reſpondeo; ſani quidem, & ſalſamenta multùm comedentes, herbis tamen fructibuſque ſimul victitare ſolent, qui ſalis naturam alterent, diluantque. Deinde ſalem culinarium concoctione quidem domari, & mitem reddi poſſe, in alium ſalem, urinoſum putà, certè à ſanis, manifeſtum eſt; quòd nullum alium ſalem toto uſpiam corpore reperire licet. Rurſus; de nautarum ſanguine omnium graviſſimè Scorbuto affectorum, nemo, quòd ſcio, quatenus iſte muriaticus ſit, adhuc experimentum fecerit. At nobis abundè ſufficit, ſi hujuſmodi ſalis copia in habitu corporis reſtiterit; cum ſal urinoſus, crudus & imperfectè coctus eoſdem effectus, è putredine ortos, perpetrare potis eſt.

Exemplum unum vel alterum ponam, quibus ſales integros poſſe per habitum corporis transferri, ibidemque morulas facere clarè evincitur. Cui jam Gonorrhæâ graviter affecto, ad ʒj. ſalis prunellæ ex Terebinth. in bolo exhibui; poſt aliquot horas alvus ei mota eſt, & ſub noctem, fortè cum hominem viſitavi, intolerabili dolore meiendo cruciatus, matulam mihi monſtravit, quâ nuper minxit; ubi ſale micante ſaturatam urinam vidi; imò aliquot guttas urinæ albicantis, in marmora ante focum poſita, ſtillavit; quæ, ut curioſè eas examinaverim, meræ ſalinæ, & in cryſtallos aculeatas ſuo more concretæ fuerunt. Idem tamen phænomenon ab eodem medicamento aliquoties exhibito, prout ſanitatem recuperavit, ex toto deſiit.

His adde; in iis, qui ſe aquis medicatis noſtris, maximè ſalſis, Epſomenſibus puta, aliiſve ejuſdem farinæ, ingurgitant, eorum urina ſalis calcarii particulis tàm repletur, ut, ſi vitrum, eâ urinâ plenum, inter oculum tuum & ſolem teneas, illarum infinitam micationem admiraberis. Imò ſi multùm & diutiùs bibant, ad aliquot menſes illis ſalinis particulis, (ut ex urina diligenter inſpecta liquido tibi conſtabit) non ex toto corpus vacabit.

Hactenus de Scorbuti causâ, ejuſque accidentibus, diximus; hujus autem morbi aliquot e multis exempla, pro more noſtro, ex adverſariis tranſcribam, ut medicamentorum ſpecificorum rationem exponam.

Ægrotus I. Juvenis quidam robuſtus, miles, è caſtris tranſmarinis rediens, dolore per omnia membra vehementer affectus eſt; item ferè aſſiduo vomitu & diarrhæa; huic etiam maculæ quædam rubentes per totum corpus eruperunt; Sanguinem è brachio mitti juſſi: is autem refrigeratus cute craſsâ ex fuſco flaveſcente obductus eſt; urinæ paucæ, craſſæ & rubræ. Hunc ſic curavi,

(℞. Vini albi Gallici ℔ ß. Sem. Anethi ℥ j. fœniculi dulcis ℥ ij. Gingiberis raſi ℥ß. ad duodecim horas vaſe diligenter clauſo leniter coquatur.) Hujus medicamenti ℥ ij. ter minimùm quotidie quantum calidè id ferre potuit; propinavimus. Convaluit.

Ægrotus II. Vir quidam, obeſus, ab aliquot menſibus, neſcio quo languore & horrore, quotidiè recurrente, affectus eſt; item huic gravis in lumbis capiteque dolor; matutini ſudores valdè frigidi; Tuſſis; ſpiritûs difficultas; nulla ciborum appetentia; lingua non arida, tamen ſiticuloſus; decumbendi in lecto aſſidua cupiditas; pulſus parvus & debilis; urina admodum bilioſa: huic ſuccos Naſturtii & Cochleariæ ex vino rubro propinavi: & quamvis aliquoties inhorruit, tamen & urina pallida & ſudores paulò tepidiores; item ſpiritus multò facilior. Balſamum Martis ad grana x. ad tuſſim & ſpiritum difficilem nocte dormituro dedi, cujus uſu, etiam ipſo ſudoris tempore, meliùs dormivit; quod aliàs ante, ob pectoris neſcio quam anguſtiam, nunquam facere potuit. In his remediis ad decem dies & ampliùs perſeveravit, horrores ſudoreſque omninò deſierunt; mirificè convaluit præter neceſſariorum expectationem.

Paralyſis ex Scorbuto.

Ægrotus III. Quinquagenarius, obeſus, (Tithmarsh) media hyeme primùm fit anheloſus, deque neſcio quâ ægritudine circa ſtomachum valdè queſtus eſt; mox brachiorum & crurum quaſi paralyſis & languor ægrum corripuit; hæc autem mala excepit gravis & aſſiduus crurum dolor, dies noctéſque hominem crucians, ſomnumque ei prorſus adimens. Poſt quatuordecim verò dies in utroque crure maculæ infinitæ purpureæ apparuerunt. Penè invitus curatus fuit remediis Anti-ſcorbuticis vulgò cognitis; adeò vino Hiſpanico & ſæpè Spiritui Vini dicto, indulgere voluit. Non ante æſtatem tamen manuum pedumque vigorem recuperavit, quo tempore hominem aquis muriaticis (in vicinia Knaresborouh agri Eboracenſis) coctis & calidis, quantùm ſuſtinere potuit, balneare volui: ex integro convaluit. At Hyeme proximè ſequente ſimiliter affectus eſt; & mortuus eſt.

Atrophia ex Scorbuto.

Ægrotus IV. Tailour de Marſton, quinquagenarius ſpirandi difficultate diu affectus eſt, tandem admodùm emaciatus eſt: cætera ſanus

ut ſibi videbatur; propter pituitam verò viſcidam in lecto dormire vix potuit; pulſus celer & debilis; modica ſitis; urina rufa, e medio pectore maculæ quædam ſubpurpureæ efflorefcebant; atque hæ tandem latè ſetaceum pectus occupabant; a prima autem eorum eruptione iis color ſubpurpureus, qui indies degenerare in ſubluteum ſolebat, id quod curioſius obſervabam. Tabidus mortuus eſt.

Ægrotus V. Dominus Cooke, è Prebendariis Eccleſiæ Eboracenſis, minimum quinquagenarius, macer, literis valdè deditus, Decembri exeunte ex frigore primum tuſſi affectus eſt; huic nulla ferè ciborum appetentia; tuſſi ſupervenit ſpirandi difficultas, & neſcio qui levis dolor, & in tibia dextrâ imbecillitas: mox ibidem pruritus ortus eſt, & maculæ purpureæ. Ipſe autem vocatus, femur & crus tumida & intensè purpureo colore occupata vidi: huic Urina varia, nunc rufa & valdè turbida, nunc clara & qualis ſanorum. Imò malum quodammodo Tertianam Febrem mentiebatur; nam alternis diebus pejus ſe habuit; malum in femore & tibia cum dolore, duritie & rigiditate indies ſerpebat. Quò malum auctum eſt, eò Urinæ certiores, & rufiores, & fæcibus magis id ſaturatæ. Ad decimum verò diem paulatim ſerpendo totum femur & tibiam & jam ipſum pedem tumore inſigni occupavit, & livor jam ad nigredinem violaceam valdè accedebat; foveæ in pede facilè fiebant; at tumores cruris & femoris multò duriores fuerunt. Jam verò languores primùm æger ſenſit, & aſſiduè in lecto deinceps decubuit.

Ex Anti ſcorbuticis medicamentis Apozema præſcripſi, item Cataplaſmata ex ſolis emollientibus cum herba Cochlearia & Unguento è mucilaginibus toti cruri femorique latè admovi, quibus admodum levati ſunt, & dolor, & tumor. Atque à pertinaci iſtiuſmodi remediorum uſu tandem convaluit. Illud inſuper notavi nigredinis extremas partes ſubluteo colore circumſcriptas fuiſſe, perinde ut fit in ſuggillatis.

Ægrotus VI. Quidam Batavus, valdè obeſus, languoribus diu affectus eſt; tandem lecto defixus; huic labia, genæ, & ipſa lingua liveſcebant; pulſu parvo, debili, & urina qualis ſanorum fuit; Spiritus Vini multùm & aſſiduè potare conſuevit; huic autem à magni nominis medicis & ſanguinis miſſio aliquoties repetita, & purgatoriæ medicinæ, & chalybs diu exhibitus eſt: at non ullo modo ei profuerunt. Ipſe vocatus mala in infinitum aucta obſervavi, & jam manus cruraque liveſcebant, & ſpirandi difficultas tanta fuit, ut niſi erectus in ſella ſedere non potuit; adeò lingua balbutiebat, ut hominem gallicè loquentem, vix intelligere potui. Omnia à me ſumere recuſavit præter cardiaca medicamenta vinoſa; quorum ſanè in noſtris officinis copia eſt: poſt aliquot verò menſes à primo inſultu hæmorrhagiâ ſub noctem adeò violentâ correptus eſt, ut aliquam multas libras ſanguinis è naribus effuderit, antequam moriebatur.

Ægrotus VII. Juvenis quidam, exeunte Decembri, ſubitò & ſine aliqua cauſa manifeſta narium hæmorrhagiâ correptus eſt; id malum aliquot dies per intervalla duravit; mox totum corpus maculis ferè ex nigro-purpureis eleganter depictum eſt; etiam earum aliquot ex internâ labiorum parte obſervavi: huic tamen nec febricula, nec pulſus juſto debilior; Urina qualis ſanorum, nec ullum grave aliàs ſymptoma. At funeſta illa pictura fuit.

Ægrotus VIII. Puer quidam, quinque annos natus, ſubitò, ineunte vere, maculis quibuſdam ex viola-purpureis in cute albiſſima per totum corpus depingitur; ejus linguam, oſque fortè inſpexi, eaſdemque maculas, & in ore, & in labiis ulceratas obſervavi; ejus cura ad me non pertinebat. Nam puerum mihi attulit vicinus quidam meus tantum, animi cauſa. Et neſcio an aliquod medicamentum ab ullo datum fuit. At eadem nocte, Hæmorrhagia graviter affectus, illicò mortuus eſt.

N. B. In proximò ſuperiori caſu maculæ eruperunt à ſanguinis profluvio; in hoc autem poſt maculas Hæmorrhagia lethalis ſequuta eſt.

Ægrotus IX. Puer quidam (Waller (ſummè agilis decem circiter annos natus, caſei mercatoris filius, ſubitò maculis purpureis per univerſum corpus depictus eſt; ex his parvæ & aliæ majuſculæ fuerunt, ipſum violæ martiæ florem eleganter repræſentantes; mox vehemens. Hæmorrhagia ſequuta eſt; gingivæ, fauces, ipſâque lingua ſumma putredine virulenta exulcerantur; ut nec cibum, nec medicamenta ampliùs ſumere potuerit. Intra ſeptiduum mortuus eſt.

Ægrotus X. Quidam puer (Hevvet) ſex annos natus, ſubitò nigro-purpureis maculis per univerſum corpus affectus eſt, puer autem de capitis dolore leviter tantùm queſtus eſt, & foràs toto eo die ludebat; naribus tamen paululùm ſanguine ſtillantibus; omninò non febricitabat, & cibum pro more avidè appetebat: ejus parentes inſolitas maculas mirabantur; media nocte ſanguis è naribus copiosè profluebat, eundémque adeò grumoſum è ventriculo vomebat: ad decimam diei horam vocatus, ſanguis admodum difficilè comprimi potuit: maculas autem in labiis & linguâ video; item per ejus femora, maculæ aliquot longæ & latæ, velut ex verberibus vibices; huic corporis habitus frigidus, pulſus rarus & debilis, urina ſuccinea & qualis ſanorum; nulla ſitis: ad illum comprimendum infinita fruſtrà adhibita ſunt: venâ autem brachii à me inciſâ, is protinùs in deliquium, vix ſeſqui uncia ſanguinis effuſâ, lapſus; & ſanguis è naribus per ſe protinus compreſſus eſt. Sudore frigido madebat uſque ad mediam noctem, deliravit; fortè ex diacodio dato in aqua plantaginis: poſtridie verò manè idem ei ſanguinis profluvium contigit per aliquot horas; tandem balſamo Veneris nares implevi, & ſanguis ſtillare deſiit. Deinceps diacodium modicè datum eſt. Et ſucci limonum, ſucci cochleariæ ad cyathos aliquot quotidie illi propinavi. Vibices primùm, mox maculæ in labiis, reliquoque corpore, ſenſim diſparuerunt. Convaluit.

Ægrotus XI. Sub idem tempus puellam vidi octo annos natam, cui infinitæ maculæ purpura-violaceæ in nivea cute efflorefcebant,

ſanè

ſanè ſpectaculum haud ingratum, niſi quod affectus morboſus fuerit: inter has verò maculas quaſdam ad amuſſim triquetras, alias quadratas, pleraſque rotundas & inordinatas, non ſine ingenti admiratione curioſiùs contemplabar. Huic autem me præſcripſiſſe memini ſpiritum C. C. ad aliquot guttas ex cereviſiâ tenui quotidiè bibendas. Convaluit.

Ægrotus X I I. Item alia puella eodem anno 1682. mihi oſtenſa eſt iiſdem maculis per totum corpus depicta: diù in cute eæ maculæ apparuerunt; tandem neſciò quibus remediis convaluit. N.B. in his duobus ultimis caſibus de ullâ hæmorrhagiâ ſuperveniente non memini.

Ad remedia jam tandem venio; nam in recitandis exemplis, quæ infinita ſunt, prolixior eſſe nolo. Præcipua autem hujus morbi medicamenta ſunt, Cochleariæ, Limonumque, Aurantiorumve ſucci: & ex hâc notâ ſunt omnigeni fructus & olera: at quò magis acidi eò meliores ſunt: hinc Acetum quoque & Spiritus Vitrioli valdè proſunt.

Horum itaque omnium facultates, & quæ commoda ab iſtiuſmodi acidis remediis expectanda ſunt, ab uno Aceto diſcemus. De Aceto autem inter alia multa ita Dioſcorides perhibet. Acetum refrigerat, & aſtringit. Stomacho utile, appetentiam excitat. Erumpentem undique ſanguinem ſiſtit, potu inſeſſuve. Prodeſt alvi fluxionibus cum cibis coctum. In Ortopnæa calidum commodè ſorbetur, Tuſſim veterem mitigat. Inflammationes arcet. Reprimit abſcedentes. Gingivas & ſanguine manantes. Suggillationes rapit, & ad conglobatum ſanguinem prodeſt. Ad capitis dolores confert. Ad aquam inter cutem ferventis vapor proficit, panos coercet tepidi fotus. Pruritus permulcet, ad nomas & ſacrum ignem, & ulcera quæ ſerpunt, ad lepras, impetigineſque efficax eſt. Phagedænas ulcerum nomaſque fotu continuo cohibet. Calidum potum adverſus omnia venena efficax eſt, præſertim contra Meconium, Fungos & hauſtam cicutam. Contra venenatorum ſerpentium ictus, & eos, qui urens virus ejaculantur.

An verò aliquid in aceto deficiat, ad morbum noſtrum curandum, aut amplius deſideretur, remedio cum morbi ſymptomatibus diligenter collato, planè neſcio, certè tu velim penitus, ô bone lector.

Quamvis ſucci ex uſu quotidiano in hoc morbo ſuprà memorati & præ cæteris commendati, veteribus parùm aut nihil noti fuerunt; eorum tamen opinionem de fructibus acidis in malo punico videre licet; nimirùm boni eſſe ſucci, & ſtomacho utilis, &c. reliqua vide apud Dioſcoridem.

Quomodo autem hi effectus ex uſu acidorum oriantur explicandum reſtat. Atque hujus rei ratio in his paucis conſiſtit. Acidum imprimis infirmum & æſtuantem ſtomachum refrigerat & adſtringit; adeoque concoctioni eum aptum reddit; ſimiliter cogitandum eſt de inteſtinis viſceribus, eorumque vaſis, una eademque ratione, ſalium exedentium copia laborantibus; hujus autem in ſtomacho & viſceribus refrigerii ratio eſt, quod acida ſalibus urinoſis adjecta eorum vim protinùs frangunt, & cùm attenuando chylum lymphamve inſuper urinam moveant, ſales exedentes mitigatos jam maximè eò diducunt forâs: à chylo autem novo, tenui & dulci ſanguinis circuitus curſus expeditur, lymphæque adeò motus placidè perficitur, quo arteriarum labor multùm diminuitur, levaturque; adeoque hæmorrhagia & maculæ, & dolores, & laſſitudines, nervorumque reſolutiones, contractioneſque paucis diebus ex toto ceſſant, & homo moribundus ex integro reſtituitur. Cujus ſubitæ curationis exempla infinita in nautis, terræ ſemel expoſitis à longis navigationibus, occurrunt.

At remediorum magnæ differentiæ ſunt? Reſpondeo, veriſſimum quidem eſſe, multis oleribus, inter quæ Naſturtium & Cochleariam pono, ad Scorbutum utilibus, præter ſuccum acidum ineſſe etiam quandam piperatam acerbitatem; quâ tamen de cauſâ craſſos corporis humores magis attenuant, & in omnes ejus meatus faciliùs ſibi viam faciunt; adeoque ſalem crudum Urinoſum ubique locorum promptiùs ſubigere & expellere potes ſunt.

Sâlis autem culinarii crudi, ſive in Urinoſum mediocriter tantùm cocti, notio haud ita aliena eſt. Nam etiam in bene coquentibus Urina ſuum ſalem urinoſum non facile & à primâ ſtatim mictione analyſi chymica præbet (imò ut ulterius putreſcat, neceſſe eſt. Item ex ſanguine humano eodem artificio deſtillato, paucæ tantùm drachmæ ſalis culinarii, ex multis libris ſanguinis haberi poſſunt; At idem etiam ambiguæ naturæ eſt, nec in omnibus, verè marino reſpondet, ut perhibet Boilæus noſter.

Rurſus; Acetum à fructûs alicujus immaturi ſucco viribus diſtat; in eo, quod Acetum acrimoniam quandam ex putredinoſa caliditate, ſcilicet ex bina fermentatione confectum, adeptum eſt. Fructus autem acidus immaturus ea acquiſita acredine caret, & acerbitatem habet. Unde magis etiam tenuium partium eſt Acetum, quàm alicujus herbæ aut fructûs immaturi ſuccus, velut ſenſus quoque teſtatur, quo autem acrior ſuccus, eò promptiùs penetrat, ut rectè de victu attenuante Galenus.

Ampliùs; Limonum, Aurantiorum, Malorumque Punicorum, ſcilicet perfectè maturorum, ſucci acidi ſunt; nec fructus alicujus immaturi acerbitatem ingratam, nec aceti acrimoniam calidam, ex duplici fermento confecti, habent; adeoque præ cæteris valdè excellunt, & privatim ad hunc morbum omnium remediorum longè præſtantiſſima medicamenta ſunt; etiam miſeris nautis in auxilium ſuum infinitis exemplis experta. Limonum autem commendationem hic inſerere ſuave eſt, Authore Piſone Batavo, medico diligentiſſimo, & in rebus Naturæ exoticis, ſi quis alius, verſatiſſimo. Peritiſſimi, inquit ille, nonnulli Indiæ, ubi diu vixit, medicaſtri plus præſidii in limonibus ponunt, quàm in lapide Bezoartico aut Theriaca, contra malignos morbos, & peſtilentes febres, atque ipſa Venena. Ego autem, ſine jactantia affirmo, me ex nullo alio aliquo remedio ſimplici tot fœlices effectus in tota praxi meâ obſervâſſe, quàm ex limonibus.

Atque

Atque hæc ſatis dicta ſunt de genus remediorum natura.

Quæſtio autem haud importuna ſupereſt, cui reſpondere, antequam hanc exercitationem finiam, mihi bonum videtur: nimirum cur hoc morbo correpti, ſanguinem mitti, & purgari plerumque malè ferunt? Reſpondeo; Qui diu ciborum appetentia caruerunt, etiam ſucco nutritio qualiſcunque is ſit, vix abundare, credibile eſt; huic rei fidem facit, inanis vomendi conatus ſine ulla notabili excretione; item quòd Lymphæ ductus feriant; quod teſtatur & nervorum reſolutio & corporis nimia laſſitudo, è maxime communibus hujus morbi indiciis, & interdum oſſium crepitus.

Deinde diutiùs ab hoc morbo affecti, etiam vitiatis humoribus effuſis ſupra modum languent, quòd arteriæ rigidæ, & diu diſtentæ ex chylo crudo, ſalſoque, eo dempto, plane ſtupent, nec facilè ac promptè ad officium debitum redire poſſunt, ſed penè ab opere deficiunt; illud confirmat pulſus debilis, parvus, inæqualis; item quod ab omni mutatione poſitûs corporis deliquium pati iſtiuſmodi ægri valdè proni ſunt, nimirùm cordis & arteriarum Syſtole fatiſcente; id refluo ſanguine inæqualiter moto, tantùm non opprimitur. *Martinus Liſter Exercitationum Medicinalium de quibuſdam Morbis Chronicis, Quintâ.*

Curationes.

Quod ſpectat ad ſcorbuti therapeiam, ſiquidem haud unica & ſimplex affectio præternaturalis, ſed legio quædam profliganda eſt, idcirco medendi methodus, indicationes multiplices, eaſque variè complicatas, ac ſubordinatas perſtringere debet; quas tamen vulgari modo ad tria hæc capita referre viſum eſt: nempe ut ſint præſervatoriæ, quæ morbi cauſam; & curatoriæ, quæ morbum ipſum & ſymptoma ejus reſpiciunt & tollunt; & denique vitales, quæ patientis robur ac vires tuentur vel reſtaurant.

Ab ipſo curationis initio contra morbi cauſam collimare debemus; hac enim velut radice præciſa, vel avulſa, ſtatim truncus, rami, & fructus emarceſcent. Cum itaque oſtendimus, ſcorbuti cauſam in ſanguinis dyſcraſia, ſcil. aut ſulphureo-ſalina, aut ſalino-ſulphurea fundari: imprimis danda erit opera, quo melius illa, tum hujus, tum illius indolis, emendetur: in hanc rem, primo impedimenta tollantur, dein ipſa primaria intentio perficietur: propter utrumque ſcopum remedia à Diæta, Chirurgia & Pharmacia expetuntur. Quoad Diætam, ſpecialis victus ratio inferius apponetur; interim ut de reliquis procedamus.

Sanguinis ad debitam craſin per remedia appropriata reductio, propter hæc duo potiſſimum impeditur; ſcil. primò, quia ſucci nutritii non niſi vitioſi penus ei continuo infertur; deinde ſecundò, quia recrementa in ſinu ejus producta, per idoneas cloacas non ſatis amandantur. Itaque providendum erit, tum ut chyloſeos negotium in primis viis rectè peragatur; tum ut recrementa vaporoſa per diaphoreſin, ſeroſa per renes & lymphæductus, bilioſa per cyſtin felleam, atrabiliaria per lienem, atque alia cujuſq; præterea generis, per propria emunctoria ſatis expurgentur: dein hiſce munis rectius inſtitutis, ſanguinis dyſcraſiam per medicamenta ſpecifica, ac imprimis ſale volatili prædita, reducere nitemur. Remedia ſingulas haſce intentiones reſpicientia una complicari, ac ſimul in uſum adhiberi debent: quo tamen ritu, ac quibus adminiſtrationum modis, adhuc particularius deſignare oportebit.

1. Ut chyloſis in primis viis rectè perficiatur, curandum erit, ut materiæ excrementitiæ ſaburra in iis congeſta exterminetur, ut fermenta deperdita, aut depravata reſtituantur, ut meatus & pori quoquomodo infarcti & obſtructi reſerentur. In hos fines medicamenta cathartica, digeſtiva & aperientia deſtinantur.

2. Excrementa in maſſa ſanguinea collecta, cùm per propria emunctoria non ſatis amandantur, per alias vias maximè idoneas ſubinde educantur; in hanc rem etiam cathartica, ac inſuper diaphoretica, & diuretica conveniunt.

3. Sanguinis diſcraſia ſcorbutica emendetur phlebotomia & remediis ſpecificis. Quare, ut indicationis præſervatoriæ res tota in ſummam redigatur, remedia quæ præcipuas ejus intentiones perficiunt, ſunt cathartica, phlebotomia, digeſtiva, aperientia, diaphoretica, diuretica & antiſcorbutica, ſive ſpecifica: Dein quatenus remedia digeſtiva, ac aperientia ſæpius concidunt; ſiquidem utraque particulis acidis, acribus, aut ſalinis præcipuè imbuuntur; porro, in quantum ejuſmodi pharmaca diaphoreſin, aut diureſin aptè ſatis movent: idcirco apparatus pharmaceuticus intentionibus prædictis requiſitus, in anguſtiores adhuc limites redigi poteſt: nimirum ut fere tantum conſtet medicamentis catharticis, digeſtivis, ac antiſcorbuticis, quibus phlebotomia pro data occaſione adjicitur: illorum formulas quaſdam & præſcripta, ac inſuper utendi modum, deſignare incumbit.

Catharſis.) 1. Methodus medendi ſcorbuticis ferè quibuſvis præſcripta, à catharticis incipiat; Etenim niſi primæ viæ mundantur, medicamenta in alios quoſvis uſus deſtinata, ab illarum ſordibus inquinabuntur, quapropter vomitio interdum non minus quam purgatio conveniat.

Si ventriculus (ut crebro aſſolet) materia viſcida, aceſcente, aut nidoroſa aggravatus, ſarcinam impuram nauſea aut vomendi nixu ſurſum ejicere ſolitur, atque patiens talem evacuationem olim ſatis robuſtè ac cum εὐφορίᾳ tolerare ſolebat, nihil vetat, modo vires non ſint nimium proſtratæ, pharmacum emeticum exhibere. Fortioribus, infuſio croci metallorum, aut Mercurius vitæ, aut tartarus emeticus Mynſichti, vel ſulphur antimonii Glauberi propinetur: qui ſunt conſtitutionis imbecillæ, aut teneris vinum ſcilliticum, aut Gillam Theophraſti aſſumant; quibus in exigua doſi exhibitis, ſerum lactis in magna copia ſuperbibant, dein ventriculo ad nauſeam repleto, digito, vel penna gutturi immiſſis, vomitio facillima provocatur, & aliquoties pro libitu iterari poteſt. Hoc vomendi ritu, mera ſtomachi contenta, à plicis ejus deterſa excernuntur: neque in aliis circumcirca viſceribus, aut membranis (prout à ſtybiatis fieri ſolet) vellica-

Quibus ventriculus, propter malam digeſtionem, pituitæ, aliuſve materiæ degeneris ſaburram facilè congerit, præcepi (& ſæpius bono cum ſucceſſu,) ut ſemel in menſe, talem vomitionem utpote tutam, & ſalubrem propinent.

Ubi vomitio locum non habet, à purgatione incipiatur; ſaltem poſito aliquot dierum interſtitio, evacuatio hæc illi ſuccedat. Quod olim de præparatione humorum ab Authoribus paſſim inculcatur, aut ſupervacaneum, aut non intellecta ſanguinis circulatione, prorſus erroneum eſſe duco: quin illius intentionis vice, viſcerum fermenta reſtaurantia, & ſanguinis craſin alterantia ſubſtituantur: interim ut primarum viarum ſordes, & liquoris tum ſanguinei, tum nervoſi ſuperfluitates recrementitiæ amandentur; Purgatio primò lenis & blanda inſtituatur, ac poſtea juxta patientis tolerantiam, aut ſemel intra ſeptimanam, aut crebrius vel rarius iteretur; & medicamenti vires juxta primæ doſeos ſucceſſus proportionentur: In hunc finem pilulæ, potiones, apozemata, electuaria, pulveres, & plures aliæ medicamentorum formulæ præſcribi ſolent.

Si ægrotantis conſtitutio ſit calidior, atque ſcorbutus in ſanguinis dyſcraſia adulta, ſcilicet ſulphureo-ſalina, fundari videtur, aloëtica, & diagrydiata quævis vitentur, & temperatiora ſolum à ſenna, rhabarbaro, & aliis, quæ ſanguinem & humores non exagitant, exhibeantur.

℞. Folior. ſennæ ℥ i. rhabarb. ʒ vi. epithymi ʒ iij. rad. polypodii qu. rhabarb. Anglicani ſiccat. an. ℥ ß. ſantali citrini ʒ ii. ſpicæ celticæ ʒ ß. ſalis abſinthii ʒ ii. inciſa & contuſa digerantur in matracio calore arenæ, cum vini albi, & aq. fumariæ an. ℔. i. (vel cum aq. magiſtralis antiſcorbuticæ noſtræ ℔. ij.) per duos dies: colatura clara evaporetur leniſſimo balnei calore, ad conſiſtentiam mellis, dein adde pulveris foliorum ſennæ, rhabarb. an. ʒ i ß. ſpecierum diatriōn ſantalōn ʒ i. cremoris tartari ʒ i ß. f. maſſa pilularis. Doſis ʒ ß. ad ʒ i.

Vel paretur talis infuſio, quæ evaporetur leni calore ad conſiſtentiam ſyrupi, addendo circa finem mannæ colatæ, & ſacchari albiſſimi, an. ℥ ii. fiat ſyrupus. Doſis cochlear. i. ad ii. cum vehiculo convenienti.

Vel ejuſmodi tincturæ ℥ iv. vel vi. pro doſi exhibeantur, addendo cremoris tartari ʒ ß. & ſi edulcoration opus ſit, ſyrupi de pomis ℥ iii.

Vel tincturæ præſcriptæ imponantur uvarum corinthiacarum mundatar. ℥ vi. digerantur calide donec uvæ intumeſcant, quibus exemptis, liquor ad ſyrupi conſiſtentiam evaporetur, addendo ſacchari & mannæ colatæ an. ℥ i ß. dein uvis denuo impoſitis, medicamentum in vaſe vitreato probe obturato ſervetur. Doſis cochlear. i. vel ii.

Vel tincturæ prædictæ ad medietatem evaporatæ adde caſſiæ recentis, pulpæ tamarindorum cum aqua antiſcorbutica extractæ, an. ℥ iii. Conſervæ violarum, roſarum damaſcenarum, an. ℥ ii. pulv. ſennæ compoſiti majoris ʒ i. rhabarb. pulv. ℥ ß. Cremoris tartari, ſpecier. diatriōn ſantalōn, an. ʒ ii. ſimul terantur in mortario lapideo donec redigantur in formam electuarii. Doſis qu. nucis juglandis, plus minus, juxta operationis ſucceſſum.

Quibus ſtomachus nauſeabundus, pharmaca nonniſi in exigua quantitate, ac forma eleganti admittit.

℞. Reſinæ ſcammonii gr. iv. ad viii. Cremoris tartari ℈ ß. ſpicæ celticæ gr. vi. Miſce, f. pulvis, detur in cochleari panatellæ, vel in pilulas formetur.

Qui affectione ſcorbutica laborantes, frigidioris ſunt conſtitutionis, atque morbus in ſanguinis diatheſi nitro ſulphurea, vini penduli æmula, fundari videtur; iis cathartica aſperiora, & particulis calidioribus prædita exhibeantur.

℞. Pilular. ſtomach. cum gum. ʒ ii. Reſinæ jalap. gr. 20. tartari vitriolat. gr. 16. olei juniperi ℈ ß. cum ſ. q. ammoniaci ſolut. in aq. lumbricor. f. pilulæ 16. ſumantur quatuor pro vice, ſemel intra ſeptimanam.

℞. Pilular. tartar. Bontii ʒ i ß. Reſinæ jalap. gr. 12. ſalis tartari ℈ ß. cum ſ. q. ſyrupi Auguſtani. f. pilulæ 12.

℞. Extract. pilular. Ruffi ʒ i. Extracti hellebori nigri ℈ i. ſalis tartari ʒ ß. cum ſ. q. ammoniaci ſolut. f. pilulæ 9. ſumantur iij. pro doſi.

℞. Folior. ſennæ ℥ i. rhabarbari ℥ vi. mechoacæ, turbith gum. an. ℥ ß. fibrarum hellebori nigri ʒ iii. ſalis tartari ℥ ii. ſantali citrini ʒ i ß. corticis Winteran. ʒ ii. inciſ. & contuſ. digerantur in vini albi ℔ ii. per duos dies. f. colatura clara ſine expreſſione, ſumatur vel per ſe ab ℥ v. ad ℥ vi. vel in extractum, aut ſyrupum, aut electuarium redigatur, prout tinctura ſuperius deſcripta, addendo pulv. arthritici, vel diaſennæ q. ſ. &c.

Vel paretur hujuſmodi tinctura, quæ detur viris robuſtis ad cochlear. i. vel i ß.

℞. Salis tartari ℥ i. ſpiritus vini tenuioris ℔. i. ß. digerantur donec flaveſcat: huic à fæcibus per inclinationem effuſæ, infunde folior. hellebori nigri in aceto macerat. ℥ i. ſantali citrini ʒ i. flavedinis aurantii ʒ i ß. f. digeſtio clauſa & calida per tres dies. Colatura clara deſtilletur in balneo ad medietatem, liquor reſiduus ad uſum ſervetur.

℞. Rad. lapathi acut. polypodii qu. urticæ urentis, cherefolii, an. ʒ vi. folior. eupatorii, veronicæ, an. M. i. ſantal. albi, citrini, an. ʒ i ß. carthami ℥ i. Tartari vini albi ℥ ß. Coquantur in aq. fontan ℔. ii. ß. ad medietatem, adde vini Rhenani ℔. i. & ſtatim coletur, cui impone ſennæ opt. ℥ ß. rhabarbari ʒ vi. folior. hellebori nigri ℥ ß. flavedinis aurantii ʒ ii. f. infuſio clauſa & tepida per horas 12. Colatura ſervetur in vitro occluſo. Doſis ʒ v. ad vi.

In promptu hic eſſet, plures alias catharticorum formulas ſubjicere: verum in his non magna varietas requiritur: è prædictis aut hæc, aut illa, quæ melius conveniunt, exhibeantur; & ſubinde intra quinque aut ſex dies, prout occaſio requirit, iterentur. Nimis crebra, & violenta purgatio vires proſternit, viſcerum robur valde labefactat, atque morbum interea non tollit.

Poſt unam aut alteram purgationem, ſi miſſio ſanguinis indicatur, aut phlebotomia in brachio, aut hirudinum ſuctu in venis ſedalibus celebretur: non multum intereſt, quæ vena ſecetur; nec enim ſalvatellæ apertio tanti, prout vulgo perhibetur, meriti eſt. Quod inter Authores valde ambigitur de vena aut jecoraria, aut

cephalica, vel alia quavis potiori in ſcorbuto incidenda, à quo ſanguinis circulatio innotuit, in nihilum recidit. Phlebotomia indicatur à ſanguinis copia, & vitioſitate, quem præſtat aliquoties in quantitate modica, quàm ſemel in magna educi: Cum enim liquor ſanguineus valde impurus, nullo remediorum genere certius emendatur, quàm crebra & parca extramiſſione: quippe ſanguini veteri corrupto, quoties educitur, recens melior, & defæcatior ſuccedit. Interim cautione opus eſt, ne ſemel in quantitate nimia ſubtrahatur; nam penu ejus confertim diminuto, ſanguificatio labeſcit, propterea ut hydrops aut cachexia ſequatur.

Præter catharſin, & (ſi opus fuerit,) phlebotomiam, plura alius generis remedia, non minus neceſſaria in ſcorbuto requiruntur: de quibus tamen ordine præſcribendis, ſtatim conſiderare oportet, utrum indicationes ſolum præſervatoriæ hic locum habeant, ac an non iis curatoria quædam, nempe quæ ſymptomata gravius urgentia reſpiciunt, intercalari debent: Quod ſi vacat, in morbi cauſam, totam therapeias operam impendere, juxta methodum ſequentem procedatur: Inferius oſtendetur, quali interea ſymptomatum (ſi forſan occaſio exigit) cura adhibenda ſit.

Itaque ſi præcipuam medicinæ operam, in ſcorbuti cauſam imprimis, ac per ſe eradicandam impendere liceat; propter hunc ſcopum, inſuper remedia digeſtiva & ſpecifica, ſeu antiſcorbutica, prout modo innuimus, omni tempore, exceptis purgationis diebus, uſurpentur: quibus interdum, ſi opus fuerit, diaphoretica, aut diuretica adjiciantur. Medicamentorum hujuſmodi intentiones perficientium formulæ, & præſcripta multiplicia, ac varii generis apud authores paſſim extant. Libet hic ſelectiora quædam apponere; quæ quidem juxta duplicem cauſæ ſcorbuticæ indolem, nempe ſanguinis dyſcraſiam ſulphureo-ſalinam & ſalino-ſulphuream, in duas claſſes diſtinguere viſum eſt: & primo, quæ in hoc poſteriori affectionis modo conveniunt, ubi nimirum medicamentis incitatione quadam præditis, atque ſale volatili plurimum refertis opus eſt, tradem.

Remedia digeſtiva, quæ ventriculi fermentum reſtituunt, ejuſque ac aliorum viſcerum chyloſi inſervientium, functiones juvant; atque antiſcorbutica, ſive ſpecifica, quæ ſanguinis dyſcraſiam tollunt, aut in eadem compoſitione junguntur, aut ſaltem eodem die ſucceſſivè aſſumantur.

Inter medicamenta digeſtiva meritò recenſentur tartari cremor, chryſtalli, ſal, tinctura, tartarus vitriolatus, chalybeatus. Elixir proprietatis, mixtura ſimplex: Cujuſvis horum bis in die exhibiti uſus ſæpenumero prodeſt.

Porro tincturas & elixires magiſtrales, varii generis, & digeſtivas, & ſcorbuto appropriatas, cum duobus menſtruis ſequentibus facile conficies.

℞. Spiritus vitrioli rectificati ℥ vi. ſpiritus vini alchaliſati ℥ xvi. Miſce & deſtilla in retorta vitrea cum ternis cohobiis: in vitro probe occluſo ad uſum ſerva: Elixir proprietatis cum hoc menſtruo compoſito facilius, & melius, quàm vulgari modo paratur.

℞. Corticis Winteran. ligni Aloes, rad. galangæ minoris, an. ʒ ii. cinnamomi, cariophyllor. cubebarum, an. ʒ i. ſeminis anisos, naſturtii, an. ʒß. contuſis affunde prædictum menſtruum ad ſupereminentiam trium digitorum: digerantur in matracio in furno arenæ per 6. dies. Colatura ſervetur in vitro occluſo. Doſis gutt. 20. plus minus in cochleari vini Canarini, vel aq. appropriatæ. Exhibeatur bis in die.

℞. Succini albiſſimi, gummi hederæ, carannæ, tacamahacæ, an. ʒ i. croci ʒß. cariophyll. nucis moſchat. an. ℈ ii. contuſ. affunde prædictum menſtruum, & ſ. a. extrahatur tinctura. Doſis gutt. 20. ut ſuprà.

℞. Salis tartari cærulei ℥ iv. digerantur in matracio cum ſpiritus vini alchaliſati ℔. i. ad extractionem tincturæ: hoc ſit aliud menſtruum, quo è gumm. aromatis, &c. eodem modo, uti cum priori menſtruo, elixyres parabis.

Dum hujuſmodi remedia in doſi perexigua veſperi, & primo mane exhibentur, horis medicis, ſcilicet octava ante, & quarta p. m. alius generis medicamenta antiſcorbutica ſumantur, quæ quidem utplurimum in duplici forma, nempe in ſolida & liquida, ſimul capienda præſcribere ſolemus; ita ut ſolido præmiſſo, liquidum ſuperbibatur, utriuſque variæ extant ſpecies, & compoſitionis modi, vid. in forma ſolida, electuaria, confectiones, pulveres, & tabulæ: in liquida, ſunt decocta, infuſiones, expreſſiones, aq. deſtillatæ, vina & cerevisiæ medicatæ: Cujuſque horum generis medicamenta ſelectiora quædam proponemus.

Electuaria.) ℞. Conſervæ cochleariæ, abſinthii Romani, fumariæ, an. ℥. ii. pulv. cort. Winterani, rad. angelicæ, Ari an. ʒ. ii. ſpec. diatrion ſantal. ʒ i. ß. pulv. oculor. cancri ʒ i. ſalis abſinthii ʒ ii. Cum ſ. q. ſyrupi è corticibus citri, f. electuarium.

℞. Conſervæ folior. cochleariæ, beccabungæ cum æquali parte ſacchari factæ an. ℥ iii. trochiſcor. de capparibus, de rhabarbaro, an. ʒ. ii. ſalis abſinthii, cochleariæ an. ʒ i. eboris pulv. corallii calcinat. an. ʒ. j. cum ſ. q. ſyrupi à ſucco cochleariæ, f. electuarium.

Præſcribere ſoleo conſervas è cortice exteriori limoniorum & aurantior. item è floribus purpureis arboris fraxini, è foliis & floribus cardamines, è radice lapathi acut. & rhabarbari Anglicani, cum æquali parte ſacchari parandas, quæ inter ſe, aut aliis conſervis, & ſpeciebus permiſtæ ejuſdmodi electuaria ingrediuntur.

℞. Conſervæ flavedinis aurantiorum, limoniorum, flor. fraxini, an. ℥. ii. pulv. rad. contrayervæ ʒ i. ß. galangæ minoris ʒ. ß. rad. Ari ʒ. ii. ſpec. aromatici roſat. ʒ. i. ſalis abſinthii ʒ ii. cum ſ. q. ſyr. conditutæ nucis moſchat. f. electuarium. Doſis hujuſmodi medicamentorum qu. nucis moſchat. ſuperbibendo liquorem appropriatum.

Ruſticis & pauperioribus, à quibus medicamenta facilè parabilia, & minus cara expetuntur, ad hunc modum præſcribo.

℞. Folior. cohleariæ beccabungæ, an. ℥. iv. ſacchari albiſſimi ℥ viii. ſimul contundantur

in

mortario, addendo pulv. cort. Winterani ℥ß. tartari cum nitro calcinati ʒ iii. cum ſ. q. vini Hiſpanici, redigantur in electuarium. Doſis qu. nucis juglandis bis in die, ſuperbibendo liquorem appropriatum.

℞. Foliorum cochleariæ ℔. j. paſſular. exacinat. ſacchari albiſſimi, an. ℔. ß. fæcul. rad. raphani ſylveſtris ℥. ii. ſimul contundantur in mortario, & redigantur in formam electuarii. Doſis qu. nucis juglandis, bis vel ter in die.

Confectiones.) ℞. Pulv. Ari compoſit. ℥. j. cort. Winterani pulv. ℥. ß. ſpec. diatrion. ſantal. trochiſc. de capparibus, an. ʒ. ii. ſalis abſinthii, cochleariæ, an. ʒ. j. ß. flavedinis aurantii condit. ℥. iii. ſimul terantur in mortario, dein adde ſacchari alb. ſolut. in ſ. q. aq. lumbric. ℥. iij. ſ. a. f. confectio.

℞. Rad. eryngii, & ſcorzoneræ condit. an. ʒ. ii. nucum jugland. myrobalan. condit. an. num. ii. electuarii de ſaſſafras, ʒ. vi. pulv. cubebar. cardamom. an. ʒ. ii. pulv. rad. zedoariæ, angelicæ an. ʒ i ß. ſalis abſinthii ʒ. ii. cum ſ. q. ſyrup. condituræ nucum juglandum, f. confectio.

℞. Pulv. rad. Chinæ, ligni ſaſſafras. an. ℥ ß. ſantal. citrini, albi, an. ʒ ii. ſem. erucæ, cubebar. naſturtii, granor. paradiſi, an. ʒiß. ſpec. dialaccæ, cinnamomi, iridis, galangæ minoris, an. ʒ. j. ſalis abſinthii ʒ. ij. conſervæ flavedinis aurantii, & ſacchari anthoſat. ſolut. in ſ. q. aq. limacum, an. ℥. iii. ſ. a. f. confectio. Doſis qu. nucis moſchat. bis in die, ſuperbibendo liquorem appropriatum.

In quibuſdam ſcorbuti caſibus, ubi chalybis uſus indicantur, aut chalybis cum ſulphure præparat. ʒ. iij. aut vitrioli Martis ʒ. ii. cuilibet è præſcriptis, aut confectioni, aut electuario adjiciantur; & poſt medicamentum aut ſemel, aut bis in die aſſumptum, corpus pro ratione virium exerceatur.

Pulveres.) ℞. Pulv. Ari compoſiti ℥. j. ß. cort. Winteran. ℥. ß. cubebar. granor. Paradiſi, cardamomi, an. ʒ ii. ſalis abſynthii ʒ. iii. tabul. aurant. ℥ iii. f. pulvis. Doſis ʒ i. in liquore appropriato.

Pulveri prædicto adde nucleorum fructus Indici, cacao ℔. ß. in mortario calido redigantur in maſſam, ſive paſtam. Doſis. ʒ vii. eo ritu quo confectio chocolate aſſumitur, ſcil. in aq. fontan. cum foliis roriſmari, aut betonicæ, aut radice ſcorzoneræ aut etiam raſura eboris, vel C. Cervi incoctis.

Pilulæ.) Quibus medicamentum in doſi minori, & forma pilulari magis arridet.

℞. Rad. ſerpentariæ Virginianæ, contrayervæ, an. ʒ ii. cort. Winteran. cubebar. ſem. erucæ. an. ℥ iii. ſalis abſinthii, cochleariæ, an. ʒ. i ß. extracti, ſive rob. juniperi ℥. ß. c. ſ. q. ſyr. condituræ nucis moſchat. fiat maſſa. Doſis pilulæ iv. bis in die, ſuperbibendo liquorem appropriatum.

Tabulæ.) Pro delicatoribus tabulæ, ſive tragea ad hunc modum præſcribantur.

℞. Pulv. cort. Winteran. oculor. cancri, an. ʒ. i. ß. margar. pulv. ʒ. ß. ſacchari albiſſimi ſolut. in ſ. q. aq. lumbric. & ad tabulat. coct. ℥. vi. ſp. cochleariæ ʒ ii. ſ. a. f. tabulæ, quæ ſingulæ pendant. ʒ ß. capiat circiter ʒ j. bis in die, ſuperbibendo liquorem appropriatum.

Tabulæ aurant. quæ in pharmacopolis Oxonienſibus proſtant.

℞. Cort. aurant. limoniorum, citri, condit. an. ℥ i. rad. eryngii condit. ℥. ß. nucleorum pini, piſtach. an. ʒß. amygdal. dul. excort. num. x. ſem. aniſi pulv. ℥. ß. Zinziberis condit. ℥. ii. ſpec. aromat. roſat. nucis moſchat. an. ʒ i. ß. rad. galangæ ʒ. j. caryophyllor. num. x. ambræ griſeæ gr. iv. moſchi, zibetæ an. gr. ii. ſacchari albiſſimi ſolut. in aq. roſar. & ad tabul. coct. ℔ j. ß. ſ. a. f. tabulæ.

Hæc de medicamentis in forma ſolida, ſive ſubſtantia craſſiori ſcorbuticis exhiberi ſolitis, quorum virtus ut melius, & cum majori emolumento in maſſam ſanguineam deferatur, iis utplurimum liquida ſuperbibenda præſcribuntur. Quamvis horum & magna extat varietas, & diverſimoda componendi ratio, præcipua tamen & uſitatiſſima ſunt qualia ſupra innuimus, & cujuſmodi ſingulorum modo formulæ, ſubjungentur.

1. *Decocta.*) Etſi decocta ſunt maximè familiare medicamentorum liquidorum genus, in ſcorbuto tamen rarius uſurpantur, quia ſimplicia, quæ huic morbo præcipuè conferunt, uti cochlearia, beccabunga, &c. virtutes ſuas à ſale volatili acceptas, coctione amittunt: Attamen quoniam remedia hoc ritu facilè ac cito parantur; interdum admitti debent; quin eorum nonnulla efficacia fuiſſe, experientia comprobavit. Pro ruſticis & pauperibus, medicamentum hoc paratu facillimum à pleriſque authoribus commendatur.

℞. Folior. naſturtii aquatici M. iii. acetoſæ minoris M. ii. conciſa macerentur in lactis ℔. vi. & coquantur ad tertiæ partis conſumptionem: ſumantur. ℥. vi. ad viii. bis in die. Decoctum abſinthii ab Eugaleno & aliis laudatur. Remedium ſequens cum bono ſucceſſu ego ſæpius expertus ſum.

℞. Summit. geniſtæ M. iii. minutim inciſ. coquantur in cereviſiæ fortioris. ℔. iii. ad medietatem, exhibeantur ℥. ii. ad iii. bis in die.

2. *Infuſiones.*) Infuſio decocto ſuperaddita medicamentum utiliſſimum præſtat.

℞. Rad. ſcorzoneræ, cherefolii, an. ℥. j. folior. eupatorii, chamæpytios, an. M. ß. C. Cervi uſti ʒ. ii. paſſul. M. ß. coquantur in aq. fontanæ ℔. iii. ad tertiæ partis conſumptionem, adde vini Rhenani ℔. ß. & ſtatim coletur in vas vitreum, cui imponantur folior. cochleariæ, beccabungæ contuſ. an. M. ß. cort. aurantii condit. & minutim inciſ. ℥ ß. f. infuſio clauſa & calida per 6. horas. Colatura ſervetur in vaſis occluſis. Doſis ℥ vi. bis in die poſt medicamentum ſolidum.

℞. Seri lactis, cum vino albo, aut pomaceo facti. ℔. i. ß. huic incoquantur rad. bardanæ, eryngii condit. an. ʒ vi. baccar. juniperi condit. ℥. ß. liquor ad tertiæ partis conſumptionem decoctus coletur in lagenam, cui imponantur folior. cochleariæ, beccabungæ, an. M. j. f. infuſio calida, & clauſa per horas 6. Doſis ℔. ß. bis in die poſt medicamentum ſolidum.

Infuſiones item per ſe factæ nonnunquam egregii ſunt uſus.

℞. Fol. cochleariæ M. j. raſuræ rad. raphani ſylveſtris M. ß. cort. Winter. contuſ. ʒ ii. ponantur

in vitro cum vini albi, aut pomacei, & aq. cochleariæ, an. ℔. i. fiat infuſio in cella per duos vel tres dies. Doſis ℥ vi. ad viii. bis in die, ut ſupra.

3. *Succi & expreſſiones.*) Commendatiſſimus herbarum aut fructuum antiſcorbuticorum uſus eſt, ut illarum ſucci, & expreſſiones, per ſe, aut cum aliis liquoribus appropriatis, bis, aut ter in die aſſumantur: ſic enim remedii virtus integra, ac illibata exhiberi præſumitur.

℞. Folior. cochleariæ, naſturtii aquatici, beccabungæ, an. M. iii. contuſis exprimatur ſuccus, ſervetur in vitro occluſo. Doſis ℥. j. ß. ad ℥. iii. bis in die in hauſtulo cerviſiæ, vini, aut aq. deſtillatæ.

℞. Folior. cochleariæ M. iv. acetoſellæ M. ii. contuſis exprimatur ſuccus, qui vitro occluſus brevi clareſcit: namque acetoſitas lujulæ præcipitat craſſiores cochleariæ partes. Idem ſuccedit ſi ſuccus aurant. ſucco cochleariæ permiſcetur. Doſis ℥. ii. vel iii. bis in die.

℞. Folior. cochleariæ M. iv. beccabungæ, naſturtii, an. M. ii. piperis longi ʒ. iii. raſuræ raphani ſylveſtris ℥. ii. ſimul omnia contuſ. ponantur, in olla vitreata cum vini Rhenani, vel Hiſpanici, ſi potius videtur. ℔. ii. orificio probè occluſo, ſtent in cella frigida per ij. dies, dein f. expreſſio fortis. Doſis ℥. iii. bis in die, poſt medicamentum ſolidum.

℞. Folior. cochleariæ M. iii. beccabungæ, naſturtii, lujulæ, an. M. j. contuſ. affunde aq. limacum, & lumbric. an. ℥. vi. f. expreſſio fortis, quæ ſervetur in vitro occluſo. Doſis ℥. ii. bis in die.

4. *Syrupi.* Propter eandem rationem, qua decocta, etiam ſyrupi in ſcorbuto minus probantur, in quantum ſcilicet ſimplicium maximè efficacium virtus intra coquendum evaporat, quia tamen aliquibus pro liquorum appropriatorum edulcoratione tali medicamento interdum opus eſſe videtur, præparationem hic noſtram, reſervatis qua licet ingredientium viribus, proponemus.

Itaque ℞. folior. cochleariæ hortenſis M. vi. cort. 4. aurant. & duor. limoniorum tenuiter deraſ. raſur. rad. raphani M. ß. piperis longi pulv. ʒ. iii. omnibus ſimul contuſis exprimatur ſuccus, qui ſtatim vitro probe obturato incluſus, collocetur in cella frigida, donec per ſubſidentiam clareſcit: dein liquor clarus per inclinationem in vitrum aliud affuſus, & occluſus, in calore Balnei m. detineatur, interim pro ſingulis unciis.

℞. Sacchari ℥. j. ß. ejuſque tota quantitas cum parum aq. lumbric. diſſolutæ, ad tabul. coquantur: cui mox liquor prædictus calidus ſenſim affundatur, & cum ſpatula agitetur: Quamprimum incorporatur, compoſitio igne eximatur, & frigefacta vitro imponatur. Hic nodulus in vitro ſuſpendatur.

℞. Cinnamomi contuſ. ʒ. j. ß. ſem. naſturtii, erucæ pulv. an. ℥. i. miſce.

5. *Aquæ deſtillatæ.*) Aquæ deſtillatæ, quia ſunt elegans & jucundum remedium, inter præſcripta antiſcorbutica ferè utramque implent paginam. Harum diſpenſationes quædam in noſtra pharmacopœa perquam utiles & concinnæ habentur, ut aq. Raphani compoſita, lumbric. & limacum magiſtralis. Præterea extant celebres hujuſmodi aquarum præſcriptiones à Quercetano, Dornorelio, Sennerto, Doringio, aliiſque Authoribus traditæ. Inſuper unicuique Medico in promptu eſt tales cujuſque ægrotantis conditioni appropriatas, pro re nata præſcribere: recipiuntur enim ingredientia antiſcorbutica, ac inſuper accidentia quædam, & affectus particulares reſpicientia: quibus conciſis & contuſis liquor idoneus, ſcil. vinum album pomaceum, aut ſerum lactis ex utrovis paratum affunditur: dein tota mixtura in cucurbita, aut inorganis roſaceis deſtillatur. Libet hic formam unam, aut alteram nobis uſitatas ſubjungere.

℞. Folior. cochleariæ utriuſque, beccabungæ, naſturtii aquatici, ſummitatum geniſtæ, an. M. iv. foliorum chamædryos, chamæpytios, an. M. ii. rad. raphani ſylveſtris ℔. ß. Ari, angelicæ, imperatoriæ, an. ℥. iv. cortices externæ quatuor aurant. & totidem limoniorum, radic. calami aromati ℥. j. cinnamomi, caryophyllor. an. ℥. ß. contuſis, & conciſis affunde pomacei opt. ℔. viii. digerantur per duos dies in olla vitreata occluſa: dein deſtillentur in communi deſtillatorio: aquæ primo, & ultimo avocatæ miſceantur.

Tempore brumali, cum herbæ virides ſunt rariores, juxta hunc modum præſcribatur.

℞. Folior. cochleariæ M. iv. ſummitatum geniſtæ, pini, juniperi, an. M. iii. cort. mediani ſambuci, fraxini, an. ℥. iv. rad. raphani ſylveſtris, polypodii qu. an. ℥. iii. cortices quatuor aurant. & totidem limoniorum, cort. Winteran. ℥. iv. cōtuſis & conciſ. affunde vini albi, vel pomacei, vel ſeri lactis cū alterutro facti, ℔. ix. deſtilentur

Aq. ſimplex folior. Ari verno tempore deſtillata contra ſcorbutum efficax remedium eſt, ſi ℥ iij. vel iv. bis in die cum alio medicamento exhibeantur.

Aqua ſimplex cochleariæ, foliis recentibus contuſis reaffuſa, & exſtillata, adeoque crebris cohobiis iterata, efficax remedium evadit. Porro cochleariæ ſpiritus ardens ad hunc modum paratur.

℞. Folior. cochleariæ q. ſ. contuſa in pilas, quales ex glaſto pro Tinctor. uſu parari ſolent, formentur: dein pilæ illæ in olla vitreata, aut aq. cochleariæ, vel vino ejuſdem, ad quatuor digitorum ſupereminentiam affuſa, per tres aut quatuor dies exactè clauſa, in loco frigido detineantur: dein tota materies, alembico impoſito deſtilletur: aqua deſtillata cucurbitæ indita rectificetur: primo exhibit ſpiritus ardens, cujus gr. 15. vel 20. in idoneo vehiculo propinetur.

6. *Vina & cereviſiæ antiſcorbuticæ.*) Vinum antiſcorbuticum ſimplex egregii uſus ad hunc modum parare ſoleo. Verno aut æſtivo tempore.

℞. Fol. cochleariæ ſub ſereno cælo collect. q. v. ſucco è contuſis expreſſo, doliolum iij. aut iv. congior. capax impleatur; flor. cereviſiæ cochleari. j. vel ii. impoſitis, per duos dies fermentari ſinatur: dein vas occluſum in cella vinaria per 6. menſes collocetur: dein liquor clarus, ac inſtar vini Hiſpanici flaveſcens, in utres exhauriatur, ac uſui ſervetur, per plures annos incorruptus perdurat. Doſis ℥ iii. vel iv. bis in die.

Vina medicata, quorum cyathus unus aut alter horis medicis, aut etiam inter prandendum quotidie aſſumantur, ad hunc modum parentur.

℞. Fo-

♃. Folior. cochleariæ M. iv. raſuræ raphani ſylveſtris ℥ iv. cort. Winteran. contuſ. ℥ß. cortices exteriores quatuor aurantior. & totidem limonorum; ponantur in vitro, cum vini albi, Rhenani, aut tenuioris Hiſpanici ℔ xii. vas obturatum ſervetur in loco frigido: vinum effundatur clarum quoties uſu opus eſt.

Uſitatius eſt aliam, aut cereviſiam medicatam ſcorbuticis pro potu ordinario conſtanter bibendam præſcribere. Paretur cereviſia pro doliolo quatuor congiorum capaci: vice florum lupuli incoquantur ſummitatum pini, vel abietis M. iij. poſt fermentationem in dolio peractam, imponantur folior. cochleariæ M. iij. rad. lapathi acut. præparat. ℥ iv. cortices quatuor aurantior. poſtquam per ſeptimanam ſubſidentia inclaruit, potui exponatur.

Hujuſmodi cereviſiæ cum aliis ingredientibus medicata, juxta patientis temperamentum, & affectionem diverſimode parari poſſunt: quo remedii genere, ſiquidem particulæ medicamentoſæ, ſanguinis dyſcraſiam alterantes, maſſæ ejus una cum alimentoſis continuo inferuntur, in tollenda ſcorbuti cauſa, ſæpe multum proficitur. In quantum vero hujus cauſam, uti & morbi ſpeciem, duplicem eſſe oſtendimus, & medicamenta hactenus propoſita, ſanguinis intemperiem ſalino-ſulphuream fere tantum reſpiciunt, proxime incumbit medicamenta, quæ in altera ſanguinis dyſcraſia ſcorbutica, nempe ſulphureo-ſalina, conveniunt, ſubjicere.

In quibuſdam ſcorbuticis, cochleariæ, raphani ſylveſtris, corticis Winteran. aliorumque acrium, & ſale volatili valde præditorum uſus multum officere deprehenditur: quare in ejuſmodi caſibus, ubi cauſa morbifica in calidiori ſanguinis dyſcraſia, vini rancidi æmula, conſiſtit, medicamenta temperata, & humorum particulas per ſe effervеſcere aptas, minus exagitantia indicantur; quare formulæ, eodem quo ſuperiores ordine, ac velut παράλληλως ſubjicientur, atque imprimis de remediis ſolidis agemus.

Electuaria.) ♃. Conſervæ beccabungæ, cardamines, cum æquali parte ſacchari fact. an. ℥ iij. ſpec. diatrion. ſantal. diarrhod. abbatis, an. ʒ iß. eboris pulv. ʒ j. Margar. ʒ ß. ſalis abſinthii, tamariſci, an. ʒ i. cum ſ. q. ſyr. è coralliis. f. elect.

♃. Conſervæ lujulæ, cynorrhodii, an. ℥ iij. (vel conſervæ rad. lapathi acut. rad. cichorii, an. ℥ iij.) trochiſc. de rhabarbaro ʒ ij. ſpec. diamargar. frigid. ʒ iß. cort. tamariſci ʒ i. ſalis prunellæ ʒ iß. myrobalanor. condit. num. 2. c. ſ. q. ſyr. condituræ myrobalanor. f. electuarium.

Pauperioribus hoc αὐτοσχεδίαστον præſcribere ſoleo. ♃. Folior. beccabungæ, ℥ vi. lujulæ ℥ ii. ſacchari albiſſimi ℥ viii. contundantur addendo farinæ ſem. fœniculi d. ℥ ß. eboris pulv. ʒ ii. ſalis prunellæ ʒ iß. cum ſ. q. ſyrupi è ſucco beccabungæ, f. electuarium.

Confectiones.) ♃. Pulv. rad. Chinæ, pœoniæ maris, an. ℥ i. ſantal. albi, citrini, an. ʒ iij. eboris ʒ iß. Margar. ʒ ß. oculor. cancri ʒ i. Corallii cum ſucco aurant. irrorat. ac in marmor. lævigat. ʒ ii. tartari albiſſimi ʒ iß. ſacchari albiſſimi ſolut. in ſ. q. aq. ſcordii compoſit. ℥ vi. f. confectio.

♃. Rad. eryngii condit. ſcorzoneræ condit. an. ℥ iij. pulv. Ari compoſit. ℥ ß. ſpec. diatrion. ſantal. ʒ ii. ſalis prunellæ ʒ i ß. cum ſ. q. ſyrupi cariophyllor. f. confectio.

Pulveres.) ♃. Pulv. folior. chamæpytios, Ari compoſit. an. ʒ i ß. eboris pulv. corallii rubr. præparat. cum ſucco aurant. an. ʒ ii. tabularum aurantiorum ℥ ii. Miſce, f. pulvis. Doſis cochl. i. bis in die.

Pilulæ.) ♃. Spec. diatrion. ſantal. diamargar. frigid. an. ʒ ij. ſem. citri, cardui contuſ. an. ʒ iß. Rad. dictamni Cretici, pœoniæ maris, an. ʒ iß. ſalis tamariſci ʒ ij. cum ſ. q. gelatinæ à C. Cervi, vel exuviis anguium. f. maſſa.

Tabulæ.) ♃. Spec. diatrion. ſantal. diamargar. frigid. an. ʒ i ß. margar. pulv. corallii rubr. præpar. eboris pulv. an. ʒ i. ſacchari ſolut. in aq. ſcordii & ad tabul. coct. ℥ vi. ſ. a. f. tabulæ.

Quod ſi cum antiſcorbuticis hujuſmodi temperatis uſus chalybis indicatur, electuario, vel confectioni, aut etiam pilularum maſſæ addantur, magiſterii Martis Myſynchti, vel extract. chalybis præparationis noſtræ ʒ ii. In quibuſdam caſibus croci Martis circiter ʒ ii ß. vel ʒ iij. tali compoſitioni addantur, ſæpius tamen liquores ſolidis medicamentis ſuperbibendos, quam prædictas compoſitiones, chalybeatos reddere præſtat. Reſtat modo liquorum formulas præſcribere.

Decocta.) In ſcorbuto poſt febrem diuturnam excitato, hujuſmodi decocta, quæ ſanguinem purificant, & urinas copioſè movent, cum fructu exhibentur.

♃. Rad. cherefolii, ſcorzoneræ, acetoſæ, petroſelini, an. ℥ i. folior. eupatorii, linguæ cervinæ, an. M. j. C. Cervi uſti ʒ ii. cortices trium pomorum, uvarum Corinthiacarum ℥ ii. glycyrrhizæ ʒ iij. coquantur in aq. fontanæ ℔ iv. ad tertiæ partis conſumptionem, adde ſalis prunellæ ʒ ii. vel iij. Doſis ℥ vi. bis vel ter in die.

♃. Rad. eryngii condit. ʒ vi. graminis ʒ ij. folior. aparin. M. ij. eupatorii, epaticæ, an. M. j. paſſular. ℥ ij. ſantal. albi ʒ i. glycyrrhizæ ʒ ij. coquantur in aq. fontanæ ℔ iv. ad tertiæ partis conſumptionem. Doſis ℥ vi. poſt medicamentum ſolidum.

Ruſticis & pauperioribus, ne poſt febrem in ſcorbutum incidant, præſcribere ſoleo, ut bis in die capiant hauſtum ſequentem, nempe ut rad. & fol. taraxaci M. i. ß. in liquor. Poſſet. ℔ i. ß. coquantur ad tertiæ partis conſumptionem; coletur pro duabus doſibus.

Vel ♃. Rad. taraxaci M. ß. ſem. citri, cardui, an. ʒ i. coquantur in liquore Poſſet. cum pomis, vel pomaceo fact. ℔ i. ß. ad tertiæ partis conſumptionem.

Infuſiones.) Apozemata modo præſcripta, contra ſcorbutum præſtantiora evadent, ſi abſque glycyrrhiza parata, colentur in lagenam, cui imponantur folior. beccabungæ & naſturtii aquatici vel cardamines, an. M. i. dein f. infuſio calida & clauſa per 6. horas. Liquor denuo colatus ſervetur in vaſis occluſis. Doſis ℥ vi. bis vel ter in die. Quin & ſerum lactis, cum rad. taraxaci, aut foliis fumariæ incoctis, coletur in vas continens folior. beccabungæ, chelidonii minoris; an. M. i. f. infuſio, &c.

Infuſiones chalybeatæ crebro in uſu eſſe ſolent, nempe chalybis ſal, magiſterium aut extractum in decocto quodam, aut aq. deſtillata infundantur; cæterum, prout acidulæ naturales, ſic etiam artificiales è noſtr. præparatione chalybis in aq. fontana diſſoluti, atque antiſcorbuti-

corum infuſione imprægnati, cum inſigni commodo bibuntur.

Succi & expreſſiones.) ℞. Folior. beccabungæ, naſturtii aq. an. M. iv. lujulæ M. ij. contuſis exprimatur ſuccus, vitro occluſus cito per ſubſidentiam depurabitur. Doſis ℥ i ß. ad ij. cum vehiculo convenienti.

℞. Folior. beccabungæ M. iv. caulium rhab. Anglicani M. ij. contuſis exprimatur ſuccus.

℞. Folior. beccabungæ, naſturtii, cardamines, chelidonii minoris, acetoſellæ, an. M. ij. contuſ. exprimatur ſuccus, adde ſucci aurant. p. 4. ſerventur in vitro.

Syrupi.) Quoties ſyrupus, cuilibet alii compoſitioni addendus exigitur, aut ſyrupo de ſucco lujulæ, vel fumariæ, vel è corallis compoſito utimur; aut etiam magiſtralis de ſucco beccabungæ, eodem ritu, quo ſuprà, de cochleariæ ſucco præſcribitur, parari poteſt.

Aquæ diſtillatæ.) Aquæ diſtillatæ temperatiores parantur, mutando aut ingredientia, aut menſtruum, aut ſimul utrumque.

Quoad prius, juxta hunc modum proceditur.

℞. Folior. beccabungæ, naſturtii, fumariæ, linguæ cervinæ, hepaticæ, meliſſæ, ſummitatum tamariſci, cypreſſi, an. M. iij. ſantal. om. contuſ. an. ℥ ß. Rad. lapathi acut. polypodii qu. an. ℥ ij. Cort. exteriores quatuor aurant. limacum mundat. ℔ ij. inciſ. & contuſ. affunde ſeri lactis cum pomacei fact. ℔ vi. Diſtillentur in communi deſtillatorio.

2. Ut menſtruum ſit debilius, ingredientia ſint moderate calida.

℞. Folior. cochleariæ, beccabungæ, cardamines, naſturtii, an. M. iij. cort. quatuor aurant. limacum ℔ j. minutim conciſis affunde ſeri lactis communis, vel lactis recentis ℔ vi. Deſtillentur vulgari modo.

2. In ſcorbutica atrophia & diſpoſitione tabida, ubi nihil calidum ſanguinem, humores, ac ſpiritus exagitans, admitti debet, tum ingredientia, tum menſtruum, ſint temperata, & ſanguinem demulcentia.

℞. Folior. beccabungæ, cardamines, linguæ cervinæ, adianthi, hepaticæ, veronicæ, eupatorii, an. M. ij. limacum mundat. ℔ i ß. (vel pulpam caponis, aut cordis ovilli inciſ. ſemicocti & inciſi) omnibus ſimul contuſis affunde lactis recentis (vel aq. fumariæ) ℔ vi. deſtillentur communi modo.

Vina, & cereviſiæ medicatæ.) Etſi vinorum uſus in ſcorbuto, propter calidiorem, ſive ſulphureo ſalinam ſanguinis dyſcraſiam excitato minus convenire videatur, ſi quando tamen aut ſtomachus debilior, aut longa conſuetudo, vini ſaltem oligophori potum exigunt, ejuſmodi liquor ſimul temperatior, & quodammodo medicatus parari poteſt. Imprimis etenim vina tenuia aquâ diluta, & meliſſæ, borraginis, aut pimpinellæ, aliorumve infuſione imprægnata concedi debent.

Porro vina parentur è ſuccis ribium, ceraſorum, aliorumve fructuum horariorum, quæ cum fermentatione maturantur, ſtomacho perquam grata, & ſanguinis depurativa exiſtunt; dein pomaceum, familiare & fere genuinum patriæ noſtræ vinum, modo hoc defæcatum, mite, ac ſine acore quovis dulce fuerit, in ſcorbuto plurimum juvat: Porro huic liquori fæcibus exempto, & doliis repoſito ingredientia varii generis infundantur; cujuſmodi nimirum ſunt ſummitates pini, vel abietis, flores tamariſci; item raſura C. Cervi, vel eboris, quæ liquorem edulcorant, & ab aceſcentia præſervant; in quantum ſcil. particulæ ſalis fluidi in pomaceo ſcatentes, ipſique acorem inducere aptæ, prædicta ingredientia diſſolvendo, impenduntur.

Cereviſiæ medicatæ temperatiores, ad hunc modum præſcribantur, ſcil. paretur alla tenuior, pro doliolo 5. vel 6 congiorum capaci, cui vice florum lupuli incoquantur ſummitates pini, abietis, vel tamariſci, aut raſuræ ligni cujuſvis illorum; dein poſt fermentationem, vaſi imponantur rad. lapathi acuti exſiccatæ (quibus certe nullum in ſcorbuto præſtantius remedium eſt:) His interdum addantur folia beccabungæ, naſturtii aquatici, barbareæ, &c. item poma citrea, vel aurantia in taleolas diſciſſa.

Folia linguæ cervinæ, doliolo cereviſiæ mediocris poſt fermentationem impoſita, ipſi ſaporem ſimul, ac odorem gratiſſimum inducunt.

De Scorbuti indicatione curatoria, qua ipſi morbo, & ſymptomatibus præcipuè urgentibus occurritur.

Hactenus circa ſcorbuti therapeiam, quæ indicationem præſervatoriam, ſcil. cauſæ morbificæ remotionem ſpectant, ſcil. tum medendi intentiones, tum remedia indicata deſignavimus. Cujuſmodi methodus tempeſtivè incœpta, ac rite inſtituta, ſæpe rem totam perficit; in quantum ſcil. ægritudinis cauſa, ſive radice præciſa; affectus ab ea pendentes ſponte emarceſcunt. At vero, hunc curſum, *ἰατρικὸν* non ſemper directè, quin varie deflectendo ad latus, conjicere licet: quippe interdum accidentia, & ſymptomata graviora contingunt, quæ peculiarem, & quaſi extraordinariam medicinæ operam requirunt, quibus nempe immediate, ac interrupta ſæpe cura generali, attendere oportebit: Super his obſervetur, quod cum affectus qui ſcorbuto ſuperveniunt, pro cujuſque ipſorum natura ac patientis indole, appropriata exigunt remedia; hiſce tamen antiſcorbutica ſemper admiſceri debent. Non opus erit contra morbos, & affectus omnes, quibus ſcorbutus ſtipari ſolet, methodum therapeuticam inſtituere, ita namque huc tota medicinæ praxis tranſcriberetur; quin ad ſymptomata ſolum præcipue urgentia, à quibus nempe vel patientis vita periclitatur, vel cura principalis obſtruitur, reſpiciendum erit: quo ritu, ac quibus medicamentis talia ſanentur, modo oſtendemus.

Reſpiratio difficilis, cum pectoris anguſtia & paroxyſmis aſthmaticis, remediis ſtatim appropriatis, & extra methodum generalem præſcribendis tolli debet, ſecus enim ægrotans cito in vitæ diſcrimen adducitur. Cum hujuſmodi mala in ſcorbuticis utplurimum, vel ſanguinis in corde ſtagnantis vitio, vel propter nervos pneumonicos in functione ſua impeditos oriantur, idcirco medicamentis, aut cardiacis, aut antiſpaſmodicis curantur: ſp. C. Cervi, fuliginis, ſanguinis, cranii; item tinctura caſtorei, antimonii, vel ſulphuris; flores ſalis armoniaci, flores benzoini, item elixir proprietatis, in his

his caſibus ſæpe egregii ſunt uſus: cujuſmodi remedia exhibeantur crebra vice, cum doſi liquoris cujuſdam antiſcorbutici etiam contra prædictos affectus appropriati. Pro ſubita dyſpnœæ mere ſpaſmodicæ, ſi quando graviſſime urgeat, ſedatione, nullum præſentius remedium expertus ſum, quam Laudani opiati tincturam noſtram ad gutt. 10. vel 12. in liquore convenienti exhibitam: quippe ſomno obrepente, ſpiritus inordinationes ſuas remittunt, ac interim refecti, debito poſtea ritu priſtina ſua penſa reſumunt. Enemata acriora, quæ alvum copioſè ſubducunt, item decocta ſudorifera, ac diuretica ſæpe juvamen præſtant.

♃. Rad. bardanæ, petaſitidos, cherefolii, an. ℥ j. folior. adianthi, chamædrios, an. M. j. ſem. bardanæ, carthami, an. ʒ. iii. paſſularum ʒ. ii. inciſ. & contuſ. coquantur in aq. fontan. ℔. iii. ad tertiæ partis conſumptionem, adde vini albi ℥ iv. colentur in lagenam, cui imponatur fol. cochlear. conciſ. M. j. rad. Elenii condit. & minutim inciſ. ℥ ß. f. infuſio clauſa & calida per horas tres. Doſis ℥. vi. bis vel ter in die.

Scorbutici interdum magna ventriculi oppletione & dolore, item nauſea & ructibus, & nonnunquam etiam vomitu crebro, ac immani tentari ſolent. Cujuſmodi vitia interdum à chylo illic in putrilaginem degeneri, ſæpius tamen à materia morbifica, aut ſanguinis, aut etiam ſucci nervoſi commeatu advecta, & vel intra ſtomachi cavitatem depoſita, vel plexibus nerveis & membranis infixa oriuntur: In hujuſmodi caſibus, ſi materia viſcida, nidoroſa, aut alias infeſta inter vomendum rejicitur, & ſuſpicio ſit cauſam intra ventriculi cavitatem ſubſiſtere, lene vomitorium ex vino ſcillitico, aut ſale vitrioli propinare conveniat; vel extracto rhabarbari, aut infuſo ejus, adjecto ſale aut cremore tartari, humor peccans per alvum deturbetur: ſin materies intra membranas, aut plexus nerveos penitius adhæreſcat, diaphoretica, aut ſalium effervescentias cohibentia potius conducunt. Elixir proprietatis, vel flores ſalis armoniaci, vel ſpiritus fuliginis, cum aq. raphani compoſita, lumbricorum, aut alio liquore antiſcorbutico crebra vice ſumantur. Interim ſemel, aut bis in die, fotus ex abſinthio, centaurio, floribus chamomillæ, rad. gentiana, aliiſque vino albo incoctis, cum ſtuphis laneis calide intinctis & expreſſis, ventriculi regioni applicentur. Enematum uſus convenit. Non rarò opiata juvamen magnum conferunt.

Nulla propemodum affectio citiore medicinæ opem poſtulat, quàm quæ in ſcorbuto frequenter accidunt, colica & ventris tormina. Contra hæc mala, clyſteres varii generis, fotus, linimenta & cataplaſmata adhibentur. Opiatarum uſus hic valde neceſſarius deprehenditur. Certè in hoc caſu, illud Riverii præſcriptum, ut catapotia purgantia, cum laudano admixto exhibeantur, maxime locum habet; namque à ſomno concitato, ac alvi ſolutione uberiori proritata, non raro paroxyſmus ſolvitur. Cæterum pulveres teſtacei, à quibus ſales acetoſi imbibuntur, aut figuntur, cauſæ morbificæ profligandæ plurimum conducunt. E. g.

♃. Pulv. oculor. cancri, teſtarum ovor. an. ʒ. j. ß. margar. ʒ. j. f. pulvis, dividatur in 12. doſes, quarum una ſextâ qualibet horâ ſumatur cum aq. ſcorbutica, vel cum decocto rad. & ſeminum Bardanæ, qualis ſupra deſcribitur, aut etiam cum liquore Poſſet. cum rad. & ſeminibus Bardanæ, foliis majoranæ odoratæ, ac ſaxifragiæ incoctis, foliiſque cochleariæ infuſis. In colica ſcorbutica, eam in ventriculi affectibus modo deſcriptis, acidularum purgantium, quales apud noſtrates juxta vicos Epſum & Barnett proſtant, uſus egregium ſæpe commodum præſtat.

Diarrhœa inveterata, qualis ſcorbuticis frequenter accidit, haudquaquam medicamentis aſtringentibus ſiſti debet; nec etiam alterantibus, aut antiſcorbuticis, quibuſvis facile curatur: acidulæ ferro, aut vitriolo impraegnatæ, hujus affectus remedium optimum exiſtunt: his ſuccedunt acidulæ artificiales, aut medicamenta chalybeata, quæ juvamen inſigne præſtare ſolent: Crocus Martis recte præparatus, cæteris omnibus jure præfertur. Methodo ſequenti ſæpe bono cum ſucceſſu uſus ſum. Imprimis purgatio ex pulvere, aut infuſo rhabarbaro, aromaticis aſtringentibus adjectis, inſtituatur, & aliquoties, ſcilicet trium, aut quatuor dierum intervallo iteretur. Cæteris diebus, electuarii ſequentis doſis ad quantitatem nucis moſchatæ mane & hora quarta ſumatur.

♃. Conſervæ abſinthii vulgaris, cum æq. parte ſacchari fact. ℥ vi. (in conſtitutione calidiori, hujus vice, conſerva roſar. rubrar. recipiatur) ſpec. diarrhod. abbatis ʒ. ii ſantal. albi, rubri pulv. an. ℥ i. croci Martis opt. ℥ ß. cum ſ. q. ſyr. chalybis, f. electuarium.

In affectibus dyſentericis, ac teneſmo, ſimili methodo procedendum erit; præſertim acidularum uſus, ſi fieri poteſt, adhibeatur: Inſuper enemata, è decoctis vulnerariis parata, crebro ſint in uſu. Nuper ego quendam dyſenteria diuturna, ac gravi laborantem, qui ſcil. quotidie plures uncias ſanguinis per alvum à longo tempore excreverat, hoc remedio ſanavi.

♃. Rhabarb. opt. pulv. ℥ j. ſantal. rubr. pulv. ʒ. ii. cinnamomi ʒ. j. croci Martis ʒ. iii. balſami Lucatelli q. ſ. f. maſſa pilularis; ſumpſit quatuor pilulas, diebus modo ſingulis, modo alternis, per duas ſeptimanas, & perfecte curatus erat. Huic etiam cereviſiam medicatam ex rad. lapathi acut. & foliis beccabungæ infuſis conſtanter bibendam præſcripſi.

Vertigo ſcorbuto inveterato crebo ſupervenit; cui etiam leipotymia frequens, ac fere conſtans ejus metus, inſuper in membris ſtupor; ac formicationis ſenſus modo huc, modo illuc excurrens, ad jungi ſolent. Cujuſmodi affectus, modo à ſpirituum animalium in ipſo fonte, & modo ab eorundem intra nervos, tum cardiacos, tum membrorum motui inſervientes, deliquiis procedunt: cumque à cerebro & nervoſo genere, ſale ſcorbutico plurimum obſeſſis, dependent, non facile curantur. Remedia cephalica, qualia in vertigine & morbis paralyticis per ſe excitatis conveniunt, cum antiſcorbuticis admixtis adhiberi debent. Itaque facta imprimis totius proviſione, per cathartica idonea, & qualia in ſcorbuto conveniunt,

cum remediis contra prædictos affectus appropriatis, ad hunc modum procedatur.

Circa initia curationis, ſanguinis detractio è venis ſedalibus hirudinum ſuctu celebretur; & niſi aliquid contra indicat, crebra vice poſtea iteretur.

♃. Pulv. rad. pæoniæ maris ℥ ß. coral. rubr. præpar. ʒ ii. cranii humani, ungulæ alcis, an. ʒ j.

♃. Sacchari opt. ſolut. in aq. pæoniæ compoſit. vel in aq. raphani ſylveſtris, & ad tabul. coct. ℥ viii. olei ſuccini opt. rectificat. ʒß. ſ. a. f. tabulæ, ſumantur ad ʒ. j. vel ʒ. ii. mane & veſperi, ſuperbibendo hauſtum aq. deſtillat. ſequentis.

♃. Fol. cochleariæ, beccabungæ, naſturtii, lilii conval. ſalviæ, roriſmarini, betonicæ, an. M. iii. jugland. viridium ℔ j. cort. 6. aurant. & quatuor limoniorum. rad. pæoniæ maris recent. ℔. j. ß. contuſis & conciſis affundantur phlegmatis vitrioli ℔. j. ſeri lactis cum pomaceo fact. ℔ v. Diſtillentur more vulgari, aq. ſimul tota miſcetur. Doſis ℥ iii. ad iv.

Hæmorrhagiæ, in affectione ſcorbutica, ſæpe ingens periculum minantur, nimirum quaſi laborantes propterea in mortem præcipites traderentur, dum ſanguis fere ad animi deliquium, modo è naribus, modo fluxu menſtruo, aut hæmorrhoidali erumpit: præterea iſte interdum è pulmonibus, aut ventriculo rejectus, ulceris, aut ſaltem magnæ debilitatis in parte affecta, deliteſcentis ſuſpicionem præbet. Quare excretiones ſanguinolentæ, ſi vel immodicæ fuerint, aut loco inconvenienti accidunt, in præſens ſiſti, ac impoſterum præcaveri debent.

Pro ſiſtendo ſanguine quando immodicè erumpit, methodus ſatis vulgò nota eſt; ac nihil magis, aut peculiare in hoc affectu propter ſcorbutum, quàm propter alias occaſiones excitato, agendum reſtat. Attamen ad præcavendas hæmorrhagias, remedia adhibeantur, quæ ſanguinis acrimoniam tollunt, & vaſorum ora nimis laxa & dehiſcentia conſtingunt. Utraque intentio medicamentis chalybeatis optimè perficitur. Acidularum vitriolicarum uſus in hanc rem maximè idoneus eſt: porro chalybis infuſiones, extracta, ſales, ac ejuſmodi præparata, quæ ſalinam, ſive vitriolicam ferri naturam præcipue continent, contra hæmorrhagias ſemper utiliſſima exiſtunt. Qua ratione ferrum & præparata ejus hos effectus, alioſque diverſimodos in corpore humano producunt, ſuperius oſtenditur.

♃. Conſervæ roſar. rubrar. cynorrhodii, an. ℥ iii. ſpec. diarrhod. Abbatis, diatrion ſantalon, an. ʒ. i. ß. ſalis chalybis ʒ. i. croci Martis opt. præparat. ʒ. ii. corallii rubr. præpar. ʒ. i. ß. cum ſ. q. ſyr. de chalybe, f. electuarium, ſumatur ter in die qu. nucis moſchat. ſuperbibendo liquoris appropriati hauſtum.

Pauperibus ad hunc modum præſcribere ſoleo. ♃. Summitatum cypreſſi, urticæ urentis, an. ℥ iv. beccabungæ ℥ ii. Contundantur in mortario cum ℥ x. ſacchari albiſſimi: dein adde ſquamar. ferri tenuiſſimè pulv. ℥j. pulv. ſantal. albi, rubri, an. ʒ ij. cum ſ. q. ſyrup. è ſucco urticæ, f. electuarium. Doſis qu. nucis jugland. bis in die.

♃. Aq. deſtillatæ, vel decocti antiſcorbutici temperat. ℔ ij. chalybis noſtri præpar. ʒ ij. Miſce in vitro. Doſis ℥ iij. vel iv.

♃. Summitat. urticæ urentis, folior. beccabungæ, an. M. iv. contuſis exprimatur ſuccus, ſervetur in vitro. Doſis ℥ ij. vel iij. bis in die, cum aq. deſtillat. antiſcorbutica.

Quamprimum labes ſcorbutica partes oris inceſſit, ut gingivæ intumeſcant, earumque carnes fungoſæ evadant, protinus remedia, quæ putredinem ab iis arcent, ſedulo adhibeantur: Inter hæc, collutiones oris, ac linimenta, & morbo circa has partes incipiente, & illo ibidem ingraveſcente, præcipui ſunt uſus; quæ tamen, uti varias intentiones reſpiciunt, ita diverſimode parari ſolent, ſcil. gingivarum caro primo intumeſcens, à ſanguinis, aut ſeri ſalſi, & corrupti incurſibus liberari & exſiccari; poſtea earundem caro flacceſcens, ac à dentibus ſubſidens, à putredine vindicari, quin etiam ut dentes arctius complectatur, conſtringi debet; propter has, & forſan alias intentiones, gargariſmi, ſive oris collutiones varii generis inſtituantur: quorum fere omnium præcipua ingredientia ſunt vegetabilia incocta, ac mineralia infuſa. Herbæ, aut radices, quæ liquore idoneo, ſcil. aqua, aut vino incoquuntur, plerumque ſunt vel acres, vel amaræ, vel ſtypticæ: dein ejuſmodi decocta impregnantur aut ſale volatili, lixiviali, vitriolato, ſeu chalybeato, vel aluminoſo. Libet hic formulas quaſdam cujuſque generis ſubjicere.

1. Cum itaque gingivarum caro propter ſeri ac ſanguinis ſalſi & corrupti influxum, primo intumeſcit & fungoſa evadit.

♃. Cort. mediani ſambuci, Ulmi, an. M. ß. folior. ſatureiæ, ſalviæ, eryſimi, naſturtii, an. M. j. rad. Pyrethri ʒ ij. contuſ. & conciſa coquantur in aq. calcis ℔ iij. ad tertiæ partis conſumptionem: ſi edulcoratio requiritur, adde mellis roſat. ℥ ij. f. gargariſmus.

Vel ♃. Vitrioli camphorati ℥j. (vulgò apud noſtrates inſignitur nomine pulveris Capitanei *Green*) Aq. fontan. ℔ ij. Miſce in vitro, conquaſſetur, & dein liquor per ſubſidentiam clareſcens uſurpetur. Vel paretur lixivium è cineribus geniſtæ, aut roriſmarini, vel è tartaro & nitro calcinato: hujus ℔ iij. incoquantur folior. ſatureiæ, thymi, ſalviæ, roriſmarini, an. M. j. colatura ſuperfundatur folior. cochleariæ M. ij. f. infuſio calida & clauſa per horas tres, iterum coletur & ſervetur ad os colluendum ſæpius in die.

Propter eandem intentionem, etiam linimenta intermediis temporibus, ac præſertim noctu applicentur, ut illorum virtus ægrotantibus, vel inter dormiendum communicetur. Apud Authores præſcriptum frequens celebre, & longo uſu expertum habetur.

♃. Pulv. folior. aquilegiæ, menthæ criſpæ, ſalviæ, nucis moſchat. myrrhæ (quæ tamen aliquando omittatur) an. ʒ ij. aluminis uſti ʒ ß. mellis virginei ℥ iv. vel q. ſ. ſ. a. f. linimentum.

2. Si quando gingivarum caro flacceſcens, dentium radices deſtituit, Scarificatio levis ſæpe adhibeatur; inſuper hoc decocto os colluatur.

♃. Summitatum rubi, cypreſſi, folior. ſaniculæ, cardamines, an. M. j. coquantur in aq. ferratæ ℔. iij. ad tertiæ partis conſumptionem,

nem, colaturæ adde mellis roſat. ℥ ij. Miſce.

Linimentum hujuſmodi applicetur.

♃. Pulv. rad. ireos Florentinæ, folior. ſalviæ, hyperici, an. ℨ ij. boli Armeni, ſalis prunellæ, an. ℨ j. mellis virginei calentis q. ſ. agitatione bene incorporentur.

3. Quando gingivæ putreſcunt, & corrumpuntur, ſimulque dentes carie obſiti vacillant, ac tetrum odorem exſpirant, medicamenta fortiora, & putredini valde reſiſtentia adhibeantur; vitrioli camphorati, etiam lapidis medicamentoſi infuſio, hic adprimis locum habent.

Vel ♃. Rad. Gentianæ, Ariſtolochiæ rotund. inciſ. an. ℥ß. folior. centaurii minoris, abſinthii Pontici, ſatureiæ, aquilegiæ, an. M.j. coquantur in aq. calcis, aut lixivialis, etiam modo ferratæ, modo aluminoſæ ℔. iij. ad tertiæ partis conſumptionem. Colaturæ adde mellis crudi ℥ ij. vel iij. Miſce.

4. Si dentium caſus præcipuè metuatur.

♃. Cort. rad. prunor. ſylveſtrium ℥ j. tormentillæ, & biſtortæ totius, an. M j. malicorii, balauſt. an. ℥ß. coquantur in aq. fontanæ ℔ iij. Colaturæ adde aluminis ℨ ij. vel iij. mellis opt. ℥ ij. Miſce.

♃. Vitriol. camphorat. C. Cervi uſti, an. ℨ j. nucis moſch. ℨß. mellis opt. q. ſ. f. linimentum.

Vel ♃. Pulv. rad. biſtortæ, malicorii, boli Armeni, aluminis uſti, an. ℨ j. mellis roſacei q. ſ. adde ſpiritus vitrioli ℈ j. f. linimentum.

5. Si quando (uti interdum aſſolet) ulcera putrida & profunda, gingivas, aliaſve oris partes inceſſant, remedia prædicta fortiora erunt ſæpius adhibenda: Inſuper loco affecto peria unguento Ægyptiaco, in ſpiritu vini diſſoluto, vel lapidis medicamentoſi aut ſublimati infuſione intincta, aliquoties applicetur. In his caſibus Chirurgo perito curatio delegetur.

Contra hos dolores, ſiquidem acerbiſſimi interdum exiſtunt, præter generalem ſcorbuti curandi methodum, remedia ſpecifica, & ſymptomati iſti occurrentia indicantur: Itaque in tali caſu, purgationis ritu bene inſtituto, etiam phlebotomia (ſi opus ſit) celebrata, & pharmacia interna & topicis externis morbum adoriri convenit.

Quoad prius, quæ per ſudores, etiam & quæ per urinas movent, ſæpe juvamen præſtant, in quantum ſanguinis, & ſucci nervoſi recrementa lixivialia & acetoſa, in parte affecta congredi ſolita, alio deducunt: potiſſimum vero adhibeantur quæ utrumque humorem ab indole ſua prava, ſcilicet tum ſalina, tum acetoſa, vindicant: pulveres teſtacei, oculorum cancri, mandibularum lucii, item ſp. & flores ſalis armoniaci, ſp. ſanguinis, tinctura antimonii, corallii: Decocta rad. & ſeminis bardanæ, chamæpytios, chamædryos, adprime conferunt. Cujuſmodi remedia cum aquis deſtillatis antiſcorbuticis bis aut ter in die ſumantur. Aqua deſtillata, ex ſtercore equino, additis cochlearia, beccabunga, iva arthritica, & ſimilibus, interdum valde proficua eſt. Interea fotus, linimenta, cataplaſmata, aut alius generis applicationes, quæ dolores ſedant, exterius admoveantur.

De Arthritide vaga ſcorbutica.

De hoc affectu Eugalenus, Uvierus, Medicus Campenſis & Gregorius Horſtius, ex compoſito ſcripſerunt; in ſeptentrionalibus Belgiæ plagis, valde frequens perhibetur. Cujus certum indicium conſtat, lumbricum vivum loco dolenti imponendo; nam ille ſtatim exſilire, circumgyrari, incurvari, labaſcere, & mori ſolet; quod quidem in hoc morbo, etiam apud noſtrates ſatis crebro, evenire expertus ſum. Cujuſmodi experimenti ratio (uti videtur) hæc eſt: Doloris & tumoris in parte affecta excitati, cauſam eſſe ſtatuimus; quòd à ſanguine fæculentiæ ſalinæ, ſive lixiviales, ſimulque à ſucco nervoſo acetoſæ, in eodem loco depoſitæ, mutuo effervefcunt, non ſecus ac ſpiritus vitrioli ſali Tartari deliquato commiſſum: Porro à tali particularum diſſimilium lucta, & agitatione, uti dolor & tumor cientur, ita quidem effluvia valde acria, & velut corroſiva copioſe abſcedunt, quæ lumbricum loco dolenti impoſitum, nihilo minus, quam ſuper liquores iſtos ebullientes ſuſpenſum enecant: Propter experimenti iſtius effectum, morbi curatio per lumbricos, ſcil. remedia ex iis parata inſtituitur, qui tamen neſcio, utrum intus ſumpti tam certo profligabunt morbum, ac illi exterius admoti à morbo profligantur. Utcunque lumbrici, uti limaces, aſelli, & alia animalcula exſanguia, in quantum ſale volatili abundant, in remedium ſatis efficax non raro cedunt.

Henricus Petræus refert duo remedia contra hunc morbum in Weſtphalia uſitata.

♃. Novem lumbricos, cum duobus cochlearibus vini in mortario contuſos, & per pannum expreſſos, his addatur dimidia vini menſura, ſumantur cochlearia iij. mane, meredie, & veſperi, per plures dies.

♃. Sabinæ ramulos ij. vel iij. mellis virginei cochlearia ij. coquantur cum menſura vini ad ſubſidentiam duorum digitorum. Colatura ſumatur ad cochlearia iv. vel v. ter in die. Priori medicamento affinis eſt potio quædam vulgaris, ab Horſtio citata, dicta Monaſterienſis.

♃. Salviæ, betonicæ, Rutæ, an. folia 5. lumbricorum, cingulis rubris in collo, num. 5. ſabinæ parum, & rad. ſucciſæ num. 2. cum aqua flor. ſambuci contundantur, & ſuccus expreſſus pro ſudore movendo exhibeatur. Etiam ſimile præſcriptum à Medico Campenſi apud Foreſtum proponitur.

Certe in hoc affectu, aqua lumbricorum magiſtralis, in pharmacopœa Londinenſi præſcripta egregie convenit: quin ſp. & ſalem C. Cervi, ſp. ſanguinis, flores ſalis armoniaci, cum bono ſucceſſu ſæpius adhibui. Porro pulveres teſtacei, ſcil. oculi cancrorum, corallia, margaritæ, & vegetabilia, quæ arthritidis antidota feruntur, uti rad. ariſtolochiæ, folia chamæpytios, chamædryos, & ſimilia antiſcorbuticis conjuncta, morbi hujus ſanationi conducunt. Exterius pro doloribus ſedandis, præter anodyna, quæ ſub forma linimenti, fotus, aut cataplaſmatis uſurpantur: Oleum lumbricorum, ranarum, & bufonum non raro ſunt valde proficua. Accepi à viro Inſigni huic morbo valde obnoxio, quod aqua è contentis ventriculo bovis nuper macta-

ti exemptis per deſtillationem prolicita, & cum petiis ei calide intinctis, atque pro fotu applicatis, levamen certiſſimè adferret.

De affectibus convulſivis & paralyticis, ſcorbuto ſupervenire ſolitis.

Si quando labes ſcorbutica in cerebrum & nervorum genus irrumpens, liquorem utriſque provinciæ irriguum valde inquinarit, propterea quidem diverſimodi affectus, ac imprimis paralytici, aut ſpaſmodici, prout ſuprà oſtendimus, oriri ſolent: nimirum juxta quod materies morbifica regimini animali illata, aut narcotica, aut exploſiva fuerit. Cujuſmodi affectus, licet in hoc caſu ſymptomatici fuerint, attamen ingraveſcentes, præ ſcorbuto parente & nomen, & potiorem curationis partem ſibi vendicant, ita ut ægrotans paralyſi, aut convulſione, magis quam ſcorbuto laborare dicatur; etiam medicamenta iſtis affectibus dicata, quibuſcunque aliis eodem tempore, propter alias intentiones requiſitis, præponantur.

Pro ſanandis hujuſmodi affectibus, ſcorbuto ſuperinductis, id potiſſimum agatur, ut remedia iiſdem appropriata, cum antiſcorbuticis rite complicentur. Quoad morbos convulſivos, quæ in ſuperiori tractatu proſtant, huc facile transferantur. Cæterùm de paralyſi, lethargo, necnon pleriſque aliis cerebri, & nervoſi generis pathematis, diſquiſitiones ſpeciales aliquando forſan lucem viſuras instituimus: interim haud par eſt, methodos therapeuticas, quæ ad pathologias iſtas ſpectant, hoc in loco præoccupare; quin potius, quod ex re fore videtur, ſub calcem hujus operis, ſcorbuticorum quorundam, ſimul ab iſtis morbis decumbentium caſus & curationes proponemus.

De atrophia, item de febre ſcorbutica, quæ ſæpe illius aut cauſa eſt, aut effectus.

Tria ſunt cauſarum genera, ſerie quadam pendentia, à quarum una, aut pluribus, atrophia ſcorbutica, abſque pulmonum phthiſi exiſtens, produci ſolet, ſcil. aut chilus primarum viarum culpa pervertitur, quominus penus ejus ſufficiens, aut laudabilis, ſanguini inferatur. Secundò aut iſti illatus, tamen ſanguinis vitio, non recte in ſanguinem & ſuccum nutritium mutatur. Tertiò, aut denique ſuccus nutritius in maſſa ſanguinea præparatus, propter liquoris nervoſi culpam, ſolidis partibus non rite aſſimilatur.

Remedia huic ſymptomati appropriata, aut primarum viarum, aut prædictorum humorum emendationes reſpiciunt. Quoad prius, interdum accidit ob ſtomachi tonum præfractum, aut fermentum vitiatum, alimenta ingeſta non rite coqui, ſed in putrilaginem inutilem faceſſere. Hujuſmodi malis lenia cathartica, digeſtiva, corroborantia adhibeantur. Sæpius tamen propter tumorem ſcirrhoſum, modo ventriculo, modo in meſenterio, aliiſve circumcirca partibus excitatum, chylificationis opus inhibetur: in hoc caſu deobſtruentia, & diſſolventia conveniunt, acidularum uſus quibuſvis remediis palmam præripit. Porro fotus, linimenta, aut emplaſtra exterius applicari debent.

Inſuper interdum accidit, ſine tumore in viſceribus excitato, vaſa lactea à materia craſſa ac viſcida iiſdem impacta in tantum obſtrui, ut chyli ſatis laudabilis, & copioſe licet confecti, penus haud ſufficiens in ſanguinem feratur. In hoc affectu alvus utplurimum copioſe dejicit, albida tamen, inſtar lactis coagulati, ac non, uti aliorum excrementa, bile tincta aut fœtida. Quorum ratio eſt, quod ſanguis depauperatus bilem flavam, è qua inteſtinis ſuffuſa, excrementorum color ac fœtor procedunt, parcius progignit. In hoc caſu acidulæ imprimis conveniunt, item deobſtruentibus intus exhibitis, linimenta, fotus & balnea exteriùs uſurpentur.

Contra maraſmum, ſanguinis à craſi degeneris vitio exortum, lac aſininum aut vaccinum aqua hordeata, aut alia idonea deſtillata dilutum, ſæpe opem conferunt: Limacum juſcula, aut lacteata cum iiſdem incoctis; porro aquæ deſtillatæ ex lacte, aut ſero lactis cum limacibus & herbis antiſcorbuticis temperatis, in hoc caſu valde conducunt: in hunc finem etiam decocta ex herbis vulnerariis & antiſcorbuticis infuſis bono cum fructu ſumuntur. Interea partibus externis frictiones cum pannis, unguento reſumptivo, aut oleo amygdalarum recenti madidis, & intepefactis, quotidie adhibeantur.

Cum ſanguinis affecti, proindeque ſuccum nutritium pervertentis vitio atrophia exoritur, plerumque febrem erraticam, cum ſudoribus nocturnis adjunctam habet; in quantum ſcil. maſſa ſanguinea, à ſucco illo degeneri in efferveſcentias inæquales, ac incertas cogitur, atque materies ita moleſta ſudore nocturno ejicitur. In hoc caſu victu tenui inſtituto, decocta & aquæ deſtillatæ, quæ ſanguinem infundunt ac purificant, cum antiſcorbuticis admixtis crebrò ſumantur.

♃. Raſuræ eboris, C. Cervi, an. ʒ ii ß. rad. eryngii conditi ʒ vi. rad. cherefolii, taraxaci, an. ℥ß. folior. linguæ cervinæ, hepaticæ, an. M. j. pomum j. inciſum: paſſular. M. j. coquantur in aq. fontanæ ℔. iv. ad tertiæ partis conſumptionem. Colaturæ ſuperaffundantur folior. beccabungæ contuſ. M. ij. ſalis prunellæ ʒ i ß. vel nitri fixi ʒ j. f. infuſio clauſa, & calida, per horas tres, ſumantur ℥ iv. vel vi. ter in die.

♃. Folior. beccabungæ ℔. iv. oxalidis, taraxaci totius, an. M. ij. limacum mundatar. ℔. iß. cort. duorum aurantiorum: contuſis & conciſis affunde lactis recentis, vel ſeri lactis cum pomaceo facti vel ſucci pomor. recentis ℔. vi. deſtillentur more vulgari. Capiat ℥ iij. bis vel ter in die.

De rheumatiſmo.

Hunc affectum à ſalium, qui ſunt diverſæ proſapiæ ac indolis, nempe fixi à ſanguine, & acetoſi à liquore nervoſo adventantium, congreſſu & mutua efferveſcentia provenire ſtatuimus. Utriuſque ſalis ſubjecta, ſunt fæculentiæ ſuperfluæ, à prædictis humoribus in turgeſcentias quaſdam actis depoſitæ, atque in partes modo has, modo illas ſuffuſæ: quare ut morbus curetur, & humorum turgeſcentiæ ſedentur, & fæculentiæ eorum ſuperfluæ expurgentur, etiam ſales utroque ritu degeneres, ad volatilitatis ſtatum reducantur.

Propter duas priores intentiones levis purgatio

gatio & phlebotomia imprimis requiruntur, & aliquoties pro tolerantia virium iterari debent; quin & diuretica & diaphoretica, quæ ſeroſitates ſalinas quoquo modo foras convehant, ſubinde exhibeantur. Cujuſmodi evacuationes, ut ſedate, & cum εὐφορίᾳ, & natura aſſiſtente melius ſuccedant, opiatæ crebro ſunt in uſu. Propter alterum ſcopum, in quo præcipuus curationis cardo verſatur, alterantia, & præſertim quæ ſale volatili prædita ſunt, valde conducunt: quare in hoc caſu vulgaris, ſed non contemnenda medicina eſt, infuſionem ſtercoris equi maſculi, in vino tenui, aut cereviſia, aut aqua deſtillata appropriata factam, ad ℥ iv. vel vi. bis aut ter in die propinare. Quin & pharmacum paulo gratius & non minus efficax parari poteſt, ſi ex ſtercore illo cum ingredientibus antiſcorbuticis vino albo, aut pomaceo infuſis, aqua deſtilletur, quæ ad ℥ iij. vel iv. bis in die exhibeatur: ſpiritum C. Cervi ac ſanguinis ſæpius in hoc caſu, cum inſigni ægrotantis commodo præſcripſi.

De hydrope.

Cùm hydropen ſcorbuto ſupervenire ſolitum, duplicem ſtatuimus, ſcil. habitualem & occaſionalem; circa prioris medelam, plerumque & opera & oleum perditur; nulla etenim remedia hepar, atque pulmones, aliaque interdum viſcera prorſus vitiata, atque ſanguinis craſin penitus ſubverſam reſtituere poſſunt. In tali caſu ſi quid agendum videtur, medicinæ ambitus perangustus exiſtit; neque enim catharticis, nec diaphoreticis, neque alius cujuſque generis evacuationi fortiori locus relinquitur: cardiacis, ac diureticis præcipue ac fere tantum inſiſtendum erit. In hos fines, elixyres, tincturæ, electuaria, pulveres, infuſiones, decocta, aquæ deſtillatæ, &c. quæ partim antihydropicis, partim antiſcorbuticis conſtant, exhibeantur; quorum tamen, quia parum aut nihil ſignificant, formulis præſcribendis ſuperſedere viſum eſt.

Hydrops ſcorbuticus, à cauſa evidenti, ſive occaſione quadam, uti oſtenſum eſt, ſubito excitatus, non raro curationem admittit, quæ quidem ut facilius ſuccedat, naturæ tumultus imprimis ſedari, ac inordinationes compeſci debent: quamobrem ſi vigiliæ adhuc plurimum infeſtant, ſomnus opiatarum uſu concilietur, & ſubinde quoties valde opus ſit, denuo accerſatur. Quamprimum pro ratione virium purgare licet, ſequens pulvis ſumatur, & debitis intervallis aliquoties iteretur: interim à crebro enematum uſu alvus ſoluta reddatur.

℞. Mercurii d. ℈ j. reſin. Jalapæ gr. v. ad 10. cariophyllor. ℈ß. Miſce, detur in cochleari panatellæ. Aliis temporibus diuretica, ac interdum diaphoretica ſedulo propinentur.

℞. Tincturæ ſalis tartari millepedum infuſione imprægnatæ q. v. detur ℈ i. ad ℈ ij. bis in die, cum liquore appropriato.

℞. Spir. ſalis armoniaci q. v. Doſis ℈ß. ad gutt. 15. eodem modo.

℞. Millepedum præparat. ʒ iij. ſalis tartari ʒ ij. nucis moſchat. ʒ i. Miſce: f. pulvis. Doſis ʒ ß. bis in die, cum liquore appropriato.

Vel ℞. Apum ſiccat. & pulv. ʒ ij. ſem. ameos pulv. ʒ i. olei juniperi ℈ i. terebinthin. q. ſ. f. maſſa pilul. Doſis ℈ i. ad ʒß. bis in die, ſuperbibendo liquorem ſpecificum.

℞. Folior. cochleariæ utriuſque, naſturtii aqu. lepidii, perſicariæ, an. M. iij. rad. Ari, Bryoniæ, iridis Florentinæ, an. ℥ iv. corticis mediani ſambuci M. ij. cort. Winteranæ ℥ ii. cort. externæ quatuor aurantior. trium limoniorum, baccarum juniperi recentium ℥ iv. inciſ. & contuſis affunde vini Rhenani ℔ iv vini è ſucco baccarum ſambuci ℔ ij. Deſtillentur more vulgari, aqua tota confundatur. Doſis ℥ iij. ad iv. bis in die poſt doſin alicujus medicamenti ſuperius præſcripti.

Parentur decocta & cereviſiæ medicatæ, qualia ſupra præſcribuntur, adjectis ingredientibus antihydropicis.

De crepitu oſſium.

Reſtat adhuc ſymptoma, ſcorbuto interdum, licet rarius ſuperveniens, ſcil. crepitus oſſium; in cujus rationem ſuperiori pathologia omiſſam, & therapejam, ex re fore videtur hic loci inquirere. Novi quoſdam, vix tamen ultra tres aut quatuor, qui ſcorbuto dudum laborantes, noxam ejus non tantum in humoribus, & partibus carneis, ſed in ipſis demum oſſibus luerunt: quoties enim membrum quodvis ullo modo flecterent, oſſium capita quaſi nuda eſſent, inter ſe attrita, ſtrepitum ingentem edebant; porro cum lecto decumberent, ibidemque è latere in latus ſe devolverent, è vertebrarum colliſione, tanquam à ſceleto aſperius tractato, crepitus ingens, vel ipſos affectos perterrefaciens exaudiebatur.

Hujus cauſa conjuncta forſan videtur eſſe, quod molli oſſium interſtitio, ſcil. adipe, membranis, & ligamentis valde abſumptis, ipſorum juncturæ, velut lapides molares prorſus inaniti, propter mutuum attritum, reſonarent: attamen rem ſecus habere conſtat; quia nec ſumme tabidis adeſt oſſium crepitus, neque hoc affectu laborantes ſemper intabeſcunt: quare potius dicendum erit, quod ſymptomatis hujus cauſa immediata, ſit oſſium ariditas, ſive medullæ, ita proprie dictæ, quam intra oſſium cavitates, ac imprimis capita ipſorum, contineri oportuit, defectus; nam ſiquidem oſſa quævis medullam, ſive humorem unctuoſum, aut cavitatibus magnis, aut poris & meatibus exiguis ubique excuſis includunt: hujus uſum ſtatuimus, tum ut oſſa eodem irrigata minus fragilia evadant, tum inſuper, ut humor iſte, oſſium nodis exudans, articulos quoſvis, velut machinæ commiſſuras pinguedine linitas, lubricet, eorumque adeo motus facilitet; quare oſſium capita hac medulla deſtituta, crepant non ſecus ac currus rotæ rarius inunctæ.

Quod ſi de morbi hujus cauſa procatarctica inquiratur, quamobrem ſcil. unctuoſum illud articulorum oblinimentum deficit: hoc equidem vel ſanguinis vitio imputandum erit, quaſi hic alimentum ſulphuris, æque ac ſalis particeps, oſſibus haud rite ſuppeditet; quod equidem minus veriſimile eſt, quoniam maſſa ſanguinea, etiam in ſcorbuticis, particulas utriuſque generis prædictis continet; quin & oſſium cre-

crepitu laborantes cutim, & muſculos pinguedine ſatis oblitos oſtendunt; vel ſecundo potius videtur, humorem unctuoſum, quo articuli lubricentur, ipſorum oſſium culpa deſiderari, quia ſcil. horum pori, & meatus à materia quadam extranea, forſan limoſa, aut tartarea per ſanguinem advecta, in tantum obſtruuntur, propterea ut balſamum iis deſtinatum non ſatis excipiant, nec pro humectandis ipſorum commiſſuris exudent; non facile erit (quia res tota in abſtruſo latet) particulares hujus effectus rationes inveſtigare, neque in Ætiologia hac, ultra hujuſmodi conjecturam, pergere.

Nec minus in luto hæremus, cum ad morbi hujus curationem proceditur: nam licet primaria indicatio, ſcil. oſſium aut articulorum humectatio ſatis obvia fuerit, quo tamen ritu, & quibus remediis ea perficitur, non ita plane conſtat. Etenim in hoc caſu novi plurima pharmaciæ genera, & varios adminiſtrationum modos, omnino incaſſum tentatos. Vir quidam ingenioſus ab hoc morbo per multos annos graviſſime laborans, plurium, & quidem celebrium Medicorum conſilia expertus eſt; præter uſitata contra ſcorbutum remedia (una cum crebris phlebotomiis & purgationibus, è quibus haud quicquam levaminis recepit) varios inſuper & magnos medicinæ curſus, ſine quovis ſucceſſu tentabat: namque poſt methodum ab uno Medico per aliquot menſes fruſtra adhibitam, mox ad alium ſe conferebat, & ita deinceps ad plures: interim à ſingulis nova ſemper medendi ratio, à prioribus intentata, præſcribitur; fotus, linimenta & frictiones ſingulis artubus quotidie adhibentur. Thermis Bathonienſibus aliquandiu utitur; poſtea acidulæ varii generis, modo hæ, modo iſtæ bibuntur. Quibus nihil juvantibus, curſus chalybeatus, alio tempore decoctum lignorum temperatiorum, interdum diæta lactea, porro nullo non tempore, electuaria, aquæ deſtillatæ, apozemata, aliaque remedia ex antiſcorbuticis parata ſumuntur: cumque hoc ritu ſupra tres annos fere conſtanter medice & miſere vixiſſet, circa prædicti affectus therapeiam ne hilum proficitur; interim vero ille viribus ac ſtomacho mediocriter valuit, uxorem duxit, & quoad reliqua magis communia ſcorbuti ſymptomata melius habuit: hinc ut conſtet, quam pertinax morbus, nulliſque fere remediis cedens, oſſium crepitus fuerit, quod etiam aliis eodem affectu laborantibus, atque Medici operam prorſus eludentibus, comprobatum novi.

De indicatione vitali, qua includuntur medicamenta cardiaca, opiata & diæta, ſive victus ratio in ſcorbuto requiſita.

Hactenus indicationes tum præſervatorias, tum curatorias, quæ ſcorbuti therapeiam ſpectant, fuſe explicavimus; reſtat adhuc dicendum de indicatione vitali, nimirum ut declaretur, quâ methodo, & quibus remediis ægrotantium vires, aut nimis ad fatiſcendum aptæ ſuſtineantur, aut labefactatæ, vel proſtratæ reſtaurentur. Propter hos fines cardiaca & opiata, juxta decumbentium exigentias aſſumenda præſcribantur, ac inſuper recta victus ratio; ſiquando opus fuerit, analeptica; & ſemper antiſcorbutica præſcribatur.

Quoad medicamenta cardiaca, quæ ſcil. ſanguinem in corde ſtagnantem exagitant, flammam ejus ſemiobrutam reſuſcitant, ſpiritus animales oppreſſos, vel diſtractos libertati ac debitæ irradiationi reſtituunt; obvium eſt, plura remedia, quæ propriè antiſcorbutica dicuntur, has intentiones perficere; cujuſmodi nimirum ſunt, aqua raphani compoſita, limacum & lumbricorum magiſtralis, ſpirit. Cornu cervi, fuliginis, pulveres teſtacei, cum multis aliis, quæ non tantum quibuſdam horis, & juxta methodum certo ordine præſtitutam, ſed inſuper pro data occaſione, quoties ſyncope, aut quævis ſpirituum deliquia contingunt, cum fructu ſumuntur.

Attamen præterea, qui cordis paſſionibus, crebræ leipothymiæ, nauſeæ, vomitui, tremori, vertigini, aliiſque horrendis ſymptomatis valde obnoxii reperiuntur, etiam præſto habeant aliuſmodi medicamenta magis proprie cardiaca, quibus omni ſpirituum exſolutioni immediatè ſuccurratur. In hunc finem egregie convenit, elixir vitæ qu. majus; in deſtillatione ejuſdem elixiris, aqua ſecunda, quæ edulcorata ad cochlear. i. exhiberi poteſt, item aqua mirabilis, aqua bezoartica, aqua Gilberti temperata, theriacalis, cinnamomi, quibus ſingulis, aut inter ſe compoſitis, adjiciatur confectio alchermes, confectio de hyacintho, pulv. margaritar. aut magiſterium corallii, ſyrupus cariophyllor. vel è corticibus citri, è cinnamomo: ex his, aliiſque hujus farinæ medicamentorum formulæ diverſimodæ præſcribi ſolent. E. g.

♃. Aqu. theriacalis, mirabilis, an. ℥ iij. meliſſæ ℥ iv. ſyrupi cariophyllor. ℥ iß. confectionis alchermes ʒ j. Miſce. Doſis cochlearia iij. vel iv.

Vel ♃. Aq. mirabilis ℥ vi. limacum, juglandum, an. ℥ ij. margarit. pulv. ℈ j. Confect. de hyacintho ʒ j. ſyrupi cariophyllor. ℥ i. Miſce.

Cum mulieres ſcorbuticæ affectibus hyſtericis, ac viri convulſivis tentari ſolent.

♃. Aq. meliſſæ, pulegii, an. ℥ iii. aq. bryoniæ compoſit. ℥ iv. tincturæ caſtorei ʒ ß. tincturæ croci ʒ j. ſyr. cariophyllor. ℥ i ß. caſtorei nodulo ligat. & in vitro ſuſpenſi ʒ j. Doſis cochlearia iij. vel iv.

Quibus remedia cardiaca in forma ſolida potius expetuntur, electuaria vel tabulæ præſcribantur.

♃. Conſervæ flor. tunicæ ℥ iij. confectionis alchermes ʒ ß. margaritar. pulv. ʒ j. cum ſ. q. ſyrupi è coralliis, f. electuarium.

♃. Specier. diamargarit. frigid. diarrhod. abbatis, an. ʒ iß. margaritar. pulv. ʒ i. ſacchari albiſſimi ſolut. in aq. theriacali, & ad tabulat. coct. ℥ iv. olei cinnamomi gutt. vi. ſ. a. f. tabulæ.

Quod ſpectat ad opiata & medicamenta anodyna, in quibuſdam ſcorbuticorum affectionibus mallem quovis præterea medicamentorum genere, quam illorum uſu deſtitui: nec enim ſolummodo contra dolores & vigilias pertinaces, verum in paroxyſmis aſthmaticis, in vomitu, diarrhœa, quin etiam in vertigine & pathematis convulſivis, quoties natura ſupra modum

modum irritata, inordinationes immaniores concipit, nullum præſtantius remedium ſæpius expertus ſum, quam ut narcotico tuto adhibito, ſomnus concilietur: interim maxima opus eſt cautione, ne ſumantur, ſiquandò aliquid in ægrotantis conſtitutione, aut in morbi conditione, vel tempore, talis medicamenti exhibitionem prohibeat.

Præter hypnotica in pharmacopolis uſitata, ſcil. laudanum opiatum, nepenthen, philonia, diacodium & ſyrupum papaveris erratici, duæ inſuper opii præparationes mihi innoteſcunt, quas in forma tincturæ, ſive extracti liquidioris à gutt. 10. ad 20. cum alio quovis liquore appropriato exhibere ſoleo.

Diæta, ſive victus ratio à ſcorbuticis obſervanda, in methodo therapeutica haud minimi momenti eſt; qua ſcil. neglecta, aut perperam inſtituta; reliqua medicinæ præſcripta parum, aut nihil verſus ſanitatem proficiunt. Regimen diæteticum, cum ad varia extenditur, præcipue circa aërem & habitaculi ſitum, cibum, ac potum, atque corporis motum, vel quietem verſatur.

Quoad prius, cujuſmodi, reſpectu cœli ac ſoli, manſiones & commorandi loca ſcorbutum pariunt, ac proinde vitari debent, è ſupradictis abundè conſtat. Qui hunc morbum aut cavere, aut curare ſtudent, aërem moderate calidum & ſiccum, qui etiam tenuis & purus, & ſatis eventilatus fuerit, eligere ſatagant.

Cibi tantum εὔχυμοι & εὔπεπτοι conveniunt; craſſi, viſcidi, ac fumo indurati, mucidi, ac rancidi, porro alimenta infermentata, aut valde compoſita, legumina, lacticinia, fructus immaturi evitentur. Saccharo condita, aut plurimum imbuta, in tantum vitupero; ut illius inventionem, ac uſum immodicum, ſcorbuti in nupero hoc ſeculo immanis, augmento plurimum contribuiſſe exiſtimem: Enimvero concretum iſtud, ſale ſatis acri & corroſivo, cum ſulphure tamen delitis acri & corroſivo, cum ſulphure tamen delinito conſtat, prout ex analyſi ejus ſpagyricè facta liquido patet. Quippe ſaccharum (prout ſupra innuimus) per ſe deſtillatum, exhibet liquorem aquâ ſtygia vix inferiorem: quod ſi ipſum in veſica, pluimâ aquâ fontanâ perfuſum deſtillaveris, quamvis ſal fixus non adeo aſcendit, prodibit tamen liquor inſtar aquæ vitæ acerrimæ ureas, ac ſumme pungitivus: cum itaque ſaccharum quibuſvis fere alimentis commixtum, ita copioſe à nobis aſſumatur, quam veriſimile eſt, ab ejus uſu quotidiano ſanguinem & humores ſalſos, & acres, proindeque ſcorbuticos reddi. Author quidam inſignis, tabis Anglicæ cauſam in immoderatum ſacchari apud noſtrates uſum retulit: neſcio an non potius etiam hinc ſcorbuti increbreſcentis fomes derivetur.

Potus ſit cereviſia mediocris, mitis, ac bene defæcata, quin & ingredientibus antiſcorbuticis, citra ingratum ſaporem alterata; non ſit craſſa & dulcis, nec etiam vetuſta nimis & aceſcens: hæc in modica quantitate, ac fere tantum ſtatis prandii ac cœnæ temporibus ſumatur. Quæ apud multos invaluit conſuetudo, nempe ut quamprimum lecto excitantur, ſtatim hauſtui matutino (uti vulgo dicitur) largiori indulgeant, pernicioſa admodum videtur. Etenim hac ratione, ſiquidem vaſa ſanguifera, chyli recentis penu fere perpetim ſuffuſo, nimis repleantur, & cruditates & fæculentiæ morbificæ in ſanguine gignuntur, & hæmatoſeos munus valde debilitatur; præſtat ſanè pleroſque homines (niſi quibus ventriculus, quamdiu ſit vacuus, moleſtè contrani & corrugari ſolet) uſque ad prandium jejunos manere. Nec minus ſanitati adverſatur mos iſte vulgaris, ſtatim à victu poculis plenioribus ſeſe ingurgitare. Vina ac pomacea modo ſint mollia, ſincera ac minime adulterata, modicè ſumpta non nocent; iiſdem, vero fucatis, rancidis auſteris, aut aceſcentibus, nihil magis noxium, ac ſanitati noſtræ injurium.

Exercitia, ac labores pro ſcorbuto tum ſanando, tum præcavendo, ſunt commodi adeo inſignis, ut multi hoc ſolo remedio integram valetudinem aut tuentur, aut recuperant: etenim otioſis, & vitam ſedentariam agentibus, ſanguis & liquor nervoſus, tanquam aquæ ſtagnantes, quaſi lentorem & ſitum contrahunt: a motu vero corporis aſſiduo & multo, humores & ſpiritus inclareſcunt & vigorantur, particulæ excrementitiæ, & heterogeneæ evaporant, viſcerum infarctiones expediuntur, eorumque tonus corroboratur.

Scorbuticorum hiſtoriæ quædam, & caſus rariores.

Quæ circa ſcorbuti & theoriam, & therapeiam hactenus protulimus, ægrotantium exemplis, ſive hiſtoriis in medium productis, & juxta hypotheſin prædictam explicatis, adhuc clarius eluceſcent. Cum vero ab hoc morbo laborantium caſus multiplices, ac diverſimodi exiſtant, libet hic quoſdam rariores, propter labem cerebro ac nervoſo generi, non minus quam ſanguini affixam, excitatos proponere.

Fœmina illuſtris, procera & venuſta, in ætate 25. circiter annorum, propter varios errores in victu labem ſcorbuticam contraxerat: Cujus indicia fuerunt laſſitudo ſpontanea, reſpiratio difficilis, tibiarum dolores & maculæ, atque gingivæ inſuper tumidæ & ſanguinolentæ: verno tempore, poſt abortum, in febrem tertianam incidens, cito languida, & imbecillis evaſit: à quo tamen morbo primum methodice curata, brevi convaluerat, niſi quod carnium, aliorumque incongruorum appetens, cito recidivam pateretur. Tunc autem, medicinæ pertæſa, remedia tantum empirica cepit, quibus interdum paroxyſmi febriles abigebantur, mox ſubinde redituri: interim ægrotans pallida, ad motum impotens, & anhela, juxta ventriculum, & hypochondria tumida, & inflata manebat. Circa tertium ægrotationis menſem, in ventre tormina, & cruciatus acerrimos pati cœpit; quibus modo ad dorſum, modo ad ventriculum excurrentibus, dies & noctes fere continuo affligebatur. Inſuper crebra vertigine, ac interdum paroxyſmis quaſi hyſtericis afficiebatur: item vomitu frequenti moleſtata, pituitam viſcidam & ſpumeam quotidie rejiciebat: Intra menſis ſpatium morbus hic fines ſuos explicans, dolores in dorſo, ac lumbis, dein poſtea in ſingulis corporis partibus excitabat. Cæterum hoc tempore, de ſumma pectoris anguſtia, & magna viſcerũ contractionẽ conqueſta erat. Interim habitus corporis plurimum emaciabatur, ut oſſa carne deſtitu-

ta vix cuti cohærerent. Urina pauca & rubicunda, in cujus ſuperficie pellicula, inſtar caudæ pavonis variegata accreſcebat. Brevi poſthæc, ſtupor & formicationis ſenſus, modo in ventre, modo in artubus ſentiebantur, & deinceps tormina & dolores remitti cœperunt; attamen illorum vice, paralyſis ſucceſſit, quæ intra hebdomadæ ſpatium ſingula totius corporis membra ita pervadebat, ut nec manum, aut pedem, aut etiam quamvis partem flectere, aut latum unguem loco movere potuerit.

Quoad prædicti caſus Ætiologiam hic obvium eſt, ſymptomata iſthæc graviora, omnino à radice ſcorbutica pullulaſſe; namque ob labem ſanguini imprimis affixam, laſſitudo ſpontanea, reſpiratio difficilis, quin & febris intermittens, vaga & ſæpius recurrens, aliorumque ſymptomatum velitationes, quaſi præviæ, ac leviores inducebantur; porro urina lixivalis, & coloris variegati, ſanguinem dyſcraſia ſulphureo-ſalina correptum plane indicabat: cujuſmodi lotium eo ritu inſignitum, in pluribus aliis, ſimili morbo affectis annotavi. Cæterum in hac domina ægrotante, quando ſeminium morbidum copia adauctum, & in maſſam ſanguineam exundans, in cerebri & nervoſi generis confinia explicaretur, affectus adhuc graviores ſubnaſcebantur; nempe materies νοσερὴ particulis heterogeneis & irritativis conſtans, intra cerebrum depoſita, vertiginem & ſcotomiam, cum diatheſi ſpaſmodica intulit; dein portio ejus in nervos paris vagi, & intercoſtalis illapſa, eorumque ductu ad plexus meſentericos detruſa, colicam ſcorbuticam excitavit; cumque eadem materies in immenſum aucta, pleroſque alios nervos ſubiret, affectus dolorifici fere in ſingulas corporis partes propagabantur; in quantum ſcilicet recrementa acida, ſtagmatis vitriolici æmula, paſſim è ſucco nervoſo depoſita, cum ſalſamentis lixivialibus, ubique etiam à ſanguine ſuffuſis, congrederentur; ultimo dein cum nervi omnes, à materia morbifica ſenſim oppleti & infarcti in tantum obſtruerentur, ut ſpirituum irradiatio, & commercia inhiberentur, paralyſis in toto corpore ſucceſſit.

Hæc domina procul hinc degens, ex Medici vicini conſilio cepit medicamenta contra affectionem colicam uſitata; quibus non obſtantibus, cum morbus ingraveſceret, patiens Oxonium adducta, remedia quamplurima tum antiſcorbutica, tum antiparalytica, cujuſque fere generis ac formæ, ſine quovis tamen fructu, tentavit. Poſtquam igitur ordinaria quæpiam medendi methodus huic morbo impar videretur, ad remedia magna, & quidem periculo haud prorſus libera, pervenire viſum erat. Quare huic ægrotanti, utut debili & emarcidæ, pharmacum mercuriale, ſalivationis excitandi gratia, exhibebamus. Cujuſmodi effectus ex voto ſucceſſit: namque fluor oris intra biduum exortus, & ſine malo quovis ſymptomate per plures dies blande perſiſtens, illuſtriſſimæ Dominæ plurimum levaminis conferebat. Doloribus enim mitigatis, membra aliquatenus movere, alimenta melius appetere & concoquere, quin & ſomno quieto frui cœpit: ſalivatione finita, cepit decoctum è ſarſa & China, cum ingredientibus antiparalyticis, per paucos dies; dein Bathoniam adducta, ibidemque thermis temperatis aliquandiu uſa, mediocrem valetudinis ſtatum recuperabat. Tota hyeme medicamenta contra ſcorbutum, & paralyſin conſtanter ſumebat; cumque anno ſequenti thermarum uſum repeteret, perfectè convaluit; & poſtea plurium liberorum læta mater evaſit.

Vir quadragenarius, temperamenti melancholici, a multis annis ſcorbuto laborans, multiplicia & diverſimoda ejus ſymptomata variis anni temporibus experiri ſolet. Circa crura maculæ, & ſtigmata nigra latiora, tanquam vibices apparent; ventris dolores, cum alvo ſoluta, crebro infeſtant; urina utplurimum lixivialis apparet, laſſitudo ſpontanea, languor virium, & inappetentia fere conſtanter adſunt: Præter hæc mala ordinaria, & velut aſſueta, inſuper ægrotationis paroxyſmis atrocioribus, iiſque varii generis obnoxius degit. Ante biennium, quando hunc primò inviſebam, de reſpiratione difficili, tanquam ſuffocari periclitaretur, cum tremore cordis, ſpirituum deliquiis, & crebro leipothymias metu graviſſimè conqueſtus erat: inſuper ſi quid horum in præcordiis pathematum paulò remitteret, ut plurimum ſcotomia gravis, & vertigo eum inceſſebant. Ab his affectibus, poſtquam remedia antiſpaſmodica cum antiſcorbuticis complicata aliquandium ceperat, perfectè convaluiſſe viſus erat: deinceps vero intra paucas ſeptimanas nauſea & cardialgia, cum hypochondriorum inflatione afficiebatur: urina erat pauca, & valde lixivialis; brevi abdomen intumeſcebat, dein pedes, & crura ſumme œdematoſa hydropis ingruentis indicium præbuere: poſtea femora, necnon dorſi, & brachiorum carnes ejuſmodi tumor inceſſit, qui tamen affectus, licet deploratus videretur, remediis antiſcorbuticis cum catharticis & diureticis adjectis, facile curabatur. Attamen vir egregius, licet valetudini reſtitutus, non ita diu perſtitit: etenim binis anni quadris vix elapſis, de cephalalgia gravi, cum vertigine, & vigilia pertinaci queri cœpit; deinde ſine cauſa evidenti, vomitu horrendo corripiebatur: brevi poſtea paroxyſmi aſthmatici, cum tremore cordis, & ſpirituum deliquiis redibant. Hoc etiam tempore, cum pene deploratus videretur, rurſus medicamentorum antiſcorbuticorum uſu brevi convaluit. Ex hoc caſu liquidò conſtat, quantum malorum miaſma ſcorbuticum, fermenti inſtar, tum in ſanguine, tum in ſucco nervoſo latitans, & pro data occaſione virus ſuum explicans, inferre poteſt. Cujuſmodi tamen affectus, utut horrendi ac terribiles videntur, dummodo ab humoribus tantum in craſi vitiatis, ac minimè à viſceribus in tono, aut conformatione læſis dependent, plerumque facili negotio, ſcilicet methodo antiſcorbutica, juxta patientis, æque ac morbi conditionem apte deſignata curari ſolent.

Clariſſima Domina 25. circiter annos nata temperamenti ſanguinei, gracilis corporis habitus, ἄγαμος & venuſta, affectione ſcorbutica dudum laborarat: nam præter macula latas, & heri-

heriſipelata in diverſis corporis partibus erumpentia, dolores & cruciatus acerrimos, noctu potiſſimum ingraveſcentes, modo in tibiis, modo in brachiis, à longo tempore pati ſolebat, medicinam, curationis gratia ſæpius incœptam, quia prægnans fuerat, ſtatim omittere cogebatur. Poſt noviſſimum puerperium, ſiquidem lochia copioſius effluxerant, per plures dies languida, & imbecillis, cum reſpiratione difficili, & ad motum quemvis anhela permanſit: Poſt exactum à puerperio menſem, lecto excitata, & ambulare aggreſſa, in dyſpnœam graviſſimam, cum tremore cordis, & crebro ſpirituum deliquio incidit: è veſtigio lecto commiſſa adhuc tremens, & creberrime palpitans, per integrum fere diem perſtitit: porro membra exteriora, tanquam inſtante letho, prorſus algida, nullis frictionum, aut pannorum excalefactorum applicationibus intepeſcebant: tandem nycthemero pene elapſo, à cardiacis fortioribus frequenter exhibitis, circa præcordia melius habuit: ſuccedebat tamen juxta inguen ſiniſtrum in ſummitate femoris dolor valde acutus, uſque in ſuram protenſus, atque intra paucas horas tumor ſubdurus tactui reſiſtens totum illud ſpatium occupabat. Hoc tempore accerſitus, cum ægrotans adhuc ἄϋπνος, & anhela fuerit, ſtatim enemate mox injiciendo præſcripto, exhibui ſp. C. cervi gut. 12. in cochleari julapii ſequentis, ejuſdem ℥. ii. poſteà ebibitis.

℞. Aq. limacum ℥ vi. hyſtericæ ℥ iv. jugland. ſimpl. pulegii, an. ℥ iii. ſacchari ℥ i. caſtorei petiæ ligati & in vitro ſuſpenſ. ʒ. j. Hæc medicamenta ſexta qualibet hora iterabantur. Veſicatorium amplum internæ parti femoris applicandum curavi: dein veſperi, ſiquidem toto hoc paroxyſmo adhuc inſomnis perſtiterat, exhibui laudani gr. j. margarit. pulv. gr. vi. confect. alchermes ſine moſcho ʒ ß. Placide dormivit, & mane ſequenti plurimum alleviabatur: dolor, & tumor femoris aliquantulum remiſerunt: etiam dummodo in lecto quieta jacuit, circa præcordia recte habuit, verum erecta, aut in latus converſa, illico præ dyſpnœa fere expirare viſa erat: Uſum ſp. C. cervi & julapii ſexta qualibet hora iterandum per plures dies continuavit. Cæterum quoniam ſiti moleſta premebatur, atque urinam uſque parcam, rubicundam & contentis ſaturatam reddebat, apozematis ſequentis doſin ad ℥. vi. bis in die capiebat.

℞. Rad. graminis, cherefolii, eryngii condit. an. ʒ. vj. raſur. eboris, C. cervi, an. ʒ. ii. C. cervi uſti ʒ i. ß. paſſular. ℥. ii. pomum i. inciſum, liquiritiæ ʒ. ii. ß. Inciſ. & contuſ. coquantur in aq. fontan. ℔. iii. ad tertiæ partis conſumptionem; dein additis vini albi ℥ iv. coletur in lagenam, cui imponantur foliorum cochleariæ, beccabungæ, an. M. i. ſalis abſynthii ʒ. ii. f. infuſio clauſa, & calida per horas tres: Colatura ſervetur in vaſis occluſis. Diebus modo ſingulis, modo alternis enema injiciebatur. Horum uſu in dies melius habere videbatur, ut intra hebdomadæ ſpatium lecto excitata per duas aut tres horas juxta focum in cathedra ſedere potuerit: Si tamen paulo magis, quam par erat, aut lecto abſtineret, aut movendi niſum exereret, illico in dyſpnœam, ſive paroxyſmum aſthmaticum incidere ſolebat: ita ut quodam die extra lectum diutius morata, morbi inſultum graviorem perpeſſa, reſpiratione difficili, totius corporis tremore, ac crebris ſpirituum deliquiis afficeretur: Propter hanc dominæ ægrotantis recidivam, denuo accerſitus, ſp. C. cervi ad gutt. 20. cum julapio ſupra præſcripto, atque veſperi laudani noſtri doſin exhibui; cum exinde circa præcordia melius haberet, dolores & tumores in femore, & tibia dextra, quales antea in ſiniſtra evenerant, ſuccedebant; Veſicatoria etiam iſti femori applicanda præcepi: atque præter remedia hactenus citata, cœpit bis in die vini noſtri è ſucco cochleariæ ℥. iv. cum aq. magiſtralis antiſcorbuticæ ℥ii. Inſuper purgationem ex ſyrupo noſtro ſolutivo ſuperius præſcripto inſtitui; quæ cum bene ſucceſſit, intra tres aut quatuor dies iterandam præcepi. His remediis intra menſem convaluit.

Quod ſpectat ad ſymptomatum rationes in prædicto caſu obſervandas, imprimis obvium eſt, à maculis, & artuum doloribus, & ſanguinem & ſuccum nervoſum labe ſcorbutica dudum fuiſſe tactos; quæ tamen intra prædictos humores, quouſque ſpiritu vitali ac animali pollebant, velut ſubjugata; abſque malo inſigni latebat: poſt ingentem vero hæmorrhagiam, cum ſanguis & liquor nervoſus in craſi fatiſcerent, morbidi ſeminii particulæ, inſtar fermenti commotæ affectus terribiles excitabant: dyſpnœa graviſſima propter duplicem cauſam, ſive gemini mali concurſum exoriri videbatur; nempe & quia ſanguis depauperatus in corde ſtagnaret, & quia nervi quidam pneumonici materia ſcorbutica obſeſſi circa reſpirationis munus inhiberentur: Hinc etenim neceſſe erat, pulmones, ut ſanguinem è corde haurirent, citiſſime moveri; atque reſpirationis actus à nervis impeditis, debiliores, proindeque crebriores & valde laborioſos fieri. Urgente dyſpnœas paroxyſmo, cum ſanguis circa præcordia plurimum exaggeraretur, partes extremæ (ubi tum pene defecerat) propter ejus abſentiam, algebant; poſtea cum pulmonum ſpaſmi remitterent, atque ſanguis materia morbifica, quam ibidem reſorbuerat, valde imbutus, à ſtagnatione ſua ſolutus, circulatione ſua ſolutus, circulationi redderetur, iſte in femora, ſcil. modo dextrum, modo ſiniſtrum prius deſertum, impetuoſe irruens, proindeque canales ſuos exundans, una cum feroſa colluvie extravaſatus, tumorem ſubitum cum phlogoſi inducebat. Attamen propter hanc materiæ morbificæ in partes ignobiliores metaſtaſin ſemel iterumque factam, morbus licet valde periculoſus videretur, remediis humorem dyſcraſias alterantibus, atque mineræ morbificæ reliquias blande auferentibus, facile cedebat.

Vir nobilis in ætate 33. circiter annor. temperamenti, uti videtur, ſanguinei, procerus & gracilis, ingenii maxime acuti, animique ſagacis, etſi à longo tempore ſtudiis immodicis ac intempeſtivis, una cum inordinata victus ratione ſe plurimum exercuerat, uſque tamen vegetus ac vigore plenus, mente ſana in corpore ſano frui videbatur; paulo ante biennium, cum per noctem integram inter convivas tripudiando ſe valde delaſſaſſet, mane lecto fri-

gido intra cameram nimis humidam commiſſus, & ſomno aliquanto potitus, ægrotare cœpit. Experrectus enim in maximas circa præcordia perturbationes, cum graviſſimis ſpirituum deliquiis, quaſi jamjam fuiſſet moribundus, incidit. Poſt vini hauſtum, & remedia quædam cardiaca aſſumpta, paulò melius habuit, ſubinde tamen recidivam paſſus, ut toto iſto die, tum ipſe, tum amici ejus, aut ſyncopen lethalem, aut apoplexiam imminentem vererentur. Cæterum poſtquam hic morbi inſultus præterierat, uſque tamen cordis paſſionibus quotidie obnoxius degebat, & propter graviorem quemvis in victu errorem, rurſus paroxyſmo immaniori affligi ſolebat. Non obſtante remediorum uſu, morbus ingraveſcens, intra paucos menſes non tantum præcordia infeſtabat, verum in toto corporis habitu modo frigoris, modo caloris ſuffuſiones, porro in artubus, aut ſtupor, aut formicationis ſenſus, aut leviores ſpaſmi, ac ſubitæ contracturæ excitabantur. Nuper autem, præter ſymptomata hactenus citata, quæ etiamnum Dominum Illuſtriſſimum valde moleſtant, inſuper crebra vertigine, & ſpirituum cerebri anterioris incolarum diſtractionibus & deliquiis, gravi modo afficitur, in tantum ut ſtudiis & negotiis (quibus ſemper addictus fuit) politicis, immo & ſeveriori quavis mentis intentione abſtinere cogatur: ſecus namque tum in capite, tum in nervoſo genere ejuſmodi perturbationes perſentit, ut vel morbi attoniti inſultum, vel affectiones ſpaſmodicas horrendas pertimeſcat. Urgente hujuſce ægritudinis paroxyſmo majori, plerumque etiam ventriculus perturbatur: Cæterum à vomitu aut ſponte naturæ, aut medicamenti emetici ope ſuſcitato, ſæpius levamen percepit. Hinc nonnulli morbi cauſam omnino circa ſtomachum, aut hypochondria ſubſiſtere arbitrati ſunt: Attamen huic medicamina cathartica, emetica, digeſtiva, cephalica, antiſcorbutica, chalybeata, aliaque cujuſque fere generis à Medicis celeberrimis; quinetiam ab empyricis & agyrtis, per biennium præſcripta, pro morbi curatione minus profuerunt. Nuper acidulas Aſtropenſes expertus, ab earum uſu, ſiquidem deterius habuit, ſtatim deſiſtens, jam proximè conſulitur ut aquas ſulphureas apud *Knaresborough* in agro Eboracenſi potaret: quo tamen ſucceſſu, dum hæc ſcriberem, mihi nondum conſtitit.

Hic caſus, quia propter variorum ſymptomatum ſyndromen, ad nullum præterea peculiare morbi genus ſpectat, non immerito ad ſcorbutum refertur. Enimvero ſuſpicari licet, ægrotationis iſtius procatarxin jamdudum in vitioſa ſanguinis dyſcraſia poſitam fuiſſe, nempe quod liquor ejus à dulci, balſamico & ſpirituoſo, in acrem, ſive ſulphureo-ſalinum, propter elementa iſthæc ſuprà modum evecta, degeneraſſet: quod equidem accidiſſe videtur, partim ob errata in victu; quippe vir inſigniſſimus poſt negotia, & ſtudia ſeveriora ad μεσονύκτιον ſæpe protracta, tunc temporis cœnare, & ſtatim lecto commiſſus obdormire ſolebat: Porro hic morbus partim oriebatur à lienis, aliorumque forſan viſcerum, fermenta morbida ſanguini ſuppeditantium, diatheſi valetudinaria: nec enim prorſus ſine ratione fuiſſe cenſemus, quod lien accuſaretur.

Sanguinis dyſcraſia prædicta laborans, proindeque recrementa heterogenea congerens, à cauſa evidenti adjutus, eadem capiti facile ſuffundit: quare cùm cerebrum propter ſtudia immodica & intempeſtiva nonnihil debilitatum injuriis minus reſiſtere valeret; cumque propter occaſionem ſuperius citatam, maſſa ſanguinea in majorem ebullitionem evecta, totius corporis poris mox conſtrictis, ſatis eventilari nequiret, ejus magna in caput ſuffuſio primam ægrotationem manifeſtam inferebat: nempe à cruore circa capitis regionem nimis aggeſto, imprimis faciei intumeſcentia, & phlogoſis evenerunt: porro ab eodem tunc temporis τ̃ ἐγκεφάλυ confinia impetuoſius irruente, ac ibidem ſtagnante, particulæ heterogeneæ, partim narcoticæ, partim exploſivæ in nervorum origines decumbebant: quibus ita materia incongrua obſeſſis, perturbationes illæ circa præcordia excitatæ (propter rationes in pathologia ſpaſmodica oſtenſas) ſucceſſerunt. Porro in quantum eadem materies verſus occiput delata, nervos à ſpinali medulla oriundos ſubiens, totos eorum ductus, ac proceſſus extremos pervaderet, in toto copore ſtupor, formicatio, atque ſpaſmi leviores ciebantur. Porro quia nervi, eorumque propagines vaſa ſanguifera circum ambientes, ſpaſmis affecti, varie contrahebantur, ob ſanguinem quaſi frænis & ſtimulis modo coërcitum, modo exagitatum, ſubitæ iſtæ frigoris & caloris diffuſiones in toto corpore exoriebantur.

Circa morbi initia, quia materies νοσερὰ è maſſa ſanguinea ſuggeſta, aut in cerebelli regionem primò irrumpens, aut intra cerebrum licet admiſſa, illinc denuo ſtatim amandata, circa nervorum origines potiſſimum defigeretur; idcirco ſine vertigine, aut ſcotomia præviis, aut principibus animæ potentiis inſigniter læſis, præcipua labes in appendice nervoſa, atque circa exteriores ejuſdem proceſſus apparebat: poſtea vero ob ſanguinis dyſcraſiam indies auctam, atque τ̃ ἐγκεφάλυ conſtitutionem magis labefactatam, particulæ heterogeneæ etiam cerebrum anterius, ſive regale animæ palatium, perrumpentes, ſpiritibus ibidem incolis, & deliquia & diſtractiones intulere. Adeo morbus hic, poſt radices alicubi intra ἐγκέφαλον ſemel actas, non obſtante remediorum uſu, fines ſuos quotidie explicabat, ut cum primo tantum origines nervoſæ paris vagi, ac intercoſtalis afficerentur, deinde mox horum, aliorumque totius corporis nervorum proceſſus, & ductus interiores materies morbifica ſubiret; quibus oppletis, demum illa è ſanguine adhuc impuro in cerebrum ipſum ſuggeſta, nobiliora ejus clauſtra occupabat: Cujuſmodi affectionum cephalicarum ſimiles progreſſus in multis aliis obſervavi; ita ut plane conſtet ſymptomata iſthæc, tali ſerie excitata, ob cauſas prædictas, ac minime propter vapores à viſceribus elevari ſuppoſitos, oriri.

Quod autem paroxyſmo vigente, ſæpenumero ventriculus perturbatur; item quod à vomitione levamen ſubito conferri ſolet, non difficile erit, ſalva hac hypotheſi, rationes oſtendere. Quoad prius, nihil magis obvium eſt, quàm ventriculum ſubverti, atque nauſeam

aut

aut vomitum ſuccedere propter moleſtiam circa nervorum origines inflictam, prout in ſuperioribus fusè oſtendimus; dein plures ſunt rationes, ob quas vomitio juvamen præſtet: Primo namque, ſiquidem nervi paris vagi, & intercoſtalis hoc modo plurimum ſuccutiuntur (uti partium nervoſarum mos eſt) ἀταξίας ſuas, à cauſa interna excitatas, ſtatim remittunt, ſcil. membrum prurieus aut dolens, ſi fricatur aut ſcalpitur, à moleſtia liberatur. Cæterum prædicti nervi, inter vomendum valde ſuccuſſi, & contracti, materiam morbificam in principiis eorum, aut extremitatibus infixam, facile excutiunt; quibus accedit, quod ſæpe materies acida, vel acris, aut alio modo infeſta, intra primas vias aggeſta, ibidemque aut ſanguinem fermento noxio inficiens, aut corpora nervoſa in ſpaſmos irritans, per vomitum educitur, proindeque morbi fons, aut irritamentum evocatur.

Quoad methodum therapeuticam, in hoc caſu, aliiſque ſimilibus uſurpandam, duæ ſunt intentiones, quibus præcipue inſiſtendum erit: ſc. primo ſanguinis maſſam depurare, ejuſque fermenta noxia à ventriculo, liene, aliiſque forſan viſceribus ſuggeſta ſubducere oportet. Secundo cerebrum & nervoſum genus, ne particulas extraneas admittant, corroborari: quin & ſuccus nervoſus iſtarum partium irriguus, à recta craſi in acetoſam, aliaſque morbidam degenerans, reſtitui & rectificari debet. Prior harum catharticis, emeticis, plebotomiâ, ac imprimis medicamentis ſpecificis cruoris labem ſcorbuticam corrigentibus, aut penitus auferentibus perficitur: Quod autem acidulæ ferratæ ſive vitriolicæ, celeberrimum ſanguinis καθάρσιον, huic Domino obfuerunt potius quam opem præſtiterunt, in cauſa eſſe videtur, tum quod cerebrum, propter affectiones cephalicas imbecillius factum, aquæ colluviem ſanguini immiſſam ægre excludit; quin ab ea continuâ ſua impetuoſius adpellente, inundari periclitatur: tum inſuper quia cum liquor nervoſus à craſi ſua degener, in acetoſam vergit, ab acidularum ſale fluido magis perverti ſolet. Quaro paſſim obſervamus, in rheumatiſmo & arthritide, ab ejuſmodi aquarum potu diatheſin morbidam augeri. Secunda intentio per remedia cephalica, ac imprimis ſale volatili prædita, cujuſmodi ſunt ſp. & ſal. ſanguinis, fuliginis, C. cervi, radix & ſem. pæoniæ, folia viſci qu. &c. quibus antiſcorbutica commiſcentur, optimè inſtituitur. *Thomas Willis Tractatu de Scorbuto.*

Scorbuto ſpecialiùs proderunt acria, & ſubamara, ut cochlearia, naſturtium aquaticum, beccabunga, chelidonium utrumque, trifolium, cherefolium, petaſitis, ſinapi, eruca, fumaria, hydropiper, raphanus ruſticanus, ſeu Armoracia, cortices malorum aureorum, zedoaria, rutâ muraria, zinziber, baccæ juniperi, gummi lacca; atque ex his eliciti ſpiritus, tincturæ, eſſentiæ; ut & eſſentia ac ſpiritus turionum pini, ſalis ammoniaci, & ceraſorum nigrorum ſylveſtrium. Sal etiam & eſſentia viperarum à pleriſque commendatur; atque ab aliis ſpiritus tartari volatilis, tinctura Ant. Bezoarticum martial.

Rectè autem, inquit Sennertus, monent Authores ſuccis prædictarum herbarum majorem efficaciam ineſſe, quam in decoctis, quoniam vis in illis provenit à ſale volatili, qui coctione diſſipatur; Quare præſtabit ejuſmodi ſuccos ſtillare, & ne ventriculo noceant, ſaccharo, & cinnamomo condire.

Neque verò ſemper utendum acribus, & ſale volatili præditis, ut conſulit hic Williſius, præſertim ubi cauſa morbifica in calidiori ſanguinis diſcraſia, vini rancidi æmula, conſiſtit; Mavult enim medicamenta temparata opportuno uſui fore, quæ humorem particulas per ſe efferveſcere aptas minus exagitent, imò potiùs compeſcant: quod etiam notavit Sennertus, qui propterea in his cum ſero lactis exhibenda eſſe ſcribit medicamenta antiſcorbutica dicta.

Cæterùm in aliis præſtantiſſimum eſſe ſcribit Foreſtus ſyrupum ſcelotyrbicum, quem ita conficit: ſucci cochlear. & beccabung. ſingul. lib. iii. ſacch. opt. lib. ii. cum ovi albumine depur. mox ſimul decoq. & f. ſyr. ſ. a. Exhibet autem illud ad ℥. j. ß. cum ℥. ii. aq. cochleariæ, & ℥. i. aq. beccabungæ per plures vices. Gingivas verò eroſas, & ſanguivomas ſolo ſucco cochleariæ confricandas jubet, vel abluendas cum aqua ſtillatitia ejuſdem, & beccabungæ. A Velſchio refertur Othonem Heurnium uſum quotidiano potu vini, in quo braſſica rubra, cum zinzibere, & cinnamomo fuerat macerata: atque hoc jucundiſſimo remedio Vinum Hippocraticum ferè æmulante, addito præſertim ſaccharo, intra xv. dies, in priſtinam ſanitatem ægros reſtituit. Alia vina medicata præſcribit Williſius, apud quem vide.

Acida etiam prodeſſe ſcribit Sylvius Leboë, ſuccum mali citrii, & aurei, & punici, trifolium aquaticum, ſpiritum ſalis, & nitri dulcem. Quinimò P. Barbette reliquis omnibus præſtare ait ſpiritum ſalis dulcem, ammoniaci, & cochleariæ. At dexterè acidis utendum, & nonniſi cum aliis medicamentis antiſcorbuticis.

Symptomatis denique Scorbutum comitantibus, quâ ratione occurrendum ſit, legere erit apud Eugalenum, Sennertum, Williſium, aliosque fusè nimis de hoc affectu pertractantes, vel reſtrictiùs apud Fridericum Deckers in notis ad Prax. Barbett. cap. de Scorbuto. Nobis enim ſat eſt hæc attigiſſe de hoc affectu, qui in noſtris regionibus non adeò vulgaris eſt. *Lucas Tozzi Medicin. Pract. lib. 2.*

In Scorbutô, obſtructiones viſcerum ſunt reſerandæ, ipſaque corroboranda; humores vitioſi expurgandi, eorumque mala diatheſis corrigenda, v. g. ſi acida ſit, ſalinis; ſi ſalina, acidis. Hiſce intentionibus ſatisfaciunt purgantia, alterantia, corroborantia.

Primò purgetur æger vel pil. maſtichin. Fernel. aut de hiera; aut potione ſequenti.

℞. Infuſ. ℥vi. fol. ſen. mundat. & ʒiß. rhab. cum correctoriis reduct. ad parvam doſin, in qua diſſolve diaphœn. ʒii. ſyr. noſtri cathol. ℥i. ſp. vitrioli gutt. iv. Mſ. f. Potio exhibenda horis. 3. ante juſculum cum debita cuſtodia.

Juſculum medicatum alterans hâc formâ optimè inſtitui poteſt, (præcipuè ſi ſcorbutus ad hydropem vergat.

℞. Rad. chin. ℥ß. rad. gram. fœnicul. aſ-

parag. an. ℥vi. paſſul. Corinthiac. cappar. à ſale mundat. cicer. rubr. an. ℥v. ſem. cartham. pleni ℥iß. Includantur ventri pulli, qui conſutus elixetur cum fruſto carnis vitulinæ, addendo ſub finem coctionis fol. cochlear. & naſturt. aquat. an. m.j. fol. agrimon. pimpin. borag. bugloſſ. oxylap. an. p. ij. ſummit. chærephyl. & flor. calend. an. p.j. In colatura diſſolve crem. tart. chalybeat. ʒi.ʒiß.ʒii. M. ſ. exhib. per octiduum, ſuperambulando, hor. 4. ante prandium.

Succi extrahantur ex cochlearia utraque, Anglica ſcilicet & Batav. naſturtio & becabung. iique recentes & non depurati admiſceantur zytho & cereviſiæ quotieſcunque bibet; aut ſi depurati ſumantur, eorum admiſceatur quantitas major. Herbæ addantur juſculis, comedantur in acetariis.

♃. Cochlear. noſtr. m. iv. beccabung. naſturt. aquat. an. m. ii. fol. endiv. hepat. an. m. ii. Omnia viridia contundantur in mortar. marmor. & per prelum extrahatur ſuccus per reſidentiam depurandus, qui per filtrum actus dulcoretur tertiâ ſacchari parte. Hujus julepi antiſcorb. cochlearia ad minus duo permiſceantur hauſtui cereviſiæ tenuis rec. è doliolo extractæ. Utatur in paſtibus pro potu ordinario.

♃. Rad. chinæ ℔i. zarzæparill. ℥viii. lig. ſaſſaf. cum cort. ℥iii. raſur. C. C. rec. & ebor. an. ℥iß. nuc. moſch. per fruſta ſect. numero iv. v. aut vi. cereviſ. lupulat. fortior. gallon. vi. abſinth. vulg. & pont. an. m. j. ſantal. citr. ℥i. ſucc. cochlear. ℔iii. ſucc. naſturt. & becabung. an. ℔iß. f. ut a. e. De hac cereviſia capiat tres hauſtus magnos in die, ante prandium, ante cœnam, & in ingreſſu lecti.

Vel ♃. Zarzæpar. alb. & medulloſ. ℥viii. rad. filic. fœm. oxylap. an. ℔i. lign. ſaſſafr. ℥ii. raſ. C. C. & ebor. an. ℥iii. rad. raph. ruſt. ℥iv. foll. cochlear. utriuſque, becabung. naſturt. aquat. berber. an. m. j. ſummit. abſinth. pont. m. ß. ſem. naſturt. hort. & cochlear. Batav. an. ℥v. nuc. moſch. ℥i. f. decoctio in gallon. viii. cereviſ. lupulat. rec. ad ii. conſumpt. adde ejuſdem cereviſ. gallon. iv. finatur fieri infuſio per noctem vaſe probè clauſo, mane f. per ſetaceum colatura, quæ indatur doliolo juſtæ capacitatis, addendo ſucc. cochl. utriuſque, naſturt. & becabung. an. ℔i. ſucc. pomor. redol. ℔iii. ſinatur fieri fermentatio ad perfectam depurationem. Indantur autem doliolo fruſta chalybis quæ ſimul ſint ponderis ℔ii. Poſt exactam fermentationem liquor limpidus includatur lagenis lapideis probè obturatis, quæ reſerventur loco ſubterraneo ad uſum pro potu ordinario, diluendo, ſi placeat, cereviſiâ tenui ſex ſolidorum.

♃. Croci Martis aperient. opt. combuſt. non vomitorii ℥ii. raſur. C. C. ebor. dent. equi marini, an. ʒii. ſantal. citr. ſaſſafr. an. ℥ß. macis ʒi. vini alb. Rupellenſ. vel Audegavenſ. ℔iv. Infund. per biduum ante potum.

♃. Hujus vini ℥v. ſucc. antiſcorb. depurat. per reſident. ℥ii. Mſ. Capiat mane horâ ſeptimâ corpus exercendo.

Inter alterantia meritò recenſentur tartarum & ejus præparationes, viz. cremor. tartar. vitriolat. &c. ſal abſinth. geniſt. cochlear. pulveres item teſtacei, perl. corall. ocul. cancr. &c.

♃. Conſ. rad. cichor. ℥ß. conſ. flor. calend. & veton. rubr. an. ʒiii. conſ. Alkermes ʒii. cort. citri cond. ſicc. ʒiiß. magiſt. perl. & corall. dulc. ocul. cancr. præp. an. ʒiß. pulv. cort. ſaſſafr. ℈iv. Mſ. & cum ſyr. de pomis magiſtr. vel de cichor. ſimpl. f. Elect. inſtar opiatæ, de qua cap. ʒii. troch. Martis aper. ʒß. Mſ. f. Bolus ſumend. mane, ſuperhauſto vini abſinth. momento cum exercitio.

Illa quantitas troch. Martis continuetur per octiduum, deinde dentur ℈ii. per dies totidem, mox ʒi. uſque ad diem trigeſ. vel quadrageſimum.

♃. Pulv. elect. arom. roſat. ʒi. troch. de rhab. de abſinth. an. ʒiß. cort. ſaſſafr. citri & aurant. an. ʒi. ſal. perl. & corall. an. ℈iv. Mſ. & cum ſyr. de abſinth. f. maſſa Pilul. de qua & troch. aperient. cap. an. ʒß. Mſ. cum ſyr. dicto pro una doſi ſumend. ſuperhauſto vini abſinth. momento vel cereviſ. antiſcorb. ſubſequente exercitio. Augeatur quantitas troch. Mart. ut antea dictum eſt. Ad condimentum add. gutt. iii. vel ii. ol. ex ligno ſaſſafr.

Maſſa etiam pilular. poterit formari cum extr. ſaſſafr. parato cum optimo vino Malvat. Malag. vel Canarino.

Tertio quoque die horâ dimidiâ ante levem cœnam capiat ʒß. vel ℈ii. pil. ſtomach. cum gum. præſertim ſi in chalibeatorum uſu alvus adſtrictione laboret. *Theodorus de Mayerne Praxeos Medicæ lib. 3.*

Plurimorum morborum fœcunda & mater & ſoror Scorbutus Septentrionalis plagæ incolas & Medicos mirificè hactenus exercet, vix dum invento remedio, quod in illâ ingluvie aſſuetâque corporis intemperie certam præſtet ac non decepturam ſanationem, redeunte plerunque ad ingenium affectu ſemel inveterato. Morbus certè eſt aut morboſa, ſi placet, diſpoſitio, ſymptomatis nunc levibus, nunc difficillimis & periculoſis comitata, quæque ipſa etiam aliorum affectuum conditionem ſocietate ſuâ reddat deteriorem. Equidem, ut ingraveſcens Scorbutus morbos alios generat, alios modificat, ita rarus ferè eſt in hiſce plagis affectus, in quo non & ille partes habeat ſuas; atque hinc audita paſſim nomina Paralyſis, Arthritidis, Aſthmatis, Colicæ, Febris, Cachexiæ Scorbuticæ, cognomine ſuo cauſæ originiſque ingenium teſtantia. Conſiſtit autem potiſſimum, ſi quid conjicere licet, in qualitatum intemperie atque hinc vitiatâ ſanguinis texturâ. Eſt nimirum ſanguis in hoc morbo peregrini atque eccentrici Salis miſturâ corruptus; ut enim ad tuendam fluidorum harmoniam juſtumque invicem tenorem Sal aliquis requiratur balſamicus, vinculum unum omnium optimum, abdere tamen is ſeſe atque includere centro humorum debet, potentialis magis quàm actualis, quique, ſi in ſuperficiem & ſenſum erepat, depravatæ fluidorum harmoniæ indicium eſt luculentum. Hic ergò ipſe Sal, ubi ſemel centro evolutus maſſam ſanguinis inquinavit, partium fermentis archæiſve ſuam quoque adſpergit labem, & in adfluentes quoſque ſuccos intempeſtivè transfert. Cum autem plurimum ſemper ſitum ſit in primæ coctionis, ſeu fermenti Stomachici, integritate, ut cujus vitium cæterarum ſtatim functionum qualitatem infamet, videndum imprimis eſt, quomodo illa in Scorbu-

to ſæ affecta, & quàm tincturam fermentum Ventriculi receperit. Non vanis autem indiciis conſtare puto, ſalſuginem eſſe, quæ fermento inſipido aliàs omniumque ſaporum promocondo afflata ſui quoque ideam in alibilem ſuccum tranſmittat, poſt etiam ſanguini partiumque ſingularum fermentis impertiendam. Notum alias Naturæ arcanum, à Stomachi illo fermento, velut menſtruo Alcaheſtico, ſapida, inſipida, ſaccharata, ſalina, piperata, acida, auſtera in unum omnia redigi ſaporem, quique Chyli ſit proprius, haud dubiè tamen affinis menſtruo ſuo; hunc ſi contingit mutari, neceſſe eſt ejus quoque ſimilitudinem in alimenta tranſire, & ſalſuginem, ſi qua eſt, tincturæ Chyloſæ adfricari. Poteſt autem illud fermenti contagium duplici modo conſiderari; aliquando enim tam iners eſt & vapidum, & optimâ ſui parte, mercuriali, orbatum, ut, quamvis aliis præſtandis ſufficiat coctionemque procuret, tamen ſalſedinem, quæ cibis conjungitur, vincere non poſſit, ſed ipſa potius ſalſedo fermenti victrix in univerſum deinde ſanguinem partiumque archæos ſe diffundat, tandem verò etiam Ventriculi fermento pridem inerti labem adſpergat ſuam; adeoque jam poſitivè ſalſum ſtatum in prima alimenta ideam ſui tranſmittat. Non eſt ergo magis inſipidum Ventriculi aliarumque partium fermentum, ſed ex contagio illo talium variatâ ſemper ab alienarum particularum miſturâ ſalis ſpecie; ut enim muriaticum eſſe conveniat, tamen pro naturâ & copiâ ſalis alcalini, nunc volatilis, nunc fixi, jam & acidi, auſteri, interveniente terræ, ſpiritus, ſulphuriſve copulâ, tantùm non in infinitum variat tractuſque per ſymptomatum diverſa morbus aliam aliamque faciem oſtentat. Sal autem iſte, ut aqua eſt proprium ſalis menſtruum, in Lymphæ facilè commercium admittitur, cujus deinde vehiculo in fluida æquè ac ſolida tranſeat & univerſi corporis œconomiam conturbet. Sed cum Lympha glandularum ſit progenies, procul dubio in illarum quoque texturam inſitumve fermentum ſalſedinis contagioſæ idea facilè diffunditur; adeò immutatâ earum centrali formâ aut facultate ſecretiones omnes vitiari neceſſe eſt, neque ἀποίους jam eſſe humores, ſed ipsâ illâ qualitatis ſalſæ tincturâ, quam fermentum pridem receperat, imbutas. Hinc ergo manifeſti illi & eccentrici ſucci Pancreatici, Salivalis palatini, Stomachici, Inteſtinalis & Lymphæ conglobatarum ſapores, profligatâ dulcedine illâ balſamicâ; neque enim naturaliter & in ſtatu abſolutè ſanó ſapore vel ſalſo aut acido præditam eſſe lympham convenit; & verò, ut ſalſa ſit, non tamen perindè guſtu deprehenditur, quòd ſaliva jam ante eodem ſapore inquinata in illâ guſtandi conſuetudine nullum admodum diſcrimen tubulis papillaribus objiciat: Quòd ſi autem involucro Lymphæ nudari ſalſuginem continget, jam ſalivæ ſalſedine acrior facilè ſenſum ſui linguæ imprimit; adeò mirum non eſt, permiſtos adhuc dum ſanguini humores inſipidos ſæpe eſſe, qui ſecreti guſtum afficiant, & exſiccati magma relinquant ſalſum planè atque ſapidum. Sanè in ipſam cutim exeunt particulæ ſalinæ eamque cum tempore incruſtant; memini in cute Scorbutici deprehenſa primùm guſtu, mox abraſa ſalium ramenta in vaſculo mihi oſtenſa eſſe, non aliter atque pædor ille, corio innaſcens equorum, ſalſus & ipſe, ſtrigilibus excuti colligique in notos Veterinariis uſus ſolet. In Infantum etiam cute, ſi linguam adhibeas teſtem, prout lactis corruptela ſalſedinem aut acorem ſuccis adſpergunt, ita vel ſalſum aut acidum ſaporem lambendo cognoſces; ſæpè etiam narium judicio idem evincente. Nutricularum querela eſt pro acidi ſaporis qualitate, quam guſtu ſæpè agnoſcunt, puerorum morbos ingraveſcere & ſæpe, res mira, à faſcino oriri. Eſt itaque ſalſedo humorum cauſarii corporis argumentum, quæ ut miteſcat & ad naturalem temperiem reducatur, omnino operam dare neceſſe eſt; quod tamen in illâ aëris ſalſugine inveteratiſque diætæ erroribus longè difficillimum eſſe nemo eſt qui negare auſit. Equidem, ſi cauſas reſpicio, externas illas atque evidentes, plurimæ illarum corrigi non poſſunt; Aëris namque fluidum, ut marinis vaporibus iiſque ſalſuginoſis ſe debet, remedium non admittit; Diætam conſuetudo & loci ingenium immutabilem fecere; adeò in Septentrione maritimiſque ejus plagis, ubi ad fixationem & coagulationem humorum ſpectare omnia videntur, uberrima & velut endemia Scorbuti ſeges, minus etiam, quàm alibi, ſuperabilis. Ut autem Italiæ Galliæque oræ maritimæ & ipſe ſalſugine aëris non careant, tamen in calore illo fluidoque volatili partium fermentorumque temperiem magis conſervari credibile eſt, atque impediri, ne in habitum ac interiora texturæ ſalſedo debacchetur. Quidquid id eſt, notaſſe videor, ſi non Scorbutum, at certè affines ei morbos, in Italiæ quoque urbibus, quæ mari prætextæ ſunt, regnare; ſanè ſeri paulò acrioris copia alibi locorum valde eſt ſuſpecta. Luſtranti enim mihi tractum Italiæ maritimum, qui mari Hadriatico adjacet, ab aërei fluidi mariſque ſalsâ Atmoſphærâ plurima illis naſci incommoda ſcio, & nullam ferè eſſe urbem, quæ non peculiari affectu ſalſo catarrhali infeſtetur, hic in pedum ulcera morbumque coxendicum, hic in Pleuritides & Phthiſes; alibi in Ophthalmias, Epilepſias aliaque morborum monſtra deſinente fluore Salſo lymphatico, quæ in noſtris quidem plagis à ſale ſcorbutico oriri plurimi noſtrûm aſſerunt. Cur autem Septentrio feracior ſit hujus morbi, in promptu cauſa eſt, aëris nempe ſalſedo fixa & diætæ ad ſalſa quæque, dura & viſcida propenſæ intemperies, ut jam tum monui. Vincit illa Septentrionalium ingluvies fermenti ſubtilioris ſpicula atque obtundit, quò obtuſo & fixato frigent digeſtiones, & ſalſedo illa, alimentorum comes, quam miteſcere centroque humorum involvi æquum erat, manet uſque eccentrica ſenſibuſque obvia, lymphæque inde omni contagium adſpergit. Reperias tamen, qui in atmoſphærâ tam ſalsâ diætæque vitio enormi tam valido fermenti elatere, ut ſic loquar, & incorrupto Ventriculi menſtruo ſunt armati, ut dura quævis, viſcida & ſalſa ſine ullo incommodo digerant inque unum diverſiſſima omnia contrariaque colligant Chyli ſaporem. Sunt ſanè etiam in Septentrione gentes in auræ illâ ſalſugine diætâque ſalsâ & durâ fortiſſimæ tolerandiſque vitæ incommodis quàm idoneæ, nullis ferè

n orbis, minus verò Scorbuto, obnoxiæ, ut in illis, qui ſinui Botnico propinqui agunt, Finnis, Eſthonibus, Gothis aliiſque apparet: Scilicet ob maris ſinuumque oportunitatem magna illis ſalitorum piſcium carniumque copia, major etiam ingluvies, ubi contrà, qui montana & nemora incolunt Lappones, caſeo, lacte, tandem & carnibus Rangiferorum, aliqui etiam ſine ſale, contenti, ſi cum illis conferantur, debiles ſunt, cauſarii, malè habito corpore, etiam peregrini aëris minus patientes; adeò his fermentum contigit non admodum efficax, ſed lacte ipſo mollioreque cibo effeminatum. Jam verò etiam in mediis plagis ſcorbuticis, ubi endemius eſt ille morbus, vidi nonnullos tam validos, ut Ventriculi fermento Archæove igneo dura omnia & ſalſa, etiam auræ atque ingluviei pericula, facilè ſuperarent frequenſque in illâ infectorum turbâ contagium generosè ſpernerent. At nunc, quibus Scorbutus inſedit, tam diverſimodè afficiuntur, ut an ab eâdem origine paſſim ſit morbus, dubitare liceat. Minus periculoſus eſt, qui in ſanguine circumlatus in cutim ſe exonerat immuni adhuc dum viſcerum glanduloſâ texturâ intemeratiſque fermentis; adeò id operam dare ſolemus, ne ſecreta ſemel in ſuperficiem corporis ſalſugo errore quodam revocetur, quin potius id agimus, ut quæ adhuc dum in centro oberrat, per eaſdem peripheriæ lineas in ſuperficiem extruſa partes corporis nobiliores à manifeſto liberet periculo. Ex illâ autem ſalſuginoſi ſucci in cutim ſecretione plura oriuntur & familiaria iſtis gentibus Symptomata, Scabies, Maculæ, Tubercula & alia benè multa. Scabies autem non unius Septentrionis ſed & mediterraneæ nationis alibi vitium eſt; nam & in Germaniæ quibuſdam locis, Veſtphaliâ imprimis, & in Galliæ umbilico morbum hunc quotidianum eſſe & diætæ contagioque deberi experimentis conſtat. Modificat tamen eam, plurimum atque exaſperat Scorbutus; hinc enim ſeri adfluentis, hinc hydatidum, hinc ulcuſculorum contumacium & tabo manantium copia. Eſfloreſcunt tamen etiam in cute maculæ, colore variegato Scorbutum prodentes, pro ingenio ſalſuginis nunc flavæ, nunc citrinæ, rubicundulæ, purpureæ, cæruleæ, virides, lividæ, artuum imprimis ornamenta. Nimirum, ut plus Alcali, acidi, auſteri, volatilis & fixi terrei ſalſugini iſti conjungitur, ita & determinari purpuram ſanguinis neceſſe eſt. Novimus in Chemicorum officinâ rubicunda ab Alcalibus jam in cærulum & viridem, jam nigrum lividumque colorem admiſto fermento alcalino converti. Sal volatile oleoſum Alcannæ radicibus impoſitum initio σαπφειρίζ & rarâ cærulitate Tincturam Lazuli lapidis provocat; quæ tamen ipſa poſt aliquot horarum intervallum per purpuram remiſſiorem in lividum colorem tranſit, mox iterum deſiturum, quò ne aliam, quàm ſolſtitialem, fuiſſe hanc mutationem intelligas. Rubicundiſſimam Ceraſorum nigrorum purpuram Calcis alcali in cærulam convertit. Violacea quotidie videſcunt adjecto ſale lixivo. Acidam inteſtinorum pituitam adfluens Bilis ſal volatile viriditate, livore, jam & aliis coloribus, tingit; adeò & alcalina Bilis ſalſugo victâ muriatici ſalis proportione colorum moderabitur in ſanguine ſecretiſque ſuccis ingenium. Peſſimi autem & ominales quàm maximè virides & ex viridi lividi jamque ex livido nigri colores. Mira autem res, tam ſubitò ſæpe colores iſtos & erumpere & diſſipari, jam verò etiam viſcidiori glutini intextos uſque durare. De cæruliſ lividiſque notis cognitum eſt eas ire & redire, ſed & multoties, quod in Bataviâ frequentiſſimum eſt, perpetuas eſſe Scorbuti comites; unde & illa morbi ſpecies, quæ copioſis ejuſmodi maculis inſignita eſt, *Blauvvſchuit* vocatur à Belgis. Adeſt tamen etiam ſæpenumero uniuſque noctis fermentatione apparet obſcura livida nota, virore utcunque variegata, non tam in Scorbuto, quàm Scorbuticâ febrium metaſtaſi, Saxones triſti & ominali vocabulo *Dodkneep* appellant, quaſi ſtriges nocturnæ aut ferale aliquod animal eam inuſſiſſet: hæc plurimùm matribus ſuſpecta mortem vulgò portendere videtur; aſt ego ſine ullo periculo fuiſſe crebro obſervavi. Equidem macularum illarum ingenium attendenti videtur, impuram ſanguinis ſalſuginem velut in flores aut ſpumoſas fæces, cerevilialis inſtar, collectam è centro in ſuperficiem rejici atque, diſtinctis hinc inde notis, efflоreſcere; Eſt hoc ſitus putrediniſque proprium, ut ſecretæ fæces in ſpeciem floſculorum aut ſpumæ ſeſe efferant, quod adeoque in Scorbuto, qui & ipſe ſanguinis putredo eſt, fieri probabile eſt, & hinc non malè ſitus vocabulo Scorbutum appellari maculoſum, neque inconſultum fuiſſe Belgam, qui toto libro, ubi morbum hunc deſcribit, *Schimmel* nominavit, ut nominari vulgò ſolet floridus humidorum Situs. Cum verò hæ maculæ etiam in morbis malignis, tum imprimis caſtrenſibus, apparent, planè ego perſuaſus ſum & has ipſas ſcorbutici & ſalſuginoſi ſanguinis eſſe reliquias, fermenti febriculoſi ope in cutim propulſas, quarum ſi copia major eſt, quàm ut digeri ſecernique à ſanguine poſſint, Natura ſuccumbit, ſin minor & facilis eſt præcipitatio, ecce apertam ſaluti viam; adeò certum eſt, auctam aliquot gradibus Scorbutici Salis & copiam & qualitatem in malignam tranſire atque contagioſam. Maculis puſtulæ ſuccedunt, aut ſeorſim apparent, nunc conicæ, nunc convexæ, nunc planæ, nunc confertim nunc ſparſim exeuntes, colore itidem vario & flavo & rubicundo & obſcuro-purpureo, quas, quòd calore lecti provocatæ prurigine moleſtæ ſint, meritò Epinyctides voces. Has ipſas quoque Alcali determinat, & ut ſalſedo eſt leviori viſco intexta, aut ſubtiliori Alcali animata, ita & color & forma & duratio variat; calor autem ut plurimum haſce in cutim evocat friguſque repellit, & ut aliquibus poſt extruſas in ſuperficiem puſtulas melius ſit, ſcio tamen, quibus ea res magnum pariat incommodum, & prurigo ſecretaque in cutim ſcorbuti materies in illa ſanguinis fermentatione caloreque æſtivo plus noceat, quàm maſſæ adhucdum involuta frigoreque repreſſa; adeò ut hyemes & modica frigora præ calore illo & hinc natâ fermentatione colliquativâ optare ſibi habeant triſtioris morbi candidati. Jam verò etiam ante & initio hujus morbi tumores erumpunt toto corpore in ſpeciem duri, ſæpe etiam magni & juglandem nucem æquantes; noctu hi quoque invadunt, de die fugitivi, identidem

tamen

tamen redeuntes; vidi ſemel, qui tam certo ac ſtato tempore, media nempe nocte, prorumperent magni admodum, & cum meridiano demum ſole recederent, mox redituri. Vultum ſæpe hæc ipſa tubercula infamabant, & nunc naſum, nunc os in diverſa trahebant, prodromi Scorbuti jamjam ingraveſcentis. Accedunt quoque Furunculi, ſocii & comites viſcoſæ & ἀπυήτου ſalſuginis, puerorum alias morbus, ſed qui contagio etiam in adultos tranſeat corporiſque violet habitum, quod ubi ex improviſo fieri ſolet, Saxones id ab incubitu vel inſeſſu impuro locoque piaculari, *eine Unſtelt*, repetunt. Nempe credunt, ſi quis vel ſtrato aut terræ incubet, cui ſordes ſqualoremque infectum animal adfricavit, hoc quoque contagio in vicinos quoſque obnoxiæ valitudinis, tum maximè ſcorbuticæ temperie, ex facili tranſmitti & pro ingenio peccantium humorum determinari. Si jam quoque Bubones, ne quid ad æmulationem Venereæ Luis deeſſe videatur, Scorbutum comitantur ægroſque ſeveriſſimè adfligunt, quæ omnia ſic in Titio ſimul coaluiſſe vidi, ut, niſi juratâ fide & notâ probitate ſe abſolviſſet, ſuſpicionis aleam effugere non potuiſſet. Fuerat is ab annis aliquot Scorbuticus ſinguliſque annis novum experiebatur ſymptomatum genus; primùm Hypochondriorum dolores, deinde Tubercula illa repentina & nocturna, tertio poſt anno Articulorum ſonoros ad motum atque extenſionem fragores, ita ut etiam exaudiri poſſent à vicinis, inde & Cordis palpitationes aſſurgentibus in ſanguinem flatibus, ſimul etiam puſtularum confertarum in pedibus manibuſque uberrimum proventum, prurigine maximè infeſtum; atque hæc omnia æſtate, hyeme enim ſymptomatum illorum malacia & melior in totum valitudo. Steterant jam annos aliquot hæc ſymptomata conſuetudine ſpreta, neq; appetitui aut corporis incremento vel vultus nitori ullam noxam adferentia, cum forte in notam meretriciis operibus urbem evocaretur, ibique negotiorum cauſâ ipſas ſex ſeptimanas ageret; igitur domum ad ſuos redux ſpecioſè ſanus valenſque in convivio adventorio acutiſſimo inferioris labri ad oculum tumeſcentis dolore de meridie corripitur, creſcit inde uſque tumor aucto inſimul dolore; ſub veſperam incidens friguſculum calore pulſuque frequenti comitatum indicium erat ſuſpectæ febris; nihil interea ſe tuberculum labri remittit, ſed uſque eo augetur, donec lapidem duricie, juglandem nucem magnitudine æquaret, mirificè hinc diſtorto ore & intercepto loquelæ uſu. Minuitur ſequenti die calor, pulſus etiam minus, quàm pridie, frequens. Oſtentare ſe adhæc in averſo manuum carpo puſtulæ ex minutulo orbe in majorem ſe quoque proferentes, compunctibus ardoreque & pulſu malignitatem teſtatæ; veſperi rurſum friguſculum calore febrili nocturno exceptum; tertio die toto corpore Tubercula, jam quoque in utroque inguine Bubones, Furunculis pudenda defœdantibus. Undecim inde dies continuos Paroxyſmi ingruebant veſpertini, frigore caloreque alternati. Toto illo tempore nulli ſomni; ſexto autem die Sudores perpetui, inde & Salivatio, ut & os ſemper copioſo flumine lymphæque rivis maderet, non aliter ac ſi mercurio corpus inquinatum fuiſſet; quatuordecim dies hæc Symptomata duraverant, tum poſt geminis purgationes Jalapii Reſinâ & Vitriolo albo & Antimonio Diaphoretico commotas ſerumque copioſè exhauſtum æger convaleſceret dubiæque & cauſariæ ſanitati redderetur. Nam poſt illa quoque quatuor annis continuis tubercula in pudendis iterum iterumque mutatis ſedibus apparuere, intra ſex octo dies vel ſponte ſe diſſipantia aut in pauxillum viſcoſi puris abeuntia, ne quid ad juſtam contagii Venerei ſuſpicionem defuiſſe videatur. Sed quod ego omne ſcio ſancteque affirmo à ſolo Scorbuto ſanguiniſque viſcosâ ſalſugine profectum fuiſſe, hoc ipſo tamen edoctus affines eſſe morbos Veneream Scorbuticamque luem, determinante utriuſque naturam viſci & acrimoniæ gradu, hoc etiam curatu difficiliorem Veneream luem, quò magis Scorbuticum eſt infectum corpus. At nunc quoque, ne in maculas tantùm puſtulaſque & tubercula deſinere morbum credas, vidimus etiam in Scirrum & Carcinôma tranſiiſſe vehementiorem ſcorbuticæ ſalſedinis gradum. Non infrequens, maximè in puerulis, oris quoddam vultuſque dehoneſtamentum, Cancer, in Belgio *Waterkanker*, dictus; hic ipſe à ſcorbutici ſalis, ſed lento ſeri ſanguiniſque glutine inviſcati, acrimoniâ planè cauſtica in glandulis primum oris internis gingivaliſque originem ſumit; mox in palatinas & maxillares, nunc etiam gulæ iſtas, tandem & univerſum vultus glanduloſi corticem, prorepens miſeroque aliquot annorum ſpectaculo & triſti patientia ægros tandem interficiens. Initiis hujus morbi occurritur emundandis exprimendiſque gingivarum tumoribus, qui ſalis corroſivi ſtagnantiſque ſanguinis & hinc putredinem cum intolerabili oris fœtore concipientis pleni non antè ſubſidunt, quàm, elutriato ſanguine putrido & ſeroſo acri, robur firmitaſque per amara adſtringentia & Balſamica gingivis conciliata. Scordii amaritudo Melli roſato & Aluminii uſto Nitro fixo juſtâ proportione permiſta morbi hujus initia facilè expugnat. Mox deinde ad præſervandum corpus Allium cum Raphani aliquot teſſellis in lacte decoctum plurimum conducit, inde & Spiritus Vini Camphoratus illitus Gingivis putredinem quoque oris arcere ſolet. Jam in pedes quoque & artus poſt copioſas aliquot annorum puſtulas, exanthemata, tandem etiam ſeroſum œdema, ulcera deſcendunt manantia, in ſeram plerunque ætatem producta; quæ ſi emplaſtris ſiccantibuſque ſanare contendes, regurgitante ad interiora materiâ, morbi gravioris jam & mortis periculum in propinquo eſt, adeò minoris mali beneficio difficillimi ſæpe morbi redimuntur. Hiſce ulceribus in deterius abeuntibus & fiſtuloſis Spina debetur ventoſa, quæ ipſa carie oſſium comitata ultimum tandem complementum deſperatiſſimo morbo imponit. Nunc quid intus immutatione fermentorum lymphæque coagulo præſtet, vidimus, monere duntaxat ſatis eſt, non omnino tot ſaporum qualitatumque ſalinarum ideis unam convenire medendi formulam, & graviſſimum errari errorem, ſi vulgata illa Antiſcorbutica abſque ulla moderatione audito morbi nomine promiſcuè applicemus. Equidem, ut temperamenti ingenium

nium

nium morbi variat ſpeciem, ita & determinari remediorum formulas neceſſe eſt, Alcalino namque exceſſui in illâ utriuſque ſalis miſturâ ex contrariorum legibus Acidum; Acido è diverſo Alcali deberi, ſic ſervato in utramque partem temperamento, ut ne pura unquam aut intemerata, ſed mutuo invicem & cum oleis & aqueis & dulcibus & amaris jam & terreis refracta, tot morbi variantis differentiis ſerviant. In univerſum autem nullorum medicamentorum major eſſe uſus poteſt, quàm ſalino-amarorum & volatilium; nam cum ἐπὶ τὸ πλεῖστον ſalſugo ſcorbutica fixa ſit phlegmatiſque coagulativa, alcalia, volatilia, ſicca, aquea, oleoſa, amara, ſpirituoſa plurimum corrigendo ei conferent: Atque inde nata commendatio Salium volatilium, Salis Ammoniaci, C. Cervi, Cochleariæ, Naſturtii, Trifolii fibrini, Tartari, Reſinæ ſtrobylorum Pini eſſenciis antiſcorbuticis extractæ & aliorum; in quibus hoc animadverſione dignum, bilioſarum complexionum Scorbutum eorum uſu frequentato exaſperari magis quàm emendari, adeo etiam querelas contra vota medicorum inſtitui, nec reſpondere ex condicto eventum. Sanè acidiuſculi liquores amaritudine balſamicâ delibuti in hiſce quidem palmam ferunt caloremque ſimul multis modis excedentem oportunè temperant; unde etiam non contemnenda utilitas ſpirituum, Salis, Vitrioli, vinoſi ſpiritus conjugio dulcificatorum, quibus ſi Aloës, Myrrhæ, Abſinthii, Centauri aliorumque amaritudo ingenioſe jungatur, ecce alteram remedii antiſcorbutici ſpeciem. Quemadmodum autem volatilia ſpirituoſa & oleoſa pinguia hiſce temperamentis inimica ſunt, ita acida acriora frigidorum & pituitoſorum fermentis planè adverſantur eaque penitus enervant; ut ne dicam ſingulas individuorum naturas peculiaria ſæpe poſcere & unius experientiæ beneficio noſcenda medicamenta. Cæterùm, ſi naturam Salis Scorbutici rectè conſidero, cum neutra ſit aut media, vel ſi mavis, androgyna, id eſt ex Alcali & Acido conflata, pro alterius principii exceſſu jam hoc, jam illo, occurrendum eſſe, ut puto, conſtat, imo ſi eveniat plurimam ejus partem corrupto alcali deberi, acidorum quoque, ſed Balſamicis infractorum, uſum non omnino de nihilo eſſe. Quidquid autem illud ſit, cum modum tenere in illâ particularium ignorantiâ non poſſimus, tutius eſt & experientiæ convenientius aliâ viâ ſanationem Scorbuti tentare, & medicamenta præcipere, quæ utrique Sali ex æquo reſpondeant; nimirum, cum Salium perinde omnium monſtruum ſit aqua, inque eam facilè ſe immergant particulæ ſalinæ, nihil ad eluendum, aut, ſi placet, elixiviandum ſanguinem conducibilius erit aqua; verum quòd illa in plurimis regionibus vitiata eſt Stomachoque frigore officit, reperta eſt oportunè Thermopolia, quæ tamen & ipſa cum corrigendis aquæ vitiis ſola non ſufficiat, medicatam reddere oportuit & aliarum rerum miſturâ correctiorem. Hinc tot elogia Theæ potus, Thermarum, Decoctorum ex lignis, quæ ſi fermentatione ſecretis fæcibus ad puritatem vini æmulam redacta fuerint, plurimis aliis faſtum faciunt; ſanè, niſi talia ſint antiſcorbutica, quæ totâ ſanguinis maſsâ ſe diffundant, fugienteſque hinc inde ſalium particulas abſorbeant & abſorbtas in Urinæ vias alvumque deponant, vana eſt omnis molitio; adeò multis de cauſis aquæ diluvia calore medicato animata vulgatis antiſcorbuticis prætulerim; ſed verò quibus Ventriculi contigit mediocre robur, illis etiam Acidulæ, utut frigidæ, magnam præſtabunt utilitatem; nam ſpiritus ille volatilis centralis, quo uno animantur, inſtaurandis partium fermentis ſpiritibuſque mirificè confert, ut ne dicam aquæ volatilis diluvio & Salia imbibi & pituitam ſolvi & omnem ſanguinis fæcem ad Urinas alvumque feliciter propelli. Ubi autem naturalium ejuſmodi aquarum copia non eſt, Theæ potu, lignorumque, imprimis Salſaparillæ decocto, jam & nitroſo Lactis Caprilli ſero (quæ ſæpe etiam eſſenciis illis antiſcorbuticis, Abſinthii compoſitâ, Elixire Proprietatis jam acido, jam alcalino, ſalibus volatilibus, puris, oleoſis, aliiſque excitare oportet;) Naturam probatiſſimâ æmulatione ſequi poſſumus; quamvis in totum ſub aëre vernaculo & continuato diætæ vitio Scorbuti ſanatio ſit rariſſima, & ſymptomati alicui deliniendo potius, quàm ipſi morbo, cura impendi à noſtris ſoleat. Guttas autem ego, quas tam immenſis præconiis divulgant Chemici, non multum prodeſſe poſſe hoc facilius credo, quòd in Ventriculi phlegmate magnâ ſui parte attritæ halitum duntaxat aliquem in ſanguinem tranſmittant, cujus vires jam ante debilitatæ corrigendæ ſalſugini non ſufficiant, aut protinus in illâ fluidi peccantis copiâ opprimantur. Quæ cochleatim propinantur rectè præparata, ab iis pluſculum ſperem, ſi diæta reſpondeat. Ab omni autem parte conſummatiſſimum erat B. Soceri mei, D. D. Langelotti inventum; is Tincturâ antiſcorbuticâ, quæ amaris Balſamicis in aquam antiſcorbuticam volatilem tranſmiſſis conſtabat, Zedoäriæ, Calami Aromatici, Menthæ, Citri, Maſtiches nunc ſpiritibus, nunc aquis vinoſis, nunc elixiribus temperatâ, & ſale volatili alcalino frigidis, Spiritu Salis, calidis complexionibus, jam vero etiam Elixire Wendelini magno ambrato, gratiæ oris accommodatâ, magnum Scorbuticis & ex Ventriculo Laborantibus adtulit emolumentum; Spiritu namque Salis & Elixire Citri acidiuſculo bilioſi Scorbuti intempeſtivos ardores ſic temperabat, ut tamen phlegmati nihil, nihil acido, per hoc accederet, ſuumque partibus & fermentis robur maneret inviolatum. Atque hæc de Scorbuto pro Obſervationum regulis longa nimis ac faſtidioſa.

Peribydroſis Scorbutica.

Quâ parte corporis ſudor eſt, morbum eſſe indicat Hippocratis Aphoriſmus; ubi ſudorem velim intelligas non laboribus aut corporis motu provocatum, ſed ſpontaneum, qui non cogitantibus nec volentibus obrepat. Nempe fluidi tranſpiratio tam neceſſaria eſt corpori, ut, abſque hac ſit, protinus collabaſcat & ex morbo malè habeat; hæc tamen ipſa juſta eſſe debet nec nimium vexata, ſi enim in bene habito corpore fluido inſenſili ſerum ſe jungat copioſius, fiatque excretio ſenſilis, idque quæ Hippocratis formula eſt, ἄνευ προφάσιος φανερῆς, dubitandum minimè eſt, aliquid de-

ceſſiſſe

ceſſiſſe corpori, quod erat vel ſupervacuum aut ad ſervandum humorum æquilibrium neceſſarium, adeò illo modo Criticam, hoc Symptomaticam obtigiſſe excretionem; Nempe, quod pluſculum eſt in corpore ſeroſi humoris, idem hoc ſudoribus detrahi utile eſt atque ſalubre. In Scorbuticis ad ſudores uſque, etiam nimios, fatigatum corpus ad juſtam levitatem motuſque temperamentum reducitur, & tantum abeſt, ut his poſt quotidianos ſudorum rivos deterius ſit, ut contra, niſi illi ſtatis redeant temporibus corpuſque onere liberent, omnino de membrorum corporiſque gravitate, anhelitu difficili, Hypochondriorum dolore aliiſque Symptomatibus conquerantur. Vidi omnis generis corpora, craſſa, obeſula, ſtrigoſa, macra, quæ perpetuis diffluerent Sudoribus, & in æſtate quidem diu æquè ac noctu, hyeme verò noctu tantùm, morante diurnam ſeri glandularis ſecretionem frigore externo. Neque jam modicus ille ſudor eſt, ſed copioſus, & qui plerunque ſtatim poſt diſtributos in venas cibos occaſione fermentantis Chyli obortus interulas, veſtimenta & quidquid in operimentum corporis venit, planè humectat, ita ut ſingulis horis matutinis mutare veſtes neceſſe habeant, quibus ea res in conſuetudinem tranſiit. Quod ſi verò occaſione frigoris aut corporis malè habiti ſudor ille Criticus intermittitur, audiuntur ſtatim querelæ, gravius eſſe pro ratione corpus & lentos ad motum artus morbum minari, revocandum ergo vel lecti calore aut remediis intermiſſum pridem ſudorem; eo quidem ſucceſſu, ut alii excretione hac velut critica ſalſuginem illam ſcorbuticam ſeri plerùnque ſociam & metuendam inde Hecticam feliciter propulſent, alii verò etiam, corpulentiâ nimiâ ſeroſâque pinguedine ſuſpecti, ab Anaſarcâ, Œdemate plurimiſque ſymptomatis gravioribus ſe liberent; ut omnino appareat, quàm provida & ſtudioſa ſui Natura morbis aliis in aliorum propulſationem utatur, unoque incommodo alteri ſuccurrat. Id tamen non ſatis mirari potui, quòd in plurimis Puſtulæ illæ Scorbuticæ, quamvis quotidianis ſudoribus exercitatæ, in tam fœcundâ caloris tranſpiratione non evaneſcant, ſed identidem ad novos calores diætæque ſalſuginem redeant prurigine atque æſtu infeſtæ, non aliter ac, ſi alia ex aliâ ſuppeteret Scorbuti materies; aut conica Salis Scorbutici acumina ſubtilitate ſuâ cutim quidem extollere, ſed ob baſin latiorem pervadere omnino non poſſent ſanguini redonanda. Ubi & hoc notabile, cum à ſalſuginis illâ in cutim redundantiâ ſanguinem defæcari veroſimile ſit, tamen plurimis à frigore melius eſſe, ubi ad ſanguinem repellitur ſalſugo.

Cachexia Scorbutica indomita.

Incredibile eſt, quanta ſæpe ſit Scorbutici Salis, etiam Sero permiſti, malignitas, neque enim vel exquiſitiſſimis blandimentis, ubi ſemel furere cœpit, compeſci ſe patitur. Solvit primùm diruitque humorum coagulique ſanguinei contextum, eoque tandem diruto in ſolida debacchatur non temerè vel expellentibus aut repellentibus ſollicitandum; hiſce enim intus continetur viſceribus inſidioſum, illis utpote acribus magis irritatum non tamen proinde deſinit partibus, ad quas viam affectare ſolebat, exitium minari. Obſtinatæ ejuſmodi Cachexiæ exemplum mihi in Virgine objectum. Ingenioſa illa admodum & pictoriæ phrygiæque operis experimentis clariſſima conſpicuata erat jam inde a teneris cum habitu Scorbutico ulceribuſque ſcabiem ſimulantibus, quæ tamen ſæpius ſive Naturæ vi, ſeu remediorum oportuno uſu victa ſufflammari potius, quàm tolli penitus videbantur, adeò ſingulis annis, tum vere tum autumno idem morbus redibat, donec tandem ætatis anno ſexto & vigeſimo in pernicioſam fatalemque Cachexiam morbus erumperet. Conſpiciebantur primùm in cute maculæ, rubicundæ illæ, ſed quæ dictum factum, in veſiculas ſurgerent humore turgidas ſalino; jam quòd Naturæ ductus & olim & nunc contendere eò videbatur, ego & alter Medicus antiſcorbuticis, ſed iis temperatis, occurrendum eſſe rebamur; verùm tantùm abeſt, ut domari ſe paſſa fuerit materia, ut contra ipſa magis invaluerit toto corpore divagata, in crura imprimis ac pedes, quin etiam dorſum, unde decubitus longè difficillimus, & univerſam Calvariam, ſolo vultu adhucdum immuni atque integro. Mutatâ igitur formulâ corporis illum habitum exſiccare & Cor à refluâ fortè materiâ liberare unica cura erat; in hanc rem præſcripſimus Minorativa quædam alternis vicibus uſurpanda; illa autem quamvis ſeri partem ad alvum detraherent, nihilo tamen minor ad cutim ſeri properantis impetus, quod cum protinus in hydatides ſe efferret, ne mora ſubjectis partibus periculum crearet, ſuaſimus perfoſſionem veſicularum; ſed vix paruerat conſilio, quæ ægrotam curabat, femina, quin aliæ ſtatim in viciniâ emergerent veſiculæ, pruritu punctibuſque æquè moleſtæ, donec tandem proſerpente viru intra tres ſeptimanas, totum, quà patet, corpus ſero iſto veſiculiſque hydragogis inundaretur, & depaſtâ jam cuticulâ nuda corii ſuperficies miſerum præberet ſui ſpectaculum; itaque non veſiculis amplius in illâ cuticulæ abſentiâ ſed guttarum flumine cryſtallino intecta cutis niteſcebat; Vultus etiam ita erat excoriatus à ſtillante per tubulos hydragogos ſero, ut narium quoque cartilago imò & oſſeus ille gibbus in ceterâ corporis deglubti macie oculis luculentè paterent. Pectore toto aqua manabat non aliter quàm ſi embolo adigeretur, ſuccedente ſtatim poſt unius fluminis deterſionem alio rore; & ibi quidem non ſecus ac in vultu ſiphunculos illos cutaneos ductuſque glandularum hydragogos diſcernere viſu potuimus, quò appareat omne illud ſerum ad glandulas cutaneas converſum impoſitis tubulis emanaſſe; à nudo aëre tantum ſibi metuebat patientiſſima aliàs Virgo, ut quidvis perpeti mallet, quàm linteorum mutationem. Intus tamen etiam in ore omnia exulcerata, aut, ſi mavis, deglubta nec vocis nec linguæ uſum admittebant. Initiò hoc quoque deprehendimus, cum aliquandiu aut per biduum ſtetiſſent veſiculæ intactæ, mox apertas non ſerum fluidum reddidiſſe, ſed gelatinam, ut ſolet eſſe illa vel frigeſcentis aut evaporatæ lymphæ. Tandem verò etiam malignitate corroſivâ cutis capillaria exedente, qui pridem nitidus

tidus erat humor, plurimis corporis partibus cruentus eſſe cœpit & ichori ſimilis. Pulſus quidem toto morbi decurſu paulò frequentior, ſed æqualis uſque, donec in illa oris faucium-que excoriatione per ipſos quatuordecim dies cibi potuſque impatiens dolorum aëriſque externi, cujus commercium quoque linteorum molli applicatione averſabatur; tædio, inter multa conſtantiæ documenta, mutato quotidie eo, quem & ipſum explorare inter tormenta ducebat, animam exhalaret pia atque ingenioſa Virgo. *Joh. Nicol. Pechlinus in obſervationib. Phyſico-Medicis.*

Hic Curationem Tractatu ſingulari eôque ſane accuratiſſimo à Præclariſſ. D. Gualtero Charleton conſcriptô, expoſitam, rurſus cum aliis adjiceremus, ni opus grandius quàm per Bibliopolæ commoda liceat, nos ab iis abſtinere cogeret. Jam itaque ad

Conſultationes.

Scorbutus in Hypochondriaco.

Nob. Vir Germanus trigeſimum nonum annum agens, temperamenti totius & jecoris calidi & ſicci, ſtaturæ proceræ, mediocris habitus, ſtudiis & applicationibus maxime addictus, poſt quartanam febrem decem abhinc annis hypochondriacæ affectioni ſemper obnoxius fuit, cum flatuoſitatibus huc & illuc divagantibus, corque petentibus & ipſius cordis ſaltus ſive palpitationes excitantibus; cui annis proxime præteritis acceſſit Hernia Bubonocele; duobus autem abhinc annis capitis dolores gravativos pati cœpit, qui nonnunquam pungitivi, quandoque pulſativi evadunt, & præſertim jejuno exiſtente ventriculo. Præterea eodem tempore dolores in gingivis, cum earundem eroſione acceſſerunt, quibus ſucceſſit ſeroſitatis ab iiſdem effluxus, paulatim magis magiſque male olentis, & in cruribus maculæ liveſcentes, imo & aliquæ nigreſcentes ſupervenerunt; cum crurum eorundem imbecillitate & ad ambulandum difficultate, & interim conſueto gracilior factus eſt. Quare ad Patavinum auxilium confugit, ut de agendis pro ſalute conſulat.

Cum Quartana capti, ſpreta congrua vivendi ratione, omnis generis errata utplurimum committere ſoleant, facile & Nob. huic Viro contigit, ut vivendi aliqua libertate uſus fuerit, & propterea cruditates genitæ ſint: præterquam quod cum ſtudiis & applicationibus fuerit ſemper addictus, coctiones in ventriculo imperfecte celebratæ ſunt, cum in illis ſpiritus à ventriculo divertantur, & ejuſdem calor depauperetur, ſicque cruditates multo magis adauctæ fuerint, quarum portio craſſior in vaſis meſaraicis & lacteis ſtagnans, à jecoris fervore exſiccata, terreas atque contumaces obſtructiones induxit, veram hypochondriacæ affectionis mineram, quæ á Gal. per antonomaſiam flatuoſa affectio dicta fuit, cum copioſis flatibus Hypochondriaci abundent, qui cor petentes, ſaltus palpitationi ſimiles frequenter excitabant. Ab hac autem Hypochondriaca affectione tanquam ab Equo Trojano, cætera mala prodierunt: etenim à copioſis flatuoſitatibus diſtento peritonæo atque laxato, inteſtino quoque locum ceſſit, ſicque ad inguem dexterum prolapſum, tumorem in hoc Nob. Viro excitavit, quem Bubonocelen Herniam cum Gal. Paulus & Aëtius, totaque Medicorum Schola apellare ſolent. Verum quia hypochondriacus affectus tandiu neglectus, altiores jecit radices, dum obſtructiones paulatim lienem quoque occuparunt, hinc factum fuit quod ab ipſo liene non depuratus ſanguis, in toto vitiari cœperit, præſertim cum jecur ipſum ſui natura calidum à clauſuris multo magis fervefactum fuerit, ut propterea ſanguis quoque fervidior, craſſior & aduſtus quotidie magis fuerit genitus, ac propterea ad nutritionem ineptus, unde macies; qui progreſſu ad tantam impuritatem devenit, & adeo naturæ moleſtus, ut non exiguam ejuſdem portionem ad varias corporis partes detrudere ipſa coacta fuerit, dum circulando per venam cavam ad cor, indeque per arterias carotidas ad cerebrum, tenuiorem portionem in cerebro ipſo depoſuit, quam venæ jugulares, utpote inutilem reaſſumere recuſarunt atque recuſant: & idcirco ſeroſa illa impuritas, acris & acida exiſtens, mole ſua dolorem gravativum, ſua vero qualitate acri & magis acida dolores pungitivos, & cum ſapiat naturam ſanguinis, pulſativos quoque excitat: qui jejuno ventriculo præſertim exacerbantur, quia hypochondriaci flatus ſine cibo effrænes & feroçiores evadunt. Et quia quotidie à toto venoſo genere nova ſeroſitatis portio capiti ſuppeditatur, idcirco redundans in capite per ſpatia potius, quam per vaſa ad gingivas detruditur, & gingivarum dolorificas eroſiones & putrefactiones parit: quæ ſi per vaſa quoque ad dentium alveolos transfunderetur, eorundem dentium mobilitatem quoque, imo & caſum importaret. Et quoniam ſanguis aduſtus & melancholicus redditus ſeroſitatibus quidem abundat, unde Melancholia ab Hippocr. Aqua appellata fuit, ſed craſſiores quoque partes in ſeipſo, continet, quæ in Nob. Viro ad infernas partes, nimirum ad crura depoſitæ fuerunt: ut propterea ſugillationes, maculæ liveſcentes, imo nigricantes in cruribus ipſis apparuerint, quæ eidem motum progreſſivum difficilem reddunt, forſan ſeroſitatis portione aliqua inſenſibili ad articulos detruſa cooperante. Quibus ita ſe habentibus, Scorbuticum affectum depictum & delineatum habemus, licet non exacte legitimum, ut deſcribitur ab Hippocrat. qui occaſionem tollit inquirendi, num affectus iſte Scorbuticus novus ſit & Antiquioribus ignotus: quamvis negandum non ſit, non omnibus Regionibus æque familiarem eſſe: Endemicus enim videtur quibuſdam Provinciis, ut Danicis, Balticis, Bohemis, aut propter malam aquarum qualitatem, aut propter pravam ciborum conditionem: quæ cauſæ externæ & diſponentes in Italia non adeò frequentes ſunt. Nec nobis placet concedere in hoc affectu occultam aliam qualitatem, quam quæ ab humore melancholico derivari & ſcaturire poteſt: ineffabiles enim effectus producere ſolet melancholicus humor, quos ad cauſas occultas, imo ſupranaturales referre imperitis & Idiotis frequenter viſum fuit.

Status Nob. hujus Pat. eſt periculi plenus, cum

cum tota maſſa ſanguinea inquinata ſit ſupponenda, & ſupponendæ contumaciſſimæ obſtructiones, & forſan cum tumore in liene, intemperataque ſint viſcera omnia, & tota naturalis œconomia ſubverſa: hæcque omnia non amplius in habitudine, ſed in habitu confirmata reperiantur, ut proptèrea inſignem & maximam difficultatem habeat Curatio, & incertus ſit futurus ſalutis eventus, & Atrophia, aut facilius Cachexia, indeque Hydrops impendeat. Nihilominus quoniam auxilium noſtrum denegandum non eſt, congrua & idonea proponentur remedia, ſaltem ut ad meliorem ſtatum redigatur: quod conſequi ſi poſſibile fuerit, mox repetitis Purgationibus ſalutis ſpes innoteſcere poſſet.

Intentiones autem Medicæ erunt, primas vias mundare. Secundò Obſtructiones reſerare. Tertiò maſſam ſanguineam depurare. Quarto Caput purgare. Quintò Calidam jecoris, venarum & ſanguinis intemperiem corrigere. Sexto à proprietate juvantia adhibere, & tandem ſanguinem ipſum edulcorare, totumque corpus nutrire, atque Herniæ progreſſum impedire.

Quibus intentionibus ut ſatisfacere conemur, à fonte Chirurgico ſanguinis miſſio eſt depromenda, quicquid dicant aliqui, quia vitium eſt in ſanguine, quod eſt præcipuum Phlebotomiam indicans, ſicut virium robur permitteris; educatur itaque parce ex interna vena ſiniſtri brachii, qui ſi tenuis & ſeroſus exeat, ſupprimendus, & repetatur non ſemel, ſed parcius ex venis ſedalibus. Duo autem Cauteria quæ geſtat, aperta cuſtodiantur: & cingulo continuo geſtato Herniæ progreſſus impediatur: cui ſubſterni poterit etiam Ceratum aliquod aſtringens & roborans, quale eſſe poterit illud ab Amato Luſitano ita deſcriptum, à me pluries expertum

℞. Nucum Cupreſſi, gallarum an. ℥j. Balauſt. hypociſtidis an. ʒß. radic. Conſolid. pulv. perforatæ, herniariæ an. ℈iv. Maſtich. bdelii an. ʒiß. boli arm. ʒij. Sangu. drac. ʒiij. picis Græcæ ℥j. Reſinæ pini ʒvi. Terebinth. ceræ, ol. hypericon. q. ſ. m. & S. A. fiat Ceratum, ſuper aluta extendendum.

A fonte Pharmaceutico reliqua ſunt deſumenda remedia; & pro prima intentione explenda, primum Leniens ſit

℞. Syrup. roſ. ſolut. pot. ex man. clarif. an. ℥iij. Aq. flor. citri parum, m. f. potio;

Vel ℞. Flor. caſſ. elect. lenitivi an. ℥ß. crem. tart. ʒij. m. f. boli. Primum Præparans ſit

℞. Julap. acetoſi, cortic. citri alterati ℥ij. Aq. tot. citri ℥j. m. & ita pro quinque aliis diebus. Quibus tranſactis, præbeatur medicamentum ita

℞. Syrup. roſ. ſolut. de polypod. an. ℥iij. Aq. florum citri parum, m. f. potio, cui, tribus tranſactis horis, ſuperbibat aquæ hordeac. libram, & duabus horis ab aſſumpta aqua prandeat.

Inde ad ſecundam intentionem erit deveniendum, nimirum ad obſtructiones reſerandas, quæ quoniam exſiccatæ & aduſtæ ſupponuntur, ideò humectantibus egent, quæ dulcedine careant;

Igitur ℞. Succi depur. cich. borag. ſonchi an. ℥j. decoct. endiv. pentaph. meliſſæ, bugloſſi, lupulorum ℥iv. m. pro ſyr. & ſic pro aliis quinque: quibus ſuccedat medicamentum hujuſmodi

℞. Flor. caſſ. rec. extractæ, elect. lenit. an. ʒiij. crem. tart. ʒij. pilul. de tribus ʒß. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri capr. depur. libram, tribus verò horis ab aſſumpto ſero prandeat. Hinc ad validiora Aperientia deveniendum. ut

℞. Succi depur. cich. borag. fumar. an. ℥j. decoct. endiv. ſonchi, malvæ, lupulorum, aſplenii ℥iv. Tart. vitriol. gr. x. m. pro ſyrupo, & ſic pro aliis quinque diebus. Quibus tranſactis, aſſumat hujuſmodi medicamentum

℞. Elect. lenit. ʒvi. Extracti ſenæ polypod. rhab. an. ʒß. m. reform. boli, quibus pariter ſuperbibat ſerum, ut ſupra. Inde ad validiora quoque Aperientia deveniatur, ut

℞. Succi depur. cichor. fumar. agrim. an. ℥j. decoct. endiv. ſonchi, malvæ, cochleariæ, beccabungæ, aut naſturtii aquat. ℥iv. ſpir. tart. ter rect. gutt. xii. m. pro ſyr. & ita pro decem aliis; in quorum intermedio præbeatur Purgans paulo ſuperius deſcriptum, cum ſero. Quibus decem tranſactis diebus, ſuccedat talis expurgatio

℞. Decoct. Epith. Meſ. ℥iv. ſyrup. roſ. ſolut. ℥iij. aq. florum citri parum, m. f. potio, cui, tribus tranſactis horis, ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. ℔. ij. & duabus horis ab aſſumpto ſero prandeat, ita & tertiæ intentioni pro viribus ſatisfactum erit.

Quam perficere poterit medicamentum pro quarta; pilulæ nimirum capitales, cochiæ cum helleboro præparatæ, quibus aureæ quoque addantur.

℞. Pilul. coch. cum helleb. præparat. ʒj. aurearum ℈j. m. reform. pilulæ & aurentur, ſummo mane aſſumendæ: quibus poſt tres horas ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. ℔. ij. & duabus horis ab aſſumpto ſero prandeat, quæ ter ſunt tertio aut quarto quoque die repetendæ; intermediis vero diebus aſſumat ſyrupum hujuſmodi

℞. Succi depur. cich. fumar. beton. an. ℥j. decoct. violarum, lactucæ, beton. cochleariæ, beccabungæ & naſturtii aquat. ℥ij. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Et iiſdem diebus per nares quoque erit procuranda capitis expurgatio, ut etiam materia à gingivis divertatur; pulvis itaque pro Errhino ità paretur

℞. Pulv. majoranæ, rad. ireos Florent. an. ʒij. nigellæ ʒj. m. pro Errhino.

Ut autem ſeroſitates in toto & capite redundantes extra duci, ſicque multo magis maſſa ſanguinea depurari poſſit, Decoctum ſudorificum erit inſtituendum, quod quidem fundere & ſudorem prolicere valeat, at viſcera & ſanguinem excalefacere nequeat; cujuſmodi erit

℞. Radic. chinæ opt. ſalſæ parillæ electæ an. ℥j. ligni viſci querc. ʒß. aq. ſtillat. cich. borag. beton. an. ℔. i. m. fiat inf. per hor. 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, in fine vero ebullitionis adde fol. cochleariæ, beccabungæ, naſturtii aquat. an. pug. j. bulliant parum, & fiat colatura pro duabus vicibus, hora una ante ingreſſum hypocauſti Patienti exhibenda. Et ſi fortaſſe ſudor non adeo facile provocetur, una cum ſyrupo matutino præbeatur

℞. Pulv. Cornu Cervi philoſoph. præparati ℈i. Pulv. viper. ℈ß. m. aut ex his reform. bolus. Sudor vero in hypocauſto provocatus

perficiatur in lecto. Quod ſi Viro Excellentiſſ. Adſtanti forſan ob hypochondriorum ſiccitatem ſuſpectum Decoctum viſum fuerit; præcedere poterit eorundem humectatio exhibitione ſeri depur. ad ℔. iij. vel iv. cum vehiculo ſyr. roſ. ſolut. tribus vicibus, tertio quoque die, ut tali humectatione parentur viſcera ad ipſum Decoctum cum ſudore ſuſtinendum: imo hoc caſu tertio aut quarto quoque die ſudor erit provocandus in Balneo aquæ dulcis, ita perſeverando integrum menſem, ſudando tribus diebus in hypocauſto, quarto vero in Balneo. Tempore autem Decocti atque ſudoris victus ſit non tenuis, ſed mediocris, concedendo frequenter ptiſanam hordeaceam, ova ſorbilia, & ſæpe carnem pulli junioris, aut palumbæ turricolæ; & pro potu aqua ſecunda paretur decoctione lignorum à Decocto relictorum, detractis tamen herbis addendo in decoctione fruſtulum cinnam. & ſacchari quantumlibet pro guſtu Patientis. Decimo vero quoque die præſcribatur potio ex ſyrup. roſ. ſolut. aut ex manna clarificata.

Terminato ſudore, jecoris calor erit remittendus, ſanguinis acris & acida qualitas edulcoranda, totumque corpus renutriendum; quæ omnia præſtare poterit lactis aſinini uſus, ad quadraginta vel quinquaginta dies ſummo mane de more cum ſaccharo: quo aſſumpto, ſomnus non permittatur, ne caput magis repleatur.

Interim dum jam dicta omnia adminiſtrabuntur, gingivarum quoque aliqua cura erit habenda frequenti oris collutione, tinctura roſarum cum ſpiritu vitrioli extracta, & aqua plantag. parata, necnon gingivas fricando ſummo digito tinctura coral. chym. intincto.

Tandem à proprietate juvantia, vini vehiculo ſunt ad totum corpus deferenda, parando vinum pro menſa medicatum radice chinæ rec. foliis cochleariæ, beccabungæ & ſiſymbrii, ſive aquatici naſturtii; Et in reliquis congrua vivendi ratio à Viro Excellentiſſ. Adſtanti erit præſcribenda, ita ut abſtineat Nobil. Pat. ab alimentis & condimentis ſalitis, calidis, acribus & acidis. A vinis generoſis. A ſtudiis & applicationibus. Quæ omnia, faxit Deus, ut proſpera & ſalutaria pro voto ſuccedant. *Raym. Johann. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medic. Tom. 2. Cent. 2.*

De Scorbuto.

Adoleſcens 19. annorum, Patre hypochondriaco natus, pallidus, libris diu & noctu incumbens, pravo interim victu utens, de obtuſo ſiniſtri hypochondrii dolore queritur, ſuccedente totius gravitate & laſſitudine quaſi ſpontaneâ; abhinc in Odontalgiam & Cephalæam ſæpiùs recurrentem incidit; color ad fuſcum vergit. Dentes non multò poſt vacillare, & gingivæ levi attritu ſanguinem fundere. De cæteris benè. Conſultus barbitonſor. Raphano ruſticano in aquâ macerato os jubet elui, factum. Dentium dolor & hæmorrhagia ad tempus ceſſat, remanentibus imò increſcentibus aliis. At dolor de novo dentes, & putredo gingivas corripit, ventris poſt paſtum inflatio, ructus inanes, ptyaliſmus continuò, ſiniſtri hypochondrii, lumborum etiam & crurum, iſque ſub noctem potiſſimùm ingraveſcens dolor, anxietas & palpitatio cordis per vices moleſta, maculæ plumbeæ in humeris, pectore, brachiis & pedibus ſæpius viſæ, pulſus parvus, debilis, inæqualis, urina varia ſæpiùs tamen rubra, cum arenulis rubris matulæ adhærentibus, reſpiratio difficilis, compreſſio pectoris, tuſſis cum rejectione viſcidæ & ſubnigricantis materiæ. Conſulitur non infimæ notæ medicus. Huic aſthma. Varia præſcripta expectorantia. Omnia, præſertim de quarto in quartum pejora, appetitus proſtratus, atrophia totius, Lypothymiâ frequens, deſperatio tota.

Quæritur jam, *Quis Morbus?*

Quod *Subjectum?* Quæ *Cauſa?* Quæ *Signa?* Quæ *Differentia?* Quæ *Curationis ſpes?* Quæ *Curandi methodus?*

Reſolutio.) *Morbus.* Hic eſt Scorbutus. Cùm verò nominis diſquiſitio juxta Platonem ſit ἀρχὴ παιδεύσεως principium doctrinæ ipſius examinationem ante, quam ad alia, bono cum Deo præmittere, neceſſitas ſimul ac utilitas poſtulare videtur. Scorbuti itaque nomen derivatur vel à belgico Schorbuych, id eſt, ventris lancinatio ſive ventris tormina: Ea ſiquidem in hoc morbo valdè ſunt frequentia, ſæpè etiam tanta, ut nonnunquam peritonæum hiſce fuerit diſruptum, vel à Danorum Scorbeck quod oris depravationem indicat. Quæque derivatio utpote à parte ut plurimum ni dicam ſemper, affectâ, deſumpta priore mihi videtur convenientior: Variè præterea à variis audit. Gingipedium à quibuſdam dicitur, eò quod gingivæ pariter ac pedes in hoc morbo afficiuntur; dicitur etiam ſtomacace, ſcelotyrbe, oſcedo, volvulus ſanguineus, Icterus niger, &c. An verò hæc nomina noſtro ſcorbuto ex toto conveniant, Autores certant & adhuc ſub judice lis eſt. Hinc miſſis hiſce.

Rem ipſam videamus, quæ omnium optimè definitione explicatur; omnis enim, quæ à ratione ſuſcipitur de aliquâ re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, ut ſciatur quid ſit, de quo diſputetur. l. 1. offic. Talem autem jam pono. Scorbutus eſt affectus præter naturam ab humore melancholico peculiari modo corrupto ortus, cum crurum debilitate, maculis, gingivarum ſanguinolentiâ, dentium vacillatione; & aliis, de quibus infra ſymptomatibus affligens.

Generis loco morbum pono, eſt n. diſpoſitio corporis præter naturam, ob quam variæ ejus actiones læduntur. Cùm verò triplex morbi genus occurrat, prout enim vel ſimilarium vel organicarum partium conſtitutio læditur, vel denique his communis unio ſolvitur, prius videndum, ad quodnam genus πάθημα hoc miſerandum ſpectet. At quia ad morbos organicos neque in conformatione ratione quantitatis in numero & magnitudine, qualitatis in figura, &c. neque in compoſitione ratione ſitus & connexionis, neque ad morbos ſolutæ unitatis commodè referri poteſt, tertium ſolummodò morborum genus relinquitur, quod ſimiliarium partium intemperiei debetur, ubi quidem non tam in qualitatibus manifeſtis, puta in caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate, quàm potiùs occultis radicem

dicem mali latitare, adeoque morbis occultarum qualitatum hunc affectum annumerandum cenſeo.

Dato genere, tranſeo ad differentiam ſpecificam, per quam hic morbus ab aliis affectibus diſtinguitur. Delineatur autem hæc in reliquis verbis, uti talis indigitatur morbus, qui ab humore melancholico peculiari modo corrupto ortus, cum crurum debilitate, maculis, gingivarum ſanguinolentiâ, dentium vacillatione, &c. affligit. De quibus pro virium modulo fuſiùs agemus in ſequentibus.

Subjectum. De hoc ut breviter, diſtinctè tamen agamus, diſtinguimus inter Subjectum Primarium & Secundarium. Primarium lienem, Secundarium verò totum corpus ſtatuimus.

Humorem melancholicum in liene potiſſimùm dum ob craſſitiem diutiùs ibi ſubſiſtit, propriam & huic morbo peculiarem corruptionis formam ſubire credo: qui poſtmodum diffuſus naturalem viſcerum aliorum temperiem corrumpit, donec tandem in contagii communionem conſpirent; & ad receptam ſemel infectionis labem alimenta ſuperingeſta commutent & depravent, ſimilem corruptionis formam iis imprimendo, ſed ad Cauſas.

Cauſa. His præmiſſis, tranſimus ad cauſas: Harum autem alia eſt immediata & proxima, alia mediata & remota.

Immediatam & proximam cauſam definitio noſtra tradidit, nempe humorem, non quidem quemcunque melancholicum, ſed peculiari inſuper modo corruptum.

Hinc multi ſplenis obſtructionibus & humoribus melancholicis laborant, ſcorbuto tamen non afficiuntur, & in iis regionibus, quibus humoris atri ex aëris fervore collectio familiaris, ignotus eſt. Peculiarem hanc corruptionem inſuper probat ſingularis curandi ratio, quâ non peccantibus hiſce humoribus & malo inde reſultanti medicamenta à manifeſtis aut primis qualitatibus ſaltem agentia, ſed talia præprimis, quæ peculiari & à prioribus diverſo operandi modo omne curationis punctum abſolvunt, adhibentur. Symptomata ſi penitiùs inſpiciantur, τὸ θεῖον Hippocrati dictum haud obſcurè arguunt.

Cauſæ mediatæ Naturales ſunt Temperamentum melancholicum quod præ cæteris ad hoc malum proclive: *Diſpoſitio* Hæreditaria, hinc nonnulli ab ortu ob parentum ſemen vitioſum, & ſanguinem cacochymum hunc malum contrahunt, quam etiam ob cauſam multi in ipſo adhuc utero moriuntur. *Sexus* Muliebris, propter otium, malaciam, ingluviem, cruditatum matrem, huic morbo præ viris abſtinentiæ & labori deditis eſt obnoxius. *Ætas.* Quæ omnis indifferenter hoc malo affligitur.

Anni tempus. Quodlibet hujus morbi eſt ferax, vere tamen & autumno ob commotionem eo tempore fieri ſolitam ægrotos vel maximè infeſtat. *Regio.* Scorbutus antehac notus ſolummodò fuit maris Balthici, Bothnici, Finnicique Sinus, ut & totius Scandinaviæ Incolis. Poſtmodum verò eundo quaſi creſcens in alia & hæcce loca ſeptentrionalia longè lateque venenum ſuum diſperſit. Regiones interim & loca paluſtria, uliginoſa, ad aquas ſtagnantes ſita, & ventis ſolique non ſatis expoſita, præ cæteris huic morbo ſunt ſubjecta. Ex non naturalium rerum Medicis dictarum cenſu rationem induere poſſunt omnia illa, quæ infra dicemus fugienda eſſe, ubi de diætâ acturi.

Præternaturales ſunt lienis, non excluſis aliis viſceribus, maximè hepate, diſcraſia, obſtructio, nativa vel adventitia debilitas; &c. Obſtructio alvi, menſium, hæmorrhoidum non rarò hujus mali exiſtunt cauſæ.

Huc halitus ſcorbuticorum ab oſculo, poculo, alioque modo recepti, contagii in morem inficientes referri poſſunt. Unde totas familias non tam ob communem victum, quam communicatum hocce contagium ſcorbuto videmus corripi.

Differentia. Wierus, qui omnium optimè de ſcorbuto ſcripſiſſe creditur, tres illius commemorat differentias, quæ ſcilicet magis & minus ſe habent. At verò quia cum differentiâ & diviſione ſignorum infra poſitorum coincidunt, hic eas deſcribere ſupervacaneum putamus. Pergimus itaque ad

Signa. Hæc ſunt vel diagnoſtica vel prognoſtica; & diagnoſticorum alia incipientem, alia auctum, alia confirmatum ſcorbutum produnt. Incipientis ſigna ex caſu noſtro deſumpta ſunt ſequentia: Siniſtri hypochondrii gravativus dolor, ab exuberantiâ ſanguinis melancholici lienem obſtruentis, ejuſque tumorem & continui ſolutionem inferentis exortus. Totius gravitas, humoris vires animales prementis index. Laſſitudo quaſi ſpontanea Sanguinis crudi non tam in vaſis, quam in ipſo habitu muſculoſo abundantis nota. Cephalæa per vices apprehendens. Quam vapores ad caput delati, & vi membranarum cerebri coagulati inferunt, uſque dum vi caloris nativi diſſoluti ad ſubjectas partes, ſæpiùs dentes, deſcendant. Unde Odontalgia. Vacillatio dentium reſolutis quaſi vi tartarei ſanguinis eorum ſedibus. Pruritus faciliſque hæmorrhagia gingivarum, itidemque à tartareo ſanguine eas afficiente atque erodente exorta. Facies ex pallore ad fuſcedinem vergens, totius maſſæ ſanguineæ corruptæ, & ſcorbuticâ qualitate imbutæ ſignum.

Aucti Signa, caſus noſter hæc nobis ſuppeditat. *Fœtor* & putredo gingivarum, quarum caro quandoque ad dentium radices conſumitur, adeò ut dentes utrobique vacillent, & excidant. Ventris poſt paſtum inflatio. Eouſque ſcilicet labefactatis concoctionis organis, ut imbecillitate caloris nativi copia flatuum mox etiam in primâ concoctione oboriatur. Unde ructus inanes & Ptialiſmus continuus, à vaporibus humoribuſque corruptis ex ventriculo, lociſque vicinis ad os elevatis exortus. Lumborum & crurum, iſque ſub noctem potiſſimùm ingraveſcens, dolor, ob humoris melancholici circa id tempus motum. Anxietas. Hanc flatus hypochondria diſtendendo, pectuſque comprimendo inferunt. Cordis palpitatio per vices moleſta à vaporibus malignis, maximè tempore ebullitionis, cor infeſtantibus enata. Compreſſio pectoris. Hanc cruditates unà cum flatibus diaphragma comprimentes, tum eva-

porationes in capite reſolutæ & in pectus deſtillantes cauſantur. Unde reſpiratio difficilis & Tuſſis cum rejectione viſcidæ & ſubnigricantis materiæ, melancholicæ colorem referentis: nil verò variis præſcriptis pectoralibus hactenus obtineri potuit, eò quod hic non tam in pectore, quam ſub eodem in infimo ventre radix morboſa ſit inquirenda. Maculæ pro ratione humoris peccantis variæ, in humeris, pectore, brachiis & pedibus ſæpiùs conſpicuæ. Pulſus parvus, debilis, inæqualis cum aliis ſignis pro infallibili hujus morbi habetur ſigno urina varia hujus morbi infallibilis cenſetur nota. Sæpiùs tamen rubra cum arenulis rubris matulæ circumcirca adhærentibus ſcilicet ebulliente tartaro ſcorbutico reſpectu maſſæ ſanguineæ, quâ de cauſâ febrilis quaſi videtur.

Confirmatum produnt Signa, tum jam allata, & indies ingraveſcentia, cum maximè ſequentia ex caſu noſtro deſumpta. Exacerbatio veluti per circuitus & periodos, ut in ſubjecto noſtro de quarto in quartum, id quod à puro melancholico humore fieri conſuevit: quemadmodum pituita admiſta ſingulis diebus, bilis vero tertio quoque die ſine tamen manifeſta febre, in quam verò facilis perſæpè fit mutatio. Appetitus ab humore vitioſo, vaporibuſque corruptis fermentum ventriculi corrumpentibus proſtratus, Atrophia totius. Quemadmodum omnis atrophia eſt æſtuantis caloris cordi infixi, vel aliunde, ad cor accedentis ſoboles: Sic quoque noſtram hanc tabem à fumis, vaporibuſque ſcorbuticis oriri veriſimile nobis videtur: Dum enim cordis calor iis adauctus præter naturæ modum accenditur; iiſque beneficio arteriarum toti communicetur, quid mirum ſi nutritionis defectus in partibus ſubſequatur. Nota tamen, adeò lentum hunc & gliſcentem propter cauſam morbi frigidam, eſſe calorem, ut vix, niſi longiore temporis morâ ab effectu poſſit percipi. Lypothimia frequens à venenatis hujus mali vaporibus cor vitalis facultatis fontem pro ratione motus infeſtantibus inducta. Deſperatio tota, quæ ut ferè omnibus ab humore melancholico oriundis, ſic quoque præſenti affectui valdè eſt familiaris.

Prognoſis. Prognoſin diagnoſi ſubnectamus, ordo tractandi exigit; neque illa ſanè omittenda, cum tanta hujus medicinæ partis ſit neceſſitas, ut ſine eâ temerè ad ſanandum cura ſuſcipiatur, id quod nos generalia nonnulla præmittendo, huicque ſpeciale & ſubjectum noſtrum reſpiciens prognoſticum ſubnectendo bono cum Deo præſtabimus.

1. Recens faciliùs, creſcens difficiliùs, confirmatus difficilimè curatur.

2. Contagio receptus malignior, & ob id totas ſæpè inficit familias.

3. Scorbuto ſæpè ſuperveniunt & complicantur febres, quartana & aliæ.

4. Multoties in cachexiam melancholicam, hydropem, dyſenteriam, ſæpiſſimè tamen in atrophiam & tabem deſinit.

5. Ulcera ſæpè partibus corruptis ſenſum abolent, & naturam mali mortui induunt.

6. Cum maculis lividis tutior, cum croceis minùs, cum lividis minimè ſecurus.

7. Adultis & ſenibus, ut & quibuslibet in diætâ victus negligentioribus ſemper eſt gravior.

8. Hæreditarius difficilis eſt curatu.

9. Livor faucium in ſcorbuto ſignum eſt lethale, caloris enim nativi extinctionem ſignificat.

10. In moribundis maculæ prius viſæ evaneſcunt; multis verò antea deliteſcentes à morte erumpunt.

Quibus poſitis ſtatuimus in hoc noſtro ſubjecto, eo quod hæreditarius cum maculis lividis, confirmatus imo conſummatus cum omnium virium languore ſit morbus, reſtitutionem integram vix, aut ſaltem longiore tempore & maximâ cum difficultate exſpectandam. Nihilominus tamen ægrum benè ſperare & ſpirare jubemus, eò quod huic morbo convenientia remedia nunquam ſint adhibita, adhæc patiens ſit juvenis, adeoque ſi non ex toto juvari, ſaltem ad longius tempus remediis & diætâ convenienti ſuſtentari poſſe putamus. Ne verò quartana, quæ eſt præ foribus, huic morbo brevi jungatur, ad curam protinùs devolemus.

Curatio. Curationis omne momentum in eo conſiſtit, ut 1. humor melancholicus circa lienem, meſenterium, &c. deliteſcens præparetur & evacuetur: 2. peculiaris, quæ huic morbo ſubeſt, corruptio per appropriata anti-ſcorbutica corrigatur. 3. Partes roborentur. 4. Symptomata mitigentur atque auferantur.

Remedia iſtis indicationibus ſubordinata deſumuntur ex triplici fonte, diæretico, chirurgico, & pharmaceutico.

Ad fontem diæteticum pertinent 6. res non naturales Medicis dictæ. Aër, cibus & potus. Somnus & vigilia. Motus & quies. Excreta & retenta. Animi pathemata.

Aër cum homini magis, quàm cibus & potus ſit neceſſarius, ſiquidem abſque his aliquot dies ſuperſtes eſſe, at ſine iſto ne momentum quidem ſupervivere poteſt; cumque etiam dupliciter lædat, vel quatenus inſpiratione attrahitur, vel quatenus nos ambit, hinc qualis hic conveniat, ante omnia perpendendum. Sit a. ratione ſubſtantiæ purus, tenuis, nullis inquinamentis aut corporibus putridis infectus ratione qualitatum ſit temperatus, vel etiam ad caliditatem & ſiccitatem vergens, & ſi naturâ haberi non poteſt, arte procuretur.

Cibi & potus optima etiam habenda eſt ratio, Medicus enim incaſſum ſanitatem reſtaurare conatur in ægro, niſi & ipſe, docente Galeno, rectam velit & poſſit ſervare victus rationem.

Vitentur igitur crudi, craſſi, viſcidi, humorem melancholicum generantes, concoctu difficiles, multum ſaliti atque aromatizati, ut & omnes ſale volatili deſtituti cibi. Contra autem victus ſit boni ſucci, concoctu facilis, moderatè calefaciens, incidens, attenuans, detergens, deobſtruens, ut ex volucrum genere gallinæ, capones juvenes, pulli columbini, gallinacei, perdices, pluresque de montanis; rejectis paluſtribus: ubi nota, eſum columbarum Silveſtrium vel maximè hic laudari. Ex piſcium, ſi vehementer expetantur, ſaxatiles,

les, auratæ, lupi, funduli &c. qui tamen nonniſi ritè præparati & pauci concedendi; ſale vero conditi aut fumo exſiccati in totum negandi. Ex quadrupedum cenſu vituli benè nutriti & ætatem habentis, juvencorum, vervecum carnes recenter mactatæ, benè coctæ, cumque raphano ruſticano &c. ritè præparatæ conceduntur, rejectis nimiùm ſalitis, fumove induratis aut vetuſtate rancidis. Lac caprinum, præſertim ſi herbis antiſcorbuticis alatur, aut ſi ipſi lacti beccabungam, naſturtium, cochleariam incoxeris, vehementer laudatur. Cujus ſolius longiore uſu multos eſſe reſtitutos teſtatur Heinricus Bruccæus in Academiâ Roſtochienſi quondam Profeſſor in ſuis de Scorbuto propoſitionibus. Ex ordine vegetabilium conveniunt naſturtium utrumque, acetoſ. borrag. bugloſſ. cichor. chelid. min. in acetariis, juſculis, conſervis, placentis, aliiſque modis ſumpta. Condimentorum loco ſint cappares, amygdalæ dulces, paſſulæ, piſtaceæ, acetum, ſinapi, quod quia acredine & ſubtilitate partium incidendo prohibet, ne fiant & colligantur obſtructiones melancholicæ, à multis multum laudatur. Nocent multa & varia in unâ menſâ fercula, ſit itaque æger contentus aliquot ad morbum facientibus, neque plus aſſumat, quam ventriculus benè poſſit digerere. Potus ſit vinum Rhenanum, maturum, ſi æger ſit aſſuetus, aut cereviſia clara, benè defæcata itidemque abſinthio condita. Exulent aquæ crudæ, ſtagnantes, putridæ, quibus juſcula parare, ne dicam ſitim levare, nefas.

Vigiliæ immodicæ ac intempeſtivæ corpore repleto nocent. Somnus ſtatim à paſtu invitans, diurnus itidem ac diuturnus, curiſque implicitus vel maximè fugiatur.

Otium ignavum calorem nativum languidiorem reddit, unde concoctiones & excrementorum ſecretiones fiunt deteriores, hinc fœminæ præ viris huic morbo cenſentur obnoxiæ: motus interim vehementior, maximè à paſtu, non minus hic proderit, eò quod hoc ipſo concoctio multum turbetur.

Alvus ſit libera, menſes & hæmorrhoides ritè fluant, & ſi non ſpontè, arte proritentur.

Veneris exercitio hic morbus quibuſdam in locis curari dicitur fortè propter caloris naturalis ἐκλάειψιν. teſte Jonſtono.

Animi Pathemata, cura, timor, triſtitia, terror, anxietas cane pejus & angue fugiantur. Uſu enim & obſervatione conſtat, triſtitiæ cauſis libenter hunc morbum immiſceri *Engalenus. pag.* 284.

Chirurgia ratione in hoc morbo, præmiſſo lenitivo facto ex diacatholicon. aut Electuar. lenitiv. vel etiam clyſtere venæſectio locum habet, maximè ſi nulla ſpes hæmorrhoidum affulgeat, nihilque obſtet. Quænam verò vena ſecanda ſit, an baſilica, mediana, ſalvatella vel malleoli perindè nos cum neotericis judicamus, eò quod quælibet ex numeratis venis inciſa, ſanguinem ſaltem à manu recurrentem æqualiter fundat, adeoque nullus venarum in brachio tundendarum ſit ſelectus. Docente Clariſſ. *Conring. l. de gen. & mot. ſang.* obſervato interim Hippocrat. κατ᾽ ἴξιν prout vel lien, vel hepar, vel utrumque affectum fuerit: Quantum verò ſanguinis mittendum, an unâ, vel repetitis vicibus elici debeat, id prudens Medicus ex patientis robore & virium tolerantiâ facilè judicabit. Phlebotomia in ſubjecto noſtro parcâ; & potiùs; ſi benè ferat, repetitâ manu fiat, cum debiles & morbi diuturnitate exhauſtæ vires largam, præſertim unâ vice factam, non ferant.

Pharmacia. Hæc magnam nobis remediorum ſuppeditat copiam, quæ tam internè quàm externè adhibentur. Nos, qui brevitati ſtudemus, pauca tantùm eaque ſelectiora ſecundùm præmiſſas indicationes ſubjungemus.

Præparationi humoris melancholici inſerviunt. 1. Simplicia. Rad. cichor. petroſel. filic. polypod. Epythim. Herb. Ceterach. Scolopendr. Cuſcut. Cort. tamariſc. Capar. Compoſita Sir. de fumar. Epith. polypod. lupul. Ex quibus, additis quibuſdam appropriatis, quæ vide inferiùs, variæ poſſunt concinnari formulæ. Ex. gr. nos hanc ponimus.

℞. Sir. de cochlear. naſturt. polipod. Epith. an. ℥iß. Aquar. fumar. naſturt. beccabung. an. ℥ iij. Julep. cinam. & viol. a. q. ſ. m. f. Julepus pro neceſſitate reiterandus. S. Digeſtiv. *Trunck auf 2. Morgen.* capiat mane 2. horis ante paſtum.

Ad evacuationem hoc alioque modò præparatorum humorum varia laudantur à variis. Jonſtonus pil. tartar. Quercet. Wierus pil. d. fumar. ac diaſen. Ad mare Balthicum uſitatiſſimus eſt pulvis. Qui

℞. Agaric. albiſſ. croc. Epith. cret. fol. ſenn. a. ʒ ij. m. f. pulv. à ʒj. ad ij. Pilulæ quoque ſeq. quæ ſunt Sylvii, apprimè hic convenient. Quæ

℞. Gumm. Galban. acetô Squil. ſol. & iterum inſpiſſat. ʒß. Vitrioli martis ad albedinem calcinat. ℈i. Troſchiſc. Alhand. ʒ ß. diagrid. gr. xv. Ol. carv. gtt. vi. f. pil. n. 25.

Inaur. ſumantur 5. a. 7. matutino tempore, ac ventriculo vacuo, ſuperbibendo poſt ſeſquihoram juſculum, vel cereviſiam cum pauco pane coctam, & macere aromatiſatam.

Vina laxativa ſpleneticis & huic morbo appropriatis caſtigata inque plures dies uſurpata, utramque paginam abſolvere videntur. Hanc formam in hujuſmodi caſibus ſæpiùs cum fructu præſcripſi.

℞. H. Meliſſ. m ß. ſcolopendr. ceterach. a. p i. naſturt. aquat. beccabung. a. p ij. Rad. cardopat. polypod. a. ʒ ij. Cort. tamariſc. cappar. arant. a. ℥ß. Fol. Senn. SS. Alex. ℥i. Rhabarb. el. ʒ iij. v. ℥ß. Sem. agn. caſt. ʒi. Cinam. acut. ʒß. Groſſ. mod. inciſ. & tuſ. irror. c. ol. tartar. per deliq. ʒi. d. ad ſacc. *S. Sacklein zu 1. Mas Wein.*

Reſpectu ſubjecti noſtri benè adduntur rad. Helen. fenic. liquirit. paſſul. ſem. fenic. aniſ. Si æger ſit delicatior ſequens Electuarium præſcribo, quod

℞. Elect. de tamarind. c. fol. Senn. ʒ iij. Rad. Jalapp. reſinoſ. ℈ ß. Crem. tart. ʒ ß. Conſerv. d. cichor. & Rhab. & ſacchar. q. ſ. m. f. bolus.

Appropriata & ſpecifica hujus morbi ſunt ſimplicia. Radic. armorac. H. Cochlear. naſturt. aquat. & hortenſ. ſed. min. ſ. vermicul. chelidon. min. beccabung. quæ aliorum caliditatem & ſiccitatem corrigit. Si calidioris naturæ ſit æger, aut febris adjuncta, acetoſ. fumar. Si pulmo à materiâ obſeſſus & ob id

reſpiratio difficilis cum tuſſi rad. helen, c. hyſop. Si ventriculus debilis, coma abſinth. rectè adjiciuntur, ſicque deinceps pro ratione calidorum vel frigidorum humorum & ſymptomatum concurrentium procedatur. Multis autem modis hæc uſurpantur. Nos hic damus & laudamus duplicem. Primus eſt, cùm herbæ prædictæ virides cùm ſero lactis contunduntur, expreſſusque ex hiſce ſuccus in debita quantitate propinatur. v. g.

℞. H. naſturt. anagall. aq. cochlear. a. m ij. Comar. abſinth. ſed. min. a. p i ß. c. ſero lact. caprin. Contund. expreſſus ſuccus depuretur. doſis eſt ℥ iv. c. aq. cinamom. ʒiß.

Vel quando ſuccus ſeorſim expreſſus cum ſero lactis tempore uſus permiſcetur, in hunc modum.

℞. Succ. rec. expreſ. cich. fumar. beccab. naſt. aquat. Cochlear. a. ʒiij. ſeri lact. caprin. ℥ iv. f. hauſtus.

Ad perfectam ſanitatem repetendus. *S. Trüncklein, auf 1. Morgen.*

Ex appropriatis compoſitis laudamus Sir. Scelotyrbic. Foreſti, vinum anti-ſcorbuticum Mynſicht. ab iij. ad IV. M. & V. 2. horis ante paſtum. Tinctura martis ejuſdem à gr. VI. ad ℈ß. in liquor. conven. Syrup. antiſcorbut. ab ℥ß. ad ij. & iij. per ſe vel in aq. antiſcorbut. ejuſdem vid. armamentar. Medico-Chymicum. Elect. antiſcorbut. *Schröderi* ad magnitudinem juglandis parvæ M. & V. Pharmac. Medico-Chym. pag. 186. Spiritum antiſcorbut. *Joh. Pet. Lotichii*, cujus deſcriptio, utendi modus & doſis videantur apud *Aut. in conſiliis & obſervat. medd. pag. 356. &c.*

Nota in horum uſu ad 14. dies, imò, ſi opus, ulterius eſſe perſiſtendum, & quinto quoque aut ſexto die ſemper aliquod purgans, v. g. Elect. ſupra deſcript. ſtante curatione opus eſſe.

An & qua ratione conveniant acidulæ *Vid. Greg. Horſt. m.* ℔. *iv. obſerv. med. p. 273. Rhamlov. in ſpecul. acid. Wildung. pag. 176.* & alii brevitas non patitur, de hiſce hic latiùs diſſerere.

Roborantia, dum hæc fiunt, ex conſerv. cochlear. & aliis cum fructu præſcribi poſſunt in hunc modum.

℞. Conſerv. cochlear. ℥iß. chamedr. ſcord. a. ʒi. Rad. bugloſſ. borrag. condit. a. ʒvi. Helen. condit. ℥ß. c. ſir. d. borrag. f. cond.

His addi poſſunt & alia. v. g. affecto ventriculo, conſerv. flor. abſinth. hepate flor. & rad. cichor. liene conſerv. flor. fumar. it. Spec. diarrod. Abbat. diatrion ſant. arom. roſ. dianiſ. &c. ex quibus componi poſſunt formulæ pro ratione circumſtantiarum & arbitrio Medici. Et tantum de internis. Nunc ad

Externa. Hic a. præprimis locum habent ea, quæ lienem, ut in ſubjecto hoc noſtro, ita in omnibus fermè ſcorbuticis obſtructum, aliaſque malè diſpoſitum deoppilare & roborare valeant. Suntque

Olea. Ut anethin. rutac. chamom. amygdal. amar. & quod optimum, de cappar. Auguſtan. vel *Zvvelffer. vid. Pharmac. Aug. pag. 317. Pharm. Reg. pag. 263.*

Linimenta. Horum formulas egregias præſcribit *Lotichius p. 347. & ſeq.*

Unguenta. Ut ung. ſplenet. Schrod. Unguent. Splen. Mynſ. His ſequens adjiciam, cujus vires ipſemet oculariter expertus. Eſt autem *Amati Luſitani*, qui ſe hoc à Medicis Ferrarienſibus accepiſſe refert, & cujus uſu ſe lienem non modò obſtructum, ſed verè Scirrhoſum curaſſe gloriatur.

℞. Ol. commun. ℔iß. medull. crur. bov. ℔ß. Butyr. rec. ℥ iij. Succi bryon. cyclam. a. ℔ß. bulliant lento igne ferè ad conſumptionem ſuccor. collat. ad. Ceræ cit. ℥iv. Pulv. ceterach. cort. cappar. tamar. ſ. agn. caſt. a. ℥ß. f. Ung.

Emplaſtra, v. g. ſplenet. Mynſ. de cicutâ vel de ammoniaco Foreſti. *Zvvelfferi Pharmac. Reg. p. 300* vel ſimile.

Cataplaſmata quæ vid. ad Praxin *Riverii*, ubi de obſtructione & ſcyrrho lienis.

Externa interim & aliis partibus cum fructu adhiberi poſſunt, utpote Epati ol. abſinth. maſtic. Ventriculo ol. macer. nuc. moſchat. Nervis & tendinibus ungt. alth. reſumptiv. lumbric. &c. pro ratione Circumſtantiarum.

Symptomata. Quæ ſcorbutum concomitantur Symptomata ſunt varia, utpote difficilis reſpiratio, palpitatio cordis, lypothimia, arthritis ſæpius vaga, convulſiones, paralyſis, hydrops, atrophia, ulcera plerumque ſicca, nec pus fundentia, febres, eryſipelas ſingulis nonnunquam ſeptimanis, interdum menſibus infeſtans, ſputatio frequens maximè ab aſſumptis acribus & calidis, languor totius, ſudores copioſi, vomitus, dolores capitis, dentium, hypochondriorum, lumborum, crurum, aliaque innumera, quæ partim vide ad caput de ſignis, partim ad Autores, qui hocce de morbo ſcripſerunt fuſiùs. At vero cum ea ſublato morbo vel ſpontè evaneſcant, vel auxiliis ex Praxi generali repetitis, admixtis tamen antiſcorbuticis, tollantur, ſingulorum curationem hic quoque ſubnectere haud opus eſſe cenſemus. At verò quia oris depravatio in hoc morbo maximi periæpè eſt momenti, adeò ut pro ipſo morbo habeatur vulgo, pauca quædam illius remedia ſuperaddere non abs re eſſe duxi. Ea verò vel fiens eſt, vel facta, fiens eſt gingivarum laxitas & ſanguinolentia, ad quam.

℞. Rad. biſtort. ℥ß. Salis ℈. m. c. diamor. ad conſiſtentiam debitam. inung. gingiv.

Vel ℞. Fl. balauſti. ℥ß. Salis uſt. ʒi. M. F. Pulv. ad gingivas.

Factam appello putredinem. Ad quam apprimè facit gargariſmus de tormentilla Mynſichti, daturque tepidè alternis vel ſingulis horis ad ſanitatem perfectam, vid. Armament. pag. 403. Si putredo vehemens, Wierus talem dalem dat aquam.

℞. Arſenic. ſublim. ℈ij. alum. uſt. ʒiß. f. pulv. bulliant. in aq. plantag. ℔i. ad horum in duplici vaſc. admoveatur gingivis ſpongiola madefactâ, ſed propter arſenicum cautè procedendum. *Joh. Michaëlis in Praxi Clynica Speciali.*

De Phlogoſibus vagis Scorbuticis.

Fœmina ætatis annorum 33. nata in Belgio, degens cum Marito in Munimento ad Rhenum celebri, temperamenti ſanguineo-bilioſi, habitûs gracilis, teneræ conſtitutionis, aliquot ab hinc annis per nares copioſum ſæpè, profundens ſanguinem, frequenter ſubitò exæſtuat, aliquando toto corpore, ſæpius in vultu, modò hâc, modò

modò illâ parte fervet, ſive Phlogoſes patitur inopinatò inva dentes, *ſchnelle, fliegende Hitzen*, modò jejuno, modo repleto ſtomacho, per horæ quadrantem, aut dimidium, breviùs aliquando durantes; plerumque cum udore, aliquando abſque ipſo, tàm imminente, quàm procul adhuc diſtante menſtruo fluxu obvenientes, quas plerumque non ſemper, quædam præcordiorum præcedit anxietas, roſio; gingivas monſtrat tumidas, partim ſanguinolentas, partim ſanioſas, partim albeſcentes, ſitit in dicto æſtu, ardorem ac ſiccitatem gulæ & faucium ſentit, parùm appetit, hypochondriis inflatur frequentiùs cum, aliquando ſine dictis Phlogoſibus, alvo libera eſt, urinam offert flammeam, ad roborem propè accedentem, nonnunquam, ut refert, ſedimentum inſtar pollinis lateritii deponentem, reſpirat facilè, ſed ſub æſtuatione iſta, ſi vehemens eſt, difficilius; pulſum habet inordinatum, in paroxyſmo celerem, citatum, ad iram prona eſt, dormit mediocriter, capite haud rarò dolet, menſium experitur, fluxum ſtato tempore, ſed imminutum, exaltato rubore tinctum, extremis naturaliter calet, cum invaſiones iſtæ abſunt, patitur laſſitudinem ſpontaneam, gravitatem membrorum, maciem corporis, tibiæ ulcus abſque multâ ſanie, dolore, maculas nonnunquam in cruribus & Brachiis claré rubeas; præterea nullas ſentit moleſtias. Petit Medici Conſilium, qui ſuppeditat tale:

Patiens mane horâ 6. & veſpertinâ 4. pilularum ſeq. num. 15. cum Mixtur. cochlearium 4. quantit. deglutitat:

℞. C. C. phil. calc. Ebor. phil. cal. Corall. r. præparat. Sem. naſturt. hort. Sal abſinth. an. ℈ij. Gelatin. Corn. Cerv. ℨvi. M. f. pil. pond. gr.

℞. Aq. beccabung. acetoſ. acetoſell. endiv. an. ℥ ij. Syrup. granator. ℥i. M. D. Hora 9. antemeridianâ juſculum, in quâ acetoſ. beccabung. naſturt. aq. fumar. recent. coct. calid. hauriatur. Cum æſtuationes intenſiores ac frequentiores ſunt, ante ſomni tempus Emulſionem bibat:

℞. Sem. 4. frig. excort. an. ℨß. pap. alb. ℨ j. F. c. aq. pap. err. lactuc. an. ℥iß. Emulſio D. Gingivis Linimentum de Aquileg. illinatur. Os colluatur frequenter ſequenti decocto:

℞. Cort. med. recent. frutic. roſar. H. naſturt. aq. rec. an. M. j. Coq. in Vin. rubr. ℔ j. colatur. adde Mell. roſar. ſimpl. Roob Nucum an. ℨ vi. M. D. Tibiæ ulceri Emplaſtr. diapompholyg. H. imponatur.

Poſt abſolutum horum medicamentorum Uſum remiſſiores, rariores illæ Phlogoſes, mitiora reliqua ſymptomata: Hinc denuò ad petitum Medicus ſequens ſuppeditavit Conſilium. Hauriatur manè ſeq. Potio purgans:

℞. Fol. ſen. el. ℨ ij. Tamarind. ℥ß. ſem. aniſ. Crem. Tartari an. ℈i. Coq. in Aq. font. q. ſ.

℞. Colatur. ℥ ij. Elect. de Tamarind. Horſt. ℨ vi. Aq. cinam. bugl. ℨi. M. Biduo aut triduo abhinc Venam brachii ſecari curet. Ab iſto tempore Acidulas ſive *Swalbacenſes*, ſive *Dönningſteinenſes*, quas adire ob cauſas domeſticas urgentes cùm, ut percipio, non liceat, bibat per 5. 6. aut plures ſeptimanas, æſtivo tempore, cum fervidus urit Aër, manè potando ℥. circiter XII. ſi ſitis urget, pomeridiana hora 4. ℥. circiter VI. ſin tempeſtas pluvioſa eſt, omitti poſſunt. Diætam, à Medico ordinario, in Conſilio communicato præſcriptam, obſervet. *His ſingulis per Dei Gratiam ab omnibus dictis moleſtiis liberata fuit.*

Reſolutio. Affectus ægram torquens eſt Phlogoſis Vaga Scorbutica, intemperies nimir. calida, brevis, frequens, ac ſubita, modò totius corporis, modo hujus vel illius partis, à p. n. particulis bilioſis, ſcorbuticis, agitatis, orta.

Moleſtiſſima hæc ſolet eſſe exæſtuatio, qua vapores calidi, liquores ferventes per totum corpus, per hanc vel illam partem fluere, effundi, adigi videntur, quando etiam abſque Scorbuto adoritur Comite. Hinc iſtum fervorem pro potiſſimo habuit Ægra noſtra, & ego quoque. Caſum inſcripſi de Phlogoſibus Vagis, addito Scorbuti nomine, qui has Comitans junctum dicit morbum. Brevitas, frequentia ac ſubitanea illius invaſio ab aliis corporis fervoribus ac caloribus ipſam differre monſtrant. Aliæ etiam ſunt vagæ illæ Inflammationes, volaticæ maculæ, *Flug*, vocatæ; Phlogoſeos vocabulum non pauci cum phlegmone confundunt, at parùm accurati iſti ſunt; ceu enim phlegmonen accuratiores cum inflammatione, phlogoſin abſque eâ dicunt, ita tales ego æſtuationes, efferveſcentias, phlogoſes, etiam abſque febre expono, quod mirabitur forſan, haud abſque ratione, unus vel alter. Sanguinis enim p. n. agitatio, turgeſcentia &c. Pleriſque Medicis non niſi in febribus adeſſe creditur; ſunt quidem, qui p. n. M. æ Sæ. motum à ſolo iſto æſtimant & deſcribunt circulari per corpus, ejuſque vaſa, motu, at rarò cauſa, frequentius iſte effectus eſt illius agitationis, quæ ab ipſo particularum in ſanguine incendio, inteſtino quaſi bello ac ſeditione oritur, non enim celerius tota M. S. de loco in locum movetur, niſi iſte molecularum in ſanguine tumultus adſit, ut ita ad turgentiam, ad impetum, ad orgaſmum, ad efferveſcentiam (variis enim nominibus inſigniunt) utrumque requiri, imò unum ab altero vix ſeparari poſſe, mihi videatur; Tales autem Orgaſmi, tales tumultuoſæ ebullitiones, tales effrænes ſeditiones in corpore humano abſque Febre ſe prodere non ſemel ſolent. Maniacorum ferox jactatio, Epilepticorum turgeſcens concuſſio, hyſtericarum vagabundi impetus, hypochondriacorum ſubiti dolores, flatulentæ diſtenſiones, borborygmorum murmura, Scorbuticorum, Cachecticorum, Ictericorum Aſthmata ſubitanea, Arthritides, Cardialgiæ, Choleræ, diarrheæ, dyſenteriæ, hæmorrhagiæ vehementiores, gulæ ardores, purgantium actiones, & ſimiles affectus à ferocientibus, ab ebullientibus p. n. motis oriuntur humoribus, at haud rarò ſine Febre. In hâc Ægrâ ex iſtâ ſubitâ phlogoſi febrem qui concludere contendit, perpendat brevitatem, volatilitatem, particularitatem illius fervoris, illius intemperiei calidæ, abſentiam quorundam febris requiſitorum, hinc abfuiſſe & Febrem ſui generis ſi ponerem, nimis latè nomen extenderem, & dicerem id, quod ii, qui occultas qualitates ponunt. Phlogoſis talis æſtuationem, fervorem, efferveſcentiam incertam, vagam Intemperiem, ſanguinis inordinationem, excandeſcentiam,

caloris ſuffuſionem dicit. Scorbutus, quem hic Gingipedium cum Regnero Snoy appellare poſſum, ſi tàm rudi uti licet verbo, Græcis uſitatis στομακάκης & σκελοτύρβης nominibus exprimo, affligere ſolet abſque iſtis æſtuationibus nonnunquam, & hæ abſque ſcorbuto; Particulæ iſtæ biliosæ ſcorbuticæ ſive ſulphureæ ſalſæ acres ebullientes in cauſarum ſerie exponentur.

Subjectum pono modò totum corpus, modò hanc vel illam partem, ut & infra patebit, ubi ſymptomatum rationem reddo, prout nimirum fervoris ac ſcorbuti cauſa intenſior vel remiſſior eſt, hoc vel illud petit membrum; ſunt ſpirituoſæ, humidæ & ſolidæ partes, ex his os, gingivæ, fauces, gula, ventriculus, inteſtina, thorax, caput, brachia, crura &c. Cauſale, unam jam certam corporis particulam, determinatum locum ſi ſtatuere vellem, quod Curioſuli ad gloriam captandam facere allaborant, nimis anguſtis includerem terminis, & ut illi ſoli applicarem remedium, urgeri poſſem; Tota S. M. & alii humores, modò hanc, modò illam alluentes partem, tale hic conſtituunt, nec ſpiritus, nec viſcera cum glandulis excludenda ſunt.

Cauſam accuſo particulas ſulphureas, nimias, oleoſas reſinoſas & ſalſas acres tenuiores, ſcorbutica labe tinctas, ebullientes, effervescentes, ſive corpuſcula p. n. biliosa, ſcorbutica, agitata. Cauſæ ſi perpendo conſiſtentiam, læſerunt hic Fluida, & Spirituoſa, ſpiritus enim craſeos ac texturæ limites tranſilierunt; ſanguis in corpore humano vivo abſque ſpiritibus, non ſanguis, ſed cruor cadaveroſus eſt, imò & alii corporis vivi humores ſinguli ſpiritibus perfundi debent; Læſerunt fuligines, halitus, & quid dicere vetat, flatus ab iſta ſanguinis, aliorumve humorum ebullitione, effervescentiâ, agitatione exorti. Et Humoroſa, Sanguis imprimis, non hic autem ſolùm, ſed & pro varietate vertumni ſcorbutici, chylus, liquor Gaſtricus, Inteſtinalis, Pancreatis, Veſiculæ felleæ ſuccus, lympha varii generis. Iſta enim Ventriculo oblata alimenta alienis, jam vix ſubigendis aut domabilibus prædita corpuſculis materiam præbuerunt chyli, non laudabilis, præſertim cum liquor iſte fermentalis ſive condimentum ciborum, ceu Cuidam placet, ſive inſtrumentum Ventriculi, ſpiritibus debitis deſtitutus, alienis inſtructus, à ſanguine degenerante infectus, à lymphæ heterogeneis conſpurcatus, à glanduloſa Ventriculi tunicâ non ritè ſegregatus, ſuo non functus fuerit officio, cum ſuccenturiatus huic Inteſtinorum liquor à debito deviarit munere; Pancreatis hic ſuccus acrior juſto, effervescentiæ nimiæ præbuit anſam, veſiculæ felleæ ſuccus nimius, quâ ſuam reſinoſitatem, acrimoniam intenſior juſto, ebullitionem p. n. promovit; Lympha variæ, hic, ibi, indolis, diverſis heterogeneis, & materiæ, & efficientis vitio, tincta moleculis jam accuſatis, ceu ad talia recipienda aptiſſima eſt, hic, ibi, cauſæ rationem etiam ſubiit. Talibus præſentibus humorum degenerationibus, quis Sanguinem liberum dicet, ut de aliis inficientibus cauſis taceam? In hâc ergò Ægrâ inter fluida corporis Ille læſit potiſſimum. Solida & cauſæ ſubiiſſe vices, contendere quis poſſet, ſalinæ enim iſtæ & ſulphureæ accuſatæ moleculæ ſolidum quid dicunt, partes continentes contentas promovent. Verùm hic nonniſi in diverſis fluidis hæſerunt, ipſas partes continentes ſolidas irritatas, non raro contenta concitatius movere concedo, at in noſtro Caſu potiſſimum fluidis inhæreo.

Modum Læſionis ſi ſpectem, conſiſtit in Quantitate, Qualitate, Motu & Loco. Quantitate, imminuta & auctâ; Defectu enim peccant ſpiritus, nam licèt fervidior ſit ſanguis, iſta tamen ſpirituoſa volatilis effervescentia, ebullitio p. n. eſt, extra debitos craſeos limites, ut copiam ſpirituum, naturaliter requiſitorum, ſufficientem, non ponat, & ita ſanguis ſpiritibus debitis ſit depauperatus, p. n. verò nimiis inſtructus. Auctâ peccant particulæ iſtæ actu lædentes, paucæ enim ſi eſſent, non dominium obtinerent, non tam ſenſibiliter læderent. Qualitate peccant, dum nimis calidæ, nimis acres, nimis ferventes, ſcorbuticæ ſunt. Non quidem qualitate ſolùm primâ, ſed particulis, moleculis heterogeneis excedunt cauſæ, ob receptam tamen loquendi formulam liceat hunc retinere modum, quia enim dicta fluida utraque ſulphureis & ſalſis tenuioribus, acrioribus, valdè activis, ſubtilibus corpuſculis infecta, vulgari vocabulo biliosa fuerunt, læſionem induxerunt; Acceſſit in hâc Ægrâ Character ſcorbuticus; non enim omnis ſcorbutus à ſero limoſis, tartareis, craſſis viſcidis, fixis ſalibus inebriato, non omnibus à melancholia, non omnis ab humore acido oritur, ſed & tenuiores, volatiliores, fluxiliores humores labe ſcorbutica inquinantur, ut pateat, dari ſcorbutica pathemata calida, dari frigida, fixiorem dari cauſam, dari volatiliorem, hunc & Celebris Medicus Gallus, licet contra Anglos ſcorbuti diviſionem in ſulphureo-ſalinum & ſalino-ſulphureum revellat, tamen in Curatione attendendum eſſe dicit, num calor quidam p. n. an verò obſtructiones conjunctæ ſint. In quo autem Tinctura ſcorbutica conſiſtat, variè definiunt Authores. Cauſam aſſignant Cruditatem ſanguinis, denegatum craſſioris, fixioris debitam ſpirituaſcentiam, ſanguinem crudum, ichoroſum, ſanguinem nunc limoſum, feculentum, tartareum, vappeſcentem, nunc ſero acri, ſalibus modò lixivis, modò acidis, auſteris, aluminoſis, vitriolatis inquinato, plus minus dilutum, ſanguinis & nutritii ſucci διάθεσιν ſulphureo-ſalinam, ſalino-ſulphuream, ſanguinis diſſolutionem à ſale acri & ſubtili, aut immediatè, aut interveniente ſanguinis diſſolutione pathemata ſcorbuticis familiaria gignente derivatam; Alii aliam in prolixis editis Tractatibus. At cum talia dentur abſque ſcorbuto, ſuperaddunt non quidem, quas averſantur, occultas qualitates, ſed τὸ ἦθος, τὴν κακοήθειαν ſcorbuticam, τὸ contagioſum, nervoſo generi infeſtum, malignum, venenatum, depravatum, corruptum, ſingulariter, ſpecificè, ſui generis, &c. ἄρρητον, ſed tale mihi (ne miretur quis, cum tantis viris ſit) qua eſſentiam ſuam ſpecificam videtur, verùm ex effectu dici poteſt, dum non ſolùm Maris Balthici accolis & Germaniæ inferioris populis familiarem ſubindicat diatheſin, ſed & iſta gingivarum, tibiæ mala, maculas & ſimilia monſtrat. Cum ergò ſpecificè corruptum, malignum dicitur iſtud fer-

mentum

mentum ſcorbuticum; urgeri poteſt omiſſum vitium ſubſtantiæ, dum nimirum cauſæ toto genere peccant. Verùm qualitate dum peccat cauſa, peccat vel irreducibili, quæ dictum ponit vitium, vel reducibili. Utroque modo, potiſſimum poſteriori læſit hîc Cauſa. Motu peccant, dum p. n. non ſolùm celeri nimis & vagâ agitatione ebulliunt, tumultuantur, ſed & ad hanc vel illam impetuoſiùs juſto feruntur partem. Loco, dum ſubſiſtunt in variis partibus, gingivis, tibiis, ubi ſubſiſtere non deberent; diſtinguo contra quorundam mentem loci vitium, à motus aut quietis vitio, etiamſi enim illùc mota pars quiete poſt peccet, tamen non ſola quies, ſed ipſe locus etiam læſionis formale conſtituit.

Cauſæ Remotiores ſunt variæ: Prima mox ſtamina jacta à Nativitate fuerunt, viſceribus ſanguinis generationi & depurationi dicatis, hepate præſertim heterogenea iſta dicta aliqualiter, non tamen ad debitum gradum ſeparantibus, quod Temperamentum in ſtatu adhuc naturali patefacit. E non naturalium claſſe Aër patriæ nativus, humidus, craſſus, ſalſus ab uliginoſis, paluſtribus & lacuſtribus locis infectus, Cibi in patriâ familiares, carnes ſalſugine maceratæ, fumo induratæ, lardum crudum aut rancidum, Piſces lacuſtres, maritimi, fumo, ſole vel frigore indurati, aut muriâ conditi, mixta ex talibus edulia, cibi à corporibus aëre accuſato fruentibus, & aquis dicendis utentibus deſumpti, Potus ibi communis, aut aquæ craſſæ, crudæ, impuræ, graves, ſæpè corruptæ, aut cereviſia ex talibus parata multum hîc præſtiterunt. Vinum verò, quod domicilio mutato, ordinario potui inſerviit, particulas ex talibus genitas & collectas ſalinas acriores ſublimavit quaſi, ſpirituoſam, ſed non debitam, verum p. n. volucrem addidit indolem. Mirum enim in modum vinum, ubi ordinariè potatur, humoribus ſcorbuticis alas addere ſolet. Acceſſit Converſatio cum ſcorbuticis ibi frequentibus; per plures enim vias μίασμα illud ſcelotyrbicum è multis, quibus ibi familiare malum eſt, ſub converſatione ac cohabitatione exhalans irrepere poteſt. Aliæ Res Nonnaturales, in quarum notitiam non pervenit Medicus, dubio procul ſuum etiam contulerunt ſymbolum. Inter Res p. n. Hæmorrhagia ſæpius prægreſſa immodica, ad ſubjugationem balſamicarum, ſucculentarum, exaltationem verò heterogenearum ſcorbuticarum in ſanguine molecularum multùm fecit; Partes corporis, humorum ac maſſæ ſanguineæ generationi ac depurationi inſervientes, hîc ſingulæ, una magis, altera minus, una huic, altera illi δυσκρασίας ac malæ texturæ cauſam, fomitem ſuppeditarunt, quædam à collectis impuritatibus, demum infectæ fuerunt.

Ex dictæ cauſæ in hâc vel illâ parte activitate ſpeciali, ſymptomatum in hoc Caſu Speciales etiam Cauſæ erui queunt. Hæmorrhagia, quæ aliquot abhinc annis frequens & copioſa erat, oriebatur à ſtimulo illo, bilioſo nimirum acri ac ſalino; ſanguinem concitatiùs movente, vaſaque narium aperiente, ſpiritus ac laudabiles ſanguinis partes profundens, diſſipans, ſicque ad generationem heterogenearum, debito ſpirituum agmine deſtitutarum, multum faciens. Frequentes ac ſubitæ obortæ ſunt exæſtuationes, cum rubore ac fervore partium, cùm ſanguis modò totus, modò in hac vel illâ parte ebulliebat, quaſi accendebatur, effervefcebat, agitabatur, ab accendentibus ebullitionem, effervefcentiam excitantibus talibus, quæ vel in ipſa continebantur ſanguinis maſſa, vel ipſi hic aut ibi occurrebant, vel extra eam in hâc vel illâ parte, quæ vel homogenea calorem, motum intendunt, vel heterogenea effervefcentiam cient, ac illam æſtuationem & agitationem promovent, ceu à calore aquam tepidam ebullire, pulverem pyrium fomite exiguo accendi, Martem ab effervefcentiâ cum aliis in flammam, fumum agi &c. (innumera experimenta proſtant) cernimus; Frequentius autem in primis viis occurrentes humores aliâs naturales, hic peccantes, gaſtricus liquor, chylus, bilis, ſuccus pancreat. &c. tum ſibi invicem tum cibo aut potui talem aliquando ibi, aliquando & in ſanguine fervorem, & cum iſto partibus externis induxerunt, dum ebullientes, effervefcentes, tenues, vaporoſæ ſubtiles Sanguineæ Maſſæ partes ſubitò ad exteriora ferebantur, ardentes fumigantes quaſi; Sanguis enim talis non ſolùm copioſius, impetuoſius in hanc vel illam partem movetur, ac ruit, ſed &, cùm ebullit quaſi accenſus, aut effervefcit, (quæ duo probè diſtinguenda cenſeo) halituoſa non rarò, vaporoſa, ſubtilia emittit corpuſcula, quæ huc, illuc, per vaſa tamen patentia deſtinata, non ſemper expectato ordinario reliquæ M. S. motu ſubitò ad partes has vel illas fertur, quod, ita & quâ talia halituoſa Gas eructantia facilè probari poſſe confido, frequentiam vultus, imò totius phlogoſin mox à vini potu, ab animi pathematibus, pudore, irâ, amore, &c. obortam modò quis conſideret; Agitatus ergò ac æſtuans ille ſanguis partes illas, aliquando totum, fervore iſto perfudit, vel diſpoſitis ſeroſis fluidis particulis ad ſecretionem in glandulis ſubcutaneis, unde udor, vel non, unde nullus; Et quia ſingula ante enarrata, in & extra M. S. cum & abſque effervefcentiâ cauſæ rationem induerunt, oborta fuit talis Φλογώσεων Varietas. Ex quibus patet, me Celebrium Medicorum ſententias, qui tales phlogoſes vagas oriri ab intemperantiâ in venâ portæ, ab obſtructionibus in meſenterio & viſceribus, colluvie humorum in hypochondriis, & præcipuè circa hepar ſtatuunt, & hic ſano ſenſu admittere, pro univerſalibus autem non habere; Patet, quantum conſentiam Illis, qui talis caloris ac nonnunquam ſudoris momentanei cauſam dicunt, ubi calor nativus à copiâ humorum crudorum premitur, qui ſi alteratum eum humorem aggreditur, exprimit quaſi aliquem calorem & aliquando liquorem in ſuperficiem corporis; Illud autem, quod tales caloris ſuffuſiones à perverſo, per ſcorbuticam labem, regimine animali oriri ſtatuunt Quidam, dum plerique nervi & fibræ eorum appendices, huc, illùc, protenſæ ſpaſmos ſeu motus convulſivos paſſim ineunt, propter eorum ἀταξίας arteriæ & venæ ἀνωμαλῶς contrahuntur, ut ſanguis in quaſdam partes plus debitô compellatur, illud inquam, in noſtrâ Ægrâ cauſam non fuiſſe autumo. Ceſſat brevi, licet aliquando tardiùs, aliquando cele-

celeriùs, quia deflagravit, quæ accenſa agitabatur, deferbuit, quæ effervescens tumultuabatur portio. Præcordiorum anxietas cum adfuit, & roſio, in Ventriculum multùm ac improportionatè egit iſte degenerans varius Ventriculi humor, illum poſteà in ſanguine tumultum excitans, non verò Cor, quod Quidam metuunt, principaliter affectum fuit: Tumor, ſanguinolentia, ſanies & albedo gingivarum à ſalinis, ſcorbuti malitiâ præditis, ipſorum texturæ maximè adverſis, oriebatur moleculis, in teneram enim & mollem illarum, quas palati glanduloſi, ſpongioſi continuatio, & in majores protuberantioreſque papillas fibrarum, nervorum vaſorumque & membranarum ope conglomeratio conſtituit, carnem ex arteriæ rami aſcendentis propaginibus tenuibus & ſalivalium vaſorum oſcillis extillans ſanguis infectus diſtendit, putreſcens alieno colore inficit, ſaniem ſuppeditat: Calidi bilioſi ſalini humores, gulam ac fauces cum vicinis irrigantes, ſed, quod quotidie fit, exſiccantes, ſitim ac ardorem ibidem excitârunt, alium tamen ab eo, qui frequens eſt, ab acido prædominante fit, uterque tamen malè à pleriſque confunditur: Appetitus eſt exiguus, quia Ventriculus non debitâ craſi gaudet, inſtrumento inſtructus, quod à ſpirituosâ ſuâ acido-ſalinâ diſpoſitione degenerat, quod & cum reliquis dictis, in iſto negotio huic auxiliares manus ferentibus, liquoribus itidem degenerantibus cum objecto, cibo nimirum & potu, effervescens p. n. flatus iſtos, modò cum, modò ſine æſtu, hypochondria diſtendentes gignit: Urinæ iſtum colorem ac ſedimentum inducunt ſalia, aliquantum ſubtiliata, cum ſulphureis particulis affluentia, ac in Renibus mixta: Dyſpnæa æſtuantis à flatulentâ diſtenſione, diaphragma, thoracem lædente, à ſanguine vehementius agitato, pulmonum vaſa ac veſiculas nimis diſtendente genita, quæ & celeris, citati pulſus in paroxyſmo cauſa fuit: Doluit Caput, ab iſtis ſpiculis ad pericranium, meninges motis, in capitis membranulas, fibrillas, cutem ſolvendo, vehementer agentibus: Expulit Naturâ ſtato tempore, fermentatione motum ſanguinem per vaſa ac vias ordinarias, non tamen magnâ quantitate, quia â naturali regulâ declinarunt illa fermentatio & ipſa humorum conditio, quia exceſſerunt particulæ hactenus adductæ, quæ iſtam ſanguinis etiam purpuram exaltarunt, ceu aliàs etiam volatilia ſalina, ſulphurea roborem intendere obſervamus: Laſſitudo ſpontanea, membrorum gravitas adfuit, non ſolùm, quia ſpiritus vegeto motui dicati defecerunt, dyſcrati fuerunt, ſed, quia fibrarum congeries muſculoſa ab iſtis dictis heterogeneis premebatur, in debitâ variâ tenſione tàm contractivâ, quàm expanſivâ impediebatur: Macilentæ fuerunt partes, quia balſamicus iſte ros nutritioni deſtinandus partim abfuit, partim degeneravit: Tibiæ unitatem ſolvit acrimonia allabentis humoris, licet pauci rodentis debilem iſtam, malo tali ex texturâ ſuâ facilè obnoxiam partem, ulcuſque induxit ex illorum ordine, quæ ſcorbuticos bilioſos potiſſimùm infeſtant; Dolor inſignis in ulcere & aliis membris non fuit, quia illa diſproportio cauſæ agentis ad nerveas fibrillas non erat magna, hinc in nervoſo generi inferſtum ſcorbuto frequens, univerſale autem non eſt: Maculæ in extremis ſanguinis ſæpius accuſati, ad arteriarum etiam capillarium araneata vaſcula, oſcilla, & tenuiſſimas lineas moti, ſub & per tenella integumenta efflorescentiæ aut recrementa ſunt.

Signis ad phlogoſes detegendas opus non eſt, Ægra enim ſentit ac refert, imò & adſtantes plerumque, cum adſunt, eaſdem cernunt in exterioribus. Scorbutum produnt gingivæ ſanguinolentæ, ſanioſæ, tumidæ, albeſcentes, tibiæ ulcus, & maculæ, crura, & brachia tingentes, quæ & aliis quibuſdam accedentibus vim ad ſignificandum hunc morbum largiuntur. Cauſam autem, bilioſos nempe humores evectos, ebullientes, effervescentes, indigitant varii ſignorum fontes, à cauſis & effectibus deſumpti. Ætas, temperamentum, corporis habitus, conſtitutio, potus ordinarius, proclivitas ad iram, hæmorrhagia narium frequens, tanquam effectus, ipſi fervores, ſitis, ardor ac ſiccitas gulæ & faucium, appetitus dejectus, urina flammea, menſium nimium rubentium imminutio. Scorbutico charactere tincta patria, locus nempè maritimus, victus ac potus ordinarius in eâdem, ſanguinis per nares frequens fluxus prægreſſus, tanquam cauſa, cum anteà dictis monſtrant.

Prognoſis ſi exponenda Ægræ fuiſſet, non quidem vitæ periculum imminens, attamen pertinaciam affectuum horum diuturnam Medicus prædixiſſet, ac ſolam ſymptomatum promiſiſſet mitigationem. Raro enim penitus tales remittunt affectus, hinc & Medicus nullum propoſuit Patienti prognoſticon, dubius, an ſi ſalutem promitteret, promiſſis ſtare poſſet, ceu enim quâ ſymptomatâ, inſtar vertumni ludere, ita quâ eventum ſæpius fallere ſolet ſcorbutus. Dei tamen gratiâ, iſti poſt adhibita medicamenta evanuerunt affectus.

Methodus Medendi ex legitimis, non ſpuriis quorundam, agens principiis præcepit, ut particulæ iſtæ p. n. nimiæ imminuerentur, eliminarentur, calidæ acres, ferventes, ſcorbuticæ partim educerentur, potiſſimùm immutarentur, inverterentur, infringerentur, mitigarentur, enervarentur, ſubſiſtentus ab illo loco removerentur, ſpirituum pauperiei ſubveniretur, partes munirentur: quibus Indicationibus exequendis præſcripta deſtinata fuerunt medicamenta, non ſolùm, quia ab Authoribus talia commendari ſolent, ſed & quia ex talibus conflata ſunt corpuſculis, quæ, modis dicendis in corporis humani contenta & continentia; tàm naturalia, quàm præternaturalia agunt.

Cornu Cervi, Ebur, Corallia partim ſenſim emollita volatilibus, tenuibus, etiam mucilaginoſis non deſtituta particulis, partim in tenuiſſimum redacta pollinem paſſim abſorbentium inſeruntur Claſſi, quæ acidas imbibant in corpore atomos, ac enervent, at non harum ſolùm, ſed & lixivioſarum, enixarum, acrium ſulphurearum, dum ipſis cohærent, ipſas ſubeunt, craſin, texturam, ordinem, agitationem immutare valent, & quidem etiam in M. S. non cum inſigni, ceu quaſdam acidas, effervescentiâ, verùm lentâ refractione, vi inſimul

diſ-

diaphoreticâ, & partes firmandi gaudentia, hinc multùm in talibus etiam, qualis noſter fuit, proſunt Caſibus. Abſinthii Sal ebullientes ſulphureos, ſalinos, ſcorbuticos humores eliminare, deſtruere, diſſipare, ligare, corrigere, egregiè valet. Naſturtii hortenſis ſemen (noſtrum hortenſe cum Vett. naſturtio idem eſſe, licet contradicentibus quibuſdam Botanicis, cenſeo) particulis volatilibus ſuis penetrantibus, incidentibus, attenuantibus, abſtergentibus, tenuibus, acribus enervat ſcorbuticum faſcinum, ac eliminat per ductulos glandularum ſubcutanearum, mucilaginoſis verò demulcet, nec ab eo nimia hic metuenda agitatio, cum vix granorum duorum pondere unam ingrediatur doſin. Gelatin. C. C. ſive ad molliorem adhuc, ſive ad ſicciorem, redacta conſiſtentiam Medicæ ac Pharmaceuticæ adæquata fuit intentioni, mucilaginoſis enim, viſcidis, volatilitate non deſtitutis, abſorbentibus particulis, diverſas à ſe in corpore immutavit, infregit, eduxit, licet non ſemper ad ſenſum, ac pulveres iſtos, ut in pilulas formari ſe paterentur, irretivit, inviſcavit. Beccabunga, Officinis dicta, Bauhino Anagallis aquatica major, folio ſubrotundo ordine prima, magno ob id encomio digna eſt, quod acribus ſalinis penetrantibus, calidis moleculis, ſcorbuto adverſetur, non tamen tantis nec tam activis, quantis cochlearia, ſed paucioribus, ac temperata, dilutaque pluribus humidis aqueis, hinc ſæpius in ſcorbuticis, ubi cochlearia lædit, magno cum commodo hæc exhibetur. Acetoſa, acetoſella, quarum etiam aquæ debitè deſtillatæ, viribus deſtitutæ, contra celebres Chymicos, non ſunt, juſculis & vires nobiles & gratiam communicantes, profuerunt Ægræ particulis aqueis, acidis, temperando, reſtinguendo, diluendo, obtundendo, immutando, educendo, quâ etiam laude gratiſſimus Granatorum ſyrupus micat. Non ſolùm hic in genere vegetabilia, pompoſis & ob ſolam occultationem pretioſis Chymicis, ſed & in ſpecie, Acetoſa ac Acetoſella celebribus antiſcorbuticis palmam præripuerunt; In tali enim ſcorbuto calido, ſi cochlearia, raphanus ſylveſtris, ſinapi & ſimilia frequenter ac copioſè exhibentur, concitant quieſcentem ſæpè cauſam, Narium hæmorrhagias, Arthritides, Aſthmata, Phlogoſes &c. excitant, hinc beccabunga præfertur, hinc ſi cochlearia Ægris talibus arridet, acetoſa aut acetoſella frænum illi injicere ſolet. Naſturtium aquaticum, notiſſima nobis herba (dimicent alii, an ſenecio ſerapionis, vel Sion Crateyæ, vel ſiſymbrium, aut Cardamine altera Dioſcoridis ſit) ſcorbuti Antidotum lentâ illâ, non nimiâ, coctione in juſcula penetrantes transfert particulas, quæ acrimoniâ ſuâ ſalinâ volatili, ſalinas, ſcorbuti malitiâ tinctas infringunt, emendant, expellunt. Fumaria vi ſuâ acres humores mitigandi, per glandulas ſubcutaneas ſenſibiliter educendi. Endivia, corpuſculis bilis fervorem reſtinguentibus, profuit. Emulſio ex refrigerantibus decantatis ſeminibus mucilaginoſis, & papaveris albi ſemine diureticâ, ſimul inviſcante, ſufflaminante, effrenes ſpiritus ligante vi præditis, cum aquâ papav. err. ſudorifera, mitigante, lactucæ refrigerante, refrenante parata, ferociam tumultuantium humorum compeſcebat.

Linimentum ex Aquilegiâ, Menthâ criſpâ, Salviâ, Nuce Moſcat. Alumine uſto & melle roſato vaſorum oſcilla, ut allabentes humores non tam promtè imbibant, ac retineant, firmare, allapſos tales imminuere, diſcutere, laxam carnem ſiccare, roborare, à putredine vindicare, ſaniem tollere ſolet, quam etiam vim terreis ſuis fixis, auſteriuſculis atomis, Cortices medii recentes fruticum roſarum exerunt, accedentibus præſertim fixioribus, ſalinis, tartareis, vini rubri, ac vitriolatis qs. Roob Nucum, abſtergentibus, mundificantibus Mellis Roſarum particulis. Ulceri tibiæ Emplaſtrum diapompholygos appoſitum fuit, à Medico quondam hic Celebri introductum, frequentiſſimè felici cum effectu uſurpari ſolitum, cauſam tollit, emendat, partes contra cauſam defendit, & ſymptomata abigit, ingredientibus ſuis, Minio, Lithargyrio, Ceruſſâ, Nihilo albo, Tutiâ præparata, Lapide Calamin. Saturno calcinato & edulcorato, Thure, Succis plantaginis, Roſarum, Sempervivi, Solani, &c.

Purgans potio ſuccedente tempore, non primò, quia jam ab ordinario Dn. Medico tum temporis ſufficienter evacuata fuerat; exhibita fuit, calidioribus enim humoribus hæc magis convenit formula. Conſtabat ex foliis ſenæ, quorum vis panchymagoga per particulas ſalino-ſulphureas tenues, colliquantes ſe exerens, ubique deprædicatur, Drachm. 2. pondere, cum major quantitas in Infuſo pro unâ doſi ſuperflua ſit, Tamarindis, quæ juxta illas atomos modò dictas, inſignes acidiuſculas ſalinas poſſident, bilis æſtum contemperandi, ſulphureos acres humores refrænandi fermentum Ventriculi vigorandi vi, pollentes, ſemine aniſi & aquâ cinnamomi, pro flatuum ex fermentatione colliquativâ oriundorum prohibitione, pulſione, Cremore tartari, pro ſtimulo & ſubigendo humorum fervore, ac Electuario de Tamarindis, quod Horſtius deſcribit: Sicque ſenſim ac ſenſim collecta heterogenea è primis viis & M. S. educta fuerunt, hâc non vehementi, ſed leni potione; in talibus enim Caſibus, qui vel Vomitoriis vel Catharticis validioribus ægrum exagitant, multum ipſi nocent, Aloëtica ac Scammoniata, humores acriores reddentia, in majorem fervorem agentia, ſtudio omiſi. Inde fervidiori, impetuoſiori, agitato ſanguini panſæ fuerunt fores, & quædam excurſio conceſſa, ut reliqua portio cauſæ educeretur, alas felicius poneret, defervеſceret. Ut tandem, quicquid reliquum adhuc, quicquid altiores egerat radices in corpore, per ordinaria emunctoria eliminaretur, acrimonia fervens infringeretur, reſtingueretur, ſulphurea, ſalina corpuſcula corrigerentur, ſcorbuticum miaſma deſtrueretur, ferocia effrænis coërceretur, Acidulæ propinatæ fuerunt; Tam Svvalbacenſes, quàm Donningſteinenſes hic reſolvere, examinare, ac deſcribere ob cauſas in proœmio dictas ſuperſedeo, cum præſertim Celeberrimi id egerint Viri. Non vulgaris autem potandi modus ob cauſam additam præſcriptus fuit; Integra enim ut vocant, Cura communiter inſtituitur augendo ſenſim aquæ doſin, uſque ad inſignem quandam & ſummam

mam, illam aliquandiu continuando, & tandem iterum imminuendo.

Diæta in Dn. Medici Ordinarii Conſilio præſcripta Cibos ſupra accuſatos, & nimis ſalitos, aromatiſatos, frixa, pinguia &c. nimium, non omnem, Vini uſum, Iram, nimios corporis motus &c. prohibuit. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Affectio Hypochondriaca & Scorbutica cum variis accidentibus.

Fœmina annorum quadraginta, & quod excurrit, tenerioris conſtitutionis & corporis, patre nata podagrico, matre ulceribus pedum ſcorbuticis obnoxia, ſanguine prædita acriori, & ſeroſiori, diætam adhæc minus laudabilem obſervans, dum cibis nondum concoctis alios, qualeſcunque etiam, ingerit, cereviſiam tenuem à prima infantia bibit, ſomno, quia dimidium & plus quoque noctis vigil in domeſticis negotiis obambulando tranſigit, interdiu per vices interrupto indulget, ærumnis multis exercetur, adhæc medicamenta horrens plura in corpore excrementa cumulat, unde & ante hos octodecim annos melancholia hypochondriaca per integrum ſemeſtre fuit exagitata, multis ſubinde ſymptomatibus ſcorbuticis & hypochondriacis infeſtatur. Octo liberorum parens graviditatis plerumque tempore varices pedum, ob ſanguinem ſtagnationi aptum, ingentes paſſa eſt, qui, cùm penultimum geſtaret fœtum, diverſis octo locis & temporibus rupti magnam quoque ſanguinis copiam profuderunt, nullo hinc ſecuto abortu, vel embryonis incommodo. Non curans hunc affectum ob antedictam medicaminum nauſeam, eo devenit ut annis abhinc aliquot eryſipelate, & hinc ulcere cruris alterutrius afficeretur, eo tamen naturæ beneficio, ut, qui ante magnas in corpore concitabant turbas, humores acerrimi hac veluti data porta, cum maximo quidem dolore, acredine & excoriatione ad exteriora prolaberentur. Quin, ubi non ſufficere videbatur ad copioſiſſimæ materiæ exitum, hic naturæ fonticulus, ad malleolum ortus, arte alium adhuc paulo ſuperius loco aliàs ſueto inuri ſibi curavit, non abſque omni emolumento. Conqueſta eſt hæc mihi ſe, quoties vel fonticulus, vel ulcus pedis exareſcerent, aut conſolidarentur; non ſaltim percipere humorum quaſi regurgitationem intra abdomen cum ſummis præcordiorum anguſtationibus, cardialgia imprimis, & compreſſivo ſtomachi dolore, poſt paſtum in ſpecie, & ingruente veſpera, ſed quoque intenſum adeò frigus in hypogaſtrio ſentire, ac ſi nive impleretur, quæ frigidiſſima colluvies cum ſenſibili ad tactum frigore non ſolùm cum urina nonnunquam, ſed etiam finita menſtrua purgatione, ſub ſpecie fluoris albi prorumpat, ac ſi nix ſoluta efflueret. His tamen in cruciatibus magnum experitur levamen ab uſu martialium, præcipitantium & antim. diaphor. quibus aſſumptis non ſolùm fonticulus rurſus madere incipit, ſed poſt ſudorem quoque cum euphoria pars materiæ peccantis per alvum ejicitur. *Joh. Burgii.*

Litura & exanthemata crurum in Scorbuticis plerumque ſigna bona.

D. J. M. & P. J. H. ambo conſtitutionis ſcorbuticæ, & vultu plerumque ſubcitrino, pallido, cùm membrorum laſſitudinem, hypochondriorum lancinationes, ſtomachi anorexiam, ac calorem lentum in viſceribus ſentirent, aſſumptis, vel non aſſumptis medicinis non unquam levaminis quid ſperarunt, priuſquam crura intumeſcebant, ac exanthemata rubra, lata, rotunda, vel lituræ circulares in cruribus apparebant; ſicque natura ſalſum & pituitoſum humorem ad crura ſponte propellente, commodè ſatis rurſum vixerunt. *Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Quod in anteced. Scholio de hypochondriaca adfectione, in hoc de lue Venerea moneo, videlicet cum hac quoque Scorbutum quandoque jungi, ſæpe tamen ob ſymptomatum quorundam, ambobus communium, præſentiam & ſimilitudinem, quæ Charletonis judicio, vel expertiſſimis Medicis alterius ab altero perdifficilem reddit diſtinctionem, aut ut Severin. Eugalenus in Epiſt. dedicat. tract. de ſcorbut. habet, qui ægrè, nec niſi à probè exercitato circa utrumque Medico diſtinguuntur, incautioribus (de indoctioribus nil dicam) imponit, ut luem veneream adeſſe credant, quam ſcorbutum rectius vocarent. Damnoſam autem eſſe confuſionem iſtam, Höchſtetterus noſter decad. 7. obſervat. med. caſ. 10. monuit; ſi ſcilicet ſcorbutus, adinſtar morbi venerei, turbetho minerali, inunctionibuſque mercurialibus curetur: Mercurium nempe morbi hujus eſſe hoſtem, ex Hartmanni Praxi chimiatr. atque ſeverè admodum in tales Medicos Foreſtum (lib. 20. obſerv. med. 11. & 12.) invehi, advertens. Taliſmodi, & quidem barbitonſoris, Scorbuto laborantes ſuffumigio ex cinnabari curantis mentio fit, lib. 3. Conſil. & epiſt. medic. ſect. 1. Gregor. Horſtii, ubi Archiater Saxonicus, Dn. Georg. Faber, Matronam honeſtam ſcorbuticam, ac ſi gallico morbo fuerit infecta, falſo ab illo tonſore traductam, conqueritur. Alia autem inter ſigna (ut propriùs ad præſentem Obſervationem accedam) effloreſcentes in cruribus maculæ certum imprimis præbent ſcorbutum indicium, ut iis concurrentibus, de morbo hoc dubitare velle, ſummæ eſſet inſcitiæ notæ. Aſt felices Regiones, quibus ignotus rarusve eſt dirus & contagioſus ille adfectus! Cujus etiam in Patria mea rariora occurrunt veſtigia; non tamen planè ignota, quamvis præteritis annis ſat atrocia, notante id, præter experientiam, præfato Höchſtettero, qui in Noſocomio publico & Orphanotrophio, quorum conſtitutus fuerat Medicus, plurimos taliter adfectos percuraverat.

Tumoris & exanthematum crurum in ſcorbutica intempeſtiva curatio lethalis.

R. P. L. F. ſtudiis & ſcriptis nimium intentus, continuo per plurimos annos, ex conſuetudine, ſive legeret, ſive ſcriberet, erectus ſtetit, quoindè poſterioribus annis humores excrementitii ſeroſi ad crura ſeſe vergebant, & coacervabantur, & plerumque ſub æſtivo tempore exanthemata, ſeu maculæ latæ, rubræ, ſubcœruleæ in cruri-

cruribus illi, citra ardorem notabilem, tumorem, aliamve moleſtiam erumpebant; quocirca præmonitus ſæpe à me & aliis Medicis, ne Naturæ ſponte ſe exonerantis beneficium impediret, emplaſtris & unguentis cutis poros occluderet, atque humoribus retruſis aliud graviuſque malum cauſaret. Verum ille ætatis tunc penes ſeptuagenarius, ex imaginatione hypochondriaca ſphacelum metuens, Medici cujuſdam curæ ſe ſubmiſit, exinde per plures ſeptimanas, circa omnem medicaminis interni uſum, nec univerſalibus præmiſſis, cruribus autem quotidie & continuo emplaſtratis, atque multis linteis involutis, exanthemata intro receſſerunt, ac poris penitus oppilatis, crurumque cute, marmoris inſtar, lævigata, humores ſeroſi, ſalſi, acres regurgitantes, & caput petentes, ægro dolores capitis obtuſos cum vertigine cauſarunt, atque brevi tempore poſt inter labores literarios catarrho ſuffocativo ſubito obrutus ille ad patres abivit. *Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Cùm Auctor in præced. Obſervatione lituras & exanthemata ſcorbutica plerunque bonum præire ſignum notaverit, in hac jam intempeſtivam eorundem curationem vel repreſſionem letalem eſſe, oſtendit, Scilicet Natura à vitioſo & corrupto ſanguine gravata, eundem quovis modo à ſe depellere conatur, atque ignobiliores ad partes illum protrudere imprimis ſolet: quo itaque violenter in venas retroacto, non poteſt non novas in maſſa ſanguinea ebullitiones & corruptiones excitare, haud ſecus ac in aliis quoque corpore efflorescentiis, morbillis, ſcabie &c. ſeroſi humores intempeſtivè repreſſi, maximum in periculum laborantes conjicere ſolent. Neque præpoſteræ illi curæ ut Medicus inſiſtat, tantoperè urget adfectus, præſertim cùm abſque ſingulari incommodo diutius quandoque circumferantur; id quod *Dan. Sennertus cap. 3. tract. de ſcorb.* confirmat exemplo Viri, qui per annos triginta crura ejuſmodi maculis colorata habuerat, de dolore tamen inſigni non conqueſtus; ubi etiam maculas iſtas, quas *Paracelſus* ſub nomine cancrenæ deſcribit, non multum ab his ſcorbuticis differre, judicans, ſine exulceratione ad annum 30. aut 40. eas durare, ex eodem admonet. Imò reliqua cura, internorum remediorum conveniente uſu ritè peracta, & ſanguini debita craſi atque puritate reſtituta, maculas iſtas ſponte evaneſcere, Practici norunt.

De Vermicularis herbæ viribus & præcellentia in ſcorbuto.

Vermicularis herbæ in ſcorbuto virtutes, de quibus ſimul loquebamur, tam inſignes in præmemorato bello deprehendi, ut illam, ſi non omnibus, nonnullis ſaltem adeo decantatis antiſcorbuticis palmam præripere, certus ſim, dummodo ab uſu ejus vomitus, quem excitare in diſpoſitis ſolet, ſequatur. Magnum enim morbo iſto laborantium, & diverſorum graviſſimorum ſymptomatum ſyndrome ferè peſſundatorum militum numerum, per Dei gratiam, feliciter reſtitui, paucis admodum, quos, ante meum adventum, per totam hyemem miſerè afflictos, & morti vicinos, ipſa ſalus, ut Comici verbis utar, quamvis maximè voluiſſet, ſervare non potuiſſet, amiſſis.

Curabam autem herbæ ejus, mundatæ & lotæ manipulos octo in cereviſiæ veteris libris octo, vaſe tecto: ad medietatis conſumptionem, ebullire, & ſingulis, vel, ſi vires id non ferrent, alternis diebus, jejuno ventriculo, decocti ejus repidi(hauſtum, (trium quatuorve unciarum) exhiberi, ac optatum ſemper eventum deprehendebam, hoc ſaltem obſervato diſcrimine, quod facilius & copioſius vomentes reliquis citiùs ſanitatem recuperarent.

Quibus gingivæ corruptæ erant, aut dentes vacillabant, quod omnibus adeo erat commune, ut nonnullis ſeptem, novem, imò undecim dentes, decidiſſent, decocto hoc calido, in quo alumen crudum, & mel roſatum, arbitraria quantitate, & pro affectus exigentia, ſoluta erant, ſæpe in die os collui jubebam.

Quinquaginta, & plures, contracturas genuum fortiſſimas, & talorum ad poplitem retractiones, paſſi, decocto hoc ſimplici, aliquoties propinato, & herba cocta, ac expreſſa, rigidis in poplite nervis calidè ſæpius applicata, faſciiſque, ne decidere poſſet, alligata, Deo benedicente, brevi convaleſcebant.

Ulcera tibiarum ſicca, difficulter aliàs curabilia, poſt uſum ejus internum, ſimplici decocto elota, iterata, herbæ in cereviſia coctæ, applicatione, nullo negotio ſanabantur.

Reliqua etiam accidentia, præmiſſa ῥιζοτόμου hujus exhibitione, convenientibus remediis facilè cedebant. *Bernhardi Belovv.*

Raphani vires in Calculo & Scorbuto.

Notior eſt Raphani ruſticani apud nos virtus, idcirco pauca attexam. Cum raphanus quicunque (differunt enim ſecundum magis & minus) incidendi vi polleat, calidus enim in tertio & ſiccus in ſecundo gradu cenſetur Galeno lib. 8. ſimpl. Med. fac. c. 74. Æginetæ l. 7. de R. Med. Oribaſio l. 15. Collect. Medic. in Calculo tamen & Scorbuto iſtam clarius exſerit. In pellendo calculo Aquam raphani commendat Rulandus Cent. 1. Curat. 44. & Cent. 4. Cur. 63. Imò in diſuria Raphanorum decoctum in balneo ſuadet, & ingreſſu in balneum virgam totam præputio retracto in raphanum majorem excavatum immittit. In extremo cataplaſmate ejuſdem uſum probavi. Addo hiſtoriam mihi quondam à *Samuele Kechelio* Mathematico inſigni, & Nobili Bohemo, communicatam. Judæus quidam Pragenſis pignore cum cive Pragenſi contendebat, non poſſe illum menſis ſpatio ova ſeu ſorbilia ſeu dura ſine ingeſto potu comedere. Vicit Judæus, nam elapſis aliquot hebdomadis de ventriculi dolore cœpit conqueri alter. Ex mortuo inde & per Anatomen aperto ventriculo extractus fuit calculus pellucidus benè magnus cœruleus. Filius in rei memoriam ex hoc lapide paterno manubrium cultello ſuo aptavit, quod cum forte aliquando in cœna Raphanus (*Rädys.*) inter fercula appoſitus tetigiſſet, fruſtulum ex manubrio diſſolutum fuit. Rei novitate attonitus filius, ſuccum Raphani ulterius aſperſit quo reliquas manubrii particulas reſolvit. Certo hoc experimento animatus cum Judæo, horum ignaro, de majore pignore contendit, & cum poſt ovi ſorbitionem ſemper

raphanum aſſumeret, victor Judæi crumenam emunxit. Id ſecretum caſus detexit, cujus veritatem experientiæ ulteriori committo, memor moniti Galeni, cujus aurea ſunt verba lib. 6. de Tuend. Sanit. cap. 14. Experientia normæ vice ſemper habenda eſt eorum quæ excogitaveris; nec ſcribendum pro utili quicquam eſt, quod non ſis expertus: niſi tamen hoc ipſum teſteris, non eſſe tibi adhuc expertum. De raphano ſylveſtri ſeu ruſticorum certa eſt apud nos experientia in ſcorbuto pellendo, quem vino vel cereviſiæ vulgus noſtrum infundit ſperato ſucceſſu. Eundem aquæ ſuæ ſcorbuticæ miſcuit beatus D. Olaus Wormius, patriæ lumen immortale, quæ in officinis noſtris proſtat multorum votis expetita & probata. In vigiliis laudatur quoque ejus uſus, Nuper Matronæ Nobiliſſimæ Hyſtericæ & Scorbuticæ, cum Laudanum exhibere vetaremur, plantis pedum contuſus raphanus, ruta & matricaria miſtus, ſuppoſitus & alligatus ſomnum conciliavit, exhibito tamen ſimul Extracto Anodyno Hildani, tempo ibu que inunctis Unguento ſoporifero. Nam ex Hippocrate l. 2. de Diæt. raphanus ὑγραίνει ſed . um δριμύτητι. Pro indurando ferro deſtillatum ex radice raphani & lumbricis terreſtribus conficiunt curioſi. De cauſa curioſiores circumſpiciant. Raphanum aceto miſtum brachio interiori imponunt mulierculæ quædam in doloribus dentium, non ſine levamine. *Thom. Bartholini.*

Scorbuti remedium Gronlandorum.

Chirurgicas Obſervationes centum reliquit Typographo noſtro excudendas Hermannus Nicolai noſtras, antequam Hafniâ cum navibus Societatis Indicæ diſcederet. Raræ illæ & curationibus laudandæ, ideoque in Latinum ſermonem translatæ ab Henrico Creutzfeldio Medicinæ Studioſo erudito. Unius tantum hic meminiſſe expediet, de Gronlandico Scorbuto Obſervat. 97. Cum bis oras Gronlandicas luſtraſſet, didicit inquilinum remedium ſcorbuti, quo Groenlandi tanta vehementia infeſtantur, ut omnis membrorum motus ipſis denegetur. Nimirum cochleariam & acetoſam ita copioſè in Inſulæ Urſorum monte *Tafelberg* dicto provenire vidit, ut greſſus viatorum impediant, ſed ſemper junctas plantas eſſe & vicinas, quia ſeorſim ſumi non debeant, ne ſingulæ per ſe ſumptæ detrimentum afferant, quippe alteram ſale volatili, alteram acido turgeſcere, ex quarum mixtura intermedia qualitas exſultet. Modum autem eas aſſumendi in Gronlandia hunc eſſe uſitatum, ut Rhangiferorum vel avium carnem recentem cum avenacea vel hordeacea ptiſana excoquant, ejuſque brodium his herbis ſcorbuticis condiant, unde inſigne alimentum medicamentoſum emergat, cujus eſu ita laxari alvum, evacuatis humoribus corruptis, ac ſi medicamentum catharticum hauſiſſent, moxque quaſi renatos convaleſcere. *Idem in Actis Haffniens.*

Maculæ Scorbuticæ in ſiniſtro hypochondrio.

Anno 1669. die 21. Januar. Textor hoc loco, natione Saxo, cum olim jam affectu hypochondriaco fortiter laboraſſet, denuo querebatur ſe dolorem in ſiniſtro hypochondrio pati gravativum, cum maculis quaſi pulicaribus ſcorbuticis, quas per aliquot dies in ſolo iſto climate obſervarat. Adhibitis aperientibus martialibus dolor ex ſiniſtro in dextrum converſus latus, ſed continuato uſu brevi ille una cum maculis evanuit. *H. Wolfangi Wedelii.*

De ſpiritu eſſentificato Naſturtii Sylveſtris contra Scorbutum.

Novo hoc remedio antiſcorbutico aucta nuper fuit medicina, cujus occaſionem dedit Daniel Prottenius Medicinæ Candidatus eruditus, qui cum extra mœnia Hafnienſia & ubique ferè in triviis copiam naſturtii hujus Sylveſtris, ſive thlaſpios provenire videret, & odore & ſapore ſcorbuticum eſſe remedium facilè perſpiciens, cœpit conſilia ſua cum Beckero Pharmacopœo noſtro induſtrio & curioſo communicare de ſpiritu eſſentificato ex tota hac planta, quæ ubique in regione noſtra luxuriat, conficiendo. Quæ de hoc proceſſu Vegetabili animo pridem conceperat menteque volverat, feſtinante calamo, 1. Maji 1672. conſignavit ad Beckerum, tribus operationibus abſolvenda, quas ita ipſe perſequitur:

Prima Operatio.

R. Naſturt. Sylv. Thlaſpioid. c. toto libras præter propter 40. vel 50. vel qu. v. è quibus ſine ablutione (ne aliqua particula ſalis volatilis, qui quam maximè in antiſcorbuticis requiritur, avolare queat) ſ. a. inciſis & parum contuſis, ſtatim extrahe more ſolito in MB. aquam; quam, poſt abſolutam totius tuæ materiæ vegetabilis deſtillationem, in vaſe vitreo optimè clauſo, ad uſum, quem tibi poſtea aperiam, cella repone, una cum ſuo oleo ſupernatante, ſi forte illius paucula quantitas adſit, quod etiam ſeparare ab Aqua, & ſejunctim cuſtodire poteris. Deinde R. relictum Caput mortuum, & ex illo exſiccato, combuſtoque & in cineres redacto, ut artis eſt, cum proprio lixivio, nempe antedicta aqua, ſalem confice, quem etiam poteris ad ſequentem uſum, ut brevi audies, bene cuſtoditum ſeponere.

NB. 1. Hæc jam dicta operatio poteſt ſtatim incipi circa finem Aprilis vel Menſis Maji principium, antequam herba tua nimis cauleſcat; & dum major vis adhuc ſit comprehenſa in radice, quæ tunc temporis ſuo principio nempe ſemini eſt magis vicina.

2. Cineres quoque qui poſt ſaliſicationem ante memoratam remanent, certo loco exſiccatos ad uſum aliquem & fructum non contemnendum reſervari poterunt, quem forte alia vice intelliges.

Secunda Operatio.

Circa finem Maji, vel ſtatim in principio Junii, quando nempe dictum vegetabile Thlaſpioides floribus ſeſe induit, Recipe iterum ejuſdem libras 40. vel 50. cum toto, illiſque ſtatim ſine ablutione inciſis & parum conquaſſatis, inde in vas aliquod ligneum, & quidem quernum, (quod

(quod fermentationi magis videtur aptum) & ſuper infunde aquæ antea ad hunc uſum deſtillatæ q. ſ. atque repone optime vaſe clauſo ad fermentandum. Ad facilitandam autem hanc fermentationem, recipe ſalis ante facti q. ſ. tere & ſolve in ſ. q. Aquæ ſæpius dictæ, huncque liquorem ſalinum loco fermenti commiſce materiæ, fermentandæ, eamque cochleari vel baculo bene invicem miſce, facque ut omnia ſtent in hac fermentatione per diem ſaltem & noctem, ne per diuturniorem moram materia, anima ſua, nempe ſale volatili omnino privetur.

Tunc ordine & decenter inſtitue deſtillationem ſ. a. oleumque, quod una cum aqua aſcendit, per vitrum ſeparatorium ſejunge, & optimè ſerva. Totieſque hunc deſtillationis actum repete, donec tota fermentata materia deſtillata ſit, totieſque ſepara oleum ab aqua & ſeparatim omnia repone.

Deinde recipe iterum hanc materiam ſemel deſtillatam, miſtam cum æquali pondere recentis hujus plantæ inciſæ contuſæque, cumque illa denuo inſtitue fermentationem per affuſionem omnis aquæ, quam ab illa per antecedentem deſtillationem extraxiſti; & loco fermenti rurſus adjice ſ. q. liquoris tui ſalini, quem per ſolutionem ſalis tui triti, ut antea dixi, conficere poteris. Quod fermentum ut eo melius in actum deducatur; poteris etiam adjungere ſuccum ex recenti noſtra planta expreſſum, cineres itidem poſt ſalificationem relictos vel ex planta exſiccata ac combuſta denuo factos. Hæc omnia diligenter invicem commiſta in vaſe bene cuſtodito ne ſalis ſpirituumque volatilitas abeat, loco apto ad fermentandum repone, donec materiam tuam videris fundum petere: Tunc ſatis per fermentationem apta facta erit ad ſubtiliores & volatiliores ſui ſulphuris atque ſalis Mercuriique portiunculas relinquendas; quippe tunc horum vinculum naturale per propriam naturæ clavem reſeratum eſt. Quo viſo confeſtim ſuperiora cum inferioribus bene move, totamque tuam materiam aptiſſimam, per refrigeratorium decenti calore (ne ſpiritus comburantur vel uſtionem ſapiant) deſtilla, atque ſtatim ſpiritus vegetabilis tui adſcendent, quos tam diu elice, uſque dum pituita ſequatur: Hanc iterum operationem tamdiu continua donec tota tua Materia ſit deſtillata, oleum, ſi adjunctum videas, ſ. a. ſepara, & priori adjungendo ſerva: Poſtea munda veſicam & refrigeratorium nova aqua gelida imple, inque eam omnes tuos Spiritus phlegmate adhuc abundantes, lento regimine ignis rectifica, eoſque crebrius repetita rectificatione ſuper novas ac recentes herbas ſemper facta in igneum vel ardentiſſimum alcohol ſive ſpiritum redige, qui nihil phlegmatis admixtum habeat, Id quod melius poſtea procedet in balneo per alembicum; reiteratio autem & alcoholiſatio ſpirituum poteſt fieri in vaſis vitreis. Fortiſſimos iſtos ſpiritus omnes collige & bene cuſtodi, nec tamen phlegma relictum abjice, ſed ad alium uſum mox indicandum repone.

Deinde ex capite mortuo materiæ fermentatæ & deſtillatæ ſolito more per ſupervacaneum illud phlegma, quod poſt abſtractionem ſpirituum remanebat, inſtitue rurſus ſalificationem; & ſi ſal hicce prima vice nondum ſatis ſit purus, ſolve eum denuo in antedicta aqua propria, filtra & in criſtallos puras ſplendidaſque coagula, quouſque ad juſtam albedinem redactus ſit. Hujus ſalis bene ſiccati & triti recipe partes omnes, eaſque adde ſpiritibus tuis rectificatiſſimis inque ſubtiliſſimum alcohol redactis, ſtent ſimul in digeſtione vaſe bene obturato & clauſo, poſtea fiat ſpirituum iterata abſtractio in Balneo per vaſa vitrea, ſicque ſpiritus tuus volatiliorem & ſubtiliorem ſalis fixi partem ſecum auferet, & phlegmatis reliquiæ, ſi quæ adhuc forte quædam, ſpiritui admiſtæ fuerint, in ſale fixo remanebunt quaſi in captivitatem ibi redactæ. Hoc verò ſal fixum iterum exſiccatum per impoſitionem in Vulcanum, ſeparatim poteſt ſervari. Spiritus autem alcoliſati in vitris optimè duplicata veſica muniris debent cuſtodiri, uſque ad tempus conjunctionis, quæ poſtea ſequetur.

Tertia Operatio, ſolum ob copiam olei inſtituenda.

Si verò ex ſecunda tua operatione ſufficientem quantitatem olei (quæ ad conjunctionem hancce juxta proportionem Mercurii, Sulphuris, & Salis requiritur) forſan nondum accepiſti; tunc hujus compenſationem habebis hoc modo. Recipe eo tempore quando herbæ tuæ flores ſpermatici facti ſunt, ſeminaque per hiſcentes hianteſque ſiliquas decidere incipiunt, ante memorati tui vegetabilis, una cum ſiliquis iſtis ſemine refertis, vel ſi habere tantam copiam poteris mundatorum ſeminum quantum neceſſe eſt, & ex iſtis ſecundum artificium fac oleum, quod deſideras: idque præcedenti tuo oleo adjunge; ſicque habebis tres deſideratas vegetabilis tui partes, nimirum Mercurium in ſpiritibus, Sulphur in oleis atque Sal tam volatile partim oleo partim ſpiritibus adjunctum, quam fixum ex cineribus n. p. confectum. Potes etiam Sal eſſentiale, ut vocant, ex ſucco hujus plantæ componere, & addere in conjunctione.

Hæc autem conjunctio ſive vinculum trium dictorum principiorum, meo quidem judicio, ita poteſt inſtitui, ſi nempe partibus duabus ſpiritus noſtri alcoliſati addatur pars una olei deſtillati noſtri, ſic enim arbitror quod igneus iſte & concentratus ſpiritus ſeu Mercurius facile proprium ſuum ſulphur ſ. oleum ſuæmet ipſius naturæ adjungere & quaſi unire queat, ſicque ex hoc naturæ matrimonio horum trium nempe Mercurii, Sulphuris & Salis volatilis neceſſario in Oleo & ſpiritibus exiſtentis procreabitur Medicamentum Anti-ſcorbuticum Triunum ſimplex nominandum. Si jam Sal fixum in hac copula etiam ingreſſum acquirere poſſet, (quod tamen haud facile fieri poſſe video, eo quod ſpiritus nimis alcoliſati propter defectum omnis pituitæ, nequeant fixitatem ſalis fixi reſolvere,) tunc ſane perfectioris hæc medicina foret efficaciæ; Quam tamen rem accuratiſſimo Naturæ per Veram Chemiam ſcrutatori Dom. Beckero Pharmacopolæ Regio, Amico meo, integerrimè committo, qui hujus conjunctionem minime deſperat.

Operi huic ſe poſtea accinxit laudatus Becke-

rus noſter rogatu Dn. Prottenii, qui ſuo modo proceſſum inſtituit & ad optatum finem perduxit, ſicut ipſe profitetur in Diſcurſu, quem mihi exhibuit inter Acta noſtra Medica recenſendum. Ita autem ille; me interprete, loquitur:

Spiritus Naſturtii Sylveſtris vulgari modo confectus non eſt; qui cum fæcibus vel vini vel cereviſiæ conficitur. Et quia ſequenti modo pauci ſpiritus proliciuntur, 400. libras herbarum cum radicibus ſumpſi, conciſas & contuſas magno vaſi indidi injecta aqua calente. Deinde ex planta ſuccum expreſſi in quo ſal eſſentialis latet, addidique illi plantæ quæ ad fermentandum deſtinatur. Aliam copiam ejuſdem plantæ exſiccatam in cineres combuſſi, in quibus Sal fixus continetur, alterique fermentandæ miſcui. Nam hi duo, ſal nempe eſſentialis, & ſal fixus in liquore uno mixti, fermentationem provocant. Poſt fermentationem, Spiritus per deſtillationem collegi & rectificavi. Quanquam ſpiritus iſte bonus ſit & per ſe adhiberi poſſit; tamen ad augendam vim antiſcorbuticam, & ut appellari commode valeret Spiritus Eſſentificatus, (vel potius quinta eſſentia, quia ex quatuor ſpeciebus quintum emerſit, rurſumque in unum redigitur,) ſal eſſentiale purum, uti & oleum & ſal fixum admiſcui. Spiritus quidem aliquid ex oleo in deſtillatione ſecum duxit, ſed quia id mihi ſufficere viſum non eſt; ex ſeminum libris 8. Oleum confeci, ſiquidem planta ſuperfluum nihil dedit. Oportet quoque ut Spiritus cum ſale fixo prius conjungatur, antequam oleum ſuperaddatur, quæ quidem duo contraria ſunt, ſpiritus nempe volatilis & ſal fixus, mediante tamen ſale eſſentiali conjuncta ſunt, & conjungi poſſunt. Quod de Naſturtio ſylveſtri diximus, idem de Spiritu cochleariæ eſſentificato à me factum, quia notior eſt cochlearia & vulgatioris uſus, quam naſturtium ſylveſtre. Quanquam etiam nobis ſunt Beccabunga, Trifolium paluſtre, &c. commodius tamen ex ſupradicto naſturtio ſylveſtri & cochlearia conficitur hic ſpiritus eſſentificatus, quia & guſtu & odore prioribus præferuntur, nec ex illis oleum confici poteſt, cujus primæ hic partes, quippe cui & odorem & ſaporem res omnes debent. Cujuſque ſpiritus naſturtii & cochleariæ doſis eſt ℨj. in vino exhibenda. Cavendum ne alia mixtura admiſceatur. Nuper ſpiritui huic miſtura ſimplex adjecta, turbavit medicamentum, nam Spiritus herbæ Spiritum vitrioli ſtatim ſuſceperunt, relicto ſale quem Spiritus plantæ continebat. Alioqui in omni aqua exhiberi poteſt, in vino, ſpirituque vini. Commodiſſimum videtur vinum, idque frigidum. Nam in calido liquore ſi miſceatur, citò ſubtiliores ſpiritus evaporabunt.

Spiritus ante Conjunctionem, & ſal eſſentialis & fixus, uti & oleum à D. D. Caſparo Kölichen, Urbis Hafnienſis Medico Ordinario viſum fuit & approbatum.

Novum, ſed utile pharmacum ſcorbuticis præſcripſi nuperrimè, qui cum voluptate eo uſi, commodum non leve experti ſunt. Exhibui verò cum aqua ſcorbutica beati noſtri D. Olai Wormii, quæ in officinis noſtris proſtat, reliquiſque palmam præripit. In binis ſcorbuticis Prottenius quoque medicamenti efficaciam deprehendit. Et poſt hac plurimorum experientia nobilitabitur. Deo ſit laus pro medicinæ domeſticæ incremento. De tota verò hac planta ejuſque medicina Diſſertationem laudati Prottenii Viri Clariſſimi & Floræ Amaſii expectamus. *Thom. Bartholini.*

Scorbutus deſperatus.

In prædio Aaſtrup Magni Viri D. Petri Scavenii. Affinis & Collegæ noſtri, deſperato ſcorbuto decubuit Jacobus Richter, totamque hyemem in lecto conſumpſit pedibus tumidis & aſſeris inſtar induratis, & ad motum prorſus ineptis. Acceſſere alia graviſſima ſymptomata, quæ extrema minabantur. Sitis ingens, hypochondriorum tenſio, ſpirandi difficultas maxima, oris gingivarumque tumor, fœtor, nigredo, & circa radices dentium in faucibus fungoſæ veſiculæ nigricantes gangrænæque vicinæ ſolidorum ciborum deglutitionem impedientes. Ictéritiam nigram externus cutis & faciei color prodit, melancholica conſtitutio & lien affectus. Ut utriuſque morbi communem radicem agnoſcamus. Moleſta homini huic omnia erant, ſed præcipuè oris graveolentia & odioſæ veſiculæ fungoſæ, quæ citius ſuccreſcebant, quàm reſecarentur, & famelico ſola potulenta & juſcula ſorbenda concedebant. Hippocrati lib. 2. Prædict. & Celſo l. 2. c. 1. in magnis lienibus hæc oris vitia notantur, quaſi morbus ſcorbuti eſſet tum notus, non nomen. Longa fuit curationis ſeries, morbo aptanda. Imprimis præmiſſis blandis evacuationibus ex ſena, & humorum præparationibus, anti-ſcorbutica præſcripſimus, Aquam Scorbuticam Wormii cum Spiritu eſſentificato naſturtii ſylveſtris, qua ſudores elicuit, os proluit, & pedes inunxit. Fungoſas veſiculas dentium forfice reſecuit Chirurgus, mundatas melle cum Spir. Vitrioli &c. ſed ſæpiſſimè iteratus iſte labor fuit repullulantibus veſicis. Ad inhibendam putredinem aquam marinam cum abſinthio decoctam ſuaſi non ſine emolumento. Ante ſolſtitium vernum quaſi criſis inſurrexit morbi chronici natura emergente. Fermentum enim melancholico-ſcorbuticum ita ex liene ebulliit, ut vel vaporibus, vel diaphragmatis compreſſu ſuffocatio timeretur. Solent ita Scorbutici pauſam vitæ facere. Ego cordialibus fortioribus roborandam naturam cenſui, quibus & vita ſuſtentaretur, & deferveſceret impetus humorum, non neglectis enematis. Ita victrix natura ſenſim in integrum reſtituit conclamatum Virum, mundavit gingivas, uſum pedum reddidit, ad hunc diem ſanum conſervavit, Deo conſiliis noſtris favente.

De Remedio ſympathetico anti-ſcorbutico.

Specialis & ſingularis meus amicus non ſolùm pruritum externum cutis, ſed & multas maculas in cute ſentiebat, ſimul etiam ex hinc inde ſubortis doloribus vagis. Malum ſcorbuticum ſubeſſe ratus, petiit remedium externum, quoniam abhorrebat ab internis. Inſiſtens veſtigiis Lupii & aliorum de ſympathia ſcriptorum, ſuaſi, ut cani linctúram pedum & cutis permitteret. Paruit. Octo ſeptimanis elapſis de die in diem ſentit levamen. Canis autem

totus fit ſcabioſus. Quod quia plures noſtræ civitatis jucundo hoc ſpectando ſe delectantes adhuc ſciunt, ulteriori probatione non indiget. Canis deinde, ſæpiùs internè applicato Merc. dulci, & externè bene lotus, ſanus evaſit.

Æquè tale exemplum cum cane in doloribus podagricis expertus ſum, quod etiam certiſſimè poſſum affirmare, quod eo tempore quo patiens conqueri ſolet de dolore pedum, canis ſimul dolores ſentit, & tubercula creta podagrica oppleta cum calore præter naturali. Iſte canis jam in domo mea ſuſtentatur. *Andreæ Cnöffelii.*

Scorbutica per ſalivationem mercurialem curata.

Morbos per criticam ſalivæ excretionem nonnunquam ſolvi, rarum non eſt, multorumque ea in re proſtat experientia. Virum magni nominis litteratum ipſe novi, cui tinnitus aurium, quo ſæpius infeſtatur, nonniſi ptyaliſmo ſpontaneo diſcutitur, cumque alias ob cauſas Acidulis Egranis uteretur Idem, non per urinarias modo vias, & inteſtinorum canales, ſed etiam per vaſorum ſalivalium copioſam emunctionem ſuam teſtabantur efficaciam. Motos hoc argumento Medicos eſſe nullus dubito, ut & Ipſi recluſis hiſce, per Mercurium imprimis, ut maſticatoria taceam, foribus hoſtes morboſos ejicere tentarent, cujus curationis in lue venerea ſucceſſus invidendus etiam tonſoribus notiſſimus ut hic producatur, opus eſſe non exiſtimo, non minorem tamen inde ſperari poſſe opem in aliis quoque morbis pertinacibus, quod quidem alii etiam jam docuerunt, & exemplis probaverunt, ſequenti hiſtoria confirmare tentabo.

Puella quædam annorum octodecim, cachexia jam ad hydropem tendente, reſtituto deficiente menſium fluxu liberata Menſe Februar. 1681. Viro nubit, initoque matrimonio poſt ſeptimanas aliquot febri quartana intermittente corripitur, non adeò contumaci, quæ poſt binos menſes remediis convenientibus tractata evanuit. Momentaneum quaſi fuit hoc gaudium, exiguo enim elapſo tempore ad antiquum veluti ingenium relabentibus humoribus, de apepſia, appetitu proſtrato, laſſitudine, intenſiſſimis cephalalgiis conqueritur, acceſſitque reliquis novum aliquod ſymptoma, atroces nempe crurum dolores cum motus impotentia & tophoſa in medio tibiarum oſſe excreſcentia, menſibus licet in hoc rerum ſtatu ordinem debitum obſervantibus. Curationem affectus moleſtiſſimi per integram hiemem, quo potui, ſtudio maximo ſum molitus, eludente conatum morbo contumaciſſimo; donec ab acidulis Egranis ſequenti æſtate potis auxilium ſenſit egregium, abſolutoque eorum uſu Thermis quoque Hirſchbergenſibus cum ſucceſſu inſedit. Reverſa inde magna cum lætitia ad domeſticas redit curas; vixque menſem in iis tranquilla tranſegit, cum in priſtinam relaberetur charybdin, meamque iterum ſollicitaret opem. Neſcio quid non medelæ tentaverim, nullo prorſus cum effectu, niſi quod primarum viarum ſymptomata, ventriculi puta & ei conguatorum viſcerum mitigarentur aliquantum. Paralyſi ſcorbuticæ doloroſæ cùm ob Autumnum ingruentem acidulis & thermis repetitis mederi non poſſem, præter alia nervina & decocta lignorum recurro, tophiſque emplaſtr. de ranis cum Mercurio aucta hujus doſi, itemque laminas plumbeas, &c. applico, ſed nec ita voti damnatus commodè recordor hiſtoriæ à *Williſ. de Scorbut. cap. 2. p. m. 328.* notatæ, eaque Viri Celeberrimi experientia fretus Salivationem Mercurio excitandam, tanquam ultimum, licet ambiguum, remedium ægræ propono. Illa vitæ miſerrimæ conditionem faſtidiens, ſpem inde concipit firmam, & pro valetudine recuperanda extrema ſubire non dubitat. Die 2. Novembr. 1683. inunctionis initium feci, pergendo, dum Mercur. vivi ℥ vi. abſumptæ fuere, incipiens ab articulationibus pedum, tandem quoque manuum & brachiorum articulos inungens. Primis diebus, antequàm ſaliva flueret, inſignem percepit nauſeam, ſingultum, vomitum pituitæ dulcis & viſcidæ, & in locis inunctis hydatides exiguas. Placatis hiſce furiis ſtupor dentium, gingivæ intumeſcentia, & linguæ, cum aphonia; ſalvo tamen ejus motu, & magnam virium debilitatem incipientem ſalivationem comitabantur, quæ pulſis intra biduum ſatellitibus dictis nervinorum uſu ad dies quindecim abſque omni tumultu benè ſuccedebat, evacuatis ſæpè uno die pituitæ Libris tribus. Tandem hac purgatione defuncta per aliquot adhuc dies decoctum lignorum bibit, ſanaque ab eo tempore manens nil quicquam amplius malorum ante infeſtantium eſt perpeſſa. *D. Joh. Burgii.*

De Metaſtaſi Scorbutica ſingulari.

Scorbutum Morborum Protheum, Larvas ſuas diverſimodè mutare, & Metaſtaſi materiæ peccantis facta, ex una morbi ſpecie in aliam degenerare, abundè quidem ab Autoribus obſervatum eſſe legitur: Attamen cùm mihi quoque Exemplum contigerit, à cæteris in eo differens, quòd præter vices ſymptomatum intermedias, primus morbi inſultus, cum ultimo ejuſdem termino ſimilitudinem periodicam habuerit, annotare illud hic libuit. Nempe Vir conſiſtentis ætatis, robuſtus, vividus, & ſucci plenus, ad diatheſin ſcorbuticam inclinans, tempore vernali Anno 1682. ſentit raucedinem, quam aëri inclementiori adſcribens, primùm negligit, poſtmodum autem diuturnius vexantem medicamentis lenire contendit. Aſſumit varia affectui convenientia pharmaca, & inter hæc lenientia, ſudorifera, bechica, anodyna, & quæ non alia, ſine omni tamen effectu, ita ut tandem medicinæ pertæſus, opem omnem reſpueret. Circa mediam æſtatem raucedo hæc ſponte ſua remittere incipit, ſuccedente in locum tuſſi ſicca, difficili reſpiratione, & cardialgia: pro quorum ſymptomatum medela Vomitorium haurit, & evacuata ex primis viis ſaburra copioſiore paulo melius ſe habet; mox autem novo morbo, nempè tertiana intermittente corripitur. Cùm verò Febris hæc mitior eſſet, & neceſſaria ſedulo adhiberentur remedia, ab eadem brevi convaluit; nondum tamen ſani,

tati reſtitutus. Tertio enim poſt ἀπυρεξίαν die, cephalalgia invadit miſerum, quæ circa veſperam ſopita perendiè recurrit, & poſtmodum aliquoties febrili typo repetit, pulſu ſub initium Paroxyſmi citato, robuſtoque, ſub finem autem ejuſdem raro debili ac tenui exiſtente. Nullum & hanc remedium averruncare valebat, præter unicam venæſectionem, qua ſemel ante Paroxyſmum celebrata, dolor omnis in momento evanuit, ægerque per decendium mediocriter ſe geſſit. Sed brevi hoc temporis ſpatio emenſo ſuccedunt tormina inteſtinorum adeò atrocia, ut Patiens ſibi omnia divelli ac dilacerari exclamaret, & quò ſe verteret neſciret. Poſt uſum clyſmatum carminantium, cinnabarinorum, caſtoreatorum &c. colica hæc nonnunquam remittebat, ſed levi de cauſa recidivabat; tandem autem arthritide per univerſum corporis ambitum exorta terminabatur, aſt miſerrimo Patientis fato. Hic enim dies noctesque immaniſſimis doloribus excruciatus, viribus omnibus exſolvebatur, & cùm ſtupor ac formicationis ſenſus in diverſis corporis partibus ſubſequeretur, ægrè ſe movere valebat, Paralyſi admodum vicinus. Non uno, ſed diverſo remediorum genere, affectui huic moleſtiſſimo obviam ire conatus ſum, & cùm tandem, continuato lumbricalium, cæterorumque anti-arthriticorum uſui inſiſterem, inſperato accidit, ut ſecuta larga Hæmorrhagia narium, Arthritis hæc ſolveretur, & partibus omnibus ſuus iterum rediret motus.

Imò ab hoc tempore, reliqua etiam ſymptomata remittere incipiebant, ac Patiens ex incommodo valetudinis adverſæ emergens quotidiè plus roboris aſſequebatur; tandem tamen raucedine prima afficiebatur, qua poſt menſtruum ſpatium curata, nihil amplius mali ſentiebat, & ſic periodo certa abſoluta ſanitati priſtinæ reſtituebatur. *D. Caroli Ohmb.*

De Exanthematibus ſcorbuticis.

Ut morbus ipſe ſcorbutus mutabilis eſt, ſic ſigna ejus alias pathognomonica, maculæ variant, & diverſo ſtigmatum genere, partium corporis cutim fœdare ſolent. Nam ratione coloris modo citrinæ ſunt, modo obfuſcæ, modo purpureæ, lividæ aut nigræ; ratione magnitudinis nunc pulicum morſus vix ſuperant, nunc latiores ſunt, & in totas tibias, teſte Eugalen. d. ſcorbut. p. m. 7. diffunduntur; ratione intumeſcentiæ, ut plurimum vix ultra peripheriam cutis evehuntur, interdum autem, vel in tumorem ad Elephantiaſin accedentem, annotante eod. Eugal. l. d. vel in veſiculas lympha repletas, vel in excreſcentias glanduloſas, quod Hungariæ morbo endemio Tſchemer dicto referente Geiger. in Microcoſm. Melanchol. p. 11. familiare eſt, attolluntur. Et exemplum ſimile macularum ejuſmodi à vulgaribus diſcrepantium, ante triennium obſervavi, quod, una cum totius morbi hiſtoria annotare hic liceat. Juvenis 22. annorum ex itinere redux, autumnali tempore ſentiebat horripilationes pandiculationeſque periodicas, quas ſequebatur febris tertiana, in principio quidem mitior, poſtmodum autem tam atrox, ut frigus ad unam alteramvè, calor verò ad plurimas extenderetur horas. Cum quo progreſſu morbi varia etiam ſymptomata cumulabantur, in ſpecie vomitus & diarrhœa, qua utraque excretionis ſpecie materia copioſa nigra ejiciebatur, tanta gravitate adſtantium nares feriens, ut omnes, præter unicam matrem, ægrum derelinquere cogerentur. Reverſo tertio aut quarto paroxyſmo in ambitu corporis, maximè verò circa pectus & dorſum maculæ erumpebant purpureæ, quibus jungebatur calor inſignis & delirium, vomitu & diarrhœa pauliſper remittentibus. Vocatus ex eruptione hac ſubitanea, imprimis poſt ſedatum vomitum & diarrhœam, Metaſtaſin materiæ judicans, diaphoreticum præſcribo; quo aſſumpto patiens ſudore totus diffluebat, & ἀπυρεξία facta mediocriter ſe habebat; imò, cum ſubſequente novo Paroxyſmo idem repeteret, febrem experiebatur benigniorem, ſine omni delirio aut alio graviore ſymptomate; maculæ autem non amplius rubebant, ſed lividæ erant, inſtar groſſi argentei magnæ, & cum augmento caloris adeò extendebantur, ut ſub variolarum forma, ſero refertæ turgeſcerent, circulo livido circumſcriptæ. Cæterum exanthemata hæc per integrum Paroxyſmi tempus conſpicienda ſeſe præbebant; finito autem eodem ſenſim diſparere incipiebant, cum alio novo reditura; donec tandem continuato ſudoriferorum & antiſcorbuticorum uſu, una cum febre, penitus evaneſcerent, & correcta dyſcraſia maſſæ ſanguineæ patiens priſtinæ ſanitati reſtitueretur. *D. Caroli Ohmb.*

De Purpura Scorbutica.

Limitaneus terminus ſanguinis cutis eſt, litoralem ejus motum ſuſtinens, quo ductus, revehi placidiore alveo gaudet, ut novis refectus viribus redire denuo & adeo repetere curſum ſuum poſſit. Non mirum ergo eſt ad littus hoc evomi quicquid ſpumoſarum ſordium liquori vitali nuptum eſt, & quiſquilias haſce teſtari de ipſo humoris ſtatu. Aſt tam tenera ſimul eſt hæc tunica machinæ corporeæ ſpirabilis, ut appulſu occurrentis aëris, ceu turbine quodam, tumultus æſtuſque hic etiam excitentur, inſigni teſtimonio, quàm prona in quoſvis motus purpurata unda ſit.

Non dicemus jam de purpura illa puerperis ferali, nec de mitiori illo genere, quod ebullitiones ſanguinis & ſeri volatilioris conſequitur, exaſperatis ſalinis particulis & in poros ruentibus, ibique fibrillas tendentibus glandularum ſubcutanearum, ut anſerina cutis & tamen exæſtuans ſeu inflata videatur, conſopito facilè malo, vel à ſolo frigido aëre admiſſo, vel temperatioribus præcipitantibus fluctu illo reſidente.

Studioſus Pruſſus cum in vicina Academia quartana annua laboraſſet, liberatus tandem reportavit has mali reliquias, vix enim citra ullum ſui characterem utplurimum abire ſolet, ut dolore hypochondrii dextri laboraret, & purpura ſcorbutica, non prius conſpicua, quàm ubi in publicum prodiret. Sic enim vel levi frigore afflatus, in manibus, facie & corpore adeò reliquo tubercula emergebant, ut inflata videretur cutis. Non opus eſt recenſere huic malo oppoſita anti-ſcorbutica varia, quæ quidem mitigs

tius reddidere malum, non tamen intra illud, quod aderat nobis, tempus perfectè abigere valuere. Ipſe à primis juventutis annis dulcibus & ſaccharatis adſuetus erat, quibus ſanguinem collutulaverat. Quartana vero detentus, nimiis ſudoriferis fatigatus, malum hoc ſibi accerſiverat, ſtomachi debilioris una & habitus teneri.

Credibile eſt rarioris texturæ ſanguinem, ſalibus utique acidis nimium deturpatum, fluxilioti hinc reddito ſero, tum à frigore externo quovis, tùm raro habitu corporis, in poros extimos illapſum quaſi coagulatum, & in motu ſuo impeditum explicuiſſe acrimoniæ ſuæ ſpicula, ut non aliter, quàm urticis percuſſa cutis conſpicienda eſſet. Adeoque plura ſcorbuti ſunt inquinamenta, plurima conſectaria mala. *D. Georg. Wolffgangi Wedelii.*

De Digito Scorbutico.

Gerardus à *Lienbergen*, Juvenis 22. annorum, temperamenti ut videbatur temperati, per duodecim ſeptimanas excreſcentia quadam carnea, ſanguinea, ingenti ſatis, indicem ſiniſtræ manus occupante laboraverat varii generis adhibita media, at ſine ullo ſucceſſu.

Vocatus ego aliam Sarcomatis hujus cauſam obſervare non potui, quam putrefactum unguem; excreſcentiæ hinc Mercurium applicavi Præcipitatum, at fruſtra; aqua Mercurialis adhibita incrementi magis quam decrementi cauſa fuit. Quæcunque hic in uſum ducebantur nihil omnino efficiebant.

Tandem, re omni accuratius conſiderata, haud adeò unguis putredinem, levior enim erat, quam humorem ſcorbuticum mali hujus cauſam conſtituere placuit, temperamentum hominis nil tale licet ſuggereret. Præparari itaque curavi apozema ex Cochlearia, Becabunga, Trifolio aquatico, Naſturtio aquatico, eoque utatur quotidie ſuaſi; vix dies unus alterve præterierant cum ex uſu hujus Decocti & Tumor minuetetur & applicato Unguento Ægyptiaco integrè reſtitueretur æger. *Jobus à Meeckren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Scorbutici Iecur ſcirrhoſum deprehenſum & tuberoſum; Lien maximus, Vaſa meſenterica obliterata.

Vir conſiſtentis ætatis, conſtitutione corporis melancholicus, adeoque habitu corporis ſqualido ſtrigoſoque, alvum habens adſtrictiorem, urinaſque mingens bilioſas, ſaturate more febrientium rubentes, frequenterque corruptionis putredinalis notas exhibentes, ructibus ventriculi, ſputatione cruenta, ſanguinolentia gingivarum per annos aliquot affi:itur, interim aliquoties alvi fluxu ſanguinolento, ſemel etiam febre continua, præeunte tumore in inguine, tandemque anno ſuperiori intumeſcentia ventris atque pedum hydropica, ſupervenientе prehenditur. Quanquam autem convenientibus mediis, imprimiſque curatione ad ſcorbutum appropriata, dicta ſymptomata lenirentur, ita ut per præcedentem æſtatem optime ſibi valere videretur, nihilominus brumali tempore appropinquante, recidivæ ſigna ſeſe oſtendebant, donec ſub finem anni 1627. ſubito vomitùs ſanguineus, cum dejectionibus nigris, picis inſtar, invaderet, quo ſymptomate per triduum continuante, viribus pedetentim conſumptis, 29. Dec. naturæ debitum perſolvit.

Abdomine aperto, mox ventriculus & inteſtina inflata, nec non nigricantia ſeſe offerebant, interius atramento quaſi ſutorio oblinita: Renes & pulmones naturaliter ſeſe habebant: Jecur totum ſcirrhoſum ac tuberoſum interius atque exterius erat, nec quicquam vaſorum vel ſanguinis exhibebat: Lien vero triplo major quam ſ. n. eſſe ſolet, optime ſanus conſpiciebatur, parenchyma Jecoris colore ſaturate rubeo, nec non ſubſtantia carnoſa referens: Meſenterium ſatis glanduloſum atque tuberoſum & craſſum occurrebat, vaſis meſaraicis, ob ſanguinis ad partes ventriculi atque inteſtinorum effuſionem, obliteratis. *G. Horſtius Tomo 2. lib. 9. obſerv. 4.*

In Scorbuticorum & Hypochondriacorum penitioribus Lienis meatibus, & lateribus arteriæ ſplenicæ & cœliacæ, materia multa tartarea & ſabuloſa adhæreſcens reperitur.

Materia ſabuloſa, cui ſerum vehiculi vices obit, in penitiores lienis meatus illapſa, & exinde arteriæ ſplenicæ ac cœliacæ infuſa, earundem lateribus, tartari more adhæreſcit & agglutinatur: Uti obſervationibus, per anatomicas ſcorbuticorum & hypochondriacorum ſectiones factas, compertum ſæpenumero habuimus. *Gualterus Charleton Diatriba de Lithiaſi, cap. 4. ſect. 2.*

Scorbuticus hepar vitiatum habuit.

Raro fit quin Lien maxime afficiatur, quanquam in Domino Aſſendelphio, Hollandiæ Præſide (ut nos conſpeximus) hepar maxime affectum fuit: nam in dextro crure etiam plures maculas magiſque variegatas habebat. *Foreſtus lib. 20. obſerv. 11.*

Scorbuticorum Omentum ſæpe vitium contrahit, ut & Meſenterium.

§. 1. In Scorbuticis admodum friabile & nonnunquam lacerum evadit Omentum. M. Beale, generoſus hypochondriacus & ſcorbuticus, ab aquis Tunbringenſibus, quas incaſſum hauſerat, rediens ſubito diem ſuum clauſit;

Cadavere aperto, Omentum nigricans, laceratum, friabile & fere putridum, & pinguedine deſtitutum inveniebam, plurimis quoque in locis infra umbilicum peritonæo adhærebat, veniſque nigris & turgentibus, certis obſtructionis indiciis, ſcatebat. *Warthon Adenographia cap. 2.*

§. 2. In illis qui ex Scorbuto obierunt, meſenteria utplurimum friabilia maleque cohærentia deprehendimus, ita ut leviſſimo negotio pars à parte divelli potuerit. *Idem ibidem.*

§. 3. Ipſe in cadavere ſcorbuto extincti aperto, Omentum quidem totum fere putridum & corruptum; in Liene vero nihil quod, quantum ad ſenſum culpari poſſet, deprehendi. *Sennertus Tract. de Scorbuto c. 2. & l. 3. p. 3. c. 8. Pract.*

§. 4. In demortuis ſæpe (cum in viventibus cauſa mali ſatis deprehendi non potuerit) In meſenterio ulcera ſordida & abſceſſus deprehenſi ſunt. E quibus nunc febres acutæ, cum ſanguinis nigerrimi vomitu & per alvum excretione copioſa, cum animi deliquiis; nunc hepate, liene & inteſtinis ſalvis, ventris tormina intolerabilia & tandem mors: nunc nauſea, vomitus, melancholia, cachexia, atrophia; nunc dolores colicis ſimiles, urinæ purulentæ; nunc perpetuæ vigiliæ, leipothymiæ, ſudores frigidi, & alia mala originem habuerunt. *Sennertus ibidem cap. 2.*

Scorbuticorum, urinas rubras fundentium, hepar aut cyſtis fellea varie in vitio fuere.

Cum plurium è Scorbuto defunctorum cadavera diſſecui, quibus urina rubicunda extiterat, obſervavi hepar aut cyſtin felleam in culpa fuiſſe: In nonnullis fuit hepar prorſus exſangue & exſuccum inſtar uberis vaccini: In aliis veſica bilaria erat vacua & inanis: In aliis lapidibus obſita: In aliis amurca minime amareſcente repleta. In omnibus viſcera hæc taliter affecta ut ſecretio bilis impediretur. *Th. Willis Tract. de urinis cap.* 4. De cauſis ejuſmodi urinarum videtis, de urinis p. n.

Scorbutici laqueo ſuffocati conſtitutio corporis interna & externa.

In Theatrum noſtrum Anatomicum, 19. Febr. illatum eſt cadaver Infanticidæ: Cadaver Scorbuticum videbatur, melancholicum & atrophiæ proximum: In carcere quoque male tractatum: Pedum enim digiti pernionibus pleni, & pollex ſiniſtri pedis gangræna affectus, quam ſuæ ſpontis natura à ſana parte cœpit ſeparare: Glandulæ in inguinibus duræ tumebant, bubonum inſtar. Et in diſſectorum thoracis muſculorum ſpatiis ſerum fluebat copioſum: Crura maculis liveſcentibus ſcorbuticis ſcatebant, quales in pulmonibus quoque nobis apparebant: Alioquin Pulmones ſpongioſi & flaccidi, marmoriſque in morem variegati: pinguedo aut parca aut nulla in abdomine; Omentum putridum: Atrabilaria capſula ſiniſtra digiti longitudine cavitatem habuit, quæ vel 12. piſa caperet. In aperto cranio, ſupra duram matrem, prope falcem, adnata erat excreſcentia piſo major, cartilaginea, quæ in cranio veſtigium ſui impreſſerat: Inter duram matrem & piam, in vertice, lacuna ſpectabatur rotunda, digiti capacitate, ſero plena: Ventriculi cerebri ſani quidem ſed ſero ſcatentes. *Thom. Bartholinus hiſtor. Anat. 53. cent. 1.*

SCOTOMIA
Vid.
VERTIGO.

SCROFULÆ.

I. STrumæ, Græcis χοίραδες, Latinis Strumæ ſeu Scrofulæ dicuntur, quia frequenter Scrofis, hoc eſt Suibus, in collo fiunt; vel à multiplici partu, quoniam ſicut ſues multos edunt partus, ſic in ſcrofulis ex unâ poſtmodum plures fiunt.

II. Sunt autem Strumæ vel Scrofulæ tumores in glandulis, & quidem nihil aliud ſunt quàm glandulæ induratæ ſeu ſchirrhoſæ. Enimverò ſtrumarum ſubjectum ſunt glandulæ infarctæ craſsô, lentô, viſcidô ac tenaci humore, qui nonnunquam ita obdureſcit & exſiccatur, ut gypſeus ac calculoſus evadat.

III. Sed plerumque in cervice ſtrumæ conſiſtunt; atque differunt quòd aliæ aliis ſint majores, vel quòd aliæ aliis ſint benigniores, minuſque malignæ. Non malignæ judicantur ſtrumæ, quæ ſunt non admodum duræ, ſine dolore & inflammatione, quæque circumſcriptum habent tumorem rotundum, æqualem. Malignæ verò cenſentur, quæ ad ſchirrhi duritiem accedunt, inæquales ſunt, ac inflammationem conjunctam habent cum dolore pulſante.

IV. Ortum habent ſtrumæ ex humore viſcidô, craſsô, tenaci, ac gypſeô, glandulis inhærente, eaſque opplente. Humor hic, ex ſententiâ veterum Medicorum, à ſanguine pituitoſô, craſsô, viſcidô, & tenaci, producitur ac ſuppeditatur: quod tamen veroſimile nobis non videtur, quoniam ex ſanguine alteratô ejuſmodi tumores induratos produci poſſe non putamus; ſed planè alterius naturæ.

V. Alii cenſent ſtrumarum materiem eſſe ſuccum nervoſum degenerem, atque è nervis in membranarum interſtitia deponi, ibidemque in tumorem glanduloſum ac ſtrumoſum concreſcere. Sed in tantâ copiâ, per tam exiles nervorum funiculos, viſibilem liquorem deferri, nondum liquidò conſtat.

VI. Hinc potius ſtatuimus, Continentem Stumarum Cauſam eſſe, Humorem Lymphaticum in Glandulis hiſce naturaliter ſegregari ſolitum, qui à particulis viſcidioribus ibidem detentus, adeoque ſtagnans, ab exuperante acrimonia acida in materiam Strumoſam facilè concreſcit, glandulas infarcit, opplet. Cæterum Lympha ab acrimonia acida, ſimul cum glutinoſitate, ità in colli glandulis concreta materiem conſtituit viſcidam, tenacem, gypſeam, & quandoque calculoſam, quæ à præterlabente ſanguine ac Lympha indies augetur, ſicque ingentis magnitudinis Strumas ſæpè producit. Equidem ſi ab humore præterlabente acriores & ſubtiliores particulæ Strumarum materiæ admiſceantur, quibus effervescentia, ac dein exulceratio inchoatur; Ulcus evadit Ferocius & Malignius, Carcinomatis conditionem retinens; tuncque Struma Cancrodes appellatur.

VII. Cauſæ verò Antecedentes ſeu Remotæ ſunt, Victus intemperantior, Cibi crudi & craſſi, unde & ætati puerili malum hoc familiarius eſſe pronunciavit modò Hippocrates. Accedit Potus Aquarum Crudarum & Nivalium: qua de cauſa, qui Carinthiam & Styriam, & alia ibidem loca Alpes verſus incolunt, plerique Strumis in gutture laborant. Langius *lib. 1. Epiſt. Medic. 43. & lib. 3. Epiſt. 4.* in Hydrargyrum, ſeu Aquas ex montibus metallorum feracibus ſcaturientes, & Mercurium in ſe continentes, cauſam hujus rei refert.

VIII. Si-

VIII. Signa Strumarum Diagnoſtica ex iis, quæ nunc diximus, ſatis manifeſta ſunt, modo conſideremus, Eas eſſe Glandulas Induratas, vel Tumores in Glandulis, quæ aſperæ arteriæ adjacent, Scyrrhoſos, Duros, Inæquales, Indolentes. Porrò non ſubitò & confertim, ſed paulatim generantur ſtrumæ: etenim primò corripitur Una Glandula, quæ ſtrumoſa fit, hinc & Aliæ ſimiliter afficiuntur, in quibus itidem mollis excitatur tumor, qui deinceps induratur, donec tandem multæ glandulæ racematim quaſi ex loco affecto dependent.

IX. Quoad Prognoſin; Strumæ tardioris ac difficilioris ſunt curationis, in primis ſi plures fuerint, aut fixæ. Periculum minantur ſimul ac dolorificæ evadunt, adeoque cancroſæ, aut ſi cum nervo, aut vena, vel arteria inſigni conjunguntur. Inſuper haud abſque periculo Curantur Exciſione, ob nervos recurrentes eo loci latentes, qui ſi læduntur, vox perit, & animal protinus obmuteſcit, uti id aliquoties Medicinæ Studioſis in canibus demonſtravimus.

X. Sed verò ſtrumæ ut Curentur, obſervatâ rectâ ac legitimâ rerum nonnaturalium uſurpatione, Medicamenta intus ſumenda, quæ Antecedentem Cauſam conſumere queant, ne omittantur. Proſunt hîc Pharmaca Cathartica, quæ viſcidos, glutinoſos, tenaceſque humores incidere, attenuare, ac evacuare apta ſunt. v. gr.

℞. Gummi Galbani in Aceto ſoluti, Aloës Roſatæ an. ʒi. Myrrhæ, aſæ Fœtidæ, Vitrioli Martis calcinati an. ℈i. Trochiſc. Alhandal. ʒß. Olei Juniperi gutt. 15. M. F. S. A. Maſſa, ex qua formentur Pilulæ Num. 42. quarum bis in hebdomada duas capiat Ægrotans ſub cœna.

Decocta ex Ligno Guajaco, Saſſaphras, Radicibus Zalſæparillæ, Chinæ, Liquiritiæ, &c. quæ blandè ſudores provocant, & Urinas ducunt, admodum prodeſſe ſolent.

Inſuper Appropriata ab Auctoribus Medicis proponuntur Remedia, quæ à tota ſubſtantia ſtrumas tollere dicuntur, & ſenſim imminuere. Hercules Saxonia, & Joannes Prævotius, tanquam longè certiſſimum ad Scrofulas Curandas Remedium, pro ſecreto habuerunt hoc Electuarium,

℞. Lacertas, ſive communes, ſive virides, num. 100. abſciſſis capitibus & caudis, exemptiſquè interaneis, infundantur in Aceto Vini acerrimo per quatuor dies; dein exſiccentur, & macerentur in alio Aceto, ſiccenturquè iterum in umbra aut ſole, ac in pulverem redigantur. quo facto;

℞. Hujus pulveris ℥i. Mellis Deſpumati ℥iv. M. F. Electuarium, de quo per 30. aut 40. dies pueris quotidiè dentur ʒii. adultis verò ʒiv. vel ʒvi. Plurimum quoquè laudantur Spongiæ recentes, ſi vel decoquantur in Cereviſia, pro potu, bis terve quotidiè ſumendo: vel Eædem calcinentur & pulveriſentur, hujuſquè pulveris ʒß. mane ac veſperi exhibeatur. Alii alia Specifica ſummoperè extollunt, quæ paſſim apud Rei Medicæ Scriptores inveniuntur.

XI. Verùmtamen ad Continentem ſtrumarum Materiem tollendam, conducunt Topica Mitiora, Emollientia, Incidentia, Attenuantia, Digerentia; vitentur Acria & Erodentia; iis quippe Srumarum Materies excitatur, efferveſcit, hinc in Cancroſum Ulcus facilè Eæ degenerant. Quidam ſequens pro ſecreto habent,

℞. Folia Acetoſæ viridia, Involvantur chartâ madida, & ſub cineribus coquantur, eaquè poſtmodum cum cineribus per cribrum trajiciantur, pro Cataplaſmate. Scultetus poſt Armament. Chirurg. Obſerv. 31. Oleum Logadorum, ſeu de Lacertis valdè extollit ad ſtrumas abſumendas; cujus hæc eſt deſcriptio,

℞. Lacertas vivas virides q. v. Coq. in Oleo Communi, donec Lacertæ comburantur, & Oleum nigreſcat. Colatura indatur vitro, & reponatur ad ſolem, uſquè dum fæces ſubſideant, Oleum clareſcat, & fuſcum colorem acquirat. Barbette hoc laudat Emplaſtrum,

℞. Gummi Galbani, Ammoniaci, Bdellii an. ℥ß. Pulv. Pyrethri, Baccarum Lauri, Sem. Cumini, Staphyſagriæ an. ʒvi. Stercoris Caprilli ʒiii. Columbini ʒi. Axungiæ Porci ℥iß. Olei Camomillæ ℥i. Ceræ & Picis q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum. Inſuper Linimentum præſcribit, quo Scrofulæ bis terve quotidiè inungantur, ac dein Emplaſtrum ſuperponatur.

℞. Olei Laurini, Myrtini an. ℥ß. Unguenti Martiati ℥i. Argenti Vivi Floribus Sulphuris extincti ʒvi. M. F. S. A. Linimentum. Vel inungatur Scrofulis id, quod ſequitur, & deſuper ponatur Emplaſtrum de Ranis cum ſimplici, vel duplici Mercurio.

℞. Unguenti Altheæ Compoſiti ℥i. Olei Laurini ℥ß. Philoſophorum ʒii. Juniperini ʒß. Spir. Salis Armoniaci ʒi. Miſceantur exactè pro Litu.

Ex ſtercore quoque Bubulo & Caprillo, additis Farinis Reſolventibus, utiliter fit Cataplaſma.

Quantam porrò Scrofulis laborantibus opem ferat Paronychia folio rutaceo, oſtendit Boyle tract. de utilitate Philoſoph. Experim. part. 1. ſect. 2. ubi refert, ſe vidiſſe juvenem, hoc morbo graviter afflictum, ſine dolore, paucos intra dies viliſſimæ hujus plantæ in Cereviſia infuſæ beneficio quam optimè curatum: ſine ulla evacuatione ſenſibili humorem peccantem conſumit, dolores ſedat, tumores diſcutit, & ulcera ſanat; ita ut ad hunc affectum oppugnandum mirabiles prorſus poſſideat virtutes.

XII. Atqui ſtrumæ interdum non reſolvuntur, verum ſuppurantur. Igitur id ſi contingat, ut ſtruma in pus fuerit converſa, & aperta, applicandum hoc Uuguentum, quod Aquapendens Oper. Chirurg. part. 2. lib. 1. cap. 29. & ex Eodem Scultetus Obſerv. 31. ſummoperè commendant,

℞. Olei Laurini, Ceruſſæ pulveriſatæ, & cum Aquâ Vitæ lævigatæ an. ℥i. Aluminis Rochæ ℥ß. Salis Comm. ʒii. M. S. A.

XIII. Quod ſi nec hoc modo ſtrumæ Curatio ſperare liceat, Eam per Sectionem extrahendam eſſe Multi volunt; ſed quandoquidem nec ſuo caret periculo hæc Operatio, non temerè Eam inſtituendam cenſemus.

XIV. Alii ſtrumas tollere conantur per impoſita Cauſtica & Exedentia Medicamenta; ſed illa quum ſuâ acrimoniâ Diatheſin Cancroſam facilè inducant; prudenter admodum iis utendum eſt, ne ſubitò ingraveſcat Malum, & in Ulcus

Ulcus Cancroſum tranſeat. Saltem iſtiuſmodi Erodentia ſi forent applicanda, ſedulo tamen cavendum ab Arſenico, id quod non ſolùm Strumas, ſed & partes vicinas erodit, corrumpit. Videatur Hildanus Cent. 6. obſerv. 80.

XV. Etiam fertur vulgo, Regibus Galliæ ſolo attactu Sanandi Strumas poteſtatem à Summo Numine conceſſam eſſe; atque hinc paſſim è vicinis & peregrinis locis Strumis laborantes quotannis affluere ſolent, quibus manum Rex imponit, & hæc verba gallico ſermone profert: *Rex te Tangit, Deus te Sanat*; atque, appoſito crucis ſigno, ab uno & triuno Deo vim eam derivari publicè profitetur. De qua mirabili Strumas ſanandi vi, ſolis Galliæ Regibus conceſſa, peculiarem ſcripſit librum Andræas Laurentius, qui videatur. *Joh. Munnicks in Cheirurgiâ ad hodiernam Praxin adornata.*

Curationes.

" Cum collum Iſthmus quaſi ſit per quem à capite ad Thoracem tranſitur, iſtius affectum unicum huic Libro ſubnectere non ineptum opinatus ſum. Neque de Scrofulæ curatione agendi hunc inopportunum locum arbitrabar, cum Collum ſæpiſſimè tumorum ſcrofuloſorum ſit ſedes; licèt hujus morbi fomes & radix altiùs ſint quærendæ. Antequam verò ad materiæ medicæ formulas pro ſtrumis curandis perveniam, præmittendam duxi Conſilii partem pro ſcrophuloſo, ab Authore noſtro miſſi ad D. D. Robertum Cunningham Medicum Edinburgo-Scotum, Idibus Novembris, 1649.

-------- Tumores quibus ſub aure utriuſque lateris & circa Jugulares Venas conflictatur æger, indolentes omnes, duri & immobiles, ſine ullâ manifeſtâ intemperie, ut optimè cenſes, ſcrofuloſi ſunt. Strumarum ſtolones licèt ſub cute præſertim circa adenes erumpant; attamen altas habent in viſceribus radices, præſertim glandulis Meſenterii, quæ in pleriſque nè dicam omnibus, hoc genus morbi patientibus, tumidæ, inæquales, duræ apparent, ejuſdem planè materiæ cum ea quæ in mobilibus ſcrofulis novaculâ diviſis conſpicitur. Noſti tria eſſe maxima corporis humani emunctoria, ſub auribus, ſub alis, ad inguina. Tumores hoſce præter naturam quos pituita congeſta creat, facit viſcerum κακοπραγία, ventriculi præſertim & hepatis, cujus infortunia cum ſanguine facillimè gliſcunt in partes remotiſſimas. ----- Huic malo debetur frequens purgatio cum iis quæ phlegma præcipuè ducunt; etſi non negligligendum putem ſuccum melancholicum in quem humores omnes tractu temporis tranſeunt. Ex tribus, elleboro nigro vero, colocynthide & ſcammonio in reſinam reducto, præparo pilulas efficaciſſimas quæ potenter operantur in parvâ doſi, ad ſummum gran. 24. Hoc velim eſſe unicum, vel ſaltem præcipuum purgans morbi admodum refractarii ἀλεξίκακον. Id dabis aliquando ſolitarium, ſæpius granis 12. admiſcebis gr. 20. merc. dulcis, vel præcipitati albi (ex mercurio cinnabaris per aquam fortem diſſoluto, atque per muriam ſeparato & optimè loto) gr. 8. vel 10. vel 12. ex quibus fiant pilulæ deglutiendæ mane horis tribus ante juſculum ſedulâ cuſtodiâ. Mercurius ubique mirabilis, quem quocunque modo exhibeas, dummodo in ipſo præparato per additionem ſalium, eorum aculeus retundatur, nihil eſt periculi. Do in hiſce caſibus Merc. crud. in conſervis, vel electuario idoneo ex ſpecificis concinnato, idque per plures ſeptimanas ſine ullo diſcrimine. Do itidem cinnabarin nativam & factitiam cum floribus ſulphuris & argento vivo puriſſimo ſimul ſublimatis, necnon cinnabarin antimonii. Tu omne feres punctum ſi cum parte unâ auri puriſſimi & partibus decem argenti vivi ex cinnabari vulgari (additâ duplâ quantitate calcis vivæ) extracti per retortam in phiala oblongiſſimi colli ſolius ignis miniſterio facias præcipitatum rubicundiſſimum inſtar papaveris rhœadis, cujus quotidie des duo grana aut tria in electuario prædicto. At forſan dices ptyaliſmum ſubſequuturum tot mercurialia, id quod non ſemper accidit; & ſi contingat, illud ſymptoma licèt ſit laborioſum & importunum, attamen eſt ſalutare. Hoc mihi vulgare eſt, ut in ſtrumoſis, quaſi laborarent lue Venereâ, vel frictionibus vel fumo provocem ſalivationem cum effectu non pœnitendo, præſertim quando circa collum tumores iſti exuberant. Mercurius incidit, attenuat, colliquat, eliminat per ſputum blennam, & plus præſtat quàm mille topica, quæ tamen nullo modo ſunt negligenda.

In externorum cenſu duo præcipua ſunt; alterum, litus glandularum cum oleo bufonum præparato cum additione vitrioli; alterum, emplaſtrum ex gummi ammoniaco diſſoluto in ſucco cicutæ & cynogloſſæ, cujus partes duæ permiſceantur parti uni emplaſtri diachyl. ireati; addantur Mercurius crudus & pulvis ſubtiliſſimus bufonum ad ſolem ſiccatorum cum portione camphoræ. Iſta, ſi opus ſit, liquentur paucillo ſtyracis liquid. Suſpendatur autem collo radix cynogloſſæ, quæ antequam exaruerit penitus, renovetur. Potus ordinarius eſto cereviſia medicata cum radicibus cynogloſſæ, ſcrofulariæ majoris, filipendulæ, graminis bulboſi, addito guaiaco admodum reſinoſo & bonâ quantitate ſpongiæ bedeguaris: Addantur etiam huic potui ramenta ſtanni Cornubiani puri putiſſimi in ea proportione, ut ſine hujus metalli ℥iii. ad ſingulos quos vocant galones. ------ In quibuſdam haſce glandulas litu quotidiano balſami arſenici, materiâ attenuatâ & per cutem reductâ diſcuſſi. Balſamum autem illud conſtat ex cryſtallis aut oleo arſenici mixtis cum axungia viperæ vel oleo bufonum. In aliis (non ſine dolore tamen) putrefactos tumores (qui jam ulcerati erant) perductoſque ad ſuppurationem, ſuſtuli radicitus. Vidi etiam ſæpius, vulneratis ad centrum uſque tumoribus ſcalpello, & indito plagæ grano ſublimati corruptas glandulas excidiſſe, idque Monſpelii. ------ &c. Hæc ibi ille.

Veſcatur æger cibis boni ſucci, coctu facilibus, & qui minimum excrementi deponant; carnibus juniorum animalium aſſis potiùs quàm elixis. Abſtineat à ſalſis, piperatis, acribus. Carnem ſuillam vitet, vaporoſa omnia, lacti-

cinia. Aliquando jejunio calorem nativum incitet ad ſuperfluitatum abſumptionem, Potus delectum poſtulat eò magis quòd videre eſt eos qui in montibus habitant frigidis, & congelationi aptis aquis (liquidum ſaxum ſua ſubſtantiâ occultantibus) utantur, ſtrumis infeſtari utplurimum. Itaque ſitim extinguat, vel aquâ vinoſâ uvarum paſſarum, quæ inter fermentandum medicata reddatur ramentis ligni lentiſci; vel decocto diluriore radicis chinæ vinum rubellum oligophorum quàm optimè diluat. Noxia ſunt generoſa vina (quale Hiſpanicum) aromatibus condita, mulſum, zythum & cerevilia.

Ritè inſtitutâ Diætâ, everrantur primæ viæ ſtrenuè primò, mox ſucceſſione quâdam ad alias cura transferatur. Ventriculus cum meſenterio (cujus glandulæ ſunt vulgò ſtrumarum centrum) ſubinde repurgetur. Temperetur hepar, ejuſdemque obſtructiones reſerentur. In liene ſanguinis fæx corrigatur, præſertim in tertiis qualitatibus quas formales vocant. Venoſum genus liberetur ichore ſuperfluo & maligno per ductus urinarios. Si quid emunctoriis impactum, diſſipetur. Tunc demum ad Topica deveniendum eſt, ſive ſtrumæ in ulcera eruperint, ſive non. Harum enim averruncationem (ita ut non recrudeſcat malum) niſi præmiſſis univerſalibus, & extinctâ ſi fieri poſſit generali labe, ſperare aut polliceri non eſt artificis.

Alvus inprimis & ante omnia ſubducatur clyſtere. Die proximo exhibeatur Emeticum, viz. vitriol. alb. depurat. ℈i. diſſolut. in quovis liquore. Si vitriolum ſit mitius æquo vomitorium, vel ejuſdem ſapor ingratus videatur, detur infuſio croci metall. Si laboret plus æquo ventriculus in vomendo, poſt ſingulos conatus tantillum juſculi capi ſorbeatur. Vomitus in reſerandis obſtructionibus & mundandâ partium naturalium ſentinâ tanti eſt momenti, ut quater in anno vel etiam ſæpiùs eum provocare neceſſarium perinde atque utile videatur.

Interpoſitis duobus diebus (quibus cibo & potu laudabili vires inſtaurandæ erunt) exhibeantur pilulæ ſequentes.

♃. Pil. coch. min. calomel. an. ℈i. olei aniſi gutt. ii. mſ. f. pil. pro doſi ſumend. in aurora.

Mox contumaces humores præparantur ſimul & per ἐπίκρασιν aliquot diebus evacuentur, ut ſublatis craſſis ſuccis tenues faciliùs fluant.

♃. Fol. ſenn. mundat. fol. ellebori nigri veri in pane hord. præparator. an. ʒiii. aloës ʒß. gumm. guajac. naturalis ʒii. myrrhæ ʒi. diaphoretici vulgaris ʒiiß. f. omnium pulvis ut alkool, excipiend. ſ. q. balſami Peruv. formetur maſſa pilular. de qua cap. ℈ii. ſingulis matutinis per dies xii. *NB.* f. initium à ℈i. deinde procedatur ad ʒß. tandem ad ℈ii. Horâ unâ poſt aſſumptionem pilularum iſtarum exhib. juſculum capi, alteratum botrag. bugloſſ. oxylapath. ſummit. lupul. chærephyll. calendul. ophiogloſſ. flor. primul. veris, in quo diſſolutum fuer. ʒi. cremor. tartari albi, vitrioli cum ſpiritu corallato.

Tandem interpoſito uno die vel altero repetatur pilularum primò præſcriptarum doſis, quod remedium deinceps cæteris omnibus præferendum erit, quoties ſtrenuæ purgationis incidet neceſſitas.

Loco pilularum mitiorum, liceat ægro, ſi magis arriſerint, aquas purgantes (quales ſunt Ebeshamenſes) bibere per plures ſeptimanas.

Ellebori (nigri) in eradicandis pertinaciſſimis morbis, quos humores exuſti, in corporis centro geniti, & ad remotiſſimas partes delati creant, valida eſt efficacia. Is licèt in parva quantitate aſſumatur, ſi diu tamen & ſine intermiſſione, tandem inſignes prodit effectus. Foliorum pulvis aliquot granorum pondo quotidie devoratus, corpus renovare creditur. Quod à magnis morbis & hepatis, & cerebri & artuum liberet, certo certius eſt. Folia in pane hordeaceo præparentur, ut artis eſt, exhibenda poſt omnia ad renovationem univerſalem, & ſanguinis ultimam depurationem. Ex radicib. tempore idoneo effoſſis, juxta Bovii Veronenſis proceſſum, Extractum ſive mellago fiat, aut per ſe danda à gr. 5. ad 8. 10. 12. aut cum Mercurio dulci prædicto.

NB. In Medicamentis fortioribus exhibendis Medici cum ſecuritate procedant, à minori doſi (quæ tamen agat) paulatim aſcendendo ad quantitatem cauſæ morbificæ tollendæ aptam, naturæ non gravem, ventriculo non infenſam, & citra perturbationem, id quod in votis nobis eſt, præſtituram.

Ita repurgato uſque & uſque corpore, de ineunda diæta ſudorifica, alterantibuſque exhibendis erit cogitandum.

♃. Rad. ſcorzon. condit. ℥ij. pulv. rad. contrayerv. ℥j. rad. tormentill. valerian. minor. vincetox. petaſitid. ana ℥ß. conſ. flor. anth. & ſalv. ana ℥v. conf. alkerm. & de hyacintho ana ʒiij. carnis viperin. præparat. per ſiccationem & ſubtiliſſimam pulverizationem ʒx. oculorum cancri ʒvi. diaphor. vulgar. ʒviii. vel Hartmanni pro ſingulis drachmis gr. iij. mſ. & cum ſapa cydon. f. Electuar. inſtar Opiatæ, de quo cap. ad quantitat. jugland. ſuperhauſtâ decocti ſequentis doſi, provocando ſudorem ſuperpoſitis ſtragulis, & circumpoſitis lagenis aut veſicis bubulis aquâ calidâ plenis.

♃. Rad. chinæ ℥iß. ſarſæparill. ℥ij. rad. tormentill. cyperi, ſcorzoneræ, contrayervæ, pentaphyll. bardanæ, petaſitid. ana ℥j. rad. ſcrofular. major. filipendul. chelidon. minor. ana ʒx. fol. ophiogloſſ. pimpinell. agrimon. agerati, piloſell. bugulæ, brunell. pyrolæ recent. ana m. j. Omnibus ut decet præparatis & conciſis affundatur ea quantitas aq. ulmar. ſcabioſ. card. benedict. bugloſſ. quæ ſupernatet 8. digitis, f. digeſtio per biduum in B. M. deinde poſt leviuſculum fervorem decantatio & per chartam filtratio pro 6. doſibus matutinis poſt doſin Opiatæ ſumendis. Reddatur hoc decoctum acidul. guttis aliquot ſpirit. vitrioli. In horum uſu perſeverandum per 12. vel. 15. dies.

Vel ♃. Sarſæparill. ℥iiß. cortic. lign. ſanct. ʒx. raſur. buxi ℥iii. rad. petaſit. & bardan. an. ℥iß. rad. rub. tinctor. recent. & garyophyllat. an. ℥ii. C. C. ad albedinem calcinat. ʒx. Infund. ſ. a. in parte una vini Rhenani & part. 3. aquæ, pro 5. doſibus, poſt Electuar. doſin bibend.

Tertio quoque die loco Opiatæ deglutiat ante hauſtum decocti ʒß. pil. mitiorum ſuprà præſcriptarum : & in medio & fine purgetur pil. fortioribus cum calomel.

℞. Conſ. florum ſalv. & herb. paralyſeos an. ℥ii. conſ. meliſſ. & ſummitat. roriſmarin. an. ℥i. pulv. ſubtiliſſ. ſarſæparill. ℥iii. pulveris heben. ℥iß. rad. ſcrofular. major. chelidon. min. filipendul. ſaxifragiæ bulboſ. an. ʒx. pulv. fumar. & chamæpit, an. ℥i. ocul. Cancr. præparat. corall. rub. præp. cum ſucco limonum, ſuccini albi præp. an. ℥ß. dentis equi marini triti in alkool ʒvi. antimon. diaphoret. vulgaris ſive ceruſſ. mineral. Salæ fideliter præp. ℥ii. mſ. & cum ſyr. de pom. redolent. f. Electuarium inſtar Opiatæ, de quo cap. ℥ß. pro doſi quotidie mane, ſuperhauſto cereviſiæ medicatæ momento, idque per menſem unum & alterum.

℞. Salſæparil. alb. & medulloſ. ℥x. rad. chin. raſur. hebeni nigerrimi an. ℥vj. rad. filic. fœmin. & oxylapat. an. ℥xii. rad. ſcrofular. major. chelidon. min. filipendul. gramin. bulboſ. an. ℥v. raſur. C. C. eboris, dentis equi marini an. ℥iii. folior. ſiccor. agrimon. chamæpit. ceterach, cuſcut. betonic. an. m. ii. flor. herb. paralyſ. ſummit. meliſſ. an. p. vi. ſummit. ſalv. & roriſmar. an. p. iii. nuc. moſchat. ℥i. Bulliant. in galonibus vi. cereviſ. lupulat. recent. ad duorum conſumptionem. Sinatur fieri infuſio per noctem vaſe tecto; mane f. per ſetaceum colatura, cui adde ejuſdem cereviſiæ galones 4. Sinatur fieri fermentatio addendo ſucci naſturtii & beccabung. an. ℔i. ſucc. cochlear. ℔ii. Liquor limpidus includatur lagenis lapid. probè obturat. reſervandis loco ſubterran. pro potu ordinar. cujus uſus ſit per plures menſes.

Pro effectu pil. cum calomel. repetatur eadem exhibitio ſemel ſingulis menſibus ultimâ Lunæ quadrâ; atque ab hoc remedio (ſi ægri naturæ conveniens id eſſe demonſtret experientia) certiſſimam curationis partem expectet. Atque ſemel in ſeptimana purgetur pilulis mitioribus ſuprà laudatis, vel pil. ex tribus Fernel. ſumend. à ℈i. ad ℈ii. ante levem cœnam. Vel, ſi mavis, loco ſuperioris alterantis, ſum. Elect. ſeq. purgans, à quo ſatis purgabitur æger.

℞. Rad. ſiccat. cynogloſſ. ſcrofular. major. filipend. ſaxifrag. bulboſ. an. ʒvi. rad. ruſci & ſem. ejuſdem an. ʒv. fol. betonic. chamæpityos, chamædr. fumar. an. ℥ß. ſpong. marinæ ſiccat. interior. oſſ. ſepiæ an. ʒivß. C. C. ad ſummam albed. uſti, antimon. diaphoret. fixiſſ. an. ℥i. ocul. Cancr. præp. pulv. ſubtiliſſ. Jovis an. ℥ß. curcum. ʒii. turbith. gummoſ. ʒxii. Terantur omnia ut alkool, & excipiantur ſ. q. ſyrup. præparat. ex ſuccis ſaponar. & ſcroſular. major. cum ſaccharo ſine magno calore, f. electuar. inſtar Opiatæ. de quo capiat quotidie mane primò ʒvi. deinde ʒi. donec tota iſta quantitas abſumpta fuerit.

Loco cereviſiæ medicatæ ſuprà præſcript. hanc ſequentem (minoris apparatûs & pretii) aliquando præſcribo.

℞. Sarſæparill. rad. ruſci, ononidis ſcroſular. major. an. ʒvi. rad. cynogloſſ. ℔i. ſaponar. m. viii. beton. m. iv. flor. herb. paralyſ. hyperic. ſambuc. pœon. mar. an. p. vi. ſem. cochlear. Batav. ℥iß. nuc. moſchat. ℥i. Omnia debitè ſiccat. & præparat. pendeant in galon. viii. cereviſ. lupulat. cum ℥xvi. ramentorum Jovis. Sinantur fermentari pro potu ordinar.

N B. In liquorum ad potum ordinarium præparatione id quæratur, ut poſt alimenti diſtributionem, aperiente & diureticâ facultate, ſerum copioſè per vias urinarias eliminent. Omne enim tulit punctum in ſcrofularum curatione, qui tartarum adhuc liquidum & aqueo humore dilutum, ante ſui coagulationem, ad renes ablegare, & per veſicam expurgare citra concoctionis præcipitationem potuit.

℞. Diaphoret. antimon. fixiſſ. ℥ß. C. C. ad ſummam albed. calcinat. cranii human. eodem modo præparat. an. ʒii. corall. rubr. præp. marg. præp. ocul. Cancr. præp. an. ʒi. cinam. interior. ℈iv. ſacchar. albiſſ. ad pondus omnium. Terantur ut alkool, excip. ſ. q. mucag. rad. alth. extract. in aq. beton. addend. parum mucag. gumm. tragacanth. extract. in aq. cinam. f. paſta ex quâ formentur tabellæ pond. ʒii. ad levem calorem ſicc. & reſerv. loco ſicco. Cap. unam mane jejuno ſtomacho ſuperhauſto cereviſ. medicat. momento, dilato ſi fieri poſſit ad hor. 3. cibo. Capiat etiam unam in ingreſſu lecti à cœnâ levi.

Vel ſi pilulas facilè deglutire poſſit æger, ſum. duabus hor. medicis pil. 5. ad pond. ℈ii. ex maſſa ſequenti.

℞. Terebinth. Cypr. in aq. plantag. & roſar. indurat. ℥ß. corall. rubr. præp. gumm. guaiaci, benzoin. partis alb. mollis, conch. oſtreorum, ſuccini albi præp. an. ʒii. ocul. Cancr. præp. ad pondus omnium, f. alkool excipiend. ſ. q. balſ. Peruv. nigri fragrantiſſimi, f. maſſa pilular.

Hucuſque de medicamentis internis, quorum ope ſperare liceat vel ſtrumarum diſſolutionem, ſi nondum in ulcera eruperint, vel etiam ulcerum ſanationem faciliorem, topicorum propriorum uſu. Strumæ etiam nondum ulceratæ citiùs diſſolvuntur topicorum quorumdam applicatione. Fruſtra autem, ut ſuprà dictum eſt, horum per remedia externa curationem quis aggredietur, ſine internis præmiſſis & comitantibus.

Cum topicis incipiatur circa medium alterantium.

℞. Farinam ſeminis lini & radices recentes ſcrofular. major. ſubigantur longâ trituratione cum axungiâ ſuillâ, & f. cataplaſma applicandum ſcrofulis non ulceratis, quas potenter diſcutit hoc medicamentum.

Linimentum ſpecificum. ℞. Bufones terreſtres magnos vivos num. 2. virgis bis terve cædantur ut emingant urinam venenatam; colubros maximos num. 2. cortic. mandrag. rad. cicut. cum toto, hyoſcyam. an. ℥ii. rad. gladioli recentium, aſphodeli, ſcrofular. utriuſque an. ℥iv. verm. terreſt. ℔i. olei lini recent. expreſſ. ℔ß. ol. amygd. dulc. ol. olivar. an. ℥viii. axung. ſuill. recent. ℔ii. ſucc. malv. ſapon. ſcrofular. utriuſque an. ℥vi. vin. Hiſpan. ℔i. Calefiant ſucci cum oleis, iiſque bullientibus injiciantur animalia viva cum vermibus lotis, coquantur ad putrilaginem & tabefactionem, carniumque ab oſſibus ſeparationem,

ta-

tandem addantur radices, f. decoct. ad ſuccorum conſumptionem & decrepitationem, mox f. expreſſio per canapatium & ſervetur oleum, quod vel per ſe uſurpetur, vel (præſertim in partibus cerebro non adeò vicinis) additâ quartâ parte olei arſenici dulcis. Fricentur cum hoc linimento partes tumentes quotidie mane diu; mox detergeatur optimè pars linteo mundo & molli.

Noctu verò geſtetur Emplaſtrum ſequens extenſum in ſerico.

♃. Maſſ. emplaſtr. diachyl. alb. ℥ vi. gumm. ammon. in ſucc. cicut. & ſcrofular. majoris diſſoluti & coagulati ℥ iii. gum. carann. & tacamahac. in vini ſpiritu diſſolut. ana ℥ iß. olei ex bufone præſcripti ℥ ii. pulv. ſubtiliſſ. rad. ſigill. beatæ Mariæ, gladiol. fol. cupreſſ. an. ℥ i. amalgamatis ex parte una merc. crudi, & partibus tribus Saturn. præp. & in pulverem reducti, ℥ iv. diaphoret. antimon. vulgaris ℥ iii. ceræ flavæ q. ſ. f. Emplaſtrum applicand.

Simpliciora diſſolventia ſunt ſequentia: Oleum Arſenici, quo ungantur glandulæ decies vel duodecies, donec puſtulæ efflоreſcant quæ fundant ſaniem. Empaſtrum Opodeldoch à Wirtzio chirurgo deſcriptum, quod ſuperponatur, addito mercurio ex cinnabari extracto, & tandem lamina plumbi mercurio eodem illita, quibus ſi provocetur ptyaliſmus, citiùs & feliciùs rebelles iſti tumores reſolventur.

Emplaſtrum ſequens plurimùm valet:

♃. Maſſ. empl. diachyl. ireati & de mucilag. ana ℥ iv. empl. de ranis quadruplicato mercurio ℥ ij. cinnab. ſubtiliſſimè pulverizat. merc. dulc. ana ℥ ß. pulv. ſubtiliſſ. rad. brion. & ſigill. B. Mariæ ana ʒ iij. camph. ʒ j. m. f. & cum ſ. q. balſam. Peruv. f. emplaſtrum. cujus portio extendatur in aluta molli, & glandulis applicetur.

Item hoc: ♃. Maſſ. emplaſtr. de minio ℥ iv. diachyl. alb. ℥ ij. plumbi alb. cum ſucco ſcrofular. major. ſubacti in porphyrite & ſiccati ℥ i. amalgamatis ex plumbo & mercurio facti in tenuiſſimum pulverem reducti ℥ i ß. pulv. buſon. exſiccat. ʒ vi. mſ. & addito pauco oleo aliquo idoneo f. emplaſtra tumoribus applicand.

♃. Olei litharg. colophon. mumiæ an. ℥ i. ol. ex vitellis ovorum q. ſ. f. unguentum. Oleum litharg. ſic fit. Coq. albumen & litharg. in aceto donec albeſcant, & poſtea donec in oleum abeant, quod fit multâ coctione.

Si hiſce remediis tumores non cedant, tunc ad ſuppurationem perducendi ſunt, applicatione gummi Arabici in ſucco ſcrofulariæ cocti & inſpiſſati; vel ſumatur pars una gumm. ammoniac. & duæ gumm. Arabic. &c.

Si tumores vel ſponte, vel maturantibus admotis fiant ulceroſi, ulcera curentur ſequentibus.

♃. Tutiæ præp. ℥ i. ſalis nitri puriſſimi ℥ ij. ſublimati optimi ℥ i. Ceruſ. Venet. ℥ i. mſ. f. pulvis ſubtiliſſimus, applicetur manantibus ſcrofulis inſperſus unguento baſilic. ter, quater, quinquies, donec deciderint eſcharæ, vel glandulæ; deinde vel baſilic. ſimpl. vel unguent. diapalm. (cum alumine uſto, ſi ſupercreſcat caro) curetur ulcus.

Proſunt lotio ex ſaccharo Saturni; aquâ aluminosâ Fallopii, vel ex aquâ decoctionis arſenici: in malignioribus, ſuffitus ex cinnabari. Si ulcera ſordida fuerint aut calloſa, adhibetur cautè oleum arſenici, vel antimonii, unguento aliquo detergente exceptum; præcipitat. item rub. cum baſilic. unguent. vel Arcæi balſamo.

Oſſa ſi fuerint corrupta, maximum opus exfoliationis Naturæ committendum, quæ etiam erit adjuvanda. Liquor ex catagmaticis in optimo vini ſpiritu infuſis inſpiſſatus melle caprifolii, abſinthii, centaur. min. inſtilletur fiſtulis ad oſſa penetrantibus. Liquamen ex oleo caryophyllorum ſtillatitio & camphora, Diſſolutio lapidis medicinalis Crollii per ſiphonem ſinubus vel fiſtulis injiciatur. Nudata ſi ſint oſſa, nihil æquiparandum euphorbio, quod uno die multùm operatur & os alterat, ex Dioſcoride.

Optimum exfolians eſt aqua aluminoſa magiſtralis Fallopii.

♃. Aq. plantag. & roſar. an. ℔ i. alumin. roch. merc. ſublimat. an. ʒ ii. terantur, bulliat aqua ad medias; ſinatur fieri reſidentia per quinque dies, limpidum decantetur à fæcibus. Utere per ſe in oſſium carie, vicinis partibus circummunitis filamento ſicco; alibi cum duplo, triplo, vel quadruplo aq. roſac. Agit ſine vel cum pauco dolore.

Vel ♃. rad. peucedani ℥ i. ariſtoch. utriuſque, ireos Florent. an. ℥ ß. opopanacis & ſagapeni an. ʒ ii cortic. guaiac. ʒ iii. caryophyll. ℥ ii ß. camphor. ℈ iv. Omnia conciſa & contuſa ponantur in phialam, iiſque affundatur ea quantitas optimi ſpiritûs vini quæ ſupernatet 4. digit. f. digeſtio per quatriduum, mox expreſſio fortis, & per lentam exhalationem reducatur liquamen ad conſiſtentiam julepi. Liquor vel inſtilletur ulceri, ita ut ad os perveniat, vel ſiphone injiciatur.

Trochiſci exfoliantes. ♃. euphorb. ʒ iii. rad. peucedan. ireos Florent. ariſtol. rotund. an. ʒ i. camphoræ ʒ ii. terantur omnia, excipiantur paucâ micâ panis, vel glutine ex farinâ & lacte, aut aq. ſpermat. ranar. Fiant trochiſci, quibus addatur uſus tempore gutta una olei caryophyllor. Serventur in pyxide. Applic. ſoli oſſi exfoliando, partibus vicinis munitis. Superponatur filamentum carptum ſiccum & emplaſtrum defenſivum.

Poſtquam os exciderit, curetur ulcus balſamo ſequente.

♃. Ol. hyperic. ℥ ij. olei nucum ſine igne expreſſi, olei abietini ana ℥ jß. gummi elemi puriſſimi ʒ x. liquentur ſimul, addit. viridis æris depurat. ʒ ij. fiat agitatio ad coloris viridis intenſionem, mox f. balſami per linteum colatura, dum adhuc calet: ſerv. ad uſum. Si rubrum velis, attamen non minus ſiccans, color procuretur radice anchuſæ.

In ſtrumarum curatione proficuæ erunt Fontanellæ in locis aptis excitatæ.

NB. Si quis ſcrofulas purgantibus, alterantibus, &c. methodice curare velit, per plures menſes, imo ſæpe annos ægris medicamenta exhibere neceſſe habebit.

Vidi Doctorem *Wright* Medicum à quo hunc accepi proceſſum, qui puer 10. ann. curatus fuit ſequenti remediorum ſerie, abſque ulla purgatione aut ſudore ſicco, à quibus profeſſus eſt exacerbatum fuiſſe malum; eàmque hujus affectus eſſe naturam, ut mutationem remedio-

rum topicorum expetat. Vidi manûs ejus digitos oſſibus detractis mutilos curatos.

Decoctum vulnerarium. ℞. Cariophyllat. angelic. ſylveſtr. quinquenerv. artemiſ. conſolid. major. bellidis totius, taraxaci, abſinth. menth. ſummitat. rubi, ſcabioſ. agrimon. betonic. ſylveſtr. ana m. j. ſanicul. bugulæ ana m. ij. Bulliant per vj. hor. in galon. ij. aq. fluvial. vaſe probè clauſo, ita ut nihil expiret, addendo poſt ebullitionem dimidiam pintam mellis, vel plus ad ſaporis gratiam. Dentur ægro cochlearia decem vel amplius ter in die. Sumpſit autumnali tempeſtate per duos menſes conſequentes; ſequenti verè iterum ſumpſit per duos menſes, mox thermas ſulphureas adiit Bathonienſes ſecundo & tertio, in quibus aquam bibit cum ſale & ramulo roriſmarini, quâ purgabatur; ſudavit, lutum applicavit ulceratis tumoribus. Evacuato balnei alveo ſive receptaculo, ſupra fumantes ſcaturigines calidiſſimas, partes ulceratas tenuit ad excitandum ſudorem. Domum reverſus nihil applicabat ulceribus præter petias aquâ balnei madefactas. Sic iterato labore perfectè convaluit. Eâdem uſus methodo in nepote ex ſorore eum ſanitati reſtituit. Empiricus à quo habuit remidium, ulceribus applicabat unguentum geniſtæ ex filis carptis. Unguentum geniſtæ fit ex floribus ſæpiùs infuſis in butyro Maiali & expreſſis inſtar olei hyperici.

Nonnullus magnas perficit curationes in ſcrofulis etiam ulceratis, linendo ulcera oleo ex bufonibus terreſtribus diſtillato per deſcenſum, inſpergendo eorum uſtorum ad nigredinem pulverem, exhibendo eundem pulverem nigrum diebus alternis pro diaphoretico, & ſuperponendo emplaſtrum ex gumm. variis, pulvere bufonum & floribus digitalis rubr.

Quidam eas non apertas diſcutit litu ex oleo decoctionis bufonum & vitrioli Romani (aliquando albi) uſurpando mane & veſperi ante ingreſſum lecti, ſuperpoſitâ veſicâ; & diu propinat decoctum vulnerarium felici utplurimùm ſucceſſu. In ulceratis propinat etiam decoctum: applicat autem ad mundificandum & digerendum vulgare digeſtivum ex terebinthina & vitello ovi. Item ipſi παγχρηστον unguentum in omnibus ulceribus quantumvis malignis ex hedera terreſtri cocta cum butyro, cum quo miras perficit curationes.

Alexius Pedem. curat ſcrofulas eas vulnerando ſcalpello, mox indendo foramini granum merc. ſublimati, eſcharam digerendo, detergendo, & ſiccando.

Vidi fœlicem iſtius methodi ſucceſſum in muliere quæ Monſpelii pleroſque, ferè omnes pueros, ſcrofuloſos curabat, non tamen ſine magno dolore.

Præparentur placentæ (*macarons*) cum radice ſcrofular, & comedendæ pluribus diebus conſequentibus exhibeantur. Hoc pro arcano dedit Doctori Diodati Lugduno-Batavorum diſcedenti Heurnius ſenior vir doctiſſimus.

Spongia uſta in crucibulo vel ollâ fictili probè tect. operculo, & clauſis luto optimo juncturis, ſi quotidie diu detur ad ʒß. plus minuſve in vehiculo idoneo perficit curationem tractu temporis. Memento quàm ſit efficax hoc remedium ad diſcutiendam bronchocelem.

℞. Herb. paronychiæ m. ij. magnos, bulliat in quartâ unâ cereviſiæ lupulatæ generioſioris ad medietatis conſumptionem. Colatura ſit pro duabus doſibus, ſumend s bis in die, tribus ante & duobus poſt novilunium & plenilunium diebus, idque aliquot menſibus conſequentibus, ſine ullò aliò medicamentò, obſervatâ tantùm bonâ victus lege. Generoſa quædam Matrona Doctori Bates experti ſſimum hoc commendavit remedium ad ſcrofulas ulceratas agentes cuniculos. *Theodorus de Mayerne Praxeos Medicæ lib.* 1.

Cavendum in curatione ſcrofularum, ne calida nimis & exſiccantia applicentur in principio, quo in caſu ſolent diſcuti mobiles magis partes, relictis terreſtribus, & ita ſcrofulæ in ſcirrhos tranſire ſolent, ſed applicanda veniunt quæ materiam viſcidam & terreſtrem incidere, attenuare & fermentare valent.

Quod potiſſimum præſtabit Mercurius in præcipitatum redactus.

℞. Litargiri auri ſubtil. pulv. q. p. Huic affunde acetum ſtill. ad emin. digit. 4. tranſv. coq. ſimul leniter, ſæpius agitando ſpatulâ lignea, donec acetum de acrimonia ſua amiſerit, & dulcedinem ſaccharinam referat, filtretur ſolutio.

℞. Hujus ſolutionis, ℥ vi. Mercurii præcip. alb. vulg. ℥ ij. Lento igne evaporentur ad ſicc. pulveris.

℞. Hujus pulveris, ʒi. Axung. porc. non ſalitæ, ℥i. M. F. Unguentum.

Et pars affecta prius pannis calidis fricetur & poſtea hoc linimento inungatur.

Vel, ℞. Mercurii vivi cum aq. fort. ſoluti, ℥iv. Axung. porcinæ, ℥ viii. Coq. in olla fictili continuo movendo ſpatula lignea, donec materiam obtineas mollem, adde Ceræ flavæ, ℥ ij. Pulv. maſtiches. oliban. an. ʒvi. M. F. Emplaſtrum.

Quod ſi diſcuſſionis ſpes nulla appareat, tentanda erit maturatio & concoctio in pus per ſequens cataplaſma.

℞. Rad. lilior. alb. ℥iß. altheæ, ʒi. Fol. malvæ, altheæ, flor. camomill. melilot. an. mj. Coq. in cereviſiæ, ſ. q. his coctis & piſtatis, adde flor. rad. altheæ, hordei, fœnugræci, an. ℥ß. Butyri non ſaliti, ℥ ij. Vitell. ovor. num. 2. Olei camomill. ℥i. M. F. Cataplaſma.

Quòd ſi verò ſcrofulæ fuerint dolorificæ, optime mitigabuntur per emplaſtrum vigonis de ranis cum duplici vel triplici mercurio.

Exhibeantur interius, quæ pituitam incidere & attenuare valent, quod præſtabunt decocta ex lignis, itidem ſudorifera ex mineralibus & metallis deſumpta, ut

℞. Reg. antimonii med. gr. x. Bezoard. min. gr. viii. Mercurii diaphoret. jovialis gr. vi. Theriaces ven. ʒi. M. F. bolus ſudorificus.

Pro purganti exhibeantur ſequentes pilulæ,

℞. Extract. cathol. gr. xv. Mercurii dulcis, ℈ß. Mercurii purg. gr. iij. Olei fœniculi, gutt. iv. M. F. pilulæ purgantes num. vi.

His ſi non cedat malum, cura tantum inſtituatur palliativa, exterius applicando emplaſt. de ranis cum mercurio, quippe ſi glandulas haſce obſtructas fortius agitaveris per gummi, olea calidiora, non raro ferocius etiam tranſeunt in cancros, vel ad minimum, particulis ſubtilioribus diſcuſſis, abeunt in ſchirros. *Anonymus in Praxi Chymiatricâ Rationali.*

Con-

Conſultationes.

Pro Reverendo admodum Canonico Congregationis Lateranenſis Struma ad collum miſerè detento.

Tumor circa collum ad ſiniſtras in admodum Reverendo Canonico dubio procul eſt, quem Latini Strumam vocant, Arabes Scrophulam, ſicuti & locus affectus hoc mali genus pati conſuetus, & tumoris durities docent; eſt enim Struma teſte Gal. decimo quarto Methodi undecimo, Scirrus in glandula, quod vitium quemadmodum ex Paulo, & Celſo fit in inguinibus, axillis, collo, ac facie, tanquam in partibus debilioribus, frequentiſſimè verò in collo propter capitis vicinitatem, a quo tanquam pituitæ maximè feraci ſæpè materia communicatur, ita eos, qui nimium gulæ indulgent, & ob id pueros potiſſimum apprehendit, ut Scrophæ ob gulofitatem (ut ſic loquar) & ipſæ in hoc morbi genus incurrant. Quòd autem tumor propoſitus non ſit qui à Guidone glandula vocatur, ex eo planè convincitur, quoniam glandula eſt tumor æqualis, mobilis, parum mollis, utplurimum in collo naſcens: at noſter tumor eſt fixus, aliqua ratione inæqualis, & durus, ergo Struma exiſtit, & magna quidem quia ad aurem uſque pervenit; Cæterum cum Strumarum aliæ ſint legitimæ, aliæque ſpuriæ, illæ ab Aëtio, & Paulo manſuetæ vocatæ, hæ verò tum inflammatoriæ ab Avicenna ob admixtionem ſanguinis fervidioris nuncupatæ, tum canceroſæ ab auctoribus prædictis malignæ ab humoris atri miſcella dictæ, Struma, de qua agitur certò eſt inflammatoria, quod rubor, & dolor aliquis cum pulſu, aliquodque ſanguinis ſubdominium in noſtro patiente ſuadent; A natura verò Carcinomatis quia abeſt, tumor non eſt venoſus, nec admodum dolens, inæqualis, non lividus, ut cancer exiſtit: Sit igitur Struma cum inflammatione, & cum ulcere, nam ab hinc per aliquot dies in inferiori parte quædam eſt ſubſequuta ſuppuratio, ſicuti nunc in ſuperiori parte ferè abſolvitur, quando ibidem inundatio ſentiatur.

Principia generationis hujus mali ſolent eſſe humores pituitoſi, craſſi, & lenti, necnon melancholici naturales (teſte Galeno ſecundo ſimpl. ac tertio Aphoriſm. vigeſimo ſexto) aliquando ſimul, aliquando ſejuncti tranſmiſſi ad adenas, hic verò pituita ſeorſum locum habet, quemadmodum ex habitu admodum Reverendi patientis aliquo modo pituitam referente colligere licet, ex admixtione nihilominus ſanguinis tenuioris, fervidiorisque, ut conſtitutum fuit, Struma hæc à vera Struma degenerat, ac tumoris ſpurii naturam induit.

Modus profectò hujus tumoris generationis inde liquet, quòd cùm ex Galeno 5. ſimpl. 4. induratorum triplex ſit eſſentia, repletio, concretio, atque ſiccatio, neceſſarium eſt, Strumam, quæ tractatur, ſub aliquo horum modorum ſecundum propriam generationem cadere, quoniam igitur tumor eſt inſignis, neceſſariò quoque inſignem humoris copiam arguit, at inſignis humoris copia replet, quapropter ſine dubio per repletionem genitus erit, verum etiam per concretionem non tantum ob loci, ſed etiam materiæ frigiditatem, ſiccatio tamen omninò ab hoc loco explodenda, quando nulla cauſa ſiccans in caſu noſtro præceſſerit. Ad hæc cum pituita, ac ſanguinis fervidioris portio ad locum affectum fuerint tranſmiſſa, tranſmittanturque rationi conſentaneum eſt, ut ſicuti datur locus, in quo continuo generantur, & à quo continuo tranſmittuntur, ita & cognoſcatur gratia itaque pituitæ caput præcipuè, meritò verò ſanguinis fervidioris jecur talem locum conſtituo, & quemadmodum illa veluti opus præter naturam ſequitur ad læſam cerebri coctionem ob intemperiem inſigniter humidam cùm aliqua propenſione ad frigidum, coagentibus erroribus externis, ita & hic in fervorem jecoris feratur oportet; A quibus viſceribus cùm ob multas cauſas, tum vero maximè ob principatum in corpore tanquam robuſtioribus illos præter naturam ſuccos ad locum affectum viribus quaſi deſtitutum, propriaque natura imbecillum tranſmitti par eſt, imò errores externos non tantum pituitæ, ut dictum fuit, ſed etiam ſanguinis fervidioris generationi famulari pro certo habeo, quando ſciam, patientem noſtrum & uſu alimentorum, præcipuè verò vini meracioris, & motibus corporeis, aliiſque ferè innumeris modis ſibi fervorem jecoris comparaſſe.

At quomodocunque ſe res habeat, in hujus mali curationem, materiam tumoris copioſam evacuare, moderatè calefacere, & emollire oportet, amotis prius impedimentis, fluxione ſcilicet ac ejuſdem cauſis, illam quidem per retrahentia, his verò per alterantia cerebrum, & jecur in contrarium.

Quæ opera vix à Medico perfici poſſe exiſtimo, quando mala hujus cenſus, ut quæ à materia viſcida, craſſa, frigidaque circa partes propria natura imbecillas exorta difficillimè ſanentur, atque hoc eo magis ubi grandia fixa admodum, ac in anteriori parte colli conſtituta extiterint, ſicuti accidit in præſentia.

Quoniam tamen patiens, qui tractatur, eſt adultus, & ab hujuſmodi calamitate vindicari exoptans, ſe futurum obſequentem Medico curanti pollicetur, non dubito quin curari, vel ſaltem præſervari poſſit.

Quare de curatione decernens à Chirurgia auſpicatus, dico venam medianam cubiti lateris affecti quamprimum eſſe ſecandam, deinde poſt dies aliquot venæ ani per hirudines eſſent aperiendæ, tandemque ut ſetaceum in cervice figatur etiam, atque etiam probo; Sectionem à Gal. 14. Meth. propoſitam, qua malum, & mali radices radicitus auferuntur, non propono, quoniam præter id, quod moleſtiſſima eſt, ſanguinis quoque perfuſionem irremediabilem ſæpius adfert, ac mali radices altiores penitus non extirpat, non tamen à ferro aperiente locum, in quo pus continebitur (ubi materiæ ſuppuratio aliqua apparebit) abhorreo.

Poſt hæc medicamenta primum univerſalia, deinceps privata ſuccedunt; Alvus ideo primum lenienda melle roſato ſolutivo, & manna, vel hiera ſimplici Galeni cum caſia, mox humores præparandi decocto roris marini, betonicæ, boraginis, ſonchi, Scrophulariæ, adjecto ſyrupo de betonica, de cicorea, & oxymelle ſimplici, poſtremo humores hi deturbandi infuſo Agarici, & Rhabarbaro cum melle roſato ſolutivo, vel Catapotiis cochiis, imo verò maximè conducturum

arbitror, ſi pilulæ de tribus cum Rhabarbaro per intervalla certa, exhibito prius per tres dies oxymelle ſimplici, propinentur; Verum hoc tempore poſt medicationē univerſalem propoſitam, patienti parandum eſt decoctum ex guaiaco ligno, viſco quercino, & ſalſa cum cicoreaceis, rore marino, & Scrophularia cum ſandalis albis per plures dies aſſumendum, ea tamen ratione, ut ante ſyrupum matutinum bolus ex ſale theriacali, pulvere roris marini calcinati, & conſerva roſarum, vel florum cicorii offeratur, atque ſudor omni ſtudio, ac diligentia adhibita promoveatur.

Atque ubi toti fuerit conſultum, ad privata medicamenta accedendum, ideo primum Catapotiis dictis, herrinis poſtmodum capite expurgato, alterantibus erit inſiſtendum, quocirca conſervæ capitales cum Caſtoreo, vel Mithridato adjecta conſerva roſarum, vel cicoreacea hora ſomni devoratæ mihi probantur, ſicuti lotiones primum ſiccæ, quæ ex furfuribus, & floribus capitalibus calefactis, mox humidæ, quæ ex lixivio cineris quercus, & decoctionis baccaræ, anthos, abſinthii, verbenæ, cariophyllorum, roſarum, & olivæ (loco ſaponis Agarico uſurpato) parantur; Atq; his non conferentibus, ad embrocam moderatè calefacientem, valenter verò ſiccantem, & hanc ipſam naturalem (quando remedia naturalia artificialibus efficaciora D. Hip. affirmaverit) ſuo tempore erit deveniendum.

Jecur ſimiliter, temperandum uſu confectionis ex tribus ſandalis, & conſervæ cicoreaceæ commixtarum, vel ſeri lactis caprini depurati, & infuſionis ſandalorum, ac denuò vel thermarum frigidarum epotarum, in quem uſum (ſub aere tamen calido, vel ſaltem temperato) balneum aquæ dulcis, non ſolùm hoc nomine, ſed pluribus etiam aliis nominibus conducturum puto, & maximè ſi poſt ipſum regio jecoris unguento ſandalino ex ſucco cicorii, & hepaticæ loto cum aceto illiniatur.

Sed remanet modò ut de topicis agam, propterea cùm ſcrophulam quæ tractatur reſolutione, ſuppuratione, immò etiam extractione opus habere cognoſcam, mihi ad hæc omnia medicamenta ſunt proponenda. Pro reſolutione ergo ejus, quod ſuppurationi reluctatur, laudo, ut locus cum liquore per inſolationem à Verbena, vel rore marino extracto, aut balſamo naturali, aut oleo magni Ducis Hetruriæ foveatur, huc refero Cataplaſma ex lentibus cum aceto coctis, aut quod ex cinere Cannarum, ac ſcylla cocta, melleque conficitur, tandem præmiſſa partis fricatione & id quod ex Camphora, ſaccharo, ſuccoque limonum medicamentum componitur imponerem, quæ omnia ea ratione probo, ut aliqua tum proprietate, tum manifeſtè operantia addantur, uti radix acetoſæ, plantaginis, & Iridis, necnon ipſa colocynthis, ut hujus cenſus medicamentum Diachilon magnum cum pulvere radicum plantaginis, & ireos mihi maximè accommodatum videatur; Verum quia ſæpe in Scrophulis, (præſertim autem in hac) tota materia reſolutioni eſt inepta, ſuppurantibus quoque eſt agendum, ideò in hunc uſum præter Diachilon gummatum, ceratum triapharmacum dictum, & emplaſtrum ex radicibus Altheæ coctis, farina triticea, & oleo factum, maximè, quod à Paulo ex radicibus cucumeris agreſtis, & ſtruthio confectum proponitur, commendo, facta ſuppuratione, apertoque loco, ad mundificationem à melle cum pulvere mirrhæ, & ireos, vel ab unguento baſilico, itemque Apoſtolorum dicto non eſt recedendum, quo in caſu nec pulvis Aſphodeli, aut floris æris improbatur; mox pro implendo carne loco uti licebit unguentis de pompholige, vel de betonica, vel Iſidis, tandemque ad cicatricem inducendam cerato phenicino, vel unguento, quod eſt in frequenti uſu clariſſimis viris.

℞. Autem olei laurini, aquæ vitæ lævigatæ, ceruſæ pulveratæ an. unc. i. Aluminis unc. ſ. ſalis communis drag. ii. M. & fiat unguentum.

Verùm tamen nec his tantummodo curantur Scrophulæ, ut ad extrahentia quoque cauſtica inquam, exedentia, ac putrefacientia devenire liceat, quare ubi hæc ad uſum deducuntur, ſicuti ſummoperè exopto, ut à venis, ac arteriis caveatur, locaque vicina in hunc finem unguento de Ceruſſa, & infrigidante Galeni muniantur, ita in eorundem ſelectionem cauſticum ex aqua ſaponis, vel etiam, ſecundum aliquos, ex lixivio fullonum factum, item & præcipitatum cum butyro, Argentum ſublimatum cum ſucco plantaginis, vel unguento ex ſuccis, poſtremoque arſenicum ſimplex, vel ſublimatum cum pari portione maſticis, vel radicis ari impoſitum omnibus præfero, quibus conſumpta Scrophula, ſarcoticis cicatrizantibuſque dictis utendum, prius tamen cruſta butyro vel digeſtivo loto eximenda, deinde locus detergendus, ut ſupra dictum fuit.

Cœterum, quoniam parum admodum hæc prodeſſent, niſi vivendi ratio commoda injungeretur, ideo ut ab omnibus eduliis craſſis, & viſcidis, ab omni repletione, & cruditate abſtineat patiens, vinoque paucifero cum rore marino, vel guaiaco, & Scrophularia medicato, modeſteque poto utatur, in reliquiſque omnibus modum ſervet eſt neceſſarium; Utinam modo hæc omnia proſint. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicis.*

De Strumis. Pro Nobililiſſima Puella.

Cùm Nobilis Puella II. annos nata fœdato ab incunabilis capite copioſo lactumine, incolumis vixiſſet ſine ulla operationum offenſa, eò tranſmiſſis à natura excrementitiis humoribus, ſuppreſſa conſueta illa evacuatione, atque alio converſa materia, accedente potiſſimum puerorum ingluvie, & nullo ordine aſſumpto cibo, tumores ſtrumoſi in variis corporis partibus ſuborti fuere, gula ſcil. brachiis, altero genu, & malleolo alterius pedis, qui biennio abhinc exulcerari ſunt, cum oſſe nigro, & exeſo, quarundam partium affectarum, ex continuo materiæ affluxu, modò tenuis, & ichoroſæ, modò craſſæ, & quandoque ſanguineæ, in carpo potiſſimum, & utroque pedis malleolo: quibus accedit febris, qua duobus abhinc annis laborare cœpit, gravis aliquando, modò lenta, modò acuta, intermittens quandoque, nonnunquam continua, prout ex Medicorum præſcripto utitur ratione victus, & medicamentis, quorum plurima topica hucuſque fuere adminiſtrata à dogmaticis Medicis, & Empiricis, qui ad illius curationem acciti fuere. Quanquam verò hi tumores non videantur ſtru-

ſtrumoſæ conditionis, cùm ſtruma ſit tumor ſcirrhoſus, ex Galeno 14. Methodi Undec. à materia pituitoſa ortus, ex Hippocratis, & ejuſdem Galeni ſententia Sect. 3. Aphor. 26. germinans in collo, ſub axillis, & inguinibus, ex Paulo Lib. 4. de Re Medica Cap. 33. hi verò varias corporis partes obſideant, & ſint exulcerati, ex quibus materia heterogenea manat: cenſeo tamen juxta cum Viro Clariſſ. ſtrumoſos tumores nuncupandos eſſe, & quidem ſpurios, materiæ craſſæ, pituitoſæ, necnon melancholicæ, & humorum etiam tenuiorum, atque ichorum bilioſorum, & exuſtæ materiæ ſoboles, qui propterea à præpollente materia, ſtrumarum nomine cenſendi ſunt, ſuborti potiſſimum ætate hujuſmodi affectionibus maximè opportuna, & crudorum humorum feraci, Hippocratis teſtimonio 3. Aphor. 26. Varias autem afficiunt partes: quia frequentes in corpore occurrunt glandulæ, quas hic affectus potiſſimum exercet: quanquam frequentior ſit illis ortus in locis memoratis, ex Paulo, ut & in mammis, quòd glandulæ illarum partium ſint ampliores, imbecilliores, & laxiores, excipiendis partium principum, cerebri ſcil. cordis, & jecoris excrementis dicatæ.

Neque in aſſignanda causa hujus affectus à Viro Præclariſſimo recedimus: quam potiſſimam cenſemus materiam pituitoſam, ſuppreſſam à ſanatis Achoribus, & Favis, quos Lactumina vocant, & quidem genitam in ventriculo, ob incompoſitam victus rationem, non tamen ſine aliqua ſanguinis craſſioris, & melancholici copia, qui effluit, necnon materiæ bilioſæ caliſſimæ, in jecore, vel toto corpore, calidioribus redundantium, vel aliquo ſaltem viſcerum principum, quod ex hiſtoria non conſtat, ex qua ſolum habemus, hos tumores eſſe adapertos, non verò expreſſe, an id ferro, vel medicamentis factum fuerit: quanquam natura ſolam materiam frigidam in pus vertere non potuerit: ut propterea non immeritò illis accenſeri poſſint, quorum Celſus meminit Lib. 5. de Re Medica Cap. 28. cùm ait, ſtrumam eſſe tumorem ex pure, & ſanguine concreſcentem, humoribus ſcil. calidioribus, frigidis immixtis, licet materia hæc ſuſpicione inſignis cujuſdam putredinis, & malignitatis non vacaverit, tum quod febrem accendit, & quidem ſymptomaticam, ac lentam forſitan hecticæ affinem, ulceribus frequenter annexam, tum etiam, quod oſſa ipſa nigra, & exeſa fuiſſe accepimus, indicio manifeſto inſignis humorum malignitatis. Tranſmiſſa itaque materia hac heterogenea ad has partes imbecilliores, à jecore, cerebro, ventriculo, & toto corpore, quid mirum, ſi fluxio hæc varia remedia fruſtrata ſit duorum annorum ſpatio, à Medicis dogmaticis, & Empiricis præſcripta.

De ſalute tamen Nobiliſſimæ patientis non omnis abjicienda ſpes; cùm ejus affectus in puerilibus ſit, qui facile ſanantur mutatione ætatis, & victus; potiſſimum verò quia illi imminent menſes, qui mulieres à gravioribus etiam malis vindicare ſolent: quod facilius conſequetur uſu medicamentorum præſcribendorum; recta victus ratione, & obtemperantia.

Materiæ itaque fluentis prohibenda generatio, refrigerato jecore, & exſiccato cerebro, ventriculo, iiſdemque corroboratis: cùm recta victus ratione; genita verò ad alias partes derivanda; quæ fluxit diſſipanda diſcutientibus, & attenuantibus; niſi tumores fuerint patefacti, aut ad partes proximas expanſi; nervos ſcil. aut vaſa majora colli, quæ ipſorum ſectionem prohibeant; educenda verò, ſi ſint adaperti, nec reſolvi poſſit. Oſſa nigra, & exeſa ſunt radenda, ulcera detergenda, carne, & cicatrice obducenda, non ſine aliqua partis affectæ corroboratione, atque vires fovendæ alimentis accommodatis; præmiſſa in primis totius purgatione. Quos ſcopos implebunt præſidia, deprompta ex fonte Chirurgico, & Diætetico.

Chirurgicam quod ſpectat, commendatur in primis ſanguinis eductio ex ſalvatella partis non affectæ, ad uncias quatuor; niſi vires collapſæ fuerint: vel hujus loco, cucurbitulæ, non quidem evacuandæ materiæ parti impactæ; in quam rem non forent uſui, ſcil. ex Avic. ſolam tenuem materiam evacuent, non verò craſſam; ſed univerſalis evacuationis loco, & derivationis materiæ fluentis, cum ſcarificatione applicitæ, eductis quatuor circiter unciis ſanguinis. A quibus poſtmodum hæmorrhoides reſerandæ, quò ſanguis ad uterum etiam proliciatur per locum proximum; quæ aliarum ſanguinis evacuationum loco erit, viribus illas prohibentibus. Summopere quinetiam conferent duo fonticuli, brachio, & coxæ non affectis inuſti, ſtatim ab univerſali evacuatione; quorum alterum occludi conſultum cenſerem erumpentibus menſibus, ſi melius habuerit: alia verò præſidia ex hoc fonte deinceps uſurpanda.

In pharmaceuticis, leniendа alvus electuario lenitivo, & hiera; præparandi humores oxymel. ſimplici, & compoſito, ſyr. de fumaria, de cichorio, betonica, de ſtœchade, & byzantino cum aceto; primò quidem ſimplicibus, tum & compoſitis, ac validioribus; cùm accuratiſſima exigatur præparatio, & purgatio, ne fruſtra ſimus. Syrupi verò diluendi decoctione ex betonica, fumaria, lupulis, cichorio, ſcrophularia. Purgandi demum humores, vel pilulis de hiera cum agarico, & maſtichinis, vel diaphœnico, vel ſpeciebus eleſcoph, quæ faciliſſimè aſſumuntur, vel compoſitione præſcripta à Raſi, & ab Avicenna commendata, ex æqua doſi Turbith, Zingiberis, & ſacchari ad drachmam unam, & ſemis cum jure. Quæ purgantia ſæpius repetenda, cum validiora prohibeant ætas, & vires. Ab hac purgatione caput etiam evacuandum per nares, radice betæ, tabaco aut cyclaminis, rad. vel pulvere nigellæ, per os verò pulveribus ex pyrethro, ſtaphide agria, ſinapi, & acoro, rara ſindone in nodum collecta, exceptis, & in ore retentis, ſine maſticatione, nè motu materia confertim trahatur ad glandulas colli. Ventriculus vomitu quinetiam evacuandus, ſi patiens Nobiliſſima eum facilem habuerit.

A quorum uſu, internis poſtmodum præſidiis diſſipanda materia ſupervacua; roborandæ & exſiccandæ partes affectæ, materia durior emolliendæ, atque externa topica adhibenda. Interno itaque uſu conferet maximè bolus ex radice ſcrophulariæ, & talpa elixata, ac ſole exſiccata, in pulverem redactis, atque therebinthina laricina exceptis, præmiſſus juſculo, aſſumendo quatuor horis matutinis ante cibum,

ad uncias ſex,& à prandio octo horis,& duabus ante cœnam, ad uncias quatuor hac formulâ.

♃. Radicis chinæ drach. vi. ſalſæ parillæ unc. ii. ſaſſafras, & ſantalorum rubeorum, cujuslibet drachm. ii. rhabarb. immaturi ſcrup. iiii. Infundantur in libris quinque aquæ, in qua cocta fuerint ſcrophularia, betonica, ſcabioſa, iva arthetica, & lupuli per diem naturalem; additis mox duobus pugillis hordei, & carnis vitulinæ libra una, bulliant ad conſumptionem mediæ partis, & facta valida expreſſione ſervetur in in ſyrupum. Quod ſi paretur & ſecunda aqua in potus uſum, addita radicis chinæ particula, non præter rem id foret; Proditum autem à Celſo eſt, ruſticorum experimento cognitum; Eum quem ſtruma male habet, ſi anguem edat, liberari. In quam rem Aetius commendat viperæ carnem, & Galenus Theriacam, quæ conſtat ex viperis; & Ambroſiam: quanquam ab his magnis antidotis lubens abſtinuerim in pueris, quorum corpora non ſunt admodum exſiccanda, niſi quis trochiſcorum de viperis partem aliquam adjecerit bolo præſcripto. In externorum verò localium uſu obſervandum, quod ſi tumorum aliqui non fuerint adaperti, emolliendà, & diſcutienda ſit materia juxta præceptum Galeni 14. Methodi. Undec. quod ſcil. curandæ ſint ſtrumæ curatione ſcirrhi. Emolliendæ itaque materiæ, diachylon ſimplex ex uſu erit, vel cum gummi, œſypus item, vel radix iridis, aut ammoniacum cum aceto, & ſucco iridis, quæ diſcutienda lenioribus primò digerentibus, in quibus ſunt ficus arida contuſa, oleo antiquo ſalito excepta, ſuccus cucumeris agreſtis, oleum ex cucumere agreſti, ex ligno guaiaco, & ex Lutis noſtris Divi Petri. Validiora verò erunt à Galeno præſcripta Tertio de Medicam. per loca, Tertio; calx ſcil. viva, farina lupinorum, cum melle, cinis caulium, ſuccus cyclaminis, fimus columbinus, & hujuſmodi, quibuſdam emollientibus immixta; ne validius diſcutiant, qualis erit adeps ſuillus. Quinimo ſummopere commendatur caſeus antiquus externo uſu cum carne porcina ſalita, ut digerens, & emolliens: ex quibus parari poſſunt cerata, & emplaſtra utrique ſcopo dicata. Quibus non conferentibus, ad ſectionem deveniendum; exceptis colli ſtrumis, Galeni conſilio, Primo de Locis Affectis, Sexto, & Aetii; metu ſcilicet alicujus offenſæ nervorum recurrentium, venarum jugularium, & arteriarum carotidum; cùm in aliis partibus ignobilioribus hæc Chirurgica operatio admitti poſſit, fuſius ab Aetio deſcripta. Quod ſi tumores patefacti fuerint cum oſſis corruptione, eximenda fuerit pars illa oſſis corrupta; vel ſcalpris raſoriis, ſi corruptio levis ſit, vel medicamentis exſiccantibus, & tenuium partium; mox ulcus à ſordibus expurgandum; carne replendum, & cicatrix inducenda, pulveribus, ceratis, & aquis arte paratis, Chirurgis quàm notiſſimis: quorum propterea hæc fuerit his cura: quanquam in affectibus potiſſimæ habeantur Aquæ Thermales ſulphureæ, nitroſæ, & ſalitæ; quippe quæ detergendi, exſiccandi carnem, & cicatricem inducendi vi polleant. Quales ſunt Agri noſtri Aponenſes, & Divi Petri; ſæpius in hujuſmodi affectibus, Medicis, doctrina, & experientia celeberrimis uſu comperti. Quibus tandem addendum quod à Joanne Coſtæo in Diſquiſ. Phyſiol. proditum par. 116. Chœradas ſcil. ſanari ſputo illito ejus, qui ſeptimus natus fuerit non interrupto ordine.

His accedat recta victus ratio; tenuis ſcil. ex Avicenna Lib. 3. Fen. 4. Tract. 2. Cap. 10. ubi ait, quod, radix fiduciæ in curatione ſcrophularum eſt evacuatio, & ſubtiliatio regiminis: & Rhaſi 7. ad Almanſorem Cap. 8. in hæc verba: Curationis principium eſt, ut ægrum ſemper famem pati, & cœnam dimittere facias. Cibi verò debent eſſe in pauca quantitate, & attenuantes. Quod autem de cibis prodidit, in univerſa victus ratione obſervandum. Quæ omnia, ut notiſſima. Viris Clariſſimis, brevitatis gratia committimus, conſultò etiam prætermiſſa curatione ſcrophularum, Galliæ Regum propria, quæ fit ſolo contactu, & ſigno crucis: cùm facultas hæc ſoli Dni gratiæ ſit adſcribenda, quam miniſtris ſuis ejus vices in terris gerentibus impertit. *Benedict. Silvaticus Conſ. & Reſp. Medic. Cent. IV.*

Obſervationes.

Pro Scrofulis.

Poterit æger infra ſcribendis pilulis per quadraginta dies ſingulo mane ex monitu *Io. de Vigo* unam deglutire.

♃. Euphorb. zinzib. turbith. ſucc. rad. ireos, agar. an. ℈j. contuſa M. & formentur pil. numero 40. quod ad externa ſtrumas diſcutit lupinor. amaror. farina ex oxymel cocta & illita. Ad idem etiam præclarè facit bubulum ſtercus aceto incoctum, & delinitum; id enim tumores ſcirrhoſos omnes inſtar cataplaſmatis appoſitum mirificè diſſipat *Petr. Foreſt. obſ. 10. in ſcol. l. 3. Obſ. Chir.*

Cum quidam Scrophulam in collo haberet, conſului illi, ut ab omnibus frigidis abſtineret, & ut omni ſeptimana ſemel ſumeret ex ſequenti pulvere ad pondus unius Floreni Rhenani.

♃. Turbith. el. ʒ iij. zinzib. maſtich. an. ʒ j. ſacch. alb. ʒ vi. F. pulvis. Manè bibat ſæpius ex decocto rad. ſcrophular. filipend. & pimpinellæ; bis in die inungat ſe cum illo unguento.

♃. Empl. oxycroc. ℥ß. ol. chamæm. lil. alb. an. ℥ j. M. Quidam lolium cum furfure, ſem. lini & ſtercore columbino cum modico vino decocta pultis inſtar appoſuere, quod duritiem mirabiliter reſolvit; & à proprietate valere volunt agrimoniam collo ſuſpenſam; radicemque aſphodeli contuſam & impoſitam: ſed egregiè confert pinguedo diſtillans ex anſere, inuncta; at hoc unguentum mirabile habetur ad ſcrophulas.

♃. Arſenic. rubr. ʒ ij. argenti ſublim. ʒß. rad. ſerpentar. rad. beton. panis porcin. an. ʒß. aloes hepat. ʒ j. F. omnium pulvis, & cum axungia F. unguentum: diſſolvit enim Scrophulas. Ego tamen cum cautione, ſi in collo ſint; vel ſub axillis, eo utendum ſuaderem; ſed potius hoc ſequenti uti vellem, quod ad Scrophulas, Glandulas & Nodos duros facit.

♃. Medull. crur. vituli ℥ ij. butyr. rec. dialth. an. ℥ß. M. F. unguentum. Ad glandulas in collo valet egregiè farina ſiligin. cum melle apum, emplaſtri modo. Cum juvencula quædam pateretur Scrophulas in collo, *Laurentius Brunnick* Chirurgiæ Doctor ad eam accitus illud emplaſtrum appoſuit.

♃. Gi-

℞. Ciner. caul. rubr. combuſt. ſal toſti, an. part. æq. cum melle fiat emplaſtrum ſuper ignem, diu admotum fuit, ſed parum aut nihil profuit, quare præſcripſit fotum partim maturativum, partim reſolutivum; mox eodem emplaſtro appoſito, citò ſuppuratæ ſunt, natura faciente duo vel tria foramina quæ tandem per concavitates intercutaneas in unum congregatæ ſunt; hoc viſo, forcipe aperuit in modum crucis, ac labia deinde abſciſſa cœpit primò mundificare cum unguento ægyptiaco, deinde cum dulcibus, & bene valuit cum populeo. Unde facta eſt incarnatio, & per alumen uſtum ſuperflua caro corroſa. Hæc ſequentia pro Scrophulis egregiè juvant.

℞. Scrophul. filipend. pimpinell. fl. geniſt. piloſell. caulium rubr. agrimon. rubr. maj. an. M. j. ariſtol. rot. rad. ſpatul. fœtid. raphan. an ℥ j. enulæ ℥ß. ſem. coriandr. ʒjß. F. decoctio ad ℔ ij. ß in duabus partibus vini albi, & una parte aquæ: dulcoretur cum ſacch. & F. Fotus.

℞. Ammoniac. galban. in aceto diſſolut. an. ℥ j. bdell. ℥ß. medullæ cervi. axungiæ anatis, an. ʒß. mucilag. alth. fænugræc. ſem. lini, an. ℥ ij. lithargyr. ℥ß. pulv. ireos ℥ j. olei aneth. ceræ an. q. ſ. F. emplaſtr.

Sed & hoc remedium mirabile habetur, valens à forma ſpecifica in qualibet ſpecie Scrophularum.

℞. Succi rad. irid. euphorb. an. q. ſ. confice triginta pilulas ad quantitatem cicerum, & da unam omni die triginta diebus; nam mirabiliter valet ad eas removendas. Sed adde de ſpica & maſtice q. v. eſt enim correctorium euphorbii. Ego tamen cum magna cautione ob euphorbium iis utendum ſuadeo. Pulvis rad. pentaphylli exhibitus per aliquot dies, præſervat à Scrophulis, ſumatur cum optimo vino; idem præſtat radix filipendulæ & agrimoniæ.

Confidenter affirmat *Tagautius* Chriſtianiſmo *Francorum* Regi divinitus peculiari dono eſſe indultum, ut quam plurimos ſtrumoſos ſolo manuum attactu integræ ſanitati reſtituat.

Rex etiam *Eduardus* (ut referunt Hiſtoriæ) ſolebat ſolo tactu ſanare ſtrumoſos; quod immortale munus jure velut hæreditario ad Reges poſteriores manavit: nam Reges *Angliæ* nunc etiam tactu, ac quibuſdam hymnis, non ſine ceremoniis prius recitatis ſtrumoſos ſanant. *Petrus Foreſtus obſerv. 11. & ſchol. lib. 3. Obſ. Chirurg.*

Accipe quam promiſi deſcriptionem emplaſtri ad Scrophulas & ſcirrhoſos tumores emolliendos, reſolvendos & diſcutiendos efficaciſſimi, & olim à Clariſſimo Viro *D. Lamberto Wolfio* Medico Celeberrimo & *Coſma Slotano* Chirurgo præſtantiſſimo pro Aulico quodam præſcripti, maximoque cum fructu, me præſente uſurpati.

℞. Rad. bryon. cyclamin. helen. cucum. agreſt. an. ℥ j. coq. in vini albi & aceti, an. q. ſ. deinde piſtentur, & per ſetaceum percolentur, colaturæ admiſce pulv. rad. irid. myrrh. oliban. maſtich. croci, ariſtol. rot. an. ʒ j. ß fl. chamæm. melil. ſambuc. an. p. j. opopon. ſagapen. ammoniac. bdell. galban. in aq. vitæ diſſolutor. an. ℥ß. gummi hederæ, ſtirac. calamit. an. ʒ iij. euphorb. ʒ v. ſem. ſtaphyſagr. ʒ ij. ß. argent. vivi, ſaliva hominis extincti ℥ ij. ol. lil. de vitell. ovor. œſypi. an. ʒ v. adip. anſer. anatin. ſuill. medull. cruris vituli, an. ℥ j. mucilag. ſem. lini, fænugræc. rad. alth. an. ℥ j. M. & cum ſ. q. ceræ flavæ & terebinth. F. emplaſtr. *Guil. Fabritius Hildanus. Obſerv. 38. cent. 3.*

Mulierem quandam Scrophulis laborantem ita tractavi.

℞. Pilul. coch. ℈ ij. cum aq. cinnam. F. pilulæ ix.

℞. Empl. de melilot. ℥ß. malaxetur oleo cheirino, tumori imponatur.

Ad diſcutionem Scrophularum.

℞. Aq. vitæ ℥ j. ß. fl. chamæm. ʒß. ſem. fænugræc. ʒ j. lavendul. ʒß. M. bulliant parum, colentur, hoc decocto, noctu fomentetur tumor ſpongia calidè. Cum tumor adhuc non cederet, ita egi.

℞. Sem. ſinapi ʒ j. ſem. urtic. ʒß. ſulph. vivi ʒjß. gummi ammoniac. in aqu. vitæ ſolut. ʒ ij. empl. diachyl. ireat. ℥ ij. malaxentur oleo lil. F. emplaſtrum. poſt fotum admovendum; hoc emplaſtro Scrophulæ imminui cœperunt. Cum poſtea de novo Scrophulæ increſcerent, denuo illam purgavi.

℞. Lign. guajaci. ℥ iiii. ſarſapar. ℥ß. fol. beton. M. j. rad. enul. ℥ ij. fol. ſen. ℥jß. ſem. carthami. ʒ j. ſem. aniſ. ʒ ij. fœnic. ʒ j. F. decoctio in colat. ℔ß. diſſolv. agar. ʒ iij. zinzib. ʒ j. cinnam. ʒjß. F. expreſſio, adde ſyr. roſ. ſolut. ℥ ij. F. potio pro tribus doſibus; Finita purgatione.

℞. Conſerv. majoran. ʒß. theriac. ʒ j. M. F. bolus capiat jejuno ſtomacho. Cataplaſma ſequens tumori adhiberi juſſi.

℞. Rad. ireos. ℥ iiij. incid. minutim. decoq. in vino albo: piſtentur. Adde farin. fabar. & hord. an. ℥ijß. mell. ℥ iv. M.

℞. Ol. lil. & cheirin. an. ℥ j. ſucc. rad. irid. ℥ß. aqu. vitæ ʒ ij. coq. cum oleis ſuccus, adde gummi ammoniac. in aceto forti ſolut. F. linimentum. inungat. eo Scrophulas ante cataplaſtis applicationem. Ad ſudores movendos.

℞. Lign. guaiac. ℥jß. ſaſſafr. ℥ j. rad. liquir. ℥ß. ſtent in infuſione in menſur. iij. aquæ, coq. lento igne ad conſumptionem tertiæ partis: adde ſacch. ℥ j. cinnam. ʒ j. Capiat noctu cubitum itura ℥ iiij. Juſſi laminam plumbeam tenuiſſimam ſupra Scrophulas ligare: & fortius adhuc emplaſtrum præſcripſi.

℞. Sem. ſinapi, urticæ, ſpumæ maris, rad. ariſtol. rot. & pyrethr. an. ʒß. ſcillæ præp. pulp. colocynth. an. ℈ j. ſulph. vivi ʒ j. pulverizat. diligenter adde gummi ammoniac. bdell. in aceto fortiſſ. diſſolut. an. ℥ß. cum pauca cera & oleo lilior. F. emplaſtrum, ſupra corium extenſum Scrophulis applicetur.

℞. Lapid. ſpong. ſpongiæ combuſt. corall. utriuſque, an. ʒß. oſſis ſ. piæ & rad. pimpinell. an. ℈ j. cinnam. ʒ j. zinzib. caryophill. an. ℈ j. ſacch. roſat. tabul. ℥ iij. F. pulvis. Capiat ʒ ij. pro vice; abſumit enim ſcrophulas. Fomententur duræ glandulæ ſub mento ante emplaſtri applicationem ſic.

℞. Fol. caulium rec. rubr. fol. hyoſcyami, chelidon. urtic. mortuæ, pimpinell. an. M. j. rad. raphan. ℥ j. rad. ariſtoloch. rot. ℥ß. incid. omnia, & decoq. cum aceto. roſac. & foveatur pars affecta. Perſiſtebat in uſu empl. ultimo deſcripti quod continuò geſtabat: tandem ut quæ remanſerat Scrophula tolleretur, juſſi reiterare Cataplaſma prius præſcriptum, addendo ſulph. vivi

ʒß. aqu. vitæ ʒij. euphorb. ʒß. ol. lilior. ℥i. Fiat Cataplaſma; nondum penitus ablata Scrophula applicavi emplaſtr. de *Vigo. Felix Platerus obſerv. lib.3. pag.686.*

℞. Spongiæ in furno adeo exſiccatæ ut comminui poſſit, pulverizatæ ʒj. Datur jejunis aliquot ſeptimanarum ſpatio; poteſt admiſto ſaccharo & aromatis gratus, ut libentius ſumatur, reddi. Probatur vinum in quo talpa decocta fuerit. Inter externa, pinguedinem quæ diſtillat ab anſere dum aſſatur, prius infarcto multis muribus, valde quidam approbabat. Butyrum in quo ſcroful. rad. contuſa macerata fuerit aliquandiu, vel cocta, commendatur. Hoc Matthiolus ita parare docet, radicem Autumni tempore effoſſam, repurgatam, tuſam, cum butyro recenti operculato fictili, in uliginoſo loco, per quindecim dies reponit & dimittit, poſtea lentò igne butyrum illud liquefacit, & percolatum aſſervat. Eadem ſcroſulariæ radix, uti & mures aliquot vel conjunctim, vel ſeparatim in oleo ſic macerari vel coqui ad eundem uſum poterunt. *Felix Platerus. Pract.3. cap.3. pag.323. & ſequentibus.*

Tres Bufones in oleo olivarum in vaſe terreo eoque lutato cocti, oleum faciunt præſtantiſſimum ad Scrofulas: ſed cujus vapores, dum fit, noxii ſunt, quare ab iis cave, & probè vaſa tua lutentur. Scrofulæ primo arſenico admoto veſicante excorientur, pars deinde ſublimati admotione corrodetur; & tandem oleo dicto utere, quod adhuc præſtantius erit, ſi in eo ſalem bufonum infuderis. Hinc forſan orta ſunt antiqua Galliæ, inſignia, quæ erant tres bufones, juxta multos Authores, cum Reges Galliæ hujus morbi curam ſuſcipiant. *Petrus Borellus, obſerv.58. cent.4.*

Quantam Scrofulis laborantibus opem ferat Paronychia folio rutaceo (quæ Bauhino eſt ſedum tridactylites, ſeu alſine petræa) luculenter oſtendit Nobilis D. Robertus Boyle Tractatu ſuo aureo *De utilitate Philoſophiæ Experimentalis, part. 1. ſect. 2.* Ubi refert ſe juvenem quendam vidiſſe, hoc morbo graviter afflictum, ſine dolore, paucisque diebus viliſſimæ hujus Plantæ in cerevisia infuſæ beneficio quam optimè curatum, ſine ulla ſenſibili evacuatione humorem peccantem conſumit, dolores ſedat, diſcutit tumores, & ulcera ſanat; ita ut ad hunc affectum oppugnandum mirabiles prorſus virtutes poſſideat.

Juvenis quidam viginti annorum longo tempore ſcrofulis in collo laborabat, ejus curationem inſtitui à lunæ oppoſitione uſque ad conjunctionem, à conjunctione verò ad oppoſitionem intermiſi, quia in rectè curandis ſtrumis, hæc tempora creſcentis videlicet Lunæ & decreſcentis, ſunt obſervanda Medico. Curatus autem à me ſic fuit, per ſingulos dies bis, manè nempe & veſperi perungi curabam totam ſtrumâm calente oleo ſulphuris, poſtea calida lintea circumplicabam. Præter hæc ſingulis quatuor diebus exhibui mane ſpiritus vitæ aurei ℈i. quo multum expurgatus fuit à phlegmaticis humoribus, atque his paucis ſubſidiis tumor indies decreſcebat; & in quadraginta diebus totus evanuit, nec amplius recruduit, id quod etiam in multis aliis feliciter & veraciter ſumus experti. *Martinus Rulandus, curat.87. cent.8.*

℞. Cineris ſpong. marin. oſſis ſepiæ, piper. long. cinnam. ſal. gemm. pyrethr. nuc. cupreſſ. gallar. cortic. quercus, flor. roſ. rub. an. ℥ß. M. F. Pulvis, doſis ℈ij. vel ʒi. *Paulus Barbette. Prax. lib.2. cap.2.*

Inter alia plurimùm valet ſpiritus ſalis armoniaci toties meritò laudatus internè, ut & externè juſto vehiculo mixtus. *Fredericus Deckers, not. ad cap.2. lib.2. Prax. Barbettiana.*

Pro Strumis in collo.

Præmiſſis debita purgatione & venæſectione hoc topicum adhibeatur.

R. Lentium cum aceto excoctar. ℥iv. ſucc. apii, depur. ℥ij. ſem. coriandr. ʒij. cum adipe porci maſculi F. cataplaſma extend. ſuper lintea, & bis in die affectis locis applicetur. *Item.*

R. Pulv. fol. & rad. tuſſilag. ℥ij. farin. ſem. lini. ℥i. cum adipe ſuillo F. cataplaſma. Interim ut electuarium noſtrum in hunc uſum maximè probatum ſumat etiam atque etiam hortamur: eſt tale;

R. Oſſium. gallin. elixat. oſſium vertebr. human. an. ℥ß. troch. de viper. ʒij. ſcord. margarit. an. ʒß. mell. deſpumat. q.ſ. F. electuar. ſumat bis in die ad ℥ß. manè & veſperi dum it dormitum, *Joh. Zecchius conſult. 70.*

Pro Struma coxæ innata ingentis magnitudinis.

Mulierem quandam ſtruma coxæ innata multos annos miſerabiliter vexabat. Ad eam jam magnitudinem excreverat, ut occupante ea coxam ipſam ac crus, ambulare non poſſet, quo factum ut jam quinquennio miſera in lecto jaceret: nec ex Medicis ullus inveniebatur, qui aut ferro aut alio quovis medicamento tollere tam ingens malum auderet: quare omni ſpe deſtituta, me cum junior adhuc eſſem, ad ſe vocans, operam noſtram depoſcit, lachrymis urget, & precibus, ut quamlibet miſerabile, aliquod tamen ei præſidium afferam, mori ſe malle quam in tanta miſeria & calamitate vitam ducere: moverunt me, fateor, infelicis mulieris lachrymæ: ac propterea rem ſanè arduam, & quam nullus qui ſaperet, attentaſſet, aggreſſus, ſtrumam ipſam ea potiſſimum parte, qua coxæ pendebat, vinculo diligo: & quoniam reſecanda craſſitudo palmo plenior erat, ſingulis quibuſque diebus vinculum ipſum arctius necto, donec pars media reſecaretur: tum candenti ferro; quod ſupereſt ſcindo, ſanguinem ſupprimo, & mulierem ferè mortuam reſumens molli cubiculo recreo; ac curioſa dein obſervatione, idoneiſque medicamentis rite procedens, divino tandem auxilio eam in priſtinam ſanitatem reduco. Tanta autem fuit præciſæ carnis moles, ut pondus 60. Librarum excederet. *Antonius Benevenius, cap.14. lib. De mirandis morborum & ſanationum cauſis.*

Pro Strumis.

Poſt venæſectionem & purgationem foveatur pars affecta ſpongia in aqua calcis expreſſa & arcte alligata per decem dies, excipiatur ſuſcem-

fumigium ex lapide pirite extincto in aceto fortiſſimo, bis in die per infundibulum cujus tubulus totum tum orem contineat; poſtea applicetur emplaſtrum de Vigo quadruplicatò mercurio, cujus ſingulis unciis addatur vitrioli romani ℥j. & tantundem gummi ammoniac. in aceto ſoluti. *Lazarus Riverius, obſerv.76. cent.1.*

Virgo quædam decem annos nata tumores duos & ſtrumoſos patiebatur in tribus digitis, qui curati fuerunt ſuffitu aceti ſupra ſilices candentes conjecti mane & ſero per menſem integrum continuato, hoc remedium à Galeno miris laudibus effertur ad tumores ſcirrhoſos diſcutiendos. *Samuel Formius obſerv.49.*

Puella quædam quatuor annos nata laborabat ſcrophuloſis tumoribus circa collum & aures valde eminentibus: conſuluit aliquis parentibus ipſius, ut eam pediculis corripi ſinerent, qui tandem ulcera toti capiti inferre poſſent, per quæ materia morbifica, humor ſcilicet pituitoſus in magna copia ritè evacuatus eſt per aliquot menſes; & ægra tandem liberata fuit abſque alio remedio. *Simeon Jacoz. obſerv.20.*

Armoricus quidam à pluribus annis ſtrumis circa collum & ſub utraque axilla laborans, tandem ab Illuſtriſſ. *D. Gabr. Harduino de Saint Jaques* noſocomii charitatis *Lutetiani* Medico ordinario in hunc modum curatus eſt. Præmiſſis univerſalibus cataplaſma ex foliis cucumeris aſinini leviuſculè contuſis, partibus tumentibus admovit; præſcriptaque dieta tenui, nec non modice exſiccante altera die opiata ſequens præſcripta eſt.

℞. Turbith. hermodact. an. ℥ ij. rad. utriuſque ſcrofular. ℥i. rad. angelic. ʒij. fol. ſenæ ℥ß. ſcammon. crudi ℈ iv. F. omnium pulvis, & excipiatur cum ſyrup. roſ. pallid. doſis ʒij. addendò cuilibet, mercur. ſublimati dulcis gr.xx. qua alternis diebus per xv. dies repetita, nec non renovato cataplaſmate diſparuerunt tumores omnes ſcrofuloſi, abſque ſectione, aut eradicatione ulla: & ſic ſanus & incolumis evaſit. *Lazarus Riverius, obſervat.10.* Inter obſervationes hinc inde decerptas.

Novi plures qui in ſtrumoſis tumoribus digitalis floribus valde confidunt: quos quidam in butyro majali quot poſſunt immittentes curant inſolandos per æſtatem; alii cum adipe porcino miſcent, & ſub terra defodiunt per quadraginta dies. Utrique flores cum unguento reſervant, unà linteis inducunt & tumoribus applicant: hoſce tumoribus diſcutiendis vel maturandis ulceribus, detergendis vel explendis ſufficere, ferunt ſe expertos: quinto & ſexto quoque die diacarthamo purgant, interim continuo decoctum herbæ robertianæ præbent: pars ulceris rubens parte unguenti tenuiore inungatur; pars autem unguenti craſſior linteamini imponatur, quod nunquam mutetur: ſunt qui novella & primò erumpentia plantæ digitalis germina accipiunt, eorumque ſuccum expreſſum in butyro coquunt ad ſucci conſumptionem; atque hoc novo ſucco addito bis terve repetunt. *D. Bates referente Johan. Rajo. Catalogo plantar. Angliæ.*

℞. Fol. lamii albi M. j. calefiat inter duos lateres calidos, & tumori applicetur: eum unius noctis ſpatio utplurimùm aperit. Electuarium flor. geniſtæ pulv. & melle roſatò exceptum ad ſcrofulas expertum, ſi eo quis utatur continuò. *Johan. Rajus. Catalog. plantar. Angliæ.*

Homines fide digni obſervarunt ſtrumas alioſque tumores aboleri, ſi pars affecta affricetur ad manum cadaveris humani, ita enim ſenſim putreſcit cadaver; quod tardius hieme, citius æſtate contingit. *Thom. Bartholinus, hiſt.66. cent.3.*

Nos pluries vidimus, præmiſſis univerſalibus, brevi tempore & faciliter ſtrumas curatas, non alio medicamento, quam Aloë, ſi nempe ipſius folia (præſertim, æſtate, tunc enim abundant copioſo humore) ſub cineribus calidis aliquantiſper poſita, per longum & per medium diſſecta ſuper ſtrumas quotidie apponantur: mundant etenim & abſtergunt ulcus, humorum putredini ſummopere reſiſtunt & vulneraria facultate prædita citiſſimè ad ſanationem perducunt. *Dominicus Panarolus, obſerv.12. Pentecoſte 4.*

Sequenti remedio pluries unico menſe ſtrumas evanuiſſe prægrandes vidi: ac ſubitò præfocationem à venenoſo fungo illatam curari.

℞. Spongiæ marinæ in carbonem combuſtæ ℥ iij. oſſis ſepiæ uſti, piper long. zinzib. pyrethr. gallar. ſalis gemmæ, calcis teſtarum ovor. an. ℥i. M. cum aqua ſtillata ex præfatis ſpongiis, & exſiccetur paulatim. Accipe hujus pulveris ʒ ß. decreſcente Luna, ut paulatim liquatus deglutiatur, vel fac illinctum & bocciun diſparebit: alii defectu ſpongiæ ſumebant piloſam excreſcentiam ſylveſtribus roſetis innaſcentem, exteriori cortici caſtaneæ perſimilem, hirtam hiſpidamque, cujus ſolius pulvere utebantur feliciter. Item uſus ſum hoc unguento in ſtrumis & ſcirrhis.

℞. Ol. laurin. ℥ viii. oliban. maſtich. gummi Arabic. reſin. abiegn. ℥ iij. deſtilla tum iterum deſtilla cum cineribus clavellatis. *Johann. Helmontius tract. cui tit. Tartarus non in potu.*

SIBILI AVRIVM

Vid.

AVDITVS LAESIONES.

SIDERATIO.

Vid.

GANGRAENA.

SINGULTUS.

Partes officiales ſive fibris deſtitutæ ut cerebrum, ſive villis inſtructæ ut cor atque ventriculus, pollent facultate vernaculâ ſeſe concutiendi, ad objecti negotium faceſſentis excuſſionem. Itaque ut cerebrum in ſternutamentis ac potiſſimùm in epilepticis inſultibus, & cor in palpitatione, vibrationibus identidem repetitis noxiorum eliſionem moliuntur; pariter quoque ventriculus, noxæ impatiens variè ſe quatit, ſuique generis δυσφορίᾳ inquietatur.

Hicce ventriculi σεισμὸς, Latinis ſingultus, Græcis λυγμὸς & λύγξ dictus, Eſt depravatus ventriculi motus ea quæ in proprium corpus impacta ſunt, nitentis emovère. Lubuit Galeno ſingultum eſſe ſymptoma potentiæ retentrici ac expultrici commune: ſed hanc primariò & propriè ſpectat, illam ſecundariò & impropriè, quatenùs

tenùs ventriculús inter ſingultiendum cibos deſerit; virtute ſiquidem expulſoriâ inſolentiùs ſeſe efferente, retentrix ſe ſummittere cogitur ac conſileſcere. Nàm quemadmodùm injuriæ quàm merita altiùs deſcendunt in animum, juxtà illud Plauti

Si quid benè feceris, levior plumâ eſt gratia;
Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.

ſic corporis offenſæ quàm voluptates feriunt acriùs; hiſque oblitis, natura ad illas propulſandas & quaſi ulciſcendas extremos conatus ſolet apponere.

Iſtam ventriculi graviter moleſtati ἐπελυάσθαι, analogiâ quâdam cum motu muſculorum convulſivo, Galenus appellavit κίνησιν σπασμώδη; imò Hippocrates, ſi credatur eidem Galeno, convulſionem nuncupavit, ſed fuſiſſimô ſpaſmi ſignificatu. Nàm cùm omnia in noſtrô corpore contrahi queant præter humores qui fluxiles ſunt, & oſſa quæ ſtabilia, convulſio generaliſſimè partibus omnibus contractis aptari poteſt, adeoque ipſiſmet pilis, quorum quippè criſpitudo dicatur Ariſtoteli, Convulſio ob humoris inopiam ab aeris ambientis ardore. Rectiùs tamen Galenus ſingultum non ſpaſmùm, ſed quaſi ſpaſmum eſſe albi ſcripſit: ac reverà illi totô aberrant cælô qui ſingultum veris convulſionibus adſcribunt, ex recurſu nervorum ſtomachicorum verſùs ſuam originem, itaut ſtomachus breviatis nervis retrahatur. Nàm propriè dicta convulſio & ſingultus cùm ſubjectô, tùm formâ diſcriminantur; convulſio ſiquidem πάθος eſt ψυχικὸν affectio animalis cadens in ſolos muſculos ut voluntarii, ſic involuntarii motûs miniſtros; ſingultus verò πάθος eſt σωματικὸν paſſio corporea tentans virtutem naturalem ventriculi, qui muſculoſus non eſt nec animi noſtri arbitriô ſed ſuâ ſponte regitur. Quòd ſi nervi abſque muſculorum operâ ſufficerent attrahendis membris in quæ deſcendunt, non modò ventriculus verùm cæteræ omnes partes nervorum participes, ut inteſtina ac renes convulſionibus eſſent obnoxiæ, atquè adeò ipſas per ſanitatem liberè moveri neceſſè eſſet, cùm convulſio ſit mutatio motus juſſi in injuſſum.

Formâ inſuper diſcrepant convulſio & ſingultus; illa namque abſolvitur ſolâ tractione fixâ & conſtante; hic conſtrictionis & dilatationis alternatâ viciſſitudine conflatur; ut taceamus juxtà doctrinam Galeni convulſionem eſſe fœturam ſolius morbi abſque naturæ concurſu, cùm ſingultus ſit opus unius naturæ à morboſâ causâ extimulatæ. Neque obeſt Hippocratis autoritas convulſionem & ſingultum ab iiſdem cauſis, videlicet repletione & manitione creari decernentis; nam aliud eſt affectionis cauſas, aliud ejus ſubjectum perveſtigare; eaque eſt mens Hippocratis convulſionem progigni à repletione vel inanitione nervorum, ſingultum à repletione vel inanitione ventriculi.

Singultus trifariàm diſtinguitur à vomitu. Primò ſede cauſæ morbificæ, in hôc enim ventriculus quæ in ſuâ fluctuant εὐρυχωρίᾳ, extrà corpus ore refundit; in illô res damnoſas, aut parietibus ſuis obſtinatè adhærentes, aut ſubſtantiæ ſuæ penitiùs altiuſque inſidentes, non foras ſed intra ſinum ſuum contendit propellere, ut ſupernè vel infernè poſtmodùm eliminentur. Secundò diſtant motus vehementiâ atque crebritate, quòd nempè ſingultus vomitione & validior ſit & denſior: quæcunque enim tunicis ventriculi ſunt immiſſa, ejiciuntur ægriùs, quàm ſi in ejus capacitate locata eſſent. Nec eſt quòd quiſpiam objiciat vomendo non ſingultiendo laceſſentem cauſam excludi; nam magnitudo motus ſequitur conamen virtutis irritatæ, non verò obedientiam humoris irritantis; patetque contentionem naturæ in ſingultu eò valentiorem reddi, quò materia immerſa membranis ventriculi magis refractaria eſt. Tandem differunt hi duo affectus motionis ideâ: nàm cùm geminus ſit expellendi modus, unus per ſimplicem actum contractionis, veluti cùm manus aquam ſpongiâ complexam exprimit; alter per actum impulſus, ut dùm bajulus onus humeris impoſitum dejicit; prior locum habet in partu & vomitu per quem ita arctatur ventriculus ut ejus fundum feratur ſurſùm, ac è convexô concavum fiat, partèſque illius ſuperiores unà cum gulâ laxentur; poſterior ſingultui proprius eſt, in quô venter ſervatâ ſuâ convexitate vehementer ſtringitur, ſtatimque magnô niſu per modum quaſſationis ſeſe pandens, gulam deorsùm trahit. Etenim quoniam nocumentum ad tunicas ventris intro adactum ſolitâ excludendi ratione non poterat depelli, hanc potentiorem pellendi artem ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ διαμονῇ ad ſalutem & cuſtodiam animalis, natura ſui diligens excogitavit, quæ idcircò ſagax, juſta, artificioſa, animaliumque provida & conſultrix jure appellatur, tantùm abeſt ut audiat ἀνόητος καὶ ἀπόπληκτος fatua atquè ſtupida, ut placet ejus criminatoribus. Itaque Galenus ſcribens ſingultum eſſe motum ejuſdem generis cum vomitu; ſed ipsô vegetiorem, ità venit interpretandus ut ambo hæcce ſymptomata ad ditionem virtutis expulſivæ pertineant, quamvis ſpecie disjungantur & formâ agendi. Quis enim ſingultum definiverit, vomitum intenſiorem? ac viciſſim quis vomitum nihil aliud eſſe quàm remiſſiorem ſingultum probabilitèr dixerit?

Porrò cùm ſingultus è reciprocis conſtrictionis ac dilatationis motibus ſeù partibus integrantibus conſtruatur: plurimi exiſtimant ventriculum primò dilatari, moxque violenter conſtringi, ac violentâ iſtâ totius ſui corporis conſtrictione, ſingultum edere. Nos è contrario conſtrictionem primùm inchoare, ac jamjam futuræ dilatationis gratiâ ſuſcipi arbitramur, itaut eſſentia ſingultus poſita ſit in impetuoſâ conſtricti ventriculi expanſione, eô pactô quô admotis panni extremis, ac iiſdem per vim explicatis facilior eſt hærentium ſordium ἀπόσεισις: ſic baliſtæ lapidum & reliqua tormenta telorum eò graviores emiſſiones habent, quo ſunt contenta atque adducta vehementiùs: ſic animalia ad ſaltum, curſum, vel pugnam ſeſe comparantia, artus contrahunt: ſic compuncta Zoophyta primùm in ſe coarctantur, ſtatimque ad noxam abigendam extenduntur. His accedit quòd dilatatô ventriculô, ejus pori magis pateant ad commodiorem intruſæ materiæ extruſionem. Demùm cùm ſingultus cauſa extra ventriculum quandoque ſita ſit, ut luxata coſta ei ſuperincumbens, qui ventriculus hanc exturbaverit, ni à centrô ad circumferentiam impellatur.

Indè

Inde quoque ratio peti debet ſonitus ſingultum comitantis: nam quemadmodum intenta arcus chorda ſtrepit, ubi remittitur; ſic conductus & quaſi contentus ventriculus haud abſque ſtrepitu reſilit: ſecus ſi ſonitus iſte, ut plerique autumant, penderet à ventriculi plus juſto diſtenti repentino in ſeſe collapſu, ſingultientes omnes eructarent, aëre qui ventriculi cavum occupabat, vi compreſſionis affatim ac fortiter per os expreſſo.

Sed quandoquidem fibræ unico motu naturaliter præditæ ſunt, nempe contractione. Quæri poteſt quodnam ſit principium activum immenſæ ac præternaturalis earum dilatationis in ſingultu. Reſpondemus fibras ventriculi arctius conſtrictas atque παλιντόνυς, quamprimum ſibi relinquuntur ultra legitimas metas regredi, haud ſecus ac arcuata lunatave virga in adverſum retorquetur.

Præter deſignata ſingultus vomitusque diſcrimina, nonnulli cenſent loco affecto ipſos quoque diſtingui, adeo ut in vomitu univerſus ventriculus, in ſingultu ejus imprimis orificium exagitetur: ſunt etiam qui gulam hoc morbo teneri affirment. Veruntamen ſingultum ad totum ventriculum pertinere probabilius eſt, cùm omnes ejus particulæ virtute expulſoria munitæ ſint, etſi orificio illius ſuperno, utpote ſenſibiliori, cauſa ſingultuoſa ſit magis ἀφορητ☉. Gula verò ad ſingultiendum eſt plane inidonea, quod interior ejus membrana rectis ſuis fibris non alio quam attractionis motu polleat, nec propter lubricitatem ac declivitatem, humores ſingultum illaturi ipſi facile affigi queant: vel ſaltem œſophagi affectiones ſympaticum, non idiopathicum ingenerabunt ſingultum.

Ariſtoteles ſingultum fieri docuit, *ubi ab humore detinetur ſpiritus ſuperfluus circa τόπον πνευματικὸν, ſive pulmonem; ſpiritus verò commotus nec valens egredi, affert convulſionem, quæ ſingultus dicitur: hinc fit ut rigentes corripiantur ſingultu, quia frigus humorem ſiſtit ſimul cum ſpiritu, ſpiritusque circunventus exilit, cujus motio ſingultus eſt.* Quo fundamento nixus Ariſtoteles ibidem ſcripſit ſingultum non autem ructum ſternutamento reprimi, nempe quod ructus ſit affectio ventriculi, ſingultus verò pulmonum, ac propter horum cum cerebro κοινωνίαν ſternuendo explodatur ſpiritus qui ipſis incluſus ſingultum ciebat; pariterque cohibito ſpiritu, potatoque aceto ſingultus ſaltem mitiores compeſcit, obſervavit, quoniam pulmones exinde calefiunt, & craſſus humor aërem in ipſis retinens tenuatur & coquitur. Galenus quoque. *Non deſunt*, inquit, *quibus videatur tam ſingultus, quam duplex inſpirantium ἐπανάληψις, ex convulſione muſculorum inſpirationi dicatorum interdum provenire.*

Hæc Philoſophi ſententia ad Ariſtophanis aut Cleantis lucernam non eſt examinanda, ſed ὁμωνύμως exponenda de anhelitu luctuoſo ſingultum quodammodo æmulante. Sic Ariſtophanes in Acharnenſibus, λύζει, inquit, καὶ δακρύει, *ſingultit*, id eſt gemit, *atque lacrymatur*; & Galenus in exegeſi ἀναφέρειν interpretatur ὑπολύζειν ἀναπνέοντα, *ſubſingultire inter reſpirandum.* Latinis etiam ſingultus ſumitur pro ſuſpirio, unde vox Gallica *ſanglot*, videtur deducta; legimus enim apud Ciceronem, *multas lacrymas & fletum cum ſingultu*, & apud Horatium de Europa rapta.

Uxor invicti Jovis eſſe neſcis?
Mitte ſingultus.

memoratque Plinius corvos ſingultu quodam latrantes, id eſt vocem intra fauces reſluentem, revocatam & quaſi ſtrangulatam mittentes. Tandem pro tuendo Ariſtotele, cui aliàs tantùm patuit in naturæ opera, notabimus per febres ardentes & malignas, ſeptum tranſverſum dum acres quibus mordetur halitus repellere annititur, aliquando ſuccuſſari indeque ſonum quendam interciſum ſingultuoſo murmuri affinem emergere.

Cauſa ſingultus proxima eſt id omne quod ventriculi membranis adhæreſcens, has vel caliditate, vel frigiditate, vel acrimonia, vel gravante copia, vel tenſione ἀπαράτῳ; ſeu fuerit alimentum, ſeu medicamentum, ſeu venenum, ſeu humor, ſeu vapor, ſeu flatus, ſeu vermis, ſeu res exterius premens ut coſta ἐς τὸ εἴσω μέρ☉ ἐκπαλὴς introrſum perverſa, hujuſve extremitas intorta. Ulceratus quoque ventriculus ſingultit, quod alimentorum utut benigniorum contactum non impune ſuſtineat.

Humor ad ſingultum compellens aut eſt tenuis ut effera bilis & acre ſerum; aut glutinoſus, puta melancholicus ac pituitoſus, ſtomachoque tumultum lenta feret pituita, inquiebat Horatius.

Hippocrates ut convulſionis, ſic & ſingultus geminam aſtruit cauſam, repletionem atque inanitionem. Verum cauſæ iſtæ externæ ſunt, non internæ: mediatæ, non immediatæ. Nam quemadmodum cæteri motus concuſſivi, ut rigor & epilepſia; etſi repletionem aut inanitionem ſociam interdum habeant, nuſpiam tamen à repletione vel inanitione ἀμέσως enaſcuntur, at ſemper à cauſa naturam acriter inſtigante; ſic quæcunque replent, ut crapula, non replendo ſed laceſſendo ſingultum præſtant. Idem dicendum de inanitione, neque enim inedia promovet ſingultum, niſi quatenus efferatos humores ac potiſſimum bilem ad ventriculum deportat. Deinde ſiccitas ventriculi, quam ſingultus parentem eſſe opinantur, aut privativa eſt aut poſitiva; atqui neutra ſufficit ſingultui. Non privativa, nam exhauſtus movet quidem vim partium indigarum attractricem, ſed expultricem quietam relinquit, quippe quæ neceſſario circa objectum reale & ingratum ventriculo infixum, nunquam circa privationem & non ens verſetur; adde quod tabidi ſingultiendi finem non facerent. Non etiam poſitiva, nam Hippocrates loco citato, haud ariditatis ſed inanitionis meminit; deinde ſiccitas, qualitas eſt paſſiva ac idcirco ignavior quam ut facultatem expultricem valeat potenter incitare, quinimo ventriculus dum præ ſumma ariditate corrugatur, ineptus fit ad dilatationem, proindeque manet ἀσεις☉.

Præterea ſi ſingultus, ut probatum fuit, opus eſt ſolius naturæ non morbi, certe repletio & inanitio non per ſe & proxime, ſed per accidens & mediate ſingultum concitabunt, videlicet naturam incitando ad agendum, quæ actio nulla alia eſſe poteſt quam expulſio; atque idcirco immediata ſingultus cauſa erit irritamentum expultricis potentiæ à re aliquâ infeſtâ, cui

cui repletionem quandam vel inanitionem ex eventu adjungi poſſibile eſt. Quid pluribus? granulum piperis vel ſinapi devoratum, ferinus vapor, tantilla acerrimi humoris quantitas ventriculum εὐαίσθητον lancinans, ſemota omni repletione vel inanitione, fatente ipſomet Galenô, inducunt ſingultum. Reſpondent litigatores, ut vaſa dicuntur inanita dum vacua ſunt rerum quas debuerunt naturaliter continére, ſic eadem plena vocitari, ſi quid extraneum quantumvis minimum complectantur. Contra vero Galenus ipſe abſurdum eſſe ait, ac contra communes omnium hominum mẽtes, ſpinam acumve tenuiſſimam partes pungentem, onus ac plenitudinem nominare. Verum admittamus talem verborum κατάχρησιν, demuſque à perpaucô & malignô halitu putatam iſtam plenitudinem creari in ventre, hæc tamen effatu digna non eſt, nec ideo pauxillus iſte vapor ſuâ ſubſtantiâ replendo, quin potius ſuâ qualitate pungendo, ſingultum citabit.

Naſcitur ſingultus vel per idiopathiam, vel per ſympathiam uteri, lienis, pulmonis, diaphragmatis, ſed præſertim ex conſenſu cerebri, jecoris atque inteſtinorum.

Primo ventriculus ut eſt νευρωδέστατος, ita cerebro συμπαθέστατος, quapropter gravioribus cerebri vulneribus ſingultus ſupervenit, ac ἀφωνία cum ſingultu peſſima, tractô ventriculô in conſenſum cerebri cataphorici; ita ſingultus quos vomitiones non ſolvunt, inſignem teſtantur, Galenô judice, vel cerebri vel ventriculi inflammationem.

Secundo jecur phlegmonodes potiſſimum concavâ ſui parte, ſingultum propè ſtrangulantem parit, non depaſcendo ſuccum ventriculi, ut vulgò creditur (nam mox à primô ortu hepatitidos & ante omnem ventriculi deprædationem ſingultus quandoque prehendit) ſed quatuor modis, nempe ſimplici condolentia ex communitate nervorum; mordacis ſeri reſudatione; acerrimæ bilis, quâ exæſtuans hepar fœtum eſt, ad ventrem propagatione; ac prementis molis magnitudine, tuncque non cuilibet ſed prægrandi duntaxat hepatis inflammationi aſtat ſingultus, nec idcirco recenſetur ab Hippocrate tanquam ſignum inflammati hepatis παθογνωμονικὸν, ſed velut ἐπιγινόμενον.

Tandem inteſtinorum culpâ ſuccuſſatur ventriculus in ileoſis, propter ſtercoraceas anathymiaſes; item in enterocelicis, duplici modo: primum ob peritonei & conſequenter ventriculi deorſum tractionem ex inteſtini in ſcrotum prolapſu, hicque ſingultus repurgatis fæcibus, ac inteſtinô in priſtinam ſedem molli manu reſtitutô, brevi deſinit: Deinde ob reſtitantis excrementi corruptelam, quæ inflammationem & febrem acutam invehit, unde deſperatio. Notandumque in hôc mali genere, ſi vis inferatur inteſtino reponendo, omnia ſymptomata ſtatim invaleſcere ægrumque jugulari.

Verum præ cæteris ſingultibus ille maximè notabilis eſt qui univerſi corporis contagione provocatur, ut in febribus malè moratis quæ à pernicioſô ſymptomate diu perſeverante, aut quod deterius eſt per totum morbi decurſum adaugeſcente, λυγγώδεις & λυγμώδεις indigitantur.

Cæteræ enim febres non audiuntur ſingultuoſæ, quæ aut raris intervallis, aut non omni ſed definitô duntaxat tempore σύμπαυσιδὸν ſibi aſſumunt ſingultum; ſcilicet in ſui principiô vel propter ubertatem crudorum ſuccorum quibus ſtagnat ventriculus, vel propter excrementa è proximis locis ſordeſcentibus in ventrem commigrantia: nam ejuſmodi ſingultus adoleſcente morbô evaneſcit, nec proinde periculoſus eſt. Addunt vulgò in ſtatu febrium ſignis pepaſmi comitatô, ſingultum fauſtis avibus apparere, criticæque quam præcurrit vomitionis adventu quamprimùm fugari; de quo vomitu judiciali quid ſentiendum ſit, ſuperiùs declaravimus. Denìum febres illæ propriè ſingultuoſæ non ſunt, per quas natura in Orci confinio ad incitas redacta, ac trahenti fato ægrè cedens, recollectis undique laceratum virium reſiduis, quaſi reliquis naufragii tabulis, ψυχομαχεῖ animumque ſumens ex anguſtiis ac ipſa deſperatione, ſtudet non ignaviter expirare, inſtar Priami qui inutile ferrum cingitur &

----- *Quanquàm in mediâ jam morte tenetur*
Non tamen abſtinuit, nec voci iraque pepercit.

quamobrem raræ obſervantur niſi in ſenibus capularibus, ægriſve prædebilitatis, quorum natura non eſt ἀντίτονος, mortes ἀσφάδαστοι; quin potiùs acerrima virtus eſt quam ultima neceſſitas extundit; ac quammaximè mortiferi eſſe morſus ſolent morientium beſtiarum.

Inſuper notandum eſt febres amplâ ac vulgari ſignificatione àliquando nuncupari ſingultuoſas quæ ſingultu ſtipatæ ſunt, quantumvis ſingultus ortum ſuum febri nequaquam habeat acceptum, ſed utraque affectio tanquàm gemina proles ab iiſdem parentibus ſimul gignatur atque foveatur. Sic inflammatô ileô inteſtinô, liene, hepate, cerebrô, ſingultum unà cùm febre ſymptomaticè exurgere jam dicebamus; hique conſociati & velut fraterni affectus, ſingultus & febris communem ſortiuntur cauſam, videlicet iſtorum viſcerum phlegmonem quæ ideò rectiùs quàm febris, meretur ceu ſingultuoſa defamari. Sic punctâ nerveâ particulâ, febris cum ſingultu ſuſcitatur; ſuntque celebratiſſimæ apud Hippocratem in calcis ſideratione, necnon oſſium brachii & femoris luxatione, ſingultuoſæ febres; non quod ſingultus ſit ſoboles iſtarum febrium, ſed quod ſingultus & febris ex eôdem fonte nempe nervoſi generis graviſſimâ læſione ſcaturiant: hi autem caſus lethales eſſe ſolent, ob eximiam nervoſarum partium noxam quâ principalia membra commercii lege percelluntur.

Igitur eas ſolas febres verè ſingultuoſas nominari par eſt, quæ ex ſe ac vi propriâ ſingultum non fugacem ſed ſtabilem advehunt; quales ſunt vel malignæ peſtiferô vapore ventrem impetentes, vel, ſi nihil maligni alant in abditô, ſaltem quarum focus in ventriculô aut in finibus ventriculi deliteſcit.

Materia autem ſingultum motura, vel per vaſa meſenterii in ventriculi inanitatem, indeque in ejus tunicas penetrat, vel per vaſa ventriculo peculiaria allabitur; ſi priori viâ, ſingultus mitior eſt, lenique medicamentô ſedabilis; ſi poſteriori, ſingultus acerbior exiſtit, atque rebellior ob materiam morbificam membranas ventriculi intimè occupantem.

Cauſæ

Cauſæ ſingultus procatarcticæ multiplices traduntur. Ætas puerilis, ut ingluviei, ſic apepſiæ dedita; quò pertinet illud Plutarchi, Vos qui voluptatem potius quàm conveniens naturæ alimentum perſequimini, multis ac diuturnis multarum morbis, qui tanquàm unô aliquô è fonte hauſti, corpus omnis generis flatibus expurgatus dilaticibus replent. Præterea ſingultum creant, velocior tranſvoratio cibis immaſticatis ventriculum contriſtans, potius quàm recreans. Auſterorum & acidorum uſus; etſi ſingultui à craſſis viſcoſiſque ſuccis progenito acetum ſpeciatim medeatur, attenuando atque incidendo. Pharmacum θερμαντικὸν, ut piper deglutitum præſertim ſi tenuiſſimè pulveratum fuerit calenteq; potu ſuperingeſto tergora ventriculi ſubierit; lenes tamen excipiendi ſunt ob tenacem pituitam parietibus ventris obductam, ſenſuſque ſtupiditatem, devoratô pipere ſingultum non ſentientes. Potus aquæ algidiſſimæ, narrat enim Galenus Ariſtonem quendam habitu corporis graciliore & oſculô ventris frigidiſſimo præditum, potionibuſque calidis aſſuefactum, frigida à Medicis, reluctante etiam ægrotô, incautè propinata, ſingultu & convulſione interiiſſe. Frigiditas porro cùm per ſe quatenùs νευροπολέμιος, tùm per accidens impedita corporum nervoſorum diſflatione, ſingultus effectrix eſt; nec modo frigida epota, at eadem quoque faciei naturaliter raræ ac tenellæ inopinatò inſperſa, ſingultum valet excitare, frigefactô κατὰ τὸ συνεχὲς ventriculô natura ſua δυσέγω atque alſioſo.

Hanc ægritudinem inſuper generant vociferatio atque ira in naturis bilioſis; aliàs enim calore augmentatô ipſam diſcutiunt à flatuoſô ſpiritu oriundam. Timentes algenteſque incidunt in ſingultum, bile ad ventriculum transfusâ; alioquin præſens jam ſingultus improvisò pavore, triſti nuntiô, ac ſubitaneâ admiratione compeſcitur, necnon ſi homo meditationi attentiùs laboret, animô in aliam curam aversô; quô pactô dolorifica minimi digiti contractio opem fert ſingultientibus, ob diſtractum ventriculi ſenſum. Hypercatharſis quoque inter cauſas ſingultus haud poſtrema eſt, non quòd inaniat depaupeterque ventriculum, ſed quòd inimicâ pharmaci qualitate ſtomachus rodatur, vel quòd humores τῶν ὑπερείνων efferati, quâ impetus urget, ſine lege ad ventrem confluant. Immoderata demùm ſanguinis effluvia ſingultum afferunt, non ventriculum reddendo exuccum, ſed quoniam ſolutâ corporis œconomiâ humores præſertim tenues & bilioſi, excuſsô naturæ moderatricis imperiô, ῥέμβοντες κυνεμβαδῶντες καὶ σφαλλόμενοι, moxque in alvum tanquàm in ſentinam derivantur; quâ ratione animo relictis, vomitiones atque diarrhææ ſolent ſupervenire. Notavit etiam Hippocrates ſuperſtitem à profuſis hæmorrhagiis ſanguinem, ſubbilioſum reddi, quòd intrà vaſtiorem exhauſtorum vaſorum capacitatem nimioperè exagitetur, motuque effervescat ac bileſcat. Ut prætermittamus Arabum doctrinam bilem frænô ſanguinis liberatam, ideoque ἄναρχον καὶ αὐτοτελῆ, tumultuari clamitantium.

Singultus ipſe ſui ſignum eſt; ſat erit igitur duo notaſſe, Primò ſingultum nonnunquam adeò crebrum eſſe atque fortem, ut cibandi, dormiendi & loquendi opportunitatem adimat; deinde humorem in ſingultu, non ut in ructu, odoris ſaporiſque ſui tædiô guſtum atque odoratum inficere, quòd illic materia ventri alligetur, hìc ſurſum ad palatum & nares perreptet.

Vomitus ſingultui ſalutariter ſuccedit, quòd hujus materiam è tunicis in cavum ventris tranſpoſitam foràs emittat; contrà improbatur ſingultus vomitionem excipiens, quippe qui potiorem humoris partem non vomitu rejectam, ſed in membranas ventriculi conjectam deſignet. Singultus terrificum eſt acutorum morborum ἐπιγένημα; ità mulier illa quæ in mendacium forô decumbebat, die duodecimô frequentibus ſingultibus divexata, decimô quartô ἐξ ἀνθρώπων ἐγένετο. Damnatur autem ſingultus, non modò ut ſignum malè moratam morborum indolem patefaciens, ſed etiam ut cauſa; primùm quòd vires jam attritæ aſſiduis ventriculi morſibus atque ſuccuſſibus convellantur, ſic artus delaſſati exercitiô fatiſcunt, frangitque tandem arcum intentio; deinde quòd laborioſò illò motu phlegmone ſuccreſcat in ventriculò, vel, ſi ea jam affuerit, magnoperè aggraveſcat. Præcipuè autem, teſte Ætio, in affectibus ſoporoſis, animi deliquiis ac tetanis; ſingultus velociſſimus eſt ad interitum, moribundô ventriculô ſeſe vibrante, more piſcium hamô voratô ſe ſe volventium, vel in aridô aut ſartagine ἀσπαιριζόντων ac ſalientium.

Ariſtophanem qui ſingultiendo turbabatur, tria ſingultus remedia docuit Medicus Eryximachus in ſympoſiô Platonis; Primò ἄπνευστι ἔχειν πολὺν χρόνον, ſpirationem diu ſupprimere: Secundò ὕδατι ἀνακογχυλιάζειν, aquâ fauces colluere: Tertiò vellicatis naribus ſternutamentum conciére; cumque Ariſtophanes, nec ſpiritus cohibitione, nec ἀνακογχυλιασμῷ ſeu faucium gargariſatu levaretur, motâ ſternutatione, à ſingultu illicò expeditus eſt.

Tres enim ſunt præcipuæ ſingultus cauſæ, πνεῦμα φυσῶδες ſpiritus flatulentus optans reſolutionem, bilis mordax contemperationem expoſtulans; & humor craſſus ſive pituitoſus ſive melancholicus majore operâ ac labore demoliendus. Primæ cauſæ confert τὸ ἀπνευστιάζειν, partes enim vitales harumque conſenſu naturales exindè incaleſcunt, flatuſque diſſolvuntur, juxtà illud Hippocratis, ἴημα χασμέων, συνεχέων, μακρόπνοιη, remedium continuarum oſcitationum, ex longis intervallis ſpiritum ducere. Imò omni generatim ſingultui auxiliatur ſpiritus retentiò, per quam tenſum diaphragma minùs ſpatii relinquit ventriculo ſeſe dilataturo atque quaſſaturo; ſimiliter ac aſtrictô per faſciam ventriculô, nec ideò altiùs ſurgente, ſingultus ſævitia lenitur; arctaq; capitis ligatura. pulſatorium ejus dolorem mitigat. Secundæ ſingultus cauſæ conducit frigida, quâ bilis χειροῦται ejuſque acredo infringitur, magis tamen in potu quàm ſi

------- Volvatur fauce ſonorâ

Nec tamen in ſtomachum deſcendat gutta patentem.

Tertiæ demùm cauſæ non minùs quàm hyſterico pathemati opitulatur ſternutatio; quòd ventriculi ac cerebri συσεισμῷ glutinoſus humor è tunicis ventriculi dimoveatur; adjuvantibus interim muſculis epigaſtricis qui ſternuendi conatu

intenti appreſſique ſubjectum ventriculum comprimunt. Jure igitur Hippocrates, Singultu detento, ſi ſternutamenta ſupervenerint, ſingultum tollunt. Dices quidem etiam ructum, cujus cauſa clementior eſt atque obſequentior. Reſpondemus concuſſo ventriculo decuti quicquid membranis ejus infixum fuerit; res autem intra cavitatem natantes, intactas perſtare; quippe quæ ſimplicem ventriculi contrictionem requirant. Nec mirum ſternutatione ſingultientem juvari, quandoquidem Hippocrates in ani prolapſu jubebat πταρμικῷ παροξύνειν τὸν ἄνθρωπον ad expulſionem pituitæ podici adhærentis.

Porrò non omnia ſingultuum genera cedunt ſternutationi, verbi causâ non ſingultus ſympathicus; nec ille qui inanitionem habet comitem, quin potiùs huic officit ſternutatio, quòd vires collapſæ tot ventriculi cruciatus & angores non tolerent: quare Hippocrates, ſi ſenibus ſuprà modum purgatis ſingultus accidat, non bonum, ſenes nominatim denotans ob ætatis imbecillitatem. Tandem ſternutando non ſuperatur ſed ingraveſcit ſingultus quem calidior progenuit intemperies, motuum impetu magis magiſque accenſo ventriculo. *Antonius Menjotius Diſſertationum Pathologicarum parte 3.*

Curationes.

Ad Singultus curationem conatus Medicorum eò diriguntur, ut cauſam vellicantem à tunicis, fibriſque ventriculi removeant, vel ſaltem obtundant, hebetemque reddant ſenſum partium affectarum, ſive ad ventriculum, ſive ad Diaphragma illæ pertineant. Ad cauſæ remotionem, ſi illa ventriculo adhæreat, nonnulli vomitum commendant; neque ſolùm ex levioribus pharmacis, ſed etiam ex Antimonio, quod ſanè amiciſſimum Humanæ naturæ dicitur Sylvio. Alii potiùs dejectiones moliuntur medicamentis laxantibus, ac lenientibus; quinimò Riverius exhibuit pulverem calomelanos, & diagridii. Ad ejuſdem verò correctionem utuntur in humorum acritudine lacte ex quatuor ſeminibus majoribus, item pſyllii, cydoniorum, amygdalarum dulcium, & papaveris albi expreſſis elicito, cum decocto tamarindorum, ſyrupo de portulaca, de papavere albo, de nymphæa. Hæc eadem exhibent in ſingultu à medicamentis acribus, & venenis, ac præterea oleum amygdalarum dulcium recens, butyrum, lac, cremorem ptiſanæ, juſcula pinguia. Si à vermibus, illos enecantia. Si ex febre maligna, alexipharmaca. Et ſi ex conſenſu aliorum viſcerum, propria remedia illis ſuccurrentia adminiſtrant, præſertim verò inflammationi Hepatis, aliuſve, ſi indè ſingultus oriri videatur. Senſum denique ſingultientis partis obtundunt per opiata, theriacam recentem, pilulas de cynogloſſo, & laudanum opiatum dosi convenienti, quo ſolo ante cibum ad granum j. pluries exhibito, diuturnum, & contumacem ſingultum curavimus.

Foreſtus in ſingultu poſt febrem continuam, profluvium ventris, & vomitum, exhibuit decoctum ſeminum anethi, carvi, portulacæ, & papaveris albi in cereviſia tenuiori, feliciſſimo ſucceſſu. Ex Horſtius poſt uſum tartari vitriolati cum vino abſinthite, ſingultum pertinaciſſimum ſedavit bolo ex granis 3. laudani opiati, ʒß, theriacæ, & ʒij. condituræ roſaceæ, Riverius verò laudanum opiatum cum expreſſo liquore ſeminum quatuor frigidorum majorum miſcuit, additâ ʒ j. ſalis prunellæ. Platerus ſingultientem puerum curavit aquâ ſtillatitiâ nucum viridium cum raphano in aceto priùs maceratatum. A Franciſco Sylvio magna vis in compeſcendo ſingultu tribuitur Menthæ, ejuſque aquæ, ex qua mixturam conficit cum ejuſdem ſyrupo aqua vitæ Matthioli, vel theriacali, confectione alchermes, & laudano opiato ad cochleare unum per intervalla aſſumendam, donec ad ſomnum æger diſponatur. Addit etiam ſpiritus nitri guttas aliquot, ſi flatus unà ſimul ægrotantem divexent. In omni denique ſingultu præſens creditur remedium Franciſco Joëli Cornu Cervi uſtum ad ʒ j. in vino rubro: aliis etiam ebur.

Externe verò, amuletum exiſtimatur Caſtoreum ex Tralliano; idemque creditur præſtare Alyſſum ex Dioſcoride: ſimiliter & cuminum inditum, & carpo ſiniſtræ manus alligatum ex Sennerto. Ab aliis potiùs olea, vel decocta ex his elicita commendantur, additis etiam ſtyrace, & maſtiche, ut apud Claudinum. Deſcribit Adrianus à Mynſicht cataplaſma, quod ſingulare experimentum adverſus ſingultum eſſe dicit; illique addit Fridericus Hofmannus oleum ſtillatitium zedoariæ, chamæmeli, & aniſorum. Alia externa memorat Hartmannus, quem vide. Advertit autem Langius authoritate Galeni, & Aëtii, topica ejuſmodi remedia non epigaſtrio, ſed dorſo eſſe admovenda, præſertim ad ſepti tranſverſi vertebras: idemque pari ratione obſervandum monet in cæteris gulæ, & ſtomachi affectionibus, cùm Eæ partes ſpinæ ſuperincumbant, & hæreant. *Clariſſ. Lucas Tozza. Medic. Practica lib. 2.*

Conſultationes.

De Singultu. Pro Sutore Patavino.

Rarus equidem, & magni momenti eſt affectus quem ſuperioribus annis paſſus eſt Sutor, à me curatus, Singultus nempe adeò vehemens, ut à prætereuntibus exaudiretur, adeoque contumax, & refractarius ut octo dierum ſpatio continuè ipſum afflixerit ſine ulla intermiſſione. Quanquam autem ſingultus ſit affectus non rarus adeò, puerulisque familiaris: tamdiu tamen durantem nec obſervavi, nec ab aliis obſervatum audivi; hiſtoriam ſi excipias cujuſdam Juriſperiti Ticinenſis à Gattinaria in ſua Praxi deſcriptam, qui duodecim dies hoc affectu laboravit: cujus propterea curationem, à me præſcriptam referre non inconſultum judicavi, præmiſſa eſſentia, & cauſis ipſius.

Eſſentiam itaque quod attinet, ſingultus eſt motus quidem convulſivus ventriculi, ut aſſeruit Gal. 3. de Cauſis Sympt. 2. & primo in primum Prorrhet. 23. non autem vera convulſio. Hæc etenim ſolis competit muſculis, ut optimè ſtatuit Gal. citato 3. de Cauſis Sympt. 2. ac proinde eſt motus depravatus: qui licet plurimùm fiat in ore ventriculi, cujus propterea eſt affectus, toti nihilominus ventriculo competit: quandoquidem contrahitur ille, cùm præſertim affectus eſt vehemens, ut in caſu noſtro contigit, in quo ſeptum quoque tranſverſum concurrit, ad majorem

impul-

Impulſum cauſæ morbificæ, quæ etiam ſi multiplex eſſe poſſit, tunc tamen ſolùm ſingultum excitat, quando irritat expultricem ventriculi ad ſui expulſionem, ſive hoc ratione copiæ, ſive ratione malæ qualitatis fiat. Ideo dictum fuit ab Hipp. 6. Aph. 39. quod Convulſio fit à repletione, & inanitione: ita & ſingultus. Cui ſubſcripſerunt Ætius, Trallianus, & alii Græci: quanquam ego hujus ſim ſententiæ, quod ab inanitione non fiat ſingultus, dummodo non ſit inæqualis, atque ita expultricem irritans. Quoties enim cumque eſt æqualis, non ſentitur, atque ideò expultricem non irritans, ſingultum non infert, ut experientia patet in maraſmo, cùm torrido, tum ſenili.

Verum in caſu præſenti factus eſt ſingultus à repletione, copia ſcil. materiæ pituitoſæ, non quomodocunque in ventriculo contentæ. In hujus enim cavitate hærens, ſolo vomitu excernitur, inculcata verò, & infarcta in fibroſa ſubſtantia, aut oris ventriculi, aut etiam corporis ejus, cùm extrudi non poteſt abſque inſigni ventriculi contractione: fit ſingultus, concurrente quinetiam ſepto transverſo, & aliquando muſculis intercoſtalibus, quò validior fiat expulſio. Ex quibus conſtat, ſingultum non eſſe affectum pulmonum, ut cenſuit Ariſt. 33. Probl. Prob. 5. & 6. niſi in ipſius gratiam dicamus, locutum ibi fuiſſe de motu ſingultuoſo puerorum lugentium: ſed potius ventriculi, atque in primis orificii, ſuperni ipſius, ut paſſim aſſeruit Gal. in Libris de Sympt. Differ. & Cauſis, de Loc. Affectis, Aphoriſmis, & alibi: atq; eſſe affectum vomitu vehementiorem, ex Galeno 6. Aph. 39. Quanquam enim aliquando à levioribus cauſis fit, puta à flatibus, facilique negotio aliquando tollitur, ſternutamento nempe: non ob id tamen dicendum cum Avicenna, vomitum eſſe affectum vehementiorem ſingultu. Morbi namque magnitudine non æſtimatur ex cauſa morbifica, neque ex curatione: ſed ex affectus eſſentia, parte affecta, & viribus, ex Gal. 4. de Sanit. Tuenda 6. Atqui ſingultus eſt motus vehementior ratione eſſentiæ: quia in ipſo fit major contractio ventriculi, ſepti tranſverſi, & muſculorum, quàm in vomitu: vehementior item ratione partis affectæ, quia in ſingultu afficitur fibroſa ſubſtantia, & os ſupernum ipſius, non verò in vomitu: ac tandem quia magis proſternuntur vires ex ſingultu, cæteris paribus, quàm ex vomitu: ut propterea ſit vehementior vomitu, atque in patiente noſtro vehementiſſimus, ob ejus durationem, quod palam factum ex curatione: ſublatus enim fuit per evacuationem copioſiſſimæ pituitoſæ materiæ à qua procul omni dubio fovebatur. Morbum enim oſtendit ſanatio. Atque hæc de eſſentia, & cauſis hujus affectus.

Ex quibus etiam prognoſticum elici poteſt, quandoquidem ſingultus ex ſe non eſt lethalis, ſed interitum prænunciat, quando ſupervenit affectibus acutis, & lethalibus. Ideoque dictum fuit ab Hipp. 7. Aph. 10. ab ileo ſingultum eſſe malum. & 7. Aph. 3. A vomitu ſingultum, & oculorum ruborem, eſſe malum. & Aph. 17. ejuſdem ſect. Propter jecoris inflammationem ſingultum eſſe malum. Sed ſi accidat morbis acutis, cum ſignis coctionis, & virium robore, die critico, criſim prænunciat per vomitum. In caſu autem præſenti licet ſymptomaticus fuerit, cùm tamen nullum alium affectum annexum habuerit, cum virium robore, ſalutaris fuit, quanquam curatu difficilis.

Totaque curatio eò collimavit, ut incideretur, attenuaretur, detergeretur, evacuareturque materia peccans per vomitum, & alvum. Non enim in caſu noſtro locum habuit dictum Hipp. 6. Aph 13. Quod ſingultu detento ſternutamentum ſuperveniens, liberet. Ac propterea præmiſſo bolo ex drach. i. ſpecierum hieræ Gal. præſcriptum fuit mel. roſ. ſolutivum, lenientis loco, ad ℥ vi. ſyr. deinde ſine diluto parati, ex ſyr. de hyſſopo, de praſſio, & oxymel. ſcyllitico, mane, & veſperi biduò: à quibus vomitus excitatus ſucco raphani, & radicibus aſari, cum mulſa: quem mox excepit medicamentum attenuans, ab Hipp. præſcriptum 4. Acutorum 69. ex ſucco laſerpitii, ſemine dauci trito, & oxymel. ſcyll. mane, & veſperi ſumptum biduum, clyſtere interim acri injecto; tertia die exhibuimus ℔ iij. aquæ Tetutianæ, addito ſale, pro majori deterſione, & præmiſſis ℥ iv. mell. roſ. ſol. cujus beneficio magna pituitæ copia excreta fuit per ſuperiora, & inferiora. His peractis, ad digerendam materiam ſuperſtitem, & roborandum ventriculum, præſcripſimus drach. i. Theriacæ antiquæ, cum drach. ß. dictamni Cretici, & buccellam panis in vino Cretico inunctam. Factumque fuit fomentum ventriculo cum vino generoſo, in quo facta fuit ebullitio menthæ, abſinthii Romani, & dictamni Cretici: à cujus uſu, epithema ex iiſdem herbis expreſſis calidis fuit applicatum ventriculo: quorum beneficio liberatus fuit.

In victu, ovis, columba turricula, & capone uſus fuit, pauca copia vino modicè generoſo exhibito, & præſcripto exercitio. Ex uſu quidem fuiſſet drachma i. caſtorei, cum mulſa, à Gal. Ætio, & Paulo commendati. Galbanum quinetiam, cum cymino, & melle anthoſato. Acetum quoque ipſum à proprietate juvare dicitur, atque magis ſcylliticum. *Benedict. Silvatic. Conſ. & Reſponſ. Medic. Cent. 2.*

Singultus.

Reverendiſſ. Abbas N. 30. annos natus temperamenti totius & jecoris, calidi & humidi, habitus ad obeſum vergentis, deſidioſam vitam ducens, & ventri gulæque indulgens, multis abhinc annis ſingultibus fuit obnoxius, à quibus tamen modo hauſtu vini aromatici, modo ſternutamentis Tabaci uſu excitatis liberari conſuevit. Verùm duo præterierunt menſes, quibus frequentior ac diuturnior Singultus factus eſt; imò octavus jam dies agitur; quo continuo adeò Patientem exagitat, ut ſomnum vitæ neceſſarium vix capere poſſit. Accedit ſtatim à cibo ad vomitum propenſio, & quandoque cibi ejuſdem vomitio, à qua quodammodo levari videtur, illi admiſta crudæ atque pituitoſæ materiæ portione. Parum appetit, minuſque ſitit, & gravitatis ſenſus perpetuò in ventriculo illi moleſtus eſt. Aliqua quidem hactenus adminiſtrata fuerunt medica auxilia, evacuantia ſcil. demulcentia, & præparantia; quibus tamen cùm parum aut nihil cedat affectus, ſpes omnis Vir Præſtantiſſime, in te ſita eſt; cujus cauſa tuam ſententiam, in hoc difficili caſu, quamprimùm expectamus.

Notiſſimus affectus, quo antehac frequenter,

modò verò continuò affligitur Reverendiſſ. Abbas, Singultus eſt, actio ſcilicet facultatis expultricis ventriculi depravatè læſa, qui licet ſub eodem genere cum vomitu ponatur, vehementiorem tamen, quam ille, motum habet, ratione loci in quo cauſa morbifica conſiſtit; quæ ſcil. in cavitate ventriculi vomitum; illius verò tunicis impacta ſingultum parit, ut appoſitè conſideravit Gal. & cum eo Trall. Ex quibus patet, Singultum eſſe motum violentum ventriculi, dum conatur expellere, quod noxium eſt. Neque audiendus Avic. negans ſingultum eſſe motum vomitu vehementiorem, eo quod in vomitu noxia expellantur, non autem in ſingultu; id namque à rebelli materia, non ab agente procedit; quod eleganter Gal. expreſſit his verbis Sanè non idem eſt vomentibus & ſingultientibus motus, nec idem affectus; in vomitionibus enim ea quæ in capacitate ſunt ventris, rejiciuntur, in ſingultu verò, quæ ſunt in ipſo ventris corpore, imò quæ ſunt in ipſo ore ventriculi penitiora.

Definitur autem Singultus à Gal. quod, ſit veluti convulſoria quædam oris ventriculi affectio, excitata ab humore, vel gravante, vel mordente, vel frigiditate contriſtante. Ideo neque convulſio eſt, neque verè motus convulſivus habetur. Non convulſio, quia ſolis muſculis competit; ventriculus autem muſculus non eſt. Non motus convulſivus, quia ſingultus eſt merum opus facultatis expultricis ventriculi; convulſivus verò motus, opus morbi, aut cauſæ morbificæ; Quare ſingultus erit motui convulſivo ſimilis, ſive convulſoria quædam motio, ſive convulſiva quædam affectio; his enim loquendi modis uſi ſunt Gal. & Trall.

Pars verò affecta ventriculus eſt, & præſertim ejuſdem os; ait enim Gal. quod Singultus eſt oris ventriculi affectus. Et licet Avic. gulam quoque addat; admittitur tamen & à Gal. tanquam ori ventriculi continua. Huic autem ſententiæ quamvis reluctari videatur Ariſt. aſſerens, pulmonem in ſingultu eſſe partem affectam attamen Singultus Ariſt. non eſt idem ac ſingultus Hipp. ut Conciliator conſideravit; eſt enim ille halitus quidam à pulmonibus emanans ex ingruente copioſo flatulento ſpiritu, ab iiſdem ad Tracheam elato, in Mulieribus potiſſimum flentibus, & Pueris plorantibus: Hipp. verò ſingultus à ſolo ventriculi irritamento, ob cauſam non flatulentam, ſed humidam & fixam procedit. Quamobrem cauſa immediata Singultus eſt irritamentum: unde ex Hipp. in repletionibus & inanitionibus contigit, non quia materia repleat, aut evacuatio extenuet, ſed quoniam irritat, alioquin, ut notabat Gal. daretur tertia cauſa convulſionis præter repletionem & inanitionem, quam ipſe nunquam deprehendit, prout experientia compertum illi fuit irritamentum ipſum. Repletionem autem in Abbate Reverendiſſ. cauſam fuiſſe ſingultus, & adhucnum eſſe, evidentiſſimè patet, ventri enim & otio immodicè indulget; unde cruditates coacervantur, quæ poſtea nullis corporis exercitiis attenuantur, digeruntur & diſſipantur; unde ventriculo tenaciter adhæreſcentes, facultatem expultricem valido, ſed inani conatu ſtimulant, adeò ut expulſione fruſtra tentata, ſingultus ſuccedat, prout & vomitus, eadem procedente; quod accidit, non propter facultatis imbecillitatem, ſed ob lucrantem materiam, quæ ab hauſtu vini generoſi attenuata, olim ceſſit, ceſſante ſimul affectu, ſicuti quoque à ſternutamento, uſu Tabaci provitato. Hinc Hipp. A Singultu habito ſternutamentum ſuperveniens liberat. Cujus rei in Com. Gal. rationem reddens, inquit, quod. Plenitudo violento motu opus habet. Unde Ætius Singultibus ex inanitione, ſternutamentum malum.

Affectus moleſtus equidem, & contumax; cùm medicamentis adhibitis hucuſque non ceſſerit, quem tamen ſanari poſſe confidimus; cùm irritamentum à repletione proveniat, prout lethalis eſſe ſolet cùm ab inanitione, aut immodicis ſanguinis evacuationibus, aut ſuperflua humorum purgationi, aut malignis febribus ſuccedit. Lethale quoque ſignum habetur in inflammationibus hepatis, & Ilei. Neque formidanda affectus contumacia atque diuturnitas; Juvenis enim eſt Patiens, qui propterea, tum morbi diuturnitatem, tam medicamentorum adminiſtrationem facilè tolerare poterit; cùm Vetula etiam octogenaria anni dimidium ſingultum pertulerit.

Curandus itaque eſt ablatione ſuæ cauſæ (de quibus omnibus cauſis Galen.) contrariis facta. Cùm autem caſu noſtro, cruditates redundent, non ſine frigida & humida ventriculi intemperie; ideo omni conatu viſcida & lenta materia ab eodem deturbanda, & Intemperies corrigenda, à proprietate juvantibus non omiſſis.

Si autem Chirurgica præſidia conſideremus, nulla hîc ſanguinis miſſione opus eſſe videtur. Quapropter jubet Ætius, ut magno, & concitato motu, vomitu, vociferatione, clamore valido, ſpiritus contentione equitatione, ſternutamento utendum ſit; imò & cucurbitula ventriculo & dorſo affixa, circa duodecimam & decimamtertiam, primam ſcil. lumborum vertebram. Extremorum quoque arctas ligaturas, & lotiones præcipit, omnia tamen à Gal. mutuata.

Pharmaceutica remedia eſſe debent Evacuantia, Præparantia, intemperiem Corrigentia, & à proprietate Juvantia. Primò, autem vomitu leviter excitandus Mulſa acetoſa, cum ſucco Raphani. Hiera repetenda. ad ℨiß. cum Lenit. Præparantibus quoque his inſiſtendum.

♃. Oxymel. ſquill. ℥ i. Mel. Roſ. ſimp. ℥ ij. Aq. Cinnam. ℥ ß. m. pro Syr. & ſic pro aliis; & quarto quoque die præbeatur ℨ i. pil. de Hiera cum Agar. quibus in progreſſu addantur Alephanginæ, & aliquot diebus quidem, ut mox Aquæ Tettucianæ cum vehiculo Mel. Roſ. ſol. exhibeantur, quæ inſigni tenaces & viſcidas materias à ventriculo detergendi & abluendi facultate pollent.

A proprietate juvantia, quæ ſimul attenuent atque diſſolvant, eſſe poterunt ex Gal. Ruta cum Vino Aromat. Caſtoreum, Daucus, Cuminum, Acorus; ex Trall. & Orib. Acetum Squill. ex Orib. & Ætio Mulſa cum Nitro. Sed omnibus præferendum Caſtoreum cum poſca; Zinziber viride commanſum, cum hauſtu Vini Malvatici, conditum tamen in Calecut Indorum, vel Arabia, non vetus, quod ab Italis in aqua maceratum Saccharo aut melle conditur. Uti quoque ſolemus vino Malvatico, vel gutt. Olei Ocymi,

vel

vel Aniſor. in aqua vitæ. Quibus niſi cedat affectus, ad aliquod opiatum confugiendum; inter quæ Philonium, utpote cæteris minus noxium, præfert Gal. quod & ipſe feliciter expertus ſum.

Interim intemperies frigida & humida affectum fovens corrigenda; Jure Galli Ligno Saſſafras. zingibere, mentha, & ruta alterato; cui præmittatur bolus ex ther. vet. vel. ſaltem Sale Theriacali. Extrinſecus quoque fiant fotus, inunctiones & illitus Fotus quidem ex decoct. cumini, orig. puleg. calamen. menthæ, aut mentaſtri. Inunctiones oleo de ſpica, & dorſo oleo de pipere. Illitus parentur ex mithrid. aqua ardente diſſoluto. Prodeſt quoque ſcutella cinere quercus, vel juniperi repleta, vino Malvatico aſperſa; & calida appoſita: imo Avic. Sinapiſmos applicat.

Cibus ſit attenuans, & tenuis potius, & niſi urgeat ſingultus, alimenta ſint acria, & ſalſa habita ratione cauſæ. Potus ſit vinum ligno ſaſſafras medicatum. Vehementes animi, corporiſq; motus conveniunt. Somnus vigiliæ præfertur. Clyſteribus acrioribus quinetiam utendum. Quæ pro Reverend. Abbatis ſalute abundè. *Raym. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medic. Tom. 1. Cent. 2.*

Obſervationes.

Pro Singultu.

Vir quidam poſt febrem continuam & fluxum ventris ac vomitum incidit in ſingultum, huic cum ab omnibus pro deplorato haberetur, decoxi ſemina anethi, carvi, portulac. & papav. alb. in cereviſia tenuiore, ex quo decocto tantum unum cyathum bibens, miraculi inſtar, præter omnium opinionem à ſingultu liberatus eſt. Alius laborabat ſingultu per triduum pro quo Jo. Tiengius decoxit M. j. ſem. aneth. in nodulo ligati in pintis duabus cereviſiæ, quam æger bibebat calidè; prius tamen illum purgaverat. Poſt ſumptum anethi decoctum, ſtomacho applicabat ſequentes ſacculos in aqua calefacta poſitos.

℞. Fl. chamæm. melilot. aneth. an. M. j. origan. calamenth rutæ, an. M. ß. inciſ. & F. duo ſacculi, quibus remediis ceſſavit ſingultus. Oportet in ſingultu curando cauſam prius animadvertere. Sic ille, qui ſingultum habebat ex ventoſitate, ſequenti remedio evaſit.

℞. Philon. ℈j. diagalang. ℈ ii. detur cum vino. Alteri & hoc ſequens profuit.

℞. Theriac. opt. ʒi. pulv. dictamn. ʒß. exhibitum fuit cum vino.

Novi vetulam octuagenariam, quæ per ſemiannum ſubinde ſingultiebat remediis nihil juvantibus, niſi devorato loch ſano, quo ſe tantùm juvari aſſerebat. Petrus Foreſtus, obſ. 12. lib. 18. De Stomachi Affectibus.

℞. Sem. aneth. ℈iß. ſem. papav. alb. ſem. portulac. an. ℈iß. M. fiat puppa quæ pendeat in cereviſia ordinaria, & fiebat hujus pulpæ expreſſio, cum cereviſiam biberet, & ſingultus repreſſus fuit. Idem obſ. 29. lib. 6. De Febribus Epidemicis.

A Febre accuta quidam ſingultu laborans capiebat ſæpiſſimè ex julepo ſequenti.

℞. Hord. mund. M. j. ſem. quatuor. frigid. maj. ſem. papav. alb. an. ʒi. ſem. portulac. lactuc. an. ʒß. ſem. aniſ. aneth. fœnic. an. ʒi. fl. cordial. p. i. liquir. raſ. ʒ ii. coq. in aq. pro ℔ i. colatura aromatizetur cum ſpec. diatragac. frigid. diarrhod. abbat. triaſantal. an. ℈ . addendo ſyr. viol. ℥ß. ſyr. acetoſ. citri, ex infuſ. roſ. an. ℥i. M. F. julepus quo ſingultus ceſſavit. Idem obſ. 31. lib. 7. De Sympto. Febrium.

Singultum hunc ob corrupti humoris acrimoniam & malignitatem in ventriculi tunicis reſiduam fieri ſtatim collegi; quam ob cauſam pro ejuſmodi materiæ evacuatione, tart. vitriol. ℈iv. cum vino abſynth. præſcripſi, quo laudabiliter operante, ſed nec dum expultrice ſtimulata quieſcente, julapium Foreſti in hoc caſu commendatum (cujus deſcriptionem vide Sub ſectione ſuperiore) ordinavi. De quo ſæpius hauſtum conceſſimus, donec ad uſum laudani optati accederemus, hujus gr. 3. cum ʒß. theriac. & ʒj. conſerv. roſ. permiſta dedimus, quo ipſo ad miraculum uſque periculoſum ſymptoma ceſſavit. Gregorius Horſtius obſ. 25. lib. 1.

Remedio eſt ſi pulpa ex anethi ſemine ac papaveris potui immittatur. Joan. Heurnius, ad aphoriſ. 13. ſect. 6.

Cauſa tollitur vomitu & purgatione. Inter purgantia hieram Galeni, qua non ſufficiente, hieram Pachii ſummis laudibus extollo. Ubi verò ſymptoma maximè viget, ego ſummo cum ſucceſſu diaphœnico cum philonio romano uti ſoleo. Ab uſu horum ad evacuantia inſenſibiliter eſt deveniendum, quæ cum motu, id præſtant ſunt ſternutatoria, quorum materia ſatis nota eſt, quæ ſine motu, ſunt diatrion pipereon, diagalanga. ſed præcipua ſunt ſal theriacale, & ſal abſynth. quæ hic ſunt magnæ efficaciæ, quibus non conferentibus, ab uſu olei ex calcantho in vino generoſo dati non abhorrerem. Quando ſymptoma urget, ad medicamenta quæ ipſum reſpiciunt deſcendendum erit: ideo mivam, cydon ſimplicem atque aromatizatam laudò, ſicuti theriacam, (vel quod magis probo) diagalangam, aut mithridatium cum philonio roman. caſtoreum etiam ex mulſa datum eſt præſtantiſſimum, quod alligatum etiam ex Tralliano, veluti amuletum convenit. Medicamenta etiam externa in eundem uſum ſunt uſurpanda; ideo profuſio ipſius ventriculi facta cum oleo, in quo caſtoreum, ſtyrax & maſtiche, una cum vino cretico in duplici vaſe ad conſumptionem vini coquantur, eſt maximi uſus. Linimentum quoque ex mithridatio liquato in aqua ardenti mihi eſt ex uſu, quib. non conferentibus una cum Avicenna ſinapiſmo probo Jul. Cæſar Claudinus conſult. 18.

Puer annorum circiter decem de ventriculi dolore conqueſtus, ſine ferè intermiſſione, idque per octiduum dies noctesque ſingultiebat, ad me adductus, aquam nucum viridium cum raphano in aceto prius maceratarum extillatam propinavi, qualem vomitionis excitandæ gratia exhibere ſoleo. Verum etſi minimè vomuerit, tamen ſtatim ſingultus deſiit, & cũ ſub noctem denuò hauſtum bibiſſet, ab hoc ſymptomate perverſo penitus fuit liberatus. Felix Platerus obſ. lib. 1. pag. 217.

Chirurgus quidam æger factus, mox ſingultire cœpit, adeo continuatis vicibus dies noctesque, ut nec dormire, nec rectè loqui aut cibum capere poſſet ad extremum hoc pacto debilitatus, cum nil juviſſet, & jam quaſi in agone eſſet, dedimus illi non ſine metu, ipſo tamen ſummopere rogan-

te, vomitorium ſatis validum chymiſticum, quod ad manus erat, unde immenſam bilis æruginoſæ & nigræ copiam evomuit aliquoties, ceſſavitque ſingultus, ipſeque ſenſim convaluit. Felix Platerus obſ. lib. 1. pag. 218.

Adoleſcens quidam febre hemitritæo correptus, ſingultu etiam perpetuo afficiebatur. Dedi vomitorium ſequens.

℞. Radic. raphan. ℥ ij. ſem. attriplic. aneth. an. ʒ j. F. decoctio in colat. ℥ iv. diſſolv. ſyrup. acetoſ. ſimpl. ol. oliv. an. ℥ j. bibat, & fauces irritet digito vel penna ut vomat. Juſſi ventriculi regionem fomentare decoctione abſynth. in vino, addito pulvere caryophyll. item ventriculo apponatur cruſta panis in vino madefacta & pulvere caryophyll. aſperſa, cum longioribus jam intervallis ſingultiebat, dedi iterum tale vomitorium.

℞. Ol. amygd. d. ℥ iß. ol. aneth. ʒ ii. aq. nuc. virid. ℥ iii. M. bibit, & denuo vomitio ſecuta eſt. Poſtea ventriculum inunxit ol. nucis moſchat. & ſumpſit conſerv. roſar. Deinde aliquoties purgatus tandem convaluit. Idem obſ. lib. 2. pag. 314.

Extra maximè convenit fotus ex aceto valde acri cum caſtor. piper. ſinapi bene calido per ſpongiam ventriculo applicatus. Rodericus à Fonſeca tom. 2. conſult. 27.

Puellæ cuidam tredecim annorum ſingultu laboranti exhiberi jubeo calomelan. gr. 16. diagrid. gr. 8. quo ſolo remedio affectus in totum ſublatus eſt eodem die. Lazarus Riverius. cent. 3. obſ. 42.

Vir quidam febre maligna laborans graviſſimo ſingultu & ferè aſſiduo torquebatur. Vocatus in conſilium, laudani gr. 2. præſcribo cum emulſione quatuor ſem. frigid. maj. in qua ſalis prunellæ ʒ 1. diſſoluta fuit; intra horam ceſſavit ſingultus, nec amplius rediit. Lazarus Riverius obſ. 78. cent. 4.

Extemporaneum pro ſingultu remedium eſt thoracis compreſſio *Johan. Hartmannus poſt chymiatr. pag. 176.*

Singultus periodicus.

Vivit hîc ſpecioſæ formæ virgo annorum 24. temperamenti laudabilis, quæ cætera ſana, quotannis ferè ſtato plerunque tempore ſingultu affligitur tam pertinaci, ut periodum 14. dierum non rarò abſolvat; aliquando & ultra progrediatur, contemptis, quæcunque etiam in adverſum à variis Medicis tentata ſunt, medicamentis; tam continuo, ut nullum interea horæ diurnæ minutum à ſingultiendo vacuum experiatur. Noctes ſolæ quietæ ſunt, & ſomni imperturbati; prima luce, expergiſcente ægra expergiſcitur & ſingultus, totumque diem faſtidita concuſſione inquietat. Tandem inventum nobis eſt huic malo remedium. Illud ipſum eſt, venæ ſectio liberalior è vena brachii. Memini fluxiſſe etiam aliquando menſtrua ſic ſatis copioſè durante malo, nec ideo ſingultum vel tantillum intercalaſſe. Sed cur ſola brachii vena ſecta juvat? an flatulentum quiddam acri junctum vaſa ſanguinea diaphragmatis, & per conſenſum nervos etiam perturbans aperta vena tam vicina exitum inveniat, an alia, in re hactenus ferè inaudita, excogitari convenientior ratio poſſit rerum Medicarum conſultis expendendum ulterius relinquo. *Olai Borrichii.*

Singultus lethalis.

Tertiam cauſam Convulſionis & Singultus ſi Hippocrates 6. Aphor. 39. addidiſſet, nempe irritationem à materia acri & mordaci, oracula ſua complemento auxiſſet. Irritatur enim orificium ventriculi, vellicatis nervis à ſexto pari propagatis vel à flatu, vel à vaporibus calidi hepatis; unde lethale prognoſticum in Coacis deducit, vel à tumore comprimente, qualem illi adfuiſſe ſuſpicio fuit, quem Patavii perpetua ſingultiendi moleſtia novimus: vel ab acrimonia lactis non ſuperflui, quæ infantes vexare nonnunquam ſolet. Cujus etiam non ita pridem exemplum habuimus. Filiola natu minima fratris mei chariſſimi Bartoli Bartholini, Profeſſoris Regii & Academiæ noſtræ Senioris, Bartelotta Maria 17. hebdomadas nata, ventriculi nauſea ſenſim oborta, forſan à lactis acrimonia, circa meridiem 25. Maii ſpaſma ſiniſtræ manus cum ſingultu continuo, eadem materia nervos ſtomachicos irritante & convellente, correpta fuit. Levior ille ſpaſmus ſubinde remiſit in manu, quia levior cauſa; ſed ſingultus perſeveravit, ventriculo à materia vellicante ſe expedire non valente, ut nullas ſomno inducias concederet, Omnia fuere à me & D. Mathia Jacobæo adhibita, externa pariter & interna, ad abſtergendam inimicam ſtomacho materiam, ſed inhibere in tenellulo corpuſculo nulla arte potuimus mortis celeritatem, quin decima octava hora, ſingultu perſeverante, elegantiſſima anima expiraret.

Affinem hinc de Singultu, ejuſque remedio, ſternutamento, obſervationem ad me miſit D. Joh. Ant. Hannemannus, Actis noſtris inſerendam, quam hoc loco commodo reponam ipſius Clariſſimi Viri verbis.

Ante biennium cùm quidam Decurio ex præſidiariis noſtris Epatis inflammatione laboraret, diebus paucis ante mortem in ſingultum vehementiſſimum incidit, ad quem convincendum cùm varia à me adhiberentur, eum tamen tollere non licuit: duo verò præprimis aliquid auxilii afferre videbantur, & ſingultum ad mediam horam tollere, ſcill. manus frigidæ imponeret aquæ, juſſi, hinc ſingultus ad mediam deſiit horam; & cùm ſingultus rediret, cucurbitas meo juſſu ſine ſcarificatione ventri applicarent; iterum ſingultus ad horæ quadrantem remiſit. Cùm verò hic ſingultus ægrum rurſus moleſtaret, ad ſternutamentum tranſii, Errhinum fortiſſimum in nares inſufflatum eſt, verùm nullam ſternutationem movit; Quare ſi ægri ad ſternutationem errhino vel pulvere ptarmico compelli nequeunt, pro infauſto & infelici ſigno habeo: Naturæ conſultiſſimi, ac arcanorum ruſpatores hujus rei reddant cauſam. Meo judicio, quando ægri ad ſternutandum medicamento impelli nequeunt, certiſſimum indicium eſt facultates vitales & animales peccante materia ſuppreſſas eſſe, ita ut non valeant hoſtem ſuum ipſas prementem expellere, & jam ſuccumbere victaſque dare manus. An verò in omni morbo pro infauſto ſigno habendum ſit, non definiam ego, eſt enim

altioris

altioris indaginis. Credo enim, ut cuilibet morbo ſua ſingularis corpus occidendi methodus eſt, ſic quoque quilibet morbus ſua peculiaria & propria infauſta ſigna habet. Sternutatio cui operi naturæ in macrocoſmo analoga ſit, non immeritò quis quæreret? Terræ motum quodammodo refert. An vero in infantibus lumbricos ſemper indicet? Mihi non ſit veriſimile, acres ichores ſæpius è capite depluunt membranas ſummè ſenſiles irritantes, ſternutationem cauſantur. In oculorum affectibus corpore l. a. evacuato ſternutationem maximè utilem credo, & ſic eam admittit in Curatione Guttæ ſerenæ Excellentiſſ. Colterus: præprimis verò probo in oculorum morbis pulverem naſalem Th. Bartholini, hic etiam citra ſternutationem cerebrum benè purgat, quo pulvere omni mane utor jejunus, inter decem vices mihi vix ſternutationem movet, nihilominus maximam pituitæ copiam ex cerebro depluere facit, quem itaque in ophthalmicis morbis pro arcano habeo, cum ejus uſus maximè tutus jucundusque ſit. *Th. Bartholini.*

De Singultus Diuturni curatione.

Singultus omnium ferè Practicorum conſenſu inter expultricis facultatis ventriculi ſymptomata meritò refertur, excepto Platero, qui eundem ad depravatam reſpirationem rejicit. Hunc nos jam aliquoties etiam contumaciſſimum ſuſtulimus ſequenti miſtura, quam B. L. fideliter communicavimus.

℞. Vini cydon. tinct. roſar. an. ℥j. ſyr. cydon. ℥ß. extr. zedoar. gr. ij. ol. deſt. cort. aurant. gr. 4. laud. opiati gr. 2. M. pro potiuncula cochleatim ſumenda. Inter alios autem, qui hac miſtura feliciter & cum fructu uſi ſunt, eſt cùm Magnificus p. m. Proconſul Dn. Thom. B. ſcorbuto ſimul confirmato laborans: tum Dn. Henricus Brinckmann, Scabinus Vet. Civit. jam ἐν ἁγίοις, atque Eraſmus Reitel Bibliopegus, & Æditus Marianus eodem ſymptomate per annum infeſtatus, nuperque periculosè & tantùm non lethaliter correptus, vir ſexageſimum annum ſupergreſſus. Ea ipſa miſtura fermè olim excellentiſſimum Dom. Henricum Schavium Phil. & Med. D. atque Gymnaſii noſtri Rectorem meritiſſimum, jam piè demortuum, beatè etiam defunctum Matthiam Kimpel, civem & mercatorem Thorunenſem, ab eodem ſymptomate liberaſſe meminimus. Quibus remediis Hippocrat. febrem ſingultuoſam fugaverit videatur liber de v. Acut. ſ. 4. p. 711. De Singultus differentiis à cauſis deſumptis videatur Idem S. aphor. 58. & 7. 17. 41. Tob. Konoblochius in comm. Item *Hollerus pag.* 307. 313. 314. *Simonis Schultzii.*

SIRONES
Vid.
PEDICULI.

SOMNAMBULATIO.

Somnambulationis cauſa in eo conſiſtere videtur, nempe quod ſpiritus animales ſint effeti nimis, & irrequieti, ut unà omnes minimè ſuccumbant, verùm aliqui, cæteris feriantibus, ſponte exiliant, ac motum ineant, non ſecus ac canes forian unus, & alter, ſine quovis imperio, aut reliquorum conſortio venatui accinguntur: propterea item, quòd ſpiritus ad exſpatiandum apti, pro excurſu ſuo, in medullâ oblongatâ, juxta originem nervoſam potius, quàm in cerebrô, aut meditulliò ejus ſpatia liberiora obtinent. Videtur enim quòd durante ſomnô, pori & meatus, in cerebri globosâ compage inferciantur adeò, ut ſpiritus illic, non ſecus ac lympha gelu conſtricta, unà omnes arctè compingantur: interim intra medullares cerebri & medullæ oblongatæ proceſſus, qui verſus origines nervoſas ducunt, ſubſtantiâ laxior, & humore adventitiô minùs occupata exiſtat; ut ibidem ſpiritus in motum prompti, ſe facilè exerant, & nervorum capitella ſubeuntes, motus locales, quorum ſenſus communis, & ſuperiores animæ facultates prorſus ignaræ ſunt, producant. Enim verò talis cerebri, ejuſque appendicis diſpoſitio, quæ ad noctu vagationem inclinat, tanquam à peculiari quâdam organi conformatione dependeat, quibuſdam hominibus; à nativitate propria exiſtit, nec quibuſvis indifferenter accidit, aut unquam ab inordinatâ victus ratione contrahitur. Novi in quadam familiâ ubi & pater, & nati omnes huic affectioni ſunt obnoxii, fratres noctu in ſomnis ſæpe per domum diſcurrere, interdum convenire, ac invicem obviam factos comprehendere, adeoque ſe mutuò exſuſcitare. Attamen alii, quibus hæc labes haud ab ortu imprimitur, nullâ προφάσει, ſeu manifeſtâ occaſione, in hunc affectum incidunt. *Thomas Willis Tractatu de Animâ Brutorum.*

Somnambula.

Sicut vigilia eſt actio ab expanſione facultatis animalis à primo ſenſorio ad ſenſus externos, ita ſomnus eſt vinculum, ſive copula eorundem in primo ſenſorio; unde Ariſtoteles idem voluit, vigilias conſiſtere in ſentire, quod eſt operari. Verùm quoniam operatio quæ fit in vera & legitima vigilia, non conſiſtit in ſola ſpirituum expanſione ad ſenſus externos, ſed ſecundò in receptione ſpecierum ſenſibilium quæ ad cerebrum à ſenſibus externis offeruntur, & tertiò in recto judiciò earundem, quia judicantur & objecta propria, & objecta communia; idcirco non vigilare, ſed dormire Nob. Puerũ jure merito ſtatuendum, licet in ſomno clamando, vociferando, ſeipſum movendo, & ambulando operari videatur. Somnambulus propterea rectè dicendus eſt, ſtatuendumque operationes hujuſmodi omnes præter naturæ intentionem exerceri, quarum cauſa immediata eſt facultas imaginatrix adeo irritata, ut inconſulta ratiocinatrice motricem impellere & ad operationem excitare valeat. Et ſicut cauſa mediata debet fixam & fortem reddere imaginationem, ita alia requiritur impellens, quæ mobilem reddat eamdem cum facultate motrice; ut propterea fat no-

bis non videatur vapores craſſos, fuliginoſos & melancholicos aſſignare; ſed neceſſe ſit tenues quoque mobiles & calidiores ad hujuſmodi exercitia in ſomno peragenda comprobare; unde & ipſe Gal. dicebat, mirum non eſſe, ſi cum animalis facultas ab humorum copia, & craſſitie gravata vexatur, homines vix ſeipſos movere, ac onera quædam portare per ſomnium imaginentur; contra vero cum levis, ſuperfluitatibuſque craſſioribus vacans affectio corporis ſit, ſe vel volare, vel velociſſime currere per inſomnium videant, cum animæ viſa corporis affectionibus ſemper aſſimilentur. Quibus ita ſuppoſitis, examinanda ſunt viſcera Pueri, quæ certiſſime erunt intemperie calida affecta; & forſan organicus quoque morbus addetur, nempe obſtructiones: pro certo enim habemus vapores calidiores, & à jecore, & à corde cerebro communicari, qui facultatibus, imaginitrici atque motrici in ſomno quoque agendi & operandi anſam præbeant: ſicut craſſiores neceſſario ſupponendi, qui ſopitas reliquas facultates ſervent, & præſertim ſpirituum animalium tranſitum ad ſenſus externos intercipiant. Quorum vaporum minera, vel à cauſa interna, & præſertim liene; vel ab errore externo & potiſſimum à vini potu, vel ciborum in caput evaporantium comeſtione, erit petenda.

Et cum affectus iſte quatuor abhinc annis ſemper invaluerit, verendum ne in deteriorem degeneret, ſicque epilepticus evadat; præterquam quod & per accidens lethalis quoque fieri poteſt.

Quare omnia agenda ut quamprimùm remittatur, atque tandem ad nihilum redigatur; idque auxiliis medicis, poſteaquam pubertatis beneficio frui non potuerit. Et quamvis affectus omnes chronicos in pubertate non relinquentes, Hipp. ipſe conſeneſcere ſolitos eſſe affirmet, id tamen de ſola ætatis mutatione intellexit, tunc auxiliis medicis minimè conſideratis.

Quare expiatis primis viis, obſtructiones, ſi quæ adſint, ſunt aperiendæ. Maſſa ſanguinea à vitioſis humoribus depuranda. Calida jecoris, venarum & cordis intemperies corrigenda. Caput aliquo pacto roborandum, & congrua vivendi ratio inſtituenda. Quæ omnia erunt remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis & Diæteticis executioni mandanda.

Et ſi de Chirurgicis loquamur, congrua erit ſanguinis miſſio ex pede, Vere futuro quoque repetenda; ita enim pro præſervatione Comitialibus & Vertiginoſis ex pede, ſanguinem mittendum præcipiebat ipſe Gal. Cauterium quoque coxæ affixum abs re non erit, ſed differendum; Quos enim morbos non ſanat medicamentum, ſanat ferrum, & ignis. Interim veſpertinis horis ante cœnam valde conferre poterunt frequentes pedum lotiones aqua calente.

Pharmaceuticis primæ viæ expediantur, vel ſyrupo roſ. & de polyp. vel lenitivo cum tartaro. Intermiſſis quinque diebus, Præparantibus ex julap. acet. ad ℥ iij. cort. citri alterato. Inde ad ſuccorum depur. uſum erit ducendus, ſi non ex cichor, ob amaritudinem, ſaltem ex endiv. borag. & pomis dulc. ad ℥ iij. qui per arenam trajici poterunt, ut clariores & ſuaviores evadant; præbeantur autem in jure pulle cichor. malva & beton. alterato; quibus inſiſtendum ad 20. dies, & ſingula hebdomada exhibendum aliquod catharticum elective purgans; ut extractum rhab. ſennæ, & polyp. cum elect. lenit. ſuperbibendo una, aut altera tranſacta hora ab aſſumpto medicamento, aut ſerum depur. aut aquam hordeaceam. In ſuccorum autem progreſſu, ſi obſtructiones adeſſent, addi poterunt gr. 10. aut 12. tart. vitriol. aut ſaltem ſalis tartari. Atque tandem tranſactis jam dictis 20. diebus, pilulæ quoque unica vice prodeſſe poterunt de tribus, aggregat. & aureæ, ſimul compoſitæ.

Viſcerum fervor erit quarto loco contemperandus, quod præſtari poterit, quotidie exhibendo cyathum aq. ſtillat. de ſucco cich. addita conſerva de acido citri, xv. aut xx. diebus ſummo mane aſſumendum. Tandem aliqua capiti corroboratio facilis non erit ſpernenda; in quem finem ſub ingreſſum lecti, de more uti debet conſerva roſarum, guttulis aliquot ſpiritus vitriol. & tincturæ chimicæ corall. reformata. Pariter in uſum ducat quintam eſſentiam roſarum, qua illiniantur nares tempora & ſutura coronalis.

Quibus ſi malum non cedat, nos ad opiatorum uſum devenire ſolemus, ſub ingreſſum lecti præbendo granum unicum ladani nepenthes, nonnunquam vero & tutius, ſyr. de papav. ad ℥ i. ut qui & cauſam antecedentem reſpicere, & vaporum atque ſpirituum motum ſiſtere valeat.

Quo fine circa victus rationem, à vino per annum omnino abſtinere ſaluberrimum fore cenſemus; ſicut ab omnibus vaporoſis alimentis, præſertim calidioribus. Exercitium jejuno ventriculo commendatur; nec ad ſtudia Nobiliſſ. Puer ſollicitetur, alacrique animo ſit. *Raym. Joh. Fortu Conſ. & Reſponſ. Medic. Tom. 2. Cent. 1.*

Medicatio Iuvenculæ, Somnambulonis.

Juvencula viginti annorum & temperamenti calidioris, decimâ à puerperio nocte, domeſtica quædam negotia ſibi peragenda ſomnians; è lecto ſine ullis veſtibus, inter ſæviſſima hyemis frigora ſurrexit: & cum è thalamo hac imaginatione ducta in partes domus inferiores deſcendere vellet, ſtrepitu januæ, quam aperiebat, matrem, eodem cum ipſa decumbentem lecto, expergefecit. Hæc novitatem rei admirans, filiam altâ voce increpuit & ad ſe revocavit: quo illa expergefacta ad lectum rediit, dicens ſe niſi clamoribus iſtis è ſomno fuiſſet excitata, domo exituram fuiſſe. Vigeſimo quarto poſt die, cum marito dormiens, circa noctis gallicinium ſubitò è lecto exiliit, & ad januam cubiculi properavit. Verum à marito evigilante, & ſtentoreâ voce eam inclamante excitata, flens & tremens ad lectum revertit; narrans ſi è lecto voluiſſe fugere; ad evitandam vim, quam virum quendam ſibi inferre velle ſomniabat. Poſtea ſimilia inſomnia, eam ad ſomnambulandum cogentia, ſæpius eſt paſſa, in quibus ſine ulla noxa tam periculoſa adiit loca, quæ vigilans nulla ratione adire auderet.

Afficitur in hac fœmina cerebrum, ſecundum ſubſtantiam, & ſpiritus, ventriculis cerebri contentos, quod probat imaginatio, in ſomno ipſam adeò

adeo inquietans. Afficitur etiam totius corporis ſanguis, unde fervidi iſti ſpiritus gignuntur.

Morbus qui eam infeſtat, eſt Somnambulatio; ſive intemperies ſpirituum, in ventriculis cerebri nimis copioſe inter dormiendum exiſtentium, juſto calidior & fervidior, cum intemperie viſcidiorum quorundam vaporum, cerebri ſubſtantiam, longius à nervorum principio, occupantium, conjuncta; quâ illa, per inſomnia nocturna è lecto interdum exſurgens, ad ambulandum in ſomno impellitur.

Cauſa hujus morbi antecedens eſt ſanguis fervidior & viſcoſior ac craſſior, in toto ejus corpore redundans, qui viſcidioribus & craſſioribus quibuſdam partib. in cerebri ſubſtantiam vaporis ſpecie delatus, & ſubtilioribus in copioſos ſpiritus animales converſus, hujus morbi, dum ægra interdum vehementius ſomniat, continens eſt cauſa.

Dum enim iſti ſpiritus ipſi in inſomnio, quod de re cupidius proſequenda vel fugienda, ob imagines, ex quibuſdam expanſis cerebri poris; menti in ſenſorio communi, à preſſione vicinarum partium tum temporis libero, oblatas, habet, vehementius in ventriculis cerebri moventur, determinantur illi in illos membrorum nervos & muſculos, in quos ſimilis cogitatio eos in vigilia determinare ſolebat. Iique in muſculos illos copioſius & vehementius fluendo eam dormientem erigunt, & in varia loca, quamdiu hoc inſomnium durat, deferunt. Nec tamen ipſa ex hoc vehementiore ſpirituum motu evigilat; quia reliquum cerebrum, ubi imagines ſive notæ decori, honeſti, utilis, aliæque ſunt pictæ, à viſcido & craſſiore vapore occupatum, propterea expandi non poteſt. Atque ideo vagatur illa in ſomno, quo ipſam imaginatio ducit, donec, vehementiore matris vel mariti, vel alius eam increpantis, clamore, viſcidiores & craſſiores iſti vapores è cerebro diſcuſſi vel diſſoluti, cerebrum à ſpiritibus expandi, & rerum omnium imagines menti offerri patiantur, atque illa ita expergiſcatur.

Quod verò fieri poſſit, ut in una dormientium cerebri parte ſpiritus vehementius, in alia tardius eodem tempore moveantur, & nervis poriſque cerebri unis per ſomnum clauſis, alii pateant; præter inſomnia vulgaria, manifeſtum eſt ex medicamentis quibuſdam ſomniferis, inquietiſſima inſomnia cum profundiſſimo ſomno excitantibus; atq; ex ſpontanea dormientium, & reliquo corpore quieſcentium, reſpiratione. Nam ſomnifera illa hoc aliâ ratione non faciunt, quam quod peculiari ſuo temperamento cerebrum in aliqua parte gravent, & in aliâ ſpirituum vehementem motum excitent, ac quoſdam cerebri poros, imagines quarundam rerum continentes, aperiant, eaſq; menti in ſomno offerant. Et ne quis contrarias has ſomniferorum in cerebro dormientium operationes miretur, conſideranda eſt aqua communis; quæ in ignem flammantem injecta ardorem extinguit: in calcem verò vivam, ardorem excitat. Reſpirationem dormientium ſpontaneam quod attinet, illa nullâ aliâ ratione fieri poteſt, quam quod, reliquis nervis clauſis, reſpirationi perpetuò pateant, in eoſque ſpiritus ex cerebro continuo fluentes, modò inſpiratorios, modò exſpiratorios muſculos, diſtendant, atque ita aërem viciſſim in pulmones & ex pulmonibus pellant.

Hæc juvencula ſomnians, tam periculoſa, citra noxam, adit loca; quia, ob pleroſque cerebri poros per ſomnum clauſos, notæ periculorum antea perceptorum menti ejus non offeruntur; atque ideo nullo terrore perculſa, intrepidos & firmos in illis periculis figit egreſſus, atque ita feliciter ex iis ſeſe expedit.

Non omnes autem dormientes ſunt ſomnambulones, neque etiam hæc fœmina ſingulis noctibus patitur ſomnambulationem; quia non omnes homines, nec etiam hæc fœmina ſemper ſpiritus in cerebro tam vehementer habent motos, qui nervos & muſculos tantopere diſtēdere queant, ut corpus eorum inter ſomniandum erigatur, & de loco in locum ambulando transferatur.

Somnambulatio licet ſæpe nullum nocumentum inferat; quia tamen multi ſomnambulones in vitæ periculum, imò in ipſam mortem ſe incautè conjecerunt; idcirco curationem inſtituendam cenſeo: tum in paroxyſmo; tum extra illum: præſertim, cum in epilepſiam hoc malum nonnunquam degenerare nonnulli ferant.

In paroxyſmo ſomnambulationis deprehenſa, ſi in periculoſo loco fuerit cavendum ne excitetur, quia talis excitatio poſſet illam perdere; ſed permittendum, ut ex eo ſua ſponte ſeſe expediat, & in tutum perveniat. In tuto ubi fuerit, erit excitanda & acriter increpanda, &, ſi hoc non ſufficiat etiam caſtiganda. Ut, notis iſtis objurgationis & caſtigationis cerebro profundius impreſſis, à ſomnambulatione tam periculoſa poſtea deterreatur.

Extra paroxyſmum cauſa antecedens erit alteranda & è corpore educenda: & intemperies capitis contrariis corrigend.

Primo itaque purgetur pilulis:

♃. Aloës gr. 12. Scammonii gr. 8. vel 10. Cum ſyr. roſat. ſolutivo q. ſ. F. Pilulæ num. 3.

Poſtridie educatur ſanguis è brachio dextro ad uncias, octo, vel decem. Et deinde hoc utatur apozemate.

♃. Rad. cichorii ℥ii. Pæoniæ maris, fæniculi, petroſelini an. ℥ß. Ellebori nigr. ʒiii. Heb. cichorii, lactucæ, endiviæ, agrimoniæ, chamædrios, cardui bened. beton. an. m. j. Sem. quatuor frigid. major. an. ʒiii. Aniſi, fæniculi an. ʒi. Amigd. dulc. paria. viii. Tamarind. ℥i. Decoquantur in aq. comm. ad ℔ j. ß. F. Apozema, de quo quotidie ter quaterve bibat hauſtum quatuor unciarum.

Dum utitur hoc apozemate, quarto quoque die purgabitur pilulis ante præſcriptis.

Lavetur deinde ſæpe in balneo aquæ dulcis: & ſubinde ſub ſomnum ſumat emulſionis amigdalatæ ℥ vi.

Perſeverante affectu, amigdalato conficiendo addi poterunt ſeminis papaveris albi ʒii. vel iij.

Ad vehementiora ſomnifera vel ſtupefacientia non eſt progrediendum; quia illa, inſomnia quidem ſomnambulatoria impedirent; ſed metus eſt, ne, cerebrum nimium gravando, coma vel carum accerſerent.

Poteſt etiam uti lotionibus caput mediocriter refrigerantibus, caput deinde bene exſiccando.

Ad cerebri corroborationem utatur hoc medicamento. ♃. Conſervæ roſar. ℥iß. fl. borrag. ℥ß. pulv. ſem. pæoniæ maris ʒii. ſp. diarhod. abbat. ℈iv. cremor. tartari ʒi. cum ſyr. conditurae citri q. ſ. F. conditum, de quo nonnunquam ſumat dragmæ quantitatem.

In

In victus ratione aër ſit purus, & inter dormiendum caveantur radii lunæ, quibus in hoc malo augendo magna efficacia adſcribitur. Cibi ſint boni ſucci, non flatulenti, vitentur itaque fabæ & lentes & ſimilia. Somnus non ineatur mox à cœna; eaque ſit parcior. Imaginationes & affectus non ſint fortes, ſed mites: ne iis imagines cerebro fortius imprimantur, eaque, poſtea menti vehementius in ſomno oblatæ paroxyſmum ſomnambulatorium accerſant. In primis autem opera eſt danda, ut dormiat in cubiculo exactiſſimè clauſo; ut, quamvis ex lecto ſurgat, ulterius tamen progredi nequeat & præcipitia aliaque loca periculoſa adire non poſſit. *Henricus Regius recenſente Theodorô Craanen, Medicationum lib.*

De Somnambulonibus, & nonnullis aliis, qui ab alto deciderunt, abſque magna læſione.

Quidam in agro Neocomenſi ad Fontem Andreæ, Pierre Galantier nomine vir probus, robuſtus,& optimo corporis habitu præditus, & quadrageſimum annum ætatis agens, cum anno 1605. Neopolin ad lacum Neodunenſem, amicos inviſendi, & nuptias celebrandi causâ profectus eſſet, & quadam die in convivio præter voluntatem ad compotationes compelleretur urgereturque, effugit, & ſe cubiculum quoddam ſecundæ contignationis domus, quò compotationes ſuperfluas effugere poſſet, abſcondidit. Circa mediam noctem, quum gravi ac profundo ſomno correptus eſſet, ac ſe ex convivio effugere & viridarium ingredi velle, ſomniaret, è lecto ſurgens, feneſtram aſcendit, indeque in terram cadit. Mox à ſomno expergefactus ejulat, & clamoribus ſuis domeſticos excitat: qui accurrentes, ipſum ſemimortuum in hypocauſtum transferunt. Vocato ejus loci Chirurgo, nulla deprehenſa fuit læſio, præterquam quòd cutis circa talos ad murum ex parte abraſa fuerat. Talis itaque emplaſtris applicatis, inunctis item lumbis & venâ in cubito ſecta, intra paucos dies ſanitati reſtitutus fuit, & ad hunc uſque diem ſanus & incolumis vivit. Non enim adeò pridem, quum in agrum Neocomenſem ad nobilem virum D. Iſaiam Horricæum vocatus eſſem, prædictum Petrum Galantier ipſemet vidi, & illa, quæ acciderant, ab ipſo, præſente nobili viro excepi atque annotavi. Ab eo tamen tempore, nunquam ſimile quid ſibi accidiſſe, affirmavit.

Idem nobilis vir Horricæus mihi retulit, ſe ante annos 20. in ditione Epiſcopatus Baſileenſis, paganam ſomnambulonem cognoviſſe, illamque noctu ſurrexiſſe, & dormiendo rem familiarem adminiſtraſſe, imò & aliquando in campos ad operarios & exſpatiatam fuiſſe. Idque ſe ſuis vidiſſe oculis, mihi affirmavit.

Luſtrici propè Loſannam ad lacum Lemannum civis quidam 28. annor. ætatis, à juventute ſomnambulonem egit. Qui cùm puer adhuc eſſet, frequenter noctu dormiendo è lecto ſurgebat, & per ædes & plateas obambulabat, vociferabatur, ac diſtinctè loquebatur. Id quod à multis viſum & obſervatum eſt. Qui hujuſmodi adhuc perageret, niſi uxor ejus illum coërceret, noctuque retineret. Hic tamen mentis nunquam uſque adeò compos fuit.

Ante annos 24. cùm apud præſtantiſſimum Coſmum Slotanum, Praxin Chirurgicam exercerem, vocati fuimus ad puellum, trium circiter annorum ætatis, qui ex ſuprema domus altioris contignatione, in pavimentum lapideum decidens, cerebrum ejus aliquo modo commotum concuſſumque fuerat, unde ſtatim vomitus cibi indigeſti ſubſequutus. Slotanus accerſitus, abraſis crinibus totum caput ad tertium uſque diem oleo roſac. inunxit, pulverem roſar. & myrtillor. inſperſit, & Enemata exhibuit. Tandem etiam capite per dies aliquot inuncto oleo ſuo ex floribus, æger convaluit.

Eodem anno, vir quidam pius, & magni nominis Medicus, nec non amicus meus ſingularis, divinitus ſervatus fuit. Cùm enim obſcurâ tenebroſiſſimâque nocte, montem quendam, in quo fodinæ carbonum foſſilium erant pluriмæ, eques tranſiret, ac parùm à via recta deflecteret, unà cum equo ſuo in fodinam, viginti cubitos (ſi rectè memini) altam decidit. Sed quia fodina illa adeò anguſta fuerat, ut homo ſolus tantùm deſcendere poſſet, equus in medio tantummodo fixus & hærens remanſit. Famulus quum Dominum ſuum viventem adhuc intellexiſſet, protinùs iterum equum ſuum conſcendit, & ſummâ qua potuit feſtinatione ruſticos è proximo pago accerſit, qui ſecum reſtibus omnibuſque neceſſariis allatis, virum iſtum planè illæſum è fodina extraxerunt, equo tamen mortuo. *Guilielm. Fabric. Hildanus Obſervat. Chirurgic. Cent.* II.

SOPOROSI AFFECTUS.
Vid.
CARUS.

SPASMUS.
Vid.
CONVULSIO.

SPHACELUS
Vid.
GANGRÆNA.

SPINA VENTOSA.
Vid.
OSSIUM MORBI.

SPUTUM CRUENTUM,
Vid.
HEMOPTISIS.

SQUINANCIA.
Vid.
ANGINA.

STAPHYLOMA
Vid.
OCULORUM VITIA.

STEATOMA
Vid.
ATHEROMA.

STERILITAS.

Sterilitatis cauſæ ſunt innumeræ & ſubinde imperſcrutabiles. Nam ex parte viri, poteſt eſſe vitium in ſeminis generatione & excretione: ex parte fœminæ, poteſt eſſe vitium in ejuſdem ovulis item in utero ipſique annexa vagina. Hinc eſt quòd ſæpius, imò ordinariò ferè poſt abortum laborio-

laborioſiorem fæminæ poſtmodum fiant ſteriles. Item vitium poteſt eſſe ex parte utriuſque reſpectivè; hinc eſt ut mas cum hâc fœminâ generare nequeat, qui tamen cum altera optimè generat: & contra poteſt eſſe ut fœmina cum hôc mare ſit infœcunda quæ poſtmodum aliis ſociata liberos gignat; Nam in hoc omnes conſentiunt Practici, tam veteres quàm moderni requiri certam maris & fœminæ, quoad generationis negotium proportionem ſeu harmoniam, ſed qualis ſit, & in quo conſiſtat hæc proportio & harmonia, nullus adhuc explicavit; nec explicare ego illud præſumo: in ſpecie magis in ſexu fœminino, quàm maſculino in ſexu cauſam ſterilitatis latere ex eô patet, quòd vitium in virô ſit primariò unicum, nempe in ſemine, ex quo viciato generationi eſt ineptus: Nam membri vitia aut parum obſunt, aut facilè corrigi & emendari poſſunt; Unicum ergo vitium eſt in ſemine maris; Et quidem hoc ipſum ſemen maris, ſi aut deficiat aut minus ſpirituoſum facilè hoc ex congreſſu cognoſci poteſt, qui ſi ſit languidus & diutius cum tædio protractus, ſemen minus ſpirituoſum & ob id defectuoſum innuit: Fœmina è contrà, quæ & concipere, conceptum fovere, & tandem excludere debet, variis ac multiformibus vitiis, teſtium, uteri, vaginæ, imò totius corporis laborare poteſt, & per conſequens conceptionem fruſtrare, ut ut mas optimè ſe habeat.

Et quidem præ cæteris internis & latentibus ferè cauſis in fœminis accuſari ſolet defectus ſeminis (ex modernorum hypotheſi) defectus ovulorum non genitorum vel in uterum non rejectorum vel eorundem ad conceptionem ineptorum; item pertinet huc defectus materiæ chyloſæ, ex qua albumen, ut ſic dicam, ſeu incrementum ovi uterini & tandem materia nutrimenti fœtus in utero ſuppeditatur: Hinc enim eſt, quòd nutrices & eæ quæ lactant rariùs ſoleant concipere aut conceptum fovere; Item macriores, fœminæ & aridiores minus fœcundæ eſſe ſolent, pingues & exceſſivè tales cùm materia albuminis citius in ſupplementum pinguedinis ſuppeditetur, & ipſæ etiam minus fœcundæ obſervantur, Denique Fontanellæ, quæ uberiùs fluunt & ſpoliant corpus, aut ulcera inveterata aut fiſtulæ, cùm maſſam ſanguineam exhauriant, inſigniter obſervatur quod cauſæ ſterilitatis ſint fœmellis: Imprimis hoc de fontanellis obſervatur.

Denique Uteri membranoſi vitiata conſtitutio, nimis laxa ſcil. & flaccida, & cujus imprimis orificium internum nimis patulum eſt, etiam inſigniter ad ſterilitatem diſponit, & hoc obſervare datur in mulieribus cachecticis, fluxu albo laborantibus, hæmorrhagiâ uteri nimiâ & ſanguine ſeroſiore afflictis, & ſimilibus: In his vulgo dicitur quòd laboret uterus intemperie frigidâ & humidâ, aut quòd ſit inundatus ab excrementis pituitoſis. Unde imprimis quæ albo fluxu diutiùs laborarunt, ſteriles eſſe ſolent, aut ſteriles fiunt.

Denique externa quæque, ceu conceptum impedientia, aut eundem jam factum prodentia alligantur: hæc inter eſt aqua, ſeu liquor limpidus ex ſalicibus tenellis inciſis effluens, aut etiam decoctum ſalicis junioris, jejuno ventriculo hauriatur, nam hoc ad ſterilitatem fæmellas diſponere aſſerunt. Denique ſtatim à congreſſu Crocus aut mentha criſpa vaginæ uteri immiſſa conceptum impedire affirmant: Item lapidis ſpecularis ſeu glaciei mariæ ℨj. in decocto ſalicis vel vino ſtatim à coitu hauſta ceu ſingulare experimentum contra conceptionem commendatur. Borax ante vel brevi poſt congreſſum intra aſſumptus, ſimiliter ad ſterilitatem ſeu conceptus impedimentum diſponere dicitur.

Item mox poſt congreſſum peſſus ex helleboro albo cum caſtoreo intruſus, etiam conceptionem tollere aiunt.

Hæc de cauſis conceptionis læſæ: quas inter tamen adhuc ſunt quædam latentes & nobis à priori imperſcrutabiles.

Quod attinet ſigna ſterilitatis fœminæ, ſ. an fœmina talis ſit ut concipere nequeat non æquè patet. Equidem ſi à vitio fœminæ & uteri manifeſto dependeat malum, verbi grat. à ſcirrho uteri, ulcere &c. res ſatis eſt certa & clara: Verùm cauſas iſtas internas latentes expiſcari in ſpecie an fœmina abſolutè, an verò reſpectivè, ſolùm cum hoc vel illo viro ſit ſterilis, hoc à priori perſcrutari eſt impoſſibile.

Nam quod quidam ex Hippocrate de ſuffitu proponunt, item de peſſo ex Melantio utero intrudendo hoc ceu minus certum, ceu omninò fabuloſum tantùm inſtitutum mulierculārum arbitror.

Prognoſin quod attinet, an ſcilicet ſterilitas poſſit corrigi & emendari? Certè ſi dependet malum à vitiis & cauſis manifeſtis, prognoſis facilè inſtitui poteſt: ſi v. vitia ſint latentia, aut incognita harmonia & proportio in utroque ſexu, cautus ſit Medicus in prognoſi quia nihil certi poteſt determinari.

Pro cura ergo ut fiat prægnans mulier, præmiſſis ubi opus ſit univerſalibus, danda ſunt talia quæ ceu venerem ſtimulantia aliàs commendantur, & quæ etiam viris propinari ſolent: hinc ſubjicienda & ea quæ per experientiam ceu cognita contra ſterilitatem commendantur remedia; habitâ tamen ſimul ratione conſtitutionis & craſeos ſubjecti propriæ, imprimis an macra vel pinguis, an ſana vel cachectica fuerit mulier.

Inſtituenda eſt cura imprimis circa tempus menſium, ità quidem ut ante tempus præmittantur univerſalia totum corpus reſpicientia, poſt menſes verò conſtituentur ſpecifica utero appropriata, & eadem vulgò dicuntur roborantia tam interna quàm externa.

Quod attinet remedia hic ſatisfacientia de venerem ſtimulantibus Satyrio & Eryngio, item de Aromatibus, de ſeminibus acribus, eruca, Sinapi & ſimilibus tanquam abundè cognitis nihil dico: ſaltem lignum ſaſſafras eſt unum, quòd præ cæteris ad ſterilitatem muliebrem emendandam & corrigendam commendatur: in ſpecie ſi ad cachexiam non nihil inclinet, aut ſanguine nimis ſeroſo turgeat, ex hoc parata decocta aut ſecundum Hoefferum in Hercule medico vina medicata; item Eſſent. ſ. Tinct. ligni ſaſſafras copioſiùs & crebriùs uſurpata egregie conferunt. Unde etiam Tinct. coral. ſaſſafrata admodum laudari ſolet. Ambra, Moſchus & internè uſurpata, & externè poſt menſium fluxum cum peſſis vaginæ

Uteri

Uteri intruſa multa obtinent contra ſterilitatem; imprimis paranda Eſſent. Ambræ, pro uſu muliebri cum ſpiritu meliſſæ, hinc propinanda cum eſſentia Roriſmarini.

Hartmannus commendat tanquam experimentum ſal. ſatyrii, ſi à Ɔß. ad Ɔj. in aqua vitæ mulierum albâ, vel vino Hiſpanico aſſumatur; Sed aliud proprium ſibi experimentum reticet Hartmannus, & hoc ſunt teſticuli Cervæ; ex quibus teſticulis Cervæ Hartmannus parat ſuam eſſentiam contra ſterilitatem, quam tanquam ſingulariſſimam ſibi propriam reſervavit; Aliàs notum eſt quòd matrix Cervæ pulveriſata mulieribus commendatur. Porrò formicæ egregium ſubminiſtrant remedium uti ad temperandam impotentiam virilem ita & ſterilitatem muliebrem, ſpiritus formicarum & ex his parata eſſentia uterina, additis aliis ſpecificis appropriatis uterinis inſigniter confert. Sic etiam ol. formicarum volantium externè utero illitum ad conceptionem diſponit, non minus quam Balneum poſt menſium fluxum reiterandum.

Paratur ex formicis ſeu tale balneum cui integrum formicarum cubile ſit incoctum: hoc commendatur à Conrado Conradi in medullâ deſtillatoriâ, ubi habet egregia de formicis. Unde & ſpiritus formicarum vel cum hoc parata eſſent. teſticulorum Cervæ. Vel Eſſent. horum teſticulorum propinata, unà cum eſſent. Ambræ poſt menſium fluxum & continuata eſt, remedium non contemnendum: quò etiam pertinet eſſent. Satyrionis Crollii;flor. anthos.

Quidam commendant electuarium factum ex priapo tauri & Cervi cum floribus ſtœchadis arabicæ & melle. Cui ipſi electuario convenientiſſimè ex formicis, parata remedia addi aut his electuarium hoc largiter irrorari poteſt.

Ulterius in viperis ſingulare quid latet ad conciliandam fœcunditatem. Præ cæteris obſervationem notatu dignam habet Helidæus Paduanus in obſ.p.294. Ubi obſervat quod brodio in quo carnes viperinæ decoctæ fuerunt unà cum columbô juveni, myrobalanis & ſimilibus mulier leproſa fuit curata, quæ cum eſſet jam quadragenaria & antea ſemper ſterilis: Hôc ipſô decoctô tamen & ſanata à lepra, & ſimul fœcunda fuit reddita. Unde viperarum uſus, earundem eſſent. aut in ſpecie ejus ſal volatil. non erunt fruſtranea ad conciliandam fœcunditatem, cùm notum ſit quòd viperarum eſus mares reddat fœcundos, aut quòd eſus pullorum viperis nutritorum fuerit remedium, quo ſe fœcundum reddidit defunctus Dux Bavariæ.

Aliàs ſunt qui pulverem ſecundinæ humanæ ad ʒj. uſurpatæ, contra ſterilitatem inſigniter laudant. Lindanus duobus ut ſic dicam verbis, ſterilitatis internæ curam complectitur, dum dicit ſi ſterilitas eſt à nimia caliditate & ſiccitate ſanguinis, hæc uſu lactis optimè corrigi poteſt, ſin verò ſit à nimia frigiditate & humiditate ſanguinis, nullô remediò meliùs curari poſſit quàm per rorem marinum.

Quod attinet externa præter balneum ex formicis antea monitum in ſpecie frequentior Thermarum uſus, ſæpiùs obſervatus fuit proficuus: Item poſt menſium fluxum ſuffitus appropriatus ex ſuaveolentibus, verbi gratia, Gummi Juniperi, ſuccini, thure, benzoe, maſtiche, & ſimilibus; poſt menſium fluxum inſtitutus admodum confert: poſt quem ſuffitum applicantur peſſi ex foliis matricariæ & mercurialis contuſis, pauco ol. ſpicæ irrorati, qui peſſi poſt ſuffitum veſpertinum applicati per noctem poſtmodum retineantur. Externè ulterius ſunt qui inungunt regionem uterinam ſ. pubis cum ol. cheyrino & ol. nucis moſcatæ deſtillato, majoran. & caryophyll. & ſimilibus quibus deſuper applicant Emplaſt. de maſtich. cum gummat. tacamahac, quod alutæ ſuperinductum ſupra uncturam apponitur. *Michaël Ettmullerus in Collegio Practicô.*

Conſultationes.

De Sterilitate. Pro Nobilibus Conjugibus.

Nobiles Conjuges duobus abhinc annis matrimonio juncti, nec dum prole beati; noſtrum expoſcunt conſilium, quò ſi fieri poſſit, fœcunditas comparetur; cujus noxa cùm ab alterutro conjugum, vel ab utroque promanet, in præſentia conjectandum eſt, ab uxore potius, quam à marito ortum ducere; quòd vir Nobil. juvenis ſit, boni habitus, ad Venerem proclivis, & qui ex aliis mulieribus prolem ſuſcepit, quanquam ventriculi intemperie frigida, & humida laboret; cujus cauſa plus appetit, quàm concoquat, ac dolori caput ſit opportunum, & quidem plurimùm hemicraniæ acutiſſimæ ſiniſtræ partis; qui & gonorrhœa mantehac paſſus eſt; ex qua tamen convaluit, nullo virulentiæ Gallicæ ſuperſtite veſtigio, ut non inani conjectura vitium hoc nobiliſſimæ conjugi ſit adſcribendum; licet & Illuſtriſſimo Viro remedia debeantur ſanandis ejus affectibus, ut ut ſterilitatem non inducentibus; quòd illa ex conſuetudine antehac octo annorum cum alio marito nunquam conceperit, quem licet variis affectibus ferè continuò laboraſſe teſtetur; ut eum propterea ſterilitatis autorem tunc fuiſſe perſuaſum habeat; in ipſa tamen non leves ſe produnt noxæ; nec menſes conſtant; quippe qui decolores quandoque, & pituitoſi; ac plurimùm cunctantur; aliquando verò prævertunt. Mulieri autem menſes decolores: nec eodem ſemper modo, & tempore prodeuntes, purgationem indicant eſſe neceſſariam, ex Hipp. 5. Aphor.36. Quorum quidem cauſa, ſanguis eſt craſſior potiſſimùm, & melancholicus, jecoris præcalidi ſoboles; cujus elucent ſigna in colore; & totius habitus; ſed & pituitoſus, ac bilioſus quandoque, cujus cauſa prævertunt menſes, & quidem albi; quod fieri poteſt, cùm à ventriculo; tum ab ipſo utero imbecilliori, ſterilitatis proinde cauſa: quanquam non ſatis conſtet, numquid labem hic duxerit ex offenſa ſiniſtri genu, cui cum cruribus, & coxis facilis conſenſus, ratione ligamentorum ipſius. Verùm cùm ex enarratis à Nobili patiente conſtet, quod cruris contractio ſeu convulſio à fractura genu graviter contuſo ortum duxerit; & quòd ab illa in menſtruis purgationibus nulla

ſe prodiderit noxa; hanc non crediderim eſſe ſterilitatis cauſam.

Quanquàm nonniſi magno labore fœcundas ſit comparanda; ob innatum jecoris fervorem, qui non adeò facili compeſcetur; accedente potiſſimùm aliqua intemperie ipſius uteri. Hujus tamen ſpem aliquam facit, duorum tantum annorum conjugium.

Purgandum itaque totum corpus; ſanguis attenuandus, & fluxioni præparandus; refrigerandum jecur, ac uterus moderatè calefaciendus, & exſiccandus, non prætermiſſis à proprietate juvantibus. Quæ præſtabunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica.

Chirurgica potiſſima erunt, ſanguinis miſſio ex ſaphena dextra ſtatim, à menſtruis purgationibus, & vacuo illis tempore, ex jecoraria, parca tamen manu, adhibitis frictionibus inferiorum partium, menſibus imminentibus.

Purgandum mox corpus Lenientibus, Præparantibus, & purgantibus melancholicum potiſſimùm, & pituitoſum humorem, Viris præclariſſimis quàm notiſſimis: hac tamen lege, ut diuretica, & magis attenuantibus, ſecunda humorum præparatione præſcribantur, ſyr. ſcil. byzantinus cum aceto, de pomis compoſitus, & de quinque radicibus, cum decoctione apii, fœniculi, capill. ven. & pulegii. In quorum cenſu diacalamentum quam maximè commendat Galenus, contemperatum ſucco cichorii. Corpore purgato, aquæ Tettutianæ potus triduum, cum melle roſ. ſolut. erit maximè opportunus, à cujus uſu, contemperando jecori accommodata erunt ſerum lactis caprini & aqua Beatæ Virginis, quæ illi præcellit, ratione materiæ albæ ex utero prodeuntis, 12. dies circiter hauſtum, non ſine aliquo diuretico, emulſione ſcil. ſem. melonum, cum guttulis aliquot ſpiritus, vitrioli, cujus loco nili permeaverit ad urinæ vias, exhibeatur ſuccus cichorii depuratus, cum modico abſinthii ſucco, in jure pulli, aliquot dies. Extrinſecus verò fotus adhibeantur utero, ex vino albo, cui incocta fuerint pulegium, matricaria, artemiſia, calamentum, & modicâ ſabina, quos excipiant inſeſſus in aqua Aponitana, immiſſa cannula pervia in ejus cervicem, illitis partibus illis internis, & externis oleo cheirino; & de amaraco, cum moſcho, ambra, & ſuccino, præſcripto elect. ex conſerva ſatyrii, vulva ſuilla, conſerva capill. Veneri, & amaraco. Atque hæc potiſſimùm ex uſu futura cenſeo. Inſtituet autem Vir Nobilis & ipſe purgationem, miſſo ſanguine ex vena jecoraria, & accommodatis præparantibus, & purgantibus, à quorum uſu caput expurgandum errhinis, & maſticatoriis, atque exhibenda aqua Tettutiana, adhibito etiam inſeſſu in iiſdem aquis Thermalibus. Ventriculo verò, ſi negotium faceſſat, ſtillicidium ex aqua magni Balnei D. Petri accommodatum erit, præſcripta recta victus ratione hactenus neglecta. Atque hæc potiora habui. Quæ faxit Deus, ut Nob. conjugibus juvamento ſint.

Benedict. Silvaticus Conſil. & Reſp. Medic. Cent. 9.

De Sterilitate. Pro Nobilibus Conjugibus.

Vir annorum 33. gracilis, taciturnus, facilè excandeſcens, fuſci coloris, verbo habitus melancholici; nunc verò ad melancholiam hypochondriacam vergens; atque palpitationi hæreditariæ cordis opportunus, cùm gonorrhœa virulenta aliquandiu laboraſſet, cum ulcuſculis, & verrucis pudendorum ſpontè deliteſcentibus, uxorem duxit virginem adoleſcentem, & ſanam; qua triennio, vel quadriennio poſt apoplexia extincta, ſterili, ſecundam duxit triennio abhinc, virginem & ipſam juvenem, fæcunda ſtirpe ortam; quæ nulla tamen hucuſque conceptus præbuit indicia: cujus rei cauſam propterea quærit; quò remediorum ope, ſi fieri poſſit, optata prole potiatur.

Cùm autem duæ poſſint eſſe ſterilitatis cauſæ in præſentia, infectum ſcil. utrumque ſemen lue Gallica, ac virile aquoſius, & tenuius; quòd Vir nobilis gonorrhœa virulenta diu laboraverit, cum aliis Gallicis ſymptomatibus; quam & utraque uxor primis congreſſibus ab eo contraxit; quanquam in illo antea ſuppreſſa ſit nullius alexipharmaci ope præter ſola adſtringentia in penem infuſa. Cùm tamen menſes, & annos latitet lues hæc frequenti experientiæ fide, ſemen ipſum facilè infici, & infœcundum reddi potuit. Cæterum infœcunditatis hujus cauſam in virile ſemen aquoſius, & tenuius referendam potius eſſe, patientis habitus gracilis, & ſanguis feroſus antehac ſecta vena miſſus facilè ſuadent, tum quòd meticuloſus eſt, palpitationi opportunus, pectore glabro, atque ad iram pronus; quæ luculenta indicia frigidæ cordis intemperiei. Ex ſanguine verò illo ichoroſo, de quo Hippocrat. Quinto in 6. Epid. redundante in melancholicis, ob languidum eorum calorem, ſemen quinetiam tenue, & aquoſum produci neceſſe eſt; quod ex levi quolibet motu à congreſſu effluit; accedente potiſſimùm aliqua uteri laxitate ex muliebri profluvio; vel potius gonorrhœa præterita inducta. Ut tandem ſtatuendum ſit, ſterilitatem hanc ab utraque quidem cauſa emanare poſſe; potiſſimùm tamen à nimia virilis ſeminis tenuitate, uterique laxitate.

Quibus ita ſe habentibus, ut ex enarratis conſtat, metuendum quam maximè, ne irrita quælibet medica præſidia ſint futura; quanquam ab Hipp. proditum ſit in Epidemiis quòd morbi connutriti in ſenecta deſinunt; ac proinde affectus hic licet patienti ſit innatus, cedere tamen poſſit non tamen Hipp. ſententia de quibuslibet morbis connutritis intelligenda venit; ſed de iis tantum, qui à cauſa calida ortum ducunt; quæ mutato temperamento in frigidum removenda; cùm affectus præſens in dies ingraveſcere poſſit. Accedit, quod Nobilis patiens, eſt adeò gracilis, & debilis, ut generoſa remedia non admittat. Non tamen ſuperſedendum cenſeo levioribus quibuſdam præſidiis utrique præſcribendis; quâ extinguendæ lui venereæ, ſi fieri poſſit; quâ cordi, ventriculo, & toti corpori corroborandis.

Præmiſſa itaque univerſali blanda totius corporis purgatione, attenuantibus, incidentibus, & detergentibus, ratione obſtructionum, quæ in pancreate latent: diſcutientia, & cardiaca hypochondriacæ affectioni, & palpitationi cordis ex uſu erunt; necnon hydragoga ſeroſitatibus expurgandis; adhibitis alexipharmacis, ratione virulentiæ; atque calidum innatum foventibus, ad perfectiorem ſeminis elaborationem; quæ alexipharmaca, & exſiccantia nobili quinetiam matronæ uſui erunt; quò vel levis virulentiæ Gal-

licæ umbra diſcutiatur. Quæ præſtabunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica.

Chirurgica quod ſpectat, exigi omninò cenſeo aliquam ſanguinis eductionem; parcè tamen, ad uncias quinque circiter, ex jecoraria dextra: aliis prætermiſſis, utpote non neceſſariis.

Univerſalis purgatio leniſſima ſit, ex ſyr. de polypod. compoſ. & manna; præſcriptis præparantibus, ex ſyr. de corticibus citri, acetoſo ſimplici, & de pomis; cum decoct. accommodata; quos excipiat purgatio, ex modico agarico, & rhabarbaro. A quorum uſu, reſerandis obſtructionibus conferet jus galli junioris, cum ſeminibus odoratis & aperientibus, temperatis, puta, cetrach, agrimonia, cuſcuta, ſeminibus fœniculi, dauci, & ocymi caryophyllati; inſtillatis quotidie aliquot chalybis potabilis; præmiſſa rotula, ex oleo aniſi deſtillato; vel extracto citri, 20. diebus circiter: à cujus uſu, lui Gallicæ, radicibus extirpandæ præſenti erit remedio decoctum ex ligno Indico, & ſalſa; ſollicitato blando ſudore ſemel in die, doliolis aqua hydrotica calida repletis; exhibita manna, quolibet octavo die, atque evacuandis ſeroſitatibus redundantibus, quo tempore carnes aſſæ pro cibo erunt, virium cauſa; necnon paſſulæ, & piſtacia, cum pane non omnino ad duritiem cocto; qui ſubigi poterit aqua alterata ſalſa & ligno, in eadem infuſis; parato vino medicato ex iiſdem tempore vindemiæ. Foveatur interim regio pancreatis vino albo modicè generoſo, cum aperientibus, & inungatur oleo chamæmel. amygdal. amararum & rutaceo. Quinimò flatibus infeſtantibus, opportunum fuerit ſtillicidium ventriculi, ex oleo maſtichino, anethino, & nardino, cum mentha, ſchænantho; & ſpica; addito vino albo, quod ſupra pancreas decurrat. Atque hæc potiora cenſui in nobilis patientis ſalutem, qui validiora non admittit, præter conſervam ex flor. citri, & borraginis cum confectione Alchermes, & modico Mithridatio, nec ſine recta ſemper victus ratione, ex alimentis facilis coctionis, & optimi ſucci. Nobili verò ejus uxori, præmiſſa corporis purgatione ſyrupus ſimplicibus primò, tum & compoſitis, ac iiſdem purgantibus marito præſcriptis, vel hujuſmodi humoribus redundantibus accommodatis cum ſudore idem decoctum conveniet apprimè latenti lui extinguendæ, cum congrua victus ratione. *Idem ibidem.*

De Sterilitate. Pro Nobili Matrona.

Tertius nunc agitur annus, cùm Nobilis Matrona viginti quinque annorum nupta, nondum tamen concepit: quæ ad noſtram propterea decurrit opem, quò prole felix evadat.

Indaganda propterea ſterilitatis hujus cauſa: quæ cùm à Viro, & muliere ſit petenda, nulla nunc in Viro ſe prodit labes: quippe qui perfecta utatur valetudine: neque de aliqua in venereis noxa quicquam nobis conſtet; ſed in mulierem tota cudenda faba, quod aiunt, & vitii quicquid eſt, referendum: cùm potiſſimum continuo tantum non muliebri profluvio laboret, cujus cauſa humidior illi eſt uterus. Quæ autem præhumidos habent uteros, non concipiunt: ex Divini Hipp. oraculo, 5. Aph. 62. extinguitur enim inquit, in ipſis genitura. Accedit, quòd menſtruæ purgationes prævertunt aliquando; quandoque vero tardius erumpunt: & quidem ferè ſemper cum dolore ſæviſſimo ob copiam corruptorum humorum: de quibus Hipp. Aph. 36. ejuſdem 5. Sectionis: Menſes decolores: nec eodem ſemper modo, & tempore fluentes, purgationem neceſſariam eſſe ſignificant. Adde, quòd non raro lumborum, crurum, & pedum doloribus divexatur: & rugitu quandoque hypochondria obmurmurant atq; ſemel, & iterum ſtranguria laboravit, anno ſcil. 1632. 1634. quo cruentam aliquando reddidit urinam: quæ quidem ſymptomata ipſi nuptæ ſuborta ſunt, cùm antehac optimè haberet. Sterilitatis itaque cauſa in malam diſpoſitionem ipſius Nob. Matronæ eſt referenda: quæ alia forſitan non fuerit, quàm pituitoſa materia exſuperans: non ſolùm à ventriculo frigido, & humido: ſed & à cerebro humidiori tranſmiſſa: quæ ſalſedinis quandoque particeps fit, cùm ratione putredinis, ex diuturna mora: tum ob illi immixtam ſalſam ſeroſam humiditatem: quæ prout ad lumbos, crura, & pedes decurrens, dolores inducit; in hypochondriis verò concluſa, ac in flatus ſoluta, rugitus excitat: ita ad renes, & veſicam dum influit, ſtranguriæ: ad uterum verò, muliebris profluvii autor eſt: in venis autem ſanguini immixta, menſium ſtatum circuitum interpellat, cum dolore, & nobilem juvenem ad venerem forſan ignavam reddidit.

Quòd ſi hæc ita ſe habeant, ut perſuaſum habeo, ſperare utiq; juvat, fore ut Nobilis Matrona fœcunda evadat: cùm nec affectus ſint antiqui; nec infœcunditas triennii, in juvene 25. annorum perfecta ſterilitas ſit ſtatuenda.

Fœcunditati autem comparandæ tria potiſſimum ſunt peragenda. Purgandum primò accuratiſſimè totum corpus; divertenda fluxio; & partium affectarum intemperies ſunt contemperandæ; ventriculi quidem, calefacientibus; capitis, & totius corporis, æquo mollioris, exſiccantibus; necnon calefacientibus, exſiccantibus, & corroborantibus uterum; qui nunc adeò languet, ut cloaca veluti, & ſentina omnium corporis excrementorum factus ſit. Hæc autem præſtabimus remediis ex Chirurgia, Pharmacia, & Diæta depromptis.

Et quidem primò Chirurgica quod ſpectat, non erit abs re ſaphenam dextram tundere, imminentibus menſibus, parca manu ſanguine miſſo, illis tantum ſollicitandis. Frictiones univerſales aſperæ, ſæpius adhibendæ, muliebris profluvii cauſâ, juxtà Galeni præceptum in curatione uxoris Boeti. Quanquam verò fonticulus ſiniſtro brachio inuſtus ex uſu poſſet eſſe, hoc tamen nunc ſuperſedendum cenſeo, concepta ſpe, fore ut hi affectus remediis minus moleſtis cedant.

In Pharmaceuticis mihi probantur Lenientia, præparantia, purgantia, & alterantia. Lenientia potiſſima erunt, ſpecies hieræ, cum el. lenitivo, vel mel. roſ. ſol. cum manna. Præparantia verò oxymel. ſimpl. ſyr. de betonica, de mentha, de praſſio, de duabus, & de quinque radicibus, ſine diluto primò; mox & cum ipſo, ex apio, fœniculo, hyſſopo, agrimonia; & hujuſmodi diureticis. Purgatio fiat quandoque per vomitum ad revocandam fluxionem blandè tamen, putà, aſaro & oxym. ſimpl. cum jure, quandoque tamen per alvum, agarico nempe trochiſcato, cum pil. aggregativis

gativis, de hiera cum agar. maſtichinis, & hujuſmodi, vel etiam aq. Tetuciana, quatriduo potui exhibita, ad ℔ iv. qualibet vice; cùm ℥ iij. mel. roſ. ſol. in primo cyatho; necnon per urinam aliquando, & ſudorem, Galeni exemplo in memorata curatione. Urina autem, & ſudor cieri poterunt remediis contemperantibus præfatas intemperies, internis, & externis. Interna commendantur, decoctum ex radice chinæ, cum ligno Indico, lentiſco, modico ſaſſafras, & ligno nephritico; paratum cum columba turricola; additis betonica, iva arthetica, agrimonia, radice fœniculi, ſemin. aniſi, & coriandri præparatis, & inſtillatis quinque vel ſex guttulis olei deſtil. ex aniſo, & ſpir. vitrioli. In externis erit hypocauſtum, in quo ſemel per diem, horam circiter ſudet: præſcripto victu attenuante, & exſiccante: necnon corroborandis partibus, ſtillicidium ventriculi ex oleis maſtichino, nardino, abſinthite, & de mentha, cum vino albo, ſpica, ſcœnantho, & mentha: applicita deinde purpuræ raſura prædictis oleis imbuta. Utero ex uſu erunt inſeſſus in aqua fabrorum, & vino albo modicè generoſo; quibus incocta fuerint ſtœchas, roſmarinus, mentha, abſinthium, & calamintha; quorum loco uſurpari poterunt aq Thermales; interno, & externo uſu, ſtillicidii formâ, balnei, & inſeſſus; & quidem ſulphureæ nitroſæ & quæ ſale conſtant; in quibus primæ debentur noſtris Aponitanis, tantopere ab antiquis celebratis; atque à nobis experientia compertis ad fœcunditatem conciliandam, ut ſolo ipſarum uſu quamplures ſteriles continua prole beatæ evaſerint; ſi potiſſimùm tempore opportuno uſurpentur, toto ſcil. menſe Junio, & Julio: quas propterea cunctis aliis remediis præferendas cenſeo. Faxit Deus Optimus Maximus, ut votis reſpondeant. *Idem ibidem.*

De Sterilitate. Pro Illuſtriſſ. Marchionibus Calcagninis, Ferrarienſibus.

Conqueruntur Illuſtriſſ. conjuges; quod triennio abhinc cum dimidio, matrimonio juncti, & juvenes, nondum tamen optata lætentur prole, quanquam nulla alicujus momenti ſe prodat noxa: cujus rei propterea cauſam, & medica præſidia expoſcunt, quò voti compotes fiant.

Cùm itaq; ad prolem ſuſcipiendam maris, & feminæ opera exigatur, inquirendum eſt, num quid alterutrius eorum, vel etiam utriuſque vitio conceptio intercipiatur. Illuſtriſſim. itaque matronam quod ſpectat: proditum eſt ab Hipp. 5. Aph. 62. quòd, Quæcunque frigidos, & denſos uteros habent, non concipiunt, & quo præhumidos, gravidari nequeunt: extinguitur enim in ipſis genitura: & quæ ſicciores, & æſtuoſos; nam alimenti defectu ſemen corrumpitur. Quæ verò ex utriſque moderatam nactæ ſunt locorum temperaturam, eæ fœcundantur. Ex quibus patet, quòd juxta Hipp. ſententiam, moderata uteri temperies ad fœcunditatem exigitur. De Viris autem hæc addit, proximè ſequenti Aph. Par eſt de maribus ratio. Quod quidem admittitur de intemperie, non verò de cæteris in Aph. commemoratis. Quam ob cauſam Galenus, præcedentis Aphoriſmi commentario prodidit; prudentiſſimos Interpretes cenſuiſſe, Aphoriſmum hunc à ſententia, & eloquio Hippocratis quam maximè alienum eſſe: quanquam neganda non ſit humiditas in utero exuperans; cùm Illuſtriſſ. matrona anno integro muliebri profluvio laboraverit; quæ tamen adeò non excedit, ut genituram extinguere poſſit; ſed ſeminis juſtam ſolùm in utero moram impediat, quod referunt vix conceptum frequenter excidere, vel aliquantò poſt; quamquam humiditas hæc ſterilitatis ſola non poſſit eſſe cauſa, ſine alicujus frigiditatis ope, ex temperamento totius frigido, & humido conſpicuæ; accedente potiſſimum eadem genitalium Illuſtr. Marchionis intemperie, qua alioqui contraria opus eſſet, ex Galeni ſententia ad Aphoriſmum citatum: cùm frequenti gonorrhœa laboraverit, & tumore teſticuli dextri. Quibus accedunt intemperies frigida, & humida ventriculi: cujus cauſa plus appetit, quàm concoquat; necnon deſtillatione, quibus eſt opportunus: & magnus ſeroſitatis proventus, copioſæ urinæ, & rariorum dejectionum autor: quorum cauſa ſemen tenue, fluidum, & frigidum evadit, ac proinde facilè excidit; quod nec retentum fœcundum eſſet. Statuendum propterea, ſterilitatis cauſam aliam non eſſe, quam utriuſque intemperiem frigidam, cum humiditate: non tamen admodum exſuperante, quæ in alterutro eorum tantum, ſterilitatem non induceret, cùm intemperies conjugum contrariæ infringantur, nec conceptionem intercipiant.

Quæ cùm ita ſint, nonniſi multo labore fœcunditas reparabitur, cujus tamen ſpem aliquam facit ætas juvenilis: qua Illuſtriſſ. conjugum intemperies contemperari poſſunt.

Quod ut contingat, Illuſtriſſ. Marchionis caput exſiccandum eſt, ventriculus calefaciendus, jecoris caliditas contemperanda: & genitalia calefacienda, ac roboranda. Illuſtriſſ. verò Matronæ calefaciendus in primis, exſiccandus, & roborandus uterus. Quæ conſequemur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis, variè in utroque adminiſtratis.

Illuſtriſſ. itaque Marchioni lenienda alvus eſt el. lenitivo, & ſpeciebus hieræ picræ Galeni. Præparandi humores ſyr. ſine diluto primò, de betonica, de hiſſopo, & de corticibus citri, cum oxymel. ſimplici triduum; mox purgandi ol. diaphænico, & ſpeciebus hieræ picræ. Præſcribendi demum ſyr. cum diluto de betonica compoſitus, oxymel ſcylliticum, & ſyr. de praſſio, cum decoct. borraginis, cichorii, pulegii, & calamenthæ, quinque dies, miſſo ſanguine ex jecoraria dextra ad ℥ vi. à ſyrupo ſecundo, eadem die. Quos excipiant purgantia ex agar. trochiſc. & rhabarb. inciſo, infuſis in decoct. cordiali, additis, mell. roſ. ſolut. & ſyr. roſ. ſol. A quorum uſu, detergendo validius ventriculo, exhibenda potui triduum aq. Tetutiana ad ℔ iv. quolibet mane cum mel. roſ. ſol. vehiculi loco: à qua caput peculiariter expurgandum erhinis, ne materia ad ventriculum decumbat. Tandem præſcribendum decoctum ex ligno Indico, viſco quercino, & lentiſco, cum herbis capitalib. & ſtomachicis, paratum cum columba turricola, cujus uſus erit viginti dies. Caput exſiccetur pulveribus inſperſis agar. beton. oſſium ſeptarum, & corticum oſtreorum combuſtiorum. Ventriculo adhibeatur ſtillicidium ex ol. de mentha, de abſinth. nard. maſtichino, & communi. Inſeſſus fiant in aq thermalib. ſulphureis tandem, corroborandis genitalibus.

Victus ſit alimentorum boni ſucci, & facilis coctionis; & quidem aſſorum potius, quàm elixorum. Vinum modicè generoſum, & parcum, alvo continuò ſollicitata familiari uſu pil. maſtichinarum. Illuſtriſſ. Matronæ leniatur alvus, præparentur, & purgentur humores iiſdem omninò, cùm jam præſcriptis: à quibus, ex uſu erit decoctum ex ſaſſafras, & cortice ligni Indici, paratum quinetiam cum columba turricola, præmiſſo bolo ex trochiſcis de myrrha, & de rhab. continuato ejus uſu triginta dies, quo tempore fiant inſeſſus in iiſdem aquis ſulphureis, cum cannula foraminibus pervia. Foveatur uterus vino albo generoſo, cui incocta fuerint abrotanum, origanum, matricaria, tanacetum, calamentha, roſmarinus, ſalvia, & mentaſtrum, illitâ ejus cervice oleo de coſto, de ſpica, & de mentha: quibus ſi accedat frequens ſuffitus aromatum, præſenti erit remedio. *Idem ibidem.*

De Sterilitate. Pro Illuſtriſſ. Comite Martinengha.

Omnia mortali conditione ſata generandi quandam facultatem à natura provida ſortita ſunt, quò ſpecies eorum perennaret, quæ in individuo fluxa erat, & caduca, ut non immeritò Nobiliſſimi conjuges, generis ſplendore, non minus quàm opibus illuſtres, propagandæ ſobolis deſiderio Medicos conſulant: quòd à trium puellarum prole, quatuor primis conjugii annis nullum conceptus ſignum conſpicuum fuerit, toto 23. annorum ſpatio, cùm tamen ætatis flore matrimonio juncti ſint; qui in præſentia vix 40. annum attingunt.

Quò itaque illorum mandatis morem geram, ſterilitatis hujus cauſæ ſunt indagandæ: quæ non adeò ſunt in propatulo, utroque incolumi, quò ſi fieri poſſit, accommodatis remediis illi occurramus. Cùm autem duplex ſit ſterilitas, innata ſcil. cùm ex ſe, ab inſito aliquo vitio, vel manifeſto, vel latenti, tum ex collatis invicem uxore, Viro, necnon quæ temporis decurſu inducta eſt ex morboſa aliqua affectione, hæc naturalis eſſe non poteſt, quæcunque illa ſit, cùm Nob. matrona ter conceperit ex Viro Illuſtriſſ. quod ſanè non contigiſſet, ſi alteruter ipſorum à naturæ ortu ſterilis fuiſſet: ut propterea ſtatuendum cenſeam, infœcunditatis hujus cauſam eſſe morboſam aliquam affectionem, temporis progreſſu ſubortam, non quidem in Illuſtriſſ. Viro, qui integra, & perfecta utitur valetudine, ſine ulla prorſus corporis, vel animi offenſa, quæ ſterilitatem inducere poſſit, verum in Illuſtriſſ. Matrona, cui, cùm à ſecundo partu uterinis doloribus divexata fuiſſet, à tertio fluxerunt menſtrua menſem integrum cum iiſdem doloribus, dum ſubſiſtebant, continuato in hanc uſque diem curſu decimo quinto quolibet die, biduum, vel triduum; quem præcedit inſignis genitalium calor, & ardor, vel materiæ quandoque per octo dies effluxus, rubræ, vel ſubrubræ; non ſine ſuſpicione muliebris profluvii; vel præludii ſaltem hypochondriacæ affectionis; accedente per vices ventriculi, & ſincipitis dolore, quanquam non adeò moleſto, ut curationem ad ſe trahat. Quicquid tamen horum ſit, patet luculentiſſimè, hujus ſterilitatis cauſam Illuſtriſſ. Matronæ imputandam eſſe, eamque duplicem, vel etiam triplicem: primò quidem nimiam uteri mollitiem, & humiditatem, os uteri, laxantem, cujus cauſâ continuò ferè patet, ob frequentiorem menſium fluxum, ratione tenuitatis, acrimoniæ, & caloris ſanguinis à jecore fervido geniti, expultricem celerius irritantis, quàm aliàs ex naturæ præſcripto, concurrente forſitan ſeroſitate quadam pituitoſâ, ab imbecillo ventriculo tranſmiſſa. Secunda cauſa eſt caloris nativi ipſius uteri naturalis imbecillitas, quam prodit fœminina ſola proles, aucta potiſſimùm ex labore præterito, & jugi menſium profluvio toto menſis ſpatio, à tertio partu. Quæ ſola potuerit etiam eſſe cauſa ſterilitatis à primo partu, abſque aliarum evidentiorum ope, cùm infirma adeò, & exilis quibuſdam ſit naturalis uteri compoſitio, & ipſius facultatum imbecillitas, ut vel à primo partu nunquam deinceps concipere, vel diutius ſaltem fœtum continere poſſit. De tertia quinetiam nonnulla apud me viget ſuſpicio, perverſione ſcil. & obliquitate aliqua oris uteri, à præteritis doloribus uterinis inducta ab Hippocr. Libro de Sterilibus, cauſa veluti principe memorata. A quibus cauſis vel omnibus, vel quibuſdam ſaltem ſterilitas induci poteſt, fruſtrata retentrice, vel etiam alteratrice, & concoctrice facultate ipſius uteri, qui ſi à ſanguinis fervore æſtuet aliquando, ſemen ipſum abſumere, & infœcunditatis autor fieri poteſt.

Quæ cùm ita ſint, cuilibet in arte verſato compertiſſimum eſt, difficillimum fore Matronæ Nobiliſſimæ fœcunditatem comparare, cùm memorati affectus ſint antiquiſſimi, firmi & tantùm non innati, ut eorum propterea curationem. Viri illi præclariſſ. forſitan detrectaverint. Cujus tamen non omnis abjicienda ſpes, cùm non raro experientia compertum ſit, quaſdam mulieres à primis partubus ad poſtremos infœcundas, 12. 14. & plures annos, nulla poſtmodum medicamentorum ope iterum concepiſſe, ac peperiſſe, depoſita prorſus prolis ſpe: quanquam id Illuſtr. Matronæ ſperandum non ſit, quòd morboſæ ejus affectiones per mutationem ætatis nō ſint ceſſuræ, cum periculo continui profluvii, & mortis tandē.

Age ergo, & præmiſſa totius purgatione, jecur refrigerandum, ac ventriculus moderatè calefaciendus, materia morbifica evacuanda, divertenda, atque roborandus uterus.

Hæc autem præſtabunt, in Chirurgicis primò ſectio venarum ſuperiorum, revellendi potius, quàm evacuandi cauſa. Nec mihi non probaretur fonticulus in coxa dextra in uſum derivationis ab utero, niſi aliis remediis ceſſerit affectus, atque fluxio ſit inſignis; tunc enim brachio potius eſſet inurendus, ad revulſionem, ſervata rectitudinis lege cùm parte mandante.

Pharmaceutica ſint primò univerſalia, purgantia bilioſam, & pituitoſam materiam redundantem, tum & particularia, jecur refrigerantia, divertentia ad vias urinæ, & roborantia. In quem uſum aquas Thermales cæteris omnibus præcellere cenſeo, & quidem primò tettutianas, tum & Beatæ Virginis, interno uſu, vel Lucenſes, miſſis Calderianis, ob ventriculi languorem, potiſſimùm cùm nullum meminerim ex noſtratibus ab ipſarum uſu concepiſſe. Extrinſecus aq. D. Petri, ſtillicidio ventriculi accommodatæ erunt, ut & inſeſſui, cùm Aponitanis, non neglectis aliis à proprietate juvantibus, ejuſdem uſus, Viris iſtis

Præ-

Præclariſſimis quàm notiſſimis. Quas propterea data opera prætermitto: cui abunde fuerint, quæ potiora, tutiora, & faciliora duxi, hoc potiſſimum anni tempore, quo tutò adminiſtrari poſſunt. *Idem ibidem.*

De Sterilitate. Pro Nobili Matrona. Ad Perilluſtrem, & Excellentiſſimum Virum, Petrum Dianam.

Quòd perilluſtris Matrona tribus abhinc annis Viro juncta nondum conceperit, juvenis licet, optimi habitus, integræ valetudinis, & cum menſtruæ purgationes ſtato circuitu procedunt, aliam non habet cauſam, ut cenſuit optimè Vir doctiſſimus, quàm uteri noxam; languidum ſcilicet ejus calorē, & intemperiem humidiorem morboſam, quæ eo patet luculentiſſimè, quòd ſex primis conjugii menſibus nulla in congreſſu venereo voluptate affecta eſt, & quod deinceps virile ſemen conceptum non retinet, atque menſtruæ purgationes antehac decolores ſe exhibuerunt, nunc verò à floridi ſanguinis effluxu, nonnihil materiæ albicantis manare accepimus. Quas interceptæ conceptionis cauſas expreſſit Hippocrat. his verbis: Quæ frigidos, & denſos uteros habent, & quæ præhumidos, gravidæ non fiunt.

Cum itaque incolumis degat Vir perilluſtris, optima præditus temperie, cujus tamen par debet eſſe ratio ex Hippocrat. 5. Aphoriſm. 63. ſperare juvat, fore ut accommodatis remediis enarrata varia removeantur. Nunquid vero ſit conceptura Nobil. Matrona, certius præbebit indicium, ſi ipſam veſte obvolutam ſubter ſuffias. Si namque odor per corpus ad nares, & os diffundatur, culpæ expers pronuncianda erit, ex Hippocrat. 15. Aphoriſm. 59. ubi ait, quòd non ſuâ culpâ, quoniam non raro ſterilitas à Viro eſt, cujus par debet eſſe ratio, ex eodem Hippoc. quæ cauſa eſt, cur aliquando mulier ex aliquo Viro non concipiat, quæ ex altero prolem ſuſcipit.

Cæterum ſi hæ ſunt cauſæ ſterilitatis, in ſpe bona ſumus, fore ut accommodatis remediis fœcunditas reparetur.

Quòd ut fiat, totum corpus eſt accuratiſſimè expurgandum. Menſes enim decolores, purgationem indicant eſſe neceſſariam; ex Hippoc. 5. Aph. 36. Mox utero conſulendum, calefacientibus, & exſiccantibus, cùm internis, tum externis.

Internum potiſſimum erit decoctum ex radice chinæ, ſaſſafras, lentiſco, & ſalſa, cum columba turricola, & herbis accommodatis, à Viro præclariſſimo præſcriptis. In externis, inunctiones, ſuffitus, & clyſteres uterini ex uſu erunt, ex aquis potiſſimùm Thermalibus Aponitanis parati, quarum miræ ſunt dotes, cùm interno uſu, præmiſſo tamen potu Tertutianatum triduo, tum externo inſeſſus formà, immiſſa in uteri vaginam canuula foraminibus pervia, quò facilius earum vis ad uteri intima pervadat, non omiſſis iis, quæ aliis corporis partibus conſulant, exigente uſu, ratione alicujus earum conſenſus cum utero: cui pro uſu, applicanda Luta D. Petri, ſuppoſito panno lineo ſubtiliſſimo, vel ſericeo, adhibitis quinetiam à proprietate juvantibus.

Quibus tamen recta victus ratio accedat oportet; & moderatior potus in primis quàm ex patriæ more, cùm largior fœcunditati noxæ ſit. Atque hæc potiora habui conceptioni accommodata. Quæ ut ad vota cedant, Deum Optimum Maximum precibus ſollicito. *Idem ibidem.*

De Sterilitate Nobilis Matronæ. Pro Illuſtriſſima Comite Vrbinate.

Ex enarratis de affectionibus Illuſtriſſ. conjugum, qui ſuſcipiendæ prolis causâ me conſuluut, compertiſſimum eſt, Illuſtriſſ. Matronam, optima corporis conſtitutione alioquin præditam, quinque abhinc annis matrimonio junctam, nondum concepiſſe. Quod à menſibus parcius fluentibus fieri cenſeo, ob ſanguinem craſſiorem, & venarum uteri anguſtiam. Quæ quidem craſſities ab imbecillitate ventriculi & inſigni jecoris fervore ortum ducit: cujus cauſa ſanguis non expurgatus, timorem, mœrorem, anxietatem, palpitationem, & capitis gravitatem inducit, necnon parte aliqua ad venas hæmorrhoidales tranſmiſſus, atque ab illis manans, memoratas auget affectiones. Illuſtriſſ. verò ejus conjugem quod ſpectat, nullam in ipſo ſterilitatis cauſam agnoſco, præter nimiam laxitatem vaſorum ſeminalium, & ſeminis tenuitatem, promptiſſimæ ejus ejaculationis cauſam.

Curandæ itaque Illuſtriſſ. Matronæ, exigi omnino cenſeo ſanguinis miſſionem ex jecoraria primò extra menſium periodum, tum ex ſaphena ſiniſtra, iiſdem imminentibus; & ab ipſis, ex dextra, miſſis hæmorrhoidibus. Duo item fonticuli interno femori inuſti præſenti erunt remedio.

Ab accurata verò corporis, & capitis purgatione, potui exhibitæ aquæ Ficoncellæ conducent quammaximè; ut & ſtillicidium ex aquis Calderianis, quarti balnei potiſſimùm, necnon inſeſſus in aqua dulci moderatè calida, cum inunctione ab ipſo oleo liliorum alborum cum aromatibus, & moſcho. Illuſtriſſimo verò Comiti, præmiſſa quinetiam accommodata corporis purgatione, ex uſu maximè foret inſeſſus in primo dicto quarto balneo; quod aliqua adſtringendi vi pollet; cujus ſi non detur copia, parari poterit, immixto alumine, chalcantho, & aqua fabrorum, facta inunctione lumborum, & perinæi, unguento ex corticibus caſtanearum, maſtiche, thure, & ſucco plantaginis. In congreſſu verò illinatur glans zibetto; à quo, quieti ſe dabit Illuſtriſſ. Matrona. In eorum autem cenſu, quæ à proprietate juvant, commendatur umbilicus infantis ſponte excidens, exſiccatus, & cum cibis exhibitus, inſciâ muliere; coagulum leporinum, à menſtruis purgationibus cum butyro vulvæ applicatum, uterus cervinus aſſumptus & oleum ſtillatitium majoranæ tenuioris, cum moſcho, & coagulo leporino, in linimentum genitalium. Congreſſus verò juſtum tempus ſit, vel paulò ante menſes, vel ſtatim ab ipſis. *Idem ibidem.*

Sterilitas ex Spermatis defectu.

Illuſtriſſimus Marchio annum agens quadrageſimum quintum, temperamenti totius, maximè vero jecoris, ad calidum & ſiccum vergentis, mediocris habitus, decimo octavo ſuæ ætatis anno Gonorrhœam cum bubone Gallico contraxit, & ſudorifico Decocto purgatus atque curatus fuit. Poſt duos annos Uxorem duxit, ſed prolem non habuit, cùm novem annorum ſpatio nunquam conceperit, quamvis primis annis, nimirum uſque ad vigeſimum quintum, Viri Illuſtriſſ. ſemen, & copioſum, & laudabile fuiſſet. Vigeſimo autem quinto ſuæ ætatis anno, aquoſum obſervari cœpit, & vigeſimo octavo hernia, tum aquoſa, tum carnoſa, ſupervenit; aquoſa reſoluta fuit: carnoſa magna ex parte relicta eſt. Sed duobus aliis tranſactis annis, nimirum anno trigeſimo ſuæ ætatis, cum tumor externus in regione coſtarum adnatus fuiſſet, & gumma Gallicum eſſe Medici exiſtimaſſent, rurſus ad ſudorem in hypocauſto cum Decocto Virum Illuſtriſſ. duxerunt; ſed tumor ad ſuppurationem tranſiens, ex contuſione prægreſſa, fuit animadverſus; & non leve præjudicium ex Decocto atque ſudore à Viro Illuſtriſſ. obſervatum, nempe magnopere adaucto in toto corpore calore, & ſemine fere prorſus extincto; quod licet paulo poſt nonnihil adauctum fuerit, exiguum tamen ſemper, nec ſat bene concoctum, uſque in hunc diem obſervatur. Interim prima Uxore defuncta, anno ætatis ſuæ trigeſimo ſeptimo alteram duxit, juvenem & integre ſanam, quæ tamen nunquam concepit. Hoc tempore febriculæ Viro Illuſtriſſ. supervenerunt, cùm dolore intra anum: qui ad ſuppurationem devenit, cum exitu materiæ cruentæ ac purulentæ, fiſtula tandem in ano relicta, à qua nuperrime ferro & medicamentis liberatus fuit. Modo de agendis pro ſeminis augmentatione, prolis gratiâ, ipſe me conſulit.

Seminis defectum quem ſterilitas conſequitur Illuſtriſſ. Marchio, non ex mala vaſorum conformatione provenire credo, quoniam defectus ipſe perennis etiam primis annis obſervatus fuiſſet; quandoque enim arteriam ſpermaticam, præſertim dexteram, quandoque utramque in aliquo Viro à nativitate deeſſe contingit, & ſeminis defectus, indeque ſterilitas ex neceſſitate conſequitur: quæ vitiata conformatio in Illuſtriſſ. Viro dubio procul non reperitur, quoniam ſolum vigeſimo quinto ſuæ ætatis anno Sperma deficere incepit; quare cauſam hujus defectus, & in mala compoſitione, & in intemperie quærendam eſſe exiſtimo, cùm uterque affectus concurrere mihi videatur. Et primò intemperies inæqualis, calida nimirum & ſicca, atque frigida, & humida: prior in hepate & ſanguine: poſterior in vaſis ſpermaticis, tum præparantibus, tum deferentibus, imo & in teſtibus ipſis. Calidam jecoris & ſanguinis intemperiem ſignificarunt nobis præterita mala, nimirum apoſtemata, fiſtulæ, quæ non aliunde quam à ſanguine calidiori & acriori provenerunt. Hanc eandem confirmarunt calida & ſicca medicamenta, nimirum decocta ſudorifica, quæ fervorem in jecore & ſanguine augendo, ſeminis quoque defectum adauxerunt. Atque tandem hæc veritas roboratur à naturali calido temperamento, quod, augeſcente ætate, ut cunctis evenit, augmentum ſuſcepit, eoque majus, cooperante lue Gallica, primis annis contracta, cujus proprius characteriſmus non ſolum caliditas præter naturam, ſed quoque exuſtio eſſe ſolet. ſicque calidam & ſiccam intemperiem in ſuperioribus partibus, ad ſeminis defectum inducendum, concurrere minime dubito. Verum etiam frigidam & humidam in vaſis præparantibus, deferentibus, & teſtibus ipſis adeſſe cenſendum, non tamen naturalem, ſed accidentalem ab hernia carnoſa & aquoſa, cujus diuturnam præſentiam, vaſorum & teſtium naturalem calorem labefactare potuiſſe facile credendum. Reſtat conſiderandus morbus in mala compoſitione, de quo licet manifeſta ſigna non adſint, valde tamen eſt ſuſpicandum; ſicut enim humores, herniam, tum carnoſam, tum aquoſam facientes, ad teſtem tranſmiſſi fuerunt, ſi non intra teſticuli propriam, ſaltem intra Erythroidem, pro hernia conſtituenda: ita portionem aliquam ſupra præparantia, nempe ad plexum pampiniformem, exiguis vaſculis refertum, unà cum ſemine delatam fuiſſe, & obſtructionem aliquam efformaſſe dubitari poteſt.

Quibus ita conſideratis, noſtrum erit calidam & ſiccam jecoris atque ſanguinis intemperiem corrigere, ut vaſis ſeminariis & teſtibus congrua materia pro ſeminis generatione ſubminiſtrari poſſit. Secundò Semen augentia in uſum ducere. Tertiò Calorem naturalem vaſorum & teſtium fovere; atque tandem Aperientibus temperatis, quæ potiùs alimenti, quam medicamenti naturam obtineant, vaſcula ipſa ſeminaria pervia reddere. Et quamvis jam dictis intentionibus ſatisfieri poſſe difficillimum fore cenſeam, nihilominus Cura deſerenda non eſt, præſertim ea in uſum ducendo, quæ certò prodeſſe, & individuo nihil obeſſe poterunt.

Itaque primæ viæ neceſſario mundandæ, ſyrupo roſ. ſolut. aut Diacaſſia cum tartaro. Mox quinque diebus julapio acet. corticibus citri aromatizato, & guttulis aq. cinnamom. irrorato, præparandæ ſunt cruditates, primas vias occupantes, ut deinde eodem ſupraſcripto Leniente repetito educantur. Inde ad jecoris & ſanguinis calorem contemperandum, ſanguineamque maſſam depurandam deveniendum; quod præſtare poterunt ſucci depur. cich. borag. & ſonchi ad ℥ iii. in decoct. cichorac. addita malva & violaria; in quorum uſu xx. diebus erit perſiſtendum; & decimo quoque die medicamentum ex flore caſſ. & elect. de ſucco roſarum paratum erit exhibendum, cui ſuperbibat ſeri capr. depur. ℔ ii. Tempore autem intermedio horum ſuccorum aperiri poterit Jecoraria dextera, exiguum tamen educendo ſanguinem, nimirum ad jecoris calorem contemperandum, & ſanguinem faciliùs depurandum.

His peractis [quibus Vir Illuſtriſſ. eget pro meliori ſtatu proprii individui; etiam nulla ſpeciei habita conſideratione) ad reliquas intentiones explendas, lactis, primò aſinini, mox etiam caprini uſus opportuniſſimus erit, ad qua-

quadraginta aut quinquaginta dies ſummò mane de more cum ſaccharo: poterit enim ſanguinem edulcorare atque multiplicare, ut ſemini generando materia ſufficiens & idonea ſubminiſtretur. In hunc eundem finem alimenta quæ ſemen extinguere poſſint, ſunt evitanda, & quæ idem augmentare valeant, eligenda. Quæ igitur ſemen, aut non generant, aut genitum extinguunt, ſunt, Mentha, Menthaſtrum, Ruta hortenſis, Lactuca, ſuccus acidus citri, limonum, arantiorum, frequens aceti uſus, Portulaca, & Nymphææ flores, nimirum Conſerva; caro leporina; vinum auſterum; aquarum potus frequens, & gelidi potus omnes. Quæ vero ſemen adaugent, quam plurima ſunt, nimirum ova recentia ebibita; lactis uſus & edulia omnia ex lacte parata; carnes hædinæ, vitulinæ, gallorum juniorum, palumbæ turricolæ, avium cerebra animalium; nuclei pinei, amygdalæ, piſtacia & edulia ex his parata. Vinum autem pro potu conſueto ſit album & ſubdulce. Sed quoniam alimentis jam dictis, ſemen multiplicantibus, nonnunquam aliquod vehiculum eſt addendum, quod ſimul, & quodammodo ſanguinem fundere, & ad vaſa ſpermatica ducere, ſicque & aliquod impediens, in pampiniformi plexu forſan exiſtens, removere valeat; Idcirco Emulſiones ſeminum melonum aqua ſtillat. malvarum extractæ, æſtivo tempore frequenter epotæ juvabunt: ſicut & lupulorum comeſtio, & eorundem decoctio epota. Pariter frequens aſparagorum eſus. Quibus omnibus addenda ſunt etiam externa, teſtium & vaſorum naturalem calorem roborantia, quæ licet plura ſint, ſelectiora tamen & minus moleſta, erunt illinitiones teſtibus & perinæo frequentes oleo lil. alb. cum aromatibus, in quo diſſoluti ſint trochiſci de gallia moſchata; vel Balſamum factitium Peruvianum. In quorum omnium uſu, ſine tamen alia præcedenti corporis expurgatione, perſeverare debet Illuſtriſſ. Vir, non ſolum per menſes, ſed etiam integro anno, ut an voti compos fieri poſſit, ſatis tentare queat. *Raym. Johan. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medic. Tom. 2. Cent. 4.*

Conſultatio I.

De Sterilitate.

Nobiliſſimi Conjuges, jam duobus annis Matrimonio juncti, de ſterilitate conqueruntur: juvenes enim ambo ſunt, namque Vir vigeſimum quintum circiter annum agit, Uxor vero nondum vigeſimum attigit; ille omni ex parte ſanus, optimi temperamenti & mediocris habitus: Uxor vero temperamenti calidi & ſicci, gracilis habitus, fuſci coloris, & ad Melancholiam vergens; Menſtrua autem redundantia & ſuperexcedentia, quandoque etiam bis in menſe erumpunt, ex quibus conjicere difficile non erit, ſterilitatis cauſam non à Viro, ſed ab Uxore petendam eſſe, in qua vel deficere poteſt ſeminis circulatio, vel poteſt peccare menſtruus ſanguis, vel Uterus vitiari. Prima cauſa ex relatione non concurrit, neque tertia, meo judicio, cum nulla hucuſque percepta, nec audita fuerit querela de Utero affecto: nullâ enim intemperies conjici poteſt, etenim affectus hyſterici inde ſuborirentur; nulla materia mucoſa Uterum irrigat, ob quam ſemen contineri non poſſit, & licet ſuperexcedentes purgationes edat Uterus ipſe, id tamen non ex vitio vaſorum ipſius Uteri, ſed ex vitio ſanguinis provenire cenſendum: juſtò namque calidior exiſtens ob calidam & ſiccam jecoris intemperiem, præterquam quod totius corporis habitum exuſtum atque melancholicum reddit, facultatem etiam expultricem venarum ad ſui excretionē irritat, & ab eadem irritata, ad uterū tanquam ad totius venoſi generis, in Mulieribus, Colatorium atque ſentinam expellitur, ſicque ſuperflua evadunt Menſtrua ipſa. Et quamvis ſola quoque quantitas ſanguinis menſtrui, virile ſemen veluti ſuffocando, conceptionem impedire poſſet, in noſtro tamen caſu qualitatem potius fervidam ejuſdem ſanguinis ſterilitatis cauſam eſſe credendum; ſiquidem ſanguinem menſtruum, ut tertium generationis principium, ad conceptionem concurrere voluit cum Hipp. Galenus, ſubdens quod iſte naturâ humidus eſſe debet, nimirum dulcis, non fervidus, & uno verbo pravæ cujuſcunque immoderantiæ expers. Cùm autem in hac Nob. Muliere calidiſſimus atque frigidiſſimus dubio procul à me exiſtimetur, procul dubio etiam ſterilitatem importare credo, niſi addere quoque placeat ipſius Uteri aliquem caliditatis exceſſum.

Quare pro conceptione procuranda, non eſt quod Virum medicis præſidiis perturbemus, ſed tota cura Mulieri adhibenda, ſpe fore ut concipere poſſit.

Si primo exinanitis primis viis, totum à feroſitatibus bilioſis expurgetur; Jecoris & totius ſanguinis fervor contemperetur; Uterus tandem quodammodo refrigeretur & roboretur.

Pro quibus explendis intentionibus, ex fonte Chirurgico iterata eſt depromenda ſanguinis miſſio ex utroque brachio, aliquot tamen inter unam & alteram diebus interpoſitis; reliqua à Pharmaceutico deſumenda.

Et primò pro primarum viarum expiatione, præbeatur potio ex manna clariſ. ad ℥ vi. Inde ſequatur humorum præparatio julapio acet. ſimplici. cui poſt horam ſuperbibere poterit jus pullæ Cichoraceis alteratum, & quinque tranſactis diebus repetenda eadem potio. Mox ulterior ineunda præparatio, ſuccis depuratis herbarum potius, quam ſyrupis ſaccharatis, tanquam viſceribus fervidioribus ſuſpectis: ſint autem ſuccus cich. endiv. & acet. ad ℥ iv. in jure pullæ, cichorio, borag. endiv. ſoncho, acetoſa & hepatica alterato: in quorum uſu decem diebus erit perſeverandum. Deinde præbendum tale medicamentum.

℞. Flor. caſſ. extr. ℥ vi. Elect. de ſucco roſ. ʒ iii. m. f. boli, & hora tranſacta ſuperbibat ſerum capr. depuratum ad ℔ ii. vel aquam Nocerianam. Inde repetantur ſucci depurati endiv. pom. dulc. & plantagin. ad ℥ iii. in decoct. jam dicta, additis plantag. foliis: & in horum uſu decem ſaltem diebus perſeverandum. Deinde præbendum medicamentum hujuſmodi.

℞. Flor. caſſ. rec. extr. ʒvi. Elect. de ſucco roſ. ℥ii. Extracti rhabarb. ʒi. m. f. boli, quibus, tranſacta hora, ſuperbibat ſerum depur. aſininum, vel caprinum. ad ℔ ii.

His peractis, quatuor aut quinque diebus aſſumat ſerum capr. aut aſin. depur. ad ℔ iv. vel v. præmittendo pro vehiculo ſyrupum roſ. ſolut. ad ℥v. ut dejectorium evadat, & inde ducatur Nobiliſſ. Juvenis ad uſum lactis aſinini primis viginti diebus, mox caprini ſaltem ad integrum menſem, incipiendo ab ℥v. cum ſemicochleari ſacchari albi, & paulatim augendo doſim uſque ad ℥x. cum integro cochleari ejuſdem ſacchari.

Interim paretur toti corpori Balneum aquæ dulcis, viginti diebus ſaltem, veſpertinis horis adminiſtrandum, alteratæ malvis, violis, & in fine quoque roſis. Quod ſi Juvenis totum corpus immergere renuat, fiant ſaltem inſeſſiones uſque ad ſeptum: hepati namque, & renibus prodeſſe poterunt.

Ante lactis uſum libenter acidulas aquas præſcriberem diuretico modo aſſumendas; verum quoniam præſto non eſſe exiſtimo, ideo ſtatim ad lac ipſum devenio diuturniori tempore uſurpandum.

Aliqua quoque à proprietate, ſed inſcia Muliere exhiberi poſſunt; prærogativam autem habet matrix leporis aſſata & in pulverem redacta, ſub alio nomine Juveni in aqua capill. Ven. vel in jure pullæ ſtellariâ alterato, ad ſemicochlear per plures dies exhibita. Lac quoque equinum, egregium eſſe remedium aſſerit ipſe Rhaſis, ſi inſcia Muliere ſub alio titulo propinetur.

In victus autem ratione aliqua ſunt obſervanda, nimirum quod comedat Erucam, Orminum, Origanum; abſtineat autem à reliquis valde calidis, ab aromatibus, à ſalitis, à vinis meracioribus, & congreſſus ſequatur ſtatim ceſſantibus Menſtruis: tunc enim facilius ſemen virile Uteri vaſis adhæret. Alacri autem & confidenti animo vivat, omnia exacte executioni mandando, ut res pro voto ſuccedat.

Conſultatio II.

Pro eadem.

A præclariſſimo Viro accepi Mulierem iſtam Illuſtriſſimam jam præſcriptorum medicamentorum recta atque prudenti adminiſtratione in melius profeciſſe, dum carnoſior atque alacrior reddita eſt, quod non aliunde quam ab obſtructionum hypochondriorum reſeratione, & à viſcerum naturalium intemperierum moderatione proveniſſe credendum: hoc enim fuit noſtrum intentum; ſiquidem ſpeciei propagatio ſperari non poterat, ſine præcedenti individui valetudine proſpera. Et quia quæ ſemel adminiſtrata juvant, repetita ſanare ſolent, ideo hoc anni tempore congruo totius expurgationem, licet non adeo prolixam, conſulo; ut tertio generationis principio, menſtruo nimirum ſanguine ad conceptionem prorſus idoneo reddito, Utero tandem potiſſimum nobis relinquatur proſpiciendum, non quidem calefacientibus & exiccantibus, ſed humectantibus atque laxantibus potius cum de exuberanti calore, quinimo & ejuſdem duritie ac ſiccitate potius ſit dubitandum, à proprietate juvantia tum interna, tum externa non negligendo.

Pro quibus explendis, rurſus Jecoraria dextera erit aperienda tempore intermedio ab utraque purgatione æque diſtanti. Et licet Menſtrua recte procedant, nihilominus Utero prodeſſe poſſe parcam ex Saphæna in fine menſtruæ purgationis ſanguinis miſſionem puto.

Exacta primarum viarum eadem præſcripta expiatione, ſuccorum depuratorum uſus erit repetendus, nempe cich. borag. & malv. aut pom. dulc. in decoctione jam præſcripta; in quorum uſu viginti diebus erit perſiſtendum, & quinto quoque die flos caſſ. cum pilulis de tribus & aggregat. erit præbendus, ſuperepoto ſero, vel aqua Noceriana, ad libitum mulieris Illuſtriſſimæ.

Quibus peractis, ad lactis aſinini uſum erit ducenda, quod ſummopere profuturum ſpero, eoque magis, ſi horis veſpertinis inſeſſiones addantur in aqua dulci, eaque alterata foliis malv. viol. mercurialis, & pulegio, tepida autem, non calida, non frigida, unius horæ ſpatio, viginti diebus adminiſtranda, à quibus, ſtatim exterſis partibus illis, fiat unctio à proprietate juvans, nimirum ex butyro rec. & coagulo leporino, cum oleo lil. alb. q. ſ. ut reformi. linimentum. Quo eodem tempore exhibeatur quoque per os ſal Satyrionis aquâ Artemiſiæ diſſolutus. Præterea paretur vinum medicatum, infundendo Stellariam herbam in phiala vini pro menſa conſueti, ex quo primus ciathus in menſa ſumatur: quinimo parari poterit pulvis ex eadem Stellaria quolibet anni tempore ad ʒi. in vino exibendus. Egregium quoque & efficax remedium à proprietate juvans pro fœcunditate erit lac equinum inſcia Muliere Illuſtriſſima oblatum; decipi autem poterit, ſi poſtremis diebus ab aſinino ſumpto, per hebdomadam præbeatur Equinum, eſtque remedium à Rhaſi quidem deſumptum, & à me non ſemel feliciter expertum.

Quibus omnibus congrua addenda victus ratio, aliàs præſcripta, & fuſius à Doctiſſimo Viro adſtanti præſcribenda; circa quam adnoto Erucam & Orminum in cibis & acetariis, etiam à proprietate valde juvare. Præterea animadverſione dignum, quod magni Viri Paulus & Oribaſius admonent, ut Illuſtriſſimus Conjux abſtineat à coitu decem aut duodecim continuis diebus & noctibus, ut in fine menſtruæ purgationis cum Uxore Illuſtriſſ. coëat; quinimo addunt, facilius ſemen ad corpus Uteri deferri, ſi præpoſtera Venere utatur. Meliora mihi non ſuppetunt, optatum tamen finem habitura, ſi fœcunditas in Illuſtriſſ. Muliere poſſibilis fuerit. *Idem ibidem.*

Sterilitas poſt Abortus varios in Illuſtriſſimâ Hypochondriacâ; cui præterea tumor durus ac indolens in uteri collô.

Comitiſſa Illuſtriſſima trigeſimum tertium annum agens, temperamenti totius ad calidum & ſiccum vergentis, hepatis calidioris, calidi verò & humidi capitis; gracilioris habitus, anno decimo octavo ſuæ ætatis Viro nupta, paulo poſt concepit, & nono menſe peperit marem, qui quinto menſe ſuæ ætatis obiit, cum tertio ſuæ gravidationis menſe, ex utero ſanguinis profluvium paſſa fuerit; & ita fœcunda extitit, ut decem annorum ſpatio quater conceperit, ſecutis ſemper abortibus primis menſibus, modò maris, modò fœminæ, imo & ſemel gemellorum, ſed ſemper prægreſſa ſanguinis ab utero copioſa effuſione, & ſemel non exiguæ ſeroſitatis effluxione. Hoc tempore ab obſtetrice digitis utero explorato, tumor, exiguus quidem, ſed duriuſculus fuit obſervatus; quò non obſtante poſtea concepit, ſed cum quatuor jam annis elapſis rurſus obſtetrix uterum exploraſſet, tumorem multo quam antea majorem & duriorem, ſed indolentem invenit, nec ampliùs matrona illuſtriſſima concepit. Menſtrua tamen ſatis abundè ſtato tempore apparent, non tamen adeo commodè, cum frequenter præcedant dolores lumborum ad uterum pervenientes, & exeat ſanguis; primò ſeroſus; mox verò craſſus & niger. Toto præterito tempore & in præſens, multis & variis ſymptomatibus fuit & eſt obnoxia, ſed præſertim deſtillationibus à capite omnis generis, modò ſalſis modò inſipidis. Præterea tenſionibus, rugitibus, fluctuationibus in hypochondriis. Varia & multa toto hoc annorum curriculo, & calefacientia atque exſiccantia, & refrigerantia, ac humectantia adminiſtrata fuere remedia, & primò decoctum chinæ, ſantalorum & lentiſci, iterum repetitum cum pulvere viperino: Propinata fuit aqua Ficoncellæ, Villenſis, præmiſſa & Tettuciana; aliàs ſucci refrigerantes depurati; chalybeata medicamenta, & omne genus aperientium; inceſſiones quoque Puteolanæ in balneo magno cum ſudatorio; ſtillicidia capiti, ventriculo & utero, ſed omnia incaſſum tentata: iiſdem enim, ſed intentius ſymptomatibus affligitur matrona illuſtriſſima; & ideò ad te tanquam ad Colophonem confugimus, ad hoc, ut, ut præſtantiſſime vir, tuo prudentiſſimo conſilio opportunam afferas opem.

Fœcunditas in illuſtriſſima Matrona ſuperioribus annis obſervata, uterum bene valere & ſanguinem in toto abundare ſignificabat. Et quamvis primus partus opportuno tempore editus, non niſi uſque ad quintum menſem vitalis fuerit, & plures poſtea ſecuti fuerint abortus, hæc tamen incommoda non utero, ſed ſanguini tribuenda fuere, qui copia quidem, ſed etiam calida & acri qualitate peccans, in prima conceptione ad uterum detruſus, per vaſa externa effluxit, & fœtum imbecilliorem reddidit, qui vitalis ultra quinque menſes eſſe non potuit, quoniam ut monet Hippocrat. ſi mulieri prægnanti purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum. Et quoniam vitiato ſanguini, copiâ & qualitate peccanti, proviſum non fuit; idcirco in ſubſequentibus conceptionibus pariter ad uterum per interna vaſa depoſitus, fœtus ipſos ſuffocando, & expultricem facultatem irritando, abortus in cauſſa fuit: & eo facilius, cùm tempore conceptionis ſanguinem matronæ illuſtriſſimæ ex ſuperioribus venis unquam detractum fuiſſe, non audiam. Hanc veritatem à priori nobis demonſtrare potuit temperamentum totius & jecoris calidum, gracilis habitus, & mox præterea confirmavit excreti ſanguinis ipſa Autopſia, cum modo ſeroſus à caliditate colliquante: modo craſſus & niger ab eadem incraſſante & exurente viſus fuerit. Exuberans autem hujuſmodi calor fuit omnium malorum fons & author: eoque magis, cum à primis purgationibus adhibitis valde fuerit adauctus & intenſior redditus, dum rugitus in abdomine copioſos cum fluctuationibus, à frigiditate ventriculi poſitiva ortum duxiſſe creditum fuit, non autem ab obſtructionibus, ex cruditatibus genitis à ventriculo, ab hypochondriorum fervore privativè frigidiori reddito, & ab eodem calore exiccatis: quæ unà cum ipſius jecoris calida intemperie, ſunt radices, à quibus naſcitur: imò dum crura quibus incedit hypochondriaca affectio, qua, ut innuit vir excellentiſſimus in exactiſſima ſua relatione, à principio uſque ad hoc tempus ſemper laboravit & laborat Comitiſſa illuſtriſſima: quæ affectio ſicut coctiones, imò univerſam naturalem œconomiam evertere, ita facile caput in conſenſum trahere ſolet, vaporibus calidis & craſſis ipſum replendo, intemperiem augendo, humiditates in eo contentas liquando, & demum deſtillationes excitando, quibus frequenter incumbunt medici, neglecta, aut non cognita primò affecta parte mandante: non animadvertentes quod rugitus in abdomine, fluctuationes, tenſiones, anxietates à cibo, ptyaliſmi & copioſæ flatuoſitates ſunt hypochondriaca ſymptomata: ut propterea Galenus affectionem hypochondriacam, flatuoſam appellaverit. At quoniam Comitiſſa illuſtriſſima è fœcunda ſterilis jam reddita eſt, cauſſa in externum errorem omninò eſt referenda, dum in ſecundo laborioſo partu violenta manu ab obſtetrice extractus fuit fœtus, ſive potius, ut ego ſuſpicor, ipſa placenta utero adhærens: ob quam violentiam excitati fuerunt dolores cum febre, alicujus phlogoſis, aut etiam inflammationis indicium; Attractis autem ad uterum humoribus, tum à doloribus, tum à calore, utpote à duabus cauſis potiſſimum attrahentibus, tumor exiguus incepit & relictus fuit, non quidem inflammatorius, ſed potius durus, & ſcirrhoſam naturam referens, cum indolens ſit; qui ſubſequentibus annis conceptionem non inhibuit, ſed tunc tantùm, quando ad majorem molem evectus, ipſius

uteri

uteri perfectam clauſuram, impedivit. Nec mirandum eſt etiam in muliebri profluvio uterum concepiſſe, cum materia tum cruda & pituitoſa, tum maxime bilioſa, per venas cervicis, non corporis ipſius uteri, à toto profluxerit.

Matrona illuſtriſſima tot non minus remediis, quam malis conflictata, eget tamen propriis & opportunis medicis auxiliis, quæ certo juvare, nil nocere poſſint, & quæ affectionibus adauctas & confirmatas paulatim imminuere atque remittere valeant: radicitus enim extirpare affectionem iſtam cum ſuis cauſis, nonniſi repetitis ictibus, nempe Expurgationibus, ſperandum eſt.

In quem finem quamprimum hoc, licet non adeo congruo, autumnali tempore, Purgatio regularis eſt ineunda, primas vias leniter expiando. Secundò Viſcerum obſtructiones gradatim & per partem poſt partem, meſenterii ſcil. primò, mox aliorum viſcerum, reſerandæ. Tertiò Venoſum genus depurandum. Quartò Caput purgandum atque tandem eo modo quo fieri poterit, jecoris & ſanguinis calor remittendus, Uteri vero pro nunc, aut nulla, aut exigua cura eſt habenda, ne durities ſcirrhoſa pejorem acquirat conditionem: quod periculum evitabitur repetitis & expletis propoſitis intentionibus.

Pro prima igitur intentione, repetendum Leniens ita parandum.

℞. Floris caſſ. rec. extr. elect. lenit. an. ℥ ß. crem. tart. ʒ i. m. f. boli.

Vel ℞. Pot. magiſtr. ex man. clarif. ℥ v. aquæ florum citri parum, m. pro potu. Intermediis vero quinque diebus præſcribatur Præparans.

Ita. ℞. Julap. acet. corticibus citri ℥ ij. aq. totius citri ℥ j. m. pro una vice, & ſic pro aliis.

Pro ſecunda intentione explenda, rhabarbari uſus opportunus erit ita.

℞. Rhabarb. maturi ʒ ß. Floris caſſ. rec. extr. ʒ ij. m. f. boli ſummo mane exhibendi, quibus poſt horam ſuperbibat aquæ ſtillat. malvarum ℥ vi. ſyr. de pom. ℥ j. m. & tribus horis ab aſſumpta aqua prandeat. Sequenti vero die aſſumat ſuccos depuratos ita.

℞. Succi depur. cich. borag. pom. dulc. an. ℥ j. ſalis tart. fixi gran. 10. decoct. in jure pullæ paratæ malvarum, violarum, ſonchi, meliſſæ, citri ℥ iv. m. pro ſyrupo, & ſic pro aliis. Tertia die repetat bolos ex rhabarb. cum aqua, ut ſupra; & quarta ſuccos jam deſcriptos; ſicque perſeveret, alternatim rhabarbarum & ſuccos aſſumendo ad decimum quintum uſque diem; ſed interim aperiatur Jecoraria dextera, parce tamen ſanguinem mittendo, præſertim ſi totius macies increverit.

His quindecim tranſactis diebus, ad tertiam intentionem ſatisfaciendam erit deveniendum eodem rhabarbaro, ſed infuſo: cum enim in infuſione tenuiores ſui partes relinquat, ideo ad penitiora viſcerum loca permeare & penetrare valet, ſic igitur paretur.

℞. Rhabarb. opt. mat. ʒ iß. aq. ſtillat. de ſucco cichor. ℥ vii. ſucci limon. ℥ i. m. f. infuſ. per hor. xii. deinde mane facta colatura, Illuſtriſſimæ Comitiſſæ præbeatur, cui, ſi placeat, ad inſuavitatem evitandam, addi poterit ſacchari albiſſ. cochlear, aut ſuccus limonis. Sequenti vero die repetat ſuccorum uſum.

Ita ℞. Succi depur. cich. borrag. agrim. an. ℥ j. ſpirit. tart. alchaliz. gut. x. decoct. ſupraſcriptæ ℥ iv. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Tertia die repetenda erit rhabarbari infuſio: ita alternatim perſeverando per alios quindecim dies. Quibus tranſactis, bolos hunc in modum paratos aſſumere debet.

℞. Floris caſſiæ rec. extr. ʒ vi. pilul. de trib. cum rhabarb. ʒ i. Extracti ſenæ ʒ ß. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. ℔ ii. tribus vero horis ab aſſumpto ſero prandeat.

Ita ſecundæ, atque tertiæ intentioni pro viribus ſatisfactum erit; & ideo ad quartam deveniri poterit caute executioni mandandam, quoniam hypochondria validiora Purgantia & calida ægerrime tolerare poterunt: idcirco ſat erit unica vice pilulis capitalibus uti.

℞. Pilul. cochear. aurearum an. ʒ ß. aggregativarum ℈ i. m. reform. pilulæ in aurora aſſumendæ, quibus, tribus tranſactis horis, ſuperbibat aquæ Nocer. ℔ ii. & duabus horis ab aſſumpta aqua prandeat. Interim potius per nares capitis expurgatio tentanda Errhino ita parato.

℞. Pulv. major. ireos Forent. an. ʒ ij. nigellæ ʒ i. m. f. pulvis mane per nares attrahendus more tabaci.

Pro quinta intentione explenda, lac aſininum, & Balneum aq. dulcis, duo eſſent efficaciſſima remedia; Verum primum à copia catarrhi prohibetur, alterum ab anni tempore frigidiori non admittetur: & ideo ſubſtituatur lac arte factum.

Ita ℞. Sem. melon. mundat. ℥ i. ſem. anguriæ, cucurbitæ mundat. an. ℥ ß. amygdalarum dulc. n. 12. vel nucleorum pineorum n. 25. m. contund. & cum jure pullæ junioris, aut vituli extrahatur lac ad ℥ vii. vel viii. in quo diſſolvatur ſacchari albiſſimi cochlear unum, & ſummo mane aſſumatur: cui quieſcere, imo & ſuperdormire poterit Matrona Illuſtriſſima, & in ejus uſu pergat integro menſe, Balneo vero ſubſtituatur quotidiana munctio univerſo corpori oleo amygdalino; abdomini vero ungu. malv. ol. amygdal. reformato. Et hæc ſufficiant in præſens.

Vere autem venturo rurſus erit inſtituenda purgatio, à præſcripta non valde abſimilis, uſu nempe ſuccorum depur. cich. borag. malvæ, ſonchi, pom. dulc. in herbarum decoctionibus; benignioribus purgantibus; ſanguinem quoque mittendo, prout aſſiſtentibus Medicis viſum fuerit, ex brachio, aut ex pede: quamvis enim gracilis ſit habitus Illuſtriſſ. Pat. utplurimum tamen Graciles Carnoſis & Pinguibus ſanguine magis abundare ſolent, & ideo Venoſi ab Hippocrate dicebantur: inſolitæ tamen maciei in ſanguine educendo ratio habenda erit. Et quoniam caput non parum à viſceribus naturalibus impletur & afficitur, ſperandum foret, iiſdem melius ſe habentibus, & ipſum melius habiturus, ita ut prægreſſo copioſi ſeri depurati tribus

tribus aut quatuor diebus uſu, cum vehiculo dejectorio ſyrupi roſ. ſolutivi, aut potionis clarificatæ, ad lactis aſinini uſum tunc temporis deveniri poſſet, necnon ad Balneum aquæ dulcis. Etenim lac aſinininum cum, ut dicebat Gal. quam celerrime per corpus digeratur, quia tenuiſſimum eſt, ideo cæteris caput minus implere ſolet, & interim contumaciores obſtructiones, ut ſicciores, relictas, propria tenuitate & humectatione auferre, viſcera refrigerare & humectare, ſanguinem edulcorare, & quodammodo totum corpus nutrire, ſine ventriculi gravamine valebit. Parum autem de frigiditate ventriculi, utpote privativa ſolliciti eſſe debemus, ſed potius de ſiccitate, docente Galeno, quod naturalia inſtrumenta quò ſicciora fuerint, eò ad nutriendum ſint minus idonea: & ideo Gladiator ille cui omenti pars major dempta fuerat, toto ſuæ vitæ curſu, & non ſine oleis humectantibus admotis, cibos ægerrime concoquere potuit. Quare ab aquis Tettucianis, à decoctis omnibus calefacientibus, necnon ab extrinſecus admovendis exiccantibus, omnino abſtinendum: non enim calorem nativum in florenti ætate poſitive deficere, nec defeciſſe in Illuſtriſſima Comitiſſa credendum; quinimo nimius & intenſior calor eſt formidandus, ne magis excalefactis viſceribus, & ſanguine craſſiori & melancholico reddito, tumor in Utero, modo ſcirrhoſus, carcinomatoſus evadat. Quod ſi nonnunquam Ventriculo aliquod robur addere placeat, ſat ſit, duo aut tria grana maſtiches integra ab aſſumpto cibo devorare; & urgentibus flatibus, pro diſcuſſione aliquod cochlear per intervalla, ſed raro, ſequentis liquoris haurire.

℞. Aq. tot. citri ℥ iv, aq. cinnam. ℥i. Julapii gemmati M.D. gut. x. m.

Jam dictis omnibus victus ratio proportionem ſervans, erit addenda; ita ut à cibis & potibus, nimirum calefacientibus & exiccantibus abſtineat: humectantibus vero & moderate refrigerantibus utatur, ut exactè præſcribi poterit à Sapientibus Viris Adſtantibus, quibus cætera quoque omnia rite & recte dirigenda remitto. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Pro Sterilitate.

Comitiſſa quædam primo Matrimonii anno Filiam peperit, poſtea annis penè duodecim ſterilis permanſit. Subinde uterinis morbis divexabatur, nec menſes decenter & ordine fluebant, ut curam illius ſuſciperem rogatus, eam ſic aggreſſus ſum. Poſtquam itaque à menſibus repurgata fuerat, primùm fæces hac ratione expurgatæ ſunt.

℞. Catholic. ℥i. diſſolv. in aqu. meliſſ. & cichor. q. ſ. ut F. Potio, capiat. Altero die vena brachii aperta fuit, tertio, quarto, quinto, & ſexto diebus continuis, præparante hoc ſyrupo uſa fuit.

℞. Rad. aper. in vino albo macerat. an. ℥ i. rad. rub. ℥ß. artem. matricar. nepet. puleg. utriuſque fumar. ſummittat. lupul. an. M. i. cicer. rub. p. j. fl. bug. anth. leucoii an. p. i. ſem. ſeſel. ſiler. mont. fœnic. an. ʒiß. paſſul. ℥ii. F. decoctio, in colat. adde ſacch. q. ſ. aromatiz. ʒiii, cinnam. & ʒ i. ſantal. citrin. F. apozema pro quatuor doſibus.

Septimo denuo purgata fuit ſic.

℞. Pilul. aggregat. ℈ii. aurear. ℈ß. cum vino malvat. F. pilulæ ix. Octavo ut vires recolligeret, ſumpſit hunc bolum.

℞. Conſerv. roſmar. ʒ i. raſ. ebor. ℈i. moſch. gr. 2. M. F. Bolus. Hiſce peractis deinceps alternis diebus hoc electuario uſa eſt, bolum illius ſumendo.

℞. Conſerv. Satyrion. conſerv. rad. eryng. an. ℥ i. piſtac. pinear. mundat. conſerv. flor. anthos, an. ℥i. cortic. citr. condit. zinzib. condit. an. ℥ß. ſem. eruc. bulbi, an. ʒiß. raſ. ebor. ʒii. coagul. lepor. raſur. cornu capræ, priapi tauri pulv. an. ʒi. pulv. diambr. diamoſch. an. ʒß. cinnam. caryophyll. macis, nuc. moſch. an. ℈ii. cum ſyr. conſerv. zinzib. F. Elect. interim topica matricalia adhibui remedia, peſſaria duo primùm, quæ duabus noctibus in ſinu uteri retineret.

℞. Spec. tripher. magn. ſine opio, ſpec. benedict. agar. craſſo modo triti, an. ℥i. ſem. nigell. roman. ʒii. cum ſucco mercurialis F. Paſta, impleantur duo ſacculi & utatur.

Cum inſtaret ſeptimana, qua menſes fluere debebant, ſaphænam aperiri juſſi, & ut menſes ſic expectaret. Abſoluta menſium purgatione, curam denuò aggreſſus ſum. Inſeſſionem talem illi præſcripſi.

℞. Rad. alth. M. ii. rad. valerian. enulæ, rubiæ maj. an. M. i. fol. majoran. artemiſ. nepet. chamædr. chamæpit. fol. lauri, vinc. pervinc. puleg. origan. an. M. i. fl. chamæm. meliſſ. ſambuc. an. p. ii. ſem. lini, fænugræc. an. ℥i. ſem. carvi, ℥ß. bulliant in aq. adde lixivii menſur. ij. ſedeat in hoc balneo noctu cubitum itura per horam unam, ventremque inferiorem ad umbilicum uſque immergat calidè, dein egreſſa & abſterſa calidis pannis, in ſellam perforatam ſedeat, in eaque fumum ſequentem per quartam horæ partem imo ventre excipiat.

℞. Troch. gall. & alipt. moſch. an. ʒß. ſtyrac. calam. ladan. benjoin. an. ʒiii. lign. aloës, ſantal. citrin. an. ℈ iv. rad. pæon. ʒ ß. moſch. ambr. an. ℈ ß. cum laricea, F. trochiſci pro fumo ponder. ʒ ii. imponatur unus carbonibus, ſurgens è ſella & in lectum decumbens inungat regionem ſub umbilico ſequenti unguento.

℞. Ol. nardin. moſchæl. an. ℥ iii. pingued. gallin. anſer. an. ℥ i. fol. lign. aloës, zinzib. zedoar. an. ʒ ii. macer. nuc. moſchat. caryophyll. an. ʒ iii. roſ. ſtæchad. ſchænanth. an. ʒß. caſtor. ʒ i. moſch. zibeth. an. gran. vi. F. unguentum, inungatur & poſtea dormiat. Hunc proceſſum balnei ſuffitus & inunctionis eo modo per dies ſeptem continuet, verum duobus poſtremis diebus, poſtquam hiſce uſa fuerit, & in lectum ſe compoſuerit, peſſarium hoc in ſinum uteri immittat, totaque nocte retineat.

℞. Maſtich. ʒiß. ſtyrac. liquid. ℈ iv. cicer. rubr. ʒß. vitell. ovor. crud. q. ſ. F. duo Peſſaria. Poſt uſum poſtremi Peſſarii, ea nocte corpus membraneum craſſum, latum, & fibroſum rejecit, quod, quia inde mirè ſe levatam ſentiebat, multis annis geſtaſſe, & pondus & gravamen inde ſenſiſſe prædicabat. Juſſi ab uſu omnium medi-

medicamentorum abſtineret, donec menſium tempus præteriret, quod cum advenisset, nec menſes fluerent, ſtatim ſe gravidam ſuſpicabatur; juſſi emplaſtrum ſequens in pectinis regione noctu geſtare.

℞. Maſſ. empl. pro matric. ℥ i. de maſtich. ℥ß. hypociſt. acaciæ an. ʒj. roſ. rubr. ʒ ß. ſantal. omnium an. ℈i. ſtyr. calam. benjoin. troch. gall. & alipt. moſch. an. ʒ i. malaxentur oleo moſchæleo, F. emplaſtr.

Ex nauſea, vomitu & menſium retentione gravidam eſſe quoque opinatus ſum, nec me opinio fefellit; nam mox ventris & mammillarum intumeſcentia eius rei fuerunt inditium, filiaque poſt nata id confirmavit. Hæc cura laudem non exiguam mihi apud magnates peperit. Felix Platerus, obſ. lib. 1. p. g. 270.

Pro Sterilitate ab uteri humiditatem.

℞. Cinnam. cardamon. maj. croci, caryophyl. macis, cyperi, nuc. moſch, cumini, lign. aloes, piper. long. caſſ. ligneæ, an. ℈ii. cubeb. doronic. an. ℈ iv. ambr. moſch. balſami an. ʒi. ſacch. albiſſ. ℔ ß. vini malvatic. an. bugl. & meliſſ. an. q. ſ. F. electuar. de quo capiat omni ſero quando vadit dormitum cochl. i. Eſt hoc expertiſſimum quod cum hoc quod calefacit, exſiccat matricis humiditates, ad impraegnationem ſolemniter diſponit, & non ſolet me decipere.

℞. Galliæ moſch. caſtor. bdell. ladani coagul. lepor. nuc. moſch. an. ℥ß. coq. diu in aqua, in qua lavetur aut ſuffumigetur cum ea.

℞. Teſticulum verri exſiccatum unum, teſticulor. vulpis paria iv. tenicul. lepor. par. v. galli paria vi. matric. leporis x. cerebra paſſerum, 60. rad. paſtinac. ſylv. carduorum, ſatyrionum, omnium cum ſacch. conditor. raſ. ebor, an. ℥ iii ß. cinnam. electiſſ. ℥ iii. veretri tauri non nigri, pinear. dactyl. nucis indæ, an. ℥ ii. piper. long. zinzib. ſl. roriſmar. an. ℥ß. ſem. ſeſel. ʒi. ſem. urtic. caryophyll. croci, macis, galang. cyperi, nuc. moſch. caſſ. lign. cubeb. doronic. nepit. ſem. mercurial. maſculi, fol. indi, moſch. ambr. an. ʒi. ſacch. albi diſſolut. cum aq. nepit. ℔ vi. F. electuar. quod prolificativum eſt mirabile à me expertum; utatur mane jejuno ſtomacho, & etiam quando intendit copulari viro. Barthol. Montagnana, conſil. 207.

Purgato ut decet corpore, ego maximè comprobo hanc confectionem, ſi ejus ℥ß. cum vino generoſo tribus vel quatuor diebus continuis jejuno ventriculo, ante mulieris cum viro concubitum propinetur.

℞. Moſch. ambr. an. gran. iii. caſtor. ℥ß. lign. aloes, cinnam. caryophyll. raſ. ebor. an. ℈ ii. ſpic. piper. long. an. ʒß. doronic. zedoar. galang. an. ʒi. ſacch. vel mell. q. ſ. F. mixtura S. A. Unicam etiam imò omnium efficaciſſimam hunc in uſum confectionem nunc deſcribendam inveni.

℞. Satyrii ʒii. ſpec. diamoſch. d. raſ. ebor. an. ℈ii. uteri lepor. ſiccar. & pulv. ʒß. ſucci ſalviæ depurat. ſucc. herb. tabac. an. ℥ß. ſacch. albiſſ. in aq. artemiſ. q. ſ. fiat confectio in rotulis: cujus ʒ ii. mulieris exhibeantur deſinentibus menſibus, tribus diebus continuis hora una ante cœnam, ſuperbibendo ℥ii. vini generoſi.

℞. Zinzib. cinnam. ſpic. nard. an. ʒi. nuc. moſch. macis, benjoin. ſtyrac. an. ʒ i. caryophyll. ladani, an. ʒß. caſtor. ℈ i. cum terebinth. F. trochiſci, quibus uterus, ſuffumigetur.

Si adhuc non concipiat, repurgato iterum leniter corpore, guajaci decoctum triginta diebus aut pluribus accipiat in hunc modum paratum.

℞. Lign. guajac. ℥ v. ſaſſæpar. ʒi. aq. communis ℔ ix. infund. horis viginti quatuor. Deinde bulliant ad conſumptionem medietatis; in fine add. artemiſ. matricar. ſalv. beton. an. p. i. coletur & uſui ſervetur Joan. Zecchius conſult. 67.

Capiat ſæpius in die de morſulis his conceptionem facilitantibus.

℞. Rad. ſatyr. rec. eryng. an. ʒ ii. pinear. mundat. piſtaccor. an. ʒiß. cortic. citri, zinzib. an. ʒi. ſem. eruc. ſiler. mont. paſtinac. ſylv. cinaræ, an. ℈ii. coagul. lepor. priapi tauri, an. ʒß. cinnam. caryophyl. an. ℈ i. cum ſacc. roſ. rab. ſolut. in aq. meliſſ. roſ. & bugl. q. ſ. F. confectio in rotulis. Jo. Petrus Lotichius. obſerv. 14. cap. 1. lib. 5.

Pro Sterilitate.

Inter alia ſi vino myrrhato, quod Veteres in deliciis habuerunt, hoc tempore non careremus, inſeſſus ex eo factos cunctis aliis anteferrem; ſed ſi loco ipſius vinum generoſum capiatur, eique myrrha ariſtolochia, artemiſia, roſa, & cupreſſus incoquantur, atque ex ipſo percolato inſeſſus utero de more paretur, magnam utilitatem eſſe ſequuturam credo; ſic enim ſimul & nimiæ humiditati, recentricis infirmitati, uteri oris obliquitati, & conſequenter ſterilitati ſuccurri poſſe ſperandum eſt. Hieron. Mercurialis. conſult. 93. tom. 1.

Peracta corporis purgatione & muliere menſtruis mundata, ſtatim mane & ſerò per duos dies ſumat hanc evaporationem, quæ mirabilis eſt, & nunquam vana eſt inventa, nam mundificat matricem, & eam ad conceptionem diſponit, & continet quam plurima ſimplicia juvantia manifeſtis & occultis qualitatibus.

℞. Sabin. lauri, roriſmar. fol. citri, matricar. menth. ſyſimbr. biſtort. rad. petroſel. liquirit. fœnic. aſpar. meliſſ. abſynth. origan. quatuor anodyn. ſalv. ſambuc. matriſylv. an. part. æq. ſem. aniſ. cumin. cubeb. galang. an. ʒ j. bull. in aq. in vaſe benè obturato, & poſt accommoda emboium per cannam perforatam, & ſumat fumum in utero. His pluries factis duobus diebus, coeat cum viro ſuo mane. Si adhuc non concipiat mulier ſuffumigetur hoc mirabili ſuffitu manè & ſerò per duos dies à menſtruis.

℞. Moſch. ambr. an. gr. x. lign. aloes ʒß. gummi olivar. ʒii. cinnamom. el. ʒ i. myrrh. ʒß. moſch. gr. xv. pulv. ſaſſafr. ʒ ii. terebinth. & gummi pini q. ſ. F. ſuffitus.

Hoc facto, utatur nocte mulier hoc Peſſario.

℞. Pulv. liquir. & matric. lepor. exſiccat. an. ʒ i. ſtercor. lepor. & cumini, an. ʒij. ſpicæ, myrrhæ, & amomi, an. ℈i. coagul. lepor. ʒ i ß. ladani

ladan. q. ſ. contundenda contund. & in petia ligentur, & imponantur. Ad omnem ſterilitatis cauſam valet ex *Democrito*; ut tam vir quam mulier per aliquot dies bibant ad ℔ ß. juris galli veteris cum ʒ j. pulv. teſticuli verris ſeu apri ſiccati in umbra; & eſt ſecretum rariſſimum & valde expertum. Uterus leporis ſiccetur, & cum vino detur in potu, vel decocto ſaſſafras, per decem dies, maximè cum a menſtruis mulier eſt purgata; vel ex *Rhaſi* & *Avic.* urina Elephantis mirabilis eſt, maxime de ſero bibita cum mulier eſt vicina conceptui. Ad idem valet radix biſtortæ vel imperatoriæ cū vino bibita per plures dies. Ad idem ex *Savanorolla* dens Pueri ſeptem annorum in auro vel argento geſtatus in brachio, vel lapis aquilæ. Ad eandem intentionem valent infraſcripta ſimplicia, quovis modo ſumpta, vel in pulvere, vel in elect. nimirum ſatyrion herba, radix lapathii, matrix leporis, porci, raſura eboris, coagulum leporis & ſtercus ipſius; & vulpis, ſem. ſeſel. paſtinaca, urtica. Sic *Galenus* 3. *De Remediis paratu facil. cap.* 190. Leporis uterum frige, triticumque aſſiduè propina; & cum ſtercore vulpis & ſevo bubulo inunge mulieris virique genitalia. Mihi maximè familiaris eſt hæc conſerva.

℞. Pulv. raſ. ebor. ʒ j. pulv. ſeſel. dauci, an. ʒ ij. coagul. lepor. ℈ ij. conſerv. borrag. & anthos, an. ℥ ij. M. Poſt menſtrua ſumat mulier. Fœcundiſſimas quoque reddit mulieres, ut ex Hiſtoriis Ægyptiorum habetur, hauſtus ſucci ſalviæ domeſticæ ad ℥ iv. cum modico ſale maximè poſt menſes. *Epiphanius Ferdinandus, hiſtor.* 95.

Ex alumine Sterilitas.

Camphoram, immodicè ſiccam, ſi in ſinu virginum geſtetur, juvenes ad venerem reddere impotentes *Cardanus lib.5. de ſubtil.* refert. Cui tamen experientia non favet. De alumine propior obſervatio nuper innotuit. Ambiebat illicitos puellæ amplexus Inſulanus quidam, extra viciniam ſuam ignotus. Annuebat illa quidem votis exorata, ſed metu imprægnationis deterrebatur. Spopondit procus indemnem fore, ſi aluminis fruſtum ore arctius illa contineret dum Venere exoptata frueretur. Perſuaderi ſibi paſſa eſt credula blanditiis & falſis promiſſis, ſeque tutam ab alumine ſperans, tam anxiè ore conſtrinxit alumen, non ſine faſtidio, quam ſedulo alter opus ſuſceptum cum voluptate peregit. Deflorata illa, tandem poſt decem menſium effluxum, credulitatis ſuæ vel ſimplicitatis pretium retulit, Mater facta. Sive caſu ſive traditione aliqua Inſulamus ille in alumen inciderit, certum eſt veterum quoſdam de alumine ita ſenſiſſe, ſed non eo, quo puellæ huic perſuaſum, modo. Huic ori inditum, ut aſtrictione, qua pollet, maxima, obturaret forſan os puellæ de ſua pudicitia ſollicitæ. Veteres autem ori vulvæ impoſuerunt, ut aſtringendi vi clauderet os uteri ne recepto ſemine, conceptio fieret. Ita *Dioſcorides lib.5. cap.*123. Ex Melo, *inquit*, advectum alumen, etiam mulieribus præſtat ne concipiant, ante coïtum ore vulvæ inditum. Ubi Saracenus ad marginem textus notat, in Vet. Codice addi etiam ad menſes eliciendos valere; nec id mirum cum ipſe Dioſcorides teſtetur hoc ipſo loco, fœtus pellere. Cæterum loco συνεργεῖ, legitur in eodem Codice σὺν ἐρίῳ, cum lana, cui alumen voluit involui, ut fieret quaſi peſſarium, locum verò non deſignat ubi apponendum. *Goupyli* vetus liber addidit, καὶ σμύρνη, h. e. Myrrham, quæ ad menſes potius vel fœtum referenda quam ſterilitatem inducendam. Secundas enim pellit ex Hippocrate, lib. de Nat. Muliebr. Fœtum ejicit *Oribaſio lib*... de Virt. ſimpl. Emollit enim præcluſam vulvam & aperit, unde menſes & partus celeriter extrahit. *Dioſcorid. lib.*1. *cap.*77. Niſi hanc vim pellendi fœtum alumen exſerat, intus per os ſumptum. Ita enim maximè aſtringentia, ut cortex granatorum, &c. laxant. Quicquid ſit, aluminis uſus eſt apud Metallurgos, ut aurum ſecernatur ab argento, vel argentum ab auro, docente *G. Agricola lib.* 10. de Re Metall. In hac puella diſcrevit caſtam ab impudica. *D. Thomæ Bartholini.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Sterilitas muliebris ob multiplex uteri vitium. Ob uterum immenſe tumentem & ſcirrhoſum. Ob ejus parvitatem & duritiem cartilagineam. Ob uterum compreſſum à duritie inſigni Omenti. Ob carnoſitatem exiguam intra canalem veræ cervicis. Ob uteri defectum, vaſorum ſpermaticorum & Teſtium. Ob obſtructum uteri collum à carnea excreſcentia. Ob obſtructiones, tumores, &c. Tubarum uteri. Ob callum in utero enatum. Ob carneum tuberculum in collo interiore. Ob Uterum ſpongioſum & mollem, ejus cervicem oſſeam. Ob ſcirrhum circa orificium fundi uteri. Ob ſteatoma uteri fundo parte externa adnatum, Et cavitatem pinguedine denſa obſitam. Ob tumorem uteri materiam ſebo ſimilem continentem. Ob concretionem carnoſam in fundo. Ob uterum exiguum, utriculum illi adnatum.

§. 1. Helena Lobin nunquam concepit, & hydrope uterino interiit; Uterus, qui circa fundum liber eſſe ſolet, peritonæo arcte coaluerat. Veſiculæ majores toto ambitu erant adnatæ. In membrana deſerviente, non procul à collo, erat glandulosa quædam ſubſtantia, dura, magna.

§. 2. Illuſtr. Baroniſſa *de Coudrée* ætatis ann. 65. Sterilis fuit, Uterus immenſe tumens repertus & plane ſcirrhoſus, Proſtate ovi magnitudine, refertæ pure. *Ex Obſerv. Clar. D.D. Alex. Deodati Med. Genev. & Decani.*

§. 3. Vidi in Nobiliſſ. muliere Barone *Darvault*, quæ anno ætatis 55. deceſſit, exiguam matricem duriſſimam, ac ferme cartilagineam. Tres liberos tantum ſuſceperat. *Johan. Riolanus Anthropogr. lib.*2. *cap.*32.

§. 4. Multæ ſunt ſterilitatis cauſæ in muliere, de quibus fere omnes Medici tum antiqui tum recentiores ſcripſere: Unam tamen obſervavi à nullis editam in lucem, videlicet duritiem maximam Omenti, à quo uterus tactus diſtendi non poterat, & ſic genituram projiciebat.

In reliquis vero iſta mulier bene colorata fuerat & optima fruens valetudine, hoc tamen habebat ut omentum undique ſatis craſſum, durum ac fere lapidoſum uterum premeret, ut tangendo ipſius abdomen obſervavi, ex quo ſterilitas orta fuerat. *D. Panarolus Pentecoſte 3. Obſ. 10.*

§. 5. Vidi in Nobiliſſ. Muliere, quæ anno ætatis 55. deceſſit, exiguam matricem, duriſſimam, ac ferme cartilagineam; tres liberos tantum ſuſceperat; intra canalem veræ cervicis, carnoſitatem exiguam inveni, inferne poſitam tanquam peſſulum oſtio obditum. *Riolanus Anthrop. lib. 2. cap. 35.*

§. 6. Fœmina erat cujus vulva ab aliarum fœminarum vulvis nihil peculiare & diverſum habebat, Et matricis colli portio prominebat, vel matricis collo ſimile, matrix autem nulla aderat in abdomine, neque teſtes: Et quoties cum viro coibat (coibat autem ſæpe) mirandum in modum conquerebatur. *Columbus Anatom. lib. 15.*

§. 7. Anno 1662. Lipſiæ ſubjectum fœmininum cultro Anatomico explorabatur, quod ob nimiam laſciviam & adulterium commiſſum decollabatur, Illius deſiderium neque à marito neque ab aliis ſatiari, vel ab ullo ingravidari poterat: In dextro latere arteria ſpermatica bifida reperiebatur, Extra collum uteri propendebat excreſcentia carnea, circa interius colli orificium adnata, longitudine digitum minorem, craſſitie vero lumbricum ferme æquans, quæ uteri collum exacte claudebat, & loco obſtaculi erat ut nullum ſemen uterum ingredi potuerit. *Caſp. Theoph. Bierlingius Med. Magdeburgenſis in miſcellan. curioſis anni 1671. Obſerv. 208.*

§. 8. Frequentes ſunt in Tubis, haud ſecus atque in utero, obſtructiones, tumores, phlyctænæ amplæ, proculdubio abditæ ſterilitatis contumaceſque cauſæ: *Veſtingius Anat. cap. 7.* Novem circiter aquæ puriſque libras in unaquaque invenit *Tulpius obſerv. 45. lib. 4.* Interdum ita cavitas p. n. dilatata fuit ut molam contineret, quod *Marquartus* in Empir. practica refert. *Blaſius ibidem.*

§. 9. Mulieris Claræ, nomine & genere, mortuæ corpore inciſo, Vulva à medio infra, verſus imam ejus partem junctis oris occaluiſſe reperta eſt. Quod ſterilitatis cauſam fuiſſe cognovimus. *Benivenius de Abd. cap. 635.*

§. 10. Sterilitatis Catharinæ Sandræ, uxoris ſororis Rondeletii, cauſam fuiſſe ſuſpicati ſumus carneum tuberculum piſi magnitudine quod in uteri collo interiore deprehenſum eſt: Id enim fuiſſe potuit obſtaculum ſemini in fundum penetraturo. *Joubertus in vita Rondeletii.*

§. 11. Cur non ſtupeant homines, ſi quemadmodum à nobis inter anatomes annotatum eſt, Uterum in fœminis inſtar ſpongiæ raræ & mollis, aliquando & pure oſſeam cervicem videant? *Gemma lib. 1. cap. 6.*

§. 12. Sexagenariam matronam quæ binis nuptiis ſterilis fuerat diſſecui: perquiſita diligenter ſterilitatis cauſa, invenimus ſcirrhum circa orificium fundi uteri, qui inſtar annuli fundum matricis circumdabat, adeoque uterum claudebat ut ſtyli acies vix immitti poſſet, unde nil mirum quod in coitu ſperma à matricis ingreſſu perpetuo arceretur. *Gul. Fabritius Hild. cent. 1. obſerv. 65.*

§. 13. Honeſta quædam matrona in primo puerperio inflammatione uteri laboraverat, curata tandem ſterilis manſit: Cum autem poſtea morbo acuto extincta eſſet, corpus ejus diſſecui, atque in cervice ante orificium fundi uteri ſcirrhum magnitudine ovi anſerini inveni, ipſi adeo adhærentem ut unum videretur corpus, nec ullo modo ab eo divelli potuerit. *Idem ibidem, obſerv. 66.*

§. 14. In cadavere muliebri à Cl. Veslingio Patavii anno 1644. aperto, repertus uteri fundo, in parte exteriore, tumor adnatus magnitudine nucis jnglandis, cujus interior facies albicans & pingnis ſteatoma referebat; Aperta uteri cavitas ſimili pinguedine denſa omnino repleta viſebatur, parietibus ejus annexa: Hinc annorum induciis nunquam concepit. *Th. Bartholinus cent. 2. hiſt. 60. J. Rhodius cent. 3. obſerv. 46.*

§. 15. Mulierem, quæ nunquam conceperat, quamvis innumeris medicamentis eſſet uſa, J. Veslingius à morte ſectam anno 1642. Vidit tumore uteri loboraſſe, membrana propria materiam ſebo ſimilem continente, quem ideo inter ſterilitatis cauſas merito referendum cenſebat, memoratum etiam *Joh. Huchero lib. 2. de ſterilitate p. 211. Velſchius Epiſagm. obſerv. 72.*

§. 16. Vidimus in Nob. Matronæ *Ant. le Fevre* corpore, concretionem ſimilem parenchymati Hepatis, cavoque uteri adnatam, à partu poſtremi liberorum, & æqualem fabæ Ægyptiacæ, ſterilitatiſque reliqua ejus vita cauſam. *C. Piſo de morbis à ſero Sect. 2. pag. 2. cap. 7.*

§. 17. Fœmina nupta virgo ſexennium integrum ventrem tumidum geſſit inſtar prægnantis abſque impedimento in ullis functionibus: Non menſtruabat autem licet commode marito convixerit, corpore bene habita & muſculoſa. Obiit præfocata. Utriculus quidam præternaturalis ventris capacitatem explebat, exortum ab uteri fundo extimo ſumens. Uterus ipſe exiguus erat & arctus qualis puellæ 10. aut 12. annorum. *Vide obſerv. 55. §. 1. ſect. 21.*

Sterilitas propter obſtructum uteri collum à carnea excreſcentia.

Dari ſterilitatem conjugalem, quæ ſecundum Gilb. Jacchæum *Inſt. Med. lib. 3. p. 249.* mulieris juſtæ ætatis, & utentis viro, concipiendi impotentia eſt, abundè conſtat è factis. Iſtum naturæ defectum animadvertas, ſi Saram *Geneſ. 16. verſ. 2.* Hannam, *Samuel. 1. verſ. 5.* Eliſabetham, *Luc. 1. v. 7.* & plures alias adeas *Geneſ. 30. verſ. 1. Judic. 13. verſ. 2.* hujus verò mali cauſa, fons & origo diverſa eſt. Fieri enim interdum à Diabolo, infenſiſſimo Dei, ejuſque ordinationum omnium & hominum hoſte, hujuſque inſtrumentis, ſagis nimirum, talem conjugii turbationem, videre licet ex *Delrio*, *Hieron. Jordano*, de eo, quod divinum eſt, *Hildebrando* in Theurgia, *& Bodino*, in Dæmon. *lib. 1. cap. 6* Sic olim quoque mulieres caſtrabantur & incidebantur veluti infert ex Johanne Brod. *Miſcell. lib. 5. cap. 3.* Rittershuſ. *ad §. 5. Inſt. d. Publ. Jud.* Item ex Alciat. *in l. 128. de V. S. & 4. antiq. Lect. cap. 10.* Kornmann. *d. Jur. Virginit. cap. 116. p. 198.* Itter. *Synopſ. Philoſoph. Moral. lib. 3. c. 3.* Schenck. *Schol. part. pag. 13.* & Joan. Wier. *de Praſtig. Damin, pag. 288.* Quomodo nimirum pater quidam filiæ

filiæ ſuæ laſcivienti uterum per porcorum caſtratorem excidi curaverit. Riolanus *Anat. c.35. p.539.* aſſerit Dalechampius *in not. ad lib. 17. A.ben.* Veterem fœminarum caſtrationem ſic interpretatum eſſe, quod quemadmodum in fibulatis naturalibus equæ, quas concipere & parere nolunt, cuſtodiuntur, per ferreos nempè circulos ordine trajectos, quibus illæ ipſæ libidinis partes occluduntur; ita uxores eorum conſervatæ fuerint. Poſſet hanc ſententiam inſuper confirmare quod, recenſente eodem Riolano *Anat. cap. 35. pag. 539.* moris erat apud Nigrorum nationem, quæ hymeni, utpote fragili, labilique ſepimento minus confiſa, validioribus & certioribus præſidiis filiarum virginalia munire aſſolebat. Etenim puellis, ubi primum natæ erant, pudenda conſuebant, ſed ita, ut urinæ liberior meatus non interciperetur: Illæ autem ubi adoleverant, ſic conſutæ nuptum dabantur, ſponſoque ea relinquebatur ac incumbebat cura, ut ferro conglutinata cervicis labra ſecaret divideretque. *Aliæ* tanta corporis infirmitate correptæ ſunt, ut debitum præſtare nequeant; *Aliæ* ita arctæ, ut mulieres fieri non poſſint. Non curamus autem hic, an iſta muliebrium locorum obſeratio ex naturalibus cauſis oriatur, vel per medicamenta & morbum, an à Dæmone præſtigiis cauſetur; item an arctitudo ſit in oſſibus, an in carnoſitate. Impotentiam clitoridis juſto major eminentia excitat, quæ copioſo ſpiritu induens conjunctioni conjugali obſtaculum affert. *Riolanus.* Eſt quoddam genus ſterilium, quæ concipere quidem poſſunt, tamen non poſſunt deinde retinere propter craſſitiem aut humiditatem, aut ob exiguitatem uterorum, aut quod omnino dilatari pro fœtuum magnitudine non poſſunt. Valleſ. *Comm. in lib. 2. Epid. Hipp. ſ.3. p.163. l. D.* Omentum quando intercedit fundum veſicæ & uteri, os uteri comprimi, & mulieribus ſterilitas adferri putatur. *Barth. Anat. reform. l.1. c.8 p.44.* Duæ ob uterum humidiorem ſteriles curatæ fuerunt. *Henr. ab Heer Obſerv. 14. p.277.* Conceptionis impeditæ ex tumore uteri, item à ſcirrho in utero mentionem facit Guil. Fabric. *Cent.1. Obſerv.65.* Sic anno 1662. 30. Maji Lipſiæ ſubjectum fœmininum cultro anatomico explorabatur, quod ob nimiam laſciviam & adulterium commiſſum decollatum erat. Illius deſiderium neque à marito, neque ab aliis ſatiari, vel ab ullo ingravidari poterat. In dextro latere arteria ſpermatica bifida reperiebatur. Extra collum uteri pendebat excreſcentia carnea, circa interius colli orificium adnata, longitudine digitum minorem, craſſitie verò lumbricum fermè æquans, quæ uteri collum exactè claudebat, & loco obſtaculi erat, ut nullum ſemen uterum ingredi potuerit. *Dom. Bierling. è Magdeburgo Uratisl. datis Litteris.*

Sterilitas à Tubarum Fallopianarum clauſurâ.

Sterilitatis mulierum multæ inveniuntur cauſæ, inter quas Tubarum Fallopianarum clauſura, haud infima eſt habenda: Hanc modò circa inſertionem in uterum, aliàs in earum extremô obſervo. Si tot cadavera non ſecuiſſem, nunquam credidiſſem, Tubas Fallopianas, ſeu Oviductus, tam frequenter in mulieribus eſſe clauſos, quod ſæpius à partu difficili (in quô non rarò illæ partes levem inflammationem patiuntur.) vel ab aliis ventris doloribus provenire expertus ſum; & quod obſervatu dignum eſt, ſi in extremitatibus ſint clauſæ tubæ, ut plurimum eas arctè cum ovariis coalitas inveni, quod magis experientiam noſtram, quoad cauſam, confirmat; videmus enim ſæpenumero viſcera, poſtquam inflammationem conceperunt, ad ſe invicem contrahi & uniri. Præterea in hôc caſu ſæpiſſime tubas valdè reperi extenſas, præſertim circa earum extremitates; ſicut in Muſæô noſtrô unicuique demonſtrare poſſum: Id quod Oculatiſſimus Anatomicus Regnerus de Graaff ſemel quoque obſervavit, ut patet in tractatu de Mulierum organis generationi inſervientibus pag. m. 256. Crediderim hanc præternaturalem extenſionem fieri ab occæcatione tubæ, & humoribus ac flatibus ex uteri cavitate (eô tempore, cùm os uteri nimis arctè clauſum eſt) exitum quærentibus. *Clariſſ. Fredericus Rhuyſch. in obſervationibus Anatomico Chirurgicis.*

STERNUTATIO.

STernutatio (Græcè πταρμὸς à πταίρω ſternuo) eſt flatuoſorum ſpirituum, acriumque humorum tunicam narium internam compungentium, violenta, ac quaſi convulſiva excuſſio. Cauſæ internæ ſunt humores ad nares delabentes. Externæ verò radii lucentis Solis, vapores è cepis, allio, ſinapi, raphano, &c. & medicamenta ptarmica naribus admota.

Pro Sternutatione moleſta.

Juſſi ut per nares ſæpe attraheret lac tepidum, quod cum ter quaterve feciſſet, miraculi inſtar, ſtatim ceſſavit ſternutatio. Credebam enim ex acris Catarrhi deſcenſu ad nares ſternutationem irritari, neque mea opinio me fefellit, nam ex lacte tepido per nares attracto, ſalſedo & acrimonia, quæ nares pungebat, mitigata fuit, & ſternutatio moleſta ablata. *Petrus Foreſtus, obſerv. 127. lib.10. De Cerebri morbis.*

Ex immodica & violenta ſternutatione profluvium menſtruorum graviſſimum atque periculoſiſſimum.

Nobilis Matrona in agro Meldunenſi quinquaginta circiter annorum nata, vidua robuſta, & plethorica, circa principium menſis Martii anni 1607. abſque cauſa manifeſta ſternutatione violenta correpta fuit, ita ut per quadrantem horæ continuo ſternutare cogeretur, vixque anhelitum trahere poſſet; tam violenter concutiebantur interiora omnia. Cæterùm in iſta agitatione & concuſſione viſcerum, maximos etiam ſentiebat dolores è regione oſſis ſacri, & imi ventris, menſtrua quin etiam ſimul eruperunt atque profluxere, & quidem non ſimpliciter, & ſecundùm naturæ ordinem, ſed per duos integros menſes, abſque ulla ferè intermiſſione. Ab initio per dies quindecim fluxus non admodùm copioſus erat, poſtmodum tamen vehementior factus, ad talem debilitationem pervenit Ma-

trona iſta, ut lectum amplius egredi non poſſet. Tandem 12. menſis Maii, 1607. cum rem in anguſto poſitam eſſe vidiſſent adſtantes, me in conſilium adhibuerunt.

Præſcripta optima victus ratione, inunctis lumbis, & oſſe ſacro, unguento refrigerante, & imo ventri applicato cataplaſmate aſtringenti, brevi convaluit, & ad hunc uſque annum 1609. bona valetudine fruitur. *Gulielm. Fabricius Hildan. Obſerv. Chirurgicar. Cent. 3.*

Matrona ſternutando è vita diſcedit.

Puerpera quædam pia, atque honeſta in inferiori Germania, cum victus ratione peccaſſet, & aëri frigido ſeſe maturè nimis expoſuiſſet, multis variiſque ſymptomatibus correpta fuit, inprimis autem capitis dolore vehementi quidem, & continuo, quem ſequutus eſt aurium tinnitus, auditus & loquelæ depravatio, mentis quin etiam aliquomodo alienatio & viſus abolitio: ita enim obſtructi fuerunt nervi optici, ut ne radios quidem ſolares percipere poſſet. Ego cum clariſſimo atque doctiſſimo Viro Dn. Henrico Stapenio medico celeberrimo in conſilium adhibitus, multa variaque medicamenta præſcripſimus, adhibuimuſque cucurbitulas, quin etiam veſicatoria, & ſetaceum nuchæ applicuimus, ita ut tandem nonnulla ſymptomatum remiſerint, & de recuperanda valetudine ſpes aliqua nobis præberetur. Quadam die autem cum ipſi pilulæ capitales, quibus grana aliquot extracti hellebori nigri admixta erant, præſcriptæ, à pharmacopola præparatæ, & ab adſtantibus exhibitæ eſſent, poſt horas duas à ſumpto medicamento ſemel alvum exoneravit, & quidem clementer. Iterum poſt horas duas nonnihil pituitæ vitreæ evomuit, abſque ulla tamen violentia. Poſt vomitum cùm duodecies circiter ſternutaſſet, protinus extincta fuit, & quidem ſternutando.

Ex immodica & violenta ſternutatione menſtrua erupiſſe, & adeò copioſè profluxiſſe, ut ferè de vita cum ægra actum eſſet, in tertia Centuria obſervationum noſtratum obſerv. 58. annotavimus. *Idem ibidem.*

Sternutamentum Empiricorum more adhibitum, quæ incommoda ſequuta?

Quam periculoſa ſit ſternutatio in corporibus impuris, & quantum viſui obſit, lector in prima obſervationum noſtrarum Centuria obſervat. 24. videre poterit. Sed & alia ex ſternutamentis Empiricorum more adhibitis, incommoda conſequi poſſe, ſequens Obſervatio fidem facit.

Anno 1611. Juvenem quendam Rutgerum Gummersbachium, robuſtum, & optimo corporis habitu præditum, Coloniæ Agrippinæ familiariter cognovi. Ille cùm catarrho ad dentes defluente vexaretur, Empirici & circumforanei conſilium auxiliumq; implorat. Numerata pecunia, curationem aggreditur, & nullo prius exhibito medicamento purgante, naribus pulverem ex radicibus cyclaminis, pipere, euphorbio, & ſimilibus, calamo inſpirat, & bacillo ex utraque parte bifurcato inter dentes poſito ſternutamenta provocat, & pituitoſitatem per os & nares extrahit, & quidem copioſè. Sed quid fit? eadem die ſequutus eſt tinnitus aurium moleſtus & doloroſus. Porrò dolor iſte cum per ſe paulatim remiſiſſet & materia ad nares defluxiſſet, ichor emanare cœpit, atque per menſes aliquot inde effluxit. Tandem odoratus ita abolitus fuit, ut ab eo tempore ſive ſuaviſſimi, ſive ingratiſſimi odores fuerint, eos tamen percipere, aut diſcernere potens non ſit. *Idem ibidem.*

Sternutatio CCC. in uno Paroxyſmo repetita.

Nobiliſſimæ cujuſdam famula, nocte ingrediente, ante decubitum ex improviſo aliquoties ſternutare incipiebat, mox continua, immodica & inani ſternutatione per totam noctem magno cum conatu, concuſſione totius corporis, Narium obſtructione, quorum vicem ſolum Os reſpiratione crebra & difficili obibat, ter centies & ultra corripiebatur, inſequenti animi deliquio, & virium ſumma imbecillitate. Domeſtici, quicquid ipſis in promptu viſum fuit, præprimis Fermentum Succino permiſtum, vertici impoſuerunt, quo tandem remiſit. Summo manè per literas de ejus affectus conſilio & auxilio rogatus, cùm verò nullius cauſæ internæ vel externæ, antecedentis vel præſentis in iis mentio fieret, decumbens Juvencula 17. annorum eſſet, Novilunium ſimul inſtaret, à ſanguinis aliqua vitiata qualitate & acrimonia, vel a Cacochymiæ in ventre inferiore latentis vaporibus ad caput delatis, hanc Sternutationem provenire ſtatuebam, hinc præmiſſo Lenitivo, apertio cephalicæ manus dextræ; frictiones extremorum, Frontis & Colli; Pediluvia aliaque procurata: per nares verò lac tepidum ſæpè ut attraheret, illæque internè ol. Amygd. d. cum mucilag. Sem. Cydonior. &c. permiſtis, oblinirentur, juſſi: Viribus proſpiciebatur Cordiali & Cephalico. His non obſtantibus, altera, ab invaſionis principio, Nocte, Sternutatio crebrior, diuturnior & gravior, non ſolum cum frequenti animi deliquio, ſed & motibus convulſivis, rediit, quo vires valdè dejectæ, hinc denuo rogor, abſque ullius cauſæ mentione, per litteras: ut aliquid conſilii communicarem; Veſicatoria itaq; Cucurbitas ſiccas femoribus applicandas, venarumque poplitum ſectionem commendavi, præterea frictione Palati cum panno aſperiore ſuccurri; quo calefacta pars humores diſſiparet; iiſque diverterentur à Naribus ad Palatum: Internè verò Corroborantia & Antiſpileptica ordinata. Verùm tertia vice, intervallo unius diei, Sternutatio hæc permoleſta & periculoſa rurſum noctu excitata, cum animi deliquio & motibus convulſivis, adhibitis ergò tranſmiſſis medicamentis, tandem tranſmutata in Hemiplegiam ſiniſtri brachii & lateris, quo ceſſavit Sternutatio: poſtero die ſupervenit Menſium fluxus, his ritè fluentibus, externis & internis membra paralytica ſenſim in integrum reſtituta. Licet autem, ut dictum, ceſſarit Sternutatio, protinùs tamen ac caput motu vel Solis calore incaleſceret, vel à frigido aëre & ventis afficeretur juvencula illicò narium obſtructione, vellicatione, anhelitus difficultate & ſternutationis crebritate corripiebatur, impoſito verò fermento cum ſuccino vertici, conquievit, hinc conjeci aliquid in capite latere; quo commoto vel quieſcente affectus hic adeſſet, vel abeſſet. Paulo poſt ad Nobiliſſimam evocor, ubi inter alia penitius in prædicti affectus latentem cauſam inquirere conſtitueram, tandem ab

ab remedii domeſtici, ex fermento ſupra verticem applicatione, in locum & cauſam genuinam deveni, ſub capillis enim ſummi verticis copioſis, Tumor æqualis, molliuſculus, attactu dolens latebat; cujus materia à motu vel ſolis radiis incaleſcens, partim agitatione & dilatatione, partim acrimonia inſita vellicando Pericranium, & hinc per conſenſum & continuitatem duræ meningis, à qua oritur, membranam nares ſuccingentem, quæ itidem ortum ſuum duræ Matri debet, tùm ſternutationem hanc ſæpè repetitam, inanem, diuturnam, totumque corpus concuſſione & violentia ſua in conſenſum traxit, tùm obſtructionem narium & reſpirandi difficultatem frequentiamque excitavit. Quod igitur Solis radii excalefaciendo & humores attenuando, id frigidus Aër conſtrictione & compreſſione effecit. Ortus autem erat hic Tumor ex lapſu & gravi alliſione capitis ſeu verticis ad terram, quia verò tunc ultra dimidium annum nullam moleſtiam pepererat, hinc neglectus, nec curatus eſt, donec Sternutationis motû violento, & applicatione remedii domeſtici, detectus eſſet. Aperto verò deinceps tumore, evacuato pure, & conſolidato ulcere, per biennium, hucuſque nullam amplius moleſtiam dicta juvencula perſenſit.

Sternutatio cum ſingultu.

Nobilis Virgo annor. 23. feliciter debellatâ tertianâ febri, ſingultum vehementer moleſtum experta non ita pridem eſt, in quô tollendô operam perdidimus quotquot Medici à Patre rogati conſilia dedimus; inuſitatam enim faciem induit ſingultus miſerè tenellum corpus excrucians, & vix deglutitioni tempus indulſit. Quandoque ceſſare videbatur. Sed ſingulari metaſtaſi ſuccedebat ſternutatio perenni motu ægram exagitans, tamque vehemens, ut lectô excuteretur, ni ab adſtantibus impedita fuiſſet. Vitium in œſophagô hærere, tuberculô quôdam impeditô, ſuſpicio fuit, quia quæ exhibebantur difficulter deglutiebantur. Sternutatio verò unde? Divinare non facile fuit. An vermes in abdomine? Aliquid hos contribuiſſe inficiari non auſim; magni illi ſatis per enemata expurgati. Omnibus tentatis nihil profecimus, quanquam Pharmacopæorum officinas evacuaverimus; hinc aliquot menſes ſunt protracti inter has pœnas; leniri ſubinde malum videbatur, ſed recurrebat, donec tandem corpore prorſus expurgatô, variiſque, tum Galenicis, tum Chimicis Medicamentis præparatô, ſolô ſpiritu vini exhibitô à muliercula, convaluit, & nunc ſana vivit; unde bene proverbium ait: beata vetula quæ venit in fine morbi. *D. Joſeph. Lanzonus Ephemer. Germanic. Dec. 2. Ann. 9.*

STRABISMUS
Vid.
OCULORUM VITIA.

STRANGURIA
Vid.
URINAE VITIA.

STRUMA
Vid.
SCROFULA.

STUPIDITAS.

STupiditas, ſive *μώρωσις*, etſi potiſſimum ad Animam Rationalem ſpectat, atque intellectus, & judicii defectus ſignificat, non impropriè tamen inter morbos capitis, ſeu τ͂ ἐγκεφάλου recenſetur; in quantum ſcil. iſta Animæ ſuperioris eclipſis ab imaginatione, & memoria læſis procedit, atque harum deliquia, à ſpirituum Animalium, ipſiuſque cerebri vitiis dependent.

Animam Rationalem, in ſenſitivâ ſive corporeâ ſubſiſtere, ejuſque ſedem quaſi principem imaginationem eſſe; porro ab hac, & memoria, rerum omnium, quas mens ſpeculatur, aut notiones ipſas, aut earum occaſiones ſuppeditari, ſuperius clare oſtendimus. Quapropter ſi quando has functiones corporeas deficere, aut inhiberi contingit, proinde intellectus acies, quaſi oculis ejus obvelatis, hebetari plurimum, aut penitus obfuſcari ſolet. Itaque ut ſtultitiæ, & ſtupiditatis pathologia rite tradatur, imprimis inquirere oportebit, quâ ratione, & quibus cauſis, imaginatio & memoria ſæpe deficiunt, vel præpediuntur.

Super his ut methodice procedatur, huc referri debent quæ de Animæ corporeæ functionibus earumque ſubjectis, & inſtrumentis ſuprà diſſeruimus. Imaginationis ſedem corpora calloſa, ſive cerebri meditullium, atque memoriæ cerebri corticales medullas; porro utriuſque organa immediata eſſe ſpiritus animales fusè declaravimus. Quamobrem quod potentiis iſtis (quæ functionis cujuſq; alterius, ſcilicet, tum rationalis, tum ſenſitivæ, primi aut præcipui Elateres ſunt) præpeditis, mentis imbecillitas & hebetudo, tarditas ingenii, ſtupiditas, ac ipſa demû amentia ſæpenumero oriuntur, in culpâ ſunt, aut cerebrum ipſum, aut ſpiritus animales, aut utraque ſimul, atque prius modo hi, modo illud.

1. Quoad ſpiritus animales cujuſmodi illi ex propriâ, & genuinâ indole eſſe debent, & quales ob diatheſin præternaturalem in Phrenitide, Melancholia, & Mania exiſtunt, ſatis fusè declaravimus. Verum inſuper (quod ſuprà innuimus) ſuſpicari licet, ſpiritus iſtos interdum particulis activis ferè deſtitutos, quaſi vappidos, & effætos fieri; nempe cum particulæ ſpirituoſæ præpollere, atque ſibimet ſalinas volatiliſatas conſciſcere deberent; in ſtupiditate tum hæ utræque, tum ſulphureæ nimis depreſſæ, aquoſis vel terreſtribus immerguntur pæne, ac obruuntur. Enimvero Fatui non tam rudi craſſaque Minerva quam Animo prædiri eſſe videntur, eorumque ſpiritus animales potiùs quam præcordia ex luto effingi. Plures ſunt occaſiones, ſive cauſæ evidentes, quibus ſpiritus animales texturam adeo levidenſem acquirunt, quarum præcipuas mox attingemus.

2. Attamen haud frequenter evenit, ſtupiditatem merâ ſpirituum, aut ipſius animæ corporeæ culpâ ſolitaria excitari; quin ſæpius cerebrum ipſum potius, aut prius in culpa eſſe reperitur. Quippe cum plura ſint requiſita, quibus hoc peridoneum functionis animalis ſubjectum ſive machina conſtituatur, ſi forte eorum quodlibet aut deficiat, aut depravetur, facile ſequitur taliter affectos ingenio minus pollere.

Primò vulgaris obſervatio eſt, indolem ac ingenium nonnihil à capitis, & conſequenter à cerebri ejus magnitudine, & figura pendere; nam quoad molem ejus, in Adagio eſt, cerebri parum, aut nimium ſtoliditatem arguere. Et quamvis hoc non ſemper, attamen crebro ſic evenit. Cujus ratio eſt, quoniam in parvo cerebro pauciores tantum ſpiritus gignuntur, exercenturque; grandius autem, textura plerumque viliori conſtans, mentis acumini minus accommodum exiſtit.

Secundò Cerebri figura genuina & optima, globoſa eſſe debet, ſc. in eum finem, ut ſpiritus æquabili effluxu à meditullio ejus quaquaverſus in ambitum diffundantur, & illinc æqualibus ubique reflexionum angulis retorqueantur. Veruntamen qui capite depreſſo, vel nimis acuminato, aut alias improportionato inſigniuntur, ut plurimum functionis animalis labe quadam notabili afficiuntur, ejuſmodi namque Cerebra, tanquam ſpecula diſtorta, rerum ſpecies non rectè colligunt, nec Animæ rationali eas verè objiciunt.

Tertiò Subſtantia Cerebri ſit bene temperata, & laudabilis texturæ; nec tantum quoad caloris, & frigoris, ſiccitatis, & humiditates qualitates; verum ſyſtaſis ejus ſale volatili & ſpiritu copioſis cum modicâ reliquorum proportione conſtans, ſit tenuis & aerea; ut ſpiritus facile totum trajiciant; & ſibi tractus procudant, ſimulque mediocriter firma & compacta, ut tractus & meatus excuſi permaneant, nec ſtatim à partium nimis mollium ſubſidentia deleantur. In ſtupidis vero ſuſpicari licet, modò in cerebro qualitatis cujuſdam manifeſtæ, uti imprimis humiditatis, aut frigiditatis exceſſum propter quam rationem pueri & ſenes ſenſuum hebetudine ſæpius affici ſolent; modò texturam nimis craſſam, & terreſtrem eſſe; proinde ut ſpiritus non facile ipſum irradient, aut ſibi tractus procudant; nempe haud, pluſquam lucis radii, corpus opacum penetrare poſſint. Hujuſmodi levidenſi cerebri texturæ ruſticorum & aggreſtium nati, quaſi ex pejore luto formati, crebrò obnoxii ſunt; hunc in quibuſdam familiis multas retro progenies recolendo, vix unum ſagacem aut ſapientem reperire datur. In quibuſdam locis cœli ac aeris influentia, incolas ad ſtupiditatem inclinari perhibetur; ita in Bœotia naſci, in Adagio idem eſt, ac fatuum eſſe.

Quartò præpter hæc cerebri vitia, quæ ut plurimum originalia & connata ſunt, nonnunquam mala ejus ſecundùm poros, & meatus conformatio, propter inordinationes quaſdam acquiſita, in cauſa eſt, quod functio animalis minus ritu excolitur. Nam primò quòd attinet ad cerebri meatus, & poros minores (quos ipſi ſpiritus per totam ejus compagem ubique procudunt, inque iis pro functionum animalium exercitiis perpetuò ſcatent) nonnunquam accidit hos aut deficere, aut perverti, proindeque mentis hebetudinem, aut moroſin acceſſi. Spatiola hæc deficiunt, in quantum cerebri conſiſtentia, aut obdurata, aut fluida nimis, ea debito modo procudi, aut permanere non ſinit. Cæterum meatus illos perverti ſuſpicamur, vel quatenus nimis laxi, vel conſtricti ſunt; vel quatenus eorum conformatio inæqualis eſt. Pori nimis ſtricti materiem pro ſpirituum copiis haud ſatis uberem admittunt: ſupra modum laxi, unà cum materiâ iſta, particulas heterogeneas, & regimini animali infeſtas excipiunt. Inæqualiter conformati videntur, ſiquidem patentiores ſunt in unâ parte cerebri, & anguſtiores in aliâ. Propter hanc cauſam putamus eſſe, quòd nonnulli res ſatis rectè ſentiunt, ſed malè ſemper judicant; quippe notiones eorum, & conceptus, velut ſpecies viſibiles medium diverſimodum pertranſeuntes, diſtorti evadunt. Porro fortaſſe ob hanc rationem contingit, quoſdam imaginatione, & phantaſia ſatis pollere, ac in memoria plurimum deficere, & alios è contra.

3. Interdum accidit utraſque has moroſeos cauſas conjunctas ſimul concurrere, nempe quòd tum ſpiritus animales hebetes, ac torpidi, tum cerebrum malè conformatum fuerit. Et revera quæcunque pars prior in culpa eſt, brevi alteram pariter ream facit. Quippe cum ſpiritus obtuſi ac inertes cerebrum haud liberè trajiciunt, pori, & meatus in eo vel non ſatis procuduntur, vel denuo coaleſcunt; atque ſpiritus, ſi ob malam cerebri ſtructuram ſatis expandi nequeunt, ipſi tandem ſegnes & otio obtorpeſcentes diatheſin vitioſam acquirunt.

Hæc de Moroſeos cauſis conjunctis, quod ad procatarcticas & evidentes ſpectat plures ſunt προφάσεις & occaſiones propter quas prædictæ labes cerebro, aut ſpiribus, vel ſimul utriſque inferri ſolent.

Primò enim ſtupiditas (prout modo obſervavimus) interdum originalis ſive connata eſt; & ſic vel hæreditaria, uti cum ſtulti progignunt ſtultos; cujus ratio ſatis patet, iiſdem nempe particulis effœtis, ad conſtituenda organa Animalia in filio, quæ fuerant in patre, confluentibus. Vel ſtupiditas congenita quaſi accidentalis eſt, nempe frequenter accidit ſapientes, & ſummè ingenioſos, inſulſos ac Bardos progignere: quod ob hanc cauſam, ita interdum fieri putamus, quatenus parentes literarum ſtudiis, imo & lectioni aut meditationi nimiis dediti, ſpiritus animales Cerebri hoſpites in tantum impendunt, ut pro ſupplementis eorum, generoſiſſimæ ſanguinis particulæ uſque ad ἐγκέφαλον accerſantur, paucioribus tantum & tenuioribus ad corpora ſpermatica deſcendere permiſſis. Quando Anima rationalis de fœtu ſuo (qui intellectus opera ſunt) edendo maximè ſollicita eſt, tunc Anima corporea (ſpiritibus in alterius obſequia vocatis) aut minus aut imbecillius prolifica evadit.

Præter hanc rationem inſuper alia nimis frequens occurrit, quare hominum æquè ac Brutorum indoles primigenia à parentibus ad liberos non ſæpius propagatur. Nam cum Equi generoſi, aut Galli Pullos tàm certo patriſſare præſumimus, ut proinde ſtatim magno pretio veneant, & horum virtutes; ſiquidem victu inordinato, & præternaturali non abrumpuntur, longâ ſerie ad ſeros nepotes deſcendunt: hoc ſæpe aliter in homine contingit; nempe quòd parentes intemperantiâ, luxuriâ, & malis moribus corpora ſua ita infirmant, enervantque, propterea ut natos non niſi languidos, aut valetudinarios gignant. Hinc ut plurimum qui ex parentibus ſenio fractis, aut nondum ætate maturis, aut ebriis, aut mollibus, aut effe-

effeminatis naſcuntur, ingenio magno & liberali carent. Nec minus facultatis animalis detrimentum iis accidit, quorum ſatores malis cerebri affectionibus, uti Paralyſi, Epilepſiæ, Caro, ſpaſmis, & ſimilibus obnoxii fuerunt; ita ut ex parentibus naſci, quibus mens ſana in corpore ſano eſt, patrimonio ampliſſimo longè præſtet.

Secundò Plures ſunt cauſæ evidentes quibus ſtupiditas nonnullis originaliter ſanis induci ſolet. Quidam prius ſolertes & ingenioſi, merâ ætatis declinatione, ſine magnis in victu erratis, ſenſim hebetiores, ac demum inſulſi evadunt; quatenus nimirum ſanguis & liquor nerveus (quorum dyſcraſiis ſpiritus animales obſequuntur) tanquam vina quædam; aliique liquores fermentati, poſt fermentationem perfectam a vigore decedunt, & paulatim quaſi in vappam degenerant. Enimvero obſervare eſt, quorundam ingenia juxta ætatum ſuarum periodos, varia incrementa, & decrementa ſuſcipere. Novi plures in pueritiâ ſagaces admodum; & ſummè dociles, ut literatura & diſcurſu ſuo quoſvis in admirationem raperent, qui poſtea Adoleſcentes obtuſi & hebetes evaſerunt; quique prius erant formâ pulcherrimi, poſtea nihil venuſti, aut decori in aſpectu referebant. Pariter è contra non rarò evenit multos primo indociles; literaturæ prorſus ineptos, ac vultus inconcinni videri, qui ubi ex Ephebis exceſſerunt, eximiâ mentis acie, & formæ nitore pollent. Prioris ratio eſt, quòd ingenium præcox instar fructus horarii haud diu in eodem ſtatu permanet, quin cito declinans brevi emarceſcit. Quippe in omni mixtione & concretione rite facta requiri videtur; ut progreſſus à cruditate ad maturitatem lente & paulatim fiat, hoc eſt, elementa activa imprimis haud cæteris emineant; & ſupra modum prævalleant, quin iis obvoluta paulatim emergant ac ſeſe exerant; ſecùs enim ab initio libera nimis, & ſoluta facile avolabunt, ſubjectum ſuum effœtum ferè ac vappidum relinquentia. Quapropter de pueris, qui primis annis paulò hebetiores videntur, ſpes erit eos poſtea, cum cerebri temperies (evaporata humiditate ſuperfluâ) maturatur, ſatis ingenioſos fore.

Tertiò interdum magna capitis plaga aut concuſſio, præſertim quæ caſu præcipiti ab alto contingit, facultatis animalis noxam, & debilitatem infert. Novi quoſdam egregiè literatos, atque ſummi acuminis ac judicii homines qui fortuitis hujuſmodi caſibus ſuperſtites, poſtea hebetes & craſſioris ingenii fuerunt. Vulgò dicitur taliter affectorum cerebra ſubverſa eſſe & quidem vehemens cerebri concuſſio, aſſuetos ſpirituum tractus & orbitas valde pervertit, & non rarò comprimit, aut occludit, proinde ut memoriæ, & imaginationis actus in poſterum ægre, aut perperam obeant, adeò ut nonnulli à plagâ fortiori capiti inflictâ Bardi prorſus & amentes evaſerint.

Quartò, Frequens ebrietas, & crapula, præ præſertim ſi poculis indormiant ſomno vinoque ſepulti, quorundam ingenia plurimum labefactant, & rationis uſum infirmant; quatenus nempe hoc modo pori & meatus cerebri aperiuntur nimis, iiſque corpuſcula heterogenea & regimini animali valde infeſta introducuntur, Ob ſimilem ferè rationem frequens opiatorum uſus quibuſdam mentis aciem valde perſtrinxit.

Quintò Violentæ ac ſubitæ paſſiones, quales in primis ſunt improviſus atque immanis terror, aut triſtitia vehemens nonnulli vecordiam intulere, proinde ut ſenſa animi verbis exprimere; aut actiones vitæ familiares vix obire potuerint. Quod certe accidit, in quantum ſpiritus cerebrum incolentes, propter talem occaſionem plurimum diſſipati, & ab invicem diſtracti, priora motuum ſuorum veſtigia poſtea repetere nequirent; pariter ac milites à ſubito ac violento hoſtis incurſu fugati, ordines & ſtationes ſuas haud facile recuperant.

Sextò, Obſervare eſt, quoſdam homines propter morbos cerebri immaniores etiam moroſin contraxiſſe. In Epilepſiâ gravi & diuturna hoc frequenter accidit, in quantum hic affectus cerebri meditullia occupans, poros & meatus omnes ob ſpiritus ibidem crebro & vehementer exploſos, pervertit, & fæculentius inficit adeo, impletque, ut ſpirituum tractibus occluſis, ſenſuum motuumque internorum actus inhibeantur. Novi puellam primò indolis acutæ, ac vividi ingenii, quæ poſtquam morbo comitiali diu laboraſſet, μορύχυ μωροτέρα evaſit. Porrò ſtupiditatem paralyſin comitari, aut præcedere in pluribus notavi, (prout ſupra innuimus capite de Paralyſi) nempe eadem materies, quæ in corpore ſtriato reſolutionem, in calloſo aggeſta, ſi non Apoplexiam, aut Carum, ſæpe moroſin accerſit.

Morbi hujus differentiæ plures occurrunt, & primo inter ſtultitiam & ſtupiditatem vulgò diſtingui ſolet; quod priore affecti, res ſimpliciter ſatis dextre & celeriter apprehendunt, inque memoria firmè retinent; attamen ob judicii defectum, notiones malè componunt, aut dividunt, & longè pejus aliud ex alio inferunt; porro ineptiendo, & pleraque ſiniſtrè aut ridiculè agendo, & loquendo riſum aſtantibus movent. E contrà ſtupidi propter imaginationis ac memoriæ, æquè ac judicii defectus; nec bene; nec celeriter apprehendunt, nec bene arguunt, inſuper non, uti priores, nugando & geſticulando, ſed bardè ac inſulsè, & velut more aſinino ſe gerunt; proindeque horum ſimplicitas miſerabilior, qui adeò morbum vultu inceſſuque fatentur. In ſtultitiâ, videtur quod ſpiritus animales aliquantum agiles, ſed minus firmi, atque tractus breviores tantum, & obliquiores nacti, non æquabili, & conſtanti irradiatione cerebrum trajiciunt, ſed deſultoriè, modò huc illuc excurrentes, functionum animalium actus aut perfunctorios tantum, aut ridiculos obeunt. Verum in ſtupiditate, ſpiritus ex propria indole hebetes, ac obtuſi, inque cerebro craſſiori, ac minus pervio ſcatentes, pro regiminis Animalis muniis rite peragendis, ſeſe exerere nequeunt.

Stupiditatis (cujus Pathologiam hic præcipuè tradimus) plures ſunt gradus; quidam nempe quoad res omnes, alii quoad aliquas tantum capiendas, idonei habentur. Nonnulli ad literaturam, & ſcientias liberales addiſcendas prorſus inepti, ad artes mechanicas ſatis habiles exiſtunt. Alii utrarumque harum licet incapaces, Agriculturam tamen & res ruſticas facile comprehendunt. Alii, ad negotia fere

omnia inhabiles, ſolummodo quæ ad victum & communem vivendi ritum ſpectant edoceri poſſunt. Alii mere blenni, vix quicquam omnino intelligunt, aut ſcienter agunt.

Ad Prognoſin quod attinet, ſtupiditas ab ortu contracta, ſive hæreditaria, ſive ob cauſas ignotas accidens, ſi ad pubertatem uſque perſiſtit, fere nunquam ſanatur; quandoque tamen evenit, puerulos primo hebetes, ac fere inſenſiles, ob maturatas poſtea tum cerebri tum ſpirituum craſes, ſatis ingenioſos & dociles fieri.

Morbus à cauſa evidenti ſolitaria, uti capitis noxâ, ut paſſione violenta excitata, quinetiam Epilepſiæ inveteratæ ſuperveniens, ſi aliquandiu perſeverat, poſtea incurabilis eſt.

Quæ Lethargo, aliiſque morbis ſoporoſis ſuccedens, à memoriæ læſione imprimis dependet, nonnunquam affectibus iſtis curatis, ſponte evaneſcit. Si quando igitur in his caſibus ſtupiditatis curatio inſtituitur, eadem fere medendi methodus & remedia, quæ pro Lethargi Indicatione præſervatoria præſcripſimus, hic conveniant; quorum ſcil. præcipuæ intentiones erunt, ut ſpiritus animales torpore quovis & narcoſi immunes intra cerebrum translucidum poros & meatus procudant, inque iis rite expandantur.

Interdum febris quoſdam ſtultos & ſtupidos ſanavit, & acutiores reddidit. Refert Huartus quendam Cordubæ in Aulâ Regiâ fatuum cum febre maligna afficeretur, in medio morbi ad tantum judicii & diſcretionis acumen perveniſſe, ut univerſam Aulam in admirationem raperet, & toto vitæ, quod reliquum habuit, tempore prudentiſſimum perſtitiſſe. Novimus & nos quendam obtuſi & planè Bœotici ingenii, qui in febre delirans, dicteria acutiſſima, & plurimo ſale condita celerrimè promebat. Porro ſupra narravimus, ſenem Generoſum memoriæ, & proinde diſcurſus uſum amiſiſſe, qui ab intemperie febrili poſtea accidente juvamen maximum recepit; quorum ratio videtur eſſe, quod æſtus febrilis caliginem cerebro obductam quandoque rarefaciat & diſpellat.

Quod itaque ſpectat ad morbi hujus Therapeiam, Stupiditas ſive innata, ſive acquiſita (ſi non plane amentia, ſive ſtoliditas, eruditionis omnis incapax, fuerit) quamvis minime curari, ſæpe tamen emendari ſolet. Quapropter danda erit tum Medici, tum Præceptoris opera, quo taliter affectis ingenium nonnihil expoliatur, illique, ad rationis ſaltem aliquantulæ uſum perducti, à Brutorum claſſe eximantur.

In hunc finem quoniam Bardi, aut hebetiores, communes rerum notiones, haud promptius quam puerüli prima vocis elementa diſcunt, idcirco à magiſtro aſſiduo, & maxime ſedulo in omnibus inſtituendi, eædemque res iterumque inculcandæ ſunt. Hac enim ratione, ſpiritus, etiamſi ſegnes & torpidi à perpetuo exercitio aliquatenus acuentur, illique perpetim incitati, in cerebro, utut rudi & craſſiori, tractus ſive ductus quoſdam, licet imperfectiores, pro expanſione ſua tandem procudent. Hæc quo felicius, & facilius ſuccedant, etiam remedia Medica, quæ ſanguinem, ac liquorem nerveum, unà & ſpiritus animales purificent, ac volatiliſent, nec non quæ cerebrum clarificent, & quaſi diaphanum reddant, exhiberi debent.

Ad ſanguinem depurandum lenis purgatio interdum, & ſanguinis miſſio in parvâ quantitate, ſi vires ferant, crebrâ vice celebrentur; propterea item, ac inſuper ad fæculentias à Cerebro derivandas fontanellæ conveniunt in brachio, vel in crure, vel ſimul in utriſque: Obeſis, & capite humidiore præditis expedit nonnunquam binas juxta homoplatas incidi. Porrò huc facit quod nonnulli trepannationem (quo nempe cerebrum liberius tranſpiret, & evaporet) laudibus immenſis prædicant. Victus ſit levis & attenuans; habitatio in cœlo liberiore, & ſicco; ſomnus moderatus.

Poſtquam hæc aliquandiu ordinariè & ſolenni ritu adhibita ſunt, ſi adhuc læva in parte mamillæ nil ſalis Arcadico juveni, fruſtra erit ulteriori pharmacia operam ac oleum impendere; ſin verò ab illorum uſu emolumenti ſigna, aut ſpes aliqua apparebunt, interdum ex re fore videtur, remedia alterantia horis Medicis quotidie per longum tempus ſumenda adjicere. Horum formulæ, ex pharmaceutica noſtrâ ad tollendas Affectuum plerorumque cephalicorum procatarxes ſuperius traditâ, deſumi poſſunt: porrò inſuper quæ hunc caſum peculiarite reſpiciunt, recepta quædem magiſtralia hic addere viſum eſt.

♃. Spiritus armoniaci ſuccinati. ℨ vj. dentur gr. 15. ad 20. veſperi & primo mane in aq. deſtill. ſequentis cochl. iii. ſuperbibendo ejuſdem coch. 7.

♃. Foliorum Viſci pomorum recentium M. vi. ſalviæ minoris, Roriſmarini, ſatureiæ, Serpilli, Calaminthæ, Pulegii, Majoranæ, Erucæ majoris, an. M. iv. rad. Angelicæ, Imperatoriæ an. ℥vi. Zedoariæ, Galangæ minoris, Calami Aromat. Cort. Winterani, an. ℥ij. Cariophyllorum, nucis Moſchat. Maceris, Cinnamomi, Zinziberis an. ℥ i. Cubebarum, Cardamomum granum Paradiſi, an. ʒ vi. omnibus minutim conſciſſis & contuſis affunde vini canarini optimi lib. 12. digerantur frigidè & clauſo vaſe per tres dies, dein deſtillentur ſ. a. liquor totus miſceatur, edulcorandus ſaccharo inter utendum, doſis ℥ ii. vel iij.

Poſt uſum ſpiritus Armoniaci per 15. vel 20. dies, alia medicamenta circiter idem temporis ſpatium vices ſuas habeant, cujuſmodi ſunt ſpir. fuliginis, C. C. cranii humani, Tinctura Coralli, Antimonii, Caſtorei, Succini, Elixir vitæ Quercetani, Elixir Proprietatis, Spiritus Lavendulæ, &c.

Vel ♃. Conſerv. florum Liliorum convall. ℥vi. rad. Acori veri condit. ʒ vi. Zinziberis in India condit. nucis Moſchat. condit. an. ℥ß. ſpecierum Diambr. ʒ ij. Ligni Aloës, ſant. Citrin. rad. Zedoariæ ſelect. Cubebarum, piperis Jamaicenſis an. ʒ i ß. Corallii præparat. ʒ ii. ſyrup. condituræ Zinziberis q. ſ. f. Electuarium, Doſis ʒ ii. mane & veſpere ſuperbibendo Aq. deſtill. ℥ iij.

Quibus cerebrum nimia humiditate ſcatet, omni mane propinetur hauſtus coffee, cum foliis ſalviæ prius incoctis. Quibus ſpiritus animales effœti nimis ac inopes ſunt, potus Chocolatæ qualis ſuprà deſcribitur, utilis videtur. Pro potu ordinario paretur Alla aut Cerviſia tenuis, doliolo iij. congiorum capaci, poſt fermentationem imponatur ſacculus ſequens.

♃. Fo-

℞. Foliorum ſalviæ acutæ ſiccat. M. vi. Cubebarum ℥ i. Cariophyll. nucis Moſchat. inciſ. & contuſ. miſce ſ. a.

Applicationes externæ hic locum habent; cujuſmodi ſunt Cucupha, ſive pileus, Emplaſtra, & linimenta atque modò hæc, modò illa, vel iſta adhibeantur.

℞. Florum Liliorum convall. Anthos, ſtœchados an. m. i. ſpicæ celticæ ℥ ij. rad. Cyperi, Galangæ minoris, Iridis florent. an. ʒ iij. Labdani, Benzoin. Balſami Toluviani, ſuccini an. ʒ ij. nucis Moſchat. Cariophyll. Macis, Cinnamomi, an. ʒ i ß. f. omnium pulv. ſubtilis pileo cum bombace interpaſſatim inſuendus.

℞. Emplaſtri floris unguent. dicti ℥ ij. Tachamahacæ, Carannæ, Balſam. Toluviani, an. ʒ iij. pulv. ſuccini, Myrrhæ, an. ʒ ij. Cariophyll. Nucis Moſchat. Maceris an. ʒ i. ſimul liquefacta conficiantur in maſſam, è qua formetur Emplaſtrum, ſuper Alutam extendendum, & capite raſo applicandum.

℞. Olei Palmeti ℥ ß. Capivii, ʒ iij. Balſami Paruviani, ʒ i. Olei Nucis Moſchat. per expreſſionem ʒ ij. Olei ſuccini ʒ ß. f. linimentum pro capite.

Poſſim hic multa alia medicamenta, & adminiſtrationum modos adjicere, verum in caſu fere deſperato, ubi ſæpiſſime remedia nulla prodeſſe ſolent, & curatio nunquam perficitur, hæc ſufficiant. *Thom. Willis. de Morbis ad Animam corpoream.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Fatuitas nativa ob parvitatem Cerebri & Plexus intercoſtalis, cerebro & cordi communis exilitatem.

Cum nuper cujuſdam à nativitate Fatui cadaver diſſecaremus, nullum in cerebro, niſi quod mole perexiguum eſſet, defectum aut vitium reperire potuimus. Præcipua autem diſcriminis nota quam inter illius & viri cordati partes advertimus hæcce erat, nempe quod prædictus Nervi intercoſtalis plexus, quem Cerebri & cordis internuntium & homini proprium diximus, in ſtulto hoc valde exilis & minori Nervorum ſatellitio ſtipatus fuerit.

Dum hæc ſcribuntur, Cercopitheci Anatomen inſtituimus, Cujus cerebrum parum ab eo quod in cane aut vulpe cernitur differebat, niſi quod proportione ad ſui corporis molem habitâ longe eſſet capacius, ejuſque anfractus ampliores exiſterent. Prominentiæ orbiculares, Nates & Teſtes dictæ; item Protuberantia annularis à cerebello dimiſſa, ad earundem partium figuram & magnitudinem in Homine propius accedebant. Quod autem præcipue notatu dignum occurrebat, hoc erat, ſcil. quod Nervus Intercoſtalis, licet pariter ac in cæteris brutis aſſolet, eadem cum Paris octavi trunco vagina incluſus, per collum ferebatur, tamen iſte ab hoc Nervo prope claviculam abſcedens, antequam Plexus juxta ſuperiorum coſtarum radices poſito inſerebatur, aliquot ſurculos in cor & appendicem ejuſque fibras quaſdam in diaphragmatis nervum mittebat: Quæ forſan ex parte ratio eſt, cur hoc animal præ cæteris beſtiis adeo ſolers & mimicum exiſtat, atque hominis non modo geſtus, verum paſſiones quaſdam & geſtus, tam apte referre & imitari poſſit. *Willis Neurologia cap. 26.*

Mentis Stupiditas à tumore globoſo in cerebro, & aqueo humore copioſo ventriculos diſtendente.

Gaſpar Bonecurtius Nob. Eques ſenſim per biennium mente alienari cœpit, adeo ut tandem omnino attonitus nihil ſecundum rationem ageret, & Cibum nec petebat, nec niſi per vim intruſum capiebat: lectum nonniſi coactus petebat, ſed ad menſam brachio innixus continuo dormiens fere ſedebat, nec niſi interrogatus ſæpeque admonitus, verba quædam, ſed quæ ad rem minime pertinebant, proferebat: ſtillabat interim è naribus pituita aquoa copioſa frequenterque. Quibus ſic ſemi anni ſpatio ſe habentibus, tandem expiravit. In cauſis perquirendis nihil quod huic malo anſam præbuerit certius cognoſci potuit, quam ictus capitis quo tribus aut quatuor annis ante percuſſus, cerebri imbecillitatem ab eo tempore cœpit experiri, cum alias prius ſtrenuus alioqui miles, nihil tale ſenſiſſet.

Calvaria poſt mortem ipſius aperta, cerebro diducto, ſupra calloſum cerebri corpus, inſignis tumor globoſus, glandulæ inſtar carnoſus, ſcirrhoſus fungoſuſque, pomi mediocris magnitudine, deprehenſus eſt, qui privata tunica inveſtitus, venuliſque erat conſitus, ab omni tamen connexione cum ſubſtantia cerebri liber, adeo ut citra ſectionem manibus exemptus, foveam inſignem aqueo humore mox repletam, quo & ventriculi admodum dilatati diductique referti erant, poſt ſe relinqueret. Quem globum ſua mole cerebrum illiuſque ductus comprimentem irrigantemque, hujus ſtuporis & torporis, tandemque mortis occaſionem fuiſſe deprehendimus. *Platerus obſervationum lib. 1. pag. 13.*

Stoliditas à lapide in cerebro reperto, Subſtantia ejus flaccida, & Cerebri cum cerebello mala cohærentia, Defectu glandulæ Pinealis.

J. Nicolai 24. annorum adoleſcens, id ætatis inter rationis ſtultitiæque confinia traduxerat, ſemper ſomnolentus, ſemper capite obtuſo, ut ſi quid ageret quod hominem ſaperet, potius ex creperæ cujuſdam rationis ſcintillis, quam ex vero ejus uſu proficiſci videretur. Is cum obiiſſet in cauſam conſtitutionis inquiſivi.

Subſtantia Cerebri omnino erat flaccida: Pia mater, quod in hydrocephalis fieri amat, ita laxe cerebro erat circumjecta ut nullo negotio poſſet ab eo ſeparari; Cerebrum, non ut in hominibus fit, cerebellum magna ex parte obumbrabat, ſed ab eo recedens, ut videre eſt in ovibus, nudum cerebellum primo aſpectu oculis ſubjiciebat; Glandulæ Pinealis ne veſtigium quidem natura elaboraverat: An forte quia non decreverat homini huic indulgere (quod hic fieri quidam putant) animæ corporiſque colloquium; An camphoræ inſtar aëri expoſitæ in nihilum redacta? An denique reſoluta erat inſtar ſalis ab humido? Ratiocinentur alii in quaslibet partes. Ego nihil niſi quod vidi & tetigi, aut alio ſenſu percepi in medium profero: Inter quæ aqua ſalſiſſima, quæ

priores duos ventriculos fatui hujus plus media parte repleverat, quorum dexter etiam incluſum ſervabat calculum colore albicantem, qui Medica ſtatera examinatus grana pendebat tredecim: *Thom. Kerekringius Obſerv. Anatom. 35.*

SUDOR.

CUm vita noſtra in perenni ſit fluxu, ideo ſicut nova addi, & apponi, ita vetera, & effæta continue ſubtrahi, & amandari debent. Quapropter ut particulæ quæque ſuperfluæ, aut incongruæ, perpetim amoveantur, multiplices extant deceſſuum & excretionum viæ, in quibus tamen faciendis natura ſæpe neſcit modum, & vel citra vel ultra illud, quod maxime commodum eſt, ſubſiſtit. Quomodo Evacuationes iſtas, quæ à Peripheria ſive exteriori corporis ambitu introrſum ducentes, per cloacam quandam particularem excernunt, quoties in exceſſu, vel defectu peccant, moderari, aut corrigere oporteat, in ſuperioribus oſtendimus: Methodi ratio nunc poſtulat, etiam ut Diaphoreſeos, (quæ à centro verſus circumferentiam tendens, excretio maxime generalis, & diffuſa eſt) ſiquando nimia aut depravata fuerit, medelam tradamus.

Et quidem ejuſmodi Affectionem ſæpenumero accidere obſervationi vulgari ſatis obvium eſt. Quippe nihil uſitatius eſt, quam quoſdam Phthiſi, aut Scorbuto laborantes, alioſque à febribus diuturnis tandem ægre convaleſcentes, quinimo nonnullos abſque alio morbo, aut προφάσει evidenti ſudoribus aſſiduis, & ſæpe immenſis obnoxios degere. Itaque circa ἐφίδρωσιν nimiam, primo inquiramus quot modis, & quibus de cauſis talis evacuatio exoriri poſſit, deinde quæ remedia, quales Adminiſtrationum modi in ſingulis ejus caſibus maxime conveniant, exponamus.

Quoad prius horum, Sudatio crebra, & immodica nonnunquam alterius cujuſdam morbi præſentis ſymptoma eſt; namque in Phthiſi, & Scorbuto (prout jam dictum eſt) hoc familiare eſt: cujus ratio in eo conſiſtit, quod nempe cum ſanguis miaſmate quodam impuro inquinatus, aut dyſcraſiam nactus, ſuccum alibilem maſſæ ejus jugiter ſuffuſum rite concoquere, & aſſimilare nequit, eum uſque degenerem, & ſubinde cum aliis recrementis ad plenitudinem aggeſtum, ſecernit, & per ſudorem foras ejicit.

Sudationis hujus Cura omnino à morbi cujus ſymptoma eſt, Therapia dependet; interea circa hanc, quantum ad victus rationem pertinet, ex ſymptomate iſto Indicatio utilis, & neceſſaria deſumitur; nempe, ut, cum affectibus iſtis ſudores nocturni, & copioſi ſuperveniant, Diæta ex alimentis omnino tenuibus, viz. lacte, juſculis avenaceis, cremore hordei, & ſimilibus, quorum particulas lenes ac molles maſſa ſanguinea ferat, ac minime ex carnibus, aut cibis fortioribus, inſtituatur.

2. Ἐφίδρωσις nimia, interdum alterius morbi prægreſſi, & aboliti Effectus eſt, uti cum febribus diuturnis ſuccedit: namque ita paſſim accidit, incendia febrilia, in madores hydroticos terminari (uti cum æſtas torrida in Autumnum pluvioſum cedit) ut vix quiſquam à morbo iſto longiore abſque indiſpoſitione hac relicta convaluerit; quæ tamen in aliquibus moderata, & facile curabilis eſt, in aliis vero gravior, & affectu iſto, cujus ſoboles erat, haud minus infeſta. Novi Adoleſcentem, qui, poſtquam à febre quartana decimeſtri convaleſcens, paroxyſmis carere cœperat, in ſudores adeo profuſos quotidie deliqueſcebat, ut neceſſe habuerit, camiſiam, & lodices per totum (veluti ſi aquis immergerentur) madefactos ter in unaque nocte mutare. Propter evacuationem hanc, ita per plures hebdomadas continuatam, adeo caro contabuit, & vires exhauſtæ fuerunt, ut fere in ſceleti marcorem redigeretur. Hic, cum variis remediis ſine magno fructu diu uſus fuiſſet, demum lactis Aſinini veſpere & mane potu, diæta reliqua ex lacte vaccino inſtituta, brevi tempore convaluit.

In hujuſmodi caſibus ſanguis contenta ſua perpetuo rejiciens: & per Arteriarum oſcula velut evomens, haud ſolummodo chylum, è viſceribus ſuffuſum, ſtatim foras eliminat; aſt inſuper in pabulum ſuum, & ſuccum nerveum, & partium ſolidarum farcimenta reſorbens, ea mox omnia una cum liquore nutritio faſtidiens, per cutis poros expellit.

Affectus hujus cauſa potiſſima in ſanguinis dyſcraſia & debilitate conſiſtere videtur; quatenus nempe liquor ejus, inſtar lactis aceſcentis continue fundi, inque ſeroſitates præcipitari aptus fuerit; quapropter tum propria ejus deliquia, tum humores quique aliunde ſuffuſi, ſiquidem aſſimilari nequeant, protenus ſecernuntur, cumque pori cutis valde pateſcant, per diaphoreſin potius quam per aliam quamvis excretionis viam foras amandantur. Quod autem ſanguis adeo in fuſiones ſive fluores diſponatur, plerumque in cauſa eſt, Salis fluidi, ſive acidi (quemadmodum in lacte aceſcente) in maſſa ejus dominium. Interdum vero Succus Nerveus in acorem degener, prius & potius in culpa eſt, proinde namque recrementa ejus acida in ſanguinem remandata, maſſam ejus fundunt, inque ſeroſitates præcipitant: porro è tali cauſa Diabeten, & ſudorem Anglicum ita dictum (quoniam hic Endemius fuit) origines ſuas habuiſſe cenſemus.

Ἐφίδρωσις hujuſmodi nimia, haud tantum à ſanguinis craſi & fermentatione vitiatis, verum quandoque propter accenſionem ejus depravatam exoriri ſolet. Quo ritu ſanguis, ob ſulphuris exceſſum febriliter effervescens, ſubinde in ſudores erumpit, ſuperius oſtenſum eſt. Porro haud minus ob ſulphuris defectum, ſymptoma hoc interdum ſuccedit; ſiquando enim ſanguis depauperatus, & aquoſior factus, minus accenditur, propterea, quoties à calore adſcititio, aut corporis agitatione, in motum rapidiorem urgetur, neceſſe erit ſeroſitates ejus, (ſiquidem efflagrando abſumi, aut inſenſibiliter exhalare nequiverint) in ſudorem exſolvi. Sulphur in ſanguine deficit, vel quoniam abſumitur, uti poſt febres diuturnas, vel quoniam ob pabuli inopiam non ſatis progignitur. Poſterius hoc obſervare licet non tantum in pleriſque hominibus, qui aut Annona anguſtati, aut Diæta Quadrageſimali uſi, à curſu aut deambulatione citatiore, mox in ἐφίδρωσιν incidunt, ſed

inſigniter

inſigniter etiam in jumentis, quæ cum gramine aut fœno recenti veſcuntur, a labore quovis plurimum ſudant, & cito oblangueſcunt.

Quod ſpectat ad ὑπεριδρώσεως, ob prædictas cauſas & προφάσεις oriundæ curationem; Intentiones Therapeuticæ erunt potiſſimum hæ tres, viz. primo humorum dyſcraſias, aut debilitates tollere, vel emendare. Secundo cutis poros nimium patentes paululum conſtringere. Tertio ſanguinis ſerum, & recrementa aquoſa verſus renes derivare.

1. Harum prima, hujuſmodi remediis perficitur, quæ ſalis acidi in ſanguine, aut ſucco nerveo præpollentias deſtruunt, item quæ ſulphuris (ſi forſan deficiet) exaltationem promovent. In quos fines Antiſcorbutica, Chalybeata, item medicamina ſale volatili, nitroſo, & alchaliſato prædita ſæpius juvant: ſingulorum ex his formulas quaſdam ſubjiciemus.

♃. Conſer. florum cichorei, fumariæ, an. ℥ii. pulv. eboris, C. C. Corallii præp. an. ʒi. Margaritar. ʒß. Spec. diarrhod. Abbatis ʒi. ligni Aloes, ſant. Citrin. & rub. an. ʒß. ſalis prunellæ ℈iv. cum ſ. q. ſyrupi de fumaria; f. confectio, ſumat quant. nucis Juglandis veſpere, & primo mane, ſuperbibendo aut Julapii ſequentis, aut aq. deſtillatæ ℥iii.

♃. Aq. fumariæ; Jugland. ſimp. an. ℥vi. Limacum, Lumbri. an. ℥i. ſacchari ʒvi. miſce f. Julapium.

♃. Summitat. Abietis, Tamariſc. Cupreſſ. an. M. iv. Myrti M. ii. folior. Naſt. aq. Becabun. Eupatorii, Hyperici, ling. Cervinæ, veronicæ, an. M. iii. cortices exteriores 12. Auran. inciſ. & contuſ. affund. cerviſiæ Brunſvvicenſis ℔. viii. deſtil. organis communibus; liquor totus miſc. & edulc. ad placitum. Doſis ℥iii. bis in die.

♃. Foliorum Taraxici, naſtur. aq. Plantag. beccabung. an. M. iii. contuſis affund. aq. deſtil. præſcript. ℔. i. f. expreſ. fortis. Doſis ℥ui. ad iv. mane horâ nonâ, & quintâ pomerid.

Juxta hanc methodum in virium languore, & nocturnis ſudoribus poſt febres diuturnas præſcribere ſoleo; quæ tamen remedia ſi minus juvabant, ad chalybeata perveniendum erit.

♃. Syrupi de Chalybe ℥vi. ſumatur cochl. j. mane & horâ quintâ, cum aq. ſupra præſcrip. ℥iii.

♃. Pul. eboris, Coralli pr. an. ʒii. croci Martis, ſalis chalybis, an. ʒiß. f. pul. Doſis ʒß. bis in die cum aq. ejuſdem diſtillat. ℥. iii.

♃. Tincturæ ſalis Tar. ʒi. doſis gt. 20. ad 30. bis in die aq. diſtil. Eodem modo Tincturæ è coral. item è gum. & balſamis paratæ exhiberi poſſunt. Porro in his caſibus ſp. C. C. urinæ, aut fuliginis ſæpe cum fructu exhibentur.

Secunda intentio pro ſudationis nimiæ Therapia in pororum debita conſtitutione conſiſtens, fere tantum per adminiſtrationes exteriores perficitur; in quem finem totius corporis inunctiones cum oleis amygdal. Palmeti, unguento è floribus Aurantiorum, & ſimilium, adhibeantur; quinimo lintea his imbuta gerantur. Nonnunquam Balneationes in aqua frigida, aut fluvio; quandoque aëris mutationes conveniant. Circa horum uſus (cum ſatis vulgô innoteſcant) non opus erit, particulare hic regimen præſcribere.

At vero hic opportunum videtur de affectu quodam moleſto ad Diaphoreſin, aut ſaltem ad διαπνοὴν nimiam, aut inordinatam, ſpectante, verba quædam facere. Spiritus obſervavi quoſdam poros corporis (ſive tranſpirationis organa) eo modo diſpoſitos habuiſſe, ut à nihilo magis, quam ab aëris appulſu inſueto, læderentur; in tantum, ut, cum εὔχροοι & εὐσάρκεις, etiam quoad appetitum, ſomnum, & membrorum robur recte habentes, ſatis ſani viderentur, attamen ne leviſſimum illud nudi aëris aut venti afflatum perferre potuerint, quin ſtatim maxima ſpirituum perturbatio, cum facultatum omnium concidentia & totius corporis indiſpoſitione ſequeretur; cujuſmodi ἀταξίαν adeo leviter contractam nec cito nec facile excutiunt, verum ægre, & non niſi poſt longum tempus ad priſtinum ſtatum ſe recuperant. In hanc δυσπάθειαν proclives, aerem, pluſquam alii ignes, aut aquas formidant. Hinc quidam extra fores progredi non audent, alii intra cameram clauſam degentes, nec oſtium, aut feneſtram aperiri patiuntur, & ſi forſan levis aura alicubi per foramen occultum inſpiraverit, illico perſentiunt, & noxam ejus luunt. Novi quoſdam à tali προφάσει per plures menſes lecto affixos. Memini Pedaneum ſatis ſanum, & rubuſtum, qui ſupra decennium cubiculo ſuo non exivit, nulloque ad excundum pretio, aut ſuaſu adduci potuit; cumque poſtea Ædibus incendio conflagrantibus, vi extraheretur, per plures exinde menſes, ſine alia quavis læſione periculoſe decumbebat: alii ſuper aream, aut pavimentum lapideum, terreum, aut lateritium ſtare, aut ambulare verentur, magnam exinde noxam contrahere ſoliti. Plures alii hujuſmodi caſus paſſim eveniunt, quibus inſuper hæc infelicitas accedit, quod taliter affectos pauci miſerentur, nec reipſa ſed tantum imaginatione laborare credunt.

Itaque in Pathematis hujus naturam, ut paulo inquiramus; haud prorſus de nihilo eſſe, quod querantur iſti cenſemus; quin proculdubio pœnam quandam ſive moleſtiam ipſis à frigore ſuſcepto, ſive διαπνοῆς modo alterato inflictam perſentiunt: ut vero conſtet, quænam ea ſit, & in quo ratio ejus conſiſtat, imprimis conſiderare oportet, quo ritu ordinario, aeris ambientis particulæ in cutis noſtræ poros agunt, eorumque ſubjecta, nempe Spiritus Animales, circa corporis ſuperficiem ubique diffuſos afficiunt. Enimvero hos ſiquidem æthereæ cujuſdam indolis, ſive naturæ fuerint, à congeneribus tum auræ lucis particulis, dummodo iis proportionatæ adveniunt, refici valde, inque blandam quaſi expanſionem accieri conſtat: Pariter & ſanguis, dum circuitu ſuo exteriorem corporis oram pertranſit, ibidem perinde ac in præcordiis, tum fuligines ſuas per arteriarum oſcula exhalat, tum pabulum nitroſum pro flamma ſua ſuſtinenda per venarum hiatus ſuſcipit. Propter hæc & ſanguinis, & ſpirituum animalium beneficia, pori cutis rite conformari, eoque modo patefieri debent, ut aeris, & lucis particulæ in copia moderata nonnihil refractæ, cumque blando allapſu utriuſque iſtorum hypoſtaſeos oras extimas feriant. Nam ſecus ſi agentis ad patiens hoc, aut illud, vel ſimul

ſimul utrumque, appulſus improportionatus fuerit, ſtatim in hac, vel illa, aut ſimul in utraque animæ parte perturbationes oriuntur. Nam ſi ſpiritus exteriùs degentes, aut ex ſe debiles, infirmi, ac cito diſſipabiles fuerint, aut ob poros cutis nimis apertos Aere nudo & aſperiori objiciantur; paſſim accidit, eos à levi quavis occaſione in fugas, & diſtractiones adigi; proinde ut non tantum circa corporis partes exteriores, dolores, ſpaſmi, aut reſolutiones hic, illic excitentur, ſed nonnunquam à frigore (uti dici ſolet) ſuſcepto, totius animæ concidentia (quæ non cito nec facile ſublevatur) ſuccedit. Et quidem hinc prædictæ circa διαπνοὴν inordinationes potiſſimum oriuntur, in quantum Anima ſenſitiva, aut non robuſta, aut non munita ſatis, aëris externi injuriis nimium pateſcit, proindeque ad appulſus ejus fortiores, in hac aut illa parte, aut ſimul in tota ejus hypoſtaſi, perturbatur, inque ἀταξίας non ſtatim recuperabiles adigitur. Porro hinc etiam Animæ pars flammea, conſenſu, haud minus quam idiopathia, propter aëris occurſum improportionatum affici, & commoveri ſolet. Quippe fibræ & propagines nerveæ in corrugationes, & ſpaſmos adactæ, vaſa ſanguifera ab ipſis circumligata, variè ſtringunt, proinde ut ſanguis in fluctuationes inordinatas compellatur. Inſuper maſſa ſanguinea per ſe, tum quoad accenſionem, tum craſin ejus tranſpirationis depravatæ vitia plurimum luit. Reſpectu prioris, flamma vitalis, circa corporis ſuperficiem gliſcens, à duro aut aſperiori ejus ſufflatu in nutus, & trepidationes, variaſque inæqualitates (quibus tota anima ſuccutitur) cogi ſolet. Dein ſatis vulgò innoteſcit, cruoris mixtionem à nihilo magis quam à διαπνοῇ vitiata periclitari: hinc enim fluores, & in maſſa ejus ſeroſitatis præcipitationes, à quibus catarrhi, tuſſes, paroxyſmi Aſthmatici, Nephritici, & Arthritici contingunt, oriuntur.

Ex his facile erit Affectionis, de qua nunc agitur, rationem formalem, ſimulque cauſas, & curationes deſignare. Enimvero quod aliquis à frigore, aut nudi aëris occurſu protenus in hoc, aut illo membro dolorem, aut ſtuporem, vel paralyſin contrahat, ideo fit, quia ſpiritus Animales, intra fibras membraneas ſcatentes, perculſi, & fugati in diſtractiones aguntur: quod ſi amplius à tali προφάσει totius corporis languor, & virium proſtratio contingunt, non privatus ſpirituum manipulus, ſed tota eorundem hypoſtaſis, ſive integra anima ſenſitiva plecti videtur; quæ nempe perculſa, adeoque in minorem ambitum contracta, & decurtata, intra corporis organa ſubſidit, ejuſque facultates flacceſcere finit. Inſuper his, ſi cuipiam aëri incautius expoſito, brevi tumor, aut phlegmone, odontalgia, catarrhus, tuſſis aut pleuritis ſuperveniunt, vel ſi rigor ſubſequente mox æſtu, & incaleſcentia febrili exoritur, indicio eſt ſanguinem, haud minus quam ſpiritus Animales, ab improportionato aëris appulſu affici, proindeque liquorem ejus, aut in motu, & accenſione perturbatum, ad efferveſcentias febriles diſponi, aut miſtione ſolutum, in varios fluores & ſeroſi laticis præcipitationes adigi. Immenſi hic operis ac tœdii eſſet, ſingulos affectus deſcribere, qui interdum tali προφάσει origines ſuas debent. Hinc cephalalgia, vertigo, affectus ſoporoſi, catarrhi, Coryza, Angina, ophthalmia, tuſſis, vomitus, diarrhæa, aliorumque morborum Ilias ſæpenumero procedunt; in tantum, ut vulgus, morborum fere omnium cauſas evidentes ad bina hæc genera, ſcil. crapulam, & frigus contractum referre ſoleat.

Hactenus διαπνοῆς depravatæ rationem formalem, & cauſas conjunctas deſcripſimus. Quod vero ſpectat ad procatarxin, ſive prædiſpoſitionem, propter quam alii præ aliis, ad frigus captandum apti ſunt, dico hanc, aut in ſpirituum Animalium, aut ſanguinis, aut pororum (ſcil. unius ex his, aut ſimul, plurium) vitio conſiſtere.

1. Spiritus Animales quandoque in culpa ſunt, quia debiles admodum nihil durum, aut aſperum, quod exteriùs objicitur, ſufferre valent, quin ſtatim à nudi aëris appulſu in fugas, & diſtractiones vertuntur; quemadmodum plurimi poſt longas ægrotationes, ſub dubio verſari horrent, & quamprimum aprico exponuntur, ſæpiſſimè in recidivas incurrunt: porro ſpiritus interdum ad Diaphoreſeos vitium iſtud inclinant, quatenus degeneres illi, indolemque acrem, & irrequietam nacti, à quovis aëris appulſu in ἀταξίας aguntur. Quapropter qui ob ſpiritus ita diſpoſitos hypochondriaci fiunt, etiam affectioni (quam deſcripſimus) obnoxii, à levi quavis occaſione frigore tentantur.

2. Sanguis duplici ratione ad διαπνοῆς depravatæ habitudinem diſponit: viz. tum reſpectu temperamenti, tum miſtionis ejus. Quoad poſteriorem hanc, ſæpe cruoris compages adeo laxa, & diſſoluta exiſtit, ut à προφάσει quavis exigua, & præcipuè ab aëris frigidi, aut humidi appulſu, in fluxiones, & ſeroſitatum præcipitationes vertatur, in tantum, ut tali ſanguine præditi, nequaquam extra fores progredi, imo vix proſpicere audeant. Cæterum maſſa ſanguinea quoad temperamentum ſuum ſæpe calida & vaporoſa admodum, effluvia ſumme acria, & penetrativa exhalat; à quibus dum cutis pori reſerantur nimis & patentiores fiunt, tum ſpiritus, tum flamma vitalis, aëris nudi, ventique injuriis, plus debito exponuntur.

Tertio mala pororum conſtitutio, aut ab ægrotatione, vel aliis modis producta, aut etiam naturalis & ingenita, ad iſtum pravæ diaphoreſeos habitum, valde inclinat. Nam ſiquidem meatus iſti nimis patuli, fere ſemper dehiſcunt, ſanguis, & ſpiritus in toto, aut partibus quibuſdam, contra externi aeris occurſum haud ſatis muniuntur. Talis pororum amplitudo quibuſdam inſita & naturalis eſt, utpote qui carne molli, & laxa præditi ſunt cutem plerumque tenuem, & valde cribratam habent: inſuper propter varia accidentia frequenter contrahi ſolet: poſt diætam ſudorificam diu continuatam, item poſt ſudationes crebras quæ circa febrium declinationes erumpere ſolent, cutis pori per longum tempus ad ſummum extenſi, & patefacti, diu poſtea dehiſcunt, & fere ſemper apertiores manent.

Affectio hæc, etſi mortem non minetur, quia tamen vitam valde moleſtam aut prorſus inutilem reddit, Therapeiam adprime meretur; ad quam moliendam intentiones Curatoriæ erunt potiſſimum hæ tres; viz. primo ut tum ſpiri-

ſpirituum; tum ſanguinis debilitates, ſive dejectiones, aut depauperationes ſanentur. Secundo ut utriuſque illorum dyſcraſiæ (ſi fortè adſint) tollantur. Tertia ut pororum conformatio debita procuretur.

1. Præcipuus hujus negotii cardo, circa primam intentionem, quatenus ea ſpirituum Animalium corroborationem, ſive totius Animæ ſenſitivæ ampliationem reſpicit, vertatur: quippe niſi Patientibus confidentiam quandam aſſumere perſuaſum ſit, ita, ut foras prodire, vires ultimas exerere, & naturam ad duriora indies aſpiranda aſſuefacere tentent, medela omnis fruſtratur; quapropter victu lautiore, & alacritate haud minus quam medicina opus erit, nimirum ut ſpirituum Animalium copiæ, indies inſtaurari ac augeri, illæque inſuper auſis ſubinde majoribus obfirmari queant: in quos fines, vina generoſa cum cibis opiparis moderate ſumta egregie conveniunt. Porro ſtudiis & curis quibus Anima deprimitur, omiſſis, tempus otio, & recreationibus, aut exercitiis modicis teratur. Per hujuſmodi victus rationem ritè inſtitutam uti ſpiritus animales reficiuntur valde, ita ſanguinis caſus, & depauperationes inſtaurantur.

Propter eoſdem fines etiam medicamenta ſequentia cum fructu exhiberi poſſunt.

℞. Sp. Succini Armoniaci q. ſ. ſumantur gt. 15. ad 20. veſpere, & primo mane in cochl. j. Aq. deſtillatæ ſequentis, ſuperbibendo ejuſdem cochl. 9.

℞. Folior. Salviæ, roriſmarini, thymi, ſatureiæ, majoranæ, balſamitæ, an. M. iv. rad. Angelicæ, Imperatoriæ, an. ℥vi. Zedoariæ, Galang. minoris, calami aromatici, Ireos Florent. Cubeb. an. ℥iß. nucis Moſchat. Caryophyl. Cinnamom. an. ℥i. Cort. exteriores 12. Aurant. 6. Limon. inciſ. & contuſ. affunde vini albi, & Canarini an. ℔. iv. deſtil. organis communibus, liquor totus miſceatur, & edulcoretur cum ſaccharo perlato: inter deſtillandum Alembici capitello ſuſpendatur nodulus ex Ambræ griſ. ℈i. Moſchi ℈ß.

℞. Tinct. Antimonii, vel balſami Tolutani, ℥i. ſumantur gt. 15. ad 20. mane horâ nonâ & quintâ p. merid. in cochl. Aq. præſcript. ſuperbibend. ejuſdem ℥iii. ſeu potius mane ſuperbibatur hauſtus Tea vel Chocholat. ex decocto ſalviæ paratus.

Paulo ante Prandium ſumatur hauſtus vini Xeroenſis.

Quando hæc aliquandiu uſurpata intermittere viſum erit, ſequentia eorum vices ſubeant.

Loco ſp. Electuarii ſequentis doſis veſpere & primo mane ſumatur cum aq. deſtil. aut cum vino viperino.

℞. Cort. Citri humide condit. ℥iß. Myrobal. condit. ℥i. nucis moſch. Zinzib. condit. an. ℥ß. Confec. de Hyacintho, Alcherm. an. ʒiii. Margar. pr. coral. rub. pr. an. ʒiß. cum ſyrupo de ſucco chermes, f. Elect.

Pro potu ordinario bibatur alla medicata juxta modum ſequentem parata, viz. doliolo iv. Congiorum indatur ſacculus ſequens.

℞. Gallum vetulum ſemi-coctum, & minutim inciſum, folior. Salviæ, linguæ cervinæ ſiccat. an. M. ii. Dactylos inciſ. num. 6. raſuræ ſaſſaphras ℥ii. & contuſ. miſce, f. ſacculus poſt fermentationem indendus.

2. Intentio ſecunda, ſpirituum & ſanguinis dyſcraſias, aut depravatas indoles emendandas ſuſcipiens, iiſdem remediis, quæ in Affectione hypochondriaca & melancholia conveniunt, perficitur; quare ex Affectuum iſtorum Therapeia olim à nobis tradita præſcriptionum formulæ huc referri poſſunt.

3. Circa intentionem tertiam, quæ ad poros cutis ritè conformandos, debitam quoad veſtitum, aera, & focos, victus rationem inſtituit, medico haud multum relinquitur. Nam affecti ſeſe, & vires ſuas juxta propriam Imaginationem metientes, ita ſe veſtiunt, intra cameram velut clauſtrum obfirmant, lecto, aut foco indulgent, quemadmodum ipſi, à genio ſuo, nullis amicorum aut medici præceptis auſcultantes, ducuntur. Quicquid circa res illas alii conſulant, illi experientiam ſuam, & indicationem à juvantibus, & lædentibus ſumtam objicientes, plerumque repudiant. Conſilii ratio, quæ ab illis accipi, & juvare ſolet, fere unica eſt, uti Cœlum, & Solum (unde non raro Animum quoque) mutent. Nam ædibus clauſis, aut cubili quantumvis addicti; ad regiones exteras, ubi Auram calidiorem, & magis ſerenam ſpirant profecti, vix credibile eſt quam brevi convaleſcunt. Hæc de Diapnoe perverſa, ſive depravata. Cujus affectus Theoriam ideo plenius tradimus, quoniam ab aliis intactus relinquitur: nunc, unde digreſſi ſumus, ad Diaphoreſin nimiam revertamus.

Reſtat adhuc Tertia pathematis hujus, nempe ſudationis immodicæ ſpecies, quæ non uti prior, morbi alterius præſentis, aut prægreſſi ſymptoma, aut effectus eſt; verum ipſa primo incipiens, aut per ſe morbus eſt, aut affectionis morbidæ parens exiſtit. Ad primum cenſum præcipuè ſpectat ſudatio iſta peſtilens apud noſtrates olim endemia, proindeque per totum orbem ſudoris Anglici nomine inſignitus, in cujus Ætiologiam mox inquiremus. Cæterum ut de ſudore ſanguineo, nigro, aut cæruleo, fœtido, aut ſuaveolente (quorum mentio ab Authoribus fide dignis facta eſt, & quorundam ex iis Typi obſervationi noſtræ quandoque occurrerunt) nihil hic dicamus; ſæpe advertimus quoſdam ſine cauſa manifeſta, in ἐφιδρώσεως habitum incidiſſe, & deinde evacuationem iſtam indies adauctam, non raro in immenſum excreviſſe; in tantum, ut totius corporis humiditates in ſudorem profundi viderentur. Et quiden haud mirum eſt affectionem hanc ſemel inceptam quotidie augere; nam multum aut crebro ſudantes, valde ſitiunt, proindeque immaniter bibunt, atque dein quo plus bibunt, eo magis ſudant; adeoque reciproce bina iſthæc, cauſæ & effectus vices gerunt, & longa ſerie ſe mutuo producunt. Vivit adhuc in hoc regno Domina illuſtris, jam à multis annis ob ἐφίδρωσιν immenſam, ſeu potius ſtupendam celebris, quippe ſingulis noctibus non ſolum lintea, & lecti contenta quæque madefacit, ſeu potius inundat, ſed inſuper in pelvim femoribus ſuppoſitam meri ſudoris plures unciæ, imo juxta vulgi famam, plures libræ extillant; interea neceſſe habet ob ſitim

continue urgentem paulo uberius potum ingerere 3. à quo uti vires inſtaurantur, ita ſudatio perennatur. Admirandi hujuſce affectus hiſtoriam tum à multis fide dignis tum à proprio Dominæ laborantis ore (etſi nunquam pro valetudine ejus recuperanda conſulerer) accepi. Cepit tamen à pluribus medicis remedia, diverſimodas circa victum, & 6. non naturalium regimen methodos tentavit, Acidulas cujuſque fere generis bibit, Regionum exterarum, & imprimis Galliæ auram experta eſt; verum his omnibus invitis, Inſigniſſima Domina ſtillicidio hoc perquam moleſto etiamnum laborat. Quandoquidem quæ circa hujus morbi initium, progreſſus, & alterationes contigerunt, quæque à juvantibus aut lædentibus obſervanda fuerunt, mihi nondum innotuere, & ſolummodo eam ſemel videre, & in tranſitu tantum colloqui dabatur, non facile erit caſus hujus Ætiologiam tradere; utcumque ſuſpicari fas eſt, in hac, ſicuti in aliis naturæ inſtantiis, ſanguinis ſerum promte nimis abſcedere aptum, relictis per renes, lymphæ ductus, glandulas, aliiſque excretionum ordinariis viis, hanc per poros cutis primo occaſionaliter cœptam, & poſtea habitudine quadam facilitatam deinceps affectaſſe, & conſtanter obſervaſſe; cui forſan accedat, quod ſalis fluidi in ſanguine, & ſucco nerveo præpollentia ſanguinis fuſionem perennem, ſerique ſecretionem uberiorem efficiat. Ad morbum hunc ſanandum, quando nunc habitu diuturno confirmatus, ſimulque naturæ oeconomia ab eo penitus inverſa fuerit, neſcio an remedia quævis, aut medendi methodus quicquam prodeſſent. Mihi certe nulla, cum forte quondam eam alloquerer, proponere viſum erat. Si magnum illud pro diapnoe vitiata remedium, ſc. aëris mutatio repetenda foret, non amplius Gallia, verum Dania potius aut Suecia adeantur.

Appoſitum ad hanc rem eſſet de ſudore Anglico apud noſtrates, tum domi, tum foras olim endemio, & funeſto admodum, parumper hic diſſerere. Veruntamen cum morbus hic intra ſeculum haud conſpectus fuerit, atque Typum ejus ſolummodo ex aliorum ſcriptis cognoſcere datur, non licebit circa naturam, & cauſas ejus hypotheſin quamvis contexere, ſed, poſt hiſtoriam ex Authoribus deſcriptam commentarii loco conjecturas noſtras proponere.

Sudor Anglicus cœpit Anno 1485. circa initium menſis Auguſti, duravitque uſque ad finem Octobris; & quamvis Sennertus dicat, hoc malum deinceps 40. Annos regioni huic familiare, & perpetuum fuiſſe, tamen Noſtrates, & Medici, & Hiſtorici, qui tunc aut prope ea tempora vixerunt; eum perfecta, & magna intervalla habuiſſe obſervabant; cumque 66. annorum ſpatio ſolummodo quater redierit, viz. 1506. 1517. 1528. 1551. vix unquam ſupra ſex menſes deſæviiſſe, & nonnunquam ſpatio trimeſtri terminatum fuiſſe, eumque, tempeſtatem valde humidam ſemper præcedaneam habuiſſe. At vero ſingulis, quibus increbuit annis, maximas ubique edidit mortalium ſtrages, ut ab unoquoque ejus regno, quibuſdam in locis tertia pars hominum brevi deſideraretur. Tanta fuit ejus malignitas, ut, quamprimum urbem aliquam invaderet, ſingulis diebus quingentos, aut ſexcentos occuparet, & ex ægris primo vix centeſimus evaderet. Morbi Typum à Sennerto compendioſe, & methodice deſcriptum, etiam noſtris Autoribus conſonum hic inſerere viſum eſt. Morbo hoc correpti ſtatim ſine bubone, Carbunculo, exanthematibus, languore diſſolvebantur, & animo deficiebant cum ſummo virium languore, inquetudine, καρδιωγμῷ capitis dolore, pulſu crebro, celeri, inæquali, cordiſque palpitatione maxima; ſudore vero diffluebant perpetuo, & copioſo, qui non finiebatur, antequam morbus ſolveretur, quod intra 24. horas contingebat. Nam qui ſudorem non proliciebant, neque cardiacis utebantur, & qui impatientius calorem ferebant, auramque frigidam captabant, ii omnes ſubito intra 24. horas moriebantur. Poſtea ubi morbi hujus ratio innotuit, ut ægri ſudores elicerent, ac Cardiacis ſe munirent, pauciores moriebantur. *Sen. de feb. lib. 4. cap. 15.* Circa curationem paulo accuratius ſcribit Polydorus Virgilius: Poſt ægrotantium plurima experimenta & obſervationes, à juvantibus, & lædentibus factas, ita uſu venit, ut remedium unicuique promptiſſimum inventum ſit, quod hujuſmodi eſt. Si quis interdiu ſudore corripiebatur, cum veſtitu protenus cubatum eat, ſi nocte; & in lecto, tum quieſcat, nec ſe à loco moveat, uſque ad 24. horas exactas interim, ita ſe ſtragulis oneret, quo non provocetur ſudor, ſed ſua ſponte molliter ſtillet, cui nihil capiat, ſi tam diu famem tolerare poſſit, neque plus potionis conſuetæ, ac calfactæ hauriat, quam modice ſatis fit ad ſitim extinguendam, inter hanc curationem imprimis caveat, ne manum quidem aut pedem ſuum refrigerandi, recreandique cauſa extra ſtragula proferat, quod facere lethale eſt. Addunt alii toto iſto nycthemeri ſpatio à ſomno prorſus abſtinendum fuiſſe. Affectus iſte, quia tam brevi intervallo, in vitam, aut mortem terminari ſolebat, à medicis pleriſque febris Ephemera dicta fuit. A ſudatione hac peſtilenti recuperati poſtquam aliquamdiu ſani perſtitiſſent, quandoque in eam rurſus, imo interdum vice tertia, incidebant.

Ex hiſce Phæmonenis, ut diri hujus pathematis Ætiologiam tradere præſumamus, Imprimis ſuſpicari fas ſit, ἐφιδρώσεως iſtius peſtilentis rationem formalem ſimulque cauſam conjunctam in eo conſiſtere, quod ſanguis materiæ cujuſdam malignæ, ſive venenoſæ occurſu infectus, proindeque ſtatim in craſi diſſolutus, inque ſeroſitates fuſus, propter mixturæ iſtius virulentæ citiſſimam expulſionis, illico in ſudationem, utpote univerſalem ſimulque ampliſſimum excretionum modum exſolveretur; qua quidem ἐκκρίσει ſi forſan contigerit particulas omnes venenatas illico foras propelli, morbus brevi in ſalutem, ſecus vero frequenter in mortem terminabatur.

At vero hic inquirendum ſequitur, utrum materies iſta maligna in ſanguine primo gignatur, vel annon aliud in ipſum ſuffundatur? Si prius dicatur,

tur, ſupponendum erit cruris maſſam, quemadmodum in peſte, ob malignam Anni, & aëris conſtitutionem, diatheſin σηπεδονώδη acquiſiviſſe; quæ poſtea aut ſponte, quatenus ad plenitudinem evecta ſit, aut per contagium, velut accenſa in turgeſcentiam periculoſam, & ſæpe corruptivam erumperet: quo minus in ſudatione hac maligna rem ita habere ſuſpicer, hoc imprimis facit, quod nulla ſanguinis corrupti, aut multum vitiati ſigna, ante, vel in paroxyſmo, vel poſt ipſum occurrerent. Præterquam enim quod febris hæc haud valde intenſa maculis, exanthematis, bubonibus, aliiſque ſanguinis venenati aut plurimum efferveſcentis indiciis careat; inſuper nyctemeri ſpatio terminatur: quod vix unquam evenire ſolet in affectibus intra maſſam ſanguineam altius radicatis.

Quamobrem exiſtimare potius adducor, morbi hujus labem in liquore nerveo primitus fundatam; exinde in cruorem, dum ἐφιδρώσεως iſtius malignæ tragœdia peragitur, communicari. Videtur enim quod humor iſte, fibras omnes totius corporis irrigans, & ſpirituum animalium ubique vehiculum exiſtens, propter Anni intemperiem, à craſi debita, neque à ſpirituo-ſalino-volatili deſciſcens, verſus indolem acetoſam, aliamve indolem acetoſam, & demum malignam degeneraris; cumque is ad depravationis ſtatum illum pervenerit, ut vel ſponte ob plenitudinem, vel propter contagii fermentum excitus, turgeſcentiam ſive fluorem conceperit, è partibus iſtis irritatis excuſſus, inque maſſam ſanguineam redundans, hanc illicò totam veneneт, compagem ejus diſſolvat, inque efferveſcentiam, illius mox expellendi gratia, maximopere eccriticam incitet. Hinc ſudores (quoniam hæc excretionis via tum proxima, tum ampliſſima eſt) copioſi erumpunt; quo naturæ niſu extremo ſi forſan accidat virus totum è ſanguine in habitum corporis remandari, indeque per ἐφίδρωσιν univerſalem, & aliquandiu continuatam prorſus ejici, brevi ſalus, velut ſudum poſt nubes penitus diſcuſſas, effulget; ſin vero à fermentatione iſta & ἐκκρίσεως niſu; in quam ſanguis miaſmatis maligni expellendi cauſa excitatur, particulæ venoſæ non ſubito, nec in totum ejiciantur, cruoris maſſa tum quatenus ſero orbata, tum craſi peſſumdata, ad flammam vitalem amplius prorogandam inhabilis evadit.

Ex his non difficile erit ſymptomatum cauſas & curationis ejus Empiricæ rationes aſſignare. Nam quod morbo urgente, aut circa primum ejus inſultum, antequam febris accendi videbatur; languor ſtatim inſolitus; Animi defectio, ſumma virium proſtratio, capitis dolor, cordis palpitatio, cum pulſu crebro, celeri, & inæquali, aliaque nervoſi generis pathemata laborantes infeſtabant, indicio erat, partes nerveas, prius ſanguine affici, ab iiſque malum illud originem ſuam ducere.

2. Cum ſudor copioſus (qui & ſymptomaticus, quandoque etiam criticus erat,) circa febris hujus principium, ſecus ac in pleriſque aliis, exoritur, ratio eſt, quod latex morbificus; è fibris, & partibus nerveis in maſſam ſanguineam redundans, exinde ſtatim à primo ejus appulſu rejicitur, nec diutius in ſanguine morari, aut intime permiſceri ſinitur. Enimvero, in ſtatu non admodum invaletudinario, liquor Nerveus cum Sanguineo vix unquam congruit: quare ſiquando iſte per vices quaſdam in hunc regurgitet, mox iterum excutitur, & priuſquam tinctura lixiviali inficitur, per renes amandatus, urinæ limpidæ profluvium excitat; quod quidem in affectibus ſpaſmodicis ſæpius evenire advertimus. Sin liquor nerveus degener, aut depravatus in ſanguinem continuò refluit, modo Dyſenteriam incruentam, qualem ſupra deſcripſimus, modo Diabeten, prout prius oſtendimus, producit. Cæterum propter ejuſdem humoris reſtagnationes minores & privatas: tumores cancroſos, ſtrumoſos, ſcirrhoſos, alioſque mali moris exoriri olim evicimus. At vero in affectu, de quo nunc agitur; latex iſte nerveus, ſiquidem valde malignus, & peſtilens exiſtat; ſanguinem primo contactu venenat, inque ſeroſitates per ſudorem citiſſime amandandas fundit; ſecus enim, ſi per horas aliquot intra maſſam ſanguineam manere, cumque ea circulari, & penitus commiſceri permittitur, ipſum penitus corrumpit, & plane mortificat: hinc in medendi methodo iſta per experientiam crebram inventa, ita ſedulo cautum eſt, ut primo morbidi inſultus momento, laborantes confeſtim (non opperiendo dum veſtibus exuantur, lectoque inferantur) ſtragulis cooperti ad ſudandum componantur, atque ἐφίδρωσιν mox æquabilem in toto corpore excitatam per 24 horas continuent, interim ut nec manum, nec pedem movere, nec cibum aut ſomnum capere ſinantur; hoc eſt; nihil omnino agant, quo latex iſte peſtilens cum ſanguine plus, aut intime magis confundatur, aut quo celerrima, & totalis ejus excluſio inhibeatur. Quod ſi ejuſmodi cita, copioſa, & æquabilis ſudatio per naturæ inſtinctum accita, perque medicinam regulata tam diu producatur, ut virus totum per cutis poros exhalet, affecti ſtatim ſine eruptionibus cutaneis, febre lenta, infirmitate diuturna, ſudoribus nocturnis aliiſque ſanguinis vitiati conſequentiis integre convaleſcunt. In quantum vero liquor nerveus, poſt corruptelas ita expurgatas, rurſus eodem more depravari, & dein, ob plenitudinem aut contagium commotus, è partibus nerveis in ſanguinem redundare, ipſumque pariter venenare aptus eſt, propterea nonnulli poſtquam perfecte convaluerant, ab eodem morbo ſecundo, imò nonnunquam tertio corripi ſolebant. Non opus erit medicamentorum formulas in hoc caſu ullas ſubjicere; quia totum Curationis negotium, fere tantum à recta Ægrotantium tractatione, ſive adminiſtratione dependet. Cæterum valde ἀπροσδιόνυσον eſſet pharmaciam, ac methodum præſcribere contra morbum adeo inſolitum, quem ſperamus nunquam rediturum; & ſi forſan olim aliquando redierit, incertum eſt, an eadem rurſus medendi ratio in omnibus obſervari debeat. *Thom. Willis. Pharmaceutices Rationalis parte 1.*

Obſervationes.

Sudor ſanguineus.

Anno præterito 1626. Adoleſcentulus in vicinia mea, natus annos 12. ſub initium menſis Februarii, cum fratre lanione, ad empta armenta abigendum, rus profectus eſt, in via ab exercitio & à vino, quod bibit album, alias aquæ aſſuetus, ſanguis febrili calore incenſus, & ad extrema corporis commotus fuit, & quia ſummè tenuis, fluxilis & ſeroſus, præterea à natura irritata compulſus, exitum per extrema venarum ora molitus eſt. Hinc per nudam gingivarum carnem penetrans, primum cruenta expuitione rejectus eſt, mox è poris in totius corporis ambitu exudans, denſis & infinitis ſtillis induſium maculavit. Nihilominus puer iter perficiens, domum pedes rediit, ad quem vocatus fui octava morbi die, idque ob ſummum periculum vitæ, quod fera narium hæmorrhagia minabatur. Pulſus ei erat febrilis, frequens & debilis: totus pallidus & valde imbecillis ipſe, extremas partes frigidas habuit: nec mirum, cum intra dies octo ultra tres menſuras noſtrates ſanguinis effudiſſe, aſtantes aſſeruerint, ego tamen exiſtimarem, tantam ſanguinis jacturam, niſi vitæ diſpendio, eam ætatem pati non poſſe. Lodices & culcitras infinitis ſanguineis maculis pictas, & cutim patientis univerſam petechiis conſperſam latiuſculis, in medio nigrum ſanguinis concreti, pori cujuſque oſculum obturantis, punctum habentibus, conſpexi. Interim ad narium hæmorrhagiam, quæ vitæ theſaurum prodigè nimis diſſipando, virium ruinam intentabat, ſiſtendam, Gypſum aceto ſubactum cum linteis fronti frigide applicabam, conſiderans Criſeos inſolentiam, & efferam ac immoderatam hanc ἔκκρισιν inhibendam eſſe, ſive ſymptomatica ſit, ſive, quod magis arridebat, à natura incepta quidem, ſed ob vaſorum nimiam apertionem eò perducta, ut laxatas habenas retrahere & inde gradum revocare natura non poſſet, niſi arte adjuvaretur. Præterea ad ſanguinis impetum ſiſtendum, ſequentem mixturam confeſtim parari juſſi: ℞. Syr. mirt. de papav. an. ℥ß. Syr. de roſ. ſiccis ʒ. ſ. lapid. prunellæ ℈ iiij. Aqu. plantag. ℥ iij. M. pro 2. potionibus. Nitrum tanquam principale addidi, eò quod olim à Profeſſore Monſpelienſi, in periculoſa hæmorrhagia illud exhibitum magno cum fructu viderim: Spiritus ſanguinem commoventes figit, calorem ſi quid aliud refrœnat, & ſeroſos ichores per urinæ vias educit. His cum cordialibus & victu refrigerante ac inſtaurante uſus, à Deo priſtinam ſanitatem recuperavit. Sed poſtquam convaluit, totius corporis pruritus, citra tamen ſcabiem, diu ipſum moleſtavit, qui tandem eum etiam deſeruit. Sanguine ſupra modum ſeroſo & diluto præditum fuiſſe probant ſufficienter ſudo ſanguinis diluti & aquoſi color, qui apparebat in ſanguine, è naribus profluente, dilute rubens, & maxima copia ipſius, qui ſi ſincerus fuiſſet, ſine dubio æger defeciſſet: tandem ſeroſi & ſalſi ichoris pruritus ſubſequens ſignum indubitatum eſt. *Georgius Sporlinus, apud Guilielmum Fabricium Hildanum Obſervat. Chirurgicar. Cent. 6.*

Sudor ſanguineus.

Civis Grumbergenſis, ruſticanæ proſapiæ, ſtatæ ætatis, ita ob errores diætæ corpus ſibi reddidit ſcorbuticum, ut, præter Cachexiam, in hoc unico omnia velut in compendio poſſes conſpicere ſcorbuti verſipellis ſymptomata. Hic quoties à motu ſudat, ſanguineo ſudore ſub alis induſia maculat, qui liquor rubicundus tam tenaciter linteis inhæret, ut difficulter cedat lotricis manibus.

Scholion.) Sanguis ſcorbuticorum cùm ſero multo diluatur, ſudoribus eapropter admodum eos obnoxios eſſe conſtat; illud verò ſerum uti acri ſale turgere, ſymptomata morbo illi familiaria ſatis oſtendunt: ita ſanguini etiam majorem juſto fluiditatem, fibrarum ejus compagem laxando, conciliat; unde & idem per arteriolas minimas ad glandulas miliares ſubcutaneas delatus, facilè una cum ſero iſto per tubulos excretorios exitum inveniet, in primis à motu corporis concitatior ſi factus fuerit. Talem etiam ſudorem ſanguineum in puella ſcorbuto laborante vidit Excellentiſſ. D. Langellottus, teſte *dec. 1. Ann. 6. obſerv. 10. Ephem.* harum, & in fœmina noſter *D. Wedelius, pag.* 188. *Phyſiolog. Med.* Quamvis autem ſanguinem ipſum ſic poſſe excerni, nullum ſit dubium, tot in ſanis etiam corporibus obſervatis cruoris exſudantis exemplis id teſtantibus, ſeroſum tamen corruptum humorem mentiri ſimilem fluxum quandoque poſſe, admodum eſt veriſimile, ſero nempe, eodem *Wedelio* notante, humorum omnium vehiculo exſiſtente, eorumque ſalium & ſulphurum tincturam imbibente, ſæpe ideo hanc ipſam ob cauſam rubicundo ſub colore per veſicam in ſcorbuticis effluente, &, quod *Salmuth. cent. 1. obſ.* 28. *Thom. Bartholinus cent. 4. hiſt. 61. & Sachſius noſter Ampelogr. pag.* 395. ſe obſervaſſe, fidem faciunt, epoti vini rubri generoſi particulas per ſudorem educente. *D. Samuelis Ledelii.*

De ſudore luteo ab aſſumpto rhabarbaro.

Anno 1649. cum ex Boruſſiæ Academia Electorali Regiomontana me contuliſſem Dantiſcum medicinæ Candidatus, primo ſtatim die, cùm eò veniſſem, hora quarta pomeridiana, febrili horrore obrutus decumbere coactus fui. Cumque incertus adhuc eſſem de natura febris nihilquicquam medicaminis ſumpſi; ſed noctem ſubſequentem calore ſatis acri ad uſque ſudorem, paroxyſmum finientem, peregi. Manè ἄπυρος reſurgens obivi munera mea. Tertia die, cum febris eadem hora pomeridiana, me invaſiſſet; cum calore p. n. noctu in ſudorem determinante, iterumque ſubſequentem diem ſine ulla febre tranſegiſſem, judicavi me tertiana intermittente laborare. Poſtero die manè hora 5. adhuc in lecto jacens, ipſemet mihi Medicus ſumpſi pulv. rhabarbari opt. ʒj. cum pauxillo vini, nullo admixto alio ingrediente, qua bilem, tertianæ vulgo cauſam, per alvum deturbarem, brevi poſt ſubito mador aliquis toto corpore erumpebat. Ego omnibus lecti integumentis à corpore devolutis, ex lecto ocyus exſiliebam, ne ſudor aliquis ſubſequeretur. Fore enim judicavi tunc, tantum abeſſe, ut purgaret rhabar-

rhabarbarum bilem, ut potius ſudore iſthoc medicamenti virtus impediretur. Verùm licet ego induſio interiore ſaltem tunc veſtitus eſſem, illudque ventilationis cauſa quoque exuiſſem, ſudor nihilominus univerſalis ex toto corpore adeo copioſe promanabat, ut diffluere totus ſudore viderer, nec erat medium declinandi iſtum. Cogebar itaque relinqui naturæ conamen, eodemque induſio ſudorem abſtergere, penitus rhabarbari (quod notandum) odorem ſubluteumque colorem referentem. Hoc ſudore poſt integram horam finito, nullum poſthac paroxyſmum febrilem perſenſi, ſed à tertiana mea liberatus, vegetus ad negotia mea acceſſi. Etſi autem quivis forſan diaphoreſin hanc primo intuitu rhabarbaro adſcribere vellet, ambigere tamen non nemo poſſet, utrum ſudor ille non primario acciderit ob naturæ morum, vitioſos humores febriſque cauſam criſi quadam ad ambitum corporis foris eliminantem, vel ex alia quapiam cauſa. Qua de re judicium cuilibet integrum relinquo. *D. Chriſtiani Menzelii.*

De ſudore cæruleo dextri hypochondrii.

Multi ſudorem pinguem, alii oleoſum, pars arenoſum, quidam ſanguineum & vini rubri, &c. obſervarunt. Cæruleum verò à nemine hactenus annotatum credo, quem tamen Francothalii, in Palatinatu inferiore in fabro lignario melancholico, præter propter triginta annorum (una cum Expertiſſimo Dn. D. Mogio, piæ memoriæ obſervavi) qui æger, quoties morbo, epileptico ſimillimo corripiebatur, prægreſſa vertigine cum anxietate cordis, toties in terram corruit, ſudorque cæruleus amyli cærulei (*vvie blaue Stercke*,) colorem mentiens ſolum in dextro hypochondrio, ubi hepatis ſedes eſt, erupit, quem ſudorem linteis ſæpius deterſum uxor non mihi ſolum, ſed & aliis ſpectandum exhibuit, color ex linteis haut facilè elui potuit. Paroxyſmis bis vel ter per annum invaſit ægrum; ſudore profuſo melius habere cæpit, & exinde concluſit paroxyſmum remiſſurum. Unde hic ſudor & ex qua materia, aliorum non minus Doctorum quam curioſorum relinquam judicio. Fateor in hiſce ignorantiam meam; aſt ſi conjecturari liceat, à bile æruginoſa deducendum putarem.

Scholion.) In operario artis vitrariæ Naſſovico (*im Creutz vvalde*,) vidi ſudorem in induſio ita copioſe cryſtalliſatum & coagulatum, ſive velis ſublimatum, ut cultro poſſet abradi. Colorem verò cæruleum nuper obſervavi in fœmina, quæ ſæpè vomebat & tuſſiebat cum magna extenuatione, ſputo ſpumoſo quidem, ſed & viſcido, ita ut quaſi ſucco cyani ſeu indigo eſſet tinctus. In alio autem vomitum copioſiſſimum laſurei ipſius lapidis colore infectum. Cujus cauſam an ab æruginoſa bile, an à ſucco pancreatico, an alius cujuſdam humoris peculiari corruptione proficiſcatur, meretur meditationem. *D. Joh. Dolai.*

De ſudore atro & ſanguineo.

Sudorem atrum rariſſimum deprehendi evolventi obſervationes quaſcunque facile patet. Certè Marcellus Donatus, ille, qui magno ſtudio mirabiles nobis collegit hiſtorias *libro* 1. *Hiſtor. cap.* 2. nec à ſe unquam, nec ab aliis obſervatum eſſe meminit ſudorem nigrum, quare experientiæ defectum ratione oſtenſurus, notat nigrum, & craſſum ſeu melancholicum illum ſuccum uſque adeo extenuari non poſſe, ut per ſecretoria iſta, ſeu tenuia ſeri cribella excernatur. Refragatur tamen huic ſententiæ *Jul. Caſ. Baricellus lib.* 2. *cap.* 11. de hydronoſa natura, poſſibilemque ea ratione ſtatuit, ſi craſſus iſte ſuccus ab alio ſeroſo fluido diluatur. Atque hanc experientia firmat. Talem enim atri coloris Hodgeſius in eleganti ſuo de nupera Peſte Londinenſi obſervatum adſerit; ejuſque multo luculentius exemplum præbet magno ſuo merito celebratiſſimus chymiater & Polyhiſtor Olaus Borrichius in editis non ita pridem Hafnienſium actis, de fœmina quadam primaria ad plures dies atramentum exudante, de cujus cauſa more ſuo ſatis ingenioſe diſſerentem placet heic audire: Mihi (*inquit*) in raro hoc phænomeno, ſalvis aliorum ſententiis, non abſonum videtur, dilutiorem ſanguinis partem à nimio acido, quod in corpore tabido deeſſe utique non potuit, in nigrorem verſam inter ſudandum evaporaſſe. Adjiciam ego nunc ſimillimum huic exemplum, quod modo laudatus Illuſtris Dominus *von der Wyck* de ſemetipſo mihi ſuggeſſit. Curaturus nempe Stralſundæ, quam ex incommodis caſtrenſibus paralyſin ſcorbuticam ſibi contraxerat, auri diaphoretici ℈ j. aſſumpſit; cumque in laconico ſuo, quod commodiſſimum invenit ſe ad ſudandum compoſuiſſet, adeo ſtatim in ſudores defluxit, ut, quæ curioſitas eſt Viri Illuſtris, lintea & induſium tribus ſudati humoris aucta notaverit; color autem laticis adeo niger, ut atramentum referret ſcriptorium & omnino acidam auram ſpiraret. Teſtem oculatum penes ſe habuit Præcellent. Dom. Chriſtoph. Schmidt, Archiatrum Megapolitanum, & Chirurgum ordinarium M. Johan. *Anderſen.* Poſtera die repetiit uſum Auri diaphoretici, ſed ſudor ſubſecutus eſt flavus, & ſic convaluit. Alias ſudorem ſanguineum hic loci me obſervaſſe memini in filia rhedarii Ducalis, ſcorbuto laborante, quæ paulo poſt vivere deſiit. *D. Joelis Langelotti.*

Sudor atramenti.

Urinam ægrorum ſedimento nigerrimo metuendam bis hoc anno conſpexi, & formidantibus mortem, qui reddiderant, ſanitatem, quæ etiam conſequuta eſt, ex aliis prædixi argumentis. Certum quidem illud Hippocratis in Prognoſt. νεφέλαι ἐναιωρεύμεναι τοῖσι οὔροισι μέλαιναι φλαῦραι. Unde Philiſcum memorat *Cous* idem Epidem. l. interiiſſe, ὅτι μέλανα οὔρησε. Conſtat tamen plures evaſiſſe Libitinam, quibus atra per urinas prodierint, de quo conſulenda apud *Trincavellium, Montagnanam, Zacutum* exempla. Cæterum & atra per ſudores excerni, & ſanari ægrotantem, id verò hactenus forſan inſuetum; contigit tamen ſuperiori hyeme primariæ cuidam faminæ, urbani Conſulis uxori, quæ poſtquam inſidioſiſſimam febrem petechialem feliciter ſuperaſſet, phthiſi, in quam ante mora

bum propenſior erat, afflicta, rejecit extuſſiendo ad plures hebdomadas tantam craſſi, fœdique puris vim, ut aſtantium pleriſque crederetur univerſas pulmonis ſaucii reliquias excluſiſſe. Pulſus parvus, ſed concitatiſſimus, ſubſultans, ſæpe intermittens; anhelitus creber, puttida hecticæ juncta populaverat artus; ſanguis perruptis vaſis confertim ſubinde, etiam ad integras libras per nares ſe effuderat; ad ſummam, credita conclamata omnia.

Solus in exanimi reſtabat ſpiritus ore.

Rediit nihlominus cum ſanitate in gratiam clementia ſuperum, viro experientiſſ. *Dom. D. Caſparo Kolichen*, Urbano Phyſico, conſilia mecum, & manum ſoſpitalem commodante. Dum autem medendo incumbimus, illa paulatim convaleſcenti proprior ſudoribus matutinis ſpontaneis ad plures dies perfundi cœpit, iiſque tam atris, ut nigerrimo colore inficerent ægræ lintea, præcipuè calanticas, quas cum veſpere puras capiti circumpoſuiſſet, mane nigricantes & quaſi atramento tinctas invenit, nobiſque anxia oſtendit. Nos meliora ominati ſubjecimus, criticam apparere evacuationem, in ſalutem ægræ terminandam. Nec decepit augurium, ex eo enim ſenſim remiſit malum, & exſpectata diu ſanitas revertit. Sed quæ cauſa exſudati atramenti? mihi in raro hoc phænomeno ſalvis meliorum ſententiis, non abſonum videtur, dilutiorem ſanguinis partem à nimio acido (quod in corpore tabido deeſſe utique non potuit) in nigrorem verſam inter ſudandum evaporaſſe. Noti ſunt, etiam extra ſacram hiſtoriam, cruenti ſudores, notum, mihique ſæpe exploratum, ab aceto ſanguini animalis calenti infuſo mixturam atratam exſurgere; nota laxitas pororum in phthiſicis pleriſque, quos & non raro media hyeme ſimplici ſtragulo opertos ſudare notavi, frigente licet triclinio. Sed cur in hac ægra potius, quam in aliis tabidis inſueti generis ſudor? quia acido corporis ægri acceſſerat malum aliud; ſolito magis adulta erat ſanguinis maſſa, eoque in nigritiem tanto proclivior, anteceſſerat enim maligna febris, unde humores potentius aduſti. Quod ad urinas nigricantes autem, de quibus ſupra, non earum color ab amurca lienis ſemper accerſendus, ſed ſæpe à ſanguine extra vaſa ſua in renibus, in utero, in vagina ejus propulſo, ibique, ſi interquieſcit, à calore vivi corporis in grumos ſubnigros excocto, cui interea acidulum quiddam, ubique fere in corpore diſcurrens, ſuperaddi alienum non eſt. *D. Olai Borrichii.*

Sudor pinguis & oleoſus.

Præter naturam aliquos ſanguinem ſudaſſe annotarunt *Ariſtoteles lib. 3. de partib. anim. cap. 5. & lib. 3. de hiſtor. anim. cap. 16. Rondelet. de dignoſc. morb. c. 11. Fernel. lib. 6. de Part. morb. & Symptom. cap. 4. Marcell. Donat. lib. 1. de Medic. hiſtor. mirab. cap. 2. Mercurial. lib. 4. variar. lect. cap. 12. Gr. Horſt. lib. 1. part. 2. obſervat. 15. Thom. Barthol. cent. 2. Epiſt. 11. pag. 440. Henric. ab Heer obſerv. 25.* meminit cujuſdam Nobilis, qui ſanguinem cumque eo pediculos rubertimos ſudavit. Nonnullos ſudorem arenoſum habuiſſe obſervarunt *J. D. Horſt. Manud. ad Med. pag. 191. Id Thom. Barthol. cent. 1. hiſtor. 34.* & alii. Vide *Tr. meum de Arthritide vaga ſcorbutica cap. 13. in fine.* Sudorem vini rubri vidit jam bis citatus *Dom. Thom. Bartholin.* ut refert *cent. 4. hiſtor. 61. & D. Sachſ. in Ampelographia Curioſ. lib. 11. ſat. 6. membr. 2. cap. 8. artic. 1. pag. 395. Sudorem Cereviſiæ Salmuth. cent. 2. obſerv. 28. Sudorem viridem Borellus cent. 2. obſerv. 54. Sudorem croceum Hildan. cent. 6. obſerv. 77. & Sudorem nigerrimum Zacut. lib. 3. obſerv. 75. Sudorem mellis Johann. Pravot. teſte Johann. Rhodio cent. 3. obſervat. 68.* Aſt ſudorem pinguem ac oleoſum ab aliquo obſervatum eſſe nondum legi, qualem Nobiliſſima quædam virgo jam maritalis non pinguis, nec pingui carne ſe delectans præterito anno circa priorem & poſteriorem thoracis partem dieque nocteque habuit, ſine virium jactura ac moleſtiâ ulla, niſi quod hic ſudor veſtes maculaverit. *D. Val. Andreæ Moellenbrocci.*

De Sudore pingui & Oleaginoſo.

Deſcribit *Dn. D. Valentinus Andreas Moellenbroccius Miſcell. Curioſ. Germ. anni 2. Obſerv. 19.* ſudorem pinguem & oleoſum in nobiliſſima quadam virgine jam maritali à ſe obſervatum: talem nos quoque in virgine quadam juvencula Thorunenſi fere per annum durantem deprehendimus, cujus in antecedentibus obſervatione quadam de metaſtaſi humoris per vias occultas &c. mentio facta eſt, hiſce verbis: Dorothea Kriegeria, virgo annorum ſeptendecim, conſtitutionis corporis gracilioris, complexionis phlegmaticæ, incidit anno 1675. hyemali tempore in pleuritidem ſpuriam ſiniſtri lateris &c. cui jam a longo tempore ſingulis noctibus gravis fuit ſudor oleaginoſus, fœtidus, coloris crocei, tam in capite, quam in dorſo, etiam induſium tingens, & pinguedine quadam inficiens. Quod rariſſimum ſymptoma, & ceu rectè præfatus nobiliſſimus Medicus ſtatuit, vix à quopiam huc uſque obſervatum, hinc ſingulariter curioſo Lectori exhibere volui, cui non ingratum futurum confido. *D. Simonis Schultzii.*

Sudor podagricorum an ſalſus, an acidus.

Amicus quidam meus triginta ſex annorum, temperamenti, ut apparet ſanguinei, colore florido roſeoque, à pluribus jam annis podagra & chiragra tentatur, ita violenter, ut jam diu in pedibus, brachiis, digitorumque articulis nodos formarit, vulgatis remediis hactenus indiſſolubiles; ita prompte, ut unicum vini hauſtum menſtruo cruciatu cogatur expiare. Is varia expertus pharmaca, ſed, propter leves diætæ errores, omnia incaſſum; tranſplantationis quoque vires, licet ex præſcripto Medici provincialis examuſſim cuncta adminiſtraſſet, irritas ſenſit. Propoſui curam lactis, quam ſtrenue invaſit, ſed negotiis interpellantibus, poſt menſem unum meis ingratiis deſeruit, eoque etiamnum miſere per intervalla affligitur. Hactenus nullum præſentius ſolatium invenit ſudore, quomodocunque elicito. Quo viſo, rogavi ipſum non ita pridem, (ut eſt curioſus, & rerum quoque Chemicarum peritus) ut evocatum ſibi in balneo publico ſudorem linteis mundis, ſed in ſola aqua ſtillatitia ante lotis,

atque

atque ita ſponte exſiccatis, quanta liceret, copia exciperet, & linteaminibus poſtea validiſſime expreſſis patinam vitream inviſo liquore expleret, quo leni calore in vapores attenuato hoſtem reſiduum, cujus demum eſſet proſapiæ, exploraret. Paret, excipitur ſudor, & ſubdito igne modeſto in craſſamentum abit, cui cum in portiones certas diviſo, hic oleum tartari per deliquium affundit, illic nitri ſpiritum, evidentem ſenſit à nitri ſpiritu ſtrepitum, & effervescentiam, ab oleo tartari motum planè nullum, adeo ut ex hoc experimento viſus ſibi ſit concludere, non acidas eſſe particulas illas, quibus in membranas impactis tantopere inquietatur ſed ſalſas lixivas. Neque id injuria; obduces partes acidas evolaſſe? At ex natura acidorum, remanſiſſent in craſſamento acidiſſimæ, ſi quæ adfuiſſent, Sed de calore eſt quod adjiçam: poſtquam in vaſe vitreo reliquias illas ſudoris ſpiritu nitri imbuiſſet, quieſcente demum ſtrepitu, poſtridie miſturam inſpexit, miratus non leviter, cum in gluten viride, ſive gelatinam mavis vireſcentem abiiſſe conſpicaretur. An æruginis naturam imitatur podagricorum hoſtis? *D. Olai Borrichii.*

De Sudore poſt mortem.

Rodachii anno hujus ſeculi 65. civis cujuſdam infans morbo corripitur. Tertium proſtratæ valetudinis diem ubi ſuperabat, quartum calore præternaturali accedentibus convulſionibus inopina demum morte finit. Levior intumeſcentia, quæ vivum affecerat, leviori quidem parentum animos metus vinculo primum conſtrinxerat; ſed ubi lac maternum faucibus avidioribus, e mortuali præprimis die, traxit curas quoque ad nutricis pectus attraxit ille graviores, & labore ſuo interno ac ultimo internum adauxit parentum dolorem. Corpuſculum animulâ ſua deſtitutum, ſeipſo vivo longius & rigidum ſic à morte evaſit, ut ferè eorum, qui induſium brachiolis accommodare laborarunt, induſtriam eluſerit. Examine illud ſueto ceremoniarum ritu tertio die loculo incluſum ad cœmeterium, ut terræ mandetur, deportatur. Reſerato hic vulgi ſpectatum venientis gratia, more in oris noſtris ſueto, loculo, infantis facies ſudoris guttulis referta cernitur. Facies mira præſentium mox invitat faciem & in admirationem trahit. Ad naturæ vires ſudorem in corpore calore vitali prorſus deſtituto, referre auſus fuit nemo: magna vero pars ad occultiorem & ſublimiorem cauſam fuit facilis. Nonnulli ex ipſo ſudore velut effectu, ejus cauſam, ſopitum ſcil. & latentem hoc in corpore vitalem facultatem tacite ſecum collegerunt, & infantis ad ſepulcrum deportationem maturam deinceps exprobarunt. Mœſtiſſimi parentes & avus raro hoc caſu & maledictorum inſultu perturbati per Fratrem meum dilectum M. Johann. Fridericum, Diaconum ibidem, meum de hoc ſudore judicium requiſiverunt. Annui petito, & extemporaneum judicium tum dedi, quod brevi poſt in Diſputatione quadam publico eruditorum examini ſubmiſi. Caſum, quia ad paucorum manus Diſputatio venit, ſpectatiſſimo naturæ curioſorum Collegio jam communicare placet. Subjungam etiam datam tum temporis ἐπίκρισιν.

Rarus autem eſt caſus ille; neque ſimilis exempli veſtigium vel in Henr. Kornmanni tractatu de miraculis mortuorum, vel in libro primo (ſecundi editionem orbis literatus adhuc expectat) tractatus elegantiſſimi eodem titulo, de miraculis mortuorum, inſigniti, ſed doctiori calamo exarati Dom. Lic. Garmanni vel in aliis, quos evolvere licuit, adverti, niſi quod *Kornmannus part. 5. cap. 8.* ſuſpenſi cujuſdam cadaver plurimum ſudoris per 14. dies effudiſſe ſcribat: quam hiſtoriam admirationis aliquid habere ſcribit Zacchias (D. Samuelis Ledelius deinceps obſervavit in Paſtoris cujuſdam ſcorbutici & melancholici corpore non tantum vivo continuum, ſed & defuncto triduanum ſudorem largiſſimum, qui faciem cum toto corpore madidam reddidit. *Vid. annus 3. Ephemer. nat. Curioſ. obſervat. 85.*)

Ut ſudorem iſtum infantis labore & ſudore noſtro felicius detergamus, præſupponimus ſudoris nomen ſumi 1. late & impropriè pro quavis materiæ vaporoſæ vel liquidæ roris in modum in quocunque ſubjecto collectione. Ita lentiſcus maſtichen ſudare dicitur, & Renodæus de mat. med. maſtichen definit, quod ſit gummi-reſina è lentiſco exudans. Sic ſtatuæ apud veteres ſudaſſe leguntur, cujus rationem Theophraſtus dat *lib. 5. hiſt. plant. cap. 10.* quia ex cedro conficiebantur, cujus materia nata eſt humorem exudare. Feneſtræ, ſpecula, canthari, poma, parietes ſudare quoque hyberno tempore dicuntur: 2. propriè, & quidem vel ſtrictè, pro materiæ vaporoſæ in cute animalis viventis roris in ſpeciem collectione, quocunque illa promanarit modo, ſive excretione, ſive expreſſione, ſive partium ſolidarum exolutione, Tribus enim his modis ſudorem exire dicit Stephan. Rodericus Caſtrenſis *lib. quæ ex quibus pag. 45.* Excretione qui prodit, caloris floreſcentis eſt index; qui expreſſione tumultuantis, qui partium exolutione deficientis, non ſimpliciter, ſed reſpectivè: vel ſtrictiſſimè, pro eo, qui caloris vitalis ope per cutis ſpiracula prodit. Adhuc Crato conſil. à Scholtzio collect. 381. tres requiri vult conditiones, calorem mediocrem, materiam tenuem & cutis meatus apertos. Sudor ille in infante non fuit verus ſudor, quia mortuus erat infans, adeoque omnis in eo calor vitalis abfuit: id quod etiam partium rigor, & ob hunc induendi induſium difficultas prodididit. Inter notas autem finitæ vitæ etiam membrorum rigiditatem referri teſtatur Paulus Zacchias quæſt. Medico legal. *lib. 4. tit. 1. quæſt. ultim.* Ergo nec caloris ſeu florentis, ſeu deficientis ſoboles ſudor ille fuit, Caloris quidem defectum ſudorem quendam ſive ἰφίδρωσιν ſequi admittimus, ſed ut partialis, non totalis ille defectus ſit, requiritur. Si enim totalis oriatur, pororum in refrigerato corpore ſequitur conſtrictio, eorumque parietes in ſe invicem collapſi omnem ſero exitum denegant. Sed ſi quidam in corpore ſuperſit calor vel ſpiritus, qui externam corporis compagem (utut debiliter & inſenſibiliter id fiat) ſuffulcire queat, non omnis ſero egrediendi poteſtas denegatur. Ergo ad impropriè ſic dictum ſudorem ille infantis erit reducendus. An vero ſudoris proventus ad naturales, an vero ſupernaturales cauſas ſit referendus, in diſquiſitionem inducitur merito.

Nos prius aſſerere non dubitamus, quamvis res ipſa ſua non careat difficultate, propter quam etiam meliora docenti cuivis aſſurgere erimus parati. In hanc vero ſententiam me deduxerunt circumſtantiæ in infante obſervatæ. Tumore quodam, dum in vivis eſſet, fuerat correptus ille, & è morte conciliandi coloris ſuavis gratia linteola vino calente madida faciei crebro impoſuerant domeſtici, ex quo rara cutis ſubſtantia laxior aliquando permanſit, & in hac tenuior materia quiete ſubſiſtere potuit. Remittente demum manuum in applicandis linteolis induſtria, ſubſidente ſenſim cute tumida, & concidentibus in ſeipſos pororum parietibus contenta in his materia tenuis fuit expreſſa, quæ ſudoris indolem & ſpeciem expreſſit. Atque hoc ita fieri poſſe, confirmo verbis, quæ facit *Dom. Dn. Libavius co.uempl. de cruent. cadav. pag.*244. Omnino, *inquit*, ſi ſit rigida cutis, ſudor ex interna commotione non prodit. Extans in ſummo, nudari poteſt ſubſidente mole: poteſt etiam protrudi halitibus, aut per alluvionem gigni aquoſitas. Sic nec à veritatis tramite ſecundum eundem autorem aberraverimus, ſi dixerimus, halitus fermentationis ope incipiente putredine excitatos, & per diſpoſitam cutem protruſos, à frigoris ambientis poteſtate ad ſudoris ſpeciem cogi: vel incipiente ſanguinis putredine ſpiritus, ſal & ſulphur à motu ſuo regulari ceſſare, & in confuſionem agi; deinde in cavitatibus concluſa inordinatè fermenteſcere, & corporis totius ac viſcerum intumeſcentias facere. Quod dum fit hærens, in rara corporis ſuperficie materia vaporoſa ſub roris & ſudoris ſpecie per illam ebullitionem extruditur. Ebullitio enim genus fermentationis eſt, aſſerente *Martino Schockio*, curioſo fermentationis & fermenti examinatore cap. 8. Eum ſanguinis motum genarum in cadaveribus rubor quandoque ſubortus teſtatur. Notavit idem quoque *Platerus in cent. Poſth. Quæſt. Medic. Paradox. num.*8. quod cadavera, quæ Anatomiæ cauſa pluribus diebus ſervantur, poſt flaveſcentem illum colorem, quo, poſtquam expirarunt, pallent, exactis aliquot diebus rurſum nonnihil in malis & carnoſioribus locis rubeant: ſanguinem quoque levi commotione ex venis nondum ſectis & ad interiora emanare dicit. Raro autem in cadaveribus obſervatur ſudoris talis proventus, quia rara in cadaveribus illa ad ſudorem diſpoſitio, cum calore vitali deſtituta exteriore corporis compage arctius conſtringantur ſpiracula, quam ut ab halituoſis exhalationibus intus concluſis reſerari queant. Neque (ut objectionem declinemus) in cadaveribus eorum, quos hydrops peremit abdominis, licet multo humore turgeat, ſuperficies ſimilem guttularum apparatum exprimere poteſt, tum quia in nimia abdominis extenſione pororum ad extima tendentium ductus à ſubjacentibus partibus carnoſis obliteratur & detorquetur, tum quia aqua fluctuans extra ordinariam ad poros viam, quam venæ & arteriæ ſternunt, degit; & ob craſſitiem ſubtiles meatus deinceps poſt mortem ob vitalis caloris ablationem magis conſtrictos, decurrere nequit. Halituoſa enim materia ſeu aqua reſoluta ſudoris eſt materia, ita ut aqua, quæ primum fuit in ſtatu collectionis, abeat caloris ope in ſtatum diſperſionis, & ad cutis ſuperficiem delata redeat demum ob ambiens frigus (quod ita etiam æſtivo tempore ſecundum quid reſpectu majoris caloris dicitur) & ſimilium copioſorum unionem in ſtatum collectionis, & ſudor vocitetur. Sed an prior, an vero poſterior ratio in infante illo locum habuerit, ego laborare nolo, cum accuratiorem & feliciorem horum indagationem ſcrutator non niſi præſens, vix autem per relationem abſens reportare queat. Unius circumſtantiæ obſervatio omne ſæpe punctum fert, ea autem neglecta, in arenoſo ſolo extruitur tota verborum moles, quæ circumſtantiæ illius afflatu demum protinus corruit. Quid naturaliter in tali caſu fieri queat, oſtendiſſe ſufficiat. *Dom. Johan. Chriſtiani Frommanni.*

De Sudore poſt mortem.

Antiqua pietate & fide Paſtor, in diſtrictu Zullichenſi Marchiæ, Storbuticus, ſuccoſus, natura Melancholicus, ætatis 45. annorum, vitæ ſedentariæ mancipatus, à primis juventæ annis fuerat excruciatus Melancholia hypochondriaca, ephialte, inſomniis moleſtiſſimis. Hic præter dictos annuatim invadentes Paroxyſmos Melancholicos, à tali quodam præterita æſtate circa Sirium tam vehementer corripiebatur, ut ad deſperationem ferme redigeretur. Durabat idem Paroxyſmus duos menſes cum vigiliis moleſtiſſimis, ita ut maniam minaretur; dabatur Laudan. Opiat. à gr. iij. ad 6. 7. & plura abſque notabili effectu. Sudor aderat continuus, ut inde etiam obſeſſum ſe clamaret æger, non capiens, unde tam copioſus latex reſtagnaret. Fonticulum alebat geminum, qui uterque parum fluebat, imo penitus exareſcebat: Vires paulatim decreſcebant; Tandem Epilepſia triduana miſeræ huic vitæ triſtem addebat cataſtrophen. Vix animam efflaverat, en ſudor copioſiſſime erumpebat, faciem cum toto madidam reddens corpore, guttulas linteo abſterſas aliæ ſtatim excipiebant, ad quartum uſque diem quo urna claudebatur. *Dom. Samuelis Ledelii.*

De Sudore perpetuo volæ manus.

Vivit apud nos, aut certe nuper vixit illuſtris legati filia nubilis, in Braſilia quidem nata, ſed pulchritudine & membrorum alias conformatione optima inſignis, cujus volæ manuum perpetuo ſudant, etiam hyberno tempore; non ulcerantur tamen, ſed madent tantum ſubtili humore, quem cum oppido abominetur, plurimorum in Belgio, atque alibi conſiliis uſa, nondum inviſum laticem ita ſiſtere potuit, ut non ex brevi intervallo recurrat: Inquietatur eadem frequenter retentione menſtruorum, cui incommodo cum rogatus ex præceptis Artis obviam irem, ſoluto tandem hoc nodo, obſervavi parcius ſudare manus quoties illa liberaliter debitum menſtruum exſolveret, quo iterum tardante, recrudeſcere ſudorem manuum, ut vel hinc novi generis conſenſum liceat recognoſcere. Non putarim tamen ſympathiam hanc nervorum propaginibus communibus,

nibus, aut alii vaſorum conſpirationi adſcribendam, ſed ſolenni gumorum gravium ad inferiora propenſioni: quippe fluentibus menſtruis neceſſe eſt ſerum in ſupernis corporum partibus, præſertim in ſanguine ſtagnans imminui, adeoque tum minus alibi exſudare, reſiſtantibus autem illis, pergit in priſtinos alveos, atque ex illis, ſi quæ pars imbecillior eſt, & poris magis pervia, ſudoris iterum ſpecie extunditur. Non alienum hic fuerit meminiſſe ſtudioſi Germani, cujus quidem volæ manuum non madebant perpetuis ſudoribus, ſed ardebant perpetuo rubore, nec continebat ſe pruriens rubor intra volam, ſed paulatim ad extima digitorum proſerpens quavis hebdomade amplius occupabat ſpatium; Curioſum erat videre mediam digitorum partem quaſi cocco tinctam, ardentemque mediam nativo albore coruſcam, & tepeſcentem. Diu tenuit hoc malum, & diverſos Medicos etiam in Germaniâ fatigaverat. Erat autem eo formidabilius, quod ardor ille plures poſt ſe ſquammas in cute relinqueret, & triſti vultu appareret ſpectantibus, ac ſi in elephantiaſin tandem videretur propendere. Ceſſavit tamen poſt crebrum uſum catharticorum, & modeſte refrigerantium, advocatis ſimul in auxilium coralliis, Antimonio diaphoretico, acidulis, diæta craſſitudinem humorum inducente. *D. Olai Borrichii.*

De Sudore unius lateris.

Sutoris Quedlinburgenſis, Sigiſmundi *Fäteners* uxor adhuc vivens, ſucci plena, cæteroquin ſana & vegeta; ubi corpus à motu vel calore externo, vel aſſumto ſudorifero calefit, in ſingulis ſiniſtri lateris partibus à capite ad calcem uſque ſudorem profundit largiſſimum, in dextro vero latere ne minima ſudoris gutta nec mador unquam erumpit, id quod ego partim non modo ſæpiſſime vidi, ſed ipſa quoque hoc à pueritia, quantum recordari poteſt, non aliter contigiſſe, conſtanter aſſeverat. Quod autem hic quam maxime admirandum mihi videtur, illud eſt: quoties hæc fœmina ex marito concepit, (eſt autem quinque jam liberorum mater) ſtatim à conceptionis, & hinc toto geſtationis tempore, ſudorem per corporis partes in utroque latere ordinarie prorumpere obſervat, exantlatis vero partus laboribus, eo ipſo momento dextri lateris pori concidunt, ac firmiſſime iterum clauduntur; adeo, ut ipſa ſudorem totius corporis pro infallibili conceptionis indicio, & quaſi pathognomonico imprægnationis ſigno in ſe jam agnoſcat, habeatque. Extra ingravidationis vero tempus etiam in balneo calidiſſimo per diaphoretica maxime volatilia (quod aliquoties tentavi) ſudor nullatenus elici poteſt. Ipſa interim nulla hinc ſentit ſanitatis incommoda, niſi aliqualem ſiniſtri brachii ac totius fere iſtius lateris gravitatem, forſan à latice ſeroſo illuc copioſius affluente oriundam. Utrum partes ſiniſtri lateris pluribus ac majoribus vaſis lymphaticis, vel ſpeciali præ reliquis conformatione, an vero cutis in ea corporis parte ſpeciali pororum diſpoſitione & ſtructura à primo ortu ita facta gaudeat, & pluribus glandulis ſubcutaneis, majorem ſeri copiam recipientibus & emittentibus? Vel an Archæus partium ſiniſtri lateris alacrior ac robuſtior ſit, è contra vero dextri lateris partium torpidior ac debilior non niſi à ſpiritu ſeminali excitatus excrementum ſeroſum expellere tentet? Acutioribus Naturæ Myſtis expendendum relinquo. Obſervavit jam antehac ſudorem dextri tantum lateris in 13. Viro Argentoratenſi, tandem hydrope mortuo *Excellentiſ. Dom. D. Francus P. P. Heildelbergenſis*, Argus in naturalibus perſpicaciſſimus *Decur. 1. An. V. Ephemer. Germ. obſ. 100. D. Jacob. Schmid.*

De Sudore verminoſo.

Stupendos equidem ſudores alii, mellis enim ſudorem recenſet *Rhod. C. 3. 58.* epotæ cereviſiæ *Salm. C. 2. 28.* viridem, *Borell. 3. 56.* nigerrimum *Zac. 3. pr. Obſervat. 73.* vini rubri *Bartholinus C. 4. h. 61. Sachs. Ampel. p. m. 395.* arenularum *Bartholin. C. 1. h. 34. J. D. Horſt. M. an. ad Med. p. 1. cap. 2. m. 123.* urinæ *Salm. C. 2. 28.* ſtatuarum *Bartholin. C. 6. h. 93. Theatr. Europ. T. 6. pag. m. 632.* croceum *Hildan. C. 6. 77.* oleoſum ac pinguem *Mollenbr. in Miſc. Cur. Ann. 2. Obſervat. 19.* Sudorem ſeptem annorum, *Tulp. 3. 42.* ſanguineum, *Ariſt. 3. A. 9. L. 3. P. ann. cap. 5. Maldonat. T. 1. in Evang. Matth. cap. 26. Fernelius L. 6. path. 4. Tulp. 2. 31. G. Horſt. pag. 2. Obſervat. 15. Drexel. pag. 2. delic gen. hum. cap. 2. Donat. 1. M. H. cap. 2. Thuan. L. 1. hiſt. Bartholinus hypmn. 4. de cruce Chriſti. Libav. diſput. de lachr. cruent. §. 4. Becher. 1. Med. Micr. cap. 5. Jonſton. thaumat. nat. Cl. 10. capit. 3. G. Fabricius L. 3. Annal. Miſnic. Theatr. Europ. T. 2. pag. m. 115. Mercurial. L. 4. V. L. cap. 12.* At verminoſum ſudorem, excepto *Henrico ab Heer in Miſcell. Curioſ. Ann. 2. Obſervat. modo citata*, à nemine unquam obſervatum memini. Accipe igitur, Excellentiſ. Dne rariſſimam hiſtoriam. In Pomerania paucis abhinc annis ruſticæ filius, 12. anno ætatis variolis corripiebatur. Paupercula mater, ob rem domi anguſtam, vetulam conſulit, hujuſque conſilio filio Theriacam propinat in aq. card. bened. ægrumque ad ſudorem componit. Quid fit? paulo poſt ægrotans in univerſa cute intolerabilem ſentit pruritum, rogat itaque matrem, ut fortiter ipſum fricet. Ipſa annuit: pruritus augetur. Tum æger, quæſo, accuratius inſpice corpus meum: recipit, mordet, vellicat, pungit & quid ſingula? Genitrix perluſtrat nudum filii corpus, & ecce! minutiſſimos vermiculos albos, nigra puncta in capitibus gerentes, è poris partim egreſſos, partim egreſſuros deprehendit innumeros. Vidua prorſus attonita rem inauditam vicinis oppoſitura nudum derelinquit filium, reverſa ſemianimem reperit, qui tandem, ſyncope ſuperveniente, eodem die finem vitæ fecit; ut ex ore amici cujuſdam eruditi, viri rerum naturalium ſtudioſiſſimi & fide pleniſſimi, habeo. Vides, Excellentiſ. Dne, Langium Prof. Lipſ. in judiociſſima diſputatione de morbillis, an. 1660. habita, exploſo veterum errore, rectiſſimè docere, Variolas & morbillos nil aliud eſſe, quam pullulaginem verminoſam. Et ita omnino eſt, ſi conferas *Obſervat. Rhod. C. 3. 64. Borell. cap. 2. 72. & obſervat. microſ. 31. Bartholinus C. 5. h. 20.* plures ut taceam. *D. Chriſtiani Franciſci Paulini.*

Sudor poſt mortem.

Laticem talem fluxiſſe è corpore demortui, jamdudum obſervavi & annotavi, id quod & tum temporis Curioſis Uratislavientibus communicavi, qui ob raritatem moti, Ephemeridibus inſerere non dubitarunt. Extat Decur. 1. Anni 3. & eſt obſervatio 83. Poſtea ſimile quid obſervavit Excell. Frommannus ejuſdem Decuriæ Ann. 6. Obſerv. 185. conſignatum, ubi etiam laborioſus eſt in reddenda ratione rarioris hujus ſudoris, qui videatur loco notato, ſi libet. Hacvice gemino alio confirmabo obſervationem exemplo. Hoc ipſo Anno 1690. in æſtate, uſuram vitæ claudebat Neonetkoviæ propè Grumbergam Ruſticus 78. Annorum. Neuchriſtoph dictus, qui dum vivebat ſemper erat roſea facie Prodromum mortis habebat, hemiplexiam, qua detentus decubuit ſex menſes, & finitis his vivere deſiit. Statim ab obitu adfuit ſudor per triduum, quo completo, inditus loculo terræ mandabatur. Guttulæ tàm copioſè extillarunt, ut niſi linteo abſtergerentur, ſponte proſluxerint abſque intermiſſione. Nobilis primarius hujus Ducatus, inter diſcurſus idem de propria filiola confirmabat quod dum æſtivo tempore obierit; cuſtodes corporis ſudorem animadverterint, ipſique indicarint, putantes *das Magdlein vvare hinbrütig und nicht todt*, id quod ipſum commoverit ut diſtulerit funerationem per diem. Verùm, cùm nec vita redierit, nec ſtillicidium ſudoris intermiſerit, demum cryptæ avitæ inſerere juſſerit, Nobiliſſima matre pauco tempore interjecto etiam obeunte & ipſam inſequente. *D. Samuel Ledelius Ephemerid. Germanicar. Ann. 9. Decur. 11.*

De Sudore ſabuloſo.

Vetulam quandam viduam M. D. vultu membriſque ad venuſtatem parum compoſitam, morumque urbanitate non adeò limatam quondam hic loci juvenis 27. annorum (*om haer Gelleckne niet om haer Velleken*, ut Batavi loquuntur) ſibi ſponſam eligerat. Nuptiis certi dies definiebantur, quibus in lætitia finitis, cæteri qui inſequebantur, perpetuis rixis ac altercationibus conſumti ſunt, neque tantùm maledicis verbis ſed verberibus vetula cum juvene marito concertabat. Qui contra parum uxoris ingratæ cervicibus parcens, repetitis ictibus non raro in eam deſæviebat, inter ærumnas igitur ac miſerias durante infelici hocce matrimoniô ad aliquot annos, vetula tandem priſtinæ libertatis jacturâ factâ maritique imperio ſuccumbens arcanô animi & paulò poſt manifeſto ſatis corporis morbo quatiebatur; ſic ut fermè biennium variis accidentium generibus in lecto detineretur, quæ inter primaria erant tumor abdominis aſciticus & procidentia ani cum fluxu hæmorrhoidum. Uti verò raro iis, quibus animus paccatus & tranquillus non eſt, corporis medicamenta proſunt, ſic in hac muliere idem evenit, quæ tandem tum animi tum corporis ægrotationibus, magis magiſque contabeſcens, tædioſam cum morte commutavit vitam. Notandum verô id eſt, cujus gratiâ præ primis hanc obſervationem ſiſto, quod tribus ejus obitum præcedentibus menſibus, effuſiſſimum ſæpius ex poris corporis emiſerit ſudorem, eumque non quidem aquoſum, ſed modò viſcidum ac pinguem inſtar ſevi, modò arenoſum. Quod ne gratis dixiſſe videar, ſanctè teſtor, ſæpe vetulæ maritum, me præſente, erumpentem ſudorem acie cultri abraſiſſe, eumque in calidam aquam injeciſſe, ubi ſtatim ſabulum interdum rubrum, aliàs flavum fundum vaſculi petiiſſe obſervavimus, propriiſque id ipſum manibus palpavimus: Quòd verò cum faceremus, illud intra pugillos detentum paulatim diſſolvebatur. Hinc non potui non pro tartaro aut ſabulo ſcorbutico in venis & ipſo ſanguine generato haſce arenulas habere.

Similes hiſtorias ex *Horſtio, Schneidero* & aliis tradit *Bonet. anat. pract. ſect.* 24. *lib.* 3. §. 4. ubi induſtrio quondam Philoſophiæ naturalis Profeſſori D. Sperlingio in morbo qui demum ipſi lethalis extitit, idem accidiſſe poſtque ſudorem copioſas arenulas cuti in diverſis partibus adhæſiſſe legitur. Plura exempla de ſabuloſo ſudore ſuppeditat Clar. *D. Paullini Ephem. dec.* 2. *A.* 6. *Append. obſervat.* 1. & *A.* 5. *Appendic. obſervat.* 85. *D. Joh. Petr. Albrecht. Ephemer. Germanic. Ann.* 9. *Decuriâ* 2.

Sudor ſanguineus in Juvene.

Juvenis quidam Studioſus N N. cum propter inſolentias nocturnas & alia tentata carceri injiceretur, talem timorem & anxietatem cordis paſſus eſt, ac ſi ad mortem uſque deliquiſſet, ut ſparſim in pectore, manibus & brachiis, guttulæ ſanguinis erumperent & tranſudarent: Re ad Inclytum Magiſtratum delatâ, juſſus ſum eum viſitare & hiſtoriam explorare, quæ omnia cum oculis meis vidiſſem, & incarceratum in periculo vitæ conſtitutum deprehendiſſem, ad inſtantiam meam (pœnâ quidem reſervatâ) dimiſſus, & tenuior factus ſanguis, ſublatâ omni anxietate, ad priſtinum ſtatum reductus eſt. *D. Georgius Thobias Dürrius Ephemerid. Germanic. Ann.* 10. *Decuriâ* 2.

Sudor ſanguineus infantis recens nati.

Uxor Domini NN. utero gerens, tempuſque graviditatis brevi emenſa, incidit in febrem calidiorem, quæ licet à principio narium Hæmorrhagiam non exiguam habuerit ſociam, in tantum tamen non obſtantibus quibuſcunque remediis, fuit adaucta, ut ad tumultuantem humorum æſtum demulcendum, ſectionem venæ in brachio ſuadere debuerim; hæc tàm feliciter ſucceſſit, ut lapſis horis bis viginti quatuor, patiens omni febre immunis redderetur, & tertio inde die, qui erat vigeſimus primus Octobris Anni milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi noni, partu felici filium ederet ſanum, robuſtum & incolumem, qui tertia poſt partum ſeptimana, tam flaccidus & debilis evaſit, ut de ulteriori ejus vita actum videretur. Cumque Avia filioli quaſi agonizantis, ſtatum deploratum quodam mane parenti referret, illa ſocro ſuæ reponens, inquit; ſomniavi hac nocte, ſeu potius per ſomnum mihi dici inaudivi, hunc filium meum gaudium noſtrum fore, & ſolatium; filiolam autem quam habeo unicam, loco filii moritu-

ram.

ram. Et ecce mira quæ ſubſequitur utriuſque infantis metamorphoſis. Filiolus, utut debilis & languidus, vitam in alterum uſque diem protraxit, cumque mane ab Avia ſua è cunis, & linteaminibus evolveretur, cum ſummo ſtupore deprehenditur circa brachium dextrum, præter univerſi corporis ſudorem, rubicundiſſimo madere ſanguine; utque tam inſoliti phœnomeni cauſa pateret, induſium detrahitur, inquiritur ubi eſſet vulnus, ex quo tanta cruoris copia, quâ tota manica fuerat tincta, emanarit, ſed reperitur nuſquam. Infans interim vegetior, & vicacior apparet, melius copioſiuſque à matre lactatur, ac more conſueto in cunas deponitur. Poſtero die à matre elevatus infans, iterum ut die priori circa brachium ſanguine rubere conſpicitur, fonte, unde purpureus hic effluxerat rivulus, non apparente; hæc ſanguinis in brachio dextro eruptio 5. ni fallor 6. diebus perſtitit, parvulo puſione ſemper in melius proficiente; his elapſis, ſanguineus ſudor brachii dextri erumpere ceſſavit, ſed mox in ſiniſtro, eodem modo quo in dextro, proſilire cœpit, cum dierum aliquot continuatione, quibus exactis cruenta illa diaphoreſis evanuit, parvulo patiente extra omne periculum apparente. Filiola, quæ bienniumfere compleverat, formâque ſuâ & docilitate utrumque parentem multum delectarat, vix fraterculo reſtitutâ ſalute variolis perniciosiſſimis corripitur, quibus die ſeptimo, miſella non ſine parentum lacrymis ſuccubuit. Denata ſorore, fraterculus quantumvis debilis adhuc, & excarnis, eodem infeſtatur malo, ſed quaſi jam ipſa natura de parvuli conſervatione ſollicita; puſtulas primò copioſiores & majuſculas in vultu, abſque omni malo ſymptomate protruſit, quibus ſine ullo veſtigio perſanatis, alias non tam in vultu quam reliquo corpore frequentiores excluſit; quæ ſimiler ad debitam maturationem deductæ, maculis nullis omninò relictis deciderunt. Periculis hiſce devictis, parvulus puſio, integro anno perſtitit ſanus, donec dyſenteriâ, quæ Epidemicè proximè elapſa æſtate apud Confluentinos graſſabatur, correptus, ad extremam maciem & maraſmum deduceretur, & licet hic iterum ſpes ſalutis valde anguſta aut nulla, vicit tamen nihilominus hunc ſerpentem herculeus infans, jamque ſanus in arundine equitat, tympana pulſat, cantat, lætuſque ſaltat. *D. Alardus Mauritius Eggerdes Ephemerid. Germanic. Ann. 10. Decuriâ 2.*

De Sudore Cruento frequentiore.

Uxor Viri cujuſdam hujus civitatis in dignitate ſenatoria conſtituti, temperamenti ſanguinei, olim frequentibus & nimiis hæmorrhagiis obnoxii, modo verò euſarcè habentis, nuper, dum ejus filiam febre hæmittritæâ afflictam curarem, viſendam mihi præbet vittam cubicularem, quam ubi exactiùs contemplatus fui, deprehendi, hinc inde eam ſatis notaliter cruentatam fuiſſe ex ſudore præcedentis noctis, qualé etiam induſium erat; refert penes hoc jam præcedentibus diebus quoque obſervatum fuiſſe; quin & aliquot diebus elapſis, narrat denuò & vittam & induſium ſimili cruore notabiliter conſpurcatum fuiſſe; habitus corporis totus, ut dixi, euſarcus eſt, & abſque omni labe, in quo nec minima excoriatio apparet; terrebantur hinc conjuges, erexi tamen animum, dum demonſtravi naturalem omninò eſſe poſſe hunc ſudorem; per arteriolas enim minimas ferri ad cutis glandulas miliares, & ita forma ſudoris evacuari, idque vel maximè, quod ex præcedentibus hæmorrhagiis, ſanguis fluidior videretur, quibus & modò acquieſcunt, nec amplius attendunt. Plura non addo, dedit enim jam *Decur. 2. Anni 2. obſerv. 34. Ephemerid. Academ. Naturæ Curioſ.* & ſingulariter ejus doctiſſimum Scholium. *D. D. Johannes Jacobus Franciſcus Vicarius Ephemer. Germap.* Ann. 1. *Decuriâ 3.*

De Sudore vino ſimili.

Narrat Clariſſ. *Franc. Zypæus* in ſuis *fundam. Med. Phyſ. Anatom. part. 2. cap. 3. artic. 17.* aliquem à largo potu vini Hiſpanici, ſudorem illi ſimilem reddidiſſe. Similiter ego quoque obſervavi militem à vini generoſi liberali potu ſudorem vino nigro ſimilem effudiſſe; Et de quodam Hebræo recordor, quòd æſtatis tempore, ſudorem ſubrubrum, ſub axillis præcipuè emiſerit, quo induſia tingebat, & veſtes rubro colore fœdabat. *D. D. Joſeph. Lanz. Ephem. Germ. Ann. 1. Decuriâ 3.*

SUFFOCATIO UTERINA.

Suffocatio Uterina S. Paſſio Hiſterica: à primario ſymptomate & quod maximè urgere ſolet, nempe ab anguſtia præcordiorum & ſumma reſpirationis difficultate ita appellatur. Nam hæc ipſa reſpirationis difficultas ſubinde tanta eſt, ut ſuffocari ſe ſingulis momentis putent, imò interdum quaſi ſuffocatæ ſine ſenſu ac motu ullo ad tempus jacent. Obſervavit namque Lindanus aliquando mulierem per ſex horas ſine ullo ſenſu ac motu ac reſpiratione & pulſu ſenſili inſtar mortuæ quæ jacuerat: imò interdum ad aliquot dies jacent, ut jam ſepeliendæ denuò interdum reviviſcant. Exempla præter Schenckium, de tali caſu videbitis in Salmuth. *cent. 2. hiſtor. 86. & 87.* alias etiam morbus, Strangulatus uteri, item Aſcenſio uteri, quod ab Helmontio vero Uteri Aſthma muliebre appellari ſolet. A modernis quibuſdam Suffocatio Hypochondriaca dicitur. Hujus affectus cùm ſit varia forma & hic ipſe diverſis ſymptomatis, nec ſemper iiſdem ſe manifeſtet, & ſi qui alius ſit frequentiſſimus mulieribus; ob id ejus naturam paulò prolixius pro ut quidem temporis ratio permittit, conſiderabimus. Ante omnia hiſtoria perpendenda. Nempe mulieres quibus imminet paroxiſmus ſ. jam adeſt, in ventriculo & Abdomine ſubinde rugitus & borborygmos percipiunt; hinc ſentitur motus quidam in eodem (nempe in abdomine) veluti globi cujuſdam ex imo aſcendentis, adeſt hypochondriorum tenſio & murmur; cum flatuum copioſâ imprimis per os eructatione: horum copioſiſſimorum ructuum notatu dignum exemplum habet Bartholinus *cent. 2. hiſt. anatom. 21.* cum his ructibus ſubinde oſcitationes, crebræ pandiculationes, ac ſimilia ſymptomata junguntur. Specialiter dolores crebri & atroces in abdomine nunc lancinantes, nunc

nunc diſtendentes, utplurimum contorquentes, nunc fixi, nunc hinc inde vagi ſunt conjuncti: appetitus utplurimum eſt proſtratus, & omnia quæ aſſumunt vitioſo & quaſi corrupto ſapore imprægnata videntur, alvus utplurimum eſt conſtipata, qua aperta ſive ſpontè, ſive beneficio clyſmatum levamen egregium exinde percipiunt, imprimis ſi copioſi ſimul erumpant flatus: quin imò miri interdum ſonitus & quaſi horrendæ voces ex imis viſceribus exaudiri videntur. Exempla talia videbitis in Schenckio. Vomitus ſuperveniunt in quibuſdam materiæ viridis, flavæ, ſæpius acidæ, interdum alieni ac ſaporis peregrini, accedunt his inſignes anxietates & anguſtiæ præcordiorum. Item palpitatio cordis tremula cum pulſu raro, parvo & debili ſubinde intermittente, superveniente aliquando ſyncope cum ſenſu omninò abolito, reſpiratio imprimis eſt difficillima, inæqualis, impedita, ita ut ſuffocatio immineat: in malo graviori ad ſenſum eſt abolita, percipiuntque mulieres tales ſimul in faucibus in collo anguſtiam, ſimulque conſtrictionis quendam ſenſum, non ſecus ac ſi laqueo injecto fauces præcluderentur. Vertigo capitis & viſus obſcuratio imminentem paroxyſmum innuunt, in iis ſcil. quæ ſæpius hoc malo affligi ſolent: In ipſo paroxyſmo ſubinde perfecta adeſt Scotomia cum oculorum rotatione & inverſione. Interdum in copioſum riſum ægris licet invitum & inſcium terminatur, qui etiam aliquandiu continuatur, quin & delirium adeſt, & varia loquuntur & diſſerunt delirando: Subinde in paroxyſmis gravioribus, convulſiones artuum & graviſſimi Epileptici inſultus superveniunt, & tunc mutato nomine Epileptia Uterina vocatur, & superveniunt interdum miræ artuum ac corporis geſticulationes, interdum omnium ſenſuum tam internorum quàm externorum eſt abolitio: interdum ſenſibus omnibus integris talia fiunt, ita ut ægræ aphoniâ correptæ ita paroxyſmo nihil poſſint loqui, quæ poſtmodum poſt paroxyſmum omnium actionum recordantur, eademque etiam enarrant. Rarius verò in Epilepticas has terminantur convulſiones: ſæpius Thoracis tantummodo & Abdominis adſunt ſymptomata: interdum in graviori paroxyſmo ad tactum frigent, utplurimum verò præternaturaliter calent, qui calor etiam poſt paroxyſmum aliquandiu durare ſolet.

Infeſtant hæc ſymptomata omnis ætatis omniſque conditionis fœmellas, etiam virgines, imò interdum etiam ante menſium eruptionem, ſicuti etiam vetulæ ab hoc malo non ſunt immunes. Symptomata hæc non ſunt in omnibus eadem; in quibuſdam pauciora, in quibuſdam plura & atrociora. Ordinario dolores & perturbationes primo in Abdomine, hinc anxietates in præcordiis cum difficili reſpiratione patiuntur. Eſt affectus ſi quis alius complicatiſſimus. Inter Cauſas Remotas, quæ tales paroxyſmos in conſuetis excitare aut inſuetas ad eas diſponere ſolent, imprimis ſunt graviores animi affectus, in ſpecie ira; Novi enim aliquot mulieres, quæ quoties iræ nimium indulgent, toties dictæ uterinæ paſſiones superveniunt: Unde & rectè Primeroſius ab irâ, mœrore, it. à malo nuncio ſuffocationes uterinas obortas ſe obſervaſſe narrat. Deinde odores fortes naribus admoti aut nares ferientes hîc admodùm potentes & mirabilium ſunt effectuum, tunc in excitando hoc affectu in iis quæ eodem ſæpius corripiantur, quam etiam in compeſcendo paroxyſmo utplurimum equidem (utplurimum dico, non ſemper) ſuaveolentia naribus cum ſuſcitant, quem graveolentia ſubtilia denuò compeſcunt: ſicut econtra ſuaveolentia genitali antro applicata paroxyſmum levant; imò eæ quibus maximè infeſta ſunt ſuaveolentia odore tenui hauſta, iis eadem in paroxyſmo ad eum curandum aut extra paroxyſmum ad eum præſervandum interius propinata, modò nares non feriant, optimè conducunt; Hoc quod nempe ſuaveolentia ſuſcitent, graveolentia verò compeſcant paroxyſmum utplurimum dixi contingere. Nam contrariæ etiam proſtant obſervationes, ſcil. mulierum, quibus ſuaveolentia in paroxyſmo naribus admota eundem levent, graveolentia verò potius exaſperent malum: Adeò ut hac in parte Idioſyncraſiæ muliebris inſignis habenda ſit ratio. Videatur *Horſtius lib.5. obſerv.26.* Ubi tale habet exemplum de muliere, cui ſuaveolentia naribus admota paroxyſmum ſedatum: ſimiliter Bartholinus *cent.3. hiſt. anatom.* 28. ſuaveolentia à ſe obſervatum, quibuſdam paroxyſmos ſimiliter ſedaſſe aut ſaltim conduxiſſe. Unde etiam Horatius Augenius *lib.12. Epiſt.7.* ceu expertum experimentum interius hyſtericis propinandum, & quod ipſum nunquam fefellit, commendat:

℞. Moſchi optimi gr.v. cinnamomi, cariophillorum, nucis moſchat. an. ℈j. quæ in vino odorato ſoluto propinentur: ſicuti etiam *cit.loc.* pilulas de Moſcho tanquam efficaciſſimum præſidium commendat. Mira hæc res eſt, quoad odores in paroxyſmo hoc hyſterico; Obſervantur enim quædam, quæ maximum ſolamen percipiunt in paroxyſmo à graveolentibus v. g. *Caſtoreo* quæ poſtmodum paroxyſmo diſcuſſio & affectu percurato. Dum denuò reſtitutæ ſunt, non ſine amotione & inſigni alteratione odorem Caſtorei poſtmodum perferre poſſunt. Ad cauſas remotas tertio ſubinde etiam multum facit, mutatio ſtatus virginitatis ſ. virginalis in muliebrem, in ſpecie ſi mox fiant gravidæ. Obſervare licet toto die Virgines, quæ optimè quæque odoratiſſima perferre poſſunt, factæ poſtmodum mulieres tales, poſtmodum citra paſſionis hyſtericæ periculum tales amplius perferre non poſſunt: aut etiam ſi tanquam mulieres eadem perferant, gravidæ tamen factæ eadem inſigniter averſantur, idque ita continuatur toto geſtationis & puerperii tempore, quo tranſacto, dum denuò ventre ſunt vacuo eadem odorata optimè perferunt, donec denuò gravidæ fiant, utplurimum hoc fit, non ſemper. Dum de odoribus loquor, obſervandum venit quod, odor roſarum quibuſdam mulieribus ſit admodum nocivus propter imminentes hyſtericas paſſiones. Hoeferus certè *in Hercule Medico pag. 311.* refert ſuffocationem hyſtericam lethalem in muliere puerpera ex odore roſarum, ſicuti in virgine ex eadem cauſa odore roſarum ſcil. ſimilem paſſionem annotavit Longius *in miſcellaneis curioſis pag.* 46. & ex eadem cauſa periculoſam uteri ſuffocationem etiam annotavit Timæus *in ſuis caſibus pag.*216. Denique inter cauſas remotas inter aſſumpta imprimis ſunt dulcia, quæ

quæ exacerbant paroxyſmos aut eoſdem excitant, v. g. omnia ſaccharata, omnia ſyrupiſata, Mellita & ſimilia dulcia facilè fermentabilia & fermentando aceſcentia flatuſque generantia nociva ſunt his mulieribus. Novi vetulam ferè 60. jam annorum, quæ vel ſolo unius paſſulæ eſu graves paſſiones hyſtericas incurrit: aliam novi juvenculam quæ ſpiritum cochleariæ non abſque paſſione hyſterica aſſumpſit: adeò ut & in aſſumptis Idioſyncraſiæ mulieбris inſignis habenda ſit ratio. Imprimis dulcia ſi excitarint paroxyſmum, optimè tunc curantur per amara in ſpecie Abſinthium; amarorum enim ſal nitroſum dulcem ſaporem & inde ortam aceſcentiam fermentando, optimè corrigit & transmutat: docet hoc Foreſtus *lib 28. obſerv. 28.* dum refert, quod talibus mulieribus, quæ ex dulcibus paroxyſmos incurrunt, decoctum Abſinthii optimè conferat: Refert idem mulierem, quæ ex ira frequenter ſuffocationem uterinam paſſa fuerat, in ſpecie ſi aliquid dulcium ſimul aſſumens, cui conſuluit, ut extra paroxyſmum biberet cereviſiam abſinthitem, quâ ipsâ poſtmodum à paroxyſmo præſervata fuit: Plura de Syrupo abſinthii *vid. in obſerv. 30. cit. lib. 28.*

His ita præmiſſis accedendum eſt ut complicati hujus affectus cauſam proximam. De qua notum eſt, quod vulgò incuſetur uterus, qui ſanguine & ſemine aliiſque vitiatis humoribus repletus hanc excitet tragœdiam, quatenus ipſe quidem commoveatur ſurſum, unde ex commota retenta Camarina tam tetra & maligna expirent miaſmata, quæ ſuperiora verſus effumantia per corpus noſtrum ubique perſpirabile, nervoſum genus & cor afficiant, indeque tam varia ſymptomata excitent, dum uterus ipſe commotus formam globi in abdomine commoti tactui repræſentat, donec tandem diaphragma comprimendo & ſic reſpirationem impediendo ſuffocationis periculum inferat. Hæc eſt vulgaris Theoria. Sed hanc Theoriam communem ſufficienter refellunt. 1. Uteri ſitus, firmiſſimaque ejuſdem cum inteſtino recto connexio, & etiam per ligamenta teretia oſſi pubis firma agglutinatio, ita ut non niſi ſumma vi, ex hoc ſitu divelli poſſit. Nam & id quod de *prolapſu uteri* proferunt falſum ſuo loco demonſtrabo. 2. Anatome fraudem ſimiliter detexit; ſæpiſſimè enim in mulieribus tali paſſione mortuis, uterus parvus contractus in naturali ſitu & conſtitutione, citra excrementorum præſentiam fuit repertus; Denique viri qui omnium conſenſu utero carent, ſimili omninò paſſione, ut eſt mulierum hyſterica ſuffocatio, afficiuntur, & tales viri ſemper malo hypochondriaco graviter affligi ſolent, & non tantummodò eundem globi in abdomine motum percipiunt, ſed in ſuffocationis præſentiſſimæ & faucium conſtrictionis ſenſu apertè afficiuntur. Exemplum apprimè huc faciens viri ſuffocatione uterina correpti refert Williſius *in ſua pathologia cerebri, cap. 5. p. 77.* Facit huc etiam hiſtoria Bartholini *Cent. 1. hiſt. anatom.* 44. Cujus aurigæ affectus, ſi mulierem corripuiſſet hyſterica ſuffocatio lethalis fuiſſet. Pertinet huc etiam contractiva gulæ affectio cum variis ſymptomatis hypochondriacis, cujus mentionem facit *Hechſteterus decad. 5. caſ. 2.* Nihil ſanè eſt frequentius quàm quòd viri, qui gravioribus affectus hypochondriaci aut ſcorbutici obnoxii ſunt ſymptomatis, quod tales de imminente ſuffocatione, cum abdominis variis paſſionibus conquerantur. Exactè jam tranſactum eſt annuum ſpatium, cum ſtudioſus quidam, qui & jam hic vivit, me conſuluit in quodam affectu: hic ipſe erat inſignis hypochondriacus, cui omni nocte evigilanti circa mediam noctem moleſtus erat rugitus & murmur in abdomine: jam verò alias continuò eum torquebant copioſiſſimæ flatulentiæ. Hinc poſt hæc murmura abdomen interiora verſus retrahebatur, quod ipſum inſequebatur reſpiratio difficilis, ita ut omni momento ſuffocandus videretur, cum miſera cordis anxietate violentaque palpitatione. Referebat mihi anguſtiam pectoris ſub iſta reſpirationis difficultate eſſe tantam, & ſe percipere talem ſenſum ac ſi intra torcular, vel intra duos aſſeres maxima vi comprimeretur & conſtringeretur; tanta violentia Thorax comprimebatur, ut putabat, ut nulla vi pro reſpiratione eundem dilatare poſſet: accedebant ſimul ſub iſtis anxietatibus perturbationes ſenſuum internorum, donec poſt horam circiter cum dimidia peractam, modico tandem erumpente ſudore, paroxyſmus ceſſaret, qui tamen omni nocte ſtato tempore revertebatur: Hæc paſſio, ſi corripuiſſet mulierem, ab omnibus vocata fuiſſet hyſterica, cum tamen revera in hoc ſubjecto erat affectio hypondriaca dicta; quæ iſtis ſymptomatis erat ſtipata, quam etiam curavi per ſpiritum Carminativum de tribus, & ſpiritum ſalis armoniaci, per vegetabilia Carminativa & acidum abſorbentia. Aderat in hoc ſubjecto, quod obiter moneo, ſimul pertinax alvi obſtructio & mira acidi præternaturalis in primis viis præprimis ſtomacho abundantia, unde continuò inſigni appetitu ſtimulabatur. His ita conſideratis, Moderni alio modo affectum hunc tot ſymptomatis complicatum explicant.

Sylvius & qui eum ſequuntur *ex acido pancreatis nimis auſtero* vitioſè in inteſtinis effervescente originem hujus paſſionis deducunt: Ex qua effervescentiâ, copioſi generentur flatus torquentes ſ. dolorifici, item ex iſta effervescentiâ gignantur copioſi vapores, qui hinc inde diſperſi tam varia excitent ſymptomata, dum acidum vitioſum ad maſſam ſanguineam delatum, hanc nonnihil coagulet: unde etiam per remedia ſalina vol. oleoſa hanc paſſionem curandam optimo conſilio ſuſcipiunt, eamque adeo ad paſſiones hypochondriacas referunt.

Alii è contra imprimis Williſius ad *morbos convulſivos* ac *ſpaſmodicos* affectus paſſionem hanc hyſtericam referunt, quales imprimis in affectibus ſcorbuticis & hypochondriacis frequenter obſervari ſolent. Quo jam ante Williſium collimavit *Hechſteterus dec. 4. caſ. 3. pag. 125.* qui apertè aſſerit ſibi videri ad ſpaſmodicam affectionem accedere uteri errorem, quæ ſi reliquis connatis partibus nervoſis communicetur & hæ in hoſtem aſſurgant, maximè ſi vellicatio major acceſſerit. Mihi media incedere placet via & utramque certo modo combinare opinionem. Nam quod in tali paſſione acidum peccet, primariò idque vitioſum & à naturali ſtatu, tàm in quanto quàm in quali degenerans, multa in hoc affectu occurrentia demonſtrant. 1. Quod ſcor-

butica & hypochondriaca ſubjecta cujuſcunque ſexus imprimis obnoxia ſunt huic affectui: Unde & ſcorbuticæ mulieres; licet lenia ipſis propines purgantia, ex malo tamen ad inteſtina copioſius acido pancreatico præter acerba tormina facillimè incurrant hyſtericas paſſiones. 2. Quod ſanguis in talibus quodammodo coagulatus deprehendatur & cujus incraſſati ſtagnatione in præcordiis anxietates, aphyxia & ſyncope non leviter acerbentur, de quo vid. Williſ. *cit. loc. p.* 78. qui viro iſti hyſterico, de quo ſuperius, cum ipſi detraxiſſet venâ ſecta ſanguinem, hic ſemicongrumatus & in guttulas concertus fuit evacuatus. Unde 3. vomitus aut natura ſponte aut arte provocati æruginoſa, porracea, acerba ac ſimilia evacuare ſolent: Unde & 4. Dulcia quæ facili fermentatione aceſcunt, & hinc copioſos generant flatus; paroxyſmos excitant, & à quacunque oriatur cauſa externa, præfertur eidem in paroxyſmo acidum pancreatis vitioſum, ſemper præſens. Hinc 5. etiam remedia ſalina vol. ſpirituoſa & oleoſa præ cæteris ſuccurrunt, quatenus acidum vitioſum præcipitando corrigunt. Hinc Barbette *in ſua praxi p.* 8. medicamenta antiſcorbutica applicanda ſuadet, & Langius *comment. ſuper Fabri pathol. cap.* 61. *pag.* 10. omnia nobiliora anticolica & ea quæ ardorem ſtomachi nec non quæ ſtranguria compeſcunt in hyſterica paſſione quam maximè appropriata remedia affirmat. Qui affectus modo recenſiti omnes ab acido vitioſo primarum viarum dependent.

Quod verò præter tale in primis viis acidum etiam convulſio ſpaſmodica tam partium abdominis membranoſarum, quam partium Thoracis & Colli muſculoſarum ſimul concurrat, tantùm non manu palpari poteſt. Ut autem primò taceam convulſiones iſtas Epilepticas quæ in medio paroxyſmi interdum in fine ſuperveniunt, & interdum ridiculis ſubinde horrendis ab ignaro vulgò dæmoniacis putatis geſticulationibus obſervantur. 2. Certè globus iſte in abdomine ſurſum motus dependet à plexibus meſenterii nervinis, quibus inferioribus quidem imprimis, (non enim ſemper perſentiſcitur globus iſte) convulſis, ſimul imæ hypochondrii partes convelli & quaſi attolli videntur. Unde molis iſtius adſcendentis ſpecies tactui repræſentetur. Dolores iſti in abdomine lancinantes & variè contorquentes oriuntur à violenta contorſione & ſpaſmodicis inteſtinorum convulſionibus. Quales dolores inteſtinorum etiam in ſcorbuto, it. ſexui fæminino in & poſt partum ſolent eſſe frequentiſſimi: Nam & hinc eſt quod fæminis nephriticis cum dolore calculi ſimul cum vomitibus paſſiones hyſtericæ ſatis doloroſæ superveniant: In viris autem tantummodò *Colicæ nephriticæ* nuncupantur. Unde dicunt communiter (calcul. uter. irritaſſe) dum ſcil. nervis renum continuato ſpaſmo convulſivo ad plexus meſenterii à nervis exinde continuatis ad inteſtina etiam hæc ipſa convulſivis ſpaſmis contrahuntur. Talem dolorem in Infantibus, it. in viris mulieres appoſitè vocant (*magn. in corpore. dol.*) Convulſiones ſcil. quaſi Epilepticas partium abdominis internarum: quod ſi tandem manifeſtæ artuum externorum ſuperveniant convulſiones Epilepticæ, hinc dicunt (*magn. intern. dolor. fieri extern.*) & dum ita inteſtina convelluntur, flatus ab acido copioſo effervescente enati concluſi & variè agitati tumultuose oberrantes iſtos borborygmos murmura ac ſimilès ſonitus varios repræſentant. 4. Denique huc ſub fine paroxyſmi interdum riſus obſervatur, qui revera eſt *riſus* quidam *ſardonicus* ex convulſione tonica diaphragmatis primario dependens, ſicut diaphragma tonice convulſum difficillimam iſtam reſpirationem infert: id quod haud obſcurè teſtantur fœminæ, quæ poſt graviorem paroxyſmum conqueruntur ſibi dolere Zonam ſcil. monſtrant iſtam regionem in Coſtis ubi diaphragma iſtis annectitur: Convulſo autem diaphragmate & reliqui Thoracis motui dicati muſculi ſimul convelluntur, cum hos inter muſculos cum diaphragmate ex communitate nervi intercoſtalis perpetua motus ſit proportio. Dixi, conſiderandam eſſe in ſuffocatione uterinâ effervescentiam iſtam in inteſtinis ab acido: item convulſiones ſpaſmodicas in abdomine ab eodem acidó oriundas.

Quod ergo attinet *modum fiendi* paſſionis hyſtericæ, complicatiſſimus ſanè eſt aſſectus, compoſitus nempe ex vitioſâ in inteſtinis ab acido pancreatico cum ſucco bilioſo effervescentia, unde copioſi admodum flatus & eructationes proveniunt: à quo vitioſo acido ulterius promoto etiam ſanguinis coagulationes & in præcordiis ſtagnationes oriuntur: His ſimul conjungitur depravatus, & perturbatus ſpirituum animalium motus, primariò quidem in truncos nervorum intercoſtalis, & vagi, hinc conſequenter etiam in reliquos nervos: Unde vertigines Scotomiæ, varia deliria ſpaſmiq; inſignes in partibus abdominis, membranoſis inteſtinis, meſenterio & ſimilibus. Item ſimul in partibus Thoracis muſculoſis & ipſo adeò cordis muſculo: Unde hujus palpitatio aut ex ejus continuata ferè ſyſtole iſte compreſſionis in corde ſenſus. Talis eſt ordo hæc inter, ſymptomata utut plurimum quidem præcedant abdominis accidentia ſeu ſymptomata ex effervescentia & acido vitioſo nata: Unde ex irritatione partium nervoſarum & ſurculorum nervorum ſpaſmi interni, hinc conſequenter capitis perturbatio ac denique externorum membrorum periculoſæ convulſiones ſuperveniunt: v. g. hoc contingit in ira, in eſu dulcium, in nephritide & dolore abdominis ſcorbutici, &c. Interdum tamen fit, ut præcedant ſpirituum exploſiones inordinatæ ex cerebro eorumque agitationes vitioſæ per nervos: Unde ſcotomiæ varii apparentes colores, ſenſus & motus deficiens primitus corripiunt ægros, & dum ab his inordinatè motis conſtringuntur & quaſi concutiuntur abdominis viſcera & ductus, effuſa tandem uberius pancreatica lympha, tandem abdominis ſuperveniunt ſymptomata.

Evenit hoc quoties à terrore ab odoratis nimium ſenſuum organa afficientibus malum procedit: & prout plures vel pauciores nervorum afficiuntur ſurculi, variant etiam ſubinde ſymptomata, ſic v.g. interdum tantummodo plexus nervei lienares & ſtomachales ſunt affecti primariò, & tunc paroxyſmus à ſiniſtro hypochondrio incipiens non uteri ſed lienis vitio oboriri dicitur.

Sed hæc imprimis quoad adjuncta ſymptomata

ta convulſiva & uberius & elegantius etiam explicata videantur à Williſio *in pathologia Cerebri*, qui ſanè primus eſt qui motus convulſivos in ſpecie internos aliquantiſper exactius explicavit, & ad praxim medicam applicavit: Hujus doctrinâ bene obſervatâ, varii affectus in praxi occurrentes facilius patebunt. Nam frequentiſſimi ſunt tales affectus interni, qui optimè per convulſionem nervorum explicari poſſunt. Quod vero attinet effervescentiam vitioſam inteſtinalem & inde originaliter dependentia abdominis accidentia quæ primario in paſſione hyſterica conſideranda, de his conſulendus Sylvius in ſua praxi, qui ſalium doctrinæ Theoriam & praxin ſatis accuratè ſuperſtruxit.

Eſt ergo revera paſſio hyſterica dicta ſ. Uterina ſpecies mali hypochondriaci gravioris oriundi tam ex vitio ſtomachi, quod ſæpius adjunctū eſt, quam in ſpecie ex vitiatâ lympha pancreatica, affligens potius mulieres quam ſexum maſculinum ex debiliore, imbecilliore & tenerioris ſyſtematis nervoſi textura, & ſpirituum animalium eorundem majori raritate & faciliori promptitudine in varias motuum exorbitantias & ἀταξίας. Aut ſaltem quibus non placet Affectio hypochondriaca, eſt certa ſpecies colicæ convulſivæ gravioris, dum ſcil. inteſtinorum ſpaſmi in plexus meſenterii continuati ad alias ſuperiores partes ex connexione & crebriore concurſu nervi intercoſtalis & nervi vagi evibrantur; id quod anatome nervorum, quæ hic exactè debet eſſe cognita ſufficienter docet. Odor ergo ſpiritus animales promptè afficit, eoſque ad varios & ſubinde diſtinctos motus diſponit: Et prout variè conſtituti ſunt ſpiritus animales ipſi, aut prout variat eorum intrinſeca ſpecialis conſtitutio, eatenus etiam diſtincti odores in diſtinctas motuum anomalias eos adigunt: Fit hoc non tantùm in Concamerationibus narium, ſed etiam circa ipſa loca genitalia; dum nempe effluvia odorata promptè ſpiritus iſtius loci afficiunt & hos alliciendo ad determinatum minuſque erroneum ſeu convulſivum motum diſponunt. Patet hoc quando augetur venerea voluptas, ſi odoratis inungatur membrum.

Præterea tamen & odores naribus applicati vel hauſti, prout variè alterant maſſ. ſanguineam in pulmonibus fermentando æſtuantem ſimiliter non parum contribuunt ad levanda aut exaſperanda hyſterica ſymptomata. Nam hic fumus cornuum aut pennarum incenſarum, item Caſtorei olfactus & ſimilia anguſtias præcordiorum lenire & quaſi amplius in Thorace ſpatium efficere videtur: quatenus ſal. vol. iſtorum ſubjectorum incenſione ſeparatum cum aëre inſpirato interius tractum ſanguinem diſſolvendo, & ejus acidum deſtruendo ſicque fermentationem ejus accelerando, diuturniorem in pulmonibus morā & ſtagnationem tollit. Cæterum inter cauſas remotiores internas, quæ fomitem huic malo ſubminiſtrant ac ad illud diſponunt, præter alia multa, ut ſuperius monui, non ſemper eximendæ ſunt partes genitales, non quaſi Uterus aut Teſtes cum vulgo accuſandi ſint: non: ſed quatenus menſes ſuppreſſi, occaſionem huic malo ſubminiſtrant, aut etiam quatenus liquor ſeminalis retentus & corruptus, ut ſuccos corporis quoſcunque: ita in ſpecie ſpiritus animales vitiando hos ad varias motuum anomalias diſponit; ita ut & Epilepticos paroxyſmos ac ſuffocativos affectus inducat: refert namque *Foreſtus lib. 28. obſerv. 25.* ſe obſervaſſe ſuffocationem uterinam in vidua ex retentione excernendorum per coitum, & *ibid. obſ. 29.* lethalem Uteri ſuffocationem annotavit, in muliere ex ſemine, ut inquit, retento ortam. Quorſum etiam facit exemplum *Fonſecæ ſ. 2. conſ. 35.* qui obſervavit ſuffocationem hyſtericam in virgine, quæ ſemper antequam paroxyſmus inceſſeret inexplicabili coeundi libidine tenebatur. Præ cæteris elegans eſt hiſtoriola, quam recenſet *Gabelchover cent. 4. cur. 95.* ubi mulier hyſterica fuit exſuſcitata frictione forti genitalium cum oleo ſpicæ, unde copioſus liquor ſeminalis fuit excretus; verba ejus ſunt hæc, Ego aliquando unà cum alio Medico vocatus eram ad nobilem mulierem, &c. Confirmat hoc, quod nempè modo dictæ alterationes circa partes genitales aliquid conferant, interdum; quod videmus mulieres quaſdam, dum virgines ſunt, nihil perpeti ab odoribus aut de hoc malo, maritatæ autem poſtquam fuerint aut gravidæ redditæ, malo huic inſigniter obnoxiæ deprehenduntur, quatenus per ſpiritum genitalem virilem & in gravidatione per retenta menſtrua variè alteratur & craſis maſſ. ſanguineæ & conſequenter etiam ſpirituum animalium.

Quod attinet ſigna, ſuffocatio uterina ſeu affectus complicatiſſimus, Patognomonicum ſignum vix habet, cognoſci tamen facilè poteſt ex iis ſymptomatis quæ ſupra in hiſtoriâ hujus affectus fuerunt recenſita, & ut aliàs monui interdum ſuffocatio uterina, interdum *Epileptia uterina* vocatur: Hæc tamen eſt differentia ſuffocationis ab Epileptia vera, quod in Epileptia vera ſoleat deprehendi ſpuma circa os, id quod non æquè, aut nonniſi in deſperata ferè paſſione hyſterica contingit. Præterea in Epilepticis pulſus cum valido niſu ferit manum tangentis, cujus contrarium evenit in hyſterica paſſione: Et Epilepticæ veræ (nempe in 2. aut 3. claſſe,) poſt paroxyſmum vix reminiſcuntur eorum, quæ circa ipſas dicta geſtave fuerunt. Hyſtericæ verò non rarò iſtarum rerum firmam habent memoriam: interdum ubi gravior eſt paroxyſmus, mortuæ apparent: ſigna quibus à verè mortuis diſcerni poſſunt ſunt vulgò ſpecula & plumæ: Optimum eſt ſternutatorium, ſi nempe fortè in nares inſufflatum nihil operari velit. Item ſi vomitorium generoſum infuſum citra effectus deprehendatur: tunc eſt ſuſpicio eſſe mortuam. Item veſicatorium coxis applicatum, ſi citra veſicationis effectum admoveatur, res eſt periculi plena ne ſint mortuæ: Aliàs & D. Prævotius Patavinus (quod obiter moneo) nullum remedium efficacius obſervavit, quàm veſicantia coxis applicata: Ubi veſicas excitant, ſpes eſt clara de vita, ſi fruſtra applicentur, res eſt deſperata.

Quoad prognoſin. Mulieri graviori ſuffocatione Uterinâ laboranti, ſi ſuperveniat ſternutatio, res ſalva eſt, ſignum enim eſt, ut ſic dicam, naturæ ſe ipſam reſuſcitantis. In juvenibus utplurimùm ceſſat hoc malum partu aut ſaltem tempore puerperii cum lochiorum fluxu: in ſenibus verò quibus Catomenia fiunt ſuppreſſa, in iiſdem rarò perfectè curatur, quin ſæpius recurrat. In prægnantibus & puerperis malum eſt periculoſum: In prægnantibus quidem propter metum abortus, in puerperis propter metum ſuppreſſio-

nis lochiorum ac propter inſignem debilitatem virium: Interim tamen utut pulſus, reſpiratio, omneſque animales actiones quoad ſenſum ceſſant, non ſtatim deſperandum eſt, quin potius generoſis remediis ſuccurrendum: cum uti ſuperius monui per 24. h. mortuæ habitæ denuò vixerunt.

In Cura ergo eo eſt attendendum, ut acidum vitioſum in inteſtinis corrigatur & alteretur, indeque flatuum proventus inhibeatur. 2. ut efferi ſpirituum motus ſopiantur & placentur, indeque natæ convulſiones ſopiantur. Utrique ſcopo optimè ſatisfaciunt ſalina vol. ſpirituoſa & oleoſa: Nam ſpiritus ſunt olea diſſoluta opiatis, & camphoratis permiſta. Verùm cum per paroxyſmos utplurimùm ſæviat malum: Hi ipſi verò ſubitaneam poſtulent opem, ut ob id in paroxyſmo & extra eundem obſervanda ſit certa curandi ratio. In paroxyſmo quod attinet odorata; imprimis conducunt tam naribus applicanda utplurimùm graveolentia, quàm ſinu muliebri intrudenda utplurimùm ſuaveolentia. Naribus optimo Conſilio applicatur ſpirit. ſal. armoniaci in vitro anguſti ſed longiuſculi colli contentus, qui etiam in Apoplexia & Epileptia mira facit. Loco hujus ſpiritus etiam C. C. aut alius ſpiritus urinoſus volatilis naribus applicari poteſt. Hic ſpiritus ſi ſit maritatus ac impregnatus cum Caſtoreo, eò magis præſentaneam affert opem. Hinc oleum ſuccini deſtillatum, oleum Gagatis, oleum tartari fœtidum, oleum C. C. deſtillatum & ſimilia naribus admota valde conducunt: Obſervando tamen quod hujuſmodi oleoſa nimis fortia. (nam ſalinorum alia ratio eſt) cautius ſint uſurpanda, ubi in apertas convulſiones Epileptipcas malum deſinit. Naribus etiam commodè admoventur ſuffitus: quos inter primatum obtinet ſuffitus ſuccini, qui & Epilepticos mirè ſuſcitat: it. ſuffitus Nucis Moſchatæ, in uſu ſunt plumæ avium imprimis perdicum combuſtæ, pili item & cornua animalium combuſta, quorum ſal vol. acre oleoſum nares potenter ferit. In uſu aliàs communi eſt, Caſtoreum, it. aſa fœtida naribus admotá. Ubi gravior ſyncope urget, Caſtoreum immittitur in vinum generoſum & ſpirituoſum & ita naribus applicatur: Nam ſic refectivum magiſque penetrativum evadit remedium. Lignum Agallochum incenſum etiam dat egregium fumum naribus admovendum in hyſtericis; Riverius dicit, quod fumus Tobaci citiſſimè excitet hyſtericas, quod tamen mihi videtur adhuc paradoxon. Non minus quàm qui fumum ſulphuris accenſi naribus admovent: Nam hoc ipſum omninò rejicio, quia periculum eſt, ne acidum ſulphuris ſtagma, quod aliàs in ſanis anguſtias præcordiorum infert, ne idem in ægris malum exaſperet. Utero utplurimùm admoventur ſuaveolentia; ſcilicet immittitur peſſus inunctus cum balſamo apoplectico; aut peſſus inunctus cum oleo nuc. Moſcharæ, in quo ſolutum eſt parum zibethi. Sic ſuffitus fiunt per uterum recipiendi, quos inter experimentum Paracelſi eſt, ſuffitus paratus eſt verrucis equorum, de quo etiam affirmat Fonſeca nullam eſſe ab utero ſuffocationem, quæ ab hoc excitetur fumo: Compoſitio hæc eſt

♃. Verrucæ equor. ℥i. aſæ fœtidæ, ungulæ capræ an. ʒij. F. pulvis: cujus ℈i. incenſus dat fumum per infundibulum in Uterum ſuſcipiendum. Aliàs vellicatio pilor. in pube à multis ceu expertum laudatur remedium, quin & fortis ligatura in regione Hypochondriorum, admodum levat paroxyſmos & ſymptomata Abdominis: ſufficit hic quodcunque cingulum: in ſpecie etiam laudatur cingulum, factum ex corio humano fœminino, de cujus uſu vid. Bartholinus *cent. 3. hiſt. anatom. p. 17.* loco corii humani fœminini etiam ſunt qui commendant cingulum ex corio cervi in coitu transfoſſi ſ. interempti. Umbilico inunguntur varia & imponuntur etiam diſtincta: Ratione inunctionis, inungitur oleum rutaceum, anethinum, laurinum, Caſtorei, ſuccini, oleum tartari fœtidum, oleum ligni guajaci, ſpicæ, &c. Unguentum factum ex ſclarea in butyro cocta cum Gummi Tacamahac. abdomini illitum: mirè à quibuſdam laudatur Camphora itidem cum oleo amygdalarum dulcium ſoluta Umbilico admovenda. Uſitatiſſime Galbanum ſolutum corio rotundo inductum inſtar Emplaſtri applicatur regioni umbilicali, quod egregiè conducit, addunt Alii Gummi Tacamahaca, alii Caſtoreum, picem; in medio hujus emplaſtri recondunt aliquot grana zibethi, ita ut zibethum exactè umbilico imponatur, & hinc forti ligatura Emplaſtrum ſupra umbilicum firmetur, v. gr. inunctionis regionis umbilicalis in tali caſu ſit ſi

♃. Ol. Caſtor. ʒij. ſuccini deſtill. ℥i. ſpicæ ʒß. Camphora vel hujus olei gr. ß. gutt. v. inungatur his ipſis regio umbilicalis & ponatur deſuper emplaſtrum.

Vel ♃. Axung. Caſtoris ʒiij. ol. deſtillat. Chamomil. Cumini & ſpicæ an. ℈i. M. F. Linimentum umbilicale. Empl. quod commodè deſuper applicatur ſit tale.

♃. Gummi galbani in aceto ad pultis conſiſtentiam ſoluti v. gr. ℥iij. (non verò pro una vice) Caſtorei, Extracti croci an. ℥iij. olei deſtill. ſuccini, ſpicæ an. ʒ i ß. M. pro emplaſtro ad ſervando in vaſculo clauſo, de quo

♃. Q. ſ. inducatur ſuper alutam in forma rotunda & agglutinetur abdomini & regioni umbilicali. Externis his ita adminiſtratis optimo cum ſucceſſu injiciuntur Clyſmata ex carminantibus & nonnihil penetrantibus parata, quæ certè tempore & certo applicata & retenta mirè levant paroxyſmos: ſi flatus impediunt, partitis vicibus injiciuntur, ſiunt talia Clyſmata ex carminantibus imprimis v. g. compoſitio poteſt eſſe talis:

♃. Radic. angelicæ ʒvi. fœniculi ℥ß. herbar. matricar. leviſtici an. m j. flor. Chamomill. rom. m ij. baccar. lauri ℥ß. ſem. 4. calid. maj. an. ʒi. Coquant. in ſ. q. aq. commun. colaturæ.

♃. ℥ix. add. Electuar. de baccis lauri ʒ vi. Caſtor. ʒß. ad ʒi. ol. deſtill. cumini, carvi, ſuccini an. ℈ß. M. F. Clyſma.

Hujuſmodi Clyſmatis, ubi omittuntur olea deſtillatta ex ſe ſatis penetrantia, optimo conſilio à quodam moderno adduntur ſalia volatilia ad ℈i. v. gr. ſal. volat. urinæ CC. ſuccini, &c. & mirè proſunt in affectibus ipſis etiam Epilepticis & doloribus abdominis convulſivis, utut ultra colon adſcendere nequeant Clyſmata. Alii tanquam ſingulare laudant Clyſmata parata ex decocto hederæ terreſtris ad ℔i. ℥i. Mithridatii

thridatii quæ injecta ad paſſionem hyſtericam, commendant. Clyſteres Terebinthinati ſ. in quibus Terebinthina cum vitello ovi diſſoluta à ʒij. ad ℥ß. una immittitur, ſingulariter proſunt in hyſterica paſſione. Nam egregium balſamicum & oleoſum ſal eſt in Terebinthina inteſtinis & matrici gratiſſimum. His ipſis externis ſimul adjungenda interna in paroxyſmo, eaque omnia penetrantia & vol. oleoſa ſpirituoſa, & quidem primatum obtinent ſpiritus ſalini vol. ſpiritus ſal. armoniac. C.C. Liquor C.C. ſuccinatus & ſimilia à gutt. xv. ad xxx. ſ. ʒß. c. appropriato vehiculo infuſi. Item conveniunt omnia ſuccinata, ſal. ſcil. volatile ſuccini à gr. v. ad vi. vel viii. uſque ad xii. in aqua hyrundinum cum Caſtoreo per os propinatum ſ. infuſum, Eſſ. etiam ſuccini cum ſpiritu vini rectificatiſſimo parata à ʒß. ad ʒi. in adulta muliere inſigniter prodeſt. Alias aliquot ſaltim guttulæ 3. 4. 5. olei ſuccini deſtillati, utut ingrati, inſigniter tamen conferunt in paroxyſmo. De Caſtoreo & aſa fœtida res eſt notiſſima, quod ſingulariter conducunt in hoc affectu, quatenus ſua oleoſitate ſalina vitioſum acidum ejuſque effervescentiam promptiſſimè compeſcunt: propinantur in forma pulveris. Pertinet huc pulvis hyſtericus Tim. quem ſe nunquam fefelliſſe aſſerit. Deſcriptio hæc eſt.

℞. Fecul bryoniæ ℈ ij. (nihil valet) margarit. præpar. ℈i. (quatenus acidum abſorbent, quod melius præſtant oculi cancrorum) Caſtorei gr. xxi. ol. deſtill. Rutæ, ſuccini an. gutt. v. M. F. Pulvis, dividatur in 3. p. æq. doſis 1. propinetur in vino in quo macis & croci parum bullierint. Fecula hic nihil facit: Margaritæ ſaltem præcipitant, Caſtoreum & olea deſtillata optimè præſtant. Pertinet huc etiam Eſſentia Caſtorei, quæ communiter cum ſpiritu vini paratur: Meliori ratione paratur cum ſpiritu vini maritato cum ſal. volatili ſ. ſpiritu ſalino volatili oleoſo qui promptè penetrat caſtoreum, iſtudque diſſolvit, & elegantem ac penetrantiſſimam ſuggerit eſſentiam: quin & liquor C.C. ſuccinatus Caſtoreo affuſus elegantem tincturam ſ. eſſentiam elicit, proficuum ſanè in paroxyſmo etiam graviori hyſterico. Item infuſum Caſtorei cum ſalibus volat. de quo ſuperius. Item tinctura anonyma D. Langii, ſpecificum hyſtericum ex Caſtoreo, aſa fœtida, Myrrha & pauco croco per ſpiritum vini tartariſatum parata, commodiſſimè his ipſis ſpeciebus Baccæ ſambuci exſiccatæ, item Zeodaria & Galanga addi potuiſſent. Baccæ enim Sambuci exſiccatæ, item Baccæ Chamæactes ſ. Ebuli ſimiliter exſiccatæ in ſpiritu vini dant tincturam, cujus cochlear unum vel 2. imprimis granorum actes ſ. ſambuci, (Chamæactes dicitur Ebulus) propinata in paroxyſmo eundem mirè levant, provocando brevi poſt ſudorem. Tinctura hæc tanquam expertiſſima commendatur à Lindano. Loco horum Baccæ hederæ arboreæ, ſ. potius extractum baccar. heder. mixtum cum Tryphera magna eſt experimentum Prævotii. Loco horum *gran. Kermec.* alii baccas Juniperi eodem ſucceſſu in tinctura ſeu Eſſ. præparati in hyſterica paſſione aſſerunt. Occaſione Caſtorei dicti, mentio facienda Myrrhæ balſami remedii in quamplurimis affectibus in ſpecie ſuffocatione hyſterica: Nam Trochiſci Myrrhæ vulgo ad ℈i. propinati paroxyſmum ſedant. Potentior eſt eſſ. Myrrhæ abſque acido cum alkali, tàm fixo, quam volatili c. ſpiritu maritato v. gr. cum ſpiritu ſal. armon. ſic enim dat eſſentiam admodùm elegantem. Pertinet huc etiam Elixyr proprietatis muliebre ſine acido per alcalia paratum, quod in paroxyſmo erit admodum proficuum. Item Elixyr uterinum Crollii, à ℈ß. ad ʒiß. hoc enim præterquam quòd paroxyſmum levet, ſi ſingulis menſibus appropinquante menſtruo fluxu propinetur, præſervare hunc morbum dicitur, ut nunquam revertatur. In ſtercore equino vulgari licet ſubjecto, tamen ſingulare eſt experimentum contra hyſtericam paſſionem: Nam ſicut ſuccus ejus expreſſus eſt præſentaneum remedium contra colicam virorum, ita idem ſuccus ſubitò ſiſtit ſuffocationem hyſtericam. Loco ſucci ſunt qui extractum ſtercoris equini commendant. Theriaca aliaque Theriacalia ſimiliter conducunt. Theriacæ parùm in vino diſſolutum ſi propinetur, hyſtericæ paroxyſmum mire levat. Eſt remedium pro pauperculis. Potentius hoc facit, ſi addatur ℈ß. Caſtorei vel ſpiritus Theriacalis Camphoratus: nam *Camphora* eſt egregium anti-hyſtericum, in quo extractum vel pulvis Caſtorei diſſolutus cochleatim propinetur in paroxyſmo. Vel poſſunt ex tempore præſcribi miſturæ, quæ in hoc conſpirent, ut ſunt ſalinæ volatiles oleoſæ. Modus præſcribendi poſſet eſſe talis.

℞. Aquæ Meliſſæ cum vino ℥ij. carminativæ ℥i. Eſſent. Caſtorei ʒiß. ſpir. ſal. armon. ʒß. ſal. volat. ſuccini ℈ß. Olei deſtill. ſuccini gutt. 3. ſyr. de artemiſia ʒ vi. M. propinetur cochleatim in paroxyſmo. Paroxyſmo ſedato, ne ſubitò revertatur novus, his ipſis opiata & Camphorata ſunt immiſcenda, quæ in paroxyſmo minus conducunt, v. gr.

℞. Pulegii ℥ij. hyrundin. cum Caſtoreo ℥i. (ſimpliciſſima ſi quæ alia hujus eſt compoſitio & tamen efficaciſſima, ſæpius expertus ſum) Tincturæ granor. Actes ſ. ſambuci ʒiij. ſpir. ſal. armon. ʒi. laudani opiat., camphoræ an. gr. 3. ſyr. cortic. aurant. ʒvi. M. F. Potiuncula iteratis vicibus propinanda. Nam certum eſt, quod laudanum opiatum mire conducat ad avertendum paroxyſmum hyſtericum imminentem, tam intra aſſumptum quam ſolum naribus odoratum, de quo vid. Riverius *cent. 4. obſerv. 35.*

Quòd ſi nec hæc ſufficiant ad excitandas & refocillandas ægras, præſcribenda ſunt ſternutatoria, quæ aliàs egregii ſunt uſus. Modus præſcribendi eſt ſatis notus, v. gr.

℞. Caſtorei ℈i. piperis longi gr. xv. Helleb. albi ℈ß. pyrethri gr. v. M. F. Pulvis cujus tantillum ſubinde per calamum naribus inſufflatur. Quòd ſi nec ſternutando ad ſe redeant hyſtericæ, duro nodo, durus apponendus eſt cuneus, nempe vomitus, utpote qui deſperatas & tantum non pro mortuis habitas potenter exſuſcitat. Inſignes videbitis de hoc obſervationes P. J. Fabri in ejuſdem *curationibus*, imprimis *in cur. 12. & in cur. 35.* ubi hyſtericas jam deſperatas & pro mortuis habitas per ʒ ij. ſalis vitrioli (eſt duplex doſis) in ℥ij. Aquæ ſalviæ cum aqua imperiali propinatas reſtituit. Sed vitriolacea ſunt ſuſpecta: Loco horum ergo antimonialia ſunt tutiora. Videbitis etiam de virtute vomitoriorum in paroxyſmo ad reſuſcitandas deſperatas Riverium *cent. 4. obſervat. 85.*

Denique interdum uſu venit, ut in ipſo paroxyſmo vena aperienda ſit, cautè tamen & circumſpectè: Præ cæteris obſervationem notabilem de hoc habet Panarollus *Pent. 3. obſerv. 32.* dum hyſtericam virginem ex nimia ſanguinis copia & circa cor ſtagnatione ad mortem uſque deductam in ipſa lypothymia per inſtitutam phlebotomiam liberavit. Subſiſtimus *in Capite de Suffocatione Uterina,* in quo ultimo propoſuimus modum tractandi mulieres in paroxyſmo: & ea ipſa quæ in paroxyſmo ceu appropriata interne aſſumuntur, itidem poſt paroxyſmum ad curam ipſius mali commodè adhiberi & uſurpari poſſunt, imprimis adjunctis interdum blandis laxativis: Propterea communiter præſcribuntur noduli vino infundendi alterantes, parati ex carminativis & nervinis uterinis qualia ſunt nota ut v. gr. ex rad. angelicæ, petaſitidis, zedoariæ, bryoniæ, quæ præ cæteris laudatur, leviſtici, gentianæ & ſimilibus, in ſpecie ſclarea eſt experimentum ſingulare paucis notum in ſuffocatione uterina ſ. decoctum ejus ſivè alia ex eodem parata remedia uſurpentur. Hinc meliſſa, roſmarinus, artemiſia, ſalvia, matricaria & tanacetum: hinc ſemina carminativa quæ vocantur calida cum omnibus aromatis. Pro laxatione conducit infuſum agarici, it. rad. bryoniæ cum reliquis uſurpata. Helvetius *in Diribitorio Medico pag. 116.* laudat infuſum ſennæ & Rhabarbari, cui addenda ſit ʒß. pulveris ſecundinæ humanæ, ex quo laxativo appropriato multum utilitatis ſe hauſiſſe affirmat in ſuffocatione uterina: Nam *ſecundina* ipſa eſt experta uti poſtmodum habebimus. Aliàs pilulæ aggregativæ cum myrrha & Caſtoreo acuatæ, item pilulæ fœtidæ communes ad ℈i. addito mercurio dulci pro expurgandis talibus mulieribus conducunt. Præter hæc dicta, tàm in quàm extra paroxyſmum, adhuc conducunt tinctura uterina Mynſichti, it. ejuſdem extract. ſpecificum uterinum: Riverii pilulæ præſervativæ à paroxyſmo ſimiliter conveniunt, factæ ex Caſtoreo, aſa fœtida & laudano opiato (ſunt alterativæ non laxativæ) De Camphora ſupra monui, quod ſingulariter conducat, in ſpecie ſi ſublimetur cum ſal. vol. ſpir. ſal. armon. aut ſi paretur ſal armon. c. Camphora, ſic enim efficaciſſimum acquiritur remedium multis affectibus in ſpecie hyſtericæ paſſioni dicatum. Quin & Camphora accenſa in potu ordinario extincta non eſt fruſtranea. Spiritus ſecundinæ imprimis primiparæ per fermentationem ſeu putredinem paratus, item pulvis ſecundinæ à ʒß. ad ʒi. uſurpatus inſigniter conveniunt. Panacea Holſtenienſis ſ. arcanum duplicatum Mynſichti & ipſum eſt egregium pro affectu uterino mulierum. Vulgò notum eſt quod Jovialia remedia uſurpentur, ſunt namque qui raſuram ſtanni in aqua appropriata propinatam admodum laudant: Loco hujus Magiſter. jovis Mynſichti, it. antihecticum Poterii, it. Bezoardicum joviale aut ſudoriferum magnum Fabri ſunt uſurpanda. Remedium domeſticum ſed ſatis proficuum eſt fuligo ſplendens, ad ʒi. uſurpata, it. ſulphuris crudi partes duas miſtæ cum parte una nucis Moſchatæ, à ℈i. ad ℈ ij. uſurpatum ſingulare experimentum eſt ad curandam & præſervandam hyſtericam ſuffocationem. Colophonis loco addam caſum quem mihi videre contigit ſuperiore æſtate: vocabar ad mulierem juvenculam, quæ in partu aliquando fuerat malè tractata; tempore tamen puerperii & lactationis, fœtus commode ſatis ſe geſſit: cum ablactaſſet fœtum & redirent menſes, incidit in hæmorrhagiam uteri nimiam, non quidem continuam, ſed ita ut menſes interdum per integras ſex hebdomadas fluerent; tandem ſuperveniunt tormina abdominis vehementiſſima, quæ principium capiunt in hypochondrio ſiniſtro, hinc extenduntur in totum abdomen, & tandem in ſpecie in regionem dorſi lumbarem crudeliter lacerant: ſuperveniebat hinc difficilis reſpiratio & graves anxietates cordis, ita ut etiam ſyncope interveniret; tandem Crampus quaſi ſ. convulſio quædam tonica totius dimidii corporis ſiniſtri ſuperveniebat, ita ut dimidium caput ac dimidius truncus cum brachio & pede totaliter rigerent & quaſi tetano afficerentur; parte dextra tota ſana: pulſus erat parvus, celer, imò interdum ferè nullus: revera erat affectus quem vocant Hyſtericum. Vocatus ego in paroxyſmo cum ex teſtatione adſtantium mulier per 5. dies habebat alvum ſuppreſſam, præſcribo Clyſterem Carminantem & emollientem.

♃. Rad. Angelic. Leviſtic. an. ʒ vi. herbar. malv. chamomil. an. m. j. flor. chamomil. ſambuc. an. ʒ ij. coq. in ſ. q. aq. ſimpl. in vaſe clauſo: Colaturæ ℥ ix. adde Electuar. de baccis lauri ʒ vi. Caſtorei ʒß. ol. deſtill. ſuccini, Cumini an. ℈ß. injiciatur pro Clyſmate qui egregiè proderat. adde vitell. ovi num. 1.

Pro uſu interno præſcribebam hanc mixturam.

♃. Aqu. Hirund. c. Caſtoreo ℥ ij. Meliſſæ c. vino ℥i. ſpir. ſal. armon. ʒi. Cochleariæ ʒß. ſal. vol. ſuccini ℈ß. (eſt oleoſum) laudani opiati gr. iii. Syrup. cortic. aurant. ʒ vi. M. F. potio, finito paroxyſmo ſubinde cochleatim haurienda, Pauca hæc remedia ex toto levarunt malum, ita ut etiam uteri hæmorrhagia ſiſteretur.

Pro confirmatione autem imprimis abdominis præſcripſi inunctionem ſaltem externam.

♃. Ol. Chamomillæ, ʒ ij. deſtillati ſuccini ℈ ij. carvi, fœniculi an. gutt. x. M. pro inunctione hypochondrii ſiniſtri & regionis umbilicalis, applicato deſuper latere calente.

Hæc de ſuffocatione ſic dicta uterina & etiam de morbis qui uteri vitio adſcribuntur muliebri ſexui, ſufficiant. *Michael Ettmullerus in Collegio Medicinæ Practicæ.*

In Paſſione & Suffocatione Uterinâ, clyſter ſequens injiciatur.

♃. Radic. ariſtoloch. rot. & bryon. an. ℥ß. fol. malv. alth. violar. parietar. an. M j. ſummit. arthemiſ. & trifol. odorati an. M ß. flor. chamæmeli, hyperic. ſambuc. an. p. ij. ſem. aniſ. fœnic. cumini, baccar. laur. & juniper. an. ʒ ij. f. decoctio & colatura, in cujus ℥ xii. diſſolve mellis vulvariæ & mercurialis an. ℥ i ß. Sacchari rubr. ℥ ij. vini muſcatellini ℥ iij. Mſ. f. clyſter. injiciend. hor. 5. p. m.

Proximo mane, ſi opus fuerit, mittatur ſanguis è brachio; poſtridiêque leniter purgetur.

Vinum Chalybeatum cum radic. & herbis aperientibus & hyſtericis eidem infuſis apprimè utile eſt.

Apozema ſequens ſpecificum eſt.

♃. Cortic. caſſiæ fiſtulæ optimè loti vino

albo

albo & à meditullio liberati contuſ. ℥ j. ligni aloës ʒ ij. cort. rad. ſaſſafr. ʒ i ß. ſem. myrrhid. odorat. ʒ ij. f. omnium decoctio in ℔ iij. aq. fontan. ad ℔ j. conſumptionem, f. colatura, cui add. vin. Rhenan. non adulterati ℔ j. ſpir. ſulph. & ſal. gem. ſine ulla alterius ſalis additione præparati ana ʒ j. ſal. card. bened. & artemiſ. ana ℈ ij. mſ. omnia exactè, mox add. ol. tart. per deliquium præp. q. ſ. ut omnis aciditas penitùs extinguatur; agita; add. ſyr. flor. vetonic. rub. & flor. pœon. ana ℥ ij. ſyr. moror. rub. Idæi ℥ j. aq. cinam. coch. j. mſ. Capiat ℥ v. ſi poſſit, ſin minùs, iv. bis in die longè à paſtibus per 6. dies vel plures, pro re nata.

Specificum aliud (præcipuè pro innuptis)

♃. Lienem bovis caſtrati ab omnibus pelliculis diligenter mundatum & in minima fruſta conciſum num. 1. puleg. regal. matricar. rutæ, nepet. menth. ſiccorum ana ℥ i ß. eupator. Meſue ſive agerati ℥ j. ſeminum viticis & rut. ana ʒ vj. His omnibus affund. vin. ſpir. ut ſupernatet 3. digit. Digere in balneo Roris per triduum. Cola, exprime, coagula ad mellaginem: cui add. croc. ſubtiliſſim. pulv. ʒ iij. caſtor. opt. ℥ ß. camphor. ʒ ij. Mſ. Redige ad pilul. conſiſtentiam ad uſum.

♃. Maſſ. emplaſt. pro matrice ℥ ij. gumm. tacamahac. ʒ j. galban. in vin. Hiſpan. ſolut. & inſpiſſat. ʒ j. pulv. ſubtiliſſ. trifol. odorat. ℈ iv. camphor. ℈ j. mſ. & addit. tantill. ſtyrac. liquid. colati f. Maſſa Emplaſtr. cujus portio extend. in aluta ovalis figuræ & applicetur umbilico pubem verſus. Umbilico autem indantur gr. ij. moſchi, & totidem zibet. bombace involuta: Geſtetur continuò, & octavo quoque die renovetur.

Julapium hyſtericum, ſed prodeſt in paroxyſmo.

♃. Aq. ſtillat. bryon. ℥ iij. menth. & hyſſop. ana ℥ j. abſinth. ℥ ij. hyſteric. ℥ i ß. theriac. ſtillat. ſpiritûs caſtor. per infuſion. præp. ana ʒ x. ſyr. flor. pœon. mar. & artemiſ. ana ʒ ix. ſp. vitriol. q. ſ. ad gratam aciditatem. M. detur cochlear. unum & alterum pro ratione neceſſitatis in paroxyſmo.

♃. Aq. ſtillat. pomor. redolent. ℥ vi. aq. hyſter. ℥ i. ſyrup. flor. vetonic. rub. & de cort. citr. ana ʒ vi. ſpir. vitriol. q. ſ. ad levem aciditatem: Mſ. pro 2. doſ. ſumend. hor. octavâ matutin. & quintâ p. m. longè à paſtibus.

Pilulæ hæ ſunt efficaciſſimæ.

♃. Rad. Ariſtol. rotund. gentian. an. ʒ i. aſæ fœtid. ſagapen. in vin. Canarin. ſolut. traject. & inſpiſſat. myrræ an. ℈ iv. rutæ, trifol. odorat. flor. matricar. & chamæmel. nobilis an. ℈ ii ß. fæcular. bryoniæ, cinamomi albi, flor. lavendul. cortic. exterior. citr. & aurant. debitè ſiccat. an. ℈ ij. teſticulorum equi debitè præparat. ʒ iij. Terantur terenda ut alkool, omniaque miſta excipiantur ſ. q. ſucc. puleg. regalis cum ſacchar. inſpiſſat. ad mellaginem, & f. maſſa pil. ad uſum; adde gutt. pauc. ol. ſtillat. ſaſſafr.

♃. Hujus maſſæ ʒ iij. Croci ſiderei ferment. Aloës roſat. an. gr. xlv. Mſ. f. maſſula dividend. in novem part. æqual. pond. pro totidem doſ. ſumend. hor. 4. ante prandium ſuperambuland. Superbibatur hauſtus poſſeti calentis.

In hoc remedio perſeveret per dies novem vel plures pro facili tolerantia & ſucceſſu.

Pilul. hyſter. magiſtrales. ♃. Baurac. fæcul. bryon. an. ʒ i. pulv. ſubtiliſſ. ſabinæ, rut. puleg. regal. an. ʒ v. ſem. matricar. ʒ iij. cort. caſſ. fiſtul. cinam. inter. oſſium dactylor. an. ʒ iii ß. caſtor. ʒ ij. ſem. paſtinac. major. trochiſc. myrrh. an. ʒ iij. ſperm. ceti recent. ſal. artemiſ. an. ʒ ß. ol. ſtillatit. ſabin. ſaſſafr. an. ʒ i. ol. cinam. ſuccin. an. ʒ ß. teſtium equi condit. tertiam partem reliquorum (viz. ℥ ij. ʒ x. gr. x.) Mſ. & cum ſyr. de artemiſ. f. pilulæ, ſumat. iv. vel v. duabus horis Medicis.

Nb. Licet moſchus & ambra griſ. cæteraque odorata, noxia ſunt odore, i. e. naribus admota, non autem in ſtomachum aſſumpta, ubi partem roborant, & diffuſis per vaſa vaporibus ipſum uterum recreant.

Inſtituatur balneum aq. dulc. in quô calidô & probè tectô per noctem infuſa fuerint ſimplic. ſeq. rad. alth. & malv. cum toto, fol. multa mercur. utriuſque atriplicis, betæ, chamæmeli, præſertim vero ebuli, & flores multi ſambuci. Moretur in eo manè per horam unam, vel diutius, prout vires ferant: ne ſit autem nimis calidum. Perſtet in hujus (alternis diebus renovati) uſu per plures dies.

Ante ingreſſum balnei indatur peſſus ſeq. qui per totum balnei tempus contineatur.

♃. Fol. virid. mercurial. & vulvar. an. M j. rad. recent. ebuli ℥ ij. agaric. ʒ ij. terantur omnia in mortario in pultem quâ repleatur ſacculus oblongus ex ſyndone (vocata *Tiffany*) qui delibutus melle mercuriali indatur penitiſſimè, propendente filò.

Tandem ſaphænæ apertio, vel hyrudinum ad venas ſedales applicatio, ſi malum perſeveret, inſtitui poſſunt: ut & ſuffumigationes ex ſtercor. ovium ℥ iv. Croci ℥ ß. *Theodor. de Mayerne Praxeos Medica lib. 3.*

Conſultationes.

De Præfocatione uterina, Anguſtia ſub coſtis mendoſis, Frigiditate partium inferiorum ſiniſtri lateris, & aliis Symptomatibus. Pro Juvene elegantiſſima Regienſi.

Mulier annorum 27. temperamenti calidi & humidi, candida, venoſa, capillis nigris, ad actiones prompta, duobus ferè abhinc menſibus abortu excuſſit puellam mortuam, non profluentibus lochiis, nec ullo ſuccedente urinæ produvio; non ſudore, vel lacte conſpicuo; imò nec copioſis quibuſdam dejectionibus: quanquam alvus illi melius reſpondeat quàm antehac; cùm quolibet tantum quinto die deſcenderet, nunc autem quotidie, & quidem materiâ fæculentâ concoctâ. Plures antehac abortus ejecit, nullâ moleſtiâ: à quibus menſtrua integro menſe fluxerunt; atque ſexta abortus die hyſtericæ paſſiones eam exercuerunt horæ circiter ſpatio; quæ frictionibus infernarum partium, venæ ſaphenæ ſectione, cucurbitularum uſu, & ligaturis ceſſerunt; ſuperſtite tamen anguſtia quadam in utroque latere, ſub coſtis ſpuriis, irrequieto corporis motu, & frigiditatis ſenſu in ſiniſtro femore, crure, & pede; necnon calida evaporatione, in caput, horæ circiter quartam partem; qua

evaneſcente, leviter incaluit pars ſiniſtra, ſemper tamen ſuperſtite anguſtia ſub coſtis, cum flatibus in ventre, & totius corporis horrore, ſine febre. Conſilium propterea noſtrum expoſcit.

Quò itaque his affectibus occurramus, juxta cum Viris Excellentiſſ. patientis curæ præfectis, omnia enarrata ſymptomata ab utero promanare ſtatuimus male affecto ob ſuppreſſa lochia poſt abortum. Si enim, menſibus deficientibus, morbi fiunt ex utero, ut prodidit Hipp. quantò graviores futuros cenſemus ex cohibito puerperio, ſanguine ſcil. menſtruo novem menſes in utero coacervato, & concluſo; ac proinde qualitate longè magis noxio; cum purior pars ſanguinis in fœtus nutrimentum ceſſerit. Cur autem poſtremo hoc abortu ſuppreſſi fuerint menſes, qui à præteritis abortibus inoffenſo curſu fluxerint, licet evidens nulla aſſignetur cauſa, internam tamen duplicem agnoſcimus; calidi ſcil. innati noxam; & ſubſidentiam quandam vaſorum ex fœtu mortuo; tum & conſtipationem eorumdem; ex inæquali cœli intemperie, & frigiditate; non ſine copia ſanguinis pituitoſi, & melancholici in utero, ratione temperamenti præpollentis; Hyeme in primis, & Vere præteritis, admodum inæqualibus; qui calorem nativum fœtus obruere, & extinguere non ſolùm potuerunt, ſed & abortum facilius excutere; cùm irritata expultrice à fœtus pondere, tum ob retentricem imbecilliorem, ratione laxitatis ligamentorum, prout ipſi antehac, & aliis frequenter contigit ſub tertium menſem geſtationis uteri; juxta Hipp. ſententiam 5. Aph. 45. quòd, Quæcunq; modicè corpulentæ abortiunt, ſecundo, aut tertio menſe, ſine occaſione manifeſta, his acetabula uteri plena mucoris ſunt; nec præ pondere fœtum continere poſſunt, ſed abrumpuntur. Quanquam admitti poſſit etiam aliqua uteri contorſio ad partem lævam; cujus ratione, ejuſdem partis refrigeratio quædam ſuborta ſit, calidiori, & tenuiori parte ad ſuperiora exhalante. Huic affectui ſucceſſit anguſtia quædam ſub coſtis ſpuriis, adhucnum ſuperſtes; non ex aliqua ventriculi offenſa, ut viſum quibuſdam; ſed ex compreſſione ſepti tranſverſi; necnon fortè à ſanguine craſſo, & melancholico, ab utero ad partes ſuperiores, per venas gaſtricas remeante; à quibus & potuerint ſupprimi lochia in puerperio: quanquam & ipſius aliqua pars in flatus faceſſens, rugitus, & flatus toto ventre oberrantes excitarit, cum horrore, ex materia ichoroſa confertim decurrente perſentientes. Atque hæc de eſſentia, & cauſis horum affectuum.

A quibus incolumis quidem evadet, ut ſpero; non tamen levi adeò negotio, nec niſi longo temporis ſpatio, ob craſſitiem, & frigiditatem humorum redundantium.

Inhærendum itaque erit attenuantibus, incidentibus, detergentibus, evacuantibus, & ad uterum attrahentibus; eo prius calefacto. Quæ præſtabunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica.

In Chirurgicis, primas obtinet ſanguinis eductio ex ſaphena dextra revulſionis cauſa à ſuperioribus, & derivationis à ſiniſtra parte affecta; præmiſſa tamen accuratiſſima corporis purgatione; ne ſcilicet materia ad inferiora trahatur, & earum partium obſtructiones augeat; non prætermiſſis ante ſectionem venæ uteri fomentis ex vino albo generoſo, in quo efferbuerint pulegium, origanum, fl. chamæmeli, matricaria, & artemiſia.

Pharmaceutica ſint Lenientia, Præparantia, Purgantia, & validiora attenuantia. In Lenientibus tamen ſpecies hieræ picræ Gal. potiſſimæ erunt, cum el. lenitivo. Præparentur humores oxymel. ſimplic. ſyr. de hyſſopo, & pomis, cum decoct. betonicæ, borraginis pulegii, & hyſſopi; addita ſemper drachma ſem. cremoris tartari. Purgentur demum iiſdem ſpeciebus hieræ, & el. de dactylis; vel agarico trochiſcato, melle roſ. ſol. & ſyr. de polyp. compoſito; cum decoctione cordiali, ex infuſione drach. 1. fol ſennæ. A quibus ſanguinis tuto educi poterit ex ſaphena; adhibitis deinde validioribus attenuantibus, & incidentibus; puta, oxymel. compoſito, ſcillitico, & byzantino cum aceto; addita decoct. praſſii, agrimonia, cetrach, radicum apii, fœniculi; cum matricaria, & artemiſia: atque alternis diebus exhibito decocto epithymi Meſues hujus decoctionis loco; quæ tandem excipiat purgatio, ex hiera Pachii, extracto hellebori nigri, & elect. Indo. Ab his, ſæviente adhuc dolore, locus erit decocto ex ſaſſafras, & ligno Indico raſo, in jure galli junioris ſaliti; cui incoctæ fuerint radices apii, fœniculi, & aſparagi, cum ſabina, & ſilere montano; præmiſſo illi bolo ex trochiſcis de myrrha, & caſtoreo; cujus uſus erit 20. dies circiter. Quo tempore foveantur partes ſuperiores decocto uterino præſcripto, ex vino albo generoſo; adhibitis peſſariis, ad menſes revocandos, duos, aut tres dies ante juſtum eorum tempus, ex ſabina, & mercuriali, cum myrrha, & croco. Suffitus quinetiam aromatum muliebria ducunt, ex Hipp. Crus autem ſiniſtrum lavetur aqua ardente.

Quibus accedat recta victus ratio, ex cibis attenuantibus potiſſimùm. Vina ſint modicè generoſa; exercitium erit maximi uſus, & Venus. Quæ potiſſima in caſu præſenti duxi; atque ut ad vota ſuccedant Deum enixè rogo. *Benedictus Silvaticus Conſ. & Reſp. Medic. Cent. 4.*

Uterina Præfocatio.

Vidua quædam Nobilis 25. annum agens, temperamenti calidi, & humidi, plethorici habitus; quæ ſeptem annorum ſpatio Viro juncta, quater concepit & peperit, menſtruis ſemper copioſis fruens, & pancraticè vivens, tandem orbata Viro, mœſta fieri cepit, menſtruaque conſueta diminui, accedentibus paulatim rugitibus abdominis, eructationibus, cum difficili reſpiratione & ſuffocationis ſenſu. Ab his ſupervenerunt ventris vellicationes, cum vomitu acidæ pituitæ, & ſæpius, potiſſimum propè menſtruas purgationes, veluti ſuffocata, extremis perfrigeratis, voce deſtituitur, pulſu privatur, reſpiratio aufertur, & tota frigida, ſine ſenſu & motu, mortuæ inſtar jacet tres continuas horas, mox paulatim ad priſtinum ſtatum expergiſcitur, pallida tamen & veluti obeſa,

obeſa; cujus indicium præbet uteri laxitas & humiditas, ab eodem extillans, cum inteſtinorum murmure. A qua moleſta affectione liberari cupiens, de agendis conſulit.

Senſibilis Animalium atque Vitalium functionum læſio, in hyſterica Muliere, licet uteri præfocatio nominari ſoleat, ſtrangulatio tamen verè non eſt, ſed potius Apnœa, idest ablatio anhelitus, quam Fernelius diſtinxit ab uteri aſcenſu, quæ ſi legitima fuerit, ſyncope uterina à pluribus, appellata eſt, & nuncupatur modo in Nob. noſtra Vidua Patiente. De cujus affectus cauſa non conveniunt inter ſe Medicinæ Scriptores. Hipp. enim eam refert in uteri ſiccitatem, quando à Venereo congreſſu non irrigatur, aut à defectu menſtrui ſanguinis exſiccatur, cui aſſenſiſſe quoque Ariſtoteles videtur, non diſſentiente Platone, qui credidit, uterum eſſe animal, quod creandæ prolis gratia moveretur, quod ſi privetur his quæ concupiſcit, univerſo corpori nocere. Hipp. vero & Platoni ſubſcripſit Aretæus, qui exiſtimavit vulvam huc & illuc, ſurſum & deorſum, ſiniſtrorſum & dextrorſum, ad jecur, ad inteſtina & ad ſeptum, penitus errabundam moveri. Paulus vero opinatus eſt, uteri præfocationis cauſam immediatam, eſſe ejuſdem recurſum, & Aetius, averſionem. Quorum tamen opinioni non accedit Gal. nec poſt eum Fernelius ipſe, negavit enim Gal. uterum moveri, ſed aliquando ſolum, repletis ligamentis, vel à ſemine, vel menſtruo, contrahi, ut in convulſione contingit ex repletione, & proptereà, ægrè ſemper ferre, velut animal, ſi eo privetur quod concupiſcit, quod ſi exſiccatus, humiditatibus privaretur, eaſdem peteret à veſica, inteſtinis, vel à jecore per venas. Quare veriſimilior erit opinio Gal. quod ſcilicet immediata cauſa ſit frigidus vapor, vel à menſtruo ſanguine, vel à ſemine retento elevatus, totum corpus perfrigerans. Gal. ſequutus fuit & Fernelius, qui addit menſtruo ſanguini, & ſemini, ſanioſam quoque materiam, à loci natura veneficam qualitatem adeptam; à quibus, ait ipſe, vapor ex utero, non tam per venas & arterias, quam per cæcos ductus & latentes, in partibus naturalibus, & rugitus, & eructationes, & ventriculi lancinationes, cum vomitu acidæ pituitæ primò inducit: mox à ſepti compreſſione, & pulmonum coarctatione, & ſpirituum refrigeratione ac interceptione, extrema perfrigerat, vocem adimit, & ſenſum ac motum, cum pulſu omninò aufert. Non tamen ablata reſpiratione, Patiens vita privatur; quia exiguus ille calor, ſola arteriarum & cordis tranſpiratione conſervatur, abſque ulla ab ore reſpiratione: unde veluti mortua jacet: inſignis enim & magna eſt hujus mulieris præfocatio; quia non ex ſolis menſtruis retentis, verùm & ex ſemine, ex quo major ſequitur noxa, ortum ducit. Unde obſervavit Gal. Mulierem quandam, ex contrectatione craſſum & plurimum ſemen excreviſſe, & ab hac moleſtia liberatam fuiſſe. At in præſenti, ceſſat acceſſio atque invaſio, materia vaporoſa ab uteri frigiditate denſata, & in humiditatem uterum laxantem converſa, vel cum Hipp. ex pituita à capite defluente, eodem humectato.

Eſt autem hæc affectio perquam periculoſa, ocyſſimè enim ſtrangulat. Quare præceps eſt periculum, ità ut non ſolùm eadem die, ſed etiam intrà paucas horas interimat, & potiſſimum prægnantes & puerperas. Curatio verò difficilior, quia non ſolùm à menſtruo, ſed à retento quoque ſemine provenit. Verum quoniam Patiens juvenis eſt, nec adhuc cacochymica, ejuſdem ſperanda ſalus.

Interim autem advertendum, quod quandoque acceſſio redditur adeò diuturna, ut mortuæ mulieres credantur, ideò cautè agendum, neque goſſipio, aut lanæ, neque ſpeculo, neque poculo aqua pleno fidendum, in arteriis enim tranſpiratio perficitur, ſecurius quippe ſternutatorio diſcerni poteſt viva à mortua. Tutiſſimum vero erit eas per triduum non ſepelire, vivæ namque mulieres nonnunquam ſepultæ, quandòque à medicis diſſectæ fuere.

Medela hujus affectus duplex eſſe ſolet. Curativa & Præſervativa. Curativa in acceſſione perficitur, Præſervativa extra acceſſionem. Utramque ſeorſum proponamus.

Curativam quod attinet, quatuor debent eſſe medicæ intentiones. Primò enim divertenda aura venefica à partibus nobilioribus. Secundò facultas ſopita excitanda. Tertiò roborandæ partes principales. Quartò materia peccans ſenſibiliter & inſenſibiliter evacuanda.

Pro prima implenda intentione, in Chirurgico fonte, non eſt qui in acceſſione ſanguinem mittere audeat, cum non adſit permittens, cujus loco, cucurbitulæ leves ilibus, coxis & inguinibus valdè conferunt. Ligaturæ quinetiam arctæ atque frictiones, ut & Sinapiſmi. Naribus fœtida apponenda, Utero odorata, quod docuit Hipp. dicens. Tumorem ab hepate, cum manu, infra leviter detrudito, & præcordia cum faſcia deligato, & os aperito: Vinum odoratiſſimum infundito, graveolentia naribus, odorata utero admoveto. Naribus itaque ſuffitus fiant ex caſtoreo, aſa fœtida, cornu cervino, pilis humanis uſtis, plumis perdicis, unguibus animalium, oleo gagatis, oleo ſuccini.

A proprietate juvat ſuffitus ex pulvere verrucarum quæ tibiis equorum adnaſcuntur. Utero verò ſuffitus fit ex ambra, moſcho, ſtyrace, benjuino, calamo aromatico, balſamo, ladano, per cannulam inſinuatus. Ex hoc eodem fonte, facultati ſopitæ excitandæ conveniunt ſinapiſmi, dropaces, aſperſio faciei frigida, evulſio capillorum, clamores, picationes infernis extremis partibus.

Pro tertia intentione, ex eodem, cordi epithemata & illitus fieri poſſunt, non tamen valde odoratis, ne ad nares pertingant.

♃. Aquæ meliſſæ lib. i. aq. flor. citr. unc. iv. ſpecier. cord. temper. drach. ii. aq. vitæ unc. ii. aceti roſ. unc. i. m. pro epith. cordis, quo amoto, illinatur ol. de ſcorpionibus Matthioli.

Pro ultima intentione, in hoc fonte, juvat excitatum ſternutamentum, ut ſupra, & ſuppoſitorium acre. Peſſarium paretur, cum non ſit Virgo, ex ſucco matric. mercur. nuce moſchata. Pro ſecreto habetur, perfricare umbilicum ſucco allii cocti, aloë miſto. Prodeſt titillatio, manibus perunctis oleis odoratis,

utero

utero admotis, imo Avic. præcipit perfricationem uſque ad ſeminis effuſionem.

Ad quatuor jam dictas implendas intentiones ex Pharmaceutico fonte remedia hauriri debent. Pro prima, ſuppoſitorium acre paretur & immittatur, pro ſecunda, ſternutamentum excitetur, inſufflatione nigellæ, pyrethri, hellebi albi. Ol. ſaturni ad gutt. iii. umbilico infuſum, ſtatim ſuffocationem ſiſtere dicitur. Pro tertia, in acceſſione præſtantiſſima eſt Triphera magna ſine opio, pariter aqua theriacalis, vel elixir vitæ. Pro quarta, oleum ſuccini cum aqua cinnam. per os, & omnium maximè tinctura granor. ſambucci, ad cochlear. in exigua portione aquæ tot. citri, aut matricariæ. Extrinſecus vero ol. Jovis, à Crollio deſcriptum, umbilico illitum.

Præſervativa perficitur extrà acceſſionem. Primo diligens corporis expiatio curanda, habita ratione prædominantis humoris. Secundo materia in utero ſtabulans, menſtrualis, provocanda: ſeminalis, aut ſollicitanda, aut abſumenda, ſi ſanioſa atque corrupta, eluenda ac educenda, uteruſque exſiccandus, & tertio, appropriatis præfocatio arcenda.

Pro prima implenda intentione, ſanguinis miſſio utique neceſſaria. Et licet Mercatus illam reprobet dum à ſemine fit, intelligendus in acceſſione. Educatur itaque ex brachio, tempore intermedio menſtrualis expurgationis. Mox inſtantibus menſibus, repetatur ex pede, ſed parca, & potius ex eodem foramine bis repetita. Veſicantia coxis applicita in uſu ſunt ad præfocationem præcavendam. Verum ego pluries ſum expertus ſinapiſmos, duabus aut tribus horis ante acceſſionem, coxis appoſitos, eandem divertiſſe, quod eſt minoris moleſtiæ remedium. Cauterium, niſi valdè Patiens abhorreat, coxæ inurendum. Frictiones pariter, & pedum lotiones ſunt adminiſtrandæ, decoct. matricariæ, artemiſiæ, pulegii, origani, calamenthi montani. Inunctiones utero ol. lil. albor. cum aromatibus, quod uteri theriaca appellari ſolet.

A fonte pharmaceutico reliqua deſumuntur remedia. Sic leniatur alvus.

♃. Elect. lenit. unc. i. pil. maſtic. drach. i. m. f. b. Mox præſcribatur hoc præparans.

♃. Mel. roſ. ſimpl. oxymel. ſimp. aquæ cinnam. an. unc. i. m. per quinque dies, deinde.

♃. elect. lenit. diacath. an. unc. ß. pilul. de tribus ſcrup. ii. magiſt. mechoac. gr. vi. m. f. b. Inde ad validiora præparantia deveniendum, præmiſſo tamen aquæ Tettucianæ opportuno uſu, quatuor aut quinque vicibus, cum vehiculo: mox.

♃. Oxymel ſquill. ſyr. de cich. cum rhab. an. unc. i. decoct. cichor. borrag. end. meliſſæ, matricariæ, artemiſiæ, capil. ven. unc. vi. m. pro ſyr. cui præmitti poterit bol. hujuſmodi.

♃. Pulv. caſtorei, fæculæ bryoniæ, zedoariæ, an. ℈ß. vini aromatici q. ſ. m. f. bol. & aur. Sequuta hac præparatione, fiat talis expurgatio.

♃. Elect. diaphoen. lenit. an. drach. iii. hieræ picræ, cum Paulo, aut diacolocynth. cum Aëtio, drach. i. m. f. b.

Quibus peractis, menſtruorum provocatio erit tentanda, appropriatis remediis.

Pro ſemine vero, vel rurſus Pat. Viro cohabiter: vel Venerem & ſemen extinguentia adhibeantur, cujuſmodi ſunt, agnus caſtus, lactuca, ruta, cannabis, paſtinaca, mentha, roſa alba ſicca, corallum album, pœonia nigra.

Supereſt uterus corrigendus, confortandus, & exſiccandus. Et ideo aut metrenchytis, aut inſeſſionibus erit utendum. Pro metrenchytis

♃. bacc. lauri, juniperi, an. unc. ß. ſem. rutæ, cumini an. drach. ii. iridis, ariſtolochiæ an. unc. i. flor. ſalviæ, roriſmar. centaurii min. an. pug. i. aquæ comm. vini albi an. lib. ii. m. & f. decoctio, colaturæ adde pulv. ligni aloës, cinnam. nucis moſchatæ, theriacæ veteris an. drach. ſ.m. pro pluribus uterinis injectionibus.

Pro inſeſſionibus vero, optima erit aqua Aponenſis ſulphurea.

Tandem appropriatis utendum, ut à præfocatione præſervetur Patiens, quæ plurima & varia à Medicis proponuntur, à Philagrio, ex Aetio, Diaſpolit. & Diatriumpip. à Matthiolo, vinum album aromatiz. in quo ebullierit unc. i. radic. bryoniæ, à Gal. agaric. ad drach. i. in vino, ab Avic. gr. 15. piperis contuſi in vino, à Paulo, Caſtoreum, ab Aetio, acetum ſcylliticum, à Nicolao, pulvis gentianæ in vino aromatico, à Recentioribus, & à me pluries experta, Triphera magna ſine opio, cum caſtoreo, ungula alcis, cum radice zedoariæ, aqua theriacalis, ol. ſuccini in aqua cinnam. fœcula bryoniæ, tinctura granorum ſambuci, ad cochlear. ſummum, in aqua totius citri, vel cord. Sax. & Daucus maſticatus, ac in ore detentus, antè acceſſionem.

Aliqua ſunt à proprietate juvantia obſervata, & primo ab Athenæo, vinum, in quo fuerit detentus piſcis mulus, Gal. vero caput viperæ ſuffocatæ, collo appenſum, à præfocatione defendere protulit Lib. de Incarnatione.

Circa victus rationem, occurrit notandum, quod Hipp. vinum odoratiſſimum offert; Avic. vero illud prohibet. Verùm Hipp. præbet in acceſſione, Avic. prohibet extra acceſſionem. Unde & Celſus jubet vinu circundendum eſſe in totum annum, etſi non revertatur caſus. Quia tamen concedi ſolet, parari poterit medicatum, ita.

♃. Radic. Angelicæ odoratæ, bryoniæ an. unc. ß. fol. meliſſæ, pulegii. artemiſiæ an. m. i. flor. roriſmarini m. ß. ligni ſaſſafras inciſi drach. ii. m. reponantur in ſacculo, qui in doliolo pro potu quotidiano parato ſuſpendatur. Ab acidis, dulcibus, flatulentis abſtineat Patiens. Quæ pro ſalute ejuſdem, dicta ſint ſatis. *Raymund. Joh. Fortis in Conſultationibus ſuper Mulierum morbis.*

Obſervationes.

Pro Suffocatione uteri.

Galbanum diſſolvimus cum modico aceto, & in corio rotundo extendimus, & umbilico mulieris apponimus: hoc remedio infinitas præfocatas curavimus, & à paroxyſmo excitavimus: peſſus etiam in hunc modum paretur.

♃. Gall. moſch. ℈ ij. cinam. folii macis, cario-

cariophyll. an. ℈ i. ambr. moſch. an. gr. iij. ladan. ſtyrac. an. q. ſ. cum aqu. roſ. moſch. F. veluti ſuppoſitorium utero indendum. *Petrus Foreſtus, obſerv.31. & ſchol. lib.28. De Morbis Mulierum.*

Cum viderem virginem ſuffocatione uteri ex ſemine retento miſere torqueri, imperavi ut emplaſtrum contra matricem quo nos uti ſolemus, pudendo muliebri apponerent; quod cum feciſſent, ilico ad miraculum ceſſavit uteri ſuffocatio: emplaſtri noſtri hæc eſt deſcriptio.

♃. Gall. moſch. alipt. moſch. ſtyrac. calam. ladan. puriſſ. maſtich. an. ℥ i. xyloaloës, xylobalſam. carpobalſam. galang. cyper. an. ʒ iij. roſ. rub. ℥ iß. ceræ novæ ℔ ß. pulver. pulverizentur & cum terebinth. q. ſ. F. Emplaſtrum ut artis eſt; hujus accipio ℥ i. & obduco in circuitu galbano in forma rotunda, & umbilico appono; & inveni ſæpe magnam utilitatem quotidianâ experientiâ. Alia muliere ſuffocatione uteri laborante, cum neque emplaſtr. contra matricem, neque male olentibus naribus admotis excitari potuit, tandem nos vocati plumas perdicis uſtas naribus admovimus, & mox ad ſe rediit, poſtea etiam eodem malo ſubinde recurrente, ſemper eodem remedio fuit reſtituta; tales igitur plumæ à quadam proprietate juvant: quare cum aliæ plumæ combuſtæ idem tam efficaciter non præſtant, has ſemper deinceps paratas habere voluimus. Quædam puellæ nubiles peſſo ex tymo cum panno lineo ſubdito, à paroxyſmis ilico reſtitutæ ſunt. Ad idem valet peſſus ex floribus roriſmar. Novimus alias ſola maſticatione ſem. leviſtici, ſemel paulatim deglutiendo à paroxyſmo fuiſſe liberatas. *Idem obſerv.32. & ſchol.28.*

Cum globum ex aſſa fœtida & caſtor. pro odoratu naribus admoviſſemus, & hunc pulverem ſequentem ſumpſiſſet, cum exigua cereviſia, acceſſio licet gravior ceſſavit.

♃. Rad. gentian. ſem. dauci, oſtrut. (i. imperator.) an. ʒ ß. F. pulvis ſubtiliſſ. poſt tres dies redeunte uteri ſuffocatione adeo violenta; ut pro mortua haberetur, dedi ex cereviſia ʒ i. pulv. matricalis, qui ita deſcribitur à *Leonello*.

♃. Rad. dictam. ſem. dauci. an. ʒ i. cinam. el. caſſ. lign. meliſſ. an. ℈ ij. croci orient. ℈ ß. caſtor. rec. ℈ i. M. F. pulvis. ſed acceſſio adeo erat violenta, ut neque pulvis juvaret, nec odor aſſæ fœtidæ, caſtorei, nec plumæ perdicum uſtæ, quæ omnia tamen ſæpe juvare ſolebant. *Idem obſerv.33. lib.28.*

Per os exhiberem decoctum tale.

♃. Galang. zedoar. el. bacc. lauri, rad. liguſtici. an. ʒ ij. grani & rad. pœon. an. ʒ i. ſem. cumini. ʒ i ß. ſem. dauci, paſtinac. ſylv. an. ʒ i. coq. in aqu. fl. tiliæ, betonic. & matricar. an. ℔ ß. ad caſum tertiæ partis, de colatura dabis manè & ſerò cochlearia v. vel vi. calide; decocto exhauſto, darem de ſequenti pulvere, quem ſæpe in ſedando dolore ac ſtrangulatione matricis non ſine fructu ſum expertus.

♃. Sem. dauci ℥ ß. ſem. paſtinac. ſylv. ʒ ij. rad. pœon. & gran. ejuſdem excortic. an. ʒ iß. rad. liguſtic. ſem. cumini. an. ʒ i ß. anterior. oſſis cranii humani ex ſutura coronali uſti. cinnam el. an. ʒ iß. baccar. lauri, zedoar. el. an. ℈ iij. fol. betonic. rad. biſtort. an ʒ i. ſuccini albi, ammeos, ſeſeleos, an. ʒ ß. redigantur ſingula in tenuiſſimum pulverem & M. uſus manè & ſero ʒ ß. cum aqua matricar. beton. & modico vini albi clari.

Nicolaus Florentinus etiam laudat in tali caſu pulverem gentian. in vino calido oblatum, & ſcribit hunc pulverem dolorem ventoſum ex flatu craſſo illativo, tum proprietate, tum qualitate ſanare; & addit, dicunt quidam quod curat dolorem præſentem & præſervat à futuro. Ad extra applicarem emplaſtrum de Galbano factum, & de baccis lauri, an q. ſ. & applicarem ſumini, vel ſolum emplaſtrum de baccis lauri, præcedentibus tamen fomentis carminantibus & anodynis ſive humidis ſive ſiccis. *Joh. Navius, conſil 35. lib.3. conſ. Cratan. &c.*

Cum uteri ſuffocationes in enixis eveniunt matrice etiam optimè purgata; nihil utilius ſemine dauci ſaccharo incruſtato deprehendi, & uſu confirmavi. *Abraham Seylerus, Epiſt.31. lib.6. conſ. & Epiſt. Cratonis, &c.*

Frictionibus & ligaturis pedum, & præſcriptis ſubſequentibus paroxyſmum inhibuimus.

♃. Caſtor. ℈ iv. aſſ. fœtid. ℈ i galban. ℈ i ß. cum cera q. ſ. F. pomum, teratur manibus, & odor naribus percipiatur. Item,

♃. Pulv. fol. artemiſ. puleg. abſynth. meliſſ. an. ʒ iij. ſem. cumini, angelic. an. ʒ i. galban. ℥ i. cum cera & terebinth. q. ſ. F. emplaſtrum extenſum corio, ventri imo applicetur in forma accommodata. *Gregorius Horſtius, obſerv.11. lib.5. De Morbis Mulierum.*

Quidam accipiebat ſeptem circiter domunculas cochlearum, eaſque in pulverem ſubtilem redactas prunis inſpergebat, jubebatque fœminas hyſtericas parte inferna fumum excipere: ſincerè affirmabant omnes, ſentire ſe, ac ſi quis filo matricem ad locum ſuum detraheret; quod poſtea ſæpiſſimè à pluribus probatum, ſemper efficax compertum fuit. *Jeremias Martinus, obſerv.36.*

Suffocationis Hypochondriacæ in Viro exemplum.

Suffocatio Hypochondriaca, quæ in fœminis vulgò Hyſterica vocatur, quo jure quâve injuriâ nunc non dicam, in Viris ſanè notari meruit. Etſi autem tria mihi ſuppetant ejuſmodi affectus in Viris exempla, unum alterumque in Sacerdotibus paganis Cimbriæ noſtræ, tertium vetus jam & obſoletum tyronique mihi ex diſcipulatu cognitum, tamen hujus duntaxat memoria inter ſchedas mihi reperta, noviſſimis illis duobus, quorum unum rarioribus, quantum ſuccurrit, ſtipatum erat circumſtantiis, inter migrationis itinerumque longinquiorum turbas diſperditis. Ita autem ex commentario ſonat, quam nunc recenſeo, hiſtoria. Vir certus, quatuor & quadraginta annos natus, Saturninæ indolis, fortunæque adverſæ caſibus excipiendis minus idoneus in Noſodochium inferebatur Leydenſe, operam Medicorum imploraturus. Itaque rogatur, morbi initium & accidentia recenſeret, quod ille non gravatus fecit. Accidit autem, ut inter alia de noxiâ ſibique valde incommodâ gulæ ſtrangulatione & mole in eam intruſâ conque-

que-

quæreretur; ſed antequam hoc contingat, per Epigaſtrium & Hypochondria flatus mirâ volubilitate detonare, qui ſi in alvum deſinant, minus eſſe à ſtrangulatu periculi, ſi retineantur, ſurſum ad gulam reflecti, & poſt præcordiorum anguſtias ſpiritum quoque intervertere; in hoc ſtatu tamdiu ſeſe verſari, donec vel Naturæ robore aut medicinis rupta flatuum viſcoſitas commeatum laxaverit ructibuſque viam fecerit. Hæc morbi facies jam ab aliquot menſibus ægrum diſtinuerat, & quamvis aliàs, ſi taciturnitatem melancholicam exceperis, ingenio eſſet acri, vitaleſque functiones mediocriter valerent, ab operis tamen textoriis, quod erat hominis opificium, abſiſtere ſeque lecto affigere cogebatur. Nihil autem magis dolebat, quàm pertinaces alvi obſtructiones, quæ nec duriſſimis medicamentis abigi poterant, adeò & pituita & quidquid erat humoris auſteri inteſtina pituitæque vias conſtrinxerant. Dulcia omnia averſabatur, quippe quæ ſibi noxia uſu intellexiſſet; ſimul ac ad triſtia cogitatione prolaberetur, in propinquo Paroxyſmus. Verbo, omnia, ſi mentis immunitatem prætereas, tam commodè muliebre illud vitium Symptomatum affinitate exprimebant, ut niſi ſexus diverſum ſuaſiſſet, ab Utero profectum juraſſes. Uterina ſola malum levabant, odores quoque ingrati Aſæ fœtidæ, Caſtorii, & Salium Urinoſorum in partem ſolatii veniebant. At noſtris quidem auſpiciis non in totum reſtitui potuit, tùm quòd tempus nimis breve nacti eſſemus pro illo morbo, tùm quòd cum animi triſtitiâ, quæ originem malo dederat, uſque conflictaretur: erant tamen Paroxyſmi multis partibus leniores quàm pridem, neque metuebamus, ne in horribilem mulierum ſuffocationem tranſirent, ſexu & naturâ corporis ſatis validi hoc prohibentibus. *Johan. Nicol. Pechlinus in Obſervationib. Phyſico-Medicis.*

SVGGILLATIO

Vid.

CORNEAE MORBI.

SUPERFOETATIO.

Superfœtatio (dum ſcilicet poſt conceptionem ordinariâ naturæ lege peractam, à novô coitu aliquando nova quoque & ſecundaria ſuccedit) rarum eſt contingens, inter millies millenas impragnationes & partus ſolitos juxta mandatum Majeſtatici illius: Creſcite & multiplicamini, ſubſequens. Cùm autem miſerè exerceat nondum exercitatos juniores, ac puerperio adſiſtentes fæminas, nec multum in hiſtoriis Medicis de hac tradatur, lubet ſequentia producere. Fæmina 26. annorum, vegeta, fætum ex uteri ergaſtulô, orbis amplitudini exhibitum, expectat quot horis horam à primo ac cæleſti conjugii Autore ipſi ad hoc opus deſtinatum, & tandem parit filiolum methodo fœminis conſuetâ, ſanum, hunc ſimul inſequente ſuâ ſecundinâ, ac lochiorum ſolitorum portione; proinde hilari mente ſibi quoque gratulatur de illô naturæ debitô (cujus gratiâ mulieres beatas ſolatur ac honorat Sacra Scriptura (abſque majore moleſtiâ perſolutô. Verùm quid fit? Reſtat inſignis abdominis tumor, motus inibi manifeſtè ſenſibilis, dolor alternans, lochiaque partim retenta; puerperâ tamen vegetâ obambulante. Obſtetrix præſagit, à Geminis alterum mox quoque eſſe proditurum; ſed ſtatu unô eôdemque per biduum ita perſeverante, hæret Lucinæ cum Conſiliariis fœmininis aqua; Propterea me accerſiri curant; Puerpera præprimis ulteriorem partum expectans non ſine cordolio queritur, quòd quaſi ſola inter millenas mulieres peccaverit, dum non experiatur hilare illud fatum gravidis ac puerperis aliàs commune. Sed bonô animô eandem cum adſtantibus eſſe juſſi, indicans, expectandum eſſe ſuperiùs notatum ſuperfœtationis finem, priore partu non minùs jucundum futurum; addebam non minùs jocô ſeriô, hæc animô eô generoſiore eſſe toleranda, cùm hujus ſuæ fortunæ ipſamet fuerit fabricatrix, per coitum fæcundum ſcilicet unô plurem peractum vel admiſſum. Mente itaque ſic compoſitâ, ac tranquillâ ſeptimô demùm à priore partu die exit alius puellus, hunc juxta mandatum naturæ inſequente ſuâ ſecundinâ, lochiiſque reſiduis ſuum penſum abſolventibus; & hucuſque, dum hæc ſcribo, vivit Mater cum bigâ filiolorùm ſanâ ſana. Inter illa partus interſtitia dedi ſaltem aliquando, pro roborandô Archæô, tincturam corallorum, eſſentiam mumiæ alcalicam, eſſentiam terræ catechu, item alternatim pulveres è præparatis, quæ vocantur, v. gr. ebore, unicornu foſſili, coralliis, additâ cinnabari meâ fixatâ. Septimanâ hanc inſequente, in eâdem plateâ in domô jam dictæ fœminæ è regione aliâ habitans idem planè experiebatur fatum, quod modò retuli, aliaſque rariſſimè accidit, ſuperfœtatione ſexto ad ſeptimum die itidem ſuperveniente ſine aliquô incommodô. *D. Gabriel. Clauder. Ephem. Germ. Decur. 2. Ann. 7.*

Superfœtationum alia Exempla.

Uxor cujuſdam Chirurgi Amſtelodamenſis *Ann. 1686.* infantem robuſtum & viventem peperit: Sex horis poſt hunc partum, in lucem quoque edidit embryonem minimum, ac quaſi unius menſis, in quô notatu fuere digna, primò, quòd funiculus umbilicalis tot hydatidibus refertus, ut totus videretur concatenatio veſicularum aqueô humore refertarum. Unde hoc? Secundò, placentulam tantæ magnitudinis & craſſitiei inveni, ut in fætu trium menſium raro craſſiorem & majorem repererim *Frideric. Rhuyſch. in Obſerv. Anatomico-Chirurgicis.*

In muliere rarò evenit ſuperfœtet, ſed factum tamen aliquando eſt, inquit Philoſophus. Plinius adſtipulatur. Et libro integro de ſuperfœtatione ſcripto, ut omnes taceant, hoc irrefragabiliter teſtatur divinus Medicorum Magiſter. Interim ſuperfœtationis natura & ratio tantis difficultatum involucris eſt implicita, ut plerique eam fieri non poſſe exiſtimârint: ſed audiendi non ſunt, inquit Laurentius. Nequaquam audienda eſſe iſta ſpeculationi ſuæ tam addicta ingenia, ut quæ ipſi, quomodo fiant, non percipiunt; audacter, dicam, an impudenter negent; omnemque denegent fidem viris quantumlibet probis, qui ſe, vel vidiſſe, vel expertos

pertos eſſe confirmant ea, quæ ipſorum excedunt ſcientiam. Cùm ergo ſuperfœtationem dari præter antiquos clament Laurentius, Sennertus, Nicolaus Florentinus, Paulus Pereda, innumerabiles alii: & tamen pervicaces iſti longe petitus, vel tantùm auditu cognitas ogganniant eſſe hiſtorias, volui hîc etiam extare luculentum ſuperfœtationis exemplum. Qui teſtimoniis tot & tantorum virorum non convincuntur, veniant & videant duo penes me ſceleta geminorum uno partu editorum, quorum alter octo erat menſium, alter quantum nunc ex oſſibus apparet, & tunc, cùm carne veſtita mihi offerebantur, ex toto corporis habitu apparebat, quartum menſem nondum attigerat: quod etiam figura appoſita ſpectatorem liquidò ſatis docebit.

Quamvis non multæ aliæ exiſterent ex obſervationibus rarioribus utilitates, hoc ſaltem haberemus, ut neotericorum experientia fidem aſtrueret veterum ſententiis, quas plerunque increduli iſti ad fabulas rejiciunt, quia nihil fere eſt rarius, quod non commentis ſuis vel illuſtrârint, vel obſcurârint, qui tum erant populorum magiſtri, Poetæ. Quorum allegoriæ, dum rerum veritatem quidem explicarent jucundius, factum eſt, ut populus adhæteſcens externo parabolarum cortici, nucleum, qui ſub iis latebat, negligeret: ideo quæ de Alcmenæ Herculem & Iphiclem patientis ſuperfœtatione myſteriose magis, quàm vere ab iis dicuntur, non attuli: ne parabolica iſta, tam claris experientiis objicerent tenebras dubitationis. *Theodorus Kerckringius in Spicilegiô Anatomicô.*

In ſuperfœtatione Conſilium.

Juvenis Mulier, 30. annum agens, totius & uteri, temperamenti calidi & ſicci, uterum ſiccum ſemper habens, excepto menſtruorum tempore, gracilis habitus, & ſalax, tardè Viro nupta, tandem verò robuſtum adoleſcentem ſortita, cum quo frequenter maxima cum delectatione deliciis fruebatur, anno elapſo peperit filium; mox rurſus concepit; & tandem jam ab octo diebus fœtum naturalem peperit maſculinum, feliciter quidem cum ſecundina; verùm poſt partum ventre adhucnum tumido, cum manifeſto ac frequenti motu ex una ad alteram abdominis partem, & lochiis primò ſolùm die expurgatis, inappetentiam quodammodò patitur. Medici autem adſtantes utrùm alter in utero fœtus deliteſcere poſſit, à nobis quærunt, & de agendis conſulunt.

Alterum fœtum in utero habere juvenem hanc, facilè credi poteſt, ſi primò conſideremus ejuſdem temperamentum, tùm totius, tùm potiſſimum uteri, calidum & ſiccum; quem fœtum, non cum nato gemellum, nec eodem tempore, ſed per ſuperfœtationem conceptum fuiſſe cenſemus; quæ licèt contingat, quia aliquando poſt primum conceptum non claudatur os uteri; in hac tamen ſalaci Muliere, quæ Viro ſuo frequenter concubuit, veriſimile nobis eſt quod licet os uteri à primo conceptu occluſum fuerit, ob magnam tamen in coitu voluptatem rurſus hiare potuerit, ita ut ſuperfœtatio ſit ſubſequuta; quam non in medio uteri conceptam fuiſſe credendum, ſed in alterutro cornu; namque ſi in medio, à primo fœtu & veteri jam excluſo expulſa fuiſſet. Superfœtationis verò ſigna, præter jam enarrata, hæc ſe produnt, nimirum aliquis ventris dolor, inappetentia, & omnium maximè ventris intumeſcentia ſuperſtes; ſicut vitalem atteſtatur motus de loco ad locum, qui neque in extincto fœtu, minus verò in carnoſa mola perciperetur. Neque caſus impoſſibilis, licet rarus eſt ſuperfœtatio; ſiquidem contigit Uxori Gorgiæ in Lariſa. Quam admittit quoque Ariſt. narrans Herculem & Iphiclem fabulosè uno partu natos. Nota & apud Plautum Amphitryonis fabula; prout & Plinius narrat de Proconeſia ancilla, quæ & Domino & Procuratori filium genuit. Sic refert Nicolus fœminam quandam peperiſſe maſculum, & poſt tres menſes alium, amboſque vegetos vixiſſe. Dodonæus verò narrat aliam Mulierem peperiſſe maturè filium, & poſtridiè alterum quadrimeſtrem. Rouſſetus, quod Mulier quædam tres filios ſimul geſtaverit, quorum unum peperit circa quintum menſem, alios duos poſt octavum. Scribit Bauhinus, quod Mulier feliciter puellam peperit: ceſſante verò puerperio alterum filium. Et tandem Saxonia, memorat Nob. Mulierem filium peperiſſe nono menſe, perfectum: octo verò poſt dies alium non ita perfectum & quindecim diebus poſt duos alios. Neque credimus, cum Braſavolo ſuperfœtationes epidemicas dari; eo quod ſit adeò rarum, ac proindè, ex Cardano, opus habeat cauſis communibus atque efficaciſſimis; propriam ſiquidem & adæquatam cauſam aſſignat Ariſtoteles, his verbis. Sicut ex uno coitu plures infantes concipiuntur; ita & ex diverſis congreſſibus plures fœtus, unde ſuperfœtatio. Quare, cum cauſam manifeſtam habeamus, non eſt quod occultam ſolliciti quæramus.

Eſt affectus mulieribus rarus, nec leve matri incommodum, & aliquando periculum afferens; præſertim niſi ſtatim à primo conceptu ſecundus edatur; etenim in caſu noſtro, à lochiis retentis ventriculi afflictiones & præfocationes, & pravæ nutritiones, & febres ſuboriri poſſunt; præterquàm quod duplicis ſecundinæ excretionem, largior & copioſior ſanguinis effluxus ſequi ſolet. Attamen, quia fœtus vivit minus periculoſa cenſenda, potiſſimùm cùm moleſta ſymptomata non ſupervenerint, quæ mortuum fœtum, aut carunculam in utero comitari ſolent.

Quare naturæ negotium omnino committendum; tunc enim tantummodò erit partus adjuvandus, quando primò natura parturitionem tentaverit, moderatis quidem, ſi fœtus vivat: validioribus verò, ſi mortuus ex propriis deprehendatur ſignis, prout & violentioribus quoque uti ſolemus in carnoſa mola & caruncula.

In reliquis, hoc rerum ſtatu, nil agendum, niſi quod ſi abdomen nonnihil laxatum fuerit à partu primo, adeò ut ſecundum fœtum ægrè continere poſſit, faſciis ventrem ſuſtentare bonum ſit; ne peritonæo nimis laxato, & aliquando abrupto, excitetur hernia.

Hoc autem tranſacto partus periculo, vitanda fuerit ab hac Muliere ſuperfœtatio; poſt primùm conceptum a coitu & laſcivis amoribus abſtinendo. *Raymund. Joh. Forth in Conſultationibus ſuper Mulierum morbis.*

SVPERPVRGATIO
Vid.
HYPERCATHARSIS.

SVRDITAS.
Vid.
AVDITVS LAESIONES.

SYNANCHE.
Vid.
ANGINA

SYDERATVS MORBVS.
Vid.
APOPLEXIA.

SYNCOPE.
Vid.
CORDIS MORBI.

SYNOVIA.
Vid.
IVNCTVRARVM MORBI.

Finis Libri XVI.

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

De Morbis à Litera T incipientibus.

TABES
Vid.
ATROPHIA.

TALPA ET TESTUDO.

I. ALtum inter Veteres de Tumoribus hiſce fuit ſilentium, atque illorum ne ulla quidem ab Illis unquam facta eſt mentio; Hæc tamen Nomina à Recentioribus excogitata ſunt.

Teſtudo, ut inquit Guido, eſt Abſceſſus magnus, humoralis, mollis, & latiori formâ in modum Teſtudinis, unde denominationem ſumpſit. Alii tamen definiunt Teſtudinem, quod ſit Tumor mollis, vel non valdè durus, ſatis autem magnus, in quo pinguis materia, tunicâ quadam incluſa continetur, quæ Calvariæ ita inhæret, ut ipſam plerumque vitiet. Talpa verò, ſive Topinaria Guidoni & Aliis dicitur Teſtudinis ſpecies, & inquiunt eſſe Teſtudinem ipſam in Capite ortam.

II. Igitur *Teſtudo* ſeu *Talpa*, ſive *Topinaria* dicta, eſt Tumor in Capite, ortus ex impuris, viſcidis, glutinoſis, acri-ſalinis, nec non acidoacribus humoribus, è ſanguine ibidem depoſitis, atque intra Cranium & Cutem corrumpentibus, Teſtudinis ſeu Talpæ formam referens vel terræ à Talpa egeſtæ ſimilis. Sunt autem hujuſmodi Tumores vel cum, vel ſine exulceratione, & cranii eroſione; atque ſubſiſtunt plerumque Cranium inter & Cutem, aut nonnunquam inter binas Cranii tabulas in Diploë, hinc ad craſſam uſque Menyngem totum Cranium non rarò eroditur.

III. Materia ergò Tumorem hunc faciens eſt Humor viſcidus, glutinoſus, acri-ſalinus, & acido-acris, exedens, Calvariam non rarò erodens, in eaque Cariem excitans. Cauſæ verò Antecedentes ſunt dicti humores in corpore redundantes, qui in Capitis partes depoſiti exedunt, & ad ſubjectam uſquè membranam Carie frequenter Calvariam erodunt.

IV. Signa quibus dignoſcitur hic affectus ſunt, Tumor mollis & latus, Teſtudinis vel Talpæ ſimilitudinem referens.

V. Eſt autem periculoſus hic Tumor, ne Cranium erodat atque corrumpat. Qui tamen eſt abſque Cranii eroſione & corruptione facilius curatur, quam qui Calvariæ corruptionem ſeu cariem jam induxit. Et ſi magna adſit Cranii corruptio, præſtat Patientem dimittere, atque Curationem non aggredi: vel ſi ſuſcipere Curationem coacti ſimus, curâ tantum palliativâ uti oportet.

VI. Sed quanquam Teſtudo ſeu Talpa nonnunquam ſit ſine Calvariæ eroſione & carie, aliquando cum Cranii carie & corruptione; utriuſque tamen Curandi ratio communia habet præcepta. Primum in univerſalibus conſiſtit, *hoc eſt*, in Cauſæ Antecedentis correctione, ac eductione legitimo rerum nonnaturalium uſu, Remediiſque uſurpatis generalibus, haud ſecus ac de Oedemate curando diximus.

VII. Secundum præceptum conſiſtit in Materiæ intra Tumorem contentæ evacuatione, dein ulceris mundificatione, hinc partis affectæ conſolidatione. Id aſſequi debemus, vel Reſolventibus, vel Suppurantibus, vel Manuali Operatione.

VIII. Si ergò Tumor ſit ſine Calvariæ corruptione, aut Ulcere, Incidentibus & Reſolventibus, Capite XI. de Scyrrho proponendis, imprimis tentanda Curatio. At Reſolvi ſi nequeat, Suppuratio promovenda impoſito hoc vel ſimili Cataplaſmate,

℞. Rad. Liliorum Alborum rec. ℥ iij. Cæparum ſub cineribus aſſatarum ℥ ij. Fol. Malvæ, Altheæ, Flor. Meliloti an. M j. Caricarum pinguium num. 12. Coctis in Aqua pura ad mollitiem, & in mortario minutim contuſis, adde Farinæ Fabarum ℥ iij. Unguenti Baſiliconis ℥ ij. Vitellos trium Ovorum M. F. S. A. Cataplaſma. Equidem perfecta Suppuratio expectanda non eſt, ſed eâ duntaxat incipiente, ne Carie inficiatur Cranium, profunda inciſione mox Tumor aperiendus, ac porrò ex arte curandus.

IX. Atqui cum Cranii corruptione ſi fuerit Teſtudo, ſentit Guido palliativa utendum eſſe Curâ: Et ſanè ſi magna ſit Cranii corruptio, ſolo utendum Prognoſtico, Æger què ita dimittendus, vel Cura ſit tantum fucata. Verum parva ſi inveniatur Oſſis corruptio, curandus erit Affectus, ut Fractura Cranii; ſc. facta inciſione, Cranium Trepano perforandum, Oſque corruptum Modiolo tollendum, vel Scalpris radendum, deinde Pars affecta detergenda, Carne replenda, eademque tandem convenit Curatio, quæ in Vulneribus Capitis cum Cranii Fractura. *Johann. Municks in Chirurgiâ ad Praxin hodiernam adornatâ.*

TARANTATI.

IN hôc morbô ſatis fuerit ſi Accuratiſſimam Diſſertationem à Præclariſſimô Virô, Dominô Georgiô Baglivô, Medicô Romanô Celeberrimô & Archiatrô Pontificio Digniſſimô, nobis amicè communicatam, attulerimus. Oculatus enim teſtis eſt eorum omnium quæ de hôc producit venenô, Terræ ſuæ Patriæ inquilinô, Vir Doctiſſimus, dum alii qui ſuper eôdem argumentô ſcripſere, nec animal viderunt, nec forſan Apuliam, cui natales ſuos debet, etiam ſalutarunt. Sit itaque illa Diſſertatio inſtar omnium.

Georgii Baglivi Med. Doct. Exercitatio Nova

De Anatome, Morſu, & Effectibus Tarantulæ Accedunt ad calcem Obſervationes & Experimenta varii argumenti: Et præcipuè de uſu, & Abuſu Veſicantium, &c.

Ad Virum Præclariſſimum, & Celeberrimum D. Joh. Jacobum Mangetum Med. Doct.

Quicunque de Tarantula ſcripſerunt Mangete Eruditiſſime, vel ex alienis dictis ſcripſerunt, vel è cerebro quamplurima depromſerunt. Nemo Apuliam noſtram, in qua hujus animalculi venenum familiare eſt & vernaculum, ne ſalutavit quidem, ſi unum excipias Epiphanium Ferdinandum; Et ideò quæ de tarantula vulgò circumferuntur, vel ridicula putant homines, vel falſa. Quamobrem, ut humanitati tuæ morem gererem, qua me adeò benigniter per litteras nupeirimè compellare dignatus es brevibus ſubindicabo nonnulla, tarantulæ indolem, & effectus ſpectantia, quæ quidem vel ipſe expertus ſum, vel optimus, ac dulciſſimus Parens meus iſque Medicus apud Lycienſes notiſſimæ eruditionis, & doctrinæ; vel demum à Conterraneis noſtris fide digniſſimis audivi. Cæterum prævideo conſultius futurum fuiſſe, & nomini, & rebus meis ſi tacuiſſem; nam cum integro hoc decennio, quo me à Patria deſtinet peregrinatio, maximis, & rei familiaris, & adverſæ valetudinis & inclementis fortunæ incommodis mulctatus fuerim (ut familiaribus meis abundè liquet) ex hac ſanè meſſi, nil aliud expecto, quam uberrimam ſegetem odii, ultionis, & iræ. Utcunque tamen ſe res habebit; talem me poſthac præſtabo, qualem deſcribit Virgilius. 6. æneid.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna ſinet?

Vel potius qualem ſe geſſit Cæſar, teſte Salluſtio oratione ad Cæſarem de Republica ordinanda. In te ò Cæſar præter cæteras artem unam egregiam, eamque mirabilem comperi, ſemper tibi majorem in adverſis, quam in ſecundis rebus animum eſſe. Quare impoſterum mihi danda eſt opera, ut nec amicis ſim incommodus, nec aliis moleſtus, ſed propria induſtria & aſſiduis vigiliis ad utiliora perveniamus; non aliter ſeveriores mentis curas relaxando, quam aſſidua morborum obſervatione, & ſolidæ methodi curandorum morborum inventione: quo pacto temperaturos fore contrarios inſultus ſperamus, ut prodicit idem Magnus Vates 1. æneid.

O paſſi graviora? dabit Deus, his quoque finem
Durate? & rebus voſmet ſervate ſecundis.

Quod ſi nec per tolerantiam noſtram adverſarii conatus lenientur, tunc forti nodo, fortiorem cuneum aptabimus; atque ex domeſtico agello, & paupertinis laribus, tanquam ex alta ſpecula inanes hominum conatus contemplabimur, contenti interea medicâ ſorte, & mente ſerena.

Ad calcem hujus exercitationis, te lubente, varia appoſui experimenta Anatomico-Practica, monitis practicis roborata, & præſertim de uſu, & abuſu veſicantium, quorum breve ſpecimen dedi ex ipſo obſervationum penu erutum. Et qualiacunque ſint tibi debentur, cujus hortata chartis utut ruditer conjecimus, eaque benigna fronte excipias, quouſque novum noſtrum Organum medicinæ, ſive Apparatus ad ſolidam Praxim lucem videat.

Interea Bibliothecam tuam practicam quamprimum bono publico exhibeas, nam cum, ut innuis locupletanda ea erit conſiliis, obſervationibus, cadaverum inſpectionibus, curationibus, & præceptis rarioribus, magnum ſanè dabis opus à nemine antehac, præfata methodo tentatum, quod quantam lucem allaturum ſit medentibus, & præſentes, & futuræ ætates fatebuntur, præcipuè quod, ſuper obſervationem, & anatomen jacta ſunt fundamenta opificii tui. Et ſi veſtigiis tuis inſiſtent. Poſteri, exculſurum fore puto, è Republica Medica ſtomma illud, quod ignarum vulgus in Medicos continuò vibrat. Gaudete ſapientes, in medicina decantantur tenebræ, & noctuæ Philoſophantur Athenis ſit itaque

Cap. I. *Etymon nominis, & Differentia Tarantularum.*

Tarentum antiquiſſima magnæ Græciæ Urbs eſt ad Jonium mare, à qua denominari dicitur Tarantula; animalculum de genere araneorum, veneni ferum; & quos ſemel momordit, utplurimum totâ vitæ periodo luctuosè affligit, niſi ſingulis annis ſaltationes in holocauſtum obtu-

obtulerint. Vocatur tamen tarantula non quia Tarenti hoc animal virulentius ſit, quam in toto alio Apuliæ tractu, nam ubique pari energiâ ſuas exerit vires. Sed ex eo potius, quod cum Tarentum Græcorum, & Romanorum ætate Urbs nobiliſſima populoque frequentiſſima fuiſſet; ibi forſitan major numerus ægrorum hoc veneno laborantium conſpiciebatur; atque exindè morboſum animal nomen deſumpſiſſe non inficerer.

Aranei nomen commune eſt omnibus phalangiis, Tarantulis, & Tetragnathis. Plinius *lib.29. cap.4.* octo ſpecies araneorum numerat. Avicennas *lib.4. Fen.5. tract.5. cap.5.* duodecim adducit. Idem Avic. *cap.9. 10. & 11.* quatuor alias numerat, quas omnes conſulat lector apud Auctores laudatos. Nos tamen majoris elucidationis gratiâ dividemus araneos in octonoculos, & binoculos, qui ad invicem inter ſe differunt magnitudine ſubſtantia, colore, pedibus, aculeis, oculorum numero.

Tarantula, eſt de familia araneorum octonoculorum, quam impræſentiarum accuratè & laconicè deſcribendam ſuſcipimus. Et licet illius hiſtoria ægris, reique Medicæ parum conferet, cum ſoli Apuliæ hoc inſectum infenſiſſimum ſit; nihilominus tamen ardua venenatorum morborum Provincia non parum lucis ſibi conciliabit ex præfata deſcriptione, examinando ſingula ſymptomata, quæ ab hoc veneno promanant, & conferendo cum aliis aliorum venenorum ſymptomatis; ut exindè diagnoſis, prognoſis, & cura venenorum ſolidior, ac naturæ methodo conformior impoſterùm habeatur. Hydrophobia namque licet effectus ſit veneni canini; attamen à *Petro Borello cent.3. obſerv.36.* viſa fuit in Muliere ex ſe, & abſque ullo extraneo canis morſu producta, ob particularem ſcilicet fluidorum humani corporis exaltationem, & miſcellam, caninæ exaltationi non abſimilem. Salmuth pariter *cent.2. obſerv.52.* abſque prævio canis morſu eamdem in malignis febribus vidit; in quibus dum apparet futuram mortem prænunciat, eodem teſte. Et ab hiſce duobus non abludit Celius Aurelianus, qui *lib.3. acut. paſſ. cap.9.* eandem abſque præcedenti canis morſu in corpore progigni poſſe, conſtanter aſſeverat. Hoc idem de veneno tarantulæ dicendum, quod affert quamplurima ſymptomata, analoga iis, quæ à chloroſi, melancholia producuntur, ut in decurſu patebit.

Cap. 2. *Indoles, & ſitus Regionum, in quibus vernaculum eſt Tarantulæ venenum, deſcribuntur.*

Quam hodie vocamus Apuliam, antiquiores noſtri Græci magnam Græciam appellabant, & generali nomine Japygiam, eamq; ſubdividebant in Dauniam, Peucetiam, & Meſſapiam, à Daunio, Peucetio, & Japygio, Lycaonis filiis, qui Apuliæ olim imperarunt; Priſca Daunia vocatur hodie Capitanenſis Provincia, quæ triplici flumine utut perexiguo alluitur, Frentone nempe, Cerbalo, & Aufido, ad cujus dextram ripam etiamnum viſuntur rudera inſignis Cannarum Oppidi, quô loci memorabilis illa & cœlo latino penè exitialis pugna inter Pœnos, & Romanos peracta fuit. Antiqua Peucetia vocatur hodie Barenſis Provincia; Demum vetus Meſſapia Lycienſis, ſive Aletina Provincia hodie appellatur. Tota hæc Regio, quam deſcripſimus planiſſima eſt ſi Garganum montem, qui in Daunia aſſurgit excipias, in quo quidem monte, eſt natale ſolum mannæ purgantis; quam vulgò mannam montis appellant; imò etiam in eo omnes fere herbæ medicinales ac ſaluberrimæ, copioſè efflorèſcunt, & quamplures Italiæ pharmacopeæ iiſdem continuò utuntur, utpote activioribus & vegetioribus.

Ab Aufido flumine (vulgò fiume d'Ofanto) uſque ad promotorium Salentinum, ſive S. Mariæ ad leucas quo tractu Barenſis, & Lycienſis Provincia comprehenduntur, inſignis, ac prorſus mirabilis planities per centum quinquaginta circiter milliaria Italica extenditur ibique nulla flumina, nec aquarum rivuli campos alluunt, ſed omnia adulti Jovis caloribus vehementer fatigantur.

Regio prænotata ad Orientem ſita eſt, ventiſque Orientalibus & aquilonaribus obnoxia; æſtate illic imbres rariſſimæ; qua de re; imò etiam ob viciniam Orientis; æſtate exurentiſſimis ſolis ignibus torretur Apulia hiſque aliud reſpirant homines, quàm auram ex ardenti velut clibano emanantem. Hoc tamen Lycii, & adjacentibus oris obſervamus, quod paulò ante, & poſt meridiem frigidiuſculas auras ſpiret Favonius, ab Adriatico mari venientes; quibus urentis caniculæ impetus ex parte temperantur. Huic climatis temperiei analoga eſt illa Incolarum; generaliter enim Populares illi ſunt aduſti temperamenti, nigris capillis, ſubfuſco, quandoque ſubpallido cutis colore præditi, macilenti, impatientes, impetuoſi, inſomnes, acumine mentis quammaximo præditi; ad diſcurſum veloces, ad operationes promptiſſimi ardentiſſimis febribus, phrænitidi, pleuritidi, dementiæ, aliiſque inflammatoriis morbis obnoxii: æſtateque tanta eſt vehementia caloris, ut plurimos viderim in ſummam impatientiam, ac ferè in dementiam actos.

Licet Apulia præfatis incommodis fatigetur, ex adverſa tamen incredibili ubertate telluris, ſalubritate aëris puri, ſicci, ventilati, nullo ſqualore, nullis paludibus conſpurcati; amœnitate maris piſcium & carnium cujuslibet generis affluentiâ, nulli prorſus Italiæ Regioni cedit. Et verum fateor, me nullibi per Italiam, Dalmatiam, &c. ſuaviorem odorem, ſaporemque in comeſtibilibus, quam in Apulia deprehendiſſe.

Vina illic penè omnia nigra producuntur, ſuntque flagrantiâ, nimiſque vehementiâ, imò magis pro balſamo ad vulnera, quam pro deliciis ad convivia inſervire videntur. Apulia Barenſis triticum, & amygdalas maxima ubertate producit, & reputatur communiter principale Italiæ, adjacentiumque Regionum horreum. Lycienſis Provincia, oleo & vino uberrimè luxuriat; oleumque ad exteras quaſque Nationes tranſuehitur, primas inter omnia Italiæ olea obtinendo. Arbores delitioſæ & amœnæ ut platani, populi raro hîc vegetant, ſed per campos oliva, vitis, & triticum luxuriant, & per cætera inculta arva roſmarinus, ſalvia, thymus, pulegiumque copioſè efflorèſcunt, ſuntque ordinaria animantium paſcua.

In hac igitur Regione, præfata hominum, climatis & telluris temperie prædita, cujuſque Geographicum iconem prima figura repræſentat, naſcitur Tarantula, animalculum frigoris impatiens, & hyemante cœlo vix unquam viſibile, ſub terra namque occultatur, eoque tempore nullis veſcitur alimentis, ut conjectari licet. Neapoli elapſo ſexennio quamplures, phialæ terrâ ſemiplenæ occluſi, vixeruntque ità, abſq; ullo cibo per quamplures dies, imò & menſem.

Licet inſectum hoc hominibus, aliiſve animalibus infenſiſſimum ſit, illi tamen eſt magis hoſtile aliud animalculum, adinſtar Veſpæ in dorſo variegati coloris, in ventre verò nigricantis, quam continuas inſidias tarantulæ ſtruit cæteriſque hujuſmodi araneis, avide quærit, occidit, & depaſcitur. Quod magis tamen mirum ipſæ tarantulæ inter ſe hoſtiles ſunt; Et ſi in aliquo vaſe decem, vel duodecim vivæ ponantur, ad invicem occiduntur, quouſque una tantum viva remaneat; uti pluries in Apulia, & Neapoli expertum eſt; imò ſi duæ dumtaxat in aliquo vaſe vivæ reponantur, altera alteram interficit, & comedit brevi temporis intervallo. Hyemante cœlo in ſpecubus ſuis latent tarantulæ; appetente verò æſtate è latibulis prodeunt, arva incolunt, & viatoribus infeſtæ ſunt. Ruricolæ noſtri quando eas captare volunt, latibulas illarum adeunt; in quibus ſi ſtationantur, tunc tenuiſſimæ avenaceæ fiſtulæ ſonum ſubtiliſſimum modulantur, apum murmuri non abſimilem, quo audito foras exit tarantula, ut muſcas, & hujuſmodi alia inſecta, quorum murmur eſſe putat, captaret; captatur tamen ipſa ab inſidiante Ruſtico. Si verò tenue vibice motum, ac gratioſum ſibilum efficias, & exindè vibicis apicem ad oram latibulæ appones, confeſtim videbis tarantulam, è ſpecu prodeuntem, & ſúper vibicem aſcendere: quo pacto etiam à popularibus illis captantur.



Cap. 3. *Anatomes Tarantulæ.*

Tarantula eſt de genere araneorum, ſeu phalangiorum, eamque in 2ª. & 3ª. figura accuratiſſimè, & ad vivum delineatam invenies.

Octo pedes habet: quatuor hinc indè ad latera, & ſinguli pedes ternis internodiis donantur: duo anteriores pedes videntur minores cæteris ſex pedibus; quæ quidem magnitudinis pedum varietas familiaris eſt omnibus araneis; nam modo anteriores poſterioribus, modò hi anterioribus longiores, vel bréviores ſunt, putarem equidem tum ad agilitatem, tum ad variè conficiendas telas id factum eſſe à ſummo Opifice.

Tarantulæ apulo magnitudo æquat vel ſuperat magnitudinem glandis, eſtque illius molis quam figura 3ª. & 2ª. repræſentant. Corpus tarantulæ dividitur in duas partes principaliores, thoracem nempè, & ventrem, quæ quidem veluti abinvicem ſejuncta obſervantur, tenui tamen ligamento, ſeu nodulo thorax ventri aptatur. Caput à thorace, & humeris nullo prorſus diſtinguitur ſegmento, ſed una, & eadem ſunt continuatio.

In capite primo occurrit os à quo duo tela prodeunt ſimilia forcipi hamato. A A. quorum apex acutiſſimus eſt, eaque ratione facillimè in carnem penetrant, & videntur eſſe veneni emiſſaria. Subſtantia telorum cruſtacea ac friabilis, & in maribus tarantulis firmiora acutioraque ſunt; in fœminis è contra fragiliora, & obtuſiora. Poſt tela ſeu forcipes

pes occurrunt duo parvula cornua, ſeu antennæ duæ B B. quæ propè illos oriuntur, duoque habent internodia: Extremus harum antennarum apex in maribus latior eſt, & craſſior, è contra in fœminis acutior, & ſubtilior, ut in figura delineavimus; antennas has continuò, ac ſtrénuè dimovent hinc inde, præcipuè quando propinquiores ſunt prædæ.

In capite octo oculi obſervantur quod familiare eſt ſingulis phalangiis, & araneis majoribus fila texentibus, uti noſtra tarantula; cæteri verò qui binoculi ſunt fila non texunt, quantum huc uſque obſervare licuit; Et à prioribus diſcriminantur in magnitudine, figura, ſubſtantia, membrorum proportione. Oculi læves ſunt, & lucidi, nec monticulis ſive tuberculis exaſperati, ut in aliis inſectis obſervari ſolet.

Quatuor ex præfatis oculis majores ſunt, & duo hinc inde ad latera capitis ſituantur, abſque mycroſcopii ope facilè viſibiles: Quatuor reliqui minores ſunt, & lineâ parallelâ ſub primis diſpoſiti, vixque niſi per mycroſcopium obſervabiles; oculorum color quandoque niger, quandoque ſubcæruleus. Sed quare hæc oculorum multiplicitas in tarantula, cæteriſque araneis octonoculis obſervetur, me ſanè latet, niſi aſſerendum eſſet, id neceſſarium futurum, ut faciliori texendarum retium commodò conferrent; nam binoculi aranei, qui retes non texunt, tantâ oculorum multitudine privantur.

Octonoculi aranei alvum habent, quæ non exiguâ inciſurâ à pectore dividitur; Et in ano nonnullæ eminentiæ, ſeu apendices obſervantur quæ ſunt veluti emiſſaria filorum, texendis retibus, inſervientium.

Tarantula piloſum animal eſt, pilique inſignitur prominent per totam corporis peripheriam. Color externus corporis varius eſt; nonnullæ enim æmulantur colorem coturnicum, nonnullæ cineritio, vel ſubalbido colore incedunt; aliæ ſubnigro adinſtar coloris pulicum, demum nonnullæ maculis hinc indè ſtellatis interſperguntur. Tarantula coturnicei, vel ſubalbidi coloris ventrem habet rotundum os parvum; ſtellata verò, ſive lineis lucidis interſtincta dorſum habet acutius Cutis earum mollis eſt in maribus tamen durior ſed ad cruſtaceam ſubſtantiam prorſus non accedit.

De internis viſceribus hic ſuperſedeo aliquid proferre, nam præ friabilitate, & mollitie, vix ullam doctrinæ lucem fænerare potui; Meditor animalcula hæc in aquam aliquam ſubſtipticam immergere, ut itâ conſolidatis parumper partibus, manuum operationi reſiſterent. Hoochius namque in ſua micrographia *obſerv.* 47. affirmat de araneo longipede, illum ſcilicet marino cancro in omnibus perſimilem eſſe; & interna pariter viſcera cancro marino non abſimilia ſe deprehenſurum arbitratur, ſi fragilior illius ſubſtantia ſectionem admiſiſſet. Imò inter interna viſcera deprehendentur pariter filorum conceptacula, qualia in Bombycibus obſervavit præclariſſimus, ac celeberrimus Malpiphius, cujus hodie inſigni utor humanitate. Aranei octonoculi hoc pariter peculiare habent, quod ſcilicet excrementa continuò liquida ejiciant; E contra binoculi ſemper ſolida eadem egerant, utut utrique muſcis, & hujuſmodi inſectulis veſcantur.

Cap. 4. *Vaſa ſeminalia, Ovum, & Generatio Tarantulæ expenduntur. Ubi obiter nonnulla de ovis oſtrearum, & de ſemine animalium aſſeruntur.*

Sicut animantia cætera, itâ pariter & tarantula ex ovo ſuam ducit originem, & per ovum ſpeciei propagationem perpetuat. Mas, & fœmina in ſpecie tarantularum mutuo gaudent conſortio, vaſaque ſeminis proportionata habent. Fœmina ſcilicet ovarium; mas verò organa prolificum ſpiritum generantia, imò & penem, qui exurgit ex media commiſſura thoracis, & ventris eſtque nigricans, intortum, & formâ referens muſcæ aculeum ut obſervavit in araneis quoque Severinus in ſua Hootomia. Mares obſervantur minores fœminis ſicciorique ſtructurâ præditi; illæ verò pedes habent longiores, agilioreſque ad motum; cæterum quæ ad exteriorem texturam ſpectant, omnia habent communia.

Hæc animalcula coëunt appetente Junio menſe ſeu mavis in fine Veris, & initiis æſtatis: quo tempore ſingula animalia prolifici ſeminis turgentiam perpetiuntur. De coitu araneorum in genere hæc tradit Ariſtoteles *lib.* 5. *hiſt. animal. cap.* 8. Cum fœmina deductam araneam traxerit, mas eandem mutuo trahit, qvod ubi ſæpius fecerint; coëunt, & averſis clunibus copulantur nam propter aliud orbiculatam modus hic coëundi ii convenit hæc ille? An ita àuverſè, an verò os ori jungendo coëant tarantulæ adhuc mihi obſervatione non conſtat.

Si gravida tarantula ſecetur ovarium in ea invenies, ex folliculis plenis ovulorum coagmentatum. Cum autem circa æſtatis initia ova hæc fœcundantur turgenti ventre conſpicitur tarantula, qualem in tertia figura delineavimus; Et poſt nonnullos à fœcundatione dies parturit ovulorum folliculum ſeu maſſulam ovulorum plenam, qualem quarta figura repræſentat.

Maſſula hæc, ſeu ovorum folliculus quem parturit tarantula coloris eſt cærulei, ſeu cæleſtis, ad differentiam ovarii cochlearum, quod ſubflavi, ac veluti ſplendentis coloris eſt. Poſtquam peperit præfatam maſſulam eam avidè pedibus amplectitur, & itâ amplexam per 12. vel 15. vel 20. continuos dies detinet, ac deinde deſerit in campis, quouſque ab ulteriora ſolis æſtuatione maturata ovula excluduntur.

Tarantula parit ova modò, quo cæteræ araneæ, & emiſſarium ovorum propè alvum eſt; quod etiam Aldrovandus vidit de inſectis *fol.* 615. uti hæc habet. Obſervavi item ſub captæ araneæ alvo magnum ovorum cumulum, adeò exiguorum, ut atomis liceat comparare, erant autem candida, & digito compreſſa crepitum edebant; hæc ille? Non evadit fœcunda ta-

tarantula niſi peracto anno uno, vel biennio ad ſummum, quo tempore ad perfectam magnitudinem fœcunditati opportunam increbuit. Tempore coitus mas cum fœmina dulce ducunt conſortium, idque tamdiu faciunt, donec fœmina proxima partui fuerit, quo tempore marem non amplius conſpicimus, utut fœmina toto æſtatis tempore plurimos, & plurimos pepererit ovulorum folliculos.

Folliculus ovulorum, quem parit tarantula æquat, quandoque ſuperat magnitudinem & figuram lupini, eſtque prorſus illius magnitudinis, quam exhibet quarta figura. Et ſi per medium ſecetur folliculus intus invenies ingentem ovulorum copiam, ità ut centeni quandoque & amplius obſervati fuerint; Ovula hæc quandoque confuſè, quandoque regulariter inter ſe diſpoſita ſunt invicemque circumplectuntur tenuiſſimis, & friabilibus filulis; imò, & muco quodam obliniti, majoris adhæſionis gratiâ; folliculumque ſectum quinta figura repræſentat.

Ovula hæc ſeorſim ſumpta æmulantur magnitudinem grani milii, quandoque ſeminum papaveris albi, ſuntque rotunda undiquaque. Ovulorum exterior membranula tenuiſſima eſt ac friabilis, intra quam minimum araneoli automa, minimaque corporis ſtamina abſconduntur, ab ulteriori ſolis actuatione demum manifeſtanda. A primo ovulorum partu uſque ad perfectam eorundem maturationem & totalem araneolorum excluſionem plures dies intercedunt; quandoque enim in æſtuoſiſſimo Apuliæ ſolo poſt 20^{m}. diem, quandoque ulterius ova maturantur, & araneoli excluduntur, citius, vel tardius prout campeſtrem, vel montanam Apuliæ Regionem inhabitaverit tarantula.

Cùm de ovulis animalium præſenti capite inciderit ſermo, non abs re erit paucula de ovis oſtrearum proferre, utpotè quarum propagatio adhuc obſcura ſit apud Philoſophantes. In advectis elapſo Majo Neapoli Romam vivis oſtreis, dum contemplarem lac illud, quod intra illas fluitat, & obſervationes acutiori microſcopio pluries intenderem deprehendi tandem lac illud, nil aliud eſſe, niſi congeriem minutiſſimorum ovulorum, ſeu minutiſſimarum oſtreolarum, ſucco cuidam mucaginoſo, ac veluti reſinoſo confuſarum. Imò ſi inter duo vitra pellucida portio illius lactis concludatur, & deinde lumini objiciatur microſcopioque trium lentium obſervetur, manifeſtam motus oſcillationem in illius particulis deprehendes; quaſi eſſent futuri animantis prima motus inchoamenta.

Lac pariter recens è capra emulſum ſuper vitrum modò præfato extenſum & trium lentium microſcopio obſervatum repræſentat infinitam minimulorum globulorum copiam agiliſſimè hinc indè ſe moventium, motu perniciſſimo; diſtinctioremque hunc motum intueberis ſi lacti parum aquæ admiſceas, quo ſcilicet fluidius evadat: Præfatum motum vividiſſimum in globulis lactis obſervavi etiam 2^{a}. 3^{a}. & 4^{a}. ab emulſione die, quouſque ſcilicet non aceſceret, & corrumperetur.

Hanc eandem vividiſſimam & agiliſſimam motionem microſcopio trium lentium obſervavit amicus quidam noſter, in ſemine à cane ſtatim emiſſo; cujus quidem particulæ repræſentabant figuram piſcis (vulgò peſce lucerna) magnum caput habentis, & ſenſim ſe extenuantis ad caudam uſque & hinc indè ad latera proprediebantur, ut à præfato Viro audivi.

Sed ad oſtrearum lac redeamus, quod diximus ſuperius nil aliud eſſe, quam congeriem infinitorum ovulorum ſeu minimarum oſtreolarum, reſinoſo ſucco immixtorum ut acuto microſcopio in vivis, iiſque grandioribus oſtreis obſervavimus. Cuinam verò inſerviat albidum illud, ac mucidum gluten ovulis interſperſum; me ſanè latet niſi aſſererem ad id factum eſſe, ut ſcilicet non ſolum conciliaret vegetum, ac veluti balſamicum quendam madorem tenellis oſtreolarum fœturis, ut exindè vegetius creſcant, & diſponantur tenella illa futuri animantis ſtamina; verum etiam ut minimas illas fœturas, jam à matre emiſſas, glutinis adinſtar ſcopulo, lapidibus, ligniſve firmet & agglutinet: quo pacto ventorum, & fluctuum inſultibus potenter reſiſterent, & per conciliatam firmitudinem ad debita incrementa perducantur.

Cap. 5. *De morſu Tarantulæ.*

Nec cuilibet Regioni, nec quovis anni tempore exitioſa eſt tarantula, ſed tantummodò Apuliæ noſtræ, idque per ſolius æſtatis decurſum præſertim urente caniculâ. Hyeme ſi mordeat, non officit; & quod magis mirum tarantulæ illæ, quæ montes ad Apuliam terminantes inhabitant, ſi mordeant, ulla prorſus damna inferre obſervatum eſt. Infeſtæ igitur ſunt illæ, quæ Apuliæ campos accolunt æſtivo tempore, quarta tunc ab urentiſſimis ſolis ignibus venenum illarum exaltatur, & hinc in rabiem actæ, quoſcunque ſibi obvios impetunt.

Non ſolum hominibus, ſed aliis quoque animalibus perniciosæ ſunt tarantulæ; quod etiam adnotavit Ælianus *lib.*1. *cap.*8. ubi aſſerit, cervis eſſe noxias, quibus hedera pro medela eſt, quam nil brevi comederint, moriuntur. Earum ictus perniciosiores putantur à noſtratibus, eo tempore, quo coëunt, ideſt circa initia æſtatis, exaltato ſcilicet veneno & ob veneris, & ob æſtivi caloris furores; quod de aliis quoque animantibus vulgò circumfertur. Verumtamen tam concubitus tempore, quam per æſtatis decurſum ſummè veneficus eſt earundem morſus.

In Apulia Barenſi meſſores, aut Venatores utplurimum aggrediuntur. Illic enim vaſtiſſima camporum planities, oculo meherclè gratiſſima, præſertim dum tritico uberrimè luxuriat ſpectatur. Et cum ibidem rariores ſint arbores ac nulli prorſus in campis vegetent, tellus illa vehementiùs torretur, ac inflammatur à ſolaribus radiis, atque hoc nomine tarantulæ à caloris impetu magis laceſſitæ rabidiùs mordent meſſores, viatoreſque, quorum primi præ cæteris obnoxii ſunt earum morſibus, nam tarantula, vel per ſulcorum ſquallorem, vel per tritici fiſtulas progrediens, manibus vel pedibus occurrendo virulentam labem affricat, qua de re meſſores ocreolis

pedes

pedes inveſtiunt, ut ita tutiores à morſibus evadant.

Communiter credunt viperam non mordere niſi irritata fuerit, quod obſervamus præcipuè in Circumforaneis eas liberè, ſed dexterrimè tractantibus. Et ſuper hoc aſſertum fundata eſt hypotheſis Domini Charas, aliorumque Galliæ Virorum de veneno viperæ; putantium nullum venenum in vipera reperiri; ſed totam veneni vim conſiſtere in ſpiritibus viperæ inflammatis ac excandeſcentibus, ob eandem durius tractatam, vel irritatam; qui ſpiritus ità inflammati ac excandeſcentes, proindeque in virulentam indolem exaltati, dum liquidis animalium infliguntur, totam illam funeſtorum ſymptomatum procellam inducunt. Sed cum ſolida Domini Redi amici noſtri ſingularis experimenta Florentiæ tentata, in Aula Magni Ducis, contrarium evincant in Viperis Italiæ; ideò ſagaciores & judicio acriores de veritate erudientur ſi amborum experimenta, & aſſerta accuratè perpendiſſent.

An hoc idem de veneno tarantulo aſſerendum eſſet Viris contentioribus lubens decernendum remitto. Hoc tamen autopſiâ conſtat tarantulam vel irritatam, vel non ſemper virulentam labem affricare, ſemperque mordere, dum occaſio in promptu fuerit. Præterea tempore morſus eructat tarantula quendam ſummè perexiguum madorem, qui quidem an verè venenum ſit an potius venenatorum, inflammatorumque ſpirituum vehiculum, decernant magni Opinatores hujus noſtræ ætatis, quibus uberrimè abundamus? Et ut verum fatear, me ſanè tædet, pudetque, ut Viri Medici tot nugis, totque inanibus phantaſiæ conatibus deturpent, & obruant rem medicam, præſertim hoc ſæculo in quo ſi unquam aliàs, Opinionum ſatellitium artem omnium nobiliſſimam invaſit, poſtpoſitâ methodo obſervativâ, quâ Schola Græca, & Latina eandem locupletarunt; Etenim morborum natura abſtractiones mentis, ac vanas hominum ſpeculationes non patitur, ſed tantummodò obſervationum uberrimam meſſim naturæ methodo conformem, ac pediſſequam.

Cæterum experientiâ Popularium noſtrorum judice obſervamus, non ſolum ictus tarantularum exitiales eſſe, verum etiam exitiales fore liquores quoslibet, in quibus ſuffocata fuerit tarantula; quod itidem affirmat oculatus teſtis Epiphanius Ferdinandus *cap. 2. obſerv. 81.* In quo caſu admitti non poſſet aufugium inflammatorum ſpirituum, cum quilibet illorum orgaſmus, ac virulenta excandeſcentia in præfatis liquoribus penè extinguatur, Igitur in ſolidiori ſubjecto, quam ſpiritali, veneni indolem latere aſſerendum eſt.

Qui à tarantula demorſi ſunt, perſentiunt ictum non abſimilem ei; quem apis aut formica infligit. Ab ictu pars circumſcribitur brevi circulo livido, vel flavo, vel nigro, vel hujuſmodi alio; dolor ſupervenit vehementiſſimus, quandoque verò loco doloris ſtupor affligit; atque hujuſmodi ſymptomata varia ſunt pro vario tarantulæ colore, magnitudine, veneni exaltatione, temperie ægri & hiſce analogis; quæ quidem luculentius explanari non poſſunt, niſi deſcribendo nonnullas ægrorum hiſtorias, veneno hoc laborantium, ut paulò infra faciemus.

Cap. 6. *Morbi, & ſymptomata morſum conſequentia deſcribuntur.*

Undequaque infelix eſt humana vita, infelicior tamen ſi morbis, infeliciſſima ſi venenis affligetur; utpote experimur præ cæteris in veneno tarantulæ, quod indole cæteris venenis inſueta, ubi ſemel corpus contagio ſuo afflarit vel enecat protinus, ſi præſto non eſt muſica, & remediorum opportunus uſus; vel ſi hæc præſto ſint, & adhibeantur; non perindè tamen venenum omninò extinguitur, ſed in fluidis adeò altè illius characteres imprimuntur, ut ſingulis annis, æſtuante imprimis cœlo reviviſcere conentur; Et niſi anniverſaria illa reviviſcentia choreis, antidotiſque pro tempore demulceatur, toto illo anno ægroti innumerabili morborum ſegete acriter divexantur.

Dormientes, & incautos utplurimum demordent tarantulæ. Demorſi ſi vigilant perſentiunt ictum, veluti à formica, aut ape inflictum. Demorſa pars quandoque dolore, quandoque ſtupore inſigni præhenditur, circulo livido nigro, aut ſubflavo coloratur: paulò poſt in tumorem dolentem attollitur, qui accedente muſicâ, & antidotis ſponte decedit cum reliquis ſymptomatis.

Patientes demorſi, paucis elapſis horis ingenti cordis angore, difficultate ſpirandi & mœſtitia extremâ ſtatim præhenduntur, mœſta voce conqueruntur, oculis turbatis conſpiciunt; Et compellati ab Adſtantibus ubinam dolerent vel nihil reſpondent, vel quandoque manu cordis affectam Regionem deſignant, quaſi cor præ cæteris membris afficiatur. Præfata ſymptomata paſſim in Tarantatis primo morbi impetu connotantur, ea tamen non ſunt perpetua, nec in ſingulis ægrotis obſervantur, nec à ſingulis Tarantulis producuntur, ſed varia ſunt pro varia tarantularum indole ægrique temperatura; Obſervarunt namque Noſtrates quod Tarantulæ borealem Apuliæ tractum (planiorem ſanè & à montibus diſſitum) magis incolentes ſæviores ſint, & ab ea demorſos crudeliora perpeti ſymptomata imò variis delectari coloribus; utpote rubro, viridi cæruleo rarò autem nigricanti. Et ſi Adſtantes incedant veſtibus, eo colore perfuſis, qui Tarantatis odibilis eſt, hi coguntur diſcedere aliter ab illius odibilis coloris viſu extremo angore, & recrudeſcentiâ ſymptomatum præoccupantur.

Pro varietate tarantularum, varia quoque producuntur ſymptomata. Tarantula ſubalbida producit dolorem levem, cui accedit pruritus, dolor ventris pungens, & diarrhæa. Tarantula ſtellulis conſperta fortiorem dolorem, & pruritum affert, imò & ſtuporem, gravitatem, ac dolorem capitis, horrorem totius corporis, &c. Uvea tarantula præfata quoque generat mala, hiſce tamen accedunt tumor, & dolor ingens in loco demorſo,

ſpaſ-

ſpaſmus, rigor, & ſudor frigidus totius, aphonia, in vomitum propenſio, tenſio virgæ, & pectoris, ventris inflatio, & hujuſmodi alia, quæ ſubnectemus in hiſtoriis ægrorum infra proponendis.

Cum multiplicia, ac ferè incredibilia ſint ſymptomata, quibus Tarantati exercentur, multaque pendere videantur à depravata imaginatione, non eſſet à veritate alienum, ſi aſſeramus venenum tarantularum poſt primam ſymptomatum rabiem, quæ primis morſus diebus ferociunt, evehi tandem in melancholiam ſui generis, euſque cervicibus ægrorum impendentem, quouſque vel ſaltatione, vel muſicâ, vel antidotis opportunis, vel ætatis mutatione virulentum character, è ſanguine, & liquido nerveo penitus excutiatur.

Poſitionem hanc firmant innumera ſymptomata depravatæ phantaſiæ naturam redolentia; multi namque ex Tarantatis, ſepulchra & ſolitarias habitationes percupiunt; In feretro mortuorum ſe extendunt, tanquam mortui. In puteos ceu deſperati ſe projiciunt: Virgines, & mulieres ſolutis omnibus verecundiæ habenis vehementer ſuſpirant, ululant, indecorè moventur, partes obſcœnas patefaciunt, motum penſilem amant, Nonnulli volutantur in limo tanquam ſues, & hujuſmodi volutatione magnoperè delectantur. Alii verberibus cædi deſiderant in ano, calcaneis, pedibus, dorſo. Alii curſu alleviantur. De colore curioſa quoque obſervantur Tarantati namque his coloribus delectantur, aliis è contra inſigniter afficiuntur, & pro vario depravationis phantaſiæ gradu alternatim variis rerum coloribus recreantur, & affliguntur.

Cap. 7. *Cætera ſymptomata ulterius exponuntur, & quam cum aliis morbis analogiam habeant demonſtratur.*

Generaliter loquendo ſymptomata Tarantatorum in prima veneni invaſione ſunt ferè ſimilia illis, quæ febrim malignam ex coagulatione comitari ſolent; qualia ſunt angor cordis, ſpirandi difficultas, totalis fere pulſus oppreſſio, animalium, vitaliumque actionum repentina, ac ſanè fatalis jactura; Horum omnium teſtis oculatus eſt, optimus ac dulciſſimus Parens meus, iſque apud Lycienſes Medicus non vulgaris notæ; obſervavit inquam ille in tribus ægrotis Rure Urbem advectis, malignâque febri ex coagulatione laborantibus quorum ſymptomata, cum analoga viderentur effectibus à morſu tarantulæ promanantibus, ab Adſtantibus pro Tarantatis habiti fuunt, utut repugnante optimo ſene Parente meo. Quamobrem adveniente muſicâ choream, & ſaltationem inchoarunt ægroti, juſſu adſtantium; & ex iis nonnulli ſaltando mortem accelerarunt; nonnulli è contra in ipſo chorearum vigore inopinatè expirarunt. Imponunt igitur hoc ſymptomata ob analogiam, quam in ambobus præfatis morbis obſervamus.

Et quantum conjecturâ aſſequi poſſum, crederem ſedem hujus veneni in liquido nervorum, ſive in ſpiritibus ſitam eſſe; continui ſiquidem dolores capiti, animi deliquia, dolores oſſium, ad motum impotentia, ventriculi dolores, cordis oppreſſiones & hujuſmodi alia abundè indicant morboſam ſpirituum affectionem; licet omnino non excludam antecedentem ipſius ſanguinis virulentam indiſpoſitionem.

Præcipua membra, quæ in Tarantatis mulctari videntur, ſunt ventriculus, & cor (ſi pro corde intelligenda ſit tibi Mangete eruditiſſime ſanguinis maſſa per cor circulans, prudentiæ tuæ ſtatuendum committo) ideò rarò Tarantati immunes ſunt doloribus ventriculi ingentibus, nauſæa, ſiti in appetentia; necnon quodam veluti angore cordis, convulſione, gravitate, & afflictione circa pectus: qua de re ferè ſemper obſervamus Tarantatos luctuoſos, ſuſpirioſos, tetros, pallidos, & taciturnos.

Porrò hoc etiam verum eſt multas mulieres ex noſtratibus chloroſi, ſive febri alba laborantes eadem prorſus pati ſymptomata, quæ in Tarantatis obſervantur atque hinc vulgò pro Tarantatis paſſim habitæ ſunt; Imò hujuſmodi mulieres conſueto Tarantatis more ſingulis annis choream exercent; ſaltant, muſices concentu delectantur; Et hoc pacto multæ ab exaratis chloroſeos, ſimilibuſque morbis immunes prorſus evadunt, evocatis prius copioſis ſudoribus, & ingenter roborata ſanguinis maſsâ per ingentes haſce totius corporis ſuccuſſiones; Ex quibus deducimus quam ſaniori jure præfati mulierum morbi aliique hyſterici per medicamenta roborantia, & exaltantia effætam & languidam ſanguinis maſſam tractentur; quam per repetitas purgationes ſanguinis miſſiones, remedia deobſtruentia cum ſaccaratis parata, quibus miſellas Mulieres penitus ferè confodiunt, ſanguinem in dies nobiliori parte depauperando.

Non eſt tamen, quin reticeam, quod licet revera in noſtris Oris, & tarantulæ venenum adſit, & Tarantati revera dentur; Mulieres tamen quorum inter Tarantatos pars maxima obſervatur, utplurimum abutantur hoc morbo; nam ſive amoris ignibus, ſive rei familiaris jactura, & inopia (præſertim hoc tempore, quo tota Europa bello luctuoſiſſimo, à ſæculis inaudito, & in exitium ferè humani generis excitato implacabili furore exardeſcit) ſive aliorum malorum Mulieribus connaturalium tædio torqueantur; ob aſſiduum de talibus objectis mærorem, in deſperationem ac ferè in melancholiam degenerant.

His omnibus accedit vita ſolitaria adinſtar clauſtralium, ab omni utut honeſta hominum familiarium confabulatione immunis, quod Gallis, aliiſque hilarioribus Italiæ populis in more non eſt; Accedit pariter aër aduſtiſſimus, indoles mulierum ardentiſſima; cibi ſummè alibiles, & calidi, otioſa vita. Atque tam prioribus, quam poſterioribus hiſce de cauſis in mœrorem, & melancholiam frequenter aguntur noſtrates Mulieres; proindeque omni muſices concentu, & choreis impenſe delectantur; Et ut ſpecioſo hoc muſicos prætextu ſolis Tarantatis permiſſo fruantur, Tarantatas

tas ſe fingunt; fuco autem, & ſimulatione accedunt pallor vultus, mœror, ſpirandi difficultas, angor cordis, depravata imaginatio, & hujuſmodi alia præfatorum morborum, & cauſarum potius, quam fucati tarantulæ veneni primaria germina. (Hinc ceſſit in adagium apud noſtrates hæc chorea, quæ cum eſſet maximè oblectabilis mulieribus, vocatur à nonnullis *Carnevaletto delle donne*)

Et quamquam mulieres duntaxat hoc fuco præmuniantur, non perinde tamen de ſingulis Tarantatis hoc idem ſuſpicandum eſt. Nonnulli enim Viri aliàs eruditi, & Religioſi effectibus Tarantatorum flocci credentes, periculum in ſe ipſis fecerunt; atque in Apulia à tarantula demorſi in inſigne vitæ diſcrimen ſe, ſuaque omnia præcipitarunt, imò niſi præſto fuiſſet muſica, & antidotorum uſus, brevi animam ſe efflaturos fatebantur, prout teſtatur etiam Epiphanius noſter loc. cit.

Pariter tarantula in Apulia tantummodò virulenta eſt, & præſertim quæ campos accolit, quæ verò montium ad Apuliam terminantium incola eſt vel nullo, vel non exitioſo abundat veneno; ſi eadem campeſtris Apuliæ tarantula in exteras Regiones transvehatur utpote Hupolim, Romam ibi locorum ſi mordeat, fatalia ſymptomata, ac ferè portentoſa non infert, ſed pauca, & levia, ut inferius in hiſtoriis adducemus.

Vulgare eſt apud noſtrates aſſertum tamdiu in Tarantatis venenum vigere, quamdiu tarantula ipſa vivit, eadem verò extinctâ, extinguitur pariter & ipſum. Lubrica tamen, & popularis opinio eſt, quoniam tarantulæ, & cæteri hujuſmodi aranei breviſſimæ ſunt vitæ, & externis incurſantibus quammaximè obnoxii: adeò ut vix quinquennium vitam protrahant; cum è contra Tarantati ad plures annos & ferè ad interitum, veneni ſeminia in corpore gerant.

Non ſolum tarantulæ apulæ, ſed & ſcorpiones apuli ſummè veneniferi ſunt. Et de ſcorpionibus hoc pariter obſervatum eſt, quod qui ab illis mordentur ſimilia Tarantatis ſymptomata perpetiantur, atque etiam choreâ, & muſicâ delectantur & ſaltando demum ſanantur ut infrà in hiſtoriis. Quâ occaſione quamplures Græci ſenes noſtri aliique Viri eruditi autumarunt à ſcorpione potius, quam à tarantula morſum illum, & dira morſus phænomena progigni, cum incredibile videatur araneum tantis pollere viribus. Experientiâ tamen judice ſtatutum eſto & firmum tarantulas noſtrates verè eſſe venenatas & producere mala ſupra exarata. Et cum ſimilia pariter damna à ſcorpione inferantur, iiſdemque muſices, antidotorumque ſuppetiis demulceantur, non alienum erit ſtatuere ſcorpiones apulos ſummè virulentos eſſe, minus tamen quam in Africa, magis verò quam in aliis Italiæ Regionibus.

A tarantula demorſi nonnulli paucorum dierum intervallo extinguuntur non obſtante accurato muſices & medicamentorum uſu; nonnulli è contra præfatis adjumentis ab inſtante morte liberantur, cæterùm veneni ſeminia humoribus, more cæteris venenis inſueto, adeò altè incoquuntur, ut avelli nequeant quin viginti, aut plures anni tranſeant, quandoque verò cum ægris ipſis extinguuntur.

Periodum, & revireſcentiam venenorum curioſum eſt indagare. Caninum venenum ad 30. quandoque annos maſſæ ſanguineæ inhæret, & recrudeſcere ſolet ſtatis temporibus, donec Patientes ad mortem redigat; qua de re legi meretur Hiſtoria Hildani *cent.* 1. *obſervat.* 86. de lectiſſima Matrona; quæ à cane rabido demorſa, ſingulo ſeptennio recrudeſcentiam veneni patiebatur per 30. ferè annorum decurſum; quamplures hæ hiſtoriæ paſſim adnotantur ab Auctoribus. Venereæ luis character ad plurimos annos in fundis latet; utut Patientes imaginentur illud omnino eſſe deletum, ſtatiſque temporibus recrudeſcit, præcipuè ſi ſymbolum ſuum conferant errata ſex rerum nonnaturalium; Pro varietate tamen venenorum, variæ ſunt eorundem effloreſcentiæ.

Tarantulæ venenum ſingulis annis infallibiliter recrudeſcit, & utplurimum circa illud tempus quo Patienti inflictum fuit. Appetente igitur ardentiori ſolis calore, quod contingit per initia menſium Julii, Auguſti, Tarantati perſentire incipiunt effloreſcentiam veneni, ſe manifeſtantem per lente ingruentem inappetentiam, cordis angorem, capitis gravitatem, ſitim, oſſium veluti fracturam, & hujuſmodi alia, quæ quandoque ſenſim, quandoque verò derepente ſubrepunt, & tarantulini veneni paroxiſmum incutiunt. Si ægroti de præfatis ſymptomatis ſenſim ſubrepentibus commoneantur; confeſtim ad choream, & muſicam ſe convertunt, ne à futuro ac brevi ingruente paroxiſmo derepente, ac fataliter adoriantur. Si verò paroxiſmus abſque præviis allatorum ſymptomatum prænunciis inopinatò ægrum aggrediatur, tunc ille veluti fulmine tactus humi concidit ſemi mortuus, manus, facies, aliæque extremitates denigrantur, ſuffocatione, ſpirandique difficultate corripitur, & hoc pacto jacet, quouſque Citharedi pervenerint, ut conſuetum Tarantatorum ſonum modulentur, quo perſentito ſenſim in vitam reconciliatur æger, ad choream diſponitur, ſenſim movendo membra, & exindè reliquum corpus.

Si conſueto tempore æger non ſaltaverit, toto illo anno miſerrimè mulctatur, color cutis veluti ictericius ſupervenit, anxietas cordis, ſuſpiria, & cætera ſymptomata ferè incredibilia, quæ ſuperius attulimus, invadunt. Accedit ad malorum cumulum, quod ſi Tarantati vervecina carne cucumere, vel citrulo utantur, confeſtim dolore ventriculi nimis vehementi plectuntur.

E contra ſi ſingulis annis circa ſtatuta tempora Patiens ſaltaverit, ſudaverit, & muſices ſono, veneni ſeminia foris evocaverit, Univerſo illius anni decurſu à præfatis malis immunis erit, & integrâ fruetur valetudine.

Cap. 8.

Cap. 8. *Curatio morſus Tarantulæ, & effectuum, ab eo promanantium.*

In ancipiti eſt ægrorum omnium ſalus, quibus venenum aliquod inflictum fuerit, multò magis qui à tarantula vel ſcorpione apulo demorſi ſint; brevi enim horarum intervallo extinctos vidimus, nil emolumenti afferentibus, nec muſicâ, nec antidotis.

Ad duo communiter genera reducunt Auctores venenorum effectus, videlicet ad coagulantes, aut ad diſſolventes maſſam ſanguineam cæteroſque humores ab eadem, veluti ab univerſali fluido derivatos. Ex phænomenis quæ ſuperioribus capitibus attulimus, quilibet ſat ſuperque conjicere poterit tarantularum venenum, humorum maſſam ad coagulationem ſeu mavis incraſſationem diſponere; quod quidem ſatis indicant repentina pulſus oppreſſio, angor cordis, maxima ſpirandi difficultas, faciei, aliarumque extremitatum deturpata pigrities, rigor horrorque totius, ſopor gravis; & hujus nominis alia fere innumera; quæ quidem varia ſunt, pro varia tarantularum indole, varia hominis demorſi temperatura, & antecedenti morboſa aliqua corporis diſpoſitione, caloreque æſtatis magis minuſve ardentiore.

Igitur ſive à ſcorpione, ſive à tarantula apula demorſus quis fuerit, prælataque apparuerint ſymptomata, Indicationes curativæ occurrunt diſſolvendi, actuandi, & volatiliſandi humores virulento contagio afflatos, per medicamenta alexipharmaca, theriacalia, bezoartica, & hiſce analoga, parum abludentia ab iis quibus utuntur Medici pro demorſis à vipera.

Demorſum itaque locum ſtatim ſcarificant noſtrates lanceolâ pluribus ſectionibus, & quoniam utplurimùm ſtupor inſignis locum affectum occupat, patientes non ſentiunt ſcarificationis dolorem. Factâ ſcarificatione cucurbitulas apponunt ad veneni evocationem. Exinde ſcarificatum locum inungunt theriacâ & allio contuſo, quandoque mithridatio, confectione Orvietano.

Ipſe verò ſi meo arbitratu uti unquam licebit demorſum locum candenti ferramento ſtatim inurerem, ignis enim cum ſit de genere ſtimulorum, iſque ſtimulus vividiſſimus ac potentiſſimus, excitat in fibris affecti loci, & ſucceſſivè in toto ſyſtemate fibrarum noſtri corporis, oſcillationem quandam ſive motum vividum, continuatum, & vehementem, unde humores qui ſunt ad contactum ſolidorum præſtato modo oſcillantium, ſolvuntur, dimoventur, attenuanturq; & à veneno, denſante vel ſtupefaciente vix unquam fixari poterunt, præſertim in affecto loco in quo ſtimulus ignis eſt activior, & humorum ad fixationem major propenſio.

Quoniam tamen in hiſce caſibus, nec ipſe uſtionis effectus expertus, ſed nec apud alios legi aut audivi, ſuperſedeo nunc ab ulteriori hujus remedii perſuaſione, & eleganti ſpeculationis meæ faſcino; donec obſervatio & experientia magis me de veritate erudierint. Siquidem ita errorum ſemina, quæ in Praxi medica concipimus, producuntur ab inani & ſubita credulitate eorum diſcurſuum, quos Auctores in libris ſuis exponunt, & maxime verborum pompâ ſubtilique ac eleganti ſpeculatione conſpergunt, quæ quoniam imaginationem noſtram vehementer feriunt, confeſtim plenum aſſenſum iiſdem præbemus abſque prævio examine, vera ne vel falſa ſint; atque hinc cum ad lydium experientis lapidem revocantur, inania prorſus & falſa deprehenduntur.

Candidè itaque & obnixe exoramus Profeſſores, ne res ſuas ad ſydera extollant, & exagerationibus quibuſdam oratoriis conſpergant, ut hoc pacto legentium aſſenſum melius promereant, ſed quæ diuturno & patienti obſervationum labore verum eſſe invenerint, amicè & ſubmiſsè in ſubſidium naturæ languentis patefaciant, & pro verborum, ac ſpeculationum pompa, experientiam teſtem duntaxat producant.

Obſervavi aliquoties incipienti gangrenæ, vel incipientibus, iiſdem ſordidis ulceribus adhibitam per candens ferramentum uſtionem, contrarios præconceptæ opinioni effectus produxiſſe; nimis enim tempeſtivè obducta cruſtâ ab uſtione productâ, hiantia illa fibrillarum vaſorumque oſcula penitus occluſa fuere; atque hinc non repurgato prius quantum licuerat cauſtico illo ac erodenti humore, ſed ad interiora repercuſſo, pro diverſitate partium, in quibus diſponebatur, varia, eaque lethalia inducebat ſymptomata; ambuſta pars prorſus exiccabat, nigreſcebat, & pro malorum compendio mors demum ſubrepebat, ut non ſemel obſervavi Patavii cum Domino Marchetto, aliiſque Italiæ Xenodochiis.

Dum talia ulcera medenda occurrunt, in iiſque ſuſpicio adſit gangrenæ, vel malignitatis, non eſt ſtatim tranſeundum ad ignem & cauſtica remedia, ſed foveri incipient decoctis balſamicis alexipharmacis alchalicis, & hiſce analogis, tum ad cauſtici ſalis ad exteriora evocationem; tum ad flaccidarum & ferè exeſarum fibrarum conſolidationem & robur; quô præterfluentibus humoribus liberior tranſitus concedatur; Præſertim ſi præfata decocta aliquantum calidiora partibus inungantur. Et mihi crede, quod ſi poſtpoſitis unguentaceis, & oleaceis vulgarium medicorum præſidiis, præfatâ decoctionum alexipharmacarum & vulnerariarum intus & extra adhibitarum methodo aſſidue & patienter incipientes gangrenas & ſordida ulcera tractaveris, vix unquam ſanè in morborum incurabilium claſſem eadem relegata videbis, ſed jucundè & breviter ad ſanitatem reſtituta.

Quod ſi hac methodo nihil profeceris, ſed in ulcere contagium vel depaſcentia obſervetur, in his duobus caſibus tantummodo ad uſtionem actualem & potentialem, & ſi oportebit ad membri abſciſſionem deveniendum erit. Ab inuſto ulcere procurandum, ut quamcitiſſimè eſchara decidat, ne ab eadem occluſa fibrillarum oſcula cauſticum ichorem foras eructare non poſſint. Succo petroſſelini inuncta pars brevi de ſe eſcharam emittit ſi ſuper ambuſtum locum inſuffletur flos farinæ tritici in tenuiſſimum alchool redactæ, exindeque ſuperponatur petia vino nigro madida & per diem ulceri relicta, poſtmodum oleo lini fo-

veatur.

veatur, breviter eſcharam deciduam vidi, curante Domino Marchetto optimo Præceptore.

Sed è diverticulo in viam. Noſtrates poſtquam demorſum à tarantula locum, & ſcarificaverint, & alexipharmacis inunxerint, tunc ad interiora remedia ſe convertunt. Inter quæ primas obtinet ſpiritus vini-roſmarinatus, ideſt aqua Reſin. Hung. ſive ipſa eſſentia roriſmarini per ſe deſtillata, & ſumpta cum aqua theriacali, cortic. citri, aqua hyſſopi, meliſſæ, ſerpilli ſtatim itaque exhiberi poterit ſpiritus vini-roſmarinatus ab ℥i. ad ij. cum aqua ſerpilli, aut brodio herbis alexiteriis incocto, ægerque in lecto cooperiatur ad ſudores extorquendos, quorum faciliori evocationi, induſium ſpiritu vini madidum, & parumper, calefactum veſtiat, beneque in lecto cooperiatur. Epiphanius Ferdinandus electuarium hoc, quod anti-phalangium vocat pluries ſe expertum feliciter, teſtatur.

℞. Baccar. myrti. & tamaricis an. ℥i. ſemin. paſtinac. nigel. agni caſti, dauci, aniſi, cumini & organi an. ℥i. terr. ſigill. & boli arm. Orient. ℥ij. cum ſyrup. tot citri vel alio. f. ſ. a. electuarium. De quo ſume ſingulo mane ℥ij. & ſuperbibe brodium alteratum herbis, & radicibus alexiteriis. Cæterum hæc & hujuſmodi alia ſive curationis, ſive præſervationis gratiâ adhibeantur, ullius prorſus ſunt momenti ad veneni eradicationem. Præcipuum itaque, & ferè incredibile antidotum veneno huic ſummè infenſum in Apulia noſtra eſt muſica, quam ubi audierint Patientes à tarantula demorſi, & humi inſtar apoplecticorum jacentes, ſenſim movere incipiunt digitos, exinde reliquas extremitates, & tandem totum corpus, donec vehementiſſimo impulſu interno, è ſtrato, in quo jacebat, ſurgere coacti fuerint; Et cum impatiens ſit agitatio illa, quam intus excitat muſica, ſaltationes ineunt vehementiſſimas, & ſoluto omnis verecundiæ fræno ululant, ſuſpirant, obſcena eventilant, humi ſe volutant.

Si qui tamen fuerint (& multi revera ſunt) qui hujuſmodi muſices effectus, tanquam figmenta noſtrorum hominum inani joculatione deridere conarentur injurii ſanè forent ingenter experientiæ noſtrarum Regionum, ad quas eos remitto, ſi antedictis, & dicendis Idem præſtare dubitaverint. Itali namque quorum ingenium ad ſeria magis deflectit, & ſolida, quam ad inania, & ludicra, difficilè ſubeunt perſonam Ardelionis, vel hujuſmodi nequam, & ampalloſi homunculi ut Orbi imponerent? eamque rebus Medicis fidem præſtant (præſertim hac ætate, in qua tam uberrimo librorum profluvio abundat ſeptentrio) quam præcepta ex ipſo naturæ penu eruta, & centuplici obſervatione, ac experimento roborata illis ſuggeſſerint. Et ò utinam magna illa Italicæ, & Græcæ noſtræ eruditionis robora reſipiſcerent? Muſæ equidem noſtrates, ab exterorum hominum injuriis ſecuriores hoc ſæculo incederent humaniſſime Mangete.

Cap. 9. *Chorea, & Muſica ſunt præcipuum hujus veneni antidotum; ubi obiter modus ſaltandi Apuliæ familiaris deſcribitur.*

A tarantula demorſi confeſtim affliguntur ſymptomatis ſuperius exaratis, & curatio à noſtratibus inſtitui ſolet, quam proximo capite attulimus. Verumtamen cum fruſtraneus ſit quilibet remediorum apparatus, & ægri brevi intereunt, niſi præſto fuerit muſica ideò paucula de eadem proferemus.

Dum mordentur homines à tarantula, vel ſcorpione apulo, paulò poſt concidunt humi ſemimortui, vel gravi ſenſuum omnium oppreſſione corripiuntur, viresque ita proſtituuntur, ut vix ad latera moveri queant ægrotantes, & ità jacentes ſpirandi difficultate, ſuſpiriis, angore cordis divexantur, fereque immobiles, ac examines jacent. Adveniente muſicâ, & incipiente ſonorum modulamine, ſenſim miteſcere incipiunt præfata ſymptomata, ægerque paulatim pedes, exindè manus movet, ac ſucceſſivè cætera membra, creſcenteque ſonorum modulamine, motus ipſe membrorum creſcit. Patiens ſi jacet vehementiſſimè in pedes erripitur, ſaltationes incipit, ſuſpirat, & vehementem hanc choream continuat, quandoque integrâ horâ, quandoque integro bihorio, & poſtquam parum ſuperſederit ac quieverit in lecto, & à ſudoribus abſterſus fuerit, denuò ad ſaltandum ſurgit, & aliis duabus aut pluribus horis continuat; factaque ſupputatione decem & amplius horas per totum diem, ſaltando impendunt Patientes, nullâ ſubſequente laſſitudine, aut debilitate huic excedenti labori, ſed potius majori agilitate, & fortitudine.

Saltationem itaque paulò poſt ortum ſolem inſtituunt, & nonnulli eandem peragunt abſque ulla prorſus intermiſſione, uſque ad unam horam ante meridiem; coguntur tamen aliquando quieſcere, non ſponte ſua, ſed quia diſſonantiam aliquam in muſicalibus inſtrumentis perceperint, quam quidem cum perſenſerunt Tarantati adeò vehementibus ſuſpiriis, & angoribus aggrediuntur, ut dictu ſit incredibile; & tamdiu ſuſpirant, & anguntur donec conſonante & ordinato inſtrumento denuò ſaltare incipiant. Eſt etiam mirum quod puellæ rudes, incultique ac indociles Ruricolæ, qui unquam ne viderunt quidem nobiliora, muſices inſtrumenta, eo tamen tempore, quo ſaltant, evadant periti diſſonantiarum, ac conſonantiarum Artifices, ac cenſores.

Appetente meridie requieſcunt à ſono, & chorea, & fatigata membra lectulo componunt ad ſudorum evocationem, quibus evocatis, & abſterſis pauculo brodio, & ſimili tenui victu reficiuntur; extrema enim, qua tunc tenentur inappetentia, vix eis permittit comeſſationem lautiorem. Poſt horam unam, vel ſeſquihorium circiter à meridie renovant ſaltationes ad muſices modulamina, eaſque vel interpolatim, vel continuò exercent, uſque ad occaſum ſolis, eadem vehementia, quam ſupra deſcripſimus. Veſperi pariter ubi

à ſaltatione quieverint lecto ſe componunt, ſudoribus aliqualibus denuò extorquendis, horaque conſuetâ tenue cibantur. Choream hanc, modumque ſaltandi per tres, vel quatuor dies continuos exercent, rarò ad ſextum, aut octavum diem extendunt.

Generaliter tamen terminus ſaltandi incertus eſt, tamdiu enim ſaltant, quandiu ab omnibus ſymptomatis ſolutos ſe ſentiunt: quod utplurimum fit poſt tertium, vel quartum diem, eoque tempore diffuſis ſudorum rivulis, ſanguinis maſſa à virulento contagio ex parte ſpoliatur, totoque illo anno Patientes omni prorſus malo immunes evadunt. Et licet veneniferum hoc ſeminium per ſudores, & ſaltationes extorqueatur, non exinde ſequitur, quod etiam idem præſtare poſſint vulgaria Pharmacopeorum ſudorifera; Optimus namque Parens meus, ut hujuſmodi ſaltationes evitaret, ad plures dies Tarantatis præſcripſerat diaphoretica potentiora, ex ſtibio diaphoretica, theriaca, corn. cerv. aquis, & herbis ſudoriferis per quæ promotus fuit ſudor, ſed inani quidem conatu, nam nihilo morbus imminuebatur; ſed opus erat tibicines & chorea n adita, quo pacto evocatis ſudoribus, illo anno optima valetudine fruebantur.

Circa illud tempus, quo à tarantula demorſus fuit Patiens, revireſcunt funeſta morbi hujus ſymptomata; undè qui ſolliciti non ſunt ad præveniendum morbi inſultum per choreas, & ſaltationes, præveniuntur ipſi ab ingruente veneni efflorescentia, multique adinſtar apoplecticorum concidunt, ubicunque reperiantur nigrore facies, & cutis ſuffunduntur, aphoniâ opprimuntur, & ità permanent quouſque Parentes, & Familiares conſcii morboſæ conſtitutionis citharedos, & muſicam accerſere jubeant; quorum audito concentu paulatim Patiens ad ſenſus revocatur, pedes, & manus movere incipit, ſenſimque reliquum corpus, donec in pedes elevatus ſaltationes altiſſimas, & choreas vehementiſſimas inchoaverit cum ingentibus ſuſpiriis, & univerſo triduo ſaltando, ſuperius recenſito more liber evadit per totum annum à veneni inſultibus.

Si tamen conſueto tempore quis non ſaltaverit & per vehementes illas membrorum ſucuſſiones veneni ſeminia foris non evocaverit, toto illo anno miſerrimè mulctatur. Color cutis adinſtar ictericorum in citrinum mutatur, inapetentia, laſſitudo univerſalis, ſpirandi difficultas, angor cordis, & reliqua ſupra enarrata superveniunt mala, magiſque adoleſcunt, ſi anno proximè futuro, aliiſque ſubſequentibus æger non ſaltaverit, donec tandem in cachexiam, hydropem, aut longas febres degeneraverit.

Notanda porrò erunt nonnulla curioſa, quæ faciunt Tarantati, eo tempore quo choream exercent. Univerſaliter omnes Tarantati in vigore ſaltationis vehementiſſime ſuſpirant, eodemque tempore inebriatorum adinſtar lucido, & claro ſenſuum internorum, externorumque uſu privantur; Adſtantes & Parentes confusè, & æqualiter tractant, rerumque præteritarum memoriâ ferè privantur.

Cæterum nonnulli ex his tempore ſaltationis delectantur maximopere frondibus vitis, vel arundinis, eaſque manibus per aëra circumferunt, in aqua madefaciunt, & faciei, ac collo circumnectant; imo in aquam ipſam manus, & faciem immergunt. Nonnulli è contra rubras veſtes, vel nudos enſes manibus verſando ſaltare delectantur; hinc apud vulgus invaluit opinio ſaltantes cum frondibus vitis demorſos eſſe à tarantula; è contra cum enſibus nudis, ab apulo ſcorpione? De qua re fides ſit apud ipſum vulgus, cum hoc nondum mihi experiri licuit. Alii dum parum à ſaltatione quieverint, humi caveam effodiunt, aquâ implent, & in luto illo veluti ſues convolvi ſummoperè deſiderant. Denum inter initia ſaltationis, quandoque enſes expetunt, & artem gladiatoriam exercent ſaltando; quandoque ſpeculum volunt, & dum in eo imaginem ſui conſpiciunt, vehementiſſimè ſuſpirant. Quandoque veſtes pretioſos, induſia pulchra, monilia, & hujuſmodi alia ornamenta expoſcunt, magnaque ſubmiſſione ab Adſtantibus accipiunt, hæcque omnia diſponunt ordinatim circa aream in qua choream ducunt, iiſque utuntur viciſſim, ac delectantur ſaltationis tempore, ſecundum varios inſultus quos læſa imaginatio intus excitaverit. Veſtibus, & induſiis coloris vagi utplurimum rubri, cærulei, flammeique delectantur, nigrum è contra colorem ſummoperè exhorreſcunt, adſtanteſque nigris veſtibus incedentes impetunt, & adoriuntur, vehementerque ad nigrum colorem ſuſpirant.

Cap. 10. *Nonnulla alia circa choream breviter expenduntur.*

Quemadmodum Tarantulæ ſunt diverſæ magnitudinis, coloris, & virulentæ naturæ; ità pariter, & Tarantatis non quilibet ſonorum concentus ad ſaltandum excitat, ſed hi hoc, alii alio ſonorum modulamine intus afficiuntur, prout ab hujus, & non ab alterius ſpeciei tarantula demorſi fuerint; imò non ſolum ſinguli Patientes peculiari modulamine delectantur, & excitantur, verum etiam & particulari inſtrumento videlicet rurali, ſeu paſtorali fiſtula, tympano parvo, cithara, Lyra, Cymbalo, fidibus, & tibicinibus varii generis.

Et curioſum eſt obſervare quod Citharedi tria, vel quatuor diverſa ſonorum genera conciliare coacti ſint, à quibus nihil prorſus excitantur Patientes; ubi verò modulamen à præfatis diverſum inierint, ad illud tanquam ſibi proportionatum ſtatim ſuſpirant, & ſaltare incipiunt Tarantati. Hoc unum tamen verum eſt, quod licet Patientes ſuo quique delectentur ſono, omnes tamen velociſſima, & ſubita ſonorum modulamina deſiderant (ideò apud vulgus appellatur hic ſonus *Tarantella di Puglia*) quod cum abundè notum ſit Citharedis, hi quandoque mulierum fucum manifeſtant, quas cum ad omnes ſonorum concentus veloces, vel tardos indiſcriminatim ſaltare obſervaverint, confeſtim pronunciant eos

verè non eſſe tarantatas, ut experientiâ tandem patebit.

Atque hæc ſunt, quæ de chorea, ejuſdemque effectibus ſubindicare opportunum fuit, reliquum eſt, ut breviter videamus, an ipſa tarantula ad ſonorum modulamina ſaltet, & choream ducat, ut nonnulli arbitrantur, & an alia animalia ab eadem demorſa ſaltare cogantur.

Tarantulam ad ſonorum concentum ſaltare vulgariter opinantur, quod idem ex aliorum relatione teſtatur Kircherus mund. magnet. *lib. 3. part. 8.* & quamplures alii Auctores. Sciendum itaque, uti ſupra indicavimus, tarantulam eſſe de genere araneorum, ſive phalangiorum octonoculorum, cujus ſubſtantia ferè tota membranea, friabilis, & ſubtiliſſima eſt, lymphaque ſui generis tenuiſſima turgeſcens (ſanguinis namque veſtigia rarò in eadem obſervavi) qua de re à quovis externo motu vel leviſſimo, facile in ſubſultus utut involuntarios cogatur.

Præterea tarantula ex ſua natura, ſat ſuperque ad ſaltus, & motus vehementiores prona eſt & ferè unquam quieſcere obſervatur; Accedente interim torrido æſtatis calore, quo ipſæ apulæ glebæ veluti inflammantur, nil mirum ſi à majore aëris elaſticitate, & vividiori circumpreſſione, tarantulæ humores, imò tarantula ipſa in motus vehementiores & ſubſultorios, ob impatientiam caloris, excitetur. Et cum aliquoties avulſum tarantulæ pedem ſuper tabulam ſedulò contemplaverim, in eo motus ſubſultorios, & aliquantiſper vehementiores ferè integro bihorio obſervavi.

Hiſce igitur motibus, nativo nempè, & continuo tarantulæ, & exteriori ab urentibus ſolis radiis, majorique aëris circumpreſſione productis, ſi tertium accedat nempè vehemens aëris undulatio, & preſſio à muſicis inſtrumentis producta, & tarantulæ corpus incurrens; mirum non eſt ſi tarantula tunc temporis ad muſicum inſtrumentum ſubſilire videatur, quæ ſubſilitiones externis potius debentur impulſibus, quam internæ tarantularum voluptati, qua veluti neceſſario naturæ inſtinctu ad muſices ſonos ſubſiliant. Quod autem tanta ſit percuſſionis vis, vide Borellum noſtrum, Academiæ Neapolitanæ decus & delicium, in inſigni libro de vi percuſſionis; Et quid ipſe de exaratis tarantulæ ſubſultibus ad ſonum tympani factis ſentiam, ex præfatis abundè deducitur.

Homines à tarantula demorſos ſanari non poſſe niſi ſaltaverint, ſuperioribus capitibus ad nauſeam ferè tradidimus; reliquum eſt ut videamus an cætera animalia hujuſmodi veneno afflata iiſdem pariter legibus teneantur. Noſtrates paſſim, opinantur quod reliqua etiam animalia ab apulo phalangio demorſa ad muſices ſonos ſubſilire cogantur, multoſque de hac re occulatos teſtes audivi; Ipſe quoque Sennertus *lib. 1. cap. 7. Prax.* refert veſpam à tarantula demorſam, unà cum ipſa tarantula ſaltaſſe ad concentum fidicinum, imò & gallum demorſum pariter ſaltaſſe. An animalia demorſa iiſdem de cauſis ſaltare cogantur, quibus tarantulam ipſam ad ſaltandum cogi paulò nuper indicavimus? dubius hæreo. Fateor tamen, quod ſicuti à cane rabido demorſi ululant adinſtar canum, & actiones alias canibus analogas exercent, ob impreſſas forſan in inflicto veneno rabidi canis ideas. Quid mirum igitur ſi in ſummè activo tarantulæ veneno, ejuſdem animalculi inſtinctus & inclinationes impreſſæ pariter lateant, eæque per veneni vehiculum animalibus communicatæ, in his exerant totas ſuas vires, & à venenati inſecti natura parum abludentes?

Elapſo ſexennio, dum exercerem praxim Neapoli in celeberrima illa totius Italiæ Accademia, Viris doctiſſimis, & ſolidæ mentis hodie Florentiſſima (inter quos, honoris gratiâ hic memoro Viros celeberrimos Januarium Biſognum, & Lucam Tozzium ſcriptis ſuis eruditiſſimis notiſſimum) apud nonnullos ſodales meos incidit ſermo de tarantulæ veneno, quorum alii cum fictitia putarent quæcumque de illo vulgò circumferuntur; ut de rei veritate certiores fiant, curavimus ut Auguſto menſe nonnullæ tarantulæ Apuliâ Neapolim transferrentur; quarum unam tenui vibice prius irritavimus, irritatæ ſtatim cuniculi vivi caput aptavimus, eumque paulò poſt bis momordit in ſuperiori labio. Exacto bihorio demorſi cuniculi labia inſigniter intumuerunt, & locus demorſus, nigrore quodam ſuffuſus fuit; ſuboſcura ſpirandi difficultate, & blanda quadam totius corporis horripilatione correptus humi concidit, & uſque ad quartum diem, nec cibum, nec potum ullum aſſumpſit, ſed jacuit ſtupidus, ac veluti comatoſus; donec tandem hiſce preſſus ſymptomatis quinta die circa meridiem expiraverit.

Caput, labia, & lingua ante mortem vehementer intumuerunt, imò & abdomen ipſum. Licet Citharedus acceſſerit, & varia ſonorum modulamina conciliaverit, non perindè tamen cuniculus motionem aliquam, vel ſubſultus exercuit, ſed immotus, ac ſtupidus ſemper jacuit. Igitur probabile eſt in ſola Apulia venenum hoc miros illos ſaltationis effectus producere, quô loci ab urentiori ſolis calore in debitum exaltationis gradum evehitur. In cæteris verò Regionibus, quia hæc exaltatio ſuppreſſior eſt; ſuppreſſiora pariter & longè diverſa ſunt ſymptomata quæ producit. In Patriam redux hujuſmodi experimenta in animalibus tentare decreveram, ad veritatem aliquam eruendam; verum quoniam vix Patriæ littore ſalutato, in exteras Regiones peregrinandum mihi fuit, præconceptis conatibus non favit opportunitas.

Aperto cuniculi cadavere, venas arteriaſque cerebri turgidas deprehendimus, & cerebrum ipſum levi inflammatione affectum, punctiſque lividis hinc inde conſperſum, cui etiam ſubrubei ſeri copia circumjacebat: Nil frequentius occurrit in apertione cadaverum, quam ſeri extravaſatio in quibuslibet corporis cavitatibus vel partibus. Frequentiorem tamen, & copioſiorem hanc ſeri evaſationem obſervavi in cadaveribus denatorum ob coagulationem aut fixationem ſanguinis generalem, vel potius particularem in aliquo viſcere, aut

membro, in quibus ob organicam præfatæ partis indiſpoſitionem ſanguinis circulatio lentius procedit; Et hinc illa ſeri affluentia, quæ in extinctis ab apoplexia copioſè invenitur in cerebro; in extinctis à gravi aliquo pulmonum morbo in thoracis cavitate deprehenditur, vel in abdomine ob morbos viſcerum abdominis, utplurimum mihi videtur eſſe effectus, quàm cauſa illius morbi, & evaſatio illa paucorum potius ante mortem dierum, quam menſium aut annorum; Hinc ſæpiſſimè obſervavi à polypo cordis extinctos, aliquibus ante mortem diebus, incidere in hydropem vel univerſalem, vel particularem, ſenſimque pedes in albidum tumorem elevari; nam cum ſanguis liberè moveri nequeat ob præfatum cordis obſtaculum, ideò retardato, & lentius procedente illius motu ac fermentatione, neceſſe eſt ut ſerum à reliqua ſanguinis maſſa ſecedat, atque in cavitates, & partes corporis irruat.

Obſervavi porrò (ſitque hoc aureum monitum) in aſthmate, aliiſque hujuſmodi pectoris morbis, in quibus impedimentum aliquod adeſt, vel in auricula dextra cordis ne ſanguinem venæ cavæ ſuperioris recipere poſſit, vel in dextro ventriculo, ubi exoneratur in pulmones; qua de re præfatus ſanguis nequidem pulmones ingredi poſſit; obſervavi, inquam, in hiſce morbis exteriorem manus planitiem, incipiendo à Tarſo, uſque ad principium digitorum, elevari in tumorem coloris naturalis, vel ſubalbidi; Et ratio eſt quod cum ſanguis venæ cavæ ſuperioris exonerari non poſſit in pulmones, ob ſuppoſitum impedimentum vel polypi, vel aneuriſmatis, tunc ad poſteriora regurgitat, & præcipuè in extremas manus; ubi propriè reaſſumitur ſanguis ex arteriis in venas, & ubi etiam impetus velocitatis ſanguinis, eſt valdè remiſſus, ob longinquiorem à corde diſtantiam. Ideò cum in pectoris morbis, dictum tumorem in manibus obſervaveris, ſemper prædicito aliquod impedimentum eſſe circa dextrum ventriculum; quod autopſia ipſa cadaverum certius, & melius te edocebit.

Sed ad rem noſtram. Pulmones, & viſcera cætera naturalia ſanguine concreto, & nigro nimium turgebant. In cordis ventriculis grumi ſanguinis inſignes, & tenues rami polypoſæ concretionis conſpiciebantur. Cætera ſana erant, & ſalva. Atque hæc ſunt quæ hactenus mihi innotuerunt, de hujuſmodi choreæ effectibus.

Cap. II. *Variæ ægrorum Hiſtoriæ proponuntur.*

Obſervatio I.

Nobilis Mulier Lycienſis ann. 1689. Rure in Urbem regrediens, ſeceſſit in cellam vinariam, quô loci cum paulisper commoraſſet, domum rediit, negotiiſque domeſticis occupata perſenſit morſum quendam in femore dextro, formicæ morſui non abſimilem; Et per id temporis neglectâ levi puncturâ ad prandendum ſe contulit, vix tamen pauculo ingeſto cibo, femur, & interiores artus ſenſim ſtupefiebant, & digitis vellicata ſenſum ullum de ſe promebant. Quamobrem relicto prandio ſeceſſit in cubiculum, ut obſervaret demorſum femur, invenitque in loco morſus parvulum tumorem magnitudinis lentis ſubrubrum, ac ferè liveſcentem, cui ſtatim theriacam allio contuſam applicuit, eodemque tempore vehemens cordis angor, & ſpirandi difficultas magna ſupervenerunt. Exinde lectulo ſe compoſuit, vixque compoſita inſigni totius corporis tremore correpta fuit, ut vix duo robuſti homines eam detinere potuiſſent; paulò poſt ingens dolor in articulis, & digitis pedum acceſſit, & præ doloris vehementia ægre ferebat leve pondus tenuiſſimi induſii linei lectulo ſuperſtrati. Accerſito Medico locus demorſus lanceolâ pluries inciſus fuit, ſuperpoſitâ theriacâ cum allio; intus verò non exigua Confect. Alcherm. copia cum vino generoſo exhibita fuit. Porrò hæc omnia fruſtranea erant, ſenſim namque aphonia, & ſpirandi difficultas creſcebant & Patiens dicebat linguam ipſi ad interiora convelli, & hoc pacto impedire, ut ne verbum quidem proferre poſſit; præfata omnia ſymptomata trium horarum intervallo ſupervenerunt, irritiſque cæteris remediis paulatim adoleſcebat ſitis ingens, vigilia, inapetentia, angor cordis. Quamobrem adſtantes ſubtimeſcentes venenum tarantulæ, muſicam, & ſaltationem Patienti propoſuerunt, quæ quidem lacrymis profluens reſpondit, ſe neutiquam ſaltare poſſe, tum ob totalem virium jacturam, tum ob vehementes in articulis pedum dolores.

Urgente tamen malo, advocatiſque Citharedis prope Patientis lectulum, interpellarunt eam, à cujuſnam coloris, vel magnitudinis tarantulâ demorſa eſſet, ut familiarem illius ſpeciei tarantulæ ſonum inirent: Et cum reſpondiſſet ſe neſcire, an à tarantula, an ab apulo ſcorpione demorſa fuerit, cum neutrum ex iſtis animalculis in demorſo loco deprehendiſſet; illi ſtatim duo vel tria diverſa ſonorum modulamina inchoarunt, à quibus nihil afficiebatur ægrotans; cum autem quartum à cæteris diverſum inchoaſſent, eo audito, confeſtim Patiens ſuſpirare cœpit, & vix ſe temperare potens à vehementiſſimis inſultibus, quos à muſica intus productos perſentiebat; ſolutis omnibus verecundiæ vinculis, ferè nuda è lecto proſiliit, & vehementer ſaltare cœpit, & hoc pacto per triduum ſaltando, modo ſuperius recenſito; brevi à præfatis accidentibus immunis evaſit.

Hæc eadem Patiens, licet toto illo anno benè ſe habuerit; ſingulis tamen ſubſequentibus, præcipuè eo tempore, quo à tarantula fuit demorſa, recrudeſcentibus ſymptomatis ſupra exaratis miſerrimè mulctatur; locus demorſus doloroſam concipit alterationem, accedente levi phlogoſi, & in rubicundum colorem mutatione. Verum inſtitutis choreis modo ſupradicto, per totum illum annum liberatur à malis ſupra recenſitis.

Obſerv. II.

Obſervatio II.

Alia pariter Nobilis Mulier Lycienſis à tarantula demorſa præfatis ſymptomatis magis, aut minus vehementibus divexata fuit tempore morſus; verum inſtitutâ choreâ more Apuliæ conſueto, ab iis ſtatim immunis evadit. Hoc unum tamen ſingulis annis circa ſolitam æſtivo tempore veneni revireſcentiam obſervatur, quod ſcilicet vehementiſſimus dolor digitos pedum invadat, & ex doloris activitate inflammentur, atque per inflammationis decurſum ex unguibus præfatorum digitorum ichor tenuiſſimus & mordaciſſimus emanat, qui partes, quas circumfluit, excoriat. Hiſce de cauſis coacta ſaltare Nobilis Matrona à præfatis doloribus & malis liberatur ac decidentibus ob præfatam cauſam unguibus digitorum, libera prorſus evadit toto illo anno, quo ſaltat.

Obſervatio III.

Septuagenarius robuſtioris temperaturæ è Neritonenſi Civitate prope Aletium ortus, æſtuante Jove circa initia Julii menſis ſomnum ducebat in campis, & præcipuè in area tritici; cum ex improviſo in femore demorſus fuit tenui puncturâ; quam ubi perſenſerit reſipiſcens à ſomno, ſtatim compreſſit fortiter manibus demorſum locum ut Auctorem morſus interficeret; Denudato intereà femore invenit ſcorpionem nigrum jam interfectum, à quo talis punctura virulenta inflicta fuit: Paulò poſt ingens cordis angor, languor univerſalis, pectoris anguſtiæ, capitis debilitates, & hujuſmodi alia ſupervenerunt: Variis adhibitis antidotis & intus & extra, ne hilum quidem remittebat morbus, ſed æger in pejus ruebat, & lecto affixus manibus plaudebat, choream ducere ad muſices ſonum expetebat; imò etiam frondes vitis aquâ immerſos deſiderabat, & in ipſo lecto pedibus veluti ſubſiliebat. Dum hæc de ægro peragebantur muſica ſupervenit, quâ auditâ licet Patiens maximoperè lætaretur, præ extremo tamen virium languore, & continuis anguſtiis pectoris, & cordis vix à latere ad latus in ipſo lecto movebatur Patiens, pauciſque interjectis horis extremo feſſus angore ad plures abiit, paucis ante mortem horis extrema, & incredibili preſſus ſpirandi difficultate.

Obſervatio IV.

Juvenis Ruſticus Neritonenſis peponem in cujus apice fovea naturaliter excavata erat, & in fovea ſcorpio latebat, comederat, abjecto prius ſcorpione. Vix duabus interjectis horis à deglutito pepone, crudeliſſimis doloribus colicis occupatus fuit Patiens, accedente febri, aliiſque graviſſimis, tum naturalis, tum vitalis Regionis ſymptomatis; tertia die obiit. Hic pariter ante mortem choreâ, & muſicâ delectabatur, frondeſque arundinum propè lectum ſemper volebat. Ex quibus arguimus à virulentia ſcorpionis obiiſſe Patientem.

Obſervatio V.

De virtute Lapidis indici, vulgò dicti ſerpentini, contra morſus ſcorpionum.

Lapis indicus vulgò dictus ſerpentinus, eo quod inveniatur in capite ſerpentis indici à Luſitanis appellati Cobras de Cabelo, ſpeciali quadam virtute attrahit & ſugit venenum ex parte corporis cui inflictum fuerat, prout teſtantur omnes ferè Auctores qui de rebus Indicis ſcripſerunt & receptiſſima eſt apud vulgus opinio.

Ex repetitis tamen Domini Redi experimentis de hoc lapide factis circa venenum olei tabaci, viperæ & ſcorpionis Affricani, detectum tandem eſt virtutem illius ſuctoriam veneni, ſuppoſititiam eſſe, & falſam, ut patet ex ipſius Epiſtola ad Kircherum data. Quorum experimentorum ſoliditate ductus adhæſi opinioni Domini Redi, donec acceptis nuperrimè, dum hæc potiſſimum ſcriberem Epiſtolis Aletio Romam mihi datis ab eruditiſſimo Patre Jo. Dominico Putignani Soc. Jeſu, ex iis deprehenderim falſam omnino non eſſe dicti lapidis virtutem, ſed ex parte veram, teſte experientia ab ipſo Patre facta Paulæ in Calabria. Summa autem Epiſtolæ ab eruditiſſimo Patre mihi tranſmiſſæ hæc eſt.

Diſcedens elapſis annis Siciliâ, mecum ferebam nonnullos lapides ſerpentinos dono mihi datos à Religioſo Viro, qui recens Luſitaniâ venerat cum pluribus dictis lapidibus; Paulam Calabriæ Urbem me contuli, quô loci aliquantiſper commoratus ſum. Interea temporis Ruſticus quidam Calaber commorſus fuit à ſcorpione Calabro in collo circa menſem Auguſti; & parvipendens illatum morſum nulla adhibuit remedia: qua de re ſupervenientibus diriſſimis ſymptomatis, ad extremum ferè vitæ agonem reductus fuit. Elapſo triduo ab inflicto morſu comonefactus ab Amicis de præfato caſu, ſtatim acceſſi ad Patientem, ut experimentum facerem cum allatis lapidibus ſerpentinis: Et cum ipſum inveniſſem jamjam morientem, ab illius Filio indicatus mihi fuit in collo locus demorſus, cui parvula cruſta ſupercreverat. Quamobrem ſcarificato leniter loco demorſo, ſtatim applicui unum ex meis lapidibus, qui fortiter adhæſit parti; vixque elapſis quatuor, vel quinque horæ minutis, Patiens vehementer ſuſpirare, ac reſpirare cœpit, ac vix emenſo horæ quadrante integræ ſanitati reſtitutus fuit, præſentibus quamplurimis Conterraneis. Obſervavi in principio applicationis lapidis, quod opportebat illum ſtatim exonerare à veneno attracto, infundendo eundem in lacte in quo veneni ſeminia deponebantur, lapideque purificato denuo affectæ parti ad ulteriorem ſuctionem promovendam, applicabam; Quam quidem operationem per duos dies continuavi, apponendo per plures horas lapidem meum loco demorſo, non tantum neceſſitatis cauſâ, quantum ut ægroto complacerem. Neque hoc infructuoſum fuit, quippe quod obſervavi lapidem, dum ſenſim purgabatur in lacte deponere in eo attractum venenum, &

dum gradatim lac pauco, vel nullo colore tingebatur, in cognitionem veni totum jam venenum è corpore extractum fuiſſe. Atque hæc eſt ſumma Epiſtolæ Italico ſermone Romam mihi datæ, à Reverendo Patre.

Ex illa conjicere licet lapidem hunc verè eſſe veneni ſuctorem, & extractorem; eventus tamen utplurimum non reſpondent promiſſis, eo quia quamplures ſunt adulterini, & arte facti ab Arabibus, & Indis Circumforaneis; ac Impoſtoribus, quos Europeis noſtris viliori prætio venundant, & pro veris ac naturalibus ad ſydera extollunt, ut ipſe teſtatur Dominus Redi loc. cit. Præterea ſi perantiqui, & ferè evanidæ virtutis fuerint lapides illi, ad veneni extractionem inutiles prorſus forent; E contra veri lapides ac recentes, producent effectus à nobis prænotatos, & expertos ab erudito Patre. Hinc in mentem revocanda ſunt ea quæ adducit Dominus Boile in libello de experimentis quæ non ſuccedunt, quo loci Provinciam hanc latè illuſtrat, & rationes affert de non ſuccedentibus, utut veris experimentis; ad quem ſi accedas, de pluribus te erudies.

Obſervatio VI.

Franciſcus Muſtellus Ruſticus Diæceſis Lycienſis, elapſo decennio à tarantula demorſus fuit in manu ſiniſtra circa initia Auguſti menſis, dum occupatus eſſet in legendis frondibus. Occiſâ tarantulâ domum revertebatur cum ſuis ſociis, metuens brevi invaſura veneni ſymptomata. Vix tamen medietatem itineris emenſus fuerat, cum de repente viſus eſt humi concidere velut apoplecticus, accedente interim maxima ſpirandi difficultate; manus, facies, aliæque extremitates denigrari ac prorſus liveſcere obſervabantur. Domum advectus, cum nota fuiſſet morbi cauſa Adſtantibus, muſicam accerſere juſſerunt, cujus modulamina inchoantibus Citharedis ad primum modulamen, ulla motus principia dedit Patiens, vix tamen alterius ſpeciei modulamine producto, Patiens in ſe revocabatur, leniter ſuſpirare cœpit; pedes primo, exindè manus, & reliquum corpus movere, vixque elapſo horæ quadrante in pedes elevatus ſaltare cœpit vehementiſſimè & taliter ſuſpirare, ut timorem ferè Adſtantibus incuteret; Frondes vitis aquâ immerſos manibus geſtabat ſaltationis tempore; humi volutari expetebat femore, & pedibus vehementer percutiebat ſolum. Exacto bihorio ab inchoata muſica, color faciei & extremitatum niger omnino evanuit; Et cùm continuo triduo ſaltaſſet more conſueto, ac poſt ſaltationes lectulo compoſitus ſudaſſet integræ ſanitati reſtitutus fuit. Singulis tamen annis circa tempus morſus recrudeſcit dolor affecti loci & cætera recrudeſcunt ſymptomata, impetu ſaltem mitiori; Et niſi Patiens ingruentis morbi conatus ſaltationibus & muſicâ præveniat, utplurimum paroxyſmus derepentè eundem invadit; hinc ſæpiſſime à familiaribus ſuis invenitur in campis ſemimortuus, ſtertore oppreſſus, nigro cutis colore deturpatus. Accedente interim muſicâ reviviſcit, & ſanatur.

Obſervatio VII.

Petrus Simeon Meſſapienſis Adoleſcens calidi & ſicci temperamenti, Ruri degens noctu in hypochondrio ſiniſtro fuit con morſus à tarantula, quæ fortaſſis uvea fuit, ut ex ſymptomatis ſupervenientibus colligere licet. Undè ſtatim perſenſit vehementem dolorem in loco ictus; & ſtatim concidit in terram cum frigore totius corporis, horripilatione, dolore in pectine, virgæ tenſione. Crura debilia erant, ſuſpirabat, lugebat, ſe ſuffocari ſentiebat, clamare volens ſed non potens. Sequenti aurorâ defertur ab Adſtantibus in Oppidum ubi vocatur muſica, & eâ parte ſive ſpecie muſices quammaximè delectabatur, quæ à Noſtratibus Catena vocatur. Audita muſicâ ſtatim ſaltare cœpit; Sudoribus multis profundebatur, vigilavit per hebdomadam, vinum meracum bibebat, alvus per quatuor dies nihil reddebat, neniam optabat, in aquam infundi volebat, rubeum colorem amabat: maximo è contra odio perſequens cæruleum, quem dilaniabat, & pedibus recalcitrabat, noctu calcanea ſibi manibus ſcalpenda curabat, quo pacto aliquantulum diſponebatur ad ſomnum; parum, vel nihil comedebat, ſed ſpatio unius ferè hebdomadæ ſaltans, ſudoribus, & muſicâ fuit perfectè ſanatus.

Hiſtoriam hanc excerpſimus ab Epiphanio Ferdinando ex obſervatione ſua 81. idque fecimus majoris elucidationis gratiâ.

Obſervatio Ultima.

In rebus Phyſicis affigenda potius ſunt pondera credulitati, quam addendæ plumæ; ex præpoſtero namque aſſenſu Philoſophorum cogitatis ingens errorum ſatellitium homines invadit, qui falſis falſa nectentes rerum naturam, ac ſcientias offundunt non aperiunt. Quod nuperrimè in animo habens unus ex Medicis Neapolitanis parum credebat decantatis Tarantulæ effectibus, niſi in ſe ipſo periculum faceret: Quambrem advectis Apuliâ Neapolim nonnullis Tarantulis elapſo Auguſto 1693. præſentibuſque ſex teſtibus, & Notario, duas illarum nudæ carni ſiniſtri brachii ſub induſio appoſuit; à quarum altera paulò poſt demorſus fuit, ſenſitque puncturam veluti à muſca, aut formica inflictam, eodemque tempore dolorem perſenſit in articulatione anularis digiti ejuſdem brachii. Sequenti die locus demorſus rubicundus evaſit, & circumcirca aliquantulum lividus, aureique coloris circulo circumfuſus. Tertia die intumuit circulus aureus, idemque continuabat dolor: Quarta die tumor præfati circuli evanuit, & demorſa pars remanſit rubro lividoque colore ſuffuſa: dolor verò tunc temporis vix ſentiebatur. Hoc pacto abſque ullo pravorum ſymptomatum inſultu per quindecim dies ſtetit morbus. Circa decimum quintum diem cruſta nigra

in

in demorſo loco ſupercrevit, quâ ablatâ, alia ſuperinducta fuit; & etiam tunc circulus ille aureo lividus obſervabatur. Eo ipſo menſe ab inflicto morſu, levi infirmitate obſeſſus fuit præfatus Medicus, quæ an tribuenda ſit virulento morſui, an aliis cauſis difficulter decernerem, ut tamen fractas & debiles corporis vires reſtauraret, in patrium ſolum ſe contulit, quo loci per tres menſes commoratus, denuo Neapolim reverſus eſt, ibique nunc incolumis vivit. Tarantula poſt ſeptimum à morſu diem obiit. Hiſtoriam hanc Neapoli Romam nuperrimè mihi communicavit Vir eruditiſſimus Antonius Buliſonius. Ex qua colligere licet quod ſuperioribus capitibus indicavimus; ſcilicet tarantulam in exteras Regiones, & temperatiori quam Apulia cœlo gaudentes translatam fatales morſus, & fatalia morſus ſymptomata non inferre, propterea quod ad debitum exaltationis gradum illius venenum non evehatur, prout in Apulia ferventioribus ſolis radiis exuſta fieri ſolet.

Cap. 12. *Nonnulla dubitativè enunciantur circa hujus veneni genuinam Naturam.*

Omnibus ferè venenis commune eſt quod vehementer & ſubito vires ſuas exerant in animalium vitam, & quod hæc omnia efficiant, non magno apparatu ſubſtantiæ, ſed exiguo, & quandoque imperceptibili. Venena communiter operantur coagulando, vel diſſolvendo fluidas, aut ſolidas animalium partes; Et nonnulla quæ beſtiis innocua, hominibus fatalia ſunt, & è contra. Ideò ad nocendum non tantum veneni prærequiritur activitas, & deleteria ſubſtantiæ vis, quantum, & particularis quædam diſpoſitio, ſive pororum analogia in partibus ad venenum ſuſcipiendum: Scaliger exercitatione 33. §. 2. affert exemplum Meſſoris, qui ardoribus ſolis penè detritus, ſitibundus, incaleſcenſque nonnullos aquæ ciathos potaverat, & paulò poſt hauſtam aquam ceciderat extinctus: quo in caſu aqua adinſtar veneni fuit; maxima enim prædiſpoſitio in humoribus aderat, ob inſignem eorum exaltationem, & rareſcentiam ab ardoribus ſolis productam, qui quidem humores ex improviſo denſantis aquæ frigoris occurſu in coagulum acti, repentinam mortem intulerunt; quâ pariter mechanicè pleuritides, anginas, & hujuſmodi inflammatorios morbos ex repentino frigoris occurſu fieri alibi probavimus.

Porrò in corrodente veneno paſſim obſervamus quod ejuſdem particulæ acutæ, & ſcindentes corrodant, ſolvantque partes ſolidas; condenſent è contra, & coagulent partes fluidas animalium; in utriſque tamen eandem efficiunt operationem, nempè ſcindendi, & diſſolvendi, ſed effectus in fluidis eſt coagulatio, in ſolidis verò eroſio.

Virulentia luis venereæ, dum primo hominem invadit, coagulantes effectus producit, ut ex bubonibus, tuberculis, gummatibus &c. deducitur: morbo verò in dies creſcente, & per diuturnas ſanguinis circulationes veneno ulterius exaltato, actuato, & volatilizato, diſſolventes effectus obſervamus, caries nempè oſſium, dolores terebrantes, maciem, febrim; Ad venena igitur ſuſcipienda peculiaris requiritur in fluidis prædiſpoſitio, ut hæc, & non alia producta obſervemus mala.

Tarantula naſcitur in Apulia, Regione, inquam, calidiſſima; & ſuper cæteras Italiæ exurentiſſima. Et cum climatis temperiem hominum temperies ſequatur, ii pariter aduſtiſſimi ſunt temperamenti, impatientes, atque ad operationes promptiſſimi; Ex quibus omnibus extrema ſuccorum exaltatio, & volatiliſatio in Apulorum ſanguine deducitur, quæ quandoque tanta eſt, ut avolantibus tenuioribus partibus fixum, & terreſtre remaneat, & perinde quamplurimi Apulorum tetro, hypochondriaco, & ſubfuſco cutis colore tinguntur.

Si propius rem ſpectemus, major pars venenorum, quæ ab animalibus vel rabidis, vel peculiari veneno turgentibus emittantur, conſiſtit in compoſitione quadam particularum ſummè volatilium, acutarum, ſcindentium, & motu vehementiſſimo prædi[t]arum, quæ ubi in humores animalium aditum habuerint, fulminis ritu pervadunt omnia, atque hinc turbas, & confuſiones excitando, amicum fæderis & unionis vinculum inter minima componentia humorum diſſolvunt, unde quælibet ſui juris facta, & hinc inde diſperſa in fixationes, coagulationeſque demum deſinunt, qua de cauſa tot angores, tot damna poſt inflicta venena ſuccreſcunt.

Poſitionem hanc firmant nonnulla quæ in rabidis animalibus obſervamus. Homo licet omni prorſus veneno careat, ob inſignem tamen aliquam paſſionem, & excandeſcentiam, ſpiritus illius & humores in extremam exaltationem, & exindè in virulentam indolem evehi poſſunt; adeò ut ſi in extremo illo furore mordeat aliquem, eidem veneniferam labem infligere poterit. Hæc quæ diximus magis eluceſcunt in canibus, felibus, mulis, aliiſque animalibus omni prorſus veneno carentibus; hujuſmodi tamen animalia, ſi ob vehementem aliquam cauſam in iram, & excandeſcentiam adigantur, ut hâc ratione ſpiritus, & humores in veneniferam indolem exaltentur; tunc temporis ſi mordeant aliquem, rabidum fieri neceſſe eſt. Mulum vidimus Patavii Julio menſe ob inſignem Veneris excandeſcentiam; & exurentes forſan illius æſtatis calores in rabiem concitatum, qui quidem ſtabulo proſiliens obvium hominem humi proſternerat, varioſque morſus brachio, & collo inflixerat, & calceis malè tractaverat, donec miſellus Patiens paucis interpoſitis horis obierit: ante mortem autem, adſtantes, & Parentes morſibus impetebat, & rabie furebat.

In Apulia & conterminis Regionibus uberiorem Maniacorum, & Melancholicorum copiam, quam alicubi per Italiam obſervavi, ob vehementiores forſan ardentiſſimi ſolis vibrationes; Et hinc erectum eſt Neapoli magnum

illud, & totius Italiæ celeberrimum Xenodochium Incurabilium, quò loci innumeri hujuſmodi Mentecapti ſanationis gratiâ detinentur. In Apulia pariter rabidorum canum majorem numerum, quam alibi vidimus: ſummi tamen Numinis clementiâ hi à rabidis canibus demorſi brevi, & infallibiliter perſanantur, ſi ad Oppidum S. Viti 40. milliariis Aletio diſtans ſtatim ſe conferant, ubi effuſis pura mente ad Deum præcibus Divi illius interceſſione ab infauſto morbo immunes evadunt, ut cuilibet in Apulia notum eſt. Et quod mirabilius eſt, hujuſmodi demorſi, antequam ad dictum Oppidum ſe conferant, multis malis exercentur, & adinſtar canum ululant. Vix tamen territorium illius Oppidi ingreſſi ab exaratis malis confeſtim levari ſentiuntur.

An hujuſmodi exaltatio, & ſumma volatilitas veneni, vel humorum, ſpirituumque in veneni indolem evectorum, quam in præfatis animalibus deſcripſimus, tarantulæ quoque adſcribenda eſſet, brevibus ſubindicabo. Tarantula cæterique phalangii & aranei in claſſem inſectorum virulentorum, ab Auctoribus reponuntur, adeò ut illorum morſus non ſint ſpernendi, ſed vel præcavendi, vel curandi ſi inflicti fuerint. Harveus de generatione animalium exercitatione 57. hæc affert verba. Ipſemet aliquando, experiundi causâ, manum acu pupugi, mox eandem acum aranei dente confricans, manum alio loco perforavi, nec potui quidquam diſcriminis inter duas has punctura internoſcere, hæc ille; Dominus Liſter *cap. 6.* de inſectis Angliæ, poſt illa Harvei verba, hæc ſubdit; Erat tamen in cute quod diſcerneret, quippe eodem loco ubi venenata punctio contigerat, ſubitò ſeſe in tuberculum contraxit, induitque mox ruborem, calorem, atque inflammationem, tanquam ad pugnam, & nocentis mali expugnationem ſe roboraret, & accingeret. Hæc Liſter.

Et licet omne ferè araneorum genus veneniferum ſit, ii tamen qui calidiores Regiones inhabitant cæteris ſunt virulentiores (quorum quamplures ſpecies ex Aldrovando, & ex Auctoribus primo hujus exercitationis capite citatis, poteris eruere) quod de tarantulis in Apulia, & de ſcorpionibus in Africa, & Apulia præcipuè verificatur. Nec aliam hujus exaltationis veneniferæ in calidis Regionibus cauſam adducere poſſem, quam vehementiſſimam, & determinati gradus radiorum ſolis vibrationem, & occurſum in fluidas, & ſolidas tarantulæ partes, cujus de cauſa illius humores ad extremum ferè exaltationis gradum evecti, in venenatam indolem degenerant, prout ſuperius attulimus de homine, aliiſque animalibus, ab externa, vel interna cauſa in rabiem actis. Atque hinc eſt quod tarantula montium ad Apuliam terminantium incola, imò & hyemis tempeſtate, ſi mordeat, virus nullum, vel ſaltem innoxium emittit. Demum tarantula in exteras Regiones, verb. gr. Neapolim, Romam advecta, illìc locorum ſi mordeat, fatalia mala non infert; idque eâ ratione quod præfatis Regionibus & præfata anni tempeſtate, ob radiorum ſolis leniorem vibrationem, & minorem telluris exuſtionem ad magnum illud, & debitum, exaltationis veneniferæ gradum, tarantulæ humores non evehunt.

Cum ſtatuerimus in ſummo exaltationis gradu nocentes hujus veneni particulas; ſi quiſpiam ex me quærat, in quibuſnam conſiſtat textura, ſeu configuratio minima particularum tale venenum conſtituentium, an nempè acidæ ſint? an alchalicæ? an vitriolicæ? an ſalinæ? Hoc certè præ anguſtia temporis difficulter ſtatuere poſſum; atque interea aliis lubens decernendum remitto.

Ex ſymptomatis tamen quæ poſt inflictum tarantulæ morſum producuntur, quæque ſuperioribus capitibus fuſè enarravimus, quilibet arguere poterit à veneno tarantulæ ſpiritus, & humores in denſationem ac fixationem diſponi, quod quidem denotat angor cordis, pulſus parvus, ſpirandi difficultas, color faciei, & artuum nigrore ſuffuſus aut livore, frigus totius corporis, pars ipſa demorſa tumore, ſtupore, aut dolore vexata, curatio morbi per ſpiritus vini anthoſatum, aut ipſam eſſentiam anthos, ſudorum provocatio per ſaltus, & vehementes choreas, & hujuſmodi innumera. Annis verò à morſu ſubſequentibus obſervantur continui dolores capitis, deliquia, oſſium dolores, ad motum impotentia, inappetentia, ventriculi dolores, cordiſque oppreſſiones in Patientibus, quæ ſufficienter ſubindicant veneni ſedem in liquido nervoſo præfixam præ cæteris eſſe.

An hæc denſatio ab acidis, an ab alchalicis veneni particulis proveniat, decernant acutiores; teſte namque experientia nonnulla alchalia ſolvunt, è contra nonnulla denſant; Idem de acidis aſſerunt Auctores quamplurimi: unde in luce adeò crepera non ſpeculatio, ſed tentamina experimentalia de veritate erudire nos poterunt. Et utinam Medici tot vigilias, & ſtudia in nugis hiſce inutilibus ſpeculandis non impenderent; cauſæ enim primo primæ & proximæ, necnon proprietates quædam minimæ rerum naturalium nos latent; Et ſolummodò de rerum, & morborum effectibus ſedulò obſervatis, ac penſitatis concluſiones aliquas condere poſſumus certas, diu duraturas, publicæ utilitati ceſſuras, & quæ ad majora, viamque ac methodum certiorem, mentem noſtram dirigere poterint.

Præterea venenum tarantularum in gradu virulentæ qualitatis mitius eſt, quam illud viperarum; in motu verò vehementiori particularum componentium, ſimilibuſque motus paſſionibus illud viperarum longè ſuperat. Ideoque meritò quadrat illud Villiſii *cap. 7.* de morb. convulſ. dicentis. Venenum tarantularum liquori nerveo inflictum mitius eſt, quam ut ſpiritus animales penitus extinguere valeat, aut diſtractos prorſus diſſipare; & in exploſiones immaniores cogere, ſed eos tantum in fugam conjicere, fugatoſque hinc inde in ſpaſmos leviores, ac ferè tantum dolorificos incitare. Hæc ille.

Et quamquam humores, & ſpiritus ad coagulationem, & totalem ferè necroſim activitate virulentæ ſubſtantiæ venenum tarantulæ diſpo-

diſponat; quia tamen vivido particularum componentium motu gaudet, eæ ex parte impediunt præfatam coagulationem, ſpiritusque, ac humores ad motus concitatiores excitant, ne ex toto ſuccumbant; unde aliqualis in ſanguine fermentatio, & elaſtica vis conſervatur. Præfataque ſpirituum agitatio quandoque tanta eſt, ut eos in motus penè involuntarios, ac convulſivos conjiciat; quamobrem nonnulli ex Tarantatis ingentibus convulſionibus, rigoribus, diarrhœa, oppreſſione reſpirationis, & hujuſmodi aliis involuntariis motibus ſtatim adoriuntur.

An hæc quæ dubitativè de hujus veneni indole enunciavimus vera ſint, vel ſaltem veroſimilia? Sagacitati tuæ decernendum remitto, eruditiſſime Mangete. Fateor tamen me magis delectari, obſervando naturæ & morborum motus, ac effectus; & ex iiſdem centies, aut pluries repetitis, ac obſervatis præceptum aliquod ſolidum, utile, & per longas ætates duraturum condendo; quam hujuſmodi inanes, & tamdiu duraturas, quamdiu à contrariis ſpeculationibus evertantur (quod quidem brevi dierum, vel annorum periodo ſuccedet) phantaſiæ meæ luſus ſuper rerum effectibus factos ſuperſtruendo. Nam ut optimè Cicero noſter de Nat. deorum. Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.

Cap. 13. *Quid agat muſica in Tarantatis, & in aliis morbis breviter enucleatur.*

Quam mirandæ, quam variæ, & quam incredibiles ſint operationes motus neminem latet. Et generationes & corruptiones, & ſingulæ fere ſublunares alterationes per motum fiunt. Quæ vivunt, quæ vegetant, & quæ mutationes ſenſibiles ſubeunt in continuo ſunt motu. Quamobrem cum tantæ ſint motus operationes jueremerito ſagaciores, & ſolidæ mentis Philoſophi duo rerum principia ſtatuere conati ſunt, motum nempè, & materiam. Imò cum motus operationes per contactus corporum fiant, ut ſolide Lucretius.

Tactus corporibus cunctis, intactus inani. Ideò mira producuntur ab ipſis, vel minimis motuum impreſſionibus, communicato impetu contactus ad partes vel remotiſſimas, ut ſolidè Borellus noſter in aureo de vi percuſſionis libello demonſtravit. Podagrici licet ad omne exercitium impotentes ſint, putarem tamen ipſe quod aſſidua cum amicis collocutio, ipſis loco exercitii eſſe poſſet; per aſſiduam enim locutionem contractis muſculis oris, aliiſque adjacentibus, expreſſio liquidorum quæ ſunt ad contactum promptior, & facilior evadet; & impetus vis ad partes quaſque remotiſſimas podagrici corporis propagabitur, humoreſque ad vividiores motus excitabuntur, & ſecretiones in viſceribus vividiores erunt; qualia omnia exercitium pedeſtrim factum producit, licet vehementius; ut quilibet deducere poterit ex mechanicis Domini Bellini noſtrum amiciſſimi, amantiſſimique. Præterea exercitium rhedâ, aut ſellâ factum ab Impotentibus, ac Podagricis; licet in eo non vehementer corpus ſuccutiatur, nihilominus tamen; continua illa novi aëris in corpus impulſio, utut levis ſit, valet tamen ad velocius promovendum circulum fluidorum ad contactum; Ideò conſulo Phthiſicis, Melancholicis, & ſimilibus quibus effœta, & vappida ferè eſt ſanguinis maſſa, & ad motus quoſlibet ignavi ſunt, ſaltem rhædâ; aut ſellâ rotatili & cubile aut per viridarium ferantur, mirum enim quantum hujuſmodi, utut leves motiones excitent ſopitas fluidorum effervescentias; Cui equidem quadrat illud Aſclepiadis, teſte Galeno, qui lecto penſili exercebat, & movebat ægrotos, ut morbos extenuaret, prout ipſe ait; Si igitur motio lecto penſili facta (qualem uſum apud ſolos Dalmatas, & Sclavos Dalmatiæ populos hodie tantummodò vidi) tantam vim habeat, teſte Aſclepiade; multò magis id fiet, ſi ſellâ aut rhedâ vehatur Patiens.

Muſica eſt de genere rotum, quæ aërem vehementer feriunt, & in vividas acutaſque undulationes diſponunt, qui motus, & undulationes per contactum ſpiritibus, & ſanguini communicatæ, in iis varias ſuſcitant motiones, atque vel ad motum magis excitant, vel in motu retardant; undè variæ menti ideæ, ex varietate ſonorum repræſentantur, nam alii concentus ad audaciam, alii ad pietatem & ſubmiſſionem, mentem noſtram componunt, prout ſpiritus, & humores hoc, aut alio modo afficiuntur.

Tympana, & fiſtulæ bellicæ dum ſonant, quantas & quam vehementes excitent motiones in ſpiritibus militum (taceo alia ſuccendicula, utpote exempla ſtrenui, & generoſi Ducis; ambitionem gloriæ, ſtimulos prædæ) arguere licet, ex audacia, alacritate, promptitudine ad pericula, & immani quodam furore, quæ omnia in ipſo calore conflictus, vel in apparatu ad conflictum, militum animis continuò obverſantur. Mæſti, Irati, vel aliis paſſionibus laceſſiti, leni, & placido muſices concentu in alacritatem, & gaudia diſponuntur, ac demum ex continuato ſono in ſomnum ducuntur. Hinc arridet illud Senecæ aſſerentis lib. de providentia quod Mæcenas integro triennio inſomnis fuerit, irritiſque omnibus remediis ſolâ placidâ, & leni harmoniâ liberatus fuit à pertinaci malo.

Undulationes haſce aëris à ſono factas ſufficientes eſſe ad motiones, & paſſiones producendas in ſolidis & fluidis noſtri corporis partibus, exempla Brutorum & ſtupor dentium manifeſtant. Multi à motu limæ, vel ſerræ, ob inſuavem illam aëris undulationem in ſtuporem, vel doloroſam dentium ſenſationem incurrunt, eo quia cum improportionatæ ſint moti aëris particulæ poris nervorum, dentium radicibus inſitorum, eoſdem detorquent, dimovent, exindeque vel ſtupefaciunt, vel dolore afficiunt. Porrò ab inſolita, vel ſuavi melodia quiſque noſtrum blandi horroris ſuffuſiones per cutim, imò & aliqualem capillorum erectionem, in ipſis concentus initiis experitur.

Animalia pariter à muſices ſono affici teſtantur Auctores; inter quos Strabo Elephantes iratos tympani ſono demulceri affirmat; Apes ſonitu metallico delectari, cygnos cithara

thara & cantu; Delphinos muſicâ, &c. ut refert Epiphanius Ferdinandus loc. cit. Ipſe vidi canem Raguſii præſtantiſſima ac pulcherrima Dalmatiæ Civitate (Urbs hæc Antiquorum Epidaurus eſt, & Viris hodie floret magni & ſolidi judicii, ad Politices præſertim & Matheſeos ſtudia inclinatiſſimi) cui adeò exoſus erat citharæ, vel alterius inſtrumenti muſici ſonus, ut in maximos ululatus, ac fere in luctum conjiceretur.

Curioſius tamen eſt quod affert Alexander ab Alexandro dierum Genialium *cap.* 17. ubi hæc leguntur; Teophraſtus quibuſdam viperarum morſibus cantus fidicinum, aut tibiarum, aut alia artis muſicæ organa modulatè adhibita aptiſſimè mederi affirmabat. Quod etiam adnotavit Aſclepiades qui phræneticos, mente imminuta, & valetudine animi affectos, nullâ re magis quam ſymphoniâ, & vocum concentu, ac modulis reſipiſcere, & ſanitati reſtitui obſervavit. Fertur quoque quod Iſmenias Thebanus plures Bæoticorum iſchiadicos intentione tibiæ, vel citharæ ſanitati reſtituerit. Vide plura apud *Aldrovandum lib.* 5. *de inſect. fol.* 621.

Cæterum ſi hæc omnia ad rem noſtram reducantur, parum à veritate abludent. Superius diximus muſicam nil aliud eſſe quam aerem percuſſum & in undulationes ſui generis diſpoſitum, quæ motiones impingendo cuti, & exindè ſpiritibus, ac humoribus varios effectus producunt, quos paulò ante attulimus; cuilibet enim conſtat quod muſica ſanos homines, & alia cogitantes, in actiones modulaminis auditi æmulas utplurimum rapiat. Quod igitur eoſdem effectus in Tarantatis exercere non poſſit; ſane non video?

Probabile itaque eſt motum à citharis, aliiſque muſices inſtrumentis velociter ſonantibus (id genus velocis ſoni Tarantatis uſuale, ab Italis *Tarantella* appellatur, ob nimiam ſcilicet ejuſdem velocitatem) aëri impreſſum, & ab aëre cuti, exindeque ſpiritibus, & humoribus communicatum, eoſdem jamjam ad coagulationem fixationemque diſpoſitis aliquantiſper excitare, diſgregare, & pauliſper exaltare, quæ omnia creſcunt, ſono ipſo creſcente, unde introductâ aliquali exaltatione in fluidis; æger in vitam revocari incipit, & ſenſim redintegrato ſenſuum exercitio ac uſu in pedes erigitur, ad ſaltationes diſponitur, & exinde accedentibus ſaltationis & muſices vehementioribus impulſibus, humores ab imminenti coagulatione liberantur, ulterius, & ulterius diſſolvuntur, evocatoque per ſudores veneni ſeminio, in priſtinam ſanitatem redintegratur Patiens.

Neque mirum quod muſica tantam vim habeat ſolvendi ſpirituum, humorumque compedes, ea enim præcipuè, & immediatè afficit organum auditus, cerebro valdè propinquum, imò cerebrum ipſum, ſeu minimas & tenuiſſimas ejuſdem fibrillas, in quibus cum torpeant, & ad necroſim ferè diſpoſiti reperiantur ſpiritus, probabile eſt quod illi à continuis, & vehementioribus muſices contactibus in membranas cerebri, & capitis explicentur, & motu ex parte adepto, nervorum, fibrillarumque tubulos felicius agiliuſque introeant, & ità cum humoribus, & ſolidis partibus priſtina redintegrent commercia, undè tandem functiones vitales ferè obrutæ reſtituantur.

Moto aëri ab impulſu fidicinum vim auget, & ſtimulos calor ſolis ingentiſſimus, aer Apuliæ calidiſſimus, ſicciſſimus, & tenuiſſimus, undè ſonus vehementius ferit, ſpirituum, humorum, membranarumque ſyſtema. Et ex vehementiori occurſu, vehementior pariter in liquidis humani corporis ſuccedit exaltatio, fermentatio, & debita fluiditatis reſtitutio. Quæ quidem per medicamenta diaphoretica intus ſumpta aſſequi difficulter poſſunt, ut ſuperius attulimus; hæc enim quouſque ad ſanguinem perveniant vires, ſuas magna ex parte amittunt, aguntque ſolummodo in fluida, non in ſolida. E contra muſica, & ſonus impetunt eodem tempore ſolida, & fluida, idque vehementer & per vim percuſſionis in cerebri fibrillas, in quibus immediatè fluidi nervei ſecretio, & diſpenſatio peragitur; Undè & celerior, & vehementior in fluidis agitatio, & exploſio ſuccedit, ac veneni promptior excluſio.

Aſſerunt nonnulli quod ſicuti veneno canis rabidi affecti ululant, & caninas operationes præ cæteris exercent, ità pariter, & à tarantula demorſi ad ſaltus, & choreas proni ſunt, eo quia hujuſmodi ſaltuum proprietas tarantulæ ipſi familiaris ſit. Utcunque ſe res habeat, certum eſt quod hujus generis venenum, & invadendi modum, & curationis methodum longè ab aliis diverſam præ ſe ferat.

Et ſi hæc quæ de illius indole paulò nuper dubitativè enunciavimus, veritati conſonant, benè ſe res habet, ſin minus, acriores judicio, & promptiores ingenio, rem hanc ulterius illuſtrare ne graventur, ut ardua venenatorum morborum Provincia impoſterum latius pateret.

Anacephaleoſis.

Cæterum cum rem parum promoveant hujuſmodi luxuriantis phantaſiæ conceptus, niſi ad obſervationes, & experimenta, quæ ſunt, & fuerunt prima ſcientiarum fundamenta deſcendamus; Ideò obnixè, & ex animo, imò humiliter rogamus Viros Medicos noſtri ſæculi, ut tandem, tandem, ſeponant ſpeculationibus, & argutiolis ſophiſticis rem Medicam conſpergere, & hoc pacto artem alioquin certam, & bono publico præ cæteris neceſſariam, incertam reddere & ad nihili ferè inſervientem, inſulſe miſcendo luctum ſpeculationum, auro obſervationum, & præceptorum & ex diuturnis obſervationibus manantium; quaſi res Medica quæ per obſervationes nata eſt, & aucta hypotheſeon figmentis indigeat ut ulteriora capiat incrementa. Ab Hippocratis ætate ad noſtra hæc tempora ſtetit medicina; Et licet felici (imò inter omnia mundi ſæcula, rerum inventarum gloriâ feliciſſimo) hoc ſæculo mirabiles progreſſus fecerit theoretica pars medicinæ; Practica tamen quæ tota ſtat in obſervationibus, & præceptis practicis jacet adhuc indocilis, & elumbis; Et niſi propitium aliquod Numen mentibus

Me-

Medicorum hoc alte inſinuet, quod ſcilicet Medicina practica promoveri non poſſit per ſpeculationes, & ratiocinia vana, ſed per obſervationes ſolidas, accuratas, diuturnas, patienter factas, & ex iiſdem vel centies, aut millies repetitis deducta præcepta ſolida, aphoriſtica, utilia, & qualibet ætate duratura, certè medicina maximo, & Reipublicæ, & Medicorum detrimento in crudelem lanienam evadet.

Et ut uno exemplo rem abſolvam ſæpiſſimè attente obſervabam Apoplecticorum & ſoporoſorum accidentia, necnon horum morborum progreſſus, ut & invadendi, ac remittendi modos ſepoſitâ qualibet mentis meæ hypotheſi, & antecedenti librorum præoccupatione; Circa pulſum præcipuè hæc obſervavi, illud ſcilicet ante invaſionem lethargi, aut alterius gravis ſoporoſæ affectionis fuiſſe parvum ac depreſſum, vix tamen ſupervenientibus hiſce morbis, ſtatim in magnum, fortem, atque altum extolli; & quo morbus in pejus ruebat, eò pulſus altior, & fortior evadebat. Cum vetulam apoplecticam in Xenodochio obſervaſſem circa horam veſpertinam, pulſus illius erat elevatus, & fortis, ægra tamen vehementi ſte tore, ac ſopore oppreſſa jacebat; Ex illo pulſu arguebam ipſe introductum eſſe in ſanguine vividam, ac vehementem fermentationem, hujus morbi ſolutioni peropportunam, cum tamen paucis interjectis horis, ideſt circa mediam noctem obierit Patiens. Ex frequentioribus hujuſmodi caſibus admonitus dum pulſum magnum, & elevatum in Apoplecticis & ſimilibus ſoporoſis morbis deprehendebam, de vita ægrotantis male præſagiebam, donec ſiniſter eventus utplurimum ſuccederet. Verumtamen cum nobilis de circulatione, & fermentatione ſanguinis hypotheſis contrarium potiùs ſubarguere videbatur, plenum aſſenſum obſervationi meæ tribuere non potui, donec incidens in lectionem Cælii Aureliani Viri doctiſſimi, & inter priſcos Græcos facile primi in diagnoſtica morborum parte elucidanda hæc verba adnotaverim *lib. 2. acut. paſſ. cap. 1.* In his, quibus ob phreniticam paſſionem parvus eſt pulſus, peiorante morbo, atque in lethargiam tranſeunte, pulſus in magnitudinem eripitur ob ſpecialem proprietatem paſſionis, non verò proficientium virium cauſa; morbo enim peiorante omnia deterius roborantur hæc ille? Atque cum hæc mea obſervata à Viro Græco, & ſolidæ mentis comprobata viderim, ſepoſui aliquantiſper falſitatis metum, & obſervando alacrius ſoporoſorum affectuum progreſſus, didici tandem in ſoporoſis morbis, ſed præſertim in apoplecticis, dum pulſus ex parvo in magnum elevabatur morbum potius ad peius, quam ad melius inclinare, & ægros brevi morituros potius, quam ſanaturos fore?

Ex quo ſolo (ut alia taceam quamplurima, eaque rara & utilia, quæ mihi per obſervationem innotuerunt, & aliâs publico bono dabuntur) per tranſennam ſaltem arguere licet, quam inane ſit res Medicas ſuper hypotheſim fundare, niſi obſervationis lumine inſtaurentur. Nam ſi omnes aliæ, hæc tamen præ cæteris de pulſibus doctrina, tota peti debet ex aſſidua, & patienti obſervatione practica, per quam in cognitionem venire poſſimus, cum quo pulſu morituri, cum quo ſanaturi ſint ægri; quidem præſagiat talis, & talis pulſus in hoc, aut in alio morbo; pulchræ enim ſpeculationes hic parum luminis afferre poſſunt nam aliud meditatur mens, aliud exequitur Natura, ſive rerum morboſarum aut naturalium concurſus? Paſſim obſervabam in acutis febribus & morbis, à principio uſque ad finem morbi progreſſum pulſus, notando varias ejuſdem mutationes ſecundum varia morbi tempora; & didici quod quando morbus ruebat in pejus, pulſus ſtatim evadebat parvulus ac nimium frequens quo accedente pulſu plurimos vidi mortuos potius, quam ſanatos?

Hujuſmodi fatalis mutationis pulſus ex parvo in altum in ſoporiferis morbis, ratio quoque aliqua ex mechanicis adduci poteſt. In talibus enim morbis cum maxima in cerebro, aut circa cerebrum fixatio, atque impeditus fluidorum tranſitus præſupponatur, nil mirum ſi ſanguis à corde in ſuperiores capitis partes continuò impulſus, cum ob præſuppoſitum obſtaculum curſum ſuum liberè peragere non poſſit, ad originem impulſus ſui, ideſt, ad cor ipſum, & partes cordi circumjacentes reflectat, ac veluti regrediatur, undè cum cor, & partes circumjacentes tantæ capacitatis non ſint, ut reflexum ac regredientem è capite ſanguinem ſuſtinere poſſint, neceſſe eſt ut illud obruat, ac in motus involuntarios & violentos conjiciat, quo expellendo ſanguine à ſuperioribus partibus ſuperabundante; hinc ad vehementiores hujuſmodi cordis ſubſultus, ac veluti convulſiones talis pariter in cubito pulſus ſuccedit. Et quo magis creſcit impedimentum circa caput, eo etiam, & circa cor, undè pulſus vehementiſſimi paulò ante mortem obſervantur?

Primi Helmontius, & Paracelſus Viri aliâs doctiſſimi, cum obſervaſſent tot abuſus, & inanes concluſiones à Galeniciſmo productas ob præſuppoſitam inanem plethoræ, & cachochimiæ hypotheſim, illos abuſus ex toto à Republica Medica excutere conati ſunt; Id autem fecerunt non ſolum conſtruendo novam hypotheſim Galeniciſmo penè contrariam, verum etiam, & deridendo, ac publicè, privatimque extorquendo remedia Galenicis uſualia, utpotè ſanguinis miſſiones, purgationes, veſſicantia, & hujuſmodi alia, quibus plethoriæ, & cachochymiæ, præcipuis per illos morborum cauſis antiquitus medebatur. Et dum Viri illi doctiſſimi hæc peragebant in abuſus, & hæreſes Medicinæ priores inciderunt; debebant enim tam illi, quam hodierni illorum Aſſeclæ convellere ac deridere non remedia præfata, Galeniciſmo uſualia (quorum præſtantiſſimos effectus in morbis propulſandis, & ipſe obſervavi, & feri obſervabunt Nepotes, ſi prudentiæ & cautionis ſale adminiſtrentur) ſed perverſam, vanam, inutilemque medendi methodum ac præconceptam falſam hypotheſim per quam talia remedia adminiſtrabantur indiſcriminatim ad omnes morbos; nam ut ipſe experientiâ didici, peſſimi effectus conſequuntur, non ab adhibito remedio, ſed ab eodem intempeſti-

, inutiliter ac inopportunè præſcripto; quod quidem dictum eſto generaliter de omnibus remediis: morbi enim curantur non per remedium ſimpliciter, ſed per remedium debitis indicationibus, & debito tempore ordinatum; Et damna ſubſequentia me judice utplurimum ſoboles ſunt falſæ & inanis indicationis, non verò peſſimæ qualitatis medicamenti. Summa enim, Praxis Medicæ conſiſtit in expiſcandis, & ſtabiliendis veris indicationibus curativis, cuilibet morbo opportunis, iis enim detectis facilis eſt remediorum inventio. Atque hinc debitæ indicationes, cum debitis, ac ſpecificis remediis totam complent medicinæ baſim, & vera ſunt Praxeos fundamenta. Pluries obſervàvi purgans in principio febris acutæ datum (quæ ſanè methodus purgandi in principio acutorum, quam pernicioſa ſit; & quantos in Orcum præcipitaverit dicta, eſt incredibile; & malo ſuo experientur ægrotantes, niſi tandem Medici deſcriverint purgare in principio febrium, & ſanguinis fermentationem à natura tentatam per intempeſtivas purgantium fermentationes pervertere, & jugulare) damna innumera, augumentum febris, vigilias, deliria, mortem celeriorem aliaque hujuſmodi produxiſſe, quo omnia ab eodem purgante, circa morbi ſtatum, aut tempore quo natura inclinat, dato, conſopita, aut ex toto eliminata fuiſſe.

Et quoniam Helmontius Vir fuit robuſtæ, ac velocis imaginativæ, robuſtiorem illam ac impetuoſiorem reddiderunt aſſidua, & incredibilis librorum lectio, ut & aſſidua ad ignem experimenta, quibus vehementer incubuit Vir ille nobiliſſimus neglectâ interim morborum obſervatione, quæ per aſſiduas ægrorum viſitationes comparatur, & ex qua, præcepta manant ſtabilia, ac ad tutiorem, certioremque medendi methodum nos manuducentia; quibus duabus de cauſis paulò ante allatis inebriata, ac ferrea penè reddita, naturæque mandatis vix inclinabilis Helmontii phantaſia nil mirum ſi Vir iſte doctiſſimus, concluſiones, & dogmata in Praxi produxerit, naturæ, & obſervationum methodo parum conformia, ac prorſus contraria; totus etenim fuit in meditando, ac legendo; nullus, vel paucus in obſervando quid natura faciat, quid ferat in morbis propulſandis. Opportebat quicquid ſtudio, ac meditatione comparaverat, aut concluſionibus ſtabiliverat, ad lydium obſervationum lapidem prius revocare, & ſi naturæ conſonabant, tunc candidè aperire, nulliſque exaggerationibus ſophiſticis adornare; ut ita legentium animos potentius feriant, ſicque ſcriptis ſuis faciliorem aſſenſum præbeant. Exinde factum eſt ut Poſteri, & coætanei noſtri, neglecto Antiquorum Auctorum ſtudio, in quibus aliquod clarius obſervationum naturæ lumen corruſcat, toti ſe dederint in evolvendo Helmontio, ſimilibuſque Auctoribus, ad quorum ideam, ſuam quoque recuderunt, & ferè tranſmutarunt phantaſiam; nilque aliud faciunt hodie, quam Naturæ judicia ad normam propriæ imaginationis (utinam ad veram methodum directæ,) coërcere; qua ratione cum in morbis curandis, eventus non reſpondere promiſſis conſpiciant, confeſtim incertam pronunciant medicinam, artem prognoſticandi irrident, medicamenta tumultuarie, & abſque ulla indicationum methodo præſcribunt, Antiquos medicinæ Patres extorquent, Recentiores ad ſydera extollunt, neutros ad prævium examen revocant, ut indè in errorum fontes perveniant; & demum confuſione mentis in dies creſcente, nec propriis, nec alienis fidunt experimentis, ſumma imis miſcent, & impunè de corio humano ludunt.

Prædictorum omnium errorum fontes præ cæteris aliis cauſis emanant, ex nativa intellectus humani, corporis clauſtro concluſi debilitate, & ad abſtractiones propenſione, qua de cauſa acquieſcere ſolemus, & plaudimus, quæ phantaſiam ſubitò, ac vehementer ferire, vel demulcere ſolent; eaque Medicorum dogmata amplectimur ſollicitè, quæ vaga, quæ nova, quæ curioſa, non quæ naturæ, & experientæ conſona ſunt. Et hinc hodie Juvenes Antiquis nil credunt, Recentioribus nimium credunt, multi è contra faciunt, ideò tot civilia bella, tot vana diſſidia Medicorum animos hodiè percellunt? tot morbi aliàs curabiles, in cætum incurabilium relegantur? Sciant itaque Juvenes, quod & Recentiores, & Antiqui benè, & malè dixerunt. Tu verò ut veritatem eruas, utrocumque dogmata perpende in ſecretis mentis tuæ, & ad experientiæ trutinam demum revoca, qua Duce de vero, & falſo certior evades; in ea tamen exercenda ſeponas tanquam peſtem omnia mentis præjudicia, nam hoc pacto te erudies, & erudietur medicina. Plura hujus argumenti capita impræſentiarum perpendenda eſſent, ne tamen præſens de tarantula exercitatio in ampliorem excreſcat molem, plura perpendentur in noſtro novo organo Medicinæ, ſive in Apparatu ad ſolidam praxim. Atque hæc de tarantula ſufficiant.

Caput Ultimum. *Obſervationes, & Experimenta varii argumenti proponuntur.*

Experimentum I.

Romæ menſe Majo 1692. Cani Juveni moloſſo ad tabulam ligato aperui jugularem dextram, & per ſiringam injeci uncias duas tincturæ cantharidum (tinctura compoſita erat ex duabus dragmis cantharidum pulver. & ℥vi. Aquæ card. ſ. ſuper cineres calidos per tres dies extractis) poſt prima ſiringationem canis vomuit inſignem aqueorum humorum copiam, viſcidamque ſalivam ore copioſe promebat, peractâ tota injectione, per ſuturam & pulverem vitrioli uſi, vulneris ſciſſuram feliciter occluſimus. Canis uſque ad mortem nil voluit comedere, ſitiebatque vehementiſſime, & poſt operationem cecidit humi veluti exanimis: Secunda die valdè debilis erat, ut ſtare vix pedibus poſſet. Famulus noſter miſeratione ductus ingentis ſitis qua canis torquebatur, eidem me inſcio bibendas dedit duodecim, & amplius aquæ libras, quâ vix ingeſtâ maximam urinæ flavæ copiam emiſit canis. Interea nil comedebat, ululabat, ſitiebat, ante mortem convellebatur quarta die noctu poſt maximos ululatus expiravit.

Aperto

Aperto cadavere collum ex ea parte, qua ſectionem tentavimus, totum erat ſphacelatum, & ingenter fœtidum. In dextro cordis ventriculo magna copia ſanguinis nigerrimi, & parum, vel nihil coagulati inveniebatur, in cujus ſuperficie guttulæ adinſtar olei innatabant. Ibidem pariter exiguum polypum grumo ſanguinis continuatum deprehendi. In ſiniſtro ventriculo duo parvi polypi reperti ſunt, & ſanguis nigerrimus, ac diſſolutus. Pulmo erat ſanus, & reliqua omnia viſcera cum renibus pariter ſana. In veſſica urinaria ne minimam quidem mucoſitatis portionem quâ in naturali ſtatu oblinitur invenimus, forſan quia urinæ acrimonia eandem abraſerat. Bilis in cyſti fellea ad aliqualem pariter nigredinem inclinabat, ſanguis qui ex diſſectis venis, aut viſceribus emanabat nigerrimus erat, nihil coagulatus, & in ſuperficie copioſiſſimis, ſed minimis olei guttulis perfuſus.

Experimentum II.

Romæ 14. Julii 1692. Cani juveni, & mediocris magnitudinis aperta jugulari dextra. ℥ ij. Tinct. cantharid. infudi; Vulnere conſuto, & faſciato ut ſupra, canis ſtatim vomuit, humi cecidit ſemimortuus. Poſt duas horas linguam foris cum magna anxietate promebat ſitis causâ; Nil comedere voluit; bibere verò quammaximè deſiderabat, ipſe tamen nihil aquæ conceſſeram. Poſt ſex horas mortuus eſt, nullo alio obſervato ſymptomate ut in ſuperiori. Aperto cadavere viſcera omnia ſana erant, ſolummodò ſanguis maximè niger, & diſſolutus obſervabatur, & guttulis adinſtar olei per totum ſuffuſus. Canis hujus ætas juvenilis erat, & parva corporis magnitudo, nihilque aquæ biberat. Ideò mirum non eſt ſi humoribus à cauſtico cantharidum ſale, ſat citoque diſſolutis, & liquatis, atque in breviori corporis ſtatura circulantibus in fatalem ſtrangulationem poſt ſex horas incidiſſent.

Corollarium.

In hiſce duobus canibus obſervavi, quod poſt injectam tincturam cantharidum, nulla alia pars citius patiebatur quam caput, quod, quidem ſtatim nutabat, & ad inferiora inclinabat, rectoque cervice ſtare non poterant, primus canis poſt factum experimentum ſtatim caput inclinavit, & illud erigere vix poterat; Verum epotis duodecim aquæ libris prædictis, in pedes elevatus fuit, caput liberè & recta cervice movebat, vix autem aquâ per urinas ejectâ denuò humi concidit, caput vix elevare poterat, & ità ſemiſtupidus ac capite nutans obiit quarta die. Exindè arguere poſſumus capiti obnoxias eſſe cantharides, hoc tamen non ità nudè ſtatuendum niſi centuplex in morbis experientia de veritate certiores nos reddat.

Experimentum III.

Romæ 14. Aprilis 1692. ægrotanti cuidam, morbo poſtulante, octo uncias ſanguinis è brachio extrahi curaveram; poſt extractionem in duo vaſcula dividi, quorum alteri ʒ. 1. pulv. cantharidum immiſcui, alteri verò nihil. Sanguis cantharidibus turgidus prius coagulatus eſt, quam ille alterius vaſculi, poſthæc colore plumbeo, & ſubnigro tingebatur, exinde tenuis pellicula ſubnigra in ſuperficie apparuit. Demum per totam ſanguinis ſuperficiem maxima ſubnigrarum veſſicularum congeries ſuccrevit, quæ quidem veſſiculæ diſruptæ ſubnigrum ſerum emittebant. Poſtremò ſanguis in ſerum ferè totus abiit, illudque nigrum, ac ſublividum: ſanguis in alio vaſculo hiſce mutationibus obnoxius non fuit.

Experimentum IV.

Eodem menſe poſt factam ſanguinis miſſionem in quodam Febriente, ſerum à ſanguine ſeparavimus, eique immiſcuimus ʒ. 1. pulv. cantharidum. Poſt mixtionem obſervavi quod pulvis paulò poſt in fundum vaſis præcipitavit, ullo colore ſerum tinxit: ſolummodò ſerum illud liquidius, & tenuius, ac vix coagulabile evaſit.

Specimen Practicum.

De Uſu, & Abuſu Veſſicantium.

Medici Opinatores & Hypotheſiſtæ qui ſubtilibus ſpeculationibus, & inanibus cogitatis nimium indulgentes, rem Medicam per obſervationem natam, & auctam abſtractionum ſordibus hodie deturparunt, acriter inter ſe digladiantur, an cantharides, & ex iiſdem confecta veſſicantia conferant, nec ne? ad morbos profligandos?

Helmontiſtæ & hujuſmodi pertinaces Hypotheſiſtæ, dum nomen veſicantium audiunt abhorrent ab eo, veluti à fulmine cœli. Alii è contra pariter Hypotheſiſtæ, ſed nimis ſuperſtitioſi, ac parum prudentes auctoritatum veterum Medicorum (loquor de illis Veteribus, qui naturæ judicia, logices ſubtilitatibus polluerunt) ſectatores nil aliud in ſingulis morbis crepant quam veſſicantia; incredibili ægrotantium pernicie. Neuter illorum ſervat mediocritatem, quia neuter ad illud arcanum pervenit, quod ſcilicet Medicina, vel prudentia ſit, vel prudentiæ filia; tanta etenim judicii ſagacitas, & comprobatæ longo uſu experientiæ neceſſitas incumbit Medico, ut nemo in perfectum Practicum evaſurus ſit, qui hiſce fulcris deſtituatur. Cæterum quæ mihi per Italiæ, Dalmatiæ, &c. Xenodochia circa veſſicantium uſum obſervare licuit, candidè, & bono publico proferre non gravabor: Et dummodò vera, & ſaluti hominum utilia proferam, parum curo, quid alii de me dicant, & obmurmurent.

§. I.

In uſu veſſicantium maxima cautio adhibenda eſt, ne indiſcriminatim præſcribantur quolibet anni tempore, cuilibet ætati, temperamento, habitui corporis, & quibuslibet morbis, ſed tantummodò dum neceſſi-

tas urget infra dicenda. Vidi utplurimum ulcera à veſſicantibus excitata fatalem gangrænam incidiſſe, cui an contribuat occultum quid in aëre latitans, durante illâ anni conſtitutione, me ſanè latet. Fateor tamen me non ſolum Romæ, ſed etiam Bononiæ obſervaſſe ann. 1692. quod ulcera à quavis cauſa excitata, imò & vulnera aliâs leviſſima facillimè gangrænabantur, quandoque cum ægrotantis pernicie. Anno præfato hyems frigidiſſima, & nivoſa præceſſit; ſucceſſit Ver nimis pluvium, & exinde æſtas temperata; ſoliſque caloribus parum exuſta, frequentibus tamen pluviis madida valdè. Hac igitur anni conſtitutione vulnera, & ulcera à veſſicantibus etiam excitata facillimè gangrænabantur. In cauſis itaque morborum evolvendis ſemper habeatur ratio ad conſtitutionem anni illius, & videatur an aliquid epidemicum & omnibus commune in morbis lateat, prout fecit magnus ille, ac fermè divinus Medicorum Romulus Hippocrates qui in ſuis Epidemiis, nil accuratius deſcribit, quam conſtitutionem anni cujus morbos delineat, tunc præ cæteris graſſantes. Indiſcriminatim tamen qualibet annorum conſtitutione ulcera veſſicantium promptiſſimè gangrænata vidi in Cachecticis, pallidis, hydropicis, & hujuſmodi valetudinariis corporibus, quam in aliis ſanioris habitus.

Ut autem ordinatim procedamus in deſcribendis commodis & incommodis veſſicantium; proponam nonnullas obſervationes huic argumento elucidando ſummè opportunas.

Obſervatio I.

Juvenis ann. 22. gracilis, & bilioſi temperamenti, paulò ante ſanatus à bubonibus venereis; poſtquam foco incaluiſſet, aquilonari vento ſe expoſuit, exindeque in anginam incidit, quæ paulò poſt in pleuritidem deſiit, cum ſicca tuſſi, calore exurentiſſimo, pulſu duro, & alto, vigiliis, ſiti, urinis craſſis, & valdè rubicundis. In Xenodochio Conſolationis Romæ medebatur Patiens. Circa 12^{m}. morbi diem, (quo tempore ipſe inviſebam ægrotantem cum Viro doctiſſimo Noſtrûm amiciſſimo Antonio Pachiono, magnæ expectationis Medico) pulvis Cornachini datus fuit; Et ſequenti die ſex veſſicantia applicuerunt graviſſimo corpori. Subſequenti acceſſione, quæ erat circa 14^{m}. diem, ſupervenit delirium, ſuppreſſio ſputi, tremor carnium, motus epileptici, pulſus & reſpiratio inæquales. Die 14^{a}. urinæ erant copioſiſſimæ, & dejectiones per ſeceſſum bilioſæ, ac fœtidæ, abſque ullo tamen levamine ſymptomatum, quæ 16^{a}. die parum levabantur; ſequenti tamen nocte denuò recruduerunt, ſuperveniente ſudore univerſali copioſiſſimo, glutinoſo, & acidum olente, qui uſque ad 21^{m}. diem perduravit, quo obiit Patiens.

Obſervatio II.

Coquus ann. 30. temperamenti ſanguineobilioſi, plethoricus, rubri capillitii, veneri, & baccho ſummoperè indulgens, poſt calorem & frigus externum, invaſus fuit à convulſione inferioris mandibulæ, & exindè convulſionibus abdominis. Præſcripſerunt eidem in Xenodochio pulverem Cornachini, & exindè veſſicantia. Poſt hæc ſucceſſerunt vomitus, motus convulſivi, & gravis difficultas ſpirandi, quibus preſſus ſymptomatis obiit quarta die. Hic Patiens durante præfatâ epilepſiâ, ac motibus convulſivis, ſenſuum internorum externorumque exercitio ſano, ac libero pollebat.

A pulvere Cornachini ſæpius productos vidi motus convulſivos in affectibus ſoporoſis à gravi capitis vulnere cauſatis. In apoplexia verò, lethargo, & aliis hujuſmodi ſoporoſis affectibus pulvis præfatus effectus producit quammaximos. Poſt illius enim exhibitionem utplurimum ſolutos vidi ſopores, præſertim ſi prius depleta fuerint vaſa per diætam vel ſanguinis miſſionem. Ut obſervavi nuperrimè in puero ſeptem annorum exilis conſtitutionis duplici tertiana laborante, & hæmorrhagiis narium valdè obnoxio, durante illa febri; cujus acceſſio dum incipiebat, gravi ſopore comitabatur: poſt ſex horas exhibita pauca doſi pulveris prædicti, & excitatis duobus alvi fluxibus, ſtatim ſopor evaneſcebat, irritis aliis remediis.

Obſervatio III.

Mulier octo menſibus gravida juvenis, & gracilis per octo continuos dies doloribus ventris divexata, circa finem octavæ diei peperit infantem. Poſt partum exarati dolores etiamnum continuarunt cum inſigni abdominis tenſione. Et quoniam omne genus auxiliorum ſpreverat, tandem à quodam Medico quatuor veſſicantia ſibi apponi permiſit. Lochia quæ primò fluebant, exindè ſuppreſſa ſunt. Paucis poſt diebus, denuò apparentibus lochiis, abdomen inſigniter convelli cœpit, adeò ut vix contingi manibus poterat, quin inſigniter doleret. Paulò poſt ſudores frigidi cum refrigeratione extremorum, pulſus & reſpiratio ferè obruti apparuerunt, quibus de cauſis ad agonem mortis redacta fuit Patiens. Elapſis paucis diebus, in melius procedebat morbus, verum accedente intenſiſſima ſpirandi difficultate ſpaſmodica, ſæpiſſimè in delirium ſe commutante, nec non ſupervenientibus alvi fluxibus flavis, & fœtidis, qui per octo dies continuarunt: 17°. morbi die expiravit Miſella Patiens.

§. II.

Ex præfatis obſervationibus (omitto alias brevitatis cauſâ) deducimus quot mala ægrotantibus infliguntur ex imprudenter præſcriptis veſſicantibus; ſi tamen prudenter & debitis cautionibus infrà dicendis applicentur, dictu eſt incredibile, quanta ſecum ferant emolumenta. Utplurimum ſiniſtros eventus adſcribimus deleteriæ aut pravæ medicamenti naturæ, cum potius ea omnia adſcribenda ſint deleteriæ aut pravæ medendi methodo, deleteriæ aut pravæ indicationi præconceptæ, quibus tale medicamentum præſcripſimus. Unus enim, & idem

idem ſpecie morbus (v. g. pleuritis) in variis ægrotis varia facie, & variis ſymptomatis ſtipatus incedit; varietas tamen illa non eſt propria illius morbi naturæ, ſed tota manat à varia, eaque aliquando præpoſtera medendi methodo, qua à variis Medicis morbi illi tractantur (taceo varietatem cauſarum antecedentium, quæ huic diverſæ morborum faciei, etiam conducunt.) Hinc jure merito plurima ſymptomata Medico potius debentur, quam morbis; hi enim conſtanti facie, & conſtantibus ſymptomatis ſemper proceſſuri eſſent, ſi unâ & eadem medendi methodo, eaque ſolidâ, ac opportunâ tractarentur.

§. III.

Capite graviter vulneratis, cum vomitu, ſenſuum exercitio proſtituto, aliiſque gravibus ſignis læſum cerebrum denotantibus, dum applicabantur veſſicantia; nonnulli graviſſimis convulſionibus paulò poſt præhendebantur. Alii rigoribus univerſalibus, qui ſæpius repetentes ægrum interficiebant. Alii ſudoribus frigidiſſimis, quibus mors paucis interjectis horis, vel diebus ſuccedebat. Pluries quoque ſequenti nocte poſt adhibita veſſicantia hujuſmodi ægros extinctos vidi Romæ in Xenodochio, obſervante etiam mecum præcitato Domino Pacchiono Noſtrûm amiciſſimo: Memini quendam torminibus ſpaſmodicis infimi ventris cum febre vehementer mulctatum, poſt appoſita in Xenodochio veſſicantia, per ſeceſſum excreviſſe inſignem copiam ſanguinis rubicundiſſimi, & paulò poſt obiiſſe. Et cum præfata damna in conſimilibus ægrotis ſæpiſſime obſervaverim, dum talibus inflicta videbam veſſicantia futuram mortem, vel graviſſima accidentia præſagiebam, quæ ſæpiſſime, ac velut infallibiliter ſuperveniebant.

Cavendum igitur ne impoſterum capite graviter vulneratis applicentur veſſicantia, maximè ſi ſuſpicio ſit jamjam invaſuræ, vel invaſæ convulſionis cujuslibet corporis partis; Nullibi enim tam peſſima ſunt veſſicantia, quam in convulſionibus acutorum, & gravium morborum, præcipuè ſi acceſſerit acrior & colliquata ſanguinis conſtitutio. Præfata obſervavimus in aëre Romano anni conſtitutione ſupra deſcripta. An ſub alio climate eoque frigidiori, eadem ſuccedant, exoro Viros Medicos, ut in ſolatium Languentium obſervare non dedignentur.

Lue Gallica affectis, ſi cujuſvis morbi causâ applicentur veſſicantia, ab illis maxima ſemper contrahunt detrimenta: prudenter igitur adminiſtranda ſunt, nec niſi in urgentiſſimis coagulationis humorum effectibus; aliâs incredibilia inferunt damna.

In febribus ardentibus & continuis, in quibus ſanguinis agitatio nimis vehemens & impetuoſa eſt. In conſtitutione anni calida, & ſicca. In ſimili pariter temperamento, ætateque ægrorum. In affectibus nervoſis, cum febre, & ſine febre (in convulſionibus ſine febre, non adhuc expertus ſum quid valeant veſſicantia.) In affectibus comatoſis febrium quæ accedunt ad ardentes & inflammatorias (quas utplurimum ſolis hipnoticis, emulſionibus, & brodiis diluentibus, brevi & feliciter curare ſoleo. Obſervavi in hujuſmodi febribus à nimia ſanguinis exaltatione, ac veluti inflammatione productis, quod circa initia acceſſionis, imò etiam creſcente calore acceſſionis gravi ſopore opprimantur ægri; eo quia, cum ſanguis nimium exaltatus & turgidus ſit, difficulter filtratur in cerebro, & exinde lentius procedendo, ſomnolentiam inducit: quam quidem ſomnolentiam feliciter curare ſoleo, per emulſiones, hipnotica, & hujuſmodi alia ſanguinis fervorem attemperantia, & deprimentia, unde reſtitutâ nativâ ſanguinis celeritate per præfata remedia, felicius filtratur in cerebro, & ita explicatis ſpiritibus & reſtituto ad partes commercio ſomnus remigrat; Et ſi quis hujuſmodi ſomnolentias per volatilia, & ſpirituoſa remedia abigere tentaverit, in profundiorem ſomnum, morboſq; capitis repentinos præcipitabit ægrotum.) In morbis pectoris ſpaſmodicis, inflammatoriis, & à ſalſedine liquidorum natis veſſicantium uſum ſemper in pejus ceſſiſſe obſervavi; Et licet raro utilitas aliqua effulſerit, non perinde auſus ſum in præcitatis caſibus veſſicatoria dubio marte præſcribere, ſed rem ſolis hipnoticis, & diluentibus ad optimum finem perducere.

Non ſolum gangrænam excitaſſe veſſicantia obſervavi, verum etiam, & mictus ſanguineos profuſiſſimos, & doloroſos urinæ ardores, præſertim ſi macilentis, & calidis corporibus, urente canicula, appoſita fuerint. Utplurimum poſt veſſicantia motus aliqui ſubſultorii, & convulſivi, nonnullæ ſudoris expreſſiones & quædam veluti pulſus obſcuritas obſervantur; hæc tamen brevi evaneſcunt, ſi prudenter, & debitis indicationibus eadem præſcripta fuerint, ut inferius adnotabimus.

§. IV.

Licet veſſicantia cenſeantur præfatorum malorum Auctores, non exindè tamen ſunt penitus proſcribenda è Provincia Medica, ea enim pari ritu ſe habent ac vinum, quod utut inebrians ſit, pluriumque capitis malorum origo; non propterea ejus uſum prohibent Urbium Rectores, ſiquidem imprudentiæ humanæ, & non pravæ ipſius naturæ tribui debent effectus illi peſſimi, quos inebriatio producit. Idem prorſus dicendum de veſſicantibus, purgantibus, phlebotomiis, & hiſce analogis remediis, quibus adeò impensè abhorrent Medici Hypotheſiſtæ, ut ubi ſemel ab iis ſiniſtros eventus productos viderint, forſan quia imprudenter adminiſtrata ſint, toto vitæ ſuæ tempore ob præconceptam falſam hypotheſim menti ſuæ altè inhærentem, non verentur præfata remedia, & palam, & privatim extorquere, & argutiolis philoſophicis proſcindere, maximo hominum & præſentis, & futuræ ætatis detrimento. Mangete doctiſſimè condoleo arti noſtræ, & prorſus horreo, dum ſentio Medicos nimis tribuentes ſibi, ſuiſque inanibus ratiociniis, & ex iis ducentes dogmata, concluſiones, & hypotheſes fallaciſſimas, ac inſtabiles; nunquam deſcendendo ad obſervationem, nunquam ad experimenta, per quæ duo adminicula cœpit, crevit, & creſcet medicina, ſi tandem Medici de ſolida hac veritate præmoniti, impoſterum indulgebunt æqua lance rationi, & obſervationi.

§. V.

Candidè aperui ſuperius damna, quæ imprudenter adhibita veſſicantia producere ſolent; brevibus mox ſubnectam emolumenta ab iiſdem

manantia, quæ itidem per obſervationem mihi innotuerunt. In corporibus macilentis, & gracilibus cautè uſurpanda veſſicantia, nam ſi unquam aliàs, hîc facillimè obortos vidi motus convulſivos, mictum ſanguineum, & incrementum ipſius febris; & quandoque cum febris propè ſtatum eſſet, ex applicatione veſſicantium in tam macilento corporis habitu recrudeſcebat cum peſſimis ſymptomatis. Si huic corporis conſtitutioni accedant calidior, & ſiccior temperies, tempus anni æſtivum, evacuatio aliqua copioſa anteceſſa, indoles ſanguinis in diſſolutionem, colliquationemque inclinans, tunc omnimodè ſuſpecta vidi veſſicantia. Quamobrem in ſtatu ſanguinis inflammatorio, acri, ad colliquationes, & diſſolutiones vergente, omnimodè prohibenda ſunt veſſicantia cuilibet ætati, temperamento, habitui corporis, anni tempore, ob peſſima indè ſubſequentia mala. Utplurimum enim Medici falſis innixi hypotheſibus, dum hujuſmodi colliquativas febres, ob ſymptomatum vehementiam improportionemque, eas à venenifera, aut maligna humorum qualitate productos dicunt. Undè ad illius veneni (ut aiunt) evocationem, & attractionem veſſicantia infligunt Patienti, quibus ſæpiſſimè convulſiones, abſceſſus in viſceribus, deliria, incrementa febris, & mortem ipſam ſucceſſiſſe obſervavi, ob diſſolutam ulterius, & ulterius ſanguinis maſſam ab inteſtino hoſte, & à cauſtico cantharidum ſale circulantibus humoribus afflato & immixto.

§. VI.

Quantum in conſtitutione ſanguinis acri, & colliquativa officiunt veſſicantia, tantundem conferunt in diatheſi ejuſdem craſſa, viſcida, & ad coagulationes, fixationeſque pendente. In iis febribus, quæ exiliſſimo pulſu; extremitatibus frigentibus, anxietate, ad ſoporiferos morbos propenſione, aliiſque coagulationis indiciis ſtipantur, dictu eſt incredibile, quam miros effectus producant; Et ſi hiſce omnibus accedant brumale tempus, temperies ægri ad humidum inclinans, habitus pinguiuſculus. Eò audacius applicanda erunt veſſicantia. Communicato namque cauſtico cantharidum ſale ſanguineæ maſſæ in fixationes diſpoſitæ, ejuſdem particulas diſgregat, ſolvit, & ad nativam fluxilitatem diſponit, & ità quaslibet fixationes coagulationeſque antevertit. Verbo dicam; ad ſolvendas incipientes ſanguinis coagulationes in quolibet morbo aut cronico, aut acuto, qualibet ætate, temperamento, anni tempore, vix ullum præſtantius, & velocius deprehendi remedium, quam veſſicantia ob rationes exaratas, & experientiam centuplicem, ac ſolidam.

§. VII.

Obſervavi in pleuritide utut præceſſerit, vel non præceſſerit ſanguinis miſſio, quandoque circa quintum, vel ſeptimum, vel hiſce intermediis diebus apparere magnam ſpirandi, & expectorandi ſputi difficultatem, quibus de cauſis ægri ad extremum ferè diſcrimen vitæ reducebantur. Irritis aliis duo veſſicantia tibiis, vel cruribus admota, ad miraculum ferè expectorationem (quæ ſcilicet primaria criſis eſt morborum pectoris) morboſæ materiæ producebant, ſpirandi difficultatem leniebant, & morbum ipſum protinus extinguebant. Majora dico; Quacumque die in pleuriticis ſpirandi, & excreandi ſputi difficultas ſucceſſerit, à quibus mors utplurimum imminere ſolet, ſtatim applicanda ſunt duo veſſicantia tibiis, prout ſentit etiam magnus Hippocrates lib. 2. prognoſt. 67. dicens. In pulmoniis quicumque tumores fiunt ad crura boni, nec poteſt aliud quicquam melius accidere, præſertim ſi mutato ſputo ſic appareant; hæc ille. Et ſanctè fateor ex centenis ægrotantibus vix pauciſſimos obiiſſe hac methodo tractati, ut obſervavimus cum eruditiſſimo Medico Hieronimo Botti in Xenodochio S. Jo. Lateranenſis Romæ hoc anno 1694. brumali tempeſtate rigidiſſima, valdè nivoſa, ac gelida, à multis retrò annis nunquam Romæ viſa. An per æſtatem aliiſque anni tempeſtatibus mitioribus, optimos hoſce effectus productura ſint veſſicantia in pleuriticis, impoſterum obſervare non gravabor, repetitis vel centies obſervationibus, quo tandem ſtabiliri poſſit dogma ſolidum & irrevocabile. Intromiſſo namque cauſtico cantharidum ſale in ſanguinis maſſam, dum perveniebat ad pectoris, vel pulmonis partes in quibus humorum ſtagnatio primaria pleuritidis cauſa vigebat, eoſdem ſolvendo, & in priſtinum circulum redintegrando inflammationem ipſam ſolvebat: qua de cauſa ſpirandi, & excreandi difficultate ceſſante, promotoque copioſo ſputo, pleuritis, velut in ovo jugulabatur. Advertendum tamen quod nos præfatos pleuriticos nunquam purgavimus, præſertim in initiis morbi, uti multi inſulsè faciunt, ſed adhibitis opportunis venæſectionibus, ſtrictiori diæta, & brodiis pectoralibus atque alchalicis herbis incoctis ac copiosè aliquantum datis, feliciſſimè præfata methodo ſanabantur.

Ex uſu veſſicantium in pleuritide profuſiorem ſæpiſſimè obſervavi urinam; Et ſi aliqualis alvi fluxus tunc aderat applicatis veſſicantibus ex parte minuebatur, vel prorſus evaneſcebat. Nam cuilibet in medicina, vel leviter verſato abundè liquet, alvi fluxus pleuritidi ſupervenientes omnes ferè eſſe fatales, ſiquidem iis apparentibus ſtatim ſuppreſſum vidi ſputum, & indè ægrum paucis interjectis diebus ſuffocatum. Quamobrem amicè exoramus Viros Medicos, ne pleuritidi, & pulmoniis purgantia exhibeant præſertim in principio, prout familiare & quamplurimis per Italiam Medicis, innixis hypotheſibus minorationis cacochymiæ, & hujuſmodi nugarum. Pulmoniæ namque, & pleuritides, cum originem ducant ab inflammatoria maſſæ ſanguineæ diatheſi, tenellis pulmonum membranulis vim faciente. Si inflammato ſanguini inflammatorios purgantium ſtimulos addideris, crudo præſertim exiſtente morbo, motus naturæ contrarios, & ægro pernicioſos, tam in fluidis, quam in ſolidis corporis partibus excitabis; Et hinc poſt hujuſmodi intempeſtiva purgantia inflammatio augetur, ſputum ſupprimitur, donec ad malorum cumulum mors ipſa ſupervenerit, vel potius diuturna convaleſcentia, aut in tabem migratio.

Quanti diſcriminis ſunt purgantia in pleuritide, aliiſque hujuſmodi pectoris morbis, tanti è contra emolumenti ſunt diuretica. In omnibus enim pectoris morbis ſemper ad

vias urinæ ducendum eſt naturâ ipsâ præmonſtrante, & experientiâ, quibus etiam præmonſtrantibus obſervavimus, quod ſicuti in morbis pectoris uſus diureticorum futuram ſanitatem tutò promittit, ità ex adverſo ad pertinaces capitis morbos abigendos purgantia levia ſæpius adminiſtrata magnam afferunt utilitatem, præſertim ſi per id temporis pediluvia etiam adhibeantur: quibus quadrat illud Jacotii comment. ad Coac. Hipp. lib. 4. fol. 212. dicentis, *in morbis capitis alvum ferè ſemper ſtringi; qua de re purgantia illis fore profutura non dubitarem, præcipuè ſi forma pilulari adhibeantur.* Dum de morbis capitis loquor non intelligo eos à convulſione, acrimonia, & nimio impetu ſolidorum aut fluidorum productos; ſed quos humorum denſitas, craſſities, ac fixatio ingenerat, ut ſagacioribus patet. Inter purgantia capiti valdè utilia, dum præfatis fixationum morbis torquetur palmam refert pulvis Cornachini. Inter diuretica morbis pectoris opportuna & præ cæteris familiaria ſunt omnia e terebinthina fabrefacta, Millepedes præparati, ſyrupus de althæa Fernelii, & herbæ vulgo dictæ aperientes. Acidum enim cum pectori, ejuſque morbis ſit valdè hoſtile, ideò medicamenta diuretica indolis acidæ, ſuſpecta maximè ſunt, & dubiam promittunt ſalutem; Quod etiam obſervavit Hofmann. in Schröd. fol 576. quò loci rejicit uſum balſami ſulphuris in phthiſi, aliiſque pectoris morbis, eo quia acido pollet unctuoſo, & potius inducit, quam eradicat phthiſim, teſte etiam doctiſſimo Walſchmidio in ſua praxi rationali cap. de phthiſi in Monitis.

§. VIII.

Obſervavi pariter veſſicantia delirantibus hominibus admota generaliter non ità profuiſſe, prout Medici deſiderabant, imò quandoque & morbum, & ſymptomata auxiſſe, & plures ex iis extinctos potius, quam ſanatos videram. E contra delirantibus mulieribus adhibita veſſicantia, maximam utilitatem afferebant, miteſcente exinde & delirio, & reliquis ſymptomatis, adeò ut pauciſſimæ cum veſſicantibus moriebantur, quin potius promptiſſimè reſtituebantur. Fateor tamen me hoc obſervaſſe Romæ in Xenodochio initiante ánno 1694. quo tempore rigidiſſima, & nivoſiſſima conſtitutio temporis à quampluribus annis, nec Romæ, nec per Italiam obſervata graſſabatur; Et de repente tunc mortes repentinæ quamplurimæ, catharri febriles infenſiſſimi, Tuſſes humidæ, Pulmoniæ cum infarctu pectoris invaluerunt, quibus magis afficiebantur Viri, quam Mulieres; Utriſque tamen quando acuta febri, & deliriis vexabantur adhibita veſſicantia afferebant ea commoda, & incommoda quæ ſuprà innuimus. In oculorum morbis veſſicantia collo applicata mirabiliter quandoque proſunt, præſertim in ſuffuſione, & fluxionibus, vulgò dictis, ad oculos irruentibus, quæ quidem per ſtimulos vividos veſſicantium anteverruntur, & utplurimum reſolvuntur, ut ſæpiſſimè obſervavi.

Ad præveniendum, vel curandum delirium febrientium loco veſſicantis, maximè confert ſecare venam ſalvatellam in alterutra ex manibus, ſiquidem per hujuſmodi ſanguinis miſſionem in manu celebratam in ipſo imminente, vel jam incœpto delirio, vidi ſæpiſſimè illud ex toto profligatum eſſe, aut magna ex parte imminutum, ſive derivato, ſive infracto per hujuſmodi emiſſaria inflammati, & acris ſanguinis ad caput incurſu; Poſt celebratam ſanguinis miſſionem dentur copioſæ emulſiones ſeminum frigidorum in aquis appropriatis, vel potius brodia valdè diluta, & nitratis maritata, nam hoc pacto felicius ceſſurum vidi delirium.

§. IX.

Ulcera à veſſicantibus excitata, quandoque in pejus ruunt, vitio aut morboſæ materiæ, aut mali habitus corporis Patientis, & tunc ulcera exareſcunt colore ſubnigro, aut ſublivido tinguntur, ne guttam humiditatis ex ſe promunt, & in gangrænam facillimè diſponuntur. In hoc ulcerum ſtatu præſentiſſimum remedium eſt, eadem oblinire melle roſaceo, petiis decenter faſciare, & illitum repetere bis, aut ter in die; ægri à mellis illitu moleſtum punctionis doloroſæ, ac veluti effervefcentiæ ſenſum in ulcere percipient, quod optimum ſignum eſt; nam uno, vel altero interjecto die, mador in ulceribus apparebit, & cum madore acris ichoris expurgatio, nigror cum cruſta ipſa morboſa, & maligna ulceri obducta decedet, exindeque rubicunda caro ſuccreſcet? per quam acres morborum ichores optimè filtrabuntur impoſterum.

§. X.

Nec ſolum in ulceribus veſſicantium hujuſmodi mellis roſacei optimos eventus obſervavi, ſed in aliis quoque ulceribus præfato modò luxuriantibus. Romæ Majo menſe 1693. accerſitus ad Juvenem ulcere inguinali ex bubone venereo laborantem cum acuta febri, ſiti, virium proſtratione, ulcus ipſum erat inſignis circumferentiæ doloroſum, inflammatorium, cruſtâque nigrâ obductum. Poſthabito quolibet remediorum pompoſo apparatu præſcripſi mane ℥ x. ſeri lactis caprini depurati; Veſperi autem emulſiones ex ſemin. melon. & cucurbit. in aq. card. ſ. factis cum ℈ ij. ocul. cancr. loco victus ſolidi brodia copioſa, & diluta præſcribebam. Ulcus illinebam melle roſaceo tantummodo bis, quandoque ter in die. Hac methodo per decem dies continuatâ, ceſſarunt præfata interna omnia mala, ulcus optimè mundificabatur; Et demum præſcriptâ per aliquot dies mane levi decoctione ſarſ. parill. lign. guaiac. & ſtibii crudi ab ulcere præfato perfectè convaluit. Quamobrem ſtatuendum eſt mel roſaceum eſſe unum ex optimis abſtergentibus, & anodynis balſamicis in ulceribus, quantum ad hanc diem obſervare mihi licuit.

Porrò hoc etiam notandum in ulceribus generaliter nil magis conferre quam diætam ex diluentibus, & ſimul nutrientibus conſtitutam, utpotè ſunt brodia herbis balſamicis, & dulcificantibus alterata, & copioſè data loco etiam victus ſolidi, quibus etiam alia antiulceroſa admiſceri poterunt. Nam per ſimilia diluentia ſal

acre ulcerum maſſæ ſanguineæ utplurimum inhærens diluitur dulceſcit, & copioſo fluido irriguum promptiſſimè ſeccedit, vel per urinas, vel per ſeceſſum, vel alias portas naturæ accommodas; quod raro ſperabunt Medici per hypocauſta, diætam exſiccantem, decocta ſudorifera, & ſimilia quibus ægrum miſerrimè confodiunt (præſertim ſi Patiens ſicci & aduſti fuerit temperamenti, & corpus non fuerit cachecticum, humidum, pallelcens; nec ulcera humido nimio, & laxante ſcatentia, quo in caſu exſiccantium uſus conſerre poſſet ulceribus) & ſal acre ulcerum ulterius exaltando, acriuſque reddendo ulcera ipſa in claſſem malorum incurabilium atque fatalium tandem relegant.

Occurrit quandoque quod ulcera à veſſicantibus excitata, poſtquam primarius morbus jam receſſerit, & ipſa ſufficienter expurgata, & mundificata fuerint, difficulter ad perfectam cicatrizationem perduci poſſint, ægroſque miſerrimè laceſſunt. Irritis aliis cicatrizantibus feliciter poſt pauciſſimos dies cicatrizata vidi, aſpergendo illius pulverem thuris in tenuiſſimum alchool redacti, & repetiti bis in die, quouſque perfecta cicatrice obducantur.

§. XI.

Pro coronide demum hujus ſpeciminis, ut ut incuiti, & rudis de veſſicantibus, eſto hoc rarum præceptum circa illorum uſum. Veſſicantia. Sinapiſmi, Purgantia aliique hujuſmodi ſtimuli non ſunt adhibendi corporibus ſucci plenis, plethoricis, & nimiâ humorum copiâ turgentibus, niſi depletis prius vaſis, per repetitam, ſi neceſſe foret ſanguinis miſſionem. Nam cum adeſt præfata fluidorum turgentia in vaſis, certum eſt difficulter, vel ſaltem imminutè fieri ſecretiones in cribris viſcerum, aliarumque partium, ut ex mechanicis apertè deducimus; ad ſecretiones namque feliciter peragendas non ſolum prærequiritur liber aditus pororum cribri viſcerum; ut celeberrimus Malpighius in aureis de ſtructura viſcerum obſervationibus adnotavit; verum etiam, & proportionatus impetus motus fluidi ſecernendi; qui quidem impetus, ſi vel imminutus, vel auctus fuerit plus quam par eſt, ſecretiones ſanè ipſæ, vel ex toto tollentur, vel ſaltem præternaturali modo fient. Per ſtimulos purgantium, veſſicantium, ſuccedit major motus ac veluti oſcillatio quædam vividiſſima, tam in ſolidis, quam in fluidis corporis partibus; & humores præſertim ad majorem turgentiam, fermentationem, & motus vividiores diſponuntur, quibus quidem accedentibus impulſibus, ſi humores uberiori copia in vaſis reperiantur neceſſe eſt præfatam ob cauſam illorum ſecretionem impedituram iri, cum mutetur æquilibrium actionis, & recactionis fluidorum in ſolidas partes, & è contra, parteſque ſolidas ac membranaceas exindè convelli, extendi ac contorqueri, propterea quod major ſit impulſus fluidorum in eas, quam ipſæ reſiſtere poſſint, qua de cauſa non ſolum in viſceribus, & partibus debitæ ſecretiones impediuntur, verum etiam & humorum ſtrangulationes, ac intempeſtivæ fixationes enaſcuntur. Ideoque ob intempeſtivè, & imprudenter adhibita purgantia, veſſicantia obortas videmus convulſiones, inflammationes, deliria, ſanguinis fluxus quæ quidem ſuccedere nequeunt, ſi depletis prius vaſis per ſanguinis miſſionem talia remedia adhibeantur, nam quamcumque fermentationem, turgentiam, aut impetum ſanguini procuraveris poſt depleta vaſa, cum in liberiori & ampliori ſpatio ille circuletur, ſolvatur, & commoveatur, videtur impoſſibile, ut impetum, ac vim facere poſſit in ſolidas partes, & ſtrangulationem in fluidis, ſed blande, ac regulatè ſe movendo, debitè, ac naturaliter in partibus percoletur.

Optimo igitur jure ſanæ mentis Medici ante fortium purgantium uſum celebrare ſolent ſanguinis miſſionem præfatam ob cauſam; idemque faciunt in applicatione veſſicantium, dummodò neceſſitas aderit initio hujus paragraphi adnotata; prout etiam ſentit magnus ille Anglorum Medicus Thomas Sydenhamius in aureis ſuis obſervationibus circa morbos acutos factis; qui quidem Auctor inter cæteros hujus ætatis Practicos Italiæ noſtræ perquam gratiſſimus eſt; eique ingenter debemus, quod centies repetitis obſervationibus tandem ſtabiliverit, quomodò tractanda ſit fermentatio illa, quam in ſanguine febris producit; & primus inter ſeptentrionales, ſeptentrionalium (Virorum aliàs doctiſſimorum) lubricam aliquantiſper medendi methodum circa febres, ad debitam rationis, & experientiæ ſemitam conciliaverit; aperiendo interim quod æqua lance peccant, tam illi qui repetitis purgantibus ſaginant ægrotantes in principio febrium, quam qui ſingulas febres ſtatim jugulare contendunt per diaphoretica in ipſis febrium initiis, primiſque morbi diebus indiſcriminatim, & præpoſtere exhibita, quæ quidem methodus quam inanis ſit, & quanta reformatione indigeat, Vir ille doctiſſimus, & Magni Hippocratis vere genius ſolidis obſervationibus patefecit; Nam cum in principiis febrium fermentatio morboſa ſanguinis adhuc ad depurationem, & præcipitationem peccantis materiæ diſpoſita non ſit; ſi tunc temporis purgantium, & diaphoreticorum ſtimulos, & præcipitantia addideris, majorem turbationem, & perniciosam ſeparationem procurabis, poſt quam ſæpiſſimè vidi febris incrementum, reduplicationem, deliria, vigilias, & alia hujus nominis ſucceſſiſſe, quæ quidem alibi fuſius tractabimus. Pro nunc ſufficiant brevia hæc de veſſicantibus, plura daturi impoſterum, diuturna, & patienti obſervatione edocti.

Sequuntur alia Experimenta.

Experimentum V.

Dum exercerem praxim Neapoli elapſo ſexennio cum Viro Celeberrimo Januario Biſogno; inciſâ jugulari canis grandioris, injecimus in eam ℥. ſemis ſpirit. vitriol. per ſyphonem, faſciato, & accommodato vulnere, ſtatim horrore, & rigore totius corporis correptus fuit canis, utut circa meridiem Julio menſe hæc operatio facta fuerit; ſalivam ex ore promebat, vomuit, humi concidit, anhelabat, paucis interjectis horis obiit. Aperto cadavere viſcera omnia

nia ſubnigro colore ſuffuſa invenimus, & ſanguinis nigri inſignem in corde copiam ac grumefactionem, uti & in pulmonibus, cætera ſana erant, & integra.

Corollarium.

Hujuſmodi infuſoria experimenta, eam lucem afferunt praxi Medicæ, quod ſcilicet poſt infuſum liquorem obſervamus quænam phœnomena, & ſymptomata partibus quibuslibet humani corporis affricari poſſent à talis remedii uſu. Ideò attentè, & minutè notanda ſunt omnia, utut minima accidentia, quæ in functionibus animalibus, vitalibus, & naturalibus poſt exactum experimentum emergunt, ut exindè facto analogiſmo ad humani corporis actiones, perdiſcamus quibuſnam partibus conferat, vel officiat liquor ille, vel tinctura quæ infunditur. Et ſane fateor magnam lucem Praxi Medicæ allatura fore hujuſmodi experimenta ſi ab aliquo Eruditorum cætu continuo, & attentiſſimè peragerentur ad varios, & varios liquores gradatim aſcendendo. Experimenta namque, quæ in vivis animalibus fiunt, ſpem aliquam veritatis afferre poſſunt ad praxim ſtabiliendam ſolide & mature. Et ad æthiologiam morborum eruendam obſervationes ex cadaveribus morbo denatis petitæ, primam, ac ſtabilem lucem curandorum morborum conciliabunt; dummodò antecedenter in ægro, cujus cadaver inſpicimus, obſervaverimus, & notaverimus ſymptomata omnia ut ut minima quibus divexabatur, & contulerimus cum eis, quæ in cadavere reperiuntur; & hoc idem in aliis, & aliis ægris, ac cadaveribus repetendo, deducamus demum præcepta practica, ſolida, utilia, & qualibet ætate duratura. Cadavera enim hominum obiter ſecare, nec antecedenter præſcire ac prænotare, quæ ſymptomata paſſi fuerint, ad illuſtrandam pathologiam eſt inopportunum.

Experimentum VI.

Romæ 1693. cum Domino Pachiono præcitato, ac Domino Joſepho Paſchalis, nunc apud Taurinenſes Medicinæ Doctore eruditiſſimo, ac celeberrimo; Cani juveni ſectâ venâ crurali dextrâ propè inguina, per ſiringam immiſimus ℥ ij. ſpirit. vini optimi. Factâ ſiringatione, canis horrores per totum corpus paſſus eſt ſpatio ſemiquadrantis horæ, exindè urinavit copioſè, & circa vitæ functiones bene habuit; & bene habuiſſet impoſterum, niſi à ſervis incautè occiſus eſſet. Aperto cadavere optimè conſtitutas invenimus ſingulas corporis partes.

Experimentum VII.

Cani Juveni ad tabulam ligato aperuimus jugularem dextram, & infuſis in eam duabus unciis ſpiritus vini rectificati ut ſupra, vix factâ tertia ſiringatione, canis ſtatim utut ligatus interiit. Aperto cadavere maxima ſanguinis grumeſcentia in pulmonibus reperta eſt, cæteræ partes ſanæ erant.

Corollarium I.

Ex præfatis duobus experimentis deducimus, quam diverſis mutationibus obnoxii ſint humores ob medicamenta ad hanc, & non ad aliam partem applicatam, prout in hac & non in alia parte impetus ſanguinis à corde impreſſus eſt vehementior aut remiſſior. In pulmonibus cùm continuò inſignis, ac ferè generalis ſit ſanguinis inundatio, & turgentia, nil mirum ſi vini ſpiritus copioſus in magnum illum ſanguinis pulmonum oceanum derepente afflatus, illum ſtatim coagulaverit, & ſubitam canis mortem intulerit. Siquidem vini ſpiritus albumen ovi ingenter coagulat; Idem ore detentus ſalivam maximopere condenſat, ac figit adinſtar glutinis. Hoſce pariter effectus in ſanguine, & ſpiritibus producere affirmant Etmullerus tom. 1. theſi de nutritione & auctione. Bohnius cap. de ſomno & vigiliis, & alii.

E contra vini ſpiritus cruralibus venis infuſus exarata damna non intulit, illic enim exigua eſt ſanguinis inundatio, nec ulla datur mora, qualis in pulmonibus reperitur, ſed continuus eſt itus & reditus ſanguinis, iſque velociſſimus prout fit in ſingulis. Ideò facillimè vini ſpiritus vires infringuntur, & enervantur, atque antequam ad uberiorem ſanguinis alveum pervenerit, in quo ratione copiæ aliqualis fixatio & coagulatio ſuccedere poſſet, protinus elangueſcunt.

Corollarium II.

Conſideratione dignum eſt obſervare, quod in morbis diuturnis, ea loca in quibus ſanguinis maſſa uberiori alveo profluit, præ cæteris partibus morboſam labem perſentiſcant, in iiſque futuræ mortis tragædia diſponatur. Ità major pars hominum diuturno aliquo morbo laborantium, moritur tandem ex affectione pulmonum, aut renum. Hæc etenim duo viſcera univerſam ſanguinis maſſam cum omnibus contentis continuo recipiunt, ob inſignia duo officia, quibus illa ſunt deſtinata; Hinc mirum non eſt ſi vitioſus, & malè affectus ſanguis, iſque copioſus, dicta viſcera continuo præterfluens, in iis tandem ſuperſtruat fatalia vitæ pericula, qua de re plures morbi chronici deſinunt tandem in morbos pulmonum, aut renum, ut quilibet obſervare poterit; ideò in hiſce caſibus ſemper providendum eſt pulmonibus, & renibus per opportuna, & ſpecifica remedia.

Experimentum VIII.

Patavii 1691. factâ ſectione in jugulari vena canis juvenis, infudimus per ſiringam ℥ v. aquæ frigidæ, occluſo, & faſciato vulnere, horroribus per totum ſuffuſus eſt canis, cæterum bene habuit, & vixit.

Experimentum IX.

Patavii anno præfato (quo fruebar familiaritate Viri doctiſſimi & celeberrimi Michaëlis Angeli Tardellæ veræ Matheſeos Reſtauratoris, nunc Publici Aſtronomiæ Profeſſoris in Archilyceo Patavino) accepimus magnum canem, factâque ſectione ſub hypochondrio dextro ligavimus filo, ſtrictiori nodo, truncum arteriæ magnæ, & venæ deſcendentis infra renes, & caſualiter dextrum pariter ligavimus ureterem. Conſuto, & faſciato vulnere, reliquimus canem. Poſt operationem (quæ facta fuit die Jovis horâ 22.) canis vomuit ter, deindè cecidit humi, velut exanimis, & jacuit abſque ullis aliis apparentibus ſymptomatis, uſque ad ſequentem diem veneris, qua mortuus eſt horâ matutinâ.

Aperto poſt mortem abdomine, per totam inteſtinorum longitudinem inventa fuit ſtria quædam veluti faſcia latitudinis duorum digitorum, coloris ſubflavo-viridis, quæ quidem ſtria, an bilis effuſio fuerit, an aliud quid neſcio? Diaphragma tantiſper erat inflammatum. Bilis ferè tota effuſa erat è ſua veſica. Factis per cultrum inciſionibus in rene dextro, ingentem aquæ copiam per ejus ſubſtantiam diffuſam vidimus. In corde ſanguis nigerrimus erat.

Obſervatio X.

De Arteria nova.

Romæ 20. Januarii 1693. In Xenodochio Conſolationis aperuimus cadaver mulieris quinquagenariæ ex inflammatione inteſtini colon defunctæ, & invenimus quod à trunco arteriæ magnæ deſcendentis prodibat ramulus arteriæ, qui inſerebatur in dextrum ureterem circa illius medietatem. An hujuſmodi arteria intus cava fuerit, an potius in ligamentum indurata, ut fit de aliis fruſtraneis partibus præ celeritate quam Adſtantes nobis afferebant, obſervare non potuimus. Neſcientes pariter, an præfata mulier mictui ſanguineo aliiſve renum morbis, per vitæ ſuæ decurſum, obnoxia fuerit. Impræſentiarum admirari tantummodò liceat ludentis naturæ conatus, quorum uberrimè ſcatent Obſervatorum libri.

Experimentum XI.

Elapſo triennio Bononiæ ſumpto parvo cane (vulgò *corſetto di Bologna*) & ſuper tabulam ligato, factâ inciſione circa jugulum invenimus utramque arteriam carotidem, ſeparatiſque nervis paris vagi, qui cum dictis arteriis ſtrictim uniti incedunt, utroſque præfatos nervos per medium totaliter amputavimus: poſt amputationem; nervi ſtatim, ac vehementer retracti ſunt ad ſua principia, & ſub carnibus ſe obliterarunt, conſuto, & faſciato vulnere, canis impoſterum non potuit, nec latrare, nec ejulare, affatimque obmutuit; de cætero vividus erat, bene ambulabat, gravi tamen reſpiratione per intervalla premebatur. Uſque ad tertium & quartum diem quicquid comedebat canis, ſtatim vomebat, hinc maximè emaciabatur. Uſque ad nonum diem parum vel nihil comedebat, & eò macilentus evaſit, ut ſceleton animatum meritò diceres: nona die manè maximos ululatus, & latratus fecit, utut antecedenter mutus fuerit. Tandem cum parum comederet, & ſenſim ad extremam, & ferè incredibilem maciem redactus eſſet 12ª. die miſerrimè obiit. Diſſecto cadavere viſcera omnia, ſana & inculpata invenimus. Solummodò per totam œſophagi fiſtulam deteximus cibum, quem antea comederat valdè compactum, & agglomeratum, ipſumque œſophagum nimioperè turgidum, in ventriculi enim cavitatem cibus exonerari non poterat.

Hoc idem experimentum tentavit Williſius ut notat tom.1. c.24. de nervorum deſcriptione & uſu: ille tamen nervum non amputaverat, uti nos fecimus, ſed ſolummodò fortiori nodo conſtrinxerat, ideò nil mirum ſi in ſuo cane ſymptomata obſervaverit aliquantiſper à noſtris diverſa, ut legere poteris apud illum loco citato.

Corollarium.

Omnibus notum eſt quod nervi ad cor tendentes proveniant à trunco paris vagi, & cum utroſque paris vagi truncos, nos è toto amputaverimus, ideò maximè miramur quomodo impedito totaliter ad cor ſpirituum animalium influxu ob diſciſſos nervos prædictos, illud pulſare potuerit, & animal vivum eſſe per continuos duodecim dies. Williſius aſſerit loc. cit. quod præter ramos paris vagi perveniant ad cor aliqui rami ex nervis intercoſtalibus. Verum factâ diligenti indagine in variis canibus, dictos ramos nervi intercoſtalis ad cor pervenientes invenire non potui. Ideò ingenio & obſervatione acriores rem hanc impoſterum illuſtrare non graventur.

Experimentum XII.

Bononiæ præcitato tempore Cani Moloſſo ad tabulam ligato, detectis utriſque arteriis carotidibus, ſiniſtrâ nempè & dexterâ, & ſeparato nervo paris vagi, qui cum dictis arteriis ſtrictim unitus incedit, illas fortiori, & duplicato nodo ligavimus, factâque ligaturâ vulnus conſuimus, & faſciavimus. Auctores nonnulli referunt quod factâ hac obſervatione animalia ſtatim concidant apoplectica. Ipſe tamen cum hæc non obſervaverim, candidè proferam quicquid adnotavi. Canis paulò poſt ſtupeſcere cœpit, & ſuper pedes regi non poterat, ſed hinc indè concidebat ad latera. Uſque ad quintum diem benè habuit & functiones ferè ſanas exercebat, parum tamen, vel nihil comedebat, aut bibebat. Dum itaque uſque ad ſeptimum diem ſtupidus jacuiſſet, ſeptima die mortuus eſt. Interea vereor ne dum alii hoc idem tentant experimentum, nervum pariter cum arteria adligent, & inde animalia cadant apoplectica.

Diſſecto cadavere, apertoque cranio nullam deprehendimus in cerebro noxam, ideſt nec ſanguinis extravaſationem, nec ſeri, nec venas aut arterias tumidas, nec ulla demum utut levis inflammationis cerebri veſtigia. Circa inferiora viſcera vitalia ſcilicet, & naturalia magnum ſanguinis infarctum ac fixationes quamplurimas obſervavimus. Cætera ſana erant.

Experimentum XIII.

Romæ 1. Decembris 1692. extraximus lienem Cani Juveni, cicatrizato optimè vulnere, canis interea benè vixit, comedebat, urinabat, & omnia ſanis ſimilia exercebat uſque ad 40 diem, quo tempore nos occidimus canem, cum nihil novi ſuccedere obſervaſſemus poſt factum experimentum. Aperto cadavere, viſcera omnia ſana, & ſalva erant, neque aliquid novi obſervare potuimus.

Experimentum XIV.

Bononiæ menſe Decembris ſecui canem magnum quinque annorum, & venationis peritiſſimum, is captandis avibus ingrediebatur frequenter fluvios; exindè incidit in tuſſim atque pertinaciſſimam coryzam, adeò ut præ coryza ſuffocari videbatur; ità ægrotavit integro triennio, quo tempore bis in anno, menſe ſcilicet Aprilis, & Novembris dira ſcabie fœdabatur. Et cum ad extremam maciem redactus eſſet, à Domino impetravimus ut canis cultro anatomico ſubjiciatur. Quamobrem prius benè paſto cane, & ad tabulam poſtea ligato, ſecuimus abdomen, & thoracem, ambarumque harum cavitatum viſcera ſana omnino erant, & benè ſe habentia præ cæteris pulmo optimè conſtitutus fuit, imò & glandulæ meſenterii, ac reliquæ benè etiam conſtitutæ erant. Interea curioſitatis gratiâ obſervavimus venas lacteas in magna copia in meſenterio propè inteſtina tenuia; & propè venas incedebant copioſa vaſa lymphatica, quorum altero diſrupto lympham illam deguſtavi, eratque mordaciſſima, ac maximè feriebat linguam; Non ſolum tamen in hoc, ſed in aliis pariter animalibus lympham hanc aliquantiſper ſalſam obſervavi. Venæ lacteæ præſertim majores erant nodoſæ, & repræſentabant herbam centinodiam adeò frequentibus nodis inteſtinctam, illi autem nodi ſunt totidem valvulæ lactearum, ut in lymphaticis obſervamus. Obſervavimus ſacculum Pecqueti, ductum thoracicum, & alia curioſa. Notatu dignum eſt, quod ignis candelæ quæ inſerviebat pro inſpectione cadaveris peragenda, crepitabat veluti ſi ſale perfuſus eſſet, quando illum propinquabamus ad viſcera animalis, è quibus vapor exhalabat: qua de re ſalino-acidam fluidorum canis naturam arguere poſſumus. Cum itaque nullam inſignem læſionem in pulmone, & viſceribus canis obſervaſſem, putarem coryzam illam, tuſſim, & ſcabiem canis producta fuiſſe vel ab ulcere, aut carie interiorum naſi partium circa os cribriforme, vel ab ingenti fluidorum acrimonia, & ſalſedine per quas irritatæ partes præfatæ exarata producebant ſymptomata. Atque hæc ſunt quæ tibi communicanda cenſui doctiſſime Mangete. Vale interea, & humanitate tua fovere ne deſinas tibi perpetuò.

Dabam Romæ Kalendis Aprilis 1694.

Addictiſſimum

Georgium Baglivum Med. Doct.

TEMULENTIA.
Vid.
EBRIETAS.

TENESMUS.
Vid.
DIARRHOEA
Item
DYSENTERIA.

THERMINTHUS.
Vid.
EPINYCTIS.

TETANUS.
Vid.
CONVULSIO.

TINEA.
Vid.
PILORUM MORBI.

TINNITUS AURIUM.
Vid.
AUDITUS LAESIONES.

TON.

Eſt morbus peregrinus ſuper quo adducemus tantùm quod habet Clariſſ. Otho Heurnius in Obſervationibus quas Praxi Fernelianæ adjecit. Non omiſſis præterea aliquibus in eôdem argumentô explicationibus quas habet Dominus de Rochefort in ſuâ hiſtoriâ naturali ac morali Inſularum Antillarum & alii.

HISTORIA
Sive

Obſervatio de Incognito regionibus Europæ morbo, Braſiliæ endemio, qui digitos pedum atroci gangræna corrumpit, quem indigenæ appellant Ton.

Thomas van der Guychten Gandavenſis Flander, annorum 36. militaverat in Braſilia per menſes 21. Ubi primò (menſes quatuor ante reditum ſuum in Hollandiam) febre maligna correptus, ab ea liberatus fuerat materiæ diadoſi, ſive tranſlatione in digitum annularem manus dextræ, qui intra dies ſex gangræna & ſphacelo inde planè corruptus fuit, adeò ut extirpandus eſſet. Etenim in digitum eum magna eſt opportunitas decubitus materiæ à corde & arteriis, pro arteria quæ ei digito ex axillari implantatur. Obſervatum primò hoc fuit ab Ægyptiis, ideoque Græci & Romani in hoc digito annulos geſtabant; ſed in manu ſiniſtra, quo-

niam cùm ea minùs dextra actionibus inſerviat, ibi etiam annuli minus incommodant.

Commemorat hoc Aulus Gellius *lib. 10. cap. 10. Cauſam eſſe cur in digito manus ſiniſtræ qui minimo proximus eſt, Græci & Romani annulos uſitaverint, Appion in libris Ægyptiacis dicit, quod inſectis apertiſque humanis corporibus (ut mos in Ægypto fuit) repertum eſt nervum quendam tenuiſſimum ab eo digito ad cor hominis pervenire. Propterea non inſcitum viſum eſſe, eum potiſſimum digitum tali honore decorandum, qui continens & quaſi connexus eſſe cum principio cordis videretur.* Hollandi ideo nominant *de Hart-vinger*, hoc eſt digitum cardiacum, & eum in lipothymiis ad calorem ruboremque fricare conſuevere, quo fiat humorum ſpirituumque à corde revulſio, Ægyptii autem, ſicuti & ex eorum doctrina Ariſtoteles, Cor nervorum originem conſtituebant, verùm errat Gellius in nomine vaſis, nam pro nervo arteriam ſcribere debuiſſet. Cùm autem hic ex hoc affectu emerſiſſet, infirmior & febriculoſus permanebat: ac tunc alius tetricus dolorificus, Braſiliæ endemius morbus, ipſum invaſit. Sunt ibi exilia animalcula, per arenam divagantia, coloris fuſci, inſtar pulicum, quæ Ton ab indigenis appellantur: incedunt & ſaltant ut pulices, ſed ſæpe Atomi, aut arenulæ tantum magnitudine. Hæc ſe circa unguem pollicis utriuſque pedis illatebraverant, in cute deliteſcentia. Acerbo dolore urebant, & in ipſa etiam oſſa penetrantia ea corrumpebant: adeò ut pollicis dextri duæ priores phalangæ extirpandæ fuerint: ſiniſtri autem pollicis os ſecundæ phalangis, cum etiam ab eadem pravitate gangræna corruptum eſſet, totum exciſum erat. Commemorabat ægrotus ea animalcula præcipuè unguium circuitus, in pedibus interdum & manibus, & aliquando etiam digitorum interſtitia, aliaſque molliores corporis partes invadere, ibique deliteſcere. Et cum in cutem irrepunt, ea interdum primo biduo non ſentiri, ſed quod poſtea excitent ingentem & intolerabilem pruritum, ex cujus acriore fricatione livida macula proveniat; quam ſtatim tumor capitis aciculæ magnitudine comitatur. Ipſum autem illud inſectorum Ton, in centro ejus tumoris recubat ſicuti pupilla in oculo; & circa ejus periphæriam inſtar vermis ſe protendit, magno doloris cruciamento, pedetentim eum ad piſi magnitudinem augens. Inſequitur gangræna, ſi congrua medela non ſuccurratur; nam ſi nullum remedium adhibeatur, contabeſcit in ſe is tumor in gangrænam, quia vermiformis ea circumferentia plurimis Ton eſt fœta, quæ maleficè putreſcunt & necroſin parti inferunt. Sin ejus extractio tentetur, & in media operatione diffringatur, plurima inde Ton germinant, quæ, diffuſa in partes vicinas eas gangrænâ deſtruunt. Aut ſi ea nondum animata ſint, diffractus is vermiculus omnia eadem malefica excitat ſymptomata quæ Dracunculis laceratis ſupervenire ſolent, unde liquet, pravitatis venenatæ ea animalcula eſſe. Ideò indigenæ Braſilienſes, & advenæ Nigritæ, qui eo ex Africa ad ſaccharacea opificia advehuntur, illicò cum feros eos hoſpites percipiunt, priuſquam tumorem eum vermiformem procreent, acu ſenſim eruunt, ſucceditque utplurimum genti induſtriæ & perſpicaci felici eventu, licet ſine doloris acerbitate non peragatur. Noſtris autem ea encheireſeos dexteritas deeſt. Minùs infeſtant Braſilienſes ob cutis duritiem, quàm Nigritas: ſed Europæos facillimè invadunt ob cutis carniſque teneritudinem. Divagantur autem ea animalcula in Braſilia, præcipuè iis locis per arenam quibus arundo ſacchariſera provenit. Ideoque cum ob aëris fervidum æſtum nudis pedibus, aut non bene tectis ibi inceditur, dum iter faciunt laſſis & ſudantibus, ideoque incautis, Ton inſidioſè inſiliunt, & ſine ullo dolore cuti ſe illatebrant. Meminit hujus morbi pater meus Johannes Heurnius Epiſtola de morbis novis & mirandis ad D. Henricum à Bra. Qui Americam adeunt ibi familiare obſervarunt malum Ton indigenis appellatum, quod pediculi animalculi idæa digitos pedum exedit, ſub unguibus ſe inſinuans, omnia in gangrænam convertens. Appropriatum eſt remedium inquilinum oleum rubeum, quod ibi ex fracta Couroq provenit. Enarrat rem uberius Lerius *cap. 11.* Hiſtoriæ Braſilianæ, Barbaros infeſtat exiguum inſecti genus quod Ton nuncupant, in pulvere naſcitur pulicis idæa, ſed cum ſub pedum aut manuum unguibus ſe inſinuavit, prurigo ſtatim oritur acris, & niſi protinus evellatur brevi temporis ſpatio, ad piſi magnitudinem excreſcit, extrahique niſi magno cruciamento nequit. Non tantum autem Barbari, qui toti incedunt nudi, ſed & nos quoque etiamſi bene veſtiti hoc inſecto infeſtabamur. Ego licet diligentiſſimè mihi ab illis caverem, ita tamen fui infeſtatus, ut uno die ultra viginti ex variis corporis mei locis ſint evulſi. Vidi & quoſdam minùs cautè degentes, quibus non tantùm manus & pedes infeſtabantur, ſed axillæ, aliæque molliores partes tumoribus puſtuliſque eorum inſectorum erant oppletæ. Credo idem hoc eſſe animalculum quod ſcriptor Hiſtoriæ Indiæ Occidentalis, *lib. 1. cap. 30.* appellat Ni Gua, quod etiam Hiſpaniolam inſulam infeſtat, inquiens, Ni Gua pulicis ſalientis formam refert, pulvere delectatur, pedes tantum invadit cuti ſe inſinuans, & ilicò incredibilem lendium copiam progignit: quæ etiam mox alias fœtant. Niſi maturè ſuccurratur, tantùm ferro & igni domantur & educuntur. Tempeſtivè ſi extrahantur, parvo dolore curantur. Vidimus Hiſpanos quoſdam adeò iis fuiſſe afflictos, ut pedum manuumque officio privati fuerint. Braſilienſes partes affectas inungunt oleo quodam ſpiſſo, rubro, expreſſo ex fructibus quos appellant Couroq, quod certò malum domat & curat, & nos Galli etiam hoc remedio, proſpero ſucceſſu, utebamur. Prævalet hoc oleum ad vulnera, aliaque corporis humani incommoda ſananda, eſtque apud Barbaros in maximo pretio. Chirurgus noſter in Galliam rediens, duodecim magna vaſa ejus olei, totidemque pinguedinis humanæ, quam Barbari collegerant, cum ſuos captivos aſſarent, ſecum avexit. Cæterum ægrotus hic noſter Thomas van der Guychten, cum digitus ipſi abſciſſus eſſet, paulò poſt acerbo hoc affectu correptus fuit. Chirurgi tentaverant Ton evulſionem, ſed male adminiſtraverant, multa eorum diffringentes, & ingenti doloris cruce ægrotum torquentes. Ita miſerè affectus ſolverat ex Braſilia anno 1636. in Martio, & eodem anno menſe Majo in Zelandiam appulit. Venit ſub noſtram curam anno 1636. Decembr. 30. cum jam ferè deſæviſſet gangrænæ

violentia, & abſtertione, mundificatione, incarnatione ac cicatriſatione, recorporatio ac congrua conſolidatio eſſet procuranda. Itaque primò corpus à cacochymia vindicavimus hac purgatione,

♃. Folior. Sennæ Orientalium à ſtipitibus mundatorum ℥ iij. Rhabarbari in taleolas conciſi ʒ ii ß. Agarici trochiſcati ʒ ß. Sem. aniſi contuſorum ℈ j. Cinnamomi ℈ ß. 22. g. v. infundantur per noctem calide aquæ fœniculi & cichorei an. q. ſ. mane colaturæ mediocriter expreſſæ ℥ iii ß. adde electuarii diacatholici ʒ ß. Syrupi roſati laxativi ℥ i ß. M. F. Potio. Sumat Decembris 31. Primo diluculo. Parti affectæ cum ſtuppa cannabina applicari juſſimus, decoctum ſcordii, rutæ, abſinthii, cardui benedicti, roſarum rubrarum in aqua communi & vino confectum. Ita a reſidua gangrænæ violentia, parte vindicata, mundificatio porrò facta fuit melle roſato, & poſtea ad mundificationem conſummandam, gangrænam prorſus domandam, roburque nervoſæ parti reſtituendum, adhibitum eſt oleum hyperici admiſtis paucis guttis Balſami Peruviani, quod ſumpſimus loco olei Couroq utpotè remedium Americæ inquilinum, & colore oleo Couroq ; ferè ſimile. Anno autem 1637. Januarii 10. & 12. tertianæ nothæ paroxyſmum expertus eſt, qui multo ſudore finiebatur. Alvus ſatis liquida erat : itaque ad obſtructiones reſerandas, & intemperiem humorum, viſcerumque eos generantium, corrigendam, hoc apozema 13. Januarii præſcriptum eſt,

♃. Rad graminis,ruſci, fœniculi an. ℥ ß. Rad. cichorei, dentis leonis an. ℥ i ß. liquiritiæ raſæ ʒ i ß. florum cordialium an. p. i paſſul. mund. ℥ ij. Tartari vini albi ʒ j. F. decoctio in aqua hordei, & detineatur in calida infuſione tota nocte : mane leni facta ebullitione, admiſce colaturæ fortiter expreſſæ ℔ i ß. Syrupi de acredine citri ℥ i ß. Syrupi byſantini ℥ j. Succi citreorum ℥ j. Miſce pro Apozemate. Sumat bis de die ℥ iv. Januarii 15. optime curatio procedebat, ferè omnis putredo evanuerat, particula duntaxat tendinis ſeparanda & tollenda reſtabat, reliquum in parte à putredine prorſus mundum erat, optimi, pepaſmi pus proferens. Pollici pedis ſiniſtri in parte carnoſa & ſupera (nam ea tantùm affecta erat) tunc eſt applicatũ unguentum aureum, deſuper tenuiter impoſito cum ſtuppa cannabina melle roſato. Sed tendinis reſiduæ parti gangrænoſæ adhibitum eſt oleum hyperici cum paucis guttis Balſami Peruviani, uti antea factum erat. Januarii 16. non fuerat denuò febrilem paroxyſmum expertus, urina erat bene colorata, ſed cum amurcoſa hypoſtaſi alvus adſtricta ; datum eſt hoc purgans pharmacum.

♃. Agarici trochiſcati ʒ j. Rhabarbari in taleolas conciſſi ʒ i ß. 22. Cinnamomi an. ℈ ß. fol. ſenæ Oriental. à ſtipitibus mundatorum ℥ ß. Sem. aniſi contuſorum ʒ ß. Macerentur calidè tota nocte in decocto fructuum & florum cordialium, mane in colaturæ ℥ ii ß. Diſſolve ſyrupi roſati lax. ℥ i ß. Diaphœnici ʒ iij. Prò hauſtu, cras mane aſſumendo. Bene officium præſtitit. Cum ita tenuior febrilis materia ſudore & halitu, craſſior autem hac purgatione evacuata eſſet, major ſanitatis fiducia allucebat. Januarii 23. tendinis reſidua portiuncula putrida planè ſeparata erat, & quod in ejus loco ſordidi ſupererat, eodem Balſamo Hyperici, & Balſamo Peruviano percuratum fuit : reliqua in parte ad perfectam mundificationem & incarnationem procedebant uſu unguenti aurei, & deſuper toti parti applicabatur emplaſtrum diapalma oleo roſaceo malaxatum. In dextri autem pollicis tertiæ phalangis apice externo ſquamula ſphacelo affecta reſtabat, ad cujus ſeparationem adhibuimus hunc pulverem exſiccantem. Etenim ejus, quod corruptum in oſſe eſt curatio, ſola ablatio eſt : ſeparatur autem iis quæ potenter deſicando omnem ejus humiditatem excrementitiam cariei authorem, & alimentariam exhauriunt & conſumunt : nam ita permanet exangue, & nutritione vitaq; deſtituitur. Ideoque privatum eo glutino quo ſanis partibus adhærebat, & cum iis vitæ communionem habebat, abſcedit & ſeparatur ſicuti folia arborum decidunt conſumpto & arefacto eo humoris viſcoſo coagulo quo ramis cohærebant.

♃. Aloës, cretæ combuſtæ, pompholygos an. ʒ ij. Rad. ireos florentinæ, ariſtolochiæ rotundæ, myrrhæ, ceruſæ an. ʒ j. concharum oſtreorum combùſtarum ʒ ß. F. Pulvis ſubtilis. Januarii 27. omnia ex voto proſperrimè procedebant, cicatriſantia ſiniſtro pollici adhibebantur, unguentum de minio cum ſtuppa cannabina, & deſuper ex unguento diapompholygos emplaſtrum : Sed tendinis loco eadem quæ antea adhuc applicabantur. Februarii 3. laminula carioſa ſeparata & extracta erat, ſed nova ex corpore affluxio ſiniſtrum pollicem infeſtabat, alvus adſtricta erat, ad cujus averſionem hoc apozema præſcriptum eſt, deobſtruens, alterans, purgans,

♃. Rad. cichorei, dentis leonis an. ℥ i ß. liquiritiæ raſæ ʒ i ß. flor. cordial. an. p. j. Tartari vini albi ℥ j. Tamarindorum ℥ ij. Pruna nucleis confractis num. xv. fol. ſenæ Orient. à ſtipitibus mundat. ℥ ij Sem. aniſi contuſ. ʒ ij. ebulliant in aq. hordei ; & detineantur in calida infuſione tota nocte, mane facta leni ebullitione colentur pro Apozemate ad ℔ i ß. Sumat quotidie mane ℥ v. ita porrò ad ſanitatis conſummationem procedebatur. Encheireſin adminiſtrabat vir doctus Mr. Johannes Camphuſius Chirurgus ordinarius Reipubl. Leydenſ. hiſtoriam concinnavit & conſcripſit anno 1637. Febr. 6. *Otho Heurnius.*

Eadem illa animalia morbo deſcripto inducendo nata à Domino de Rochefort in ſuâ hiſtoriâ naturali ac morali inſularum Antillarum *Chiques* vocantur, habetque etiam ipſe ſub ungues digitorum pedum illa ſeſe inſinuare, indeque, ni in tempore extrahantur, alias omnes corporis partes pervadere ; ſub initia pruritum minùs moleſtum procreare ; poſtquam verò cutem integram perforarunt, inflammationem parere ; exinde etiam ita creſcere ut à magnitudine vix oculis perceptibili, brevi veſiculæ piſum æquanti replendæ, paria evadant. Optimum eſſe pro arcendis hiſce animalculis cubiculo ſæpius aquam ſalſam inſpergere, pedibus nudis nunquam incedere, tibialia è pelle confecta induere, munditiemque exquiſitam obſervare. In ipſô autem morbô, pro conſumenda putredine, viridi æris, aquâ forti, oleô vitrioli, ac alumine uſto, uti ; ut & etiam ſuccô citri minoris intenſe acidô.

Unguentum præterea conficit è melle, aceto acriori ac viridi æris; ſubjicitque tandem, quòd ſi pruritus in tibiis aliiſque corporis partibus enaſcatur, ei minimè providendum veniat per unguium ſcalptum, at verò per emplaſtrum aliquod anodynum ac refrigerans; talique deficiente emplaſtrô, per impoſita tabaci folia, ſuccôque citri præmemoratô. Hæc ille

E ſupra allatis ſatis apparet non multum abludere hunc morbum, ab aliô quem ſupra ſub Dracunculorum nomine, quemque ſub Venæ Medinenſis titulô explicat Celeberrimus Welſchius. Utrobique enim vermes illum pariunt, iique oblongi, teretes, ac tenues; ſed in hoc differunt invicem, quòd Dracunculi ſint aliis multò longiores, & exinde craſſiores, quodque non ſub unguibus, ſed in ipſo muſculorum mediô lateant, imò quandoque tendinibus illigentur ac circumvolvantur, quæ cauſa eſt quòd, ni integri evelluntur, ſui retractione, quaſi convulſivâ, partes quibus circumducuntur, dolorificè, ſæpiuſque etiam maximô cum periculô, conſtringant. De illis, præter præmemoratum ſuô locô Clariſſimum Welſchium, hiſtoricè ſcribit Nobiliſſimus juxta atque accuratiſſimus Peregrinator Dominus de Thevenot Itinerarii ſui in Orientales mundi plagas peracti, parte 5.

TOPHUS

Vid.

OSSIUM MORBI

& rurſus quædam in

LUE VENEREA.

TRACHOMA

Vid.

PALPEBRARUM AFFECTUS.

TREMOR.

I. Tremor eſt motus depravatus membrum præter voluntatem concutiens.

II. Pars affecta, ſunt muſculi & fibræ motrices, qui per illiberalem ſpirituum animalium influentiam, languidi evadunt, nec propterea ſatis diu tenſi eſſe poſſunt ut membrum in eodem ſitu per aliquod temporis ſpatium, commodè contineant. At ne error ex nomine oriatur, ſciendum.

III. Alium eſſe tremorem convulſivum ab irritatione propagatum, de quô capite de Convulſione & morbis Convulſivis. Alium verò à debilitate ortum, ac ad Paralyſim aliquatenus accedentem, de quo hic nobis agendum incumbit.

IV. Cauſa remota eſt ſanguis craſſior, magiſque evanidus, & ſpiritibus animalibus, aut eorundem materiæ cerebro ſufficiendis minùs aptus. Cauſa verò proxima eſt ſpirituum imbecillitas, aut peculiaris obſtructio quæ ipſorum irradiationi ad partes aliquas ſatis liberali, ut motum ad voluntatis nutum perficiant, obicem ponit. Si verò ulteriùs quæratur, unde hæc imbecillitas, unde hæc obſtructio? Priori reſpondemus imbecillitatem ſpirituum, vel materiæ ipſos ſufficienti deberi, vel majori eorundem diſſipationi & conſumptioni; in morbis diuturnis, & præcipuè cerebri, in exercitationibus vehementioribus, venere nimia, hæmorrhagiis largioribus, vigiliis protractioribus, aliiſque id genus; poſteriori verò, obſtructionem hic ab iiſdem pendere cauſis quæ obſtructiones ſuprà in paralyſi aliiſque locis jam explicatas faciunt. Itaque hic nullo modo neceſſarium eſt ut demonſtretur ratio tremoris, cum Nobiliſſ. Philoſopho Renato Des Cartes valvulas in muſculis antagoniſtis partis tremore affectæ imaginemur, quæ dum per vices reſerantur liberum faciant commeatum ſpirituum ab uno muſculô antagoniſta in alium, unde crebra puſillorum motuum viciſſitudo in ipſis oriatur; gratis enim hæc afferuntur à Viro Clariſſ. & ex ſola debilitate, & obſtructione à nobis productis, res per ſe clara evadit; nam dum pauci ſpiritus iique pigri ad unum è muſculis antagoniſtis devenientes, illius contractionem diutius continuare non valent, alii in antagoniſtam quamvis parcè influentes vim ſuam elaſticam & expanſivam exerunt, atque partem retrahunt, ſicque viciſſim & motibus alternatis & interciſis, dum ſc. ſpiritibus jam ab exploſione prægreſſa defatigatis, proptereaque adverſariis ſuis cedere coactis, ſuppetias veniunt alii à cerebro emiſſi, ipſorum vim quaſi oppreſſam pro tempore ſuſcitantes.

V. De Diagnoſi, Prognoſi, Indicationibus, Curatione & Medicamentis non eſt quòd hic verba faciamus, illa enim aut per ſe ſunt manifeſta, aut ex aliis cerebri ac nervorum affectibus abundè colligi poſſunt. Tremorem illum quem ſenectus inducit quod attinet, nemo neſcit illum aliunde non eſſe ſanabilem, quàm Medeæ artificio, aut etiam, ſi diis placet, transfuſione ſanguinis noſtris temporibus à quibuſdam tantopere decantata, quamvis eventus promiſſi forſan æque fabulis annumerandi veniant, ac Ovidii poëtica commenta.

Cura Tremoris fit 1. Concoquendo materiam frigidam & humidam cum hujuſmodi ſyrupô magiſtrali.

♃. Acori, Stœchados, herbæ Paralyſeos, ſatureiæ, amaraci, rutæ, ſalviæ, chamædr. chamæpityos, calamenth. mentaſtr. origan. an. m. ij. f. decoctio, cui add. mellis q. ſ. & conficiatur ſyrupus, in quo pulvis infraſcriptus in nodul. ligat. aliqualiter bulliat, & poſtea abjiciatur.

♃. Cinam. cariophyll. macis, nuc. moſchat. ſem. pœon. piper. nigr. & long. calam. aromat. zinzib. ſpicæ, ſem. aniſ. an. ʒj. contunde & in pulverem redige.

2. Evacuando cum hiera Logadii, pil. fœtid. vel ex Meſuë.

♃. Caſtor. pyrethri, caſſ. an. ʒ iij. ſagapen. pulp. colocynth. an. ʒß. hieræ picræ ʒv. Confice cum melle roſac. Doſis ʒß.

Confectio ſequens ad tremorem experta eſt.

♃. Myrobalan. Indor. ℥ j. ſalv. ʒ iij. oliban. ʒ ij. Cyper. calam. aromat. an. ℥ i ß. Confice cum paſſulis. Doſis ʒ ij.

Con-

Convenit ſtœchas ad pondus ʒj. cum aqua mellis per multos dies propinata, vel cum hiera picra in formam pilular. redacta ſyrupo aliquo appropriato. Item juvat caſtoreum cum aqua ſalviæ. Corroborat nervos & tremorem removet diamargariton. Item Electuarium ſequens.

℞. Salv. roriſmar acori ſeu calami aromat. ana ℥ß. f. decoctio in qua ponatur croci ℈ß. ſacchar. alb. ℔j. adde nucleor. pini ℥j. zinzib. xyloaloes, nuc moſchat. macis, cardamom. ana ʒß. f. Electuarium, cujus doſis ʒij.

Leonel. Faventin. certâ ſe experientiâ didiciſſe affirmat, oleum lilior. convallium eſſe mirabiliſſimæ virtutis & veriſſimi effectus in tremore curabili, univerſalibus congruis antea præmiſſis. Olea item cucumeris aſinini, de euphorbio, de caſtoreo, & de flore trifolii ſive loti Ægyptiæ, vel empl. ex foliis ejuſdem, plurimùm valent: Item hæc ſuper membrum affectum inunctio quæ recipit coſti ℥j. pyrethri, euphorbii ana ʒj. caſtor. ʒß. Diſſolvantur omnia in ℥vi. ol. vulpini, quibus addatur ceræ ℥j.

NB. In tremore manuum facto ab animi paſſionibus, ſcilicet verecundiâ & intenſâ cogitatione de reformidabili tentandâ, juvat opopanax in vino exhibitus. *Theodor. de Mayerne Praxeos Medica lib. 1.*

Pro Tremore.

Hodie imprimis pro ſingulari in hoc caſu remedio, laudatur electuarium Orvietanum. Felix Platerus.

Ad tremorem egregiè confert, ſi urina propria membra tremula ſæpius laventur; alii verò urinam pueri magis commendant: habetur hoc quidem pro experimento indubitato, quacunque cauſa tremor oboriatur, ſive ex Venere, vel vini potatione, vel poſt alios morbos, aut ex fumo argenti vivi. *Petrus Foreſtus, ſchol. obſerv. 5. lib. 8. De exterior. capitis vitiis.*

In tremore manuum poſt univerſalia, exhibeo ea, quæ caput & nervoſas partes roborare creduntur, quale eſt præcipuè diacorum; & extractum calami: extra autem tremulas manus foveo vino calido, in quo betonic. ſalvia, majorana, roſmarinus & ſimilia incocta ſunt, & penetrationis cauſa ſpiritus vini aliquid affundo. Ita multis tremor paulatim remiſit donec prorſus aboleretur. *Petrus Monavius. Epiſt. 28. l. 2. Conſil. & Epiſt. Cratonis, &c.*

Relatum eſt mihi aliquando à fido pharmacopæo aurificem Bruxellenſem ſolo & continuò eſu cerebri leporis aſſati à tremore evaſiſſe: eſus quoque columbarum ſylveſtrium à vi quâdam occulta valere dicitur. *Petr. Foreſt. obſerv. 99. lib. 10. de cerebr. morb.*

TREPANATIO.

Vid. in

CRANII FRACTURIS.

TRICHIASIS.

Vel eſt Ciliorum Affectus de quo in Oculorum morbis; Vel eſt morbus ille qui Mictio Pilaris dicitur, de quô in Urinarum Affectibus.

TUMOR.

DE Tumoribus quamvis variis hujuſce Bibliothecæ Capitibus abundè actum ſit, ſcil. ubi de Abſceſſibus, Atheromate, Steatomate, Meliceride, Lupiâ, Gangliô, Nattâ, Carbunculô, Furunculô, Phlegmone, Eryſipelate, Talpâ, &c. Hic tamen rurſus de Tumoribus in genere, adjectis etiam Obſervationibus aliquot ſpecialioribus ſuper iis.

I. Tumor Græcis ὄγκος, corporis eminentiam ſonat. Hæc autem conſideratur, vel ſecundum naturam, ut in capite, ventre, juncturis, cæteris. Vel naturæ modum excedens, quemadmodum in Mammis lacte turgentibus, & in Ventre Mulieris prægnantis. Vel præter naturam, ut in omni Tumore nonnaturali actiones lædente.

II. Hippocrates generali nomine quemcunque tumorem οἴδημα vocare conſuevit, *Aphor. 34. ſect. 4. & 37. 6.* ac paſſim aliis in locis. At potius cum Galeno nobis Oedema erit tumor peculiaris, mollis, non dolens, quique prementis digiti veſtigium ſeu foveam exhibet. Arabes omnem omnino tumorem Apoſtema nuncupant: quæ tamen vox apud Græcos, ſignificatione multò contractiore, ſolum Abſceſſum, hoc eſt, collectæ materiæ in pus, aut in alienam ſubſtantiam converſionem denotat. Igitur Apoſtematis ſeu Abſceſſus eſt anguſtius nomen, quam Tumoris, quia omnis abſceſſus eſt tumor, non contra.

III. Galenus porrò Tumores modò inter morbos partium ſimilarium recenſet, alibi inter morbos organicos collocat, alibi ad continui ſolutionem refert. Verum Avicenna in tumore omnis generis morbos reperiri ſtatuit; ac proindè morbum eſſe compoſitum, unde tot tumoris definitiones promanarunt, ut videre eſt apud Galenum *lib. 13. Meth. cap. 1.* Tagaultium *lib. 1. de tumor. pr. nat. cap. 1.* Euſtach. Rudium *lib. 1. de tumor. pr. nat. cap. 2.* Aquapend. *Chirurg. part. 2. lib. 1. cap. 1.* Pigræum *prax. Chir. lib. 3. cap. 1.* aliosquè. At verò ſi rem rectè perpendamus, ſignificatumq; vocabuli tumoris & ὄγκου conſideremus, ac tumoris eſſentiam per ſe contemplemur, Tumorem definiamus, quod ſi morbus, in quo corporis noſtri partes à naturali ſtatu magnitudine auctâ recedunt. Vel ſimpliciter dicamus, Tumorem præter naturam eſſe partium extuberantiam juſtò majorem, atque adeò eſſe morbum figuræ, in magnitudine auctæ.

IV. Ut autem propiùs intelligatur modus, quo plerique tumores excitentur, conſiderari debent 1. Materiæ affluxus, qui ſi non adſit, non datur tumor; verb. gr. ſi cadaver fuſtibus excipiatur, nullus oritur tumor, quia ſanguis, aliique humores in eo non fluunt, ſed condenſati ac coagulati ſunt; Sin verò fuſtigetur corpus vivum, ingentes oriuntur tumores, viz. ex ſanguine in parte contuſa fluido, & nunc propter contuſionem ibidem ſtagnante, 2. Tranſitus impeditus; etenim ſi via circulationis ſit aperta, partibuſque aliis communicetur, nunquam fit tumor, 3. Infarctio ſeu Inhæſio materiæ, quæ inſolitam in magnitudinem partem diſtendit.

V. Similiter Guido de Cauliaco, Tagaultius, Pigræus, & plures alii, unanimiter ſtatuunt Cauſas tumorum efficientes eſſe fluxionem & congeſtionem. Eſt autem Fluxio humoris in corpore motus ad aliquam partem, quæ eandem quantitate aut qualitate peccantem, ſine ſui læſione recipere non poteſt. Hinc ſequitur, fluxionem fieri aut partis mittentis robore, aut recipientis imbecillitate: Etenim in imbecilliores ſeſe exonerare ſolent partes robuſtiores. Congeſtio verò eſt excrementorum in parte aliqua collectio, ob ejuſdem partis imbecillitatem. Per hanc congeſtionem ferè frigidi tumores ſemper fiunt; calidi autem fluxione.

VI. Speciales autem tumorum cauſæ, ut morborum omnium, ſunt externæ, vel internæ. Externæ variæ ſunt, viz. ictus, caſus, crapula, motus longior aut vehemens, & ſimiles. Enimvero cum quis ex alto ceciderit, aut baculo percuſſus fuerit, aut ab animali demorſus, ſi liquore Liberi Patris largiter ſit perfuſus, facilius in hujus vel illius partis tumorem incidet. Internæ tumorum cauſæ duæ ſunt, Plenitudo ſc. vel Impuritas, hoc eſt, Plethora, vel Cacochymia. Inflammationes Plethora gignit. Cæteros tumores Cacochymia fere producit, ut Cacochymia Biliosa Tumores Bilioſos, Pituitoſa Pituitoſos, Melancholica Melancholicos, & ſic porro.

VII. Differentiæ verò ac varietates tumorum præter naturam ſumuntur à natura illius, quod influit, ut Phlegmone naſcitur à ſanguine ſubacido, volatili; at quantitate magis quam qualitate peccante. Eryſipelas fit è ſanguine bilioſo, tenui, fervido. Oedema tumor eſt ex humore pituitoſo, ſeroſo. Scyrrhus tumor ab humore terreſtri, craſſo, melancholico.

VIII. Alii tamen dividunt tumores in calidos, aut frigidos. Calidos appellant, qui fiunt ab humore calido, ſanguine, aut bile. Frigidos, qui ab humore frigido, pituitoſo, aut melancholico. Hippocrates omnes calidos tumores appellat Inflammationes, neque id abſque ratione; ita Eryſipelas nil aliud eſt, quam Plegmone à ſanguine tenuiore, fervidiore, dicto bilioſo.

IX. Tagaultius, Gormelenus, Severinus, tumorum differentias petunt ex quantitate, unde tumores dicuntur magni, mediocres, parvi; qualitate, hinc calidi, frigidi; ſubſtantia, ut molles, duri; ſymptomatibus, colore viz. & dolore, unde albi, nigri, lividi, rubri, dolentes, indolentes; partibus affectis, hinc Ophthalmia, Peripneumonia, Pleuritis; Materiâ, à qua dicuntur ſanguinei, bilioſi, pituitoſi, aquoſi, flatulenti, melancholic. Quæ tamen omnes differentiæ inutiles ſunt, quia non mutant formam tumoris, nec novam ſpeciem conſtituunt; ſique tumorum differentiæ ita eſſent conſiderandæ, plures eo referri poſſent, uti ad Phlegmonem Carbunculus, ad Erſipelas uterque Herpes, exedens atque miliaris, &c.

X Sed Curationis principium cum ex ipſius morbi cognitione maximè pendeat, Signa præprimis conſideranda ſunt, tum Diagnoſtica, tum Prognoſtica. Itaque tumores aut in internis ac occultis partibus ſunt, aut in apertis & externis. Qui in occultis oriuntur partibus, ex perfecta partium cognitione maximè deprehenduntur. Verum in apparentibus partibus tumorem eſſe, ex partis tumentis cum ſe ipſa, naturali ſtatu & diſpoſitione prædita, collatione cuique deprehendere pronum eſt. Etenim e partis extenſione, dolore, rubedine, calore, duritie, &c, tumorem adeſſe facilè cognoſcimus: melius tamen hac in ſpecie, quam in genere exponuntur.

XI, Futurum autem tumorum exitum, aut converſionem, ex ipſorum differentiis; materia ſc. benignitate aut malitia, tenuitate aut craſſitie, caliditate aut frigiditate, ſimilibusque quantitatibus: item ex partis affectæ natura; robore puta, aut imbecillitate; necnon corporis univerſi diſpoſitione deprehendimus. Sic tardioris ſunt curationis tumores ex humore pituitoſo, craſſo, melancholico producti: Periculoſiores, qui è ſanguine acri-ſalino, aut bile generantur; qui partes occupant internas; qui circa vaſa majora, articulos aut os, parteſque membranoſas & tendinoſas ſe exhibent; quique magnis ſunt magnitudinis, & in corpore cacochymico ſeſe produnt.

XII. Solent vero quatuor potiſſimum modis terminari tumores; Nimirum Diſſipatione ſeu Reſolutione, Suppuratione, Induratione, Degeneratione in Gangrænam & Sphacelum. Diſſipationis ſeu Reſolutionis futuræ ſigna ſunt, levitas membri affecti, deficiens pulſatio, tumoris, febris, cæterorumque ſymptomatum imminutio, emplaſtrorum vel cataplaſmatum mador, haud ſecus ac ſi rore eſſent perfuſa. At Suppurationem futuram indicant, dolor internus, pulſatio, calor, & febris increſcens, juxta Hippocratem Aphor. 47. ſect. 2. Circa puris generationes, dolores, & febres magis accidunt, quam ipſo facto. Suppurationis autem, quæ fit, & facta eſt, notæ verſibus hiſce contineri videntur:

> *Durities longa, pulſus, dolor, & calor auſſi*
> *Signant pus fieri, ſed factum, dicta remiſſa*
> *Sub digitis undans, albeſcens pars & acuta.*

Enimvero factæ ſuppurationis ſeu abſceſſus indicia ſunt, partis affectæ levitas, remiſſio vel ablatio doloris, caloris, tenſionis, pulſationis, ac duritiei tumoris. Tumor eminentior fit, & in mucronem ſubducitur, ac elevatur. Acuties præterea fit eroſa nonnihil cute, quam pus ſenſim corrodit, donec perforet.

Indurationem verò, quam nimius Repellentium, aut immodicus Reſolventium uſus non rarò relinquit, indicant tumoris imminutio, & cum hac remanens durities.

Cæterum Degeneratio in Gangrænam ex nativi caloris defectu, dignoſcitur ex affectæ partis lividitate, aut nigredine, quibus nonnunquam graveolentia accedit. Hiſce tamen Signis febres ingentes, dolores, inquietudines, vigiliæ, aliaque prava ſymptomata plerumque præceſſerunt.

XIII. Denique tum ad Diagnoſin, tum ad Prognoſin plurimum conſiderare juvat tumorum Tempora, quæ quatuor ſunt; Principium nempè, quum pars intumeſcere incipit; Augmentum, quum intumeſcentia, dolor, cæteraque ſym-

ſymptomata augentur; Status, in quo ſymptomata ſummo in vigore conſiſtunt, nec in pejus vergunt; Declinatio, cum ea imminuuntur. Hæc autem tempora conſiderare maximè neceſſarium eſt, quoniam remedia, quæ in principio proſunt, nocent in augmento & ſtatu; & viciſſim quæ proſunt in augmento & ſtatu, nocent in principio.

XIV. Ut autem tumor præter naturam ritè curetur, perpendendum eum aut nunc fieri, aut jam factum eſſe, adeoque duplicem hic occurrere indicationem; affluentis ſc. humoris averſionem, atque materiæ, quæ influxit, evacuationem. Et quoniam cauſarum remotio fluxionem inhibet, ſi propter totius corporis plenitudinem humor fluxerit, ipſam Venæſectione, ſi vires & aliæ indicationes permittant, item Cucurbitulis, Frictionibus, Balneis, Exercitatione, Inedia tollemus: Cacochymiam vero convenienti purgatione, ſive per alvum, ſive per corporis habitum, ſive per alias vias, pro peccantis humoris natura, evacuabimus.

XV. Altera indicatio, quæ evacuare docet, locum habet & in tumore qui adhuc fit, quatenus ejus aliquid jam factum eſt, & in eo qui omninò factus eſt. Etenim quod in loco aliquo præter naturam continetur, id ſui ablationem indicat; quo fit, ut vacuatâ materiâ tumorem faciente, curetur tumor. Vacuationem vero duobus modis moliri debemus: priori quidem Repellentibus humorem ad alias partes transferendo; in quorum uſu tamen aliquot caſus meritò excipiuntur, in quibus repellere non licet.

1. Si ad emunctoria fluxio fiat, in glandulas puta ſub axillis, in inguinibus, pone auriculas, in collo, repellendum non eſt; quia humores excrementitios, quibus onuſta eſt, eo ablegare ſolet natura. Atque ex intempeſtivo uſu Repellentium ad emunctoria applicatorum mortis periculum aliquandò ſequutum fuiſſe, memorabile affert exemplum Fabritius Hildanus *obſerv. Chirurg. 78. Cent. 3.*

2. Repellentibus uti non licet, cum fluxionis materia ſit maligna, ut in Bubone gallico vel peſtilenti, Anthrace, in morſu canis rabidi, ſerpentis, ſcorpionis, aut alius cujuſdam animalis venenati.

3. Neque Repellendum ſi fluxio ſit critica, niſi fortè feratur ad partem nobilem, quia naturæ benè operanti motum contrarium moliri non oportet; & ſi ſufficiens non ſit is naturæ motus, eam potius juvare, & ad partem affectam propellere debemus. Huc referri poſſunt affectus cutanei, ut pruritus, ſcabies, impetigo, lepra, variolæ, morbilli; quia fiunt per modum criſis, naturâ ex interioribus in corporis habitum onus deponente.

4. Quum à contuſione, ſimilive cauſa fluxio fiat, parti contuſæ non admovendum Repllens; ſed potius Defenſivo ſupra partem affectam applicato, ea præmuniatur.

5. Cum humor multus ſit, & craſſus, abſtinendum à Repellentibus, quia magis denſaretur. Atque hinc tumoribus, qui à congeſtione fiunt, ea non conducunt, quod nulla fiat fluxio, peccanſque humor craſſus ſit, & frigidus.

6. Abſtinere debemus à Repellentibus, quando fluxio excitatur in corpore Plethorico, aut Cacochymico; ſed Venæſectione Plenitudo prius imminuenda eſt, ac Cacochymia per convenientem Purgationem tollenda. Similiter quando fluxio fit juxta vel ad partem nobilem, quemadmodum in inflammatione faciei, oculorum, &c. non adhibenda ſunt Repellentia.

XVI. Altero modo evacuamus materiam foràs educendo Digerentibus, Suctu, Sectione, Scarificatione, Cucurbitulis, & ſimilibus. Sed in utraque evacuationis ſpecie ad tumoris, ipſius materiei quantitatem & qualitatem, atque ad partis affectæ naturam attendere oportet: alio namque modo tractari debent tumores ſanguinei, alio modo ii, qui aut humoris bilioſi, aut pituitoſi ac ſeroſi, aut melancholici ſoboles ſunt.

XVII. Igitur diverſimodè, pro fluentis humoris natura, tumores curari debent. In fluxionis Principio, non omiſſis Purgatione & Venæſectione, ſi ob vias latiores videatur humor ſæpius ad aliquam partem ruere, Defenſivo intercipiatur fluxio. Eum in finem familiare eſt Cheirurgis Emplaſtrum defenſivum; vel cum ovi albumine & oleo roſaceo agitant bolum armenum, aut ſanguinem draconis, atque inde Cataplaſma conficiunt, quod Defenſivum vocant. Huic inſtituto ſatisfaciet itidem Unguentum album ſimplex, aut Unguentum Comitiſſæ: conducit etiam vulgare Oxycratum, vel Oxyrhodenum. Si vero intolerabilis cruciatus proritarit fluxionem, anodyno dolor mitigandus; impoſito v. gr. cataplaſmate ex mica panis albi in lacte dulci decocta, addito pulvere croci, vel ſimili.

XVIII. In Augmento equidem, cum manifeſtè pars intumuerit, ac ſymptomata, qualia ſunt durities, calor, dolor, pulſatio, febris, ingraveſcant; neque potuerit Revellentibus, ut Phlebotomia, neque Repellentibus, ut Oxycrato, ſimilibuſve impediri tumoris incrementum, tentanda eſt Reſolutio, ſi modo humor non admodum multus & craſſus reſolvi queat.

XIX. Sed quandò reſolvi nequit humor, in pus ut vertatur neceſſe eſt, præcipuè quum in vigore & ſtatu tumor exiſtit. Pus vero fieri cognoſcimus ex vehementia ſymptomatum antea commemoratorum. Juvatur autem puris generatio admotis ſuppurantibus.

XX. Facto pure miteſcunt accidentia; remittit calor, dolor, tenſio, febris. Adhæc prementibus ſub digitis puris fluctuatio percipitur, pars albeſcit, & in acumen tendit pure craſſiore ſubſidente, tenuiore in pyramidis formam aſcendente. Aliquandò tamen Signis hiſce difficillimè cognoſcimus pus confectum eſſe, quando vel cutis valde dura eſt, vel pus in profundo deliteſcit.

XXI. Igitur cum certis colligere liceat indiciis pus probè confectum eſſe, aperiendus abſceſſus, vel Ferro, vel Cauterio potentiali, quod optimum è fortiſſimo conficitur lixivio. Attendendæ vero, & conſiderandæ in apertione hæ conditiones,

1. Ut ſectio eo loco fiat, ubi purulenta materia continetur.

2. Ut fiat in loco inferiori.

3. In muſculis ut fiat ſecundum ductum fibrarum motricium.

4. Vitentur venæ, arteriæ, nervi, vaſa lymphatica, quantum fieri poteſt.

5. Ut non omnis purulenta materia ſimul educatur, præſertim in magnis abſceſſibus, ne ex ſubita & nimia inanitione, ac Spirituum reſolutione, virium ſequatur proſtratio.

6. Ut apertus abſceſſus blandius tractetur, & ne valide comprimatur.

7. Ut facta apertione dolor imprimis leniatur, dein ulcus detergeatur, hinc carne impleatur, tandem ad cicatricem perducatur. Non tamen ſuppuratio in malignis tumoribus ſemper expectanda, atque tardare in iis, ut in Bubone Venereo & Peſtilenti, ſæpe periculoſum eſt; ſed aperiri plerumque debent, vix dum incipiente ſuppuratione, ne virulenta retrocedat ſanies.

XXII. Ambroſius Paræus Chir. lib.7. cap.5. in Apoſtematum Curatione, tria, *inquit*, veniunt conſideranda. Primum eſt, eſſentia Apoſtematis. Secundum, qualitas humoris apoſtema committentis. Tertium, partis obſeſſæ ten peries. Prima indicatio ab eſſentiâ, hoc eſt tumoris magnitudine aut exilitate ducta, curandi rationem variat. Secunda itidem ab humoris naturâ ducta, curandi quoque conſilia immutat: aliter namq; phlegmone, aliter eryſipelas curatur, & ſic porrò. Tertia indicatio à naturâ partis, in qua tumor reſidet, ſumitur: alia namque remedia partibus carnoſis, alia nervoſis conveniunt; alia oculo, alia gulæ, alia collo, alia emunctoriis adınoveri debent, &c. *Joh Munnicks in Cheirurgia ad hodiernam Praxin adornatâ.*

De Tumore in genu ex quo aperto puris loco flatus egreditur.

Mulier triginta annos nata, ab octo menſibus tumorem patiebatur partem femoris inferiorem occupantem & ipſum genu, nullus rubor aderat, ſed dolor eam infeſtabat, ut claudicare cogeretur; multis remediis reſolventibus adhibitis, tumor in eodem ſtatu permanebat. Tandem in duobus locis, parte ſcilicet interna & externa, elevatio ſatis inſignis apparuit, eaque circumſcripta cum mollitie & fluctuatione, ita ut purulentam materiam adeſſe omnes exiſtimarent, admotum eſt cauſticum potentiale parti magis tumenti, quæ erat exterior, poſtmodum ſcalpello inciſâ eſchara & aperto tumore, flatus quidam emanavit, & nihil aliud. Simile exemplum habetur apud *Zacut, Luſitanum lib.2. prax. admir. obſerv.165.* Ubi docet ex *Galeno* & *Avic.* hujuſmodi tumores in genu ſæpe à Medicis aperiri; pus intus latere exiſtimantibus, & nihil aliud tamen quam flatuoſum ſpiritum egredi. *Lazarus Riverius, obſerv.13. cent 3.*

Pro Tumore pedum.

℞. Stercor. vaccin. q.ſ. aceti q. ſ. coq. ſimul ad pultis conſiſtentiam. Hæc cum aliquoties tumentibus pedibus applicata fuit, tumor brevi admodum omnis abſumptus eſt. *Martinus Rulandus, curat.12. cent.9.*

Tumida membra hoc ſequenti oleo manibus perunctis bene erunt confricanda.

℞. Ol. nucum vel amygdal. amar. ℥ iv. ſem. aneth. cumini. an. ʒiij. vel iv. bacc. juniper. ℥ß. ſal. & alumin. an. ʒij. vini albi, opt. ℥iij. coque trita & miſta ad vini conſumptionem, deinde exprimendo cola, & ſervetur oleum in uſus prædictos. *Reinerus Solenander. conſil.7. ſect.3.*

Præmiſſo cathartico & ſudorifero.

℞. Fol. fumar. eupator. origan. ſerpill. abrot. an. M.j. rad. hirundinar. cortic. ſan buc. an. ℥ ii ß. ſem. aneth. cumini. fœnic. an. ℥ß. bacc. juniper. lauri, an. M.j. contund. & incid. & coq. in aq. ſ.q. pro fomento ſicco, ſupra quod decoctum effervescens ponantur pedes linteis obvoluti, quoad ſudor è vapore erumpat; idq; repetitis vicibus. *Joh. Petrus Lotichius, obſerv.15. cap.3. lib.6.*

Pro Tumore ſuppurato reſolutione curato.

Filia mea octo annos nata tumorem phlegmonoſum & œdematoſum ſatis exiguum paſſa eſt in parte externa mandibulæ inferioris dextræ, quæ ad ſuppurationem venit. Ego metuens ne à cicatrice facies fœdaretur, antequam ad abſceſſus apertionem venirem, reſolutionem prius tentare decrevi, Guidonis authoritati innixus, qui dicit aliquando apoſtemata ſuppurata reſolutione finiri: quod etiam ſolenni Paræi experimento confirmatur, qui ſe apoſtema ſuppuratum mercurio crudo cum emplaſtro diapalma ſubacto, per viam reſolutionis curaſſe teſtatur. Ad cujus imitationem dicti mercurii ʒj. cum emplaſtr. diapalm. ℥j. admiſcui, & tumori ſuppurato admovi; qui intra quatuor dies omnino reſolutus eſt. Ad materiam ſuppuratam reſolutione diſcutiendam, ſequentes conditiones neceſſariæ ſunt. Primo ut materia ſit quantitate exigua. Secundo ut ſit tenuis & ſeroſa. Tertio ut cutem & corporis ſuperficiem occupet, non autem partes profundas. Quarto ut ſit in corpore robuſto, juvenili, & molles carnes habente. Quinto ut ſit tempus æſtivum. *Dionyſius Pomaret. obſerv.1.*

Eadem filia mea paſſa eſt tumorem œdematoſum crudum & minime ſuppuratum ſupra regionem lumborum, magnitudinis volæ manus, qui eodem remedio intra paucos dies diſcuſſus eſt. *Idem obſerv.2.*

Tumor carneus palpebræ inferioris, prope angulum externum oculi, ſectione feliciter ſanatus.

Simili ferè morbo laborabat quidam Pater ex Franciſcanorum Reformatorum cœtu, qui variis in locis curatus incaſſum, Neapoli nempe, Romæ, Florentiæ, & Genuæ, tandem meæ curæ ſe commiſit, qui tumorem vidi carneum in palpebra inferiori, prope angulum externum oculi obortum, inſtar acini uvæ. Præmiſſis itaque univerſalibus, humores noxios evacuantibus, forfice totum tumorem ſecui, applicato ſtatim ovi albumine, cum aqua roſacea; necnon poſt aliquot dies adhibita portiuncula viridis æris, erodendis quibuſdam fruſtulis radicum ipſius tumoris, in parte ſuperſtitibus; demum pulveribus exſiccantibus cicatrice inducta, perfecte ſanatus æger ſpatio viginti dierum. *Petrus de Marchettis in Obſervationum Medico-Chirurgic. Sylloge.*

Tumor gingivæ, ſub quo, non ſolum dens, ſed & ejuſdem alveolus, cum parte mandibulæ inferioris, uſque ad os jugale, corrupta, ubi ſubortus novus tumor, qui ſectus, patefecit labem, qua abraſione ex inuſtionibus ſuperata, æger ſanitati fuit reſtitutus.

Tumores quidam in gingivis aliquando oriuntur parulides à Græcis vocati, ex ſanguine, qui ante ſuppurationem dolores graves inferunt, atque ſuppurati, niſi diſrumpantur, alveolos dentium corrumpunt, unde plurimùm fiſtulæ, quæ abſumunt partem; non ſolum alveolorum, ſed mandibulæ quinetiam; prout ſuperiori anno præ manibus habui Monachum quendam juvenem Divæ Juſtinæ, cui obortus tumor in gingiva, ſub qua dens non ſolum corruptus fuit, ſed & alveolus, cum parte mandibulæ inferioris, inſigni adeo labe, ut pertingeret ad os uſque jugale, ubi ſubortus fuit tumor inſignis, qui à me ſectus maximam copiam puris effudit; quem cum aliquot poſt dies ſpecillo explorarem inveni oſſa prædicta omninò corrupta, erumpente per foramen eodem pure ex cohibito in ore ſpiritu. Curationem itaque molitus ſum ſcalpris prius abraſoriis; verum quia os erat corruptum uſque ad alveolos inferiores dentium, pluribus propterea inuſtionibus inurendum fuit, foramine patefacto uſque ad ſeparationem ipſius, quo educto, ad cicatricem locum deduxi. Quæ monuiſſe volui, ne ſuppurationem horum tumorum expectetis, à qua facillimè corrumpuntur hæc oſſa, & oriuntur fiſtulæ inſignes, ægreque ſanabiles; ut propterea apparentibus his tumoribus in gingivis, ante ſuppurationem ſtatim ſint ſecandi ſcalpello; & quidem longa ſectione; quo ſanguinis confluxus ad ipſam gingivam evacuetur. qua ratione prohibebitis omnes prædictas affectiones; quod tum propria experientia, tum aliena firmatum; facta ſiquidem ſectione, & evacuato concluſo ſanguine, abſque ulla medicamentorum ope, ſola ſaliva natura ſectionem ſanat; ceſſante quarta poſt horæ parte, dolore. *Idem ibidem.*

Tumor colli inflammatorius in puero menſem nato, cum læſa deglutione, quatuor cucurbitulis cum ſcarificatione ſcapulis, & infra eaſdem adhibitis, ſanatus. Aliquot exempla venæſectionis feliciter adminiſtratæ in pueris acuto morbo laborantibus.

Præter alios tumores colli ab omnibus autoribus deſcriptos, vidi in infantulo menſem nato, nunc Canonico Patavino, inflammatorium, externum, ad glandulas bronchiales. Tumor hic progreſſu duorum dierum ita adauctus fuerat, ut nobilis infans non poſſet lac deglutire, cum proximo vitæ periculo; cui cum adhibitæ frictiones, & lotiones pedum, leviores forent pro magnitudine morbi, præſcripſi ſtatim quatuor cucurbitulas parvas, vulgo cornetti dictas duas ſcapulis, duas verò infra eaſdem applicandas, tribus tantum, & quatuor ſcarificationibus adhibitis, & educto ſanguine ad uncias duas, quarum uſu tumor paucas poſt horas imminutus, ac ſenſim & ſenſim ſublatus, & feliciter ſanatus eſt, lethalis alioquin.

Neque metuendum hoc genus præſidii in tenella adeo ætate, præſente potiſſimum morbi magnitudine; cum ſæpius ego, ſecta quinetiam vena, ſanguinis miſſionem præſcripſerim, & quidem primo è ſalvatella ejuſdem lateris, nobili Patavino ex familia Tergolina, decem annorum, pleuritide graviſſima laboranti, qui hoc præſidio ſub veſperam ſequenti die fuit liberatus, & omnino convaluit; quod contigit & alteri nobili Patavino ex familia Ridi, annorum ſeptem, laboranti itidem pleuritide, cum vehementiſſimo dolore pungitivo; cui educto pariter ſanguine ex ſalvatella, ad ſex uncias circiter ceſſavit dolor, cum febris remiſſione, qui aſſumpto poſtmodum ſyrupo roſaceo, cum manna, quarta integre ſanitati fuit reſtitutus; quo præſidio quinetiam uſus ſum in aliis pueris angina laborantibus, hac ratione adductus, & propria experientia, quod quàm pluribus pueris trium, quatuor, vel quinque annorum, vulneratis, aut ſaxo, aut cultello, vel aliquo alio inſtrumento, ſanguinis libra effluxerit aliquando; atque illi potiſſimum, cui ex ſecta arteria muſculi temporalis magna vis ſanguinis erupit; quem tamen juxta cum aliis ſanavi citra ullum in facultate auctrici detrimentum; quinimò ipſorum aliquos novi, adhucnum ſuperſtites, robuſtos, pingues, & carnoſos; ut propterea in morbis cum vitæ diſcrimine, præſente indicatione venæſectionis, hoc præſidium non ſit reformidandum. *Idem ibidem.*

Tumores jecoris ſuppurantes, in gibba potiſſimum ejuſdem parte tutò ſecantur; in cava verò, per urinam expurgandi, exemplo Virginis, quæ tumore ejuſdem partis laborans, per urinam magna vi puris excreta, eo liberata eſt.

Tumores aliquando in Jecore ſuboriuntur, in quibus alii ſunt crudi, & nunquam ſuppurant, alii verò ad ſuppurationem veniunt: & quia Jecur pauci eſt ſenſus; nervulis quippe gibba tantum ſui parte donatum, non ita facilè propterea, niſi progreſſu temporis horum differentiâ dignoſcitur: tunc enim qui ſuppurant, gibba potiſſimum ipſius parte in acumen prominent, & ſectionem indicant, nullo vitæ diſcrimine; prout ego in multis ſum expertus, ſectis licet integumentis communibus, muſculis, & peritoneo; quod ſi in cava delituerit, per urinam expurgandus, ut obſervavi in Veſtali virginæ Divæ Annæ, ex Buzzacarinorum familia, quæ cum maximam copiam puris minxiſſet, à tumore liberata eſt, dolore licet Jecoris quandoque moleſto, cum febre; à quibus tamen ſola evacuatione ſanguinis ex vena Jecoraria dextri cubiti, convaluit; quod non contingit tumori partis gibbæ Jecoris, cui ſecto imponenda turunda, imbuta ovi albumine; tum digerentibus utendum, prout in vulnere illius partis; poſtmodum ſarcoticis; tandem epuloticis cicatrix inducenda, evacuata prius tamen tota materia purulenta, turundarum ope,

necnon cannulis plumbeis, quibus utpote citius, & commodius expurgatur. Qua ratione multos ſanavi, quorum aliqui adhucnum incolumes degunt. *Idem ibidem.*

De tumore ſuppurato nec non de carie oſſis.

Puella decem annorum, febri fervida correpta, brevi poſt dolorem, ac mox etiam tumorem ſenſit in humero, qui erat ejuſdem cum cute coloris, ac duriuſculus.

Sanguis nempe a febre ſolito magis agitatus ex latibulo hujus aut illius partis ſolidæ eluit particulas multas acidas & viſcoſas, quæ, cum ſanguine circulantes, aliqua ſui portione egreſſæ ſunt ex poris arteriarum tum temporis ob febris fervorem magis dilatatis in tubulos circa humerum & longe infra cutim ſitos, in quibus hæ errant & dolorem excitabant, dum laterum ſuorum acie fibrillas ſolitò vehementius commovebant, atque hoc pacto tubulos vicinos etiam aliquatenus diſtorquebant, unde humores ibidem etiam ſtagnarunt, qui, licet eſſent ſinceri, brevi mora ibi aceſcebant; ſanguis hinc etiam ſtagnabat in multis vaſculis capillaribus, ſed tam profundè intra cutim ſitis, ut rubor per cutim translucere nequiret, atque ideo tumor apparuit ejuſdem cum cute coloris.

Sed unde durities illa tumoris? nam liquor eſt, qui in eo continetur, & liquor, utpote fluidus, & manui blande appellenti nullam reſiſtentiam exhibens, non ſentitur durus ſed mollis.

Sed magna liquoris copia continetur in pomo, poteſtque ex illo exprimi, & tamen interim ſentitur duriuſculum, quia ſcilicet liquor ille valde diviſus eſt, ac in ſingulis pomi tubulis & poris à ſe invicem diſtinctis hæret ſeparatus, quare manus pomum tangens occurrit primo pomi tubulo, unde particulæ liquoris in eo contentæ quidem aliquatenus recedunt, ſed mox accedentes ad ſubjacentem tubulum, inveniunt reſiſtentiam, atque hinc manifeſta redditur pomi durities & per conſequens etiam durities tumoris.

Certo igitur perſuaſus, hoc in caſu peccare particulas viſcoſas obſtruentes, acidaſque ſcindentes & irritantes, nihil magis hic convenire judicavi quam aperientia & acidum temperantia, quamobrem appoſui tumori emplaſtrum Sticticum Paracelſi; ſed, ut hoc obiter notem, in eo ſupervacuus mihi videtur magnes, qui nulla alia de cauſa hic additur, quam ut res noxias ex profundo ad ſe alliciat; magnes autem non quævis corpora ſine diſcrimine ad ſe accedere facit, ſed tantum modo ferrum & magnetem, atque hanc etiam vim prorſus amittit, ubi in pulverem conteritur quia pori ſtriati tunc diffringuntur, ſicut id ipſum expertus eſt Rohaultius, qui melioris notæ magnetem in pulverem redegit, eumque indidit linteo, ejuſque pulviſculos ſatis valide ad ſe invicem appreſſit, & tunc invenit & animadvertit priſtinas in magnete vires in totum evanuiſſe.

Emplaſtrum citatum (ut ad propoſitum revertar) reliqui per aliquot dies ſuper tumorem, ſperans, acidum hoc pacto temperari, ac viſcoſum attenuari poſſe ita, ut partim circulationi priſtinæ reſtitueretur, partim per poros cutis avolaret, ſed malum fuit nimis pertinax atque ideo ſpes mea me fefellit. Quid igitur factum eſt? Scilicet acidum particulis ſuis ſcindentibus tandem fibrillas & tubulos quoſdam diſrupit, atque ita liquor in tumore contentus in unum locum confluxit, & cum temporis tumor non amplius duriuſculus, ſed mollis exiſtebat, non aliter quam liquor, ex pomo antea duro expreſſus, & vaſculo aliquo exceptus, ſe mollem exhibet digito palpanti, atque in eo puto conſiſtere factam in tumore ſuppurationem.

Jam jam audire videor clamans contra me vulgus eruditorum, quod ſcilicet hanc ægrotulam non tractaverim ſecundum artem, hoc eſt, ſecundum falſam ac inutilem ipſorum theoriam, quæ in principio tumorum repellentia applicare jubet, ſed reſpondere facillimum eſt, dummodo dicam, quod omnium ferme tumorum cauſa ſit obſtructio, quæ (ſecundum proprium ipſorum axioma, quod ſcilicet contraria contrariis curentur) per aperientia tollenda venit, non autem multiplicanda per repellentia vulgo dicta, hoc eſt, per frigida aſtringentia.

Sed quid ſi adverſarios proprio ipſorum gladio jugulem, eoſque convinciam duobus argumentis, vel in ipſo tumorum fere omnium initio rariſſime, imo nunquam convenire repellentia vulgo dicta? tentabo ſaltem.

Volunt igitur adverſarii, ut in principio tumorum applicentur repellentia, ſed interim tamen duos caſus excipiunt, primo cum tumor fit per congeſtionem, ſecundo quando ille reperitur in emunctorio.

Quoad primum, certum eſt unicuique à præjudiciis nondum plane occæcato, nullum tumorem fieri per fluxum, quâ talem, utpote naturalem, ſed omnem tumorem fieri per congeſtionem, hoc eſt, tum demum, quando ſanguinis ac humorum fluxus aliqua ex parte impeditur propter obſtructionem, ob quam ſanguis & humores alicubi congerantur & accumulentur, atque hinc evidentiſſime ſequitur, repellentia nunquam valere in tumoribus.

Quoad alterum, brevitatis ergo ſumemus tantum unum emunctorium ſic ab illis vulgo nuncupatum. Afferunt igitur repellere non licere in tumore inguinis, quia illud eſt emunctorium hepatis, hoc eſt, quia per illud ſordes hepatis expelluntur, ſed hæc eſt ratio mehercule falſiſſima: nam vaſa lymphatica & venæ liquorem contentum ab inguine ſurſum deferunt, ſic ut nihil reſtet præter nervos & arterias, per quos vel quas hepatis excrementa deponantur; ſed licet nervi excrementa quædam ejicerent per inguen, tunc illud non eſſet emunctorium hepatis, ſed potius cerebri aut medullæ ſpinalis, nam nervi, qui valde pauci in hepate eſſe reperiuntur, ex eo nihil recipiunt, & quamvis per arterias, quæ ex hepate etiam nihil excipiunt, recrementa quædam expellantur in inguen, ac per illud foras proturbentur, non ideo inguen meretur dici emunctorium hepatis, ſed potius totius maſſæ ſanguineæ; & ſi propterea in inguine repellere non licet, quia illud eſt emunctorium ſanguinis, tunc per conſequens vetitum erit in ulla corporis parte repellere, quia

quia

quia ubique per poros corporis multæ particulæ ex ſanguine evacuantur & exhalant.

Sed tempus eſt, ut ad propoſitum revertamur, unde nimis longè digreſſi ſumus.

Quandoquidem igitur tumor maturus erat, & pus, quod continebat, tam profunde ſitum erat, ut carnem ac cutim ſuperpoſitam perrumpere non poſſet, ideo aperitionem feci in ea tumoris parte, quæ mollior ac eminentior apparebat, ſicque puris haud parum profluxit; ſed ecce, tunc invenio ſubjectum nigrum ac carioſum ab acido ſcilicet in tumore contento, quod fibrillas perioſtei, ac poſt ipſius etiam oſſis diſſcidit, ejuſque ſalem volatilem corrupit, qui oſſibus naturalis eſt, ac magnâ copiâ in illis reperitur, ſicut liquet ex deſtillatione cranii humani, ex quo multum ſpiritus, multumque ſalis volatilis in forma ſicca elicitur.

Quod ſi autem aliquis in hiſce meis ratiociniis nondum acquieſceret, nec credet hanc cariem ab acido eſſe inductam, illi juberem, ut oleum vitrioli, quod valde acidum eſt, applicaret dentibus, nam ſic damno ſuo animadverteret illos tandem inde reddi carioſos ac fruſtulatim excidere.

Imo Fabricium Hildanum, expertiſſimum illum ac celeberrimum medico chirurgum, hoc non latuit, quamobrem ille in carie oſſis nihil magis damnat, quam oleum ſulphuris, vitrioli, aquam fortem &c. acida, & quidem merito.

Jam dudum ſciebam ulcera cum carie oſſis comite ſanari non poſſe, niſi oſſe prius reſtituto, atque ideo oſſis carioſi medelæ primo incubui.

Non ignorabam quoque pinguia oſſibus valde nocere, quia illa ramulis ſuis facile obſtruunt anguſtos poros & tubulos oſſium, & quidem ſatis pertinaciter, qua de cauſa omnia pinguia cane peius & angue hic vitavi, ac oſſi carioſo inſperſi pulverem euphorbii, quod multum ſalis volatilis, & quidem acerrimi, continet, atque ita brevi tempore omnis caries ſub forma pulveris impalpabilis ex ulcere ſenſim evacuata fuit.

Quod acredo euphorbii non ſit acida, ut aliquis forſan conjiceret, ſed ſalina, manifeſtum redditur ex eo, quod tam vehementer ſternutationem moveat, non aliter quam ſpiritus ſalis armoniaci, qui à nemine ſalſus eſſe negatur. E contra naribus admoveto ſpiritus acidos nitri, vitrioli, ſalis & ſulphuris, animadvertes illos, licet acerrimi ſint, ſternutationem tamen minime movere.

Ut autem externis medicamentis per interna opem ferrem, inter uſum euphorbii ægrotulæ exhibui decoctum ex china, ſarſaparilla, aliiſque multum ſalis volatilis continentibus conſtans.

Si caries hiſce cedere noluiſſet, adhibuiſſem ferrum candens, quod à quibuſdam dicitur cauterium actuale, ad diſtinctionem cauterii potentialis, ſed male, nam cauterium potentiale non datur; omne cauterium, hoc eſt, omnis res urens agit; & ſi illud cauterium potentiale dici meretur, quod, quamvis jam urere nequeat, brevi poſt tamen illud præſtabit, tunc glacies optimo jure habebitur pro cauterio potentiali, quia illa reduci poteſt in aquam bullientem, & quam inepta ſit talis locutio, aliis judicandum relinquo.

Ferrum candens autem duabus de cauſis in oſſe carioſo juvat; primo namque fermento acido-corroſivo in oſſe hærenti tantum de motu ſuo communicat, ut illud evaporare poſſit, ſicut ſpiritus vitrioli in diſtillatione per ignem in altum elevatur; ſecundo illam portionem fermenti acido-corroſivi, quæ reliqua manet in oſſe carioſo, temperare poteſt, nam ferrum egregie reſiſtit acido, ut patet confectione vitrioli Martis, in qua manifeſta ſatis excitatur fermentatio, dum ſpiritus vitrioli infunditur limaturæ chalybis, atque ita brevi temporis intervallo ſpiritus vitrioli multum amittit de ſua vi corroſiva ac de acore ſuo, imo dulceſcit.

Carie oſſis ſublatâ reliquum ulcus brevi carne impletum fuit ſolâ therebinthinâ communi cum vitello ovi impoſita, ac cicatrix per linlintea carpta ſicca inducta fuit, quæ imbibunt continuo pus, quod in ulcere relictum cicatricis generationi non parum obſtat.

Complures ſunt, qui arterias & venas ex parte ſublatas nunquam regenerari exiſtimant, quia nempe ſunt partes ſpermaticæ ſic ab illis vulgò nuncupatæ, ſed falluntur, nam qua de cauſa ſanguis ex arteriola abſciſſa prorepens non poſſet ad latera protrudere particulas quaſdam ramoſas & ad motum minus aptas, quæ ſibi invicem implicitæ formarent ibidem rudimentum alicujus tunicæ, quæ arteriolæ nomen mereretur, & cur idem ſanguis, in curſu ſuo tandem impedimentum aliquod offendens, non poſſet reflecti, & ſic, particulis ramoſis iterum ad latera projectis ibidem producere rudimentum alicujus venæ, non aliter, ac videre licet poſt aliquot ab incubatione dies in ovo, in quo arteriæque venæque eodem modo ex colliquamento proveniunt? hæc res ſanè intellectu eſt facillima.

Imo blandus tantummodo contactus illius tenellæ carnis, quâ ulcus de novo impletum eſt, ſtatim ſanguinem prodire facit, quod certe non fieret, niſi arteriæ, venæque eo uſque eſſent prolongatæ.

Sed ſi forſan aliquis adeo incredulus reperiatur, ut dictis fidem adhibere nondum queat, illum dimitto ad induſtrium dominum Blanckart in collectaneis Medico-Phyſicis, ubi narrat, vel ſe, vel alium quendam in ulceribus prius cavis ac nova carne iterum repletis detexiſſe venas & arterias per microſcopium, imo per nudos etiam oculos ac nullo microſcopio munitos, ſi pars ſanata prius aliquandiu ſugeretur.

Atque hoc pacto puto me phænomena in hac ægrotula occurrentia modo tam perſpicuo explicuiſſe, ut ab omnibus queat intelligi, longe aliter, quam facere conſuevêre nimis anxii veterum ſectatores, nam ſi illos interrogaſſem, unde tumor ille humeri, de quo antea locutus ſum, exortus eſſet in ægrotula febricitante, mox repoſuiſſent, naturam ſe ibidem loci exoneraſſe, ſed hoc æque abſurdum judico, ac ſi ego interrogarem, cur cereviſiæ recens coctæ fæx per dolii foramen evacuetur, ac alter regereret, naturam cereviſiæ ſe ibidem loci &

hoc pacto liberare ab onere ſuo], cum potius dicendum foret, cereviſiam fermentari, hoc eſt, motum quendam inteſtinum eſſe in parvis cereviſiæ particulis, atque ab illis particulas ramoſas aliaſque ad motum illum non ſatis idoneas protrudi eodem, ubi ad motum tam celerem non coguntur.

Si porro rogarem, quare tumor ille potius in humero, quam alibi ſe præbuerit conſpiciendum, in promptu ſequens habuiſſent reſponſum, nempe hoc contigiſſe ob debilitatem facultatis expultricis in humero, belIum ſane ratiocinium, tot Chimæras, quot verba, continens.

Quod ſi aliquis ex vaſe capaci liquorem quendam tenui ac æquali ſemper radio infunderet in cantharum anguſtioris colli per infundibulum, ac primo videret liquorem, eadem celeritate egredi ex infundibulo, qua intraret, deinde autem obſervaret, liquorem in infundibulo magis magiſque accumulari, an ille non egregie ſe unicuique exponeret ridendum, ſi pro cauſa hic in medium afferret debilitatem facultatis expultricis in infundibulo, cum vera cauſa ſit obſtructio in inferiore ac anguſta, infundibuli parte, aut in anguſto canthari collo, inducta jà corpore aliquo craſſiore in liquore forte contento? quicunque jam hæc omnia attento animo perpendere voluerit, rem in utroque caſu eodem modo ſe habere animadvertet, utrobique allatam inveniet æquè ridiculam.

Antequam hanc obſervationem finiam, unum adhuc problema mihi diſcutiendum reſtat, nempe an ulcus aut vulnus cavum non poſſet impleri aliâ quâdam carne, quæ toti agglutinaretur, ſive illa caro deſumeretur ex aliâ quâdam parte ejuſdem hominis, ſeu etiam ex alio homine, aut beſtia aliqua? præſertim cum videamus ungues, quibus galli contra gallos gallinaceos in pugna utuntur, ex pedibus exſectos capiti non tantum agglutinari, ſed egregie etiam augeri brevi tempore, ſicut hoc quotidie videmus, dum galli gallinacei caſtrantur, imo etiam nemo ferè eſt, qui non aliquando conſpexerit, quam belle ramulus ex una arbore exciſus cum trunco alterius arboris coaleſcat & uniatur.

Sed diſpar longe ratio eſt, nam tubuli in unguibus gallorum, inque ramulis arborum conſtantes ſunt, ita ut ſectio illos diſtorquere non poſſit, quare liquorum circulatio per eoſdem facile peragitur, etiamſi in alienam partem aut aliud corpus inſerantur. In carne verò noſtrâ tubuli adeò tenelli ſunt, ut à ſectione, aut aliâ quâdam vi ſtatim valdè diſtorqueantur, atque eorum latera hoc pacto ferè ad ſe invicem accedant, atque ita tum temporis & humorum circulatio per eoſdem prorſus impeditur. *Joh. Muys in Praxi Chirurgicâ rationali.*

De Tumore frontis connato.

Puella ſemeſtris erat in fronte deformata tumore valde rubente ac doloris experte, quem in utero adhuc deliteſcens contraxerat. Mater ægrotulæ, dum utero gerebat, vulnus in fronte accepit, ex quo multum ſanguinis profluebat, & quod dolorem ſatis magnum inferebat; quare mater, infortunii ſui certior fieri volens, adiit ſpeculum, & ſic non parum perterrebatur.

Quis neſcit jam temporis quam arcta ſit unio inter matrem, ſuumque fœtum? idque mirum videri non debet, quandoquidem ſanguinis circulatio utrique communis eſt.

Sic Pariſiis in noſocomio ſtultus ad annum uſque vigeſimum vixiſſe perhibetur, cui oſſa brachiorum, crurum, aliarumque partium à nativitate fuerant diſrupta, non aliam ob cauſam, quam quia mater illius prægnans non ſine terrore conſpexerat maleſico cuidam oſſa à carnifice publice confringi.

Si jam gravida mater tenello ſuo fœtui tantum malorum accerſere potis eſt, dum alium moleſto dolore aſpicit affectum, cogita, quid contingere poſſit, ubi illa in proprio corpore vulnus ſanguinolentum & cernit & ſentit.

De modo autem, quo illud eveniat, utpote ad praxin parum faciente, hic loci ſcribere ſuperſedeo; & ſi quis curioſior ſit hac in re, illum adire jubeo L. de la Forge in notis ad tractatum Carteſii de homine, ut & acutiſſimum Auctorem tractatus cujuſdam gallici, qui inſcribitur *la Recherche de la Verité*, qui non ineleganter de modo, quo hic effectus producatur, ibidem diſſerit.

Ego conſpecto huic tumori impoſui corroſivum ex calce viva & ſapone communi ſimul mixtis tantum, quantus erat ipſe tumor, & ſic inducta fuit eſchara.

Sapo communis ſcilicet conficitur ex lixivio & pinguedine ſimul coctis tam diu, donec multi ramuli particularum pinguium diſrupti ſint, quod vel ex eo liquet, quod pinguedo in veſtibus producat maculas pertinaciter inhærentes ob ramulos, quibus ſe implicat fibrillis veſtium, & ſapo contra ſolâ aqua facile eluitur.

Calx verò viva eſt ſal alcalicum fixum & quidem ſatis acre.

Calx viva igitur miſcebatur non cum aqua, quia hæc ob efferveſcentiam ſuam cum calce vires ejuſdem frangit, nec quoque cum pinguedine, quæ poros cutis nimis obſtruit, ſed cum ſapone communi ſale ſuo lixivo calcis vires non parum juvante.

Impoſito hoc corroſivo vapores pro more ſolito egrediebantur ex arteriolis per poros cutis in aërem, ex quo iterum in locum à ſe relictum propellebant materiam ſubtilem, quæ in tranſitu ſuo agitabat particulas ſalſas tam calcis quam ſaponis teretes, rigidas & pungentes, eaſque ſecum tulit uſque in cutim, & quidem ſecundum longitudinem particularum non ſecundum latitudinem, ſicut ſagitta in altum miſſa non tranſverſum aërem ſecat, ſed per longitudinem ſuam, quia hoc pacto minus reſiſtit & faciliorem viam invenit in aëre.

Particulæ hæ ſalſæ in cutim uſque adactæ, ac à materia ſubtili egregie ibidem agitatæ, fibrillas cutis diſruperunt ita, ac tubulos ejuſdem ita diſtorſerunt, ut ſanguinis, humorum ac ſpirituum circulatio illic prorſus impediretur, ac illa pars emoreretur & ſub forma eſcharæ in conſpectum veniret, quâ brevi ſeparatâ omnis tumor oberat, quare placentulam meam duriuſculam, de qua ſæpius mentionem feci, impoſui, quæ carnem alias facile luxuriantem comprimebat, ac inſuper cicatricem lævem inducebat, quæ primo quidem aliquatenus rubebat, ſed ille rubor poſtea in totum ſublatus eſt,

eſt, ubi cicatrix aliquoties leviter tangebatur oleo tartari per deliquium.

Hæc puella ab omni frontis deformitate hoc pacto feliciter liberata Chirurgis calcar addere debet ad tollendas multas deformes maculas ac tumores, infantibus, dum in uteri ergastulo captivi retinebantur, impreſſos, qui à non paucis pro inſanabilibus habentur. *Idem ibidem.*

De Duro Tumore abdominis.

Puella quinque annorum malæ diætæ aſſueta vexabatur per longum tempus abdomine admodum tumido, duroque, ac facies exiſtebat pallida.

Fruſtra jam fuerat uſurpatum linimentum ſequens

♃. Ung. alth. comp. Ol. lilior. alb an. ℥ß. de lateribus ʒi. M. S. Quod tamen in ſimili caſu non parum laudatur à Clariſſimo Sylvio in praxeos libro primo, cap. 14. titulo 56.

Rem bene conſiderans judicabam ſanguinem hujus ægrotulæ exiſtere nimis viſcoſum ac acidum, atque eapropter multas omenti glandulas eſſe obſtructas, ac miram in molem adauctas; & quo pacto pallor faciei ex tali ſanguine producatur, unicuique notius eſſe puto, quam ut opus ſit illud explicare.

Mirabitur forſan aliquis, nec credet, glandulas omenti in tantam excreſcere poſſe magnitudinem, ut cauſa ſint tanti, adeoque duri tumoris, qualis in abdomine hujus puellæ tactu percipiebatur, ſed illum inſpicere volo Fabritium Hildanum, qui narrat in Centuriæ tertiæ obſerv. 50, ſe aperuiſſe cadaver, cujus omentum ob glandulas intumefactas habebat pondus quinquaginta ſex librarum.

Rebus ita conſtitutis nihil proficuum magis eſſe judicabam emplaſtro ſtyptico Paracelſi, quod abdomini imponi juſſi, poſt quam ſuper linteum eſſet extenſum ac inunctum oleo nucis myriſticæ.

Ac ut ſanguinem viſcoſum & acidum corrigerem, puellæ quotidie bis exhiberi juſſi guttas aliquot ſalis volatilis oleoſi, atque hoc pacto ægrotula noſtra paucorum menſium ſpatio feliciter priſtinæ ſanitati reſtituta fuit. *Idem ibidem.*

De Tumore ſanguineo ad palatum.

Maria de Waart, filia natu minima Ampliſſimi Conſulis D. Gerbr. Nicolai Pancras ex morbo diuturno, capitis, auris, dentiumquè dolore gravi, tumorem contraxit albicantem, nucis juglandis magnitudinem habentem, circa palatum.

Pure repletus nobis ſimiliter ac Medico-Luſitano Ephraim Boona videbatur, undè apertionem ejus neceſſariam omninò judicabamus, quam ubi admiſit ægrotans, lanceolæ ope peractam, non pus, ſed ſanguis calidus purus, rubicundus, inſigni copia effluxit, cùm tamen, uti indicavimus, albedine notabilis tumor occurreret, fluorem hunc preſſione digiti continuâ ſiſtere coacti fuimus.

Diebus quinque aut ſex elapſis tumor dictus de novo à nobis apertus fuit, quod & majoris amplitudinis occurreret, & de purulentiæ in eo præſentia nullus dubitaret. At diſſectione peractâ eâ copia ſanguis ardens, acriſve impetu effluxit, ut linteo combuſto vulneri impoſito hæmorrhagiam ſiſtere coacti fuerimus.

Fruſtra ſic hactenus laboravimus, iterare adeoque apertionem conſultum minimè viſum, quin potius ſanguinem temporis diuturnitate, uſuque medicamentorum commodorum, in pus verum converti neceſſarium. Ad hoc collutio ſequens aliquoties calidè ore detinenda à nobis præſcripta:

♃. Rad. Alth. Lilior. an. ℥ ii. Fol. Malv. Biſmalv. Parietar. an. Mi. Sem. Lini ℥ß. Ficus recent. n. vi. Coq. in aq. purâ, in Colat. ℔ i. diſſolve Syr. de Alth. Fernel. ℥ i. M. F. Gargariſm.

Uſu gargariſmatis hujus tumorem indies imminui obſervavimus continuatio adeoque inceſſaria. Conſolidatio tamen vera neutiquam ſecuta, priuſquam fragmentum aliquod oſſis palati ſepararetur.

Curatione ſic inſperatâ abſolutâ, noſtrum credidimus eſſe, undè collectio ſanguinea dicto loco ſe exhibens provenerit, cognoſcere: Nullus hic occurit qui vel verbis, vel ſcriptis vias commodas indicare potuit. Aliquid lucis huic difficultati adferunt quæ obſ. 24. Armant. Chir. proponit Joan. Schultetus, Medicus & Chirurgus Ulmenſis, ductum hic deſcribit circa dentes molares à palato ad nares extenſum, in quo vena æque ac arteria, commodæ tunicæ incluſæ detinentur, de quo loco cit. plura legi poſſunt.

Poſt hæc tempora affectus priori ſimilis bis nobis ocurrit ſanguinis majorem uterque exhibuit quantitatem quam puris. Aliis quod ſi eadem occurrerint, faciliùs, certiuſque ea curare poterunt. *Jobus à Meeckren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

De Tumore femoris inſigni.

Anna Laurentii Anno 1655. peſte laboraverat, ex qua Anthracem contraxerat femur ſub oſſe iſchio occupantem. Hujus curatione, quæ tamen tarda valdè, peractâ, tumore correpta ab inguine ultra genu ſe extendente, magis hic magiſque indies increſcebat, adeò ut ulnæ cum dimidia longitudini accederet menſura craſſitiei ejus. Hinc in partes duas diviſus.

In conſilium vocati Clar. Viri Dn. Franciſcus Sylvius, Franciſcus van der Schaagen, Henricus Lons, Medici, & Dn. Henricus Roonhuyſen, Chirurgus. Variis pro & contra propoſitis, quæ allegare ſuperſedebimus, veroſimile nobis viſum, humorem aliquem pinguedinem loco dicto occupaſſe, imò vi ſua acriore ad facilem influxum inſequentis diſpoſuiſſe. Hanc ſententiam noſtram confirmare ſtudui exemplo eorum quorum pedes antrace laboraverant, his enim (quod in nobis ipſis experti) tumores omnes poſtea ſupervenientes ſolito majores. Cauſam ejus rei in eo conſiſtere judicabamus, quod natura in eas partes venenum ſuum, venenique materiam ableget, quæ hic ob pinguedinem ſuppoſitam magis magiſque corrumpitur, undè pars ipſa & debilis, & poroſa magis.

An-

Ad curationem, præmiſſo uſu Medicamentorum purgantium, menſes moventium, imprimis apozematis ex oculis cancri, faſcia adhibita, ejuſque uſu legitimo, ab inferioribus nempè ſurſum inſtituta ligaturâ, integrè Dei gratia reſtituta ægrotans. *Idem ibidem.*

TUSSIS.

Super eâ nihil addimus iis quæ capite de Phthiſi abundè propoſita fuere; non omiſſâ etiam Tuſſi Puerorum Suffocativâ, de quâ accuratè Clariſſ. Williſius eôdem capite; præter alia quæ in hôc etiam argumentô exſtant, ubi de Morbis Infantum agitur.

TYPHOMANIA

Vid.

COMA VIGIL


capite de *CARO.*

TYMPANITIS

Vid.

HYDROPS.

Finis Libri XVII.



BIBLIOTHECÆ

MEDICO-PRACTICÆ

LIBER DECIMUS OCTAVUS.

De Morbis à Litera V incipientibus.

VAGITUS UTERINUS.

DE eo Obſervationes aliquot rariores huc adferremus, ſi hæ ad Praxin Medicam propriè facerent, cui quod hujus reſtat operis concedendum venit; ne nimium, aliis rurſus admiſtis, excreſcat.

VARI. Vid. *LENTIGINES* in *CUTIS MORBIS.*

VARIOLÆ ET MORBILLI.

VAriolæ & Morbilli, contagiô ſuô non tantùm in febrium malignarum cenſum apud omnes veniunt, ſed etiam exquiſitô quô ſæpiſſimè ſtipantur venenô, quôque plurimos jugulant, alia quaſi peſtis ita dici merentur, ut Arabes plurimique magni nominis Medici, hujus hiſtoriæ, illorum deſcriptionem continuò ſubjungant. Diſputatur autem an eos cognoverint Veteres; negativam tuentur Mercurialis, Liddelius, aliique multi, aſſerentes Arabum ævo primò innotuiſſe. Verùm præterquàm quòd Salmaſius, & alii primæ eruditionis Viri contrarium defendunt, Arabes hoſce morbos tanquam novos non deſcribunt, quod procul dubio feciſſent, ſi Græcis incognitos ſciviſſent. Sed prætermiſſis hiſce minoris momenti diſputatiunculis, de quibus etiam mox erudite admodum è Clar. Carolô Drelincurtiô; videamus jam quid ſint Variolæ, quid Morbilli.

I. Variolæ ſunt tubercula ut plurimùm alba, ſed in ambitu rubra, humore plena, dolentia & pruriginoſa, cutem, muſculos, nervos, interiora viſcera, parteſque propè omnes ſolidas obſidentia, cum febri continua ac ſuppuratione conjuncta; peculiari & malignæ humorum fermentationi originem ſuam debentia.

Morbilli ſunt maculæ, aut tubercula minima, rubra, purpurea vel nigra, eaſdem quas variolæ partes occupantia, à cauſa itidem maligna orta, sed ad ſuppurationem minimè tendentia; cum febre continua, tuſſi ſicca, & raucedine.

II. Quanam in hiſce morbis ſint partes affectæ ex definitione, ſeu potius deſcriptione ſatis patet; Nam puſtularum reſpectu non tantùm diximus cutem, ac muſculos ſed etiam viſcerum membranas, aliaſque partes, iis affici; reſpectu vero febris concomitantis cum Clariſſim. Franciſco Piens non concludimus, cor illius unicam ſedem eſſe; huic enim multò majora non tribuimus in effervescentia & motu ſanguinis accelerando, aut aliis febri neceſſario adjunctis in totum corpus circumvehendis, quàm cæteris propè omnibus muſculis, & præcipuè fibris arteriarum, venarum que muſcularibus; & in ſpecie reſpectu caloris & frigoris, eos referendos credimus fermentationibus variis, ſuccorum admiſtionibus, atque ſalium concurſibus, hic, illic, ubi eorum reperitur materia; ſubinde præter naturam factis.

III. Differentiæ quæ variolas inter & morbillos intercedunt ex utriuſque affectus diagnoſi mox enarranda manifeſtæ fient. Quod verò variolas in particulari ſpectat, aliæ ſunt diſcretæ, puſtulis à ſe invicem diſcriminatis & per exteriora corporis diſperſis, ſenſibiles; aliæ confluentes quæ poſtquam nunc eryſipelatis ritu, nunc ſub morbillorum formâ eruperunt, non in molem ſpectabilem attolluntur, at ſibi invicem implicitæ, ſe habent inſtar veſiculæ continuæ totum vultum contegentis. Aliæ præterea ſunt regulares atque mitiores, quæ ut adnotat Clariſſ. Sydenham, circa æquinoctium vernum ingrediuntur; aliæ anomalæ & irregulares, quæ menſe Januario ſæpè invadunt, & contagii ſunt multo univerſalioris & diffuſioris; aliæ adulterinæ, quæ variis indiſcriminatim temporibus, ſed præcipuè calidis adveniunt, & febri ephemeræ, atque ſæpè nulli, aut parvæ admodum adjunctæ, efflorescentias raras in cute faciunt, puſtulaſque aliquando grandiores, ſed quæ ut plurimum ſine prævia ſuppuratione citò evaneſcunt. Differentias plures rurſus addunt Clariſſ. Diemerbroeckius & Franciſcus

Piens

piens, ſed quæ aut ad rem parum faciunt, aut ad eas quas mox adduximus redeunt, aliæ ſc. ſunt ipſis profundæ, aliæ ſuperficiales, aliæ rubicundæ, aliæ lividæ, aliæ violaceæ, aliæ alterius etiam coloris, aliæ molles, aliæ duræ, aliæ elevatæ, aliæ depreſſæ, aliæ tardè, aliæ citò erumpentes, aliæ externæ, aliæ internæ, aliæ albicantes, aliæ ſplendentes, aliæ latæ, aliæ contractæ. Morbillos quod attinet alii ſporadicè, alii epidemicè graſſantur, alii ſunt regulares qui ut plurimum quarto poſt primam morbi acceſſionem die erumpunt morſibus pulicum perſimiles, quorum protuberantia digito leviter admoto tactu deprehenditur; alii irregulares qui citiùs aut tardiùs prodeunt, humeroſque, ut obſervavit Clariſſ. Sydenham, non faciem, primò occupant, nec deſquammationes ad inſtar aliorum faciunt. Differentiæ itidem aliæ peti poſſunt à colore, à multitudine macularum, à latitudine & elevatione protuberantiarum, aliiſque id genus ad praxim tamen minùs forſan facientibus.

IV. Cauſæ variolarum & morbillorum ſunt vel internæ, vel externæ; Diſtinctionem hanc non agnoſcit Fernelius dum ad aërem quicquid eſt hujus morbi cauſæ referens, ſic ſcribit, Utriuſque hujuſce morbi ſua propriaque cauſa in aëre: qualitas quippè maligna, diverſi mitiorisque generis quàm quæ carbunculum bubonemque peſtilentem ingenerat: proindè in infantes ac pueros, non autem in ſeniores, niſi ferocior immaniorque ſit invadit. Neque auſtrina, neque pluvioſa conſtitutio, neque æſtus, ſed cæca pernicies, hyeme pariter ac æſtate, annis quibuſdam irrumpens horum eſt effectrix: cum hac enim inquinamenta illa incipiunt, pariterque deſinunt. Verùm Vir Illuſtriſſ. abditis rerum cauſis, Aſtrologorumque placitis nimiùm attentus, ea in ſcenam frequentiùs producit, atque ſibi amplam ratiociniorum & cauſarum evidentiorum meſſem, magno forſitan filiorum medicorum malo, præſcindit; & hoc in ſpecie capite omnem luis de qua agitur cauſam ad extra tanquam ſufficientem, quamvis ſibi occultam repetit. Sed hiſce diutiùs non immorati, videamus an cum aliis meliora de cauſa internâ, nobis èruere liceat.

Avicennas & Arabes propè omnes cauſam variolarum atque morbillorum internam & materialem à ſanguine materno in impregnatis per menſtrui fluxus ſuppreſſionem reſtagnanti, deducentes, in corpore infantili inde inquinato volunt deliteſcere, taciteque conquieſcere, donec ſpecifica aliqua cauſa efficiente excitetur, & in actum promoveatur. Illis poſt alios multos viros doctos ſuffragari videtur Clariſſ. Williſius, dum loquitur de fermento quodam in utero genito, temporeque conceptus, quo omnino menſtrua deſiſtunt, in fœtum cum particulis nutritivis derivato, unde ſanguini communicatur prædiſpoſitio, ſymptomatibus variolarum & morbillorum ſuo tempore efformandis apta. Clariſſ. Grembs in ſua arbore integra & ruinoſa, menſtruo ſanguini, cum aliis, adjungit ſemen corruptum, unde veſtigia remaneant à quibus variolarum & morbillorum putredo cum fervore incipiat. Verùm miſſâ eorum oppoſitione qui non è ſanguine materno fœtum in utero ali, at potiùs è ſucco lacteo per varias inteſtinuli ſeu funiculi infantium papillares glandulas, è ſanguine appellente ſecreto, aut alias in membranarum fœtum involventium cavum advecto, ſuctioneque inde ab embryone collecto; Non veriſimile eſt, dato etiam infantulum unicè ſanguine per umbilicum ſuſcepto veſci, illum fore fermentaceis & corroſivis particulis ita onuſtum, ſeu impregnatum, ut earum reliquiæ tot, tamque tragicis effectis pariendis poſt longam moram, poſt tot circuitus una cum ſanguine peractos, pelicanationeſque; (ſi ita loqui licet) ſuccis etiam acerrimis, ſalibuſque maximè efferis mitigandis & obtundendis quàm apprimè convenientes. Quomodo enim delicatula embryonum corporis textura, iſti acrimoniæ ferendæ fuerit accommodata, aut quare eo quo in lucem erumpunt tempore tam vehementes quos ſuſtinent motus, tamque violenta ab auris liberioribus, omnibuſque ambientibus & occurſantibus mutatio, fermentum non ſuſcitabit. Sed præterea ſanguis menſtruus non ejus eſt malignitatis, quam declamatoria voce quidam protrudunt, revera poſtquam in uteri cavum extillavit, ſi ibidem moras trahat putredinem concipit, eamque promptam in quibuſdam mulieribus; ſed eo quo ſtillat momento non alterius eſt naturæ quàm ille qui per totum corpus circuitus ſuos perficit; atque etiamſi mala multa à ſuppreſſis menſtruis oriantur, quæ ex hac parte acrimoniam multam refluere denunciare videntur; qui attentus fuerit ad alias hæmorrhagias, & ad ſanguinis impetum per eas periodicè refractum, adverterit, non corruptioni ſanguinis ſed vaſorum diſtentionibus aut effuſionibus in viſcerum interiora, pulmonum videlicet, cerebri, aliorumque, factis præ vaſorum plenitudine, ſymptomata varia earum ſuppreſſiones concomitantia non negabit deberi. Etiam illi qui ſtato tempore ſanguinem arte mittere aſſueti ſunt, ni pro more illud fecerint variè patiuntur à plethora ad vaſa quam ſic incurrunt. Rurſus conceſſa ſanguinis menſtrui malignitate ejuſque in fœtum cum nutrimento admiſſione, anne illa ita immota perſtabit, ut neque per febres, neque per ſudores, neque per ſcabies, ad ſenium uſque in aliquibus perdurantes, diſturbetur; imò neque obediat horrendæ, quæ Helmontio dicitur, ſalivationi; ſeu potiùs Mercurii inunctioni, eam per ſanguinis, humorum, & fermentorum quàm maximè etiam rebellium exagitationem, & è nidulis atque receſſibus quamvis profundioribus, obſcuris, minuſque alias reſerabilibus, eductionem facienti. Tandem qui neſcit menſtruum fluxum omnibus in univerſum mulieribus non ita eſſe proprium, & plures inter eas etiam fæcundas dari quæ illo deſtituantur, conſulat hiſtorias à Nicolao Florentino, Rondeletio, Marcello Donato, Guainero, Bertino, Trincavello, Braſavolo, Platero, aliiſque multis poſteritati traditas, quibus quaſdam etiam è propria experientia petitas addere poſſemus. Non eſt itaque quòd in variolarum & morbillorum à ſanguine menſtruo in fœtum tempore graviditatis derivato, atque in fermentum modò citiùs, modò tardiùs, exaltato, cauſâ internâ repetenda allaboremus; Sed potius viden-

dendum nobis reſtat an ſolidior aliqua ſententia hac in parte occurrat; eam autem cùm invenire poſſe deſperet Clar. Diemerbroeckius, præſtabilius cenſet ſcientiæ confiteri infirmitatem, quàm per multas ambages, & vanas conjecturas nullo fundamento innitentes, tandem craſſam ignorantiam prodere. Quis enim, addit, tantæ ſe rei veram & perceptibilem rationem daturum promittet? Hæc quippe ſunt ex illis arcanis quorum cauſas nos exactè ſcire noluit altiſſimus Conditor. Hoc viri celeberrimi pronunciato coërciti, nihil ulteriùs adjicimus, altumque hac in materia jam ſilemus. Revera vidimus aliquando elephantiaſim hæreditariam quæ per totos triginta & quatuor circiter à nativitate annos in ſanguine ita ſoporata ſubſtitit; ut ne minimum quidem ejus ſignum, ſed valetudo integra ante trigeſimum quintum annum obſervata ſit, quæ denium illo tempore à nullâ prorſus cauſa externâ, ſed à fermento tacitè prius in humoribus partibuſque ſolidis conquieſcente, exaltato, victa, lepræ, eique immaniter per omnes partes brevi ſpatio graſſanti, paruit; ſed quid hoc ad explicationem, nam præterquam quod caſus hic eſt de genere eorum qui rariſſimè adveniunt; etiamſi pluribus, & Elephantiacorum, & lue venerea tactorum hiſtoriis manifeſtum faceremus, contra priorem noſtram poſitionem & aſſertionem morborum fermenta in corpore delitefcentia ad multos annos ſilere poſſe; non ſic tamen magis pareret quænam ſic horum fermentorum ratio; quæ in ſanguinem & totum corpus actio, quæ natura, & quomodo vires ſopitas determinato tempore exerant; quod hic tamen pro demonſtratione aliqua facienda nobis indiceretur.

Cauſæ variolarum & morbillorum externæ ſunt 1. aëris diſpoſitio & maligna qualitas, quo pertinent anni mutationes inſigniores. 2. ſanguinis atque humorum perturbatio à victu inordinato, balneis, ira, terrore &c. orta. 3. contagium ab iis qui priùs morbo fuere affecti diffuſum. Verùm ut vidimus quoſdam qui etiamſi loca lue gallica infecta familiariùs frequentarent, nullam inde tamen labem referebant; ſic vidimus plures qui cùm iis, qui variolis morbilliſque afficiebantur ad multos annos verſati ſunt, & non tantùm eandem cum illis aëris diſpoſitionem malignam, ſed etiam contagium diffuſum hauſerunt, qui tamen ab hiſce morbis ſemper intacti permanſere, familiaſque integras ſuper hoc caſu nominare poſſemus. Unde patet præter cauſam externam requiri neceſſariò diſpoſitionem internam, quæ in quibuſdam major atque gravior, in aliis minor atque mitior, in pauciſſimis vero nulla exiſtit. Proindè ex hoc cauſarum concurſu concludimus variolas & morbillos dari feros, mites, aut in aliquibus ſubjectis per totam vitam nullos.

V. Diagnoſis variolarum & morbillorum tam fusè traditur à Clar. Sydenham hiſtoriæ morborum, & præcipuè acutorum, ſcriptore accuratiſſimo, ut ſatis fuerit, ſi quædam ex eo in rem noſtram jam ſeligamus.

Variolæ interſtinctæ vel diſcretæ cum rigore atque horrore invadunt, quos mox excipiunt calor intenſus admodum, capitis & dorſi vehemens dolor, vomituritio, ingens in ſudores propenſio, (quod de adultis dictum ſit; nam in infantibus tale quid vel ante, vel poſt puſtularum eruptionem non obſervatur) doloris ſenſus in partibus quæ ſcrobiculo cordis ſubjacent, ſi manu premantur; ſtupor etiam & ſomnolentia; in infantibus præſertim nonnunquam & paroxyſmi epileptici. Sæpè in iis qui ſanguine cum notiori, & ut loquitur Clar. Sydenham, laxiori, ſeparationis periodus ſenſim atque gradatim ſine inſigni aliqua ægritudine tranſigitur, priuſquam expulſio materiæ, puſtularum eruptione ſe prodat. Quarto autem ut plurimùm die a prima invaſione erumpunt, nonnunquam ſeriùs aliquanto, ante illum verò rariſſimè: quo quidem tempore vel minuuntur admodum ſymptomata, quod plerumque fit, vel etiam penitus evaneſcunt, niſi quòd adulti in ſudores propenſi vix ab illis poſſint cohiberi, utut leviter tegantur; quæ diſpoſitio ægrum non deſerit niſi ſub puſtularum maturationem. Eruptionem quod ſpectat; Puſtulæ ſubrubræ tenuiſſimarum acicularum puncta æquantes magnitudine, ſparſim ſe produnt, faciem inprimis occupantes, vel etiam collum & pectus, dein corpus univerſum. Per id temporis & fauces dolor infeſtat, qui unà cum puſtulis ſurgentibus augetur, quæ in dies grandeſcentes, & in majus faſtigium elevatæ cutem carneſque vicinas rubore afficiunt atque inflammatione; circiter enim octavum à primo inſultu diem intervalla quæ priùs ſubalbeſcebant, rubere jam incipiunt, atque in molem attolli, non ſine partium harum dolore tenſivo, qui in horas auctus inflammationi viam ſternit, itaut progrediente morbo, præ palpebrarum tumefactione, eaque ſplendente, adinſtar veſicæ inflatæ, æger luce fermè privetur; imò aliquando citiùs hoc evenit, ſcil. ubi major puſtularum vis ſe maturiùs in oculos effundit. Proximè à facie intumeſcunt manus digitique, eôque tempore puſtulæ quæ in facie hactenus fuerant læves atque rubræ, aſperiores & ſubalbidæ evadunt; paulatim inſuper ſuccum quendam luteum, colore à favo non abludentem, evomunt. Cùm inflammatio ad ſummum eſt evecta apicem, tum color in puſtularum interſtitiis exhibetur ſatis floridus, roſarum Damaſcenarum æmulus. Die undecimo faciei tumor & inflammatio ſatis apertè recedunt, aliarum verò partium maturitatem, & juſtam magnitudinem adipiſcuntur, & in variolis regularibus, die decimo quarto, vel decimo quinto ut plurimùm funditus ubique pereunt, exceptis manibus, quæ die uno aut altero ipſas poſt alias conſervant. Faciei & reliqui corporis puſtulæ deſquamatione, at verò manuum quæ ſunt, diruptione abitum ſibi parant. Raro admodum, niſi brevi pro tempore, ulla ſui relinquunt præter ruborem veſtigia. Decurrente omni morbo, æger vel conſtipatam prorſus habet alvum, vel ſaltem rariſſimè dejicit.

Variolæ confluentes cum ſymptomatibus iiſdem ac diſcretæ, ſed atrocioribus invadunt; nihilominus hic non ita promptè in ſudores diſſolvitur æger ac in alio genere, diarrhœa inſuper nonnunquam eruptionem præcedit, & ad diem unum alterumvè poſt illam protrahitur. Tertio ut plurimum die erumpit hæc ſpecies, & raro, atque ob immanius aliquod

ſymptoma, ad quartum vel quintum diem differtur eruptio. Hæc ſymptomata ſunt, tum lumborum dolor acutiſſimus, tum lateris, tum ventriculi cum vomitu cruciatus. In hiſce variolis, tum febris, tum alia ſymptomata, ad multos à puſtularum eruptione dies ægrum excruciant, ſecùs in diſcretis, ut dictum, evenit. Nunc autem eryſipelatis, nunc morbillorum ritu erumpunt, & ab his nonniſi à medico experientiſſimo diſtinguuntur. Creſcente morbo, non in moleculas ſpectabiles, ut diſcretæ, attolluntur; at ſibi invicem quaſi confuſæ, inſtar veſiculæ rubræ vultum omnem contegentis ſe habent, eumque etiam maturiùs quàm diſcretæ in tumorem ſolitam cutis ſuperficiem non multum ſuperantem elevant. Præterlapſo die octavo pellicula alba quotidie paulatim magis exaſperatur, & ad colorem fuſcum non verò flavum, accedit; tandem poſt aſperitatis & coloris intenſiones per gradus progreſſas, pellicula latioribus deſquamatur laminis, quod in quibuſdam faciei partibus, ſi morbus truculentior fuerit, non niſi poſt viceſimum contingit diem. Pellicula hæc ubi primùm deciderit nulla ſcabritie vultum afficit, at verò mox illam excipiunt ſquamulæ furfuraceæ, indolis perquam corroſivæ, quæ non modò patentiores excavant foveas, ſed etiam faciem cicatricibus fœdè deturpant. Si admodum ſævierit morbus humerorum & dorſi cuticula nonnunquam deperditur. In hoc autem variolarum genere puſtulæ manuum atque pedum majores ſunt quàm reliqui corporis, & quò propiùs ad truncum acceditur eò minores & contractiores exiſtunt. Alia præterea duo ſymptomata variolas ſæpè comitantur confluentes, ſalivatio nempè in adultis, atque in infantibus diarrhœa; horum prius ita perpetuum eſt ut nulli propè adulto iis laboranti non ſuperveniat, quæ autem per illam fit evacuatio, experientiâ non minùs videtur neceſſaria, quàm puſtularum faciei & manuum in genere diſcreto intumeſcentia. Hæc ſalivatio nonnunquam primo ſe prodit eruptionis tempore, nonnunquam non niſi biduo præterlapſo: materia primò tenuis excernitur, neque ſanè multum cedit illi quam mercurius adhibitus educit, niſi quòd non ita malè oleat. Die undecimo ſaliva viſcidior difficillimè excreatur, ſiticuloſus eſt æger, tuſſit ſubinde inter bibendum, & potus per nares revertitur, atque ab hoc die ut plurimùm ceſſat ptyaliſmus, niſi (quod rarum admodum) poſtliminio recrudeſcat. Diarrhœa infantes confluentibus variolis laborantes non ita maturè ſolet invadere atque adultos ptyaliſmus; quôcunque verò tempore ingruerit, niſi arte ſiſtatur, ſingula morbi ſtadia decurrit. Febris in utroque variolarum genere à primô ſtatim inſultu ad eruptionem uſque præcipuè dominatur; qua peracta inducias ferè dat uſque ad puſtularum maturationem, & tempus in quo pus conficitur, quô demum elapſô prorſus deſinit. Veſpertinis ſemper horis æger paroxyſmô quaſi laborat, & funeſtiora ſymptomata ſe oſtendunt atque exacerbantur.

Variolæ anomalæ, ſive fuerint diſcretæ, ſive confluentes, motus in regularibus mox deſcriptos non ſequuntur, ſcil. eruptio, vel eſt citior, vel tardior quàm in præcedentibus, ſymptomataque non eo progrediuntur paſſu quo in regularibus dictum eſt.

Morbilli infantes plerumque aggrediuntur, à rigore atque horrore, caloriſque & frigoris, quæ ſe mutuò primô die expellunt, inæqualitate incipiunt. Secundò die in febrem conſummatam deſinunt, cum ſiti, inappetentia, lingua alba (non verò ſicca) tuſſicula, capitis atque oculorum gravedine & ſomnolentia perpetua. Plerumque è naribus & oculis ſtillat humor, ſternutat æger, intumeſcunt palpebræ paulò ante eruptionem, vomit, ſæpiùs tamen laborat diarrhœa cum dejectionibus coloris ſubviridis, quod infantulis dentientibus præcipuè eſt familiare. Ad quartum uſque diem, ut plurimùm, ingraveſcunt ſymptomata, quo tempore, ad ſummum die quinto, in facie erumpunt maculæ parvæ rubræ, pulicum morſibus perſimiles quæ auctæ racematim coäleſcunt, & partem maculis variæ figuræ interſtinguunt, quæ maculæ ſupra cutis ſuperficiem paululum elevantur, ut tactu digito admoto patet. A vultu ad pectus, dein ad alias partes ſe diffundunt hæ maculæ, ſed non elevantur ut in facie. Symptomata, ut in variolis, poſt eruptionem non leniuntur, ſi vomitum excipias qui ut plurimùm aut ſemper tum recedit; ſed tuſſicula, febris, oculorum debilitas cum defluxione, ſomnolentia, inappetentia aliaque non tantùm perſeverant, ſed etiam intenduntur. Die ſextô emoriuntur puſtulæ cutiſque faciei exaſperatur, macularum verò in reliquo corpore rubor intenditur. Octavò die maculæ faciei & reliqui corporis propè omnes evaneſcunt, & nonô nullæ ampliùs ſuperſunt, ſed artus, facies & quandoque totum corpus quaſi farina conſperſa viſuntur; Tum febris, ſpirandi difficultas, tuſſicula importuniùs urgent, ſi præcipuè regimen & medicamenta calidiora currente morbo ſint adhibita, quæ etiam aliquando in peripneumoniam conjiciunt ægros. His etiam non raro adjungitur diarrhœa ab ipſo morbi initio, quæ aliquando ad plures ſeptimanas poſt ipſius morbi totalem fugam perſeverat. Aliquando etiam poſt medicamenta juſtô calidiora exanthemata liveſcunt primò, mox nigreſcunt, quod adultorum tantùm eſt, atque promptam, & certiſſimam perniciem denotat, ni phlebotomia & refrigerio iis ſubveniatur. Et hæc de morbillis regularibus. Irregulares quod attinet facilè videre eſt ex differentiis morbi ſuprà enarratis, in quibus conveniant, & in quibus diſconveniant.

VI. Prognoſim quod ſpectat. Si puſtulæ variolicæ matureſcentes ad colorem ſubfuſcum vergant & lentiùs abſcedant atrociores pronunciari poſſunt. Variolarum malignitas, à quantitate & qualitate earum quæ faciem, non verò quæ totum corpus reliquum occupant æſtimari debet. Si in iis qui variolis diſcretis laborant, die octavô facies nec tumeat, nec inflammetur, ſed flaccida videatur, interſtitiaque puſtularum albeſcant, puſtulis etiam ſuum ruborem atque elevationem ſervantibus, phrenitis, anxietas, jactatio, urina parca atque mors ipſa ſunt in procinctu, tuncque tem-

temporis ſupprimuntur ſudores qui priùs emanaverant ſponte aut arte, & jam nullatenus remediis etiam calidiſſimis, revocari poſſunt. In iis qui confluentium genere affliguntur ſi die undecimo ſalivatio ſponte ſua deſinat, & manuum atque faciei intumeſcentia itidem deprimatur, neceſſariò perit æger. Si materia ptyaliſmi viſcidior fiat, ægro ſuffocationem ſæpè intentat. Maculæ purpureæ puſtulis interſperſæ cùm viſuntur mortis ut plurimùm ſunt prænunciæ. Maculæ nigræ in puſtularum medio cum ſubſidentia apparentes ſunt infauſti ominis. Mictus ſanguineus in variolis lethalis eſt. Urinæ ſuppreſſio in ſtatu vel declinatione diſcreti generis juvenibus adveniens funeſta eſt. Si adultis ſuperveniente diarrhœa puſtulæ concidant ingens eſt diſcrimen. Si convulſiones ante variolarum eruptionem infantulis ſupervenerint, ſignum eſt eas de minus malignarum, & diſcretarum genere futuras. Variolæ primò rubræ, hinc albicantes, molles, eminentes, rotundæ, diſtinctæ, & copia mediocres, bonæ; præcipuè ſi vox fuerit libera, & reſpiratio facilis. Si variolæ interiora viſcera obſederunt, peripneumoniam, tabem, jecoris & renum ruinoſas exulcerationes, aliaque mala inducent. Si oculos occupent, aliquando ophthalmias pertinaces, aliquando maculas indelebiles, aliquando fiſtulam lachrymalem, lippitudinem, aliaque poſt ſe relinquunt incommoda. Si interioribus auribus aut naribus cum exulceratione inſederint, utrumque hebetabunt organum aut etiam illud in ſuo officio perdent. Si integram nec interruptam in facie efficiant cruſtam, indicium eſt ſequuturas fædi coloris maculas, turpeſque cicatrices. Qui in provecta ætate variolis corripiuntur frequenter moriuntur, præcipuè ſi fuerint temperamenti melancholici, & cacochymi.

Morbilli plura habent ſigna prognoſtica cum variolis communia. Si affectus circumſtantias habuerit benignas atque reſpondentes typo in morbillis regularibus à nobis exarato, fauſtus erit eventus; ſin verò vel in peripneumoniam deducatur æger, vel in alia graviora incidat ſymptomata, malum. Non apud nos perpetuum eſt, aut ut plurimùm evenit, quod habet Clar. Williſ. ſc. eos qui variolis etiam copioſis tentati ſunt à morbillis immunes fore, plures enim vidimus, eoſque ætatis jam provectæ; immanioribus variolis prius afflictos, non minus morbillis, atque etiam mali moris fuiſſe excruciatos. Morbilli in maligna aëris conſtitutione graſſantes, ſæpè exitioſi.

VII. Indicationes in utroque mobo, variolis ſc. & morbillis omnino propè quadrant; Prima & præcipua erit, ut æquabilis fermentatio in ſanguine ſuſtineatur, quæ ſc. nec vi ſua & proritatione illum nimis diſſolvat & fundat, nec etiam torpore expulſionem lentiorem, aut imperfectiorem faciat. Secunda ut poſt eruptionem, puſtulæ ad maturitatem deducantur, oculi, aures, pulmones aliæve partes præſerventur. Tertia coſmetica eſt & variolas in ſpecie ſpectat; ſc. ut fœdæ cicatrices à malignioribus variolis impreſſæ, aut imprimendæ, impediantur, aut ex parte obliterentur.

VIII. In Variolarum & morbillorum itaque curatione, attendendum ne ſanguinis ebullitio ferocior fiat & propterea ſi vel ſtragulis, vel igne, vel medicamentis æger multum excalfactus ſit, ſi in ætatis flore verſetur, priuſque generoſiori potu uſus fuerit, ſi verna tempeſtas adſit, aut æſtatis ſaltem initium, venæſectio continuò celebrabitur, omiſſaque cardiacorum apud mulierculas, medicoſque forſitan quoſdam heu nimis familiarium, turba, Natura ſibi aliquatenus permittetur, ni ſæviora adveniant ſymptomata; ſc. vel ſuffocatio aliaque propter eruptionem difficilorem; vel nimius materiæ morbificæ impetus & orgaſmus, unde in cerebrum cæteraque viſcera ſit quam ſæpè irruptio.

Medicamenta pro Variolis & Morbillis, ſunt primò ſimplicia; Folia galegæ. Sem. aquilegiæ, (unde paratur emulſio in expellendis variolis aptiſſima) napi, naſturtii hortenſ. rapar. Rad. contrayerv. polygonat. Fruct. chermes, ficus. Gum. laccæ. Anim. cornu cervi; hominis, ſed præcipuè viperarum pinguedo. Lap. Sapphirus, lapis bezoardicus. Secundò præparata oleum terræ ſtrigonienſis, bufonum oleum, ſpirit. vitrioli cum aqua cardui benedicti; balſamus vitæ Baſilii, tinctura ex floribus diaphoreticis antimonii, antidotus ζωόφιλος Quercetani, antidotus πανχόνϛος, tinctura ex mercur. antimon. cum ſole, &c.

Formulas medicamentorum pro variolis & morbillis non eſt quod addamus, pauca enim è vera & genuina praxi depromi poſſunt, quæ è ſuperiùs allatis ſelecta, in formulas commodè redigentur. Qui interim plura voluerit, conſulat Cratonis conſilia, Amati Luſitani curat. Lazari Riverii obſervat. Thomæ Willis tractat. de febrib. variaque alia, in ſequentibus à nobis afferenda. Maculas à variolis relictas quod ſpectat, commendatur emulſio lactea ex ſemine cannabino ſeparatis corticibus, cum aqua roſ. parata & cum goſſipio admota. Cicatrices verò præprimis delet oleum myrrhæ per deliquium ex albuminibus ovorum paratum, ut & etiam oleum vitellorum ovorum, &c.

Curationes.

Ac primò Caroli Drelincurtii de Variolis atque Morbillis Diſſertatio.

Variolis, ſeu varis exiguis, oppidò variis, variari cutem, notius eſt quàm ut exponam. Morbillis eandem, ceu tot morbis minutulis deturpari, vel lippi norunt.

Sed tantorum affectuum primordia non vulgaribus duntaxat, verùm & Clariſſimis Scriptoribus latent: Ingraſſiam, Coſtæum, Mongium; Mercurialem, Vidium atque Chicotium conteſtor; certatim quippe, morbos eſſe Priſcis inviſos, & Avicennâ Scriptore primùm detectos, nobis obtrudere ſtudent. At in illorum natales, altiùs dum inquiro, nec Majoribus inauditos, nec Avicennæ primùm notos, manifeſtè comperio & manu teneo. Græcorum igitur, Rhaſiſque (Arabis quidem, ſed & Græcô idiomate donati, & Avicennâ longè majoris ætate) ipſiſſima verba proferam, ut tot illis Majorum meorum verbis, ceu tot ſagittis, ex adversô mihi ſtantes transfodiam.

II. Primævos Adami Nepotes vitæ conti-

nentioris, atque adeò ſalubrioris, extitiſſe ratum eſt: ſed cùm primùm progenies ejus vitioſior atque vitioſior, luxuriæ magis ac magis indulſit, morbi alii, atque alii ex illâ pravâ diætâ, ceu *ſemente malâ*, pullularunt. At Variolas Morbillòſque nequaquam ſerotinos, ſed præcoces eſſe, ex veterrimis Auctoribus inconcuſſe ſtabiliam; illos quippe, vel ab omni hominum memoriâ viguiſſe notos, non ferrô, vel armis, ſed graviorum Hippocratis Nepotum, qui judices in me ſedent, judiciô decernam. Ne autem fuſior ſim, abundè erit, Veterum iſthæc loca, ſuis tunc demum è tenebris in apertam lucem protuliſſe, cùm variolarum phænomena pede preſsô conſequar. Ipſorum nomina me ſiluiſſe, fuge conqueri. Si quippe Veterum ſcripta ſapis, ſi Græcorum monumenta verſas, ſi mortuis ſis concolor, ſi hominem ex nævô noſti; ſi demum indigenas, advenàſque ſermone diſtinguis, meos Auctores ex Idiomate continuò noſces. Nemo ſiquidem ipſorum eſt, in quem Evangelicum illud non quadret, locutio tua manifeſtum te facit. Variolas ergo, Morbillòſque rudiori primùm Minervâ delineabo, donec pedetentim meô huc & illuc circumductô penicillô illorum tabellam ſuis numeris compleverim.

III. Variolas igitur depingo fermentantis ſanguinis univerſalia rejectanea, vulgo ſeſe prodentia tuberculis rubris, ſanioſis, purulentis, pruriginoſis ſublimibus atque disjunctis.

Morbillos verò deſcribo, ſanguineæ maſſæ febriliter efferventis eruptiones eryſipelatoïas, maculis generalibus conſpicuas, rubentibus, planis, expanſis atque contiguis.

IV. Deſcriptiones illas dum excutiam minutatim, Variolarum atque Morbillorum indolem patefaciam.

Modicum fermentum totam fermentare maſſam experientiâ & auctoritate ſacrum eſt. Nullus igitur immorabor in aſſerendâ veritate, quam ore uno promulgant, de fermento commovente mixtum: Abundè erit, ſi ſanguinem in Variolas atque Morbillos erumpentem fermentari probavero. Intricatiſſimam quippe de noſtri fermenti tum origine, tum varietate, miſſam facio diſquiſitionem; undè ſcilicet primitùs uſque adeò multiforme ſuccreſcat, ut malorum inuehat iliada: modò v. g. febres ſuccendat intermittentes omnigenas; modò autem continuas vel ſimplices & boni moris, vel larvatas & mali moris, atque petechiis, ut ita dicam, ſtellionatas, vel quod mei Thematis eſt, vel Variolis vel Morbillis ſignatas.

V. Variolarum Morbillorumque ſanguinem vitioſô cieri fermentô phænomenis ſex palmariis, quò firmiùs ſtatuam, effecta fermenti paucis prælibabo.

1. Notum eſt fermenti ſpiritus petulcos, ſuâ ſponte, jugiterque mobiles, mixtum intimè pervadere & in minima diſpeſcere: atque adeò tot portiunculas, ſic minutim confractas, minimas minimis confligi atque collidi. Mixtum igitur, hoc inteſtinô tumultu variè concuſſum tepeſcit & feruet, atque etiam tantô turgeſcit impetu, ut nimis arctatum, repagula vel fortiſſima diffringat, uti vel muſto liquet ſtrictioribus coërcito doliis.

Imò, dum mixti portiunculæ ſic tumultuantur; ſuas non modò ſordes deſpumant, ſed & effluvia de ſe fundunt, quæ vinariis in hypogæis, ex eodem muſto tanta ſunt, ut homines ſuffocent.

At in Variolis atque Morbillis idipſum obtingere conſtat; dum quippe ſanguinea moles, (quam muſto comparant) fermento tumultuat, plus ſatis incaleſcit, bullis aſſurgit, carnium poros impenſiùs opplet, ſuoſque tubulos & pleniùs diſtendit, ac etiam diffringit, & quâ datâ porta ruit.

Hinc corpus univerſum & tam horridè turgeſcit, & tam aſperè dolet. Imò nares ſanguine manant, & corporis moles illa turgidior puſtulis gemmatur, quæ nihil niſi contagem ſpirant. Sanguis enim illô turbamentô, ſui portiunculas tum craſſiores, tum ſubtiliores emittit, quæ vel epidermidis denſitate, vel viſcerum tunicis cohibentur, inque Variolas & Morbillos abeunt; vel poris & halitu difflantur, & contagione ſuâ, inſpirandum atque tranſpirandum adſtantium ambientem inquinant, atque adeò virus illud ſanguinis in Variolas atque Morbillos erumpentis ſerpit in adſtantes, quorum maſſam æquè commovet, ac florentis vitis expirationes vinum vel in cryptis exagitant.

Sic enim inſuper, fœtum tenellulum, uterinâ cryptâ concluſum, illæsâ validiori matre, inquinant. Ita Pariſiis, nupera gravida filio Variolis decumbenti invigilat indemnis, ſed, filium alterum Variolis fœdum enititur. Fernelii, Foreſti, Hildani, Augenii, Collei, Rhodii, Bartholini, necnon Germanicarum Ephemeridum de fœtibus in utero Variolatis exempla, quæ ab hâc nonnihil abludunt imagine miſſa facio.

Quid ergo febris, tumor, dolor, hæmorrhagia, puſtulæ atque contages, loquuntur aliud, quàm ſanguinem alienô fermentô fervidum atque bullantem?

VI. Illam porrò ſanguinis ferviditatem, quia majorem in Morbillis, quàm in Variolis agnoſco, febrem ideo ſilui Variolas inter deſcribendas: at eandem Morbillis tribui. Horum quippe fermentum & fervidius & tenuius culpo: ideoque & citiùs erumpit in actum, & turbis majoribus febrem ſuccendit. Variolarum autem virus, uti minùs æſtuoſum, ita craſſius & lentius, nec juge febris ſuſcitabulum eſt.

Dictis fidem experientia facit. Nam, Morbilli citò, tum erumpunt, tum difflantur; nec præterea faſtigiantur, nec ſuppurant; ſed in longum & latum, eryſipelatum more, ſeſe diffundunt, donec vel conſiſtant, vel in auras evolent. Accedit, quòd ne ſando quidem audiverim Morbillos citra febrem erupiſſe. Sic unicuique fidem meam obſtringo de Morbillis, tum Epidemiis, tum Sporadicis ſemper ἐμπύροις. Unicum novi quod hanc veritatem infringat exemplum: Euphranoris Hippocratei filius eſt, cui alterâ poſt Morbillos eruptos die, febris eſt accenſa. Sed iſtæc enormia regulam neſciunt; rata quippe non ſunt artis: nec una hirundo facit ver.

VII. Variolas quidem febriles eruptiones apud Antiquos audiviſſe ex eo liquet, quod illas

illas & Carbones aduſtos, & filias ignis eſſe dixerint, quam ſententiam amplexi ſunt Rhaſis, Haly, Ingraſſ. Fernel. Mercurial. Mercat. Augen. Hucher. Helmont. Senſi. Chicot. atque Burnetus. Sed ſuffragiis decernenda lis ſi veniret, totidem alios ſecus ſentientes in judicio ſiſterem, Avic. Gentil. Herculan. à Vega: Holler. Perdulc. Foreſt. Schenck. Ferdinand. Merindol. Collæum atque Rhodium.

VIII. Sententiis ergo numeratis animi pendeo, ſed me Experimenta mea propria à priorum ſententia deterrent, Epidemicas ſiquidem Sporadicaſque Variolas vel ſub ipſum initium, ſæpè ſæpiùs febris expertes curavi. Sed, ne rudiores in Arte Medica fide mea ſola ſapere coquantur, donec rerum uſu peritiores facti humet fidem in iſtis controverſiis interponant, lubet & alios mecum proferre teſtes ut ex ore duorum vel trium teſtium res tota confirmetur.

En igitur variolatos febre carentes unum & alterum Rhodius mihi cedit: Schenckius filium ſuum in medio ponit: Epiphanius plurimos, ſed præprimis alterum atque alterum domeſticos nobis detegit: Et ne quis argutulus, Variolis præparcis & idcirco nuſquam febrilibus illos degiſſe muſſitet, ad Foreſti gravidam adeamus quæ tam copioſas eſt paſſa, ut plures Foreſtus viderit nunquam, illam interea miratur febre carentem.

Si igitur exempla trahunt, en te meam in ſententiam pertractum. Sed ne mecum malè credulus audias, en ab indole Variolarum illius eventus rationem mutuatam.

IX. Variolas citra febrem quandoque prorumpere, ipſarum lentò venenò ſuadeor. Suam enim perturbationem Criticam eminùs duntaxat inſequuntur: nec protinùs, Morbillorum more, vel ſub ipſa bullientis ſanguinis primordia, ceu ſtricturæ, olei ſartagine ferventis, ſaliunt in altum: ſi quas enim, ante quatriduum, triduumve, à primo ſanguinis æſtu in faciem & pectus expumaſſe, vidi, id raris annumero: illarum quippe tabum, uti diutius conſiſtit intercus, durum, firmum, nec diffluens, nec difflatum, purulentià duntaxat, cruſtiſve periturum; ſic etiam ſanguinis molem & tardiùs verſat, & lentiùs conturbat, quàm ut juge incendium febrile in illam inferat. Tunc ſiquidem ſanguinis circuitum vix urget, nec ideo, nativum ejus teporem immutat; nec enim rotæ fervent leniter actæ: at è diverſo, Morbillorum virus tenue & efficax ſanguinem celerius rotat, ejuſque calorem blandum & naturæ conſocialem in igneum convertit: ſic incenduntur & effuſæ rotæ.

X. Variolas autem, fermentô licèt actas, ex imis partium penetralibus in illarum planitiem ſeriùs trudi, pleniùs evincam, atque ſic, Hippocratis ergò, Neotericorum placitis adverſabor: Ii quippe ſcriptitant Variolas Priſcis ignotas, & Hippocratis Silenum variolatum fuiſſe eô nomine negant, quod ipſi non primis, illæ, diebus, ſed octavâ duntaxat proruperint. At iſtud Dogmatis, præterquam in verſandis Veterum monumentis ſupinitatem arguit, practicam & inſcitiam prodit. Practicis enim notum eſt, poſt ſanguinis variolatam, ut ita loquar, conturbationem, Variolarum exitum, non duntaxat in quartam, quintam, ſextam & octavam, ſed & in vigeſimam uſque diem quandoque protelari: Teſtes adhibeo, non vetuſtioris ævi Proceres, (quos ejurans hâc in lite) ſed Ballonium, Epiphanium, Renealmum, Hildanum, Merindelium, Zacutum, Rhodium, Riverium tandem atque *Williſium*.

Quanta igitur illhæc eſt plurimorum nequitia; Hippocrates aſſerit, octavâ duntaxat febris die. Sileno Variolas efflorуiſſe; ſed fides omnis ipſi detrahitur; ceu Vir ille tantus, fallere neſcius, illum animi candorem, quô ſemper intemeratis fulſit honoribus exuiſſet omnem: At Neotericorum cuivis obvio, febris non octavâ, ſed vigeſimâ demum die, florentes Variolas proferenti, ſua conſiſtit auctoritas; ô tempora! ô mores.

XI. Serotinas eſſe Variolas inſuper probare eſt ſymptomatis ipſas erupturas præcedentibus, quæ, tanquam ſeva tempeſtas, ſanguinis Oceanum decumanis fluctibus exagitant, nullâ affulgente malaciâ, quin ſanguinis fermentantis æſtus omninò conſiluerint.

Vultis ne procullæ tantæ ſpectatores eſſe fidi atque ſecuri, has undas irretortis oculis de continente contemplemini, & naturæ Variolas pariturae tot tormina dicetis eſſe.

Febris continens (vulgò ſaltem) in ægros invadit, dolent ſpinâ, naribus pruriunt, ſomnô terrentur, corpore lancinantur univerſô, pandiculantur, oſcitantque frequenter, faucibus & pectore dolent, cum dyſpnæâ, tuſſi, cute ſiccâ & ardente, ſputiſque craſſis, voce raucâ, cephalalgiâ pulſatili, gravitante. Irrequieti præterea ac implacidi ſeſe jactant, nauſeabundi, vomentes.

XII. Sed ne genericis inhæreamus ſeptimeſtrem Zacuti gravidam acriter intueamur, febricitantem, ſitibundam, aphonam, convulſam, ſudantem, ſtridentem, horrentem, & tam implacido pruritu lancinatam univerſe, cutem unguibus ut diſcerpat, his velut ἐμβρυουλκοῖς embryonem id eſt fœtum extrahentibus, cunctantem fœtum, & matri dirè torminalem, Variolas volo ſegniores, ſed impenſe dolorificas, ex abditis in lucem evocet.

In ſeptennem, præterea, Ferdinandi filiam oculos conjiciamus; febricitat cum extremis frigidis, ſiti, cephalalgiâ, tuſſi, appetitu dejecto, tremore artuum, delirio, ſternutamento, facie rubicunda, lacrymis, urinis turbidis, alvo ſiccâ, voce clangoſa, totas à ſe Variolas antequam excludat.

Hippocratis denique Silenum in oculis habeamus; ardet ille, lumbis dolet, capite gravis eſt, & cervice contentâ; prodeuntibus alvô bilioſis, ſynceris, ſpumantibus, coloratioribus & multis. Urinæ nigræ, nigræ deponentes. Sitis, lingua ſicca, vigiliæ, delirium, hypochondrium utrinque ad umbilicum uſque ſubmolliter extentum. Verba multa, riſus, cantus, irrequies, incontinentia, Capite paucis ſudat, frigent & livent extrema, implacidus valdè & alvô nulla, ſubſiſtit & urina. Vox defici, non incaleſcit, nihil mingit, octava tandem, ſudore frigido univerſali puſtulæ rubræ, rotundæ, parvæ, varorum more, nec recedentes, nec ſuppurantes.

Quanta quæſo, ferventis ſanguinis indicia tribus illis exemplis habemus, hoc præſentim in Sileno; cui ſpiratio magna & rara jugiſque præcordiorum palpitatio, vel primitus adfuit.

Quidni igitur concludemus, puſtulas ejus veras genuinaſque extitiſſe Variolas, cùm præcipuè juvenilibus ille floruerit annis, morbumque contraxerit laboribus, compotationibus, & exercitiis intempeſtivis? Nam experientiâ teſte, & Williſio ſuffragatore, ob ſanguinem & humores crapulâ, aut exercitiô immodicè perturbatos oriuntur Variolæ, quòd latentia mali ſemina nimiô ſanguinis fervore commota, ſanguinis maſſam inquinent.

XIII. Quid ſi præterea, doctrinam ample cteremur de fermento uterino ſanguini fœtus turgeſcentiam conciliante, uſque adeò tardam, ut plurimi conſiſtentes ætate Variolas ſint perpeſſi, uti profectò ſexûs utriuſque non paucos poſt Fernelium obſervavi Ita? ſexagenarium Variolis obſeſſum viderunt Ch. à Vega, Herculanus atque Gentilis. Patavinam inſuper curavit Augenius, quæ ſexageſimo quinto ætatis anno Variolas eſt eluctata. Septuagenarios denique Variolis cùm ereptos, tum peremptos Horatius idem, Ingraſſias atque Chicotius commemorant. Quid plura? Exemplorum ſatias ideo me tenet, quòd alieniſſimus ſim ab illâ de uterino fermento cùm Veterum, tum Neotericorum mente.

Nemine etenim demonſtratore, (quæ juſta eſt Manardi querimonia) id fermenti tam ſeris annis in actum erupturi, ſibi aſſeruit uterus. Fruſtra quippe, demonſtrationis avidus, ad meos adivi Præceptores mutos, Burnetum, Williſium, Riverium, Schmithium, Salmuthum, Sennertum, Jonſtonium, Corteſium, Collæum, Ferdinandum, Laurentium, Hucherum, Coſtæum, Mongium, Guillemæum, Paræum, Mercatum, Vidium, Saportam, Perdulcem, Foreſtum, Weckerum, Joubertum, Vegam, Langium, Amatum, Ingraſſiam, Fracaſtorium, Tarantam, Gordonium, Iſaacum, Avicennam, Avenzoarem, Rhaſen alioſque tum hujus ſeculi, tum vetuſtioris ævi Primipilos.

Quorſum ergo? Variolarum virus tardum ut probem, ad litigioſum iſtud, & tenebris plenum, de materni ſanguinis fœtui aſperſâ labe, dogma confugiam; cùm aliunde, tam luculentis argumentis ab indole Variolarum petitis, ſerotinas illas eſſe ſtabiliverim.

Si qua porrò, fermentum in illud quod connatum reputant, jacienda tela, manus velim immittatis in Salmaſii, Merindolii, Augenii, Mercurialis, Fernelii, atque Gentilis pharetram, & acutiſſimas exinde ſagittas Octo, (nec ab Herculano, nec à Laurentio hactenus retuſas) in materni ſanguinis Fautores impuros exprompturi eſtis.

XIV. Sed, ut undè orſa eſt à fermento ſanguinis, in eodem terminetur oratio, & meæ definitionis reliqua pertexam, muſtum denuò proferam quod ſuis motibus irrequietis deſpumat, ſanguis enim fervore commotus ſuas & ſordes quoquoverſum emittit, & viſcera cutemque Variolis & Morbillis opplet. Nuſquam ſiquidem credere eſt, iſthæc fermentantis ſanguinis impura, in habitum duntaxat propelli. Tales quippe eruptiones, lethalibus potiſſimùm in Variolis, occupant & intima, ut rationibus & αὐτοψίᾳ ſtabiliam.

XV. Res tota menti noſtræ ſic obverſetur. Sanguis in Variolis atque Morbillis fermentô ſuô irrequietus ab ipſa ſcaturigine fervidus ſalit. Is ex æquo tubulos ſuos omnes præterfluit: at cum ejus tubuli, in viſcerum extrema, perinde ac in corporis habitum longè lateque ſint diffuſi, conſequens eſt, ut ferventior ille viſcera primùm, ac externa deinceps pervadat.

Vaſorum præterea capillarium myriades præ oculis habeamus, ſingulis illorum extremis, ferventis ſanguinis illius (fervore ſeſe deſpumantis) tot guttulas in ſuperſtratas partes, mente capiamus compelli. Uti igitur minimorum exiſtunt tubulorum myriades, ſpumeſcentis & ſanguinis bullarum myriadas eſſe conſequens eſt. Conſequens igitur ut deſcriptionis clauſula vigeat, quâ Variolas univerſa nuncupo rejectanea: huic enim clauſulæ derogat nihil, quòd aliàs ſanguinis illius nec fervor nec impura, tanta ſint, ut Variolas Morbilloſve creent, quæ numerum neſciant. Tum quippe, etſi vel Variolæ vel Morbilli parciores exiſtant, nihiloſecius ab intimis præcordiis in illorum ſuperficiem inque corporis circumferentiam protruduntur, atque ſic univerſales audiunt, pelluntur enim, non quidem in ſingula generum, ſed in genera ſingulorum.

Hanc rei naturam Majores noſtri plenè contuentes ſignificantiùs papulas illas & ἐκζέσματα καὶ ἐκβράσματα, ebullitiones & ejectamenta vocitarunt. Imò tantas (ſulphure ſanguinis ardente) viſcerum eruptiones cum Ætna Veſuvioque, ſuis de faucibus flammas & cineres eructantibus, compararunt; illius ideo micantis febrilis ignis ſcintillas, non modò ἀναβλύσεις, eruptiones ſed & οἷον τέφραν τινά, τῆς φύσεως ὠθούσης τὸ τοῦ σεσηπότος αἵματος λείψανον ἐς τὸ δέρμα cinerem veluti quemdam naturæ pellentis corrupti ſanguinis reliquias in cutem, nuncuparunt.

XVI. Iſtas porrò viſcerum ſeſe depurantium exploſiones tuberculis adſcripſi rubris, licèt quandoque vel candicent vel liveant; ſic deinceps, ſublimia atque disjuncta vocantur, & ſi quandoque depreſſa & cohærentia cernantur: quod enim vulgatius atque melius, non autem quod inſolentius atque deterius eſt, deſcribo.

XVII. Variolas autem ſingulatim ſanioſas dixi, ſanguineas tamen atque purulentas eſſe profiteor: ſed conſultus id feci, ut Variolis atque Morbillis intermedias Cryſtallos includerem. Has ichoroſas atque fatuas Variolas Merindolius vocat, illaſque Sennertus Ingraſſiæ tribuit, quas eaſdem Riverius Vidio refert acceptas. Sed eas neuter genuino ſuo aſſeruit Auctori. Nomine ſiquidem Alhumera & Alhumica apud ſcriptores Arabas audiunt. Has ego lymphaticas voco, utpote, quæ lymphâ (ceu hydatis intercus) totæ perluceant. Sanguinis rorem ſudoremque illas itidem nuncupo; de his quippe alteram atque alteram ſententiam foveo; Illas enim adſcribo cutaneis glandulis fermenteſcentem ſanguinem exactiùs tunc filtrantibus, atque adeò & has ſanguinis bullientis undas tam ſincerè depurantibus, ut

puri puti ſudoris more prorumpant. Sicut enim cuticularium glandularum poris impensè patulis, cruor ſeſe ſubducit, unâ cum limphâ, quàm tota cruentat, quamque ſanguineum ſudorem nuncupant, ita purpuraſcentiem Variolarum & Morbillorum exitum poris patentioribus iiſdem totius arrogo. Quidni igitur è diverſo, manente pororum nativâ configuratione, pura puta lympha & ab omni ſanguinis purpurillô ſecreta, gemmei tamen ſalis æmula, in cuticulam guttatim propelletur, totque inibi perlucentes papulas, ceu tot grandines, totve Cryſtallos, non frigoris, ſed æſtûs filias, progignet? Verùm, Cryſtallos illas, quibus, ceu minutulis adamantibus, gemmata cutis ſplendeſcit, lynceis oculis diutiùs contemplemur.

Alteram de ipſis, adamantino ſtylo notandam, Sententiam foveo. Lymphatica ſiquidem vaſa ſuam & ſymbolam ad haſce Cryſtallos conferre puto. Dum quippe ſanguinis æſtuantis ſerum exceperunt, æſtuoſum illud haud ita facilè continent, ac dum nullo fervore conceptо ſuis illud tubulis leni placidoque curſu à circumferentia ad centrum evehunt, nunc enim tanti ſanguinis æſtûs ſecum conſors eſt, ac ſuis ebullitionibus dum aſſurgit, ſuperfunditur, inque corporis planitiem exundat.

Quoniam autem tot intercutia, quæ ſuis æſtibus tubercula creat, lympham, cruoris licêt exortem, minùs defæcatam continent, tot ideo veſiculas illas ſanioſas eſſe dixi, ob ſerum ſcilicet illarum ambitu coërcitum, quod ab indole primævâ deflexit, & ſanguinis tabum acido-ſalſum redolet: acredine ſiquidem ſcatet, ſuiſque portiunculis acribus, ceu tot ſalium aculeis, cutem fodicat, exindéque præter pruritum, quem infert, tot foveis, totque cicatricibus cutem deturpat, Imò ſanies illa ſuas quandoque cyſtidas exedit, inque pectus & abdomen ſtillat ubertim, uti Doringius ante Bartholinum atque Kerckringium oculatos teſtes, oculatus vidit.

XVIII. Viam ſternunt iſthæc ad deſcriptionem reliquam, ſanies quippe acido-ſalſa ſi pruriginoſa, conſequens eſt, purulentiam omnem (eminenter acido-ſalſam) aculeos etiam habere, quibus pruritum, foveas atque cicatrices longè majores inferát. Tot ſiquidem puris portiunculæ, ſalis participes, ſuis ſpiculis, ceu tot vel ſtylis, vel acubus, entypicam cælaturam & Phrygiam artem æmulantur, & exinde cutis vel profundiùs inſculpitur, vel ſublimi callô conſurgit. Dum autem iſthæc & Entypica ſculptura & Phrygionicum opus conficitur, pruritû tantô vexantur, ut ſequior ſexus, (experientiâ teſte, teſtibus & Foreſto atque Zacuto) cutem aliquando ſibi dilaniet, mortemque tantô cruciatu reputet potiorem. Hinc Fernelio fœditas illa tam deformis eſt viſa, ut occæcatis oculis, univerſa cutis, in ſquamas fœtidas & in cruſtas ingentes ſolveretur: imò corpus omne, non aliter contabeſceret & macie nigroréque torreretur, quàm ſi menſes quatuor è furcâ pependiſſet.

XIX. Nec cicatrices illæ vel palpebrarum hiatû, vel oris rictû ſolùm deformes, ſed & aliundè mulcebres Veneris delicias turbant. Hinc, juvenis (teſtibus Hildano, & Germanicis Ephemeridibus) lautiori ſuô Helleſpontiaci peculiô petulcus, ac recèns ſponſæ criſtas alacriter aliàs triturus, Variolarum φιμώσει capiſtrô, (pravium ulcus edax olente) coercetur. Tanta quippe præputii cicatrix, mentulæ capitulo, capiſtrum velut injidit, quô, ne lætiùs comprimat, comprimitur. Sed quid leviora externaque memorem? Hôc enim Variolarum pure ulcera Telephiis atque Chironiis deteriora vidi, tantos ſparſim cuniculos egiſſe ut vel Hippocratis manum eluſiſſent. Hinc annoſæ virginis glutæos muſculos, mammarumque colles, imò & oculorum globos, purulentiæ cuniculis ſuffoſſos dolui. Hinc ulcera rebellantia & eroſâ corneâ atque horribilem cæcitatem exhorruerunt Foreſtus atque Guillemeus.

Hinc obſervatore Parcô olfactus auditusque perit, hyperſarcoſi ex ulcere Variolarum geminante.

Hinc nuperum octennem ſepticâ Variolarum labe elinguem, ſed loquentem ſtupuit Academia Salmurienſis: ſtupuit & univerſus terrarum orbis: ſtupebunt & ſeri Nepotes. Etenim, de miraculô ne conticeſceret ætas ulla Academiæ Salmurienſi ſui ſtuporis memoriam propagare libitum eſt. Projectô quippe titulô ſeſquipedali τῆς ἀγλωσσοςοματολαλοπαιδογραφίας hiſtoriam univerſam illam de puero octenni ſine linguâ ore loquentis ab oblivione hominum atque ſilentio vindicavit.

Hinc & in pectus gliſcente virus æruginoſô, tot Variolis Phthiſicos notant Avicennas atque Neoterici, quibus eò confidentiùs ſuffragor, quòd nuper luxerim dilectiſſimum mihi pectus variolarum tabô totaliter exeſum.

Imò, recentes Germanorum Ephemerides poſt variolas ſanatas, pure tamen edaci non penitùs retuſô, & Hæmoptoen, & ſanguinis fluxum per interſtitia digitorum utriuſque pedis, mirabiliter obſervant. Corroſis nimirum puris ærugine reſiduâ, tum pulmonalibus cellulis, tum pedis vaſorum integumentis.

XX. Quid tenerum pulmonis pediſque textum exeſum profero? Quid alia viſcera tenerrimi etiamnum texti corrupta ſi panderem? Tunc quippe jecur, lienem, omniaque interiora, ex oculatis teſtibus, retexerem, ex Fern. v. g. atq; Horſt. ſordidiſſimis manantia papulis; Ex Pareo, cruſtoſis puſtulis ſcatentia, his ſimilibus quæ in cute emergunt: Ex Kerckringio variolis ſcatentia maturis, pure turgentibus, quæ etiam flavæ cujuſdam aquæ tantillum effundebant; ex mea tandem Praxi, ulcuſculis ſanioſis atque purulentis intus & foris exeſa; ſive ut aliter dicam, denſis cænoſiſque ſcrobiculis veluti lacunata. Imò, iſtis majora proferam, id quippe corroſivi latiùs atque latiùs, vel in ſolidiſſima membra ſerpit. Hinc articulis contractos Salmuthus notat. Hinc Ephemerides Germanicæ Septennem adducunt, quæ variolarum pure in cubitos decumbente, brachium nec flectere, nec extendere potis eſt Tales ἀγκύλας articulorum callos, Pariſiis immedicabiles vidi. Vidi & Vinoxbergæ, dum Caſtrenſium Medicorum Primarius eſſem, Senem πολίατρον puerilibus variolis γαλιαγκῶνα cubitis incurvis & immotis. Atque adeò, non mendax, ſed verax eſt Græcia, cum ſuis abceſſibus humeri, quibus brachiorum perit cardinata compages. Nec mirum, id quippe putredinoſi ferinique virûs be-

luam ſapit fabuloſô Pythone, multiplici ſtrage capitaliorem. Paræum teſtem oculatum inclamo, illô quippe virus edaci, oſſa ſterni arroſa & à ſe invicem dirempta, oſſium verò brachii epiphyſes, & omoplatæ capitulum pariter eroſa, inſignique portione mulctata reperit. Rurſum igitur veridica Græcorum Oracula, τὰ πεϱὶ ὅλον τὸ σῶμα γιγνόμενα ἐξανθήματα τὰ μωλωπίζοντα ἀπὸ τῆς χυμῶν ἰσχυρᾶς τροπῆς καὶ διαφθορὰν γιγνομένης, ὅμοια δηλητηρίῳ φαρμάκῳ ἐστί. Exanthemata corporis univerſi cutim fœdentia ſcaturiunt ab humorum corruptela tam forti & tam enormi ut perniciosiſſimo veneno ſimilis ſit.

Quid demum? Variolarum virus ferinum eſſe probaturus, poſt tot illarum θηριώματα ulcera tetra ipſa θηρία feras ipſas, ſeu beluas feroces ſuis in cubilibus occupabo. Tunc etenim, non unicum hâc putredine natum Pythonem proferam, ſed animantum turbam (nullâ quidem Crocodili proceritate Niliacis in undis ludentem, ſed acarorum parvitate) in cœnoſo conſtrictoq; puris ſtagno natam atque ludibundam. Vermiculos volo, dentatis roſtris hamatos, Variolarumque veſiculis concluſos, ubi ſuis morſiunculis partes ſubjectas arrodunt. Teſtes ſeculi hujus adduco Zacutum, Rhodium, Formium, Borellum, Germanicas demum Ephemeridas. Nolim enim tam vilis animantis in natales altiùs inquiſiviſſe; operoſum quippè foret Joëlis v. g. manes evocaſſe. Hos interim ni me ludibria fallunt, ſi conſulimus, non in Variolatorum cadaveribus vermium συνδρομὴν per vaſa majora natare cum Bauhino comperiemus; ſed & ipſos αὐτοφώρους, in flagranti veluti delictô, carnes ſubjectas non cadaveroſas, ſed vivaces ſuffurari deprehendemus. In Variolis enim anno Chriſti 1574. In Inſula Rugia & viciná urbe Straleſundenſi ſævientibus, tanta fuit putrefactio, ut detractis puſtularum cruſtis in ſubcutaneo ulcere vivi vermiculi fuerint reperti.

Mitto, tum vulgatius iſtud de lumbricis Variolatorum vel naribus vel alvô fugientibus: tum fabuloſum alterum illud de vermiculis alatis per mediam tepentemque Variolatorum urinam volitantibus: Iſthæc enim poſtrema, apud me, λῆροι ſunt τῶν λήρων, gerræ gerrarum,

---- Credat Judæus Apella,
Non ego, qui pelle prudentum Chriſtianorum inſternor, nec temerè credo.

XXI. His ſubjungenda prognoſtica; quibus, quid ſpei de ægro ſit, prædicitur. Ex genere acutorum hic morbus eſt.

Morbilli ut plurimù n uno impetu egrediuntur & ſeptimô terminantur die: at Variolæ ſenſim & tardiori gradu, decimo nimirum quarto die deſinunt, & quò exitus difficilior, eò longior graviorque morbus eſſe ſolet. An ægro periculum mortis immineat? An verò priſtinæ reſtituendus ſanitati, ex collatione virium cum morbi magnitudine præſagire oportet.

Variolis igitur erumpentibus, febris ſi mitis fuerit aut nulla, ſique ſymptomata aut omnino ceſſant, aut imminuuntur, non magnum periculum imminere, ſed ſalutarem morbum futurum annunciant. Nec minorem ſpem faciunt ipſæ Variolæ, ſi citò & facilè erumpunt, ac brevi ad maturationem perducuntur. Optima quippe, ἐν τοῖσι συνεχέσι φλυζάκια κατὰ πᾶν τὸ σῶμα ἐκφύεται, γινομένια πυώδεα ἀποστήματα. In quibus vox libera eſt & reſpiratio facilis. Quæ colore exiſtunt ſupra albæ, infra in baſi rubræ, leviter pruriginoſæ, molles, magnæ, diſtinctæ, raræ aut paucæ, rotundæ, faſtigiatæ; ſolam cutem, non verò partes internas afficientes, ſalutares eſſe conſueverunt.

Excreta & retenta magnam ſibi ſignificationem tribuunt in acutis morbis, cum plerumque Criſeos effectus aut enormium ſymptomatum motus eſſe ſoleant. Hæ ſi à calore laudabiliter & decenter peraguntur, ſalutis ſuppeditant ſigna; ſin incongrue & promiſcuè interitum apportant.

Inter ſigna, quæ ſpem incolumitatis egregiè conciliant, hæmorrhagia numeranda venit, præſertim in morbillis, ſub initium, cum virium perſeverantiâ & morbi tolerantiâ. Ita quoque paſſiones epilepticæ, deliria, oculorum obtenebrationes, tinnitus aurium, narium pruritus, nauſea, aliaque hujus generis ſymptomata circa decretorium tempus apparentia, non ſtatim ultimam vitæ claudunt ſcenam, ſed potiùs materiam ad excretionem aptam indicant, ac vel per hæmorrhagiam narium, vel per vomitum, aliove modô, recenti adhuc robore vitali propellendam.

Ex urina nihil ad præſagiendum occurrit, quam ſi cruenta, vel conſpurcata appareat. Ita ex mictu ſanguinis lethalem eventum ſe multoties prædixiſſe, nec unquam deceptum fuiſſe recenſet in ſuis obſ. Schenckius.

Ex adverſo periculum minantur, ſi poſt Variolas eruptas febris eundem tenorem ſervet nec remittatur.

Quo plura apparent Symptomata, eò majus imminet periculum. Anxietas & inquietudo magna cum ventris meteoriſmo mortem indicat in procinctu. Difficultas ſpirandi. Sitis ingens & cum ea reſpirationis anguſtia & delirium ſi augeantur, mors itidem in propinquo eſt. Οἷσι γὰρ ἐν τῷ πυρετῷ μὴ διαλείποντι δύσπνοια γένηται, καὶ παραφροσύνη θανάσιμον. Alvi fluxus aut dyſenteria ſuperveniens diuturnâ cum urinæ ſuppreſſione, ſemper ad mortem terminatur.

Peſſimæ ſunt Variolæ tardè apparentes. Copioſæ, magnæ, virides, violaceæ, lividæ, fœtentes, duplices, continuatæ, quæque adunatione crebrâ, toti præſertim faciei cruſtam inducunt, uſque adeò horribilem, meritò ut ſcripſerit Ingraſſias, nihil turpius hoc ſpectaculo ad deterrendos pueros excogitari poſſe. Perappoſitè igitur Medicorum ſummus tales & Variolas vocat, aſpectu terribiles, πυρετοὺς γὰρ τοὺς πεμφιγώδεις καλεῖ ὁ Ἱπποκράτης, ἸΔΕΙΝ ΔΕΙΝΟΥΣ.

Depreſſæ ac duræ deteriores ſunt, imprimis ſi in earum mediô maculâ appareat nigra.

Aſt maximè lethales, quæ ubi egreſſæ ſunt, denuò evaneſcunt & tumor partium remittitur; & illorum quippe nemo evadit. Sic Foreſti ruſticus atque puella cùm aëri inclementiori ſeſe expoſuiſſent, retroactâ materiâ ſubitò vitam cum morte commutarunt. Sic Timonactis infantulus, ſic & puerili complures recens ab uberibus depulſi, imò majores illis octennes, atque decennes, & uſque ad pubertatem, retrocedentibus morbillis atque Variolis convulſi pereunt.

XXII.

XXII. Scopi, quos habere ob oculos debent curantes Medici admodum varii ſunt. Vacuationem indicat humorum πλεονεξία. A. V. S. itaque, Si corpus plenum fuerit & alia indicantia adſint incnoanda erit curatio, eaque quam primùm celebranda. Sic enim natura ex parte onere ſuo levata, reliquum quod eſt, audentius aggreditur, majorique robore vitioſam congeriem ad ignobiliores partes detrudit. Hanc vacuandi ſpeciem ipſa quandoque natura nobis indigitare ſolet per αἱμοῤῥαγίαν. Multis enim, præſertim ſucculentioris & calidioris conditionis hominibus ſanguis è naribus ſtillat, & quidem felici cum ſucceſſu: quoniam ſanguine imminuto, morbus fit mitior & tolerabilior & Variolæ pauciores, parte materiæ illis ſubtractâ. Teſtatur hoc Augenius, vidiſſe ſe pueros duos, qui ob ſanguinis fluorem è naribus à febri ſint liberati & paucioribus conflictati Variolis: quæ etiam maturè, die ſc. quartâ exierint &, ægrotos clementer tractarint.

Veretur ſc. quis αἱμοφόβος, ne iſto præſidio vires frangantur, & natura, quæ criticè excretionem movet, ab inceptô avocetur.

Equidem ubi vires imbecillæ ſunt, ut in recens natis, ubi nulla eſt, aut exigua febris, nec ſæva urgent ſymptomata, totum naturæ negotium eſt committendum. Verùm ubi vehemens febris accenſa ſævit, & ſymptomata varia invaleſcunt, ne dubites miſſione ſanguinis naturæ ſuppetias ferre: Virium non ita nimis religioſa habenda ratio: ſæpe ab ipſa ſanguinis copiâ omnis dependet. Uno verbô, conſilio omnia moderanda & prudentiâ, nec propter abuſum tollendus ſtatim eſt uſus. Neque pueri flagitante morbi magnitudine hoc beneficio plane defraudandi. Cavendum, ne ſecuritati nimium indulgentes, deficiamus in generoſitate. At ſi ſuccedit, illius potiùs quandoque fortunæ, quàm rationi, aſcribendum.

Quodſi verò ſuſpecta ſit V. S. propter ætatem tenellam, vel ob timiditatem ægroti, tunc certè optimum fuerit cucurbitulis ſcarificatis dorſo, ſcapulis & femoribus admotis uti, & ſanguinem copioſiorem vacuare, quæ etiam in morbi ſtatu conferre poterunt, cum motus naturæ à centro ad corporis περιφέρειαν per eas adjuvetur.

XXIII. Uti V. S. conceptam in majoribus conceptaculis corruptelam feliciter exhaurit; Sic purgatio ſtabulantes in primis ac publicis viis ſordes eliminat. Quod ſi itaque viſcerum nutritiorum aliqualis ſaburra naturæ moretur impetum, haud felicius quàm blandâ Catharſi ex his ſedibus delitescentem illuviem deturbaveris. Verùm, iſtud cum præmeditatione faciendum. Inſtituenda purgatio eſt, quâ ſolùm viæ illæ communes detergantur, non quà humores in venis aut in toto corpore exiſtentes. Si febris eſt mitior, & materia ſemel incitata foras excerni nequit, præ nimiâ humorum mole quâ viſcera premuntur, tunc humores illi pravi purgatione utiliter imminuuntur, ut natura poſtmodum alacrius expulſionem promoveat.

In hunc uſum ſunt eligenda mitiſſima, quæ uti dictum, primarum viarum ſordes expurgent. A fortioribus enim toto morbi decurſu abſtinendum, ne eorum vehementiâ vel naturæ decurſus in expellendo à centro ad ſuperficiem impediatur, vel profluvium alvi excitetur. Benè itaque conveniunt Caſſia & Tamarindi. Sirup. vel violac. vel de cichor. compoſ. c. rh. vel roſar. ſolut. vel extr. rhabarb. vel ejuſdem aut infuſum aut decoctum cum cortic. Myrobal. citrin. Sant. Citr. & Croco ex aqua plantag.

Cane pejus & angue hic, Diagrydiata, Mercuriata, verbô, omnia mochlica refugimus. Suppoſitoria ex ſolo melle ſine ſale confecta. Enemata, ex juſculis, lacte, decocto hordei, paſſularum, & liquiritiæ cum ſaccharo & vitellis ovorum parari poſſunt.

Neque Emetica, ſi in ventriculo vitioſi hæreant humores, nec alia adſint repugnantia, haud prorſus ſpernenda videntur. Videmus enim naturam, in quibuſdam ſponte ſua vomitiones ciere & κακοχυμίαν primarum viarum per os evacuare. Præſcribi maturè antequam exeant: & mitiora clementioraque, non illa violenta ex Antimonio, Helleboro albo & his ſimilibus parata dari volo. Habendam verò eſſe rationem arbitror & ætatis, tenella enim ætas ad vomitum cogenda non eſt; & anni temporis & conſuetudinis & conſtitutionis corporis.

Sudorifera plurimi hic facit Pareus. Nec ſanè abs re videntur uſurpanda; præſertim cùm malignitatis alicujus & venenoſitatis ſint Variolæ Morbillique participes, hic ideo præcipiunt ἐξῶσαι τὰ περιττώματα εἰς τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ σώματος. Præprimis igitur ſtudebant τῇ τοῦ σώματος ἀραιώσει, ἵνα διαπνεύσῃ τὸ περίττωμα,

XXV. Phlebotomiâ aliiſque evacuationibus peractis (ſi neceſſariæ fuerint) natura ſegniter movens adjuvanda eſt.

Maculæ in conſpectum prodeuntes, ne amplius retrocedant, ſed ut perſeverent, perveniantque ad juſtam magnitudinem, ſedulò proſpiciendum. Idcirco aër frigidus, qui cutem denſat atque adeò exanthematum eruptionem prohibet, devitandus eſt.

Verſentur potius in eo, qui mediocriter calidus eſt. Corpus veſtibus convenienter cooperiendum; ita tamen, ne, (quod vulgus facere ſolet) ſupra modum calidis hypocauſtis, aut nimis integumentis Syncope accerſatur atque æger in ſuffocationis periculum incurrat. Talia tegmina ex pannis rubris aut puniceis plerumque concinnari ſolent, ut crebro rerum rubore tinctarum aſpectû ad exteriora ſummamque cutem ferantur humores. Quod ſi natura probè excreverit exanthemata, nullum ſanè ipſi faceſſere negotium oportet; τὰ γὰρ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτε ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾷν.

Interdum autem non omnia naturæ permittenda. Nam ſi naturæ motus pigrior eſſe videatur, quod innoteſcit febris vehementiâ, inquietudine, virium infirmitate, vigiliis, delirio, ciborum inappetentiâ, ſiti, dyſpnœâ, aperientium juvandus uſu. Ἃ γὰρ δεῖ ἄγειν, ὅκη ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων. Hic Medicus naturæ miniſter, ſi illa ſeſe non recte gerat, non ſpectator, ſed actor fiet, ſuppetiaſque illi ferat. Cui ſcopo inſerviunt Decoctum hordei mund. ficuum, paſſular. Sem. &

Rad.

Rad. Fœnic. petroſel. aniſ. ap. petaſitid. glycyrrh. torment. aquileg. cic. rubr. Fl. calend. Fol. pimpin. acetoſ. Capili. Vener. Crocus, Gelat. c. c. in aquis cordialibus ſeu potu ordinario exhibita.

Lentium uſus cum Lacca & Tragacantho toti Arabum familiæ tanquam ſelecti remedii frequens uſus fuit. Hodie ob minus conſpicuam virtutem lenti medicamenti obtinuere titulum: quin uſus earum propter craſſi ſucci generationem & pavorum in ſomno augmentum exoſus eſt atque abolitus.

XXVI. Ne in turbulento Microcoſmi ſtatu partes tam internæ, quàm externæ, quarum uſus ſummè neceſſarius eſt, & quas frequenter occupare mos eſt, ſuccumbant, certis firmandæ præſidiis, eaſque immunes atque liberas, quoad ejus fieri potis eſt, reddere, Medico incumbit. Queis vero remediis ac formulis, cum illis pleni ſint Practicorum libri, lubens ſicco prætereo pede. Gravioribus ſymptomatis, quorum quædam poſt eruptionem affligere ſolent obviam eundum: cùm ſæpenumero majus vitæ periculum, quàm ipſe morbus minentur. Morbi in decurſu vires Cardiacis reficiendæ. Malignitas, maximè ſi urgeat, uti in Epidemiis Variolis contingit, Bezoarticis & Alexipharmacis caſtiganda, lenibuſque Diaphoreſis continuanda. Putredini & malignitati adverſantur Confect. de hyacinth. Pulv. ex Corallis, Margar. raſur. c. c. Fol. Scord. Card. B. Cortic. citr. Theriac. Mithridat. Diaſcord. Lapis Bezoart. aliaque ὑδρωτικά.

XXVII. Hiſce prælibatis, proximum eſſet inſtituere ſermonem, num arte Variolæ forent maturandæ. Aſt brevitati ſtudens, verbo innuam, naturâ ipſâ materiam Variolis contentam plerumque ſuppurari: Topicis itaque nihil opus eſt. Si verò ſint duræ, contumaces, dolorificæ, inſomnes, penitus maturatio acceleranda, cruſtularumque caſus promovendus. Illinantur axungiâ, ſeu ſevô porcinô ad ignem liquefacto; oleô amygdal. dulc. recenter ſine igne expreſſo.

Variolæ parvæ, paucæ, ſalubres, jam maturatæ, ſpontè digeruntur & exſiccantur, in quibus nullâ prorſus arte indigemus. In aliis autem magnis pæneque maturis in facie præſertim acûs apertione utimur, ne pus diutius inibi retineatur & acrimoniam acquirat, ſubſtratamque rodat cutem. An acus illa ex auro, argento aliove metallo ſit concinnata nihil plane refert. Delectum auri ac ſi cognatio ipſi cum carne humanâ intercedat, ſuperſtitioſum judico.

XXVIII. Remotis ſquamis ulcera ſi quæ derelicta ſunt, unguentis exſiccantibus & moderatè detergentibus ſanabis, uti unguent. alb. camphorat. roſat. de lithargyr. de Ceruſſa.

Vitioſus color deleatur. Fœdæ cicatrices auferantur; & foveæ atque veſtigia obliterentur. Horum enim cauſâ virgines maximè & fœminæ, quæ ſtatus ſunt eminentioris, Medicorum opem anxiè & ſollicitè implorare ſolent. Circumferuntur plurima.

In uſu habent pingu. hum. urſi, Capi; ol. ex vitell. ovor. ol. amygd. dulc. rec. extr. ac aq. ſ. fabar. milleflor. Sevum vervecinum recens liquatum. Licèt ſciamus Variolarum στίγματα aut ægerrimè aut integrè nequaquam tolli, & eſſe ἐκ τῶν ἀδυνάτων, ut laborantium petitioni annuamus, tentandum quid.

XXIX. Pro varia hujus morbi conſtitutione, uti varia adhibentur remedia: ſic victus ratio varia inſtituenda. Aër ſit temperatè calidus, purus, ac lucidus, ne frigidior repellat aut calidior lipothyn iam inferat. Victus ſit tenuis, cibi facilis concoctionis, εὔχυμοι καὶ εὔπεπτοι in menſam veniant. Omnes craſſi, amari, ſalſi, pingues & potiſſimùm dulces vitandi ſunt. Ad potum præclare facit cereviſia levis, clara, dudumque cocta; non alituoſa, nec lupuloſa. Ex uſu ſunt ſuccus hordei. Brodia quibus herbæ Cardiacæ ſint incoctæ. Panatella cereviſiaria cum croco; aut ptiſanæ cremor cum juſculo vervecino, vitellino, aut gallinaceo. Satisfaciendum hic virtuti & indicationi, quam ætas ſuggerit & ſimul morbo. Ὕπνος, ἀγρυπνίη ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα κακόν. Circa initia tamen vigilare præſtat & quieſcere, ne per ſomnum virus ad interiora repat. Alvus ex lege naturæ ſi non procedit, enemate emollienti ſollicitetur. Vehementes animi perturbationes procul fugandæ ſunt. Hæc pro inſtituti noſtri ratione ſufficiant. *Sic Præclariſſimus Carolus Drelincurtius in ſua Doctiſſima Diſſertatione; ſequitur jam alia in eodem argumento à Celeberrimo Domino Liſtero conſcripta quæ hæc eſt.*

Martini Liſter M. D. Tractatus de Variolis.

Diſquiſitionem hanc de variolis libenter aggredior, quòd morbus jam popularis eſt; & ſi non ita eſſet, in hac tamen longè maxima totius Europæ urbe ſemper (ut ex mortuorum rationibus publicis, hebdomatim editis, conſtat) graſſatur; quamvis nunc temporis multo infelitior ſit, quam à decem retro annis. Deinde, quòd præclarum exemplum ſit uſus & naturæ ductuum glandularum excretoriorum de quibus in exercitatione anatomica atque alibi olim tam multa diximus.

Novum autem morbi genus eſt, & licet antiqui aliquam de his puſtulis mentionem fecerint, prout nonnullis ſcriptoribus viſum eſt; ea certè admodum exigua eſt, & dubia, ut certum ſit vix illis temporibus fuiſſe talem morbum: negligentiſſimi ſanè habendi eſſent, ſi tam ingens, commune, frequens malum ita ex toto ſilentio involviſſent. Illud verò ſatis demonſtrat hunc morbum novum eſſe, quod in multis mundi partibus nuſquam viſus fuit, ut apud Indos Occidentales, ubi nunquam apparuit, niſi poſtquam Hiſpani eò pervenêre; ſiquidem per contagionem Æthiopis cujuſdam illuc delati, magnam Indorum partem ſuſtulit. Atque hoc atteſtatur idoneus author, nempe ille Olyſipponenſis R. à Fonſeca.

Illud autem extra controverſiam eſt, hunc morbum ab Arabibus ſeculo ferè duodecimo primùm deſcriptum eſſe; à quibus ejus notitiam ac curam habuimus, mirabile ſanè quanta accuratione illum nobis tradiderunt.

Adi ſis Avicennam, Meſuem, Raſin, Alſaharavium; diligenter attende ad ea, quæ de Variolis ſcripſerunt; confer cum tuis: deinde, dic

dic mihi, quid noſtri homines adjecerint novi? Tu qui aliter ſentis, expedi, ſi poſſis novas rationes aut morbi, aut curationis: minimè quidem; ſcio, non potes, quorſum itaque illa autoribus ſuis accepta non retuliſti? At cauſas, ais morbi tam funeſti ex novis hypotheſibus explicatum ivi: ita quidem; at hæc quoque tua ex Arabum ſchola ſumpta ſunt, prout mox oſtendam; nec tanti ſunt, profectò illorum induſtriam in morbis deſcribendis, curandiſque laudo; doctrinam verò non magnopere approbo.

Cum verò hujus morbi pathologiam imprimis inſtituere decreverim, ejus præcipuas conditiones & prognoſtica enarrare oportuit. At ea videre poteris apud Avicennam: minutias non ſector; at ſi Antiquorum oſores, adi ſis Melchior. Sebizium, qui doctè admodum, & omnium longe operoſiſſimè de variolis medio hoc ſeculo ſcripſit, nec patitur inſtituti noſtri brevitas, ut illa tranſcribam.

Cauſa autem hujus mali ſic exponitur apud Avicennam; nempe quandoque in ſanguine accidere Ebullitionem putredinoſam quandam, de genere Ebullitionum quæ accidunt ſuccis uvæ puta. Atque in hac ſanguinis ebullitione talia accidentia fiunt; qualia in Muſto, ita ut partes eorum ab invicem diſcernantur, ab hac verò ebullitione expellitur ab eo illud, quod admiſcetur ei de reliquiis menſtruorum, aut quod ex cibis fæculentis & malis generatum ſit, Et variolæ ſunt quaſi modus quidam criſis, ita Rhaſes quoque, at paulo expreſſius loquitur; de depuratione ſanguinis ab hac ebullitione, per quam partes heterogeneæ ab homogeneis ſeparantur, ac ſejunguntur, multque puerorum & infantium maximè ſanguinem præ adultis & ſenibus muſto correſpondere, item ad eundem modum Meſues rem exponit; craſſum ſanguinis à puro ejus ſequeſtrari, vi ebullitionis, criticèque expelli de venis, & effundi per univerſa corporis membra occulta & manifeſta: ſanguine remanente depurato.

Atque hæc eſt ipſiſſima doctrina fermentationis, ut volunt, novitia, apud noſtros homines toties decantata, concordant itaque mirum in modum inter ſe Avicenna, reliqui Arabes, noſtrique homines; nempe hanc ebullitionem eſſe putredinoſam ſive corruptivam, craſsùmque ſanguinis vi ejus extrudi, ſive id ſit connatum venenum, ſive aliunde ex vitioſis alimentis generatum.

At Willis inſuper & privatim de ſuo penu addit, innata variolarum ſemina (quæ, ut dictum eſt ex menſtruis mulieribus orta eſſe credidit) in cerebro & ſpinali medulla potiſſimùm recondi; adeòque ſpiritus animales miaſmate primùm corripi, & venenum exinde in ſanguinem transferri.

Hujus autem rei hanc rationem exhibet laudatus vir; nempe cùm iſtiuſmodi venena in partibus ſpermaticis primùm concepta ſint, veriſimile eſt, illa uſque latere in iiſdem; at hæc ratio exigui momenti eſt, nam illa partium diviſio in ſpermaticas & ſanguineas, prout ſupra expoſitum eſt non admittenda eſt. Deinde quare non tota ſpinalis medulla doleat, ſed lumbi tantùm imi; an ibi ſedes connati veneni? at cur non totum cerebrum, ſed potius frons tantum & tempora dolorem hunc pulſatorium ſentiant?

Quod ad menſtrua ſeminia venenata (quæ plerique omnes Medici ut originalem cauſam poſuerant) atque ab iiſdem prædiſpoſitionem perpetuam in humano genere ad variolas, attinet; dico, omnino nullum in illis naturaliter inquinamentum eſſe; ſed æquè innocua eſſe, ac hominum ſalivam, aut reliquam ſanguinis maſſam, unde orta ſunt: ſalva religione hæc profero; cum plerique Judæorum ritus (ut doctiſſimus Spencer nobiſcum exhibuit) pueriles & populariter inſtituti fuerint; nempe ex præjudiciis vicinarum nationum, atque ita à Deo permiſſa eſt illa opinio de contaminatione à mulieribus menſtruatis, munditiei ac caſtitatis causâ, ne fœminas nimium deperirent. Arabes autem in hac opinione Judæos ſequuti ſunt, ſed hæc mittamus.

Deinde, ſi illud verum eſſet, fœminæ adultæ vehementius afficerentur, quàm mares; maximè ſi menſtruis inſtantibus, ſcil. ubi illa turgent, & in utero accumulantur, variolis corriperentur, venenum itaque uterinum fictitium eſt, & vili ſuperſtitione deductum. Quod ad ſpiritus verò animales attinet, quos idem vehementer affici in hoc malo vult; hæc illa altera noviſſima Hypotheſis eſt, à rerum (ſcil.) natura petita, & rationi mirificè congruens. At Willis primùm illam excogitavit; aliique nuperi ſcriptores eam ſibi falsò arrogârunt, tanquam ſuum eximium & nobiliſſimum inventum, nempe quemadmodum calor innatus in uvæ ſucco illas turbas excitat, donec is ab iſtis fæculentiis liber ſit; ita ille ſpiritus animalis dominator, infectu quodam venenoſo implicitus, vi & armis ſeſe extricare conatur: variolæ verò victoriæ partæ ſpolia opima ſunt. At hæc ludicra & nugatoria commenta ſunt; hujuſque fabulæ tædet, ubi ſpiritus animalis ſolus Hiſtrionem agit. ſeriò agamus, à Procatarctica itaque interna ad cauſam primam & principalem & ipſam hujus morbi originem procedamus, antequam ejus explicationem & fiendi modum ex cauſa proxima & conjuncta aggrediamur; ſi ea fortè inquirendo in tantis tenebris inveniatur.

Illud quidem veriſſimum eſt (à primis hujus morbi autoribus traditum, quod ipſi etiam quotidie animadvertimus) variolas eſſe de ſummè contagioſis ægritudinibus. Quænam verò fuit prima & peculiaris illa materia contagioſa ſive venenum quod primum hominem infecit, atque humana corpora poſt tot ſecula eadem labe corrupit, ita facile dicere; certè Prometheo non adfui, cùm Pandoræ pyxidem aperiret; ut quæ mala inde egreſſa fuerint, certò cognoſcerem, cauſa quidem primaria hujus mali ac evidens, fateor valde in obſcuro eſt, ſi tamen conjecturæ noſtræ, certò plauſibili, venia detur, quid impræſentiarum mihi in mentem venerit, dicam; nimirum illam infectionem à beſtiola aliquâ vel esâ, vel ab ejus morſu plurimùm genitam fuiſſe, deinde in omnes homines, partim tanquam hæreditarium malum propagari.

De contagio verò primario jam dicam; hæreditariam autem labem à primo infectu proli

communicari poſſe, poſtea paucis probatum ibo.

Igitur, 1. Nulla cauſa aſſignari poteſt hujus mali generativa ex parte hominis, non ex menſtruis, quod jam ut precarium & ſuperſtitioſum rejecimus. Non ex crapula aut alimento vitioſo ac inuſitato; præterquam quæ ex ipſa fortè beſtiola, hanc peculiarem labem inferente, fuerit, non ex exercitio vehementi, reliquiſve vitiis & erroribus, in rebus non naturalibus; quod integræ nationes apud Indos Occidentales à noſtris Anglis (in Marilandia, hoc ſeculo ineunte, id accidit) primùm illuc advenientibus ferè ad internecionem infectæ ſunt; Claro documento, variolas non privatim à cauſa aliqua interna, aut à natura hominis per ſe vitiata, ſed contagione extrinſecus illata communicari. Cùm itaque cauſas omnes internas, procatarcticas refutavimus, cumque externas etiam ab aëre, niſi quatenus à corpore, ut ita loquar, variolato præceſſerit, non admittimus ob ipſas eaſdem rationes. At halitus expiratos (loquor ex ore nuperi ſcriptoris) ex ſubterranea aliqua minera nunc hoc, nunc illud animalium genus contaminare. At quænam ſunt illa, quæſo, metalla in noſtra terra Londinenſi, aut alibi Angliæ, effoſſa quæ hæc efficiant. Dic ſodes, ſi potes. Mera itaque hæc tua inſomnia ſunt; prout pleræque id genus explicationes, quæ ex ignoratione Hiſtoriæ Naturalis venditantur. Item ejuſdem commatis illud eſt; nempe morbos certas habere periodos pro occultis illis, atque adhuc incompertis alterationibus, quæ ipſius Terræ accidunt viſceribus, pro varia ſcil. ejuſdem ætate, ac duratione. Num putas alia metalla in Terræ viſceribus latere, ab iis in ſuperficie ejus comprehenſa, nobiſque cognita ſunt, diverſa? aut hæc ipſa metalla, ex quibus conſtituitur terra, ab aëre remotiſſima & in viſceribus latentia, pro varia ejus ætate & duratione putreſcere? ſanè, non video, quo fundamento hæ ſuſpiciones nitantur. An non hoc ignotum interpretari per ignotius eſt? heu quantum ſapimus, verba dando! Igitur reſtat, infectionem primùm ortam eſſe ex aliqua beſtiola venenata.

2. Symptomata morbi hæc confirmare videntur. Nempè dolor in Capite & Lumbis; quod ſignum peculiare & velut pathognominicum eſt ante variolarum eruptionem. Ab his autem doloribus non rarò in infantibus deliria, ſomnolentia gravis, & convulſiones; in adultis immanis vomitus, interdum Syncope cum magnâ anxietate, & inquietudine; in gravidis abortio. Cauſam ſi deſideras, reſpondeo dorſi dolorem Nephritici adeò æmulam eſſe, ut multis exitio fuerit Medicorum, pro more, feſtinantium ac incogitantium, error. Itaque veriſimile eſt, materiam contagioſam impetuoſius agitari, & ad renes propelli per arterias emulgentes, membranaſque ac nervos circumjacentes dolore vaſorum extenſivo affici. Ad eundem modum & arteriæ ex influxu vehementi oppilatione ſeri, ex veneno craſſeſcentis.

At, inquies, cur privatim tantùm in hæc loca feratur, atque impetum faciat? dico primò, loca quædam diverſa venenis eſſe peculiaria, maximè à beſtiolarum morſu eſuve illatis. Ita Hydrophobia fauces privatim petat; Urticæ marinæ Pulmones. Secundò, At multo maxima id genus venenorum pars & caput, fauceſve; renes & veſicam & genitalia afficere conſueverunt: ex. gr. ipſa rabies canina fauces & Genitalia ſimul petit; nempè ſatyriaſin & gonorrhœam excitat. Ita Lues venerea præcipue fauces & nares ipſumque caput; at ſæpius, ubi malitia minor eſt, penem & genitalia. Item Chantharides veſicam magnopére afficiunt. Item morſus viperæ, ubi corporis fieri contigerit, ſemper tamen ſolvitur ſcroti tumore, & Urinæ ardentis copia. Et in aliis multis ſimiliter uſu venit. Non quidem, quod venena ſua ſponte, relicto ſanguine peculiaria loca adeunt; ſed quia alibi malefacium ſuum commodè expedire nequeunt. Licet enim (ut verba *Ent* hæc faciam mea) materia contagioſa per majora vaſa circumducatur, corque ipſum permeet, eademque tamen haud magnopere lædit; donec tamen (circuitus enim non eſt uniuſmodi) in arctiora & idonea loca, id eſt, in majores & maximos & uſitatiores ductus excretorios (ſalivæ putà & urinæ) impacta, virus celatum exerat. Vera itaque ut arbitror, hujus doloris cauſa eſt, cùm ſerum ſanguinis à veneno paulatim lenteſcat, quo majores ductus excretorii renum, putà, & faucium inflammentur (quæ peculiaris id genus veneni vis eſt) atque adeò oppeſſulentur, nec commodè inde, quo naturaliter tendit, expelli queat; ex mora itaque, quam trahit in arteriolis ad renes & circa caput, magis magiſque craſſeſcit ſanguinis ſerum, veneno implicitum, donec tandem iteratis circumlationibus circumpulſum, cutaneos ductus; nempe univerſalia emunctoria aliaque quæcunque pro ratione & quantitate veneni viſcerum vaſa excretoria ſubeat, & in Apoſtematum parvulorum, modo infrà exponendo, materiam faceſſat.

„ Audi C. Celſum; neceſſarium eſt adverſus
„ venena exſorbere potionem meri vini cum
„ pipere, vel quidlibet aliud, quo calor mo-
„ vendus eſt, nè humor intus coire patiatur.
„ Nam maxima pars venenorum frigore in-
„ terimit. Omnia etiam Urinam moventia,
„ quia materiam extenuant, utilia ſunt.

„ Idem alibi, quæ ἐξανθήματα Græci vocant,
„ ſive puſtulas Latini, & rubent, & ex ſudore
„ (i. e. ex veneno ſudore per ductus Glandu-
„ larum excretorios expulſo) naſcuntur.

„ Ejuſdem mentis eſt Warthon noſter (*c.*27.)
„ ubi materia affluens ad glandulas venenoſa,
„ aut contagioſa fuerit, oritur Tumor, veneno
„ peculiari reſpondens.

Viſne exemplum hujus infectionis; à beſtiola venenata. Cantarides cuti adhibe; ingentem ſeri venenati vim evocant: locus autem inflammatus ac exulceratus pridie ichore liquidiuſculo ſcatebat, jam craſſiuſculum pus eſt: & ſæpius ſequitur Urinæ ardor, ſatyriaſis, & non rarò mictio ſanguinea, & non ſemel ſerum in magnos grumos per urinam effuſum vidimus, ad eundem modum in variolis, ſerum à veneno infectum, quod intra habitum corporis eſt, eruptionem per renes & capitis ductus excretorios primò tentat; at cùm primis inſultibus magis vigeat & minùs ſero implicatur, hæc itinera inflammat, deobſtruitque; unde beneficio circuitus iterati in alios ductus cutaneos

neos ſub ichoris liquidi & vaporoſi ſpecie propellitur, at hic quoque ei exitus denegatur. Nam ipſa ductuum oſcilla identidem inflammat, veſiculaſque tollit. Atque hæ veſiculæ ichore venenato & craſſeſcente paulatim replentur; mox ex calore perpetim appulſo ex habitu corporis, quaſi maturantur. Et plenè in cruſtas ſiccatæ, tandem ſpontè decidunt.

Ubi autem ſemel intra ductus excretorios tranſfretetur materia contagioſa, febris deſinit: circuitu ſanguinis jam expedito, atque ad integritatem reſtituto. Venæ itaque jam quietiores ſunt, & tardiùs moventur ſc. materia contagioſa unà cum ſero ſuperfluo extra habitum corporis expulſo: neque enim illi jam ampliùs cum ſanguine rei eſt, qui aliam ſcenam agit.

Veſiculæ autem cutaneæ materia contagioſa inflammatæ, jam, more cantharidum, ſerum in ſe ſuperfluum & vaporoſum indies trahunt, concoquuntque.

3. Aliud ſymptoma tuſſis, defluxio, & ſalivatio ab antiquis memorata; atque hoc quoque argumentum eſt infectionis primariæ. Etenim in Lue venerea (cujus originem ſuo Tractatu à beſtiola venenata ſimiliter deduxi) idem ſymptoma ſpontè ortum aliquoties obſervavit; idque ex intermiſſione plurium menſium, iterum atque iterum rediiſſe: donec in Phthiſin funeſtam hominem præcipitaret.

At, inquiès, hæc non contingit niſi in confluentibus variolis & adultis: reſpondeo, id falſum eſſe, ſæpiùs animadvertimus. Etenim in infantibus ſeptem annorum, & in adultorum diſtinctis variolis ſalivam vehementer motam fuiſſe, ſæpius vidi. Cauſam autem hujus ſymptomatis in variolis ſic intelligo; nempe ubi oſtiola cutis oppeſſulata ſint, vapor inſenſibilis ac ſuperfluus per ductus oris majores erumpere, neceſſe habet. Ita in infantulis, quibus excreatio adhuc ignota eſt. Etiamſi iis, perinde atque adultis, in os profluat, tamen illam deglutiunt; quæ ſi copioſior ſit; quàm quæ digeri poſſit, citam iis alvum interdum efficit; itaque & ſalivatio iſtiuſmodi & diarrhœa ſalutares eſſe ſolent, quòd non noxio, ſed ſupervacaneo tantùm humori eliminando (quod in ſtatu ſano fieri oportuit) inſerviant.

4. Ictûs venenati indicium eſt incerta & vaga quædam febris; etenim modo incaleſcunt icti, modo frigent, ac horrent: ita ut uſu venit & variolatis.

5. Quòd id genus morbus ferè oriri ſolet in corpore maximè integro & ſano; ſine ulla prævia vel corporis vel animi paſſione aut dolore: pariter ac ſi quis ſanus à beſtiola venenata ictus fuerit.

6. Quòd in hoc morbo ſemper fiunt criſes per abſceſſus & nunquam per evacuationem, ſcilicet more morſus venenati.

7. A primis authoribus, ut ab Alſaharavio inter morbos cutaneos numeratur, ſcilicet ſcabiem & lepram. Id eſt, morbos ab infectione natos: ab aliis verò Arabibus in peſtilentialibus propter malitiam, ponitur.

8. Quòd apud veteres ſimilibus puſtulis ſynonymum fuit, quoddam ſerpentis genus, teſte Plinio, Boæ ſerpentis inquit ille, genus quoddam eſt; eadem quoque appellatio morbum quendam apud eundem denotat, id eſt, rubentes quaſdam puſtulas. Nam, Ebuli folia, inquit idem, contrita, & è veteri vino impoſita, etiam, Boam ſanant, id eſt, rubentes puſtulas. Etiamſi verò ex hoc loco nihil certi colligi poteſt de variolis; tamen veriſimillimum eſt, morbum illum ſibi cognomen à Bois ſerpentibus ſumpſiſſe, tanquam à cauſa ſua originali: ita ut variolæ quoque à ſua ſimili cauſa oriantur credibile eſt. Huic conjecturæ favet Alſaharavius. Tumeſcit locus morſus à vipera, & ſuper eum fiunt ampullæ, i. e. veſiculæ inflatæ, ita ut redditur ad modum ignis uſtionis. Ebuli autem folia ad omnem uſtionem apud veteres remedium nulli ſecundum eſt. Igitur & nomina & remedia morbis; à communibus cauſis oriundis, adhibuiſſe veteres credibile eſt.

9. Quòd pleraque ſigna variolatorum, cum ictis à venenatis beſtiolis communia ſunt. De quibus vide apud Scribonium Largum, Dioſcoridem, alioſque veteres. Attende & confer cum ſignis variolarum infrà recitandis.

A Paſtinacea marina pars affecta livet, ac nigreſcit per ambitum, illam ſi quis defricuerit, atra, craſſa, ac graveolens ſanies exprimitur. D.

A mure araneo nigra Puſtula diluta (ὑδατώδης) aquoſa ſanie exſurgit: proximæ verò partes omnes livent. Rupta puſtula depaſcens ſuccedit ulcus. His accedunt urinæ difficultas. D.

A vipera puſtulæ quales in ambuſtis erumpunt. Sanies è vulnere promanat; primùm ſubpinguis, mox cruenta; urinæ difficultas. D.

A Dryina morſis pars ipſa affecta in puſtulas attollitur; è quibus ſanies aquoſa profunditur.

Ab Hæmorthoo demorſis ex plaga copioſus cruor effluit, & in quacunque alia corporis parte cicatrix illa fuerit, ex ea quoque ſanguis emanat. Quin & excrementa cruenta rejiciuntur.

A Natrice ſanies ex vulnere copioſa atra ac putida. D.

A Cenchro putidum ulcus: altus ſopor: & in carnibus circumcirca velut aqua inter cutem. D.

A Ceraſte demorſis pars in tumorem attollitur cum duritie, & puſtularum eruptione: profluit è plaga ſanies, modo atra, modo quadantenus pallida. Ipſum quoque genitale erigitur.

A Bupreſti totius corporis extima facies circumtenſa: urinæ ſuppreſſio. D. inflat totum corpus in ſpeciem Hydropis. S. L.

A Cantharibus, Sanguis cum urina ac cum dolore effuſus. C.

A Salamandra maculæ liveſcentes, & ſi diutius immoret venenum, putreſcentes ſanie manant. D. Livoribus quaſi maculis variatur. S. L.

A Phalangiis morſi pars affecta rubet, & velut aculeis compuncta conſpicitur. Conſequuntur lumborum dolor & perpetua ad reddendam urinam ſtimulatio, & ejuſdem excernendæ difficultas.

A Scolopendra pruritus toto corpore perſentiſcitur, pars inciſa livet, & à morſu ipſo exulcerari incipit. D.

A Scorpione pars icta indureſcit, livet, & cum dolore circumquaque diſtenditur; dolorque velut à pungente acu per univerſam cutem ſentitur. D.

A Lepore marino ſumpto, oculi exulcerantur, genæ inflantur. Urinam difficulter reddunt, & cum dolore. S. L.

10. Quòd medicamenta ad ictus venenatos ferè eadem ſunt apud veteres exhibita, quæ ad variolas ab Arabibus inſtituta ſunt. Vide eoſdem authores: lege, confer.

Sudoris excitatio, copioſa urinæ excretio, purgatio per alvum. Fœniculi ſuccus abſorptus. Marinæ teſtudinis teſtes. Opium ex vino; hæc communia: inter propria vero & peculiaria auxilia numerantur lac ficulneum in cinerem ex aceto ſubactum, Potiones ex cicere. Cancer fluviatilis cum apii ſemine. Potiones efficaciſſimæ ad ictum ſcorpionis, lac ficulneum cum vino, multa ſudatio. Ad draconis marini idem. Sulphuris ex aceto triti potio. Ad viperæ morſum ipſa vini frequens potio juvat. Hæmorrhoï crematum caput potui datum cum vino: eſitantur & uvæ paſſæ. Ad morſum baſiliſci papaveris ſuccus in vino. Ad Bupreſten ficus vel aridæ, vel earum decoctum ex vino: item aqua ficus aridæ ad ſalamandram. Jus ranarum & ova teſtudinis quomodocunque cocta, conchylia; locuſtæ marinæ, aſtaci. meri potio. Attramentum ſutorium aceto dilutum.

At, inquies, ſerpentes aut alia animalia venenata talibus morbis non afficiuntur. Qui ſint eorum peculiares morbi, plane neſcio. Neque id cuiquam ſcientia naturalis, vix incœpta, dicere patitur. Etiamſi verò hi vel illi ſerpentes putà, ſtrictè loquendo à morſu aut alias, contagioſi non ſint; cùm tamen liquidò conſtet, quorundam venenatorum & vehementer inficientium morborum interdum illi cauſæ primariæ ſint; quid ni credamus, aliis morbis quoque (inter quos variolæ meritò numerantur) aliæ atque aliæ beſtiolæ, à nobis incognitæ, ortum dederint, ac poſſe ſic contagio in humanum deinceps genus propagari.

Si ampliùs quærat aliquis, cur hodie id malum ex morſu venenatorum animalium non, ut olim, oriatur? Id fortaſſe nunc quoque accidat ſuis locis in India, putà, aut alibi terrarum. Sed ob ignorantiam Hiſtoriæ Naturalis & populi indocti & ſuperſtitioſi non animadvertitur. At in Europa minor ejus metus eſt. Etenim, ut C. Celſus rectè innuit, Peregrina ſerpentium genera, aliquando magis peſtifera ſunt, maximè quæ æſtuoſis locis gignuntur. Italia, frigidioreſque Regiones hac quoque parte ſalubritatem habent, quòd minus terribiles angues edant. Verùm ubi inveniantur, iſtiuſmodi beſtiolæ noxiæ, ex proprietate naturæ, malum, de quo loquimur, inferunt, neque aliquid de hac re nobis certò conſtat, niſi ex conjectura probabili, ſuprà comprehenſa. Atque hæc Hiſtoriæ ex Naturalis defectu.

Igitur jam dictum eſt de prima hujus mali cauſa, quam libenter deducerem ab aliqua noxia & venenata beſtiola, ad naturam plerarumque infectionum, hominibus primitùs communicatarum.

Proximo loco rationes reddam, cur hæc labes hæreditaria quoque exiſtimari poſſit. Quòd in aliquibus Familiis variolæ ferè exitiales ſunt. Quòd fratres & conſanguinei faciliùs inficiantur, quàm qui inter ſe cognati non ſunt. Quòd interdum Sporades ſunt, & ſine ullo variolati hominis infecto per ſe exſuſcitari videntur; ſemina itaque propagari poſſe in prolem, perinde ut de Lue venerea notum: ac de Hydrophobia magna ſuſpicio eſt.

Novi quoſdam, inquit, Willis à crapula & exercitio immodico in hunc morbum incidiſſe, cum præterea nemo circumcirca in tota regione ægrotavit; nempe latentia ſemina per ſe commoventur, & inquinant ſanguinis maſſam. Si hoc intelligatur de iis, qui à parentibus infectis ſive variolatis geniti fuerint (& jam ferè totus mundus ſub eo nomine cadit) libenter accedo. Sed cum ſatis conſtet populum Indiæ Occidentalis ante adventum Europæorum ab omni ævo immunem fuiſſe ab ea labe, & ad extremam perniciem & ferè depopulationem tum primò decubuiſſe. Haud facilè adducor ut credam, ulla materna labe menſtruata, ſeminiiſve naturalibus, utut vehementer motis, uſpiam hunc morbum per ſe ſubortum fuiſſe.

Hæc autem inter rariſſimè contingentia agnoſco. Nam modus infectionis communior eſt per effluvia in aëre effuſa ab homine variolato. Si quis itaque has puſtulas in cute jam privatim efflorescere vult, non ambientis, aliquo contactu, ſed ex inſpiratu, aëremque contaminari peculiari quadam malignitatis ſpecie, & è ſublimi cauſam habere, ei libenter accedo; modò aërem intelligat infici ab homine variolato & non ex aliqua corruptione aeri inſita, ita aer inſenſibili perſpiratione alicujus variolis infecti inquinatus, ac ab alio inſpiratus, ſalivam ejus contaminet, neceſſe eſt, qua deglutita, ut nobis omni momento fieri ſolet, intra habitum corporis per itinera lactearum rapitur: quo ut ſanguis afflatus, delibutuſque fuerit, ipſo ſtatim initio caput & lumbi dolent, febris accenditur: malo autem ingraveſcente, venenum cum ſero ſuperfluo, die tertio, aut quarto, foras expellitur, éque ductibus excretoriis proſilit, & in cute efflorescens, mali ſpeciem detegit, totoque demum corpore exturberant veſiculæ ſui generis.

Atque hæc hactenus de infectionis modo, quo de homine in hominem transfertur, nempe per ſolum contagium & effluvia ab homine variolato perſpirata. Atque hæc unica jam evidens cauſa eſt Variolarum.

Variolæ itaque ſunt Puſtulæ Venenatæ, primitùs à beſtiolæ ictu (putà) humano generi illatæ, nunc verò per ſe, rariſſimè tamen, tanquam ex infectis parentibus hæreditario quodam infortunio genitæ, ſæpiſſimè verò ab homine variolato in hominem translatæ, ab effluviis ejus in aërem emiſſis, extra habitum corporis, & è ductibus excretoriis nuſquam non cum febre continua protruſæ.

Morbum autem jam definitum dedimus; ejuſque mox ſymptomata ſingula, atque prognoſtica paucis expedire lubet.

Effluvia itaque venenoſa, chylo commiſtâ habitum corporis ſubeunt: in ruptione autem veſicularum chylum conſtituentium (an ea ſaliva ſit, quæ in jejuno lacteas ingreditur, aut aliquis humor refluus, aut nudus aër aquatus parum intereſt) aër venenoſus expreſſus & liber vaſa ſanguifera in cerebro & ad renes maximè anguſtiora vellicat atque inflammat: unde pulſus concitatior; majorque adeo calor, ſcilicet ab igneis particulis ſæpiùs & vehementer compreſſis. at non hic finis mali. Etenim venenatus vapor ſanguinis ſerum lenteſcere facit, more venenorum ictu illatorum; unde vitiatur ejus motus; nempe à lentore ſubitam ſanguinis per venas ſanguiferas trajectionem prohibente, quo autem vehementior ſanguinis impetus eſt, ſi is ſubitò, ut par eſt, ex arteris in venas tranſadigi non potuerit, eò maximè in ductus excretorios, ad communem anaſtomoſin, quam habeant cum arteriis, divertatur, neceſſe eſt. At in ductus glandularum cutaneos jam expulſus vapor ſuperfluus & venenatus illarum extrema oſcilla ſimiliter atque capillares venulas vellicat, ac inflammat, inque veſiculas elevat; non aliter, quam ſi à veſicatoriis, extrinſecus adhibitis, vitiarentur. cur autem hæc occultorum foraminulorum oſcula magis, quàm ipſi eorum interiores ductus corrumpuntur, ratio eſt, quòd ſuâ naturâ tuberoſa ſive capitata ſunt; maximè ſi ab aliquo ſtimulo vellicentur; quod conſtat ex mirâ aſperitate cutis, ſi quando frigori urenti ſubitò expoſita fuerit; imò totidem Sphincteres ſunt, vel levi offenſâ ſeſe naturaliter contrahentes, itemque veſtigia variolarum rotunda ſatis arguunt hæc ex oſculis i.e. certis & determinatis locis, quaſi cohibita fieri. Deinde, variolis deciduis, & ſanatis earum ulcuſculis, adhuc tamen reſtant veſtigia horum oſcillorum, mirè diſtenta ac nodoſa; nec niſi longo tempore ſubſidunt, & intra modum naturalem contrahuntur. Poſtremò à venenato vapore erumpente afflata, & jam in veſiculas ab eo diſtenta, ob moram & torpidum motum humoris, per ductus tranſeuntis, perpetimque appulſi, & tantùm non oppeſſulati (nam extra ſanguinis flumen ſunt) quod plus acrimoniæ acquirit, priuſquàm ad ea attigerit, acriuſque jam factum & jam craſſiuſculum & ſenſim concoctum.

Itaque principium tumoris variolarum intra ductuum orificia eſt; at continua extruſione novæ adpellentis materiæ ſenſim augentur, & extrinſecus protruduntur, donec ad juſtam magnitudinem, & craſſitiem debitam pervenerint.

Atque hæc ratio eſt, cur in hoc morbo ſemper fiant criſes per abſceſſus; nimirum ductuum excretoriorum orificia in veſiculas à veneno adpellente excitata, unde inſenſilem evaporationem comprimunt. Cumque regreſſus craſſeſcentium humorum in venas per eoſdem ductus fieri nequeat; ut per abſceſſus tandem digeratur, neceſſe eſt.

Symptomata autem, quæ in hoc morbo animadverſa ſunt, enarrare lubet; eorumque cauſas breviter explicare, quo natura ejus manifeſtior fiat.

Signa verò, quæ morbum inſtantem indicare ſolent, hæ ferè ſunt.

Imprimis, Dolor Pulſatorius in capite, & Lumbis, de quibus ante dictum eſt: nempè à vehementi ægrè ob lentorem tranſfretati ſanguinis, ejuſque acrimoniâ venenato miaſmate infecti, & ad renes & in cerebro reſitantis, & inflammationem quandam membranis excitantis.

Vomitus immanis à veneno deglutito ſtomachum & inteſtina vellicante, ſi tamen vultus illud interdum effundi è ſanguine ab habitu corporis; ut in ſporade & ſingulari affectu, ex cauſa hæreditariâ & ſeminibus connatis, aut epidemico vehementiori; id fieri non poteſt ab arteriolis in ventriculi tunicas dehiſcentibus, prout Willis rem exhibuit; ſed è ductibus excretoriis, quibuſcum arteriæ immediatè committantur, in horum itaque oſtiolis irritatio ac punctiones, à venenata materia illuc propulſa, hujuſmodi vomitus cauſa eſt; perinde ut pruritus in cute; & lachrymæ involuntariæ ab oculis effuſæ; item ſternutatio.

Pandiculatio frequens ad infarctum liberandum moleſti humoris eadem de cauſa. Tremores in ſomnio & deliria incidere poſſunt, perinde ut in crapulâ.

Item ſomnolentia gravis ab obſtructis vaſis cerebrum comprimentibus.

Tremores autem & convulſiones à vehementiori acriori perſpiratione vaporis venenati ab ipſo ſanguine ex pulſi. Raucedo ex aſpritudine puſtularum jamjam erumpentium, & ex inflammatione faucium.

Tuſſis, defluxio, & vehementius ſaliva mota; à perſpiratione citatiori, ob cutaneam alteram (ut dictum eſt) valdè obſtructam in illis patentioribus ductibus ſalivæ; nempè faucium & pulmonum.

Spirandi difficultas ab infarcto & inflammato pulmone, unde minùs explicari poſſit & frequentiùs moveri, quæ difficilis reſpirationis quædam ſpecies eſt.

Febris intenſa, rubor faciei, & intumeſcentia, à nimio ſanguinis fervore, quo arteriarum pulſus tùm maximè extenditur, ad ipſas venarum capillares, uti clarè cognoſcitur, quòd pulſus ſentitur etiam in extremis digitis, ita rubor identidem producitur, à pulsûs extenſione, ejuſque inſolitâ micatione.

Ubi autem venenum, horum malorum irritamentum, foras certe in ductus excretorios cutis expellitur ex magna parte (quod triduò aut quatriduo fieri ſolet,) compreſſio, cordis & arteriarum vehemens & extenſiva, quæ caloris cauſa eſt, remittit; ceſſatque febris.

In alterâ autem periodo ſeptem ferè dierum, quæ accidant, morbi ſtatum & eventum indicant: atque ea hujuſmodi ſunt.

Puſtularum egreſſus, qui ſuprà expoſitus eſt; nempè materia erumpens, pro ſua natura venenoſa, veſiculas excitat, quæ cum rubore ac inflammatione maturantur.

Siccantur autem, quòd nihil amplius humoris ad illam partem pervenire poteſt; ſcilicet veſicula undique clauſa ac indurata; vix tamen fieri poteſt, quin aliquot, inter tot innumera orificia ductuum, libera, & aperta ſint; utpote ab infectione integra & illæſa.

Veſiculæ initio rubræ, ab inflammatione; deinceps cryſtallinæ, à vapore aucto viſcidoque; mox opacæ & albidæ, ab eodem incraſſato ſicceſcenteque.

Si molles, minorem inflammationem indicat.

Si paucæ veneni quantitas, & qualitas exigua.

Si diſtinctæ, paucitatem materiæ infectæ arguit. Nam accumulatæ, diffuſæ, & confluentes ex copia ejuſdem fiunt.

Si rotundæ & faſtigiatæ ſalutares; quòd magis extra habitum corporis materia Variolarum protruditur; minorique adeo moleſtia maturantur; utpote longiùs à ciruclatione ſanguinis.

Si eædem per ſolam cutim eruperint, neque viſcera nobiliora intrà afficiantur perſpiratio liberior; quòd alicubi ex bona parte aperta ſit; unde ſalutis major ſpes eſt.

Si intra fauces quoque & gulam & ventriculum, & inteſtina egreſſæ fuerint; nempè ultra habitum corporis, & in primis viis, venenum & chylo & ſanguini denuò permiſceri, & febres aliæ ſuboriri poterunt ſive alia viſcera extrinſecus, ut pulmones, hepar, cerebrum, &c. variolis ſcateant, non minus periculi impendet à febre redintegrata, & denuo ſuccenſa ex tardâ & incertâ ſuppuratione, aut majoribus Ulceribus innaſcendis, ſc. in partibus mollibus & tenerrimis.

Si eruptioni antecedat levis febris; & ab eruptione ceſſet, vel plurimùm minuatur, vel in tuto eſt; quòd materia contagioſa, per puſtulas eliminanda, & pauca & mitior eſt; maximè ſi cætera concurrant; nempe, vox libera & reſpiratio facilis; documento, nec pulmones, nec fauces internis variolis aut parcè admodum affici.

Variolæ tardè erumpentes. Id eſt, venenum intra ſanguinem diutius immorans, arterias oppeſſulat, ſanguinemque ipſum corrumpit; illum in pus quoddam incraſſando, non aliter, quam in oſculis ductuum excretoriorum uſu venit.

Multæ, copiæ argumentum venenatæ materiæ; adeoque ægrè ad cutem expreſſæ.

Magnæ, aliud copiæ argumentum.

Duplices & continuæ, idem ipſum.

Depreſſæ ob nimium lentorem & tarditatem in egreſſu: ergo mediis ductibus corrumpi videtur vapor contagioſus; & retrogredi in ſanguinem metus eſt; a quò magna diſcrimina impendent.

Duræ, ob majorem inflammationem.

Virides, lividæ, nigræ; corrumpitur ipſa veſicula & caro circumcirca à materiæ venenatæ ſummâ acrimoniâ.

Membrana autem continens ſive comprehendens puſtulam, veſiculæ more, circumcirca tenditur, ac inflammatur. At in vertice ſummo tenuior eſt, & minus evaporationi reſiſtit, maximè ſi illa contractum & conſtrictum ſit ductus alicujus oſculum; ad reliquum verò ejus ambitum craſſior eſt ac compactior, certè propter ipſius ductus parietes craſſiuſculos; adeoque minus ad latera perſpirabilis, magiſque adeo extrorſum premitur humor, veſicula contentus. Cùm itaque ad puſtulæ verticem perſpiret, in quem univerſa bulla nititur; ſi appareat ibidem macula nigra, etiamſi totum reliquum puſtulæ melioris ſit coloris, dubia ſalus eſt; ſcilicet ob contenti humoris ſummam putredinem incipientem; quæ vicinos parietes ſubitò inficere poſſit.

Variolis admixtæ purpuræ, ſive peticulæ, ſi lividæ & nigræ deterrimi ominis ſunt; ſi ſtatim ab eruptione evaneſcant, mors in propinquo judicanda eſt; Quòd nihil in hoc morbo ſemel coagulatum evaporare ſolet, aut expurgari ſine ſuppuratione: ergo reaſſumitur in ſanguinem: atque ita ſanguini permixtum venenum, illum craſſeſcit, & tandem in putrilaginem corrumpit. Atque harum affectionum erunt neceſſarius effectus urina nigra, ac ſanguinea; fæces alvinæ nigræ & ſanguineæ; vel ex pravo ſanguine, ab ſumma acrimonia, & obſtructione primaria arteriolarum, unde per ductus excretorios, renum, putà, & inteſtinorum, erumpit.

Ita Hæmorrhagia quælibet, à ſuppreſſis puſtulis, periculoſa eſt.

Febris magna, copiam ingentem materiæ venenatæ, per puſtulas expurgandam arguit; adeoque periculoſa. Si poſt eruptionem verò non minuatur; igitur ubi intra ſanguinem ſuperſit plurimum ejuſdem materiæ, quæ nondum erupit, res ferè ad mortem tendit. Reliqua per ſe ipſa patent.

Jam dictum eſt de morbi ratione, ejuſque ſymptomatis quibuſcunque.

De hujus vero morbi contagio privatim quæritur cauſa, cur infantibus & pueris magis familiare ſit; firmior verò ætas & adultior minùs laceſſeretur; itemque cur unuſquiſque his, aliquando in vita, neceſſariò conflictari debeat; ut neminem poſſe ſecundò, aut tertiò prehendi; Denique, cur complures annos ſileant, & certis annorum intervallis ſæviant in plebem? Reſpondeo. Infantes non magis huic malo opportuni eſſe videntur, quàm aliis quibuslibet morbis contagioſis; nempè ob ſummam naturæ teneritudinem ac quandam ejus perfectionem. Sed in eo fallacia eſt, quòd, cùm tota vita homines infici ſoleant, vix unus è mille pubeſcentiam integer attingit: Deinde, annorum intervallum (quantum animadverti) quibus graſſatur iſte morbus, luſtrum aut ſeſquiluſtrum rarò excedunt, quo fit, infantes poſſe bis aut amplius infici, antequam adoleverint. Denique integræ nationes, ut dictum eſt, apud Indos à noſtris hominibus variolatis ſimul infectæ ſunt, & periêre ferè ad internecionem, propter ignorantiam curationis; quod à fide dignis teſtibus, Marilandiæ incolis, habui: argumentum, morbo illo & puerum & adultum æque ſubjectos eſſe. Neque enim ullus tutus eſt, niſi qui prius morbum perpeſſus fuerit; ſiquidem rariſſimè, certè ego neminem bis infectum memini, præter unam fœminam, quæ in hac urbe, me teſte, intra annum variolis bis decubuit, & convaluit.

Magna verò ex parte hic morbus, etiamſi contagioſus, ſalutaris eſt; quòd ferè ſubitò venenum foras & extra habitum corporis protruditur; cujus quidem egreſſui tenera ætas à ductibus ſuis excretoriis, dilationi valdè aptis, opportunior eſt; humoréſque ab eis excreti, naturaliter fluidiores ſunt. Ita, quòd ſemel tantùm hoc malum hominem aggrediatur, ejus lenitati ex parte, & puerili ætati, in qua ut plurimùm ægrotet, attribuendum eſt.

Inter-

Intervallorum autem ratio eſt, cùm omnes pueri alicujus domûs, putà, aut oppidi aut urbis (unis Londinis exceptis, propter ejus enormem magnitudinem, & perpetim advenientium multitudinem) ferè intra aliquot menſes annumve decubuerint; nec alii ibidem inficiendi reſtent. Igitur extinguitur, pro illo tempore, malum; donec nova ſoboles ſubcreſcat variolanda. At fatendum eſt, aliquos illâ felicitate natos eſſe, ut integri & valde ſenes moriantur.

Ad Therapeiam propero, ſed antequam ad curationis rationes procedamus, illud ante omnia meminiſſe oporteat, hunc morbum (ut dictum eſt) ferè eſſe ſalutarem, in variolis natura omnia perfectiſſimè facit, inquit *R. à Fonſeca*, natura ſibi permiſſa negotium ſuum ſuo tempore exequitur, ut noſtra ope non indigeat, ſuis viribus optimè inſtructa, *Sydenh.* at ſalutares non illo nomine illas appello, ac ſi ex aliqua naturæ neceſſitate ita nati eſſemus, ut morbo, à morboſa aliqua criſi ad perfectionem ſanguinis humani opus eſſet. etenim, quid noſtri & brutorum ſanguinis intereſt, ut illa iſtiuſmodi ſanguinis deſpumatione non indigeant? quid nobis ex omnibus animalibus ad ſanitatem integram conficiendam luſtrationes morboſæ uſui ſint? cur prioribus mundi ſeculis hæc καθάρματα defuerunt; genteſque Americanæ à prima mundi origine ad ſuperius ſeculum, tanti morbi beneficio caruerunt; Quicquid itaque vani homines de eorum methodo, in hoc morbo curando, nuper jactitârunt, non ſine ingenti cautela & ſuſpicione admittendum eſt. Etenim cùm res naturaliter ad ſanitatem tendat, quid tua auxilia magnopere laudas? annon ſupervacanea aut noxia potius cenſenda ſunt? his certè remediis populus non utitur, & tamen vix unus è quadrageſimo ægroto apud plebem moritur, inſtitue computum tuum, de tuis (ſcio) multo plures occidunt. Deinde hanc rem (nempè, invitis medicis, morbum de ſua natura plerumque ſalutarem eſſe) abundè confirmant vel contradictoriæ rationes medendi adhibitæ, tamen ſub utraque methodo ſani evaſerunt ægri. Etenim alii calore & ſudore haud modico eos perpetim nutriunt foventque: alii contra frigore poros conſtipant, crudumque aerem magnopere laudant; omnem ſudorem diligenter cohibent, & vel apertis potius feneſtris decumbere, operimenta lecti tollunt, omnemque perſpirationem vehementer comprimunt, etiam pedibus in frigida demiſſis, quod ipſe vel impunè factum à quadam muliercula in cura filii ſui adulti me aliquando vidiſſe memini, ipſis variolis tunc temporis egreſſis; alii alexipharmaca ſedulò exhibent, & in iis omnem ſpem ponunt; alii contra in refrigerantibus; nempe leni cereviſia, larga manu propinatâ, lacte & coctis pomis victitare; vinum verò & juſcula nutrientia omnino vitanda eſſe diligenter clamitant: alii quos novi, variolis egredientibus alvum ducunt, imò purgationem haud minorativam moliuntur; alii contrà omninò alvum moveri vetant: alii hipnotica continuè exhibent; alii iſtiuſmodi aliquid dare metuunt. Profectò nullus finis eſſet huic incœpto. Tractatulo ſi ſingula remedia & medendi vias, animi cauſa inſtitutas, recenſerem: ab iis tamen omnibus Natura ferè impunè læſa ſubtrahit, victorque evadit, Annon itaque ſupra modum arrogans es, tu qui tua præ omni methodo effers, & aliena deſpicis? profectò an turpis lucri, aut meræ & inanis gloriolæ mancipium ſis lector æquus judicet.

Sed ad rem. *Intentiones curativa* ea cautione inſtituendæ ſunt, ne quid detrimenti naturæ, ejus vires minuendo, contingat: ſed ejus motus criticus omni modo adjuvandus eſt: interim alexipharmacis contra malignitatem pugnandum eſt; & ſymptomatis, ſi gravia ſint, occurrendum eſt.

Hujus autem morbi tria tempora, ab ipſo Avicenna, numerantur, nempè primùm, quamdiu ebulliat ſanguis, quod fere inter quatuor dies finitur: alterum, ab egreſſu & apparitione variolarum, ſcil. à quarto ad ſeptimum: Tertium, à ſtato, qui undecimo à decubitu viget, quando nimirum declinare incipit morbus & puſtulè exiccantur, deciduntque. Atque hoc tempus ad quartum decimum diem, & interdum ad vegeſimum extenditur.

In primis autem Febris diebus Sanguis omnino mitti debet, eodem Avicenna autore, ſi neceſſarium ſit: imò etiam egreſſis variolis, ſi vehemens repletio & materiæ dominium id requirat; & ſi primùm non complètè, iterùm fiat, aliter timenda eſt extrema ſanguinis corruptio, De Emeticis verò, Purgantibus, aut Enematis prorſus ſilent Arabes. In hoc utique; conſentiunt moderni; nempè plenitudinem ſanguinis etiam in hoc morbo evacuationem indicare: itemque crapula vehemens, exercitium, ex frigore tuſſis, & ſimilia.

At plurimi in hâc Febre non convenire aiunt Purgationem ullo pacto; ne levi fluxus malignus concitetur; ne natura impediatur ſuo motu, qui eſt ad cutim per abceſſum. At nullus quidem dubito, quin ob prædictas in ſanguinis miſſione, cauſas, illam & enemata & emetica commodè interdum exhiberi poſſe.

Porrò in hoc tempore, eodem autore, Cibatio fiat ex lenificantibus cum vel repercuſſione, ex jujubis putà, dactylis, lentibus, cucurbita, cum Tamarindis, & ſi non obedit iis Febris, adjice ſuper eos cibos (nota hanc Perſarum cibationem vulgarem fuiſſe, non medicamenta) & in ipſo principio apparitionum, rob ribes, putà, cum Trochiſcis Camphoratis; ſcilicet medicamenta ad febrem leniter extinguendam accommodata. His verò noſtri homines, ex conſuetudine quoque victûs quotidiani, & inter nos uſitate, ex cereviſia tenui lactis ſerum coctum, vel hordeata, & avenacea juſcula exhibent.

At frigida ac acida quævis nocent, inquit Willis. Fatendum eſt, & Tamarindos & ſuccum prunorum ita ſe habere; quos tamen Avicenna in hoc tempore inter mitiora lenificantia ponit. At tu velim cogites Perſiæ aut Arabiæ regionem calidam, & noſtram ſeptentrionalem multùm differre. In illa quidem ſanguinis miſſionem, & leniter refrigerantia magno & neceſſario uſui fuiſſe, facile credo; apud nos verò propter conſuetudinem victûs, aëriſque ad frigus ferè ſemper tendentis, & modicè data alexipharmaca, & plenior cibatio, maximè uſitata, minùs nocent. Nec niſi vino de-

ditis, & valde plethoricis juvenibus, & ex vehementi exercitio correptis, aut Urbanis, in craſſo aere degentibus, quibus perſpiratio minùs libera & impedita eſt, ſanguinis miſſio, aut alia evacuantia, aut refrigerantia adeò neceſſaria ſunt.

Ita ſanguis non propriè mittitur in variolis, ſed ex accidenti tantùm, ut ſymptomati alicui ſuccurratur; nimirum ſi quis variolis corripi contingat ex vehementi exercitio, aut crapula, aut ex frigore, huic quidem rectè ſanguis diminuitur ad febrilem ardorem aliquatenus reprimendum, ſed non ut variolæ minùs malignæ, aut pauciores numero fiant, aut commodiùs expellantur: etenim una ſanguinis integritas & plenitudo & melius earum malignitati auxiliatur, & inſenſibilem perſpirationem, in qua valetudinis unica ſpes eſt, promovet. Ita ferè in Hydrope omnis perſpiratio & ſudor ceſſat, quod ſanguis integer non eſt, ſed ſero ſuperfluo ſupra modum abundat.

2. Apparentibus verò variolis, quod ſecundum tempus, ex mente Avicenna, erit infrigidatio cauſa magni erroris; quòd retinet ſuperfluitatem interius; unde ad viſcera principalia defertur. Deinde, variolis exire & apparere haud poſſibile eſt ex pororum conſtrictione; unde accedit inquietudo, anguſtia & interdum Syncope.

In hujus autem diſpoſitione, oportet ut juventur ſuperfluitates cum iis, quæ faciunt ebullire, & aperiunt oppilationes, ſicut fœniculum, apium, ficus, quæ vehementis ſunt expulſionis ad exteriora: lentes, lacca, tragacanthi, quibus Crocum addit Rhaſis. Nam illa expulſio eſt una de cauſis evaſionis à nocumento earum.

Porrò oportet & cooperiatur, & elongetur ab aëre frigido, & propriè in hyeme, ſecundum cuſtodiam ſudationis. Frigus enim oppilat poros & redire facit variolas retrò. Item multitudo aquæ frigidæ cum nive; & introitus in domo venti, mala valdè ſunt. Et fortaſſe ſanguinis miſſio in hoc tempore eſt mala, quod repellit, & convertit illud, quod egreditur; quare omnino caveatur poſt duos vel tres dies ab egreſſu.

Et quando accedit ex coopertura pannorum & calefactione quaſi Syncope, tunc infrigidatio fiat, vel odoribus ex camphoratis: ſed ſi detegendum quoque corpus eſt, & domui venti & aër frigidus intromittendus, paulatim id fiat. Et ſimiliter de Adjutorio cum calefactione i. e. de medicamentis calefacientibus, ut ea quoque paulatim dimittantur,

Et cùm incipiunt exire, & non invenitur cum exitu earum alleviatio, imò invenitur caliditas inflammata, & lingua ad nigredinem declivis; tunc cave, ne calefacias.

Toto hoc tempore, inquit Willis una & continua criſis eſt; quare nihil temere movendum eſt: lenis & blanda diaphoreſis continuanda, cardiacis moderatis aliquoties in die exhibitis.

In fine autem ejus temporis, ex eodem Avicenna, oportet ut conſervetur natura, i. e. vires ægri; & cibetur lentibus, bis elixatis, i. e. victu formori; & acetoſis cum ſucco granatorum, Sumach, Agreſta, aut ſimilibus.

Item in hoc ſtatu, hoc eſt, ad finem ſecundi temporis, quæ incraſſant ſanguinem, eumque infrigidant, & ab ebullitione prohibenda ſunt: inter quæ robiribes, & agreſta & ſucci frigidorum fructuum, ut limonis, ſucci lactucæ, & foliorum papaveris viridium.

3. Ubi verò dies ſeptimus per tranſit, & apparet in variolis maturatio, ſiccantia adhibenda ſunt: ut ſaltio &c. in conſervatione pulmonum, putà, nulli ſecundum eſt lene illud Lohoc ex lentibus cum ſemine papaveris.

Hactenus de curatione ex primis autoribus, & præcipue ex Avicenna; jam videamus quid de ea re occinant nuperi quidam ſcriptores & quid novi adjecerint. nam de hoc præcipue morbo triumphos celebrant bini, at iidem directè adverſarii, veteribus quibuſcunq; aliiſque ſcriptoribus, ad noſtros uſque annos, prorſus inconſultis, neglectiſque ac ſi ante eos nunquam in homines fuiſſet ulla alia literatura, quàm ſua. Nempe ob novas morbi cauſas detectas, ob novam morbi hiſtoriam, ob nova denique remedia, certè nova methodo exhibita. Illa itaque tot tantàque paucis pro inſtituto noſtro percurrere non pigebit. At, inquies, quid nos redarguere velis, cùm ipſa Arabum methodus, quod ab Hippocrate & Galeno non inſtituta ſit, æquo jure vel negligenda vel amplectenda eſt; aut alia quævis nova libere adaptari poteſt, rectè, At Arabum methodus tua eſt, & non nova, imò ipſa remedia Antiquorum ſunt, etiamſi morbus novus ſit.

Inprimis ex his viris alii ſunt, qui venenum, aut aliquam in hoc morbo malignitatem omnino rejiciunt; ſed ſi aliqua graviſſima & peſtifera ſigna accidant, ea omnia malo regimini vel nimis calido vel nimis frigido omnino adſcribunt; imò & ipſam puſtularum copiam & confluentiam, & purpuras, & mictum ſanguineum; atque id genus alia, ſi quæ ſimilia & mali moris fuerint. Etenim hi variolis litant, tanquam malo cuidam neceſſario (ut ſupra dictum eſt) ac utili, ad complementum ſanguinis inſtituto. Quippe ſanguinem, ajunt, ſemel in vita novam formam induere aptum eſſe, ob ſuccorum, illum conſtituentium, opulentiam. Hi muſteum Arabum fermentum valdè depereunt. Etenim illam deſpumationem ſanguinis, ſemel in vita omnibus hominibus exequendam eſſe, cum Rhaſi exiſtimant: neque enim iſte variolarum morbus iis aliud eſſe videtur, quam neceſſaria quædam ac naturalis Renovatio ſanguinis. Infectio autem, quæ in variolis animadvertitur, ceu quædam caprificatio eſt, tanquam ex vicinia ſimilium fructuum. Mirabilis ſanè atque ingenioſa explicatio! ita hic verè morbus non eſt, ſed quoddam humanæ naturæ perfectivum opus, ſive complimentum, ac tanquam ultima manus, quo muſtum puerorum in vinum adoleſcentium in vinum adoleſcentium conficiendum eſt: quod tandem in ſenibus, inquit Rhaſis, aceſcit. Ita & Alſaharavius, ex ſanguine adoleſcentiæ ad juventutem variolati, ut ita loquamur, tranſmutantur. O beata hæc ultima mundi ſecula! ſi quis jam ſenex (nam ſunt valdè decrepiti, qui hoc morbo afficiuntur) variolatus ſit, renovatur ejus ſanguis, ac in ſtatum adoleſcentiæ revertitur. Imò ex hac do-

doctrina optima ratio eluceſcit, cur antiqui Medici variolarum nullam mentionem fecerint, quòd inter morbos tantum beneficium reponere indignarentur. Sed vereor, ne hæc à Mahometanis illis Arabibus ironicè dicta ſint; noſtroſque homines, non advertentes illos vini oſores fuiſſe, adeoque omnia mala de illo dixiſſe, ſeductos in vini, facillimè, ita variolarum bonam opinionem fuiſſe. Ad eundem modum Romani Icterum morbum Regium appellârunt, non propter aliquam excellentiam in illo morbo, ſed quod reges populo Romano maximè inviſi fuerint; ita odioſum nomen morbo fœdo impoſuerunt.

Etiamſi verò exigui momenti ſint, quæ pro innocentia variolarum attulerunt; iis tamen, ne cauſâ prorſus indicta, breviter reſpondere lubet.

1. Quòd non momento fieri poteſt tanti puris apparatus ab aliquo contagio, quantus in hoc morbo ſecernitur. At vis exigui veneni immenſa eſt, e. g. aliquot guttulæ in morſu venenato, alicujus ſerpentis, putà, effuſæ, totum corpus in putrilaginem ſubito convertere potis ſunt. Audi ſis Dioſ. quantulum eſt quod à Phalangia morſu ingeritur, & univerſum corpus excruciat, quanta enim cenſebitur, ſi vulnus ſpectes ſcorpionis, & aliorum ejuſmodi corporibus noſtris perniciem afferentium magnitudo? & horum tamen aliqua vehementes cruciatus excitant, alia putrefaciunt; alia denique quàm primum perimunt. Venenum verò variolarum ejus naturæ eſt, ut ſanguinem ad triduum aut quatriduum exagitare ſoleat; antequam puſtulæ appareant, eaſque ſenſim nutriti ad aliud integrum ſeptiduum, priuſquam ad ſummum incrementum & ſtatum pervenerint; ſpatium certè ſatis longum ad totam ſanguinis maſſam corrumpendam; ut contrarium difficiliùs multò intellectu ſit, cur à tanto veneno non ſemper corruptio.

2. Quòd rariſſimè aliquis bis inficitur variolis, at in Lue Venerea, aliiſq; morbis contagioſis ſæpiùs. Sat eſt malitiæ ſemel infici, & ſævire in populum. Deinde, malum hæreditarium eſſe (ut ſuprà comprehenſum) magna ſuſpicio eſt. Denique; Hiſt. Naturalis adhuc tantùm in incunabulis eſt; unde hujuſce Quæſtionis de proprietatibus venenorum reſponſio idonea privatim peti oportuit.

3. Particulæ variolarum in maſſa ſanguinea diviſæ ſatis puræ ſunt: concretæ verò & expulſæ in abceſſibus demùm corruptelæ cujuſdam ſpeciem induunt. Hæc autem à te gratis dicta ſunt. Puſtulæ tibi videntur quaſi malignæ, at materia, ex qua puſtulæ fiunt, innocua. Verum & effervescentia ejuſque ſymptomata in ipſo morbi initio non rarò graviſſima & lethifera æquè indicant venenum in ſanguinis flumine contineri, quàm ipſæ puſtulæ in cute effuſæ.

4. Veſtigia, ais, profunda in omni ulcere fiunt. At in variolis non rarò contingunt alia certiſſima veneni ſigna; nempè in plebe infima, & ubi nihil a quoquam exhibitum eſt; nempe bubones, petechiæ, variolæ virides, lividæ, nigræ: mictio ſanguinea dyſenteria; & id genus plurima alia: niſi aut oculi perditio ab ulceribus mali moris, item interdum totius alicujus artûs, ſideratio, &c.

5. Denique, ais, vultus quorundam à variolis non deformari; ſed tanquam a naturæ deſignatione, ad meliorem pulchritudinem figurari. Ita milites cicatricibus, maximè ex iis, quæ in facie acceperint, vulneribus confectis gloriantur. Pulchra fœmina, pulchrior variolata. Optima ſanè mulieribus conſolatio, quibus forma tantæ curæ eſt. At ſpeculis, crede mihi, nimium fidem habent, malintque ſuam naturam, utut deformes fuerint cuſtodire, quàm novæ obtinendæ ſe infidis variolis credere. Profectò evaſerint licet, amabilis tamen ille nitor, & genarum elegantia, quæ in cutis tantùm integritate & tenuitate conſtat, funditùs perit.

Illud interim tù notes velim, etiamſi variolæ in primis ejus viri ſcriptis ei parum aut nullam putredinem indicaverint; idem tamen inſpectione diligentiore (ut credi amat) plurium inſequentium annorum, adhibita, anomalas neſcio quas variolas obſervavit, id eſt, extra normam & doctrinam à ſe primò propoſitam. Ac tandem in ejuſdem poſterioribus curis intenſiorem putrefactionem ſuboluit; quod generabantur ex craſſiore, & fœculentiore materia, maligniore dicere noluit. Maluit enim variolas non eſſe ſibi ſimiles, quam Hypotheſin, ſemel evulgatam, renunciare. Imò, ipſo authore, confluentes variolas, aliquibus annis ipſam Peſtem pernicie interdum æquare. An in peſte nullam malignitatem ineſſe credis? imò idem vir miratus eſt, alias variolas ejuſdem ferè ſpeciei alias & planè contrarias indicationes, quàm olim ſi propoſuiſſet, & uſus eſſet, ſubinnuiſſe. At nullus dubito, quin in hac tanta urbe quotannis eadem ſymptomata, pro numero ægrotorum, & ſingula, quæ forte unquam in hoc morbo à quopiam animadverſa fuere, in aliis atque aliis ægris exhiberi; etiamſi per accidens huic vel illi medico ſui pleriquè ægri poſſint ſic vel aliter affici. Unde concludo, variolas (utut per ſe & ex eventu ferè ſalutares ſint, tamen quòd ex venenata cauſa primulùm genitæ ſint) ſemper malignitatem præ ſe ferre.

Hæc autem ultima non adjeceram, niſi quòd, mihi, ejus ſcripta omnia perlegenti, illum prioris doctrinæ tantùm non pœnituiſſe viſum fuerit: donec tandem in ejuſdem opere poſthumo legerim, ſymptomata anomala; i. e. omnia in variolis, ipſo interprete; pernicioſa, à malo regimine ſupervenire eaſque naturaliter & per ſe boni moris eſſe. Ita de Lue Venerea concipe, de Hydrophobia, ullòve alio morbo maligno & venenato. Nam omnium paratio eſt. Quaſi dicas illam primam in Gonorrhœa fere, & urinæ ardore, veſiculiſvę aliquibus in pene cancroſis comprehendi; ſed ſi quando vehementiora & minùs uſitata & malefica ſymptomata contigerint, ut bubones, nares faucêſve cancroſæ, puſtulæ exedentes, intolerabilis dolor in capite, aut ſcapulis, nodi, exoſtôſes, hæc omnia anomala eſſe, & à malo regimine orta. Igitur, ut videtur, vel ejus veſtigiis tibi preſſus, ô medice! in poſterùm inſiſtendum eſt, vel omnis culpa, ſi quid funeſtum acciderit, in te rejiciendum eſt.

Illud verò non prætereundum eſt, quo ſe quoque contra venenum protegere videretur; criticè, aiunt veteres, variolas, erumpere, cu-

ramque adeo peculiarem nullam poſtulare, hoc inter alios Augenius exhibet. Ita noſter; natura ſibi permiſſa negotium ſuum ſuo tempore exequitur, ut noſtra ope (in junioribus) noſtris artificiis, atque auxiliis non indigeat. Concedo equidem cum Avicenna in variolis eſſe quendam modum, ſive peculiarem quandam criſin: at concoctionem materiæ alicujus morbificæ, quæ criſeos maxima ratio eſt. Variolarum eruptioni præcedere, vehementer nego. Illud autem affirmo; ſi nullum eſſet in variolis venenum, inſenſibili perſpiratione, aut aliis medicamentis purgantibus domari & evacuari, & non per puſtulas neceſſariò ſolvi, poterant. Quod tamen nunquam accidit alicui, vel temeratio Medicaſtro. Alſahatavius quidem omnes infrigidantes medicos noſtri ſeculi multis paraſangis anteivit, maximè in primo Variolarum tempore; nempe in ſanguinis miſſione ad ſyncopen, & frigidæ, immenſa & confertim exhibita, potione; eaque ſæpiùs repetita paucis horis. At, quantum video, ſine ſucceſſu. His tamen non obſtantibus venenum intra habitum corporis reſtitans (quod neque extingui, neque ullâ évacuatione tolli potuit, adeo totum ſanguinem jam infecerit) ſanguine circumactum, ipſa ſua eruptione perpetim & neceſſariò, ſub ſpecie vaporis ſupervacanei per oſcilla cutanea, ea tandem corrumpit, atque in veſiculas excitat, inflammatque in his verò ſuperfluus & venenatus, jam cohibitus, & à libero exitu præpeditus, poſtquam ad ſummam diſtentionem & magnitudinem veſicæ pervenerint, in pus, ex ſua natura (nempè quod ſerum extravaſatum ſit, ut pus ex vulnere, aut mucus putridus ex coryza) denſatur; ac maturatur.

Atque hactenus de Variolarum malignitate breviter pictum eſt. Proximo loco ad earundem novam (ut credi amant) Therapeiam, & medicamenta ſive medendi methodum procedo.

In primis diebus, ais, ebullitio nec nimis evehi, nec nimis minui debet; idque ad ravin uſque repetas, At dic quis medicus; unquam aliud dixerit nemo, quod ſcio, ab Avicenna ad ipſum te. An non idem ſedulò inculcat Willis; & egregium, ubi opus fuerit, exemplum infrigidationis in juvene, calidis ferè ad necem oppreſſo, exhibuit?

Porrò ais, Variolas ante debitum tempus nullis remediis erumpere. Tua itaque inaudita ac mirabilis cautela de intempeſtiva eruptione vana eſt; ita nec prohibent alexipharmaca, ut affirmas, exhibita, nec tua refrigeratio promovet.

At rurſus, inquis, materia Variolarum in ſanguine primis diebus cruda eſt, & nimiùm diſperſa per ſanguinis maſſam, ejuſque particularum collectioni & inter ſe coitioni tempus dandum eſt, antequam egrediatur. Hæc autem gratis dicta ſunt. Etenim venenum cruditatem neſcit; acrior quidem ob moram & ignitionem ſanguinis fieri poteſt, ſanguinemque adeo plurimum corrumpere.

Præterea; ais, quo diutius natura ſeparationem molitur, & perficit, eò certiùs & univerſaliùs eadem abſolvitur. Ita ex tarda ébullitione, variolæ diſtinctæ, ex feſtinata verò ac vehementi, confluentes. De tempore autem eruptionis aliter ſenſerunt primi authores, nempe ſi apparent in die tertia eſt materia mediocris; & ſi tardant uſque ad quartam diem eſt tardæ digeſtionis, i. e. difficilis: niſi allevietur æger, & è contra. In eo verò falleris, nempe dum ſeparationem, neſcio quam deſpumationem, particularum morboſarum congregationem, earumque concoctionem, ſecretionemque (nam his aliiſque multis id genus vocabulis tuis lactamur) in ipſo ſanguine fieri vis; puſque eſſe genuinam prolem hujuſce materiæ ſecretæ: puri itaque debent reſpondere particulæ à ſanguine ſecretæ. Sed & res & ratio falſa eſt. Quippe nihil à ſanguine ſecernitur, niſi ejus ſuperfluitates, tanquam in ſanis. Hæ autem veneno infectæ, erumpenteſque atque in oſculis ductuum cutaneorum pauliſper detentæ, ob naturalem partium illarum conſtrictionem, configurationemque exiguas veſiculas excitant, eædemque in majores in dies eminent, ex appulſu novi ſeri evaporandi. At iſte humor, qui primùm partim tantùm lentus fuit, excretoriis, maximè ex morâ & calore partis jam venenatæ, in pus convertitur. Id quòd abundè teſtatur, ad ſtatum uſque, ruborem, inflammationem ac tumorem (etiam quando ad perfectam maturationem variolæ attigerint) perſeverare, & ſpectabilem eſſe.

Cur autem ferè ante quarti initium non appareant, ratio eſſe poteſt; quòd ubi ſerum ex veneno paululùm leneſcat multo difficilius per ductus cutaneos, at cùm liquidius fuit, transferatur. Item cùm variolarum apparitio ex oſculorum ductuum inflammatione & in veſiculas tumefactione conſiſtat, id non ſubitò, & ex primo vaporis venenati exitu, ſed pro natura mitioris & minus acris veneni, plurimòque ſanguine ſano diluti, alterum & tertium diem requirere ad partem ſolidam & nodoſam (quales ſphincteres ſunt) elevandam in tumorem inflammatum.

Sed interturbo te, dic reliqua. Nemo, ais, perit ex Variolis, quòd non eruperint; ſed multi, quòd cùm eruperint bona ſpe, præmaturè detumuere puſtulæ. Imò aliqui; (quod ipſe teſtor, ac alii mecum medici) periere ex ſyncope, & convulſi plurimi mortui ſunt in primo variolarum tempore, ante eruptionem, ut ubi leviſſima tantum earum apparitio fuit. Et quid in primis inſultibus, ubi omnium graviſſima ſymptomata eſſe conſueverunt?

At, inquis, in deſpumatione prohibita & nimiùm imminuta ebullitione pabulum & materia deeſt Variolis conficiendis. Itane credis multos ex materiæ morboſæ defectu enecari? nempè deſignavit natura tot puſtulis tantam materiam morboſam: igitur cave ſubtrahas tantæ fœturæ optimæ ſpei ſanguinis renovandi fæculentias; ſed tanquam bonus Oeconomus diſtribue annonam pro inſtituto tempore, ne ex inedia pereant, antequam adoleverint.

At Fabula nondum finitur. Si ſecreta materia ex quavis cauſa intrò revocetur, eandem ægro certam necem inferre; illam verò corruptelam, ex ſecretione malè peracta, ſibi acquiſivit non ex aliqua malignitate. Periêre quidem ſuperiores tuæ variolæ ex inopia materiæ ſecretæ; hæ verò ex reaſſumptione materiæ ſuppuratæ. At malè meminiſti te, velut fundamentum,

tum, poſuiſſe, ſuppurationem omnem in ſanguine factam fuiſſe; innocuum verò pus è ſanguine exiiſſe; quare itaque ſi idem denuò ſanguini commiſceri contigerit, mortem tam citam inferat? hic ſiles; tantùm innuis aliquid in ſecretione malè peractum fuiſſe. Ego verò nihil omnino, cùm nihil uſpiam è corpore in hoc morbo ſecerni audacter affirmaverim præter ſuperfluum vaporem veneno infectum. Agnoſcis tu hominem occidi ob neſcio quam corruptelam; quam tamen malignam eſſe noluiſti. At certiſſimos nos facit Hiſtoria medica aliorum abſceſſuum pus, per ipſum cor poſſe traduci, & multo tempore cum ſanguine circulari impunè, & citra corporis noxam, nedum mortem. Claro documento, ineſſe puri variolarum retrogrado venenatam & exitialem.

Inſuper urges ex leni ebullitione & refrigerantibus egreſſionem puſtularum fieri & faciliorem, & promptiorem: quaſi dicas, à leni pulſu facilior ac promptior circulatio. Hæccine eſt tua œconomia?

Ad alexipharmaca quod attinet, inquis, iis non opus eſſe in confluentibus, quia major inflammatio eſt. Malè rem intelligis; ſiquidem illa dantur propriè & privatim adverſus venenum, non expulſionis ſolius cauſa; ubi autem major inflammatio, ibi majorem malignitatem ſubeſſe, credibile eſt.

Ejuſdem quoque commatis eſt, quod ſequitur: nempè in declinatione, ubi ſecunda febris, ſedulò refrigerandus eſt æger, ne ſudet.

- - - - nudus
In Tyberi ſtabit, caſus medicuſve levarit
Ægrum ex præcipiti: - - - - - -

Ubi ſcilicet, Cardiacis maximè opus fuerit; nimirùm ab inanitione tot tantarumque puſtularum, & à tenui victu plurium dierum ferè proſtratis? temeraria ſanè cautio, cum ipſa ſecunda febricula, ſi quando acciderit, à nimia inanitione oriri poſſit; ut in Hectica & Phthiſi.

In adultis Ptyaliſmus ſæpè ſupervenire ſolet; atque hic Epilogus eſt. Morbus, inquit ille ſe expurgat novo hoc per ſalivationem modo, ideo minùs de puſtulis curandum eſt. Salivatio puſtularum loco eſt. Minimè quidem; quippe nulla evacuatione Variolas formatas tolli, aut minui poſſe, ſed per ſolas puſtulas venenum ejiciendum eſt; id quod omnis omnium ſeculorum à Variolis ortis communis experientia teſtatur. Deinde, in confluentibus ſecundum te id præcipuè accidit, ubi ſcilicet puſtularum maxima copia eſt. At puſtulæ, ais, in confluentibus depreſſæ ſunt; itaque ſalivatio earum anguſtias penſat. Imò alia depreſſionis ratio eſt, nempè oſcilla ductuum excretoriorum, & ipſa ſpatia cutis intermedia, in unam veſiculam communem, more Cantharidum cuti admotarum inflammantur, ac exeſa ſunt. Ergo latè diffunditur materia contagioſa; non autem ut in diſtinctis, certis limitibus comprehenſa, undique comprimitur, ac acuminatur. Salivatio itaque non venenoſam materiam expellit; ſed, illâ prius expulſâ, certè ex maxima parte; occluſis jam cutis foraminulis, ſuperflui vaporis à ſanguine perſpiratio, per fauces & pulmones fiat, neceſſe eſt. Imò eodem ſalivatio naſceretur, nullus dubito, ſi pori cutanei, vel artificiali ulla alia de cauſa occluderentur, ut ex frigore, & Mercurii inunctione experimur: nempè ab eo ſtatim catarrhus, defluxio ingens, & ſpumoſa ſaliva excreari ſolet. Denique, quòd ſalivatio non ſit de morboſa materia, illud argumentum eſt, fauces ab ea, utut vehementi, minimè exulcerari, prout in eruptione cutanea fit.

Salivatio, addis, promovetur multa & tenui potione: ita quidem, & interdùm diarrhœa funeſta, & micturitio tua mortifera: hæc tibi in medicina facienda, ſcio ſæpiùs accidiſſe: at cauſam non vidiſti; tantus tuarum hypotheſium amor eſt.

Sic Tragicè deſævit, & ampullatur in arte.

an non verè hoc eſt, laudem, an lucrum dicas, quæſitum ire in vita hominum?

Narcotica (pergis) in adultis movent ſalivam: ſic medicamenta vehementer adſtringentia citam alvum faciunt, & cathartica in diarrhœa fiunt, ex tuâ doctrinâ. Nam utriuſque par ratio eſt. Quòd autem non multùm & diu ſalivæ eruptionem impediant, facilè credo; Quemadmodùm verò in dyſenteria nec opium comprimit ventrem, quin paucis momentis denuò citetur, victa ejus virtute à morbi malitia. Sic ab opio exhibito in variolis, ob neceſſitatem perſpirationis, in aliqua ſaltem corporis parte, citò redit ſalivatio. At aliæ, eædemque longè potiores rationes ſunt, propter quas narcotica dare in hoc morbo conſueverunt medici; quòd ab eruptione, exigua tantùm febricula ſit, unde medicamentum æquè tutum, ac vinum in ſanis; quod in adultis metum, & in pueris clamores & quærimonia tollit; quòd utroſque ab irrequietâ jactitatione prohibet, unde ulcuſcula ſarta tecta conſervantur, ne in mortificationes laceſſantur; quòd corpus in æquabili perſpirationis ſtatu vindicat. Sed de his infra plura ubi medicamentorum rationes exhibebimus.

Hactenus cum iis rem habuimus, qui variolarum quandam innocentiam ac neceſſitatem ad perficiendam humanam naturam vindicant. Alii verò ſunt, iique novi quoque ſcriptores, qui nihil niſi venenum exclamant; alterumque primarium Athletam novum, & veteribus planè incognitum, præter ſanguinem, humorumque maſſam; nempè ſpiritum animalem, in medium proferunt. Hunc autem diro conflictu cum veneno certantem exhibent; ex hoc prælio, ſi quæ lethalia ſymptomata & ſtrages ſint, illa omnia oriantur, neceſſe eſt. Itaque in variolis nihil niſi dimicationes & Tragœdiæ in nervoſo genere audiuntur: horrenda Toxica, ipsâ peſte interdum pejora; ubique militaris apparatus, innumera ſtadia & caſtrametationes, vehementiſſima alexipharmaca utramque paginam implent. Atque hæc omnia nobis ex mero poſtulato pro ſumma ejus viri modeſtia credere fas eſt.

- - - - - - vidi ipſe furentem
Cæde Neoptolemum, geminoſque in limine Atridas.
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipſe ſacraverat ignes.

Pro-

Profectò in hanc arenam invitè deſcendo; tantus veneni timor eſt, ut quo me vertam, neſcio; & niſi paupertinorum ſpirituum miſericordia me moveret, hæc omnia ſilentio præterirem, eodem jure, quo ipſe author omnes ante ſe de hoc morbo ſcriptores medicos neglexit; præter unum meritò ejus antagoniſtam. Nam ille in hoc morbo nihil omnino moliri voluit, & infrigidationes ſupra omnia auxilia animosè & ex ſumma miſericordia in humanum genus extulit; & ſi quod morbo venenum ineſſet, id omne deberi malo regimini, & medicamentis perperam exhibitis, Contra hic omnia bona de calore, ut ita loquar, ſpiritigeno, & valentiſſimis Antidotis prædicat; nempe tanto veneno domando & ſpiritibus ſuſtentandis apprimè neceſſariis.

Diſcernite, quæſo ô boni judices, quis ſanior ſit ex iſto Gladiatorum pari, ſanè oppoſitiſſimo. Nam variolarum multùm intereſt, ſcire; an hac vel illa parte ſteterit victoria.

------ inter
Hectora Priamidem, animoſum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors
Non aliam ob cauſam, niſi quod virtus in utroque
Summa fuit.

Profectò ego nihil determinare auſus ſum. Tantùm difficultates quaſdam paucis proponam. iſti autem, eorumve ſectatores expediant ex otio, & quando commodum videbitur. De priore verò jam ſatis dictum eſt; de hac poſteriore; opinione, quæ ſentio, breviter exponam. Igitur ita ſe res habet, ſi rectè capio.

Venenum, unde ortum, ſpiritibus implicatur; prælium committitur; victo tandem veneno, à ſpiritibus fugatur hoſtis criticè. humores autem in conflictu à veneno inficiuntur, quæ neceſſaria quædam eorum prædiſpoſitio eſt; ad expultionem veneni expediendam. Nam venenum naturaliter maſſam ſanguinis humorumque colliquat, funditque, item Fermenta quælibet alterat. vita autem ægrotantis non tam à febre, quàm à veneno ipſo ſpiritus delente, in diſcrimen ducitur. ità à vehementiore quovis ſymptomate in variolis, ſpiritus magis deleri, quàm à primario veneno.

Atque hoc quidem omnibus, inquit ille, notum eſt. Cùm verò fermentum varioloſum præ omnibus fermentis ſpiritus irritet, opio & alexipharmacis frequentiſſimè exhibitis compeſcendum, itaque Laudani uſus adeò neceſſarius eſt in variolis; ut ſine eo nihil ferè in curatione variolarum perfici poſſit; at ſalvo jure ſp. vitrioli aquæve, neſcio cujus, Stipticæ Regiæ. Atque hæc ſumma eſt hujus noviſſimæ doctrinæ de variolis: ſi quid omiſerim, libenter, aliquis, data occaſione, mihi indicaret velim; nam reliqua omnia, quantum video, apud veteres uberius legere eſt: de quibus ſupra ſententiam meam ſatis expoſui.

Quid autem ego de ſpiritibus ſentiam, non opus eſt, arbitror, ut hic repetam. at poſitis, non datis ſpiritibus tui cauſa, quomodo conſtat, venenum illos primùm adortum, eſſe; ſpiritus dicuntur ex ſanguine puriſſimo fieri, & in cerebro nervoſoque genere hoſpitari; cur itaque per ejus flumen venenum tranſiens, non ipſum ſanguinem maſſamque humorum primò inficiat, aut eo certè diluatur, & de ferocia ſua aliquantulùm remittat, ante quàm in caput aſcendat, & per cerebrum nervoſumque genus ſimul cum ſpiritibus in omnes corporis partes transferetur. Willis, qui primus, quantùm ſcio, eandem opinionem protulit, non ſine aliqua veriſimilitudine venenum menſtruum fermentum facit, & homini connatum fuiſſe arguit; & cum cerebrum, ſpinaliſque medulla, præcipuæ ex ſpermaticis partes ſint, ibi naturaliter, quod commodius, ab ipſo fœtu formato delituiſſe. At vana eſt hæc opinio. vide quæ ſupra expoſita ſunt.

Porrò, ais, humores in conflictu inſici, pugna autem in dominio ſpirituum privatim celebratur, victoque veneno & ex gremio & amplexibus ſpirituum excuſſo, in ſanguinem migrat; adhuc tamen omnis ejus malitia deleri non videtur; ſed exit venenum ex nervoſo genere, novaſque turbas & febrem accendit in ſanguine. ita facilè per teiptum redis ad Arabum doctrinam; nempe ad fermentum quoddam varioloſum, ſanguinem vehementer exagitans: Atque hæc eſt illa neceſſaria humorum prædiſpoſitio, quam illi ebullitionem vocarunt, à veneno autem poſt conflictum cum ſpiritibus recedente, ſanguini inducta.

Rurſus, ais, ſpiritus à veneno implicari, irretiri, comprimi, ſopiri; penitùs extingui, ut non amplius ſe, pro ſua natura elaſtica, expandi poſſint. venenum autem procax, & acerrimum toxici genus eſt, præ omnibus fermentis exagitans atque irritans, cutem inflammat humorumque maſſam fundit. itane? hæccine adeo incompatibilia ſint, ut implicentur? an ab igne igni adjecto aliquis extinctionis metus eſt; ita eſt, fratrum concordia rara eſt.

Ita profectò ſentis, nam ais vitam ægrotantis non tàm à febre, quàm à veneno ipſo, cum ſpiritibus præliante extra flumen ſanguinis. Hinc uſus Laudani tam neceſſarius eſt maximè ſi alexipharmaca mitridaticum, theriaca, diaſcordium adjecta ſint; nempe duplici doſi, una pro ſpiritibus, altera pro veneno, ſcilicet ex hac miſtura optima ſpes eſt criſeos perfectiſſimæ. Sin autem ſanguis erumpat alicubi corporis cum veneno, actum eſt, niſi ſpiritus vitrioli, aut aliqua aqua Regia exhibita ſint. ſic duplici invento, uno tui antagoniſtæ, altero tui ipſius beamur, euge! optime novitium inventum! nam veteres ſcilicet.

Hæc facetia eſt, amare inter ſe rivales duos;
Uno cantharo acidulo potare.

ſtupidi illi homunciones, ne ſomniârunt quidem de acidis in hoc morbo dandis.

Taceo uſum Corticis Peruviani; à quo propinato, ais, diſtinctas ſemper variolas ſequutas fuiſſe. Perinde ut ab ſyrupo Alyandaci Alſaharavii, qui exhibitus ante eruptionem variolarum, ſi exierunt novem variolæ, non tamen pervenient ad decem. ita interdum forte fortuna & antiqua & nova inter ſe mirifice concordant, in maximum mortalium bonum. ſed proh dolor! corticem habemus; ſyrupus verò iſte mirabilis, quantum ſcio, cum autho-

authore periit. ſed tantarum inanium rixarum tædet; ubi parum aut nihil, præter abſurda quædam figmenta, occurrit.

Ad propriam praxin tandem pervenio. nolo autem, ô bone lector, te exanimare multitudine ægrotorum: paucas tantum & ſelectiores quaſdam Hiſtoriolas, remediorumque gratia potiſſimum recitatas, exhibere in animo eſt ut ſcias, quid ipſe in hoc morbo curando facere conſueverim; & ut medicamentorum maximè appropriatorum uſus ac rationes paucis expediam. profectò malum in hac urbe adeo quotidianum eſt; ut nemo noſtrum eſt, quin ei à mediocri praxi facile foret vel ſuos centenos ægrotos exponere. noli tamen timere; adverſaria non exhauriam.

1. Miles quidam Gregarius fortè Eboracum, exeunte Januario ante annos viginti adveniens, ubi nemo, quod ſcio, à pluribus annis variolis decubuerat, ex eo morbo mortuus eſt, primum vicinia ægrotavit ex infectione; tandem in totam urbem ſævit.

D. Harriſon formoſa puella, octodecim annos nata, in proximis ædibus militi mortuo habitans, ex rumore vehementer territa eſt: mox ſe malè habere cœpit; & capitis lumborumque dolore multum queſta eſt: dein vomuit, & febricitavit.

Ei tum urina fæculenta, ex fæcibus albidis & furfuraceis.

Ipſe vocatus leviter purgantem potionem dedi: à qua per biduum ſeſe multo meliùs habuit. eadem verò mala denuò reverſa ſunt: atque iterum purgata eſt paulo validiore medicamento. à quo pejus ſe habuit, & pulſus vehementer concitatus eſt. inde ad ſeptimam diem primà ægritudine medicamenta alexipharmaca (ex bezoar Oriental. pulv. è chel. croci, cochenel. &c.) data ſunt; at citra puſtularum eruptionem, quam fruſtra per integrum quatriduum (aliis infantibus jam tum in eadem domo cum variolis decumbentibus) expectavimus. Octavo ſanguis è brachio miſſus eſt, ob difficilem ſpiritum, tuſſim ſiccam, & levem veluti raucedinem; is refrigeratus, albida pellicula variegata contectus eſt. Ea verò nocte bene dormivit; & poſtridie perpaucas & exiguas puſtulas in facie videre licuit: nunc autem, omnibus malis tantùm non finitis, bene ſe habuit. ipſa facies paululùm intumuit. variolæ diſcretæ & acuminatæ fuerunt.

Triduo verò ab eruptione admodum frequentia ſternutamenta, & multa pituita & per os & per nares mota eſt.

Hodie quoque menſtrua ex ſtato & debito tempore ei reſponderunt.

Quarto ſimiliter manarunt menſtrua, & alvus iterùm reſpondit. eadem de gutture querimonia & inſignis raucedo, & ſaliva copiosè mota, & ſternutamenta. ipſæ autem puſtulæ jam & numero & magnitudine multùm auctæ; & earum pars media ſive eminens ichore quodam limpido plena. manus & brachia & facies iis replentur; at in reliquo corpore rariores.

5. 6. Omnia fauſta: lachrymæ involuntariæ & apertis adhuc oculis. puſtulæ jam albidæ, atque admodum intumeſcentes.

7. Facies valde tumefacta: puſtulæ prægrandes; iis color ex albido flaveſcens, cum pellucidæ ante fuerant; ſicut etiamnum ſunt in brachiis. Oculi ferè occluſi; & qui humor pridie in iis liquidus, jam craſſus & veluti purulentus eſt. eadem tubulenta urina.

8. Puſtulæ jam cruſtis areſcere cœperunt.

9. Eædem ſubaridæ, & biduo poſt decidere cœperunt; & ſui veſtigia vel leviſſimè impreſſa reliquerunt, an quòd corpus benè purgatum; quòd ſanguis miſſus ſit; quòd menſtrua ſuo tempore reſponderint?

2. D. Norton puella 18. annos nata, exeunte Auguſto variolis affecta eſt. primo autem ægritudinis die menſtrua leviter reſponderunt: vehementer febriit; deque capitis & lumborum dolore immani querebatur. ea nocte deliravit. 2. Vehementi febre arſit, & non ad intelligentiam rediit, 3. Similiter ſe habuit: at jam exiguæ puſtulæ rubræ in facie brachiiſque apparuerunt: ad mentem rediit. illa autem nocte ſumpſerat hujuſmodi medicamentum.

(℞. Trochiſc. viperini ʒi. bezoar oriental. ℈ſ. aq. Theriacal. ℥i.) 4. Puſtulæ jam eminentiores, at diſtinctæ & velut veſiculæ aqua plenæ; ad earum verò radices cutis rubicunda, hac nocte ſatis commodè dormivit: febris ex magna parte deſiit. 5. Ipſa facies paululùm tumidior, & auctiores puſtulæ; adhuc tamen aqueæ. veſperi alvus primò reſpondit. 6. 7. Ex albido flaveſcebant puſtulæ: oculi clauſi, & lachrymis involuntariè ſtillantes. 8. 9. Summæ puſtulæ ſicceſcere incipiunt, ipſaque facies paululùm detumuit. 10. 11. Oculi aperti: puſtulæ in cruſtas indurantur.

NB. Ipſis cruſtis deciduis, tamen maculæ quaſi nodi quidam in cute, diu tumidæ permanſerunt.

3. Filius natu major. 11. annos natus, D. G. Frankland de Thurtleby Militis. ex variolis diſtinctis decubuit: cibum autem etiamſi è media materia, tamen bis quotidie minimùm, quòd minimè ægrotavit, ſumpſit; medicamenta taceo, quod nulla memini illi data fuiſſe. ad 16. diem è lecto ſurrexit; ſubitoque ejus artus omnes conciderunt, velut in apoplexia, & alto ſopore correptus eſt; neminem cognovit, aut clamanti ad aures reſpondit.

Ipſe nunc primùm vocatus, puerum nè ſemel quidem in toto morbo dejeciſſe intelligo.

Fruſtra enemata acerrima etiam ſcybalis aliquot duriſſimis digito prius extractis ex ano, injecta ſunt, eaque ſæpè repetita, ſemper tamen irrita fuêre.

Ita ſe habuit ad viginti quatuor horas, adeo ut, quod ejus ori inditum eſt, niſi etiam gutturi penitus intruderetur, non deglutivit. poſtridie autem manè Extract. Rudii ℈ſ. in 4. pilulis gulæ interiori intruſimus, earumque operationem totas octo horas expectavimus. mirum! quantum excrementorum, magnam partem liquidiuſculorum, unâ vice involuntariè dejecit. dictum factum! ad intelligentiam rediit. at ex altero femore reſolutus eſt, & ad annum claudicabat.

In hoc caſu noto vim liquefactivam pharmacorum purgantium, etiam duriſſimorum ſcybalorum, nempè ex mota pituita è ductibus excretoriis.

Cauſam ſi quæras, cur alvus in variolis ferè

ad

ad multos dies ſupprimatur? reſpondeo, veriſimile eſt, etiam ipſa inteſtina variolis affici; itaque eadem rigida fieri ob frequentes puſtulas inflammatas; eorumque adeo motum compreſſivum, pro eo certè tempore, neceſſariò, ſuſpendi, facultatemque feriari.

4. D. Harriſon mulier 20. annos nata, variolis confluentibus Eboraci decubuit; ægrè convaluit: longum eſſet omnia ex adverſariis meis de illa ſcripta recitare; illud notabo, nempe ejus oculi diu à convaleſcentia ſanie madebant & inflammati ſunt, huic & ſanguis miſſus eſt; & medicamenta purgantia ſæpiùs exhibita; atque alia multa Topica admota: nihilominus oculi peſſimè ſe habuerunt. tandem ſic admirando effectu præſcripſi.

(♃ Ung. Tutiæ ʒii. aloes roſacei torrefacti ʒi. benè lævigentur m. f. Linimentum) alterâ quâque horâ illiti ſunt eo medicamento oculi: paucis horis dolor levatus eſt & ſanies brevi ex toto ſublata eſt, & inflammatio deſiit & oculi ſiccabantur: ut luce liberè & cum voluptate frueretur.

5. D. Barkham valde obeſa mulier, plurium infantum mater 1683. variolis exeunte Januario decubuit, huic in prima correptione ingens capitis & dorſi dolor, vertigo, nauſeabunda, Febris. 2. Omnia pejora. 3. Omnia vehementiora, & variolæ hic & illic planè apparuerunt. menſtrua ante tempus jam profluebant. 4. Plures variolæ: at præter expectationem & pro vehementia ſymptomatum admodum paucæ & diſtinctæ. febricitare deſiit, ingens eo die ptyaliſmus ortus eſt. 5. Omnia benè ſe habuerunt. reliquam diariam non tranſcribam. 7. Jam (quod præcipuum & mihi tum valde novum videbatur) in univerſa cute innumeras exiguas maculas rubras, velut acu pictas; ac ſi nova Variolarum fœtura inſtaret, Sic præſcripſi.

(♃. Balſ. Leucatelli ʒii. Salis Martis ℈ſ. optimè lævigentur ſuper marmor. hujus balſami Martis ℈ſ. ter quotidie dedi. maculæ ad 9. prorſus evanuerunt. 13. Surrexit è lecto, & tum primùm ſine ullo incommodo dejecit. convaluit.

6. Juvenis quidam ex frigore vehementer coryzâ laboravit; ſub eodem tempore variolis confluentibus graviter correptus eſt. toto decubitus tempore valdè excreavit cum tuſſi; & vix deglutire potuit. ipſe ad 10. diem vocatus Balſ. Martis ℈i. do: idque quotidie repeto, die 14. multo melius ſe habuit, & benè & facilè deglutire potuit; huic tantùm avenacea juſcula permiſi. 15. primùm dejecit; & variolæ incruſtari videbantur; caput detumuit, at adhuc multum exſcreavit. convaluit. quater ex balſamo Martis tantùm ſumpſit, at optimè tulit medicamentum, & ei, ut opinor, magno antidoto fuit.

7. Famula D. Cheſney 30. annos nata, variolis confluentibus decubuit. præter decoctum Avicennæ ex ficubus, Tragacanth. ſem. fœnicul. lacca, nihil præſcripſi, item mucilag. ſem. Cydonior. item admodum tenui victu nutrita eſt.

Variolæ depreſſæ & exiguæ fuerunt: huic ſputum exiguum menſtrua ferè aſſiduè profluebant à primo correptionis die. item ex gutture ipſo initio morbi valdè queſta eſt, tanquam ex frigore aliquid mali acceſſerat.

12. Admodum ex gutture ægrotavit, ut penè anhelans ſuffocari videbatur; nec aliquid deglutire potuit. juſſi os elui melle violaceo, cui paululùm omphacii ex pomis acerbis adjectum ſit. Dein balſamum Martis ℈ſ. dedi, quod tamen admodum difficulter devoravit. item ſingulis binis horis ejus balſami Martis ℈ſ. ex ſyrup. jujubin. dari juſſi, ea nocte optimè dormivit. 13. 14. B. M. ℈ß. ſingulis noctibus ſumpſit. gutture, ut antea Collyrio tepide injecto bis aut ampliùs in die diligenter curato. jam primùm media nocte alvus mota eſt. 15. omnino detumuit facies, puſtulæ ſiceſcebant; gargariſato ore hujuſmodi medicamentum ſumpſit.

(♃. Mellis cocti ℥ii. ſyrup. violar. ℥ß. mucilag. ſem. cidonior. ℥iß. cochleatim detur) 16. 17. balſ. martis ad ℈ß. nocte ſumpſit. convaluit.

8. D. Walker ex frigore & itineris plurium dierum fatigatione febricitavit cum gravi tuſſi. item à ſymptomatis variolas prædixi. à principio decubitûs vomuit, & aliquoties dejecit, deliravit; huic ex Mithridat ℈ß. cum agaric. & ſal. Martis gr. 1. bolum dedi: item diacodii ℥ß. ex aq. hordei.

Huic tantum variolæ diſtinctæ. at propter tuſſim & ſanguis miſſus eſt & diacodium in modica doſi ſingulis noctibus exhibitum eſt. 15. nihil id genus medicamenti datum eſt; ea vero nocte & pejus ſe habuit, tuſſi aſſiduè vexata eſt; & ſemel liquida dejecit: inde 16. mane idem diacodium datum eſt; nimirùm propter tuſſim conjunctam cum variolis. convaluit.

NB. Febris non ante 12. diem. id eſt, maturationis ultimum tempus, remiſit.

9. D. Tomlinſon juvenis robuſtus, ineunte Aprili variolis confluentibus affectus eſt. ipſis puſtulis erumpentibus ſanguis è brachio ad unc. x. miſſus eſt. avenaceis tantùm & ſero lactis cibatus eſt. Confect. Alkermes & Confect. de Hyacintho primis diebus modicè ſumpſit.

Decoct. pector. cum ciceribus & lacca aſſiduè potavit ad ipſum morbi ſtatum. optimè ſe habuit; nec ei alvus mota eſt ante 13. diem. quo die, ab aliquo neſcio quo, caſeo recenti clam comeſto, inhorruit, & difficillimè reſpiravit, & tantùm non animo defecit. diacodii unc. ß. (nam ante ejus nihil ſumpſerat) & hauſtulo vini canarini ex ſero lactis: hominem reſtitui. convaluit.

10. Filius D. Pricket Quæſtoris publici Eboracenſis, 8. annos natus, variolis decubuit: diſtinctæ fuerunt, at inſolitæ magnitudinis: nam inter eas fuerunt magnæ, inſtar veſicularum piſcium totæ aqueæ at nigricantes: ad vigeſimum diem aqueæ veſiculæ in pus non converſæ ſunt, ſed ex his à me pertuſis aqua nigricans; inſtar ſucci mororum, effuſa eſt. ad 27. diem vixit, nullo digeſtionis ſigno in maximis variolis; & minores haud tum ſiccabantur,

11. Filia D. Tolhurſt in vico D. Martini habitantis, circiter 7. annos agens variolis diſtinctis, iiſdemque paucis & plenis decubuit. ei exhibita ſunt vulgaria bezoardica è pul. chel. comp. in principio. parum ægrotavit niſi primis diebus. nihil ferè cibavit præter avenacea aut

ſerum

ſerum lactis ex cerevïſia tenui aut tantillo vini Hiſpanici decoctum: 4. ab eruptione ad ſcapulas ingens Bubo ſubito ortus eſt, cum vehementi inflammatione circumcirca, etiam dorſum & collum latè occupante. 6. bubonem aperiri juſſi; è quo pus ad aliquot uncias effuſum eſt: puſtulæ tamen varioloſæ conſueto tempore maturuerunt, vulnus diligentia & cura Chirurgi Jones ſanatum eſt, convaluit.

12 Filius D. Verney Militis, juvenis ex immodico exercitio in ſphæriſterio variolis Londini decubuit; ei ſanguis aliquoties miſſus eſt, aliis plurimis medicis adſcitus purpureas maculas variolis interſperſas vidi, & latas nonnullas plagas, veluti vibices in brachiis & collo purpureas; hæmorrhagia narium & mictu ſanguineo a primis diebus affectus eſt, non bene memini quid ei ex communi conſilio præſcriptum fuit, illud tantùm curioſiùs animadverti, ſanguinem refrigeratum tenerrimum fuiſſe, ut ejus craſſamentum utrum vel molliori pennæ pluma percuſſum facile dividi potuerit, ad ſeptimum obiit.

In aliis autem multis, quibus urina cruenta mota eſt, ſanguinem è brachio miſſum adeo aquatum putridumque eſſe vidi, ut fluctuaret craſſamentum in vaſo, non aliter quàm ipſum ſerum.

Neque ullum ſervatum memini in tanta peſtilentia, niſi alia micturitionis cruentatæ fuerit cauſa; nempe vel epiſpaſtica adhibita, vel menſtrua, aut puerperii lochia, &c. quæ admodum cautè diſtinguenda ſunt.

13. Filia cujuſdam Wood variolis diſtinctis at multis decubuit; huic multæ purpureæ maculæ per totum corpus diſperſæ, quarto ab eruptione vocatus, febricitantem & delirantem inveni, decoctum pectorale, cum ciceribus ordinavi:

Item (♃. Spiritus vitrioli ʒj. olei vitrioli ℈j. diacodii ℥ ij. miſce.) hujus cochleare tertiis quibuſque horis exhibe, biduo maculæ purpureæ paulatim rubicundæ fiebant, deinde ſenſim diſparuerunt, convaluit.

14. Quidam D. le juvenis robuſtus ac carnoſus, 23. annos natus, ex hæreditaria & materna labe ante biennium mente captus eſt; quo ſpatio plurima ruri exhibita ſunt ab aliis atque aliis medicis: tandem ineunte æſtate Londinum venit, atque illum ad ſex ſeptimanas minimùm tractavi ad hunc modum: nempe ſemel in qualibet ſeptimana ſanguinem ad libram è brachio miſi: itemque alternis diebus helleboriſmum ad ad 40. aut 50. grana veretri albi propinavi; vel aliquid è cupreis catharticis vehementioribus & juſta doſi præſcripſi, his autem vehementer & ſuprâ & infrâ humores moti ſunt, hâc autem methodo perſtitit ad ſeſquimenſem; quo tempore variolis correptus eſt.

N. B. Quamvis modicè cibavit, & ſanguis ad plures libras miſſus fuit, atque inſuper valentiſſimis medicamentis ex omni, crederes, ſaburra & fæculentiis vitioſi ſanguinis humorumve hominem aſſiduè & diu purgatum fuiſſe; tamen poſt tot & tantas evacuationes confluentibus variolis exitialiter decubuit, ad eum verò accerſitus eſt collega meus digniſſimus D. Dawes, qui illum mecum ſedulò curavit, nihil autem peculiare in in toto morbi decurſu animadverti, niſi quòd ad intelligentiam non rediit, quamvis minùs ferox & paulo pacatior fuit, ad 13. diem ex ſævitia morbi mortuus eſt.

15. D. L. puella ex tertiana duplici, cortice Peruviano jam recens profligata in variolas mediocris numeri incidit; morbi autem decurſus ſine ullo gravi ſymptomate præteriit: ad 17. verò diem à decubitu rediit febris: ſanguis ei miſſus eſt, & cortex denuò pro more exhibitus, convaluit,

16. D. Clayton juvenis, optimi corporis habitûs, ex ſæviſſimo capitis & lumborum dolore variolis haud mediocribus correptus eſt, ſtatim & in primis diebus Emeticum datum eſt; itemque ante eruptionem ſanguis ad ℥ viii. miſſus eſt. 4. Verò manè clara variolarum indicia viſa ſunt, quo tempore hæc medicamenta præſcripſi.

(♃. Croci ℈j. cocheneil. ℈iij. ſacch. candi albi ʒj. m. in x. doſes dividatur ſexta quaque hora dand. ex hauſtulo infraſcripto; nempe:

♃. Aq. fœniculi ℥ vi. lactis alexiteriæ ℥ vi. miſce in 4. hauſtus, adde unicuique diacodii ℥ß.)

Item ♃. Ficuum n. 6. cicer. rubror. contuſ. ʒj. Glycyrrh. raſæ ℥ß. ſem. fœn. dulcis ʒj. G. Tragacanth. ℥ß. aq. font. ℔ iij. coque ad ℔ i. f. Apozema, colat. ℥iiß. tepefactas ter quotidie capiat.

Ad diem verò ſextam ad expulſionem; quod aiunt, fortius promovendam ſic præſcripſi.

♃. Bezoar. Orient. croci an. ℈i. cochineil. ℈iß. ſacch. cand. ʒi. m. f. pulvis in 4. doſes dividend. harum unam ad octavam nocturnam capiat, ſuperbibendo hauſtum ſequentem;

♃. Aq. lact. alexiteriæ ℥iv. aq. fœnicul. diacodii an ℥ i. m. f. hauſtus.

Item alia fortiora alexipharmaca, ſiquidem opus fuerit, ad languores: nempe hujuſmodi.

♃. Aq. lactis A. ℥iii. aq. mirabil. ℥ii. aq. fœnicul. ℥ii. ſacch. perlat. ℥i. m. coch. detur.

Ad octavum verò, quòd jam ex ſputatione irrequietior fuit, hauſtui hypnotico adjeci laud. liq. cydon. gut. 6. item Apozemati addidi triplicem quantitatem cicerum rubror. eoque etiam uſus eſt pro Gargariſmate.

Ad decimum diem, ad maturationem: adjeci crocum hypnotico ultimò præſcripto.

Deinceps verò pulveres omiſſimus, tantùm hauſtus hypnotic. indulſimus. convaluit.

Sexto autem à caſu Variolarum hoc medicamento dejecit.

♃. Decoct. ſennæ Gereon. ℥iiiß. ſyr. viol. ℥ß. ſyrup è ſucco citri, aq. mirab. an. ʒvi. ſyr. è ſpin. cervin. ℈ i ß. m. f. potio. cum cuſtodia ſumend. eà alvus ſatis mota eſt, eandemque identidem potionem ter ampliùs debitis intervallis cum euphoria cepit.

Quod ad victum verò attinet, hordeacea & è pane confecta juſcula & ſimilia præſcripſi: quibus tamen vinum ſemper adjectum eſt, itemque vinum Canarinum merum, certè ſemel idque fere quotidie mane indulſi, item idem vinum ex lactis ſero, pro more Anglorum coctum, quantum & quoties voluit.

N. B. Quamvis à ſanguine miſſo fere riguit ſudore frigido: tamen à Cardiacis exhibitis non amplius ægrotavit aut admodum febricitavit, certè non ultimis morbi diebus, cùm altera febris accendi ſolet, prout fert quorundam vana opinio.

17. Filia D. Hamden, 17. annos nata, non ita valida, ſed macilentior, febre arſit, cum vomitu & ingenti capitis dolore, triduo toto à decubitu ad omnia, quæcunque oblata fuerint, vomuit, & victum & remedia: tandem cùm fruſtra omnia

tentaſſet, ſuaſi, ut vinum Hiſpanicum minimè aſſuetæ daretur: dictum factum, hujus ad ℥vi. protinus ſiccavit, nec ampliùs vomuit, poſtridie verò manè variolæ eruperunt cum bonis avibus. Pulverem deinceps è chelis comp. cum granis aliquot bezoar. Orient. bis quotidie ſumpſit, item diacodii ℥ß. ex aquæ lactis alexiteriæ hauſtulo, bis ſimiliter propinavit, manè & veſperi. At N. B. vini præterea Hiſpanici ad ℔ j. ſpatio 24. horarum quotidie ebibit: idque merum. convaluit ſtato tempore ſine ulla amplius ægritudine. Huic autem variolæ confluentes fuere, facie potiſſimùm atque artubus; & veluti Piſciculorum veſiculæ inflatæ ſunt, lateq; cutim occuparunt. pulcra ante, nec multo minùs pulcra à convaleſcentia, nempè variolarū veſtigiis modicè exſculptis.

18. D. Strukland, primaria fœmina: triginta annos nata, ſæpiùs fœliciter peperit; & aliquoties deinceps abortiri conſuevit. ipſa autem abortione inſtante febre vehementi arſit cum profluvio menſtruorum non modico. ipſe vocatus Variolas prædixi: poſtridie autem eruperunt confluentes. toto verò morbi decurſu ſic ei medicatus ſum.

[℞. Cochineil. ℈i. croci ℈ß. ſacch. candi albi ℥ i. m. f. pulvis in vi. doſes divend.), harum unam è cochleari aq. Theriacal. ſexta quaque hora: poſt triduum verò ſemel tantùm in 12. horis & ſic ad finem morbi. item vinum Hiſpanicum pro libitu potavit. item Apozema pectorale cum ciceribus rubris aliquoties in die. item diacodium mediocri quantitate manè & veſperi.

Sputum ſuo tempore valdè motum eſt: oculi ad plures dies clauſi. convaluit conſueto tempore.

Menſtrua per ſe compreſſa ſunt: at medio morbo iterum at leniter mota ſunt; identidem ad initium tertiæ Hebdomadæ. illa tamen omnia ſine ullo gravi malo.

Huic autem ſub altera aure parva Parotis, morbo declinato, exorta eſt, at non periculoſa, forte ex cretata facie, mulierculæ neſcio cujus ſuaſu.

19. D. Ellis, Equitis filia, carnoſa, & ſanguinei (ut populariter loquar) temperamenti, 16. annos nata, capitis & dorſi dolore vehementer affecta eſt cum intenſa febre ſynochâ. triduo à decubitu vocatus, in puellæ facie hic & illic minutas, quaſdam puſtulas curioſiùs animadverti: adeoque ſanguinem non miſi.

Huic cocheneil. ℈ii. croci ℈ß. bezoar. orient. ℈i. in vi. doſes dividend. præſcripſi, ſuperbibendo decoct. Pectoral. (cum ciceribus rubris) ℥iii. ad libram, ℥ i. vel alteram, tepefactam ſexta quaque hora. item veſperi & mane lene hypnoticum ex diacodii ℥ß. &c.

4. Eruperunt innumeræ puſtulæ & in manibus, & ubique corporis, & ſymptomata plurimum remiſſa ſunt; nempe dolores utrique & faucium anguſtia; & ſitis & febris diminuta eſt.

5. Multò plures puſtulæ viſibiles fiunt; & veſperi menſtrua profluebant, biduo ante ſtatum tempus ea nocte alvus per ſe mota eſt, crocus è pulveribus jam demtus eſt; cætera ut ante exhibita.

6. Omnia fauſta; puſtulæ elevatæ ſunt & auctæ, & jam quaſi craſſiuſculò pure repletæ albeſcunt. menſtrua adhuc modicè fluebant.

7. Se habuit ut pridie.

8. Menſtruis nondum ſiccatis, & ſpiritûs anguſtia & levi horrore ſubitò correpta eſt, crocum pulveribus rurſus adjeci, etiam duplicatâ ejus quantitate, mirabile quidem quàm citò ex eo medicamento cum levi diaphoreſi refecta eſt.

Deinceps verò optimè ſe habuit ſine ulla ampliùs ægritudine: tempore convaluit.

19. D. Colthorpe mediæ ætatis mulier, ante annum diu & vehementer vexata eſt menſtruis & uterinis profluviis albidioribus ad ſummam imbecillitatem; à quibus à me ad integram ſanitatem reſtituta eſt. Autumno inſequente Tertiana duplici laboravit; ex hac verò valde debilitata eſt. Iter tamen in Hiberniam meditata eſt: at ſubitò ineunte Novembri arſit; ipſa recidivam febris intermittentis eſſe credidit. die verò à decubitu quarto vocatus, Variolas tantùm non erumpentes animadverti. ipſe protinùs vinum Hiſpanicum cum pane amygdalato propinavi. idque ſemel atque iterum quotidie ſumſit: item juſcula è pullo gallinaceo & avenacea, & cereviſiam ex uſu bibendum indulſi.

Hæc autem medicamenta præſcripſi.

℞. Decoct. Pector. ℔ ii. cicerum rubr. cont. ℥iii. coque leni igne ad medias, cola f. Apozema. hujus ℥ iii. tepefactas ter quotidie ſumat.

Item. ℞. Croci ℈i. cochineil. ℥ß. ſacch. tantillum, miſce, f. pulvis in 8. partes dividend. harum unam quarta quaque horâ è Cochleari aq. Theriacalis da.

Item. ℞. Aq. lactis alexiteriæ ℥iiß. diacodii ℥i. miſce f. Hauſtus. nocte ad horam octavam dand. idem iteretur quotidie mane.

Per triduum verò ab egreſſis variolis hac methodo uſa eſt, mox per duos alios dies eundem pulverem non niſi ſexta quaque hora propinandum juſſi. poſt tres verò reliquos dies eundem pulverem tantùm manè & veſperi ſumpſit.

At ad triduum ampliùs eundem hynoticum hauſtulum, cui Laud. liquidi gtt. 8. adjeceram, ebibit, convaluit.

Hæ autem variolæ ex confluentium genere fuêre. totûmque corpus occuparunt; ne ſemel tamen aut doluit capite, aut ulla parte corporis, aut deliquit, ſpiritus liber, fauces admodum apertæ, & tanquam in optima valetudine & panem toſtum cum butyro interdum comedit ſine ulla querela.

Omnino nullus Ptyaliſmus ortus eſt: ſaliva, nec defecit, nec abundavit, quantum ego & neceſſarii ejus, aut ipſa ſæpius à me interrogata de ea re, advertere potuerimus: ad plures tamen dies oculos clauſos habuit, præ mali vehementia.

Porrò alvus nè ſemel quidem in ſpatio 16. dierum mota eſt: quamvis poſt 12. diem comedit pruna & poma cocta, dejectionis cauſa.

Illud denique notandum eſt, illum intra ſe ſimul habuiſſe duas treſve uncias Cochineil. neque tamen etiam ipſo puſtularum maturationis tempore, niſi admodum leniter, certè citra febriculam incaluit.

21. Filia D. Chetvvind, admodum valetudinaria, pallida, anhelans, macilenta: variolis correpta eſt. Triduo autem ab eruptione me vocavit: omnia peſſima inveni; nempe puſtulas exiguas confluentes, compreſſas, febrem acrem, vigiliam, nauſeam, ſpirandi difficultatem, &c.

Tenui victu ex avenaceis, item cereviſia tenui, ſi quam poſtulet, utatur. At vinum Hiſpanicum aliquoties in die pro medicamento dari juſſi.

Hæc

Hæc autem remedia præſcripſi, videlicet, ℞. Croci ℈iß. cochineil. ʒß. Sacch. candi ʒi. m. f. Pulvis in 6. partes dividend. quarum unam tertiâ quaque horâ capiat ex aquæ Theriacal. cochleari, item Apozema pectorale cum ciceribus rubris pro potu quotidiano, liberaliter exhibendum. item nocte & mane lene & mediocre hypnoticum ex diacodii ℥ß.

Mirabile; intra biduum puſtulæ ingenti intumeſcentia per totum corpus elevatæ ſunt. item totum caput intumuit: oculi ex toto clauduntur. ſtato tamen tempore optimè convaluit.

N. B. Puſtulæ, maximè in manibus & carpis, velut totidem piſciculorum veſiculæ paulo diutius permanſerunt tumefactæ, quàm alibi corporis.

22. D. Eliz. Finch, Illuſtr. Comitis de Winchelſey filia, 17. annos nata, ex vehementi dorſi dolore & febre decubuit. ad multam noctem vocatus variolas prædixi. ſanguis ad ℥viii. miſſus eſt, item Apozematis pectoral. cum ciceribus hauſtulum ſumpſit, vinum Hiſpanicum & unam vel alteram doſim Chochineil. cum croco eâ nocte, poſtridie verò manè variolæ egredi incœperunt, quibus viſis, neceſſariis alterum medicum magni nominis accerſire placuit. noſtra verò methodus ei minime arriſit: atque adeo, humanitatis cauſa, illi præſcribendi vices cedere volui, igitur ex hodierno more & virium & calefacientia omnia, vel à culina vel ab officina omnino prohibita ſunt. At lac, aut avenacea, aut poma cocta, aut cereviſiam tenuem ei aſſumere pro arbitrio indultum eſt; per triduum vero ab eruptione: hæc medicamenta præſcripta ſunt.

(℞. Aq. lactis alexiteriæ ℥iii. ſp. vitrioli gut. vi. diacodii ℥i. m. f. hauſtus. ter quaterve quotidie iterandus. item decoctum album dictum, & aq. lactis alexiteria cum ſaccharo perlato & præterea nihil. eventum ſcire deſideras: omnino nulla puſtularum confluentium intumeſcentia ſecuta eſt: puſtulæ ſublividæ & ſine pure. Quarto ab egreſſu, cùm omnino conclamata medico ſocio viſa fuerint, methodum mutare mihi copiam fecit; & valedixit. Quinto mortua eſt, univerſis puſtulis nigricantibus.

N. B. Non audiendi ſunt, qui ut ſymptomati alicui, ut ut vehementi & maligno, occurrant, morbum ipſum ex toto negligunt. cujus ſummæ accuratio eſt, puſtularum intumeſcentia, at certè acida & frigefacientia omnino illas impediant, quo minùs intumeſcant. Proximo autem atque ultimo loco medicamentorum, à me certè exhibitorum rationes ac uſus paucis expediam.

Quòd verò ad venæſectionem, *a* vomitum, purgationem, enemata, veſicatoria, frigidæ potionem & ſimilia evacuantia atque infrigidantia in variolis attinet, nihil amplius habeo, quod dicam, quàm quòd ſupra comprehenſum eſt: nempe illa omnia fieri ſolere ad caloris febrilis exceſſum temperandum; at citra ſpem diminutionis materiæ venenatæ aut morbi ſolutionem, cùm is omnino conſiſtat in expulſione papulatum à venenato vapore ſuperfluo excitatarum; earumque debita maturatione, quæ ſuis temporibus privatim fieri conſueverunt: quæ tamen tempora ullis remediis, aut aliquo artificio adhuc cognito, quicquid vani homines atque audaces contrà contendant, vel unum diem, non horulam fortè, accelerari non poſſe, etiam muliercculis notiſſimum eſt. Igitur infrigident, calefaciantve, quantum volunt, nihil tamen promovent; at immenſum & funeſtum damnum inferre poſſunt.

Verum ipſa jam medicamenta interna privatim penſitemus; ſcilic. quæ peculiariter ad hunc morbum adhibita ſint. Atque hæc in duas præcipuè claſſes diſtribui commodè poſſunt: nimirùm vel in ea quæ inflant, & ſuperfluitates expellant, puſtulaſque excitatas maturant: vel in ea, quæ propriè veneno adverſantur: etiamſi in his ultimis quoque ſint quæ & propellant & digerant.

Primi autem censûs ſunt ficus, crocus, ſem. fœniculi, apii, cicera, lenticulæ, g. tragacanthi,

In altero verò cenſu ſunt. lacca, kermes, cocheineil, trochiſci viperini, pulveres teſtacei; Acidi quilibet ſucci, agreſtæ, limonis, granati; vitriolum, vinum, opium, theriaca. de his autem ſingulis breviter dicturi ſumus.

1. Ficus.

Has verò ſupra omnia medicamenta ad variolas laudant Arabes: Ficus ſunt vehementis „ expulſionis ad exteriora; & illud eſt una de „ cauſis evaſionis à nocumento earum; at rurſus aqua ficuum eſt bona valde. hæc Avicenna „ nec immeritò. Etenim, quamvis ad hunc morbum novum primò ab Arabibus adhibitæ „ ſint, tamen uſu à Græcis diu ante exploratæ, & „ à conſilio chirurgico, ſicut cætera ferè omnia „ medicamenta, inventæ ſint, Priſcis, inquit Plinius. l. 1. c. 27. nihil intentatum, inexpertumque „ fuit nihil occultatum ab illis, quoque non prodeſſe poſteris vellent; unde in admirationem „ curæ Priſcorum diligentiæque animum egit.

Audiendus autem eſt Scribonius Largus, qui „ uſum & rationem utilium medicamentorum à „ chirurgia eſſe expreſſis verbis perhibet, Simplicitas medicicinæ partes inter ſe, & ita connexas eſſe conſtat, ut nullo modo diduci ſine „ totius profeſſionis detrimento poſſint. ex eo „ intelligitur, quod neque chirurgia ſine diætetica, neque hac ſine chirurgia, id eſt, ſine ea „ parte, quæ medicamentorum utilium uſum habet, perfici poſſunt.

Idem ex communi uſu veterum medicorum „ nos docet C. Celſus. Scorpio ſibi ipſe pulcherrimum medicamentum eſt, quidam contritum cum vino bibunt, quidam eodem modo „ contritum ſuper vulnus imponunt, ac ſi idem „ utrobique eſſet effectus, nec multùm intereſſet ita, eodem autore, certæ quædam herbæ „ bene faciunt & cum vino potui datæ, & ſuper „ vulnus impoſitæ.

Igitur Dioſcoridem adeamus. Ficus deploratis & cacoethicis ulceribus medentur; duritias, parotidas & furunculos emolliunt, panos ad maturationem perducunt. evocant puſtulas, ſudoreſque movent (ἐξανθημάτων καὶ ἱδρώτων προκλητικά) fici ſuccus lacteus inſtillatus plagæ, percuſſis à ſcorpione, venenatorum ictibus, & rabioſi canis morſibus auxiliatur, hæc autem faciunt in chirurgico apparatu. intus verò ſumptæ eadem faciunt, & inſuper ſitim ſedant, calorem reſtringunt fervefactæ & pulmonibus, arteriæ & ton-

a Cognovi medicos, qui ab Scorpione ictis nihil aliud, quàm ex brachio ſanguinem miſerunt. C. Celſ. idem alibi à rabioſi canis morſu ſanguinem homini mitti non alienum eſt.

ſiliarum inflammationibus proſunt. ſi tot itaque & tanta de ficubus antiquis medicis experta fuerint, an non medicamentum variolis maximè accommodatum optima cum ratione ab Arabibus creditum eſt? At, inquies, quomodo hæc tanta efficiant? idem author te docebit, nimirum ſerum concretum à veneno diſſolvendo, meatus glandularum aperiendo, atque partes inflammatas emolliendo, puſtulaſque ad maturitatem, perinde ut cæteros abſceſſulos producendo.

At tu harum rerum cauſas in occulto poſitas & proprietates ſcire à priore deſideras, & ſcio quàm negotioſus es. Itaque & conſule operarios chymicos, qui ſalia plantarum extrahunt, olea exprimunt, & ſimilibus torturis veritatem abditam exquirunt; tum rationem inſtitue de ſalis cujuslibet innati, oleique quantitate, natura, ſtatu, combinationibus: hic certè ſi rectè computum facias, maximè ex aliqua neoterici hypotheſi, næ multo doctior eris, & intelligentior de herbarum virtutibus & uſu, profecto in his tantis minutiis non is ſum qui plurimum ſatago.

2. *Crocus.*

Croci autem uſus & rationes, quatenus ad rem noſtram pertineant, ex Dioſcoride hæ ſunt. Crocus ex vino ad aliqua venena. vergentes ad ignem ſacrum inflammationes mulcet. vim coquendi ac emolliendi habet, urinam cit. venerem ſtimulat. miſcetur utiliter potionibus, quæ ad internos parantur affectus, qui ex paſſo biberint, crapulam non ſentient. crocus optimus, qui ſubacris. Igitur neſcio an aliud medicamentum aptius. nam quòd fortiter expellere & inflare potis ſit, conſtat, quatenus urinam & venerem moveat, & ſubacris guſtûs ſit, itemque quòd inflammationes concoquit, emollit, mulcetque, potenter digerit, quòd crapulam prohibet. & veneno privatim adverſatur. His addo, meatus ideo aperit, quòd è ſubtiliſſimis herbis infectoriis eſt.

3. *Fœniculum. Apium.*

Hæc peculiariter adverſus venena Serpentum ex vino exhibita ſunt. Illud expellit, quod epotum mammas lacte replet; itemque quòd urinam menſeſque movet. hoc eaſdem virtutes obtinet; atque tàm hoc, quàm illud æſtuantem ſtomachum mulcent in febribus, ad inflammationes, oculorum putà, privatim conferunt.

4. *Lentes. Cicera. G. Tragacanthi.*

Lentes contra ſubverſionem Stomachi, ad puſtulas, herpetes, & eryſipelata. inflammationibus medentur. Dioſc.

Cicera ad inflammationes; ad ſcabiem, ulcera capitis manantia, lichenas: ad cancroſa & maligna ulcera. authore Dioſcoride, itemque Arabes ea exhibent inflantia ac lenitiva. conferunt Apoſtematibus calidis, & iis quæ ſunt in glandulis, & privatim conferunt dolore dorſi, nutriunt, ex his ſorbitio pulmonem meliùs, quàm res aliqua, clarificant vocem. aperit oppilationes & vehementer venerea ex vino, i. e. quòd inflant; unde magnopere diſtendunt ductus excretorios, expelluntque ſuperfluum vaporem. Avicenna.

G. Tragacanthi. Quamvis peculiariter id medicamentum inflammationes ſedet, authore Dioſcoride; tamen quia ex papillonacea & ſiliquoſa planta lachryma ſit, ideo illud inter inflantia, ſive expellenda jure, ut arbitror, poſui.

5. *Lacca, Kermes. Cochineil. Trochiſci viperini, Pulveres Teſtacei.*

Hæc autem medicamenta, in aliam claſſem ſimul redigi, nempe propter affinitatem quandam, ſcilicet quòd medicamenta ſint ex inſectis, aut animalibus ſanguineis frigidis, de iis autem apud Græcos parum, quod ſcio, dictum eſt; nec multum apud Arabes, niſi ſparſim. at quæ ſint, & quas potiſſimùm virtutes, noſtris variolis accommodatas habeant, dicam, idque ex veterum placitis, quantùm res ferat.

Igitur Laccæ mentio fit apud Galenum in Mithridatio, nequeo ſanè Fuchſio aſſentire hanc Cancanum Dioſcoridis fuiſſe: ſed Arabum Laccam. eſſe ipſiſſimam hodiernam noſtram conſtat. non Lacca pura ab Avicenna in variolis; Lacca cum fuſtibus à Rhaſi. eadem Lacca à fuſtibus detrita ab Alſaharavio præſcribitur. hæc certè coccos baphice eſſe non potuit, quæ pura colligi ſolet, teſte Dioſcoride, ab ilice pumila, ut hódie, quod Monſpelienſes.

Hæc autem Officinarum Lacca ab Indiis ad nos aſportata, teſte Amato Luſitano, omnibuſque ſeplaſiariis, quorundam inſectorum, Formicis alatis perſimilium opificium eſt, ab iiſque fuſtibus adglutinari: atque ita non raro venit apud pharmacopolas.

Clarum eſt, inquit Johannes Bauhinus veram eſſe laccam, quâ in officinis utimur. & quæ adfertur ex India Occidentali, quæ fuerit forte neſciverunt Arabes, at ejus uſum in variolis nos primùm docuerunt. Ejus verò notitiam Garciæ debemus; nempe eſſe ex Formicis alatis ortam, & in eximia ferè ramis Bir arboris pruniferæ jujubini cujuſdam generis generari.

Inter διαφορητικὰ, i. e. quæ per inſenſiles meatus educunt, numeratur.

Kermes verò coccos baphice Dioſcoridis ex arboribus glandes ferentibus i. e. ex pumila Ilice, colligitur, & granum quidem non eſt, ſed alicuius veſpæ ſive apiculæ labor, in quarum numero etiam formicæ ſunt, i. e. nidus & pabulum, more apum; vermiculo incluſo à matre inſecta proviſum, de quo olim [a] uberius dixi.

Cochineil. ſuperioris ſeculi medicamentum: proculdubio ex analogia, quam habet cum reliquis Infectoriis Inſectis primò à modernis exhibitum eſt.

Vermiculus hexapos eſt, i. e. è ſcarabæorum genere. & ferè in medio ſtatu exiccatus; antequam adoleſcat in ſcarabæum.

Atque hæc omnia ex communi quadam ratione ad venena conferunt.

Ita Cimices (ex ſcarabæorum quoq; genere) demorſis ab Aſpide proſunt. Locuſta Africana exiccata ex vino hauſta contra Scorpionis ictus magnopere confert. ita pulli Hirundinum i. e. Inſecti

[a] Act. Philoſ. Londinenſi.

Inſectivorraum avium, exiccati ℥i. ex aqua, anginæ ſuccurrunt: ad uvæ & tonſillarum inflammationes conferunt. Dioſc.

Trochiſci viperini. hoc autem medicamentum optime exponitur a Dioſcoride nempe ex viva, i. e. integra vipera cum ſale & Caricis & melle tolta in fictili clauſo, & ad lævorem trita conficitur. etenim ex iis ipſis etiamſi ſal conficiatur, non eſt tamen perinde efficax. ipſo authore.

Proprietas autem hujus carnis eſt, inquit Avicenna, quod facit penetrare ſuperfluitates ad cutim. rurſus, ejus exuviæ expellunt ſuperfluitates ad cutim & conferunt lepræ magnificè. eodem authore.

Vis autem inſectorum communis ſeptica eſt; qua de cauſa, inquit Dioſcorides, medicamentis admiſcentur quibus carcinomata, lepræ, & impetigines feræ curantur.

Pulveres teſtacei. medicamentum prophylacti cum nulli ſecundum & in uſu quotidiano, quamvis rationes vulgatas ejus rei non approbo. à veteribus adeo eas paucis deducere jubet.

a Igitur ad Potionatos omnis generis conchylia cruda pariter ac tolta eſſe, ſalutare eſt. itemque locuſtæ marinæ, & aſtaci, aç potum eorundem juſculum: id eſt, tam Teſtacea, quàm Cruſtacea inſecta: nempe è quibus noſtræ adeo decantatæ compoſitiones è chelis fiunt.

Hi verò pulveres, autore Dioſcoride extrinſecus admoti ad pſoras idonei quatenus naturæ calcis vivæ participes ſint: intrinſecus verò propter eandem rationem alexipharmaca ſunt; & privatim conferunt ad canis rabioſi morſus; contra ſerpentium & phalangiorum morſus & ſcorpionum ictus auxiliantur: & iis qui leporem marinum hauſerunt.

Teſtudinis marinæ & terreſtris ova quomodocunque cocta, & jus ranarum maximè faciunt ad putreſcentes purpuras à ſalamandra hauſta.

Cancri fluviatiles elixi ad hauſtum marinum leporem non mediocriter adjuvant.

Cochlea extinguit ſanguinis fervorem. omnia cooperimenta oſtraci abſtergunt ulcera, & conſolidant ea, & ſcabiei conferunt. ſtomachi dolorem ſedant: ulceribus accidentibus in inteſtinis conferunt magnificè, autore Avicenna.

Illud certiſſimum eſt, ad animalium venena etiam privatim inſecta, tanquam antidota à veteribus exhibita ſunt, ita Scinci in Mithridatio, admodum diuretici ſunt, venerem accendunt: adeoque expellunt vehementer per ductus excretorios, quæ ſola ratio & uſus eſt id genus medicamentorum.

6. Vinum, Opium, Mithridatium.

Vinum, maximè dulce, imò meri potio, idque interdum, certe ad aliquot venenatos ictus, largius potum *b* egregie. inquit Dioſcorides, auxiliatur, adeo copioſe, ſi quod aliud medicamentum Mithridat. admiſcetur.

Itaque admodum laudo uſum noſtratium, quo ſerum à lacte vel cerevifia; vel maximè vino albido diviſum pro potu quotidiano in variolis exhibere ſolent; maximè ſi tantillum C. C. vel crudi vel uſti & calendulæ flores, nempe croci æmuli & medicamenta euporiſta incoquantur, Etenim veteres vinum privatim dederunt ad papulas toto corpore erumpentes; & ad omnes internas inflammationes & ad venena, ut dictum eſt, teſte Dioſcoride.

Opium autem inter prophylactica & expellentia medicamenta à veteribus numerari video: quod ſatis probat ejus effectus, ſi majore modo detur. epoto inquit Dioſcorides, papaveris ſucco tanta ſæpenumero oritur prurigo, ut hominem à veterno excitet. me olim, fateor, multùm abſtinuiſſe ab ejus uſu, dum Eboraci medicinam facerem, nec me unquam pœnituit; illud non dediſſe; ſed cum perlegiſſem conſultationes, quæ de hujus uſu in variolis, D. Theod. Mayernus manu ſcripſerat: in quibus una eſt, qua privatim in confluentibus variolis medicorum Londinenſium ſui temporis, regno Caroli primi, laudani exhibitionem vehementer laudat; minus ejus medicamenti, certè ubi opus fuerit, à rationibus ſuprà expoſitis, abſtemius fui.

Syrupum mirabilem ad variolas Avicennæ ingreditur ſuccus foliorum papaveris humidi id eſt viridis & ſuccus acetoſitatis citri.

Groſſi, inquit Dioſcorides, cum ſylveſtris papaveris foliis oſſa extrahunt, & furunculos diſcutiunt.

Mithridatium (in cujus numero pono Theriacam ſecundum Andromachum, Neronis medicum, aliaſque id genus innumeras compoſitiones prophylacticas) habet multa è ſupra comprehenſis medicamentis, & alia ferè piperata & ſudorem moventia, ideoque ſi intra modum à veteribus præſcriptum, id eſt ad fabæ Ægyptiæ magnitudinem detur, in gravibus variolarum ſymptomatis valdè accommodatum medicamentum eſt.

At quid ſibi velit illa incredibilis audacia quorundam noſtrorum hominum, planè neſcio; nempe Theriacarum modum, eumque quotidianum in variolis ad ℈ iv. ex bolo extendere. Audi Zebizium, qui de variolis longe omnium doctiſſimè ac uberrimè ſcripſit (auct. ad diſ. 6.) antidota ac alexipharmaca illa magna, ut Theriaca, Mithridatium, elect. de ovo, Diaſcordium Fracaſtorii, &c. etſi ſudores potenter moveant, variolis tamen minimè, ob caloris acrimoniam (certè doſi ſupra modum aucta, ut noſtris hominibus placuit) convenire videntur.

7. Acidi quilibet ſucci ſive fructuum, ſive Vitrioli. *Vitriolum, Sulphur.*

Hi autem ſucci, nempe acetoſitatis citri & granatorum & ſimilium, præcipuam commendationem apud Arabes in Variolis habent: eorum autem ratio à Priſcis petenda eſt. malum citrium, inquit Dioſcorides, bibitum venenis reſiſtit, mala punica acida æſtuanti ſtomacho auxiliantur. Urinam cient, id eſt promovent excretionem & fervorem temperant; certè in primis Variolarum temporibus.

Vitriolum. Sulphur: utriuſque ſpiritus acidus.

a Dioſc. Alexiph. c. 6. b Multum meracumque vinum omnibus venenis confert.

Ita autem de iis perhibent veteres. Atramentum ſutorium (χαλκάνθος) ex aceto ad venenum. Omphacium; ſive ſuccus uvæ acerbæ & viridis ex æneo vaſe ad mellaginem ad ſolem inſpiſſatus, quo admodum diluto, inquit Dioſcorides, & pauco utendum, contra Tonſillas, uvam, oris ulcera. In hoc vero numero ſunt Calcitis, Myſy ſory; nempe ſingula ejuſdem familiæ medicamenta, privatim ad venena, ad Herpetas & Eryſipelata ad ſanguinis eruptiones, Alexipharmaca & Mithridatica.

Sulphur vivum ineſt Mithridatio Galeni; id verò ex Dioſcoride patet, fuiſſe quoddam Vitrioli Martis genus ſcilicet ſplendido colore, & translucens; & revera quod ex Indiâ Orientali habemus, ex flavo-ſubviridi eſt; & pellucet inſtar Vitrioli. Verum ſuſpicor equidem ipſum Martis Vitriolum ex quo noſter ſpiritus acidus confici ſolet, antiquis minimè, niſi in hujuſmodi ſulphure, cognitum fuiſſe. Sulphur autem eundem ſpiritum acidum æquè dat, ac ipſum Vitriolum. Verùm iſtiuſmodi ſpiritus virtutes ex Priſcis, non à Chimicis petendæ ſunt, quatenus ſolus Pyrites *a* ferreus ſive metallum ferri Sulphur & Vitriolum edat.

Sulphur itaque, quatenus ad Variolas efficax eſt; à Dioſcoride dicitur celeriter maturare. itemque ad lepras & Lichenas confert. Scorpionum privatim ictibus medetur. pruritum totius corporis ſedat.

Igitur acidum è ſulphure & vitriolo duplici nomine ad Variolas accommodatur, quatenus privatim venenatorum morſibus auxilietur, & opio exhibito antidotum fit. *b*

Hæc autem medicamenta, non hujus diei ſunt, ut nos perſuaderent vani homines, ſed temporiùs in hoc certè ſeculo ineunte variolis adhibita ſunt; nempe ex analogiâ acidorum ſuccorum liberaliùs præſcriptorum ab Arabibus. ut palam eſt ex Mayerni praxi, id eſt, (conſultationibus ad injuriam famæ tanti viri decurtatis) in Variolis evulgatâ.

Atque hactenus Clariſſ. Martinus Liſter. Sequuntur jam aliæ Curationes & explicationes.

Practicorum una eſt vox in Morbillis Varioliſque ſanguinem mittendum non eſſe, turbari enim Naturæ operas; & ſubſidere Orgaſmum, qui explicandis fermentandiſque nocentis materiæ particulis ſervire debebat. Ut autem emiſſis in cutem Variolis non temerè inſtituendam eſſe venæſectionem & ipſe exiſtimem, attamen ante eruptionem eam aliquando neceſſitatem impoſitam vidi. Verùm, cùm non ſtatim initiô, in primis ſi nondum graſſetur morbus, etiam in illô ſymptomatum familiarium cumulô dignoſcere poſſis, utrum in Variolas eruptura ſit minax & febriculoſa ebullitio, nec ne, magis ſæpe ex re erit vulgi & Veteranorum ſequi præjudicia, quàm placitô ſemel, imo & indicatô remediô ad invidiam uti. Sanè abſterrentur plurimi vulgi clamoribus non dubitantis jam in manifeſtum mortis diſcrimen adductos eſſe quibus vel guttula periit ſanguinis, etiam ante eruptionem. Ego autem, dum conſidero multos ſæpe extrahi dies, & ægros cum variis colluctari ſymptomatibus, Cardialgiâ, inquiete, calore ſummô & ſiccô, pulſu citô & compreſsô, haud inutile judicem evacuatione minorativâ, ut noſtri vocant, occurrere, ſanguiniſque nimiùm quantùm æſtuantis parte detractâ cæteræ Variolarum materiæ in laxatis jam venarum ſpatiis evolvendi ſe ſe atque digerendi occaſionem dare, ſic enim poſtea cunte jam in cutim ſeque oſtentante fermento, medicamentis blandis atque ἀνπεῖσοις Naturam oportune juves, quodque reliquum eſt, expellas, non temere iterum vel purgante aut Venæ ſectione ſollicitandum. Certè aliis mihique ipſi eveniſſe ſcio, ut inſtitutâ Venæ ſectione in illo ſymptomatum tumultu dubiâque Criſi feliciter in cutim exiverint Variolæ, mox etiam contra vulgi auſpicia ſanatæ; ſed, ut conſilium hoc fortuitò magis quàm ex ingenio ſæpe profuiſſe intelligas, en experimentum. Juvenis Maritus, qui magnis citiſque itineribus ex Ducatu Friſiæ in Holſatiam appellebat, mediis Canicularibus & æſtuoſiſſimo anni tempore, quo aliàs tribus annis continuis ex melancholico furore laborare cœperat, in febrim incidit continuam atque ardentem; cumque ego ex oculis vagis atque irretortis, nunc etiam obſtinatâ taciturnitate, priſtinum morbum adfore conjicerem, nullo alibi graſſante contagio Variolato, conſultum duxi exæſtuantem magis magiſque ſanguinem caputque & lumbos atrociter occupantem tertio ab inſultu die Venæ ſectione compeſcere; adeſt ergo manè Chirurgus detrahitque ſeptem Uncias ſanguinis; ad hæc ſymptomatum malacia & de meridie exanthematum rubrorum in utraque manu & regione Cordis eruptio; ocyus advocor, ubi horreſco primùm ſpectaculi genus calumniarum metuens; aderant conjux & cognati, qui ſtatim ſcorbuticum crepant exanthema; ego autem Variolas eſſe fidenter pronuncio, quæ nunc demum detractâ parte ſanguinis bullientis melius ſeſe expediant oraſque legant corporis; magna ad hæc conſternatio, & ut fieri in ejuſmodi caſibus ſolet, alter advocatur è longinquo Medicus; adeſt ille de nocte, & oculos malè conſcios mihi impoſuiſſe contendit, non enim Variolas iſtas eſſe, ſed Scorbuticum exanthema vi caloris protruſum; interim ego Variolarum certus alterum diem exſpectandum duco, quò fidentius objurgare repentini Critici ſupercilium liceret; ſed vix pedes intuleram in conclave, cum ille Variolis ſeſe ad claram lucem melius exſerentibus errorem fatetur inque meam ſententiam concedit, ſed periculum ominatus, quòd hoc morbi ſtatu ſanguis miſſus eſſet; ego contrà hoc unum eſſe obteſtor, quod copiâ ſemini. Variolati oppreſſo profuerit, jam enim meritò ſperari ad liberiorem ſanguinis expanſionem materiam & ſeparari faciliùs atque ad cutim propelli poſſe. quod ipſum etiam Experientia comprobavit. Quid quod noverim

Femi-

a Acetum in quo ferri ſtercus, quod σκωρίαν Græci vocant, uſtum prius infervеſcat ſæpius, & ita detur ad Aconitum. *Scrib. Larg.*

b Proprie ad eas puſtulas, quæ bufantes malè habent, lapis, quem Pyriten vocant, cum amaris nucibus miſcetur. *C. Celſus.*

c Acetum calidum potum, inquit Dioſcorides, adverſus omnia venena efficax eſt; præſertim contra *Meconium.*

Feminam nobilem, jam quadragenariam, quæ ut erat temeraria magnorumque auſuum capax, inſciis, imo prohibentibus Medicis, jam etiam in cutim protruſis Variolis, in utroque ſibi pede Venam incidi juſſerit, & diminuto, qui impatientem torquebat: æſtu feliciter evaſerit. Et verò, ut Naturæ præeuntis exemplo res conſtet, in ipſis ſæpe pueris oborta Narium hæmorhagia quid aliud oſtendit, quàm copioſam nimis uberemque Variolarum materiam aut æſtuoſiorem ſanguinem, in metuendâ aliàs oppreſſione, ipſum ſibi exitum quærere & Naturæ laboranti ſubvenire. Puerperas quin etiam vidimus inſigni Lochiorum fluxu adfectas, & tamen periculum, quod ominabantur magnum, Variolæque jam in altum elatæ, jam complanatæ intenta re videbantur, feliciter effugiſſe; imo latitantes inde à longo tempore ſtatim cum partu, id eſt, Uteri hæmorrhagiâ, florido colore in cutim exiviſſe juſtoque tempore maturatas ægras à diſcrimine, Medicos à metû liberaſſe.

De Variolis autem Morbilliſque res ſanè mira abdi eos tam diu, neque facilé reperiri quemquam, qui ab hoc tributi genere ſit immunis. Vidimus quidem differri illum morbum in ſeram ætatem, ſed hoc majore periculo, quò à pueritiâ longius rejicitur, adeò illum infantibus puerisque optandum adultis periculum minari. Jam & hoc admiratione dignum, abditum & texturæ ſanguinis infixum Variolarum fermentum nullis vel vehementiſſimis inteſtiniſque fluidi conquaſſationibus ante deſtinatum tempus evocari poſſe, & ſolum eſſe aëris contagium certamque aëris καζάςασιν, quæ ſopitum latitanſque à multo retro tempore virus ſanguinis texturâ evolvat. Sanè nullis unquam vel Purgationibus aut Sanguinis miſſionibus effeceris, ut Variolarum fermentum vel pereat in totum aut ſpecie liquoris excludatur. Diarrhœas notavi graviſſimas tum ab intempeſtivo remedio tùm ſponte obortas, idque paulò ante morbum, nihil tamen imminutâ ob hoc ipſum Variolarum vel copiâ aut malignitate, quam in tot dejectiones abſumtam immunitatem à morbo præſtare debuiſſe meritò contenderes. Vidi in Principe Puellâ poſt ſex ſeptimanarum Catarrhum deſtillationem narium humidam atque copioſam, etiam poſt frequentatas corporis cauſarii purgationes, ubi nihil tale metuebamus, erupiſſe tamen Morbillos, plures etiam alios, quibus inter manantia capitis Ulcera, Herpetes ſparſoſque toto corpore Furunculos, poſt admota omnis generis remedia, ſudores, purgationes aliaque, tamen Variolæ exiverint nuperiſque injuriis defunctos novo periculo objecerint; utque perenne & coævum vitæ fermentum eſſe intelligas, nullis vel ſimilibus morbis ætatiſque lapſu eam tibi ſecuritatem præſtiteris, ut non etiam paulò poſt exantlatos morbos purgatumque ab omni parte corpus Variolarum Morbillorumq; tibi periculum obeundum ſit. Notí, quibus ſtatim poſt Tertianas Quartanaſque, in quibus ſuccedenti fermento novo fomitem omnem ſubtractum tot purgationibus jurares, Variolæ ac Morbilli invaſerint. Vidi Febri malignæ, Purpuræ, Morbillos ſtatim ſucceſſiſſe; utque ſua ſingulis contagiis μιάσματα eſſe intelligas, etiam Morbillos ponè ſecutam eſſe Purpuram, quam morbi ſymptomatumque affinitas confudiſſe invicem videbatur. Invadebant Generoſum Juvenem Morbilli, Epidemii tum & graſſantes; ex hiſce tantùm non convaluerat, cum, ecce, unum illum non notatus in universâ Urbe morbus, Purpura, illicò occupat, malignus ille & diſcriminis plenus; ex quo tamen ægrè & non niſi poſt diligenter præſtitam operam evaſit. Hic tamen, res mira, contagii auctor totam domum ferali miaſmate infecit, quod in Illuſtrem Parentem, qui ægrotanti adfuerat, alioſque, qui manum operaſque Juveni commodaverant, translatum ad unum omnes jugulavit. Graſſantibus morbis Epidemiis gravidas mulieres provido Naturæ conſilio à communi & promiſcuâ aliàs calamitate immuniores eſſe conſtat, quàm alios quoſque, & tamen, ubi Variolarum illud Morbillorumque contagium dominatur, non perinde immunes videntur, ſive quod excitatum primùm in Embryone fermentum Matrem, ſeu Mater contagio Embryonem inficiat. Obſervavi Gravidam, quæ occaſione pueri majoris cum Variolis colluctantis in ipſum illum morbum incidit, quo erumpente cum magnâ Uteri hæmorrhagiâ enixa eſt gemellos, utroſque ſtigmatis refertiſſimos, ſed jamjam intempeſtivo fermenti tumultu jugulandos; evadente felicius Matre. Quid quòd, uti in pueris aliquando, ſic ſæpe in Gravidis trahi atque oberrare hoc fermentum contingat, donec Partus erumpit, cum quo ipſo occultatum diu virus ſeſe explicat Matremque & Puerum invadit. Anno 1680. Kilonii duabus Matribus parturientibus exeunt in cutim Variolæ; excluſi infantes uterque & ipſi contagii notas adtulere: Matrum uni copioſè fluxere Lochia, creſcentibus tamen uſque & ad maturitatem juſtam perductis Variolis, magno Puerperæ commodo; alteri, cui Lochia rariora apparuere, collapſis lentè refugientibuſque poſt Partum Variolis tertius die fatalis fuit, uterque tamen puer caput ſalvum abſtulit; adeò multum eſt cum ipſâ nativitate morbum hunc ponere ſeque & metu & periculo eripere. Jam verò fermentum illud quando erumpit & ſecretum eſt, quæ & quanta non adfert corpori incommoda ſpecie gravia! In Pueris, ubi dentitionis periculum præteriêre, Epileptici ſæpe inſultus certum præbent minimeque fallax efferentium ſeſe Variolarum indicium, de nihilo ſollicitis Parentibus, ſi alio, quàm quæ expellendis Variolis deſtinata ſunt, occurrant; & verò facilis eſt & ſubita ſæpe poſt ſymptomata tam horrenda eruptio; jam verò etiam Febris initia hujus morbi comitatur, capitis lumborumque doloribus & pulſu citatiſſimo exaſperata, ſed quæ tertio aut ſummùm quarto die cum erupturientibus jam puſtularum notis manifeſtè remittant ægrumque ſibi reddant. Id tamen etiam notabile, ſæpe antè miteſcere ſymptomata, quàm notæ illæ ſeſe oſtendant, adeoque ſecretum jam è ſphærâ ſanguinis μίασμα νοσηρὸν diſperſis hinc inde particulis in cute vagari, donec continuato calore, etiam modico, in ſuperficiem erepat ſeq; oculis videndum præbeat; at ferè primùm & copioſè in vultu manibuſq, exſerunt ſe puſtulæ mox in totum corpus diffundendæ; ubi hoc quoque mirari ſoleo, cum nullæ partes aëri nudo magis expoſitæ ſint, quàm hæ ipſæ; in has tamen plerunque

frequentius coïre Variolarum materiam, eam forte ob cauſam, quòd viſcoſo Sanguinis involucro intextum contagium in temperatiore quàm calidiore cute facilius ſubſiſtat, exhalantibus nimium quantum in iſto ſtragulorum veſtiumque, quibus cæteræ partes foventur, calore particulis tenuioribus, & impedito, quo opus eſt: coagulo; ut jam intelligant, in quem locum res ægrorum conjiciant, qui intempeſtivis conſertiſque ſudoribus involucrum miaſmatis Variolati, ut in pus ſaniemque coëat, impediunt, & longè meliores eſſe illorum partes, qui moderato calore Naturæ velificantes ſolis hordeatis, Schorzoneræ, & Cornu Cervi decoctis ægrum ſuſtentant, lentiſque & ſecuris ſudoribus hoc efficiunt, ne viſcoſæ oleoſæque particulæ, neceſſarium acrimoniæ delinimentum, corpore evaporati puris facturam deſtituant; & verò ita intra duos treſve dies excluſa materia Variolarum ſaneſcere incipit, & pro eruptionis celeritate aut fermenti ingenio, ſeptimo aut octavo die in pus verti maturum, nunc album, nunc flaveſcens. In quâ excoctione illud, in vultu imprimis conſiderare oportet, quod, quæ reſpectu puſtularum rubrarum candida pridem apparebant cutis interſtitia, invaleſcente tandem pure, rubeſcere incipiant, miram adeoque eſſe colorum viciſſitudinem; cùm enim excoctum pus albedinem puſtularum ſummo inferat, reflexa à baſi & oris illarum rubedo, quæ ſerius maturatur, vacua cutis ſpatia tamdiu occupat purpureoque colore diſtinguit, donec plena puris maturitas flavedinem aut dilapſam à puſtularum apicibus nigredinem ibi quoque induxerit, unoque colore, ſi confertæ ſunt Variolæ, vultum incruſtaverit; quod ſi ergo iſti tumori adeò nigro narium ſimarum oriſque repandi dehoneſtamentum jungas, nihil facilè reperias, quod Æthiopico vultui fœdoque μορμολυκείῳ ſit affinius. Poſt haſce tamen tam diſcolorias viſuque turpes mutationes certa oritur nec deceptura ſanitas, plerunque etiam nihil immutato vultus nitore. Suſpecta autem ſemper eſt illa ratio & plena periculi, ſi nimis citò & cum incipiente febre erumpant Variolæ; ſi, poſtquam eruperunt, identidem ſe retrahant; ſi, cum erumpunt, vel turritæ nimiùm vel conicæ aut planæ appareant, invicemque ſociatæ in unam omnes coëant veſiculam, vultumque aut genas aut frontem æqualiter incruſtent: Confluentes has vocabat non contemnendæ experientiæ Practicus Sydenhamus Anglus; ſi in fauces gulamque copioſæ incumbant: nam pueros quidem hoc ſolo, quod deglutire nec poterant nec volebant, in illâ cæterarum malignitate periiſſe vidi; ſi colore initio ſe oſtendant obſcuro vel pallido-rubro, & cum albeſcere debebant, in plumbeum livorem aut fuſcam tranſeant nigredinem; ſi interſtitia, quæ ſuperſunt pauca in Confluentibus, non roſeâ ſed nigro-obſcurâ purpurâ perfundantur, quas ſcio qui pro maculis malignis imò & Morbillis acceperint; ſi ſalivatio unâ cum eruptione invadat & ægrum malè habeat, non ſecus, ac ſi ab argento vivo vexatus eſſet, quamvis in univerſum hic lentior ſit ac viſcoſior ſaliva; ſi ad ſomnum ſe componere æger, etiam eruptione factâ, præ nimio æſtu non poteſt; ſi uſque calor urget; ſi Diarrhœa infeſtat; tum enim abſumtæ nimiâ colliquatione vires propulſandæ in cutim materiæ impendere ſe nequeunt; quid quod complanata ad Diarrhœam Variolarum convexa ſatis oſtendunt deſtinatam cuti materiam in alvum deſiiſſe in Naturæ fraudem. Ut autem Adultioribus à Salivatione, ſic Pueris à Diarrhœâ plus eſt periculi. Quemadmodum autem prodigia Naturæ quotidie eveniunt, ita vidi, qui cum peſſimis ſymptomatibus colluctati mortem tamen evaſerint; ſed ita, ut ex ſuperſtite quâdam notâ periculi magnitudinem, quâ olim laboraverant, hariolari facilè licuerit. Notavimus efferari adeò atque invaleſcere Variolarum fermentum, ut ſuperſtes in membris organiſque virulentia alium oculis, alium auditu, alium pedum uſu magnaque ſanitatis parte multaverit. Vidi clauditatem ex malignis Variolarum reliquiis contractam jamque annos duos hærentem balneorum tandem uſu profligatam. Nota ſunt cæcitatis à Variolis profectæ exempla: & verò etiam exeſam à Variolis Uvulam vocis gratiam corrupiſſe obſervavi; ſed & vagatum per diverſa corporis Variolarum virus Carbunculi inſtar, cutim atque carnes erodit, & faciem imprimis, illam aliàs partium omnium reginam & pulchritudinis ſedem profundis fœdiſſimiſque nævis dehoneſtat. Vidi, ubi copia & malignitas Variolarum peresis jam genis gingivæ Gangrænam & lævæ maxillæ oſſi inferiori Cariem intulerit. Id verò etiam mirum tot eſſe Variolarum fermentorumque ſpecies, ut non ſtatim exantlatâ unâ à cæteris quoque ſis immunis. Novum non eſt duobus tribuſve generibus aliquos defungi; nam, ut quis durum iſthoc ſiccumque genus, quod *Steinpocken* vulgus Saxonicum vocat, & alterum illud aquoſum magis & Hydatidum inſtar, quod *Wind-* vel *Waterpocken* καταχρηστικῶς appellat, pertulerit, nondum tamen verum illud & decretorium Variolarum fermentum penitus excuſſum eſt, neque ante ſecurum quis jactare ſe poteſt, quàm illo etiam genere ſit defunctus. Liberis meis accidit, ut cum ex nothis iſtis Variolis iiſque copioſis in autumno laboraſſent, proximo inde vere in genuinam illam infeſtamque ſpeciem inciderent; neque morbum ideò leviorem experirentur, quòd jam paulò antè cum alteris iſtis conflictati eſſent. Cum ante quinque annos in ſuperiore Germaniæ parte, Sueviâ, eſſem, narrabat mihi iſtius loci Medicus, novum ibi non eſſe neque inſolitum, uno eodemque anno tribus ex ordine Variolarum generibus corripi, quarum ultimæ peſſimi ſemper moris ægrum vel jugulent, aut, ſi evadat, cæcitate, pedum vitio malignis tabificiſque ulceribus lentè conficiant. Quidquid id ſit, aëris diætæ & temperamentorum qualitas fermentum determinat, & Variolarum vehementiam vel intendit aut remittit. Plerumque autem diris ſymptomatibus comitatæ Variolæ infeſtæ ſunt, imo exitioſæ: quamvis, quæ uno tempore feralia ſunt ſymptomata, alio minus periculoſa ſint & nihil mali portendant, & ipſæ illæ Diarrhœæ adeò ſæpe graves, converſâ in ſe fermenti Variolati parte ſubinde profuerint, imprimis ſi initio contingerent & maturè temperamentum admitterent. Id tamen non vulgare, quod ex inſignis Practici ore habeo, viſas ſibi Variolas Morbillis permiſtas, ſemel etiam ſiniſtrâ

parte

parte Morbillos, dextrâ Variolas, diviſo ad perpendiculum corpore. Id duntaxat circa ſanationem monere habeo, conſiſtere eam potiſſimùm in propulſatione impedimentorum Naturæ officientium, & nihil æquè prodeſſe, quàm idoneum Diætæ caloriſque temperamentum, cujus tamen ratio magnam partem à temporum anni climatumque diverſitate pendere videtur; namque hic in Septentrione caloris fomentum magis tolerari poſſe, inde apparere puto, quod Variolæ convexæ rotundulæque ad remiſſiores caloris gradus ſtatim complanari & creſcente iterum eo erigi & rotundari incipiant, mutatis ſimul pro tempore ſymptomatis.

Operatio in diſtans & remota ingenia plurimùm exercuit, aliis hanc, aliis illam cauſam aſſignantibus, & ut in pleriſque fidem experientia deſtituat, eſt tamen, ubi ſecretæ fluidi vires etiam ſine contactu de ſolido in ſolidum tranſeunt. Habent plurima corpora ſphæram activitatis eamque determinatam, non ſemper in vicinia corporis, ſed & in longinquo, ne quis ſuperficie corporis includi vim omnem putet. Cunctæ ferè res ejaculantur effluvia quædam, nunc longius nunc propius, prout nempe centralis illa vis magna eſt aut parva. Atmoſphæræ ſuæ ſingulis individuis ſunt conceſſæ, quibuſcum etiam & continuari & extendi activitatem neceſſe eſt, quô ſympathiæ obſcuræ cauſas rationi melius accommodemus. Illarum aliæ in fluido aëreo motuque corporum vario facile diſſipantur, aliæ lentiore principio & glutine quaſi quodam conſtrictæ naturam tamen ſuam uſque ſervant, nec facilè evaneſcunt, imo etiam, poſtquam in ſubjectum aut medium idoneum ſe inſeruere, ſimul cum eo in longinquas terras deferuntur diutiſſimè ſuperſtites: in quo hoc ſympathicum voces, quod non promiſcuè omnibus, ſed certis duntaxat corporibus iiſque ſuo modo affinibus ſe rurſum applicet. Si enim accuratè rationem ineas, corpora ipſa remota non magis ſe afficiunt, quàm focus in diſtans calefacere ſolet. Eſt ille loquendi modus, ut, dum effluvia nos afficiunt, ipſa illa corpora, quorum ſunt partes, affeciſſe nos dicamus. Et verò ſingularem notat congruamque objectorum affinitatem, Magnetiſmum vulgò vocant, quando effluvia illa non perinde in omnia ſed certa duntaxat & peculiaria corpora ſe immittunt & ſimilitudine inficiunt. Id in contagio peſtilenti apparet, quod ipſum etſi paſſim per aëra diffuſum videtur, dum omnibus promiſcuè corporibus alliditur, tamen veluti affinitate quâdam certis duntaxat adfigi atque inhæreſcere objectis ſolet, idque pro ingenio & qualitate fluidorum, quorum alia recipiendo, alia avertendo veneno ſunt idonea. Experientiâ comprobatum eſt, Peſtis illud venenum lanarum chartarumque aſperæ ſuperficiei illapſum in remotas terras deferri, & appropinquanti atmoſphæræ affini exitiale fermentum adflare poſſe. Et ut hominum quoque nonnullæ naturæ ab hoc contagio planè ſint immunes, in univerſum tamen omnia animantium genera à peculiari illo & ſpecifico hominum veneno recipiendo ſunt alieniſſima; quemadmodum contrariâ quoque ratione animantium peſtes atque contagia ab hominum atmoſphærâ facilè repelluntur, naturarum ſpecie magnetiſmum receptumque particularium ſimilium determinante. Utut demum ſe res habeat, neceſſe eſt fluidum aliquod aut fluidi receptaculum interveniat, quod μίασμα illud aut noxæ formale in alia corpora transfundat eumque eo in diſſita loca propagetur. An verò etiam tam pertinax ſit Variolarum iſtud contagium, ut tamdiu vel pannis aut aëri inhæreſcere & in tam volubili fluidorum motu vires infractas ſervare poſſit, aliorum nitatur judicio; id quidem certum eſt fratres longo locorum intervallo diſſitos, ubi jam exſpiraſſe illam contagii atmoſphæram neceſſe eſt, ſimul ſemelque eodem corripi morbo & æquo ſæpe periculo. Exempla nobis nota ſunt Sereniſſimarum perſonarum fraterno ſororique vinculo conjunctarum, quæ longiſſimo intervallo remotæ unæ ab aliis (hæ enim in Galliis, illæ in Septentrione degebant) eodem tempore ex Variolis laboraverint; id quod etiam in pluribus, iiſque nobilibus Viris, eveniſſe novi. Fortè autem illa temperamentorum identitas & parilis conſtitutio, quod in Fratribus Sororibuſque novum eſſe nequit, regnante hîc & alibi contagio variolato aut calore fermentativo, latitantes Variolas eodem tempore & pari fortunâ evocat, & velut è potentiâ in actum ſuſcitat, ut ne ullam contagii ſymphatici rationem ſubeſſe hîc putes. Poſſe tamen ex Variolis jam in ſaniem converſis ſurgere miaſma aliquod fluidum viſcoſum, quod vicina quæque & diſpoſita ad hoc corpora inficiat, & aſperæ pannorum ſuperficiei immiſſum transferri alíorſum queat, impudicus ille & viroſus odor, quem purulentæ jam Variolæ ſpirant, ſignificare videtur; cum illo enim idea fermenti contagioſi in auras, ex auris deinde in vicina & præparata jam corpora ingreditur ſopitumque excitat Variolarum fomitem. Quâ autem viâ proximè ſanguini ſe miſceat contagium iſthoc, haud facilè dixeris, nam reciproco illo animæ commeatu inſpiratum diſſlari iterum videtur; quâ autem parte viſcoſum eſt, corporis ſuperficiei facilè adhæreſcere, quâ fluidum, poris ubique omnibus recipi inque maſſam ſanguinis ſeponi poſſe exiſtimes. Quæ verò illa ſit ſympathia, aut vulgo uſitata ſuperſtitio, ut quantitatem & qualitatem Variolarum redimere uni ab alteris ſoluto pretio poſſint, mihi quidem perſpectum non eſt; at cùm præſens cum præſente jamque infecto contrahere debeat, non abſurdum eſt, quod aliàs quoque futurum erat, tranſmitti eas poſſe; at quod de numero & qualitate aiunt, fortuitum eſt & planè rarum, adeò in Obſervati univerſalis cenſum venire nequit. *Joh. Nicolaus Pechlinus in Obſerv. Phyſico-Medicus.*

Variolæ, quia morbis acutis annumerantur, ut dictum capite primo, habent, ſicut alii morbi acutiores, quatuor tempora; & ſi curſus morbi convenienter procedat, terminantur intra quatuordecim dies: quos ſi excedant, indicium eſt, aut debilitatis naturæ, aut valde magnæ copiæ materiæ morbificæ, aut utriuſque. Tempus ebullitionis plerumque quatuor diebus abſolvitur: horum primus eſt principium, ſecundus augmentum, tertius ſtatus, quartus initium declinationis, quo tempore febris & ſymptomata remittere ſolent. Idem quartus dies, qui eſt declinatio ebullitionis, etiam ſolet eſſe principium eruptionis variolarum augmen-

augmentum verò ad ſeptimum protrahitur; ſtatus undecimo die viget; à quo uſque ad decimum quartum, eſt declinatio, eoque tempore variolæ ſiccantur; quæ exſiccatio interdum ad vigeſimum uſque protrahitur. Si morbus ſecundùm hunc ordinem convenienter procedat, de felici eventu bene ſperare licet: ſin verò è contrà, hunc ordinem non ſervet, ſed eum pervertat, de ſiniſtro eventu omnino metuendum eſt.

Exitus autem ſeu eventus morbi, an ſalutaris, an verò exitialis futurus ſit, præſagitur ex collatione virium ægri, eum magnitudine morbi. Vires ægri colliguntur ex tolerantia, & omnibus actionibus. Magnitudo morbi colligitur ex febris & ſymptomatum magnitudine atque ex ipſis etiam puſtulis. Si ægri vires tantæ ſint, ut quatuor morbi tempora ſuſtinere valeant, felix: at ſi à febris & ſymptomatum magnitudine ita obruantur, ut vix ad ſtatum uſque ſufficere poſſint, infelix erit eventus. Ex iis igitur quæ variolis comitantur & ſequuntur, de eventu judicandum eſt; cujuſmodi ſunt, variolarum qualitas, magnitudo, numerus, figura, color, tempus & modus eruptionis, locus, febris magnitudo, varia ſymptomata, & ægri facilis difficiliſve tolerantia.

Bona ſigna prognoſtica ſunt hæc. In principio, ante aliquarum macularum eruptionem, larga narium hæmorrhagia. Cita variolarum eruptio, & hinc mox febris, aliorumque ſymptomatum imminutio. Variolæ primò rubræ, hinc albicantes, molles, eminentes, rotundæ, copiâ mediocres, & diſtinctæ, non contiguæ. Vox libera, & reſpiratio facilis. Ex his duobus ultimis ad ſalutem pollicetur Euſtachius Rudius, lib. 3. de medend. morb. cap. 31. Ut exactiùs, inquit, ſalutem & mortem præſagire poſſimus, reſpirationem & vocem perpendere oportet: dum enim duo hæc bene ſe habent, ſalva res eſt; indicant enim materiam procul à mobilibus, & præſertim ſpiritualibus partibus, expulſam.

Mala prognoſtica ſunt hæc. Febris, cum gravibus ſymptomatibus, poſt eruptionem variolarum permanens. Variolæ tardè prodeuntes, & benè maturantes; parvæ, & paucæ, duræ, depreſſæ, poſt exuptionem ruſus evaneſcentes, vel ſubſidentes: Item lividæ, violaceæ, purpureæ, nigricantes, duplices in medio, nigra macula notatæ, interiores partes occupantes. Majoris mali præſagium augent, magna virium debilitas: cardialgia: vomitus, ſingultus, ingens ſitis: ſumma anxietas, & inquietudo magna, lipothymia crebra: delirium: altus ſopor, aut nimiæ vigiliæ: convulſio quaſi epileptica: pectoris, & faucium anguſtia: reſpirandi difficultas: raucedo: cibi averſio: deglutitio impedita: alvi fluxus & dolor: menſtruorum fluxus extra periodi tempus: urina cruenta: extremorum frigus. His duo adhuc addenda: 1. Si in eadem familia multi ex variolis moriantur: 2. Si ſenes iis corripiantur.

Qui autem ex variolis moriuntur, plerumque aut ſuffocantur, præcluſa à puſtulis ſpiritus viâ: aut ſyncope deficiunt: aut alvi profluvio cruento, vel non cruento pereunt.

Si variolæ interiora viſcera obſederunt, peripneumoniam, tabem, jecoris & renum exitioſas ulcerationes, aliaque lethalia mala inducent.

Si oculos occupent, ſæpe ophthalmiam diuturnam, ſinum, fiſtulam lachrymalem, ægilopem, carunculæ anguli abſumptionem, caliginem, albuginem, & non rarò cæcitatem generant.

Si poſt eas in auribus aut naribus diſruptas hypoſarcoſis oriatur, audiendi, vel odorandi ſenſu ægrum privant.

In facie ſi integram magnam cruſtam, inſtar larvæ, efficiant, & deponant, indicium eſt, ſecuturas fœdi coloris maculas, & turpes cicatrices.

In hoc morbo non minùs quàm in peſte, curatio duplex requiritur, προφυλακτικὴ & θεραπευτική. De prophylactica curatione pauci Medici ſcripſerunt, vel quòd illam fortaſſis minùs neceſſariam eſſe exiſtimaverint, vel quòd pauciſſimi ſani ſuper ea Medicos conſulere ſoleant. Interim tamen, quandoquidem magnus Arabs Medicus Avenzoar illam, bona cum ratione, hîc non minùs neceſſariam judicat, quàm in peſte, & plurimi exiſtunt (præſertim adulti & jam ſeniores, ut & Aulici de pulchritudine ſua præ aliis valde ſolliciti) qui ſibi de hoc morbo admodum metuunt, tam propter vitæ periculum, quàm propter foveas, cicatrices, aliaſve turpitudines, quas in facie frequenter relinquit, etiam nos de prophylactica curatione primò breviter agemus, antequam ad therapeuticam accedamus, quia tutius & præſtabilius eſt hunc morbum arcere, quàm jam hoſpitantem expellere, atque hinc præſervatio etiam neceſſaria eſt, imprimis cùm morbus aëris vitio graſſatur, & contagio multùm proſerpit.

In præſervatione autem inſtituenda, omnium primò habenda eſt ratio aëris, utpote cujus vitio morbus hîc plurimùm propagatur, eoque mediante etiam plerumque contagioſa miaſmata aliis communicantur. Hîc aër, ſi vitioſus eſſe putetur, corrigendus eſt, non luculentis ignibus, ſicut id fieri ſolet in peſte (ne nimis excandeſcant corpora] ſed ſuffumigiis, ex baccis juniperi, thure, maſtiche, benzoino, ſuccino, roſmarino, corticibus citri & aurantiorum, ligno juniperino, laurino, aliiſque ſimilibus: maximè autem conducit cubicula aceto, aut oxycrato conſpergere, aut in iis ſubinde fumum vaporoſum excitare aceto in lapidem ignitum infuſo; atque etiam per pyxidem perforatam acetum cum ſpongia ei impoſitum naribus odorandum objicere. Ut nec ſuaveolentia valde fragrantia, ità nec fœtida hîc laudanda, at ſolum acetum omnibus aliis ſuffumigiis præferendum cenſemus, utpote quod non tantùm vitia aëris corrigit, eique inhærentia miaſmata extinguit, verùm etiam odore cerebrum parteſque ſpiritales firmat, & in ſanguine putredinoſam efferveſcentiam impedit. Præterea, ut contagioſa per aërem volitantia miaſmata meliùs evitari poſſint, injungendum ut pueri, aliique qui nunquam variolis laborârunt, fugiant, non ſolùm ægros variolis aut morbillis jam infeſtatos, verùm etiam illos qui talibus ægris inſerviunt, aut cum iis aliquo modo converſantur, imò & ipſas ædes in quibus decumbunt.

Cibis utendum boni ſucci & facilis digeſtionis, eorumque condimenta frequenter præparanda ſunt cum acetoſa, agreſtis, aceto, ſucco limonum, & aurantiorum, uvis criſpis immaturis, ribeſiis rubris, ceraſis morellis, aliiſque acidis. Abſtinendum autem à cibis duræ digeſtionis

ſtionis, aut pravi nutrimenti: item ab acribus, multum aromatiſatis; valde ſalſis, fumo ſiccatis, alliis, cæpis. fructibus horariis, &c. In uſu ciborum modus ſervandus eſt; ut enim magna fames, ita & nimia ſatietas nocet.

Potus ſit ptiſana, aut cerevisia noſtra tenuis, vino aſſuetis etiam vinum tenue modica quantitate concedendum: delicatulis ſubinde etiam julebi dari poſſunt, ex decocto hordei, ſucco citri, ſyrupo morellorum, violarum, limonum, aliiſve ſimilibus, grato ſapore præditis, concinnati. Abſtinendum autem à vino forti, ſpir. vini, cerevisia Gedana, aliove quocunque potu forti ac fumoſo, item ab ebrietate & crapula.

Exercitia corporis mediocria ſint, evitando valde gravia magnumque æſtum excitantia, & nimiam quietem.

Somnus etiam moderatus ſit oportet.

Imprimis etiam excernendorum ratio habenda eſt, & procurandum ut præter ſolitas quotidianas alvi dejectiones, corpora à ſuperfluis humoribus, ad minimum ſemel ſingulis ſeptimanis, clementer evacuentur, idque pilulis Ruffi, vel pilulis ex aloë roſata, foliis ſennæ, rhabarbaro, tamarindis, aliiſve ſimilibus medicamentis in adultis, at in pueris, ſyrupo de cichoreo cum rheo, aut ſyrupo paſſulatum corinthiacarum laxativo, aliove ſimili, abſtinendo à catarcticis fortioribus, quæ humores totumque corpus turbant. Præterea in virginibus adultioribus, & mulieribus etiam curandum ut menſes ſtatis periodis fluant, niſi in his eas fluere prohibeat ingravidatio; item, ut in aliis quoque, quibus hæmorrhoides per intervalla fluere conſueverunt, ille fluxus more conſueto procedat.

Plethoricis, aliiſve quibus ſanguis abundat aut calidior eſſe videtur, vena ſecanda eſt, ſi modò ætas venæſectionem ferat, & nihil aliud ſit, quod illam prohibeat.

Animi ſumma tranquillitas, cum animoſitate conjuncta, hic plurimùm conducit: maximè autem fugere oportet ejus motus vehementiores, imprimis iram, metum, & terrorem, multamque de variolis, earumque fœditate cogitationem.

In curatione eorum qui variolis jam laborant, ad duos præcipuè ſcopos collineandum. Primus eſt, naturæ in expulſione materiæ morbificæ ſuppetias ferre, omniaque impedimenta amovere, quæ illam hac in parte impeditam reddere poſſent. Alter eſt, accidentia tollere, & præcavere ne in illa expulſione partes internæ, aut externæ gravem noxam contrahant. Ut hi ſcopi impetrentur, in uſum vocanda veniunt tria Medicinæ inſtrumenta, Diæta, Chirurgia & Pharmacia.

Diætæ in hoc morbo exactiſſima eſt habenda ratio, quia per illam ſolam bene inſtitutam curatio frequenter abſolvitur, & errores in ea commiſſi morte puniuntur.

Imprimis hic aëris habenda eſt ratio. Decumbat æger in cubiculo, benè clauſo & à ventis libero, ut faciliùs reſpirare queat, ſimulque fœtentes vapores meliùs diſcuti & minùs moleſtiæ ei exhibere poſſint. Aër autem ſit tepidus, & ab eo frigus omni ſtudio arceatur: ſi hyems ſit, aut frigida tempeſtas, extructis luculentis ignibus aër calefaciendus eſt. Maximè autem cavendum ut nullum frigus ad decumbentis ægri lectum perveniat: quippe ſi ad illum ſudantem, vel in humido tepore jacentem minimum aliquod frigus accedat, vel ille ipſe, ſeſe jactando, aut tegumenta abjiciendo denudet, aut ſudorem diſpellat, facillimè contingit, ut, cum magno ſuo damno, jam erumpentes variolæ retrocedant & evaneſcant, vel ſubſidant, quod ſummopere periculoſum eſt. Hac eadem de cauſa etiam oportet, ut ægri ante decimum quartum diem induſia non mutent, ne per illam mutationem frigus aliquod ſuſcipiant, & variolæ retrocedant, quemadmodum illud cum plurimorum deplorando exitio contigiſſe vidimus. Præſtat ut induſia à ſudore madida in lecto à corporis ægri calore rurſus ſponte paulatim exſiccentur, & æger per aliquot dies ſudoris ac variolarum erumpentium fœtores patienter ferat, quam ut maximo ſuo periculo ſordida linteamina mutet, & alia nitida aſſumat. At ſi fortè contigerit, ut neceſſaria aliqua de cauſa induſium ut & lodices mutare neceſſe ſit, tunc procurandum ut rurſus talia dentur linteamina, quæ vel ab ipſo ægro ante ſuum morbum, vel ab alio ſano per aliquot dies geſtata fuerunt: nam ſemper obſervavi nitida & recenter lota linteamina ægris nocuiſſe (hoc ipſum etiam notavi in peſte, & ſcripſi, tract. de peſt. lib. 2. c. 3. annot. 6. & lib. 4. hiſt. 29.) quod à fœtore saponis, quam aliquo modo redolent, fieri ſuſpicor. Præterea diligenter obſervandum, ut induendum induſium ſit bene ad ignem calefactum, utque, dum induitur, quàm minimum frigidi aëris ad ægrum accedat. Quicquid ſit, linteamina non mutare, ſemper profuiſſe, at illa ante decimum quartum diem mutare, ſemper plus minus nocuiſſe animadvertimus. Non eſt autem quòd quis hic metuat iſtum aliqualem fœtorem, quem à ſudoribus & ruptis puſtulis linteamina contrahunt, quoniam hunc nullis ægris noxium fuiſſe, millies obſervavimus.

Denique & hoc notandum exiſtimamus, ſcilicet varioloſis capita arctis capitiis, aut ſtrictis linteaminibus non eſſe obvolvenda; hinc enim duo incommoda oriuntur. 1. Calore ſic in capite nimis adaucto, longè plures variolæ facie & capite erumpunt, quam eo leviter contecto. 2. Variolæ ſub ſtrictis capitis integumentis enatæ, ſemper majores, depreſſæ, & valde latæ fiunt, imò ſæpe ſub illis ſtrictis tegumentis adeò ulcerantur, ut poſtea, cum moleſtia curatæ foveas admodum indecoras in fronte relinquant. Atque hinc ego communiter caput quidem laxis capitiis contegere, & à frigore defendere, ſed non arctè aut ſtrictè ligare jubeo.

Ciborum conveniens adminiſtratio ad curationem plurimùm quoque facit. Victus in principio convenit tenuis, præcipuè à morbi exordio uſque ad diem ſeptimum vel decimum quartum: iſque conſtare debet ex pulticula hordeacea, aut emulſione facta ex amygdalis dulcibus & ſeminibus quatuor frigidis majoribus in decocto hordei, vel ex juſculis tenuibus pullorum aut ovillis, aliqua refrigerandi vi (per adjectionem lactucæ, endiviæ, portulacæ, &c.) donatis: abſtinendo tamen ab ipſis carnibus, ut & ab ovis & piſcibus, aliiſque cibis mali ſucci, aut difficilis coctionis; item à quibuſvis rebus acidis, ſalſis, acribus, pinguibus, & ab aromatibus, alliis, cæpis, aliiſque ſimilibus valde calidis. Si æger ſit infans & lactans, tunc cibi convenientes nutrici ſunt præſcribendi. Poſt eruptionem verò, ceſſante febre, & puſtulis ſup-

ſuppuratis cruſtiſque cadentibus, ſolidiores cibi concedendi ſunt; quales ſunt carnes pullorum gallinaceorum, agninæ, vitulinæ, ova ſorbilia, &c.

Potus ſit ptiſana, vel cereviſia tenuis, non acida; multi pro potu laudant aquam decoctionis limaturæ cornu cervi: abſtinendum autem à vino (ni ſyncopes metus ſit) omnique forti, calido, ac fumoſo potu. Quàm noxius autem ſit vini uſus, notavit Foreſtus, lib. 6. obſervat. 41. Muliercula quædam, inquit, & imperitum vulgus ſine delectu, pueris ex variolis & morbillis decumbentibus vinum Gallicum rubrum propinabant, quamvis febri ardenti corriperentur: perperam etenim ſibi perſuaſum habebant, hoc modo meliùs per cutem exire variolas. Hinc factum ut quam plurimi, qui tale vinum aſtringens bibiſſent, ſubitò morirentur, motu naturæ inhibito, quò minùs foras protruderentur; ac febre aucta capitis dolorem incurrebant, delirio ſubſequente mox extinguebantur, & aliqui horum non ſine periculo evadebant. Idem ſimile quid etiam repetit in ſcholio obſerv. 46. & obſerv. 49. in ſcholio.

Hic obiter notandum quod de dulcibus in victu ſcribit Mercurialis: Potiſſimum autem cavendum eſt, inquit, à dulcibus omnibus, & in potu, & in cibo: addit, quòd Avenzoar ſcribat, eos qui dulcibus utuntur, vix poſſe ſervari. Verùm hæc ejus opinio non convenit cum praxi, qua docentur, glycyrrhizam, ficus jujubas, paſſulas, ſaccharum, ſyrupum vulgarem, ſimiliaque dulcia, materiam morbificam citiùs coquere & versùs exteriora propellere: ergo dulcia non obeſſe: excipi tamen debent vina dulcia, quæ cùm fortia ſint, eorum uſu caput offenderetur, calor valde increſceret, & febris augeretur. Præterea ipſemet Mercurialis aliquantò pòſt ſcribit, quòd ſoleat ficus aridas concedere pro cibo.

Somnus ſit moderatus, & æger corpore quieſcat.

Excreta alvi, ſi ſponte & naturaliter procedant, bene eſt. Si verò dura & conſtipata fuerit alvus, ante ſeptimum diem non facilè citanda eſt, idque non niſi notabili aliqua neceſſitate urgente: quoniam dura alvus variolarum eruptionem non impedit; at ſi medicamentis proritetur, faciilimè exitioſus alvi fluxus ſuccedit: quod etiam notavimus lib. 3. de peſte cap. 4. annot. 1. 2. 3. 4. & lib. 4. hiſt. 15. 19. 35. 63. 116.

Fugiendæ ſunt omnes curæ, & vehementes animi perturbationes, imprimis timor, terror, triſtitia, & ira. Verùm de ira videtur Mercurialis aliter ſentire, & putare quòd illa conducere poſſit; nam ſic inquit: Neque ægrè ferendum eſt quòd ægri interdum iraſcantur, quia ira nonnihil conferre ad extrudendos humores in ſuperficiem corporis. Sed utinam etiam non conferret ad incrementum caloris & febris.

Primarium Chirurgicum auxilium hîc eſt venæſectio (de topicis foris adhibendis, aliiſque ſimilibus infrà dicturi ſumus, cap. 12.) de qua inter celebriores Medicos nobilis quæſtio incidit, ſcilicet, an illa in hujus morbi curatione conveniat, nec-ne.

Avicenna, 1. 4. tract. 4. cap. 10. venæſectionem inſtituere ſuadet, ante eruptionem, atque etiam, in magna repletione, poſt earum eruptionem. Raſes, lib. 10. de re med. cap. 18. ſolummodo ante eruptionem vult phlebotomiam inſtitui. Si priuſquam erumpant, inquit, incidat in aliquem ſic affectum Medicus, ſanguinem illico, ſi nihil obſtet, vel per venam apertam, vel per cucurbitulam cum ſcarificatione agglutinatam, detrahat: omnino enim ſanguinis copia minuenda eſt. Foreſtus, lib. 6. obſervat. 47. in ſcholio, ſcribit hoc auxilii genus mirificè prodeſſe ſolere, imprimis in plethora, modò adhibeatur in principio, antequam variolæ egrediantur: & obſervat. 46. ſcribit, illos quibus vena ſic tempeſtivè ſecta fuerat, citiùs fuiſſe curatos. Amatus Luſitanus, Cent. 3. Curat. 16. aliiſque locis: refert exempla puerorum qui ſanguine tempeſtive per venæſectionem aut cucurbitulas detracto evaſerunt; cùm alii plurimi morirentur, qui hoc remedii genus non admiſerant. Nicolaus Fontanus, reſp. & curat. medic. lib. 1. ſcribit, ſe in variolis ſemper feliciſſimè uti venæſectione. Sennertus, de febr. lib. 4. cap. 12. in pueris à venæſectione prorſus abſtinendum cenſet, propterea quòd eorum vires illam non ferant: ſed in adultis, modò ſint valde plethorici, eam inſtitui poſſe judicat, ſcilicet mox in principio, ante quartum diem, aut ſaltem priuſquam variolæ erumpant, dum vires adhuc conſtant, ut ſic natura oneris parte levata, quod reliquum eſt faciliùs evincere poſſit: aſt poſt quartum diem, vel ubi maculæ aliquæ jam erumpere incipiunt, tum ab ea penitus abſtinendum exiſtimat. Sententiæ Sennerti ſubſcribit doctiſſimus Willis. Sunt tamen alii nonnulli hodierni magni practici, qui non ſolùm ante, verùm etiam poſt variolarum eruptionem, in plethoricis venam ſecandam, ſicque ebullitionem ſanguinis nonnihil inhibendam judicant.

Ut dubium hoc commodè decidatur, primò conſideranda veniunt duo morbi tempora, unum ante, alterum poſt variolarum eruptionem: & ſecundò videndum, quidnam ipſa natura in ſingulis illis temporibus per ſpontaneam ſanguinis evacuationem feliciter aut infeliciter molatur, ut ſic Medicus, qui eſt Naturæ miniſter, in ſua artificiali ſanguinis evacuatione per phlebotomiam inſtituta, ejus felicem actionem ſequi, infelicem verò evitare poſſit. Illud autem à longa experientia Medicis omnibus notiſſimum eſt, ſi ante variolarum eruptionem longa contingat narium hæmorrhagia ſpontanea, illam feliciter, & cum ægri levamine fieri, tuncque febrem imminui, & variolas faciliùs ac minore copia erumpere. At verò ſi poſt variolarum eruptionem talis ſpontanea hæmorrhagia contingat, illam admodum infeliciter, & in exitium ægri fieri. Ex hac Naturæ operatione plus ſatis docetur Medicus quidnam in artificiali ſanguinis evacuatione faciendum ſit; ſcilicet, venæſectionem ante variolarum eruptionem in plethoricis feliciter inſtitui poſſe, ſed valde infeliciter poſt earum eruptionem. Ratio eſt, quia ante earum eruptionem, Natura per ſanguinis detractionem parte oneris levata, quod reliquum eſt, faciliùs expellit: atque ſic plerumq; obſervavi, facta in plethoricis tali tempeſtiva venæſectione, variolas non modò faciliùs & ſine magna magna moleſtia, verùm etiam longè

longè pauciores erumpere, & citiùs maturari: quod ipſum diu ante nos quoque notavit Foreſtus, lib. 6. obſervat. 16. At ſi poſt eruptionem inſtituatur phlebotomia, tunc naturam in materiæ morbificæ coctione & expulſione modò occupatam, plurimùm debilitari, & ab illo opere avocari, cum tanto ægri damno, ut pleroſque, in quibus hoc ab aliis tentatum fuerat, interiiſſe notaverim. Atque hinc diſcipulis meis inculcare ſoleo, ut ſatis tempeſtivè ad ægrum vocati, ante ulla variolarum erumpentium ſigna, venam ſecent, ſi neceſſe ſit, aut utile videatur: ſed poſtquam aliqua minima earum indicia, vel punctula rubra in cute apparere incipiunt, tunc à venæſectione prorſus abſtineant, atque tunc alexipharmacis potiùs diaphoreticis aliiſque appropriatis naturam in incœpta expulſione adjuvent.

Venam autem tempore neceſſitatis ſecari volo in ætate paulò adultiore, quæ ad venæſectionem apta eſt, eamque ferre poteſt, ſed in puerili ætate, ante annum ſeptimum vel octavum, mihi non probatur venæſectio, quamvis illam laudent Avenzoar & Averroes eamque ſe feliciter inſtituiſſe glorientur, multi Itali, Galli, & Hiſpani, ac inter cæteros etiam Amatus Luſitanus, cent. 1. curat. 10. & 3. curat. 16. & 5. curat. 52. ac 96. ſi illis in iſtis calidis Regnis Italia, Galliâ & Portugalliâ, hoc fortaſſis bene ceſſerit, fieri poteſt: ſaltem in his noſtris regionibus Belgiæ puerulis non ſine periculo vena ſecatur.

Sic etiam Trincavellio, de curand. morb. lib. 2. cap. 10. hæc puerorum venæſectio non probatur, quia ſæpe malus rei eventus ſequitur, & ſi aliquando bene ſuccedat, id potiùs fortunæ, quàm rationi attribuendum dicit.

Euſtachius Rudius, lib. 3. cap. 13. Duncanus Liddelius, lib. 3. de febr. cap. 9. & Bauderonus, prax. med. tract. 2. cap. 3. volunt & jubent, ut ſi pueris variolæ non ſatis citò erumpant, hirudines famelicæ dorſo, natibus, & coxis admoveantur: vel harum loco partibus iiſdem cucurbitulæ cum levi ſcarificatione, primo aut ſecundò die admoveantur. Sed hoc conſilium, ob duas rationes, prorſus improbandum cenſeo. 1. Quia maximè damnoſum eſt primis diebus corpus denudare (quod in hirudinum & cucurbitularum admotione neceſſariò fieri deberet) & ſic aëri frigido acceſſum præbere, quo variolarum eruptio maximè impeditur. 2. Quia periculoſum eſt per ſanguinis extractionem puerorum vires proſternere, quæ alioqui per ſe nimis facilè collabuntur.

Remedia pharmaceutica duplicia ſunt, alia quæ purgant, alia quæ variolas expellunt.

De purgantibus haud parva lis & diſſenſio eſt inter practicos, ſcilicet an non ab iis incipienda ſit curatio, & in ipſo principio pars materiæ per purgantia ſit evacuanda, ut ſic natura, iſto onere levata, reliquum quod ſupereſt commodiùs & faciliùs expellere poſſit. Hæc purgantia multi probant, multi improbant. Qui illa probant, in eo conſentiunt, quòd à catarcticis fortioribus abſtinendum eſſe unanimiter cenſeant: ſed lenioribus utendum putant, ut foliis ſenæ, rhabarbaro, pilulis Ruffi, pilul. ex aloë, manna, caſſia, tamarindis, aliiſque quæ alvum clementer lenire, & præcipuè talibus quæ ſimul nonnihil refrigerare valent: alii potiùs, cum Averrhoë, nulla etiam qualiacunque lenientia per os exhibenda, ſed ſolis potiùs clyſteribus ac ſuppoſitoriis, urgente neceſſitate, alvum ſubducendam judicant: atque ſic hi non longè abſunt ab eorum ſententia qui alvum planè non movendam exiſtimant; inter quos eſt Nicolaus Florentinus, qui apparentibus variolis etiam ab ipſis clyſteribus abſtinendum cenſet. E contra tamen Thomas Willis, neſcio certè quo fundamento, ſolis purgantibus non ſatis contentus, etiam ad emetica procedere audet.

Nos ad controverſiæ deciſionem dicimus, quòd Medicus hac in parte rationem & experientiam ſequi debeat. Ratio docet, naturam in bono cœpto opere non eſſe turbandam, nec contrario aliquo motu impediendam, aut ab illo opere avocandam: quod fieret, ſi motus ille quem natura molitur à centro ad peripheriam, per purgantia inverteretur à peripheria ad centrum. Experientia docet, ſemper in hoc morbo feliciter movere materiam morbificam à centro ad peripheriam (quò autem natura vergit, eò duce ducere oportet, per vias lege naturæ convenientes) & motum huic contrarium eſſe infeliciſſimum, ſive ſponte, ſive arte procedat, atque omnes alvi qualeſcunque turbationes, & vomitiones, eſſe maximè damnoſas: imò ut plurimum exitioſas: quia expulſionem variolarum mox impediunt, & faciunt etiam ut quæ modo expulſæ erant ſtatim evaneſcant, vel ſubſidant, ægrique ſummis anxietatibus obruti, collabentibus citiſſimè viribus, brevi extinguantur. Præterea etiam docet, quòd lenientia qualiacunque medicamenta, quantumvis mitia, facillimè in hoc morbo perniciosum alvi fluxum proritent (hoc ipſum etiam in peſte notavimus, tract. de peſte, lib. 3. cap. 4. ejuſque annot. 1. 2. 3.) & quòd melius expellantur variolæ, ſi alvus primis diebus parum aut nihil dejiciat, quàm ſi aut ſponte, aut arte, liquida evadat, & frequenter defluat. Hac de cauſa etiam jubet Avicenna, ut in proceſſu & fine modicè aſtringentibus conſervetur alvus ne fluat. Idem quoque ſentiunt Raſes & Avenzoar, nec non inter neotericos Fracaſtorius, Mercurialis, Hollerius, ac denique Lazarus Riverius, qui, lib. de febr. ſect. 3. cap. 2. hac de re ſic loquitur: Variolis apparere incipientibus, purgatio futura eſt pernicioſa; tum etiam ſi maxima vigeat malignitas, ut in conſtitutione epidemica, quando plurimi pueri ex eo morbo intereunt; atque hinc ſatius eſt omnino à purgatione abſtinere, quia in morbis valde malignis & peſtilentibus purgatio in principio morbi inſtituta, valde noxia eſt. Ac proinde ego Medicis auctor eſſe velim, ut primis aliquot diebus de alvo lenienda aut ſolvenda non admodum ſolliciti ſint: vel ſi fortè neceſſaria aliqua de cauſa illam ſubducendam eſſe judicent, ut eum in finem nulla ſaltem purgantia aut lenientia per os exhibeant, ſed eam in adultis per clyſterem emollientem, & in infantibus ac pueris per ſuppoſitorium ex ſolo melle ſubducant. Longa enim praxis me docuit, hanc eſſe tutiſſimam curationis viam, alioſque qui aliter curationem inſtituere vo-

luerunt, plurimos, imò pleroſque ſuos ægros infeliciter occidiſſe.

Omiſſa itaque ad tempus purgatione, & de neceſſitate venæſectionis deliberatione habita, Medico ad ægrum vocato ſtatim conſiderandum venit, an natura in expulſione ſufficienter fungatur ſuo officio, nec-ne.

In priore caſu non opus eſt eam multis medicamentis adjuvare, præcipuè ſi nulla gravia ſymptomata adſint, nam levia facilè ſponte evaneſcent, & variolæ ſatis erumpent, ſi duntaxat externum frigus arceatur, & æger in leni diaphoreſi, ſeu miti calore primis tribus quatuorve diebus ſervetur. At verò, ſi æger fortè ſit aliquis ex magnatibus, aut magnatum liberis, qui ſibi hujuſmodi ſolis verbis Medici vix ſatisfieri patiuntur, tunc exhibendum eſt aliquantum lapidis bezoartici, cum magiſterio perlarum, aut oculorum cancri, vel eſſentia corallorum, additis paucis granis croci, aliudve ſimile, quod naturam in ſuo opere turbare nequit, & interim adſtantibus ſatisfacere poſſit.

In poſteriore caſu, ſcilicet, ſi natura in expulſione non ſatis videatur ſuo officio perfungi poſſe, ſed auxilio opus habere, concurrendum eſt ad illa remedia, quæ naturam hoc in opere juvare poſſunt.

Inter expellentia autem, quæ ipſo primo Medici acceſſu exhibenda veniunt, ſunt pleraque illa diaphoretica & alexipharmaca, quæ in principio ad peſtem exhibenda diximus, Tract. de Peſte, lib. 3. cap. 5. è quibus Medicus ea ſeligere debet quæ præſenti ægro magis profutura judicabit: quippe alia infantibus & pueris, alia adultis, alia robuſtis, alia debilibus, alia leviter febricitantibus, ſunt magis convenientia. Pro robuſtis generoſa pharmaca ſunt theriaca & diaſcordium, cum ſalibus abſinthii, cardui bened. aliiſve. Pro pueris & delicatulis imprimis eligenda talia quæ non valde ingratum ſaporem habent, concinnata ex ſpeciebus liberantibus, cornu cervi, corallis, margaritis, croco, confectione alkermes, de hyacintho, aliiſve ſimilibus. Inter alia autem nullum aquâ noſtrâ theriacali (tract. de peſte, loco citato deſcriptâ) efficacius inveni, quæ non eſt ingrati ſaporis, atque hinc vel ſola, vel cum pauxillo grati alicujus ſyrupi mixta, facilè infantibus & pueris exhiberi poteſt.

Si igitur variolæ ſponte non ſatis prorumpant, primò exhibendum eſt aliquod ſudoriferum, hoc vel ſimili aliquo modo præſcriptum.

℞. Theriacæ Andromachi drach. j. ſalis cardui ben. ſcrup. j. ſ. aquæ cardui ben. unc. ii. miſce: fiat hauſtus.

℞. Diaſcordii Fracaſtorii, theriacæ, an. drach. ſ. extracti cardui ben. ſalis abſinthii, an. ſcrup. i. decocti cardui ben. q. ſ. miſce, fiat hauſtus.

℞. Diaſcordii, drach. j. cornu cervi uſti, coralli rubri præparati, an. ſcrup. j. aquæ noſtræ theriacalis, unc. j. ſ. ſyrupi de roſis ſiccis, unc. ſ. miſce, fiat hauſtus, in metu alvi fluxus.

℞. Aquæ theriacalis unc. j. vel unc. j. ſ. ſacchari perlati drach. j. miſce, fiat hauſtus, pro pueris delicatulis.

℞. Confect. de hyacintho, diaſcordii, cornu cervi uſti, an. ſcrup. i. miſce, fiat bolus.

℞. Pulveris liberantis, ſcrup. ii. croci gr. iv. cornu cervi uſti ſcrup. i. miſce, fiat pulvis.

℞. Margaritarum præparat. coralli rubri præpar. cornu cervi uſti, ana drachm. i. manus Chriſti, ſcrup. ii. fiat pulvis, cum aliquo liquore exhibendus.

℞. Seminis aquilegii, raparum, an. ſcrup. i. ſ. naſturtii, ſcrup. i. fiat pulvis pro vulgaribus.

℞. Stercoris ovilli recentis drachm. vi. aut unc. i. vini albi tenuis, decocti hordei, ana. unc. i. ſ. miſceantur, & ſtent per duas treſve horas, tunc colentur, cum levi expreſſione, & colatura detur pro hauſtu, qui potenter variolas propellit.

His, aliiſve ſimilibus formulis ſudorifera præſcribi, & commodè exhiberi poſſunt, neque ad hoc negotium opus eſt multas operoſas compoſitiones præſcribere, ſicut nonnulli Medici (imprimis illi qui ex Paracelſi ſchola prodiere) id magno faſtu moliuntur, quippe pauca huic indicationi ſatisfacere poſſunt.

Cùm æger ſudoriferum aſſumpſit, ſtragulis aliiſve tegumentis bene contegendus, ſicque ad ſudorem impellendus eſt; cavendum tamen ne nimiis tegumentis intectus, aut in hypocauſto calido decumbens, nimiùm ſudando in lipothymiam incidat, ſicut enim in aliis rebus, ita etiam in hoc ſudore modus ſervandus eſt.

Hic obiter notandum, quòd Fracaſtorius, Jo. Paſchalis, Foreſtus, Riverius, aliique multi, ad meliorem variolarum provocationem, commendent ut ægri ſudaturi contegantur ſtragulis rubris, propterea quod ſpeciatim rubrum iſtum colorem aliquid ſingulare ad variolarum provocationem, præ cæteris coloribus, conferre, aut ſudorem talibus rubris ſtragulis provocatum, etiam in eliciendis foras variolis efficaciorem eſſe, ſibi imaginentur, vel quòd inſpectionem rubri coloris, humores extrorſum movere putent, ſicut id ſcribunt, Valeſcus de Taranta, lib. 7. cap. 15. & Duncanus Liddelius, de febr. lib. 3. cap. 9. Verùm omnes mihi errare videntur, qui à rubro colore ſtragulorum aliquid ſingulare expectant: non enim color, ſed calor ſtragulis provocatus ad variolarum expulſionem facit: illorum autem error hinc primam originem ſumpſiſſe videtur, quòd olim, & etiam tempore avorum & atavorum noſtrorum (ut videmus in noſtra familia ex iſtis ſtragulis quæ hæreditate ab illis ad nos pervenerunt) optima & craſſiora ſtragula rubro colore tingebantur, tenuiora aliis coloribus; atque hinc cùm iſtius temporis Medici ægros ſudaturos bene contegi videbant, juſſiſſe ut ſtragulis rubris, id eſt, melioribus & craſſioribus, contegerentur: hoc non ſatis perſpicientes Medici poſteri, putârunt antecedentes Medicos rubris ſtragulis ægros ſuos contegi voluiſſe, quia ex rubro colore aliquid ſingulare & notabile prodiiſſe obſervaſſent, quod variolas foras eliceret.

Cùm æger jam bene, pro virium ratione, ſudavit, nonnihil detegendus eſt, ita ut à magno ſudore aliquantùm relevetur; interim tamen in tepore aliquo ſubhumido, ſeu leni ac blanda diaphoreſi per diem unum aut alterum eſt detinendus uſque dum variolæ ſatis bene propulſæ fuerint; cavendo tamen ne à nimio calore vires proſternantur. Sic quoque Foreſtus, *lib. 6. obſerv. 44.* ægros in aëre mediocriter calido ver-

verſari, & corpus veſtibus ſtragulisque ita munire jubet, ut in levi quadam diaphoreſi ſerventur, unicè cavendo, ne nimis tegumentis ac ſtragulis injectis, vel in hypocauſtis calidis, calor corporis nimiùm augeatur, ſicque febris magis increſcat, & æger ſyncope correptus ſuffocetur. Hoc ipſum etiam bene monet Duncanus Liddelius, de febr. lib. 3. cap. 9.

Ut autem durante illa leni diaphoreſi, variolarum propulſio citiùs & meliùs ſuccedat, ſolent vulgò noſtrates ficus conſciſſas in cerevíſia tenui decoquere, & hoc decoctum ægris tepidum pro potu exhibere, idque felici plerumque ſucceſſu. Foreſtus, lib. 6. obſervat. 41. illud ſimplex ficuum decoctum admodum extollit, idque paſſim omnibus pueris exhibet, Leonellus non in cereviſia tenui, ſed in ſero lactis ficus decoquit, eoque decocto commodè utitur. Sunt qui pueris alacrioribus ficus comedendas concedant, neque id malè, dummodo ventriculus eas ſufferre valeat. Ficus enim quocunque modo in uſum vocatæ hic plurimùm conducunt: ratio hæc eſt, quia ſicut cataplaſmatibus incoctę vel admiſtę, & ſuppurandis tumoribus foris impoſitæ, crudos humores coquunt, & maturationem accelerant, ita etiam illas in decocto aſſumptas vel comeſtas citò variolas propellere, earumque etiam citam maturationem efficere, quotidiana experientia docet. In harum tamen uſu hoc unicè obſervandum, ut nec illæ, nec earum decoctum detur talibus ægris quibus alvus jam liquida eſt, aut nimiùm fluit, aut in quibus alvi fluxus adventurus metuitur, nam ad hunc fluxum proclivibus facilè perniciosum fluxum concitarent. Medici frequenter, non ſimplex illud ficuum decoctum, ſed aliud magis compoſitum, in eundem uſum præſcribunt, hoc ferè modo.

♃. Hordei mund. unc. i. glycyrrizæ raſæ drach. ii. cicerum rubr. unc. i. ſ. ſem. raporum, fœniculi, an. drach. ii. ficus num. 17. aquæ q. ſ. fiat ſ. art. decoctum ad lib. ii.

Huic decocto nonnulli carduum benedictum & ſcordium, alii lentes & paſſulas majores, ſemen apii, aquilegiæ, napi, alii alia nonnulla adjiciunt.

Ex Avicenna & Raſe hæ duæ deſumuntur decoctiones, Medicis poſteris uſitatæ & plurimùm laudatæ:

♃. Laccæ ablutæ, drach. v. lentium excortic. drach. vii. gummi tragacanthæ drach. iii. aquæ q. ſ. fiat decoctio ad lib. j. ſ.

♃. Ficuum drach. vii. lentium excortic. drach. iii. laccæ drach. ii. ſ. tragacanthæ, ſem. fœniculi, an. drach. ii. aquæ lib. i. ſ. coque ad remanentiam tertiæ partis.

Poteſt tale decoctum etiam paulò aliter præſcribi:

♃. Uvarum paſſul. mund. unc. ii. caricarum, num x. lentium mund. unc. iv. laccæ, drach. j. ſ. ſem. fœniculi, drach. iii. ſem. apii, drach. j. ſ. croci, ſcrup. j. aquæ lib. iii. coquantur ad lib. ii.

Garcias Lopius ſimile decoctum hoc modo præſcribit:

♃. Caricarum num. x. jujubarum ſine nucleis, num. 15. lentium decortic. unc. ii. ſem. fœniculi, aniſi, apii, cydoniorum, an. drach. ii. laccæ, tragacanthæ, roſarum, ſantalorum, an. drachm. ii. aquæ q. ſ. coquantur ſ. art. adde colaturæ croci pulveriſati drachm. ſ.

In hiſce decoctis Cardanus, Jo. Bapt. Sylvaticus; Amatus Luſitanus, Septalius, aliique nonnulli, lentes & tragacanthum improbant. Sennertus illa decocta ſic compoſita per ſolam experientiam approbat, eò quòd plurimi Medici illis feliciter uſi fuerint, rationem non addit. Hanc ego nunc adjungam, eſtque hæc, quòd ebullientem ſanguinem nonnihil incraſſent, eumque ad citiorem variolarum maturationem diſponant: ac proinde illis, non tam in ipſo morbi principio ad ſolam variolarum expulſionem, ſed paulò poſt principium, ad earum ſimul expulſionem & citiorem maturationem, utendum cenſeo, ſicut de ficubus modò dictum.

Sunt nonnulli qui talia decocta diſtillant, & aquam ab iis diſtillatam ægris exhibent. Verùm hi in Chimia prorſus ſtolidi ſunt, & neſciunt quòd lacca, ficus, lentes, tragacantha, aliaque primaria eorum ingredientia viſcida & dulcia, in diſtillatione per alembicum non tranſcendant, atque hinc ex bono & efficaci decocto fiat aqua prorſus inefficax.

Si fervor non ſit admodum intenſus, tunc decocto ficuum etiam magno commodo adjiciuntur radices helenii, ut quæ expulſionem feliciter promovent: nonnulli etiam flores calendulæ adjiciunt.

Loco talium decoctionum, pro delicatioribus (ubi magna morbi vis, & ingens neceſſitas non urget) præſcribuntur gratæ emulſiones.

♃. Amygdalarum dulc. mundat. unc. j. ſem. 4. frig. excortic. an. drach. j. ſ. napi, aquilegiæ, cardui ben. an. drach. j. aquæ hordei q. ſ. fiat emulſio ad lib. j. cui adde, ſacchari albiſſimi, aut pro ditioribus, manus Chriſti perl. unc. ſ. vel q. ſ. ad gratam dulcedinem, miſce, fiat emulſio.

♃. Sem. cardui ben. excortic. aquilegiæ, napi, an. drach. ii. melonum, drach. iii. aquæ fœniculi, & cardui ben. an. unc. iii. fiat emulſio, addendo manus Chriſti q. ſ. ad dulcedinem, miſce, pro infantibus & pueris.

Germani omnes hujuſmodi emulſiones conficiunt cum aquis diſtillatis, acetoſæ, borraginis, cardui ben. ſcabioſæ, &c. ſed nos iis parvas vires adſcribimus, & ſolum decoctum hordei, quod maturationem aliquo modo promovere poteſt, pluris facimus.

Si qui cordatiores conditis uti velint, illa hoc modo præſcribi poſſunt.

♃. Rad. helenii condit. conſervæ borraginis, violarum, an. unc. i. ſyrupi helenii, q. ſ. miſce, fiat conditum.

♃. Pulpæ paſſularum majorum, ficuum, corticum aurantiorum condit. conſervæ roſarum, an. drach. vi. ſyrupi aurantior. q. ſ. miſce, fiat conditum.

Rec. Pulveris liberantis, drach. i. cornu cervi uſti drach. ſ. corticum citri condit. nucum jugland. condit. conſervæ flor. calendulæ, an. drach. vi. ſyrupi nuc. jugland. q. ſ. miſce, fiat conditum.

Chimici extollunt ſuas ſolutiones, magiſteria, eſſentias perlarum, corallorum, cornu cervi, aliaſque vano magis titulo, quàm re, celebratione dignas, utpote in quibus in hoc morbo

multa præſtanda promittuntur, ſed pauca promiſſa præſtantur, & quæ magis vendentium lucrum, quàm ægrotantium ſalutem ſpectare videntur.

Omnibus prædictis medicamentis, ſi magnus ſit febris ardor, adjici poſſunt aliqua refrigerantia: ut ſi decoctis addantur, borrago, cichoreum, lactuca, violaria, endivia, bugloſſa, roſæ, ſem. 4. frigid. majora, &c. conditis verò, conſerva violarum, roſarum, nympheæ, pulv. diatraganthi aut dimargariti frigidi, trochiſci de ſpodio, aliaque ſimilia.

Præter interna medicamenta, Bauderonus, prax. tract. 2. cap. 3. ad ſudoris promotionem & citiorem variolarum expulſionem, etiam præſcribit epithemata, fomenta, emplaſtra, olea pulſibus illinenda, aliaque ſimilia foris adhibenda. Verùm hæc omnia plùs damni, quàm utilitatis adferre, & ſudoris provocationem, per aëris ventilationem; magis interturbare & impedire, quàm promovere poſſunt.

In horum omnium uſu communis multorum Medicorum error notandum venit, qui in eo conſiſtit, quòd ſuis medicamentis immiſceant acetoſam, uvas criſpas immaturas, fructus berberis & ribeſiorum, poma, ſuccum, & ſyrupum de limonibus, tamarindos, aliaque acida, idque ad mitigandum, ut inquiunt, fervorem, & ebullitionem inhibendam. Profectò hi totâ errant viâ; mitigent, ſi velint, per acida fervorem, & inhibeant effervescentiam in inflammationibus, febribus ardentibus & tertianis, aliiſque ſimilibus ſanguinis fermentationibus vitioſis, ſed non in hoc morbo, qui per aliquem caloris exceſſum atque ebullitionem ad criſim & materiæ morbificæ expulſionem ac maturitatem adducendus, ſicque finiendus eſt. Acida quia calorem & ebullitionem ſulphuream, qualis hoc morbo adeſt, infringunt, (quemadmodum aliàs ſalſam promovent) & materiæ morbificæ neceſſariam coctionem ac maturationem, ſimulque expulſionem hîc impediunt, & pectori plurimùm obſunt, adeò noxia ſunt, ut vix quidquam damnoſius præſcribi poſſit.

Poſt generalem curationem, quæ imprimis totius corporis conſervationem & vitam ſpectat, nunc etiam pauca quædam dicenda ſunt de ſpeciali curatione aliquarum partium, quæ nonnunquàm in hoc morbo magis quàm aliæ affliguntur; propterea quòd materia morbifica, aut iis ſpeciatim magis, infeſta ſit, aut majore copia & impetu ad illas decumbat.

Partes autem plus aliis afflictæ, ſunt vel internæ, vel externæ.

Internæ præcipuæ ſunt, pulmo, ventriculus, inteſtina, hepar, & renes: quas affectas & graviter læſas eſſe, ex actionum læſione deprehenditur, ut etiam alibi dictum.

Etſi autem his partibus, una vel pluribus, ſpeciatim magis afflictis, maximum ægris periculum incumbat, & pauci ſic detenti à morbo reſurgant ac ſerventur, tamen quia non omnes moriuntur, ſed aliqui adhuc ſanantur, oportet ut Medicus qualemcunque poteſt curationem, etiam in deſperatis hiſce caſibus, inſtituat, ſicque cauſam mali, quantùm poteſt, imminuat, & ſymptomata leniat, ac denique vel ægro ſanitatem reſtituat, vel mortem leniorem procuret.

Omnibus hiſce partibus ſeu viſceribus afflictis in genere ſuccurrit decoctum lentium, laccæ, & tragacanthæ, præcedente capite ex Avicenna deſcriptum; lacca enim jecur, lienem & renes tuetur, lentes inteſtina roborant, tragacanthum partes ſpiritales defendit.

Peculiariter verò pulmoni laboranti conveniunt dulcia, utpote quæ maturationem promovent; tuſſim leniunt, & ſputa facilitant: qualia ſunt, ſyrupus de tuſſilagine, de glycyrriza, de jujubis, papaveris erratici, violaceus, roſaceus, diatragacanthum frigidum, diapenidium, glycyrrizæ pulvis & ſuccus, conſervæ roſarum, borraginis, violarum, aliaque ſimilia, ex quibus, pro re nata, modò linctus, modò trochiſci, modò condita, conficiuntur: vel iiſdem etiam decocta pectoralia, ex hordeo mundato, tuſſilagine, althæa, violaria, ficubus, paſſulis, jujubis, aliiſque confecta, dulcorantur.

Ventriculi vomitum & cardialgiam principio potenter ſedat theriaca. Poſtea ſæpe exhibenda eſt talis emulſio.

♃. Amygd. dulc. mundat. unc. j. ſem. 4. frigid. major. ana drach. j. ſ. ſem. lactucæ, aquilegiæ, ana drach. j. ſ. ſem. papaveris albi drach. ii. ſ. aquæ hordei. q. ſ. fiat emulſio ad lib. j. cui admiſce, ſyr. de papavere drach. ii. ſyr. de borragine unc. ſ. miſceantur.

Foris in regione ventriculi cum magna ſpongia facienda eſt fomentatio, ex decocto malvæ, althææ, menthæ, ſalviæ, meliſſæ, majoranæ, flor. roſarum, chamomillæ, meliloti, ſem. anethi, & cumini poſt fotum, ad majorem corroborationem illuendum eſt hoc linimentum.

♃. Olei menthæ, anethi, ana unc. j. nucis moſcatæ expreſſi, drach. j. ſ. ſpicæ, philoſohorum, ana drach. j. miſce, fiat linimentum.

Poſt inunctionem imponendus hic ſacculus ſiccus, vel vino calido irroratus, vel in vino nonnihil excoctus, & leviter expreſſus.

♃. Fol. majoranæ, roſmarini, ſalviæ, flor. meliloti, roſarum, ana m. ſ. ſem. anethi, leviſtici, cumini, nucis moſcatæ, ana drach. j. gariophyllorum ſcrup. ii. fiat pulvis groſſus, ex quo inter duo lintea fiat ſacculus ſ. art. interſutus.

Inteſtinorum tormina & alvi fluxum ſedant, theriaca, mithridatum, diaſcordium, cornu cervi uſtum, oculi cancri pulveriſati, terra ſigillata, corallium rubrum, conſerva roſarum rubrarum, decoctum primum ex Avicenna cap. præcedente deſcriptum; vel tale amygdalatum.

♃. Sem. papaveris albi drach. iij. amygd. dulc. mundat. unc. ii. decocti hordei, q. ſ. fiat emulſio ad lib. i. adde ſyrupi de papavere, de roſis ſiccis, ana drach. iii. miſce, fiat amygdalatum.

Hepati laboranti conveniet ſimile amygdalatum, additis ſeminibus quatuor frigidis majoribus: vel conducet etiam decoctum hordei cum roſis & ſantalis rubris dulcoratum cum ſyrupo papaveris erratici, roſarum, & violaceo: aut præſcribendum conditum, ex corticibus citri conditis, conſerva roſarum, borraginis, violarum, & pulvere triumſantalorum, addito ſyrupo papaveris erratici.

Renes ſi ſanguinem cum urina profundant, præſcribenda erit talis emulſio.

♃. A-

♃. Amygdalarum dulc. mundat. unc. i. ſ. ſem. 4. frigid. major. an. drach. i. ſem. papaveris albi drach. iii. decocti hordei q. ſ. fiat emulſio ad lib. i. in qua diſſolve, tragacanthæ pulveriſatæ ſcrup. ii. ſyrupi papaveris erratici, de roſis ſiccis, de ſymphyto, an. unc. ſ. miſce, ſit amygdalatum.

Liddelius in hoc caſu commendat pulverem ſuccini, aut trochiſcorum de carabe, vel alkekengi, cum emulſione ſeminum quatuor frigidorum majorum datum.

Hæc ſunt primaria quæ adhiberi & præſcribi queunt in dictis illis periculoſiſſimis caſibus, ubi viſcera interiora graviter ſunt afflicta; ſecundùm quàm methodum Medici adhuc plura alia ſimilia effingere poſſunt, & debent, non enim in maxima neceſſitate & mortis periculo ſtatim pro deplorato dereliquendus eſt æger (hoc foret præter Chriſtianam charitatem) ſed oportet ut Medicus ſua faciat, reliqua Deo committat, qui etiam aliàs plurimos deſperatos ægros ſanitati reſtituit.

Externæ partes, quæ plus cæteris affligere ſolent, ſunt manus & pedes, os & fauces, nares, aures, oculi, & facies.

In eruptione variolarum, aut dum matureſcere incipiunt, interdum ingens dolor aut pruritus ægrotantes affligit in volis manuum & plantis pedum, eò quòd denſior illarum partium cutis eruptionem impediat. Huic ſymptomati medeberis, ſi partes illas in aqua calida, vel in aqua cum lacte dulci mixta, vel in decocto emolliente diu foveas; quâ de re etiam infrà aliquid notavimus, *cap.13. de Morbillis.*

Si magna copia variolarum in ore & faucibus eruperit, moleſta inde fieri ſolet reſpiratio & deglutitio. Hinc os frequenter colluendum, & fauces gargarizandæ ſunt cum decocto ficuum ſimplici: vel ſi fortè magnus fervor, aut inflammatio adſit, poterit illud hoc modo præſcribi.

♃. Hordei mundat. unc. j. ſ. ficus conſciſſas, num 17. paſſularum mundat. unc. i. ſ. fol. altheæ, violariæ, endiviæ, lactucæ, an. m. i. ſ. flor. roſarum pallid. m. i. ſambuci, m. ſ. aquæ q. ſ. fiat decoctum ad lib. ii. pro collutione oris.

Cùm jam maturæ ſunt variolæ, ad faciliorem deglutitionem & citiorem variolarum eruptionem, ſubinde deglutienda eſt pilula, magnitudinis nucis avellanæ, ex butyro recenti inſulſo, ſaccharo obvoluta: hæc enim mirabiliter faucium tumentes variolas diſſolvit. Si hoc tamen non ſuccedat, variolæque integræ remaneant, & magna reſpirandi deglutiendique difficultas plurimùm urgeat, tunc parva ſpongia bacillo firmiter alliganda, eaque ſyrupo violaceo intincta, fortiter in fauces intrudenda eſt, ut ſic variolæ illic vi diſrumpantur & anguſtia diſſolvatur. Facta diſruptione, gargarizandum eſt cum decocto hordei, plantaginis, & roſarum rubr. dulcorato cum melle roſaceo & ſyrupo de ſymphyto.

Nares, ut à variolis defendantur, ſæpe acetum naribus odorandum objiciendum eſt. Sic etiam ſcribit Foreſtus, Benedictum Faventinum, ante earum eruptionem, ægris odorandum dediſſe acetum in quo roſæ coxerant: aceti odorem commendant quoque Liddelius & Riverius. Variolæ autem ſi in naribus copioſæ eruperint, cum pluma ſubinde illinendæ ſunt oleo amygdalarum dulcium. Si verò in cruſtas duriuſculas abeant, nareſque obſtruant, ſicque moleſtam reſpirationem efficiant, tunc butyrum recens inſulſum naribus infarciendum eſt, quo cruſtæ mirabiliter emollitæ excidere, & ſic obſtructio brevi diſſolvi ſolet. Suadent quidem alii, ut ægri hæc vel illa decocta naribus attrahant; ſed illud pueri facere nequeunt, & in adultis etiam, propter obſtructionem, peragi non poteſt: verùm ſolum butyrum, naribus aliquoties immiſſum, totum negotium feliciter abſolvit, ita ut aliis opus non ſit. Si verò in naribus exulceratio contingat, linimento ex oleo de vitellis ovorum & ſucco plataginis, in mortario plumbeo ſubactis, curabitur; cui, ſi magis ſiccandum ſit, etiam aliquantùm unguenti de tutia admiſcendum eſt.

Aures ſi doleant vel pruriant, curandum ne manibus contrectentur; & ſi fluant, ut ſæpe ſolent, dimittendum eſt, & curandum ut apertæ maneant. At ſi dolor urget, ſpongia immergenda eſt decocto fol. altheæ, flor. chamomillæ, meliloti, roſarum, ſem. fœnugræci, anethi, & cumini, eaque tepens auri aliquamdiu imponenda.

Oculorum medicatio partim conſiſtit in præſervatione, partim in curatione. Ut oculi à magna variolarum copia præſerventur, nonnulli palpebras ſæpe lavant cum aqua roſarum & plantaginis, in qua nonnihil tutiæ præparatæ infuſum, aut pauxillum ſief albi & camphoræ admixtum fuerit. Bauderonus eundem in finem hoc collyrium præſcribit.

♃. Fol rubi, plantaginis, roſarum rubr. an. m. ſ. coquantur in aqua fabrorum, ad unc. iii. in colatura diſſolve croci ſcrup. i. camphoræ gr. v. albumen unius ovi, miſceantur. Hujus aliquot guttulas ſingulis ferè horis oculis inſtillat, & linteola eodem madida palpebris imponit, & ægrum à magno lumine remotum in loco obſcuro detinet.

Liddelius hoc præſcribit.

♃. Aquæ roſarum unc. ii. plantaginis unc. i. pulv. ſem. ſumach. drach. ii. miſce, ad ignem lentum calefiant, colentur cum forti expreſſione: adde colaturæ, camphoræ ſcrup. j. croci gr. v. miſce, fiat collyrium, quo cum tenui linteo oculi ſæpe madefiant.

Mercurialis hoc componit.

♃. Aquæ roſarum, plantaginis, an. unc. j. ſumach. unc. ſ. macerentur per noctem, & cum modico albuminis ovi, fiat miſtura.

Vel ſumit lac chalybeatum cum aqua roſacea miſtum, cui interdum myrrhæ aliquantillum admiſcet, ad pruritum & dolorem leniendum. Ego omnium optimum eſſe comperio, ſi crocus pulveriſatus miſceatur cum lactis dulcis crema, ſuperius lacti innatante, hæcque mixtura palpebris cum pluma illinatur, ejuſque etiam nonnihil carunculæ in angulo majori admoveatur, quo ipſo, addito pauxillo ſief albi, etiam feliciter utor ad curationem, cùm oculi modò læſi ſunt.

Si fortè palpebræ à variolis præſervari nequeant, tunc frequenter contingit, ut ab iis valde intumeſcant, ita ut oculi ob illum tumorem omnino claudantur. In eo caſu notandum, palpebras, non obſtante iſto tumore, ſingulis diebus ſemel aut bis, digitis à ſe invicem dimovendas,

& nonnihil aperiendas eſſe, ut ſic liquor intus ſubſiſtens effluat, qui alioqui intra palpebras craſſeſcens albuginem parit. At ſi fortè ob tumoris magnitudinem commodè aperiri nequeant, priùs fovendæ ſunt cum ſpongia molli, intincta in jure vervecino, aut tepido decocto fol. altheæ, flor. roſarum pall. meliloti, & ſeminis fœnugræci: eoque fotu aliquamdiu adhibito, admotis digitis apertio palpebrarum tentanda eſt. Si poſt detumeſcentiam, & hinc liberam palpebrarum apertionem, nebulæ albugineæ in oculis obortæ, viſum obfuſcantes, obſerventur, ſaccharum candum album ſubtiliſſimè pulveriſatum, per pennam ſcriptoriam a pluma reſciſſam, in oculos ſubinde inflandum eſt: quo ſolo illas nebulas ſæpe feliciter ſuſtuli. At ſi fortè duriores evaſerint, & oculos planè excæcent, tunc iſti ſaccharo cando addenda eſt quarta aut ſexta pars lapidis calaminaris ſubtiliſſimè cum ſaccharo pulveriſati: tali pulvere albuginoſæ iſtæ nebulæ egregiè tolluntur, viſuſque reſtituitur. Si à variolis oculi ulcerentur, curandi erunt hoc collyrio.

♃. Ceruſæ lotæ drach. iii. ſarcocollæ drach. i. gummi tragacanthi ſcrup. j. opii, gr. ii. cum mucilagine tragacanthæ in aqua plantaginis extracta, fiant trochiſci, qui uſus tempore diſſolvendi ſunt in lacte muliebri, vel aqua roſacea.

Faciei medicatio, non minùs quàm oculorum, partim in præſervatione, partim in curatione conſiſtit.

Præſervatio ea de cauſa non inſtituitur, ut variolæ in facie prorſus non erumpant (ſi enim illic earum eruptio impediretur, fortè labes illa alias interiores partes, ut cerebrum, meninges, oculos, aliaſve, graviùs feriret) ſed ut decidentes & exſiccatæ variolæ quàmminimas foveas & cicatrices relinquant. Hunc in finem varia excogitata ſunt topica. Nonnulli erumpentibus jam variolis totam faciem identidem fovent cum decocto illo in quo piſa ad ſummam mollitiem excocta ſunt. Alii faciem plumâ bis de die illinunt cum oleo raparum, egregio ſucceſſu. Foreſtus laudat oleum amygdalarum dulcium, Riverius verò oleum nucum. Alii lardum in camino fumatum, & in forcipe ignito ſeu ab igne candente aſſatum, ſeu toſtum, & liquatum aquâ roſaceâ exceptum, inſtar mollis unguenti feliciter illinunt; hocque magni practici Timanni Geſelii ordinarium erat. Alii porci maſculi recens mactati omentum in veru ad ignem aſſant, & diſtillantem pinguedinem ſuppoſitâ aquâ roſaceâ excipiunt, eamque toti faciei illinunt; & mox faciem totam contegunt ejuſdem porci lardo in tenues laminas conſciſſo: hæc bis de die renovant, uſque ad perfectam variolarum maturationem (quæ ſic longè mitiùs maturantur) & uſque dum decidant: hoc Dominarum aulicarum ſecretum eſt. Certè hæc omnia non contemnenda, ſed egregia, atque nonnunquam in uſum vocanda exiſtimo, præcipuè in iis ditioribus & magnatibus qui ſibi imaginantur Medicum magno aliquo molimine plus præſtare poſſe, quàm Naturam proprio conamine. Interim, ego ordinariè meis ægris conſilium do, ut in principio molli ſpongia foveant totam faciem cum jure carnis vervecinæ ad ſummam mollitiem coctæ, ablata pinguedine (hæc enim cutem nonnihil denigrat, vel obfuſcat) idque aliquoties de die repetant, uſque ad variolarum maturationem, poſtea verò reliquum totum negotium naturæ committant: imò multis ſuadeo ut ab ipſo principio negotium naturæ committant, imprimis ſi variolæ non valde magnæ & copioſæ ſint. Præterea & hoc maximè commendo, ut caveant ne variolas ſcalpendo detrahant, experientia enim docet, eos quibus variolæ ſponte, vel ſine apertione exſiccantur ac decidunt, paucioribus minoribuſque veſtigiis & cicatricibus deformatos, evaſiſſe: quod ipſum etiam notàrunt Garcialopius, & Foreſtus, *lib. 6. obſerv. 50. in ſcholio.*

Verùm hic jam examinandus venit Aulicorum mos, qui de pulchritudine ſua magis ſolliciti præ aliis exiſtentes, ſolent variolas maturas acu aurea aperire, & ſic pus educere, antequam (ut inquiunt) cutem profundiùs erodat (hoc ipſum etiam facere jubent Arabes, multique Medici neoterici) & ſic profundas foveas faciat. Dicendum hanc apertionem prorſus damnoſam exiſtere (hoc ipſum etiam bene notavit Riverius) & ſemper à nobis compertum eſſe, poſt illam veſtigia valde profunda & fœda relicta fuiſſe. Hanc experientiam quoque gemina ſufulcit ratio. Nam primo, apertio ſeu perforatio illa non poteſt aut debet inſtitui, niſi cùm variolæ jam factæ ſunt maturæ & albæ; atqui cùm pure albo & cocto exiſtente, omnis ab eo acris fervor & potentia carnemve ulteriùs exedendi, abſit, imò & puſtulæ ſponte exſiccari incipiunt, omnino fruſtra ſupervacaneum illud apertionis opus acu aurea inſtituitur, cùm ulterioris eroſionis nullus metus ampliùs ſuperſit. *Secundò*, per illam apertionem educto pure, tunc cavitates mox ab ambiente aëre exſiccantur, & indureſcunt, unde fit, ut ſubſtrata caro altiùs ſuccreſcere, eaſque ulteriùs replere nequeat: at ſi variolæ non aperiantur, ſed pus in iis paulatim ſponte exſiccari permittatur, tunc ſubſtrata caro mollis ſervatur, tantumque ſuccreſcit, ut ante omnimodam puris exſiccationem veſtigia carne repleantur, ita ut tandem delapſis exſiccatis variolis, vix ampliùs ullæ foveæ ſuperſtites maneant. Hæc eadem poſterior ratio etiam docet, omnino impediendum eſſe, ut ægri variolas prurientes unguibus ſcalpendo non dilacerent, aut ante exſiccationem detrahant; certa enim experientia docet, tali modo ſemper fœdas cicatrices & profunda veſtigia relinqui. Atque hinc in pueris & infantibus iſtius rei exactam curam haberi mando, & eorum manus linteaminibus obvolvi, vel caligis indui, vel faſciis ita ligari jubeo, ut eas faciei admovere, in eaque variolas ſcalpere non poſſint. Hoc ipſum etiam monens Auctor libri de proprietatibus rerum, ſic inquit: Caveat autem nutrix vel Medicus, tam in puerulo, quam in adulto, ne talium puſtularum veſiculæ, nec propter pruritum, nec propter aliud, rumpantur, ſeu aperiantur, maximè circa faciem: quòd ſi perforentur variolæ, perpetuis temporibus veſtigia apparebunt. Illud etiam ſibi ab experientia conſtare ſcribit Foreſtus, loco citato.

Apertas variolas Arabes aquâ ſalis (hanc etiam laudant Jo. Paſchalis, Euſtachius Rudius, & alii,) multi decocto ſantalorum, roſarum rubr. plantaginis, myrtillorum, & ſaniculæ

ab-

abluunt; ſed tales ablutiones rejiciendæ ſunt, cùm cavernulas variolarum nimis citò exſiccent, ſicque carnem ſuccreſcere impediant, & hinc profundiores foveæ remaneant.

Contingit interdum ut à variolis ſuperſtites remaneant exulcerationes quædam fœdæ, cutem erodentes. Has Amatus primò lavat hoc decocto.

℞. Florum roſarum rubr. myrtillorum, fol. lentiſci, ſummitatum quercus, tamariſci, ana part. æq. aquæ q. ſ. fiat decoctum, quo ulcerationes laventur, & linteo abſterſis hunc pulverem inſpergit.

℞. Thuris, maſtichis, roſarum rubr. ſarcocollæ, ana part. æq. fiat pulvis ſubtilis.

Foreſtus in eodem caſu præter unguentum camphoratum, etiam utitur hoc unguento de plumbo, deſcriptionis Montagnanæ, quod etiam valde commendat Duncanus Liddelius.

℞. Plumbi uſti unc. ii. lithargyri unc. i. ceruſæ lotæ, aceti, ana unc. ſ. olei roſacei unc. iii. mellis roſacei unc. i. vitell. ovorum num. iii. myrrhæ unc. ſ. ceræ, q. ſ. fiat ſ. art. unguentum.

Sanatis variolis, maculæ rubicundæ aliquamdiu ſuperſtites manent, ad quarum citiorem ſublationem nonnulli eas bis terve de die lavant cum decocto lupinorum & fabarum, in quo aliqui etiam coquunt radices arundinis & abrotanum: alii utuntur aquâ deſtillatâ florum fabarum & ſigilli Salomonis, admiſcendo aliquantùm ſucci limonum: alii maculas abluunt cum aqua milleflorum, id eſt, ſtercoris vaccini: Jo. Paſchalis commendat lotionem, cum aqua roſmarini: Mercurialis celebrat aquam diſtillatam ex duobus pedibus vituli, totidem limonibus, & pauxillo ſerpentariæ: alii inungunt unguentum roſaceum, aut pomatum, cui oleum tartari admixtum eſt. Sed ego in praxi à longo tempore obſervavi, illas citiùs ſponte evaneſcere, ſi omnino nihil adhibeatur, nam aër externus cutem poſt exulceratas variolas de novo regeneratam paulatim exſiccat & indurat, & ſic paulatim etiam imminuitur macularum iſtarum color, imò tandem penitus evaneſcit, ubi nova illa cutis cum reliqua priore cute æqualem duritiem adepta eſt. Ac proinde ego communiter nullas lotiones aut inunctiones eum in finem præſcribo, cùm illas cutis indurationem & macularum ſublationem potiùs tardare, & ſolum aërem externum optimum macularum remedium eſſe comperiam. Si tamen aulicis quibuſdam Domicellulis ſine aliquo remedio topico ſatisfieri nequeat, illis commendo lotionem ex aqua fabarum, cui pauxillum aquæ tartari (vulgò malè appellant oleum) vel ſucci limonum admixtum ſit, vel lotionem ex lacte virginali.

Ad ſuperſtites cicatrices & relicta veſtigia tollenda, multi axungiam humanam, aut ſevum vervecinum, alii multa alia inungenda & imponenda præſcribunt. Bauderonus, *Prax. tract. 2. c. 3.* hæc proponit. *Conducit*, inquit, *aqua mellis cum terebinthina diſtillata. Itidem confert pinguedo aſini cum oleo liliorum liquata: & oleum ovorum, & de lateribus. Sanguis leporis aut tauri calidè admotus cavitates implet. Itidem corium ſuillum* ſalſum *& calefactum, ſi fricentur veſtigiorum cavitates, cutem æquant. Itidem valet axungia anſeris, anatis, aut gallinæ, & cinis ungularum arietis, aut capræ, aut putaminum ovorum, ad cutis aſperitatem delendam.* Idem ad tubercula eminentia æquanda hæc præſcribit.

℞. Olei liliorum, axungiæ anſeris, & aſini, an. unc. j. unguenti citrini unc. ſ. Miſce pro litu tuberculorum horâ ſomni, per multos dies continuando.

Die ſequenti mane lavetur facies hoc decocto.

℞. Rad. liliorum albor. unc. ij. Rad. ari, vel ſerpentariæ unc. j. malum citrium in fruſta diviſum, num. 1. furfuris macri M. j. aquæ q. ſ. coquantur pro lotione faciei tepidè mane.

Foreſtus præ multis aliis hoc unguentum prædicat.

℞. Olei amygdalarum dulcium, liliorum alborum, an. unc. j. pinguedinis capi, drachm. iij. pulveris rad. pœoniæ, iridis Florent. lithargyrii auri, an. ſcrup. ſ. ſacchari candi ſcrup. j. His omnibus in calido mortario benè miſtis, & per linteum expreſſis, inunge dicta loca mane & ſero: poſtea verò aquâ è pedibus vitulinis diſtillatâ, aut aquâ milleflorum benè abluantur.

Verùm hæc omnia plerumque fruſtra fiunt, nam ubi ſemel exſiccatæ ſunt variolarum foveæ, & cicatrices nimis cavæ vel elevatæ conſtant, tunc omnino fixæ permanent, nec unquam ullis topicis immutantur. Verùm ſi nimis rubicundum aliumvè fœdum colorem habeant, ille per lac virginale, aliaque ad maculas delendas modò præſcripta, fortaſſis aliquantum imminuetur, aut penitus tolletur, ſed ulteriùs in fovearum curatione & repletione nihil proficietur. His adde, quòd axungia humana, vervecina, aſinina, anſerina, aliæque variæ, cutis ſplendorem adeò obfuſcent, & ſubnigricantem reddant, ut longè majorem, quàm ipſæ variolarum cicatrices & foveæ, fœditatem inducant.

Morbilli ſunt maculæ, ſeu tubercula parva, rubra, in cute erumpentia, non ſuppurantia, cum febre continua, à ſanguinis peculiari fermentatione orta.

Differunt à variolis accidentaliter, ſeu ſecundùm magis & minus; quia variolæ in altum exſurgunt & ſuppurantur; morbilli verò vix in molem conſpicuam attolluntur, & non ſuppurantur: atque hinc etiam hi citiùs & minore cum periculo, quàm variolæ, finiuntur (errant qui in his majus periculum ſubeſſe putant, quàm in variolis) & frequentiſſimè pueros, rariùs ætate grandes, aut ſenes, aut qui priùs variolis laborârunt, corripiunt: variolis enim qui laborârunt, illi plerumque (& ſi non ſemper) à morbillis excuſantur; ſed hi tamen nihil immunitatis ab illis promittunt.

Cutem & epidermidem habent pro ſubjecto in quo erumpunt & conſpiciuntur: an verò ſimiliter, ſicut variolæ, internas quoque partes nonnunquam obſideant, meritò dubitandum, imò vix credendum cenſeo, cùm illud à nullis Medicis hactenus compertum ſciam.

A ſubtiliore, calidiore, & ſicciore humore ſanguineo ſubbilioſo, ſpecifico modo fermentante, oriuntur, atque hinc citò egrediuntur, & non aſſurgunt in puſtulas, aut alicujus momenti tumores, ſicut variolæ, ſed parvæ in principio exortæ, fiunt maculæ rubræ ac latæ,

cum levi aliqua cutis aſperitate. Poſt ſeptimum ferè diem, imò frequenter citiùs, ſine ulla exulceratione evaneſcunt, nullo ſui veſtigio ſuperſtite, nullaque fœditate relicta.

Cauſa eadem cenſetur cum cauſa variolarum, ſed differentia horum morborum in eo conſiſtit, quòd materia è qua generantur, in variolis craſſa, ſanguinea, & humida ſit, unde hæ in puſtulas aſſurgunt; in variolis verò tenuis, ſiccior & ſubbilioſa exiſtat ut modò dictum.

Plerumque ſemel duntaxat unum hominem prehendunt, neque tam frequenter bis aut ter redeunt, ſicut variolæ, quoniam horum materia, ob longè majorem tenuitatem, prima invaſione, ut plurimùm tota difflatur & conſumitur. Videantur ſuper hac re quædam præcedente cap. 3. in ſententia Arabum.

Febris iis adjungitur, ſicut variolis, imò à febre oriuntur, cujus quaſi critica evacuatio ſunt.

Signa diagnoſtica imminentes morbillos indicantia, eadem ſunt quæ variolas imminentes præſagiunt, deſcripta præcedente cap. 4. Præſentes morbillos viſus dijudicat.

Prognoſtica ſunt, ſi citò appareant, cum febris, anxietatis, aliorumque ſymptomatum imminutione, & per tres quatuorve dies in ſtatu perſiſtant, poſtea verò paulatim evaneſcant. Mala ſunt, ſi tardè erumpant, gravia ſymptomata adſint, & primo die rurſus diſpareant. Porrò multa alia prognoſtica cum variolis communia habent deſcripta præcedente cap. 5.

Curatio in principio à variolarum curatione non differt, quippe datis ſudoriferis appropriatis (præcedente cap. 10. deſcriptis) ægri ad ſudores ſunt impellendi, & in leni diaphoreſi, uſque ad perfectam eruptionem, ſervandi: omne frigus ab iis arcendum, & decoctum hordei, glycyrrizæ, cicerum ac ficuum, ſæpius exhibendum, hoc enim morbillos non minùs feliciter, quàm variolas expellit. Hac methodo procedendum, uſque dum rurſus ſponte & ſalutariter evaneſcant.

Nullis hîc topicis opus eſt. Interdum tamen contingit, ut ingens, moleſtiſſimus, & intolerabilis pruritus ac punctio in plantis pedum, & volis manuum accedat (hoc ſymptoma etiam in variolis interdum acriter urgere, dictum præcedente capite) ad cujus ſymptomatis mitigationem certo experimento conducit, ſi pedes & manus continuò detineantur in aqua calida: tali enim modo pruriginoſa illa punctio optimè ſedatur, & morbilli in plantis pedum & volis manuum meliùs emergunt. Hoc experimentum fuit olim arcanum Nicoli Florentini, à quo illud mutuatus eſt Baſius Aſtarius Papienſis, lib. de curand. febr. Hac de re ſingularem obſervationem habet Foreſtus lib. 6. obſerv. 42.

Morbillis finitimus eſt, eandemque ferè originem ac cauſam agnoſcit, & ſimilem curationem requirit, alius affectus, qui Belgis *roodjonck*, *roodhont*, & *rootgront*, appellatur; quem Philippus Ingraſſias, de tumor. p. n. tom. 1. dicit Neapolitanis vocari Roſſaniam, & Roſſaliam; Foreſtus, lib. 6. obſerv. 59. Purpuram & Rubores nominat, de hoc loquitur Halii Abbas, lib. 8. theoric. cap. 14. Eſt ſpecies, inquit, aliqua quæ vocatur Rubeola, quæ ex ſanguine calido ac ſubtili, & non multum malo oritur, & hæc ſpecies cum ad ſtatum pervenerit, ſimilis fit milii granis, aut paulò major, & ejus color rubeus, nec aperiuntur puſtulæ, ſed inſenſibiliter diſcutiuntur & evaneſcunt.

In hoc affectu maculæ rubræ & quaſi ignitæ, ſæpe exilibus tuberculis, inſtar milii ſeminis, interſperſæ, cum vix eſtatu digno tumore, per univerſum corpus, quaſi parva quædam eryſipelata, erumpunt in principio morbi, id eſt, primo, ſecundo, tertio, quartove die. In ſtatu verò univerſum corpus rubrum & quaſi ignitum apparet, aliis magis, aliis minùs, ac ſi univerſali eryſipelate laboraret. In declinatione rubor ille imminuitur, & maculæ latæ, ut in principio, iterum apparent, quæ tandem quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, vel nono die evaneſcunt, epidermide ſquamularum adinſtar decidente.

Malum hoc utplurimùm infantes & pueros, rarò adultos infeſtat, & ſicut morbilli, plerumque ſolam cutem cum epidermide occupat, ac facilè curatur, inprimis ſi frigus externum ab ægris arceatur. Contingit tamen nonnunquam, etſi rariùs, etiam internas partes ab eodem (ſicut in variolis quoque interdum accidit) obſideri, magno ægri periculo: tunc febris intenſa, calor maximus, & ſitis ingens exiſtit, ac ſæpe pulmonum, faucium, aliorumque viſcerum inflammationes, unà cum difficili reſpiratione, ſumma anxietate, deliriis, hypochondriorum tenſione, aliſve pravis ſymptomatibus, accedunt: qua de re notabilem talis ægri hiſtoriam deſcribit Sennertus, *lib. 4. de febr. cap. 12. Isbrand. de Diemerbroëck. Tractatu de Variolis & Morbillis.*

Procedit hoc malum à ſanguinis ebullitione, quæ ſi contingat in corpore ſano, Naturâ exiſtente robuſtâ, facilis fit ad habitum humoris morbifici expulſio, facilis & cita ſuccedit expulſi concoctio, puſtulæ celeriter ſua decurrunt tempora, & ſine ullo pravo ſymptomate intra paucos dies Natura ſuperato hoſte victrix triumphat. E contra, ſi corpus cacochymum ſit, & pravi ſucci heterogenei commiſceantur, internæ excitantur turbæ, quæ in ſingulas partes gravem deponunt ſarcinam. Major eſt malignitas quando peſtilens eſt aëris conſtitutio & in vulgus contagioſi ſæviunt morbi, aut epidemiæ Papulæ iſtæ graſſantur. Tunc pertimeſcenda ſunt gravia mala; Febris, Vomitus, Hæmorrhagia ingens, Delirium, Convulſio, Syncope, Diarrhœa utplurimum funeſta, Angina ab humoris μετάςασι, Suffocatio, præſertim circa morbi ſtatum, puſtulis matureſcentibus inflatis, & in ingentem tumorem ſublatis facie tota, collo, gutture, & anguſtatis faucibus, licèt paulò ante mortem valdè præcipitem & utplurimùm inexpectatam liberè reſpirent, nec difficulter admodum deglutiant ægri.

Vidi quendam, in quo poſt caſum Variolarum, quibus à capite ad pedes totum corpus ſcatebat, deciduis primis cruſtis, factâ novâ ebullitione, eadem puſtularum quantitas præcedentibus ſucceſſit, bonis tamen ægri rebus.

Duo ſunt maximè periculoſa tempora, initium eruptionis, quo tempore fiunt Convulſiones, & alia gravia ſuccedunt ſymptomata; alterum à nono ad undecimum quando matureſcunt puſtulæ. Tunc inflantur caput, fauces & collum, tumet facies, reviviſcit febris,

&

& multi materiâ retrocedente in pulmones, quaſi fulmine icti ſuffocantur.

Ad Præcautionem in corporibus in quibus nulla adhuc apparent morbi ſigna, non neglecta in plethorico & ſanguineo ſubjecto phlebotomia, in cacochymo purgatione blandâ, ſequentia videntur eſſe ad uſum,

Victus ſit refrigerans, detur juſculum vel poſſetum alteratum acidis, acetoſâ triplici, oxyriphyllo, berberis, omphacio uvarum, portulacâ, limonibus, hiſce juſculis permiſtum nitrum cryſtallinum cum ſaccharo refrigerabit, & ſalem volatilem ammoniacum, fermentationis authorem, per vias urinarias cum lotio deturbabit. Item nitrum utiliter permiſcebitur cereviſiæ pro potu ordinario propinandæ. Exercitia ſint valdè moderata, neque fiat quicquam quod calorem nativum augeat mutetve in igneum, aut citra febrem etiam procuret in humoribus, excitato ipſorum ſulphure, incendium.

Bonum eſt fluidam habere alvum, ut in corporibus impuris, ſi Variolæ contingant, imminutâ humorum putrium & acrium ſarcinâ, Diarrhœa præcaveatur; idcircò operæ pretium erit, vel ſubindè alvum Enemate eluere leniente ſaltem & blando, vel tertio quartove quoque die ſumere pilular. ſequent. doſin.

℞. Maſſ. pil. Ruffi ſive peſtilent. ℥ ij. maſtichin. Fernel. Gran. Angel. ana ℥ j. ſal. card. Bened. ℈ iv. Mſ. & cum ſyr. de cichor. comp. cum rhab. f. maſſa pilular. cujus doſis eſto à ℈j. ad ʒß. vel ℈ij. Dentur autem vel horæ quadrante ante levem cœnam; vel iis quibus metus eſt, ne per noctem ſolvatur alvus, horis 2. poſt dictam cœnam.

Quotidie mane detur ʒß. ℈ij. vel ʒj. robuſtioribus ſeu adultioribus maſſæ ſeq.

℞. Rad. tormentill. ℥ß. bezahar cervin. vitriolat. C. C. philoſoph. calcinat. ana ʒij. corall. rub. ocul. cancr. vulgari modo præpar. diamargarit. uitriolati vel nitrati ana ʒj. cryſtall. acetoſellæ ſylv. & oxytriphyll. ana ℈ iv. lap. bezahar. occident. ʒiß. f. omnium alkool. excipiendum ſ. q. ſapæ cydoniorum, vel, ſi deſit, ſyr. de lujula aut de limon. fiatque maſſa pilul. ſervanda in vaſe vitreo ad uſum. Superbibatur poſſetum præparatum cum acetoſellis dictis, aut ſucc. limon.

Perſeverent præcautionis avidi in hoc remedio per dies & ſeptimanas, donec tempeſtas iſtius infortunii ferax pertranſierit.

Statim ab initio, & etiam ubi adeſt magna plethora, quamvis Variolæ incipiant erumpere, mittatur ſanguis è brachio, ſi tardè fuerit vocatus Medicus; præſertim ſi cauſa procatarctica fuerit calor, à Vino, ab ira, à vehementi exercitio, ab Amore, & ſi valdè facies rubeat.

Præmittenda etiam Purgatio (& cum opus, Vomitorium) prout ea poſtulat artificioſa indicatio.

Duplici viâ in hoc affectu Medico ipſum ex arte curaturo eſt procedendum. Benignius enim malum leviora tantùm poſcit, quæ efferveſcentiam ſedent, non neglectâ tamen eâ, quæ medentis oculis continuò debet obverſari, malignitate. Utrique proſpicient acida ſeu vegetabilia, ſive ſpiritus ſalium mineralium, & ea quæ abſorbendo fermentationi reſiſtunt; qualia ſunt pulv. chel. cancr. marin. maj. conſtellat. ocul. cancr. ſeu lapides aſtacorum, diamargarit. vitriolatum, ſpir. nitri in oſtreis, coagulat. cryſtalli acetoſellæ ſylv. & oxytriphyll. quibus utiliter permiſceri poterunt lap. bez. uterque C. C. vitriolat. idem philoſophice calcinatum, terra Lemnia, Bleſenſis, Strigenſis, cæteraque iſtiuſmodi, quæ in primis qualitatibus nullam inſignem habent exuperantiam.

Sed ubi validi juſta eſt veneni ſuſpicio, tunc etiam validioribus pugnare convenit, & prædictis nunquam omittendis fortiora erunt permiſcenda: qualia ſunt lap. & rad. contrayerv. rad. piſtolochiæ ſeu viperinæ Virginianæ, &c. Viperina debitè præparata & temperata omne ferunt punctum.

Diaphoretica quæ ad habitum pellunt primis diebus uſurpanda, niſi aliquid reclamet, ut nimius ſudor.

℞. Viperar. gr. xxx. C. C. philoſoph. calcin. ludi humani, oſtracomel. margaritifer. ana gr. xii. cochinel. gr. vi. Mſ. f. pulv. ſubtilis ſ. pro una doſi.

℞. Oſſ. cord. & hepar. viper. gr. xx. ludi humani, vel, ſi deſit, bezahar. or. Cornu Cervi reſtibilis ab aqua cardiaca, calcis mellit. matris perlar. vel cort. ovor. gallinæ Indicæ vel domeſticæ, C. C. C. ad ſummam albedinem ſulphurat. vel vitriolat. ana gr. xii. cochinel. gr. iv. Mſ. pro una doſi: f. paſtillus cum gelatina C. C. vitriolat. Superbibatur poſſetum alteratum calendulâ, ficubus; fol. & cort. maculoſo betulæ arboris, echio, lentibus, ſcordio, laccâ è bacillis, eruca, & croco pauco, idque uſque ad tertium vel quartum diem ad ſummum à primâ eruptione, blandè excipiendo, non violenter provocando ſudorem.

In magno periculo Veſicatoria magna plura applicentur. v. g. ſupra humeros unum, ſupra epomida duo, ſupra carpos duo, ſupra genua, & ſupra malleolos internos quatuor. Attrahe ad pedes revellendo à corde & cerebro columbis ſolis applicat. vel ſinapiſmo.

In frequenti, brevi, & difficili Reſpiratione non ſine ſuffocationis periculo, vel ſi in variolarum maturatione inflammatio ingruat ſumma, aut tumor Eryſipelatodes caput occupet, ſine mora præſens prævaceatur periculum applicatione hirudinum ſub auribus ad jugulares venas, aut ranularum apertione, quæ venæ ſub lingua ſectæ aliquando miram ſanguinis plus æquo excalefacti, & dum impenſius fervet quâ datâ portâ ruentis, quantitatem, vel ad aliquot libras, fundunt: (Comitiſſa Bedfordiæ moribunda ultra ℥ xx. Comitiſſa Carliſle pluſquam ℥ xii. fudêre, (præter plures alios quos, brevitatis cauſâ, omitto) utraque poſtquam convaluerat, ſe huic phlebotomiæ vitam debere confitebatur) quo in caſu ſiſtenda hæmorrhagia oris collutione cum oxycrato & aq. ſperm. ranar. aut, ſi deſit, ex ſucc. plantag. cum aceto & alumine. Si perſeveret fluxus, applicandus vulneri Pulvis pulvillis exceptus ex oſſibus ad albedinem calcinatis, cretâ & paucâ calce vivâ. Utplurimùm per ſe ſiſtitur ſanguis, ſed Medicum omnia in rem præſentem ad manum habere operæ pretium duco, atque cæteros

ros meo exemplo, cui ſæpe ſæpius occurrit hoc ſymptoma, cautos eſſe moneo.

Inter Cardiaca (quæ etſi circa morbi initia potiſſimùm valeant, attamen vel eo progreſſo minimè ſunt contemnenda) primas tenet antimonium, & inter innumeras ejus præparationes pulvis à Crollio deſcriptus.

Quod ad faciem; puſtulæ primò maturandæ ſunt, deinde poſt purulentæ materiæ effuſionem ſiccandæ. Utrique intentioni ſequenti ſoleo ſatisfacere methodo. Ad perfectam uſque maturationem emolliente & relaxante litu, ſingulis penè horis faciem penicillo inungo tepidule; linimenti materiam dant laridum debitè præp. ol. amygd. dulc. butyr. Majal. pinguedo gallinæ & anſeris, medulla pedum vervec. ſperma ceti. Turgidula purè albo, lævi & æquali, exanthemata forficibus reſeco, & deterſa adprimè uſcuſcula exſiccantibus vel inungo, vel abluo, donec cruſtæ deciduæ macularum rubrarum & veſtigiorum reſtibilium depulſionem ſuadeant.

Siccantia potentiora, vel ſeorſim vel mixtim uſurpanda mihi ſunt; creta cum lactis crem. rec. ſubacta, flor. ſulphuris ung. pomato excepti, ung. ex calce extinctâ & ol. roſ. completo vel ol. nucum citra vim ignis expreſſo, vel etiam larido in lamina candente fuſo, & aquis coſmeticis ad albedinem diutiſſimè loto. Lotioni apta ſunt aq. calcis temperatior, aq. aluminoſa; Decoct. flor. ſulphuris in lacte rec. mulcto, vel lactis cremore tenui præparatum.

Ad maculas, lacti virginali vel pomato ex axungia ſuilla vel medulla crurum vituli dealbatâ & ſacch. cryſtall. Saturni præfero lac benzoini, quod fit per ejus diſſolutionem in optimo vini ſpiritu, ſelectâ ſaltem parte odoratæ reſinæ albâ, quam Itali amygdalam vocant. Hujus diſſolutionis guttæ aliquot aq. nenuphar. flor. fabar. vel alteri coſmeticæ permiſtæ lac faciunt ſuaveolens, jucundi uſûs, & non contemnendæ utilitatis. *Theodorus de Mayerne in Appendice Praxeos Medicæ.*

Conſultationes.

Variolæ.

Adoleſcens Nobiliſſimus vigeſimum annum agens, temperamenti totius & jecoris calidi & humidi, boni habitus, hoc Autumnali tempore, quo per Urbem Variolæ graſſantur, extempore correptus eſt febre continua, abſque ullo rigore aut horrore invadente, cum multo calore, pulſu celeri & frequenti, quæ ſemper æqualiter uſque in hunc ſecundum diem eundem afflixit, cum capitis dolore, oculorum & gutturis, temporum & frontis pulſatione, cordis palpitatione, aurium pruritu, ſternutatione; præcedentibus oſcitationibus, pandiculationibus, in ſomno terroribus; ſuccedentibus inde dolore dorſi cum pulſatione in ſpina, totius gravitate & ardore. Præterea nocte præterita acceſſerunt deliria, ſpirandi difficultas, tuſſis ſicca & inanis, tremor pedum; & hoc mane inſignis obſervatur faciei & oculorum rubedo, vox rauca, linguæ ſiccitas, lacrymæ, punctiones in toto cum cutis aſperitate. Urinæ turbidæ ſunt, ſtillaque ſanguinis modo è naribus emanat. Quare ob filii dilectiſſimi ſtatim afflicti Parentes à me conſilium atque auxilium anxie implorant.

Et ego cum Viro Excellentiſſ. exiſtimo febrem hanc ſynocham eſſe, eamque Homotonam, cum ſine ullo rigore aut horrore invaſerit, & æqualiter continuo Nobiliſſ. Adoleſcentem excruciet, imo præ foribus proxime erupturas Variolas adeſſe arbitror, non ſolum conſiderato graſſantium morborum impetu, ipſaque temporis conditione, verum etiam quia ſymptomata tum concomitantia, tum ſupervenientia non ſunt ſolius ſynochæ febris, ſed Variolarum propria. Et primò quidem ſi læſæ actiones conſiderentur, dolor capitis, oculorum & gutturis, temporum & frontis pulſatio; oſcitatio, pandiculatio, cordis palpitatio, narium pruritus, ſternutatio, terrores in ſomno, deliria, dolor dorſi, pulſatio in ſpina, difficultas ſpirandi, tuſſis ſicca, tremor pedum, gravitas totius, ardor, & punctionis ſenſus in cute, omnia à copioſo, fervido & ebulliente ſanguine, necnon à vaporibus ab eodem elevatis provenire omnino aſſerendum. Si ſecundò ſigna ex qualitatibus mutatis expendantur, nimirum faciei & oculorum rubedo, vocis raucedo, linguæ ſiccitas & cutis aſpera, ſanguinem exuberantem & fervidum, imò exurenti præditum calore demonſtrant. Si tandem ab Excretis, Urinæ ſunt turbidæ, magnam ſanguinis ebullitionem, & humorum crudorum, nec ſeparatorum agitationem ſignificant; quam ebullitionem confirmat ſtilla ſanguinis è naribus. Quare proxime erupturas Variolas habemus, mediante hac febre, quæ ideo febris Variolarum dici ſolet.

Enim verò dum Natura ſanguinem Nobil. hujus Pat. à materna menſtruali hæreditate ſolidis partibus affixum defæcare tentat, ejuſdem ebullitionem excitare coacta eſt, mediante ſynocho febrili calore; eo namque modo quo in muſto per ebullitionem partes heterogeneæ ab homogeneis ſegregantur, ita impuritas menſtrualis per eandem à probo ſanguine, ope Naturæ critice operantis, ſeparatur, & ad ambitum corporis in puſtulas, Variolas appellatas (ut quæ Varis ſimiles ſint) detrudit, ut optime & eleganter exemplificavit Rhaſis ipſe ad Almanſorem. Et ſicut non eſt credendum cum Fernelio, ſolam aëris conſtitutionem Variolarum cauſam eſſe poſſe, plùries enim, non ſemel, aut bis in homine erumperent; nec cum Gentili ſolam Aſtrorum vim; ita nec cum Arabibus credendum, ſolum ſanguinem menſtruum Variolas producere, cum eaſdem ut plurimum Epidemicas videamus; & ſi aliquando Sporadicæ ſint, concurrit tamen præter ſanguinem menſtruum, alimentum vitioſum, à quo paulatim generantur humores pravi, qui ſapiunt naturam ipſius, ſicut vinum acquirit odorem & ſaporem à dolio; tuncque ſtimulatur & excitatur Natura ad expulſionem, non ab aëris conſtitutione, non à contagio, non ab Aſtrorum vi, ſed à pravis humoribus menſtrualem ſanguinem redolentibus, multiplicatis.

Credendum igitur utramque cauſam concurrere, & primò neceſſario ſanguinem menſtruum; nam licet fœtus in Utero puriorem ad ſe ſanguinem attrahat, unde impurior in lochiis relinquatur; attamen ubi fœtus grandior eſt factus,

ctus, pluri eget alimento, quare non poteſt aliquid etiam impuri ſanguinis non recipere, à quo ma ſa propria inficitur; hunc vero Natura in aliquam ſordam corporis partem relegat, unde tarde nonnunquam Variolæ erumpunt, quarum hæc cum Arabibus vera atque legitima cauſa eſt. Talis autem cauſa movetur, excitatur & in actum deducitur, nonnunquam à cauſa communi & univerſali, unde Variolæ Epidemicæ, ut in caſu noſtro; vel ab Aſpectu cœleſti, vel ab æëris vitioſa conſtitutione; ac tandem nonnunquam à cauſa particulari, vel contagioſa, ut à miaſmatibus contagioſis ab aliquo emiſſis, vel à vitioſis humoribus menſtruali ſanguini analogis multiplicatis, à quibus non Epidemicæ, ſed Sporadicæ quoque Variolæ procedunt.

Prorumpent igitur Variolæ quinta die; finis enim ebullitionis ſolet eſſe principium exitus Variolarum; incipit autem ebullitio prima die, ſecunda augetur, tertia eſt in ſtatu, quarta declinat, & prodeunt Variolæ. Quæ quoniam inter morbos acutos enumerantur, ideo utplurimum decima quarta terminari ſolent; augmentum quidem eſt uſque ad ſeptimam ſtatus, ad undecimam, & declinatio ad decimam quartam, raro ad vigeſimam.

Ut ergo acutus morbus incertum habet eventum; præterquam quod Avic. monet quod etiam in declinatione univerſali aliquando moritur Æger, ob copiam ſcil. materiæ, tenuitatem, fluxibilitatem, & ob accidentia, quæ ſupervenire poſſunt: nempe Lipothymias, magnam pectoris anguſtiam, Anginam, Fluxum alvi viridem, aut cruentum, urinam cruentam, vel nigram, Extremorum perfrigerationem; Convulſionem, quibus accurate occurrendum. Sed & alia præterea diuturna ſunt mala obſervanda, quæ nonnunquam Variolæ relinquunt in naribus, faucibus, œſophago, oculis, inteſtinis, renibus &c. Interim obſervanda quoque eſt Variolarum qualitas; meliores enim ſunt albæ, rubræ, magnæ, plures, molles, eminentes, rotundæ, disjunctæ, propinquæ, ſed non contiguæ, quæ cito erumpunt, cito maturantur & decidunt; deteriores vero violaceæ, virides, lividæ, nigræ, ſive plures, ſive pauciores, ſive parvæ, ſive magnæ, duræ, depreſſæ, contiguæ, & maculam nigram in medio exhibentes; præterea quæ tarde erumpunt; tarde maturantur, & iterum evaneſcunt, interiora ſerpentes, vel tantum in facie & pectore apparentes.

Pro medela autem hujus affectus, Natura eſt adjuvanda, auferendo prius impedimenta, quæ ſunt humorum ſarcina & viarum obſtructio. Humorum quantitas tollitur potiſſimum ſanguinis miſſione; ſicut eorundem craſſa & lenta qualitas medicamentis fundentibus corrigitur; obſtructio vero cutem rarefacientibus, & Naturæ motum adjuvantibus. Malignitati pariter occurrendum, Accidentia corrigendo, & vires conſervando. Quibus intentionibus ſatisfaciendum remediis, ex Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico fonte deſumptis.

Atque in Chirurgico de ſanguinis miſſione per venam ſectam non eſt quod dubitemus; præſertim caſu noſtro, quo adſunt omnes principes ſcopi; quinimo Amatus in ſuis Centuriis, etiam Pueris, exemplo Avenzoaris, ſanguinem educit, qui, Averroë referente, puero trium annorum venam aperuit. Audacter itaque Adoleſcenti noſtro ſanguinem ex Jecoraria dextra educamus ad ℥ x. ſed ſtatim, antequam ſanguis ulteriorem putredinem nanciſcatur; ſuſpecta namque evadit venæ ſectio, quarta tranſacta die, non quia impediatur, ut è Scriptoribus plurimi cenſent, motus ad cutem, ſed ob progreſſam in ſanguine corruptelam, quam conſequitur ſpirituum & virium defectus. Verum tamen eſt, quod ſi caput ita lædatur, ut delirium apprehendat, poſt quartam etiam venæ ſedales aperiri poſſent in hoc Nobiliſſ. Adoleſcente, viridi ætate florente, & plurimo ſanguine referto. Poſt quartam, ex omnium conſenſu, cucurbitulæ & ſcarificatæ; & non ſcarificatæ apponi ſolent; quo remedii genere non adeo indiſtincte utendum eſt, ſi enim Naturæ motus ad cutem ſufficiens fuerit, Equo currenti calcar addendum non eſt, ne ad præcipitium impellatur; vidi enim ego Puerum octo annorum, ex cucurbitulis inciſis, ſanguinis profuſione extinctum; alter quoque à me accerſito obſervatus, eodem modo obiiſſet, niſi ferramentis candentibus ſanguinem illico ſiſti curaſſem. Quare vel opus Naturæ ſatis operanti relinquendum, vel admonendus Chirurgus, quod primæ cucurbitulæ ſanguinem obſervet, qui ſi tenuis impetu erumpat, adeo ut ſtatim cucurbitulam impleat, ab aliarum ſectione deſiſtat, & pulvere aſtringente, ex gypſo quoque parato ſanguinem ſiſtat, quo non ſufficiente ferrum candens admoveat. Siccæ autem cucurbitulæ parvæ & plures poſt aſperas frictiones toti corpori affixæ, ſed potiſſimum inferioribus partibus, tutiores ſunt, hac tamen cautione, ut appoſitæ ſtatim removeantur & alio loco reponantur, diutius enim in uno loco relictæ, cutem magis obſtruunt, quam aperiant, ob attractu ſanguinis copiam.

Præterea tutæ omnino ſunt frictiones totius corporis manibus, fumo ex decoct. malv. & Chamæm. excepto madentibus, vel Natura recte & ſufficienter humorum ad cutem, tranſmittente, exemplo Hippocr. qui 6. Epid. ſect. 2. latis puſtulis non valde pruriginoſis, in Simone, calida fomenta proficua eſſe poſſe exiſtimavit, quas puſtulas ejuſdem generis cum Variolis fuiſſe Recentiorum plurimi cenſent; namque variis ſæculis, Regionibus, vivendi ratione, ſiderum aſpectu, aliiſque tum internis, tum externis cauſis mutationes & differentias ſuſceperunt.

Ad hunc fontem redigi quoque ſolent Variolarum perforationes, admittendæ tamen tantummodo in magnis omnino ſuppuratis, ne forſan materia retrocedat, neve diuturna mora pus acredinem acquirat, cutem rodat, & foveas relinquat. Perforentur autem acu ſubtiliſſima, ne lacerentur, ſive ſit ferrea, ſive aurea, in pueris, ad formidinem evitandam. Clyſteres maxime locum habent ad fæces educendas; quare ſtatim ante ſanguinis eductionem Clyſter injiciatur mollis ex decoct. malv. violar. pariet. additis oleo amygdal. butyro, ſacch. vel ſyr. roſ. ſolutivo, ovi vitello, & m. Detracto ſanguine, flos caſſiæ permitti poteſt cum pulpa Tamarind. ad primas vias mundandas, ut medicamentis

per

per os aſſumendis liberum iter paretur; & mox Alterantia & Præparantia ſunt adminiſtranda; nimirum refrigerantia, modice aperientia modiceque incraſſantia.

Quamobrem præbeatur decoctio in aq. hord. cich. endiv. plantag. acet. portul. capill. Ven. & raparum, quæ hoc anni tempore præſto ſunt; & ſi exitus Variolarum tardus & difficilis obſervaretur, addantur quoque ſemina fœnic. radix gram. atque Pentaphylli: ſicut ſi urgeat fervor & æſtus, ſerum quoque aſinin. chalybeatum locum habebit. Lentium autem, Laccæ, Dragacanthi uſus apud me ſemper ſuſpectus fuit; prout ſemper acceptus quotidianus uſus cornu Cervi, præſertim philoſophici, in aqua cardui ſancti; cui, urgente malignitate, addi poterit aqua cord. prima Præclariſſ. Saxoniæ ab ℥i. ad ℥ ii. & in exitu difficili, lapis etiam bezoar; abſtinendo omnino in progreſſu à quolibet medicamento, etiam leniente, nedum purgante, Clyſterium uſum ſubſtituendo,

Symptomatibus autem emergentibus omnino occurrendum. Sic in gratiam oculorum valet decoctio Sumachiorum, in aqua roſacea; Ovi albumen in aqua roſacea; vel Plantaginis conquaſſatum, ſpuma ejuſdem candido & levi linteolo oculis applicata. Valet quoque Sief album ſine opio in iiſdem aquis; & in fine, ut aperiantur, utendum decoctione ſem. fœnugræci; vel Lac muliebre emulgendum.

In gratiam faucium, efficax remedium ſunt grana mali punici: ſicut ſuccus quoque granatorum, mororum immatur. cum aq. plantag. pro Gargariſmo; vel ſal prunellæ in aqua fontana frigida, aut in aqua hord. vel plantag. diſſolutum.

Ad narium tutelam convenit poſca, vel attracta, vel turunda impoſita; ſed efficax etiam eſt ſuccus Agreſtæ, aqua roſac. temperatus; & in fine, ut pateſiant, butyro illiniendæ.

Aurium dolores ſedantur fomento ex decoctione malv. & ſem. fœnugræci, ſpongiola appoſita.

Pulmones tuetur Emulſio ſem. papav. aqua hord. extracta; ſic Diapenidium in aqua viol. diſſolutum. Diacodium ore detentum; ſicut & Diatragacanthum frigidum.

Pro Renibus cruentam urinam emittentibus, præbeatur aqua plantag. cum tinct. Coral. chymica vel cum pulv. Charabis; vel tinctura roſar. in aq. plantag. facta, & modico ſpiritu Vitrioli extracta.

Inteſtinis conveniunt ſuccus Cydoniorum, ſuccus Ribes; ſed omnium maxime ſuccus plantag. depur. in aqua ejuſdem exhibitus.

Tandem localia quoque adminiſtranda, ut cruſtæ quamprimum decidant. Secundò ut relictæ maculæ evaneſcant, & tandem ut foveæ obliterentur.

Ut cruſtæ cito excidant, aliqui utuntur aqua ſalita, aut aluminoſa; ſed aſperſio farinæ vel fabarum, mihi tutior eſt, & cæteris præſtat.

Ad foveas potens eſt Oleum de vitellis ovorum cum album. paratum, cui addi poterunt gutt. olei Tart. vel Talci, ut efficacius evadat.

Ad maculas & foveas ſimul delendas, efficaciſſima erit aqua hujuſmodi.

℞. Rad. Cannæ mont. ℥. ii. Alumin. ℥. i. ß. ſapon. amygd. amar. an. ℥. iii. ſucci lim. ℥. iv. aq. ſtillat. e floribus fabarum ℔. ii. m. macerentur per duos dies; deinde B. M. deſtillentur, & ſpongiola lacte madefacta abluantur partes.

Victus rationem quod attinet. Aer cubiculi ſit tepidus, clauſis feneſtris; moderata tamen ſint ſtragula, habita ſanguinis ebullientis ratione. Objecta rubra oculis offerantur, unde rubræ culcitræ apud Mulieres in uſu eſſe ſolent. Uſque ad ſeptimam victus tenuis ſit, adeo ut ptiſana hordeac. vel panatella cum emulſ. ſem. melonum, & pyrum coctum ſufficiant. Potus ſit aqua hordei & lentium in principio, in progreſſu verò ſolius hordei chalybeata, atque tandem ſimplex. Ad ſomnum conciliandum panatellis addatur Emulſio Amygd. dulcium. De Alvo ſolvenda ſolicitos eſſe non oportet; conveniunt tamen Clyſteres ex lacte, butyro & ſacch. parati. Tandem Patiens ab animi motibus, & potiſſimum ab ira arceatur. Quæ in confirmationem jam dictorum pro ſalute. Nobil. Adoleſcentis ſatis. *Raymund. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medic. T. 2. Cont. 4.*

Curatio Variolarum.

Præſtantiſſimi Viri Excellentiſſimi. Dum hic Viennæ in ſervitium Auguſtiſſimæ Majeſtatis, pro viſitatione accerſitus immoror, accepi relationem veſtram de ſtatu Sereniſſimæ Reginæ, quæ ex Polonia diſcedens, in itinere Variolis correpta eſt; Quapropter hæc pauca dictare eadem Cæſarea Majeſtas me juſſit, ab hucuſque peractis, & agendis propoſitis minime diſſonantia. Etenim jam omnibus in Arte verſatis notiſſimum eſt, in Cura Variolarum conſiderandum eſſe, primò fermentationem in ſanguine. Secundò Variolarum eruptionem. Tertiò Maturationem ſive ſuppurationem. Quartò ſenſibilem & inſenſibilem materiæ purulentæ, ſive ichoroſæ evacuationem & exiccationem. Quintò Cutis naturalem conſolidationem, atque tandem partium ſuſcipientium defenſionem, oculorum ſcil. pulmonum & faucium. Fermentatio in Sereniſſima Regina quarta die abſoluta fuit: & quia cum moderata febre, humores non adeo acres & fervidos fuiſſe cenſendum. Tempus eruptionis fuit trium, ſive quatuor dierum, cùm ſeptima die terminata ſit. Tempus ſuppurationis eſt præſens, quæ facile undecima die ab initio morbi deſinere poterit. Evacuatio & materiæ reſolutio, non ante decimam quartam omnino ſperari poteſt, licet adjuvari debeat, ut mox ſtatim cutis naturali conſolidatione foveæ prohibeantur.

Primum tempus indicat ſanguinem minuentia, mox potius incraſſantia, refrigerantia, & fermentationem nonnihil compeſcentia, præſertim ſi maxima ex ſynocha, aut ardente febre cognita fuerit, ad inhibendam nimirum nimiam maſſæ ſanguineæ liquationem atque fuſionem. Tempus ſecundum diaphoretica præſidia expoſtulat. Tertium extrinſeca ſuppurantia. Quartum ſenſibiliter & inſenſibiliter evacuantia & diſcutientia, atque exiccantia. Quintum Sarcotica & glutinantia. Sextum Aſtringentia atque repellentia appropriata.

Primæ & ſecundæ intentioni jam ſatisfactum fuit. Et quamvis Leniens evacuans ab initio exhi-

exhibitum fuerit, parare & expedire potuit primas vias, pro Diaphoreticis mox exhibendis; & facile ſanguis quoque ex vena eductus fuiſſet, ſi magnitudo febris Medicos Excellentiſſimos Adſtantes excitaſſet & impuliſſet. Modo reſtat cæteris intentionibus ſatisfaciendum Topicis externis, quæ à me ſunt eligenda ex ſelectioribus à Viris Excellentiſſimis adductis. Et primò cum ſuppuratio à vegeto calore naturali, præternaturali commiſſo, ſat bene & ſufficienter perficiatur, hoc opus Naturæ relinquendum eſſe videtur. Verum abs re non erit, poroſitates cutis rarefacere, ut inſenſibiliter quoque portio materiæ ſubtilior & acrior, magiſque ſuſpecta pro foveis relinquendis diſſolvatur: in quem finem expiratio ſpiritus vini fœniculo parati, opportuniſſima erit: præterquamquod poterit etiam aliqualem calorem addere, materiæ ſuppurandæ non inutilem. Quod ſi fortaſſe aliqua puſtula Variolarum difficilem admitteret ſuppurationem, præſertim in facie, opportuniſſimum erit, lac ſive caput lactis apponere. Pro ſequenti intentione expedienda, quæ facile etiam ultra decimam quartam diem protrahi poſſet, eadem expiratio ſive inſufflatio vaporis ſpiritus vini conveniente poterit, præſertim baccis juniperi alterati. Sed præterea tactus Variolarum ſpongiola, madefacta aqua ſtillat. ex favis mellis, additis comis abſinthii, vel praſſii, vel hyſſopi: & eodem tempore comis abſynthii rec. facies tangenda & leviter percutienda. Pro quinta intentione explenda, à Doctiſſimis Viris proponi ſolet pinguedo humana, & quidem optime, dum tamen non ſola cutis, ſed caro quoque deficiat, quam ipſa pinguedo ut ſarcotica reſarcire valet; at ſi ſola deficiat cutis, cutis, exiccantia atque agglutinantia requiruntur: ut propterea magnopere mihi arrideat aqua ſtillatitia a Viris Excellentiſſimis propoſita, ex favis mellis, una cum albuminibus ovorum, qua frequenter ſpongiola tangantur partes affectæ: vim enim quandam habet detergendi impedimenta conſolidationis, & agglutinandi atque cutem reproducendi. Interim toto hoc tempore ab omnibus medicamentis ſolventibus, exceptis Clyſteribus, abſtinendum eſſe cenſeo. Tandem poſtremæ intentioni ſemper incumbendum; & jam oculos immunes audivi, quibus conferre ſolet Collyrium ex aqua ſtillat. roſarum albarum chalybeata, & melius aurata, in vaſe cupreo ſervata. Pulmones pariter illæſi ſunt, cum nec tuſſis, minuſque ſpirandi difficultas unquam obſervata fuerit; quibus confert Lambitivum ex Emulſione craſſa, parata ex quatuor ſeminibus frigidis, aqua portulacæ extracta. Faucibus tandem parumper rubeſcentibus à Viris Excellentiſſimis jam proviſum fuit Gargariſmo, aqua hordei & diamorone parato: qui etiam componi poteſt ex aqu. pl ntag. & ſyrupo de granatis, vel de agreſta. Quibus omnibus addere mihi liceat, quod uſque ad Variolarum exiccationem, ab uſu alicujus levioris & temperati Diaphoretici nunquam ſit deſiſtendum; quale eſſe poterit ſimplex cornu cervinum philoſophice præparatum cum aqua cardui ſancti & exigua portione ſcorzoneræ: idque ſi non ad extramiſſionem adjuvandam, ſaltem ad retroceſſionem inhibendam, quæ quotieſcunque contingit, ut plurimum lethalis eſſe ſolet. Præterea circa victus rationem, quod exiccatione incipiente, plenior victus ſit exhibendus, & præſertim ova recentia & contuſi pullæ junioris, ptiſanam hordeaceam nunquam omittendo: cui Emulſio quoque amygdalarum dulcium, more Fernelliano, immiſceri poteſt; hæc enim edulia omnia humorum acrimoniam demulcere valent, & nutriendo, in foveis deficientem carnem gignere, & in ſuperficie cutem reproducere, & ad conſolidationem atque lævigationem magnopere juvare poterunt. Scio hæc Doctiſſimis Viris notiſſima eſſe, verum Auguſtiſſimis Majeſtatibus omnes unanimes inſervire tenemur, & potiſſimum ego. *Idem ibidem.*

Morbilli.

Nobil. Puella duodecimum annum agens, temperamenti totius, & jecoris calidi & humidi, mollioris habitus, menſtruis purgationibus proxima, ſuperiori ſiquidem menſe cruoris guttulæ ab Utero prodierunt, hac ineunte æſtate, qua Variolæ, magiſque Morbilli graſſantur, poſtquam præter conſuetudinem diebus ſuperioribus ſitibunda vinum copioſe potavit, heſterna die acuta febre correpta eſt, cum pulſu valde celeri atque frequenti, laſſitudine ulceroſa totius corporis, & moleſto pruritu; ſæpe item ingenti æſtuque inſigni circa præcordia, moleſtiſſima ſiti & capitis dolore cum aliqua mentis alienatione, quibus agitata noctem inſomnem atque moleſtam tranſegit; & hodie mane, eadem perſeverante febre, acceſſerunt narium pruritus, cutis faciei, brachiorum & pectoris intenſa rubedo, & tuſſis ſicca. Quibus omnibus cum urinis flammeis & valde ſplendidis à Medico domeſtico obſervatis, me quoque acceſſitum voluit, ut tum de morbi natura (cum præteritis annis Variolas jam paſſa fuerit) tum de agendis conſuleremus. Cum autem de omnibus recte ille, riteque locutus fuerit, ita ego in dictorum confirmationem effatus ſum.

Licet non ſemel tantum, ſed quandoque iterum & tertio eidem homini Variolæ contingere poſſint, dum menſtrui & impuri ſanguinis portio non omnino prima vice à Natura expellitur, plerumque tamen hæc unica vice ſeſe exonerare atque prorſus vindicare ſolet. Quare & ego cum Viro Excell. febre continente, & ardentis potius naturam redolentem, quam ideo Gal. ſynocham quodammodo bilioſam appellare conſuevit, affligere Nobil. Puellam exiſtimo, ut calor, ſi non exurens, ingens tamen cum moleſtiſſima ſiti, tum prægreſſa, tum præſenti, pulſus celeres atque frequentes urinæque flammeæ & pellucidæ ſat nobis atteſtari poſſunt. Hanc vero Morbillos potius, quàm Variolas ſecuturos confirmo, quorum peculiaria ſigna eſſe poſſunt non ſolum laſſitudo ulceroſa, ab acri atque bilioſo ſanguine proveniens, ſed rubedo inſignis & faciei, & brachiorum, & pectoris, præcordiorum æſtus, & dolor capitis cum aliqua mentis alienatione, omnia bilioſi ſanguinis in ſuis vaſis ebullientis indicia, qui non ſolum ad Cor, indeque per arterias ad totum corpus, verum & ad Cerebrum perveniens, aut ſaltem fervidiſſimos halitus tranſmittens, ſpirituſque animales calefaciens, motum irre-

gularem in iiſdem concitando, & æſtum inſignem in corde, & mentis alienationem in cerebro parit; ad ſpatia vero. & inde ad membranam carnoſam detruſus, primo laſſitudinem ulceroſam, & tandem hoc mane in cute ruborem excitavit, ſive rubras maculas, quæ parumper adauctæ, Morbillos nobis repræſentabunt, ità dictos, quia Morbilli ſint quaſi Peſtis parva, quæ *il Morbo* nuncupatur. Attamen peſtilentialem naturam habere non puto; quare dicamus Morbillos dictos fuiſſe, facta cum Variolis comparatione, quibus minores puſtulas habent.

Cum Morbillis magnam affinitatem habent duo alii affectus, quorum alter Rubeola dicitur, præſertim ab Haly Abbate dicente: Eſt ſpecies aliqua, quæ vocatur Rubeola, quæ ex ſanguine fit calido, & ſubtili, & non multum malo, quæ cum ad ſtatum pervenerit, fit ſimilis milii granis; color ejus eſt rubeus, nec aperiuntur puſtulæ, ſed evaneſcunt. Alter vero affectus à Foreſto Purpura, à Neapolitanis Roſalia nuncupatur; ſuntque maculæ rubræ, quaſi ignitæ cum exiguo tumore, ita ut per totum corpus, quaſi parva Eryſipelata repræſentent, & ſeptima, vel nona die evaneſcant, epidermis ſquamarum inſtar decidit; calor eſt ferventiſſimus, ſitis inextinguibilis, & ſæpe pulmonum, vel aliorum viſcerum inflammationem pariunt. Morbilli autem noſtri inter hos affectus medium locum tenent; & licet quandoque cum Purpura, ſive Roſalia coincidant, diverſam tamen cauſam agnoſcunt; etenim ab impuro ſanguine originem ducunt, à menſtruo, in Utero exiſtente fœtu, coinquinato; quem totum cum Natura, mediantibus Variolis, excernere, atque adeo maſſam ſanguineam prorſus depurare non potuerit, ſupplere ſolet Morbillorum eruptione. Neque obſtet quod cum à ſanguine tenuiori & bilioſiori procedant, ſicque fluidiori & ad ebullitionem magis idoneo, Morbilli Variolas, non hæ illos præcedere debeant, quoniam ſanguis inquinatus; cum in partibus ſolidis fixus & quietus diu conſervetur, in iiſdem figitur magis magiſque penetrat bilioſior atque ſubtilior; ſicuti craſſior in partium ſuperficie ſervatur, unde facilior quoque ad motum & fermentationem evadit, à quo Variolæ. Temporis verò progreſſu aliqua rurſus accedente & excitante cauſa, ſive interna ab analogis excrementis, ſive externa ab Epidemica aëris conſtitutione, aut Aſtrorum influxu, movetur quoque ſubtilior ſanguis partibus magis infixus, & Morbilli excitantur. Quod ſi nonnunquam contingat ut pars ſubtilior atque bilioſior ſanguinis infecti in aliqua parte corporis rariori, nec adeo denſa, relegata, fixaque fuerit, tunc citius & facilius movetur, quàm pars alia ejuſdem impuri ſanguinis in denſiori & ſolidiori parte collocata, tuncque Morbilli Variolas præcedunt.

Affectus iſte levis quandoque evadit, quoties reſiduum materiæ menſtrualis expellendum exiguum fuerit; febrem enim unius diei tantummodo, & Ephemeram, ſive proprius ſynocham non putridam, ſecundo aut tertio die ſanatam excitat; quod ſi copioſior fuerit materia, periculoſiores ipſis Variolis Morbilli eſſe ſolent; cum enim fervidior & fluxibilior materia ſit, quæ peccat, ita facilius ad centrum à corporis peripheria retrocedit; unde frequenter Peripneumoniæ, & quandoque Pleuritides contingunt. Quare in hac Puella magni faciendus eſt, præſertim inſtantibus primum Menſtruis, nec ut par eſſet, erumpentibus; à quibus retentis, ſanguinis impuritas neceſſariò adaugetur.

Quare ſtatim acceleranda Curatio, ſanguinem minuendo, ejuſdem fervorem contemperando; nimiam tenuitatem parumper incraſſando; eumdem ad cutem evocando; cutem eandem rarefaciendo; Cardiacis medicamentis utendo, ac diaphoreticis ſymptomatibus occurrendo, & vires conſervando.

Et in Chirurgico fonte ſtatim, injecto prius molli Clyſtere ex lacte, Butyro & ſyr. roſ. ſolutivo, hoc mane ſanguis ex ſaphæna dextera ſatis copioſe educendus. Sequentibus vero diebus, frictiones aſperæ toti quidem corpori, ſed præſertim extremis partibus fiant, ut eo ducantur humores; quinimo manibus ſummo ex decoct. malv. & chamæm. elevato madidis dorſi & pectoris cutis laxanda & rarefacienda. Et licet raro in adeo tenui materia cucurbitulis ſit opus; attamen ſi non prompte exiguæ puſtulæ erumpant, plurimæ ſiccæ toti corpori, & potiſſimum inferioribus partibus apponantur, & quam citiſſime amoveantur iterumque applicentur, ut diaphoreſis aperta ſervetur, & ſanguis ad cutem & Uterum alliciatur.

A Pharmaceutico reliqua depromenda remedia; ideo horis veſpertinis flos Caſſ. cum pulpa Tamarind. exhiberi poterit, cui ſuperbibat aquæ hord. aut ſeri capr. depur. ℔ ij. ita enim primæ viæ ab excrementis expiari, & nonnihil hypochondriorum fervor contemperari poterunt. Interim Alterantium uſui inſiſtendum, quæ quodammodo etiam incraſſandi vi polleant; quare conveniens erit aqua ſtillat. acet. & portul. vel endiv. & plantaginis; vel aqua hordeac. cum portione aquæ lactucæ, aut nymphææ, quibus aquis addi poſſunt ſuccus Citri, Granat. Ribes & melius ſyrup. de jujubis & de violis: Sicut pro ſecundo alterante conveniens erit decoctio in aqua hord. parata endiv. acetoſæ, nymph. viol. lactucæ herbis expreſſis, ut decoctio validior evadat.

Quòd ſi Diaphoreticis opus fuerit, ut ex magna perdurante febre, & parum maculata cute conjicere licebit, Cornu Cervi philoſ. erit præbendum ad ℈j. in aqua cardui ſancti & ſcorzon. q. ſ. nimirum uſque ad ℥ vi. Cui, ita exigente neceſſitate grana quoque lapid. Bezoar. Orient. erunt addenda, hæcque bis in die, duabus horis ante cibum repetenda.

Symptomata quæ Morbillis ſupervenire ſolent ſunt, Tuſſis moleſta, gutturis & gulæ ardor cum dolore, & pulmonum phlogoſis, quibus ita occurrendum.

Pro gulæ ardore mali punici maſticata & in ore detenta; pariter granum aliquod agreſtæ paulatim in ore expreſſum; optima quoque mora immatura nemoralia, quæ hoc tempore præſto ſunt ore detenta & maſticata.

Pro tuſſi & pulmonum phlogoſi ab eadem cauſa, nimirum intenſo calore provenientibus, convenire poterit aqua hordei jujubis alterata, in qua diſſoluta ſit confectio Diacodii ad cochlearia per intervalla lambenda. Pariter aqua viola-

violarum ſtillat. in qua diſſolut. fuerit ſyrup. de papav. ad cochlear. item Emulſ. ſem. papav. & melon, cum alterutra jam dictarum aquarum extracta. Diacodium quoque nocte ore detentum: ſicut & Diapenidium.

His omnibus congrua eſt addenda victus ratio, refrigerans & mediocris, nimis enim tenuis humores bilioſos ſubtiliat & magis accendit; quare priſanæ hordeaceæ poſt quartam ovum ſorbile addi poterit, exemplo Galeni qui ova recentia in febre tertianâ exquiſita exhibebat. Potus ſit aqua ſtilatitia acetoſæ, aut hord. cum ſucco Granat. vel Ribes, vel mororum immaturorum. Ambiens frigidum tanquam peſtilentiale fugiendum; etenim inter omnes errores in hoc affectu, maximus eſt iſte, cum propter humorum tenuitatem facilis ſequatur eorum ad viſcera retroceſſus. Alvus Clyſteribus, lacte, butyro & ſaccharo paratis, erit opportune ſollicitanda; & animi pathemata, ira potiſſimum & timor arcenda hæcque omnia prudentiſſimo Viri adſtantis judicio committenda. *Idem ibid.*

De Variolis integræ propè Nobili Familiæ funeſtis. Caſus enarratio.

Quandoquidem Nobiliſſ. Dom. L. familia prope integra à Variolis malignioribus enecta eſt: Expetit ille cautiones ac remedia neceſſaria pro unico puerulo ſuperſtite, ac pro iis qui in poſterum ipſi enaſcentur. Ut autem meliùs perſpici queat qualis fuerit natura morbi quô extincti ſunt, placet ejus enarrationem ſub formâ diarii à mæſtiſſima matre collecti, cum additis quibuſdam animadverſionibus, perſcribere.

Filiola natu maxima, annorum ſex, ab hinc octo circiter annis die Dominica, matutinis horis variolis prehendebatur, ſtatim ſoporata eſt, & febricitavit. Die Lunæ proximè ſubſequenti ſanguiſugæ manibus applicitæ ſunt, quia aliàs ſanguinem educere non licebat; hæmorrhagia autem per vulnuſcula ab hiſce animalculis confecta in plures dies protendebatur, vixque cohiberi medicamentis ſelectioribus potuit. Die Martis Variolæ ſenſim pullulare viſæ ſunt, earumque ſigna ſub eruptionis initia ſatis læta fuere, imò talia in diem ipſam Mercurii ſubſtiterunt, verùm eô exeunte ſupervenit diarrhœa, quæ ad diem Martis ſubſequentem, quô leto data eſt, perduravit.

Secunda annos ſeſqui octo nata ineunte æſtate anni 1693. iiſdem Variolis afflicta fuit, die etiam Dominicâ, matutinis horis. Statim maximo ac vehementiſſimo præcordiorum dolore cum vomitibus vexata fuit. Die Lunæ ſanguis educebatur, nec tamen vomitus ac dolores ceſſabant; donec ſub meridiem in longum incideret animi deliquium, unde cùm evaſiſſet, remittere viſi ſunt; Verùm totô corpore doluit. Totam noctem à die Lunæ in diem Martis in maximâ inquietudine tranſegit, nec illa, exeunte nocte, cùm puſtulæ aliquæ apparuiſſent admodum minutulæ, ulla ex parte remiſit. Die Mercurii in cruribus effloruere exanthemata prorſus livida; pluribus præterea cardialgiæ paroxyſmis laboravit, ac poſtea in diarrhœam incidit, terque, ipſâ nocte quæ diem Mercurii ac Jovis interjacet, dejecit: Interim nullatenus attollebantur puſtulæ variolicæ, purpuraque in omnes corporis partes diffundebatur. Cucurbitulæ fuere applicitæ, ac præter alia medicamenta cardiaca maximè temperata, aliquot doſes veri, ut creditum, pulveris Comitiſſæ Kent exhibitæ ſunt: at omnia fruſtrà, nam poſtquam ſub meridiem diei Jovis in animi deliquium incidiſſet, cruorem alvô dejicere cœpit, quæ dejectiones cum cardialgiis ac lipothymiis frequentioribus ad octavam pomeridianam diei Sabbathi protendebantur, morteque finiebantur.

Filius tandem annos ſeſquidecem natus, nocte ſub ſeptimam menſis Septembris anni præſentis 1694. ægrotavit; ſtatimque vehementer lumbis capite & oculis doluit, ac parum admodum febricitavit. Die Sabbathi, cùm febris exacerbaretur, eductus eſt è brachiô ſanguis, unde multò quietior fuit. Variolæ ſub ejuſdem diei veſperam erumpere cœperunt ſine aliquô novô tumultu, quin potius totam noctem ipſiuſque etiam diei Dominicæ ſubſequentis partem ſævis ſymptomatis prorſus liberam habuit: at ſub hujus diei veſperam exacerbabatur febris; horâ decimâ, idque prima à morbi inſultu vice, dejicere incepit; ſub duodecimam rurſus dejecit, purpuraque in uno genu enata eſt. Die Lunæ, manè diarrhœa dyſentericum quid cum maximo fœtore ſibi adjunxit. Cucurbitulæ ſunt applicitæ, ac inter alia remedia, exhibitus eſt etiam pulvis Comitiſſæ Kent, à quô exaſperata eſt febris, magnumque delirium inductum, ac ineunte die Martis ſuis ereptus eſt. Hic autem obſervandum, quòd ſanguis per vulnuſcula in ſcarificationibus cucurbitularum confecta, eâ quantitate fluxerit, ut plura lintea dorſo admota pervaſerit; quodque poſt obitum apparuerit nigredo gangrænoſa circa collum, in regione cordis, in clunibus, femoribus ac tota dorſi longitudine.

Ex iis quæ mox enarrata fuere manifeſtum fit morbum non multum abſimilem in variis hujus familiæ individuis, fuiſſe: Variolæ etenim in omnibus die tertia erupere; diarrhœæ ineunte quartâ, in primâ quidem puellâ incruentæ, in aliis verò dyſentericæ, ortæ ſunt; unde interturbata fuit Natura in eo motu quem verſus peripheriam moliebatur. Probabile præterea eſt inteſtinorum diſpoſitionem inflammatoriam prægreſſam fuiſſe, ſiquidem cadaveroſus ſtatim fuit excretorum odor, colorque fœdiſſimus. Sanguis etiam in omnibus admodum fuit colliquatus; quod in primô ſubjectô ex hæmorrhagia, & longâ & largâ, ſanguiſugarum applicationem ſubſequente; in ſecundô, ex eô cruore minimè coägulatô qui materiis ſedis copioſè immiſſus fuit; in tertiô demum, ex eô qui per ſcarificationes abundè exiliit, ſatis ſuperque patet. Sciendum autem quòd ea omnia evenerint puerulis ante fatalem hunc morbum probè conſtitutis, ac à parentibus in ipſo ætatis flore viventibus & firmâ valetudine utentibus oriundis. Exquiruntur itaque hic ab unâ parte præſervatoria quædam medicamenta pro Familia; quibus inteſtina quaſi præmuniantur contra impetum in ea fieri ſolitum ſub primos eruptionis variolicæ dies. Ab alterâ verò parte expetitur methodus quam tutiùs ac ſecuriùs premere liceat ſub ipſum morbi adventum. Nimirum quæritur, an ſtatim injicienda veniant enemata

pro diluenda ac educenda acrioris illius materiæ parte, quam variæ inteſtinales glandulæ ac jecur ipſum in inteſtina deturbant, quæque ibidem per fermentationem conquiſitâ quâdam quaſi veneni vi, in nidos ſuos totum morbi impetum concitat? Annon ipsô tantùm morbi initiô ſanguis educendus veniat pro reprimendô orgaſmô, ſed etiam an poſt eruptionem puſtularum, exigentibus id ſymptomatibus, dyſentericô fluxu, &c. idem auxilium tutò repetere liceat? An à primâ morbi prehenſione humectantia, ac modicè refrigerantia ſint adhibenda, juſculum nempe pullorum gallinaceorum tenue, emulſiones ex amygdalis & ſeminibus frigidis majoribus, hordeata, avenacea, &c. quandoquidem ſatis conſtet ortum diarrhϾ, ab acrimonia indeque enato calore totum eſſe repetendum, ac propterea cardiaca validiora minus è re eſſe, &c.

Datum Genevæ die Menſis Novembris ſextâ Ann. 1694.

Super Caſu propoſito.

Reſponſum Primum.

Hiſtoria ad me tranſmiſſa de tribus Nobil. D. L. Puellis per omnes ſuas circumſtantias apprimè depingitur, adjunctaſque habet conſiderationes ſolidas, & obſervationes quæ ad rem quàm maximè ſpectant.

Experimenta quæ ab anno 1650. ſumſi, relationem habent exquiſitam cum omnibus ſymptomatis quæ fuere animadverſa, meque propterea in eâ ſententiâ magis ac magis retinent, quòd ſcilicet *omne id unde ſanguinis conſiſtentia deſtruitur mortem infert.*

Ex eo autem ſequitur quòd omnia acida quæ ſanguinem coägulant, quando in operatione ſua excedunt, ſunt letifera: Siquidem coägulatio tum firmior eſt quàm ut poſſit ab impetum facientibus ſpiritibus diſſolvi, cumque ingreſſus ac egreſſus cordis occupet, illud promptè ſuffocat; quod patebit etiam maximè incredulis, ſi injectio acidorum ſpirituum in animalis viventis, ac validioris, venas inſtituatur.

Verùm hoc ad rem præſentem non facit, ubi non quidem ſanguis reperiatur coägulatus, ſed admodum colliquatus ac fluidus, qui non tamen minùs mortem infert, ut manifeſtum fiet per infuſa ſalia lixivialia in animalis cujuſcunque venas aut arterias: Illud ſiquidem momentô morietur, ejuſdemque ſanguis apparebit dilutior, ac eò fuſionis deductus, quæ multum ſit infra naturalem conſiſtentiam, & propterea ſuſtinendis cordis ac pulmonum motibus impar.

Præterea ſi cadavera eorum qui à cachexiis, ſcorbuto, variolis ac febribus malignis ſunt enecti, aperiantur, invenietur contentus ſanguis admodum liquidus, ac fibris ipſius conſiſtentiam facientibus, deſtitutus.

Quodque hîc maximè mirum eſt, tale phænomenon à duplici oriri poteſt principio, quæ inter ſe quaſi è diametro opponi videntur, quorumque effectus eſt tamen unus & idem. Obſervamus etenim quòd ſalia volatilia, dum excedunt, fluiditatem æque mortiferam ſanguini concilient, ac ſalia lixivialia & fixa.

Patet autem quod de volatilibus aſſerimus è vulneribus à viperis ac ſcorpionibus inflictis, ex urentioribus venenis, ac ex ipſa peſte cujus ſpirituoſiſſimi & arſenicales halitus tam citô progrediuntur paſſu, ut eos quos adoriuntur momentô quaſi eripiant; ni acidis, velut aptis antidotis, eorum actioni in tempore occurratur.

Ratio hujus fit evidens ex noſtris principiis, ſiquidem acida quæ ſanguinem in ſtatu conſtitutum naturali figunt, ac in gelatinam cogunt; colliquatum hunc ad propriam conſiſtentiam & tonum reducunt.

Præterea ſi volatilis aliquis ſpiritus in animalis alicujus venas agatur, illud momentô morietur, ſanguiſque ad inſtar aquæ ex apertis vaſis diffluet: At verò ſi acidum quid continuo ſuperinfundatur, in priorem propè ſtatum reducetur.

Quod ſalia attinet fixa, attendendum tantum venit ad eorum actionem in carnes ab ipſis conditas, earum etenim ſanguis totus funditur ac in muriam diffluit. Sed præterea ſi aliquid prædictorum ſalium in animalis viventis venas ingeratur, ibidem pariet effectum prorſus ſimilem illi qui per volatilia validiora inducitur.

Addo, advertendum venire, quod omnia illa ſalia fixa nigredinem faciant in ſuæ actionis ſedibus, ut conſtat ex eſcharis, de cauteriis per ſalia lixivioſa inuſtis, deciduis; ex iiſque inſuper morbis in quibus prædicta ſalia prædominium ſunt adepta, velut in ſcorbuto cujus maculæ nigræ tam familiares ſunt comites; & tandem ex injectis hiſce ſalibus in animalium venas, quorum ſanguis ea propter & nigerrimus, & ad inſtar atramenti ſcriptorii fluidus evadit.

Hiſce jactis fundamentis meritò aſſerere poſſumus mortem trium Nob. D. L. puellorum ab exceſſu ſalium alcalicorum adveniſſe; iis ſiquidem colliquata eſt ſanguinis maſſa, atque eò fluiditatis deducta ut facillimè è vaſis ſuis exciderit; ut patuit in vulnuſculis à ſanguiſugis inflictis, & in diarrhœa cruenta, torminoſa ac fœtida. Salium etenim iſtorum aculei, velut totidem acuum apices, compunxerunt inteſtina, ac ex iis ſanguinem eduxerunt; dum interea fermentationem ibidem cum bilis ſulphure excitantes odorem cadaveroſum in materias ejiciendas ſpargebant.

Illa rurſus eadem ſalia ſanguinem eô infecerunt nigrore qui primum ſub purpuræ nigrioris, ac tandem poſt obitum, ſub gangrænæ forma, conſpiciendum ſe præbuerit.

Iiſdem iſtis ſalibus fermenteſcentibus tribuendæ veniunt febris ac variolæ, cardialgiæ ac vomitus, lumborum, oculorum totiuſque corporis dolor, ut & inquietudines, lipothymiæ, ipſaque tandem ultima rerum linea mors.

Poſt tot conſiderationes quid nobis magis incumbit, quam eò collimemus ut ſalium alcalicorum vim retundamus ac refrænemus, & per conſequens diætam primò imperemus refrigerantem & humectantem, omiſsô omni propè ſale.

Vitandi itaque veniunt omnes carnes, ac piſces ſaliti; alimentumque ordinarium ſumendum è volatilibus, pullis ſcilicet columbinis, caponibus, pullis gallorum Indicorum; è bove, vitulo, carnibuſque venatoriis, elixis, aſſis aliaſque apparatis. Panis ſit probè fermentatus ac coctus; potuſque vinum Gallicum, tenue, album, aut ſubrubrum.

Admiſceat ſæpius potui decoctum rad. chinæ, aut graminis; aut eupator. veri, aut fragariæ, aut hordei mundati, aut uvarum paſſar. cum pauca glycyrrh.

Comedat frequenter pruna Damaſcena aut Brimolenſia, cruda, vel cocta; uvas paſſas, ficus, dactylos, pyra, poma aliaque idgenus quibus obtunduntur ſalia, quibuſque ſanguis edulcoratur ac conſiſtentior evadit; ſub quem cenſum veniunt etiam v. g. juſcula avenacea, hordeacea, emulſiones ex amygdalis dulcibus, ſeminibus lactucæ, portulacæ, altheæ, ac papaveris albi. Imò per æſtatem utatur ſobriè acetariis è lactucis; omphaciô, aurantiorum ac pomorum citriorum ſucco, in variis condimentis; aceroſa, cucumere, & portulacâ in juſculis; ac quandoque citrullô, aut ampliore cucurbitulâ, lacti incoctâ.

Verùm ne per mox præſcriptam diætam ſanguis ſpiſſior ac craſſior fiat, indeque enaſcantur obſtructiones, intercalarem ſubinde cordialia temperata, ac vi aperitivâ donata; ſive ſub formâ apozematum è ſcorſonerâ, Saſſificâ Italorum, (quæ eſt tragopogum purpureum) fraxinellâ, apiô, angelicâ, imperatoriâ, gentianâ, ſcordiô, ac calendulæ floribus. Sive ſub miſturarum formâ, ex aquis ſcabioſæ, cardui benedicti; papaveris rhœados, ſyrupô florum tunices, ſalibus volatilibus, ac tincturâ ligni ſaſſafras & corticum aurantiorum. Sive ſub electuarii formâ, è confectionibus de hyacinth. & alkerm. Sive ſub conſervarum formâ, è floribus veronicæ, calendulæ, roriſmarini, naphæ, lilii convallium, betonicæ, ac violarum. Sive ſub pulveris formâ, vel Comitiſſæ Kent, vel è bezoard. animali, vel viperarum carne, vel ambrâ gryſeâ, moſchô, diaphoreticô antimoniali, bezoarticôque minerali, vel è radice contrahyerv. ac viperinæ Virginianæ. Sive ſub formâ ſaccaratorum, è ſeminibus aniſi, fœniculi, cumini, coriandri ac cinnamomô, duratô circumtectis ſaccarô. Sive ſub formâ conditorum, è nucibus juglandibus, nucibus moſchatis, aurantiis ac citris.

In ipſô morbi primô adventu, iiſdem utatur medicamentis, at largiori doſi, ac præterea plures adhibeantur clyſteres, vel è decoctô omaſorum, vel è lacte cum incoctis verbaſcô, hypericô, paſſulis majoribus, ficubus mell conditis, vitellis ovorum, oleô liliorum alborum, hypericonis ac terebinthinâ: procul amovendo ridiculam opinionem eorum qui arbitrantur enema etiam tepidum, poros occludere, ac eruptioni variolarum obſtaculo eſſe; cùm è contra, ex eô quòd inteſtinum rectum arteriæ aortæ ac venæ cavæ immediatè incumbat, neceſſarium ſit conſectaneum, quòd clyſteriorum in prædictum inteſtinum introductorum, calor temperatus, totam ſanguinis maſſam invigoret, integrumque corpus calefaciat, ac ejus poros nihil minùs quàm conſtringat, ſed potiùs undique laxet.

Præterea ejuſmodi injectiones cùm inteſtina obliniant, fermentationeſque humorum acrium ac pungentium refrænent; diarrhœis ac dyſenteriis non parum validè occurrunt. Sequamur itaque ducem rationem, ejuſque lumine diſcutiamus tenebras quibus in errorem agimur.

Venæſectionem quod attinet, eam nullatenus video indicatam, ni æger perſenſerit aliquid gravaminis in capite, aut pectore, vel aliquo modô febricitaverit; itaque hiſce minimè occurrentibus, illam prorſus omitterem. *Hæc ex Conſiliô manuſcriptô à Præclariſſ. & Ampliſſ. Virô D. Carolô Drelincurtiô Univerſitatis Hollandicæ Rectore ac Decanô, in caſu propoſitô tranſmiſſô.*

Reſponſum Secundum.

Ad prævenienda funeſta ſymptomata quibus affligi poteſt puellus de familia Nob. D. L. ſuperſtes, ſi à Variolis prehenderetur; auctor fuerim ut quantocyus ſanguis edulcoretur, & ſalia quibus ſaturatur, quæque ipſum fundunt, ſubtrahantur, atque ea ratione ad proprium tonum ac conſiſtentiam reducatur; quô præcaveri queat & diarrhœa, & dyſenteria, & exanthemata, aliaque ſymptomata quibus ereptâ fuere alia Nob. familiæ individua.

Oportet itaque ut in anteceſſum aliquot ſanguinis unciæ à venâ alterutrius brachii educantur, priùs injectô clyſtere è decoctô hord. malv. &c. paratô; Poſtea expurgetur ex infuſô caſſiæ ac rhei, admiſſô ſyrupô cichorii compoſitô, &c.

Corpore expurgatô; aſſumat per menſem lac vaccinum, tertia decocti hordei parte dilutum, & paucô ſaccharô roſatô edulcoratum; iterando decimâ quâque die purgans medicamentum primô locô adhibitum.

In ipsô lactis uſu, alternis diebus, circiter nonam veſpertinam, utatur ad ſeſquidrachmam pro doſi, opiatâ, pro quâ,

℞. Conſerv. ſymph. maj. ℥ ij. coralliorum rubr. & oculor. cancr. an. ʒ ß. Rhabarbar. elect. ʒ iß. cum ſyr. de cichor. compoſ. f. Opiata.

Proximô vere, redeat ad uſum lactis, in eoque per duos aut tres menſes perſiſtat.

Si verò Variolæ ipſum invaſerint, neceſſarium fuerit ut ſtatim educatur ſanguis, idque ſemel, bis, aut ter, ſi ita febris exegerit, aut in caput ac pectus malum impendeat, quò ſcilicet auxiliô hôc omnium ſane tutiſſimô, & promptiſſimô, ipſis ſuccurratur. Non negligenda etiam venit venæſectio poſt eruptionem variolicam, ac purpurâ adveniente; quandoquidem ſic nullatenus concentratur actio ſanguinis, quin potiùs ea magis determinatur ad externa. Præſtat autem illa venæſectio cucurbitulis ſcarificatis, quæ præterquàm quòd parum adferunt emolumenti, ſunt etiam dolorificæ; imò in maximâ ſanguinis colliquatione periculoſæ, quoniam impoſſibile tum fuerit impedire quô minùs ſanguis per ſcarificationes ad mortem uſque diffluat.

Si in ipsô morbi adventu fiat in cerebrum irruptio, deliriumq; ſopor, vel convulſiones enaſcantur, poſt celebratam venæſectionem in brachiô ac pede, pro ratione ætatis ac virium; exhibeatur medicamentum purgans ex infuſô ſennæ cum vini ſtibiati ℥ ß. ʒ vi. aut ℥ j. ut everrantur fermenta totum ſanguinem exagitantia, ac in caput propellentia, eamq; facientia confuſionem, quæ ſeparationi humoris variolici obſtaculo ſit.

Singulis diebus debet injici enema ex æqualibus partibus aquæ hord. & lactis vaccini, cum melle roſato confectum, ſique diarrhœa adſit, adjiciatur vitellum ovi, vel mucilago ſeminis cydonior. ac pſyllii aquâ roſarum extracta.

Ineunte morbô, omni veſpera ipſi propinabitur emulſio è 4. ſemin. frig. maj. & amygdal. dulc, cum ſyrup. nymph. ſique irrequietus fuerit

æger, ac dormire nequeat, adjicientur ſyrup. papaver. alb. ℥ ij. vel iij.

Vitanda veniunt medicamenta, cardiaca calidiora, quibus ſcilicet nimiùm commovetur ſanguis, atque fermenti variolici ſeparatio præpeditur. Poteſt equidem exhiberi pulvis viperinus bis aut ter in juſculo, ſed eâ doſi quæ dum particulas morbificas ad cutem propellat, turbas in ſanguine non concitet. *Hæc ex Conſilio manuſcripto Præclariſſ. Viri Dom. Barbeirac Medici Monſpelienſis Celeberrimi.*

Obſervationes.

Pro Variolis ſerpentibus.

Puer quidam Variolis corripi cœpit, ex quibus nonnullæ percurrebant, ut miſerum corpuſculum intra duos dies fere totum excoriatum reliquerint: Serpebant quippe, ac cutem tantùm exanthemata hæc excoriabant. Contra quæ ſic orſus ſum. Primò, cum materia hæc plus juſtò ſubtilis eſſet, eam obtundere conati ſumus; nec tantùm eam, verùm etiam hepatis & membrorum internorum malam qualitatem infringendo, ne de novo altera gigneretur, ſed id refrigerantibus complebâmus medicamentis, ut ſyrupo roſato, de cich. ſimpl. de endiv. de violis, adjectis ſimilibus aquis; exterius verò jecur ex ſantalino unguento illinebatur, ſed victus ad id multùm faciebat, qui ad frigidum cum humiditate declinabat: quibus omnibus materia craſſior eſt reddita, & Variolæ craſſæ & amplæ apparere cœperunt. Prædictæ excoriationes quas nonnulli practici rubeas infectiones appellarunt, ſic à nobis tractatæ ſunt. Primò à propinato ſyrup. violat. ſolutivo lactucæ aquæ permixto, quo optimè egeſſit, ſequenti lavacro eas lavari fecimus, ac poſtea panno lineo abſtergi, & pulvere infra dicendo aſpergi. Habet autem lavacrum ſic.

♃. Roſ. rubr. ſicc. myrtill. fol. lentiſc. ſummitat. querc. tamariſc. an. M j. fiat omnium decoctio, quo decocto excoriatæ partes laventur, & ut dixi, lineo panno abſterſæ ſequenti pulvere inſpergantur.

♃. Thur. maſtich. roſ. rubr. ſarcocoll. an. part. æq. F. pulv. ſubtiliſſ. Ubi unguento uti neceſſum fuit, albo camphorato, aliquando verò plumbeo uſi ſumus. *Amat. Luſit. curat. 18. cent. 3.*

Pro Variolis.

Puer quidam quinque annos natus, Variolis laborabat cum alvi fluxu per totum morbi decurſum perſeverante, ſeptimo die multò gravior fuit alvi fluxus, febris intenſa, ſitis ingens, Variolæ depreſſæ, quarum elevatio ab alvi fluxu impediebatur, reliquis remediis uſque ad id tempus parum conferentibus, ſequentem præſcribo julepum alvi fluxum & malignitatem reſpicientem.

♃. Rad. pentaphyll. & tormentill. an. ℥ i. fol. ſcabioſ. pimpinell. an. M. j. ſcord. p. j. ſantal. citrin. ʒ ij. Coq. ad quart. tria, pro tribus doſibus bis in die ſumendis, addendo unicuique doſi Confect. de hyacinth. ʒß. troch. viper. ℈ß. lapid. bezoard. gr. iv. Poſt primam exhibitionem alvi fluxus imminutus fuit, Variolæ tumefactæ, & ſitis imminuta. In aliis Pueris quam plurimis eadem potio mirè profuit ad ſedandum alvi fluxum, & Variolas depreſſas tumefaciendas. Cui addebam aq. roſ. & naph. an. ℥ß. etiam citra alvi fluxum, in depreſſis Variolis mirum in modum contulit, & plerumque ſic componebam.

♃. Rad. tormentill. & pentaphyll. an. ℥ j. fol. pimpinell. & ſcord. an. M. j. ſantal. citrin. & raſ. ebor. an. ʒ ij. Coq. ad quart. iij. in colat. ℥ iij. diſſolv. aq. naph. & roſ. an. ℥ß. troch. viper. ℈ j. lapid. bezoard. gr. iv. F. potio, quæ grandioribus detur uno hauſtu bis in die, lac verò ſugentibus, ex cochleari frequente. *Lazarus Riverius, obſerv. 2. cent. 2.*

♃. Aq. Card. bened. ℥ iij. Aq. theriac. ʒ iij. Troch. viper. ℈ j. Lapid. bezoard. gr. vi. capiat horis veſpertinis. Cordi applicabantur pulli columbini, ac deinde linimentum ex theriaca, Confect. Alkerm. & ol. ſcorpion. *Matthiol.* In omnibus juſculis diſſolvebatur bezoard. mineral. ℈ß. hiſce Variolarum eruptio ita promota eſt, ut tandem à ſævo illo morbo æger penitus liberatus fuerit. *Lazarus Riverius.*

Vidi puerum quendam Variolis laborantem cum ſignis laudabilibus, febris enim poſt exortum puſtularum remiſerat, reſpiratio libera erat, nullus alvi fluxus, tubercula eminentia ſatis, ſomnus mediocris, bene ſe habebat ad ea quæ offerebantur, ſubitò tamen, & ſine manifeſta cauſa puſtulæ ſeſe occultaverunt, morſque ſecuta eſt illarum occaſum, id ipſum vidi in pluribus aliis eodem morbo afflictis, quibus omnibus mortem certiſſimam portendi. *Petrus Pachequus, obſerv. 25.*

Quotquot Variolis aut Morbillis laborantes vidi, qui tenſione & meteoriſmo ventris, cum anxietate huc atque illuc agitabantur, tot intra paucos dies obire vidi, præcipuè ſi dolor junctus fuerit. *Idem obſerv. 61.*

Linguæ humanæ & ſalivæ inſolitum uſum non ita pridem muliercula propalavit. Occupaverant Variolæ Epidemicæ univerſam faciem tenelli filii Clariſſimi in Urbe noſtra Viri, & oculis minitabantur exitium, fruſtra aliis tentatis, nutrix dolore infantis commota & commiſeratione, lingua propria oculos pueri lingebat, ſicque reſeratis oculis, abſterſaque ſanie convaluit infans morti antea relictus, & publicis ex ſuggeſtu precibus expiatus. *Thomas Barthol. hiſt. 29. cent. 1.*

Obſervavi hoc anno 1629. quo Variolæ hic populariter graſſantur, & multos infantes è medio tollunt, nonnullis quidem infantibus ante Variolarum eruptionem, aliis verò poſtquam eruperunt, & jam ſuppuratæ fuerunt, vermes Spithamæ longitudine, & longiores ex inteſtinis ſponte prorupiſſe: qui infantes omnes mortui ſunt. *Daniel Sennertus, pract. lib. 3. part. 6. ſect. 1. c. 6.*

D. Turquetus apud *Petrum Aſſelinæum* referebat, *Eliſabetham Angliæ* Reginam, contractas Variolarum ſuppuratione maculas in ſeipſa deleviſſe, emulſione lactea ex ſem. canabino ſeparatis corticibus, cum aq. roſ. parata, & cum goſſipio admota. *Georgius Hieron. Velſchius, obſerv. 88.*

Pro Morbillis.

Matrona quædam Nobilis febre continua correpta eſt cum tuſſi & raucedine: per triduum

duum ſymptomata non valde urgebant, quarto die cum febris intenſior evaſiſſet, ſanguis detrahitur, & julepus refrigerans exhibetur: eodem die totum corpus morbillis conſperſum apparuit: vocatus ego die quinto, præſcribo circa veſperam julepum ex æquis partibus aq. ulmariæ & card ben. cum bezoart. mineral. gr. 20. duabus horis ab aſſumpto julepo copioſè ſudavit, febris valde imminuta, & portio morbillorum diſcuſſa eſt: poſt ſudores alvus ſoluta eſt magna excretione. Poſtridie mane idem julepus iteratus eſt ac copioſius ſudavit poſt duas horas, ac febris omnino ſublata eſt, omniaque propemodum exanthemata diſcuſſa ſunt. *Lazarus Riverius obſerv. 76. cent. 3.*

Mulieri cuidam in morbillorum eruptione ingens pruritus & punctio in plantis pedum ac volis manuum aderant, pro quo ſymptomate mitigando, quum maximè eo intolerabiliter affligeretur, ut ſe potius mori velle diceret quam illum pruritum & punctionem ferre, juſſi ut pedes & manus continuo teneret in aqua calida, quo conſilio pruritus cum punctio ceſſarunt, & melius per cutem in volis manuum & pedum morbilli emergebant: hujus rei experimentum notatu dignum ab ipſo Aſtario Papienſi medico accepimus, quod etiam arcanum à Nicolo Florentino medico ſui temporis inſigni mutuavit, cum ſcribat de variolis & morbillis; ſi fuerit punctio plantæ pedum aut palmæ manuum, ponantur dicta membra aſſiduè in aqua calida ut dicit Nicolus; & ego vidi multùm conferre. *Petrus Foreſtus. obſerv. 42. lib. 6. De febr. Epidemicis.*

Chirurgus cum ad virginem quandam viginti quinque annorum, quæ in Morbillos incidiſſet, & continua febre acuta laboraret, vocatus eſſet ad venæſectionem peragendam, fortè fortuna unà ſimul accitus ædes intrabam, & ſanguinis miſſionem inhibui, licet omnia jam ad ſectionem parata eſſent, eo quod ſanguis è naribus flueret, & jam per quinque dies Morbilli foras expulſi eſſent, tamen cum natura paulo ſegnior ſanguinem è naribus profunderet, ſetis porcinis ſubtilllum ſanguinis ad fluxionem ſtimulandum cenſui, cum animadverterem quod natura per eum locum Criſin tentaret: quod cum non poſſet, id nos perficere hoc modo poſſe rectè arbitrabamur: & illud quidem non ſine auctoritate feci, inſequendo Canonem illum quem poſuit Guainerius ſuo tempore Practicus inſignis in curat. Variol. ſcribens ita. Nota tamen, quod ſi naturam perceperis ſanguinis narium fluxum tentare, ipſam juvare debes cum ſeta, vel aliquo ejuſmodi narium fluxum ſanguinis provocante; phlebotomiam, ſi opus fuerit, dimittendo: quod cum ego feciſſem, ſanguis benè fluxit, & febris deſiit, & paucis diebus à morbillis quoque ſanata eſt, poſtquam ſtatim à prima noſtra vocatione uſa eſſet ſequenti decocto, Variolas & Morbillos evocante.

℞. Lentium excortic. ℥i. hord. decortic. p. j. caricar. numero vii. laccæ, tragacanth. an. ʒi. paſſul ℥ß. jujub. numero vii. rad. fœnic. ℥ß. F. decoctio in aqua communi pro ℔iß. colaturæ addendo oxyſacch. ſimpl. ℥ii. M. *Petrus Foreſtus. obſerv. 48. lib. 6.*

De Variolis poſt decimum ſeptimum demum ſuppuratis.

Graſſabantur Epidemio malo præterita hyeme apud nos variolæ, ita ut vix aliqui contagium evitare potuerint pueri; liberabantur tamen plerique a malignitatis vehementia, & priſtinæ reddebantur ſanitati, generoſioribus adhibitis remediis, quamvis periculosè ſatis laborarent quamplurimi. Hoc inter erat puer quidam circiter quinquennis, viri conſularis J. K. Patroni ſumme venerandi, filiolus unicus, qui graviter etiam cum ex variolis laboraret, opem medici requirebat. Vocatus itaque invenio miſellum, miſere decumbentem, convulſionibus affligi: Adhibebantur ſtatim, quæ ex arte adhiberi poſſe judicabantur, remedia, melius etiam natura ferebat in principio morbum, calor nimirum remittebat, virium jactura præceps, ardor linguæ inextinguibilis, convulſivi motus, ἀγρυπνίη, deliria &c. imminuebantur, puſtulæ indies incrementa ſumebant, quæ tamen nulla referræ materia conſpiciebantur, exteriores piſorum exuvias referentes. Duodecimus jam morbi aderat dies, nec ulla in puſtulis apparebat materia, quæ mihi res non levem mali exitus peperit metum, ſuccumbentis enim naturæ indicium eſſe judicabam. Nec me fefellit opinio; nam ſubitò decimo quarto die horror novus eum corripiebat, hunc calor excipiebat, pectoris anguſtia, cordis anxietas, ſitis intenſa, artuum ob malignitatis vehementiam inquietudo & jectigatio; ſudor ſubfrigidus colliquationem minabatur; verbo ad interitum omnia vergere manifeſte conſpiciebantur. Propino expellentia fortiora, & inter alia ſal C. C. volatile, cujus præprimis ope decimo ſeptimo demum morbi die materia ſeſe in puſtulis monſtrare incipiebat; qua apparente ſymptomatum ferocia remittebat, ſicque ſuppuratione facta æger viceſimo die melius habere incipiebat, & ſenſim priſtinam recuperat ſanitatem, quæ tam in Parentum Nobiliſſ. animis, quam propria etiam opinione valde erat dubia, cum toto praxeos tempore neminem ex tali variolarum genere unquam viderim ſervatum. *D. Joh. Schmidii.*

De Variolis Verminantibus.

Filiolus annorum trium Michaëlis Ouſel, viri apud nos optimæ notæ, febre laborabat continua, non ſine inſignis malignitatis metu, ob ſymptomatum in principio morbi gravitatem: convulſiones ſubinde aderant, deliria itidem & ἀγρυπνία puerulum moleſte divexabant, ſupervenerunt tandem in abundanti copia variolæ; quibus apparentibus meliuſcule habere cœpit: de colli autem pruritu, quod continuo vehementer fricabat, conqueritur. Mater de pueri tædio & ploratu ſollicita, monſtrari ſibi digito, qua in parte pruritum ſentiret, rogat, ipſe manum collo admovet, ſequitur ducentem mater, & in colli plicis vermes plus quam L. tineas referentes, articuli digiti magnitudinem æquantes, reperit. Perterrita ad inſolitum ſpectaculum mater, ligno in ſcatulam à cute vermes abradit, vivos & ſalientes,

quos cum accederem monſtrabat. Liberatus ſic miſellus ab occaſione pruritus, commodius habuit, & poſt aliquot dierum decurſum, ſeparata malignitate, & variolis decidentibus ex orci faucibus ereptus eſt. *Ex eodem.*

Variolæ fœtus in utero.

Variolas imprimis Infantibus moleſtas eſſe & infeſtas, notiſſimum, obſervatum etiam eſt & adultos ab iis infici, quod hic Halis Saxonum per elapſum triennium, quo inprimis verno & autumnali tempore graſſatæ ſunt; non rarum fuit, ideoque etiam D. Th. Bartholinus, vir de Rep. Medica optimè meritus Anno 1656. in Dania accidiſſe cent. 4. hiſt. 50. refert, imò nec fœtum in utero ab iis immunem eſſe Foreſt. l. V. obſerv. 44. p. 196. & jam laudatus Bartholin. l. c. aſſerunt, quod & ego ante biennium obſervavi. Generoſi cujuſdam viri Uxor cum ante variolis laboraſſet, filiam peperit veſtigiis variolarum conſpicuam, unde liquet ipſam adhuc in utero materno ſimul cum matre variolis affectam fuiſſe. *D. Valentini Andreæ Mœllenbroccii.*

Variolæ in Æthiope.

Juſſu Clementiſſimo, Sereniſſimæ Reginæ Daniæ & Norvvagiæ, Charlottæ Amaliæ, Dominæ noſtræ Clementiſſimæ, Æthiopem puerum curavi qui vix ſemeſtre ſpatium hic in Dania dum vixerat, (anno enim 1672. ex India orientali, Dansburgo) Caſtellum Regis Daniæ ibi terrarum ita vocatur (in Daniam delatus erat) Variolis infeſtatur, (erat enim tum temporis morbus iſte inter pueros ſatis frequens) quas peculiares notavi, ſecus ac in Europœis, & quamvis cœlum mutaſſet puer iſte æthiops, natura tamen idem corporis temperamentum ſervare voluit, quod tam cito ſub alio cœlo mutari non potuit. Poſt uſum enim medicamentorum expellentium totúm corpus, præter faciem ubi nullæ apparebant, Variolis ſcatebat, ſed tam minutulæ erant, & manebant ab initio ad finem uſque morbi, ut magnitudinem ſeminis milii non excederent, materia quidem purulenta, ſed magis ſeroſa repletæ, exceptis manibus & pedibus ubi paulo majores erant Europœorum fere ſimiles: quæſivi ex iſto puero an natura gentis tales ſemper in patria protruderet Variolas, reſpondit Æthiops, imo & parvas habemus & magnas; per magnas autem, ut ex verbis ipſius colligere poteram, illas forte intelligebat Variolas, quas Galli ſua lingua, *la groſſe Verole* appellant, quas India ſibi ſoli ſervet precamur: nihilominus tamen illa materfamilias, ubi decumbebat Æthiops iſte, aſſeverabat, ſe idem obſervaſſe anno præcedente in puella æthiope, æque minutulas ſcilicet ac illas in puero Variolas, & nullas plane in facie, quod mirabar: matres enim noſtræ Europœæ tam anxiæ ſunt in præmunienda facia filiarum Variolis laborantium, ne decor & venuſtas illa naturalis pereat, & natura tam benigna eſt in iſta obſcura Æthiopum facie, ubi præter nigredinem nulla pictura apparet, ſimplex ergo color, color optimus. Hoc præterea ſingulare in iſtis Variolis obſervavi, ut quamvis priores ſemel exſiccatæ evanuiſſent, novæ iterum erumperent tam parvæ quam antea, & hoc vel terna vice, hinc factum ut longius decumberet quam Europœi ſolent. *D. Caſpari Kolichen.*

Variolæ & Morbilli novus morbus in Inſulis orientalibus & occidentalibus Indiarum.

Ante Batavorum in Orientales & Auſtrali-Orientales Inſulas adventum nec morbillos, nec variolas cognoverunt incolæ. Hodiernis autem diebus morbilli tantam in indigenas exercent crudelitatem, ut peſte (quæ in India Orientali nunquam eſt viſa) minores haberi haud poſſint. Quatuor abhinc annis in Inſula Auſtrali-Orientali Moa tertiam hominum partem morbilli interfecerunt. Inſulæ igitur illæ, quæ Hollandos adorarunt nondum, hanc ob cauſam navigantibus noſtris acceſſum ex mari in terram negant. Ut plurimum hos in principio invaſionis, variolas præſertim, peripneumonia comitatur circa declinationem dyſenteria excipit. Cæterum apud Indos curationis methodus hæc eſt: Æſtum in infante, aut adulto, conſueto morbi tempore, ſentientes, morbillos vel variolas accedere pronunciant. Tunc per triduum ſuum perlarum majorum Magiſterium exhibent, à cujus uſu ſi puſtulæ erumpunt, ægri per dies aliquot quieti ſinuntur. Perlis autem inutiliter aſſumptis, ad crocum communem confugiunt, ejuſque parum in aere libero ab ipſis excluſo, ſine ullo medicamentorum uſu, ad ſeptimum, octavum vel nonum diem uſque decumbunt, donec puſtulis perfecte expulſis bis in die, ante ortum & poſt occaſum ſc. Solis, ad perfectam uſque ſanitatem lavantur frigida. Lavatione hac dolor & æſtus minuitur, morbilli accreſcunt ac putreſcentes ægrum facillime relinquunt. Cibus durante morbo eſt, (ut à Phyſicis noſtris dicitur,) frigidus, ex lactuca, cucumeribus, cameribus coctis, melonibus, cœpis, pipere, &c. (cœpas, atque piper Indi frigidis annumerant) conſiſtit. Potus eſt aqua communis cocta. Mulieribus menſtruatis, leproſis, aut morbo laborantibus venereo, nunquam ægros adire licet; quod infallibili Indis conſtet experientia, fœtidam & acidam talium corporum exhalationem tanto ægroti cutem pruritu afficere, ut ſemifurens quaſi redditus pernitioſa unguium vi in ipſum ſævire continuo cogatur. Notandum, quando nec croco, interna morbillorum pertinacitas cedit, puſtulæque debito modo non apparent, nono denique die per lavationem calidæ, aut frigidæ aquæ optato ac plenè erumpere. *D. Joh. Othon. Helbigii.*

Frater & ſoror multis milliaribus à ſe diſſiti Variolis eodem tempore laborant.

Tranſplantationem morborum illuſtrari per ſympathiam inter fratres, vinculoque ſanguinis conjunctos ſed locis diſſitos cum ſimul variolis infeſtantur, in Diſſertatione hujus argumenti ſuſpicatus ſum. Cum olim Mater mea ſuaviſſima Variolis laboraret Hafniæ, eodem tempore quoque Frater ejus Genevæ in Gallia iiſdem

iiſdem tentabatur. Pluſcula exempla alia memini, & res inter pleroſque nota, ideoque, Seneca judice, non deſiderant manifeſta monitores. Transplantationis autem hoſtis infenſus Clariſſimus Medicus Hermannus Grube in ſcriptis ad me literis Hadersleбiâ cal. Febr. 1673. inter alia erudita, ſatagit rationem reddere, cur fratres videantur locorum intervallo disjuncti morbillis poſſe eodem tempore interdum laborare. Ipſa Viri Docti, nobiſque Amici, verba afferam, ut clarius ſententia ingenioſa intelligatur.

Videtur, inquit, ipſe ortus, me quidem judice, cum à ſpiritu ſeminis paterni genitali, tum materno menſtrui ſanguinis fermento arceſſendus. Quippe cum plerorumque calculo medentium ſanguini menſtruo tempore geſtationis retento morbillorum debeatur origo, fieri poteſt cum craſi, ſimiliore à ſpiritu quoque ſeminis paterni genitali derivanda, tum à pari fermenti ipſius materni ἐνέργεια in fratribus utriſque, ut ſeminaria illa latitantia ſui excretionem eodem tempore in utriſque moliantur haut raro, unde paucos ante annos in his locis memini gemellos eodem temporis ferme momento & correptos mobillis eſſe & extinctos. Ut adeo opus non ſit quendam hîc cum nonnullis fingere atomorum in tanto itineris anfractu per tot milliaria acceſſum. Quid quod caſu poſſit fortaſſis accidere, quod æque huic fratrum quam illi, ut diverſis in locis agentium cauſa eodem tempore ſuppetat occaſionalis, cujuſvi μιασμάτων illa excitentur. Dubia, quæ moveri hîc poſſunt permulta, & alia ad hiſtoriam Tranſplantationis facientia, jam tum prolixius in ſingulari quodam ſcripto publice, Deo ſic dante, ſum traditurus.

Non ſerio ſed animi gratia, ejuſque amici, ad propoſitam ſententiam Viri Doctiſſimi D. Grubii, pauca repoſui, ut veritatis ſcintillæ crebra ventilatione facilius excitarentur. En varia experimenta.

1. Maternus ſanguis male incuſatur in Variolarum productione. Non ille venenatus, ut vulgo traducitur, ſed beneficus Matri & fœtui. Nec omnes homines Variolis fœdantur, Cauſa aeris infectio, certo enim tempore Variolæ graſſantur, nec eadem ſemper malignitate nocent. Hoc anno beneficæ, ſuperiori anno malos mores Hafniæ induerunt, antea peſtiferæ, petechiiſque mixtæ plurimos extinxerunt, nonnunquam tanta putredine vitioſæ ut vermes ulceribus ſuis recondant, quod materno ſanguini fruſtra imputatur, qui ipſi matri ſalutaris eſt.

2. Quanquam ad maternum ſanguinem referenda ſit lues hæc, in diverſis tamen liberorum corporibus immutatur pro ſingulorum temperamento, quod prorſus interdum in filiis variat, ut uno eodemque tempore effervescere non poſſit.

3. Vidi robuſtiſſimos homines, Matribus non adeò firmis genitos, qui ter Variolas ſunt paſſi. Certè ſi quid vitii à Matre hauſiſſent, robore corporis facilè ſemel ſuperaſſent.

4. Gemellas nuper enixa eſt Matrona inter noſtras præcipua. Altera brevi ſupervixit, convulſionibus extincta. Altera adhuc vegeta ſuperſtes eſt. Idem in utraque ſanguis maternus; eadem paterni ſeminis ἐνέργεια. Vulgo tamen creditur gemellos ejuſdem ſexus ſupervivere poſſe, quod etiam non paucis exemplis dicici, rarò evadere diu, ſi diverſus fuerit ſexus.

5. Sympathiam iſtam aliunde repetendam, uvæ, hordeum & alia vegetabilia teſtantur. Vinum turbidum fit in cadis noſtris, & efferveſcit quotieſcunque uvæ in Gallia vel Germania, etiam diverſi generis florent. Neque à calore illud provenit, qui circa illud tempus intenſior, ſicut ſuſpicatur Portzius, quia calidiſſima æſtate reliqua nihil tale patitur vinum vel cereviſia.

6. Atomos plurimum poſſe, vel ſolas forſan, ut tranſplantatio morbi in alios fiat, peſtilentia indicat, de qua diximus in Diſſertatione noſtra.

7. Pulcrum præbet ſpectaculum Roſa Hierechuntina quæ in aqua ſe expandit. Obſtetrices id maximè contingere ajunt quando proximum eſt partus tempus, hocque ſigno mulierculis ſpem faciunt. Quanquam quovis tempore alias ſe dilatare in aqua viderim. Illarum obſervatio ſi quicquam veri habet, humor puerperii tranſplantatur.

8. De Ligno & pulvere ſympathetico res nota. Hujus in hæmorrhagia narium uſum probatum inveni, variis à me commendatum. Cavendum, ut obiter hoc addam, ne humido loco ſervetur pulvis ille ex Vitriolo confectus. Per pluſculos annos in theca lignea pulverem ſervavi. Hac æſtate cum in angulo ædificii mei, nuper ædificati, adeoque adhuc à calce humidi, reponerem, inveni poſtea ad prædium ex urbe reverſus, in aquam reſolutum phlegmaticam, pulviſculo innatante, ſubſidentibus in pyxide lignea cryſtallis elegantibus, oblongis, latiſque, & fundo adhærentibus, ſaliumque more ſurgentibus, ex aqua illa in clibano evaporante, cruſta alba emerſit, quod vitriolum album eſt. *D. Thomæ Bartholini.*

Morbilli maligni. Aphthæ ferinæ.

Quam novercali odio Anni 1669. tempore fervido, atque inter igneas illas Planetarum oppoſitiones, Morbilli apud nos in Norvvegia adultos ſævierint, ac infantes pauperiores maximè, libitinæ docebunt rationes. Omnes ſane ad unum qui hydromellite morbillorum tentarunt expulſionem, nullo ad malignitatem habito reſpectu, convulſionibus aut diarrhœa miſerando perierunt modo: nonnullis ex neglectis Aphthis tanta accrevit oris putredo, ut ante inſtans mortis punctum mandibulæ ſponte exciderint, aliis à Chirurgis caro circa illas gangræna infecta, ut mihi retulerunt, omnino reſecta fuerit. *D. Joh. Frid. Treubleri.*

Singularia quædam in Variolis & Morbilis epidemiis.

A cicatricula, à morbillis in præputio relicta, quidam incurrit Phimoſin, ut ad me non ita pridem Dn. D. Godofredus Buxbaum Phyſicus Ileburgenſis, qui matrimonii Candidatus factus, mali ablationem urſit, quam etiam ſectione

facta

facta obtinuit. Revocat mihi in mentum hæc hiſtoria varia in variolis & morbillis hactenus Epidemiis obſervata, non ubivis obvia. Apud Plebeios, in quorum cura malignitatis ſcelus non attendebatur, ſublatis morbillis variolæ ſuccedebant, & vice verſa, aut febres viſcerum humidum & facultates ſenſim infringentes, donec εἰς πλείονας abire cogebantur. In Infantulo poſt variolas petechiæ lividæ cæruleæ & nigricantes apparebant, quædam quadratæ, quædam triangulares, quædā trifolium exactè referentes. Epilepſia tandem correptus, obiit. Hæmorrhagia narium in principio profuit, in morbi vigore morbum protelavit. Sanguis rubicundus omni deſtituebatur ſero, adeoque ſtatim concreſcebat, & poſt aliquot horas gummatis duritiem nanciſcebatur. Mirabar ſæpius, unde iſta ſeri abſentia? an calore ſerum abſumente? Sed antequam calor ſentiebatur, tali facie conſpiciebatur cruor, in vigore id equidem non negarem; an quia ob læſam & abolitam ferè chylificationem & ſanguini chylus, & conſequenter lymphæ ſubtrahebatur portio? an demum ad miaſma malignum ſanguinem coagulans, ejuſque motum ſufflaminans recurrendum. Motui ſanguinis tardiori igitur ſymptomata omnia dixi eſſe adſcribenda. Si vero hic ſanguinis motus tardior, quomodo ebullitio aut impetuoſa ejus fermentatio locum habebunt? Nec pulſus celeritas hoc, ut vulgo putant, indicabit, nec ſanguinis motui juſto celeriori hæmorrhagia imputanda veniet. Quomodo ſudorifera hic agent? an ſerum educendo, ſi ſanguis eo modo, ut dixi, ſe habeat, vix crederem. Prudenter ſanè monet *Septalius lib. 5. Cantion. aph. 52. p. m.* 247. in Peſte, peſtilentialibus & aliis febribus ſudorem non niſi Natura Duce eſſe projiciendum; naturâ namque deſide licet moveas, nihil promovebis, an ſanguinis motum promovendo, & maligni miaſmatis vim infringendo? Id quidem darem facilè, ſed hoc nonniſi admixtis Bezoarticis continget. Urinam albam cum ſedimento furfuraceo aut præſentes aut mox affuturas variolas aut morbillos indicare, experientia docuit. In quibus ſubito diſparuere, varia inducere ſymptomata. v. g. Epilepſiam, ex his quos quidem vidi, unicam tantum virginem ſervatam vidi, motus alios exercuerant ſpaſmodici, & ut ita dicam ambulatorii, modo brachium, modo pedem, modo ſaltem digitos variè torquentes, hi verò ſervati. Puella miris tentata convulſionibus, claudicabat aliquot poſt morbum ſeptimanas, adhibitis tamen balneis & nervinis aliis, benè, Dei gratia, valet. Nobilis quidam puer, morbillis detentus, aſtantium incuria feneſtram aperit, ſeque libero exponit Jovi. Recurrunt oppido, nihil tamen inde mali, ut videbatur. Altero aut tertio die dolorem dextræ ſentit ſcapulæ, poſt cordis anguſtias, & demum ſpaſmum abdominis incurrit, iiſdem ſymptomatibus ſtipatum, prout eundem deſcribit ex Hechſtetero Sennertus *lib. 3. Med. Pract. part* 10. *cap.* 8. *p.* 992. in hoc ſolùm ab eo diverſum, quod mentem obtinuit integram, & durante Paroxyſmo loquela deſtituebatur. Singulis ferè horæ quadrantibus de die Paroxyſmus illum fatigabat, quo ceſſante loquebatur, bibebat, comedebat, etiam aliquando in lecto erectus ſedebat, ridebat & puerilia tractabat. Noctu quieſcebat à nona uſque ad quartam matutinam, à Paroxyſmis omnino liber. Alvus huic obſtructa, quam Enematis ſollicitabam. Dolor modo allegatus ſcapulæ totum latus perambulabat, donec tandem ſub ſpecie vaporis frigidi, pedis pollicem fatigans evaneſceret. Detinebatur hoc malo ultra duos menſes. Optima adhibita fuerunt medicamenta ex aliorum Medicorum & meo Conſilio, morbum tamen in totum tollere nequivimus. Tandem, quod mirum, iterum variolis correptus, malum evanuit, & cum ſanitate in gratiam redire incepit. Quod tam diu in ſanguine latuerit miaſma, ſingulare quid videtur. *D. L. Chriſth. Frider. Garmanni.*

De Variolarum ſæviſſimis ſymptomatibus, ſtipatarum curatione.

Marianna, Johannis Pitiſci, Civis & Mercatoris Thorunenſis non infimæ notæ Affinis mei filiola primogenita, puella ſexennis Anno 1664. die 11. Novembr. variolis & morbillis tum populariter graſſantibus correpta, peſſimè habuit: non enim ſolùm febris intenſiſſima ipſam dies nocteſque torquebat, ſed etiam variolæ plurimæ in unam coeuntes, cruſta fœtidiſſimam ſaniem continente, totum corpus tegebant. Ego tam ad humoris acrimoniam, ex febre exquiſita demulcendam, quàm ad motum Naturæ in expellendis variolis promovendum ſequentia ordinavi. 1.

♃. Amygd. dulc. excort. non rancid. ℈ii. ſem. melon. excortic. ʒiß. citr. excort. cardui bened. an. ℈ß. napi, aquileg. an. gr. iii. aq. Card. bened. acetoſ. an. ℥ii. fl. tiliæ roſarum an. ℥ß. S. l. a. Emulſio, cui add. pulverem bezoarticum D. Sennerti ad ℈i. C. C. philoſ. præpar. ℈ß. man. Chriſt. pelatæ, q. ſ. ad gratam dulcedinem. Hæc emulſio aliquoties reiterata eſt, mutatis mutandis. 2. iſtum Syrupum.

♃. Syrup. de jujubis ℥iiß. de liquiritia ℥ß. M. D. pro Lambitivo. 3. pulveres ſequentes;

♃. Pulver. marchion. bezoart. D. Sennerti an. gr. 15. m.

♃. Pulv. pretioſ. gr. 16. ſemin, napi, aquileg. rad. pimpell. an. gr. iii. M. quibus pro vehiculo hic Julebus datus eſt:

♃. Aq. Cardui bened. acetoſ. rubi Idæi an. ℥iiß. Scorzoner. ℥iß. Syrup. rubi Idæi ℥ii. M. pro Julepo. 4. Julepum iſtum corroborantem:

♃. Conſerv. flor. tunic. pœon. anth. violarum an. ʒiß. aq. ceraſor. nigror. flor. tiliæ, tunicæ, rubi idæi an. ℥i. Ebulliant in diplomate clauſo, colaturæ fort. expreſſ. adde Aq. alexiter. temper. ℥vi. Syrup. rubi Idæi ℥j. Confect. Alkerm. ℈i. pulv. bezoartic. D. Sennerti, Marchionis an. ℈i. M. pro aliquot doſibus. Sed variolis ad mutationem jam pervenientibus, novum aliud Symptoma, magnam humorum in puella corruptionem indicans superveniebat, ſcil. diarrhœa per octiduum ferè durans, quam comitabantur tres vermes inteſtinales, unus ad longitudinem ulnæ communis, alter brevior, tertius ſpithamam longus. Quorum ſymptomatum gratiâ præſcripta ſunt ſequentia Medicamenta:

5. ♃. Aq.

1. ♃. Aq. papaver. violar. an. ʒvi. Syrup. de papaver. ſimpl. ℥i. laud. Opiat. opt. diſſoluti gr. j. corall. præpar. ℈i. M. F. Hauſtus.

2. ♃. Aq. acetoſ. cardui benedict. ſcorzoner. plantag. an. ℥i. Syrup. d. citro compoſ. d. ſucc. acetoſ. an. ʒvi. pulv. precioſ. Corall. præpar. C. C. uſti præp. an. gr. vi. Sal. Card. bened. gr. iii. M. F. potio pro duabus doſibus.

3. ♃. Aq. cichor. acetoſ. fragor. an. ℥iii. gramin. plantag. an. ℥iß. Syr. acetoſit. citri, Cydon. an. ℥ii. M. pro Julepo.

4. ♃. Syrup. d. papav. ſimpl. ʒvi. de jujubis, cydonior. an. ʒiii. Corall. præpar. Cryſtall. montan. præpar. an. ℈ß. M. pro una doſi.

5. ♃. Ol. abſinth. coct. amygd. amar. expreſſ. an. ʒiii. M. pro inunctione umbilici. Hiſce ita methodicè adhibitis, puella iſta priſtinæ ſanitati per Dei gratiam reſtituta eſt, & in hunc uſque diem optimè valet. *D. Simonis Schultzii.*

Veſicatoriorum uſus in variolis.

Epidemiæ ſuperioris anni variolæ plurimos interemere, graſſatæ promiſcuè non utrumque tantum in ſexum, ſed in omnem etiam ætatem. Inter alios correpti è Nobiliſſ. Familia quatuor fratres Cragii, quorum uni cùm prodiiſſent ſparſæ per univerſum corpus puſtulæ aquâ madentes, ſed quæ malè ab aſtantibus cuſtoditæ retrocederent omnes, ægro in animi deliquia & frigus extremorum faceſcente, nè in rebus dubiis nihil ageretur, prognoſtico præmiſſo, cùm æger pharmaca deglutire non poſſet, quatuor veſicatoriis brachia & femora parte interiori (quam domeſticam vocant) ſecutus ductum grandiorum venarum, aduro, ea ſpe, ut revocatus in cutem veneficus humor viam exeundi promptius inveniret. Quid multis? redière poſtliminio in ſuos alveos aquæ, & licet tardius, in pus verſæ, à certa deſperatione ad ſanitatem priſtinam iter patefecerunt. *D. Olai Borrichii.*

De Mercurio veneni variolici alexipharmaco.

Variolarum mentio monet, ut laudetur in hoc modo mercur. dulcis, forſan cum ſit hoſtis, ut Lumbricorum ita & colluviei animatæ, quam ope & fide Microſcopii ſtatuunt hodierni Philoſophi in morbis malignis. Obſervavi, Remedium hoc, ſi detur in morbi ſuſpecti principio, vel præſervaſſe planè, etiamſi alii in eadem domo variolarum malignitate torquerentur, vel ſaltem à nimia eruptionis abundantia liberaſſe, Filia mea decennis variolas minabatur, refrigeratione extremorum, ſubſequente incaleſcentia totius, dolore capitis, nauſea, ventris torminibus & doloribus vagis extremorum. Malum inſuper erat communiter vagans, & filiolus meus variolis jam ſcatebat numeroſiſſimis, ita ut conjectura infallibili contagium hoc eſſet pertimeſcendum. Tum primum ſuaſu nauſeæ, contra ſuaſum Medicorum Evacuantia horrentium, dedi mercur. dulcis ℈i. cum Scammonii ſulphurati gr. iv. Dejecit ter, ſub veſperam vomuit ſemel enormiter. Dormivit quietiſſimè, & ſine partu variolarum evaſit.

Paulo poſt Puellæ nobilis octo circiter annorum, præcedentibus ſparſim & ſine febre variolis, quas vocant *Schaffs-Blattern*, antequam ſanarentur illæ, corripiebatur inſigni dolore capitis, oculorum dolore & dorſi &c. ut ab omnibus judicaretur parturire variolas veras. Dedi, etiamſi in principio primo non adeſſem, tamen idem remedium, cum tanto juvamine, ut pauciſſimæ erumperent.

Damnant multi hunc Mercurium, ſed cenſura nimis rigoroſa, non reſpondet ejuſmodi maledictis Experientia, Puellæ Rotularum ex Merc. dulci & C. C. doſes aliquot in Scatula datæ ſunt ad Lumbricos enecandos & expellendos. Frater Scatulam inveniens, dulcedine illectus, devoravit omnes. Vomuit ex doſi nimia liberaliſſime, ex quo irriſionem duntaxat expertus eſt & nihil periculi. Exempla multa feliciſſimæ operationis enumerari poſſent alia, & Chymicorum teſtimonia. Videatur tantum Innocentia & præconium hujus Mercurii in Epiſtola Doct. Döringii apud Fabr. Hildanum & Riverii Obſervationes, quem nomine Calomelanos Turqueti Mercurium hunc indigitaſſe ſtatuunt. *D. Sigiſmundi Graſſii.*

De Mercurii dulcis in variolis uſu.

Sub Autumni præteriti finem, quo primum tempore morbus is inſidiari, & ad hanc uſque diem paſſim in iſta regione graſſari cœpit, ad Nobilem hujuſce civitatis puerum decennem ex febricula cum dolore capitis ſatis intenſo, nec ullo propemodum alio Symptomate jam à biduo decumbentem accitus, quidque rei eſſet non nihil ſuſpicatus, parentes ea de ſuſpicione monui; contrariam illi cenſentes, remque totam Lumbricis imputantes, his enecandis ac educendis ut citò ſtuderem, unicè rogarunt: Importunis ego precibus eorum ultro laceſſitus annui tandem; hoc tamen apud me tacitè rato, ne quod febrem augere, ſuſpectaſve Variolas cohibere valeret, medicamentum incautè præberem, prout ex Mercurii dulcis granis decem, & pauca Roſarum conſerva concinnata ſumptaque ſerotinis horis, longius à cibo, pilula, numeroſiſſimæ cum ægrotantis ἀφορίᾳ puſtulæ poſtero die comparuere.

Non ita multo poſt, puella ſexennis febre parum acuta, ſed motibus convulſivis, nauſeaque frequenti correpta, & à vermibus ob recentiorem illorum ejectionem malè ſic haberi credita, ſumptis aliquot in Pilula præfati Mercurii granis, uberrimas, quod ſequenti die ſum demiratus, Variolas excrevit.

His ut multis ſimilibus experimentis edocto mihi ſuper ea re jampridem meditanti, major utique dubitandi occaſio inceſſit: Num Mercurius convenienter paratus & uſurpatus, ut Luis Venereæ, ſic Variolarum ἀλεξίκακος? qua de re, quod ſentio, dicam, ubi de morbis analogis, eorundemque analogâ curatione; quid interea ſtatuendum, viderint inter ſe ſapientes, utriuſque morbi naturam, ſymptomata, cauſas ſolutionis modum exquiſitius perſcrutati, Mercuriique dotibus non vulgari modo informati. *D. Franciſci Bonchardi.*

De Variolarum in facie præſervatione.

Variolarum in facie proventum in tantum, non in totum præcaveri poſſe, Matronæ cuidam Nobiliſſimæ ſerio, ſed ſero, perſuaſit ruſtica quædam. Plethorica cùm illa eſſet & carnoſiori habitu prædita, fœcunda propterea puſtularum materia evaſit, lætiorque earundem in corpore, præſertim verò in facie, orta ſeges, de qua tamen ægra formæ periculum metuens minus lætabatur. Proventum illarum ſanitatis & formæ curioſa optime ad præſcriptum meum; ſed maturationis tempus ultimum ad ſuaſum mulierecularum obſervabat. Puſtulas, ut facilior eſſet cruſtarum meſſis, oleo nucum inungebat, infauſto nihilominus ſidere. Iſtæ enim abeuntes expreſſa ſui veſtigia in facie reliquerunt. Ruſtica dicta Matronam ſanitati, non autem formæ priſtinæ reſtitutam, brevi poſt accedens de formæ jactura condolet, eamque præcaveri potuiſſe innuit, Illi præſervativum ſcire deſideranti ait, uberem variolarum proventum in facie inhiberi, ſi mox primo invaſionis tempore pedes vaporibus ex decocto herbarum emollientium ſurgentibus aliquoties foveantur. Judicium de hoc poſtea Fœmina Nobiliſſima ex me meum quæſivit, cui idem improbari non poſſe indicavi, quod ſanguinis fermentantis ad inferiores partes ſic fiat revulſio. Pedes enim cruraque à vaporibus non tantum incaleſcunt, ſed & emolliuntur, eorumque vaſa ac carnoſæ partes dilatantur: hinc quia copioſius in his ſanguis colligitur; ſanguinis ebullientis à partibus ſuperioribus quædam fit revulſio. Confirmat jam & experimentum & ſententiam meam, præſervativum ſimile, quod tradit Fr. de le Boe Sylvius Prax. Med. lib. 4. tr. 1. cap. 9. §. 76. ubi: Habent, ait, aliqui etiam in more poſitum, quo faciem à multitudine variolarum liberent, illaſque ad pedes uſque derivent, ut in lac bubulum calens infantium pedes immergant, & quidem cum primum erumpere incipiunt variolæ, quod ſucceſſu non caret, quamvis non ſine notabili pedum detrimento, qui tunc variolis replentur, à quibus dolores ibidem excitantur graviſſimi, ſuccedente diuturna pedum debilitate; conſulitur tamen ſic formæ.

Non autem in facie tantum, ſed & in toto corpore, in totum, non in tantum variolarum proventum, ſtatim in principio & quando adhuc in fieri ſunt, ita ut ad incrementum ſeu ſtatum pervenire nequeant, ſupprimi poſſe ſtatuit Dn. D. Langius Miſcell. curioſ. cap. ult. hypotheſi propria, veterum rejecta, fretus, morbillos (inter quos & variolas nullam diſcretionem obſervat) à putredine ſcaturiginem ſuam ad piſcentes eſſe animatam ac innumerorum minutiſſimorum vel atomorum ad inſtar inſenſibilium vermiculorum pulliginem. Verum, quod ſalva tanti Viri authoritate dixero; quia hæc ſententia productum & quod concomitanter ſe habet, cum cauſa confundere, hypotheſis etiam nondum firmo talo ſtare videtur, variolas in totum ſupprimi poſſe, propter hanc & alias rationes, alibi forſan indicandas (neque enim diſceptandi locus hic eſt) ut credam, adduci non poſſum. *D. Joh. Chriſtian. Frommannia.*

De Volatica.

Cum anno ſuperiori apud Illuſtr. Dominum Oſtrolzitz marçe; Illavienſi ad Vagum fluvium enem, Nobilis cujuſdam ex aulæ familiaribus filiola ſex vel ſeptem circiter annorum ſubito brachii pediſque dextri corripitur dolore, ſine rubore, tumore aut alio ſigno externo, cum levi quodam calore. Juſſi applicari Enema, quia conſtipata fuit, brachiumque & pedes linteis involvi ſuffitis, ſic per horam unam vel alteram quievit. Expergefacta de cordis conqueſta compreſſione, nec pedi inſiſtere, nec manum movere poterat, pulſus erant veloces, magni, inſignem denotantes ſanguinis ebullitionem, calor ingens cum ſiti, &c. Dedi ſtatim in aqua fl. Samb. Pulv. Alexit. Spindleri (quem forte mecum habui, Officinis noſtris uſitatiſſimum, nec non in expellendis Variolis quin & petechiis mihi aliiſque probatiſſimum) gr. 18. Antim. Diaph. gr. iv. Sal. C. C. Vol. gr. iii. quo accepto ſudavit, & ſtatim poſt prodiere maculæ ceu morbillorum incipientium notæ. Affirmarunt adſtantes, puellam variolas & morbillos jam habuiſſe, gravius ergo quid ſuſpicatus, cum Symptomata nihil remitterent, ſeptem horarum ſpatio reiteravi prædictum pulverem, & ecce poſt unius horæ ſudorem dilatatæ maculæ totum ſiniſtrum brachium, illamque pectoris regionem inſtar Eryſipelatis occuparunt. Nec mora melius ſe habere, dolor evaneſcere brachii, pulſus mutari cœperunt, quin & lecto ſurrexiſſet, niſi prohibita ægrota, Sed trium vel quatuor horarum ſpatio, diſparente hoc rubore, novi rediere in artubus dolores, jamque manus & pes dextri lateris dolebant. Provocato per antè nominatum Pulverem ſudore, novæ ſed in dextra parte apparuere maculæ, quæ dilatabantur & diſparebant, ut præcedentes. Ita intra quatuor dies me præſente & aliquot poſt diſceſſum (duravit autem affectus, quantum reſcire potui, duodecim dies) totum pervagatus eſt corpus, nullo in loco diu manente iſto rubore, ſed modo hunc, modo alium occupante, prægredientibus ſemper vel brachiorum, vel pedum doloribus, donec miſſa ipſi hinc Mixtura ſimplici cum Spir. Cochl. & Syr. Viol. de qua mixtura bis in die ad 25. guttas ſumebat, perperfectè convaluit & adhuc valet. Volaticam fuiſſe, qui affectus hujus vagabundos motus mecum bene conſideraverit, nemo dubitabit. Rarius alias nec à multis Practicis Affectus viſus aut quòd ſciam obſervatus, quippe nec Sennerto, nec ante eum Wittichio, qui primitus, credo, eum deſcripſit, videre contigit. Taceo alios, apud quos altum ſilentium. D. D. Melchior Sebizius, Medicus noſtri temporis incomparabilis, Senex venerandus, Præceptor, Patronus & Promotor meus æternum obſervandus, bis ſe vidiſſe teſtatur in Speculo ſuo Medicinali Practico Part. 4. c. 32. nec aberrare videtur, dum ad Eryſipelas refert, & ratione cauſæ & ratione ſymptomatum. Differentiam autem ponit in modo & more, quippe hic affectus non in uno loco manet, deinde malignitatis non planè (inprimis apud nos in Hungaria) expers eſt. Labitur contra Wittichius

cum

cum Medicamento ſuo repellenti, quod nec in hoc, nec in Eryſipelate, aut ullo alio, ubi exanthemata ſe produnt, adhibere vellem. Vocatur Germanicè *der Flug*, Wittichio *das Geſlig oder Zulach*. Videtur aliquid commune habere cum Roſſaliis, quos Cl. Sennertus ex J. Phil. Ingraſſia deſcribit *lib. 4. de Febr. c. 12.* niſi quod his minor, magis mobilis, minuſque habeat malignitatis. *D. Caroli Raygeri.*

Volatica Scorbutica.

Anno 1673. die 9. Novembris ad puellam quandam civis noſtri vocatus ſum. Illa laborat genere morbi, cum rigore incipit dolere modo pes, modo manus, modo dentes & gingivæ cum tumore ac ſenſu gravativo, modo hanc modo aliam partem invadens & ſummè inſtabilis hic dolor, ita ut rectè pro Volatica accipiatur, & quod notatu dignum, modo friget modo calet pars affecta. Curam ita inſtitui. Dedi ſequens Laxativum.

℞. Scammonii crudi gr. 10. cum aq. boraginis f.l. a. liquor lacteus: Liquori lacteo adde Aq. Cinnamomi ℨii. Extr. noſtr. hydrocathartici gr. 10. Manus Chriſti perlat. q.ſ. ad. dulcedinem, detur. Sign. *Laxativ.* ſum hoc diaphoreticum:

℞. Magiſt. mercur. diaporetic. gr. 10. Sal. C. Bened. cryſtalli ſat. gr. x. Magiſt. Perlat. gr. vi. Sp. Vitrioli gutt. v. m.

Huc pertinet illa aurea obſervatio D. D. Caroli Raygeri Tom. 3. Ephem. curioſ. obſerv. 286. pag. 504. de Volatica.

Cum die 30. Novembr. ægram puellam reviſerem, tumor omniſque dolor horum Medicamentorum uſu remiſerat, pro qua divina benedictione ſummo Medico Deo debentur gratiæ. Præſcripſi itaque porro ſequens:

℞. Spirit. noſtr. ſal. armoniac. ſcorbutic. ℨi. Cochleariæ ℈iv. Syrup. Violar. ℥i. M. S. *Mixtura*, quolibet mane ad aliquot guttas in vino aſſumenda.

Ego hunc affectum Volaticam ſcorbuticam indigitavi. Volatica rectè dicitur, quoniam de loco ad locum movetur, ab inferioribus ad ſuperiores adſcendit, à pedibus ad dentes, hinc ad humerum, iſtinc ad cubitum, illinc ad manum cum vehementiſſimo dolore comite, incipientem præſagit horror & rigor totius corporis; ſcorbuticæ, illud prædicatum rectè additur, meo etenim (ſalvo Doctorum) judicio, ex impuro ſanguine humore ſcorbutico infecto originem trahit; quemadmodum per lapſum adeo nobiſcum peccatum originale propagatur, ſic nobis omnibus ſcorbutus connaſcitur, qui noſter fideliſſimus comes eſt uſque ad corporis noſtri analyſin; ſæpiuſque videmus in recens natis ſcorbutum dominari; frequentem eam Epilepſiam, qua his in oris infantes corripiuntur, ſeminario univerſali ſcorbutico acceptam refero, omnia tria elementa, ſcil. aër, aqua, terra, ſemine ſcorbutico abundant plenaque ſunt. Quod non cibo & potu capimus, illud inſpirando accipimus. Quæ ſi rectè attendantur, facilè rationem reddere poſſumus, quomodo fel canis Epilepſiam vincat, hujuſque infallibile Euporiſton ſit, ut duabus obſervationibus communicatis probavi. *D. Joh. Ludov. Hannemanni.*

Roſſalia ſquamoſa.

Sæpe hoc anno ἐρυθήματα illa videre contigit, quæ vulgo Medentibus Roſſalia appellantur, & ad morbillos referri ſolent. Infeſtant præſertim teneram ætatem. Ægri primùm narcoſi, mox febri continua, eaque vehementi tentantur, & plerique ſimul deliriis. Adeſt inquietudo ſumma, & inſignis oculorum pæne lacrymantium hebetatio. Tertio die ſpargitur univerſa cutis maculis latis, oppido rubentibus, quæ circa finem ejuſdem diei in unum coeunt omnes, adeo ut corpus totum quaſi pulvere granorum Chermes videatur perfrictum, ſola facie à rubore iſto liberiori. Durat formidatus Matribus color totum triduum, & Bezoardicis interea largiter propinatis, quarto die declinare incipit, & calor præternaturalis imminui, cuticula ſequentibus diebus in tenues veluti ſquamas fatiſcente. Quippe hæc tanquam in veru aſſata perdit ſequacem illum lentorem ſuum, & flectendi ſe ſe obedientiam, unde ad motum corporis variè primùm diſrupta hiat, hinc ſenſim excidit, alia ſuccreſcente. Alia vero cauſa imperare videtur ſerpentibus, ut novo vere exuvias deponant. Nempe alimentum vel nullum, vel exiguum hyberno tempore, efficit, ut ſuccus, qui in corpore reſtat nutritius, ægre ad extimas partes gelu pæne rigentes (ut eſt beſtiola alioquin & media æſtate ad tactum frigida) deferatur; unde epidermis tanquam veſtis; alimento ſuo deſtituta ad vernos calores exuitur. & ceu alienum corpori involucrum rejicitur, Quin & elephantiacorum cutis in ſquamas degenerat, quia alimento convenienté fraudatur. *D. Olai. Borrichii.*

Sympathia inter Conſanguineos.

Cum Anno nati Chriſti 1621. Noribergæ variolæ ἐπιδημικῶς horrendum graſſarentur, ita ut aliquot hominum centurias ſuſtulerint, ſæpe factum, ut fratres, conſobrini, aut qui alio ſanguinis vinculo juncti, quamvis longiſſimè ab invicem remoti, ita ut (quod & magis mirandum & omni inveſtigatione, quænam mirabilis hujus συμπαθείας cauſa dignum,) alter quidem hic Noribergæ, alter Lugduni Gallorum (id quod verè duobus accidit Conſobrinis primariæ apud nos Familiæ,) commoraretur, uno tamen ſæpe ac eodem tempore, eodemque variolarum morbo corriperetur. Ex ſchedis D. Gregor. Quercii. *D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Quamvis varias in rerum Natura dari ſympathias, nemo negare queat, eandem tamen in locis tam diſtantibus adeo eſſe validam, merito dubitatur, energia nempe ejuſdem per tantum terrarum tractum, totque aëris latiſſimè expanſi motitationes penitus evaneſcente, atomiſque contagioſis oppreſſis & diſſipatis. Ut adeo in erudito ſuo de tranſplantatione morborum libello Exc. D. Hermannus Grube, tale quid ſi contingat, caſu id factum fuiſſe, benè judicet; quod nempe eque in hoc loco atque in illo, utrique fortean eodem tempore cauſa ſuppeditata ſit, προκαταρκτικὴ ab aëris conſtitutione epidemica, vel alia ex rerum ſex non naturalium cenſu arceſſenda;

RRR

fermenta ſcilicet morbificâ latitantia movens & excitans. Niſi fortè & ipſius fermenti communicatio, mediantibus corporibus ex uno loco in alterum delatis facta, hic aliquid quandoque tribuat, ita ut corpuſcula aliqua potentioris miaſmatis illius, Noribergæ v.g. admodum ſævientis, ſeſe epiſtolis &c. adglutinantia, & in locum; quamvis cæterum epidemica labe tali haud depravatum, veluti Pariſios pervenientia, Conſobrini, Norico quidem ſub cœlo nati, ſed in Gallia jam degentis ſanguinem, ad ebullitionem illam pronum facileque adficiendum inveniant, eumque ad motum iſtum præternaturalem impellant eo ipſo tempore, quo fortè fortuna alterius Conſobrini Noribergæ ſubſiſtentis ſanguis à contagioſis particulis pariter alteratur, atque exagitatus puſtulas illas protrudit.

Sequuntur Hiſtoriæ de Variolis & Morbillis à Clariſſ. Diemerbroëck ſub finem tractatus quem in hoc argumento vulgavit, conſcriptæ.

Hiſtoria 1. Anno 1640. poſt Ver humidum ac tepidum ſecuta eſt Æſtas fervida & mediocriter ſicca, qua febres tertianæ, cùm continuæ, tum intermittentes multos invaſerunt. Circa medium menſis Julii variolæ & morbilli graſſari cœperunt; qui morbi, ſed maximè variolæ, menſe Auguſto magna incrementa ſumpſerunt, & ſic uſque ad finem iſtius anni continuârunt, plurimoſque è medio ſuſtulerunt: imò quibus dictis illis menſibus alii contingebant morbi, illis morbilli, ſed longè frequentiùs variolæ, brevi adjungebantur.

Varios hoc tempore vidimus, qui cùm variolas copioſiſſimas habuiſſent, vix ab iis ſanati, paulò pòſt in idem malum reciderunt, atque illis iſta ſecunda vice ſæpe multò majore copia eruperunt, quàm prima: imò aliqui viſi ſunt qui intra ſpatium ſex menſium ter copioſiſſimis variolis laborârunt, quod alioqui rarò ſolet contingere, imprimis tam parvo temporis ſpatio.

Hi morbi à febre continua, in aliis majore, in aliis minore, initium ſumebant, cum pulſu plerumque oppreſſo, parvo, crebro, & inæquali. Ut plurimùm gravia aderant ſymptomata, ingens anxietas, cordis oppreſſio, oris ſiccitas, extremorum tremores, deliria, &c.

Multis poſt primum aut ſecundum, ſed pluribus non ante tertium, quartum, vel quintum diem variolæ prodibant. Quibus tardiùs apparebant, illi periclitabantur, multique moriebantur, nam à morbi violentia ſæpe primis diebus adeò debilitatæ erant vires, ut tandem apparentibus variolarum prænunciis rubris maculis, natura nimis debilis eaſdem ſatis propellere non poſſet.

Qui ſanguinem vomitu, aut tuſſi rejiciebant, aut urinas cruentas mingebant, illi ferè omnes moriebantur, & ex ſexcentis talibus vix unum evaſiſſe novimus: in his quippe interiora viſcera variolis obſeſſa adeò corrumpebantur, ut nunquam integritati reſtitui poſſent.

Quibus in ore, lingua, palato, faucibus, aſpera arteria, & œſophago variola magna quantitate erumpebant, his ante earum maturationem & diſruptionem deglutitio & reſpiratio valde angebantur, indéque etiam nonnulli fuerunt ſuffocati.

Qui in morbi principio ab imperitis purgabantur, illi maxima ex parte moriebantur. Cum alvo dura ac conſtipata meliùs erumpebant variolæ & morbilli, quàm cum fluida.

Aqua noſtra theriacalis ad primos ſudores movendos in pueris plus profuit, quàm ullum aliud diaphoreticum. Huic in adultis theriaca vel diaſcordium admiſcebatur.

Poſt ſudores potus decoctionis ficuum variolas admodum (1.) propellebat, imprimis ſi glycyrriza, carduus benedictus, ſcabioſa, ciceres rubri, aliaque ſimilia adjecta forent: Ab eo tamen abſtinendum erat ſi alvus lubrica exiſteret.

Vulgares & ruſtici ſtercus ovillum & caballinum, in vino vel cereviſia tepidè maceratum, & per linteum colatum ſuis ægris exhibebant felici ſucceſſu, hinc enim ſudores & variolæ inſigniter expellebantur.

Magna curationis pars in eo conſiſtebat, ſi frigus ab ægris ſummâ curâ arceretur. (2.)

Annotationes. I. De uſu & viribus ficuum, earúmque in curatione horum morborum utilitate, & decoctis ex iis componi ſolitis, ſuprà latiùs egimus *cap.*10. Avicenna de earum viribus, *lib.*4. *fen.*1. *tract.*2. *cap.*10. ita loquitur. Aqua ficuum eſt bona valde: ficus enim ſunt vehementis expulſionis ad exteriora, & illud eſt unum de cauſis evaſionis à nocumento variolarum.

II. Hoc ipſum de frigore etiam notavit Avicenna, loco citato: Cùm incipiunt, *inquit*, variolæ apperere, tunc fortaſsis erit infrigidatio cauſa erroris magni, ex eo quòd retinet ſuperfluitatem interiùs, & defert eam ad membra principalia, cum eo quòd non ſit eis poſsibile exire & apparere, & accidit inquietudo, & anguſtia, & fortaſſe accidit ſyncope. Imò oportet ut juventur ſuperfluitates in hujuſmodi diſpoſitione, cum eis quæ faciunt ebullire, & aperiunt oppilationes, ſicut fœniculum, & apium cum ſaccharo, & ſuccus eorum, aut decoctio radicum & ſeminum.

Hiſt. 2. Filia Joannis Craſſelt, octo annos nata, variolis laborabat, quæ primis tribus diebus per totius corporis cutem copioſiſſimæ epullulârunt, Quarta die acceſſit raucedo cum tuſſicula & ventris dolore. Febris à principio huc uſque in eodem ferè ſtatu permanſit. Sexta die diarrhœa purulenta cum torminibus inteſtinorum ſequebatur, atque etiam per tuſſim purulenta & ſanguinea multa ejiciebantur. Medicamentis nihil juvantibus & viribus proſtratis, octava die obiit. Eodem planè modo extincta fuit filia Nicolai ab Hervelt.

Annotatio. In his ægris, procul dubio, variolæ etiam interna viſcera, inteſtina & pulmonem, obſederunt, & fortaſſis etiam hepar, aliaque plura, quorum affectiones in hoc morbo lethales eſſe ſolent. Quòd autem interiora viſcera interdum variolis corripiantur, illud ab autopſia docet Fernelius, *lib.* 2. *de abdit. cap.* 12. Sæpe, *inquit*, deprehenſum, quoſdam ab interitu fuiſſe diſſectos, quibus jecur, lien, pulmones, omniaque interiora, haud ſecus atque cutis, fœdiſſimis papulis manentibus ſcaterent. Illud ipſum quoque notavit Paræus, *lib.*19. *cap.*1. mihi, *inquit*, & Richer-

Richerdo Huberto Chirurgo videre licuit in duabus puellis, quarum una quatuor, altera ſeptendecim annos nata erat: utrique enim ex morbillis (*putat variolas*) mortuæ & diſſectæ interiora viſcera cruſtoſis puſtulis, his ſimilibus quæ in cute emergunt, obſita viſa ſunt.

Hiſt. 3. Uxor Jacobi de Claer, mulier 50. annorum, febri correpta fuit non violentâ, cum quadam ſoporoſitate, cardialgiâ, capitis gravitate & ſubinde levi aliquo intercurrente delirio: quia autem variolæ tunc graſſabantur, ſuſpicatus ſum ei variolas ſubſecuturas, utpote quibus nunquam laboraverat. Ad curationem igitur, alvo clyſtere ſubductâ, ſudoriferum dedi.

℞. Theriacæ, diaſcordii Fracaſt. an. drach. ſ. ſalis abſinthii ſcrup. j. aquæ theriacalis unc. ij. Miſce fiat hauſtus.

Hoc ſumpto bene ſudavit: ſed morbo in eodem ſtatu permanente, illud ipſum poſtridie reiteratum eſt, pari eventu, nam etiam ab iſto ſudore morbus non eſt immutatus. Tunc hoc decoctum bibendum præſcripſi, & ægram per triduum in leni diaphoreſi ſervari juſſi, quod facilè pertulit, nam erat bonæ indolis & Medico valdè obediens.

℞. Hordei mundat. radicum fœniculi, an. unc. j. rad. helenii, unc. ſ. glycyrrizæ raſæ, drach. ij. cicerum rubr. unc. i. ſ. herb. ſcabioſæ, man. ſ. ſem. fœniculi drach. i. ſ. ficus num. 17. aquæ q. ſ. fiat ſ. art. decoctum ad lib. ij.

Cùm nec tunc quidem ulla variolarum indicia apparerent, iterum alvum clyſtere ſubduxi, & poſtridie venam in brachio ſecari juſſi. Die tertia rurſus aſſumpto ſudorifero, mediocriter ſudavit, & exinde per decem dies continuavit in uſu prædicti decocti. Poſtea, quia febris, cum anxietate, rurſus aliquantum increſcere videbatur, & ſomnus gravior, magiſque turbulentus fieret, rurſus dedi ſuperius medicamentum diaphoreticum, addendo extracti cardui benedicti unc. ſ. Cùm ab hoc fortiter ſudâſſet, cœperunt in cute paſſim apparere prænunciæ variolarum, maculæ rubræ: ægra rurſus in leni diaphoreſi per biduum continuavit, decoctum antè memoratum pro potu bibens, eoque tempore variolæ admodum elevatæ ſunt, & ſimul febris cum aliis ſymptomatibus paulatim evanuit. Toto morbi tempore in victu uſa fuit juſculis tenuibus: alvum alternis diebus ſponte ſemel evacuabat.

Annotatio. In hac ægra propemodum deſperaveram de variolarum eruptione, & me in judicio meo deceptum putaveram, nunquam enim tam tardè, ſcilicet vigeſimo die, earum eruptionem futuram credideram: nec adeò ſeram eruptionem unquam in aliis videram. Hinc patet verè dixiſſe Hippocratem, remedia quæ bene adhibentur non eſſe mutanda, quouſque nulla alia urgens indicatio illa mutare cogat.

Hiſt. 4. Filius Eduardi Wilmer, decem annorum, cùm febricitaret, eique variolæ in variis corporis partibus apparere inciperent, ad eum vocatus fuit Egmundus Anglus, Chirurgus, qui ægrum ab anxietate, qua premebatur, liberaturus, medicamentum aliquod purgans exhibuit. Hinc brevi multùm adaucta anxietas, & gravis diarrhœa, cum ſumma virium proſtratione, ſubſecuta eſt. Variolæ protinus delituerunt, & æger ſequente nocte obiit.

Annotatio. Hippocrates, *ſect.* 1. *aphoriſ.* 21. ſic inquit: Quo natura vergit, eò ducere oportet, ſi vergat, per vias lege naturæ commodas. In variolis autem natura vergit à centro ad peripheriam; eamque viam ad materiæ illius malignæ fermentantis & ebullientis evacuationem commodam eſſe, jam multis ſeculis docuit experientia. Quapropter Medicus in curatione hujus morbi illud imprimis advertere debet, ut naturam vel ſponte ſuum opus peragere ſinat, vel ſi debilis videatur, eam in ſua actione adjuvet; non verò ſalutarem ejus motum alio contrario motu interturbet, & ad exteriores partes ſalutariter declinantem malignam materiam, ad interiores & nobiliores introrſum retrahat. Talia enim, (inquit Hippocrates, 4. *aphoriſ.* 2.) educenda e corpore, qualia ſponte prodeuntia utilia: quæ verò contrario modo prodeunt, cohibenda. At evacuatione per inteſtina, non educuntur talia qualia educere oportet, neque ea procedunt ſecundùm ſalutarem naturæ motum, nec per vias lege naturæ commodas, ergo in hoc morbo, per inteſtina medicamentis evacuatio non eſt promovenda, & ſi ſponte procedat, citiſſimè eſt cohibenda. Hinc etiam Raſes, *de re med. lib.* 10. *cap.* 18. ſic inquit: Summè cavendum, ne cui poſt eruptionem exanthematum, ſive ſublimium, ſive latorum, alvus medicamentis ſubducatur, promptè enim dyſenteriam concitant præſertim in eminentioribus ecthymatis. Quod ſi alvus lubrica nimis fuerit cohibeatur. Sic quoque Avenzoar variolis & morbillis laborantibus nulla purgantia exhibebat, neque ventrem movendum eſſe dicebat, niſi glandibus injectis, ſi alvus ſponte non flueret. Hæc ignoravit dictus Chirurgus Egmundus, atque hinc per ſuam inſcitiam iſtum ægrum occidit: quemadmodum illud etiam plurimis aliis contingere ſolet, qui doctos Medicos contemptui habentes, malunt ab hujuſmodi ignaris agyrtis & homicidis mortem auro, quàm à veris prudentibus Medicis ſanitatem ære coëmere.

Hiſt. 5. Duæ ſorores, Domicellæ juvenes, una 24, altera 26. annorum, graſſantibus variolis ſibi admodum metuebant ab hoc morbo. Contigit fortuna, ut iis ad Templum ituris, eminus in platea in conſpectum veniret puer quidam (ad minimum triginta paſſibus ab iis diſtans) qui à variolis ſanatus jam foras prodibat, faciem totam rubris maculis, à puſtulis in ea reſiduis adhuc obſitam habens: à quo ambæ adeò exterritæ fuerunt, ut ſe jam variolis infectas eſſe putarent. Hinc ego ſtatim ad ipſas inviſendas vocatus, acceſſi, hùncque metum multis rationibus diſcutere annixus ſui: utque ipſis meliùs ſatisfieret, utrique medicamentum clementer purgans præſcripſi, à quo convenienter fuerunt purgatæ: uno die interpoſito, utrique venam in brachio ſecari, & bono animo eſſe juſſi: utque ſe meliùs, & certò certiùs ab hoc morbo præſervatas eſſe crederent, in victu omnia illa prohibui, quæ ad morbi hujus ſuſcitationem aliquid conferre poſſe videbantur: apozemata quoque aliqua ex cichoraceis, aliiſque refrigerantibus, bibenda dedi: porrò mandavi ut ambulationibus, & gratis amicorem viſitationibus ac col-

loquiis, aliiſque quibuſcunque modis, dictam conceptam imaginationem ex animis ſuis excuterent: Sed fruſtra hæc omnia fuêre tentata, quippe jam altis radicibus illa modò erat impreſſa & infixa, ut eradicari non poſſet. Poſtquam ſic per quatuordecim dies ſanæ vixiſſent, deambulâſſent, alios inviſiſſent, & interea ſemper de variolis cogitâſſent, tandem, ſine ulla contagionis occaſione, ambæ ſimul febre correptæ fuerunt. Cùm jam utrique ad curationem ſudoriferum dediſſem, ſequenti die parvæ maculæ rubicundæ in facie & manibus apparuêre, eæque dato decocto ficuum, brevi altiores factæ in variolas deſierunt, quæ toto corpore, & imprimis in facie, copioſiſſimæ eruperunt, ſicque febris, anxietas, aliàque ſymptomata deſieruut, atque ipſæ, nec ſordida linteamina ſpatio quatuordecim dierum mutantes, nec ullum in diæta errorem committentes, ſed exactè ad meum præſcriptum ordinem viventes, ut nec variolas ſcalpendo detrahentes, cum valde exigua defœdatione ſanatæ ſunt.

Annotatio. Quàm ſtupendæ ſint imaginationis vires (de quibus egregium librum conſcripſit Thomas Fienus) in multis experimur: hæc quippe, mediantibus animi motibus, ſæpe mirabilia præſtat: qua de re pluribus egimus in noſtro Tract. de Peſte, lib. 1. cap. 8. annot. 1. & lib. 2. cap. 7. annot. 9. Sic etiam in hiſce duabus Domicellis ex continua firmaque cogitatione per antecedentem terrorem inducta, tam fortiter illa variolarum idea animo, & hinc ſpiritibus ac humoribus fuit impreſſa, ut ab ea tandem in his aptitudo & diſpoſitio ad variolas fuerit genita. Memini me eodem anno inviſiſſe nobilem Germanum, qui ſomniaverat, ſe invitum ad ægrotum quendam varioloſum, valde deturpatam faciem habentem, protractum fuiſſe, quod ſomnium tam firmiter animo ejus impreſſum hæſit, ut nullo modo illius cogitatio diſcuti vel abigi potuerit: ſanus vixit per tres ferè ſeptimanas: tunc in febrem incidens variolis copioſiſſimis perfuſus eſt.

Hiſt. 6. Pharmacopœus fortis, vir circiter 30. annorum, cùm aliquando domum cujuſdam civis ingreſſus, illic ex improviſo inveniret ac conſpiceret ægrum tota facie variolis obſeſſum, à fœditatis iſtius aſpectu nonnihil inhorruit, & ſic diſceſſit. Paulò poſt, ut hanc conceptam phantaſiam diſcuteret, vinum copioſius ad hilaritatem bibit, & tribus quatuorve ſequentibus diebus genio, cum aliis, liberaliter indulſit; ſed interim tamen cogitationem illam, de fœdo iſtius ægri aſpectu, à ſe excutere non potuit, quamvis alioqui eſſet homo admodum intrepidus. Sexta die febri corripiebatur, cum ſumma anxietate, ſomno maximè inquieto, & ſubinde levi aliquo delirio: hanc, poſt bis ſumptum ſudoriferum, tertia die ſequebantur maculæ rubræ, variolarum prænunciæ, quæ ſpatio 24. horarum copioſiſſimæ prodierunt, qua eruptione febris, omniaque ſymptomata evanuerunt, & æger poſt tertiam ſeptimanam ſanitati reſtitutus, rurſus foras prodiit.

Annotatio. Nullis meticuloſis auctor eſſe velim, ut ad peſte aut variolis laborantes accedant: nam ſi talis varioloſi viſio hujuſmodi virum intrepidum tantopere moverit, quantò magis afficeret meticuloſum? Quæri jam poſſet, an hic Pharmacopœus contagio fuerit infectus, an verò alia de cauſa morbum contraxerit? Contagium minimè culpandum videri, ex eo patet, quòd hic intrepidus vir aliàs plurimis aliis varioloſis diutiùs adfuerit, ſine ulla ſui læſione. Cauſa potiùs fuiſſe videtur repentina illa conturbatio animi & ſpirituum, quam ex improviſo fœdi iſtius ægri varioloſi conſpectu concepit, & exinde continua cogitatione fovit: ex qua idea in corpore talis diſpoſitio enata fuit, quæ tandem variolas produxit. Si jam aliquis clarè poſſit explicare quomodo res illa peragatur, ille nobis erit magnus Apollo.

Hiſt. 7. Juvencula viginti duorum annorum, plethorica, bene corolata, ſubpinguis, febri mitiore correpta, præter magnas anxietates, & levia intercurrentia deliria, toto bidui ſpatio frequentes & validas convulſiones epilepticas & ſubinde graves lypothymias, ita ut adſtantes eam ſuffocatione uterina laborare & repente morituram exiſtimarent. Ego advocatus, cùm menſtruam periodum ante octiduum præceſſiſſe intellexiſſem, alvum clyſtere ſubduci, & eadem die etiam brachii venam ſecari juſſi. Circa veſperam hoc ſudoriferum dedi.

℞. Theriacæ Androm. drach. i. cornu cervi uſti, extracti cardui ben. ſalis ejuſdem, ana ſcrup. i. aquæ theriacalis, cardui ben. ana unc. i. olei ſuccini, gut. iiii. miſce, fiat hauſtus.

Hoc aſſumpto, ea nocte fortiter ſudavit, cum ſummo levamine, neque convulſiones, aut lypothymiæ redierunt. Poſtridie paſſim ubique in cute apparere cœperunt maculæ rubræ, violarum prænunciæ. Pro potu dedimus hoc decoctum.

℞. Rad. helenii, glycyrrizæ raſæ, ana drach. iii. hordei mundat. unc. i. cicerum rubr. unc. i. ſ. ſem. fœniculi, drach. ii. ficus, num. 16. paſſularum mundat. unc. i. ſ. aquæ q. ſ. fiat decoctum ad lib. 2.

Hinc variolæ copioſiſſimæ prodierunt, omnibuſque cum febri ſymptomatibus protinus ceſſantibus, quarta ſeptimana ſanitati reſtituta, & quaſi è Cerberi faucibus erepta, rurſus foras prodiit.

Annotatio. In hoc morbo peſſimi ominis ſunt tales convulſiones epilepticæ ac lypothymiæ, & niſi variolæ citò erumpant, maximum periculum metuendum venit, quippe facilè poſſet æger ab iis enecari ante variolarum eruptionem. Neque id mirum: nam malignum hoc inquinamentum cor graviter affligit, ut ex febri, anxietate, & lypothymiis patet, neceſſariò adhuc majus periculum metuendum eſt, ſi etiam alterum primarium ac animale viſcus, ſcilicet cerebrum, non minùs affligat.

Hiſt. 8. Rutgerus Schorer, adoleſcens quatuordecim annorum, filius natu maximus hoſpitis mei Iſaaci Schorer, menſe Septembri febri & variolis correptus fuit, eaſque toto corpore copioſiſſimas habuit. Cùm ille jam convaleſcens ad decimum quartum diem perveniſſet, ejus frater Iſaacus Schorer, duodecim annorum, iiſdem valde copioſis correptus fuit. Cùm hic ad decimum ſextum diem perveniſſet, variolæ invaſerunt eorum ſororem Mariam Schorer, decem annorum. Cùm & hæc

hæc convaleſcens ad diem decimum quartum perveniſſet, variolis copioſiſſimis correpta fuit altera filia domus, priorumque ſoror, natu minima, Machtilda Schorer, octo circiter annorum. Interea duo filii, priores hoc morbo detenti, priſtinam ſanitatem conſecuti ſunt, & foras exierunt. Cùm ultima illa Machtilda Schorer, circiter viginti diebus cubiculo inhæſiſſet, rurſus ſecunda vice febri & variolis correptus fuit Rutgerus Schorer, & eo ferè ſanato Iſaacus Schorer, hocque ferè perſanato Maria Schorer, & tertiâ poſt hanc ſeptimanâ Machtilda Schorer. Atque ſicut prima vice morbus ordine à natu majore ad natu minimam deſcenderat, ſic etiam, tam brevi illo interſtitio interpoſito, rurſus eundem ordinem obſervavit ſecunda vice, nec unquam duo ſimul illo morbo correpti fuerunt; & quod mirandum, omnes illi quatuor tam illæſi ab hoc morbo evaſerunt; ut eorum nemo à variolarum foveis aut cicatricibus in facie defœdatus fuerit, quod magna ex parte impetratum putari debet, per ſummam quam in curatione (nam erant noſtri domeſtici, in quos ſingulis ferè horis oculi convertebantur) adhibuimus diligentiam.

Annotatio. Raro variolæ bis terve eundem hominem invadunt, propterea quòd communiter in prima invaſione totum illud ſpecificum malignum inquinamentum, ſanguini partibuſque inhærens, per fermentaceam ebullitionem ſegregatum, excutiatur. Quæ effervescentia ſi non ſatis valida fuerit, tunc interdum contingit ut corpus ab illo inquinamento prima vice non omnino depuretur, atque hinc poſt aliquot annos ex reſidua parte, nova aliqua occaſione rurſus in actum ſuſcitata, variolæ iterum gignantur. Sed quòd tali ordine quatuor ejuſdem viri liberos, à natu majore ad minimum prehenderint, idque tam brevi interjecto ſpatio bis, & ſingulis vicibus copioſiſſimæ eruperint, hoc aliàs in praxi nunquam nobis videre contigit. Si fortè prima vice paucæ epullulâſſent, aliqua de inquinamenti reliquiis, propter debilem fermentationem non ſufficienter ſequeſtratis, ſuſpicio fuiſſe potuiſſet, ſed jam cùm propter variolarum tam prima, quàm ſecunda vice toto corpore prorumpentium immenſam copiam, illa ſuſpicio penitus tollatur, quorſum, quæſo, alio hujus rei cauſam referemus, quàm ad occultum & inexplicabile quid, quod in variolis non minùs quàm in peſte latet? & quorſum alio etiam illud, quod ego ipſemet, qui jam ferè ſeptuagenarius ſum, non ſolùm cum his, ſed cum mille etiam aliis varioloſis diu multumque converſatus, & nunquam tamen variolis infeſtatus fuerim, cùm illud contagium quoslibet alios tam facilè inficere ſoleat?

Hiſt. 9. Virgo viginti trium annorum, plethorica & fortis, cùm repente in magnam febrem, ſummæ anxietati conjunctam, incideret, ſuo marte aſſumpſit drachm. unam theriacæ cum pauxillo vini: hinc ſudore copioſo provocato, mox ſimul copioſiſſimæ toto corpore eruperunt variolæ, ſed febris anxietaſque, non modò non imminutæ, ſed graviores factæ fuerunt. Tunc meum conſilium, at nimis ſerò, imploratum fuit, quippe propter virium magnam proſtrationem, vix quidquam remedii adhiberi potuit. Dedi tamen bis oculorum cancri præpar. drachmam unam cum pauxillo decocti hordei, & julebum gratum præſcripſi. Sexta die, matutino tempore, menſtrua copioſa, extra periodi tempus, fluere cœperunt, & eadem die, quæ hactenus elevatæ fuerant variolæ, ſubſederunt, ac depreſſæ evaſerunt: febri autem, cum anxietate, plurimùm adaucta, ægra ſequenti nocte, viribus omnino collapſis, extincta eſt.

Annotatio. Hoc eodem tempore adhuc duæ aliæ juvenculæ varioloſæ, præter expectationem erumpente extra periodi tempus menſtruo fluxu, brevi perierunt. Idque in hoc morbo etiam aliàs multoties à nobis obſervatum, cùm valida fit ſanguinis ebullitio, & copioſiſſimæ variolæ proſiliunt, ſine febris & ſymptomatum imminutione, tunc peſſimum, imò lethale ſignum eſſe, ſi menſtrua extra periodi tempus erumpant, tales enim ægrotæ vix unquam ſervantur, quamvis etiam ſeptimo, aliove critico die illa eruptio contingat. Imò & hoc notavimus, ſi durante illa varioloſa ebullitione menſtrua quoque erumpant tempore debito & ordinariæ periodi, tales ægras etiam tunc maximè periclitari, earumque multas mori, licèt ab illa evacuatione aliquod inſigne levamen ſperari poſſe videatur.

Hiſt. 10. Anna de Durenburch, juvencula viginti annorum, febriculâ, cum anxietate correpta fuit: aderant etiam capitis gravitas, cum inclinatione ad ſomnum, ſubinde leve aliquod delirium, pavor in ſomno, & ſitis mediocris. Aſſumpto diaphoretico, & ſudore copioſo provocato, mox apparuerunt variolæ. Poſtea ſequentis decocti quater, quinquies aut ſexies de die hauſtum bibit.

℞. Hordei mund. unc. j. rad. helenii, drach. v. glycyrrizæ raſæ drachm. ij. cort. aurantior. drachm. iij. herb. ſcabioſæ man. i. ſ. ſem. fœniculi drach. j. ſem. 4. frigid. major. an. ſcrup. iv. ficus pingues, num. 15. paſſulatum mund. unc. i. ſ. aquæ q. ſ. fiat apozema ad lib. ij.

Cùm hujus decocti uſu variolæ jam ſatis eſſent expulſæ, juſſi ut cum molli ſpongia jure vervecino tepido intincta totam faciem ſæpe fomentaret: ſed cùm illud caſu haberi non poſſet, & illa tamen topicum aliquod ad faciei præſervationem à me peteret, juſſi ut totam faciem bis de die illineret cum oleo raparum veteri. Hoc facto, variolæ in facie non devenerunt adeò magnæ, ut in reliquo corpore, citiùs etiam maturuerunt, & cruſtis tandem ſponte decidentibus, nullæ omnino foveæ in facie remanſerunt. Continuata fuit hæc inunctio uſq; ad ſanationem.

Annotatio. Si variolæ non ſint magnæ & contiguæ, ad præcavendas foveas plerumque nihil adhibere, ſed naturæ totum negotium committere ſolemus, utpote quæ illud plerumque meliùs abſolvit ſua ſponte, quàm Medici arte, dummodo ipſimet ægri puſtulas ſcalpendo non detrahant, ſed exſiccari & ſponte decidere permittant: hoc quotidiana docet experientia, quippe milleni optimè ſanantur ſine ullis foveis aut veſtigiis, quibus nulla topica ſunt adhibita: multi etiam ſunt qui varia topica ſine judicio adhibuerunt, & longè pejores foveas retinuerunt, quàm ſi abſque illis topicis naturæ negotium commiſiſſent. Verùm ſi variolæ ſint valde magnæ & contiguæ in facie, aut ſi tales fuerint

ægri qui ſibi non patiuntur ſatisfieri (hoc familiare eſt domicellis virgunculis, pulchritudini ſuæ ſtudentibus) niſi Medicus aliquod topicum adhibeat, tunc talia ſunt præſcribenda quæ leniunt & emolliunt puſtularum cruſtas, in iiſque contentam materiam ad citiorem maturitatem perducunt. Eum in finem oleum raparum frequenter inunxi, felici ſucceſſu, ſic enim nulla, vel pauca & exigua variolarum veſtigia relicta fuiſſe, ſæpius comperi, quod tanquam magnum ſecretum, mihi aliquando communicatum fuit ab inſigni Medico practico Harſcampio. Foreſtus, *lib.* 10. *obſerv.* 57. Variolis inungit oleum amygdalarum dulcium, donec exſiccentur, atque ita ſcribit nulla veſtigia relinqui, idque remedium ſibi adeò placere dicit, ut nullum aliud præſtantius reperit, cùm odorem non habeat, & neque pueris neque adultis moleſtum ſit. Imprimis autem in hoc caſu cavendum ne exſiccantia in principio, aut etiam poſtea adhibeantur, hæc enim ulteriorem puris maturationem inhibent & cruſtas foveaſque exſiccando, novæ carnis generationem impediunt: qua de re miſerandum exemplum ſcribit Foreſtus, *lib.* 10. *obſerv.* 45. Cùm quidam, *inquit*, triginta annorum, variolas incurriſſet, ac butyrum priùs in ſartagine ad nigredinem coctum (*tunc valde exſiccat*) ex mulierculæ cujuſdam conſilio accepiſſet, & totam faciem eo obleviſſet, facta eſt cruſta admodum fœda, totam faciem exulcerans, ita ut unum oculum perdiderit, & niſi ego commoda adhibuiſſem remedia, alterum quoque oculum non retinuiſſet. Propterea animadvertimus quoſdam ſæpiſſime nullis adhibitis hujuſmodi remediis, meliùs convaluiſſe. Et ideo quamvis auctores ſcribant, quædam maturativa eſſe apponenda, id cum diligenti cautione faciendum.

Hiſt. 11. Domicella nobilis octodecim annorum, cùm minùs bene valeret, me vocari juſſit. Leviter febricitabat, & conquerebatur de cordis anxietate (hinc alta ſæpe ſuſpiria ducebat) & capitis gravitate, cum inclinatione ad ſomnum. Propter præſentem conſtitutionem, qua variolæ graſſabantur, mox mihi incidit ſuſpicio de variolis. Hinc cùm mihi dixiſſet ſe alvum ea die dejeciſſe, atque etiam à menſtrua periodo longiùs abeſſe, ſine mora venam brachii incidi, & ſanguinis uncias octo (nam erat plethorica) extrahi curavi. Hinc ſe aliquantùm levatam dicebat. Poſt horas decem à venæſectione, cœperunt in pectore & manibus paucæ & parvæ quædam maculæ rubræ apparere. Exhibui circa veſperam hoc diaphoreticum.

℞. Theriacæ Andr. diaſcordii Fracaſt. ana drach. ſ. ſalis abſinthii, confectionis de hyacintho, ana ſcrup. j. aquæ theriacalis, Cardui ben. ana unc. j. miſce, fiat hauſtus.

Hinc cùm tota nocte mediocriter ſudâſſet, poſtridie compertum eſt variolas aliquantò altiores epullulâſſe, & febrem, cum anxietate, ferè totam evanuiſſe. Decoctum ficuum ex cereviſia tenui dedimus pro potu. Atque ſic illa his paucis fuit perſanata, & in facie non niſi tres quatuorve, & reliquo etiam corpore valde paucas habuit variolas.

Annotatio. Quid de venæſectione in hoc morbo ſentiendum, & quando illa inſtituenda ſit, ſuprà latiùs explicavimus cap. 8. Illud autem in ea obſervavi, ſi in plethoricis tempeſtivè inſtituatur ante ullam variolarum eruptionem, tunc longè faciliùs, multòque pauciores eas erumpere, & faciliùs ſanari. Ac proinde, in iis præcipuè, qui de ſuæ faciei pulchritudine admodum ſolliciti ſunt, eam tempeſtivè inſtituere utiliſſimum cenſeo, cùm ſic pauciores variolæ & minores in facie procedant. Sed quia Medicus plerumque vocatur, cùm jam variolæ erumpere incipiunt, hinc fit quòd venæſectio rarò inſtitui poſſit.

Hiſt. 12. Filiolus Nicolai ab Hervelt menſe Auguſto ægrotare cœpit; febricitans erat, cum magna proclivitate ad ſomnum. Cùm autem in principio vocarer, & mihi ſtatim de variolis ſuſpicio foret, aquam theriacalem, cum lapidis bezoartici & croci pauxillo, exhibui, (alia ingrati ſaporis dari non poterant, quia puellus erat trium annorum) & ad oculorum præſervationem juſſi, ut crocum cum lacte muliebri miſcerent, eoque palpebras circum circa illinerent. Amita (quæ ægri curam habebat) me abſente, crocum majore, quàm ſolet, quantitate lacti admiſcuit; eoque non oculos tantùm, verùm totam quoque faciem inunxit bis de die. Horribilis profectò pueri, à croco ita flaveſcentis, erat aſpectus. Interim puellus ſatis bene ſudavit, & exinde adhuc ter cochleare aquæ theriacalis aſſumpſit, atque in mediocri calore ſervatus fuit, & decoctum ficuum ſimplex (quod amabat) pro potu bibit. Poſtridie minimæ quædam rubræ maculæ hîc illic in cute videri cœperunt: tertia autem die variolæ per totum corpus magnâ copiâ eruperunt, excepta facie, in qua nullæ omnino, imò ne minima quidem earum ſigna apparuerunt, unde tamen puer ſe pejùs non habuit, cùm reliquo corpore ſatis copioſæ epullularent: Febris erumpentibus variolis evanuit, & ſic tandem hic puellus, facie à variolis prorſus immuni & illæsâ ſervatâ, integræ ſanitati reſtitutus fuit.

Annotatio. Crocus leviter aſtringendo, aliquantùm repellit & exſiccat, an verò ob hanc facultatem foris adhibitus variolarum eruptionem impediat: vel an ob aliud ſpecifici & occulti quid, quod ei fortè ineſt, ille effectus fiat, incertus dubito: interim effectum ipſum vidimus, non ſolùm in illo puello, ſed etiam in tribus quatuorve aliis, nam dicti ægri amita, cùm illum eventum aliis mulierculis hîc illic narrâſſet, fuerunt etiam aliæ, quæ in ſuis ægris illud ipſum experimentum tentârunt, ſimili felici ſucceſſu: an felix ille eventus ſemper ſucceſſurus ſit? aliàs, data occaſione, experiemur.

Hiſt. 13. Nobiliſſima Domina Lucas, Angla, Domicellam juvenculam, fratris ſui filiam, domi ſuæ alebat, ſex ſeptemve annorum. Cumque illa febricitare, anxia & ſoporoſa eſſe inciperet, meo conſilio, pauxillum pulveris liberantis, cornu cervi uſti, lapidis bezoartici & croci, cum aquæ theriacalis uncia una exhibitum fuit, quo ſudor ſatis bene proceſſit, cum aliquo levamine. Pro potu bibit decoctum cornu cervi crudi (quemadmodum illud pro gelatinis præparari ſolet) & ſubinde etiam decoctum ficuum ſimplex. Interim Domina Lucas (quæ inter mulieres magnates erat Medicaſtra aulica) totam ægræ noſtræ faciem quotidie bis terve lavavit

vavit cum aqua illa cinnamomi, quam communiter vendunt noſtri Pharmacopœi (hæc conſtat ex cinnamomo in aquâ borraginis diſtillato) eamque in continuo calore ſatis diligenter ſervavit. Die ſecunda circa veſperam rubræ maculæ hic illic apparere, & die tertia variolæ copioſè erumpere cœperunt, excepta facie, in qua ne una quidem videri potuit. Illa dictam faciei lotionem adhuc per aliquot dies continuavit. Interim evaneſcente poſt eruptionē febre, noſtra ægra feliciter fuit ſanata, nec ei ullum variolarum veſtigium in facie ſuperſtes relinqui potuit.

Annotatio. Illa ipſa idem illud conſilium dedit dominæ Couper, quæ cùm etiam tribus ſuis liberis, variolis laboraturis, ſimiliter faciem cùm aqua cinnamomi laviſſet, etiam nullæ variolæ in facie eruperunt. An ille ſucceſſus ſemper adeò felix ſequuturus ſit, plurium ægrorum experientiâ notum fiet. Sed interim conſiderandum venit, annon, in facie ſic inhibita variolarum eruptione metuendum ſit, illas meningibus aut cerebro aliquod gravius malum illaturas.

Hiſt. 4. Domicella Ruchabor, juvencula 24. annorum, adeò pulchra, ut multis admirationi eſſet, menſe Auguſto, febri & variolis correpta fuit, eique totum caput mirabiliter intumuit. Cùm ex meo præſcripto variis medicamentis uſa fuiſſet, & variolæ per totum corpus copioſiſſimæ erupiſſent, faciemque valde obſediſſent, & tandem febris ceſſâſſet, & caput rurſus detumuiſſet, atque ego juſſiſſem ut faciem cum jure vervecino ſæpe fomentaret: illa his non contenta, ut pulchritudinem ſuam magis illæſam conſervaret, ex conſilio quarumdam mulierculàrum, variolas maturas acu aurea ſibi aperiri curavit, & pus expreſſit. Sed quo, quæſo, eventu? tandem illa, quæ nullas foveas ſuperſtites futuras ſibi perſuaſerat, perſanata faciem innumeris foveis ac veſtigiis admodum defœdatam retinuit, ita, ut è formoſiſſima valde deformis evaſerit, & hunc ſtultum perforationis actum millies deploraverit.

Annotatio. Quamvis multi Medici, ut faciem à cicatricibus ac foveis præſervent, variolas maturas acu aurea aperire jubeant, tamen experientiâ millies edocti ſumus, tunc multò plures foveas relinqui, & curationem multò meliùs peragi, ſi acus & manus non admoveantur. Hinc Sennertus, *lib.* 4. *de febr. cap.* 72. ſic inquit: Tutiſſimum plerumque eſt, præcipuè ubi ſanies alba & proinde cocta apparet, rem totam naturæ committere, cùm experientia docuerit, eos quibus variolæ ſponte apertæ & exſiccatæ ſunt, minore cum deformitate, & minoribus relictis veſtigiis, ſanatos fuiſſe. Cum Sennerto conſentit Gregorius Horſtius, *part.* 2. *lib.* 1. *in append.* Quàm periculoſum autem ſit variolis manus & topica adhibere, docet Foreſtus, *lib.* 6. *obſerv.* exemplo juvenculæ. Cùm malum, *inquit*, in declinatione jam eſſet, atque ipſa linimenta exſiccantia, faciei adhibenda, mihi proponere, ſuadebam, ut ab iis abſtineret, totumque negotium naturæ committeret; cum ſanies alba concocta à variolis per ſe ruptis efflueret, & imperavi ne digitis cruſtas avelleret, & ut à frictione abſtineret, quanquam pruritum ſentiret. Verùm cum à vellicādo variolas non abſtineret, quibuſdam non maturis; deinde cùm ex muliercularum conſilio ad exſiccationem pinguedinem ſeu cremorem lactis adhibuiſſet. facies cruſtâ obducta eſt admodum fœdâ, & veſtigia relicta fuêre, atque oculis rubedo oborta eſt, quæ poſteà vix curari potuit, & totâ vitâ adhæſit. Ratio quare apertis variolis tanta mala contingant, ſuprà videatur, *cap.* 12.

Hiſt. 15. Domicella nobilis 20. annorum, cùm conſodali variolis laboranti pauliſper adfuiſſet, aliquod ab ea contagium ſuſcepiſſe videbatur. Eadem veſperâ caput ipſi grave, & ventriculus inappetens evaſit, cum laſſitudine ponderoſa totius corporis. Poſtridie febricitans inventa fuit; prædixi variolas expectandas eſſe. Dedi mox hauſtum diaphoreticum, à quo bene ſudavit, & in leni diaphoreſi illam tota inſequente nocte detineri juſſi. Tertia die, matutino tempore, illam toto quidem corpore bene contectam, ſed pedes à lecto pendulos, & vaſi ſubjecto in lacte dulci calido uſque ad ſuras immiſſos habentem, inveni. Hoc fecerat ex muliercularum quarundam conſilio, quæ ipſi perſuaſerant, ſi pedes in lacte calente balnearet, tunc nullas variolas faciem invaſuras. Continuavit in iſto lactis balneo tota die, uſque ad veſperam. Interea variolæ illa eadem die erumpere cœperunt, ſed nuſquam majore copiâ prodierunt quàm in facie; atque ſic illud conſilium, de pedibus in lacte balneandis, prorſus inutile inventum eſt. Ægra tamen in cæteris meum conſilium ſecuta, bene perſanata eſt, & in facie non valde multas foveas à variolis retinuit, atq; exinde lacteum illud conſilium millies irriſit.

Annotatio. Felix in eo fuit hæc ægra quòd iſta balneatio ipſi non malè ceſſerit, quia quantumvis bene contecta foret, tamen per illam ventilationem faciliimè ad ægram frigus aliquod accedere, eique magnum damnum inferre potuiſſet. Memini me poſtmodum illud ipſum balneum in aula Baronis de Brederode, adhibitum vidiſſe in Domicella quadam pediſſequa, variolis laboratura, ſed pari ut in priore, ſucceſſu, atque exinde illud in iſta aula omnem fidem perdidit, quam etiam apud me nunquam habuit, etſi illud a mulierculis admodum laudari audiverim.

Hiſt. 16. Menſe Octobri, duo filii N. Romburch, œnopolæ, ætatis ſex, & octo annorum, febri correpti fuêre: Parentes poſtridie ſingulis exhibuerunt theriacæ drachm. ſ. unde ſudor mediocriter provocatus: pro potu dederunt decoctum ficuum ſimplex in cereviſia tenui factum. Tertia die aliquæ maculæ rubræ, & exinde variolæ copioſiſſimæ toto corpore erupeſerunt, earumque etiam multæ oculorum palpebras obſederunt, atque hinc illæ adeò tumidæ evaſerunt, ut oculi penitus occluderentur. Tunc meum conſilium petitum eſt. Cùm pueri, pro ratione temporis morbi mediocriter ſeſe haberent, nullum medicamentum exhibere, neceſſe viſum fuit: ſolummodo juſſi ut parentes per mollem ſpongiam ter quaterve de die oculos tepidè foverent, cum decocto altheæ, flor. meliloti, roſarū, fœnugræci, &c. & digitis ſemel aut bis de die palpebras à ſe invicem dimoverent, ſicque oculos nonnihil aperirent, ut ſub iis collectus liquor effluere poſſet. Sed parentes hoc neglexerunt, ſtulto amore metuentes ſe filiis illa contrectatione aliquem dolorem inducturos. Die decimo quarto, variolis jam ad maturitatem

deductis, detumuerunt etiam palpebræ, & oculi aperti ſunt, ſed obſervatum ambos filios eſſe planè cœcos, & ab illo liquore tot diebus intra occluſas palpebras detento, viſcidoque facto, pelliculam ante pupillam & iridem fuiſſe enatam, quæ inſtar velaminis cujuſdam ferè totum oculum contegebat. Hic inexpectatus caſus admodum contriſtavit parentes. Præſcripſi hunc pulverem.

♃. Sacchari candi albiſſimi drachm. ij. lapidis calaminaris ſcrup. j. fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Hunc à Chirurgo bis terve de die per pennam ſcriptoriam à pluma reſciſſam, in oculos inſlari juſſi. A parvo dolore hinc excitato palpebræ frequentiùs ſurſum deorſumque motæ: & ſic pelliculæ illæ paucis diebus detritæ, ac cum lachrymis foras elapſæ fuerunt, ita ut exinde nullum viſûs impedimentum his pueris ampliùs ſuperfuerit.

Annotatio. Illud multoties nobis in praxi videre contigit, quòd ob palpebras à variolis tumidas atque occluſas hujuſmodi pelliculæ in oculis enatæ fuerint, ſed illas, quia foris pupillæ obhærent, tali pulvere ſemper facilè detrivimus, ſi mox à principio detumeſcentiæ palpebrarum & apertionis oculorum adhiberetur. At ſi aliquamdiu expectatum fuerit, & pelliculæ ab aëre externo jam magis exſiccatæ & induratæ ſint, tunc tam levi medicamento non facilè cedunt, ſed acrioribus utendum, & majore cum moleſtia ac dolore illud vitium tollendum eſt. Duo igitur hic obſervanda veniunt. 1. Ut palpebræ tumidæ, etiam invitis ægris, quotidie ſemel atque iterum digitis à ſe invicem dimoveantur, & ſic liquori intus contento exitus concedatur. 2. Si fortè illic pelliculæ enatæ fuerint, ut earum curatio non diu differatur, ſed citò inſtituatur, antequam ab externo accedente aëre indurentur.

Hiſt. 17. Menſe Octobri, ad pagum Bemmel, cum Chirurgo, vocatus, ad inviſendum ruſticum in pectore vulneratum, caſu apud eundem invenimus puerulum octo annorum, febricitantem, ac ſumma anxietate preſſum: cùmque ibi nulla medicamenta nobis ad manum eſſent, ſuaſi ut ſumerent unc. j. ſtercoris ovilli recentis, idque per duas treſve horas macerarent in cereviſia tenui, & poſtea colaturam calidè exhiberent, ſicque puerum contegerent, & ſudores provocarent. Dicebam me poſtridie eò rediturum, & alia medicamenta allaturum. Sequenti die reverſus intellexi puerum ab illo hauſtu egregiè ſudâſſe, cumque illum propiùs adſpicerem, videbam ipſi morbillos valde copioſos erupiſſe, ab eaque eruptione febrem ferè evanuiſſe, & magnam anxietatis partem receſſiſſe. Juſſi ut eum in calore ſervarent per triduum aut quatriduum, omneque frigus ab eo arcerent. Atque ita, ſine ullis aliis remediis, ſanitati reſtitutus eſt.

Annotatio. In hoc puero variolas expectaveram, ſed prodierunt morbilli, quorum prima curatio cum variolis eadem eſt. Stercus ovillum recens hos & illas æquè potenter expellit, ac proinde in utroque caſu valde utiliter exhibetur, præcipuè iis in locis, ubi alia medicamenta ad manum non ſunt. Inveniuntur qui huic præferunt ſtercus caballinum, eodem modo exhibitum: ſed ovillum longè efficacius eſſe docet ſapor, quo ſal nitrum, ſeu potiùs ſpecificum aliquod ſal diaphoreticum ei copioſiùs ineſſe, guſtu manifeſtum fit.

Hiſt. 18. Juvenis 26. annorum, fortis & plethoricus, poſt gravia pilæ & gladiatorii ludi exercitia, atque intermiſſas vini potationes, incidit in febrem vehementiſſimam, cum magna ſiti, oris ariditate, ſumma anxietate & inquietudine, aliiſque gravibus ſymptomatibus. Huic, poſt injectum clyſterem venam ſecari juſſimus; julebos ad ſitim, atque apozemata & condita refrigerantia præſcripſimus. Tertia die purgatus eſt, hauſtu ex infuſione foliorum ſenæ & rhabarbari, cum admixto electuario diapruno: hinc quinque ſexve ſedes habuit. Ardore autem cum febri permanente, quarta die iterum vena ſecta eſt. Quinta & ſexta die continuatum in uſu julebi, apozematis, & conditi refrigerantis. Nox quæ ſextam diem ſequebatur, adeò gravis erat, ut vix ulla ſpes vitæ ſupereſſe videretur, & jam moriturus putaretur. Septima die circa meridiem, undequaque per totum corpus morbilli criticè eruperunt: hinc febris, cæteraque urgentia ſymptomata tantopere remiſerunt, ut æger ſequente nocte aliquantùm dormiverit: eaque ſequentibus duobus diebus ſenſim in totum evanuerunt. Decima die imminui cœperunt morbilli, & duodecima penitus diſparuerunt. Sic ille æger, qui jam cum Charonte de naulo paciſci videbatur, præter multorum expectationem ſanitati reſtitutus fuit.

Annotatio. Principium hujus morbi tale erat, ut nulla morbillorum ſuſpicio ſubeſſet, atque hinc æger, tanquam febri ardente laborans, à nobis tractatus fuit, quæ tamen febris tandem per criticam morbillorum evacuationem feliciter finita fuit.

Hiſt. 19. Juvenis fortis, febri valida correptus eſt, cum pulſu crebro, parvo, & inæquali, magna anxietate, capitis gravativo dolore, ſoporoſitate, ſomno turbulento, & leni aliquo delirio. Poſtpoſita alvi ſubductione; libenter venam ſecuiſſem, cùmque id permittere nollet, circa veſperam dedi hoc ſudoriferum.

♃. Theriacæ, ſcrup. ii. diaſcordii Fracaſt. ſcrup. j. ſ. confect. alkermes, extracti cardui ben. ſalis abſinthii, an. ſcrup. j. aquæ noſtræ theriacalis, cardui ben. an. unc. i. miſce, fiat hauſtus.

Cùm hinc bene ſudâſſet, & tamen morbus in eodem ſtatu permaneret, poſtridie illud ipſum reiteratum, & ab eò rurſus bene ſudatum fuit, tuncque rubræ maculæ parvæ, variolarum prænunciæ in cute paſſim apparere cœperunt: febris tamen, aliaque ſymptomata, etſi aliquantillum imminuta viderentur, tamen perſtiterunt. Suaſi ut æger in leni diaphoreſi conſervaretur, & ſubinde hujus decocti hauſtum biberet tepidè.

♃. Cicerum rubr. unc. i. ſ. hordei mundat. unc. i. herb. ſcabioſæ, m. i. ſ. ficus pingues num 16. paſſularum mundat. unc. ii. aquæ q. ſ. fiat decoctum ad lib. ii.

Hinc intra biduum variolæ maxima copia undequaque eruperunt, & clariores evaſerunt, febri tamen & anxietate permanentibus, ita ut

ut æger omnino de vita periclitari videretur. Hac de cauſa neceſſarium duxi, ſuperius ſudoriferum rurſus exhibere. Hinc ſudore paulò majore provocato, & decocto ficuum inſuper per biduum continuato, die ſeptimo, præter expectationem toto corpore inter variolas paſſim apparuerunt morbilli, atque tunc febris, aliaque ſymptomata mitiora evaſerunt, ac paulatim in totum deſierunt, ægerque quarta ab exordio morbi ſeptimanâ feliciter ſanus, rurſus foras prodiit.

Annotatio. Hoc in tota mea praxi me tantùm bis terve vidiſſe memini, ſcilicet quòd variolis adjungerentur morbilli: ex qua tamen obſervatione liquet, etſi ambo hi morbi ratione inquinamenti aliquid commune habeant, tamen ratione ſubjecti, cui illud inquinamentum inhæret, eos etiam aliquid diſtincti & diverſi habere: quænam alioqui cauſa fuiſſet, quòd in hoc ægro totum inquinamentum cum variolarum expulſione non fuiſſet evacuatum? Interim hoc mirandum ſubeſt, quare morbilli, ſubtiliori ſeu tenuiori materiæ inhærentes non eruperint priores, ante variolas, cùm materia tenuior ad eruptionem magis prompta & apta videatur, quàm craſſior.

Hiſt. 20. Nobilis Batavienſis, febri correptus fuit, cum pulſu forti, ſed valde inæquali, item cum ſumma anxietate, ſiti, inquietudine, leni delirio, & levibus extremorum convulſivis motibus. Alvo clyſtere ſubductâ, venam ſecari juſſi. Circa veſperam ab aſſumpto ſudorifero fortiter ſudavit. Morbo autem in eodem ſtatu permanente, poſtridie reiterato ſudorifero, rurſus fortiter ſudavit. Hinc ſymptomata nonnihil remiſerunt, ſed æger cœpit conqueri de moleſta punctione ſeu pruritu in cute totius corporis. Paulò poſt animadverſum eſt, hic illic magnas rubras maculas, amplitudinis, alias daleri imperialis, alias dimidiæ manus, plùs minùs, in cute apparere, quæ quaſi igneæ conſpiciebantur, & hic illic exilibus puſtulis, inſtar milii ſeminis, interſperſæ erant. Hæ maculæ unius diei ſpatio coierunt, & per totum corpus extenſæ fuerunt, ita ut totum ruberrimo florido colore excandeſceret. Interea febris & ſymptomata evaſerunt mitiora. Triduo poſt, generalis illa totius rubedo imminuta fuit, & maculæ ad priorem invaſionis ſtatum redierunt, atque exinde intra tres dies penitus evanuerunt, & ſic æger, decidente per ſquamulas totius corporis cuticulâ, ſanitati reſtitutus fuit.

Hic affectus, quem Foreſtus purpuram, & rubores nominat, morbillis finitimus eſt, & curatione ab iis non diſtat: at ſubjectum cui vitioſum ejus inquinamentum, inhæret, fervidius eſt, quàm ſubjectum morbillorum, verùm æquè facilè diſcutitur, neque exiles puſtulæ ſuppurantur, ſed à calore diſſipantur.

Hactenus Hiſtoriæ è Clariſſ. Diemerbroëckio; ſequuntur jam aliæ è Præclariſſimi Domini Richardi Morton Tractatu de Variolis exſcriptæ.

Hiſtoria 1. Filius Domini *Hunt* habitantis in vico dicto *Snore hill*, 11. annos natus, tempore hyemali Anno 1686. Laſſitudine, Nauſea, Vomitione, Cephalalgia ingenti, &c. correptus per biduum intensè febricitabat, tertio autem die Exanthemata Specie tenus Varioloſa in Facie; & ubiq; in univerſa Cute diſperſa hîc illic erumpebant, quæ neſcio quade cauſa (namq; Puer tunc temporis ab Avunculo ſuo Pharmacopola tractabatur) paulatim poſt unum vel alterum diem nullam maturationem aſſecuta planè evanuêre; A quo tempore, Veneno intus cohibito, infirma ſemper & ægra valetudine tentabatur, pallore, ἀνορεξίᾳ Capitis dolore & diris Symptomatis in genere nervoſo malè perpetuò mulctatus, & præterea menſibus Februario & Maio ſequentibus Inſultus Epilepticos horrendos paſſus eſt, qualibus nunquam antea conflictabatur; à repetitis Spaſmis ad unum latus diu incurvatus, donec demùm Venenum ſub finem Anni, certamine recèns à Natura inſtaurato, propulſatum penitùs fuiſſet, Variolis Cohærentibus de novo ſuccreſcentibus, quibus tandem, licet tardè, admodùm ad maturitatem noſtra methodo perductis, integrè iterum valebat, & adhuc in vivis eſt robuſtus & athleticus.

Hiſt. 2. Filiola Domini *Warren* habitantis in vico dicto *Ludgate-Hill*, annos circiter quinq; nata, nuper levi Horrore & Rigore correpta, deinde per unum vel alterum diem, durante nimirùm conflictione Spirituum cum Veneno ſuprà modum incaleſcebat, ægrotabat, ingeſta vomitione rejiciebat, Cerebri oppreſſione gravata, & jactatione frequenti laceſſita decumbebat; donec tandem tertio die in quo Ego eam primùm inviſi, Venenum per Exanthemata ſolito majora hîc illic, uno impetu erumpentia perfecta Criſi ſtrenuè propulſatum eſſet, quo tempore Puellam inveni planè ἀπύρετον, cibi appetentem; more ſolito veſtitam, atque in area domûs curſitantem & ludentem, Ideòque Naturam, quæ propriis viribus victoriam jam integram reportarat, Remediis neſcio quibus præter æquum & bonum laceſſere nolui: Imperavi tantùm ut ingluviei minimè indulgeret Puella, atque ab externis aëris injuriis ſarta tecta in cubiculo muniretur. Quid fit? nullum omnino ſymptoma Patienti moleſtias creat, Variolæ die proximo pure laudabili turgent, tertio Scabie obductæ exareſcunt, nullo omnino remedio adhibito: Quid? quod Variolæ iſtæ (quod primò monui) erant maxime Benignæ, cæſc. quæ vulgò dicuntur *Chicken. Pox*: Nihilominus alvum poſt hebdomadam elapſam iterum-iterumque unciâ Mannæ unâ in Hauſtulo liquoris Poſſetici calidi ſolutæ & manè exhibitæ cum Regimine, ſedulò evacuandam juſſi. Hujus autem noſtri mandati poſthabiti poſt tres menſes elapſos feras puella luebat pœnas Scabie eryſipelatoſâ universam faciem diu occupante & conſpurcante, à qua illam non niſi repetita Venæ ſectione, frequenti calomelan. & Diagridii atque multo Cortic. Peruv. uſu ægrè liberavi.

Hiſt. 3. Filius meus unicus, nunc Medicinæ ſtudioſus, ineunte Anno ætatis ſuæ quarto, tempore hyemali, Nauſea, Vomitione, Jactatione inquieta, Stupore comatoſo, Delirio, cæteriſque id genus Symptomatis vehementioribus quæ Variolarum Apparatum comitari ſolent, correptus, per triduum intensè febricitans decumbebat. Ego interea præſcripſi Pulv. è chel. cancr. comp. Lap. Contrayer, an. gr. vi. cum Cochl. Julap. Cordialis temperat. capienda, repetendaque bis vel ter poſt inter-

valla

valla ſex horarum. Cùm autem ſub finem tertii diei Febrem unà cum Symptomatis conjunctis declinaſſe animadverterem, Veneno nimirum quod luctationi cauſam dedit per Exanthemata Diſcreta hìc illic ubique erumpentia criticè propulſato, nullum ampliùs medicamentum adhibui; Ægrotantem ſolummodò in lecto (foco in Cubiculo accenſo) à frigore muniendum, atque victu tenui alendum juſſi. Quid fit? Variolæ, perfectè rotundæ ſecundo eruptionis die margines ſuos ampliant, & vegetè rubent, tertio autem acuminantur, quarto in apicibus albeſcunt, quinto flaveſcere incipiunt, ſexto pure concocto turgent, ſeptimo flaveſcentes incruſtari incipiunt, nono autem exareſcentes ubique in tubercula mutantur, ſine Febre vel moleſto quovis Symptomate recidivo, vel Morboſo quovis affectu poſteà ſuborto. Temperie verò & Appetitu integrè reſtitutis, leni pharmaco ſemel vel bis exhibito, Curatio feliciter abſoluta eſt.

Eadem planè erat, Benigna nimirum indoles Variolarum, quibus tres meæ Filiæ annis licet longè diſtantibus tentabantur; quas inde eodem fermè modo tractavi, niſi quod illarum natu maxima paulò ante criticam Exanthematum eruptionem Spaſmis Epilepticis diu excruciaretur, Spiritibus nimirum in exploſionem actis, & non ſine ſtrenuo niſu victoriâ potitis; quam ob cauſam Epiſpaſtica ad Nucham & Carpos applicanda, atque Cochl. iij. Julap. ſequent. durante hâc conflictione ad vires Spirituum erigendas, & motus eorum inordinatos compeſcendos quartâ quâque horâ propinanda juſſi;

℞. Aqu. Flor. Tiliæ, Ceraſ. nigr. an. ℥iij. Pœon. comp. ℥ ß. Epidem. ℥ ß. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. ℈ ij. Pulv. de Gutter. ʒ ß. Syrup. de Mecon. ℥ i. M. F. Julap. Cùm primùm autem, Febre & Symptomatis ſublatis, atque Exanthematis regularibus & diſcretis ſtatim apparentibus, certum habui Naturam victoriâ integrâ potitam fuiſſe, & venenum penitus protruſiſſe, regimine debito ordinato naturæ, cujus provincia erat, rem reliqui; Exanthemata autem indies legitimè progrediebantur atque demum matureſcebant, atque in tubercula arida intra ſpatium à Naturâ præſtitutum ſine ærumnoſo quovis ſymptomate vel morboſo affectu conſequenti, vel ope Artis aſtipulante mutabantur. Natu ſecundæ, quia jam, ut ab ipſis vitæ primordiis, alvus nimis flueret, gut. iv. v. vi. Laudan. liquid. unaquâque nocte, durante toto Morbi curſu, in hauſtulo Julap. Cordialis temperati propinavi, atque Decoctum album in locum potûs ordinarii ſuffeci, quo pacto alvo ritè cohibitâ, quieta & planè ἀπύρετος poſt eruptionem Variolarum inceptam reliqua Morbi ſtadia intra ſpatium à Naturâ præſtitutum ſecurè & tranquillè decurrebat, & quidem omnes hæreditario quaſi jure Benignis iſtis Variolis tentabantur, quæ (Deo favente) eventum ſecundum habuerunt; nunquam enim quenquam meâ vel Conjugis meæ ſtirpe ortum hoc Morbo periiſſe memini.

Hiſt. 4. Filius unicus Cauſidici habitantis in vico dicto *Salisbury Court*, ſex annos natus, quem non ita pridem altero Morbo pænè confectum præter ſpem adſtantium ſuppetiis Artis ab Orci faucibus planè liberaveram febre Varioloſâ correptus, à Nutrice ſolummodò & mulierculis nullo omnino Medico conſulto tractabatur; parentes enim ex communi quâdam vulgi opinione Artem medicinalem ad hunc Morbum prorſus inutilem eſſe perperam exiſtimabant. Fuit ſane morbus primario admodùm Benignus & Naturæ viribus facilè ſuperabilis, modo Regimen legitimè ordinatum fuiſſet: Venenum enim tertio die Criticâ Exanthematum diſcretorum eruptione uno impetu penitus eliminabatur, unde Puer ab omni moleſto ſymptomate liberatus, quarto die prorſus revaleſcebat, atque cibum appetebat, Exanthematum baſes ſenſim ampliabantur, quinto die acuminabantur, ſexto albeſcebant, ſeptimo pure concocto ubique fere turgebant perfectè rotunda, & margine vividè rubenti circumcincta, adeò ut pharmaco cuicumque exhibendo non eſſet locus, neque puer in lubrico verſaretur. Nutrix autem officioſa hoc ipſo die (Variolis adhuc ubique eleganter turgentibus & matureſcentibus) Pullum gallinaceum aſſum Puero comedendum affert. Quid fit? Ventriculo hoc pacto ſaginato & oppreſſo, & Cerebro inde nutrimento hoc incongruo gravato, Puer derepente ſopore affectus profundè dormit per totam noctem: die autem proximo, cùm Puerum clamore expergefacere nequirent, Parentes perterriti, Me incunctanter ſed nimis ſerò accerſebant. Variolas animadverti Diſcretas atque ubique pure adhuc repletas, & margine vegeto cinctas, Puerum autem more Apoplecticorum ſtertentem. Incaſſum ventriculum Emeticis, atque Alvum Enematis ſolicitavi, Cucurbitulis etiam cum ſcarificatione & Veſicatoriis frequentibus applicatis, atque Sternutatoriis Spiritus in Cerebro torpentes excitare tentavi; die enim proximo puer admodum formoſus Convulſus fatis ceſſit; non Veneno Varioloſo interemptus; verùm Regimine perverſo trucidatus, atque in Apoplexiam fortem temerè adactus. Tantum momenti habet in ipſis Benignis Variolis Medici conſilium, in Regimine ordinando, ubi Pharmaca forſan haud deſiderantur.

Hiſt. 5. Filia Domini *Mitchell* 12. annos nata, habitans tunc temporis ad inſigne Coronæ in vico dicto *Fleetſtreet*, Anno 1692. mediâ æſtate febricitabat & in Lecto decumbebat, Dolore Capitis, Nauſeâ & reliquis Symptomatis Variolarum Benignarum Apparatum comitari ſolitis affecta. Tertio autem Morbi die Exanthemata hìc illic Diſcreta viribus Naturæ, ſine pharmaco quovis adhibito protruſa ſponte erumpunt; Vetula autem cui Virgo elocabatur haud contenta naturalem Variolarum eruptionem & maturationem expectare, ſtragulis multis perperam & officioſè impoſitis, Naturæ opus accelerare moliendo Ægram per triduum in profuſos & planè colliquativos Sudores adegit; unde vires evidenter proſternebantur, Ægrâ vero perpetuò inter ſudandum languente, delirante & vigilante, Exanthemata utut Diſcreta & ſuâ natura Benigna nequâquam progrediebantur, ſed cruda & depreſſa manebant. Cùm jam ob ſymptomatum vehementiam res plane deplorata videretur, Ego ſeptimo

Morbi

Morbi die accerſitus, illico tegumenta inſolita amovenda juſſi, Ægramque in alteram lecti partem moderatè calefactam removendam, atque ibi non quaſi in carcere brachiis in lecto detentis continendam, verùm ut ad libitum ab uno latere in alterum ſeſe verteret, veniam dedi. Intereà ad Spiritus debiles erigendos, & tumultum eorum compeſcendum Veſicatoria tria ad Nucham & Carpos internos applicanda imperavi, & Julapii ſequentis Paregorici & Cordialis Cochl. iv. vel v. quartâ quaque horâ propinanda, atque ſi non inde placidè dormiret gut. x. Laudani liq. Hauſtulis Julapii alternis inſtillanda,

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an ℥ iij. Epidem. Pœon. comp. an. ℥i. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. ʒi. Syrup. de Mecon. ℥i ß. M. F. Julap. Quid fit? à ſudoribus immenſis liberata poſt ſecundam Laudani doſin placidè dormit, viribus inſtauratis integram mentem, temperiem moderatam & Pulſum regularem & fortem recuperat, Variolæ ubique quàm citiſſimè turgent & matureſcunt, atq; virgo iiſdem remediis deinde uſa, Stadia Morbi reliqua tempore à Naturâ præſtituto feliciter decurrit.

Hiſt. 6. Filius Domini *Fovvler* habitantis in vico dicto *Siſe Lane* 15. menſes natus, Variolis laborans Diſcretis & Benignis, in Cubiculo ambientis Aëris inclementiæ, ſæviente jam gelu (Pharmacopolá, qui Puerum tunc temporis tractabat, haud renuente) indeſinenter objectus, ob Venenum à frigore externo intus cohibitum diris Spaſmis, Inſultibus Epilepticis & Comate profundo, Apparatu peracto, quinto morbi die & Eruptionis ſecundo præter ſolitum corripiebatur; unde Infans per octo horas, Spiritibus Veneno repercuſſo recens implicatis & irritatis, palleſcebat; & languebat ac ſi illicò moriturus; Ego autem die Octob. 27. 1692. ſub noctem accerſitus deprehendi Exanthemata hic illic pauca & diſtincta, ob defectum autem Regiminis debiti intùs quaſi cohibita & depreſſa. Ideoque ad Spiritus ſtimulandos, eorumque expanſionem promovendam Veſicatoria tria ad Nucham ſcil. & Carpos internos illicò applicanda juſſi, atque Cochl. 2. vel 3. Julapii ſequent. tertiâ quaque horâ propinanda (agitatâ Phialâ.)

℞. Aqu. Flor. Tiliæ, Ceraſ. nigr. an. ℥ iii. Epidem. ℥ß. Pœon. comp. ℥ i. Pulv. è Chel. Cancr. comp. de Guttet. Lap. Contrayerv. Serpentar. Virgin. an. ℈ ii. Syrup. Caryop. ℥ ix. M. F. Julap. Poſt ſecundam doſin liberabatur à Spaſmis & Sopore, pervigil autem manſit & præ dolore à Veſicatoriis excitato perpetuo fere vagiebat. Die autem ſequenti animadverti Temperiem mitem, Pulſum fortem & æqualem, atque Exanthemata diſcreta utut paulò frequentiora. Ob Vigilias autem & perpetuum ejulatum gut. iij. Laudani liquid. ſemel vel bis in die in Hauſtulo Julapii exhibenda juſſi, inde bene dormiebat, & cùm res hoc pacto in vado erat memet ſubduxi, tantùm Julapium ad ſuffulciendas vires regimine priùs adhibito labefactatas quartâ vel ſextâ quâque horâ repetendum præſcripſi, atque doſin Laudani ſaltem ſemel in die miniſtrandam ad dolorem Exanthematum maturantium & Ulcuſculorum à Veſicatoriis inductorum fallendum; atque ut Infans ab aëris injuriis muniretur imperavi. Reverſus autem primo die Novembris, inveni Puellum ἀπύρετον atque ab omni ſymptomate ærumnoſo libe um, atque Exanthemata utut in trunco corpoꝛis parva, frequentia & fere cohærentia, pure tamen maturo turgentia & flaveſcentia, atque Morbo jam ultimum Stadium ingreſſo hic illic incruſtata, atque in tubercula arida cineritio colore concreſcenria. Ideoque poſtquam Parentes admonueram de tempore & modo Purgationis, Patienti valedixi.

Hiſt. 7. Domina *Pettifer* habitans in vico dicto *Old Change* menſe Decembri 1692. ægrotans abortiit; poſtridie Abortionis Variolæ erumpebant Diſcretæ & Regulares, Febris etiam Veneno eliminato ſponte ceſſavit. Perterrita autem Fœmina ab Obſtetrice & Mulierculis adſtantibus, vitam ſuam penitus deſperabat, inſomnis planè permanſit & delirabat per triduum; ſcil. uſque ad primum maturationis diem, quo die ſub veſperam ego accerſebar; Ægrotantem autem inveni ἀπύρετον, Exanthemata ubique Diſcreta, depreſſa verò & figurâ Morbillorum ad inſtar variegatâ, ſiquidem Spiritus terrore perculſi & in motus effrænatos adacti nec humores moderari, neque Venenum, licet ſuâ naturâ mite, fortiter expellere valebant, unde prima Naturæ intentio ſcil. Veneni eliminatio per Cutim irrita fuit, & Venenum Tonſillas & glandulas Salivales (incaſſum licet) laceſſere cœpit, atque inibi tumorem atque dolorem adeò atrocem excitavit, ut miſera Mulier ærumnoſo hoc Symptomate preſſa & fere præfocata vix quicquam deglutire poſſet. Ubi autem nullam ex Pulſu vel Temperie Febrem adeſſe deprehenderim, cauſam dirorum Symptomatum, & peſſimæ Exanthematum φάσεως vacillationi Spirituum terrore perculſorum, potius quàm exitiali Veneni gradui acceptam referendam duxi; ideoque poſtquam Spes mihi eſſet melius fore, & promiſſis deſpondentis Mulieris animum confirmaveram, & metum depellere ſategeram, ad Spiritus erigendos, eorumque tumultus compeſcendos Veſicatoria ad Nucham & Carpos illicò applicanda juſſi, atque Cochl. 5. vel 6. Julap. ſequent. tertiâ vel quartâ quâque horâ (agitatâ phialâ) propinanda, & primo Hauſtulo Laud. liquid. gut. xv. inſtillandas.

℞. Aqu. Flor. Tilliæ, Ceraſor. nigr. an. ℥ iv. Epidem. Pœon. Comp. Syrup. de Mecon. an. ℥iß. Pulv. è Chel. Cancr. Comp. Lapid. Contrayerv. an. ʒi M. F. Julap. Indè benè dormivit per totam noctem, & Delirium ceſſavit; manè ſequenti ego reverſus deprehendi Exanthemata intra cancellos juſtos coacta, acuminata & inflammata, figuram fere ubique rotundam induiſſe, quæ dein, Dolore Guturis ſponte evaneſcente, brevi maturabantur: Repetito enim hujus Julapii uſu, reliqua Morbi Stadia (ut in Variolis Benignis & Regularibus fieri ſolet) ſine febre recidivâ vel ærumnoſo quovis ſymptomate poſtea ſuborto, tempore legitimo ſenſim ſalubriter Patiens decurrebat.

Hiſt. 8. Domina *Baxter*, quæ jam poſt viduitatem Collegæ noſtri eximii D. Doctoris *Goodall*, thalamum cohoneſtat, circa Annum 1680. abortionem paſſa eſt, & Febre correpta illicò me accerſivit, Bolum Theriacalem ſtatim exhibui, & Julapium cordiale ad libitum pitiſſandum; ma-

ne

ne ſequente reverſus cùm animadverterem manifeſtam Febris & ſymptomatum omnium remiſſionem Corticis Peruv. ℈j. tertiâ vel quartâ quaque horâ exhibendū juſſi: Paroxyſmo autem poſt ſextam doſin die proximo recrudeſcente, Variolæ inexpectato erupêrunt, bene figuratæ & coloratæ, & prorſus Diſcretæ; Febris vero poſt hanc Criticam Veneni per Cutim expulſionem derepente adeò evanuit, ut Patienti non amplius moleſtias crearet. Exanthemata ſine Febre recidivâ vel ærumnoſo quovis ſymptomate ſuborto, tempore legitimo ſine ope cujuſcunque Pharmaci ſponte maturata demùm die Morbi nono in tubercula arida concrevêrunt. Nuſquam vidi Variolas magis vegetas, regulares & benignas, non obſtante Lochiorum fluxu; ſive autem hoc indoli Veneni morbifici minùs exitiali (quod ex typo Febris Morbi apparatum comitantis conjicere fas eſt) ſive uſui Corticis Peruviani ante Criſin miniſtrati acceptum referendum ſit ſub judice relinquo.

Hiſt. 9. Virgo elegans & formoſa annos nata 21. habitans in ædibus Domini *Bright* in vico dicto *Little Britain* Anno 1680. ægrotabat. Die morbi tertio Ego acceſſor quo die Variolæ Diſcretæ erumpere cœpêrunt ſine quovis ſymptomate vehementiori conjuncto, ſed menſes alieno tempore unà fluere incœpêrunt; unde viribus plurimùm exhauſtis Exanthemata diſcreta licet diutiùs depreſſa tardè admodùm & ægrè maturabantur. Quâ de cauſâ Julapium perlatum ſæpiùs in die exhibendum juſſi. atque Bolum ſequentem bis terve in die deglutiendum.

℞. Theriac. Androm. Confect. Alcherm. an. ℈i. Spec. Confect. de Hyac. Lap. Contrayerv. an. gr. xv. M. F. Bolus. Quorum uſu diligenti ſuſtentata, reliqua Morbi ſtadia ſecurè, utut quadantenus tardiùs decurrebat, & demum reconvaluit.

Hiſt. 10. Servus Domini *Bradford* Veſtiarii habitantis in vico dicto *Black-Friers*, circa Annum 1670. nauſeâ, ægritudine ingenti, & tantùm non deliquio oppreſſus, primo Morbi die Me incunctanter accerſendum curavit. Ubi autem à celeri Arteriarum vibratione Febrem adeſſe manifeſtò deprehenderem, eam propter ſymptomatum vehementiam & cæteras circumſtantias Varioloſam fore ritè arbitratus ſum. Ne autem Spiritus nauſeâ adeo intolerabili diutiùs labefactati ad Venenum exterminandum prorſus deficerent, æquum duxi Vini Emetic. ℥vi. illicò propinatis (Tempore Morbi huic conſilio favente) eam allevare. Vomitionem Æger bene toleravit, & à nauſeâ inde plurimum liberatus eſt, Spiritibus verò ſtimulatis & ſupra modum expanſis non minùs de Cephalalgiâ Spaſmodicâ quæſtus eſt quam anteà de Nauſeâ & Ægritudine. Et quidem dolor Capitis adeò ſæviebat, & Arteriæ adeò validè vibrabantur ut Hæmorrhagiam immanem (modò phlebotomiâ opportunâ haud præcaveretur) inſtare ſuſpicarer. Ideòque ℥x. ſanguinis è Cubito illicò detrahendas juſſi, & Bolum cardiacum & paregoricum horâ ſomni miniſtrandum cum hauſtu Julapii Cordialis temperati ad libitum pitiſſandi, unde Æger bene dormivit; mane ſequenti reverſus eum inveni planè ἀπυρετὸν, à dolore capitis, nauſeâ & omni altero ſymptomate ærumnoſo liberum; nullum autem Exanthema, vel quidem prænuncium explorando deprehendere potui; nihilominùs ut ſe in Cubiculo regimini juſto obſequens per unum vel alterum diem contineret, in mandatis dedi. Juvenis autem nullo ſymptomate affectus, & quia tempeſtas erat præfervida, monitis noſtris minùs auſcultans, è lecto ſurgit, ad negotia ordinaria ſe accingit, edit, bibit, ſomnum capit ut anteà, donec uno vel altero die elapſo, conſervis perterritis, exanthemata hìc illic in facie & manibus ſeſe palam prodere incipiunt. Ego iterum jam ſtatim accerſor, cùm auten eruptionem admodùm regularem animadverterem, ſine Febre recidivâ, ægritudine, vel quovis altero moleſto ſymptomate conjuncto, cùm diætam tenuem & regimen quod cætera moderatum imperaveram, diſceſſi. Juvenis verò reliqua Morbi ſtadia intra ſpatium octo dierum tranquillè decurrens, abſque omni omnino pharmaco perfectè convaluit.

Hiſt. 11. Nepos Domini *Major* habitantis in vico dicto *Pater-noſter-rovv*, annos 17. natus circa annum 1674. ad quatuor dies intensè febricitans decubuit, quarto autem die cum jam prænunciæ Variolæ per unum vel alterum diem ſeſe hìc illic in facie & manibus palam prodidiſſent, Hæmoptoe inſigni tentabatur, eò quod natura Plethorâ oppreſſa, Criſin ægrè admodùm perficere valeret. Ego iſto die accerſitus, cùm à forti & conſtanti arteriarum vibratione hanc Hæmorrhagiam ex orgaſmo enormi, non à Spirituum vacillatione & languore ortam deprehenderem, ſanguinis ℥vii. vel viii. è brachio detrahendas juſſi. Hæmoptoe inde derepente ſubſiſtit, atque Bolo cardiaco & paregorico exhibito, Arteriæ juſtè & legitimè vibrantur, Exanthemata intra ſex horas ubique Criſi perfectâ protruſa admodū frequentia erumpunt, quæ demum in progreſſu Morbi cohærebant & plurimum confluebant, quia Spiritus inſtante Criſi ſanguinis profluvio labefactati, munus quod legitimè ſuſceperant explere non potuêrunt: unde Variolæ quæ primo Diſcretæ apparebant, demum cohærebant ac tandem confluebant. Nihilominus Æger continuato uſu Julapii noſtri Paregorici cum Speciebus, ſomnum ſufficientem quotidie capiens, ſingula Morbi ſtadia reliqua ſine Febre recidivâ vel ſymptomate quovis vehementiori ſecurè ſed tardius decurrebat, atque tandem poſt Salivationem tempore maturationis ſatis diu protractam convaleſcebat.

Hiſt. 12. Filius Domini *Wheeler* habitantis in vico dicto *Princ's Street*, (cujus Hiſtoriam olim conſcripſi in *cap.* 8. *lib.* 1. Phthiſiologiæ noſtræ) qui poſt phthiſin Diabeticam arte ſuperatam ſemel ſaltem in Anno Inſultibus Epilepticis corripi ſolebat, die Menſis Julii 23. 1691. cùm jam ſeptimum ætatis annum ageret, Febre correptus ad triduum planè hebes & comatoſus jacebat: tertio autem Morbi die ego accerſitus, cùm deprehenderem ſpiritus veneno diu preſſos, maximo niſu colluctâſſe, atque inde in exploſionem adactos inſultus Epilepticos viſu horrendos excitâſſe, ita ut Apoplexiam, non autem Variolas inſtare conjicerem, ſanguinis ℥vi. derepente ad motus Spirituum inordinatos compeſcendos è venâ jugulari detrahendas jubeo, atque Veſicatoria ad eorundem vires excitandas ad Nucham & Carpos internos &

Em-

Emplaſtr. Cephalic. cum Euphorb. ad plantas pedum applicandum, atque cochlear. iij. vel iv. Julap. ſequent. quartâ quâque horâ vel ſæpius propinanda,

℞. Aqu. Meliſſ. Rut. Ceraſ. nigr. an. ℥ ij. Pœon. comp. Epidem. an. ʒ vi. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. Pulv. de Guttet. an. ʒß. Syrup. Cariophyll. ʒ x. M. F. Julap. Die autem proximo, ſcil. Julii 26. reverſus cùm animadverterem Puerum, veneno per exanthemata Varioloſa propulſando, à Comate & Febre liberatum, atque Variolas utut admodùm exiguas punctorum acicularum ad inſtar, verum diſtinctas; uſum Julapii cum Speciebus repetendum præſcripſi, in locum Syrup. Cariophyll. ſubſtituendo Syrupum de Mecon. atque cochlear. ij. vel iij. Julapii ſequentis ad libitum in languoribus exhibenda,

℞. Aqu. Meliſſ. Rut. Ceraſ. nigr. an. ℥ ij. Pœon. comp. ℥ i ß. Tinctur. Caſtor. ʒ i. Spirit. Sal. Armon. ℈ i. Syrup. Pœon. comp. ʒ x. M. F. Julap. Die autem Julii 27. cùm ſpiritus quadantenus languidos ob præcedentem Venæſectionem; & Exanthemata flaccida deprehendiſſem, Bolum ſequentem in cochl. Julap. ſolut. illicò deglutiendum juſſi;

℞. Theriac. Androm. gr. v. Pulv. de Goâ, de Guttet. an. gr. vii. Syrup. Pœon. comp. q. ſ. M. F. Bolus. Die 28. ad Maturationem Exanthematûm promovendam, Ingredientia ſequentia in ℔ ij. liquoris poſſetic. coquenda pro potu ordinario imperavi,

℞. Ficuum ping. inciſ. num. 7. Lentium craſsè contuſ. ℥ß. Raſur. corn. cerv. Ebor. an. ℥ß. M. Die 29. ad vires ſpirituum fovendas cochl. iij. vel iv. Julap. ſequent. ad libitum propinabantur agitatâ phiala.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſſ. nigr. an. ℥iij. Epidem. cinnam. hord. an. ℥ i ß. M. F. Julap. Die 30. cùm jam Exanthemata, utut admodùm exigua & minutula, pure turgere incœperant, atque inde Puer pro dolore parùm dormiret, Hauſtulum ſequent. horâ ſomni propinavi.

℞. Aqu. card. ℥i. Epidem. Syrup. Caryoph. an. ʒi. Theriac. Androm. ℈ß. Pulv. de Guttet. Lapid. de Goâ, an. gr. v. M. Die autem Auguſti primo ad pus meliùs concoquendum, Hauſtulum ſequentem. horâ ſomni exhibendum, & mane proximo repetendum curavi.

℞. Aqu. Ceraſ. nigr. cinnam. hord. an. ℥ß. Theriacal. Stillat. ʒ ij. Theriac. Androm. Pulv. è Chel. cancr. comp. an. gr. vi. Syrup. Carioph. ʒ ij. M. F. Hauſtulus. Die autem ab Eruptione ſexto, ubi jam Exanthemata ubique optimè maturata exareſcere, atque in tubercula concreſcere cœperant, ſine febre recidivâ, Tuſſi, Salivatione, Gutturis dolore, vel altero quovis ærumnoſo ſymptomate ſuborto, Memet ſubduxi uſque ad diem Auguſti nonum: jam autem ad fæces Morbi per alvum deturbandas, Cathartica ſequentia in formam pilularem, utpote Patienti gratiſſimam, redacta præſcripſi,

℞. Pil. fœtid. Stomach. cum Gum. an. ℈ß. M. F. Pilul. iij. deaurandæ, horâ ſomni exhibendæ. Mane ſequenti deglutiat pilulas ſequentes cum Regim.

℞. Extract. Rud. ℈i. (ſiquidem alvo erat difficiliori) F. pil. iij. deaurand. Cùm autem ſordes non ſatis inde ſubductæ fuerint, demùm Auguſti 12. Bolum ſequentem nebulâ involutum deglutiebat.

℞. Electuar. Lenitiv. ℈ ij. pil. Stomac. cum Gum. ℈i. Syrup. è Flor. perſic. q. ſ. M. F. Bolus mollis. Mane autem proximo Bolum ſequentem pariter nebulâ involutum.

℞. Electuar. Lenitiv. ℈ ij. Extract. Rud. ℈i. Syrup. è Florib. perſic. q. ſ. M. F. Bolus mollis. Alvo hinc optimè deturbatâ, puer huc uſque bene valet.

Hiſt. 13. *Elizabetha* Filia Domini *Bright* habitantis in vico dicto *Little Britain*, Neptis Reverendi D. Doctoris *Bright* Eccleſiæ Sancti *Aſaphi* Decani anno circiter 1676. 12. ætatis annum agens, febre correpta decubuit. Puellam tertio Morbi die Inſultibus Epilepticis admodùm horrendis jam per plures horas laborantem inviſi; cùm autem circumſtantiis ritè penſitatis deprehendiſſem haſce diras contorſiones ſolummodo ex forti Spirituum Venenum Varioloſum adorientium niſu ortas eſſe; de eventu non admodùm anxius adſtantibus animos addidi. Ideoque poſtquam applicato ad frontem, nares & volas manuum Oleo Succini, & uſu interno Spirit. cornu cervi & Julapio Anti-epileptico, diros hoſce Spirituum ferocientium niſus in ordinem redegeram; ad vires eorundem erigendas Veſicatorium ad Nucham applicandum, atque cochlear. iv. vel v. Julap. ſequent. tertiâ vel quartâ quâque horâ exhibenda jubeo;

℞. Aqu. flor. Tiliæ, Ceraſ. nigr. Rut. an. ℥ iij. pœon. comp. ℥ ij. pulv. è Chel. cancr. comp. Lap. Contrayerv. pulv. de Guttet. an. ℈ ij. Syrup. Cariophill. ʒx. M. F. Julap. propinandum agitatâ phialâ. Quid fit? Veneno in hâc luctatione ad Cutim prorſus eliminato, Variolæ die proximo (quod poſt Epilepſiam Symptomaticam fermè ſemper contingit) ubique diſcretæ & regulares erumpunt, atque Spiritus non amplius laceſſiti & à motu inordinato liberati ſponte quieſcunt, Ægrotante intereà placidè dormiente & à febre liberatâ. Quâ de causâ Julapium parciùs & minùs frequenter exhibitum eſt, & regimine legitimo continuato, Exanthemata ſpatio à Naturâ præſtituto ſponte pure referta maturabantur, atque demum nullo morboſo ſymptomate ſuborto, in tubercula arida concreſcebant. Atque equidem dirum hoc Symptoma in Variolarum Apparatu fortem Spirituum niſum ſubindicat, indolemque Morbi fere ſemper benignam, & eventum proſperum fore denunciat.

Hiſt. 14. Dominus *Shepherd* Juvenis generoſus 20. Annos natus hoſpitans, ad Inſigne Adami & Evæ ex adverſo Hoſpitii dict. *Staples-Inn*, in vico dicto *Holborn*, media æſtate anno 1692. rigore ſub veſperam correptus, dein totâ nocte febricitans, mane ſequenti univerſali madore perfuſus eſt, dolore autem Capitis & Nauſeâ adhuc perſtantibus, Medicum ante meridiem accerſendum curavit, qui pro ratione ſymptomatum urgentium ſecundo Morbi die nempe Julii 23. ſanguinem è Cubito ſtatim detrahendum juſſit, & ℥ j. Vini Eme-

tici miniſtrandum ſub veſperam, atque hora ſomni Syrup. de Mecon. ℥ i. in Hauſtu paregorico propinandum. Die Morbi tertia Variolæ erumpunt paucæ admodùm & Diſcretæ, Benignarum figuram & colorem obtinentes: Patiens juxta ſententiam Clariſſ. Sydenhamii tractatus, Decocto albo & Laudano utitur, nullo omninò Alexipharmaco conceſſo. Variolæ ſecundo eruptionis die numero valdè auctæ pæne cohærebant, ubique autem languebant, & in centro ſubſidebant, utut margine vegetè rubro circumcingerentur; Vigiliæ etiam, non obſtante liberali Laudani uſu, perſtabant ob Venenum intus cohibitum pertinaces: Febrilis autem intemperies ob Spirituum languorem admodum obſcura erat & vix perceptibilis, Tertio Eruptionis die, ſcil. Julii 26. quando Ego conſultandi gratia accerſitus ſum, Ægrotans vigiliis & delirio tentabatur, pulſus erat admodum debilis & celer, temperies verò mitis, Exanthemata ubique deprimebantur, & languebant; acceſſit Dolor in Gutture atrox, ſiquidem vires in Veneno juxta primam intentionem per Cutim eliminando Naturam deficiebant, ideoque virus Tonſillas & ductus Salivales laceſſere demum cœpit. Quare conſilio, cùm Medico ordinario inito, ſtatuimus Spiritus languidos veſicatoriis ſtimulandos eſſe, eorumque vires erigendas atque motus effrænatos compeſcendos Alexipharmacis & Opiatis ſimul junctis. Cùm autem Ægrotans monitis noſtris minùs obſequens, Veſicatoria penitùs reſpueret, ægrius ſcopum aſſecuti ſumus ope Remediorum internorum, in quibus ea de cauſa copioſiùs atque diutiùs exhibendis perſtare neceſſarium erat, uti ex ſequentibus conſtat. Julii 26. Cochl. v. vel vi. Julap. ſequent. quarta quaque hora agitata phiala propinavimus, atque Hauſtum Paregoricum hora ſomni,

℞. Aqu. Meliſſ. Rut. Ceraſ. nigr. an. unc. ij. Epidem. Pœon. comp. an. unc. i. Tinctur. Croc. ʒ j. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. ℈ ij. Syrup. de Mecon. unc. i ß. M. F. Julap. Cùm autem inde non omnino dormiret, atque propter dolorem Gutturis inflammatorium ab uſu Pulverum abhorreret, Julii 27. gutt. xx. Laudani liquid. cochl. vi. Julap. ſequent. inſtillatas illico exhibendas juſſimus, atque quarta quaque hora repetendas quouſque ſomnus obreperet,

℞. Aqu. Flor. Calendul. Cinnam. Hord. an. unc. iij. Epidem. unc. i. Theriacal. Diacod. an. unc. iß. atque hora ſomni Hauſtulum ſequentem propinandum,

℞. Aqu. Cinnam. Hord. Ceraſ. nigr. an. unc. i. Aqu. Flor. paralyſ. Diacod. an. ʒ vi. Laud. Liquid. Cydoniat. gutt. x. M. F. Hauſtulus. Inſuper ad dolorem Gutturis leniendum, & maturationem Variolarum promovendam, Gargariſmum ſequentem in fauces calidè ſæpe ſiphone injiciendum, (hiſce partibus priùs Panno Wallico ab injuriis aëris externi munitis) atque liquorem Poſſeticum, Ingredientibus mox deſcribendis alteratum, copioſè atque frequenter bibendum curavimus,

℞. Decoct. Ficuum. ℔ iß. Mel. roſat. colat. unc. ij. Diamor. unc. i. M. F. Gargariſmus.

℞. Fic. ping. inciſ. num. 7. Lentium craſſe contuſ. unc. i. Raſur. cornu cervi, Ebor. an. ʒ iij. M. & Coq. in ℔ ij. Liquor. Poſſetic. exinde aliquantiſper dormivit. Verùm neque Pulſum fortiorem, neque Exanthemata humore magis referta deprehendimus, quare Julii 28. reverſi Alexipharmaca magis generoſa cum Opiatis ad Spirituum expanſionem promovendam conjungere decrevimus more ſequenti,

℞. Theriac. Andromac. Pulv. è Chel. cancr. comp. an. ʒ ß. Laudan. liquid. gutt. xv. Syrup. caryophill. q. ſ. M. F. Bolus ſtatim ſumendus, una cum Hauſtu Julap. nuperrimè præſcript. repetenduſque denuò quartâ vel quintâ pomerid. Julapium etiam Perlatum ſequens ad libitum pitiſſandum præſcripſimus & uſum Gargariſmi & liquoris Poſſetic. repetendum.

℞. Aqu. Lact. Alexiter. ceraſ. nigr. cinnam. Hord. an. unc. iij. Pœon. comp. Epidem. an. ʒ vi. Margar. præparat. ʒ i ß. Sacchar. alb. ʒ x. M. F. Julap. Julii 29. reverſi animadvertimus Exanthemata ubique inflammata & humore aqueo referta ideoque præſcripſimus Decocti albi ℔ i. cum ℈ i. Laudan. liquid. cydoniat. commiſcendum, ut ex hoc liquore copioſiùs epoto ſomnus, cui jam ſatis Patiens indulgebat, perſeveraret, & Julapio perlato repetito ſpiritus fovendos curavimus. Julii 30. cùm Ægrotantem iterum Vigiliis fatigatum inveniremus, duplam Laudani quantitatem Decocto albo inſtillavimus, atque Julapium perlatum de novo præſcripſimus: Julii autem 31. cùm in hoc temperato regimine arteriæ debiliùs ſeſe vibrarent, atque maturatio Variolarum (quæ jam quinto maturationis die Aquâ non purè implebantur) nimis tardè progrederetur, ad uſum Alexipharmacorum rurſus confugere neceſſarium duximus. Ideoque Hauſtum ſequentem ſtatim ſumendum, itidemque hora ſomni repetendum juſſimus,

℞. Aqu. flor. calendul. cardu. an. unc. i. Pœon. comp. an. ʒ ij. Theriac. Andromac. Pulv. è chel. cancr. comp. an. ℈ i. Laud. liquid. gutt. x. Syrup. cariophyll. ʒ ij. M. F. Hauſtus. Cochl. etiam iv. vel v. Julap. ſequent. ad libitum pitiſſanda conceſſimus,

℞. Aqu. Meliſſ. ceraſ. nigr. cinnam. Hord. an. unc. iij. Epidem. Pœon. comp. Syrup. cariophyll. an. unc. i. Confect. Alcherm. ſ. Moſch. ʒ ij. Syrup. è Rub. Idæ. unc. ij. M. F. Julap. Perſtabat etiam in uſu Gargariſmi, Julapii perlati & Decocti albi, cui unc. ij. Aqu. cinnam. Hordeat. additæ fuerunt. Auguſti primo, Exanthemata ubique matureſcere & flaveſcere incipiunt; nihilominus ad vires adhuc ſuſtentàndas Bolum Alexipharmacum ſequentem unà cum Hauſtu paregorico manè exhibendum & veſperi repetendum duximus,

℞. Theriac. Andromac. pulv. è chel. cancr. comp. an. ʒ ß. Syrup. cariophyll. q. ſ. M. F. Bolus.

℞. Aqu. Flor. Paralyſ. Cinnamom. Hord. an. unc. ß. Theriacal. Stillat. Diacod. an. unc. ß. Laudan. liquid. Cydoniat. gutt. xii. M. F. Hauſtus. Auguſti ſecundo, cùm jam Exanthemata ubique incruſtata, exareſcere atque in facie indurari cœperint, bis terve in die Linimen-

nimentum ſequens pluma faciei illinendum juſſimus, atque Bolum antepræſcriptum cum Hauſtu paregorico hora ſomni exhibendum.

℞. Ol. Amygdal. dulc. recent. unc. i. Sperm. Cet. ʒi. M. F. Liniment. Denique Auguſti tertio cùm jam Variolæ ubique exareſcentes decidere incipiebant, æquum duximus ſtercora quæ jam in inteſtinis plus quam decem dies coacervata ſubſtitiſſent, Enemate ſequenti ſubducere,

℞. Decoct. Emollient. unc. x. Sacchar. rubr. Mel. Mercur. an. unc. ij. Ol. Lini recent. unc. iß. Caſſ. Extract. pro Clyſt. unc. ß. M. F. Enema. Fæcibus autem in alvo congeſtis, atque morâ inſpiſſatis & induratis, Contorſiones horrendæ tantùm non animi deliquium inducentes, in Inteſtinis cientur, atque Enema re infecta illicò rejicitur, quare alterum ſtatim injiciendum paratur;

℞. Lact. recent. unc. xii. Ol. Chamæmel. unc. iij. Mel. Mercur. Sacchar. rubr. an. unc. i. Extract. Caſſ. unc. i. M. F. Enema. Quo rejecto ſtercora formata & vaſtæ molis ægre, & non ſine multo niſu & torminibus egeruntur. Quo facto Hauſtus ſequens ad irritationem Spirituum ab egeſtione excitatam ſopiendam, hora ſomni propinabatur.

℞. Aqu. Flor. Paralyſ. unc. ij. cinnam. Hord. unc. i. Diacod. unc. ß. Laudan. liquid gutt. xii. M. Sexto Auguſti alvum Pharmaco Lenitivo evacuare decrevimus more ſequenti,

℞. Pil. Stomach. cum Gum. ʒß. F. Pil. iv. deaurand. quas ſumat hora ſomni, mane ſequenti bibendo Potionem ſequentem,

℞. Decoct. Senn. Gereon. unc. iv. Mannæ opt. unc. ß. M. F. Potio. Septimo Auguſti, quandoquidem Oculi fuerant debilitati & levi inflammatione tentati, unc. viii. ſanguinis (qui admodum mucoſus erat) è cubito ſiniſtro mane ſequenti detrahendas curavimus; & quia Appetitus minus vigebat, Decoct. amar. abſq; purgant. unc. iv. horis duabus ante prandium, itidemque quinta pomerid. exhibendas juſſimus. Auguſti octavo, quandoquidem Oculi diu debilitati fuiſſent, alvum calomel. deturbandam eſſe decrevimus, more ſeq.

℞. Calomel. ℈i. Electuar. Lenitiv. conſerv. Roſ. pallid. an. ʒß. M. F. Bolus hora ſomni degluttiend. mane proximo propinavimus Potionem ſequentem,

℞. Decoct. Amar. cum dupl. Senn. ℥iv. Syrup. de Spin. cerv. ʒvii. Alvo autem inde non copioſè ſubductâ, tandem Auguſti nono Pil. Stom. cum Gum. ʒß. in Pil. iij. redact. hora ſomni degluttiendas, & mane proximo Pilulas ſequentes præſcripſimus,

℞. Extract. Rud. ℈i. Pil. fœtid. ℈i. Ol. cinnam. chym. gut. ij M. F. Pil. iv. deaurandæ. Hoc pacto Juvenis egregius & familiæ ſuæ unica ſpes, plaudentibus amicis, à Variolis hiſce languidis & ſero matureſcentibus liberabatur, nec febre recidiva notabili, faciei vel extremorum intumeſcentia vel Salivatione, nec cicatricibus in facie, Tuſſi vel quovis altero ærumnoſo ſymptomate poſteà ſuborto plectebatur, atque huc uſque ruri firma & conſtanti valetudine utitur.

Hiſt. 15. Filiola Domini *Nois* habitantis ad Inſigne *Equi albi* in vico dicto *Fleetſtreet* duos annos nata menſe Decembri 1692. ægrotabat; poſt triduum elapſum, Variolæ frequentes ubique in Facie & Artubus erumpebant, quæ penitùs intra tres vel quatuor dies ſine maturatione exareſcebant. A quo tempore ad duas hebdomadas valetudine incommoda tenebatur, qua de cauſa Pharmacopola, ſuffragantibus Mulierculis pharmacum Catharticum Puellæ propinavit, tunc autem ingraveſcebat valetudo & acceſſerunt ſymptomata Variolarum Apparatum comitari ſolita; atque demùm uno vel altero die elapſo, Variolæ ubique in trunco corporis admodum frequentes repullulant, atque brevi iterum ſubortâ Diarrœâ ſine maturatione declinant. At inde miſera Puellula veneno hoc modo intus cohibito, fluxu alvi immodico cum torminibus conjuncto, & Hectica febre correpta intra unum vel alterum menſem confecta, atque ad maraſmum uſque redacta planè attonita jacebat, Deliquiis & Spaſmis ſæpiùs recurrentibus afflicta. Ego jam demum acceſſitus, neque Veſicatoriis, neque ullo Remediorum Alexipharmacorum, Antiſpaſmodicorum & Aſtringentium apparatu mortem imminentem præcavere potui, quam poſt triduum vel quatriduum calamitoſe tranſactum tandem obiit.

Hiſt. 16. Filius unicus Domini *Hooke* Mercatoris habitantis in angiportu dicto *Magpye Ally* prope plateam dictam *Franchurch ſtreet* Februar. 16. 1693. currente jam duodecimo ætatis anno intensè febricitavit: die autem 17. Dolore verſatili jam in latere dolorem Pleuriticum ſimulante, jam in artubus Rheumatiſmi æmulo, atroci & ſpaſmodico corripiebatur; & Parentes, vehementiâ doloris commoti, me incunctanter accerſebant. Quandoquidem verò ex Pulsûs robore & doloribus Spaſmodicis conjunctis Febrem deprehenderim adeſſe Inflammatoriam, utut indicia Variolarum mox erupturarum ſimul adfuerint, ℥vii. ſanguinis illico detrahendas juſſi, atque poſteà Bolum Theriacalem exhibendum cum Hauſtu Julapii cordialis temperati ad libitum pitiſſandi. Reverſus die 18. inveni Variolas diſcretas legitime protruſas; Puerum autem placidè dormientem, atque à Febre & doloribus prorsùs liberatum, ideoque ſolummodo Julapii ſequentis Cochl. iv. vel v. tertia vel quarta hora ad vires Spirituum ſuffulciendas, & motus eorumdem regulares ſuſtentandos propinanda juſſi,

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥iv. Epidem. Pœon. comp. an. unc. i. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. ʒj. Syrup. de de Mecon. unc. iß. M. F. Julap. Variolæ ope hujus Julapii indies legitime augentur & acuminantur uſque ad diem Februar. 21. cùm jam ſine evidenti occaſione (maturatione jam inceptâ) derepente Febris quaſi inflammatoria cum Pulſu celeri & forti, vigiliis, jactatione inquietâ & cæteris id genus ſymptomatis conjuncta reviveſcit, Exanthematis ſine Salivatione vel Extremorum intumeſcentiâ ſubortâ undiquaque ſubſidentibus. Guttulis autem aliquot Laudan. liquid. hauſtui Julapii additis placidè denuò dormit Puer, atque inde ſub veſperam Exanthemata rurſus acuminata evidenter matureſcunt, facies inflammatur, atque extrema artuum,

mirum in modum, nullo omnino Ptyaliſmo ſuborto, derepente intumeſcunt, atque tandem die 23. uſu Julapii adhuc continuato Patiens planè ἀπύρετος reconvaleſcit, nullumque morboſum affectum poſt morbum paſſus eſt præter levem Oculorum Taraxin, quæ facilè Collyrio ex Aqu. Plantag. Troch. alb. Rhaſ. ſ. Opio & Sacchar. alb. ſubtiliſſ. pulveriſat. ſæpius inſtillato ſanabatur. Ideoque die Martii tertio (reſtituto jam Appetitu) alvum Potione ſequenti, itidemque die ſeptimo & undecimo ſubducendam juſſi,

♃. Decoct. Sennæ Gereon. unc. ii ß. Syrup. è Spin. Cerv. unc. ß. M. F. Potio.

Hiſt. 17. Domina *Upton* habitans in vico dicto *Lothbury* virgo gracilis & melancholica, menſe Decembri 1693. currente jam anno ætatis viceſimo, fermento Varioloſo tentata febricitavit, & Apparatum Morbi ſine quovis vehementi ſymptomate tranſegit, tertio die Variolæ erumpunt legitimæ & diſcretæ; ſecundo autem eruptionis die horrendis inſomniis ſine cauſa quavis evidenti perterrita, biduo ſequente, nimirùm ad ſecundum uſque maturationis diem, depreſſis ubique & ſubſidentibus Exanthematis, vigilavit perpetuò & deliravit, acceſſit Pulſus quadantenus celer, debilis & tremulus. Ego tunc primùm accerſitus, Julapium noſtrum Paregoricum cum Speciebus parandum curavi; atque ejus Cochl. v. vel vi. tertia quaque hora (agitatâ Phialâ) miniſtranda, atque horum hauſtulorum primo, atque etiam nocturno Laudan. liquid. Helmont. gut. xv. inſtillanda; Liquorem etiam Poſſeticum noſtro modo alteratum copioſè & calidè propinandum juſſi. Quid fit? poſt primam Laudani doſin benè dormit & ad ſe redit Ægra, Exanthemata protinùs acuminata turgeſcunt, atque ſine Ptyaliſmo vel quovis altero moleſto ſymptomate ſenſim matureſcunt, atque continuato Julapii uſu intra biduum in tubercula concreſcunt more Variolarum regularium. Deinde Appetitu reſtituto poſt purgationem peractam ſine quovis morboſo affectu brevi perfectè revaleſcebat.

Hiſt. 18. Domina *Terry* habitans in vico dicto *Old Baily*, non ita pridem maritata, ſub finem menſis Maji 1693. Febre, & ſymptomatis apparatum Variolarum comitari ſolitis correpta, ſub finem tertii diei Variolarum Diſcretarum eruptione tentata fuit: Menſes autem jam extra ſolitum tempus fluere incipientes, atque Pathemata animi graviora Spiritus adeò depreſſerant, ut quinto die à maturatione inceptâ (quo ego primùm accerſebar) exanthemata ubique in centro ſubſiderent, & ſero limpido ſemiplena nullatenùs pure concocto turgerent; acceſſit Pulſus debilis, celer & tremulus, Linguæ ariditas, Mentis vacillatio, Vigiliæ pertinaces non obſtantibus Opiatis liberali manu à Pharmacopolâ miniſtratis, & frequenter repetitis, quippe nè granum quidem Alexipharmacorum ad vires Spirituum ſuffulciendas, atque ad eorundem obrutorum expanſionem promovendam hactenus exhibitum fuerat. Ego die ſeptimo Junii advocatus, uſu Veſicatoriorum frequentium & Alexipharmacorum cum Opiatis conjunctorum incaſſùm, quippe nimis ſerò, Spiritus pæne extinctos erigere, atque fatum præproperum averruncare moliebar: Fœmina enim intra ſpatium 24. horarum, nempe octavo Junii, vigiliis, deliriis & Spaſmis plane confecta fatis cedebat. Adeò ſine fructu eſt Medela efficaciſſima ſi modò nimis ſero adhibeatur: quod in vituperium Remediorum, & Methodi uſu probatæ verti non debet: eſt enim ubi quivis leviſſimus Morbus neglectus, funeſtus evadat, & vim omnium Remediorum eludat.

Hiſt. 19. Puer 12. Annos natus habitans in Domo Domini *Shepherd* Zythepſæ in *Horſeedowns*, decimo die Septembris Anno 1692. atroci Lumbagine correptus decubuit. Calor mitis & blandus erat, Ægritudo & Vomitio fere nulla; ſpiritus enim a Spaſmodico Lumborum dolore diu fatigati & labefactati, haud pares certamini ineundo, à munere ſuo planè defecerunt: Exanthemata inde, utut Diſcreta, parva admodum, frequentia & livida ubique confertim ſub initium diei tertii erumpunt. Puer autem ad tertium diem Eruptionis (quo Ego ad eum inviſendum acceſſor) perpetim delirus & inſomnis jacebat: acceſſit pulſus adeò celer & debilis, ut Pueri vitam planè deſperarem, utcunque Spirituum ſemimortuorum expanſionem ſtimulo Veſicatoriorum ad Nucham & Carpos internos applicatorum promovere ſategi, atque eorum vires erigere & motus effrænatos compeſcere Bolo ſequenti Alexipharmaco & Opiato ſexta quaq; hora repetito.

♃. Theriac. Androm. ℈i. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. Serpentar. Virgin. an. gr. viii. Laud. liquid. gut. x. Syrup. Cariophyll. q. ſ. M. F. Bolus, Julapium Cordiale inſuper poſt unumquemque Bolum & ad libitum pitiſſandum præſcripſi, & liquorem Poſſeticum Ficubus & Lentibus alteratum copioſè exhibendum juſſi. A tertio Bolo exhibito demum dormivit, Exanthemata inde evidenter inflammata matureſcere cœperunt, Febris miteſcere, Pulſus robuſtè & rhythmicè vibrari; ideoque die proximo ut in præſcriptis perſtet jubeo, & inſuper ut Laudan. Liquid. gut. x. in hauſtulo Julapii exhibeantur in intervallis inter Bolorum uſum, quouſque placidè dormiat: Quid fit? poſt primam doſin Laudani placidè dormit, ſalivam copioſè egerit, caput & facies derepente intumeſcunt, arteriæ fortiter & æqualiter vibrantur, Febris prorſùs exulat. Variolæ tamen artus obſidentes ubique in centro adhuc deprimebantur, & dolor una cum tumore fauces adeò tentabat, ut ægre admodum Patiens deglutitionis munere fungeretur: Ideoque fauces externè Panno Wallico muniendas, atque Gargariſmum è Decocto Ficuum cum Melle Roſat. & Diamor. ſæpius Siphone faucibus injiciendum curavi, atque uſum Bolorum non eſſe intermittendum. Die proximo, nempe Morbi octavo, Ptyaliſmo adhuc vigente, Artus intumeſcunt, atque Exanthemata eos obſidentia ubique maturata pure laudabili turgere incipiunt, atque hoc pacto ſine Febre recidivâ brevi revaluit Puer, ab orci faucibus Arte Medicâ planè liberatus.

Hiſt. 20. *Edvardus Helms* Adoleſcens 16. annos natus, in Matris ſuæ ædibus in vico dicto

Euh-

Buſh-lane habitans, Julii 29. 1693. prægrandi capitis dolore, ægritudine ventriculi & alvi Aſtrictione correptus febricitavit: Per triduum Apparatus nullum omnino pharmacum exhibebatur, Venæſectio ab atroci Capitis dolore indicata forſan cum Ægrotantis damno omiſſa fuit; ſub finem tertii diei Exanthemata ſeſe ubique in conſpectum dederunt: præ timore vero quo Æger ubi primùm intellexerat ſeſe Variolis infectum, perculſus erat, ſubortâ jam perpetuâ Cordis palpitatione, derepente ſeſe ſubduxerunt; mane autem ſequenti, Naturâ certamen recèns inſtaurante, rursùs, ubique Exanthemata inter Deliria & Vigilias efflorescunt; nihil autem omnino præter Bolum Theriacalem & Julapium Perlatum à Pharmacopolâ qui Ægrum tunc temporis tractabat, miniſtrabatur. Auguſti quator, die ſc. eruptionis tertio, Ego ad Ægrotantem Vigiliis & Delirio laceſſitum & pæne confectum (Exanthematis jam ubique depreſſis, at frequentibus admodùm & pæne cohærentibus) advocatus ſum. Febris aderat vehemens, cum Pulſu celeri & debili, atque palpitatione Cordis fere perpetuâ conjuncta; quâ de causâ Spiritus Alexipharmacis erigere, atque motus eorum inordinatos Opiatis compeſcere ſategi, more ſequenti.

♃. Theriac. Androm. gr. xxv. Pulv. è Chel. Canc. comp. Lap. Contrayerv. an. gr. xij. Laudan. liquid. Helmont. gut. xij. Syrup. de Mecon. q. ſ. M. F. Bolus: quem ſumat Æger quamprimùm ſolut. in Cochleari Julapii ſequent. ſuperbibendo ejuſdem Cochl. iii. vel iv. repetatque denuò hora ſomni,

♃. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. unc. iv. Epidem. Pœon. comp. an. unc. i. pul. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. ℈ ij. Syrup. de Mecon. unc. i ß. M. F. Julap. de quo cap. Coch. iv. vel v. agitata Phiala, tertia vel quarta quaque hora. Ut Liquorem Poſſeticum Ficubus, Lentibus, &c. alteratum & tepefactum copiosè biberet inſuper imperavi. Die proximo, Auguſti nempè quinto, bene dormivit, atque ceſſante Palpitatione, ad ſe rediit planè ἀπυρετὸς, ideoque licet unam vel alteram Petechiam in pectore eſſloreſcentem deprehenderem, eventum fauſtum expectans, Veſicatoriis cruciandum Adoleſcentem non duxi; verùm uſum Julapii continuandum, & Bolum ſtatim, itidemque hora ſomni & mane ſequenti repetendum. Auguſti ſexto, Exanthemata jam demum ſerò licet, influxu Spirituum expanſorum vegeto inflammata in facie, quæ jam mirum in modum intumuit, matureſcere cœpērunt, in trunco autem & artubus Tubercula, utut margine rubro cincta, adhuc deprimebantur. Guttur à niſu Naturæ inani per ductus Salivales Venenum protrudere molientis inflammabatur; Ptyaliſmò autem nullo ſuperveniente, Lingua ob vicinam inflammationem & Variolas quibus copiosè obſeſſa erat, arida & ſcabra reddebatur, ſine aliquo alio Febris præſentis ſymptomate conjuncto; quocirca Gargariſmum ſequenrem calidum ſiphone faucibus ſæpius injiciendum juſſi, uſum Julapii Paregorici continuandum, & Bolum hora ſomni repetendum,

♃. Decoct. Ficuum ℔ i ß. Mell. Roſat. colat. Diamor. an. ℥ i. M F. Gargariſm. Auguſti ſeptimo bene dormivit, & Exanthemata in trunco versùs maturitatem aliquantulùm progrediebantur, uſu Julapii Paregorici, & Bolorum Alexipharmacorum mane & veſperi adhuc continuato. Auguſti octavo, utut uſu præſcriptorum continuato ſomnus protractus eſſet atque Exanthemata ubique pure turgere inciperent; ex celeritate autem Pulsûs & Linguæ ariditate Febrem aliquantulùm recrudiſſe deprehendi, ideoque Bolum Alexipharmacum ſub veſperam exhibendum & mane proximo repetendum juſſi, & uſum Julapii Paregorici & Gargariſmi non intermittendum: Auguſti nono, Ptyaliſmo demum ſuperveniente atque Extremis artuum ex univerſali & æquali Variolarum maturatione intumeſcentibus Æger bene dormit, & ἀπυρετὸς jacet, de dolore Exanthematum inflammatorio duntaxat conqueſtus; ideoque Bolum ſolummodo hora ſomni repetendum duxi, atque uſum reliquorum continuandum. Auguſti decimo, Morbi ſcil. 12. poſtquam alvum per triduum præcedens ſemel in die ſponte dejeciſſet bonis avibus Æger, & Exanthemata ubique in pectore & artubus pure concocto turgerent atque flaveſcerent ſine Febre præſente, Julapium Paregoricum mane & veſperi durante Morbi declinatione uſurpandum imperavi, & Cochl. i. Mucilaginis ſequentis ſuper linguam imponendum, ad illius Scabritiem à Variolis ortam emolliendam & detergendam,

♃. Mucilag. Sem. Cydon. Aq. Plantag. extract. ℥ vi. Syrup. de Rub. Idæ. ℥ ij. M. Exanthemata autem uti maturationem perfectam non ante duodecimum Morbi diem aſſecuta ſunt; ita quanvis pure concreſcente in Tubercula more Variolarum benignarum mutata ſunt, vix autem incruſtata & Scabie obducta penitùs erant ante diem Auguſti 13. Morbi autem 15. tandem 17. Auguſti (Appetitu jam & temperie integrè reſtitutis) fæces Morbi per alvum deturbandas Potione ſequenti mane proximo exhibendâ, atque quarto quoque die repetendâ juſſi,

♃. Decoct. Senn. Gereon. ℥ iij. Mannæ ſelectiſſ. ℥ i ß. M. F. Potio. Atque hoc pacto Ægrotans præter ſpem adſtantium liberatus reconvaluit, nec quivis Morboſus affectus poſteà ſubortus eſt.

Hiſt. 21. Dominus *Northcott* vir ingenio acerrimo, ſtudio Medicinæ operam dans, poſt exercitia vehementiora præcedenti die admodum fervido diutius protracta, 7. Junii Anno 1693. Algore & horrore derepente correptus, deinde Calore febrili, Capitis dolore, nauſeâ, cæteriſq; Symptomatis Variolarum apparatum vulgò comitantibus laborans decumbebat. Die proximo ſcil. Junii 8. Febrem nullatenùs Varioloſam eſſe ſuſpicatus, ad Symptomata allevanda Chirurgo acceſſito Venam ſibi in brachio tundendam, atque ſanguinis unc. x. vel xii. detrahendas curavit; hoc forſan perperam, quia nullum Symptoma præter modum urgebat: Cum autem nihil inde levaminis percepiſſet, Junii 9. Collegam noſtrum Clar. D. D. *Goodall* acceſſebat, qui ad efferveſcentiam ſanguinis moderandam, ſordes oris detergendas, ſomnum conciliandum, vires Spirituum erigendas atque efferatos eorum motus compeſcendos, cæteraque ſymptomata tollenda præſcripſit ſequentia,

℞. Aqu. Cichor. Cardu. an. unc. iß. Salis Abſinth. ʒß. Spir. Vitriol. gutt. xx. M. F. Hauſtus, quem cap. ſecunda pom. & Sudoribus indulgeat.

℞. Aqu. Hord. optimè depurat. ℔j. Syrup. Viol. è Succo Citr. Lujul. an. unc. j. M. F. Julap. de quo bibat ad libitum urgente ſiti.

℞. Pulv. è Chel. Cancri comp. ℈j. Sal. Prunel. C. C. volat. optimè rectificat. an. gr. vi. Laudan. Lond. gr. i. Confect. Alcherm. ſ. odorat. q. ſ. M. F. Bolus quem deglutiat octava veſpertina ſuperbibendo hauſtum liquoris Poſſetici Salviâ alterati.

℞. Aqu. Hord. optimè depurat. ℥ iv. Spir. Vitriol. gut. xv. Syrup. è Mor. unc. i. M. F. Gargariſm.

℞. Mucil. Semin. Cydon. Extract. Syrup. Rub. Idæ. unc. vi. M. F. Mucilago ſuper linguam ſæpiùs tenenda. Applicetur Veſicatorium ad Nucham quamprimùm, vel ſaltem ſub veſperam. A primo Morbi inſultu una vel altera Variola prænuncia cæteris major in manu ſe prodiderat, jam verò ſub tertii diei veſperam Exanthemata ubique cœperunt admodùm Diſcreta; Ægrotans autem inquietus & vigil tota nocte deliravit. Junii 10. Decoctum album præſcriptum erat ad ſitim ſedandam, Pulvis etiam ſequens è Cochl. uno Julap. ſequent. ſtatim exhibebatur, propinatis ſubinde ejuſdem Cochl. iij. Pulv. è Chel. Cancr. comp. ℈ i. Sacchar. Perlat. ℈ß. M. F. Pulvis.

℞. Aqu. Lact. Meliſſ. an. unc. iij. Epidem. Cinam. Epidem. Hord. an. unc. i. Margar. præp. ʒi. Sacchar. alb. ʒ iij. M. F. Julap. Cum autem Vigiliæ & Delirium adhuc urgerent, ſub veſperam Hauſtus ſequens Paregoricus miniſtrabatur, atque alter ejuſmodi parabatur mediâ nocte propinandus, modo Æger ſomnum non caperet.

℞. Aqu. Lac. ℥ ij. Epidem. Cinam. Hord. an ʒ iij. Laudam. liquid. gut. xij. Syrup. de Mecon. ℥i. Spir. Vitriol. gut. vii. M. F. Hauſtus. Hauſtu hoc propinato aliquantulùm dormire cœpit, minùs delirabat, neque multùm febricatabat; Exanthemata autem numero indies aucta jam demum Junii 11. (quo die Ego conſultandi gratiâ accerſebar) fere cohærebant, ubique autem depreſſa erant & ſemimortua, Pulſus inſuper languebat, atque ſomnus (ſpiritibus adhuc veneno irretitis & inde in motus inordinatos adactis) uſu Opiatorum non facilè Ægrotanti conciliabatur: unde rectè conjecimus Morbum poſt Criſin imperfectè peractam, Mediam naturam ſortitum eſſe, atque Febrem ſubinde poſtliminiò inſtanti maturatione redituram, niſi Spiritus Alexipharmacis cum Opiatis conjunctis & copioſè exhibitis demum expanſi, venenum jam ſaltem ultimo Eruptionis die fortiter propulſare valerent, & tumultus eorum componerentur. Ideoque poſtquam liberum ei fuit ſeſe ab uno latere lecti in alterum volvendo immodicos ſudores quibus jam ubique ſcatebat, compeſcere, Cochl. v. vel vi. Iulap. ſequent. agitata phiala quarta quaque hora propinavimus,

℞. Aqu. Ceraſ. nigr. Meliſſ. Cinam. Hord. an. ℥ iij. Epidem. Pœon. comp. an. ʒvi. Lap. Goæ, Pulv. è Chel. Cancr. comp. an. ℈ij. Syrup. de Mecon. ℥ i ß. M. F. Julap. Hauſtum inſuper paregoricum nocte præcedenti præſcriptum illicò exhibendum juſſimus; & Hauſtum ſequentem hora ſomni miniſtrandum & media nocte, atque craſtina aurora, ſi modo vigiliæ id poſtulaverint, repetendum.

℞. Aqu. Lac. Flor. Paralyſ. an. ℥iß. Epidem. ʒiij. Succ. Lim. Semicochleare, Laud. liq. Sydenh. gut. xii. Syrup. de Mecon. ʒ vi. Uſus Julapii Perlati & Decocti albi non intermittebatur. Non obſtante autem Opiatorum copia ægrè admodùm ſomnum capiebat, aliquantulum etiam delirabat, Exanthemata ubique in apicibus depreſſa albeſcere incipiebant. Reverſi Junii 12. primò verò maturationis mane, uſu Opiatorum aſſiduo motus Spirituum vacillantium inordinatos compeſcere adhuc moliebamur, more ſequenti.

℞. Aqu. Lac. Ceraſ. nigr. an. ℥ i ß. Pœon. comp. Epidem. an. ʒ ij. Laudan. liquid. Sydenh. gut. xv. Syrup. de Mecon. ℥i. M. F. Hauſtus illico exhibendus, & poſt quatuor horas repetendus niſi ſomnus obrepat; Julapium Paregoricum adhuc quarta quaque hora repetendum, & Julapium Perlatum pro re natâ miniſtrandum juſſimus, & Liquorem Poſſeticum Ficubus & Cicer. rubr. alteratum in locum Decocti albi ſubſtituimus. Fruſtra autem in tanto Spirituum languore Opiatis & Alexipharmacis minoribus ſcopum attingere contendimus: ſub veſperam enim reverſi, Ægrotantem invenimus vigilem, inquietum & delirum; adeò enim Spiritus veneno irretiti, Opiatis opprimebantur, non tantùm de preſſu Cerebri gravativo, ſed etiam de ſpirituum defectu & ſummo languore conquereretur, ac ſi illicò animam efflaturus foret; quocirca Julapio cum Speciebus, & Opiatorum uſu non omiſſo, ad Alexipharmaca ſequentia majora & Veſicatoria confugimus,

℞. Theriac. Androm. ʒß. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. Rad. Serpentar. Virgin. an. ℈ß. Caſtor. gr. vi. Laudan. Lond. gr. ij. M. F. Bolus ſtatim exhibendus cum hauſtu Julapii Perlati, repetenduſque quarta quaque hora ſi Vigiliæ urgeant. Unciam etiam unam Aq. Epidem. Julapio Perlato addidimus, atque Veſicatoria ij. ampla & acria ad interna brachia ſupra Pulſus applicanda juſſimus. Media autem nocte, incipiente jam ſecundo maturationis die, Æger algore correptus ad horæ dimidium, deliquium paſſus eſt; mane autem ſequenti Junii ſcil. 13. reverſi Febrem continuam, verùm neque Petechiis, neque alia quavis nota exitiali comitatam recens accenſam ex ſiti, oris ariditate & Pulſûs celeritate deprehendimus: ſpiritibus autem hoc pacto quadantenus expanſis, Ægrotans jam demùm placidè dormiebat atque delirare deſinebat, Exanthemata jam maturationem aliqualem aſſequi incipiunt, Facies quadantenùs intumeſcit, & Ptyaliſmus, exulante jam Gutturis dolore, ſupervenit, ideòque Bolum Alexipharmacum abſque Laudano ſtatim exhibuimus, & cum Laudano mediâ nocte miniſtrandum juſſimus, modo vigiliæ reverterentur; ad Ptialiſmum etiam promovendum, Gargariſmum ſequentem tepidè faucibus Siphone ſæpiùs injiciendum curavimus, atque uſum Liquoris Poſſetici ante præſcripti, Iulapii Perlati, & Julapii Paregorici cum Speciebus repetendum,

℞. Decoct. Ficuum ℔ ij. Mell. Roſ. colat. Diamor. an. ℥i. M. F. Gargariſ. Per biduum jam

ſcil.

ſcil. 14. & 15. Junii res Ægrotantis ferè in eodem ſtatu manent, Febris adeſt mitis, verùm continua, Ptyaliſmus levis protenditur, facies & extrema artuum quadantenùs incraſſantur, non verò in tumorem altum attolluntur, utcunque durante hâc levi Naturæ velitatione parcior Opiatorum uſus Vigilias & Delirium arcebat; ideoque uſu Julapii Paregorici cum Speciebus quarta quaque hora miniſtrati jam contenti, Bolum Theriacalem abſque Laudano ter in die miniſtrandum parari imperavimus, verùm cum Laudano modò fortè Vigiliæ reverterentur. Sub finem autem diei 15. viribus jam in veneno propulſando Naturam quadantenùs deficientibus, (cujus rei voluntaria Oculorum apertio, & Tumor faucium diminutus primum ſignum dedit) Æger ad Vigilias & delirium magis proclivis erat; unde conjecimus Morbum præproperè antè maturationem Variolarum completam, ultimum ſuum Declinationis ſtadium iniiſſe; ideoque Bolum Theriacalem cum Laudano hora decima miniſtrandum juſſimus, & poſt quatuor horas elapſas repetendum, modo vigiliæ vel deliria augerentur, ſexta autem matutina abſque Laudano Veſicatoria duo parabantur ad Tibias applicanda, ſi modò vigiliæ vel delirium iſtud remedium poſtularet, Julapium Paregoricum repetebatur. Verùm Jun. 16. utut ab Opiatis Ægrotantis ſomni protraherentur, nihil autem inde meliùs ſe habuit; Morbo enim jam evidenter funeſte declinante, Variolæ ubique cohærentes ſcabie una continuati, eaque nigrâ obductæ, derepente in facie incruſtantur, in trunco autem & artubus ſero limpido potius quam pure maturo ſemiplenæ ubique ſubſidunt, Ptyaliſm⁹ exulat, extrema non ut priùs incraſſantur, urina pauca & quaſi ſana redditur; Natura denique haud ampliùs per Cutim, Ductus ſalivales vel extremas partes Venenum ſuperſtes protrudere potis, prorſus triumphata ſuccumbit: Æger poſt dejectionem liquidam & copioſam mox vigilat & delirat, Pulſus celer, inordinatus & languidus indicia fati appropinquantis haud obſcura exhibet; ideoque nobis viſum eſt, applicatione Veſicatoriorum præcedenti nocte perperam omiſſorum, atque diligenti & ſæpiùs repetito Alexipharmacorum & Opiatorum uſu, Spiritus expandere, & effrænatos eorum motus compeſcere pro virili moliri atque ope Cinerum Bufonum Lympham venenatam per Cataractas Renum deturbare; quo nomine Veſicatoria ij. ampla & acria ad internas Tibias ſtatim applicantur, atque Bolus Theriacalis cum Serpentar. Virgin. ℈i. Laudan. Lond. gr. ij. & Ciner. Bufon. ℈i. illico exhibetur, quarta vel quinta quaque hora repetendus, cum vel ſine Laudano pro ratione Dejectionum, Delirii & Vigiliarum. Inſuper liq. Poſſetic. cum vino Canar. & ℔ ij. Decoct. albi cùm Vin. Canarin. ℥ij. & Sacch. albiſſ. ℥i. pro potu ordinario parantur; & Vinum Canarinum meracum cum vel ſine Spirit. C.C. in Dèliquiis vel magno quovis languore conceditur. Mandatis hiſce noſtris ſtrenuè executis bene dormit Æger, atque rurſùs mente integrâ fruitur, alvo etiam adſtrictâ Urinæ quantitatem triplo majorem quàm priùs reddit, ideoque die 17. Bolum Theriacalem cum Ciner. Bufon. & Laudan. Lond. gr. ij. rursùs exhibuimus; Febris enim (ut ex Pulſu patebat) adhuc aderat, veſperi Bolum ſine Laudano repetebamus, & alterum cum Laudano in promptu eſſe mediâ nocte exhibendum, ſi Vigiliæ urgerent vel alvus iterùm flueret, curavimus. Mentis adhuc compos benè dormit, & urinam copioſè reddere pergit; quandoquidem verò adhuc febricitaret, atque inde ſomnum minùs placidè caperet, die 18. Bolum Theriacalem cum Serpentar. Virgin. Ciner. Bufon. & Laudano rursùs ſtatim exhibendum duximus, & repetendumque horâ ſomni, & (niſi intereà bene dormiret) mediâ nocte abſque Laudano verò aurora proxima iſto die, Morbi ſcil. undecimo, declinationis; verò, tertio vel quarto, poſt dejectionem alvi moderatam, Pulſus, Lingua & Temperies Patientis benè ſe habebant, Febris exulabat, Exanthemata in trunco & artubus, quamvis cruda, depreſſa & ſero minùs cocto ſemiplena ſenſim declinabant, ideoque ſolummodo Julapium Paregoritum cum Speciebus quarta quaque hora repetendum juſſimus, atque Bolum cum Ciner. Bufon. & Laudan. exhibendum (hucuſque enim urina fluebat copioſè) modò Vigiliæ vel Fluxus alvi reverterentur. Die viceſimo (Collega Cl. in rus vocato) cùm animadverterem Patientem planè reconvaleſcentem, niſi quod nares & trachæa glutinoſo phlegmate & ſcabie moleſtè obturarentur, præter uſum Julapii Paregorici repetendum, Apozematis ſequentis Cochl. xii. tepide ſexta quaque hora propinanda juſſi.

♃. Decoct. Pector. depurat. ℔i. Tinctur. Croc. Syrup. è 5. Rad. an. ℥i. M. F. Apozema. Et ad nares deobſtruendas, mixturam ſequentem tepidam naribus leniter Siphone injiciendam, unde ſordibus glutinoſo & viſcido humore implicatis excitatâ ſternutatione deterſis; vir ingenioſiſſimus me adſtante à moleſto ſymptomate derepente liberabatur.

♃. Decoct. Pectoral. ℥ iv. Mell. Roſ. Ol. Amygd. dulc. an. ℥ß. M. Atque cùm jam res Patientis erant in vado, id penſi quod ſupererat expertiſſimo & ſagaciſſimo Collegæ jam è rure reverſo abſolvendum reliqui. Vir Cl. Junii 29. ſanguinis ℥ ix. è brachio detrahendas juſſit, atque die proximo Potionem ſequentem alto mane propinavit.

♃. Tamarind. ℥ß. Fol. Senn. ʒii. Rhab. inciſ. ʒiß. Coq. in Aq. F. q. ſ. ad ℥iiiß. Sub finem Coctionis addendo Cremor. Tartar. ʒi. In colaturâ diſſolv. Mannæ ſelectiſſ. ʒvi. Syrup. Roſ. ſolutiv. unc. ß. è Spin. Cerv. ʒii. M. F. Potio. Quæ repetebatur Julii tertio, & peractâ purgatione, Hauſtus paregoricus ſequens propinabatur.

♃. Aqu. Lactis unc. ii. Cinam. Hord. Epidem. an. unc. ß. Laudan. liquid. gut. 12. Syrup. de Mecon. unc. ß. Confect. de Hyacinth. ʒ i. M. Die Julii 6. alvus ſubducebatur Pilulis ſequentib. poſt primum ſomnum deglutitis.

♃. Maſſ. Pil. Coch. maj. ℈ ii. Tartar. Vitriolat. gr. iii. Ol. Juniper. Chym. gut. ii. M. F. Pil. v. deaurand. Die Jul. 9. Pilulæ prædictæ additis Diagrid. gr. iii. repetebantur primo mane, & horâ ſomni propinabatur Hauſtus paregoricus ante deſcriptus.

Hoc pacto Vir ingenioſiſſimus & (ſi mihi vaticinari fas ſit) futurus olim noſtræ facultatis decus & ornamentum, ex Orci faucibus ere-

ptus demum reconvaleſcebat, nec ærumnoſum aliquem affectum deinde paſſus eſt; tantùm Appetitus non ſtatim integrè reſtitutus eſt, nocturnis ſudoribus madebat, atque facies furfuraceâ ſcabie indies renaſcente quadantenùs deformabatur: quo nomine cùm poſt hebdomadas aliquot grato animo me inviſit, ſuaſi ut Corticis Peruviani unc. i. quamprimùm devoraret, ad reliquias venenati fermenti adhuc intus cohibitas (horum malorum proculdubio cauſam) delendas, quas tamen nullus dubitabam Naturam viribus propriis inſtructam tractu temporis longiori edomituram. An monitis noſtris hâc in re morem geſſit, Mihi non conſtat: ex literis verò ab illo non ita pridem ſcriptis, intelligo eum perfectâ valetudine uti.

Hiſt. 22. Johannes Jorden Servus Domini *Tod* Pharmacopoli habitantis in vico, dicto *Ave-Mary-lane* Adoleſcens 16. annos natus, die Sabbati Julii 25. poſt citam & diutinam obambulationem tempeſtate præfervidâ, dolore capitis immani & Spaſmis Lumborum excruciantibus correptus, ſine algore, horrore vel febre evidenti, decubuit, ſpiritibus vehementi dolore multùm diuque attritis, (in cujus allevationem illico me judice celebranda, atque inde Opiata & Alexipharmaca miniſtranda erant, quæ in hoc caſu perperam omittebantur) die proximè Variolæ admodùm frequentes & parvæ erumpere cœperunt. Ego die 26. accerſitus deprehendi Febrem continuam, Pulſum debilem & celerem, temperiem verò ob ſpirituum languorem mitem. acceſſerunt Vigiliæ pertinaces, Jactatio inquieta, Dolor capitis vehemens & gravativus, Exanthemata ubique liveſcebant & languebant, & cum Petechiis hîc illic ſparſis conjungebantur. Igitur Veſicatorium ſtatim ad Nucham applicandum juſſi, atque Bolum ſequentem illicò exhibendum, repetendumque veſperi cum vel ſine Laudano pro ratione vigiliarum;

℞. Theriac. Androm. Pul. è Chel. cancr. comp. Lap. Contrayerv. Serpentar. Virg. an. gr. vii. Laudam. Lond. Syrup. Caryoph. q. ſ. M. F. Bolus. Julapium etiam Paregoricum cum Speciebus ſæpiùs propinatum eſt. Die 27. utut uſu Opiatorum Æger aliquantiſper ſopitus fuerat, tamen dolore capitis vehementi adhuc laborabat, Exanthemata ubique depreſſa pæne cohærebant, atque Petechiæ numero & magnitudine augebantur, atque inde Bolum cum Laudano & Serpentar. Virg. ſexta quaque hora repetendum, atque Veſicatoria etiam ad carpos applicanda duxi, atque Vinum Canarinum frequenter propinandum. Die 28. Exanthemata præter ſpem adſtantium, ceſſante jam Febre & Capitis dolore, atque ſubortâ Salivatione, ubique quadantenùs acuminata matureſcere incipiunt, Patechiæ evaneſcunt, Æger quietè dormit, Spes affulget, ideoque Bolorum uſum ſexta quaque hora adhuc repetendum imperavi, atque Liquorem noſtrum Ficubus, &c. alteratum pro potu ordinario uſurpandum. Die 29. Naturâ per ductus ſalivales hoſtem haud ampliùs propellere valente, Ptyaliſmus derepente atque inopinato ſubſiſtit; Æger autem non obſtante Pulsûs debilitate & oppreſſione adhuc ἀπύρετος, mente integrâ fruitur, & bene dormit, extremæ autem partes nequaquam intumeſcebant, ideoque Boli ſexta quaque hora adhuc repetebantur, additis unicuique Bolo Ciner. Bufon. gr. xv. Die Julii 30. Morbi verò 7. Æger Urinam reddit copioſam & benè dormit, Exanthemata in facie pure concocto turgida legitimè maturantur, in trunco autem & Artubus cruda & depreſſa manent, Pulſus acceleratur, & ulcuſcula à Veſicatoriis excitata areſcunt, ideoque Veſicatoria duo ampla & acria primo hoc Declinationis momento ad Tibias internas applicanda curavi, & ut perſeveraret in uſu Bolorum ſexta quaque hora, & Vini Canarin. & Liquoris Poſſetic. medicat. mandavi. Die 31. manus (Febre unum tenorem adhuc ſervante, & Urina copioſè redditâ) intumeſcere incipiunt, atque Exanthemata in pectore & brachiis quadantenùs matureſcere, in cruribus adhuc deprimuntur, dormit verò ſatis Æger & mente ſanâ fruitur, ideoque in uſu Bolorum adhuc ſexta quaque hora perſeverandum duco. Aug. 1. nono autem Morbi die Exanthemata in Pectore & brachiis, humore aquoſo referta Scabie obduci incipiunt, una manus inſigniter intumeſcit, atque Febris, Naturâ jam victoriam aliqualem reportante, poſt exacerbationem præcedenti nocte notabilem bonis avibus in Συνόχῃ evidenter mutatur, ideoque ad expanſionem Spirituum ſuſtentandam Bolos Alexipharmacos ſexta quaque hora adhuc repetendos juſſi, atque hauſtum Febrifugum ſequentem in mediis Bolorum intervallis propinandum.

℞. Aqu. Cardu. unc. ii. Epidem. Syrup. Caryoph an. ʒii. Pulv. ſubtiliſſ. Cortic. Peruv. elect. ʒi. M. F. Hauſtus. Ad Phlegma viſcidum ad Tonſillas adhærens educendum Gargariſmum ſequentem Siphone calidè & ſæpe faucibus injiciendum curavi;

℞. Decoct. Ficuum ℔iß. Mell. roſ. colat. unc. i ß. M. F. Gargariſm. Aug. 2. Variolæ ubique in corpore membranas pellucidas ſimulantes areſcunt, præterquam in facie, ubi pure magis concocto, in tubercula concreſcunt, Pedes vero quadantenus adhuc intumeſcunt. Æger poſt exacerbationem febrilem nocturno tempore contingentem [urinâ adhuc copioſè redditâ] placidè dormit & minimè delirat; quocirca uſum Bolorum & Hauſtuum febrifugorum adhuc ſexta quaque hora repetendum duco. Aug. 3. Exanthematis jam ubique etiam in ipſis cruribus arefactis, febrilis paroxyſmus media nocte vehementior recrudeſcit, eo autem horis matutinis declinante, Æger rurſus bene dormit, atque mente integrâ fruitur, Phlegma ope Gargariſmi copioſè educitur; inter dormiendum tamen Æger ſuſpirioſè reſpirat, atque crura tremore Convulſivo ſæpiùs agitantur, ideoque Bolos & Hauſtus febrifugos adhuc præſcribo ſexta quaque hora repetendos: cùm autem nocte ſequenti Æger bene dormiret, atque nullam exacerbationem paſſus, quoad cætera omnia bene valeret, Bolum, & Hauſtum febrifugum ſolummodò bis in die, ſcil. nocte & mane, exhibendum juſſi. Aug. 5. Morbi. 13. Patientem plane ἀπύρετον inveni, eique valedixi, poſtquam Bolum per

duas

duas noctes ſequentes ſumendum, & Linimentum ex Oleo Amyg. dulc. & Sperm. Ceti faciei illinendum, atque Emulſionem ad Dyſuriam jam ſubortam tollendam præſcripſeram. Atque hoc pacto Adoleſcens artis ope proculdubio ſanatus reconvaleſcebat, & hucuſque integrâ valetudine utitur.

Hiſt. 23. *Georgius Reade* Juvenis robuſtus, ſervus Domini Caresby in vico dicto St. *Thomas Apoſtle*, ſub finem menſis Decembris 1692. Febre Varioloſa cum ſymptomatis uſitatis conjunctâ corripiebatur. Tertiò Morbi die, nempe primo Januarii, Variolæ diſcretæ erumpunt, Veneno verò neſcio quam ob cauſam minus perfectè eliminato, Exanthemata (febre adhuc perſtante) indies nova ſuppullulabant languida ubique & ſeſſilia, donec tandem tertio die magnâ ex parte planè cohærerent, Morbo mediam indolem ſortito. Tertio autem Januarii, quo primùm Variolas matureſcere oportuit, deprimebantur ubique Exanthemata, & in apicibus albeſcebant; Æger totâ nocte frequentibus deliquiis tentatus, Vigil & ferociens ægrè in lecto detinebatur, & eodem modo ſe habuit nocte ſequenti. Proximo autem mane, nempe Januar. 5. cum ego primùm à Domino *Marlovv* Pharmacopolâ exercitatiſſimo & ingenioſiſſimo ad Juvenem, re pænè deſperatâ, advocarer, Variolas animadverti ſecundo hoc Maturationis die ſeſſiles ubique & ſemineces, Pulſum debilem & quadantenùs celerem, temperiem mitem, Ægrotantem inſomnem, hebetem & nonnihil delirum, ideoque Bolum ſequentem in Cochl. Julap. ſequent. ſolut. ſtatim exhibendum juſſi, & mediâ nocte atque aurorâ ſequenti repetendum, niſi ſomnus intereà obreperet, & Cochl. iv. vel v. ejuſdem Julap. ſuperbibenda.

℞. Theriac. Androm. Pulv. è chel. cancr. comp. an. ʒß. Laudan. liquid. Helmont. gut. xii. Syrup. Caryoph. q. ſ. M. F. Bolus.

℞. Aqu. Meliſſ. Rut. Ceraſ. nigr. an. unc. iii. Pœon. comp. Epidem. Syrup. Caryoph. an. unc. iß. M. F. Julap. Veſicatoria etiam iii. ampla & acria ad Nucham & Carpos internos illicò applicanda imperavi; & liquorem Poſſeticum noſtro modo alteratum tepidè & copioſè miniſtrandum. Hinc Æger benè dormit, & meliùs ſe habet, exacerbatione autem mediâ nocte recurrente, rurſus inſomnis factus per aliquot horas furit & delirat, mane verò proximo ad ſe redit, atque Exanthematis vigentibus & quadantenus matureſcentibus, fere ἀπυρετὸς dormit. Ex febre Συνεχέος typum ſervante (quod oppidò raro in hoc Morbi tempore hactenus obſervaram) certior factus, ſat virium Spiritibus ſupereſſe ad vires Corticis Peruviani in actum ducendas, Januar. ſexto Hauſtum ſequentem illicò propinandum juſſi, itidemque quarta pomerid. ſeptima & decima veſpertina; craſtina aurora, & deinceps quarta quaque hora repetendum.

℞. Aqu. Cardu. Cinam. Hord. an. unc. i. Aqu. Epidem. ʒii. pulv. ſubtiliſſ. Cortic. Peruv. elect. ʒi. Syrup. Caryoph. ʒii. M. F. Hauſtus. Bolum etiam Theriacalem cum Laudano hora undecima noctis paulò ante expectatum paroxyſmum ad vires Spirituum ſuffulciendas, & ſymptomata durante exacerbatione corrigenda exhibendum curavi, atque uſum Julapii Cordialis repetendum. Quandoquidem verò Variolis tardè matureſcentibus & veneno Glandulas ſalivales demùm ſolicitante Dolor inflammatorius in Gutture ſuboriri jam cœperit, Gargariſmum ex Decoct. Ficuum, Mel. Roſat. colat. & Diamor. Siphone ſæpius in die faucibus injiciendum juſſi. Nocte ſequenti Æger tempore exacerbationis aliquantulùm friget & horret, non tamen delirio, vel deliquio, vel evidenti Febre tentatur, & placidè dormit, Ptyaliſmus ſupervenit, & manus quadantenùs intumeſcunt, & Variolæ ubique aliquantiſper matureſcunt, ideoque Januar. 7. Hauſtum Febrifugum ſtatim exhibendum repetendumque juſſi quartâ pom. ſeptimâ veſpertin. & craſtina aurora, Bolumque Cardiacum rurſus ut priùs ante mediam noctem miniſtrandum cum hauſtulo Julap. & Gargariſmum adhuc uſurpandum, & Cochl. iv. vel v. Julap. ſequent. quarta quaque hora propinanda, præſertim durante exacerbatione.

℞. Aqu. Meliſſ. Rut. Ceraſ. nig. an. ʒiii. Epidem. Pœon. Comp. Syrup. Caryoph. an. unc. i. ß. Pulv. è Chel. Cancr. Comp. Lap. Contrayerv. an. ℈ii. M. F. Julap. Nocte ſequente febricitat aliquantulùm Æger per quatuor horas, Variolæ in facie & pectore exareſcere incipiunt, in manibus autem priùs cohærentes confluunt, ſero minimè concocto ſemiplenæ, Guttur adhuc dolet, Ptyaliſmus, manu utrâque inſigniter intumeſcente, declinat, ideoque Januar. 8. tres hauſtus Febrifugos, quarta ſcil. pomerid. ſeptima veſpertina & mane proximo exhibendos juſſi, Bolum Cardiacum hora ſomni repetendum, Gargariſmum ſæpius uſurpandum, & Julapium cum ſpeciebus ut antè miniſtrandum. Cùm autem Paroxyſmus febrilis nullatenùs nocte proximâ recruduiſſet, ſolummodò Bolum Paregoricum Januar. 9. hora ſomni & mane ſequenti repetendum duxi, atque Gargariſmum & Julapium cum Speciebus ut ante exhibendum, atque ad expectorationem Phlegmatis in bronchiis jam concreſcentis promovendam Cochl. x. vel xii. Apozem. ſequent. calidè ſæpius propinanda.

℞. Decoct. Pectoral. depurat. ℔iß. Tinctur. Croc. Syrup. Capill. Ven. an. unc. iß. M. F. Apozema. Januar. 10. eadem, quæ præcedenti die præſcripſeram, repetebantur; Januar. vero 11. Morbi verò 14. cum Æger iterum febricitaret, & levem quandam exacerbationem nocte præcedenti paſſus eſſet, atque dyſuriâ tentatus urinam ægrè retineret; Hauſtum febrifugum illicò exhibendum & mane proximo repetendum juſſi; Bolum Cardiacum hora ſomni iterùm miniſtrandum, uſum Gargariſmi & Julapii cum Speciebus non intermittendum, atque Cochl. x. vel xii. Emulſionis ſequentis tertia vel quarta quaque hora propinanda.

℞. Sem. iv. frig. maj. an. ʒi. Semin. Papav. alb. unc. ß. Amygd. dulc. decortic. nu. vii. Aqu. Hord. depurat. ℔iß. F. Emulſio, cui add. Aqu. Roſ. Rubr. unc. ii. Sacchar. alb. unc. iß. Januar. 12. Morbi 15. Patientem planè ἀπυρετὸν, urinam copioſè ſine Dyſuriâ reddentem & ab omni ærumnoſo ſymptomate liberatum inveni, ideoque ſolummodò gut. xx. Laudan. liquid. in Hauſtu Julap. Cordial. Simplicis duabus noctibus

ctibus

ctibus ſequentibus hora ſomni miniſtrandas, atque Linimentum ex Ol. Amygd. dulc. & Spermate Ceti pro facie parandum curavi, Demùm Januarii 24. reverſus, cum Patientem robuſtum, cibi appetentem, & nullo morboſo affectu tentatum animadverterem, Potionem ſequentem proximo propinandam & quarto quoque die repetandam juſſi.

℞. Decoct. Sennæ Gereon. unc. iv. Mannæ ſelectiſſ. unc. iß. M. F. Potio. Addatur ſi opus fuerit Potioni ſecundæ & tertiæ Syrup. de Spin. Cervin. unc. ß. convaleſcebat inde Juvenis præter ſpem Pharmacopolæ & Adſtantium, & huc uſque firmâ valetudine utitur.

Hiſt. 24. Domina *Smith* virgo elegans habitans ad Inſigne Iridis in vico dicto *Fetter-lane* ægrotans 6. die menſis Auguſti Anno 1691. decubuit, die nono erumpebant Variolæ Diſtinctæ, quæ indies uſque ad duodecimum (Febre adhuc perſeverante) more Mediarum Variolarum numero augebantur; demum frequentes & pænè cohærentes, ubique verò flaccidæ & depreſſæ ſubortâ notabili ſalivatione ſine febre matureſcere cœperunt. Ptyaliſmo verò neſcio quam ob cauſam (hactenus enim à Domino *Bradford* Pharmacopola habitante in vico dicto *Old-Baily* tractabatur) ante perfectam Exanthematum maturationem derepente, die decimo ſexto ſubſiſtente, tota nocte ſequenti vigil & delira Ægra vehementem febrilem paroxyſmum ad xii. horas protenſum perpeſſa eſt. Die proximo nempe Aug. 17. & Morbi 11. Ego primùm acceſſitus, ex Pulſu debili & celeri Febris remiſſionem deprehendi, Exanthemata animadverti ubique depreſſa, lymphâ non pure concocto ſemiplena, Ægram vigilem, deliram, non tamen ut præcedenti nocte furentem: ideoq; ad Spiritus erigendos, eorumque vacillantium motus inordinatos compeſcendos, Veſicatoria ii. ampla & acria ad internos Carpos ſtatim applicanda juſſi, atque Cochl. iv. vel v. Julap. ſequent. (agitatâ phialâ) quamprimùm exhibenda, & deinceps quarta quaque hora repetenda.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥ iv. Pæon. comp. Epidem. an. unc. i. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. ʒß. Syrup. de Mecon. unc. iß. M. F. Julap. Atque primo ejus hauſtulo; & proximo mane gut. xv. Laudan. liquid. inſtillent. Inſuper Julapium ſequens ad libitum propinandum præſcripſi.

℞. Aqu. Lactis Alexiter. unc. viii. Epidem. unc. ii. Syrup. Caryoph. ʒx. M. F. Julap. Hinc ſomnum capiebat, & mente ſanâ fruebatur uſque ad mediam noctem, quo tempore certamine à Natura recens inſtaurato, paroxyſmum alterum pænè ad xii. horas vigil & furibunda perpeſſa eſt. Quocirca 18. Auguſti doſin Laudani in Hauſtu Julap. cum Speciebus rurſus ſtatim exhibendam, itidemque mane proximo repetendam juſſi, atque utrumque Julapium adhuc uſurpandum ut prius. Cùm autem nocte ſequenti alteram exacerbationem cum vigiliis & delirio conjunctam non obſtante Alexipharmacorum & Opiatorum uſu, ſtatâ periodo jam tertia vice recurrentem obſervaveram. Febrifugas Corticis Peruviani vires in caſu hoc deplorato experiri decrevi, ideoque Hauſtum ſequentem Aug. 19. illicò propinandum juſſi, repetendumq; quartâ quaque hora extra paroxyſmum.

℞. Aqu. Cardu. unc. ii. Epidem. Syrup. Caryoph. an. ʒii. Pulv. ſubtiliſſ. Cortic. Peruv. elect. ʒi. Laudan. liquid. Helmont. gut. xii. M. F. Hauſtus. Durante Paroxyſmo perſtabat Ægrotans in uſu Julapii cum ſpeciebus. Auguſti 20. poſt paroxyſmum finitum Hauſtum Febrifugum iterum quarta quaque hora ad iv. vices repetendum imperavi, nocte ſequenti nullus repullulabat Paroxyſmus, ingenti autem Ptyaliſmo demum reduce, & fluxu alvi ſuborto, Patiens planè ἀπυρετὸς jacuit, atque utut debilis & languida ſomnum placidum capiebat & delirare deſinebat, ideoque Auguſti 21. Decoctum album ſuffeci in locum Potûs ordinarii, atque gut. 14. Laudan. liquid. in hauſtu Julapii ſequentis ſtatim propinavi.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥iii. Cinam. hord. ℥ iv. Stephan. ℥ii. Syrup. Caryoph. ℥iß. M. F. Julap. De quo bibat ad libit. atque Bolum ſequentem horâ ſomni miniſtrandum curavi cum Hauſtu Julap.

℞. Theriac. Androm. Pulv. è Chel. Cancr. Comp. an. ʒß. Syrup. Caryoph. q. ſ. M. F. Bolus. Cum autem Auguſti 23. Patientem languore & ſuffocatione (alvo jam conſtrictâ) more Hyſtericarum tentatam animadverterem, aliquid venenati fermenti adhuc ſupereſſe conjeci, quod Spiritus agitando, licet paroxyſmis febrilibus ſtato tempore inſtaurandis haud par eſſet, ſaltem eos in incertas exploſiones adigere poſſet, ideoque Bolum ſequentem quamprimùm deglutiendum juſſi, repetendumque deinceps ſextâ quâque horâ ad tres vices, unâ cum Hauſtu Julap. ſequent. ad libitum etiam pitiſſandi, atque Spir. Salis Armoniac. ſæpius in languoribus olfaciendum.

℞. Pulv. ſubtiliſſ. Cortic. Peruv. elect. ℈ ii. Caſtor. gr. iii. Laud. liquid. Helmont. gut. xii. Syrup. Caryoph. q. ſ. M. F. Bolus.

℞. Aq. Rut. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥ iii. Bryon. Pœon. Comp. Syrup. Pœon. Comp. an. ℥iß. M. F. Julap. Inde reconvaluit virgo, nec ullum omnino morboſum affectum paſſa, in rus ſeſe contulit priuſquam Catharſin quamcunq; præſcripſiſſem.

Hiſt. 25. Dominus *Jones* cognitor, annos 26. natus, habitans in vico dicto *Shoe-lane*, ſub veſperam diei 13. Februar. 1691. prægrandi Capitis dolore correptus ſine quovis evidenti Horrore vel Algore, die 14. ægrotans licet & crebrò vomens per totum diem obambulabat, ſub veſperam verò ſudore frigido ſæpius perfuſus, & Lumbagine plurimùm attritus, cœpit quadantenus febricitare. Sub veſperam diei 15. Exanthemata ubique in cute derepente efflorеſcunt confluentia, vel racematim cohærentia. Die 20. Februr. ſeptimo autem Morbi, quo ego acceſſitus ſum, Ægrotans cujus Pulſus erat tunc temporis celer admodùm & debilis, temperies verò mitis planè inſomnis jacebat & attonitus, & pænè delirabat: Febris enim (Veneno neque per Exanthemata quæ ſecundo maturationis die ubique ſeſſilia exareſcebant, neque per ductus Salivales qui obturabantur, fortiter propulſato) indolem prorſus malignam ſortiebatur, uno tenore progreſſa eſt, & mortem præ foribus adſtare denunciavit. Æger de vigiliis tantùm conquerebatur. Ideoque re adeò deſperatâ, Spiritus languidos ſtimulare, motuſque eorum inordina-

dinatos compeſcere more ſequenti ſategi. Aplic. ſtatim ad Nucham & Carpos internos Veſicatoria iii. ampla & acria.

℞. Theriac. Androm. Pulv. è Chel. Cancr. comp. an. ʒß. Laudan. liquid. Helmont. gut. xiv. Syrup. Caryoph. q. ſ. M. F. Bolus, illicò exhibendus, repetenduſque horâ ſomni & craſtino mane; poſt ſingulos Bolos & ad libitum propinentur Cochl. iv. vel v. Julap. ſequent.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥vi. Epidem. Pœon. comp. an. ℥iß. Syrup. Caryoph. ʒx. M. F. Julap. Liquorem etiam poſſeticum noſtro modo alteratum, pro potu ordinario præſcripſi, & Gargariſmum ex Decocto Ficuum, &c. ad linguam aridam emolliendam, & papillas ductuum Salivalium irritandas, & Ptyaliſmum promovendum, ſingulis horis Siphone faucibus injiciendum. Cùm autem Februar. 21. ex continuatis adhuc vigiliis & celeritate ac debilitate pulsus Ægrotantem ope horum mitiorum Alexipharmacorum ſeſe non meliùs habere intelligerem, ad majora ſequentia confugi.

℞. Theriac. Androm. Electuar. ex Ovo an. ℈i. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. Serpentar. Virgin. Ciner. Bufon. an. ℈ß. Laudan. Lond. gr. i. Syrup. Caryoph. q. ſ. M. F. Bolus. Quem ſumat quamprimùm, repetatque deinceps ſexta quâque horâ, ad iv. vices, ſuperbibendo Cochl. v. vel vi. Julap. ſequent.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥iii. Epidem. ℥ii. Syrup. de Mecon. ʒiß. M. F. Julap. perſtet etiam in uſu Gargariſmi, & Poſſetalæ medicatæ. Æger ab horum remediorum uſu ſomnum capiebat, minùs delirabat, urinam copiosiorem reddidit; acceſſit fortior Arteriarum vibratio, Variolarum tamen maturatio, Salivæ profluvium & extremorum intumeſcentia nullos progreſſus fecit; Tracheæ ramuli phlegmate viſcido ob Salivationis defectum plurimum infarcti reſpirationem minùs liberam reddebant: ideoque Februar. 22. præter uſum Bolorum & Julapii Paregorici & Liquoris Poſſetic. repetendum Cochl. ix. vel x. Apozemat. ſequent. calidiuſculi ſæpiùs propinanda juſſi.

℞. Decoct. Pectoral. depurat. ℔iß. Tinctur. Croc. Syrup. ex Eriſim. an. ℥iß. M. F. Apozema. Ad ulteriorem autem Spirituum expanſionem Veſicatoria ii. ampla & acria ad interna Brachia prope axillas applicanda curavi. Februar. 23. Ægrotantem fere in eodem ſtatu inveni, ideoque antè præſcripta adhuc uſurpanda imperavi; & prætereà ad expanſionem Spirituum (quos ex vibratione Arteriarum quadantenus debili adhuc veneno oppreſſos deprehenderam) Veſicatoria ii. ampla & acria ad internas Tibias applicanda quamprimum, & non niſi poſt 4. horas amovenda. Februar. 24. Æger meliùs dormit fere ἀπύρετος redditur, atque Arteriis jam fortiùs & tardiùs ſeſe vibrantibus, ſpes ſalutis affulget: Cùm tamen ſine quâvis evidenti Criſi Morbus declinare videretur, Variolis nempe adhuc immaturis & depreſſis, partibus extremis non intumeſcentibus, & Urinâ parcè redditâ, in ante præſcriptorum uſu jure merito adhuc perſtandum duxi; Nocte etenim ſequenti (Morbo jam die duodecimo ultimum ſuum ſtadium ingreſſo) Æger derepente ſine quâvis evidenti causâ à veneno recrudeſcente, Febre recidivâ correptus, exacerbationem vehementem per 12. horas protenſam perpeſſus eſt, inſomnis & delirus. Februarii verò 25. Febre unà cum ſymptomatis plurimùm remittente, Naturam remediis prius adhibitis corroboratam jam aliqualem victoriam reportaſſe deprehendi, atque Febrem ſubinde à Συνόχῳ malignâ in Benignam Συνεχῆ fuiſſe mutatam, ideoque fidenter, non obſtante amicorum deſperantium ploratu, Hauſtum Febrifugum illico propinandum juſſi, repetendumque tertiâ & quintâ promerid. & craſtinâ aurorâ; horâ ſomni verò ante expectatum Paroxyſmum, & quintâ matutinâ ſub Paroxyſmi finem, Bolum Alexipharmacum, ad Spiritus in certamine erigendos, & motus eorum inordinatos compeſcendos exhibendum curavi, & Julapium Cordiale durante exacerbatione frequenter propinandum. Eodem fere modo Ægrum tractavi duobus diebus proximis, nempe Februar. 26. & 27. Cùm autem nocte ſequenti nullam exacerbationem recrudiſſe intellexiſſem, atque proximo die, nempe Februar. 28. Morbi autem 15. Patientem planè ἀπύρετον inveniſſem; Linimentum ex Oleo Amyg. dulc. & Sperm. Cet. quo facies illineretur parandum curavi, atque Bolum Cardiacum horâ ſomni, & craſtina nocte unà cum Hauſtu Julapii exhibendum, Hauſtum etiam Febrifugum mane ſequenti & quinta pom. repetendum. Inſuper, quandoquidem Linguam Ptyaliſmo nullo ſuborto quadantenùs aridam, & Bronchia adhuc Phlegmate viſcido infarcta animadverterem, Mucilag. Semin. Cydon. Syrup. Diamor. extractam ſæpiùs in Ore ſuper linguam tenendam, & Cochl. j. Linctûs ex Oleo Amygd. dulc. recent. Syrup. Capil. Ven. & Sacchar. Criſtal. alb. confecti quarta quaque hora unà cum Hauſtu Apozem. Pectoral. calid. miniſtrandum imperavi. Ex tunc Vir ingenioſiſſimus Arte Medica planè ex Orci faucibus ereptus, ſine quavis Variolarum maturatione, ſine Ptyaliſmo, vel Extremorum intumeſcentia (appetitu & temperie integrè reſtitutis) atque nullo Morboſo affectu poſteà ſuborto reconvaleſcebat, atque hucuſque, fæcibus Morbi ope Pharmacorum Cartharticorum opportunè deturbatis, ſtupente planè Pharmacophola, atque Amicis plaudentibus, firma valetudine utitur. plures Variolarum malignarum declinantium, & Febre Συνεχεῖ exceptarum, & Cortice peruviano feliciter ſanatarum Hiſtorias narrare poteram; verùm unum, & quidem unicum caſum, quem hactenus obſervaſſe mihi contigit, potius lubet apponere, ubi (ſive ob parcum, vel nimis ſerum Alexipharmacorum majorum & Cortic. peruv. uſum. ſive ob gradum Veneni Morbifici exitialem) prædictam praxin infauſtus eventus dedecoravit.

Hiſt. 26. Filius Domini *Rainsford* annos 17. natus, Januarii 20. 1693. Symptomatis Variolarum apparatum comitari ſolitis correptus Januar. 22. ad noſocomium privatum in vico dicto *Warwik-lane*, ſæviente jam hyeme, & Variolis jamjam erupturis, in curru vehitur; Januar. 23. ſub veſperam ad eum inviſendum Ego accerſitus ſum, cùm jam Exanthemata confluentia & depreſſa ubique ſeſe in conſpectum dederant. Ægrum, cujus temperies erat mitis, Pulſus verò, quadantenus celer & debilis, inſomnem deprehendi, ideoque Hauſtum ſe-

ſequentem ſtatim propinandum & ſexta quaque hora repetendum juſſi,

♃. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥i. Epidem. Syrup. Caryoph. an. ʒiii. Pulv. è. Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. gr. xii. Laudan. liquid. gut. xv. M. F. Hauſtus. Inſuper Cochl. iv. vel. v. Iulapii ſequentis ad libitum miniſtrabantur,

♃. Aq. Meliſſ. ceraſ. nigr. an. ℥iv. Epid. ℥ii. Syr. Caryoph. ʒx. M. F. Iulap. Die 24. quandoquidem Æger eſſet fere ἀπυρετὸς & ad ſomnum proclivis, utut exanthemata deprimerentur, & in apicibus quaſi maturatione incœpta albeſcerent, præſcripſi Liquorem Poſſeticum noſtro modo alteratum calidè frequenter propinandum, atque Cochl. iv. vel. v. Iulapii ſequent. quarta quaque hora miniſtranda, agitatâ Phialâ.

♃. Aq. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥iv. Epidem. ℥i. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an ℈ii. Syrup. de Mecon. ℥iß. M. F. Iulap. Die 25. horum levium remediorum ope bene dormivit Æger. & feré ἀπύρετος evaſit. ſuborto jam aliquali Ptyaliſmo, cum Gutturis dolore & faciei intumeſcentiâ conjuncto: unde ego in Spem inductus ſum, utut Exanthemata juxta primam Naturæ intentionem nequaquam matureſcerent, ſed hactenus areſcerent & deprimerentur, ideoque ductus ſalivales Gargariſmo calido ex Decocto Ficuum, Diamor. & Melle Roſat. ſiphone faucibus ſæpius injecto perpetim ſolicitandos duxi, uſum Iulapii Paregorici cum Speciebus, & Poſſetalæ medicatæ repetendum, atque inſuper Bolum ſequentem ad vires Spirituum erigendas, & motum eorum ordinatum ſi forte quid Venenati fermenti adhuc deliteſceret, ſervandum, horâ ſomni exhibendum, & mane proximo, unà cum Hauſtu Iulapii repetendum, juſſi.

♃. Theriac. Androm. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. gr. xvi Laudan. liquid. gut. viii. Syrup. Caryoph. q. ſ. M. F. Bolus. Die 26. cum res Ægrotantis eodem fere modo progrederentur, in uſu remediorum præcedenti die præſcriptorum perſtandum duxi; quandoquidem verò die 27. Salivatio (Exanthematis adhuc depreſſis) non legitimé procederet; atque Bronchia inde Phlegmaté viſcido quadantenùs eſſent infarcta, præter unum Iulapii Paregorici cum Speciebus, Gargariſmi, & poſſetalæ medicatæ continuatum, cochl. xii. Apozematis ſequentis quartâ quaque horâ calidiuſculè propinanda juſſi.

♃. Decoct. pectoral. depurat. ℔iß. Tinctur. Croc. Syr. ex Eryſimo an. ℥i. Atque ad Lympham venenatam per Renes deturbandam, & vires Spirituum ulteriùs erigendas; Ciner. Bufon. ℈ß. & Rad. Serpent. Virgin. gr. vi. Bolo veſperi & aurorâ repetendo addenda curavi. Die 28. & 29. Ægrotans eodem fere modo ſeſe habuit, niſi quòd die 29. ptyaliſmo jam declinante, Bronchia magis infarcta viderentur, ideoque præſcriptorum continuatum cochl. i. Linctus ſequent. quartâ quaque horâ exhibendum juſſi unà cum Hauſtu Apozemat. poctoral.

♃. Ol. Amygd. dulc. rec. Syr. capil. Ven. an. ℥iß. Sacchar. cand. alb. ʒi. M. F. Linctus. Die. 30. Ptyaliſmus, nullo notabili Urinæ fluxu ſuborto, planè ſubſiſtebat, Exanthemata ubique areſcebant, Ægrotante interea ſatis dormiente, nec manifestò febricitante. Nihilominus ob aliqualem linguæ ariditatem, & Pulſum jam quadantenùs acceleratum, venenatum miaſma adhuc in Spirituum ſinu cohiberi, quod languida Natura per nullam portam hactenùs protrudere valuerit, & novam Symptomatum ſtragem mox daturum, deliteſcere ſuſpicabar; ideòque non tantum Linimentum ex Ol. Amygd. dulc. & Spermat. Cet. Faciei illinendum curavi, verùm uſum Iulapii Paregorici, & Bolorum Alexipharmacorum per triduum aſſiduè repetendum juſſi. Nocte ſequenti eventus præſagium comprobavit, Æger enim totam noctem inſomnis & delirus exacerbatione febrili jam in ultimo Morbi ſtadio ſubortâ) tranſegit; Mane vero, finito paroxyſmo, ad ſe rediit; & ſomnum aliqualem capiebat. Ianuar. 31. (Collega noſtro Cl. D. Doctore *Carolo Goodall* conſultandi gratia acceſito) ad Spiritus erigendos, & compeſcendos Veſicatoria iii. ampla & acria ſtatim ad Nucham & carpos applicabantur, & Bolus ſequens illico miniſtrabatur, unà cum Hauſtu Iulapii paregorici cum Speciebus, cujus uſum repetendum decrevimus.

♃. Theriac. Androm. pulv. è chel. Cancr. comp. an. ʒß. Laudan. Lond. gr. i. M. F. Bolus, Poſt trihorium Hauſtum febrifugum è cortic. peruv. propinavimus. quem deinceps repetendum juſſimus tertiâ quaque horâ uſque ad proximum Paroxyſmum, itidemque Paroxyſmo finito, tertia ſcil. ſexta & nona matutina, niſi ſomnus interea obrepet; ſub initium autem exacerbationis Bolum ſequentem cum hauſtu Iulapii exhibendum, & poſt trihorium repetendum, modo Æger vigilaret, præſcripſimus,

℞. Theriac. Venet. ʒi. pulv. è chel. cancr. comp. Lap. contrayerv. an. ℈ii. Laudan. Lond. gr. i. M. F. Bolus.

℞. Aqu. Meliſſ. ceraſ. nigr. Lactis Alexiter. an. ℥iii. pœon. comp. Epid. an. ℥ii. Syrup. caryoph. unc. iß. M. F. Iulap. Ægro autem (paroxyſmo ſub veſperam recrudeſcente) planè inſomni & delirante, atque ob Bronchiorum obſtructionem, neque Bolos vel Hauſtus deglutire valente, rursùs accerſiti ſumus, atque Hauſtum ſequentem ſtatim exhibendum, atque poſt 4. horas repetendum in locum Boli ſubſtituimus,

℞. Aqu. ceraſ. nigr. Meliſſ. cardu. Theriac. Stillat. an. unc. ß. Epidem. pœon. comp. an. ʒii. Theriac. Androm. ſolut. ʒß. pulv. è chel. cancr. comp. Lap. Contrayerv. Bezoar. Orient. an. ℈ß. Syr. caryoph. ʒiii. M. F. Hauſtus. Et loco Hauſtuum febrifugorum extra paroyſmum exhibendorum, cochl. ix. Apozemat. ſequent. calid. quartâ quaque horâ propinavimus,

℞. Cortic. peruv. non contuſ. unc. ii. coq. lento igne in Aqu. font. ℥xii, ad. unc vi. cortici relicto recens Aqua addatur, coq. & cola iterum ad ſextam vicem; colaturis commixtis & per ſubſidentiam optimè depuratis add. Vini alb. optim. Syrup. caryoph. an. ℔ß. M. F. Apozema. cùm autem præ languore & difficili Deglutione æger februarii 1. pænè delirus, Hauſtus cùm febrifugos, tum Cordiales planè reſpueret, Veſicatoria ii. ad Tibias internas illico

illico applicanda juſſimus, atque Suppedanea ex æqual. quantitate Emplaſtr. Cephalic. cum Euphorb. & Pic. Burgundic. ad plantas pedum adaptanda, atque ut perſeveraret (quantum poſſet) in uſu Hauſtuum Cardiacorum, Apozematis Febrifugi, & Julapii Cordialis. Sub veſperam autem ob jactationem inquietam Æger ope Adſtantium è lecto ſuſcitatus, illicò incertis rigoribus, nauſea, & perpetua vomitione per totam noctem durante, correptus eſt, & proximo mane ſcil. Februar. 2. Deglutitione & reſpiratione plurimùm læſis quaſi ſuffocatus jacebat; quocirca prognoſtico funeſto prius prolato, potione ſequenti evacuationem ſive ſurſum ſive deorſum moliri tentavimus.

℞. Decoct. amar. ℥ iv. vini benedict. ℥ iii. M.F. potio ſtatim exhibenda. Poſt quatuor horas elapſas, ſi modo aliqua evacuatio contingeret, hauſtum cardiacum repetendum, atque ſæpius exhibendum, imperavimus. Natura autem jam planè deficiente, ægrotans nihil omnino vel vomitu, vel ſeceſſu, vel mictione rejecit; ideoque ſub veſperam glandes duas ſucceſſivè (ſi opus fuerit) intrudendas ſtatim parandas imperavimus.

℞. Mell. Anglic. in formam debitam coct. ℥ ii, Hier. Picr. ʒ ii. alum. crud. pulver. ʒ ß. M F. ſuppoſitoria duo. Sin vero alvus non reſponderet, Enema Therebinthinatum injiciendum curavimus, & poſt evacuationem finitam, hauſtum cardiacum ante præſcriptum miniſtrandum, vel bolum ſequentem in cochl. i. Julap. cordial. ſolut.

℞. Elect. ex ovo ℈ i. Theriac. Androm. ʒ ß. pulv. rad. ſerp. virg. ℈ ß. ſyrup. caryoph. q. ſ. M. Incaſſum autem omnia, ſpiritibus enim jam veneno prorſus obrutis & extinctis, æger, poſtquam noctem anhelus, delirus & inſomnis, licet ἀπυρετὸς tranſegiſſet, pulſu deficiente, demum 14. Morbi die fatis cedebat.

Hiſtoria 27. Uxor Domini Paxon habitantis in *Bargeyard* juxta vicum dictum *Bucklersbury*, die Maii 14. Anno 1691. ægrotans, atque Symptomatis Variolarum apparatum vulgo comitantibus, ſed non præter ſolitum vehementibus correpta, die 17. Variolis jam erumpentibus, Pharmacopolæ conſilio ſanguinis ℥ viii. vel x. è brachio detrahendas juſſit: Spiritibus autem à venæ ſectione perperam atque ſine neceſſitate celebratâ debilitatis, atque præ languore in motus inordinatos adactis, & veneno ſuccumbentibus, Exanthemata quæ principio diſtinctè erumpebant, mox ſenſim cohærere atque confluere cœperunt, atque ad viceſimum uſque Maii diem (quo die ego primum accerſebar) languebant, & deprimebantur, maturationem fere nullam aſſecuta, acceſſerunt vigiliæ pertinaces & Tuſſis importuna; (non obſtantibus Opiatis copioſè miniſtratis) deliquia frequenter recurrentia, atque debilis admodum ac celer Arteriarum vibratio, quod præ cæteris ſymptomatis me ſolicitudine affecit. Ideoque tum ad Spiritus erigendos, cùm ad efferatos eorum motus compeſcendos & Tuſſim frænandam Veſicatoria iii. ampla & acria illicò ad Nucham & Carpos internos applicanda curavi, & Bolum ſequentem horâ ſomni, idemque proximâ aurorâ exhibendum, unà cum hauſtu Julap. ſequent. ad libitum pitiſſandi, atque Laudan. liquid. gut. xv. in hauſtu Julapii propinandas, modò poſt trihorium à primo Bolo ſomnum non caperet, atque inſuper Liquorem poſſeticum noſtro modo alteratum calidiuſculè ſæpius miniſtrandum.

℞. Theriac. Androm. Pulv. è chel. cancr. comp. an. ℈ ß. laudan. lond. gr. i. ſyrup. caryoph. q. ſ. M. F. bolus mollis.

℞. Aq. meliſſ. ceraſ. nigr. an. ℥ iv. epidem. ℥ ii. pœon. com. ℥ i. ſyrup. caryoph. ʒ x. M. F. Julap. ab his ſomnus quadantenus conciliabatur, Tuſſis aliquantiſper mitigata eſt, pulſus etiam & vires erigebantur, deliquia tollebantur, atque exanthemata proximo mane matureſcere videbantur. Ideoque die 21. Bolum Cardiacum quamprimùm cum Laudan. Lond. gr. ii. exhibendum, iterumque horâ ſomni & proximo mane repetendum juſſi, atque gut. xx. Laudan. liquid. poſt trihorium à Bolo nocturno exhibito in hauſtu Julapii propinandas, modò Vigiliæ vel Tuſſis urgerent; atque Julapium Cordiale & Liquorem Poſſeticum non omittendum. Inſuper ob Stranguriam vehementem à Veſicatoriis inductam, Cochl. xii. Emulſionis ſequentis calidiuſculè quartâ quâque horâ vel ſæpe miniſtranda imperavi.

℞. Sem. iv. frigid. maj. an. ʒ i. ſem. papav. alb. ʒ ß. amygd. dulc. decorticat. num. vii. cum aqu. hord. ℔ i ß. F. emulſio, cui add. aqu. roſ. rub. ℥ ii. Sacchar. albiſſ. ʒ i ß. Cùm autem vigiliæ ope præſcriptorum ſatis coercerentur die 22. & Variolæ (tardius licet) matureſcere pergerent, atque Ptyaliſmus aliqualis jam ſuborireturr, gargariſmo ex decoct. ficuum & cæt. calidè ſæpius ſiphone faucibus fortiter injecto papillas ſalivales ad lympham copioſius egerendam ſtimulare decrevi, & ſpiritus frequenti uſu Julap. Cordial. & Liquor. noſtri Poſſetic. refocillare, ut maturatio Exanthematum incœpta ulteriùs promoveretur; Inſuper bolum cardiacum cum Laudan. Lond. gr. ii. proximo mane exhibendum juſſi, modò non tota nocte placide dormiret ægra. Die 23. res ægrotantis fere eodem modo ſe habebant, ideoque in uſu præſcriptorum perſtabat, bolum cardiacum & opiatum aurora ſequenti deglutiendum, modò vigiliæ urgerent, imperabam, atque ad vires Spirituum fovendas Cochl. iv. vel v. Julap. ſequent. agitatâ phialâ, ſæpius propinanda.

℞. Aqu. meliſſ. ceraſ. nigr. an. ℥ iv. epidem. pœon. com. an. ℥ i. Margarit. præp. ʒ iß. ſacchar. alb. ℥ ß. M. F. Julap. Morbo autem jam unà cum ptyaliſmo & exanthematis die Maii 24. à decubitu verò undecimo, ſenſim declinante, bronchiis verò & faucibus pituitâ viſcidâ quadantenus infarctis; cochl. i. Linctus ſequentis unà cum cochl. xii. Apozematis repefacti quartâ quâque horâ miniſtrandum juſſi.

℞. Ol. Amygd. dul. rec. Syrup. capill. vener. an. ℥ iß. ſacchar. cant. alb. ʒ i. M. F. linctus.

℞. Decoct. Pector. depurat. ℔ i ß. Tinctur. Croc. Syr. capill. vener. an. ℥ i. M. F. apozema, bolum verò Cardiacum & Opiatum ad vires ſpirituum ſuſtentandas, eorumque motus inordinatos compeſcendos & Tuſſim frænandam horæ ſomni repetendum duxi, uſumque Julapii Perlati & Gargariſmi non omittendum. Cum autem die 25. declinationis verò ſecundo nullam febrem recidivam, atque nullum Symptoma vehementius præter pulmonum infarctum adeſſe animadverterem, uſum Linctus Apozematis

Pectoral. Gargariſmi & Julap. Perlat. ſolummodò repetendum præſcripſi. Die 26. Linimentum pro facie parandum curavi, atque inſuper Bolum Opiatum & Cardiacum hora ſomni exhibendum; ne forte jam ultimo Declinationis die, Veneno penitus intus cohibito, ſpiritus recenti miaſmate inficerentur, novam Morboſorum Affectuum ſtragem mox daturo: Cum autem die 27. nullum Symptoma vehementius adeſſet præter Tuſſim, quæ ſomnum quadantenus adhuc interturbabat, præſcripſi duntaxat hauſtum paregoricum ſequentem horâ ſomni propinandum.

℞. Aq. Card. Cinam. hord. an. ℥ i. epidem. Syrup. de Mecon. an ℥ ß. Laudan. liquid. Helmont. gut. xii. M. F. Hauſtus. Die verò 28. colliquationem humorum à reliquiis Veneni intùs cohibiti ortam, levis Ophthalmia cum Tuſſi conjuncta prodebat, quoad cætera autem Patiens jam planè ἀπύρετος bene ſe habebat, Exanthématis ubique incruſtatis & deſquamatis, ideoque rem Naturæ pauliſper reliqui, & tenuiori Diætæ, ſpirans naturam morborum medicatricem huic Colliquationi moderandæ non imparem fore, modo Symptomata præſentia, ſcil. Tuſſis & Ophthalmia arte cohiberentur, quo nomine Cochl. ii. Syrup. de Mecon. ad Tuſſim frænandam quâque nocte in hauſtu liquoris Poſſetici flor. paralyſ. alterat. exhibenda juſſi atque gut. aliquot Collyrii ſequentis repefact. ſæpius oculis inſtillandas (agitata prius phiala) ad demulcendam humoris per glandulas Lachrymales excreti acrimoniam.

℞. Aqu. Roſ. rub. ℥ i. Troch. alb. Rhaſ. ſ. Opio, Sacchar. cryſtal. alb. ſubtiliſſ. Pulveriſat. an. ℈ ß. M. F. Collyrium. Die autem Junii quarto reverſus deprehendi Patientem (humoribus à Veneno adhuc intùs deliteſcente magis colliquatis) ἀπυρέτον licet, toxico quaſi infectam, nauſeâ, vomitione, & fluxu Alvi indeſinenter laceſſitam; quocirca Electuarium ſequens ad quantit. nuc. Jugland. omni nocte exhibendum juſſi, unà cum hauſtu Julapii Perlati ante præſcripti.

℞. Pulp. Conſerv. Roſ. rub. Diacydon, an. ℥ ß. Troch. de Carab. ʒ iii. bol. ver. lacrym. ſang. Drac. an. ʒ ß. Laudan. Lond. gran. iii. Syrup. Myrtill. q. ſ. M. F. Electuar. Cùm autem die Junii 6. morboſi affectus jam memorati adhuc perſeverarent, atque ſtato tempore, licet Febre evidenti exacerbarentur, Venenum deliteſcens, horum malorum fontem, Cortice Peruv. aggredi & ſubigere decrevi, more ſequenti.

℞. Aqu. Cardui ℥ ii. Epidem. Syrup. Caryoph. an. ʒ ii. Pulv. Cortic. Peruv. ſubtiliſſ. trit. ʒ i. M. F. Hauſtus. ſtatim ſumendus repetenduſque horâ ſomni, & mane ſequenti, & ſic deinceps per tridui ſpatium. Addantur Laudan. liquid. gut. xii. hauſtui nocturno, vel reliquis hauſtibus, ſi fluxus alvi poſtulet. Inſuper ad Vomitionem coercendam Cochl. iv. vel v. Julap. ſequentis propinanda juſſi, urgente Vomitione.

℞. Aqu. Menth. Cinam. Hord. an. ℥ iv. Aqu. Stephan. ℥ ii. Sal. Abſynth. ℈ j. Syrup. Limon. ℥ ii. M. F. Julap. Veneno hoc pacto ex parte cicurato, Natura reliquias ejus per Furunculos hìc illìc ſuccreſcentes fortiter expellit, atque demum Appetitus (nauſeâ, vomitione & alvi fluxu ſenſim declinantibus) integer redit. Ideoque die Junii 12. Alvum Potione ſequente ſubducendum curavi.

℞. Decoct. Amar. cum dupl. Senn. ℥ iv. Syr. de Spin. Cerv. ℥ ß. M. F. Potio. Junii autem 15. Pilulas ſequentes præſcripſi, & quia alvus jam conſtipata erat 16. & 19. repetendas.

℞. Pilul. Stomach. cum Gum. ʒ ß. F. Pil. iv. deaurand. & horâ ſomni exhibendæ, Aurora verò proxima Extract. Rud. ℈ i. in pil. iii. redact. cum Reſin. Jalap. gran. iv. & ol. cinamom. gut. ii. Atque hoc pacto planè revaleſcebat Patiens, ab affectibus morboſis liberata, & huc uſque integra valetudine utitur.

Hiſtoria 28. Filiolus Domini *Durrant* habitantis ad Inſigne Crucis & Stellæ in vico dicto *Cheapſide*, poſtquam Anno 1692. mediâ æſtate à Variolis cohærentibus & mali moris, cura & conſilio Cl. Collegæ Domini Edmundi *King*, Equitis Aurati, ſpatio 14. dierum ægrè admodùm liberatus fuerat, reliquiis veneni adhuc non ſatis exterminatis obſeſſus, Exanthematis ubique deſquamatis, malè ſe habuit uſque ad viceſimum tertium à primo morbi inſultu diem, poſt incertas periodos quadantenus febricitans, atque dolore prope Os Sacrum adeo atroci correptus, ut ſitum erectum non ſine ejulatu pati poſſet, adeò ut parentes oſſa femorum luxata eſſe ſuſpicarentur: acceſſit Ἀνορεξία gravis, adeò ut cibum vel potum non omnino appeteret, vel deglutire vellet, ideoque Cl. viro & mihi æquum videbatur Linimento Anodyno partes dolentes fovere, atque Bolo Alexipharmaco mane & veſperi per triduum exhibito Spiritus erigere, ut veneni reliquias intus deliteſcentes, dolorum ſpaſmodicorum autores quovis modo fortiter expellere valerent. Quid fit? Veneno hac methodo propulſato, furunculis omnes pæne articulos digitorum manuum & pedum ſuccreſcentes obſident, qui demùm quàm citiſſimè maturabantur. Ἀνορεξία autem cum febre aliquali periodicè recurrente conjuncta adhuc perſeverabat, unde Tabem ab inanitione expectare fas erat. Hâc febre autem ope ℥ ß. Cortic. Peruv. demùm ſublatâ, appetitus ſtatim redit, & temperies admodùm mitis & æquabilis; deinde alvo poſt debita intervalla Catharticis lenioribus evacuata, planè revaleſcebat Puer, nec Morboſo quovis affectu poſtea tentabatur.

Accerſitus die Julii 10. 1692. inviſi Neptim Domini Cockerill habitantis ſub Inſigni trium crurum in vico dicto *le Poultry*, ſedecim annos natam, Variolis laborantem, quarum apparatus ad biduum tantùm durabat; jam verò ſecundo ab eruptione die Exanthemata animadverti diſcreta, ubique tamen depreſſa & languida, fluxum alvi copioſum & frequentes dejectiones, pulſum debilem admodum & pænè formicantem, vires valdè proſtratas, & vigilias pertinaces, febris verò vel in pulſu, vel in temperie, vel in Linguâ nulla manifeſta indicia. Quo nomine venenum plus ſolito deleterium hiſce Variolis, quamvis diſtinctis, anſam præbuiſſe jure ſuſpicatus ſum: atque proinde decoctum album cum tantillo Vini Canarini, & liquorem poſſeticum cum Vino Canarino, parandum pro potu ordinario curavi; quin & tantillum

tillum Vini Canarini meraci interdum propinandum duxi, Veſicatorium amplum & acre ad nucham illicò applicandum, atque Bolum ſequentem ſtatim exhibendum, & deinceps ſexta quaque hora repetendum juſſi, unà cum Cochl. iv. vel v. Julap. ſequent.

℞. Theriac. Androm. ℈i. Pul. è Chel. Cancr. comp. lap. contrayerv. an. gran. xv. laudan. liquid. helmont. gut. vi. Syrup. caryoph. q. ſ. M. F. Bolus.

℞. Aqu. Meliſſ. ceraſ. nigr. cinamom. hordeat. an. ℥ iii. epidem. pæon. comp. an. ℥ i. Syrup. caryoph. ʒ x. M. F. Julap. Proximo die ſcilicet Julii 11. mane reverſus, Pulſum adhuc debilem, & Variolas in medio depreſſas, nequaquam acuminatas, vel margine rubro cinctas inveni; Vigiliæ autem & Diarrhœa minùs urgebant quàm priùs, ideoque Cochl. v. vel vi. Julap. ſequent. ſtatim exhibenda juſſi & quarta quaque hora repetenda (agitatâ Phialâ) & gut. viii. Laud. liquid. poſt ſingulas dejectiones hauſtui proximè ſumendo inſtillandas;

℞. Aqu. flor. calendul. benedict. cinamom. hordeat. an. ℥ iii. pæon. comp. epidem. an. ℥ i. Spec. confect. de hyacinth. lap. contrayerv. pulv. è chel. cancr. comp. an. ℈ ii. Syrup. de mecon. ℥ ii ß. M. F. Julap. Inſuper Julapium ſequens ad libitum pitiſſandum præſcripſi.

℞. Aqu. Meliſſ. ceraſ. nigr. cinamom. hordeat. an. ℥ iii. epidem. ℥ ii. margarit. præp. ʒ iß. Sacchar. albiſſ. ʒ v. M. Sub veſperam autem reverſus Petechias aliquot purpureas hìc illic in interſtitiis Exanthematum in pectore effloreſcentes deprehendi, qua de cauſa Veſicatoria ii. ampla & acria ad carpos internos illicò applicanda juſſi, atque Bolum ſequentem ſtatim exhibendum, unà cum cochl. v. vel vi. Julapii, repetendumque deinceps ſexta octava, vel duodecima quaque hora pro ratione Vigiliarum & fluxûs alvi.

℞. Theriac. Androm. pulv. è chel. cancr. comp. lap. contrayerv. ciner. bufon. an. gran. xv. Laud. Lond. gran. i. Syrup. caryoph. q. ſ. M. F. Bolus.

℞. Aqu. Meliſſ. ceraſ. nigr. an. ℥ iii. epidem. pæon. comp. Syrup. de Mecon. an. ℥ i. M. F. Julapium. Petechiis autem adhuc die 12. & 13. numero, & magnitudine auctis, utut fluxus alvi & vigiliæ, cæteraque ſymptomata jam non urgerent ut priùs, uſum Bolorum ſexta vel octava quaque hora, utì & Julapii Paregorici & Perlati adhuc repetendum duxi, uſque ad diem decimum quintum, quo die ego in rus vocatus, Ægram Collegæ Cl. D. D. *Goodall.* cum jam primùm Petechiæ, cæteraque Symptomata (veneno plurimùm cicurato) evaneſcere cœpiſſent, tractandam reliqui; Cl. Vir die Julii 15. Bolum ſequentem ſtatim deglutiendum juſſit, atque ſexta quaque hora ad iv. vices repetendum, unà cum hauſtu ſequenti.

℞. Theriac. Androm. ʒ ß. pulv. è chel. cancr. comp. lap. Goæ. contrayerv. an. ℈ ß. laudan. lond. gran. i. Syrup. è Conditur. N. M. q. ſ. M. F. Bolus.

℞. Aqu. Card. bened. ceraſ. nigr. cinam. Hord. Epidem. an. ℥ ß. Tinctur. Croc. Aquâ Theriacal. Extract. ʒ ii. Laudan. liquid. gut. x. Syrup. caryoph. ℥ iii. M. F. Hauſtus: Uſum Julapii Perlati in languoribus & Decocti albi pro Potu ordinario non omittendum voluit, unicuique verò libræ decocti, aqu. cinamom. hord. Epidem. an. ℥ vi. addendas curavit, die 16. Cl. vir in eorundem Bolorum Hauſtuum & decocti uſu perſtandum eſſe duxit. Die autem Julii 17. ego rure reverſus Pulſum Ægrotantis animadverti fortiorem, & vires inſtauratas, Petechias nullas, alvum adſtrictam, & vigilias cohibitas, Linguam autem & Fauces Aphthis albis ubique obſeſſas, ſine ullâ omnino faciei vel extremorum intumeſcentiâ vel ptyaliſmo ſuborto; Variolas etiam adhuc quadantenùs depreſſas, ideoque Julapium perlatum repetendum juſſi ad libitum, Hauſtum ſequentem hora ſomni propinandum; & gargariſmum ſæpius calidè Siphone faucibus injiciendum.

℞. Aqu. Ceraſ. nigr. Meliſſ. an. ℥ i ß. Epidem. ℥ ß. Theriac. Androm. pulv. è Chel. Cancr. comp. an. ℈ i. Syrup. de Mecon. ℥ i. M. F. Hauſtus.

℞. Decoct. Ficuum ℔ ß. Diamor. ℥ i ß. M. F. Gargariſm. Die Julii 18. Morbi vero 11. Ægra, Variolis declinantibus, atque in facie ante maturationem conſummatam exareſcere incipientibus, plurimùm languebat, & Arteriis validè ſe vibrantibus evidenter febricitabat. Lingua etiam Aphthis decidentibus inflammata rubeſcebat, atque craſſeſcebat, unde certum habens, febrem præſentem indolem benignam induiſſe, Hauſtum febrifugum ſequentem illicò propinandum juſſi (agitatâ priùs phialâ) & quarta quaque hora ad ſex vices repetendum.

℞. Aqu. Cardu. ℥ ii. epidem. Syrup. caryop. an. ʒ ii. pulv. ſubtiliſſ. cortic. peruv. elect. ʒ i. M. F. Hauſtus, atque cochl. iv. vel v. Julap. ſequent. quarta quaque hora medio inter Hauſtus ſpatio exhibenda. & uſum Julapii perlati & Gargariſmi non omittendum.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥ iv. Epidem. ℥ iß. Diaſcord. ʒ iß. Syrup. Caryoph. ʒ x. M. F. Julap. Inde ſub veſperam multò meliùs ſe habuit Ægra, Pulſus & vires erigebantur, totâ nocte placidè dormiebat, atque die ſequenti à Febre penitùs liberata planè reconvaleſcere videbatur, variolis jam demùm in Artubus ubique pure turgentibus, & margine rubro circumcinctis, atque parotide amplâ & moleſtâ ſub aure ſiniſtrâ ſubortâ. Quocirca 19. Julii, poſtquam Linimentum pro facie ex oleo amygd. & ſperm. cet. parandum juſſeram, atque Parotidem unguent. dialth. illinendum & hauſtum febrifugum mane & veſperi repetendum, Patienti pro tempore valedixi, ſub veſperam autem veneno vel per parotidem non ſatis propulſato, vel forte repercuſſo, Ægra more hyſtericarum ſuffocata, plurima deliquia perpeſſa eſt, atque deliravit, (pulſu interea vacillante) quaſi illico animam efflatura. Quâ de causâ ego incunctanter acceritus Bolum ſequentem ſtatim deglutiendum præſcripſi & ſextâ matutinâ repetendum cum cochlear. iv. vel v. Julap. ſequent. de quo bibere fas erat ad libitum.

℞. Theriac. Androm. confect. alkerm. an. ʒ ß. pulv. è chel. cancr. comp. lap. contrayerv. an. gr. xv. pulv. de guttet. ſerpentar. virgin. an. gr. vii. laud. liquid. helmont. gut. x. Syrup. caryoph. q. ſ. M. F. Bolus.

℞. Aq. meliſſ. rut. ceraſ. nigr. an. ℥ iii. aq. bryon. pæon. comp. an. ℥ i ß. tinctur. caſtor. ℥ i ß. ſpir. ſal. armon. vin. ℈ i. ſyr. pæon. comp. ℥ i ß. M. F. Julap. Inſuper Spiritum C. C. ſæpius naribus admovendum juſſi, atque ejuſdem gut. vi. vel vii. in languoribus in hauſtu Julapii propinandas, veſicatoria ii. ampla & acria ad brachia interna prope axillas applicanda, & cataplaſma calidum ex ung. dialth. & Theriac. lond. an. p. æqu. commixtis cum panno lineo duplicato parotidi imponendum. Inde proximo die mane Patientem inveni ſomno refectam, atque ab omni ſymptomate morboſo liberatam, exanthematis jam demum in artubus exareſcere incipientibus, atque parotide ſine dolore adhuc intumeſcente, ideoque die Julii viceſimo, poſtquam cataplaſma parotidi recens imponendum & bolum alexipharmacum horâ ſomni & proximo mane repetendum juſſeram, rurſus Patienti pro tempore valedixi. Julii autem 22. cùm linguam ægræ quadantenus aridam & rubeſcentem deprehenderem; Os gargariſmo ſequenti ſæpius colluendum juſſi.

℞. Fol. plantag. roſ. rub. ſummit. rub. an. M. i. coq. in aqu. font. q. ſ. ad ℔ i ß. colaturæ add. Diamor. ℥ ii. mel. roſ. colat. ℥ i. M. F. gargariſm. Interea Julapium perlatum ad libitum Ægra piciſſabat. Die vero 25. cùm parotis adhuc ſcrophulæ ad inſtar tumeret, nullatenus autem inflammaretur, emplaſtr. diachyl. cum gum. ſuper tenui alutâ extenſum parti affectæ imponendum juſſi, atque alternis diebus renovandum, atque electuarium ſequens ad reliquias veneni deliteſcentis ſubigendas, ne forte tumor hic è perenni fonte ſcaturiens in moleſtam Strumam curatu difficilem degeneraret, deglutiendum, & cochl. i. vel alterum Vini Canarini ſuperbibendum.

℞. Pulv. ſubtiliſſ. cortic. peruv. elect. ℨ vi. ſyrup. è rub. idæ. q. ſ. M. F. electuar. de quo cap. quant. nuc. jugland. ter in die horis medic. Julii autem 29. cùm ex redintegrato appetitu venenum penitùs ſubactum fuiſſe certum haberem, alvum potione ſequenti mane proximo exhibendâ cum regimine deturbandam curavi, iterumque Auguſti primo.

℞. Decoct. ſennæ gereon. ℥ iv. mannæ ſelectiſſ. ℥ i ß. M. Has evacuationes bene toleravit, atque inde perfectè reconvaluit Patiens, tantùm adhuc parotis tumebat, quo nomine emplaſtrum adhuc uſurpandum duxi, atque ℨ ß. pil. ſtomach. cum gum. in iv. pil. redact. poſt triduum elapſum hora ſomni exhibendam, atque deinceps quarta quaque nocte ad v. vices repetendam, & horis matutinis ſequentibus ℔ iv. aqu. mineral. purgant. crudarum vel ad ℔ vi. coctarum & ℔ ß. lactis alterat. bibendas, quo pacto parotis ſenſim demùm evanuit, & patiens integram ſanitatem tandem aſſecuta eſt.

Hiſtoria 30. Filiolæ duæ vicini mei Domini *Pinke* Aromatarii habitantis in vico dicto *Nevvgate-ſtreet*, menſe Julio Anno 1692. quarum una ſex, altera quatuor annos nata erat, varioloſo veneno admodum deleterio infectæ, eodem die decubuerunt, utraque durante morbi apparatu blandè calebat, & febre miti tentabatur. (Naturâ nimiùm veneno obrutâ) nullum ſymptoma aderat vehementius præter vigilias perpetuas & contumaces uſque ad ſecundum ab eruptione diem protenſa, exanthemata ubique diſtincta ſatis pro ratione temporis acuminabantur, unde animi pharmacopolæ qui eas tractabat addebantur; Non enim veſiculas miliares ubique in interſtitiis Variolarum in collo & pectore natu majoris, atque Petechias in pectore Junioris efflorescentes animadvertebat, ideoque de eventu morbi parùm ſolicitus, nullum iis remedium præter Julapium perlatum temperatum exhibuit, Natu autem major ſecundo ab eruptione die derepente, & ſine quavis evidenti causâ, ſpaſmis univerſalibus correpta, attonita & ſuffocata more apoplecticorum eodem ipſo die fato cedebat, quanquam ego incunctanter accerſitus Veſicatoriis, & generoſiſſimis quotquot remediis ſerò adhibitis ſpiritus ſtimulare atque venenum ſubigere incaſsùm ſategeram: Fatum etiam non minùs acerbum ſortiebatur altera, quæ perpetuò delira & vigil non obſtante Opiatorum & Alexipharmacorum remediorum à me & Cl. Collegâ D.D. *Brovvn* præſcriptorum uſu, tertiò ab eruptione die ſummum diem oppetiit: Adeò præcipitem ruinam infert, atque funeſtum prognoſticon ſuggerit hic Morbus, quoties ortum ſuum duxerit à Veneno deleterio, quod durante apparatu vel eruptione per petechias, eruptionem miliarem, vel quamcunque aliam id genus notam, indolem ſuam prodat, qualiſcunque fuerit exanthematum eruptio: nullatenus enim eruptioni Variolarum diſtinctæ fidendum eſt, ubi indicia malignitatis ſeſe in conſpectum dant; namque diſcretas variolas non minùs quàm confluentes, peſtilentialem indolem nonnunquam (licet oppidò rarò) induere exercitatos medicos haud latet, quod anteà innuimus.

Hiſtoria 31. Filius Domini *Ryley* habitantis prope *Aulam Chirurgorum*, ſeptem annos natus, die Junii 19. 1693. Varioloſo fermento deleterio in actum deducto cœpit febricitare, atque totum apparatus ſtadium ſymptomatis uſitatis affectus decurrerit: à primo verò inſultûs momento perpetuò vigilavit & deliravit. Incipiente quarto morbi die Junii, ſcilicet 23. ubi jam exanthemata fere per integrum diem quaſi in cute latitantia ſeſe obſcure in conſpectum dederant, ego accerſitus inveni puerum perperam in ancillæ lachrymantis ſinu, adſtantibus omnib. plorantibus, in lecto, tempeſtate admodùm fervidâ, æſtuantem, ut Variolarum protruſio juxta opinionem vulgi eò magis accelararetur; Spiritibus autem à veneno, & hoc regimine valde oppreſſis & debilitatis, atque vigiliis & deliriis inde plurimùm auctis (quæ ſymptomata pharmacopola medicamentis frigidis, verbi gratiâ, decocto albo & ſpiritu ſulphuris, atque etiam laudano ſuperare incaſsùm tentaverat. Variolæ ubique magis magiſque intus quaſi repercuſſæ ſubſidebant; Petechiæ etiam in pectore efflorescentes indolem morbi pravam indigitàrunt. Ancillâ autem à me non ſine jurgiis è lecto excitatâ, æſtuans & pæne ſuffocatus puer ab aëris injuriis tegumentis levioribus munitus, illicò liberiùs reſpirare cœpit. Ad ſpiritus autem pæne ſuffocatos & extinctos reficiendos & ſtimulandos, atque eorum motus inordinatos & vacillantes compeſcendos, veſicatorium amplum & acre illico

illicò ad nucham applicandum juſſi, atque cochl. iii. vel iv. Julap. ſequent. tertiâ vel quartâ quâque horâ (agitatâ phialâ) propinanda.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥ ii ß. Epidem. ℥ i. Pæon. comp. ʒ iii. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lapid. Contrayerv. an. ʒ ß. Syrup. de Mecon. ℥ i ß. M. F. Julap. Æger poſt ſecundam Julapii doſin per quatuor horarum ſpatium tempore pomeridiano dormivit, Exanthemata interea ubique evidenter protrudebantur, mediâ nocte Puer inſomnis factus rurſus cœpit delirare, atque inde Variolæ in multis locis numero auctæ cohæſerunt, Petechiæ etiam in interſtitiis numero & magnitudine auctæ ſubnigrum colorem induebant; unde Hæmorrhagiam univerſalem & funeſtam à ſolutâ ſanguinis craſi illico inſecuturam expectavi, non niſi remediis generoſiſſimis quæ Spiritus pæne extinctos expandere valerent, antevertendam: Ideoque Junii 24. Veſicatoria ii. ampla & acria ad internos carpos ſtatim applicanda juſſi, atque Bolum ſequentem ſolut. in Cochleari Julapii (de quo bibere fas erat ad libitum) illicò deglutiendum, repetendumque deinceps ſexta quaque hora.

℞. Theriac. Androm. ℈ ß. Pulv. è Chelis Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. gran. viii. Serpentar. Virgin. gran. iv. Laudan. liquid. Helmont. gut. x. Syrup. de Mecon. q. ſ. M. F. Bolus.

℞. Aqu. Meliſſ. Cinam. hord. Ceraſ. nigr. an. ℥ ii. Pæon. comp. ℥ i. Epidem. ℥ ß. Syrup. Caryoph. ℥ i. Confect. Alcherm. ʒ i. M. F. Julap. Liquorem etiam Poſſeticum noſtro modo alterarum copioſè & frequenter ſubtepide propinandum præſcripſi. Inde placidè dormivit Æger, utut quadantenùs delitaret, maculæ autem nigræ adhuc manebant, verùm nulla omninò Hæmorrhagia (quod valdè miratus ſum) ſuborta eſt. Quandoquidem verò Natura jam planè iners & languida, neque per ductus ſalivales neque per Renes Venenum quod per Exanthemata protrudere non potuit, eliminaret, decrevi quocunque modo defectum illum ſupplere, ideoque die 25. ad Cataractas Renum reſerandas, Cineres Bufonum cum Bolis commiſcendos curavi, & doſin Serpent. Virgin. ad ulteriorem Spirituum ſtimulationem augendam, more ſequenti.

℞. Theriac. Androm. Lap. Contrayerv. pulv. an. ℈ ß. Rad. Serpentar. Virgin. gran. vi. Ciner. Bufon. gran. viii. Laudan. liquid. gut. x. Syrup. de Mecon. q. ſ. M. F. Bolus, quem ſumat ſtatim ſolut. in Cochlear. ii. Julap. nuperrimè præſcript. repetatque tertiâ pomerid. Inſuper gut. x. xii. xviii. Sp. C. C. optime rectificati unicuique hauſtui Alæ inſtillandas; atque ductus ſalivales Gargariſmo ex Decocto Ficuum & melle Roſat. faucibus ſæpius injecto ſollicitandos imperavi; atque Julap. cum Confect. Alcherm. adhuc uſurpandum. Ægro inde ſatis ad ſomnum propenſo, Ego ſub veſperam reverſus, Bolum cum Ciner. Bufon. abſque Laudano ſexta quaque hora repetendum duxi. Die 26. Puer ſomnum placidè capiebat ſine ope Laudani, urinam reddidit copioſam, Exanthemata ubique acuminari cœperunt, Petechiæ autem adhuc manebant admodum frequentes, amplæ & ſublividæ; quocirca Bolum Alexipharmacum cum Ciner. Bufon. abſque Laudano quartâ quâque horâ repetendum juſſi, unde Junii 27. primo ſcil. maturationis die Puer delirare deſinebat, atque ſine Opiato medicamento placidè dormiebat, exanthemata ubique turgentia matureſcebant, facies & manus ſine febre evidenti plurimùm intumeſcebant, maculæ (urina jam etiam copioſè reddita) rubeſcebant, diminuebantur, & evaneſcere cœperunt: unde ego ad ſpem maximam erectus ſum; Parentes autem jam de vitâ Pueri non ampliùs ſolliciti atque monita noſtra ſpernentes, Bolum Alexipharmacum reluctanti puero ampliùs obtrudi noluerunt, atque me dimiſerunt. Ægrè equidem coactus diſceſſi, nón ſine Prognoſtico funeſto prolato, utcunque Julapium ſequens parandum juſſi, atque ejus Cochl. tria ſtatim, atque deinceps tertia quaque hora (agitatâ phialâ) propinanda.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥ ii. Epidem. Pæon. comp. an. ℥ ß. Theriac. Androm. Lap. Contrayerv. an. ʒ ß. Serpentar. Virgin. Ciner. Bufon. an. ℈ i. Syrup. Caryoph. ℥ x. M. F. Julap. Quamdiu hoc Julapium exhibeatur, licet nimis parcè, per bidui ſpatium, ſcilicet uſque ad nonum Morbi diem (ut ex Pharmacopolâ audivi) ſomnum placidum capiebat Puer, Exanthematis indies matureſcentibus, atque maculis ſenſim declinantibus, demùm autem uſu Julapii ipſius poſthabitô, Deliriis & Vigiliis recrudeſcentibus, atque maculis nigris rurſùs efloreſcentibus, die Julii 2. atque declinationis Morbi tertio, miſer Puer proculdubiò præ remediorum neglectu, ſpem Amicorum fallens, ſupremum clauſit diem.

Hiſtoria 32. Honoratiſſimus Vir *Thomas Coventry* Filius natu maximus, familiæ ſuæ decus atque columen, præcedenti æſtate in ipſo ætatis ſuæ flore à Phthiſi verè pulmonari (Deo favente) à me ægrè admodùm liberatus, atque adhuc Catarrho ex levi quavis occaſione obnoxius; die Martii 22. 1686. Tuſſi, dolore capitis, vomitione atque cæteris Symptomatis Variolarum apparatum comitari ſolitis correptus, atque febricitans decubuit. Pharmacopola die 23. accerſitus ſequens lene Vomitorium (an ritè, atque certâ Indicatione innixus neſcio) ſub veſperam ei propinavit, unde liquore Poſſetico copioſè epoto ſæpius vomuit.

℞. Infuſ. Croc. Metal. ʒ iiß. Aqu. Hyſſop. ℥ i. Syrup. è 5. Rad. ʒ ii ß. M. F. Potio Emetica. Symptomatis autem inde nequaquam manſuefactis, verùm potiùs exacerbatis, atque Variolis die ſequenti ſcilicet 24. Martii confertim erumpentibus, ego poſt meridien incunctanter accerſitus inveni Nobilem Juvenem delirum ac vigilem, Febre, (quæ tamen temperiem naturalem non immutaverat) Pulſu celeri ac debili, Tuſſi, & Linguâ aridâ laborantem, Exanthematis in ipſâ primâ eruptione fere ubique cohærentibus. Quapropter ad Spiritus erigendos, & inordinatos eorum motus compeſcendos, & ad Tuſſim importunam quadantenùs frænandam, Cochl. v. vel vi. Julap. ſequent. quartâ quaque horâ propinanda juſſi (agitatâ priùs phialâ) atque hauſtum Paregoricum ſequentem horâ ſomni (modò ope Julapii non bene dormiret) exhibendum.

℞. Aqu. Meliſſ. Cardu. Ceraſ. nigr. an. ℥ ii

Epidemi Syrup. de Mecon. an. ℥ i ß. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. ʒ ß. M. F. Julap.

℞. Aqu. Papav. Rhæad. Cardu. an. ℥ i ß. Epidem. ʒ iii. Syrup. de Mecon. ʒ vi. Laud. liquid. gut. xii. M. F. Hauſtus. Horum ope Nobilis juvenis ſomnum capiebat, Exanthemata autem eodem fere modo ſe habebant depreſſa nimirum adhuc & ſublurida; Pulſus adhuc celer & debilis perſeverabat, Lingua magis areſcebat, atque utut Guttur doleret nullus omnino Ptyaliſmus ſupervenit; ad aciditatem igitur linguæ leniendam, mixturam ex Aqu. Plantag. ℔ ß. & Diamor. ʒ vi. juſſi parandam, verùm etiam ad allevandum Gutturis dolorem, quo præ cæteris Symptomatis Vir nobilis angebatur, atque ad Ptyaliſmum excitandum, Gargariſmum ex Decoct. Ficuum ℔ i ß. Mell. Roſat. & Diamor. an. ℥ i. Siphone faucibus calidum ſtrenuè & frequenter injiciendum curavi, atque Julapium Paregoricum cum Speciebus adhuc uſurpandum, additis ad ſingulos vel alternos Hauſtulos gut. xii. vel xiv. Laudan. liquid. Helmont. pro ratione Vigiliarum. Die 26. Exanthemata quæ jam matureſcere oportebat, deprimebantur, atque utut in apicibus albeſcerent, ſine quavis maturatione areſcebant, Febrem inſuper mali moris ex pulſus celeritate & debilitate & linguæ ariditate adeſſe deprehendi, cùm Natura planè iners & languida jam neque per Cutim, Ductus Salivales vel quamvis aliam viam Venenum intus coactum protrudere valeret, non obſtante ſomno, in quem ope præſcriptorum ſatis propendebat; ideoque motum Spirituum ordinatum (qui me in hoc caſu in ſpem maximè erexit) uſu Julapii Paregorici & Laudani repetito adhuc conſervandum apprimè neceſſarium duxi, probè ſciens Spiritus adeò attritos facillimè deliriis & vigiliis recurrentibus quamcitiſſimè avolaturos; inſuper Liquorem Poſſeticum noſtro modo alteratum copioſè propinandum juſſi, atque Turundas lineas Ol. Amygd. dulc. illitas naribus intrudendas, ut liberior fieret per nares reſpiratio, & Os inter dormiendum clauſum inde minùs areſceret. Die menſis 27. Morbi autem 6. cum animadverterem Febrem & Exanthemata eodem fere modo ſe adhuc habere, atque vigilias ex motu Spirituum minùs ordinato quadantenus protractas, uſum Julapii Paregorici, Hauſtum ſequentem illicò propinandum juſſi, iterumque tempore nocturno (ſi vigiliæ urgerent) repetendum.

℞. Aqu. Paralyſ. Ceraſ. nigr. an. ℥ i. Epidem. ʒ iii. Syrup. è Mecon. ʒ vi. Laudan. liquid. Helm. gut. xx. M. F. Hauſtus. Inſuper Cochl. iv. vel v. Julapii ſequentis ſæpiùs exhibenda imperavi, atque aliquando Hauſtulum Vini Canarini, quippe Pater nobiliſſimus, atque cæteri Adſtantes uſum Alexipharmacorum generoſorum (quæ proculdubio jam admodum neceſſaria erant) admittere noluerunt.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥ iv. Epidem. ℥ iii. Cinam. hordeat. ℥ ii. Margarit. præp. ʒ i ß. Sacchar. alb. ʒ v. M. F. Julap. Gargariſmum etiam repetendum juſſi. Die autem 28. Spiritib. ob defectum generoſorum Alexipharmacorum vacillantibus, Nobilis vir malo omine rurſus cœpit delirare, quanquam motu Spirituum ordinatio aucta Opiatorum quantitate adhuc conſervato, ſatis ad ſomnum eſſet proclivis. Ideoque de eventu Morbi ego valdè ſolicitus (poſtquam multis precibus hanc veniam impetraram) Spiritus ſtimulare Veſicatorio amplo & acri ad Nucham applicato, & hoc modo Alexipharmacorum quæ adeò neceſſaria duxeram defectum ſupplere decrevi, inſuper Hauſtum Opiatum, Julapium Paregoricum, Vinum Canarinum, & Liquorem Poſſeticum noſtro modo alteratum adhuc uſurpandum imperavi, Die 29. Vir Nobilis adhuc febricitans & quadantenus delirus, Exanthematis ubique exareſcentibus & depreſſis, ad Vigilias magis proclivis erat: quâ de cauſâ Veſic. ii. ad brachia interna applicanda, Julapium Paregoricum adhuc uſurpandum, atque Hauſtum Opiatum bis in die repetendum curavi. Die 30. (veneno neque per Cutim, neque per ductus ſalivales vel partes extremas protruſo) Pulmones quadantenus infarciebantur, & nobilis Juvenis deliriis & vigiliis pænè ſuccumbebat; ego verò, veniâ in tanto diſcrimine ægrè priùs impetratâ, chartulam unam Pulveris Alexipharmaci ſequentis ſexta quaque hora exhibendam juſſi, in Cochl. Julap. ſequentis, & Cochl. iv. vel v. ejuſdem Julapii ſuperbibenda, ad vires Spirituum pæne extinctorum erigendas, ut eo meliùs Venenum per Cataractas Renum patentiores amandare valerent, quod per Cutim vel ductus ſalivales exterminare non poterant.

℞. Pulv. è Chelis Cancr. comp. lap. contrayerv. an. ℈ i. ciner. bufon. ʒ ß. pulv. bezoard. magiſtral. ℈ i. M. & divide in tres chartulas.

℞. Aqu. meliſſ. ceraſ. nigr. an. ℥ iii. epidem. pæon. comp. an. ℥ i. confect. alcherm. ʒ ii. ſyrup. caryoph. ℥ i. M. F. Julapium. Inſuper hauſtum paregoricum bis in die exhibendum juſſi, Julapium perlatum & gargariſmum repetendum, & cochl. viii. vel x. apozem. ſequent. tepefact. propinanda.

℞. Decoct. pectoral. depurat. ℔ i. ſyrup. capill. vener. tinctur. croc. an. ℥ ß. M. F. apozema, Unde Æger (urinâ copioſè redditâ, atque arteriis fortiùs ſeſe vibrantibus) placidè dormire cœpit, atque ad ſe redire; quandoquidem verò reſpiratio adhuc (uti ſæpe in hoc ultimo Morbi ſtadio) pulmonibus infarctis erat quadantenus difficilis, die 31. cochl. i. Linctus ſequent. cum hauſtu apozematis pectoralis quarta quæque hora miniſtrandum curavi.

℞. Ol. amygd. dulc. rec. ſyrup. capill. ven. an. ℥ i ß. ſacchar. cant. alb. ʒ i ß. M. F. Linctus. Hauſtum etiam Paregoricum horâ ſomni repetendum impetravi. Aprilis 1. Nobilem Juvenem planè ἀπυρέτον atque in nullo diſcrimine verſantem inveni, quanquam adhuc obſtructione pulmonum, Tuſſi violenta & levi ophthalmiâ affligeretur; quapropter linctum & apozema pectorale adhuc uſurpandum duxi, hauſtum paregoricum horâ ſomni propinandum, gargariſmum & Julapium perlatum repetendum, linimentum ex ol. amyg. dulc. &c. pro facie parandum, atque gut. aliquot collyrii ſequentis ſæpius oculis inſtillandas.

℞. Aqu. plantag. ℥ i. trochiſc. alb. rhaſ. ſine opio, ſacch. cryſtal. alb. an. ℈ i. M F. collyrium. Quandoquidem verò pulmones nobilis viri (qui à Tabe præcedenti aliquali

labe

labe inficiebantur) hoc Morbo calefacti debilitarentur, adhuc obſtruerentur, & demum moleſtâ Tuſſi angerentur, atque Scabies inſuper pertinaciter ad faciem adhæreſceret, & alvus adhuc adſtringeretur, Aprilis 2. Apozema pectorale & linctum diligenter uſurpandum duxi, atque etiam linimentum & gargariſmum uſque ad diem ſextum, Die 3. inſuper alvum glande ex melle & alumine cum ℥ ii. ſpec. hier. picr. coct. ſolicitandam curavi. Die 4. ad calorem pulmonum temperandum gran. xv. ſalis nitr. puriſſ. & ʒß. ſacchar. cryſtal. alb. in ſingulis hauſtibus cereviſiæ ſolvend. præſcripſi; atque demum die 6. ad Tuſſim importunam frænandam gut. xii. laudan. liquid. in cochl. i. ſyrup. balſam. horâ ſomni quâvis nocte exhibendum. Hoc pacto ſublatis omnibus ſymptomatis, plane reconvaleſcebat nobilis Vir, appetitu etiam integrè reſtituto, nec morboſus aliquis affectus poſtea ſuboriebatur, præter levem oculorum taraxin, à quâ facile & brevi repetito collyrii præſcripti uſu liberabatur. Alvum igitur pilul. ſequentibus nocte deglutitis primùm die Aprilis 11. leniter ſubducendum juſſimus.

℞. Pilul. ſtomachal. cum Gumm. Aloes roſat. an. ℈ i. Sal Tartar. gran. vi. elix. popr. q. ſ. M. F. pil. num. vi. deaurandæ. Die 14. horâ ſomni deglutiit Nobilis Vir gran. xxv. Pilul. Stom. cum gumm. & ad alvum fortiùs deturbandam proximo mane extract. rud. gran. xxv. in iii. pil. redact. atque denique die 17. pil. ſtomach. ʒß. horâ ſomni, mane verò proximo pilulas ſequentes.

℞. Extract. rud. ʒ ß. ſal. tartar. gran. v. ol. aniſ. gut. iii. M. F. pil. iii. deaurand.

Hiſtoria 33. Uxor Domini *Levvis* habitantis in vico dicto *Pater-noſter-rovv*, mulier elegans & formoſa anno 1670. ægrotans, atque immodico menſium fluxu tentata, ſexto imprægnationis menſe, Variolis jam ubique erumpentibus abortionem paſſa eſt. Exanthemata mali moris â primâ eruptione ubique confluebant, acceſſerunt pulſus admodùm debilis ſine evidenti Febre, Vigiliæ pertinaces & delirium: interrogatis tamen placidè reſpondebat Ægra, ſecundo maturationis die à prioremedico deſerabatur quaſi deplorata: ego verò tunc accerſitus, deprehendi (Lochiis adhuc fluentibus) Pulſum admodùm debilem, temperiem mitem, Variolas ubique depreſſas, adeò autem fuit attonita & animi impos, ut ſeſe bene valere crederet, neque de Morbi eventu ſolicita eſſet, neque de Morbo, neque de quovis ſymptomate conquereretur. Inſuper Natura veneno per glandulas cutaneas juxta primam intentionem propulſando impar, planè languida & ignava, neque per glandulas ſalivales, neque per aliquam aliam portam hoſtem proſequi moliebatur. Hoc in caſu ad præcavendam funeſtam Diarrhœam, quam meritò inſecuturam ſuſpicatus ſum, atque ad eliminationem lymphæ venenatæ ſaltem per Cataractas Renum promovendam, præſcripſi doſin Ciner. Bufon. Pulv. è Chel. Canc. comp. & Lap. Contrayerv. quarta quaque hora cum hauſtu Julapii Opiati miniſtrandam, unde fluxu urinæ notabili ſuborto optimè dormiebat Ægra. Poſt unum verò vel alterum diem exareſcentibus ubique Exanthematis, pulſum ſenſim fortiorem deprehendi, atque mentem ſanam; quâ ratione, medicamenta non adeò frequenter repetenda juſſi, verùm ſextâ tantùm vel octava quaque hora, atque tandem bis vel ſemel in die, fluxu Urinæ continuato, & Patiente indies reconvaleſcente; atque quidem die Morbi viceſimo prorsùs convaluit, ſine ullâ omninò Exanthematum maturatione, Salivatione vel extremorum intumeſcentiâ per totum Morbi curſum ſubortâ.

Hiſtoria 34. Filiolus Domini *Allot* habitantis in vico dicto *Covv-lane*, ſex annos natus, circiter annum 1671. mediâ hyeme Variolis laborabat. Exanthemata à primâ eruptione ante meum adventum ubique confluebant, vel ſaltem magnâ ex parte cohærebant, Febris inſuper mali moris â primo Morbi inſultu uſque ad maturationem protendebatur. Inſtante autem maturatione (cùm ego primùm accerſebar) Exanthemata quæ jam matureſcere & turgeſcere opportebat, ubique ſubſidentia & exareſcentia, atque in pectore petechiis interſperſa deprehendi, acceſſit alvi fluxus enormis cum vigiliis & deliriis ſociatus, poſtquam oppreſſa Natura Venenum per ductus Salivales levi Ptyaliſmo, quaſi velitando eliminare incaſsùm tentaverat, Ope autem Julapiorum opiatorum, enematum adſtringentium & pulverum cardiacorum & aſtringentium cum ciner. bufon. commixtorum, ſæpius repetitorum, fluxus alvi licet ſæpius recurrens, demùm penitus ſublatus erat, Æger placidè dormiebat, atque urinam copioſè reddebat, atque tandem evaneſcentibus petechiis, (utut Variolæ per totum morbi curſum ad inſtar pellicularum pellucidæ adhæſiſſent & exaruiſſent) perfectè reconvaleſcebat, & nullus omnino morboſus affectus poſtea ſubortus eſt, præter ophthalmiam, à qua methodo alibi deſcriptâ facilè liberabatur.

Hiſt. 35. Conſobrina Domini *Tipton* habitantis ſub Inſigni *Solis* prope *Hollbornbridge*, Ann. 1673. currente jam 14. ætatis anno, Variolis cohærentibus laborans, à pharmacopolâ tractabatur, uſque ad undecimum morbi diem, quo die ſalivatione à frigore in poros Cutis admiſſo derepente ſuppreſsâ, & Variolis ubique depreſſis, ego incunctanter accerſitus inveni miſeram puellam pulſu admodum debili, ſubſultu tendinum, vigiliis & delirio laborantem, anhelam etiam & ſuffocatam ac ſi illico animam efflaturam. Igitur Veſicatorium amplum, & acre ſtatim ad nucham applicandum juſſi, atque bolum ex electuario de ovo & ciner. bufon. exhibendum, & cum hauſtu Julapii opiati quarta quaque hora repetendum; unde (quod optabile fuit) inſigne & quaſi diabeticum Urinæ profluvium ſuboriebatur, vires ſtatim evidenter refocillabantur, & puella meliùs reſpiravit. Demùm decimo quarto morbi die, cùm jam febris penitus exulaverat, uſu bolorum non amplius continuato, revireſcebat (mirabile dictu) ingens ptyaliſmus, qui ſponte duravit, uſque ad completam exanthematum maturationem, & donec Patiens integrè reconvaleſceret, quæ hoc pacto (ſi quæ alia) ab orci faucibus planè eripiebatur.

Hiſtoria 36. Uxor Domini *Goddard* habitantis in vico dicto *St. Botolphs-lane*, annos duo-

de viginti nata, die Octobris 21. 1692. ſub veſperam dolore Lumborum Spaſmodico derepente adeò atroci corripiebatur, ut tota machina Spaſmis agitari videretur; Febris autem intemperie, ſiti vel Pulſus mutatione nondum ſeſe prodebat. Die proximo alvum frequenter dejiciebat, non multùm autem ægrotabat, lumbagine ſolummodò attrita, indeque ſeſe non continebat in lecto ut par erat, verùm ubique in domo, tempeſtate admodum frigida, pallida licet & languida obambulabat. Die 23. ſub veſperam unum vel alterum Exanthema ſeſe in labiis primùm in conſpectum dedit. Die 24. erumpebant Variolæ ubique cohærentes, Ægra jam multùm languebat, ſuffocatione ſtrangulatoria ſæpiùs tentata, atque madore frigido perfuſa: Pulſus [ut ex Aſſiſtantibus audivi] erat debilis, & Vigiliæ à primo Morbi inſultu uſque ad 27. menſis diem, pertinaciter urgebant, & ne granum quidem Medicamenti alicujus Opiati vel Cardiaci ad vires ſuſtentandas à Pharmacopolâ qui eam hactenus tractabat miniſtratum erat; Decoctum album, & Julapium Perlatum frigidum & minimè Cardiacum per totum hoc Apparatûs & Eruptionis tempus concedebatur, ſolummodò tantillum Vini Canarini in deliquiis ægrè admodùm, & non ſine multis precibus impetravit, Ægrota utut inde ſeſe plurimùm refectam ſentiret. Ego 27. menſis, & ſexto Morbi die advocatus, quamprimum animadverti Exanthemata admodum frequentia & pæne ubique cohærentia, depreſſa verò & lurida, Pulſum debilem & celerem, micturitionem, urinam verò tinctam & contentis ſaturatam, vires admodum languidas, & ſuffocationes quaſi Hyſtericas frequenter recurrentes, cum Vigiliis pertinacibus conjunctas: quoties enim obdormiſcere cœpit, ſuffocatione & deliquio excitata ſtatim expergefacta eſt. Ideoque Veſicatorium ſtatim ad Nucham applicandum juſſi, & Bolum ex Theriac. Androm. ʒ ß. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. & Rad. Serpentar. Virgin. an. ℈ß. Laudan. liquid. gut. xv. & Syrup. Caryoph. q. ſ. illicò exhibendum, atque ſexta quaque hora repetendum cum hauſtu Julapii, & gut. xii. Laudani liquidi hauſtui Julapii media nocte propinando inſtillandas, modò non dormiret: A Laudano vertigine quadantenus afficiebatur Ægra, urinam verò ſine micturitione moleſta jam reddebat, & poſt univerſalem dolorem quem per bihorium ſenſerat, demum per trihorium quietè decubuit, atque denuò placidè dormivit. Octobris 28. mane pulſum deprehendi manifeſto fortiorem, Exanthemata fere ubique (tarde licet) matureſcentia atque quadantenus acuminata faciem etiam, licet ſine ptyaliſmo, intumeſcentem, Ægra hilari erat animo, & plurimùm refecta, atque à languore, ſuffocatione, madore, reliquiſque funeſtis ſymptomatis, liberata quietè jacebat, indeque in ſpem inductus Bolum ſexta quaque hora adhuc repetendum duxi, donec ſomnus ſatis conciliaretur, atque Venenum magis ſubigeretur. Die 29. menſes qui præſtituto tempore, ſcil. ſub initium Morbi fluere debebant, jam erumpebant, ſubſidebat intumeſcentia, atque Exanthemata eam obſidentia, pure minimè concocto, exareſcebant; Ægra verò mentis adhuc compos erat, utpote frequenti, licet brevi & ſuſpenſo ſomno refecta, ideoque Veſicatoria duo ad Carpos internos applicanda juſſi, & Bolum è Theriac. Androm. ʒ ß. Pulv. Serpentar. Virgin. Confect. de Hyacinth. è Chel. Cancr. comp. an. gr. xii. Laud. Lond. gr. i. & tantillo Syrup. Caryoph. Syrup. de Mecon. ℥ß. ſtatim exhibendum, atque denuò ſextâ quaque horâ repetendum. Bene inde dormivit & mente integra fruebatur, Lingua mollis erat & humida, Guttur autem dolebat ſine Ptyaliſmo vel Aphthis in ore ſuccreſcentibus, vel Tuſſi conjuncta, margines Exanthematum in pectore & Artubus rubedine magis vegeto profundebantur, Glandulæ prope naſum ſitæ intumeſcebant, & ſerum copioſè extendebant, una manus in tumorem tolli cœpit, Veſicatoria autem vix quicquam effecerunt, Sanguis ex Arteriis uterinis fluere haud deſinebat, parciùs autem quam præcedente die effluxit; Vibrationem Arteriarum deprehendi citatiorem, atque urinam rubedine ſaturatam, atque contentis & arenulis refertam, iterumque frequenter & moleſtè redditam. Ideoque præter uſum Bolorum Alexipharmacorum & Opiatorum quos ſextâ quaque horâ uſurpandos duxeram, die Octobr. 30. Hauſtum Apozematis Pectoralis cum Tinctur. Croc. vel Emulſionis è ſemin. frigid. cum Aqu. Roſ. rub. calidè ſæpiùs miniſtrandum juſſi, atque Gargariſmum ex decocto Ficuum, Diamor. & Mel. Roſ. calidè Siphone faucibus frequenter injiciendum. Die Octobr. 31. bene adhuc dormivit & ſanâ mente fruebatur, manus utraque tumore notabili afficiebatur, Exanthemata in manibus, atque in cruribus hactenùs depreſſa inflammari & pure turgere incipiebant; urina autem pauca admodum frequenter & difficulter reddebatur, fluxus uterino adhuc non penitus ſublato, quo nomine gran. xv. vel ℈i. Pulv. Æthiopic. ſingulis Bolis addendum duxi, eorumque uſum unà cum hauſtu Paregorico ſextâ quaque horâ repetendum, atque in cæteris perſtandum eſſe. Novembris 1. Fluxus uterinus ſiſtebatur, urina reddebatur copioſa, & contentis ſaturata & ſine dolore, ſomnus ſatis protrahebatur, tumor extremarum partium (Exanthematis in iis ubique jam pure refertis) in magnam molem elevabatur; Reſpiratio facilis erat & libera, pituitâ viſcidâ ope Gargariſmi copioſè è faucibus eductâ. Novembris 2. Ægram poſt levem ſudorem ſponte ſubortum, atque per trihorium univerſum corpus perfundentem pæne ἀπύρετον inveni, unde in omnibus præſcriptis perſtandum eſſe duxi. Novembris autem 3. & Morbi 13. ultimo Morbi Stadio jam primùm inito, Ægra bis alvum ſponte dejecit, partes extremæ evidenter detumeſcebant, ſitis etiam & Linguæ ariditas Febris auctæ indicia dederunt, ſatis quidem dormivit Ægra, ſed in nonnullis deliravit, & rurſùs ſuffocatione tentabatur; quâ de cauſâ Bolum cum hauſtu Paregorico bis in die duntaxat repetendum duxi, ad linguam autem emolliendam tantillum Mucilaginis Sem. Cydon. Syrup. è Mor. Extract. ſæpius in Os ingerendum juſſi, atque in cæteris perſtandum. Nocte proximâ bis iterùm alvum dejecit Ægra, & urinam nonnunquam inſuntario

red-

reddidit. Pulſus erat celer & quadantenus debilis, ſomni erant breves, ſæpe enim ut in principio. Morbi ſuffocatione ſtrangulatoria perterrita expergefacta eſt, hæmorrhagia uterina rediit jam plurimùm aucta. Igitur Novemb. 4. præſcripſi decoct. alb. pro potu ordinario, atque loco Bolorum, cochl. v. vel vi. Julapii ſequent. alternis horis propinanda juſſi.

℞. Aqu. Germ. Querc. cinamom. hord. an. ℥ iv. epid. pœn. comp. ſyrup. è meçon. an. ℥iß. pulv. è chel. cancr. comp. ſpec. confect. de hyacinth. pulv. bezoard. magiſtr. an. ʒß. M. F. Julap. Ante veſperam quinquies dejecit fæces copioſas & ſeroſas, pulſus autem inde non multùm labefactabatur, quo nomine Bolum ex ther. androm. ʒß. pulv. è chel. cancr. com. ſpec. confect. de hyacinth. an. gran. xv. laud. lond. gr. i. & tantillo ſyrup. caryoph. confectum illico exhibendum curavi, & quartâ matutinâ (ſi fluxus alvi perſeveraret) repetendum, cum hauſtu Julap. ex aq. meliſſ. rut. ceraſ. nigr. bryon. & pœon. comp. & ſyrup. caryoph. de quo fas erat bibere ad libitum in languoribus vel ſuffocationibus, atque etiam ſpir. ſal. armon. in phialâ collo arcto & oblongo ſæpius naribus admovendum; ſin alvus à primo Bolo cohiberetur, ſecundum omittendum juſſi, & in locum ejus ſubſtituendum curavi Julap. cum pulv. bezoard. durante quidem alvi fluxu evigilavit ægra, verùm ſine delirio vel ſuffocatione; ante mediam autem noctem delira ſuffocata, horâ primâ matutinâ ad plures migrabat. Adeò inter duo Symptomata vehementia, nimirùm enormem Diarrhœam, & ſuffocationem, difficili dilemmate demùm preſſus, vel miſeram Patientem poſt ſpem ſanitatis redintegrandæ amplam, jam fluxu alvi colliquativo diffluere, vel ſtrangulatione præcipiti perire permittere coactus ſum.

Hiſtoria 37. Filius Domini *Hackevvill*, octodecim annos natus, ſub finem menſis Septembris 1672, atroci & planè ſpaſmodico capitis & lumborum dolore correptus, ſine intemperie febrili, ſine nauſeâ, ægritudine, vomitione vel quovis altero vehementi ſymptomate præter dolores memoratos, ad bidui fere ſpatium vigil ac delirus, pulſu intereà debili, decumbebat. Sub finem ſecundi diei tota facies effloreſcentia æquali & continua derepente perfundebatur, minime coccinea ſed ſublurida, pectus univerſum, & Artus Exanthematis livideſcentibus, & pæne ubique cohærentibus, varia admodum figura ad inſtar Morbillorum (maculis nigris & petechiis hìc illìc interſperſis) notabantur: pervigil etiam erat & deliravit æger uſque ad ſecundum Eruptionis diem, quo ego primùm acceſſitus eum inveni inquietum, vigilem & delirum, pulſu admodum debili & vacillante laborantem, & quaſi potionatum, magis quàm febricitantem, nam ne granum quidem alexipharmaci alicujus, aut cujuſvis alterius medicamenti hactenùs miniſtratum fuerat, unde ſpiritus, nullis ſuppetiis Artis tempeſtivè adhibitis, veneno penitùs ſuccumbere videbantur: Ex inani verò naturæ conatu, aliqualis labiorum intumeſcentia, & levis Ptyaliſmus demùm ſuboriebatur. Quocirca funeſto prognoſtico prius prolato (ut importunis amicorum precibus ſatisfacerem) miſerum ægrotantem repetito uſu theriac. androm. pulv. gaſcon. ſerpent. virgin. Julap. Cordialium, & frequentium veſicatoriorum (quod unice faciendum reſtabat) ab Orci faucibus eripere & ſomnum ei conciliare moliebar; incaſſum verò, ſub initium enim primi maturationis diei, comatoſus & convulſus fatis cedebat.

Soror hujuſce Juvenis in eâdem domo cum Fratre diverſata, atque ei miniſtrans, terrore & mœſtitiâ ob mortem fratris præproperam affecta, paulo ante Illius obitum paroxyſmum febris quam Varioloſam eſſe ipſa opinabatur, ad 24. horas protenſum perpeſſa eſt. Alvo autem ejus, quæ priùs nimiùm adſtricta erat, enemate ſolutâ, atque bolo theriacali poſtea exhibito, die proximo mane planè ἀπύρετος videbatur, arteriæ validè & ordinatè ſe vibrabant, qua de cauſa nullum aliud medicamentum deglutire voluit, præter cortic. peruv. quem parcè admodùm deglutiit, labe autem hacce infecta tres hebdomadas valetudinario tranſegit mœſta & perterrita, menſes deinde ſubſiſtebant; demùm verò derepente dolore ſpaſmodico caput, lumbos & totum corpus occupante transfixa decumbebat, ſine febre evidenti, nauſea etiam & vomitione non multùm laceſſita. Die autem proximo tota facies coccinea, efflorеſcentia æquali perfundebatur, pectus verò & artus Exanthematis ſublividis pænè cohærentibus, quorum apices haud pauci fuſcum vel nigrum colorem induebant. Secundo eruptionis die, quo ego primùm acceſſebar, fluxum menſium enormem perpetiebatur; dormiebat autem, atque minimè delirabat; Pulſum autem deprehendi debilem admodum atque temperiem mitem, & ne granum quidem medicamenti cujuſvis alexipharmaci hucuſque ei miniſtratum fuerat. Terrore autem mortis quam exſpectabat perculſa, tremula jacebat, pathematis gravioribus attrita; quibus etiam acceſſit dolor ob inexſpectatum avi obitum, qui è rure eam inviſendi causâ huc ſeſe contulerat, atque domum jam primùm ingreſſus, apoplexia fortiſſima correptus, intra ſemihoræ ſpatium animam efflarat. Utcunque (funeſto prognoſtico prius prolato) ope alexipharmacorum generoſiſſimorum, & opiatorum, atque veſicatoriorum frequentium applicatione funeſtum diem differre pro virili conatus ſum; ſed fruſtrà, ſecundo enim maturationis die, cùm jam univerſa facies pergamena quaſi candida obducta videbatur, comatoſa fatis cedebat.

Hiſtoria 38. Adoleſcens 16. Annos natus habitans in *Soho* (cujus nomen mihi jam non occurrit) die Septembris 26. 1693. Varioloſo fermento infectus decubuit. Biduum valetudinariò tranſegit, dolore capitis & lumborum immani correptus, nondum autem, tactu judice, intemperie febrili tentabatur, vel Comate, Nauſeâ, vomitione, fluxu Alvi, vel quovis altero vehementiori ſymptomate apparatum hujus morbi comitari ſolito affligebatur, tantùm de ſpaſmodico hoc dolore & vigiliis conjunctis conqueſtus eſt. Die autem 28. univerſa cutis efflоreſcentia æquali, continua atque intensè rubra ſine puſtulis notabilibus, derepente perfunde-

ſundebatur; unde Æger pelliculâ quaſi ſcarlatina undique obductus illico cœpit delirare & furere. Die menſis 29. eruptionis autem ſecundo, cùm à primo Morbi inſultu non omninò dormiviſſet; vel Remedium quodcunque Alexipharmacum vel Opiatum ſumpſiſſet; ad eum inviſendum accerſitus, animadverti pulſum admodùm debilem, celerem & inordinatum, atque Urinam paucam, tenuem, & minimè rubedine vel contentis ſaturatam, ipſum autem Ægrum inſomnem, delirum & ſenſu omni penitus privatum. Caſus hic ſi quis alius) prognoſticon funeſtum ſuggerebat, nullam autem Indicationem præbebat, niſi ut quocunque modo ſpiritus pænè extincti ſuſcitarentur; atque motus eorum vacillantes & inordinati compeſcerentur. Quo nomine, poſtquam fatum inſtare denuntiaveram, monitis Amicorum morem gerens Veſicatoria iii. ad Nucham & Carpos illico applicanda juſſi, & Bolum Theriacalem cum pulver. gaſcon. lap. contrayerv. & ſerpentar. virgin. an. ℈ß. atque laudan. liquid. gut. 14. exhibendum, & quarta vel quinta quaque hora, ſolutum in hauſtu Julapii Cordialis repetendum. Unde Æger qui à primo Morbi inſultu non omninò dormiverat, per duas horas integras ſomnum placidum capiebat, neque ut priùs delirabat, Ptyaliſmus etiam aliqualis jam ſuboriebatur, indeque proximo die mane Veſicatoria ii. ad Tibias internas applicanda curavi, & quantitatem Serpentariæ Virgin. in unoquoque Bolo duplicandam. Die autem ſequenti, primo ſcilicet maturationis, pelliculâ undiquaque pergamenæ ad inſtar albeſcente, & plane exareſcente obductus maculis inſuper quibuſdam griſeis hìc illic in Cuticula effloreſcentibus, comatoſus, delirus & convulſus animam exſpirabat, ſanguinis tantillo paulò ante obitum è naribus ſtillante.

Hiſtoria 39. *Martha Meade* ancilla Nobiliſſimi Domini *Baronis de Coventry* duodeviginti annos nata, die 24. Januarii 1691. derepente Cephalalgiâ & Lumbagine immani corripiebatur, cum autem ſeſe non calore, ſed potius algore ſenſiſſet perfuſam, rata hanc affectionem eſſe Nephriticam, ubique in domo obambulabat, totâ nocte ſequenti, gelu jam admodum ſæviente, Conſervo ſuo ægrotanti miniſtrans evigilavit, cùm potius in lecto ſomno indulgendum erat, Unde ſpiritus frigore & vigiliis pænè extincti minùs pares certamini cum Veneno ineundo reddebantur. Proximo die, cùm jam ego morbum Varioloſum pronuntiaram, in curru, cautela maxima adhibita, in domum Amitæ ſuæ (ut percupiebat) ſecundo Morbi die deducebatur. Die Morbi tertio, menſis nimirum 27. Pharmacopola accerſitus; poſt Bolum neſcio quem præcedenti nocte exhibitum, nullâ effloreſcentiâ in Cute ſeſe prodente, audacter è Venâ Cubiti ℥ xiv. vel xvi. ſanguinis eduxit, qui cum impetu exſiliebat, atque nullatenus, Rheumatici ſanguinis ad inſtar, concreſcebat, fibris penitus privatus. Die Morbi quarto mane ego accerſitus animadverti univerſam Cutem effloreſcentia continua & plana, intenſe rubra, non ſcarlatina verùm quaſi levi & plano Eryſipelate perfuſam, maculis rubris minoribus & nigris majoribus ubique per totum pectus ſparſis. Urinam inſuper Ægra reddidit copioſè & frequenter atque ſinceri ſanguinis ad inſtar intensè rubram. Dormiebat quidem quadantenus, verùm oppreſſa & languida, atque pulſu tremulo & inordinato laborans, ſeſe plurimum atque pænè perpetuo jactabat. Prognoſtico igitur funeſto prius prolato, Tinctur. Roſ. ſicc. aqu. cinamom. ſpirit. ſulph. extract. atque ſaccharo albiſſ. edulcorat. præſcripſi pro potu ordinario, atque chartulam unam pulveris ſequentis cum hauſtu Julapii quarta quaque hora exhibendam juſſi.

℞. Pulv. Bezoard. magiſtr. ſpec. confect. de hyacinth. an. ʒß. coral. rub. præp. ʒ ii. pulv. ſerpentar. virgin. ʒß. M. pro v. chartulis.

℞. Aqu. cinam. hord. Stephan. Germin. Querc. Ceraſ. nigr. an. ℥ iii. acet. ſtillat. ʒv. ſyrup. myrtil. ℥ i ß. M. F. Julap. Sub finem autem quinti Morbi diei ſanguine confertim è Bronchiis exſiliente ſuffocata periit, labiis & manibus (uti in confluentibus Variolis plerumque contingit) quadantenus ab inani naturæ niſu tumefactis. Cadavere inſpecto cutim deprehendi (viſu horrendum) ubique planè nigricantem, proximo autem die colore cœruleo imbutam, qualem colorem etiam omnia lintea ſanguine conſpurcata aquæ ſaponaceæ primùm immerſa plane exhibebant, ac ſi fuiſſent arte tincta, quæ labes haud facilè delebatur. Tantum valet hoccè Venenum ubi ad ἀκμὴν pervenit in humorum ipſorum craſi immutandâ.

Hiſtoria 40. Frater natu minor Domini *Warren* habitantis in vico dicto *Ludgate hill*, menſe Auguſto 1692. frequenti rigore, lumbagine & demùm febrili calore correptus (uno vel altero exanthemate Varioloſo demùm ſub finem ſecundi apparatus diei inter innumeras maculas purpureas ſeſe prodente) decumbebat. Die eruptionis ſecundo ego accerſitus animadverti exanthemata valde frequentia, & pæne ubique cohærentia, verùm depreſſa & ſemimortua; maculis nigris & magnis ubique interſperſis: Æger erat inquietus, inſomnis & delirus, urinam reddidit frequenter tenuem & copioſam, Lingua nigreſcens areſcebat, nullum aderat ptyaliſmi futuri indicium, pulſus erat tremulus & admodum debilis. Prognoſtico igitur funeſto prolato, veſicatoria illico ad nucham & carpos applicanda juſſi, & Bolum Theriacalem cum pulv. gaſcon. ſerpentar. virgin. & laudan. liquid. gut. xx. ſtatim exhibendum, atque ſexta quaque hora cum hauſtu Julap. cordialis repetendum, liquorem etiam poſſeticum noſtrum præſcripſi pro potu ordinario. Miſellus autem Juvenis jam fere exſtinctus, die proximo mane delirus ac inſomnis animam efflavit.

Hiſt. 40. Soror Domini *Thomſon*, habitantis in vico dicto *Snore-hill*, virgo fere quadragenaria, media æſtate 1692. tempeſtate admodum fervida, atroci & ſpaſmodico lumborum dolore derepente correpta, atque nullâ notabili temperiei mutatione, vel alio quovis ſymptomate vehementi attrita, hanc affectionem inde nephriticam rata, à lecto abſtinebat, in domo obambulabat, atque ad rem familiarem animum attendebat, biduo verò elapſo, lumbagine ſenſim auctâ, & deliquiis invadentibus decumbebat, tota nocte inſomnis & inquieta. Die proximo mane ego accerſitus inveni miſeram ægram ſtragulis oppreſſam & perpetuo æſtuan-

æſtuantem, pulſu debili & celeri laborantem, atque ſudore immodico perfuſam. In ſubſidium igitur Spirituum pænè ſuffocatorum partem magnam ſtragularum illicò detrahendam juſſi; atque unum brachium levi tegumento munitum è lecto eximendum, ut reſpiraret Ægra liberius & facilius, quippe Criſin Variolarum jam inſtare ſuſpicabar. Inſuper Bolum Theriacalem cum Pulv. è Chel. Cancr. comp. illicò deglutiendum, atque Julapium Cordiale temperatum ad libitum propinandum imperavi ad vires Spirituum in agone Critico plurimum exhauſtorum refocillandas. Veſperi autem reverſus inveni Ægram Nutricis & Mulierculartum Adſtantium conſilio rurſus ſtragularum onere preſſam, atque utroque brachio in lecto retento quaſi in Balneo æſtuantem. Unde Variolæ pænè ubique cohærentes confertim jam erumpebant, cuticula ubique ut in Scarlatina vel Eryſipelatoſa efflorеſcentia inflammata, & Maculis purpureis vel nigricantibus hìc illìc ſparſis. Utcunque ope Veſicatoriorum, & Opiatorum atque Alexiphatmacorum aſſiduè repetitorum, Variolis (licet tardè) quadantenus matureſcentibus, ad decimum Morbi diem vitam produxit Ægra, quo die Hæmorrhagiâ immani ab Utero & Renibus ſubortâ periit.

Hiſtoria 42. Servus Domini *Buſſi*, habitantis in vico dicto *Fleetſtreet*, menſe Julio 1692. dolore capitis & lumborum atrociſſimo correptus, atque per biduum attritus, demum vertigine affectus, ſub finem ſecundi diei conſilio Medici obiter occurrentis decumbebat, atque ſanguinis ℥ xii. è brachio educi ſinebat. Nullo medicamento autem Alexipharmaco vel Opiato præſcripto vel miniſtrato tota nocte inſomnis, hebes & delirus jacebat, erumpentibus jam undiquaque Variolis propemodum ubique Cohærentibus. Proximo mane ego ſedulò accerſitus animadverti Pulſum admodum debilem, celerem & vacillantem, Ægrum ipſum inſomnem, hebetem & delirum; quo nomine Veſicatoria tria ampla & acria ſtatim ad Nucham & Carpos internos applicanda juſſi, Julapium Paregoricum & cordiale cum Speciebus quartâ quaque hora miniſtrandum, atque Bolum Theriacalem Opiatum ſtatim exhibendum, iterumque hora ſomni repetendum. Die proximo Patientem inveni prorſus ἀπυρετὸν, nullo ſymptomate vehementiori affectum, & planè dormientem, Ptyaliſmo jam ſuborto, atque Variolis vegetè rubentibus & quadantenus acuminatis; igitur uſum Julapii Paregoric. cum Speciebus adhuc uſurpandum imperavi atque Hauſtum cùm ℥ i. Syrup. de Mecon. hora ſomni propinandum & quaque nocte repetendum. Quo pacto Variolæ ante nonum ab eruptione die integram maturationem aſſecutæ (Ptyaliſmo uberrimo huc uſque protenſo atque manibus demum inſigniter tumentibus) & pure concreſcente declinantes, ſine Febre recidivâ more planè legitimo exaruêre. Tantum momenti habet (me Judice) Venæſectio in hoc Morbo ad excruciantes Lumborum Spaſmos allevandos opportunè celebrata, modò vires Spirituum fractæ poſteà aſſiduo Opiatorum & Alexipharmacorum uſu, atque Veſicatoriorum applicatione tempeſtivè erigantur.

Hiſtoria 43. Uxor cujuſdam Lanionis (cujus nomen jam mihi non occurrit) habitantis prope *Smithfield-bars*, ſexto ingravidationis menſe Variolis correpta. (Exanthematis admodum frequentibus erumpentibus) frigido regimine ſine Alexipharmacis vel Opiatis tractata, ad quartum uſque diem (quo ego primum accerſebar) planè inſomnis jacebat, atque præ largo uſu Spir. Sulphur. quo Variolæ in Gutture ſuccreſcentes irritabantur, adeò ſuffocata & ſtrangulata erat ut vix quicquam deglutire poſſet. Temperiem Ægrotantis inveni admodum mitem, pulſum verò celerem & debilem, vires languidas, atque Variolas ubique depreſſas & ſemineces. Qua de cauſa Cochl. v. vel vi. Julapii Paregoric. cum Specieb. quarta quaque hora propinanda juſſi, inſtillatis guttulis xiv. Laudan. liquid. hauſtui nocturno & matutino. Inſuper loco Gargariſmi Spiritu Sulph. Saturati, Gargariſmum ex Decoct. Ficuum & Melle Roſat. ſæpius faucibus Siphone tepidè injiciendum curavi. Exinde quodvis oblatum facilè deglutiit, à ſtrangulatione prorſus liberata, optimè etiam dormiit, Variolis jam demum ubique maturari incipientibus. Spes reconvaleſcentiæ tanta affulgebat, ut omnes Adſtantes admiratione perculſi planè ſtuperent. Die autem proximo Ægra abortionem perpeſſa eſt, illico corruunt vires, ſubſidunt Exanthemata, atque Ægra atrociſſimo & ſpaſmodico Femoris ſiniſtri dolore correpta brevi fatis cedit.

Hiſtoria 44. Uxor Domini *Higby* habitantis in vico dicto *Snore hill*, non ita pridem maritata, atque jam gravida, fluxu menſium immodico atque cæteris abortionis ſubſecuturæ ſymptomatis tentata, in Febrem Varioloſam incidit. Variolæ autem neque Naturæ viribus, neque artis ſuppetiis (quanquam generoſiſſima Remedia adhiberentur) protrudi potuêrunt; verùm altius in cute deliteſcebant. Unde tertio eruptionis die inflammatione & intumeſcentiâ faucium inſigni, ob lympham venenatam verſus glandulas ſalivales raptam, derepente ſubortâ, atque indies ſenſim auctâ, demùm vix deglutire vel reſpirare potuit, abortionem inſuper paſſa eſt & quinto morbi die anhela & ſuffocata periit.

Hiſtoria 45. *Thomas Jolliff* Armiger, optimæ ſpei Juvenis, habitans in Hoſpitio *Medii Templi* circa Annum 1669. Virginem nobilem & formoſam mox ducturus uxorem, ſine Febre evidenti ægrotans de dolore capitis vehementi ſolummodo conquerebatur. Ipſe autem amore captus atque inde ſui ipſius negligens, quotidie (cùm in lecto potius decumbendum erat) in aere frigido, ſæviente jam hyeme, verſabatur, imò ipſo primo eruptione die ſub ingreſſum noctis in cymbâ *Weſtmonaſterium* uſque, Thameſin trajecit ad ſponſam inviſendam, ubi ab ipſa Amaſia inter oſcula, Exanthemata in facie primùm deprehendebantur confertim admodum erumpentia. Domum autem mediâ nocte reverſus decubuit, atque me proximo die ſub veſperam ſecundo eruptionis die nimis ſerò accerſivit. Variolas etenim animadverti ubique livideſcentes & ſeſſiles cum febre aliquando conjunctas. Bolum Theriacalem illico exhibendum juſſi cum hauſtu Juláp.

perlati

perlati de quo fas erat bibere ad libitum, unde febre jam remittente bene dormiit Æger, Pulſum proximo die mane deprehendi ordinatum & æqualem, ſed quadantenus debilem, atque Variolas adhuc depreſſas, neque colore magis vivido imbutas, aut magnitudine, numero vel acumine auctas; & licet ἀπυρέτως & quietè decumberet. ſui & Gutturis ardore quaſi Salivationis prodromo afficiebatur. Veneno autem neque per Cutem, ductus ſalivales, aut aliam quamvis viam protruſo, pulſus admodum debilitabatur & quadantenus accelerabatur. Primo maturationis die apicibus Variolarum albeſcentibus atque in earum inteſtinis demùm in cruribus & pectore Petechiis & Maculis nigris frequentibus ſubortis, jactabat ſeſe Æger inquietè, vigilabat pertinaciter, & evidenter febricitare cœpit. Igitur Bolum Theriacalem cum electuar. ex ovo repetendum duxi, atque veſicatoria (veniá id faciendi ab amicis ægrè impetratâ) juſſi applicanda. Denique conſilio Cl. D. Georgii *Ent*, Equit. Aurat. jam conſultandi gratia accerſiti, Opiatis cum Alexipharmacis, conjunctis, ſomnum conciliare ſategi. Verùm incaſſum, cùm natura planè languida hoſtem per Cutim, glandulas ſalivales, vel aliam quamcunque portam eliminare non poterat. Unde juxta Prognoſticon à nobis prolatum, tertio maturationis die convulſus & phreniticus periit Juvenis ampliſſimus.

Hiſtoria 46. Vir doctus (cujus nomen mihi jam non occurrit) Socius Collegii cujuſdam in Acedemiâ Cantabrigienſi, poſtquam ægritudine ventriculi, & dolore capitis per integram hebdomadam laborarat, ab externi aëris injuriis ſeſe non munivit, ſed in itinere conficiendo quotidie equum conſcendebat, unde materiâ varioloſâ à frigore externo diutius intus cohibitâ, exanthemata quæ mane ſeſe per plures dies in conſpectum dederunt, veſperi iterum latitabant. Londinum autem demum advectus Cl. Williſium accerſivit, qui Thoracica quædam remedia, ob difficilem reſpirationem, quæ poſt frigus in poros cutis frequenter admiſſum Æger plurimùm angebatur, ſæpius exhibenda præſcripſit, atque nonnulla Cardiaca, quorum ope (debito regimine in lecto adhibito) Variolæ mane proximo confertim erumpebant ubique cohærentes vel confluentes. Febre autem adhuc perſeverante, tertio die à maturatione inceptâ ego accerſitus pulſum Ægrotantis animadverti ſatis fortem ac celerem, Variolas verò admodum frequentes & cohærentes, depreſſas autem, & in centro ſubſidentes, Vigilias pertinaces, jactationem inquietam; mentem deliram, nullum autem Ptyaliſmum notabilem. vel alvi fluxum, vel aliam quamvis evacuationem. Utcunque ope Julapiorum Opiatorum, & Remediorum Alexipharmacorum cum Ciner. Bufon. Pulv. Æthiopic. dict. commixtorum Æger multò meliùs ſeſe habebat, delirare deſinebat, atque placidum ſomnum capiebat, Exanthematis demùm ſenſim turgeſcere & matureſcere incipientibus, adeò ut ſpes reconvaleſcentiæ aliqualis affulgeret; uſque ad declinationem Variolarum inceptam, quo tempore Febris derepente recrudeſcebat, cum vigiliis, deliriis, jactatione inquieta, & totali Ptyaliſmi ſuppreſſione conjuncta. Exanthematis jam ubique cruſta nigra òbductis. Cum primùm autem die tertio paroxyſmum febrilem more συνεχοῦς recurrentem obſervaſſem, Cl. Sydenhamio in conſilium advocato, (cum jam vires Corticis Peruviani in hac Febre debellanda nondum mihi perſpectæ fuiſſent) poſt Sermonem de venæſectione habitum, quam Senex ipſe jam celebrari non paſſus eſt, Ægrotanti exhibuimus Julapium Opiatum & Alexipharmacum ut priùs, & quaque nocte hauſtum paregoricum cum ℥ i. Syrup. de Meconio. Quid fit? Paroxyſmo tertio die, nimirùm à decubitu duodecimo, recrudeſcente, inter Phreneſin & Coma ſeſe alternatim excipientia, vir doctus animam efflavit.

Hiſt. 47. Anno 1676. Filiam Domini *Reyner*, Eccleſiæ Anglicanæ Presbyteri annos 12. natam Variolis laborantem, in vico dicto *Warwick-lane* diverſatam accerſitus inviſi ſecundo maturationis die. Variolas animadverti diſcretas, verùm ubiq; depreſſas & ſeſſiles, Petechias verò in interſtitiis Variolarum in collo, brachiis & pectore effloreſcentes, pulſum debilem & celerem, puellam inſuper inſomnem & deliram. Quâ ratione præſcripſi cochl. iii. vel iv. Julap. ſequ. quarta quaque hora (agitata phiala) exhibenda.

℞. Aqu. Ceraſ. nigr. meliſſ. paralyſ. Epidem. an. ℥ii. pulv. è chel. cancr. comp. lap. contrayerv. pulv. bezoard. magiſtr. an. ℈i. Syrup. è Mecon. ℥ i. M.F. Julap. Hujus Julapii opè puella placidè dormivit, atque Variolis indies ſenſim matureſcentibus, & petechiis evaneſcentibus, nec Fluxu alvi nec ptyaliſmo, nec quovis alio moleſto Symptomate tentata, planè reconvaluit.

Hiſt. 48. Filius Johannis *Owen*, S.T.P. diverſatus in *Bunhil-fields*, anno circiter 1674. in ipſo ætatis ſuæ flore Varioloſa febre correptus, à primo morbi inſultu uſque ad ſecundum maturationis diem (quo die ego primùm accerſebar) Vigiliis adeo pertinacibus afficiebatur, ut ne unam horam ſomno frueretur; febricitans perpetim & delirus ac quaſi moribundus, Variolis jam fere ubique depreſſis & cohærentibus. Præſcripſi igitur pulverem ſequentem quarta quoque hora miniſtrandum in hauſtu Julapii paregorici.

℞. Pulvis è Chel. cancr. comp. lap. contrayerv. pulv. Æthiop. an. ℈ß. M. Hoc verò remedio ſæpè repetito ſomnus placidus obrepebat, Variolis indies ſenſim turgeſcentibus & matureſcentibus, & Æger nec ptyaliſmo, nec quovis altero moleſto ſymptomate laceſſitus brevi convaluit. Tantùm medicamentum pro ratione declinationis febris & ſymptomatum, ſexta, octava vel duodecima quaque hora tandem exhibebatur.

Hiſt. 49. Thomas *Brook* Armiger, diverſatus in vico dicto *Black-Friers*, Anno circiter 1675. Febre Varioloſa corripiebatur, ſecundo die à decubitu Variolæ effloreſcebant fere ubique cohærentes, febre adhuc perſtante, deprimebantur vero & ſubſidebant exanthemata uſque ad undecimum morbi diem, quo ego primùm conſultus ſum, cùm jam vita ægrotantis non tantùm ab adſtantibus, verùm etiam à Cl. Collega Dom. D. Gaſparo Needham planè deſperaretur; Ægrum inveni pulſu debili & prorsùs languido laborantem, perpetuò delirum, & jam pertinaciter vigilem, jam Comate

profun-

profundo oppreſſum; uſu verò frequenti & continuato Tincturæ Diaſcord. Opiatæ & Pulverum Cardiacorum alibi memoratorum; atque Veſicatoriorum frequentium applicatione, ſymptomatis demum in ordinem redactis, die Morbi 14. vel 15. Variolæ quæ huc uſque ad inſtar pellicularum aridarum mortuæ apparuerunt, Veneno jam tandem per glandulas Cutaneas protruſo, intumeſcere & pure repleri cœpêrunt: unde vir ornatiſſimus nec Salivatione, nec Diarrhœa vel Urinæ profluvio tentatus 18. Morbi die, Febre ſponte exulante prorsùs reconvaleſcebat. Tantùm levi Ophthalmiâ & Tuſſi aliquandiu affligebatur, utpote ante decubitum labe Rheumaticâ affectus. Hæc autem Symptomata Venæſectione tempeſtivè miniſtratâ, & methodo alibi memoratâ facile admodum ſuſtuli.

Hiſt. 50. Accerſitus Anno 1672. ad inviſendum Filium Domini *Chapman* Veſtiarii habitantis in vico dicto *Fleetſtreet*, tres annos natum, Variolis laborantem, die maturationis ſecundo animadverti Pulſum celerem & debilem, Febrem intenſam, Variolas ubique depreſſas, ſubſidentes & cohærentes atque tumorem Faciei ab immani Diarrhœâ prorsùs ſublatum. Nullum remedium Alexipharmacum vel Opiatum hactenùs miniſtratum erat, qua ratione Julapium noſtrum Paregoricum cum ſpeciebus quarta quaque hora juſſi propinandum; cùm autem die ſequente, Fluxu alvi perſeverante facies adhuc minùs intumeſceret, Cochl. iij. ſequent. Julap. tertia quaque hora exhibenda curavi (agitatâ phialâ.)

℞. Aqu. ceraſ. nigr. meliſſ. an. ℥iij. Epidem. cinamom. hord. an. ℥iß. Electuar. ex Ovo ʒß. Spec. Confect. de Hyacinth. Lap. Contrayerv. Ciner. Bufon. an. ℈ij. Syrup. è Mecon. ℥i. M. F. Julap. Die proximo Fluxus alvi quadantenùs ſedabatur, atque Urina copioſè fluebat, Facies rursùs intumeſcebat, Arteriæ fortius nec adeò celeriter ut priùs ſeſe vibrabant, ſomnus placidus poſt juſta intervalla obrepebat. In ſpem hoc pacto adductus, Julapium nuperrimè præſcriptum adhuc uſurpandum duxi, atque ſi alvi fluxus recrudeſceret, Bolum ſequentem ſolutum in cochleari Julapii bis in die exhibendum.

℞. Diaſcord. ℈ß. Bol. ver. Ciner. Bufon. an. gr. v. M. F. Bolus. Exinde alvus prorſus aſtringebatur, atque Febre jam demùm ſexto maturationis die exulante, variolæ faciem obſidentes declinabant, & reliquæ quæ priùs non planè exaruerant, utut hucuſque ſubſidentes & depreſſæ, pure turgentes indies legitimè matureſcebant, Puer bene dormiebat, cibum appetebat, nullo morboſo affectu tentabatur, & ſigna ſanitatis redintegrandæ certiſſima oſtendebat.

Hiſt. 51. Servus Domini *Gosling*, habitantis in vico dicto *Pater-noſter-rovv*, circa Annum 1671. (cùm indoles hujus Morbi minùs perſpecta eſſet) in ipſo ætatis flore, verno tempore, dolore Lumborum atroci correptus decumbebat, non tamen de Ægritudine, Vomitione, Intemperie febrili vel quovis alio Febris ſymptomate, ſed de dolore Lumborum frangitivo, & quaſi Nephritico ſolummodo conqueſtus eſt. Secundo à decubitu die ego advocatus, Variolas mali moris inſtare ſuſpicans, vires Spirituum ope Alexipharmacorum (Venæſectione & Opiatis à Spaſmis indicatis forſan perperam omiſſis) fovere & erigere moliebar. Quid fit? Variolæ tertio die nulla manifeſta Febre antecedente, confertim erumpebant, ubique Confluentes vel Cohærentes. Durante maturatione, Natura virus, quod per Glandulas cutaneas protrudere non potuit, per ductus Salivales eliminare conata eſt, & levem Ptyaliſmum excitavit, ſed Veneno, nec hac nec alia quavis via ſuccedanea, evacuato, Variolis ubique depreſſis & ſubſidentibus, Febris demùm die undecimo accenſa Ægrotantem inquietudine, vigiliis & delirio confectum è vivis ſuſtulit.

Hiſt. 52. Uxor Domini *Deacle* habitantis ſub Inſigni *Felis* in Cœmiterio D. Pauli (currente jam an. ætatis 32.) Ann. 1673. poſtquam proprio conſilio prophylàxeos gratiâ ſanguinem è Cubito copioſè detrahend. perperam forſan juſſerat, mox cœpit febricitare, die autem à decubitu tertio Variolis frequentibus & cohærentibus in conſpectum venientibus, febrilis intemperies illicò exulabat, pulſus autem debilis erat, atque Menſes, inſtante Exanthematum maturatione, alienò tempore immodicè fluere cœpêrunt, unde Variolæ non obſtante Opiatorum & Alexipharmacorum adſtringentium v. g. Spec. Confect. de Hyacinth. Boli ver. &c. aſſiduo uſu, & Veſicatoriorum applicatione, flaccidæ & depreſſæ conſpiciebantur, natura interea languida hunc defectum Ptyaliſmo vel alio quovis modo ſupplere nullatenùs moliebatur, Petechia una vel altera in pectore jam primùm efflore ſcebat, acceſſerunt deliquia leviora, more Hyſtericarum ſuffocationum ſæpiùs recurrentia, ſed nullis Remediis Hyſtericis ſuperabilia; quibus durantibus Variolæ liveſcebant, vel albeſcebant, parùm etiam & inquietè dormiebat Ægra. Hiſce animadverſis ego (quamvis adſtantes inani Spe ſeſe lactârunt eò quod Ægrotans ἀπύρετος quietè decumbebat) prognoſticon fatale die Morbi 14. verificandum protuli. Clar. *D. D. Lovver* inde in conſilium advocatus cùm Rheumaticum Ægrotantis habitum; pravam Morbi indolem, & præſentem menſium fluxum animadverteret, Alexipharmaca, Opiata & Veſicatoria præſcripta approbavit: Inſuper Julapium Paregoricum cum Speciebus adhuc uſurpandum duximus, Veſicatoria etiam alia recèns applicanda, & hauſtum Paregoricum cum ℥i. Syrup. de Mecon. quâque nocte propinandum. Variolæ autem (natura à Veneno penitus ſubjugata) nullatenùs in melius mutabantur, neque Pulſus fortior reddebatur, neque Ptyaliſmus, profluvium Urinæ, vel extremarum partium Tumor promovebatur, unde Febre demùm undecimo Morbi die revireſcente, Mulier proba ac elegans die 14. (quod ante prædixi) delira aliquatenùs & convulſa ex hac vita migravit.

Hiſt. 53. Domina *Theodoſia Tytherleigh* Virgo elegans ac formoſa, ſtirpe celeberrima (ſed cui hic Morbus jure quaſi hæreditario funeſtus eſſe ſolebat) oriunda, cùm Anno 1971. ſævien te hyeme varias aëris injurias in itinere conficiendo paſſa fuiſſet, unà cum ſorore natu minore, quæ ab alio Medico tractata brevi hoc morbo interempta periit, Londinum advecta, viceſimo ætatis anno Varioloſa Febre

correpta decumbebat. Ego durante Exanthematum eruptione acceſſitus, Variolas deprehendi in trunco & Artubus admodùm frequentes & amplas, in Facie autem confluentes vel ſaltem cohærentes; Pulſum verò debilem, & Febris indicia fere nulla; Julapium igitur Cardiacum ad libitum pitiſſandum, atque Species Cordiales poſt debita intervalla miniſtrandas juſſi, atque Opiata temperata pro ratione Symptomatum urgentium quotidie adhibenda. Pulſus autem Ægræ mortis expectatione perterritæ per totum Morbi decurſum à prima eruptione debilitabatur, nulla Febris aderat vel delirium, natura enim defectum Maturationis Variolarum (quæ depreſſæ & ſero limpido ſemiplenæ erant) Salivatione longâ & ærumnosâ ſupplere moliebatur: A die enim Morbi 7. cùm primùm Variolæ ſuo more hoc eſt tardè matureſcere cœpêrunt, Lymphá venenatâ è reſeratis ductibus ſalivalibus velut ex perenni fonte perpetim ſcaturiens uſque ad 21. diem, exſiliebat, niſi die 15. cùm, Ptyaliſmo ſubitò & inexſpectatò ſuppreſſo Ægrotans ad horas aliquot quaſi ſuffocatâ in vitæ periculum adducta videretur, donec Electuar. ex Ovo, Gargariſmo, & generoſis remediis Alexipharmacis, Conſilio doctiſſ. & expertiſſ. Medici *D.D. Micklethvvaite* (qui jam conſulebatur) miniſtratis, Spiritus reſarciti denuò repagula ductuum ſalivalium reſerantes Ptyaliſmum reduxiſſent. Ab illo tempore rivulo lymphæ excretæ indies aucto. Ægrotans demùm ſalivatione nimâ (quam neque ſupprimere fas erat) confecta, non Febre vel delirio, ſed deliquiis ſæpiùs tentata viceſimo primo Morbi die, Variolis adhuc imperfectè maturatis; ad plures migrabat. Adeò intimè nonnunquam ſpiritus venenato miaſmate implicantur, ut ſeſe nequeant prorsùs liberare, ſed molem humorum perpetuâ luctatione agitando in fluorem colliquativum adigant; unde Ægri penu ſucci nutritii indeſinenter ſubtracto emarceſcentes inter deliquia frequenter recurrentia, demùm ſpiritibus in certamine deficientibus & exhauſtis, plane tabidi pereunt, ſive juxta primam Naturæ intentionem per Exanthemata venenum eliminetur, quo in caſu Variolæ nunquam exareſcunt, verùm humore recens ſuppeditato perpetuò malo omine ſcatent, (cuius rei Exemplum in Hiſtoriâ 62. poſt hac proferam) ſive viâ ſecundariâ per ductus ſalivales, ut in præſenti caſu: Siquidem non à niſu Spirituum vel evacuatione inde ſubortâ niſi ſubacto Venenó Morbus tollitur; utut enim quandiu per quancunq; portam Venenum protrudatur Æger ἀπύρετος jaceat, Spiritibus tamen longâ luctatione exhauſtis, Ægrotans labe deleteriâ confectus neceſſariò perit.

Hiſt. 54. Servus Domini *Pinck* Aromatarii tum temporis habitantis in vico dicto *Snore-hill*, circa Annum 1674. atroci capitis & Lumborum dolore correptus decumbebat. Adeò autem ſæviebat dolor ſpaſmodicus, & vires Spirituum inde adeò labefactabantur ut febrilis intemperies Ægrotantis vix aut ne vix deprehenderetur. Sub finem autem ſecundi à decubitu diei Variolæ inexpectatò & confertim erumpebant fere ubique confluentes vel cohærentes, cum Vomitione, Diarrhœâ immani, languore perpetuo, Pulſu debili ac delirio ſociatæ, atque ad ſextum uſque diem, quo primùm acceſſebar, depreſſæ & ſeſſiles. Fluxu verò Alvi & Vomitione jam uſu Alexipharmacorum & Opiatorum coercitis, illico Salivatio ſuboriebatur immenſa quæ levamento fuit Ægrotanti, qui, febre inde diminuta, impulſu fortiori reddito, delirio profligato, & Variolis ubique ſenſim turgeſcentibus & matureſcentibus quietè jacebat, ſomnum placidum fere ad libitum capiens. Die autem 12. ſive nequitia ſive neglectu Nutricis maleferiatæ diverſis erroribus in Diæta commiſſis, atque frigore inſuper in poros cutis admiſſo, Fluxus alvi enormis cum torminibus, Febre recidiva, pulſu celeri, delirio & profundis ſuſpiriis conjunctus revertebatur; Salivatione jam derepente cohibita, & ſubſidentibus variolis, verùm Decocto albo pro potu ordinario præſcripto, unà cum Lacticinio ſequenti,

(℞. Raſur. C.C. Ebor. an. ℥ß. Nuc. Moſch. ſciſſ. num. 1. cinam. acut. ʒ ij. Coq. in Aq. Font. ℔ iv. ad ij. ſub finem ebullitionis add. Lact. recent. ℔ ij. Sacchar. albiſſ. q. ſ. & coq. iterùm ad conſumptionem ℔ i. Colatura ad libitum calidè miniſtretur) & Electuario ſequenti.

(℞. Pulp. Conſerv. Roſ. rub. Diacidon. per ſetac. traject. an. ℥ß. Troch. de Carab. ʒ iij. Bol. ver. Lacrym. Sang. Dracon. an. ʒß. Laudan. Lond. gr. iij. Syrup. Myrtill. q. ſ. M. F. Electuar. de quo cap. quant. Nuc. Jugland. quarta quaque hora) Fluxus alvi hinc illicò compeſcebatur, ſomnus obrepit, Febris & Delirium diminuebantur, Salivatione inſigni demùm recrudeſcente, quæ ad finem uſque 17. diei duravit, Variolis interea ac ſi cauſtico uſtis cruſta nigra ubique obductis, adeò ut Spes haud parva ſalutis Ægri mihi jam affulgeret; malitia autem Nutricis quæ honori meo invidebat, nocte ſequente plurimi fatales errores in regimine iterùm commiſſi ſunt, unde Salivatione ſubitò ſuppreſsâ, miſellus Æger poſt ſex horas convulſus & delirans trucidabatur.

Hiſt. 55. Filius Domini *Cary*, Medicinam Londini facientis circa Annum 1672. anno ætatis 18. à primo Morbi inſultu febricitans per 4. dies plurimùm evigilabat ac delirabat, Pulſus interea magnus & robuſtus perſtabat. Hoc tempore Venæſectio forſan perperam omiſſa erat, qua ratione Variolæ ſub finem ſecundi diei confertim erupêrunt parvæ admodum & frequentes & pene ubique cohærentes, Febris cum deliriis & vigiliis pertinacibus conjuncta erat primo maturationis die, quo ego à Patre conſulebar; ope verò Julapii noſtri Paregorici cum Speciebus quartâ quâque horâ exhibiti Adoleſcens bene dormire cœpit & mente ſanâ potiri, Febre unà cum ſymptomatis penitùs exulante. Sub finem ſecundi maturationis diei ingenti Salivatione ſubortâ. Exanthemata turgentia & acuminata fere ubique matureſcebant, Ptyaliſmo autem à frigore ex incuriâ Nutricis in poros cutis admiſſo, ſub tertii maturationis diei finem derepente ſubſiſtente, antequam Variolæ integram maturationem aſſecutæ fuerant, intumeſcentia faciei illico declinabat, turgentibus adhuc Variolis, Vigiliæ inſuper non obſtante Julapio Paregorico rursùs urgebant, quo nomine eventum Morbi, diſſentiente licet

Patre

Patre erudito & adſtantibus, dubium fore pronuntiavi, ideoque Pulv. è Chel. Cancr. comp. & Ciner. Bufon. an. ʒß. bis in die exhibenbam juſſimus in hauſtu Paregorico, atque Veſicatorium amplum & acre ad Nucham applicandum. Febris autem cum delirio conjuncta jam evidenter recrudeſcebat, cute universâ tumore & rubore Eryſipelatode ſuffusâ, atque miliari eruptione ubique in interſtitiis exanthematum efflorеſcente, unde non obſtante forti Arteriarum vibratione per totum morbi curſum, fatale prognoſticon protuli, præſertim quia non potui argumentis à pulſu præter morem forti & robuſto Venæſectionis jam celebrandæ veniam à Parente impetrare, quam perperam ſub initium Morbi omiſſam hoc argumento fretus jure ſuſpicatus eram. Delirio autem urgente Bolum Theriacalem cum Speciebus cordialibus commixtum, & Julapium Paregoricum repetitis vicibus miniſtrandum duximus. Die ſequente, Morbi ſcil. undecimo, Reſpiratione ſenſim factâ difficili, inæquali & ſuſpiriosâ, ex hâc vitâ migrabat Adoleſcens, arteriis, mirum dictu, in ultimo agone fortiter ſe vibrantibus. Obſervatione etiam dignum eſt quòd hic Æger, niſi cum deliraret, erat perpetuò vorax, bis vel ter in horâ hauſtus largos Cereviſiæ, Avenaceæ, Poſſetalæ & aliorum potulentorum aviddiſſimè peteret, quin non obſtantibus noſtris monitis ad ingluviem uſque ingurgitaret, quod nuſquam alibi obſervavi, quod etiam forſan ei præſertim poſt Ptyaliſmi ſuppreſſionem in damnum cedebat; Duos enim alios Patientes ejuſmodi Variolis eodem modo laborantes hoc ipſo tempore iiſdem fere Remediis & legitimo Regimine ſanavi.

Hiſt. 56. Circa Annum 1680. inviſi Juvenem Variolis laborantem, qui præ Tumore Penis & præputii inſigni ad bidui ſpatium ne unam urinæ guttam reddere valebat, unde Veſicâ urinariâ immodicè diſtentâ, dolore, Vigiliis & inquietudine cruciabatur. Variolæ quæ fere ubique cohærebant, neque humore, neque pure implebantur; hunc verò defectum Natura primùm ingenti Ptyaliſmo ſupplere conabatur, hoc autem ante conſummatam Exanthematum maturationem deficiente, Venenata lympha reſidua potrudebatur in manus & pedes, qui inde mirum in modum œdematoſi facti ſunt, frigeſcebant & nigricabant, & prætereà in univerſam Cutem Penis, qui inde pæne Carpum mole æquabat, & præſertim in Præputium, quod Glandi obductum exitum Urinæ occludebat, Phymoſeos & Cryſtallinæ ſpeciem gerens. Unde extinctionem flammæ vitalis in parte affecta, & Gangrænam indeillicò jure ſuſpicabar inſecuturam, ideoque partem affectam ſtuphis è lixivio forti calidè immerſis & expreſſis jugiter fovendam juſſi, & interea vires Spirituum repetito Bolorum & Julapiorum Cardiacorum uſu erigere ſategi. Quid fit? Mane proximo Tumor Penis & Præputii adeo diminutus erat, ut Æger Urina ſponte & copioſè reddita à dolore liberatus placide cœperit dormire, atque poſt unum vel alterum diem, nullo altero morboſo affectu tentatus, reconvaleſcens ex mortis periculo evaſerit, pedibus & manibus ſenſim ultro detumeſcentibus.

Hiſt. 57. Filiola Domini *Herb*, Pharmacopolæ habitantis in vico dicto *Warwik-lane*, quatuor annos nata, aliquot abhinc annis Variolis mediis laborans, maxima ex parte cohærentibus, depreſſis & tardè matureſcentibus, (qua de cauſa Natura venenum quod per Cutis glandulas ſatis expeditè protrudere haud valebat, per glandulas Naſi & Faucium amoliri ſategit) ingenti tumore glandularum in Gutture & Naſo ſitarum afflicta, muco inſuper cum cruſtis Variolarum concreſcente, atque indè tranſitum Aëris per naſum penitùs obturante, præ perpetua ſuffocatione per biduum inſomnis, ab hoc unico ſymptomate in manifeſtum vitæ diſcrimen adducebatur. Ego jam à Patre indulgentiſſimo accerſitus, præſcripſi Decoct. pectorale cum Tinctur. Croc. & Syr. Cap. Vener. pro potu ordinario, atque Gargariſmum ex Aq. Hord. Diamor. & Melle Roſat. fortiter Siphone & calidè faucibus injiciendum, & Ol. Amygd. dulc. cum Decoct. Pect. commixt. ſæpius ſed leniter & tepidè naribus ingerendum. Quibus diligenter applicatis brevi liberè reſpirabat puella, atque ope julapii noſtri paregorici cum ſpeciebus quarta quaque hora exhibiti placidè cœpit dormire, atque Variolis inde quam citiſſimè maturationem perfectam aſſecutis & deciduis, poſt unum vel alterum diem integrè reconvaleſcebat.

Hiſt. 58. Anno circiter 1676. ad Ancillam Domini *Strong*, habitantis in vico dicto *Cheapſide*, Variolis cohærentibus mali moris laborantem ſub finem maturationis (cum jam de ejus vita planè deſperaretur) ego advocabar. Illa autem juxta methodum noſtram, uſu nimirùm Alexipharmacorum & Opiatorum aſſiduo præter adſtantium expectationem reſtituta, demum Morbo finito Delirio Melancholico & Comatoſo tentabatur, Fatua planè videbatur: nullius rei præteritæ memor, atque de nulla re præſenti rectè judicium faciens. Alvo autem bis terve poſt debita intervalla Cathartico deturbatâ; tandem ſanguinem è Vena jugulari juſſi detrahendum, & Veſicatoria ad Nucham & Carpos applicanda, quorum ope mentis compos rurſus facta, huc uſque (quantum ego ſcio) mente ſana in corpore ſano utitur.

Hiſt. 59. Filia Domini *Cary*, Mercatoris Opulentiſſimi habitantis in vico dicto St. *Martins-lane*, duodecimum ætatis annum agens, Anno 1680. Varioloſo fermento infecta eſt. Ego poſt duos dies à plena eruptione accerſitus, animadverti Variolas ubique confluentes vel ſaltem cohærentes & depreſſas, & à prima efflorеſcentia ſemineces, quæ inde in toto morbi decurſu nullatenùs humore turgebant, ſed die octavo vel decimo, nulla præcedente maturatione, exareſcentes ſquamarum ad inſtar decidebant. Patiens per totum morbi curriculum quadantenùs delira febriculâ tentabatur, tandem verò die viceſimo præter adſtantium expectationem aſſiduo Alexipharmacorum & Veſicatoriorum uſu reſtituta è lecto ſurgebat, atque in area domûs veſtita obambulabat, ſitiebat tamen aliquantiſper, & Appetitus minimè reſtituebatur: quo nomine de eventu anxius, alvum Decoct. Amaro leniter ſubducendam juſſi; at inde præter expectationem meam Appetitus ad plures dies proſternebatur &

calor hecticus augebatur, donec tandem clavicula, oſſe Humeri & Tibiæ ſiniſtræ à Veneno latitante carie affectis, atque fruſtulis eorum exfoliatis per membranas ſenſiles exitum petentibus, miſera Puella atroci dolore partium affectarum attrita, continuo ejulatu inſomnis facta erat. Poſt unum vel alterum diem collo inſpecto, palpando deprehendi tuberculum renitens durum & inæquale in clavicula, inſtar lapidis vel fruſtuli oſſis, atque Emplaſtrum emolliens parti imponendum juſſi. Cute poſt biduum vel triduum perforata, fruſtulum unum oſſis exfoliati, & poſtea alterum ſeſe in conſpectum dedit plane carioſum & nigrum, quod continuò & indies magis protrudebatur uſque ad funeſtum diem. Paulò ante obitum fruſtulum Oſſis Humeri & alterum Oſſis Tibiæ, (qua parte dolor ſentiebatur) cute eodem modo perforata erupit, Horrendum ſanè exemplum (quod aliud) deleteriæ indolis Veneni Varioloſi.

Hiſt. 60. Filiola Dom. *Boddington* in vico dicto *Lothbury* habitantis, ſex annos nata, circa Annum 1681. laborabat confluentibus Variolis, quæ toto decurſu morbi depreſſæ, demùm ad inſtar ſquamarum exareſcentes ſine humore contento vel maturatione, nullo Ptyaliſmo antecedente, vel altero quovis Naturæ roboris indicio, decidebant. Puella verò præter Adſtantium ſpem ope Veſicatoriorum, atque uſu Opiatorum & Alexipharmacorum circa viceſimum morbi diem adeò ex morbo evaſiſſe videbatur, ut è lecto ſurgens quotidie in cubiculo veſtita obambularet. Appetitu autem ad triceſimum uſque diem adhuc proſtrato, atque temperie hecticè calente, valdè ſuſpicabar Venenum indomitum intus deliteſcere, mox funeſtiſſimam ſtragem daturum, præſertim cùm poſt lene catharticum exhibitum res in pejus rueret. Tandem die 33. virus ſeſe prodebat Gangrænam horrendam Maxillæ inferiori, & Tibiæ ſiniſtræ ubi Fontanella antea inuſta fuerat, intentans, quæ utramque partem affectam depaſcens, & omnem artem Medicam & Chirurgicam longe ſuperans, utpote ab habitu corporis velut à perenni fonte ſcaturiens miſellam puellam è vivis ſuſtulit die à primo morbi inſultu quadrageſimo.

Hiſt. 61. Filiola Capſarii habitantis in vico dicto *Ludgate-ſtreet*, prope portam vici dicti *Black-Friers*, cujus nomen mihi jam non occurrit, tres annos nata, circa Annum 1684. à Variolis mali moris & depreſſis, quæ nulla maturatione præcedente pellicularum ad inſtar exareſcentes decidebant, noſtra methodo liberata adhuc cibum cujuſcunque generis, & potulenta ipſa faſtidiens per plures dies quadantenùs febricitabat. Unde prioribus Exemplis monitus, de eventu anxius eram. Tandem poſt viceſimum Morbi diem Natura per ventriculum & Inteſtina virus latitans eliminare moliente, miſera Puella enormi alvi fluxu, & poſteà colera Morbo mirum in modum excruciata perpetim vagiebat, donec Medicamentis Internis & Externis hæc ſymptomata ſuſtulerimus. Natura tamen, hiſce non obſtantibus, Veneno intùs coërcito diu laceſſita atque ſuccumbens tandem manus dedit, materiam nigram copioſam vomens, & dejectionibus tetris & fœtidiſſimis, & cæteris omnibus Gangrænæ Ventriculi ſymptomatis confecta, ſed venia cadaver aperiendi à nobis impetrari non potuit.

Neque eſt quòd quiſquam eventus hoſce funeſtos uſui Alexipharmacorum, Opiatorum & Veſicatoriorum liberali jure acceptos referat, ſiquidem, licet tria hujuſmodi Exempla intra viginti Annorum ſpatium, quaſi inſtantiæ curioſæ in Theoriæ noſtræ confirmationem occurrêrunt, centum forſan Hiſtoriæ penes me ſunt eorum qui ex hujuſmodi Variolis malignis, confluentibus penitùs & depreſſis ope noſtræ methodi nullo morboſo affectu tentati evaſerunt. Nec ſcio quomodo alia quavis methodo Ægrotantes Veneno adeò deleterio infecti terminum Morbi uſitatum, ſcil. diem decimum quartum vivi attingere poſſunt.

Hiſt. 62. Domicella *Catharina Morgan* Virgo elegans admodùm & pia, atque à familiâ generoſa oriunda, decimum octavum ætatis annum agens, die Dec. 29. 1693. levi Lumborum dolore correpta ad tertium à Londino lapidem, nimirùm ad villam dictam *Hackney*, pedes iter fecit, noctem autem ſequentem, dolore ſenſim aucto pæne inſomnem tranſegit: Dec. 30. Lumbagine horrenda adhuc perſtante, dolore capitis, ſiti atque febrili calore affecta in curru Londinum revertebatur: Nocte proxima ſpaſmis Lumborum quadantenùs allevatis hebes & comatoſa jacebat: Die 31. mane Diarrhœa ſuborta eſt, toto autem die omnia ingeſta illico vomitu rejiciebat; prope Meridiem autem Collega probus ac doctus M. *Franciſcus Upton* acceſſitus, Exanthematis prænuntiis tribus vel quatuor jam ſeſe prodentibus, explorando deprehendit pulſum admodùm celerem cum ſiti, dolore capitis, & hebetudine comatoſâ conjunctum, quo nomine juſſit Vir doctus Liquorem Poſſeticum foliis Salv. rubr. alteratum copioſè pro ratione ſitis urgentis miniſtrandum, atque cochl. vi. Julapii ſequentis ad libitum propinanda, & Emplaſtr. Epiſpaſtic. ad Nucham applicandum,

♃. Decoct. Alb. Rad Scorzoner. alterat. ℔ iij. Aqu. Cordial. Saxon. unc. ij. Epidem. unc. ß. Syrup. flor. paralyſ. unc. iß. M. Januar. 1. mane, univerſali Variolarum eruptione jam inceptâ, præſertim in manibus & brachiis, ubi Exanthemata admodum frequentia pænè cohærebant, reverſus Vir doctus deprehendit Ægrotantem adhuc febricitantem, hebetem, languidam, fluxu alvi & vomitione laceſſitam, igiturq; Decoctum album adhuc uſurpandum juſſit, atq; cochl. iij. Julap. ſequent. in languoribus ad libitum pitiſſanda,

℞. Aqu. meliſſ. menth. cordial. Saxon. an. ℥ ij. Epidem. ℥ i. Marg. ppt. ʒj. Sacchar. Criſtal. q. ſ. M. F. Julap. Sub veſperam autem cum Vomitionem, fluxum alvi & hebetudinem Comatoſam (Variolis jam ubique derepente Confluentibus vel Cohærentibus) non amplius urgere animadverterit, Julapium Perlatum repetendum imperavit, atque Hauſtum paregoricum ſequentem hora ſomni exhibendum,

℞. Aqu. cordial. frig. Saxon. ceraſ. nigr. Lact. Alexiter. an. ʒ vj. Margar. ppt. ℈j. Syrup. de Mecon. ʒ v. M. F. Hauſtus, quo epoto tota nocte bene dormiebat, Januarii 2. mane

vir doctus deprehendit Ægram adhuc quadantenus febricitantem, Faciem Salivatione præproperè ſuborta) aliquatenus intumeſcentem, Exanthemata autem ubique depreſſa, neque quoad baſes ampliata, neque in ſummitatibus acuminata, ideoque Ægrotanti cibum avenaceum & hordeatum præberi juſſit, & Julapium perlatum repetendum, atque hauſtum Paregoricum denuò hora ſomni exhibendum, atque os & fauces Cereviſia ficubus alterata ſæpius colluendas, Januarii 3. (quo die ego primum conſulebar) deprehendimus Variolas ubique admodum parvas, depreſſas, quaſi ſtrangulatas ſemineces & ſublividas, ptyaliſmum autem unà cum faciei tumore quadantenus auctum, atque febrem inde minus intenſam, multùm autem de Languore & Lipothymia conquerebatur Patiens, ab habitu uti affirmabat quaſi cadaveroſo è corpore ſuo exhalante inducta, quo nomine præter Julapium perlatum, & hauſtum Paregoricum hora ſomni repetendum, ad Spiritus erigendos & motum eorundem ordinatum conſervandum juſſimus cochl. iij. vel iv. Julap. ſequent. tertia vel quarta quaque hora (agitata phiala) propinanda,

℞. Aqu. meliſſ. ceraſ. nigr. an. ℥ iv. Epidem. ℥ i ß. pœon. comp. ℥ i. pulv. è chel. cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. ʒ i. Syrup. è mecon. ℥ i ß. M. F. Julap. Hinc Ægra placidè dormiebat, non ut priùs languore confecta ptyaliſmus etiam cum faciei intumeſcentia eodem fere modo ſe habebat. Cum autem Jan. 4. mane reverſi neque ptyaliſmum, auctum, neque Exanthemata ullatenus matureſcentia, verùm adhuc ſeſſilia & depreſſa animadverteremus; Spiritus pæne proſtratis ope majorum Alexiteriorum ſuccurrere jugiter contendimus, more ſequenti,

℞. Theriac. Androm. ʒ ß. pulv. è chel. cancr. comp. Lap. Contrayerv. Ciner. Bufon. an. gr. xv. Syrup. è mecon. q. ſ. M. F. Bolus ſtatim ſumendus cum Hauſtu Julapii cum Speciebus iterumque quarta pom. hora ſomni verò cum hauſtu Hypnotico ante præſcripto. Januar. 5. utut præcedenti nocte (Spirituum motu hucuſque ope Remediorum intra juſtos cancellos cohibito) placidè dormierat Ægra, jam tamen languore magis opprimebatur, atque Exanthemata nullatenus adhuc matureſcebant, ideoque Liquorem poſſeticum noſtro modo alteratum ſæpius miniſtrandum curavimus, tantillum etiam Vini Canarini in languoribus conceſſimus, atque Bolum Cardiacum ſextâ quaque horâ repetendum duximus. Januarii ſexto, morbi ſcil. nono, Variolis adhuc depreſſis, atque ptyaliſmo jam unà cum faciei intumeſcentia ſenſim declinante, febrem deprehendimus à Veneno adhuc intus coacto evidenter auctam, & cum deliriis non obſtante placido & quieto ſomno ſociatam; ſuborto autem jam magno Urinæ profluvio Ægra reſpirabat liberius, & expectorabat copioſè & præter ſolitum; ideoque Emplaſtra Epiſpaſtica duo ad interna brachia ſtatim applicanda curavimus, atque Bolum ante præſcriptum cum gr. vii. Serpent. Virgin. ſexta quaque hora repetendum, & hauſtum paregoricum hora ſomni exhibendum niſi placidè dormiret. Januarii 7. Febris cum delirio augebatur, Lingua areſcebat Exanthematis incruſtata, Ægra multum dormiebat ſed inquietè, Urina autem copioſè & nonnunquam involuntariò reddita reſpirabat liberè, & expectorabat copioſè: Veſicatoria igitur ii. ad Tibias internas illico applicanda juſſimus, & Bolum Cardiacum ſexta quaque hora repetendum, hauſtum paregoricum poſt primum, atque inſuper poſt nocturnum Bolum propinandum, poſt cæteros hauſtum julapii cum ſpeciebus. Denique mucilaginem Semin. Cydon. Syrup. è Rub. Idæ. Extract. ſæpius ſuper linguam ſiccatam tenendam imperavimus. Januar. 8. Febris eundem tenorem ſervavit, ſomnus non erat placidior, vires plurimum obruebantur, urina autem (unde unica ſpes affulgebat) admodum copioſè, & nonnunquam involuntariò reddita, liberè reſpirabat Ægra (quod inſolitum & notatu dignum eſt:) Pituitam autem quippe jam concreſcentem & glutinoſam haud ſine difficultate expectorabat, ideoque ad vires erigendas, & motum Spirituum vacillantium inordinatum compeſcendum, Julapium cum Speciebus adhuc uſurpandum, & Bolum cardiacum ſexta quaque hora repetendum, & hauſtum paregoricum juxta meridiem & media nocte exhibendum, atque inſuper Liquorem poſſeticum cum Vino Canarino paratum atque Apozema ſequens calidè & copioſè ſæpiùs miniſtrandum duximus.

℞. Decoct. pectoral. depurat. ℔ i. Tinctur. Croc. Syr. è 5. Rad. an. ℥ i. M. F. Apozema. Januar. 9. Eadem fere rerum facies erat, tantùm delirium Comatoſum quadantenus augebatur, Urina autem adhuc copioſè & involuntariò in lecto reddita, Reſpiratio erat hactenus libera, quo nomine Julapium cum Speciebus & Apozema Pectorale ulterius uſurpandum duximus, atque Bolum Cardiacum octavâ quâque horâ repetendum ſine hauſtu Paregorico. Januar. 10. Languoribus & Deliriis plurimum auctis, & cum inquietudine jam conjunctis, Ægræ facies, intumeſcentia ſubſidente, in Hippocraticam planè mutabatur, Urina autem copioſè adhuc involuntariò reddita Patiens adhuc libere reſpirabat. Quo nomine in collapſu virium adeo præcipiti & motu Spirituum adeò inordinato Julapium cum Speciebus adhuc exhibendum duximus, Bolum Cardiacum quarta vel quinta quaque hora repetendum, atque inſuper Paregoricum media nocte miniſtrandum. Ianuar. 11. inquietè dormiebat ac ſi Comate vigili affecta, & delirabat; Urina autem copioſè adhuc reddebatur, Reſpiratio etiam adhuc liberrima fuit, ideoque Bolum quarta vel quinta quaque hora, repetendum juſſimus, uti Julapium cum Speciebus ut priùs, & Hauſtum paregoricum meridie, & media nocte exhibendum. Januar. 12. Febre, delirio & languore perſtantibus ut priùs; Exanthemata in facie & pectore jam demùm matureſcere incœpêrunt, in artubus autem depreſſa & ſemiplena confluebant, atque cuticula eroſa pus minus coctum, verùm copioſum exſpuebant: inſuper brachiorum & Tibiarum partes ad quas Veſicatoria ſine fructu ſexto & ſeptimo die applicata erant pure multo ſcatebant: Quandoquidem verò Urinæ fluxus moleſtias Adſtantibus & Nutricibus creabat, Bolos cum Ciner.

Bufon. (quos Urinæ profluvium excitaſſe rite cenſebant) amplius miniſtrare reſpuebant, Rixis igitur muliercularum coacti, (licet tota ſpes noſtra in caſu adeò difficili à profluvio iſto Urinæ penderet) bolorum iſtorum uſum inviti prætermittentes, ad vires Spirituum fovendas, eorumque motus effrænatos coercendos (quantum poteramus) more ſequenti ſubſtituimus.

℞. Theriac. Androm. Electuar. de Ovo an. ʒi. Pulv. Rad. Serpentar. Virg. ʒiß. Aqu. Dracont. Cinam. hord. an. ℥iii. Epidem. Pœon. comp. an. ℥i. Syrup. è Mecon. ℥iß. Laudan. liquid. gut. xi. M. F. Julap. de quo cap. Cochl. vi. (agitata phiala) ſexta quaque hora.

℞. Aqu. Card. ceraſ. nigr. an. ℥i. Aqu. cinam. hord. Epidem. Syrup. è Mecon. an. ℥ß. M. F. Hauſtus hora ſomni exhibendus. Ianuar. 13. Comatoſa adhuc jacebat Ægra, delirium autem & languor, dum hæc mitiora Alexipharmaca exhiberentur, pulſus accelerabatur & vacillabat, Grangræna inſuper oris fornicē & labia jam primum invadebat, à deleteria veneni vi ſuborta: Profluvio verò Urinæ intermiſſo pulver. Æthiopic. uſu ceſſante, Ægra difficultate Reſpirandi tentari cœpit. Denique univerſa Cuticula à ſcapulis uſque ad manus ſponte ſeparata, brachia & humeri pure (viſu horrendum) ſcatebant. Quorcirca in caſu adeo deplorato Domino Bateman Chirurgo experto ad partes Gangrænâ affectas & excoriatas tractandas accerſito, Bolum Cardiacum cum Cincr. Bufon. rurſus incaſsùm licet exhibendum juſſimus, atque hora ſomni cum hauſtu Paregorico repetendum, atque Apozema Pectorale ſæpius propinandum. Inſuper Cochl. iv, vel v. Julap. ſequent. ſecunda quaque hora propinanda duximus,

℞. Theriac. Androm. Elect. de Ovo an. ʒii. Aq. Dracont. Cinam. hord. an. ℥iii. Epidem. Pœon. comp. an. ℥ii. Sal. Vol. C. C. Laudan. liquid. an. ʒi. Syrup. è Mecon. ℥iß. M. F. Julap. ut eſſet etiam in promptu ſimile Iulapium abſque Laudano curavimus, loco prioris exhibendum, ſi modò Vigiliæ non urgerent. Denique pannos lineos molles Linimento ſequenti imbutos partibus excoriatis imponendos imperavimus.

℞. Ol. Amygd. dulc. rec. ℥ii. Sperm. Cet. ʒii. M. F. Linimentum. Ianuar. 14. Vibrationem Arteriarum diligentiſſimè explorando ægrè admodum percepimus: Languor, Delirium & Dyſpnœa augebantur, ſomnus erat admodum inquietus, Partes excoriatæ, & Ulcuſcula à Veſicatoriis relicta pure copioſo ſcatebant, Gangræna latius ſerpebat: ſub veſperam ſtercora dejecit involuntariò. Ægra jam moribunda liquida, copioſa, nigra, fœtida: Cætera aderant Naturæ corruentis ſymptomata; ideoque cùm jam ferè conclamatum eſſet, ſolummodo Julapium nuperrimè præſcriptum ad ſymptomata coercenda repetendum duximus, ut Virgo miſella ἐυθανασιαν aſſequeretur. Januar. autem 15. Morbi vero 18. patiens antea monitis noſtris morigera jam Medicamentorum pertæſa Julapium cordiale prorſùs reſpuebat, & ſymptomatis quibuſcunq; funeſtiſſimis ingruentibus, media nocte paulo ante obitum compos mentis facta, inter vota & preces ardentiſſimas animam efflabat.

Hiſt. 63. Nicolaus *Lechmere* Nepos D. *Nicolai Lechmere* Baronis Scaccarii, Juvenis elegans ac ingenioſus, à multis retrò annis, levi quavis occaſione datâ, ſubſultibus tendinum, & variis motibus convulſivis inter dormiendum obnoxius, poſtquam duos menſes admodùm valetudinariò tranſegerat, demum ad duas ſeptimanas Vertigine, atque capitis, lateris & pectoris dolore laceſſitus, Febriles Paroxyſmos frequenter, ſed non periodicè recurrentes perpeſſus eſt: quâ ratione, Vena in brachio ſecta, ℥x. Sanguinis detrahebantur, Cortex Peruvianus exhibebatur, atque tandem Alvus Decocto amaro ſubducebatur. Triduo autem inde elapſo Jan. ſcil. 10. 1693. (currente jam ætatis anno decimo nono) dolore capitis & lumborum atroci correptus hebes decumbebat, non tamen vomitione, vel ægritudine, vel intemperie febrili multum fatigabatur. Ian. 11. Pharmacopola ſanguinis ℥xii. partim floridi, partim mucoſi è Cubito detraxit. Ian. 12. Variolæ erumpebant mediæ naturæ, admodum paucæ, quæ indies numero augebantur uſque ad diem decimum quintum, quo die eruptione completa, Exanthemata penitus ſeſſilia fere ubique cohærebant, dolore ſpaſmodico in capite, lumbis & uttroque latere hucuſque perſeverante. Ian. verò 16. maturatione Exanthematum jam incœpta, atque ptyaliſmo jam primum ingruente, Æger illicò ἀπυρετὸς factus erat, atque dolor plurimum allevabatur. Illo die Cl. atque ingenioſiſſimus Collega noſter D. D. Cole acceſſitus, Apozema ſequens præſcripſit copioſè miniſtrandùm.

℞. Hord. Gallic. q. ſ. paſſul. corinthiac. ℥ii. Coq. in Aqu. F. ſ. q. Colaturæ ℔ii. adde Aqu. cinam. hord. ℥ii. Syr. papav. errat. Rub. Idæ. an. ℥iß. M. atque cochl. iii. vel iv. Iulap. ſequentis in languore propinanda.

℞. Aqu. Lactis Alexiter. ℔iß. Stephan. ℥iii. Marg. præp. ʒiß. Sacch. alb. q. ſ. ad gratiam M. Inſuper Veſicatorium largum ad Nucham juſſit Vir Cl. ſtatim applicandum, atque Hauſtum paregoricum ſequentem horâ ſomni ſumendum & modo ſymptomata ingraveſcerent, mane proximo repetendum.

℞. Aqu. paralyſ. ℥iii. Mirab. ʒiß. Syr. è mecon. ℥i. M. Denique parti decocti ante præſcripti imperavit mell. Mororum q. ſ. addendam pro Gargariſmo, quo Os bis vel ter in die collueretur. Nocte ſequenti bene dormivit Juvenis à dolore penitus liberatus. Jan. 17. ptyaliſmus augebatur, facies cœpit intumeſcere, Exanthemata aliquatenus intumeſcebant, & in apicibus, non tamen humore diſtenta albeſcebant. Vir Cl. jam in uſu Apozematis & Iulapii perſiſtendum eſſe duxit, atque Hauſtum paregoricum horâ ſomni quin & craſtino mane modò inquietudo urgeret repetendum juſſit. Nocte autem ſequenti ptyaliſmo inexpectatò ſubſiſtente, atque Variolis ubique in centro ſubſidentibus, plurimùm languebat Æger tremoribus incertis, & motibus convulſivis inter dormiendum plurimum laceſſitus. Jan. 18. Vir Cl. Empl. meliloti pulvere Cantharidum conſpergendum juſſit ut Veſica parva & depreſſa efficaciùs excitaretur, atque ut ʒi. Tincturæ Caſtorei in promptu eſſet, cujus,

jus, ſi tremores rurſùs ingruerent, gut. xx. vel xxx. in hauſtu Aqu. Ceraſ. nigr. vel cujuſcunque alterius grati liquoris exhibendas voluit: Atque Hauſtum Paregoricum veſperi ſumendum, itidemque mane repetendum duxit, & Julap. perlatum adhuc uſurpandum, & denique Os ſæpiùs colluendum Decocto Pectorali ſolo abſque Melle Roſatum, ejuſque hauſtum quaudoque propinandum. Inde Ptyaliſmo reduce & Exanthematis quadantenùs ægrè licet matureſcentibus, in præſcriptorum uſu Vir Cl. juſſit Ægrotantem Jan. 19. & 20. ſedulò perſeverare. Jam autem viceſimo, mediâ nocte (die Morbi undecimo jam inſtante) ubi jam ſpiritus plane obruti manus dederant, non ampliùs vel juxta primam vel ſecundam Naturæ intentionem Veneno eliminando pares, Ptyaliſmo ſine quâvis evidenti cauſâ derepente ſubſiſtente, atque facie prorsùs detumeſcente, Æger extemplò languebat; acceſſere frequentia deliquia cum celeri & debili pulſu: Spiritibus inſuper vacillantibus Æger motibus convulſivis & tremoribus perpetim agitatus, & delirus, reliquam noctis partem atq; matutinas horas ſequentes (quouſque ego conſulebar) inſomnes tranſegit, non obſtantibus tribus hauſtibus Paregoricis, quorum unuſquiſque ℥i. Syr. è Mecon. continebat. Exanthemata denique ubique ſemimortua, ſeſſilia, & nullo humore diſtenta fere exareſcebant. Verba præ debilitate Æger vix proferre potis erat. Vibratio arteriarum erat admodùm debilis, Reſpiratio aderat difficilis, & anhelosa. Conſilio cum Viro Cl. inito in caſu adeò deplorato ubi mors præ foribus adſtabat, pro virili ſategimus generoſiſſimis Alexipharmacis, & Veſicatoriis vires Spirituum collapſas incunctanter erigere, commixtis opiatis ad vacillantem eorum motum coercendum, & Cineribus Bufonum ad reſerandas Renum Cataractas, ut Colluvies venenata forte per hanc portam deturbaretur, cui per Glandulas cutaneas, vel ſalivales ampliùs eliminando vires Naturæ haud pares erant. Ideoque Jan. 21. Veſicatoria tria ampla & acria juſſimus ad Nucham, & Carpos illicò applicanda, atque ad Bolum ſequentem quamprimùm exhibendum, repetendumque deinceps cum vel ſine Laudano pro ratione ſomni, & poſt ſingulos Bolos Cochl. v. vel vi. Julapii ſequentis propinanda, de quo etiam fas erat bibere adlibitum.

℞. Theriac. Androm. ʒß. Pulv. è chel. Canc. comp. Lap. contrayerv. Ciner. Bufon. in crucibulo ad nigredinem calcinatorum an. gr. xii. Laud. Lond. gr. i. Syrup. Caryoph. q. ſ. M. F. Bolus.

℞. Aqu. Lactis Alexiter. cer. nigr. an. ℥iv. Epidem. Pœon. comp. an. ℥iß. Pulv. è chel. cancr. comp. ʒiß. Syrup. è Mecon. ℥iß. M. F. Julap. Inſuper ad bronchia deobſtruenda imperavimus cochl. i. Linctûs ex Ol. Amygd. dulc. &c. ſolut. in hauſtu calido Apozem. ſequ. quartâ quâque horâ vel ſæpiùs miniſtrandum.

℞. Decoct. Pector. depurat. ℔iß. Tinctur. croc. ℥i. Syrup. Cap. Ven. ℥iß. M. Et ad Ptyaliſmum revocandum (ſi fieri poſſit) Gargariſmum ſequentem ſæpiùs faucibus, calidè fortiter Siphone ingerendum.

℞. Decoct. Pectoral. ℔iß. Diamor. mell. Roſ. cola. an. ℥iß. M. Inde bene dormivit Æger, à ſpaſmis & deliriis liberatus eſt, atque urinâ clarâ & copioſâ ſc. ad ℔iii, vel iv, ſpatio 24. horarum redditâ, fere ἀπυρετὸς jacebat, neque ut priùs languebat, reſpiravit liberiùs, & Arteriæ fortiùs vibrabantur: Stranguriâ autem moleſtâ à Veſicatoriis excitatâ, Jan. 22. mane reverſi, perſiſtendum eſſe duximus in uſu Bolorum Julapii, & Gargariſmi, atque inſuper hauſtum prælargum emulſionis ſequentis calidè ſæpius propinandum.

℞. Semin. iv. frig. major. an. ʒi. Semin. Papav. alb. unc. ß. Amygd. dulc. excortic. n. v. Aqu. Hord. ℔ii. M. F. Emulſio ſ. a. cui adde Sacchar. alb. unc. ii. Media autem nocte Exacerbationem (Febrè jam cum bonis avibus, Spirituum expanſione artis ope reſtitutâ, in benignam Συνεχῆ mutatâ) per ſex vel ſeptem horarum ſpatium protenſam perpeſſus eſt quadantenùs vigil, delirus, & convulſus. Poſt hæc autem ἀπυρετὸς factus quietè obdormivit, Urinam reddens adhuc copioſiorem ad ℔v. vel vi. Quo nomine præſcripſimus, Jan. 23. Hauſtum ſequentem quamprimùm propinandum, atque deinceps extra tempus Paroxyſmi quartâ quâque horâ repetendum.

℞. Aqu. Lactis Alexit. card. bened. an. ℥i. Epidem. cinam. hord. Syr. caryoph. an. ʒi. Pulv. ſubtiliſſ. cortic. Peruv. elect. ʒi. Laud. liquid. gut. xii. M. Inſuper ad Spiritus in certamine futuro erigendos Bolum Cardiac. cum Laudano ſextâ veſpertinâ, itidemque media nocte repetendum duximus, atque cruſtas ad Faciem moleſtè adhærentes ſæpiùs illinendas, Linimento ex Ol. Amygd. dulc. Ung. pomat. & Sperm. ceti, atque Julap. Cord. Linctum, & Apozema pectorale adhuc uſurpandum. Media autem nocte rurſùs recrudeſcebat Paroxyſmus levior, nullatenùs vigiliis vel deliriis comitatus vel adeò protenſus ut priùs Urina adhuc reddita copioſa: quin & Ægrotantem magis ad ſomnum proclivem invenimus. Qua de cauſa Jan. 24. Hauſtum Febrifugum juſſimus tertia vel quarta quaque hora extra tempus Paroxyſmi adhuc repetendum, atque Bolum card. cum cin. Bufonum & Laud. ſexta veſpertina itidemq; media nocte repetendum ut prius. Unde per totam noctem nulla ſenſibili Exacerbatione tentatus; ſomno placido indulgens Æger à Febre prorsùs liberabatur. Inſuper vigor Spirituum jam adeò inſtaurabatur ut profluvium Urinæ jam deficiens venatæ lymphæ rivulo copioſo per glandulas recens reſeratas excretæ, qui jam magis quam uſquam priùs ſcatebat, exciperetur: Veneno autem, quod jam ſupererat, per vicinas Oculorum glandulas ſimul ac ſalivales confertim protruſo, Oculi demùm cœperunt Taraxi moleſta affici. Quocirca Jan. 25. oculos juſſimus ſæpiùs madefieri Collyrio ex Aqu. Roſ. alb. ℥i. Troch. alb. Rhaſis ℈j. Sacchar. alb. ℈ß. atque Gargariſmum ad ſalutarem Salivationem promovendam quin & ad pituitam viſcidam è tonſillis educendam adhuc uſurpandum: Cùm autem hoc pacto Æger ex periculo evaſiſſe videretur, Bolum Alexipharmacũ haud ampliùs duximus repetendũ, hauſtum etiam febrifugum (quem cœpit faſtidire poſt intervalla longiora nimirùm bis in die exhibendũ,

Hora ſomni autem pareg. ſequens juſſimus propinandum.

♃. Aq. lact. alexiter. cer. nig. cinam. hord. an. ℥i. Laud. liquid. gut. x. ſyr. è mec. ℥i. M. Optimè inde dormit æger à febre ſenſibili prorſus liber, atque appetitu reſtituto; carnes appetebat quas præberi meritò noluimus: Urina etenim jam parca reddita rubedine profunda tincta & contentis ſaturata, hoſtem utut ſubactum adhuc tamen non exterminatum ſubindicabat. Inſuper lymphâ venenatâ non amplius per Renes, verùm per ductus ſalivales amandatâ, reſpiratio à pituita viſcida Bronchiis jam impactâ aliquatenus præpedita ægrotanti moleſtias creavit. Quo nomine Ian. 26. cochl. i. linctûs ſequentis lubricantis juſſimus quamprimùm unà cum hauſtu apozematis pectoralis exhibendum, atque deinceps quarta quaque hora vel ſæpiùs repetendum.

♃. Ol. amygd. dulc. rec. ſyrup. cap. ven. an. ℥iß. ſacch. cant. alb. ʒi. M. Atque hauſtum paregoricum hora ſomni renovandum: Sub veſperam autem, antequam exhiberetur paregoricum, ego diligenter accerſitus inveni Ægrotantem à relequiis veneni non penitùs ſubacti (uti mihi viſum erat) prorsùs hebetem, languentem atque inter dormiendum motibus convulſivis, & ſubſultibus tendinum plurimùm agitatum, verùm ſine evidentibus criteriis exacerbationis febrilis, qua ratione in locum hauſtus paregorici Bolum Alexipharmacum ſine laudano ſuffeci, itidemque quartâ vel quintâ matutinâ ſolutum, in cochl. julap. ſequentis duxi repetendum.

♃. Aqu. ceraſ. nigr. card. an. ℥iii. cinam. hord. ℥ii. epidem. pœon. comp. an. ℥iß. tinctur. caſtor. confect. alcherm. an. ʒiß. ſyrup. caryoph. ʒx. M. F. Julap. de quo capiat cochl. iv. vel v. ſingulis, vel alternis horis. Unde bene dormivit à dictis ſymptomatis liberatus, atque in ſtatum priſtinum redactus. Quocirca Jan. 27. Collegâ candido ac docto approbante conſilium quod invitus eo abſente cœpi, mutuis ſuffragiis Bolum Alexipharm. ſine laudano decrevimus ſub veſperam rurſus exhibendum, atque mane proximo repetendum, & julap. cord. nuperrimè præſcriptum, & reliqua adhuc uſurpanda. Naturâ autem colluviei venenatæ reliquias (ptyaliſmo jam penitùs ſubſiſtente) per inteſtina amandare moliente, æger poſt unam vel alteram dejectionem liquidam, & copioſam cœpit rurſus deficere, atque variis motibus convulſivis agitari, quo nomine ego ſolus utpote vicinus à perterritis adſtantibus primo mane diligentet accerſitus, atque memor Colloquii Cl. Collegæ die præcedenti habiti, nimirum patientem noſtrum à multis retrò annis, leviſſimâ quâvis occaſione datâ, in genere nervoſo dura quævis pati ſolere ſymptomata, præſertim etiam cùm ego ipſe, non obſtantibus diris hiſce nervorum affectibus, explorando, nullam febris exacerbationem deprehenderim, Jan. 28. Primo mane præſcripſi Bolum ſequentem unà cum hauſtu julapii illico exhibendum.

♃. Confect. mithridat. ʒi. caſtor. gr. v. pulv. de guttet. gr. xv. laudan. liquid. cydoniat. gut. xii. cum ſyr. caryoph. q. ſ. M. F. Bolus mollis.

♃. Aqu. Rut. ceraſ. nigr. an. ℥ iii. pœon. Bryon. comp. ſyr. pœon. comp. an. ℥iß. tinctur. caſtor. ʒii. M. F. julap. Inſuper unam, vel alteram pilularum ſequentium tertia quaque hor. juſſi deglutiendam unà cum cochl. iv. julapi nuperrimè præſcripti.

♃. Gum. galban. ammoniac. an. ℈i. caſtor ℈ß. M. F. pilul. x. deaurand. Jan. 28. paulò ante meridiem Collega candidus & doctus (conſilio rurſus jam inito) præſcriptis meis ſuffragatur, atque cùm patientem hiſce auxiliis iterùm in priſtinum ſtatum reſtitutum jam invenimus, veſicatorium amplum & acre in ſubſidium generis nervoſi adeò ſæpe laceſſiti inter ſcapulas applicandum juſſimus, atque Bolum cum mithridatio abſque laudano poſt mediam noctem repetendum, & denique apozema, eclegma, pilulas non adeò laceſſitus affectibus nervoſis ut priùs. Ideoque Jan. 29. pilulas cum julapio cephalico juſſimus iterùm repetendas, & Bolum cum mithridatio hora ſomni ſumendum, atque decoctum album copioſè bibendum, additâ tertiâ parte vini canarini optimi tempore uſûs, quia dejectionibus liquidis patiens ſæpe tentabatur, & ſimplex decoctum prorſus faſtidiebat. Ian. autem 30. cùm genus nervoſum diris hiſce ſymptomatis periodicè recurrentibus, non obſtante diligenti & pertinaci remediorum cephalicorum uſu, omni die plus minus plecteretur, atque urina quotidie rubedine & contentis ſaturata redderetur, ſuſpicabamur, venenum varioloſum intus deliteſcens dirorum horum affectuum nervoſorum cauſam eſſe atque mox deteriorum ſymptomatum ſtragem daturum, utut impræſentiarum adeò ſubactum fuerit ut non par eſſet certamini febrili recens inſtaurando, atque exinde decrevimus vires Corticis Peruv. polychreſtas rurſus experiri, addita laudani q. ſ. ad alvum jam nimis fluidam coercendam more ſequenti.

♃. Cortic. Peruv. ſubtiliſſ. trit. ʒi. Laudan. liquid. gut. xii. cum ſyrup. è corall. q. ſ. M. F. Bolus ſtatim ſumendus. Repetatur Bolus abſque Laudan. quarta Pom. cum Laudan. gut. 18. horâ ſomni, abſque Laudano tertia matutina, cum Laud. gut. xii ſexta matutina, abſque Laudano decima matutina. Perſtet in uſu Decoct. alb. & julap. cord. Quid fit? Die proximo, Ian. ſcil. 31. & morbi viceſimo primo, reverſi patientem invenimus cum bonis avibus ἀπυρετὸν ab omni morboſo affectu ac ſymptomate liberum, & plane reconvaleſcentem, atque eſurientem. Ideòque cibum pleniorem jam indulgebamus. Decoctum album duntaxat pro potu ordinario præſcripſimus ob laxitatem alvi nimiam, atque paregoricum ſequens hora ſomni exhibendum.

♃. Aqu. Lactis alexiter. cinam. hord. an. ℥iß. Epidem. ʒiii. ſyrup. è Mecon. ℥i. M. Febr. 1. famem duntaxat Patiens querebatur, atque appetitu reſtituto, pullum Gallinaceum avidè petebat. Cum autem faciem obſervaſſemus adhuc incaleſcentem & ſcabie nigra obductam, atque urinam contentis plenam & rubedine quadantenus tinctam, à carnibus ad unum vel alterum diem abſtinendum eſſe duximus, poſteà uſum piſcium friabilium, & pullorum Gallinaceorum moderatum conceſſimus; atque poſtquam hauſtum Paregoricum juſſeramus parandum media nocte, modò fluxus alvi, vel vigiliæ poſtularent, exhibendum, ego ultrò (reluctante

licet

licet juvene) memet ſubduxi, Patientem doctiſſ. & Cl. Collegæ (ut par erat) futurum tractandum relinquens. Reliquiis autem veneni non penitus protruſis, poſt v. vel vi. dies iterum recrudeſcentibus, æger, appetitu ſenſim proſtrato, rurſus quaſi hecticè intaleſcebat: Benigna verò Natura furunculo amplo in femore ſiniſtro ſuborto, qui quam citiſſimè vigore ſpirituum maturatus in abſceſſum mutabatur, venenum propellere moliebatur. Qua ratione æger me ſolum (quod ægrè tuli) bis juſſit ad Catharſin inſtituendam acceſſendum, quem inveni præter ſpem hectico calore, & ἀνορεξίᾳ affectum, languidum, & in lecto decumbentem, ſcabie nigra ad nonnullas faciei partes firmiter adhærente, dum cæteræ partes rubore & calore ſupra modum afficerentur, & ſurfuracea impetigine obducerentur, unde nitorem cutis elegantem mox foveis deturpandum, modò forte vita ipſa in periculum non adduceretur, fore timebam, niſi artis ſuppetiis opportunè allatis ſpiritus ante Catharſin à veneno, quod jam revireſcens certaminis recens inſtaurati cauſa erat, uſu Antidoti Herculeæ repetito, penitus liberarentur. Ideoque Febr. 12. præſcripſi Hauſtum febrifugum ſequentem mox exhibendum, repetendumque deinceps ſexta quaque hora ad x. vices.

♃. Aqu. card. ℥ii. Epidem. ſyrup. caryoph. an ʒii. Pulv. ſubtiliſſ. Cortic. Peruv. elect. ʒi. M.

Febr. 14. reverſus inveni appetitum Patientis reſtitutum, atque temperiem admodum mitem, ideoque alvum juſſi mane proximo potione ſequenti ſubducendam.

♃. Decoct. Sennæ Gereon. ℥iv. mann. ſelectiſſ. ℥iß. M. Atque in promptu ſit ℥ß. ſyr. è ſpin. cerv. in Hauſtu liquoris Poſſetici hauriendа, modò Patiens poſt trihorium alvum non dejiciat. Febr. 17. ad lubricam alvum cohibendam Paregoricum ſequens juſſi hora ſomni propinandum.

♃. Aqu. Lactis alexiter. cinam. hord. an. ℥iß. ſyrup. è mecon. ʒvi. M. F. Hauſtus, atque ʒi. cortic. peruv. cum ſyrup. caryoph. q. ſ. in formam Boli redactam mane proximo exhibendam, repetendamque deinceps ter die horis medicinalibus per tridui ſpatium ad reviſceſcentiam veneni deliteſcentis (ſi quod fuerit) præcavendam, & ſuperbibendum poſt ſingulos Bolos hauſtum vini generoſi. Dein alvum rurſus potione cathartica ante præſcripta curavi deturbandam. Febr. 22. Præſcripſi pil. è Succin. ℈i. in tres pilulas deauratas redactam hora ſomni ſumendam, & Extract. Rud. ℈. cum coch. min. gr. xv. in pilul. v. deauratas formandum mane proximo deglutiendum ad ſaburram humorum deliteſcentium altiùs deducendam. Denique Feb. 25. ad calorem humorum diu efferveſcentium temperandum. Alvum juſſi per ἐπίκρασιν ſemel in ſeptimana more ſequenti ſubducendam.

♃. Pilu. Aloephang. Stomach. cum Gum. an. ℈ii. è Succin. ℈i. Salis Tartar. ℈ß. Ol. Majoran. Chym. gut. vi. M. F. Pilul. xvi. inaurandæ, quarum quatuor ſumat hora ſomni, repetatque deinceps ſemel in ſeptimana. Matutinis proximis bibendo ℔iv. Aqu. mineral. purg. ad ℔iii. coct. & ℔ß. lactis alterat. Atque hoc pacto juvenis elegans ac ingenioſus Familiæ ſuæ decus, multa artis ope ex orci faucibus ereptus, demùm nullo morboſo affectu tentatus, & nitore faciei non ſpoliatus, ſanus evaſit, atque huc uſque ſecunda valetudine utitur.

Hiſt. 64. Mihi communicata à Clar. & ingenioſiſſimo Collegâ & Cenſore D. D. Frederico Slare.

Fæmina temperamento ſenguineo 20. annos nata, dolore capitis, lumborum & inteſtinorum indies ingraveſcente corripiebatur: Tertio die à decubitu ſcil. Jul. 31. 1692. Exanthemata Varioloſa ſeſe in conſpectum dabant: Ægra nihilominus febricitabat, & delirio tentabatur, quod unoquoque die in altiorem gradum evectum eſt. Aug. 2. Petechiæ erumpebant in Pectore, & brachiis frequentiſſimæ, lumbi dolore vehementi indeſinenter cruciabantur; Puſtulæ erant exiguæ & confluentes. Guttur etiam tantùm non variolis occludebatur. Urinam diligenter inſpexi, quæ ſub noctem illius diei ſanguine tincta reddebatur (ut ſæpe in variolis hiſce ſymptomatis comitatis) & duobus diebus proximè ſequentibus ſc. uſque ad noctem diei 5. Aug. atque tunc tandem intumeſcebat facies, & ſalivatio ſuborta eſt: Phrenitis exulabat, Tumor faciei ad tres vel quatuor dies durabat: Detumeſcente verò inde facie, manus pari ratione tanquam veſicæ inflatæ tumebant in immenſam adeò molem, ut figura manuum in ipſis manibus deſideraretur. Oris ulcera admodum ſordebant, Fluxus ſalivæ diu durabat.

Quoniam Ægra, quamvis benè nata, non amplis fortunis erat, Remedia ſequentia præſcripſi parùm pretioſa, ſc. primò Decoct. Pectorale commune cum Syrup. Aurantiorum bibendum copioſè, & Hauſtum cum Syr. è mecon. ʒvi. & ſpir. vitriol. potui communi inſtillandum, quia ſitis vehementer urgebat, & Regimen in reliquis temperatum, vel potius frigidiuſculum, donec Petechiæ erumperent, & pulſus debilitaretur. Nocte igitur ab eruptione tertia cum primùm hæc ſymptomata ingruebant, julap. cardiacum ſequens parandum juſſi.

♃. Aqu. Lactis alexiter. ℥vi. pœon. comp. ℥ii. Stephan. ℥ß. Sp. lavend. comp. ʒii. Theriac. Androm. ʒiß. Syr. Flor. Tunic. ℥ß. F. Mixtura Cardiaca, de qua bibat liberè in languoribus, & paregoricum ſequens mane & veſperi repetendum.

♃. Aqu. Lactis alexiter. ℥ii. Epidem. ℥ß. Syr. de Mec. ʒi. Laud. liqu. gut. x. Languebat nihilominus fœmina, & pulſus vacillabat, ideoque Sp. C.C. in vino canarino ſæpe propinatur. Nocte cardiacorum uſum præcedent. urina intenſè rubeſcebat, hac verò nocte ſanguine tingebatur, & eodem tempore delirium plane exulabat. Repetitis julapii cardiaci doſibus vires ægræ refocillabantur, & intra ſpatium 24. horarum mixtio cruenta valdè diminuebatur. Aug. 6. ingruebat Ptyaliſmus, urina bene colorata eſt. In cæteris pro re nata ægra tractata, ex Morbo maligno, & valde periculoſo evaſit.

Hiſt. 65. Admodùm curioſa ab Exercitatiſſimo & Sagaciſſimo D. D. Atherton literis mihi datis nuper communicata.

Domina E. L. annos duodeviginti nata, dolore capitis & dorſi correpta, modicè febricitabat,

tabat, brevique poſteà Variolæ quædam parvulæ erumpebant; intereà Nauſea, Vomitio, ægritudo; frequens deliquium ægram excruciabant: Menſes ſolitum tempus antevertentes inſuper fluebant, ut incertus adhuc ſim utrùm Urina ſanguine tincta redderetur necne. Primò præſcripſi vinum canarinum momenti croci imprægnatum & Hauſtum Paregoricum noctu ſumendum. Die tertio, Sal. Vitrioli vomitivo ventriculi ægritudinem relevare conatus ſum. Die quarto ægritudine permanente, ſemel vel bis Bezoar. Orient. gr. xii. &. cinnam. nativ. gr. vi. in hauſtu julapii cardiaci propinavi. Repetebatur jugiter julap. cardiacum & Hauſtus Paregoricus uſque ad diem decimum tertium. Eruptione lentè procedente, Variolas è diſtinctarum genere fuiſſe autumabam; donec ſymptomatis ingraveſcentibus duobus ultimis Eruptionis diebus tota fere cutis ſtigmatis obduceretur. Nauſea, Ægritudo, Febris, Delirium ad diem decimum tertium perſtabant, quo die ſalivatio copioſa oborta eſt, Febre manifeſtò auctâ. Saliva primò tenuis deinde tenax viſcida evaſit, & poſt unum vel alterum diem evanuit Ptyaliſmus. Variolæ fuſcæ, & ſubnigræ demùm factæ paulatim decidere incipiebant: Sed ecce novum Variolarum in priorum interſtitiis circiter diem decimum quartum ſeſe in conſpectum dedit, delirio, ægritudine, anxietate, & vigiliis recrudeſcentibus. Die decimo ſeptimo ſymptomatum mitigationem expectavi, ſed fruſtra. Pulſus erat nunc fortis & celer, nunc debilis & languidus. Medicamenta pro re natâ præſcripſi. Circa diem viceſimum primum ſalivatio recens exoriebatur cum Aphthis in ore, & gutture, quæ vocem pænè intercipiebant. Ægra multùm dormivit, ſed præ debilitate ſeſe de loco in locum movere vix potuit. Tendinum ſubſultum, manuum, & maxillæ inferioris tremorem, involuntariam urinæ excretionem paſſa eſt. Linguam fere ſemper motitabat, ſtragula colligebat, manus hìc inde agitabat, puſtulæ, & ulcera inſenſilia reddebantur. Verbo, vix ullum ſymptoma funeſtum deerat. Circa diem viceſimum tertium ſudor violentus ſubortus eſt, qui ad duos vel tres dies perſeverabat. Puſtulæ in facie in cruſtam matureſcebant, in reliquis partibus corporis non ad inſtar cruſtarum, ſed potius pellicularum decidebant. Et ægra ſenſim & gradatim convaluit.

Hiſt. 66. Filia Domini *Rainsford* habitantis in vico dicto *Butcher-hall-lane* annos quinque nata, Anno Dom. 1672. (quo tempore Morbilli Epidemii Londini publicè graſſabantur) ad unam vel alteram hebdomadam fluxu alvi, tuſſi ferinâ & levi oculorum inflammatione, cæteriſque colliquationis ſymptomatis afflicta male ſe habuit; Demùm vero febre correpta, delira & comatoſa per triduum jacebat, & ſymptomata pejora indies augebantur. Quarto die effloreſcentia morbilloſa ab una parte in alteram per totum corpus ſparſa in conſpectum venit, quæ quidem ſummè inflammata ferè ad inſtar Eryſipelatis apparebat, atque ad quartum uſque diem protenſa durabat, febre unà cum fluxu alvi, tuſſi & cæteris ſymptomatis potius auctâ quam diminutâ, adeò ut miſera puella indeſinenter ejularet, tuſſiret, anhelaret, atque algum dejiceret, nihil autem intereà præter crudam cereviſiam deglutire voluit. Ego 4. effloreſcentiæ die vocatus eam inveni præ pulmonum inflammatorum Spaſmis planè ſtrangulatam, atque tanquam à faſcia injecta ſuffocatam. Effloreſcentiam derepente hìc illic in luridum & pallidum colorem abierat, extrema quadantenùs frigeſcebant, atque arteriæ vix, tactu judice, vibrabantur. In hoc præcipiti caſu Pharmacopola qui aderat juſſu meo illicò venam tundebat. Cum autem poſt tres vel quatuor uncias ſanguinis detractas ſtrangulationem fuiſſe diminutam perciperem, pulſationem arteriarum fortiorem redditam, atque colorem vegetiorem effloreſcentiæ reſtitutum, ſanguinem ad ℥v. vel vii. fluere ſinebam. Quo unico Remedio ab ipſis orci faucibus ægra prorſùs liberabatur, atque adhuc in vivis eſt.

Hiſt. 67. Advocabar Januar. 27. 86. ad *Filium Dominæ Pratt* habitantis in vico dicto, *Pater-noſter-rovv.* ſex annos natum, Febre dictâ Scarlatinâ laborantem, qui jam primum & ſecundum Morbi ſtadium uſque ad quartum effloreſcentiæ diem curæ trium Pharmacopœorum ſucceſſivè commiſſus tranſegiſſet, quorum unus morbum eſſe varioloſum pronuntiavit, adeò enim præter modum cuticula ſicut in Eryſipelate inflammabatur, ut aliqualem intumeſcentiam renitentem & aſperitatem inæqualem referre videretur: Cæteri verò duo effloreſcentiam eſſe Morbilloſam audacter affirmabant. Unuſquiſque autem Remediis Cardiacis pro modulo ingenii venenum versùs cuticulam propellere ſatagebat: Unde inflammatio ſponte ſuâ nimia, mirum in modum ſæviebat, Pulmones Peripeumoniâ afficiebantur, Febris erat intenſa, pulſus celer & debilis, Puer miſellus hebes admodum & attonitus ſummè languebat & penè ſtrangulatus eſt. Igitur ad Pulmones liberandos edico, unciæ ſex ſanguinis ſtatim è Brachio detrahantur, atque ne inde vires nimium dejicerentur, Bolus è Pul. è chel. cancr. comp. & lapid. contrayerv. an. gr. vi. & Syrup. caryoph. q. ſ. confectus, poſt venæ ſectionem exhibeatur, & mane ſequenti repetatur, vnà cum cochl. iii. julap. cardiac. temperat. de quo bibere licuit ad libitum; Veſicatoria etiam ad nucham & carpos internos, & Emplaſtrum Cephalicum cum Euphorb. ad plantas pedum applicentur, atque Gargariſmus ex aq. plantag. ℥viii. diamor. mellis roſat. colat. an. ℥i. in fauces ſiphone ſæpius injiciatur. Die 28. quo Puerum iterùm inviſi ſtupor & ſtrangulatio, cæteraque dira ſymptomata mirum in modum allevabantur, Pulſus fortior evaſerat & minùs celer, Sanguis autem detractus valdè floridus colorem Scarlatinum vel in fundo ipſo referebat, ad inſtar Sanguinis Maniacorum vel Hyſtericarum, ubi Spiritus œſtro perciti maximam in maſſa efferveſcentiam cient. Ideoque ſolummodò juſſi ut alvus pigra Enemate à lacte Saccharato, floribus chamæmeli alterato ſtimularetur, atque inde Bolus ex Theriac. androm. gr. vii. & Pulv. è chel. cancr. comp. gr. vi. & ſyrup. caryoph. q. ſ. confectus, & in cochleari i. julapii ſequent. ſolut. exhiberetur, & ut ſuperbiberet ejuſdem cochl. iii. atque etiam ad libitum, agitatâ phialâ.

℞. Aqu. Meliſſ. Ceraſ. nigr. an. ℥ii. Cinnam. hord. ℥iß. Epidem. Pœon. comp. an. ℥ß. Marg. ppt. ʒi. Sacchar. alb. ʒiii. M.F. Julap.

Exinde

Exinde Puer poſt levem Diaphoreſin ἀπύρετος manſit, & à diris Symptomatis, præter ſpem Adſtantium liberabatur. Ideoque die ſequenti ſcil. 29. duntaxat Linctum ex Ol. Amygd. dulc. rec. Syr. Cap. Ven. & Sacchar. Cryſtall. alb. confect. ad Tuſſim moderandam ſæpiùs exhibendum præſcripſi, & uſum Julapii Perlati continuandum, atque ad alvum adſtrictam lubricandam Poma tolta, & Pruna cum ſaccharo cocta frequenter miniſtranda. Denique poſt triduum peractum, quia Alvus adhuc aſtringebatur, & uſitata Colliquationis indicia receſſerant, Bolum Catharticum ſequentem manè cum Regimine capiendum juſſi, atque ſemel in hebdomadâ repetendum ad tres vices.

℞. Calomelan. Diagrid. Sulphurat. an. gr. ix. Syrup. de Spin. Cervin. q. ſ. M. Revaleſcebat autem puer ſine quocunque Morboſo affectu ſuperſtite, vel inde ſubſequenti.

Hiſt. 68. Filia mea dilectiſſima *Sarah Morton* 8. Annos nata Anno 1685. Febre correpta. Oculorum inflammatione & Tuſſi ferinâ vexabatur. Hiſce Colliquationis indiciis certior factus, indolem febris à primo inſultu morbilloſam eſſe deprehendi, Nihil autem præſcripſi niſi Julapii ſequent. cochl. iij. vel iv. ſumenda 4. quâque horâ, & ut debitum Regimen obſervaretur.

℞. Aqu. meliſſ. ceraſ. nigr. an. unc. iij. Epidem. unc. iſs. Pulv. è Chel. Cancr. comp. Lap. Contrayerv. an. ℈x. M. Et quia Pulſus nullum Malignitatis indicium dedit, nec aderant Coma, Delirium, vel aliud ejuſmodi Symptoma, Laudan. Liquid. gutt. vi. ad Tuſſim allevandam & Colliquationem Sanguinis futuram præcavendam in hauſtulo Julapii ſingulis noctibus exhibebantur. Quo pacto omnia rectè ſucceſſerunt, & nuſquam in totâ meâ praxi Morbillos magis Benignos vidi. Efflorеſcentia erat rariſſima, hìc illic in Cuticulâ parcè admodùm ſparſa, & citiſſimè evanuit: Ægra autem à Febre ac Tuſſi abſque Symptomatis cujuſcunque moleſti ſuppullulatione ſpatio bidui ab Efflorеſcentia inceptâ, prorsùs liberata integrè revaleſcebat ac ſi nunquam decubuiſſet.

Hiſt. 69. Filia mea chariſſima *Marcia* 7. Annos nata, Anno 1689. in quo *Febris* dicta *Scarlatina* tempore præſertim æſtivo quadantenùs publicè graſſabatur, poſt apparatum *Rigoris*, *Horroris*, &c. plurimùm febricitare incœpit, Nauſeâ, Vomitione, Comate cæteriſque Malignitatis Symptomatis afflicta. Quocircà Julapium Cord. cum Specieb. in Hiſtoriâ præcedenti deſcriptum cochleatim exhibendum eſſe juſſi, atque Veſicatorium Emplaſtr. amplum ad Nucham applicandum. Quandoquidem verò nec Fluxus Alvi, nec Tuſſis, nec Rubedo Oculorum, aut aliud aliquod uſitatum Colliquationis ſignum Apparatum comitabatur, in iſto ſtadio genium Morbi non clarè perſpectum habui. Quarto autem Morbi die, efflorеſcentiâ non interruptâ derepente ubique per totam Cuticulam ſparsâ, Febris dicta Scarlatina indolem ſuam palàm prodebat, atque equidem Inflammatio erat maxima omnium quas unquam vidi, tota cuticula ex Inflammatione ſenſim craſſeſcebat, æquali quâdam ac renitenti intumeſcentiâ affecta, & poſt Inflammationem peractam, non ſquamarum, verùm Pergamenæ ſimilis dehiſcens decidebat. Cùm verò Febris poſt quatriduum ab efflorеſcentiâ inceptâ protenderetur, atque periodis certis quotidie reverteretur, unc. vi. Sanguinis detrahendas eſſe juſſi, atque ℥ſs. Corticis Peruviani quartâ quâque horâ exhibendam, unde ſpatio bidui ἀπύρετος facta prorsùs revaleſcebat.

Hiſt. 70. Eodem ipſo tempore inviſi Mulierem in vico dicto *Smithfield*, ad quam accerſitus ſum, conſultandi gratiâ cum Medico ejus ordinario, magni nominis Viro. Mulier Febre Scarlacinâ laboravit, quæ jam ad diem decimum ſeptimum duraverat, & Medici conſueti conſiliis uſa priora duo morbi ſtadia, Apparatû ſcil. & Efflorеſcentiam, tranſegerat. Ego autem certior factus Febrem poſt Efflorеſcentiam peractam à reliquiis Veneni imperfectè deletis ad ſpatium integræ hebdomadæ Συνεχής Tertianæ typum induiſſe, exacerbatione alternis diebus horâ ſtatâ ſemper recrudeſcente, atque jam ad biduum in Σύνοχον Malignam cum Deliriis, Spaſmis, Subſultibus Tendinum, cæteriſque triumphatæ Naturæ indiciis, ſociatam degeneraſſe, jure meritò Prognoſticon funeſtum profeſſebam. Probè enim novi, quòd Venenum uſu Corticis Peruviani tempeſtivo priùs facile ſuperabile jam non obſtantibus Cardiacis, in quorum uſu diligenter perſeverarat Ægra, ſpiritus adeò extinxerat, ut nec à Cortice auxilium expectari, neque ab Alexipharmacis vires Spirituum elaſticæ exſuſcitari poſſent, ita ut pares fierent Veneno eliminando. Nihilominùs Veſicatoriis frequentibus, atque Alexipharmacis maximè generoſis experiebamur, num forte fortuitò Spiritus expandere poſſemus, ut occaſionem inde captaremus Corticis exhibendi. Incaſsùm verò omnia, Deliriis nempe, Spaſmis, cæteriſque deletorum Spirituum Symptomatis jugiter auctis, demùm Ægra confecta fatis cedebat, quæ facillimè ope unciæ unius Corticis prædicti maturè exhibitâ fatum hoc evaſiſſet.

Hiſt. 71. Paulò poſt, eodem ferè menſe accerſebar ad inviſendam *Filiolam Dominæ Hayns* habitantis in vico dicto *Foſter-lane*, Inflammatione Pulmonum Scarlatinam efflorеſcentiam primùm comitante, ſed poſt efflorеſcentiam jam ſuperſtite pænè confectam & ſuffocatam, comatoſam etiam, hebetem & deliram. Sub initium Peripneumoniæ ante meum adventum Venæſectio ritè celebrabatur, Veneni autem Febriferi extinctio (utut Febris Συνεχής indolem ſuam Exacerbationibus atque Remiſſionibus ſeſe alternatim excipientibus liquidò prodiderit) nequaquam tentabatur, unde ab incendio intùs continenter inſtaurato, flamma in Pulmonibus perſeverabat, à quâ vires Ægræ adeò attritæ ſunt, ut ſanguinem ampliùs detrahere non auderem; Expectorantia Remedia & Veſicatoria diligenter adhibebantur; At horum uſu non obſtante, miſella puellula brevi, Peripneumoniâ ſuffocata periit.

Hiſt. 72. Filiolus *Domini Burren* Mercatoris habitantis in vico dicto *Mincing-lane*, Infantulus vix integrum annum natus, qui in eodem Cubiculo cum Sororculâ Morbillis afflictâ verſatus, Menſe Decembri, Anno 1691. Febre corripiebatur, cum Palpebrarum gravitate, Capitis ſtupore, Tuſſi ferinâ, Diarrhœâ, Rubedine Oculorum & reliquis febris Morbilloſæ Symptomatis ſociatâ quibus ſoror conflictabatur. Cum autem

autem aëri Cubiculi aperto diutius expoſitus fuiſſet, nulla effloreſcentia ad quintum uſque diem Morbi in Cuticulâ ſeſe prodebat. Quocirca ad expanſionem Spirituum Veneno deleterio jam diu nimis oppreſſorum promovendam, Veſicatoria incunctanter ad Nucham & Carpos applicanda juſſi, & Julapium Cordiale ad normam Julapii Perlati, Pulvere è chel. cancr. comp. & Lapid. Contrayerv. ſaturatum ſæpius pitiſſandum; atque Bolum ex Theriac. Andromac. & Pulv. è chel. cancr. comp. an. gr. v. confectum quâque nocte exhibendum. Quid fit? Octavo Morbi die cuncta Symptomata mitigata ſunt, atque febris in novam formam mutata, ſpeciem Συνεχοῦς cum Exacerbationibus & Remiſſionibus quotidiè horâ diei ſtatâ alternatim ſeſe excipientibus induebat. Hanc febrem autem facillimè curavi ope ℨij. Cortic. Peruv. partitis vicibus exhibiti, unde perfectè revaleſcebat Infans & adhuc valet, nec ulla Cutanea Effloreſcentia febrem vel comitabatur vel ſubſecuta eſt.

Hiſt. 73. Eodem ipſo Menſe Filiolus Domini *Debilles* Mercatoris habitantis in vico Dicto *Bush-lane* (cujus ſorores Morbillis laborantes nuper revaluerant) eodem Morbo correptus, diu & periculoſè Stupore, Tuſſi ferinâ & Diarrhœâ affligebatur; ab his autem reliquiſque Symptomatis, ope trium Veſicatoriorum ad Nucham ſc. & Carpos applicatorum; frequenti exhibitione Julapii Cardiaci Speciebus ante memoratis ſaturati, & Boli Theriacalis ſingulis noctibus repetiti, brevi liberatus, demum (declinante jam Effloreſcentiâ morbilloſâ) Inflammationem Linguæ notabilem atque excruciantem perpeſſus eſt, quæ Venæſectione in Venâ Jugulari ſine morâ celebratâ evanuit; at Febris ſuperſtes deinde ſibi Συνεχοῦς ſpeciem induebat, & hora 7. veſpertinâ quotidiè cum fixâ Genarum rubedine conjuncta recurrebat. Febris verò facillimè exhibitis ℨii. vel iii. Corticis Peruv. profligabatur, & Puer pro tempore perfectè revaluit, utut recrudeſcente Veneno poſt tres hebdomadas elapſas unum vel alterum Febris Intermittentis paroxyſmum paſſus fuerit; à quâ, Cortice iterum iterumque poſt debita intervalla repetito, liberatus, hucuſque optima valetudine utitur.

Hiſt. 74. Filia Domini *Tim* ſex annos nata, ſub initium Menſis Aprilis, Anno 1692. Febre & Tuſſi immani correpta, poſt triduum Morbilloſam Effloreſcentiam perpeſſa eſt, quæ ad quinque dies protendebatur. At poſtquam evanuiſſet Effloreſcentia, Febre Συνεχεῖ quotidiè horâ diei ſtatâ periodicè recurrente, Diarrhœâ immani, Tuſſi importunâ & ſummo virium languore Puella afficiebatur. Quo tempore ego accerſitus ad reliquias Veneni morbilloſi (quas ſupereſſe livido deprehendi delendas,) ℨß. Cortic. Peruv. in formam Boli redactam illicò exhibendam juſſi, repetendamque quarta quaq; hora ſolut. in Cochl. Julap. Cordialis temperati: Primæ doſi Laudan. Liquid. gutt. vi. & deinceps alterno cuique Bolo addendas curavi; unde Febris ſpatio bidui, Tuſſis, Diarrhœa, & reliqua Symptomata multùm alleviabantur. Ob Phlogoſin autem, quæ certâ diei horâ præſertim in genis ſeſe quotidie prodebat, adhuc ſuperſtitem, ℥iv. vel v. ſanguinis è brachio tertio die detrahendas juſſi, atque Bolos Febrifugos repetendos. Unde poſt xxiv. horas per totum diem Puella ἀπυρετὸς manebat, atque ab omnibus Symptomatis liberata planè revaleſcebat. Hebdomadis autem duabus elapſis, appetitu priùs proſtrato, revireſcentiam aliqualem febris periodicam ſenſit, quæ citiſſimè viribus Cortic. repetiti victricibus cedebat. Quocircà, prophylaxeos gratiâ Alvum poſt octo dies elapſos bis, terve Decoct. Amar. & Syrup. de Spin. Cervin. ſubducendam duxi, & poſt ſingulas Evacuationes Corticem incunctanter repetendum, & inde optimè convaluit.

Hiſt. 75. Accerſitus ad inviſendum Filiolum *Dominæ Philips* habitantis in vico dicto *Le-Old Change*, qui ante v. hebdomadas febre Scarlatinâ laboraverat, cujus effloreſcentia minùs vigebat, & diutius protendebatur, unde à reliquiis Fermenti iſtius Morbi non ſubactis ad dies 35. continuâ Diarrhœâ Puer pæne conficiebatur, cùm primùm ad eum acceſſi animadverti os & labia tumida inflammata & exulcerata, tanquam à toxico epoto, & puerulum ad ultimum Maraſmi gradum ex diutino alvi fluxu redactum. Naturâ autem ob ſummum virium languorem jam planè ſuccumbente ac à Veneno triumphata, nullum Febris præſentis κριτήριον ex temperie, Urinâ, vel Pulſu deſumere potui; ſpiritus enim certamini impares, nihil amplius moliri valebant. Unde ἀπυρετὸς, venenatus licet & confectus mihi videbatur. Ideoque ante omnia Symptoma ferale, Alvi nempe Fluxum, Decocto Albo in locum Potûs ordinarii ſuffecto, & copioſâ Alcalium exhibitione modo ſequenti quadantenus cohibere ſategi.

℞. Ocul. Canc. præpar. Pulv. è Chel. Cancr. ſimpl. Coral. rub. præpar. an. ℨß. M. F. Pulvis quem in Cochl. iij. Julap. Cordialis ex Aqu. Lactis Alexiter. Cinam. Hord. Epidem. & Syrup. Cariophyl. confect. miniſtrandum juſſi, repetendumque deinceps ter in die ad triduum. Diarrhœâ autem hoc modo ſedata, & viribus inde quadantenus reſarcitis, venenatum fermentum Colliquationis cauſam propria Antidoto aggrediebar, exhibui ſcil. Cortic. Peruv. ℈i. cum gut. iv. Laudan. Liquid. & Syrup. Caryoph. tantillo in bolum redact. ter in die per quatriduum, unde Puer ex Orci faucibus liberatus ſenſim revaleſcebat.

Hiſt. 76. Ante ſexennium mediâ æſtate ſimul decumbebant in domo Amici mei integerrimi *Domini Hook* Mercatoris habitantis in vico dicto *Pye-Ally* prope *Fenchurch-ſtreet*, tres ejus Filiæ, Filiolus unicus, atque *Domina Barnardiſton* ejus Matertera, Matrona annos ſeptuaginta plus minùs nata. Omnes quaſi Veneno deleterio perculſi Febre Συνέχῳ unum tenorem ſervante corripiebantur, Tuſſi Ferinâ, Comate, Deliriis, cæteriſque malignitatis Symptomatis haud obſcuris afflicti. Ideoque natura Symptomatum id exigente, Alexipharmaca mitiora exhibenda, atque Epiſpaſtica applicanda juſſi. Die autem Morbi 4. 5. vel 6. ſinguli Scarlatinam effloreſcentiam per cuticulam ubique ſparſam perpetiebantur, eamque per 7. 8. vel 10. dies protenſam. Duæ è Filiabus atque Filiolus 4. vel 5. Effloreſcentiæ die Parotidibus inſignibus affligebantur, unde Deglutitio adeò præpediebatur ut in præſens vitæ ſubſidium (inflammatione urgente,

gente, & forti Arteriarum vibratione adhortante) Venam ſecare & moderata manu Sanguinem detrahere coactus eſſem. Alexipharmacorum autem & Veſicatoriorum continuata Glandulæ Parotides (utut Venæſectione earum dolor & ardor mitigarentur) debito tempore exulcerabantur, atque Apoſtematis ruptis Pus acre & corroſivum per Nares, Aures, Fauces copioſè egerebatur, unde triginta dierum ſpatio ſenſim revaleſcebant. Filia autem natu ſecunda die 3. vel 4. Efflorescentiæ immaniter vociferabatur præ dolore ingente Axillam ſiniſtram occupante. Quocirca Sanguinem è brachio adverſo detraxi ad dolorem mitigandum, ex quo Dolor allevabatur. Continuatis autem Remediis Alexipharmacis Tumor increvit Buboni non diſſimilis, qui tandem exulceratus Pus copioſum per plurimos dies effudit, quó demum ſanato integram Sanitatem formoſa ac elegans puellula recuperavit. Verùm *Domina Barnardiſton* cùm ad plures dies malè ſe habuiſſet, & omnem Remediorum uſum neglexiſſet, tandem poſt 6. vel 7. dies elapſos Carcinomate paulo ſupra pubem corripiebatur, quod ſpatio unius vel alterius diei præ virulentiâ Veneni per partem affectam excreri Gangrænâ tentabatur. Alexipharmacis autem & Epiſpaſticis diligenter adhibitis, & auxiliis Chirurgicis peritè applicatis; præter ſpem Adſtantium ab hâc Peſte, licet difficulter admodum evaſit, atque poſtea ad tres Annos ſuperfuit, A Peſte (inquam) evaſit, quoniam Venenum Morbi prædicti, Peſtilentialis fermenti malignitatem adæquabat; & ſi quando Venenum iſtiuſmodi Morbilloſum Criſi perfectâ per Cuticulam propelli haud poteſt, tanquam Venenum peſtilentiale Glandulas ſponte petit Narium, Faucium, Inguinum, &c. easque inſtammat & exulcerat, nec non Carcinomata, Bubones & Parotidas excitat. Quantùm Tonſillas, Uvulam, Fauces, Nares, & quamdiu intumuiſſe vidi! quàm turgida nonnunquam Labia! & quam Sordidâ Scabie obducta & exulcerata ab eâdem causâ animadverti! ut nuperrimè Filiolo Domini *Blaney* accidit, qui poſt efflorescentiam peractam Febre, Comate, & prædicto Symptomate diu affligebatur.

Hactenus Hiſtoria in Variolis & Morbillis è Clar. D. Morton; ſequuntur.

Anatomicæ Inſpectiones ex variis.

Variolæ lethales ob adjunctam Pulmonis inflammationem. Variolæ & Morbilli etiamnum partibus internis bellum indixere. In hepate pueri à Morbillis extincti vermes reperti. Morbillis retrocedentibus uteri ſphacelus cito lethalis ſuccedit. Oſſa quorundam à Variolis extinctorum eroſa fuere. Hepatis gangræna ſucceſſit.

§. 1. Quamvis morbi anno 1675. epidemii, paucis exitio fuerint, malignitatis omnis expertes, inter quos Variolæ & Morbilli, tota æſtate vulgares, nonnullis tamen lethum intulerunt, vel ob prævium morbidum apparatum, vel quia pars aliqua nobilis ante debilis fuerit, in quam ſævitiem ſuam clam exeruerint; vel quia partibus etiamnum internis pernitiem attulerint; vel ob naturæ ignaviam, quæ virulentum humorem omnem foras pellere non potuerit: vel quia ejuſmodi exanthemata certis quibuſdam familiis magis injuria ſint; indicio ſunt foveæ altius vultui inſculptæ aliique nævi ſuperſtites: Mitto in curatione errores nimium frequentes, & abuſus remediorum quæ à centro ad peripheriam turgentem ſponte humorem incitant, à quibus incandeſcit & efferatur, præcepſque in partes principes irruit. Lugubri fato Sereniſſimus Princeps Georgius, Haſſiæ Lantgravius, qui cum Seren. Fratre paucos ante menſes Genevam appulerat, annum XVII. agens, nobis reluctantibus ereptus eſt: Junii die XXV. pro more menſæ accubuit; bihorio poſt, hora ſcil. ſecunda pomeridiana, ſupervenit vomitus, phlegmatis non cibi, nihil enim in prandio aſſumpſit; accedente lumborum & imi ventris dolore: Qui S. P. à conſiliis Medicis erat; Excell. & Clariſſ. Dom. Combach, nephriticum affectum ſuſpicatur, quod alias non ſemel S. C. arenulas cum lotio excluſiſſet, idque mali Perilluſtri Familiæ gentilium eſſet: Quamobrem clyſterem lenientem & anodynum præſcribit, à quo bis alvus commota, nequaquam tamen remittentibus ſymptomatis: quin protinus ſe iis adjungit febris, veloci pulſu & magno ſe prodens, ſiti & aliis: Quæ cum mihi narraret Clariſſ. Medicus, ab Ejus ſententia diſcedere coactus fui, atque perpenſis ejuſmodi ſymptomatis, tunc familiaribus illis qui Exanthemata illa ſinu fovebant, de Variolis aut Morbillis imminentibus, protinus ſuſpicio innata eſt, vel maxime quod in florido vultu oculi ſplendore micarent, neque adhuc S. P. tributum hoc pependiſſet: Cùm præſidia neceſſaria animo verſaremus, illico celebre illud & neceſſarium ſe obtulit, Sanguinis miſſio, protinus, & priuſquam exanthemata ſe proferrent, quarto fere die erumpentia, celebranda; ne elapſa occaſione periculum internæ phlegmones, aut nimiis ſanguinis æſtus incurreret S. P. At quia cum admodum Splendida Perſona res erat, citra Seniorum & Saniorum conſilium nihil moliri placuit: Porro quod nox ingruens generoſi illius remedii uſum prohibere videretur, interim oculorum, faucium, æſtus & vigiliarum imminentium proviſio habita, præſcripto collyrio, gargariſmate, julepo, refrigerante & humorum tumultum compeſcente: Poſtridie Junii 22. ſimul cum aurora tres alii advenere convocati Medici, experientia & doctrina celebres DD. *Alexander Diodati*, Facultatis Decanus, *Stephanus le Clerc* Senator, & *Johannes Bonetus*: qui exploratis explorandis, conſultationeque nobiſcum inita, unanimi conſenſu propoſitam ſanguinis miſſionem adprobarunt, eamque ſine remora faciendam, Eo quod, experientia teſte, ii, quibus maturè demitur, facilius & felicius morbo defunguntur, quia dempta ſarcinæ parte, levataque eo, quo velut onere premebatur natura, reliquum facilius ſuperet, expellat & concoquat: Additum febrem Exanthematum productricem de ſynochorum genere eſſe, quas ſanguinis fervor inducit: Puſtulas emergere prægreſſo ejus in vaſis orgaſmo, fermentatione, & deſpumatione, quæ non poteſt eſſe non nimia in juve-

nili ætate, temperamento ſanguineo, tempeſtate vernali ſimili, accedente uberiori victus ratione, ſanguinis feraci: Conſentire regionem natali S. P. ſolo tepidiorem: Nec prohibere inaſſuetudinem, alias præcluſum iri fores non venæſectioni modo, ſed cuicunque alii remedio: Imo allatum decantatum illud, primam venæſectionem perpetuo ſalutiferam eſſe: Apud nos ex arte factam efficax eſſe, citum & tutum præſidium: Interni æſtus viſcerum argumenta eſſe; linguam aſperam, ad radicem nigricantem, incipientis alicubi phlegmones aut cacoëthiæ præſagium. E qua autem vena, & quæ quantitas ſanguinis demenda eſſet ulterius perquiſitum? ac citra diſcordiam alterutrius pedis vas tundendum eſſe decretum fuit: Ejus quippe beneficio totius corporis depleri vaſa, ſtante circulationis ſanguinis doctrina, hinc beneficium in totum redundare: Febres pleraſque tunc vagantes cephalalgiam, imo & delirium ſibi adſciſcere, quæ ſymptomata ejuſmodi auxilio præcaverentur; Minus terrificam fore inexperto S. P. quod obtutum oculorum effugere liceret: Minorique virium diſpendio fieri, quod pedes à fonte caloris ſint diſſiti.

Tertio ergo à decubitu die, ante ſeptimam matutinam, utroque S. P. pede in calidam demerſo, quo tumentioris venæ electio fieret, è dextro ſanguis eductus eſt, qui citra aliqualem virium caſum rivuloſe ad uncias ſeptem effluxit, vas dividente perito Chirurgo & veniſeca Mag. *Dentand* juniore: Reclinato in lectum S. P. temperandi interni æſtus gratia, & roboris partium principum, exhibitum Julep perlatum: Circa meridiem leves puſtularum efflorescentiæ, quæ ſub veſperam delituerunt, ſaltem oculorum aciem effugiebant: Quamobrem è re viſum fuit iis quorum curæ commiſſus S. P. expulſivam Emulſionem præbere, ex ſemin. mali citrii, Card. benedict. napi aq. ſcorzoner. ſcabioſ. borrag. Confect. Hyacinth. margarit. præparatis, &c. quo latentes variolæ iterum ſe proferrent, & impugnaretur cacoëthia jam tum ſuſpecta; Arebant enim fauces & radix linguæ cum nigredine, abſque ἀξιολόγῳ ſiti: Admotus eodem tempore vivus pipio cordis regioni, ſpeciebus cordialibus temperatis conſperſus.

Nox ſequens implacida fuit & inſomnis, per quam puſtularum, ſed exiguarum in vultu & manibus, ſiniſtra præſertim, copia emerſit: Febris erat mediocris, ſitis non intenſa: ideoque ad reliquiarum latentium faciliorem eruptionem, tantillum vini oligophori, ejuſque dilutiſſimi (quod avide expectebat S. C.) ſemel conceſſum adjecto ovo ſorbili: Linguæ fauciumque ſcabritiei leniendæ ergo, præſcriptus eſt aſtacorum ſuccus, cum aquis convenientibus elicitus: Ad noctem ſequentem præſcripta Emulſio cardiaca leniens, leviter diaphoretica, quia natura ſegnius operi incumbere videbatur: admotique iterum cordi & plantis pedum pipiones, quo infra revellerentur vapores mentis arcem invadentes.

Die 5. Junii 29. hora 4. matutina, exhibuit ſe nobis vultus puſtulis, ſed latioribus conſperſus; jectigatio inſignis erat & mutandi cubilis ſubinde deſiderium: quod quanquam, recroceſſionis metu, ſevere prohiberemus, conſequi tamen à S. P. omnino ſui juris, non licuit, qui in aliud grabatum tranſilierit: Interim linguæ ſcabrities cum faucium nigredine augeri, ac raninarum venarum intumeſcentia: Unde jam tum phlogoſeos partium ſpirabilium opinio innata, conſiliumque de iis ferro dividendis captum, quæ apertæ atrum cruorem, quanquam ſaliva multa dilutum, effuderunt: Ptyaliſmus frequens S. P. moleſtus erat: Inſpectæ fauces craſſa phlegmata adhærentia oſtendebant; Ad meridiem & veſperam intendebatur linguæ ſiccitas, cum appetitus potus imminutione, ea propter ad bibendum compellendus fuit S. P. quo pulmones humectarentur, (quos areſcere vox fuſca & obſcura oſtendebat) & fauces craſſâ pituitâ obſeſſæ eluerentur: Siccitatem adaugebat linguæ ἀκράτεια & aëris (ore perpetuo hiante) introſuſceptio: Puſtularum magna erat inæqualitas, quædam enim depreſſæ, aliæ eminebant, hydatibus aut phlyctænis ſimiles; differebant & magnitudine, paucæ erant magnæ; minimarum & miliacearum ubertas; præſertim in facie & malis, in quibus, cum rubore ἐρυσιπελατώδει, denſiſſime conſitæ, herpetis miliaris ſpeciem præ ſe ferentes, adeoque affectus ex variolis & morbillis miſti, cum ſuſpicione affectorum pulmonum, quanquam abeſſet tuſſis & libera eſſet reſpiratio: Iteratum Julep perlatum & Emulſio excanciis.

6. Die 6. Junii 30. mane exanthemata paulo extantiora, linguæ ſiccitas adaucta, ſcabrities, nigrities: Vox propemodum rauca & tremula: deglutitio difficilis, ſitis abſentia, pulſus creber, ſed ſine anomalia, parvus & diſpar affectui, calor mediocris, anxietas ſumma & volutatio in lecto; urinæ à naturalibus non aberant neque colore neque conſiſtentia, partium thoracicarum præſertim affectarum indicium: Quæ cuncta oppreſſam naturam ob materiam in præcordiis latitantem arguebant: Ea propter ad cucurbitularum ſubſidium confugiendum fuit, eo in caſu venæſectionis vices obtinentium: quæ ſenario numero admotæ ſunt lumbis, natibus & internis femoribus: quæ quantumvis addita fuerit ſcarificatio, nequiquam tamen cruoris elicuerunt, quod totus in pectus confluxiſſet: Exinde porrectus fuit Pulvis ruber Pannonicus, cum cornu cervino præparato philoſophice, ex aquis ſcabioſæ, card. ben. Paulo poſt obrepſit ſomnus, ſequutus ſudor puſtularumque nova eruptio: lingua purior apparuit, minus aſpera & craſſa: Nocte inſtante, hora octava, ſudor iterum prorumpit, quo deterſo S. P. hilaris fuit, vultus tumentior & exanthemata manifeſtiora.

Nox præcedens diem morbi 7^{am}. Julii primam, implacida fuit quam S. P. ſine ſomno tranſegit: Variolarum eadem quæ pridie conditio, febris fuit manifeſtior, pulſus inæqualis & debilior, alvus dura, cujus molliendæ gratia injectum clyſma ex carnium juſculo, oleo amygdalino, ſaccharo & pauco nitro depurato ad refrigerium: unica ſequuta dejectio, ſed larga cum ſcybalis: Puſtulæ in brachiis & collo tumorem ſervabant, ſubſidentibus iis quæ in vultu: Genæ, dextra præſertim, herpete miliaceo infectæ videbantur, rubore intenſo ſuffuſæ: Calor totius

totius acer & mordax, pulſus creber: Circa quintam veſpertinam ſomnus obrepit ſuavis, cum ἐφιδρώσει; experrectus hilaris fuit S. P. cœnam ſumpſit, exacto bihorio Julep perlatum.

Diem 8. Julii ſecundam, nox præceſſit quieta, etſi ſomni fere expers: Faciei variolæ eodem in ſtatu, in brachiis & manibus exteriores cum maturationis levibus indiciis: Pulſus quam pridie ſedatior, lingua adhuc purior, abſcedente fœda cruſta circumveſtiente: Data hora 6. doſis apozematis refrigerantis, alterantis. 10. clyſter injectus ob ſubſiſtentem alvum & ad refrigerium: A prandio animi angor S. P. occupat & de morte imminente cogitatio: Veſperi alvus ſponte & copioſiſſime ſolvitur, seroſis prodeuntibus, ſuperſtite ad dejiciendum inani ſtimulo, quamobrem lectum ut repeteret ſollicitandus fuit S. P. cui redditum ſomnus duarum horarum invaſit, à quo mœſtus experrexit, reſpondere laceſſitus renuens. Dehinc Pulſus de magnitudine remittit, fitque crebrior, cum caloris intenſione, tactum acriter ferientis, linguaque iterum aſpera fit, à diſruptis eam obſidentibus puſtulis. Potum ex toto malo citrio diſſecto, cum aqua & ſaccharo avide exoptabat, qui illi paratus ex decocto radic. ſcorzoneræ, cornu cervino, portiuncula citrii & ſaccharo. Ad ſeptimam veſpertinam ſomno iterum præhenditur S. P. quo ſolutus ter alvum, at minus copioſe depoſuit: Puſtulis, in magnitudine admodum inæqualibus, interſperſæ erant maculæ morbillis affines; exanthematum autem plurima ſubſidebant & retrocedebant: quædam puriformia erant, at revera inania. Labia, palpebræ denſiſſime ab iis obſidebantur. Oculorum aderat rubor cum coruſcatione: Siniſtri adnata tunica ad minorem canthum ecchymoſi erat fœdata: Alvi cohibendæ causâ præſcripta eſt tinctura roſarum julepo Alexandrino commiſcenda: Vaporibus cerebrum percellebatur, quos revellere ſategimus pipionibus plantis pedum applicatis. Cordi item admotus ſacculus ex cardiacis pulveribus conflatus. Quoties potus & juſcula offerebantur, præmittebatur Pulvis ruber Pannonicus cum margaritis.

Dies 9. Julii III. noctem ſequuta eſt pacatiorem, hilari & benigno vultu nos excepit S. P. oculis nitor reſtitutus, pulſus vero creberrimus, parvus, calori, qui acriter tactum feriebat, non conſentiens: alvus ſubſtitit, ſitis mediocris, ſemel enim per noctem potum expetiit. Exanthematum eadem conditio: Circa meridiem S. P. taciturnus fuit, vix ad interrogata reſpondens. Pulſus plenior & æqualior apparebat. Sub veſperam δυσδιέγερτος ſomnus irrepſit, Sopori proximus; excitatus occupati cerebri indicia dabat, vellicationem ægre ferens & protinus in ſomnum relabens: Exinde manifeſte vires collabi; inde ſpes, in ſola juvenili ætate, collocata, retro collapſa referri; pulſus enim cum inæqualitate in horas minor fiebat: ſopori etiamnum ſtertor acceſſit, eluto gutture deſinens & abſterſo viſcido adhærente illi mucore, Ad merinoctium major virium ruina, vitalium & animalium: pulſus ex intervallis deliteſcebat, ex intervallis reſurgebat, colluctantis naturæ cum morbo argumentum, hujus autem dominatum tenentis. Frigeſcebant extrema, ob retroceſſum caloris ad intimas partes quem revocare tentabamus pipionum applicatione.

Dies 10. Sereniſſimo Principi fatalis fuit. Julii 4. circa ſecundam matutinam incanduit febris, non tam ex pulſus micatione quam vultus rubore & calore acriter feriente manifeſta. Subſequutus eſt univerſalis ſudor, ubertim manans & calidus, ſed infrugifer, imo noxius, ſubſecuta inde ſpirituum, ac proinde virium inſigni reſolutione, Interim dum animæ conſulit Venerandus Paſtor ingruit valida ſed brevis totius convulſio, animæ abiturientis opinionem faciens, ad horas tamen aliquot cohibitæ cardiacorum efficacia & auxilio, quæ tandem horis pomeridianis terris valedixit, eam efflante leniſſime & citra ullum ſuſpirium Sereniſſimo Principe.

Obſervata in cadavere Sereniſſimi Principis Georgii Haſſiæ Lantgravii, &c.

1°. Nullæ maculæ, ſeu petechiæ in habitu corporis deprehenſæ, at inſignis livor à ſumma cervice ad imos lumbos expanſus: Puſtulæ plurimæ artus & pectoris regionem obſidebant, nullæ in abdomine notatæ.

2. Aperto corpore, Inteſtina flatibus tumida apparuere.

3. Muſculi abdominis & thoracis excarnes & ſine pinguedine.

4. Omentum lacerum, diſcerptum, mediam duntaxat inteſtinorum partem cooperiens.

5. Meſenterium integrum.

6. Ventriculus contractus & inanis.

7. Hepar ſummum incolume, ſed magnum; Extremi lobi nigricabant.

8. Lien ſine labe.

9. Cyſtis fellea cruorem nigricantem continebat.

10. Pancreas naturale.

11. Renes ſalvi: Siniſter dextrum duplo mole ſuperabat. Pelvis dextri aliquid muci continebat.

12. Copia inſignis cruoris nigri in cavitate pectoris & abdominis.

13. Cuncta maſſa ſanguinea nigricans, aduſta, naturali craſſior.

14. Pulmones ſiniſtra parte liberi; dextra infimaque coſtis & dorſo annexi fibrarum membranearum ope, (*idem obſervatum in Cadavere Sereniſſimi Fatris Pariſiis diſſecto, referente Clariſſ. D. D. Combach.*) Parte dextra concava inflammati: Lobus ſiniſter ſuperior maculis nigris conſperſus erat: In dextro animadverſus abſceſſus incipiens, jamque purulentus.

15. Cor integrum, ſed parvum, quale generoſis adſcribitur.

16. Pericardium humore pene deſtitutum.

17. Veſica urinaria inanis & parva.

18. Lingua & Fauces variolis obſitæ erant.

19. Ab iis immunis epiglottis & tota aſpera arteria.

20. Caro muſculoſa valde ſicca & nigricans.

21. Cerebrum integerrimum.

Scholia.) Interiorem viſcerum examen non Variolas ſolum Sereniſſimo Principi funeſtas fuiſſe, ſed præcipuè cacoëthiam, ex intenſo me-

taphreni lumborumque livore ſe prodentem, palam facit: Cladis vero potiſſima cauſa extitit Pulmonum non una ſimplexq; læſio, quorũ uterque lobus diverſimode affectus fuit: Porro quanquam cum exanthematis ſolis pugnam initam exiſtimatum ſit, Malignitatem tamen, etiamnum ab initio, & cum ſuſcepta conſultatio ſuſpectam fuiſſe, teſtimonium perhibent qui deliberantibus Medicis adſtitere: Revera levis Phantaſiæ error ingruente morbo: Lingua aſpera & ad radicem atrorce tincta. Pulſus calori acri non reſpondens: Urinæ toto morbi decurſu naturalibus affines, Sitis exigua præſentibus cauſis ſitiferis, inſidam jam tum morbi indolem deſignabant: Hanc vero cacoëthiam inflammationi cuipiam internę adſcribendam eſſe, potius quam humorum occulto vitio, recenſita ſigna innuebant. De Pulmonum læſione etſi aperte non conſtaret, quia reſpiratio ſat erat libera, aberat tuſſis, halituſque oris nihil ingratum afferebat, Ex lingua tamen, quæ in morbi progreſſu πνευμονικὴ apparuit, denſa, tumida, τραχεῖα, ac raninarum venarum illi ſubditarum intumeſcentia, Illos inquam labis non fuiſſe expertes jam tum quodammodo conſtabat. Nec alio conſilio illorum vaſorum facta fuit apertio, quod beneficium ejuſmodi phlebotomes in ipſos pulmones corrivari non ignoraremus: Iteratæ enim, in brachiis faciendæ ex artis legibus, ad inflammationis progreſſum cohibendum, nobis eſt acciſa poteſtas, atque ad nutum aliorum Medica præcepta fuere concinnanda.

His concurrentibus, mirum nemini ſic abreptum fuiſſe deſideratiſſimum Principem, quem è mortis faucibus nullæ manus, niſi Divinæ eripere valebant: Præſidia enim variolis adverſantia, omnino alia ſunt quam quæ Pulmonum phlegmoni deſtinantur: Hæc multiplicem & repetitam venæſectionem exigit; exhauriendi quippe pulmones, & ad ſanguinis egeſtatem deducendi, quo progreſſus inflammationis arceatur. At noxiam eſſe ſanguinis miſſionem ab exanthematum eruptione, imo lethiferam eſſe, vulgaris rumor eſt: contrarium tamen docente experientia, qua teſte multi letho proximi, jamjam ſuffocandi, ſaluti reſtituti, ſtatim ac adaperta vena eſt affatim erumpentibus variolis, quas ad exteriora præſidium id evocat, nedum retrocedere cogit, quod ab imperitis traditum. Fidem faciat Nob. juvenis ex Illuſtri Chabotiorum familia, annos 17. natus, qui per paucos retro dies ante S.P. fatum Variolis prehenſus eſt: his ad maturitatem deductis, levis alvi fluor ſupervenit; hinc ſubita earum deliteſcentia, febris excandeſcentia, imo phrenitis, præcipitem enim ſe, ni cautum fuiſſet, per feneſtras dediſſet: Pulverum alexiteriorum & expulſivorum exhibitionem catervæ adſtantium urgenti ſtrenue obſtitimus Ego & Excell. ac Clar. D.D. Alexander Diodati, qui præſcripta in malleolo venæſectione, (unde ſanguis, etiam pede in aquam non demerſo manavit, eodem ipſo momento ſedatum delirium, æſtus deferbuit ac exanthemata ubertim erupere) deſperatæ valetudinis Nobiliſſ. juvenem ſalvum fecimus.

Malignitatis autem habitam fuiſſe rationem Medicimamentorum præſcriptorum ſeries oſtendit, quorum ope tota exanthematum materia ad corporis ambitum detruſa fuit: nulla quippe in interioribus viſceribus viſui ſe obtulerunt, quæ, pulmones ſi excipias, ſalva & illæſa fuere apparuerunt.

Cruor ater in capacitate abdominis & thoracis repertus, dubitandi anſam præbet, cultrone anatomico ejus effuſio adſcribenda ſit, an cauſæ intrinſecæ, quandoquidem diſſectio anatomica conditurae cadaveris gratia præcipuè ſuſcepta, accuratam & ſedulam manum poſtulare non videbatur, ut ideò ab incauta vaſa majora læſa eſſe videantur, quod Clar. *D. D. Combachio* placuit: Si tamen effuſi cruoris qualitas, atri, craſſi & pene concreti perpendatur, Si pulmonum affectus, gravi inflammatione imo & abſceſſu tentatorum, Nil abſurdi dicturus videtur qui ſponte reſerata fuiſſe vaſa ſanguifera aſſeruerit, ſanguinis acrimonia eorum quodpiam erodente, vel orificia ut hiarent cogente: Totus enim in thoracis capacitatem confluxerat, inde per diſciſſum ſeptum tranſverſum in abdominis cavum, quamobrem inſignia vaſa inania ſe obtulere: Inde ratio deducenda videtur quod admotæ cucurbitulæ, quamvis adhibito ſcarificatu, inanes remotæ ſint: Illam autem vaſorum reſerationem, & cruoris extravaſationem, tum demum contigiſſe cenſendum eſt, cum gravis ſyncope quatuor ante obitum horis S.P. pene abſtulit, tunc temporis à nonnullis diſrupto interno tuberculo adſcripta, aut tetro cuipiam vapori ori ventriculo infeſto; At fugax illa fuiſſet, nec tanto molimine ad virium revocationem opus fuiſſet, quæ exinde manifeſte atteri, opinioneque citius collabi viſæ ſunt: Candidæ denique Animæ ab ergaſtulo ſeparatio idipſum innuere videtur, citra vel leve ſuſpirium ſuperna repetentis, quod mortis genus iis præſertim accidit quos ſubita ſanguinis eruptio abripit: Gravis lucta alias juvenum obitum præcedit, natura quoad licet cum morbo dimicante.

Vitâque cum gemitu fugit indignata ſub umbras, quod certamen in S.P. obſervare non licuit, ob naturam præſidiis ſuis deſtitutam, ſanguine ſcil. & ſpiritibus.

Cruoris calor ater, incendii febrilis interiora devaſtantis index fuit, qui vix & ex intervallis tantum ad exteriora ſe expandebat, retractus ad viſcera ab eorum caumate & phlogoſeos pulmonum magnitudine. Inde quoque cauſa repetenda quod pepaſmum nullum receperint puſtulæ, qui a calore tepido non intenſo perficitur, & quia puris generatio ſanguinem dominii naturæ capacem, nec omnino ab ea alienum ſupponit.

Dum conditurae incumberent Chirurgi, maculæ, ante non animadverſæ, oculis ſe obtulerunt, quæ judice Clar. *D.D. Combachio*, Petechiæ erant; Aſſenſum vero ut non præberem, (parcat Vir. Excellentiſſ. & mihi amiciſſimus) in cauſa fuit, 1°. Petechiarum indoles, quæ in mortuis ſe produnt, ſed ſtatim ab exceſſu, dum caloris ſuperſunt veſtigia, tenuem materiam ad ambitum trudentis, adhucdum mobilem: Extincto verò calore, occluſis omnino poris & denſatis, humoris nulla expulſio expectanda: 2°. Earum macularum origo, quæ nihil aliud fuerunt quam puſtularum, ſeu variolarum, toto morbi tempore admodum depreſſarum reliquiæ, abſterſa ſcil. eminentiori & cutis ſuperficiem excedente parte, à frequenti per ſpiritum vini elotione imo & abſter-

abſterſione. *Clar. Theophil. Bonet. in Sepulchretô, ſeu Anatomiâ Practicâ.*

§. 2. Obſervatum quoſdam ab interitu diſſectos, quibus Jecur, Lien, Pulmones, omniaque interiora, haud ſecus atque cutis, ſordidiſſimis papulis manantibus ſcaterent. *Fernelius lib. 2. cap.12. de abd. rerum cauſis.*

§. 3. Id mihi videre licuit in duabus puellis, quarum una quatuor, altera 17. annos nata erat: utrique enim ex morbillis mortuæ & diſſectæ interiora viſcera cruſtoſis puſtulis, his ſimilibus quæ in cute emergunt, obſita viſa ſunt. *Paraus lib.19. cap.1.*

§. 4. Illuſtr. quidam Comes Variolis correptus ob febris & Dyſenteriæ vehementiam ſeptimo die morbi mortuus eſt. Diſſecto Jecur, Lien, Pulmones & inteſtina haud ſecus atque ipſa cutis ſordidiſſimis papulis manantibus ſcatebant; unde forſan factum quod in extis Glorioſiſſimi Romanorum Regis talia quidam notantes, dixerint graviſſimis affectibus obnoxium fuiſſe, quos propter ad ſenium non aſpiraſſet. *I. D. Horſtius obſerv. Anat. 9.*

§. 5. In aperto cadavere Illuſtr. Principis Regiæ Mariæ Auriacæ, Londini Variolis extinctæ. 1. Cutis exterior fœdata hinc inde apparuit tumoribus ſublividis, & totum dorſum, hypochondrium utrumque & thorax, cum puſtulis magnis ſanie multa repletis: 2. Aperto abdomine Omentum apparuit ſemiputridum & ſuperiori parte aliquantulum conſumptum, nec non prope Lienem valde inflammatum: 3. Lien omnino mollis flaccidus & ſemiputris: 4. Ventriculus anteriori parte inflammatus, intus aphthis multis, & in fundo longiori glandula præternaturali obſitus. 5. Hepar parte ſima maculis fœdatum & prope ad gangrænam uſque inflammatum, cum ſumma parenchymatis flacciditate. 6. Pulmones ex utraque parte pene putridi & ſanguine nigricante pleni, & tota ſuperficie maculis & puſtulis inſignibus conſperſi. 7. Cor molle, laxum, flaccidum & parenchyma ejus ferme conſumptum. 8. Renes ſatis ſani, niſi quod ſiniſter ad inflammationem tendere videbatur. *Thom. Bartholinus cent.3. obſerv.29.*

§. 6. Infans nuper natus Variolis inficitur quibus ſuffocatus interiit: Cadaveris reſecti thorax aqua viridi repletus cernebatur. Parentibus perſuaſum ex ulcere dimanaſſe, quod ex collo improvide depulerant: crediderim verius ex puſtulis exſtillaſſe, quibus in variolis etiam Pulmones ſolent infeſtari, unde ſuffocatio: Veſicula bilaria verſus inteſtinum duodenum obturata cauſam aperiebat obſtinatæ alvi quam infans paſſus fuerat: Hepar, ut in infantibus ſolet, inuſitatæ & magnitudinis & figuræ, exſuccum tamen & pallidum ſupra inteſtina inſtar omenti ſternebatur. Lien à ſano vix differebat. Pancreas puſtulis plenum, & cor circa baſin profundius adipi immergebatur. *Thom. Bartholinus cent.4. hiſtor.42.*

§. 7. Equitis Torquati D. de Rochefort, filio annos 12. nato erumpunt Exanthemata; Cum deſævire viderentur, ſpuit & expectorat cruentum, nec non meiit cruentum, idque abunde: Coguntur Medici, etiam præſentibus exanthematis, venam aperire. Evacuato per viam urinarum ſanguine, tandem moritur.

Aperto cadavere, internum etiam corpus ecthymatis ſcatebat: Rupta erant vaſa ſanguinis, & in regione renum multus collectus erat: Hoc ſymptoma novum deprehenſum eſt. *Ballonius Epidemior. & Ephemer. lib.2. pag.207.*

§. 8. Experientia confirmat quod ſæpius interius etiam undique variolarum eruptionibus viſcera fuerint infecta, quemadmodum ſcio idipſum in corpore demortui cujuſdam Landgravii junioris, ex variolis obeuntis, fuiſſe obſervatum, ubi propter malignæ materiæ copiam, non tantum exterius undique totum corpus inficiebatur ſed interius etiam ipſa viſcera puſtulis ſcatebant. *Gregorius Horſtius oper. Tomo 1. p.m.140.*

§. 9. Unum in mentem revocabo, Variolas inter morbos cutaneos reponi, quia id quod in iis manifeſte ſe prodit, eſt cutis fœdatio: nihilominus in diſſectionibus fere ſemper viſcera reperiri, non ſecus quam cutem, his tuberculis conſperſa, lienem, jecur, pulmones, pancreas, & reliquas interiores ſedes hac labe infectas. *Roder. à Caſtro, Quæ ex quibus lib.3. cap.16.*

§. 10. Graſſantibus Amſtelodami Variolis anno 1669. inter alios unus, cui poſteaquam cum ardentiſſima febre natura variolas foras protruſiſſet, ex ſubito repercuſſæ intro receſſere; nec procedebant ad requiſitam hoc in morbo, ſi ſanandus ſit, maturitatem: hinc puer omni expectatione citius ſuffocatus ſubito interiit.

Quantumlibet ingrata videretur ejuſmodi corpuſculi contrectatio, tanti mihi tamen videbatur ſcire tam ſubitæ ſuffocationis cauſam, & viſcerum interiorum tali in morbo conſtitutionem, quam niſi cultro ſuo Anatome revelaret, perpetuis tenebris involveret ſepultura: Inveni ergo Pulmones ita undique Variolis intus & foris plenos, ut nihil prorſus in iis ſani conſpiceretur. Erant autem Variolæ iſtæ in vigore ſuo, maturæ & pure turgentes, quæ etiam flavæ cujuſdam aquæ tantillum in cavitatem pectoris infuderant: ut mirum non eſſet tam miſere afflictum viſcus non ſufficere potuiſſe reſpirationis officio: Ubi deſcendo ad inferiora, ecce tibi Lien, non minus quam Pulmo infectus, tumidus & durus: Inteſtina hinc inde tantummodo apparebant veſtigia Variolarum, quaſi gemmis diſtincta, ſed Hepar intactum & ſanum perſtiterat. *Theodorus Kerkringius Obſervat. Anatom. 62.*

§. 11. Puer cùm Morbillis laboraret, & ratione eorum vitâ functus eſſet, dubium erat inter nos morbilliſve partes tum interiores, viſcera puta affeciſſent & oblæſiſſent: Clariſſ. Campolongus puerum aperiri juſſit ut viſcerane aliquid paſſa eſſent cognoſceret, Eo ergo aperto, habita primum ratione Hepatis, cùm in ſanguine hic morbus ſedem habere cenſeatur, invenimus vermes plurimos in ipſis venæ Portæ ramis, & quidem in ipſis Hepatis ramis: quorum alii quidem viventes adhuc, alii vero emortui: hi rubri, & pro ratione loci in quo continebantur oblongi erant, ſatis item magni, ſed molles ad tactum, gibboſi item quoad ſuperficiem, ratione corporis concavi in quo geniti fuerunt: *Ex obſervationibus Joh. Bauhini.*

§. 12. Anno 1675. Dominica SS. Trinitati ſacra, venit Thorunium Illuſtr. Comitiſſa à *Diethof*, &c. cum Nana Ruſſa, 36. annos nata, jam

per octiduum nephriticis doloribus graviſſime divexata, quibus tandem paulum ſopitis, novum ſymptoma ſupervenit, Morbilli purpurati cum febre continua, qui cum altera die mox evanuiſſent, natura jam & doloribus nephriticis ſumme debilitata ſuccumbente, accedentibus leviſſimis convulſionibus, eadem vitam cum morte commutavit.

A morte ipſius Illuſtr. Domina cauſam ejuſdem mortis repentinæ indagare cupiens, ut ſectio cadaveris inſtitueretur rogat, quam etiam me præſente peregit Georgius *Grunach*, Chirurgus, ubi tum cor inventum eſt flaccidum ſine ulla pinguedine, & abſque humore in capſula ejus Pulmones lividi: Ren ſiniſter, omni itidem pinguedine deſtituebatur, in quo calculus phaſeoli magnitudine repertus eſt: Ren autem dexter naturali ſimilis fuit, in quo etiam calculus qualis in ſiniſtro, ſed minor latitabat. In ureteribus nihil, Veſica ab urina vacua: Uteri autem fundus tam ab extra quam ad intra ſphacelo correptus fuit, qui etiam abſque omni dubio tam repentinæ mortis cauſa erat. Hoc in caſu Epigeneſis *Rod. Caſtrenſis* pulchrè confirmatur, Vide l. Quæ ex Quib. *Simon Schultzius in Miſcell. cur. ann.* 1674. 1675 & 1676. *pag.* 221.

§. 13. Quoad prognoſin Variolarum & Morbillorum, affinitate ſumma conjunctorum affectuum, aſſerere licet ſubeſſe deleteriam & contagioſam qualitatem, non humoribus ſolum & partibus carnoſis infeſtam, ſed ipſis etiam oſſibus, quæ ab ea lue non ſecus ac à Venerea corrodantur. Id quod non ſolum anno 1566. experiri licuit, ſed & ſæpius per longum vitæ ſtadium à Deo mihi conceſſum. Inſigne vero ſuppeditavit exemplum & mirum puella quinquennis circiter, filia *Claudii Pique* Regii Bibliopegi, quæ ob Variolas decubua per menſem, natura autem veneni non potente, abſceſſus ſterni regioni innati ſunt & humerorum commiſſuris, hinc humor virulentus ſterni oſſa omnino corroſit & ſeparavit, ſimul cum epiphyſibus oſſium humeri, ſimulque partem maximam capitis homoplatæ: Teſtes habeo Dominum *Myron*, Regis Conſiliarium & Medicum, & *J. Doreau, Comitis Bryanei* Chirurgum, coram enim illis dictam puellam cultro Anatomico ſubjeci, in qua prædicta à me deprehenſa ſunt: *Rolinus Marie*, Conſpiciliorum Venditor Pariſienſis, ad me adduci curavit puellam quatuor annos cum duobus menſibus natam, cui univerſum corpus puſtulis conſperſum erat, oſſa præterea brachiorum & crurum putridis abſceſſibus, fracturis cum putredine, tentata, comite febre ardente, cui manum admovere recuſavi, poſtridie morte ſuccedente: In multorum præterea gingivarum caries & putredo deprehenditur, magno cum fœtore: ejuſmodi corruptio ortum ducit à putridis vaporibus, ex interioribus partibus ad os elatis, ac plerique eorum quanquam magna adhibita diligentia intereunt; In multorum præterea cadaveribus à variolis interemptorum impreſſus nævus & intemperiei notæ inſignes in viſceribus obſervantur, in jecore, liene, inteſtinis, hinc plurimi in hydropem delabuntur, phthiſin, raucedinem, dyſpnœam, diarrhœam cum ulceribus inteſtinorum, ac tandem mortem, prout puſtulæ in partes internas ſævierunt non ſecus ac in exteriores: Quoad has, non ſolum inde deformes evadunt, vultus præſertim, à puſtulis & ulceribus cutem pervadentibus & carnem ſubditam erodentibus, unde fœdæ cicatrices ſuperſtites ſunt, ſed & quandoque motu articuli privantur, cubitorum præſertim, carporum, genuum & pedum: Quibuſdam cœcitas omnimoda inducta, alii audiendi facultate orbati ſunt, alii odorandi, ab excreſcente carne in narium & aurium canalibus, quod in cæteris corporis partibus accidit, tam interioribus, quam externis: Tandem aſſero, omnes abſceſſus, quibus ob variolas tentantur pueri, & morbillos ſufficienter non erumpentes, veneni & malignitatis expertes non eſſe, ob humoris virulentiam, ob idem difficillimæ eſſe curationis. Paucis; Si corpus & variolis & morbillis non rite expurgetur, æque moleſta & periculi plena exoriuntur ſymptomata ac à Lue Venerea. *Paræus operum lib.* 20. *cap.* 14.

§. 14. Mitto programma quod immaturus Epiſcopi Halberſtadenſis apud nos obitus à me vice Rectore Academico exegit, ut haberes anſam de gangræna Hæpatis, quæ ſive cauſa ſive affectus extitit, una cum variolis in tam tenello corpore deprehenſa fuit, cogitandi. *Henningus Arniſæus Epiſt. ad Greg. Horſtium.*

Variolarum nova ſpecies, Roſſalia dicta, lethalis duobus infantibus, ob ſupervenientem Pulmonum inflammationem & abſceſſum.

Puellæ ſeptenni & puero novenni quomodo Roſſalia internecioni fuerit, adſcribam, Scilicet cum uterque jam conſtitutus eſſe putaretur, præter expectationem novo ſymptomatum turbine abripitur, vitæque naufragium pati cogitur, illa quidem maturius, hic vero paulo ſerius, cùm enim conſueta ſymptomata, ut pote 1. Intenſus calor, 2. rubor univerſalis. 3. ſitis. 4. delirium, 5. catarrhus ad fauces, 6. appetitus dejectio, &c. remiſiſſent, cuticula ſquamatim excoriari inciperet, dolores quin etiam extremorum lenirentur, Ecce, morbi die 12. novus rigor puellam invadit, quem novus calor urentiſſimus inſequitur, tanta pravorum ſymptomatum ſyndrome ſtipatus, ut ante diei naturalis elapſum ſpatium, vitæ cum morte permutatio oboriretur. Sic Roſſalia quidem tota evaneſcebat, ſed peſſimam poſt ſe ſobolem relinquebat: quippe pedibus, cruribus, ſcroto, ventre ac facie puer intumeſcebat, cum genarum nonnullo perpetuo quodam rubore. Febricula irregularis ipſum fatigabat, tuſſiebat, ſed pauca expectorabat, eaque ſpumoſa ſaltem & pituitoſa, difficulter reſpirabat: ſeptiduo antequam moreretur, noctu tanta reſpirationis difficultate corripiebatur, ut nonniſi erectus ſpiraret: nullibi præ ſumma anxietate conſiſtere poterat: de pondere intra pectus conquerebatur ſubinde, ſtertebat moribundorum inſtar, facies tota nunc palleſcebat, nunc lurida reddebatur, nunc aliter pingebatur: Pulſus intercipiebatur frequentiſſime, uti & reſpiratio: breviter jamjam exſpiraturum credebant omnes. Poſt exhibita diſcutientia, reſolventia, expectorantia, & ſpiritus ac cor reficientia, meliuſcule nonnihil habere incipiebat, donec à meridie rupto pulmonum abſceſſu, & pus & ſan-

ſanguinem atrum tuſſi rejiceret: De abſceſſu itaque certior factus, inſtiti abſtergentibus & expectorationem promoventibus; interpoſitis interim roborantibus neceſſariis, ſed quid fit? Septimo à paroxyſmo iſto ſuffocativo die anxietas eadem revertitur & circa meridiem ægrum perimit. Cùm igitur Pulmonem inflammatum fuiſſe, & in abſceſſum inflammationem dudum tranſiiſſe, ex ſignis minime fallibilibus didiciſſem, ut pectus primo omnium aperiretur ſuaſi.

Eo aperto, tota Pectoris cavitas aquâ citrinâ differta, Pulmoneſque ambo toti lividi & gangrænoſi conſpiciebantur: Quin ſiniſter diſſectus in interiore ſua ſubſtantia magnum itidem abſceſſum oſtentabat; reliquaque ipſius ſubſtantia digitis contrectata faciliſſime diffluebat; Poſtquam ad abdomen perventum eſt, innatabant ſimili aquæ tota inteſtina: Omentum prope conſumptum viſebatur & ad ſuperiora retractum: Hepar pro individui ratione portentoſæ magnitudinis erat, ſubpallidum, & tam longo, qua ventriculum contingebat, lobo præditum, ut non tantum totum ventriculum tegeret, ſed & in ſiniſtrum uſque hypochondrium exporrigeretur, atque Lienem, qui minutulus erat, de ſede ſua verſus renem ſiniſtrum deprimeret: Veſicula fellea & ipſa prægrandis erat atque palleſcens: Hæc pueri eſt hiſtoria. *Michael Doringius Epiſtol. 18. ad Sennertum.*

VENENA.

De Venenis & Bezoarticis ſic ſcribit Excellentiſſ. D. Joh. Chriſtian. Urſinus, Diſſertatione Medicâ ſub præſidio Præclariſſ. Viri Dom. Georg. Wolffgang. Wedelii, Medicinæ Profeſſoris Celeberrimi &c. publico examini propoſitâ.

UT cognitio remedii ſupponit cognitionem morbi, & vice verſa, ſi juxta rationem velimus procedere; ita de alexipharmacis ſeu bezoardicis, tanquam venenis reſiſtentibus remediis, vix feliciter poſſumus diſſerere prius, quàm de venenis, quæ & qualia ſint, penitius conſtet.

Dictum eſſe venenum ex philologiâ conſtat, q. d. quod citò per venas tranſeat, ſeu ſalubre, ſeu noxium ſit. In genere enim pro medicamento accipitur; ſeu latiori ſignificatione veneni appellatione continetur omne, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum eſt, mutat; propriè verò prædicatur de noxio & contradiſtincto alimento & medicamento.

Adeoque venena propriè ſunt, quæ per ſe nocent, & adverſa ſunt corpori, non item, niſi latius, quæ per accidens id præſtant, quorſum Scaligeri illa venenorum genera ſpectant *Exercitat. 33. tom 2.* nocere eadem vel à primis qualitatibus, ut aqua epota frigida homini labore & ſole æſtuanti, ut gypſum exſiccando ſtrangulat; Vel à ſecundis, ut crocus laxando nimis ſpirituum viam, quod vulgo ſtatuunt; nos verò quid ſentiamus mox patebit; Vel à tertiis, ut Cantharides veſicæ, lepus marinus pulmoni. Tacemus exemplum vini, ſpiritus vini & aliorum.

Præſupponimus ergò 1. Venena eſſe & dicenda, quæ corpus citra externam violentiam aliam; (ut conformatione vel unitate ſolutâ) violenter deſtruere norunt. Hinc enim intoxicati vel veneno potionati ſunt & dicuntur, qui citra aliam quandam cauſam manifeſtam periculum vitæ ſubeunt, vel moriuntur.

2. Adeoque eſſe peregrina corpori, ſive illata, ſive in eodem producta. Illa proprie dicuntur venena, hæc maligna & veneno analoga, unde differunt potiſſimum quoad modum inficiendi. Alia inſpiratu lædunt, ut ſeminaria peſtis, & morborum malignorum, febrium &c. quatenus ἀπόρροιαι ſeu effluvia, vel exhalationes ex infectis corporibus & locis ſpirantes communicantur; Alia hauſtu, ut quæ ore aſſumuntur; Alia ſolo contactu, ut illa quæ foris nos contingunt, etiam ex ſupra dictis, peſtis & febres maligniores; Alia denique ex ictu & morſu, cujus generis ſunt animalia, quæ vel dentibus nos mordent, vel aculeo pungunt, vel contactu nocent.

3. Alia eſſe externa, alia interna, quod ex dictis ſatis patet; Externa iterum vel vi illata, ut morſus animalium, vel inadvertenter, ut peſtis per poros irrepens; Interna verò vel ore hauſta in pulmones, vel deglutita in ventriculum, vel generata in maſſa ſanguinea etiam citra ullam extraneam, ſaltim immediatam, communionem, ſeu contagium.

4. Alia eſſe magis cita & activa, quæ, præſentaneâ vi, exiguo temporis ſpatio occidunt; alia lenta, temporaria, efficaciæ remiſſioris, quæ poſt multos demum dies necant. Priora v. g. calida tenuia, & ferè erodentia ac putrefacientia; poſteriora frigida & craſſa, quæ minus in vaſa ſubeunt, cenſentur.

5. Venena alia eſſe homini, alia brutis; multa ſiquidem homini ſunt venena quæ tamen aliis animantibus in alimoniam cedunt, ob diverſum nexum principiorum vitalium, ſanguinis & ſeri. Sic cicutâ ſturni veſci ſcribuntur; hyoſcyamo & mandragorâ, ſues; Cantharidibus, hirundines; ſerpentibus, cervi, quo de vide Sachſii Gammarol. & Ann. I. Ephem. Germ. obſ. 14. attractis iisdem è ſpeluncis ſuis; araneis gallinæ; ſerpentibus & bufonibus Ciconiæ &c. contra ea aloë medicamentum eſt hominibus utiliſſimum non minus ac amygdala amara, lupis, vulpibus & canibus verò venenum. *Vid. Moeb. Fundam. Medic. Phyſiol. cap. 10. pag 159.*

6. Alia venena eſſe univerſalia, alia particularia, quæ diſtinctio tùm in ſpecie humanâ, tùm generalis quoque de aliis valet. Univerſalia omnibus atque ſingulis animalibus venena ſunt arſenicum & mercurius ſublimatus, nullum quippe viſum eſt, quod ſciam, innoxiè per omnia hiſce uſum. Specialia venena, præter jam dicta, in ſpecie humanâ alia ſunt nervis & ſpiritibus inimica, ut ſolanum furioſum, alia pulmoni, ut lepus marinus, alia ventriculo, ut lepus marinus, alia ventriculo, ut corroſiva, alia veſicæ, ut Cantharides ardore & mictu cruento infames.

7. Alia partes ſpirituoſas, alia humidas, alia ſolidas magis afficere; inprimis verò cum humidæ mediæ ſint inter reliquas & quaſi vinculum quoddam, præcipuè etiam easdem pati certum eſt.

8. Alia eſſe vegetabilia, ut aconitum, cicuta, napellus &c. Alia animalia, ſive toto, ſive partibus ſaltim, ut ſcorpius, vipera, quorſum & caudam cervinam quidam referunt; Alia mineralia, ut arſenicum, mercurius ſublimatus. Adeoque pauca quidem nota ſunt venena, reliqua tamen, cum magis & minus non varient ſpeciem, itidem huc referenda. Nondum innotuit vel publicatum eſt venenum, quo in Gallia hactenus tot cædes patratæ occultæ, *poudre de ſucceſſion* vocant, in pulveris formâ; licet ſint, qui carnes infantum ex utero materno exciſorum (horrendum dictu) cum aſpidibus aliiſque confermentatas nominent.

9. A venenis aſſumtis oboriri ab aliis alia, omnia tamen in ſubitaneam conſpirare perniciem; ad vomitum cieri ventriculum, cardialgiam, anxietates, tremores, pallores, lipothymias, pulſum frequentem, abdominis inflationem fieri. A demorſis verò ſcorpio vel viperâ, auriginem contrahi, dolorem, ardorem, tumorem, inflammationem partis affectæ.

Ex his colligere eſt: 1. Venena non tam occultis, quàm manifeſtis agere qualitatibus. Utut enim occultæ qualitates, quatenus manifeſtis ſunt contradiſtinctæ, concedi poſſint, quo ſenſu venena communiter à totâ ſubſtantiâ, ſive virtute ſpecificâ agere aſſerunt; ſi tamen penitius eadem inveſtigemus & occultum ſumamus pro eo, cujus nulla omninò ratio dari queat, ratum eſt atque certum, venena agere manifeſtis atque inveſtigabilibus, intellectui notis, qualitatibus. Hinc notanter Scaliger, loco citato, qualitas hæc dicta, ait, cum multum abſit à ſenſibus, ſolâ ratione comprehendi poteſt; (loquitur verò de remediis venenorum totâ ſubſtantiâ agentium) ſed in hujus cognitionem perveniemus per veſtigia tertiæ, ſcilicet qualitatis, ſeu ad normam manifeſtarum.

2. Venena ſine dubio ſubruere principia vitalia, quorum nexu indiſſolubili vita propagatur, violenter verò deſtructo ſufflaminatur. Neque enim ulla ratio dari alia poteſt tam citæ νεκρώσε☉ & immutationis; præcipue cum omnia id teſtentur phænomena, unde meritò cauſæ taliſmodi univerſali eorundem vis adſcribitur, in quâ omnia adeò conveniant, licet admodum diverſa.

3. Pollere venena ſale, ſulphure & mercurio, machinæ humanæ peregrinis & deſtructoriis. Id verò eſt tota illa ſubſtantia, occulta qualitas, textura nempe & modus mixtionis. Uti enim particulæ alimentorum ſunt benignæ, familiares & ſubjugabiles, ſimiles, ſaltim à poſteriori, medicamentorum diverſæ, ut alium ſtatum alterando vel purgando inducere queant; ita venenorum adverſæ, in internecionem partium ſpirantes.

4. Eſſe eadem vel corroſiva, vel Fermentativa, vel vaporoſa, vel Mixta. In his quippe effectibus vel qualitatibus vis venenorum in genere conſiſtit. Corroſiva ſi fuerint, ventriculo eſcharam & νέκρωσιν inducunt, unde parte ad vitam abſolutè neceſſariâ deſtructâ, neceſſum eſt machinam ipſam ſubrui & principia vitalia deſtrui. Fermentativa quæ ſunt, motum p. n. eumque vel abſolutè lethalem, vel ſummè tamen periculoſum inducunt, unde calor febrilis, æſtus, deliria. Vaporoſa ſpiritus obnubilant, ſuffocant, deſtruunt. Adeoque corroſiva ſolidis, fermentativa humidis, vaporoſa ſpirituoſis imprimis ſunt hoſtica, mixta univerſis. Quæ verò de his non participant, ut pix aſſumpta & plurima alia inter venena vulgò relata, inter venena tantùm per accidens talia & impropriè dicta referenda fuerint.

5. Venena mineralia, mercur. ſublimat. & arſenicum ejuſque ſpecies, agere ſolâ potiſſimum corroſivitate. Hæc ipſa νέκρωσιν, νέκρωσις ſanguinis & ſeri deſtructionem inducit, ſecundariò quoque fermentatione peregrinâ & ſpirituum turbatione conſequente. Hinc ſi ſtatim revomantur, delicatiori archei ſenſu & robore, non nocent. Hinc in ventriculum plenum, vel pinguibus præſumptis ingeſta minus necant, faciliori vomitu conſequente, & acrimoniâ obtuſâ. Hinc qui mortui ſunt ab horum uſu ſive incauto, ſive malitioſo, ventriculum & inteſtina ſphacelata & eroſa exhibuerunt, quod ipſi in cane obſervavimus. Par ratio eſt aquæ fortis, butyri antimonii, &c. Patet id ipſum quoque ex analyſi mercur. ſublim. neque enim mercur. vivus, nec ſal, nec nitrum, nec vitriolum, quibuſcum ſublimatur, eſt venenum, ſed ſola textura inde emergens, quâ iterum immutatâ, per additionem mercur. vivi & ſublimationem, in mercur. dulci; eadem quoque venenoſitas emoritur. Neque mirandum eſt, hinc ardorem ſtomachi, convulſiones, livores, tumores & alia ſymptomata ab his oriri, de quibus videantur Practici. Sic & arſenic. corroſivitate & cauſticâ vi ablatâ innoxium eſt, vel ſolius magnetis arſenicalis exemplo.

6. Venena animalia (loquimur verò de univerſalibus magis) agere potiſſimum vi fermentativâ peregrina; ſive viperæ morſus exempli loco ſit præcipue, ſeu canis rabidi, ſeu alia conſimilia. Hinc cum ſalivâ taliſmodi ſal peregrinũ, irato cumprimis animali, in vulneratam partem illatum, mox ſerum & ſanguinem immutat, ut corrumpantur, ςάσιν, fermentationem, νέκρωσιν patiantur, facta hinc, recurſu ad cor, communicatione, etiam reliquam maſſam ſanguineam mox inficiendo. Par ratio eſt ictûs cum aculeo ſcorpionis, morſûs aranei & ſimilium. Hinc factâ ſtatim exſuctione vel deſtructione fermenti hujus peregrini, vel non nocet planè, vel ſaltim citius debellari poteſt. Curavimus aliquando puerum à cane rabido demorſum 1. dato intrinſecus Bezoardico volatili, 2. exterius vulnere cum rutâ, theriacâ & aceto eloto, feliciſſimo cum ſucceſſu. Hinc ligaturæ etiam locum habent. Verbo, omnia φαινόμενα teſtantur de inductâ fermentatione præternaturali. Hinc etiam ſi ictus apum, vel veſpæ excipiatur ungue, & hinc guſtetur, ſalinum taliſmodi quid manifeſtè deprehendi poteſt.

7. Venena vegetabilia potiſſimum agere vaporoſitate peregrinâ. Quatenus ſulphure v. g. impuro, mucilaginoſo, nervis inimico pollent. Hinc hyoſcyamum, ſeu ejus ſemen, imaginationem diſlocaſſe obſervavit in cauſidico Helmont. lib. demens idea p. m. 224. ipſumque ibidem p. 225. exoticam phantaſiam imprimere aſſerit, quod itidem in puellâ obſervavimus obſervatione 21. an. 2. Ephemerid. Germanic. conſignatâ. Sic napellus, verbis ejuſdem, ſuam furoris

roris in nobis imaginem communicat, de cujus φαινομένοις ab aſſumtione evenientibus, ut & de arſenico ſtudio experimentandi propinato, videri meretur Cornarius hiſtor. admir. 12. & 13. pag. 41. & ſeqq. A ʒi. pulveris napelli, pectoris anguſtia, ventriculi dolor, oculorum obtenebratio vertiginoſa, pulſus immutatus, paulò poſt etiam delirium accidit, ut in folio lacero altè cecinerit æger. Legi hanc in rem quoque ſeorſim meretur I. I. Wepferus libro hiſtoria & noxa Cicutæ aquaticæ inſcripto, & I. M. Faber in Strychnomaniâ, tractatibus curioſis. Sic & crocus riſu ſcribitur interimere, riſus verò ſtultorum eſt. Par ratio eſt opii ipſius, aliorumque, quæ vaporoſitate ſuâ ſpiritus turbant & nocent.

8. Venenum in corpore genitum in febribus malignis eſſe fermentationis peregrinæ ſobolem, ſæpe tamen non tam à priori, quàm poſteriori factum. Quando enim vel ob aëris auſtrinum frigidioremve ſtatum, vel ob errores diætæ, vel contagium quoque leges proportionis ſanguinis & ſeri violantur enormius, conſiſtentiâ, motu & calore læſis, periculum ruinæ ſubit machina, peregrino inducto æſtu, variis cum effectibus ſiniſtris. Imprimis ſal volatilius redditum, rarefaciens ſulphur, ſero diluente excuſſo, ferociens hinc & quaſſans corpus accuſari meretur. Unde ſanguis emiſſus rutilans, cinnabarinus, ſero quaſi incoctus viſitur, quo de alibi latius.

9. Venenum peſtis, ſolo contagio propagandum & illatum, ſingula conjunctim poſſidere. Non in aëris corruptione, præterquam particulari, conſiſtit id ipſum, neque à priori æquè, unde primitus emergat, cognitum eſt; à poſteriori verò optimè. Eſt nempe venenum hoc corporeum, ſeminale, calore nativo expanſivum, ſui multiplicativum, humorum corruptivum & principiorum vitalium deſtructivum. Corroſivum eſſe demonſtrant ſatis carbunculi & puſtulæ quaſi ab ambuſtione factæ, dyſenteria, pleuretis, cardialgia, aliaque conjuncta; Fermentativum, Febris, Bubones, anxietates &c. Vaporoſum, deliria, ſopores, vertigo, ipſos ſanos quoque impetens eâdem domo verſantes. Eminet tamen tanquam magis activa vis corroſiva, unde reliqua quaſi obſcurat, & eâdem potiſſimum necat, ſi v. g. ventriculus fuerit carbunculo affectus, ſi mictus cruentus accedat, ſi hæmorrhagiæ; variat etiam affectus hic ratione recipientium ſubjectorum. Hinc clavis patet, quare tam ſubitò internecionem inferat peſtis; quare nullum remedium ſpecificum & appropriatum, idque certum & infallibile, quod communiter deſiderant, detur; quidque ſit ſentiendum de variis hypotheſibus de veneno peſtilenti hodiè agitari ſolitis. Pigrum id & lentum eſt, omniſque præcautio hinc fieri debet, ne in actum deducatur; ne hauriatur, vel hauſtum maturè profligatur, nedum ſibi paret, cum pernicie certâ corporis. Omnia, uno verbo, ſic velut panſa patent φαινόμενα.

10. Venena particularia magis eſſe ſubjugabilia, minuſque vincula vitalia deſtructum ire. Noxia quidem ſunt, unde venena audiunt quoque; attamen non toti æque, ſecreta ab archeo victore, ſeu ſuperiore, huc illuc. Satius enim eſt hanc illam partem lædi, quàm totam machinam ſubire periculum lethi. Sic cantharides ſale volatili acriori conſtantes inficiunt non tam ventriculum, acriora etiam exterius ulcerantia & rubefacientia, allia, ſinapi, lepidium ferre adſuetum, quàm expanſis ſalinis particulis ſuis ſerum, unde excretioni deſtinatum in tubulis renum, ardorem delicatioribus longè partibus inſupportabilem conciliant. Par ratio eſt leporis marini, de quo cum minus conſtet nobis, pluribus dicere non licet, à poſteriori tamen exulceratio decantata id probat ſatis.

11. Ubi virus, ibi virtutem deprehendere licere. Præſtat enim ex venenorum quoque doctrinâ alios depromere uſus. Neque enim ſolùm utiliſſima eſt, tùm ut venena cognoſcantur, cognitaque vitentur, tùm ut infecti melius & rectius curati valeant; verùm quoque ut cognitâ virulentiâ virtutem, quam natura illa condidit, noſcamus. In genere enim virtuoſa eſſe & potentia ex effectu patet ſatis; quod ſi ad leges temperamenti humani redigere mitigareque illa pergamus, pro vinculis vitalibus roborandis facient, quæ contra ea deſtinata videbantur. Exemplo ſint vegetabilia plurima, ut cicuta, v. g. opium, crocus, ſemen hyoſcyami, & alia, ut arſenicum, araneas, & alia non laudemus.

Sed viſis hiſce jam judicium ferre poterimus de Bezoardicis accuratius, generalibus & ſpecialibus. Contraria enim juxta ſe poſita eluceſcunt magis. Ut itaque venena ſunt non una, ſed diverſa; ita quoque non uno nomine veniunt iiſdem oppoſita. Generali notione dicuntur alexipharmaca, alexiteria, latinè amuleta, (quæ vox hodiè de externis appenſis ferè uſurpatur,) ab amoliendo, i. e. ſubmovendo, depellendo, eò quod venenis reſiſtunt: item Bezoardica, ex eo haud dubiè, quod lapidem Bezoar putarint omnibus venenis reſiſtere, modò ſit genuinus. Atque ſic eleganter & uſitatius hodiè dicuntur. Sin ſpecialius ea conſideremus, prout à veteribus denominata fuere, diviſa ſunt etiam quoad nomina hinc, ratione objecti potiſſimum, i. e. veneni, in quod agunt, teſte Galeno 6. Epid. Comment. 6. t. 5. & alibi. Cum enim venena vel ab animalibus, vel ex vegetabilibus, mineralibuſve proficiſcantur (pharmaca vocant) ideò remedia iis reſiſtentia duplicis quoque generis eſſe ſcribit idem: Alia quæ venenatorum morſus, ictus aut venena ſanant; alia quæ deleteriis pharmacis medentur. Illa alexiteria ἀπὸ τοῦ ἀλέξειν, arcere, depellere, propulſare, item opitulari, καὶ τῶν θηρίων, à Feris vel Belluis, nominantur. Hinc & ſimpliciter θηριακὰ φάρμακα, ſeu theriaca, propriè dicuntur, quæ morſibus animalium debentur. Dicta enim eſt theriaca partim ab effectu, eò quod ſerpentum morſibus maximè ſuccurrat, partim ab ingrediente carne viperinâ. Hæc alexipharmaca, ἀπὸ τοῦ ἀλέξειν καὶ τοῦ φαρμάκου, quod lethalibus medeantur morbis. Exemplo ſit jam dicta theriaca, quæ cum primariò morſibus animalium inflictis debeatur, non æque contra omnia & ſingula venena poteſt adhiberi alia, fruſtra adverſus vegetabilia, mineralia, & plura quoque animalia. Utraque aliis terminis dicuntur etiam alexicaca, item antidota, licet hæc quoque de internis tantùm prædicentur magis.

Nos generalia illa jam vocabimus uſitato nomine Bezoardica, tanquam communia magis &

& univerſalia; hæc ſcilicet malignitati ex diſſolutione humorum vitalium, minori vel majori, quam venena intentant, exurgenti debita cor defendunt, & κράσιν, conſiſtentiam ac motum ſanguinis contra venena in vigore ſuo aſſerunt. Monuit enim jam ipſe *Galenus lib.5. de ſimpl. medic. facult. cap.18.* nihil intereſſe, an alexiteria an alexiphamaca remedia venenis opem ferentia appellemus, quod ſcilicet in unum demum eundemque; finem funeſtum illa conſpirent. Antidota verò ſpecialiſſimè notant, quæ his vel illis ſpeciatim & in individuo notis venenis, quoad illam qualitatem, quâ particulariter noxia ſunt, in corpus illata, adverſantur, ut merc. ſublim. cantharidibus, & ſimilibus, de quibus in ſeq.

Cum verò ex dictis clarum ſit, bezoardica hæc reſpicere potiſſimum venenum animale, in motu fermentativo & deſtructivo conſiſtens, adeoque convenire v. g. ad morbos malignos, & prodeſſe in feb. malignis & morbis epidemiis, pleuritide, dyſenteriâ, variolis, morbillis, peſte, febribus Hungaricis, petechialibus, inflammationibus febrilibus, anginoſis &c. meritò veneni hujus ἐνέργειαν reſpiciunt præcipuè. Tertia enim pars hominum moritur febri, unde facilè colligere eſt, quantum momenti ſitum ſit in bezoardicis.

Reſpiciunt nempe vel calorem, vel conſiſtentiam, vel motum ſanguinis & ſeri, quibus quippe benè habentibus, vel defenſis & ſartis tectis, vita producitur, & contrà. Sêu I. Bezoardica reſpiciunt excluſionem fermenti peregrini, quo calidum nativum impetitur. Quæ verò id ipſum excludunt, balſamum nativum neceſſariò roborant.

Excludunt id ipſum Balſamica, putredini ſimul reſiſtentia, phyſicæ, & hinc medicæ, Sulphurea, ut è ſimplicibus, Radices angel. carlin. cotrayerv. diptamn. gentian. imperator. petaſit. olsnit. Zedoar. Ex herbis ruta, ſcordium, galega, ſalvia; Ex floribus ſambuc. calend. bacc. laur. juniper. myrrha, cortic. citr. aurant. camphora, ſuccinum, ſulphur, hinc θεῖον vocatum, & ex his parata, ut oleum angel. citr. ſuccin. rutæ, camphor. peſtil. Henſii; Elixir peſtil. Croll. tinct. Bezoard. Michael. Rolfinc. Moeb. Ludovic. Wedel. eſſentiæ myrrhæ, theriacæ, balſamicæ, ſpir. theriac. camphorat. bezoardici; Theriaca Andromach cœleſtis, mithridat. orviet. flor. ſulph. myrrhat. &c.

Excludunt Balſamica ſalina, volatilia & mixta, ut ſpir. ebor. C. C. ſerpent: viperat. tinct. bezoard. volat. liqu. C. C. ſuccinat.

Excludunt item, ſed concentrando & penetrando magis, Acet. ſ. bezoard. rutac. theriacale, ſuccus citri, aliaque, de quibus mox plura.

Ut hæc illuſtrentur magis, tenendum eſt (1.) eſſe ſua morborum taliſmodi ſeminia, ſeminaria & quaſi ovaria, inprimis malignorum, & inter hoc maximè peſtis, ſive aliunde illata, quod de peſte quaſi abſolutè, de aliis ſecundum quid verum eſt; ſive concepta & fabricata in corpore. Patet hoc, quod ſint ſui multiplicativa, cum aliis communicentur, radices & fomitem habeant in putredine & corruptione humorum, & quæ alia adduci poſſunt argumenta plura. Adeoque conſequenter opus eſt, ut, qui curare eoſdem feliciter velit, hæc potiſſimum ſibi habeat commendata.

(2.) Impeti ab his archeum, ſeu calorem nativum, ſpiritum vitalem, qui niſi roboretur, exterminando & excludendo fermento morbifico eſt inſufficiens. Debilitatur hic reverà, licet efferato calore id minus compareat, quin ipſi ægri ſæpe non credant ſe ægrotare, per aliquot dies circumambulantes, *dencken ſie vvollens übergeben, habe nichts Zu bedeuten,* ſed hinc demum magno ſuo malo id experiuntur. Maximè verò in malignioribus id videas, ubi ſimul & ſemel decollant vires, ſummeque proſtratæ viſuntur, ita ut ſæpe de nullo alio conquerantur, quàm ſolâ laſſitudine, *ſie vvaren nur matt,* peſſimo tunc degentes in ſtatu.

(3.) Eſſe in ſanguine illa ſeminia & fermenta heterogenea, peregrina non deſidia; ſed ſummè activa, ſeu ſanguini ſeu ſero magis inhæreant, quod vel bubonum, & carbunculorum uno exemplo clarum eſſe poteſt. Sin maturè ſecludantur, brevi pacatos reddi excitatas fluctus microcoſmicos, idque per ſudorem, ipſius naturæ inclinatione & optimâ viâ, quæ à centro ad circumferentiam has ſordes ſequeſtrat, ac ab iiſdem ſe liberat.

Hæc ſi vera ſunt, uti ſunt veriſſima, patere poteſt, qualia ſint hæc ipſa bezoardica & quomodo agant, activiora potiſſimum recenſita & volatilia, tùm κατ' ἄρσιν, tùm κατὰ θέσιν.

Κατ' ἄρσιν dicimus (α) non ſola eſſe bezoardica & unicè, quæ animatam verminoſam putredinem reſpiciunt. Notum eſt per Kircheri, Langii, Hauptmanni hypotheſes, ſtatuere quoſdam peſtis venenum conſiſtere in animato ſeminio, aërem repletum eſſe vermiculis tunc temporis plurimis, qui illati & hauſti M. S. deſtruant, & φαινόμενα omnia illa producant. Quin, ut taceamus omnes adeò morbos & mortem ipſam duos illos poſteriores pro animatis habere, repertos eſſe in cadaveribus peſte defunctorum, cultro audaciori ſubjectorum, vermes copioſos in ventriculo. Hinc rentur vim illam omnem bezoardicorum adſcribendam uni ſoli huic cauſæ, quod vermibus & verminoſæ putredini adverſentur.

Verùm utut non negandum ſit, poſſe animata ſeminia & in aëre & in corpore reperiri, imò in quibuſdam reperta eſſe actu; poſſe item à vermibus ſymptomata enormia excitari, quin ipſa hæc bezoardica eſſe ſimul anthelmintica; exinde tamen concludere non licet, quod volunt, peſtem & febres malignas unicè ab animatâ putredine eſſe oriundas. Neque enim (1.) phænomena comitantia tàm diverſi generis in hâc hypotheſi poſſunt derivari, non bubones, v. g. non carbunculi, præcipua peſtis ſignacula; Vis illa corroſiva, fermentativa, vaporoſa gravior eſt, quàm ut poſſit per verminoſam putredinem explicari firmiter (2.) Quia ipſa illa animata putredo non tàm producens eſt, quàm productum, ubi enim putredo, ibi facilè vermes generantur, adeoque poſito illos dari & reperiri in his ſubjectis, quod tamen univerſaliter verum non eſt; potior tamen ratio habenda erit cacochymiæ tanquam cauſæ, quàm ejuſdem effectus. (3.) Non ſunt propoſitiones convertibiles: quæcunque ſunt bezoardica, illa ſunt anthelmintica, & vice verſâ; omnia anthelmintica

mintica ſunt bezoardica, utraque enim latius patent, exemplo mercur. dulcis, abſinthii, purgantium, corallinæ, tanaceti. (4). Neque etiam omne ſeminium verminoſum eſſe oportet. Hinc hypotheſis hæc illuſtrare quidem poteſt bezoardicorum vim agendi, & tanquam effectus ſpecialis conſiderari, non verò abſolutè & univerſaliter locum habet, præcipuè cum hoc ipſo pacto dubiis non fiat ſatis, nec exhauriatur malignitatis & veneni vis. Unde niſi ulterius in principia prima entis venenoſi inquiramus, paulò minus eſt hoc ipſum, quàm ignorantiæ aſylum.

(β) Non ſola eſſe bezoardica & unicè, quæ viriditatem perpetuam ſervant. Sunt ex recentioribus, qui remedia peſtis genuina in his quæritant, omnia verò alia cariei obnoxia, ut angelicam, zedoariam, carlinam, & alia nauci eſſe habenda contendunt; Juniperum contrà ea, ſaurum & alia generoſiſſima & vera largiri præſidia. Sed nec ipſa hæc propoſitio verificari poterit, omnia perpetuò virentia eſſe peſtis remedia, ita ut univerſaliter concludat. Ut argumentum topicum & particulariter valet, non univerſaliter. Si enim inquiramus in cauſas viroris perpetui, vel ſulphuri ille eſt adſcribendus, vel ſali volatili, utrique minori reſpective aquæ, tanquam principii congelaſcentis, proportione pollenti. Jam verò propter quod unumquodque eſt tale, illud magis eſt tale. Aſt propter ſal & ſulphur perpetuò virent. E. hæc ipſa ſal & ſulphur balſamica magis attendenda, quàm effectus, viror ſolus. Neque, ſi exempla attendamus, id ipſum ſuccedit & firmo ſtat talo. Non enim ſabina, cedrus, abies, cupreſſus, pinus, præbent bezoardica, niſi quatenus reſinoſitate ſuâ ignem, aeris purgatorium, alunt; non cochlearia, naſturtium aquaticum, & hybernum, lepidium, aliaque virentia ſemper. Adeoque licet verum ſit utraque hæc poſſe tutari corpus à putredine; quamvis concedamus virorem eſſe ſignaturam quandam & characterem externum, teſtantem de virtute internâ; ipſa tamen hæc ratio non ſufficit, quin plus ultra progredi ſatius ſit, & hæc penitius inquirere.

(γ) Non ſola eſſe bezoardica antimon. & ſulphurata. Fuêre hactenus alii quidam, qui ponentes peſtem in metallicâ arſenicali conſiſtere malitiâ, imò falſum illud quoque, in locis mineralibus, ubi effodiuntur opes irritamenta malorum, peſtem graſſari magis & frequentius; non ſufficere ullâ aliqua autumant bezoardica alia, quàm ſola metallica. Quàm lubricum verò hoc ſit aſſertum, facilè ex dictis & dicendis mox patet, & poſito, veram eſſe hypotheſin; ipſa tamen antimoniata & ſulphurea non eo modo arſenicale virus corrigere norunt, uti actuali igne commixta in magnete arſenicali illud domant, & figunt.

Κατ᾽ ἔθον verò diſplodunt & excludunt, quod diximus, peregrinum illatum ſanguini, quatenus ſulphur & ſal volatile ſanguinis vigorant, idque in motum citant, exſuſcitant calorem, circulationemque ſanguinis & lymphæ promovent, ϛάσιν verò omnem nocentiſſimam impediunt. Hinc bubones in peſte quidem boni ſunt, ſed incompletè, quin viſi ſunt, per ſola bezoardica inſenſibiliter quoque diſcuſſi. Unà verò, ſi viſcoſius fuerit ſeminium, diſſipant & annihilant; ſi vaporoſum, poros cerebri reſerant & in halitus id ipſum reſolvunt; ſi fermentativum, deſpumando ad extima ὀργασμὸν vertunt; ſi corroſivum & viſcoſum, ut peſtis, affigi id non patiuntur maturè propinata, ſed diſſipant & excludunt, idque omne obſtetricante & adjuto inprimis calore. Aſt quando vis corroſiva vel fixa eſt nimis, ut in arſenico, mercur. ſublimato vel in peſte jam fixata, infixa partibus intimius, minus poſſunt, minus proſunt.

Præcipuè ergò conveniunt in omnibus malignioribus, ubi penitior putredo, ϛάσις major, ſeminium efficacius, & ſpeciatim etiam in morſibus tarantulæ, viperæ, araneæ, canis rabidi, &c. Punctus ſtudioſus ab aranea in collo, brevi convaluit. ſolo uſu ſudoriferi ex theriacâ.

Ut verò primum in hiſce morbis eſt excluſio fermenti peregrini maligni, id quod niſi maturè fiat, neceſſum eſt alia unà conſequi non minus periculoſa, quæ omnia ceſſare oportet, factâ illâ excluſione, & demto, quod fermentationem peregrinam inferre queat; ita effectus porrò conſequentes quæ reſpiciunt, bezoardicorum titulo meritò quoque veniunt.

Adeoque II. talia ſunt Reſolutionem nimiam impedientia; non neglecto penitus priori. Reſpiciunt ſcil. hæc productum primum malignitatis, quatenus ex ordine dimovetur ſanguis & ſerum, ſeu reſolvitur. Primum nempe genus bezoardicorum reſpicit quaſi ſanguinem & ſerum ſimul; alterum hoc elementum alterum, nempe ſanguinem, particulas ſulphureas & ſalinam ſeorſim, quatenus ſulphureas has particulas & volatiles ſalinas nimis efferatas obtundunt, enervant & alterant. Aliàs enim neceſſariò vincula deſtruuntur & ſulphur nimis rareſit.

Talia diverſo reſpectu ſunt 1. Adſtringentia temperata, ut tormentilla, biſtorta, potiſſimum in febribus malignis cum diarrhœâ, quæ peſſimi eſt ominis, cœteris paribus, item pulvis ſtypticus.

2. Paria faciunt, licet remiſſius, Mucilaginoſa, ut cornu cervi, ejuſque gelatina, C. C. Philoſ. ppt. & magiſter. item ſcorzonera, inprimis montana, Italica, & noſtras; terra lemnia, ſigillata, bolus armena &c. Hæc ipſa hoc cenſu venire palam faciunt tùm diarrhœæ malignis febribus ſolenniſſimæ, etiam in ipſis puerperis, tum hæmorrhagiæ, quin imo non rarò ſudores ipſi. Eoque maligniores cum ſint febres putandæ, quo magis alterutrum horum comitem ſibi adſciſcunt; tantò magis locum inter bezoardica habent hæc ipſa adſtrictoria, ita tamen comparata, ut ſimul calorem p. n. reſpiciant. Mucilaginoſa verò ſal illud peregrinum, quod expulſione ſecerni non potuit, inviſcant quaſi & ſic temperant, unaque remoram ponunt ſali volatili rarefactivo. Adeoque & freno in his morbis eget naturà & ſtimulo; ſtimulum addunt expulſiva, quæ laudavimus, frenum reliqua ſecundi ordinis.

3. Præcipitantia quoque huc faciunt, tùm abſorbentia, ſi qua aciditas peregrina ſe immiſcuerit, tùm reverà inveſtentia humorum ὀργασμὸν. Utroque modo fluxiles redduntur, ſeu in motum citantur & circulum debitum humores.

mores. Neque aliâ ratione agit lap. bez. uterque, Orientalis, majori virtute conſpicuus, & Occidentalis, minori commendabilis, ut & pretio. Idem præſtant bezoardica mineralia quæcunque. Illa nempe non tàm antimoniatâ ſuâ origine obviam eunt malignitati, quàm ipsâ hâc ſua præcipitandi virtute, unde diſjiciuntur humores & præcipitantur. Talia ſunt antim. diaph. bez. miner. ſ. joviale, martiale, lunare, &c. Hinc fruſtra ſunt, qui eadem hæc reliquis omnibus unicè anteferunt, cum potius homogeneis aliis miſcenda ſint, uti v. g. antimon. diaph. cum C.C. phil. oc. canc. & extracto ſcorzon. mont. abunde facit. Præter illam verò exſiccandi & ſerum corrigendi vim eadem bezoardica mineralia ſunt ἄποια, omnis qualitatis heterogeneæ expertia, & tantò magis huic ſcopo propria, quò magis ſunt pura, fixata, & particulis metallicis fœta. Hæc ipſa tamen præcipitantia non ſunt unius & ejuſdem generis. Exemplo ſit unicornu foſſile & minerale; illud magis adſtringit & ſiccat, hoc magis genium naturæ ſuæ retinet, & ad exemplum aliorum ſimilium ſal volatile ſuum facilè oſtendit reconditum.

Quæcunque enim vel ſal volatile in ſinu gerunt, vel quoque mucilaginem blandam obviſcantem & infringentem, illa ipſa vel mineralibus dictis palmam dubiam reddunt, unde non fidendum iiſdem magis, quàm aliis cujuſcunque regni bezoardicis.

4. Nec Acida ſunt excludenda ex hac claſſe, ſiquidem illa ſulphur quàm maximè obtundunt, & ſal volatile peregrinum rarefaciens figunt. Hinc acet. ſ. & Bezoard. ſucc. citr. granator. aurant. Tinct. Roſ. Viol. fl. 4. cord. aq. Bez. Ruland. ſyrup. acetoſ. citr. ſunt Bezoardica, imprimis verò clyſſus antimonii ſulphuratus, Spir. nitri Bezoardicus pluribus nominibus.

5. Ipſa quoque Opiata huc faciunt, licet incompletè & cum aliis, quatenus & ipſa inſigne hoc habent Beneficium, quod (1) in centro ligant fermentum febrile, idq; (2) ad exteriora profligare juvant & ſudorem unicè promovent, (3) coagulum ſimul avertunt, (4) ſpirituum profligationem prohibent, (5) ſanguinis & ſeri vincula quam accuratiſſiè defendunt, modò providè in uſum vocentur.

Hæc ipſa tùm in genere malignitati obſiſtunt & Bezoardica ſunt, licet ſecundariò ſaltim, tùm ſpeciatim illis morbis malignis debentur, ubi humor ſeroſus freno indiget, ut in fluoribus quibuſcunque cum Febribus conjunctis, tunc enim maxima ſemper horum habenda eſt ratio. Et ex hac ratione conſultum eſt Tincturam Bezoardicam conſtituere varii generis ingredientia, ut eò magis polychreſta ſit. Hinc ea occaſione dicendi datâ duo libabimus ſpeciatim; Theriacam & Tincturas Bezoardicas. Aſſerimus cum Platero & Walæo, theriacam ſine opio confectam ſudorem non movere, duplici ex fundamento, tùm quod opium ſudoriferum eſſe quotidiana teſtetur experientia, minima nempe quantitate, uti datur, aſſumta, ægrotos in ſudorem Blandum & copioſum diffluere. Si ergo opium movet potenter ſudorem ad gr. i. v. g. meritò eandem vim exeret in theriaca id ipſum, ſiquidem hujus ℥i. circiter gr. i. opii recipit. Hoc verò ablato, neceſſum eſt, deſtitui theriacam virtute tam inſigni ſudoriferâ. Tum experientia, de qua illud vulgatum notum eſt, unam experientiam plus valere, quàm centum rationes. Audiamus Walæum ipſum præeuntem, medicamenta ſudorifera, inquit, pauca vera ſunt, & inter hæc excellit opium; quod enim theriaca, quod mithridatium ſudorem moveant, hoc omne ab admiſſo faciunt opio. Expertus ego ſum, addit, hæc duo electuaria, abſque opio præparata, ſudorem prorſus non moviſſe, m m. p. 65. Adſunt ergo, duo immota hæc fulcra, ratio & experientia, niſi velimus negare experientiam viri fide digni, eamque ſuſpectam vocare, ſtabilitam tamen ratione. Cui accinit in diſqu. therapeut. Swalbius, hoc eſt, inquit, (ſcilicet opium,) quo theriaca, quo mithridatium, quo diaſcordium, & pleraque antidota ſudores præcipuè eliciunt, S. 4. p. 89.

Contra hæc verò ſunt qui aſſertum hoc negant, & ejuſdem veritatem impugnant. Modeſtius paulò Velſchius in comment. id negat, quod reliqua theriacæ ingredientia videantur id ſatis præſtare poſſe citra opium. Experientiam verò laudat in contrarium nullam. Idem facit Hannemannus Tract. de inebriaminibus p. 13. concedens opium vi diaphoreticâ pollere, aſt omnem vim diaphoreticam, quâ theriaca mithridatium, diaſcordium prædita ſunt, ſoli opio velle acceptam referre, eſſe poſtulatum nimis liberale. Ratio additur eadem, multa illa electuaria ingredi, quæ ſunt naturâ ſuâ diaphoretica. Ad experientiam verò Walæi dicit: hæc electuaria fortè ſudorem non provocarunt, non quia opium abfuit, ſed virium fuit in aſſumentibus. Experientia verò itidem in contrarium affertur nulla. Sed reſpondemus, negando, in theriaca eſſe naturâ ſuâ diaphoretica, quibus in ℥i. vel ℈i. opii vim ſudoriferam queas adſcribere. Ponamus eſſe talia ex farragine myrrham, Rad. mei, gentianæ, phu pontici, & terram lemniam, tot enim fortè excerpſeris; horum verò doſis tàm exigua eſt, virtus tàm pauca ſudorifera, ut minimè ſudorem iſtis adſcribere queas. Nulla ergo inſunt theriacæ diaphoretica ſeu ſudorifera potius propriè dicta, niſi velimus hypotheſin illam ſupponere, calida ſudorem movere, quod ſaniores medici negant, neque enim ſpir. vini, piper, cardamomum, id faciunt, & fixa contrarium teſtantur. Deinde experientiam viri probati negamus poſſe ſubrui fruſtraneâ conjecturâ. Omnes nempe circumſtantiæ reclamant. Aſſumta fuit theriaca ſudandi fine, nullum in hoc vitium eſſe poteſt vel fingi ſaltem adſumentium; non motus inde prorſus fuit ſudor, neque hîc vitium adſumentibus adſcribi poteſt ullum.

Hæc de theriaca. Quod Tincturas Bezoardicas attinet, uſu obtinuit hodie, ut M. S. quaſi baſin præbeat his ipſis, unde & eadem vocari ſolet *Weiſſe Bezoar-Tinctur*; ita ut nihil aliud videatur Tinct. Bezoardica Michaëlis & aliorum, quàm M. S. tincta & concentratior, mutuante tincturam medicamento à ſandalo rubro. Ut adeò quod theriaca & huic affinia ſunt in forma media. pulvis Bezoardicus in forma ſicca, id in liquida ſit tinct. Bezoardica, tantoque magis ſe commendet præ reliquis, quò magis conſtant, liquida citius penetrare & fundere humores, ma-

magiſque adeò eſſe activa. Præter unum hunc modum tincturæ Bezoard. parandæ; nempe citra extractionem ſpecierum, tinctura aliunde veniente, vel peregrinâ ſandali, vel extractorum bezoardicorum, alter quoque in uſu eſt ex ſpeciebus bezoardicis ſelectioribus beneficio ſpiritus bezoardici, (utriſque majoris vel minoris apparatus aſſumendis,) extractis, adeoque propriâ tincturâ, vel adſcititiâ innoxiâ, ſimul gaudentibus; de quo *vid. Schultz. Tract. de Tinctura bezoard.* Et poſterior hic modus vel medius polychreſtus eſt magis, utrique verò opiata refractâ doſi adduntur concinnè, juvandi & refrenandi virtute; ita enim rarefactionem & reſolutionem nimiam infringunt, tutando ſanguinis & ſeri vincula. Par ratio eſt acidorum, unde inſtar regulæ eſſe poteſt; acida & opiata bezoardicorum adjumenta eſſe certiſſima, exemplo M. S. & theriacæ.

Tertio, ut opus eſt per dicta excludere ſeminium, tutari ſulphur & ſal volatile ſanguinis; ita non minus tutandum eſt ſtudiosè ſerum ipſum, adeoque bezoardica quoque ſunt, licet itidem reſpectu priorum ſecundaria quaſi, Quæ ſeri defectum ſolantur. Plurimi in hoc falluntur, qui unicè expulſivis illis utuntur, neglectis hiſce; licet contra ea & in his exceſſus fieri poſſit.

Solantur ſerum ſubſtantificè humectantia, Aquea temperata, aqua ipſa. Laudabimus hanc in rem non tàm veterum morem, qui aquæ frigidæ potum in febribus maximi æſtimarunt, teſte vel uno *Galeno*; quàm locum egregium *Georg. Hornii in arcâ Moſis pag.* 124. Ab alcali, *inquit*, ſitis eſt inextinguibilis, niſi per acida & puram aquam crudam, incoctam copioſiſſimè ingeſtam, etiamſi vomitu, flammâ prævalente, regurgitet, donec aqua in ſtomacho remoretur; mox ſequitur ceſſatio ſitis, caloris, ſopor, ſudor, ſanitas intra 12. horas, quod ipſe multoties in acutiſſimis febribus probavit. Præcipuam in eo conſiſtere curam remedio, ubere frigidæ potu, citra ullam Venæſectionem & purgationem, aſſerit etiam ibidem *pag.* 150. Faciunt huc aquæ ſcorzoneræ, ſambuc. cord. Sax. frigid. galeg. bezoardica Rul. aliorumque ſimplicium, ut acaciæ, ceraſorum nigr. &c. decoct. hordei c. C.C. & ſcorz. julepi, potiones, & ipſæ imprimis emulſiones. Cum enim tunc & per rationem, caloris velut Veſuviani præſentiam, & αὐτοψίαν, ſi fiat V. S. deprehendatur ſanguis ſpiſſus, colore cinnabarino vel alio, ſero omni quaſi privus; quo ſenſu ſolemus dicere ſerum quaſi omne incoctum eſſe, impoſſibile eſt, ut poſſit machina ſubſiſtere; quin hoc ipſum malignum eſt, & malignorum morborum multorum eſſentiale; meritò ſtudendum, ut principium hoc vitale, ſerum, ſeu humidum calido ſubſternatur. Quod niſi fiat, vigiliæ deliria, deliria motus convulſivos, ſingula mortem inferunt.

Solantur ſerum acida, & imprimis nitroſa, quatenus illud fluxile reddunt, & ſal peregrinum infringunt & temperant, v. g. lap. prunellæ inde nomen indeptus, quod prunæ huic vel fervori febrili conveniens ſit, nitrum antimoniatum, vitriolatum duplex, viâ ſiccâ & humidâ paratum, nitrum perlatum, corallatum, ſaturniſatum. Hæc ſcilicet ſingula ardorem, fervorem, rarefactionem nimiam, adeoque ſeri conſequentem defectum, exhalationem & incoctionem remorantur, vel ſaltem non promovent, fluxile illud reddunt, temperant, ſimulque reſolutionem & ichoreſcentiam impediunt, quatenus ſulphureas particulas & ſalinas volatiles ſanguinis nimis efferatas coërcent, obtundunt, diluunt, enervant & alterant.

Et ſpeciatim in deliriis, ardore majori, & ubi inflammatio in internis metuitur, nitroſa præſto ſunt, ut in peſte. Hinc cum in hâc ipsâ στάσιν facilè concipiat ſanguis & carbunculos intentet, etiam interius, ut ipſo ventriculo, nitroſa quoque cum aliis fecere officium, ſi non immediatè, tamen mediatè veneno debita.

Pertinent verò huc & illa, quæ ſerum in motum cient, ejuſque quietem & στάσιν ac vappeſcentiam corrigunt. Eaque neceſſaria eſſe demonſtrat effectus, v. g. in peſte bubones, qui non aliunde, niſi ab hâc στάσει ſeri in glandulis, eaſdemque ob fermentantem vim attollentis, conſiunt. Fierique id ipſum facilè, non difficile eſt colligere etiam à priori, ob ſal peregrinum viſcidum corroſivum, unde illabitur promptè ſuis ſecerniculis, non verò elabitur.

Par ratio eſt in malignis, quando vel ob hanc cauſam, vel viſcidius ſerum ſudor nullus à medicamentis etiam propinatis obtineri poteſt. Eo caſu & volatilia & fixiora proſunt. Ex illorum cenſu ſunt urinoſa, ex poſteriorum cinnabarina, utraque ex ipſiſſimâ hâc ratione in peſte utiliſſima. Hinc obſervatum eſt volatilia urinoſa, nominata jam ſuperius, in principio peſtis ſummè fuiſſe proficua, & mediam quaſi tincturam bezoardicam, ſeu acidis refractis gaudentem, ſeu volatilem urinoſam feciſſe ſtrenuè officium; nec minus cinnabarina, reliquis interpolata, ut mercurialia alia taceamus. Mercur. enim diaphoreticus, cujus præparationem ipſe *Paracelſus* & *Helmontius* docent, non minimum in peſte præſtat. Novimus Medicum, qui in peſte Viennenſi evaſit & gloriam reportavit, ab adhibito taliſmodi medicamento mercuriali. Cum verò hinc alibi vel nimis ſibi fideret, Deo forſan non primariò in auxilium vocato, vel medicamento abuteretur, nec legitime æque applicaret, ſaltim ſibi ipſi, morti in rapinam ceſſit non minus ac alii. Quemadmodum enim poſitâ hâc indicatione, ſeu hoc intuitu ſudorem aliàs difficulter mobilem excitare cum ſucceſſu licet; ita ad ichoreſcentiam vel rarefactionem nimiam inclinante maſsâ ſanguineâ, volatilia, cinnabarina & mercurialia hæcce tantum abeſt, ut conveniant, ut convulſiones abigant, ut potius ſudores adaugeant & nimios reddant, ultra ſphæram ſuam efferatis & diſſlatis humoribus.

Sed priuſquàm provehamur ulteriùs & de hoc adhibendi bezoardica legitimo uſu monita & cautelas addamus, illud facilè ex dictis patet, diſtinctionem eſſe ſummè neceſſariam inter bezoardica illam, de quâ mox plura, quâ in volatilia, media & fixa, non minus ac alia plura ſpecifica; dividuntur. Hæc ipſa diſtinctio fundamentum habet in re, eſtque utiliſſima; nos verò h. l. non tàm ſecundum materiale dividere eadem volumus, quàm ſecundum medendi methodum ſimul, ut & pateat ſtatim, quid agendum, & quomodo agendum ſit in taliſmodi caſibus, quæ vitam concernunt.

Hinc nota 1. Ut diverſa venena, ita etiam di-

verſa ſunt bezoardica. Utraque penitius, quod anniſi ſumus, inveſtigata & juxta ſe poſita, quæ quibus conveniant, monſtrant magis. Niſi enim, quæ regula univerſalis eſt, inter indicans & indicatum, morbum & remedium, juſta intercedat oppoſitio, & oppoſitorum proportio, nullo modo morbus tollitur, quin ſæpe augetur magis, & contrà. Tribuat hinc unuſquiſque, quantum volet, Tincturæ ſuæ bezoardicæ, electuario orviatano, pulveri bezoardico ſpecifico, vel quibuſcunque etiam centum aliis; Tinctura bona, electuarium bonum, pulvis bonus, æger moritur. Neque eſt quod quis dicere poſſit, in peſte v. g. eſſe revera τὸ θεῖον, fruſtrà eſſe ſingula, non adjutos à peſte incipiente ullos, quemlibet ſuo fato mortuum; Verum enim eſt, ſi à peſte evaderent plurimi, vel omnes, non peſtem, ſed benigniſſimum æſtimandum fore morbum. Eſt enim de naturâ & eſſentiâ peſtis, plures ſimul corripi & citius mori, quàm ſuccurri ferè poſſit. Sed ſi fateri volumus quod res eſt, Deus & cum blanditur pater eſt, & cum cædit pater eſt; Unde & peſti ſuam, pro ſalute humani generis, in naturæ ſinu locavit antidotum, quamvis non talem, qualem ſibi vulgo imaginantur, vel ut poſtulatum impoſſibile fingunt. (Loquimur de cauſis & remediis naturalibus, non Theologicis.) Quin hoc ipſum apparet ex naturâ veneni peſtilentis. Torpidum hoc eſt, ſed efficax; lentum, ſed tarditatem, ſi tamen ita dicenda eſt ſæpe, vel lentorem ſuum efficaciâ ſuâ compenſat. Non inſtar baſiliſci eſt, ut obtutu velut ſuo quemvis enecet; unde nec in aurâ venenum locatum eſt, ſed in contactu vel quaſi tali, in ſeminio propagabile unicè, reliquis obſtetricantibus ſolum. Sed habet ſe inſtar viperæ, inſtar arſenici, inſtar napelli, ſi rem rectè concipiamus. Vipera lentum eſt animal, quod tractari poteſt innoxiè, modò caput prehendas, (quod vel centies experti ſumus,) nec temerè, nec timidè rem aggrediaris. Arſenicum medela eſt, modò non hauriatur intrò & ſibi relictum; eadem ratio eſt napelli. Adeoque pro captu tractantis habent ſua fata venena. Fruſtra ſunt ergò & abſurdi, ſive è vulgo, ſive ex medicis, qui unicornu aliquod, qui lapidem bezoar fingunt, omnium venenorum antidotum, qui medicamenta crepant, vel ſimplicia, ut è lapide ſerpentino confecta pocula, aliaque, quæ venenum omne pellant, ad præſentiam ejus ſtatim ſudent, nullum inadvertenter ad vitalia dimittant. Ludicra ſunt hæc & ſuperſtitioſa vulgi figmenta, quod ipſum tamen velut promiſcuè per tot ſecula credit facilè & decipitur, non minus ac aſſentientes medici.

2. Fluit ex his promptè, non eſſe confundenda bezoardica, tùm in genere, tùm in ſpecie. In genere nemo non percipit, veneno corroſivo arſenicali non prodeſſe theriacam vel tincturam bezoardicam, nec morſui animalis cryſtallum, quem antidotum arſenici ſtatuunt; ſed alia eſſe mineralium, alia animalium, alia vegetabilium antidota. Et licet ſint bezoardica polychreſta, pluribus ſcopis debita, nec illa tamen ſunt confundenda & permiſcenda temerè. In ſpecie verò id valet in febribus malignis, fermentativo veneno magis conſpicuis, & præcipuè in peſte ipſâ. Mirandum non eſt, vel hoc nomine mori plurimos peſte, quod fidant his illis remediis, pro probatis ab aliis habitis. Mori item febribus malignis affectos æque ac peſte non paucos, qui nedum medicamenta aſſumunt, ſed corpus hoſti exercendum exponunt iſtâ ſuâ negligentiâ, donec proſtratis viribus medicinâ ſe opus habere, an habuiſſe, ſerò nimis intelligant. Auſim dicere, imò expertus aſſerere, jugulari poſſe febres ardentes, peſtem, dyſenteriam, alioſve morbos epidemios in primâ herbâ, ſi ſtatim ad primum mali ſenſum mederi liceat. Novimus virum ſatis timidum, qui ſexies dyſenteriam invadentem, quâ affecti erant domeſtici, & duo infantes, toties repulit extemplò, momento invaſionis ſumptâ tincturâ bez. Nec minus exempla nota ſunt, qui viſitantes peſte infectos, paſſi jam vertiginem, laſſitudinem & alia, ſumpto bezoardico volatili, tincturâ bez. alcaliſatâ, Mich. noſtrâ, liberarunt ſe à præſentaneo veneno & periculo mortis. Si verò promiſcuus uſus non convenit bezoardicorum, facilè patet, quid judicandum ſit de pluribus hoc tempore editis ſcriptis, concernentibus regimen peſtis præſervandæ & curandæ. Sanè maxima pars ſi non promiſcuè, tamen confuſè hæc tradit, commiſſo legenti negotio, ut eligat cui dicat medicinæ, Tu mihi ſola places. Quicunque mederi vult tùm aliis ægris, tùm à peſte præſervandis & curandis, debet omninò 1. diſtinctè, breviter, & claris verbis exponere, quid, quando, quomodo agendum, ut nullum ſuperſit dubium, ut ſciat probè agenda patiens; 2. morbo conformia remedia, ſelecta, pauca & probata proponere, quæ juvent, non noceant; eaque 3. quæ diffuſa ſint nihilominus, pluribus communicabilia, citra pretii magnitudinem. Maxima enim intentio eſt mederi pauperibus, tertiæ ad minimum parti urbis vel pagi. Hinc & brevis ſæpe ſchedula ſufficit, neque uſum habent ullum, (hunc quidem, quem intendunt,) exaſciata & pluribus foliis conſtantia conſilia, quibus lectis plebeius indoctior redit, vel incertior agendorum.

3. Volatilia magis heroïca, primò hoſti opponenda, fixiora interpolanda. Ut in bello appetente hoſte non levis armaturæ milites impetum ſuſtinere, nedum retundere norunt, primus conflictus eſt acerrimus, & turpius ejicitur, quàm non admittitur hoſtis; pariter in medicinâ ſe res habet cum bezoardicis. Brevi rem conficiunt priora, niſi morbus radices jam egerit & vitalia occuparit; quo facto nihilominus principem tenent locum. Ratio immota & principalis eſt, quia excludendum ſeminium morboſum, ſive illatum, ſive conceptum interius. Neque timendus eſt calor, productum ejuſdem, brevi compeſcendus, modò excluſum ſit peregrinum motum hunc excitans. Ratio ſecundaria eſt, quia citius ſubeunt, activiora ſunt. Exemplo ſint variolæ, morbilli, malignæ febres, dyſenteriæ epidemiæ, pleuritis, peſtis ipſa. Mox inde vel tollitur morbus, vel mitigatur, vel ſymptomata ab obſeſſione foci vitalis orta, anxietas, reſpiratio difficilis, retroceſſio bubonum, exanthematum præcaventur. Dato verò hoc ſtimulo, freno hinc moderamur archeum, ut, non ultra quàm par eſt efferatus, reſiſtere queat. Fixiora autem reliquorum ſunt ſubſidia, ut quies concedatur naturæ, quâ interruptâ facilè fatiſcit. Imò hæc abſolvunt curationis reliquum. Media & communia ſunt

acida,

acida, fervori & ſeminio, ut & ſero ipſi tutando, debita. Et ipſa quidem ſatis ſunt efficacia, ſolis tamen illis principalem expellendi provinciam demandare non æquè licet. Utut enim aliquibus profuiſſe viſa fuerint; potior tamen ſemper obſervata eſt volatilium, & quaſi talium, mediorum efficacia.

Cumque denuò excluſionis ſeminifici meminerimus, operæ pretium eſt addere, ſive illud alienis debeatur illatis, ſive in propriis undis, ſive etiam, quod *Helmontius* & hunc ſequentes volunt, ipſa ſola terroris concepti idea generandæ peſtis ſemen ſuggeſſerit. Perinde hoc eſt, poſito hypotheſin veram eſſe; neq; enim mutatur ob id curatio. Supponunt nempe, ſæpe fidem experientiam feciſſe, quod quis terrore ſolo peſtem abſentem ſibi atq; ſuis paraverit, attamen graſſante peſte, occurrentibus objectis, quæ ad terroris imaginationem conducant. Sed quando huc devenimus, certum quidem eſt, terrorem eſſe obſtetricem, non æque verò patrem peſtis, cum experientia ipſa addúcta ſine dubio cum objecto illo terrifico, ſeu vitali, ſeu alio, ſeminium actuale non excludat, imò quàm maximè foveat. Vel unicum exemplum ſit, quod plures milites, ſucceſſivè tunicâ induti eâdem, peſte correpti & mortui ſunt, etiam neſcii quaſi fati prioris; quod cordatiſſimi, quique jam non ſemel peſti interfuerant actores, quos jam habitum contraxiſſe & conſuevisse cum morbo putes, ſuccubuerint tamen; quod contagium per plurimas domos ſub initiũ graſſantis luis deprehendi potuerit illatum, unde in ſolo ideali illo terrifico ſeminio ſi acquieſcere velimus, non æque φαινόμενα omnia ita patent, ut dubium relinquatur nullum. Omne id inde videtur ortum, quod ſeminium illud à priori non æquè notum ſit, unde ex reali, ideale conceptum fuit, quod fugiens ſenſum nullum omnino fuiſſe reale creditum eſt. Ponamus veſtimentum vel integumentum quodpiam peſte infecti neſcienti cuidam, unde ſit, imò non credenti ab infecto tactum, offerri, quo induatur, uti toto die obſervatum eſt. Ille, diſpoſito corpore ad recipiendum, certo certius peſte corripietur, eandemque propagabit mox ulterius. Imò compertum, bruta, canes & feles, peſte reverà obiiſſe, arbores vicinas domui intermortuas & ariduram concepiſſe manifeſtam, quod Alſteti factum novimus.

4. Ubicunq; volatilia contraindicantur, temperatis magis, vel illis parcius ſolùm utendum. Contraindicantur, ut ſic loquar, ratione ætatis, ab infantibus, quorum ſanguis texturæ eſt tenerioris, ut facilè efferari nimis poſſit. Contraindicantur à gravidis, unde floribus ſulphuris quoq;, multò magis verò theriacâ, ſpiritibus urinoſis mitius utendum, ne in ὀργασμὸν ruat ſanguis, & menſes cum abortu & vitæ periculo conſequantur. Unde & hîc valet, gravidam morbo acuto, ob hanc ipſam cauſam, corripi, lethale eſſe, quod aliquoties obſervavimus. Contraindicantur à debilibus, pulſu frequenti & rarefactione intensâ, quam hoc ipſo non corrigere licet. Ubi obiter notamus, pulſum frequentem in febribus malignis, ſi ſtatim à principio talis ſit, plerumque eſſe funeſtum. Contraindicantur à fluoribus ſanguinis, quando ob dictam rarefactionem nimiam reſolvitur in hæmorrhagias, in menſes nimios, in ſudores. Media inter hæc eſt tinctura bezoardica; cui vel ob hanc quoque cauſam commodè maritantur anodyna. Verbo, ita ſemper ſtimulo opus, ne frenum negligamus debitum; ita freno, ne ſtimulum adimamus expulſuri archei.

5. *Bezoardica ſudore non æque rigoroſè continuando faciunt officium; ſudor vero ab impellente externo, vel fruſtraneus vel noxius.* Obſervatum fuit ſudore imperato nimio, ultra εὐφορίαν ſcilicet, ægros malè habuiſſe in peſte ipsa; in variolis vero ſuffocatos ægros, tantoque magis, ſi crucientur continuo udore, neque gutta potus, quod perabſurdum eſt, concedatur; cum tamen potu levetur ſudor, & promoveatur magis, ſitis verò ſudore multo prorogetur, ut loquitur *Helmontius*. Quodcunque nempe ſudoriferum non valet fermentũm peregrinum expellere, internum vel externum potiſſimum, illud non adæquatum morbo, quin exitioſum eſt. Pulvis Cardui benedicti, rob ſambuci, C. C. uſtum, &c. debiliora longè ſunt, quàm ut iis demandari poſſit tàm ardua provincia. Quodcunque verò privat nimis ſero ſuo ſanguinem, itidem damnoſum eſt quàm maximè. Hinc ſolemus, quod jam monuimus, imperare quidem ſudorem primâ vice, ſequentibus verò præbiis non item, potiunculis verò aliiſque humectantibus domeſticis ſolari defectum ſeri.

6. Bezoardica etiam magni nominis citrà rationem adhibita infida ſunt præſidia. Non tàm ſcilicet occulta qualitas venenorum ſpectanda, quàm certa & indubitata læſionis ratio. Quod niſi fiat, andabatarum more pugnamus, & experimenta per mortes facimus. Sit ſua laus viperinis, ut bezoardicum animale audiant, vel horum affinibus ſerpentinis, quicquid præſtant, faciunt temperatâ mucilagine, cui ſal volatile immerſum latet. Neque enim, ut mors per ſerpentem irrepſit, ipſa quoque per ſerpentis mortem, ſeu medicinam vindicatur. Vid. *Helm. Tum. peſt. p. m.* 890. *& anteo.* ubi & Hippocratem hoc uno ſolo arcano, carne viperinâ vel colubrinâ, exſiccatâ & pulveriſatâ, divinos ſibi honores acquiſiviſſe ſcribit. Lapis bezoar uterque ſit venenorum antidotus, modò ſobriè de eodem judices in applicando. Eſt enim præcipitans, temperans, cui non dubitant recentiores lapides quoſcunq; alios, equinos, humanos, &c. conferre, ſi non anteponere. Unicornu quoque vim contra araneas, & aliis modis utcunque probatam non vilipendimus, ſed intra modulum activitatis ſuæ concluſum, non ultrà.

7. In dubiis mitiorem ſequimur viam. Cum itaque & bezoardica quædam malè audiant & ſuſpecta ſint, præſtat eadem ex antidotis omittere, proſtantibus melioribus. Idque tùm in ſe bonum & neceſſarium eſt, tum propter calumnias inde facilè & imputationes conſequentes. Novimus ſartorem empiricum uſu nucis vomicæ non paucos liberantem tertianarios, hinc necis inquiſitionem ſubiiſſe, cum pro viro ægro idem peteret fœmina malefica, ipſi verò hæc venenum aliud porrexiſſet, & culpam in medicamentum hoc derivaret.

8. Principiis ſi ullibi, ſanè in peſte obſtandum & febrium inſultu. Omnis hîc mora periculoſa, omnis dilatio mortifera. Hinc ipſo invaſionis momento maturè ſumenda antidotus prius, quàm cibus capiatur, vel ſomnus ineatur, utroque enim caſu promptè vitalia ſubit malum, radiceſque agit, vix niſi cum morte finiendas.

9. Corpora impura quò magis volatilibus agites, eò magis læſeris. Summatim enim opus omninò eſt cautelis pluribus in uſu bezoardicorum, quæ omnes tamen in proportione agentis ergà patiens, veneni & antidoti, indicantium & prohibentium, vi univerſalis medendi methodi, conſiſtunt.

Quæ hactenus diximus de effectu & remediis venenorum in corpore, eadem quoque illuſtrari poſſunt, ſi antidota ſuis venenis oppoſita breviter ſpectemus. Duo verò monita circa hæc attendemus, factâ duplici diviſione: Aut enim 1. venena ſunt incognita, aut nota; 2. Aut mineralia, aut animalia, aut vegetabilia.

Incognita ſi fuerint dubiis effectibus, facilè tamen dignoſcendis, ſi vel agendi modum intueamur, an ardore circa ventriculum ſint infamia, an vitalia magis petant, an ſtuporem vel quaſi inducant turbulentum; lex generalis in ſcholis Medicis obtinet, ut communi potius expulſivo vel defenſivo utamur, quàm nullo. Notis verò ſua quibuſvis opponenda remedia; debita qualitati exceſſivæ & corpori vim inferenti.

Non temerè credendum, ut de venenis ſic de antidotis quoque ſcribentibus, unde vaſtitas maxima & confuſio cum ignorantiâ enata ſunt.

Imprimis ergò ex dictis ſuperius hypotheſibus ad triplicia venena, triplex erit antidotorum ratio, & quidem; Venenis mineralibus generalem præbent antidotum, quæcunque corroſivitati ſunt oppoſita, adæquatè vomitoria, quæ exturbando maturè operationem illorum ſufflaminant & impediunt ſtatim. Oppoſita corroſivitati duo laudantur & celebria uſu ſunt, (1) pinguia, quibus inviſcari & obtundi particulæ acres, ſalinæ, quibus & oblini parietes ventriculi poſſint, itaque defendi ac muniri, v. g. oleum amygd. d. butyrum, hoc præſervativè, illud & curativè. Hinc tum ad operationes metallicas commendatur panis butyro illitus, ut ſumatur prius, quàm labores ineantur, tum ad chimicas quoque antimoniatas, aliaſque idem multis conſuetum eſt.

(2) Præcipitantia & acorem corroſivum infringentia, quo nomine cryſtallus à *Sennerto* aliiſque, tanquam unica & præcipua antidotus, contra mercur. ſublim. & arſenicum, quæ inſtar omnium ſunt; ut & contra aq. fortem laudatur, quo de exemplum habet *Heerius*, & nos obſervavimus & curavimus quoque ſtudioſum, qui iſtam loco ſpir. vini hauſerat, (1) dato pulvere cryſtalli præparatæ, (2) emulſione temperante, (3) juſculo avenaceo, &c. Commendatur verò ad ℥i. pondus cum oleô amygd. d. Idque tanto magis, quod eadem cryſtallus porracei ac æruginoſi humoris, ſeu bilis acido confermentatæ, proprium & præcipuum habetur remedium à Medicis probatioribus, quos inter præcipui ſunt *Lang. in Epiſt. & Fr. Valeriola lib.* 4. *enarr.* 3. *p.* 536. & *Poterius* tribuit cryſtallis naturam famelicam vel eſurinam, quâ aliorum acrimoniam, vel aciditatem in ſe abſorbendo, egregiè ſe ſaturant, *Pharmac. ſpag. lib.* 2. *pag.* 523.

Notanter verò addendum eſt, habere quidem locum & prodeſſe cryſtallum in leviori caſu, minus in graviori, neque enim ſubigi vomitu non eductum medicamentum æque hoc oppoſito remedio poteſt.

Sin alia quoque metallica venenoſa qualitas, velut extraordinaria vel comitans, ſit corrigenda, itidem hæc præſidia habent locum, non neglectis tamen tunc univerſalibus quoque antidotis, quando in alteram claſſem communem quaſi fermentativorum ſecedunt, vel potius accidentariò ſeu ſecundariò conjunctam habent. Legi hanc in rem meretur liber egregius *Samuel. Stockhuſii* de lithargyrii fumo noxio morbifico, ejuſque metallifico frequentiori morbo, vulgo dicto *die Hüttenkatze, oder Hüttenrauch*, in quo probare ſatagit, morbum, obſtructionem alvi tanquam præcipuum ſymptoma conjunctum habentem, non fieri ab arſenico *p.* 28. non à mercuriô nec à ſulphure vel vitriolô, ſed unicè à fumo Saturni. Speciatim verò pinguia per os præbita feliciſſimè operari, Id, *ait*, hactenus luculentiſſimè comprobavit experientia, *p.* 104. Et in appendice *de Aſthm. montano p.* 50. oleoſa & pinguia unicè latius commendat.

Reliqua hujus claſſis pro ſpeciali noxâ, quâ agunt in corpus, etiam ſpecialia habent antidota, quod in reliquis quoque dicemus regnis. Sic venerea cuperoſa ventriculum exſolvens vis antemeticis, imprimis acidis corrigitur. Curavimus fœminam quæ groſſum deglutiverat, ſpiritu ſalis ſubinde dato, unde conquievit feliciter ſapor cuperoſus in ore, & alia accidentia. Idem valet de ſaturninis, uti exempla plura collecta dedimus *anno* 3. *Ephem. Germanic. obſerv.* 141. Tacemus mercurialia & alia minorum gentium.

Venenis animalium optima ſunt, quæcunque fermentativum venenum illatum explodentia activiora, & ſecundariò acida figentia. Sic demorſus quis ſit à viperâ, cane rabido, araneâ, extemplo dentur theriaca, tinctura bezoardica, orvietanum, ut arceatur fermentativa vis, etiam in minimo conſiſtens. Utque hæc interius conveniunt, ita & pars affecta ſtatim conſimili fine curanda, eluendo vulnus theriacalibus, rutâ, aceto, &c. quod ſuperius jam innuimus.

Not. verò (1) diverſa eſſe venena animalium, ratione graduum & lædendi modi, unde & alia aliis facilius ſuperantur antidotis, tantò magis verò curanda vel attendenda noxia vis, quantò eſt major ipſa. Sic non confundendum eſt venenum ſerpentis & viperæ, imprimis fœminæ. Siquidem mas duos habet dentes uncinos, fœmina quatuor, qui quantum lædere vel aculeo ſuo poſſint, facilè ex autopſiâ colligi poteſt.

(2) Proprio antidoto, ex lædentibus animalibus deſumpto, fidendum æque non eſſe. Solent curationis loco, tum præſervationis quoque hæc talia commendari, ut per ſymboliſmum ſeu magneticam ſuam ſimilitudinem auferatur venenũ, appoſitâ carne v.g. canis rabidi, vel quod nonnullis placuit jecore ipſo comeſto. A particulari enim & hoc loco ad univerſale non valet conſequentia. Deinde & hìc cauſæ & remedia probè examinanda, oleum ſcorpion. ad proprios ictus laudatur, ſed magis ut remedium ſecundarium, demulcens partem, quod omnia pinguia faciunt, non neglectâ theriacâ; ſcorpionum etiam venenum reſpectivè mitius eſt, unde videmus innoxiè oleum aſſumere quamplurimos in calculo & aliàs. Nec ineptum fuerit ſtatuere ſal volatile animalis oleoſum, aliàs ſibi relictum venenoſum, ob hanc olei olivarum additionem alteratum vires ſortiri diſcutiendi majores, ſive inſignes. Si cauſam attendamus; res clara eſt.

(3) Car-

(3) Carnem viperinam in ſpecie taliſmodi magnetiſmo non pollere. Utut enim agat in corpus, ſit ſudoriferum & demulcens remedium egregium, debilior tamen eſt, quàm ut ſola fermentum peregrinum excludat, citra additionem aliorum. In carne viperinâ non conſiſtit venenum; Ergò nec id attrahere poteſt, multò minus verò præſervat, ut à morſu tutus ſit, qui eum pulverem ſumſerit. Fit id omne, ſi feliciter res cadat, per accidens, quatenus audacius prehendunt illa animalia, & quando eadem offendunt torpidiora, non irritata prius. Conſuluimus ſæpius captores viperarum, an ullum aliquod deprehenderint inde auxilium vel præſervativum, ſed ſemper aſſeruêre contrarium, cautiores & candidiores. Magis aſtu, quàm fortitudine, ſeu audaciâ apprehendi promiſcuè, capiuntur hæ beſtiolæ; Unde opinio hæc orta ſine dubio ab illo putatitio experimento, quod ſerpentes ceperint innoxiè, præſumpto ſerpentum pulvere. Iſta verò vaniſſima eſt perſuaſio & fallacia, ſerpentum enim venenum reſpectu viperarum quaſi nullum eſt, unde ſerpentum captor quæſitus, num reverà hoc fretus pulvere aſſumpto tractaret innoxiè ſerpentes, an verò per ſe magis innoxii ſint ſerpentes, accedente præſertim, per conſuetudinem, habitu & audaciâ majore; faſſus eſt, hoc ipſum poſterius eſſe veriſſimum, & hanc in rem juſſit tutò imitari hoc ipſum. Qui verò confundunt viperam cum ſerpente, næ maximo cum ſuo periculo experiuntur quantum diſtent. Inſigniſſima quædam perſona cum ſerpentibus tractandis aſſueta eſſet, offenſam viperam cordatiſſimè prehendit, putans tutam ſe fore, quod perinde eſſet an ſerpens an vipera caperetur, ſed inflictum vulnus graviſſima poſt ſe ſymptomata trahens, cum metu gangrænæ ipſius, aliud docuit.

(4) Neq; etiam magnetibus venenorum aliis tutò fidendum eſſe. Non ſolùm *Galenus* dudum *lib.1. de facultat. natur. cap.14.* ſcripſit, dari medicamenta nonnulla, quæ venenum eâdem ratione attrahant, quâ magnes ferrum; ſed & recentiores non pauci id aſſerunt promtè & experimentis id demonſtrare conantur. Inprimis laudandi ſunt lapides ſerpentum Indiæ orientalis, quos Cobras de Cabelo dicunt Luſitani. Hos tanquam probatæ fidei experimentum inſervire ſtatuunt, & ſecuriſſimi antidoti loco, ſi imponantur morſui viperarum, aſpidum & quorumcunque aliorum animalium morſu vel ictu interficientium, & vulneri ſagittarum venenatarum. Adhærere lapidem applicatum tali vulneri tenaciſſimè nec prius dimoveri, quàm omne venenum ſugendo imbiberint, quo facto ſuâ ſponte ſoluti in terram cadant, omni deleto veneni charactere. Deſcribit hos ipſos cum dictis latius & depictos exhibet *Fr. Redi in experim. natural. pag.5.* & contra *Kircherum* alioſque experimentis certis demonſtrat, tum nullum in iſtis lapidibus ſubſidium adverſus venenum viperarum & ſcorpionum eſſe *p.14. & 80.* tùm eoſdem tenaciter vulneribus æquè venenoſis ac non venenoſis adhærere, *p. 86.* Hæc ipſa cum ſint veriſſima, & à viro docto & peritiſſimo ſcrutatore rerum naturalium profecta, non dubitandum de eo amplius eſt, quicquid etiam alii in contrarium ſtatuant. Nullibi obſcurior veritas, quàm quæ ex longinquo adfertur.

Speciatim cantharidum antidotum præſentaneum præbet lac, nativum & artificiale. Si minori doſi dentur, benè eſt, neque effectus ſiniſter inde timendus, ut in rot. ſtimul. Mynſ. ſin paulo majori doſi idem fiat, ardor urinæ, & mictus cruentus ipſe promte inde conſurgit, quale exemplum *Langius lib.1. epiſt. 47.* unà cum curatione recenſet, id quod ipſi quoque nos cum veritate reſpondere, experientiâ comperimus.

Similium verò aliorum, ut & in quibuſvis regnis, eadem eſt ratio, neque enim noſtri inſtituti ratio patitur, ut ad omnia jam digrediamur amplius.

Denique Venena vegetabilia principaliter acida, adæquatè reliqua domant. Effectum puta venenoſum præcipuum, vaporoſum, & conſequenter quoque inde producta alia, exceptis ſpecialiori conjunctâ qualitate gaudentibus. Acida quippe, maximè acetum ſimpl. & deſtillatum ſulphur vaporoſum domant, mucilaginem peregrinam annihilant, & conjuncta ſymptomata alia tollunt.

De helleboro verò aliiſque, ſpeciali noxâ aliâ infantibus, non attinet plura addere.

Hactenus Excellentiſſimus Urſinus; ſequuntur Curationes, & Hiſtoriæ variæ in variis venenorum ſpeciebus.

De Allii præſtantiâ inſigni adverſus Venena, & Vermes.

Allium inter Deos jurejurando habuiſſe olim Ægyptum refert *Cæl. Rhodiginus Antiq. lect. lib.22. cap.2.* ex quò Multi nonnulla encomia Allio tribuunt; *Galenus* autem Allium ruſticorum theriacam appellat, & *Plinius* ad multa ruſticorum medicamina aptum eſſe allium putat; Et ego juſtè fateri poſſum ſolo allio manducato Ruſticum ferè mortuum à fungorum Veneno liberatum fuiſſe, ac omnino ſanatum hoc ſolo medicamine; imò ipſe Ruſticus poſtquam fuit ſanatus mihi retulit, ſe olim Patrem ſuum ope Allii ſanatum vidiſſe à Morſu viperæ; Ex quô deducere fas eſt, Allium inter remedia, alexifarmaca dicta, locum habere, & forſan hanc ob cauſam inter cibos militares Allium refferebant Antiqui, nè ſcilicet veneno milites perirent, undè in obſidionibus Urbium olim in magno prætio allium fuiſſe teſtatur *Suidas*, cui alludit illud. *Allia perdo in obſidione*; Sic miles mihi jam retulit, qui trium Annorum ſpatio militavit in caſtris Sereniſſimæ, ac ſemper Glorioſæ Venetorum Reipublicæ, ſe à veneno ab alio milite impio, propinato, liberaſſe ope ſucci Allii ad pondus unciarum duarum aſſumpti, ex quò multam nigricantem, & fætidam evomuit materiam, inde ſuperveniente Ictero, & Diarrhœa ſanatus eſt; Allium quoque præſtare adverſus lumbricos pluries notavi; Mulierculæ enim noſtræ Ferrarienſes filios ſuos ope aceti, ac ſucci Allii exhibiti à vermibus liberant, & unam præciſè noſco Adoleſcentulam annorum ætatis. 15. valdè vermibus obnoxiam, quæ ex quò ſæpè in cibis utitur allio, ac ex quô ſemper ſecum gerit allium, non amplius à lumbricis tentatur, atque ut ſolebat anteà torque-

tur; hinc Galliarum populos allium pueris exhibere ad ventris animalia pellenda monet *Clar. Joh. Bruyerinus De re Cibar. lib. 9. cap. 12. pag. mihi* 415. Sileat ergo Horatii Muſa, quæ allium carmine ſuo mirè deteſtatur, quod hic appoſuiſſe non erit alienum, eruditionis gratia.

Parentis olim, ſi quis impia manu,
Senile guttur fregerit,
Edat cicutis allium nocentius.
O dura meſſorum illia.

Allium enim multoties humano corpori juvat, ac multis medetur morbis, imò in deliciis apud quoſdam eſſe ſolet, maximè elixatum; elixatur enim, ut acrimoniam deponat, & ſucci ſit melioris; undè Allio magnam in cibis autoritatem apud quoſdam ſemper fuiſſe teſtatur *citat. Bruyerin. loc. cit.* ait enim, hodie Galliarum illam portionem, quæ ad Pyrenem, Hiſpaniaſq; ſpectat, allio liberaliſſimè veſci, & inter pulmentaria nautarum, atque navigantium eximiè commendari; hinc ob ſuum ſalem volatilem acrem apetitum conciliat, atque cruditates acidas acrimonia ſua alchalina corrigit; Egregium eſt diureticum, & in affectibus cholicis uſitatum remedium, quod etiam comendat *ſummus ille Medicorum Anteſignanus Galenus.* Umbilico illinitum hyſtericas etiam paſſiones ſedare ſcribit *Clar. Etmullerus in Schrod. dilucid. part.* 1. Lac in Stomacho coagulatum diſſolvere allium notavi ego in *Miſcellan. Acad. noſtræ Leopold. natur. curioſ. decur.* 2. *Ann.* 8. *obſerv.* 102. *p.* 505. Quæ omnia breviter ad laudem Allii dicta ſufficiant ad preſentem exornandam obſervationem; Plura verò de Allio optanti dabunt *Schröder. Hofmann. Tragus, Paulli*, & alii plures tam antiqui, quam recentes Botanici. *Ex communicatione Preclariſſ. Viri Dom. Joſephi Lanzoni Medici Ferrarienſis Celeberr.*

Cicutæ aquaticæ Hiſtoria & noxæ.

In Landgraviatu *Baar*, ditionis *Illuſtriſſimorum Comitum Fürſtenbergicorum*, ad pedes Montium Sylvæ Nigræ, ſeu Hercyniæ, Orientem verſus, Planities longè lateque expanditur, Oppidis, Vicis, Paſcuis, imprimis origine Danubii nobilis: in qua quoque ſitus eſt Pagus, Almanſhofium dictum vix quadrante Milliaris Germanici Doneſchinga, Arce ſplendida, Illuſtriſſimorum Dominorum Comitum ſede & Danubij fonte inclyta, diſtans, huicque meridiem verſus oppoſitus. Proxime pagum illum ſub colliculo declivi, in prato lætiſſimis paſcuis abundantiſſimo, Fons undis largis exoritur, & limpidiſſimo amne, flexuoſo itinere ſub arce Doneſchingenſi, in Bregam fluvium, ubi cum Briga flumine & Danubij rivo jungitur, ſe exonerat & cum utroque Danubij nomen induit. Ad ripas hujus Amnis atque alibi in pratis vicinis, aliâs herbis ſalutiferis, ſc. biſtorta, pimpinella ſanguiſorba Italica capitulo rubro prædita, ſucciſa, acetoſa aliiſque refertiſſimis, ubi aquarum vivarum ſcaturigines (quarum plures hic reperi) exiſtunt, Cicuta Aquatica naſcitur, quam ob locum nativitatis & affinitatē ac ſimilitudinem maximam figuræ externæ & virium cum Cicuta vera, hoc nomine inſigniendam exiſtimavi. In locis uliginoſis planitiei hujus ampliſſimæ, quæ Neidingam, ubi Monaſterium Monialium eſt, & ulterius in oppoſita Dannubii ripa, ad arcem Wartemberg & Guttmandingam ultra Milliare Germanicum extenditur, Cicutam hanc nuſpiam quamvis ſæpius hanc planitiem, quam ob uliginem *Das Riet* vocant, undiquaque tranſierim, inveni, nec Hortulanus Doneſchingenſis horum locorum & plantæ gnariſſimus unquam obſervavit: ac ſi ſolum aquis purioribus & limpidis gauderet, à ſtagnantibus vero & putridis abhorreret. Cicutæ hujus aquaticæ radix alia facie primo vere, poſtquam ſoluto gelu arva liquescunt, alia æſtate, cum lætius omnia virent, apparet; ſub finem enim hyemis atque in veris principio Radix effoditur ῥαφανώδης ſeu tuberoſa, nonnumquam palmam cum dimidia longa & uncias tres imo quatuor ſecundum diametrum craſſa; quandoque brevior & gracilior: in ſuperficie videntur circuli ipſam ambientes, quorum in una radice nunc quinque, nunc ſex, nunc ſeptem, aliquando plures, aliquando pauciores numeravi; his circulis ſcrobiculi lentis, ſeminis milii, aut Capitelli acus capaces ſeriatim inſculpti ſunt, qui non pervii, ſed ſuperficiarii exiſtunt. Portio radicis hybernæ extra terram prominens atque ei vicinior vireſcit, profundius terræ immerſa albicans eſt. Hâc ſecundum longitudinem diviſâ caro candida, pulpoſa, Tuberibus terræ ſimilis conſpicitur atque cellulæ quædam, inter circulos ſitæ occurrunt, aqua limpida plenæ, quæ à membrana pulpæ ſimili, ceu diaphragmate, invicem diſtinguuntur. Ex poris carnis pulpoſæ, maxime in ambitu, quæ corticis, licet non ſeparabilis, ut in rapis aut raphano, aut ſimilibus, exſudat liquor flavus, per noctem relictus ruſeſcens & quaſi reſinoſus evadens, qui primum dulcis mihi videbatur, mox tamen linguam acrimonia quadam pupugit, ſed non tam durabili, nec tam mordaci, qua Arum linguam, fauces & palatum imbuere ſolet: odorem ſpirat ſimilem paſtinacæ ſilv. aut Hippoſelini, ſed ut ego putaram, jam virulentiæ conſcius, magis nauſeabundum & horridum. Vere adultiore & Æſtate ad Autumnum uſque ex radicis tuberoſæ circulis ſeu Coronis, ut etiam ex reliquo Corpore hinc inde quædam radices oblongæ & geniculatæ, quædam rotundæ & glabræ prodeunt, ſimiles radicibus Hyoſciami; ambæ terræ profundius immerſæ, albæ, ſuperficiei propiores, virides; Craſſitie quædam parvi digiti, quædam graciliores; quædam duas Palmas longæ, quædam breviores. Inſuper tum imprimis ex Circulis corporis tuberoſi aliiſque ejus partibus, tum ex radicibus glabris & geniculatis enaſcuntur Filamenta duabus palmis longiora, Craſſitie fili contorti, quandoque graciliora, pilis aut ſetis vix craſſiora, quæ intermediis plurimis fibris, à ſe profectis mire intertexuntur & intricantur atque elota barbam prolixam & denſam albicantem, Venerandi canitie ſenis, referunt: horum filamentorum potior pars nuda omniſq; terræ expers in amnem propendet, pars terræ vicinæ raræ & uliginoſæ infigitur, ex qua niſi vicini graminis radicibus implexæ ſint, ſine magna vi integræ evelluntur: in umbra detentæ aliquandiu, candorem amittunt atque ad flavedinem quandam vergunt. Non autem ſolummodo Radices majores hæc

tria

tria radicum genera emittunt, ſed etiam minores & vix nucem juglandem ſuperantes. Caro radicis tuberoſæ æſtate denſior & compactior eſt quam in vere, ſucculenta tamen pluſque humoris ex poris ſudans, ſed aquei, qui repoſitus flavior evadit, non autem rubicundior, aut glutinoſior, ut in vere quiete redditur. Eundem quoque liquorem ſtillant radices glabræ & geniculatæ, filamenta vero, ceu corpuſcula denſiora, firmiora & aridiora, poſtquam omnis aqua excuſſa fuit, nullum in minuta fruſtula conciſa liquorem præbent, quamvis acrius adverſo nidore, quam cæteræ hujus plantæ partes, nares feriant. Caules ex radicis tuberoſæ ſummitate, & ſcrobiculis circulorum plures oriuntur; quidam etiam ex radicibus geniculatis propullulant; per has enim non ſecus ac Arundines & Calamus Aromaticus, ſimileſve plantæ, Cicuta hæc ſe propagat.

Prope radices Caules & paulo altius emergentes aliquo uſque albeſcunt & ſtriis rubris decorantur; in progreſſu vero uſque ad cacumina vireſcunt; Excreſcunt ad altitudinem duorum Cubitorum: imo æſtate 1672. altiores vidi: prope radicem tuberoſam craſſiores ſunt Infantis Brachio: Geniculati ſunt & quaſi corona circumdantur, Geniculo uno ab altero plerunque dimidii cubiti longitudine, quandoque brevius diſtante. Ex quolibet Geniculo, ſeu Corona, prodeunt Rami, qui circa ortum ſuum totum caulem ambiunt, ſed quoad tunicam exteriorem finduntur, fiſtula ipſorum integra permanente, ut Cauli medio & aliis Ramo in oppoſito latere emergenti tranſitum concedant; quod etiam in Branca urſina aliiſque ferulaceis videtur. Ramorum cauliculi digito parvo quidam craſſiores, quidam graciliores ſunt; hi in alios minores ſubdividuntur, quorum quilibet ſeptem Alis præditus eſt. Alarum quælibet tria, quinque vel ſeptem Folia obtinet, ut Cicutam hanc verè frondoſam appellare liceat. Foliorum quædam duabus unciis longiora ſunt, profunde inciſa, in extremitate acuminata, non ſecus ac Cicutæ & petroſelini, levia, virentia, minus tamen obſcura Cicutæ Foliis, & magis tenera quàm petroſelini adultioris exiſtunt. Flores in umbellam collecti in ſummitate caulium & Ramorum quorundam, jam Menſe Majo prodeunt & adhuc conſpiciuntur tota æſtate & circa finem autumni: nimirum in Cacumine caulium & Ramorum quorundam rectâ ſurſum ſcandunt pediculi palmares, duodecim, ſedecim, etiam octodecim; quilibet illorum in petiolos graciles & vix unciales ſubdividitur, quos prope pediculum filamenta viridia herbacea cingunt & in illorum ſummitate excreſcunt Flores albi, compoſiti ex Foliolis minutis albis cordis figuram habentibus & ſtaminulis quatuor vel quinque, in apice globulum acus parvæ capitelli magnitudinem obtinentibus. Floribus decedentibus, in cujuslibet Floris loco Semina duo ſibi oppoſita enaſcuntur, magnitudine & figura ſemini petroſelini non abſimilia; quæ hactenus ſemper viridia vidi. Caules & Rami rotundi & fiſtuloſi uſque ad pediculos exiſtunt, exceptis locis ubi geniculati ſunt: intus albi & tomentoſi. Intra quorundam caulium cavitatem integram nullibique hiantem aliquando inveni alios Cauliculos jam Foliis, ſed in glomerem coactis præditos. Caulibus & Ramis per medium ſectis liquor aqueus quoque exſudat, qui poſtea in lentum & ſubflavum mutatur. In caulibus quibuſdam majoribus, ſeu vento, ſeu alia cauſa violenta fractis, vidi ex vulnere glutem quoddam, inſtar gelatinæ pellucidum, puriſſimum & albicans, nucis juglandis magnitudine pendere, quod tenax & viſcidum digitis adhærebat, ut in fila trahi potuerit, guſtu primum inſipidum & aqueum, at paulo poſt linguam, ſed non diu mordebat. Cicutæ hujus caules hyeme circa Radices putreſcunt ac decidunt, novique ex illa non profundè terræ raræ & uliginoſæ ad ripas amnis inhærente, appropinquante Vere, regenerantur.

Cum circa finem Martii 1670. Jumenta aquatum è pago ad fontem ducerentur, Ripas amnis calcando Radices Cicutæ hujus, cauliculis cum foliorum germine jam protuberantibus, in apricum produxerunt. Tunc temporis Pueri duo & ſex Puellæ paulo ante meridiem ad fontem & pratum, per quod amnis præterlabitur, excurrerunt, & conſpecta Radice non maleſuadæ famis juſſu, ſed petulantis luxuriæ imperio, rati paſticanam luteam eſſe, de illa avide comederunt, & quædam Puellæ ex illis Radicem cæteris à dulcedine & ſuavitate commendarunt, unde imprimis Pueri largius illam devorarunt, & læti domum properarunt: unaque ex Puellis Matri lachrymabunda querebatur ſibi à ſociis avarius Radicem ſuppeditatam fuiſſe.

Jacobus Mader, puer ſex annorum, capillis albis præditus, tener, vegetus tamen, domum rediit hilaris ac ſubridens, quaſi re bene geſta, paulo poſt conquerebatur de præcordiorum dolore, & vix verbum effatus, humi proſtratus urinam magno impetu ad Viri altitudinem eminxit; mox terribili aſpectu, cum omnium ſenſuum abolitione convulſus fuit, os arctiſſime clauſit, ut nulla arte aperiri valuerit, dentibus ſtridebat, oculos mire diſtorquebat, ſanguis ex auribus promanabat: circa præcordia tumidum quoddam Corpus pugni virilis magnitudine Patris afflicti manum & miſerandi Pueri præcordia, maxime circa Cartilaginem enſiformem, validiſſime feriebat: ſingultiebat crebro; Vomiturus quandoq; videbatur; nihil tamen ore arctiſſime clauſo ejicere valuit: artus mire jactabat & torquebat, ſæpius caput retrorſum abripiebatur, totumque dorſum incurvabatur in arcum, ut puellus ſubtus per ſpatium inter dorſum & ſtratum inoffenſe repere potuiſſet. Ceſſantibus convulſionibus per momentum matris opem imploravit: mox pari ferocia illis redeuntibus nulla vellicatione, nulla acclamatione, nullove alio ingenio excitari poterat, donec viribus deficientibus expalluit & manu pectori admota exſpiravit. Durarunt hæc ſymptomata vix ultra horam dimidiam. Poſt obitum imprimis abdomen & facies intumuerunt abſque livore, niſi pauco circa oculos conſpicuo. Ex ore cadaveris uſque ad horam ſepulturæ ſpuma viridis largiſſime emanavit & quamvis ſæpius à Patre mœſtiſſimo deterſa fuiſſet, mox tamen nova ſuccedebat.

Catharina Maderin, Jacobi Soror adultior,

poſtquam Frater convelli cœpit, ad Patrem non procul à pago arantem properavit fratriſq; infortunium indicavit ac Patrem domum feſtinantem concitato curſu ſequuta eſt. Poſt Fratris obitum poſt fornacem ſedens & ipſa ſe male habere querebatur. Vix dimidiâ horâ elapſâ manipulum integrum radicum devoratarum evomuit: mox Epilepſiâ verâ corripiebatur cum ſenſuum omnium abolitione & terrifica capitis, artuum & totius trunci ſucceſſione & torſione. Pater ipſi os clave effregit & Theriacam Venet. aceto ſolutam infudit, unde iterum manipulum harum radicum evomuit. Poſtea horis 24. ceu mortua in lecto jacuit brachiis compoſitis & pedibus quietis; dentibus tamen ſubinde ſtridebat, ſubinde quoque inclamabat Matrem; quando verò Mater reſponſum dederat, aut ipſam aliàs alloquebatur, Puella continuit, nec audire videbatur: Novem horis Puellam plane emortuam Parentes crediderant, facies enim cadaveroſa & reſpiratio ipſorum opinione inſenſilis erant, extremaque frigebant: Imo Parentes adhuc dum illam vere mortuam opinantur & vitam ſe Voto nuncupato debere perſuaſæ ſunt. Poſt horas 24. ad mentem rediit; at diu ob linguam morſu vulneratam commode nequiit edere: diuque de præcordiorum dolore querebatur: obambulavit quidem ſed per quatriduum delaſſata. Nunc bene valet; nullaque labes in Viſu, quamvis convulſiones oculos graviter torſerint & propemodum extra orbitam expulerint, nec in auditu animadvertitur. Eſt Carnoſa, vegeta nec quicquam imbecillitatis in hunc uſque diem paſſa eſt, ac ſi nunquam de radicibus iſtis comediſſet.

Maria Maderin, annorum duorum cum dimidio comedit quoque de radicibus, ſed parciore manu: itidem Epilepſiâ corripiebatur, ſed non tam atroci ac Frater & Soror. Pater ipſam ulnis geſtans à tumore intra præcordia ſenſit magna vi, ceu à pugno, diaphragma percuti, unde ſingultiit, ejulavit, facies erubuit; mox ſtrinxit, artus jactavit ſenſuſque amiſit. Vi ore aperto & Theriaca aceto ſoluta ingeſta, manipulum dimidium harum radicum evomuit. Intra horas octo penitus convaluit: die ſequente obambulavit, comeditque, Carnoſa & robuſta eſt, nec quicquam adverſi hactenus paſſa eſt.

Matthias Graff, puer annorum octo, Jacobo Mædero ad extremum uſque halitum adſtitit ac ſe quoque radices comediſſe jactavit, nec tamen quicquam incommodi inde ſe ſentire gloriabatur. Poſtquam vita defunctum ſocium vidit, domum ſuam abiit; antequam paternas ædes attigerat, ſuper lapidem ſedere præ quadam vertigine cogebatur: vix ſubſidit, pronus in faciem ruit: ſine ullius ope ſurrexit & ceu temulentus domum properavit ac in ſcamnum prope fornacem decubuit; mox inde à motibus convulſivis in pavimentum hypocauſti, diſtantiâ paſſus, præcipitatus fuit. Iterum ſurrexit atque per aliquot paſſus vacillante greſſu incedit & poſt menſam ſcamno incubuit, inde rurſus ſubtus menſam dejectus fuit: protractus terribiliter convellebatur, cum arctiſſima dentium conſtrictione: Imprimis aſpectu horribilis erat ὀπισθότονος; dum cultri manubrio quidam aſtantium dentes diducere conabatur, aliquot dentium fracti fuerunt: infuſam Theriacam aceto ſolutam ob gulam pertinaciſſime occluſam deglutire nequiit. Corpus intra præcordia tumidum vehementiſſime & validiſſime diaphragma percuſſit, ut à manu Viri robuſti nec reprimi nec impediri potuerit, cum ſingultu quodam ſonoro. Paroxyſmus iſte Epilepticus tantâ violentiâ ad dimidiam horam, ſine ullis induciis continuabatur: nihil neque per vomitum, aut ſeceſſum excrevit, neque eminxit, donec viribus exhauſtis exſpiravit. Poſt obitum abdomen & totus habitus intumuit ut veſtibus exui nequierit: ſpuma viridis larga ex ore indeſinenter emanavit, donec terræ credebatur. Facies circa oculos liveſcebat; in reliquo corpore, præter inflationem nihil obſervabatur.

Chriſtina Græfin Soror, annorum novem, de radice quoque, ſed parce comedit; quod primum negaverat. Ad veſperam uſque nihil mali paſſa eſt: nocte ingruente poſt fornacem ſedens ſibi ægre fieri & cadendum eſſe dicebat & radices ſe quoque devoraſſe fatebatur, indeque circa præcordia dolere cum ſenſu punctionis & ardoris ibidem: poſtea convellebatur. Pater harum calamitatum ignatus opportune veſperi domum rediens foliaque Tabacci minutim conciſa in promptu habens, quantum duo acetabula fiſtulæ, qua ejus fumus hauritur, capiunt, aquæ fontanæ permiſcuit ac dentibus vi deductis Puellæ infudit, unde liquorem infuſum cum radicibus mox violentiſſime evomuit: in lectum repoſita quievit, poſt breviſſimam quietem eſuriit, cibum petiit ſibique bene eſſe dixit: attamen pater radicum reliquias ſupereſſe ſuſpicatus, cibum denegavit: interea verò eandem doſin foliorum Tabacci aquæ fervidæ per horam dimidiam infudit & colatum liquorem ebibendum porrexit, unde iterum non ſine violentia mucum & bilem ſine ullis radicum reliquiis evomuit, jejuna tota nocte dormivit, mane læta ſurrexit, obambulavit & hucuſq; ſaniſſima vixit.

Martini Mülleri Filia & *Georgii Maureri duæ Filiæ*, gemellæ annorum quinque de his radicibus quoque comederunt, ſed parca manu. Tres iſtæ Epilepſiam, ſed mitiorem paſſæ ſunt. Data Theriaca in aceto ſoluta omnes vomuerunt & brevi penitus convaluerunt.

Catharina Weberin & *Georgii Maureri Filia* tredecim annorum die 29. Auguſt. 1671. narrarunt mihi ſe quoque has radices deguſtaſſe, ſed ſine noxa, quæ alicujus momenti eſſet. Incolæ Pagi iſtius retulerunt mihi nec Equos nec jumenta Cicutam aquaticam frondentem attingere, nec ſiccata veſci illamque illibatam in præſepi linquere, niſi ſumma fame ad comedendum adigantur. Ante aliquot annos magnam porcorum jacturam fecerunt, cauſæ ignari; nunc omnem culpam huic radici deferunt, quamobrem poſtquam ipſis virulentia ejus ex puerorum pernicie innotuit, undiquaque illam exſtirpant, ut jam rarior occurrat.

Cicutæ Aquaticæ datæ Hiſtoriæ.

1. Cani moloſſo robuſto, cujuſmodi laniones ad urgenda jumenta, pecora & vitulos in itineribus adhibent, d. 1. Sept. 1676. horâ 2. pomeridianâ objeci cicutam aquaticam minutè conciſam & contuſam, carni vitulinæ aſſæ involutam;

tam; verùm ſtatim ſubodorato veneno bolum hunc guſtare noluit, aliam buccellam carnis ſolius mox devoravit. Itaque ligatis pedibus, ore bacillo diducto, radicum iſtarum contuſarum ℥i. circiter intrudi, nares digitis compreſſi, unde dimidiam circiter unciam deglutivit. Poſt dimidiam horam ſalivavit & ſubinde eructavit: capite tremuit: aliquantulum pedibus vacillavit: nullum aliud ſymptoma notatu dignum ſupervenit. Circa 7. veſperi catenam, quâ arbori in horto alligatus erat, ſæpius momordit. Per noctem in horto relictus vinculum coriaceum morſu tandem perroſit ac cum catena ferrea aufugit, danubiam tranavit: d. 3. Sept. alacris hinc inde per vicum curſitavit, ac ſi nec vel minimum à cicuta paſſus fuiſſet.

2. Domius *Joh. Chriſtophorus Simonius Tubingenſis*, Chirurgus præſtans d. 8. Sept. 1676. cani juvenculo famelico, cui cibus 24. horis denegabatur, radicum à me relictarum, minutim conciſarum, citra additamentum, ultra unciam intrudit. Poſt elapſam horam dimidiam ſalivavit, vomuit, ſpuma pugni magnitudine ex ore pependit: mox miſerè ipſum torſit, varie convulſus fuit, nunc opiſtotono, nunc emproſtotono, nunc tetano; nunc oculos pervertebat, quandoque jactabatur: convulſionibus aliquantum remittentibus angebatur, ut in nullo loco manere poſſet; in greſſu titubavit, & paulò poſt rurſus in alterutrum latus præcipitatus ruit: duravit afflictio duabus horis. Poſtea vires recuperavit, alacrior evaſit. Hinc denuo aliam radicum portionem ingeſſit, ſalivam ſtatim movit, non vomuit, ſemel alvum ſolvit. Convulſionibus per vices affligebatur: ſurgens protinus in latus præcipitabatur: omnem cibum, etiam carnes, & potum faſtidiit: ſupervixit ad diem tertium uſque: ad ſecundam uſque horam ante obitum ſubinde agitabatur, angebatur, ut nullo in loco permanere poſſet: incedens brevi in latus cecidit. Ultimis vitæ horis, ceu feſſus, jacuit, ſolummodo reſpiravit, donec exſpiravit.

Cadavere aperto ventriculum plane conſtrictum & corrugatum invenit: continuit ille radices integras, non comminutas nec emollitas; quales ſc. intruſerat; cætera prorſus vacuus & exſuccus fuit: deterſo pauco muco, vidit internam ſuperficiem rubicundiorem debito, & in fundo, ubi præcipuè jacebant fruſtula radicis, maculæ rubræ liveſcentes apparuerunt, foris ampliores quàm in ſuperficie interna ventriculi. Inteſtina prorſus erant vacua, contracta, & intus veluti ſicca: in fine recti mucum viridem reperit. Veſica parva, corrugata, vacua. Ventriculi cordis pleni erant ſanguine nigro concreto.

3. Eodem tempore lanionis moloſſo eandem radicem minutim conciſam cum lacte ingeſſit; ſalivam movit, vomitum excitavit, quo radicem aliaque contenta ventriculi largè ejecit; non convellebatur; nec quicquam ſiniſtri poſtea paſſus eſt.

4. Cicutæ aquaticæ virus experiundi otium & occaſionem nactus Doneſchingæ d. 15. Sept. 1676. canem vetulum, mediocris magnitudinis, coloris fuſci, cætera vulpi ſimilem, à tempore veſpertino ad horam 10. antimeridianam d. 16. Sept. ab omni cibo & potu jejunum detinui: tum cicutæ aquaticæ recentis radices contuſas, unciarum quatuor pondere, pedibus ligato & ore piſtillo diducto, intrudi; ægerrimè radices in ventriculum admiſit, & iteratis vicibus diu in gula detinuit, ut partim naribus occluſis, partim foris, gulam deorſum fricando, illùc promovendæ fuerint. Cum ligabatur ac radicis intruſione vexabatur, largiſſimè alvum & veſicam exoneravit. Vinculis ſolutus, aliquandiu angi videbatur ac celerius reſpiravit, ſed inde nec vomuit nec alvum ſolvit; paulò poſt vegetus iterum evaſit, ac ſi nihil adverſi prorſus pateretur. Itaque horâ primâ pomeridianâ radices in taleolos & majora fruſta conciſas, mediante bacillo, linteo obvoluto & oleo imbuto, ultra quatuor uncias intrudimus. Vinculis ſolutus aliquandiu celerius reſpiravit, quod potius torturæ quam radicis virulentiæ tribuendum erat, nam in aliud conclave ultra quinquaginta paſſus deductus, nunquam nutavit, neque ullum viſceris alicujus afflicti ſignum edidit ad 10. uſque veſpertinam: circa illud tempus crebro ad vomitum ſtimulabatur, atque liquor aliquis uſque ad fauces trudebatur, quem tamen protinus rurſus deglutiit: totâ nocte quietus fuit. d. 17. Septemb. mane vegetus erat, nunc ſurrexit, nunc rurſus decubuit, appoſitam aquam bibere noluit. Hora 9. matutinâ rurſus ad vomitum urgebatur, liquorque uſque ad fauces pertingebat, quem ſtatim iterum deglutiit: poſtea crebro pedes lingere cœpit: Horâ 12. carnes & fruſtum panis cum oſſibus avidè comedit & paulò poſt bibit: quod itidem fecerat horâ 7. veſpertinâ noctu inquietus erat, & vinculis, quibus ne aufugeret, conſtrictus erat, ſe liberare conabatur, aut quiritabatur. d. 18. ſept. vividus erat ac validus, ac ſi ne micam radicis accepiſſet: ſiticuloſus multum aquæ bibit, & comediſſet, ſi cibus datus fuiſſet. Itaque horâ 10. antimeridianâ conſtitui ſuccum ex herba & radicibus contuſis, & aquâ fervidâ aliquamdiu maceratis, fortiter expreſſum infundere: dum pedes vinculis ſtringuntur, piſtillum ori tranſverſim inditur, magnâ vi ligamenta rumpit, venatorem morſu graviter vulnerat, ac fæces atro vireſcentes in cylindros compactas, copioſè egerit & largiſſimè mingit. Tanto robore recuperato, poſt aliquot dierum famem, & ſuperatâ cicutæ virulentiâ, vix & non niſi poſt multos labores ligando, ad infuſionem aptari potuit. Infudi tandem ante undecimam hujus liquoris plus quàm libras duas. A liquore infuſo abdomen valdè intumuit. Poſtquam vincula maximam partem ablata fuerunt, largiſſimè vomuit mucum tenaciſſimum, ſubnigrum, allium redolentem cum aliquot radicum cicutæ taleolis emollitis, ſed non diſſolutis, quos ultra ſeptuaginta duas horas intra ventriculum continuit. Circa duodecimam crebro præ anxietate ſitum mutavit, nunc ſedit, nunc in ventrem, nunc in latus decubuit, nonnunquam prono capite diù attonitus ſtetit: paulò poſt ſaliva ſpumea copioſè ex ore manare cœpit, non ſecus ac ſi mercurius vel illitus vel ingeſtus fuiſſet.

Ante primam pomeridianam mucum album, penitus ſpumeum, ſimilem ſalivæ ex ore ſtillanti, copioſum, magno nixu evomuit: ab il-

lo

lo tempore ſalivatio parcius eveniebat: valdè angebatur; ſæpe ad vomitum ſtimulabatur; reſpiravit celeriter cum ſono quodam triſti & querulo: ſitum ſæpe mutavit, ut quo ſe verteret, neſciret; Poſt 3. pomerid. rurſus mucum copioſum, ſpumeum, atro-vireſcentem, cum aliquot taleolis Radicis Cicutæ 16. Sept. intruſæ, magno nixu evomuit. Ab illo tempore ad 10. noctis ſæpiſſimè ad movendum urgebatur, at liquorem & quicquid ad fauces uſque protrudebatur, nunquam amplius egeſſit, plerunque gemebundus exſpiravit, ferè decubuit, omnibus tamen ſenſibus valuit, & irritatus baculum morſu petiit: accedentes fixis oculis intuebatur, & ad quemlibet ſtrepitum attendebat: ructus & crepitus fœtidiſſimos, allium redolentes, crebro emiſit. Cibum ſc. Bubulam elixam, & fruſtulum pellis cervinæ, in quo receptaculum lachrymæ continebatur, circa ſeptimam deguſtare noluit, & naribus propius admotum; averſabatur, Totâ nocte ferè inquietus fuit: audivi aliquoties vinculum ferreum, quo pedi menſæ alligatus fuit & totum corpus ſuccutere: an aliquid convulſivi paſſus fuerit? præ denſiſſimis tenebris videre nequii: mane tamen d. 19. Sept. circa quintam ipſum lorum, ubi coriaceum erat, avulſiſſe & cibum in cœna appoſitum devoraſſe, comperi. Valdè tum languidus erat, minuſque alacris, unde facilè paſſus eſt ſe denuo menſæ alligari: Vomituriebot ſæpiùs, nihil tamen excrevit; reſpiravit adhuc ſono querulo. Circa 7. matutinam ulterioris moræ impatientes, funiculo collo circum poſito, ipſum ſtrangularunt: vix ſuffocari potuit, & ſtatim in principio funiculum, vehementiſſimè corpus agitando diſrupit, parùm minxit: per alvum præter flatus nihil emiſit. In cadavere ſequentia obſervatu digniora notavi. Primùm abdomine aperto, omnia intus verè fervebant, imprimis epar attactu admodum calidum erat; ventriculus non admodum diſtentus fuit, dum adhuc calebat, poſtquam frigeſieri cœpit, magis intumuerat: inteſtina maximam partem gracilia, contracta & corrugata, etiam rectum, videbantur: Cœcum turgidius fuit: ſuperficies ventriculi externa ex albo rubeſcebat: inteſtina albicantiora fuerunt: epar erat atro rubeſcens: pancreas ſolito rubicundius: lien longe pallidior hepate. Renes à ſolita facie non deſciverunt: veſica diſtentiſſima & lotio flavo impleta fuit. Vaſa ejaculatòria abſciſa inſtar vermium corrugabantur. Pectore reſerato omnia quoque intus æſtuabant: pulmones in ſiniſtro latere utrinque non penitus ſubſiderunt, ſed aëre adhuc aliquantum turgebant, adeo ut veſiculæ in lobis ſiniſtri lateris videri poſſent; non tamen ita inflati ut vel tertiam cavitatis partem vix adimplerent: in ſiniſtro latere ex albo rubeſcebant; in dextro intenſè rubri fuèrunt. Cor ſanguine admodum turgebat. Gula valdè inflata & foris admodum rubicunda fuit. Dum in chyli receptaculo ferè inani & non niſi paucâ lymphâ prædito occupor, ac inteſtina cum ventriculo & gula eximo, cor perfriguit: inciſo dextro ventriculo omnis ſanguis in illo, & auricula in grumum magnum, atrum potius quàm rubicundum, ſed facile diſſolubilem concrevit: ſimilem in ſiniſtro, ſed multo minorem inveni. In vena cava aſcendente & deſcendente ſanguis maximam partem fluidus, & non niſi ille grumoſus fuit, qui cum cordis grumis continuus erat: alibi ex vaſis ſanguiferis ſauciatis emanavit ſanguis fluidus, intenſè rubicundus & ad nigredinem aliquam vergens. Veſicula Bilaria plena erat Bile valdè flavâ, viſcidiſſimâ. Inciſâ gulâ erupit fœtor, tetrum allii fœtorem ſpirans: intus prorſus alba fuit, muco pellucido oblita: ſulci recti. Ventriculo à ſtomacho ad duodenum ſecundum longitudinem inciſo, circa ſtomachum occurrit aqua turbida; in fundo inveni aliquot Radicum taleolos; quam plurimos pilos, quorum quidam jam in pilam nuce juglande majorem compacti fuerunt, plures per univerſam ſuperficiem ventriculi ſpargebantur, atque intra anfractus abſcondebantur; omnes ſimiles erant illis quibus canis tegebatur; fruſtulum pellis cervinæ pilis adhuc conſitæ; fruſtulum pinguedinis condenſatæ magnitudine avellanæ, denique plurimum muci, cui etiam pili involvebantur & reliqua ejus contenta: mucus iſte qui in ejus cavitate fluctuabat, turbidus erat, albus potius quàm flavus, aut atrò vireſcens; nec ſpumeus fuit. Circa pylorum in antro ad unciæ unius latitudinem mucus croceus, ſed paucus hærebat. His omnibus ſublatis anfractus comparuerunt, muco pellucido tenui obducti; qui deterſus protinus, ceu è poris pulſus, novus repullulabat, etiam citra compreſſionem forinſecus factam. Intus anfractus omnes, maximè in fundo, tum in parte prominente, tum intra interſtitia rubebant; alicubi, imprimis in interſtitiis apparuerunt maculæ intenſius rubræ, quàm ipſi anfractus erant, quæ fere in locis tribus exulceratæ fuerant. In principio antri pylori prominuit tuberculum valdè rubrum, piſi magnitudine, in cacumine propè exulceratum: Reliqua pars antri, ipſeque pylorus non rubebant, ſed albicantes manſerunt poſt elotam flavedinem. Inteſtina ſex ulnas longa, omnia craſſiora ſolito erant, forte quia vacua ferè erant, nec ullum diſcrimen obſervavi, niſi quod portio illorum amplior eſſet, tum imprimis ſub pyloro ad ulnæ dimidiæ longitudinem, tum ulterius ad ulnam unam cum dimidia: reliqua vero ad cœcum uſque gracilior. A pyloro ultra duas ulnas illorum cavitas muco flavo, viſcido, pellucido obducta erat; poſtea ultra ulnam cavitas magis coarctata, omniſque muci flavi exſpers erat, ſolummodo muco albo, pellucido, tenaciſſimo obducebantur, nihilque prorſus continebant, quàm aliquot vermes cucurbitinos, ſpithamâ longiores, quaſi ex ſeminibus cucurbitinis ſecundum longitudinem apicibus conglutinati. Ab hac inteſtini portione reliquâ, uſque ad valvulam in fine ilei, muco intenſe Flavo plena erant, cui videbatur aliquid cruoris permixtum: propè illius finem hinc inde excrementa atro-vireſcentia, ſed pauca quantitate apparuerunt, prorſus digeſta, ut cujus rei reliquiæ fuerint vix dignoſci poſſet. Cœcum quod in duos quaſi ſinus contortum erat, quoque multum hujus muci continuit, cum excrementis paucis, ſuperioribus ſimillimis. Ejuſdem generis mucus inteſtinum

rectum incruſtabat, & ſub finem illius aliquid excrementorum atrovireſcentium detinebatur, ſed omnino paucum. In toto inteſtinorum ductu; nec minimum fruſtulum, vel oſſis, vel radicis in taleolos conciſæ apparuit, quamvis longè majore quantitate radix ingeſta fuerit quàm vel evomuit binis vicibus, vel in cavo ventriculi reperi. Deterſo muco undique inteſtinorum, ubicunque flavus erat, ibi inteſtina intus inflammata erant; maximè ſub pyloro, & ibi, ubi intenſius flaveſcebat in illa portione ad valvulam uſque, etiam rectum rubebat magis quàm ſolet: obſervavi pleroſque ambitus areolarum, quibus glandulæ circum ſcribuntur, quoque rubuiſſe, ipſas glandulas verò non niſi in paucis locis. Rubebat quoque inteſtinum cœcum intus. Gulam, ventriculum & inteſtina aquâ fontanâ ſæpius mutatâ per triduum maceravi, ut fibras diſcernere & ſeparare, aliaque obſervare poſſem. In gulâ maceratâ ſulci recti pauciores, plures verò transverſi inæquales apparuerunt: foris erant fibræ rectæ: ablatâ membranâ internâ nerveâ, fibræ carneæ obliquæ aſcendentes & glandulæ quàm plurimæ miliares occurrerunt, quibus foras preſſis, interna gulæ ſuperficies glutinoſa & valdè lubrica evaſit, ac in parte externa nihilominùs glutinoſa manſit. Detractâ membranâ nerveâ, à ſtomacho ad pylorum, obſervavi plurimos nervos, imprimis circa ſtomachum & pylorum, eoſque non adeo parvos, validos, non paucos etiam in aliis locis, maximè cica fundum in illam inſeri, atque in illa obliterari & in membranam degenerare: deinde plurima vaſa ſanguifera inter illam & fibras carneas ferri: Inſuper avulsâ hâc membranâ nerveâ à fibris, protinùs omnes anfractus evaneſcere. Præterea dum hæc membrana cum fibroſa cohæſit, compreſſo inter ſeparandum ventriculo, ſemper interna ſuperficies admodum lubrica permanſit, ac muco viſcido pellucido, imò etiam citra compreſſionem, aquæ immerſa, protinus iterum copioſè obducebatur, quamvis nullas glandulas inter hanc & corpus fibroſum obſervarim, quales, in gulâ, membranæ nerveæ foris copioſiſſimè accumbebant: Imò poſtquam illum penitus à fibroſa ſeparaſſem, nihilominùs lubrica manebat; quamvis illam iteratis vicibus fontanâ eluerim, cùm facilè corpus fibroſum ab omni lubricitate hác ratione vindicaretur. Hanc membranam nerveam in plurimis locis inflammatam manifeſtè vidi: aliquot in locis inveni ulcuſcula ſuperficiaria, mitioribus aphthis ſimilia: tuberculum in antro pylori in hac quoque perſtitit, non ulterius progreſſum: videbatur in cacumine exulceratum eſſe. In fibroſo corpore foris per membranam communem transparebant fibræ rectæ, à ſtomacho ad pylorum protenſæ, intus ablatâ membranâ nerveâ, apparuerunt fibræ circulares carneæ, illæque validæ maximè circa medium ventriculi, ut & in antro pylori: à ſtomacho oblique primum ferebantur, antequam planè circulares evaſerunt: aliud fibrarum genus nullum obſervavi. Inflammationem membranæ nerveæ ad corpus fibroſum pertigiſſe nullibi vidi. In toto inteſtinorum ductu obſervavi triginta areolas glandularum tubuloſarum, à pyloro ad valvulam antè inteſtinum rectum, valvulæ coli vices agentis, ſitam; areolarum circulus extremus limbus, altior eſt, & prominulus magis quàm fundus, in quo conſpicua ſunt minuta capitella, acuum ſimilia, ex quorum oſculis, foris inteſtinis compreſſis, exſudat humor albus, turbidus, viſcidiuſculus, qualis ex tubulis in gulâ volatilium, compreſſione prodit. In prima portione ulnari à bilarii ductus inſertione, octo numeravi, dimidii bazii amplitudine, nullam vidi à pyloro ad inſertionem ductus uſque, ſed infra illam demum: In 2. ulna, duas parvas, adeo ut in una quatuor tantum capitella comparuerint: in ulna 3. quatuor majores ovales. In 4. & 5. decem rotundas & ovales: circa finem quintæ ulnæ, inveni tuberculum verrucæ ſimile, in ambitu inflammatum, ſupernè excoriatum. In reliqua portione uſque ad valvulam, numeravi ſex areolas, cæteris ferè ampliores, quarum una quinque uncias longa erat, verùm anguſtior aliis, maximè circa principium. In portione inteſtini valvulæ propiore, aliquot areolarum oblongarum limbi, dimidiam partem inflammatæ erant; glandulæ verò ipſæ nullibi. Ibi ubi areolæ in inteſtinis ſitæ erant; inteſtina luci obverſa, magis perſpicua ſeu pellucida erant, quàm in aliis locis. Inteſtinorum membrana extima, fibris rectis tenuiſſimis prædita erat; ſecunda fibris carnoſis robuſtis circularibus: tertia prorſus nervea, ad quam pertingebant plurimi nervuli, validi ſatis & robuſti, & vaſa ſanguifera, quæ tenuiſſimorum capillamentorum inſtar, ceu reticula areolas ambibant; quarta villoſa ſeu mucoſa, quæ totam internam cavitatem incruſtabat, exceptis areolarũ ſpatiolis, unde ibi inteſtina pellucida. Dum villoſam tunicam abraſi obtuſo cultello, à nervea plurimum liquoris candidi, turbidi, chylo perſimilis ſimul expreſſi, quamvis per triduum ſæpiſſimè inteſtina eluerim, etiam propè valvulam inteſtini recti. Poſtquam tunicas fibroſas inteſtinorum ſuſtuli, Valvulæ Kerkeringianæ prorſus obliterabantur, quæ adhuc conſpicuæ erant, quamvis meſenterium abſtulerim. Abraſâ fortius tunicâ villoſâ, ſimul abripiebantur in areolis glandularum capitella prominula, & loco illorum apparebant oſcula minuta, ſ. papav. alb. capacia: ſi verò nullam vim adhibui, perſtiterunt capitella integra. Inteſtinum cœcum in duas quaſi cellas diremptum, & rectum inſtar ventriculi, intus anfractuoſa erant; præter communem, etiam quatuor tunicas habuerunt, quarum externa fibris rectis, ſecunda circularibus præditæ erant: In recto fibræ rectæ inſigniores erant, quàm in reliquis, circulares quoque robuſtæ & carnoſæ fuerunt: Membranæ nerveæ inſignia vaſa ſanguifera accumbebant: In cœco & recto cruſtacea, ſeu mucoſa, minus villoſa erat quam in reliquis inteſtinis: in cœco nullas quidem areolas inveni, verùm aliquot oſcula glandularum vices præſtantia: in recto nullum neque oſculum, neque areolam obſervare potui, quamvis hoc quoque inteſtinum admodum lubricum eſſet.

5. Circa idem tempus caniculo ſemeſtri, admodùm famelico, appoſuit juſculum carnis, cui Radices cicutæ minutim conciſæ immixtæ erant, *Clariſſ. Dom. D. Johan. Conrad Stenzelius, Medic. Villinganus*; juſculum avidè devoravit, verùm nec vomitum movit nec alvum; debilior quidem inde evaſit, ac internæ afflictionis indicia præbuit, verùm poſt aliquot horas ſu-

perata

peratas integrè convaluit, nec quicquam deterius paſſus eſt, ut narravit Doneſchingæ d. 21. Sept. 1676.

6. Cicuta aquatica Lupo intruſa Doneſchingæ.

Die 4. Junii 1677. lupo, qui octo circiter ſeptimanarum credebatur, ante horam octavam mane, Radicis cicutæ aquaticæ uncias circiter duas contuſas vi digito intrudi; humi poſitus ululavit vagientis inſtar, continuò; exiguam portionem vomitu rejecit abſque magno nizu. Poſt horæ quadrantem magno conamine Radicum portionem evomuit, ſed vix decimam ingeſtarum partem: poſtea diu non amplius nec vomuit, nec ad vomitum ſtimulari videbatur, verùm prodiit ſolùm ex ore ſpuma alba copioſè. Ab illo tempore nutare in dextrum latus cœpit, ac illuc ſæpè caput inclinavit, ac ſi motu convulſivo traheretur. Ante nonam vehementer ad vomitum ſtimulabatur, nihil tamen excrevit, quamvis per gulam ad laryngen Bolus aſcendere & remeare, Brevibus intervallis crebrò videretur: continuante aliquandiu hoc nixu linguam, hiante plurimum ore, longè exſeruit, mox convellebatur, caput retrorſum retrahebatur iteratò, pedes extendebat, ac in hac luctâ alvum exoneravit; non autem minxit: paulò poſt totus rigidus ſine omni motu & ſenſu, reſpiratione penitus ceſſante, jacuit, ut mortuum putarim. Tetanus iſte duravit, ad horæ partem circiter duodecimam. Cùm jamjam cultrum admoturus eram, cor rurſus ſe movere, moxque unum alterumque ſuſpirium edere cœpit, paulatimque reſpiratio, ſenſus motuſque redierunt, atque rurſus vagiit, verùm ſubmiſſa & fractâ voce & oculos aperuit. Poſt nonam conatus vomendi rediit, in quo Bolum iteratis & creberrimis ad laryngen pertingere vicibus vidi, deſcendentem & remeantem breviſſimis intervallis, denuo longè exertâ linguâ, epilepſiâ corripiebatur. In ipſo paroxyſmo abdomen incidi, nullo ſenſus indicio primùm lupo dante: dilatato vulnere, & aliquoties muſculis abdominis & peritonæi ſauciatis, tandem ſenſus indicia præbere motu & vagitu cœpit, ac concitatius reſpiravit.

Penitus denudatis viſceribus imi ventris, ventriculus apparuit valdè diſtentus, tum à Radicibus, tum à Flatibus, ſubinde ſe conſtrinxit ferè in medio, proximè antrum pylori, ut ſulcus ibi videretur & totus anguſtior, minùſque globoſus & æqualis, ſed rugoſior appareret. In collo tunc videbam Bolum verſus laryngem aſcendere, moxque relabi, nihil tamen prodibat ex ore, quamvis linguam non rarò longè exſeruerit; ac ſi ad ſummas fauces jam aliquid perveniſſet. Quando ab amplexu contentorum ventriculus ceſſavit, à levi contactu, ſtylo facto, ſubinde illum repetiit. Inteſtina propè vacua & contracta erant, niſi ſub finem ilei, ubi diſtentiora. Diaphragmatis centrum nerveum in inſpiratione convexum reddebatur, ambitus verò illius carneus, coſtis adhærens, corrugabatur: In exſpiratione totum diaphragma planum evadebat: Exciſo ventriculo & leviculè diaphragmate in centro ſauciato, in inſpiratione unicâ vice valde expandebatur centrum, in exſpiratione, ſpuma per vulnus copioſè cum Radicum fruſtulis in abdomen erupit, ac poſtea diaphragma æqualiter tenſum manſit; ſubinde ore acrem captavit, linguam exſeruit, coſtæ unâ alteráque vice attollebantur & deſcendebant: quod fortiter adhuc pulſavit, poſtquam reſpiratio ceſſavit. Omniſque motus animalis ſubſtitit.

Poſt mortem inveni gulam, Radicibus in cylindrum coactis, à ſtomacho ad mediam ejus partem plenam, reliquum ad fauces uſque, implebatur & diſtendebatur muco ſpumeo, ſubflavo, cum Radicum fruſtulis: circa fauces inflammata erat, fortè à violenta intruſione: in fine una alteraque macula rubra apparuit.

Ventriculus ovi gallinacei amplitudine, plenus erat Radicum, quæ multo muco pellucido involvebantur; ſublatis contentis & deterſo muco anfractus, maximè in fundo & ad latera, rubebant, antrum pylori album fuit, ita tamen ut non procul à pyloro appareret macula rubra.

Inteſtina ſub pyloro ferè vacua erant, continentia unum atque alterum fruſtulum Radicis, oblita erant muco flavo, qui ultra ulnam, nunc magis nunc minus obducebat inteſtina, citra ullum aliud corpus.

In reliquo ductu, ad quadrantis diſtantiam à valvula ilei, mucus copioſior aderat, atro flaveſcens: in portione ad valvulam mucus adhuc copioſior, cum recrementis ſubnigris. Cœcum & rectum prorſus vacua fuerunt. In hepate, renibus & liene nihil dignum occurrit. Veſicula Bilaria turgebat felle flavô. Pulmones albicabant. Sanguis ex cavâ aſcendente emiſſus, pulchrè rutilus fuit, qui brevi in grumos concreſcebat: inflatâ cavâ ambæ auriculæ cordis movere ſe cœperunt, & aliquandiu rythmos continuarunt. Cordis ventriculi ſanguine vacui fuerunt, fortè ob prægreſſas hæmorrhagias & inflationem. Thoracis ductus lymphâ plenus fuit, cum pauxillo chyli: Cerebri ventriculi omnes vacui erant: at quatuor ſinus implebantur ſanguine atro in grumos concreto: ſimilis continebatur in baſi cranii, eo loci ubi rete mirabile reconditur.

7. Die 5. Jun. 1677. Lupæ prioris ſorori uterinæ, magis vegetæ & robuſtiori, ventriculo jam lacte pleno, dedi horâ 8. matutinâ ſucci ex Rad. & herba cicutæ terreſtris contuſis, pauxilloque aquæ maceratis, eliciti ℥vi. circiter. In omnibus planta hæc cicutam referebat, ſc. figurâ, caule maculoſo cavo, foliorum colore obſcuré vireſcente; niſi quod folia averſa, ſplendida eſſent. Hæc puellis venatoris cujuſdam Doneſchingani, non ita pridem, comeſta, penè lethum attulit, vomitum, delirium & convulſiones excitando. Poſt epotum ſuccum incedebat inſtar temulenti: latebras quæſivit, multum dormivit; ſubinde ad vomitum ſtimulabatur; nunquam tamen evomuit, nam ad fauces protruſa deglutiit, aliquoties alvum exoneravit, ejecitque cum vi quadam liquorem viridem ſucco perſimilem. Crebro & multum minxit: ſemper æqualiter caluit: nunquam vagiit, aut dolentis, aut ſitientis, aut eſurientis ſigna præbuit. Horâ 1. pomeridianâ lac

calefactum, digito ori indito, ſugendum præbui, quod avidè hauſit; vellicata inſtar canis ludentis murmuravit, & blandiens latravit. Multum minxit. Dormivit ferè continuò ad 5. veſpertinam: expergefacta multum oſcitavit, ac ſi ſomnum nondum abſolviſſet. Iterum lac mediante digito ſorbendum dedi; digitum tranſverſim, aut recta inditum, tam fortiter linguâ & faucibus undique corripuit, ac ſi digitum deglutitura eſſet. Poſt 6. veſpertinam rurſus iteratis vicibus, viridia & flava cum lacte coagulato excrevit, ac ſi purgans ſumpſiſſet. Tota nocte, ſe poſt velum parietis abſcondens dormivit. die 6. Junii mane horâ 4. famelica me quæſivit, ac catelli inſtar famelici ſequebatur, quorſum cumque greſſus moveram: lactis pauxillo dato ſe rurſus ad quietem compoſuit.

Die igitur 6. Jun. manè horâ 6. ſucci radic. cicutæ aquatic. per noctem in aqua maceratæ, primùm unciam, & paulò poſt ultra uncias duas cum labore infudi: vix quadrante horæ elapſo, ſuccum penè omnem cum muco copioſo & lacte coagulato evomuit, & paulo pòſt rurſus mucum turbidum bis. Aliquoties ad 10. horam nigra ſeu atro vireſcentia, pultacea & viſcida alvo dejecit. Ad vomitum ſæpe urgebatur ac ore hiabat, nihil tamen prodiit, nam ad fauces aſcendentem bolum deglutiit. Diu ſpuma, aut mucus copioſus ab ore pendebat: Tandem ſolummodo ſalivavit multum, ſalivâ tenui, pellucidâ largiter exſtillante. Primum vagiit multum, ſed voce ſubmiſsâ & querulâ: irritata murmuravit. Antè & aliquandiu poſt vomitum temulenti inſtar incedebat, circa 9. verò firmius: latebras quæſivit, Hora 10. antimerid. lac rurſus avidè, mediante digito ex patina ſuxit. Horâ 11. & horâ 1. pomerid. cum vivida & vegeta eſſet, qualibet vice ultra unciam radicis cicut. aq. maceratæ in fauces trudi; poſt horam dimidiam pluſquam dimidiam unciam evomuit: per alvum quoque bis egeſſit plurima fruſtula radicis emollitæ, cum muco turbido, fuſco. Minxit hactenus ſatis adhuc valida, incedebat, ſolito more latebras quærens: æqualiter calida. Horâ 2. pomerid. dedi radicis cicut. aquaticæ non maceratæ, parùm in umbra ſiccatæ & minutim conciſæ, unciam circiter, paulò pòſt ad vomitum urgebatur, ſolâ ſpumâ ſuccedente, quàm ſæpiùs os lambendo rurſus deglutiit: crebrius urgente vomitu, tandem fruſtulum unum alterumque protrudit. Alvum aliquoties exoneravit, ac cum muco fuſco, turbido radicum maceratarum plurima fruſtula excrevit. Hactenus rariſſimè vagit, ſæpius ſe quaſi ad ſomnum compoſuit, ut dormire videretur: æqualiter caluit: oculos ſplendidos huc uſque retinuit.

Circa horam 4. veſp. res ipſius in deterius labi cœperunt. Abdomen intumuit, inſtar temulenti inceſſit: ad vomitum ſtimulabatur: antequam vomeret, abdomen iterato valdè contrahebatur, ſubitum & validum clamorem edidit, os ampliſſimo rictu dilatavit ac ſi oſcitaret; mentum ad capulum ſterni propè acceſſit; in hoc nixu primùm ſpuma prodiit, poſtea ſequebantur fruſtula radicis non maceratæ, parum immutata & ſolummodo emollita, mucus item pellucidus. Uſque ad horam ſeptimam aliquoties alvum ſolvit, fæces erant maximam partem radices maceratæ, mucus fuſcus, viſcidiſſimus, turbidus, cui aliquid cruoris immixtum erat. Copioſè minxit, quod toto hoc die unquam factum fuiſſe non obſervavi: inceſſus erat languidior. Lac ori illitum deglutivit quidem, ſed mox vomitus ſequebatur. Interea multum quievit, ſomnum ſimulans, adhuc æqualiter calida: attrectata protinus evigilavit, ac ad latebras ſuas quantû potuit properavit. Ad ſeptimâ aliquoties alvum exoneravit, fæces erant nunc ſolummodo mucus turbidus, ſubfuſcus, aliquando flavus, nunc radices, quantum obſervare potui, adhuc ex illis, quas aquæ prius infuderam. Minxit largiter: Urina clara erat, ſed flava. Poſt ſeptimam rurſus os magno rictu dilatavit & vomere conabatur, mox minxit, largè emanante urinâ ac ſtatim emiſſo valido clamore, humi vi quadam proſtrata & à pariete cui innitebatur, ultra duos pedes in pavimentum projecta, vehementiſſimè convulſa fuit: Paroxyſmus verè epilepticus erat; caput retrorſum trahebatur, dorſum incurvabatur, artus validè nunc ſuccutiebantur, nunc rigidi evadebãt, abdomen nunc intumeſcebat, nunc contrahebatur, reſpiratio nunc inæqualis, nunc cum ſtertore peragebatur; oculos pervertebat; labra variè deducebantur, cauda mirè agitabatur; in ipſo paroxyſmo per alvum radices excrevit: tandem reſpiratio penitùs intercipiebatur, inſtarque mortuæ rigida jacebat, ſpuma copioſa os obtegente: duravit paroxyſmus ferè ad ſextam horæ partem. Superato paroxyſmo in pedes ſurrexit, per aliquot paſſus inceſſit caudâ pede calcatâ murmur, ceu latratum, edidit, & morſum intentavit: aliquoties ſternutavit.

Vegeta ſatis adhuc ſubinde pedibus inſiſtebat, os & pedes lambebat; aliquoties fæces pultaceas, mucoſas, atro vireſcentes excrevit: ſubinde quoque canis inſtar, capite pedibuſque anterioribus ad latus inclinatis, ad ſomnum ſe compoſuit, rarò vagiit. Poſt 11. noctis paroxyſmus diuturnior & vehementior rediit, quem præceſſit conatus vomendi, cum ampliſſimo & diuturno oris rictu, abdominis contractione, eructatione ſonorâ; item clamor validiſſimus: in ipſo paroxyſmo ſæpius caput valdè pavimento alliſit, per os mucum fuſcum, cum portiunculis radicis non maceratæ protrudit & alvum exoneravit, radicis fuſcæ particulis excretis: ſemel validum quoque ejulatum edidit: reſpiratio inæqualior fuit cum ſtertore, tandem prorſus ceſſare videbatur ac mortuæ ſimillima, copioſâ ſpumâ ab ore pendente. Verùm & hoc paroxyſmo finito vires recuperavit, ac in pedes ſurgere & incedere valuit. Ab illo tempore uſque ad 2. matutinam, propè qualibet horâ dimidiâ ſupervenit paroxyſmus: omnes præceſſerunt oris rictus; ſonus quidam, ac ſi aliquid avidè lamberet, linguâ palatum fortiter feriente & creberrimè, brevibus intervallis: noſtri *Schmertzen* vocant: Clamor validus nunc latratui, nunc vagitui catellorum à matre deſertorum, aut percuſſorum; nunc ululatui, lupis peculiari ſimilis, qui ſæpè tam ſonorus erat, ut aures impensè ferirer & me dormientem excitaret: Aliquando ſingultus; ſæpè etiam eructatio ſonora; abdominis contractio. In ipſo paroxyſmo urinam & alvinas fæces egeſſit: nonnunquam vomuit: ſpumavit copioſè: tandem inſtar mortuæ jacuit ſine reſpiratione: finito paroxyſmo, omnes ſenſus & motum recuperavit, at languida evaſit

& frequentiùs reſpiravit; ſubinde vagiit pedes lambit, ſeque ad ſomnum adhuc componere valuit: Habitus calebat, at naſus & lingua frigefieri cœperunt.

Poſt horam 2. non amplius ſurgere valuit, ſemper alterutri lateri incubuit, artus continuè motu convulſivo ſuccutiebantur; aliquando rigebant, caput quaſſabatur, totus truncus curvabatur retrorſum, non raro antrorſum, cum oculorum perverſione, labiorum torſione: reſpiratio aliquandiu intermittebatur ac propè mortua videbatur, mox tamen oculos aperire & reſpirare cœpit, caput, quietum tenuit, manente motu artuum convulſivo. Hos paroxyſmos præceſſerant quoque vagitus aliqui, ſed voce ſubmiſsâ, oris rictus, vibratio linguæ verſus cœlum palati, ſingultus, eructationes ſonoræ: Videbatur extra paroxyſmos iſtos bolus quidam in colli parte anteriore, à ſcapulo ſterni ad laryngem, brevibus intervallis pelli & rurſus ſuo pondere deſcendere. Inter reſpirandum crebra ſuſpiria edidit: ipſa reſpiratio nunc tardior nunc frequentior evaſit. Paroxyſmos non raro præceſſit rugitus ventris ſatis ſonorus. Tum in his paroxyſmis, tum extra illos, aliquoties per alvum radicum fruſtula excrevit cum muco turbido fuſco; ſubinde minxit, ſed parum admodum: ex ore prodiit vel ſpuma vel mucus. Oculi ſplendidi manſerunt: extrema frigere cum lingua cœperunt, habitu reliquo calido manente. Extra paroxyſmos diſtentum fuit abdomen; quàm primùm verò contrahi cœpit, doloris ſigna edidit, ad vomitum irritabatur ac ore hiavit, protinùs novus aderat. Circa horam 5. d. 7. Jun. mane ante inſultum & in ipſo inſultu, fruſtula aliquot radicis non maceratæ evomuit. Paulò poſt cutim à ſcapulo ſterni ad os pubis & tranſverſim ad ilia incidi, nulla doloris gravioris perpeſſi ſigna præbuit, donec muſculos abdominis & peritonæum diſcidiſſem; tunc enim caput motitavit, artus tetano afficiebantur, vagiit parùm & reſpiratio contentior reddebatur: nihil per alvum aut ex veſica excrevit. Sanguis ex vaſis ſubcutaneis & muſculis abdominis ſplendidè rubeſcens, ſatis copioſus emanavit, ſtatim concreſcens,

Viſceribus ventris in apricum productis, vidi ventriculum valdè diſtentum, ovum gallinaceum magnitudine ſuperantem, anterius æqualem glabrum & propè pellucidum, ita tenſum ut reniteretur. Aliquoties ejus pylorus ſe ita conſtrinxit ut ejus regio minor multum appareret, duruſque admodum inſtar cartilaginei globuli evaſit: aliquando circa principium antri pylori conſtringebat ſe ventriculus, unde minor, rugoſus & carnoſior reddebatur; quàm primùm verò ſe explicuit, primam amplitudinem cum tenſione acquiſivit: pylorus, conſtrictione ceſſante, mollis & amplus evaſit. Ventriculo magis in apricum deducto, vidi partem ſiniſtram 1½ digiti diſtantiâ à ſtomacho pertinaciter conſtrictam, unde ventriculus quaſi ex duobus compoſitus apparuit: Portio hæc trans conſtrictionem anguſtior, carnoſior, & rugoſior erat: ibi quoq; foris inflammationis veſtigia videbantur: relaxata hac conſtrictione parem cum dextra parte amplitudinem & ſuperficiem acquiſivit. Inteſtina flatuum plena erant, ac imprimis in Ileo radicum fruſtula per tunicas tranſlucebant: corrugabantur ſubinde, minora evadebant ac valde lente movebantur. Cœcum amplum incurvum, tenſum a contractione non advertenter facta minus & duriſſimum, inſtar cartilaginis, evaſit: In illo vidi maculas & strias minutas albas, ac ſi venis lacteis præditum eſſet. In omnibus apparuerunt foris veſtigia inflammationis. Hinc inde quoque in illorum ſuperficie, maculas quaſdam latiuſculas albas aliquantulum prominulas, ſub quibus glandulæ inteſtinales, reperi. Hepar ſplendide rubuit: Veſicula fellis bile plena erat ac ſi ne guttulam bilis effudiſſet: erat vitellina. Lien ſaturate rubicundus videbatur. In meſenterio nullum vitium obſervavi. Renes pro animalis magnitudine majores: Carunculæ papillares rubræ. In pelvi parum urinæ aderat. Veſica vacua fuit.

Diaphragma in inſpiratione corrugabatur in ambitu carnoſo, & fibræ craſſæ carnoſæ veluti muſculi lumbricales protuberabant; centrum verò nerveum convexum reddebatur; in exſpiratione planum totum evadebat. Ad latus rejecto ventriculo, in crure diaphragmatis, dum inſpirationem auſpicabatur, vidi illud rugoſius fieri, nec ad modum inteſtinorum ſe movere, quod in animalibus vegetioribus accuratiùs obſervandum. Poſt denudationem viſcerum imi ventris ferè ad ſeptimam horam matutinam reſpiratio perduravit, cum cordis motu, ita tamen ut reſpiratio ſæpè diu intermitteret, ac demum rediret poſt plures cordis pulſationes ſua ſponte, quandoque puncto centro nerveo. Sæpè magno rictu os aperuit ac aërem captavit. Vibrationem diaphragmatis in hac lupa non obſervavi. Emortua illa pectus aperui: Pulmones albicantes erant, & aëre pleni. Cordis ventriculi ambo ſanguine turgidi, ut & vena cava: ex ſauciatâ venâ cavâ & ambobus ventriculis emanavit ſanguis copioſè, veluti liquor aqueus, qui brevi in grumos ſplendidè rubeſcentes concrevit ſibi prorſus ſimiles: neque in cordis ventriculis, neque in vaſis majoribus vel minimum grumulum inveni. Os ſpumâ albâ plenum fuit. Gula longior quadrante ulnæ, indice latior multum muci ſubflavi & ſpumoſi continuit; prope laryngem hæſit fruſtulum radicis non maceratæ: deterſis muco & ſpumâ ſub larynge plurimæ glandulæ minutiſſimis oſculis hiantes, ceu ab acu inflictæ, apparuerunt: ſimiles in reliquo ductu obſervavi uſque ad ſtomachum: quæ magis conſpicuæ evaſerunt, illâ per biduum in aqua maceratâ. Inflammationis veſtigium apparuit luculentum in principio, ubi larynx incumbit & ſub larynge, quam portionem inter intrudendum radices digito attrectaveram: præterea etiam in reliquo ejus ductu hinc inde rubor aliquis ſparſim occurrit.

Gulâ ſeparatâ ventriculus ſtatim ſubſidit, ac dimidia propè parte minor ſeu anguſtior evaſit. Continuit præter radicum non maceratarum fruſtula pauca, ſc. vix ſextam ingeſtorum partem, mucum flavum turbidum, & in antro pylori flaviorem fereque clarum & pellucidum. Ablatis contentis totus anfractuoſus erat, inflammatus maximè in fundo; ad latera minus; circa ſtomachum magis quàm in latere & magis in ſiniſtra parte interiùs, quàm in dextra. Antrum pylori non inflammatum erat, excepto limbo verſus ventriculum ſpectante, qui levicule quo-

que inflammatus erat. Inteſtina duas ulnas longa erant. A pyloro ad ¼ ulnæ mucus flavus apparuit, eo deterſo, minus inflammatum vidi: poſtea ad ¾ ulnæ chylus mucoſus, craſſus, turbidus, minus, flavus cum aliquot vermibus brevibus & latis continebatur, cum pauculis radicum fruſtulis: hinc ultra ulnam dimidiam continebantur plura fruſtula radicum, tum maceratarum, tum non maceratarum, cum muco atro rubeſcente: in his majora, ampliora & conſpectiora ſigna inflammationis apparuerunt. In reliquo ductu uſque ad valvulam in extremo ilei, hujus muci atro vireſcentis major copia, ut & radicum, aderat. Inteſtina ſummopere inflammata fuerunt, imo jam atro rubeſcentia erant, maximè area glanduloſa, 3. digitos longa & digito latior; hoc quoque inteſtinum etiam diſſectum & per biduum aquâ maceratum, retinuit ſuas plicas tranſverſas, ac ſi fortiſſime conſtrictum fuiſſet. Ubicunque major copia radicum detinebatur, ibi intenſior & amplior inflammatio in conſpectum venit, quod imprimis circa ilei finem ad ulnæ dimidiæ longitudinem conſpiciebatur.

A pyloro ad valvulam in fine ilei, quindecim rotundas & duas oblongas areolas glanduloſas numeravi, quæ per biduum aquâ inteſtinis maceratis omnique muco & tunicâ cruſtaceâ ſublatis, tum foris tum intus admodùm conſpicuæ erant: quædam illarum atro rubeſcentes erant maximè in portione inteſtinorum inferiorum, ubi plura radicum fruſtula & diutius detenta fuerunt: ob ilei ibidem conſtrictionem.

Cœcum continuit mucum turbidum, album, chyloſum: intus quoque inflammatum apparuit. Rectum continuit adhuc aliquid de radicibus cum muco atro vireſcente, copioſo, turbido: Anfractuoſum, inflammatum intenſè uſque ad extremum podicem.

Cerebri ſinus omnes ſanguine atro rubeſcente grumoſo impleti erant; talem ſanguinem quoque reperi in baſi cranii, ibi ubi rete mirabile detinetur.

Ventriculi omnes mundiſſimi erant. Abſciſsâ medullâ ſpinali in ſuperficie apparuerunt maculæ rubræ.

Abraſâ tunicâ cruſtaceâ inteſtinorum, manifeſtè videre potui glandulas, non illi ſed nerveæ membranæ inſculptas eſſe.

Ductus thoracicus lymphâ plenus erat, abſque ulla chyli mixtura, fortè quia nimis tardè in illum inquiſivi.

Tum temporis Doneſchingæ, ob commiſſionem quandam, ut vocant, plures viri illuſtres ac literati aderant, ſermoque de cicutæ viribus non ſemel fiebat. Cum ex Cl. Bodæi à Stapel ad lib. 6. Hiſtor. Plant. Theophr. cap. 17. commentario retuliſſem, Cicutam in Batavia non adeò lethalem eſſe, quia creſcat ſub Zona frigida & ventis diffletur, ſequentia ſubnectere volui; eoque magis, cum clima, cicutæ virus non tollere putaverim, & plantæ virulentiſſimæ in locis frigidiſſimis, ex. gr. Thora, Napellus, aliaque creſcant, non minus damnoſa illis, quæ in calidis regionibus naſcuntur.

Generoſus Dominus Baro *de Blitterſtorph*, Doneſchingæ 6. Junii 1677. narravit mihi, in agro ſeu ducatu Juliacenſi magnum proventum eſſe Cicutæ aquaticæ, creſcentis ad margines lacuum & foſſarum arcium; cujus frondes, ſi anſeres juniores decerpant, protinus illos in gyrum circumagi & brevi emori; atque hujus causâ illam ab agricolis diligenter extirpari.

De Curatione poſt Cicutam aſſumptam.

Prolixus fui inquirendo in vires Cicutæ tum aquaticæ tum terreſtris, ut invenirem indicationes certas & utiles ad debellandum hoſtem intra corpus admiſſum prope internecinum, niſi maturo auxilio ſuccurratur. Rationibus & experimentis exiſtimo me deprehendiſſe, Cicutam calidam & acrem eſſe, ſuiſque aculeis membranam nerveam potiſſimùm ventriculi feriiſſe, ac fibras ejus circulares, membranæ arctiſſimè fibrillis nerveis conjunctas, ad violentam conſtrictionem irritaſſe; tum ob vellicationis vehementiam, tum ob conſtrictionis atrocitatem, maximè circa orificia ventriculi, ubi nervi inſigniores apparent, & Præſidem ſyſtematis nervoſi in furorem actum, unde convulſiones; & cor in conſenſum raptum fuiſſe; unde plurima mortis imago apparuerit, imò pueri enecati fuerint, & puellæ expulſo hoſte imminentem mortem vix evaſerint. Ut hac de re certius, aut ſaltem veriſimilius aliquid ſtatuere poſſem aliorum venenorum tum vegetabilium experimenta & obſervationes, tum Amicorum, tum proprias adjunxi, & quaſi in ſubſidium vocavi, ex quibus didici propè eadem ratione ventriculum afflixiſſe, ac ferè eodem ordine ſymptomata produxiſſe. Retinui generale nomen acrimoniæ, cùm ſcirem & Alkalina, ut vocant, & acida tam volatilia quàm fixa, irritandi & vellicandi membranam nerveam vi valere, ac hos tumultus inſtituere poſſe, atque ſufficere ratus ſim, obtuſâ cujuslibet veneni acrimoniâ & ſublato hoſte ſymptomata ceſſatura, ac hominem è præſenti vitæ periculo vindicatum iri. Tum cicuta tum alia ipſi ſimilia rubificantibus, veſicatoriis, erodentibus & putrefacientibus affinia per me dici poſſunt, à quibus quoque non multum differre puto, quamvis in ventriculo & inteſtinis nunquam veſicas, rarò ulcera & cruſtas, rariſſimè integrum ſphacelum, ut in cute, producant; nam ita cum tunica cruſtacea comparatum eſt, ut non facilè, utcunque nervea impensè vellicetur, ab illa abſcedat atque in veſicam attollatur; deinde ſemper humida eſt, ut etiam ferociſſimorum venenorum aculeos aliquo modo obtundat, & continuè magna copia, maximè nervea valde irritata, novum humorem è maſſa ſanguinea recipit, ut non rarò illa, imprimis ſi in minore quantitate aſſumpta fuerint, aut imbecilliora ſint, ſuperet.

Indicationes igitur erunt cicutam quantocyus ex ventriculo educendam, ejus acrimoniâ infringendam, ſpiritus vitales conſumptos à vehementia ſymptomatum inſtaurandos, aut ob motum ſanguinis varium, vel interceptum oppreſſos excitandos, labem ventriculo vel inteſtinis impreſſam ſive inflammatio, ſive denudatio membranæ nerveæ, ſive exulceratio ſit, emendandam & vires laudabili victus ratione reſtituendas & conſervandas eſſe. His ſequenti methodo ſatisfaciendum eſſe videtur.

Cicuta breviore, tutiore & certiore via extur-

bibitur è ventriculo, Vomitu concitato: per ambages longas purgantibus educeretur non ſine periculo, dum afflicto ægro ob ventriculi cruciatus jam ſævientes, nova afflictio adderetur, hoc e ad inteſtina pulſo, quibus non minùs infeſtus eſſet, quàm ventriculo atque illorum quædam minùs ejus præſentiam tolerarent, utpote teneriora & ipſamet exquiſitiſſimo ſenſu prædita. Idque ante omnium aliorum medicamentorum uſum faciendum eſt, ne virulentia cicutæ acuatur ventriculus irritatus exaſperetur, cicuta, aut fermentum ſtomachi illius ſucco imbutum ad inteſtina, & chylo permixtum ad maſſam ſanguineam perveniat. Hoc ſuadere videtur Dioſc. de Alexiphar. c. 11. Κατ᾽ ἀρχὰς, ὡς καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων, διὰ τῶν ἐμέτων αὐτῷ χρησόμεθα. inter initia, uti in reliquis ſc. Venenis, illam ſc. Cicutam vomitu excutiemus. Cui aſſentitur quoque Aët. Tetrab. 4. Serm. 1 cap. 63. Optimum quod occurrit in Ardoyn. Sant. tr. 3. cap. 62. de curatione cicutæ aſſumptæ, eſt, quod ex Albucaſi exſcripſit, feſtinanter vomitum movendum eſſe: cætera confuſa ſunt & fortè minùs tuta, maximè intempeſtivè in uſum ducta. Cl. Sennert. Pr. l. 6. p. 7. cap. 6. Alexipharmacis vomitorium præmittere jubet. Fr. Joel. Oper. t. 2. l. 2. ſ. 1. curationem ſymptomatum à cicuta factorum eſſe ſubitam revomitionem ſcribit.

Verùm cùm cicuta intra ventriculum admiſſa Epilepſiam producat, ut Pueris & puellis evenit, atque aliis quoque contingere poſſet, vomitoria ex ſententia Nob. Ludov. Septal. Animad. & Caut. Medic. l. 6. §. 50. non tuta forent: Ita namque ille: Cave ne in paroxyſmo Epileptico vomitum provoces; vidi enim aliquos in invaſione hoc tentantes, ſcriptorum quorundam authoritate ductos, præcipitem in mortem duxiſſe: ex violento enim illo motu, magis repleto capite, ac concitata materia in capite exiſtente, ad perfectam obſtructionem faciendam, deducunt, unde apoplexia ſequi ſolet. Cl. D. Frid. Hoffmann. Meth. Med. l. 1. c. 9. quoque illa improbat, etiamſi epilepſia per conſenſum ventriculi fiat. & licet extra paroxyſmum concedere videatur, vix tamen ex illorum mente exhiberi poterunt, cum, ut in his Pueris fiebat, paroxyſmi vel continui ſint, vel breviſſimis intervallis invadant. Verùm hæc tanti non ſunt, ut Vomitoria prohibere poſſint; nam Septalii ſententia quamlibet epilepſiam periodicam reſpicere videtur, etiam illam cujus fomes intra cranium abſconditus eſt; deinde niti videtur falſâ & jam à plurimis exploſâ opinione, illam ſc. oriri obſtructis cerebri ventriculis, commotiſque humoribus à violenta agitatione, etiam capitis, à vomitoriis facta, ventriculos cerebri penitùs facilè obſtrui, & apoplexiam accerſiri: Præterea dum vomitoria ad cicutam ex ventriculo excutiendam exhibentur, non inveteratæ epilepſiæ, aut quæ altas radices egit, ac jam plurimis paroxyſmis ægros defatigavit, ſed recenti opponuntur: denique, cauſam proximam & primariam è ventriculo eliminant, quâ ſublatâ epileptici inſultus protinus, aut paulò pòſt imminuuntur, ac brevi penitùs ceſſant. Atq; hanc vomitoriorum in hoc caſu neceſſitatem & fructuum non ſolùm ratio ſuadet; ſed quoque experientia probat: Catharinam enim & Mariam Mæderin, Chriſtinam Grafin, Filiam Martini Mulleri & duas Filias Georgii Mureri vomitus tum à præſente morte, tùm ab inſultibus epilepticis protinus vindicavit: dum pueri, quibus vomitus, quamvis ad illum ſtimulabantur, non promotus fuit, ob vehementiam & diuturnitatem paroxyſmorum epilepticorum extincti fuerunt, qui procul dubio liberari potuiſſent à morte, ſi radicum cicutæ excretio, quam natura moliebatur, vomitoriis facilitata ab artis medicæ perito tempeſtivè fuiſſet. Ipſe Santorellus Anti-Prax. l. 21. c. 10. quem pro ſe D. Hoffman. l. c. allegat, huic ſententiæ favet, ac ſumpto per os veneno vomendum ſuadet, & paulò inferiùs tutiorem illorum uſum dicit & magis commodum, quia promptius venenum extrudatur. Vomitus tempeſtivi Arſenico inglutito profuerunt duabus puellis hiſt. 1. puero hiſt. 2. duabus puellis hiſt. 3. & 4. puero hiſt. 6. puero & puello hiſt. 10. Juveni ex Fabr. Lync. hiſt. 12. It. Mercurio ſublimato ingeſto hiſt. 3. ſupra recenſitis: & nemo non practicorum ſuſque deque habitis convulſionibus vomitoria commendat & ſi caſus ferat, illa propinat poſt aſſumpta venena; atque uſus docuit quo citius dabantur celeriorem & firmiorem valetudinem reſtituiſſe: Si verò properatum fuit ad alexipharmaca, accelerabatur mors, ut puello evenit hiſt. 6. de Arſenico: aut morbus cum ſymptomatibus prolongabatur, ut cuidam contingit apud Nob. Timæum de *Guldenklee* lib. 7. Med. caſ. 4. qui poſt comeſtas rad. cicutæ, loco petroſelini, cum bubula coctas, vinum abſinthites bibit, unde cordis anguſtia, dyſpnœa, vertigo tenebricoſa, ſingultus aliquandiu mitigata, recruduerunt, accedentibus ſtrangulationis metu & virium exſolutione: cui poſtea mox vomitum movit & alexipharmaca dedit, at non efficere potuit, quin ad tertium menſem cordis anguſtia & dyſpnœa perdurarent. Caute legendi & imitandi omnino videntur illi, qui promiſcue alexipharmaca contra cicutæ virulentiam coacervant atque ante evacuantium uſum, ſeu nondum expulſa è ventriculo cicuta, exhibent. Vinum generoſum plures ſuadent, inter quos eſt etiam Scribon. Larg c. 47. Santes Ardoyn. & alii, ex quibus ſua compilavit, cum tamen etiam ipſo Galen. l. 3. de Simpl. Med. Fac. c. 20. & Plin. hiſt. Nat. l. 25. c. 13. teſtibus cum vino pota citius enecet, & ut Plinius loquitur irremediabilis exiſtimetur: putant quidem id fieri propterea quod cicutæ virus citius ad vitalia cũ vino abripiatur; potius cicutæ acrimoniam à vino generoſo intendi ut magis poſtea in membranam nerveam ventriculi ferociat, exiſtimo; quamvis non negem quoque celerius particulas, maxime ſi ſuccus ejus in vino ſolvatur, quod veteres facere ſolebant. aut ſi radix vino maceretur, aut ſi jam radix in ventriculo emollita ſit, cum vino ad maſſam ſanguineam pervenire ac graviſſima ſymptomata, præter conſueta, excitare. Agyrtæ ventriculo ſuo quæſtum facientes, devoraturi turpis lucri cauſa venenum, non ſolum antequam illud ingerant, ventriculum & inteſtina contra ejus ſpicula muniunt unctuoſis largiter potis, ſed quoque diverticula quærunt ac ventriculum vomitoriis exonerant, præmiſſis munimentis non fidentes. Non ita pridem audivi à fide dignis hujuſmodi Θηριόφαγον, cum præter morem vomitum differre cogeretur, in utili Orvietano ſuo, cum abominabili & deteſtanda arte miſere periiſſe

ac meritam pœnam temeritatis luiſſe. Vomitoria ventriculum ad cicutæ expulſionem adjuvantia, non neceſſum eſt, ut fortiter irritent & ſtimulent, cum jam aliàs ad conſtrictionem à cicuta pellectus ſit. Æt. & Albucaſ. l. c. Aquam & oleum ſuadent: ſi tepida & larga manu, iteratis hauſtibus, plenis buccis ingerantur, viæ magis laxantur, vomitus citius minoreque nixu ſequitur, ſimulque quicquid cicutæ in ventriculo ſupereſt quaſi ejaculatur, nam pleno ventriculo, laxato ſtomacho, conſtrictis etiam in medio ventriculi fibris circularibus leviculè, abſque labore faciliméque vomitum in canibus & ranis fieri non ſemel vidi; nec ſemper ad hanc actionem abſolvendam neceſſarium eſt, ut conſtrictionis exordium à pyloro ejuſque antro, motu inteſtinorum periſtaltico ſimili, hac ac ſenſim progrediatur; quod non raro ventriculo prope vacuo vel ab humore, vel pharmaco irritato non niſi magno conatu, diaphragmatis vibratione in ſubſidium veniente, evenire ſolet. Ad vomitum ciendum in hoc caſu valent juſcula pinguia, decoctum hordei cum oleo ſimplici, ut non opus ſit oleum irinum permiſcere, aqua tepida cum butyro, lac cum oleo & butyro, ſincerum aut aquâ dilutum: Cereviſia cum ol. & butyro. Oleum amygd. d. rec. ſine igne expreſſum hauſtus ſuaviores reddit: ol. lini & nucis per ſe nauſeabunda ſunt, commodius ad vomitum facilitandum aquæ tepidæ, decocto lacti hordei, cereviſiæ aut juſculis ejus cunque generis permiſcentur: quæ unâ operâ cicutâ acrimoniam demulcent & obtundunt.

Hauſtibus iſtis tam diu pergendum donec omnis cicuta è ventriculo pulſa ſit: admiſceri poſſunt ſcilicet ſingulis libris oxym. ſ. ℥ ii. Oxymell. ſquill. ℥ i ß. aut El. Diaſar. Fern. ʒ ii. vel ʒ iij. ſi tempus concedatur, nec ob ſymptomatum ferociam feſtinandum ſit, cum aqua aut cereviſia coqui poſſunt rad. aſar. beton. cucumer. ſummitat. aut cortic. virides ſambuc. aneth. flor. geniſt. perſicor. ſem. aneth. atripl. aliaque hujus generis. Fortiora non neceſſaria quoque ſunt propterea, quia vomitus prompte ſequitur, ſi modò opera detur, ut fibræ circulares gulæ & ſtomachi motui fibrarum circularium ventriculi inverſo non reſiſtant: quod facilè impetratur, ſi ſolummodo aliquid deglutiendum infundatur, unde theriaca aceto ſoluta, quinque puellis vomitum movit, quæ aliàs enormem vomitum compeſcere ſolet: idem feciſſent quævis alia potulenta, dum fibras gulæ & ſtomachi aliquo modo relaxant, lubentiuſque impulſui motuique ventriculi inverſo cedunt, adeo ut non neceſſum fuerit Patri Chriſtinæ Infuſum tabacci arripere: ea tamen laus tabacco debetur quod appetitum huic puellæ reparârit omneſque moleſtias ſuſtulerit, tota nocte dormiverit & mane læta ſanaque ſurrexerit. Si verò ventriculus his in expellendo adjutus voto non reſpondeat, & vomitus tardetur, ad fortiora vomitoria recurrendum eſſet ac præmiſſis liquoribus ſupra dictis tunc demum ſtimulari poſſet ulterius, Oxymell. Helleborat. Geſn. ℥ j. vel ℥ i ß. Oxyſachar. Emet. ℥ ß. vel ʒ vi. Gilla Theoph. ℈ j. aut ſimili cum juſculo aut alio liquore. Exc. D. König. in Hiſt. 3. de Mercur. Oxyſach. emet. puello cum fructu dedit, tum aliàs mercur. ſublim. per ſe fortiſſimum irritans ſit: Fabric. Hildan. antimoniata profuiſſe memorat. Cl. Beverovic. in Theſaur. de Sanit. conſerv. l. 3. c. 20. ſcribit Feli à devorato arſenico peſſime habenti fruſtulum tabacci cum cibo intruſum fuiſſe, unde vomitu excitato viva manſerit.

Si verò propter Epilepſiam à cicuta excitatam diutius continuantem, aut breviſſimis intervallis paroxyſmis increbeſcentibus evacuationem ſeu expulſionem ex ventriculo moliri non liceat, Præſes ſyſtematis nervoſi à tumultibus iſtis avertendus & aberrans in viam reducendus erit, illis quæ in paroxyſmis epilepticis & hyſterica ſuffocatione vulgo dicta adhiberi ſolent: qualia ſunt quæ ſenſus veluti ſopitos expergefaciunt. Naribus admoveantur acrimoniam aliquam ſpirantia, ex herb. ſatureiæ, puleg. rutæ, majoran. hyſſop. flor. lavend. rutâ, ſem. angelic. leviſtic. ſinap. bacc. Laur. Juniper. piper. caryophill. Aſſa fœtid. caſtor. & ſimilibus parata, in nodulum ligata ac aceto aut vino madefacta: Balſam. & ol. ſuccin. rut. Præſtans ad hanc expergefactionem eſt ſpir. ſalis Armon. Urinoſ.; quem Exc. Dom. D. Sylv. ſemper ſecum geſtaſſe aiunt, ut in repentinis hujuſmodi caſibus ad manum eſſet. Hujuſmodi topica naribus quidem propè admoveo, neutiquam verò illis nares inungi, aut profundius indo, cum ceſſante paroxyſmo illita, aut intruſa diu poſtea illis moleſtiſſima didicerim. Ancilla quædam ante aliquot annos ab hyſterica convulſione rigida inſtar ſchidii humi proſtrata jacuit, abſque ullo reſpirationis ſuperſtitis indicio, arctiſſime dentibus conſtrictis, artubus prorſus inflexibilibus: fruſtra pila hiſtorica in pharmacopolio noſtro proſtans ex aſſa fœt. caſtor. ſem. rut. angel. ol. ſuccin. & tereb. pomp. confecta, naribus admovebatur; fruſtra corii & ſuccini fumus naribus immittebatur; à frictionibus, vellicationibus, compreſſione digitorum fortiſſima non magis movebatur, quàm ſine vita truncus: tandem incendi cremias ſulphuratas, & dum fumum in nares adigo atque leviculè labium ardente cremia attingo, ſuſpirium edidit ac paulò pòſt reſpirationem ac mentem recuperavit, & congruis medicamentis aſſumptis plene convaluit. Aliàs quoque comperi paroxyſmos epilepticos brevi finiri vel mitigari, ut aquæ anti-epilepticæ infundi poſſent, explicatis digitis, imprimis pollicibus, à robuſto & cordato, ſive Præſes ſua ſponte ad ſaniora conſilia jam proclivis, ſive hac ratione invitatus fuerit. Dum hæc tentantur, ano ſuppoſitoria acria intrudantur ex ſale gemmæ, alumine fuſo, ſapone, aut ſi tantum temporis concedatur ex ſpec. Logad. el. Hier. picr. Galen. ſale cum mell. coct. Paretur quoque Clyſter acris, quales Scribon. Larg. de compoſ. Med. cap. 47. adhibendos cicuta comeſta monet; properè parari poſſent ex aqua, melle, pauxillo olei vel butyri & ſale copioſiore quàm vulgaribus clyſteribus immiſceri ſolet: non ſemel experientia didici, ſal, citra ullum purgans, liquoribus permixtum tam potenter alvum moviſſe, quam ullum aliud purgans, exceptis colocynthide, quæ tormina ſæva, & croco metallorum, qui diras convulſiones ſu-

mul pepererunt. Si cicutæ virulentia moram permittat, in aqua herb. cephalicæ cum herb. & ſem. flatus diſcutientibus coqui ac colaturæ Bened. laxat. pro Clyſtere addi poſſet, cum aliis, quæ utilia cenſebuntur. Suppoſitoria & clyſteres motum periſtalticum inteſtinorum ſurſum vergentem, deorſum proliciunt, unaque opera efficiunt ut minus arcte ventriculi fibræ circulares conſtringantur: non ſemel obſervavi in vivorum ſectione & in fœmina cui ab annis inteſtini portio extra abdomen nuda propendebat, inteſtinorum motum ſurſum deorſumque tendiſſe, prout vel in parte ſuperna, vel inferna, etiam levicule illa pupugi ſtilo quodam, citra vulneris inflictionem. Dum hæc peraguntur opera danda quoque eſt, ut dentes à ſe invicem diducantur, tum ut facilius ſpirent, tum ne ſuffocentur ab illis quæ à ventriculo ad fauces truſa fuerunt, quod ebrioſo cuidam eveniſſe novi, qui in rheda mortuus repertus fuit ore & faucibus ſordium pleniſſimis. Id manibus facilè paroxyſmo declinante fieri poteſt, ut non opus ſit clavibus, aliiſve ferramentis os effringere: apertum teneatur dentibus ligno tenaci, aut bacillo glycyrrhizæ interpoſito, aut inſtrumento dilatatorio cum cochlea Clar. Dom. D. Johan. Scultet. depicto in Armament. Chirurg. Tab. 9. Fig. 9. aut ſpeculo oris delineato Tab. 11. Fig. 4. Utriuſque utendi modum ante oculos ponit Tab. 36. Fig. 6. & 7. Specillo lingua & maxilla inferior deprimuntur in furioſis & attonitis, donec cibum & potum faucibus inditum ſufficienter deglutiverint. Si itaque vomituriant, ut Jacobus Mæderus, nihil tamen ejiciant, aut ſi deglutire nequeant, ut Matthias *Graff*, propter arctiſſimam gulæ conſtrictionem dilatato ore Clar. Sculteti inſtrumento, aut depreſſa lingua & maxilla inferiore Hydrelæum tepidum ſiphone, cui cannula incurva adaptata ſit, quæque ultra epiglottidem intrudi poſſit, injiciatur; quod hoc impulſu gulam, fibris circularibus laxatis, & ſtomachum perrumpet, ac cicutæ exitum quem jam ventriculus molitur, parabit & facilitabit. Ad hoc opus commodum deprehendi ſiphonem æneum à Clar. Dom. Dom. Graef poſt l. de Pancreate depictum: ſtannei & argentei, maximè ſi lamina tenuior ſit, facile atteruntur à dentibus, remotis inſtrumentis dilatatoriis, ut poſtea inutiles ſint, ut evenit injectionibus iſtis in canibus tentatis. Vomitoriis ſupradictis pergendum, donec cicuta omnis aut maximam partem ejecta ſit, nullaque ejus in ventriculo ſuperſtitis ſigna ſuperſint: ſi nullos ructus allii tetrum fœtorem ſpirent, non angantur circa præcordia, nec valdè doleant; ſi eſuriant ut Chriſtina *Grafin*, ad Alexipharmaca à Veteribus laudata progrediendum erit. Antequam tamen hoc fiat, Dioſcorid. de Alexipharm. cap. 11. dejectiones faciendas monet, ut & illa quæ ad inteſtina deſcenderint, excernantur. Idem repetit Æt. Tetr. 4. Serm. 1. cap. 23. Verùm Puellæ ſex non opus habebant amplius purgantibus poſtquam vomuerunt; nec forte neceſſarium eſt, cum aut pylorus cicutæ tranſitum non concedat, aut ſi forte aliquid cicutæ elapſum ſit, clyſteribus & ſuppoſitoriis ſupra dictis ad excretionem maturam diſpoſitum ſit: Si verò ex torminibus, ardore & inflatione ventris aliquid in inteſtinis de cicuta hæſitet, iiſdem ſuppoſitoriis & Clyſteribus mitioribus & potiùs emollientibus ad excluſionem alliciendum erit. Si omnino purgantia exigantur, ſolummodo mitiora conveniunt, ſcilicet ſyrup. roſ. ſ. f. ſyrup. viol. ſ. f. ſyrup. de cichor. cum Rh. Elect. lenit. El. cathol. El. de tamarind. nullo modo autem danda potentiùs ſtimulantia ex Gialapp. ſcammon. & ſimilibus, neque uſque adeo benè fiderem aloeticis.

Educta è ventriculo & inteſtinis Cicuta omni vel maximam partem, Dioſcorid. de Alexipharm. cap 11. tum demum ὡς ἐπὶ μέγιστον βοήθημα ἐπὶ τὴν ἀκρατοποσίαν ceu ad maximum & præſentiſſimum auxilium vini generoſi potum deveniendum eſſe monet. Eadem verbotenus Ætius l. c. in ſua tranſtulit. Plinius H. N. l. 25. c. 13. Vini naturam excalefactoriam, priuſquam perveniatur aut, ut alia M. S. habent perveniat ad vitalia, remedio eſſe dicit præteritis evacuantibus. Scribonius Larg. de Compoſ. Med. c. 34. quoque vult adjuvari debere in initiis vino mero, ſubinde quàm plurimo, calido & per ſe & cum pipere & cum ſtyrace poto, ac clyſteres demum vini meri & lactis interpoſiti potui ſubjungit. Plinius vinum excalfactorium commendat procul dubio, quia Cicutam cum plurimis aliis frigefacientem credidit, idque non obſcure dum ſanguinem ſpiſſando ſuccum ex ſemine paratum necare aſſerit. In eodem errore magna turba huc uſque verſata eſt, quæ calida eo ſolo nomine cum vino ſumenda deprædicat. Verùm cùm multis rationibus & experimentis demonſtratum ſit Cicutam calidam eſſe, vinum alio modo quàm calefaciendo juvabit: & credibilius mihi videtur vinum eliminatâ cicutâ ex ventriculo ideo auxilium præſtantiſſimum eſſe, quia citiſſimè ſpiritus ex afflictione vehementiſſima deperditos reparat, oppreſſos ob circulationem ſanguinis, nunc impeditam, nunc confuſiſſimam, ſuſcitat atque hac ratione præ aliis vires inſtaurat. Vinum hæc efficacius præſtabit admixtis ex Dioſcorid. traditione l. c. abſinthio, pipere item caſtoreo, ruta, mentha, amomo, ſtyrace, ſem. urticæ rutæ, foliis lauri, ſucc. laſerpitii: & ſi quæ alia ſint hujus ſortis à Dioſcoridis ſequacibus ſuperaddita. Antidoti magnæ Theriaca, Mithridatium, El. Orvietanum prodeſſunt quatenus diſſolvunt ſanguinem & lympham ob conflictum poſt cicutam ſumptam, circulari motu intercepto, alicubi ſtagnantes, ac propterea virium aliquam oppreſſionem & laſſitudinem aliaſve moleſtias poſt ſe relinquentes. Huc pertinent aquæ cordiales ex aq. borrag. bugloſſ. ſcabioſ. card. bened. angelic. cinamom. aliiſque paratæ, add. conſ. alk. conſ. de hyacinth. ol. citr. d. lap. bez. margarit. oculis cancr. tab. man. Chr. perlat. ſimilibuſque paratæ. Item Tincturæ Bezoard. Cl. Joan. Dan. Ludov. Cl. Joh. Michael. aliæque; ſic duas Viduas comeſta in cœna Cicutaria, altero die juvit circa meridiem hæc potio propinata.

℞. Aq. chærefol. card. ben. an. ℥iß. aq. Antid. Math. ℥ß. Therrac. Andr. vet. ℈ij. ſal. C. C. vo-

lat.

lat. ℈ß. Mixt. ſimpl. ʒß. ſyr. de ſcord. q. ſ. ad dulced. in Digreſſione Febr. Exc. D. Sim. Paul. Cl. Fr. Joel. aq. juniper. per deſcenſ. ℥ v. commendat & poſtea Antidotos, aut pulv. gentian. ʒ j. aut ol. angelic. d. gr. vii. cum vino.

Hic non prætereundum videtur Conſilium Santorell. Antiprax. l. 21. c. 16. qui poſtquam in prægreſſis ſudorifera non improbavit, ſi venenum ad partes penitiores ſeſe inſinuavit; & prætulit veneno recenter ſumpto pinguia lac, oleum, butyrum & pinguia quæque aſſumpta, ſubjungit demum juvare aquam calidam potam & lac, quid habeant vim extinguendi calorem, quem ut plurimum venena ſolent inferre. Et huc quoque Dioſcor. l. c. de Alexiph. collimare videtur, nam Vinum, ceu præſtantiſſimum auxilium, μεταξὺ διαστημάτων per intervalla dare jubet ac inter hæc interſtitia lac aſininum aut vaccinum quod Cl. Saracen. in not. ex Paulo addit, potui datum profuturum ait. Eadem Æt. l. c. ſuis inſeruit. Scribon. l. c. verba æque conſideratu digna ſunt; poſtquam enim in initiis ſubinde vino mero quàm plurimum calido adjuvandos dixit, protinus huic ſententiæ hæc adjungit. Atqui maxime prodeſt lac aſininum datum: ſi minus, ſc. in promptu ſit, vaccinum, aut quodlibet. Dioſcoridi alii quoq; conſentiunt, quos omnes his inſerere non libet: quicunq; demum ſint, ſi Dioſcoridis & Scribonii ſententiæ ipſiq; veritati accedere velint, ſi unquam cicutæ virus probe expenderint, aut ſi unquã ægro qui cicutam inglutierit, adſtiterint, deprehendent illã vomitu rejectã, & viribus à vino mero ſolo, aut aliis admixtis potentiore reddito, vel ab aquis cordialibus reſtauratis, labem ſeu ardorem quandoque inflammatorium ventriculi demulcendum & emendandum eſſe, quod lac optime præſtat, quod ratione ſubſtantiæ butyroſæ demulcet, ratione ſeri abſtergit & ratione caſeoſæ refrigerat & roborat. Lactis ulteriores laudes ad hos effectus præſtandos accommodas, ejuſque differentias ex Gal. Dioſcor. Ariſt. aliiſque collectas atque rationibus confirmatas ſi quis planius noſcere aveat, conſulat Nob. D. Melch. Sebiz. de Aliment. Facult. l. 3. c. 7. p. 751. & ſeq.

Illud tamen diligenter obſervandum puto, Lac non ſtatim poſt vinum hauſtum bibendum, nec lacti poto protinus vinum ſuper ingerendum, tum hunc ob errorem protinus lac grumeſceret, unde novæ turbæ metuendæ forent, quas experiuntur illi, qui lactis potu podagram extirpare, aut mitigare annituntur. Ad ardorem ventriculi à cicuta impreſſa prodeſſent quoque juſcula alterata herbis recentibus borrag. buglosſ. portulac. endiv. flor. bellid. min. acetoſ. hiſpan. & ſimilibus. Bibant mane & veſperi duabus horis ante cœnam hauſtum ℥ iv. vel ℥ v. calide. Commode addi poſſent crem. hordei, quo nunc contra aff. hypochondriacam utuntur: paratur ex hordei mundati M. iv. cum ſufficiente quantitate aquæ fontanæ lento calore, donec in pultem hordeum prorſus diſſolvatur, colatur & exprimitur fortiter: quantum v. vel vi. cochlearia capiunt, juſculi alterari doſi permiſcentur: quandoque butyri recentis drachmæ duæ vel tres admiſcentur. Alia attemperantia & demulcentia ad ardorem & ſuperficiariam inflammationem ventriculi auferendam ſuaderi poſſent, ſcilicet decocta, julepi, electuaria, pulveres, tabellæ, aut ſi alia forma placeret aliter confecta medicamenta: Verum quoniam præcipue hic ventriculus à cicuta male mulctatus tractandus ſit, atque omnia fere medicamenta ſtomachum lædant & mali, certé ſtomacho non uſque adeo grati ſucci ſint, ut Aſclepiades apud Celſ. in præfat. l. v. de medic. loquitur, mallem potius omnem curam ad victus rationem, ſeu ad alimenta medicamentoſa, ut nunc vocant, curam transferre quàm medicamentis labem hanc emaculare, maximè apud illos quorum valetudinem antea neque deſidia neque luxuria vitiavit, eoque magis quia multiplex iſta medicina neque olim neque apud alias gentes neceſſaria, vix aliquot ſenectutis principia perducit, ut idem Celſ. in præfat. l. 1. de Medic. bene judicat. Certe poſtquam ſex iſtæ Puellæ omnem radicis cicutæ ſaburram evomuerunt, de medicamentis nec quidem cogitatum fuit: convaluerunt autem integre poſtquam ad conſuetam victus rationem redierunt, veſcebantur nimirum juſculis & pultibus ex lacte juſculis avenaceis, hordeaceis piſorum, ex pane primum in butyro frixo & aqua coctas; paſtis farinaceis, raro pane aut ovis admixtis & in aqua elixis, rarius butyro conditis; braſſica capitata & radicibus raparum muria conditis: Vix ſemel in ſeptimana carnibus illiſque ſuillis ſale conditis & fumo conditis potiebantur: Potus erat aqua; vinum ab illarum menſis exulavit: delitias enim iſtas ſibi Patres & ſubinde matres ſervabant. Cupedias æſtimaſſent poma & pyra ſiccata, præ omnibus ſacharatis, ſi illorum compotes aliquando fieri potuiſſent. Poſt demulcentia & attemperantia, ſi ardor ventriculi permaneret, ægri una atque altera hora à paſtu angerentur, neque ab anxietate ullæ induciæ darentur donec aſſumpta evomuiſſent, vix dubitandum eſſet de denudatione nimia antri pylori, imo non levis ſuſpicio oboriretur exulcerationis alicujus; quæ neglecta in peſſimæ notæ ulcus degeneraret, ut plerunque fit partibus nervoſis exeſis, maxime ſi continue ab humore ſuperfluo madefiant. In hoc caſu ſine acrimonia ſiccantia ſalutaria præ aliis comperi: Ante aliquot annos Amicus quidam aphthis faucium, gulæ ipſiuſque ventriculi aliquandiu affligebatur: vix alimenta mitiſſima ore ferebat, ægerrime deglutiebat, videbaturq; bolo inglutito quaſi ferrum candens per gulam traduci atq; cibo intra ventriculum admiſſo ardor quem alias continue ſentiebat, ſummopere augebatur. Suaſeram tunc pulverem ex bolo armen. terr. ſig. unic. foſſ. C. C. uſt. ſem. portul. cum æquali pondere ſachar. penid. mixtum, de quo ſæpiſſime lingebat: portionem hujus pulveris cum duab. partibus butyri permiſcuit, & ſubinde fruſtulum nucis avellanæ magnitudine in ore liquatum deglutiit: quib. aliquandiu continuatis, ab aphthis liberatus fuit. Similia quoq; ita afflicto ventriculo prodeſſent: addi illis inſuper poſſet Pulv. Antihectic. Poterii probe à nitro mundatus. In magno ardore ſubinde lambere poſſet mucilaginem ſem. cydon. malv. arboreſc. rad. alth. conſolid. major. cum aq. nympheæ, lactuc. borrag. aut ſimili extractam, addito paux. ſachar. alb. Victus

ratio ſit ex cibis boni ſucci & facilis digeſtionis, quibus cum coqui poſſent herbæ recentes æſtum attemperantes, quales ſunt borrago, bugloſſa, acetoſa Hiſp. portulaca, ſempervivum maj. fl. nympheæ, aut ſanguinem depurantes, quales ſunt chærefolium, pimpinell. flor. bellid. min. nollem dum ſuſpicio ulceris adeſſet cibos condire aromatibus, multò minus aceto, ſucc. citr. aut ſimilibus acidioribus. Neque etiam vinum concederem: magis prodeſſent Decoct. hord. cum paſſul. ſem. aniſ. aut Decoct. rad. Chin. ſaſſafr. ligu. viſc. quern. Poſt comeſtam cicutam quidam motum commendant, verùm quia hoc conſilium falſa hypotheſi nititur, nempe à cicuta ſanguinem congelatum motu incaleſcere ac diſſolvi, unde Crito Socratem à loquutione fortiore prohibuit, ne mortem tardaret motum non imperarem, eoque minus quia dum cicuta adhuc intra ventriculum hoſpitatur ita plerunque affliguntur, ut vix admotum perſuaderi poſſint; quia denique manifeſte vires optime reparantur quiete, hoc præceptum diæteticum non magni faciendum, nec ægros etiam à ſomno arcendos exiſtimo: eoque magis quia omnibus puellis profuit: ſola Catharina Mæderin 24. horis in magno vitæ diſcrimine verſabatur, quod tamen ipſum non plene ſomno adſcribendum eſt, ſed forte aliquibus radicis reliquiis in ventriculo tribuendum videtur, nam illis elapſis, cicuta ſubacta, poſtea optime habuit, nulla vigiliarum aut motus habita ratione.

Quomodo dyſpnæa diuturna cicutæ virulentiâ producta, prout ab Exc. D. Timæo l. 7. caſ. 4. aut dementia itidem chronica à Dalechampio not. ad Plin. H. N. l. 25. c. 13. obſervata, aliive morbi diuturni curandi ſint nolui his inſerere, quia animus erat ſubitaneis affectibus à cicuta illatis medelam oſtendere. Et affectus illi chronici peculiarem inquiſitionem diſpoſitionum præviarum, cauſæ proximæ & locorum affectorum poſtulant atque plerunque nullum commercium cum cicuta amplius habent. Morbi diuturnitas Medico Practico tempus & otium ſuppeditabunt accuratius omnia penſitandi, auxiliumque opportunum inveniendi. Curationum methodicarum propriarum exempla his generalibus ſubjicere decuiſſet & lubenter id feciſſem, ſi, præter memoratos caſus, ullus unquam hactenus obveniſſet: nullæ his in oris ſunt Anus Athenienſes, aut Fœminæ Batavæ quas libido cicutâ veſcendi titillaret, ſive famis compeſcendæ, ſive ſomni conciliandi causâ. Rariſſime & non niſi per errorem cicuta ingeritur & plerunque non niſi à prole ruſtica, adhuc rarius his in caſibus opem medicam poſtulante, maxime in locis ab urbibus diſſitis, cujuſmodi ſunt ubi cicutæ aliquis proventus eſt. Jam ab aliquo tempore captavi occaſionem in brutis periculum faciendi: prout auſus ſum ipſis cicutam, virulentiæ ejus indagandæ causâ, ingerere, verùm hactenus votis meis excidi; interea commodam non negligam & ſi quid memorabile comperero illud publico non invidebo. Interea hæc de Cicuta Aquatica ſcripta ſufficiant. *Hæc Clariſſ. Joh. Jac. Wepferus Doctiſſimo de Cicuta aquatica tractatu.*

De Noxis Cicutæ terreſtris. Ex Epiſtola ad Virum Celebratiſſimum Joh. Jac. Wepferum, Archiatrum Scafuſianum.

Quotieſcunque tua in me merita rumino, rumino autem ſæpius, nihil cordi ſolet eſſe æquè ac grati animi teſſera, quâ favorem tuum porrò mihi promittere auſim: hujus vices ſi ſuſtinere jubebis præſentem de cicutæ terreſtris noxâ hiſtoriam, hem quantum non menti meæ gaudii accedet & ſolatii, cùm norim tibi probatam, nec aliis valdopere diſplicituram. Anſam autem meditationi iſti, tua ſuggeſſit cicuta, eruditorum ore jam decantatiſſima, cui levicula, quæ tum ex ſucco terreſtris vulpeculis, & porcellis Indicis exhibito notaram, addi voluiſti: his prom ulteriùs illuſtrandis, cùm experimenta deinceps neceſſaria viderem elapſa hac tempeſtate, ad herbæ vires noviter explorandas me accinxi: De effectibus ipſis, ubi ſingula enarravero, Excellent. T. judicium feret facilè, ſubjungam & ego ratiocinia aliquot, quæ autem prodromi loco tantiſper haberi velim, dum iteratis, ubi Deus vitam anno imminente conceſſerit experimentis plenius de plantæ hujus forſan & aliarum genio diſſerere poſſim.

Die 15. Octobr. Cani vetulæ mediocris magnitudinis hora 2. antimeridianâ, ſucci Cicutæ ℥ß. præter propter infudimus, à quo mox ſalivare, toto corpore contremiſcere, tandemque vomere cepit: Horâ primâ pomeridianâ langueſcenti denuò ℥ i circiter infudimus, unde mox ejulabat, & circa præcordia vehementer opprimebatur, diaphragmatis iteratâ ſuccuſſione, ad attactum evidenti, cum reſpiratione rarâ & anhelâ: ſalivavit inſuper & tremuit vehementiùs: ſeſquihorâ poſt evomuit mucum viridem ſpiſſiuſculum ſatis copioſè, iſthinc tamen meliùs non habuit, oppreſſione graviter perſiſtente, minxit inde, & ſub veſperam languidus omninò, pedibus inſiſtere nequit: caput cùm erigeretur; inſtar temulenti jactitavit, moxque concidit, inſultibus ſpaſmodicis in utroque pede anteriore & poſteriore, ut & aure ſiniſtrâ, conſpicuis, tandem noctu interiit. Inſtitutâ ſectione in abdomine inflati nihil comparuit, præter veſicam urinariam & felleam, quarum ſuo humore utraque turſit, vaſcula inteſtinorum tenuium ſeriem, duodenum præprimis perreptantia rutilo ſuo colore intenſè oculos refecerunt: Ventriculus parvulus, fibrarum validè corrugatarum faciem exteriùs jam oſtendit, quæ fundi parte ſuperiore inciſâ rubicundæ inſuper videbantur, muco viſcido heic illic hærente, cum ſucci viridis coagulati reliquiis, inter ipſarum interſtitia detentis: Inteſtini duodeni facies interna, ſpithamæ longitudine tota inflammata & cruore ferè perfuſa, jejuni verò & ilei externa liveſcens, intus mucum ſanguinolentum copioſiſſimè exhibuit, in quo vermiculi exigui numeroſè ſtabulabantur, ceu in nido ipſis deſtinato, craſſis ab iſta labe liberis magis exiſtentibus, Pulmonum lobus dexter maculis ex rubro liveſcentibus, variè inquinatus fuit, diſciſſis verò veſiculas à ſanguine tenui effuſo rubentes exhibuit, ſiniſtro incolu-

incolumi: cordis thalamus dexter cum auriculâ ad attactum molleculus ſanguinem fluidum ſubatrum, cujuſmodi ex aliis etiam vaſis effluit, continuit. Cerebri facies elegans, glandulæ præprimis pinealis ſubrubentis, quam vaſa ſanguifera artificioſè amplectebantur: In ventriculis anterioribus ſeri copia idonea deprehenſa fuit, ſanguinis verò extravaſati nihil.

Die 25. ejuſdem D. Licent. Schorkopff Hildeſienſ. & D. Nabel Heidelberg. alii Cani ſucci ejuſdem recenter expreſſi ℥ iij. præter propter exhibuerunt, poſt horæ quadrantem murmura & rugitus vehementiores audiverunt, certos fermenteſcentiæ indices; Hinc abdomen inflari & diſtendi cœpit, perque intervalla ſpaſmodici inſultus leviores ſuboriri, ejulavit juxtà & frequenter minxit, ex uno loco in alium migrando, ſuccedente motu cordis palpitante & diaphragmatis forti ſuccuſſione; Sub veſperam cùm accederem ei languenti, ℥ ij. circiter propinavi, à quibus contremiſcere, angi & vehementer ſuccuti incepit, cum inſigni cordis palpitatione & abdominis rugitibus, inde copioſè minxit, non tamen vomuit nec dejecit. Die inſequente adhuc vixit ſed languidus, nec qui diebus antè vehementer, latravit ampliùs: Horâ 1. pomeridianâ, ejuſdem ſucci ad ℥ iij. ferè, infudimus, à quibus eadem ſymptomata paſſus eſt, niſi quod vomiturit juxtà: Die altero abhinc ſucci ejuſdem ℥ i ß. præter propter venæ jugulari ſiphone blandè immiſcuimus, unde cor palpitare vehementiſſimè, canis totum corpus convelli, maxillas retrotrahere, totuſque obrigeſcere cepit, horæ autem circiter quadrante paulatim ſe recollegit, & qui ante crebro & anhele, jam liberiùs reſpiravit, ſibique redditus tantiſper obambulavit: cùm deinceps ℥ j. circiter blandè injiceremus machina confeſtim corruit & obriguit.

Cultro injecto cura præcipua fuit medii & imi ventris, in hoc ventriculi & inteſtinorum vaſa egregiè rubebant, ipſeque tantiſper diſtentus, quum orificium ſuperius incideretur, ſpumam fæculentam fermenteſcentem copioſè exhibuit, qualem cum muco ſanguinolento & ſucci particulis, fundum etiam continuit, plicis ejus corrugatis & aliquantum rubentibus: In duodeni ductu pariter aliqualis inflammatio, at non tanta uti in priore: Veſicula fellis bile diſtenta, & uterque ductus cùm cyſticus tum pancreaticus patuli: Tubuli bilarii ad veſicæ collum pergentes evidentes erant: cordis auriculam dextram, aëre per cavam aſcendentem infra hepar injecto, pulſum ſæpiùs ingeminare vidimus. ipſummet verò, quamvis inde tumuerat, ſanguine prorſus vacuum fuit, nonniſi in auriculâ & thalamo dextris, ſucci concreti reliquiis conſpicuis: in pulmonum lobis maculæ rubræ heic illic conſpiciebantur, præprimis verò lobi dextri majoris ſuperficies interior ℥ duas in longum latumque inflammata fuit, reliquis ferè ſingulis, ubi incidebantur, vireſcentibus, imò & ſucci particulas oſtendentibus.

Die 28. ejuſdem Cani Moloſſo ℥ i ß. circiter in venam jugularem injecimus, à quibus ejulare, cor palpitare & convelli cepit, inde aliquandiu defatigatus, ſemimortuus jacuit, reſpiratione nunc rara nunc crebrâ & anhelâ exiſtente: Inde ad ſe paulatim rediit, caputque erectum huc illuc jactavit: ſemihorâ poſt lateris ſiniſtri venæ pariter ſucci aliquid immiſcuimus, & cor palpitavit vehementiſſimè, miſereque ejulavit, & abdomen ſuccuſſus fuit, motibus ſpaſmodicis in faucibus & colli muſculis conſpicuis: Tandem verò ℥ ß. circiter adhuc injectâ cum ſtertore & anhelatione reſpiravit, ad mortis impetum, ſpumam ſanguinolentam per os copioſè reddidit, cordis pulſu longis intervallis recurrente: Abdomen inciſum, ventriculum cum inteſtinis inflammatum exhibuit, imprimis verò ſub finem cœci & initium inteſtini craſſi portio ℥ iii. circiter longitudine diſtenta fuit, ut & vaſa tranſparerent, maximè, & ob tenuitatem glandulæ ſolitariæ elegantiſſimè conſpici poſſent: in utroque thoracis latere ſerum ſubcruentum fluctuavit: Pulmones flaccidi erant, eorumque facies exterior præſertim in lobis majoribus ſatis inflammata: ex aſperâ arteriâ ſpuma priori ſimilis multa adhuc effluxit, cujuſmodi etiam in ipſis pulmonum veſiculis quum inciderentur, idoneâ copiâ ſtillavit: Ventriculus ſanguinis dexter, cum auriculâ ſuâ admodum turſit, ex utriſque ſanguis fluidus proſiliit: Remoto cranio & durâ meninge, prope cerebellum ad ſinuum latera, ſanguis ſimilis copioſiſſimè quâ datâ portâ prorupit.

Die eodem, horâ quintâ pomeridianâ caniculæ ſucci recentis ℥ iij. præter propter exhibuimus, à quibus abdomen ſuccuti, crebroque vomiturire incepit, donec horâ pòſt materiam ſatis copioſè excerneret: hinc tamen melius non habuit, quin urgentibus oppreſſionibus tremula incederet, tandemque pedibus inſiſtere nequiret, vomuit inde iterum, minxit, tandemque temulenta corruit. In hujus interaneis, ventriculo & inteſtinis ſuccum cicutæ pariter ſpumantem, & utrobique inflammationis mucique cruenti hinc inde adhærentis certiſſima veſtigia vidimus: Pulmones quoque in diverſis locis inflammationibus & ſanguine extravaſato fœdabantur, cordis verò ventriculus uterque omni ſanguine erat deſtitutus.

Die 29. ejuſdem Porcello Indico femellæ ſucci ejuſdem ℥ j. circiter intruſimus, à quâ præcedentibus tantiſper motibus convulſivis illico ſpirare deſiit: In cauſam repentini interitus cùm inquireremus, reperimus in aſperâ arteriâ ſucci reliquias cum ſanguine extravaſato in pulmonibus hic, illic comparente: In abdomine mali nihil, gravida hæc erat binis fœtibus, & partui quantum colligere licuit proxima.

Sub veſperam Porcello mari ℥ i. præter propter propinavimus, à quâ primùm malè non habuit, horâ autem circiter pòſt corrugabatur, & tremulus pedibus ampliùs inſiſtere non valuit, vomuit quoque ſed minùs copioſè: die inſeq. rigidum invenimus cum abdomine inflato, veſiculâ fellis & urinariâ admodum diſtentis: Ventriculus diſſectus ſpumam fermenteſcentem, cum muco ſanguinolento copioſè exhibuit, conſpicuâ circa pylorum & duodeni initium inflammatione, cujuſmodi ſanguinis extravaſationes in tenuibus hic illic quoque animadvertimus, pariter etiam pulmonum lobi infeſtabantur: inteſtinum cœcum ampliſſimum cellulatum: Atque his experiundi finem fecimus herbâ recenti nos deficiente: Ne verò

rò noſtræ fidei unicè ſubſcribere teneantur artis curioſi, ſingulorum teſtes, qui nobis tum adfuerunt appello Viros Nobiliſſimos D. Schorkopff Hildeſienſ. D. Lehenheer Auguſtan. Medicin. Licentiatos. D. Nâbel Heidelberg. D. Facio Viviacenſ. D. Kartſcher Brigâ-Sileſ. D. Altorinum Italo-Conſentin. φιλιάτρους.

Scholium De nocivâ Cicutæ vi pleni ſunt Medicorum Veterum libri, nec opus eſſe arbitror ea prolixiùs hic repetere, quorum Tu ipſe in Cicutæ aquaticæ hiſtoriâ eruditam mentionem injeciſti: Apud nos frequenter illa creſcit in pago Monchenſtein & Michelfeldæ: odoris acris & præprimis ubi conteritur nauſeabundi, ſucci particulæ linguam potenter feriunt, cùm nec digitorum apicibus pepercerint; herbæ & radicis in bolos coactæ efficaciam non exploravimus ob tempeſtatem anni declinantem, & materiæ, ſi ita loqui fas ſit, ſolaris decreſcentiam, unde forſan ipſius etiam ſucci in enecando torpiditas in canibus deducenda venit, dubium enim non eſt, quin vigente Solis influxu, planta decerpta non ſucculenta magis ſit, particulisque activis copioſioribus & magis evectis inſtructa, ceu iſtud opera iterata docebit: Suum tamen genium nobis probavit abundè, ei quadantenus ſimilem, quem in lupâ p. 157. animadvertiſti; in canibus etiam binis temulentia manifeſta fuit, & frequens mingendi neceſſitas, certo caliditatis, quâ ſanguinem fundebat & attenuabat, ſicque parti aquoſæ faciliùs & copioſiùs abſcedendi anſam ſuppeditabat, indicio: poſſem quoque de narcoſi maſſæ humoralis attenuationi ſæpe numero ſuccedente verba facere, ni pleniùs de illâ agere alibi conſultum foret; Nec verò hic ſubſtitit cicuta, quin ſalinæ ſuæ acrimoniæ, aculeorumque igneorum, quibus non parùm ſtipata eſt, evidentiora edidit ac reliquit veſtigia, ſibi verò ubique conſona: in cane vetulo & caniculâ, totius tremor, cum vomitu & oppreſſione circa præcordia, diaphragmatiſque ſuccuſſione, fibrarum nervearum, cùm ſtomachicarum tùm phrenicarum, intimam cum iis confinitatem habentium irritationem ſatis arguunt, quæ ceu prodromus Salivatio præceſſit, non tam ex continuata ſuccuſſione, vel conſtrictione muſculorum oris, vomitu imminente aliàs conſpicua, quàm apicularum linguæ nervearum, ut & partium vicinarum à particulis ſucci exhibiti reſiduâ agitatione: in ventriculo verò ſuam ἐνέργειαν adeò vehementer non exercuit, uſque dum muco obmuniente ſoluto, ſpicula ſua infigere potuit fortiùs, quibus ſemel impactis, etiamſi evomuerint materiam idoneam, motus ſpaſmodici nihilominus ſubſtiterunt, ſpirituumque ulteriorem diſſipationem, quam corporis langueſcentia neceſſariò excepit promoverunt: Adjumento his acceſſit vaſorum ab hoſte rodente denudatio & eroſio aliqua, quam ſanguinis extravaſatio non potuit non ſubſequi, cujus utique cùm in tenuibus inteſtinis duodeno maximè, tùm in ventriculo inflammatio & mucus ſanguinolentus certiſſima ſunt ſigna: & fortè ſuffeciſſent hæ pro machinæ deſtructione illatæ noxæ, ſi intra iſta pomœria delituiſſet, aſt ulteriùs perrexit, particuliſque ſubtilioribus ſanguinis oceano immiſtus eum inſigniter rarefecit & fudit, unde cordis thalami, non modò ſanguine vel nullo vel fluido admodum gaudebant, ſed in pulmonibus etiam à ſanguine tenui hic illic extra vaſa proſiliente & ſtagnante, veſiculæ rubore & maculis inſolitis decoloratæ fuerunt, quibus faciliorem anſam pertinaces diaphragmatis ſuccuſſiones & oppreſſiones haud dubiè ſuppeditarunt, donec hinc labe aliquâ ipſi cerebro (ſi non potiùs ſpiritibus illatâ, elangueſcente fluidi utriuſq; influxu præcedaneâ temulentiâ corruerunt, de quibus in ſecundis curis pleniùs, nec enim de cerebri cortice, in quo ſpirituum expanſionis in affectibus ſoporoſis impeditæ cauſam quærunt eruditi, jam dicere vacat: de ovis verminoſis addẽda pauca, quæ ex pituitâ vel ſeminio certo modo putreſcente deducunt Galeni filii, fortè quod purgante exhibito, vel talem nudam, vel cum illa lumbricos excerni animadverterunt, pariter uti ex fimo equino, aliove fœtus ejuſmodi derivârunt alii, de ovulis inibi depoſitis parùm cogitantes: Eſt ſanè mucus cùm ventriculi, cum inteſtinorum, commodus vermiculorum utriculus, cui dum adhærentes & involuti, accedente etiam huc materia motum vitalem ſuſcitante (calorem dicunt aliqui, ego verò ſubtilis præſentiam inſuper arguo, exigui valde prodierunt, nutrimenti ſui partem aliqualem deinceps debere videntur, indeque eſt, quòd ſoluto & exeſo muco temporis tractu ipſam inteſtinorum ſubſtantiam eroſiſſe ac perforaſſe quandoque deprehenſi ſunt, ceu in obſervationibus infra exempla ſuggeremus: ſæpiùs tamen hoſpites iſti in uno alterove corpore ſtabulantur, præter practicorum opinionem & ſuſpicionem, unde vulgus pro ſuâ imperitiâ, labem ipſis affricare conſuevit, quòd exhibito purgante anthelminthico effectus non reſpondit: Verùm enimverò materia graveolens adinſtar ſpermatis ranarum, vel ovi putrilaginoſi, quid fœtus ſubfuerit ſatis edocet: Quis enim neſcit, vermes ſive enectos ſive ſeminium collectum, nec tamen eductum, ita corrumpi aut putreſcere poſſe? pariter uti pituitam in dictis locis ad ſaturationem aggeſtam, putredinem concipere, communicatiſque vitioſis maſſæ humorali miaſmatibus motum hujus variè pervertere aliaque ſymptomata inducere experientiâ comprobatum eſt: Spuma fermenteſcens, cujus vehementes rugitus, cum abdominis diſtenſione in cane altero præſagium erant, cum muco ſanguinolento ſatis oſtenderunt, quam in iſto ſucci exhibiti particulæ luctam inſtituerint, à quâ agitato tantiſper Helmontii Archeo angi & ſuccuti cepit: cani tamen exitiales iſtæ æque non fuerunt, ac porcello indico mari, cujus animantis ventriculus tenerior videtur utique, nec muco oblinente caninorum inſtar inſtructus, oſſa aliaque citra noxam diffringentium ac concoquentium, unde etiam dictæ ſucci particulæ pariter infringi non poterant, quin labe ventriculo & inteſtinis tenuibus gravi ſemel illatâ, qualis etiã in pulmonibus vitali organo conſpiciebantur, vitæ animalis diſpendio afficerent: Mucus certè viſcidior, & copioſior à particularum enormitate aliquâ ipſum præmunivit, cui, ceu ſuprà meminimus, plantæ utpote dicto demum menſe collectæ, virtus fatiſcere incipiens jungenda eſt, prorſus tamen ſoſpitem non præſtitit, quin ſymptomatũ vehementi iteratione langueſceret, concurrente internâ aliquâ ventriculi & inteſtini labe; Interitum verò intulit ſucci

ejuſdem

ejuſdem ſanguini propior facta immiſtio; unde ipſius compage ſolutâ, præcedaneis convulſivis motibus, cordis thalami liquore vitali prorſus exhauſti fuerunt, motum infuſo pabulo nitro-aëreo per intervalla ingeminante auriculâ dextrâ, de quibus videſis erudita Pythagoræ noſtri parerga. Neque funeſtam hujus vim effugit canis Moloſſus, viatoribus aliâs formidabilis, quin à ſucci immiſtione ſanguis ſupra modum rarefactus, vehementiſſimis in corde arteriiſque motibus occaſionem daret, effractaque ab impetu veſicularum pulmonalium ſtructura, non modo iſtæ collabaſcerent, ſed facta inſuper ſanguinis ſeroſi tenuis, extra vaſa proſilientis, cum aere agitato & rarefacto confuſâ συμμίξει, ſpuma ſanguinolenta per os copioſè effluxerit, qualis etiam poſtquam ſpirare deſiit, frequenter erupit, reliquiis aliquibus in ipſo thoracis cavo ſtagnantibus, pulmonumque flacciditate, quæ aërem injicere tentantibus magis patuit, & inflammatione evidentibus: utrum verò ſanguis fluidus acris, ad ſinnum latera viſibilis, (cui, ſi venæ jugularis utriuſque lateris ligatio ortum ſuggeſſit, pulſus arteriarum impetuoſus augmentum non exiguum ſubminiſtravit) motuum convulſivorum in faucibus præcipuè & colli muſculis mater extiterit, cùm potiùs apoplectici quid inducere valuiſſet, principii nervorum compreſſione: an verò fibræ motricis à ſanguine vehementer irruente, aut cardiacarum ab eodem impetuoſo inſultu facta irritatio, humoris ipſius acrimoniâ non rejectâ in cauſâ fuerit, decidere non vacat, nec opus eſt: Sufficit ab ejuſmodi motibus in machinæ animalis deſtructionem ſæpiuſculè tendentibus, & partium muſculoſarum, præcipuè verò ſpiritus vitalis, epi animalis, utpote à cruore ſaltem liberatus, affiniſſimus, ſucceſſione validâ ſpaſmodicas ὁρμὰς libenter ſubſequi, ceu iſtud etiam animi pathemata inopina, terror aliaque teſtantur: olim verò cani moloſſo venam jugularem externam pariter utrinque ligavimus, ſoporem cum ictu epileptico præſtolantes, ex ſanguine liberâ commeatione inhibitâ, aſt feſellit ſpem eventus, inque diſſecti cerebro ſanguinis extravaſati parùm omnino reperimus, nec in ſinibus grumoſi veſtigia, firmiſſimo argumento, viâ hac præcluſâ, aliam per venas maxime jugulares internas naturam ſibi paraſſe: in Porcelli femellæ mortem ſubitam inquirere ſupervacaneum eſt, ſucco irritante labem deleteriam ipſi; vitalibus organis proximè inferrent: de illius autem animalis utero & fœtibus, quæ memoranda ſunt in ſcholiis ſuperiùs expedivimus. Vale his Artis Aſclepiadeæ columen, & mihi, ut ſoles, favere perge.

Dabam è Muſeo Baſil. d. 17. *Decembr.* 1684.

Anno proximè ſubſequente, ejuſdem Cicutæ ſucco alia adhuc experimenta in canibus inſtituimus, plura verò ſymptomata, præter ſupradicta, nauſeam nempe, vomituritionem: ſomnolentiam & paulatinam machinæ corruitionem non obſervavimus, de aëris verò per venam jugularem, ſiphonis ope injectione quædam heic addenda habemus, quæ ſucci Cicutæ infuſionem illuſtrabunt potiùs quam turbabunt, enimverò fortior vis omninò abfuit, licèt tantillum quoque in officiendo adjumento eſſe potuiſſe, pertinaciter non inficiemur: Menſ. Octobr. labentis anni 1686. præſentibus D. Cand. Burgovvero, Scaf. D. M. Stehelino & D. M. Tonjoſa, cani mediocris magnitudinis, aërem fortiori inſpiratione in venam jugularem infudimus, hic poſtquam tantiſper ejulaſſet, reſpirare confeſtim deſiit: Abdomine & thorace mox cultro apertis, præter ductum thoracicum, vaſaque venoſa turgida, motum item inteſtinorum periſtalticum elegantem, cor prorſus diſtentum comparuit, cujus tamen parietes vulnere inflicto, illico conciderunt flaccidi, & enervati, præterque tantillum cruoris ſpumoſi nihil exhibuerunt, ut inde ad fibrarum cardiacarum enervationem, ab aëris vi injecti expanſione ſ. elaſi, fortè non incongruè argumentari liceat, unde ad priſtinum tonum illis non redeuntibus, cor in motu ſuo fatiſcere neceſſe habuit, prorſus tamen non rejectâ ſanguinis ab aëre permiſto rarefatione, quam bullulæ ſpumoſæ ubique probaſſe videntur. Decem circiter diebus poſt animum ſubiit liquores diverſi generis alcalinum & acidum ſanguini ſucceſſivè immiſcere, cui negotio operam unà præſtiterunt Viri Præſtantiſſ. D. Mejerus & D. Meiſterus Scafuſ. Medic. itidem Licent. ſolutâ hinc utrinque venâ jugulari ex uno quidem latere ſpir. urin. ſal. arm. ex altero verò ſpir. vitrioli tubulo permiſcere ſtuduimus: Et quidem poſt illius miſcelam, vehementes ejulatus cordiſque impulſus aliquando animadvertimus, qui autem cum diu non ſubſiſterent, nec ab hoc injecto pejora ſymptomata ſubſequi videremus, aëris forti infuſione, ſcenæ finem pariter fecimus, atque præter ea, quorum ſuperiùs meminimus, cruoris effervescentia, vaſis ſanguiferis inciſis, ſatis conſpicua, animos præcipuè refecit, cum ſanguinis grumoſi portionibus hìc illic palpabilibus, quam diverſæ naturæ liquorum concurſui adſcribere, nihil fortè eſt, quod vetat, inprimis ſi alcali & acido patrocinari velimus. *Clar. Joh. Jac. Harderus in Obſervationibus Anatomico-Practicis.*

Diſſertatio Medico-Philologica de Cicuta ejuſque Veneno.

Ad Clariſſimum Virum Dn. Joh. Jacobum Mangetum Medicum apud Genevenſes Excellentiſſimum, ac Doctorem ſapientiſſimum.

Cicutam venenum eſſe naturæ humanæ infenſiſſimum, & Antiqui, & recentes referunt ſcriptores; Sic de Cicutæ malignitate plena ſunt hyſtoricorum volumina; hinc ope cicutæ occiſi fuere Demoſthenes, & Seneca, teſte *Sim. Paulli in Quadrip. botanic. claſ.* 3. & Socrates, cujus mortis hiſtoriam *Plato in Phæd.* exponit, quam non ſine lachrimis legebat *Jul. Cæſ. Scaliger* necnon veneno cicutæ, præter alios multos, necatus fuit Franciſc. Trapolinus præceptor Pomponatii, ut monet *J. C. Scaliger de ſubtilit. ad Cardan. exercit.* 152. Unde Athenienſes maleficos homines cicutâ necare ſoliti erant, ut paſſim teſtantur hiſtoriæ, & *Plinius hiſtor. natur. lib.* 25. hanc inviſam Athenienſium pænam fuiſſe ait. Cicuta variè à Variis appellatur, unde à multis Ægynos, aliis Ethuſa, Apoleguſa, Dolia, Amauroſis, Aphron, Cæteu, Abioton, Timoron dicitur, aliaque plu-

ra

ra etiam habet nomina ut videre eſt apud *Tragum hiſtor. Stirp. lib.1.*

Naſcitur ipſa herba ſponte incultis, atq; umbroſis locis, caulis quandoque tricubitalis eſt, Fœniculum imitatur, geniculatus, ac nodoſus, è cujus ſinubus ſurculi prodeunt, florem album facit, ſemen aniſo reſpondet, infeſto tamen odore, & Myrrhidi admodum ſimilis eſt Cicuta, & ab ea tantum differt viroſo, ac maligno ſuo odore; Floret autem Julio, & ſemen habet Auguſto. Duplex eſt, nimirum Cicuta major, atque Cicutaria vulgaris; prima apud nos Ferrarienſes haud naſcitur, altera paſſim adinvenitur, eamque manducatam Aſinos inebriare credit Vulgus noſter; De hujus plantæ deſcriptione, ac differentiis plura tradunt *Bauhin. Dioſcorid. Matthiol. Trag. Hoſman. Fuchſi. Ruell. Chabreus, & alii Botanici.* Frigidæ hanc herbam eſſe temperiei narrant multi; *Cardanus* autem, eam calidâ eſſe imbutam temperaturâ ait *l.1. de Venen.* Primi ex ejus frigiditate venenatam qualitatem deducunt, qui tamen refelluntur à *Sennerto*, nam aqua, & nix eâ longe frigidiora ſunt, & tamen non ſunt Venenata; Ex eo verò quod ſit amara, deducit citatus *Cardanus l. c.* cicutam eſſe calidam; *Sennertus Pract. lib.6. part.7. cap.6.* ait, totam illam actionem, qua ut venenum agit, eſſe ab occulta proprietate, ego verò cum *Sim. Paulli Q. Bot. Voſſio de Idololatr. lib. 3. & Frider. Hofmann. clav. in Schröder.* aſſero, Cicutam meritò inter venena referri à tota ſubſtantia agentia; De cicutæ frigiditate tractarunt *Matthiol. in Dioſcor. Fuchſius in hiſtor. Plantar. Caſpar. Hoſmannus de medicam. officinal. lib.2.* aliique plures; de Cicutæ caliditate *Cardanus lib.1. de Venen. Ermol. Barbarus in corolar. cap.694.* Cicutam aquaticam frigidam eſſe, terreſtrem verò calidam ait; Quidquid verò ſit de ejus primis qualitatibus, de quibus penes Autores, certum eſt eam eſſe Venenum, & corpori humano inimicum, & qui ab hac herba venenati moriuntur, incipiunt algere ab extremitatibus corporis, quemadmodum accidit *Socrati* monente *Platone*; & hîc notandum, quod quando hæc planta in Vino eſt pota irremediabilis putatur. Potentiſſimam eam eſſe cicutam, ait *Plinius cum Matthiolo*, quæ oritur in Partha, Laconia, Creta, Aſia, Megara, & Athenis in Græcia; in Italia vero non apparet tam venenata, innocens tamen non eſt; hauſta cicuta oculorum caliginem inducit, cum Vertigine, furore, ac amentia, difficultate reſpirationis, ſtrangulatione, ſingultu, corporis tumore, frigiditate, atque virium exſolutione, tandemque morte tanquam *ultima linea rerum*, Ob ſalvandum Virum, qui fuiſſet venenatus à Cicuta, præmiſſo prius, vomitorio, ut in omnibus fit Venenis, vel etiam purgante aut clyſtere, ſtatim alexipharmaca adhibenda ſunt, V. G. Dictamnus, ruta, gentiana, Urticæ ſemen, abſinthium, & ℥i. Theriacæ, vel mitridati. Vinum generoſum valdè commendo, debile enim tanquam vehiculum veneni agnoſcit *Sennertus*; undè Athenienſes, dum aliquos cicutæ veneno occidere volebant, pauxillum Vini debilis ei admiſcebant, ut ſua tenuitate venenum ad cor citò deduceret; Totum corpus venenati calefaciendum eſt, ægrotuſque ad motum cogendus; idcircò *Scaliger. exercit. ad Cardan. 152.* ait Athenienſes monuiſſe Critonem, ne Socratem permitteret, attentiùs diſputare, propterea quod ex ea mentis agitatione caloris aliquid contrahi poterat; qui calor veneno cicutæ obſtaret; Sicuti verò homini venenum eſt cicuta, ita cicutæ vinum, de quo egregius ille eruditionis Theſaurarius *Cælius Rhodiginus lect. antiqu. lib. 28. cap. 35.* hinc valdè miratur *Joh. Bruierinus de re cibar. lib.8. cap.71. Plinium*, alioquin Gravem virum, tradidiſſe caules Cicutæ plerunque edi in patinis, cum certò conſtet cicutam noxiam eſſe; quam maximè à Toxico differre ſcribit citat. *Caſ. Rodigin.* hanc ſervabant Athenienſes ad publicam pænam, quod & *Juvenalis* notavit canendo.

Nil præter gelidas auſa conferre cicutas.

Quam pænam ſubivit olim Socrates, ut ſuprà monui, cujus mortis hiſtoriam fusè ſcribit *Eilard. Lubinus com. in A. Perſ. Satyr. 4. pag. mihi 757.* quæ quidem digna eſt, ut legatur. Certo igitur conſtat, Cicutam venenatam plantam eſſe; notandum tamen cum *Luciano in Ermotimo* cicutam non in omni quantitate occidere; refert enim *Galenus* hiſtoriam de quadam Athenienſi, quæ à minima cicutæ portione auſpicata nullo detrimento ad magnam progreſſa eſt copiam, ſimileſque obſervationes notarunt *Fontanus in reſponſ. Med. Sext. Empiric. Marc. Donatus, Mercurialis,* & alii; imò Anum quandam 30. drachmas cicutæ innoxiè devoraſſe ſcripſit *Caſp. à Reies Camp. Elyſ. qu. eſt. 63.* qui auctor concludit cicutam quandoque nutrire poſſe; Externus autem cicutæ uſus non rejiciendus eſt à Praxi Medica; ex hac enim, uti & ab aliis Venenis, morbi aliqui edomari queunt; Sic doctiſſ. *Ettmullerus in Schröd. dilucid.* Emplaſtr. de Cicuta commendat pro ſplenis obſtructione; imò, & ſtrumis cum gummi Ammoniaco in aceto ſolut. adhibetur. Ad mammas induratas à lacte coagulato fæliciter emplaſtrizatur Cicuta, quod bis ego expertus fui; hanc herbam *Dioſcorides* tritam, & teſtibus circumlitam applicari jubet ad Venerem extinguendam; hinc eſt poſtea, quod ſucco Cicutæ, aliquo modo nobis adhuc incognito, præparato Sacerdotes Athenis libidinem extinguebant, ut legitur apud *D. Hieronym. contr. Jovinian. Alexandr. ab Alexandr. 4. genial. dier. & à Reies l. cit.* Ad omnes inflammationes, & tumores externè cicutam prodeſſe docet *Tragus hiſt. Stirp.* Succum Cicutæ, & ejus aquam deſtillatam juvare in Eryſipelate docent multi; Ex hac fieri ad refrigerandum malagma, ait *in hiſt. Plantar. Leonard. Fuchſius cap.155.* multi uſus, ad cohibendas epiphoras æſtivas, oculorumque dolores ſedandos; undè optimè poſtea *Plinius* ait, eam miſceri colliriis, & omnes rheumatiſmos cohibere; Podagram refrigerare cicutam cum litargirio in primo ejus impetu docet idem *Plinius hiſt. nat. lib.26. cap. 10. & cap. 12.* ejuſdem libri, membris luxatis apponit; In narium hemorragia cicutæ ſemen tritum ex aqua, nari-buſque inditum, efficatiæ multæ eſſe ait cit. *Plinius*; qui etiam ulcera curare vult cicutam cum ſiligine mixtam mero; Ego tandem expertus ſcribo, Cicutam noſtram contuſam & appoſitam tumoribus valdè prodeſſe.

Si Aſini Cicutam depaſcantur ſomno profundo corripiuntur, ut ſæpe à Ruſticis tanquam mortui

mortui excoriati fuerint; ut monet *Ant. Miraldus, & Matthiol. com. in Dioſcorid.*

Sturnos impune veſci Cicutis, quæ tamen homini ſunt venena, aſſerit cum multis Auctoribus *Clar. Dn. Jul. Cæſar Scaliger comment. in l. 4. Theofraſt. de Plantis*; ità pariter me legiſſe memini Gallinas veſci ſcorpiis, Anates domeſticas Buffonibus, Feles lacertis, abſque ulla noxa; hîc autem pro epilogo notandum Cicutam venenum eſſe acribus particulis prædìtum, linguam enim acrimonia quadam pungit, & vellicat, homini tam infenſum, ut qui ſumpſerint brevi moriantur, nec ulla prorſus ope medica ſalvari poſſint; Plura de Cicutæ veneno cupienti dabit *inſignis, ac nunquam ſatis laudatus Dnus. Theophilus Bonetus in ſuo Mercur. compitalit. lib. 18. & Joh. Jacob. Wepferus Illuſtris Academiæ noſtræ Curioſorum Socius ſemper æſtimandus, atque colendus*; hæc breviter à me ſcripta ſufficiant de Cicuta.

Raptim ſcribebam, & currenti calamo in muſeo meo die 7. *Decembris* 1695. ego *Joſeph. Lanzonus* Med. Doct. Ferrarienſis in Patria Univerſitate ordinarius Lector, & Academiæ Leopoldinæ Socius dictus *Epicarmus*.

De Napello.

Hiſtoria 1. Catello trium circiter ſeptimanarum cum *Nob. D. D. Heinrico Screta à Zavorziz* 14. Julii 1676. radicis *Napelli* recentis bene contuſæ drachmam dimidiam cum lacte, horâ 2. pomeridianâ, intrudi: aliquandiu inceſſit ac ſi nihil deleterii accepiſſet, ſubinde vagiit, quandoque caput ſuccuſſit, quaſi nauſearet. Præteritâ propè horâ dimidiâ pedes poſteriores traxit, paulò pòſt ingreſſu ad latus ſiniſtrum inclinavit, atque ſæpiùs in illud lapſus eſt: ſubinde totum corpus motu convulſivo concutiebatur. Non diu pòſt evomuit lac ſpumeum & aliquomodo grumoſum. Motus convulſivi aliquandiu continuerunt; hinc in latus decubuit: non obriguit à tetano: decubuit inſtar moribundi ultra duas horas ab accepto *napello* & quaſi ſuſpirioſè vagiit. Abdomen intumuit; illo inciſo fortius vagiit & validè artus movit. Ventriculus valdè diſtentus erat: integrum excidi: movit ſe motu vermiculari: ſtomachus ſeu orificium ſiniſtrum arctiſſimè ſemet conſtrinxit, ut ne guttula quidem excideret: quando verò circa medium ſe contraxerat, motus lentè verſus pylorum procedebat, illeque erigebatur, liquorque ſubpallidus, nunc ſpumeus nunc viſcidus quandoque ſenſim, aliquando cum impetu protrudebatur: Constricto pyloro ventriculus rurſus intumuit totus, moxque rurſus circa medium ſe conſtrinxerat, novuſque liquor per pylorum ejiciebatur: Hæc conſtrictionis in medio & inflationis alternatio continuavit per octavam partem horæ, ſtomacho ſemper arctiſſimè clauſo permanente. Poſtquàm ventriculus ſe movere deſiit, illum supernè à ſtomacho ad pilorum incidi: continuit radicis *Napelli* reliquias, lac grumoſum, fruſtula ſtraminea, mucum & liquorem ſpumeum: his ſublatis interna ſuperficies alba erat, nec ullibi vel minimum inflammationis ſignum apparuit. Diaphragma poſt ablatum ventriculum aliquandiu movebatur, catelluſque aërem ore hiante captavit. Sanguis ex venis & arteriis promanans admodum fluidus fuit. In cordis ventriculis nihil omninò ſanguinis ſupererat. Veſica ab urina valdè diſtenta erat.

Hiſt. 2. *Reverendiſſimus Dom. D. Romanus Abbas St. Blaſii* ex benevolentia, qua erga ſtudium Medicum fertur ſingulari, 1676. die 27. Auguſt. conceſſit lupum, ad experimentum *Napello* faciendum. In nido paucarum ſeptimanarum adhuc captus nutriebatur lacte; adolevit & aliquomodo cicur factus quoſdam ferebat; cum cane ludebat, illumque hinc inde ſequebatur, non tamen penitus lupinam naturam exuit, quoſdam ferre nequiit, erga illos ringebat & propius accedentes morſu petiit: tuncque præ timore ſtatim alvum & veſicam exoneravit, fugaturus hac turpitudine inimicos ſuos. Jam ſemeſtris erat, ac robuſtus. Ab horâ 6. matutina ad 2. pomeridianam nihil cibi dabatur: per hortum & aream bacillo abactus valde incaluit: carnem objectam comedere noluit, ſerum verò appoſitum avidè lambit & poſtea carnem devoravit.

Poſtea aliud fruſtulum carnis, in quo drachma dimidia radicis *napelli* abſcondita erat, objectum fuit, quod venenum ſubodoratus attingere noluit: Itaque illum auribus apprehenderunt, os bacillo diduxi ac duo fruſtula carnis quibus *Napelli* drachmæ duæ circiter involutæ erant, intrudimus. Vix octava horæ pars præteriit, quum ad vomitum ſtimularetur, & paulò poſt mucum viſcidiſſimum, craſſum, ſpumeum cum uno fruſtulo carnis evomuit; ulterius ad vomitum concitatus alia duo cum napello & muco viſcidiſſimo, craſſo, ſpumeo & flavo ejecit. Interea abdomen mirè attollebat, valde angebatur: robuſtus tamen manſit, pedibus non nutavit, ergà ignotos rictum edidit, baculum protenſum morſu petiit: Subinde mucoſa & viſcida evomuit. Poſtquam ambo fruſtula carnis cum radice napelli egeſſit, adhucque vegetus eſſet, veritus me experimento fruſtratum iri, paulò poſt ultra drachmas duas radicis contuſæ ſero lactis immiſcui ac ore diducto denuo infudi. Brevi poſt frequenter ad vomitum irritabatur, multis nixibus fruſtraneis, tandem ter mucum viſcidum craſſum, ſpumeum, quartâque vice ejecit mucum gryſeum, turbidum, cui radices *napelli* & fæces ſubnigræ immixtæ erant: poſtea evomuit iteratis vicibus liquorem tenuem, flavum, pellucidum, nonnunquam nullo colore tinctum, mirè angebatur: huc illuc ivit, corpus quandoque ad parietem inclinavit; huc uſque nondum decubuit: abdomen crebro contrahebatur, ut propè venter evaneſceret, dorſoque accedere videretur: diaphragmatis tenſio & relaxatio frequentiſſimè alternabant: nunquam vel alvum vel veſicam exoneravit, quod antea facilè ex ſolo metu fiebat. His ultra dimidiam horam perdurantibus, ſubitò ambobus pedibus anterioribus fortiter terram fodit brevique amplam foveam, ceu ſibi ſepulchrum paratus, excavavit, ab opere avulſus fune quo ligabatur ſubſidit, moxque in latus decubuit: extractus è fovea aliquot greſſus fecit: rurſus fodere incepit, profundè os naſumque foveæ immiſit, evomens mucum pellucidum, viſcidum, coloris expertem: ſtans aut ſedens ſubinde toto corpore tremuit: rurſuſque fodit, retractus & compulſus aliquot greſſus peregit, non nutante

corpore. Paulò poſt in latus decubuit: celerrimè & cum ſuſpiriis reſpiravit: ad vomitum adhuc ſtimulabatur: os ſpuma implebatur: nunquam convellebatur. Cùm exſpiraturum præviderem, duabus horis à primo bolo intruſo, vivum ſed prorſus enervatum aſſeri pedibus & capite alligavi, ita tamen ut os apertum maneret: abdomen incidi; nulla doloris ſigna dedit: inter ſecandum exſpiravit, licet parum ſanguinis profuſum fuerit. Quamvis diaphragma non amplius moveretur, ventriculus tamen nunc in antro pylori, nunc in medio ſe contrahebat, ibique gracilior, imò quandoque anguſtiſſimus evaſit, verſus ſtomachum verò intumuit; mox conſtrictus iterum relaxabatur & in amplam molem diſtendebatur; mox iterum nunc circa antrum pylori, nunc in medio coarctabatur, atque crebris vicibus iſtæ ventriculi conſtrictiones & dilatationes alternabant. Inteſtina motu periſtaltico ſe movebant, nec tamen poſt conſtrictiones ventriculi dilatari videbantur, imò poſt iteratos motus ſuos periſtalticos anguſtiora manebant, quamvis nihil per alvum quoque excreverit. Remoto ſterno gula ſummoperè diſtenta occurrit, quovis brachio pueri annui amplior ac ſi à flatu è ventriculo pulſo & circa pharyngem detento in hanc molem excreviſſet. Ad latus inclinatis pulmonibus receptaculum chyli nuce moſcatâ majus, oblongum, ſubpallidum vidi. Pulmones erant ex albo rubeſcentes, molles, penitus collapſi. Ventriculo propè ſtomachum inciſo gula concidit, & protinus ad priſtinam magnitudinem pervenit; nulla inflammationis veſtigia in illa aderant. Ventriculo à ſtomacho ad pylorum inciſo ultra duodenum, vix grana decem radicis napelli inveni; continuit mucum valdè ſpumeum flavum: illo abſterſo tota interna ſuperficies in fundo & in parietibus inflammata, & anfractus atro rubeſcentes, nullibi exulcerati, apparuerunt: ſtomachus verò & pylorus ab inflammatione immunes fuerunt. Tota interna ſuperficies duodeni & maxima pars jejuni & ilei quædam portiones, nunc unciæ unius nunc duarum longitudine, imprimis propè valvulam in ejus fine, admodùm rubebant; etiam limbus hujus valvulæ. Duodeni & jejuni ſuperficiem incruſtabat ſubſtantia coagulo lactis ſimilis, alba viſcida, alicubi flava. In ileo continebantur cucurbitini vermes ſolitarii, ſemen cucurbitæ figurâ & magnitudine referentes, cohærentes duas ſpithamas longi, deſinentes in filamentum propè ſpithamæ longitudine, in cujus extremo globulus, caput acus referens; Item tæniæ ſeu lumbrici lati; omnes adhuc viventes.

In recti extremo fæces virides, mucoſæ pauciſſimæ aderant. Cœcum flatibus diſtentum & incurvum continuit mucum viridem, ſabuli aliquid & fruſtulum unum alterumque radicis minutim conciſæ. Inteſtina ulnas quinque ſuperarunt; Cœcum palmare. In jejuno & ileo quam plurimas areolas glandularum inveni, plures rotundas, quaſdam oblongas, dimidii bazii latitudine, quaſdam ampliores; areola in fine ilei palmâ longior erat: illarum ambitus prominulus; pleræque in centro etiam inflammatæ. Vaſa ſanguifera meſenterica ampla & ſanguine nigro plena; heparque atro rubeſcens fuit. Veſica bilaria bile valdè turgebat: Lien pallidior longè hepate: in dorſo ſe corrugare videbatur: longus ſed gracilis. Renes caninis ſimiles: nulli in illis vermes. Veſica prorſus contracta: vix nucem moſchatam magnitudine æquavit, quamvis glandem filo conſtrinxerim. Vena cava aſcendens & deſcendens valdè ſanguine turgebant. Pancreas *Aſellii* venæ lacteæ plures tranſcenderunt & perreptarunt. Receptaculum chyli incidi, effluxit multum chyli lactei, candidiſſimi, multâ lymphâ diluti, ſine vel minimo grumulo. Ductum thoracicum ibi inflavi, inde vena cava propè auriculam dextram primùm micare, hinc ſyſtolen & diaſtolen edere cœpit, mox auricula dextra ex parte, non tota aliquot ſyſtoles & diaſtoles motus peregit. Cor ante inflationem amplum, ab illa magis diſtendebatur, ut & vena axillaris. In pericardio multum ſeri pallidi, turbidi continebatur. Inciſis cordis auriculâ dextrâ & ventriculo, aliquid ſanguinis ſpumei emanavit, plurimum verò in auricula & ventriculo grumoſi permanſit, extracto grumo ſequebantur appendices ſpithamâ longiores ex cava & arteria pulmonica. In ventriculi ſiniſtri ſummitate grumulum parvum, nullum in fundo reperi. Artus poſt mortem flaccidi & flexiles erant. Oculi diu lucidi permanſerunt. Dum vivebat naſus ad oculos ut & pedes, ubi depiles erant, admodum quaſi a ſudore madebant. *Clar. Joh. Jacob. Wepferus Tract. de Cicuta aquat.*

De Cocculis.

Hiſt. 1. Feli maſculo adulto d. 28. Decembr. 1677. horâ 9. antimeridiana jejuno dedi, præſentibus *Exc. D. D. Heinrico Screta* & aliquot Candidatis & ſtudioſis Medicinæ, Coccularum contuſarum & cum juſculo permixtarum drachmas duas. Cochleatim infudimus juſculum, cujus magna portio antequam deglutiret ex ore effluebat, protinus tamen mucoſum factum vidimus, nihilominus prope drachmam in ventriculum admiſit. A vinculis liberior os lambit. Statim poſt intruſum juſculum, inſtar canis curſu longè defatigati, celerrime linguâ exſertâ & hiante ore reſpirare cœpit & paulò poſt quaſi exterrita ſuccutiebatur. Vix octante horæ elapſo convelli cœpit & primum convulſa jactabatur ad pedis unius & duorum diſtantiam: tum inter convulſiones, tum ab illis libera ſæpius lamentabilem vocem edidit: ſpuma ſatis copioſe ex ore ſtillavit: ſemel manifeſte vomere conabatur: nunquam alvum ſolvit: nec multum eminxiſſe obſervatum fuit, quamvis permictiones importunæ ipsâ ad cocculas damnarint. Paulò pòſt convulſiones invaluerunt creberrimis paroxyſmis & omnis generis, imprimis ὀπισθότονῳ & tetano; non rarò ſolummodo pedibus tremebat. Poſt paroxyſmos aliquoties ceu mortuus jacuit. In ipſis paroxyſmis & dum à convulſionibus liber erat, ſæpius nullum motum cordis, nullamque reſpirationem animadvertere potuimus; ambo motus nunc ſponte, nunc compreſſo & conſtricto atque etiam ſuccuſſo pectore redierunt, ſtatimque rurſus convulſiones ordiebantur pari vehementia; inter convellendum cauda mirè intumuit & arrecta fuit. Fere ad extremum vitæ oculi ſplendidi fue-

fuerunt; circa finem vitæ retrahi videbantur: tunc quoque jam diu mortuus credebatur; poſt ſuccuſſiones tamen denuo iterato convellebatur atque vocem querulam, ſed ſubmiſſam, edidit.

Ante 10. antimeridianam vivere deſiit. Aperto abdomine ventriculus rugoſus & anfractuoſus quaſi conſpiciebatur, ac circa principium antri pylori aliquantulum contrahebatur & coarctabatur, ſed motu lentiſſimo; paulo poſt amplior & ſuperficies planior evaſit, diuque talis manſit & non niſi levicule ſe ſubinde contrahendo & corrugando mutabatur. Inteſtina à pyloro ad finem recti diu motu periſtaltico movebantur, qui motus nunc à pyloro ſupernè, nunc infernè, nunc circa medium incipiebat; & nunc ſurſum nunc deorſum vergere videbatur, idque diu, quamdiu ſc. inteſtina calebant.

Venæ gaſtricæ, epiploicæ, meſentericæ & porta admodum ſanguine tumebant. Inteſtina motu periſtaltico contracta duriſſima & quaſi cartilaginea videbantur: foris conſpicui erant, præter rugas circulares, etiam ſulci recti. Cavum hepatis rubicundius erat parte convexâ, atque ibi manifeſte apparuit illud ex minutis glandulis compoſitum. Veſicula Bilaria Bile vireſcente turgebat. Pancreas molle manſit. Lien ſaturatè rubeſcebat: Renes pallebant. Aperto thorace, pulmones ſiniſtri lateris ſubalbi cum aliquo rubore permixti, in dextro latere rubicundiores erant: in utroque latere lobi inflati erant, adeo ut pulchre in ipſorum extremitatibus Veſiculæ Malpighianæ conſpicerentur; Vena cava aſcendens & deſcendens, item azygos & intercoſtales ſanguine valde diſtentæ erant. Cor ejuſque auriculæ ſanguine admodum turgebant; dextro ventriculo inciſo copioſus & fluidiſſimus emanavit; ex ſiniſtro verò, supernè preſſo corde, cum impetu proſilit: in neutro ventriculo vel auriculis ne minimus quidem grumulus obſervari poterat, cum tamen extravaſatus brevi grumeſceret.

Ventriculo à gulâ ad pylori finem supernè inciſo, ipſum plenum muco viſcido cum juſculo & coccularum pulvere mixtis invenimus; quibus deterſis anfractus albicabant, & alicubi paululum magis quàm aliâs obſervatur, rubebant, non tamen manifeſte inflammati erant. Inteſtinis à pyloro ad finem recti inciſis, ſub pyloro in duodeno pauxillum de juſculo muco permixto offendimus. In reliquo ductu ad finem ilei ne minimum veſtigium harum apparuit: imo omnia vacua & exſucca erant, muculque ipſe paucus & condenſatiſſimus fuerat: reperimus vermem unum latum, adhuc vivum & plures lumbricos teretes. Circa inſertionem ductus Bilarii & pancreatici, nec Bilis vel alius liquoris guttula viſa fuit. Inteſtinum Cœcum & principium recti, plena erant ſubſtantiâ pultaceâ pallidè flaveſcente: in fine recti aliquot ſcibala ſicca & indurata detinebantur. Rectum à ſordibus mundatum intus rubicundius cum ſuis anfractibus fuerat ventriculo.

Inclinatis pulmonibus ad latus vidimus per ductum thoracicum, lympham omnis inquinamenti expertem tranſparere.

Hiſt. 2. Ab Exc. D. D. Chriſtophoro Hardero, communicata.

Die 8. Novemb. 1678. Cani venatico, novem fere annorum, carnoſo tamen, valido & robuſto Coccularum in pulverem redactarum drachmas circiter duas exhibuit. Elapſo vix dum mediæ horæ ſpatio, toto corpore, ac ſi frigeret, tremuit: in hortulum traductus gramen lambere, ſubinde devorare cœpit: brevi ventriculus ad vomitum urgebatur, qui & paulo poſt ſequebatur; unâ atque alterâ vice ſtomacho per vomitum à Cibis evacuato, tremor artuum in motus Convulſivos mutabatur: rictum ſæpius deducebat vero ſpaſmo Cynico; ſtans eructabat plurimum ſalivæ tenuiſſimæ, ab ore pendulæ: motus ventriculi nauſeabundus identidem rediit: tandem humi proſtratus, horrendas Convulſiones univerſales ad quartam fere horæ partem paſſus eſt. Tandem remittente ſenſim violenta illa artuum extenſione & Convulſione, (non tamen ventriculi, qui perpetuo ad vomitum irritabatur & ſine intermiſſione ſpumam eructabat) paulatim canis ſe recollegit, caput erigere, ſurgere ac pedibus inſiſtere conabatur: quod tamen effectum dare minime potuit, ſæpius enim recidit, pedeſque poſteriores corporis onus ferre recuſarunt; vacillavit inſtar temulenti, oculi caligine ſuffuſi, ut oblata & accedentes non videret, nec acclamantes audivit. In hoc ſtatu ferè per horam manſit. Poſtea in ſecundum paroxyſmum epilepticum delapſus eſt, priore tamen mitiorem & breviorem, quo ceſſante ſenſim reviviſcere cœpit, robur artubus rediit, firmo talo ſtetit, torpor, oculorum caligo & temulentia diſcutiebantur, ſtomachus quievit, ſuâque ſponte convaluit. Globus ſclopeti per caput trajectus vitam ſuſtulit. Canis exſcerationi ſubjectus oſtendit in ventriculo magnam ſpumæ copiam & in fundo cibos; deterſâ ſpumâ ventriculus non uſque adeo alteratus vel inflammatus, at rubicundior debito erat: ut & inteſtinorum interna ſuperficies; glandulæ verò nec prominentiores nec rubentiores erant: Nihil Coccularum in inteſtinis occurrit.

Hiſt. 3. A Doctiſſimo D. Melchiore Hurtero, Med. Lic. communicata.

Die 8. Januar. 1678. horâ 1. pomeridianâ caniculæ viginti horis jejunæ, coccularum contuſarum drachmas tres cum pane in Bolos redactas exhibuit. Poſt quadrantem horæ oculis frequenter, ceu obdormitura nictavit, mox, ceu ab inſomniis territa & expergefacta, caput ſuccuſſit iteratis vicibus, os lambit, ſemel atque iterum oſcitavit; ſequebantur vomitus; primùm evomuit cibi reliquias craſſas & Bolos ex cocculis fere integros, hinc materiam pultaceam craſſiuſculam, poſteà tenuiorem flaveſcentem, tandem mucum tenacem album, cujus partem dimidiam ab ore pendentem reſorpſit. Ab illo tempore valde inquieta fuit, ſurrexit, mox rurſus decubuit, frequenter os nunc lambit, nunc aperuit, nunc clauſit & maxillas ac ſi manderet, verſavit: exporrecta

capite torvè circumſpexit: parietes delingebat: celerrimè ceu à longo curſu defatigata, exſertâ & variè commotâ linguâ, reſpiravit, ubinde murmuravit, caput ſuccuſſit; pedes tremuerunt: ſemel voce ſubmiſsâ & ore propè clauſo latravit. Nondum horâ elapsâ adhuc ſemel evomuit mucum tenacem ſpumeum, ſubflavum: pedibus anterioribus inſiſtens caput erexit, tremebundæ caput ſuccutiebatur: ſubinde totum corpus motu convulſivo tentabatur: aliquandiu oculos unico objecto obverſos immotoſque tenuit. Poſt horam elapſam ſaliva copioſiſſimè ex ore ultra horæ quadrantem emanavit: ſtupida, ceu omni ſenſu privata, jacuit, nec baculo percuſſa ictus percepit; interdum totum corpus concutiebatur, quandoque ſolùm pedes poſteriores tremebant, erecta ſtare nequiit: ſemel, inſtar canis ad iram concitati, murmuravit: tandem capite in terram extenſo, clauſis oculis, ceu ſomno obruta jacuit & pauliſper quievit: ſomno finito ſurrexit, ſenſus omnes recuperavit, hinc inde curſitavit: & ſecundâ à *cocculis* devoratis horâ, nihil adverſi amplius paſſa eſt. Vegetæ poſt dimidiam horam *coccularum* drachmæ duæ cum juſculo carnis ingeſtæ fuerunt, quas poſt horæ quadrantem evomuit, nullo ſubſequente alio ſymptomate, quàm iteratâ capitis ſuccuſſione. Die 9. Januar. ter cocculæ non parva doſi datæ fuerunt: Primum ante meridiem, unde per alvum egeſſit fæces atro flaveſcentes. Poſt meridiem bis exhibitæ nihil niſi vomitum excitarunt. Die 10. Januar. ante meridiem rurſus drachmæ tres *cocculàrum* intruſæ fuerunt, nullo ſubſequente ſymptomate notatu digno, quin potius unâ atque alterâ horâ elapsâ ipſi appetitus rediit, objectos cibos avidè devoravit atque integrè convaluiſſet, niſi ad nucem vomicam damnata & hujus vim expertura aliter ejus curioſitati inſervire coacta fuiſſet. *Idem ibidem.*

De Nuce Vomica.

Hiſtoria 1. Catello projectitio trium circiter ſeptimanarum, 16. Julii 1676. limaturæ Nucis Vomicæ drachmam dimidiam, hora ſecunda pomeridiana, cum *Nob. D. D. Heinrico Screta à Zaworziz* lacti permixtam infudi. Aliquandiu nihil p. n. obſervatum fuit, niſi quòd vagiret: elapſo horæ quadrante caput ſubinde ſuccutiebatur, aut in latus trahebatur, aliquando tremuit ac ſi rigorem pateretur: interea vagiit continuò, evomuit lac ſincerum, non coagulatum: paulò poſt nunc pronus, nunc ſupinus, exporrectis pedibus inflexibilibus, vero tetano extenſus, jacuit, quandoque totum corpus motibus convulſivis concutiebatur & multivariè jactabatur, mox toto corpore & collo inſtar ſchidii rigidus protenſis pedibus evaſit, atque ab illo tempore vagire deſiit, exſerta continuè lingua: abdomen valdè intumuit. Poſtquam duabus horis convulſionibus afflictus jam ſemimortuus eſſet, abdomen incidi, inter ſecandum rurſus vagire & motu convulſivo agitari cœpit, qui protinus in tetanum vertebatur. Ventriculus, utroque orificio arctiſſimè clauſo, ſupra modum diſtentus erat; Illo exſecto vidimus diaphragmatis crura, antequam illud in inſpiratione ad plenam diſtenſionē & expanſionem perveniret, motu convulſivo, ut in ſingultu, ſuccuti. In ventriculo invenimus lac grumoſum cum muco ſpumoſo multo & fruſtulis ſtraminis: illo à contentis mundato, nulla inflammationis ſigna obſervare potuimus, anfractuum tamen ſuperficies minùs alba erat ac aliàs conſpicitur. Ventriculo exſecto nihilominus artus & collum à tetano rigebant; diaphragma diu & ſæpius brevibus intervallis motu convulſivo ſuccutiebatur: ex venis & arteriis ſanguis largè, ſplendidè rubeſcens emanavit nullibique concretus, aut grumoſus à nobis viſus fuit. Aperto pectore cor veluti emortuum, cultelli apice irritatum, movebatur ſubinde. Tertia hora poſt exhibitam nucem Vomicam inciſis cordis ventriculis & Venâ cavâ prodiit ſanguis fluxilis, grumorum prorſus expers.

Hiſt. 2. Caniculæ provectioris ætatis, mediocris magnitudinis, pilis nigris præditæ circa principium Septembris 1677. *Clar. D. D. Johan. Conrad. Brunnerus* dedit Tartari Emetici grana aliquot, nullo ſubſequente effectu memorabili, imo quaſi nihil hujuſmodi aſſumpſiſſet, ſana vixit, permanente urinæ incontinentia, ob quam cætera fidelis cuſtos hero ſuo eviluit. Die 18. Octobr. 1677. cum Domino *D. Brunnero*, præſente *Clar. D. Matthæo Scherpſio Durlac. Med. Licent.* tum ex Italia reduce, dedi nucis Vomicæ limatæ drachmam dimidiam circiter; quam cum mica panis in bolum redegimus. Præ timore mox alvum & veſicam exoneravit. Ultra dimidiam horam nullum ſymptoma obſervavimus, niſi quòd latebras quæſierit & ſubinde fugam tentarit: nunquam vomuit, nunquam eructavit, aut ſpumam profudit: at crebrò os lingebat. Ante decimam antimeridianam ſtans, aut lumbis inſidens erectis trunco, collo & capite ac pedibus anterioribus, ſubinde oculis conniven do caput antrorſum inclinavit, mox caput ceu ab inſomnio perterrita, ut & pedes anteriores in altum attollebat, ſubinde caput retrorſum trahebatur nunc fortiùs, nunc mitiùs, nunc brevioribus, nunc longioribus intervallis: interea crebrò mingebat; ſemel egeſſit ſcibala alba concreta, non tamen indurata: frequentes ſubſultus, ſeu πάλμοι in partibus carnoſis trunci & artuum viſi ſunt. Circa decimam forti Epilepſia correpta fuit: in hoc paroxyſmo, qui ferè per horæ duodecimam partem duravit, caput retrahebatur, oculi fixi manſerunt, pedes nunc extenſi obriguerunt, nunc ſuccutiebantur & tremebant; reſpiratio aliquandiu penitus ceſſare videbatur; Cor celeriter, frequenter & validiſſimè pulſabat manum attingentis: nec excrementa per alvum aut urethram, nec ſalivam aut ſpumam ore egeſſit: nulla ullius ſenſus indicia animadvertebantur. Finito paroxyſmo immobilis, ceu paralytica, jacuit, reſpiravit celerrimè & frequentiſſimè ceu à curſu incenſa, cor frequentiùs celeriùs, at debiliùs quàm in paroxyſmo movebatur: brevi tamen vires recuperavit, in pedes ſurrexit, leviculo baculi attactu cucurrit & ſolitas latebras quæſivit. Verùm non longæ induciæ concedebantur, ſtanti enim caput & pedes anteriores ſubitò & vehementiùs in altum abripiebantur; plerunque primùm oculis clauſis, poſtea etiam apertis, ac ſi in ſomno territa fuiſſet ipſaque coma vigil pateretur: quandoque etiam caput retrorſum trahebatur,

hebatur. Hi Epilepſiæ prodromi crebriores & vehementiores erant, quàm primum paroxyſmum præcedentes; manſere tamen hactenus ſenſus integri: crebrò minxit, alvo ſemper occluſâ. Vix horæ quadrante elapſo rediit Epilepſia, in qua ſtans projiciebatur cum impetu quodam in pavimentum; in principio artus, truncus & caput validè quaſſabantur, mox artus & truncus, capite retracto, rigebant, pedes poſteriores mirè elongabantur tenſique manebant: Os claudebatur, oculi figebantur nec ſpiratio erat intercepta; nulla ſpuma ex ore prodiit, cor vehementer, citiſſimè, ſed æqualiter movebatur: paroxyſmus iſte citiùs primo & ſuâ ſponte remiſit. Ceſſante paroxyſmo oculos movit, hinc inde circumſpexit; celerrimè, ceu poſt curſum, reſpiravit, ſiccâ linguâ longè exſertâ, ceu valdè defatigata & debilitata diu ſiniſtro lateri incubuit: decubuæ pedes nunc tremebant, nunc ſuccutiebantur. Compulſa ægrè tandem ſurrexit, aliquot paſſibus inceſſit, aliquandiu parieti innixa ſtetit, torvè circumſpiciens, quandoque ringens. Paulò poſt denuo imminentis Epilepſiæ prodromi apparuerunt, brevibus intervallis increbreſcentes, vehementiores prioribus; nihilominus oculis nitidis & veluti flammeis circumſpexit. Vix horæ decimæ ſignum perſonuit, tertia vice correpta fuit epilepſiâ vehementiſſimâ; at nec in hoc paroxyſmo ſpumavit. Ceſſante paroxyſmo primùm oculos movit, mox citiſſimè reſpiravit, linguam aridam longè exſeruit; & quamvis ſenſibus valeret, nihilominus artus nunc rigebant, nunc ſuccutiebantur, nunc veluti tremebant: poſt aliquam quietem compulſa ſurrexit, lento greſſu pedibus veluti rigidis inceſſit, poſticos pedes quaſi trahendo; parieti rurſus innitenti caput motu convulſivo retrorſum trahebatur & quamvis ſcamni humilioris aſſeri caput validè crebrò fortiterque alliſiſſet, ſimul in altum ſublatis pedibus anterioribus, locum tamen non mutavit, torvè ſemper circumſpiciens & baculo monſtrato ringens. Dimidiâ ante undecimam matutinam forti paroxyſmo omnibus ſenſibus abolitis proſtrata fuit, omni genere motuum convulſivorum exagitabatur, cum reſpiratione intercepta, citra ullius excrementi ſenſibilem excretionem: duratio hujus paroxyſmi cæteris non longior fuit. Finito paroxyſmo inſtar mortuæ jacuit, mox celerrimè & frequentiſſimè reſpirare & oculos movere incepit: ſenſibus integris nihilominus multifariam artus motibus convulſivis afficiebantur; vidit, vellicatis aut compreſſis auribus ſigna perceptionis dedit; dum pulvis tabaci naribus indebatur, reniti conabatur, mox caput ſuccuſſit abſque ſternutatione, naſum lambit & aliquandiu vegetior videbatur: nunquam tamen etiam compulſa ſurrexit; oculi turbidiores fiebant: motus convulſivi ſubinde invaleſcebant, manentibus reſpiratione & ſenſibus; labia tremebant & quandoque motu Cynico torquebantur: paulò poſt cor magis magiſque in motu elanguit brevique citra paroxiſmum Epilepticum planè ſubſtitit & canicula vivere deſiit. Pectus ſtatim fractis coſtis aperuimus: Cordis dextrum ventriculum ſanguine turgidiſſimum forfice diſcidimus, cum impetu ſanguis rutilus ad ulnæ dimidiæ altitudinem proſiliit, licèt nec vel minimi motus veſtigium in corde apparuerit: neque in hoc ventriculo neque in illius auricula neque in Vena Cava vicina vel minimulum grumulum, aut granulum coagulati ſanguinis invenimus: indito digito inſignem calorem in hoc ventriculo percepimus: Inciſo ſiniſtro ventriculo prodiit ſanguis copioſus, ſplendidiùs rutilans; at citra impetum: & iſte erat grumulorum expers: Indito digito nullum calorem dextri ventriculi majorem, tactu judice, deprehendimus. Sanguis extravaſatus protinus in grumos concrevit, ut & ſubclaviæ ſiniſtræ, jam aliquomodo cadavere refrigerato. Pulmones erant molles, non inflati, ſed aliquantulum collapſi, ſubrubri, alicubi maculis rubris quaſi conſperſi. Imo ventre apertè primò manifeſtè vidimus ventriculum ſecundùm longitudinem corrugari, ſulcis rectis & profundis planè conſpicuis; poſtea etiam, fibris circularibus motis, circa antrum pylori, circa medium & versùs ſtomachum, contrahebatur: à contractione ventriculus minor & anguſtior evadebat: relaxata contractione magis diſtendebatur & amplior, quàm contentorum fluidorum & craſſiorum moles poſtulabat, manifeſtè reddebatur: repetita contractione rurſus minor & anguſtior fiebat idque ſæpius alternante contractione & relaxatione. Inteſtina omnia, etiam rectum motu periſtaltico ſurſum deorſumque movebantur. Hunc inteſtinorum & ventriculi motum, diu continuantem vidimus, pridem emortuo corde & ſanguine popè omni effuſo, quandiu ſcil. hæ partes calebant. Dum inteſtina movebantur, obſervavimus contenta motu periſtaltico propelli ulterius; alicubi portio inteſtini inter duas conſtrictiones flatus pertinaciter retinuit, ut nec vi ſurſum deorſumve adigi poſſent, quod fortè in colica & affectu hyſterico credito frequenter fieri ſolet. In ſpatio vacuo hypochondrii ſiniſtri inter ventriculum & lienem ac crura diaphragmatis & renem ſiniſtrum calorem contactu comperimus, cordis calori prorſus non imparem. Ventriculo à portione gulæ in dorſo, ſeu ſummitate ſecundùm longitudinem ad duodenum inciſo, occurrit in ipſius fundo bolus nondum penitùs diſſolutus, muco turbido immerſus & obvolutus: aderat quoq; aliquid pultacei, juſculo avenaceo, quod manè devoraverat, non abſimile; oſſium & cartilaginum fragmenta; quibus remotis nihilominus ſuperficies muco oblinebatur: omnium contentorum pondus vix ℥ ij. vel ad ſummum ℥ iij. erat, quamvis ventriculus non diſtentus ℥ viii. capax eſſet. Interna ſuperficie ab omnibus contentis mundata anfractus rubebant, ceu inflammati, magis ſupernè & ad latera, quàm in fundo, minùs circa ſtomachum: totum antrum pylori album permanſit: foris nulla inflammatio apparuit; at vaſa dorſum perreptantia à ſanguine turgidiora debito erant. Separatâ tunicâ fibroſâ forfice, quod celerius quàm cultro, aut lancetta ſuccedebat, circa ſtomachum & ſub pyloro in duodeno glandulas ſporadicas plures tunicæ nerveæ adhærentes conſpexi, in tota reliqua ſuperficie hujus tunicæ nullas, at plurimos vaſorum ſanguiferorum & nervorum ramulos illam perreptantes eique ſe immergentes. Ablatâ tunicâ fibroſâ ſolùm nerveam inflammatam vidi; omnes anfractus obliterati erant, plana prorſus apparuit ac ſolummodo muco pellucido oblita videbatur

primùm; poſtquam verò aquâ tepidâ macerata fuerat, interna nerveæ ſuperficies granulata & quaſi glanduloſa evaſit, multo muco pellucido nihilominus obtecta; muco deterſo plures aphthæ in conſpectum venerunt. Superficies granulata facilè abſceſſit à nervea; in illam nullum vas ſanguiferum deſiit & manifeſtè conſtitit, nihil niſi tunicam cruſtaceam eſſe, quæ pelluciditatem affusâ tepidâ amiſit, craſſiorque facta facilè abſceſſit à nervea, non ſecus atque illa, quæ linguam obtegit, fervidæ infusâ.

In externa parte tunicæ fibroſæ vidi centrum quoddam fibrarum rectarum non procul à ſtomacho, à quo fibræ rectæ ſurſum & hinc per dorſum, ad latera & deorſum per fundum ad pylorum uſque, ceu radii, diffundebantur: ſub his latebant Circulares nerveam tunicam immediatè obvolventes: hæ circa ſtomachum carnoſæ, hinc ad antrum pylori magis albæ & graciliores, circa antrum pylori craſſiores, denſiores & planè nerveæ erant: illis circa antri pylori finem remotis, limbus in duodenum prominens evanuit. Inteſtina foris albicabant, quamvis vaſa ſanguifera turgerent: aliquot in locis vaſa lactifera ad latera, non in convexa parte nec ubi meſenterio annectuntur, manifeſtè emergere vidimus. Illis inciſis in duodeno & jejuno aliquouſq; mucus turbidus continebatur, in ileo aliquid pultacei & portiunculæ nuci Vomicæ ſimiles, item excrementa liquidiora, circa ejus finem compactiora, in cœco & recto in ſcibalas coacta. Contentis ſublatis duodenum & maxima pars jejuni inflammata, in ileo hinc inde maculæ rubræ nunc ampliores nunc anguſtiores apparuerunt: rectum duodeni & jejuni inſtar inflammatum fuerat. Agmina glandularum inteſtinalium non magis quàm aliæ partes inflammatæ erant: uno alteroque foris preſſo manifeſtè prodiit mucus turbidus: glandulæ ſolitariæ cœci manifeſto oſculo patebant: omnes tunicæ nerveæ inſculptas eſſe clarè videre potuimus. Veſicula bilaria, ductus communis & tres hepatici ſoli & ſeorſim aliquouſque incedentes, antequam communi infererentur, ſcil. major ſiniſter, minor dexter, minimus medius, ſupernè ex cavo hepatis emergens, omnes bile admodum turgebant. Plura quoq; vaſa lymphatica diſtentiſſima in cavo hepatis occurrerunt. Hepar erat molle, rubicundum, naturali ſimillimum: Lien lividus, major debito & duriuſculus: Pancreas naturale duplici ductu præditum fuit, quorum quilibet peculiari oſtio, dimidii digiti diſtantia ſcil. hiabat in cavum inteſtinorum. Ren dexter ſanus fuit, ſiniſter foris lividus, & inæqualis. Veſica erat vacua, contracta, inferiùs, præſertim circa urethræ inſertionem in vaginam, inflammationis indicia oſtendit: Collum veſicæ & uteri laxa erant. Teſticulis ſeu ovariis deſtituebatur, nam caſtrata fuerat, relictâ maximâ parte uteri.

Receptaculum Chyli amplum fuit, continuit Chylum multâ Lymphâ dilutum: eo inflato aër celeriter ad auriculam dextram pervenit. *Clar. D. D. Brunner.* præter ordinarium ductum thoracicum invenit vas quoddam inſigne, quod Lymphaticum credidit; hoc in latere ſiniſtro per thoracis carinam, juxta aortam ſupra ramulos intercoſtales aſcendit, & ductum thoracicum conſcendit eo loci, ubi verſus latus ſiniſtrum declinare & ad ſuam inſertionem properare conſuevit; hinc perrexit ad glandulam quandam ſupra gulam poſitam, ubi viſum ſubterfugit: inflato ductu thoracico obſervavit quoque hoc vas inflari atque indito mercurio vivo ſurſumque truſo vidit mercurium ſub cava à capite deſcendente, facto circulo, propè inſertionem ductui thoracico inſeri ac contenta cum ipſo in ſubclaviam fundere. *D. D. Brunnerus* die ſeq. carnium roſtro corvino confregit; in ſinu longitudinali nullum ſanguinem grumoſum invenit. Ventriculi ſcatebant lympha: cerebri mole vola manu preſſa ex infundibulo circa glandulam pituitariam abſciſo lympha ſtillabat, minimè verò ex proceſſibus mammillaribus etiam reſectis, quos manifeſtè impervios deprehendit: minimeque in coryza per os cribriforme in narium cavernas mucum exſtillare didicit. Nec in hoc nec in aliis canibus glandulam pinealem hactenus invenit.

Hiſt. 3. Cani nondum ætatis annum ſupergreſſo, mediocris magnitudinis, *Cl. D. D. Joh. Conrad. Brunnerus* d. 1. Nov. 1677. vulnus in dextro Epigaſtrio oblongum, in cavum abdominis penetrans inflixit, duodenum cum pancreate & portione omenti extra vulnus protraxit, filum ſericeum cum acu prope inſertionem ductus pancreatici traduxit, fortiter conſtrinxit ac trans vinculum Pancreatis ductum penitus cum ejus & omenti portione abſcidit; vulnus conſuit, quod citra traumatica coaluit, cane frequenti linctu præcipuam opem præſtante. Canis paucis diebus elapſis edit, cucurrit, ſaniſſimi inſtar ſe habuit, atque ad Januar. d. 2. 1678. ſoſpes & incolumis vixit, nec in illo vel minimum vitium in actionibus naturalibus, vitalibus & animalibus animadverſum fuit, canes majores etiam adoriens victor receſſit; famelicus hero ſuo Lanioni non ſemel fruſta carnis, vitulinæ imprimis, ſurripuit, ut propter tot furta ad mortem damnatus fuerit, quamvis magni ipſum conſtiterit; nam illo debitum centum florenorum à pauperculo ad incitas redacto expungebatur. Cùm vagabundus eſſet, ne experimenti certitudo de ductu pancreatico abſciſo nobis periret, d. 2. Januar. 1678. Diſenhofii in prædio meo, hora 2. pomerid. præſente *Clar. D. D. Heinrico Screta, Clar. D. D. Brunnero & D. Mattheo Scherpfio Durlac. Med. Licent.* pulv. Coccularum Ind. ℥ß. cum juſculo infudimus, vix quadrante horæ elapſo bis cocculas copioſiſſimo muco immixtas evomuit; inceſſit aliquandiu vegetè, poſtea ceu vertiginoſus nutabat, ſemel atque iterum convulſionum proluſiones ſupervenerunt, ſtanti ceu exterrito caput retrahebatur & pedes anteriores attollebantur: verùm ante tertiam pomeridianam omnia convulſionem aut graviora minitantia evanuerunt; hinc inde cucurrit & ſibi fugâ conſulere tentavit. Poſt 3tiam pomer. coccularum contuſarum ʒ ij. cum mica panis in bolum coactas intruſimus; at nec hic bolus illum multùm afflixit; circa quintam Veſpertinam quievit; circa 6. Veſp. bolum cum multo muco & fruſtulum oſſis evomuit. Poſt 7. panis fruſtula & oſſicula objecta avidè devoravit. Circa 9. noctis multum aquæ ingurgitavit: totâ nocte quietus fuit. die 3. Jan. manè vegetus erat, ac ſi nihil adverſi expertus eſſet, cum importunitate cibum ſollicitavit. Circa

8m. cum pane in bolum redactum: nullum ſymptoma obſervatum ad decimam uſque, tum latebras quæſivit, fugam meditatus eſt, ſub fornace aut ſcamnis delituit quietus: paulò pòſt validè ceu vomiturus eructavit, quamvis nihil egeſſerit. Poſt 10. ex limaturæ Nucis Vomicæ ℈j. & pane duos bolos confectos intruſimus, primum ſtatim evomuit, alterum retinuit; aliquandiu ſani inſtar hinc inde cucurrit, ſcibalum durum, magnum, ſicciſſimum egeſſit: brevi poſtea ſtans ſubitò exterrebatur, inceſſit cruribus divaricatis & pedibus anterioribus protenſis, omnibus pedibus quaſi rigidis nec ampliùs flexibilibus: quieſcenti ab ingreſſu caput & reliquus truncus retrahebantur iteratis vicibus, ac ſi quis ipſum manu circa cervicem & lumbos prehenſum vi quadam invitum retrorſum ageret. Vix horæ quadrante præterito januæ limiti inſiſtens, cum impetu quodam à paroxyſmo Epileptico vehementiſſimo retrorſum, ultra duos pedes à ſua ſtatione, projectus fuit, in quo artus & caput nunc ſuccutiebantur, nunc retracto capite extenſi & rigidi manſerunt, cum omnium ſenſuum abolitione. Paroxyſmo graviſſimo ſuperato aliquandiu, ceu à longo curſu feſſus jacuit, & anhelosè reſpiravit: mox tamen ſurrexit & aliquot paſſibus cucurrit. Brevi ſecundus paroxyſmus ſucceſſit priori vehementior & diuturnior, quo exantlato rurſus pedibus inſtitit & aliquo uſque progreſſus eſt: verùm brevioribus intervallis tertius & quartus paroxyſmus graviùs ipſum afflixerunt, nam præter abolitionem ſenſuum manifeſtè reſpiratio intercipiebatur; pulſationem cordis inæqualem, ſcil. nunc debilem, nunc fortem, aliquando per plura momenta intermittentem, maximè in quarto paroxyſmo deprehendimus: paroxyſmis ceſſantibus, ceu mortuus jacuit & artus ac caput motibus convulſivis, ſenſibus integris, continuè ſuccutiebatur, anhelosè imprimis finitis paroxyſmis reſpiravit. Ante 11. antemerid. 5. paroxyſmo correptus fuit, nec prioribus motibus convulſivis ferociore, nec diuturniore, at pulſus cordis inæqualior erat, ſæpeque intermiſit aliquandiu rediitque, tandem prorſus ſubſtitit artubus & trunco flaccidis & prorſus flexibilibus atque ita vivere deſiit. Statim aperuimus pectus; pulmones quaſi miniati erant, rubicundiores tamen in dextro quàm in ſiniſtro latere, in quorum extremis ramuli ſanguiferi turgidi admodum fuerunt; manibus cavo pectore immiſſis mirè omnia fervere experti ſumus. Diſciſo pericardio cor ampliſſimum in conſpectum venit. Ventriculus dexter ejuſque auricula, venæ pulmonicæ, cava aſcendens & deſcendens, azygos omneſque intercoſtales ſummopere à ſanguine diſtendebantur; minùs auricula ſiniſtra. Inciſo dextro ventriculo ſanguis largiter emanavit iſque fluidiſſimus; nullus grumulus vel in ventriculis, vel in auriculis, vel in venis etiam minoribus repertus fuit: Vaſe autem terreo vitreato exceptus mox in grumum coaluit, ac aliquandiu repoſitus tertia pars in ſerum ſolvebatur: quod prunis ſuppoſitis, in gelatinam, inſtar ſeri humani, concrevit. Imum ventrem *D. D. Brunnerus*, cautiſſimè aperuit, vulneri perfectiſſimè conſolidato intus in epigaſtrio dextro omenti portio & duodenum, mediantibus fibris oblongis, ut & peritonæo vicino, accreverunt; lobus dexter hepatis convexi intermediis fibris oblongis diaphragmati p. n. annexus fuerat. Ventriculus amplus fuit, in ſuperficie à rugis & monticulis veluti aſperiuſculus, ob venas ſanguine turgidiſſimas aliquomodo variegatus; antrum pylori album; pylorus & ſtomachus ſatis arctè conſtringebantur. Omentum ſanum fuit: Lien foris quaſi granulatus, inſtar glandulæ conglomeratæ: Duodenum amplum & plura ex tenuibus flatibus turgebant: rectum & cœcum etiam debitò ampliora apparebant; pleraque inteſtinorum hinc inde conſtricta flatus detinebant, non tamen adeò pertinaciter; in ſulcis ubi conſtringebantur, circuli rubri videbantur. Venæ meſentericæ aliarum venarum more à ſanguine valdè diſtendebantur.

Pancreatis pars ſuperior & major ſatis florida & molliuſcula, naturali tamen gracilior & durior erat; inferior gracilior, pallidior, lacera & veluti exſucca fuit: ut de experimento planè certus eſſet *D. D. Brunner.* duodenum & jejuni portionem cum pancreate & ductu hepatico exemit; oſculum pancreatis duabus unciis infra bilarium intus prominulum durum & hians fuit, non tamen pervium eſſe inflatione aut ſtylo gracilimo deprehendere potuit: foris ubi ductus pancreaticus inſerebatur atque abſciſſus fuit, filum ſericeum adhuc conſtrictum reperit, cui arenulæ albæ accreverant: ductuum abſciſſorum extrema ab illo fore ad unciam abſcedebant, & quaſi retrocedebant: ductus inflati in extremo, ubi detruncati fuerunt, ne minimum flatum tranſmittebant, adeò perfectè coaluerunt, quamvis neuter ante vel poſt detruncationem ibi filo conſtrictus fuiſſet: ductum etiam mercurio vivo implevit, quem etiam pertinaciſſimè retinuit, quamvis vi quadam versùs extremum adigeretur: adeò ut nec *D. D. Brunnerus*, nec nos ſpectatores dubitare potuerimus, nec vel minimam guttulam ſucci pancreatici poſt abſciſſionem in cavum inteſtinorum ſtillaſſe: inferior ductus vacuus fuit: ſuperior multum ſucci adhuc continuit, ſaporis non acidi ſed ſubſalſi; qualis ſero ſanguinis ineſt.

Veſica urinâ turgidiſſima fuit, nam intra triginta horas canem minxiſſe, nunquam obſervatum fuit. Ventriculo à ſtomacho ad pylorum inciſo, circa ſtomachum circumquaque ad palmi ferè diſtantiam occurrit protinus mucus pellucidus, aliquantulum ſpumoſus, cui bolus ex nuce Vomicâ & pane confectus involvebatur: hinc uſque ad pylorum invenimus mucum craſſiſſimum, viſcidiſſimum, valdè ſpumeum, turbidum & obſcurè albicantem. Deterſo muco circa ſtomachum aliquouſque, ut & ſupernè uſque ad antrum pylori interna ſuperficies non parum rubebat. minùs fundus & latera: antrum pylori planè album manſit. In duodeno & jejuno ultra ſex ſpithamas reperimus mucum propè candore lacteum, viſcidiuſculum, turbidum prorſus muco ventriculi diſſimilem: ne guttula quidem bilis, etiam propè oſtium ductus bilarii, nihilque alieni alius rei huic muco chyloſo huc uſque admixtum vidimus: Inde quatuor ſpithamas mucum magis fluidum invenimus, cum aliquot Lumbricis latis, cucurbitinis & teretibus, quorum plures adhuc vivebant proboſcides firmiſſimè internæ inteſtinorum tunicæ infigentes, à qua

etiam hirudinum inſtar pendebant, ſublato inteſtino. A termino hujus portionis ferè ad finem ilei mucum flavum, fluidum, ſatis copiosè, cui arſenici & auripigmenti ſcintillantes portiones immixtæ erant, invenimus: occurrit etiam fruſtulum nuci vomicæ limatæ ſimile, ſed dubiè, cùm bolus adhuc in ventriculo integer fuerit. Reliqua portio ilei vacua prorſus fuit; mucus illius paucus & valdè inſpiſſatus erat. Cœcum continebat materiam pultaceam flavam, cui fruſtulum oſſis & pili permixti erant. Simile excrementum in principio recti occurrit, ſed ſpiſſius. In fine recti ſcibala molliora continebantur, quàm poſt nucem vomicam intruſam excreverat: in his ſcibalis adhuc reliquiæ *cocculorum* detinebantur. Omnibus contentis ventriculorum ſublatis glandularum areolas, maximè illarum limites magis prominulos quàm in aliis conſpeximus, imprimis longiſſimæ in fine ilei. In una areolarum glandulotarum, ubi arſenicum & auripigmentum ſubſtiterunt, punctula duo rubra in medio enituerunt: Ileum, ubi vacuum, & rectum ſolito quoque rubicundiora videbantur. In cœco & recto glandulas ſolitarias plures invenimus, elucescente clarè oſculo in illarum medio, ceu ab acu inflicto: detractâ tunicâ fibroſâ majorem numerum glandularum ſolitariarum clarè conſpeximus, quæ tunicæ nerveæ manifeſtè inſculptæ erant: ſimiles variolis, quæ ubi fibroſam reſpiciunt convexæ, ubi inteſtina concavæ fuerunt. Sublato cranio vaſa ſanguifera, maximè ad ſinum tertium tendentia ipſique ſinus ſanguine turgidiſſimi erant. Neque in ventriculis, neque alibi nullam guttulam ſanguinis extravaſati aut alius liquoris invenimus: nihilque tale in cerebro aut cerebello viſum fuit. Glandula pineali & hunc canem caruiſſe conſtitit.

Hiſt. 4. Ex communicatione Clar. D. D. Joh. Conradi Brunneri.

Cani mediocris magnitudinis & & ætatis, vegeto 1677. d. 5. Aug. hora 1. pomerid. nucis vomicæ ℥ß. cum mica panis in Bolum coactæ intruſit: deglutito Bolo alacris aliquandiu manſit & canino more blandiebatur; poſt ſe ad quieſcendum compoſuit. Vix dimidiâ horâ elapſâ ſurgens pedibus tremuit ac inceſſit ceu rigidis nulloque articulo præditis: decubuus, convulſiones quaſdam & ſubitaneos terrores expertus eſt ac contentiùs exſertâ linguâ reſpiravit, ſurgens mox convulſus in terram proſtratus fuit, denuo ſe erigens, ceu fulmine ictus, vere epilepticus corruit & aliquandiu jacuit; ſub finem paroxyſmi citiſſime reſpiravit exſertâ linguâ, rurſuſque non uſque adeo viribus exhauſtis ſurrexit, nam paroxyſmo, licèt celeriter, reſpiravit. Horâ 2. pomer. Tetano aliquandiu affligebatur rurſuſque anhelosus ſurrexit. Circa 3. Epilepticus factus rigiduſque jacuit aliquandiu, ac copioſa ſaliva ex ore emanavit. Poſt dimidiam horam anxiè reſpiravit, ac apertâ januâ aufugiturus per ſcalam deſcendens terribiliter convulſus deorſum præcipitatus fuit. Hac vice convulſiones diu ipſum infeſtabant, ſpiritumque intercipiebant, unde quoque vivere deſiit. Calentem adhuc incidit. Ventriculus tumidus & turgidus apparuit. Vaſa lactea plena & ductus thoracicus à chylo niveo candore nitens in conſpectum venit, pluri̇maque vaſa Lymphatica. In ventriculo cum gula & portione duodeni exempto continebatur plurimum cibi ſc. caro ſuilla, lardum aliique cibi, quibus pinguedo innatabat: ſublatis contentis gula & pylorus albicabant: tota verò ventriculi concameratio atro purpurea, inflammata & gangrænæ proxima apparuit: etiam inteſtini cum ventriculo reſecti portio rutilabat, reliquus inteſtinorum tractus ſuperiùs rubicundus, inferiùs albicans erat: continebant materiam chyloſam, tænias longiſſimas: prope Cœcum folium graminis integrum & prout demorſum fuit à Cane, illibatum occurrit. Glandularum areolæ plures accuratè in conſpectum venerunt.

Canis iſte, dum in vivis erat, tumorem in regione lumbari geſtavit, qui nunc augebatur, nunc rurſus minuebatur, brevi tamen rurſus incrementa ſumens, ſacculo dorſo impoſito ſimilis videbatur: injuriæ externæ repullulanti tumori anſam dediſſe credebantur. Apertus tumor continuit ſubſtantiam polypoſam ſubcruentam: Ren dexter huic tumori vicinus atrophiâ conſumptus apparuit, in pelvi continuit ſubſtantiam grumoſam coagulatam & oſſiculum quoddam mollius: pelvis prope nuda erat, parenchymate renis fere omni conſumpto.

Hiſt. 5. Ex communicatione ejuſdem Clariſſ. D. D. Brunneri.

Feli nondum Bimeſtri, 1677. d. 18. Octobris circa 9. antimeridianam, Bolum ex nucis vomicæ ſcrupulo dimidio & panis micæ factum intruſit; non integrum deglutiit, prope tertiam partem rejecit: dimiſſa ſtatim multum ſalivavit, hinc inde per cameram vagabunda vagitus crebros edidit: mox parieti innixa torvè circumſpiciens pedibus titubavit: rurſus currens preſſis greſſibus, inſtar lepuſculi, in pedibus, maximè anterioribus, obrigeſcere cœpit, hinc angulos ad ſe occultandam quæſivit, verùm nullo in loco quieta manere potuit, atque paulò poſt, ceu fulmine tacta, derepente Convulſionibus proſtrata fuit: jacuit aliquandiu convulſa: ſenſim ad ſe laceſſita rediit, ſuſpirioſè reſpirans: ſurrexit ac corpus ad parietem inclinavit capite nutante. Non longæ induciæ concedebantur, nam rediit paroxyſmus Epilepticus vehemens, qui ſtatim poſt nonam antimeridianam vitam ſuſtulit. Aperuit Cadaver dum adhuc cordis motum, ſed ſumme inæqualem & intermittentem deprehendit. Ablato ſterno ad cordis apertionem properavit, ut ſanguinis conditionem perſpiceret: erat ille fluxilis, fervidus & fumigans, nullus ei grumulus permiſcebatur: non erat floridus, ſed ſaturatè rubens & ad nigrorem quendam vergens. Aperto abdomine vidit motum inteſtinorum tenuium & craſſorum periſtalticum ſurſum & deorſum, maximè recti, celerrimum, ſimulque quomodo chylus & fæces propellerentur. Ab appulſu aëris frigidioris conſpexit inteſtina valdè conſtringi. Ventriculus immotus, flaccidus ſubtumidus erat. Inciſis

ciſis gula, ventriculo & duodeno, ſublatis contentis, obſervavit harum partium ſuperficiem internam prorſus albicantem & omnis inflammationis expertem, ſecus ac in cane vidit. Contenta erant bolus muco turbido obvolutus & portio braſſicæ in antro pylori. *Idem ibidem.*

De Helleboro Albo.

Hiſtoria 1. Catello trium circiter ſeptimanarum die 14. Julii 1676. circa 2. pomerid. cum *Clar. D. D. Heinrico Screta à Zavorziz,* Hellebori albi ſcrupulum lacti immixtum infudi, vix per momentum admiſſum maximam partem evomuit & paulò pòſt flavum per alvum egeſſit: mox rurſus aliquoties vomuit ſimulque convulſivis motibus varié jactatus fuit. Vix quadrante horæ elapſo mortui inſtar in latus decubuit ac linguâ exſertâ mortuo ſimilis jacuit, movente ſe ſolùm adhuc diaphragmate: peractâ horâ cum dimidia ſemimortui abdomen incidi, unde inter ſecandum pedes movere & vagire cœpit: aperto abdomine, ventriculum flaccidum & rugoſum invenimus: illo exempto cor & diaphragma ſatis validè, ſed per longiora intervalla, ſe moverunt. In inſpiratione diaphragmatis motus à cruribus incepit, ibique in tumorem abdomen ſpectantem attollebatur, ſuperiam planitiem expandebantur, eamque tenſam, ita tamen ut in ambitu viderentur ſulci inter fibras carnoſas, craſſas & veluti tumidas: in exſpiratione laxius, æquale & omnibus rugis deſtitutum evadebat. Tum aliquoties linguam adhuc exſeruit, ſanguis ex venis & arteriis effluens rutilus, fluidus minimeque grumoſus erat. Ventriculo à ſtomacho ad pylorum supernè diſciſo invenimus pulverem Hellebori lacti grumoſo & muco viſcido immerſum: contentis ejus ſublatis circa ſtomachum intus ventriculus rubebat & aliquomodo inflammatus erat. Jam diu emortuo animale ſanguis in ventriculis cordis partim fluidus partim grumoſus & obſcurior erat. *Idem ibidem.*

De Gialappa.

Hiſtoria 1. Catello propè menſtruo d. 23. Dec. 1675. cum *Nob. D. D. Heinrico Screta* Magiſterii Gialappæ ſcrupulum dimidium ſacchari drachmis duabus permixtum ori indidi, quem ſenſim abliguriit. Paulò pòſt capite ſemper ad latus nutavit atque incedens inſtar temulenti vacillavit: ultra dimidiam horam nec alvum movit, nec vomitum ciebat: ac infuſo lacte frigido ter atro flaveſcentia & viſcida per alvum excrevit; nunquam vomuit. Tormina vagitu prodidit crebro. Inciſo pectore in latere ſiniſtro inter inſpirandum aliquoties pulmonum lobus turgidus proſiliit. Diſſecto abdomine in hypochondrio ſiniſtro ventriculus diſtentiſſimus prorupit. Denudatis omnibus imi ventris viſceribus vidimus ventriculum ſe circa medium aliquoties contrahere ac coarctare; mox tamen rurſus expandebatur ac ſulci contractione factâ explanabantur: dum inteſtinis ad latus remotis inſignem lacteum canalem prope renem ſuccenturiatum intueor, multum muci ſpumei cum grumis evomuit, quamvis diaphragma ad gulam uſque diviſum & ſolummodo in dextro latere integrum eſſet, patuitque vomitum à ventriculo citra diaphragmatis opem peragi poſſe: tum quoq; corpus aliquod intra gulam ſurſum deorſumque moveri vidimus: alias gula amplior & plenior ſolito erat nec ventriculus circa orificium ſiniſtrum conſtringebatur. A lobo hepatis imo, ſub veſicula bilaria, ductus hepaticus peculiaris verſus ductum cholidochum means, ei propè inſertionem in inteſtinum jungebatur. Sterno maximam partem ablato & diſciſſo, diaphragmate nihilominus in inſpiratione coſtas attollebat & largiſſimo oris hiatu aërem quaſi captavit: tunc ſibi relictus in ventrem ſe volutans pedibuſque inſiſtens fugere non ſemel annitebatur. Glandularum inteſtinalium regionem & minutiſſima vaſa capillaria ad illam pertinentia, foris pulchrè vidimus in jejuno & ileo ac fibras rectas hanc regionem operientem. Ventriculo à fine gulæ ad duodenum ſecundùm longitudinem ſupernè inciſo, cavitatem muco viſcidiſſimo ſpumeo & fruſtulis lacteis coagulatis plenam invenimus: nullum vel ſacchari vel magiſterii Gialappæ veſtigium apparuit: deterſo muco inflammatum in fundo ventriculum vidimus. Duodenum, jejunum & præcipua pars ilei vacua & prorſus munda erant, adeo ut nec bilis nec mucus in iis conſpiceretur: in reliqua portione ilei reperimus vermes teretes admodùm longos, mucum flavum pellucidum condenſatum; propè valvulam ſpumeum: in cœco parum muci condenſati continebatur: rectum mundiſſimum, attamen valdè rubicundum veluti que inflammatum fuerat.

Hiſt. 2. Cani ſemeſtri Doctiſſimus Dominus *Melchior Hurter* d. 22. Mart. 1677. Magiſt. Gialapp. ℈j. dedit: ab aſſumpto nunquam vomuit, ſubinde ſingultiit, nec pòſt tertiam horam ab ingeſto magiſterio alvus ſolvebatur. Vivo abdomen aperuit: foris in ventriculo ſub ſtomacho ſiniſtrorſum macula rubra videbatur: ab uno orificio ad alterum ſupernè diſciſſo ventriculo, tota cavitas infarcta reperta fuit pane, rapis, radice petroſelini, oſſiculis ferme integris, omnibus aqua dilutis: de magiſterio Gialappæ ne gry quidem occurrit: pylorus arctiſſimè conſtringebatur, ut nec gracilior quidem ſtylus tranſmitti poſſet: Omnibus contentis ſublatis, ſuperior pars ventriculi inter ſtomachum & antrum pylori inſigniter rubuit; in fundo anfractus paulo rubicundiores erant: ſub ſtomacho, ubi foris macula rubra apparuit, intus portio illa alba ut & totum pylori antrum manſerunt: intra anfractus hinc inde oſcula vidimus ex quibus aliquid mucoſi tranſſudavit. Inteſtina propè quatuor ulnas longa, à pyloro ultra ulnam mucum album, turbidum, ne minima quidem flavedine tinctum continebant: inde ultra ulnam ingens copia vermium cucurbitinorum cum magiſterii Gialappæ portiunculis occurrit; Vermes iſti ex particulis ſemini cucurbitæ figura & colore ſimilibus, intermedio quodam filo connexis compoſiti apparebant; quidam propè dimidiam ulnam longi erant; quidam quoque ſe movebant adhuc: illorum extremum latum fuit, caput verò in filum tenuiſſimum duarum vel trium unciarum longum attenuabatur, quod inteſtinorum tunicæ internæ infigebant, atque à proboſcide, hirudinum inſtar cuti affixarum, pende-

pendebant, ac ſi hoc vermium genus non chylo aliiſve inteſtinorum contentis victitaret, ſed liquorem ex tunicis proboſcide exſugeret: Inde ad finem ilei continebatur liquor flavus, pellucidus, viſcidus, cum portionibus magiſterii Gialappæ & ſordibus gryſeis, quamvis ultra duas ulnas nec guttulam quidem bilis obſervaverimus: nullus quoque hic vermis comparuit. A valvula ad extremum recti & in cœco excrementa liquida gryſea, humore aqueo diluta detinebantur. Contentis remotis inteſtina à pyloro ultra ulnam rubebant, etiam ibi ubi vermes detinebantur; ſed minus, minimè in reliquis portionibus uſque ad podicem. Areolæ glandularum manifeſtæ altiores erant reliquâ inteſtinorum tunicâ; oſcula verò glandularum quaſi obliterata & à copioſo muco oppleta videbantur, nihilominus, inteſtinis foris preſſis, mucus quidam inſtar minutarum guttularum prodiit: quædam areolæ intenſæ rubebant. Inteſtinorum quædam portiones ante diſſectionem conſtrictæ; partibus intermediis inflatis, conſpectæ, unde proculdubio tormina paſſus eſt. Chyli receptaculum inflavimus, unde cor emortuum reviviſcere cœpit, diuque movebatur: inflatis pulmonum bronchiis, ligatâ aortâ & auriculâ dextrâ, vidimus aërem ad ventriculum ſiniſtrum penetrare. *Idem ibidem.*

De Corona Imperiali.

Ex communicatione Excell. D.D. Eliæ Rudolphi Camerarii P. P. & Archiatri Sereniſſimorum Principum Wirtembergicorum, Collegæ gratiſſimi.

Autumno 1678. elapſo bulbum *Coronæ Imperialis* drachmarum ſex circiter pondere, *Clar. Joh. Rhodii*, obſervatione inductus, cani non magno intrudi curavi. Horâ elapsâ laſſus videbatur & moroſus, poſt vomebat, ſed non bulbi particulas, verùm mucum flavum viſcidum: ſubſequebatur tremor membrorum & hunc convulſivi motus, mox his præſentibus vivum adhuc aperui canem: in ventriculo contracto & conſtricto reperiens bulbi particulas non planè integras, ſed emollitas & in mucilaginem ferè redactas, quibus exemptis ipſas ventriculi tunicas ſingulas rubentes, imò liventes magis; inteſtina penitus vacua, ſed levi inflammatione & leviori excoriatione infecta; Hepar cum Liene & Pancreate à naturali ac vivido colore verſus livorem declinans; bilem juſto viſcidiorem, chylum in ciſterna ipſi dicata paucum eumque flavum ac viſcidum conſpexi. Relinquens canem avocatus per negotium urgentiſſimum, altero die, cum luſtrare ulterius vellem cadaver, non ventriculus ſolùm, verùm & inteſtina cum viſceribus, tàm infimi quàm medii & ſupremi ventris livida putrilaginoſa & corrupta penitus erant. *Idem ibidem.*

De Solano Vulgari. *

Ex commucatione ejuſdem Excell. D. D. Camerarii.

Anno 1664. Menſ. Septemb. ſub veſperam advolat quidam Ruſticus equo, à pago tribus horis *Tubingæ* diſtante, obnixè & concitato anhelitu rogitans ut conſilium ſuppeditarem, quomodo ex orci faucibus liberare & rationi priſtinæ reſtituere tres ſuos liberos poſſet. Sciſcitanti mihi ſymptomatum ſpeciem & alia Medico conſulturo neceſſaria recenſet: Tres ſuos liberos, unum ſex, alterum quatuor, tertium trium annorum à campo redeuntes die præcebente baccas quaſdam juniperi ſimiles ſecum apportaſſe, ſaporem earum laudantes; Minimum natu poſt cœnam de capitis dolore; Medium circa mediam noctem, de eodem; Majorem horâ poſt mediam noctem ſecundâ de cordis dolore (ita enim apud nos non ruſtici ſolùm, ſed & qui magis illis ſapere ſibi videntur ventriculi dolores deſcribunt) conqueri cœpiſſe, ab exhibito ol. oliv. majorem vomuiſſe, reliquos non: nunc verò omnes tres pòſt prægreſſum torvum aſpectum, jactitationemque membrorum, furibundos quaſi delirare, alta petere, vociferari, miras diſtorſionum pati figuras, per intervalla verò inſtar mortuorum proſtratos jacere: præter illum vomitum, hactenus nullum illorum quicquam neque per ſuperius neque per inferius guttur neque per veſicam excreviſſe. Præſcripſi, Solani vulgaris baccas ſuſpicans, ſingulis mixturam ex pulv. rubr. pannon. lap. bez. Unicorn. V. quovis trihorio ſumendam: & quavis nocte Theriacam cœleſt. cum mixtura ex aq. alexipharm. herbar. & ſyrup. ſimpl. quibus per triduum aſſumptis, tertio die idem Parens me cum ſubmiſſa gratiarum actione reviſit, filios ſuos ratione & valetudine iterum priſtina gaudere, laſſitudine excepta. Majorem & Medium copioſiſſima & fœtidiſſima per alvum ejeciſſe, Minimum copioſiſſimè minxiſſe referens; taleſque baccas cum tota planta, quam ſolanum eſſe mox cognovi, apportans. *Idem ibidem.*

De Solano furioſo.

Ex communicatione ejuſdem Excell. D. D. Camerarii.

Anno 1677. tempore vindemiali in Urbe quadam Danubio proxima ad puerum quendam decem annorum ducebar, cujus pulſus celer & debilis, hypochondria valde tenſa, oculi aperti, licet Cœcus eſſet, externorum calor urens erat. Jacebat is modò, mirè membra torquebat, modò delirabat, modò ad interrogata rectè reſdondebat, imo & quærebat; modò reſpirabat, ſed difficulter, modò quaſi mortuus nullum trahebat ſpiritum hæcque reciprocatio intra horæ quadrantem ter vel quater repetebatur. indagans mali cauſam & alia à parentibus ſequentia audio: Puer ex ſylva propinqua domum redux ſe ceraſa ſylveſtria ibi inventa comediſſe narrat, probè cœnat nec de quaquam moleſtia conqueritur uſque ad mediam noctem, cùm à Fratre ſuo majore natu pro ſiti intenſiſſima ſedanda rauca valde voce potum peteret, quem, aquæ nimirum frigidæ, allatum cum magna difficultate nec omnem, licet valde ſitibundus, aſſumit. Per duas ab hoc horas inſomnis cum Fratre loqui ſæpius incipit, vix tamen contextum aut periodum abſolvit; de cardialgia conqueritur; horâ tertiâ

tiâ poſt mediam noctem vomit; ſomno ſed valde profundo à vomitu obrutus, appropinquante diei lumine, in oculis nullo apparente vitio, Cœcus erat, delirare incipiebat & in eum ad horam quartam pomeridianam, qua ipſum conveni, antea recenſitum ſtatum deveniebat. Ego illa Ceraſa ſylveſtria nihil niſi Baccas Solani furioſi, Bella Dona Camerario: aliiſque dictas ſuſpicans, quia in illâ ſylvâ copioſiſſime creſcere noveram, per vomitum inductum Baccas partim integras, partim emollitas, partim ad ſemen uſque & pelliculas conſumptas copioſas eduxi, refracto & imminuto illo diſtorſivo motu; mox alexipharmaca cum antiepilepticis exhibui, eadem poſt abitum meum qui altero die aliò maturandus erat, continuanda ſuadens! Menſe elapſo puerum ſatis belle iterum valere, poſt anni verò ſpatium ulcere pedis omnem Chirurgorum Curationem reſpuente laborare reſcivi. *Idem ibidem.*

De Hyoſcyamo.

Ex communicatione R. D. P. Caroli Ryſer; Convent. Bened. Rhinovienſis.

Annis ab hinc 30. ſcil. 25. Martii 1649. præparatum cum Collatione veſpertina reficientibus acetarium fuit, cujus materia debuiſſent eſſe Radices Cichoreæ eliquatæ. Creverant hæ, unà in areola mixtim cum Hyoſcyamo; erutæ Utræque, ſeparatim in manipulos Collectæ ab hortulano relictæ, à puero horti poſtmodum in Culinam ferendæ, puer rerum ignarus horti præfecto abſente, Radices utraſque commiſcens Coquinæ Magiſtro defert, ille coctas Menſæ infert. Nemo pene edentium fuit, cui non orexin cieret obſonium ab aliquo inſolitum, & maxime ob tam corpulentas ac pingues Radices & antea non multoties viſas, & idcirco aliquanto etiam avidius (ſalvo tamen jejunio quadrageſimali) ſumebantur; Et quia in magna ſatis quantitate appoſitæ, & propterea (ne jejunium violaretur) manducantibus etiam ſuperfuerunt, quæ ſcholaribus & ſartoribus exinde appoſitæ fuerunt. Quid multis? poſt hujuſmodi Collationem ſuo tempore cubitum itum. Hic enim verò oriri ſymptomata cœperunt & veſcarum radicum paulatim diffundi toxicum, ſentiri à quibuſdam capitis vertigo; aliquorum torreri linguæ ac labra, aſperari fauces, torqueri nonnullorum ilia, ac totis artubus male haberi. Fuit, qui gargariſmo palati ardorem compeſcere ſtuduit, ſed lingua velut in frixorio toſta omnem reſpuit medelam. Inſonante noctis duodecimâ, cùm ad preces matutinas pro more excitarentur, miſerabilem aliquorum metamorphoſin ſpectare fuit. Unus tam deſtitutus mente ac debilis repertus fuit, ut pro vita deſperato habitus, Sacro Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis provideri debuerit: Alius quaſi dentibus nuces frangeret, & exemptos nucleos fringillis domeſticis projiceret, unà manu pavones abigens identidem murmurabat, *fort ihr Schelmen, kommen finckli, kom finkli finckli, &c.* alius in cellâ ſuâ fornacem prenſabat, quaſi arborem perrepturus: Alius, anſatis utrinque manibus, ac toto corpore incurvus ilia ſibi rumpenda clamitabat; Ex iis, qui ad chorum venerant ad matutinum ſolvendum penſum, aliqui oculos vix aperire, & litteras legere nequibant, vel aliqua inter verba ſeu verſiculos admiſcebant, quæ ibi non continebantur, unde unus, aut alter abire compulſus fuit. Non nemo privatim orare volens, dum librum aperit, Myrmidonum aciem aſpicit, & literas jam animatas, velut formicas in aggeſtu ſuo confuſim diſcurrentes ſibi videbatur intueri, ut ex inde ne ſyllabam quidem, ne dicam verbum aut verſum integrum combinare ad aliquod tempus valuerit. Lepidum præterea fuit, mane Magiſtrum ſartorem videre laboraturientem, minus jam ſedili ſuo oculatum, quippe qui ne filum quidem armare acu nec à Tyrone armato, tangere rem acu, ut ſibi videbatur, jam tricuſpide valens, quovis punctu, aut digitos, aut poplitem cruentavit. In quorum quidem Cenſum, & ego, qui hæc ſcripſi, veniſſem, niſi guſtu variante monitus, minoribus radiculis prælibatis à majoribus abſtinuiſſem. Et his quidem intemperiis agitati aliqui uſque mane, nec tamen ſcitum adhuc, quæ mali eſſet origo, quia tamen omnibus fere commune fuit, judicatum rationabiliter eſt, è Culina promanaſſe. Qua propter etiam acriter indagatum à Coco eſt, quid eduli refectorio heſterno veſperi intuliſſet; Qui aſſeveravit, præter radices quaſdam à patre Hortulano ſibi miſſas, & more ſolito coctas, nihil intuliſſe proinde indagine ad patrem Hortulanum devolutâ, faſſus is eſt, quod erat: nimirum Bifarias radices Hyoſcyami, ſcilicet, & Cichoreæ unà ex area erutas ſecreviſſe, ſi forte per errorem à puero Hortulani commixtæ ad Cocum venerint, ſe neſcire: Interrogatus tunc etiam puer, reſpondit, omnia quæ inveniſſet eradicata Culinæ intuliſſe. Hinc, aiebat, P. *Prior*, illæ lachrymæ? Qui etiam ſummo mane, *Schaffuſio* accerſiri Medicum fecit. Erat tunc temporis *D. D. Johannes Screta à Zavorziz Nobilis Bohemus Reipublicæ Schaffuſianæ Archiater Excellentiſſimus*. Adeſt is ex tempore, & Citationis cauſam edoctus, luctantes adhuc aliquot patres cum balluco ſuo reperit, & aquâ è juniperis deſtillatâ ad potandum porrectâ ſævientem peſtem aut mitigat, aut abſtergit, tum ad circumſtantes: domini mei, inquit, niſi hæ Hyoſcyami, Radices Cichoreæ Radicibus oleo, ſale, & aceto attemperatæ fuiſſent, fractæque nonnihil earum vires: jam eſſetis omnes orci Candidati; quibus verbis loquebatur, ut poëta Laureatus, & indicare volebat, omnes exinde morituros fuiſſe. Poſt abſceſſum ejus patres fere omnes melius habere cœperunt paulatim; unus tamen illorum, qui in edendis Radicibus largior fuerat, has ſibi reliquias ſupereſſe conqueſtus eſt, oculos nimirum antea acutiſſimos adeo obtuſos redditos, ut perſpicillis uti neceſſe fuerit. Habet igitur Excellentia Veſtra Hyoſcyami argumentum, vim ſuam in Monaſterio noſtro exerentia, laconice deſcriptum, quod medicè reddere, cùm facultatis meæ non fuerit, potuerit id Excellentia Veſtra ita ſtiliſare, ut curioſi habeant, quod videant, aut admirentur, &c. Valeat mei ſemper memor. *Idem ibidem.*

De Amygdalis Amaris.

Hiſtoria 1. Ciconiæ fœmellæ die 6. Novembris 1678. hora 2. pomerid. præſentibus *Clar. & Excell. D. D. Chriſtophoro Hardero, D. D. Heinrico Screta, D. Joh. Heinrico Hillero Stuttgardiano & Theodoro Zvvingero Baſil.* bolum ex Amygdalis amaris contuſis & parum aquâ humectatis, magnitudine nucis moſchatæ, in gulam intra laringem intruſi; mox alium pari magnitudine, quem ſtatim iterum excuſſit: in pavimentum locata aliquo uſque inceſſit nec nutans aut temulenti inſtar va cillans: ad facilitandam boli deglutitionem, boli forte in faucibus hærentis aquam infudimus, quæ tamen tota inclinato collo rurſus emanavit. Igitur tertium bolum fortius compactum infra laryngem in gulam truſi, & blanda manu ventriculum verſus promovi, quem ipſamet verò deglutitionis motu quoque ulterius propulit. Dum quartum bolum præparo, caput ipſi ſubito & violenter retrorſum trahitur, pes dexter ſuccutitur, ſemel ore hiante aërem captavit; ſuccutiendo ſemel adhuc pedem & caput retrahendo, breviſſimo ſpatio & quo vix quiſpiam ſexies orationem Dominicam enuntiaret, ſine motu & ſenſu jacuit: pulſum cordis nihilominus ad latera ſterni preſſo pectore; per aliquot momenta adhuc tactu percepi. Nulli motus, nullæ corporis agitationes obſervabantur, ſimiles illis quibus ſuffocatio impendet aut quibus collum illaqueatur: ſolummodo primum motus convulſivos animadvertimus, quibus tamen non rigebat, poſtea aliquid ſupervenit morbo potius attonito aut ſyncopi cardiacæ ſimile, nam ſine motu & ſenſu diu jacuit cum oculorum obtenebratione. Horâ poſt obitum dum apertionem molior foris & intus inſigniter caluit & ſanguis ex vaſis limpidior & fluidior emanavit, quàm aliàs in avibus obſervavi. Gula à pharynge ad orificium ſiniſtrum ventriculi inciſa, intus aqua atrovireſcente fluida madebat; pauca amygdalarum am. fruſtula aquâ hac diluta in illa fluctuabant: Ventriculus plenus erat terrâ & arenulis aquâ iſtâ dilutis, abſque carnibus & oſſibus: Amygdalarum nihil diſtinctè ferè apparuit, confuſæ erant cum terra & arenulis. Omentum pingue erat; ejus & totius habitus pinguedo plane crocea & propè miniata & granulata erat. Corpus tubuloſum à muco prorſus denudatum ſolummodo aquâ viridi perfuſum fuit; intus habuit ſulcos profundiores quàm ciconia pridie à me ſecta, anguſtius quoque debito erat ac ſi hæc gulæ portio ab amygdalis irritata ſe fortiter conſtrinxiſſet potius quàm aliter corrugata fuiſſet: Inteſtina flatibus diſtenta erant. Pulmones aëre turgidulis, eorumque veſiculæ conſpicuæ & membrana circa claviculas, ubi aſpera arteria cum gula pectus intrat, tenſa & quaſi expanſa fuit. Sanguis circa regionem renis dextri fluidus, circa pectus in eodem latere partim fluidus partim intra membranas clauſus, coagulatior cum portionibus fluidis apparuit. Cordis ventriculi ambo vacui, paucis grumulis cum ſanguine fluido intra anfractus & circa oſcula vaſorum ſuperſtitibus: reliquus ſanguis, utpote dum calebat, adhuc fluidus, omnis emanavit abſciſis vaſis cordis magnis. In aſpera arteria ne granum quidem amygdalarum inveni, at plurimos vermes aſcaridibus ſimiles, ſed craſſiores & longiores circa aſperæ arteriæ primam divaricationem & in bronchiis vicinis, in glomerem coacti erant. Pylorus flavus, arcte claudebatur. Duodenum uncias duas longum, admodum amplum, nucis juglandis capax, intus ſulcis rectis præditum; videbatur quaſi tertium additamentum ventriculi: Inteſtina reliqua minora parvo digito parem magnitudinem & craſſitiem ac cœca retinuerunt: Foris nodos piſi dimidiati magnitudine plures viſi, 20. numeravi, erant albi duri: plures in duodeno ad inſertionem ductus bilarii & pancreatici, pauciores infra illam, nulli in fine ilei, in cœcis & in recto. Duodenum continuit chylum turbidum paucis arenulis permixtum: reliqua inteſtina ultra ſex ſpithamas chylum puriorem mucoſum alicubi albicantem, alicubi ſubcruentum: inde ad cœca mucum craſſum turbidum fruſtillatim: ex cœcis foris preſſis prodiit mucus chyloſus turbidus: in recto parum muci craſſi apparuit. In toto inteſtinorum tractu ne mica amygdalarum amararum à nobis inventa fuit, quamvis nec vomuerit, nec alvum exonerarit: Cloaca plena erat urina cretacea. Abſterſo muco à duodeno ultra inſertionem ductuum interna ſuperficies rubebat. Ubi foris nodi in inteſtinis conſpiciebantur, intus vidimus oſcula aliquantulum prominula, labiis illorum quibuſdam nigris & duris, quædam ſemen milii admittentia, quædam anguſtiora: foris preſſis nodulis ex quibuſdam prodierunt vermiculi vaſis ſanguiferis præditi, ex quibuſdam mucus pellucidus: omnes cavernoſi, lentis, etiam majoris corpuſculi capaces: An glandulæ ſeu inteſtinorum tubuli, an vermium niduli fuerint, certo dicere non auſim: & quamvis nulli vermes in tota inteſtinorum capacitate occurrerint, plures tamen in bronchiis morabantur non ibi poſt obitum geniti, cum brevi poſtquam vivere deſiit aperta fuerit, nec caſu aliquo illuc dilati fuerint.

Hiſt. 2. Columbo adultiori die 23. Nov. 1678. paulò ante 2. Veſpert. præſentibus *Clariſſ. D. D. Heinrico Screta, D. Hillero, & D. Zvvingero,* paulò minus quàm drachmam amygdalarum amararum non excorticatarum, minutim contuſarum & in bolum coactarum in fauces truſi. Alæ unius pennis detonſis illum ſivimus per conclave ingredi, quod aliquo uſque citra titubationem peregit: interea ingluvies & collum inflari videbantur; mox pennæ in dorſo & hinc cauda ſurrigebantur; paulò pòſt epileptici inſtar in pavimentum proſternebatur, alæ, pedes & collum motibus convulſivis exagitabantur ac imprimis caput, poſt aliquot contorſiones colli, retrorſum trahebatur ſtatimque ſine motu & ſenſu inſtar apoplectici proſtratus mortuuſque jacuit; quæ omnia tam celeriter peragebantur; ut vix aliquis ter vel ad ſummum quater orationem dominicam recitare potuiſſet. Aſperæ arteriæ vulnuſculum inflixi, atque aërem inſpiravi, ſed fruſtraneâ operâ, nec enim vel minimum vitæ indicium rediit: Denudavi totum collum à pharynge uſque ad ſternum: Gula à pharynge ad ingluvien inflata & inflammata erat, prope pollicis capax, infarcta aliquot bolis amygdalarum; ingluvies tam à copioſis contentis, quàm

quam à flatu admodum diſtenta fuit: Contenta erant lentes, avena & fruſtula amygdalarum, omnia prorſus exſucca & prope nec vel guttula liquoris imbuebantur: paulo rubicundior: reliqua portio gulæ, imprimis ſuperficies interna corporis tubuloſi irrigua erat ab humore fluido minus viſcido, tenace minuſque craſſo, ac alias hoc in loco obſervatur, ſimul quoque coloratior, ac ſi plus humoris ex tubulorum oſculis prolectum, & operimentum oſculorum corporis tubuloſi plerunque craſſum & glutinoſum abſterſum fuiſſet. Ventriculus arcte conſtrictus erat: continebat furfures, lapillos albos & pauca amygdalarum amararum fruſtula, humentiora omnia ſolito. In principio duodeni ſtatim occurrit chylus craſſus pultaceus, flavus; eo detruncato non procul à pyloro ſtatim emerſerunt lumbrici teretes, aſcaridibus craſſiores & firmiores. Abſciſis venis & arteriis ſubaxillaribus, erupit ſanguis copioſus fluidiſſimus & nitidiſſimus: apertis poſtea ventriculis cordis, in illis nec guttulas quidem ſanguinis nec vel minimum grumulum, aliudve coagulato ſanguini ſimile videre potuimus. Tunc & aliquandiu poſt adhuc calebat. Inteſtina ultra tres ſpithamas continuerunt chylum craſſum viſcidum, turbidum ſubflavum cum multis vermibus: bilis ſe nullibi effudit: in reliquis inteſtinis nulli vermes, paucæ fæces aliquantulum coactæ, maximam verò partem vacua apparuerunt: à pyloro ad extremum inteſtinorum nec vel minimum amygdalarum amararum fruſtulum reperire potuimus. In faucibus plura amygdalarum fruſta & propè integri boli hærebant: quædam micæ illarum etiam palati rimam intrarunt. In occipite intra duplicaturam cranii ſpongioſam & quaſi pumiceam, ſanguis niger, grumoſus detinebatur, eâ ratione, quâ in aviculis laqueo ſtrangulatis his in locis ſemper reperitur. Ablato cranio medullæ ſpinalis principium; cerebellum & interſtitium inter hoc & cerebrum omnia ſanguine ſuffuſa erant; exemptis cerebro & cerebello, tum interſtitia tum baſis humentiora videbantur. Remotis membranulis in locis ſanguine ſuffuſis, ſanguinem extravaſatum & grumoſum cum ichore ſanguineo reperi. In pulmonibus nihil vitioſi animadverſum fuit.

Hiſt. 3. Columbæ eadem horâ pennas alæ detondendo, vas ſanguiferum in extremo apice ſauciavi, prorupit ſanguis largiter nec ab impoſito atramento ſiſtebatur: tandem hæmorrhagiam ferramento candente aduſto vaſe brevi ſuppreſſi: verebamur debiliorem fore, at vegeta perſtitit. Igitur Amygdalarum amararum decorticatarum & contuſarum cum aqua in bolos coactarum drachmam circiter intruſi ultra octantem horæ partem abſque ulla vacillatione inceſſit, unde ſecundâ vice unum alterumve bolum ultra fauces in gulam adegi: vegeta nihilominus inceſſit, & nondum languidæ ingluvies non diu poſt hæc inflabatur: tandem pennæ in dorſo ſurrigebantur & cauda potius deprimebatur: quàm attollebatur: mox paroxyſmo epileptico proſternebatur: alæ, pedes & caput validè concutiebantur; caput ſubinde retrahebatur; imo totum corpus jactabatur. Paroxyſmus brevi duravit, iterum ſe in pedes recepit, aliquandiu inceſſit: poſtea ſenſim pedes ægrius loco movere, nec diu poſt iis non amplius inſiſtere valuit; ſemel alas adhuc ſuccutiit, ſubinde collum levicule torquebatur, tandem inſtar apoplecticæ aliquando jacuit, tardè & interciſis vicibus reſpiravit & ore hiante aërem quaſi captavit aliquoties; oculi diu ſplendidi & nitidi permanſerunt: paulo ante obitum demum obtenebrati fuerunt & poſt ferè elapſam horam dimidiam ſpirare deſiit.

Gulæ ſuperior pars amplior erat & rubeſcens: ingluvies plena lentium, avenæ & fruſtulis amygdalarum amararum candentium; omnia ut in columbo exſucca. Corpus tubuloſum impletum erat humore turbido lacteo, ut primum abſceſſum bene maturum hic ruptum crediderim: ejus ſuperficies ab operimento mucoſo, deterſo humore lacteo, prorſus denudata & rubicundior ſolito conſpiciebatur. Ventriculi contenta erant furfures, lapilli albi & pauca fruſtula amygdalarum amararum, candida liquore aqueo & alicubi ſpumeo imbuta. In principio duodeni continebatur chylus craſſus, viſcidus, turbidus, ſubflavus cui lumbrici teretes immixti erant. Ex vaſis axillaribus ſauciatis proſiliit ſanguis admodum fluidus, ut in columbo; inde quoque ventriculi cordis prorſus vacuabantur, nihilque ſanguinis in illis reperiebatur. Pulmones rubicundi erant. Inteſtina magis corrugata videbantur quàm aliàs obſervatur; duodenum tamen rotundius & planius, ceu chylo impletum, manſit. Columbæ hujus corpuſculum citius quàm columbi perfriguit. Corpus ſpongioſum inter duplicaturam cranii & vaſa ſanguifera plena erant ſanguine grumoſo nigro: penitus ablato cranio medullæ ſpinalis principium, cerebellum, interſtitium inter hoc & cerebrum etiam baſis cerebelli, omnia ſanguine ſuffuſa erant, minus tamen quàm in columbo, attamen plus liquoris aquei hic detinebatur: forſan minus ſanguinis in columba extravaſatum fuit, tardiuſque apoplexia ſupervenit; quia ob hæmorrhagiam prægreſſam ſauciato vaſe multum ejus profuſum fuit. Rima palati à fruſtulis amygdalarum amararum admodum infarcta & quaſi obturata erat: Pharynx quoque, & gula ad ingluviem uſque valde à flatu & amygdalis diſtentæ erant. Aſperæ arteriæ annuli cartilaginei integri ſunt, ut etiam à gula valde impleta comprimi & coarctari nequeat. In toto inteſtinorum cavo ne mica amygdalarum amararum apparuit: continebat, ut in columbo aliquouſque chylum craſſum, viſcidum ſubflavum, turbidum, cum plurimis vermibus teretibus, nullibi bilem; in reliqua portione fæces coactas, alicubi mucum condenſatum; magna pars vacua erat. Ureteres urina cretacea tranſparente pleni erant. Oviductui inerat ovum figurâ nuclei pinei, ſed duplo craſſius: in ovario plurima ova lymphâ pellucidâ plena, piſi magnitudine, nulla lutea continebantur.

Hiſt. 4. Felis bimeſtris ferè d. 14. Maii 1679. ex alto cecidit & imprimis os graviter læſit, ut ab illo tempore nec edere, nec ſugere valuerit; die 17. Maii. *Filius meus Joh. Conrad. Med. Doct.* præſente *Excell. D. D. Heinrico Screta & D. Hillero* drachmam circiter amygdalarum amararum non excorticatarum in bolos coactarum intruſit ante ſecundam pomeridianam, paulò poſt quaſi ſemi paralytica pedes poſteriores languide traxit, anterioribus verò vix reptare potuit: non diu poſtea ſequebantur paroxyſmi quatuor epi-

leptici, qua mirè artus & caput exagitabantur & tendebantur: inter unum alterumque paroxyſmum induciæ concedebantur: poſt ultimum paroxyſmum anheloſe ſpiritum traxit; ante tertiam veſpertinam ſpiritu ſenſim deficiente, reſpirare deſiit. Detracta pelle, in inguine dextro & circa coſtas, ejuſdem lateris portiones, forte à caſu ſanguine ſuffuſæ erant; pinguis adhuc fuit quamvis parum intra triduum alimenti nactus fuerit vel prorſus nihil. Aperto abdomine ventriculus ſatis amplus, ſed foris rugoſus & multis ſulcis orbicularibus, ſeu tranſverſim ventriculum interſecantibus præditus apparuit: inciſus ab orificio ad pylorum nihil præter bolum ex amygdalis in unum bolum compactis & muco pellucido involutis continuit: bolo cum muco ſublato ſuperficies, imprimis in fundo & ſupernè inter duo orificia, rubuit. A pyloro duodenum & jejunum ultra palmam bile croceâ tingebantur, poſtea ultra aliquot palmas inteſtina erant alba vacua, nihilque præter paucos vermes continuerunt: hinc rurſus portio palmaris flava, reliqua ad principium recti alba & vacua erat. Rectum impletum fuit fæcibus nigris piceis, fœtidiſſimis, fortè à ſanguine poſt caſum inglutito & huc è ventriculo & inteſtinis detruſo. Veſica ab urina admodum diſtenta erat. Ductus bilarius admodum bile turgebat ac hepaticus ſupra inſertionem ductus veſiculæ nodoſus fuerat. Cor ſanguine plenum cum auriculis, ſaucium fudit ſanguinem admodum fluidum & prope aqueum ratione conſiſtentiæ, cætera rutilum. Pulmones non erant inflammati; niſi in lobo dextro rubor apparuit, quem potius adſcripſi caſui.

Hiſt. 5. Eodem *Clariſſ. D. D. Screta & Dom. Hiller* Gallo gallinaceo intruſerunt bolos ex amygdalis amaris, unde octies alvum exoneravit & poſt miras convulſiones iterato perpeſſus mortuus eſt. Ventriculum examinandum tranſmiſerunt: foris ejus caro atro rubeſcens erat. Amygdalas in corpore tubuloſo & atrio ventriculi ſubſtitiſſe reperi: abſterſo muco minus viſcido tota ſuperficies interna corporis tubuloſi admodum rubicunda erat, ut & atrium ventriculi. In fundo ventriculi furfures & lapilli liquore aqueo diluti continebantur, cùm aliàs contenta ſicca & exſucca ſint.

Hiſt. 6. *Ex communicatione Clar. D. Johan. Heinrici Hilleri Med. Licent.*

Anno 1679. Die 9. April. faucibus bimulæ felis amygdalarum amararum c. corticibus contuſarum ℥ iij. per vices intruſi, non multo poſt univerſum os fauceſque copioſiſſimâ primo tenuiore mox tenaciore ac viſcidiore lymphâ, diffluebat quaſi, inſequente tremore totius quibus ceſſantibus, ſopore ſeu ſomnolentiâ notabili prehenſa, uni loco immobilis, oculis conniventibus, quaſi affixa eſſet, inhærebat, poſt autem horæ ferè dimidiæ decurſum, caput ipſi aliquoties violenter ſatis concutitur, quo motu excitata occulos aperit, adſtantes adſpicit, clamat, fugamque tentat, fruſtra tamen, progredi enim æque loco ſe movere neſciebat, leviter autem non multò poſt ad progrediendum impulſa, ægrè admodum vermis ad inſtar rependo, poſterioreſque pedes penitus reſolutos poſt ſe trahendo per pavimenti longitudinem ad ejus ferè medium perrexit, ubi dextrum in latus decumbens, violentiſſimis ventriculi ſubverſionibus aliquoties tentatur, omneque prius devoratum per vomitum reddere cogitur, quo facto brevi poſt priſtinas recollegit vires, ſolâ aliquandiu durante ſalivatione.

Hiſt. 7. *Ex communicatione ejuſdem D. Licent. Hilleri.*

Subſequente die 11. April. fœtæ ac grandiori feli ℥ ß. amygdalarum amararum exhibui, aſt ſine ullo inſequente effectu vel alteratione præter leviſſimum quendam ac vix notabilem ſoporem, quo tamen brevi diſcuſſo ac evaneſcente ſanam dimiſi.

Hiſt. 8. *Ex communicatione ejuſdem D. Licent. Hilleri.*

Die 21. April. Cani juniori ℥ v. Amygd. amar. intruſi, hic elapsâ ſemihorâ immutatas adhuc amygdal. per vomitus repetitos rurſus rejecit, & nullo alio accedente ſymptomate citiſſimè convaluit, huic ſecunda vice ℥ iij. Amygdal. amar. in fauces ingeſſi, at pari planè ſucceſſu ac effectu, rejecit enim iterum uti prius devorat. amygdal. poſtquam per dimidiam vel quod excurrit horam eas retinuerat & priorem recuperavit ſanitatis ſtatum quo & adhuc integro fruitur.

Hiſt. 9. *Ex ejuſdem D. Licent. communicatione.*

Die 9. Maii Vulpeculo novem vel decem præter propter ſeptimanarum, amygdalas amaras num. 5. minutim inciſas inque globulos duos mediante ſaliva concinnatas, devorandas exhibui, perexiguo dehinc elapſo temporis ſpacio, puſilla hæc vulpes toto corpore tremens, incerto talo vacillante greſſu temulentorum in morem incedere, capite & pectore progrediendo, per vices in terram procumbere, mox etiam diris omnibus convulſionum ſpeciebus tentari cœpit, cum pulſu cordis celerrimo ac imbecilli, reſpiratione etiam quadantenus læsâ. Rebus ſic conſtitutis cultro, durantibus ſemper convulſionibus ſubjicitur, ubi aperto abdomine ventriculum reperiebam callapſum omnino, mollem ac flaccidum, ab omni convulſione immunem, pariter & inteſtina quieſcebant, omniſque eorum motus ablatus fuit; maximâ interim in partibus externis ferociâ perſeverabant convulſiones, quæ tam diu durabant, donec thorax apertus erat, hoc enim diſſecto ſub atrociſſimis convulſionibus, cordiſque vehementiſſimis motitationibus exſpiravit. Diſſectus ventriculus leviculas plicaturarum ejus exhibuit inflammationes, pylorus arctè clauſus erat, œſophagus contrà reſeratus patebat, inteſtinum duodenum conſpurcatum deprehendi bile porracea copioſa, nullo modo autem inflammatum erat, in fine jejuni ſimilis latitabat materia non a. in tanta copia, &c.

De Antimonio.

Hiſtoria 1. Cani robuſtiori præſentibus *D. D. Heinrico Screta D. D. Gmelino, D. Sibelio van Geor*, & aliis Medicinæ operam dantibus, die 25. Nov. 1675. Flor. Antimonii alb. ℈ß. carni elixæ involutum objeci: cum à bolo devorato non vomeret; Croci metallorum ℈ß. ſimiliter occultatum porrexi, at non omne inglutiit, nihilominus poſtea vomere cœpit & quidem nihil niſi recenter devorata, nam jejuno antimoniata dare conſilium erat. Quamprimum pedibus & capite ſcamno alligatus fuit; vomere deſiit: at largiſſime minxit. Inciſo abdomine ex vulnere nondum ſatis amplo ventriculus flatibus diſtentiſſimus prorupit: dilatato vulnere magis adhuc extendebatur: inter abdominis inciſionem leviculè ſauciata fuit ſuperficies ventriculi fibroſa, retroceſſit ac craſſior & carnoſa evaſit; nervea interna prorſus nuda apparente aliquo uſque. In ventriculo in apricum ducto vidimus ſulcos rectos, utcunque valde diſtentus eſſet: prope ſtomachum in ſiniſtro latere macula palmo latior ſaturatè rubicunda apparuit, quæ tandem atro rubeſcens evaſit. Dum flatibus tantopere diſtentus erat, fibræ circulares non niſi leviculè. & quidem motu in duodeno incipiente ſe contraxerunt; ambo orificia arctiſſime clauſa pertinaciter flatus incluſos retinebant: compreſſo ventriculo fortiter manibus flatus ſurſum per ſtomachum & gulam eruperunt, ceu ructus: poſtea ventriculus circa pylorum & in medio à fibris circularibus conſtringebatur ac contenta evomebantur; obſervavimus ſemel in illa contractione diaphragma vomitum quaſi adjuvaſſe, forti quadam ſucceſſione breviſſimis intervallis repetitâ. Flatibus non ſemel expreſſis ventriculus denuo implebatur atque admodùm diſtendebatur, quibus forti manu expreſſis, rurſus quoque primùm circa pylorum, poſtea etiam in medio contrahebatur. Per ſiphonem aquâ calidâ injectâ etiam ſe conſtrinxit & leviculè etiam preſſo ventriculo copioſe mucum bile permixtum evomuit, ipſamet aqua mucoſa facta. Ventriculus diſtentus tenui tunicâ præditus putabatur, exoneratus & à flatibus vacuus craſſior evaſit. Preſſo ventriculo circa pylorum, aut circa medium, aut circa ſtomachum mire vagiit & capite à vinculis ſoluto obvia quæque morſu petiit. In vomituriente ſeu ſua ſponte, ſeu irritato ventriculo ſemper orẽ hiabat & exordium motus erat in duodeno, hinc pergebat ad pylorum ejuſque antrum & medium, tandemque ejecit vomitu mucum ſpumantem nunc pellucidum, nunc ſubflavum & bile tinctum.

Ventriculum dum adhuc vivebat excidimus: inciſo ſtomacho & ſuperna ventriculi parte ad pylorum, nihilominus fibræ circulares pylori ſe contraxerunt: vacuus prorſus erat, ſolummodo muco pellucido interna ſuperficies admodum anfractuoſa, & circa pylorum bile tincto oblinebatur. In duodeno obſervavimus motum periſtalticum promiſcuè, nunc ſurſum nunc deorſum vergiſſe, qualem motum in lumbrico lato ulna longiore in hujus canis inteſtino reperto, atque aliàs in lumbricis, hirudinibus, inteſtinis ovium, canum & capræ vidi. Inteſtinum rectum ſublatis muſculis abdominis ſe exoneravit. Ubi foris macula atro rubeſcens foris in ventriculi latere ſiniſtro viſa fuit, intus leviculè rubuit. Veſica, poſtquam vinculis ſcamno affixus fuit, exonerata inter media tormenta rurſus valde implebatur, quæ remotis muſculis abdominis nihilominus omnem urinam largiter expulit, ſenſim ſe conſtringendo, foris ſulcis rectis apparentibus, ut tandem vix nuce juglande major apparuerit. Diaphragma in inſpiratione planum fiebat & in ambitu carnoſo coſtis vicino, ſulci recti conſpiciebantur: inflicto vulnere ac indito digito ſenſi tunc digitum valde ſtringi: in exſpiratione relaxabatur & abdomen verſus, inſtar veli à vento inflati utrinque protuberavit, non à pulmone deorſum labente, quod digito per vulnus immiſſo comperi, quo pulmones aſſequi nequii, ſed ab aëre prius inſpiratione attracto, nam digito facilius quam in inſpiratione retracto aër cum ſibilo prorupit: adeo ut aër omnino in pectoris cavum è pulmonibus penetret unde pulmones inflati, utcunque arctiſſime aſpera arteria occludatur, ſenſim detumeſcunt, niſi ſtatim juxta fornacem calentem ſuſpendantur & celeriter extima tunica ſiccetur. Quia canis iſte diu famem toleravit, inteſtina vacua erant & ramulos lacteos pauculos inteſtinorum ſuperficiem perreptantes vidimus. In meſenterio arteriæ venis multò minores & graciliores diu egregiè pulſabant. Chyli receptaculum, ductus thoracicus, in cane hoc unicus, & vaſa lymphatica die ſequente valde à lympha turgebant. Utcunque veſicula bilaria poſt aliquot vomitus inanior & flaccidior evaſerit, tamen noctu cum hepate in cadavere relicto, mane denuo plenior & turgidior apparuit. Glandularum areas, ut in aliorum canum inteſtinis, reperimus: in recto tamen majores videbantur atque aliàs, ex quibus foras preſſo inteſtino erupit mucus turbidus.

In fine gulæ prope ſtomachum fibræ circulares erant nervoſæ & validæ, unde tam firmiter ſtomachum & gulam conſtrinxerunt, flatuumque egreſſum prohibuerunt, ut non niſi vi ſurſum adigi potuerint. Externa tunica tota muſculoſa fuit. Suprema pars gulæ faucium partem obtegens craſſior erat & multis glandulis ditata, unde foris illa compreſſa liquore quodam irrorabatur. Sphincter gulæ non ſolum à lateribus laryngis oritur, ſed etiam pars ſuperne obliquè deſcendit: fibræ à larynge oriundæ prope circulares, cœteræ obliquè ſunt. Tonſillarum oſcula manifeſta admodum erant; nihil in illis piloſi, ut in alio cane, vidimus. In caverna oſſis frontis unicum vermem hirudini ſimilem, ſed planiorem reperimus & acuminatum, acumine anteriore breviore, poſtico longiore & quaſi in filum anguſtum deſinente. Rene ſecundum longitudinem inciſo canaliculi in parte carnoſa luculentius, in pallidiore anguſtiores apparuerunt: tranſverſim ſectâ illius carne, poroſa inſtar cannæ Indicæ videbatur.

Hiſt. 2. Catello projectitio die 14. Julii 1676. cum *Clar. D. D. Heinrico Screta* Vitri antimonii ℈j. cum lacte infudit, avide deglutiit & ne guttulam relinqueret os lambebat. Vivacior

cæteris catellis, quibus Helleborum album, nucem vomicam & napellum ingeſſimus: mire tamen ejulavit & vagiit per integram horam poſt ſumptum pharmacum, licet hactenus erectus inceſſerit. Poſt horam nutare incepit, pedes poſteriores ſubinde traxit, elumbis inſtar, mox tamen rurſus benè inceſſit, interea doloris interni indicia clamore validiore continuè edidit. Poſt ſecundam horam ab aſſumpto vitro antimonii demum vomuit. Circa tertiam horam ſatis adhuc vegetus erat, niſi quod ſubinde nutaret, pedes poſticos traheret & aliquando caput motu convulſivo quateretur, brevi tamen vires iterum recollegit. Poſt horam tertiam abdomen incidimus: inter ſecandum robur oſtendit, vi ſectionem eludere conabatur, morſu petebat obvia: vulnere amplo facto inteſtina & ventriculus cum impetu prorumpebant: Ventriculus ſupra modum diſtentus erat. Inteſtinis prorſus denudatis & extra abdomen propendentibus nihilominus fæces flavas, conſiſtentiæ prope naturalis per alvum exoneravit: videbatur motus inteſtinorum periſtalticus egregiè. Veſica urinâ plena erat, quamvis iteratò minxerit. Ventriculum integrum excidimus, contenta largiter primum ex ſtomacho eruperunt, quoties ſe jam exemptus in medio conſtrinxerat, quod aliquoties fiebat, copioſius contenta expellebantur; tandem quoque motus periſtalticus è medio verſus pylorum conſtrictis fibris circularibus pergebat, ſed leviculus atque tum nihil è ſtomacho elabebatur, cauſam invenimus mucum craſſum & grumum orificium hoc obturantem. Contenta ventriculi erant liquor lentus, mucus viſcidiſſimus, lactis coagulum, fragmenta straminea: omnia flavedine tincta. Sublatis contentis manifeſtà inflammatio circa ſtomachum aliquouſque intus extenſa conſpiciebatur: nulla in fundo & circa pylorum. Duodenum bile plenum erat. Veſicula bilaria à bile valde diſtendebatur & pellucebat. In inſpiratione diaphragmatis motus circa crura incepit, ibique verſus abdomen in gibbum attollebatur, reliqua verò pars cum centro nerveo in planitiem expandebatur, conſpicuis nihilominùs ſulcis in ambitu ejus carnoſo: motus iſte valide peragebatur. In exſpiratione tenſio relaxabatur ac diaphragma verſus abdomen protuberavit. Inciſis arteria epigaſtrica & plurimis vaſis gaſtricis, multo profuſo ſanguine in motu animali vegetus manſit, imo aperto pectore vagire adhuc conabatur & objecta momordit. Cordis dextrum ventriculum cum auricula abſcidimus, nihilominus cordis reliqua ſubſtantia aliquoties, & quidem validè vera ſyſtole & diaſtole movebatur. Sanguis dextri ventriculi maximan partem fluxilis erat, portio quædam grumoſa: obſcurior fuit minuſque rutilus quam ille quem profudit arteriis & venis imi ventris ſauciis.

Hiſt. 3. A. S. Sutoris uxor ex pago nobis vicino, ſtaturæ juſtæ, carnoſa, aliquandiu cachectica, difficilius ſpirans cum cordis palpitatione, laſſa, ita tamen ut negotiis domeſticis diligenter vacaret. Moleſtiarum cachexiæ familiarium pertæſa ex ſuaſu Vetulæ cujuſdam vere 1648. aliquot grana vitri Antimonii vino albo per noctem infudit; mane vinum cum pulvere ebibit: non ſtatim virus ſuum exſeruit, unde maritus domo egreſſus aliquandiu ſolam reliquit; interea antimonium enormes vomitus excitavit ipſamque humi ſtravit; maritus domum rediens humi proſtratam, rigidam & veluti emortuam reperit: variis modis illam excitare conatur & tandem faciem frigidâ conſperſit, unde reſpirare cœpit. Poſtquam ad mentem rediit nondum tamen vomere & poſtea convelli deſiit, donec poſt iteratò epota juſcula, ferocia antimonii domita fuit: attamen ſumme debilis permanſit: poſtquam aliquantulum vires recuperavit, conqueſta eſt de intolerabili pedis dextri dolore. Poſtridie *D. Joh. Georg. Croner lithotomus* noſter vocatus fuit, invenit pedem ad mediam ferè tibiam nigrum & veluti atramento ſutorio immerſum non durum, non tumidum nec exulceratum: ad ſubitam hanc cutis pedis diſcolorationem obſtupuit nec ob atrociſſimum dolorem urentem, pungentem & lacerantem, ſphacelum adeſſe in animum inducere potuit: impoſuit fomentum anodynum abſque ulla doloris mitigatione: ipſemet poſtea accerſitus clanculum aliquot in locis imi pedis etiam ad tendinem magnum acum profunde intruſi; puncturas iteratas non magis quam lignum aliudve ſenſu deſtitutum percepit: unde de ſphacelo non amplius dubitatum fuit. Pedis abſciſionem, ne malum ulterius ſerperet, maturandam ſuaſi, quam *Excell. D. D. Johannes Sereta à Zavorziz*, tum temporis Archiater noſter quoque non differendam ſtatuit. Abſcinditur pes palmi diſtantia à genu: in pede abſciſo, diſſecto & diligenter examinato ſphacelus non tibiam mediam ſuperaſſe cognovimus: vulnus non urebatur Italo; ſanguinem compeſcuit goſſypium aqu. forti imbutum vaſiſque majoribus impoſitum: totum operiebant pulvilli albumini ovi, cui pulvis ſanguinem ſiſtens permixtus, immerſi ac veſica tegebatur. Sic ſanguis ſubſtitit brevi, remotis pulvillis, adhibitis congruis, cutis pulchre ſuccrevit, ac ſpes erat brevi pedem cicatrice opertum iri. Die 15. à ſectione ſubito à catarrho ſuffocativo obruta, fruſtraneis omnibus medicamentis brevi poſtea vivere deſiit. Aperto pectore pulmones arctiſſime maxime in dextro latere, pleuræ accreti; erant admodum maculoſi, bronchia undiquaque muco copioſo ſpumeo adimpleta. In cavo pectoris aqua redundavit, ubi pulmones non adhæſerunt. In corde polypos inveni. Ventriculus admodum diſtentus & flaccidus erat: Hepar pallidum & quaſi variegatum p. n. diaphragmatis aliquot in locis annectebatur. Lien naturali major fuit. *Idem ibidem.*

De Arſenico & Auripigmento.

Hiſtoria 1. Ampl. D. Clariſſ. W. Pr. Filiolus duorum circiter annorum Menſe Auguſto 1677. febri tertiana intermittente correptus fuit, in qua nihil periculoſi animadverſum fuit: aliquando aliquot diebus intermiſit, mox rediit, nullos certos typos obſervavit. 30. Menſ. Aug. cùm locum habitationis tranſirem, febricitantem inveni cum inflatione ventris, non parum æſtuantem & ſiticuloſum: medicamentis congruis bibitis 14. Sept. ſatis bene habuit, atque illum à febre vindicatum parentes credebant,

bant. Paulò poſt inordinatos æſtus ſæpius paſſus cum ſiti, & licet ſubinde bene habere videbatur, nihilominus cadaver redoluiſſe matri videbatur: nunquam noctu niſi intra brachia D. Parentis dormivit. Febris quæ pridem periodos tertianæ intermittentis exquiſitæ obſervavit & aliquot diebus planè intermiſit; poſtea prorſus anomala erat, nec ulli typi animadverti poterant: nunc enim continua nunc intermittens, ſine ullo typo, videbatur. A die 1. Octobr. ſt. n. valde ſitiit duravitque ad mortem uſque. d. 4. Octobr. mane catarrho cum magna anxietate & ſuffocationis metu corripitur, venter inflatur; dantur ſyr. pector. cum aq. prophylact. Barbett. à *D. Simone Schmidt Chirurg. præſtantiſſimo* unde vomuit, venter detumuit: vomitus continuavit. 5. & 6. Octobr. ſudor ſubinde frigidus emanavit, ſigna torminum dedit, multum tuſſiit, non convellebatur: aliquando diarrhœam patiebatur; unde venter detumuit amplius: tum quoque ſubinde ſingultiit, valde ſitiit, æſtuavit d. 7. Octobr. *D. Schmidt* dedit lap. Bez. Hoc mane D. Mater parabat aq. cordial. ex Cinamom. in aq. coct. add. Saccharo: ſingulari Dei providentia D. Maritus aliam ob cauſam hypocauſtum ingreditur & aquam hanc per colaturam D. Conjugem alloquens, obſervat in fundo vaſis ænei fruſtula candida inſtar lapillorum, & mox quid lapilli iſti ſibi velint, quærit? aiebat ſaccharum eſſe; pernegat ille, cùm ſaccharum in calida ſtatim ſolvatur: guſtu acrimoniam percipit: D. Chirurgus vocatus protinus Arſenicum Cryſtallinum agnoſcit: accerſitur ancilla, puella 17. circiter annorum, minis territa fatebatur ſe ante paucos dies fruſtulum Arſenici in vicino oppido W. precio à pharmacopœo redemiſſe; fruſtulum in atrio domus ſub vaſe vinario occultatum ultro attulit, & poſtea ulterius confeſſa eſt ſe portionem Arſenici contuſi unam pulticulæ permiſcuiſſe, alteram in aquam hanc conjeciſſe: puellum parum & vix quantum duo Cochlearia capiebant, reliquum Filiam adultiorem & ſororem natu minorem comediſſe: faſſa quoque eſt ſe porco d. 6. Octobr. Veſperi aliquid Arſenici eſcæ permiſcuiſſe, qui mane mortuus in hara repertus fuerit, atque hac ratione didiciſſe venenum hoc vehemens eſſe: poſtea nec minis neque equuleo ab illa impetrari potuit num ſæpius venenum hoc puello ſuggeſſerit, præter illam vicem qua illud pulticulæ permiſcuit. Antequam in vincula conjecta fuerat dicebat quoque puello aquam ex fungi & cobalti decoctione paratam ad muſcas necandas, quandoque propinatam fuiſſe ab ancilla ſe adultiore, ſed illam ad mortem inferendam, quod unicè optarint, inſufficientem fuiſſe, nam aliquando ſe ad miſellum ſuffocandum manibus os occluſiſſe: unde tandem de arſenico cogitarit. Aſtantes obſervarunt muſcas guſtantes aquam cordialem, qua à multis diebus puellus reficiendus erat, protinus mortuas fuiſſe, unde aquam hanc ex fungis paratam cordiali admixtam indubie conjiciebant. Puellus poſt meridiem à ſumpta pulticula valde æſtuabat, ſitiebat, ſingultiebat, angebatur; ſudor frigidus emergebat; non vomuit: toto corpore rubicundus evaſit & maduit, in ore aphtæ obortæ ſunt quæ primum albæ erant, poſtea nigricabant. Puella adultior & Media, ſorores, quæ reliquum pulticulæ comederunt, ſtatim vehementer vomuerunt ambæ; dedit ipſis *D. Schmidt.* Theriacam andromachi, unde ſtatim rurſus & poſtea ſæpius evomuerunt: Filia natu major ſimul vermem mortuum per os excrevit, ſuaſi tunc cum *D. D. Screta* abſens hunc pulv.

♃. Pulv. antihectic. pot. ℥i. Bez. min. C. C. phil. præp. an. ʒi. mſ. F. p. ſ. Hujus pulv. ʒi. mſ. cum aq. ſcabioſ. ℥iii. Syrup. violac. ℥ſ. mſ. de hac mixtura tum puello tum puellis ſæpe dabatur quantum cochl. i. capit.

Item ♃. Butyr. Rec. ℥iſ. Sach. alb. ℥ſ. pulv. memorati ʒi. mſ. ſæpe portiunculam N. M. magnitudine deglutiant. Bibant emulſionem Amygd. d. cum decoct. C. C. paratam: veſcantur hordeato: nihil vini concedebatur. Filia natu major diligenti horum uſu d. 14. Octobr. ſt. n. extra periculum erat: minor nondum integre reſtituta erat, lingua adhuc tumuerat; ſenſim tamen poſtea his convaluit. Filiolus ſingulis horis pejus habuit, ſignaque lethalia invaluerunt ſc. extremorum frigus cum ſudore frigido, anxietate, indiciis torminum, ſingultu crebro: nunquam vomuit poſt ſumptam 7. Octobr. pulticulam, ut 5. Octobr. quo die *Sim. Schmidt* quoque venenum datum credidit; unde illum gravius à pulticula jejuno ſtomacho ingeſta, puellas verò quæ evomuerunt minus afflictas putat. Puellus ſenſim viribus magis magiſque evaneſcentibus d. 9. Octobr. veſperi hora 7. exſpiravit. Dorſum ſtatim poſt obitum lividum reddebatur. D. Chirurgus aperto cadavere & diſſecto ventriculo in ejus cavitate nihil niſi aq. cordialem reperit: ejus internæ tunicæ exulceratæ, hepatis pars dimidia gryſea & quaſi elixa: Pulmones inflati admodum atro liveſcentes: pectus aqua flava plenum: Colon totum & magna portio reliquorum inteſtinorum à gangræna atro rubentia erant: in corde, Liene & renibus nihil p. n. obſervavit.

Poſtquam facinus ancillæ veneficæ innotuit, carceri incluſa fuit: interea diſceptabatur, Num arſenicum cauſa mortis Puelli fuerit?

ICTus quidam perſuaſus potius centum nocentes dimittendos, quàm unicum inſontem vita mulctandum in dubium vocavit, quod omnes credebant & res ipſa loquebatur: Putavit ille necis cauſam fuiſſe febrim diuturnam: verùm demonſtrabatur febrim tertianam ſimplicem deſiiſſe aliquot diebus, rediiſſe autem febrim quandam nullos certos typos obſervantem & prorſus anomalam, atque hanc quoque intervalla ſæpe aliquot dierum habuiſſe, quam adſcribebant domeſtici aquæ muſcas necanti, puello nequiter ſuggeſtæ; quod Venefica non negavit factum fuiſſe, non quidem à ſe, ſed ab ancilla ſocia, idem confirmavit mors muſcarum ſubita, aquam cordialem dulcem omnis acrimoniæ expertem deguſtantium, atque equuleo ſubjecta fidem meruit ſe hac in re innocentem eſſe. Verùm cum hæc quoque febris nondum vires adeo exhauſiſſet ut ipſi mors imputanda foret, *D. Simon. Schmidt* perſuaſus erat arſeni-

cum à Venefica jam d. 4°. Octobr. ſt. n. alimentis admixtum fuiſſe, cum illud ad manus haberet, virulentiæ in porco feciſſet periculum 6. Octobr. & 4. Octobr. ſymptomata Puellus pateretur tali veneno attribuenda.

Cum & hoc per tormenta iteratò tentata non faſſa eſſet, objiciebatur arſenicum cauſam mortis ſtatui non poſſe, quoniam Puellus vix quantum duo cochlearia capiunt comederit, ſorores vero omnem reliquam comederint & nihilominus evaſerint. Itaque à Judice loci ſupremo, *Excell. D. D. Heinrico Screta à Zavorziz* & mihi propoſita fuit.

An Puellus duorum annorum ab Arſenico pulticula permixto & in non magnâ quantitate ſcil. duorum cochlearium aſſumpto, antea valetudinarius enecatus fuerit?

Reſponſio.

Utcunque Febres tertianæ intermittentes tutæ credantur & rariſſimè lethales comperiantur, tenellæ tamen ætati in autumno quandoq; poſt errores, maximè in cibando, aut in medendo commiſſos, funeſtas fuiſſe obſervatum fuit. Puello iſti diu febricitanti idem citra Arſenici culpam evenire potuiſſet, epota aqua muſcas necante, cùm plerunque hæ aquæ fiant fungis quibuſdam & cobalto, utroque venenoſo, in aqua decoctis: & forte non negabitur liquorem hunc febrim anomalam, carnem depaſcentem, ſitim intenſam excitantem ac reſpirationem difficilem reddentem effeciſſe, unde hepar ſemielixum & cavum pectoris ob copioſum potum aquâ plenum in cadavere repertum fuerit. Verum neutri mortis præproperæ cauſam adſcribendam ſentimus, ſed Arſenico & quidem omnium funeſtiſſimo, ſc. Cryſtallino: idque ob ſequentes rationes: nam utcunque prægreſſis diebus jam occulta malignitas in Puello, imprimis die 4. & manè d. 7. Octobr. à *D. Simon. Schmidt* animadverſa fuerit, non tamen ita de vita actum eſſe perſuaſi erant, ut poſt meridiem, qua certò conſtabat Puellum venenum arſenicale inglutiiſſe: protinus enim aderant ſigna lethalia ſc. extremorum frigus cum ſudore frigido, continuus ſingultus, ſumma virium proſtratio & cætera non niſi ſupremum diem inſtare indicantia, fruſtraneis remediis deinde hæc ſingulis horis, imò momentis ita invaluerunt, ut illa d. 9. Octobr. hora 7. veſpertina ſc. hora quinquageſima quinta mors ſeu exceperit, ſeu aboleverit. Tum ſymptomatum vehementiam tum inexſpectatam & præproperam mortem arſenico deferendam Anatome denique probavit: repertus enim fuit ventriculus eroſus & excoriatus: totum colon & maxima pars reliquorum inteſtinorum gangrænâ affecta conſpiciebantur. Hæc non niſi arſenici effectus eſſe potuerunt, nam arſenicum, vi ſeptica præ multis aliis valet; & licet aqua muſcas necans ſimilem gangrænam efficere valuiſſet, hanc tamen neutiquam produxiſſe vel inde conſtat, quia diu poſt illam imbibitam evenit, atque impoſſibile fuiſſet Puellum tot diebus præſente gangræna ſupervivere, cum robuſtiſſimos paucorum dierum intervallo perimat, ut obſervatur in herniis, ſi neglectis gangræna ſuperveniat. Nec obſtat quod puellus de pulticula parum delibaverit, ſorores vero totum cacabum pulticula arſenico intoxicata plenum exhauſerint citra vitæ jacturam: nam puellum veſcebatur pulticula vacuo ventriculo, & inglutitum hac ultima vice detinuit ac ne micam quidem evomuit: ſorores autem ſanæ & robuſtæ pulticulam arſenicò adulteratam ventriculo cibis impleto comederunt, & paulò poſt & ſua ſponte & theriaca Androm. ſumpta iteratis vomitibus pulticulam cum arſenico ejecerunt, antequam roderet: ſi quid vero læſum fuiſſet, mitigari tamen à congruis medicamentis potuit, cùm puello robuſtiores eſſent & arſenici ſpicula à cibo jam obtuſa fuiſſent. Concludimus ergo & ſtatuimus Arſenicum à ſcelerata manu porrectum miſere Puellum interemiſſe, hiſque bonâ fide atteſtamur. *Joh. Jacob Wepfer M. D. Phyſ. Scaphuſ. Heinric. Screta à Zavorziz.*

Scaphuſii d. 19. Octobr. 1677.

Hiſt. 2. Ex communicatione Excell. D. D. Joh. Jodoci Cyſati Phyſici Lucernenſis optime meriti die 13. Januarii 1679.

Franciſcus Cyſatus filius ipſius, puer vegetus & obeſus 1671. d. 20. Maii, veſperi horâ tertiâ, in horto ſuburbano *domini Avi* poſtquam prius tria poma pro merenda comederat, veſcebatur mixtura ex Arſenico Cryſtallino, farina avenacea & nucleis juglandium, muribus vites arrodentibus deſtinata; poſt horæ quadrantem vomuit, expalluit cum extremorum frigore, emanante undique ſudore frigido: cor fortiter palpitavit, artubus tremuit. Domum deportato ſtatim crebro lac calidum infundebatur, quod protinus, ſed grumoſum, evomuit: ſæpius lactis potus repetebatur, quod ſemper in grumos concretum rejecit. Poſt repetitas lactis propinationes demum dedit lap. bez. cum congruo vehiculo, item el. Orvietan. Circa medium noctis inſtar mortui per quadrantem horæ & immobilis jacuit: refectus aquis cordialibus & topicis ſopitum excitantibus ſenſim convaluit. Ultra triennium poſtea, quotieſcunque ventriculum paulo plus debito cibo oneravit, omnia aſſumpta evomere cogebatur: unde emaciatus & gracilior minuſque agilis reddebatur: verùm & hoc ſymptoma evanuit. Nunc optimè valet & robuſtus eſt, literis deditus ſurgit in magnam ſpem Celeberrimi domini Patris.

Hiſt. 3. 4. & 5. Ex communicatione ejuſdem Excell. D. Cyſati.

Duæ Puellæ de Arſenico Cryſtallino butyro permixto comedentes ſtatim vomuerunt. *Exc. D. D. Cyſatus* vocatus protinus lac iteratis vicibus propinavit & poſtea Lap. bez. & El. Orvietan: ambæ convaluerunt, nullo ſymptomate ſuperſtite hodieque ſanæ vivunt. Alia puella ſimiliter incautè devorato arſenico, toto die vomuit: neglecta per triennium morboſa ſupervixit ac tabida ex febri, cujus indolem nemo agnoſcere potuit, tandem obiit.

Hiſt. 6. Ex communicatione Excellent. D. D. Franciſci Reinardi Phyſici & Senatoris Solodurenſis graviſſimi, d. 27. Maii 1679.

Filius ipſius trium circiter annorum, tempore autumnali poſt prandium improvide comedit de Arſenico Cryſtallino, nucibus minutim conciſis mixto; ad mures enecandos in angulo conclavis ſepoſito: quantum inglutierit, ignorabatur. Statim ab hac mixturâ comeſtâ de ardore linguæ conqueſtus eſt, illamque longe exſeruit: mater ad ignem hunc exſtinguendum acinos uvarum recentium maſticandos dedit, ignara mali & devorati veneni. Mox in lectum locabatur, ſtatim indormivit atque expalluit; poſt 2. circiter horas ab aſſumpto veneno & ſomno inito expergefactus, nigra evomuit: expalluit cum frigore totius intenſo & ſummo languore. *Excell. D. Parens* ſtatim ori butyrum rec. cum bezoar. miner. gr. v. indidit, quod deglutiit crebroque repetiit ad horam 10. veſpertinam, adeò ut ultra drachmam bezoard. min. huc uſque inglutierit: cum illud amplius deglutire non poſſet, infudit aquam theriacalem. Poſt decimam noctis huc uſque frigidiſſimus primum circa fontanellam, ſeu circa concurſum futuræ ſagittalis & coronalis calere cœpit; poſtea in toto corpore valde incaluit, imo æſtuavit ad horam 12. diei ſequentis, ſine ullo tamen ſudore. Integre convaluit, coloratior evaſit, antea pallidus, optime habuit, vivitque adhuc ſanus & vegetus.

Hiſt. 7. Ex commucatione ejuſdem Excell. D. D. Reinardi.

Eodem menſe Filiolus D. I. T. de ſimili mixtura arſenici & juglandium incaute comedit, ætate & viribus priori non impar. Parentes inconſultis Medicis theriacam Androm. iteratis vicibus ſuggeſſerunt. Verum fruſtra & ſine ullo levamine ſymptomatum quæ patiebatur; nam quarta hora à comeſto veneno exſpiravit.

Hiſt. 8. Ex communicatione Nob. D. D. Heinrici Screta à Zavorziz.

Puellus undecim menſium matre natus ad iram prona, quæ quùm propter abortum, difficilem partum ac fœtus mortuos bis de vita periclitaretur, nuper noſtram implorans opem hunc infantem debito tempore ſalvum Lucina favente enixa eſt: hic per totum &, quo auram exteriorem habebat, tempus ſatis ſanus vegetuſque vixit, nutrimenta tenellæ huic ætati convenientia ſemper ac lac maternum aliquandiu cum appetitu ſumſit, unde juſtum corporis membrorumque incrementum ac robur acquiſivit. At quùm præterlapſis aliquot diebus à matre culinam petente, ad feneſtram ſupra ſcamnum in ſedili poneretur, ibidemque forte fortunâ aſſerculum pigmento librorum viridi, ex ſandaracha ac glaſto indico compoſito, infectum prehenderet, ac cum iſto aliquandiu luderet, neſcio quo facto inſons puellus illud ori admovit, ejuſdemque angulum colore tinctum linxit, unde fere tota facies una cum linguâ virore conſpurcabatur, quem quidem mater mox rediens, quoad potuit, abluebat; attamen quia aliqualem ejus partem infans jam deglutiebat, ſtatim æſtus ac ſitis immanis cum appetitu omnino proſtrato ac vomitibus frequentibus illum invaſit: & quia hæc ſymptomata à dentitione ortum habuiſſe credidere, ideo poſt quartum demum diem me, ut Medicam manum adhiberem, arceſſerunt; ferre potuit remedium internum, & quæ prius ſtatim poſt commiſſum errorem, profuiſſent, lac tepidum ac oleum amygdalinum dulce, nunc vix deglutita rejiciebantur; mixturæ etiam cardiacæ ac antiſpaſmodicæ fruſtra datæ ſunt, convulſiones enim ingraveſcentes, omnem illi deglutionem interceperunt, à quibus & venter una cum ſtomachi regione & pectore quoque valde intumuerunt; per alvum glande prius ſolutam, copia fœtidæ ac bilis colorem æmulantis materiæ ejecta fuit; ex ore autem unà cum ingeſtis, gurges blennæ tenaciſſimæ decoloris, nullis quod obſervarim ſtrigmentis cruentis maculatæ, prodiit; vomitus externis itidem fruſtra, cùm externa non ſuccederent, compeſcere ſtudui; ſpatio diei naturalis tres quatuorve aquæ menſuras ebibit, quam mox iterum vomitu rejecit; convulſiones ſimiliter omnes corporis partes magis magiſque, nobiliſſima præſidia, eludendo, ita diſtorſerunt, ut tandem ſexto morbi hujus venenati die exſpirarit, animaque tenella ac inſons creatori ſuo reddita ſit. Cadaver ob ſonticas cauſas non diſſectum eſt.

Hiſt. 9. Nob. D. J. H. H. J. U. L. Pr. E. Filiola nondum quinque annos nata. 1679. d. 23. Januarii ſaniſſima extra ædes paternas in aliena merendam ſumpſit: ad ſeram veſperam hilaris manſit & noctu petulantior, ut à Matre increpanda fuerit. Poſt ſeptimam lectum petiit: circa undecimam noctis ſubito exclamare & ejulare cœpit, ac imprimis de ardore intenſiſſimo abdominis conqueſta eſt, acceſſerunt tormina, abdomen intumuit, vomuit, ſingultiit. d. 24. Januar. ſurſum deorſumque nigra fœtidiſſima excrevit. Ardor, tormina & ſingultus continuarunt cum ſiti intenſiſſima, ſolum aquam petiit: omnia alia potulenta, item cibum & medicamenta reſpuit. Eadem patiebatur 25. Januar. ſupervenerunt convulſiones terribiles; quando ceſſarunt, vagiit & vermem mortuum evomuit. Perrexerunt convulſiones, vomitus & dejectiones fœcum nigrarum ad 27. Januarii, quo ſummo mane exſpiravit non ſine ſuſpicione clanculum ſuggeſti veneni.

Hiſt. 10. Fr. G. Filiolus, quatuor annorum & filiola annum ſupergreſſa; utraque proles ſaniſſima & facie roſea. d. 3. Mart. 1679. mane ante octavam pro jentaculo comederunt juſculum ex lacte, de quo pridie in cœna ſine ullo nocumento veſcebantur, nam tota nocte dormierunt maneque alacres erant. Circa decimam antimeridianam angi & vehementer vomere continuo cogebantur: Puella jam convellebatur ſimulque aliquoties alvum ſolvit. Ante undecimam vocatus ſtatim lac aquâ tepidâ dilutum cum ol. amygdal. dulc. ſæpius propinavi; Puella avide bibit, unde brevi vomitus, anxietas & convulſiones ceſſarunt ac quietior evaſit: Puellus vix ad potum adigi poterat; unde vomitus vehementior ad primam pomeridianam continuavit; tandem precibus & pretio victus lac

giter bibit; evomuit mox lac coagulatum cum muco partim pellucido & coloris experte, partim flavo. Anxietas multum remiſit. Poſtea ſumpſerunt ſubinde quantum cochlear capit de hac mixtura:

℞. Aq. borrag. ſcabioſ. Card. bened. ℥iß. Bol. arm. or. T. S. or. an. ℈ij. unicorn. foſſil. ℈j. L. bezoard occid. ℈ß. tab. man. chr. perl. ℥ß. Puella hora 4. pom. ſubinde ridebat ac cum matre ludebat. Puellus adhuc quandoque vomuit; vegetior tamen erat: nunc erubuit. Puella poſt 6. veſp. rurſus mucoſa cum grumis lacteis evomuit: Puellus bis gryſea & ſpumea per alvum excrevit. Ante vomitum facies utrique plumbea quaſi & frigida erat, frons ſudore frigido maduit: à vomitu facies rubicundo colore ſuffundebatur & toto corpore incaluerunt. Poſt ſeptimam pultem ex lacte comederunt. Nocte mediocriter dormiverunt. d. 4. Mart. bene ſe habuerunt. Poſtea indies amplius convaluerunt citra ulteriorem uſum medicamentorum. Puellus diu poſtea lac & omnia lacticinia averſabatur; minus quam ſolebat appetiit, ſiticuloſior erat ac macilentior reddebatur, alvinæque fæces diu ſummopere fœtebant. Puella extra lectum frequenter expalluit: ſuffulta nec ſtare nec incedere amplius voluit. Neglecto medicamentorum uſu nihilominus convaluerunt vivuntque huc uſque optime.

Hiſt. 11. Ex communicatione Nob. D. Joh. Conradi Pejeri.

Hiſtoria anatomica fœminæ, veneno, ut ferebat ſuſpicio, peremtæ.

Die 27. Decembris 1676. in Xenotrophio cum *D. D. Matthæo Hardero* diſſecui fœminam 25. ut exiſtimavimus circiter annorum, pingui robuſtoque corporis habitu & magno præditam, capillis fuſcis aut ad nigros vergentibus & ſubcripſis. Moriebatur repente cùm antea putaretur ſana. Poſtquam enim noctu cùm aliquot Gallis in eodem conclavi decubuiſſet, ab iiſque potum quendam propinatum hauſiſſet, poſteris diebus in Xenodochium rediens de maxima præcordiorum anguſtia querebatur, pauloque poſt cruorem ex ore fundens vitam quaſi ſuffocata finivit. Quoniam verò nec Medicus ad eam fuerat accerſitus, ut opem ferret; nec adſtantes ſymptomata & querelas ejus accuratè obſervarent, idcirco de morbi aut mortis genere non certo definire quidquam poſſumus: id tamen relatum nobis fuit, ipſam cordis anguſtiam & concuſſionem, atque adeo mortis culpam, in potum à Gallis propinatum rejeciſſe. Ut autem viſcerum conſtitutionem noſſe daretur, cadaver ejus diſſecuimus: apertoque abdomine notavimus ventriculi dorſum & pylorum univerſum extrinſecus admodum fuiſſe infectum Bile ex veſicula eò trans ſudante, à qua etiam pylori fibræ jam corrodebantur. Idem ventriculus flatu plurimum diſtentus tumebat, qui ex eo facta inciſione cum impetu erupit: intus continebatur amurca nigra, cruenta & mucoſa. Cruſta ventriculi villoſa alicubi deraſa & mucus interior omnis à parietibus deterſus erat. Pylorus exacte fibris ſe conſtringentibus claudebatur. Inteſtina tenuia, nempe duodenum & ileum quatuor in locis prorſus rubicunda ac inflammata atque in gangrænam prope converſa reperimus: eodem fere modo, ut in dyſenteria fieri aſſolet. Hepar pulchrè admodum rubebat, nec vitii quidquam in eo animadverſum eſt; niſi quod Bilis in ejus veſicula valde acris & cauſtica videretur. Neque in reliquis abdominis viſceribus labes ulla apparuit.

In Thorace Pulmones adhuc aëre ſemi-pleni extumeſcebant, proinde ut ultimo halitu aërem non omnem efflaverint. Iidem à ſanguine ſtagnante & quaſi ſphacelato ſeu corrupto nigricabant. Invenimus quoque in ſiniſtro pulmone lapillum ſeu calculum durum fabæ magnitudine. Cordis ventriculo dextro inerat Polypus craſſus ex albo rubeſcens; reliquam pectoris & pericardii cavitatem implevit aqua turbulenta & ſanguinea carnium loturæ ſimilis, quantitate unciarum circiter octo. Præter hæc nihil amplius inveſtigare vacabat. Advertimus inſuper cruorem in vaſis ſanguiferis plane atrum ac velut aduſtum fuiſſe. Partes generationi dicatas ſeorſim poſtero die in ædibus Excell. D. D. Harderi examinavimus, quas tamen nullo labore iſte vitio comperimus. (Ovula in his manifeſtè conſpici potuerunt, quibus uterque Teſticulus ſcatebat. Tubarum extremitates patebant laciniis plurimis ornatæ: Flatus immiſſus per eas in uterum more penetravit eumque diſtendit. Cavitati uteri nil niſi muci pauxillum inerat. Orificium internum hiabat.)

Hiſt. 12. Canis invito Domino veſcebatur ſebo, cui Arſenicum permixtum erat, d. 15. Jul. 167?. d. 16. Julii mortuus. *Doct. D. Alexander Stokarus φιλιατρος* cadaver aperuit. Circa ſtomachum in ventriculo ſuperficiem rubram & inflammatam invenit, ibique ventriculi tunicas tenuiores debito: in fundo ſtagnavit amurca vappæ ſimilis, fœtida, cui ſebi conglobati fruſtula immiſcebantur. In fundo ventriculi & circa pylorum nullum inflammationis veſtigium vidimus. Inteſtina tenuia tribus in locis perroſa erant, duobus in locis perforata ut facile faba tranſmitti poſſet: alibi ulcus pervium facile pollicem admiſiſſet. Cavum abdominis continuit ichorem flavum, cruore tinctum cum amurca inteſtinorum contentis ſimili. Pectoris cavum implebatur ſanguine grumoſo obſcuro, Ambo cordis ventriculi, Venæ majores & ſinus tertius cerebri quoque infarciebantur ſanguine nigro grumoſo.

Clar. Joh. Faber Lynceus in Expoſit. Animal. Nov. Hiſpan. p. m. 475. Cani drachmam Arſenici dedit, Antidoti probandæ gratiâ, confectæ ex ſerpentum pulvere; multum tunc deprædicatæ. Antidotus nihil profuit. Canis poſt plurimas vomitiones mortuus concidit. Aperto abdomine ventriculus amplus admodum apparuit: intus rugæ & vibices atro ſanguine ſubducti. Exiſtimat quod plus pinguia ad virus arſenici debellandum profuiſſent, quam antidotus ex ſerpentibus parata: Romæ enim juvenem robuſtum curavit, qui Riſagalli pulverem in chartula repoſitum loco cinamomi pulmento inſperſit ac comedit, unde tormina & vomitus moleſtiſſimos paſſus eſt. Medebatur ipſi Philonio Roman. & Mithridatio cum juſculis pinguibus & lacte copioſè exhibitis; his feliciter priſtinæ ſanitati reſtituebatur.

Hiſt. 13.

Hiſt. 13. *Ex communicatione Excell. D. D. Joh. Jacobi Harderi Baſil. Prof. Publ. Celeberrimi d.* 22. *Febr.* 1678.

Puellæ phthiriaſi capitis affectæ 12. annorum circiter, arſenicum loco coccularum, butyro permixtum, per errorem capiti illinebatur: ſtatim oborti ſunt ſæviſſimi dolores. Pharmacopœus, cujus famulus ob germanicorum vocabulorum affinitatem deluſus loco veneni contra pediculos, dedit mures necans, ſuadet caput aqua perluendum eſſe. Verum fruſtra, imò ſupervenerunt vigiliæ, totius capitis intumeſcentia, deliquia, inappetentia, febricula, delirium. Vocatus tardiùs *Excell. D. D. Engelmanus* ſuaſit alexipharmaca, verum & illa fruſtranea erant, fortè quia ſerius exhibebantur, venenatis atomis jam ſanguini permixtis. Sexto die ab inunctione puella mortua eſt. *Idem ibidem.*

De Mercurio.

Hiſtoria. 1. Cani d. 16. Decemb. 1675. ante primam pomeridianam Mercurii ſublimati ſcrupulum dimidium carni involutum exhibui, quem avidè devoravit; paulo poſt ſurſum deorſumque purgabatur: vomitu rejecta ſpumea & viſcida mucoſa erant: fæces alvinæ pultaceæ & ſubflavæ. Alium bolum ex carne objectum citra Mercurii inquinamentum odorabatur, attamen deguſtare noluit. Pedibus & ore ligatis, cane ad latus inclinato, abdomen in latere ſiniſtro incidi, prorupit ſtatim ventriculus admodum inflatus cum inteſtinorum portione: diu intentus eram ad ventriculi contractionem: fiebat lentiſſime, incipiens ferè à pyloro, aut ejus antro: quandoque in medio à noris circularibus corrugabatur: contractis fibris rectis ſulci ſuperficiarii ſecundum longitudinem, in fundo imprimis, exporrecti conſpiciebantur: preſſo ventriculo flatus per os elidebantur; mox tamen rurſus flatibus impletus fuit: Injecta aqua calida per gulam in ventriculum iteratis vicibus; ſemper illam cum muco & ſpuma rurſus evomuit: in hoc actu ventriculus non admodum contrahebatur; at diaphragma valdè ſuccutiebatur ac ſi illud cum muſculis abdominis vomitum plurimum promoveret. Inteſtinorum motus periſtalticus itidem lentus fuit. Utcunque canis parum comederit diebus prægreſſis, nihilominus venæ lacteæ in conſpectum venerunt, quibus circa pancreas *Aſellii* preſſis, noduli prominuerunt: Receptaculi quoque chyli portio trans diaphragma cum ductu thoracico chylo plena apparuit: eâ ſauciatâ chylus promanavit, cujus ſuperficiei, oculi, ut loquuntur, pingues innatabant, ut juſculis carnis pinguiuſculis. Inflatum ductum propè inſertionem bifurcatum inveni. Cane jam diu emortuo, repetitis inflationibus ductus thoracici, cor intumuit ac paulò pòſt auricula dextra aliquandiu verâ ſyſtole & diaſtole moveri incepit; ſimilem motum obſervavi in crure diaphragmatis, muſculo ſubclavio & in gula prope ſtomachum, qui nullo modo palpitans erat, ſed ex vera conſtrictione & relaxatione fibrarum compoſitus & alternans; ac ſi ab inflatione ſanguis adhuc in vaſis ſtagnans per arterias huc propulſus fuiſſet, & ſpiritus animales ſimul ulterius urſiſſet, vel vegetaſſet: nam aër per ductum thoracicum inflatus non ſolum ad dextrum ventriculum, ſed etiam ad ſiniſtrum pertigit, unde totum cor intumuit, arteriæ coronariæ implebantur, imo pervenit ad cerebrum, cerebellum, meninges, ipſoſque ſinus duræ meningis, quod aperte oculis uſurpare licuit. Ventriculum cum portione gulæ & duodeni totum exemi: illo a ſtomacho ad pylorum inciſo inveni unicum bolum carnis & mucum ſpumeum copioſum: eo deterſo nihilominus ſuperficies mire anfractuoſa protinus novo muco pellucido oblinebatur: nullum ulcus obſervavi: ſtomachus amplus erat, pylorus multo anguſtior & conſtrictior, vix parvum digitum admiſit. Circa finem gulæ & circa ſtomachum aderant inſignes fibræ carnoſæ circulares, ſub limbo pylori in duodeno rubro & quaſi inflammato hæſit mucus croceus. Ventriculum ſuperne diviſum maceravi fervidâ: tunicam fibroſam à nervea unguibus facile ſeparare potui: nimirum fibras rectas & circulares ſe decuſſatim interſecantes; externæ rectæ, internæ circulares; utræque junctæ fibrillis obliquis & perpendicularibus: Circulares circa pylorum ejuſque antrum & circa ſtomachum craſſæ & robuſtæ. A tunica fibroſa ad nerveam plurima vaſa ſanguifera & nervi emittebantur, vaſa ſanguifera in plexum reticularem dirimebantur, nervi in tunicam nerveam expandebantur. Ablata tunica fibroſa anfractus omnes obliterabantur. Abraſa tunica cruſtacea ſeu mucoſa cultri manubrio, aliquot oſcula rotunda apparuerunt, per quæ mucum tranſudaſſe arbitrabar; cæterum non ſimilia erant oſculis glandularum in ventriculo ſuillo repertarum. Inteſtinis à duodeno ad finem recti ſecundum longitudinem inciſis in duodeno & principio jejuni continebatur mucus flavus concretus, hinc in toto jejuno & principio ilei mucus albus, in ileo mucus pellucidus concretus, ſimilis gelatinæ, quæ ex amylo in aqua cocta paratur, in fine ilei ſimilis mucus cum alio fluido & ſpumoſo: Rectum prorſus vacuum & anfractuoſum fuit. In toto inteſtinorum tractu arearum glanduloſarum triginta & unam inveni: erant rotundæ & oblongæ: foris preſſo inteſtino & oſculis glandularum rotundis prodiit liquor pellucidus viſcidiuſculus; erant quædam magnitudine ſeminis milii, per microſcopium conſpectæ tranſparebant ac inſtar margaritarum ſplendebant. Jejunum & portio ilei rubebant: in medio arearum glanduloſarum manifeſte aderat ſuperficiaria eroſio. Venæ capillares intus conſpectiſſimæ erant, ut & valvulæ *Kerkeringianæ*. Mirum unde chylus in lacteis, cùm inteſtina vacua eſſent, tum ob famem perpeſſam, tum ob mercurii vim purgantem? Unà muco à mercurio allecto? Inter tunicam fibroſam & nerveam in gula manifeſtæ conſpiciebantur glandulæ. In vena cava à capite deſcendente & ab hepate aſcendente ad cor ſanguis in tenacem grumum concretus & ſplendide innigreſcens erat, ut ceu culter ex vagina extrahi poſſet.

Hiſt. 2. Canem majorem, pellem, Trigidis inſtar, pilis nigris guttatim conſperſam habentem, cum *Excell. D. D. Heinrico Screta* plurimis diebus quotidie bis unguento ex pin-

guedine

guedine ſuilla & mercurio vivo parato, in capite, per totum dorſum, ſub axillis & in inguinibus ubi depilis erat & ubi majora vaſa ſanguifera excurrunt, inungendum curavimus; ſc. à 3. Dec. 1677. ad 25. Dec. circa 11. Dec. aliquantulum ſalivare cœpit, brevi tamen ſalivatio ſubſtitit: d. 15. Dec. in occipite, non procul à vertice, tumor nattæ ſimilis emerſit, ab attactu dolens. Ubicunque locum inunctum attingere valuit litum mercurialem lambendo abligurivit. Toto hoc tempore nunc in aëre aprico pluvio, nivoſo aut gelido, nunc in hypocauſto verſabatur: ſemper vegetus manſit, hinc inde cucurrit: comedit: non magis quam ante inunctionem purgabatur: ultimis diebus ligna & oſſa adhuc rodebat, non tamen tam diu ac antea conſueverat: ſubinde tamen dentibus ſtridebat; aliquando ceu baculo percuſſus vociferabatur ſubito: abdomen quandoque tumidius apparebat. A 26. Dec. ad 2. Januar. 1678. poſtquam inunctiones intermittebantur, ſymptomata hæc ceſſarunt niſi quod adhuc dentibus ſtrideret d. 2. Januar. manè mercurii vivi libram dimidiam cum quatuor unciis pinguedinis ſuillæ devoravit, atque ita lambendo patinam exterſit, ut vix paucula granula mercurii ſupereſſent. Ab hac mercurii vivi portione devorata nulla actio vel minimum læſa fuit; nec quicquam in excrementis p. n. animadverſum fuit; imo inde magis famelicus reddebatur.

D. 3. Januar. 1678. mane hora 8. mercurii ſublimati drachmam cum mica panis in bolum redactam dedimus, præſentibus *Excell. D. D. Screta, D. D. Johan. Conrado Brunnero & D. Lic. Scherpſio Durlaccenſi.* Vix quadrante horæ elapſo magno nixu vomere cœpit, primum mucum craſſiſſimum tenaciſſimum, ſpumeum idque parvis intervallis novies. Prima vice fruſtulum panis cruſtaceum ſine bolo ejecit, nec in tot vicibus ullum boli veſtigium in vomitu rejectis animadvertere potuimus. Circa horam 9. decima vice mucum priori ſimilem primò cruore tinctum, poſtea adhuc ſexies, ſed longioribus intervallis & magis magiſque cruentum & ultima vice atro rubeſcentem evomuit: vomitu rejecta ſemper copioſa erant. Poſt quemlibet vomitum ſeceſſum, ubi ceu à magno labore feſſus quieſceret, quæſivit; inde non receſſit nec pedibus conculcatus locum mutavit, donec ipſum irritamen internum denuo ſollicitaret & quaſi expergefaceret: tunc enim in pedes ſurrexit, unum alterumve angulum elegit, ubi ventriculum vomituriens exoneraret. Vomitum præceſſit aliquoties pulſus quidam ſonorus in hypochondriis, mox capite demiſſo, rictu amplo, os aperuit, & tanta vi, quaſi omnibus nervis intenſis, mucum egeſſit ac ſi ventriculum & omnia inteſtina ejecturus eſſet. Aliquoties quoque antequam cruenta vomuit, alvum ſolvit; primæ fæces erant pinguedo ſuilla pridie comeſta, cui mercurius vivus permixtus conſpici poterat, poſtea pultaceæ, etiam craſſiores & in ſcibala coactæ, quibus quoque mercurius vivus & pili inerant. Circa 6. Veſpertinam excrevit fæces cruentas, poſtea nigras & piceas: bolus mercurio ſublimato infarctus nuſpiam comparuit. Poſt 6. horam per ſcalam tractus ultro ſtabulum petiit, & pluribus paſſibus citra nutationem inceſſit; circa 9. placide decubuit ac ſi dormiret. Toto hoc temporis intervallo nunquam convellebatur. Dum pranſimus erupit, an è fonte biberit, reſcire non potuimus: repertus in ſtabulo ſtramini quietus incubuit & compulſus ad primam ſtationem rediit. Omnia oblata faſtidiit.

Die 4. Januar. mane hora 6. mortuum in ſtabulo adhuc calentem, artubus flaccidis, plane non rigidis, invenimus.

In cavitate pectoris nullum ſanguinem extravaſatum reperimus. Pulmones inflati erant, rubicundiores debito, maxime in latere dextro: in limbis illorum extremis ramuli ſanguine turgidi conſpicui: ibi quoque apparuit macula quædam nigra inæqualis, citra tumorem, aut duritiem, dimidio bazio anguſtior. Cordis dexter ventriculus & auricula, vena cava aſcendens, deſcendens, azygos & intercoſtales à ſanguine diſtentiſſimæ erant: in ſiniſtro quoque ventriculo & auricula multum ſanguinis aderat, minus tamen quam in dextro: in aorta paucus ſanguis occurrit. Sanguis neque in ventriculis neque in vaſis majoribus & minoribus neque ullibi coaluit nec vel minimus grumulus inventus fuit. Ductus thoracicus & chyli receptaculum lymphâ cruentâ plena erant. Aperto abdomine plurimum ſanguinis extravaſati inter hepar & ventriculum in hypochondrio ſiniſtro, ut & intra duplicaturam omenti circa ventriculum invenimus. Ventriculus & inteſtina plena & diſtenta, non tamen valde inflata erant: foras atrorubeſcentia, in paucis locis minus rubicunda apparuerunt: cœcum ſolito non multum majus fuit: rectum verò valdè turgidum & nihilominus ſulcis rectis profundiſque præditum. In reliquo cavo abdominis nullus cruor extravaſatus videbatur. Venæ meſentericæ & porta ſanguine admodum diſtentæ fuerunt. Veſica vacua & corrugata: Pancreas rubicundius ſolito: Lien atro rubeſcens: renes naturali colore tincti. Gula intus rubicunda & inflammata. Ventriculus, muco cruento ſpumeo viſcido plenus: ſimilis mucus in toto reliquo inteſtinorum ductu conſpiciebatur: in cœco fæces pultaceæ flavæ cum pilis: in recto fæces pice nigriores & tenaces, nulla ſcibala, nulla veſtigia mercurii vivi aut ſublimati apparebant. Contentis ſublatis ventriculus intus undique rubicundus & inflammatus, excepto antro pylori, videbatur: inteſtina à pyloro ad imum inteſtini recti itidem inflammata erant, minus tamen areolæ glandularum rubebant. Ablata tunica fibroſa gulæ & ventriculi: inter illam & tunicam nerveam, ſanguinem grumoſum, extravaſatum in plurimis locis reperi, ut & in pleriſque inteſtinis inter has tunicas. In ventriculo & inteſtinis quoque cruſtacea rubebat, alicubi etiam abraſa, vel potius eroſa, ſed non penitus erat. Ventriculo & inteſtinis aliquandiu aquâ maceratis cruſtacea facile abſcedebat: nervea, quamvis per totum ventriculum & in inteſtinis inflammata eſſet, nullibi tamen exulcerata, aut eroſa conſpici potuit. Antrum pylori & areolarum ambitus ab inflammatione immunes erant. Intra Cranium nihil p. n. aut inſuetum viſum fuit, niſi quod vaſa ſanguifera & ſinus quoq; ſanguine turgerent.

Hiſt.3.

Hiſt. 3. Ex communicatione Excell. D. D. Sigmundi Königs Phyſici Bernenſis.

Non ita pridem Puer annos duos cum dimidio natus, hora quinta veſpertina clanculum officinam Aurifabri ſubintrans, Mercurii ſublimati grana circiter octo inglutiit, unde mox tormina ſæva, ventris inflatio & ſalivatio excitabantur. Mox *Excell. D. D. König* vocatus protinus dedit ſyrup. Emeticum cum ſucc. cydon. paratum: vomitu peracto, large ipſi lac caprinum cui mucilaginem ſem. Pſyllii permiſcuit, potandum propinavit. Inflatio & tormina brevi ceſſarunt ac noctu dormivit. Poſt 14. dies, Phthiſis periculum imminens declinavit potu lactis caprini cum ſem. cydon. & malvæ cocti: nec hactenus quicquam adverſi paſſus eſt.

Hiſtoria 4. Catellæ nondum menſtruæ d. 27. Dec. 1675. cum Exc. D. D. Henrico Screta horâ 11. antimeridianâ dedi mercurii dulcis drachmam dimidiam: non diu poſtea fæces liquidas, pultaceas, pallide flaveſcentes excrevit. Horâ 1. pomeridianâ ſiticuloſa erat: lingebat manum admotam lingua propè exſucca; lac ori inſtillatum avide deglutiit: ſeu à mercurio dulci dolens voce admodum ſubmiſſa vagiit: vegetior tamen perſtitit catella illâ cui nuper magiſter. Gialappæ intruſimus. Lac non evomuit. Poſt 2. horâ pomeridianâ thoracem in ſiniſtro latere incidi; pulmones ex amplo vulnere, etiam coſtis digito diductis, aëre pleni prorumpebant in inſpiratione, nullo vacui metu, cum vulnus admodum patulum eſſet. Vulnere in abdomine facto ventriculus diſtentiſſimus erupit, circa medium conſtringebatur, corrugabatur indeque anterius & in fundo inæqualis & quaſi anfractuoſus reddebatur ſenſimque parvus admodum evaſit: gula diſtendebatur, nunquam tamen vomuit. Inteſtina lentiſſime movebantur. Dum pectus in dextro latere adhuc integrum erat, ſubinde adhuc vagiit fortiterque reſpiravit: ablato ſterno nihilominus in inſpiratione adhuc ſurſum coſtæ tollebantur: ubi verò diaphragma coſtis annectebatur illæ adducebantur & pectus inferius fiebat anguſtius. Diaphragma inſpiratione planum, in exſpiratione convexum reddebatur. Cor ſubinde in motu ſubſtitit: inflato ductu thoracico & hinc corde ventriculis, auriculis & vaſis coronariis valide rurſus cor movebatur, imò ante quartam exemptis ventriculo, inteſtinis, hepate, liene non ſine largiſſima hæmorrhagia & detruncato capite cordis totius motus perſtitit ad hor. 5. uſque: auriculæ verò dextræ motus ſpontaneus fiebat adhuc hor. 8. noctis; ante 10. noctis irritata aliquoties rurſus movebatur. Ventriculus prope omnino vacuus erat, nihilque præter mercurium dulcem grumulis involutum, alioſque grumulos lactis ſinceros continuit: nulla prorſus inflammatio apparuit. Inteſtina quoque fere vacua erant; ſubinde in illis mucus paucus flavus, condenſatus & aliquot vermes mortui occurrerunt: cœcum paucum humorem turbidum flavum, & rectum fæces atro flaveſcentes tenaciſſimas, quibus grumuli cum mercurio dulci permixtæ erant, continuerant: Nullibi nec circa areolas inflammata apparuerunt. Ex quibus concluſimus Mercurium dulcem minus ventriculo & inteſtinis infeſtum eſſe, quàm Mag. Gialappæ; minuſque feroci iſſe quàm illud in alia catella fecerat. *Idem ibidem.*

Ericæ bacciferæ uſus an noxius?

Fructum Ericæ bacciferæ Matthioli largiùs comeſum capiti noxia inferre ſymptomata, atque deliras ſubſequi geſticulationes ratione nonnihil interturbata tradidit jam olim Johannes Thalius in deſcriptione Herciniæ, & ex eo Sennertus I. de Venenis, ſed cùm planta hæc in Cimbria noſtra copioſiſſime naſcatur, *Reſſlinger* incolis appellata (Bauhino erica baccifera procumbens nigra) & æſtivo tempore baccæ ejus in alimenta plebejorum cedant frequentiſſimè, nullam cuiquam ab illis noxam illatam fuiſſe animadvertere hactenus licuit; imò ipſe ego adhuc puer baccarum illarum ſapore oppidò delectatus plures æſtivis diebus manipulos cupidiſſimè quotidie vorare ſolitus ſum, nullo ſanitatis diſpendio, & juxta mecum alii propemodum infiniti. Aliquando memini me levem ex nimio illarum uſu vertiginem ſenſiſſe, ſed quæ intra mediam horam deſiit, nullis comitata ſymptomatis aliis, ut neceſſe ſit pro diverſitate regionum baccarum harum vires admodum diſcrepare. *D. Olai Borrichii.*

Mors ex uſu Hellebori albi.

Anno Dni. 1670. in Autumno contigit Præfectam Domus Illuſtr. cujuſdam hic Familiæ adiiſſe vetulam quandam, herbas venditantem, eandem flagitans, quatenus illi purgans aliquod dare vellet, obedit illa, proque uno groſſo aliquot fruſtula Hellebori albi extradit, docetque modum ſumptionis, nempè infundendo radicibus per noctem vinum, idque vinum ebibendo. Sumit manè ægra, vomit, purgat, nullo rei, quam ſumſit, conſcio: Tandem præter opinionem Apoplexiâ tangitur, fit tumultus in domo, vocor ego, applicantur varia, nulla ſpes convaleſcentiæ apparet, tandem venitur in cognitionem rei, per ejuſdem ſororem, quæ ægtæ, dum venenum emiſſet, adfuerat, & radicum in ollula commonſtrationem, fiunt omnia poſſibilia, ad excitandam ægram, tandem ſpatio 24. horarum, nihil ullis Pharmacis proficientibus, cum conſternatione omnium, moritur.

Scholion.) Alexand. Beneventius c. 51. de Abdit. narrat ſimiliter Zenobium quendam quartanâ laborantem ſumpto helleboro albo poſt 6. horæ ſpatium violentâ morte ſublatum fuiſſe, & cap. 52. alium ſumto helleboro albo ſanguinem rejeciſſe, & tandem ſubſecuto vomitu frigido mortuum fuiſſe. Alium, qui ex ejuſdem uſu fere ſuffocatus fuerat, reſtituit Foreſt. l. 30. obſerv. 9. Ex vino rad. helleb. albi infuſo lipothymiis & ſudore frigido ſuccedente mortem contigiſſe *Gabelchover.* Cent. 2. Obſerv. 76. atteſtatur. Solent unguentarii & ſeplaſiarii impunè vendere eaſdem radices, vocant *Nieſeſäcklein*, quas quia leviſſimo pretio vendunt, mortes à plebeiis ſæpiuſculè devorantur;

rantur, ſed non rarò, ſi non ipſam mortem, tamen ſymptomata enormia, inappetentiam, cardialgias ſæpiſſimè excitatas fuiſſe, in Praxi me obſervaſſe memini, ut ſeveriore Magiſtratus ſcuticâ coërcenda eſſet licentia divendendi remedia talia deleteria. Rariſſimum namque an per conſuetudinem, an per Idioſyncraſiam Thraſiam Pharmacopolam, & paſtores in Græcia, integros manipulos hellebori albi abſque noxa devoraſſe, memorante *Theophraſto lib. 9. Hiſtor. plant. cap. 18.* & de Eudemo Chio *Camerar. Centur. 10. Memorab. §. 24. pag. 31.* qui Ellebori albi 22. potiones una die accepit, nec tamen per vomitum & alvum purgatus fuit, quod ita ſe paraverat longa aſſuetudine creſcente paulatim Ellebori mole. Quomodo helleboro albo tela olim venenata facta fuerint, cujus venenum ubi recenti ſanguini in vulnere permixtum, lethale fiat, vide experimenta facta in præſentia S. Cæſ. Maj. Ferdinandi I. ex *Cratonis Epiſt. 139.* à *L. Scholtzio collect. Camerar. centur. 10. Obſerv. 79. memor.* & in cauſas cur ſanguini non carni noceant, inquirit *Caſp. à Rotes in Campo Elyſ. qu. 63. §. 65. 66. D. Joh. Jac. Wenceslai Bobřzensky à Negroponte.*

Singulare ſymptoma à Veratro albo productum.

Quando Divinus noſter Cous pronunciat σπασμὸν ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον, non id vult, omnibus perinde convulſiones ejuſmodi lethiferas eſſe; quemadmodum ſagaciores interpretes odorati ſunt, ſed periculoſas, eoque Medico formidandas. Certum enim eſt, nec id Hippocrates ignorare potuit, poſt triſtia ejuſmodi ſymptomata plures, licet ægrè, Libitinam evadere. Quin nec omnia ſymptomata à veratro albo, utcunque funeſtiora eſſe ſoleant (nam Hippocrati nigrum fuit familiarius) mortem invehunt, ſed aliquando ſubitam ſalutem, quam tamen ita periculoſe mercari non ſuaſerim. Solet vulgus veratri albi radicem cum cinere culinario, & momento aluminis, atque Zingiberis permiſcere, atque miſturæ hujus (Pharamundo Rhumelio, ut video, etiam laudatæ) drachmam febricitanti ingerere, unde præter cætera, quæ ab uſu veratri nimio proficiſci ſolent ſymptomata, notavi miram oculorum convulſionem ſuccedere, namque invertuntur planè oculi, & pars, qua videmus, retro fugit, bulbuſque duntaxat albus inſpicientibus apparet. Durat illa cœcitas horam circiter unam, & tandem rejecto per crebras vomitiones helleboro, diſcutitur, febris cedit, & ſanitas exſpectata revertitur. Hoc illi vocant, duro nodo durum quærendum eſſe cuneum; ſed niſi ſalva omnia ſunt in pulmonibus ægri, cuneus tandem eſſe poteſt, qui vitam ipſam è corpore tabido extrudat. *D. Olai Borrichii.*

De Hyoſcyami noxis & virtutibus.

Nuperrimè d. 3. Jun. An. 1671. infans 3½. annorum in pago vicino à meridie accepit ab infante vicini globulum unum & alterum Seminis Hyoſcyami recentis, quo aſſumpto & comeſto ſtatim ſomnolentia quadam correptus eſt, cumque parum dormiviſſet, facie rubuit, deliravit, & quaſi ſtupidus, nec verba proferre cohærentia, nec adſtantes agnoſcere potuit, cum maxima, quod ex geſtibus apparuit, anxietate. Conſultus eâdem veſperâ, propinavi 1. tart. emet. g. 1. 2. tinct. Bezoard. noſtr. gtt. 18. ſingulis 5. horis exhibendas, hinc egeſta parte noxia, & diſcuſſis vaporibus, ſequenti die optimè habuit, & penitus convaluit.

Ante aliquot annos in vicino oppido ſimilis caſus contigit cum radicibus Hyoſcyami. Colludentibus quippè 6. circiter pueris, fit, ut radices è terra evellant, guſtent & comedant. Domum reverſi decumbunt, unuſque ſtatim moritur, varia ſymptomata urgent, incaſſum adhibitis Alexipharmacis. Tandem Medico diligenter in cauſam inquirente, unus adhuc radicem talem monſtrat, & rem totam refert. Quo cognito, acida propinat, unde ſenſim deferbuere ſymptomata, & reliqui convaluerunt.

In vicino etiam pago alio, cum Semen Hyoſcyami comeſtum eſſet, dato vomitorio, excretum fuit corpus Hyoſcyami mucilaginoſum & tenax. Gemina hic eſt Obſervatio Helmontii, qui l. *jus duumvir. §. 22. p. 187.* vidit dementiam totalem à ſemine Hyoſcyami ad ℥ii. loco Sem. Anethi cauſidico Colico dato, & vomitivo intra ſemi horam curatam.

Ut verò paucis quoque cauſam veneni Hyoſcyami tangamus ἀφ' οὗ οἱ φάγοντες αὐτὸν παραπλῆγες γίνονται, quo qui veſcuntur, apud ſe non ſunt, teſte Socrate apud Xenoph. de admin. domeſt. p. 648. Præſupponi tanquam notius poteſt 1. Hyoſcyamum, maximè quoad Semen, plurima pollere mucagine, quod ut alia taceam, probant Obſervationes tum Helmontii, tum aliorum, adſumptum illud mucilagini totum involutum, dum adhuc in ſtomacho hæſit: per Emetica fuiſſe excretum, unde etiam eſt, quod ob conjunctam hanc oleoſæ ſubſtantiæ mucaginem, & profundius materiæ immerſam, licet deſtillationi ſubjiciatur, oleum exinde deſtillari nullum poſſit. 2. Eundem Sylveſtribus tetris vaporibus ab excrementitio & terreſtri humido & mixtione ortis, abundare, quod vel ſolus viroſus odor probat. 3. Ipſum denique frigidum eſſe in eminentiori gradu.

Cùm itaque, propriè loquendo, in mundo non detur venenum, niſi reſpectu caloris noſtri, conſectarium eſt, Hyoſcyamum ut alimentum eundem augere non poſſe, ſed ut medicamentum quidem alterare, ob dictas verò partes heterogeneas, ut ſic mixtum, eundem corrumpere & deſtruere aptum natum eſſe. Hinc quòd in eo mucilaginoſum eſt, ultra debitam quantitatem, præſertim recente herba adſumptum; ſenſum nervorum ſtomachicorum obtundit, poros obſtruit, (quantus autem horum cum capite ſit conſenſus, dicere non attinet,) & accedentibus vaporoſis effluviis eoſdem peregrinis atomis inquinat, quibus cum ſpiritibus animalibus remixtis, non poteſt non ſummè turbari Oeconomia animalis.

Contra ea, ſi prudenter & circumſpectè in uſum trahatur Hyoſcyamus, tum internè, tum externè paregoricam & ſiſtentem vim egregiè exerit, v. g. ut pauciſſima ſolum h. l. ſeligam. Semen in Hæmoptyſi datum probatiſſimum eſt experimentum, ſi in pulvere Heurnii, vel alio

alio modo propinetur, id quod præter noſtram frequentem experientiam dudum *Pergamenus*, & ex recentioribus *Platerus lib 3. Obſerv. pag.741.* adnotarunt.

Externè ut dentium doloribus Sympatheticus eſt, dicente *Goclenio Comment. in Apollin.* ita à foliorum & ſeminis Hyoſcyami uſu externo, ſcil. impoſitis illis. Podagricos incredibiliter adjutos, reipſa ſe comperiſſe dicit *Thomas Eraſtus Diſput. de Narcot.*

Quantum opis adferat, cùm dolorum Ventris Scorbuticorum faces accenduntur, videri poteſt latius *Travvitius elegantiſſimo de Arthrit. Scorbut. ſect.8. pag.315. ſeq.* Taceo jam ſelectiſſimum Oleum expreſſum, quod ceu baſis plurimorum externorum unguentorum voto utentes tota die dannat; Sileo Emplaſtrum de Hyoſcyamo ſummè proficuum, quod ex ſucco ejuſdem & oleo cum baſi Emplaſtrorum communi confit, & nobis in familiari & felici uſu eſt, viribus laudatiſſimum. Omitto, ne nimis excreſcat hic diſcurſus, Balſami ſulphuris cum oleo hoc, & conſequenter exin Emplaſtr. Diaſulph. paratum, non minorum virtutum. Oleum Hyoſcyami albi utiliſſimum in penis & cervicis ulcere expertus eſt *Saguyer. Sch. in Pharm. Fernel. D. Georgii Wolfg. Wedelii.*

De radicibus Hyoſcyami per errorem coctis, infeliciter comeſtis, truculentaque ſymptomata producentibus.

Cum Dominus Baſilius Czölnerus, p. m. Phil. Magiſter, & Medicinæ Baccalaureus Clariſſim. Gymnaſii noſtri ultra novem luſtra Phil. Profeſſ. Conrector & tandem Director longè meritiſſimus, Præceptorque meus æternum deveneranndus, in ædibus ſuis multos commenſales ſtudiorum causâ ibidem commorantes aleret, accidit anno 1636. præterpropter, ut coqua domeſtica radices hyoſcyami & paſtinacæ ſativæ per ignorantiam in horto ob radicum ſimilitudinem unà erutas, ſibique allatas, cum carnibus bubulis elixaret; de quibus, quotquot comederunt (fuerunt autem quatuor juvenes ſtudioſi & ipſa coqua) mox omnes magnam mentis perturbationem & emotionem paſſi ſunt, & quaſi furore perciti, primum jurgiis, dein verberibus ſe exceperunt manifeſtis, & niſi vi abacti forent, forſan ad internecionem perventum fuiſſet; Poſtmodum miras in ſingulis obſervare licuit, ſecundum cujuslibet naturæ inſtinctum, geſticulationes: unus inſtar hiſtrionis ſemicaligatus, vocatus tamen, Dom. Hoſpitem acceſſit: alteri omnia, quæ tantum in conſpectum veniebant, ut Midæ, aurea eſſe videbantur, etiam cibi menſæ appoſiti: tertius homines porcos eſſe ſtatuebat, quos pridiè in horto conſpexerat, quaſi à Circe in eos commutati eſſent, propterea ædibus expellendos jubebat; quartus inſtar alterius Martis tetricus & quaſi furibundus cum depravata bombarda, quos adoriebatur, trucidare intendebat, eaque vi ablata, iiſdem oculos eruere volebat; coqua autem ſeorſim in lecto detinebatur, & ſopore obruta, quid cum ipſa & aliis agebatur, ignorabat, ac niſi eadem obſonium deguſtaſſet, ſuſpicionem propinati veneni incurriſſet. Sed adhibitis ab excellentiſſimo p. m. Dn. D. Georgio Mochingero, Anteceſſore & Collega noſtro per ætatem honorando, idoneis remediis, priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt. De hyoſcyami generibus ita ſcribit *Dodonæus hiſtor. ſtirp. pempt.3. lib.4. cap.21.* Hyoſcyami tres veteribus ſunt; niger, luteus & albus: poſterior ætas Peruvianum quartum adinvenit. *Dioſcorides de mater. med. lib.4. cap.64. & lib.6. c.15.* teſtatur, hyoſcyamum potum, & in cibo ſumptum ebrietati ſimilem amentiam facere. *Plinius lib.25. natur. hiſt. cap.4.* etiam foliis mentem corrumpi ait, ſi plura quam quatuor bibantur; mitior autem habetur candidus, quem Medici, ſecundum Dioſcoridem recepere, deinde luteus, niger ut deterrimus improbatur. *Galenus de ſimplicium medic. facult. lib.8. edit Venet. p.63.* nigrum etiam inſaniam ac ſoporem afferre affirmat; Huicque flavum ſive luteum propinquam obtinere facultatem: fugiendum utrumque ut inutilem & venenoſum, candidum ad ſanationes maximè idoneum eſſe. Adde citatis doctiſſimos commentarios *Matthioli in Dioſcor. de mat. med. lib 4. cap.64. & lib.6. cap.15.* prædicta clarius explicantes. Cujus autem generis noſter fuerit, impoſſibile eſt indagare: Sed curioſus Lector credat velim certiſſima eſſe, quæ ſcribimus; vivunt enim adhuc hiſtoriæ hujus teſtes fide digni & coqua ipſa, quæ poſtea prædictorum ſodalium uni nupſit, ac jam in viduitatis ſtatu vicinam nobis ædem inhabitat. *D. Simonis Schultzii.*

De Napello.

In Ephemeridibus II. Anni de Napello *in Obſerv. Excell. D. D. Bernhardi à Berniz* legi, quod innoxiè ſumptus fuerit. Certum eſt, herbas ex montibus Carpathiis allatas & domi inſertas, manſueſcere plurimùm; Interim memini, dum in Polonia verſarer, & apud Gen. Dominum Joannem Blonſki morarer, qui hortum ſpecioſum habebat, quòd cùm eundem Napellum, ex montibus Carpathiis allatum & tranſplantatum, ex horto illius accepiſſem, & famulo meo nobili Polono ad hoſpitium meum in agro Luclaviano in ſubmontana Regione deportandum dediſſem, illi manus ſiniſtra, in qua portabat Napellum, tremere, primò paululum, poſtea vehementius inciperet, & ille in animi deliquium cadere cœperit, ita ut Theriacâ acceptâ venenum hoc, quod per arterias cordi ſe inſinuaverat, abigere opus habuerit. Ille autem ſervus plicâ laborabat. Unde liquet, non ita facilè Napellum naturam exuere; etſi enim in his, quibus calor nativus fortior erat, tam facilè veneni ſui ex tranſplantatione reliquias expandere non permitteretur, nihilominus cum in debilius, & à morbo contagioſo preſſum incidiſſet ſubjectum, quantum vis veneni valeret, & adeò innoxium ſe non eſſe demonſtravit. Fuit Keſmarkini civis, qui Carpathios montes frequentare ſolebat, qui radices Napelli in pulverem redactos drachmæ pondere Tertianâ & Quartanâ vexatis exhibuit cum commodo. Languebant autem ægri plurimum ab ejus ſumptione, quod tamen ille non curabat. Unde crediderim, Napellum Carpathii montis non adeò venenoſum eſſe, uti ille, qui in Hercynia Sylva creſcit, cujus ſcrupulus unus ſtatim interimere dicitur. Imò idem

ille Napellus noſtras cani duarum drachmarum pondere exhibitus, ferè quidem ad internetionem dedit animal, Theriacâ tamen exhibitâ evaſit, quamvis per totum diem laſſum jaceret. *D. Joh. Paterſonii Hain.*

Napellus in Polonia non venenoſus.

Scribit *Ulyſſ. Aldrovandus in Hiſtoria Serpentum & Draconum lib. 1. pag.* 41. animalia in uno loco venenoſiora, in alio omni prorſus carere veneno. Id exemplo Plantarum, maximè *Napello* comprobat, qui in jugis Alpium nutritus, vires admodum noxias exercet, delatus autem in hortos, parum ſuis venenis operatur. Et *Pet. Joh. Faber in Panch. lib. 1. cap.* 43. ita ſcribit: Cicuta etiam & Napellus, quæ verſus meridiem, in montibus ſcil. Pyrenæis, venenata ſunt, ſi transplantentur verſus loca Septentrionalia & humida, exuunt omnem malignitatem & comeſtibilia fiunt, mutato ſcil. tranſplantatione temperamento, quemadmodum (ut ego ipſe vidi) in Britannia, & in hortis civium Rhedonenſium, qui Napellum in hortis ſuis colunt, nullâ noxâ & incommodo. Quis neſcit? Quod Mala Perſica, quæ apud Perſas & ferè per totam Aſiam venenata ſunt, & lethali plena ſucco, in Europam tranſplantata, vitali abundant Nectare, & nullam veneni ſapiunt qualitatem. Hujus rei evidens & domeſticâ comprobatum experientiâ adjungo exemplum.

Magnif. Dom. de Caſſar, piæ defunctæ Reginæ *Ludov. Mariæ Theſaur.*, famulum habebat, qui aliquoties in ſeptimana in horto, ſub arce regia, pro domino ſuo diverſa olera & ſpecies herbarum (inter quas & folia Napelli permixta) colligere ſolitus erat, ut ex illis juſculum, Gallicum (*Potage* dictum) fieri poſſet, quo juſculo poſtea non ſolùm Dominus ejus, verùm & alii commenſales ſine noxa vel aliqua ſubſecuta moleſtia, ſæpiſſimè utebantur. Hoc factum eſt pluſquam decies, Hortulanus interim ex caulibus nudis Napelli (quem anno elapſo ex montibus Carpathis Hungariæ, curioſitatis causâ, in hortum Regis tranſportaverat) animadvertit, quod folia illius plantæ, ſemper fuerint decerpta, reſcire volens authorem facti, ſocio ſuo mandavit, ut intenderet rei huic, quod & factum, tandem ſervum prænominatum more ſolito folia Napelli cum aliis herbis pro juſculo parando colligentem invenit, quem Hortulanus advertens verbis durioribus admonuit, dicens, quod folia iſta eſſent nociva, & ſummum venenum, famulus verò ſubridendo reſpondit, vos Poloni & Germani neſcitis, quid vobis ſanum vel nocivum ſit, & quid benè vel malè ſapiat, interim colligere dicta folia continuavit. Hortulanus tandem videns, nullis ſe nec bonis, nec malis admonitionibus illum removere poſſe, adiit ejus Dominum, ac illi, quæ facta fuerant, narravit, famulum accuſando, Dominus perterritus *Sereniſſ. Reginæ* totam hiſtoriam recenſuit, quæ etiam tum curioſitatis, tum veritatis causâ, ipſamet accuratius inquiſivit, rem ita ſe habere experta eſt, poſtea aliis Magnatibus & adſtantibus eandem narravit, ſic non ſolùm à Medicis, ſed & aliis perſonis concluſum eſt, Napellum ex loco ſive ſolo ſuo nativo in hortum tranſplantatum, omnem indignitatem amiſiſſe, & quod Napellus in locis Septentrionalibus frigidioribus non venenoſus ſit tam quam in Italia & locis calidioribus, præſtat tamen ut ab eſu ejus abſtineamus potius, quàm curioſitate ducti, periculum aggrediamur.

Scholion.) Quod *Napellus* à tota ſubſtantia ſua ſummum ſit venenum & perniçioſum, cujus facultates & vires, in necandis hominibus & quadrupedibus, adeò immanes & pernicioſæ ſunt; ut vix etiam approbatiſſimis Antidotis ſuccurri poſſit, niſi confeſtim, & ſine ulla mora applicentur præſidia, ex ſententia Medicorum ferè omnium eſt notum, hoc etiam proprio experimento, & uno alterove exemplo, in perſonis aliàs ad ſupplicium condemnatis, confirmat *Matthiol. lib. 4. Dioſc. cap. 73. Dodoneus in Hiſt. Stirpium pemp. 3. lib. 14. pag.* 443. ejus malitiam miſerabili exemplo Antverpiæ olim compertum, ſimiliter approbare vult. Cùm enim ab imperitis hujus inter acetaria illatæ eſſent radices, omnes, qui eas ederunt, mox ſæviſſimis & horrendis correpti fuerunt ſymptomatibus & brevi vitam cùm morte commutarunt. Radicem *Napelli* eſſe venenoſam, confirmavit cenſura Clariſſimorum Medicorum Haffnienſium id *Ciſta Medica* Cl. D. *Bartholini pag.* 609. *Avicenna lib.* 4. ſcribit, quod tanta hujus veneni ſit vis, ut eo telorum mucrones imbuti, lethalem vulneratis noxam adferant. Rev. *Pat. Athanaſ. Kircherus S. J. in Mundo Subterraneo Tom. 2. Sect. 2. cap.* 2. vult, quod plantæ ejus venenum adeò ſit malitioſum, ut etiam umbra illius hominibus & animalibus nocere ſoleat. Exemplum adjicit de duobus paſtoribus, qui Tibure non ita pridem ſub *Napello* in Monte Januario mortui reperti ſunt, non aliunde ſcribit, quàm ex veneni, quo dictus frutex turget, vapore extincti.

Symptomata ab aſſumpto Napello (ex relatione *Mathioli* & aliorum Authorum) ſunt terribilia hæc ſequentia: Nempè intumeſcentia labiorum, linguæ & totius faciei, prominentia oculorum, gravitas pectoris, compreſſiones cordis, tremor partium, vertigines, ſyncopes, horror, mania & lethargus, quæ omnia accedunt, & ſi intoxicatus evaſerit, febri Hectica tamen miſer corripitur.

Cæterum ad Napellum & ejus ſpecies accedunt & aliæ plantæ, maximè ſpecies Aconiti (quorum genera veteribus potiſſimum ſunt duo, Pardalianches ſcil. & Lycoctonum ſive Luparia, de quibus vide Hiſt. Plant. Univerſal. *Tom. 3. lib. 34. pag.* 654. quæ omnia ſunt venena & intrò ſumi non debent. Cauſas hujus veneni in iſtis plantis volunt Auth. eſſe, quòd omnem venenoſum ſuccum, per terras viciniæ partis diffuſum, attrahens in ſuccum ſuæ naturæ conſentaneum, videlicet veneniferum convertit. Creditur herba hæc in fabulis orta è ſpumis Ceberi, canis infernalis, nempè ob præſentiſſimum, quod herba hæc transfundit, venenum omnium, ſcil. ut loquitur *Plinius lib. 27. cap.* 2. Ocyſſimum: Quod Aconito tactis genitalibus, fœminei ſexus animalium, eodem die mortem iis inferat, qua arte dicitur Calphurnius dormientes uxores interemiſſe, ut earum frueretur hæreditatibus, divitiaſque ſic compararet, quod olim ei objecit exprobravitque Marcus Cœlius.

Necat

Necat Aconitum Scorpiones, Pantheras ſive Pardas, unde *Pardalianches* nominatur, perimit etiam Lupos, unde dictum eſt Lycoctonum, id autem præſtat malefica eroſione, & putrefactione partium à calore maligniſſimo, ita ut etiam animantes, quæ devoraverint carnes Aconito tactas aut confricatas, pereant ac emoriantur. Unde Poëta Satyricus eleganter.

- - - Sed nulla, inquit, Aconita bibuntur
Fictilibus, tunc illa time, cum pocula ſumes
Gemmata.

De Remedio adverſus pernicioſum hoc venenum, ſcil. Napelli, Aconiti & ſimilis ſpeciei, recommendantur Rad. pulveriſatæ Anthoræ & Contrajervæ à ℈j. uſque ad ʒj. cum Theriaca, Mithridatio, Orvietano, ſeu Confect. Hyacinth. vel alio vehiculo ſeu Antidoto permixtum. Sunt qui ſuccum Raphani intus aſſumptum, tanquam certiſſimum remedium decantare volunt. Plurimum prodeſſe aliqui volunt Lap. Bezoar. ver. Oriental. quod & *Matthiol.* exemplo ſingulari in duobus Reis comprobatum oſtendit *in lib.* 4. *cap.*73. *in Dioſcor.*

Avicennam hîc etiam adduco, qui cum aliis remediis (venenum ipſum prius vomitione redditum) murem Napello enutritum commendat, de quo hujus ſeculi Authores minus conveniunt. Hi ſunt enim qui murem, alii verò qui muſcam cærulei coloris in floribus Napelli inventam eſſe contendunt, de quibus vide *Matthiolum* in loco ſuperius annotato. Lobel. *in Adverſ. Stirp. p.*320. Dodon. *in Hiſt. Stirp. pem.*3. *l.*4. *cap.*12. Hiſtoriam Plant. Univerſ. *Tom.*3. *lib.*34. *pag.*654. & alios. *D. Martini Bernhardi à Berniz.*

De vomica & Arſenico cani innoxiis.

Arſenicum primi ſubſellii eſſe venenum lippis & tonſoribus notum. Hinc in quiſdam Officinis Pharmaceuticis capſula, quæ continet arſenicum, ita reperitur inſignita: *Cave, Arſenicum ineſt.* Nuces etiam vomicæ (*die Kraben-Aeuglein*) canibus felibuſque paratiſſimo exitio ſunt. Dabamus cum Barone cuidam cani venatico numero plures nuces vomicas in diverſis cibis, & nihil nocebant. Amicus quidam à vicini cane moleſtabatur mille modis, erat autem moloſſus, jubebam, ut confugeret ad nuces vomicas, at canis ſine noxa eas devorabat: ſpe noſtra ſic eluſa, porreximus arſenicum, ſed & innoxie tertia vice adſumſit, & ne culpa in arſenicum redundaret, è tribus diverſis locis procuravimus. Veneficii ſuſpectum cum haberent canis dominum, & hîc aliquid veneficii ſubeſſe ſtatuebant, an autem naturaliter fieri potuerit veneni hujus adſumpti concoctio innoxia, curioſorum judicio exponitur. Interim homini nocuit arſenicum exterius applicatum in ulcere, uti annotavit *Tenzelius in ternario bezoardicor. pag.* 236. item fumus arſenici Pharmacopolæ, annotante *Timæo von Guldenklee l.*7. *caſ.*2. *D. Samuelis Ledelii.*

De veneno Bufonis feliciter curato.

Puer 16. annorum Bufonem lapide petens, ſemper eundem lapidem in manum reaſſumens, qui veneno Bufonis infectus, hinc & ille Puer contraxit ſibi hoc malum, ut utraque manus intumuerit, & alter pedum ad nates retractus, totum corpus tumidum & magnum, aſthma præcordiale. Dedi illi quater de noſtra theriaca ʒ i ß. cum liquore: hinc Dei auxilio plane reſtitutus: Tumidis manibus admovit Bufonem exſiccatum, hinc & illæ detumuerunt, Die 8. reſtitutus fuit, ut in publicum egredi potuerit.

Cantharides innoxie ſumptæ.

In Superiore Hungaria, ultra fluvium Tibiſcum ſæpiſſime Hungari novo laborant morbo, ſubito ipſis intumeſcit collum, pòſt ingens ſuccedit calor in capite, tandem in totum corpus tranſiens: ii qui non ſtatim remedium adhibent intra 4. dies pereunt, morbus ipſe ad ſpeciem hydrophobiæ accedit. Curam tali modo inſtituunt: Aſſumunt pro una vice Cantharid. pulveriſ. num. 10. is pulvis epotus ipſis interdum largum ſudorem, interdum copioſum urinæ fluxum excitat, citra ullum tamen dolorem. Hoc remedium in Germanis & aliis Nationibus vix eſſet imitandum; Hungari verò ultra Tibiſcani duriſſimæ & ſolidæ ſunt naturæ, putant ii ſi integræ ſumantur Cantharides abſque noxa fieri id poſſe, quod pedes Cantharidum corporis venenoſi antidotum ſint. *Dom. Spilenberg. Litt. è Leutſchov. ad D. Sachſium.*

Scholion.) Cantharides, vulgò Muſcæ Hiſpanicæ dictæ, hactenus apud Practicos male audiverunt, quod intra aſſumptæ facile urinas cruentas, dolores atrociſſimos ventriculi, ventris, renum & totius corporis excitaverint. *v. Lang. lib.*1. *Epiſt.*47. *& Hildan. Cent.*6. *obſerv.*99. imo ſaltem externe copioſe applicatæ eadem attulerint ſymptomata. *Hildan. l. a. obſervat.*98. Ad hydropem tamen eaſdem commendat *Zacut. L.* 2. *Hiſt. Med. dub.* 67. in peſſo ad expurgandum album fluxum. *Hippocr. de ſuperfœt. Ed. Lind. Tom.*2. *pag.* 660. 23. ad Iſchuriam cum ol. amygd. d. *Zacut. L.*1. *pr. Adm. obſerv.* 31. in Infuſo tutius exhiberi quam in pulvere cenſet *G. Hier. Welſch. ſchol. in obſervat.* 89. *Rumlero pag.* 53. In Gonorrhœa præprimis virulenta: Practicum quendam Lugduni Batavorum, ſolis cantharidibus multos feliciter curaſſe, quæ in vino fuerint maceratæ, addendo adhuc alpim, infuſionem temperatam refert *Matth. Jacobus Matthiades apud Bartholin. Cent.*4. *Epiſt.* 53. *pag.*343. Sic communicavit mihi ante aliquot annos ex India Orientali redux Chirurgus noſter *Joh. Georg. Hanbke Vratislav*, methodum curandæ GonorrhϾ, in Provincia Dunquien admodum familiarem, ſumunt flor. hyperic. m. j. ocul. cancri. Unc. ß. coq. in 2. pint. vini è cado exſtillantis (*troff oder Leckvvein*) pòſt ſumunt Cantharid. ʒ.ij. in pinta una Spiritus vini digerunt, pòſt commiſcent, cum vino & parum de hac miſtura internè exhibent cum aliquot cochlear. aq. plantag. Pariter Cantharides in lotii ſuppreſſione & Gonorrhœa virulenta laudat *D. Jacob. Fr. Kozha* Medicus apud *Bartholin. Cent.*5. *Hiſt.* 82. *pag.*491. ſi in Spiritus vini infuſ. digerantur & per chartam bibulam filtrentur, ne quid de ipſa ſubſtantia ſimul tranſeat. Præprimis obſervanda eſt cautela de uſu Cantharidum, quam adducit *Excell. Bartholin. Cent.*4. *Epiſt.*54. *pag.*346. Infuſum

inquit Cantharidum in Gonorrhœa virulenta & iſchuria non ſemel cum felici ſucceſſu expertus ſum; notandum vero, ne noceant Cantharides (pro interno uſu) integras eſſe ſumendas, quia extrema quæ reſecantur ſunt alexipharmacum ventris. *Gal. lib. 2. de Antid. cap. 7.* ſi externè & ubi veſicis exulceranda cutis, tunc extrema adjicienda, in quibus benignior facultas latet, & hæ ſervandæ ſunt pro infuſo vias urinæ expurgaturo, quod infuſum legitimo modo miſſum, nunquam vidi vel cruciatum vel veſicæ exulcerationem provocaſſe, ut nec pinguioribus abſtergentibus opus fuerit.

Cum puer per malitiam 12. Cantharides devoraſſet, curatus fuit & mortem evadere viſus eſt quòd integras eas devoraverit, non verò in pulverem reductas. *Hildan. cap. 6. obſerv. 99.* qui quoque *obſerv. 98.* eam ponit cautelam, ut Cantharides nunquam pondere ſed numero præſcribantur, adeo leves etenim eſſe, ut earum 50. vix drachm. j. ponderent.

Solent aliàs Cantharides pulchro colorum lenocinio eſſe ſpectabiles, quales Lipſiæ cum Muſeo Rariorum Naturalium tranſiens Gallus *D. de Forges* Anno 1652. mihi monſtrabat ex quatuor mundi partibus collectas, ubi recordor Africanas pulchritudine reliquis palmam præripuiſſe. Et laudat *Dn. de Monconny in Itiner. Germ. Tom. 2. p. 3.* Cantharides, quas Uliſſingæ viderit in Muſeo *Dni Delcernè* ciſtulis aſſervato unà cum muſcis variis, papilionibus, & aliis inſectis auratis. *D. Davidis Spilenbergeri.*

De Cantharidibus innoxie ſumptis.

Refert *Excell. Dom. David. Spilenberger. Litt. è Leutſchovia Hungar.* ab Ungaris ultra Tybiſcanis Cantharides conquiri potiſſimum ex arbore Fraxini (unde in Hungarica lingua vocantur *Körös feregh. Eſchen-Würmer*) & quidem maxima in copia colliguntur menſe Majo aut æſtate contra venena rabidorum animalium, & aſſervant in aceto fortiſſimo. Si homo, equus, canis, vacca, aut ſus à rabido animali demorſa, exhibent homini num. 1. 2. 3. vel 5. animalibus verò in majori copia, integras quidem cum alis, pedibus & capite in Spiritu compropinant, aut cum theriaca vel pane. Relatum ſibi ab iis qui 2. 3. aſſumpſerunt, nec dyſuriam, nec mictum ſanguineum excitatum fuiſſe, ſolùm urinam copioſe integra die nocteque profluxiſſe, & hoc teſtantibus, qui eaſdem contra morſum canis rabidi ſumpſerant. Sed miranda horum Hungarorum natura, quorum natura tam fortis, ut grana Cataputiæ vel Ricini 30. aſſumere poſſint abſque noxa.

Scorpio coctus innoxie devoratus.

Venenata animalia ſine ullo damno nonnunquam devorari, ex autoribus conſtat. Quidam devorant ſine noxa ſerpentes. Galenus *de Theriac. ad Piſonem.* Plinius *lib. 6. cap. 29.* Borell. *Obſervat. Medic. Phyſ. pag. 134. & 350.* Sic viperæ multis in locis in deliciis habentur, & earum eſus nonnullos morbos curat, ut videre licet apud Sennert. *De Febribus pagina 445. Thomam Bartholinum Epiſt. Medic. pagina 134.* Bald. Anglum Abbatium *de Viperis pag. 24. 59. 62. 73 87, 88, 95. 112. 114. 139.* &c. Aëtium *lib. 2. cap. 170.* Paulum Æginetam *cap. 13. lib. 5.* Galenum *lib. 2. ad Glaucon. & de Aliment. lib. 3. cap. 3.* Aretæum *lib. 8. cap. 13.* Plinium *lib. 7. cap. 2.* Ja. ob. Wecker. *Antid. ſpecial. lib. 1. cap. 19.* La ſelva di varie lettioni di Pierra Meſſia *pag. 22.* Matthiol. *Epiſt. nuncupat.* Kircher. *Mund. ſubterr. pag. 2. pag. 152.* *Sachſ. in ſeq. Gammarol. cur. part. 1. cap. 20. pag. 458. & ibidem in Epiſt. Excellent. Dn. D. Joh. Theod. Schenckii Prof. Jenenſ. ad Dom. Sachſ. pag. 943.* Belthaſ. Bonifac. *lib. 17. cap. 6.* Quidam Scorpiones abſque noxa deglutivit. Thom. Barth. *hiſtor. 95. cent. 4. pag. 418.* Sic ruſticus quidam in valle Telina Anno 1663. menſe Julio illis, qui vineam laborabant, prandium præparabat ex farina in aqua ebulliente cocta, quod ferculi genus ab illis Polenta vocatur. Accidit autem, ut quidam Scorpio in farina latitans ſimul miſceretur coqueretturque, ruſticus comeſta iſtius polentæ particula percepit, ſe ſcorpionem per medium intercidiſſe, & ſimul medjam ejus partem devoraſſe. Hic improbus exinde ſibi mortem certo certius imaginabatur: ne vero ſolus moreretur, reliquis, nihil dicendo, alteram partem polentæ unà cum altera medietate ſcorpionis dedit, qui ex inadvertentia illam ſimul ingeſſerunt, ſed etiam abſque ullo damno. Ruſticus hoc videns, factum poſtea narravit. *Dom. Caſpari Theophili Bierlingi.*

Salamandra cocta innoxie comeſta.

A porcis ſine omni detrimento Salamandram devorari, *Franc. Hiſt. Animal pag. 294.* meminit. Sic fœmina quædam levis animi in valle Telinæ Salamandram in pulmento coxit, quod deinde marito, ut eo citius ultimum obiret diem, ad comedendum apportavit, ſed & ille pulmentum abſque ullo ſuperveniente malo vel ſymptomate manducavit. Hinc experientiâ conſtat animalia venenata non uno eodemque modo neque toto corpore, ſingulíſque partibus noxam hominibus inferre. Viperæ & ſerpentes morſu, Scorpiones ictu, bufones mictione nocent. Si ſtudium adhibeatur, ut ante dicto modo virus ſuum communicare non poſſint, non ita damnoſa & venenata. *Ex eodem.*

De aculeo piſcis Foſing.

Cum An. 1674. ad littus Abrahamſtroppianum ſpatiarer, magno ululatu reboare omnem oram audivi, cauſa erat piſcator, qui cùm ſuæ manus jacturam mox, ut putabat, reſecandæ ingemuit. Accedo, pulſum obſervo naturalem, manum utramque vegetam, niſi quod in apice digiti medii cutis cum rubore in tumorem elevata, magnuſque dolor totam manum ſenſim invaderet. Quærenti cauſam? refertur frequentem eſſe his littoribus piſcem, quem incolæ *Foſing* vocant, ſapidiſſimum quidem & ſaluberrimum ferculum ſed cujus dorſum aliquot ſpinis acutiſſimis horreat, quibus tanta ſit malignitas, ut ſi forte quem pupugerint, immanis pritas, ut ſi forte quem pupugerint, immanis primo tumor dolorque, dein aliquibus convulſiones epilepticæ, aliquibus phrenetides, pleriſque partis læſæ gangræna ſuboriatur, nec remedium aliud eſſe præſentius, quàm ut cita manus,

manus, vel ad minimum digiti læſi amputatione lethalia ſymptomata præveniantur. Hunc ipſum piſcem calamitatis ſuæ authorem eſſe, Piſcem vidi, comedi ſæpius, ſpinas contemplatus ſum, nil erat, quod tantæ malignitatis nomine infame videbatur, utut effectus maximè diri eſſent. Scilicet pro partium tenui punctura vulneratarum differentia, ſymptomata horrenda oriri poſſe non neſciebam, quam rem optimè ut omnia explicat Danus ille Crato *D. D. Sim. Paulli* Mag. de feb. malign. Nec dubito quin hujus Viri methodo optime ſalvari membra queant, ſed quis ubi conſilium & auxilium in arena capiendum, præparationis moras ferre poſſet? At dum ille querulus vociferaretur, ego de euporiſto cogito, en ultro ſe offert allium Urſinum, quod hic loci plurimum luxuriat, hujus contuſam cum foliis radicem loco cum tumore dolenti imponi, faſciaque firmari jubeo. Vix geſſerat morem, cum ſenſim ceſſare dolor occepit, eo ſucceſſu, ut altera die piſcator me convenerit, largiſſimaſque pro ſervata manu egerit gratias. Quippe hanc tragœdiam excitari arbitrabar aut malignitate aculei, aut ejus & impactione vel in nervoſam vel ſanguiducam partem, & parvitate vulneris per quod mota & extravaſata materia educi ſponte non poſſet. Utcumque res ſit, allium conducturum arbitrabar, & in malignis, & in aculeis extrahendis, & tumoribus diſcutiendis, & partibus calore refocillandis, forte etiam ſulphure ſuo nervis ruſticorum recreandis, alias commendatiſſimum. Nobilitavit inter piſcatores & totam Melibæi familiam ſucceſſus medicamentum adeo, ut intrepidi jam piſcem tractent, nec vulnere amplius terreantur, ad hoc tanquam ſpecificum alexipharmacum recurrentes. Cum ego aliquando piſcem cultro anatomico ſubjicerem, ex improviſo ſummum apicem digiti medii acu piſcis pupugi, primo ſtatim momento dolor exiguus erat. ſed ubi ſenſim elata in tumorem cutis citra cruoris ſtillationem eſſet, increvit & ille, tantâ quidem ferociâ, ut amburi integer digitus videretur. Allium quo aliis ſuccurri Urſinum ad manus non erat, ideo paratum quod habebam forte arripui Emplaſtrum diachylon cum gummis, digitoque circumpoſui, ratus hujus vim malacticam & cutim emollituram, & ſenſim materiam affluxam quocunque modo imminuturam, nec defuit ſucceſſus. Itaque confirmatus rideo in hujus piſcis aculeis ſuſpicionem malignitatis, præſertim cum ii, quibus longius ab aculeo hoc tractum erat vulnus, velut ab unguibus felinis, & aliqua hæmorrhagia ſubſecuta; nil gravius fuerint paſſi, quàm quibus ungues felini in cute paragraphos duxerunt.

Dum hîc mentio amputationis manus facta eſt, non poſſum non recordari temerariæ Chirurgiæ naturæ alicujus. Februar. *1668.* ſecundo flumine Colmariâ Argentinam, magnum gelu eo Novembri nos uſſerat, Nauta robuſtiſſimus Mopſus, *Benſzel* nomine, multo labore cymbam rexit, cujus limbum ſtiriæ hinc inde incruſtraverant. Cum aliquandiu gelidos madidoſque remos induſtrius tractaſſet, digitis magnopere dolore cepit, quos ubi pro diſcutiendo frigore, caloreque reducendo varie jactaſſet, vulneravit digitum indicem ſiniſtræ manus. Videns homo ſtillare digitum ſanguine, & omnium atrociſſime dolere, eſſeque ubi laboraturo magno impedimento, actutum corripit ſecurim, impoſitumque ligno digitum celeri ictu articulo ultimo & dimidio medio truncat; tum mutilatum digitum filo arctiſſime conſtrinxit, & vulneri pannum linteum obduxit abſque emplaſtro vel unguine. Poſt tres hebdomadas obviam mihi Argentinæ factus truncum monſtravit cute obductum ſatque probe ſanatum, multum de Chirurgiæ ſuæ dexteritate gloriatus. Sequenti anno mirabilis hic homuncio cùm vino ſe nimium oneraſſet in diverſorio ad inſigne Florum, fatali per ſcalas lapſu momento vivere deſiit, ſæpius antea à me & amicis ſpectatus. *D. Joh. Val. Willii.*

De inſecto novo Czerkienſi, Hominibus Jumentiſque lethifero.

In Oppidulo Czierko, duobus abhinc miliaribus diſſito, territorioque adjacente elapſa æſtate, Anni nimirum *1679.* ignota quædam alata inſecta viſa ſunt, quæ ſtimulis ſuis homines brutaque lethaliter vulnerarunt, inſignemque eorum ſtragem ediderunt. Scilicet in dicta diœceſi *35.* homines, boum verò equorumque magnus numerus, ab ipſis interfectus eſt. In homines, etiam non laceſſiti, cum impetu ferebantur; inſuperque habitis membris veſte tectis; aculeos ſuos faciei, collo, (quo Poloni, ob capillos præciſos, valde denudato incedere ſueverunt,) manibus; verbo, nudæ cuti infigebant, Puncturam mox tumor durus excipiebat, & niſi primo ſtatim trihorio vulnus curabatur, & venenum ſcarificatione aut alia ratione extrahebatur, inanis poſtea erat omnis auxiliandi conatus, læſi quippe paucos intra dies moriebantur. Nemini horum locorum inſecti hoc genus notum eſt, nemini hic ante viſum. Divinitus non ſine portento in pœnam immiſſum eſſe, multis perſuaſum eſt. Sane non ſine Numine factum videtur, quod intra fines Czierkienſes ſe continuerint, & miſſis Germanis ſolos Polonos, eoſque viros tantum impetierint & læſerint. Sub finem tamen Septembris aliqua horum inſectorum vento impetuoſiore huc ad nos etiam delata ſunt, propter frigus tamen adeo infirma, ut, Deo ſit gratia, parum damni nobis intulerint. Præter bovem enim & equos duos, quos neci dederunt, non niſi Pannifex, brachium nudus, ab ipſis vulneratus eſt, qui tamen rurſus convaluit. Octiduo hoc poſtremo apud nos penitus diſparuerunt. Cepere quædam noſtrates, quorum unum tranſmitto. Omnia quatuor alis inſtructa ſunt, pedibus vero ſex, & ſub ventre aculeum longum gerunt, vagina bifida ſeque aperiente munitum atque ingenti cum ſtridore in homines irruunt. Quædam eorum flavis circulis ornantur, qualibus præſens iſtud: alia verò per omnia iſti ſimilia ſunt, niſi quod circulis flavis careant, & dorſo penitus nigro ſint, horumque puncturæ ſunt venenoſiores, ideoque maſculos eſſe conjicio. Vivaciſſimæ ſunt beſtiolæ, nam licet fere penitus conquaſſentur, nihilominus aliquot adhuc diebus vivæ ſuperſunt. Veremur, ne fœcunda progenie (ſiquidem parvæ junioreſque aliquæ captæ ſunt,) numeroſiores fa-

ctæ, nos, ſuperata hyeme, inpoſterum ulterius graviter infeſtent.

Scholium.) Lethiferum hoc inſecti genus, quemadmodum *Mouffetto* & *Aldrovando* ignotum fuit, ita neque à *Jonſtono* deſcriptum invenimus, ut inde conjicere liceat, novum prorſus, ex putreſcente bruti cujuſdam cadavere progenitum eſſe, eo modo, quo ex bove apes Columella, ex equo & aſino fucos, veſpas & crabrones oriri alii perhibent. Non abs re ergo erit ejus iconem deſcriptionemque naturalis hiſtoriæ cultoribus hîc tradere.

Eſt vero inſectum hoc anelytrum quadripenne, membranaceum, pollicis articulum primum longitudine, calamum anſerinum mediocrem mole æquans, corpore tereti, æquali. Caput ei hemiſphæricum, nigricans, flava lanugine tectum, oculi ad latera ſemilunares nigri, antennæ inter oculos geniculatæ, ravi coloris. Pectus in tres quaſi partes inciſuris diviſum, ſuperne antica ferrugineo, media & poſtica pullo colore apparet, itidem lanugine triſtioris flavedinis ac rariore quàm caput, veſtitum. Lateribus ad inciſuram primam alæ priores eæque majores annectuntur, fulvæ, pellucidæ, moxque ubi pectori venter contiguus eſt, duæ aliæ, prioribus duplo minores apponuntur. Inferne pectus nigrum eſt: pedes ſex, ejuſdem cum antennis coloris, pectori nectuntur; quorum anteriores duo breviores priori pectoris articulo additi, antrorſum inclinantur: reliqui quatuor, quorum ultimi longiſſimi, poſteriorem pectoris articulum ſtipant, retrorſum inclinati. Reliquum corpus pulchre variegatum flavis nigriſque circulis in dorſo, ad latera deſinentibus, viciſſim eleganter pingitur. Venter ſuperior buxei coloris, in quinque annulos dividitur, inferior in caudam acutam deſinens, integer ſine circulis ravo colore ſqualet. Medius venter tanquam umbilicus quidam prominet, cui per articulationem quandam ſpiculum rigidum, piceum, reſplendens, connectitur, ſetam porcinam duriorem plane referens, ad ventrem reclinatum, tertia ferè ſui parte ultra caudam prominens: membranis duabus, ventri ſecundum longitudinem connexis, quaſi vagina quadam conditur: atque hoc, dum ferit, erigere, adeoque cum impetu profunde ſatis adigere credibile eſt *Anonymus in Ephemeridibus Germanicis.*

De Baſiliſco.

Inter omnia animalia nullum obſcuros magis habet natales, quam Unicornu & Baſiliſcus, malum in terris ſingulare. Frequens in ore hominum eſt nomen, rariſſima vero beſtia, adeo ut cum ſolo oculorum radio, ſimplici ſibilo aut halitu hominem interficere poſſe credatur, teſte *Galeno l. de Ther. ad Piſon.* multi cum *Cardano lib.*1. *de Venen. cap.*16. illa planè pro nugis & affaniis habeant, effici inde credentes, neminem potuiſſe ejus faciem depingere. Huic vero dubio accurare ſatisfacit *J. B. Sylvat. l.*2. *de compoſ. Theriac.*

Memorabilis Hiſtoria contigit Warſoviæ Anno 1587. ubi in cella ſubterranea vetuſta aliquot deſubito conciderunt homines, ob Baſiliſci taliſmodi præſentiam; quam latè deſcribit *Joh. Pincier. lib.* 3. *ænigm.* 23. Alius recentior in Gallia contigit caſus, memoratus in *Colleg. Curioſ. dialog.*24. *pag.*548. *ſeq.* ubi cùm columba in puteum decidiſſet, aliquot ſucceſſive deſcendentes ſtatim fuere mortui, cujus cauſam interlocutores arbitrantur fuiſſe præſentiam Baſiliſci, ut loco citato pluribus legi poteſt.

Anilis quidem eſt vulgi fabula, quod nihilominus aſſerere, utut trepide, videtur *Lemnius l.*4. *de occult. Nat. mirac. cap.*12. ex Ovo galli gallinacei effœti, ab incubatu bufonis generari Baſiliſcum, cum ex Harvejanis principiis ovum fœcundum fieri non poſſit citra galli & gallinæ operam, & abſque gallina non fiat ovum, nec evadat fœcundum ſine gallo. Hinc quæ ex ovo perfecto naſcuntur, non niſi à mare ſimul & fœmina proveniunt. *Harv. Exerc.*28. *pag.*108. *&* 109. Nec illi competit definitio Ovi propoſita & explicans latius *Exc.* 26. inde merito pro falſiſſimis habentur, quæ mulieres noſtræ hodie (ut & olim à gallo edita Ova & Baſiliſcos productura fabulantur, ut loquitur idem laudatus Vir *Ex.*13. *p.*51.

Dari autem revera Baſiliſcum, ſeu regiam feram, ut dicitur à *Galeno lib.*10. *de ſimpl. med. fac. cap.*1. ſive quod Rex ſerpentum ſit, ut vult *Iſidorus*, ſive quod coronatum habeat caput, autore *Avicenna*, ſeu denique, quod omnibus ſit terrori animalibus, in omnia parem exercens tyrannidem, conſentaneum videtur tum veterum autoritati, tum experientiæ.

Ita *Solinus Polyhiſtor. cap.* 40. *pag.* 131. ſcribit, Baſiliſci reliquias, (corium vocat *Scaliger*, exuvias alii) amplo Seſtertio Pergamenos comparaſſe; & ut ædem Apollinis manu inſignem nec araneæ intexerint, nec alites involarent, cadaver ejus reticulo aureo ſuſpenſum ibidem locaſſe.

Tempore Leonis Pontificis Romæ ſub fornice quodam ſtabulatum Baſiliſcum, precibus illius fuiſſe extinctum, memorat *Scaliger. Exerc.* 246. *nu.*4. id quod in vita Leonis IV. latius deſcribit & confirmat *Platina.*

Maxime vero in Africa locus ejus natalis conſtituitur, ſicuti Nubiæ ipſum tribuit laudatus jam *Abuali lib.*4. *fen.* 7. *tract.* 4. *cap.*22. *& Solinus loc. cit.* ſolitudine inacceſſa incultaque & ſqualente Africæ eundem creari teſtatur, ut *Plinium*, *Ælianum*, pluresque alios jam non citemus.

Circumferebantur Baſiliſci talis exuviæ hîc loci 1681. menſe Septembri, cui videbantur convenire notæ ab Autoribus, Galeno, Avicenna, Plinio, Solino &c. recenſitæ. Hîc itaque in icone exhibetur beſtia, ſerpentibus cauda ſimilis, reliquo corpore & pedibus gallo fere comparanda, longitudine ſemipedali, (ad ſemipedem longitudinis eſſe Solinus, duorum palmorum Avicenna, alii trium, ut Grevinus l. 1. de Venen. c. 18. p. 86. magnitudine dodrantali Ælian. l. 2. c. 5. ſeſquipedalem Lemnius l. c. ſcribunt, quæ varietas conciliari poteſt, prout cum caudæ flexura, vel ſine ea magnitudo hæc conſideratur) Hinc cum movetur, non multiplici flexu incedere ipſum, ſed media parte corporis ſerpere, media arduum eſſe & excelſum apparet. Alba quaſi mitrula lineatum eſt caput, in quo tres habet eminentias ſeu apices; oculi rutili & vibrantes; color corporis ad nigredinem & citrinitatem declivis: reliqua ex adſpectu patent. Ferebatur hic Baſiliſcus impreſſa ſchedula ex Africa oriundus, enectus igne, aliiſque

me-

mediis, & poſtmodum pro adſervatione præparatus, niſi inſigniter mentitus fuerit ejus poſſeſſor. Adſeverarunt interim nobis amici non pauci, ſe ſimiles exuvias vidiſſe in rarithecis Italiæ.

Videtur & illud notatu dignum, primum, hyperbolice quædam dubio procul de animali hoc dici, v. g. quod dicti Autores ſcribunt, ſi quod aliud animal illud etiam mortuum attingat, vel illi ſaltim appropinquet, ſtatim emori, cum tamen hic valeat illud Italorum proverbium, *morta la beſtia, morto il veneno*: Gemina huic ſunt tum alia, quæ brevitatis ſtudio h. l. omittimus, tum hoc præcipue, quod ſolus Baſiliſci adſpectus necare communiter ſtatuitur, cum tamen non tam viſu & auditu interficere homines & cætera animalia certum ſit, quam communicatione cum aëre veneni ſubtiliſſimi, cujus attractu ſolo principia vitalia ſubruuntur, unde ipſe Avicenna negat, quod ille, cujus viſus cadit ſuper Baſiliſcum, ſeu; qui videt ipſum, moriatur, licet affirmet prius, quod ille, ſuper quem cadit viſus ejus ex longinquo, moriatur. Quin paſſim Autores plerique remedia contra morſum Baſiliſci deſcribunt, utut quidam incurabilem eſſe illum penitus adſerant, indicio manifeſto, eum non ſolo viſu, ſed & more aliorum Serpentum morſu interimere. Coronidis loco non indignus videtur locus Ariſtotelicus ex l. 8. Hiſt. animal. qui hîc reprobatur, ubi γ̓ ἔςι ϑ τι ὀφίδιον, inquit, μικρὸν, ὃ καλϑσί τινες ἱερὸν, ὃ οἱ πάνυ μεγάλοι ὄφεις φεύγϑσι. Γίνεται ϑ τὸ μέγιςον πηχυαῖον, καὶ δασὺ ἰδεῖν: ὅτι δ᾽ ἂν δάκῃ εὐθὺς σήπεται τῷ κύκλῳ. Serpens quidam minutus eſt, quem aliqui ſacrum appellant, quem angues prægrandes fugiunt. Magnitudo huic pedis unius & dimidii, ſpecies hirſuta: Quicquid momorderit, continuò circiter putreſcit. &c.

Scholion.) Ejuſdem Individui exuvias & hic Uratiſlaviæ menſe Majo currentis anni à nobis viſas eſſe nulli dubitamus, affabre ſatis & ſecundum Autorum deſcriptiones erat formatum, verum enim vero poſſeſſorem mentita hac beſtiola omnibus fucum feciſſe nonnulli ipſi contradicentes (quos refutare non auſus eſt) nobis perſuaſerunt dicendo: Non eſſe Baſiliſcum ſed ex certa Rajæ ſpecie per artem ſic formatum animalculum, pedes ſcilicet gallinaceos & eminentias capiti adhærentes inſerendo, alias partes reſcindendo, eo prorſus modo quo ruſtici noſtri joci ergo gallis caſtratis calcaria pedum reſcindunt & vertici per inciſionem prius factam criſtæ loco inſerunt ſicque vere cornutos reddunt. Adhæc majorem veritatis lucem dubio huic accendere videtur locus Conradi Geſneri in Nomenclatore Aquatilium p. m. 139. Pharmacopolæ, inquit, & alii quidam Rajas exſiccare, & ſceleton earum in varias admirabileſque vulgo figuras effingere ſolent, cùm aliàs tum quæ ſerpentem aut draconem verum præ ſe ferunt, corpus enim inflectunt, caput & os diſtorquent, aliaque incidunt & circumcidunt; laterum anteriorem partem aliquouſque reſcindunt: reliquam erigunt, ut alas ſimulet, & alia pro arbitrio comminiſcuntur. Similem Rajæ ſpeciem pharmacopolio quodam Uratislavienſi proſtare & curioſis monſtrari poſſe certum eſt. Ita quoque aliæ res, quarum natales aut ſunt obſcuriores aut indagatu difficiliores ſæpe nobis imponere ſolent. Quid mihi contigerit detegere non erubeſcam: Quidam aliquando dono mihi dedit Coronam ſerpentis, quam ob rariorum qualitatum virtutes de meliori mihi commendaverat, veramque & genuinam ſerpentis eſſe coronam & ipſe falſus ſancte aſſeveraverat: credidi hoc diu, cum autem inter alia brutorum genera porcellum jam ablactatum cultro anatomico ſubjicerem, experior inferioris maxillæ protuberantes dentes molares ejuſmodi coronam ſerpentum ementitam exacte referre, ut exinde & meæ coronæ putatitiæ natales ſatis clare innoteſcerent. Dari autem ſerpentes alatos, quos dracones vocant, ſupra laudato Geſnero fidem habemus hiſtor. animal. lib. 5. qui eſt de ſerpentibus p. 55. & Petro Bellonio Obſervat. ſingularium & memorabilium rerum lib. 2. c. 70. p. 132. quorſum curioſum lectorem remiſſum cupio.

Exuvias iſtas artificio quodam conjunctas, & in Baſiliſci formam ad Autorum mentem & hiſtoriam effictas fuiſſe, Poſſeſſor illorum Hamburgi & alibi ſponte falſus eſt. Quæ cum Clariſſ. *Dn. D. Wedelius* in Itinere ſuo Curioſo reſciviſſet, quod olim cum aliis ſubole fecerat, ne falſa pro veris obtrudentur, Amſteledamo 1672. 8. Novemb. perſcripſit & monuit ad D. Sal. Reneliym. *D. Georgii Wolfg. Wedelii.*

Ex tubis puerilibus periculum.

Johannis Træneri filius ſex annorum, donatis a ſedula matre, ante feſtum Natalitiorum Chriſti, varii generis crepundiis, ligneis equis, fiſtulis ligneis, tubis ex eodem argento confectis, omnibus diverſo colore, præcipue rubro & flavo incruſtratis. In quibus ventilandis, & uſui puerili accommodandis dum ſollicite occupatur, rogatur forte in convivio à Parentibus, ut hoſpites grato tubæ ſuæ clangore exhilaret, Paret officioſe, & dum ſtrenuum ſe ſe in nova buccina animanda præſtare laborat, concidit ad menſam propemodum exanimis, & convulſionibus diris atque vomitionibus excruciatus totam excit familiam. Adſunt lipothymiæ, livor faciei, & quicquid in propinquo mortem ſolet oſtendere. Advocor propere, & miſellum propemodum enectum adverto. Inquiro in cauſam ſubiti infortunii; utque nuperrime lætum & ludibundum adſtitiſſe menſæ referunt, jubeo inſtrumentum lætitiæ in medium afferri. Mox, quod res erat, deprehendo. Tuba affertur lignea recens, coloribus expicta, præcipue flavo & rubro, auripigmenti ſobole, cujus illam partem, quæ ori inſeri ſolet. bucca calente pullus delingendo abraſerat. hinc triſtia illa ſymptomata. Itaque cognitâ cauſâ ventum mox ad emeticum blandum & pingue, hinc ad alexipharmaca & præſertim nativam cryſtallum; unde ceſſit tandem malum, ſed cadaveroſus faciei pallor in tertium uſque menſem perſeveravit. *D. Olai Borrichii.*

Noxa ab incauto Antimonii uſu.

Sereniſſimus Princeps, D. Ph. P. N. cum A. 1672. iter faceret, variis medicamentis pro

caſibus ſubitaneis à Medico Ordinario inſtructus, adjuncto etiam alio Medico, in Oppidulo quodam alterationem aliquam circa præcordia atque ventriculum perſentiit, & pulverem prophylacticum ſumturus, ex pharmacopolio loci illius Syrupum violarum afferri curavit, ſed aſſumto pulvere, ſudorem in lecto expectans inopinato anguſtiam circa pectus inſignem percipit, ardoremque gulæ ac palati, labia intumeſcunt, vultumque pallor invadit, cum vomitionis inani conatu; quare Ipſe & Medicus adjunctus vitæ periculum metuentes, Doctorem N. Ordinarium celeriter evocant, qui perpenſis cunctis circumſtantiis, ſuſpicionem ſiniſtram de violarum Syrupo habuit, quocirca Pharmacopœo accerſito & accurate examinato, culpa in ejus famulum recidebat qui ex incuria in mortario, in quo prius antimonii quid contuderat, non mundato, flores quoque violarum conquaſſaverat, Princeps verò aſſumtis ſtatim alexiteriis, brevi iterum convaluit. *D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Antimonium eſſe venenum præſentiſſimum, eſſe etiam expers veneni & medicinam præſtantiſſimam, cum Baſilio Valentino in Curru triumph. antim. merito ſtatuitur, quod de crudo ejuſdem uſu, legitimaque econtra præparatione, & de circumſpecta à prudenti Medico adhibitione intelligendum. Crudum ſane in ſubſtantia propinatum, homini nocere, nemini dubium habetur, & præſens quoque hiſtoria confirmat; imo præparatum etiam, inconſideratius tamen exhibitum, tot triſtes eventus teſtantur. Sic Illuſtr. D. Paulus de Sorbait Ann. 3. Ephem. German. Cur. obſerv. 270. Cellarium quendam, ſumtis à Circumforaneo antimonii floribus, in apoplexiam & validiſſimum ptyaliſmum incidiſſe; & obſerv. 50. Nobiliſſ. D. Jo. Georg. Greiſelius virum quartanarium à ſexies propinato vino antimoniato, ex vehementibus inſecutis vomitibus, factum fuiſſe phthiſicum, refert. Excellentiſſ. D. Ebrinſ. Hagendornius Ann. 2. obſerv. 245. dd. Eph. Viduam à Medicatrice accepto purgante antimoniali cum melle remiſto, præter modum purgatam, & convulſivis artuum motibus agitatam recenſet. Geminum à vomitorio ſtibiato protuberans in pectore aneuriſma notat Cl. Joan. Rhodius cent. 2. obſerv. med. 36. In hypercatharſin periculoſam, ipſaſque fere mortis ſaccharo ſuo antimoniali aurifabrum pſeudochimiſta præcipitaverat apud Phil. Grulingium curat. med. 4. Infelicem quoque ſucceſſum in duabus Matronis proponit Guil. Fabricius Hildanus cent. 5. obſerv. Chir. 12. quarum una ex vino antimoniali ſurda, altera fatua evaſit. Imo hypercatharſin lethalem ex duodecim ſtibii granis Electuario lenitivo admiſtis, & in febre continua à pſeudomedico propinatis Diomed. Cornarius obſerv. med. cap. 4. deſcribit; qualem etiam cùm tympanite obſervavit Joh. Petr. Lotichius obſerv. med. lib. 4. cap. 3. obſerv. 5. Sed hæc ſufficiant, cum plures ejuſmodi caſus quotidie Medicis obveniant; quales & non paucos ex Tartari, ut vocatur, emetici, Spiritus vini purgantis &c. à Medicaſtrorum turba temerario nimis ac frequenti uſu ſæpius hic nobis intueri & deplorare datur. Quos infelices ſucceſſus conſiderando, non mirum, tam exoſum plurimis Medicorum olim fuiſſe, & adhuc eſſe remedium, ut etiam ante ſeculum à Celeberrimo Medicorum Pariſienſium Collegio publice fuerit proſcriptum, quamvis ſalutari, à dextra adhibitione, uſu poſtea deprehenſo, non adeo multis annis ſententia iſta mitigata fuerit, de qua videndæ Ephemerides Eruditorum Gallicæ Num. 23. A. 1666. 7. d. Junii.

Mercurii dulcis uſus lethalis.

A. B. trium Epiſcoporum & Principum B. Medicus Aulicus, fere ſexagenarius, & merus Galenicus, cùm medicamentis chimicis à Magnatibus & Nobilibus magnas laudes attribui ſæpius audiret, iis quoque in praxi ſua uti perſuaſus; ſed cùm neque ipſi, neque pharmacopœo aulico chimicarum rerum præparatio ac uſus ſatis nota eſſent, neceſſe habuerunt, ejuſmodi præparata ab ardelionibus & laborantibus, uti vulgo nominatur, prece & pretio mercari, quæ certè rarenter ritè & purè præparata ab ejuſmodi circumforaneis, qui Cingarorum more provincias percurrunt, & multos defraudant, venduntur. Inter alia prædictus Medicus cupiebat in ſeipſo experimentum facere atque ſumta Mercurii dulcis purgantis doſi quidem legitima, poſt bihorium in graviſſima ſymptomata, quæ plerumque venena acria excitare ſolent, utpote anguſtiam pectoris, grave aſthma, anginam, tumorem linguæ & labiorum, jactationem corporis, inſultus epilepticos incidit, & horâ tertiâ poſt adſumtum pharmacum mortem inſigni cruciatu obiit, corpore poſt mortem hinc & inde maculis lividis & nigris ſcatente. *D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Mercurium ſublimatum admiſto arſenico fucari, vulgo notiſſimum, judicat Nobil. Robertus Boyle in Tentamin. phyſiolog. At quantum, addens, inter hujuſmodi ſublimati & ejus, quod fideliter præparatur, operationes diſcriminis eſſe valeat, non tantum in metalla, ſed etiam in humana corpora (nempe cum Mercurius aliaque medicamina ex eo conficiuntur) vix illi facile concipient, niſi quibus facultates arſenici hominibus æque ac metallis noxiæ innoteſcunt. Cui ſane adſcribit Clar. Chriſtian. Langius Miſcell. curioſ med. 25. quod exhibito Mercurio dulci graviſſima ſæpe ſuccedant ſymptomata, ideoque prius accuratiſſime, inſtillatione olei tartari p. d. facti, explorandum eſſe ſublimatum, urget, quàm medicamenta ex illo parentur. Quod adulterium in hoc quoque Caſu contigiſſe potuit; niſi Medicus, rerum iſtarum imperitus, in ipſa & præter neceſſitatem forte, aut indicationem facta adhibitione deliquerit, cum temere remediis iſtis valentioribus, etiam ritè paratis uti, præſentiſſimo non careat periculo. Antimonium ſane & Mercurius ritè præparata, morbiſque convenienter & recte exhibita, judicio Magni Daniel. Sennerti cap. 18. de Chimic. cum Ariſt. & Galen. conſ. ac diſſ. ea efficiunt, quæ aliis medicamentis præſtari vix poſſunt; fortiora tamen ſunt, & cautius omnino, quàm reliqua uſurpanda. Mercurius

curius etenim licet particulis ſuis unitis noxæ parum aut nihil inferat, in tenuiſſima tamen corpuſcula, vi ignis ſaliumque, divuiſus, hiſque corroſivis ſpiculis inſuper armatus, magnam exſerere in corpus humanum violentiam ſolet, nervoſas cum primis in partes irruendo, humores ſeroſos agitando & liquando, nec non ipſas ſolidiores ſubſtantias corrodendo ac enecando. Unde etiam Mercurius dulcis, tam propter efficaciæ ſuæ dulcedinem, uti Langio videtur, quam acredinis corroſivæ ſuavem correctionem; dulcis nomine triumphans, non probè ab acredine iſta ſalium vindicatus, & ſaturatus, hac quoque ex parte in amariſſimum vitæ hoſtem evadere poteſt.

De noxa à vapore Plumbi.

Faber Stannarius, hic Luchovii qui habitat, facie ſubtumidus & lividi coloris, ante biennium multùm in miſcenda cum plumbo marcaſita laborarat; hinc in vehementiſſimos inteſtinorum incidit dolores, cum tuſſi ſicca, præcordiorum anguſtia & reſpirandi difficultate; aderant inſuper continua alvi obſtructio, membrorum totiuſque corporis tremor & artuum debilitas. Sequebantur poſtmodum vehementes capitis dolores, dentium mobilitas & nigredo, mentiſque ſtupiditas. Cùm me conſuleret, reſpondi, cauſam malorum in vapores Saturninos rejiciendam eſſe; plumbum enim Stannarii horum locorum Stanno miſcent, quo leviori negotio fundi queat, cui, ſi forſan nimium plumbi ſumpſerunt, poſtmodum aliquid marcaſitæ adjungere ſolent, ad conſiſtentiam ſtanni recuperandam. Haut difficulter autem cenſebam potuiſſe fieri, ut atomi quædam Saturninæ, dum plumbum funditur, in pulmones trahantur, quæ vi ſua maligna cordi, cerebro, partibus nervoſis & membranoſis adverſa prædicta Symptomata excitent. Recordabar hic quod ante aliquot annos Hannoveræ figulæ cuidam accidiſſe videram, qui haut multum diverſis corripiebatur Symptomatibus, quoties in incruſtandis fictilibus occupabatur. Cogitabam figulum Colbergenſem, cujus meminit *Balthaſar Thymæus à Geldenklee* lib. 7. Caſ. Med. caſ. 10. qui vehementiſſimos inteſtinorum dolores ſentiebat, quoties in incruſtandis fictilibus laborabat. Cum his conferebam ſymptomata quæ Metallurgi Sylvæ Hercíniæ experiuntur, quoties in fundendo plumbo laborant, quæ ipſa accuratè & elèganter explicata ſunt à *Stoeckhuſio* Phyſico Goslarienſi in eleganti de fumo lithargyrii libro, ut & quæ de fumo plumbi tradunt *Dioſcorides* lib. 5. de re medica cap. 96. Edit. Saracenic. & *Fernelius* libro de Lue venerea cap. 7. Miſero autem noſtro ægro hoc modo ſubveniebatur. Primo omnium ſapa vomitoria Excellentiſſimi Domini *Fran. de le Boe*, aliàs *Sylvii* dicti, in aqua mulſa tepida exhibebatur, hinc Clyſter acris & carminans applicabatur. Per vomitum hinc ſimul & ſeceſſum egregiè purgatus, ad acrimoniam ſi qua reliqua eſſet, temperandum lac tepidum cum Sapone Hiſpanico & melle roſaceo pitiſſabat. Ex Bezoarticis ordinabam, pulverem Bezoarticum ex globulis, noſtris officinis uſitatum, cum vino Malvatico aſſumendum. Et hiſce curatur hac vice. Verùm inſequenti anno cùm eidem labori vacaret, Cholerâ graviſſimâ corripitur idem, concomitata iiſdem ferme, quibus ante laborabat, ſymptomatibus. Tam per vomitum quàm per ſeceſſum rejiciebat materiam albam & ſpumoſam cum dolore ventris graviſſimo crebeis imiſque lipothimiis. Ego iterum conſultus autor ſum, ut ante omnia de Spermate Ceti ℥ß. in oleo amygdalarum dulcium & vino Malvatico diſſolutam tepidam aſſumeret, poſt verò uſurparet lac caprinum, cum Sapone Hiſpanico & melle roſaceo tepidum, horis matutinis & jejuno ventriculo. Sub horam ſomni uſurpabat miſturam aromaticam, in qua aliquid de Diaſcordio Fracaſtorii & Laudano Opiato diſſolutum erat: hora quarta autem pomeridiana aſſumebat ℨi. theriacæ de Citro. Hoc modo fluxus alvi, vomitus & ventris dolores intra octiduum ceſſarunt. Remanſit tamen artuum tremor, qui itidem aromaticis & cephalicis ceſſit. Mira huic viro viſus læſio obtigit, mane & jejuno ventriculo omnia gemina, poſt paſtum perforata, inde horis pomeridianis villoſa apparebant. Ceſſit tamen hoc ſymptoma intra octiduum continuato conſuetorum remediorum uſu. Ne autem iterum hiſce anſam daret ſymptomatibus, ſuaſi ut impoſterum munitis ſemper ore & naribus fuſum tractaret metallum: ſi autem forte fortuna contingeret, ipſum à noxio plumbi vapore lædi, ſtatim ℥i. vel olei amygdalarum dulcium, vel butyri non ſaliti, vel alterius pinguedinis aſſumeret. Páruit non ſine ſucceſſu, à moleſtis ſymptomatibus in poſterum liber.

Quartus jam agitur annus, cùm ipſemet mihi graviſſimum morbum contraherem. Etenim plumbum per ſe in calcem redigendum diutius in fuſione tenebam, & ad obſervandum varias Colorum Metalli alterationes caput meum ſæpius igni fuſorio admovebam. Hinc mihi inſignes præcordiorum anguſtiæ, hypochondriorum inflationes, cordis palpitatio, inteſtinorum dolores, cum vomitu crebro & alvi fluxu. Ceſſabant hæcce ſymptomata à pinguium & Bezoarticorum uſu. Similia mihi non tamen adeo vehementia obtingebant ſymptomata, cum Anno 1669. Stannum cum gealemia in fuſione tenerem, fumumque metalli incautius ore & naribus haurirem.

Hic mihi occurrit, quod tum mihi, tum hoſpiti tum temporis meo, Nicolao Laurentii, deſtillatori Amſtelodamenſi Anno 1666. obtigit. Pro regulo Antimonii metallum in fuſione tenebamus, quo autem varias ipſius alterationes notaremus, caput noſtrum aliquoties fuſorium ad vas admovebamus. Hinc utrique noſtrûm tam per vomitum, quam per ſeceſſum egregia purgatio accidit.

Antequam finiam non poſſum non meminiſſe hiſtoriæ memorabilis, quam Cnutius in Compendio ſuo Medicinæ habet, nempe religioſas quaſpiam perſonas in agro Mantuano graviſſima incurriſſe ſymptomata ex eſu Oryzæ, quæ in vaſe noviter ſtanno obducto cocta fuerat, adeo ut illorum triginta morti exiſterent vicini. Huic addo, quod quidam apud *Borellum Cent. 4. Obſerv. 3.* qui Saturni Salem nimia quantitate hauſerat, paralyticus exinde, & fere mortuus factus fuerit, ut tandem plane conclamaretur. Revocatus tamen eſt uſu theriacæ, aliorumque

cari

cardiacorum cum vino, frictionibus calidis, & aliis remediis ejuſmodi, cautiorque in poſterum factus eſt. *D. Alardi Hermanni Cummeni.*

Relatio de hominibus interemptis per Vapores ſubterraneos.

Hæc Relatio ſimiliter communicata fuit Regiæ Societati per celebrem illum Virtuoſum, Equitem R. Morajum, qui, ut deſiderio Regiæ Societatis ſatisfaceret, eandem ſcripto obtulit ut ſequitur.

In Fodina Carbonaria poſſeſſa è Domino *Sinclairio* in Scotia, in qua Carbo circiter 18. aut 20. pedes craſſus eſt, quippe jam olim in magnam profunditatem defecit, operarii ab aliquot hebdomadibus, laborarant quam profunde poterant, cumque vellent recedere in nova Spacia, (quæ *Rooms* vocant Anglicè) accipientes in receptu fruſtum Carbonum, qui relicti fuerant quaſi columna fulcientes trabes, & ſuperius ſitam Terram, ita infirmabant eos, ut non diu poſtquam exiverant ex Fodina, columnis confractis Terra ſuperior impleret totum ſpacium ruderibus ſuis, in quo non ita pridem laboraverant Operarii. Cum ita foſſores Carbonarii labore ſunt deſtituti, aggreſſi ſunt eorum quidam operari in veteribus reliquiis vallorum, tam prope veteres fodinas, ut transverberantes tenuem partem valli Carbonarii, diſtenguentis eas à loco, in quo ſolebant operari, ſtatim animadverterent errorem ſuum, & timentes ne ſuffocarentur infecto aëre, quem noverant ineſſe illis veteribus fodinis, habita ratione non tantùm vaporum, quos iſtiuſmodi fodinæ ſolent communiter gignere, ſed & ignis, qui multos annos in fodinis illis extiterat, eaſque repleverat ſuffocativis exhalationibus & vaporibus, extemplo ſe reciperent, & liberarent ab eruptionibus vaporum. Sed poſtridie ſimul ac circiter ſeptem octove illorum deſcendiſſent de ſcalis, ducentibus ad locum intentum, in quo pridie fuerant, & veſtigium fixiſſent in loco, ubi aër erat infectus; procidebant mortui, perinde ac ſi Bombardâ icti fuiſſent. Et cum inter illos eſſet quidam, cujus uxor perceperat ipſum eſſe ſuffocatum in illo loco, mulier iſta eo uſque deſcendebat ſine domno, ut videns prope ſe maritum ſuum, auderet proximè illum accedere, ſed offenſa Vaporibus ſimul atque ei appropinquaſſet, concidebat penes ipſum mortua. *Ex Actis Anglicis Menſ. Maii 1665.*

Ex vivo Argento carpis applicato mors.

Eſt argentum vivum equo indomito ſimile, quoties in manus imperitas incidit. Id apud nos non ita pridem expertus eſt Vir quidam illuſtris, cùm ex febre ardentiſſima, & ſimul maligna decumberet. Enim vero, licet non deeſſent Medici, ſpe celerioris felicitatis, neſcio cujus ſuaſu, paſſus eſt agyrtam ſuas artes expromere, Medicis ſcilicet ignotas. Hic mirificus ille Roſcius, poſtquam de ſuis experimentis magnificè peroraſſet, replet duos pulvinos linteos argento vivo currente, & pulſibus utriuſque carpi ſecurè alligat, addito promiſſo, ore ut brevi calor ille febrilis extingueretur. Et vera præſagiit, ſed extinctus præternaturalis calor nativum etiam totius corporis calorem, ante exactas 24. horas improviſo extinxit, & ægrum in Libitinæ rationes transcripſit. Aliud exemplum hoc anno mihi ſpectatum uſurpati inſeliciter Mercurii. Honeſtiſſimus in Urbe noſtra mercator arthritide, & genuum debilitate diu cruciatus, promiſſis Chirurgi nautici inductus, tandem in ptyaliſmo ſpem ſanitatis reponit, hauritque doſes aliquot liberales Mercurii vitæ, unde ἄνω & κάτω violentiſſimè purgatus, ſimulque ad ſpurandum impulſus omnibus viribus ſuis exuitur, totuſque rigens, & quavis glacie frigidior opem meam implorat. Ego adulto Julio, cùm Sirius uſtularet agros, ingreſſus ægri cubiculum, obſervo non tantùm luculentum in camino ignem, ſed ſimul manus ægri quaſi conglaciatas, pulſum nullum, aſthma difficile, ſolam rationem ſibi conſtantem: edoctus autem de Chirurgi medicaminibus, videnſque rem in extremis eſſe, prognoſtico ægrotantem reliqui, qui & eadem nocte in vivis eſſe deſiit, magna utique Chirurgi ignominia, niſi moribus hodiernis etiam conveniret illud Hippocratis: Ἀδοξίη δ' οὐ τιτρώσκει ἐξ αὐτέης συγκεκραμένους. Sed quia ſermonem de Mercurio ingreſſus ſum, reperio in climate noſtro non ſufficere iis, qui lue Venerea luunt ſtultitiam ſuam, ptyaliſmum ex Mercurio ad tres hebdomadas, & poſtea ad alias tres decoctum lignorum, ſed ſi malum inveteravit, requiri ptyaliſmum jam ad ſex, jam ad octo integras hebdomadas, imo in quibuſdam vel ad decem ante decoctorum uſum, quòd niſi obſervet Chiron, indubitabilem ante lapſum ſex menſium inſtare recidivam. *D. Olai Borrichii.*

Ex hauſtis Mercurii fumis, cardialgia, ſcotoma & pulſus propemodum interceptio.

Peterſonius Teuto, ferreis æreiſque laminis inaurandis vitam apud nos tolerans, dum ſuperiori hyeme aliquandiu incautiùs lamellas ſuas amalgamate exercet, in conclavi ſpiraculis camini deſtituto, adeoque haurit liberaliter ore & naribus infauſtos argenti vivi fumos, ſentit paulatim capitis vertiginem, & gravitatem, pectoriſque anguſtias adeò crebras & enormes, ut actum de vita ſua putaret, & remedia, ſi qua liceret deſperabundo ſuccurrere, circumſpiceret. Evocatus in auxilium obſervo vires, in corpore licet juvenili collapſas, faciem cadaveroſam, oppreſſionem pulſus, tremorem membrorum, turbata omnia. Credibile, corpuſcula illa fumantis Mercurii, quamvis minutiſſima, in pacta nervis acceſſiſſe tremorem, admiſſa in ſanguinem, motum ejus naturalem impediiſſe. Reſtituerunt ægrum frequentes ſudores ex alexipharmacis, & decoctum præcipuè radicis pimpinellæ ſaxifragæ crebriori uſu malum penitus ſuſtulit. Sed de carbonum fumo eſt, quod attexam. Mercatoris cujuſdam Hafnienſis filiæ duæ propemodum nubiles, ſuſpenderant in cubiculo ſuo ex chordis lineis ceraſa recentia, ut vento indurarentur. Quod cùm ſegnius procederet, interpellantibus diebus pluviis, infelici conſilio carbones accenſos hinc inde ſupponunt cubitum ituræ. Poſtridie manè, cùm oc-

experrecta altera videret ſibi accubantem ſororem interiiſſe, delirantí ſimilis intra 24. horas ſibi quoque inſtare mortem vociferatur, & miris geſtibus atque ejulatu propemodum mente ſe motam oſtendit. Rogatus, ut ædes funeſtas ſummo mane deveniam, puellarum alteram video mortuam, contractis membris rigentem, ore patente, facie ſublivida, ſphinctere ani reſoluto, omnia enim in illis mortis præludiis latè conſpurcaverat; alteram præ anxietate cordis & pulſus univerſali prope interceptione vix compotem ſui. Credideram initio, cùm de carbonum fumo nihil memorarent, puellas per imprudentiam cum ceraſis avidè devoratis adhæreſcentes ex aliqua beſtiola venenata reliquias unà hauſiſſe, ideoque ad theriacam, unicornu Grönlandicum, & alexipharmaca recurri, ut vivæ adhuc ſuccurreretur; quæ etiam via percurata eſt, hodieque ſana vivit. Tandem poſt redditam ſanitatem reſcivi venenum aliud non fuiſſe, quàm fumum carbonum in clauſo arctè cubiculo ſæpe lethalem, & remedium ejus in alexipharmacis opportune inveniri, *D. Olai Borrichii.*

Ex epota aqua ſtygia membrorum contractio.

Fide dignus Chirurgus Pariſienſis mihi retulit, ſe propriis oculis vidiſſe Chirurgum quendam urbis Sedanenſis in confiniis Galliæ ſitæ, per errorem aquam fortem ebibiſſe, unde non mortuus eſt, ſed tota membra ita contracta & corrugata fuerunt, ut qui antea juſti viri ſtaturam habuerit, nunc vix Pygmæi vel ſeptennis pueri obtinuerit: etſi autem tendines, nervi & cartilagines in acido facilè corrugantur & intorquentur, mirum tamen duriſſima oſſa, & in illa ætate ſolidiſſima, ſic coarctari & nodoſa evadere potuiſſe. *D. Mathiæ Jacobæi.*

Aquæ fortis epotæ cura.

Quædam ancilla incidit in vitrum aqua forti plenum, arbitrata eſſe vinum aduſtum, haurit, dolores in ventre ſentiens ſuperinfundit aquam frigidam, & evaſit. Cæterum contra ejuſmodi hauſtum Medici commendant oleoſa, pinguia & mucilaginoſa. Oleo amygdalarum largiter bibito quidam ruſticus Lunæburgi apud Aurifabrum aquam fortem pro ſpiritu vini bibens, fuit reſtitutus: Celeberrimus Dn. D. Cornelius *Stalpart van der Wiel*, Medicus Batavus, & Hagæ Com. Practicus feliciſſimus, in ſua Centuria oppidò rararum obſervationum obſ. 44. multa curioſa congeſſit circa hunc caſum, & oleum primò, poſtea (eo vomitu rejecto) Syrupum violarum cum mucilagine ſeminis cydoniorum præſcripſit, non ſine inſigni & optato ſucceſſu; citat etiam *Bald. Ronſſæi epiſt. med.* 9. qui commendat oleum raparum, & linctum ex mucilagine ſemin. cydonior. althææ & tragacanth. cum aqua roſar. extracta, melle roſarum, & ſyrupo violaceo mixtum præſcribit.

Scholium.) *Johann. Bapt. Helmont. lib. de feb. c.* 9. §. 20. dum palpitationi cordis Artiſtas, uti loquitur, diu multumque circa aquas fortes occupatos, eſſe obnoxios ſcribit, in aciditatem ejus vaporalem, quam *tr. de lithias. c.* 9. §. 71. ponticam vocat, corporis penitiſſima pervadentem, non immeritò cauſam rejicit. Unde etiam Clar. noſter Collega *D. Joh. Nicol. Pechlinus* in erudito *tract. de Purgantib. cap.* 23. aquas, ceu vocant, *fortes*, quarum virtus lethalibus infamata ſit exemplis, non veneni formâ, ſed igneis ſolùm penetrantiſſimis ſalium ſpiculis agere, i. e. ventris erodere fibras, horrendaque excitare ſymptomata, oſtendit, cùm acrimonia hac per ſpiritus alicujus volatilis conjugium demitigata, tolerari ea in corpore poſſint, vicemque ſuſtinere medicaminis; qua ratione etiam nitri ſpiritum, vix ab aqua forti diverſum, ſi nitro fixo committatur, corroſivam vim deponere, & citra noxam intus adſumi poſſe, Ill. Rob. Boyle in Tentam. circa part. nitr. ſect. 36. admonet, ſive in nitrum, ſine corroſionis metu propinandum, abire, *Ott. Tackenius Hippocrat. Chim. cap.* 10. *& Clav. cap.* 6. Scribit. Et jam olim magnus *Dan Sennertus lib.* 6. *Medic. pract. part.* 6. *cap.* 4. Aquas ſtygias, quidquid præſtant, corroſione facere, enunciaverat; ob hanc ipſam tamen, quia gravia inducunt ſymptomata, qua ratione ſit occurrendum, ut oſtendatur, neceſſum eſſe judicans, & lenientia eapropter ac viſcida, quæ partes internas à corroſione muniant, ſimulque calori reſiſtunt, commendans, quæ inter mucilago ſeminis cydonior. tragacanthi &c. magnam inprimis utilitatem præſtant. Quam ipſam medendi rationem etiam felici cum ſucceſſu obſervarunt *Phil. Hochſtetterus* in ſimili, qui ipſi fuit oblatus, caſu; *vid. decad.* 3. *caſ.* 3. *Petrus Foreſtus libr.* 15. *obſervat.* 30. & nuper *D. Sim. Schulzius in Ephem. Curioſ. Decad.* I. *Ann.* 4. *obſervat.* 119. Prout in præſenti quoque Caſu aqua fontana, diſgregando corroſivas aquæ ſtygiæ particulas, & ita violentam earum actionem infringendo, prodeſſe potuit. *D. Joh. Ludovici Hannemanni.*

Aqua ex Mercurio ſublimato pro Aqua C. C. ex incuria deglutita.

Aſſervatur in pharmacopoliis noſtris Aqua C.C. comp. *Wormii*, cujus hæc eſt deſcriptio:

♃. Raſur. C. C. Pom. Citr. unà cum Cort. Sem. & pulpa in fruſta diſſect. à ℔i. His affund. Aqu. Acetoſ. Scord. Meliſſ. Scabioſ. Card. ben. à ℔iii. Deſtill. ſ. a. in Balneo. quæ aqua ubique & undique in Civitate experitur pro uſu domeſtico à Matribus familias: fortè fortuna in ædibus primarii cujuſdam Civis ex domeſticis quidam ad cutis vitia paraverat aquam ex mercurio ſublimato; Ancilla Infanti puellæ Aquam C. C. ex lagenula infundere volens, arripuit ex incuria Vaſculum ubi Aqua illa mercurialis aſſervabatur & Infanti hauſtulum dedit: illicò ſequuntur Symptomata. Vomitiones, Convulſiones, ſitis & febris &c. curata tamen fuit hæc puella, divino Numine aſpirante, vulgaribus ex quotidiano Pharmacopœorum pene deſumptis, iiſque methodicè adhibitis medicamentis, quæ hic recenſere ſupervacaneum judico. Confeſtim enim advolavit Medicus, qui dum principiis obſtitit, ocyus medicina parata fuit, antequam

mala per longas invaluere moras,

Præ-

Præcipuâ tamen ratione Veneni profuit hæc mixtura alexipharmaca, mihi in omnibus aliis etiam affectibus ubi ſuſpicio eſt alicujus malignitatis uſitatiſſima & Ægris ſalutaris.

♃. Aq. Galegæ ſ. rut. capr. Scordii, Card. ben. exſicc. febrifug. Schröderi à ℥ij. Pulv. Pannon. rub. Elect. Orvietani à ℈iv. Syrup. flor. Tunicæ ℥i. M. d. in Vitr. *D. Caſpari Kolichen.*

Periculoſus Mercurii uſus Antimonio diaphoretico emendatus.

Foemina quædam hujus urbis noſtræ, Mercurii dulcis uſu granorum 15. purgata variis agitari cœpit ſymptomatis: Minus ritè præparatum eundem fuiſſe effectus docuit: decem quippe & octo annorum ætatis fuit; in ore ingratum metalli ſaporem inſtar ſublimati retulit, vomitum excitavit & tormina ventris, exaſperatis inde faucibus. Veſperè eandem inviſens, ſatis perturbatam inveni ægram, cui Venetas porrexi pilulas, ut murmurantem ſopirem ventrem. Nocte, benè peracta ad conſueta eandem dimiſi rurſus munia. Poſt quatuor revocatus ad illam dies, facie offendo pallidam, dentibus nonnihil vacillantibus, fœtente oris halitu, toto corpore imbecillem & quaſi tremulam. Quid conſilii in arena eligerem dubius, cujuſdam tandem in me ipſo facti non immemor experimenti, exhibeo cubitum ituræ pulveris Antimonii diaphoretici ſcrupulum unum; ſudavit per noctem, quievit, maneque bene percurata nullius amplius medicamenti indiga ulteriori illorum uſui valedixit.

Scholium.) Quæ in averruncandis Mercurii aſſumpti non ritè præparati vitiis virtus inſit Antimonio diaphoretico, ex ſequenti patebit hiſtoria. Anno poſt Chriſtum natum circiter quadrageſimo, inter cæteros in Chymicis labores, ad Mercurium ſublimandum me adcinxi. Cœpi proinde illum in aqua ſolvere ſtygia, abſtractum dein & ſiccatum cum colcothare & ſale calcinato in lignea paropſide benè miſcui cum piſtillo ligneo. Exhalans inde tetra, me non advertente, mephitis per os & nares cerebrum ſubintravit, corpuſque meum miris per biduum divexavit ſymptomatibus, nil opis ex Theriaca, Mithridatio, aut cæteris cumque alexipharmacis expertus, appetitus omnis ablatus, totius laſſitudo corporis ſubſecuta; nonnunquam artus convelli cœpere, nulla tamen ſubſequente ſalivatione. Aurum in ore detentum non fuit maculatum, nil ſudor proficere valuit. Tandem ſub noctem alterius diei ad Antimonium, quod noviter præparatum habui diaphoreticum, confugi, ejuſque ſcrupulum ponderaturus unum, drachmam integram immiſi per noctem in aquam Cardui benedicti. Exoriente ſequenti die infuſionem hancce epotavi, mox ad ſudorem compoſitus ferè diffluxi madore. Lecto egreſſus in hypocauſtum mutato induſio obambulare cœpi: vomitus ex improviſo vehemens ſecutus eſt vel trinis vicibus: quo vix peracto ſexies copioſa ſupervenit dejectio, citra ullum virium lapſum, quin poſt exactum horæ vix unius ſpatium me mirè refectum, & ex ſingulari Dei gratia in integrum fuiſſe reſtitutum, ſenſi.

Annum circa ſeptuageſimum quartum aurifabro cuidam ſexagenario idem id tulit auxilium, qui diebus octo in inaurandis cupreis laminis, quod ſub diu factum, fuit occupatus: Tremulas exinde acquiſivit manus, cum frequenti capitis mutatione. Virum hunc bonum, ceu meum in mineralium δοκιμασίᾳ magiſtrum, deſerere nolui; præſcriptis proinde pro triduo tribus antimonii diaphor. ſcrupulis, in aqua ſcorzon. montan. exhibitis, ſubſecuto ſudore ad priſtinum artuum robur Deo favente reduxi, ut abſque ulla ſuo alterum fungi officio potuerit remora. Divinas Antimonii virtutes deprædicat Baſilius Valentinus in ſuo curru triumphali. *D. Joh. Georg. Wolckameri.*

Venena Venenorum ſunt alexiteria.

Venena venenatorum eſſe remedia etiam ſcorpio docet. Morſus enim à ſcorpione, oleo ſcorpionis inuncto curatur; quod idcirco lectis noſtris ſemper in Italia appoſitum habuimus. Ipſe quoque ſcorpio vivus comprehenſus vulnerique afflictus pro medela eſt. Ita quoque obſervavit Celſus l. v. c. 26. Serenus Sammonicus & Dioſcor. l. 2. c. 62. Hinc ejuſdem nominis herba, cujus ſemeni ſimilitudinem caudæ ſcorpionis habet, remedio eſt, ſi credimus Plinio l. 22. c. 15. In Orvietano ſcorpiones ſicci pro alexipharmaco adhibentur. De Bufone ſimilia annotavi in Diſſ. de Tranſplantatione Morborum, qui manu retentus læſam ab altero bufone manum ſanat. Semen Lunariæ ceu toxicum jumenta morti dant, ſi eo veſcantur; herbam verò ſeu folia, contrà reſtituere, ex Geſnero annotat Camerarius. Herbæ mimoſæ folia venenata eſſe, nec ullum niſi in radice ejuſdem remedium eſſe monet Guill. Piſo. l. 4. de Medic. Braſil. c. 96. Axungia ſerpentina tumorem diſcutit. Forſan alia axungia idem efficeret. Morſu enim magis ſerpentes iſti, uti & ſcorpiones, quam veneno nocent, punctis læſiſque nervulis in tumorem elatis. *D. Joh. Ludov. Hannemanni.*

Vis Alexipharmaca Lapidis Serpentis Pileati.

Non dubito quin ingenioſiſſimus Franc. Redi hac de materia utramque paginam abſolverit, in ſuis Experimentis circa diverſa naturalia, & ſpeciatim ex India allata, per literas ad R. P. Athanaſ. Kircherum S. Jeſu, exhibitis, quæ propediem videre exopto. Intereà ſequens habete Experimentum, quod hoc Lapide binis vicibus mecum tentavit *Dn. D. Joach. Georg. Elſner,* Amicus meus integerrimus, nunc Urbis veſtræ Medicus, quamprimum ipſi ejuſdem, neſcio unde, copia facta. Examinavimus primò lapidem, qui in omnibus externis conveniebat cum deſcriptione *Kircheri,* quam habet in Magnetico ſuo Naturæ Regno ſect. 2. cap. 5. & ut certiores eſſemus, detulimus ipſum ad prælaudatum Patrem, quem ſtatim ac vidit, pro vero agnovit. Deſcendimus ergo in Officinam Pharmaceuticam, quæ in Collegio Romano habetur inſtructiſſima, & obtentis à Pharmacopœo viperis, unam ex illis elegimus grandiuſculam, illamque naribus ligati cujuſdam canis admovimus, quas ita mor-

mordendo vulneravit, ut ſanguis inde largiter fuerit ſecutus. Lapis applicatus vulneri ſtatim adhæſit per duas vel tres horas, tandem ex impetuoſa canis agitatione decidit, nec amplius adhæſit, in lac projectus illud nec in ſubſtantia, nec qualitate mutavit. Solutus canis aufugit, benè valuit, & vivens adhuc Romæ à nobis relictus eſt, primis tamen diebus, ut audivi, ſanguinem minxit, an ab hoc vulnere, vel alia de cauſa, neſcio. Lætus de felici ſucceſſu Experimentis gratulari Amico cœpi de invento theſauro, & obtento Lapide quavis gemma pretioſiore. Sed dum omnia diligentius annotarem, ſcribenti ſupervenit Magiſter meus Linguæ Italicæ, mihique aliam hiſtoriam de morſu viperæ in cane ſuo recenſuit: Exſpatiatum nempè ſe aliquando in campum, ſecum ducendo parvum canem venaticum, qui hinc inde odorando vagatus imprudens in viperam incidit, à qua demorſus vehementer exclamavit, accurriſſe ipſum ſubitò, & deprehenſum vulnus in crure, facta ligatura ſuperius, cultro dilataſſe, ſanguinemque fortiter expreſſiſſe, ſic quidem non extemplo canem mortuum ſed biennium malè tamen valentem ſupervixiſſe. Movit mihi hæc relatio ſcrupulum, an quod canis ille noſter ſervatus lapidi, vel potius ligaturæ oris, ne canis ſcil. morderet, factæ, quâ fortaſſis impeditum venenum, quo minùs ſanguini communicatum, ſed potius cum illo, qui ex vulnere ſtillavit, iterum effluxerit, tribuendum. Quare Paduæ denuò juncti reiteravimus experimentum. Exarcebatam viperam ventri admovimus cujuſdam canis, quæ ſtatim ipſum infrà Diaphragma momordit, nullo effluente ſanguine, ſed gutta remanente limpidiſſima lutea, quæ ſtatim intravit cutim. Admotus lapis loco demorſo, qui lividus factus adhæſit, & tribus quatuorve horis elapſis decidit. Solutus canis vinculis benè valere viſus, nihil tamen eâ veſperâ cibi ſumpſit, multum contra bibit, & tertia die, ut audivi, nam mihi Venetias concedendum erat, mortuus. Alium canem eadem momordit vipera, quæ priorem, nulla tamen poſt repetitos morſus apparuit gutta liquoris illius lutei. Hinc ſtatim canis ſurgere, diſcurrere, edere, bibere cœpit, & poſt duos dies aufugit. Cœpi dubitare de virtute Lapidis; cœteroquin in tribus confirmatus fui (1.) Si in talibus morſibus ſtatim fiat ligatura & inciſio, ſanguiſque liberè fluat, poſſe ſervari vulneratos. (2.) Non dentes viperæ, ut multi credunt, eſſe venenatos, ſed ſalivam, cum abſque hujus effuſione illius morſus ſint innocui. (3.) Non quovis tempore viperam nocere morſu, ſicut non ſemper ſcorpionem ictu, prout obſervavit ab initio laudatus *Fr. Redi in ſuis Obſerv. de Vip.*

(Videri hanc in rem etiam poteſt *Paul. Renealmus* qui *Obſerv.* 155. *pag.* 118. canes *ſcribit*, à Vipera demorſos non interire, ſed poſt 24. horas tumefactas eorum partes ad naturalem conſtitutionem reverti, venenum in illis ſenſim extingui, apetitumque cibi & potus reviviſcere, quod contingat ob ἰδιοσυγκρασίαν corporis, &c.) *Dom. Caroli Raygeri.*

De Telis deleterio veneno infectis in Macaſſar & aliis Regni Inſulæ Celebes, ex Diario D. Cornelii Spielman, Præilluſtris & Bellicoſi Ducis Belgarum in Ind. Oriental. extracta.

Non poſſum hîc non exhibere hiſtoriam de venenatis telis in Regno *Macaſſar*, quibus adverſus noſtrum militem Incolæ Regni uſi, ſubitanea morte eum peremerunt. Extracta hæc eſt ex Diario Illuſtris & fortiſſimi Admiralis D. Cornelii Spielman, jam deſignati Generalis omnium Indiæ Orientalis locorum, quæ Belgis parent. Hoc Diarium confecit præfatus Dux, victor ſubegerat Reges in *Macaſſar*. Incolæ Regni hujus ſingulari arte norunt hoſtibus ſuis in ſufflatu per arundines tela corporibus infigere, adeo ut cum eis cutim ſaltem leviter ſauciaverint, dictum factum moriantur vulnerati.

Contra hoc venenum, ſi recens eſt, nihil quidquam valet, cum autem id inveteraſcit aut aëri diu exponitur, vires ſuas amittit, unde ab aëris injuria cuſtodiendum. Optimum remedium eſt excrementum humanum alvinum, quod internè ſumptum vomitu hominem liberat: licet etiam hoc alexipharmacum contra validiſſima venena non pugnet, cum id ſanguini immixtum circuitu ejus velociſſime corrupat & ſic interimat. Geſtant Incolæ pugiones hoc veneno infectos, quos *Kriſſen* vocant, quibus vulnera inflicta ſubito ſphacelum concipiunt, nulla arte exſtirpandum.

Sequitur ex Diario excerpta hiſtoria.

De Regulis in *Macaſſar* victis notatu dignum eſt, quod referunt de ligno, ex quibus eorum ſiunt tela, & de veneno deleterio, quibus tela inficiunt; illud venit ipſis ex *Paſſir*, hoc vero ex *Koete*, remotiore à littore maris terra. Reguli in *Macaſſar* ob avitam conſanguinitatem ſeſe vel juramento obſtrinxerant, neminì de telis aut venenis aliquid exhibituros, niſi ſolis in *Macaſſar* primatibus. Venenum iſtud inter ſe multum differt ratione virium vel remiſſiorum, vel intenſiorum, vel maximarum. Selectiſſimum venenum multo præſentius eſt, quàm id, quod Macaſſarii in Inſula *Celebes* à monticulis *Loradia* accipiunt; non ideo quod apud Macaſſarios id tantarum virium non reperiatur; ſed quod, juxta multorum opinionem, Loradienſes ſelectiſſimum ſecum retineant. Præterea pauci inter *Macaſſarios* & *Bugias* ſunt, qui veram ſeligendi veneni cognitionem habent, ut vilius à præſtantiore diſtinguere poſſint. Ex noſtris Regulis in hac cognitione excellentiores percepi eſſe Regulum ex *Soping*, Regulum ex *Lometa* inter Macaſſarios, *Cruron, Crain, Poſſo & Dayenriolo*, duos Regulos ex *Goa*, qui id adminiſtrant.

Conſervatur venenum plurimum calore mediocri, cum nimius calor noceat, nimium vero frigus multo damnoſius ſit, propterea ut conſervetur, decies velamine circumligatur, ac die quolibet ſeptimo rurſum lintea mina auferuntur, capſulæ mundificantur, renovantur, & venenum ut prius velaminibus circumdatis optime cuſtoditur. Ex Regulis intellexi, quod

terra, in qua arbores creſcunt, ex quibus venenum extrahitur, magno circumcirca ſpacio, nec gramen, nec quodvis vegetabile ferat, & quod venenum proprie ſit aqua ſive liquor, qui promanat ex læſione vel ſectione, quæ fit in cortice illarum arborum, quemadmodum lac emanans & collectum ex vegetabilibus vel arboribus lacteſcentibus: verùm liquor hic eſt bruni ſive obſcurè rubri coloris. Liquor cum ſubſidet, obrigeſcit in lapideam quandam duritiem, ſervato eodem colore. Cum liquor cortice arboris ſauciato excipitur, neminem facile appropinquare oportet ad arborem, quo manibus liquorem attingat, quoniam tactu liquoris omnes artus rigidi redduntur & contrahuntur: propterea adhibent collectores longiores arundines ex *Bambus*, quibus præfigunt ex ferro cuſpides acutiſſimos, his ſumma vi cortices vulnerant, diſſolvunt, & ita liquorem in arundines emanare permittunt, in quibus is collectus ſimul indureſcit. Collectum ita ab incolis venenum, defertur ad Regulos formâ granorum vel globulorum nunc minorum, nunc majorum. In *Macaſſar* cum particulæ iſtæ ſeparantur, & eliguntur, omnes unius valoris vel earundem virium colliguntur & in unam maſſam contunduntur. In hac maſſa ſolo viſu excellentiam veneni non poſſunt diſtinguere, ſed cum maſſas induratas radunt, & raſuras aquâ ſubigunt, poſſunt id ſecernere. Experientiores hujus rei mittunt ſaltem maſſas iſtas in aquam & ex aquæ ebullitione vel altiore vel remiſſiore vires veneni ſtatim videre & diſtinguere poſſunt. Cum id ad uſum præparatur, & cuſpidibus telorum, quæ plurimum parantur, ex dentibus Lamiarum piſcium, illinitur, tunc abradunt aliquid ex maſſis, quod aquâ ſubactum in glutinoſam abit conſiſtentiam, ut telis illiniri poſſit; verùm iſti aquæ prius admiſcetur herba quædam *Malau* dicta *Lampogang*, *Macaſſariis* verò *Layapaya*, quod idem ſonat ac Zingiber amarum, eo quod planta formam externam Zingiberis, ſed loco acrimoniæ Zingiberinæ amaritiem obtineat. Aqua igitur iſta, cum ab hac planta fuit reddita amara, atque aliquam glutinoſitatem acquiſivit, per linteum colatur, & hac mixtura telum quodvis illinitur; & in pharetris ſuis & arundinibus ex *Bambus* ex acte clauſis, ab injuria aëris cuſtoditur. Tela ita toxico præparata per biennium durare poſſunt viribus ſuis integris. Sunt, quæ ſaltem per unum aut alterum menſem vires ſervant. Aliquando tota maſſa venenoſa, niſi optimè ſervetur, corrumpi & viribus orbari poteſt.

Cùm venenum ſubigitur, aqua validiſſime commovetur, præſertim cùm venenum eſt præſtans. Etſi autem hæc operatio manibus fieri poſſit tanquam res innoxia; nihilominus cùm toxicum ſummum ſic tractatur, ſentitur calor aliquis in corpore. Malum quod ex his venenis homini accidit, ex ſanguine, cum quo miſcetur in corpore humano, æſtimandum. Nam licet à *Macaſſariis & Bougis* multa Alexipharmaca contra hoc venenum adhibeantur, ſicuti pluries vidimus, etiam vulgatum remedium ab excrementis humanis ſumptum; tamen ea omnia nihil efficiunt contra validiſſimum veneni genus, quod ſine mora operatur mortem, ſimul ac corpus humanum pertingit; & (ut multi referunt) licet aliquis quodam Alexipharmaco toxicam veneni vim ſubitaneam mortem effugerit; tamen poſt unum, duos aut tres annos eum, qui telo iſto ſauciatus fuit, ex eo mori oportet. Inſuper periculum maximum ſubeunt, qui cum mulieribus ſeſe miſcent ac converſantur, fungoſque & tubera terræ comedunt, antea læſi hoc veneno: his enim enim certa inde mors. Tantùm de his venenis & venenatis telis. *D. Andreæ Cleyeri.*

Vermes rari lucentes & venefici.

In pleriſque Inſulis Coromandel, Ceylon, Java aliiſque permultis locis, inveniuntur vermes & muſcæ, quæ veſpere & noctu turmatim hinc inde obverſantur. Earum verò ſaltem mentionem facere mihi placuit, quæ in Coromandel una ſaltem vice fui contemplatus. In Sylveſtribus ſæpiùs ad rariora perveſtiganda commoratus locis, quin & venationibus nonnunquam delectatus fui, ſed dum obſcura in nocte luminoſi quidpiam obſervavi, cujus adſpectu mirum delectatus fui in modum; propius accedens quendam illius notavi motum, ideoque immotum illud reliqui, quoad dies appropinquare cœpit; tunc intuitus inveni vermes lucem talem præſentaſſe, conglobatos coloris Scarlatici ſericei in rotundam formam convolutos, in quibus nec oculi, nec alæ, nec pedes animadvertebantur. Aliquot talium vermium cum modico, cui incumbebant, terræ mecum domum deportavi, ex eorundem lumine porro delectationem capturus, & inditis in phiolam vitream iiſdem per menſtruum ſpatium tantum ſplendorem aſſecutus ſum, cujus beneficio & literas exarare & legere potuerim; ab eo autem tempore cum vita & lux eorundem defecit. Quæritur non immerito, unde tantam conceperint illuminationem? me arbitro provenire eandem crediderim ex ſubtiliſſimis & maximè volatilibus ſulphureis & nitroſis particulis aëris ab iiſdem ad ſe attractis & concentratis originem ducere. Conſimilem ferè ſplendorem in Inſula Ceylon obſervavi apud Scorpiones leviter compreſſos, quoad liquidi quid ex iis effluat, qui deinde liquor ſulphureum lumen exhibet, veneni ſui ardentis ſulphurei indicium, ut quis ab iis ictus, tanquam ab aqua forti, vel oleo ſulphuris aut vitrioli, vel cauterio actuali fuiſſe læſum ſe putet. Hujus porro naturæ tale eſſe venenum demonſtrat illius alexiterium, quod ex volatilibus Alcalibus ſalibus acquiritur, cum modico ſcilicet Sal. Corn. Cervi theriacæ admiſto, & ſcarificato vulnerato loco adplicito, non neglecto ſudorifero,

℞. Theriacæ ʒj. Sal. C. C. ℈ß. Volat. oleoſi rad. Cinnam. Sylveſt. Zerumbeth, an. g. v. Aqu. Zedar. ℥ ij. Mſ.

Offero hæc indagatoribus curioſis penitiùs hæcce perſcrutantibus. Figura & magnitudo talis eſt, quam damus. *D. Herm. Nicol. Grimm.*

Mucus cadaveris exſtillans innoxiè potus ab inſcia.

Quanta-quanta imaginationis ſit efficacia, quantæque ejuſdem vires in ſenſus noſtros, quotidiana quidem exemplis confirmat experientia; Raram tamen heic proponere libet hiſtoriam: Nobilis corpulentus mortuus aliquot ſeptimanis

timanis ante ſepulturam ſervatur in camera aliqua; (uti aliquando diverſas ob cauſas fieri apud Magnatas ſolet.) Ut autem metuendus, iſque noxius cadaveris putrefacti præcaveatur fœtor, liquori fermentativè corrupto inde exſtillanti per aliquod loculi foramen in fundo factum effluxus monſtratur atque conceditur. Serum hocce putridum in vaſe ſuppoſito collectum aliquando effundere in locum ſecretum ſervus in mandatis habet; dum autem una vice hoc expedire occupatus eſt, ab alio ad alia negotia ſubitò peraganda avocatur; proinde vaſculum illud mucum continens interea reponit in domus atrio. Accidit autem, ut improviſo advenerit paupercula, ſtomacho famelico ac ſitienti oſtiatim ſolatium quæritans, & cùm crediderit, ac ſibi perſuaſerit illud eſſe ſerum lactis ab Oeconoma caſeifice illuc repoſitum, ſiti æſtivum ob calorem intenſa fiduciam in hunc potum ſibi incognitum extorquente, plenis avidiſque buccis, & quidem copioſè bibit dictum ſerum putridum inſcia; nullo planè ſuccedente ſanitatis diſpendio. Si verò ipſi conſtiterit, quale hauſerit nectar, ſanè vel ſolo auditu abominabile, ſi non mortem ipſam, morbum tamen violentum ſibi eandem conciliaviſſe, nemo negabit, niſi qui cucurbitam pro cerebro habet. *D. Gabrielis Clauderi.*

De Oleô Peti Venenô funeſtiſſimô, quædam è Præclariſſimi Viri Dom. Franciſci Redi Experimentis Naturalibus exſcripta.

Non omne animal oleo peti infectum moritur; aut certè non æque citò, ſi vulnus aliquam ex minoribus venis vel arteriis attingat. Præterea non omne oleum peti mortiferum eſt; ſed dantur ejuſmodi ſpecies quæ nullum quaſi detrimentum adferunt; cujus rei me certiſſimum experientia reddidit. Maximam differentiam invenio inter petum Braſilianum, & illud quod ex inſulâ Sancti Chriſtophori advehitur. Varinenſe & Braſilianum effectu parum inter ſe differunt. Terranavanum, & quod ex inſula Nivis, Sancti Martini & Anguillæ adfertur, eaſdem ferè cum Sancti Chriſtophori peto facultates obtinet. Diverſos ab aliis ſpeciebus effectus noſtrum producit, utut omnes ejuſdem ſpecies in eo conveniant, quòd oleum reddunt empyreumaticum, putidiſſimum & fœtoris non ferendi. Non ignoro me forſitan nimis obſcurè de tot ſpeciebus peti egiſſe, ſed cùm materia ſit periculoſa, intelligat qui poteſt, ego memet intelligo.

Sed audi quæſo miras rerum viciſſitudines. Hoc oleum in vulnera immiſſum, brevi momentô necat, aut certè faſtidioſiſſima ſymptomata excitat; & ego novi homines, qui ſolô pulvere peti inciſuras & vulnera, à Chirurgis ſimplicia dicta, curant. Et Reverend. Pater Antonius Veira, Jeſuita, qui per annos triginta duos in Braſilia vixit, mihi retulit, illis in Regionibus nullum aliud medicamentum in curandis vulneribus magis in uſu eſſe, quàm ſuccum recentem & folia peti. Quod plus eſt, Nicolaus Monardes narrat, Indos, dum vulnera curant, à Cannibalis inflicta, mediantibus ſagittis veneno infectis, nonniſi hôc ſuccô, ut qui non ſolùm veneno reſiſtit, ſed etiam celeriter cicatricem ducit, & fluxum ſanguinis prohibet. Nec deſunt alii, qui ſingulis diebus matutinô tempore jejuni non exiguam quantitatem peti dentibus conterunt & deglutiunt, nullô, ac ne minimô quidem quod appareat, præjudiciô, cùm quævis olei ejuſdem gutta, per os aſſumpta, vel in ſtomachum demiſſa, exitioſorum & lethalium malorum radix & origo ſit: haud aliter ac pulvis ille peti, quem per momenta nemo ferè non per naſum attrahit, ſi in os beſtiolæ cujuſdam, & ſpecialiter lacertæ mittatur, momentoneô illam deliquiô & diſtentis membris morte afficit. Idem ab eôdem peti pulvere ſerpentibus accidere dicerem: Sed de his nihil dicam, utut per integrum biennium mihi de illius experimenti veritate conſtet: etenim hôc currente annô, ob cauſam quæ me latet, ne unum quidem ejuſdem generis ſerpentem hôc pulvere interimere potui. Id affirmare poſſum, hirudines pulveri peti involutas poſt paucas aliquot horas mori, idque non vi pulveris quâ pulvis eſt, ſed virtute peti.

His, qui verum modum præparandi oleum peti non ignorant, majoris momenti videbitur, his temporibus apud exteros ubivis, atq; etiam apud nos, multos homines ſecurè, & citra periculum peti fumum per os aſſumere, quô palatum omneſque vicinas partes ita imbuunt, ut magiſtraliter eundem per oculos, aures, & nares emittere poſſint: & eò uſque progreſſus eſt luxus, ut ingenioſam facillimamque rationem invenerint, deducendi hunc fumum per canaliculos ſub nive ſepultos, ex quibus uſque adeò gelidus prodit, ut nihil cauſæ ſit cur frigidiori aquiloni invideat. Et multi non contenti hunc fumum aſſumpſiſſe per os, eôdem, ſed calidô, novâ arte, & recens inventô inſtrumentô inteſtina replent, idque locô clyſteris, eundemque contra multos contumaciores morbos, maximè verò contra colicam paſſionem, prodeſſe deprehendunt.

Quærere mihi videris, an artificium præparandi oleum peti per ſe ita comparatum ſit, ut violentiſſimam illam necandi virulentiam producat, vel an venenoſum aliquod ingrediens recipiat, ſine quô id perfici non poſſit? Et hæc tua inſtantia mihi illis inniti videtur, quæ circa hanc materiam ab eruditô quôdam homine Gallô, in curioſiſſimô ſuô & elegantiſſimô tractatu de petô affirmativè ſcripta, & optimô jure nobiliſſimo, doctiſſimoque Abbati Burdeloto, Condei & S. Legeri Domino, &c. Verba Autoris hæc ſunt. Eô non obſtante, nonnulli, ut venenoſum illud eſſe probent, objicient experientiam cujuſdam quintæ eſſentiæ peti non ita pridem Florentiâ Lutetiam Pariſiorum allatæ, cujus unica gutta, in punctiunculam miſſa, eâ ipſâ horâ mortem inducit. At verò, cùm petum naturâ ſuâ nihil iſtiuſmodi producat, quinta hæc eſſentia debebat eſſe ſuſpecta mixturæ alicujus, aut certè venenoſæ alicujus qualitatis, à diverſis præparationibus chemicis acceptæ.

Hîc nihil aliud quô tibi reſpondeam habeo, quàm eôdem, quô oleum peti fit, magiſteriô, etiam diverſa alia fieri, quæ in uſu Medicô evadunt innocentiſſima; & ſive ore aſſumpta, ſive extrinſecùs vulneri applicata, nonniſi eximia & ſalutifera medicamenta eſſe deprehenduntur; ideoque certò affirmare non auſim, hoc oleum

tali magiſteriô converti in naturam veneni : id liberè affirmare poſſum, nihil ei, dum præparatur, admiſceri, quô infici venenosâ qualitate poſſit : & hinc eſt, quòd nonnulli ſubdubitantes crediderunt petum à mercatoribus in regionibus Americæ, Elleborô & Euphorbiô corrumpi : quare propriô motû, ſimul oleum euphorbii, & ellebori extrahi curavi, & experimentô in diversô genere vulnerum captô, utrumque ſemper veneni expers eſſe deprehendi.

Atque hæc Vir Præclariſſimus de olei peti actionibus. Nos illud etiam aliquando vidimus nullô labore paratum ab iis qui incenſa Nicotianæ folia è fiſtulâ artificioſiùs ſugere nôrunt, ad guttas enim commodè colligitur mediante goſſypii particulâ ad imas fiſtulæ partes collocatâ. Jam autem non tantùm obſervavimus enecta animalia dùm per eorum cutem ſuperficialiter trahebatur filum ipsô hôc oleô imbutum, ſed etiam feles occiſas quibus eôdem tantùm exterius leviùs perfricabantur labia. Fumum tabaci quod attinet, quem plures volunt viperis eſſe funeſtum, ſi in earum æſophagum inſuffletur; experimentum pluries de eô ſumpſimus, & vidimus quidem hæc animalia pro tempore inde convulſa ac rigida, nullum tamen mortuum, omniaque potiùs brevi per ſe, & nullâ adhibitâ aliâ operâ, in integrum reſtituta.

Radicis lupariæ & Olei nicotianæ effectus in Ciconiâ majore.

Menſe Septembri Anno 1680. Ciconiæ majori amygdal. dulc. ℥iß. in bolo exhibuimus: hinc coccularum contuſarum ʒj. ſed citra ullam noxam : Poſtridie Radic. Lupariæ luteæ contuſæ ʒj. circiter intruſimus, quæ illicò vomendi deſiderium induxit, tantiſper ſubſiſtens, uſque dum radices evomeret, quas cùm in bolos coactas, tantillo ſpatio interjecto, denuò exhiberemus, iterum ſed mucoſas brevi pòſt ejecit, atque hoc itidem tertiâ vice contingere, quamvis majori cum mucoſitate vidimus. Ut propterea genius radicis iſtius pateſceret magis, bolum alium ex iſtâ merâ paratum, deglutiendum obtulimus, poſt quem cùm capite valdè inciperet nutare, alios duos adhuc, eodem modo paratos intruſimus, qui vomendi conatum vehementem ac pertinacem excitarunt, donec eoſdem ſed fluidos & ſolutos ejiceret, cum ſubitâ alæ utriuſque volutatione, pedum vacillatione & totius corporis delaſſatione, citra tamen pejora ſymptomata. Poſtridie filum ol. Nicotian. per retort. deſtillato madidum, per partem alæ dextræ carnoſam ſuperius trajecimus, mox aliis volutare & tremere incepit, hinc humi proſtrata, roſtrum & caput convelli, tandem ingenti vomendi conatu, quem ejectio materiæ cujuſpiam, ſolidæ, fluidæ & ſubflavæ inſequebatur, prehenſa fuit: Semiquadrante poſt ℈i. præter propter ejuſdem olei, quâ in ſubſtantiâ, quâ in bolo infudimus, à quibus convellebatur ilicò, pedibuſque & capite retrotractis, motu omni, vitâque privata cecidit.

Calentem adhuc cùm ſecaremus, motus convulſivos undulantes, in muſculis pectori incumbentibus, ex reſiduis ſpiritibus animalibus agitatis vidimus, hinc coſtis diſciſſis & ſterno elevato, in medio ventre ramus ſubclavius inſignis ſe obtulit, & membranæ quibus pulmones infimo ventri hinc inde circa initia annectuntur plures, diaphragmatis vices ſupplentes comparuerunt: foramen quo infimo ventri aër communicatur, in utroque pulmonum lobo unum : Pulmones ipſi egregie veſiculoſi micabant : Pericardium humore ſeroſo plenum ; ut & vaſa pulmonalia inſignia : Auriculæ cordis binæ cum totidem ventriculis, ſanguinem fluidum continebant, & quaſi ipſomet illo oleo tinctum : qualem etiam in arteriâ magnâ deprehendimus, in quam cùm aërem ſiphone injiceremus, auricula cordis ter palpitare cepit : Hæc ipſa dum ex corde egreditur, aliquot ℥. diſtantiâ in ſubaxillares & carotidas dividitur : Sternum muſculos ſuſpenſores duos obtinet, & aſpera arteria circa ſui in pulmones inſertionem, in utroque trunco foramine donatur : Venter imus omentum exhibuit pinguiuſculum & hepar duobus lobis conſtans, cujus parti cavæ veſiculam felleam annecti, parvam cum ductu bilario notavimus : Renes erant grandiuſculi, oblongi & quaſi ex variis lobis conflati, vaſiſque emulgentibus à cavâ & aortâ oriundis ſtipati, quoad interiorem verò ſubſtantiam, omnino fibroſi: Ureteres ex horum medio circiter prodibant, oblongi & albicantes, verſus finem inteſtini recti terminantes : Oeſophagus ſumme fibroſus & orificium ventriculi ſuperius glanduloſum omnino & craſſum. (vid. ſis fig.) glandulæ hæ parte poſteriore inciſæ, tubuloſam faciem monſtrarunt : Pancreas ſecundùm longitudinem inteſtini duodeni protendebatur : Inteſtina tandem cum ſuis glandulis quod concernit, de iis videri poterunt, quæ tum Clar. D. D. Pejerus enteradenographiæ ſuæ, tum etiam Exercitationibus noſtris familiarib. p. 211. inſeruimus.

Scholium.) Luparia hæc eſt Tragi. l. 1. de ſtirp. hiſt. cap. 82. Aconitum flore luteo Bauhin. hiſt. plant. l. 34. pag. 652. Græc. λυκοκτόνον dictum, quòd lupos exhibita enecat, unde etiam Antuerpienſes in acetariis radice hujus gulam oblectantes inſcii, funeſtas pœnas dederunt, adurentia enim eſt facultatis ſi Trago, calida & ſicca in quarto gradu, ſi Dodonæo credimus : Napello ſanè vires ſatis affines obtinere, ex irritatione & vellicatione, quam particularum ſalinarum nociva acrimonia produxit conſtat : etenim vix dum ingeſta, nauſeam peperit pertinacem, uſque dum ejecta rurſum fuerit, inde vicibus aliquot iterata, cùm ulteriori morâ, tum partium aculeatarum, à fermento ventriculi ſpirituoſo majori ſolutione, ſpicula in fibras nerveas adegit vehementius, adeo ut muci multùm primùm excerneret, inde archeo atrociùs concitato vomeret, motuumque ſpaſmodicorum, cum ſpiritus animalis manifeſtâ deſtructione, quam vomituritio crebra dubio procul adjuvit, haud obſcura ederet indicia : Equidem ciconiis ad vomendum naturâ quædam propenſio ineſt, nam pullos ſuos re hortante, eâ quam ante deglutiverunt, alimoniâ cibant, quod opus ruminationi quadantenus eſt analogum, ceu Nobiliſſ. Peyerus Merycolog. l. 1. cap. 4. oſtendit : hoc tamen negari nequit aconitum lycoctonum ingentem ſtimulum addidiſſe fibris

as

ac tunicis oris & gulæ, quas ingeſtum proxime attigit, cumque fieri non poſſit vellicatio, citra ſpirituum in nervis excubantium commotionem, manifeſtum oppido eſt, ſpiritus animales per fibras nerveas à veneno affici, atque ad rei moleſtæ expulſionem, vi ordinis naturæ impelli: Id animo veritatis avido obſtare poſſet, magis, cujus præfatus Excellentiſſ. Pythagoras amicè nos monuit, quod cantharides Sale acerrimo præditas, ceu effectus teſtantur, ſine noxâ devorent ciconiæ, nec tamen plantæ iſtius ſpicula queant eludere. Verùm ſi quod integras fermè deglutiant, nec manducando reſolvant, conſiderare libuerit, mu ta amplius difficultas non erit, Sal enim niſi debitè ſolutum effectu parili potiri non poteſt, uti quoque in aliis volucribus, venenata quandoque devorantibus notamus: Ventriculo autem vim inferre nequeunt, cruſtâ calloſâ adverſus ejuſmodi injurias obmunito, cui accedit copioſus è glandulis tubulatis mucus, qui particulas aculeatas irretiendo obtundit, dictæque cruſtæ fomentum præbet: Nihilominus ex radice iſtâ penitus non concidit, quòd rejectis vomitu, radicis intruſæ reliquiis, maximâ ſaltem ex parte, ſpirituum motus exploſivi paulatim ceſsârunt, hinc alterâ die viribus tantiſper reſumptis, nicotianæ denuo enormibus inſultibus periit: de herbæ autem iſtius oleo in ſubſeq. prolixioribus eſſe licebit, addituri jam pauca ad volatilis hujus interanea: de gulâ & ventriculo Ciconiæ Ann. 2. Ephemer. quædam inſeruit Celeberr. *Wepferus*, in accuratiſſimâ Caſtoris Anatome, acinorum autem glanduloſorum coronæ inſtar orificium ſuperius ſtipantium neceſſitatem ac utilitatem Nobiliſſ. Pythagoras in Anatome Ventriculi gallinacei detexit, uſque adeo ut volatile nullum eſſe arbitremur, quod hiſce theculis defraudetur, bene tamen quòd ingluvie careat: habent hujus loco στόμαχον εὐρὺν καὶ πλατύν, uti quidem cùm in anserum tum anatum ſylveſtrium Anatome vidimus: Pariter etiam è foraminibus aſperæ arteriæ, (fortè & pulmonum) hiulcis aër in veſiculas membraneas ruit, ſicque reſpirationis negotium adjuvat; alias mirum eſſet utcunq; qui pulmones coſtularum inter interſtitia hærentes, nec uti in aliis animantibus liberi, commodùm expandi queant, nî elaſtica aëris vis, cui experientia ſuffragatur, muſculique validi pectori motum largientes, rem omnem ſatis explicarent. Contenta ureterum albicantia, de Renum (quos pennatis malè denegat Ariſtot. cap. 9. l. 3. de partib. Anim.) actione, quâ craſſiores partes, eaſque in gallinaceorum genere perquam ſalinas unde in calculos concreſcunt ſæpius, cum tantillo humoris ſeroſi ſequeſtrant, abundè teſtantur: In aquilis tamen fæces habentibus liquidiſſimas, & ne gry quidem, uti propriâ experientiâ compertum tenemus, bibentibus, unde ſerum iſtud ſuppeditari queat, inferius in ejuſdem Anatome apertum dabimus. *Clariſſ. Joh. Jacob. Harderus in Obſervationibus Anatomico-Practicis.*

Olei ejuſdem effectus in Ciconiâ femellâ juvenculâ.

Die 24. Maji Ann. 1681. Ciconiæ femellæ juvenculæ, bolos aliquot ex pane, ol. nicotian. madidos intruſimus quos autem vomitu ilicò ejecit: Hinc guttulas quatuor ejuſdem olei infudimus, poſt quas vomiturire, caput variè mutitare & aliquantiſper angi cœpit, nullo tamen graviore ſymptomate ulterius inſequente, ſibi relicta fuit: Die poſtero ℈ ß. circiter o ei ejuſdem rurſus infudimus, unde mox collabaſcere, caput retrotrahere, convelli, tandemque penitus corruere viſa fuit, motibus convulſivis adhuc in quibuſdam muſculis, quos cultro incidimus, ſatis conſpicuis: Interanea hujus, uti in præcedente habebant; Præſertim verò heic notare licuit ſanguinem grumoſum, in lobo pulmonum utroque, dextro potiſſimum, fortè quòd aliquid de dicto oleo per aſperam arteriam hauſit: Egregius quoque fuit ureterum materiam gypſeam continentium, è renibus glanduloſis exortus.

Scholium.) Nicotiana herba eſt, non ſolùm ubivis decantata, ſed præcipuæ hominum parti, cujuſcunque dignitatis aut ſortis illi fuerint, variè uſitata, ſunt enim qui folia maſticant innoxiè, aliis fumo gulam reficientibus, ſunt qui Medicinam parant, quovis antidoto præſtantiorem. Authores ſerietenùs in ſcenam producere, nec proderit, nec opus eſt, Sufficit Neandro & poſt hunc Magneno Vir. Clariſſ. anſam hinc ſucceviſſe, in plantæ hujus naturam ac vires induſtriè inquirendi. Et quidem ille folia ſiccata, calida & ſicca in gradu tertio aſſerit, vid. Tabacolog. p. 17. hic vero pag. 47. Exercit. 3. Sale ſuo pituitam craſſam fundere, acrimoniâ incidere, & excretioni præparare ait; Hiſce tamen ipſis particulis, quibus oleoſæ pauciores junctæ ſunt, phlegmatis adeſt plurimùm, à quo illæ non parum obtunduntur, adeò ut nî vel beneficio ignis tantiſper, vel deſtillatione eliciantur ac concentrentur, activitatis ſuæ veſtigia, minùs evidenter relinquant, fieri quin etiam poteſt, ut pro diverſitate aëris, victus, loci, conſuetudinis, &c. in aliquibus minùs, in aliis maximè nocivæ ſint. Ita cùm ratio tum experientia confirmat, fumum nicotianæ horrenda ſymptomata pluribus acceſſere, nauſeam, vomitum, extremorum frigus & tremorem, quatenus particulæ ejus ſubtiliores, ſalinæ volatiles, cum oleoſis conjunctæ acerrimæ, unà cùm aëre inſpirando hauſtæ, fibriſque vel œſophagi vel ventriculi impactæ, irritatione ſuâ motus ſpaſmodicos in hiſce partibus cient, ſpiritumque animalem miſerè agitant, eò magis quò ob ramoſitatem ſuam oleoſa pertinacius adhærere ſolent, quin imò maſſæ ſanguineæ communicatæ, ejus motum ſummopere infeſtant: In ſequentibus verò ptyaliſmum enormem à ſale fundente obortum fuiſſe demonſtrabimus, unde etiam apophlegmatizantibus à ſui præconibus Nicotiana accenſetur: Folia vino infuſa & altero manè à maleferiatis quibuſdam hauſta, per ſuperiora & inferiora purgâſſe, imò hypercatharſin produxiſſe alii nobiſcum nôrunt, manifeſto acrimoniæ vehementis indicio: inprimis autem oleum deſtillatum, quod pauxillum exhibet, nocivam obtinet vim, utpote in quo particulæ activæ concentratæ, ſuique juris magis exiſtunt. Animadvertit iſtud ante nos Nobiliſſ. Redi in ſuis experimentis natural. pariaque experiundi anſam ſubminiſtravit, inprimis cum Magnenum,

ol. Nicot. quod per infuſionem præparat, in arthriticis, Renum, coli aliiſque doloribus valdopere commendare videremus, Exercit. xi. p. 105. Quàm funeſti fuerint noſtri olei effectus, ex modo recenſitis hiſtoriis palàm fit, ulteriuſque patebit deinceps: In ciconiâ majore non acus, ſed particulæ oleoſæ filo adhæreſcentes, fibrillaſque nerveas dehinc adorientes, alæ volutationem, motus tremulos & convulſivos, cum vomitione acceſſiverunt, quam ex ſpirituum agitatione & motu impetuoſo continuato magis, quàm ipſius olei ad ventriculum uſque accurſu proveniſſe exiſtimamus: motus hi crebriores evaſerunt, quum internè propinaretur, tum enim fibras nerveas mox ferociter aggredi, ſanguinemque ſui communicatione fundere admodum & machinam penitùs deſtruere cepit. In femellâ parilem atrociam non modo in fibras ventriculi ac muſculorum, ſed & aſperæ arteriæ exercuit, unde reſpirationis motu intercepto, ſanguis in pulmonum lobulis grumuit. Mirabitur hinc nonnemo, peti uſum internè, cùm ejuſmodi acribus particulis ſcateat, à pluribus tantopere commendari: aſt alia ratio eſt herbæ ſuo adhuc conſtantis phlegmate, alia ejuſdem ab hoc depuratæ, quamvis & interne, ni ab aliis ſalium acrimonia vel inhibeatur vel corrigatur, uſque tuta ſemper non ſit, inprimis ubi fibræ teneriores ac denudatæ jacent, in quas etiam blandiora medicamenta non raró fortius agunt; neque etiam oleum, quod Miguenus parat, idem planè eſt cum noſtro, licet & iſtud externè ſine periculo partibus corporis forſitan applicari poſſit, nî fibrillaram ſubcutanearum, cui partium vicinarum ſæpè ilicò reſpondent, ſubſecuturam irritationem metuere velimus, interno uſu ceu periculoſo penitùs rejecto. Quod verò ſuccum nicotianæ toxicis adverſari ex Ægidio Everhardo refert Neander p. 34. Exemplo felis cujuſdam furacioris, cui bolum toxico mixtum aliquis propinârit, quem dehinc globulo è ſucco Nicotianæ, folio butyro compacto evomuerit feliciter, magnopere nos non vexat, cùm vel indé particularum deliteſcentium ἐνέργεια pateſcat, inprimis quòd felis ante bolum, ſurſum deorſumque curſitando venenum hauſtum, fruſtrà evomere conata fuit, nec dubitamus, quòd in iis, qui fumo Nicotianæ admodùm delectantur, ex crebriore uſu, linguæ & nervulorum pori ita immutentur, ut re ingratâ, & quæ intaminatos alios lædit, alexipharmaci & ſuſtentationis quaſi loco fruantur, undè etiam ad alia, quæ de Nicotianæ utilitate multijugâ Authores deprædicant, differenti modo reſpondere poſſemus. Sed in immenſum iſta excreſcere nolumus, olei deleteriam virtutem ulterius probaturi. *Idem ibidem.*

Olei Nicotianæ effectus in Ranis.

Die 8. Maji 1681. præſentibus D. Cand. Speckero & D. Andreâ Kœlio Curienſ. ranas binas gutt. aliquo olei peti in dorſo inunximus: mox iſtud inflari, oculi mirè intorqueri, artus obrigere, & motus tremuli, citra convulſiones graviores, in toto corpore obſervari ceperunt. Ventrem harum cùm aperiremus, cor diu adhuc pulſitavit motu ſyſtoles ac diaſtoles admodum conſpicuis. Vena cava ex hepate, in cujus ſubſtantiam ramos aliquot diſtribuit, in illud rectâ perrexit, inflataque cum altero pulmonum lobo ſimul intumeſcere fecit adeo, ut veſiculoſum prorſus, non tamen citra fibrarum indicium appareret: Pulmonares veſiculæ manifeſtiſſimæ cum vaſis ipſas perreptantibus (vid. ſis. Malpig. de ſtruct. pulmon.) Sub his Oeſoph. gus pergit amplus ſatis, valdeque conſpicuus, quem ventriculus membraneus & validus excipit, à quo protenditur inteſtinum duodenum cum reliquis tenuibus, in quibus ad ſtuporem uſque vaſorum ſanguineorum circumgyrationes videre licuit: Sub duodeno progreditur pancreas oblongiuſculum, cum quo in progreſſu ductus choledochus è veſicula fellis, in hepate ſubatro & trilobulari ſitâ egrediens, arctius uniri videtur: Meſenterium vaſis admodum ſuperbit: Renes quoque oblongi ad ſpinam utrinqué ſiti, vaſa emulgentia, ex cavâ & arteriâ magna, quæ evidentia erant, turgida oculis objecerunt: pergit ex his ductus limpidus verſùs veſicam, quæ inteſtino recto fortius adhæret, quem ureterem diximus: E ſiniſtris ventriculo ſubjacet lien parvulus, glandulam ovalem referens: Adjacet ex utroque latere ovarium nigricans, vaſis & ductibus donatum: Oviductuum, qui inſtar ſarcuminis multifariam intorquentur, ex utero bicorni prodeuntium, amœna eſt facies: alterutro uteri cornu inflato, alteruter quoque inflabatur; nec tamen penitiorem horum cum ovario communionem colligere licuit, quamvis poné illud aërem injiceremus, ſecus ac in aliis animantibus fieri notavimus. Clar. Jacobæus Tubam ſuperius intra regionem cordis, hepatis, & pulmonum ſe abſcondere ait, nec ſcire quò poſtea pergat, & Svamerdamius Mirac. Natur. pag. 24. In Ranis, quæ unâ vice undecies centena ova ponunt, & in quibus ova ſingula ſeſe mutuo per infundibulum ſubſequuntur, orificium tubarum duorum circiter digitorum latitudine ab ovario diſtare inquit, & non modo valdé anguſtum, ſed etiam immobile eſſe, nec ſeſe ad ovarium applicare, ut obcurum ſit, quî ovorum ſuſceptio contingat: Nos de hiſce in ſecundis Cochlearum curis quædam diſtinctius dicere ſtudebimus: Quoad partes exteriores, præter artus muſculoſos, manuumque digitos quatuor, & pedum anatiformes; notavimus foraminula duo prope os, quæ nares conſtituunt, hinc oculos micantes, quos membranulâ palpebræ loco obducere nôrunt. Poſt hos ad latus utrumque maculam rotundam ſubalbidam, quæ aures ſupplet, nec cerebrum parvulum ipſis deeſt, cum nervulorum propaginibus; de quibus qui volet plura, adeat Batrachographiam, præfat. Clar. Jacobæi.

Scholium.) Oleum communem eſſe inſectorum hoſtem, ex Veteribus plurimi tradiderunt: docuit tamen Recentiores experientia, non omnibus perinde illitum necem intuliſſe: Etenim ante nos Celeberr. Malpighius, in Bombycibus aliiſque notavit, nî orificia trachearum oleo aſpergantur, gravius damnum inde non ferre, verba ipſiſſima heic appoſuiſſe, non erit abs re. Ut autem intimius (*inquit Diſſert. de Bombyc. p. 31.*) rem hanc perſpectam haberem, ventrem, caput, os & dorſum, illæſis tamen tracheæ orificiis, ſæpius oleo aſperſi, nec unquam extinctos vidi vermes, nec etiam ſæva inde ſuborta ſymptomata:

ptomata: Nec obſtat quòd Nobiliſſ. Redi lib. de generat. inſector. p. 153. meminit, ſe vermes omnium maximos, & inter eos aliquos thunno natos, variis liquoribus, cumprimis autem plures in oleum immerſiſſe, nullo tamen eorundem mortuo, quin omnes ſtato tempore in ova nigra mutarentur, ſiquidem culices ex his prodire ſoliti, in ipſo prodeundi actu maximam partem ſuccubuerint, indicio manifeſto, olei infenſam vim vermes non penitùs eluſiſſe. Fortè etiam ſinguli tracheæ hiatus oleo non fuêre oppleti, quin patentibus aliquibus, pabulum nitro aëreum ſubingredi, ſicque vita protrahi tantiſper potuerit, quam concidente licèt ex oleo animali illicò, per aliquod tempus ſubſiſtente cordis motu, ſubſiſtere quoque ſæpius deprehendimus: Eluceſcit hinc oleum & pinguia ejuſmodi, inſectis funeſta eſſe, non quòd ſanguini in circulum eunti obſtaculo ſint; uti quidem aliqui hariolati ſunt, ſiquidem & effectus nocivus promptus ſit admodum, cordis motu aliquandiu perſiſtente, & aliis, quàm tracheis oleum illitum partibus, non perimat, ſed quia aërem ſubripiendo, reſpiratione inſecta privant, unde aliquid ſubitæ ſuffocationi ſimile ſuccedit protinùs: In ranis Nicotianæ oleum, non ſanguinis circularem motum impediit, ſiquidem ſanguinis motus integer perſtitit, nullaque grumeſcentiæ indicia apparuerunt, neque ſuffocationem induxit, cùm per tracheas ejuſmodi aërem non hauriant, libero in pulmonales veſiculas ei exiſtente impulſu, pro vitalis auræ conſervatione, ſed ſolâ particularum irritatione, ſpiritus in motu ſuo turbavit & quaſi obrigeſcere fecit, ceu etiam aliàs ſalina figendo & oleoſa irretiendo ſpiritus, machinis hiſce interitum afferunt: propterea tamen non inficiamur, ubi oleoſis totæ inungerentur ranæ, damnum præſto eſſe poſſe, forte ex tranſpiratione prohibitâ, quâ tamen pariter, utpote aquis maximam partem immerſæ, indigere non videntur, unde veritas hujus ulterioribus experimentis tentanda ac confirmanda. In homine alia cùm partium eſt textura, tum tranſpirationis ratio, unde nec oleum Nicotianæ, nec alia pinguia illita, labem ita funeſtam accerſunt, &c. Aliàs in ranis mentem oblectavit maximè, quòd diſciſſo penitus abdomine, corde cum veſiculis pulmonalibus exempto, ſaltus robuſtos aliquandiu adhuc ingeminare poſſunt: Scimus quidem adeò artificiosè fabrefactos eſſe pulmones, ut particulæ nitroaëreæ, facili operâ, tum in ſanguinis maſſam pro hujus motu ſuſtentando, tum in cerebrum pro ſpiritus animalis confectione, in illis ſequeſtrentur: Ubi autem hoc ipſum aëris receptaculum, & materiæ nitroaëreæ vehicula deficiunt, motus muſcularis, in aliis ſaltem animantibus, ut plurimùm deficit, vix alio quopiam, præter undulationem, tantiſper reſiduo, Obſervavimus tamen in viperarum excoriatione, capite præſciſſo, omnibuſque interaneis exemptis manifeſtum in exuviis circumgyrationis motum, per pluſculum tempus ſubſiſtentem, ſpirituum idoneâ adhuc copiâ reſiduorum, certiſſimo indicio, etiamſi unde ſuſtentari potuiſſent, cerebrum ampliùs non adfuerit, quo utique ranarum ſaltitatio probabilior evadit, utpote ſpiritus animalis fonte necdum orbatis; utrobique tamen particulas, minus ſolubiles, ſubviſcidas, nec tam citò deflagrantes, ex ſanguinis circulo reſiduas, agnoſcere nihil vetat, quibuſcum ſpiritus animalis blandè irretitus, motus ingeminet, priuſquam in auras velocius abeat: neque enim ejuſmodi vehiculum viſcoſum, in ipſis nervis illi adjungi veriſimile eſt. Illud verò præprimis hîc memorandum, cujus Clariſſ. Caſpar. Bartholinus in Epiſt. de Nervor. uſu ad Oliger. Jacobæum meminit: nivea corpuſcula ranarum dorſum utrinque ſtipare, nerviſque & ſpinali medullæ continuari, atque in his, ceu vaſcula intertexta evincere videntur, probabiliter aliquam ſpiritus animalis ſecretionem fieri, cujus ope abſciſſo etiam capite, motibus aliquibus ingeminandis adhuc ſufficiant: Ulteriùs admirari ſubit, qui vocem in aquis ranæ edant, quod Ariſtoteles lib. 4. hiſt. animal. cap. 9. explicare contendit: Ποιεῖ δὲ τὴν ὀλολυγόνα, ὅταν ἰσοχειλῆ τὴν κάτω σιαγόνα ἐπὶ τῷ ὕδατι ἀνατείνῃ τὴν ἄνω: Reddunt ranæ ſuam illam ololygonem, maxillæ inferioris labro demiſſo, pari libra cum aqua modicè in fauces receptâ; cui autem rationi contrariari videtur reſpiratio ceſſans, in hoc amphibio cum in aquis degit, ſiquidem ex tracheαrum apertione, aquæ irruentes ſtatim pulmones inundarent, quod adhuc magis continget, ubi intra aquas labrum inferiùs demitterent, prout illud fieri Ariſtot. ibidem affirmat, cùm ad Venerem femellam invitant: Ejuſmodi tamen ululatus, ſi in vel ſub aquis auditur, potiùs iſtarum ab aëre, (quem intra veſiculas pulmonales modò recondiderant) vi ejecto agitationem, quam intra fauces diutinam retentionem demonſtrat: Ranarum coax in pratis ſaltitantium, & extra aquas conſtitutarum nunquam audivimus, id tamen alii nobiſcum fortè animadverterunt, exerto capite illud edere, ut adaperto ore, aëris idonea verſus organa vocis quantitas decenter irruat, qui ibidem repercuſſus, motu undulante, ad organum auditûs noſtri illicò defertur, taliſque ſoni, quem vocem hujus animalis dicimus, ideam in mente noſtra parturit: facit huc etiam labri inferioris depreſſio, ſeu certa motitatio, non modo pro aquæ pauxillo, (quod pertinaciter non negabimus) intra fauces ſuſcipiundo, ſed pro aëris repercuſſione viciſſim adjuvanda: atque ita ſimili, quam in gargarizatione animadvertimus agitatione, coax ipſarum perficietur, dummodo faucium eadem ſit ſtructura. *Idem ibidem.*

Olei Nicotianæ effectus in Serpentibus.

Die 2. Maji 1681. præſentibus aliquot φιλιάτροις, ſerpenti minori caput & medium dorſi guttis aliquot olei Nicotianæ inunximus, quo peracto aliquantiſper circumrepebat, mox paulatim intumeſcere, contremiſcere, tandemque fortiter convelli cepit: hinc cùm ad ſe rediret, reſpiraretque æqualiter, caudam cujus pars aliqua abrupta erat, inunximus, ſed citra vehementiorem noxam, inde ori aperto guttulam infudimus, à qua fortiùs inflari, agitari & motitari cepit, tandem acu oleo dicto madefactâ illum pupugimus, & exorti ſunt motus convulſivi longè validiſſimi, adeò ut variè circumgyraretur, ac inſtar ſtatuæ ſenſim obrigeret.

Anatome.

Corpuſculo aperto, cor, quod propè collum ſitum eſt, pulſitabat adhuc conicum, vaſa à ſe diſpergens arterioſa inſignia, venamque egregiam ex hepate recipiens: cingitur illud pericardio, liquore madido: adjacent veſiculæ pulmonares oblongæ, in quas aſpera arteria tenella pergit, vaſis ſanguiferis in ſuperficie eleganter donatæ: Inter has progreditur œſophagus albicans, oblongus, qui in ventriculum membraneum terminatur: hic ope meſenterii, quod ſecundùm inteſtina expanditur, vaſiſque perreptatur, à dextris cum hepate oblongo connectitur, in cujus parte inferiore jacet veſicula fellis, liquore viridi prægnans, cum ductu bilario ex hac in duodenum abeunte: à ſiniſtris verò inferiùs ſita eſt glandula parvula, rubella, quam lienem crediderimus. Vaſa quoque egregia à vena, quæ hepar perreptat, versùs ventriculum & inferiora ſparguntur: Inteſtinorum tractus, parum tortuoſus, continuus eſt ad uſque anum. In maribus utrinque adjacent teſtes bini, oblongi vaſculoſi, cum epididymis & vaſis ejaculatoriis, tortuoſis, infra quos ſiti ſunt Renes oblongi & glanduloſi, circa penem utrumque deſinentes. Serratulam hi exhibent faciem, muſculis protenſoribus & retractoribus oblongis inſtructi; cæterùm membranulâ nigricante, quam epiploon dicunt, partes ſingulæ obteguntur.

Die 8. Maji An. ejuſd. Serpenti alii dorſum, aliquot dicti olei guttis illivimus, & ſtatim aliquales motus convulſivi ſubſequebantur, cum corporis languore: aquæ tamen admota bibit, & paulatim ad ſe redit, quod non potuit poſtridie, cùm per caudam filum oleo iſthoc probè madefactum, acu trajiceremus, hinc enim magis magiſque vires ſuas deperdidit, tandemque prorſus obriguit, corde adhuc dum, quod in ſectione vidimus, pulſitante. Cæterùm ſtructura ut ſuprà.

Scholium.) In ſerpentibus acrimoniæ ſuæ ſalinæ, pariter veſtigia reliquit manifeſtiſſima, oleum noſtrum, primùm equidem, fibras nerveas cutem perreptantes, vel ſuperficiariè adoriendo, inde acu propiùs hiſce admotum, ſpiritum animalem vehementiùs agitando, & ferè figendo, ut continuatâ ejus contentione, corpuſculum quaſi obrigeſceret: ipſi tamen cordi tantiſper pepercit, cùm pulſitatio ejus, ventre cultro jam diviſo ſubſtiterit: arduum verò explicare utcunque, quare caudæ, tendinibus fibriſque nerveis commodùm inſtructæ, oleum iſthoc illitum, graviora ſymptomata non intulerit, ni & carnem ibi magis compactam, cutemque denſiorem eſſe velimus dicere, unde ſpicula pari facilitate ſeſe inſinuare, ac enormes ejuſmodi motus inducere non poſſint. De cætero Serpentis Anatomen ſcriptam reliquit etiam Ariſtoteles lib. 2. hiſt. animal. cap. 17. atque ex recentioribus, Clar. Blaſius in Zootomiâ, huic noſtræ maximè affinem: dubitat tamen iſte, quid ſubſtantia mollis, carnei coloris, teſti interiore parte accumbens (cujuſmodi quid nos non notâſſe fatemur) uſus habeat, epididymorumque ſub nomine funiculi albicantis tortuoſi, meminiſſe videtur: in veſicæ quoque felleæ ſitu, quam ſpatio notabili ab hepate diſtare, fortè & pulmonum ſubſtantia, quam diverſam omnino eſſe aſſerit, tantiſper diſcrepamus; cùm tamen eidem uſui deſtinata veſicula utraque, eandem quoque ſtructuram obtinere neceſſe debeat, quam eleganter ſatis adumbravit Stagirita, dum ait: ὁ δὲ πνεύμων ἁπλοῦς, ἰνώδης πόρῳ διηρθρωμένος, καὶ μακρὸς σφόδρα, καὶ πολὺ ἀπηρτημένος τῆς καρδίας; Pulmo deinde annectitur ſimplex, fibroſus, fiſtuloſus, prælongus, longeque a corde ſepoſitus: graviter tamen cœcutiiſſe oportet hunc ipſum, cum l. 1. de gener. anim. cap. 7. audacter aſſeverat: οἱ δὲ ὄφεις ὀχεύονται περιπλεκόμενοι ἀλλήλοις, οὐκ ἔχουσι δ' αἰδοῖον, ὥσπερ εἴρηται πρότερον: Serpentes complexu mutuo coeunt: Carent teſtibus & pene, uti dictum jam eſt: forſan nubecula oculos occupavit, quæ multis communis eſt, ut partes evidentiſſimas abfuiſſe putaret, aliiſque ſui amatoribus, ψεῦδος idem obtrudere contenderet quod haud dubie cum aliis huic ſimilibus libenter emendâſſet, ſi fata ulteriùs vivere conceſſiſſent: De inſecti hujus morſu multi itidem multa, imprimis qui in Veterum ſcholis enutriti ſunt. Dentibus gaudent ſatis acutis, hon iniq; ſi Authoribus credimus, ſatis infeſti ſunt, quamvis niſi irritatum animal ad morſum ſe componere non obſervavimus: nec ſcimus, an pariles ipſis ſint veſiculæ cujuſcemodi in viperis, poſt Exc. Redi evidenter notavimus. Id vero non omni caret fundamento, funeſta à morſu ſymptomata inſecuta fuiſſe: ſæpe laudatus Philoſoph. c. 29. l. 8. hiſt. anim. laborioſus eſt in deſcriptione diverſitatis locorum, ob quam non modò mores, ſed etiam morſus animalium, nunc magis nunc minùs venenati evadant, de ſerpentibus verò noſtratibus mali nihil ominari videtur: verba heic appoſuiſſe è re erit: Ποιοῦσι δὲ καὶ οἱ τόποι διαφέροντα τὰ ἤθη, οἷον οἱ ὀρεινοὶ καὶ τραχεῖς, τῶν ἐν τοῖς πεδίοις μαλακοῖς, καὶ γὰρ τὰς ὄψεις ἀγριώτερα καὶ ἀλκιμώτερα καὶ πρὸς τὰ δήγματα δὲ τῶν θηρίων, μεγάλην ἔχουσιν αἱ ὧραι διαφοράν; οἷον περὶ μὲν Φάρον καὶ ἄλλους τόπους οἱ σκορπίοι οὐ χαλεποί. Τά τε τῶν ὄφεων δήγματα πολὺ διαφέρουσιν· ἥ τε γὰρ ἀσπὶς ἐν Λιβύῃ γίνεται, ἐξ οὗ ὄφεως ποιοῦσι τὸ σηπτικόν, καὶ ἄλλως ἀνιάτως. γίνεται δὲ καὶ ἐν τῷ σιλφίῳ τι ὀφίδιον, οὗ καὶ λέγεται ἄκος εἶναι λίθος τις, ὃν λαμβάνουσιν ἀπὸ τάφου βασιλέως τῶν ἀρχαίων, καὶ ἐν οἴνῳ ἀποβάψαντες πίνουσι, ἔστι δέ τι ὀφίδιον μικρόν, ὃ καλοῦσί τινες ἱεράν, ὃ οἱ πάνυ μεγάλοι ὄφεις φεύγουσιν; δι' ἂν δάκῃ, εὐθὺς σήπεται τὰ κύκλῳ. Plinius pro farragine quam ex aliis collegit, fide incertâ & fallaci, in hiſt. natur. de morſu ſerpentum plurimiſque contra hunc remediis, fuſiſſimè diſſerit, ſimulque ſel veneno illi natales præbere author eſt, quod de viperis alios ſomniâſſe Nobiliſſ. Redi ſuis de viperar. morſu obſervation. oſtendit: Nos ex ſaliva, quæ ad iram concitati inſecti morſu acerrima juxta communicari poteſt, ſepoſitis tantiſper veſiculis dictis, de quibus nondum prorſus conſtat, ſymptomatum ſubſequi ſolitorum rationem peti debere, veriſimiliter exiſtimamus, præterquam enim quòd acrimonia fibras nerveas pungendo intumeſcentiam parit inſignem, ſanguini immiſta deſuper fundendo craſin ejus non rarò maximopere pervertit: de quo autem in Schol. ad viperar. morſum aliqua adhuc addemus, ad aniles nugas ablegantes, quod de ſtudioſâ veneni depoſitione, ſerpente aquas tranaturo, vel vulgus, aut alii parum prudentiores comminiſci cœperunt.

Olei Nicotianæ effectus in lacertis & limacibus.

Dicto 2. die Maji lacertæ gladio vulnus inflixinus, eique poſt guttas aliquot hujus olei inſtillavimus, unde ſtatim corpus contremuit, & artus primùm ſuperiores, hinc quoque inferiores impetuosè convulſi fuerunt, ſubſequente inſecti interitu.

Die 6. Maji limaces duos dicto oleo inunximus, caput imprimis, ſed citra ullum effectum deteriorem; hinc foramini pupilli-formi ſtylum eodem oleo madidum intrulimus, nec mali quidpiam inde perpeſſi ſunt, mox acu eodem infectâ pupugimus; ſed nulla planè motuum convulſivorum ſequebantur indicia, adeò oleum hoc ipſum lymphâ limacum tenaci intiſcatum, quâ per dorſi exteriora ſecedebat, quâ ex foramine dicto & loco vulnerato effluebat, egregio documento particulas irritantes, interdum ſuâ in activitate impediri.

Scholium.) Quod in limacibus non parem, quam in lacertis, effectum edidit oleum noſtrum, ejus activitati nil præjudicare poteſt, ſiquidem in illis munimentum adfuerit mucoſum, ſeu μυξώδης χυμὸς quo irretitæ medicamenti particulæ, ſuâ quâcunque vi ceciderunt, præprimis foramini pupilliformi inſtillatæ, quod ejuſmodi μύξαν copioſè, animali irritato effundit: quin imò puncta externa cutis damnum nullum ſenſit, quod hoc ipſo glandulæ hic illic diſperſæ, ad muci quo totum cochlearum corpus madeſcere ſolet, imprimis autem baſis ad uberiorem materiæ limoſæ excretionem, ſeſe contrinxerunt; dubium autem hic qualecunque pullulat, qui iſtius ope olei ſpicula limaces eluſerint? cùm animalium ventriculi, muco viſcido æque oblinantur, quibus tamen atrocia ſymptomata peperit, cui autem ſatisfieri credimus tum ſupradictis, ubi mucum copioſiorem ac viſcidum Nicotianæ activitati aliquantum obſtitiſſe monſtravimus, tum quòd ſerum quo ventriculi animantium operiuntur, raro ejuſdem cum limacum muco tenacitatis ſit: ſcrutantibus ſanè nobis limacum generationem, ova ſe obtulerunt varii generis, quædam enim liquorem, quædam fœtus excluſioni proximos, (qui putamine fracto tantiſper prorepſerunt) in limum inde concreſcentes exhibuerunt; ut proin mucus aliorum animantium, non ita compactus & tenax, ſed fluidus magis & poroſior, habito ad hunc reſpectu dici debeat, de quo ſuo tempore prolixius. In lacertis iſtiuſmodi vehiculo deſtitutis, & texturæ tenerioris, ferocit vehementius, vix enim toti tremorem induxit, cùm archeo undique concitato, convulſionibus corpuſculum perfundedit. *Idem ibidem.*

Olei Nicotianæ effectus varii in Cane moloſſo.

Die 2. Julii 1681. præſentibus Viris Nobiliſſ. & Clariſſ. Dom. Martino Johanne Haesbaërt Clivenſ. Medic. D. D. Phil. Jacobo Speckero Medic. Cand. & D. Andreâ Kolio Curienſ. Cani moloſſo ante meridiem ℈i. præter propter dict. ol. infudimus, unde ſalivationem moleſtam ilicò ſenſit, cum ejulatibus vehementibus, hypochondriorum ſucuſſione, reſpiratione frequenti, oculorum nictatione & vomitu enormi: fæces quoque flaveſcentes cum impetu dejecit, tandemque fatigatus humi decubuit: Veſperi nunc per femoris, nunc abdominis muſculos, acum ol. ſatis madidam aliquoties trajecimus, quam excepere artuum laſſitudo, ſalivatio crebra, motus imi ventris per intervalla tremuli, tandemque vomitus, citra tamen convulſionum crebriorem impetum. Poſtridie horâ circiter primâ pomeridianâ in venam brachiæam, inferius ligatam, ſuperius verò ſecundùm longitudinem lancettâ inciſam, turundulam oleo hoc madefactam blandè intruſimus, & non diu poſt valde ejulare, cor motibus convulſivis, palpitatione imprimis vehementiſſimâ prehendi cepit, una cum arteriis, adeò ut fortiſſima illhæc pulſatio, inſtar aquarum undulantium & per diverſa loca ſubitò irruentium, non ſine admiratione, ab adſtantibus commodè fuerit audita: Sed vix dum ad viſceris vitalis pathemata ſtupuimus, & ecce omnes artus cum capite quam validiſſimè convellebantur aliquoties, uſque dum machina planè fuerit deſtructa.

Sectionem in corpore adhuc calente inſtituimus, in quo quà inteſtinorum plexus glandulosi, quà ductus renales, cum ſerpentinâ vaſorum circa papillulas corticales ſeu glandulas circumgyratione, quà etiam vaſcula lactea cum glandulis ſtomachicis; ductibus item pancreaticis & choledochis egregiè comparuerunt, veſicâ urinariâ ob ſui diſtenſionem, præ aliis protuberante; Interiora ventriculi laudabiliter habebant, ut & inteſtinorum, niſi quod in tenuibus lumbricos duos, ulnas duas & tres longos, ſive faſciales tereces, exiguo capitello, & circinnis inſtar annulorum aſperæ arteriæ formatis donatos reperimus; (de quibus vid. ſis hiſt. de faſcia lata) Venter medius cor exhibuit amplum, ſanguine plenum imprimis quoad auriculam dextram, quæ ſanguine ſpumeo & florido; qualem etiam dexter ventriculus continuit, fuit diſtentiſſima, ſiniſtra contra naturaliter habuit; & ventriculus ei ſubtenſus ſanguine rubicundiſſimo, tenui, turguit, aliquam equidem, haud dubie ex palpitatione pertinaci, portionem coagulatam reperimus, ſed & pauca erat, & coloris ſaturati. Cæterùm vaſa hæmagoga per totum corpus micuerunt.

Scholium.) In Cane iſto, animali robuſtiori, effectus itidem notatu digniſſimos, Nicotiana edidit, dum quà in fibris œſophagi particulæ aliquæ hæreſcentes, quâ ventriculi ferocius ſævientes, muſculorum oris & nervorum ſplanchnicorum continuatâ ſucuſſione & agitatione, quin imò contrictione glandularum ſublingualium aliarumvè nauſeam, vomitum, ſalivationem, fæcum item per alvum dejectionem pepererunt, cùm hypochondriorum motibus ſpaſmodicis, unde organa ſpiritalia, diaphragma præſertim in motu ſuo magis concitata fuerunt, non ſine multâ ſpirituum jacturâ; eorundem ferè ſymptomatum mater extitit, vulnuſculum femori inflictum, à quo viciſſim ſalivabat, non tam communicatione particularum quarundam maſſæ humorali factâ, quàm continuatâ ſpirituum agitatorum contentione, verſus glandulas maxillares uſque, eò faciliùs quòd aliquot horis ante, labem evidentem jam acceperant: vitam tamen, nonniſi ſanguini ipſi illatæ partes olei aliquæ abſtulerunt, acrimoniæ ſuæ alkalinæ manife-

nifeſtiſſimo tecmerio : etenim rareſcens inde ſupra modum humoralis maſſa (uti quidem cordis thalami adaperti confirmârunt) motus fervidiores edere, cordis auriculæ & ventriculi, dexter præprimis, copioſius impleti, palpitare vehementer, & ex continuato per aortæ propagines impetu, undulatio fortis per univerſum corpus obaudiri cepit, uſque dum ex enormi iſto ſanguinis motu, ſpiritus animalis itidem impetuoſior factus, convulſiones terribiles ſuſcitârit, quibus tragœdiæ coronis impoſita fuit; an particulæ acriores, tunicam arteriarum interiorem, quæ nervea eſt, adoriendo motus ejuſmodi adauxerint, vel etiam hinc inde in artuum muſculis, ſpiritui animali pòſt aſſociatæ, horrendam hanc elaſin produxerint, alii divinent, quibus facilius eſt aliorum ſententias ſugillare quàm corrigere. *Idem ibidem.*

Veneni incogniti varia ac horrenda noxa.

Anno 1596. ſeptuagenariam aperui quæ veneficio tacta dicebatur, quod ipſum confirmavit autopſia : Etenim huic cor triplo quàm pro conſuetudine & proportione ſubjecti majus, adeo enim intumuerat parte ſui dextra, ut univerſum thoracis latus dextrum repleret, diſtentum unà pericardium : Ea parte qua auricula cordis dextra venam excipit cavam, ingens aneuryſma in cava vena conſpiciebatur: Diſſectâ auriculâ dextrâ, reperta in ea materia concreta coloris flavi, condenſata admodum, Apertâ verò venâ cavâ, ipſoque corde, magna copia concreti plane ſanguinis nigerrimi ſe effundebat : Nec ſolum illa cavæ parte qua cordi ſe jungit, ſed & omnes corporis venæ concreto ſanguine plenæ erant, Quod nobis ſuſpicionem fecit venenum frigidiſſimum ei fuiſſe exhibitum, quod adeo extinxerit calorem ut ſanguis congelatus fuerit : præterquam quod cordi adeo fuerit inimicum ut naturalem ejus conformationem perverterit : Aperuit venam cavam in lumborum vertebris, ubi bifurcata petit crura, at qui exibat ſanguis, concretus erat: Mirum in vivente corpore ſanguinem concreſcere poſſe : Diſſecta fuit horâ pomeridianâ ſecundâ, cum eodem die horâ 7. matutinâ obiiſſet: At caput non fuit apertum, licet videremus univerſam veneni vim in agone mortis ad caput translatam : Etenim facies mirum in modum inturguerat, labia tumida, palpebræ ita diſtentæ ut bulbi oculorum omni ex parte retracti intra orbitas eſſent : Tanta autem malignitas ac acrimonia veneni erat ut variis locis cutis faciei exeſa eſſet, emanaretque ſanies fulva. *P. Pavvius Obſervat. Anatom.* 31.

Hydrargyri noxa.

1. Conciliator in libro de venenis narrat Pharmacopolam æſtate, cum ſitiret noctu, hauſiſſe urceolum hydrargyri : Cùm mane mortuus eſſet inventus, diſſecto corpore apparuit quod erat, ſanguinem quoque in corde coagulatum, tum ipſum cor, ideoque frigidum videtur. Addit Conciliator, Inveneruntque in ſtomacho fere libram unam argenti vivi, &c. *Cardanus lib.* 1. *cap.* 20. *de Venenis* : *Palmarius de morb. contag. lib. de Hydrarg. cap.* 5.

§. 2. Helvetius 26. annorum ex militia rediens, plane extenuatus ac defeſſus Lauſannam venit; ac quia de dolore juncturarum & laſſitudine conquerebatur, Chirurgi hoſpitio eſt uſus; qui nulla neque morbi neque virium ratione habita, ſtatim juncturas omnes, corpore impurgato, unguento ex hydrargyro inunxit, quaſi lue venerea graviter infectus fuiſſet: unde viribus omnino proſtratis, in graviſſimam lienteriam incidens, paulo poſt obiit.

Cadavere aperto Pulmones lividos, & humoribus pituitoſis inſtar ſpongiæ madefactæ repletos; Cor vero molle, flaccidum & exangue deprehendi. *Fabritius Hildanus Centur.* 3. *Obſervat.* 92.

Arſenici varii effectus.

Accidit Leodii cùm in convivio multi arſenicum, vice oryzæ farinæ edulio mixtum, ediſſent in ultima menſa, mulieres æque & viri qui minimum ederant biberantque, ſtatim à veneno ſublati ſunt : qui ventriculos patrio more ſaburrarant, à vomitu curati, cùm multis poſt annis fatis conceſſiſſent, eorumque aperirentur cadavera, invenimus in illis latas & profundas eroſiones; *Henr. ab Heer Obſervat. Spadan.* 16.

Lapidis Bezaar inſufficientia contra Mercurium ſublimatum.

Regi nuper mortuo (Carolo IX.) Claromontii in Arvernia tunc temporis degenti, à Nobili quodam ex Hiſpania allatus eſt lapis Bezahar, quem omnis generis venena debellare aſſerebat : Acceſſitus à Rege, quæſiit à me Num ſimplex aliquod & certum reperiretur alexiterium, quodcunque venenum expugnare potens? Negavi ob diverſitatem venenorum, è quibus alia intus aſſumpta erant adverſa, alia admota : Vario præterea modo lædere, nec eadem ad quodvis ſequi accidentia; alia enim primis qualitatibus, è quibus conflata ſunt, nocere; alia vi ſpecifica, occulta, rationique impervia infeſta eſſe, quorum cuique proprium alexipharmacum eſſet opponendum: Quod Nobilis acriter tueretur ſui lapidis efficaciam, facile eſſe experiri dixi, propinato veneno cuipiam furcifero : Cùm die ſequenti Coquus quidam, ob furtum duarum patinarum argentearum, cruci eſſet adjudicatus, ab eo quæſitum an venenum aliquod aſſumere vellet, propinata illico antidoto? Sin mortem effugeret delicti veniam ſic impetraturum : Annuit Coquus, ſatius ducens in carceribus veneno necari quam coram populo ſuſpendio vitam finire : Statim à Pharmacopeo propinatum eſt venenum quoddam dilutum, nec interjectâ morâ, dictum lapidem Bezahar : Ab utroque in ventriculum ingeſto ſubſequitur vomitus, & paulo pòſt deſidendi cum teneſmis cupiditas; de incendio interno conquerebatur, aquam potandam petens, quæ nec denegata Horâ unâ pòſt adeundi carceres impetratâ licentiâ, Coquum miſerum reperi, pedibus & manibus, bruti ritu incedentem, lingua extra

os exſerta, rubentibus oculis & facie flammea, inani vomendi deſiderio ſemper laceſſitus, accedentibus multis ſudoribus frigidis, ſanguinem per os, nares, aures, penem & anum emittens: Exhibui olei circiter ſemiſextarium, fugientem ſic animam revocare ſatagens, ſed incaſſum, ſerius enim exhibitum, miſere enim interiit, exclamans potiorem ſibi fuiſſe furcam, ſupervixit horas circiter ſeptem.

Eo mortuo cadaver aperui coram Dom. *de la Trouſſe*, capitali Tribuno, & quatuor lictoribus, in quo inveni fundum ſtomachi nigrum: aridum & exſuccum, non ſecus ac ſi candente ferro inuſtum fuiſſet, unde conſequi licuit exhibitum illi mercurium ſublimatum: Eo pacto lapidis Hiſpani inefficacia deprehenſa, quamobrem Rex in ignem conjici juſſit. *Pareus operum lib. 21. cap. 44.*

Veneni cauſtici vis.

Anno 1594. aperui virile cadaver: hic curandus à lue venerea traditus fuerat N. jamque ſanitati, uti videbatur, reſtitutus de abitu cogitaret, ſubito exclamare cœpit venenum ſibi propinatum fuiſſe, poſtmodum phrenitide correptus aliquot poſt horas obiit.

Juſſu magiſtratus diſſectus œſophagus cum ventriculo: vidimus oris ventriculi ſuperioris internam ſubſtantiam eroſam ac exeſam: præterea univerſam internam ventriculi membranam ita exeſam, eroſam ac putridam, ut ligneo cultello, imo ſimul ac tangeretur, facillime diſrumperetur: colore tinctus ventriculus intus ex purpureo nigro erat. Proculdubio cauſticum corroſivum aliquod pharmacum per os hauſerat. *Petrus Pavvius in obſervat. Anatomicis.*

Venenum falſo accuſatum in morte à morbillis foras non erumpentibus.

Quidam laborabat morbo Medicis incognito: ſuſpicio nonnulla fuit poculi venefici, argumenta aderant: Præſcripto Judicis res ad Medicos delata: Aperto cadavere, exanthematis obſitus ventriculus reperitur: Judicarunt toxicum præbitum, ſed male quidem: Chirurgus oculatus quæſivit num antequam è vivis exceſſiſſet, aliquid in cute apparuiſſet, Cognito quod aliquid tale contigiſſet, ſententiam retractant, ac judicarunt a morbillis occultis, vi naturæ non erumpentibus id tale eveniſſe: hinc corpus internum contaminatum: Notandum hoc, ut falſa de potione venefica ſuſpicio potius blanda, & placida ratione in ſimili exemplo fundata elevetur, quàm acerba apud Judicis contentione frangatur ac oppugnetur. *Gul. Ballonius Paradigm. 107.*

Mors Fungorum eſum conſequuta, à veneno illis commixto.

Illuſtr. Matrona annorum 57. integra alioquin valetudine cum fungos comediſſet elixos ſub tempus Paſchatis ſine noxa, ex eorundem repetito uſu, & quidem frixorum, ſequenti die in prandio, ſubortus illi fuit vomitus eadem nocte, à quo tamen convaluit circa veſpertinas horas tertiæ diei, uſu theriacæ & confectionis hyacinthinæ, ſine ulla prorſus offenſa, atque bene habuit duobus ſequentibus diebus, ita ut non ſolum è lecto ſurrexerit ſed & ſacra frequentaverit: Paſchatis verò feſto die graviſſimis conflictata ſymptomatis, 19. vel 20. horâ circiter ejuſdem diei extincta eſt.

In cadavere deprehenſa ventriculi ad partem dextram eroſio & nigredo, veneni erodentis ſigna, cum livore renum & lumborum: cujus & luculentiſſimum præbuit indicium pulviſculus coloris cineritii ulceratæ ventriculi parti adhæreſcens; vermis quoque in inteſtinis deprehenſus.

Quæritur utrum repentinæ hujus mortis cauſa Fungis venenatis ſit imputanda, vel potius corruptis in corpore humoribus veneni æmulis, vel alteri cuipiam veneno aſſumpto, cum potiſſimum apoplexiæ, aut alterius hujuſmodi gravis capitis affectus nulla ſeſe prodant indicia. Quod autem fungorum uſus mortis author fuerit, non levis eſt ſuſpicio, 1. quod hi non raro venenata qualitate ſint infecti, ſi potiſſimum locis enaſcantur ubi ferrum rubigine infectum, vel pannus putrefactus lateat, vel in radicibus arborum & ex arboribus ipſis noxiis, vel quæ innata quadam facultate fungos corrumpunt, quod de olivis & nucibus proditum, vel tandem prope ſerpentum latebras: qua ſuſpicione non vacant præſentes in pratis collecti, vel hoc potiſſimum nomine quod ab ipſorum uſu male habere cœpit, prout ipſius ancilla ab ipſorum noxa non fuit immunis eadem nocte: Accedit quod hi fungi primum erumpentes, licet non fuerint deleterii, veneficam tamen qualitatem ducere potuerunt à vaſe æneo, rubigine forte obſito, nec ſtanno oblito, in quo frixi fuere: hoc indicio quod ſecundo, non primo appoſiti, fuerunt noxii: Poſtremo quod fungorum omne genus, licet veneni expers, adeo frigidum humidum & viſcidum ſit, ut ejus perniciem proxime æmuletur, *Galeni* teſtimonio 8. de S. Med. fac. Unde facile contingere potuit ut copiâ aſſumpti duos dies continuos. nec omnino vomitu rejecti, tridui ſpatio vires ſuas exſeruerint, & calidum innatum extinguere potuerint, cùm venena frigida tardius longe ſe prodant quàm calida: Quæ potiſſimæ ſunt rationes quibus evinci videtur mulierem hanc fungorum uſu extinctam fuiſſe: Quæ tamen tanti apud me non ſunt ut id mihi ſuaderi patiar: quod enim fungi non fuerint venenati, patet 1. ex eorum denſitate & colore, quippe albi, rubri, parvi & ſolidi in fungorum genere minus noxii habentur: Accedit quod ab aliis maxima eorum pars in ſuæ familiæ uſum empta fuit, quibus innoxii prorſus fuerunt, prout & quos comedit primo defuncta, & quamplures alii, quod citra ullam offenſam, neque à terra emundati ullum exhibuere colorem, nec ulla veneni pernicies pani cum ipſis cocto impreſſa: cùm potiſſimum nulla evincat ratio quod virulentia in ipſis tamdiu deliteſcere potuerit, ut duos integros dies benè habuerit patiens à vomitu, & uſu bezoarticorum, atque triduo poſt è vita diſceſſerit: Quanquam enim venenum in corpore aliquandiu ſopitum & iners poſſit latere nec vires exſerat, fieri tamen nulla ratione poteſt ut in actum erumpens, & vomitum ciens, bezoarticorum uſu coërceatur adeo & obtundatur, ut exiguum ejus in corpore ſuperſtes mortem

mortem aliquot poſt dies inferat, quod à fungorum natura maxime alienum, qui lethales cum ſunt, enecant ſuffocando, cum ſopore, epilepſia, paralyſi vel repentina ſyncope, atque dolorem in pectine, urinæ difficultatem vel integram ſuppreſſionem inferunt: cujus rei cauſa Galenus curaturus male affectos ab uſu fungorum, etiam venenatorum, ſemper præſcripſit attenuantia, incidentia, detergentia & vomitum concitantia, hinc de conſenſu omnium Græcorũ, Arabum & Latinorum, horum remediorum uſu ægri plerumqʒ ſanantur: Non alio referenda itaque cauſa hujus repentinæ mortis quàm vel in humorum corruptionem veneni æmulam, vel in aliquod aliud venenum aſſumptum: Quod autem in corpore humano in veneni naturam faceſſant quandoq; humores, ex Galeno conſtat, 3. de loc. aff atque id experientiâ compertum in hyſtericis paſſionibus, epilepſia, febribus peſtilentibus, invadentibus peſtilentia non graſſante, aliiſque lethalibus affectibus derepente enecantibus abſq; ulla cauſa externa: Cujus pernitioſæ humorum corruptionis in hac muliere judicium præbere poteſt vermis in inteſtinis deprehenſus, corruptionis humorum ſoboles. Cæterum neque hoc pro comperto habendum, hac in primis ratione quod hujuſmodi humoribus venenatis, in ventriculo potiſſimum redundantibus, gravius affecto quàm quælibet alia corporis partium, cùm fungis uſa eſt, & ſymptomata primo ſe præbuerunt, tamdiu deliteſcere non potuiſſet pernicioſa hæc qualitas, ut biduo incolumis fuerit abſque ulla operationum noxa, quanquam verò inficias non imus quin aura quædam venenata ſtatis temporibus ab humore corrupto elevari poſſit, ſemine ſcil. aut ſanguine menſtruo in utero concluſis, parte longius à corde ſummota. Verùm alia plane eſt ratio materiæ in ventriculo coacervatæ, quæ cordi propior cum ſit, ab hac continuo illud affici eſt neceſſe: Neque vermis in inteſtinis hoc evincit, cum vermes producantur non ope tantum caloris p. n. ſed naturalis potiſſimum, materiam putreſcentem foventis, & animal ex ea ſuſcitantis, quo humor venenatus prorſus caret, nec ab eo fovetur, quin potius illum corrumpit: Quamobrem ſtatuendum cenſeo, quantum conjectura aſſequi licet, nullis ſuppetentibus firmis argumentis, extinctam eſſe præſentem ægram à veneno aſſumpto, his potiſſimum rationibus adductus 1°. quidem quod biduo bene habuerit, ac deinceps novis accidentibus ſubortis è medio ſublata ſit. 2°. Quod ex quamplurimis qui fungos illos comederunt nullus præter eam mortuus ſit, cùm tamen magna copia eos non aſſumpſerit, neque extincta ſit cùm ventriculo graves eſſe debuiſſent, ſed iis vomitu rejectis: Quibus accedit unguium livor, labiorum ſiccitas & eroſio, menti mollities & flavus color, veneni ſymptomata, nativum calorem extinguentis, Et quæ in cadavere reperta: Quod autem hæc mulier à Fungorum eſu male habuerit, ut & leviter ipſius ancilla, ſuſpicionem auget illis immixtum fuiſſe venenum, quod tamen mortem inferre non potuerit quia vomitu rejectum eſt, & quidem facilius ob cibi copiam, à qua & illud obtundi potuit, quod poſtmodum cum pauco cibo exhibitum, majori forte doſi, nec vomitu exturbatum, facilius vim ſuam exſerere & enecare potuit, *Ben. Silvaticus conſil. 79. cent. 4.*

Canum, & aliorum animalium, à vipera morſu enectorum anatome.

§. 1. Canis à vipera laceſſita in labro inferiore commorſus fuit, qui non illico admodum inde commotus, ſed non diu poſt mœſtus evaſit, cum maxillæ tumore: Vomitus poſtea ſubſequutus alimenti ultimo exhibiti, ſequuta excretione paucarum fæcum: oblatus inſuper panis, caro, aqua, quæ omnia reſpuit: decumbebat abſque planctibus, pars demorſa livida facta eſt, livore infra collum ſe diffundente, imo ad pectus uſque, non ſecus ac tumore: Tandem obiit, ſed quadrageſima à morſu hora: Venter non intumuit, nec exterius quicquam extraordinarii apparuit, præter tumorem & lividitatem partium commorſarum & vicinarum.

Cadaver apertum fuit: In trunco venæ nonnihil ſanguinis concreti reperimus; reliquum ſanguinem, ibi loci, in corde & ubique, fuſcum & obſcuri coloris obſervavimus, vitioſæque conſiſtentiæ, qualis ſanguis ex parte diſſolutus & corruptus: Ventriculi color quodammodo obſcurus fuit, ſed manifeſtius in meſenterio & inteſtinis: Nulla in corde alteratio fuit conſpicua: nulla in in hepate, pulmonibus, liene, nativus enim & optimus fuit earum partium color.

§. 2. Alius canis in auricula commorſus fuit, qui illico ululavit, atque ex intervallis ululatus per ſemihoram renovavit, deinceps ſine ullo planctu tacitus: locus commorſus lividus evaſit & intumuit cum partibus circumſitis: Vomitus nullus ſequutus, ſed dejectio paucorum excrementorum, eorumque naturalium: cibum & potum, non ſecus ac prior canis recuſavit, morte poſt viceſimam quartam à morſu horam ſubſequente. Nihil exterius inſuetum præter livorem & tumorem partis affectæ & vicinarum apparuit.

Eo diſſecto, omnia eadem quæ in præcedente interius conſpicua ſe exhibuere: nullus hic repertus ſanguis coagulatus, neque in corde, neque venâ cavâ aut ullibi; coloris vero erat obſcuri vitiatæque conſiſtentiæ, cum manifeſta ad concretionem propenſione.

§. 3. Roſtri extremitas alterius canis irritatæ viperæ dentibus objecta fuit: Commorſus canis illico ululavit, ſed non diu, locum commorſum lambere ſatagens, aut ex intervallis, pedibus ſcalpere: nequaquam decubuit, totus in alterno eo exercitio occupatus, cubiculum perambulans: Locus morſu impetitus levi livore correptus fuit: paulo pòſt objectum cibum & potum accipit, non ſecus ac ſi nihil paſſus eſſet: livore non diu poſt evaneſcente, neque ullo alio damno ſubſequuto.

§. 4. Catellus ſeptem aut octo dies natus, in tibia commorſus fuit à vipera irata: qui illico ululavit, & uſque ad obitum: horâ una poſt contingentem: pars livida & tumida ſicut in cæteris erat.

Eoque aperto nihil inſolens in cadavere repertum præter livoris quandam in ventriculo ſpeciem, & in inteſtinis, cum fuſcedine & pravâ ſanguinis conſiſtentia, ſicut in cæteris: omnes enim partes internæ rite conſtitutæ apparuere.

§. 5. Alter

§. 5. Alterius canis linguam morſu impetiit vipera, qui nobis multum laboris peperit, quo ad exerendam cogeremus, diu enim & ſtrenue obſtitit, Ictus tamen altus fuit, vipera quippe admodum irritata: Ululatus illico maximi fuere procul pertingentes, qui ad mortem uſque, quæ ſemihora poſt contigit cum ſumma agitatione, continui fuere.

Neque apertionem neglex imus, & quanquam cor, hepar, pulmones, ſplen, optime eſſent conſtituta, lingua nihilominus admodum livida evaſerat, totum meſenterium maculis lividis conſperſum, quarum plurimæ lentium magnitudinem excedebant, ſub quibus ſanguis concretus delitescebat, Ventriculi quoque & inteſtinorum color magis quàm cæterorum omnium obſcurus erat: ſanguis admodum niger, tum coagulationis initio in corde & vena cava, cæterum conſiſtentiâ diſſolutus & corruptus.

§. 6, Alium præterea canem in imo ventre morderi curavimus, ab alia irata vipera: qui illico vehementer, at non diu ululavit: Locus affectus admodum intumuit cum livore; hoc cum tumore circum circa partes naturales ſe diffundente: Crebro potabat hic canis, ſed cibum adverſabatur, atque in eo ſtatu diu, citra priora accidentia perſtitit: Biduo poſt, quo de re certius conſtaret, iterata vice, juxta priorem locum illum morſu impeti curavimus qui iterum alte ululavit, cum tumoris, per totum pene abdomen expanſi, necnon livoris augmento, qui tamen intra eos limites conſtiterunt, quia canis vulnera crebro adlambebat, interea potans, ac tandem comedens; adeo ut citra aliud quàm à lingua petitum remedium ſpatio quinque aut ſex dierum, omnis intumeſcentia & lividitas diſparuerint, cane ad priorem omnino ſtatum redeunte.

§. 7. Experimenta ſupra adducta inſignis uſus fuere ad rectam notitiam effectuum viperæ, inter quos multa adfuit affinitas: Columbum & pullum Gallinaceum viperæ in iram concitæ expoſuimus, ſucceſſive & pene eodem tempore: Ictus parti maximè carnoſæ inflictus fuit, pectoris ſcilicet imæ parti: In utroque illico obſervare licuit crebram cordis palpitationem, eamque extraordinariam, amplius ſemper procedentem, adeo ut ambo ſemihoræ ſpatio occubuerint.

Uterque ſtatim adapertus fuit, ac ſanguinis in corde & vena cava concreti nonnihil repertum eſt, reliquo cruore nigricante, ac ad coagulationem vergente, & diſſolutioni & corruptioni proximo: cæterum cor & hepar, ſicut & cæteræ partes internæ externæque, coloris floridi riteque conſtitutæ: exiguum tamen livorem demorſa pars præ ſe ferebat.

§. 8. Ulterius experiri libuit an eadem vipera, morſu uno eodemque tempore diverſa ſucceſſive animalia interimere valeret, ac num ejus venenum exhauriri poſſet, adeo ut ultimo ictu immunia eſſe poſſent, Rem exploraturi, quinque ex ordine columbas uni eidemque viperæ objecimus, quam toties laceſſivimus, quoties dentes impreſſit, quæ omnes paulo poſt mortuæ ſunt, atque omnium prima quæ ultima commorſa fuit: Quoad ſanguinem reliquaſque partes internas, idem prope ſtatus fuit qui primæ columbæ. *Moſes Charraz Tractatu de Vipera.*

De Viperarum morſibus ac Veneno Obſervationes propriæ.

Anno 1683. capram majorem viperis irritatis mordendam exhibuimus, atque ab earum unâ vulnus in nares eſt inflictum; unde ipſo momento mœſta ac tremula facta eſt panemque aqua imbutum & ſale multò conſperſum reſpuit; imo vix ab unâ parte domus in aliam, præ debilitate, commigrare valuit. Ab hinc humi cubuit tremuloque per totum corpus motus cum abdominis diſtentione paſſa eſt. Poſt horæ circiter quadrantem, ſalivatio, eaque admodum viſcoſa, atque ſpumoſa, oborta eſt, & ad aliquot minuta talis perduravit. Inde in dyſpnæam incidit; qua paululum diminutâ, ſomnò corripiebatur, quem rurſus ſubſequebatur ſalivatio, ſed tenuis & minùs quàm priùs ſpumoſa: ſomnus hinc cum intenſiori dyſpnœa comiteque ſtertore, ingenti partium corporis omnium tremore, & muſculorum colli convulſivâ tenſione, eam corripuit. Sic per momenta affectæ; cùm canis objectus fuiſſet, caput quidem in eum extulit, ſed reliquum corpus nullatenus movit. Salivatio interim non ita copioſa ſubſiſtebat, dyſpnæa ut & tremor ſenſim remittebant, ac oculos identidem aperiebat, donec poſt duas, cum unius quadrante, à morſu horas, pedibus inſiſtens, rigida & quaſi cataleptica fiebat, non ita tamen pertinaciter immobilis, quin excitata, vique aliquatenus adacta, horæ quadrantem per cameram obambularet; donec veneni vi rurſus proſtrata, & vehementioribus motibus, convulſivis ſuccuſſa, totô tandem corpore reſoluta perierit. Apertô corpore, præter alia de quibus in ſequentibus, reperiebamus ſanguinem non tantùm in grumos coactum, ſed ejuſdem particulas ſibi invicem ita cohærentes, ut in cordis ventriculis polypos admodum tenaces, valvularum tum ſigmoidalium, tum tricuſpidalium variarumque cavernularum in prædictis ventriculis excavatarum, imaginem apprimè per externa referentes, efformaret. Idem præterea ſanguis è majoribus ac minoribus venis, in ramos ac ramulos diſtributus, ſine diſruptione extrahi poterat, valvularum itidem omnium, tum jugularium venarum, tum aliarum, figuram non minùs accuratam exhibens, quàm à cerâ præparatâ ac eâdem infuſâ, illud effectum fuiſſet. Prædictus autem ſanguis nullum prorſus nigrorem contraxerat, ſed vividus omnino ac rutilus viſebatur. Canes quos in experimentum ſæpius adhibuimus, ut & feles, cuniculi, porcelli Braſiliani, columbæ, picæ, pulli gallinacei aliaque animalia; iiſdem propè prehenſa ſymptomatis, alia citiùs, alia tardiùs veneno fuere enecta; ſuper quo adnotavimus quod illa in quibus ſanguis variique ſucci fuerint naturâ ſuâ acriores, imo particulis volatilioribus magis ſaturati; veluti feles, columbæ, picæ &c. citiùs, nec etiam intra pauca horæ minuta ſint occiſa: alia verò in quibus & ſanguis & aliis ſucci aquoſiores viſcidiores ac lentioris fuerint motus, vitam longiùs protraxerint: quòdque etiam aliqua inter ipſa, quamvis pluries ac profundiùs commorſa, ſine remediis evaſerint, nec à veneno lethaliter affici

potuerint; cujus cenſus nobis præcipuè fuit Mus Alpinus, Marmota vulgò dictus, qui etiamſi tumores multos in labiis vulneratis, os prope per tempus occludentes fœtoremque gangrænoſum ſpargentes, geſſerit; convaluit tamen tandem, nec aliquô medicamentô in illud eguit, niſi inde medelam ſibi aſſumpſiſſe crediderimus, quòd eô ipsô momentô quô ſe commorſum perſentiebat, dentibus viperæ caput arriperet illudque contereret, verùm non uſque adeò ut ipſum confringeret, aut letaliter violarat; (nulla ſiquidem vipera ſic mortua eſt) at potiùs ut conterendo ac conquaſſando ſugeret ſuccum è viperæ roſtro per compreſſionem exeuntem. Ut autem è diverticulo (forſan non adeò ingratô) ad viam jam redeamus, obſervavimus, ni nos memoria fallit, in iis omnibus animalibus quæ venenô periere viperinô, inteſtina diſtenta, aliquatenus inflammata, maculiſque lividis hinc inde leviter picta, ſed eò loci quo bilis canalem ſuum habet apertum, livore, ſeu potius nigrore gangrænoso infecta; unde conjicere licet venenum non tantùm vim ſuam in nervos exerere, illicque tot turbas, tremores convulſivos ac fibrarum contractiones parere, quorum ex parte fœtus ſunt conſtrictiones glandularum ſalivalium, totiuſque palati ac faucium, quas ſalivatio neceſſariò conſequitur; item ventriculi & inteſtinorum convulſiones, comiteſque contentorum dejectiones: Verum etiam in omnes alios permeare ſuccos iiſdemque deleterium quid immittere. Eâ ratione ſanguinem letaliter coagulat, dum ſerum ejuſdem a parte fibroſâ ſecretum, per vias urinarias, & inteſtinales copioſiùs amandat; proventumque bilioſum eò fermentationis & acrimoniæ evehit, ut non tantum vellicandis inteſtinis, eorundemque motui pro deturbandis promptiùs excrementis accelerando, ſed etiam illis ipſis ad inſtar lapidis cauſtici è ſalibus lixivialibus confecti, corrodendis, aptus ſit; eòque præcipuè loci, ubi totâ vi agit: & antequam aliis ſuccis in fluxuoſum inteſtinorum tubum effuſis, immiſtus, illa retuſa fuerit. Hic exquirendum veniret à quô denum principio tot funeſtos pronaſcantur effectus, quid hinc coagulationes, hinc fuſiones, ac fluorem ſalium pariat; quid ſpiritus animales, nervorumque ſuccum, quid fibras undique proritet? Verùm hic fatemur ignorantiam, malumuſque altùm ſilere quàm conjecturas minùs ad rem facientes protrudendo tempus terere. Adjicimus tantùm venenum hoc eſſe admodum ſubtile & paucum, quod magis mirum eſſet, ni diviſio corporum in infinitum à recentioribus Philoſophis validis rationibus comprobata, imò experimentis ſuper cupri particula flammam à lampade accenſâ aſcendentem colore viridiuſculo plures dies tingentem, peractis, à Nobiliſſ. ac Præclariſſ. D. Boyle quaſi demonſtrata foret. Non tamen concluſum volumus hoc venenum tam paucum eſſe ac aſſerit Clariſſ. Dominus Charraz, dum illud totum in ſpiritibus ex animali iratô evolantibus, minimâque ſui portione vulnus à dente inflictum ſubeuntibus, repoſitum opinatur: Agnoſcimus enim hic præterea ſuccum quempiam pinguem & oleoſum ſacculis propriis per gingivæ longitudinem expanſis concluſum, cui princeps hoc in negotio miniſterium debetur, cujuſque propterea naturam ac effuſionis modum convenens fuerit ut explicemus. De memoratis ſacculis & liquore contento ſic habet Illuſtriſſ. Franc. Redi in ſuis obſervationibus ſuper viperis. In fundô vaginarum intra quas viperæ dentes habent repoſitos, humor ſtagnat colore & ſapore ſimillimus oleo amygdalarum dulcium. Unde apparet ipſum pro uno & eôdem ſacculo habere tum quod vaginulam, conficit denti dum ſupra maxillum recubat, tum quod ſuccum oleoſum, gingivalem non abſurdè dicendum, concludit. Clariſſ. Dom. Charaz idem in ſua viperæ anatomia ſentit, ac proin ſcribit. Vidi majorem dentem ad duas ſuæ longitudinis tertias, tunicâ, ſeu veſiculâ cinctum; quam veſiculam complet ſuccus ſubflavus, pellucidus ac mediocriter fluidus; addit præterea ſuccum hunc in haſce veſiculas à glandulis ſalivalibus per canaliculos amandari, & nullatenus à folliculo bilis aſſurgere, ut malè crediderant quidam ſuper Natura ſucci, præcitati Auctores non contenti colorem, conſiſtentiam, ac ſaporem in examen adhibuiſſe, illum etiam animalibus hominibuſque propinârunt, nec multum acrimoniæ aut ex guſtu, aut ex effectis in ventriculô, in ipſô pervidere potuerunt: At verò, illud ita ipſis apparuiſſe, quia infaſciatæ, ut ita dicam, ab oleoſis admiſtis veneni particulæ, in linguæ cavernulas illicque concluſas papillulas nerveas ſpicula ſua inferre non valebant, & quia poſtea ſuccis ventriculo inquilinis immerſæ præcipuâ ſuâ vi ſpoliabantur, fas eſt opinari. Nam iſte ſuccus proculdubio, non tantùm vivente animali, ac per ejuſdem irritationem commotus, venenoſus eſt; ſed etiam poſtquam ab animalis capite expreſſus fuit, dummodo immediatè in venas pertingat; idque non ſemel experti ſumus in canibus, in quorum vaſa ſanguifera cùm ſuccum prædictum è capitibus viperinis paucâ aquâ calidâ inter exprimendum ablutis, extractum infudiſſemus, brevi illi periere. Nec valet contra experientiam objectio, quòd innocuè ebibatur, quòdque plagis cultro confectis innocuè affricetur; ſiquidem multa ſtomacho non ſunt nociva quæ in ſanguinem immediatè excepta letum inferunt, ſic ego ipſe ſæpius largiſſimas volatilium doſes haurire valui, quarum in venas injectionem animalibus omnis generis letales obſervavi; & præterea quod plagas ſpectat ejuſmodi ſucco inunctas, quis non videt, non ita liberum ſucco illi vaſa per plagas aperta ſubire, quin potiùs à ſanguine elabente dilui, & in terram, aut lintea applicita effundi? At etiam deficientibus hiſce rationibus, quid objectio contra experimentum certum & indubitatum. Non itaque hæſitanter pronuncio, venenum viperinum totum in ſuccô gingivali reſidere; ſupereſt tantùm ut exquiramus quomodo in venas protrudatur dum animal quodpiam à vipera commordetur. Illud autem demonſtrationis non erit multum difficilis, ſi primò affirmaverimus cum Illuſtriſſ. Dom. Redi, viperarum dentes majores eſſe cavos ac per longitudinem ſuam, exceptô extremô tantùm apice, tabulatos

tubulatos, ſed etiam non longe infra illud extremum, lateraliter ita eſſe perforatos, ut commodiſſimè liquorem per veſicularum compreſſiones in ipſos, non aliàs quam enematum materia e veſicis bubulis manu conſtrictis in fiſtulas in id illis aptatas, momentò trajicientem vulneri infundant. Hoc autem eò confidentiùs aſſerimus, quòd non ex propria noſtrâ obſervatione addamus, obſtante foraminis exiguitate, ſuccum ex compreſſione longè quaſi per ſyringam ejectum ſæpius videtimus. Hic itaque idem præſtant tubulati dentes, quod in urticâ urente villi illi craſſiores ac tubulati, e pluribus veſiculis hinc inde folium plantæ contegentibus, ac humorem corroſivum continentibus, aſſurgentes; nam dum à villis rigidioribus tubulatis & per ſui extremitatem acutioribus vulneratur pars aliqua, eo ipsò infunditur in vulnus liquor ſubjectus fermentationes dolorificas producere paratus. Atque jam de veneno ac de modò quo in vulnus transmittitur ſatis, operæ nunc pretium fuerit ſi aliquid de antidotis adjecerimus, idque per experimenta in animalibus ac etiam hominibus peracta. Nobiliſſimum ſanè ac præſentiſſimum hoc in caſu medicamentum, (ut alia reticeam) eſt ipſum ſal viperinum, totaque viperæ ſubſtantia; ſuper quo minimè ingratum fuerit quod in juvene, annos circiter octodecim natò obſervavimus adverte: Ille ſcilicet cùm in medelam affectionis cujuſdam faciei cruſtoſæ juſcula viperina, viperarumque ſal volatile adhiberet; aliquando à vipera forcipe comprehenſa altùm inter pollicem ac digitum indicem commorſus fuit, nec inde tamen quidpiam noxæ retulit, quòd longô jam prædictorum juſculorum ac ſalis uſu præmunitus quaſi fuiſſet in ſucci virulentiſſimi & pernicioſiſſimi, expulſionem ac extinctionem. In aliis verò quibus non contigit ita beatis eſſe ut antidotum propriô ſanguini concluſam gererent, non difficile fuit ſymptomatis à venenô enaſcentibus occurrere, tum per ſuctionem partis vulneratæ, continuoq; inſtitutam ejus ſcarificationem, ac lotionem ex acetô theriacali, tum per propinatum præterea ſale volatile viperinum in largiori doſi. Sic providimus adoleſcenti qui prope talum ſuper tendine, Hippocrati chorda dictô, vulneratus fuerat; ut & ancillæ quæ dum viperam è capsâ ſe ſe proripientem, caudâ arreptâ, retrahere tentat, in brachiô profundiùs ſauciata fuit. Sic etiam varios canes commorſos curavimus. Verum non eſt quòd plura addamus de remediô ſatis omnibus notô: Itaque hæc ſufficiant.

De Aconito Pardalianche falsò Matth. Aconito. I. Dioſcoridi Thora folio Ciclaminis Ioh. Bauh. Thora Valdenſium aliis dictô.

De hac planta ſcribit Clariſſ. Johan. Bauhinus ex aliorum ſententiâ, napelli excedere malitiam, illamque tantam eſſe, ut homo quidem præcipuè, deinde & quadrupedes, ac aliud quodlibet ferarum vulneratum aut ictum telo hujus ſucco imbutô illitove intra ſemi horam pereat ac moriatur. Nega tamen mortiferum ſi bibatur aut devoretur, tametſi abſque noxâ id non fiat. Nos magnam hujus plantæ quantitatem in monte vicinô *Touiry* dictò ſæpius colligi curavimus, ſuccòque ipſius vulnera animalibus inflicta pluries fovimus, nec tamen aliquid funeſti inde ortum vidimus, unde concludimus virulentiam, plantæ nimium trajicè à Geſnero & aliis explicari, propterea quod iis, quæ ſibi relata fuerant fidentes propriam experientian non conſuluerant. Radix exſiccata ſaporis eſt ſubdulcis ac parum ingrati, quæ canibus aliiſque animalibus exhibita noxæ nihil aut parum admodum intulit. De Aconito Pardalianche verò Dalechampii quod in jugis montis vicinis locô dictò *les Faucilles* reperiebat, quodque eradicare non audebat propter peſtiferam venenoſitatem, quàm etiam iis qui tantùm illud attingunt, infert; hic aliquid dicendum haberemus, nimirum quod prædicto Botaniſtæ tantùm timorem incutiebat aliud prorſus non fuiſſe quàm Petaſitidem ipſum, ut ex deſcriptione folii & loci ubi enaſcitur, abſentiâque omnis aliûs plantæ figuræ congeneris faciè nobis conſtitit. Verùm de his ut & aliis ad rem Herbariam pertinentibus commodiùs alibi.

Solani melanocerasi ſeu ſylvatici vis ſoporifera ac deleteria.

Cùm anno 1690. die 29. Julii ad Seebachum, vicum ditionis Tigurinæ, unâ leucâ ab urbe diſtantem, mulieres aliquot ruſticæ in evellenda cannabi occupatæ eſſent, circa veſperam muliercula quædam ex eodem vico Regula *Meyerna*, uxor *Rudolphi Kochii*, inter eundum per vicinum ſaltum, dictum *Buhnholtz*, in fruticem perelegantem, baccas atras, ſplendidas atque viſu amœnas proferentem, Solanum μελανοκέρασος, ſylvaticum & maniacum appellatum ſiniſtro fato, incidit: cùm verò antehac auditu nonnulla percepiſſet de baccis Ebuli, ſibi perſuaſit has ipſas Ebuli baccas eſſe; itaque magnam earum vim in ventrale ſuum collegit, quo domi Rob Ebuli conficeret. Poſtquam verò ad prædictas mulieres ruſticas, circa cannabin occupatas perveniſſet, ex Barbara Küslera, vidua Henrici Siberi, annor. 62. quæ ipſa ante aliquot annos Rob Sambuci atque Ebuli conficere ſolita fuit, quæſivit numquid hæ baccæ Ebuli baccæ eſſent, nec ne? Illa imprudens, maximo ſuo & aliorum infortunio affirmando reſpondit, atque de iis ipſis baccis comedere incepit, unde & cæteræ mulieres eas deguſtârunt, verùm ex his minùs gratæ viſæ fuere: ipſa quoque Regula Mayerna, ſex baccas devoravit, verùm cum & ipſius quoque palato eæ haud acceptæ fuiſſent, nonnullas denuo exſpuit. Cùm autem Socrus hujus Regulæ Anna Mayerna, vidua Johannis Kochii annorum 61. & ſupra dicta Barbara Küslera, cupiditate ingenti de his baccis comedendi corriperentur, proculdubio fame preſſæ, libenti animo à Regula

earum eſus illis conceſſus, imò ut de iis commanducarent; ſiquidem ita luberet, eas urſit: hæ itaque pro libitu lubituque de illis comederunt, pauloque poſt ad labores ſuos, evulſionem nempe cannabis, ſe ſe receperunt; mox autem ad baccas has advolârunt iterum, iiſque ſe ſe ingurgitârunt. Sed nondum elapſâ horâ baccæ hæ virulentiam ſuam occultam, narcoticam atque deleteriam exerere cœperunt, proinde binæ hæ vetulæ viribus deficere de magnâ anxietate circa præcordia, atque cardialgiâ conqueri, ac ſomno corripi cœpere; quapropter domum contendunt; ſed jam inter eundum, lethargus incrementa ſumit, ſtupidæ atque ἄφωνοι fieri incipiunt. Interea verò temporis muliercula illa Regula reliquas ſuas baccas domum deportavit, in hypocauſto repoſuit, & mox inde in vicini cujuſdam domum, negotiorum quorundam causâ, ſe ſe contulit: in abſentia ejus nonnulli infantes, tum in eadem domo cum ea habitantes, tum etiam vicinorum aliquot, hypocauſtum ingreſſi, in baccas has irruerunt: ex domeſticis alii, ceraſa eas eſſe arbitrati, comederunt; alii verò eas tantùm deguſtârunt, & tanquam inſipidas denuò exſpuerunt: vicinorum autem infantes, cùm de iis comediſſent, è domo mox ſeſe ſubduxêre, timentes ne à muliercula illa malè tractarentur, ſi ea redux nil amplius baccarum offenderet. Inter infantes hos erat Puella II. annorum, quæ quinque baccas aſſumſit, neque quidquam adverti inde percepit: Puer autem novennis etiam decem devoravit; atque hic ſtuporem ſaltem quendam & tormina ventris ſenſit: magnam autem earum copiam ſequentes pueri devorârunt, nempe Joannes Conradus Brunnerus, Abrahami filius, ſeptennis, Conradus Kochius, quadriennis, mulierculæ illius Regulæ proprius filius, & Johannis *Klein Peter Schmids*, filiolus, bimus & octimeſtris. Puerulì hi paucis ab hinc horis penes ſuos animo atque corpore, languere cœperunt, diriſque cruciatibus circa præcordia, ſtupore, quinetiam ac convulſionibus epilepticis ſæviſſimis corripiebantur. unde & bini minorennes puerulì apoplecticorum inſtar, alter circa mediam noctem, alter verò ſequenti luce, extincti, & miſeram ſuam vitam finiêre: ignari erant Parentes, undenam hoc mali infantes hi ſibi contraxiſſent, prout ſunt innumeræ infortunii viæ. Cùm verò Pater majorennis pueri Johan. Conrad. Brunneri, in rem præſentem iviſſet, atque exploratum haberet quid cum filio ſuo actum eſſet, ſubitò ad vicinum quendam Medicaſtrum ſe ſe contulit, qui ſuaſit ut aquam tepidam puero per os infunderet, quò baccas ingeſtas regurgitaret; ſed cùm hoc minùs ſuccederet, poſt infuſam Theriacam in aqua quadam ſtilatitia baccas revomuit, ſimulque per nares ac os ſanguinem reddidit, ac brevi ſanitatem priſtinam recuperavit. Sed binæ jam ſupra commemoratæ vetulæ domi jam lethargo correptæ, velut apoplecticæ ſine ullo motu membrorum jacebant; ſique ab adſtantibus vellicabantur, oculos quidem aperiebant, ſed ne gry quidem proferebant, atque in eodem ſtatu ſequenti etiam die permanebant, circa horam autem octavam veſpertinam, *Barbara Küſslera*, cùm priùs comeſas baccas revomuiſſet, vitam cum morte commutavit; altera verò *Anna Mayerna*, ſubſequenti demum die 31. Julii, ſummo mane, in libitinæ rationes adſcripta fuit: cùm autem baccas ingeſtas in ventriculo retinuiſſet, poſt obitum corpus ejus mirum in modum intumuit. Eodem autem die quartana hæc cadavera in eodem ſepulchro recondita fuerunt. *D. Johannis Jacobi Wagneri Miſcell. curioſ. Dec.* II. *Ann.* 10.

De Ictu Scorpionum.

Quam hîc ſiſto obſervationem, Excellent. Dom. Dom. Franciſc. Evangeliſtius, ut Nobiliſſimis noſtris Dom. Collegis innoteſceret, communicavit, quam etiam propriis ejus verbis exhibeo: Elizabetha de Turſanis ſub fine menſis Julii *1691*. cùm ſe ſe ad latrinam in loco præhumido ſitam contuliſſet, à Scorpione ibidem latente icta fuit circa ultimas recti inteſtini plicas. A re inopinata præterrita me acceſſitum voluit, ut prædicta narraret. Petii ab eadem, num eſſet certa quòd verè Ictus Scorpionis fuiſſet, quem ſtatim mortuum mihi oſtendit, quia ab inflicto vulnere illum calceamentis contriverat. Interea ut mortem, quem imminentem arbitrabatur, evaderet medica poſcebat præſidia. Unde præcepi ut locum ſauciatum cum eodem ſcorpione optimè trito fricaret, quod non permiſit. Quapropter ſubfumigium cum eodem animali perficiendum commendavi, quod factum fuit; quamvis pudibunda dilatationem puncturæ opera Chirurgi peragendam renuiſſet. Interea nulla ſæviora ſymptomata apparebant. Poſt duas horas à maximâ viſcerum commotione, vomendi ſtimulò, ſudore frigidô; & quâdam veluti lipothymiâ feſtata, denuò ad viſitationem Adſtantes me vocant. Ego indicatione ſumpta à veneno repente ad ſuperiora hirudines ad locum ſauciatum, unam poſt aliam, apponendas præſcripſi, quæ omnia integrè peracta fuerunt. Poſt ſex horas incidit in adeò perverſum inteſtinorum motum, ut omnia quæ per os aſſumebat, ſtatim evomeret. Unde cum per ſuperiora non poſſet dari medelæ locus, Clyſteribus, fomentis & unctionibus alexipharmacis, & ſpiritus refocillantibus uſi fuimus. Primus clyſter vix injectus fuit, cum jam per ſuperiora redderetur, de certitudine Volvuli nos certiores faciens. Interea pluries animi deliquia ipſam apprehenderunt, & poſt horas aliquot convulſa obiit.

Venenum Scorpionis eſſe minimum mole, ſed facultate & immanitate maximum & potentiſſimum, Galenus ab experientia edoctus pronuntiavit. Et quamvis in Italia lethale virus non emittere, Plinius teſtatus ſit, attamen ſumma rerum magiſtra experientia contrarium confirmat. Cur verò tam citò, & tot

tam

tantorumque morborum ſyndromes evenerit, non aſſequor, ni fortè credam, quod per venas & arterias non ſolum virus ipſi cordi communicatum fuerit, ſpiritulque vitales infecerit, ſed etiam pro certo habeam, quòd in humoribus centuplicata fuerit quantitas veneni, non ſecus ac Chimici auri argentique multiplicationem invenerunt: Nam; Apponenſe dictante, venenum pernicioſam ac deſtruentem vim cordis habet, & quidquid attingit in humano corpore, hoc convertit in ſuam ſpeciem venenoſam, & ſe ipſum ita multiplicat, inficiendo humiditates corporis noſtri in venenoſam naturam; quâs multiplicatâ, augetur virtus veneni. Geometricum eſt axioma; Geminatâ quantitas exauget virtutem. Mihi inſuper perſuadeo, noſtram patientem tam cito obiiſſe, quod Chloroſi laboraret, & per conſequens valetudinaria eſſet, hinc facilè credo, quòd veneno in ſuo corpore genito ſcatuerit, idque adventitio, & forſan ſibi analogo adjunctum deleteriam vim exeruerit, ac citam mortem attulerit. Nam ubi abundat venenoſus ſpiritus, venenum denùo ingruens eſt magis pernicioſum, ut probat Caſtrenſis Luſitanus in ſuis Meteoris Microcoſmi.

Iliaca paſſio, quæ ſucceſſit, magis miranda videtur; cùm aliàs ex occluſione inteſtinorum, & præcipuè gracilium ortum ducat, quæ tamen in Caſu noſtro ſupponenda non erat, quia noviſſimè fœces ejecerat, quando à ſcorpione icta fuit; neque ab inflammatione circa rectum inteſtinum premebatur, ex quâ clauſum orificium ſupponendum fuiſſet, tum quia ex febris abſentia, imò ex autopſia abfuit inflammatio, tum etiam quia clyſter ſumma cum facilitate injectus fuerat: Ergo omnis cauſa ad pravam veneni qualitatem referenda videtur, quæ annuloſis inteſtinorum fibris communicata, & ſpiritibus in ipſa animi commotione verſus principem ſuæ originis locum remeantibus, aſſociata, ſecum fluida vaſorum ad ſuperiora per motum antiperiſtalticum ſtimulavit, & convolvulum prædictum excitavit. Hinc duo fatenda videntur: Primum, quòd detur motus convulſiuus, præter cauſam inanitionis & repletionis, utplurimùm ex cauſa venifica, & hac calida vellicante, quia ex frigida aut humida potius reſolutio, non convulſio ſuccedit, Alterum quod ſcorpionis virus, calidum, urens, & nervos mordens credendum ſit, ut cum Cæſalpino plurimis placuit; non verò frigidum, ut multis aliis medicinæ Principibus arriſit. *Dom. Dom. Joſephi Lanzoni Miſcell. Cur. Decemb. 3. Ann. 1.*

De Stramoniæ ſemine per errorem ſumpto, ejuſque ſymptomatibus & curatione.

Senator hujus urbis ſæpius calculo cruciatus, ſuaſu uxoris ſumpſit pulverem ex ſemine ſtramoniæ, quod ſemen ex errore pro ſemine bardanæ collegerat, deglutito hoc medicamento, mox faucibus conſtrictis vertigine corripiebatur, ut quaſi temulentus hinc inde vacillaret, mox mens vacillabat, & variæ phantaſiæ objiciebantur, & quaſi in ἐκστάσει ſibi videbatur, ordinatum eſt gargariſma ex decocto caricarum, paſſularum & glycyrrhizâ; Caricæ enim veneno reſiſtunt, hoc modo conſtrictio colli remiſit, tunc exhibita Theriaca ad ℨii. cum cereviſiâ calidâ & opertus ſudavit, quod remedium iteratum & per vices Bolus Armen. & terra ſigillata exhibita, ſic intra aliquot dies plenariè reſtitutus, niſi quod vertigo aliquando urgeret. *Dom. D. Danielis Grügeri Miſcel. Curioſ. Decemb. 3. Ann. 2.*

Non ita bene ceſſit Viro præter propter quadragenario, qui ab exhibito, ut creditum, ſtromonii ſemine Annô 1682. ægrotavit, ſiquidem poſt vertigines, ſopores, faucium dolorem, nauſeam imò vomitus, in alvi fluxum incidebat, quô ſuppreſsô horrendum in modum post 28. horas, manente tamen integrâ ratione, convulſus obiit. Cadavere apertô vidimus Cyſtidem felleam bile porraceâ diſtentam, eôque locô ubi duodenum canali ſuo perforat, inteſtinum ita ulceratum ac quaſi putrefactum ut minimâ digitorum vi laceraretur. Ventriculus in fundô ſuô erat excoriatus, & puncticulis variis à totidem proculdubio ſeminis vorati particulis, ibidem inuſtis, notatum. Integro corpore ſuô non parum erat ille diminutus, & multò infra amplitudinem coli ſubjecti ſe nobis exhibebat. Sanguis ita erat colliquatus, ut etiam ſi corpus decem ad minimum poſt obitum horas cultro ſubjiceretur, ne illius quidem guttulam alicubi coagulatam obſervaverimus; quin potius ille ex omnibus ſuis vaſis & vaſculis ſtatim ac vulnerabantur exiliebat nigro colore infectus, admodum fuſus & parum ſpumoſus.

De Uſu fungi ſaligni lethali.

Mulomedicus in pago Thuringhauſen puer caſtra ſecutus & ſervitiis Chirurgi caſtrenſis addictus, animum applicat ad medicinam, dumque mulum vel equum ægritudine quadam laborantem reſtituit, & hominum curam aggreditur, à baculo ad angulum, hoc eſt, à brutis & equis ad homines argumentatus, ratuſque, ſe à Magiſtro ſuo, Chirurgo videlicet caſtrenſi, cui, à pedibus & calcis purgandis fuit, omnia arcana medica primo ſaltem intuitu hauſiſſe.

In praxi ſua, ut ita loquar, vulgi facilè acquirit applauſum, dum ſimilis ſimili gaudet, nec ſaniores, imperiti tamen, ejuſdem

reſpuunt conſilia ac medicamenta; Cumque æditvus quidam in pago Bercka ex commendatione ſingulari per paſtorem quendam paganum facta perſuaderetur, ut de reſpiratione difficili cum ſumma virium imbecillitate per aliquot menſes conqueſtus, hujus Mulomedici imploret operam per literas & fratrem ſuum de malo ſuo eundem facit certiorem ejuſque petit conſilium ac medicamenta. Hic ad quævis paratus tranſmittit eidem potionem ad ℔ vi. ex pectoralibus herbis & radicibus confectam cui addit pulverem ex fungo ſaligno præparatum ad ʒ. cultri cuſpides pro doſi, jubetque ut ſtragulis bene coopertus ſudet. (*den er müſſen ihn die Schleimkeiten auſs den magen*, verba ſunt Medicaſtri *durch dem Schvveis auſstreiben*, riſum teneatis amici? *und ob gleich dieſes pulver ihn ſehr angreiffen vvurde, So vvoll er ſich doch daran nicht kehren, den NB. So er es überſtunde, So hatte er nicht gevvunnen, und er vvolte dem Herren* Cantori *ſchön helffen*, ſummo igitur appetitu aſſumitur hic pulvis, ſed dum ſudor expectatur, en vomitus accedunt enormes cum ſumma cordis anxietate, lipothymiis continuis, extremorum frigore, ſingultu & tandem convulſionibus, quæ omnia ægrum ita excruciant, ut paucis ab exhibitione jam diciti pulveris horis, vitam cum morte cogatur commutare.

Illuſtriſſimus Comes demandat Medicis ſectionem, quam D. 27. Februar. anni 1694. inſtituunt & obſervant, 1. Cadaver per os & nares valdè fermenteſcens, 2. Maculas nigropurpureas externè circa regionem ventriculi. 3. Aperto Abdomine lymphæ extravaſatæ quantitatem ad 2. ℔. in Abdominis cavitate 4. Maculas bilioſas in ſuperficie ventriculi externa & circa pylorum ut & partem coli ac duodeni, quæ à nimia compreſſione & irritatione creberrimiſque vomitibus dum bilis per *διαπήδησιν* fortaſſe tranſudaverat (veſicula enim fellis integra erat) fuere deductæ. 5. Ventriculi orificium ſuperius & inferius, ut & ejuſdem fundum & partes collaterales undique ſugillatione inſigni apparentes ut & membranam interiorem arroſam ob ſummam aſſumpti medicamenti acrimoniam. 6. Cumque demortuus de diuturna reſpirationis difficultate eſſet conqueſtus, thoracem aperimus, ibique offendimus lymphæ extravaſatæ quantitatem ad ℔ v. vel vi. ut ſic Hydrops pectoris verus ejus fuerit affectus, quo laboravit, dumque diaphragma & pulmones onere hujus lymphæ gravati liberum non obtinere potuerunt motum, hinc difficultas reſpirationis oborta eſt. Accedit inſuper, quod 7. obſervatum fuerit Parenchyma pulmonum magnitudinem naturalem valdè ſuperans, ſicut & pulmones ipſi maximè erant inflati; à nimiis itidem irritationibus & vomendi conatibus & tamen lobi eorundem, excepto unico majori dextro innoxio, exangues & ad exulcerationem diſpoſiti videbantur, ut ſic ad phthiſin quoque demortuus inclinaverit. 8. Tandem pulmones modo naturali non apparebant diſtincti, ſed membranâ ſatis validâ & craſsâ conjuncti, cujus etiam ope ſterno & coſtis adnati erant, ut proinde ob denegatam liberam pulmonis expanſionem à tot cauſis excitatam mirum non fuerit demortuum tantam ſenſiſſe reſpirationis difficultatem, utpote quam vix curabilem judicaverim.

Rogatus ſententiam meam de hoc caſu, ita reſpondi; Fungorum uſum in genere apud pleroſq; Medicos malè audire, utpote qui tanquam ulcera terræ difficillimæ ſint concoctionis nulliuſque nutrimenti laudabilis, ori & gulæ etiamſi optimè placuerint, ſint participes, nec deeſſe exempla de interitu integrarum familiarum uſu fungorum extinctarum, notandumque inſuper eſſe ex Bauhino fungum ſalignum in Pinac. ſect. 5. p. m. 372. inter fungos noxios referri, & Cluſii autoritate confirmari. Et quamvis B. Ludovici in ſua pharmacia, & quidem diſſert. 1. p. m. 552. ita de his fungis diſſerat; Fungos ſalignos ad gran. v. vel viii. bibonibus præcipuè, nonnunquam cum effectu, de cætero ſine noxa, dari vidimus, doſis tamen in hoc caſu nimis enormis fuit ad ʒ. videlicet cultri cuſpides, ita ut non dubitem aſſerere pulveris hujus fungi ſaligni quantitatem ad gran. xv. vel ultra (*dann drey Bauer Meſſer ſpitzen vermögen etvvas*) aſcendiſſe, aut ſuperaſſe, ut proinde non mirum, tantam tamque lethalem operationem eſſe ſubſecutam.

Nec excuſabit Medicaſtrum Jovem jurantem lapidem, ſe medicamentum hoc omni labe carens autumaſſe, illudque in quamplurimis innoxium obſervaſſe, quoniam non ſequitur Empyricorum regula; hoc vel illud medicamentum Petro fuit ſalutare, Ergo etiam Paulo, cum diverſitas temperamentorum, conſtitutionis viſcerum, morborum itidem & ſymptomatum, ſummam etiam pariat medicamentorum diverſitatem, diverſumque operationis modum, ita ut idem medicamentum, quod Petro fuit ſalutare, Paulo poſſit eſſe deleterium, ſicutque una circumſtantia totum variat jus, ita unum interdum ſymptoma, aut accidens quoddam totam variat medicinam. Imo multa dantur venena, quæ quoſdam citò perimunt, quibuſdam verò cibi aut medicamenti loco inſerviunt. Sic Paſtores Græci, teſte Theophraſto ℔. 9. hiſt. plant. c. 18. integros hellebori manipulos devorare aſſueti ſunt, nec ignotum eſt ex Cardani l. 2. contradict. tract. 2. c. 7. Exemplum illius Rei ad mortem damnati, qui unciam integram Arſenici, juſſu Leonis X. Pontificis Romani abſque noxa abſumſit operæque venena prætium haud fore putamus, ut ex Scriptoribus rerum Orientalium adducamus, in India Occidentali & Inſulis Americanis bufones pro cibo ordinario & delicato incolis venire; Aſt quiſnam ſanæ mentis hæc omnia imitetur?

Poſito tandem ſed non conceſſo, fungum hunc ab omni venenoſitate mortifera eſſe immunem, & ſaltem ad numerum ſenſumque purgantium vehementiorum pertinere; Iniquum tamen fuiſſet & abſurdum, Subjecto ejuſmodi, debili morboſo, emaciato, adque phthiſin prono, acriora exhibere purgantia, ob ſuffocationis & convulſionis metum, ita ut optimè dixerit

dixerit Poterius Cent. 1. Curat. 22. Debilia corpora catharticis minimè obruenda, cum quo conſentit Fuchſius in Inſtit. lib. 2. Sect. 5. cap. 38. inquiens; Si gracile admodum fuerit fuerit corpus, aut Atrophia laboraverit; nutrimentis potiùs reficiendum, quàm vacuationibus exhauriendum; Et Martinus Wend. lib. 3. axiomat. medic. axiomate 1166. Medicos ita inſtruit; Tabidi & Aridi propter atrophiam & alimenti privationem nullam prorſus evacuationem ferunt, Ad hæc accedit ſummus ſuffocationis & convulſionum metus, dum ægri hydrope pectoris, morbo licet rariori, laborantes, utplurimum vel convulſionibus vel ſuffocatione perimuntur: Videatur de hoc malo obſervatio 53. & 54. Nobiliſſ. Dom. Dom. Grübelii Decuria 3. Anni 1. Ephemeridum Germanicar. Natur. curioſ. inſerta.

Sed penes Medicaſtros de his omnibus altum eſt ſilentium; utpote qui per mortes hominum & vulgi fraudes, ſua ſibi comparant experimenta, ſuaſque divitias, ſicque impune occidunt; & tamen à multis maghi fiunt, ſæpiuſque eruditis & bonæ notæ medicis (ô tempora! ô mores!) præferuntur, dum artem medicam circa cognitionem ſaltem, præparationem & uſum medicamentorum occupatam plurimi, etiam qui ſupra vulgus ſapere ſe putant, imaginantur, & per traducem quaſi eam addiſci poſſe firmiter ſunt perſuaſi, quorum tamen judicia quamvis in foro ſoli ipſorum voluntas ſit pro ratione, in foro tamen poli in die illo magno pantocritico peſſimè audient, dum permulti ob tolerantiam ejuſmodi pſeudo medicorum juſto citius mortem cum vita coguuntur permutare. *Dom. Lic. Benjamini Scharffii Miſcel. Curioſ. Decembr. 3. Anno 2.*

De Riſu Sardonio à comeſta Ranunculi venena paluſtris radice excitato.

Si quid unquam veritati conſonum eſt; verſus eſt Græcorum ita ſe habens.

Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν

Riſus intempeſtivus in hominibus grave malum.

Dum ejuſmodi riſus vel mentis ſtoliditatem alienationemque, vel imminens quoddam periculum, imò mortis futuræ acceſſum non raro indicat, ut proinde de ejuſmodi riſu intempeſtivo ortum ſit proverbium, quis Riſus audit Sardonius, & per brevem quendam indicat gaudii uſum cum ſumma brevi pernitie aut totali exitio commutandum.

Et quamvis variis proverbium hoc obnoxium ſit explicationibus, quas fuſiùs collegit Eraſmus Chiliad. 3. Cent. v. Adagiôr. ſub titulo; Riſus Sardonius, optima tamen illa videtur, quæ ab Herba (vel radice) Sardoâ Ranunculus paluſtris, Apiaſtrum, & hodiernum Herba Sardoa noſtratibus dicta proficiſcitur, quæ ſi aſſumatur, aut comedatur, Spaſmum ori conciliat, ridentibus ut uſum ejus experti perſimiles appareant, brevi tamen emoriantur, cujus explicationis origo, tam ex vetuſtiſſimorum Autorum monumentis, quàm Excellentiſſ. Medicorum & Botanicorum ſententiis poteſt comprobari.

Sic extat apud Eraſmum cit. loc. Epigramma ex vetuſtiſſimis in Heſiodum commentariis deſumptum, quod Riſum Sardonium, eodem ut diximus, modo explicat, quod tale eſt.

Quædam Inſula eſt vocata Sardo, Hiberia,
In qua herba pernicioſa ſurgit è ſolo.
Cui Sardana nomen, apiaſtri præferens
Figuram; at ea comeſa ab imprudentibus
Mox ora contrahit, atque riſus exhibet
Speciem deinde Protinus mors occupat
Imitata riſum &c.

Cum hoc conſentiunt antiquiſſima Euſtathii Scholia, ſic ſonantia; Ridere ſolis labris, nec hiatu oris, vel tota facie, neque quaſi placidè ridere, ſed labia ſolùm diſtorquere, more canum ringentium, ſubindicat Sardonium riſum, qui movetur è morſu cordis graviter affecti.

His itaq; brevitatis ergo contenti Teſtimoniis Medicorum & Botanicorum nolumus adducere ſententias, cum & noſtrâ memoria lethalis ejuſmodi riſus Sardonii caſus acciderit, ut ex ſequentibus ulterius patebit.

Paucis abhinc annis Studioſus quidam juris, ſimulque rei botanicæ cultor amiciſſimus, in vicino lacu piſcium capturæ deditus, incidit circa ripam in Ranunculi paluſtris ſpeciem, quam plantam una cum radice ſua evellit, cumque videt, hanc radicem æmulari radices apii paluſtris; ſatis largam ejuſdem, abjectis foliis, colligit copiam, eamque Proviſori Pharmacopolii noſtratis tranſmittit, rogitans, ut ille nomen hujus radicis, ejuſque plantæ, indicet, ſimulque aperiat, num uſus ejus ſit innoxius? Hîc viſâ hac radice intrepidè aſſeverat, innoxiam eam eſſe, imò eſculentam *Es vvare dieſe Wurtzel eine art von vvilder* Angelica, *er ſolte ſie entvveder mit einem Huhn kochen, oder daraus einen Sallat, vvie aus der Selleri Wurtzell machen, er vvolte Zu ihm kommen, und ſein Gaſt darauf ſeyn.*

Approbato igitur conſilio hoc mactatur gallina, cujus juſculo radix hæc ranunculi in talleolas conſciſſa; cumque eadem probè cocta, adjicitur, & additis optimis aromatibus, lautum paratur ferculum, ſicuti & reliquiæ non coctæ radicis acetarium præbere coguntur demandatum; Negôtiis autem impeditus Proviſor non comparet, proinde Studioſus ſupra laudatus, convocatis domeſticis ad cœnam ſe accingit, cumque 2. ſororibus, 2. fratribus, matre atque affine paratis hiſce, ut putat, deliciis fruitur, quarum ſapor haud ingratus hoſpitem Studioſum movet, ut omne juſculum gallinæ adhibito cochleari bono appetitu & animo ebibat, nemoque eſt qui aliquid mali ex cœnæ hujus fruitione pertimeſcat.

Paucis autem præterlapſis horulis omnes & ſinguli ſingulæque, qui & quæcunque de prædicta radice comederunt ingentem ſupra orificium ſuperius ventriculi ardorem, cum ſummo cordis angore ſentiunt, imprimis verò Studioſus, qui ubi ubi ſit, ignorat, ullique certo inhærere loco neſcit, ſed errabundus per omnes ædium angulos tranſcurrit, ollam, in qua paravit hanc eſcam mortiferam, iratus confringit, & de atrociſſimo cordis angore & ventriculi dolore conqueritur.

Accerſitur Medicus, qui Amicum ægrotantem viſitans domi non offenditur ut ſic integra ferè elabatur hora, donec inveniatur & compareat, qui viâ hâc Tragædiâ & agnitâ radice noxiâ, omnibus & ſingulis eadem uſis exhibet vomitorium è ℈ii. ſalis vitrioli ex capite mortuo paratum, (antimoniata enim offerre diſſuadebat eorundem operatio minus cita) quod etiam matri, fratribus, ſororibus & affini præſentaneum affert levamen, ejectis videlicet per vomitum radicis hujus nondum concoctæ particulis, remotâque ſic materiâ peccante & adhibito oleo amygdalarum dulcium, lacte, quibus ſolis omnes reſtituti & reſtitutæ ſunt: Studioſus autem nullam exhibiti ſalis vitrioli ſentit operationem, quamvis ejuſdem uſus ad ʒi. poſt dimidium horæ repetatur, unde Medicus perterritus non imperitè prognoſi ſe munit, quam de ventriculi jam abolitâ operatione victâ vi naturæ minus gratioſè aperit, quæ etiam illum haud fefellit, dum angores cordis de momento in momentum augentur, accedente inſuper ſingultu convulſivo, ſudore frigido, oculorum contorſione, & tandem ſpaſmo labiorum ſatis manifeſto, Riſumque Sardonium & mortiferum referente, quem paulò poſt convulſiones epilepticæ (labiis nihilominus ad riſum quaſi compoſitis) ſubſequuntur & mors præmatura.

Cum enim Ranunculus hic paluſtris tantâ acrimoniâ ſit præditus, ut proinde in uſum pharmaceuticum internè nunquam trahatur, nec Schröderus in ſua pharmacopœa ejuſdem mentionem faciat, & ad cauſtica atque erodentia pertineat, mirum non fuit, ejuſdem uſu, ſeu potius abuſu, tunicam ventriculi fuiſſe eroſam, & ſal ejus ſummè acre & volatile non ſpiritus ſolùm vitales, ſed & animales perturbaſſe, nerviſque ſpaſmum illum Sardonium, riſui ſimilem conciliaſſe, mortemque ipſam maximæ ſpei adoleſcenti huic intuliſſe, ſicuti hoc fuſiùs, ſi actum agere vellemus, poſſet declarari.

Cur autem ſolus Studioſus mortuus ſit hæc videtur ratio, quod ille ſolus omnem juſculi ſeu radicis hujus decocti, quantitatem aſſumpſerit, comedentes verò ſolas particulas quaſdam ejuſdem radicis deglutiverint, quas per vomitum autem nondum planè concoctas & in actum deductas rejecerunt; Hic autem quoniam nullam vomitorii ſenſit operationem, ipſamque radicis mortiferæ eſſentiam coctione ex eadem extractam ventriculo ingeſſit, quæ ſub liquido latitans vehiculo per totam ventriculi regionem diſperſa, omnes ejus partes acrimoniâ ſuâ arroſit, & factâ ibidem ſummè p. n. fermentatione ſpiritus ipſos, & nervoſum genus irritavit, & convulſiones diſpoſuit, unde non mirum hunc ſolum è viventium numero eſſe ſublatum. *Idem ibidem.*

De Perniciali philtrorum vi maturè devicta.

Philtra libidinoſis dantur à fœminis, mentes ut vexent juvenum amoremque concilient falsâ perſuaſione. Quid enim herbæ lapides, animalia quidve deſumpta ex illis hic valeant? Cacodæmon, ejuſque mancipia ſunt immanes quæ faciunt, permiſſione Dei, morbos. Stulti, oblivioſi, paralytici, epileptici, maniaci, ipſique id ſæpe teſtificantur αὐτόχειρες. Conſulis ſervus Arnſtadii, Tempore paſchali, acceptum ab ancilla placentæ confidenter comedit fruſtulum, & mox deterrimum inde ſaporem, ſicut cornu combuſti odor eſt, percepit in ore, doluit ventriculus, pectoris adfuit anguſtia, vertigine, ſtupore, motibuſque convulſivis tentatus, heri ſui obire nequivit opera. Itur ad me conſultum. Exhibeo ſtatim eô die ſervo gran. 3. Tartari emetici, ſoluti in aqua fontana, & globulos aliquot piceos evomit odoris peſſimi, poſtea ex uſu tincturæ alexipharmacæ Rolfincii, in aqua cardui ſancti propinatæ, à gliſcente liberatur pernicie. Altera pellex, Juveni Mercatori præbebat diamygdalatum, & ab hoc ingeſto ſtatim horruit, tremuit, paluit, inſolitè caluit, & abſurdè loqui cœpit. Iſtâ autem re cognitâ, emeticum ſupra dictum fuit adminiſtratum, & paſtam reſolutam cum ſemine minutiſſimo varioque vegetabili excrevit, ſuperato ſcelere clandeſtino. Juvenis alius, ſtudio addictus Iſotheo, virginum accedit ſocietatem, unaque harum ipſi poculum infundit inſidioſum, quod porrectum non abnegat, ſed totum exhaurit & gratè & honorificè à conventu diſcedit. Vix autem terga vertit, tumultum potus fert Stomacho, biſque evomitur alba tenaxque materia ſpontè. Altero die cruciatus ſentiuntur in abdomine, ac ſi vitrorum fragmenta inhærerent inteſtinis noctu verò corripitur juvenis epilepſiâ graviſſimè. Optimis pugnatum eſt contra paroxyſmum talem antepilepticis, eoque cum ægrotante deventum, ut ſenſibus iterum uti, & ad mea quamvis ægerrimè poterit reſpondere quæſita. De potione inimica per emeticum pariter eliminanda non nemo me monuit, ſed tempus illud porrigendi jam inconveniens, & vires nimium reſolutas eſſe, novumque prærerea, ex emetici uſu facilè paroxyſmum excitari dixi.

Cùm

Cùm verò patiens intolerabiles in abdomine, & acicularum veluti punctiones ſentiret, clyſterem ſuaſi emollientem & abſtergentem, qui eduxit materiam viridem cum levamine. Poſt hæc roſiones in inteſtinis ſuperfuere cum frigoris ſenſu; ſed vix attendit has moleſtias ægrotus, præ dolore excito in totius corporis integumento, cui regulum antimonii medicinalem cum radice valerianæ & ſale cardui ſancti maritatum oppoſui, eoque cum ſudore maculas atque puſtulas rubentes expulit in cutem. Diſparentibus his ſenſim, alvum conſtipatam relaxavi, & pulvere ex gialapio, eduxi viridiſſimam iterum mucaginem. Recuperatis denuo ſomno ciboque viribus, noſter hic noſſe dedidicit venerem. *Dom. Lic. Jacobi Auguſtini HüNerWolffii, Miſcell. cur. Dec.* 3. *Ann.* 2.

De Noxa radicum hyoſcyami nigri cometarum à natura Sponte repulſa.

Annonæ difficultas Arnſtadii Anno 1694. annoſam commovit mulierem viduam ſub paupere tecto, ut radices hyoſcyami nigri primo vere effoſas coqueret, & paſtinacæ loco comederet. Poſt verò ſtupida hæc obmutuit, obvios torvo vultu intuita eſt, mox occœcata amenſque paſſim erravit in urbe, domum tandem reverſa inſolitum evomit eſculentum, & tres dies noctesque contrivit ſomno, indeque nullâ adhibitâ medicinâ, exitiale hoc aliis ſubterfugit periculum. Ex eadem olla liberi civis noſtratis, unà cohabitantes in domo, comedebant, filioque tredecim annorum conſtringebantur hinc fauces, caligabant oculi, accidebant motus convulſivi, delirium, diarrhœa, immodicus ſomnus, & tandem ſine medico ſalus. Una illius ſoror octo annorum, etiam capiebat hunc cibum, & pectoris afficiebatur anguſtia, vertigine, proſternebatur humi, delirabat, invertebat oculos intra manus imprimebat pollices, vomebat, alte dormiebat, & poſtea ſpontè ſeneſcebat. Altera ſoror annorum ſex, ex ejuſdem cibi eſu fiebat anxia, corripiebatur lipothymiâ rigebat tota veluti tetano vexata deſipiebat, vomebat, duos dormiebat dies, & medicamentis neglectis ſe recolligebat. Mater horum cupiens experiri, quid ſuos deceperit liberos, iſtam denique recipiebat ollam infidaque lambebat cibi reliquias, & mox inde nauſeam percipiebat, difficilem reſpirationem, in verbis ejus & factis ſtupor aderat; ſed quia parum de iſtis radicibus tantùm guſtaverat; plura hæc non patiebatur incommoda, & citiùs opinione dicta per ſe diſparebant omnia.

Cur verò ejuſmodi homines famelicos non æquè interceperint, fata; ac alios, præſertim ruſticos illos Roſtochienſes, quorum mentio fit in Quadripartito Botanico Simon. Paulli, cap. 347. forſan ratio eſt; quòd ſpuma craſſa & fœtida, in qua ex mente Claudeni Obſervation, 178. Ann. 6. Decembris 2. Ephem. med. Phyſ. ſulphurea maligna, & quaſi venenata reſidet ſylveſtreitas inter coctionem ex Fictili maxima emanavit parte vel quia eſculentum peregrinum & inconveniens Naturæ, temporibus eliminavit ventriculus. *Idem ibidem.*

De gravioribus ſubſecutis ſymptomatibus ab eſu Pomorum calcis vivæ atomis infectorum.

Cum Anno 1693. die 8. Novembris Anna Barbara W. uxor Henrici N. prope Tigurum habitans, loco *Under Untern Straſs* dicto, bina comediſſet poma, ab amica ipſi dono data, quæ ex incuria in ſacculo repoſita erant, in quo antea calx viva aſſervabatur, adeo hujus igneis atque aculeatis atomis, ei adhuc adhærentibus inquinata fuiſſent, repentè inſignem ardorem gutturis, œſophagi, ventriculi ac præcordiorum anguſtiam, cum ſiti ingenti ſenſit; inde ventris tumor, ſudor univerſi corporis, atque convulſiones ſubſequebantur: unde ſtatim ſuſpicio oriebatur, poma hæc intoxicata fuiſſe. Hujus rei monita amica, erroris memor, quòd in ſacculo commemorato, calcis vivæ miaſmatibus adhuc referto, poma aſſervata fuerint, liberè eundem eſt faſſa, nec quicquam malitioſè, aut de induſtria, hîc peractum fuiſſe, ſanctè aſſeverabat. Acutum malo huic abs me obviam itum oblatione, ol. Amygdal. dulc. rec: quo & fauces & œſophagus mulcebantur, ſimulque cauſticum hoc venenum in ventriculo detentum, per vomitum rejectum, eoque poſtea quoque aliquandiu uſa fuit: per antidota ſimul acres maligni veneni hujus particulæ infringebantur; atque diſcutiebantur; tandem confortantia, vulgò ſic dicta, ſuccenturiata erant: atque his, Deo benedicente, priſtinam recuperavit valetudinem, & ex orci faucibus erepta fuit. *Dom. Dom. Johannis Jacobi Wagneri Miſcel. Cur. Dec.* 3. *An.* 2.

De Arſenicô ſine noxâ deglutitô.

Probatum jam eſſe ait Clariſſ. & nunquam ſatis laudatus Dom. Lucas Tozzi, Archiater Pontificius & Amicus meus ſemper recolendus in Comment. Aphoriſm. Hippocrat. 16. lib. 4. pag. m. 209. graviùs affici eos qui jejuni arſenicum aſſumpſerunt, leviùs verò qui à paſtu; idque veriſſimum notavi nuper in circumforaneô quôdam arcanorum jactatore, qui ut rudem illuderet plebem, arſenicum elapsâ die, horâ 22. publicè manducavit abſque ullâ noxâ; Hoc autem accidit, ut ipſe candidè mihi faſſus fuit; quia ante prædicti arſenici aſſumptionem cibis oleoſis ac pinguibus uſus fuit, quibus ventriculi interior tunica ad veneni particulas retundendas, fuerat oblinita.

Hæc ex communicatione Præclariſſ. Viri Domin. Joſephi Lanzoni; quibus addimus, nos aliquo-

aliquoties obſervaſſe ejuſmodi agyrtas non tantùm aſſumptis oleoſis ventriculum ſuum contra venenorum morſum præmuniiſſe, ſed illis etiam materias plurimùm viſcoſas adjunxiſſe, quibus quaſi infaſciaretur ac hebetaretur vis particularum corrodentium earumque actio prorſus reprimeretur, ut videmus noctum globuli plumbei è ſclopeto emiſſi, momento ab argillâ oppoſitâ cohiberi. Viſcoſa autem quibus præcipuè utuntur illi, ſunt animalium interanea, in putrilaginem propè cocta, indeque etiam apparata juſcula craſſiora ac viſcidiora. Hoc mihi in memoriam revocat hiſtoriam cujuſdam viri, qui apud nos horrendâ cephalæa diu tortus, in iſtiuſmodi circulatorum manus præ deſperatione tandem ſe conjecit, quique experiundis venenis in theatrum productus; (facta ſpe nihil ab iis commotionis funeſtæ excitari poſſe in ventriculo ſatis ſuperque oleoſis pinguibus præmunitô, ſed à ſuper aſſumptis antidotis quicquid ad rebellioris mali eradicationem neceſſarium foret, abundè ſuffectum iri) eorum periculum in ſe ipsô fecit, atque ex eô convulſus, varieque vexatus per quatuor ſeptimanas orci veſtigia premens, neſcio quô factô tandem ad vitam rediit, ac revera per concuſſiones à venenis oppoſitiſque largius antidotis ſuſcitatas, pro tempore liber à cephaleâ ſuâ evaſit, at tandem ab eâ de novô poſt aliquot annos recrudeſcente, brevi, nihil proficientibus auxiliis, è vivis ablatus eſt. Itaque in illo vis viſcidorum ac oleoſorum non ſatis oblinivit ventriculi parietes, quin aliquid indefenſum veneno patuerit, ubi letiferam actionem ſuam exercuerit. Credo equidem apud alios, qui talia ſæpius experti ſunt, ventriculum per omnes ſui partes faciliùs poſſe defendi, ſicque eos minus lædi, quia ſcilicet præterquàm quòd eorum ſtomachus à reliquiis viſcoſorum priùs aſſumptorum continuò prope oblinitus, faciliùs à ſuper adjectis integrè defenditur, non abſonum etiam videtur addere, membranam interiorem viſceris in iiſdem minùs fieri ſenſibilem ac lacerabilem, velut equus calcari aſſuetus non ita ejus punctiones præ callô cuti inductô perſentit. Hocque novum non apparebit iis quibus de hiſtoriâ Mithridatis Regis Ponti, ac præcipuè illius Mulieris quæ Alexandro Magno fuit oblata conſtabit.

De Fungorum Veneno.

Mulier honeſta, bonis parentibus nata Annorum 31. eſu frequenti fungorum delectabatur; cùm elapſo menſe poſtquam fungorum non exiguam quantitatem comediſſet, paucis tranſactis horis, dolore, tormineque magno ventris, nec non cardialgia, cum ſudore frigido, ac convulſione correpta fuit, imò totum corpus flavedine conſperſum videbatur; Me ſtatim vocant Domeſtici & fungos manducatos, tanquam hujus affectionis cauſam accuſant, ego ſtatim vomitorium medicamentum exhibeo, à quo non exiguam quantitatem materiæ corruptæ, ac fœtidæ evomuit; mox per alvum nigra quædam, veluti piceam materiam excrevit, unà cum urina aquoſa, ac omninò cruda; inde Theriacam ad pondus ʒ i. cum vino albo generoſo propinavi, atque ſtomachi, & cordis regionem oleo noſtro contra peſt. ac venena inungi juſſi; ſic tota nocte dormivit; mane expergefacta aſſumpſit uncias quinque Vini Malvatici, cum ʒ i. pulv. ſalis Abſintii; ſicque Divino favente numine ſana evaſit. *Ex communicatione Præclariſſ. Viri D. Joſephi Lanzoni.*

De Laudano opiato ad pondus, ʒ v. ſine noxa aſſumpto.

De Antimonii vitro ad pondus triginta granorum ſumpto ſine noxa narrat obſervationem Clariſſ. Dom. Johan. Schenckius obſervat. medic. lib. 7. & ego obſervavi quendam militem ſine ullo prorſus nocumento aſſumentem laudanum opiatum ad pondus ʒ v. & de ruſtico quodam recordor qui cinerem, arenam, lapillos, cretam, gypſum, nitrum, & calcem, abſque noxa vorabat, etiam pluries in die ob lucrum paucæ pecuniæ, ex quo exclamandum cum Poëta

.......quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames......

De opio autem inoffenſè ſumpto vid. ſext. empiric. Mercurial. de Venen. Wierus, Garzias ab Horto, Monardes, Heurnius, Schenckius, & alii, plures tum Antiqui, tum recentes ſcriptores. *Ex eodem.*

Vini & Veneris nimium uſum venenatum eſſe probatur exemplis.

Vini, ac Veneris nimium uſum ſemper fuiſſe nocivum agnovit quoque antiquitus Poeta dum cecinit in epigram.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore
Uno namque modo, vina venuſque nocent.
Ut Venus enervat Vires, ſic copia Bacchi
Debilitat greſſus, debilitatque pedes

Atamen, licet immodicus vini, veneriſque uſus aufferre valeat ſalutem ab hominibus, nonnulli qui non ut vivant nati ſunt ſed ut bibant, & coeant, tam bibaces ſunt, ac ſalaces, ut nil niſi vini Dolia, nil niſi meretrices in mente, in corde, ac præ manibus habeant; hinc tùm Vir 39. Annorum temperiei calidæ ac humidæ vini magnam quantitatem: die prima Auguſti hujus Anni 1695. ingurgitaſſet, ut inde ebrietate maxima fuerit correptus, circa veſperam Apoplecticus mortuus eſt; Aliumque mercatorem alioquin ſanum cæcum factum vidi ab immodico vini uſu, & à frequenti Bacchi delitia, immò ſacerdos mihi aſſeveravit ſe Mantuæ olim vidiſſe Adoleſcentem Annorum 15. maniacum factum ex immoderato vini uſu, à quâ mania nunquam uſque ad mortem liberatus fuit; Circà Venerem verò, Juvenis adeſt hic Ferrariæ Ann. ætatis

ætatis 25. billioſæ temperiei, qui Paraliticus factus eſt à nimia Venere, & de alio Juvene. 28. Annorum, è nobili ſtirpe orto recordor qui ſæpe in Clinopali ſe exercebat, & in Veneris caſtris ſtrenuus miles factus erat, aſt in coitus actu epilepticus factus eſt, cujus morbi inſultus quavis hebdomada invadebat, ac ſpatio duarum horarum perdurabat, ſonticus iſte affectus menſes vidit, & annos, donec Juvenis in trigeſimo conſtitutus ætatis ſuæ anno, ipſa magis, magiſque inſæviente epilepſia mortuus eſt; alios edocens Venerem Libitinam dici, ac natalium non ſolum ſed & mortis quoque Preſidem eſſe, de quo vid. Tiraquellus in leg. connubial. Plutarc. in Numa; & meus Tractatus de balſamatione cadaver. cap. 5. *Ex eodem.*

De morte à Gypſo ſumpto.

Gypſum eſſe venenatam materiam, & multos occidiſſe narrant Plinius, & Sabellicus lib. 4. enead. 9. ego Anno 1691. duos Adoleſcentes obſervavi, quibus cùm polenta exhibitum fuit gypſum; ſupervenit ſtatim Tuſſis, ariditas linguæ, ac ſingultus, cum febri, ac delirio, & ſincope. Theriaca fuit à domeſticis exhibita, & ℥ i. pulv. ſtercoris muris, quod eſſe anthidotum proprium gypſi docet Sennertus; verùm die quarta ab aſſumptione gypſi minor adoleſcens mortuus eſt; majorque ſanus evaſit, ſolummodò tremore ferè de continuo affectus. *Ex eodem.*

De Veſparum ictu.

Remedium facile ad citò ſanandos Veſparum ictus tradit Clariſſ. D. Joh. Michaëlis in Prax. clinic. general. Append. de Venen. cap. 3. nempe urinam propriam, quod ſæpè in ruſticis expertus fæliciter evenit; imò nuper Ancilla quædam delicatula deambulans in hortulò noſtro ictu veſpæ affecta, ſolâ urinâ propriâ parti affectæ appoſitâ, nullôque aliò remediò à dolore illico liberata eſt, & ab ictu; Amicumque habeo, qui mihi juſtè fatetur, ſe pluries expertum eſſe, contra ictus Veſparum maximè facere ſalivam hominis jejuni. *Ex eodem.*

De Morte ex Aqua forti.

Aſſervabat domi ſuæ quidam mercator vas vitreum in quo non exigua quantitas aq. fortis erat conſervata ad uſum ſeparationis metallorum cum Puella Annorum ſex ſiti capta, eam bibit, indeque diris cruciatibus ſpatio quatuor horarum periit. *Ex eodem.*

De Citri ac limonum ſucco optimo remedio contra Venenum Aquetta dictum.

Multi aſſumpſerunt ſequentem liquorem *Aquetam* vulgò à multis dictam;

♃. Pulv. Arſenic. Stibii crud. herbæ hyoſciam. fermenti an. p. æq. Ebulliant. omnia in aq. com. donec tertia pars conſumpta ſit, inde coletur, & ſerva; hæc aqua epota mortem afferret, niſi celeriter opem portaret ſuccus Citri, vel limonum; ſic enim multi, quibus data fuit dicta aqua ſanati ſunt, & necem fugerunt. *Ex eodem.*

De Collyrio Lanfranci.

N. Juris utriuſque doctor, quadragenarius melancholicus, febre continua cum levi pectoris inflammatione correptus eſt; ex qua vulgarium remediorum ope intra ſeptem dies convaluiſſe viſus & purgatus, in mentis alienationem, nullo præcedente delirii præcurſore ſymptomate, incidit. Miſſus ex tempore ex ſaphænâ, mox è jugulari venâ ſanguis; exhibita narcotica, vomitoria propinata, omnia fruſtrà per triduum, noctesque dieſque indeſinenter vociferans, cunctoſque adſtantes impetens, vinculis conſtrictus fuit, accensâ iterum febre & exanthematis per totum corpus efflorescentibus, in balneum frigidum conjectus eſt, quo, bis terve repetito, placatus fuit furor; delirioque finis factus eſt, poſt hæc omnia conqueſtus eſt de oris & linguæ gutturiſque inflammatione, quam continua & moleſta ſputatio comitabatur: toto igitur, poſt imperatam diætam, negotio naturæ commiſſo, linguæ & faucium ulcera collyrio Lanfranci detergebantur. Verùm incauta uxor, vice ſyrupi quo aqua potus ordinarii condiebatur prædicti collyrii, unciam ſemiſſem, ad minimùm, cum aquæ cyatho agitatam ægroto conjugi potandam præbuit. Ex tetrâ potione tam incurioſè hauſtâ, ignem inferiora pervadentem frigidæ copia confeſtim reſtinxit; & lac vaccinum, vice juſculi, per totam ſubſequentem noctem aſſumpſit illis omnibus ſuperveniens diarrhæa ſanitatem confirmavit. *Ex communicatione Præclariſſ. Viri Dom. Rivalier.*

VENEREA LVES
Vid.
LVES VENEREA.

VENEREA LVES Vid. *LVES VENEREA.*

VENTRICULI MORBI.

SUper iis vide quæ Capitibus de Digeſtione læſa, de Anorexia, Bulimo, Cholera morbo, Vomitu &c. abundè ſatis allata fuere; in quibus ſubſiſtentes, ab omni alia hujus partis morborum enumeratione ac tractatione meritò jam ſuperſedebimus.

VERMES.

Curationes.

TAmetſi ubique locorum in diſſectis cadaveribus Lumbrici inventi ſint, & paſſim ab Authoribus hiſtoriæ referantur, quas recollectas habes In Ephemeridibus Germanicis; frequentiùs tamen Inteſtina occupant, ex quibus præterea à pleriſque putatur in alias partes permeaſſe. At quomodò in Cor; ejuſque Pericardium, in Cerebrum, Pulmones, venas, cyſtim felleam, veſicam indè diſceſſerint, haud facilè captu

captu. Quocumque autem modò ſe res habeat, aliud ſemper inquiſitu digniſſimum, perarduum tamen habitum eſt; undè ortum illi recognoſcerent. Qui à putreſcentibus humoribus genitos credunt, ac potiſſimùm à phlegmate in vermem degenerato, ſicuti facillimè ab hac difficultate ſe expediunt, ità longè nimis à veritate aberrare deprehenſi ſunt: cùm viventia quæcumque ſuis ſeminibus natalia debeant. In quam rem pulcherrima planè, & ſcitu digniſſima à pluribus noſtri ſæculi accuratiſſimis Naturæ Scrutatoribus congeſta ſunt; præſertim verò ab induſtrio, & qer quàm diligenti viro Franciſco Redio peculiari opuſculo de Inſectis.

De ſpeciebus Vermium, non convenit inter Auctores: Nam aliqui duas: communiùs tres, alii quatuor ſpecies conſtituunt; undè Teretes, ſeu rotundos, Aſcarides, latos, & cucurbitinos nominant. At frequentiores ſunt teretes, & rotundi, qui nonnunquam viſi etiam ſunt hirſuri, capitati bicipites.

Ab ipſis autem omnes propemodum ægritudines provenire putantur, Epilepſiæ, Vertigines, ſopores, deliria, convulſiones, dolores capitis, ſyncopes, palpitationes, mærores, pavores, tuſſes, vomitus, nauſeæ, diarrhϾ, ſingultus, punctiones, tormina ventris, inquietationes, eroſiones, tabes, febres acutæ, & chronicæ, aliæque innumeræ affectiones, de quibus paſſim referuntur exempla. Ex enarratis verò ſpeciebus, lati vermes pejores creduntur, quod univerſa inteſtina plerumque occudent, & difficiliùs egerantur. Peſſimi etiam ſunt tereres, cùm loco moventur, & ſuperas partes petunt. At verò Aſcarides, quia ultimum inteſtinum inhabitant, ac promptiſſimè dejiciuntur, minùs mali eſſe ſolent. In febribus autem malum adaugent, atque eo potiſſimùm ſi per os excernantur, aut vivi prodeant, ut vult Ætius vel contrà mortui, & ut ſuſpicatur Rhaſis & Avicenna. Si verò, declinantibus febribus, cum alvi excrementis deponantur, bonum ex Hippocrate 2. Prognoſt. 18.

Hi vomitu, aut dejectione ſe prodere ſolent. Sunt tamen qui à morſu, vellicatione, pavore, oculorum ſqualore, oris fœtore, narium pruritu, genarum nunc rubore, nunc pallore, tuſſi ſiccâ, dentium ſtridore, nauſeâ, vomitu, ſopore, motibus convulſivis, aliiſque ſymptomatis illos ſuſpicentur. At conjecturæ iſtæ non raro fallunt: quamquàm ſæpiùs in pueris fideliores ſunt, quibus vermes familiares eſſe conſueverunt. Cæterùm in nonnullis ſymptomata planè inſueta, & his longè admodùm diſparia excitare viſi ſunt.

Statim verò necandi, & expellendi ſunt. Diſtinguit autem Sennertus, nùm febris adſit, vel abſit, & num alvus fluida ſit, vel adſtricta: timet enim uſum medicamentorum acrium, & amarorum febre præſente, ſicut etiam evacuantium in alvo lubriciori. Verùm timor omnis aberit, ſi ea ſpeciatim exhibeantur, quæ vermibus ſunt inimica: enim verò ſæpenumerò accidit, enectis vermibus propulſiſque, ſponte ſua deſiiſſe febres, & alvi fluxus, qui ab ipſis tùm ventriculum, tùm inteſtina vellicantibus, atque cibos aſſumptos, humoreſque eò confluentes turbantibus, agitantibuſque proficiſcebantur.

Lumbricis adverſa multa recenſentur: ex ſimplicibus quidem angelica, abſinthium, abrotanum, dictamnum, centaurium minus contrayerva, gentiana, gramen, folia perſici, filix, marrubium, ſcordium, tanacetum, tormentilla, ſemen citrii, zedoaria, raſura eboris, & C. C. cortex ovorum, Aloë, Rhabarbarum, myrrha, ſemen ſantonici, muſcus marinus vulgò corallina. Ex compoſitis Theriaca, Mithridatium, Orvietanum, diaſcordium, aqua & ſpiritus theriacalis, aqua alexipharmaca & alia hujus generis plura: undè formulæ medicamentorum variæ à Practicis præſcribuntur,

At primum, & præcipuum contra vermes remedium creditur Amato Luſitano ſemen ſantonici ſaccharo incruſtatum, quo ſcilicet lumbrici alliciantur: Licèt non deſint qui exindè potiùs oriri vermes autument. Sennertus Corallinam præfert. Borellus pulvere corticum malorum aureorum ad ʒ j. per tres vices quendam innumeros vermes ejeciſſe, atque ita à tabe liberum evaſiſſe refert. Ibidem etiam commendat, eſſentiam ſeminis ſantonici umbilico applicitam. Apud Schenchium efficaciſſimum dicitur Weckero ſemen tanaceti ex ſyrupo violarum: addendam autem conſulit Hoeferus radicem primulæ veris. Comprobatum remedium adverſum vermes teſtatur Baricellus aquam oleo ſulphuris, vel vitrioli acidulam redditam; atque in potum datam. Laudat pariter ex Arnaldo de Villanov. aquam portulacæ ſtillatitiam, ejuſque ſemen ad ʒ ß. cum lacte in puerulis. Foreſtus ex ſucci punicorum ℥ i. & olei olivarum ℥ ß. conficit hauſtum, quo alvum laxari, ſimulque vermes educi memorat: quippe oleum antidotum eſt ex Petræo; nedum enim illos non admittit, ſed ſuffocat; Hinc ſagaciores fæminæ cibos infantibus multo oleo condire ſolent, adjectis allio, & foliis lauri ſimul unà incoctis. At Bartholinus nihil vino, & ſpiritu vini ad lumbricos enecandos præſtantius eſſe ait; quod experimento confirmatum vidit eruditiſſimus Redius. At omnibus palmam præripit Mercurius, tùm crudus, tùm diverſimodè præparatus. Crudus exhibetur ab Hartmanno ad ℈ j. alteratus tamen, domitus, ac coërcitus cum ſucco mali limonii, poſtmodum commiſtus cum ſemuncia conditurae roſarum perſicarum, & modico flor. benzoini. Et Baricellus cum ſaccharo rubro illum præp. in mortario vitreo, commiſcetque ol. amygdalarum dulcium guttas aliquot, & ex ſaccharo viol. vel roſ. exhibet à ℈ i. ad ʒ i. Riverius verò curatos multos narrat uſu mercur. dulcis ad grana VI. VIII. & XII. cum pari, vel ſubdupla doſi diagridii vapore ſulphuris correcti: confirmatque idipſum Simeon Jacoz, & Cardilucius in Hartm. Helmontio autem ſatis eſt potandam dare aquam, quæ cum Mercurio crudo ebullierit; efficaciùs tamen erit ſi in aqua radicum graminis, vel acetoſellæ is incoquatur. Hanc Mercurii aquam ſe quoque fuiſſe uſum pro puerulis fatetur Baricellus; atque nunc noſtrates etiam ſine ullo metu indiſcriminatim exhibent, ubi ſuſpicio vermium eſt. Utuntur alii aquâ, in qua ſtannum ignitum pluries extinctum ſit. De pulvere eorumdem lumbricorum valde dubitat Henricus ab Heers: nam inquit, materiam vermibus generandis ab illo potiùs ſuppeditari. Quamquàm

quàm Fridericus Hoſmannus vanum ejus metum dicat.

Speciatim verò ad lumbricos latos efficaciter valere plerique conſitentur radicem filicis in pulverem redactam ad ʒ i. præſertim ſi cum aqua rutæ caprariæ exhibeatur. Ab aliis commendatur ſuccus Naſturtii, & decoctum radicis bryoniæ, & graminis, addito ſpiritu vitrioli, vel ſulphuris. Efficax quoque eſt elixir proprietatis, extractum aloës, & rhabarbari, vel mechoacam, aut trochiſcorum alhandal, & hieræ picræ; quæ ſanè cùm ſimul lumbricos interficiant, expellant, & alvum moveant, locum in adultioribus habebunt.

Ventri, & umbilico admota proſunt etiam oleum thuris ſtillatitium, eſſentia abſinthii, oleum diacolocynthidis, ligni corylini, nucleorum perſicorum. Apud Monachos Caſſinenſes præparatur oleum viride ex diverſis herbis medicatum quo paſſim uti ſolent noſtrates fœminæ. Paratur item malum aureum ſucco abſinthii, menthæ utriuſque foliorum perſici, & portulacæ repletum, adjecto pulvere aloës & ſeminum colocynthidis, cum felle Tauri, fuligine camini, & theriaca; mox ad ignem excalefactum ventri & lumbis adhibetur.

Cæterum Aſcarides jumentis potiùs familiares, ſi aliquando in hominibus gignantur, facilè pelluntur Aloë ſucco abſinthii inſpiſſato excepta atque ad ʒ i. exhibita. Aqua ardente irroretur venter, & umbilicus, mox pulvere myrrhæ inſpergatur, deindè ſupinus jaceat puer, videbis vermes mortuos exire, inquit Alexius Theriaca etiam vino veteri, vel ejuſdem ſpiritu diſſoluta, & umbilico impoſita idem præſtat; ~~& ſi adjiciatur~~ modicum unguenti de Arthanita, alvus quoque laxabitur. Poſtremò ad lumbricos cum febre mali moris, alexipharmaca alibi tradenda opportuna erunt.

At de his his, quæ hactenus credita ſunt adverſus lumbricos antidota efficaciſſima dubitandi anſam præbuit diligentiſſimus Redius, eo quod illis non adeò adverſari nuperrimè expertus eſt; ſaccharum verò, & mel, quæ unanimi Medicorum conſenſu vermibus amica putantur, deprehendit eiſdem ſummè nocua, & mortifera: Quamobrem Therapeiam hucuſque Medicis uſitatam in hac parte, vehementer exagitare, & evertere videtur. Verùm an ab his, quæ extra Corpus humanum ex affuſis liquoribus, cæteriſque medicamentis adhibitis, vermibus accidunt, jure liceat idipſum deducere futurum intra corpus, haud auſim determinare: quippè aſſumpta medicamenta plurimùm in illo immutantur ex miſtura innumerabilium ſuccorum, qui in ventriculum, & adjuncta inteſtina confluunt, undè haudquaquam conſtat qualem mutationem illa ſint ibidem ſubitura, cùm & non rarò experiamur dulcia palato, in ventriculo poſtmodum aceſcere, aut amara fieri. *Clar. Lucas Tozzi Medic. Practic. part. 2.*

Purgantia cum lumbricos enecantibus optimè permiſcentur; illa ſaltem hæc debent excipere.

Pulvis uſualis minor. ♃. C. C. cum ſp. vitrioli præparati, coralline, ſem. contra, an. part. æqual. M ß. Doſis ʒß. ad ʒ i. Sumitur ex vino, vel juſculo, vel aqua appropriata, vel cum pomo ſub cineribus cocto. 2. hor. antequam eatur cubitum Si purgantem hunc velis reddere pulverem, adde jalap. pulverizat. circiter quintam partem, & exhibeatur manè.

Pulv. major. ♃. Corallin. ſem. contra, C. C. vitriolat. vermium terreſtrium (vel ſi habeantur, humanorum) præparat. carnis viperinæ cum oſſibus debitè ſiccat. jalap. an. ℈ iv. f. pulvis ſubtiliſſimus, Doſis ℈ i. ad ʒß. ℈ ii. ʒ i. ex aqua portulac. aut hyperic.

Hiſce pulveribus helminthagogis uſûs tempore pro ratione mali & diſpoſitionis virium ſubjecti, poterunt addi Mercurius dulcis, manna Mercurii, Mercurius lunaris qui datur ad grana pauciora, 4. 5. 6. Æthiops mineralis, Manna Saturni, cinnab. vulgaris aut antimonii. Exhib. ex pulte farinacea, vel ex pulpa pomi.

N. B. Perplacet mihi Æthiops compoſitus ex mercurio & ſulphure, quæ duo vermes potenter enecant.

In robuſtis poterunt addi grana aliquot ſcammonii correcti per fumum ſulphuris, vel per inſtillationem guttarum aliquot olei ſulphuris vel vitrioli terendo in mortario vitreo.

Mercurius dulcis quocunque modo exhibitus ſive in conſerva (v. g. flor. Perſic.) ſive in tabellis mirafacit à gr. vi. ad xii. xv. xx.

♃. Conſerv. roſ. rub. ʒß. cortic. citr. ſaccharo condit. cort. aurant. an. ℈ i. antimon. diaphoret. vel flor. antimon. reverberat. & fixat. gr. v. m ß. f. bolus. Detur per 4. dies conſequentes mane, poſt purgationem.

♃. Conſ. flor. hyperic. & flor. perſicor. an. ℥ß. ſem. hyperic. & caulium an. ʒ ii. magiſter. C. C. acidul. corallin. an. ℈ v. cinnab. ſubtiliſſ. lævigat. cum aq. portulac. & ſiccat. ʒ i. Trita omnia diligentiſſimè miſceantur, & cum pauco ſyrupo ex flor. perſic. vel, ſi deſit. roſar. pallid. f. Electuarium inſtar Opiatæ, de quo cap. tribus diebus conſequentib. ʒ iii. ſuperhauſto poſſeto præparat. cum portulac. rad. grami. & raſur. C. C. crudi Differat prandium ad minus ad tres horas & ſuperambulet.

♃. Aq. font. aut graminis, extinctionis plumbi aut ebullitionis mercurii, cum ſp. vitrioli acidulat. ℔ i ß. flor. veron. rub. p. iij. viol. p. ij. roſ. rub. p. i ß. ſem. hyperic. ʒ ii. raſur. C. C. ʒ iij. extrahe tincturam, per chartam filtra, unde ſume ℔ i. in qua diſſolv. ſyr. è flor. perſic. ℥ ij. acetoſell. ℥ j. vin. alb. Rhenan. ℥ iv. m ß. pro 4. doſ. bis in die ſumendis longè à paſtibus, per biduum. In prima doſi infundi poteſt fol. ſenn. ʒ i. vel ʒ ii.

N. B. Mercurius crudus aq. fontanâ coctus; ut quoque plumbum liquefactum & aquâ portulacæ extinctum ad ſeptem aut octo vices remedium efficax conſtituunt, ſi ſcilicet aqua cum ſaccharo edulcoretur, & ſola, julapii inſtar, bibatur.

Aliquando dieta optimo conſilio inſtituitur, quæ hujuſmodi eſſe poteſt.

♃. Rad. chin. ℥ ii. gram. filic. fœmin. an. ℥ iii. lign. ſaſſafr. ℥ i. raſur. ebor. ʒ v. ſem. hyperic. ℥ß. raſur. C. C. primar. rec. ʒ vi. f. ſacculus pro cong. ii. cereviſ. In quaque libra infunde rhabarb. ʒß. Sumatur pro potu ordinario.

Externè abdomini applicari poſſunt epithemata, linimenta, & emplaſtra.

♃. Fol. menth. abſinth. hyperic. an. m. j. flor. chamæmel. m. ij. frigantur in ſartagine,

irrorent. vin. alb. odorat. & f. Epithema ventri applicand. cum faſciâ idoneâ.

Illini quoque poteſt abdomen linimento ſequent.

♃. Ol. hyper. ℥ ii. aneth. chamæm. an. ℥ i. ol. nuc. moſch. ℥ß. m. f. liniment.

Emplaſtrum quoque ſeq. umbilico applicetur.

♃. Fell. bubul. ℥ ß. aloës ʒ iii. pulp. colocynth. ʒi. ſem. aneth. caul. hyper. pulveriſ. an. ʒiß. M. f. emplaſtrum.

Vel. ♃. Aloës ℥ i. myrrh. ℥ ß. centaur. minor. ſem. nigell. Rom. & hyper. an. ʒi. ol. ſtill. abſinth. ʒß. fell. bubuli cocturâ inſpiſſati ad conſiſtentiam ſucci glycyrrhiz. ʒiii. Omnia, ut decet, præparata excipiantur ſ. q. balſ. Peruvian. f. maſſa emplaſtri pro umbilicô. *Theod. de Mayerne Praxeos Med. lib. 3.*

Vermium inteſtinalium curatio.

In vermibus, ut ſymptomatum, ita & ſanationis varia eſt fortuna; neque enim ſemper unô eodemque remediô, nec omnibus aut quantumvis exquiſitis, ſæpe etiam nec vilibus nec quotidianis profligantur; jam etiam Lunæ phaſium non magis ſunt obſervantes quàm Solis aut aliorum Planetarum. Vidimus, qui ad Lunæ deliquia fruſtra exagitati ad novam aut plenam lucem vel ſponte, certè ſine magno adeò labore, prodirent. Non poteſt ſatis dici, quàm iis etiam formulis, quarum uſus longo tempore fruſtra fuit, tandem ad neſcio cujus ſideris conſpectum ab alvo deturbentur; imo & hoc tralaticium eſt fatigatis jam poſt exquiſitorum remediorum doſes Medicis, muliebri conſilio aut protritis iſtis vulgatiſque ſubdolos pridem vermes domari, quaſi non una eſt omnium natura, & prout fermentum eſt ex quo conflantur, ita & Specifica variari. Quid quod perſuaſum habeam non tam medicaminum, quàm ſitus aut figuræ culpâ, tam tædioſam ſæpe eſſe Vermium ſanationem & eâ indigeſtam animalculorum molem eſſe calliditate, ut ad halitus auræque infeſtæ nidorem; pituitæ ſe immergant inteſtinali, & quod Ventri gulæque deſtinamus Antidotum tergo infixiſque in pituitæ viſcum oſculis eludant; non aliter ac piſcium nonnulli, Carpiones imprimis, & id genus, qui impendentem ſagenam, cum aliter nequeunt, fixo in limum capite effugiunt. Equidem mira obſtinatio ſit oportet, quòd eorum aliqui tam arctè cum pituitâ inteſtinali membraniſque coaleſcant, ut non ante excuti ſe patiantur, quàm in ramenta fruſtillata & in ſpeciem tabi ſanioſi redacti fuerint. Et verò pro anni conditione eſt ſæpe ille morbus Epidemius in Porcis, quorum exenterata inteſtina Vermium longiorum agminibus obſita curam non admittunt, quando ita membranæ inhærent, ut non niſi vi & cum offenſâ membranæ avelli poſſint. Plurimùm verò etiam intereſt, quibus locis hæreant; tot enim in iſtis Inteſtinorum flexibus ſunt cellulæ, tot anguli, & remoti & abditi atque inſidiis oportuni, ut non facilè credam quævis medicamenta integris eò viribus pervenire poſſe, & plus ſæpe temporis & maturitatis occaſione, quàm medicamentis, effici. Non autem de nihilo eſt illud Petri Borelli conſilium. Lactis, inquit, Clyſter injiciatur, ut ejus dulcedine vermes inferius alliciantur, deinde per os ſemen contra capiatur cum malo cocto; ſic è ſuperioribus partibus fugati & ad inferiora allecti foràs facilè evacuabuntur. Curavi puerum tredecim annorum ex Vermibus cum febre ſymptomaticâ duplici tertianâ, ardente, leviculo interpoſito frigore laborantem. Huic puero os ſemper erat ſicciſſimum & lingua nigra ſtrigoſaque ſcabritie ſuſpecta, ſitis, ut fieri debebat, intenſa quidem, ſed ob pueri ἀναισθησίαν neglecta, imprimis ubi calor invaleſceret plurimumque aliàs ægri ſitiunt. Hic autem, cum ſitiebat, non blanda, non aquea, non acida, non Julapia, non Emulſiones, ſed amariſſima quæque ad fallendam ſitim unicè appetebat, nec vel prece aut pretio induci poterat, ut ad alia tranſiret. Mater, ut erat indulgentiſſima, etiam contra monitiones meas vinum habebat in promptu eſſentia abſynthii ſaturatiſſimum; hoc ingruente Paroxyſmo copioſius bibendum dabat, etiam cum calor eſſet, lentè tamen deficiente ad ἀκμὴν ſiti, quando nos infeſtiſſimam fore credebamus. Hunc vivendi ordinem, non admiſſo alio potu, ne cereviſiâ quidem, tres ſeptimanas continuaverat; ſed neque hiſce nec purgatione unâ & alterâ aliud quàm quinque vermes educere potuimus, ipsâ demum ſaburrâ & nido verminoſo ad lactis Clyſteres prodeunte, pueroque ob intemperantiam lentè, & non niſi poſt octo ſeptimanarum ſpatium, reſtituto. De Amaris autem ſi ſola uſurpentur hoc videor notaſſe, ea quidem cum tempore fermentum immutare ſeu materiam verminoſam, at non ſemper æquo ſucceſſu vermes jam factos excludere, ſive quòd tandem ferendo nidori aſſueſcant, ſeu quòd longius à foco in angulum ſe conjiciant tutiorem tempori relinquendi, aut dulcium ſingulariumque ſpecioſis illecebris. Reperi Matres familias, quæ ſolo lacte totum negotium conficiunt, eoque alliato, Plurimis autem magno compendio, etiam poſt alia fruſtra adhibita, Aloë uſurpatur pueriſque ingeritur melli & ſemini Zedoariæ permiſta; aliis ipſa illa Confectio quotidiana eſt, ineſcatis dulcedine illâ ſuperficiali & pueris vermibus. Nonnullis quoque in remedium ceſſit Paſtinacæ tenuifoliæ radix tum cocta tum cruda, facilè ſequentibus eam ab alvo lumbricis. Extus interea prodeſſe ſolet oleum Tanaceti, Abſynthii, C. C. fœtidum, Unguentum Arthanitæ & alia. Id verò nolim quiſquam exiſtimet, ubi vermes etiam poſt remediorum exquiſitorum uſum non prodeunt, nullos ibi eſſe, cum, ut ante dixi, lento pituitæ viſco ſe involvant, & non niſi in ſpeciem phlegmatis redacti pro illa texturæ fluiditate ab alvo ſecedant. Adoleſcens erat, cui multis Indiciis lumbricos ineſſe conjectabamus, nullus tamen vermis toto curationis tempore etiam poſt ſeveriorum medelarum uſum apparuit; ſed ſtrigmenta inteſtinalis pituitæ examinantibus, quæ copioſa purgatio deraſerat, lineamenta quædam & fruſtilla attritarum membranularum ſatis docuere fuiſſe ea indumenta phlegmatis animati, id verò eſt, molis verminoſæ. Tandem cum puerum illum vehementiore Diagrydii doſi Mercurii dulcis acceſſione modificatâ urgeremus, unà cum copioſo phlegmate Hydatin ſive Veſiculam aquæ plenam deturbavimus, cujus hæc erat forma. Ut verò omnis generis inſidioſa ſymptomata Ver-

mium affectum comitantur, periculoſiſſima tamen ſunt illa, quæ in Cerebri nervorumque ſyſtema incumbunt; hinc enim palpitationes membrorum, vitia intellectus, & in omnis mali complementum Epilepſia: & verò tam mirabilia ſunt, quæ à clandeſtino lumbricorum fermento redundant accidentia, ut è Sagarum ſcholis magis, quàm ullo principio naturali profecta videantur, quæ tamen à phlegmatis tum flatuoſi tum verminoſi halituoſâ cerebrique & nervorum inimicâ putredine pullulaſſe uſus edocuit, cujus ecce hic exemplum. *Joh. Nicolaus Pechlinus in Obſervationibus Medico-Phyſicis.*

Morbi verminoſi ſubdalo ſpecies.

Ante hos ſeptem annos ad Adoleſcentulum videndum vocabamerat is celeberrimi Viri filius, quindecim natus annos, phlegmatici temperamenti, & quem, ſi de facie agnoviſſes, juraſſes ex vermibus laborare, adeo omnia non tantùm lineamenta, ora pallida, oculi concavi orbeque livido cincti, ſed & naſus acutus & alia bene multa vulgatis Notis reſpondebant; mira adhæc ventris tenſio, præcordiorum dolor, ſuſpiria altè tracta ſuſpicionem confirmare videbantur. Id verò ſingulare, quòd magna cum Urinæ inconvenientia divexaret, ita ut vel decies intra horam de die mittere eam cogeretur, ſed viciſſitudine mutabili inque dies aliâ atque aliâ. Aliquando enim manè, aliquando de meridie, plerunque autem ſub veſperam & ingraveſcente nocte ad horam uſque undecimam Urina erat & copioſior & moleſtior, ita ut nec in Paroxyſmo, quem veſper ſpaſmodicum adferebat, remitteret, ſæpe etiam magis, quàm antè ſæviret, nunc quoque in totum, ſed rarius, ceſſaret. Poſt intempeſtam demum noctem ſomnus obrepebat æqualis nec ullo incommodo, præterquam ſuſpiriis interpolatus; horâ circiter octavâ matutinâ evigilabat, poſt quam ſive ſurgeret ſeu jaceret, recrudeſcere. Urinæ incontinentia & in ſeram rurſum noctem proferri cœpit, non diætam parciorem, quàm in perditâ fame ægrè tolerabat, non abſtinentiam à potu morata. Color Urinæ æquè inſtabilis ac mittendi ordo; modò enim alba & turbida, nunc ſpicea, nunc citrina, nunc cærulea, nunc porracea, nunc aquea & diaphæna uno die per omnes colorum gradus ibat redibatque. Levibus primùm indiciis ſe prodiderat hæc Urinæ incontinentia ante tres ſeptimanas, cum acceſſione ſuſpiriorum & invaleſcentis ſub veſperam febriculoſi caloris. Hæc mihi antè ſollicita Mater enarrabat, quàm ad filium introducerer; introductus reperio pleraque omnia, quæ enumeraverat, ſymptomata; ſed calor veſpertinus erat levior uniuſque horæ durans intervallum, ſuſpiria verò tam copioſa atque ex imis deducta, ut non de nihilo gravius malum ſuppoſitum cineri doloſo pertimeſcerem. Rogatus cauſam, animam ſe repetere vel fugientem aut altius oppreſſam reſpondebat. Ego autem, quòd corpus videretur planè Cacochymum, non vermibus ſtatim, ſed ſanguini & ipſi cum primis Ventriculo medicinam facere conſtitui. Præcepi itaque Electuarium ex Conſervis Menthæ, Abſynthii, Diacoro Meſuæ, conditis Cort. Arant. Rad. Cichorii, Maſtiche, pulv. &c. inde etiam ad compeſcendum ventrem nimium quantum intumeſcentem, exterius Unguentum de Althæâ, Arthanitâ, additis oleis Abſynthii & Tanaceti &c. Verùm non tantum nihil hiſce effectum, ſed contrà ingraveſcere morbus cœpit periculùmque nuper formidatum ſeſe oſtendere. Quid enim? Vix quartus dies præterierat, cum horâ ſextâ veſpertinâ valentem ludentemque cum paribus velut fulmine ictum, violentæ corporis palpitationes, &, ut ita dicam, conglobationes invaderent, hoc graviores, quòd profundiſſimis & citiſſimis ſuſpiriis intenſiſſimaque Thoracis elevatione comitatæ eſſent jamque defectura anima videretur, ſemper tamen & uſque ſui potens ſcienſque quid ageret Matri ſe proximæ commendabat; ipſe autem, quantis poterat viribus coëuntes in ſe pedum manuumque digitos explanabat, quò deſcendentes ſpaſmos anteverteret; quòd ſi vis elateris ſpaſmodici fortior eſſet, quàm ut obſiſtere poſſet, vicinis imperabat membra validius comprehenderent, ne in ſe conglobata mox iterum impetuoſius laxata damnum acciperent. Inter hæc nulla frequentior & imperioſior vox, quàm de Cibis, quos magno ejulatu tum petebat: etſi enim aliàs ſemper eſuriret, nunquam tamen magis, quàm in Paroxyſmo. Durabat inſultus horam unam, nec remiſſior altero aut tertio die, imo nec poſt duas ſeptimanas redibat. Id tamen etiam notatu dignum, quod, ut Paroxyſmus inſcium atque aliud agentem deprehendebat, ita etiam repentè & oculi ictu citius deſereret, & finem riſu ludicroque ſchemate, imo hoc ipſo verbo, acta eſt fabula, ipſe indicaret, mox etiam vel ad alimenta, aut negatis iis ad ſtudia, in quæ juſto propenſius ferebatur, aut, ſi ſodales ſuppeterent; ad ludum reverteretur antè actorum minimè curioſus. Plerunque tamen poſt Paroxyſmum nihil magis in votis, quàm ut famem ſic ſatis diu toleratam juſculis & pane butyrato compeſceret. Incontinentia Urinæ vel redibat ſtatim; ſi in Paroxyſmo ceſſaſſet aut continuabatur in horam uſque undecimam. Inde iterum quies & pauſa ſymptomatum ad horam uſque octavam matutinam, quando omnia redibant exceptis convulſionibus. In Paroxyſmo convulſivo non erat calor adeò infenſus & pulſus paulò quidem celerior, verùm etiam ad concuſſionum impetus aut detonationes exilior atque inæqualior. Poſt Paroxyſmum illa quoque omnia rurſum pacata. Cum autem experientiâ didiciſſem, nullum tam peregrinum eſſe Symptoma tamque δαιμονικὸν, quod vermes excitare non poſſint, in amoliendis illis omnem ponere operam conſtitui; cumque adoleſcentulus nulla adſpernaretur quantumvis amara remedia, brevibus negotium confectum iri ſperabam, ſed irrito conatu. Etſi enim Semine contra Vermes, Piluliſque ex Aloë, Myrrhâ, Trochiſcis Alhandal, reſina Jalappæ, Mercurio dulci, extracto Abſynthii, inde & pulvere ex radice Jalappæ, tanquam Specifico, & Corallinâ, quæ & ipſa nitroſâ ſalſugine vermibus accommodata eſt, aliquoties uteretur, tandem etiam potionem ex Radicibus Cichorii, Graminis, Shorzoneræ, Herbis, Fumariâ, Agrimoniâ, Floribus Hyperici, Seminibus Zedoariæ, Portulacæ, Raſurâ C. Cervi cum aqua Tanaceti decoctam & ſyrupo Diaſereos Anders

naci contemperatam ſæpiuſcule biberet, nihil aliud effeci, quam ut poſt quatuordecim dies tribus Paroxyſmis continuis jam in gulam aliquid irrepere, mox relabi, jam dentibus admoveri & in extremis labris fluctuare neſcio quid corporis verminoſi clamaret urgeretque Matrem, digitis prehenderet atque evocaret volubile animal. Sed hiſce iterum iterumque fruſtratus alia agitavi conſilia; num forte acidum aliquod fermenti verminoſi comes tam dira excitaret ſymptomata, eoque delinito melior quoque eſſet ſymptomatum conditio? Itaque Pulverem adhibui ex Conchis præparatis, Lapidibus Cancri, Cinnabari Antimonii, tum quoq, propter motus convulſivos ex ſale volatili C. Cervi, Succini & Elæoſaccaro Citri compoſitum, adjeci miſturam ex aquis Graminis. Fl. Acaciæ, Spiritu Maſtichino, C. Cervi eſſentif. & ad domandam humorum, ſi qui in inteſtinis effervеſcerent, ebullitionem, Laudani opiati grano uno confectam. Duos dies hoc pulvere uſus erat Adoleſcens, cum nihil ex eo videretur melior, ſed Paroxyſmus ſtatis temporibus iiſdemque ſymptomatis rediret. Quare hujus etiam conſilii pertæſus ad ſimpliciora magiſque nota tranſii, ſemper convulſionum habens rationem. Ergo juſſi miſturam repeteret, ſed prius Olei Succini duabus guttulis & Mithridatii ſcrupulis duobus animatam; hanc dum duabus vicibus abſorbet, ecce ſub veſperam poſt duas dejectiones vermes binos longos & teretes, & quod beneficium ne decreſcente quidem Lunâ obtinere unquam potuimus, nunc tertio â Novilunio die obtinebamus. Hoc rurſum eventu ad priſtina vermiumque ſuſpicionem relapſus ſuaſi Pulveres Pilulaſque in eam rem confectas repeteret; ſed neque nunc alius ſucceſſus quàm pridem; quamvis enim alvus flueret, tamen nec vola nec veſtigium vermium. Poſt hæc Analepticis, Stomachicis Cephaliciſque, Succini Oleo, Mithridatio & Diaſcordio Fracaſtorii reficiendum corpus fuit. Tandem ergo ſymptomatum facies aliquantùm mutare cœpit; nam qui Paroxyſmus nuper vehemens veſperi redibat, nunc de die diviſo impetu bis invadebat, ſed lenior: primùm ipsâ horá meridianâ & ſecundâ poſt, deinde quarta & ſextá. Neque jam palpitationes illæ aut convulſiones tam infeſtæ quæ in unam alteramque conglobationem corporis deſinebant, quàm vertigo & torvus oculorum in omnes partes adſpectus, quàm ſuſpiria & ille infirmitatis ſenſus. Pulſus quidem tenuior minorque, ſed tamen conſtans atque ἀπύρεκτος. Vidi, dum cum hiſce conflictaretur paroxyſmis mollioribus, nec vi nec precibus induci potuiſſe, ut ab alimentis abſtineret, donec in totum tempeſtas deſævіiſſet. Igitur nova de fermento aliquo eſurino, quod cum paroxyſmo emergeret, ſuſpicio oborta; nam ſi præcibus & importunis geſtibus non poterat, lacrymis cibos extorquebat. Sic tranſactæ ſunt quinque ſeptimanæ, cum nec incontinentia Urinæ nec Suſpiria ceſſarent, Paroxyſmus autem unus aliquibus partibus eſſet levior, at demum poſt vires attritas. Quare denuo, ut fieri ſolet in caſibus dubiis, ad figentia & abſorbentia pedem retuli, indicante hoc potiſſimum magnâ appetentiâ. Pulverem commendavi ſimplicem & vulgatum ex Lapidum Cancri & Cretæ albæ Drachmis ſingulis cum momento Elæoſaccari, Menthæ uſurpandum, cujus dimidium unum ſex horis ante paroxyſmum, alterum ſub ipſo ſumeret. Paruit & ſtatim paroxyſmis apparùit multo benignior, fames etiam minus importuna quàm pridie: altero die ſumto eodem Pulvere occulta tantùm paroxyſmi veſtigia tertio die nulla admodum. Unica tum querela de Urinæ incontinentiâ, quæ etiam vehementius affligere videbatur quàm pridem. Sitis equidem nulla & non niſi ab alimentis invitata, Urina tamen de die facilè tres Libras æquabat longe intra proportionem aſſumti liquidi, magis enim ſicca appetebat. Et ab hac quidem Urinæ copiâ non parum infringi vires videbantur. Itaque cum omnia iſta à communi quodam fermento, qualecunque demum id eſſet, oriri crederem, poſt uſum Pulveris abſorbentis octiduanum Electuarium rurſum præcepi Stomachicum miſtis pulveribus abſorbentibus, nunc etiam portione Maſtiches Agallochique. Atque ad illius ſtatim uſum lentè convaleſcere cœpit, Urina modicè & ex æquo miſsâ, poſtquam vitium hoc ſeptem hebdomadas toleraſſet. Nondum tamen omni periculo defunctum ægrum exiſtimavi, quòd facies colorem recipere nollet lætiorem, ſubinde etiam murmura vomituſque ventrem exercerent, in o & Suſpiria illa ſub veſperam aliquoties redirent. Tandem poſt quatuordecim dies, ſi fortè Natura verminoſi quippiam huic tempori reſervaſſet, aquam Mercurialem ex duabus Unciis Mercurii vivi triginta aquæ Graminis Unciis incocti uſque ad dimidias confici juſſi. Tres Uncias imperavi pro doſi, quas bis ſumſit; ed cum Diarrhœa neſcio unde oborta malè haberet, diſcernere medicamenti hujus operationem non potui; & quamvis poſt quoque illá aquâ uſus eſſet, nullus tamen prodiit vermis. Itaque religio erat magis urgere Adoleſcentulum jam plus ſatis malè à medicamentis vexatum, ſatius videbatur, quod reliquum erat mali; tempori committere, aut ſuſpectam uſque Vermium ſaburram ad ſingula Lunæ deliquia ſemine Zedoariæ ſollicitare. Interea continuato Electuarii ante memorati uſu aëreque verno invaleſcente Suſpiria penitus fuere exſtincta ægerque ad ſe rediit. Id unum duntaxat, dolebat à nimia Urinæ acrimoniá eroſam Priapi glandem ulcus minari; & ſanè corrugatus coles monſtrum alere videbatur, cum deletâ Urinæ acrimonia lituque ex oleo Amygdalino & ſaccaro Thomæo tandem convaluit, neque mora, cum hoc quoque vitio funditus ſanato omni tandem ſollicitudine felix me eventus liberaret. In Commentariis B. Affinis mei D. D. Langelotti perſimilem caſum reperio; ibi enim Puer 6. annorum de lumborum ventris & imprimis penis dolore conqueritur, & ſuſpicionem Calculi excitat; at aliquot poſt diebus, cum fruſtra tentata eſſent Antinephritica, oborta Epilepſia graviſſima alia remedia provocabat, quibus utcunque delinirentur Paroxyſmi, & tandem etiam ceſſarent, atque in hunc finem exhibitus Spiritus ſanguinis humani multum præſtitiſſe videbatur; perpetua tamen de penis dolore querela, qui cum decimo die exaſperaretur, & metu morbi caduci Spiritus ſanguinis humani denuo uſurparetur, vermem alvo emiſit 5. quadrantes Ulnæ longum, & ex illo Epilepſia coliſque dolores ceſſavere, vindi-

catuſque Stomacho & viſceribus, tonus per Abſinthii & Proprietatatis Elixir. *Idem ibidem.*

Aſcaridum incommoda.

Accidit certo Adoleſcenti fratribuſque ejus penè omnibus, ut ab octavo ad textum decimum annum podicis affectu laborarent. Rogati exprimere doloris genus non ſatis poterant, contenti vocaſſe dolorem pruriginoſum. Is quidem de die erat nullus, circa veſperam autem peractis operis diurnis ingraveſcebat, ubi tum animo lentus quidam mœror ſubrepebat & ad alia omnia, etiam cœnam, faſtidium. Alvus, ut in Teneſmo, ſeceſſum minabatur, ſed fruſtra; quando tamen illa fluida erat, levare & hoc dolorem videbatur. Hoc incommodum ad mediam ſæpe noctem extendebatur, nec facilè ante ſomnos, qui tamen & ipſi retardabantur, deſinebat. Autumno & hyeme familiarior erat affectus, quàm æſtate. Parens, cùm ſtudiis moram imponi ab hoc incommodo videret Medicorum opem ſollicitabat quorum aliqui vix conjecturâ aſſequi poſſe videbantur, quidquid hoc eſſet noxæ. Unus autem inter illos exercitatior, pauciſque exemplis eâ de re monitus totum hoc, quantum eſſet, alvi tineis, aut aſcaridibus imputabat; nec fefellit opinio, namque examinata veſpertina ſcybala agmen vermiculorum prodidere; conſilium itaque dedit inclinante die recentis & ſucculentæ carnis molem podici admoverent, &, ſi hoc non prodeſſet, vapore lactis tepidi & alvum & latentes ibi tineas provocarent. Quô quidem remediô, fateor, dolor maturè ſuppreſſus & vermes pauſam dedere: verùm in totum extingui nec purgantibus nec aliis affectus potuit ætati relictus. Ego autem, qui & ipſe ex parili affectu laboravi, tum à ſcybalorum & pituitæ inteſtinalis putredine, tum à vagâ & moleſta vermiculorum in parte tam ſenſili mobilitate malum hoc originem trahere expertus ſum. Nimirum credibile eſt vermiculos iſtos, quando fermenti acrioris empyreumate excitantur, lenti aliàs ac fixi, volubili motu extremiſque acutis pituitam penetrare inteſtinorum, fibriſque membraneis vexatis dolorificæ pruriginis ſpeciem, ad quam animus quoque fatiſcat & veluti contriſtetur, toties inferre, quoties ciborum reliquiæ aliquô fermenti vitiô acriores ad inteſtina, quod in iis circa veſperam fieri ſolet, prolabuntur nunc quoque verminoſô ſeminiô imbutæ. Equidem expurgata alvus, quòd ſerò & non niſi poſt varios conatus, ſæpe etiam non fiebat, aliquantum ſolatii dedit, at demùm intempeſtâ nocte, laſſatis jam à fodicatione illâ vermibus, fortè etiam morientibus, adeoque ephemeris, ſomnus lentè obrepebat, & matutina aut diurna poſt quietem excretio alvum tum ab excrementis tum vermibus jam mortuis aut paralyticis liberabat, ſuccedentibus rurſum aliis, & ad putredinis veſpertinæ gradum revicturis, animalculis. Teneſmus autem inde oriebatur, quòd in ſphyncterem prolapſi vermes tam volubili corpuſculorum ieciigatione contractionem ſollicitarem fibrarum & conantis jam alvi excretionem intempeſtivè reprimerent. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

℞. Rhei, agar. troch. an. ℥ß. oxymel. ſimpl. aq. gramin. an. ℥vi. M. F. potio parva. Vel,

℞. Agar. præp. rei el. an. ℥ß. oxymel. ſ. ſyr. de endiv. aq. gram. an. ℥ ß. M. F. potio, quantum ad evacuationem non credo aliud eſſe præſtantius remedium quam agaricum & rhab. Utilis etiam eſt hiera. Clyſteres non facerem niſi ex lacte & ſaccharo. *Joan. Baptiſta Montanus. conſ. 221. & 221.*

Si Lumbrici moleſti ſunt, neque ulla febris urget, detur puero ℈ i. vel ℨß. ex ſequenti pulvere in vino dilutiſſimo. vel lacte, vel ſero ipſius, vel jure carnium mediocriter ſalitarum, vel julepo aliquo & differat cibum in horas duas vel tres.

℞. Sem. Santonic. corallin. an ℨ ii. dictamn. alb. rhel biſtort. tormentill. an. ℨ i. F. M. pulv. qui aceto acerrimo irroratus paulatim in umbra ſiccetur ſerveturque in uſus. Remedium eſt probatiſſimum, etiam in lenta aliqua febre haud culpandum; Lumbricos interficit, atque ad eos expellendos excretricem facultatem commovet, uno eodemque tempore quod etiam ſine hujus pulveris uſu fieri utiliter poterit applicetur ventri hoc emplaſtrum.

℞. Farin. lupin. pulv. cent. min. pulv. flor. ſtæchad. an. ℥ ß. aloës, fellis tauri, an. ℨiiß. M. cum ol. abſynth. F. Emplaſtrum, ventri applicetur. Ego ſæpenumero fœliciter uſus ſum hac arte; à xyphoide cartilagine ad umbilicum uſque abluo aut rigo totum ventrem aqua vitæ in qua maduerit abſynth. tum madentem locum inſpergo pulviſculo myrrhæ, & applicatum duplex calens linteum faſcia obligo. Puerum pronum in ventrem decumbere aliquandiu permitto Lumbricos iſte fotus non inſœliciter ſine incommodo, & non magno negotio excludit, experimento conſtat optimum eſſe lapidem bufonis appenſum puero. *Reinerus Solenander. conſ. 30. ſect. 3.*

Pro Lumbricis.

Ad enecandos Lumbricos utatur Vir Generoſus per biduum vel quatridum hoc pulvere.

℞. Coriandr. præp. ℥ i ß. ſem. portulac. citri limon. an. ℨ ii. zedoar. ℨ i. C. C. uſti ℥ i. M. F. pulvis. doſis ℨß. ut mortui educantur utendum his pilulis.

℞. Aloes roſat. ℥ i. myrrh. el. ℨ i. cum ſyr. roſ. F. pilulæ mediocres, doſis ℨß. vel potione hac.

℞. Decocti ſebeſt ℥ iv. rhei el. ℨ i. macere tur in eo prius aqua cinnamom. humectata; & expreſſum detur. *Johann. Crato Conſil. 13. libro primo.*

Puerulus quidam trium annorum per multos dies vexatus eſt alvi fluxu & nauſea ferè perpetua, cum febre acutiſſima quæ à Lumbricis in ventriculo & inteſtinis contentis, exoriri videbantur. Poſt varia fruſtra tentata remedia, cum jam æger in ſummo vitæ periculo verſaretur, ipſi exhibui calomelan. turqueti gr. xii. ſtatim ceſſavit nauſea, & toto fere die

dormivit; at noctu vomitus & alvi fluxus multo graviores excitati ſunt; in excrementis inveniebantur fruſtula vermium putrefacta in maxima copia, mane dormivit & toto die ſequenti; neque amplius vomuit, & intra 24 horas febris expers apparuit, atque ita curatus; ut aliis remediis non indiguerit. *Lazarus Riverius obſ. 28. cent. 1.*

Puer quidam quatuor annorum Lumbricis ita laborabat, ut gravi ventris dolore torqueretur, cum ſumma virium dejectione, ita ut pulſus non perciperetur, Tertio die quatuor Lumbricos mortuos per os excrevit, cum vomitu humoris nigri; præſcribo ipſi potentia ad Lumbricos remedia, tum interna, tum externa, quæ nihil profuerunt, tandem jubeo ut exhibeantur calomelan. gran. viii. cum di. grid. gran. vi. quo medicamento alvus ſoluta eſt, excrevitque materiam viſcidam, glutinoſam, putridam, cum duobus Lumbricis, ter alvum depoſuit, & maximè levatus eſt, & inter paucos dies omninò convaluit. *Lazarus Riverius obſ. 5. cent. 2.*

Puella trium annorum laborabat febre acutiſſima cum magna anxietate, & virium proſtratione. Vocatus ad eam circa veſperam, judico eam ex Lumbricis laborare, & præſcribo potiunculam ex hiera ʒß. ſyr. roſac. ℥ß. cum aq. portulac. q. ſ. quæ nocte cum purgavit, & inde plurimum levata eſt poſtridie præſcribo julepos ſequentes.

℞. Fol. acetoſ. portulac. & endiv. an. M. i. ſummitat. hyper. & ſcordii an. p. i. coq. ad lbi. in colat. diſſolv. ſyr. limon. ℥ iii. F. julepus, capiat ℥ iii. mane, meridie, & veſperi intra biduum omnino curata eſt. *Lazarus Riverius. obſ. 16. cent. 2.*

Noſtrates mulierculæ putant omnes pueros vermibus laborare: ſed cum nullus rejicitur vermis, eos dicunt in humores putridos fuiſſe converſos nec malè, nam ut vermes in phiala concluſi, & fimo calente obruti, brevi convertuntur in paſtam, cur in corpore noſtro, cujus calor fimi calori reſpondet, non idem fiet, vermibus enecatis ab amaris medicamentis? certè hoc videtur mihi rationi conſentaneum. *Petrus Pachequus obſ. 57.*

Puellus quatuor annorum Lumbricis valdè obnoxius, laborabat inappetentia, nauſea, pruritu narium, ſiti, inflatione ventris, cum ejuſdem torminibus & febre quam cum verminoſam eſſe ex præcedentibus ſignis eſſet manifeſtum; exhibui merc. dulc. gran. xii. diagrid. gran. v. Poſt duas horas ab aſſumpto remedio, viginti circiter Lumbricos ſimul glomeratos per alvum rejecit, & prædicta omnia ſymptomata evanuerunt, ægerque convaluit. *Simeon Jacoz. obſ. 11.*

Niſi magnis experimentis præſtantiſſimum remedium ad puerorum Lumbricos comprobaſſem, haud auderem hic inter arcana ſelecta reponere; quippe tanta eſt ejus virtus & potentia: ut mortuos ferè pueros è vermibus ad vitam trahat, hac induſtria paratur in libris ſingulis aq. fontis, ol. ſulphur. vel vitrioli aliquot guttulæ addendæ ſunt, ita ut aqua acidula fiat, quæ pueris, naruque majoribus danda eſt, diu noctuque ad placitum eſt enim præſtantiſſimæ virtutis. *Jul. Cæſar. Baricellus Hortul. Genial. p. 44.*

In Lumbricis necandis non modo portulacæ aqua ſtillatitia aptiſſima judicatur, verum etiam illius ſemen. Narrat enim Arnoldus de Villa-Nova quendam puerum, dum eſſet in mortis periculo conſtitutus propter Lumbricorum multitudinem, ʒß. ſem. portulacæ cum lacte ſumpſiſſe, atque Lumbricos multos emiſiſſe, neque fuiſſe liberatum. *Jul. Cæſar. Baricellus Hortul. Genial. p. 89.*

Hydrargyrum, quod à multis venenum exiſtimatur, fœliciſſimo ſucceſſu contra vermes exhibetur: tantæque certitudinis illud in *Hiſpania* reputatur, ut mulieres tenellis pueris, qui lactis vomitu laborant ad quantitatem granorum iij. in ſubſtantia propinare audeant, hac enim via morbus ceſſare videtur frequentatis experimentis morbus ceſſare videtur frequentatis experimentis. Ego quidem viduam mulierem curavi, quæ novem dierum ſpatio vomitibus continuis ex vermibus laboraverat, & ferè triduo non comederat, nec cibum retinere voluerat, huic cum ℈ i. hydr. gyri mortificati cum tantillo cydonii propinatum abſque ulla moleſtia per alvum centum & plures emiſit vermes, & eadem die liberata eſt, & ſolita exercuit domi & foris negotia magna omnium admiratione, cum prius debilis & emaciata eſſet: aliis etiam exhibui & bono ſemper eventu: domique continuò aquam habeo, in qua hydrargyrum infuſam retineo, illamque puerulis pro vermibus libentiſſimè concedo, nec adhuc quempiam ex illa noxam recepiſſe expertus ſum. Uſus eſt hoc remedio ad vermes necandos Matthiolus, Horatius Augenius, & plerique alii celebres viri, qui omnes hujus auxilii maximè extollunt beneficium: datur pueris ſubſtantia ℈ i. grandioribus ℈ ij. vel ʒ i. corrigitur & mortificatur in mortario vitreo cum ſacch. rubro, ubi tam diu conteritur, donec in partes inviſibiles diſſolvatur: ne autem in priſtinam formam iterum redeat ol. amygdal. d. gran. ii addere oportet, & cum ſacch. violato, roſato, vel cydoniato jejuno ſtomacho languentibus propinatur. *Jul. Cæſar. Baricellus, Hortul. Genial. pag. 212.*

Aqua communis bullita cum argento vivo pauco & innoxio potu omnes interimit vermes, tam in inteſtinis, quam alibi: in ulceribus autem ſi aqua iſta affundatur. *Joh. Helmontius, tractat. cui titul. Sextuplex Digeſtio Alimenti Humani.*

Vidi quendam pro tabido habitum & quaſi conclamatum, qui potu pulveris corticum aurantiorum ad ʒ i. per tres vices, in vino curatus fuit, ejectione innumerorum vermium. *Petrus Borellus cent. 1. obſ. 90.*

Puer quidam quatuor annos natus in febrem incidit gravem & inordinatam cum capitis dolore, tuſſi, ſiti, tremore in ſomno, & vociferatione; ex quibus verminationi eum obnoxium eſſe conjecimus, qua de cauſa tanaceti ſemen cum ſyr. viol tribus matutinis exhibuimus; unde plures quam centum pedalis longitudinis, Lumbricos excrevit, & ſubito à febre, tuſſi, reliquiſque ſymptomatis fuit liberatus. Jac. Weckerus. De obſervationibus propriis referente Schenckio, lib. 3. obſervat. medicin.

℞. Po-

℞. Pomum aurantium aut citrium parvum, excava tantam partem, quæ capiat theriac. ℈ii. aloës ℈ß croci gr. vi. alia pomum, & ſuccum exprime, quo regio ventris inungatur. Utilis eſt & theriaca aceto vel limonum ſucco diſſoluta illita.

Aſcarides quia ſunt in inteſtino recto, ſuppoſitoriis rectiſſime educuntur, quibus admiſcentur reſinæ, iis enim vermes adhærent & educuntur. *Daniel Sennertus* pract. lib. 3. part. 2. ſect. 1. cap. 5.

Ad conſumendam omnem Aſcaridum materiam, nec non delendam inteſtinorum ad hæc animalcula procreanda proprietatem, vix quicquam utilius excogitari poteſt, quam ſi aloes ſuccotrinæ ℈ i. ſingula quaque hebdomada devoret.

Aloen enim extremas inteſtinorum partes arcana quadam facultate eluere atque expurgare longo uſu probatum eſt. Sic etiam non parum conferet, ſi ſingula hebdomada clyſter ex decocto abſynth. lupin. hord. & corallin. injiciatur, & frequenter anus lupinorum decocto foveatur. Laudo quoque ut ex linteo tenue collyrium fiat atque ano imponatur hocce linimento inunctum.

℞. Fell. taurin. ʒ i. pulv. lupin. ʒiß. ol. abſynth. ℥ i. vini albi ʒ iii. M. ad ignem *Hier. Mercurialis.* tom. 1. conſult. 13.

Unguentum ex argento vivo, reſinâ, & axungia factum, ſi podici illinatur, vel illud illi imprimatur, aut ſuppoſitoriis illitum intrudatur, præ omnibus remediis ad vermes Aſcarides dictos delendos efficaciſſimum eſt. *Felix Platerus.* prax. med. tom. 3. cap. 13. pag. 891.

Mulier quædam viginti annorum, ſæpiſſimè dolore ac torminibus ventris imbecillitate ventriculi nauſea, item eructationibus & cibi faſtidio vexata, me in conſilium adhibuit, tum pulvere quodam laxativo (qui recipit rheum turbith & ſennam) & ſyrup. roſ. ſolut. com. turbith cum rheo, agar. & ſenna exhibito, Lumbri cum latum per ſeceſſum una cum excrementis excrevit: quem cum mihi monſtraſſet; attonitus fui. Eſt enim Spithamas vinginti longus, latus grana ſex, craſſus vero grana duo. Poſt excretionem hujus Lumbrici, iterum expurgato corpore & quæ partes principes roborarent, per dies aliquot exhibitis convaluit fœmina illa, & huc uſque bellè ſe habet. *Gail. Fabritius Hildanus.* obſ. 70. cent. 2.

Puer quidam trium annorum vermibus laborabat, febriebat, caput dolebat, tremebat, nares ſcalpebat, in os digitos immittebat; hunc Deo auxiliante, ita ſanitati reſtitui.

℞. Farin. lupin. amaror, aloes an. ʒ iii. ſucci abſynth. ʒ ii. commiſta omnia bene extendebantur ſupra petiam, & applicabantur poſt applicationem emplaſtri, exhibui ſequentem hauſtulum.

℞. Diaturbith. cum rheo. ʒß. ſeri lactis ℥ i. F. potus, quem cum calide exhauſiſſet manè jejuno ſtomacho, vermes omnes per ſeceſſum emiſit; & laus Deo convaluit, pro ſiti ſedanda per tres dies durante, bibit aquam fontanam in cujus ℔ iii. infundebatur per noctem ℥ i. cæ parum in iſa u n quæ in abigendis vermibus maxime proficiebant. *Martinus Ruland.* curat. 21. cent. 2.

Exhibuimus hier. pic. Galen. ʒ ii. quo remedio plus quam viginti vermes excrevit. Iterum hoc dedimus Medicamentum.

℞. Spec. hier. ʒ i. ſem. ſantonic. pulv. ſcord. cent. min. corallin. an. ʒ i. cum ſacch. F. boli, ſumpſit quotidie ʒi. & pluſquam quingentos vermes excrevit. *Roder. à Fonſeca.*

Puerum vidimus qui ſeptimum agens annum triduò ex nimia lumbricorum vi ferè in otus jacuit, ſolo potu ex gramine aceto & ſaccharo vivens. Quarto autem die cum Medicamentum ex aloe, myrrha & croco ei propinaretur, duodequinquaginta, ſupra centum, vermibus alvo depoſitis, ſtatim convaluit. *Antonius Benevenius* cap. 35. lib. *De mirandis morborum & ſanationum cauſis.*

Nota & mihi mulier fuit ſupra quadraginta annos nata, quæ graviſſimis ventriculi doloribus & nauſea ſubinde correpta, ab aſſumpta hiera picra, quadraginta (plus minus) vermes excrevit. *Rembertus Dodoneus.* annot. ad cap. 85. libri *Benevenii De mirand. morb. cauſis*, &c.

Pro Adultis ſæpe hoc pulvere ſum uſus.

℞. Sem. ſantonic. ℥ i. fol. ſen. ℥ß. cent. min. ʒ iii. rhei opt. ʒ i. C. cervi uſti, rad. dictamn. ſem. lupin. an. ʒ i. ſem. cinæ ℈ iv. fol. Athanaſiæ, (i. e. tanaceti) ʒi. F. pulvis: doſis in adultis ʒß. cum aq. gram. vel acetoſ. manè & horâ tertia pomeridiana.

Pulvis pro pueris.

℞. Semencinæ, corallin. an. ʒß rhei el. ʒß. F. pulvis; doſis, ℈ ß. vel ℈ i. pro ætate pueri cum jure pulli vel aqua acetoſ. & quoniam pueri ob amaro rem medican enta faſtidire ſolent, facio tales placentulas.

℞. Sem. cinæ ʒ ii. C. cervi uſti ʒ i. ſacch. alb. in aqu. abſynth. ſolut. ℥ iii. F. confectio in placentas. Sequent. unguento inunge Umbilicum.

℞. Ol. petrol. nigr. ʒß. ceræ novæ ʒ ß. M. F. unguentum. Adjunge ſequens emplaſtrum, quo ſæpiſſimè in pueris utor.

℞. Pulver. lumbric. ʒ i. colocynthid. abſynth. petrol. nigr. aloes hepatic. ana ʒ i. myrrh. ℈ ß. ol. abſynth. fell. taurin. an. q. ſ. F. emplaſtrum. ſ. a. de quo accipe pro una vice ʒ vi. vel ℥ i. extendat. ſupra corium & applicetur ventri. *Jo. Naſus*, conſil. 23. lib. 3. conſil. *Cratoris*, &c.

Pro vermibus in adoleſcente octodecim annorum ſumma cum laude exhibui cochleari. ſucci granat. & cochlearis dimidium olei olivar. ſimul commixta, eo (dictu mirum) quinque ſedes habuit, multoſque vermes ſimul dejecit. Nobilis quidam Gallus hoc arcano utebatur, dicebatque reginam Galliæ ſolitam eſſe hoc remedio uti in pueris ſuis. Elidæus præceptor meus pueris dabat pulverem corallin. rhab. el. an ℈i. cum aq. gramin. ſyr. viol. exiguo adjecto. *Petrus Foreſtus.* obſ. 27. lib. 21. *De meſenterii & inteſtinorum affectibus.*

Confectio illa quæ diacarthamum dicitur potentiſſimum eſt remedium datum pueris ad vermes dejiciendos & ad pituitam vel chylum corruptum ex quo generantur & nutriuntur: ſed in exigua quantitate, quia fortiter ſolvit. *Petrus Foreſtus obſerv.* 33. *lib.* 21.

Puerpera quædam febre maligna laborans & ventris torminibus, una cum fluxu vermes teretes dejecit, huic pulverem hunc ſequentem cum cereviſia exhibui.

♃. Pulv. c. cervi. uſti ʒ ß. ſem. portulac. & zedoar. an. ℈ß. M. ſtatim à pulvere exhibito, dolor ventris, qui vehementiſſimus erat, ilico mitigatus eſt, & quinque vermibus ejectis, una cum excrementis liquidis, ſana evaſit febre & fluxu deſinentibus. *Idem obſ. 34. lib. 21.*

Infans quidam duorum annorum vermibus laborabat, poſt alia remedia tandem pulverem c. cervi uſti paſſulis exacinatis impoſitum continuò devorabat; atque ita dulcedine paſſularum allecti vermes, hoc ſolo remedio, dictu mirum, continuato, ultra centum vermes per alvum dejecit: & ventre inuncto oleo cotoneor. & abſynth. pulv. c. cervi uſti immixto, & exigua cera adjecta; à vermibus modo vivi modo mortuis exeuntibus, tum à fluxu alvi & febre liberatus eſt, & magno cum noſtro honore perfectè convaluit. In omnibus vermibus ſive latis ſive rotundis (præcipue etiam ubi fluxus ventris adeſt) pro comperto habemus nullum præſtantius remedium eſſe quam c. cervi uſtum, vi quadam occulta, pueris tum infantibus ac adultis exhibitum, memini enim quod ſoror mea cum adhuc juvencula exiſtens vermiculatione laboraret, exhibito hoc ſolo Medicamento ſimpliciſſimo; neſcio quot vermes ultro ex ano ejecerit qui decidebant in terram vivi & ſic curata fuit. *Petrus Foreſtus. obſ. 35. & ſchol. lib. 21.*

Sal deglutitum aſcendentes vermes ad ſtomachum deorſum pellit. *Idem ſchol. obſervat. 36. lib. 21.*

Adoleſcens quidam vermibus laborans, purgatus primum fuit infuſo rhab. deinde juſſi ut noctu applicaret emplaſtrum paratum ex farinæ ſiliginis ſcutella i. pinſita cum felle bovis, addendo cochlear. pulv. abſinth. & duo cochlearia olei abſynth. cum pauco aceto; geſtat noctu ſupra umbilicum. Si vermes prodeant, continuet adhuc aliquandiu, ut & alii exeant, pilulis ſequentibus frequenter utatur.

♃. Aloës ʒiß. rad. gentian. ʒß. diagrid. ℈ß. cum ſucco abſynth. F. pilulæ, capiat ʒß. pro vice. *Felix Platerus obſ. lib. 3. pag. 884.*

♃. Sem. contra ℈ i. paſſul. liquir. conſerv. viol. an. ℥ii. abſynth. rom. p. ß. F. decoctio in colat. ℥ iv. infund. rhei; ʒ i. corallin. gr. v. in expreſſ. diſſolv. rhei. ℈ ß. F. potio. *Guil. Ballonius conſ. 30. lib. 1.*

In febribus ubi maxima adeſt pravitas, qualitas occulta & venenata; aut copia vermium, ſæpè aqu. ex citrio malo deſtillatam utiliſſimam inveni, deſtillatur per balneum M. prius citrio malo in minutiſſimas partes, redacto; hoc facto, ponitur totum malum citrium ad deſtillandum. nempe cortex, pulpa, ſemina & aciditas ſimul confuſa habebimus, aquam pretioſiſſimam omni hyacinthina confectione nobiliorum, doſis ſit hora ante cibum, ab ℥ii. ad ℥iv. v. atque etiam vi. vermes necat, putredini reſiſtit, cor mirifice tuetur & vires fovet, poteſt vel ſola, vel cum jure, aut aliis aquis miſceri. *Dominicus Panarolus. obſ. 3. pentecoſte 5.*

De Verminoſo homine.

Oppido raram hiſtoriam de Viro verminoſo à Paſtore quodam mihi per Epiſtolam communicatam mitto:

De Verminoſo homine, cujus præterita æſtate præſens memini, hæc quæ deſideras, veriſſima, prout mihi 22. Februar. ad uxore ejus relata ſunt refero. Heic viciniæ, in Parochia mea, in pago Sarenſen, opilio quidam, nomine *Hans Tyeman*, decennium & ultra, mutatione aëris, & quidem adverſa turbidaque imminente ac inſtante tempeſtate, tantos ſuſtinuit cruciatus, ut vix dici poſſit. Et ecce, deinde maxima vermium caterva, ipſo vel in ſtrato decumbente vel ſedente, vel ambulante; vel aliud quid agente, ordinaria via, non admixtis aliis excrementis, ex corpore ejus prodiit. Et hi vermes parvi admodum, toti albi fuerunt, magnitudine aciculam æquantes, ultro exitum quærentes, Sed & poſtea, ſumpta catharſi quadam vermes, rubro nigroque capite, majores tamen, quam modò dicti, una cum urina exierunt. Hoſce ſucceſſu temporis ſequuti omnium maximi, inſtar magnæ & oblongæ admodum ſcuticæ, qui catervatim, numero 14. 15. & plures, intricati, & quaſi concatenati uſu pulveris cathartici, interdum etiam allii, & lactis equini, magis vi quam arte ejecti. Iis ſingulari Divina gratia & frequenti medicamentorum uſu liberatus nunc bene valet.

Fridericus Erneſtus Mebeſius
Paſtor.

Hic Buxtehudæ fœmina ægrotat. Hæc per vomitum vermes adhuc vivos rejicit. Quod addo. *J. L. Hannemani.*

De Verminatione continua ab ipſa infantia in ſenectutem uſque durante.

Degit hic Vidua quædam honeſta ferè quinquagenaria, A. K, quæ à prima infantia ſemper cum excrementis alvinis vermiculos parvos inſtar aſcaridum, & quales ſecundi Ephem. Germ. Curioſ. meminit, apud nos Thorunii itidem in uſu eſt. Quod imprimis notandum eſſe duco, quod ſemper vel plerumque ii ipſi infantes, qui vel ipſi, vel per alios emunt ab infectis, licet paucas patiantur variolas, gravius reliquis decumbant, quod etiam, ut plures reticeam, fratri meo germano juniori p. m. Johanni accidiſſe recordor, Cæterum celeberrimo Bartholino ac B. Sachſio obſerv. citat. & Scholio annexo ſubſcribêns, in fortem imaginationem cum metu quodam conjunctam, quam in morbis æque ac in prægnantibus multum poſſe in confeſſo eſt, rem omnem refero. *Simon. Schultzii.*

De Lumbricis mira ſymptomata excitantibus.

Poſt facta hominem in vermes abire, & a vermibus quoque conſumi communiter creditur; Ex cerebro namq; Bufonem gigni ferunt; ex Renibus ſerpentes, ex Ventre Lumbricos, ex Carne

vermes, & ex Pelle tineas: Hinc Lilius Vicentinus orator quendam diſceptiſſimus, in orat, de Fugac. & miſ. vit. num. hæreditatem hominis poſt mortem ſerpentes & vermes eſſe ait: At vero recitati & experientiæ hoc non conſentire videtur: Siquidem, hac teſte, cadavera humana etiam ultra decem & plures annos adhuc integra, vel apparenter talia, in ſepulchris obſervantur.

Quod autem vivi adhuc homines in vermes abeant, & varia in ſemetipſis vermiculorum genera progignant, varioſque miſerabileſque cruciatus tormina atque dolores ab inteſtinis hiſce hoſtibus experiantur, quotidiana proh dolor! experientia teſtatur; adeò ut verum dixerit, qui ſcripſit; ἄνθρωπον ἐστὶ ψυχάριον βαστάζον νεκρόν. Quantos, quam multos, quamque longos naturæ nonnunquam lumbricos in corpore humano progenerare ſoleat, non eſt, ut tibi, Vir, lectione & experientia celeberrime, prolixioribus exemplis oſtendam, utpote rem quidem miram, ſed non novam: unum vel alterum mihi obſervatum hic adduxiſſe ſufficiat.

Memorabile & obſervatu digniſſimum exemplum præterito Menſe Novembri hic loci obſervatum eſt nimirum Mulier per duos fermè annos miris & capitis & brachiorum, imò totius corporis convulſionibus, ſeu potius geſticulationibus in ſtuporem & ſcandalum ferè omnium ſpectantium tentata: alii enim veneficis artibus illam adeò miſerè tractari judicabant: alii illam ipſam veneficam eſſe, artemque non rectè didiciſſe, ideoque à veneficarum Patrono, Diabolo, ita affligi peſſimè exclamabant; (nam ſæpè numero inverſis atque erectis pedibus nolens volens in capite ſtare viſa fuit) Ego verò ſolus, cognitis morbis circumſtantiis, ſigniſque pathognomonicis Medicè ponderatis affectum vermicularem ſuſpicabar, & curam etiam ſpondebam, ſed hanc propter opinionem incantationis ſemel atque iterum impreſſam, ut fit, fruſtra & incaſſum. Cum autem proximè è viris excederet miſera mulier, tres ipſi lumbrici per guttur egrediebantur. Confirmatus itaque ego prima opinione mea, cadaver, conniventibus agnatis, & miniſtrantibus tribus hic loci Chirurgo & balneatoribus, ſectione aperiebam, & ecce totum abdomen fæcibus & undiquaque lumbricis ſcatebat: dum verò ulterius viam & egreſſionem horum vermium inquireremus, foramen in inteſtino jejuno, ultra unius lumbrici egreſſum vix amplius apparebat, ex quo tota & fæcum & lumbricorum (quorum numerus 41. erat) colluvies, præter quatuor in inteſtinis hinc inde reſtitantes, in abdominis cavitatem proruperat: Præterea inteſtina undique velut pedibus conculcata, putrilaginoſa & gangrænoſa videbantur: Omentum itidem totum putridum, & ut videbatur, à vermibus propter denegatum in inteſtina regreſſum, nutrimentique defectum, penitus conſumptum: quanquam dubius adhuc hæream, num foramen hoc diutius fuerit muliere adhuc vivente; an verò eadem illa fiſſura propter impetuoſam fæcum in cavum abdominis eruptionem ſubitæ mortis cauſa fuerit, inſigniter enim venter poſt mortem intumuit? En miſerabilem ab hiſce lumbricis tragœdiam, curioſitati tuæ non celandam, injuria Diabolo imputatam!

Si rectè memini, ſimilem aliquando de puella hiſtoriam ante ſeptennium fortè fortuna communicavi, quæ itidem miris corporis atque membrorum concuſſionibus ſpaſmoticis ultra 3. Menſes indeſinenter agitabatur, in incantationis ſuſpicionem uſque. Hæc poſt fruſtraneum tot medicamentorum uſum repetito vomitorio tartari emet. ad gr. ij. pro doſi (nam 11. annorum erat) binis vicibus ultra manipulum granorum triticeorum, & ut videbatur germinaſcentium, cum multa ſtercorum albicantium ſaburra ἄνω καὶ κάτω rejecit, & ſic ſolo hoc medicamento ab illiuſmodi convulſionibus, Deo ſit laus, penitus liberata evaſit, pedibus tamen ultra quadrantem anni ad greſſum invalidis. Poſt annum verò cum iiſdem ſymptomatibus vexari inciperet, adhibito iterum jam dicto vomitorio, longiſſimam tæniam, cujus fruſtum duarum ulnarum in carta extenſum adhuc mecum ſervo, excrevit, ceſſante ſic iterum affectu, & ſuperſtite adhuc integræ ſanitatis virgine, ſponſo ſuo haud ingrata. Dubitare hoc me poſtea fecit, annon eadem tæniæ primi hujus mali cauſa fuerit, & tamdiu in ventre delituerit, an verò tunc temporis ſimilis tæniarum progenies cum reliquis excrementis, adſtantibus id non obſervantibus, ſimul rejecta fuerit, & poſthac de novo progenerata?

Tertiam non tam propter raritatem hiſtoriæ, quam continuationem materiæ, obſervationem addere lubet. Nimirum retulit mihi nonnuper civis hujus loci frequenter ſyncopticus, ſe aliquando in rus abiiſſe, ſegetes ſuas viſurum, ante recurſum autem frequentioribus ſedibus neceſſitatum, n. 36. lumbricos excreviſſe. Idem ille civis, inſtante hac luna, eodem malo cum nauſea vomendique cupidine, tandem ingenti lipothymia, & copioſo ſudore frigido &c. deſubito affectus, ſuaſu meo; ſem. Santon. cum pulv. jalap. an. ℈ß. in melle ſumebat, & 8. grandes lumbricos κάτω ſecernebat, non ſine maximo ſanitatis impendio. In memoriam jàm mihi venit τὸ θεῖον illud Hippocratis: Profecto ſæpenumero in morbis intricatiſſimis τὸ θεῖον hariolamur: at ſi rem apertioribus oculis penſitamus, vermes ſæpè ſunt atque lumbrici. Adeo peritiſſimos etiam deludere novit fœdum hoc atque ignobile animalium genus. Ego ſaltim miror, unde tanti, tamque mirabiles, imo ſæpè ſtupendi effectus, membrorum corporis & omnium artuum concuſſiones; conquaſſationes, convulſiones, aliaque ſymptomata oriantur? genuinam cauſam lubens ignoro; in muſculis eam quærendam eſſe, certum eſt; ſed quid habent commune inteſtina cum muſculis, proprio atque peculiari motu dotata? Tuam, Vir eruditiſſime, informationem implorarem, niſi gravioribus negotiis Te occupatum ſcirem. Pro Tua in me benevolentia facies, ut vel ſaltim priſtinam Te mei memoriam, amoremque tenere cognoſcam.

Philippi Marci.

Vermes inteſtina perforantes, reſtituto agro.

Quædam hic loci, Chemnitii, pannificis Conjux, ſub umbilico in regione pubis, anno præterito, abſceſſum ſenſit magnitudine juglandis, quem cum emollientibus per duas ſeptimanas tracta-

tractaverat Chirurgus, rumpebatur & illico ex-crementa, paulo poſt quinque egerebantur teretes Lumbrici. Sequuntur ſingulis horis plures. Advocatus inteſtinum aliquod exeſum à Lumbricis perforatum pronuncio, prout plures ejuſmodi hiſtorias collegit Schenck. l. 3. obſ. Med. de verm. p. 373. Adhibitis per os amaricantibus medicamentis intra 4. dies ultra 100. ſpithamæ longitudine, prodierunt Lumbrici, prægreſſo ſemper aliquali in vulnere doloris mordicantis ſenſu. Injectionibus conſolidantibus per anum intra tres ſeptimanas curata, jam optimè valet. Similem abſceſſum in ruſticæ fœminæ inguine prope Ileburgum in Miſnia ante aliquot annos me vidiſſe recordor, è quo ſaltem tres Lumbricos teretes exiiſſe memini. *Chr. Frid. Garmanni.*

Vermes inteſtina perforantes Pereunte ægra.

Præterito Anno 1669. Menſe Maio, è Uratislaviæ vicino pago *Schmoltz*, venit ad me Vir quidam, qui pro Uxore ſua conſilium petebat, referens ipſam circiter duobus abhinc annis doloribus acerbiſſimè Abdomen rodentibus & lancinantibus, variiſque aliis afflictam fuiſſe Symptomatibus, quæ agyrtæ, mulomedici, & mulieres medicaſtræ ex Morbo Uterino illi accidere exiſtimaſſent; & ob id plurimis diverſiſſimiſque medicamentis, quæ utero compeſcendo eſſent, illam defatigaſſent, quamvis effectu planè fruſtraneo. Inter alia quæ ægræ acciderant plurimæ quoque, eæque graviſſimæ Anxietates & inquietudines recenſebantur, quas tum aliàs, tùm modico licet motu ſe exerceret perpeteretur, una cum frequenti Nauſea & nonnullo Vomitu, quo aliquando unum alterumve Vermem grandiorem excreviſſet,

Tandem denique accidit ut ægra, melius ſibi valere viſa, dum in ſuperiore ædium parte, brachio extenſo aliquid ſive in altum collocare, ſive ex alto depromere conaretur, ſentiret ex improviſo, quaſi umbilicotenus, in Abdomine aliquid rumpi & in imam inguinis regionem cum pondere decidere. Conſternata hoc caſu miſera, deſcendit, pejuſque ſe habens in lectum decumbere coacta eſt, ubi poſt non multam moram in inguine Tumorem percepit, paulatim ita increſcentem, ut validiorem pugnum facilè æquaverit.

In hoc intenſiſſimos cruciatus, tanquam roderetur, una cum motu non obſcuro viventis cujuſdam, dies aliquot (tres aut quatuor) paſſa èſt, donec Tumore rupto hoſpes latitans, Vermis inquam grandior, Lumbrici ſubruſi æmulus, ſpithamam ad minimum longus, ac roſtratus ſeſe proriperet: Ex foramine hoc plurima materia purulenta & fœtida effluxit, unde quidem tumor nonnihil ſubſidit, ipſumque foramen coaleſcere viſum eſt, verumtamen mox, parvo ſpatio ſupra illud, duo alia foramina ſponte ſua facta ſunt, è quibus primo parum puris, deinde materia, inſtar ſeroſi lactis tenuis & alba, quaſi guttatim emanavit, quam equidem materiam ſtatim pro chyli parte ex inteſtino, ubi dubio procul vermis ſtabulum extiterat, deſtillante habui, ægræque mortem vicinam prædixi; Quod prognoſticum etiam tertia abhinc die, ſeptimanæ ab ultimo decubitu tertiæ, funeſtus eventus ratum fecit. *Dom. Henric Wollgnadi.*

Lumbricus vomitu ejectus poſt ſymptomata gravia.

Filiarum mearum quædam, ætatis circiter annorum tredecim, faciei colore ſubcitrino, dolore capitis, anorexia, vomitione, ructibus continuis, ventriculi ac inteſtinorum tenuium corroſione, membrorum inſigni languore, & atrophia per multos annos afflicta, poſt uſum denique plurium medicinalium, intus & extrinſecus, per vomitum, cum materia plurima ſeroſa, acida, lumbricum ſimul, ſpithamæ longitudine, ſed convolutum, capite rubicundo, ac roſtro acuto, ejecit, poſthinc ſymptomate omni ceſſante, optimè ſe habuit. *Helvvigii.*

Scholion Schrockii. Lumbricos ore rejectos, quos in ventriculo genitos fuiſſe, vel ex inteſtinis in eum irrepſiſſe, credunt, plures teſtantur, quos inter unicum, ob magnam Caſus adfinitatem, producere liber Exc. D. Simon. Scholzium; qui in Miſcell. Germ. Curioſ. An. 3. obſ. 258. vermis ſpithamam longi, colore albi, capite rubicundi mentionem facit, à puella duodecim annorum, poſt perpeſſam cardialgiam, alvi conſtipationem, nauſeam, vomitum, & vocis interceptionem, rejecti, ſubſequuta mox omnium ſymptomatum ceſſatione; quem in ventriculo fuiſſe genitum, ſtatuit. Quamvis enim multi Medicorum locum hunc generationis non admittant, & vermes vomitu expulſos illuc potiùs ex inteſtinis irrepſiſſe, judicent, veroſimiliori tamen, contrarium qui ſentiunt, ratione nituntur. Sic Jo. Jac. Graffius idem probare conatur in epiſt. ad Hildan. ſcripta, quæ in ejus cent. 2. obſ. chir. 71. exſtat; nec contrariatur ipſe Hildanus, rarò ex inteſtinis provenire, qui vomitu rejiciuntur, arbitratus obſ. 72. argumento à bilis amaritie in primis deſumpto, cùm amara animalculis his maximè adverſari, ideoque rariſſimè infenſum hunc locum eos ingredi, credibile ſit; unde ſi qui ex inteſtinis ad ſtomachum adſcendant, in his, qui maxima aliqua pori cholidochi obſtructione laborant, fieri exiſtimat. Quæ amarorum averſatio licet negari omnino nequeat; non ſemper tamen habere locum, vermium in rebus inſigni amarore pollentibus generatio & deprehenſio evincit. Cur verò locum aliquando mutent, alimenti defectum aliqui, alii verò copiam vermium & loci anguſtiam arguunt: Alimentum quidem deficere poſſe in inteſtinis, haud credibile videtur, cùm ciborum quidquid ventriculus continet, non ſibi reſervet, ſed in connatam inteſtinorum cavitatim ſenſim exoneret; niſi interdum diuturna in anorexia & à cibo abſtinentia, ipſi quoque vermes eſurientes, & quo nutriantur, naturali inſtinctu edulium inveſtigantes, reptando in ſtomachum uſque pervenire, dicantur. Nec copiam vermium aut loci anguſtiam tranſmigrationis iſtius neceſſitatem inferre, obſervatio Theod. Kerckringii perſuadere valet, qui in cane inteſtina, nulla ventriculi facta mentione, à duodeno uſque ad rectum ita vermibus vidit oppleta, ut excrementis nullus eſſet relictus locus; quin vel fortuito ſurſum quandoque

repere

repere, vel exitum quærere ab aliis inſectatos, liberioremque auram captantes, vel etiam enematis adverſi infuſione, ut remotiora ad loca fugiant, interdum compelli, dicemus. Similem adverſæ rei fugam proponit Joh. Bapt. Helmontius tract. Sextupl. digeſt. alim. hum. §. 52. lumbricum vix extra vitalem nidum ſive inteſtina ſurſum eraptare, ſcribens, niſi ob ſibi horridum ac malæ contagionis obſtaculum, adeoque vix aliquid boni præſagire, addens, qui ſponte ſurſum ejiciuntur; quod equidem verum eſſe nonnunquam conceditur in quibuſdam ægrotantibus, ubi potentior malignitas corpori periculum minatur; aſt fallere etiam, præſens Obſervatio, & quam ſupra in principio Scholii hujus adduxi; pluresque aliæ probant, dum à prægreſſis morbis expulſionem iſtam liberaſſe, commonſtratur. Cæterum ſtomachum generationis verminoſæ ſubjectum eſſe poſſe, nihil omnino obſtat, ſive ex hauſto cum alimentis, liquidis ſolidiſve, aut etiam medicamentis, eorum ſeminio & ovulis, ſive ex corrupta putreſcente materia (quam tamen à latente & ſubjugato antea vermis ſpiritu, atque per corruptionem in libertatem reſtituto, animari, Excell. D. Sebaſt. Wirdig. lib. 1. Medic. ſpirit. cap. 21. §. 11. exiſtimat) producentur; cùm non tantùm hujus materiæ in eo præſentia dari queat, ſed & calor blandior hoſpitetur, à quo eadem foveatur, ſuſcitetur atque animetur.

Lumbricus poſt morbillos ex ore prorepens.

Puella novennis, poſt abſolutum morbum morbillorum, ſine dubio ex errore diætetico in febrem ſynochalem cum delirio inciderat, aſt ceſſante iterum febre, coma atque linguæ paralyſis ſubſequuta, indè mulieres circumſtantes apoplecticam putabant. Verùm cùm ego caput vapore duntaxat narcotico oppleri è reſiduo materiæ morboſæ cenſerem, & clyſterem revellentem, & alexiteria interna præſcripſiſſem, ex vermis teres binorum penè dodrantem longitudine, colore pallidus, biceps, uno videlicet capite in anteriori, altero in poſteriori ſui corporis parte exiſtente, & utroque rubicundo, ex puellæ ore ſpontè prodiit, ac ſubinde loquela rediit, cætera ſimul ac ſymptomata deſierunt, puellaque revaluit. *Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Frequens in variolis vermium generatio multorum hactenus exercuit ingenium, poſtquam Exc. D. Chriſtiano Langio in Diſput. de Morbill. Lipſiæ habita, illas animatorum ac innumerorum minutiſſimorumque, vel atomorum adinſtar inſenſibilium vermiculorum pulluſaginem eſſe, adſtruere placuit, cùm experimento aliquoties iterato cognoviſſet, ſanguinem corruptum ex naribus, nec non humorem putridum apertis puſtulis exſtillantem, ut & excrementa verminoſa progeniæ confertim ſcatere. Vermium etiam in variolis præſentiam deprehenderunt præter alios Excel. Dom. Ehrnfr. Hagendornius Ephem. Curioſ. Ann. 3. obſ. 28. Nob. D. Chriſtian. Franc. Paulinus An. 6. obſ. 3. Exc. D. Joh. Schmidius Ann. 8. obſ. 85. Cl. Joh. Rhodius cent. 3. obſerv. med. 64. Zacutus Luſit. Prax. med. admir. lib. 3. obſ. 46. Horatius Augenius Comm. lib. 1. art. cur. ad Glaud. apud Rhodium inedit. Petr. Borellus centur. 2. obſ. 72. & obſ. microſcop. 31. Ipſam peſtem ab excellenti putredine oriundam verminoſam tradit Celeb. Athanaſ. Kircherus in Scrutin. peſt. à qua excluſa effluvia peſtifera immunerabilem inſenſibilium vermiculorum ſobolem eſſe, demonſtrare conatur. Quin & febrientium ſanguineum vermibus tametſi oculo cryſtallinis artificiis non armato inſenſibilibus, plenum ſtatuit; quod propria experientia in malignis aliquoties ſe expertum fatetur. Petrus à Caſtro ſect. 1. de febre malign. puncticul. aph. 15. & ſect. 4. aph. 13. Sed non immerito ad raro contingentia fœturam hanc verminoſam cum Cl. D. Joh. Chriſtiano Fromanno diſcurſ. medic. de V. S. in morbill. declinat. §. 30. pluribus contra novam iſtam hypotheſin diſputante, referimus, ut ita, quamvis interdum malignè febricitantium ſanguinem vermiculis ſcatere concedatur, vel iidem ex ſero extravaſato ſub cute in variolis teſtagnante & putreſcente demum producantur, non tamen ſemper omnibus in variolis locum inveniant. Qua ratione ipſe Borellus conſentire videtur, ſcribens: Vidi & vermiculos in puerorum variolis, qui cum adſunt, magnam denotant humorum corruptionem, & non parvam mortis inducunt periculum. Incomparabilis etiam Dan. Sennert. part. 2. de infant. morb. c. 2. variolas interdum penè peſtilentes eſſe, & tantam in eis humorum corruptionem compertam fuiſſe, monet, ut ſub cruſtis vermes reperti fuerint. Non ſecus ac in aliis quoq; febribus vermes quandoq; occurrere obſervamus; quorum exempla apud Exc. D. Sebaſtianum Schefferum in Analect. ad dd. Eph. Ann. 3. obſ. 258. D. Thom. Bartholinum tom. 2. hiſt. anat. 53. Joh. Petr. Lotichium lib. 1. Conſil. & obſ. med. c. 3. obſ. 1. Henr. Salmuth. cent. 3. obſ. med. 34. & Laz. River. cent. 1. obſ. med. 16. 28. 75. & 91. aliosque videri poſſunt. Sic & ulcera ſordida, ad quæ commodè variolas illas reducemus, nonnunquam verminoſa, haud tamen ſemper evadere notum eſt. Ut adeo prælaudatus Fromannus hypotheſin iſtam firmo ſtare talo, meritò dubitaverit in An. 6. cit. Epit. obſ. 186. quia hic productum & quod concomitanter ſe habet, cum cauſa confundatur; & Barthol. l. c. vermiculos in ſanguine malignitatis potiùs productum, quàm cauſam eſſe crediderit. Ut taceam, quòd, cùm minutiſſimi perhibeantur illi vermiculi, facilè oculum, vitrea imprimis interjecta lamina, fallere poſſint; hinc Nob. D. D. Joh. Jacob. Beccherus lib. 1. Phyſ. ſubterr. ſect. 5. c. 2. nu. 103. ſanguinem in fermentatione febrili ſpumoſum fieri, & oblongas, tenuiſſimas, atque vix viſibiles bullulas ejicere conſiderans, ſtrias has, vermium ſpecie quoſdam microſcopiis utentes fallere potuiſſe; ſuſpicatur; & venerandus D. Simon Paulli Claſſ. 3. Quadripart. botan. cap. de heliotrop. pag. 343. edit. ult. ſal volatile in ſanguine refrigerato effloreſcens minutulos vermiculos falſo repræſentare ſtatuit; nec non Dom. Franc. Ignat. Thiermairius lib. 1. Conſil. med. cap. 7. in Schol. cùm plura de materia hac proferret, minutas ac diſtinctas ſanguinis fibras ſero ſuo innatantes, & aëri expoſitas, ſeſe naturaliter dilatando & contrahendo curioſis & credulis inſpectoribus levi negotio illudere poſſe exiſtimat videatur etiam de Diemerbroeck l. 1. de Peſte cap. 8. annot. 3. contra illud

illud ingenuoſum ut vocat, de Peſte verminoſa commentum diſputans.

De Vermibus vivis è Bubone inguinali exeuntibus.

Puella quædam inter plebeias undecim annorum à prima ſtatim ætate de dolore inguinis conquerebatur, donec tandem anno undecimo ætatis poſt graviſſimum dolorem aperto per ſe inguine vel etiam perrupto, duo vermes vivi exierint, quartam ulnæ communis partem longi, ſimiles iis, qui in inteſtinis; ad inguen perveniſſe; ac illud quoque perforaſſe, inde liquet, cum & liquidus cibus poſtea aliquoties per foramen illud foras prodierit, puellaque illa etiam aliquot lumbricos cum fœcibus egeſſerit. Sed jam conſolidatus bubo nullum tumorem exhibet, dolore tamen aliquando ingraveſcente, puellaque ſemper valetudinaria exiſtente. De lumbricis nonnunquam ventriculum, inteſtina, umbilicum, ventrem, hypochondria atque inguina perforantibus, vide Schenckium lib. 3. obſ. Med. & præſertim Nicolaum Tulpium lib. 3. obſerv. cap. 12. de verme ex inguine prodeunte ſimilia exempla videantur in Miſcell. Curioſ. Germ. anni 1. obſ. 145. 146. & in Append. p. 35. *Simonis Schultzii.*

Vermis ex inguine prodiens.

Ex pago Cubiſch A. 1607. venit ad me ruſticus, ſignificans uxorem jam per annos 8. fuiſſe valetudinariam: Et ventrem modo hoc, modo illuc afflatibus attolli cum murmure. Ante 3. ſeptimanarum ſpatium ſub dextro hypochondrio foramine ſatis magno ſe abdomen aperuiſſe, & exiviſſe vermem haud parvum, nunc verò effluere materiam purulentam.

Scholion.) Fuit Apoſtema in inguine fortaſſis, & in illo putredine generatus fuit vermis. Obſervationem hujus farinæ recenſet Tulpius l. 3. c. 12. Sed de hâc materia actum eſt in Scholio ad Obſervat. 12. itaque crambem bis coctam non afferam, qui brevitati ſtudeo & verborum ambages & lenocinia ſtudio devito. Hoc ſaltem monere volui, hunc abſceſſum per Congeſtum factum, valetudinaria enim fuit iſta fœmina, detruſit itaque natura materiam moleſtam in locum ignobilem ſenſim & paulatim, ut ſic totum à ſarcina pravorum humorum ſublevaretur. *Got. Ch. Wincleri.*

Vermes per Penem, Alvum & os excreti.

Poſt atrociſſimos pubis & penis Dolores puer 11. annor. civis Thoranenſis Filius, excrevit cum urina faſciculum oblongum vermiculorum, veſiculæ ſingulari incluſum; dein alium per os: Tandem lumbricum inteſtinalem ulnam longam, quam ſequutus eſt alter Tænia dictus, Puer hic optimæ nunc valet, curatus tunc temporis à D. D. Segero. Vermem per meatum urinarium rejectum deſcribit *Ronſaus Epiſtol. med.* 10.

De Vermibus è ſtomacho rejectis.

Vidua conqueſta eſt de ſummo dolore ſtomachi, menſtrua erant retenta, appetitus dejectus, aliquid, vermis majoris inſtar, ſæpè ad fauces adſcendere dicebat, ſtatim tamen ad ſtomachum redire. Excellentiſſ. Dom. Dom. Schœnlin exhibuit illi Mercurium dulcem aliquoties, ſed de eodem verme conquerebatur. Exhibita eſt poſtea infuſio vitri antimonii, ſed nihil præter phlegmata & bilem ejecit. Verme illo, ut dicebat, aſcendente quidem ad fauces, ſed qui egeri non poterat. Bibit aquam Thermalem, ſulphur valde redolentem, at nihil opis ſenſit, niſi quod vermis ille non tantoperè moveretur. Exhibitus Merc. vitæ ad gr. iii. movit iterùm phlegmata, & quatuor globos inſpiſſatos, in quibus diſciſſis aliqua materia nigra apparuit, ejecit, una cum vermibus duobus, quos mitto reliqui per inferiora exivere. Menſtrua interim apparuere ipſaque credit, vermem magnum adhuc latere in ſtomacho. Ipſi ventriculi non benè dignoſcuntur valdè arefacti, etiam per microſcopium, quia, ut auguror, aſimentum, quo prægnantes erant, illis exſtinctis tranſſudavit, & quaſi candiſatum eſt, imò tranſlucet, ac ſi ſaccharo conditi eſſent: ſi ulterius de majori rejecto reſcivero, ſignificabo. *Joh. Paterſon Hain.*

An viſus ſit unquam lumbricus lumbrico fœtus.

Mihi quidem parum veriſimile apparet ob varias cauſas, nihil tamen definire auſim. Conſtat Amatum Luſitanum hæc prodidiſſe: Puella unum permagnum egeſſit vermem rotundum, cujus cùm pater pede caput calcaſſet, ex eo prodiere alii vermes. Vidit fortaſſe quiddam vermibus ſimile prodiiſſe; & ego nonnunquam in exenteratis lumbricis viſus ſum mihi videre plures vermiculos, ſed re accuratius examinata deprehendi omnia alia. Inter cætera, cùm ante annum ex puero trienni lumbricum rotundum pedalem exegiſſem, utraque extremitate acutum ſine ulla certa capitis nota (nam tres verruculæ in extremitate una per microſcopium conſpectæ non tam caput deſignabant, quàm cotyledones, quibus adhæſerat inteſtinis) credidi me videre per ventrem beſtiolæ tralucentem alios ſed minores vermes. Cæterùm aperto ejus corpore notavi fila illa albentia non vermes, ſed inteſtina eſſe, eaque alia aliis craſſiora, ſed ſibi cohærentia, licet variè intorta. Et quidem, præter inteſtina illa alba, deprehenſus eſt ductus ſecundum longitudinem beſtiolæ porrectus, reliquis craſſior, & colore ſubflavo, in quo excrementa reperta bili non admodum diſſimilia. *Olai Borrichii.*

Lumbricus teres longiſſimus.

Tertiana ſuperioribus annis corripiebatur Reſtio juvenis, poſt ſumptam placentæ à furno calentis adhuc partem. Remedium tolerato ſecundo paroxyſmo petenti, dedi primo Tartari noſtri Emetici ſimpliciſſimi (Diſſert. 1. Pharmac. deſcripti) gr. ii. Inter vomitus excrevit ſimul per inferiora Lumbricum teretem, tres ulnas noſtrates longum, ſemivivum, Febriſque poſtmodum exhibitis conchis ſimplicibus pulveratis, & Cinnabari nativa aliquantum ſociatis integre diſparuit. *Daniel. Ludovici.*

De Verme Bicipiti.

Ridiculum fermè eſt quod refero. Ruſticus è Ducatu Croſnenſi plures conſuluerat Medicos ob Cardialgiam & dolorem lancinantem circa umbilicum: tandem meos ſalutat lares, malumque ſuum cum Medicorum conſiliis ordine recenſet. Præſcribo evacuans in forma potulenta, quod ex Pharmacopolio illico ſecum aufert, cumque altero lapide à civitate diſtaret, moræ impatiens arripit vitrum, probeque liquorem exhaurit, putans operationem differri eò uſque dum iter hoccè eſſet emetitus acriter itineri inſiſtit: vires Medicamenti motu excitatæ, operatione viatorem interturbant. In iſthac evacuatione excluſus ſimul vermem bicipitem, digiti longitudinis, horridioris adſpectus, quem dum conſpicit in excrementis, pedem promovet, hoſpitemque hunc dolorum ſuorum autorem laſſior quidem, ſed omnimodè ſanus relinquit. *Samuelis Ledelii.*

De Lumbrico Lato.

Jacobus Henricus Maccovius (Jacobi Maccovii Juris-Conſulti doctiſſimi, & Notarii Judiciorum Thorunenſium optimæ ſpei filius) puer undecim annorum, Gymnaſii noſtri alumnus diligentiſſimus, conſtitutionis tenerioris facieque ſubpallidus Anno 1667. tempore Autumnali de doloribus infimi ventris maximis, antea verò ſæpè de levioribus, conquerebatur, mox locum ſecretum intrans, & feces alvinas deponere volens, inter egerendum ſenſit aliquid ex ano flaccidi pendere, quod ille manibus attrectans & lacerans ad dimidiæ ulnæ longitudinem cum fletu & metu portionis inteſtinalis abruptæ matri monſtravit, quæ & ipſa cum parente perterrita, me ſtatim, ut ipſius ædes inviſerem, per famulum rogavit: tum advenienti mihi, quid filio in dejectione alvina acciderit, retulit, & fruſtum illud, quod puer inteſtini portionem falsò credebat, expoſuit, ego ſubridens, cum per jocum interrogavi, cur tu fruſtum tæniæ iſtius comediſti? ſtatimque ut bono eſſet animo, dixi, id enim non eſſe inteſtini portionem, ſed ſpeciem vermis lumbrici lati, ſeu ad ſimilitudinem Tæniæ ita dicti, cujus major & longior adhuc pars in inteſtinis lateret, vix autem latitudinem minimi digiti æquabat, & ab externa aura contrahebatur, ſed in aquam tepidam impoſitus, iterùm extendebatur, prioremque longitudinem adeptus eſt. Præſcripſi ei itaque in ſequentem diem ſequens Lenitivum.

♃. Elect. laxativ. extract. fol. Senn. noſtr. ʒvi. D. pro doſi; quo die 16. Septembr. uſus, aliquoties blandè evacuatus eſt, ſuccedentibus etiam lumbrici lati ſeptem ulnis, continuò quidẽ egredientibus, ſed in egerendo ob tenuitatem diſruptis. Tum ei ordinavi pulverem iſtum pro aliquot doſibus, ſingulis matutinis ſumendum.

♃. Corallinæ ʒi. rhei elect. ſem. ſantonic. an. ℈iß. Spir. vitrioli coagulati gr. iii. M. F. pulvis. Die 28. Septembr. iterum hoc pulvere purgatus eſt.

♃. Pulv. Rad. jalapp. gr. xvi. Reſin. Scammon. gr. ii. cremoris Tartar. gr. v. à quo iterum lumbrici iſtius duo ulnæ non perfectæ ejectæ ſunt: continuato ſequentis pulveris quotidiano uſu.

♃. C. C. uſti præpar. Corallinæ, ſem. Santonic. ana ℈ii. rhei el. ℈i. Spir. vitriol. coagulat. gr. iv. M. Die 7. Octobr. pulverem præcedentem purgantem repetiit, & ad longitudinem ferè ulnæ de Tænia excrevit. Et quoniam ſæpè de doloribus abdominis conqueſtus eſt, ſuaſi ei, ut continuaret uſum pulveris ſequentis contra vermes:

♃. Corallinæ, ſem. Santonic. tanacet. C. C. uſti præp. ana gr. xv. rhei el. ℈ii. pulv. rad. mechoacan. gr. xvi. Spir. vitriol. coagul. gr. iv. M. F. pulvis. Inde partitis vicibus ad ſemiulnæ longitudinem, & fruſtulatim per longum tempus de Tænia ſemper aliquid exiit. Hinc liber fuit puer iſte per integrum ferè annum, tam à doloribus, quàm à verminatione, colorem quoque faciei vegetiorem acquiſivit, uſque ad finem Julii Anni 1668. Conquerenti iterum de torminibus ventris & recidivam metuenti ordinavi elect. laxat. mei extr. fol. ſen. ʒvi. Sed ab iſtius uſu tantùm exiguæ particulæ de Tænia comparuerunt: nihilominus tamen 1. Auguſti præſervationis gratiâ eidem iſtas Rotulas commendavi.

♃. Pulv. Corallior. ℈iv. ſem. Santonic. C. C. uſti præp. ana ʒi. Sacchar. Canar. alb. in ſ. q. aq. plantaginis diſſol. ℥iv. F. l. a. Rotulæ, de quibus 9. 11. & 13. pro una vice aſſumebat. Hiſce per Dei gratiam reſtitutus puer iſte jam optimè valet, & ſtudiis gnaviter invigilat hoc Anno 1672. die 28. Maii dum iſtam obſervationem in ordinem redigerem: ubi obſervandum, quòd in iſto lumbrico nullum unquam indicium ſive capitis, ſive caudæ apparuerit, & quoties puer panem ſimilagineum comediſſet, toties fruſtum Tæniæ excreverit. Similem caſum mihi dum viveret, narravit Excellentiſſimus noſter Anteceſſor Beatus D. Meiſnerus, qui Lanioni & Civi Thorunenſi novo oppidano Johanni Koolle per medicamẽnta purgantia & appropriata ante aliquot annos expulit lumbricum latum longitudine novem ulnarum, capiteque rubicundo præditum: mortuus eſt hic Lanio ſexagenario major apoplexiâ tactus Ann. 1669. menſe Aprili. De generatione & ſignis lumbrici lati vid. *Hippocrat. de morbis lib. 4. edit. Foeſ. ſect. 5. pag. 70. 71. Galenus* verò *Commentario in Aph. Hipp. ſect. 3. aph. 26.* ita de eo ſcribit: Rarior eſt lumbrici lati generatio, qui & longiſſimus eſt, & ſæpè per tota extenditur inteſtina. Adde hiſce *Paulum Æginettam lib. 4. cap. 57. Aëtium lib. 9. cap. 40. Ariſtotelem lib. 5. Hiſtor. Animal. cap. 19. Plinium lib. 11. Hiſtor. Natural. cap. 33.* Talis etiam vermis videtur iſte fuiſſe, quem annotavit *Anton. Benivenius de abditis morborum cauſis & curationibus cap. 87.* ſub titulo vermium cucurbitinorum. Et Excellentiſſimus *Thom. Bartholinus Cent. 3. h. 14.* mentionem aliquam facit Lumbrici lati. Poſtquam obſervationem hanc ad finem perduxiſſem, acceſſit me pro conſilio præfatus puer, cùm iterum de Tænia fruſtulatim per ſedes exeunte quereretur: Præſcripſi itaque ei cùm Pulverem purgantem pro una doſi tum alium contra vermes in majori quantitate, ad ſeminium iſtud vermium extirpandum. *Simon. Schultzius.*

De Lumbrico lato V. Ulnarum longitudine.

Vetula honeſta & paupercula, quæ ſæpius in civium ædibus, etiam noſtris, domeſticos labores obire ſolebat, conqueſta eſt, ſe multo jam tempore vermiculos plures ſede dejicere, cum torminibus & pruritu partium permoleſto. Purgandum corpus monuimus, & pulverem dedimus ex mechoacanna utraque cum Crem. Tartar. & pulv. Cariophyllorum: quo ſumpto pituitam plurimam cum ingenti vermium minorum copia excrevit, & præterea lumbricum pollicis ferè latitudine, quinque ulnas longitudine ſuperantem, album omnino & viventem, quem aquæ puræ in vitro impoſitum ad nos detulit. Ne quid reſtaret, exhibiti pulveres anthelmintici, quibus nihil deinceps ultra mali apparuit. *Georgii Hieronymi Welſchii.*

De lumbricis latis, & cucurbitinis.

Urbanus Carelius, Juvenis 26. annorum, ſed bulimos, de vagis dorſi, & inteſtino ſuo doloribus conqueſtus, inprimis de frigore nati, quem proximo triduo ſideratum iri, caſtiſſimque aſſeveranter juravit, ut erat triſtis & melancholici ſpiritus, epota, juſſu meo, juſta doſi diacatholici ex diaphœnici aquis convenientibus remiſta, lumbrici lati fruſta excrevit duo, longa pedes 24. viventia, ut ille tentabatur, cùm prodirent, ſed ad me delata ſine ullis vitæ indiciis; quæ dum accuratiùs intueor, nonnulla deprehendo, minus forſan aliis obſervata. Inciſuræ lumbrici, quæ creberrimæ, non rectam lineam conſtituebant, quales ferè Sennerto & Tulpio delineantur, ſed crenis innumeris ſindebantur denticulatæ. Per medium dorſi non decurrebat faſcia nodis contiguis diſtincta, ut glyptes Sennerti figuravit, ſed in ſingularum inciſurarum medio puncta quædam apparebant, jam tria, ut Tulpii figuræ placet, jam plura, nonnunquam eadem ſexangula, & ſemper liquore craſſiuſculo plena, qui primo quidem die albicans lactis inſtar, poſtea in colorem ſanguinis æmulum mutabatur. Corpus ipſum lumbrici jam latius, & non tantùm medio dorſi punctis ejuſmodi interſtinctum, ſed & ad latera minoribus; jam anguſtius & omnibus punctis deſtitutum; verbo, totum cucurbitinum, ut ſuſpicari forſan non alienum ſit, cucurbitinos illos vermes partes eſſe lumbrici lati, viderique tantum genus aliud, quod è reliquo lumbrici lati corpore abrupti faciem aliam intuentibus præbeant. Sed quod in hoc juvene mirum, non illa tantùm vice ſimilia fruſta per ſeceſſum rejecit, ſed toto anno jam longiora, jam breviora, quoties idem pharmacum propinabatur (propinatum verò fuit propemodum quadragies) nec adhuc finis eſt, ut adeoque ad hodiernum diem excreverit octingentorum & ultra pedum lumbricum, ſi omnia fruſta (quorum apud me vel ducenti pedes aſſervantur) numerentur ſollicitè, nullo adhuc capite ſpectato. Nec prodiiſſe hactenus argumento eſt, quòd æger ſemper abrumpi ſibi extrema ejus fateatur, nec unquam finem ſenſerit. Tentavi mercurio dulci, aliiſque, quæ rotundis & aſcaridibus fructuoſè opponimus, hoſtem expellere, ſed fruſtra, nullis enim hactenus obedit, niſi purgantibus. Idem mihi obſervatum in cerevisiarii uxore, idem in generoſa fœmina Holſatica, cujus tamen lumbrici lati fruſta ejuſdem ubique latitudinis viſa ſunt, ſed puncta lateralia hic alterna tantùm internodia diſtinguebant, nec amplius puncta erant, ut in juvene, ſed curtæ lineolæ, ita ludit etiam natura in erubeſcendis humanorum viſcerum abortibus. Noviſſime poſt amarorum uſum liberalem ceſſavit bulimia, nec amplius veſtigia lumbricorum apparent. *Olai Borrichii.*

Lumbricus latus.

Fœmina quædam de ciborum faſtidio, ventriculi ac inteſtinorum corroſione ſæpius querens, aſſumpto aliquando cathartico, lumbricum latum, trium pluriumque ulnarum longitudine, ſed fruſtulatim per ſeceſſum in unico die excreverat, quo indè ſymptomata etiam priora ceſſarunt, nec ultra hactenus ſimile quid paſſa eſt. Lumbrici forma erat quaſi cucurbitæ ſemina plana, ſubflava, & invicem cohærentia.

Scholion Schröckii.). Variæ ſunt de Lumbricis latis Medicorum ſententiæ, quas ex parte expoſuit *Dan. Sennertus lib. 3. Medic. pract. part. 2. ſect. 1. cap. 5.* ubi tamen duorum inprimis eſſe generum monet; quorum unum cohærentia cucurbitæ vel cucumeris ſemina exactius referat, alterum ex multis particulis geniculatim coagmentis componatur, delineata eorum ſimul figura; quam etiam dederunt Adrian. Spigelius lib. de lumbr. lato, *Guil. Fabricius Hildanus cent. 2. obſervat. Chirurg. 70. Nicol. Tulpius lib. 2. obſerv. Medic. cap. 42.* & inprimis *D. Olaus Borrichius Volum. 2. Act. medic. Hafn. obſervat. 47.* Licet & in illis aliqua notetur differentia, ut adeò cum *Borrichio* meritò dicendum ſit: Ludit etiam natura in erubeſcendis humanorum viſcerum abortibus. Illos verò ſine capite notos, benè monuit *D. Thom. Bartholinus cent. 3. hiſtor. anat. 14.* addens tamen: Certè plerique lumbrici, niſi in inteſtinis detruncentur, caput habent, quanquam non ita manifeſtum, ut à reliquo corpore diſtingui accuratè poſſit. Hinc enim dolores vellicantes & tormina pueros miſerè torquentia. Imò nulli unquam caput defuiſſe, meritò ſtatuitur; quod tamen ob ſituram in inſpectionibus haud ſemper adparet, præcipuè ſi illud contrahendo quaſi abſcondant. Eſſe autem vermibus iſtis cucurbitinis caput, teſtes adſunt præfatus Tulpius, qui breve, planum, latum, & cornutum inſtar limacum, ſine oris hiatu impoſuit; Illuſtr. Dom. Præſes noſter tract. de abſinth. p. 125. minutiſſimum, atrum & verrucoſum, trium papaveris ſeminum aptè conjunctorum formam exprimens; *Dom. Simon. Schultzius* Ann. 3. Ephem. Cur. obſerv. 229. rubicundum, Bald. Timæus lib. 5. Caſ. medic. 9. oblongum, nigrum, villoſum & binis cornubus armatum; *Joh. Rubingerus* lib. 3. obſerv. *Schenk.* quod inſtar cæciliæ novum quoddam ſerpentis corpus in ore geſtare videbatur, ſive cæciliam referens; *Hieronym. Gabucinus* cap. 13. Comment. de lumbr. roſtro veluti quodam acuto, acus piſcis more præditum; *Guil. Rondeletius* lib. de dignoſc. morb. cap. 17. parvum & longum, nec non

non ſine oculis; & Amatus Luſitanus cent. 6. curat. medic. 74. verrucoſum & album, deſcribunt. Sunt & qui cavitatem in lumbrici lati corpore nullam agnoſcunt, imprimis qui non animal, aut vermem, ſed neſcio quam inteſtinorum membranam eſſe autumant; quorum fundamenta proponens *Fel. Platerus lib. 3. obſervat. p. m.* 891. viva non eſſe animalia, ex in conjecturam ſumit, quòd non tantùm cavitate deſtituantur, ſed motum quoque nullum edant, nec teretium modo titillationes roſioneſve moveant, ligulas faſciaſve membraneas ex chylo genitas adſerens, quales in aliis etiam animalibus, carnibus, cancris, &c. certo tempore obſerventur. Aſt *Henr. Salmuth cent. 1. obſerv. med.* 45. quidpiam inſtar lactis emittentem vidit, ſubjungens: Multi quidem lumbricos latos membranas eſſe putant; atqui hi quid lactis obtinent. Qui ſanè lacteus exſtillans ſuccus cavitatem aliquam neceſſario præſupponit. Timæus ipſum corpus in medio quidem latum eſſe, ſed ab utraque parte in rotunditatem quandam, veluti ventrem adſurgere, ſcribit, cum exigua cavitate. Immobilia eſſe corpora, autopſia haud admittit, unde quoque *Philibert. Saracenus* in epiſt. ad Hildanum (*cent. 2. obſerv. Chir.* 71.) in muliere quadam tæniarum verminoſarum ſobolem tantopere increviſſe, refert, ut non modo per alvum, ſed aliquoties per os nareſque prodierint, ac tum, *ſcribens*, in abdomine primùm conſpicuus fiebat illorum motus, intumeſcebat enim mulieri venter hinc indè, non aliter quàm fieri ſolet, cùm ſe fœtus in eo quoquòverſum commovet, mox inde in os obrepebant, eoſque ipſa digitis comprehenſas longa ſerie educebat. Si itaque in nonnullis motus omnino nullus deprehendatur, ii vel medicamentorum virtute, vel aliam ob cauſam enecati erunt dicendi. Sic nullum doloris ſenſum eorum præſentiæ adeſſe, præter complures alios, vel ille Timæi ægrotus l. c. contradicit, qui jejunus dolorem & morſum in ventre plerunque ſentiens, excretis in magna copia cucurbitinis corpuſculis, convaluit. Quod verò ligulas illas gamarorum, ut reliquorum taceam, attinet, quibus tænias has ſimiles judicat Platerus, nullam hîc valere ſimilitudinem, certum eſt, cùm corpora illa teretia albicantia, nec corpora ſint præter naturæ intentionem genita, nec etiam animalcula ſive vermes (quocunque jam appelles nomine,) ſed partes tantùm in aſtucis maribus conſpicuæ, & certis temporibus ſucco ſeminali candido turgidæ, qui levi preſſione per penes ex utroque latere in pedunculis penultimis latentes, exire animadvertitur. Rectiùs itaque cum *B. Georg. Hier. Welſchi cap. 4. de Vena Medin. p.* 131. præclariſſimorum Medicorum judiciis acquieſcendo, lumbricum latum, tam cucurbitinum, quàm faſciatum, è proprio ſeminio quodam in humoribus alimentariis ſeu chyli portione, & ſanguine aut latice nutritio latente, caloris aut ſimplicis aut putredinalis ope, primò quidem exiguum, & inteſtinis adfixum gigni ſtatuitur, qui poſtea iiſdem aut vitioſis etiam humoribus nutritus paulatim in magnam illam molem excreſcat. Non tamen opus eſt ut ejuſdem primordia ex ipſo utero ſemper deducamus, quod quidem voluit *Hippocrates*, vel potius ſi quis alius illum de lumbrico lato diſcurſum *lib.* 4. de morbis inſeruit (ceu *Joh. Marinellus Comment.* 10. exiſtimat, cùm ab *Hippocratis* dignitate alienus videatur, & ab aliquo rerum ad rem Medicam pertinentium imperito additus fuerit; imò omnes illos de Morbis libros alium quam *Hippocratem* auctorem agnoſcere ſunt qui ſtatuant; vid. *Foeſii Comment. pag.* 690.) ſcribens: *Eos in puero, dum adhuc in utero eſt, gigni aſſero. Neque enim ubi ſemel utero egreſſus eſt, tanto tempore ſtercus in alvo manet, ut ex eo putrefacto & diutius permanente, tantæ magnitudinis animal in ea concreſcere poſſit.* Neque enim tantùm ex ſtercore ortum deducere, rationi congruum, neque excrementum illud diu ſæpè in corpore poſt partum, etiam in provectæ ætatis hominibus latere poſſe, negandum eſt. Sed cùm totus ille diſcurſus revera multa contineat abſona, Hippocratica ſapientiâ utiq; indigna, & facilè à quovis perſpicienda, inſiſtere his prolixius nolo. Num vera *Borelli* opinio locum mereri queat, non minus dubito, dum *cent. 3. obſerv.* 4. balænimorphia animalia in ſanguine humano producta, & ad pravum, quod in ipſo eſt, hauriendum nata, ſi ſedem mutent, cucurbitinos eſſe vermes, in ſtomacho quandoque repertos, credit; cùm non videam, qua ratione ſola illa loci mutatione, inſecta, antea balænarum forma conſpicua, brevi in diverſam adeo figuram tranſire queant; quinimo conjectura hæc incertiſſimæ vermium ſimilium per naturam in hepate præſentiæ innititur; qualem quidem etiam in viſcerum parenchymatibus agnovit *Theodor. Kerckringius obſerv. anat.* 93. impugnatam tamen à *Nob. Dom. Thiermanno lib.* 1. *Conſil. med. caſu.* 7. *in ſchol.*

Lumbricus latus in infante bimulo.

Lumbricos latos in omni ætate generari poſſe Medicorum hiſtoriæ teſtantur. In ſene octogenario vidit *Gabucinus*, in juvene *Tulpius*. Ita memini dum adhuc Hildeſiæ praxin medicam exercerem virum præter propter quadragenarium, Gebhardum Mejer, poſtquam per longum tempus malè habuiſſet, & plurimis medicamentis ipſiſque adeò Pyrmontanis acidulis incaſſum uſus fuiſſet, de improviſo ſanitati reſtitutum fuiſſe poſtquam tæniam in rotundum glomum convolutam per poſticum emiſiſſet, quæ in chartam explicata ſeptem ulnas longitudine ſuperabat. Sed nec infantes ab his monſtris prorſus immunes eſſe docuit me filia bimula ſcribæ præfecturæ Alholdenſis in Lalandia, quæ anno 1674. poſt uſum eſſentiæ hypericonis aliquandiu continuatum particulam de lumbrico lato ſpithamam longam per alvum rejecit, & hoc ipſo ab omni qua antea affligebatur moleſtia liberata eſt. *Joh. Henr. Brechtfeld.*

De Lumbrico lato.

In *Annum* 3. *Ephemerid. Obſervat.* 229. *Dn. D. Schultzius* inſeruit exemplum egregium de lumbricis latis, non unicuique in praxi obvium. Præter Auctores, quos ille introducit de hac materia ſcribentes, invenio *Drawitzium*, qui *pag.* 126. Chalapium pro peculiari antidoto ſummoperè commendat. Quid mihi acciderit, & quidem ex improviſo, enarrare animus eſt.

Puella 15. circiter annorum laboravit duplici tertiana, quæ ipſius vires valde dejiciebat. Dedi purgans:

♃. Spec. diaturb. c. rh. ℥ ii. Chryſt. Tartar. gr. vii. pulv. chalap. ℈ß. M. F. Pulv. Dejecit ſæpius & tandem cum fæcibus lumbricos latos ad ix. ulnas cohærentes: febris ſtatim ceſſabat: Dedi, ſi quid reliquum, ſequentem pulverem quotidie ad ʒß.

♃. Semin. ſanton. ʒi. Hyper. citri. an. ℈i. Radic. filic. flor. tanacet. an. ℈ ij. Vitrioli calc. c. c. uſti præparat. an. ʒß. M. F. Pulvis. Et in integrum reſtituta eſt. Alia vice Paſtor quidam exul attulit mihi in vitro lumbricum ulnas circiter vi. longum, quem uxor ipſius excrevit: Sed cum male ſe non haberet ordinavi, ſi quid ſupereſſet, allium in lacte coctum, Et amplius nihil animadvertebat. *Gottofr. Chriſtiani Wincleri.*

Vermiculi circa ſphincterem ani.

Obſervavi perſæpe infantes intra ſeptennium querulantes de ciborum faſtidio, ſiti, titillatione narium, ac in ſphinctere ani, cum irrito conatu excernendi; infantibus verò ſuper alterius gremium inclinatis, & diducto podice, vel ab inſeſſu infantium ſuper laſano, atque lactis calefacti vaporem excipientium, vermiculi parvi, veluti in caſeis veteratis inveniuntur, acervatim deſiliebant, mundatoque deinde ſ. h. podice detergentibus & exſiccantibus, malum hoc prorſus evellebatur. *Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Aſcaridum nomen latius nonnullis extenſum, ita ut cucurbitinum etiam lumbricum ſub ſe comprehendat, ceu idem videre eſt apud *Benedict. Silvaticum cent. 3. Conſ. & reſpon. Med.* 10. utplurimum tamen parvulos illos, tenues ac teretes vermiculos, iis qui in caſeo inveniuntur, non abſimiles denotat; quos nempe ab ἀσκαρίζειν, ſive quod idem, σκαρίζειν, ſalire, ſaltitare, ſic dictos communiter volunt, cùm adſidue ſe moveant, perpetuoque quem inferunt, pruritu & ſtimulatione hominem quieſcere haud permittant, vel etiam quòd ipſi ſaliendo movere ſe quandoque conſpiciantur; qua ſane ratione latis lumbricis etymon hoc quadrare minus poteſt; niſi fortè τὸ α ſit ςερητικὸν, & privandi vim obtineat, ſicque vox illa lato potiùs lumbrico, tardiori motu prædito, & minori cum dolore inteſtina incolenti, competat. Cæterùm ipſa aſcaridum apud Medicos notior appellatio (miſſa illa, qua aliis etiam inſectis tribuitur, uti *Caſpar. Schvvenckfeldius lib. 6. Theriotroph.* Siles. aſcarides caſeorum, terrenos, militares & paluſtres exhibet; necnon qua vermiculi inſigniuntur, in phthiſicis nonnunquam occurrentes, deſcripti à Bald. *Timao lib. 2. Epiſt. medic.* 5. nec non *Thom. Barthol. cent. 1. hiſt. anat.* 46. vel in utero ac pudendo muliebri ſubſiſtentes, quorum mentio occurrit apud *Hippocrat. lib. 4. de morb. pag.* 666. *Cod. Foeſ. 3. D. Nicol. Guil. Beckers Ann. 8. Ephem. Cur. obſervat. 75. Timaum lib. 4. caſ. med. 6. & Garciam Lopum com. 13. de var. rei med. l. 7.*) vermiculos notat, qui circa inteſtinorum extremitatem, vel inteſtini recti ſphincterem præcipuè latitant; ex corruptis, craſſis, & pituitoſis humoribus, ab accedente proprio ſeminali ſpiritu animalis, producti; quos quidem ipſos dein alios generare ſubinde poſſe, non eſt improbabile; prout de lumbricis aliis idem certiùs conſtat; tales enim prolificos *D. Georg. Wolfg. Wedelius Vol. 5. Act. med. Hafn. obſerv. 58. Theod. Kerckringius obſerv. anat 43. Henric. Salmuth cent. 3. obſerv. med. 24. Petr. borellus cent. 1 hiſt. med. 89. Dom. Panarolus pentecoſt. 5. obſ. 15. & Amatus Luſitanus cent. 5. cur. med. 46. exhibent. Et J. Bapt. Helmontius*, licet lumbricos in nobis abſq; prolificatione adſtruat tr. Sext. digeſt. alim. hum. Aſcarides tamen §. 28. cadaveroſos vocat, ex putridis quiſquiliis provenientes, & §. 85. ſua parere ova adfirmat. Tales fortè Vidua illa ventre aluit, cujus obſer. 13. dd. Eph. mentio fit, quæ à prima infantia uſque in ſenectutem ſemper cum excrementis alvinis vermiculos ejuſmodi parvos in magna quantitate excreverat, ſine tamen aliquo ſanitatis incommodo. Utplurimum quidem pruritu, accedente nonnunquam teneſmo, moleſti evadunt, minorem tamen periculi metum incutiunt, utpote in parte ignobiliori hærentes, & ob vicinitatem facilius medicamentis exturbandi; cùm tamen & animæ defectiones & cruciatus, aliaque mala inferant, jure ab omnibus formidandos monuit *Hieron. Mercurialis Tom. 1. Conſult. medic.* 15. Scilicet, ut *Ebn Sina lib. 3. fen. 16. tract. 5. cap. 3.* habet, pruritum quandoque tantum inducunt, ut ipſa ſyncope inſequatur; à frequenti etiam roſione ulcus in ano excitatum epilepſiam provocaſſe *Joh. Jeſſenius à Jeſſen apud Schenckium lib. 3. obſerv.* teſtatur. Contrarium quidem hic ſe præbet *Ebn Sina* Commentator, *Petrus Salius Diverſus*, illum ſyncopes metum Avicennæ puram imaginationem vocans, & nec ratione ſymptomatis, i. e. pruritus, nec ratione loci, qui nullum conſenſum cum corde habeat, nec ratione adfectus, cùm vermes ſint puſilli, nec pravi habitus, ſyncopen excitare poſſe, judicans; adducta etiam propria experientia, qua taliter per 10. & 12. annos infeſtatos, præter pruritus & commotionis in ano moleſtiam, nihil perſenſiſſe compertum habebat. Paulò tamen iniquius prolata hæc videntur: Si enim pruritus ille moleſtiſſimus ſæpe ac quaſi intolerabilis adfectio evadat, prout ipſe *Salius* Comm. in cap. 2. ſcripſerat, quis eo ipſo animi defectiones exin oriri poſſe, neget, cùm à vehementi dolore animi deliquia accidere ſæpius obſerventur? Uti verò omnium partium mutuus conſenſus eſt, ſic & ignobilioris illius cum corde haud eſt negandus, præcipuè cùm vaſis diverſis ſit non parcè donatus; unde in pruritu pulſum naturali paulo concitatiorem, urinamque conturbatiorem evadere veriſimile eſt, quod notat *Samuel Hafenrefferus lib. 1.* de cutis adfect. cap. 14. Nec parvitas & pravitatis abſentia in aſcaridibus obſtat, ſufficit enim, roſione ſua eſſe moleſtiſſimos; atque res parvas maximam ſæpe agendi vim obtinere. Experientia etiam particularis in uno alteroque caſu deprehenſa, impoſſibilitatem ſyncopis in aliis non evincit.

Vermium copioſa excretio.

Varia præternaturaliter in corpore noſtro progenerari, præprimis autem viſceribus ac inteſtinis, indies ſolertiſſimi obſervant Anatomici, inter quos principatum obtinuit accura-

curatiſſimus animalium diſſector Bartholinus: ita calculos in hepate, liene, pulmonibus &c. repererunt Foreſtus, Columbus, Crato, imo Rhaſes: quandoque autem fœtus ejuſmodi extra corpus eliminat natura, vel quantitate obruta, vel alio inſtinctu laudabili, uti quidem calculoſæ mictiones, imo ſputationes iſtud teſtantur: præprimis autem vermium excretio frequens eſſe ſolet æque ac ipſorum in inteſtinis generatio, eo minus inter rara haberi ſolita, quo frequentior: Nihilominus haud injucunda fore confido, ſi quæ circa verminoſam dejectionem haud ita pridem contigerunt recenſeam: Infans erat quatuor annorum, cui pulverem meum anthelminticum exhibui, iſte alvum exoneraturus, tantam materiæ copiam uno ictu dejecit, ut moriendum ſibi alta voce ingeminaret: Acceſſitus, Parentes de viſcerum ſingulorum excretione ſollicitos, bono animo eſſe juſſi: certus nonniſi mali ſentinam vacuatam eſſe, id quod excrementa inſpicienti palam evaſit, præter enim innumeram vermium copiam, qui materiæ viſcidæ copioſæ implicabantur, nihil animadvertere licuit. Ut tamen, quo reficeretur, infantulus haberet, mixturam cordialem præſcripſi, qua vires ſenſim redierunt.

Omnia medicamenta, quæ vermes necant, conſtant partibus durioribus, atque inter hæc familiam facile ducunt, quæ præparantur ex Vitriolo: idque præſtant amaritudine, aciditate aut ſalſedine; cujuſmodi eſt ſequens:

℞. Semin. Santonic. ℈j. Vitrioli calcinat. gr. v. trochiſc. anthelm. m. gr. x. F. pulv. detur ex convenienti vehiculo infanti 4. annor.

Silentio hic præterire non poſſum, vermes duos oblongos, digito minori craſſiores, colore rubeo, hoſpitabantur hi in rene canis ſiniſtro, qui inde totus excavatus & rugoſus erat: in diſſectis autem inteſtina decuplo longiora ipſis vermibus conſpiciebantur &c. *D. Joh. Martini Haesbaert.*

De Lumbrico tereti.

Vir quadragenarius ferè ſumme tabidus, poſtquam per quinque hebdomadas decubuiſſet, ac denique morti ſuccubuiſſet, ſuſpicio inter ejus amicos orta, veneno illum à muliere quadam dato, extinctum eſſe; quare juſſus è Superioribus cadaver illud ſecarem, accurate inſpicerem, quidque indicii hac de re obveniret, diligenter adverterem: Quamprimum itaque abdomen aperuiſſem, ſtatim in ejus cavitate ſupra ventriculum, ubi cartilago eſt enſiformis ac connexio hepatis, per membranam latam cum peritoneo annexum lumbricum teretem peritoneum perforantem, indeque per duo peritonei foramina, inſtar nodi ligati pendentem, omnes mecum cum admiratione adſpiciebant: *Es war ein rechter Knode mit dem Wurm geknüpffet, anzuſehen, als ob ein ſtücklein Schnur dahin geknüpffet wære.*

Præterea omentum tumefactum ad duorum digitorum latitudinem, inſtar materiæ viſcidæ, pituitoſæ atque pellucidæ, in ſitu tamen naturali, apparebat ſimulque in medio ejus, ſub umbilici regione, exulceratio rotunda, magnitudine imperialis, non adeo profunda, pure tamen albicante repleta, conſpiciebatur. Hoc remoto; inteſtina in pelvi materiæ albicanti, purulentæ, putridæ ac fœtenti, ſphacelata & valde corrupta innatantia cernebantur. Aperto ventriculo nullibi veneni veſtigium adverti poterat, ſed morte naturali ob maximam illam viſcerum & partium corruptionem, hominem iſtum mortuum eſſe judicabam. Cumque de lumbrico tali maxime curioſus eſſem, anne ventriculum, aut inteſtina perterebrando perreptaſſet, ſedulus inquirerem, in ventriculo quidem ſimilem lumbricum inveni, ſed neque in illo, neque inteſtinis viæ aut foraminuli veſtigium invenire poteram; ita ut hærerem, an in cavitate abdominis, in materia illa purulenta ac corrupta, tanquam nido aptiſſimo genitus; an verò foraminulum iſtud coëundo iterum evanuerit. Interim, quis doloris acerbiſſimi circa ventriculi regionem, cauſam, lumbricum talem in peritoneo perforato ligatum ac pendentem cogitaſſet; quamvis calor & ardor continuus & torrens inteſtinorum ſphacelationem prodidiſſent. *D. Joh. Daniel Dorſtenii.*

De vermibus admirandis pedum, lumborum ac Scroti in America.

Cùm poſteà venirem in *Guineam*, videbam, quod, incolæ ligni particulæ quædam pedibus appenſæ, quibus aliquid involutum erat, geſtarent. Percontanti mihi, quid hoc ſibi vellet, interpres reſpondebat, vermes eſſe, qui ejus loci incolarum in pedibus, lumbis, imò & in Scroto naſcerentur, hujuſmodi particulis ligni, aiebat, extrahendi ſunt hi vermes, qui ſæpè tres quatuor vel quinque ulnas longi ſunt. Cum veniſſem in *Caſtellum Mourre*, ubi noſtri milites in præſidiis erant collocati, ulteriùs perquiſiquirebam; quænam natura & conditio eſſet horum vermium, reſpondebant: Non parere magnos doloros, niſi cùm jamjam perforare vellent cutem, tum enim frigus quoddam præcedere & rubeſcere partem infeſtatam, inſtar eryſipelatis, & tum eos prodire: anteà vero aliquantulum materiæ aquoſæ effluere: Facto hoc, duo quædam cornua imminere, pili inſtar tenuia, parvi digiti latitudinem æquantia longitudine: deinde caput extare, quod aliquo modo compreſſum eſſet; hoc ſequi corpus, tam rotundum, tam tenue, ac chorda quarta in pandura, quam vocant Diſcantus; tum pedetentim & particulatim ex corpore humano extrahi, & illo ligno circumvolvi, & quidem longitudine tantùm unius digiti, una vice, tunc enim ſubſtitendum eſſe; & hoc quolibet die, ter tantùm debere fieri: imprimis autem hîc accurata opus eſſe cautione, ne in extrahendo nimiâ vehementiâ utaris, & vermem abrumpas; tunc enim acrem quandam aquam ſeu humorem effluere, quod in ulceribus exquiſitorum dolorum cauſa foret, & reliquias per ulcerationem expellendas eſſe, quod tantâ caloris vehementiâ fiat, ut opera danda eſſet opere maximo, quo pars à gangræna liberetur. Obſervavi deinceps, quod milites, qui in Batavorum ſervitiis erant, cum biennium vel trienium ibi exegiſſent, ſimili modo ab ejuſmodi vermibus ſint infeſtati & flagellati. *D. Frederici Lachmund.*

De Crure à Verme eroſo.

Dominus Heugel, Cancellarius, expertus eſt in mendico quodam, cui vermis ubique crus eroſit, qui fruſtrà multis uſus erat remediis. Applicavit particulam Allii rubri cum Ol. lini contuſum foramini nuperrimè facto, ea nocte benè & tranquillè dormivit. Repetiit ter, Et repertus eſt vermis longitudine articuli digiti.

Scholion.) De eadem materia ſermo nobis erat Obſervat.12. Aliud verò recenſitum experimentum. Allium lumbricorum interitum promovere certo certiùs, præcipuè ſi in lacte coquatur, Lac enim appetunt Lumbrici, & ſic per ſtratagema mortis laqueis capiuntur. Extrinſecus Allium idem poſſe in Vermibus ex obſervatione hac luculentum evadit. Ita ut credam Allium vermium venenum jure meritoque vocari poſſe. *D.Chr.Wincleri.*

De Verme crus erodente.

Vermis mulieri cuidam crus totum modò huc, modò illuc perforavit, ſumſit è ventriculo ſuillo pelliculam internam nigricantem, & eam impoſuit foramini. Eximit Vermis, qui ſtatim vinculo alligatus eſt, ne regrederetur. Deinde exciſus, & brevi tempore vulnus ſanatum eſt. Vermis erat craſſus & albus cum roſtro rubro.

Scholion.) Vulgus putat ſi quis multis ac profundis ulceribus ſcateat, illum vermem alere, præcipuè cum quis παιδαγογικὴν laboret. Quod tamen, ut ſæpiùs falſum; ita interdum verum eſſe poteſt; ut *Sennertus Inſtit. lib.2. P.3. S.1. C.11.* innuit his verbis: ita ex ulceribus vermes ejici novum non eſt. Imò *Marcell. Donatus Hiſtor. mirab. lib.4. cap.26.* Vermiculum album & piloſum natum & extractum ex apoſtemate medii digiti manus annotavit. An verò ulcus vermem, vel vermis ulcus præcedat, inquiſitione dignum. In carne hominis viventis vermem naſci poſſe, abſque ulla præcedente putredine & corruptione, non credo, imò Dracunculos ſive Crinones, Germanicè *die Mitteſſer* non abſque putredine materiæ viſcoſæ in venis capillaribus generari puto. Itaque ſemper, ſi non ulcus, tamen apoſtema vermem præcedere, & è putredine ipſius originem trahere, exiſtimo. Vermem verò conglutinationem ulceris impedire & ad plura occaſionem præbere, non repugno. Experimenti rationem reddere difficile eſt, niſi quis diceret Suem eſſe animal admodum vorax, ideò ventriculum ipſius abundare humore acidô appetitum excitante, & propterea tunicam internam eô imbutam, allicere vermem. *Ex eôdem.*

De Lumbrico, Faſcia lata dicto.

Petrus Ritter duodecim & quot excurrit annorum Ann. 1681. ſub initium Maji, cùm antè ſatis bene haberet, victuque parili cum cæteris in orphanotrophio uteretur, citra evidentem cauſam, inſignia ventris tormina ilico perſentiſcere cepit, cum vehementi hypochondriorum diſtenſione, quæ nunc remittebant, nunc fortiùs ingruebant: Biduo poſt per alvum excrevit corpus albicans, teres, ulnarum trium longitudine, non ſine animi conſternatione & ſodalium qui adſtabant admiratione, unà cum miſello inteſtinum excretum eſſe arbitrantium, uſque dum examine à nobis inſtituto faſciam latam eſſe audirent: Noſtrates vocant *ein Bandelwurm. Joh. Jacob. Harderus in Obſervationibus Anatomico-Practicis.*

Lumbrici per urinam & nares excreti.

Puer undecennis Ann. 1681. Menſ. Novembr. graviſſimis in hypogaſtrio doloribus divexari incepit, quibus Excellent. D.D.Burcardus Prof. heic Celeberr. vario medicamentorum genere occurrere ſtuduit, illos tamen prorſus compeſcere non potuit, quin miſellus animalculum vivum, corpuſculo ſummopere infeſtum, deliteſcere (ob ingentiſſima tormina) aliquoties ingeminaret, nec ineptè, licet fortè minus ex arte, ſiquidem poſteà vermem cum lotio excrevit, antennis pedibuſque horridum.

Aliter figurati fuerunt illi, quos malè feriata quædam per nares excrevit, quorumque mentionem aliquam injecit Excellent. Celſus noſter An. 1. Decur. 2. Ephemer. Rem omnem uti ad Nobiliſſ. Pythagoram d. 7. Jan. 1682. perſcripſimus, heic enarrabimus: Nuperâ ſeptimanâ, (ita ferè orſi ſumus) Mulier impudica, quæ pridem lue Venereâ laboravit, ab eâdem feliciter liberata, Vermes aliquot præcedentibus atrociſſimis doloribus capitis & fœtore narium inſigni, per nares citra ſternutationem, vel præviam nauſeam aut vomitum excrevit, albos, oblongos, pedibuſque aſperis minus horribiles: ubi iſti delituerint, & an à capite prodierint, certò divinare non poſſumus, cùm longiores videantur: & aliquando ſimiles vomitu ejecerit: Id tamen adſtantes confirmârunt, vidiſſe ſe in narium cavernis vermes fluctuantes, ſenſimq; ex iis prorepentes, quos dehinc facili negotio ipſa extraxerit, &c. unde de antro ipſorum ſuper narium cavernas magis ſuſpicari aliqua incipimus, facilè tamen meliora docenti obtemperabimus. *Idem ibidem.*

Vermiculi in urinis.

Poſtquam Auguſtus Hauptmannus ex compoſitô vivæ mortis ideam latiùs deduxiſſet, eumque novô argumentorum genere ſecutus eſſet ille diffuſiſſimæ πολυμαθείας Kircherus, plurimi quoque noſtrûm in eam ſententiam prolapſi ſunt, eſſe morborum ſpecies, quæ ſe animatæ putredini in totum debeant, & volubili per auras motu contagium in corpora transferant. Sed verò hanc doctrinam, novam planè atque inuſitatam, peculiari experimentorum genere ornavit curioſiſſimi Vir ingenii, Levvenhoekius Belga, merito nuper ſuo in Regiam Angliæ Societatem allectus. Notat ille ubique ferè corporis eſſe, quod vivam putredinem animataſque referat particulas. Id verò prodigioſum, quod tamen oculatæ fidei præſidio defendit, ſtamina noſtri atque initia ex ſemine eſſe virili eoque vermino ſo. Nempe deſcripſit ille & numerum & quantitatem & formam & ingenium ſeminarii animati. Sed an ipſi illi vermiculi, qui fluido innatant ſpermatico, ſint unici cuſtodes & promi condi generis

neris humani, non facilè quis dixerit, in illâ conjectantium audaciâ natâ errorum occaſione. Dentium ille mucus tartareus, qui albedine ſua radices eorum incruſtat, totus quantus animatus eſt & verminoſus, notante id quoque vulgari oculo. Videntur ciborum reliquiæ, aut quiſquis eſt ille alveàrium ſudor, in illâ morâ & foci novitate alio adflari Spiritu Archeove vitali. Jam & perſpicua oculis noſtris corpora, quis credat, animalculis ejuſmodi perfuſa, facilè oſtendunt nihil intereſſe ad Liquoris naturam, globuli cum an exporrecta in longum animalcula, illaque vivida & mobilia, componant. Oculus ſanè, niſi novo microſcopii genere armatus, diſcrimen non agnoſcit inter Piperis ſolutionem vivam & verminoſam, & eam, quæ aceti guttulam recepit, exanimatis jam inque longiuſculas ſtrias ſeu filamenta mutatis ob acidi miſturam mobilibus animalculis. Adeò fieri poteſt, ut latitent in fluidó animatæ & novæ mortes, non niſi ſub juſto diſtantiæ angulo conſpicuæ, quem tamen ipſum tandem quoque aſſequantur, & vulgaribus pateant oculis. Quare exiſtimo plurima eſſe corporis noſtri excreta fluida, quæ ſub ſpecie uniformi oculo imponant, & non tantùm fixis ſolidis, ſed & mobilibus animatiſque corpuſculis ſint referta, quod ut omnibus humoribus, ita maximè Urinæ familiaris eſſe credo, rariſſimas autem eſſe eâ de re Obſervationes, quòd plerique perfunctoriis tantùm & nudis oculis φαινόμενα medica intueri ſoleant. Evenit tamen, ut, ubi magnitudine ſuâ motúque oculos curioſos afficiunt ejuſmodi contenta, in commentaria referantur; atque hinc etiam una alteraque obſervatio ſit nata de Urinarum vermiculis. Quibus neceſſe eſt ut hanc quoque addam. Cauſidicus erat apud nos non inglorius; laborabat ille ex febre ardente, & ut videbatur colliquativâ. De ſalute hominis ipſas tres Septimanas dubitabatur, adeò omnia ad ultimum ſpectabant. Tandem copioſæ per duos dies urinæ multo comitatæ ſedimento albo & æquali, in cæterâ quoque Symptomatum malaciâ bonum ominari exitum videbantur. Jam verò & æger poſt tam frequentes urinas eaſque bonas novos animos receperat, &, ut erat curioſus, copiam illam & ſedimenti ingenium attentius luſtrabat. Ibi ergo, ut urinæ ſubſidere incipiebant, admotis propius oculis notat ille ſubſultim euntes particulas mobilique petulantiâ per urinarum ſpatia vagatas; agnoſcit tandem animalculorum ſpecies, & non ſine trepidatione B. Socero meo, D. Joëli Langelotto, Chemiatro celeberrimo, qui valetudinem ejus curabat, rem indicat. Ille ergo, cùm fortè tùm Sleſvici agerem, ad ſpectaculum hoc me invitat. Accedimus uterque & ægri & urinarum ingenium exploraturi; offendimus autem eum ob ſymptomatum caloriſque remiſſionem erectiore animo, urinas autem ipſas adhuc dum rubicundulas, at ſedimento cineritii coloris eoque longè copioſiſſimo comitatas: in ipſo verò ſedimento multa vitalium ſalientiumq; particularum indicia: ſanè ſollicitè intuentibus vermiculos eſſe apparuit annulatos, & molli rubore in illa ſedimenti albedine infectos. Innumerabilis erat illorum numerus, qui cum tempore & poſt horæ quadrantem penitùs deficere cœpit, involvente exanimes jam protenſoſque filorum glomos ſedimenti copiâ. Durabat adhuc diem vermiculorum lentè evaneſcentium conſpectus, poſt quem nulli fuere, aut inſenſiliter fluido permiſti. Quòd ſi hic conſpicillorum Leuvvenhoekianorum copia fuiſſet, haud dubiè plura & elegantiora apparuiſſent. Æger interim ſerò demùm & lentè convaluit. *Johann. Nicol. Peehlinus in obſervat. Phyſico-Medicis.*

VERRUCA.

Verrucæ ſunt tubercula in cute enata quæ pro variis quas obtinent, formis, diverſas ſortiuntur appellationes; aliæ enim ſunt ſeſſiles Græcè μυρμηκία dictæ, quæ humiles ſunt infra latæ, & radices altè infixas habent; dolore etiam affligunt: aliæ rurſus ſunt penſiles ἀκροχορδόνες Græcis appellatæ, quæ parte quidem ſumma latiores ſunt, ima verò verſus cutem, tenuiores, qua quaſi pediculo innituntur, thymia deniquè vocantur, quæ colorem thymi repræſentant, ad cutem etiam ſunt tenues, in ſummo autem latæ duræ, & aſperæ, penſilibus minores; oriuntur autem omnes vel à materia craſſa melancholica & pituitoſa, vel ex ſucco cuti & cuticulæ alendæ deſtinato.

Pater meus cum juvenis manus verrucis repletas haberet, ei conſultum fuit à *Spiringio* Medico, ut omni die ſale & aceto eas fricaret; quo remedio ſanatus fuit, noſtra ætate quidam ſucco calendulæ ſolo inuncto ſanati ſunt. *Petrus Foreſtus. obſerv. 10. lib. 4. obſerv. Chirurg.*

Ad verrucas, myrmecias & acrochordonas tollendas ſæpè feliciter uſus ſum ſucco tithymali. Præterea raphanum excavato, ſale impleto, operculo occluſo in catino per noctem ſervato, ſalem in liquore verſum invenies: eo verrucas confricato, & panno in eodem liquore tincto ſuperligato, poſtea decident; eſt hoc ſecretum *Alexii Pedemontani.* Ad verrucas etiam valet radix chelidoniæ cum axungia trita & admota, eas enim abſumit & tollit, agrimonia quoque cum forti aceto emplaſtrata verrucas tollere dicitur. *Idem. obſerv. 11. lib. 4. obſerv. Chirurg.*

℞. Limac. rubr. q. v. ponantur in vaſe plumbeo aſperſo ſale, & ſic maneant per quatuor dies, abjectis limaciis, ter, quaterve in die cum liquore illarum liniantur verrucæ. *Idem. ſchol. obſerv. 11. lib. 4.*

Verrucas nobilis cujuſdam puellæ totas manus occupantes, ſola ſanguinis tauri jam mactati calidi illitione ſublatas vidi. Idem etiam ſanguinem cervinum quidam præſtare referunt. *Philippus Salmuthus. obſerv. 27. cent. 2.*

Ut ſubitò verrucæ omnes manuum curentur, lotio tantum earum inſtituenda eſt, ex aqua communi in qua ſal armoniacum ſolutum fuerit; quod à *Dom. Videl.* Medico *Delphin.* qui millies expertus eſt cum feliciſſimo ſucceſſu, acceptum teneo. Nuper famulum *Dom.* legat. *Hollandiæ* curavi, qui innumeris verrucis à duodecim annis ſcatebat, nec ab ullo curari potuerat: curatus autem fuit ſolâ aquâ cum ſale armoniaco ſæpè fricando ut dictum eſt. *Petrus Borellus obſerv. 46. cent.*

Quidam patiebatur multas verrucas in digitis manuum, quas curavit meo conſilio, illitu

lactis ficulnei quater aut quinquies adhibiti. Idem præſtitit idque multò efficacius ſpir. ſulph. per campan. per aliquot dies admotus in ruſtico quodam. *Simeon Jacoz. obſerv.17.*

Intra ſeptem vel octo dies, curantur verrucæ portulacâ contuſâ, eâ pars confricatur, deinde inſtar cataplaſmatis admovetur, iterando bis in die. *Samuel Formius. obſerv.34.*

Eſto pomum tranſciſſum cujus pulpa interna ſit affricta verrucis, donec intepuerit, & religatis medietatibus per filum, donec pomum putruerit, tum enim videbit verrucas attactas diſparuiſſe: ſimulatque enim vita pomi ultima perit, cui verrucarum impreſſio fuit conglutinata, perit etiam verrucarum vita ultima. *Joh. Helmontius. tractat. cui tit. Magnum oportet.*

Verrucæ atque ſtigmata à perturbatione prægnantis fœtui inducta, attactu cadaveris ſenſim ac ſponte mortui, donec pars intimè refrixerit; ſponte evaneſcunt. *Joh. Helmontius, tract. cui tit. Tumulus peſtis.*

Pro Verrucis in virga & locis ſecretis ex lue gallica.

Poſt univerſales purgationes, diſſolvo parum ſublimati in aq. plantag. cum exiguo aluminis, & plumâ verrucas illino, quibus exſiccantur, & cum cruſta decidunt. Chirurgi in noſocomio *Delphenſi* in *Gallica* lue verrucas tollunt, inungentes unguento morbi gallici, quo ſi non deliniunt, etiam utuntur ſublimato & alumine cum aq. plantag. (quo remedio & nos uti conſuevimus, antequam illi eo uterentur) donec decidant & perfectè curentur: *Isbrandus* Chirurgus *Delphenſis* hac aqua egregia utitur ad condylomata, verrucas, thymos ani, virgæ & membrorum muliebrium conſumenda & auferenda in lue gallicâ.

℞. Aq. plantag. ℔ß. ſublimati ℈iv. alumin. ℥ß. pulverizentur in qua penna intincta vel petia lini verrucæ tangentur: hac aqua nos feliciſſime uſi ſumus. *Nicolaus Maſſa cap.5.* De cura ulcerum morbi *Neapolitani,* deſcribit modum faciendi aquam ſeparationis auri ab argento, qua uritur in verrucis hoc modo.

℞. Vitriol. roman. ℔ii. alumin. roch. ℥vi. (forte ℥vi.) ſalis nitri ℔j. pone in cucurbitam curvam lutatam, vel ſi vis pone in rectam cum capello ſuo & recipiente ad ignem fornacis, & habebis aquam cum qua ſeparatur aurum ab argento, & cum qua fit pulvis angelicus, quæ aqua eſt mirabilis ad removendas verrucas in quacunque parte, & maximè in ano & vulva; cauterizat etiam iſta aqua ulcera maligna ambulativa, ubicunque etiam fuerint, ut in gutture, & prohibet progreſſum ulcerum virgæ & vulvæ: Sed cum eſt nimis acuta, oportet lymphare ipſam cum aqua roſac. at ego (inquit Maſſa) ſæpe ſanavi ulcera mala gutturis, tangendo bis in die cum aqua dicta, cum medietate aq. roſ. admixta, & eſt de ſecretis noſtris. *Petrus Foreſtus. obſerv.11. lib.4. obſerv. Chirurg.*

Pro Verruca Gallica in mucrone linguæ enata.

Æger multis preſſus anguſtiis, medicos, pacta liberali mercede, rogat, ut pro ſui ſalute veterum ac juniorum monumenta revolvant: ego ſtipendii compendio adductus, amicos & libros, tota nocte conſului. Multas pro tanto malo remediorum myriadas inveni. Octiduo tentavi omnia fruſtra, Ultimò adii *Lacunam. lib.2. in Dioſcor. cap.17.* qui pro Verrucis curandis nullum aliud præſidium utilius eſſe inculcat, quam chelidonii maj. folia piſta cataplaſmatis formâ ſuper verrucoſam partem imponere. Ad ægrum lætabundus accedo, remedium experturus, & emplaſtrum exertæ linguæ appono lineo panno involutum, & in medio linguæ triplicato filo ligo, non pertranſierant dies duo, quando verruca omnino contabuit, ita ut illi o exciderit. Hoc exemplo edoctus plures in volis manuum & plantis pedum renatas, quæ miſerrimè ægros excruciaverant, radicitus hoc facili & certiſſimo auxilio extirpavi. *Zacutus Luſitanus. obſerv. 79. lib.1. prax. admirand.*

VERTIGO.

I. Vertigo eſt affectio cerebrum ſeu ſpiritus ita exagitans, ut objecta circumſtantia propriumque corpus in gyrum agi, exaltari ac ſubverti videantur, unde laborans ſæpè corruit niſi propinquis nitatur adminiculis.

II. Hanc affectionem in cerebro fieri manifeſtum eſt, cùm viſionis illa læſio, quæ motum circularem in objectis quieſcentibus obſervat, non procedat à vitio aut oculi, aut medii, aut objecti, ſed à ſpiritibus cerebri incolis, volutatim & circulariter, non vero directè nervos percurrentibus, ſicque motus & ſenſationis munia ritè non perficientibus.

III. Cauſa proxima creditur Fernelio tenuis calidusque vapor per arterias in cerebri ventriculos irrepens, qui in plexu choroide ſpiritus & humores exagitans & variè impellens, turbulentos ſenſus motusque reddit, qui vapor non aſſiduò, ſed circuitibus, & quoties cauſarum evidentium vi cietur, efflari conſuevit, & interdum in cerebro, ſæpius in ventriculo & præcordiis aliisve partibus ſubſidet. Verùm præterquam quòd vaporum doctrina jam exploſa à multis eſt, demonſtratione anatomica conſtat cerebri ventriculos potius hujusce viſceris eſſe cloachas, quam ſpirituum animalium officinas aut emporia, plexumque choroidem per multiplices ſibi intertextas glandulas in ventriculorum cavum humorem excrementitium potiùs amandare, quàm ſpiritibus (ſi ita loqui fas eſt) pelicanandis inſervire. Præſtabit itaque obſtructionem in cerebro, aut ſaltem iis quæ ab interioribus ad oculos tendunt viis, agnoſcere, unde ſpiritus in obicem ſibi poſitum quaſi allidentes variè reflectantur, tumultusque agant. Cauſæ evidentes ſunt auſtrinus mador, repentinus è domicilio concluſo & anguſtiore in apertum locum tranſitus, lux ſplendidior, ſoni ingentes & acuti, acres odores, longior & rigidior inedia, vapida omnia dicta, qualia ſunt legumina, lolium, cicuta, ac præſertim vinum, hypercatharſis, profuſa hæmorrhagia, tuſſis vehemens, fixus oculorum obtutus, vectio, navigatio, balneum, ira vehementior, atque timor; quibus adde capitis colliſionem, ejuſdem continuatam inclinationem, corporis cyclophoriam celeriorem ac centro propiorem, & rerum impetuoſius circum-

cum-

cumgiratarum, aquarumvè vorticoſarum aſpectum.

IV. E ſupra dictis facillimum eſt elicere in quibus & quomodo vertigo differat ab aliis capitis morbis; Ipſam verò affectionem quod ſpectat alia eſt ſimplex, alia tenebricoſa, alia nihil præter girationem objecti realiter exiſtentis, alia vero provolantes culices, ſalientes pulices, innumeraque ſibi minimè objecta, quaſi obverſantia, videt, alia præterea eſt idiopathica in qua cerebrum eſt affectum per obſtructionem in cauſâ vertiginis proxima recenſitam, alia ſympathica à quibuſdam ex cauſis evidentibus enarratis, aliiſque id genus orta.

V. Idiopathicam vertiginem arguunt prævius capitis dolor, ſenſuum variorum injuria, & præcipuè aurium tinnitus, ægritudinis aut perennitas, aut contumacia, atque paroxyſmorum levi de cauſa & ex mentis v. g. tantùm cogitationibus invaſio. Sympathicam verò ſignificant & intermiſſio morbi, & acceſſionum raritas atque brevitas, & morbi atque cauſæ ipſius productivæ extra advenientium conſideratio.

VI. Vertigo ex ſe ſatis eſt tutus morbus, ſed timendum vel à caſu ipſi vehementiori familiari, vel ab epilepſia in quam aliquando degenerat. Quæ à cauſa evidenti oritur multò minus eſt periculoſa, quàm quæ proprio cerebri vitio fit, illa enim citò evaneſcit, hæc verò in carum & apoplexiam quorum prænuncia eſt aliquando deſinit. Vertiginem cephalalgia ſolvit.

VII. Indicationes ſunt 1. Cauſæ antecedentis procatarcticæ & continentis ablatio 2. Cerebri & ſpirituum corroboratio.

VIII. In curatione itaque dum attenditur ad omnes cauſas morbum producentes videndum ſi deficiant ſpiritus ut ipſi reparentur, ſi laboret ventriculus vel præ debilitate, vel præ onere, vel præ acrimonia ei impacta, ut ab hiſce liberetur; ſi tabaci fumus, inſolatio, plethora, aliaque id genus accuſanda veniant, eadem tollantur. Si verò ex ipſius cerebri vitio ſc. ex obſtructione & aliquando meatuum & canaliculorum in nervis excavatorum anguſtia, enaſcatur, tum expurgandum venit caput, ſpiritibuſque vires addendæ, expurgabitur autem per pilulas & pulveres multiplices, ut & alia medicamenta, item per veſicatoria, maſticatoria, apophlegmatiſmos, errhina; ſpiritus recreabuntur & acuentur volatilibus ſæpiùs aſſumptis quorum tantam in omnibus propè capitis morbis energiam vidi, ut hiſce in caſibus mihi ad inſtar panaceæ ſint; ſed illis diutius inſiſtendum, nec cura ab una aut altera doſi expectanda; laudo præterea remedia chalybeata melioris notæ, & præcipuè crocum martis per volatilia confectum, ut & plura remedia, tum in epilepſia, tum in comate & caro, aliiſque cerebri affectionibus allata.

Medicamenta pro vertigine.

Fol. auricul. urſi, meliſſ. menthæ, pulegii, roriſmar. ſalv. ſerpill. Flor. lilior. convall. matricar. ſalv. ſtœchad. tiliæ. Rad. cyperi, doronic. galangæ, ellebor. nigr. Sem. aquileg. carvi, cumini. Fruct. granator. ceraſor. nigr. Gumm. galban. ſuccinum, tacamahac. Caſtor. teſtic. columbæ fimus, pavon. ſterc. bombyces. Aq. anhaltina, epileptic. cephal. arom. elixyr antepilepticum, elixyr vitæ Quercet. emplaſtrum cephal. Schröderi, pulv. ſtomachic. Quercet. cinnabar. na. & antimon. magiſterium vitrioli &c. è pharmacopœis, chymiciſque voluminibus depromenda.

Curationes.

Methodus Therapeutica, ad vertiginem ſymptomaticam haud propriè ſpectat. Tantum opus erit indicatis primariis remedia quædam cephalica, ad cerebri nubila diſcutienda, & ſpirituum inordinationes ſedendas adjungi; ſeu potius, ut ad captum vulgi (quod interdum quamvis ſimulatè oportet) loquamur, medicamenta quædam contra vapores adjiciantur.

Vertigo accidentalis, aut alia quævis recens, phlebotomiâ, ac leni catharſi aliquoties iteratâ plerumque ſanatur; veruntamen quo certiùs morbus extirpari poſſit, remedia inſuper cephalicâ, qualia mox deſcribentur, ſeduló adminiſtrentur.

Pro curatione vertiginis habitualis, & inveteratæ factæ, ſimilis fere methodus ac contra pleroſque alios morbos cephalicos inſtitui debet, quæ tres has præcipuas medendi intentiones ſuggerit; ſcilicet primo enitendum erit, ut morbi fomite omni præciſo, cerebrum à materiæ morbificæ novis affluxibus immune perſtet; in quem finem recta victus ratione imperata, interdum phlebotomia, & ſæpiſſimè blanda ex intervallis catharſis convenient. Eligatur aër ſiccus, & perflatus, vitentur ſomni, ac ſtudia immodica & intempeſtiva, abſtineatur omnino à poculis matutinis, aut veſpertinis; loco prioris, hauſtus Tea vel Coffee cum foliis ſalviæ incoctis exhibeantur; Fontanella in crure aut brachio excitetur; & nonnunquam vaſa hæmorrhoidalia per hirudines aperiantur; affectus ſemper diluculo ſurgens quoque mane tempora, & ſinciput aquâ frigidâ perluat, & cum panno aſpero fricet.

2. Intentio Therapeutica erit, vertiginis cauſas procatarcticas tollere; quamobrem opera navetur, tum ut ſanguinis dyſcraſia cacochymica auferatur, tum ut cerebri conſtitutio debilis, & laxa nimis emendetur. Prioris gratia remedia potenter alterantia, prout Antiſcorbutica temperata, chalybeata, & nonnunquam acidulæ, aut ſerum lactis conveniunt. Quibus ſemper ob poſterius indicatum, medicamenta cephalica, nempe è corallio, ſuccino, cranio humano, radice Pœoniæ maris, viſco arboreo, ſtercore pavonis, & ſimilibus parata, quorum formulas mox adjiciemus, addantur.

3. Intentio, quæ & propriè curatoria eſt, morbi hujus cauſam conjunctam auferre ſatagit, quæ tamen procatarcticis remotis, ut plurimum ſponte ceſſat: nam ſi materiæ cujuſque extraneæ aditus in cerebrum præſcinditur, nihil reſtabit quin ſpiritus puri, putique, ac intra corpus calloſum ſpatia libera, & aperta nacti, inde quaquaverſus emanent: utcunque propter hunc medendi ſcopum, unà cum prioribus

ribus proſequendum, medicamenta inſuper ſale volatili prædita, quorum particulæ valde ſubtiles, & activæ ſpiritus animales recreant, intercalare oportet; cujuſmodi imprimis ſunt ſp. C. C. fuliginis, ſalis Armoniaci, cum ſuccino, cranio humano, &c. impregnatus. Tinctura corallii, ſuccini, Antimonii, Elixir Pœoniæ, &c.

His ita præmiſſis de vertigine in genere, inſuper ex re fore videtur, methodum Therapeuticam particulariùs adumbrare, ejuſque velut filum acuere & 1. oſtendetur, quid in paroxyſmo curationis, & dein quid extra ipſum, præſervationis gratiâ agendum ſit.

1. Quoad prius, etſi vertiginis invaſio ut ut immanior viſa, plerumque vacat periculo, & ſponte ſæpius facile pertranſit; quoniam vero laborantes, ſe moribundos veriti, auxilia medica expetunt; in tali caſu, ſi pulſus indicat, enemate præmiſſo, phlebotomia inſtituatur dein veſicatorio cervici applicato, graveolentia, ut Caſtoreum, ſpiritus, aut ſal. volatile C. C. Urinæ, aut ſalis Armoniaci naribus ſubinde admoveantur. Inſuper ſpiritus iſti bis aut ter in die cum Julapii cephalici doſi convenienti exhibeantur: horâ ſomni ſumatur bolus ex Mithridatio cum pulvere caſtorei; ſumat die ſequenti, ſi affectio nondum evanuerit, lene Catharticum; vel ſi laborans ad vomendum aut proclivis, aut facilis ſit, Emeticum, quo vix aliud præſtantius remedium eſt, capiatur.

♃. Pilul. de ſuccino gr. 24. reſinæ Jalapiæ gr. vi. Tartari vitriolati gr. vii. balſami Peruv. q. ſ. f. pil. iv. ſumendæ horâ ſomni vel primo mane: Vel

♃. Sulphuris Antimonii gr. v. cremoris Tart. ℈ß. caſtorei gr. i. f. pulvis capiatur cum regimine, expectando vomitionem.

Vomitoria in vertigine ſæpius prodeſſe, præter Auctorum teſtimonia, etiam ex obſervatione vulgari ſatis conſtat; cunque inſuper Vertiginoſi non raro ſponte vomant, hinc opinio apud plurimos inolevit, morbi hujus cauſam fere ſemper in ſtomacho latere, veruntamen hoc ſecus habere, & ob ſpiritus in cerebro perturbatos vomitionem crebro ſuccedere alibi oſtendimus: quod autem emetica in hoc morbo juvant, ratio eſt, quoniam hoc pharmaciæ genere & maxima humorum à cerebro fiat revulſio, & ſpiritus in eo tumultuantes quamprimùm coerceantur. Quando ventriculi & viſcerum juxta conſitorum membranæ, & fibræ vellicantur, in eas partes varii humores, ſc. nerveus, ſeroſus, lymphicus, pancreaticus, & bilioſus, attrahuntur, adeoque emulgenter, ὑπέγκέφαλον eorum affluxibus immunis perſtet, quin & plurimos jamjam ipſi impactos facile excutiet: dein quoad ſpiritus animales, alibi oſtendimus, inter eos ſtomachi, alioſque cerebri incolas, maxima ſemper commercia, ac intimum conſenſum intercedere; proinde nimirum, ut ventriculi ab aſſumptis affectio grata, vel ingrata, ſpirituum in cerebro degentium ovationes, aut dejectiones inferat. Opiatæ dum adhuc in ſtomacho commorantur, ſoporem accerſunt; pariter in Vertigine, aliiſque morbis cephalicis, quo ſpiritus cerebri ſuſque deque aberrantes, & enormiter agitati reprimantur, ac in ordines redeant, non parum conducet, ſi comdocii ipſorum ſive affines intra ventriculum à pharmaco irritante conſternantur; quippe dum in horum ſubſidia, plurimi à cerebro evocantur: alii ſuperſtites inordinationes ſuas remittentes, munia priſtina reſument: procul dubio ob hanc præcipue rationem eſt, quod emetica in affectibus maniacis opem ſæpe egregiam conferant; uſque adeo ut empirici quidam iis fere ſolis utantur.

2. Verùm è diverticulo hoc regreſſi, quid pro vertigine inveterata & fere continuâ, extra paroxyſmum curandâ, agendum ſit, perpendamus. Itaque methodo imprimis circa phlebotomiam & catharſin juxta patientis conſtitutionem, & vires, celebrandas, & ex intervallo repetendas, inſtitutâ; inſuper ut vomitivum (ſi nihil contra indicat) ſemel in menſe aſſumatur conſulere ſoleo, in quem finem imbecillioribus, poſt ſtomachum cibis lubricis ſaginatum, dentur vinum & oxymel ſcilliticum ad ℥ij. vel iij, poſtea liquor poſſeticus cum foliis Cardui incoctis, in magna copia ebibatur, & vomitu mox, aut ſpontaneo, aut provocato reddatur. Aliis emeticum ex ſale vitrioli aut ſulphure Antimonii, vel ex infuſione croci metallorum exhibeatur: de fontanellis, veſicatoriis, hæmorrhoidum apertione, nec non de emplaſtro, aut Cucupha ſuper caput geſtandâ, item de topicis aliis pedum plantis, aut carpis, revulſionis, aut derivationis gratiâ applicandis Medicus deliberet.

♃. Conſerv. flor. Pœoniæ maris ℥vi. pul. radicum ejus ℥i. ſem. pœoniæ pulv. ʒij. ſuccini, corallii, Margar. pul. an. ʒiiß. ſalis corallii ʒi. Syrupi è corallis q. ſ. f. Elect. doſis ʒiß. vel ʒij. veſperi & primo mane, ſuperbibendo aq. deſtillatæ ſequentis ℥iij.

♃. Folior. viſci arborei recentis m. vi. Rad. Pœoniæ maris, Angelicæ an. ℔ß. ſtercoris Pavonis albiſſimi liq. ij. Cardamomi contuſi ℥ij. Caſtorei ℥iij. omnibus minutim conciſſis, & ſimul mixtis affunde aut vini albi, aut ſeri lactis ex eo parati ℔. vii. deſtillentur organis commodis, liquor totus miſceatur.

♃. Pul. rad. Pœoniæ maris ʒß. Coralli rub. præpar. ſpecie. Diambræ an. ʒiß. pul. flor. Pœoniæ maris recens contuſ. & in ſole exſiccat. ʒi. f. pul. cui add. ſacchari albiſſ. & in aq. Pœoniæ ſolut. & ad tabulat. cocti ℥x. f. a. f. Tabulæ pond. ʒß. comedat. i. vel ij. ſæpius in die.

Quoniam omnia non omnibus conveniunt, quin Medicus medicamenta diverſa experiri, & methodo varia inſtituta, nunc hæc, nunc illa tentare debet, idcirco hic quaſdam alias aliùs generis formulas ſubjiciemus.

♃. Syrupi noſtri de Chalybe ℥vj. ſumat cochlear. mane, & hora 5. veſ. cum aq. deſtillatæ modo deſcript. aut alterius cephalicæ ℥ij. vel ſumat Tincturæ noſt. chalybis gut. xvi. ad. xx. cum hauſtu ejuſdem aq. deſtilat. bis in die hæc multis inſigne levamen contuliſſe novi.

Interdum ſpirit. fuliginis, C. C. aut ſalis Armon. cum ſuccino, corallio, aut cranio humano imprægnat. vel Tinct. ſuccini, Antimonii, aut Corallii, doſes eodem ritu quotidie exhibeantur.

♃. Pul. radicum Pœoniæ maris ℥iß. ſem. pœo-

pœoniæ, corallii præp. ſuccini albiſſ. an. ʒiii. Marg. præp. pul. florum pœoniæ maris recens contuſ. & in ſole exiccat. an. ʒii. ſacch. cand. ℥i. f. pul. ſumatur ʒi. bis in die, cum hauſtu Tea vel Coffee, aut decocto ſalviæ, vel Roris marini.

Pauperibus præſcribatur pul. è foliis viſci pom. in ſole exiccati & pulverizati ad ʒi. bis in die ſumend.

Vel ℞. Stercoris Pavonis albiſſ. ℥vi. pul. flor. Pœon. maris ℥i. Sacchari ʒii. f. pul. ſumat cochlear. bis in die convenienti liquore.

Vertiginoſi pro potu ordinario bibant allam tenuem cum foliis viſci pomor. loco florum lupuli incoctis, & in doliolo iv. congiorum capaci, ſuſpendatur ſacculus, cui indantur Stercoris Pavonis lib. ß. & Caryophyllorum contuſ. ʒiii.

Vertigine laborantium exempla ita crebra, & quotidiana occurrunt, ut parum opus videatur ulla quæpiam hic adjicere; utcunque morbi hujus Typi innoteſcant, caſus quoſdam paucos, & rariores hic referre libet.

Theologus ſexagenarius poſtquam per tres circiter menſes vertigine leviori, ſive ſpirituum in ſincipite crebra velut coruſcatione laboraſſet, tandem morbo ingraveſcente, σκοτοδινὸς, inſuper ac caducus evaſit; in tantum ut vir egregius inter deambulandum, quandoque pronus in humum corrueret. Ad curationem vocatus Phlebotomiam, cum catharſi leni ex intervallis repetendâ præſcripſi, inſuper electuaria, & mixturas, cujuſmodi ſupra notavimus, ſedulo exhibui, veſicatoriis, itemque aliis adminiſtrationibus minimè neglectis: poſt duas ſeptimanas, nullo ex his levamine inſequuto vomitivum ex ſale vitrioli, & infuſione croci Metallorum propinavi, à quo cùm decies, & facile evomeret, exinde ſtatim melius habuit, & cephalicis alterantibus per duas circiter ſeptimanas adhuc amplius uſus, perfectè convaluit, & ab eo tempore, per ſexennium vere atque autumno vomitivum, cum pharmacis quibuſdam aliis quotannis cepit, & etiamnum integre valet.

Generoſus quidam 66. annos natus, cum à longo tempore vertigine leviori, & fere tantum occaſionaliter excitari ſolitæ, obnoxius degiſſet, circa finem noviſſimi Autumni, affectu illo gravius laborans, etiam obliviosus fiebat. Hunc poſtquam per tres circiter hebdomadas ægrotaſſet inviſens, vultu, & aſpectu, utriuſque vigore diminuto, valde immutatum reperi. Huic, cùm quotidiè ad veſperam febriculâ, cum pulſu alto, & vehementiùs vibrante afficeretur, ſanguinem imprimis è brachio, & poſt 6. vel 7. dies è venis hæmorrhoidalibus detrahendum præcepi, inſuper veſicatoria ſtatim cervici, & ſubinde pone aures, etiam cauteria pro duabus amplis fontanellis inter homoplatas excitandis applicanda curavi, intus remedia cephalica cujuſque fere generis, horis medicinalibus quotidie ſumebat. Intra menſis ſpatium recuperari viſus, foras obambulare, & res domeſticas, atque alia negotia curare cœpit: ineunte verò hyeme à frigore, dum quotidie foras prodiret, ſuſcepto, in febriculam cum majori Spirituum intra ἐγκέφαλον perturbatione incidit: nam veſperi quotidie delirus, quid ageret, aut diceret, parum conſcivit. Veruntamen intra ſeptem vel octo dies, febre poſt ſanguinis miſſionem, & victum tenuem evaneſcente, cerebri affectio à priſtino ſtatu immutabatur. Nam vertigine prorſus ceſſante, obliviosus valde, ſimulque in toto latere dextro paralyticus evaſit. De capite ſæpius interrogatus, num clarum illud, ſcotomia & phantaſmatis confuſis, immune eſſet, reſpondit quoad iſta nunquam melius fuiſſe: nam bene intellexit infirmitatem ſuam, amicos, affines, alioſque ſalutatum venientes cognovit; vix illorum verò nomina recordari potuit; cùmque de rebus quibuſvis colloquia iniret, verba deerant quibus animi ſui ſenſa exprimeret: dein quoad latus affectum in brachio, & crure dextro, non modo reſolutio totalis, & ἀκινησία, verùm in utroque inſuper tumor œdematoſus ingens accreverat, in tantum ut non modo curationis, ſed & vitæ diu prorogandæ ſpes ferè omnis deponeretur: imò magiſtratus officium, & munia quæ tenebat, jam jam alii efflagitabant.

Utcunque ab opera Therapeutica, (ſubſidio inſuper Medici peritiſſimi & Doctiſſimi D. D. Whartoni fretus) non deſiſtebam. Ægrotanti junctis conſiliis ſedulo miniſtrantes; pilulas ſolutivas ex intervallis ſumendas, atque aliis diebus remedia cephalica, antiſcorbutica, antiparalytica, horis medicinalibus capienda præſcribimus: capiti raſo emplaſtrum è Gummi & Balſamis imponendum, partes reſolutas oleis & balſamis illinendas, & fortiter perfricandas præcipimus. Dum hæc aguntur cum aliquali quoad majorem intellectus claritatem ſucceſſu, neſcio qua de cauſa, media Hyeme in febrem incidit, adeo ut ſingulis noctibus, cum calore, & ſiti ingenti, ſomnoque interrupto valde æſtuaret; lingua torrefacta, & ſcabra, pulſus altus, urina rubicunda, & contentis ſaturata erit. Phlebotomiâ abſtinuimus propter ſenium, & paralyſin, & præcipuè ob hydropem in latere affecto inchoatum: attamen victû tenui è juſculis hordeaceis & avenaceis imperato, Julapia, Apozemata, aliaque remedia ſudores, & urinas moventia, de die in diem adhibemus; cumque hoc tempore fontanellæ juxta homoplatas excitatæ copioſe fluerent, ægrotus quoad memoriam, & paralyſin, melius habere cœpit, & deinceps ab utriſque his affectibus, ſimulque à febre ſenſim convaleſcens, & quotidie proficiens, intra ſeſquimenſem integræ ſanitati reſtituitur, & etiamnum ſanus vivit.

In hoc Ægrotante materiæ morbificæ motus, & varia metaſtaſis notabilis fuit; nam quæ primo cerebri meditullio, ſcil. corpori calloſo inſidens Vertiginem immanem excitabat, eadem poſtea adaucta, ac (uti probabile eſt) ulterius in cerebri anfractus diffuſa, priori affectui oblivionem ſuperinduxit: dein quatenus materies eadem, à febri commota, & paululum diſcuſſa, partim in corpus unum ſtriatum decidens hemeplegiam intulit, partimque in cerebri ambitum expulſa memoriam pene ſuſtulit, corpore calloſo interea ſudum obtinente; denique non ſine alterius febris adminiculo fuit, quod materies morbifica, ab

utriſ-

utriſque his ultimis focis diſcuſſa, penitus eliminaretur, Ægrotante ad ſalutem reſtituto.

Nuper Vertiginoſi cujuſdam importuni querelis fere aſſiduis defatigatus, poſt alia multa remedia incaſſum tentata, præſcripſi tandem ut menſis ſpatio, pulveris ſequentis circiter cochlear bis in die quotidie aſſumat: ſuperbibendo hauſtum decocti Salviæ aut roris marini Coffee tinctura impregnati.

℞. Pul. rad. Pœoniæ maris ℥ij. flor. ejuſdem contuſ. & ſole exſiccat. ℥ i. ſtercoris Pavonis albiſſ. ℔ ß. ſacchar. albiſſ. ʒ ij. f. pulvis.

Vix credibile eſt quantum ab hoc remedio juvamen recepit; poſt menſem me denuo inviſens, novus & alter homo viſus eſt, Vertigine immunis non modo confidenter ambulabat, ſed res domeſticas curare, & negotia quævis ardua (ad quæ prius omnino inhabilis fuit) tractare potuit. *Thomas Williſ. de Morbis ad animam corpoream.*

Si plethora adſit, ſanguis mittendus; ſi nauſea, ventriculus per vomitum everrendus: dein purgatio per ſedem inſtituenda: poſtea ſpecifica exhibenda; denique externa in uſum ducenda.

Poſt venæſectionem, (ſi neceſſaria ſit) præſentibus nauſeâ vel appetitu proſtrato, vel aliis ventriculi affecti indiciis, ægro Emeticum propinandum. e.g.

℞. Oxymel. ſimpl. & Julianizantis an. ℥ j. mſ. pro 2. doſibus ſumend. bis in die è cochleari ſenſim deglutiendo, longè à paſtibus, pridie Emetici.

℞. Infuſ. croc. metall. ℥ ij. oxymel. ſimplicis ℥ ß. aq. Card. benedict. ʒi. mſ. f. hauſtus exhibendus cum debito regimine. Die ipſo Vomitorii ſumatur bolus ſeq. horâ ſomni.

℞. Mithridatii, Confect. Alkerm. an. ℈ i. pulver. ſubtiliſſ. menthæ ℈ ß. lap. bezoar. Orientalis gr. 8. mſ. f. bolus.

Purga bis in ſeptimana cum pilulis Macri; & diebus intermediis alvus ſit ſemper laxa clyſteribus injectis, vel lenitivis per os exhibitis.

Vel ℞. Pil. de chamæpit. (quas deſcriptas habes ſuprà) ʒi. Extract. calam. aromatic. ℈ ß. Diagrid. gr. ij. olei thymi gutt. ij. f. pil. v. Vel purgetur extracto noſtro ſeu Panaceâ vegetab.

Bona ſit victûs lex: Abſtineat à vaporoſis, & ab omni generoſo aut multò potu.

Electuarium ſeq. ad vertiginem ſpecificum eſt.

℞. Omnium ſiccorum, viz. rad. pœon. mar. valerian. ſylv. collect. antequam caulem emiſerit, quando incipit pullulare, vincetoxici an. ℥ i. Calam. aromat. ℥ ij. viſc. querc. fol. hyperic. rutæ, chamæpit. betonic. ſummit. roriſmarin. flor. ſalv. ſem. pœon. mar. an. ℥ ß. C. C. cranii humani calcinat. ad ſummam albed. ſuccin. alb. præpar. an. ʒ v. Aſæ fœtid. caſtor. an. ʒ ij. ſal. ſuccini volatilis, ſal. abſinth. an. ʒi. ſal. artemiſ. & Card. benedict. an. ʒi ß. ſterc. pavon. alb. debitè collecti & ſiccati ℥ vi. f. omnium pulv. ſubtiliſſ. excip. ſ. q. ſyrupi ex profeſſo parati ex flor. pœon. tiliæ, liliorum convallium & keyri, qui redditus fuerit acidus ſ. q. ſpiritus vitrioli Antiepilept. & f. Electuarium: cujus doſis ſit à ʒ iv. ad ʒ vi. & ʒi. ſuperhauſto aq. flor. til. & lil. convall. momento, ad ſingulas Lunæ mutationes bis, vel pridie & poſtridie novilunii & pleniſunii.

℞. Calam. aromat. ℥ ij. cort. rad. laur. & rad. ſaſſafr. an. ʒ iij. cort. Winteran. arant. citr. an. ʒ iij. Rad. enul. ℥ ß. omnia coquantur in aq. ſtillatit. betonic. majoran. ſalv. & quarta parte vini de Malagâ, ad tincturæ extractionem, quæ coaguletur ad ſyrupi conſiſtentiam.

Tunc ℞. Rad. valerian. ſylveſtr. cyperi fragrantiſſ. an. ℥ j. ſuccin. præpar. ℥ ß. caſtor. macis an. ʒi. flor. lavendul. ʒ ij. calam. aromat. ad pondus omnium, f. pulvis ſubtiliſſimus, excipiend. ſ. q. ecchylomatis præſcripti: f. maſſa pilularum, cui addantur pro ſingulis unciis guttæ iv. ol. roriſmar. vel baccar. junip. Capiat vertiginoſus (poſt univerſalia) quotidie mane ℈ i. deinde paulatim aſcendat ad ℈ ß. ℈ ij. ℈ ij ß. & ʒi. pro gradu affectionis & activitate cauſæ morbificæ.

NB. Calamus Aromaticus quocunque modo ſumptus valet ad vertiginem: imò ſecretum curandi vertiginem in eo conſiſtit. Da infuſum ejus in vino albo vel cereviſ. omni aurorâ.

Purgationis diebus ſum veſperi, & deinceps ſingulis auroris ſequent. extract. ad inſtar nucis avellanæ.

℞. Theriac. & mithridat. an. ℥ i. Rad. valerian. ſylveſt. ſuo tempore collect. ſterc. pavon. mar. an. ℥ iij. Rad. pœon. mar. viſc. quercin. an. ℥ ij. Raſur. cran. human. recent. ſpong. bedeguar. an. ℥ i ß. Bacc. juniper. recent. ʒ x. lign. Rhod. raſur. interior. guajac. an. ℥ ii ß. macis, Cariophyll. cinam. an. ʒ i. Circulentur in balneo cum parte una aq. meliſſ. proprio ſale prægnante, & partibus duabus ſpir. Vini per octiduum: f. coagulatio ſ. a. addendo ol. cinam. ol. cran. hum. & ſuccin. & rectif. ſupra colcoth. an. ʒ ß. ſal. volatil. ſuccin. ʒi. mſ. Utatur ut dictum eſt.

Medicus quidam Germanus Londini dat quotidie per plures dies conſequentes pil. unam ad ſummum granorum quinque. Ego unam ponderavi vix pendentem gr. iv. ſine ulla manifeſta operatione ceſſat vertigo, id quod exiſtimo fieri ratione coagulationis vaporum vertiginem committentium. Uſus eſt Eques Franciſcus Biondi fœliciter & alii multi; ſaltem nulla inde percipitur noxa. Ego unam deguſtavi, & diu attrivi dentibus; nihil percepi præter ſaporem terebinth. & ſacchari Saturni, à quo dealbata fuerunt lingua, labia interna & ſputum. Credo ita parari, ut ſaccharum dictum excipiatur ea terebinthinæ Venetæ vel Cypriæ quantitate, quæ ſufficiat ad formandam maſſam ex qua fiunt pilulæ ſingulæ ponderis gr. iv.

D. Gliſſon Cantabrigienſis Medicinæ Profeſſor gravi vertigine per tres ſeptimanas conflictatus, appoſuit, irritis aliis remediis, vertici (toti capiti) raſo emplaſtrum ex ſulphuris floribus & album. ovorum, à quo ſanatus eſt, ut ipſe retulit *D. Eate.*

Fiat ex ſebo cervino & oleis ſalviæ, majoranæ, roriſmarini & ſuccini balſamum, quo quotidie mane nares interiores præſertim linantur; nucha item & capitis ſuturæ.

Pyroticum vel ſetum applicetur poſteriori collo; Cauterium bregmati poſt omnia. *Theod. de Mayerne Prax. Medic. lib. 1.*

Vertiginem præſentem curare conantur Medici iiſdem ferè remediis, quæ adverſus Epilepſiam, & Apoplexiam memorata ſunt, non neglecta

glectâ interim cauſâ, quæ potuerit paroxyſmum excitare. Verùm ſi à cauſa externa fiat, ſicuti nullius periculi eſſe ſolet, ita neque medicamentis egebit, cùm ſatis ſit ejuſmodi cauſam devitare. Fertur autem à quibuſdam vertiginem citiſſimè deſinere illitis temporibus ſucco bethæ nigræ, aſſumptòque pulvere abrotani in vino tepido, vel cum oxymelle. Admovent alii ad frontem ſerpillum; Tempora verò, & cervicem perfricant aquâ roriſmarini.

At imminentem vertiginem à ſuis cauſis antevertere aggrediuntur, vitato aëre craſſo & nebuloſo, itemque vino, niſi ſtomachus obſiſtat, iiſque omnibus, undè vertiginem æger ipſe pati expertus ſit. Si præterea à flatibus illa progigni putetur, evacuantia medicamenta tùm totum, tùm caput ipſum, adhibent; mox verò quæ flatus diſcutiunt, & cerebrum roborare creduntur. Conſentientia viſcera, & præcipuè ventriculum pari modo repurgare ſatagunt, atque tùm internis, tùm externis, remediis confovere.

Verùm Williſius pro more, Accidentalem, quam vocat vertiginem, curandam cenſet per phlebotomiam, lenem catharſin, & cephalica medicamenta. Habitualem, & inveteratam, abſciſſo primùm fomite, uſu cujuſvis evacuantis remedii; deinde repurgato ſanguine ope antiſcorbuticorum, & chalybe conſtantium medicaminum, roboratoque cerebro cephalicis ſpecialioribus. Poſtremò amotâ causâ conjunctâ, per medicamenta ſale volatili prædita, cujuſmodi ſunt ſpiritus C. C. fuliginis, ſalis ammoniaci, tinctura coralliorum, ſuccini, antim. elixir pœoniæ, &c.

In ipſo autem paroxyſmo peculiariter commendat grave olentia, ut Caſtoreum, ſpiritum, aut ſal volatile C. C. urinæ, & ſalis ammoniaci, naribus ſubindè admovenda, atque etiam intrinſecùs uſurpanda cum julapiis cephalicis: horâ ſomni bolum ex mithridatio cum pulvere caſtorei. Extra paroxyſmum verò emeticum ſemel in menſe gratiâ præcautionis conſulit, ſicut pariter catharticum, & phlebotomiam, fonticulos, phœnigmos, emplaſtra aliaque hujus generis multa.

Hartmanno præcipuus dicitur pulvis ex cinnabari nativa, cujus beneficio plures, unica hebdomade, vertigine liberaſſe teſtatur Quercetanus ad grana x. vel xx. in aqua liliorum convallium. Subſtituitur ab aliis cinnabaris antimonii. Efficaciorem prædicat Cardilucius ſuum præcipitatum aureum à gr. iv. ad vi. Stercus pavonis in pulverem redactum, & cum ſaccharo miſtum ad ℨ i. alii exhibent ex Cratone, etiam ad inveteratam vertiginem. Vult tamen Borellus ſolvendum illud eſſe cum ſufficienti quantitate ſpiritus vini, deindeque ter aſſumendum in potu tempore matutino. Et Schrödetus per noctem in vino macerandum conſulit, mox trajectum per linteum exhibendum, à novilunio ad plenilunium, & ultrà. Præſentaneum remedium aliis dicitur electarium ex cerebro paſſerum; itemque eſſentia ciconiarum cum ſpiritu vini elicita ad guttas aliquot. Pulverem ſciuri pro Arcano antiſcotodinico funambulum quendam habuiſſe refert Joh. Michaëlis. Semina aquilegiæ, & carvi, chærefolium, flores anthos, carpobalſamum, ſi ex his pulveres, eſſentiæ, extracta aut aquæ eliciantur, valde prodeſſe creduntur. Conficit Platerus vinum, quo uſus ſenex quidam vertigini obnoxius, non ampliùs de illa conqueſtus fuit. Infundit autem hic Author in menſura una vini, ſennæ ℥ ij. turbith. ℥ ß. agarici ʒ iij. piperis ʒ ß. Zingiberis, ſeminum coriandri, um, ſummitatum centaurii minoris, & amaraci ſingul. ʒ i. abſinthii ℨ ij. ac deindè bibendum illud offert. Hunc aliosque graviores morbos curaſſe fatetur Solenander ſequenti electario, quod conſtat ſucc. abſinth. ſucc. marrub. ſucc. ſtœchad. maſtich. rhei, chamædr. chamæpit. ſingul. ℨ iij. hyſſop. ʒ i. agar. opt. ad pondus omnium: Hæc in pulverem ſubtiliſſimum redigantur, & excipiantur melle cocto. Doſis à ʒ i. ad ʒ iv. in decocto ſtœchad. mane.

Approbat Riverius condituram florum calendulæ; & Rodericus à Fonſeca, quæ ex floribus roriſmarini cum oleis buxi, nucis odoratæ, & menthæ ſtillatitiis. Sylvius Leboë anodyna, & narcotica, parcè tamen, & per intervalla cum aquis antiepilepticis exhibet. Mirabiliter contuliſſe teſtatur Williſius hujus pulveris uſum, bis in die ad cochlear ſumpti cum hauſtu decocti ſalviæ, aut roriſmarini in tinctura Coffeë. Is autem fit ex radic. pœoniæ maris, & ſacch. albiſſ. ſingul. ℥ ij. flor. ejuſd. pœoniæ ʒ j. ſtercor. pavon. alb. ℔ ß.

Oleum buxi efficaciſſimum dicitur, ſi eo pulſus, tempora, palatum, cervix, & plantæ pedum inungantur; ſicut pariter pinguedo ciconiarum, & ſerpentum: necnon ſemen urticæ contuſum, & cum aceto permiſtum fronti ſæpiùs applicatum. Commendatur etiam lotio capitis pluries iterata ex lixivio calido in quo ſummitates amaraci ſint infuſæ, inſperſo poſtmodùm ſupra verticem pulvere bombycum. Cæterùm Amuleta Antiſcotodinica perhibentur Corallia rubra, grana ſucci albi, Cryſtalli.

Clariſſ. Lucas Tozzi. Medicin. Practica Parte I.

Conſultationes.

De Vertigine, & Stupore. Pro Perilluſtri Patiente.

Perilluſtris Patiens temperamenti quoad totum corpus, & principalia viſcera, calidi & humidi, non tamen valde excedentis; quoad ventriculum autem, frigidioris & humidioris, ætate florida, de duabus præcipuis affectionibus præter naturam conqueri cœpit paucis abhinc annis, nempe de vertiginoſo quodam affectu ſibi contingente, ratione cujus, omnia in gyrum videbantur moveri & de oblivione quadam, ac ingenii tarditate, & veluti fatuitate poſt ſedatam primam affectionem, quæ parum durabat; nunc verò de iiſdem, ſed gravioribus querelæ perſeverant, ita ut immineat quandoque periculum lapſus in terram, niſi ſedeat, vel, alicui fulcimento ſtatim adhæreat, perſeveratque inſignis capitis gravitas ceſſante acceſſione, etiam per dies, cujus ratione, neque commodè caput ad inferiora flectere poteſt. Acceſſit alia nova affectio; & eſt quidam veluti torpor in brachio, & coxa ſiniſtra, quæ omnia ſupervenêre poſt quadrageſimale tempus. His juncta eſt inappetentia cibi & potus, tarda concoctio, necnon

& ventriculi evidens inflatio, quæ non prius remittit, quàm flatus eruperint per ſuperiora, inferiora, vel per utramque partem. Propterea conſulit qua ratione ab his affectionibus poſſit liberari.

Quod ut ex methodo proponatur, horum affectuum eſſentia, & cauſæ ſunt inquirendæ. Quare ſi de vertiginoſa affectione ſermo fiat, aliud non eſt, quam apparens quædam rerum immobilium circumvolutio, proveniens à ſpiritibus animalibus viſoriis in gyrum motis, à vaporibus in capite exiſtentibus, qui quidem vapores cum illo impetu moveant etiam humores, potiſſimum pituitoſos prædominantes, in ſubſtantia cerebri contentos, cauſa ſunt oblivionis, & illius veluti fatuitatis obſervatæ poſt vertigines; cùm habeamus ex Gal. 3. de L. aff. 7. contingere læſionem in operationibus principibus tunc præcipuè, quando materia morbifica eſt in ſubſtantia cerebri quam mentem appellat. Eadem verò materia pituitoſa tranſmiſſa ad ramos nervorum ſpinalis medullæ ortos à ſexto nervorum pari, eos ſemiobſtruens qui ad brachium, & crus perveniunt, torporem quendam efficit, non abſolutam ſenſus, & motus privationem; quia neque perfectam efficit obſtructionem: quæ quidem affectiones etiamſi ſint cerebri per ſe affecti; & continentis cauſam morbificam, ſcilicet hanc materiam pituitoſam, cum ſanguineæ ſubdominio, cùm præſertim ſuperſtes ſit aliquot dies gravitas capitis, & impotentia ipſum flectendi, ſine evidenti moleſtia; non tamen contingunt, ut cenſemus, cerebro primigenio affectu laborante, ſed potius conſentiente cum ventriculo ipſo, quem in caſu præſenti præcipuè & primariò affectum eſſe cenſemus, affectionemque morboſam ipſius intemperiem frigidam & humidam conſtituendam eſſe judicamus, ut diximus ſuperius, cùm ejus appareant ſigna evidentia. Frigiditatem enim indicant coctionis tarditas, ventriculi inflatio ab alimentis non perfectè concoctis, ſed in crudiorem chylum converſis; quæ tamen frigiditas non eſt intenſa, utpote inepta flatuum generationi, humiditatem verò commonſtrant inappetentia cibi & potus, expuitio frequens, & alvus humecta, quam anteà ſicciſſimam habebat. Quare intemperies hæc in cauſa eſt, ut in ventriculo generetur multa materiæ pituitoſæ copia, & flatuum, qui quamdiu in eo morantur, inappetentiam cibi, & potus, inflationemque inducunt. Cùm autem vapores caput petunt, quod cùm ſit calidum, eſt etiam opportunum receptioni excrementorum, non ſolùm à ventriculo, ſed à toto corpore, efficiunt vertigines in capite contenti, converſique in humores frigidos, & pituitoſos à membranarum frigiditate invehunt gravitatem capitis, oblivionem, & quandam veluti fatuitatem. Quemadmodum enim ſiccitas facit ad actionum animalium promptitudinem, ita humiditas, tarditatem inducit, tandemque eadem materia nervorum principia occupans, & afficiens, torporis eſt cauſa in brachio, & crure ſiniſtro. Verum quidem eſt quod naturali ventriculi intemperiei accedit inordinata victus ratio, in qualitate, & quantitate ciborum, cùm tempore quadrageſimali piſces, & alios cibos crudioris ſucci & pituitoſi in multa copia comederit, ſaltem uſque ad medium illud tempus, quo ſupervenit inappetentia, ob multam pituitoſæ materiæ copiam; quæ propterea in dies magis eſt aucta, exacerbatæque ſunt omnes affectiones, ut diximus. Et hæc de eſſentia, & cauſis harum affectionum.

Quapropter ipſæ ſunt graves ratione partium affectarum, quæ ſunt principales, & maximè neceſſariæ, quia imminet periculum graviorum affectionum, nempe paralyſis illius brachii, & cruris, ſi perfecta fiat obſtructio; & epilepſiæ, cùm vertigo ſit via ad epilepſiam. Speramus nihilominus facili negotio patientem Illuſtriſſimum ab affectibus præſentibus immunem fore, & ab imminentibus præſervatum iri, ſi rectam victus rationem voluerit inſtituere, & illa uſurpare præſidia, quæ præſcribentur à nobis: etiam facilius quinetiam ſi iis uſus fuerit, quæ à Viris Clariſſimis proponentur, qui ipſius curæ præerunt: cùm quia affectiones iſtæ non ſunt valde confirmatæ, neque cerebrum eſt, affectu læſum primigenio, quoniam ſuſceperunt incrementum ab erroribus in victu, & vires ſunt valde robuſtæ; tum temperamentum optimum; neque adhuc expertus eſt generoſa præſidia.

Quod ut ad vota ſequatur, neceſſarium eſt diſcutere vapores, & humores evacuare in ventriculo, & in cerebro contentos; prohibere eorumdem regenerationem exſiccantibus caput, & ventriculum calefacientibus, & exſiccantibus. Quod ſi omnino conſequi non poſſumus, ſaltem tentanda materiæ diverſio à capite ad partes ignobiles & remotiores: ſed ante omnia corpus univerſum eſt expurgandum.

Chirurgiam quod attinet, & quidem venæ ſectionem, laudo ſanguinis eductionem ratione totius corporis pro refrigeratione jecoris, quod ſua caliditate augere poteſt ventriculi frigiditatem per conſumptionem humidi ſubſtantifici, & refrigeratione capitis. Ideo eligi poteſt mediana dextri brachii, & educentur octo unciæ ſanguinis. Poſtea vero interpoſitis multis diebus cogitabunt Viri Clar. an conveniat mediocrem educere ſanguinis copiam ex venis ſedalibus, pro majori revulſione à capite; cùm præſertim calidioribus medicamentis utendum ſit. Ex hoc eodem fonte eligi poteſt alia præſidii materia, nempe cauterium quod inuſtum coxæ dextræ uſui erit, ad divertendam fluxionem, ſub finem æſtatis, vel etiam autumno: niſi fuerit omninò immumunis ab uſu aliorum præſidiorum.

Pharmaciam quod ſpectat, Hiera cum caſſia, vel mel roſ. ſolut. & manna, erunt ex uſu. Humores præparentur ſyr. ſine diluto, quò diutius maneant in ventriculo, videl. ſyr. de mentha; de corticibus citri; & oxymel. ſimplici cum portiuncula ſyr. de cichorio; poſtea purgentur elect. diacath. cum hiera, vel agarico, & potiuncula rhab. infuſione decoctione ex ſem. citri, cum melle roſ. ſol. & manna. Præparabuntur humores ſyr. de Betonica compoſito, de ſtœchade, & oxymele compoſito, addita decoctione Beton. cichorii, menthæ, & ſeminum citri; ac deinde validioribus purgantibus uti poterit nempe pilulis de hiera cum agarico; vel etiam diacolocynthidos, cum maſtichinis, & alephanginis. Attrahent enim à partibus magis diſtantibus. His peractis, ad perfectiorem deterſionem ventriculi, utatur tres aut quatuor dies aqua Tetutiana ad tres & quatuor libras: quæ flatus diſcutiet, &

corti-

corriget ventriculi intemperiem. Errhinis poſtmodum, ac maſticatoriis caput eſt expurgandum, deinde præſcribendum decoctum ex radice chinæ, & ligno ad unc. ij. ſingulis vicibus. Conferret quidem ſaſſafras, niſi plus ſatis exhalaret in caput, additis herbis proportionatis. Extrinſecus quinetiam conferre poterit inunctio ex oleo de maſtiche, de ſpica, de caryophillis, applicatâ lanâ ſuccidâ; vel ſtillicidium ex iiſdem cum oleo de mentha, & de abſinthio, applicando ceratum ſtomachicum. Quod ſi præſens eſſet æger, nil præſtantius cenſerem aquis noſtris, primò quidem Aponitanis, intus & extra, poſtea temporibus calidioribus Aquis Divi Petri: ratione verò capitis, juvabit ſtillicidium ex Aquis B. Virginis, vel Laſtrenſibus, & lixivium paratum ex roſis ſantalis, betonica, rore marino, & ſalvia. Et hæc de pharmaceuticis.

Victus ratio his omnibus reſpondeat, ſit tenuis, attenuans, & quoquo pacto calefaciens. Et hæc proponenda duxi, committenda judicio Clariſſ. Virorum, quò mandatis Viri Præclariſſ. & Nobiliſſimi morem geram. *Bened. Silvaticus Conſil. & Reſponſ. Medic. Cent. 1.*

Vertigo tenebricoſa.

Nob. Adoleſcens ex Parentibus lue gallica infectis natus, vigeſimum ſecundum annum agens, temperamenti totius calidi, & humidi, jecoris vero calidioris, atque excedentis humiditatis ipſius capitis, habitus moderatè carnoſi, deſtillationibus obnoxius, præſertim in nares & in gingivas, eaſdem erodentibus, unde ſanguinis expuitiones, ſemper tamen ſine tuſſi. Quoniam pulmonum phlogoſim Romæ fuit paſſus, ob quam ad maciem inſignem redactus fuerat, ideo & ſanguinem fervidum & cor præcalidum habere creditus eſt; à macie tamen Medicis auxiliis ad priſtinum habitum mediocriter carnoſum reſtitutus. Verùm tandem ſpatio quadraginta dierum, ter extempore pronus in terram cecidit, prægreſſa objectorum circumvolutione, quinimo & ipſius proprii capitis, nulla tamen obſervata principum actionum læſione, ſed tantummodo poſt caſum conqueſtus, quod omnia objecta circumagi ſibi viſa ſint, ſimulque totum caput, adeo ut ſtare nequierit, ſed in faciem procidere coactus fuerit. Jam dictorum verò affectuum cauſam in liberam vitam, & præſertim in aërem nocturnum, & multo magis in propriam capitis naturalem intemperiem retulit ipſe Patiens. Qui præſentem ſtatum magnifaciens, & pejora timens, de agendis pro mali præſentis ablatione, & imminentis præſervatione conſulit.

Multa in relatione adducta ſunt à nobis conſideranda, aliqua vero curanda, & quidem caſus ille repentinus, qui ter jam Nob. Patienti ſpatio quadraginta dierum contigit. Secundò Perpetua & antiqua capitis deſtillatio. Tertiò Latens gallica lues, à Parentibus in utero contracta; Quorum omnium cùm unica ferè cauſa ſit, unicam quoque Curationem eſſe poſſe exiſtimo.

Prior igitur & præcipua affectio eſt Vertigo, ita dicta à vertendo; incipit enim ab objectorum apparente circumvolutione, quæ quoniam ultro procedit ob cauſæ vehementiam, plures gradus acquirens, fit in imperfectione propria, perfecta: adeo ut non ſolum ſimplex Dinos, in qua Patiens ſtare pedibus poteſt; ſed completa & Scotodinos evadat, in qua caput ipſum quoque & totum corpus in gyrum moveri videtur, ſicque procidere cogitur. Symptomata in actione animali primò depravate, ſed mox etiam abolite, & præterea abolite quoque motrice facultate læſa, quod ab alio ſymptomate pendet, nimirum ab imaginatrice circa objecta viſa decepta. Horum autem ſymptomatum cauſa immediata eſt inordinatus motus ſpirituum animaliũ, & præſertim viſoriorum, qui dum rectâ ad opticos nervos ferri deberent, à vaporibus iiſdem commiſtis agitati inordinato & irregulari motu moventur, qui motus meteorizantium ad inſtar, neceſſario circularis evadit, cùm neque ſurſum, neque deorſum vapor moveri poſſit; non deorſum, quia vapor; non ſurſum, quia craſſus, nec in medio quieſcere, ideo meteorizans, neutro vincente motu, ut conſiderabat Ariſt. circulariter moveri cogitur: quo circulari motu receptæ ab oculo ſpecies viſivæ, & ipſæ circumaguntur, quamvis objecta viſa revera ſtent, nec moveantur, falſo tamen imaginationi circumducta offeruntur. Quod ſi contingat (ut in caſu præſenti) quod vapores jam dicti craſſioris ſubſtantiæ vehementiori motu unà cum ſpiritibus viſoriis rapide in gyrum moveantur, primò obtenebratur viſio, & præterea etiam à nervorum principio, rapido illo motu circulari divertuntur, ſicque tenebræ oculis obverſantur, & in terram motu privatus cadere cogitur, unde Vertigo ſimplex, Dinos dicta, tenebricoſa, & Scotodinos evadit. Vaporoſa autem jam dicta materia, licet à ſola capitis imbecillitate ac humida intemperie produci poſſit, attamen hæc rarò datur ſine materiæ præſentia, maxime verò in præſens, dum copioſus ſemper materiæ catarrhalis proventus ad nares & os decumbentis fuit obſervatus, quæ forſan craſſior reddita, nec ad motum adeo apta, in cerebro fuit detenta, & à calore continuo reſolvente in halitus atque vapores converſa: adeo ut ſtante atque vigente humida capitis intemperie, vigere quoque catarrhalis materiæ generationem neceſſe ſit, eoque magis ſi ſit addita gallica lues. Quare retentrice facultate imbecilli reddita, ſimulque à copia nonnihil expultrice irritata, neceſſariò ſequitur rheumaticus affectus, ſive ad nares, ſive ad os: & niſi tota defluat materia, retenta vertiginoſum jam dictum affectum, ut cauſa remota atque mediata conſervare poteſt. Ex quibus elicitur caput eſſentialiter non ſolùm, ſed & primariò affectum eſſe, cùm cauſa in eodem non modo reperiatur, verùm & producatur ob ipſius calidam & humidam intemperiem, naturalem quidem, ſed mox etiam ab aëre nocturno non parum adauctam: licet negandus non ſit aliquis quoque conſenſus à viſceribus facilè lue gallica à nativitate infectis, & intemperie calida unà cum ſanguine affectis, ſi quæ Romæ contigerunt, conſiderentur.

Eſt affectus quidem iſte periculi plenus, cùm ex improviſo procidens, vel caput ſibi contundere ac frangere, vel etiam prope aquam ſuffocari poſſit; præterquam quod Epilepſiæ in hoc Juvene proximus ſit. Deſtillatio verò ad

varias corporis partes decumbens, varia quoque mala atque ſymptomata parere ſolet; & ſi fortaſſe ad pulmones, quod Deus avertat, cum jam gingivas corroſerit. Phthiſim quoque excitare poſſet, ut propterea ab Hipp. maligniſſima, & a Celſo peſtifera dicta fuerit, cujus malignitas à Gallici ſuſpicione fovetur; ideò eradicativa Curatio proximo Vere omnino erit inſtituenda, aliquibus tamen interim adminiſtratis præſidiis, ne morbus uſque ad illud tempus firmetur & invaleſcat.

Primò igitur bis aut ter in menſe aſſumat tale evacuans.

♃. Elect. lenit. ʒ vi. pil. maſtic. ʒß. magiſt. mechoac. g. x. m. f. b. duabus horis ante cibum aſſumendi.

Secundò Quotidie manè, antequam è lecto ſurgat, frictiones exerceantur à nucha per dorſum uſque ad nares, panno calido; Veſpere verò ante cœnam fiant pedibus lotiones aqua calente per horæ dimidium.

Tertiò Prima menſa hauriat jus carnis tenue, boragine & endivia, aut ſalvia alteratum.

Quartò Sub ingreſſum lecti familiarem habeat conſervam è floribus, aut beton. aut ſalviæ, aut ror. marini, & capite æſtuante, etiam ex roſis, vel noctu dormiens in ore detineat rotulam confectionis, ex quinta eſſentia roris marini & ſaccharo paratæ.

Vere autem proximo pro legitima ac regulari curatione primæ viæ erunt expiandæ, Secundò Totum venoſum genus depurandum. Tertiò Caput purgandum. Quartò Intemperies ejuſdem humida corrigenda, & Celtica qualitas expugnanda. Quintò Caput idem roborandum; atque tandem viſcerum & ſanguinis calor contemperandus.

Quibus ut ſatisfaciamus, ex fonte Chirurgico duplex erit depromenda ſanguinis miſſio, ex brachio prima pro curatione, quam vertigine correptis convenire docebat Gal. altera ex pede pro præſervatione, & hanc vertigini obnoxiis conferre dicebat. Cauteria ſi geſtet, cuſtodiantur: ſin minus, ad graviorem ætatem differantur, cum curatio eradicativa modo ſit tentanda, niſi tamen affectus contumacia eadem citius expoſtulet. Reliquæ omnes revulſiones, & præſertim jam dictæ frictiones & lotiones in uſum familiarem ducendæ.

Reliqua ex Pharmaceutico fonte deſumenda; Quare leniens eſſe poterit.

♃. Pot. ex manna clarif. cum crem. tart. ℥vi. aq. flor. citri par. m. f. pot.

Vel. ♃. Elect. lenit. ʒ vii. crem. tart. ʒiii. m. f. boli. Primum præparans ſine diluto ſit.

♃. Julap. acet. oxymel. ſimpl. ſyr. de cortic. citri, aut aq. tot. citri an. ℥i. m. pro ſyr. & ſic pro aliis quinque. Deinde alterum ex præſcriptis medicamentis lenientibus repetatur. Inde ad ulteriorem præparationem eſt deveniendum.

♃. Succi depur. & per arenam trajecti, cich. borag beton. an. ℥i. decoct. cichor. borag. meliſſæ, ſalviæ, beton. rutæ capr. card. ſancti unc. v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem; quibus ſuccedat humorum præparatorum expurgatio, ita

♃. Rhab. opt. ʒ. i. agar. troch. fol. ſenæ electæ an. ʒ. ii. cinnam. integri ʒ. i. aq. beton. q. ſ. m. f. inf. per hor. 12. deinde facta forti expreſſione adde ſyr. roſ. ſolut. unc. iii. mel. roſ. ſol. unc. ii, m. f. potio; tribus horis ab aſſumpta potione ſuperbibat mulſæ dilutæ, aquæ hord. paratæ aut ſimplicis aq. hord. corticib. citri alterata ℔. ij. & duabus horis ab aſſumpta aqua prandeat.

Vel. ℞. Elect. lenit. ʒ. vii. elect. de ſucco roſ. diaphænic. an. ʒ. ß. m. f. Boli; quibus poſt horam ſuperbibat mulſam, vel aquam præſcriptam, & tribus horis ab aſſumpta aqua prandeat.

Toto expurgato, caput quoque expurgandum erit ita

℞. Pil. de hiera cum agar. cochiar. aur. an. ʒ ß. mercurii dulcis. gr. vi. m. ref. pil. & aur. quæ bis aut ter quarto quoque die erunt repetendæ, ſuperpiæbendo poſt duas horas aquæ Nocer. lib. ii. & tribus horis ab aſſumpta aqua prandeat. Diebus verò intermediis ſumat ſyrupos capitales ita parandos.

♃. Succi depur. per arenam trajecti. cich. Beton. ſalviæ, aut majoranæ an. unc. i. tart. vitriol. gr. x. decoct. ſtœchad. majoranæ, hyſſopi unc v. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis. Interim ad nares quoque errhino aliquo, ſed leviſſimo (ne ſpiritus ad motum irregularem concitentur) materia pituitoſa eſt revocanda; ſat ſit igitur per nares attrahere pulverem majoranæ, aut ſubdere radicem Betæ, aut cyclamin. corticem quoque arantiorum, aut citri. Tutiora autem eſſent Maſticatoria, niſi ab eroſione gingivarum inhiberetur materiæ catharralis attractio.

Toto, & capite expurgatis, quartæ intentioni erit ſatisfaciendum; humidam capitis intemperiem exiccando, & latentem gallicam virulentiam alexipharmacis extirpando: quæ omnia præſtari poterunt ſudorifico Decocto ita parando.

♃. Salſæ parillæ electæ, ligni viſci querc. ligni Buxi an. unc. i. pulpæ guajaci, radic. imperat. an. unc. ß. aq. ſtillat. cich. lib. ii. Beton. ℔. i. rutæ capr. card. ſancti an. ℔. i. m. f. inf. per hor. 24. deinde Bull. ad conſumpt. dimidii, & colat. ſervetur pro tribus vicibus, ſummo mane hora una ante ingreſſum hypocauſti præbenda, cui affundantur quintæ eſſentiæ roris marini gutt. iii. & ſi ſudor non adeo facile primis diebus provocetur, omittatur quinta eſſentia ror. mar. & præbeantur gr. xv. pulv. Viperini. Perſeveret autem in hoc ſudorifico Decocto triginta aut quadraginta diebus ſemel in die, ad ſummum per horæ dimidium; & decimo quoque die aſſumat leniens ex manna clarif. ad unc. vi. Nec hoc tempore victus ratio ſit valde tenuis, ſed ſaltem tertio quoque die pullus junior aſſus, vel palumbus ex turre concedatur; ſicuti interdum quoque concedi poteſt ptiſana hordeacea. Pro potu vero conſueto.

℞. Reſiduum, aq. comm. lib. xv. m. Bull. ad conſumpt. tertiæ in fine addendo cinnam. integri ʒiii. Bull. parum, & colaturæ adhuc ferventi diſſolve ſacchari albi unc. iv. & adde fruſtula citri rec. ut agitando fiat aqua vulgo dicta Cedrata.

Terminato ſudore, caput roborandum intrinſecis & extrinſecis. Intrinſecus ſub ingreſſum lecti ſumat cochlear conſervæ hujuſmodi

♃. Con-

℞. Conſervæ è flor. beton. unc. iiii. ror. mar. unc. ii. tinct. coral. chymicæ, quintæ eſſentiæ roſ. an. gutt. x. ſpecierum aromat. roſ. ʒii. m. & cum aq. florum citri q. ſ. reform. Electuarium. Roborandi quoque non levem facultatem obtinet confectio ex quinta eſſentia ror. mar. ita paranda.

℞. Sacchari albi, diſſoluti cum aq. Cinnam. unc. ii. quintæ eſſentiæ ror. mar. ℈i. m. ſ. f. rotulæ ad ignem, noctu in ore detinendæ. Extrinſecus verò illiniantur ſutura coronalis, tempora & nares eadem quintâ eſſentiâ roris marini, vel oleo majoranæ chymico.

Tandem viſcerum calor erit contemperandus, in quem finem opportuniſſimus erit uſus aquæ Nocerianæ ut quæ caput non petat, ſicut reliquæ minerales facere ſolent. Et ſi corporis habitus gracilior fuerit redditus, conueniens erit quoque Balneum aquæ dulcis.

Quibus omnibus congrua erit addenda victus ratio, Caput ab aëris inclementiis tum calidis, tum frigidis cuſtodiendo; Cavendo ſummopere à quolibet præcipiti loco; Ab inſpectione objecti in gyrum commoti, ut rotarum & fluminum: pariter ab aſpectu locorum profundorum, & caute vitam degat in quocunque vel brevi itinere peragendo, à vaporoſis omnibus abſtineat, præſertim à lacticiniis & vinis generoſis. Somnum pomeridianum evitet: ſaltem ſit brevis & elato capite. Exercitium fiat ſemper jejuno ventriculo. A venere prorſus per annum abſtineat, & alvus, ſi ſponte non reſpondeat, ſollicitetur; atque tandem alacri & confidenti animo vivat: ætas enim nobis omnia bona promittit, ut propterea Hipp. gratioſam Juventutem appellaverit. *Raym. Joh. Fortis Conſultat. & Reſp. Medicar. Tom. 2. Cent. 1.*

Obſervationes.

Pro Vertigine.

Hoc vinum cuidam ſeni ita profuit, ut poſtea nunquam ampliùs de vertigine admodum conquereretur.

℞. Senn. ℥ii. turbith. ℥ß. agar. ʒiii. zinzib. ʒi. piper. ʒß. ſem. coriandr. ℥i. abſynth. ʒii. ſummitat. cent. min. majoran. an. ʒi. infund. in menſura i. vini; bibat diebus aliquot. Vixit diu poſtea incolumis. *Felix Platerus.* obſerv. lib. 1, pag. 100.

Pilulæ nunc deſcribendæ ex intervallis frequentibus devorentur; quippe quæ efficaciſſimæ ſunt ad affectum hunc demendum, ſimulque ad caput & omnes ſenſus confirmandum.

℞. Agar. el. ʒii. colocynth. ʒiß. myrobal. cheb. ℥i. ſem. major. rutæ. pœon. an. ℈i. zinzib. aſar. piper. an. ℈i. nuc. moſch. cubeb. caryophyll. xyloaloës, maſtich. cardamom. ſpic. nard. an. ʒß. hellebor. ℈ii. ſal. gemm. nitri, an. gr. v. aloës hepat. pondus duplum. F. pilulæ cum benedicta, quarum ʒi. bis terque in menſe, vel ℈i. tertio quoque die exhibeantur. *D. Zecchius*, conſult. 96.

Inter alia placeret mihi aliquando uſus ſequentis Electuarii, quod quidam Hippocratis Theriacen vocant. Ego non ſemel ejus uſu ſimiles, & eo graviores morbos curavi.

℞. Succi abſynth. ſucc. marrhub. ſucci ſtæch. maſtich. rhei, chamædr. chamæpit. an. ʒiii. hyſſop. ʒi. agar. boni, ad pondus omnium, pulverizentur omnia ſubtiliſſimè, & excipiantur melle cocto; detur manè à ʒii. ad ʒvi. in decocto ſtœchad. Hujus loci ſi placet.

℞. Theriac. bonæ antiq. vel mithridat. conſerv. fl. beton. vel ſalviæ, vel anthos, an. partem i. conſerv. roſar. part. ii. cum melle anthoſato. F. Electuarium. *Reynerus Solenander. conſ. 2. ſect. 1.*

Præmiſſis venæſectione & purgatione, mihi placet per triginta dies ſarſæ & ligni decoctum cum cichoraceis paratum ſumat. *Hieron. Mercurialis, conſult. 3. Tom. 1.*

Præ cæteris oleum buxi ſicut in Epilepſia ita in vertigine optimum judicatur remedium intus & extra; inungendo eo quotidie pulſus & carpum, & plantas pedum: intus verò in hunc modum.

℞. Conſerv. fl. roriſmar. ℥iii. ol. buxi. nuc. moſch. menth. chymico modo extract. an. ʒß. M. cum ſyr. cort. citri, F. Electuar. cujus ſumat manè ʒß. Eſt remedium præſtantiſſimum corroborans ventriculum & cor. Quinimò ſi per os guttæ viii. aut x, olei buxi cum ℥iii. aqu. pœon. exhibeantur nullum ſentiet hoc, meâ ſententiâ, præſtantius auxilium. *Rodericus à Fonſeca. Tom. 1. conſult. 16.*

Vertigo per conſenſum periodica.

Vir temperamenti bilioſi, per viginti & plures annos ſtomachi dolore, vomitu frequenti, ac aurium tinnitu, ſimulque vertigine periodica moleſtatus, ut vix ſibi fideret ædibus exire, cum ſæpe in publico deambulans, vel ſedens, vel ſtans improviſo affligebatur: poſt unum & alterum Medicum, multorumque medicamentorum uſum, venæſectionem ac fonticulorum in brachiis & crure dextro excitationem, ſuaſi ego, ut præmiſſis univerſalibus, ſemper pridie ante novilunium & plenilunium Pilulis certis cholagogis, vel clyſtere uteretur, quo bilis excrementitia per epicraſin educeretur, & vapores bilis acres revellerentur, biſque in anno hirudines venis hæmorrhoidalibus applicarentur, non poſthabitis interim caput roborantibus, ac hepatis biliſque fervorem reſtinguentibus; ex quibus ſymptomata graviora deſierunt, & vertigo rariùs rediit. Denique verò Ann. Chr. 1671. ætatis anno ſexageſimo ſecundo, apoplexia forti ſuper prandium tactus, intra horæ ſpatium mortem obiit. *Helvigius.*

Scholium Hellvvigianum.) Vertigo Latinis à vertendo nomen habet, qui enim hoc malo corripiuntur imaginantur ſibi omnia verti & in gyrum agi; indè & imaginatio falſa dicitur. Ab authoribus Græcis varias, ſecundùm vehementiæ gradus & cauſarum eſſentias, appellationes adepta eſt. Vertigo autem propriè eſt affectio, qua omnia circumagi videntur, orta ex calido, tenui, & acri vapore, per arterias in cerebri ſinus vel ventriculos irrepente, qui in plexu choroide ſpiritus & humores exagitans & variè impellens, turbulentos ſenſus motuſque cauſat. Sicuti ferè iiſdem verbis Petreus in Noſolog. ſuæ diſſert. 6. in append. affectum hunc delineavit. Vertigo porrò duplex eſt: Primaria, quæ primariò cerebrum afficit: vel per conſenſum, quæ ventriculi aliarumque partium con-

ſortio fit. Hac noſtrum ægrum laboraſſe, manifeſtum eſt, & ut ſpecialius edicam, fuiſſe affectum per conſenſum à vaporibus hepatis calidi, ex bilis in ſtomachum effuſæ originem habentem. Et cùm omnis humoris vapor calidus vel frigidus caput petere; & vertiginem excitare poſſit, docente Galeno lib. 3. de loc. affect. cap. 8. itemque lib. 3. aphoriſm. 23. vapor hic calidus è ventriculo bile infœdato, ut Heurnius loquitur in tract. de morb. capit. in ſing. part. cap. 20. ſpiritus viſorios inficit, & occurrit humori vaporique cerebri frigido, unde agitatio cum circumgyratione, ſinuumque vel ventriculorum cerebri repletio & occluſio cauſatur, ex qua caligo oritur, qualis in aëre puriſſimo cernitur, quando fumida aura nigraque ſuffunditur. Qua via autem bilis in ventriculum feratur, à variis diſputatur, & multi putant ex inteſtino jejuno in ventriculum bilem regurgitare. Sed P. Severinus vult bilem in ventriculum deferri per partem meatus biliaris, quæ in fundo ventriculi inſeritur, de quo Bartholin. lib.1. Anatom. refor. cap.9. & 15. dubitat, ſcribens, non naturalem hunc ductum eſſe, ſed errorem ſaltem naturæ, & quidem perrarò inveniri, ac picrocholis plerumque contingere, qui idcirco bilis evomitioni obnoxii ſunt. Galenus, vel qui author eſt lib.6. de adminiſtr. anatom. cap.12. meminit canalis fellei exigui, qui ſupra pylorum in ventriculum feratur, & hujus canalis biliaris in ventriculum Riolanus lib.2. anthropograph. cap.22. adducit oculatos teſtes, Nicolaum Maſſam, Andream Veſalium, & Bartholomæum Cabrolium, cujus obſervatione cùm non ſub omnium manu verſentur, placuit ex iis ſextam de verbo ad verbum huc apponere; Secando, inquit, Comitem Auſumundianum, raritate commendabile quid offendimus, porum ſcilicet choledochum, aliàs in ecphyſin ſe exonerantem, proximè pylorum expreſſum habuiſſe, ita ut non minùs ventriculo, quàm inteſtino bilem tranſmitteret. Quæ cauſa illi fuit, cur ſæpius nauſearet vomeretque, & quod hinc ſequitur, alvo eſſet duriori. Natura enim nativo ſuo clyſmate ſeu rhabarbaro orba, cùm nihil expultricem irritaret, deſidebat, undè ſubitò cholera diem finiit. Signa vertiginis per conſenſum plerumque habetur inappetentia, nauſea, oris amaritudo, cardialgia: & quod maximè notandum, referente Galeno lib. 2. aphoriſm. 17. Vertigo gravis & diuturna via quaſi ſit ad apoplexiam.

Anatomicæ Inſpectiones.

Vertigo à ſeroſo humore cerebri anfractus alluente, ejuſque ventriculos replente & Arteriis veniſque coalitis, cum glandulis plurimis & duris adſitis.

Italus quidam mercator, bene coloratus & bene habitus, in virili ætate ſenſim cœpit vertigine laborare, quæ ætatis decurſu adeo invaluit ut nec ambulare, nec in lecto ſe erigere quin corrueret, poſſet: Sic autem otioſus decumbens dies noctesque in lectulo, cibum nihilominus capiens & bibens ſanorum inſtar & dormiens, mire factus eſt obæſus, atque eo modo multos annos, ſcabie interim quandoque infeſtatus, perduravit, tandem vero *Caro* correptus in ſomnum profundum incidit, quo diebus aliquot elapſis expiravit.

Cauſam indagaturi, antequam calvariæ ſcutella detraheretur, à ſectione vulnerata illa craſſa meninge, aqueus humor copioſe per faciem in corporis, quod erectum nonnihil erat, humeros pectuſque defluens linteamina admodum madefaciebat. Calvariæ dein pars ſeparata, cùm tenaciter duræ matri connata eſſet, ægre ab ea, & non citra illius dilacerationem avelli potuit. Intrinſecus omnes cerebri anfractus & ventriculi aquâ madebant: Vas venoſum, omneſque arteriæ induratæ calloſæque factæ occalluerant, diſtinctiſque globulis toto ductu undique in capite, ad ipſorum juxta infundibulum inſertionem uſque protuberabant.

Ex quibus & aquam, longo tempore in capite collectam fluctuantemque & vertiginis & cari ſubſequentis cauſam fuiſſe, uti & arteriarum illam obſtructionem vertiginis deprehendimus: *Bauhinus Theat. Anat. cap. ultim. de Similiaribus partibus: Platerus obſerv. l.1. p.101.*

Repletionem cerebri ab humore aqueo, tam ſeroſo quam pituitoſo factam, vertiginem cauſare certum eſt, Quod ex ipſorum relatione conſtat, qui de fluctuatione in capite conqueruntur: Et apertâ calvariâ hanc humoris immenſam copiam ſæpe invenimus: In eoque cui arterias quoque occalluiſſe diximus, tantam illius copiam deprehendimus, ut aperto cranio undatim defluxerit: Quæ & una cum arteriarum illa obſtructione, geminam cauſam vertiginis proferens, eam tam diuturnam & incurabilem effecerat. *Idem Praxeos lib.1. cap.7.*

Vertigo ab abſceſſu in cerebro aquâ limpidâ repleto.

Anno 1634. narravit mihi Nicol. Reutten Chirurgus de ſuis oviculis, quarum una laboravit Vertigine, Ex relatione pecoris magiſtri, hoc malum pulchrioribus fere eſſe commune, ipſaſque, toto cerebro in aquam converſo, tandem ſubita morte perire: Dictus Chirurgus oviculam vertigine & longa circumgyratione debilitatam mactari juſſit: mactatæ caput aperui: detectis meningibus cerebri ſubſtantiam, ejuſque anteriores ventriculos perluſtrans, ne guttulam aquæ reperi: hîc, tertium & quartum inſpexi, in quibus pariter nullum aquæ viſtigium invenire licuit, ſed tertius concreto ſanguine repletus comparuit: poſtea olfactus origana manubrio ſcalpelli anatomici oſſeo elevavi, & in ſiniſtro latere, inter cerebrum nempe & piam matrem, inveni abſceſſum inſtar veſicæ piſcium, aquâ limpidiſſimâ repletum, propeque oculum ſiniſtrum ſubſtantiam cerebri ſubnigram: Ego miratus fui, cùm in hoc malo ipſiſſimum cerebrum afficeretur, cur ovicula non potius convulſionibus aut paralyſi, quàm vertigine laboraret.

Anno 1645. una ex meis oviculis ſimili vertigine interiit: quare ſecui caput, & ablato cranio, ſubſtantiam cerebri cum omnibus integumentis examinavi, ſtatimque in ſiniſtro occipitis quaſi latere, ſub dura matre folliculum, inſtar piſcium veſicæ, craſſum, aquaque & vermiculis,

miculis, quales in caſeis generantur, repletum, incipiebat enim ad fundum putreſcere: Hic autem tumor tunicatus, magnitudine ovi n gallinæ ſuperans, in cerebri ſubſtantiam ita ſe inſinuavit, ut tertium ejus ventriculum nonnihil comprimeret: hæc ovicula, opilione teſte, tota ſui interitûs die in dextram ſeſe partem circumgyravit.

Quod accidit ſuperioribus oviculis, illud etiam hominibus evenire poteſt: obſervavi namque ſimilem affectum in Maria N. quæ poſt contuſionem ſyncipitis à me curatam, integrum annum de ſola vertigine graviſſimas querelas habuit, remediiſque fruſtra uſurpatis Apoplexiâ fortiſſimâ ſubitò obiit.

Apertâ calvariâ, inſpectoque cerebro, in ſiniſtro latere tumorem, quoad folliculum & materiam contentam, ſuperiorum duorum poſtremo non abſimilem, qui magnitudinem ovi gallinæ mediocris adæquans tertium cerebri ventriculum ex parte compreſſit.

Quærentibus quænam hujus tumoris tunicati cauſa extiterit? Reſpondi, nec forſan adeo male, quod cerebrum ea parte vehementer percuſſum, debilitatem quandam contraxerit, ob quam affluens alimentum non in cerebri, ſed in deſcripti tumoris ſubſtantiam fuit converſum, *J. Scultetus Chirurg. Armamentar. Obſervat. 10. & 11.*

Vertigo à veſiculis aqueo humore refertis, in cerebri ventriculis.

Vertiginum graviſſimarum cauſam nonnunquam eſſe veſiculas, aqueo & ſeroſo humore plenas, in tertio ventriculo conſpicabiles, plus vice ſimplici in ovibus, & ſemel in homine animadverti. *Rolfinkius Diſſert. Anatom. lib. 1. cap. 13.*

Anno 1650. cùm juvenca in paſcuis crebrius vertigine corriperetur, mactata fuit: capite aperto, ac cerebro denudato, ſiniſtrum latus ſub ſincipite tumidius & mollius reperii, quod cùm durius attrectaſſem, proſiliit aqua limpidiſſima, faciemque mihi conſpurcavit, tumor ſubſidit: divulſo cerebro ad corpus uſque calloſum, ventriculum ſiniſtrum aperui, inveni veſicam tenerrimam totam ejus anteriorem partem occupantem, quam citra ulteriorem lacerationem integram extraxi, ſuperantem ovum gallinaceum magnitudine: In ventriculo, tam verticem verſus ſuperius, & infra, aſperitas leviuſcula, ubi veſica annata erat, apparuit, ac ſi ſeminibus papaveris albi aſperſa fuiſſet: ventriculus iſte ſiniſter duplo major erat dextro in anteriore parte: ſuperior ejus pars & lateralis tempora verſus, propter extenſionem, tenuis & vix cultelli dorſum craſſitie æquavit: cætera ſana erant.

Retulit mihi N. frequentem eſſe morbum boum apud Subſylvanos in Helvetia, ſe Vertigine prodentem; ac bubulcos eſſe qui ipſi medeantur hac ratione, primum malleolo cranium poſt cornua pulſant, ubi ex ſono aliud vacuum ſpatium, ac ordinarie ſunt in craniis bubulis, percipiunt; ſtatim in pulſato loco perterebrant, ac foramini pennam indunt, & attracto ſpiritu veſicas hujuſmodi extrahunt; Si in ſuperficie exiſtat, prompte ſuctioni cedit: Si autem profundior & cerebro immerſa ſit, ſucceſſu eos fruſtrari dixit, ac proinde ſemper ſanius huic operæ adſt. t, ut ſi de animalis valetudine deſperetur, ipſe curationis telam abſolvat. Exempla curatorum ſe vidiſſe adſeverat, *Wepferus de Apopl. pag. 69.*

Vertigo à magnis juxta cerebri dextrum ventriculum Hydatibus, &c.

Hydatides majores intra ventriculos Jumentorum Vertiginis cauſa vulgo creduntur, atque hujus cauſâ ad eximendos folliculos aquâ plenos trypano cranium perforatur, & veſiculæ ſectione per pennam facta proliciuntur, ut ſupra, Obſerv. 9. memini: Id à ruſtico Berovienſi, hujus artis perito, Gurtvvilæ 1664. præſtitum, atque aliquot hydatides extractas fuiſſe vidi: Verùm cum pluribus hydatidibus, quarum quædam nuce moſchata non minores erant, eductis vertigo non ceſſaret, Jumentum neceſſariò protinus mactandum judicavit, quod plures in profundioribus cerebri partibus laterent eæque lethiferæ: In mactati animalis ventriculis cerebri, præcipuè ſiniſtro, & pariete intergerino, cerebrum à cerebello diſtinguente, ubi cerebrum reſpicit, plurimas inveni, pleraſque inſtar ovorum ſerpentinorum, aut lacertarum cohærentes, & tum internæ ventriculorum membranæ medullam operienti, tum parieti dicto accretas.

Amicus quidam meus vidit in prædio ſuo vitulum anniculum inter armenta ſua, ob Vertiginem ſemper ad latus inclinare ab aliquot ſeptimanis: noluit illum veterinarii dubio experimento exponere, ſed protinus mactandum curavit, & capite integro me donavit: Ablata olla & dura meninge, cerebri pars anterior quaſi fumo denigrata apparuit, quamvis nunquam in fumoſo ſtabulo commoratus fuiſſet: Detracta tenui meninge, cerebri ſuperficies ſanorum inſtar albebat: In dextro ventriculo nihil p. n. niſi hydatis in plexu choroideo, ubi ejus ala cum ſiniſtra jungitur, prope glandulam pinealem, apparuit: Aperto ſiniſtro ventriculo, mox grumus ſanguinis, longior & major ovo gallinaceo ſecundum longitudinem dimidiato, durus, tenax & granulis minutis, rotundis, albicantibus, ſeminis papav. albi aliquomodò ſimilibus conſperſus occurrit: Ventriculus ad methodum *Excell. Dom. Sylvii* undique dilatatus triplo amplior, ejuſque tabulatum ſuperius tenue, verùm multò tenuior & quaſi membranea erat pars ejus poſterior cranio incumbens, ibidemque ſuperficies interna ſordido vulneri ſimilis, inæqualis & viridis apparuit: deterſis blande ſordibus, ſecedebant corpuſcula lentis magnitudine, viridia, caſeo Glaronenſi colore & conſiſtentiâ ſimilia: Plexus choroidei ala ſiniſtra amplior, craſſior & denſior erat naturali, aliquot centenis granulis, magnitudine ſeminis papaveris albi conſperſa, ea ſerie compoſita qua ſemina bombycum aut aranearum conſpiciuntur: In nullo ventriculorum lympha aut ſerum redundavit: Proceſſus mammillares ambo cavi erant & ſiniſtro dexter amplior, aquâ limpidiſſimâ plenus: Grumum ſanguinis non demum poſt mortem concretum exiſtimo, nam citra percuſſionem capitis necabatur: Siniſter ventriculus ita diſtentus erat, ut foris anfractus obliterati eſſent: grumus compactior erat

quam ut talem firmitatem ſtatim à mactatione nanciſci potuiſſet, ut taceam granula quibus aſperſus erat: Granula iſta, quæ ad manus, exſiccata, ſubflava ſunt & pellucida inſtar ſuccini.

Vertigo excitata à repletione cerebri ab humore aqueo, tum ſeroſo tum pituitoſo.

Repletionem cerebri ab humore aqueo, tam ſeroſo quàm pituitoſo factam, Vertiginem illam cauſare quæ Apoplexiam & Catum præcedere aut minari ſolet, certum eſt, Quæ frequens & diuturna, & niſi præcaveatur, in hoſce morbos terminari cum vitæ ſummo diſcrimine ſolet: Verùm hoc refrigerando & humectando cerebrum non facit, cùm agitatio hæc ſpirituum quæ in Vertigine fit, ſic potius impediretur quàm promoveretur: Sed fit hoc cum cerebri anfractus ſpatiaque adimplens, maximâ copiâ calvariam replendo, & flatuum ſimul copiam generando (qui ex aqueis humoribus ſæpius quàm vapores generantur) in ea fluctuat: Tunc enim ſicuti in cordis involucro aqua redundans, cùm agitatur, palpitationem cordis facit, ita & hîc cerebrum undique opplens, cùm caput movetur, agitatus humor & capitis motum ſequutus, talem ſenſum capiti præbet: Quod ex ipſorum relatione qui de tali fluctuatione conqueruntur, ſatis patet: Et apertâ calvariâ hanc humoris immenſam copiam ſæpenumero invenimus, ſicuti in apoplexia dictum. *Platerus Praxeos Tom.* 1. *p. m.* 183.

Vertigo à Sphacelo cerebri in Bove genita.

Vermes capita brutorum infeſtare creduntur, cùm præter conſuetudinem delirare ſolent: Tales ſubinde in cerebro Equorum viſi: De quibus obſervat *Laurentius Ruſius* Equum ſemel vermibus infeſtatum nunquam inpoſterum ex ſolito agilem, tametſi integra valetudine appareat: In Bove Jani Johannis, Cauponarii Hageſtedani, aliter obſervatum, in quo Vertigine laborante, cùm mactaretur, Univerſa cerebri compages nigricans viſa inſtar atramenti, & ſicut aqua diffluens, præſertim ſiniſtra parte, ad quam plerumque vivus caput flectebat; Humidæ æſtatis vitio id contraxiſſe exiſtimandum; *Hippocr.* oraculo Coaca 187. Sideratos ſeptem dies evidentes perire ſcimus ſi os diſparatum apparuerit. *Bartholinus Actor. med. anni* 1671. *Obſerv.* 33.

VESICÆ URINARIÆ MORBI.

De iis vide ſigillatim capitibus de Calculô veſicæ, de Urinarum morbis, &c.

VIGILIAE

Vid.

PERVIGILIUM.

VIRIUM IMBECILLITAS.

Virium imbecillitatem peculiarem morbi ſpeciem conſtituunt Medici, quam cordi quidem tribuunt; aſſerunt tamen, in hoc morbi genere non vitales ſolum vires lædi, & imminui, ſed etiam animales ſemper affici. Quia verò etiam in qualibet impotentia motus, de quibus in morbis capitis, detur virium imbecillitas, quoties ſcilicet illa à debilitate provenit, vident quidem illi, atque aſſerunt, hanc virium imbecillitatem cordi tributam eſſe impotentiam motus, ſed hanc pendere ab affectione cordis, caloris inſiti, & ſpirituum influentium tanquam à cauſa primaria, illam verò à cerebro primario affecto: quæ ſanè hunc in modum explicata veriſſima eſſe poſſunt. Sed illud minus aptè factum videtur, virium imbecillitatem à corde primario affecto provenientem conſtituere ſuam morbi ſpeciem diverſam ab aliqua ex iis, quæ continentur ab Eclyſi uſque ad Aſphyxiam; nihil enim illæ ſunt aliud, quàm variæ imbecillitates virium decreſcentes per gradus, indicatæque à minori ſemper validitate pulſus, quouſque hic prorsùs aboleatur; & ſprout imbecillitas hæc major eſt, aut minor, habet conjunctum pulſum parvum, languidum, tardum, rarum, intermittentem, obſcurum, miurum, formicantem, vermiculantem. Aptiùs igitur ad eorum morborum aliquem redigeretur, cùm inſuper coniunctam habeat difficultatem motus, & ægritudinem in obeundis actionibus, quæ ſemper cum eorum morborum ſingulis coniuncta eſt; & æger ejuſmodi imbecillitate laborans de hac una virium imbecillitate conqueritur. Itaque hujus morbi cauſæ, & ſuarum affectionum neceſſitas ex cauſis intermiſſionis pulſus, & ſyncopes abundè linquent. Et eadem hunc antecedunt, quæ ſyncopem. Sed illud admonendum, in imbecillitate virium, etiamſi cerebrum primariò affectum non ſit, non eſſe neceſſarium, ut ſemper primariò ſit affectum cor; quælibet enim cauſa intermiſſionem pulſus producere potens, ſi ſit tanto remiſſior, ut ſolùm diminutionem pulſus, non autē intermiſſionem excitare valeat, imbecillitatem virium illa profectò pariet: patet autem ex ſuperioribus, quot modis hæc diminutio pulſus haberi poſſit, etiamſi nec primariò cerebrum, nec primariò cor afficiatur. Inſuper omninò naturaliter ſe habeat cor, nempe neque primariò, neque ſecundariò ejus corpus, calor inſitus, aut influens patiatur, ſed ſolum vitio aliarum partium parum ſanguinis generetur: igitur pulſus parvus &c. debilitas, & virium imbecillitas, & motuum difficultas, & actionum ægritudo inde ſuccedent. Adde his obſtructiones in ſummis canaliculis per extrema corporis repentibus ſanguinem refluere non permittentes, & quæ his ſimilia plurima addi poſſent ſanguinem ſiſtentia, cujus ſolius quietis ratione nulla affectione cordis virium imbecillitas orietur. Sed hæc ulterius non urgeamus, cùm ſemper vulgares Medici tueri ſe poſſint aſſerendo, nomine imbecillitatis virium, quam morbis Cordis

dis annumerant, intelligendam eſſe illam imbecillitatem, quæ provenit à Corde primariò affecto: inde tamen non evadunt, cur nempe hæc virium imbecillitas non ſit habendus aliquis morbus ex iis, qui ab Eclyſi uſque ad Aphyxiam continentur, vel ſaltem non ſit primum genus eorum omnium, atque ſupra Eclyſim ponendum, ita ut etiam Eclyſis cum cæteris ſit ſpecies ejus. Nos itaque hæc pauca ſeorſim de imbecillitate virium notavimus memoriæ gratiâ ad morem Medicorum, cùm cæteroquin morbis ſuperioribus annumerari debeat, & nihil habeat ab iis diverſum præter cauſas leviùs operantes: Medici autem neceſſitatem hujus morbi potiùs excogitaſſe videantur, ſuum peculiarem morbum in diminutione, & læſione actionibus etiam vitalibus tribuerent, quàm quia re ipſa detur ſaltem eo modo genitus, quo ab ipſis fingitur, per læſionem ſcilicet caloris inſiti, & ſpirituum influentium, ut patet ex Anatomicis, & circuitu ſanguinis. De hac igitur ſatis. *Laurentius Bellini Tractatu de Morbis Pectoris.*

Pro imbecillitate virium à nimia ſanguinis profuſione poſt partum.

Ex vervecum cordibus extrahi ſuccum juſſi, qui in hujuſmodi virium defectionibus inſtaurandis miras profectò & excellentes vires habet: extrahendi autem hujuſmodi ſuccum hæc eſt ratio: accepto vervecis corde finditur medium, & probè aqua eluitur, ut qui intro concluſus eſt ſanguis detergeatur, & quicquid ſordidum in eo eſt auferatur, ultimo loco aq. roſac. probè confovetur, & in taleolas oblongas diſſecatur, inque vitreato vaſe teſtaceo cum caryophyllis aliquot imponitur, ſine ullo liquore, probeque operculato vaſe luto ſapientiæ, in calentem furnum extracto pane inditur, quoad calore contabeſcens in ſuccum eliquetur ac diſſolvatur, inde pòſt extrahitur, & aperto vaſe, ſumitur inventus ſuccus, & ægræ propinatur: mirum profectò quantoperè reficiendis ex inanitione viribus valeat: prout & quæ ex ovorum vitellis, vino, ſacch. & cinnamomo ſorbitio paratur, quam *Italorum* vulgus *Sambaion* vocat (& *Solenander* ovum *Lombardicum*) qua & ipſe uti ægram moribundam, & viribus exhauſtam juſſi, unde mirificam ſenſit opem; ſpiritibus utique & nativo calore ſanguineque auctis ac inſtauratis. Vitelli namque ovorum nullo negotio in ſanguinem vertuntur, multoque amplius vinum, omnium enim, Authore *Galeno*, velociter & maximè nutrientium præcipuum eſt vinum, ſaccharum verò dulcedine ſua à natura facilè complectitur, & gratum eſt; prout cinnamomum aromaticitate ſua cor & membra omnia confirmat. *Franciſcus Valeriola. obſervat.6. lib.6.*

Pro imbecillitate virium dignoſcenda per oppreſſionem facta ab ea quæ per diſſolutionem ſit.

Ubi virium imbecillitas ob reſolutionem facta eſt, tunc pulſus continuus eſt, parvus, languidus, ac valde frequens; ubi verò ob oppreſſionem ſive gravationem contingit, tunc pulſus varius eſt, ac confuſus, aliquando funditus perit, aliquandò intercidit, aliquaudo ſublevatur; nec minus illi evenit, quàm bajulo onus ferenti, qui cùm plus à pondere, quàm pro virium ſuarum ratione gravatur, aliquando opprimitur, aliquando intercidit, aliquando ſublevatur, interdum in varios torquetur motus; & ſecundum *Galenum* lib. *De introd. in pulſus.* Inæqualitates hæ oppreſſarum virium maximè propriæ exiſtunt. *Amatus Luſitanus.* cent. 2. curat. 8.

VIRGAE MORBI.
Vid.
PENIS MORBI.

VIRILITAS EXTINCTA
Vid.
IMPOTENTIA VIRILIS.

VISIONIS MORBI.
Vid.
OCULORUM MORBI, CATARACTA, &c.

VITILIGO
Vid.
CUTIS VITIA.

ULCUS.

De Ulceribus in genere.

Ulcus eſt ſolutio continui in parte corporis molli, in ejus itaque curatione finis ac intentio, eſt unire, ſeu agglutinare.

I. Hippocrates tam latè Ulceris nomen extendit, ut ſcriptum reliquerit, omnem morbum eſſe ulcus. Strictius tamen *Galenus 3. Meth. cap. ult.* Ulcus accipit pro quarumcunque partium carnoſarum continui ſolutione, à quacunque cauſa facta. Adhuc ſtrictius Ulcus ipſi, Libro de artis conſtitutione, dicitur continui ſolutio partium carnoſarum ab eroſione orta.

II. Et ſanè non malè Ulcus definitur ſolutio continui in parte carnoſa, cum ſanie aut pure. Vel potius dicatur Ulcus ſolutio continui, cum imminuta magnitudine, in parte molli, à materia erodente ortum habens. Quæ Ulceris definitio cæterarum omnium videtur perfectiſſima; quoniam hæc Vulnus & Ulcus exactè inter ſe diſtinguit. Enimverò in Vulnere tantum eſt ſoluta unitas, nihil verò ex neceſſitate de parte affecta amiſſum eſt: in Ulcere autem ſemper aliquid de parte imminutum & amiſſum obſervatur. Cum namque Ulcus ſit à cauſa erodente, fieri non poteſt, quin aliquid à parte affecta auferatur. Et ſic Vulnus Profundum & Cavum, præſertim ſi ſit cum ſubſtantiæ deperditione, cujus curatio diu nimis protrahitur, in verum Ulcus non rarò commutatur.

III. Differentiæ porrò Ulcerum ſunt, vel Eſſentiales, vel Accidentales.

Eſſentiales Ulcerum Differentiæ ſunt, quæ ab ulceris ipſius forma, ſubjecto, & cauſa efficiente ſumun-

ſumuntur. Ab Ulceris Forma quæ ſumuntur, petuntur ab ejus figura, magnitudine, æqualitate, & inæqualitate; & ſic ulcera alia ſunt magna, parva, longa, brevia, lata, anguſta; alia recta, obliqua, intorta, fiſtuloſa, &c. A Parte Affecta ulcera ſunt externa, interna, ſuperficiaria, profunda; & quidem in hac vel illa parte. Ratione Cauſæ Efficientis differunt ulcera, quod alia ab interna, alia ab externa proveniant cauſa, uti ex iis quæ de Ulcerum Cauſis ſumus dicturi palam fiet.

Accidentales verò Ulcerum Differentiæ deſumuntur ab iis, quæ ſunt extrà ulceris naturam & conſtitutionem; quales ſunt, quæ petuntur ab ulceris ſitu, tempore, necnon cauſis quibuſvis accidentalibus, & ſymptomatibus: hinc ulcerum quædam recentia ſunt, quædam antiqua, alia pura, ſordida, depaſcentia, maligna, verminoſa, &c.

IV. Proxima Ulcerum Cauſa eſt quævis materies erodendi vim habens, quæ ſub ſe non ſolùm acres in corpore genitos humores, verùm & cauſas externas erodendi vim habentes comprehendit. Enimverò acris hic, ac erodens humor in corpore genitus, ubi conſiſtit in parte affectâ, Continens evadit Ulceris Cauſa: ubi autem in toto redundat, Cauſa Remota tantùm dici poteſt. Inſuper ab igne, aqua, oleo, aliiſq; ſuccis ferventibus, necnon à cauſticis admotis Ulcera quandoque excitari haud infrequenter obſervamus. Sed quæ ulcerum in ſpecie ſpeciales ſint cauſæ, ſuis locis exponemus.

V. Cæterum Ulcera manifeſtis ſatis innoteſcunt Signis. At licet externa ulcera ſenſibus expoſita ſint, nec Signis, quibus cognoſcantur opus habeant: interna tamen, & latentia cognoſcuntur ſpecillo, ſi ad ea aditus pateſcat; item tactu, excrementis, dolore, denique & actione læſa. Enim verò partem affectam excrementa indicant: & ſi per quemcunque corporis meatum, ſive anum, ſive veſicam, ſive nares, ſive aures, pus aut ſanies effluat; vel vomitu, aut tuſſi, & ſputo ejiciatur, ulcus aliquod intus latere indicio eſt. Sed qua in parte lateat, doloris proprietas & ſitus, ac partis læſæ actio indicabunt.

An verò ulcus magnum vel parvum, rectum vel obliquum, vel alterius figuræ ſit, uti & reliquæ differentiæ, cùm ſpecillo tum viſu cognoſcuntur in ulceribus externis: at in internis facilè cognoſci non poſſunt. An tamen ulcus magnum vel parvum ſit, puris copia ſignificabit. Quod ſit cum humorum affluxu, ſigna cacochymiæ in toto docebunt. Specialium verò ulcerum ſigna quoquè ſuis locis trademus.

VI. Quoad *Prognoſin*: periculoſa ſiunt ulcera ob loci affecti, *hoc eſt*, partis ulceratæ præſtantiam; qua ratione ulcera externa, de quibus potiſſimum nos agimus, minus periculoſa ſunt. At quanto profundius eſt ulcus, & quò affecta pars cute nobilior eſt, eò difficilius curatur.

Dein magnum ulcus, cæteris paribus longiore tempore pro ſui curatione eget, quàm parvum. Item anguſtum & oblongum ulcus facilius, rotundum difficilius curatur. Etiam ſi ulcus longo tempore non curetur, aut ſi cicatrice obductum recrudeſcat, in oſſe ſubjecto corrupto cauſa eſt.

Denique & periculoſum redditur ulcus ob malignam qualitatem, hinc ut omnibus decenter tractis, vix tamen, aut omnino non ſanari poſſit; qualia ſunt ulcus putridum, ſordidum, fiſtuloſum, &c. Quapropter Hippocrates *Aphor.* 4. *Sect.* 6. oſtendendo ulcerum malignitatem, ait: ulcera circum glabra maligna. Ratio eſt, quod, ubi pili decidunt è parte ulcerata, vitioſi admodum, ac erodentes humores in affecta parte abundent.

Si corpus purum ſit, & viſcera benè ſint conſtituta, parſque affecta rectè ſe habeat, de facili ulceris curatione ſpes eſt. E contrario, ſi corpus ſit cacochymicum, viſcera malè affecta, parſque ulcerata debilis, diuturnum ulcus futurum meritò conjicitur. Dehinc quæ aliis morbis ſuccedunt ulcera, difficulter curantur, cùm natura vitioſos in toto redundantes humores eò tranſmittat.

Ulcera porrò diuturna & inveterata non ſine periculo curantur, niſi diligenter corpus purgetur, & bona victus ratio obſervetur, cujus rei exemplum recenſet Hildanus *Cent.* 3. *Obſerv.* 39. de viro, qui cùm ipſi ulcus inveteratum in crure ſiniſtro ab Empyrico ἀμεθόδως curatum fuiſſet, poſt menſes aliquot Pleuritide in ſiniſtro latere correptus, atque ex ea mortuus fuit; at morbo durante talia exſpuit, qualia ante ex ulcere fluere ſolebant.

VII. Ad Univerſalem verò Ulcerum Curationem quod attinet: cùm eſſentia ulceris in ſoluta unitate, & imminuta partis affectæ magnitudine conſiſtat; ſoluta unitas conjunctionem; id quod amiſſum & imminutum eſt, ſui inſtaurationem indicat. Ulcus nimirum, ut ulcus, replendum carne, & uniendum, deniquè & cicatrice claudendum.

VIII. Sed quibus mediis indicationes haſce exequi in ſimplicibus ulceribus oporteat, omnes concordes aiunt, Exſiccantium Medicamentorum ope Ulcera Curari ac Uniri. Et profectò ſanari nequit ulcus, niſi prius fuerit exſiccatum: nam quandiu humidum manet, aut ſordidum, non conſolidatur. Propterea ulcera hydropicorum cenſentur inſanabilia, quia exſiccari nequeunt. Hinc Hippocrates ſcribit, in princip. Libr. de Ulceribus, quod ſiccum eſt ad ſanum, quod madet ad vitiatum propius accedit; atque Siccantibus ſemper Ulcera Curari jubet.

IX. Practici in Ulcerum Curatione quatuor obſervant ſcopos. 1. imponunt pus moventia ſeu digeſtiva. 2. detergentia ſeu mundificantia. 3. carnem gignentia. 4. cicatricem inducentia. Haud ſecus ac *Lib.* 2. *Cap.* 3. & 7. de Generali Vulnerum Cura, abundè dictum fuit.

Si verò cum ulcere aliquis alius affectus fuerit complicatus, à quo ulcus fuerit genitum vel foveatur, vel magnum aliquod ſymptoma ſit conjunctum, quod cauſæ rationem habeat, vel propria ulceris cauſa adhuc permaneat, ſine quorum ablatione ulcus curari non poſſit, in primis hæc omnia auferenda. Quoad cauſam adhuc permanentem, ſine cujus ablatione ulcus perfectè ſanari nequit; ſi externa adhuc adſit, ne amplius ulcus foveat, amovenda: ſi interna, ut eſt fluxio acrium ac erodentium humorum, qui vel totius corporis vel præcipuæ alicujus partis vitio, vel ex illegitimo rerum nonnaturalium

uſu

uſu gignuntur, plures intentiones habere debemus; quemadmodum in ſpecialium ulcerum curatione ſuis locis ſumus dicturi.

X. Et in ſpecie ſi Ulcera conſiderare velimus, primo loco occurrent Simplicia dicta; quibus, præter unitatis ſolutionem ab eroſione factam, non copulatur morbus, cauſa, vel ſymptoma. Atquè hæc, ſi tantum amiſſa ſit cutis cum inſtrata ſibi cuticula, dicuntur Plana & Æqualia: ſi verò ſubjectæ carnis portio quoque amittatur, appellantur Ulcera cava.

XI. In hujuſmodi Cavo Ulcere Curando, cùm affectus ſit complicatus ex ſoluta unitate & cavitate, indicatur unio, carnis generatio, & cicatricis inductio: quæ operationes quidem à Natura fiunt: Medici tamen auxilio Ea eget, non alia de cauſa, quàm propter ulceris excrementa, quæ id reddunt, δύσκρατον, cacochymum, doloroſum. Quare ſi ea ſint bona, id eſt, ſi pus ſit album, læve, paucum, craſſum, non fœtidum; ſignificant ulcus poſſe carne impleri. E contrario, ſi mala, hoc eſt, ſi pus ſit fuſci coloris, inæquale, grumoſum, fœtidum; indicant non poſſe ulcus carne impleri, niſi materia hæc Suppurantibus corrigatur; dehinc expurgetur. Enimverò cum fieri vix queat, quin in partium poroſitatibus ſanguinis è vaſis effuſi aliquid hæreat, ut illud digeratur & in pus mutetur, Digeſtiva ſeu Suppurantia ſunt uſurpanda. Ut verò ulcus mundum reddatur, quando pus apparere incipit, Suppurantibus admiſcendi Detergentia, ut ab omni eo, quod præter naturam ibidem continetur, ulcus expurgari poſſit. Iſtiuſmodi medicamenta, pro diverſa corporum temperatura, diverſimodè parari poſſunt. v. gr.

℞. Therebinth. Venet. ʒiii. Olei Roſacei ʒvi. Vitellum unius Ovi. Miſceantur.

℞. Mellis, Therebinthinæ an. ʒv. Vitellum unius Ovi. Miſceantur.

Si majore abſterſione opus ſit;

℞. Mellis Roſacei ℥i. Therebinth. Venet. ℥ß. Farinæ Hordei ʒiß. Vitellum unius Ovi Pulv. Croci ℈i. Spir. Vini ʒiii. Fiat ex his S. A. Digeſtivum.

Applicentur verò Suppurantia ac Detergentia, quouſque laudabile pus appareat; nam ſi diutius, quam convenit, Suppurantia imponantur, ſordidum evadit ulcus.

XII. Verùm deterſo ac purgato ſatis ulcere, uſus obtinet, ut id carne impleatur per impoſita Sarcotica. Sunt autem Sarcotica Medicamenta talia, quæ modicè abſtergendo, nec non Puris acrimoniam acidam corrigendo, & exſiccando impedimenta carnis generationis removent: qualia ſunt Unguentum Aureum, Baſilicon, & cætera plura; inter quæ haud infimum locum meretur Balſamum ſulphuris Therebinthinatum vel Succinatum; quod vel ſolum, vel Unguento Baſiliconi permixtum ſi ulceri imponatur, ad ejus mundationem ſeu conſolidationem admiranda non rarò præſtat.

XIII. At carne ubi repletum fuerit ulcus, cicatrice claudendum; cutis ſcilicet, ejuſvè loco cicatrix gignenda, cujus beneficio unitas ſoluta erit unienda. Efficiunt hoc Medicamenta plus quam, Sarcotica dicta, Exſiccantia; qualia ſunt Tutia, Plumbum Uſtum Minium, Bolus Armenus, Terra Lemnia, Sanguis Draconis; Unguentum de Minio, de Ceruſa, de Tutia, Diapompholigos, Deſiccativum Rubrum, Fac Totum Magiſtri Chriſtiani; Emplaſtrum Diapalma, Gryſeum, &c. in quibus eligendis, ulceris conſtitutio probè eſt conſideranda.

Tempus autem Epulotica apponendi eſt, quandò ulcus carne non omninò erit repletum, ſed parum deeſt; & hoc faciendum, ne cicatrix cute circumpoſitâ eminentior ſit. Sed hæc omnia prolixius *Libr.* 2. *Cap.* 7. expoſuimus.

De Ulcere cum vitioſi humoris affluxu, ac proindè difficulter cicatricem admittente.

I. Ulcera verò quibus conjungitur vel morbus, vel morbi cauſa, vel ſymptoma, non ita facile Curam ſuſcipiunt. Etenim cùm in omni ulcere requiratur, ut natura carnem cutemquè gignat per craſin partis ulceratæ, è ſanguine laudabili ſatis in copia affluente; proinde ſi partis affectæ craſis illæſa ſit, ſiquè temperatus cruor in quantitate ſufficiente accedat; haud difficulter ulcera ſanantur: atqui partis ulceratæ dyſcraſia ſi adſit, vel ſi ſanguis qualitate peccet, non niſi cum difficultate caro generari, ac ulcera ſanari queunt.

II. Occurrunt igitur hujuſmodi ægrè curabilium ulcerum duæ potiſſimum ſpecies. Quando enim ulcus oritur ex humorum vitioſorum affluxu, atquè in parte ulcerata dyſcraſia non adeſt, dicuntur Ulcera Dyſepulota. Sed quum vitium ſit in parte affecta, (ſive vitioſorum humorum affluxus adſit, ſive non) Ulcera nuncupantur Maligna; Erodentia; Depaſcentia.

Simili prorſus modo ulcera ægrè curabilia duplicia conſiderat Georgius Faber, qui in Epiſtola ab Hildano cent. 4. Obſ. 79. recenſita ſic ſcribit: "Quemadmodum ligna quædam "propter nodorum abundantiam ex naturali "defectu & corruptela adeò degenerant, ut "findi nullo modo poſſint, ita etiam in qui"buſdam naturis (proprietatibus peculiari"bus præditis, ad ſanationem inidoneis) ſæ"pius fruſtrà inſtituitur ſanatio, ubi præexi"ſtente inſigni cacochymiâ, & pravorum hu"morum abundantiâ, Mumia illa innata Me"dicina eſſe nequit. Quandoque etiam in"temperies alicujus particulæ in cauſa eſt, "quo minus ulcera conſolidationem reci"piant.

III. Ulcus igitur difficulter cicatricem admittens Dyſepuloton dicitur; alii tamen vocant Ulcus fluxione Vexatum; quod affluens vitioſus humor in cauſa ſit, tale ulcus ægrè ſanari.

Cognoſcuntur autem Ulcera cum Humorum Affluxu 1. ex tumore, qui non ſolum in labiis, ſed & vicinis partibus apparet. 2. ex dolore, qui non rarò moleſtus eſt Ægro. 3. ex copia excrementorum, quæ major, quàm pro magnitudine ulceris eſſe ſolet. Deniquè, licet omnia ad curationem neceſſaria adhibeantur, ſanatu quoquè difficilia ſunt; cùm affluentes perpetuò humores ſanationem impediant.

IV. At

IV. Atque ideò in hoc ulcere, cum ſit duplex affectus, nimirum ulcus & fluxio, duplex quoque oritur intentio curationis; viz. & ſanandi ulceris, & removendæ fluxionis. Primum igitur, cùm ulcus curari non poſſit, niſi fluxio tollatur; fluxio ipſa, ejuſque cauſa tollenda, ac proindè vitioſi humoris generatio prohibenda, humorque affluens ritè præparandus & evacuandus. Et quidem externæ cauſæ, ſi ulcus & fluxionem adhuc fovent, emendandæ Rebus Nonnaturalibus ritè uſurpatis. Cauſa verò interna, quæ conſiſtit in vitioſorum humorum redundantia, ut emendetur; eorum generatio prohibenda, affluenteſque humores præparandi & evacuandi, tum Venæſectione, tum repetitâ corporis Expurgatione per Sudores, Urinas, ac potiſſimum per Alvum. Quem in finem hîc meritò laudamus Decocta ex Guajaco, Saſſaphras, Salſaparilla, China, &c. additis Liquiritiâ, Saniculâ, Pyrolâ, Veronicâ, Virgâ Aureâ, & ſimilibus: quorum uſu continuò acres vitioſi humores temperantur, necnon inſenſibiliter abſumuntur cùm per tranſpirationem, tum per urinas, nonnunquam & per leviter excitatos ſudores. Vel ſi craſſiores & viſcidiores per alvum quoque educere velimus humores, incoctis ſimul Catharcticis, eadem Decocta id efficient. v. gr.

℞. Raſuræ Ligni Guajaci ℥iv. Saſſaphras ℥vi. Rad. Salſaparillæ ℥ i ß. Chinæ ℥ i. Macerentur per noctem calidè in Aquæ Puræ ℔ v. dein S. A. in vaſe clauſo coquantur, add. Rad. Polypodii querc. ℥ i ß. Turbith Gummoſi ʒ v. Herb. Saniculæ, Pyrolæ, Veronicæ an. M j. Pulpæ Colocynthidis ʒi. Liquiritiæ raſæ ʒ vi. Fiat Decoctio ad ℔ iij. Bibat Patiens quotidiè ſemel vel bis cyathum, prout magis vel minus operatur.

Inſuper ad humores, ne in partem affectam fluere continuent, revellendos ac per alium locum evacuandos, in primis hîc locum habent Fonticuli, in parte contraria excitati: qui in ulceribus diuturnis ſæpè ità neceſſarii ſunt, ut non rarò abſque iis curatio abſolvi nequeat.

V. Ipſi verò Ulceri imponenda Medicamenta admodum Siccantia: nam & propter ichoroſa in hujuſmodi ulcere ſecreta excrementa, & propter affluentem continuò humorem, validius utique exſiccare hîc oportet. Quem in finem conducunt Plumbum Uſtum & Lotum, Tutia Præparata, Bolus Armenus, Os Sepiæ, Oſtreorum Teſtæ Calcinatæ, Unguentum de Ceruſa, de Tutia, Diapompholigos, &c. Igitur Sarcotica hîc eſſe debent validiora, quàm in ulcere ſimplici & fluxione non tentato, ut humorem in partis ulceratæ poris hærentem exſiccent magis; citrà mordicationem tamen, ne dolor excitetur, fluxioneſque proritentur.

VI. Enimverò tale ulcus in primis Detergentibus, quæ partem minimè mordicant, purum reddendum: dein propter influxos humores, hinc & excrementorum copiam, validius exſiccandum. Cui indicationi ut ſatisfiat, ſi præſertim profundum & ſinuoſum ſit ulcus, conducit Injectio, ex Abſinthio, Artemiſia, Ruta, Centaurio, Hyperico, in Aqua Pura decoctis, additis colaturæ Melle Roſaceo & Spiritus Vini tantillo. Petiis verò imponatur Digeſtivum. v. gr.

℞. Therebinthinæ ℥i. Mellis ℥ß. Pulv. Oſſis Sepiæ, Tutiæ Præparatæ an. ℈ ij. Plumbi Uſti & Loti ʒi. vel ℈ iv. Vitellum unius Ovi. Fiat ex his S. A. Digeſtivum. Cui aliquid Thuris nonnunquam utiliter addi poteſt.

De forma verò medicamentorum hîc obſervandum, ne ſint conſiſtentiâ nimis humida, neque oleoſa & pinguia, cum partem ulceratam laxent magis, & humectent, adeoque ſordidum ulcus reddant.

Notandum quoque, non ſemper hîc in eodem medicamentorum genere eſſe perſiſtendum. Sæpius enim accidit, ut quod ſemel atque iterum profuit, poſtea, humore quodammodò exſiccato, amplius utile non ſit, ſed mordicationem excitet; atque ideò tum medicamentum mutandum, & mitius adhibendum.

VII. Ulcere carne repleto, cicatrix inducenda Epuloticis ſiccioribus, è quibus hoc vel ſimile confici poteſt;

℞. Plumbi Uſti & Loti, Pulv. Teſtarum Oſtreorum Calcinat. Rad. Iridis Florent. an. ʒi. Unguenti Diapompholigos, de Tutia an. q. ſ. Miſceantur exactè pro Unguento, vel Emplaſtro.

Guido hujuſmodi ulceribus imponit tenuem Plumbi laminam perforatam. Cenſet namque refrigerare Plumbi laminam, atque ulceribus hiſce curandis utilem eſſe, ſi commoda accedat ligatura; qua humor è parte ulcerata exprimatur, ejuſdemque in eam defluxus prohibeatur.

VIII. At verò in ulcerum horum curatione non rarò luxuriat Caro, eaque nimis quàm par eſt excreſcit, quod malum ὑπερσάρκωσις nominatur. Hoc ſi contingat, impedimento eſt, ne cicatrice ulcus occludi queat. Accidit autem id haud infrequenter ob impoſita Sarcotica & Epulotica nimis debilia, & minus quàm oportet exſiccantia; atque hinc excreſcens hæc caro non ſolida, verùm laxa & ſpongioſa eſt. Auferri autem ſolet medicamentis adhibitis exſiccantibus, ac erodentibus, uti *Lib. 2. Cap. 4.* dictum fuit.

IX. Inſuper contingit interdum, ut ulceris hujus curâ diutius protractâ, partis ulceratæ labia dura & calloſa evadant, tuncque ulcus curari nequit, nec cicatrice occludi, niſi calloſitas hæc tollatur, & pars affecta ad naturalem ſtatum reducatur. Quapropter minor ſi ſit durities, uſurpanda Emollientia, ex Mucilagine Seminis Lini & Fœnigræci, Oleo Amygdalarum, Lumbricorum, Pinguedine Gallinæ, Anatis, &c. Quum verò major fuerit calloſitas, hinc ut Emollientibus non cedat, tutiſſimum eſt Labia præſcindere, & forfice Calloſitatem in totum auferre ad partem uſque ſanam. Ita etiam *Joh. de Vigo in Chirurgia Parva* inquit: ulcera dura „ non ſanantur, niſi prius eorum calloſitas, & „ labia dura auferantur. Atque eadem eſt Hippocratis ſententia, quando ait: morbos antiquos prius recentes facere oportet. Horum quoque conſiliis ſuffragatur *Galenus 4. Meth. c. 2.* ubi ſic ſcribit: „ Cum labra tantum ulceris decolorata durave pluſculum fuerint, excidenda ea ſunt ad ſanam uſque carnem. Cùm verò amplius progreſſus ejuſmodi affectus eſt, deliberatio incidit, excidendum ne omne id ſit, quod præter naturam viſitur, an ſpacio potius curandum. Proculque dubio eſt, Ægri animum hoc in caſu conſulendum eſſe. Alii „ enim

„ enim longiori tempore curari citrà ſectionem „ malunt; aliqui quidvis ſubire, dummodo citius ſanentur, ſunt parati.

X. Cæterum Ulcera hæc, quæ ſunt cum Humorum Affluxu, ſi inter curan lum malè tractentur, Sordida non raro evadunt; cum nimirum illud craſſum & mucoſum excrementum, quod Sordes in ſpecie appellatur, copioſè affluat: & Putrida, ſi gravem ac cadaveroſum odorem idem ſpiret; adeò ut Sordida & Putrida Ulcera gradu tantum videantur differre. Sed quandoquidem hæc vix diſtinguuntur ab iis, de quibus nunc diximus, & eandem cum iis curam habeut, plura ſuperaddere operæ pretium non duximus.

De Ulcere Maligno, Depaſcente, Phagadæna, Cacoëthe, &c.

I. Enimverò Ulcera Dyſepulota ſeu ægrè ſanabilia in genere dicuntur omnia ea, quæ ægrè ſanationem recipiunt, & difficulter cicatrice clauduntur. Quoniam tamen horum alia propter ulceratæ partis dyſcraſiam, alia ob affluentem humorem talia fiunt; hinc Galenus inter ulcera δυσεπέλωτα, ſeu quæ vix ad cicatricem perducuntur, & κακοήθη ſeu maligna, haud abſque ratione diſtinguit; atque *Dyſ pulota* ea nuncupat; quæ ex acrium humorum confluxu oriuntur & foventur; quæ verò partis ulceratæ dyſcraſiam tantum agnoſcunt, dicit *Cacoëthe* ſeu *Maligna.*

II. *Chironia* ſeu *Telephia Ulcera* quod ſpectat: χειρώνιον ἕλκος à Chirone Centauro nomen acceperunt; nominis tamen rationem alii aliam tradunt. Cenſent nonnulli, Chironem ictum ab Hercule plagam in pede accepiſſe inemendabilem, unde perierit; ut ità immedicabilia ulcera Chironia dicantur. Alii ab Hercule vulneratum Chironem non putant, ſed Chironi hoſpitio ab Hercule excepto fortè ſagittam Herculis in pedem incidiſſe, ipſique vulnus periculoſum & venenatum, & Centaureâ, quæ inde à poſteris Chironium dicta fuit, Chironem ſemet ipſum ſanaſſe; atque eum fuiſſe Cheirurgiæ inventorem. Ut adeò Chironium Ulcus dicatur Ulcus contumax & malignum, quod ob contumaciam Chirone aliquo in curando opus habeat, quodque à Chirone primò curatum ſit. Celſus lib. 6. cap. 28. „ definit Chironium Ulcus, quod magnum ſit, „ habeatque oras duras, calloſas, tumentes. „ Exeat ſanies non multa, ſed tenuis. Odor „ malus neque in ulcere, neque in ejus tumore „ ſit. Nulla inflammatio, dolor modicus ſit: ni„ hil ſerpat, ideoque nullum periculum adferat; „ ſed non facilè ſaneſcat. Interdum tenuis ci„ catrix inducatur, deinde iterum rumpatur, „ ulcuſque renovetur. Fiat maximè in pedibus „ & cruribus.

III. Sed præter Chironia hæc Ulcera inſuper recenſentur *Telephia*; vel potius eadem, & Chironia & Telephia, habentur Ulcera. Ità ſcribit Paulus Ægineta lib. 4. cap. 46. „ Inveterata „ & quæ vix cicatricem recipiunt Ulcera, „ nonnulli Chironia nominarunt, tanquam Chi„ rone ipſo ad ſanitatem indigentia: alii Tele„ phia, propterea quod Telephus in tali ulcere „ diutius perſeveravit. Et ſanè Telephia Ulcera eadem ſunt cum Chironiis, ità dicta à Telepho, qui tali ulcere longo tempore afflictus fuit. In genere equidem *Maligna* vocamus *Ulcera*, quæ malitiâ ſua partem, quam jam occupaverunt, erodendo, ac interdum eſcaram gignendo, majora atque ampliora indies fiunt; hinc & *Virulenta* & *Corroſiva* nominari poſſunt. Quod ſi hujuſmodi Ulcus adeò creſcat, ut non modo ulceratas atq; corruptas carnes, ſed quoque ſanas abſumat & depaſcatur, *Nome* ſeu *Ulcus Depaſcens* appellatur: cujus ſpecies cenſetur *Phagadæna* ſeu *Ulcus Ambulatorium*; quod huc atque illuc ſerpendo, cutem eique ſubjectam carnem exedat, erodat, atque in penitiora nonnunquam penetret.

IV. Cæterum oriuntur Maligna hæc Ulcera ab humore acri-ſalino, nec non ſubacido, aliterve depravato, & quodammodo glutinoſo; qui partis ulceratæ poris pertinaciter inhærens, allabentem pro nutritione ſanguinem omnem in humorem ſui ſimilem convertit; ſicque talem in parte affecta efficit dyſcraſiam, ut non ſolum illiuſmodi ulcus magis indies depaſcatur, erodatque vicinas partes, ſed & non niſi difficulter admodum ſanari queat.

V. Ulcus verò Malignum eſſe ſuſpicamur, quando labia ejus ſunt malè colorata, nec non rubent ac pruriunt; & licet leviter ſaltem abſtergatur, aliterve tractetur, dolet: tument quoquè vicinæ partes, ulcuſque indies dilatatur, atque cutis non tantum, ſed & ſubjecta ei caro continuò exeditur magis, eroditurque. Hinc & contumax eſt, & curatu difficillimum quodvis verè malignum ulcus.

VI. Ulcerum horum Curatio vix differt à Curatione ulceris dyſepuloti. Via ratio totius habeatur, ſi forſan dyſcraſia partis ulceratæ quoque à ſanguine intemperato, viſceribuſque malè conſtitutis foveatur. Ipſi autem Ulceri, applicentur leviter abſtergentia, exſiccantia, adſtringentia, nec non acri ſalinos, acidoſque humores temperantia; qualia ſunt Plantago, Agrimonia, Scordium, Roſæ Rubræ, Balauſtia, Thus, Maſtix, Tutia, Ceruſſa, Lithargyrum, Minium, Plumbum Uſtum, Mercurius, Unguentum Fuſcum Felicis Wurtzii, Diapompholigos, Deſiccativum Rubium, de Minio, Album Camphuratum, &c.

Primò igitur ulcus abluatur & foveatur hoc vel ſimili Decocto;

♃. Herb. Plantaginis, Agrimoniæ, Scordii an. Mj. Flor. Roſarum Rubrarum, Balauſtiæ an. M.ß. Coq. in ſ. q. Aquæ Fabrorum ad ℥xv. Dein colentur.

Utiliter quoque hìc uſurpatur Aqua pura, in qua Sal commune & Vitriolum album, modica in quantitate, ſunt diſſoluta. Qua frequenter, ad illiuſmodi ulcera ſananda, in Xenodochio noſtro utuntur Cheirurgi, & aquam noſtram dicunt. Cætera peragantur, ut ſuperiore capite expoſuimus.

VII. Teſtatur Galenus, Plumbum ulceribus malignis & inveteratis eſſe utile Remedium. Quin & hujuſmodi Laminas plumbeas, Hydrargyro oblitas, malignis ulceribus, quæ cæterorum remediorum vires eludunt, velut quoddam alexipharmacum eſſe, quo ipſorum malitia dometur & abſumatur. Guido, lavato ulcere cum aqua aluminoſa, laminam plumbi tenuem deſuper apponit, & ſtrictè ligat, quæ in omni ulcere maligno & cancroſo admiranda ſæpe præſtat. Inſuper laudandum hìc eſt Mercurii Amalgama,

ſi aliis medicamentis prudenter admiſceatur. Sed quoque circa horum ulcerum curationem notandum, medicamenta externa ſingulo triduo aut quatriduo mutari quodammodò debere; natura enim etiam optima diutius juſtò applicata reſpuit.

De Ulcere Verminoſo.

I. Nonnunquam etiam Ulceribus innaſcuntur *Vermes*; potiſſimum Cavis, Sinuoſis, Sordidis, quæ ritè non mundantur, neque à ſanie & pure purgantur; in primis æſtate, & aëre exiſtente præcalido ac humido. Atque Ulcera hæc ſi patentia ſint, Vermes aut difficulter conſpiciuntur; & ſi ob ſinus anguſtiam vel profunditatem videri nequeant, aliis ex ſignis non rarò dignoſcuntur; viz. ex punctione, morſu, & motu undoſo, qui in ulceribus ab Ægrotantibus perſentitur: ſæpè inſuper adeſt magnus fœtor, ob immunditiem atque putredinem inſignem.

II. Curandi ratio in eo conſiſtit, ut Vermes tollantur, atque Ulceris Putredo inhibeatur. Quapropter ſi in propatulo ſint Vermes, ſpecilli cuſpide, vel exiguâ volſellâ, aliove idoneo inſtrumento ſunt extrahendi. Sin lateant, aut pertinaciter parti ulceratæ adhæreant, necandi pharmacis, quæ ſimul loci affecti immunditiem ac putredinem tollere poſſunt: quod præſtant medicamenta amara & abſtergentia, qualia ſunt Abſinthium, Marrubium, Centaurium, Scordium, Dictamnus, Gentiana, Helleborus Albus, Aloë, Myrrha, &c. Hinc ulceri per ſiphonem injiciatur hujuſmodi Decoctio, qua diligenter quoque ulcus abluatur; v. gr.

♃. Herb. Abſynthii, Marrubii, Centaurii Min. an. Miß. Rad. Hellebori albi ℥ß. Coq. S. A. in aqua pura ad ℥xvi.

Deinceps imponantur ex linteo diſcerpto penicilli imbuti Spiritu Vini, cui permixtus eſt Pulvis Aloës & Myrrhæ. Vel uſurpetur Digeſtivum v. gr.

♃. Aloës, Farinæ Lupinorum an. ʒii. Myrrhæ, Floris Æris an. ʒi. Fellis Taurini ℥ß: Mellis, q. ſ. miſceantur.

♃. Myrrhæ, Aloës an. ʒi. Therebinthinæ ʒvi. Unguenti Apoſtolorum ʒiii. Vitellum unius ovi. Miſceantur.

Vermibus interfectis & ablatis, ulcus ritè detergendum, ac porrò curandum.

De Ulcere cum oſſis corruptione.

I. Accidit quoque interdum, ut Ulceri ſubjectum ſit os corruptum ſeu carioſum; quæ oſſis corruptio in cauſa eſt, ut ulcus ſanari nequeat, quoniam ad cicatricem ſi nonnunquam perducatur, iterum poſt breve temporis intervallum rumpitur, & ulcus denuò renovatur. Idque quod ab oſſe corrupto purulenta materies continuò prorumpat, quæ obiter conſolidatum ulcus denuò exedat, erodat. Etenim *Oſſis Caries* nil aliud eſt, quàm ejus Corroſio ſeu Exulceratio: atque idem quod in parte molli ſeu carne dicitur Ulcus, in parte dura ſeu oſſe Caries nuncupatur.

II. Corrumpuntur autem oſſa, & Cariem contrahunt, inprimis ab affluentis humoris acrimonia acida, quæ fibrillas perioſtei, ac ipſius quoque oſſis diſſcindit, ejuſque ſalem volatilem (qui magnâ copiâ ibidem reperitur) planè corrumpit; hinc & reliquam oſſis ſubſtantiam penitus exedit, exulceratque.

Corrumpitur quoque os, & Cariem contrahit, inquit Hildanus Cent. 4. Obſ. 95. ſi Oleoſa, Putrefacientia, & Acria Medicamenta fuerint applicita.

Adhæc ambiens aër denudato oſſi facilè Cariem adfert. Sed Aër licet maximè inimicus ſit denudatis oſſibus; tamen ut ab ipſo oſſa alterentur & corrumpantur, non ſemper ſequitur, præſertim ſi diligentem curam Cheirurgus circa vulnus vel ulcus adhibuerit, nec quicquam acre applicuerit, uti nos Praxis non ſemel docuit.

III. Signa verò Oſſis Corrupti varia ſunt. Enim verò oſſis corruptio facilè patet, ſi in propatulo id ſit, quia, ut ait Celſus lib. 8. cap. 2. quod vitiatum eſt, ferè fit pingue, dein flavum, poſt nigrum & inæquale. Atqui ſi lateat os, Cariem adeſſe judicant Cheirurgi, 1. ſi fiſtula præceſſerit, aut diuturnum ulcus adfuerit. 2. Quod ulcera talia ad cicatricem quidem perducantur, ſed paulo poſt iterum renoventur, rupta cicatrice. Humor namque & ſanies, quæ ex oſſe corrupto promanat, cicatricem erodit, ulcuſque renovat. 3. ſi caro ſuperſtrata fiat flaccida, ſpongioſa, pallida, livida. 4. Si ulceri ſpecillum ad os uſque immittatur, idque non glabrum, læve, & durum, ſed inæquale, aſperum, ac molle deprehendatur. 5. Si pus effluat copioſum, tenue, ac fœtidum. Addit Fallopius, ſi linamentum ſiccum in vulnus infigatur, ut os contingat, & amotum altero die valdè fœtеat, os corruptum arguere.

IV. Igitur oſſis Caries curationem ulceris impedit, nullumque ulcus perfectè ſanari poteſt, cui os corruptum ſubeſt. Inſuper ex oſſe ægrotante caro livida malum. Hipp. *Aphor. 2. Sect. 7.* Enimverò ut Galenus addit. in Comment. non mediocrem oſſium labefactationem, ſed inſignem corruptionem ſignificat. Porrò ſi prope partes nervoſas & tendinoſas, uti in manubus pedibuſque, vel in juncturis ac magnorum oſſium capitibus, oſſium Caries ſit, non facilè curatur, & ferè tendines parteſque nervoſæ ſimul corrumpuntur. Atque ſimiliter ſeſe res habet circa majores arterias, venaſque.

V. Cæterum præter Indicationes Curativas quas Ulcus præbet, oſſis Caries monet, id quod corruptum eſt, eſſe auferendum. Neque enim quod in oſſe emortuum eſt, corrigi & emendari poteſt. Sed ut tolli poſſit os corruptum, primò detegendum & denudandum eſt, ſi carne operiatur, ulcere dilatato vel per ſectionem, vel immiſſâ turundâ ex Radice Gentianæ aut Spongia præparata.

VI. Os verò corruptum ubi detectum fuerit, auferendum vel Cheirurgiâ, vel Medicamentis. Cheirurgiâ utendum, quando oſſis corruptio eſt profundior, aut quando celeriorem deſideramus curationem. Idcircò ſi Caries oſſis ſuperficiem duntaxat occupaverit, cumq; os detectum fuerit & carne nudatum; tum ſatis erit id abradere ad partem uſque ſanam: quod cognoſcitur, quando os album apparet, & aliquantulum cruentum. Quo facto oſſi imponatur Carpia Sicca, donec caro viva & laudabilis renaſcatur.

Sed

Sed quoniam ſeparatio oſſis corrupti à ſano ſolis medicamentis adhibitis non raró ſuccedit, hac oſſis abraſione ſemper opus non eſt. Verùm inſpergatur Pulvis ex validè ſiccantibus, & rodentem acrimoniam acidam mitigantibus; quæ idcircò ſuperfluas in oſſe carioſo rodentes humiditates abſumere, hinc & os corruptum à ſano ſeparare; ſanum verò à corruptione præſervare valent. Talia ſunt Radix Ariſtolochiæ Rotundæ, Iridis Florentinæ, Aloë, Myrrha, Sabina, Sarcocolla, Pumex Uſtus, &c. Inter hæc equidem ſummoperè laudandum cenſemus Euphorbium, quod multum ſalis volatilis, & quidem acerrimi, continet, cujus ratione citius os corruptum tollit, uti prolixius refert *Hildanus Cent.2. Obſervat. 92. Cent.4. Obſerv.96. Cent.5. Obſerv.22. Cent.6. Obſerv.3.* Item *libro de Ichore & Meliceria Celſi cap. 29.* ubi, inter alia hæc habet: „ Nonnulli oſſi carioſo Oleum Vi„ trioli vel Aquam Fortem applicant. Maxi„ mam enim exſiccandi vim habere referunt; „ quod quidem verum. Cariem tamen oſſis non „ corrigere, ſed partes adjacentes deſtruere „ obſervavi. Quapropter caveant ſibi Chirurgi, „ ne hujuſmodi medicamenta oſſi applicent; „ ſunt enim ſubtiliſſimarum partium, ità ut ad „ proximas partes longè lateque perfluant, & „ quæ ſana ſunt deſtruant. Requirit quidem os „ carioſum medicamentum, quod inſigniter ex„ ſiccet, ſed neceſſe eſt, ut ſimul ſit craſſarum „ partium, quale eſt Euphorbium, quod cariem „ oſſis corrigit, carnem tamen non adurit, aut „ inflammationem excitat; quapropter *Eo* etiam „ in pueris uti poſſumus.

Igitur ex ſimplicibus hiſcè medicamentis compoſita fiant, quæ vel formâ pulveris, vel additô Melle Roſaceo unguenti ſpecie applicentur. v. gr.

℞. Rad. Ariſtolochiæ Rotundæ, Iridis Florentinæ an. ℥ß. Euphorbii ℈ ij. vel ʒi. M. F. Pulvis ſubtilis. Ex quo, addito Melle Roſaceo, Linimentum confici poteſt, ope diſcerpti lintei oſſi corrupto applicandum.

℞. Rad. Ariſtolochiæ Rotundæ ℥ß. Sum. Abſinthii, Centaurii Min. an. M j. Fol. Sabinæ Mß. Coq. in Aqua pura ad ℥ x. Colaturæ add. Spir. Vini ℥ iij. Pulv. Aloës, Myrrhæ an. ʒiß. aut ʒ ij. Miſceantur pro Injectione.

Atque iſtiuſmodi medicamentorum uſui inſiſtendum eſt, donec os carioſum à ſano ſeparatum ſit.

VII. Docet tamen Marchette *Obſervat. 57.* quandoque à medicamentis validè exſiccantibus & oſſa adurentibus eſſe abſtinendum, quia illorum uſu nonnunquam prohibetur corrupti oſſis abſceſſio. Nimiâ enim exſiccatione alimentum oſſi nutriendo accedens ità abſumi putat, ut carnem ſupra os ſanum gignere nequeat, corruptum os extrudentem. Ab eo in caſu totum os corruptum ſcalpro potius abradi vult, donec ex ipſo ſanguis exſudet.

VIII. M. A. Severinus *Pyrotech. lib. 2. pag. 1. cap. 4.* de Carie Oſſis Curanda ſic ſcribit: „ Procurabimus oſſis abſceſſionem per exſiccan„ tia remedia valentiora, quæ teſtulas oſſis „ perinde, ut fermentando vehementi quadam „ facultate ſublevent & elidant, quale eſt Eu„ phorbium & ejus Oleum. Quæ ſi neque diu „ adhibita plurimum præſtiterint, nil melius, „ neque Medico generoſo dignius, quam cariatum os Ferro Candente perurere. Et ſanè ſi tanta ſit oſſis corruptio, ut tota medicamentis tolli nequeat, Cheirurgia opus eſt, vel Abraſione, ſi denudatum ſit os, levior que corruptio; vel, ſi profundior ea fuerit, Actuali Cauteriſatione os corruptum tollatur. Enim verò Ignitum Ferrum ſi oſſi carioſo admoveatur, acri-acidos ibidem ſuperfluos humores domat non tantum, ſed & exſiccando ità abſumit, ut ſeparatio corrupti oſſis à ſano brevi ſuccedat. Sed ne in uſtione hac caro vicina ſimul aduratur, ignitum ferramentum per cannulam immittatur, qua circumſitæ partes optimè defendantur.

At circa Actualam Cauteriſationem Joh. de Vigo in Chirurgia Parva hoc monet: „ ſi con„ tigerit corruptio in oſſe ſpongioſo, veluti „ eſt os calcanei, tunc remotio oſſis corrupti „ in illo loco non debet fieri cum igne, quia „ in oſſe ſpongioſo Cauteriſatio ignis raró facit „ ſeparare os corruptum ab incorrupto; quam„ vis in aliis corporis partibus egregia ſit me„ dicina.

IX. Cæterum aduſto per ferramentum ignitum oſſi Cheirurgi vulgò inſpergunt Pulverem aliquem Exſiccantem; ſed malè; potius namque imponantur Pinguia quæcunque, ut corruptum os eò citius ſeparetur & abſcedat. Factâ oſſis carioſi à ſano ſeparatione, ulcus carne replendum, & tandem cicatrice claudendum.

Interim tamen poſt cauteriſationem, ad inflammationem arcendam, & dolorem leniendum, partibus uſtioni vicinis imponatur Aqua Roſacea cum Ovi Albumine agitata, vel Oleum Roſaceum cum Ovi Vitello, vel Butyrum recens cum Melle Roſaceo. Verum de Oſſis Carie, & qua ratione ſit Curanda, legi meretur *Celſus libr. 8. cap. 2.* ubi præclarè hac de re agit. At de oſſium tibiæ & cubiti ad medullam uſque corruptione, inſpiciatur Scultetus *Armament. Chir. Tab. 27.* De ſcapula carioſa & curata, videatur Idem *Obſervat. 62.* Et *Obſerv. 81.* de tibia corrupta, ejuſdemque ferè uſque ad inferius caput ablatione, & curatione caſum refert lectu dignum.

De Ulcere Profundo, Sinuoſo, ſeu Cavernoſo.

I. Si verò pus aut ſanies diu in apoſtemate aut abſceſſu contineatur, atque acris ſit, vel ob moram talis evadat, cuniculos quaſi agit, & ſinum, Græcis κόλπον dictum, efficit: quale Ulcus Sinuoſum, Cuniculoſum, ſeu Cavernoſum dicitur; & à quibuſdam malè Fiſtuloſum nuncupatur, cum citrà calloſitatem ac duritiem ſit: Ulcus namque Fiſtuloſum ſemper eſt cum duritie ac calloſitate.

Eſt igitur Sinuoſum ſeu Cavernoſum Ulcus, cujus orificium anguſtum, & profunditas magna, ſimul & occulta; quodque multos anfractus ſeu cuniculos hinc inde extenſos, citrà tamen duritiem ac calloſitatem, habet.

II. Sunt autem plures Sinuum ſeu Cuniculorum Species ac Differentiæ, quæ ſumuntur in primis à cavernarum magnitudine, ſitu, numero, figurâ: ſic alii ſinus ſunt breves, alii profundi & altè penetrantes: alii ſurſum,

alii deorſum, vel ad latera tendentes; alii ſimplices, alii duplices, vel triplices; alii recti, alii flexuoſi, &c.

III. At Sinuoſum ſeu Cavernoſum redditur Ulcus à ſanie aut pure, quod acrem ac erodendi facultatem, ob longam in parte affecta moram, contraxit. Quoties enim in abſceſſibus pus diutius moratur, ſive quod tardius aperti, ſive quod negligentius expurgati fuerint, morâ longiore corrumpitur, vicinaſque carnes exedit; hinc Ulcus fit Sinuoſum, Cavernoſum.

IV. Cæterum ſinuoſum ſeu cavernoſum ulcus eſſe dignoſcitur, quod foris parvum appareat, & anguſtum habeat orificium, atque major puris copia excernatur, quam pro ulceris magnitudine: inſuper ex blanda plumbei ſpecilli vel cereæ candelæ intromiſſione haud difficulter ſinus percipiantur, eorundemque differentiæ deprehendi poſſint.

V. Curationis ſcopi ſunt, ulcus replere, agglutinare, cicatrice obducere. Sed quoniam cavitas carne impleri nequit, niſi mundum prius & diligenter deterſum ſit ulcus; in primis id fiat detergentibus Injectionibus. Pus facilè evacuatur ſinu declivi, acclivi verò difficillimè. Tum, ſi fortè ſinus non admodum magnus ſit & profundus, forcipe aut cultello ſecundum ulceris longitudinem tota cutis incidatur, atque ità totum ulcus aperiatur. Sic enim fiet, ut liberè pus effluat, & facilè ulcerata pars repleatur. Quod ſi commodè fieri non poſſit ob vicina vaſa, adjacenteſque partes nervoſas, aut ſinus ſit valdè profundus; aperiatur in fundo, ut ſic ſanioſa materies per utrumque orificium liberè exire queat.

Quod ſi conſtitutio partis affectæ non permittat, novam inciſionem fieri, exprimente ligaturâ puris excretio erit molienda: ſinus propè fundum arctè ligandus & comprimendus; at orificium verſus ligatura paululùm relaxanda, ut hoc modo pus veluti elidatur.

Felicem ſinuoſi ſimul ac periculoſi ulceris curationem licet videre Valleriolam *Obſervat. Med. lib.5. obſerv.1.* & aliam *obſerv.7.* Sed plura quæ de Ulcere Sinuoſo ſeu Cavernoſo forent addenda; palam fient ex iis, quæ de Fiſtulis nunc ſumus dicturi.

De Oculorum Ulceribus.

I. Perpenſis Ulceribus in genere, haud abs re erit, in ſpecie de partium præcipuarum ulceribus quædam ſuperaddere. Inter has Oculi partes ſanè noſtri corporis haud ignobiles, Ulceribus nonnunquam infeſtantur. Atqui quæ in Adnata vel Cornea Tunica excitantur Ulcera, auctore *Celſo lib. 6. cap. 6.* ex puſtulis interdum fiunt, aut ab ictu, percuſſione, medicamentis acribus, aut ab acri affluente lympha, quæ membranas ſeu tunicas, nec non tenerrima illarum vaſcula erodens, inflammationem prius excitat, quam & exulceratio non rarò ſequitur.

II. Hæc verò Ulcera variis nominibus à Paulo Ægineta, & aliis appellari conſueverunt. Quod enim cavum, anguſtum, durum eſt, βόθειον ſeu *Foſſula* dicitur. Sed latius & minus profundum ſi extiterit, κοίλωμα nuncupatur. Quod in Iridis circulo externo exortum ambientia quoque comprehendit, variique coloris eſt, & circa externam Iridis partem rubicundum apparet, circa internam candidum, quibuſdam ab albedine ἀργεμὸν dicitur, nonnullis *Ulcus Coronale* vocatur, Quod denique profundum, ſolidius, àſperum, & quaſi cruſtoſum eſt, ἐπίκαυμα καὶ ἔγκαυμα vocant. Avicenna ſeptem differentias enumerat: quatuor ſuperficiarias, & tres profundas; quæ ſaltem ratione magnitudinis, & quod ulcus aliud latius, aliud anguſtius, aliud ſuperficiarium, aliud profundum eſt, diſcernuntur.

III. Cæterum magnitudo & figura Ulceris in Oculo viſui ferè patet. Atque in Tunica Cornea ſi ulcus conſiſtat, puſtula præceſſit alba, & ulcuſculum album apparet in nigro oculi. Si verò Adnata Tunica ſit exulcerata, punctum ſubrubicundum in albo oculi conſpicitur, ob ſanguinem eroſis hujus tunicæ vaſculis extravaſatum.

IV. Sunt porrò omnia Oculorum Ulcera periculoſa, & non rarò cæcitatem inducunt; in primis quum cornea tunica ità eroſa ſit, ut aqueus humor, nonnunquam etiam cryſtallinus corruptus effluat. Inſuper periculoſius ſemper eſt ulcus corneæ tunicæ, quam adnatæ: præſertim ſi è regione pupillæ conſiſtat; quod poſt ſanatum hujuſmodi ulcus opaca plerumque relinquatur cicatrix, quæ viſionem lædat.

V. Quoad Indicationes Curativas; ut aliarum partium ulcera, ità quoque Ulcus in Oculo indicat, ſolutam unitatem eſſe uniendam; ſi quid imminutum, id regenerandum, & locum cicatrice claudendum eſſe. Igitur univerſalibus (viz. Venæſectione, Purgatione, Cucurbitulis, Veſicatoriis) haud neglectis; Topica Oculo ſunt imponenda Detergentia & Exſiccantia. Verum Inflammatio ſi ulceri huic adſit, inter duo tenuia linteamina calidè imponatur hoc vel ſimile Cataplaſma, ac identidem renovetur:

℞. Pulpæ Pomorum Dulcium repurg. ℥ vi. Coq. in Aq. Roſacea & Fœniculi ad mollitiem, hinc contritæ add. Mucilag. Seminis Fœnigræci ℥ii. Albumina duorum Ovorum. Cort. Granator. ſubtilit. pulv. ʒii. Lap. Hæmatit. exactè triti ʒj. Lactis Vaccini rec. q. ſ. F. S. A. Cataplaſma.

Interim Deſiccantia & Detergentia blandiora ipſi oculo admovenda; qualia ſunt Sarcocolla, Aloë, Tutia Præparata, Corallium Præparatum, Saccharum Candum, Aqua Chelidonii Maj. & ſimilia. Ex quibus Collyrium fiat abſtergens oculo inſtillandum v. gr.

℞. Aq. Chelidonii Maj. Euphraſiæ, Roſarum an. ℥j. Troch. Alb. Rhaſis ſubtilit. pulv. Tutiæ Præparat. an. ʒß. Sacchari Cand. ℈ij. Miſceantur.

Vel, ℞. Aq. Roſarum ℥iß. Euphraſiæ, Chelidonii Maj. an. ℥i. Mellis Virginei Deſpumati ℥ß. Miſceantur pro Collyrio: cui pro re nata Fel Lucii Piſcis addi poteſt.

Collyrii loco majori oculi angulo inungatur, nec non ipſi ulceri bis quotidiè imponatur Unguentum Exſiccans & leniter Abſtergens. ex. gr.

℞. Tutiæ præpar. Nihili Albi an. ʒ ii. Corall. Rubr. præparat. Margaritarum præpar. an. ʒi. Camphoræ ℈ß. Unguenti Roſacei ℥ii. aut ℥iß. Terantur exactè in mortario, pro Unguento.

℞. Bu-

♃. Butyri Rec. exactè loti ʒß. Tutiæ Præparat. ℈iv. Vitrioli Alb. gr. viii. F. S. A. Unguentum.

Atque horum remediorum uſui inſiſtendum, uſque dum ulcus mundum & ſufficienter deterſum ſit. Dein ut cicatrix inducatur Collyrium hoc laudat Barbette:

♃. Plumbi Uſti, Sarcocollæ, Sacchari Saturni, Sief Albi Rhaſis an. ℈ß. Aq. Roſaceæ ℥iv. Miſceantur ſimul pro Collyrio.

VI. Sed ſanatis ulceribus hisce, non rarò in Cornea Tunica relinquitur Alba & Eminens Cicatrix, quæ nonnunquam Corneam totam, vel ex parte ſolummodo tegens, viſionem vel tollit, vel imminuit, aut depravat.

Curationem hujuſmodi craſſarum, denſarum, calloſarum, ac inveteratarum cicatricum nequaquam tentari vult Aëtius; cùm non niſi Collyriis acerrimis, partes oculo vicinas exulcerare potentibus, tolli queant. Superficiariæ verò, & minores aliquam curationem ſuſcipere poſſunt, præſertim in pueris & adoleſcentibus In quarum curatione Rhaſes vult, ut Aquæ Dulcis tepidæ aut calidæ vapor oculo excipiatur, donec oculus rubeat. Vel,

♃. Rad. Altheæ, Liliorum Albor. an. ℥ij. Fol. Malvæ, Violariæ an. Mj. Sem. Fœnigræci ℥j. Fiat Decocto in ſ. q. Aquæ Puræ; ejuſque decoctionis vapor oculo excipiatur.

Remedia autem Detergentia, quæ leniter attenuare & diſcutere poſſunt, ſunt fel Caprinum vel Lucii piſcis, mel deſpumatum, ſaccharum Candum, Vitriolum album; ſuccus Chelidonii majoris, ſuccus rutæ, ſuccus fœniculi, ſuccus cerefolii, &c. Ex quibus Collyria, unguenta, vel pulveres pro re nata præparari poſſunt. Præſtat tamen medicamenta oculorum maculis & cicatribus ſub formâ pulveris admovere v. gr.

♃. Tutiæ præpar. ſacchar. Cand. albi an. ʒi. Vitriol. alb. gr. iv. Camphor. gr. ij. Corall. alb. præpar. ℈ß. M. F. Pulv. ſubtiliſſ. quotidie bis terve oculo inſpergendus.

Sed hujuſmodi albicantes corneæ tunicæ inhærentes maculas, cicatriceſvè ſæpius ſanatas & penitus ablatas vidimus, ſaccharo Cando albo in impalpabilem pollinem redacto, identidem oculo inſperſo.

VII. Verùm & aliquando contingit, purulentam materiem ſub Cornea Tunica ante Pupillam, prope humorem Cryſtallinum colligi, ſic ut viſio planè impediatur; qui affectus Græcis *Hypopyon* nuncupatur. Fit verò Hypopyon, ſeu oculus purulentus, dum tumor ſive corneæ, ſive Uveæ in abſceſſum degenerat, ut materia purulenta ibidem conſiſtat.

Si igitur pus inter Corneam & Uveam contineatur, exactiùs illud conſpicitur, & affectus oculus ſano eminentior apparet. Hoc autem pus ſi per cataplaſmata, fomenta, & collyria leniter diſcutientia reſolvi nequeat, alia tentanda ſunt remedia. Galenus & Aëtius narrant, Medicum quendam Romæ capitis concuſſione, pus loco ſuo dimovere ſolitum, ne viſioni obeſſet; id tamen ſæpiùs fruſtrà à ſe tentatum, ſcribit *Jobus Meekeranus.*

Aëtius acu oblique, ſive à latere immiſsâ, pus per puncturam corneæ educit, tum albumen ovi inſtillat, ac dein ovum integrum cum vino mulſo conquaſſatum & molli lanâ exceptum oculo imponit. Sed quo modo illa corneæ apertio, ac purulentæ materiæ evacuatio ſit facienda; & quid porrò ad hanc operationem requiratur, videatur apud *Jobum Meekeranum obſerv. Chir. c. 9.*

De Aurium Ulceribus.

I. Aliquando quoque in Auribus, haud ſecus ac aliis in partibus, excitantur Ulcera, eaque ſunt vel apparentia & viſui expoſita, vel occulta ac in profundiore Auris parte ſita: iterum vel recentia, vel antiqua, vel cum pauca, vel cum multa ſanie.

Fiunt autem in Auribus Ulcera, vel ab Externis Cauſis, vel ab Internis. Enimverò caſus, percuſſio, vulnus hîc eodem modo, quo in cæteris partibus Inflammationem, dehinc Abſceſſum, tandem Ulcus excitare queunt. Interdum quoque à diù in meatu auditorio retento Cerumine amaro & viſcoſo, ibidemque ob ſalinam oleaginoſitatem putreſcente, hujuſmodi Ulcus procedit. Denique acres, pungentes, mordicantes, parteſque Auris interiores exulcerantes humores in cauſa non rarò ſunt. Communiter verò hîc obſervamus, magnam materiæ quantitatem inde profluere, & difficulter admodum hujus partis Ulcera ſanari, ea in primis, quæ ſunt in meatus auditorii parte oſſea. Quantitas autem materiæ non ſolùm à ſanguine venit, qui ſuppuratur; ſed etiam ex tunicæ meatum auditorium ſuccingentis glandulis, quæ à Pure continuò irritatæ, magnam liquoris quantitatem è canaliculis ſuis excretoriis emittunt.

II. Quoad *Diagnoſin*: horum ulcerum Signa ſunt ſatis manifeſta; cum ex dolore, ardore, punctione, pruritu, ſanie vel pure ab illa parte emanante, in cognitionem devenire poſſimus; & ſi ſanies copioſa effluat, ſordidum ulcus: ſi tenuior, virulentum: ſi fœtens, putridum indicat; ſique nonnunquam poſt ſaniem aliquid ſanguinis emanet; corroſivum ulcus arguit. An vero ab externis, aut ab internis cauſis hujuſmodi ulcus fuerit excitatum, ex Ægrotantis & adſtantium quærelis, aliiſq; circumſtantiis facilè innoteſcet.

III. Cæterum Recentia Aurium Ulcera facilius, at Inveterata difficilius ſanantur. Difficultas autem ſanandi hæc ulcera inde eſt, quod ſemper à liquore ex meatum auditorium ſuccingente glanduloſa membrana profluente humectentur, adeoque ſiccari nequeant; quo fit, quod materia, è glandulis hiſce profluens, acris quippe & ſalſa, reunionem partium & cicatricem impediat. Difficilius quoque ſanantur ulcera in meatus auditorii parte oſſea, quàm in parte cartilaginea, quia oſſeus canalis verſus tympani membranam declivis eſt, & ubi in planum deſcendit, foſſam efficit notabilem, ex qua purulenta materies non niſi difficulter eximi poteſt; cum è contrario meatus cartilagineus concham verſus ſit declivis, hinc & quævis excrementitia materia ſtatim ejiciatur.

IV. Ad *Curandi Methodum* quod attinet; Aurium Ulcera quamvis interdum per ſe ſanentur, poſt cohibitum puris effluxum; plerumque tamen artis auxilio egent. Et quidam, univerſalibus haud neglectis, ſanies erit detergenda, ulcuſque exſiccandum, à levioribus ſemper incipiendo; & quanto recentius fuerit

ulcus, tanto tutius abſterſione & exſiccatione curatur. Eum in finem eluatur auris *Vino calente*. Atque Injectiones fiant Detergentes, ex Urina Pueri, aut Hydromelle, aut aqua Hordei cum Melle Roſaceo; & ſi fortioribus opus ſit, fiant Decoctiones ex ariſtolochia, agrimonia, Centaurio, & ſimilibus in Vino albo, quibus miſceatur Mel Roſarum. v. gr.

℞. Rad. Ariſtolochiæ Rot. ʒiii. herb. agrimoniæ Miß. Sum. Abſynthii, cent. Min. an. Mi. coq. in. ſ. q. Vini Albi ad ʒxii. colaturæ admiſceatur Mellis Roſacei ʒiß. M. pro Injectione; cui ſi ulcus putridum ſit & valdè ſordidum, addi inſuper poteſt Fel Bubulum, vel aloë cum Spiritu Vini, aut ſimile.

At verò Pinguia omnia & Oleoſa vitanda ſunt, quippe quæ aurium ulcus ſordidius indies reddunt.

Galenus teſtatur, ſe hujus generis ulcera inveterata ſanaſſe cum Ferri Scoria in pulverem redacta, hinc cocta cum Aceto acerrimo, quoad mellis acquirat conſiſtentiam. Etiam putredinem, qua hæc ulcera ſæpè diffluunt, emendare & ſiccare valet Fel Bubulum in forti Aceto diſſolutum, ac tepidè inſtillatum.

Valeſcus de Taranta ſequens ex Haly commendat, & ſcribit, ſe eo Presbyterum, qui aurium ulcere & ſanie octo annos laboraverat, ſanaſſe;

℞. Mellis ʒx. Aceti ʒi. Coq. leviter & deſpumentur, dein add. Viridis Æris ʒi. Miſceantur, & cum tutunda auri impone.

De Narium Ulceribus.

I. Poſt Oculorum, Auriumque Ulcera, proximum eſt, ut ad Narium Ulcera accedamus, & quæ inde oriantur ſymptomata perpendamus. Igitur Narium Ulcerum plures occurrunt Differentiæ. Alia enim à Cauſis oriuntur Externis; ab ictu viz. caſu, vulnere. Alia ab Internis; ab humoribus puta acribus, malignisvè: ſive ii è toto ſanguine ad Nares ferantur, ut fit in Lue Venerea; ſive à cerebro, aut à craſſa pituitaria membrana eò expellantur.

Adhæc Narium Ulcera in ſe conſiderata alia recentia ſunt, alia inveterata; atque hæc etiam vel cruſtoſa ſine ſanie, vel ſordida, vel putrida ac virulenta, vel corroſiva, vel fiſtuloſa, vel cancroſa. Denique quoad partem affectam; alia externa ſunt & oculis expoſita; alia interna; in intima narium parte, vel in oſſe ethmoide.

II. Signis verò diſcernenda ſunt hæc ulcecum inter ſe, tum ab aliis narium affectibus. Recentia enim ulcera non rarò néc acrimoniâ, nec dolore ſeſe produnt; nares tamen plerumquè ichore ſanguineo madent, aut cruſta ſicca, vel nigra emungitur. Dum autem cruſtula diutius hæret, perpetuò ſub ea aliquid exeditur, quod ulcus majus efficit. Vetuſtius tamen & putridum ulcus, quod Ozæna vulgò nuncupatur, fœtorem emittit talem, ut Æger tum ſibi, tum aliis tetri ſpiritus vapore admodum moleſtus ſit. Et ſi diutius duret, paulatim ſerpit longius, atque vel alas narium, vel tenella oſſa exedit, paulatimque perforat, præſertim ſi vel cancri ſpeciem habeat, vel à lue venerea contractum ſit.

III. Igitur Narium Ulcere fœtorem ferè ſpirantia, Ozænæ dici conſueverunt, ἀπὸ τοῦ ὄζειν. Ozænæ, ut inquit Celſus lib. 6. cap. 6. ſunt ulcera circa nares plures cruſtas & fœtidum odorem habentia. Et Ægineta lib. 3. cap. 24. inquit, Ozænam eſſe ulcus carioſum ac putridum, ex acrium humorum alluvie prognatum. Poſſumus ergò & nos dicere, Ozænam eſſe Narium Ulcus profundum ac putridum, ut plurimum cruſtoſum, fœdumque odorem ſpirans.

IV. Quoad Cauſam Ozænæ; Galenus lib. 3. „ de ſimpl. med. comp. 3. ait: Ozænæ ex hu„ morum acrium, & putrilaginoſorum influxu „ gignuntur; non ſi humor ſaltem acris eſſet, „ ægrè curabilia ulcera produceret, non gra„ veolentia. Galeno ſubſcribunt Alexander Trallianus & Aëtius. Eſto igitur Proxima Ozænæ Cauſa humor acri-ſalinus, ac erodens, qui ipſa quandoque oſſa, & maximè cartilagineum narium interſtitium corrumpit, ſicque faciem miſerè deformat. Hic autem acris malignus humor, cujus influxu hujuſmodi putridum ac cruſtoſum, nec non graveolens Narium Ulcus, Ozæna puta, generatur, vel à Venerea Lue procedit: vel ab acribus ferinisque Catarrhis è cerebro, aut ex membrana pituitaria eò ſtillantibus; quibus propter acrimoniam corruptio facilè accedit, unde putridum ac graveolens hoc ulcus evadit. Adhæc oritur quandoquè hic affectus à Suffumigiis è Mercurio & Cinnabare incautè adhibitis; cujus rei tres quatuorvè hiſtorias recenſet Fabritius *Hildanus cent. 2. obſerv. 23.*

V. Cæterum Externa Narium Ulcera oculis conſpiciuntur; Interna autem & Occulta ex effluente ſanie & cruſtis decidentibus cognoſcuntur. Munda porrò, ex ſanie laudabili: ſordida, ex craſſiore: putrida, ex fœtore: corrodentia, ex ſanguinis cum ſanie effluxu: cancroſa, ex præſentibus cancri ſignis cognoſcere licet.

In ſpecie verò Ozæna cognoſcitur ex effluente ſanie, & decedentibus cruſtis; Laborans præterea non ipſe ſibi graveolet tantum, ſed & adſtantibus tetri ſpiritus contagio moleſtus eſt.

VI. Sunt quoque Narium Ulcera curatu plerumque difficilia, ob humiditates viz. tum ex cerebro, tum ex pituitaria membrana, continuò ad partem hanc defluentes; & quo magis vel minus inveterata, eò curatu faciliora erunt, vel difficiliora. Celſus de Ozænâ „ verba faciens inquit: ſciri quidem debet, „ vix ei malo ſuccurri, nihilominus tamen „ quædam tentanda ſunt, quanquam curatu „ ſit difficile. Porrò tametſi narium ulcera externa, ſuperficialia, recentia, munda, facilius curentur; occulta tamen, profunda, antiqua, immunda, cruſtoſa, fiſtuloſa, narium oſſibus communicata, difficulter: putrida verò, corrodentia, cancroſa, periculoſa plerumque exiſtunt.

Etiam Narium Ulcera & Ozænæ, ſi omnibus rité adminiſtratis non curentur, pro deſperatis non ſine ratione haberi ſolent; quia ſuſpicio eſt, ne in cancrum talia degenerent, quem ſatius eſt, non attingere.

Inſuper pro deſperatis hæc ulcera haud immeritò habentur, quando oſſa narium tenel-

la exedunt, vel narium alas, earumque interſtitium magnâ deformitate putrefaciunt, & exeſum palatum perforant; præſertim ſi à lue venerea fuerint ortâ, quod ut plurimum evenit.

VII. Sunt denique eædem in Narium Ulceribus Curandis Indicationes, quas aliarum partium ſordida ulcera exigunt. Viz. totius corporis primò habendam eſſe rationem, & humores in toto ſuperfluos evacuandos. Et quoniam vel à Lue Venerea, vel ſaltem ab acribus & ferinis Catarrnis profundum, cruſtoſum, fœtidumque narium ulcus ut plurimum procedit; hinc in primis peccantes humores Medicamento conveniente è toto corpore iteratò expurgandi. Dein Vena in brachio ſecanda. Cucurbitulæ per intervalla ſcapulis nunc ſiccæ, nunc cum Scarificatione applicandæ. Nec non Setaceum ad tertiam colli vertebram pro majore acrium humorum diverſione adhibendum. At interim caput, impoſitâ ei Cucuphâ, & Fiſtulâ Tabaci fumiſuctione ſumptâ, ſimilibuſque exſiccandum, roborandum.

VIII. Verùm ſi omnibus hiſce ritè adminiſtratis, nihilominus tamen non curetur affectus, quin potius recrudeſcat, Curatio inſtituenda, qualis in Venerea Lue inſtitui ſolet. Utatur Patiens Decocto Sudorifero, ex Ligno Guajaco, Corticibus Ejuſdem, Salſaparilla, China, Turbith, Hermodactylis, Foliis Betonicæ, Majoranæ, Salviæ, Liquiritiâ, ſimilibus. Et porrò in omnibus ſeſe gallici morbi curæ ſubmittat.

IX. Sed ad partem affectam, Nares puta, quòd attinet: ulceri cruſtæ prius ſunt auferendæ; quod fit aliquo pingui, v. gr. Butyro Recenti ac Loto illito: Celſus Mel cum tantillo Therebinthinæ in nares immittit, & ſpiritu ſuccum attrahere jubet, donec in ore guſtus ejus ſentiatur: ita enim cruſtæ reſolvuntur; quæ dein per ſternutationem haud difficulter ejici ſolent.

Cruſtâ remotâ Ulcus eluatur Vino, in quo Mel coctum ſit; vel Vino Decoctionis Agrimoniæ & Verbenæ, cum Melle. Vel, ſi nimis ſordidum ſit, ad abſterſionem ejus & exſiccationem adhibeatur Unguentum Apoſtolorum; aut Ægyptiacum, cui parum Succi Tabaci admixtum ſit.

Dein aliquamdiu ſequens Medicamentum naribus injiciatur, ac filamenta eidem imbuta imponantur:

℞. Sem. Cydoniorum groſſo modo contuſ. ℨi. Aq. Plantaginis, Roſarum, Spermatis Ranar. an. ℥ii. Maneant in Infuſione per horas in loco calido. Dehinc expreſſioni mucilaginoſæ add. Mell. Roſarum ℥i. Pulv. Corall. Rubr. Præpar. C. C. uſti & Præpar. Tutiæ Præp. Lapid. Calaminar. Præpar. Nihili an. ℨi. Miſceantur. vel immittatur hoc, aut ſimile Unguentum.

℞. Plumbi uſti & Præpar. ℈iiß. Pulv. Aloës, Myrrhæ an. ℈ii. Unguenti Nutriti ℨiii. Albi Camphorati ℨii. ol. Roſacei. q. ſ. Diu terantur in Mortario Plumbeo, & F. S. A. Unguentum.

Nonnulli comendant Aquam Plantaginis, in qua diſſolutum eſt aliquid Mercurii Dulcis, cum petiis ulceri admovendam.

Etiam Succus ſcarleæ Melli Roſaceo mixtus valdè hic prodeſſe dicitur. Platerus ſequens laudat Unguentum:

℞. Ceruſæ ℥i. Tutiæ Præparatæ, Lithargyri an. ℥ß. Plumbi uſti ℨvi. Pulv. Myrrhæ, Ariſtol. Rot. an. ℨii. ol. Roſarum, Omphacini, Succi Plantaginis an. ℥ii. Agitentur diu in Mortario, & F. S. A. Unguentum.

Barbette hoc valdè extollit:

℞. Plumbi uſti, ceruſæ Lotæ, Tutiæ præparatæ, Lithargyri an. ℨii. cort. Thuris ℨi. Myrrhæ, ariſtol. Rot. mercurii Dulcis an. ℨß. Unguenti fuſci Fel. Wurtzii ℨiii. alb. Camphorat. q. ſ. M. F. S. A. Linimentum.

Uti & hoc Fabritius Hildanus:

℞. Succi Geranii, Solatri, Sempervivi maj. an. p. æq. Lithargyri, Plumbi uſti, ceruſæ, Lapid. Calamin. an. ℨii. Indantur in mortarium, affuſo cochleari olei Roſacei, & Succi ſuperioris alternatim, probè agitando, donec in Unguentum coëat, quo turundæ illitæ Naribus indantur.

Conducit & hic Aqua Aluminoſa ſeu Mercurialis vel ſola, vel diluta cum petiis prudenter uſurpata.

Præſtans quoque eſt aqua Viridis Hartmanno uſitata, quæ non tantum in Ozænis, ſed in omnibus Ulceribus Fœtidis Narium, Palati, Uvulæ, Gingivarum, & Linguæ mirificè valet. Cujus hæc eſt deſcriptio:

℞. Mellis Roſacei ℥ii. Sulph. Vivi, Aluminis crudi, Æruginis an. ℥i. albi græci, Sabinæ an. ℨß. Flor. Sambuci ℨi. Fol. Plantaginis, hyperici, Pulegii, Roſmarini, rutæ an. Mß. coq. in Vini & aquæ lib. ii. ad caſum tranſverſi digiti. Aſt notandum, quod Ærugo non ſimul coquatur, ſed in fine addatur, & relinquatur donec refrixerit; poſtea coletur & uſu ſervetur. Viz. ejus aliquid in cocheari calefiat, tum intingatur penicillum, eoque locus ulceratus attingatur.

X. Gulielmus Rondeletius Pr. lib. 1. cap. 65. In Ulceribus Narium poſt ſufficientem deterſionem nihil efficacius ſe inveniſſe ſcribit Suffitu, qui partes illas profundas attingit & ſiccat. Parandus autem ex potentiſſime ſiccantibus hoc modo;

℞. Ladani puri, Hypociſtidis, Maſtichis, myrrhæ an. ℨiii. Styracis Rubr. & calam. cort. Thuris, Sandarachæ, auripigm. an. ℨii. Excipiantur omnia Therebinthinâ, & F. Trochiſci, quibus ſuffiatur Æger ſerò & manè in cubiculo, atque ſuffitus naribus infundibuli ope excipiatur.

Optimum etiam eſt parare Candelas ex cerâ Rubrâ: etenim ob cinnabarim, cum qua hæc cera conficitur, fuligo iſtiuſmodi candelæ plurimum juvat exſiccationem; ſi præſertim accendatur in cubiculo benè clauſo & anguſto. Quod autem fuligo accenſæ candelæ cum inſpirato aëre excipi ſoleat, experimur, cùm diutius in ſtudiis moram trahimus noctu; namque ſputum & narium excrementa fuligine denigrata redduntur. Dein addit: hac ratione nos ulcus curavimus, quod neque ab Italis, neque à Gallis curari potuerat.

Suffitus ſequentis Pulveris (inquit Barbette in Chirurgia) prunæ impoſiti multa præſtat, modò cautè, & non niſi ſemel, aut ad ſummum bis quotidiè uſurpetur, ne ſalivatio excitetur:

℞. Benzoini, Sandarachæ, Maſtichis, Thuris, Styracis an. ʒ i. Cinnabaris Factitii ℥ ß. M. F. Pulvis, pro Suffimigio.

Quæ porrò in inveteratæ ozænæ curatione ſunt obſervanda, videri poſſunt apud *Scultetum Armament. Med. Chirurg. tab. 37.* Hiſtoriam ozænæ graviſſimæ cum oſſis palati eroſione ſanatæ refert *Hildanus Cent. 2. Obſervat. 22.* Exemplum quoq; naſi ulceris, apicem illius depaſcentis, feliciter curati, habetur apud *Platerum lib. 2. Obſervationum.*

De Labiorum Ulceribus, & Fiſſuris.

I. Nonnunquam & Labia occupant Ulcera cruſtoſa, ſæpè quoque Serpentia, orta ab humoribus bilioſis, acri-ſalinis, & quodammodo glutinoſis, qui miſerè hujuſmodi exulcerationibus Labia inquinare & corrumpere ſolent.

Talia ulcera nonnunquam per modum criſeos in febribus intermittentibus contingunt, atque febris ſolutionem indicant. Sæpè etiam abſque criſi ab humoribus vitioſis è toto corpore eò protruſis ortum habent. Vel à gallica lue proveniunt.

II. Hujuſmodi autem Labiorum Ulcera oculis obvia ſunt: cauſæ vero ſignis inveſtigandæ. Si per Criſin accidant, febris adeſt. Si à Morbo Gallico, is etiam ſuis ſignis ſeſe prodit. Si & febris & luis venereæ ſigna abſint, ex latente in corpore Cacochymiâ ortum habent.

III. Cæterùm labiorum ulcera ſi in febribus cum coctionis ſignis appareant, plerumque bonum ſunt ſignum, atque febris perfectam ſolutionem, vel imminutionem ſignificant, ac per ſe facilè ſanantur. Sed cùm viribus debilibus, aliiſque malis ſignis, ſi os & labra exulcerentur, ſæpè lethale eſt. Etiam curatu difficiliora & pejora ſunt, quæ à morbo gallico proveniunt.

IV. Igitur in febribus Labiorum Ulcera ſi critica ſint, per ſe facilè ſanantur. At à lue venerea quæ oriuntur, curanda ſunt ut venerea lues; curatione ſcil. inſtituta per Salivationem, Decocta Sudoriferâ, & ſimilia. Talium ulcerum curatorum exemplum habetur apud *Foreſtum Lib. 14. Obſerv. 2.* ubi ſcribit, ſe Juvenem (qui ex lue venereâ labia ulcerata, inflata, nigra, tumida, dura, carcinomatis inſtar, habuit) curaſſe univerſalibus ad morbum venereum, & pannò hac Decoctione imbuto labiis appoſito;

℞. Ligni Sancti p. ij. Bulliat in pinta una Aquæ Solatri, dein coletur, & colaturæ add. Aluminis ʒ i. iterum ſimul ebulliant, & colentur, ac colatura detur uſui.

Si verò ulcera hæc abſque febre & morbo gallico oriantur, ab humoribus nempe vitioſis acribus, è toto corpore eò protruſis; Univerſalibus uſurpatis, & Diætâ conveniente haud neglectâ, adhibeatur Unguentum de Ceruſſa, vel Album Camphoratum, vel Nutritum, aut ſimile. v. gr.

℞. Unguenti Roſacei, Nutriti, Albi Camphorat. an. p. æq. Terantur diu in Mortario Plumbeo, donec Linimentum evadat.

Quod ſi tale ulcus exſiccari non poſſit, tangatur Aquâ Aluminoſâ Fallopii, deſcriptâ Cap. de Ulceribus Venereis. Aut prudenter uſurpetur Aqua Viridis Hartmanni; vel vulgaris Aqua Mercurialis ſeu Aluminoſa, quæ Vino Gallico & Aquâ Plantaginis diluta frequenter admoveatur.

V. Atqui cutis cùm carni in labiis connexa ſit tanta tenuitate, tantâ ſubtilitate, ac teneritudine, ut, niſi labris laceratis, ab iis ſeparari non poſſit; hinc facilè à cauſis externis, ventis, frigore; ut & internis, humoribus puta & vaporibus ſalſis & acribus, vitiantur, finduntur, & ità ſcinduntur, ut interdum etiam ſanguinem fundant. Vitium hoc Græci *ῥαγάδας*, Latini *Fiſſuras* ſeu *Sciſſuras Labiorum* vocant. Quæ ſanè non planè ſunt negligendæ: namque turpitudinem pariunt, atque in cruſtoſa & difficulter curabilia ulcera quandoque degenerant.

VI. Solent verò haud difficulter ſanari Labiorum Fiſſuræ, inuncto Candelarum Sevo: vel inungatur Unguentum Roſatum, aut Pomatum: vel fiat Litus ex Recenti Axungia Gallinæ, & Cerâ Albâ, Aquâ Roſaceâ ſæpius lotis.

Aetius Ovi Pelliculam Internam fiſſuras labiorum agglutinare tradit.

Sed ad Labiorum ut & Mammarum Fiſſuras admodum conducit Sevum Hircinum liquatum in Aqua Roſacea, ſi pars affecta eò illinatur. Etiam utile eſt Oleum è Vitellis Ovorum recenter expreſſum; uti & Oleum Ceræ ſine fuco recenter deſtillatum. Vel quod ſequitur:

℞. Butyri Inſulſi ℥ i. Ceræ Flavæ ℥ ß. Liquatis admiſceatur Succi Uvarum Cærulearum recentis q. p. F. exinde S. A. Globulus, quò labia fiſſa oblinantur.

De Ulceribus Oris.

I. Præter Ulcuſcula quæ in internis Oris partibus oriuntur, illarumque ſuperficiem depaſcunt, & Aphthæ vulgò nuncupantur, (de quibus verba facere nunc animus non eſt) in Ore, Faucibus, aliiſque intrà Os contentis partibus Serpentia non raro obſervantur Ulcera; quæ Aphthas Exulceratas nonnunquam ſequuntur; aliquando poſt Inflammationes & per ſe, ut in aliis partibus, ex affluxu vitioſorum humorum fiunt; quemadmodum & in Gallico Morbo excitantur.

II. In Ulceribus hiſce Curandis, quoque totius corporis habenda erit ratio per Purgantia identidem exhibita, quandoque Venæſectiones, &, ſi malignitas adfuerit, Decocta Sudorifera, Antivenerea, quæ hîc magni uſus ſunt.

Externa Media etiam hîc Abſtergentia ſint, atque Siccantia. Quem in finem Barbette hanc Oris Collutionem valdè extollit:

℞. Fol. Quercus Mj. Flor. Roſarum, Balauſtiæ an. p. i. Cort. Granator. ʒ ij. Alum. Uſt. ℈ ij. Vitriol. Alb. ℈ ß. Coq. in ſ. q. Vini Rubri Adſtringentis ad ℥ viii. Colaturæ add. Diamoronis, Mellis Roſacei an. ℥ i. Miſceantur pro Oris Collutione.

Ad Sordida Oris Ulcera utilis quoque eſt Aqua Viridis Plateri:

℞. Æruginis ʒ i. Aluminis ℥ ß. Vitrioli, Minii an. ʒ i. Coq. in Vini Albi ℥ iv. Aq. Vitæ ℥ i. Huic Aquæ intincto penicillo loca in faucibus ac ore tangantur, cavendo ne quid deglutiatur. Poſtea Lacte Dulci in quo Calx Ignitus ſit extinctus, os colluatur.

Etiam à multis uſurpatur Unguentum Ægyptiacum in Aqua Plantaginis cum pauco Aceto diſſo-

diſſolutum, addito Melle Roſaceo. Verùm acria hæc ſerpentibus Oris ulceribus, in primis ſi in carcinomatis naturam vergant, adverſiſſima ſunt. *Hildanus Cent.3. Obſerv.86.*

Hinc in oris ulceribus non cancroſis hoc conducit Linimentum:

℞. Mellis Roſacei ℥iß. P. Alum. Uſti ʒß. Myrrhæ optimæ ℈i. Ol. Sulphuris gutt. x. Miſceantur.

Barbette laudat Linimentum ex ʒiij. Unguenti Fuſci Felicis Wurtzii, & ʒij. Mellis Roſacei, inter ſe mixtis.

Sed ad oris, omniumque ejus partium ulcera (ſive ſint uvulæ, ſive tonſillarum, ſive linguæ) ſerpentia, etiamſi cancroſa, ſequens Linimentum utiliſſimum ſemper obſervavi:

℞. Mellis Roſacei ℥iii. Tincturæ Saturni ʒiii. vel ʒiv. miſceantur exactè.

Eum in modum quoque fieri poteſt Gargariſma vel Oris Collutio:

℞. Aq. Caprifolii, Plantaginis an. ℥vi. mellis Roſacei ℥iii. Tinct. Saturni ʒiii. vel ʒiv. miſceantur.

At verò ſi in latere Linguæ naſcantur ulcera, videndum num dens aliquis acutior ſit, qui ſaneſcere ſæpè ulcus non ſinit, quique proinde limandus, vel evellendus eſt.

III. Cæterum in oris ulceratione os Palati ab humore corrodente non raro perforatur & corrumpitur; quod ubi evenit, ſermo vitiatur; cum aër, qui per os elidi debeat, ſimul per foramen illud ad nares penetret, per eaſque egrediatur. In tali caſu ſi os nigrum ſit, radendum id prius, dein ex arte curandum. Sed antequam foramen illud claudatur, vel ſi planè claudi non poſſit, ut vitium illud ſermonis tollatur, fabricanda eſt minutiſſimis foraminibus perforata lamina aurea vel argentea, inſtar clypei, quæ in medio eminentiam habeat, cui ſpongiola ſicca, foraminis magnitudini reſpondens, alligetur, atque ità foramini adaptetur: ubi enim ſpongia humorem imbiberit, dilatatur, ut lamina firmiter hæreat, foramenque claudat.

IV. Ad ulcera oris, Gingivarum præſertim ſcorbutica, conducit Linimentum ex melle Vulgari vel Roſaceo, cum Alumine uſto & Spiritu Vitrioli. Vel talis Oris Collutio:

℞. Aq. Plantaginis ℥iii. antiſcorbuticæ, Vini albi gallici an. ℥iß. Cinamomi ʒii. alum. crud. pulv. ℈iiß. Miſceantur.

Si verò gingivæ, parteſque vicinæ nigreſcant, adeò ut gangræna metuatur;

℞. Aq. antiſcorbuticæ ℥vi. Theriaces, Salis abſynthii an. ʒi. Mellis Roſacei ℥i. alum. crudi ʒiß. Sp. Vini ʒvi. miſceantur.

Denique Fiſtuloſa ſæpè Ulcera gingivas obſident, unde vicini dentis radix cariem contrahit eò uſque, ut ſaniei acrimoniâ omninò denudetur. Quo in caſu carioſum dentem evellere oportet: ſic enim brevi curabitur fiſtula.

De Pectoris Ulceribus, & Fiſtulis.

I. Quandoque & Ulcera in Pectore excitari ſolent; quorum alia ſunt Penetrantia & Fiſtuloſa, hinc & Fiſtulæ thoracis meritò dicta; alia verò non Penetrantia: & ex his alia majora, alia minora, alia profundiora, alia minus profunda, alia antica, alia poſtica, alia lateralia ſunt.

II. Hujuſmodi autem Thoracis Ulcera, Fiſtuloſa in primis, oriuntur vel ex cauſis internis, vel ab externis. Atque ſequuntur non ratò aut Empyema, aut Pleuritidem, quæ ritè per ſputum evacuata non fuerit, dehinc foras apoſtema effecerit. Inſuper poſt tumores, aut vulnera thoracis malè curata. Fiſtulæ in Pectore ſæpè excitari ſolent, quæ difficilis ſunt curationis; præſertim ſi oſſa, ſternum puta, ſpina dorſi, aut coſtæ ſimul afficiantur.

III. Hæ autem Thoracis Fiſtulæ cognoſcuntur facilè, & oculis patent; ſique penetret, ſtylo, vel aëris egreſſu obſervantur.

Cæterum Penetrantia Thoracis Ulcera in fiſtulas perfectas non raro terminantur; & quandò pus non ritè expurgatur, ac in thoracis cavitate retinetur, Patiens empyicus fit, hinc tabidus, macilentus & maraſmodes eva-
„ dit. Omnes thoracis fiſtulæ, ait Pigræus
„ Prax. Chir. libr. 5. cap. 5. difficilis ſunt cu-
„ rationis, longeque eſt ſatius eas pallia-
„ tivè curare, optimâ vivendi ratione adhi-
„ bitâ, quam accuratius; hac ſpe, quaſi per-
„ ſanari brevi poſſent.

Atque ideò, in primis ſi vetus ſit fiſtula, curâ tantum utendum palliativâ, cum harum partium fiſtulæ rarò ſanentur: unde qui fiſtulâ thoracis penetrante laborant, ſolent plurimum toto vitæ tempore argenteam geſtare fiſtulam. Et ſcribit Aquapendens, nonnullos ſe noviſſe, qui viginiti quinque & triginta annos talem geſtarunt, & vitam ſatis commodam duxerunt.

Porro quæ in Dorſo ſunt Fiſtulæ, periculoſiores ſunt ob majorem nervorum copiam & ſpinalem medullam vicinam, ac rarò ſanantur. Quæ in muſculis ſunt circa magna vaſa, non ſatis tutò curantur. At non Penetrantia Thoracis Ulcera, quæ ſunt abſque oſſis corruptione, facilè curam ſuſcipiunt.

IV. Enimverò thoracis ulcera non penetrantia, ſicut aliarum partium ulcera curantur; & ſi putrida ſint, ad putridi ulceris curationem reſpiciendum.

Penetrantia autem ſeu fiſtuloſa quæ ſunt, & Medicamentis Internis & Externis curari debent, haud ſecus ac de Ulcere Fiſtuloſo ſuperius indicavimus. Orificium verò, niſi id ſatis ſiet, in primis dilatandum, immiſſa Turundâ ex Spongia Præparatâ, vel Radice Gentianæ, vel Medulla Sambuci contortâ, vel aliquo ſimili; quæ filo appendenda, ne in Thoracis cavitatem ingredi poſſit. Dein Turunda Cava Plumbea vel Argentea ſimiliter filo alligata immittatur, ut ſic materia ſæpè & ſenſim evacuetur.

Ulcus interim, parteſque internæ detergantur Injectionibus ex Decocto Hordei cum Melle Roſaceo, cui & Hydromel addi poteſt. Vel fiat talis;

℞. Rad. Ariſtoloch. Rot. Iridis Florent. an. ʒiii. Herb. Agrimoniæ, Hyperici, Centaurii Min. Vincæ pervincæ an. Mi. flor. Roſar. Rubr. Mß. hordei M. pug. iii. Coq. in duabus partibus Aq. Comm. & una parte Vini Albi

ad

ad ℥ xxii. Colaturæ add. Mellis Roſacei ℥ iij. vel ℥ iv. Et quum opus fuerit ulcus carne replere, Pulv. Myrrhæ, Iridis, Sang. Drac. an. ʒi. M. F. ex his Injectio.

Quum verò glutinare & exſiccare expedit, haud inutile erit id, quod ſequitur:

℞. Therebinthinæ optimæ ℥i. Mellis communis ℥iß. Farinæ Lupinorum ℥ß. Fabarum ʒij. Succi Apii, Plantaginis, Agrimoniæ an. ℥i. Pulv. Myrrhæ, Maſtichis, Thuris an. ʒ ij. F. ex his ſuper igne S.A. Unguentum; quò turundæ & penicilli illinantur, ac deſuper ponatur Emplaſtrum *de Scavona*, vel *Diapalma*, vel *de Minio*, ſicque ulcus carne oppleatur, & cicatrice occludatur.

V. Verùm obliquus, flexuoſuſque ſi ſit fiſtulæ ſinus, nec non fiſtulæ finis declivis; præſtat univerſum fiſtulæ flexuoſum, declivemque ſinum Turundâ ex Spongiâ Compreſſa, vel Radice Gentianæ dilatare non tantum, ſed quoque ſcalpello, aut potius parvo cultello unam aciem habente, eamque in extremitate paulo intus recurvatam, (cujus cuſpidi inſuper exiguus affixus ſit globulus ex cera alba) diſcindere, ac ad fundum uſque aperire. Enimverò citiſſima & quaſi momentanea fiſtulæ thoracis inciſio eſt, quæ fit Syringotomo, quod in altera extremitate habet aciem, circa cuſpidem glodulo cereo obvolutam, quo minus in immiſſione carnes laceret. Hinc in fiſtulam immitatur, ac ubi ad fundum ejus pertingit, per carnem & cutem ſuperincumbentem dextrâ adigatur, ut globulo cereo in ulcere remanente cuſpis cultelli per foramen factum exeat; qua digitis ſiniſtræ apprehenſa, amborum foraminum interſtitium, unico quaſi ictu, incidatur.

VI. Inſuper contingit nonnunquam, quod Fiſtula non ſolum declivis ſit, & terminum habeat inferius, ſed etiam à ſpatio intercoſtali ſuperiore ſubtus coſtam ſeſe inſinuet; viz. inter pleuram & coſtam, donec in alterum intercoſtale ſpatium ſubjectum terminetur. In hoc caſu C. Celſus vult, præcidendam eſſe, & eximendam ex utraque parte coſtam. Sic enim loquitur *de Re Med. lib. 7. cap. 4.* „Solent autem inter coſtas „fiſtulas ſubterire, quod ubi accidit, eo loco „coſta ab utraque parte præcidenda & eximenda eſt, ne quid intus corruptum relinquatur. Quæ operatio quam difficilis ſit, quam periculoſa, unicuique facilè patet. Hinc potius talis fiſtula pertundatur Inſtrumento ab Aquapendente excogitato. Immittatur viz. cannulæ argenteæ & incurvatæ extremitas, ad fiſtulæ fundum uſque, ut exterius ſpectet: dein per cannulam fiſtulæ immiſſam impellatur acus longa (quæ non longè à cuſpide foramen habet, & filum ducit) ut fiſtulæ fundus perforetur, & filum per ſuperiorem & inferiorem ſinus portam exeat. Perforato fiſtulæ fundo, eximatur acus per novum ſinus foramen, & fili extremitates colligantur, ut fiſtulæ foramina teneantur aperta, ac materia purulenta per inferius effluat, donec ſinus ſubtercoſtalis vel carne repleatur, vel agglutinetur. Hunc fiſtulam thoracis curandi apparatum exponit Scultetus *Armament. Med. Chir. Tab. 38.* Atque thoracis fiſtulæ acu pertuſæ, & hoc modo ſanatæ exemplum adfert. *Obſ. 44.*

VII. Sed non rarò quoque accidit, Fiſtulam intus penetrare in Coſtam, vel Claviculam, vel Sternum: quæ oſſa cum ſint cavernoſa, ſolet facilè in iis Pus colligi, & ſerpere perpetuò corruptio vel Coſtæ, vel Claviculæ, vel Sterni. In hoc caſu Candens Ferramentum per Cannulam ad Coſtam aut Claviculam inſeratur, omnique putredo exſiccetur & abſumatur, parſque corrupta roboretur; ita enim cicatrice obducetur. Vel fiſtulæ ſinu ad coſtam aut claviculam carioſam uſque, immiſſâ ex Compreſſa Spongiâ vel Radice Gentianæ Turundâ, abundè dilatato, oſſi carioſo inſpergatur Pulvis Euphorbii, ſicque caries auferatur, ac ſinus conſolidetur. Fiſtulæ Thoracis, cum eroſione claviculæ, brevi tempore Curatæ, exemplum videre eſt apud Scultetum *Obſerv. 40.*

At verò ſi Sternum corruptum, aut aliqua ſaltem labe affectum ſit, amplianda fiſtula, aut ferramento incidente, aut turundâ ex Compreſſa Spongia vel Radice Gentianæ; dein pars oſſis corrupti abradenda, uſque dum caro laudabilis paucas poſt horas illi accreſcat. Quod ſi caro illo temporis ſpatio non ſuccreverit, indicio erit, totum corruptum os non eſſe abraſum, ac proindè raſionem repetendam, donec caro optima adnaſcatur, quò aliis poſtmodum remediis detur locus, & curetur fiſtula. At nunquam deveniendum eſt ad inuſtionem ipſius Sterni, uti rectè monet *Petrus de Marchettis Obſ. Chirurg. 39.* quia non abſcedit, aliorum corruptorum oſſium more: additque ſe obſervaſſe, inuſtum ſterni os in multis non abſceſſiſſe, niſi elapſis duobus tribuſvè annis. Quod idem affirmat *Dom. de Marchettis P. F. Anatomes cap. 9.*

Cæterum Ulcera Fiſtuloſa in Pectoris dextra ſede, juxta papillam, curata, videri poſſunt apud *Platerum lib. 2. Obſerv.* ubi habetur quoque Ulcus Fiſtuloſum in Dorſo, à ſcapula ad lumbos uſque pertingens, ſanatum. Fiſtula Mammæ Dextræ curata extat apud *Scultetum poſt Armament. Med. Chirurg. obſerv. 75.* Ex vulnere thoracis Fiſtulam ſubortam, quæ ſpatio aliquot menſium pervadens ad capſulam cordis, hujus ſubſtantiam ad cavitatem uſque abſumpſit, obſervavit *Petrus de Marchettis obſerv. Chirurg. 47.*

VIII. Omnes autem Thoracis Fiſtulæ difficillimam recipiunt curationem, ita ut interdum tum Medici, tum Ægrotantes defeſſi, & ſpe deſtituti, curam ipſi naturæ relinquant: quo in caſu Aquapendens fiſtulæ orificio imponit *Pilam ex Cera Alba*, appenſum filum habentem; præcipitque ut quotidiè ea mundetur, ac tractetur, veluti ſi eſſet fonticulus, curando ipſam in poſterum ut fonticulum, non ut fiſtulam; ſicque temporis progreſſu caro gignitur quandoque per totum fiſtulæ ductum, atque ita fiſtula, alioquin inſanabilis, non rarò ſanatur.

De Abdominis Ulceribus, & Fiſtulis.

I. Haud ſecus ac in Thorace, ita quoque in Ventre Inferiore quæ excitantur Ulcera, alia ſunt penetrantia, alia non penetrantia. Non penetrantia dicuntur illa, quæ peritonæum non perforant: penetrantia verò, quæ uſque ad partes intrà peritonæum contentas pertingunt.

II. Oriuntur autem Ulcera in Infimo Ventre iiſdem ex Cauſis, ex quibus in aliis partibus excitari ſolent: ex caſu viz. percuſſione, inveterato vulnere, poſt ſuppuratum apoſtema, ex acris erodentis materiæ confluxu, ex acribus

bus medicamentis appoſitis, hiſque ſimilibus. Et ſanè Abdominis Abſceſſus, è quibus poſteà Ulcera relinquuntur, frequentius occurrunt, quàm vulgus Medicorum putat. Ita Galenus lib. 5. de Locis Affectis cap. 7. refert, Stelianum quendam, quaſi abſceſſum in hepate haberet, ab aliis Medicis curatum fuiſſe: id quod Galenus negavit, & monſtravit abſceſſum fuiſſe inter muſculos tranſverſos & obliquos abdominis. Similem ferè hiſtoriam habet Dodonæus Obſ. Med. cap. 29. de quodam Scriba, qui cùm dextri lateris dolore cum febre eſſet correptus, juxtà ac paulo intra coſtas nothas, Medicumque accerſiviſſet, qui ipſum ut Pleuriticum curaverat, atque inde pejus haberet, Dodonæum vocavit: qui exhibito primum leni Purgante, Cataplaſma Emolliens applicavit, ac tumore emollito tandem Sectionem inſtituit; eumque ex abſceſſu copioſum pus effluxiſſet, Æger, adhibitis ulceri idoneis remediis, convaluit. Scribit quoque Sennertus Prax. lib. 3. part. 10. cap. 8. Victoris uxorem ſimili tumore ad ipſam ferè ventriculi regionem laboraſſe, qui cùm in tantam magnitudinem excreviſſet, ut propemodum duos pugnos æquaret, Sectione eum aperiri curavit: ex quo abſceſſu maxima Puris copia effluxit, magno cum fœtore, fluxitque pus poſtea aliquot dies, Ægraque, idoneis ulceri curando medicamentis adhibitis, tandem convaluit. Narrat inſuper Fabritius Hildanus Cent. 2. Obſ. 38. virum quadragenarium, robuſtum, dolore lateris dextri ad finem coſtarum notharum laborantem ad ſe Lauſannam veniſſe. Cùm verò nullus tumor appareret, ſed ſaltem dolor cum febricula adeſſet, atque purgantia, Fomentationes, Cataplaſmata, Inunctiones, Diſcutientia, Reſolventia, & Anodyna per aliquot dies ſine fructu applicarentur, nihilomius dolor punctorius & pulſatorius circa regionem hepatis & peritonæum perſiſteret, etſi in cute nihil appareret, dolore locum affectum monſtrante, Sectio facta eſt: quâ peractâ pus copioſè effluxit, neque diu poſt febris, dolor, lypothymia paulò ceſſarunt; ulcus tamen propter Puris copiam quæ effluxit, per aliquot menſes apertum ſervatum fuit, Ægerque tandem ſanatus. Et certè ſi pus collectum eſſe animadvertatur, maturè abſceſſus aperiendus, ne nimia puris copia colligatur, quæ dein vel peritonæum penetret, & in abdominis cavitatem defluat; aut poſtea ſine vitæ periculo evacuari non poſſit: cujus rei hiſtoriam habet Cent. 2. Obſ. 39. de viro quadragenario, qui in dextro hypochondrio abſceſſum immenſæ magnitudinis habebat, ut cutis totius ferè lateris ab ilii oſſe uſque ad coſtas veras, lineamque albam & ſpinam dorſi puris plena & elevata eſſet, cum dolore continuo, lypothymia, nauſea, appetitus & virium proſtratione. Vocatus Hildanus ob periculi magnitudinem tumorem aperire recuſavit; quod cum poſtea Barbitonſor quidam feciſſet, & vomicam aperuiſſet, maxima puris copia inde effluxit, & dolor quidem aliquo modo imminutus eſt, ſed intra biduum Æger exſpiravit. Unde ille monet, ut juniores Chirurgi in aperiendis magnis abſceſſibus cauti ſint, & materiam non confertim, ſed ſenſim & per vices evacuent. Scribit porrò Petrus Eſtanove Obſ. 2. puerum quendam ventris tumore laborantem, hydropicum habitum fuiſſe, cumq; umbilicus valde prominerct, apertio tandem facta eſt, ex qua puris laudabilis octo vel decem libræ profluxere, ſicque omnino Æger curatus eſt. Adhæc plurima & admiranda Abſceſſuum Abdominis exempla adferri poſſent, quorum quædam licet videre apud Th. Burnerum in Theſauro Medicinæ Practicæ lib. 1. ſect. 4. Ex quibus poſteà non exactè curatis, non rarò ulcera relinquuntur in abdomine, non penetrantia; imò & nonnunquam penetrantia ſeu fiſtuloſa.

III. Enimverò in Abdomine quoque interdum Fiſtulæ in primis ſuper pubis latera, fiunt, cum eum in locum humores facilius decumbant, atque ibidem hæreant. Inſuper & corrumpuntur ſæpe, putredine inficiuntur; ac corroduntur ſimul Inteſtina, ut per Fiſtulam etiam fœces alvi egreſſas fuiſſe, compertum ſit. Sic per umbilicum, poſt abſceſſum inter pectinem & umbilicum ruptum, Puero cuidam Mediolanenſi fæces alvi exiiſſe, refert Cardanus de Subtilitate lib. 18. Et Alexander Benedictus Prax. lib. 10. cap. 24. narrat, cuidam Puero Veneno ex abſceſſu inteſtina perforata fuiſſe, ut per umbilicum magnam excrementorrum partem ſingulis diebus emitteret; ſano tamen ſimilem per domum ambulaſſe. Scribit quoque Fabritius Hildanus Cent. 1. Obſ. 51. ſe vidiſſe adoleſcentem duodecim annos natum, qui tumore muſculorum abdominis laborabat, quo rupto excrementa per quatuor aut quinque hebdomades per eum locum, nil verò per alvum egeſſit. Quæ autem in ejus cadavere inventa ſint, ibidem licet videre. Atque Cent. 1. Obſ. 54 & 55. ſimiles ferè narrat hiſtorias. Refert quoque Petrus de Marchettis Obſ. Chir. 53. ſibi viſum Patrem quendam Theatinum, laborantem Fiſtulâ Umbilici, ad inteſtina uſque penetrante, de quorum dolore erant quærelæ ex demiſſo ſtatim in eandem ſpecillo; qui tamen brevi temporis ſpatio curatus eſt. Adhæc Platerus Obſ. lib. 3. ſcribit, Capitaneum quendam ante multos annos in ventre vulneratum, ſtercus per fiſtulam, quæ ſanato vulnere illic remanſerat, multos annos incolumem alioquin, & ſuperſtitem excreviſſe. Etiam de muliere gravida refert, cui tuberculum nucis juglandis magnitudine in ſiniſtra abdominis ſede, tranſverſæ manus ſpatio ab umbilico erupit, quod in abſceſſum, indeque in ulcus ſinuoſum abiit, ex quo aperto ianies & pus copioſè effluxerunt, tuncque pruritu ſaltem quodam remanente, dolor penitus remiſit, ipſaque nihil mali paſſa, fœtum vivum & ſanum, ſtato partus tempore peperit, niſi quod excrementa alvi, per ulcus illud ſinuoſum apertum progrediebantur; quæ ab eo tempore omnia, non amplius per alvum, per hanc aperturam expurgabantur, & ut procederent, mulier ipſa manibus ventrem premendo, bis quotidiè ſic ab illis ſeſe exonerabat. Narrat quoque Chirurgus hujus urbis expertiſſimus Ravenſvvay, ſibi viſum in muliere, ob eroſionem inteſtini, non tantùm excrementa, verùm etiam duos vivos lumbricos ex inguine prodiiſſe; quæ tamen perfectè fuit curata.

IV. Cæterum Penetrantia hæc Infimi Ventris Ulcera dignoſcuntur ex ſtyli vel candelæ cereæ immiſſione; cùm nimirum multa horum portio

portio ingrediatur; & ex Vini injectione ſyphone facta. Enimverò in penetrantibus Abdominis ulceribus intrà peritonæum vinum penetrat. In non penetrantibus vero refluit, ſtylique ſivè cereæ candelæ pauca portio intra ulcus ingreditur. Porrò quæ non ſunt penetrantia Abdominis Ulcera, facilioris ſunt curationis. Quæ vero ſunt penetrantia, frequenter in Fiſtulas abeunt, & difficulter ſanantur.

V. Ad *Curationem* verò quod attinet: non Penetrantia Abdominis Ulcera, ſicuti aliarum partium ulcera Curari debent, cum nihil peculiare habeant. Atqui Ulcera hæc ſi ſint Magna; Sinuoſa, vel Fiſtuloſa, non aliter quam Inciſione curantur; & quidem ſi Fiſtula unum orificium habeat, utendum eſt Syringotomo altera extremitate acuto, ut finis fiſtulæ perforetur, & totus fiſtulæ meatus diſſecetur, atque aperiatur. Si vero Fiſtula plura orificia habeat, Syringotomo utendum altera parte obtuſo, & exiguum globulum præfixum habente, quo etiam tota fiſtula aperiri poſſit. Vel fiat apertio Cultro ſeu Scalpello Longo, & manubriolum ſimiliter longum habente; qui Culter unâ tantum parte aciem habeat, in extremitate paulò intus recurvatam, exteriorem vero partem retuſam obtineat, ad cujus cuſpidem ex cerâ globulum infixum eſſe oportet; quo intus per totum fiſtulæ ductum ſine obſtaculo demittatur.

VI. At verò ſi Penetrantia & Fiſtuloſa fuerint talia Ulcera, fucatâ curatione, ſicut de Penetrantibus Pectoris Ulceribus diximus, uti debemus, ſervatâ optimâ victus ratione, utque decet deterſo ac mundificato vlcere. Scribit tamen Fabritius ab Aquapendente, ſe iſtiuſmodi Abdominis Ulcera Penetrantia ac Fiſtuloſa, affectis etiam Inteſtinis curaſſe, & curata vidiſſe; non manu, non ferro, non aliis medicamentis: ſed ſolis Aquis Thermalibus, per inſeſſiones mane & veſperi in iis factas, ita ut aqua per fiſtulæ foramen in cavitatem abdominis ingrederetur, inteſtinorumque eroſiones ſuâ ſubſtantiâ pertingeret, & attingendo exſiccaret, purgaret, impleret, tandemque cicatricem induceret. Et in Thermarum defectu Sulphur, Alumen, & Sal in Aqua liquere & decoquere, ac Inſeſſiones moliri, utile cenſet,

De Veſica Urinariæ, *& Pudendorum* Ulceribus.

I. Fiunt quoque Ulcera in Veſica Urinaria, vel in ejus Fundo, vel in Collo; idque ab affluentibus humoribus acribus; vel Pure è locis ſuperioribus tranſeunte, ibidemque nimiam ob viſciditatem hærente; aut Medicamentis veſicam exulcerandi vim habentibus, inter quæ præcipuè numerantur Cantharides incautè aſſumptæ. Inſuper poſt inflammationem, & abſceſſum veſicæ malè curatum, non rarò Ulcus relinqui ſolet. Oriuntur quoque Veſicæ Ulcera à Calculo aſperiore veſicam lædente, quale exemplum refert *Platerus lib. 3. obſervat.* Atque à vaſorum ruptione & læſione, ex percuſſione, lapſu, vulnere, ac ſimili cauſa violentâ externâ.

II. Cognoſcitur verò hujus partis Ulcus è ſquammulis & pure; quæ cum urina minguntur; nec non gravi urinæ odore, ſi ulcus ſit ſordidum: dolor quoque adeſt gravis in pectine & pube, quoties Ægri mingunt; nonnunquam etiam cum ulcus ſerpit, ſubcruenta & ſanioſa eminguntur. Urinæ quoque difficultas accedit, ſæpe & continuus egerendi conatus, ac membri virilis erectio.

An autem in fundo veſicæ ulcus conſiſtat, an juxta urinarium meatum, eo diſcernitur: quod ſi in fundo veſicæ fuerit, dolor circa pubem percipitur: ſi vero juxta meatum urinarium, tempore mictionis magis deprehenditur, ac imprimis ubi mingere incipiunt & deſinunt Ægri.

III. Porrò Veſicæ Ulcera ferè incurabilia ſunt; quia in parte ſunt membranoſa, & urina, quæ mordax eſt, continuò illô tranſitu vellicat, & conſolidationem impedit. Periculoſiore autem ſunt iſtiuſmodi ulcera quæ ex eroſione ſunt orta, quam quæ ex aliis cauſis. Etiam difficiliùs & rariùs curantur in ſenibus, quam in juvenibus. Ulcus quod eſt à calculo, non curatur, niſi prius is extrahatur.

IV. In Curatione abſterſionem & conſolidationem quoque requirunt Veſicæ Urinariæ Ulcera. Interim tamen præcavendum, ne ulcus irritetur, latiuſque ſerpat; ſed ut dolor leniatur danda opera, uti & urinæ ardor ac difficultas. Id quod præſtant Emulſiones ex Amygdalis, Seminibus quatuor Frigidis Maj. &c. Atqui ad Ulcus Abſtergendum, ſimulque Leniendum ſumat Patiens bis in die, ſequentis Electuarii particulam magnitudinis avellanæ:

♃. Therebinth. Venet. crudæ ℥ i. Caſſiæ Fiſtulæ rec. extr. ℥ i ß. Pulv. Liquiritiæ elect. ʒ iij. Ocul. Cancr. crud. ʒ ij. Salis Prunellæ ʒ i. Merc. Dulcis ʒ ß. Balſam. Sulphuris gutt. xxvi. Syrup. Altheæ Fern. q. ſ. M. F. Elect.

Dein ſuperbibat largiorem hauſtum hujus Decocti;

♃. Rad. Altheæ, Conſolid. Maj. Liliorum Alb. an. ℥ i ß. Glycyrrhyzæ raſæ ℥ i. aut ℥ ij. Herb. Bugulæ rec. M ij. Agrimoniæ, Veronicæ, Pyrolæ, Saniculæ an. M j. Capit. Papaver. cum Seminibus ℥ ß. Coq. in ſ. q. Aq. Puræ ad ℔ iv.

Electuarii locô proderit bis quotidie ſumere guttas 6. aut 7. Balſami Sulphuris Therebinthinati, vel Succinati, vel *Balſami Copaivæ*, vel cochlear Aquæ Gonorrhæalis Quercetani. Vel mane & veſperi uſurpentur Pilulæ ex Therebinthina, Liquiritia, *Troch. Alkekengi, &c.*

Barbette ſequentes laudat:

♃. *Troch. Alkekengi, de Carabe*, Gypſi Uſti an. ʒ ß. Boli Armeni, Terræ Sigillatæ, Cranii Humani an. ʒ i. Therebinthinæ Venet. q. ſ. F. S. A. Pilulæ piſi magnitudine.

Multi hoc in caſu miris laudibus extollunt *Trochiſcos Gordonii.* Ulcus enim mundant, dolorem ſedant, & urinæ ardorem mitigant, ſimulque conglutinant.

V. Intereà in Veſicam per Catheterem infunditur lac recens cum melle Roſaceo. Et certè quæ per Catheterem injiciuntur non raró tantum proſunt, quam ore ſumpta: cùm longa à ventriculo ad veſicam via ſit, in qua vires medicamenti non parum alterantur. Barbette hanc proponit Injectionem;

♃. Aq. Calcis Vivæ ℥ iij. Plantaginis ℥ ij. Sief. Albi Rhaſis ʒ i. M. pro Injectione, ſingulis diebus ter quaterve uſurpanda. Aqua calcis nihil aliud eſt, quam aqua communis, in qua Calcis

vivæ particula ſit extincta. Sed cavendum, ne acris nimis efficiatur.

VI. Ulcus verò quod eſt à calculo non curatur, niſi calculus tollatur: quem tamen extrahere nonnunquam periculoſum eſt propter ulcus. Id eoque ſi ulcus ſit profundum, tutius eſt Emplaſticis & Lenientibus ſaltem medicamentis uti, ut lapidi quædam lævitas inducatur, ulcuſque mitigetur; quod optimè fit uſu lactis dulcis in quo Altheæ Radix ſit decocta.

VII. Si Ulcus ſit à Cantharidibus, atque id recens, lac dulce copioſè bibendum; vel ſumenda emulſio ex ſeminibus quatuor Frigidis Maj. Papaveris Albi, &c. Vel emulſio fiat ex ſemine cannabino, addito colaturæ Syrupo Altheæ Fern. Dein conſolidandum cum Tragacantha, Bolo Armeno, Terra Sigillata, ſimilibuſque. Si verò antiquum ſit, ut alia ulcera tractandum.

Inſignem ulceris veſicæ curati hiſtoriam licet videre apud Fabrit. Hildanum *Cent.3. Obſerv.69.* Adhæc veſicæ ulcus, multis aliis fruſtrà tentatis remediis, tandem Aquarum Spadanarum continuò uſu ſanatum fuiſſe, refert Tulpius *Obſ. Med. lib.2. cap.53.*

VIII. At verò in *Virili Pudendo* non rarò etiam excitantur *Ulcera*; eaque ſunt vel externa, vel interna; atque alia ſunt in præputio, alia in glande, alia circa glandem, alia per reliquum membrum: inſuper alia ſunt puſtulis ſimilia, alia ſicuti excoriatio, alia corroſiva & virulenta; alia porrò recentia ſunt, alia antiqua, putrida & cavernoſa.

IX. Horum Ulcerum origo aliquandò eſt à cauſa externa, ut à difficili ac violento coitu cum virgine vel fœmina, cui anguſtius pudendum eſt; vel à coitu non difficili quidem, ſed multiplicato nimis, Penemque inflammante; uti & è dura longaque equitatione: quandoque à cauſis internis, uti à ſorde ſimplici & non contagioſa inter glandem & præputium hærente, ibique putreſcente, contracta ex coitu cum muliere non infecta. Hinc enim puſtulæ exiguæ inſtar granorum milii è glandis ſuperficie emicare ſolent, quibus maturatis ruptiſque ulcuſcula rotunda, & in medio punctum albicans habentia expullulant, aliàs diſperſa, aliàs ita denſa, ut ex pluribus unum tandem fiat.

Præterea è contagio excitari poſſunt hujuſmodi ulcera, ut iis accidit, qui rem cum infecta muliere habent; viz. ex ſeminali humore corrupto, ac inter glandem & præputium retento, partemque iſtam erodente, exulcerante.

X. Sunt autem manifeſta ſatis partis hujus Ulcera, cum glans à præputio denudari poſſit, & ideò aliis ſignis non eſt opus. Si verò propter tumorem præputium deorſum trahi non poſſit, & ulcera oculis non appareant, tunc dolore, tumore, & ſaniei ejectione dignoſcuntur.

XI. Cæterum periculoſa ſunt Ulcera in Pene, utpote in organo fungoſo, hinc & corruptioni facilè obnoxio; unde ſerpunt facilè, & difficulter ſanantur, in primis quum urina per penis meatum effluens curationem impediat. Præterea pars ipſa ſenſu exquiſito prædita eſt; qua de cauſa iſtiuſmodi ulcera Acria Medicamenta ſuſtinere non poſſunt, quæ alioquin hic prodeſſent. Ulcera quæ à Lue Venerea in his partibus excitantur, non curantur, niſi morbo illo prius curato; cum ab ejus malignitate foveantur.

Inſuper ulcera hæc aliquandò in cancrum abeunt, vel gangrænam inducunt, ut totum membrum virile abſcindere opus ſit, cujus rei habent exempla Valeſcus de Taranta, Fabritius Hildanus, aliique.

XII. Quando igitur Penis Ulcera parva & benigna ſunt, Topicis facilè curantur, atque in hujus partis excoriatione ſufficit partem Vino Gallico; vel Aquâ Roſaceâ & Plantaginis, cui & vinum addi poteſt; identidem abluere; & ſi majori exſiccatione opus ſit, iis parum Aluminis addatur: vel illinatur Unguentum de Tutia, aut Album Camphoratum, aut Diapompholigos; ſimileve. Enimverò medicamenta in ulceribus hiſce conducunt, quæ inſignem ſiccandi vim habent, & hoc non ſolum ulceris, ſed & partis affectæ ratione; qualia ſunt C. C. Uſtum, Ebur Uſtum, Oſtreorum Conchæ Combuſtæ, Alumen, Tutia, Lithargyrum, Plumbum Uſtum, Æs Uſtum, Flos Æris, Ceruſſa, Antimonium, & ſimilia; ex quibus Pulveres, Linimenta, & Lotiones parari ſolent. v. gr.

♃. Aq. Ferratæ vel Plantaginis ℔i. Raſur. Cort. Guajaci ℥i. Aluminis ℥ß. Roſar. Rubr. ℨi. Coq. S. A. & colentur. Abluantur ulcera hoc Decocto ſæpius.

♃. Aq. Decoctionis Mytilorum. q. v. Florum Æris q. ſ. Stent in digeſtione ad radios ſolares aliquot dies, dein liquor decantetur, eòque frequenter abluantur hujus partis ulcera. Si verò Ulcera fuerint antiqua, ſordida, putrida, ſinuoſa, calloſa, virulenta, ac ſerpentia, in primis abluenda ſunt Hydromelite cum Alumine; cui & Spiritus Vini addi poteſt.

Vel, ♃. Vini Albi ℥vi. Aq. Plantaginis, Roſarum an. ℥ii. Floris Æris ℨß. Aluminis Crudi ℨiß. Miſceantur, & parum ebulliant.

Utile quoque eſt Unguentum Ægyptiacum, & Apoſtolorum, ut & Aqua Viridis ab Hartmanno & Platero deſcripta, ac identidem laudata Aqua Aluminoſa vel Mercurialis.

Etiam Mercurio præcipitato Rubro cum Linimento conveniente mixto utendum; non tamen in ejus uſu diu perſiſtendum: ſed quando quod calloſum & virulentum abſumptum eſt, fovenda pars affecta Decocto, Malvæ, Altheæ, Seminis Lini, &c. & medicamentum digeſtivum idoneum Ulceri imponendum, donec quod corruptum eſt ſeparetur, ut in curatione luis venereæ fieri ſolet.

Si verò Penis & Præputium valde intumuerint, Cataplaſma imponatur ex Floribus Camomillæ, Sambuci, Meliloti, Roſarum, Farina Seminis Fœnigræci, & ſimilibus. Quod ſi nec hoc modo pars exulcerata detumeſcat, & dolor perſeveret, Ulcuſque ſerpat, præputium ſecundum longitudinem incidendum, ut Ulcus mundari, ac convenienti modo curari poſſit. Hoc tamen in Ulceribus penis curandis ſemper eſt obſervandum, ne pendens pudendum teneatur; verum ſuſpendatur, & ſuperioribus partibus alligetur, ità tamen, ne dolor excitetur.

At ſi gangræna & ſphacelus Penem corruperit, tutiſſimum eſt, id quod corruptum, vel etiam ſi opus ſit, totum Penem abſcindere, & Medicamenta poſteà, quæ in aliarum partium gangræna & ſphacelo adhibentur, uſurpare. Exemplum hujus rei habet *Foreſtus lib.26. obſerv.6.* de quodam, cui Penis poſt inflammationem ità

græna & ſphacelo adhibentur, uſurpare. Exemplum hujus rei habet Foreſtus Lib. 26. Obſ. 6. de quodam, cui Penis poſt inflammationem ità putrefactus fuit, ut cataplaſmati adhærens exciderit, & putrefactio Scrotum quoque occuparit, Ægro nihilominus, idoneis medicamentis adhibitis, vivo manente, & ex ventre per foramen ſaltem urinam emittente. Similem prorſus hiſtoriam refert *Fabritius Hildanus Cent. 3. Obſerv. 88.*

XIII. Sed accidit aliquandò, quod Ulcera oriantur in Virga, hoc eſt, in Meatu Urinario: viz. ex tuberculo ſeu apoſtemate intus oborto; vel ex urina acri; vel ex calculis aſperis & anguloſis, qui inter tranſeundum meatum hunc lædunt; vel, quod frequentius fieri ſolet, ex ſemine acri & virulento; uti in gonorrhæa virulenta neglecta & inveterata contingit.

XIV. Cognoſcuntur, autem Meatus Urinarii Ulcera præcipuè ex dolore, qui inter mejendum percipitur, & ex pure quod ante urinam excernitur. Inſuper ex tactu & compreſſione ulcerata pars invenitur, cum in parte ulcerata ex compreſſione dolor excitetur. Adhæc Penis interdum tenſus & aliquantiſper tumidus eſt, doletque, & ad inferiora curvatur, nec niſi inter femora indolenter teneri poteſt.

XV. Ulcera hæc ſi ex virulenta gonorrhæa oriuntur, non ita facilè ſanantur, niſi ſublatâ penitus gonorrhæâ: quæ verò ab aliis humoribus eveniunt, Emulſione Seminum Melonum & Cucumeris, ac Amygdalarum, per plures dies uſurpatâ, ſæpè ſanantur. Curantur autem hujus partis ulcera, venerea in primis, facilius in juvenibus; è contrario in ſenibus raro aut nunquam curationem ſuſcipiunt. Sed curatio ſemper maturanda. Niſi enim maturè curentur, vel Carunculæ in Meatu Urinario gignuntur, quæ urinæ emiſſionem impediunt; vel ad interiora proſerpit malum, & vel veſica, vel perinæum, aliævè altè exulceratæ partes ad ſummam uſque cutem exeduntur, ut per varias partes vicinas ad anum, ſcrotum, ipſumque penem urina, quaſi cuniculis factis, continenter effluat: ſicque Fiſtuloſa evadunt, & non raro vix curabilia hujuſmodi ulcera.

De Fiſtulis in Perinæo audi Hildanum cent. 5. „ Obſerv. 75. Videant Juniores Chirurgi, ut „ in prognoſtico fiſtularum perinæi ſint pru„ dentes. Si enim ex cauſa interna facta fuerit „ fiſtula, nunquam perfectè ſanatur. Obduci„ tur quidem nonnunquam cicatrice, ſed facil„ limè à cauſa aliqua interna recrudeſcit; & „ nonnunquam, ſi ad tempus clauſa perſi„ ſtit, graviſſima ſymptomata ſubſequuntur; „ uti porrò exemplis demonſtrat: quapropter monet, ne Ægri tantoperè de integra & perfecta conſolidatione harum fiſtularum ſint ſolliciti.

XVI. Igitur ulcus hoc ut detergeatur & conglutinetur, atque adeò ritè curetur, meatui urinario per ſiphonem injiciatur Aqua hordei, vel Lac Dulce cum Melle Roſaceo. Vel talis, aut ſimilis fiat Injectio:

℞. Lactis Dulcis in quo Silices Igniti extincti ſunt ℥xii. in eo diſſolv. Mellis Roſacei ℥iß. Mucilag. Gum. Tragacanthæ, & Rad. Conſolidæ an. ʒß. Therebinthinæ in Ovi Vitello ſolut. ʒi. Ceruſæ ʒß. Pomphol. Alb. ʒi. Miſceantur diligentur, triduoque vel quatriduo renovetur, ne Lac aceſcat, aut Mucilagines corrumpantur.

℞. Lithargyri, Ceruſſæ, Tutiæ Præparatæ an. ʒi. Sacchar. cand. ʒß. Camphoræ ℈ß. Aq. Roſarum, Plantaginis an. ℥iv. Miſceantur pro Injectione; cui addi poteſt Aluminis ʒi.

Ad cicatricem inducendam utile eſt hoc;

℞. Aq. Plantaginis, Roſarum an. ℥iv. Troch. alb. Rhaſis ℥i. Boli Armeni ʒß. Miſceantur.

Eſt quoque efficax valdè Balſamum Peruvianum, illinendum tenui candelæ cereæ; quæ dein virgæ immittatur.

Petrus de Marchettis ulcera hæc curat Candelis tenuibus, compoſitis ex pulveribus Plumbi Uſti, Ceruſſæ, Tutiæ Præparatæ, mixtis cum Cera, in urethram immiſſis, & continuò ibidem detentis: mejendi tamen prurìtu ſollicitante, educantur. Verum & obſervandum, non eſſe immittendas fluente gonorrhæâ, ne ab iiſdem ſuppreſſa exulceret collum veſicæ, & alias partes proximas: atque ſi malignitatis aliqua ſuſpicio ſubſit, eædem Candelæ imbuendæ Unguento albo Camphorato, miſſo cum Præcipitato Rubro, abſque ullo metu, ne hoc exulceret partes ſanas; tum quia eſt correctum Unguento albo Camphorato; tum quia non excoriare eas ſolet, ſed tantummodò extinguere malignitatem ulcerum, quæ, eâ ſublatâ, dictis Candelis poſtmodum facillimè ſanantur.

Interim Patiens bibat Emulſionem ex Seminibus quatuor Frigidis, Amygdalis, &c. Nec non ſubinde ſumat cochlear aquæ Gonorrhæalis Quercetani; vel aliquod ex medicamentis de Veſicæ Ulceribus propoſitis, quo urinæ meatum perlabente, ejuſdem vi exſiccante & conſolidante Ulcera Urethræ facilius conſolidentur.

XVII. Cæterum iſtiuſmodi Ulcera quia perforare ſolent Urethram cum integumentis, aliquando in Perinæo, quandoque in Scroto, ab illis tandem oriuntur Fiſtulæ: quæ ſi in Perinæo ſint, abſente gonorrhæâ, pars calloſa circa urethram, parteſque vicinas, impoſito Cauterio Potentiali abſumenda; vel ferramento Candente inurenda, quò caro illi accreſcat, & ad cicatricem deducatur fiſtula: hac tamen cautelâ, ne urethra ipſa erodatur vel inuratur, atque fiſtula amplior fiat: vel alioquin Fiſtula uſque in urethræ cavitatem incidatur, & dein Sarcoticis ac Epuloticis cicatrice claudatur.

XVIII. Si verò pars urethræ ſcroto oppoſita Fiſtulâ laboraverit, urina ex ipſa effluens ſcrotum corrodit pluribus foraminibus: quæ curatio ardua & difficilis eſt, licet eandem felici ſucceſſu aliquoties tentaverit Petrus de Marchettis, hac methodo: expurgato prius corpore, & exhibito Decocto Guajaci, Saſſaparillæ, Chinæ, &c. ad ipſam partem affectam accedit; quæ ſi multiplex ſit, omnes fiſtulas ſecat, & per candelam propoſitam omnem operam in ſananda urethra adhibet; cum alia ratione fiſtulæ ſcroti non omninò ſint ſanabiles, niſi curâ palliativâ, quæ denuò recrudeſcunt: quod ſi non poſſit curari urethra candelâ propoſitâ, ſcrotum ſecandum, uſque ad illius fiſtulam, ipſaque inurenda,

terenda, vel Potentiali Cauterio conſumenda materia ejus calloſa, & ſectæ partes Sarcoticis carne replendæ, tandemque Epuloticis cicatrix inducenda. Idem refert *Obſerv.* 59. hiſtoriam cujuſdam, cui, ex inveterata virulenta gonorrhæa, collum veſicæ, prope urethram, variis fiſtulis fuit pertuſum, cum effluxu urinæ non ſolum ex ſcroti pluribus locis, verum etiam ex inguinibus, Ægro tamen ſanitati præter ſpem reſtituto.

XIX. Nonnunquam Caruncula, Callus carnoſus, Verruca, aut omninò Carnoſa excreſcentia in Meatu urinario naſcitur. Id quod ſæpè iis accidit, qui gonorrhæâ virulentâ, & hinc orto ulcere in meatu urinario laborant. Talia enim ulcera ſi negligenter tractentur, Caruncula ſeu Excreſcentia quædam Carnea in Urethra relinquitur, urinæ difficultatem inferens. Enimverò ſuccreſcens inibi caro primùm mollis & exigua eſt; ſed temporis progreſſu ità induratur, & augetur, ut urinam non raró omninò ſupprimat.

XX. Dignoſcitur autem hoc malum, quod liberè non excernatur urina, ſed difficulter & guttatim exeat; idque aliquando tanto cum cruciatu, ut Æger nonnunquam alvinas fæces ſimul egerat, haud ſecus ac veſicæ calculo laborans. Adhæc dolor in mictionis fine magis discruciat, quam dum urina prodiit. Exploratur quoque caruncula cathetere, vel candelâ cereâ in meatum urinarium immiſsâ, quæ toties in via offendit, quoties carunculæ obſtruentes occurrunt. Inſuper compreſſo digitis penê, durum tuberculum deprehenditur.

Porrò indagandum, num caruncula meatui urinario innata ſit recens, num inveterata. Nam quanto antiquior eſt, eò difficilius curatur, quia in callum non raró induratur. In genere omnis caruncula in hac parte oborta difficulter abſumitur, ob loci anguſtiam, & tractandi difficultatem.

XXI. Abſolvitur verò Curatio carnem abſumentibus, ulcuſque conſolidantibus; auſpicando ſemper à mitioribus, progrediendumque ad acriora, ſi ex uſu fore videantur. Alfonſus Ferrius, *l. de Caruncula ſeu Callo*, ſpecillo carunculam diſſolvere tentat: „ Nec eſt, *inquit*, cur „ ſanguinis effuſionem timeamus, ſaluberrima „ enim ea eſt; quin rò tum Chirurgicum opus „ proſperè ſuccedit. Vidimus enim plures ſolâ „ ſpecilli ope curari, cum in carunculam penetraverit: urina namque egrediens ſuá abſtergendi atque exſiccandi vi, ſine ullo alio artis „ præſidio, ſanare poteſt.

Hanc carunculam curandi methodum violentam prodidit modo *Galenus l. de Loc. Aff.* viz. ut æneâ fiſtulâ caruncula deteratur. *M. A. Severinus de Effic. Chir. pag. 2. de Section. cap.* 114. hanc operationem quoque commendat, refertque Hieron. Cardanum teſtari, ſed vidiſſe perforatâ cathetere carunculâ rem optimè ceſſiſſe; tametſi ſanguinis & ſaniei multum proluxerit. Quam rem & ſibi compertam eſſe teſtatur. „ Adhæc Paræus inquit: nec debemus terreri, „ ſi per intervalla ſanguis ex ſatentibus carunculis fluere cernatur. Eſt enim ad curationem „ compendium; quia materiæ conjunctæ portione ſublatâ, incrementum ejus prohibetur, „ pars ipſa pondere premente levatur. Itaque „ niſi talis hæmorrhagia ſpontè ſupervenerit, „ utile erit eam provocare inſtrumento duriore, quam eſt ipſe catheter. Sicque carunculas cathetère atterendas vult, eundo, ac redeundo toties eandem vivam, quoties ipſis atterendis & communiendis neceſſe videbitur; attritaſque ſanguine multó manare ſuadet, ad affectæ partis levamen. Sed contrà hos, & in primis Alfonſum Ferrium, acriter inſurgit *Julius Palmar. l. 2. de Lue Venerea c.* 10. ubi hæc habent: „ falſum eſt, quod ſcriptum reliquit Alfonſus „ Ferrius, Chirurgicum opus rectè ac proſperè „ ſuccedere, quum caruncula ſpecillo repugnat, „ eoque ſuperata ſanguinem multum profundit. „ Sic enim curatos non paucos notavi inflammatione prehenſos, ac jugulatos ante ſeptimum diem; multoque magis quod ait; urinam abſtergendi, ſiccandique, qua pollet facultate, ſine artis beneficio ſæpè perſanare „ carunculam. Nam ſi recens genitum ulcus, „ ſive in renibus, ſive in cervice veſicæ conſiſtat, „ nec abſtergere, nec ſiccare urina poteſt, „ quomodo genitam jam carunculam atteret, „ atque adæquabit? Ego quidem urinâ acriore „ nec ſiccari, nec cicatrice obduci ulcera, ſed „ potius augeri, atque exaſperari notavi.

Barbette in Chirurgia ſcribit, ſe multoties hujuſmodi carunculas integrè curaſſe uſu Suppoſitoriorum exilium ex ſequenti Unguento, leni coctione incraſſato:

℞. Unguenti Fuſci Fel. Wurizii, Mellis Roſacei an. ℥ij. M. F. S. A. Unguentum.

Vel, ℞. Lithargyri, Flor. Sulphuris an. ℥iij. Tutiæ Præparat. ℥ij. Minii ℥ ß. Unguenti Ægyptiaci ℥j. Mellis Roſacei q. ſ. M. F. S. A. Unguentum. Quod illinatur candelæ cereæ, eaque in urethram immittatur, bis terve quovis die renovando; uſque dum mundificatio abſoluta ſit. *Hieronymus Reuſnerus obſerv.* 91. refert, carunculam meatus urinarii certiſſimo experimento in pluribus ſuſtuliſſe Antonium Fuchſium Medicum Norinbergenſem; Oleum Succini cum Ovi Vitello mixtum applicabat candelæ cereæ, quam meatui urinario immittebat. Sanè ſecurum remedium, & reliquis omnibus præferendum, ſi reſpondeat eventus. Nam in carunculis meatum urinæ obſtruentibus cavendum, ne malum acribus medicamentis irritetur; lenientibus & validè ſiccantibus, ſi fieri queat, potius curetur. Inter mitiora ſiccantia & leviter admodum corrodentia præ cæteris commendatur Pulvis Sabinæ. Emplaſtrum quô Doctiſſimus Fernelius uti ſolebat:

℞. Aloës Optim. ℥ij. Myrrhæ, Ariſtolochiæ an. ℥iß. Tutiæ præparat. ℥ß. F. omnium Pulvis, ex quo cum Styrace Liquida fiat maſſa, quæ Emplaſtri craſſitiem habeat. Cereolo è quo ceræ tantillum abraſum ſit, qua parte carunculam attingere oportet, agglutinetur; idque penis calore liqueſcens, tuberculum cui inſidet, abſumit. Si Alfonſo Ferrio credimus, omnem carunculam tutiſſimè, ac ſine dolore ſenſim radicitus exedit & exſiccat id quod ſequitur;

℞. Sabinæ in umbra ſiccatæ, & tenuiſſimè tritæ ℥iß. Cerati de Mucilaginibus ℥ß. Miſceantur. Egregium Unguentum ad carunculas in meatu urinario abſumendas, hoc eſt:

℞. Ceruſæ Præp. ℥ ß. Tutiæ præp. Corall. Rubr. Præp. Lithargyri, Sarcocollæ. Camphoræ cum Oleo Roſaceo tritæ an. ℥ß. Aloës, Maſti-

chis, Olibani an. gr. vi. Plumbi Uſti & loti ʒiß. Antimon. præp. ℈ ij. Troch. Alb. Rhaſis ſine Opio ʒß. cum ſ. q. Olei Roſacei, & Amygdalar. Dulc. F. S. A. Unguentum; quod candelæ cereæ opê carunculæ identidem admoveatur.

Vel ne aliæ partes, præter carunculam in meatu urinario, tangantur, nevè effluens per intervalla urina medicamenta applicita eluat; immittatur peni Cannula Argentea tenuis, à latere perforata, & aperta foramine, quod magnitudini carunculæ reſpondet, eamque excipit; dein vel ſpecilli, vel tenuis candelæ cereæ opê medicamenta applicentur, cannulaque ibidem relinquatur.

Haud multum abſimile excogitavit inſtrumentum Hier. Fabric. ab Aquapendente, cujus beneficio nil niſi caruncula abſumitur, prohibeturque ne medicamentum carunculæ admotum ab urina, quæ ſæpius excernitur, elui poſſit. Fit autem Cannula ex linteo, cerâ albâ oblinito, (longitudine digiti tranſverſi, & latitudine eâ, ut æquet argenteum catheterem) quæ filum longum habet appenſum. Hæc Cannula prius extrinſecus idoneo medicamento ſit oblita, quale eſt propoſitum Unguentum, vel id, quod teſte Sculteto, carunculas meatus urinarii abſq; dolore, & ſanarum partium excoriatione, conſumit:

℞. Mellis communis in cineres uſti, Tutiæ præpar. Butyri rec. in Aq. Plant. loti, Therebinthinæ ſimiliter lotæ, Ceræ Flavæ an. ℥ß. Aluminis Uſti ʒß. M. F. Linimentum.

Cannula igitur medicamento oblinita, ſtylo extra fiſtulam argenteam prominenti adaptetur, atque una cum argentea fiſtula & ſtylo, in meatum urinarium immittatur, donec occurrat carunculæ. Et cum jam eſt in loco carunculæ, argentea fiſtula cum ſuo ſtylo retrahatur: cannula verò ex linteo cerâ inducto parata, & immiſſa relinquatur in meatu, ut per eam urina excernatur; quæ ſimul prohibet, ne medicamentum carunculæ admotum ab urina elui poſſit: filum autem dictæ cannulæ appenſum trahitur, cum volumus ut cannula cerea foràs trahatur, & medicamentum renovetur.

Gabriel Fallopius, *lib. de tumoribus, pr. nat. cap.* 78. pro Caruncula in Meatu Urinario inter alia unum familiare habet ſecretum, Arſenicum ſcil. quo utitur hoc modo. Emollit ipſum ſuper lapide pictorio cum Succo Limonum, poſtea ſoli, donec ſiccatur, exponit, dein ipſum diluit Aceto Stillatitio, iterumque ſub ſole ſiccat, & hoc quater facit. Ultimâ vice abluit Aqua Roſaceâ, deinde cum Cerato aliquo miſcet, ut cum Diapalma, vel Diachylo, vel cum Oleo Roſaceo & Cera, facitque Emplaſtrum pro ratione duritiei carunculæ. Adhæc minimam portiunculam hujus Medicamenti ponit in extremo candelæ cereæ, ac quotidiè ſemel vel bis in meatum urinarium feliciſſimè immittit. Interim tamen ſi dolor, aut inſolitus rigor, aut febris, aliudvè ſymptoma ex acrimonia admoti medicamenti acciderit, extrahenda candela vel cannula medicamento oblinita, meatuſque urinarius eluendus Lacte recenti calido, aut Aquâ Roſaceâ cum Camphora, idque tamdiu, donec ſedata illa impedimenta videbuntur.

Signa autem extirpari carunculam, habentur è mordicatione circa partem, & è copia effluentis puris.

Carne abſumptâ, ulcus abſtergendum, eique cicatrix dein inducenda, quod nullo medicamento melius perficitur, quam Amalgamate Mercurii, ſi Unguento Diapompholigos miſceatur: hoc unguentum modis nunc expoſitis carunculæ admoveatur, & ſæpius renovetur; vel eô inuncta candela cerea urethræ inſeratur.

Atqui abſumpta caruncula, & abſoluta curatio creditur, quum urina liberrimè ac citrà ullum dolorem effluat, & candela cerea (etiam parte craſſiore) vel catheter ſine ullo offendiculo tranſeat, & in veſicam facilè intromittatur. Enimverò horum remediorum viciſſitudine nulla eſt tam inveterata, neque tam contumax caruncula, quæ non ſemper, ſenſim, ac ſine dolore exedatur, ac radicitus extirpetur; modo prudenter ea adhibeantur, & benè valeat reliquum corpus.

XXII. Cæterum inter Pudendorum Ulcera meritò numerantur Ea, quæ Teſtium ſunt. Enimverò poſt inflammationem interdum Ulcus in Teſtibus relinquitur: & Scroti Ulcera nonnunquam Teſtibus communicantur. Suntque hæc ulcera valde periculoſa, & ſæpè in cancrum abeunt, aut in gangrænam terminantur.

At verò ut ritè Curentur, primò corpus convenienti modo purgandum: deindè ulcus mundandum Unguento Apoſtolorum, vel Aureo, vel ſimili; mundatum autem & abundè deterſum, conſolidandum & cicatrice claudendum Epuloticis ſæpius propoſitis.

XXIII. In Utero quoque, & præcipuè in Ejus Cervice & Collo non raro contingunt Ulcera. Sunt atem talia Ulcera nunc magna, nunc parva, nunc ſuperficiaria, nunc profunda, nunc ſimplicia & munda, nunc ſordida, erodentia, depaſcentia, maligna. Quæ ſi diutius protrahantur, aut negligentius curentur, non raro in Fiſtulas Colli Uterini degenerant.

XXIV. Cauſæ verò Uteri Cervicem vel Vaginam Exulcerantes ſunt vel Internæ; affluxus viz. acrium humorum diuturnus, id quod in fluore muliebri albo diu nimis protracto accidit; ut & ſi acres, maligni, pravique humores cum ſanguine menſtruo in hanc quaſi corporis muliebris ſentinam confluunt, & per hunc locum evacuantur; aut ſecundinæ corruptæ; lochia item diu poſt partum retenta & corrupta; inflammationes in abſceſſum converſæ, qui ruptus poſtea in ulcus abit: vel Externæ & Evidentes; acria viz. & erodentia medicamenta; partus difficilis; cum grandior fœtus, præſertim à minus perita Obſtetrice, extrahitur; violentus concubitus, imprimis cum lue venereâ vel virulentâ gonorrhæâ infecto: contagium namque venereum iſtiuſmodi ulcera ut plurimum inducit. Tandem vulnus, caſus, percuſſio, quæ in aliis locis, ſi non rectè tractentur, ulcera excitare poſſunt, hîc quoque, etſi rarius, locum obtinent.

XXV. Hoc autem Ulcus cognoſcitur primùm ex dolore & perpetua mordicatione eo in loco, quæ ſenſim augetur & intenditur, ac in primis ſi tangatur, ut & in concubitu; mariti namque congreſſum ægrè perferre poſſunt. Inſuper punctiones acutas in pube, ardoreſque vehementes

mentes circà pudendum & anum experiuntur, cum dejiciendi conatu maximo, & ſtupore circa ſedes inferiores. Deinde viſu cognoſci poſſunt, ſi in extremitate vaginæ conſiſtunt. Adhæc ex effluente pure, quod interdum eſt doloris expers, uti & odoris; interdum flavum, viride, fœtidum, prout ulcus nunc mite eſt, nunc ſordidum.

Si iſtiuſmodi Ulcus in Fiſtulam degeneraverit, cognoſcitur ex ipſa figura ulceris, quæ in formam fiſtulæ protenditur. Habetque fiſtula conjunctum callum, funditque tenuem ac pravam ſaniem, & præcipuè ſi locus prematur plus ſaniei effluit. Adhæc Colli Uterini fiſtula aliquando ad Veſicam uſque penetrat, & tunc per fiſtulam urina exſtillat; aliquando ad Anum, ut etiam excrementa alvi per fiſtulam exeant. Sed monendi hic ſunt juniores Practici, non rarò Anatomes minus periti, ne unquam meatum urinarium (cui insignis præeſt caruncula) pro fiſtula pudendi muliebris tentent curare, uti ille Barbitonſor, cujus meminit Petrus de Marchettis obſev. Chir. 60.

XXVI. Hæc colli uterini Ulcera periculo non vacant, nullumque ex his contemnendum, ſuntque difficilia curatu; cum ſint in parte tenera, exquiſito ſenſu prædita, & humida, ac ſuſcipiendis humoribus valdè idonea, atque hinc inflammationi & putredini obnoxia; ita ut levis etiam excoriatio requirat diligentiam, ut rectè ſanetur, ne in gravius ulcus abeat.

XXVII. Quoad Curationis præcepta: hîc eadem erunt, ac in aliarum partium ulceribus curandis. Igitur univerſalibus præmiſſis, ad ulceris deterſionem frequenter in collum uteri Metrenchytâ injiciatur Serum Lactis, cui vel Saccharum, vel Mel Commune, vel Mel Roſaceum ſit admixtum. Vel fiat talis Injectio:

℞. Therebinth. Venet. ʒii. Vitellum unius Ovi. Mucilag. Seminis Cydoniorum ℥i. Diſſolvantur cum Seri Lactis, aquæ Plantaginis an. ℥vi. Pro Injectione.

Si autem dolor magnus ſit, ad eum leniendum ita immutetur:

℞. Aq. roſarum, Plantaginis, Spermat. Ran. an. ℥ii. Opii diſſol. ℈i. Albumen unius Ovi Olei Roſacei ℥i. Agitentur probè pro Injectione.

Etiam doloris ulcerisque causâ, hoc vel ſimile præſcribatur Unguentum; quod cum linteo diſcerpto Uteri Vaginæ intrudatur:

℞. Mucilag. Seminis Pſyllii cum aq. Roſ. factæ ℥iii Troch. Alb. Rhaſis cum Opio, butyri rec. ʒß. Vitellos duorum Ovorum. Miſceantur ſimul pro Unguento.

Ad ardorem quoque & cruciatum, qui hujus partis ulceribus ut plurimum adeſſe ſolet, conducit Emulſio ex Seminibus Melonum, cucumeris, Papaveris, Amygdalis, &c

Et ad majorem deterſionem ac ulceris ſanationem, hæc fiat Injectio.

℞. Rad. Conſolidæ, altheæ an. ʒvi. Biſtortæ ℥ß. herb. Plantaginis, Equiſeti, Conſolidæ Saracen. an. Mi. Sem. lini ℥i. pſylli ʒii. Hordei Mund. p. j. Decoq. in ſ. q. aq. Communis ad ℥xvi. colaturæ add. Mellis Roſacei ʒii. Sacchar. Thomæi ℥i. Miſceantur pro Injectione.

Dein unguentum admoveatur, ex Unguento de Tutia, Nutrito, albo Camphorato, Diapompholigos, ſimilibuſque. Vel præſcribatur tale;

℞. Pulv. Iridis Florent. Lithargyri, flor. Sulphuris an. ʒii. Maſtichis ʒi. merc. Dulcis ʒß. Unguenti fuſci felicis Wurtzii ʒii. mellis Roſacei q. ſ. M. F. S. A. Linimentum.

℞. Unguenti Roſacei ℥i. Merc. Præcipitati albi ʒiß. Miſceantur exactè pro Unguento.

Interea Inſeſſiones à quibuſdam valde hîc commendantur, ex Radicibus altheæ, liliorum, Conſolidæ, Herbis Plantagine, Equiſeto, Artemiſia, Lauro, Alchymilla, floribus Camomillæ, Meliloti, Seminibus lini, anethi, ſimilibuſquè in Aq. Communi decoctis.

Suffitum quoque per infundibulum, injecto ſequenti Pulvere ſuper carbones, excipiat Patiens;

℞. Gummi Juniperini ℥i. Thuris, Maſtichis, Myrrhæ, ladani an. ʒii. M. F. Pulvis. Cui, ſi originem debeant hæc ulcera morbo gallico, addi inſuper poteſt Cinnabaris ʒi. Quo in caſu etiam cum linteo diſcerpto admoveatur Aqua Viridis Hartmanni, vel aqua aluminoſa ſeu Mercurialis, vel aliquod e Medicamentis de Penis Ulceribus Venereis propoſitis.

In genere pro hujus partis ulceribus curandis, Thermæ ſiccantes, Sulphureæ, & Aluminoſæ, valdè efficaces ſunt, eæque non rarò ulcera, quæ aliis medicamentis ſanari non potuerunt, curarunt.

De Ulceribus, in Ano.

I. Etiam ſolent intus in Ano oboriri Ulcera, ægre admodum ſanabilia. Ea ortum ducunt a lue venerea inveterata; ex gravi dyſenteria, ac ſuccedente teneſmo; item ex hæmorrhoidibus exulceratis, aliiſvè cauſis: ſic abſceſſus graviſſimi circa podicem ex inepta venæſectione ſequuti, notabile exemplum habetur apud Fabrit. Hildanum Cent. 5. obſerv. 63. Atque adeò humorum ad partem hanc affluxus varii, item inflammationes, vulnera, equitatio longa, aliæque externæ læſiones, horum ulcerum cauſæ eſſe poſſunt.

II. Hæc autem Ulcera ſi externa ſint, oculis patent; quæ verò intus latent, ea ex ſanie emanente & dolore percipiuntur. Nonnulli in hoc caſu anum inſpicere conantur inſtrumento, Speculo Ani dicto, parum calefacto, & ut lubricum reddatur, Oleo oblinito; ſed quoniam hoc inſtrumento vix obſervari poſſunt iſtiuſmodi ulcera, quin potius partes cum dolore & inflammatione lacerentur; hinc uſum ſpeculi hujus non probo, cum facilius quod optamus conſequi poſſimus. Viz. indice digito in anum immiſſo non ſolum ulceris magnitudo, ſed inſuper durities, & tubercula melius percipiuntur. Adhæc ulceris quantitatem conjicere poſſumus ex copia ſaniei excrementis immiſtæ; quanta enim eſt ſanies, tantum eſt ulcus: ſicuti ulceris qualitatem, ex qualitate ſaniei. Etiam ulcerum ani ſtatum exactiſſimè cognoſcimus turundâ ano immiſſâ, & per integrum diem relictâ: qua eductâ obſervatur cui parti materia purulenta adhæreat; quæ tunc locum & magnitudinem ulceris indicat.

III. Sed externa & benigna hujus partis Ulcera ut facilius deprehenduntur, ità etiam facilius curantur: ſic ex dyſenteria quæ fiunt hujuſmodi ulcera, brevi temporis ſpatio non rarò ſanantur deterſione & conſolidatione; viz. Aqua Hordei, & Melle Roſaceo iterum, & tertiò per Siphonem infuſis; vel injecto identidem Clyſtere ex Lacte Dulci, cum Therebinthina in Ovi Vitello diſſoluta, addito Melle Roſaceo. Quæ verò maligna ſunt & occulta, difficulter curantur; cum pars hæc exquiſito ſenſu prædita ſit, & Medicamentis Acrioribus facilè exaſperetur, ac à tranſeuntibus excrementis inquinetur: atque ideò hujuſmodi ulcera venerea non adeò facilè ſanantur; ſerpunt namque plurimum ſuprà muſculum ſphincterem aut ſuperius, ſeu inferius, vel ad latera. Sic refert Marchette poſt Obſervationes Chirurgicas, ſe in cadavere obſervaſſe pluſquam triginta diſtincta ulcera ſuprà ſphincterem muſculum, per totum rectum inteſtinum & aliquam coli inteſtini partem ſerpentia, quibus diſſectis inſignis Puris quantitas effundebatur.

IV. Quoad Curam horum Ulcerum: (Venereorum præſertim) primò totum corpus eſt expurgandum; dein exhibendum Decoctum ex Ligno Guajaco, Corticibus Ejuſdem, Salſaparilla, China, & ſimilibus, cum Sudore, & obſervata tenui Diætâ, prout in Lue Venerea fieri ſolet; vel Salivatio movenda, bis, tervè ſumpto Bolo ex Conſ. Roſar. Rurbr. cum Turpeto Minerali.

Interim dum hæc fiunt, Topica adhibenda Remedia: in primis Injectiones hîc conducunt Detergentes & Conſolidantes, ſine acrimonia & morſu. v. gr. ex Aqua Hordei Chalybeata cum Melle Roſaceo.

Petrus de Marchettis à principio Injectiones laudat ex Aqua Hordei cum Unguento Ægyptiaco, ad abſtergenda ſordida ulcera, uſque dum dolorem inferant, atque ex ipſis aliqua portiuncula ſanguinis effluat; tunc verò, abſtinendum ab Ægyptiaco; cujus loco erit Decoctum Guajaci, Scordii, Virgæ Aureæ, &c. Vel fiat talis;

♃. Hordei Integri p. ij. Ligni Guajaci ℥iß. Herb. Plantaginis, Scordii, Verbaſci an. M ß. Flor. Roſar. Rubr. p. i. Coq. in ſ. q. Aq. Fabrorum ad ℥ xvi. colaturæ add. Mellis Roſacei ℥ ij. vel ℥ iij. Miſceantur.

Valdè efficaces quoque ſunt Aquæ Thermarum ſiccantes, Sulphureæ, & Aluminoſæ, ſi calidæ per ſiphonem Ano frequenter injiciantur.

Adhibitis autem ejuſmodi Detergentibus, ne dolor exacerbetur, mox aliquid lenientium & conſolidantium admoveatur; v. gr. Oleum Hyperici cum æquali portione Olei Ovorum, vel ſimile. Seu potius ab injectionibus immittenda turunda longa & craſſa, imbuta unguento de Tutia vel ſequenti:

♃. Unguent. alb. camphor. ℥i. lithargyr. tutiæ præparat. an. ʒi. Sarcocollæ, thuris, balauſtiæ an. ʒß. Terantur diu in mortario plumbeo, donec fuſcum fiat unguentum. Cui pro curandis iſtiuſmodi ulceribus venereis, ſemper addatur aliquid præcipitati rubri.

V. At verò quanquam hac methodo multa ulcera Ani venerea quotidiè ſanantur, quandoq; tamen adeò maligna occurrunt, quæ dictis remediis non cedunt: in quibus curandis deveniendum ad ignem, quo inurenda non ſemel tantum, ſed iterum & tertio ac quarto; atque ne ſanæ partes lædantur, inuſtio fiat hoc modo. Cannula longo manubrio donata & ad latus perforata (*Scult. Tab. 16. Fig. 2.3.*) linteo, in vino auſtero expreſſo & ſimiliter perforato, obducatur, ac Ano immittatur, dein candente ferramento (*Scult. Tab. 16. Fig. 4.*) in eandem immiſſo repetitis vicibus ulcus inuratur; hac tamen cautelâ, ne frequentius id fiat, & citius remoto ferramento candente, potius quam eodem diutius intrà cannulam detento, ne ſcil. inteſtinum rectum altiùs inuratur, & perforetur.

Factâ inuſtione, duos aut tres dies utendum turundâ imbutâ butyro recenti: Poſtmodum deveniendum ad laudatas nunc injectiones, impoſitâ ſemper turundâ dictis unguentis imbutâ. Atque hac methodo iſtiuſmodi ulcera utplurimum ſanantur; & quæ hoc modo curam non ſuſcipiunt, in fiſtulas abire ſolent. Enimverò ulcera Ani ſi vel Medici negligentiâ, vel ægri moroſitate non rectè curentur, ex ſanie intus relicta, ibidemque cuniculos quaſi agente, atque vicinas partes corrumpente, excitantur fiſtulæ.

De Tibiarum, Articulorum, & Pedum Ulceribus.

I. Tandem reſtant *Ulcera* quæ in *Tibiis, Articulis, & Pedibus* fiunt. Sed quæ in genere de Ulceribus nunc diximus, facilè quis ad harum partium ulcera applicare poterit: adeò ut dubitaverim, de Tibiarum, Articulorum, & Pedum Ulceribus quicquam ſuperaddere. Nihilominus tamen, quoniam non infrequenter contingit, ut ſalſi acreſque humores ad haſce extremas partes expulſi, ulcera excitent, de iis pauca adjungere haud abs re putavi. Et enim acres, auſteri, acido-ſalini humores cum ſanguine per arterias ad partes illas delati, ibidemque relicti, nonnunquam ulcera excitant, ægrè curabilia; idque præſertim poſt eryſipelas partes illas frequenter infeſtans accidit; quemadmodum & in fœminis menſium obſtructione laborantibus. Inſuper è ſcorbuto hujuſmodi ulcera ſæpe naſcuntur. Etiam quibuſdam familiis talia ulcera admodum familiaria ſunt; ut omnes, fœminæ præſertim, etſi aliàs benè valere videantur; ulcera illa diuturna in cruribus habeant.

II. Hiſce autem partium extremarum ulceribus maturè omninò occurrendum eſt. Niſi enim ſtatim ſanentur natura adſueſcit ad haſce partes vitioſos in corpore redundantes humores amandare; qui poſteà, ſi ulcus occludatur, & corpus non diligenter, ſæpiuſque purgetur, alios morbos graviores excitant. Solent etiam neglecta incrementum ſumere, partes vicinas corrumpere, calloſa fieri, ut ita, ſi maturè iis non ſuccurratur, incurabilia fiant. Sed iſtiuſmodi pedum ulcera, in primis quæ tibiæ anteriora occupant, multum laboris Chirurgo creant, ex eo quod corporis univerſi humiditates continuò ad partes affectas defluant; quæ res efficit, etiam optima medicamenta fruſtrà uſurpari, niſi faſciis per arctè, ab inferiore parte ad genu adſcendendo, conſtringatur, ſemelque aut bis quavis ſeptimanâ Purgatio juſta inſtituatur.

III. Igitur ut Ulcera ritè Curentur, primo corpus diligenter ab humoribus vitioſis Purgandum ac viſcerum dyſcraſia corrigenda. Et ſi plethoricus ſit Æger, Vena brachii ſecanda, & ſanguis mittendus. In Topicis autem, ac localibus præſidiis ſemper partium affectarum natura conſideranda, cum non eadem Medicamenta ſiccioribus partibus & humidioribus competant. Et ſi ulcera in Articulis fuerint, ratione humiditatis partis affectæ, Sicciora & Aridiora Medicamenta ſunt applicanda, inquit Paulus Ægineta lib. 4. cap. 5. qui in hiſce ulceribus curandis inter alia laudat frequentem irrigationem Aqua Mariná vel Muriâ factam. Enimverò articulorum ulcera ſunt quamprimum exſiccanda & ſananda, cum in partibus hiſcè ſæpè ulcera cava & cacoëthe gignantur, tum propter oſſium articulationem, tum quia pauco calore ſunt præditi articuli, tum quia craſſo & viſcido humore perfunduntur. Quapropter Pro his ulceribus curandis, Exſiccantibus Medicamentis Spiritus Vini miſcendus erit, qui partes illas roborat, exſiccat, & maximè putredini reſiſtit. Sed cum dictæ partes declives ſint, & ideò ad recipiendos humores aptæ, plano loco inter curandum ſunt ſituandæ.

IV. Tibiarum verò Ulceribus imponatur Unguentum Diapompholigos quod in hoc ulcerum genere efficaciſſimum ſemper deprehenditur, eo uſque, donec pus bonum & album appareat. Vel applicetur Unguentum Deſiccativum Rubrum, vel, quod efficacius, Unguentum de Minio, cujus hæc eſt deſcriptio:

℞. Axung. Porci rec. ℥xii. Ceræ Albæ, Ceruſæ Minii an. ℥ii. Lithargyri, Lapid. Calaminar. Præpar. an. ℥i. Vitrioli Albi ℥ß. M. F. S. A. Unguentum.

Et quia Oleoſa, & Pinguia, propter immediatè cuti ſubjectum perioſteum, in ulceribus hiſcè curandis omninò ſunt vitanda; laudatur a multis lamina Plumbea tenuiſſima, Tibiæ Ulceratæ firmiter alliganda: nec non Emplaſtrum Gryſeum. Vel, ℞. Empl. Gryſei, de Plumbo ad. ℥i. Ceruſæ, Lithargyri an. ʒiii. Sacchari Saturni ʒß. Gummi Elemmi ʒii. M. F. S. A. Emplaſtrum.

Efficaciſſimum quoque hiſce ulceribus curandis eſt Fac Totum Magiſtri Chriſtiadi;

℞. Ol. Roſacei ℥xii, Ceruſæ Mucilag. Rad. Conſolidæ ad. ℥vi. Ceræ Albæ ℥iv. Lithargyri Minii, Lapid. Calamin. Præparati an. ℥iii. M. F. S. A. Unguentum.

Platerus lib. 2. Obſerv. hoc Medicamentum, utpotè validius exſiccans, extollit:

℞. Ceruſæ, Aluminis, Vitrioli an. ℥iß. Aceti Vini q. ſ. Coq. donec in formam Calcis ſiccæ redigantur De hac Calce diſſolve portiunculam in Vino Albo, quô illinatur Ulcus, in eoque intinctum linteum diſſerptum ulceri imponatur: dein ſuperponatur hoc Emplaſtrum;

℞. Lithargyri, Ceruſæ, Plumbi Uſti an. ℥i. Tutiæ Præparatæ, Matris Perlarum an. ʒii. Maſtichis, Thuris an. ʒiß. Camphoræ ʒi. Colophoniæ ℥ß. Sævi Cervini ℥i. Therebinthinæ ʒii. Ol. Roſacei, q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum.

Inſuper pro Crurum, Pedumve ulceribus inveteratis Curandis, non ſemel egregium & efficaciſſimum expertus ſum quod ſequitur;

℞. Herb. Artemiſiæ, Agrimoniæ, Scordii, Sum, Abſynthii. Centaurii Min. an. Mi. Aquæ Pluviæ ℔vi. Coq. ad ℔ii. In colatura madefiant lintea diſcerpta, quæ ulceribus hiſce imponantur, & bis quotidiè renoventur; ac mappæ laneæ ſimiliter madefactæ ſuperinjiciantur. Laudatur & hoc;

℞. Aquæ Meliſſæ ℥vi. Tutiæ Præpar. ʒiß. vel ʒii. Fiat Mixtura, eodem modo uſurpanda.

V. Sed harum partium ulcera magnas Medico & Chirurgo ſæpè pariunt moleſtias, nec Curam incipiunt, niſi è directo ulceris, ſub genu vel ſuprà genu, excitetur Fonticulus, quo effluentes continuò humores deriventur, & evacuentur: qui non occludatur, priuſquam ulcera ſint curata, & affecta pars, ex morbi diuturnitate labefactata ſatis robuſta obſervetur. *Johannes Munnicks in Chirurgiâ Praxi hodiernæ adornatâ.*

Obſervationes.

Ulceris pudendorum, cum eroſione teſticulorum curatio.

JUvenis quidam robuſtus, & viginti annorum circiter ætatis, natione Sabaudus (cujus nomini parco) ulcus ex Lué venerea, in parte decliviore ſcroti contraxerat, cum capitis & articulorum doloribus nocturnis, aliiſque ſignis certiſſimis luis venereæ. Venit ad me Lauſannam Anno 1601. tum dimidiam partem ſcroti, ſimul & teſticulorum exeſam reperi. In palato quoque ulcus cum oſſis carie erat. Inſtituta optima victus ratione, corpus ſequentibus pilulis purgavi.

℞. Maſſ. pilularum aurearum, Aggregativar. & de fumo terræ an. ℈i. Troſchiſc. alhandal. & Diagridii an. gr. iv.

Cum ſyrupo de betonica fiant pilulæ quinque, involvantur pulvere cinamomi, denturque in crepuſculo matutino, cum cuſtodia. Poſtridie baſilicam ſiniſtram incidi, & ſanguinem ad uncias ſeptem extraxi, ſiniſtram autem propterea eligere viſum eſt, quod caput ipſi maximè in illa parte doleret, & ulcus in palato præcipuè ad ſiniſtram mandibulam vergeret.

Deinde ſequens apozema exhibui.

℞. Radicum cichorii tot. radic. polypodii lapat. acuti Corticum interior. radic. frang. an. ℥i. ſcabioſæ, veronicæ, betonicæ an. m. i. paſſular. enucleatarum, liquiritiæ raſæ an. ℥i. ſem. aniſi & fœniculi an. ℥ß. trium florum cordialium an. p. i. Coquantur in ſ. q. aquæ puriſſimæ, ut colatura redeat ad ℔ iij. quibus infundantur, macerentur & coquantur ſ. a. Foliorum ſenæ à ſtipitibus repurgat. ℥ij. agaric. recent. troſchiſc. hermodactylorum rhabarb. optim. an. ℥ß. cinamomi ℥ij. zingib. ʒi.

Maneant in maceratione horas octo, inque loco calido, orificio vaſis bene clauſo. Deinde iterum leviter calefacta omnia, fortiter exprimantur, addanturque, ſyrupi de epithymo, roſarum ſolutivi an. ʒij.

Miſce, fiat apozema pro quinque doſibus, in aurora ſumendum. Porrò, quia à primo & altero hauſtu mediocriter purgatus fuit, per diem unam aut alteram quievit: Denique reliquam partem ſui apozematis ſumpſit, poſtrema doſi, ut violentius ipſum evacuaret, drachmas duas Conf. Hamech admiſcui. Interim

dum corpus ita præpararem atque expurgarem, nihil eorum quæ circa ulcus neceſſaria videbantur, omiſi. Deinde juncturas, cubitos ſcilicet, carpos, genua, pedeſque unguento ex Mercurio, uſque, dum dolor & inflammatio gingivarum, & expuitio pituitæ ſubſequeretur. Hinc dolor capitis & juncturarum remiſit, ita ut à Lue venerea ſimul & ab ulcere ſcroti & teſtium feliciter curatus fuerit, & ad hunc uſque annum 1608. quo hæc ſcripſi, ſanus & incolumis vivat, prolesque ab eo tempore procreaverit; ex ulcere palati tenuis excidit ſquama oſſis, quod itidem poſteà curatum fuit. *Gulielm. Fabricius Hildanus obſervation. Chirurg. cent. 3.*

De ulcere maligno & cancroſo, circa radicem linguæ.

Viris Ampliſſimis atque Doctiſſimis D. D. D. Doctoribus Marco Offredo, Andreæ Boneto, & Paulo Offredo, Medicis longè celeberrimis Petrus Robinus M. D.

S. P. D.

Singularis veſtra humanitas atque in me benevolentia, Viri Ampliſſimi, qua hactenus me amplexi fuiſtis, facit, ut in caſu quodam graviſſimo, & veluti immedicabili, conſilium veſtrum prudentiſſimum implorare auſus ſim, obnixè rogans, ut auxilio, remediiſque nobis adeſſe non gravemini. Caſus autem talis.

Vir ſexageſimum ſextum ætatis annum decurrens ſuperiori menſe Novembri ulcus in Latere ſiniſtro linguæ contraxit, quod ex parvula veſica in profundum ulcus, illudque ſordidum, eſt excavatum: quod ut curetur, cœlo terraque præſidia exquiſitiſſima comparata curavimus admoveri, quorum ope aliquando ad cicatricem productum ulcus, & penitus curatum videbatur; interea dolor perpetuus, mira ciborum deglutiendi & trajiciendi difficultas, dolor lancinativus ad aurem lateris affecti identidem hominem ferè peremit, exulceris nimirum erodentis vicinia & malignitate. Primò itaque occurſu purgationem integram celebravimus, ex lenientibus ex apozematis, & reïteratione purgationum, ſanguinis miſſione, hirudines pone aures ſunt admotæ, Pyroticum regioni occipitii ad primam cervicis vertebram inuſtum. Pilulæ Cochiæ, aggregativæ, & aureæ, an. ad ℈i. & aliquanto plus, quolibet decimo die paratæ. Emplaſtrum de thapſia, betonica, &c. futura coronali deraſæ inductum, ulcus ſordidum quater in die, primo quidem vino diluto repente, tum aqua ſecunda deterſum, per dies plus quàm quindecim: tum conſequenter oleo de chalcantho per dies plus quam quindecim deterſum. Clyſteres quolibet octavo die injecti: reïterata ſecundò integra & abſoluta purgatio ex leniente apozemate, & ſecunda purgatione. Paratum gargariſma pro ulcere detergendo, ex omni genere detergentium, & aſtringentium, melle roſato & aliqua parte Aloës ſuccotrinæ, & aluminis. Quibus omnibus ſuperioribus præſidiis, tantum abeſt ut ulceris malignitas illa ſit efferata; & ſub lingua verſus linguæ frenum partes excavat & depaſcitur ſalvo tamen œſophago & larynge. Chirurgus Chapuſius Burgundus, caſu quodam in hiſce partibus præſens, hominem inviſit, totiuſque ulceris originem & malignitatem denti putrido & eroſo tribuens, me abſente eundem dentem eduxit, eidem ulceri curando gargariſma ex detergentibus & aſtringentibus & unguento Ægyptiaco præſcripſit. Clariſſimus Dom. Saracenus Lugdunenſis Medicus, in hujus urbis viciniam accerſitus, & aliud agens, me rogante hominem adivit: cum eodem Viro clariſſimo conſilium inivi. Decoctum ex duabus partibus ſalzæparillæ, & una guajaci per dies quindecim paratum, quo mane & veſperi, & in potu ordinario uſus eſt, non omiſſa tertiò integra purgatione, & ab initio morbi hactenus congrua victus ratione perpetuò obſervata, & aqua aluminoſa à diebus aliquot ulcere deterſo, nihil utilitatis ſumus conſequuti: morbus artem evincit exhauſta pharetra, ulcere magis ac magis deſæviente & ſerpente, vim præſidiorum artemque eludente. Magna itaque humorum corruptela, peſſimus totius corporis habitus, ulceris telephia, aut chironica natura, perpetua ſalivatio, eaque viſcida & glutinoſa, ex ore defluens indeſinenter, à morbi primordio ulceris curationem arcent. Hæc totius morbi origo, hiſtoria, & præſidiorum ſeries: ut ſi quid veſtra conſilia poſſint, ſi quæ ſint arcana pro tanto morbo profligando, eadem nobis pro veſtro erga nos amore teſtatiſſimo impendatis; & ſi quis Chirurgus apud vos cæteris omnibus hac in parte excellat, eundem nobis mittati, hoc vos iterum atque iterum rogo. Bellitii. 10. Februarii 1614.

Primi ulceris in linguæ latere curati labia ſunt callo ſimilia, eaque indurata, quæ linguæ obvolvenda incredibiles pariunt dolores. *Hactenus Dom. D. Robinus.*

Porrò cum à Collegio medicorum clariſſime conſtitutum eſſet, ut ego advocarer, ac Dn. D. Paulus Offredus nomine reliquorum ad me ſcripſiſſet & ego 7. Febr. 1614. Bellitium ad ægrum Dn. Claudium Monteilletum, ibidem in Curia procuratorem prudentiſſimum, perveniſſem, ulcus tale, ut in præcedentibus Dom. D. Robini literis deſcriptum eſt, inveni. Convocatis itaque mecum Dn. D. Robino, & Magiſtro Claudio Pennino, Chirurgo Bellicenſi, curationem ſic inſtituimus. Primò corpus ſequentibus pilulis iterum expurgavimus.

♃. Pil. aurearum, cochiarum an. ℈iß. Trochiſcorum Alhandal & diagridii an. grana iij.

Cum ſyrupo roſato ſolutivo formentur pilulæ quinque, involvantur pulvere Cinamomi. Purgato corpore, ſetaceum nuchæ applicui.

Capiti cucupham ex ſequentibus ſimplicibus præparatam applicuimus.

♃. Florum betonicæ, Salviæ, roſmarini, lavendulæ an. p. ii. radicum & ſeminis pœoniæ macis caryophyllorum olibani maſticis cinamomi ſtracis calamitæ an. ℥ß. roſarum rubearum nigellæ Romanæ an. p. ii. Granorum Kermes ʒiii.

Contuſa omnia, & exquiſitè pulveriſata, excipiantur bombace pexo, & cum panno ſerico carmeſino fiat cucupha interpunctim conſuta, pro cranio obducendo. Hiſce adminiſtratis, ægrum iterum ſequenti potiuncula expurgavimus.

℞. Decocti communis pectoralis cum ſeminibus aniſi, melonum, citri, acetoſæ, adde paſſularum mundatarum prunorum Damaſcenorum an. ℥i. ſub finem decocti polypodii, & viſci quercini epithymi ſeminis carthami an. ʒiii. fol. ſenæ mundatorum ʒii. ſem. malvæ ʒi. Fiat decoctio ad ℥iv. In quibus infunde agarici trochiſcati ʒi. rhabarbari ʒiß. turbith. ʒß. gingib. & ſandali citrini an. grana ſex. In expreſſione diſſolve diaphœnici & confectionis hamech an. ʒiß. electuar. diacarthami ʒi. ſyrupi roſati ſolutivi ſimpl. ℥i. Miſce fiat potio.

Quâ expurgato corpore, ad humoris atrabilarii acrimoniam arcendam, ſerum lactis cum ſyrupo violaceo per dies quindecim, & plus exhibuimus, & vinum decocto veronicæ, & agrimoniæ, ſaccharo & cinamomo aromatizato diluimus.

Loco affecto ſequentia applicuimus.

℞. Aquæ ranarum aquatilium gammarorum plantaginis roſarum an. ℥ii. mellis roſacei ℥i. Miſce, fiat gargariſma, quo os ſæpiſſimè abluatur, & ſiphone in ulcus ipſum injiciatur.

Poſtea ſequens pulvis beneficio follis, uti hic depictus eſt, inſuffletur.

℞. Pulveris ranarum aquatilium & gammarorum ſ. a. præparati, cornu cervi uſti & præparati an. ʒi. Miſce, fiatque pulvis, qui fiſtulæ follis imponendus eſt.

Tandem ſequens medicamentum in forma linimenti præparatum, bombace in eo intincto ulceri impoſui.

℞. Ceruſſæ lotæ, cornu cervi uſti & præparati pulveris ranarum & gammarorum ſ. a. præparati an. ʒß.

Cum ſufficiente quantitate mucilaginis ſeminis cydoniorum factæ cum aquis ſupra deſcriptis, fiat inſtar linimenti.

Hac obſervata methodo, & adhibitis medicamentis, malignitas ulceris brevi caſtigata fuit, penituſque remiſit. Cùm verò per menſem apud ægrum moram traxiſſem, & ulcus verè ad cicatricem perveniſſet, ita quidem, ut res tam domeſticas, quàm forenſes iterum adminiſtrare poſſet, domum me recepi, & quæ præterea agenda, Clariſſimo Medico Dn. D. Robino, & Magiſtro Claudio pennino perficienda commiſi. Sed quid ſit? Poſt meum abitum cum agyrta & circum foraneus quidam Bellitium percurreret, multumque & ad cœlum uſque (ut hujuſmodi impoſtores facere conſuevêre) ſecreta ſua extolleret, ægro adductus fuit. Is acceptâ pecuniâ, cum præter intentionem Medici atque Chirurgi, ægro medicamenta ſua applicuiſſet, tertio poſt die hæmorrhagia ex ipſo ulcere adeò magna conſequuta eſt, ut niſi ſedulam diligentiam adhibuiſſet Mag. Claudius, in ipſa hora extinctus fuiſſet æger. Hinc maxima conſequuta eſt virium proſtratio. Cum denuò advocatus eſſem, non ſolum vires mirum in modum labefactatas, verùm etiam ulcus priſtinam ferè malignitatem adeptum eſſe, reperi, profundum item & ſordidum erat. Ulceris quidem malignitas blandis & benignis illis ſuperiùs recitatis medicamentis caſtigata fuit ſed humidum radicale adeò erat abſumptum, innatuſque calor extinctus, ut nulla arte aut induſtria reſocillari poſſet; ita quidem, ut non diu poſt animam ſuam deo reddiderit. Quod ſanè mirum non eſt; erat enim cùm ratione conſtitutionis corporis, tum etiam ſenectutis ſupra modum extenuatus: tantaque copia ſanguinis (quemadmodum Chirurgus & adſtantes referebant) effluxerat, ut vix credibile ſit, corpuſculum adeò exile atque extenuatum tantâ copiâ ſanguinis poſſe eſſe præditum. Veriſimile autem eſt, Empiricum illum (quicquid pro defenſione ſua adſtantibus perſuadere voluerit) medicamento aliquo acri & erodente uſum fuiſſe, carnemq; ad ramum aliquem inſignem venæ jugularis internæ non tantum eroſiſſe, verum etiam priſtinam malignitatem ulceri iterum induxiſſe. *Idem Cent.* 4.

De ulceris inveterati & cacoëthis, ex intempeſtivo uſu Medicamentorum frigidorum, in combuſtione applicatorum orti, feliciſſima curatione.

Etiamſi in tractatu noſtro de combuſtionibus, uti quoque in Centuria prima Obſervatione 90. luculenter ſatis monſtravimus, quàm à ratione aliena, quamque periculoſa ſit methodus curandi combuſtiones per medicamenta frigida; non erit tamen abs re ſequenti exemplo id denuò confirmare.

Puella quædam ex nobiliſſima familia oriunda, Urſula von Utenheim nomine, 16. annorum ætatis, cùm pede ſiniſtro in aquam fervidam delapſa eſſet, & ſecundum vulgarem, ac paſſim à Practicis uſurpatam Methodum, Medicamenta frigida, & quæ inſigniter exſiccant applicata eſſent, paulatim malum exacerbatum eſt. Pes totumque crus mirum in modum intumuit, & ulcus circa talum exteriorem remanſit: ubi Medicamenta quàm plurima, tam interna quàm externa, abſque fructu adhibita fuere. Ulcere iſto cùm in quartum uſque annum laboraſſet, & ego Anno Milleſimo ſexcenteſimo Decimo octavo Durlachium vocatus eſſem, me, unà cum Clariſſimo ac Doct. Viro D. Lud. Schmidt, Sereniſſimi Principis ac Domini Domini Georgii Friderici marchionis Badenſis & Hochbergenſis &c. Doctori medico celeberrimo, in conſilium adhibuit. Ulcus autem iſtud latitudinem Thaleri Imperialis excedebat: labia in circumferentia inæqualia, nonnihil elevata, prædura & calloſa erant; Articulus quinetiam, propter impactam, atque à frigidis iſtis medicamentis induratam materiam, adeò erat rigidus, ut vix ipſum movere & incedere poſſet.

Sequenti autem modo curationem inſtituimus: Primò potiunculâ hác corpus expurgavimus.

℞. Extracti Cnicopharmaci ℈. ii. Extract. mechoacæ ℈. i. Syr. roſ. ſolut. compoſiti ʒ. vi. Decocti communis folior. ſenæ ℥. i. miſce fiat potiuncula.

Ulceri pulverem præcipitatum, optimè & ſ. a. rectificatum cum filamentis impoſui. Pedem, & quicquid induruit, ſequente Linimento inunxi:

℞. Pingued. caponis, Ol. liliorum alborum, Ol. lumbricorum an. ℥ ß. Miſce.

Poſtea ſequens Cataplaſma calidè applicui,

℞. Fa-

℞. Farinæ fabarum, Lolii an. ℥ i ß. Pulver. radic. altheæ, Bryonæ, Sem. fœnigræci, an. ℥ ß. Flor. roſarum, odoriferarum, Myrtillorum, balauſtiorum an. ʒ i. Maſticis, olibani, an. ʒ ij. Sapæ ℥ ij. Croci ʒ ß.

Cum decocto radicum altheæ & fœnigræci f. ſ. a. Cataplaſma.

Poſt dies etiam aliquot fonticulum cauſtico, ſub genu, è directo ulceris fecimus, in eum finem, ut eſſet affluentis humoris ex corpore interceptio: quapropter ne clauderetur, antequam pars affecta, ex diuturnitate morbi labefactata, ſatis eſſet roborata, injunximus. His adhibitis remediis, cùm labra prædura & calloſa emolliri non poſſe videremus, cauſticò ea abſumpſimus, inductâ eſcharâ ſequens Digeſtivum applicuimus.

℞. Ceræ novæ ℥ i. Colophoniæ. Gummi elemi, Terebinthinæ an. ℥ ß. Pulver. maſticis, olibani an. ℈ ij. Croci ℈ i.

Cum oleo roſaceo & amygdalarum dulcium q. ſ. fiat Unguentum, addendo vitellum ovi, parum olei de vitellis ovorum.

Præſcriptum cataplaſma per menſem ferè integrum applicatum, pulvis verò præcipitatus ad finem curationis inſperſus fuit. Poſt uſum cataplaſmatis, ſequens Ceratum circumcirca juncturam pedis applicuimus.

℞. Emplaſtr. de mucilaginibus ℥ iv. Gummi ammoniaci ℥ ß. Ceræ ℥ i. Croci ʒ ß. Argenti vivi extincti ℥ ii ß.

Miſce, fiat ceratum, quod ſupra alutam extendatur, & applicetur ut dictum eſt. Notandum autem eſt, ab uſu hujus cerati nonnunquam puſtulas erupiſſe: id quotieſcunque accidit, uſum Cerati intermiſimus, & unguentum aliquod exſiccans, veluti de Ceruſſa applicuimus: conſolidatis puſtulis, ceratum iterum ad eruptionem uſque puſtularum applicuimus. Hoc modo enim materiam induratam ſatis emollitam, paulatim quoque evacuavimus. Tibiam à digitis pedum ad genua uſque faſciâ ſequenti decocto imbutâ, involvimus.

℞. Radic. conſolidæ major. Tormentillæ, Biſtortæ, an. ℥ i. Herb. Beton. Ivæ arthriticæ, Abſinthii, Salviæ, Roſmarini, Flor. Primul. Veris an. m. j. Coquantur in ℔ vi. aquæ, addendo Salis m. j. Faſciam uſque ad finem curationis præſcripto decocto madefactam applicuimus: poſt curationem verò ut ſiccam illam, per annum integrum & quidem mane applicaret, & per intervalla corpus expurgaret, venaque in brachio tunderetur, juſſimus. Sic Divino favore ab ulcere iſto inveterato feliciter, & parvo cum negotio convaluit. *Idem Cent. 5.*

De ulceris fiſtuloſi & inveterati feliciſſima & compendioſa curatione.

Anno 1586. Excellens quidam Medico Chirurgus (cujus nomen hic lubens prætermitto) Genevæ matronam, quæ ex abſceſſu in crure ulcus fiſtuloſum contraxerat, curandam habuit: circa quam cùm ultra menſes ſex occupatus fuiſſet, ſummam que diligentiam fruſtrà adhibuiſſet, tandem Dominus Johannes Griffonius, Chirurgus ſcientiâ ſimul & experientia clarus, Præceptor & Fautor meus perpetuo honorandus, in conſilium adhibitus fuit. Is ut Chirurgus circumſpectus, & in inquirendis cauſis morborum longè diligentiſſimus, cum ſtylum exploratorium adhibuiſſet, & cognoviſſet, præcipuam & unicam cauſam, quæ conſolidationem impediebat, tenuitatem eſſe cutis, quæ ulceri adjacebat, ſpemdedit ægræ, ſe brevi, juvante Deo, illam in integram ſanitatem reſtituere poſſe.

Purgatò itaque & ſatis præparato corpore, cauſtico cutem illam tenuem eroſit, & ex fiſtula ulcus oblongum fecit. Poſt caſum eſcharæ, unguento de ſucco apii mundificato ulcere, ſpacio trium aut quatuor circiter ſeptimanarum feliciter cicatricem induxit.

Ab eo tempore frequentiſſime in curandis ægris idem mihi obſervare contigit. Quotieſcunque enim in abſceſſibus pinguedo, & panniculus carnoſus à putredine aut pure abſumuntur, cute remanente integrâ, non coaleſcit, neque cum carne reunitur. Quæris cauſam? In promptu eſt. Venæ enim capillares ad cutem tendentes, à putredine & pure eroduntur & abſumuntur; Quibus eroſis, ſanguis & nutrimentum conſolidationis materia non amplius ad cutem defertur. Hinc cutem hoc modo à ſubjecto panniculo carnoſo ſeparatam, colorem naturalem in lividum aut obſcurum mutare videmus, areſcit enim. Quapropter veluti inutile quid abſcindenda aut erodenda eſt.

Hæc in gratiam juniorum Chirurgorum adſcribere viſum fuit, ut in inquirendis cauſis, quæ ſanationem ulceris impediunt, diligentes prudenteſque ſint, atque videant, frequenter ex minimo etiam errore ſanationem ulceris retardari poſſe. *Idem ibidem.*

De fiſtulæ, ex parotide orta, curatione.

Studioſus quidam, circa annum duodecimum ætatis, abſceſſu ſub aura dextra (parotis vocatus Medicis) correptus fuit, qui quum paulatim in fiſtulam abiiſſet, per tres integros annos fruſtrà à Barbitonſoribus excruciatus fuit. Tandem 28. Julii Anno 1620. cum Bernam veniſſet, & mihi adductus fuiſſet, fiſtulam cuniculoſam inveni, exterius in cute duo ſaltem erant foramina anguſtiſſima, quorum unum ſurſum verſus cranium tendebat, & in duos ſinus dividebatur: alterum deorſum verſus jugulares venas deſcendebat. Sed omnia intus erant calloſa. Optima præſcriptâ victus ratione, ſemel quinetiam atque iterum expurgato corpore, cauſtico meo cutem, quæ fiſtulis illis adjacebat, eroſi, & digeſtivum, necnon Unguentum Baſilici ad caſum eſcharæ applicui. Deinde eodem cauſtico, nec non pulvere Angelico, diligenter rectificato, calloſitates omnes paulatim abſumpſi, ita ut intra ſeptimanas ſeptem pleniſſime convaluerit.

Prædicto autem pulvere ad finem ferè curationis uſus ſum. Non tantum enim mundificat, & ſuperfluam carnem abſumit, verum etiam conſolidat, & optimæ carnis generationem promovet.

Senſim prætereà viſcoſos humores, qui in ambitu vulnerum, & ulcerum male curatorum deliteſcere ſolent, ad ſe trahit & evacuat.

Porrò diligenter attendendum eſt, ne quicquam de cute à ſubiecta carne muſculoſa ſeparata, & venis cappillaribus deſtituta, remaneat. Con-

Conſolidationem enim impedit, ut præcedenti Obſervatione tyrones fuſius monui. Et quia illa in prima applicatione in hoc noſtro ægro, propter calloſitatem inſignem eroſa non fuerat applicationem cauſtici aliquoties iteravi; ubi diligenter proſpiciendum eſt, ut quantitas cauſtici cum cute, quæ erodenda eſt, juſtam, & ut dicimus, ad pondus habeat proportionem. Et ita quidem, ut partes integræ & ſanæ conſerventur, male affectæ verò deſtruantur. Id autem rectè ut fiat, neceſſe eſt ut Chirurgus optimam habeat notitiam facultatis ſui cauſtici.

Deinde etiam ut naturam ſubjecti cognoſcat, hoc eſt, an molle, rarum, humidumque, an vero ſolidum, denſum, & ſiccum exſiſtat? Quam periculoſum enim ſit, in applicatione cauſticorum medicamentorum errare, Lector ex obſervatione 94. Centuriæ 1. & obſerv. 72. Cent. 4. videre poterit. *Idem ibidem.*

Inveteratum ulcus, in pollice pedis exiſtens, quo modo ſanatum?

Tigurinus quidam Juvenis contuſionem ad pollicem pedis receperat, exortâ inflammatione in ulcus degeneravit; id cum inveteraſſet, nulliſque, ut videbatur, remediis ampliùs curari poſſet, venit ad me Genevam Anno 1595. Digitus intumefactus, & inflammatione obſeſſus erat. Ad externum latus digiti ulcus erat cum excreſcentia carnis, quæ magnitudinem fabæ excedebat, & dimidiam fere partem unguis velabat. Hanc Barbitonſores cauſticis aliquoties abſumſerant, ſed fruſtra. Quicquid enim de die abſumebat, id noctu fungi inſtar repullulavit. Ego diligenter perquirens, quænam ſanationi hujus mali obſtare poſſent, inveni unguem, ſubter carnem illam exuberantem, à ſubjectâ carne ſeparatum eſſe, & proinde continuò carnem ſanam, verſum radicem unguis pungere, dolores excitare, humoreſque copioſè attrahere. Cognitâ causâ ægro ſpem feci, brevi ipſum ſanitatem recuperaturum. Purgato corpore, & ſectâ venâ in cubito ejuſdem lateris, excreſcentiæ carnis pulverem aluminis uſti inſperſi: Digito verò ſimul & toti pedi, ſequens Cataplaſma, quod refrigerat, & dolorem lenit, applicui.

℞. Farinæ Fabarum ℥ ij. Pulveris roſar. rubear. Balauſtiorum, & Nucum cupreſſi an. ℥ ij. Croci ℈ß.

Coquantur cum aqua plantaginis & roſarum, parumque aceti ad formam Cataplaſmatis, addendo ſub finem vitellum ovi, parumque olei roſacei, applicetur tepidè.

Beneficio hujus Medicamenti dolor ſimul & intumefactio multum remiſerunt, excreſcentia quin etiam carnis aliquantum imminuta eſt, ita ut unguis à ſubjecta carne ſeparatus, quem excreſcentia carnis obtexerat, in conſpectum veniret. Illum cùm ſcalpello & forfice, eâ quâ fieri potuit diligentiâ abſcidiſſem, & pulverem exſiccantem aſperſiſſem, necnon Emplaſtrum diapalmeum applicuiſſem, brevi convaluit. Ediſcant Chirurgi, quantum interſit, morbi cauſam præcognoſcere. *Idem ibidem.*

Pro Ulcere.

Proponam hic Medicamentum polychreſtum ad omnia ulcera ſananda etiam compoſitâ, & eſt unguentum mirabile dictum, quia mirabilia præſtat, confectio talis eſt.

℞. Lithargyr. auri ℥ij. ol. roſ. ℔ß. ponantur ad ignem in vaſe vitreo, & bulliant eo uſque quo ſi mittatur intus calamus comburatur, adde ceræ novæ ℥ iij. ſtyrac. liquid. ℥j. mell. ℥iß. bulliant & incorporentur optimè; poſtea extrahatur ab igne adde pulv. thuris mirrh. præcipitati, ol. terebinth. ceræ, reſin pini an. ℥j. M. optimè. Hoc unguentum exſiccans eſt, & abſtergens, & malignitatem extinguit ob præcipitatum. *Rodericus à Fonſeca, tom. 2. conſult. 17.*

Pro ulcere calido in tibia.

Corpore decenter purgato, ulcus lavari mandavimus cum aqua plantag. roſ. & ſimilibus. Deinde unguentum commodè deſiccativum & incarnativum etiam refrigerans in tibiis maximè expertum præſcripſimus.

℞. Ceruſſ. ℥i. lithargyr. ℥i. maſtich. corall. rub. roſ. ſang. drac. camphor. an. ℥i. unguenti popul. quart. ß. ol. roſ. viol. aqu. ſolani & plantag. q. ſ. lapid. calamin. & oſſis ſæpiæ an. parum. F. unguentum. *Petrus Foreſtus, obſerv. 5. lib. 7. obſ. Chirurg.*

Quidam in ulceribus parvis excoriantibus cutem & carnem tibiæ cujuſdam, prius appoſuit emplaſtrum ex ceruſſa lithargyro auri myrrha & oleo roſ. coctis ad duritiem convenientem; ſed interim ſucco ſenecionis excoriationes, tum ulcera lavabat, deinde pulvere ariſtol. long. & baccarum lauri inſperſo; hinc pannum lineum in ſucco ſenecionis madefactum circa tibiam excoriatam volvebat, ſuperinductis faſciis à talo ad genu uſque; & ita tibia excoriata ab omnibus ulceribus ſana evaſit. *Idem. obſerv. 4. lib. 7. obſerv. Chirurg.*

Pro ulcere verminoſo.

Unguentum hoc in ulceribus ad vermes deſcriptum à *Bertapalia* adhibuimus.

℞. Olei amygdal. amar. ſucc. arant. acidor. vini malvatici, an. ℥ß. pulv. colocynth. cent. min. an. ʒiß. ceræ, q. ſ. F. unguentum. *Petr. Foreſtus, obſerv. 10. lib. 7. obſerv. Chirurg.*

Pro ulcere cum oſſis corruptione.

Chirurgus ut ſquammæ exſiccarentur, & exciderent oſſium cortices, & ut bona caro renaſceretur, commodè hoc ſequenti pulvere uſus eſt.

℞. Ariſtol. rot. ireos, Aloës combuſtæ, rad. peucedan. ſcoriæ æris, cortic. pini, an. part. æq. F. pulvis adjectum eſt deinde mel ut fieret emplaſtrum. *Petrus Foreſtus, obſerv. 11. lib. 7. obſerv. Chirurg.*

Pro ulcere virulento, corroſivo & ambulativo.

Chirurgus quidam hac lotione commodè utebatur.

℞. Myrobal. citrin. ℥ß. myrtill. roſar. an. M. ß. ſantal. omnium an. ʒiß. aq. roſ. ℥iv. aq. plantag. ℥viii. bulliant omnia ſimul ad tertiæ partis conſumptionem. Idem hoc pulvere ad cicatricem inducendam utebatur.

℞. Bol.

♃. Bol. armen. ℥ß. alumin ʒij. balauſt. myrtill. myrobal. citrin an. ʒiß. M. F. pulvis, hoc etiam unguento prohibente ulceris deambulationem utebatur.

♃. Tutiæ præp. plumbi uſti, antimon, an. ʒi. pulveriza ſubtiliſſimè, & cum oleo myrtino F. unguentum. Carpus hoc utebatur pro exſiccando ulcere.

♃. Ariſtol. long. rot. cent min. an. Mß. caud. equin. Mj. cortic. thur. ʒj. vini nigri ℔x. mell. ℔ß. bulliant ad conſumptionem duarum partium, & coletur.

Quidam cum ulceratam haberet tibiam ulcere virulento & corroſivo, pulverem cranii humani adulti inſpergebat, & ſupra dictum pulverem linamenta ſicca apponebat, & ita curatus eſt: unguent. hoc valde eſt expertum mundificans & conſolidans omnia ulcera corroſiva, ambulativa, & difficilis conſolidationis.

♃. Succor. depurator. pentaphyll. piloſell. conſolid. min. bugiæ, abſinth. an. ℥i. ſucc. caud. equin. virgæ paſtoris, an. ℥ij. ſucc. plantag. ℥v. ol. roſ. ℥iv. ceræ ℥iij. mell. roſac. ℥iiß. terebinth. ℥ij. vel q. ſ. ceruſſ. lotæ in aqua plantag. lithargyr. auri, tutiæ præpar, plumbi uſti & loti, ſpodii, balauſt. an. ℥ß. ſang. drac. ſarcocoll. nutrit. in aq. plantag. myrrh. thuris, aloës, roſ. ſicc, ciner. ſarment. vitis, an. ℥iij. F. unguentum.

Hæc aqua mirabilis habetur in exſiccatione ulcerum virulentorum.

♃. Succi portulac. plantag. ſucci uvarum non maturarum an. pintam. i. album. ovorum num. 8. alumin. crudi ℔i. optimè pulveriz. & extrahatur aqua per alembicum. *Petrus Foreſtus, obſerv. 13. lib. 7. obſerv. Chirurg.*

M. Jodocus Chirurgus ad ulcera ſordida & putrida, & ad gangrænas, hoc unguento abſterſivo utebatur.

♃. Micam panis ſiliginei, & tempera eam in aceto vini ad horas ſex, poſtea eam contunde, & adde mell. roſ. & ſalis, q. ſ. extend. ſuper licinia, poſtea ſuperpone plumaceolum infuſum in aceto & aqua, ita ut comprehendat totum ulcus, interim non omittendo defenſivum circa partes vicinas. Sed & nos hoc unguento mundificativo mirabili ad ulcera putrida ſine corroſione commodè utimur.

♃. Succ. depurator. apii, abſinth. beton. an. ʒi. ſucc. plantag. ℥iv. ſucc. agrimon. ℥ij. mell. roſat. colat. ℥iv. bulliant omnia ſimul leviter ſemper movendo uſque ad conſumptionem quaſi ſuccorum, deponendo ſpumam, deinde removeatur ab igne, & incorporetur cum eo pulvis ſequens ad mellis ſpiſſitudinem.

♃. Gallar. quercus ℈iß. myrrh. el. ℈ij. thur. maſtich. aloës ſuccotr. ſang. drac. ſarcocoll. an. ℈i. pſidiæ, roſ. rubr. balauſt. ciner. ſarmentor. vitis an. ʒi. F. pulvis ſubtiliſſimus. Aliud unguentum mundificativum mirabile in ulceribus ſordidis & fraudulentis.

♃. Succi folior. lilii ℥iv. aceti ℥i. mell. ℥ß. M. & coque in vaſe æneo ad perfectionem: aliqui addunt ſucc. abſinth. apii, & plantag. q. ſ. & mirabiliter operatur. *Idem. obſerv. 14. lib. 7. obſerv. Chirurg.*

Pro ulcere profundo & cavernoſo in mulieris cujuſdam coxâ.

Cum eam ſæpè purgaſſemus, ad decoctum ligni guajaci devenimus; ipſis ulceribus abſterſis cum injectionibus & lotionibus ex lixivio, melle roſato, & alumine factis: aqua maris hic egregie confert, ut & aqua aluminoſa, quæ in hoc affectu præſtantiſſima eſt.

Pro putrefactione circa labia, & ut etiam ulcera ampliarentur, aliquando præcipitatum imponere mandavimus: deinde ablata eſchara, ad majorem mundificationem, etiam unguento Ægyptiaco cum decocto hordei, & mellis modico abluimus; ulceribus ſatis abſterſis, per tres dies hac lotione ulcera ablui juſſimus.

♃. Aquæ hord. ℔ß. mell. roſac ℥iij. M. deinde ad incarnationem Chirurgus devenit hoc ſequenti unguento, quod eſt *Joh. De Vigo.*

℞. Terebinth. claræ ℥ij. mell. roſ. ℥j. ſarcocoll. ʒiij. glutin. piſcium, tragacanth. an. ʒi. antimon. plumb. uſti; an. ʒiß. ſucc. centaur. ʒij. vel ejus loco pulv. ʒiij. farin. hord. cribrati ʒiß. croci ℈i. bulliat terebinthina tum melle roſac. parum deinde omnia ſimul miſce. in hoc caſu eſt mirabilis incarnationis, interim ab initio etiam in circuitu aliquod defenſivum appoſitum eſt, poſtea unguentum de minio ſuper linteum admotum eſt, & ita cicatrizatum eſt hoc ulcus; ſequens etiam Medicamentum quod in frequenti uſu eſt apud Chirurgos, miram vim habet in glutinandis ſeu incarnandis ejuſmodi ulceribus.

℞ Ad. decoct. hord. ℔i. mell. roſ. ℥iij. ſarcocoll. ʒii. myrrh thur an. ʒi. vini odorifer. ʒvi. coq. omnia ſimul uſque ad tertiæ partis conſumptionem. interdum poteſt addi aliquid aloes poſt glutinantis Medicamenti impoſitionem ſola ſpongia nova mulſo imbuta circumponenda eſt, quam fieri poteſt molliſſima, ejus autem deligatura à ſinus fundo incipiat; & ejus ore finiat; faſciarum verò ſpiræ ſinus profundum ſine dolore arctent, ac paulatim uſque ad os ejus relaxentur: ſpongia ideo circumdatur & alligatur ut exſiccet, manantemque è ſinu ſaniem excipiat, alioqui partem eroderet; ſit mulſo imbuta, ut detergeat, mollis ne aſperitate lædat, nova verò, ut deſiccet. *Petr. Foreſtus, obſerv. 15. & ſchol. lib. 7. obſerv. Chirurg.*

Pro ulcere fiſtuloſo.

Mirificè prodeſt in antiquis fiſtulis & admodùm calloſis hæc injectio.

℞. Unguenti Ægyptiac. ℥ß. ſublimati ʒß. lixivii. ℥iv. aq. roſ. ℥ij. arſenic. ℈i. aq. plantag. ℥iv. bulliant uſque ad conſumptionem tertiæ partis injecto Medicamento, fiſtulæ os linamento concerpto claudendum eſt, ne id refluat; niſi enim aliquandiu maneat nullum affectum effatu dignum præſtare poterit: quæ ex arſenico illinuntur penicilla, neminem unquam fefellerunt, ut præter experientiam quotidianam, recentiorum ferè omnium ſcripta teſtantur. *Petrus Foreſtus, obſerv. 16. lib. 7. obſerv. Chirurg.*

Pro ulceribus tibiarum.

Quidam hoc cerato de plumbo, quo uti ſolebat *Angelus de Parma*, curatus eſt.

♃. Antimon. ceruſſ. lotæ, an. ℥ß. plumb. uſti, lithargyr. terebinth. an. ℥i. ol. roſ. completi ℥ij. ceræ alb. ℥ iß. ceræ in oleo liquefactæ, addatur terebinth. Deinde pulveres, & F. unguentum. Hoc etiam egregiè probatum eſt ad ulcera tibiarum oſtracoſa.

♃. Ceræ. reſin. an. ℥j. ſævi caſtrati ℥ij. picis naval. ol. an. ℥ iij. maſtich. thur. an. ʒiij. lithargyr. ℥iß. ceruſſ. ℥ß. coq. ſimul oleum, reſina. ſævum & cera, uſque ad bonam glutinoſitatem; poſtea addantur reliqua. De tertio autem die in tertium. ulcus debet lavari vino calido. Hæc etiam tela quæ ad Galenum refertur, competit ulceribus tibiarum.

℞. Ol. roſ. ℥xii. ceruſſ. ℥iij. lithargyri ℥ivß. thur. maſtich. an. ʒß. ſang. drac. ʒß. myrrh. ſarcocoll. an. ʒij. coq. parum, uſque ad rubedinem, & extrahatur ab igne, & imponatur tela antiqua ex lino. *Idem. obſerv. 8. lib. 7.*

Pro ulceribus Chironiis ex Galeno.

♃. Ceræ ℔j. ceruſſ ℥viii. ol. roſac. ℔j. ſal. ammoniac. ℥iij. ſquamm. æris ℥ij. thur alumin. ærugin. malicor. caſtis vivæ, an. ℥i. quæ liquari debent liquata & frigefacta aridis vino tritis admiſceto, & placidiore igne decoquito. *Petr. Foreſtus, ſchol. obſerv. 12. lib. 7. obſerv. Chirurg.*

Pro ulcere ſordido putri virulento depaſcente in brachio cujuſdam mulieris cum oſſis carie.

Poſt ritè purgatum corpus, & exhibitum decoctum ligni ſancti, ulcus quotidie per tonſorem abſtergi poſt ſudorem præcipio decocto primo ligni & linteolis exſiccari; tum os corruptum eradi, donec aliquid cruoris vel humiditatis appareret: poſtea illini tribus aut quatuor guttis balſami ſulphuris, tandem applicari emplaſtrum meum diaſulphuris jubeo, quibus omnibus caro in oſſe latè denudato procreata, & ulcus ad conſolidationem perductum fuit in quadraginta diebus. Emplaſtrum diaſulph. ita fit.

℞. Ol. ſulph. ℥iij. ceræ ℥ß. colophon. ʒiij. myrrh. ad pondus omnium, cera, colophonia, oleoque liquefactis ſimul, & benè commixtis inſpergatur myrrha ſubtiliſſimè trita; paulatim igneque lento coquantur, ſpatha ſemper agitando, donec bene permixta fuerint. Poſtea nimirum poſt quartam horæ partem, ab igne deponantur, & paulatim frigeſcant; & habebis emplaſtrum præſtantiſſimum, certum & infallibile in curandis omnis generis ulceribus & vulneribus quibuſcunque. *Martinus Rulandus, curat. 93. cent. 1.*

Corpore purgato ulcera diebus alternis ſemel lavabantur mane, & per ſe ſiccabantur, ſequenti aqua noſtra.

℞. Aq. plantag. ℔i. aq. roſ. ℔ß. fl. malorum arantior. ℥iij. argenti vivi ſublimati & pulver. ℥ß. M. coq. omnia lento igne per quartam horæ partem. Deinde removentor ab igne, & cum deferbuerint, in phialam vel vitrum imponuntor pro uſu, & ſic mulierem quandam cujus totum corpus ulceroſum erat, brevi tempore curavimus. *Martinus Rulandus, curat. 19. cent. 5.*

Fœdiſſima cruris ulcera.

Curavit Illuſtriſſima Comitiſſa quædam in *Moravia*, cum decocto fol. quercus, cui addidit parum alumin. myrrh. & thuris, quo decocto eluit ulcus; folia verò decocta calide emplaſtri loco applicavit ter in die renovando. Sic leviſſima ſubinde, & quæ vulgaria videntur, plurimum juvant. *Wolfgangus Hoeferus, lib. 4. Herc. Medic. cap. 2.*

Pro ulcere in dorſo ſinuoſo, profundo & ſordido.

Poſt univerſalia ad detergendum & mundificandum ulcus, his uſus ſum auxiliis.

♃. Decoct. hord. integr. ℔ ij. mell. roſat. colat. ℥iv. M. F. injectio intra ulcus per ſiphonem rectum: abſque mordicatione detergit & eluit ulceris ichores. Verum quum & craſſa ſanies ſordida multa meллet, hoc altero fortiore mundificativo uſi ſumus, nempe Ægyptiaco unguento præfato decocto admixto, adjectis aq. vitæ ℥ ij. interdum & poſt dies aliquot ubi hoc ſecundo decocto uſi eſſemus, nec ſatis pro voto deterſio procederet, hac injectione nobili & efficaci utendum cenſuimus.

℞. Ligni ſancti ſubtiliſſ. pulverati, cortic. ejuſd. an. ℥ij. ariſtol. long. cent. min. abſinth. agrimon. caud. equin. fol. oleæ myrti, pimpinell. conſolid. maj. an. M.j. cortic. thur. myrrh. ſarcocoll. an. ʒß. Vini rubr. odorif. ℔ iij. mell. deſpumat. ℥ iv. omnium decoctio, ex cujus colatura fiat injectio intra ulcus, addendo hora injectionis aq. vitæ el. ℥ i. pro qualibet vice. Ubi animadverſione dignum & obſervatione viſum eſt, aquam vitæ cum præfato decocto potentiſſimam eſſe & efficaciſſimam in detergendis ſordidis ulceribus ſine morſu, iiſdemque exſiccandis & ad glutinationem promovendis; quin ſi cum præfato decocto adjiciantur aq. vitæ, el. ℔ij. & in alembico vitreo in B. M. deſtilleutur, mirabilem inde elici liquorem ad ulcera ſordida & cava tum detergenda, tum glutinanda; quod crebro experimento nobis exploratum eſt: mira namque profectò aquæ vitæ vis eſt in detergendis ulceribus & glutinandis; præſertim nervoſarum partium, ut diuturna obſervatione nobis eſt comprobatum, ut qua nihil eſt præſtantius. Cum carnem in hoc ulcere regenerare vellemus, altera injectione uſi ſuimus, cujus eſt vis, & modicè detergere, & carne cavitatem implere, unde ſarcotica dici meritò poteſt.

℞. Fol. plantag. M. ij. Agrimon. herbæ Roberti, petaphyll. an. M. j. ſummitat. abſinth. num. 3. utriuſque conſolid. caud. equin. ceterach. hyperic. an. M. ß. beton. M. j. F. decoctio in aq. in fine adde vini rubr. aſtring. ℔ ij. roſ. rub. fol. myrti, an. p. ij. hord. integr. p. ij. de colatura cape ℔ iv. quibus adde farinæ fabar. ℥i. farinæ orobi ℥ß. thuris, maſtich. ſarcocoll. reſin. pini, an. ℥ i. myrrh. ariſtol. rot. an. ℥ vi. irid. flor. ℥ß. mell. roſat. colat. ℥iij. M. & ex hoc liquore F. injectio intra ulcus hoc ſequenti unguento, poſt injectionem, intra ulcus cum turundis, ſpleniis ac liciniis commodè utebamur.

℞. Succ. plantag. ℥iv. ſucc. agrimon. ℥ij.

ſucc. abſinth. ℥j. vini rubr. ℥vi. ol. roſ. omphac. ℔j. coq. ſimul. ad vini & ſuccorum conſumptionem, in fine addendo farin. fabar. ℥iiß. farin. orob. ℥ß. thuris, maſtich. ſarcocoll. reſin. pini, an. ℥j. myrrh. el. irid. flor. & ariſtol. rot. an. ℥ß. terebinth. in vino albo lotæ ℥iij. mell. deſpumat. ℥vi. ceræ quod ſatis eſt, F. unguentum. Pulvere item ſarcotico hoc poſt completam ulceris deterſionem intra ulcus uſi feliciter ſumus.

♃. Aloës el. ℨii. thur. & cortic. ejuſdem, myrrh. ſarcocoll. an. ℨi. rad. irid. flor. ℈iv. F. omnium pulvis tenuiſſimus admovendus cavo ulceri ad impletionem cavitatis. Sed ſequenti unguento celerrimè omnium eſt perfecta mundificatio; miram namque in detergendis ab ichoribus & ſorde ulceribus vim habet.

♃. Succi apii ℔ß. (mirabile eſt in detergendis ulceribus) mell. el. ℥iv. farin. hord. ℥ij. farin. orobi ℥ß. myrrh. el. ℨij. terebinth. ℥iß. coq. omnia ſimul ut fiat unguentum quo turundæ & licinia imbuantur, & in ulceris cavitatem indantur; optimè ulcera & citra, morſum purgat. Ad carne implendum ulcus hoc ſumus emplaſtro uſi.

♃. Lithargyr. auri ℥vi. ol. roſ. omphac. ℔iß. acet. roſac. ℔ß. coq. ſimul lento igne, perpetuò cum baculo agitando, donec acquirat colorem nigrum ad bituminis & cerati conſiſtentiam ut F. magdaleon, ex quo fiat emplaſtrum ſupra ulcus apponendum, in fine verò curationis emplaſtro diachalciteos cum diapompholig. uſi ſumus; & ſic tandem curatum eſt fiſtuloſum hoc ulcus citra ſectionem. *Franciſcus Valeriola, obſerv. 1. lib. 5.*

Pro Ulcere in pede.

Ulcus in pede fœminam quandam affligebat, & licet quandoque ſanaretur, certis temporibus remeabat, erat enim illi hæreditarium malum. Hoc remedium præ cæteris laudabat, quod ei profuit.

℞. Lithargyr. ℨij. ceruſſ. ℨiij. pulverizata laventur aqua roſac. & ſiccentur, adde tutiæ præp. pompholig. alb. an. ℨiß. plumbi uſti & loti ℨij. F. pulvis tenuiſſ. Excipiatur infuſione gummi tragacanth. facta in aqua roſ. add. ſævi capr. ℥ij. vel paulo plus, ut F. inſtar. emplaſtri, addendo camphor. ℈i. *Felix Platerus, obſerv. lib. 2. pag. 561.*

Ex glabritie ſciemus virulentam & malignam qualitatem invaſiſſe partem ulcere detentam, unde ferinum ulcus ſuboleſcit. Propterea Chirurgis illud ſtudium ſemper adſit, ut partem firment, & totius cacochymiam caſtigent. Utantur ſæpe à purgatione decocto ſarſæ, & chinæ & ligni Indici, & ulceribus talia topica adferant, quæ unà partis calidum nativum recreent, ac intemperiem flectant. *Joh. Heurnius, ad aphor. 4. ſect. 6.*

In contumacibus ulceribus, mirum in modum ſolatio eſſe ſolent remedia revellentia ſuccos à parte vulnerata. Hinc eſt quod ita juvent vulnerariæ potiones, nam urinas movent, unaque ichoroſam materiam, quæ quotidie in partem ulceratam ferri ſolebat, excludunt. Inde etiam decoctiones rad. chinæ & ſarſæ juvant; nam talem materiam ſudoribus & vaporibus evacuant ac revellunt. Hoc itaque dicere velle videtur Hippocr. hîc, quia à talibus ulceribus periculum eſt, ut oſſa affligantur, vos cavete ne in longum tempus trahatur eorum ſanatio, & ne inveteraſcant. *Idem ad aphor. 45. ſect. 6.*

Pro Ulceribus in genere.

Ulcera multa & maxima in multis corporis humani partibus, ſequenti emplaſtro ad curam perfectam deducta ſæpiſſime vidi.

♃. Maſtich. ℨi. terebinth. venet. ℥iij. ceræ flavæ ℥iv. liqueſcant in terrea olla, primò cera cum terebinthina, poſtea removeantur, & in aqua tepida diu laventur, & malaxentur, dumque malaxantur pulvis maſtiches cum iis incorporetur, & in magdaleones redigantur. Sequentia etiam emplaſtra miros produxerunt effectus.

℞. Beton. agrimon. verben. pimpinell. an. M. j. ceræ terebinth. reſin. an. ℔j. maſtich. ℈i. vini alb. opt. ℔iij. coq. ad conſumptionem tertiæ partis, & cola, coques autem herbas ſolas, & poſt conſumptionem tertiæ partis, addes reliqua; ruſuſque parum ea coques, deinde emplaſtrum à vino ſeparabis. Nicotianæ decoctione etiam ſola in oleo cum ceræ q. ſ. F. optimum emplaſtrum ad idem. *Petrus Borellus, obſerv. 16. cent. 1.*

Pro ulceribus ſerpentibus oris, labiorum, gingivarum & faucium.

♃. Ærugin. æris ℨi. auripigmenti ℨß. trita ſubtiliſſime, coque in vini albi ℥iv. ad mediæ partis conſumptionem. Poſt refrigerationem adde aq. roſ. & ſolan. vel plantag. an. ℥iß. ut fiat aqua viridis pro illitione ulcerum. *Felix Platerus, libro obſerv. pag. 907.*

Pro Ulceribus oris & faucium venereis.

♃. Ap. plantag. ℔ij. unguenti ægyptiac. ℥iv. M. pro lavatorio: quo ab ulceribus iſtis quam plurimi per me curati ſunt, eſt mirabile. *Petrus Foreſtus, obſerv. 21. lib. 32. De Lue Venerea.*

Pro ulcerum hæmorrhagia.

Admove farinam tenuiſſimam molendinarum cum bolo, ſanguineque drac. maxima hæc copia aſpergantur. *Joh. Heurnius, ad aphor. 21. ſect. 7.*

Ulcus amplum depaſcens totius cruris, malè curatum, frequenti ſcilicet inuſtione, & exſiccatione nimia oſſis, ejuſdem abraſione, & accommodatis remediis ſanatum.

Nobilis Veronenſis ex familia Liſca, laborabat amplo ulcere, in totum crus ſerpente, cum oſſis corruptione, atque effluxu ipſius medullæ, cujus cauſa, ut credo, Lues Venerea, hoc indicio, quod Veronæ diu curatum, nunquam tamen cicatrice obductum fuerat: cum verò à patiente quærerem, qua Methodo Medici ulcus curaſſent, faſſus eſt, illos frequentiſſimis potiſſimum oſſis inuſtionibus uſos, carni, & labiis ulceris ſarcoticis adhibitis; fruſtra tamen, quod me judice, adeo exſiccaretur os, ut alimentum femori accedens illi nutriendo, ita abſumeretur, ut carni ſub ipſo producendæ par non eſſet; ac pro-

proinde nec ſtatuto tempore hoc abſcedere poſſet, nec cicatrix induci, quod Medicos illos latuit, hoc verò cum animadverterem, ſcalpro abraſorio totum os tum corruptum, tum combuſtum eraſi, donec ſanguis ex ipſo exſudaret adhibitis poſtmodum filamentis aridis, & ſupra carnem ambientem, ſarcoticis; quibus paucis diebus os munitum fuit tum carne circumpoſita, tum propria; cicatrice tandem, tempore illi opportuno obductum epuloticis. Obſervandum propterea hæc ulcera curantibus, abſtinendum à medicamentis valdè exſiccantibus, & oſſa adurentibus, ob rationes ſuperius allatas; cum illorum uſu ſemper prohibeatur abſceſſio oſſis, à carne ſupra os ſanum genita, corruptum extrudente, documento Chirurgis, ut hos errores vitent, nec velut inſanabilia hæc ulcera dimittant. *Petrus de Marchettu Obſervationum Medico-Chirurgicar. Sylloge.*

De ulceribus cruris varicoſis.

Virgo quadraginta annorum, jam per longam annorum ſeriem malæ diætæ dedita, ac inter cætera noxia viſcoſis, aceto, aliiſque acidis nimium delectata, pedeſque æſtivo tempore in aquam frigidam ſæpiùs immergens, nunc per quindecim annos laboravit varice tibiæ ſiniſtræ ab imò pede ad genu uſque pertingente, ac ulceribus duobus circa malleolum internum ejuſdem tibiæ profundis, ſordidis, valdè dolorificis, ac materia quadam acri ac tenui ferè ſemper ad ſummum uſque impletis, & circum circa eryſipelas pro comite ſæpiùs habentibus. Horum ulcerum medelæ plures medici ac chirurgi per longum tempus fruſtra incubuere, imò etiam celeberrimus ille practicus Feii, dominus Cranenburgi.

Scilicet ab acidi & viſcoſi nimia quantitate aſſumpta ſanguis hujus virginis redditus fuit craſſus & aptus ſtagnare: quare portio quædam illius delata ad tibiam ſiniſtram ſubſtitit & moram aliquam traxit circa valvulas alicujus venæ, cujus membranæ à majori ſanguinis copiâ ibidem congeſtâ ita diſtendebantur, ut humores ex arteriolis inter membranas illius venæ diſperſis egreſſi [nam inter membranas venarum arteriolas, venulas nervuloſque per microſcopium detegere potes, & abſque dubio adſunt etiam vaſcula lymphatica] & per membranarum tubulos errantes, libere tranſire nequiverint, ſed ſtagnaverint illic ſeſeque poſuerint inter interſtitia fibrillarum tantâ copia, ut interſtitia illa ampliarentur non tantum, ſed ut præterea etiam aditus intercluderetur ſpiritibus animalibus ex nervulis in tubulos illos prolabentibus, ac venam alias aliquatenus conſtringentibus, inque illa motum quendam periſtalticum producentibus ad ſanguinis circulationem in vena promovendam, atque ita ſanguis in vena illa aliquatenus ſtagnans membranas illius ſupra modum diſtendens varicis citati cauſa extitit.

Sed cur varix ille potius in tibia, quam alibi ſe conſpiciendum præbuit? quia ſcilicet ſanguis venoſus ibi aſcendere debet per viam horizonti perpendicularem, & præterea hæc via aliquatenus occluditur à ligaturis illis, quibus crura conſtringere ſolemus ad retinendas caligas; ſic in virgine hac ſuum etiam huc contulit immerſio pedum in aquam frigidam non rarò inſtituta.

Sanguis igitur majori, quam par eſt, copia congeſtus in hac vena, partes quaſdam ipſius venæ membranarum minus reſiſtentes diſtendit magis quam alias craſſiores, & ſic receſſus quoſdam ſeu ſinus ſibi formavit, ac præcipuè quidem circa valvulas, in quibus ſanguis, naturâ ſuâ jam acidiuſculus, majorem adhuc acorem ſibi contraxit, quia ibi diutius abſque circulatione commorabatur.

Sanguinis autem hujus particulæ multæ acidiores in carnem vicinam tranſſudarunt per partes varicis magis diſtentas ac per conſequens rariores, hoc eſt, per ſinus illos, & ſic fibrillis ibi irritatis, & poſt diſciſſis dolor excitatus eſt, ac poſtea duo ulcera dolorifica, quæ deinde, pluribus fibrillis diſruptis, reddebantur profunda.

Particulæ illæ acidæ pertinaciter hærentes in poris labiorum ac fundi ulcerum humores ſinceros adhuc alluentes convertebant in acidos. qui ob tubulos ab ulceribus interruptos circulationem continuare non valentes, ab humoribus à tergo continuò inſequentibus propellebantur foras in cavitatem ulcerum, quam ad ſummum uſque ferè ſemper adimplebant humore acri, acido ac tenui, ſed ita tamen tenui, ut interim admixtæ eſſent particulæ quædam viſcoſiores ac magis ramoſæ, quæ ramulis ſuis ſibi mutuo implexæ, ac hærentes in ſuperficie ulcerum, illa ſordida reddebant.

Huc uſque explicuimus, quomodo particulæ quædam acidæ per ſinus varicis tranſſudaverint in carnem vicinam; nunc tempus eſt, ut animadvertas, particulas acidas multo plures ex finibus illis abreptas eſſe in maſſam ſanguineam, cum qua circulantes magna ſui portione ingreſſæ ſunt ulcera magis quam alias partes, ob acidum fermentum illic deliteſcens, eo modo, quem explicuimus in obſervatione ſecunda; & ſic adaucta fuit copia humoris acidi ulcera implentis & ex illis promanantis.

Eryſipelas, quod ut plurimum circumvallabat ulcera, ab acido ibidem hærente itidem ſuam trahebat originem.

Hæc omnia dum aliquantiſper mecum volutabam, tandem me converti ad varicem, ut ad primam mali originem, quæ cauſa procatarctica vel primitiva dici poſſet, ſi terminis artis inutilibus uti alicui volupe foret; ac è varice lancettâ aperto eduxi uncias aliquot ſanguinis ſtagnantis, acidi & nigricantis.

Deinde pervenit ad maſſam ſanguineam acido fermento imbutam, quæ cauſæ antecedentis nomine gauderet hoc in caſu apud illud ſubtile nimis eruditorum genus, quod magis de vano verborum apparatu, quam de rebus ſollicitum eſt; illamque corrigere cæpi per bonam diætam inſtitutam, viſcoſa, acidaque cuncta prohibentem, atque per pulverem acidum temperantem quotidie aſſumptum conſtantem ex ſcrupulo uno oculorum cancrorum, ac eadem quantitate coralli albi.

Denique ad ulcera ipſa acceſſi, in quorum fundo, labiiſque deliteſcebat acidum fermentum, quod, ſi quibuſdam forte placeret, cauſæ conjunctæ nomine poſſet appellari.

Præcipuum quod mihi jam reſtabat agendum, erat, ut fermentum illud temperarem ac tollerem, atque ut labia ulcerum ad fundum uſque ſenſim ſine ſenſu deprimerem, nam ex hoc

ultimo negotio triplicem mihi pollicebar utilitatem.

Primo ſciebam, quod ſublata hoc modo ulcerum cavitate, nihil in illis poſſet colligi humoris illius acidi ac aliqua ſaltem ex parte viſcoſi, qui particularum viſcoſarum ac ramoſarum ratione ulcera antea ſordida reddebat, atque acidarum ac ſcindentium particularum reſpectû illa quotidie magis magiſque excavabat, quandoquidem in ulcerum cavitate continuo magna copia congerebatur prius, ſed quod ille humor, ſi ad ulcera aphuc veniret, ſtatim poſt adventum ſuum deberet foras propelli, hoc eſt, ad latera ulcerum à corpore duro labiis ulcerum deprimendis validius appreſſo.

Secundo certus eram hoc pacto circulationem ſanguinis ac humorum iri reſtitutum, in quo magna pars curationis ulcerum ſita eſt, nam labiis ulcerum non prominentibus, ut ante; ſupra fundi ſuperficiem, effici poſſe videbam, ut humores per tubulos in labiis ulcerum contentos circulantes, qui prius ob tubulos ab ulceribus interruptos in ulcerum cavitatem defluebant, jam viam ſibi quærerent per tubulos in fundo ulcerum repertos, atque ita prorſus novam circulationem iterum inirent, quæ non impediretur ab aëre ambiente, uti prius, quia ille ſatis arceretur ab eodem corpore, quod ulcerum labia deprimeret, quoniam illud ſatis craſſum, ſolidum, durumque reddere mihi propoſueram.

Tertio ſæpius in ulcerum vulnerumque curatione obſervaveram, cicatricem generandam nunquam initium capere à centro, aut alia parte vicina ulcerum, vulnerumve, ſed ſemper incipere ab extremitate cutis ambientis ob ſimilitudinem ſuperficierum, quæ inter cutim ac cicatricem reperitur; atque hinc firmiter perſuaſus eram, ulcera ab acido fermento ſordibuſque liberata prius, planaque reddita mono prædicto, ac circulatione reſtitutâ gaudentia, brevi temporis ſpatio contecta fore cicatrice.

Congeſſi igitur nonnulla idonea medicamenta acidum temperantia contra fermentum peccans in ulceribus deliteſcens, atque, ut unâ fideliâ duos dealbarem parietes, formavi ex illis placentulam ſatis duram craſſamque ac ulceribus paulo majorem, ſic ut tegeret etiam portionem parvam labiorum, eamque ulceribus impoſui, ac per ſtrictam ſatis ligaturam validius appreſſi, & reliqui per horas duodecim, poſt quas tranſactas vidi, quod ſpes, quam inde conceperam, me non fefelliſſet, nam ulcera reperi plana prorſus, à ſordibus omnibus liberata, ac jucundo rubore conſpicua, parumque aut nihil fere dolentia, unde propemodum raptus in admirationem, collegi acidum in ulceribus fermentum jam magna ex parte eſſe temperatum, ac brevi totum temperatum iri.

Poſt paucos dies, circulatione reſtituta, particulæ bonæ notæ per tubulos cutis ambientis euntes, illius extremitati adhæſerunt firmiter ob ſimiles cum cute ſuperficies, atque ita nobis in conſpectum venit rudimentum quoddam cicatricis, quæ intra quinque ſeptimanas ulcus utrumque plane occluſit, quandoquidem quotidie magis magiſque accreſcebat.

Tandem ſingulis annis ſemel aperui varicem citatum, ex eoque eduxi libram unam ſanguinis, atque ita effeci ut ulcera illa poſtea nunquam iterum diſrupta ſint.

Eryſipelati, quod ferme oblitus eram, interea, dum medebar ulceribus, imponebam linteum quadruplex imbutum mixturâ conflata ex aqua florum ſambuci, ſpiritu vini, camphora & ſaccharo Saturni ad acidum peccans temperandum, quo temperato omnia eryſipelatis ſymptomata ceſſarunt, ac inter cætera etiam ardor inductus prius à particulis acidis, dum laterum ſuorum acie fibrillas citius ſolito commovebant.

Sed unde contingit, ut ulcera hæc longo temporis intervallo ſanati non potuerint à tot Medicis ac Chirurgis, etiam provectæ ſatis ætatis viris, quique ideo, ſolidum aliorum ratiocinium ſpernentes, nil niſi experientiam ſuam ſemper crepabant.

Experientia ſine vera ratione parum poteſt; nam ſicut inter mille facies humanas nulla reperitur alteri per omnia ſimilis, ſic inter totidem morbos nullus eſt, qui cum alio in omnibus prorſus conveniat; & præterea valde credibile eſt, ſanguinem & partes internas unius hominis non minus differre à ſanguine & partibus internis alterius hominis, quam externas, unde iterum exſurgit varium hominum temperamentum cujus varietas varia remedia poſtulat, ac præterea præter experientiam etiam ſanum medici judicium, quod alia Pro hoc, alia pro illo remedio novit eligere.

Ad hæc ut dicamus, quod res eſt, Medici illi ac Chirurgi ſecundum vanam ac inutilem quandam theoriam ac philoſophiam conceptus ſuos dirigentes, nec cauſam varicis nec illius effectus, neque etiam ejuſdem remedium invenire potuerunt.

Deinde illi omnes fere morbos deducebant ex quatuor ſuis humoribus, cum tamen interim neſcirent, quid foret unuſquiſque & quibus particulis conſtaret, ut bilis, pituita, ſanguis, melancholia; atque hinc factum eſt, ut vera remedia eligere illis eſſet impoſſibile. Multo prudentius egiſſent, ſi reſpexiſſent potius ad varias ſanguinis particulas, quæ figura magnitudine ac motibus ſuis à ſe invicem differunt, & præcipuè, ſi attendiſſent ad acidum & ſal, ut liceret ipſis exſpiſcari, utrum horum in ſanguine teneret dominatum, & ſi foret hoc acidum, purgationes per alvum nunc minime convenire.

Præterea illi conceptus ſuos nimis confundebant, cum putabant ulcera illa prius per quædam medicamenta debere detergi, deinde per alia incarnari, & tandem cicatricem iterum ab aliis induci debere, nam, hanc nimis anxiam diſtinctionem valdè inutilem eſſe, vel hinc manifeſtum evadit, quod ego ſolâ & unicâ meâ placentulâ utrumque ulcus tam brevi ſanaverim.

Denique illi inter medendum attendebant ad axioma ſuum, quod contraria contrariis curentur, ac animadvertentes ardorem in eryſipelate ulcera cingente, illum propellere tentabant per frigida, quæ ſanguinem & humores ſiſtebant, unde illi aceſcebant, ſicque ardorem eryſipelatis non parum adaugebant; ſed abutebantur illi ſuo axiomate, quo ſi benè uti voluiſſent, debuiſſent ſcire, ardorem eſſe tantum effectum & pro cauſa agnoſcere particulas quaſdam acidas propter obſtructionem circa ulcus hærentes,

quæ

quæ lateribus ſuis ſcindentibus fibrillas nervoſas citatiore ſolito tremore concutiebant; & tunc rectius contraria contrariis curaſſent, applicantes ſcilicet talia, quæ acido vellicanti atque viſcolo obſtruenti reſiſtere pro comperto habebant. *Joh. Mays in Praxi Chirurgica rationali.*

De Ulcere mirando.

Extra Arnhemium ultra Rhenum, & quidem in illo loco, qui dicitur belgice de Praeſt, fœmina ſeptuaginta annorum Patris mei, dum viveret, Medicinæ ac Chirurgiæ Doctoris, conſilium petiit, quandoquidem laborabat in ea femoris parte, quæ ſex digitorum latitudine circiter diſtat ab inguine, ulcere, cujus cavitas quatuor palmarum latitudinem ſuperabat.

Ex hoc ulcere una vice prodierunt triginta ova humore limpido plena, deinde per aliquot ſubſequentes dies plura alia egrediebantur, quæ omnia ſimul ſumpta numerum centenarium ſuperabant, eorumque quædam ovi gallinacei, quædam columbini, quædam etiam ovi paſſeris magnitudinem habebant, ſingulaque eorum propria ac à cæteris ſeparata, candidaque cingebantur membranâ, quæ chartæ luſoriæ craſſitiem habebat.

Ovis ſubventaneis hæc ova valde ſimilia apparebant, omniaque ſimul in communi craſſaque membranâ incluſa jacebant.

His ovis per vices ex ulcere hoc evacuatis ſequens injectio in uſum revocabatur, aut ſimilis.

℞. Rad. ariſtol. rot. ℥ii. Herb. card. bened. veronicæ an. M i ß. Oculor. cancr. ℥i. Myrrhæ, Aloës an. ℥iß. Coque ſec. artem in vino gallico ac colatura uſurpetur.

Atque ita communis ac craſſa illa membrana ſenſim conſumebatur, ac patiens tandem priſtinæ ſanitati reſtituta fuit.

Hanc fœminam aſtantium plerique incantatam eſſe putabant, ac Diabolum hujus morbi authorem aſſerebant, honorem ac potentiam, quam Deo omnipotenti aſcribere debent, Diabolo male tribuentes; nam Deus eſt cauſa primaria motuum, qui in hoc univerſo fiunt corporeo, & ſecundum leges horum motuum, attendendo tantum ad corporum magnitudinem, figuram eorumque ſitum, non modo hujus morbi phænomena, ſed etiam multa alia longè mirabiliora feliciter ſatis poſſunt explicari.

Si animus tibi ſit cognoſcere, quo pacto ex grano prodeat planta, oportet te attentè perlegere Anatomiam plantarum per microſcopium factam Domini Grevv Anglice & Gallice editam, illic in faba majori conſpicies rudimentum radicis ac plantæ, jam jam contentum; illic intelliges, quo pacto ſuccus per fabæ telluri commiſſæ membranas tranſcolatus in fabæ corpore fermentetur, quo pacto per parvum fabæ foramen aëri aditus, ac vaporibus ſupervacuis exitus ibidem concedatur, quo pacto ſuccus ita fermentatus propellatur ad rudimentum radicis, illudque in veram radicem convertat, quæ tunc, ex terra nutrimentum accipiens, alium ſuccum ab altera parte venientem repellit ſurſum ad rudimentum plantæ, ut ita vera tandem planta in conſpectum veniat.

Si ſtupendarum in magnete virium, ſi ignis fatui, iridis, aliarumque rerum cauſas ſcire deſideres, conſule Carteſium, qui illas tibi clare explicabit.

Idem Philoſophus in tractatu de meteoris itidem te docebit, quod milites in aëre aliquando præliantes, de quibus ignarum vulgus tam multa fabulatur, non ſint niſi nubes quædam.

Neſcio ſane, unde tam male fundatum ſit populi judicium, à quo tales caſus, qualis hic eſt noſter, habentur pro incantamento, & lumbrici per vomitum ac ſeceſſum ab hominibus tam crebro ejecti pro rebus merè naturalibus, cum tamen longè mirabilior ſit lumbricorum, quam horum ovorum in corpore humano generatio.

Vegelius Matheſeos Profeſſor equum ex metallo confeciſſe perhibetur, qui unico die per aliquot horas incedere poteſt ope rotularum inſtar beſtiæ viventis.

Reyſelius machinam homini ſimilem fabricaſſe dicitur, in qua liquor quidam per os immiſſus ſanguinis inſtar noſtri circulare cernitur, cujus liquoris pars tenuior per penem ut urina, craſſior per anum, velut fæces alvinæ, excernitur.

Quod ſi homo talia poſſit, quid Deus, ſummus ille Architectus non efficere poterit ſecundum ordinarias leges motuum?

Quo pacto igitur hæc ova producta ſunt in hac muliere? multi ſcilicet pori hujus aut illius arteriæ diverſimode diſtorti ac ampliati ſunt hac aut illa de cauſa in femore hujus fœminæ, unde multi humores profluxerunt & congregati ſunt in uno loco, in quo cum fermentari incipiebant; particulæ ramoſæ ac ad motum minus aptæ protrudebantur ad latera, ubi ad motum tam celerem non compellebantur, atque ibi cohærentes & ſibi invicem implicitæ efformabantur in membranam ſatis craſſam, quæ omnia ova poſt generata ſimul continebat.

Qui autem pori arteriæ citatæ diverſimodè diſtorti erant, ideò particularum in hac craſſa membrana contentarum quædam ab aliis in figura ac magnitudine aliquatenus differebant, ac particulæ conſimiles forſan in centum fermè locis diverſis confluxere; & ſic una quæque particularum præter propter ſimilium congeries adhuc fermentationem quandam exercens iterum particulas magis ramoſas protrudebat ad latera, & ſic membranæ efformatæ ſunt, quibus ſingula ova includebantur.

Atque hoc pacto puto me hujus phænomeni, quod propriis oculis conſpexi, cauſam ſatis intelligibilem attuliſſe. *Idem ibidem.*

De Abſceſſu mirando.

Vir quinquaginta annos habens, abſceſſu infra aurem ſitò, rotundo, dolente, undulante, ac molli, quo ante aliquot dies correptus erat.

Certò perſuaſus pus maturum deliteſcere in hoc abſceſſu, aperturam feci ſcalpello ſicque ſtatim haud parum puris albicantis profluxit, ſed ubi premente digito affluxum puris aliquatenus

promovere volebam, ecce mox in conſpectum venit fruſtum fiſtulæ, qua tabaci amatores utuntur adæquans longitudinem dimidii digiti, quod forcipe ex recens facto foramine protraxi.

Pure ſenſim evacuato affectum hunc more aliorum abſceſſuum brevi temporis ſpatio ſanavi, ſicut in cura nihil evenerit, quod obſervatu dignum reperiatur.

Fruſtum autem illius fiſtulæ inopinatò ex hoc abſceſſu prodiens aſtantibus non modo occaſionem præbuit admirandi rarum adeo phænomenum, verum eoſdem etiam exemplo ad Diabolum, ejuſque incantamenta confugere fecit.

Sed ignarum, ideoque ſuperſtitioſum ac miſerum vulgus mox ad Diabolum, conſuetum, ſed impium ignorantiæ ſuæ aſylum, procurrit, quando eidem effectus aliquis occurrit, cujus ſimilem nunquam antea vidit.

Nam licet aliquid conſpiciat, cujus cauſam expiſcari ignorat, non ideo illud Diabolo ſtatim aſcribi, dummodo hoc ſæpius antehac conſpexerit; ſic Ignivori illius, qui nulli ferè harum regionum ignotus eſſe poteſt, ſtupendas actiones pro naturalibus habet, non pro præſtigiis Dæmonum, quia ſcilicet hæc ſunt talia, quæ ſæpius vidit, licet eorum rationem reddere nequeat, ac cauſam penitus ignoret.

Sic ante aliquod tempus Lugduni Batavorum Italus quidam fuit, qui, poſt magnam aquæ limpidæ copiam aſſumptam, evomebat eandem in varia vaſa cryſtallina non limpidam, ſed diverſi coloris ac ſaporis in ſingulis vaſis.

Hic effectus crebro ſpectatus populum cauſæ ignarum tantum in admirationem rapuit, de Diabolo verò erat illic altum ſilentium. Dominus Overcamp. autem hujus phænomeni cauſam, ſicut in primogenito ingenii ſui partu refert, ſtatim expiſcatus eſt, in ſingulis nempe vaſis cryſtallinis vidit & olfecit diverſum oleum ſubtile, quod aquam immiſſam aliter tingebat in hoc, aliter in illo vaſe.

Non ſine ratione ait Virgilius, quod ſit felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas, nam illis notis phænomena nunquam antea conſpecta non valde mirabimur, multo minus eadem referemus ad potentiam quandam imaginariam Diaboli cum deſidioſo populo, qui de veris rerum cauſis parum ſollicitus eſſe deprehenditur.

Verum enimverò quid tandem in cauſa fuit, quod fruſtum fiſtulæ ex affectu noſtro prodierit? ubi ægrum bene examinavi, ex eodem intellexi, quod ante ſex menſes, dum plateas obambulabat ac tabacum ſugebat, in terram prolapſus ſit, & fauces interne per fiſtulam læſerit, ex quibus ſæpius magna ſanguinis copia promanavit; ſcilicet fruſtulum fiſtulæ confractæ profunde in fauces adactum primo hanc hæmorrhagiam, ac poſtea externum abſceſſum citatum infra aurem produxit, ex quo aperto fiſtula prodiit. *Idem ibidem.*

De ulceratione & vulnere Cordis.

Cor, *Ariſtotele* authore, fons vitæ, corporis pars præcipua, etiam impetus, ſpirituales æque ac corporeos ſuſtinere valens, nunquam in homine aut animali alio abſens, nullam patitur continui ſolutionem.

Non minoris Cor habetur *Hippocrati ſect. 6. aphor.* 18. quod confirmat *Galenus 5. de locis affect.* inquiens: Cor nullam fert continuitatis ſeparationem.

Veteres aphoriſmum hunc vulneri Cordis applicarunt, ex eo quod cognoſcerent ſtructuram ejus miraculoſam, motum continuum, vires ſummas, Officia neceſſaria, imprimis ſitum valdè remotum adeo ut medicamentis id attingere, curareque ſit impoſſibile.

Ovidius obſervationem hanc reſpexiſſe videtur, dum 1. *de Ponto* 4. hoc modo canit:

Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera Cordis ope.

Dicto nihilominus Ariſtotelico contradicere videtur *Teleſius rerum naturalium lib. 5. cap.* 18. adducendo exemplum alicujus viri diuturno noſtro emaciati, in cujus poſt mortem aperti thorace Cor nullum, ſed ſolum pericardium repertum.

Non aliter dicta *Hippocratis* intelligit *Hollerius lib. 6. comm. in aphor. Hippocr.* (quod & multorum, tum antiquorum, tum modernorum ſcriptorum, judicium eſt) quam ac ſi cor neque introrſum neque extrorſum penitus pati nil poſſit; Narrat inſuper lapillos duos, ac varios puris tumores in fœminæ cujuſdam corde obſervaſſe.

Columbus lib. 15. de re anat. in Corde ulcera, tumoreſque duriores, imprimis ventriculo ſiniſtro, obſervaſſe ſe refert. Ultimum hoc in Cardinale *Gambara* notatum ſcribit.

Thomas Bartholinus cent. 2. obſerv. 45. ex corde Urbani octavi Pontificis maximi calculum triangularem extractum tradit.

Audiamus quæ ad confirmationem dictorum Medicus regius *Johann. Fernelius lib. 5. de morb. partic. & ſympt.* proponit, cujus verba magni habuerunt plurimi. Cor (*dicit*) morbi omne genus obſidet, maximè vero ſimplex intemperies, phlegmone, eryſipelas, omniſque præter naturam tumor, ulcus quoque ac vulnus; ſed hæc ſane rarius, imo vulnera Cordi inflicta, quæ non alte in ventriculos penetrant, non protinus interimunt: in quodam qui ſenſim extabeſcens è medio ſublatus tandem tria ulcera in corde reperi, non parum cava & ſordida, multo ante jam tempore contracta.

Lazarus Riverius cent. 1. obſervat. 87. in diſſecto cadavere filiolæ alicujus 14. annorum inveniſſe ſcribit, præter alia, cor albicans, & media fere ſui parte, quæ diaphragma reſpicit, exeſum atq; exulceratum, ut fibræ carnoſæ ſemiputridæ ſummis digitis avellerentur; & talia fruſtula carnea hujuſmodi febris ſimillima cum ſanguine per ſputum rejecta fuiſſe.

Barthol. Cabrolius dogmata excellentia magni *Fernelii* confirmat hac relatione, *obſerv. ana.* 26. ipſe ego, *inquit*, præſente Rondeletio duo mirabilia ſatis in duobus cadaveribus exhibui: Primo in baſi cordis ad coronariam cicatricem, duos latos digitos longam, ſecundo eodem loco, ulcus latitudine folii myſtici, ſat profundum.

Fabr. Hildanus part. 2. obſerv. 27. in Corde adhuc vivente corruptionem notavit non levem.

Plura huc facientia, Cor nempè unitatis ſolutioni etiam ſubjectum eſſe, qui ſcire deſiderat, legere poterit quæ habent *Amatus Luſitanus cent. 6. 68. Cornel. Gemma lib. 1. cap. 6. Felix Platerus in obſerv. anat. Nic. Tulpius obſerv. lib. 2. cap. 18. Mar-*

cus Aurel. Severinus de abſceſſ. cap. 38. *Thomas Barthol. cent.* 6. *obſerv.* 46. aliique varii.

Cor morbis variis gravioribus revera affici poſſe, obſervatione duplici, à nobis notatâ, illuſtrabimus.

Anno 1651. 26. menſis Maji cum *Cornelio Kerchem*, Chirurgo civitatis hujus ordinario, ex mandato Ampliſſ. Magiſtratus, aperuimus cadaver *Ottonis Chriſtenii* interfecti. Hujus in Thorace (præter alia ad quorum explorationem miſſi eramus) invenimus Cor ulcere exedente profundo circa auriculam dextram affectum.

Morbo hoc jam à longo tempore defunctum laboraſſe, indicare videbatur frequens ipſi dum in vivis erat animi defectio, quam obſervaſſe ſe referebant domeſtici, huic exemplum ſimile in diſcipulo ſuo Romæ à ſe diſſecto obſervaſſe ſe ſcribit *Real. Columb. de re anat. lib.* 15. Ante mortem rariora fuerunt animi deliquia, forſan quod corroſio cordis minor, obſervabamus etenim ulceris labia augmentum ſumpſiſſe, quoties multiplicarentur lypothymiæ.

Anno 1655. 26. menſis Aprilis præſentibus *Medicis Clariſſimis Dom. Samuele Coſtero, & D. Joanne Deimanno*, nec non *Dn. Daniele Floriano, Chirurgo*, juſſu Magiſtratûs noſtri, in valetudinario publico aperuimus cadaver *Johannis Roeloffſen*, ex vulnere demortui. In cavitatis pectoris parte ſiniſtrâ aquæ acrioris tenuiorisque copiam inſignem reperiebamus, unde capſula cordis, tunica ejus, imò ipſa ſubſtantia, corrugata adeò, ut pyro æſtu ignis exſiccato ſimile Cor appareret. Hujus conditionis Cor in *Caſſemiro Comite Brandenburgenſi* repertum narrat *Philipp. Melanthon lib.* 1. *de animâ.*

Cabrolii, Ferneliique ſententiam, poſſe nempè Cordi ſupervenire continui ſolutiones, quæ tamen ſubitaneæ mortis cauſa haud ſint, & ſcriptorum variorum teſtimoniis, & obſervatione propriâ admirandâ confirmabimus, hoc tamen antequam efficere aggrediamur, permittas precor, bene vole Lector, unicum hoc hic addamus, Morbos ſcil. cordis abſolutè non eſſe lethales, adeoque, quoties propria cordis ſubſtantia conſtitutione aliqua præternaturali afficitur, æquè ſollicitos debere eſſe medicos Chirurgosvè ac in morbis hepatis, cerebrivè, neque negligenda eſſe media quæ in aliarum partium morbis ſimilibus ex uſu fuerunt.

Mediis ex debito in Cordis affectibus uſurpatis, ægroque eorum opera ſic reſtituto, quid obſtabit, quo minus in ejuſmodi hominibus poſtea demortuis, atque apertis, cicatrices, morborum quibus, dum in vivis erat homo, Cor obnoxium fuerat, indices, reperiamus, quales *Cabrolius* ſupra citatus obſervavit.

Sed mittamus hæc, uſque dum quæ *Cabrolius* propoſuit, alii magis confirment, quæ enim cadavera terræ mandantur eorum qui Cordis morbis fuerunt obnoxii, neutiquam aperta, nihil ad confirmationem, vel deſtructionem doctrinæ, conferre poterunt.

Vulnera cordis, externo aliquo illata, (quæ nunquam curata vidi) licet ejus conditionis vulgò habeantur, imò etiam revera ſint, (quod vel vicies plurieſvè obſervavi) quæ ſubito hominem, aut animal è medio tollant,

Occurrunt tamen exempla eorum, qui Corde vulnerato ad dies aliquot ſupervixere, imò *Galenus* 5. *de locis affect. cap.* 2. Vulnere Cordis ad ventriculos haud penetrante, ſed in ſolâ tunicâ deſinente hominem ad horas viginti quatuor vivere poſſe, ſcribit.

Chir. Regius *Ambroſ. Paraus l.* 9. *c.* 30. hæc habet; Vidi dum Taurinos agerem nobilem quendam, qui ſingulari certamine cum alio decertans accepto ſub ſiniſtrâ mammâ vulnere in cordis ſubſtantiam penetrante, vibratis in adverſarium aliquot enſe ictibus ipſum fugitantem ad ducentos paſſus eſt proſequutus, donec in terram mortuus caderet, diſſecto cadavere vulnus comperi in cordis ſubſtantia amplitudine quæ digitum capere poſſet, ingentem præterea ſanguinis in diaphragma affuſi copiam,

Ampliſſimus Conſul *Nic. Tulpius lib.* 2. *obſerv.* 18. hæc proponit: Extra portam nobiſcum ivêre plurimi Medici, ſpectatum cadaver cujuſdam hominis interempti à duobus vulneribus, penetrante altero, per hepar ac ventriculum in ſeptum tranſverſum; altero vero per membranas mediaſtinas, & involucrum cordis in profundiſſimum ventriculi dextri receſſum, cum tam effuſa ſanguinis copia, ut illi undiquaque innataret nobiliſſimum hoc viſcus: quod tamen fuit adeò calidum, ut extenderit huic homini vitam uſque in finem diei ſecundi.

Thomas Bartholinus cent. 1. *obſ.* 77. Hiſtoriam ſeq. exhibet Juvenis petulans nauclerum alioquin amicum domeſticis œnopolæ negotiis diſtrictum cultro transfixit inter tertiam & quartam coſtam ſiniſtram, vulnus ſub ſterno ad cordis penetravit ventriculum dextrum, ut aperto poſt mortem cadavere patuit foramine anguſto & obliquo. Læſus tamen non ſolum ex ſuburbio domum pedibus ivit, ſed per quinq. dies ſupervixit.

Nicolaus Müllerus tabulam ſuſpendit in curia Groningenſi, hiſtoriam continentem militis alicujus, qui, vulnerato corde, ad dies quindecim in vivis manſit.

Adductis etiam noſtram addemus obſervationem; *Ambroſius Coenradi*, bajulus, vir diſſolutæ vitæ, ebrius, præmiſsâ altercatione gravi, vulneratura nautâ quodam ſub muſculo pectorali ſiniſtro, cum cartilaginum coſtæ quartæ & quintæ diſſectione, vulnere in Thoracis cavitatem penetrante.

Die ſequenti, qui octavus Novembris anni 1654. juſſu Magiſtratûs noſtri cum *Abrahamo Sluyter*, Chirurgo vulnerati Ordinario, acceſſimus decumbentem, in quo pulſum notabamus tardum, debilem, ſudorem frigidum, difficillimam reſpirationem. Et in hoc, deſperato ſanè ſtatu, permanſit ad diem hujus menſis decimum tertium, qui lethalis ipſi fuit, poſtquam plus quam ſex dies vulneratus decubuiſſet.

Thorace, poſt mortem, aperto, pulmonem firmiſſime undique pleuræ, imprimis verò pericardio, febrillarum, ligamentorumque ope, connexum reperimus.

Pericardio nulla continebatur aqua; arcto tamen ipſi cum corde, beneficio filamentorum latorum planorumque, cohærentia, ſic ut à corde id ſeparare difficillimum nobis.

Corde undique ſoluto vulnus ſe exhibuit, profunditatem digiti tranſverſi, latitudinem pollicis habens, circa ſeptum, ad mucronem.

Obſervationi huic antequam finē imponamus, conſiderandum offero, an non cauſæ ſatis adfuerit

in noſtro vulnerato, ob quam diutius aliis vixerit, profundiora enim aliorum vulnera fuere.

Imò haud inutile judicamus eidem addere eam quam *Philibertus Saracenus literis ad Fabr. Hildanum datis part. 4. obſerv. 32.* proponit, quo ex utriuſque collatione huc facientia varia Chirurgiæ cultori innoteſcant: Ne ſolus aſymbolus ſim, nihilque quod centuriis tuis accenſeri poſſit, conferam, en habe obſervationem raram, ac prorſus admirandam. Deceſſit nuper poſt puerperii labores *Illuſtr. D. D. Halincourt* proregis in Gallia Lugdunenſi conjux, cujus rimato cadavere cordis illud involucrum quod pericardium dicitur, cordi ipſi adhæſiſſe, humoreque illo naturæ providentia ad ejus irrigationem & refrigerium inſtituto, vacuum fuiſſe repertum eſt. Res ſtupenda profectò, & nemini antea, quod ſciam, obſervata, perſenſit ſane illa ex humoris iſtius inopia evidentia incommoda. Nam æſtuans perpetuo aërem captabat frigidum, ſiti moleſta torquebatur, ne tenuiſſimi etiam tegumenti patiens pectus nudabat, quin etiam à fervidiore corde concalefactis pulmonibus, in eorum bronchia attractis atque extorrefactis humoribus, difficili reſpiratione laborabat, quæ ſymptomata nulli alii cauſæ potius quam pericardii aciditati imputanda ſunt.

Quæ in Matronâ hac, etiam in bajulo noſtro obſervata, vivens & hic avidè deſiderabat aërem, potumvè frigidiorem, die nocteque nudus ferè incedebat.

Quæ cauſa, quod diutius aliis vulneratus hic in vivis fuerit, ut conſtare queat, operatio cordis legitimè conſideranda; triplex hæc, Syſtole S. contractio, Diaſtole S. dilatatio, & Periſyſtole S. quies.

In ſyſtole Cordis mucro accedit ad baſin, latera verò extenduntur cauſâ expellente longitudinem in latitudinem mutante, eò quod baſis cordis immobilis; mucro autem libera, nulli corpori nexa.

In Dyaſtole latera flacceſſunt, ventriculi ampliantur, recipitur ſauguis ex vaſis venoſis utroque latere Cor intrantibus.

In quiete mucro recedit à baſi, & in quibuſdam baſis à mucrone, hinc etiam partes internæ externæque ad coſtas accedunt.

Syſtole perficitur quoties auriculæ cordis ſanguine repletæ eum ſuâ conſtrictione in ventriculum Cordis expulerunt.

In Dyaſtole ſanguinis peragitur receptio ex venâ cavâ, & vena arterioſâ.

Operationibus hiſce ritè conſideratis, quam facilè (noſtro judicio) cognoſcere, cum cordis & pericardii in vulnerato noſtro arcta fuerit connexio, etiam ſyſtolem atque diaſtolen ritè perfici haud potuiſſe, unde ſpiritus & ſanguinis in hâc officina diutius juſto hærere coacti, imò ne quidem per vulnus ejecti. Et hanc cauſam ſuſpicamur, cur diutius noſter vixerit aliis ſimiliter vulneratis.

Plura huc facientia, Cordis nempe motum varium atque actiones diverſas explicantia, qui deſiderat, legat libellum de motu cordis Cl. Gulil. Harvei & quæ habet Renatus des Carres. De Cordis affectibus mirabilibus etiam ſcripſit Albertinus Cæſenatis. *J. bus à Meekren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

Totum tibiæ os corruptione exeſum.

Præſtantiſſimus Chirurgus La Marche Delphis Batavorum habitans retulit mihi opiferas ſe manus applicuiſſe quatuordecim annorũ adoleſcenti cui diutius caries tibiæ os exediſſet, ita ut longiore mora totum os corruptum ſuſtulerit Chirurgus; cujus in locum ſenſim accreſcens callus tandem ita ſucceſſerit, ut abſque fulcro adoleſcens ille poſtea inceſſerit. *Cornelius Stalpartius Vander Wil Obſervat. rarior. Cent.*

Non ita feliciter curatus eſt juvenis quidam, cui humor eryſipelatoſus per applicatum à Chirurgo minùs attento oxycratum ad tibiæ interiora repreſſus, totum focile majus ita corrupit & exedit, ut brevi & levi etiam adhibita opera per ulcus grandius, ſic enarum exierit, callus quidem poſtea ſucceſſit, ſed minime ita firmus, ut ſine fulcro, magnoque labore, incedere potuerit.

De Ulcere cum carie oſſis maxillæ.

Matrona 28. annorum laborabat ulcere maxillæ inferioris exiguo, profundo, dolorifico, ex quo magna puris copia quotidie profluebat, ac caro ſemper ſpongioſa in ulcere luxuriabat, dentemque; ulceri vicinum caries excavaverat, & præterea in partibus ulceri conterminis durities non exigua digito palpanti ſeſe offerebat.

Prout ægrota mihi referebat, ulcus hoc originem ſuam debebat tumori ingenti ac valde duro maxillæ inferioris ac ſimul fere dimidiæ partis faciei, qui ſupuratus ac in oris cavitate ſponte apertus multum puris emittebat; hæc autem appertura à ſaliva in ore contenta brevi ſanabatur; ſed tumor hic extrinſecus à Chirurgo ſcalpello fuit apertus, hæcque apertura jam per aliquot ſeptimanas affuerat, nulliſque remediis obſecundabat.

Ego igitur accerſitus ad omnes circumſtantias accurate attendebam, eaſque ſatis exacte examinabam atque ita tandem, omni præcipitantiâ in judicando evitatâ, certiſſime mihi perſuaſi os maxillæ inferioris exiſtere carioſum, illudque præcipue mihi liquebat ex carne ſemper luxuriante, ac majori puris copiâ, quam ulceris anguſtia requirebat, ſi non fuiſſet os carie infectum.

Sed unde caro fungoſa in ulcere cum carie oſſis luxurians originem trahit? ut huic quæſtioni ſatis fiat, in memoriam revocanda ſunt ea, quæ dixi in primæ Decadis obſervatione octava, quæque latius ibidem deduxi, nempe oſſis cariem induci, ab acido corroſivo, quod etiam ex ſequenti experimento patere poteſt.

Cani oſſa quædam devoranda exhibeto, ac brevi ex ejuſdem excrementis alvinis manifeſtum fiet, oſſium deglutitorum compagem egregie eſſe ſolutam à fermento in canis ventriculo contento, cujus aciditatem nemo, ut puto, inficiabitur.

Acidum igitur corroſivum oſſa carioſa reddit, idemque vaſa ſanguifera aperi magis quam par eſt ex quibus tunc prolongatis effluens humor efformatur in carnem ſpongioſam.

Sed unde tanta puris copia in ulcere, quod caries comitatur? quia illud ulcus profundum

eſt

eſt, ſic ut non tantum humores ex cute ac carne, ſed etiam ex perioſteo ac ipſo oſſe prodeuntes puri generando ſuppeditent materiam.

Mentis oculis hanc cariem jam dudum perſpexeram, ſed hujus rei etiam certus fieri cupiebam ſenſibiliter, & quia ulceris anguſtia ferrum exploratorium non admittebat, ideo adhibui pilum qualem ſues in dorſo gerunt, eoque os nudum & carioſum tetigi.

Quid igitur hic agendum erat? ſcilicet acidum corroſivum temperari, fragmentorumque carioſorum ſeparatio promoveri debebat, ac durities in ulceris vicinia emolliri.

Sed ante omnia dentem carioſum extrahi juſſi, metuens nimirum, ne ille maxillam adhuc magis inficeret, verum dentis radix apparebat incorrupta.

Tunc ulceri impoſui turundam oblitam ſequenti unguento.

℞. Theb. ℥ii. Vitell. ovi N. i. Aloës Myrrhæ an. ℈i. M. S.

Therebinthina reſiſtit acido, ſicut docet ipſius oleum effervescens cum oleo vitrioli acido, ſic aloë & myrrha etiam temperant acidum ſale ſuo, quo abundant.

Interdum etiam, ad ulcus magis patulum reddendum, turundæ aſper ſi pulverem croci metallorum, qui carnem luxuriantem tollebat, vel imponebam turundam ex radice gentianæ paratam; turundæ ſummitati autem plerumque impoſui pulverem euphorbii, ut illud copioſo ſuo ſale volatili acidum corroſivum temperaret, ac ita non tantum oſſis ſani corruptelam impediret, verum etiam fragmentorum carie affectorum ſeparationem maturaret.

Carni luxurianti extra ulcus protuberanti ſæpius imponebam alumen uſtum.

Ad duritiem in ulceris vicinia ſitam tollendam applicabam emplaſtrum ſtypticum Paracelſi.

Durities hoc pacto brevi ſublata fuit, & poſtquam per trimeſtre ſpatium hujus ulceris medelæ induſtriè ſatis incubuiſſem, tria fragmenta albicantia ex ulcere prodierunt, unum poſt aliud, quorum duo priora valde parva exiſtebant, ſed tertium ſatis magnum & latum.

Tunc temporis, ubi fragmentorum aliquod ſeparari incipiebat, pus apparebat ſanguinolentum ex eo, quod vaſa ſanguifera à fragmento illo læderentur, & unde eodem tempore dolor exacerbaretur, non eſt quod explicem.

Hic etiam facile intelligi poteſt, quod fragmenta vacillantia puris copiam adauxerint & quod carni occaſionem præbuerint magis luxuriandi.

Sed quo pacto hæc fragmenta disjuncta ſunt? ut illud explicetur, naturam in auxilium advocare non oportet, quam Empedocles jam dudum exploſis his verbis.

Jam quod mortales naturam
Nomine dicunt, hoc nihil eſt.

Rideo ſane illos Medicos, quibus hæc verba ſemper in ore ſunt, ac inſtar oraculi habentur; Natura morborum curatrix, medicus naturæ miniſter &c; cùm neſciant ipſi, quid velint his verbis nihil ſignificantibus, quæ tamen audacter ſatis effutiunt apud ægros ſuos, à quibus non raro Deorum inſtar æſtimantur ob inanem ſuam garrulitatem.

Valedicamus igitur hic naturæ, ac dicamus id, quod res eſt quòdque ab unoquoque clare ac diſtincte percipitur; ſcilicet particulæ per os ſanum circulantes appellunt ad fragmenta carioſa, atqui per illa ob tubulos valde diſtortos curſum ſuum continuare non poſſunt, ſed vi unitâ quotidie ſæpiſſimè in ipſa impingunt, atque ita eadem, quantum poſſunt, divellentes, uſque ad ruptionem fere tendunt fibrillas, quæ os ſanum cum corrupto adhuc connectunt, tandemque particulæ puris acidæ laterum ſuorum acie fibrillas haſce intermedias diſcindunt; quod ideo facilius & citius contingit, oſſa eædem valde tenſæ ſunt, ſicut filum tenſum multo felicius quam flaccidum, cultro dividi videmus.

Poſtquam in fragmentorum ultimum ex ulcere prodierat, poris copia mox minuebatur, ac caro fungoſa alumine uſto ſublata non renaſcebatur amplius, ſicque ulcus intra quatriduum prorſus coaluit, remanente tamen cicatrice cava duraque, quam nemo mortalium præcavere potis eſt in oſſis carie, quandoquidem particulæ quæ nutrientes, per oſſis tubulos circulantur, atque ita perveniunt ad oſſis illam ſuperficiem, à qua fragmentum carioſum ſeparatum fuit, ſunt multo ſolidiores quam particulæ carnoſæ, ideoque, cum ibi ob ſimilitudinem ſuperficierum oſſis extremitati adhæreſcunt, multò arctius ſibi invicem incumbunt & connectuntur, ac quaſi parvum quendam callum efficiunt. *Joh. Muys in Praxi Chirurgiâ rationali.*

De Fonticulorum utilitate in Ulceribus chronicis.

Quantum ex Chirurgia per adminiſtrationem Fonticulorum quandoque in ægro redundat commodi, norunt ii, quos per benè longum tempus pharmacia divexavit amplius, abſque tamen ullo levamine, nec minoribus cum impenſis. Exemplo eſſe poteſt adoleſcentula quædam hic loci quæ ſuperato primæ ætatis luſtro tubercula paſſim in corpore, illaque albicantia cum duritie non leviori ſenſit prominere. Perſeverarunt hæc per menſem unum alterumque. Varia in uſum trahuntur ſpe citioris medelæ pharmaca, quæ vulgus ſuggeſſit & domus. Emolliuntur tandem ſed in apoſtemata tranſeunt, quibus ſanandis per plura quoque adhibentur è facilè parabilibus. Sed fruſtraneo conatu: Quippe ulcera non ſolum majus quærunt ſpatium; verùm numero etiam augentur. Hinc Medicus quidam vocatur in conſilium. Propinantur præmiſſis purgantibus decocta lignorum per menſes duos & ultra: applicantur quoque externa idonea. Quibus effectum quidem ut unum alterumque apoſtema ſanationem promitteret; alibi tamen novum exſurgeret tuberculum, in ulcus deinceps quoque verſum. Cura hæc tamdiu continuatur, uſque dum & oculi primò dolorem cum tumore & lacrymis continuis experiri; poſtea ipſiſſimam minitari cœperunt cœcitatem. Sanatis itaque oculis ulcera priùs coalita poſtliminio fuere aperta: ſanatis vero ulceribus & oculi reciprocè cœperunt ægrotare. Tandem pharmaca plane deſeruntur; & fonticuli applicatio in humero ſiniſtro celebratur, quæ ſubſequente tempore in tantum pro-

profécit, ut ex ulceribus & oculis caligantibus univerſim convaleſceret optima juvencula, feroſis humoribus copioſè per eum repurgatis. *D. Ehrenfridi Hagendornii.*

Crurum ulcera contagioſa.

Non eſt quidem illud contagium adeo virulentum, ut ſpargatur ad plures, ſed ad eos, qui in eodem lecto decumbunt, tandem proſerpit, niſi maturè obviam eatur. Deſignantur autem hic potiſſimum ulcera cacoëthe, non fugacia, aut levia. Id cum pluribus oſtendi poſſet exemplis, unico hic acquieſcemus, ſed clariſſimo. Vir meritis illuſtris, ſed ſcelotyrbe per intervalla divexatus duxerat puellam ſeptendecim annorum, ſaniſſimam, pulcherrimam, quæ ſenſim, licet mater liberorum aliquot, evitare non potuit, quin è contubernio mariti omnia ferè corporis ejus vitia in ſe quoque derivaret, illo tamen nullum ex eo ſolatium inveniente. Laborabat aſthmate maritus, correpta eſt eodem malo uxor, madebat nocturnis ſudoribus maritus ultra modum aliis familiarem, madebat & illa, quamvis initio conjugii ſiccior; diſtendebantur pedes mariti humore ſcorbutico, nullum fere commodum afferentibus ſub utroque genu cauteriis, ſimilia paſſa eſt conjux. Tandem exulcerantur crura mariti ulceribus variè ſerpentibus, & licet ſubinde cura periti chirurgi coirent, recrudeſcunt ferocius, idem pedetentim contigit uxori. Nec tantum potuit vel Medicorum diligentia, vel Chirurgorum aſſidua ſedulitas, quin utrique idem malum fuerit mortiferum. Non indignum eſt, quod hic memoretur celebris Itali tentamentum adverſus ulcera illa funeſta. Viderat parum profici pharmacis vulgaribus, eoque ad inſolita converſus magnam in ægro ſpem ſanitatis priſtinæ excitaverat. Jubebat quotidie afferri ex ædibus artificis, qui aurum in bracteas extenuat, tunicas allantoideas plures, namque his inter auri foliola extenſis, convenientius, & planius tundendo ultimam manum recipiunt lamellulæ; has membranulas ſollicitè tumentibus & exulceratis admovebat cruribus, in hanc ingreſſus opinionem, fore, ut ab auri contactu vires novas mutuarentur, & propria ſubtilitate poros exſudantium ichorum occluderent. Sed nihil his profectum, Tandem ingeſſit ſe Chirurgus Batavus, qui omnia brevi ſalva fore pollicitus, toto trimeſtri ita ptiſana quadam medicata virum optimum exercuit, ut quotidie vel duodecies ad ſellas diſcederet Patroclianas. Miram ægri patientiam! jubebat tum Chirurgus crura faſciis ſtrictè involui, ut humores de novo illuc decumberent, atque ita ægrum jam viſum ſibi ſaniorem, quaſi re bene geſta, dimiſit, nec diæta ſicciori imperata, nec pharmacis roborantibus commendatis. Quid fit? ne unum quidem menſem durabat imaginaria hæc ſanitas, antequam ex adſtrictis faſcia cruribus humores noxii in artus omnes penetrarent, atque adeo intolerabilem accerſerent arthritin, cui demum, grave malum, calculus ſe aſſociavit, & urnæ interceptio, quibus noviſſime, fruſtra in adverſum nitentibus Medicis: longiore vita, digniſſimus ſuccubuit. *D. Olai Borrichii.*

UNGUIUM MORBI.

Unguis venit ab ὄνυχος genitivo Græco unguem ſignificante. Multa enim ab obliquis deſcendunt. χ converſum eſt in G. quomodò ab ἄγχω eſt ango; à χαλβάνη galbanum.

Quâ ratione unguis & ungula differant, quidam non ſatis videre Grammatici. Unguis eſt in iis, quæ digitos habent: ungula in illis, quæ ſolidos vel biſulcos habent pedes. *Plinius initio cap. 45. lib. 1.* ungues clauſulæ nervorum ſummæ exiſtimantur. Omnibus hi, quibus & digiti. Et mox de Elephanto *inquit*, huic informes numero quidem quinque, ſed indiviſi ac leviter diſcreti, unguliſque, haud unguibus, ſimiles.

Ungues, ſimiliter ac pilos vitâ donatos eſſe, verâque nutritione augeſcere, probabile eſt: eademque argumenta huc faciunt, quæ ſuprà pro pilis adduxi. Conſentit huic opinioni *Hippocrates lib. de alim.* in pilos, *inquit*, alimentum, & in ungues, & in extremam ſuperficiem intrinſecùs pervenit. Item *Galenus lib. de anat. adminiſ. cap. ult.* pari modo ſanè & ungues ligamento quodam externo internodii termino conjunxit: ſymphyſi verò carni cutique intrinſecùs univerſim; extrinſecùs toti radici adnaſci fecit. Cæterùm in radicem ipſam non modò nervus, ſed etiam arteria venaque porrigitur, unde ſenſum, vitam, & alimentum, ſicut aliæ partes, accipiunt. Ibidem: ungues arteriæ & venæ nervoque propter radicem junguntur, ſenſus, vitæ & alimenti gratiâ: oſſi verò & cuti committuntur, ne ſuſpenſi vacillent: partem enim oportebat & hos eſſe toti animanti cohæreſcentem ſicut alias quoque. Iſtas venulas in digitorum unguibus inter ſe diſtinctas, ac mirificâ arte diſpoſitas perſpexit microſcopii ſui beneficio *Franciſcus Fontana Neapolitanus.*

Officium & utilitatem unguium diſertè accurateque explicat *Galenus lib. 1.* de uſu cap. 7. & 8. oſtenditque *Platonem & Ariſtotelem* negligenter de eorum uſibus locutos fuiſſe. Qui *Galeni* locus dignus eſt ut adeatur videaturque.

Vitia porrò unguium ſunt inæqualitas, craſſities, rugoſitas, ſcabrities, color mutatus, curvatura, fiſſura, caſus, pterygium.

Ungues inæquales, craſſi & rugoſi evadunt ob ſuccum, quo ungues nutriuntur, copioſiùs adfluentem. Id quod fit ex validis laboribus, quibus ungues circa radices commoventur, ideòque alimentum copioſius ſuſcipiunt.

Scabrities unguium fit ex humoribus vitioſis & excrementitiis, præſertim melancholicis, alimento unguium ſeſe permiſcentibus.

Malè colorati ſunt ungues, vel quia ſubjecta unguibus caro malè colorata eſt; vel quia ipſorum unguium alimentum vitioſum & tali colore præditum eſt; à quâ causâ oriuntur & maculæ illæ albæ exiles; à pituitâ ſcilicet craſſâ alimento ſeſe admiſcente. Aliquandò ex contuſione ſanguis ſub unguem effunditur, & per unguem tralucens colorem rubrum vel nigricantem parit.

Fiſſura unguium plerùmque à causâ externâ venit, ut à vulneribus: aliquandò ab humorum malignitate in Lue venereâ & leprâ.

Caſus-

Caſus unguium fit ab acribus humoribus radices unguium erodentibus. Sic poſt ulcera & vulnera circa radices unguium, decidere ſolent ungues, pure eorum radices exedente. Ita aliquandò poſt febres malignas & peſtilentes deciderunt ungues, & poſt venena quædam ſumta, & in lue venereâ.

Pterygium eſt incrementum carnis partem unguis operiens, ſequitur ſæpe paronychiam, vel aliud ulcus circa unguem.

Craſſicies, inæqualitas & rugoſitas unguium ſi à validis laboribus orta eſt, emendatur ceſſatione illâ causâ. Non progreſſu temporis unguibus illis craſſis excreſcentibus & reſectis, meliores alii ſuccedunt.

Scabrities unguium tollitur abraſione: dein impoſitione hujus emplaſtri:

℞. Reſinæ drachmas duas. terebinthin. drachmam. ceræ novæ ſevi hircin. an. drachmas duas & ſemis maſtiches ſcrupulos quatuor thuris drachmam. Miſ. ſ. emplaſ.

Color unguium ſi mutatus ſit ob contuſionem:

℞. Sagapeni q. v. miſ. in mortario cum oleo nucum, ut fiat emplaſtrum; quod ſuperponatur.

Si unguis nimium incurvatus ſit, & ſubjectam carnem pungat; quod non rarò fit in pedibus, caro imprimis ſuperflua tollenda inſperſo alumine uſto, vel præcipitato: poſtea unguis, qui carni inſedit, reſecandus.

Ad pterygium conſumendum valet unguentum ægyptiacum, alumen uſtum, præcipitatum. *Vopiſcus Fortunatus Plempius de Unguium affectib.*

Nihil eſt, de quo negligentius tractarunt ſcriptores Chirurgiæ, quam de affectibus præter naturam in unguibus occurrentibus. cum tamen omni tempore ſe exhibuerint, imò quotidie adhuc ſe exhibeat qui Chirurgo æque ac ægrotanti moleſtiam non unam creent.

Quod ſi judicio accuratione conſideraverimus, haud adeò quem in uſum conditi, quam quibus partibus juncti, nullus erit qui non nobiſcum plura hîc neceſſaria eſſe auxilia, quam hactenus propoſita, confitebitur.

Antequam verò examen morborum quibus affici poſſunt aggrediamur, ſtructuram eorum, originem, & uſum cognoſcere conveniens.

Quoad Originem valdè inter ſe diſſentiunt Medici; arridet omnium maxime ſententia Galeni, quæ com. ad prognoſt. proponitur, vaporem nempè aliquem ab extremitatibus digitorum extrorſum motum ab externo aëre condenſari, indeque cornu ſimilem ſquamam produci.

Felix Platerus de ſuperf. corp. dolor. cap. 17. ex nervorū extremitatibus eos produci ſtatuit.

Aliis placet oſſiculorum digitos conſtituentium extrema hîc ut materiam aſſumere.

Haud crediderim à vero nos aberrare, ſiquidem non ſolùm ex nervis atque oſſibus eos conſtitui dicamus, ſed etiam ſecundum Galenum ex digitorum extremis, eò quod, abſque omni dubio, totam partium compoſitionem reſpexerit Galenus quæ ad membri ſtructuram concurrunt, quales Tendines, venæ, arteriæ, nervi, cutis & oſſa, cùm hæ omnes circa digitos terminum ſuum nanciſcantur proximè ſibi invicem connexæ.

Digiti anatome curioſa ſatis ſuperque patefaciet tendinem ſuperiorem digitorum in pede, manuque ad internodium ultimum ſenſim indurari.

Venas extremitates ſuas per cutem diffundere ex eo conſtat, quod cutis ad unguium marginem rubicundioris coloris reperiatur, quam aliis locis, ubi etiam ſeparatione ejus ab ungue dolores graviſſimi exoriri ſolent.

Eadem ratio arteriarum, quæ nunquam deſtituuntur venâ vel nervo, relictâ cute ungues ipſos accedentium. Ungues poroſos eſſe, variis vaſorum ramulis gaudentes microſcopio evidenter notari poteſt. Imò, non ſemel nobis obſervare licuit, ubi feſtucam ſub ungue hærentem extrahere animus, & ad hoc peragendum per partes unguem tollere neceſſarium, quo inſtrumento apto feſtucam apprehendere concederetur, guttas ſanguinis varias ſe exhibuiſſe, certo indicio vaſa ſanguifera unguem variis modis pererrare.

Nervos ad unguibus tegi ſententia Plateri eſt; imò etiam ſenſum aliquem eorum ope unguibus adferri exemplo ſeq. demonſtrabimus.

Maria Jacobi, Religioſa, acu vulneraverat unguem digiti indicis manûs ſiniſtræ, unde intumeſcentia gravis, inflammatio, dolor, periculoſa videbantur omnia, ad quorum ſublationem & tempore & patientiâ opus, præterquam quod oſſiculi ultimi ablationem metueremus. Non unguem ipſum, ſed locum unguem partemque tendinoſam (duo enim hæc accuratè diſtingui vult Plempius tract. de muſculis cap. 25.) interjectum aculæſum credebamus, quale quid obſervatum narrat, Horatius Augenius Tom. 1. conſult. & epiſt. med. lib. 9. cap. 2. in ſartore quodam, qui etiam vulnere tali obiit.

Ægrotans unguium ſuorum ſenſilitatem ſummam, jam aliis Chirurgis notam prædicans, non applicari voluit medicamenta extremis digitorum, ſed verò ipſis unguibus; nos deſiderio ipſius ſatisfacere ſtudentes eodem modo vulnus hoc unguis tractavimus ac vulnera nervorum tractari debere ſupra docuimus, & breviſſimo tempore integrè curata.

Uſum unguium antequam declaremus, ſcire convenit, Cuticulum etiam aliquomodo unguem inveſtire.

Galenus digitorum extremis inhærere eos judicat ad meliorem apprehenſionem.

Felix Platerus nervis eſſe pro integumento & propugnaculo.

At ulterius priuſquam progrediamur, noſtrum eſſe judicamus, Lectori curioſo periculum indicare, cujus ſubjecti omnes illi, quorum ungues quovis modò læſi.

Plinius cap. de morte repentinâ variorum 36. lib. 2. Q. Æmil. Lepidum ex percuſſione unguis mortem contraxiſſe narrat.

Veterum exemplis haud indigemus, cum noſtra tempora eorum numerum ſufficientem exhibeant.

Juſto Breſcis, Mercatori celebri pollicis pedis dextri ungui reſectus mortis cauſa fuit, eò quod ſymptomata accederent graviſſima.

Petrus Johannis Koning, poſtquam jam per quadriennium unguis reſecti curam habuiſſet, ſymptomatum ſupervenientium vi exſtinctus eſt.

Joh.

Johannes Isbrants Faber lignarius feſtucam igneam excepit loco eo qui eſt ſub ungue, quæ ſymptomatibus variis, & tandem morti ipſi anſam dedit.

Gooſe Pieterſon lanio cultro vulneraverat digiti minimi unguem, mox ejus quod ſolutum à parte ſana ſeparavit, & intra triduum mors ſupervenit.

Exempla alia eorum qui per morbos unguis, iiſque ſupervenientia ſymptomata vitâ privati, non eſt quod proponamus; accedamus vitia ea quæ unguibus ſupervenire ſolent parvæ conſiderationis ſæpius habita, cum tamen non raro ſatis moleſta, periculoſaque.

Hier. Fabr. ab Aquapendente de operat. Chirurg. part. 1. cap 102. Quamvis, *inquit*, ungues pauciſſimi uſus eſſe videantur, quod fere non nutriantur, & corporis partibus vix annumerentur, tamen quadruplicem Chirurgiam requirunt.

Conſiderabilis hic unguis pedis, potiſſimum digiti pollicis ad angulos introrſum in carnem intruſio, ex uſu calceorum aliorumque externorum plus juſto comprimentium, unde membri actio vitiatur, imò in totum ſæpius tollitur, præterquam quod dolor & inflammatio ſæpius valdè ſoleant moleſtare. *Ab Aquapendente* præter alios propemodum innumeros a ſe curatos quendam aliquando nobilem gallum curaſſe ſe ſcribit, qui palam fatebatur ſe plus ipſi debere quam proprio genitori propter reſtitutam digiti ſanitatem ex unguis pollicis pedis inſinuatione intruſioneque in carnem ad ejus ſcilicet latera.

Contigit nobis aliquando plus honoris lucrique reportaſſe ex reſtitutione hujuſmodi in *Nob. D. Martino Thiſſen Ankerhelm, Architalaſſo Suecico,* quam unquam ab ullo ægrotantium.

Unguem alte ſe ſub carnem & cum dolore defigentem quoties obſervamus, forfice valido, acutiſſimo, ſectionem inſtituere neceſſarium, initio facto circa partem ſuperiorem, procedendoque ſic ad inferiora, ubi ejus radix; hoc peracto volſellæ operâ particulam unguis abſciſſam levi manu ſeparare convenit, ne alias ſiquidem violentiâ quadam procedat Chirurgus inferatur periculum.

Operatione hâc peractâ plumaceolum loco læſo apponatur Ung. digeſtivo calido inunctum. Utimur hoc quod balſamo quodam gaudeat tendines & ungues calefaciente.

Quod ſi exulceratio quædam carnis acceſſerit, præſtantius nihil reperi, ſimiliter ac in omni incipiente digitorum ulcere, aquâ Mercuriali, veneni etenim aliquid unguibus ineſſe, cujus vi cutem, carnem, tendineſque a te ent, quo non privantur niſi applicatione ſublimati ex quo aqua hæc conficitur, quod etiam venenum eorum tollit. Ungues enim, denteſque animalium docente *de Vigo lib. de vulner. cap.* 4. Mediciſque aliis, nunquam veneno deſtituuntur.

Unguibus eorumque ſcobi venenum ineſſe clarè ſatis felium ſcalptura declarat *Fabr. Hildanus part. 1. obſerv.* 86. & ſcobe *Euſtach. Rhudius*.

Ungues enim referente *Abele Roſcio* apud *Hildanum* excrementis conſtant ſicciſſimis, nullaſq; humiditates reſervant; hinc eſt quod vulneribus venenoſitatem adferant, imò cordi, totique corpori communicant; ex ſcalpturâ unguibus peractâ quoſdam in delirium incidiſſe *Cæl. Aurelianus lib. 3. de celer. morb. cap.* 9. teſtatur.

Summa adeoque cura habenda, ut tendo inflammatus aut ab ungue alteratus, ſimiliter ac caro ipſa, defendatur, & primo tempore exſiccetur.

Leviſſimus licet ſæpius viſus nobis fuerit affectus unguium, negotii tamen non ſemel tantum nobis eos attuliſſe confitemur, ut pudorem intulerit diuturna curatio, ſine ſucceſſu inſtituta.

Medicus Clariſſimus, ſcholæ publicæ in nova urbis noſtræ regione moderator magni nominis *Johannes Pantinus* intruſionem hanc unguis pollicis pedis in carnem contraxit, cujus curatio ultra ſeptimanas ſexdecim miris modis nos vexavit, etiamſi ſingulis diebus eum accederemus; quæcunque ſecando, ſeparando, exſiccando tentaremus fruſtranea omnia; latebat nos tardioris curationis cauſa, carnis læſæ craſſities eadem perdurabat, cum effluxu materiæ purulentæ optimæ digeſtionis. Tandem inſtrumento noſtro exploratorio particulam ab ungue forfice ſeparatam carni prædictæ inhærere notavimus, quo ablato curatio ex voto abſoluta fuit. *Jobus à Meekren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

UNGULA
Vid.
CORNEAE VITIA.
VOCIS VITIA
Vid.
LINGUAE VITIA
Item
MUTITAS.
VOLVULUS
Vid.
ILEOS.
VOMICA PULMONUM.
Vid.
PULMONUM MORBI.

VOMITUS & NAUSEA.

Curationes.

Ventriculus recipiendis, retinendiſque alimentis naturâ deſtinatus, aliquandò ſi gravetur, vel à noxiis humorib. irritetur, Nauſea primùm, mox vomitu afficitur, ut ab ejuſmodi moleſtia ſeipſum allevet; quamobrem concitatur, turbaturque ſolùm Nauſeâ; vomitu verò ejicit quæcumque illius cavum occupant. Incipit autem hic motus expulſionis à fundo ventriculi, & pyloro, & nonnunquam inteſtinum quoque duodenum ſimul unà contorquetur; undè fit, ut non rarò in vomitu vehementiori præter ea, quæ in ventriculo innatant, atque plicis ejuſdem tenaciùs hæreſcunt, egerantur quoque humores, qui in prædictum inteſtinum confluunt, quandoque ſynceri, putà bilioſi ex cholidocho ductu profluentes, interdum etiam permiſti, & heterogenii varios colores referentes ob adjunctum ſuccum pancreaticum, & fortaſsè vitiatum: quod ſæpiùs obſervare eſt in vomitibus ab Emeticis, & catharticis medicamentis

camentis fortioribus provocatis, ſi nimirum acriùs, quàm par ſit, illæ partes, & pylorus in ſuis fibris motricibus irritentur, atque ab ima parte ſurſum contrahantur.

Etſi Nauſea, & Vomitus ab iiſdem omninò cauſis fieri perhibeantur, gradu ſolùm differenbus; veriſimile tamen admodùm eſt in Nauſea ſtomachum potiùs, à vaporibus dumtaxat, & præſertim è bile magis volatili elevatis commoveri, & laxari; unde levis ad vomitum incitatio, & quandoque etiam irrita. In Vomitu verò potiùs ventriculi fundum, & pylorum affici, & quidem ab humoribus acrimoniâ vellicantibus, atque ſtimulantibus ad vomendum.

Nedum autem Ventriculus ab humoribus acribus ad vomitum concitatur, verùm etiam à quibuſvis alterius conditionis vitioſis ſuccis, gravantibus, laxantibus, aliove modo fibras plicaſque illius quaquà ratione turbantibus. Unde cibi abundantius ingeſti, oleoſi pingues, itemque acres, acidi, ſeroſi, aliuve; nec non humores phlegmatici, tùm ex degeneratis alimentis ibidem progeniti, tùm aliundè confluentes, ex apertis vaſis, diruptiſque tumoribus, ſanguinei, purulenti, & ſimiles Nauſeam, & vomitum promovere poſſunt. Ab inflammatione inſuper, tumore, abſceſſu, ulcere, vel in ſeipſo, vel in adjacentibus partibus, præſertim Pancreate, vomitus aliquoties moleſtiſſimus obſervatus eſt: pariterque à vermibus, à tuſſi violentiori, & à quibuſdam morborum generibus, nephritide potiſſimùm, variolis & morbillis impetens vomitio ſuccedit. Taceo denique venena, & medicamenta purgantia, quibus plerumque ventriculus adeò laceſſitur, ut iteratis vomitionibus, cibum non capiens, tandem deficiat, & mortem arceſſat.

Hinc Vomitus multigeni eſſe ſolent; ſanguinei, purulenti, bilioſi, phlegmatici, ciborum, vermium, idiopathici, ſympathici, faciles, difficiles; interdum ſalutares, non rarò etiam lethales.

Et quidem conſuetus vomitus eorum, quæ à cibi digeſtione in ventriculo relicta ſunt; vel etiam inſipidi phlegmatis, vel ſubamari humoris utilis plerumque eſt; ſicut pariter à navigatione, & à crapula, undè ventriculus gravetur, aut torqueatur; itemque à venenis, & catharticis moleſtioribus, ſi tamen modum ſervent, nec alii egerantur humores quàm qui circa ventriculum ſtagnabant. Præterea ſalutaris eſt vomitus in febribus, præſertim periodicis inter initia acceſſionum ſponte contingens: eo enim cauſa morbi vel omninò, vel magna ex parte educitur. Eadem ratione confert ſpontaneus vomitus longo alvi profluvio laboranti. Similiter ſi præcedant oris amarities, ructus nidorem olentes, ciborum faſtidium, vertigo, dummodò ſubindè levamen conſequatur. At contrà malus eſt, & eò magis ſi modicus, hærentem nimis contumacemque humorem indicans, aut inflammationem, vellicationemque aſſiduam in ventriculo adjunctiſque viſceribus, in quibus inflatio, dolor, ardor, aliudve ſymptoma obſervabitur. Sic etiam ſi fuerit lividus, niger, multorumque colorum, fœtidus, pariterque ſanguineus (quamvis hunc Hippocrates ſine febre ſalutarem dicat, præſertim in fæminis ex ſuppreſſis menſtruis ex Langio, & Braſavola) chyloſus, ſyncerus, ſanioſus, verminoſus, & ſtercore fædus, ut in Morbo Ileo. Ex capitis vulnere, aut contuſione peſſimus quoque eſt; ſicut etiam in capitis doloribus cum vigilia, & ſurditate: imminentem etenim inſaniam denunciat. Denique poſt vomitum ſingultus, aut oculorum rubor, malum.

Nauſeam citiſſimè ſolvi ſcribit Hartmannus comeſtâ zedoariâ, vel ſumpto illius extracto, mirabilemque ejuſdem radicem, & acetum prædicat in omnibus Ventriculi affectibus cum languore conjunctis. In vomitu verò commendat aquam menthæ ad uncias duas, ſemel atque iterum epotam, & ſuccum cydoniorum crudum ad cochleare unum, vel alterum, ac poſtremò laudanum opiatum ſi cætera non proſint. Et externè emplaſtrum theriacæ, aut epithema ex decocto abſinthii, menthæ, & lupulorum in aqua ferrariorum, vel aceto.

At verò vomitus non ſemper ſiſtendus eſt, imò & aliquandò promovendus: & quidem pro varia ejuſdem conditione, atque cauſarum diverſitate. In conſueto, critico, à crapula, navigatione aliiſque cauſis externis inducto, roborato ventre, nil ampliùs tentandum. Immoderatus, chyloſus, ſanguineus, & vires dejiciens quantò citiùs temperandus & cohibendus; diſtractâ deindè, correctaque materiâ, ne aliò irruens, aut ibidem aggeſtâ graviùs damnum moliatur; quare ſi acres irritanteſque humores vigeant, acidis temperentur, & ſtomacho ſuavibus, ſyrupo, & rob ribium, ſucco cydoniorum, & punicorum, acidorum, aquâ myrtearum baccarum, aquâ imperiali Quercetani, & Sennerti, elixire citrii, & proprietatis Crollii, ſpiritu ſulphuris per campanam, ſpiritu ſalis dulci, & Vitrioli depurato, ſale prunellæ, cæteriſque, additis quoque, ſi opus ſit, opiatis, theriaca recenti, diaſcordio, Fracaſtorii, Nepenthe: ex quibus grata ori, & ventriculo miſtura confici poterit, etiam cum aqua, vel æleoſaccharo cinnamomi. Quæ proponitur à Riverio efficax quoque eſt ex ſale abſinthii ad ℈j. cum cochleare uno ſucci mali limonii; ſicut pariter quæ à Williſio, ex ſucco ejuſdem limonii ad ℥iv. Coralliorum præparatorum drachmis duabus, & ſalis abſinthii drachmâ ſeſquialterâ, additis unciis duabus aquæ cinnamomi. Vult autem ad cochleare j. vel alterum bis in die eſſe aſſumendam.

Si verò humores acidum referunt, proderit pulvis ſtomachicus. Quercetanis, ſal abſinthii, & centaurii minoris, ebur, oculi cancrorum, tormentilla, biſtorta, C.C. uſtum, lignum Aloës, Bezoarticum Mercurilis, elixir proprietatis, ſyrupus de abſinthio, de Menta, julep vitale, julep de cinnamomo. In quorumvis autem humorum acrimonia magnifacit Sylvius diaſcordium Fracaſtorii ad ℥ii. cum altera confectionis hyacinthinæ, dilutum in ſyrupo papaveris albi, & aqua fœniculi, ſingulorum ℥i. duplaque doſi aquæ plantaginis. Alias medicamentorum formulas præſcribit tùm ad ſuccum acidum, tùm ad bilis acrimoniam corrigendam, de quibus infrà. Cæterùm ſi vitioſi ejuſmodi humore, etiam ex corruptis cibis,

exuperare videantur, convenientibus cathar- ticis blandè educendos commonet rhabarbaro, mechoacan, & ſimilibus. Riverius autem in vomitu vehementiſſimo exhibet laudani grana iij. & pilularum cochiarum min. ℈ij. ß.

Si præterea humores phlegmatici, craſſique fuerint, (quod tamen rarius) poſt incidentia, attenuantia, atque etiam per vomitum educentia, conferent aromata, & ſtomacho grata ex Mentha, cinnamomo, nuce myriſtica, galanga: omne genus elixiris, ut & ſpiritus vini, vinum ipſum, præſertim medicatum quale deſcribit Deckers hoc loco.

At ſi Vomitio cum hypercatharſi à pharmaco inducta ſit; foveatur ventriculus emplaſtro de cruſta panis; cataplaſmate è ſucco abſinthii, & menthæ, cum theriaca, & modico vini rubri auſteri; vel emplaſtro *Deckerſiano* ex mentha, maſtiche, nuce odorata, cinnamomo, & fermento. Eſſentia menthæ, & maſtiches optima eſt. Intereà verò offeratur offa panis vino veteri, & odorifero intincta; vel theriaca recens cum confectione alchermes, aqua cinnamomi cum ſyrupo Menthæ; vel aqua ſtomachica Mynſicht; vel vinum malvaticum ſpiritu vitrioli dilutum ad gratum ſaporem, aliudve ſimile.

Vomitus ab importuno uſu Antimonii illicò ſedatur ſpiritu vini ad cochleare unum, vel ſimplici, vel cum julapio cinnamomi, aut ſucco cydoniorum depurato, ejuſque ſyrupo.

In cibi, & chyli vomitu ex imbecillitate Ventriculi, vitiatiſque fermentis illius, cùm exindè fibræ laxæ nimis, & flacceſcentes fiant, atque iners coctio, & ventriculi turbatio inſequatur: conferunt ſtyptica, & acido acria ſtomacho gratiora, ut elixir vitrioli Mynſicht, aut acetum aromaticum, ſpiritus ſalis, & vitrioli coagulatus ejuſdem Mynſicht, itemque Species & hauſtus ſtomachicus ejuſdem. Externè verò eſſentia menthæ; & abſinthii, emplaſtrum maſtiches, ejuſque ſpiritus, oleum nucis myriſticæ, &c.

Vomitum cruentum compeſcit ſuccus urticæ, ejuſque aqua ſtillatitia unà cum radicibus, & ſpiritu vitrioli acidula reddita; itemque aqua plantaginis, centinodiæ, conſolidæ majoris, biſtortæ, & burſæ paſtoris; Pulvis coralliorum rubrorum, & ſanguinis draconis; colchotar vitrioli, bolus armenia, terra ſigillata, crocus Martis adſtringens dictus, lapis hæmatites, trochiſci de carabe, ſperniola Crollii. Suum locum hîc habet Miſtura Sylviana tam ab eodem Authore commendata, nedùm in hac, ſed in cæteris aliis ſanguinis egeſtionibus, atque ex aqua plantaginis, & cinnamomi, aceto ſtillatitio, coralliis rubris, ſanguine draconis, ſyrupo myrtino, & laudano opiato compoſita. Addit autem, ad diſſolvendum ſanguinem coagulatum, ſperma ceti, oculos cancrorum, & ſtibium diaphoreticum. Prodeſt quoque mixtura à Friderico Deckers deſcripta in notis ad Praxim Barbettianam, cujus meminimus capite de pleuritide. Subitò ſiſti vomitum cruentum teſtatur Hartmannus frigida potione ex aqua ſtillatitia radicum urticæ majoris ad ℥vi. & ſpiritu vitrioli ad ſenſibilem acorem. Vnà ſimul verò applicat ventriculo panem toſtum, & pulvere caryophyllorum aſperſum, atque vino Cretico, & aceto madefactum. Præſtantiſſimum quoque remedium ſcribit eſſe Rondeletius potum aquæ plantaginis, vel poſcæ ad ℥iij. in qua camphoræ ſemiſcrupulus ſit diſſolutus.

Quamquam autem Aceti uſus in ſanguinis rejectionibus ſuſpectus meritò dicatur Fr. Hofmanno, utilis tamen ſummoperè obſervatur, ſi aquâ, ſyrupis, cæteriſque temperetur: mirè enim relaxata, & aperta vaſa, quibus ſanguis fertur, corrugat, & comprimit; ſanguinem verò effuſum, & coagulatum diſſolvit, ac diluit, atque ad exitum diſponit.

Vomitum à venenis, venenoſiſque humoribus, ut in malignis, ac peſtilentibus febribus, temperant, & infringunt omnia Alexiteria, & Bozoartica, Theriaca, Mithridatium, diaſcordium, aqua, & ſpiritus theriacalis, aqua vitæ Matthioli. Efficax remedium dicitur Hofmanno ſal abſinthii ad ℈j. cum ℥ß. ſucci mali citrii recentis: pariterque conferre margaritas præparatas, corallia, terram ſigillatam, bolum armeniam, cum rob Ribium, vel Berberum in aqua acetoſæ. A venenis verò erodentibus auripigmento, mercurio ſublimato, aliiſque, conferunt oleoſa quævis, & pinguia, lac, butyrum, cum quibus etiam aliquid opiati permiſceri tutò poteſt.

Vomitus ex obſtructione Lienis, aut uteri, & ex ſuppreſſis Menſtruis, vel ex affectione Hypochondriaca, ac ſcorbutica, temperatur chalybis uſu, ac antiſcorbuticis medicamentis, extracto aut ſpiritu Naſturtii aquatici, raphani agreſtis, & cochleariæ, cæteriſque alckalicis acrioribus.

Ab inflammatione, tumore, abſceſſu; itemque ab ulcere, vermibus, tuſſi, cæteriſque ægritudinibus proveniens, ſedabitur, ſi peculiaribus remediis cauſa mali removeatur, viſceribuſque affectis congruentibus auxiliis ſuccurratur, quæ partim ex ſuprà dictis, partim ex infrà dicendis palam fient. Ex ulcere autem miſturam conficit Deckers ſatis efficacem, nec non balſamum ſulphuris aniſatum, & Peruvianum cum tinctura florum hyperici commendat: quod & Sylvius approbat loco citato.

Illud poſtremò notandum cibos in omni vomitu jucundos, gratoſque ventriculo eſſe exhibendos, neque multos, & digeſtioni reſiſtentes, ne ſcilicet is exindè gravetur, & crudos ſuccos generet, incidatque in alias pejores affectiones. Hinc conſulit Avicenna vomentes non debere cogi ad comedendum, donec avidè fameſcant: quamquàm hoc valde periculoſum. Senſim itaque reficiendæ vires erunt, & in priſtinum ſtatum jucundis alimentis reducendus venter. De uſu etiam vini ſpecialiter advertendum, quod quamvis plerumque eo ventriculus roboretur, interdum tamen indè nocumenta perſentit, & meliùs ſe habet aquæ, quàm vini, potu, cùm ſcilicet ſucci diſſolventes tenues nimium ſunt, facileque ex fermentatione evaneſcunt, & reſolvuntur, undè chylus aceſcit, vel etiam quia fibræ rugæque ventriculi villoſâ cruſtâ orbatæ promptè in ſeipſis admittunt tenuiores vini particulas, ex quibus deinceps vellicantur, & ante tempus ſollicitantur ad nondum confe-

ctum cibum protrudendum; cumque exindè etiam bilis è ductu cholidocho derivans infringatur, diluaturque, vel etiam acuatur, aut craſſeſcat, vigeat, vel hebeſcat, indebitam cum ſucco pancreatico miſturam efficit; undè acores, ardores, anxietates, irritationes, malæ ſecretiones, flatus, alvi durities, aliaque mala, pro eorundem ſuccorum vitio, pedetentim ingraveſcentia conſequuntur; quæ ſanè ab uſu aquæ demulcentur, & remittuntur. Quod pariter obſervare licet in iis omnibus, qui à Nativitate debilem ventriculum ſortiti ſunt: in his enim ſalubrior aquæ uſus eſt, quàm vini, licèt de languido ſtomacho conquerantur, modò vinum imbecillum non ſit, quale Græcis oligophoros dicitur. *Clar. Lucas Tozzi. Medicina Practica Parte 2.*

Natura ad motum violentum incitata ſæpe fines tranſgreditur, ac ultra metam excurrit, hinc interdum, ut ſufflamine ſive remora opus ſit, quo impetus ejus ſiſtatur. Hòc in vomitu, ſi quando per medicamenti operationem aut propter alias occaſiones immodicus fuerit, planiſſimè cernitur: quapropter medicinæ, haud minus hunc ſtomachi furorem compeſcere, quam ciere, negotium incumbit. Quot modis, & quibus de cauſis vomitio, abſque Emetico aſſumto evenire ſolet, ſuperius declaravimus: inſuper obſervationi commune obvium eſt, evacuationem hanc à medicamine proritatem, quandoque adeo violentam, ac diuturnam evadere, ut, ni artis ope ſiſtatur; exinde manifeſtum vitæ periculum incurratur. Quemadmodum igitur in Praxi medicâ Pharmaca Emetica neceſſarii ſunt uſus; ita interdum excretionis iſtius (quoties nimia aut præternaturalis fuerit) ſiſtendæ gratiâ, remedia prioribus contraria, ſive Vomitionis Antidota indicantur. Primo igitur quæ ὑπερκάθαρσιν ab Emetico inductam medentur, dein ſecundò qua ratione & quibus remediis vomitioni præternaturali, ob alias cauſas inductæ, ſuccurratur, proponemus.

Quoad prius, Vomitio à Pharmaco illata vehementior evadit, ac diutius perſiſtit, quia ſpiritus Animales ſupra modum irritati, & excandeſcentes, inordinationes ſuas haud facilè, aut ſtatim remittunt, quin illi crebra vice exploſi ſpaſmos Emeticos violentos cient, & ſæpius reperunt. Porrò impetus iſte exploſivus, in Ventriculo inceptus, non raro in ſpiritus partium vicinarum incolas, & exinde in alios, & demum aliquando in totam eorum ſyſtaſin propagatur, in tantum, ut vomitioni tormina & ſpaſmi in viſceribus, poſtea in præcordis, & denique in toto corpore cum manifeſto vitæ diſcrimine ſuccedant.

Spiritus ſupra modum irritantur, vel à ſolo Pharmaco ob quantitatem, vel qualitatem iis improportionato; vel inſuper ab aliis humoribus, ut bile, ſero acriori, aliiſque inter vomendum in ventriculum ſuffuſis. Porrò in nonnullis ſpiritus animales adeo teneri, & elaſtici exiſtunt, ut ab irritatione quavis emetico utut leviori, tum ventriculi hoſpites, tum vicini quique in exploſiones ſpaſmodicas concieantur. Hinc plures à Vomitorio, de Liene, utero, aliiſque viſceribus perturbatis & non facilè ſedandis quærentes, totam vaporibus à pharmaci operatione ſuſci tatis imputant; cum revera illud omnino ob ſpiritus animales promptè nimis commotos; & ægre compeſcendos accidat.

In hypercatharſi à Vomitorio inductâ, patiens mox lecto commiſſus, remediis tum externis, tum internis ſedulò tractetur; & primò, ut ventriculi hoſpites quietentur, aut fotus calidus è decocto Abſynthii Pontici, Menthæ, & Aromatum in vino rubro adhibeatur; aut placenta è mica panis toſti, & clareto calefacto immerſi applicetur. Enema ex lacte cum Theriaca diſſoluti injiciatur: membrorum frictiones calidæ, & ſuprá genu ligaturæ fortes, quæ ſpaſmos ab iis partibus arcent; adhibeatur. Ventriculus interim, niſi lipothymia urgebit, vacuus ſervetur: quamprimum verò iſte quidpiam alimenti aut medicamenti recipere poteſt, Aqua cordialis, aut vinum uſtum calidum aſſumatur. In perturbatione ingenti, ſi pulſus admittit, Theriaca Andromaci, aut Diaſcordium quandoque item Laudani ſolutio, aut Tinctura opiatica conveniunt.

In vomitu præternaturali, ab aliis cauſis excitato, conſiderare oportet, an criticus iſte, vel Symptomaticus fuerit. In priori nihil ſubito aut temere agendum eſt: excretio iſthæc, dum modo vires ferunt, minimè ſiſtatur; quin materiæ expellendæ exitus, aut facilitetur, aut feſtinetur, aut alio ducatur. Hinc nauſea, aut nixu vomitivo urgente, cerviſiam lacteatam, aut ſimplicem, aut cum foliis cardui incoctis alteratam. quandoque item oxymel, aut vinum ſcilliticum, aut ſtibiatum exhibere conveniat. Enemata interdum ex uſu erant; quandoque item lenis purgatio materiam in ſtomacho turgentem faciliore excluſionis via per inteſtina perducit.

In Vomitione ſymptomatica cauſa conjuncta (prout ſupra innuimus) aut in ventriculo ſubſiſtens affectum iſtum idiopathicum producit, aut in aliis partibus defixa earum ſpaſmos, & communicatione per nervos facta, in ventriculo perturbationes emeticas ciet; uti in paroxyſmis Nephriticis, Colicis, Hyſtericis, Vertigine, & multis aliis contingere ſolet, cujuſmodi vomitionis ſympathicæ medela à morbi primarii curatione dependet.

Quando Stomachus primario afficitur, in cauſa eſt, quod fibræ nerveæ ſupra modum irritatæ, alteras motrices in ſpaſmos excretorios cieant. Irritantur autem iſtæ ab objecto improportionato: viz. in quantum materies quædam iis incumbit, quam ritè concoquere, aut ſubigere, aut ad inteſtina detrudere nequeunt; quin neceſſe habent vomitu excitato eam ociſſime foras ejicere. Materies iſta adeò incongrua aut indomita evadit, vel ex proprio ipſius vitio, quatenus qualitate, vel quantitate peccans, fibras nerveas laceſſit; vel ipſius ſtomachi culpa, utpote cum tonus ejus laxus; & fibræ adeò debiles fiant, ut ne chylum ipſum, multo minus humores excrementitios ſubigire, aut tolerare queant, quin, ſarcinæ cujuſque impatientes, contenta quæque per vomitum excernant. Utriuſque horum cum varii ſint ca-

ſus, & afficiendi modi, ex iis præcipuos quoſdam, una cum remediis, & medendi rationibus, hic breviter ſubjiciemus.

Materies emetica in Ventriculo ſubſiſtens, vel in ipſum aliunde infunditur, vel ob coctionis defectum, aut depravationem illic progignitur: utroque reſpectu præſens ſaburra imprimis eliminari; dein ejuſdem uberior proventus præcaveri aut præſcindi debet.

Itaque ut impura materiæ viſcoſæ colluvies è ventriculo abſtergeatur, vomitio lenis cum ſero lactis carduato, vel oxymelite aut vino ſcillitico, vel cum decocto florum camomeli, aut radicum eupatorii, ſolutione ſalis vitrioli, aliiſve ſimilibus inſtituatur, dein reliquiæ per Enemata, aut catharſin, aſſumptis pilul. Maſtich. Stomach. cum gum. vel Tinct. ſacra, aut infuſione rhabarb. blande ſubducantur. Porrò cum ſanguis impurus aut rancidus materiæ incongruæ penum ſubinde novum, aut per arterias, aut per vaſa cholédocha ſæpe exundantiá ventriculo ſuggerens, diatheſin, Emeticam infert, Phlebotomia non raro juvamen præſtat; & propterea gravidarum vomitiones hoc remedii genere crebro ſanantur. Inſuper ea conveniunt, quæ ſanguinem attemperant; quo minus recrementa adulta in eo generentur. Hinc ſerum lactis, acidularum potus, herbarum ſucci, ſal prunellæ, & ſimilia, quatenus ſanguinem fundunt, ejuſque recrementa alio perducunt, diſpoſitionem vomitivam non raro tollunt. Hujuſmodi remedia etiam in uſu erunt, ſi vomitio crebra, ac quotidiana ab humoris Biliarii, & Pancreatici (uti quorundam fert ſententia) congreſſu & lucta, inque ventriculum regurgitatione procedat.

Vomitio crebrior, & curatu difficilior ea eſt, quæ à materia incongrua proindeque emetica intra ventriculum genita provenit, quatenus nimirum ob viſceris hujus fermentum vitiatum comeſta quæque in putrilaginem irritativam degenerant. Quamobrem in hoc caſu, poſt ſtomachi ſordes per evacuantia lenia deterſas, remedia vulgò Digeſtiva appellata, ex uſu eſſe ſolent; quæ juxta quod ventriculi ſuccus fermentalis, indolis utplurimum ſalinæ, quandoque etiam ſulphureæ exiſtens, in vario fixitatis, fluoris, aut aduſtionis ſtatu fuerit diverſimodà exiſtunt, & modo hæc, modo illa potiùs juvant.

In ructu, & vomitione acidâ, Medicamina ſequentia tententur, & à juvantibus methodi in iſtendæ ratio deſumatur.

℞. Pul. Ari compoſ. ℥ i ß. ſalis Abſinth. ʒ ij. ſacchari roſacei ʒ iij. f. pulv. detur ℈i. mane & horâ quintâ pomerid. in hauſtulo cerviſiæ cum macere, & cruſta panis coctæ, vel in aq. deſtillata, aut Tinctura abſinthii Pontici.

℞. Pulv. eboris, ocul. cancri, coralli rubr. an. ʒ ij. coralli calcinati ʒi. ſantali rub. Cinnamomi an. ʒß. f. pulvis. Doſis ʒß. eodem modo.

℞. Pulv. ligni Aloes, ſantali citrini, corticis Wint. an. ʒ ij. Cretæ albiſſ. ʒ vi. Sacchari Candi ℥ß. ſolutionis Tragacant. aq. Menthæ factæ q. ſ. f. paſta, formetur in trochiſc. pond. ℥ß. comedat iij. vel iv. ter vel ſæpius in die.

℞. Tinct. ſalis Tart. ℥i. Doſis ℈i. ad ʒß. bis in die in aq. deſtillata appropriata.

2. In vomitione acri, & calidâ medicamenta ſale acetoſo & vitriolico prædita magis conveniunt.

Celebre iſtud Riverii in hoc caſu locum habet.

℞. Salis abſinthii ℈i. detur in cochl. i. ſucci limonii.

℞. Coralli præp. ʒ ij. ſalis abſinthii ʒiß. ſucci limonii ℥ iv. ſtent in vitro capaci, adde aqu. Cinnamomi fortis ℥ ij. Doſis cochl. i. vel ij. bis in die, vaſe prius agitato.

℞. Pulv. eboris, coralli, an. ʒ ij. vitrioli Martis ʒi. Sacchari Candi ʒi. Miſce, divide in 6. vel 8. partes; pars 1. ſumatur bis in die cum conveniente vehiculo.

In hoc caſu aq. minerales purgantes, quæ plurimum nitri in ſe habent; etiam acidulæ ferratæ, quinimo & noſtræ artificiales chalybeatæ, juvamen egregium conferre ſolent.

3. Si quando ſtomachus, pleraque ingeſta in putrilaginem biliosam, & amaricantem (uti crebro aſſolet) pervertens, propterea in vomitiones crebras ſit proclivis, remedia tum acida, tum amara convenient.

℞. Elixir. proprietatis ℥ i. Doſis ℈ ij. bis in die in vehiculo idoneo.

℞. Rhabarb. pulv. g. xxv. ſalis abſinth. ℈i. Aq. Cinnam. ℥ß. ſucci limonii ℥i. Miſce ſumatur aut per ſe, vel cum alio liquore.

℞. Pulv. Ari compoſ. ℥iß. Tart. albi Chryſtallini ʒ iij. vitrioli Martis ʒi. ſacchari ℥ß. f. pulv. Doſis ʒß. vel ℈ij. omni mane ſuperbibendo hauſtum tincturæ abſinth. Pontici, vel Coffee.

℞. Pulv. oculor. can. ℥ß. Tartari chalybeati ʒ ij. Sacchari Candi ʒii. f. pul. Doſis ʒß. cum vehiculo idoneo bis in die.

Vomitionis crebræ, & habitualis ſæpe numero cauſa eſt non tam materies ventriculum irritans, quam fibrarum ejus nervearum debilitas, & nimia in irritationes propenſio; in quantum ſcil. illæ teneræ admodum aut infirmæ, neque ingeſta concoquere, nec eorum onus, ſive gravamen ſufferre valent; quin à quolibet iis incumbente mox irritantur, & proinde quod moleſtum eſt expellendi gratiâ fibras carneas in ſpaſmos emeticos cient.

Hujuſmodi affectionis duo ſunt præcipui caſus: viz. aut ſtomachi debilitas fibris ipſis inſita à paſſionibus inordinatis, uti crapulâ, potationibus aſſiduis, ac immodicis, vinorum aut aquarum ardentium ingeſtione crebra, aliiſque in victu erroribus contrahitur; quatenus nempe fibræ iſtæ ſupra modum diſtentæ, aut nimis excalefactæ, ac velut aſſatæ, ſpiritus animales, in uberi ſatis copia admittere, aut continere nequeant: vel ſecundò fibræ iſtæ, quanquam per ſe rectè ſatis habentes, tamen propter nervos alicubi obſtructos, debito ſpirituum affluxu deſtituuntur, proindeque languidæ & flacceſcentes, ingeſta quæque haud tolerant, quin ſtatim aggravatæ per vomitum ejici cogunt: ita novi plures ſine ulla ventriculi impuritate, aut languore ab inordinationibus contracto, viſceris iſtius quadam quaſi Paralyſi affectos appetitu caruiſſe, atque vomitioni aſſiduæ obnoxios fuiſſe.

In priori affectu ejuſmodi remedia indicantur quæ fibras nimis diſtentas, & tenues ſtypticitate

citate ſuâ corrugari ac in ſpatium brevius contrahi faciant, nec non quæ mulcimine ſuo pergrato, ſpiritus illuc copioſius allectent, & languidos refocillent.

℞. Elix. vitrioli Mynſichti ℥i. Doſis gutt. 10. ad 15. bis vel ter in die in cochl. aqu. deſtillat. ſequentis, ſuperbibendo ejuſdem cochl. 7. vel 8.

℞. Summitatum Cupreſſi m. vi. foliorum Eſclareæ M. iiii. cort. exteriores 12, Aurant. Cinnam. Maceris, ana ℥i. rad. Cyperi, Galangæ minoris, an. ℥ß. inciſis & contuſis affunde cerviſiæ Brunſvvicenſis lib. viii. deſtill. organis communibus.

℞. Tinct. balſami Tolutani cum tinct. ſalis Tart. extractæ ℥i. Doſis gutt. 20. cum eodem vehiculo. Tinct. Abſynth. cum eodem menſtruo paratâ, etiam tentari poteſt.

℞. Pul. folior. Abſynth. Myrti æſtivo ſole exſicc. ana ʒii. cinnam. flor. roſ. rubr. ana ʒiß cubeb. rad. galang. minoris, ana ʒß corallii rub. præp. ʒi. f. omnium pul. ſubtilis, inde ſacchari albiſſ. in aq. Cinnam. ſolut. & ad tabul. coct. ℥vi. ſ. a. f. Tabulæ pond. ʒß, comedat 1. vel 2. ſæpius in die ad libitum.

℞. Conſerv. Roſ. Rub. Vitriol. ℥iiii. Myrobalan. condit. ʒvi. zinziberis in India condit. ℥ß. ſpec. de Hyacint. ʒii. croci Martis rubicundiſſ. ʒi. ſyrupi, coralliis q. ſ. f. elect. Doſis ʒ . bis in die ſuperbibendo hauſtulum aq. deſtill.

2. In ventriculi debilitate, ſive reſolutione propter nervos alicubi obſtructos excitatâ, remedia Antiparalytica cum ſtomachicis adjunctis præcipui erunt uſus.

℞. Elix. Proprietatis Tart. ℥i. Doſis ℈i. bis in die cum aq. ſuperius præſcripta. Tinct. ſalis Tart. Corallii, Antimonii, eodem modo uſurpari poſſunt. In hoc caſu ſp. Salis dulcis, item Sp. Salis Armoniaci, aut flores ejus juvamen egregium præſtant. Porro vomitoria, & purgantia, quin & diaphoretica ſæpe cum fructu adhibentur. Novi hunc affectum per balneationem in Thermis noſtris Bathonienſibus aliquoties feliciter curatum. *Thom. Williſ. Pharmaceutices rationalis parte 1.*

Hic non ſtatuimus agere de Vomitu à cauſa externa, v. g. à nimii cibi & potus ingurgitatione, vel pravi & venenati edulii ingeſtione, aut à caſu vel ictu, &c. neque de vomitu per conſenſum, ut in renum calculo, in dolore Colico vel paſſione Iliaca, &c. ſed præcipue de vomitu â proprio ventriculi affectu pendente.

Aliquando ita irritatus eſt Ventriculus, non nunquam ita debilis, ut vel nihil retineat, ſtatimque evomat ingeſta; vel eadem paulò pòſt per inferiora ſinat elabi. Aliquando etiam ſingultit & vomiturit, ſeſeque irrito conatu ſubvertit, ut in cholera ſicca; quemadmodum prædicta ſymptomata ſuccedunt choleræ morbo & fluxui cæliaco. In iſtis affectionibus utplurimum peracutis externa parum proſunt, non omittenda tamen, immo cum internis jungenda, ut mutuas præſtent operas, & cauſæ morbificæ, ipſique naturæ ſeſe nimium ſuccuſſanti frænum injiciant.

Interna præſentiſſima & certiſſima ea ſunt quæ opium recipiunt, in iſtiuſmodi affectionibus periculoſiſſimis nequaquam pertimeſcenda, Theriaca, Mithridarium, Diaſcordium, & nunquam ſatis laudatum Laudanum. In opio enim ritè præparato & ut decet per occaſiones exhibito, maxima medicinæ miracula, & artis atque artificum unica gloria quærenda ſunt.

Quod ſi Opii, vel Laudani ſapor amaritudine infeſtus & ingratus videatur, per acida emendetur. V. g.

℞. Opii à ſulphureo nidore repurgati ut a. e. ℥ß. ſucci depurati limonum ℥ii. ſp. acet. acerrimi ℥iv. f. digeſtio, tincturæ extractio, colatura, & coagulatio ad ſucci ipſius inſpiſſati priſtinam conſiſtentiam; huic affunde ſp. vitrioli defæcatiſſimum, digere materiam ad mellis liquidum lentorem reductam, idque per triduum, vaſe bene clauſo in B. vaporis. Coagula, atque ex hoc Opio præpara Laudanum ſtomachicum tale.

℞. Opii ita præparati ʒiii. myrrhæ ʒiiß. extracti ſeq. ʒii. florum benzoin. ſuaveolentium ſine empyreumate ʒiß ambr. griſ. ℈v. moſchi oriental. ℈iv. magiſter. perlar. & corallor. ana ʒi. olei cinamomi ℈ii. ol. ſaſſafr. ℈i. m. & poſt fermentationem aliquot menſium utere à gr. iii. ad gr. vi. Extractum hoc eſt.

℞. Fol. menth. ℥i. cortic. citr. & aurant. ana ʒiii. mac. nuc. moſchat. ana ʒii. cum aq. cinam. paretur Extractum.

Opiata, inquam, ocyſſimam ferunt opem in cholera vel ſicca vel humida; & fluxum etiam cœliacum [ad tempus ſaltem] ſiſtunt. Sed his non unicè innitendum eſt in vomitu à quâcunque causâ, præſer im frigidâ & humidâ; nec enim in hoc caſu tam ſubitaneo auxilio opus eſt, cùm ſymptoma inde pendens non uſque adeò urget.

Cùm ergò Vomitus ab humoribus pituitoſis in Ventriculo collectis & ſtabulantibus procedat hi ex ſtomacho primò evertendi ſunt, poſtaque medicamenta quæ illius tonum labefactatum reſtituant, caloremque refocillent, exhibenda.

Aliquando ubi ſtomachus nihil continere potuit, profuit iſtud ὠμόειστον. Ovum recens vacuato ab albumine, & imple aquâ vitæ, per ſe coquatur, totum vorato, & confert ſtatim.

Claretum Hippocraticum ſeq. ſit pro potu ordinario.

℞. Aqua font. duodecies chalybeatæ ℔ii. vini clareti ℔ß. cinam. craſſioris ℥ß. ſacchar. albiſſ. ℥iv. f. infuſio & colatura pro potu ordinario.

Pilulæ in ſuperiori capite deſcriptæ, guajacinæ moſchatæ dictæ, utiliſſimæ ſunt. Item ſequentes.

℞. Gum. guajac. ℥ß. aloës è veſica ʒvi. ſpec. hier. picr. ſubtiliſſ. ʒii. Omnia in alkool reducta excipiantur ſ. q. balſam. Peruv. Doſis ℈i. ſub ingr. lect. Quod ſi purgare nolis, ſed tantùm corroborare, exhibeatur ʒß. maſſæ ſeq. in pil. formar. mane & veſperi.

℞. Extract. abſinth. Solidior. ℥ß. maſtich. partis albæ benzoin, ana ʒiß. ſal. tart. & ſal. abſinth. ana ʒi. croci ʒß. m. & cum Syr. cinam. f. maſſa pilular.

Externè item [in gravioribus præcipuè paroxyſmis] adhiberi poſſunt Cataplaſmata. V. g.

℞. Fol. menth. virid. m. iii. medul. pan. alb. ℔i. Coquantur ſimul in acet. fortiſſ. donec induant conſiſtentiam pultis, & in fine add. pulv.

roſar. corall. rub. ana ʒiſ. ſang. dracon. ʒi. maſtich. ℥ß. mſ. f. Cataplaſma.

Vel ℞. Menth. Aquat. Majoran. Flor. Roſ. Chamæmel. ana m. j. fermenti ad quantitatem ovi, piſtentur in mortar. cum pauco aceto, deinde f. duo emplaſtra, & ſi napizentur pulver. Cinam. & nuc. moſcht. Applicentur calidiſſimè ventriculo unum ante alterum à tergo.

Vel ℞. Cruſtæ panis Cibarii toſtæ & inebriatæ vino Alicantico ℥iv. Cidoniati Craſſioris ℥ij. Maſtiches ʒß. Theriac. vet. & probat. ʒii. Cinam. totius ʒiß. Caryoph. ʒß. Pulv. Abſinth. & Ment. ana ℈v. mſ. Terantur optimè in mortar. Marmor. f. trajectio per ſetaceum rarioris texturæ, f. Cataplaſma applicand. regioni ventriculi è ſtupis lineis pexis panno lineo aſſutis.

Cremor tartari in bonâ quantitate ſumptus in jure carnium ſedat vomitum, ut docet hiſtoria ſequens. Ancilla quædam bibula ultra ℔i. infuſion. Croc. Metal. hauſerat in officina heri Pharmacopœi, qui conſilii inops ad primam pyxidem obviam confugit, & tartarum ad ʒiij. vel ℥ß. moribundæ exhibuit; unde illico ceſſavit vomitus. Hinc conclude, ab acidis corrigi Antimonium.

„ Non è re ſpero, Lector, eſſe arbitraberis, „ ſi huic capiti quædam ex Authore noſtro ad „ Nauſeam maris, ac etiam ad Singultum ſub- „ nectam; cum hæc Symptomata Vomitui ſint naturæ adeò cognatæ.

Hæc præſcribebantur ad Nauſeam maris pro Domina Principiſſa in Belgium proficiſcente Anno 1642. Feb. 7.

℞. Cinam. inter. ʒii. Sem. Coriand. & aniſ. ana ʒiii. flaved. Citr. & Aurant. Condit. ſicc. ana ℥ß. Ambr. griſ. Moſch. Oriental. gr. ii. Sacchar. Cryſtall. ℥vi. Terantur omnia ſubtiliſſimè, atque excipiantur Mucag. Gum. tragacanth. Extract. in Aq. Flor. Aurant. addend. Amyl. tritic. ʒii. f. maſſa, ex qua ſuper bacillis ſive arundinibus formentur Cortices inſtar Cinam, longitudinis dimidii digiti lento calore ſiccand. in aſſere & Charta poſt exemptum è furno panem. Reponantur loco ſicco in pyxide ad uſum.

℞. Confect. Alkerm. ʒß. Conſ. Roſ. Rubr. Antiquæ, ℥i. Cort. Citr. & Aurant. Condit. ſicc. ana ʒvi. Summit. Meliſſ. Majoran. Roriſmar. & Menth. Hortenſ. Conditar. Siccar. ana ʒi. Cinam. inter. ʒiii. Lap. Bezoar. utriuſque ana ℈iiii. Terantur omnia ſubtiliſſimè, & cum f. q. Syr. Cydon. & Moror. Rubi Idæi addito pauco Limonum Succo, f. Electu. inſtar Opiatæ ad uſum.

℞. Salis nitri veri Alexandrini (Salis Abſinthii poſt primam exhalationem fuſi igne violentiſſimo, diſſoluti & coagulati) Salis Comm. fuſi, Salis Gemmæ ana ʒi. galang. macis (Cardamom.) Cubebar. ana ℈i. mſ. f. Pulv. Subtiliſſim. cujus gran. iiii. (plus non minus) ſumantur jejuno ſtomacho.

Sumatur poſſetum calens in conatu vomendi (ſi accidat) præſertim irrito.

℞. Ladan. puriſſim. ℥ii. emolliatur in mortar. æneo calente. & additâ ſ. q. balſam. Peruv. nigr. & maſtich. in Spir. vin. emollit. ℥ß. f. maſſa velut Empalſtri, cujus portio extendatur in aluta molli ſcutiformi, & applicetur regioni ventriculi.

℞. Panis optimè toſti ℥ii. Cortic. Citr. & Aurant. Recent. ana ʒvi. Roſ. Rub. Fragrant. p. iß. flor. lavend. p. ii. Caryophyl. ʒi. Omnia craſſiuſculè inciſa ſint pro pluribus pupis, quæ madentes & imbutæ liquore ex partibus ii. vini Canarin. generoſ. part. i. aceti Sambucin. & part. ß. Aq. Cinam. opt. ſucceſſivè admoveantur naribus olfaciendæ.

Poſtquam appulerit, ad roborandum Ventriculum exhibeatur Vinum Claretum uſtum cum ramulo roriſmarini, Cinam. Sacchar. Vel *Londini* ex Ala vel Cereviſ. tenui, vino Canarino, ovis Sacchar ô, Cinamomô. Applicetur ſtomacho emplaſtrum ſtomachicum cum aromaticis, vel litus cum oleô ſtillatitiô macis. *Theodor. de Mayerno Prax. Medica lib. 3.*

Conſultationes.

Vomitus acidiſſimæ materiæ in Melancholico Hypochondriaco.

Vir Illuſtriſſimus quadrageſimum nonum annum attingens, temperamenti à naturæ primordiis ſecundum totum calidi & humidi, calidioris quodammodo jecoris, boni habitus; qui in Pueritia & Adoleſcentia ſua incolumem vitam duxit, quamvis comeſſationibus & compotationibus meraciorum & diverſorum vinorum non parum indulſerit, & cibis ſalitis atque fumo exiccatis uſus fuerit. Poſtquam autem publicis gravibus bus negotiis implicitus, & Germanorum Diætis, aliſque plurimis Legationibus animum applicuit, vigeſimo octavo ſuæ ætatis anno ægrotare cœpit, cum febre bilioſa acutâ correptus fuerit, à qua propriis remediis paucis diebus liber evaſit. Mox in Aulicis negotiis perſeveravit, non ſine aliorum invidia & perſecutionibus quas ægre tulit, & non ſine vehementibus animi perturbationibus; ut ideo anno trigeſimo ſexto ætatis ſuæ in aliam febrem bilioſam tertianam duplicem, non ſine vitæ diſcrimine inciderit, à qua pariter congruis præſidiis medicis fuit liberatus, ſubſecuta tamen hypochondriaca affectione cum Melancholia, cum inſigni aciditate in ventriculo, ob cujus medelam varia adminiſtrata fuere remedia, & præſertim acidulæ aquæ diverſarum Regionum propinatæ fuere: quæ quidem aliquod ad tempus levamen attulerunt, ſed nunquam cauſam radicitus extirparunt, forſan, ut ipſe fatetur propter liberam vivendi rationem. Anno verò ſuæ ætatis quadrageſimo quinto à Legatione Wirtembergenſi reverſus, ubi plures & maximos errores in compotationibus commiſerat, Acidulas rurſus potavit, ſed ſine prægreſſa conveniente corporis expurgatione; & ideo tantum abeſt ut levamen ullum attulerint; quin potius affectus alter fuerit ſubſequutus, febris nimirum quartana quæ ab Excellenti Medico Auguſtano curata fuit, qui poſtea contra aciditatem, ſeri deſtillati uſum, non ſine aliqua utilitate præſcripſit. Verum quoniam duobus jam annis elapſis lites, tum civiles, tum criminales ſubortæ fuere; idcirco adeo recrudvit aciditas, ut in hunc uſque diem ipſum vehementer excruciaverit, accedente quoque menſe Decembri proxime præterito tertiana febre cum doloribus podagricis, intenſiſſimis quidem, ſed per horas tantummodo perdurantibus, & ut plurimum Autumni tempore invadentibus cum inten-

ſi-

ſo rubore & exiguo tumore. Modo conqueritur de fere continua aciditate in ventriculo, ad linguam & gulam ſeſe extendente, quæ ſpatio dierum ita adaugetur ut ad vomentum ipſum compellat, prægreſſis anxietatibus calorificis ipſius ventriculi & hypochondriorum cum motibus fere convulſivis. Vomitu autem excernitur materia acidiſſima, non tamen nigra cum ardoris ſenſu, partim tenuis & aquea, partim viſcida & lenta, ſtuporem dentibus ipſis inducens, cum laryngis & labiorum excoriatione, alimenta vero, quamvis nuper aſſumpta, in ipſo ventriculo detinentur, nec unquam vomitu ejiciuntur. Hac in ventriculo multiplicata, deficit appetitus & cibi & potus, moleſtæ inſurgunt vigiliæ, urinæ fiunt copioſæ, crudæ & albicantes, nec quieſcere poteſt, niſi poſt ſecutum vomitum; tum enim ſomnus conciliatur, & ſitis relinquitur; poſt unum vero aut alterum diem redit appetitus perſeverans, donec iterum nova acida in ventriculo materia coacervetur. Præter jam dicta, cordis oppreſſiones patitur, flatus & rugitus in hypochondriis copioſos percipit, ptyaliſmo frequenter detinetur, arenulas rubras mingit, alvum tamen ſat lubricam habet; timores atque mœrores; etiam ſine cauſa manifeſta eundem affligunt; & ſolitudinem amans, librorum lecturis nimium ſe dedit. A purgantibus & remediis calefacientibus ſe magnopere lædi obſervavit, juvari autem à lenientibus, attemperantibus & blandis Clyſteribus. Levamen olim ſe recepiſſe aſſerit ab apertis ſponte vaſis hæmorrhoidalibus, quæ quibuſdam adhinc annis fere ex toto occluſa ſunt. Hoc ineunte Vere, dum ad meas manus pervenit prædictus Vir Illuſtriſſ. ut contra adeo moleſtum affectum Purgationem inſtituerem, hypochondria manu diligenter exploravi, & ſenſibiles obſtructiones in meſenterio, evidentiores autem in jecore obſervavi; in liene vix quicquam p. n. percepi; adhuc minus in pancreate. Et ut neceſſariæ Purgationi lubenti animo ſubjiciatur, Medicamenta ordine proprio adminiſtranda calamo exarare, & ſub ejuſdem oculis prudentiſſimis apponere optimum fore duxi, cum directionem quidem meam, at non aſſiſtentiam Viro Illuſtriſſimo polliceri poſſim, cujus tamen ſalutem enixe peropto.

Hypochondriacam affectionem qua duodecim abhinc annis Vir Illuſtriſſimus detinetur, ſat ſuperque comprobare poſſunt flatus copioſi, frequentes rugitus abdomen & ventriculum occupantes, ſeptumque comprimentes; quam affectionem ideo per antonomaſiam, flatuoſam appellare ſolebat Galenus; cui Melancholiam aſſociari, atteſtari poſſunt timores, mœrores, etiam ſine cauſa manifeſta, ad ſolitudines inſueta inclinatio, & ad ſtudia nimia propenſio. Verum duobus jam dictis affectibus quamplures alii ſucceſſerunt, nempe depravata & imminuta univerſi corporis nutritio, & moleſta ventriculi anxietas fere continua, per intervalla tamen adeo increſcens, ut Illuſtriſſimum Virum compellat, ad vomitum acidiſſimæ materiæ, gulam & labia erodentis & dentes, obſtupefacientis, qua materia ejecta, ſedatur quodammodo, ſed paucis diebus anxietas. Hujus aciditatis præſentiam comitantur, cibi & potus inappetentia vigiliæque moleſta. Hæc autem omnia mala à cauſis externis originem duxiſſe omnino cenſendum, cum Vir Illuſtriſſim. à nativitate nullam ad prænarratas affectiones diſpoſitionem ſortitus fuerit: totius enim temperamentum omnium optimum, calidum & humidum, habitum neque plethoricum, neque obeſum, ſed mediocrem ſatis carnoſum à ſemine reportavit; & ideo uſque ad annum vigeſimum octavum perfecta valetudine frui potuit, quando publica & ardua negotia ſuſcipere & eadem occaſione immenſos errores, in compotationibus præſertim & Commeſſationibus committere coactus, hepar ipſum accendere & calida intemperie inficere incepit, ſimulque à cruditatibus obſtructiones colligere; ſicque multiplicata bile una cum cruditatibus febres excitatæ fuere, indeque affectio hypochondriaca exorta, relictis nempe poſt febrem in vaſis meſaraicis obſtructionibus, & adaucto in jecore calore præter naturam; qui quotidie ſemper intenſior ab ipſis clauſuris redditus fuit; & ideo excalefacto, imo & arefacto ſanguine ipſo, in vaſis alimentariis craſſefacto atque ſtagnante, affectio quoque melancholica hypochondriaca ſuborta fuit: etenim calor agens in cruditates ad earundem reſolutionem, vapores craſſos elevans non adeo facile reſolubiles, rugitus & murmura in abdomine excitat, dum exitus quærunt, & non inveniunt. A ſanguine vero ſtagnante terreæ exhalationes inſurgunt, quæ per venam cavam cor primò deinde per carotidas cerebrum ipſum petentes, & ſpiritus animales obtenebrantes, ſua nigredine cum Galeno, aut opacitate cum Averroe, animæ rationali timorem incutiunt & mœrorem inducunt, etiam ſine manifeſta cauſa. & hinc ſolitudinis amor & ad ſtudia nimia propenſio. Cauſas autem jam dictas internas non parum, imo omnium maxime foverunt multiplices & intenſæ diuturno tempore animi applicationes ad ardua publica negotia, nec non animi perturbationes quibus calor nativus viſcerum naturalium depauperatur, calor vero præter naturam multum augetur, ut propterea & chyloſis in ventriculo, & hæmatoſis in hepate imperfecta proceſſerint; quò factum fuit univerſi corporis nutritio imminui & depravari inceperit, dum totum corpus gracilius quam antea redditum eſt, propterque conſueto florido colore deſtitutum quod nobis indicat melancholicum ſanguinem non tantum in abdominis vaſis ſtagnare, ſed & in toto venoſo genere reperiri: ut propterea Virum Illuſtriſſ. Melancholia laborare, non tantum ab hypochondriis, & præſertim ab hepate, ſed etiam per conſenſum à toto ſit neceſſario aſſerendum, quam veritatem confirmavit quartana febris poſtremis elapſis annis oborta, & ſanguis tum alias, tum nuper in incepta Purgatione per venam extractus, qui, licet ab anguſto foramine, craſſus atque niger, fibroſus tamen à nobis obſervatus fuit. Et quoniam fæculentior ſanguinis portio ad lienem, quam plurimis arteriis refertum, ut depuretur, à natura tranſmittitur, idcirco cum in Illuſtriſſ. Viro copioſus hujus aduſtę & melancholicę conditionis ſanguis reperiatur, acidis ſeroſitatibus abundat, ut propterea

lien Fons aquæ ab Hipp. appellatus fuerit; ſeroſitates vero hujuſmodi acidiſſimę in ventriculum tranſmittuntur, vel præter naturæ ordinem per vas breve, vel mediantibus ramis cœliacis, in pancreas, & inde per ductum pancreaticum ad inteſtinum duodenum, atque tandem perreptantes in ventriculum ipſum, quæ ut atrabilares (nondum tamen nigræ factæ) qualitatem aciditſſimam & erodentem poſſident, qua & anxietates, & ob collectam copiam vomitum excitant, nulla ſequuta ciborum corruptione: vomitus vero gulæ & ori eroſionem, dentibuſque ſtuporem inducunt. Et quamvis acidus iſte humor in facto eſſe frigidus ſit, ut ideo poſt vomitum bene appetat Vir Illuſtriſſimus, in fieri tamen calidus, imo calidiſſimus eſt, ſicque dum à calore p. n. calor naturalis abſumitur, frigidus remanet humor ipſe, ut vinum dum in acetum convertitur. Jam dicta vero omnia ſymptomata magis exacerbata fuere, poſtquam conſueta hæmorrhoidalis evacuatio ex toto ſponte ſuppreſſa fuit.

Affectus quidem iſte non ſpernendus; cum præter moleſtam vitam quam timoribus atque mœroribus refertam reddit, nutritioni quoque non parum officiat. & Virum Illuſtriſſ. paulatim ad Cacochymiam, vel Atrophiam, imo & ad morbum nigrum (quem Deus avertat) tandem perducat; & ideo omnia agenda, ut hoc verno tempore affectus ipſe, ſi non ex toto tollatur, ſaltem valde remittatur ſpe concepta, fore ut repetitis Purgationibus ex toto ſuperari poſſit, cum obſtructiones tantum, non autem tumores in viſceribus obſerventur.

Quare omnium primò primæ viæ ſunt expiandæ. Secundò Obſtructiones in meſenterio & cava viſcerum parte, mox & in gibba ſunt aperiendæ. Tertiò Totum venoſum genus ab humore melancholico vindicandum. Quartò Fervida jecoris, venarum & ſanguinis intemperies corrigenda. Quintò Sanguinis aciditas edulcoranda, totumque nutriendum; atque tandem, ſi poſſibile fuerit, hæmorrhoidalis evacuatio ad uſum revocanda.

Pro prima intenſione explenda, Leniens bis repetendum, ex Syrupo Roſ. Solut. & violato ſolut. paratum: alterum vero ex potione mannæ clarificatæ, quibus ſuperbibat aquæ hordeac, aut juris hordeacei libram. Intermediis autem quinque diebus aſſumat Præparans hujuſmodi.

℞. Julap. Acet. ℥. ii. Syr. de Pom. aquæ flor. Citri an. ℥. i. m. pro Syrupo, & ſic pro aliis.

Secundæ intentioni ut ſatisfiat, primæ obſtructiones ita erunt tollendæ.

℞. Floris caſſ. rec. extractæ ʒ. ii. rhabarb. opt. ℈i. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat cyathum ſeri capr. aut aſinini deſtillati, & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Sequenti vero mane aſſumat pro Præparante.

℞. Succi depur. & per arenam trajecti, cich. borag. Pom. dulc. an. ℥. i. decoct. in jure tenui paratæ. endiviæ, malvæ, violariæ, ſonchi, lupulorum ℥iv. m. pro Syr. & ſic pro aliis. Tertia die rurſus aſſumat bolos, quarta ſuccos, & ita alternatim perſeveret uſque ad decimum quintum diem. Interim ſanguinem mittendum ex brachio dextero, concluſum eſt, ut factum fuit. Quindecim jam dictis tranſactis diebus, infuſum hujuſmodi innovativum præbendum erit.

℞. Pot ex man. clariſ. ℥. v. addendo infuſioni conſuetæ rhabarb. opt. ʒiß. aquæ flor. citri parum, m. f. potio, cui poſt duas horas ſuperbibat ſeri capr. depur. lib. ii. quibus vero horis ab aſſumpto ſero prandeat. Inde ad penitiores viſcerum obſtructiones reſerandas erit deveniendum & ideo ſequenti mane aſſumat ſuccos hujuſmodi.

℞. Succi depur. & per arenam trajecti, cichorii, Borag. Agrim. an. ℥. i. decoct. endiv. malvæ, violariæ, ſonchi, lupulorum fumariæ ℥. iv. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis. Sequenti vero mane aſſumat infuſionem rhabarb. ita paratam.

℞. Rhabarb. opt. maturi, fol. ſenæ Orient. mundat. an. ʒi. cinnam. integri ʒß. aq. ſtillat. de ſucco cich. ℥. vii. m. f. inf. per hor. xii. & cola uræ adde ſyrupi de ſucco limonum ℥. i. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis. Tertia vero die repetantur ſucci, quarta infuſio, & ita alternatim perſeveret uſque ad decimum quintum diem, advertendó quod ſi ſuccos ventriculus non adeo facile toleraverit, ſubſtitui poterunt aquæ ſtillat. ex iiſdem herbis hunc in modum.

℞. Aquæ ſtillat. cich. borag. agrim. an. ℥. iii. ſalis tart. fixi gr. x. ſyr. de Pom. ℥ i. m pro ſyr. & ſic pro aliis: ita & aquæ ſubſtitui poſſent pro primis ſuccis. Interim ſecunda vice educendus erit ſanguis ex ſiniſtro brachio, & diligenter obſervanda ejuſdem conditio, ut videri poſſit, quanto tempore & quibus medicamentis in totius ſanguinis depuratione inſiſtendum fuerit: etenim ſi niger & craſſus adhuc apparuerit.

Pro tertia intentione expienda, ad ſyrupi Terneliani uſum ſecundum meam deſcriptionem deveniendum erit, ut epicratice tota maſſa ſanguinea depuretur: itaque

℞. Syr. Fernel. ℥. ii. ſeri capr. deſtillat. ℥. iv. aut v. m. pro potu quatuor horis ante prandium aſſumendo. Sequenti vero die bibat.

℞. Seri capr. aut aſin. deſtillat. ℥. viii. Salis tart. h. xi. gr. x. ſyrup. de Pom ℥. i. m. pro potu, & ſic pro aliis. Tertia vero die reaſſumat ſyrupum Fernelianum, ut ſupra, quarta ſerum, & ita perſeveret alternatim ad decimum quintum uſque diem.

Inde ut quartæ intentioni ſatisfiat, lactis uſus ſufficiens non erit: contumax enim eſt iſte affectus, non propter ſolas obſtructiones, ſed multo magis propter fervidiſſimam intemperiem jecoris, venarum & ſanguinis; & ideo ad aquarum refrigerantium uſum confugiendum erit, non quidem acidularum, cum nimis vigeat in Illuſtriſſ. Viro aciditas ipſa; ſed potius Nocerianæ erunt eligendæ, primis tribus diebus cum vehiculo dejectorio Syrupi Roſ. ſolutivi, aut Mannæ Clarificatæ, cæteris vero diebus cum vehiculo diuretico, quale eſſe poterit ſpiritus Tart. rectificatus, vel alchalizatus, ad ſemidrach. in duobus aut tribus primis cyathis, tum aciditas ſucci limonum, & magis ſpiritus vitrioli omnino ſuſpecta, imo & noxia cenſenda ſit.

Ter-

Terminato aquarum uſu, poſtremæ intentioni aptiſſimè ſatisfacere poterit lactis & Balnei univerſalis uſus; lac autem erit eligendum, viginti primis diebus aſininum, & totidem poſtremis caprinum; ſed aſſumendum ſtatim mulctum cum ſuo naturali tepore, de more cum ſacchato albiſſimo, ad ℥ viij. & x. quatuor aut quinque horis ante cibum, cui non eſt ſuperdormiendum, ne nimis caput impleatur atque gravetur, niſi forſan tunc temporis urgerent nocturnæ vigiliæ, quo caſu permittendus erit ſomnus poſt lac aſſumptum. Interim viginti ſaltem diebus Balneum aquæ dulcis univerſo corpori veſpertinis horis erit adminiſtrandum, alteratæ foliis maluæ, lactucæ, vitis & ſalicis, & ſtatim à Balneo univerſum corpus oleo amygdalino rec. inungi poterit: ſicut toto Purgationis tempore totum abdomen unguento roſac. malumo illiniri debebit.

Jam dictis omnibus congrua non ſolum victus; ſed vivendi ratio erit addenda, ita ut incolat loca potius in äëre ſubtiliori, quam craſſo & paludoſo. Secundò abſtineat à carnibus pinguibus & annoſis; à ſalitis tum carnibus, tum piſcibus, & fumo exiccatis; à piſcibus cœnoſis, conchyliis & oſtreaceis, ab uſu caſei, ab eduliis ex paſta paratis, delicatioribus exceptis; à leguminibus, præter hordeum & orizam. Inter olera prohibetur apium, fœniculum, carduus, fungi & tubera terræ. Inter fructus conceduntur fraga, pepones, uva, nonnunquam ficus, perſica, pyra & poma tum cocta, tum cruda. Prohibentur condimenta aromatum, excepto exiguo cinnamomo, & pipere ruditer contuſo: caveat pariter à condimentis alii, cæparum, aceti aliorumque acidorum, ut arantiorum, citri, limonum. Toto anno in uſum ducat in prima menſa jus carnis alteratum, Vere cichorio, Æſtate acetoſa, id eſt oxalide, Autumno boragine, Hyeme endivia. Potus ſit vinum, non auſterum, non dulce, non generoſum, nec adeo tenue, quod tamen ex ſolo lapidoſo non fuerit collectum. Tertiò Somnus nocturnus diuturnus conferre poterit, diurnus vero ſi conſuetus fuerit, ſit brevis. Quartò Exercitium prodeſſe poterit, ſed ante cibum. Quintò Venus pro nunc, ad tempus ſcil. eſt ableganda; alvus officioſa ſervanda prunis Damaſcenis aut Gallicis, ſine paſſulis in vino albo dulci decoctis & ſaccharo aſperſis, prima menſa comanſis. Præterea evacuatio hæmorrhoidalis eſt revocanda duabus hirudinibus venis ſedalibus ſingulo menſe applicitis, etiam ſine ulla præcedenti medicamenti ſoluentis exhibitione. Sextò & tandem animi pathemata, quantum fieri poteſt, erunt arcenda, & ad ſtudia aliaque negotia animus moderare applicandus; ſed geniales converſationes quærendæ, & alacri animo vivendum. *Raymund. Joh. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medic. Tom. 2. Cent. 2.*

Vomitus Sanguinis.

Nob. Juvenis vigeſimum ſextum annum agens, temperamenti ſecundum totum & caput calidi & humidi, hepatis & plethorici habitus, in cibo & potu libere vivens, cum uſque ad decimum nonum ſuæ ætatis annum incolumem vitam duxerit, tunc immodico ſanguinis per alvum profluvio derepente correptus fuit, quod duobus integris menſibus, ſed parcius perſeveravit, & inde ſanus evaſit. Sed anno ſubſequenti, itineris occaſione toto corpore, & præſertim capite excalefactis, ſuperuenit vomitus ſanguinis tribus per intervalla perſeverans: ſine tuſſi & citra febrem, cui ſuppreſſo hæmorragia narium ſucceſſit. Sequentibus autem annis nonnunquam ſtillauit ſanguis e naribus, ſed parce uſque ad quadrageſimale tempus noviſſime præteritum: tunc enim rurſus itineris occaſione erupit ſanguis per vomitum ſine tuſſi, octo diebus perſeverans, ad quantitatem unius libræ ſingulo die, mox ſponte ceſſavit; ſed imbecille quodammodo totum corpus reliquit, cum aliqua capitis ad fauces levi deſtillatione. Pejora autem timens Nob. Patiens, aut ſaltem ſanguinis vomitus recurſum, pro præſervatione ad Patavinum auxilium confugit.

Sanguinem in toto copia & qualitate jam diu peccaſſe in hoc Egregio Juvene, ſat nobis atteſtari poſſunt tum præterita, tum præſentia, nimirum ſanguinis fluxus per alvum, quo jam ſeptem annis per menſes duos vexatus fuit; anno vero ſuſequenti, ſanguinis vomitus tribus diebus perſeverans, non ſine narium hæmorrhagia in fine, & inde ſæpe repetens, atque tandem ipſiuſmet ſanguinis vomitus proxime præterito quadrageſimali tempore itineris occaſione rediens, & octo diebus copioſe perdurans. Quæ omnia contigerunt in Juvene plethorico ſanguine abundante, ſed fervidum jecur & calidum; ac humidum caput; & ora vaſorum ad anaſtomoſin facile parata habente; ut propterea caput ipſum à toto per arterias carotidas ſanguinem non ſolum facile admittat, verum & cum impetu attrahat: qui ab arteriis effuſus, nec à venis jugularibus internis reaſſumptus, ad gulam delabitur, & per œſophagum ad ventriculum, unde poſtea copioſus affatim evomitur; interim vaſa etiam narium eo quo præditus eſt feruore atque acrimonia ſibi aperiens, hæmorrhagias etiam inducit.

Ut autem huic pravo ſymptomati provideatur, ſanguinis vitium eſt corrigendum, copiam minuendo, acrem qualitatem edulcorando, & pravum ipſius motum compeſcendo; jecoris interim fervorem remittendo, ut probior ſanguis regeneretur. Quibus intentionibus ſatisfacere neceſſe eſt, antequam pejora ſuccedant; impetus enim ſanguinis ad ſuperiora & ad pulmones quoque in hac ætate & ad trigeſimum quintum annum haud difficilis eſſe poſſet.

Quare primis viis expeditis, ſanguine ex jecoraria educto, & ſuccis herbarum refrigerantibus in refrigerante decoctione pluribus diebus exhibitis, cum elective bilem & bilioſas ſeroſitates medicamento purgante per intervalla repetito, ut ab Excellentiſſimis Viris jam propoſitum fuit; inde pro jecoris refrigeratione acidulæ aquæ ferreæ ſufficere poſſent. Sed quoniam ſuperioribus annis ſanguinis quoque fluxus per alvum multis menſibus perſeveravit, idcirco aluminoſæ Brandulenſes eligi poterunt, quæ ab ipſo fonte delatæ, vim propriam & facultatem non amittunt, ut ideo neceſſe non ſit quod Patiens ad fontem ipſum ſe conferat. Ad du-

dumulcendam vero humorum acrimoniam & ſanguinem edulcorandum, lactis uſus per quadraginta dies, poſt aquæ potionem, opportuniſſimus erit, vel aſinini, vel potius caprini ad majorem ipſius ſanguinis incraſſationem. In quem finem ſub ingreſſum lecti in uſum duci poterunt Conſervæ violarum, nenupharis, Lactuca condita, quandoque duo cochlearia ſyrupi de papau. albo: ſicut ſtatim à prandio Conſerva roſarum. Atque tandem ut pravus motus ſanguinis ad ſuperiora revulſione corrigatur, tertio quoque menſe ſanguinis ab hæmorrhoidibus parcam eductionem conſulo. Et congrua vivendi ratio intentionibus jam propoſitis correſpondens; à Viro Excellentiſſimo Adſtanti præſcribatur, cui & reliqua omnia rectè adminiſtranda libenter committo. *Idem ibidem.*

De vomitu cruento.

Adoleſcens 20. annorum corporis rarioris, temperamenti ſeroſioris, phlegmatico-cholerici, oriundus ex locis mari balthici vicinis, à teneris ſalitorum ciborum, pernarum, piſcium, panis craſſioris, lacticiniorum uſu aſſuetus, exercitiis conſuetis, ſaltatoriis, gladiatoriis deditus, cum potu aliquando largius repletus, noctu frigidiori, nebuloſo tempore domum conceſſiſſet, per aliquot dies ſenſit appetitum imminutum, pallere faciem, reſpirationem difficiliorem, imminentem ἔκλυσιν, dolorem gravativum ac æſtum quendam in ſiniſtro hypochondrio, adhuc tamen ὀρθοςάδην & exercitia ſolita, templum menſamque frequentans, conſidens in coronâ ſodalium, exire ob δυσαρέςησιν cogitur, & de ſubito per os ſanguinem purum, grumoſum tamen ſimul, excernit ad aliquot uncias; curatur tunc temporis. Excurrit verò interim jam biennium, nuper eoſdem experitur manes, ſanguinem ἀθρόως ad libram unam circiter rejecit, cum pulſu debili & frequenti, frigore extremorum, lipothymiâ, idque poſt duos dies elapſos cubantem in dextrum latus denuò fatigat, urgentibus lipothymiis ad aliquot ſucceſſivè horas, appetitus dejectus, alvus non facit officium. Petitur conſilium.

Affectus, quo juvenis hujus vita periculo exponitur, ut hiſtoria refert, ſi ipſam materiam rejectam modumque ejiciendi ſpectamus dicitur Vomitus Cruentus; malum maximè calamitoſum; juxta Hipp. 4. aphor. 25. quo nullum præſentius vitæ flammam extinguere & adventantem quaſi mortem magis oculis ſubjicere valet, dum manifeſto purpura ſanguinis, quâ ſalvâ vita producitur & contra, è corpore eliminatur & cum impetu ejicitur.

Hic autem cum ὅλῳ τῷ γένει, toto genere præternaturalis ſit, ſolutæque unitatis morbum & ſuo modo intemperiem velut umbra corpus ſequatur, meritò ſymptomatum claſſibus annumerandus, & in ſpecie ad actiones ventriculi depravatas quoad motum p. n. quoad materiam verò ad excretorum vitia toto genere, ut diximus, præternaturalia, ſeu ſubſtantiâ peccantia referendus eſt, Ejicitur quippè materia ad nutritionem ſpirituumque generationem dicata per inſuetas vias impetuosè ſurſum verſus, quarum officium alias eſt, contenta deorſum ablegare.

Et licet nonnunquam viſi ſint ægri liberati per vomitum ſanguinis, tanquam per excretionem criticam ab aliis gravioribus ſymptomatibus; qualia exempla allegat *Zacut. Luſit. lib. 2. M. P. Hiſtor. 10. Langius lib. 1. epiſt. 40. p. 193.* illa tamen huc non quadrant, neque affectum hunc noſtrum ex ſymptomatum numero excludunt.

Quoad motum, affectus noſter chronicus quidem videri poſſet, non tam ratione ſui quàm cauſarum, cum immediatæ, tum mediatæ proximioris, quarum illa ob tonum laxum, calorem debilem, motumque perpetuum tam facilè amoveri nequit, hæc vero lenſim in corpore congeſta, viſcerum tonum variè deſtruxit, unde non poteſt non ille ipſe in longum produci tempus, quemadmodum etiam exempla teſtantur duraſſe taliſmodi vomitus ad aliquot annos; magis tamen æmulatur, quoad paroxyſmum, acutorum naturam, cum ſanguinis excretio omnis exceſſiva actum vitæ periculum minetur.

Quoad morem magnus omnino dici meretur, ob adjuncta inprimis facultatis naturalis & vitalis ſymptomata; dein etiam ob conſenſum, quem habet ventriculus beneficio ſexti paris nervorum cum toto corpore, quâ de cauſa metuendum, ne gravius inde oriatur malum.

Ut autem eò certiores ſimus de affectu hoc, operæ pretium erit, ut ſigna ejus paulò accuratius animo perpendamus.

Manifeſtant verò eundem inprimis Eſſentialiter Inhærentia, dum nemo non videt, adeſſe præter δυσαρέςησιν & nauſeam, tanquam vomitus individuos prodromos, manifeſtam & ſubitam ſanguinis per os rejectionem. Neque obſtat, quod per viam illam regiam, inverſo naturæ ordine, non raro aliæ quoque partes, ut pulmo, aſpera arteria, caput ipſum ſimile quid excernere ſoleant; differunt enim maximè excretiones illæ noſtrâ ejiciendi, modo, qui non eſt cum ſimplici exſpuitione, quæ ex oris partibus; non cum ſcreatu, qui ex aſperâ arteriâ, non cum tuſſi, quæ ex pulmonibus materiam excretam notat; ſed cum vomitu, ſeu motum ventriculi verſus ſuperiora facto, de quo regula generalis eſt: Quæcunque per vomitum ejiciuntur, ex ventriculo redduntur immediate.

In Eſſentialiter Conſequentibus ſimili ratione vomitum hunc ſanguinis arguentia deprehenduntur, ut in actionibus naturalibus, appetitus dejectus; in vitalibus pulſus debilis, frequens, lipothymia maximè urgens, & reſpiratio difficilis; in qualitatibus mutatis extremorum frigus & pallor faciei, in excretis & retentis alvi duritiës.

Cauſæ Prægreſſæ, error in rebus ſex non naturalibus commiſſus, in cibo præcipuè, potu & motu, qui rarioris texturæ corporibus facilè maculam affricare aptus natus eſt, nec non aëris injuria; cui ſe æger noſter benè potatus noctu frigidiori temporeque nebuloſo expoſuit, ad affectum hunc producendum multum contuliſſe, de quo in ſequentibus.

Neque diſſentit Similitudo, ſive ad alios fiat relatio; agnoſcit enim quilibet, vel ex vulgo quoque ejuſmodi ſubitaneam cum motus violen-

lentia materiæ alicujus per os rejectionem pro vomitu, & quidem ratione materiæ in ſpecie ſanguineum; ſive ad ſe ipſum, ante biennium enim eodem morbo laborans, pro tali habitus & curatus eſt.

Subjectum Principale, ſeu ſymptomatis, eſt Ventriculus, univerſalis corporis noſtri coquus & promus condus, tam ſenſili præditus archeo, ut non ſolum, quæ toti corpori pro futura ſint vel nocitura, accuratè diſcernat; verum etiam quæ ſibi peregrina ſunt & heterogenea, muneri ejuſdem non convenientia, quam vicem noſtro hoc caſu ſanguis ſuſtinet, omni niſu eliminare ſatagat.

Afficitur in vomitu hoc cruento ventriculus ut ſimilaris, intemperatus redditus ab extravaſoto ſanguine; ut diſſimilaris repletus eodem; præcipuè verò quoad utriſque communem unitatem, unde eò præſentius ad depravatum hunc motum à fundo verſus orificium ſuperius cietur.

Subjectum Minus Principale, ſeu cauſæ, nominamus Lienem, hujus mali focum. Concurrit per accidens quaſi œſophagus quoque, per quem, tanquam per canalem, expultrix ventriculi irritata motu vitioſo materiam peregrinam eò translatam cum impetu expellit; redundante hinc in reliquas corporis partes mali gravitate, totum enim corpus hîc ſuos ſimul patitur manes.

Afficitur ergò ventriculus non ἰδιοπαθικῶς, eſſentialiter, non enim rejicitur materia ibi genita, ſed δευτεροπαθικῶς, ſeu per conſenſum, & quidem poſitivum, transmiſſo à liene ſanguine acri mordicante, ejuſque tunicas ſenſu exquiſitiſſimo præditas vellicante.

Cauſa Immediata Proxima eſt διαίρεσις, ſeu apertio vaſis unius vel alterius ſanguiferi, quam conſequitur ſtatim effuſio ſanguinis in εὐρυχωρίαν ventriculi & irritatio facultatis expultricis, agitatis in motus ſpaſmodicos fibris nerveis maximè ſenſibilibus, quoad fundum inprimis & orificium inferius ventriculi, unde motu periſtaltico naturali inverſo quæcunque obvia cum impetu exturbantur.

Cauſa Mediata Proximior, quoad eſſentiam, eſt ſanguis, particulis ſalinis, acribus, alcalinis & ſulphureis fœtus, qui ὀργασμῷ concepto, non contentus ſpatio ſibi a naturâ conceſſo, vaſa capillaria in ventriculi parietibus dilatavit, eorum oſcula reſeravit, exedit, atque hunc affectum produxit.

Peccat hic ſanguis quoad modum eſſendi, 1. quantitate, non quidem per ſe, quod inde patet, quia poſt evacuationem hanc natura vix viribus ſuſtentandis poteſt ſufficere; ſed reſpective & per accidens, quatenus partim ob circulationem impeditam in vaſis ſplenicis & meſaraicis cumulans eſt, partim vitioſè rarefactus exundationem affectavit.

2. Qualitatibus peccat tum primis, caliditate, tum ſecundis, tenuitate, raritate, tum tertiis, potiſſimum, acrimonia ſalino-ſulphureâ, unde ad rodendum, naturamque ſtimulandam aptiſſimus eſt.

Præcipuè verò 3. motu, tum generationis, tum locali. Generatus quippè fuit ſanguis hic vitioſus non ſolum ratione materiæ, aſſumtorum minus bonæ notæ; verùm etiam ratione efficientis, fermenti ipſorum viſcerum in depuratione ejuſdem occupatorum.

Poſtquam enim qui reliquis omnibus proſpicit ventriculus ex aſſumtis alimentis paulò groſſioribus ſalia ſylveſtria in chylum redundantia ſecrevit, accedente errore externo accumulata eadem in maſſam ſanguineam per vaſa lactea didita & collecta fuerunt. Hoc etiam inquinamento ſalino & tartareo obruta ſanguinis & ſeri cohobia, tantum abeſt, ut ſuffecerint eidem corrigendo & eliminando, ut potius proventum hunc abundè adjuverint.

Vitium enim primæ coctionis non facilè corrigitur in ſecundâ, neque in tertiâ. Hinc partes ſeroſæ, blandæ, quæ adhuc ſuperſunt, una acorem contraxêre, ſaliaque corroſiva & ſcoriæ bilioſæ feculentiores, ad ſegregandum in locis debitis indiſpoſita, eidem manſerunt permiſta; quæ poſtmodum, per viſcerum parenchymata filtratione factâ, ſenſim adhærent, vaſa minora obſtruxerunt, ut ita intumeſcere, turgeſcere, & exitu ordinario denegato, aliam ſibi viam quærere ipſum oporteat.

Motus localis ſeorſim attendi meretur. Irruit ſanguis in ventriculum per ῥευματισμὸν καὶ ἐπιχύσιν, ſubitaneâ impulſione. Ubi ergo hic eſt recipiens, debilitate partim nativâ, partim acquiſitâ conjunctâ; ita pars mandans eſt lien, ὠσμῷ ſeu pulſione pollens, ob factam ibi ζέσιν, ob factam item rarefactionem & ebullitionem vitioſam.

Vaſa quæ ſint, quæſiti, diſſentientes autores offendimus, aliis arterias, aliis venas nominantibus. Cum *Highmora* ſi faciamus, dicendum fuerit, pur arterias ſplenicas ad ventriculum penetrare ac vomitu ejici ſanguinem. Lien enim cum abundet arteriis præ omnibus viſceribus, hinc iis obſtructis veroſimile eſt, ſanguinem regurgitare & majori cum impetu per vas collaterale ferri ad ventriculum, ubi ob conceptum fervorem & majorem activitatem, quâ præ ſanguine venoſo pollet, hunc effectum facilè edere poteſt.

Nil obſtat tamen, quin & venas id præſtare aſſeramus, utraque enim vaſa hæc ſanguinem vehunt, utraque eundem datâ portâ effundunt. Ita *Riverius lib.9. cap.8.* putat, fieri communicationem hanc per venas, quod ramus venæ portæ in lienem divaricatus, multas propagines ad ventriculum mittat, & præterea vas breve adſit patentiſſimum, quod in ſtatu naturali continuò excrementum melancholicum in ventriculum eructet.

Utrumque hoc ut concedendum etiam eſt, ita de priori experimentum legi meretur apud *Valverdum lib.6. cap.5. pag.267.* qui in Cardinalis cujuſdam, ſanguinis per vomitum rejectatione è vivis ſublati, cadavere diſſecto, ventriculo expreſſo lienem evidenter intumeſcere & contra expreſſo liene ventriculum inſigniter ſanguine repleri per hujuſmodi venam conſpexit. In noſtro ægro effuſio ſanguinis per vas breve ſine dubio in ventriculum peragitur.

Licet enim falſa ſit hypotheſis de ſucco melancholico, licet etiam conceſſerimus, nihil per vas breve ferri ex liene ad ventriculum, de quo legi poteſt *Dimerbrock. lib.1. anat. c.6. pag.32.* in ſtatu tamen præternaturali id omninò negari non poteſt. Obſervatum quippè fuit per anato-

men,

men, tum ab aliis, tum *Magnifici D. D. Præſidis* noſtri memoriâ in fœminâ vomitu cruento extinctâ, vas breve calamum ſcriptorium majorem æquans à liene unico trunco in ventriculum aliquot ramis diſſeminatum, quorum unus ſtylum in ventriculum admiſit; non procul ab hoc, verſus inferiora alìud adhuc vas, ſed minus, ex liene ſolito longe majore ad ventriculum latum eſt, etiam pervium.

Reſerata ſcilicet in his, præter dicta, vaſa à rodentibus ſalibus, tunicas exedentibus, dilatata ab impetu, ab ὀργασμῷ, ab obſtructione ipsâ reliquorum vaſorum ſanguinis, undè repagulis laxatis prompte excidit & colligitur in capaci ſatis vaſe, ventriculo.

Hinc & ſucceſſione quadam exinaniuntur reliqui ſanguinis loculi, unde in prædicto caſu vaſa meſaraica repertâ fuere vacua, quin omnes arteriæ & venæ ſanguinis vix veſtigium præ ſe tulerunt, præter arteriam magnam & venam cavam, parum ſanguinis concreti continentes.

Mediatæ cauſæ remotiores ſequuntur, quæ cum in affectu noſtro plurimum conferant, maximè ſunt perpendendæ, quas inter primò ſe offert.

Ex naturalibus, temperamentum phlegmatico cholericum, quod ad humores in corpore ſeroſos, ſalibus alcalibus, bilioſis imprægnatos, pro variâ corporis diſpoſitione & diætæ erroribus, producendos maximè facit.

Nec minus conſentit Habitus Corporis rarior, qui conſimilem teneriorem ſanguinis texturam importat, unde facilè fluxilior, acrior & ſeroſior redditur.

Ex non naturalibus conſiderandus venit.

Aër, cui ſe æger noſter benè potatus expoſuit, iſque frigidus, nocturnus, nebuloſus. Hic uti aliàs morborum ferax, ita etiam hujus mali faces accendiſſe videtur, quatenus & inſpirando & corpus ambiendo humores, largiori potu in motum citatos, ſubitò congelaſcere fecit, anſamque non ſolum præcedentibus ſymptomatibus, verùm etiam ſequenti malo dedit. Accedit locus Mari balthico vicinus, qui per ſe incommodis quamplurimis corpora humana mactare ſatis potens eſt, dum continuò ob marinam uliginem & ſqualorem äer craſſior & denſior, aquæ etiam duriores & crudiores ferè fixitati humorum & diſpoſitioni ſcorbuticæ apprimè favent.

Victus errores quantum ad producendum malum contulerint, non pluribus opus eſt adducere. Malus corvus, malum ovum; quia enim à teneris ſtatim aſſuetus eſt cibis ſalitis & difficilioris coctionis, non mirum, quod ſanguis ejuſmodi pravus, charactere ſalino ſcorbutico fœtus, productus fuerit. Singuli ejus commatis ſunt, qui lutoſum & ſalinum ſanguinem generare ſolent, corporique alendo minus utilem. Neque Potus largior indictus abire debet, quippe qui & ſalium vehiculum conſtituit, & ſanguinem fluxiliorem dedit, ut eò faciliùs & citiùs vaſa ad ventriculum tendentia aperire & erodere potuerit.

Motus, quo æger non ſemel in exceſſu peccavit, (utpote deditus omnino exercitiis violentis gladiatoriis & ſaltatoriis) non ultimum meretur locum, ſiquidem per motum nimium, inprimis poſt cibum ſumptum, chylus crudior & impurior in vaſa præcipitatus, & hinc cum ſanguine vitioſe confermentatus, in cohobiis ejuſdem majus exmovit negotium, congeſtis ſenſim ſcoriis omnis generis, fermentum viſcerum inquinantibus & deturpantibus, unde denuò perpetuo ſuo motu illuc latus reportavit quiſquilias.

Ex Præternaturalibus tandem cauſæ loco poni poteſt ipſe affectus, quo ante aliquot annos æger noſter vexatus fuit, qui, licet tùm temporis curatus fuerit, potuit tamen vel levi quodam errore, ſemel ſtratâ via, facilè iterum propullulare, inprimis cum ejuſmodi vitioſa diſpoſitio partium tum ſolidarum, tum fluidarum à variis erroribus rerum nonnaturalium, ut ex hiſtoriâ patet, introducta fuerit.

Plurimùm quoque contulit, ſi non omne, Scorbutica διάθεσις, quæ uti fertiliſſima mater aut noverca potius eſt omnis generis ſymptomatum; ita quoque, ſi cum calidiori temperaturâ, cum lixivo ſanguinis ſtatu conjuncta ſit, præprimis hunc noſtrum fœtum excludere obſervata eſt.

Hinc non mirandum, tam varia machinæ humanæ facultatum ſymptomata affectum noſtrum comitari, quorum jam ratio reddenda venit.

1. Appetitus adeſt imminutus, ob caloris ventriculi deſtructionem, fermenti diluitionem, & parietum laxationem, quæ omnia unicam fere cauſam agnoſcunt ingurgitationem nimiam potulentæ materiæ, hâc enim ratione calor, quia tantæ quantitati par eſſe non potuit, obtuſus eſt, fermentum humiditate ibi moram nectente dilutum & feculentum redditum, parieteſque moderatoribus hiſce læſis, facilè laxati fuerunt, longè verò magis id factum hinc, ubi in cavitatem hanc peregrinus hoſpes ſanguis inundavit,

2. Pallet facies, ob depauperatum ſanguinem, omnis enim faciei ζωτικὸν ἄνθος & vigor ab hoc unicè mutuandus eſt.

3. Reſpiratio difficilis eſt, quoniam ſanguis, circa lienis & ventriculi regionem reſtagnans, gravat atque tendit diaphragma, unde in motu ſuo impeditur, & cum reſpirationi maximè inſerviat, eandem reddit difficilem.

4. Ἔκλυσιν imminentem non tam defectui ſucci nutricii ex inappetentiâ reſultanti adſcribimus, unde vires non debita incrementa accipiunt; quàm ſanguini extra oleas vaganti & coagulato in ventriculo, reliquo vitioſe in corde rarefacto.

5. Dolor gravativus ac æſtus ſiniſtri hypochondrii adeſt, ob ſanguinis copiam, lienem & vaſa inprimis eò tendentia in extremitatibus ſuis obſtructa occupantem, qui diſtendendo ac gravando moleſtus, non poteſt non dolorem excitare & quidem gravativum, ob viſceris illius ſtructuram, quæ non adeo fibris nerveis, ſaltim ſibi relictis, ac reliquæ partes ſenſibiliores, intertexta eſt. Adeſt quoque æſtus, ob eandem cauſam, ubi enim affluxus ſanguinis, ibi quoque calor ſentitur.

6. Δυσαρέστησις partim cacochymiam gravantem nunciat, partim præco ipſius vomitus eſt, ob communem tunicam in ore ſe exerente, & in toto corpore labore ventriculi.

Hæc

Hæc omnia, quamvis unà cum ſubſequente vomitu, adhibitis remediis, deſerverint ægrum noſtrum per integrum biennium; nihilominùs tamen, materiâ denuo collectâ recurrunt, idemque malum excludunt. Et quoniam exindè non exigua vis machinæ corporeæ infertur, hinc porrò ſeſe offerunt.

7. Pulſus debilis, qui ab exhauſto ultra ἐυφορίαν ſanguine, ſpirituumque vitalium defectu ortum ducit.

8. Frequens, ob uſum urgentiſſimum, dum illud, quod propter imbecillitatem virium magnitudine præſtare non poteſt, frequentiâ reſarcire conatur natura.

9. Frigus extremorum conſequitur ſanguinem verſus fontem ſuum vocatum; uti enim moderatoris vitæ noſtræ archei officium eſt, in ſtatu naturalis diſtribuere ſanguinem & calorem in omnes corporis partes; ſic in ſtatu præternaturali ſæpè viſitur, ut contrairio motu ſanguinem à peripheria ad centrum revocet.

10. Lipothymiæ eadem ferè eſt ratio, inductæ à reſolutione ſpirituum & grumeſcentia ſanguinis reliqui.

11. Repetit malum poſt duos dies, & quidem decumbente in dextrum latus ægro, novo per circulationem ſanguine ad hiantes vias nec dum occluſas appellente, & poſitu hoc ξὺν καὶ ἐυθυωρίαν ſeu decubitum ad inferiora magis inveniente.

12. Alvus denique non facit officium, vitio archei, qui ut nullis actionibus in toto corpore in ejuſmodi turbis ritè invigilare poſt; ita quoque in ſecretione inutilium quaſi obdormit.

Conſideratis itaque his omnibus, quæ ceu cauſæ affectum anteceſſere, & quæ ut ſymptomata illum ſecuta ſunt; videndum nunc eſt, quale ſit ſtatuendum Prognoſticon.

Salutis & Mortis reſpectu ſi ægrum conſideramus, facilè patet, non carere illum periculo, ſiquidem metuendum, ne vel cum illâ ipſâ frequenti ſanguinis per vomitum rejectione ipſam purpuream ſimul ejiciat animam, vel pretioſiſſimo illo vitæ theſauro & irreparabili; ſanguine ſcilicet, privatus, cachexiam & hydropem ſibi contrahat, quorum poſterius paucos admodum, ut practici annotarunt, reconvaleſcere ſivit, quinimò neminem ex vomitu cruento hydropem paſſum conſervatum ſe vidiſſe ſcribit Dodonæus. Neque ſymptomata hic maximè urgentia, ut pulſus debilis & frequens, lipothymia, frigus extremorum, per aliquot dies perſeverantia boni quid important, quippè quæ de affectus hujus magnitudine abundè teſtantur. Nihilomnius tamen, cum æger ſit juvenis, cum ab eodem morbo jam ſemel feliciter liberatus, cum certo potiſſimum corporis poſitu magis vomitus reciprocet, & inducias det, ſpem amplam concipimus futuræ liberationis, & recuperandæ ſanitatis, modò ipſe ſe non deſtituat, dictiſque audiens ſolicitè omnia obſervet præſtanda.

Nec de Brevitate paroxyſmantis morbi dubitamus, diu enim œconomia Vitalis hunc ſtatum ſuſtinere non poterit, ſed longius tamen temporis ſpatium pro recuperandis viribus, viſcerum toto, & ipſius ſanguinis κράσεως corrigendâ requiretur, in quibus ſingulis tamen jam memorata non parùm nos confirmant.

Eventus Modum dicimus futurum lentâ converſione ad ſalutem, occluſis nempè vaſorum oſculis ſanguinem dimittentibus, obſtructis verò circa lienem reſeratis, ut liberè iterum circulari poſſit ſanguis quo facto facile erit occurrere reliquis ſymptomatibus, per alterantia ſanguinem & confortantia.

Hinc poſito prognoſtico, proximum erit, ut ad Curationem nos accingamus, ſecuti, juxta Methodum Medendi, Indicationum triadem. Curatoria ipſum morbum, ex intemperie & unitatis ſolutione, conflatum tollendum eſſe monet. Præſervatoria, quæ circa cauſas amovendas occupata eſt, ſanguinem acrem temperandum vaſorumque obſtructionem tollendum innuit. Vitalis ſymptomata urgentiſſima, ne filum vitæ abrumpant, ſollicitè attendit & virium reliquias conſervat.

Satisfiet his ex Triplici remediorum Fonte & quidem primò omnium ſeſe nobis exhibet ex Chirurgico venæ Sectio, quæ an in ægro noſtro locum habeat vel indicetur, diſquirendum eſt.

Vires ſanè maximè ſunt debiles, proſtratæ, minimeque ad illam ſuſtinendam ſufficientes apparent. Deinde tantum ſanguinis jam dum per vomitus crebriores rejectum eſt, quantum nec in robuſtiſſimis venæ ſectione detrahere prudens auferit medicus, quinimò lipothymiæ urgentes hanc ipſam reſpuere videntur. Nihilominùs verò cum ex duobus malis eligendum ſit minus; cum deflectens ab orbitâ ſuâ ſanguis in circulum ſuum revocandus, cum lipothymiæ ſint recuperabiles & tranſitoriæ, proficuam & neceſſariam illam aſſerimus.

Hinc, ſimulac pauliſper recollectæ erunt vires, ut ſufficientes videntur huic negotio, vena aperiatur ſaphena vel pollicaris in dextro pede, & emittatur ſanguis ad unam vel alteram unicam. Si enim natura ferre poteſt tam enormem profuſionem, quid ni facilius longè minorem effuſionem, prudenti manu pro lubitu regulandam, ſuſtinuerit?

Utque eò magis fiat revulſio à ventriculo ex uſu quoque erunt Cucurbitulæ Siccæ hypochondrio ſiniſtro applicandæ, item Frictiones extremorum, quò ſanguis ſenſim in vaſa ordinaria remeet, neque diuturniori morâ circa præcordia ſubſiſtens grumeſcat, malumque malo exitu finiat.

Primariò verò præſidia eaque validiora nobis ſuppeditat Pharmacia in quâ conſuetâ methodo primò ſe offerunt Lenientia, indicata tum à cacochymiâ ſeroſâ & linoſâ, tum ab alvi adſtrictione, imò imperata quaſi ſola, quia purgantia propriè dicta minùs in paroxyſmo tuta ſunt, metuendumque in eo, ne vires magis labefiant vaſa verò majorem apertionem & irritationem patiantur.

Cumque affectus requirat adſtringentia vaſa & vias, vel hoc ſolo nomine quoque de lenientibus cogitandum eſt, ut interpolata ſtatui naturali conformem proceſſum ſervent.

♃. Elect. lenitiv. ℥ii. rhab. Alex. ʒß. cryſt. tart. ʒß. ſyrup. roſ. ſolut. q.ſ. ſacch. parum. M.F. l.a. Bolus, S. *Lindzucker auf einmal.*

℞. Aq. laxat. Minder. ℥ ii. extract. rhab. ℈i. mann. calabr. ℥ß. M. F. Hauſtus. *S. Laxiertrancklein auf einmal.*

℞. Rad. alth. glycyrrh. an. ʒiß. rhab. Alex. ʒi. flor. anth. fumar. 4. cord. an. p. ii. pulp. tamarind. ℥ß. paſſul. min. mß. caſſ. lign. ʒß. Conciſ. contuſ. gr. m. coq. in ſ. q. ſeri lact. capr.

℞. Col. ℥ iij. adde mann. puriſſ. ℥ß. M. F. Hauſtus. S. Ut ſupra.

Præparantium locum tuebuntur, quæ ſanguinem bilioſis ſcoriis refertum contemperant, illum à vaſis ventriculi repellunt, & ulteriorem influxum prohibent, in quem ſcopum ſequentibus uti poſſumus.

℞. Aq. papav. rhæad. acetoſ. plantag. an. ℥iß. ſang. ſymph. ℥ß. Syrup. corall. rubr. de roſ. ſicc. an. ʒ iij. M. F. Julepus. *S. Alterir und Starcktræncklein.*

℞. Aq. torment. biſtort. plantag. burſ. paſt. an. ℥i. centinodii, traumat. compoſ. an. ʒ vi. tinct. papav. rhæad. viol. an. ʒ ij. Syr. myrtin. ℥ß. M. F. Potio.

Quod ſi confirmatis viribus ad expurgandam cacochymiam & præſervandum morbum impoſterum fortioribus uti integrum ſit, ſequentia exempli loco eſſe queunt.

℞. Pulv. laxat. veget. ℈i. reſin. galap. gr. iij. nitr. antim. g. v. ol. fœnic. gutt. i. M. S. *Pulgier-Pulver auf einmal.*

℞. Extract. panchymag. Croll. gr. xv. reſin. ſcammon. gialap. an. gr. iv. ol. aniſ. gutt. ij. elix. præparat. q. ſ. M. F. Pilulæ. *S. Purgier-Pillen auf einmal.*

℞. Rhab. Alexandr. elect. elect. fol. ſenn. Alexandr. ſ. ſ. an. ʒ ij. fibr. helleb. nigr. ʒi. fl. 4. cord. an. p. i. Infund. in ſ. q. ſeri lact. capr. per nox, manè ebulliant.

℞ Colat. ℥ iij. adde crem. tart. gr. 8. mann. puriſſ. ℥i. M. F. Potio. M. S. *Purgier-trancklein auf einmal.*

Vomitoria conſultiùs omittuntur; quamvis enim adhuc in ipſo ventriculo aliquid materiæ vitioſæ latitare poſſit; hic tamen vomitus vomitu non curabitur, ſed potius promovebitur, ſiquidem ob vehementiam & ſtimulum eadem quæ in purgantibus, imò multò magis ſunt metuenda. Illa ergò, quæ ventriculum malè habent, potius reſolvenda & diſcutienda.

Plurimum verò ſpei ponendum meritò in Clyſteribus, quod citra omnem moleſtiam alvum expediant, nec per locum affectum, quod purgantia videntur facere, magis evacuent.

℞. Rad. lil. alb. malv. alth. aſpar. an. ℥ß. Herb. 5. emoll. chamomill. fol. ſenn. an. m ß. flor. perſic. malv. arbor. acac. an. p. iij. ſem. fœn. græc. lini, an. ʒ iij. fic. ping. num. 6. Coq. in ſ. q. aq. ſimpl.

℞. Colat. ℔ i. adde elect. diacathol. ℥ß. ſal. tart. ℈i. M. F. Clyſter. Applicetur, ut decet.

℞. Rad. ebuli, fœniculi, altheæ, an. ℥ß. fol. heder. arbor. fumar. violar. parietar. an. mj. flor. chamom. hyperic. an. m ß. rhab. Alex. ʒi. fol. ſenn. ſ. ſt. ʒ ij. prun. Damaſc. num. 6. Coq. in ſ. q. aq. ſimpl.

℞. Col. ℔ i. elect. lenit. diaphœnic. an. ℥ß. ol. thapſ. barbat. ℥i. nitr. antimoniat. vitell. ovi num. 1. M. F. Clyſter.

Diuretica non minus ex uſu erunt, ut horum ope vaſa meſenterica & ſplenica reſeremus, ſanguinis motui libertatem fœneremur, & in amurcam bilioſam & pituitoſam corrigamus.

℞. Arcani tart. Sennert. ſpir. ſalis martialis an. ʒi. M. D. In vitro. *S. Eröffnende* Mixtur.

℞. Lap. cancr. præp. ʒß. hepat. rubr. Dreſd. ℈i. croc. mart. aperit. gr. x. M. F. Pulvis. *S. Eröffnendes Pulver auf Zvveymal.*

℞. Aq. aperitiv. Schöd. ℥ij. clyſſ. antimon. ſulphur. ℈iß. ſyrup. dialth. Fernelii q. ſ. M. F. Potiuncula. *S. Eröffnendes Trancklein auf einmal.*

Diaphoretica vix præterquam temperatiora convenient, eum in finem potiſſimùm ſeligenda, ut grumeſcentiam ſanguinis diſſipent, & ſanguinis motus ad peripheriam ſuam derivetur magis.

℞. Bezoard. martialis, extract. torment. an. ℈ß. laud. opiat. gr. ß. M. F. Pilulæ. *S. Zertheil-Pillen auf einmal.*

℞. Elect. diaſcord. Fracaſt. ʒß. C. C. uſti præpar. ℈ij. ſacch. q. ſ. M. F. Bolus. *S. Schvveiſstreibender Zucker auf einmal.*

℞. Pulv. bezoard. Sennert. bez. martial. cachect. an. ℈i. lap. bez. occ. gr. vi. magiſt. anod. gr. iij. M. F. Pulv. *S Schvveiſs Pulver auf Zvveymal.*

Alterantia & Confortantia denique exoptatum ferent auxilium, unicè hinc & præcipuè exoſculanda, quæ nimirum qualitates vitioſas ſanguinis intimiùs corrigunt, parietes ventriculi conglutinant, ipſiuſque tonum reſtituunt, & vires labantes in priſtinum robur aſſerunt.

℞. Eſſent. traumat. D. D. Præſ. ʒij. anod. ℈ß. M. S. *Sonderbare* Tinctur.

℞. Tinct. antiph. ℥iß. D. In vitro. S Ut prius.

℞. Tinct. martis adſtr. corall. an. ʒi. hæmatit. ʒß. *S. Anhaltende* Tinctur.

℞. Conſerv. menth. acetoſ. cichor. an. ℥ß. ſpecier. de gemm. frig. diatr. ſandal. an. ʒi. gum. tragac. corall. præpar. lap. cancr. præp. an. ʒß. croc. mart. adſtring. ℈i. tinct. corall. ℈ß. M. c. ſ. q. ſyrup. papav. rhæad. F. l. a. Electuar. *S. Kühlende Lattvverg.*

℞. Croc. mart. adſtring. ebor. ſ. aq. præpar. corall. præp. an. ℈i. ſang. dracon. terræ ſigill. an. ʒß. laud. opiat. gr. i. M. F. Pulvis. *S. Anhaltend Magen Pulver auf fünfmal.*

℞. Aq. acetoſ. endiv. plantag. bugl. borrag. an. ℥ i. cordial. Herc. Saxon. frig. centinod. an. ℥ß. mag. corall. lap. cancr. præpar. an. ʒß. tinct. corall. ℈ ij. acet. ſtill. ℥ß. ſyrup. myrtin. parum. M. F. Potio. *S. Starck-Trancklein auf etlichmal.*

℞. Aq. torment. plantag. centinod. an. ℥iß. cinam. ſ. v. ℥i. lap. cancr. præp. ʒi. ſang. draconum. præp. an. ℈i. tinct. anod. ℈ß. ſyrup. de roſ. ſicc. q. ſ. M. F. Potio. S. Ut ſupra.

℞. Semin. hyoſc. alb. gr. xv. ſang. drac. corall. præpar. an. ℈i. lap. hæmat. præp. ʒß. nuciſt. ℈ß. M. F. Pulvis. *S. Anhaltend Pülverlein auf fünfmal.*

℞. Pulv. ſtypt. Croll. vel Dn. D. Præſ. lap. cancr. præpar. an. ℈i. laud. opiat. gr. i. M. F. Pulvis. *S. Sonderbahr Pulven auf Zvveymal.*

Poteſt vehiculi loco ſumi aqua plantaginis vel oxycratum, quo Riverius in vomitu ſanguinis ſiſtendo maximo encomio extollit.

℞. Spec. diamargar. frig. diatr. ſandal. an. ʒi. ſang. dracon. Orient. finiſſ. lap. hæmat. an. ℈ ij. extract. torment. ʒß. ſacchar. alb. puriſſ. q. ſ. M. F. l. a. Rotulæ. *S. Starck Küchlein.*

℞. Aq. piloſell. plantag. ſanic. agrimon. an ℥iß

℥iß. ſyrup. corall. papav. rhœad. an. ℥ß. tinct. corall. ℈ij. eſſeæ hyperic. ℈iß. ocul. cancr. ℈i. M. S. *Blutſtillender Safft.*

Nec externa ſtomacho apponenda erunt de nihilo, revellendo, roborando proficua.

℞. Empl. diaphœn. fr. de cruſt. pan. an. ʒ vi. ol. nuciſt. expreſſ. ʒi. M. F. l. a. Empl. *S. Pflaſter gegen das Erbrechen.*

℞. Empl. de cruſt. panis ℥ß. cerati ſtomach. Cratonis ʒiij. ſuccolat. maſtich. an. ʒ ij. malax. c. ol. maſtich. q. ſ. F. l. a. Empl. *S. Magenpflaſter.*

℞. Pulv. marrub. menth. abſinth. pont. ſtomach. Mynſ. an. ʒi. N. M. cinamom. Zedoar. an. ʒiß. ferment. ℥ ij. acet. roſar. q. ſ. M. F. l. a. Cataplaſm.

Neque balſama ſeu linimenta hic ſua carent laude, unde ſequens præſcribimus:

℞. Ol. N. M. expreſſ. ʒ ij. menth. maſtich. abſinth. an. gr. v. macis, ſuccin. lign. rhod. a. gtt. iv. balſam. Peruv. ʒß. M. D. in pyxide, *S. Magen Balſam.*

Sacculus etiam applicari poteſt ſequens:

℞. Rad. zedoar. galang. maſtich. an. ʒ ij. Herb. menth. m j. marrub. abſinth. ſcordii. an. m ß. flor. roſar. rubr. balauſt. hyperic. an. p. iij. ſem. carv. aniſ. an. ʒiij. xyloal. ʒi. Conciſ. contuſ. gr. m. inſuantur ſacculo irrorentur aq. menth. imponantur calidè ventriculo.

Diætam quod attinet, illa ipſa complementum addit curationi noſtræ, modò juxta præſcriptum probè obſervetur, ſiquidem errore hujus facilè omnia correcta & reſtituta peſſum ibunt.

In Naturali ergò eligat Cibum melioris notæ; panis ſit ex farina triticeâ vel ſecalina primariâ, benè coctus & fermentatus, vitentur contra ea groſſiora, aliique cibi antea conſueti, & illorum loco in uſum trahantur εὔπεπτοι, & benè nutrientes, non nimis aromatiſati & dulces, utpote in bilem facilè abeuntes. Ex carnibus animalium poſſunt eligi caro vitulina, yervecina, ſi ſint juniores, non nimis pingues, caro caponum, perdicum, allarumque avium, juniorum inprimis, exceptis aquaticis.

Gelatinæ maximo quoque uſui erunt, quia temperant ſanguinem ab æſtu nimio, blandeque demulcent. Lac ſi deſiderat æger, adſumatur caprinum, in quo interdum chalybs candens ſit extinctus. Ova frixa exulare debent, & loco horum uti poteſt ſorbilibus. Piſces, ſi avidè deſiderentur, ſint ſaxatiles, & in aquis puris degentes. Potus quoque ſit moderatus, temperatus, non nimis calidus ut cereviſia hordeacea benè defecata; vinum verò imprimis generoſius vitetur, aut ſucco citri prius temperetur.

In Vitali Aër, quantum poſſibile, eligatur purus & temperatus, ne vitioſam illam qualitatem ſanguis iterum contrahat. Nebuloſus enim, craſſus & frigidus, ut ſuperiùs dictum, maximè diſpoſitionem illam vitioſam in actum deducere poſſunt.

In Naturali Quies in paroxyſmo cordi habeatur, vitetur decubitus in dextrum latus, & oppoſitum potiùs premat. Exulet Motus omnis, unde in poſterum ille ipſe vehementior, inprimis poſt cibum ſumptum, cane pejus ac angue fugiatur, propter rationem ſuperiùs datam.

Somnus paulò largior, tum quia humectat corpus & partes ſalinas acres diluit, tum quoque, quia externis ſenſibus quieſcentibus vires magis recolliguntur & natura roboratur, utilis erit.

Animi Pathemata vehementiora, ut ira, mœror, triſtitia, abſint, utpote quæ ſanguinem mirum in modum exagitant.

Excreta & Retenta naturæ regulis reſpondeant, vel limitentur ad eaſdem, alvo pro re natâ ad officium ſuum monitâ, deviratis tamen aloëticis. *Joh. Michaëlis in Praxi clymica ſpeciali.*

Obſervationes.

Pro Vomitu.

Sartor quidam longo tempore vomebat quæcunque comedebat ac bibebat: cujus vomitum ſiſtebam potione ſequenti.

℞. Vini malvatici ℥ vi. ol. vitriol. gr. vi. diluantur bene. Ex diluto hoc capiebat quotidie mane jejuno ſtomacho ℥j. quo vomitus conſiſtit, cibum potumq; retinuit, ac rectè valere cœpit. *Martinus Rulandus, curat. 12. cent. 1.*

℞. Abſinth. M. vi. vini ℔iij. aceti ℔j. coquantur. Hoc decocto per linteum expreſſum fovebatur duos aut tres dies ſtomachus, multumque conferebat ventriculo reſtaurando & roborando. *Idem curat. 23. cent. 2.*

Cucurbitulam unam atque alteram fundo ventriculi ſine ferro applicabis, & ipſi ventriculo ſequens emplaſtrum.

℞. Ol. Maſtich. cydon. an. ℥ß. cruſtæ panis aſſati, & in aceto forti per horas duas infuſi ℥ij. ſpodii, maſtich. menth. corall. rubr. ſantal. alb. & rubr. an. ʒi. farin. hord. q. ſ. ad ſubigendum, & F. emplaſtrum. Ligaturas doloriſicas brachiis ac pedibus admovebis. Quod ſi nec illis remediis vomitus coerceri poterit, conſulo, ut æger pedes ſuos in aquam frigidam ſubitò ponat. Cum cibariis ſequentem pulverem offerendum cenſeo.

℞. Cortic. citri, ligni aloes, ſem. coriandr. præp. portulac. ſantal citrin. maſtich an. ʒij. M. F. pulvis. Quod ſi ille pulvis non proderit, exhibebis ſequentem pulviſculum.

℞. Pulv. lign. aloës ʒij. reſervetur uſui, &,

℞. Syr. acetoſ. citri ℥iß. de quo ſumat ligulam unam, cui addes pulv. ligni aloës parum, & ægroto propinabis. Ego enim pulviſculum illum in tali caſu non ſine fructu exhibitum fuiſſe novi. *Joh. Nævius, conſil. 11. lib. 2. conſil. Cratonis, &c.*

Vomitus moleſtiſſimus in febre maligna leviſſimo remedio conſilio ita ſublatus eſt.

℞. Sal. abſinth. ℈i. ſucci limon. rec. cochlear unum; mixta fuerunt in ipſo cochleari & exhibita, Statim vomitus ſedatus eſt, neque deinceps vomitu quicquam rejecit. *Lazarus Riverius, cent. 1. obſerv. 15.*

Mulier quædam vomitu ingenti choleram morbum referente laborans curata fuit in momento, hauſto aquæ cyatho ſpiritu vitrioli ſatis inſignem aciditatem adepto. Alia Mulier Lipothymiam & alia gravia ſymptomata ex utero patiens, eodem ſpiritu aquæ mixito ſanata eſt, *Lazarus Riverius, obſerv. 46. & 47. cent. 4.*

Pro Vomitione nigerrima.

Inſtar atramenti Scriptorii nigram Vir quidam materiam admodum copioſam evomuit, idque repetitis vicibus, ſummè interim debilis, proſtratiſque viribus. Sequentem potionem ei exhibui.

℞. Mummiæ ℈ij. ſyr. de roſ. rubr. ſicc. ℥j. aq. plantag. ℥iß. M. bibat una vice. Sequenti die ſimilem materiam nigerrimam denuò evomuit, & de cordis dolore admodum conquerebatur. Exhibui tunc hanc potionem.

Rhei pulv. ℈ iv. ſyr. roſ. ſolut. ſimpl. ℥ij. aq. plantag. q. F. potio. Dejecit ternas ſedes æque nigras Poſtea cœpit melius habere. Biduo poſt ſedes naturales redierunt, nec dum amplius hæc materia apparebat. Juſſi ut per vices conſerva roſac. bonaque victus ratione uteretur. *Felix Platerus, obſerv. lib.3. p.800.*

Ante decennium Nobilem quendam Cardialgia quædam ſubitò invaſit, adeo ut animo deficeret; quam ſecutus eſt vomitus ſanguinis concreti copioſi, & dejectio ejuſdem, ſed picis inſtar nigri, unde valde debilitatus; ſed mox ad ſe redut: Poſt triennium idem illi accidit, iter diebus æſtivis calidioribus facienti, nam ſubitò febrili paroxyſmo correptus in ſyncopen incidit, ſanguinemque ſupra infraque, uti prius excrevit. Altero triennio interjecto, eadem ſanguinis excretio illum iterum invaſit: ac poſtremùm, hoc anno 1611. menſe Iulio, quo ad me conſilii cauſa venit, eundem paroxyſmum eſt paſſus. Pallebat admodum alioquin tunc de nullo alio affectu conqueſtus.

Expoſui illi à venis meſeraicis, ob illuviem in illis contentam, tetri ſanguinis, reſeratis hoc accidere, occurrendumque maturè, periculoſum enim eſſe, quod aliorum exemplis comprobavi. Ordinavi ut ſingulis menſibus ſequenti purgatione uteretur.

♃. Rhab. ℈ iv. myrobal. citrin. ʒi. pulver. irrorentur vino rubro donec moleſcant, poſtea adde ſyrup. roſ. ſolut. ſimpl. ℥iß. aq. plantag. q. ſ. F. potio diligenter prius expreſſo rhab. & myrobal. cum aq. plantag. Utatur per vices hac miſtura.

℞. Conſerv. roſ. ℥ij. conſerv. flor. cichor. flor. tamaricis, bugloſſ. borrag. cort. citr. condit. an. ℥i. rad. cichor. condit. ʒ vi. troch. de rheo ʒß. raſ. ebor. ℈ ij. corall. rubr. ʒi. ciner. pell. ventriculi & inteſtinor. gallinæ ℈ i. ſpec. diatrionſant. ʒß. cum ſyrup. de quinque rad. F. miſtura, capiat bolum ſuperbibendo aq. plantag. cum pauco vino.

Pulvere ſequenti utatur octiduo ſemel, & ſi paroxyſmus ſuperveniat, bis vel ter.

℞. Succin. puri ʒi. corall. rubr. ʒiß. balauſt. ʒß. ſem. hyoſciam. alb. ʒi. ſem. plantag. ʒß. F. pulvis, adde ſacch. roſar. tab. æqualem portionem, capiat per ſe, vel cum vino rubro, aut lacte uſtulato. Ad hæmorrhoidem provocationem quam ego utiliſſimam cenſerem, ad diverſionem & evacuationem illuviei illius, in venis meſeraicis colligi ſolitam, juſſi ut ſanguiſugas podici, per canalem, ut artis eſt, applicaret, ſperare me ſi hac ratione hunc fluxum ſibi familiarem redderet, poſſe præternaturales illas ſanguinis excretiones ſic impediri. Uti & factum ſicut prædixeram. *Felix Platerus, obſerv. lib.3. pag.797.*

Quidam evomuit ℔ vii. ſanguinis nigerrimi: & per ſeceſſum dejecit multis vicibus ſanguinem nigrum ut pix liquefacta, ad ℔ x. altera nocte per os rurſus ℔ v: nonnihil tamen plus colore accedentis ad ſanguinem; tamen viveſcens erat, odorem præ ſe ferens ſubacidum, & per anum profudit ℔ vi. ſanguinis coagulati nigri nullum habentis odorem; tertio die habebat nigras fæces malè olentes, quarto die nigerrima egeſſit excrementa, non tamen referentia colorem picis, illo die ordinatus clyſter ex juſculo pulli, vitell. ovor. & ſaccharo. Aliis diebus præteritis nutritus æger vitellis ovor. & pane loto, infuſo ante in vino odorato, factum etiam epithema cordi, juſſus quieſceret in lecto, & ab omnibus negotiis abſtineret; qui poſtea advocatis aliis, id eſt, mutatis Medicis, mortuus eſt. *Reinerus Solenander, conſil.15. ſect.5.*

Pro Vomitu ſanguinis.

Utatur ſequenti remedio tanquam præſtantiſſimo.

℞. Camphor. ℈ß. poſcæ vel aq. plantag. ℥iij. bibat, ubi fluor ſanguinis ſuperveniet, fluxum enim inhibet & obſtructiones tollit. *Guil. Rondeletus, conſil.68. lib.6. conſil. Cratonis, &c.*

℞. Aq. urtic. ℥ vi. ſpir. vitriol. q. ſ. ad acetoſitatem ſatis largam, probè diluantur, & ſatis frigidè potentur: poſt hanc ebibitam potionem ſimul ventriculo applicetur panis toſtus cum pulvere caryoph. aſperſus & in vino malvatico & aceto madefactus, vel fiat puticula ex medulla panis ſecalini & vino rubello ſtyptico & aceto fortiſſimo calide inducenda toti ventriculo & orificio ejus, manè & veſperi renovanda. Hac ratione ſubitò ſiſtitur vomitus cruentus. *Joh. Hartmannus, pract. Chimiatr. pag.178.*

Vomitus cruentus curabitur conglutinatis denuo vaſis per miſturam ſequentem, in aliis quoque ſanguinis excretionibus utilem.

℞. Aq. plantag. ℥ ij. aq. cinam. ʒ vi. aceti ſtillat. ℥ß. corall. rub. præp. ʒß. ſang drac. ℈ß. laudan. opiat. gr. ij. Syrup. myrtin. ℥i. M. hæc miſtura cochleatim ſæpius aſſumpta curabit pleraſque vaſorum rupturas, & ſupra multorum expectationem ſanguinis effluxum brevi tollet. *Franciſcus Sylvius, lib.1. Prax. Medic. cap.9. paragraph.20.*

Quidam ruſticus vomitu ſanguinis laborabat, qui nullis remediis per multos dies uſurpatis ſedari potuerat. Medicus cupiens ſanguinem in ventriculo collectum educere per vomitum, qui graviter ægrotantem infeſtabat, & oppreſſionem inſignem in ea parte efficiebat; præſcripſit ol. amygd. d. ℥ij. quibus vomitus excitatus eſt, vomuitque ſanguinem concretum, ſimulque hirudinem unam ſeſe in terra commoventem. Hæc erat cauſa ignota & rara vomitus ſanguinis, retulit poſtea æger ſe in rivulo aquam bibiſſe, cum qua ſimul hirudinem hauſerat. *Lazarus Riverius, obſerv.26. cent.4.*

Vomitus rerum variarum mirus, cum motibus concluſivis.

Anno Chriſti circiter 1669. Noribergæ ancilla quædam mira ſymptomata per intervalla miſerrimè ſuſtinuit, graves nimirum cardialgias, ventricul

triculi corroſiones, vomitiones cruentas, promiſcuè ſæpe cum pilis variis, & filis lineis connodatis atque conglomeratis, acubus, aciculis incurvatis, fragmentis cultrorum, clavorum, ferramenti vetuſti, filis ferreis, nummis æreis, globulis ac fragmentis vitreis; ovorum putaminibus atque aliis; perſæpe quaſi convulſiones & epilepticos inſultus ſentiens, in terram concidebat, poſtea mira artuum & corporis contorſione, antrorſum & retrorſum, affligebatur, cum clamore abſono ac vultu horrido, imo venter ipſe inſigniter intumeſcebat, remorantibus menſtruis, ut prægnans crederetur. Sed cùm Theologi & Medici ex alloquiis ac medicamentorum ordinatione, per aliquot menſes defatigati viderant, omnia fruſtrà exhiberi, & inutiliter tempus conſumi, imò pariendi tempus inaniter præterire, è cuſtodia emiſſam Magiſtratus ex ſingulari commiſeratione carrucæ impoſitam, Auguſtam Vindelicorum, unde Norbergam prius venerat, devehi curavit. *Ex communicat. anonymi.*

Scholion Schröckii.) Miſellum hoc peccati Satanæque mancipium, R. S. cùm, A. S. R. 1666. 11. d. Novembr. pactum cum Dæmone iniiſſet, duobus Chirographis confirmatum, quæ menſtruo ſuo cum ſanguine exaraverat, annorumque quatuor & quindecim dierum in cultum ei ſeſe devoverat, atque Ann. 1670. terminus ad propinquaſſet, ſera delicti abominandi pœnitentia ductum, poſt multas à Satana perpeſſas graviſſimas tentationes, ardentiorum precum efficacia, tranquilliorem quidem in ſtatum poſitum, erepta nempe, publico in carcere, 26. Novembris infernalibus ungulis priori ſcriptæ obligationis ſchedula, cui ſequenti anno & altera ſucceſſerat; à miro tamen vomitu iſto, quo diverſiſſimas res egerebat, horrendis convulſionibus, Diabolique ad novum pactum ſollicitationibus ac invaſionibus, non planè liberatum fuerat. Quorum omnium cùm Ann. 1671. ex Italia reduct. factus, præſente plur. Rev. D. M. T. S. ſedulam animæ ejus curam agente, ipſe ſpectator in Xenodochio publico fuerim, paucis referam, quid obſervaverim. Eam itaque femellum externa facie floridam & benè valentem cùm offendiſſem, ipſa verò ad deguſtationem vini ſollicitata, diu petito noſtro reluctata fuiſſet, eo quòd atroces in vomitus, convulſiones, atque tentationes; Diabolo utpote ægerrimè, ut dicebat, excretionem iſtam ferente, ſe mox lapſuram ſciret, vereretur que; ne mihi dirum ſpectaculum terrorem incuteret, de quo tamen poſtquam ſecuram eſſe juſſiſſem, mihique Chriſtiano Satanam terrori eſſe negaſſem, vix deguſtato uno vini cochleari, ventriculi ſtatim convulſivos motus, tandemque ſubverſiones vehementes ſubjerat, vi magna ejectis duobus non exiguis præacutis vitri confr cti laminis, ferreoque intorto filo, meas, [illegible] Curioſitates adhuc repoſitis, una cum aliis quibuſdam globulis & crepundiis, quæ recenſere nolo, parum ſaltem ſaliva madefactis, nullaque planè ſanguinis guttula conſperſis; quo vomitu ceſſante, atroces totius corporis convulſivæ agitationes ſucceſſerant; hiſque remittentibus, ipſa in ecſtaſin rapta, ad nova pacta invitanti atque ad deſperationem compellenti Cerbero maſculè ſeſe oppoſuerat; ſed tandem turbis iſtis finitis, lecto denuo ſurgens, nullaque de corporis debilitate conqueſta. Num maximus ille faſcinator, in hac tragœdia oculos meos deluſerit, ut res iſtas, licet è ventriculo ſurſum propulſas credere potuerim, in ipſo vomendi actu, ſumma, qua pollet, agilitate ori patellæque ſuppoſitæ injecerit, vel an dilatato immenſum œſophago, munitoque, ne à tranſeuntium, vitri & ferri, rigidioribus cuſpidibus læderetur, me ſanè latet; inprimis cùm magnus ille ventriculi ſuperiora adfectantis conatus, colli intumeſcentia, & impetuoſa ferri, &c. expulſio, ex ſtomacho ipſo ejecta illia, perſuadere; illæſæ autem à majoribus iſtis tranſeuntibus acutis corporibus viæ contrarium innuere queant. Convulſiones quidem fictitiæ haud fuerunt; qua tamen ratione laſſitudinis ſenſum poſt ſe nullum reliquerint, neſcire me profiteor. Ecſtaticum etiam illud cum malo Genio colloquium quamvis melancholici phantaſmatis ſpeciem præbere potuerit, altiorem tamen cauſam habuiſſe, reliquæ circumſtantiæ evincere videntur.

Vomitus continui curatio ex liene ſuillo.

Uxor mea conjugii primi, per plures annos ſtomachi debilitate ac apepſia laborans, plerunque ſub digeſtionis tempore, vel à levi cauſa commota, cibum, potum, vel copioſum ſerum, cum paucabile porracea aut æruginoſa permiſtum, ſemper præcedentibus ventriculi & inteſtinorum tenuium torminibus ſævis, præſertim circa umbilicum, evomuerat, ſed multis à multis & diverſis in curam fruſtra exhibitis, demum ex perſuaſu cujuſdam villici, liene ſuillo leviter elixo, ac ſine ſale & aromate, tertia vice comeſto, reſtituta permanſit. *Helvigii.*

Scholion Schröckii.) Si de fermenti alicujus, cibis adpetendis vel digerendis dicati, aliene in ventriculum inſpiratione vel communicatione certi quid conſtaret, facilius fortè curationis hac in obſervatione tradita, ratio adſignari poſſet: Aſt cùm neque illius in liene præſentia ſit indubitata, multo minùs per vas breve venoſum arterioſumve tranſmiſſio poſſibilis, alii autem ductus ſe per Anatomiam nondum patefecerint, nec ſimplex à liene ad ſtomachum, per inane interjacens ſpatium, tranſitus probabilis exſiſtat, multa premitur difficultate. Excell. quidem Marc. Malpighius tract. de viſcer. ſtruct. c. 6. de liene, aciditatem viſceri huic connaturalem fortaſſe eſſe, ſuſpicatur, cùm ejus carnem, ſive cellulatum membranas acorem ſapere ſciret, qualis à ventriculis quorundam acutorum erumpit, & qui lactis turbationem efficeret, ut amiſſo propriæ ſubſtantiæ modo & coloribus, fœtens redderetur. Econtra Clar. Gualt. Charle[illegible] l. de ſcorbut. c. 6. art. 7. haud paucos lienes mox ab exſectione guſtu ſe examinaſſe, nihil acidi tamen unquam oblatum ſibi, teſtatur, quin & pro comperto habens, lienis ſive recentis ſive exſiccati fruſtula lac neutiquam cogere, etſi totam noctem immacerata fuerint. Id quod & ipſe, dum hæc ſcribo, expertus, nullam lactis coagulationem ab injectis ſplenis ſuilli particulis deprehendere potui, lactè potiùs altero die corruptionem, maximo fœtore comite, ſubeunte. Sic & alii modo aciditatem iſtam lingua ſe exploraſſe, alii nullam ſe deprehendiſſe, fatentur. Ut jam non dicam, quod præconcepta opinio

& imaginatio hunc illumve ſaporem, præcipuè ſi de remiſſiori tantùm diſceptatio exſiſtat, qualis de liene præſticatur, facilè effingere queat; diverſas ſaltem animalium ſpecies, ætates, ſanitatem, pabulum, vel ſi quæ aliæ eſſe poſſunt cauſæ, diverſitatem quoque aliqualem viſceri illi, quoad ſaporem, imprimere, & jam aciditatis alicujus indicia præbere, jam dulcedine quadam ſe commendare poſſe, mihi videtur veroſimile. Accedit, quòd lienes cibi loco comeſti, ob fibroſam ſubſtantiam, difficilioris concoctionis communiter credantur, præſertim ſi condimentis debitis non fuerint præparati. Unde vel ex hoc fonte lienis ſuilli, ad ſtomachi debilitatem ac anorexiam uſus labaſcere videtur. Nec fortè ad occultam aliquam proprietatem, quamvis humanæ ignorantiæ tutiſſimum aſylum, confugere hic licebit. Quare, ſi non ſingularis aliqua in remedium iſtud ruſticanum Ægrotæ hujus confidentia, quam nempe multum in curandis morbis ſæpe præſtitiſſe, & conſimiles animi adfectus magnam in ventriculo adficiendo poteſtatem habere conſtat, hic operata fuerit, inprimis ſi prægreſſus aliorum idoneorum medicamentorum uſus ſpleni ſuillo ter comeſto viam ad ſanitatem inducendam paraverit, blandum in eo latentem acorem animalem, ventriculi digeſtivo non abſimilem, exſeruiſſe hic vim ſuam, dicere liceat.

Vomitio non ſemper navigantibus accidens.

Plerumque navigantes, etiamſi Maris mediterranei, ſive Oceani accolæ ſint, in initio navigationis ad vomitum vehementer irritantur; nunquam autem ego in æquore Liguſtico atque Gallico vectus, tametſi fluctus marini atrociſſime æſtuabant, & agitabantur, nauſea vel vomitu infeſtatus fui, nec aliam aliquam offenſam inde ſenſi. *Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Motum ad concitandum vomitum conducere, Hippocratis èſt ſententia ſect. 4. aphor. 14. epoto nempe helleboro, quem præced. aphor. ἄνω purgare dixerat, corpus movendum potius, quàm ſomno tradendum aut quieti, innuens, ſtatimque addens; Nam vel navigatio indicat, motione turbari corpora. Quo ipſo ſanè cauſam vomitus, navigantibus familiaris, clarè indicat, & hinc) non marinum tantùm eſſe adfectum, qui à maris ſalſedine aut fœtore concitetur. ſed in dulcibus etiam aquis, ab impetuoſis procellis multum agitatis nonnunquam accidere, notat Ill. D. Præſes noſter, D. D. Joh. Mich. Febr. tract. de hier. picr. pagg. 104. exemplo ex Adam. Olearii Itinerario Moſcov. Perſic. adducto illud illuſtrans. Qua ratione etiam multi, ſi curru vecti paulo vehementius agitentur, eandem ventriculi ſubverſionem incurrere obſervantur. Dum ſcilicet nimio motu & fluctuatione confuſa ſpiritus animales in ἀταξίας rapti, nervorum paris vagi capitella inordinatè incurrunt, ideoque ſpaſmos & motus convulſivos in viſceribus excitant, Ingenioſo Williſio ſic explicante part. 2. tract. de anima brutor. cap.7. Alias tamen una cauſas concurrere poſſe, non eſt dubitandum; quas inter inprimis ſtomachi debilitas, ac vitioſorum in & circa eum hærentium humorum colluvies ſymbolum addit; unde etiam medicamenta ſtomachica, quale eſt Sal illud peregrinorum, ut vocatur, à Bernard. G. Penoto lib. de medicament. ſpagit. deſcriptum, notatum quoque à Joh. Hartmanno in Praxi chimiatr. & Abſinthium inprimis, quod prælaudatus commendat D. Fehrius, in curando adfectu hoc utilem præſtant operam; atque vomitum iſtum, modo non nimium excedat, impedire vetant Practici, evacuata ſcilicet hac ratione vitioſæ materiæ ſaburra; à quo ideo ventriculi dolores diuturnos & contumaces ſæpe curatos monet Petr. Foreſtus lib.18. obſervat.15. in ſchol. quod pariter innuere voluit Plinius lib.31. Hiſt. natur. cap.6. ſcribens: Vomitiones iſtæ inſtabili volutatione commotæ plurimis morbis capitis, oculorum, pectoris medentur, omnibuſque propter quæ elleborum bibitur. Imò purgato ante navigationem corpore, malum tolerabilius evadere creditur. Hinc fortè Salernitana Schola aquæ marinæ potum præſervare ab hac nauſea docuit:

Nauſea non poterit quenquam vexare marina,
Undam cum vino mixtam qui ſumpſerit ante.

Nobil. quidem Henr. Ranzovius libell. de conſerv. valetud. cap.41. Filiis navigaturis, in potu paululum aquæ marinæ miſcere præcipit, quo ventriculus paulatim mari adſueſcere diſcat; hæc tamen potatio parum utilitatis adferre poteſt, cùm, ut ſupra dictum, motus potiùs primaria incommodi iſtius cauſa exſiſtat, non ipſa aqua marina. Quin rectius ſenſiſſe mihi videtur Frideric. Martinus in Itinerat. Grönland. part.2. cap.2. quoſdam eandem, pro curanda per vomitum nauſea iſta, potare referens, quem tamen non tam aquæ, quàm faſtidio ex hac concepto adſcribit; quamvis ſtomacho eam adverſari Dioſcorides lib.5. de mat. med. cap.15. teſtetur; & non ſine injuria ſtomachi ad purganda corpora bibatur, ut loquitur Plinius l. c. Porro ventriculum copioſè ingeſtis cibis onerare, eſt eundem ad expulſionem hanc diſponere. Sic neque marinum aërem culpa prorſus vacare; facilè dixerim, quem variis è mari exhalantibus particulis fœtum, adſociantibus etiam ſeſe ipſis navalium ſordium atomis, adverſari inadſuetis poſſe, non eſt improbabile: cui ſanè cauſam adſcripſit Borellus cent.3. obſerv.60. quòd Venetus ille, maris incola, equo inſidens eaſdem nauſeas, quas nos in mari, paſſus fuerit. Quanta enim hic ſit conſuetudinis vis, ipſe morbus abunde docet, quo nunquam vel rariſſimè, navigationi deditos corripi obſeruant; cui quoque acceptum fert citatus Olearius, quòd pueri cunarum agitationi adſueti, raro admodum ſimile quid patiantur, ad mentem ipſius Hippocr. ſect.2. aphor.49. Conſueti ſolitos labores ferre, etſi fuerint invalidi aut ſenes, non conſuetis, quamvis robuſtis & juvenibus, facilius ferunt. Henricus Salmuth Comment. in part. 1. Guid. Pancirolli de reb. memorabilib. tit.11. timorem non minus, naufragii metu inductum, dum tam lethum, quàm prope cernit aquam, navi qui ſe concredidit, accuſat, cùm æſtuans animus ac fluctuans, corpus ſimul concitatum replet perturbatione. De imaginatione, qua ad vomiturientium conſpectum alii quoque ad ſimilem motum ſtimulantur, & ſi quæ aliæ occaſiones eſſe poſſunt, ut jam taceam.

Infelix

Infelix bilis per crebriores Vomitus rejectio.

Reverendus admodum Dominus Wolfgangus Herkelius, Paſtor Henſenfeldenſis, annorum triginta unius, poſt quandam excandeſcentiam faſtidium carnium, ita, ne intueri quidem eas potuerit, incurrit; limpidæ prius aquæ, dein ciborum etiam omnium ſubſecutò vomitu. Medicus calculum ſubeſſe ratus, ordinato balneo efficere nil potuit, niſi quod potius cum virium omnium proſtratione, brachiorum pedumque extrema purpurei coloris tinctura fecit deformari. Vomitui continuo ſe aſſociavit crebra narium hæmorrhagia, quæ neque venæ ſectione, neque aliis tolli potuit remediis: & quamvis interea, redeunte aliquali ciborum quorumvis, exceptis carnibus, appetitu, vomitus ceſſarent; poſt triduum tamen omnia aſſumpta alimenta immutata, retenta ſingulorum forma, denuo per vomitum regurgitarunt. Quando diurno tempore vomuit Æger, nocturno profluvium ventris expertus eſt, & aquoſa dejecit: hinc fame quaſi canina torquebatur, uſque dum qualicunque frueretur cibo, unde ſedata fame obdormivit. Menſibus aliquot tali cum cruciatu peractis, cum vomitu per nares ad 24. horas, uberrime ſanguinem reddidit, nihil proficientibus vel venæ ſectione, vel omnis generis topicis adhibitis, unde nimia conſecuta eſt virium jactura. Quæ deinde cum vomitu revertebantur narium profluvia, non fuere ſanguinis, ſed ſeri cum cruore miſti. Ad nos portato ægro, exercitatus licet, & in Arte ſummè verſatus Medicus alius conſultus, cùm per ſudorem motum hunc non naturalem compeſcere conaretur, nullis diaphoreticis, nullius ope balnei elicere illum potuit. Accedebant horripilationes de die, noctu vero totius corporis æſtus increvit, ſupervenientibus etiam deliriis, acribuſque articulorum doloribus. Fuere, qui incantatione, quod omnia Medicamenta irrito prorſus effectu fuerint exhibita, laborare Ægrum judicarunt. Tandem ego, ad curam accitus, cum acetoſa ſaltem, non amarulenta, evomi animadverterem, obſervatis & aliis, quæ apparebant, circumſtantiis, inferius ventriculi orificium, frequenti vomitione nimis fuiſſe debilitatum aſſerui, per quod omnis illa bilis ex poro cholidocho in duodenum ſubindeſcaturiens, (quæ alias cum acido Salino, quod Pancreas per ductum Wirſungianum eructat, pro fermento maſſæ alimentari ex pyloro paulatim egredienti inſervit) crebro vomitu fuerit penitùs ejecta, nihilque ejus ſuperſit: jam verò per vomitum, acidum illud ſalſum, quod reſtat, donec & illud cum vitæ termino deſineret, evomeretur. Quicquid proinde, pro roborando Stomacho, quicquid pro bile denuò reficienda ſuſcepimus laboris, natura licet interdum conatibus noſtris, per unum vel alterum diem nonnihil abblandiente, nihilominus præternaturalis iſtius motus vehementia in vomitu illo lethali omnes noſtros eluſit conatus uſque dum injuriæ impetuoſi hujus affectus, indies incrementa capientis, non amplius ferendæ ſufficiens Æger, ſuam Deo animam placide reddidiſſet.

Scholion.) Bilem, qui pro excremento prorſus inutili habent, Naturam imprudentiæ mihi arguere videntur, utpote quæ illam ad inteſtinorum & chylificationis principium ordinarit, & propinquiora ad eam removendam ex corpore loca habuiſſet, ut ne recto per porum cholidochum tramite alimentari ex ventriculo egredienti maſſæ ſe jungeret. Annè autem dicam apud Helmontianos merebitur ille, qui bilem pro Alcali, ſuccum verò Pancreaticum acido-ſalinum pro acido ſubſtituet? Hæc duo ſicut Oleo Tartari, aceto ex deſtillatione remanenti affuſo videmus, fermentum conſtituunt. Talem verò aſſumptæ alimentaris maſſæ in ventriculo effervescentiam contingere, ubi potius quiete iſti digeſtioni neceſſaria opus eſt, non eſt veroſimile. Annon magis in longis inteſtinorum anfractibus eam commodiorem habituram locum, & opportunam magis occaſionem, ubi flatibus exinde prodeuntibus liber à Pyloro tranſitus denegatur, credendum eſt? Ibi enim ſeparatus per fermentationem chylus à vaſis, quæ tenuibus adhærent inteſtinis, lacteis abſorbetur, & ad receptaculum in lumbis delitescens transfertur. Quod ſi autem per inferius ventriculi orificium flatuoſi quid tranſierit, eructabitur. Ructus hic, ſive fuerit nidoroſus, ſive acidus, abundantiam bilis, vel ſucci pancreatici arguet: alterutrius verò corruptio, vel in quantitate aut qualitate exceſſus qualiſcunque, unde fermentatio proba impeditur, quid poſſit in morbis excitandis indaganti non impervium futurum eſt. *Joh. Georgii Volcameri.*

Ad Obſervationem de infelici Bilis rejectione.

Cum *Excellent. Dn. D. Joh. Georg. Volcamerus* in adjunctis *Literis Noriberga Uratislaviam* datis ingenioſè *Bilis Naturam* explicaſſet, placet ad illuſtrationem majorem tranſmiſſæ obſervationis ipſius verba ſubjungere: Quæ in obſervatione, *inquit*, de infelici Bilis per vomitum rejectione audentius pronuntiavi, dum eam non ſaltem excrementum corporis eſſe, ſed magis neceſſariam, tot uſibus in facultate naturali promovendis, nemo mihi vitio vertet. Hactenus enim videre non potui, unde in ventriculo fermentum ſuam ducat originem: pars enim eſt prorſus membranacea, nil niſi craſſitie à veſica diſcrepans: interius inſuper aliquo lentore obducitur, ut aſſumptam alimentarem maſſam promptius exprimere poſſit, quam viſciditatem acor fermenti ſubinde in eo generati abſumeret. Hanc toties abradi obſervamus vi acriore purgantium, manifeſto periculo ipſi ſtomacho inſidiantium. Accedit, ſi cibus fermentationem in ventriculo admitteret, ardor ſtomachi exoriretur, quod uſu frequentiſſimum apud illos, qui varietate nimia cibi potuſque delectari ſolent. Quin ipſe ſtomachus pro Promocondo Naturæ inſervit, ut paulatim maſſam aliquandiu digeſtam exprimat, ne continuò cibum appetere cogeretur animal. Sic & ipſe ventriculus vulnere non lethaliter afficitur, & quamvis venulæ quædam lacteæ ipſi adhæreant, non tam pro deferendo quam adferendo ipſi Chylo inſervirent. Bilis verò ſummam, quæ eſt in fermentatione, neceſſitatem quis non videt? Sedem paulò an-

te pylori egreſſum ſub Epate habet, ut in promovendis jam digeſtis alimentis ei ancilletur; ut ſucco pancreatico per porum cholidochum juncta ferm.entum contribuat; ut ope effervescentiæ iſtius purum illud, chyloſum quod eſt, ſeparetur ab impuro, fœcibus ſcilicet ſenſim ad Inteſtina craſſa prolabentibus. In longis hiſce Inteſtinorum tenuium anfractibus, quibus venæ lacteæ annectuntur, fermentatio commodiorem locum invenit; quæ tribus quaſi clauſtris coërcita, supernè, ne flatibus inde emergentibus liberior exitus pateat: in gula orificio ventriculi ſuperiore & inferiore, ne continuis ructibus anſam porrigeret. Hæc quoque inteſtina poſt interitum animalis ſemper inflata, a fermento quodam inibi relicto, obſervantur, collapſo licet & compreſſo ſtomacho. Longas eorundem ambages in diuturniorem fermentationis moram & circulationem faciunt, unde conveniens maſſæ ſeparatio. Hæc in Inteſtinis fermentatio ſi fuerit abolita, quod in pleriſque Febribus, ardentibus præcipuè, uſu venire ſolet, boli iſti ex ſtomacho ſubinde expreſſi, nullam ſubeunt alterationem, ſed paulatim exſiccantur, & prodeunt rotundiformia excrementa σκύβαλα dicta, alvus continuò adſtricta fœcibus tranſitum denegat. Redeunte paulatim fermentatione flatus oriri ſolent, qui deinceps prodromi cenſentur fœcum propediem ſubſequentium, Si depravatur, acidum minus bilioſo correſpondebit, inde diarrhœa; vel ſi bilis aut ſuccus acidus corrumpitur, Dyſenteria, Icterus, & alii morbi inde ſuum ortum ducent. Sed hæc omnia interea pro paradoxis haberi poterunt, uſque dum certius quid determinare perſuaſerint Doctiorum Virorum cogitationes crebro rerum uſu & experientiis confirmatiores, *Hactenus Vir Excellentiſſ.*

De Vomitu hypochondriacorum Sebaceo.

Novimus viros haud paucos, eruditos, hypochondriacos ex profeſſo, præcipue Stomachi flaccidiſſimi, & ſimul aut poſtmodum Arthriticos, vel quaſi: qui poſt aliquot dierum nauſeam, aut conſimilem ventriculi indiſpoſitionem, periodicè, cum liquoris inſipidi ac mucilaginoſi, interdum etiam acerbi vel amaricantis modico, pinguedinem haud exiguam, ſuper pavimento inſtar ſebi, latè ſatis, nec rarò dimidii calami ſcriptorii craſſitie (ferè uti ſuper bubulæ vel ovillæ jura ſolet) concreſcentem, ignem promptè concipientem, & ad eum liqueſcentem, levamento quidem haud exiguo, evomuerunt. Inquiſitu verò dignum eſt, unde hæc colluvies? Pinguibus enim in omni Cibariorum genere admodùm abſtinuere omnes, ut error externus allegari nequeat ſimpliciter; an indicis quidpiam, in Stomacho [illegible] [illegible]uidiſſimo minus ſubactum remanſiſſe; vel ſpecioſius fortaſſe diverſarum Circumſtantiarum intuitu credatur, intimiorem connatamque ſingulis ferè edulis oleoſitatem ſive pinguiores particulas, quæ (ſeu ſolitariæ ſeu terreſtreitati nonnulli copulatæ) chylo potiſſimam albedinis partem (vel Emulſionum, Aquarum per graviorum Oleorum acceſſum lacteſcentium, Juſculorum per pinguia turbidiorum & albeſcentium, &c. exemplo) conciliare videntur à ſtomachali liquamine ob exotericum, hypochondriacorum acorem aliudve penitioris mixturæ obſtaculum, denuò Lactis & Emulſionum exemplo) ſeparata, & ſic tandem ob copioſiorem collectionem rejecta fuiſſe. Sed hæc tantùm circa caſum rariorem ſuſpiciones ſunt. De cætero Tartareum coagulum, quod quidam adduxere, hic longe, vel Oculorum teſtimonio, abfuit. Singularis autem Viri ita per vices afflicti, erat exitus; ad affectuum vaſorum Lymphaticorum & Excretoriorum pertractationem (utinam diligentiori manu, tot adſignatas contra plurib us morbis rationes fere ridiculas, aliquando præcedentem) pertinens. Arthritide temoque lentim comun pto, non ut in Ardentibus, Malignis, Phthiſicis, &c. ſed ſpecialiori plane exceſſiveque modo, copia ac magnitate, citra ſufficientes hactenus cauſas, lingua adeo, poſt quaſvis etiam (non ſingulis tantum horis, ſed horarum ſæpe quadrantibus) inſtitutas mundificationes, abſterſiones, &c. obducebatur per aliquot ante obitum ſeptimanas materia quaſi Chyliformi; plorantibus ite identidem recentio um ibi protuberantiis ac circumcirca ſitis ductibus; ut præter extremas hinc moleſtias, vires ipſæ immediatè hinc conſumi, (æque ac nonnunquam in Mictione quorundam chyloſa, fluore albo, &c. contingit) manifeſto cernerentur. Sed hæc in veritatis puteo haut parùm adhuc latent; ex parte forſitan tantiſper ad ruptas aut dilatatas noviſſimorum vaſorum valvulas, materiæ contentæ aberrationes, &c. reducenda. Cùm ante annos aliquot Cynanche exquiſitiſſima laboraremus, per quatriduum nil niſi ſolum aërem intromittentibus, poſt tot tantaſque faucium elutriationes, rupto tumore, materia quanta, nil niſi ultimo. ſumptum cibum ſapuit. Idem ſimiliter animadverterunt alii: ac in nobilioribus excretionibus forſitan percipietur. *Dan. Ludovici.*

Vomitus Venerei.

Nondum ita infœcunda eſt natura mirabilium novorum antiqua Parens, ut ævo quoque noſtro patiatur inopiam rerum inſolitarum. Novi hic in *Moravia* honeſtam *matronam*, *Urſulam* N. nomine, temperamenti ſanguinei, annorum viginti aliquot, ſpecioſam ſatis, ſterilem tamen, cæterum ſalacem valde, & quæ conſuetudinem mariti, præclari alias viri (de cujus nomine, & loco civitatis ſilemus) plurimum appetebat, prout ipſe mihi queſtus eſt, & ne in maritali officio tandem ſuccumberet, rogavit. Hæc, quotieſcunque ſive nocte, ſive mane, aut interdiu, jejuno, aut pleno ventriculo venerem exerceret, materiam quandam albicantem, modicæ tamen quantitatis, tenuiori ſemini non abſimilem, vomere conſuevit. ſubſequenti aliquali totius corporis, maximè verò capitis, artuumque debilitate; quo ſymptomate cum per annos circiter 10. pertentaretur, tabida tandem, unaque aſcitico tympanitica evaſit, & paucis poſt annis præmatura morte fatis conceſſit. Si ergo miracula ſunt (ut inquit Philoſophus in quaſt. mechan.) quæ natura contingunt, quorum ignorantur cauſæ, vel res, quæ unde manaverit, aut qua ratione conſtiterit, dignoſcere vel res, quæ unde manaverit, aut qua ratione conſticerit, dignoſcere arduum eſt ut habetur ex prolog. ult. cap. 1. lib. Val. Max. Certè præſens Syptoma, ut

ut portentoſum & inauditum, cuique Paradoxon erit.

Ubi quæritur primò, quæ fuerit hæc materia albicans tenuiori ſemini ſimilis? Secundò unde provenerit?

Non fuit chylus, is enim quatuor horis à ſumpto, & in ventriculo elaborata cibo ad alias corporis partes demandatur: Cùm tamen hîc vomitus, etiam manè jejuno & ab omni cibo vacuo ventriculo ſecutus ſit.

Neque fuit recrementum chyli, ceu quod in fermentum tranſit; & hoc non albicans, ſed potiùs fuſcum apparet.

Nec fuit colliquamentum mammarum (quod ſemper in glandulis etiam in lactantibus reperitur) ex nimia corporis agitatione in ventriculum delatum; cum defacto nullus ductus à mammis in ventriculum inventus ſit. Multo minus ſemen fuit in uterum à viro ejaculatum, & poſteà à ventriculo attractum, qua enim via hoc fieri potuiſſet, obſtante ipſo fundo uteri? & ſi hic præternaturalis ductus ab utero ad ventriculum a natura formatus fuiſſet, quæ cauſa, cùm natura nihil fruſtra agat; Et ſi fuiſſet, tunc ſubinde chyli portio (niſi valvulæ obſtantes denegaſſent) per uterum excerni debuiſſet, quod tamen minimè factum eſt. Supereſt ergo ut cauſam hujus (ſalvo melius ſententiam judicio) in nervos rejiciamus, ad illorum ſententiam accedentes, quorum plurimi jam antehac à nervis materiam ſeminis ad teſtes deferri defenderunt, ſtabiliti his argumentis: Primò cur tot nervi in teſtibus? Certè non ob ſenſus vel motus gratiam, ſed quia per hos ſuccus nervoſus demandatus ad teſtes, inibi in ſemen elaboratur. Secundo ad hujus confirmationem videmus, quod à nimia venere debilitetur cerebrum ſequatur nervorum flacciditas, & laxitas & ipſa ſpinalis medullæ tabes &c.

Ex quo inferre liceret in hac matrona multùm ſalaci venerem exercente copiam concurriſſe ſpirituum, qui cùm nervos ſexti paris copioſiſſimè ſuperiori orificio ventriculi implantatos dilataſſent, atque eorundem oſcula aperuiſſent, ipſos in ventriculum ſuccum hunc albicantem, tenuiori materiæ ſeminali non abſimilem ejaculaſſe, qui ſuccus, ut ſeminis veri naturam induat, amplius in teſtibus elaborari neceſſum habet.

Et hæc cauſa eſſe potuit ſterilitatis, tabis, & præfati hydropis; ubi per hanc præternaturalem ſeminandi rationem multum ſpiritibus exhauſta, calidum innatum depauperatum, & in ſanguine ſal conſervativus fuſilis procreatus, morſque intempeſtiva ſecuta eſt: juxta illud quod habet *Cato* major: libidinoſa & intemperans adoleſcentia effœtum corpus tradit ſenectuti; & juvenibus detrahit vitæ plurimum. Marſ. Fic. de vita producenda lib. 2. cap. 8. *Matthæi Franciſci Hertodii.*

Caro cruda vomitu rejecta.

Novi mulierem Erffurti, quæ ſæpè fruſta carnis crudæ, carnem mactati bovis referentis, quam tamen antea nec guſtaverat, per annos aliquot evomuit. Simile ferè Foreſtus l. 18. obſerv. 19. in Scholiis p. m. 161. narrat de puella moniali Delphis, quæ fruſtum carneum album albuminis ovi inſtar vomitu rejecit; & Anton. Benıveni de abdit. Morbor. & ſanat. cauſ. c. 2. p. 128. tradit, quendam fabrum lignarium globum pituitoſum carniformem, in quo vermiculus, brucho ſimilis concluſus fuit, vomitu propuliſſe. Idem d. l. cap. 88. Mulierem quandam durioris carnis fruſtulum, ac Julianum Medicum, fruſtum carnis ad parvæ pilæ magnitudinem, in quo vermis non ſecus ac bruchus in ſiliqua recluſus erat, ejeciſſe. Sic quoque Thom. à Vega ad cap. 5. c. 1. Galen. d. loc. affect. narrat, quaſdam profluvia fruſtorum carneorum paſſas eſſe per multos dies, fuiſſe autem fibroſas carnes, & quæ tranſverſam & in longum ſectionem paterentur. Dehiſce cum eorum ratio certa dari nequeat, cum eodem Vega concludo: Rara hæc faciliorem habent admirationem, quàm cauſam. Ex Litter. D. Mœllenbroc. Halla Saxon. datis ad *D. Sachſium. Valentini Andreæ Mœllenbrocci.*

Cochlea vomitu rejecta.

Ancilla xx. annorum laborabat Cardialgia cum tumore abdominis & difficultate reſpirationis: Quærebatur cauſa, aderat nulla prægnans, dabatur evacuans lene abſque notabili ſucceſſu: fortiora accerſebantur, & ἄνω καὶ κάτω rejiciebantur plures cochleæ minutulæ, quas deinceps Chirurgus exſiccatas ſibi reſervavit: Cauſam exhibebat Lactuca herbacea non lota humiditate cochlearum prolifica imbuta, mediante calore ventriculi animata & inſolito partu excluſa: Vivit adhuc pancratice hæcce cochlearum genitrix. *Samuel. Ledelii.*

De Verme vomitu ejecto.

Anno præſente milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, die nona Februarii, conqueſta eſt puella duodecim annos nata, Chriſtina Maccovia, doctiſſimi Viri Jacobi Maccovii, Jud. Thorunenſ. Notarii Ord. filiola, indolis & formæ egregiæ, de exquiſitiſſimo ſtomachi dolore à Medicis Cardialgia dicto, quam conſtipatio alvina, ipſi ferè connata comitabatur; cui ego hora matutina, poſt Enema emolliens, ſequentem bolum ordinavi.

♃. Conſerv. flor. betonic. ʒiß. Theriac. Andromach. Requiei Nicol. an. gr. xv. cum ſ. q. ſacchar. canar. alb. F. l. a. bolus. Sed doloribus cum lipothymia ferè uſque ad veſperam perſeverantibus, præſcripſi hauſtum ſequentis Syrupi cum duobus Cochlearibus cereviſiæ calidæ:

♃. Syrup. de papav. ſimpl. ℥i. Laud. opiat. optimè diſſolut. gr. i. M. Poſt cujus uſum noctem habuit quietiorem, & à dolore liberam. Cùm ipſam die 10. Febr. manè inviſerem, dolores jam non tàm atroces ſentiebat: quare ut ſequentem bolum laxativum aſſumeret, eidem ſuaſi:

♃. Elect. laxativ. extract. fol. Senn. noſtr. ʒß. adde reſin. Jalap. Scammon. an. gr. ij. Cremor. Tart. gr. xvi. cum Sach. Canar. alb. dato. Ab aſſumpto hoc Medicamento, vix elapſo duarum horarum ſpatio, cardialgia graviſſima poſtliminio revertebatur, quam ſequebatur nauſea & vomitus cum interceptione vocis, ſed mox verme vomitu rejecto, Symptomata omnia ceſſarunt; Fuit iſte Spithamam longus, craſſitie mino-

minoris digiti, colore albus, capite rubicundus, in ipſaque egeſtione mortuus eſt. Quid igitur vetat ſtatuere, vermem hunc in ventriculo genitum, & poſteà per vomitum rejectum fuiſſe? Nam quamvis Hieronymus Gabucinus & Hippolitus Brillus peculiaribus tract. vermes in ventriculo minimè generari poſſe ſtatuant: contrarium tamen docent Marcellus Donatus lib. 4. de Hiſtor. Medic. Mirab. cap. 26. & Dan. Sennertus Medic. Pract. lib. 3. part. 1. ſect. 1. cap. 15. ibidemque ſect. 2. cap. 15. idque tàm veterum, quàm recentiorum Scriptorum experientia comprobant: ad quos Lectorem benevolum remitto. Sufficiat hîc produxiſſe duos oculatos & veriſſimos teſtes, primum Antonium Benivenium, qui libro de abditis nonnullis & mirandis morborum & ſanationum cauſis cap. 2. ſcribit: Fabro cuidam lignario, annum quadrageſimum agenti, poſt propinatum ab ipſo Medicamentum vomitivum, expulſum fuiſſe cum pituita craſſa vermem longitudinis digitorum quatuor ſatis pleniorem, capite rubro, lævi rotundoque, quod piſi magnitudinem non excederet, cætero corpore lanugine quadam contecto, cauda furcata ad ſimilitudinem novæ Lunæ pedibus quatuor nixo, duobus in dexteriorem, totidem in ſiniſteriorem partem coaptatis: cujus veritatem Rembertus Dodonæus in annotatione confirmat. Alterum inter recentiores celeberrimum Thomam Bartholinum, qui Centur. 1. Hiſt. Anat. rarior. hiſtor. 47. vomitum vermis in muliere Helſingorana circa lacticinia præparanda occupata obſervavit. Et Centur. 3. Hiſtor. anat. rarior. hiſtor. 14. in gravida quadam muliere Fridericiburgi circa finem geſtationis cum vomitu vermem ſatis longum prodiiſſe, poſt cujus ejectionem tormina, nauſea & vomitus, quæ antea miſeram moleſtarunt, conquievere, idem teſtatur loco citato. *Simonis Schultzii.*

Obſervatio ad præcedens caput.

Quoad vermem vomitu ejectum ſupra laudati Schultzii Obſerv. 258. ſimile quid aliquoties etiam obſervavi, cumprimis in morbis epidemicis, & ante aliquot annos in quadam egregia virgine 13. annorum, cum morbus catalepſeos ſpeciem oſtenderet, illaque variis ſymptomatibus laboraret, tribuſque idiomatibus peregrinis, cumprimis Gallico, quod tunc temporis non adeò perfectè callebat, at abſque hæſitatione loqueretur, adeò ut aliquid τὸ θεῖον adeſſe putaremus; poſt multorum alexipharmacorùm uſum, verme mirandæ formæ ore excluſo, ſymptomata deſierunt. Et nunc anui cuidam 74. annorum febre putrida maligna laboranti contigit, ut ab horrore medicamentorum tres lumbricos ſatis longos ore excreverit. de vermibus in renibus Schultzii & Sennerti Obſerv. 261. notabilis eſt eadem Obſervatio in cane quodam cum magno ululatu Helmæſtadii in Academia Julia ann. 1651. nos defatigante, & à nobis ſecto, quam Excellent. Dn. Valentinus Henricus Voglerus, Phil. & Med. Doctor, hujuſque Profeſſor Celeberrimus, amicus meus integerrimus, eleganter deſcripſit.

De Vomitu millepedarum.

Anno 1680. in auctumno ex Puella 15. annos nata, in Herrieden, Epiſcopatus Eyſtettenſis urbe, ultra biennium diverſis multorum medicamentis fruſtra adhibitis, tandem plures quam 60. millepedas, mediante Syrupo emetico Ang. Salæ expuli, atque à perpeſſis ſymptomatibus liberavi; quam aliquando cùm magna ſiti infeſtatam ex vetuſta aliqua ciſterna ſe bibiſſe confeſſa fuerit, ſeminium illarum inde hauſiſſe conjicio.

Scholion.) Conferatur Scholium meum ad *Obſerv. 50. Helvvigian.* ubi etiam ſimilem millepedarum vivarum vomitum ex *Dom. Binningeri cent. 4. Obſ. med. 3.* adnotavi. *Joh. Laurentii Lœlii.*

Talpa vomitu rejecta.

Villici cujuſdam in pago aliquot milliaribus ab Urbe noſtra diſtante *Bankau* dicto, Uxor, *Eliſabeta Krügers*, mulier conſiſtentis ætatis, media æſtate, in rure ſupina ſomno ſeſe committit, quo oppreſſa, viſa ſibi eſt aliquid per apertum os irrepens excepiſſe: expergefacta ex profundo ſopore, dolores ſentit ventriculi, qui incrementa indies ſumebant, & ad eam tandem excreſcebant vehementiam, ut perpetuas lancinationes ſentiret, ferè ad animi deliquium. Ob dolorum iſtorum acerbitatem ad ſueta munia penè inidonea reddebatur, emaciabatur corpus. Varia quæſivit paupercula remedia, ſed quæſivit tantùm, invenire enim nulla potuerit, miſeram hancce per annos 15. trahebat vitam. Tandem vellicationes ventriculi ſentiebat intolerabiles, cardialgiam, anxietates ad animi uſque deliquium patiebatur maximas, ita ut extrema inſtare adſtantes judicarent: ſuboriebatur autem nauſea primum, vomitus demum enormis, quo cùm talpam vivam, obeſam, digitos octo tranſverſos longitudine æquantem rejecit, quæ apprehenſa per horas aliquot ſupervixit, mulier autem paupercula doloribus partim fracta, forte nec commodè tractata, nec convenientibus roborata, cum partu hoc præternaturali poſt 24. horarum ſpatium exhauſtis ſpiritibus animam efflavit. *Johannis Schmidii.*

Vomitus Bufonum.

Anno 1677. ingruente vere Lanio Thorunenſis novoppidanus, ſervo ſuo in mandatis dedit, ut in pago quodam vicino agnellum unum atque alterum coëmeret. Iſte cum inter eundum ſiti urgeretur, aquam in vicinia ſtagnantem avidè hauſit, poſt iter perſequitur, herique mandata exſequitur. Veſperi de ventriculi doloribus conqueri cœpit, qui dum de die in diem exacerbarentur, omnem mox culpam in illum hauſtum rejecit. Varia ei à variis laudata ſunt medicamenta, quibus tamen omnibus irrito uſus eſt ſucceſſu. Tandem cum matutino præſertim tempore ſe in ventriculo motum ceu vivi animalculi ſentire conquereretur, ſuſpicio oborta hauſiſſe illum una cum aqua ſeminium alicujus reptilis aut animalculi venenati. Interea inappetentia, vigiliæ, capitis

capitis ventriculique dolores, & per vices Lipothymiæ quoque ita exercuerunt ægrum, ut munia ſua debitè obire non potuerit. Donec tandem ſemeſtri poſt infelicem hauſtum elapſo, cum omnino ſe aliquid vivi in ventriculo alere conquereretur, ſuaſu neſcio cujus aſſumpſit mane pinguedinem Serpentis. Hac epota ab exſequenda heri ſui juſſa extra ædes ſe confert, ſed paulo poſt in platea adhuc conſtitutus, urgente vomitu tres rejicit Bufones. Hinc domum ſe contulit, Theriacam aſſumpſit, ab eo tempore melius ſe habere cœpit, priſtinamque ſanitatem recuperavit. *Georgii Segeri.*

Vomitus infeliciter coërcitus.

Virgo quædam non adeò deformis difficilioribus menſibus laborans cum depravato obſoniorum tanto appetitu, ut quandocunque modo liceret, aut erva, hordeum triticumque molia confractum crudè devoraret. Anno 1678. Menſe Julii quantitatem myrtillorum illotorum ingerit, ſuperbibendo cereviſiam ſecundariam, ſtatimque vehementiſſimis vomitibus corripitur, Mater infelix neſcio quo medicamine vomitum tandem ſiſtit, ſed eheu! ſupervenit in puncto Epilepſia immedicabilis, filiamque intra horas ſeptem è medio viventium abripit.

Scholion.) Vomitum non omnem eſſe ſiſtendum, Exc. D. Joh. Th. Schenkius Exerc. anatom. p. 317. animadvertit, diſtinguens inter opera morbi & naturæ, ſicque, cum Riolano, promovendos eſſe ſtatuit quotidianos illos à ductu cholidocho in ventriculum inſerto obortos, criticos, atque à repletione nimia, & ob errorem externum productos. Cùm itaque hoc in Caſu ventriculus à depravato victu jam antea debilitatus, ab ingeſtis copiosè myrtillis, dubio procul ibidem in corruptionem abeuntibus, & reliquos in corpore amicos humores una exagitantibus, admodum oneratus fuerit, blandiori potius molimine conatus illos ſedare, crudiorumque humorum evacuationem procurare, ſimulque ferociam eorum demulcere, & corruptionem alterare decuit: quibus neglectis, & ventriculi tantum motu illo convulſivo, quem vomitum dicimus, violenter inhibito, reliqui in corpore efferati & tumultuantes humores retenti majorem acredinem conceperunt, inque cerebrum delati lethalem epilepſiam induxerunt. Myrtilli enim, judicio Celeb. D. Simonis Paulli Claſſ. 3. Quadripar. botan. crudo multo excrementio humore cum abundent, tonum ventriculi diſſolvunt; in quibus itaque edendis modus aut parſimonia eſt adhibenda; & cum ſint baccæ dulciſſimæ, plus aque ſubſtantiæ, ut loquitur Cl. Caſp. Hofmannus lib. 2. de medicam offic. c. 156 §. 7. quam oportet, habentes, eò promptiùs ubi potus cereviſiæ ſecundariæ inſuper acceſſerit. Quam periculoſa etiam ſit Vomitus intempeſtiva ſuppreſſio. Joh. Fernelius lib. 4. de feb. cap. 10. exemplo plethorici, quotidianæ vomitioni bilioſæ diu obnoxii, oſtendit, qua nempe repentè ſuppreſſa non dolorſolum ventriculi, & tertiana febris ſed etiam paralyſis tandem, ipſaque mors ſucceſſerat. *Seligeri. Chriſtoph.*

Ex Vomitoriis aſſumptis periculoſa ſymptomata.

Uti omnia medicamenta, ſi rectè & commodè exhibeantur, auxiliatrices ſunt Dei manus, ſin malè & ſiniſtrè deleteria fiunt ac venena; Ita inprimis ex illis vomitoria, utut conferant commodè data, nocent ſint ratione propinata. Vinitor quidam hic in ſuburbio habitans ex arbore lapſus in ſiniſtrum latus incidit, aperta vena, & ſumto unguento rubro potabili nihil amplius ſenſit incommodi. Elapſis tribus ſeptimanis novos in illo latere & quidem punctorios percepit dolores cum febri continua, ſputo ſanguineo, &c. Tractavi ut Pleuriticum, & per D. G. optimè reſtitui, dato ipſi ſub finem decocto pectorali laxativo ad aliquot dies, quo licet benè purgatus, ſibi tamen non ſatis videbatur, urſit adhuc aliam purgationem, quam promiſi poſt reditum meum (ſtabam enim in procinctu peregrè abeundi) relinqueret interea Naturæ negotium, non eſſe periculum in mora. Cujus tamen impatiens hic patiens, benè cæteroquin ſe habens, ex ſola pertinaci imaginatione ſibi adhuc ſemel eſſe purgandum, nec diutius differendum, intravit Officinam Pharmaceuticam, & à Pharmacopœo Medicamentum petiit fortiter purgans & vomitorium. Datus ipſi ab inconſiderato juvene tum temporis præſente pulvis, quo nec per ſuperiora nec per inferiora purgatus. Miratus Pharmacopœus, altero die talia narranti aliam doſin duplo majorem priore dedit. Sed & hæc nihil præter duas dejectiones effecit. Tandem tertia vice ex neſcio quo Medicamento (nunquam enim hoc una cum prioribus duobus à Pharmacopœo reſcire potui) bis vomuit, & aliquoties alvum depoſuit. Nec mora ſtatim poſt operationem in languorem incidit totius corporis, ſenſit dolores infimi ventris, imprimis lumborum & inguinum, nec moveri, nec incedere potuit, ſed ſemper in uno latere jacere coactus, pede ſiniſtro planè immobili & ſine ſenſu, ac urina nonniſi cum difficultate fluente. Dedi, omnium quæ in abſentia mea geſta inſcius, in conſilium tamen iterum vocatus, nec cauſam horum Symptomatum rimando vel indagando aſſequens, purgationem ordinariam ex ſalibus cum Magiſterio Jalapæ, ex qua plus quam quindecies purgatus, ſumpſit poſtea decoctum Foreſti Anti-Nephriticum cum Tinct. tartari, ad exturbandum ſabulum vel calculum, à quo ſtuporem pedis, lumborum dolorem, & urinæ difficultatem oriri conjiciebam, omnia tamen fruſtra. Tandem ſubitò urinâ reddita clarior, liberè fluxit, dolores reliquere lumbos & inguina, horribiliter contra invaſere utraque crura, imprimis totum pedem ſiniſtrum, hinc in dextro aperta vena, adhibita aqua Arthritica cum ſpiritu juniperi lumbricato & eſſentia Caſtorei, ut & pulvere Jumali ex herba Sabinæ, Camphora, Agallocho, Myrrha, &c. dolorum quidem remiſit vehementia, ſed tamen diu lecto detentus pedi ſiniſtro inſiſtere nequivit. Ita mirè divexatus convaluit, poſtmodum confeſſus prius ſuam culpam, me interrogando an forte ex tam fortibus & repetitis medicamentis hæc omnia? Obſtupui talia audiendo, & miratus tantum quod ex iſtis vomitoriis, ter repetitis, non inciderit in hæmoptyſin. *Caroli Rayzeri.*

De

De Vomitu mirando.

Nobilis quidam Illuſtris quinquagenario major, obſtructione hepatis diu Hamæ vexatus poſt Colicam & Icterum, cum bile regurgitante in ventriculum doloreſque pectoris & anxietates cordis producente, quanquam ad deturbandam via ordinaria ad alvum omnia tentaremus, vinis medicatis, pilulis, enematis, chalybeatis, & ſexcentis aliis remediis, nullum tamen levamen ſentit niſi per vomitum natura fermentantem in ſtomacho bilem rejiciat, quo facto inducias habet. Ipſo verò vomitu non bilis pura prodit, ſed plerumque amurcæ cuidam immixta, quaſi nigricantis cruoris ex parenchymate hepatis excuſſi & concreti. Nonnunquam aſſumpta incuſabamus, ſed nec illa ſimilitudine ulla referebat vomitus, & jejuno non rarò ſupervenit. Aduſtam igitur bilem ſuſpicabamur, cum hepatis ſubſtantiam reſolutam majora ſymptomata comitari ſoleant. Tandem tamen circa ſolſtitium hybernum Anni 1676. diuturno medicamentorum aperientium, ſtomachicorum & cordialium uſu imminuta bile, & locum naturalem repetente, conquievit ſolita vomendi moleſtia.

De vomitu admirando hiſtoriam nobilis cujuſdam Venetæ Monialis in Cœnobio D. Matthæi Patavii ex ore Celeberrimi Herculis Saxoniæ, Medici Patavini à Roberto Erardo Ambiano deſcriptam, & Claudio Danſæo Bellovacenſi miſſam, cum in manus meas pervenerit, publica luce dignam cenſeo quæ acta noſtra illuſtret.

Virgo quædam Deo ſacrata, annum agens 60. laborat multis ſymptomatibus, præcipuè Vomitu, qui ab anno decimo ſexto ſuæ ætatis adhuc perdurat. Initium mali dolor fuit colicus, ad quem depellendum multa adminiſtrata; & præcipuè clyſteres acres, ac illos, cum dejicere non potuerit, crediderim malo initium dediſſe. Progreſſus vomitionis ille eſt: ſtatim ac cibum aſſumpſit, ſine nauſea illum evomit; aliquando, ſi jucundior ſit, per horæ quadrantem illum retinet. Mirum quod primo loco excernantur qui prius aſſumpti. Excernitur etiam ſimul cum cibis magna pituitæ copia, aliquando bilis, ſed rarò. Eaque eſt totius excreti copia, ut cibum aſſumptum longè ſuperet. Annus jam trigeſimus ſextus agitur, ex quo corpora quorundam ſanctorum ad Baſilicam D. Juſtinæ translata fuere, ad quæ viſenda omnibus monialibus hujus civitatis licentia conceſſa fuit exeundi è monaſterio. Tunc per octodecim menſes affectus inducias dedit, non tamen omnino libera ipſa Virgo evaſit, nam huic vomitus ſuppreſſioni ſucceſſit dyſenteria graviſſima, qua ſuppreſſa iterum illa vomendi conſuetudo, quam in illo tempore nunquam intermiſſam fuiſſe illa conſtanter aſſeverat, niſi poſt ſacram communionem, idque ſpatio unius diei tantum. A principio vomitus capitis dolor illam invaſit ita vehemens, ut Medici hirudinum adminiſtrationem poſt aures conſulverint harum appoſitione tanta ſanguinis copia effluxit, ut in Epilepſiam graviſſimam nobilis Virgo inciderit. Hujus curam cum abhinc 14. annis Excellentiſſimus Saxonia habuiſſet, tam felici ſucceſſu ſetaceum adminiſtravit, ut paucis diebus ab Epilepſia hanc prorſus liberavit: Alvi excrementa valdè pauca, & ſine bile; urina etiam pauca, ita ut non ſit decima pars potus aſſumpti; menſes rarò fluxere; nunquam exſpuit, aut nares emungit, aut ſudat; ſentit pruritum ingentem in toto corpore; ſiti valida tentatur; in ſumno moderatè ſe habet; ſatis carnoſa & boni habitus. Notandum etiam quod etſi ad vomitum ita ſit proclivis, nunquam tamen medicamenta rejicit; quæ ſi liquida ſint, multo minus.

His ita conſtitutis, cauſam tam admirandi Vomitus aſſignat D. Saxonia præſentiam humoris biliosi, inde accidere ut ſæpè immodica ſiti tentetur, facies multum & ſæpe pruriat: In eam etiam opinionem ducitur, ex eo, quod cum aliquando continua illa vomendi neceſſitas ceſſaſſet in dyſenteriam ipſa inciderit, ſolum ab acri illo & erodente humore productam.

In excretis autem per vomitum bilis non apparet, imò pituita, quia ſolum materia illa biliosa impetum facit ad tunicas non ad cavitatem ventriculi, per illum ſcilicet meatum, de quo Galenus 6. de Anat. Adminiſt. & 2. de ſympt. ſcribit, meatum fellis, qui ſecundum naturalem conſtitutionem ad inteſtina pertinet, aliquando deduci ad fundum ventriculi, aliquando duos meatus, reperiri; unum ad inteſtina, alterum ad fundum ventriculi: illum verò qui ad inteſtina debere eſſe ampliorem. In hac Moniali Exc. Medicus exiſtimat duos illos meatus reperiri, ſed ille, qui arctior eſſe deberet, videtur laxior factus à nimio materiæ confluxu, quæ per illum excernitur.

Quæri poteſt, ſi omnes cibi ſtatim ac aſſumpti excernuntur, quidam reſtat ad nutritionem? Videtur paucus & liquidior cibus ſupereſſe, ex quo illa pituita, quæ in vomitu excernitur. Sed ex tam pauco cibo poteſtne oriri tanta pituitæ copia? Oritur quidem ex ipſis cibis, ex craſſiore etiam parte aëris attracti, ſicuti accidere alicubi docet Galenus Adde quod omnia evacuari ſolita in hac Moniali ſupprimantur.

Mirari quis poſſet, unde fiat ut alimenta ſtatim aſſumta rejiciantur, medicamenta verò retineantur. Conſiderandum igitur, ſtatim ac cibi grati naturæ ingeſti ſunt, virtutem retentricem inſurgere, illoſque avidè amplecti; medicamenta verò ut inimica, & naturæ contraria ab ipſa retentrice reſpui, & prorſus negligi: in ipſo cibi amplexu membranæ refertæ humore illo bilioſo veluti convelluntur; in medicamento autem cum non ita aſſurgat facultas retentrix, ob id nulla fit vellicatio, ideoq; facilius poſſunt retineri, ſuaſque; operationes exercere.

Pro curatione iudicantur humorem bilioſum evacuantia per alvum, & divertentia à ventriculo & capite, jecur refrigerantia, ventriculum roborantia: quæ omnia jam adminiſtrari non poſſunt. Sub initium veris conſulit uſum aquæ Tetutianæ, deinde B. Virginis montis Ottonis: præterea Balnea aquæ dulcis, ad humores contemperandos & pruritum tollendum, Quibus jungatur conveniens victus ratio. *Thom. Bartholini.*

Vomitus Butyri liquidi.

Cum ultimis diebus Anni ad finem currentis milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi primi, Honeſtam Matronam Annam Johannam Stranſkiam, Spectabilis & Doctiſſimi Joachimi *Friebs-*

ſichs, Scabini veteris civitatis conjugem, vehementi tuſſi & dyſpnœa ex Empyemate laborantem viſitarem, narravit mihi 8. Dec. ſe præcedente nocte magnum ſtomachi ardorem, nauſeamque percepiſſe, poſteà per vomitum ejeciſſe amari quid, ſaporis biloſi & odoris butyri liquefacti, fauces & oris interiora oleoſa pinguedine oblinentis, poſt cujus ejectionem melius habuit. Tùm patinam, in quam ſaburram illam evomuit, introſpiciens, invenit butyrum liquefactum, quoad colorem & odorem, quod juſſit adſervare & frigidiori auræ exponere, ubi matutino tempore butyri congelati uncias ferè quatuor, ſeroſitati paucæ innatantis offendit, mihique eadem die, cùm ipſam matutino tempore inviſerem, monſtravit. Hoc ipſum me oculis meis magna cum admiratione vidiſſe, tùm maritum, filiam nubilem & ancillas, idque reipſa ita & non imaginativè obtigiſſe, præſentibus teſtor. Cauſam fortàn vomitui huic dederunt juſcula pinguia per aliquot dies ſingulis matutinis comeſta, tùm etiam teganitæ pridiè aſſumptæ. Deſcripſerunt diverſi Autores variorum humorum vomitus; imò & rerum abominalium atque abſurdarum, præſertim in morbis ex incantatione ortum trahentibus, de quibus vid. Sennert. lib. 6. Pract. Med. Part. 9. cap. 5. præcipuè Concluſ. 7. tùm etiam Vermium: Sennertus etiam de vomitu Sanguinis tract. lib. 3. Med. Pract. Part. 1. ſect. 2. cap. 12. Item Remb. Dodonæus obſerv. Medic. cap. 26. & in Schol. & Fel. Platerus obſerv. Medic. lib. 3. p. m. 803. de vomitu jam amputato capite orto hiſtoriam connotavit. Guid. Fabric. Hild. cent. 4. obſerv. 32. Vomitum admirandum & ferè quotidianum, cum aliis graviſſimis ſymptomatibus ultra annos triginta durantem, in Reverenda ac Nobili quadam Canoniſſa, Eliſabetha *Humbiſchen von Waltramp* nomine obſervavit. Idem Adoleſcentem quandam incognito & abdito morbo diu laborantem, poſtquam à Necromantico potiunculam ſumpſiſſet, acículas, cuſpides cultellorum, claviculas & id genus ſimilia tandem evomentem, & poſteà convaleſcentem vidit, uti cent. 2. obſervat. 43. videndum. Quibus adde apud eundem cent. 5. obſerv. 36. de Semeſtri Vomitu. Plura reperiuntur apud Schenkium in obſerv. Medic. & Marc. Donatum in Hiſt. Med. mirab. ſed ſimilem Caſum de butyri liquidi per os ejectione nullibi hucuſque invenire potui, neque Excellentiſſimus D. Segerus, Collega meus peramandus; præterquam quòd hic mihi narravit, mulieri cuidam ante duos præter propter annos injectum fuiſſe Enema domeſticum, cui loco olei butyrum calore diſſolutum immixtum fuit: quæ poſteà Enemate naturaliter foras edito; butyrum planè congelatum ſeorſim ejecit. *Simonis Schultzii.*

Vomitus Sanguinis cum Dejectionibus cruentis.

Dominus *Chriſtoph Ernſt à Privvitz* 21. Maii audiens concionem, virium tàm ſubitaneam paſſus eſt dejectionem, ita ut in lectum duci opus habuerit. Veſperi Vomitus & ſedes ſanguinis ſecuti per intervalla, hac die & nocte ſequente crebris Lipothymiis affligebatur. 22. ejuſdem Pulſus erat celerrimus & languidus, dejectiones deſiere, ſed vomitiones per intervalla rediere cum convulſionibus potius quàm lipothymiis. A Paroxyſmo loqui potuit, ſed ob languorem virium cum nihil ampliùs evomere poſſet, ante horam 5. matutinam exſpiravit.

Scholion.) Sanguinem è vena Porta per Lienem & vas breve in ventriculum regurgitaſſe puto, ut ſuperius in Scholio Obſervationis 14. demonſtratum. Confirmat id autopſia, Thonerus enim profert hiſtoriam ex *Valverda* deſumptam lib. 2. pag. 140. De Cardinale Cibone, qui hoc malo extinctus, Aperto cadavere, ventriculo compreſſo, Lien turgeſcebat, E contrario Liene compreſſo copioſus ſanguis ad ventriculum regurgitabat; Cum vero ab initio ſtatim tanta virium dejectio adfuerit, puto & arteriam, quibus Lien abundat, ſimul apertam fuiſſe. *G. Ch. Wincleri.*

De Vomitu Cruento.

Satis fuerat in vomitus ſæpè adigi ventriculum, & ſuperius è cavitate ſua ejicere vitioſos humores, naturam gravantes. Tam tener ipſi ſenſus ineſt, ut prius quàm ad culinas reliquas fiat progreſſus, excutiatur, quod reliquis oneri non minus foret. Aſt nil tàm contra naturam eſſe videtur, quàm architriclinum microcoſmi eaſdem dapes foras propellere, quibus tàm ſtudioſe inſervit, ſanguinem ibi ejici, ubi elementa ſanguinis appari conſueverunt. Vidimus hujus rei intra paucos menſes plura exempla, quorum ideam ſiſtere animus eſt.

Primum quidem eſt Matronæ nobilis, annorum XXXVIII. habitus corporis paullo gracilioris, quæ cum ante ſex hoſce vel ſeptem annos quartana ſub gravidationis ſtatu correpta eſſet, edidit quidem, quatuor circiter menſibus tam rebelli morbo defatigata, fœtum ſanum & vegetum, adhuc viventem, inde vero continua febri, puerperii tempore correpta per aliquot ſeptimanas malè adhuc habuit, aſt, benigno fato, ſanitati tandem reddita, doloribus hypochondrii ſiniſtri, ceu reliquiis morbi, licet & olim eoſdem experta fuiſſet, ſubinde afflicta fuit. Elapſo uno alteroque anno, deſubito in via publica vomitu ingentem copiam ſanguinis ejicit, unde vix in domum proximam divertens, liberatur quidem naturæ ſuæ robore, poſt aliquod tempus, nihilominus tamen nec ſibi reddita plenariè hinc incolumi gaviſa eſt ſanitate, nec ex toto liberata dolore iſto hypochondrii ſiniſtri, ὀρθοςάδην viſa eſt habere, repente per vices cruento vomitu, ut ſingulo paroxyſmo aliquot libras excreverit. Tandem elapſo anno denuò ingravidata vere anni 1676, conſuetis corripitur vomitibus. Adhibitis medicamentis adſtringentibus intermixtis ex lege methodi reſolventibus, nec omiſſis opiatis & confortantibus, vomitus per biduum remittunt. Tertio die, cum vini hauſtulum aſſumpſiſſet, malum recrudeſcit, cum ingenti calore, lipothymiis, ſumma virium debilitate, appetitu proſtrato, dolore abdominis, vigiliis, & ſpaſmodicis deniq; motibus accedentibus, fato concedit.

Aperto cadavere, fœtus fœminei ſexus, ſpadiceo colore tinctus extrahitur. In vaſis ſanguiferis vix veſtigium ſanguinis exſtat, exceptis aortæ & venæ cavæ, parum ſanguinis coagulati continentibus. Lien vero ſolito major fuit, ut longitudine ſpithamam unam cum dimidia

latitudine ſex digitorum transverſorum ſpatium, craſſitie vero trium ferè æquaret. Subſtantia hujus cæteroqui ſana, colore ex rubro pallente viſenda, ſed vaſis itidem vacuis.

Connexus lien ventriculo ligamentis membranoſis, quorum unum circa medium continuit globulum fabæ magnitudine, totum corroſum & ſcirrhoſum parum ſucci corrupti adhuc ſecum foventem. Vas breve calamum ſcriptorium majorem æquans, à liene unico trunco in ventriculum deſinens, ibi aliquot ramos diſſeminavit, uno horum ſtylum in ventriculum admittente, reliquis in exteriorem ejus tunicam inſertis. Non procul ab hoc inferius paullò, aliud adhuc vas, ſed minus, ex liene ad ventriculum tendere viſum eſt, itidem pervium.

Ventriculus aliàs ſic ſatis ſanus ſanguine grumoſo ad tertias adhuc repletus obſervatus eſt; hepar exangue parte convexa duos obtulit lapides, unciæ unius circiter pondere, coloris griſei, magnitudine duorum juglandium ferè, propriæ membranæ incluſos, eique ſatis craſſæ. In medio horum, ubi coaluerant ad ſenſum, (exempti ſi quidem ſtatim diviſi apparuerunt) humor quidam lacteus ulteriorem coagulationem expectans, deprehenſus eſt.

Nuper Septembri menſe L.L. Studioſus, nullis prævis aliis indiciis, niſi quod ante biennium circiter idem expertus fuerat, ſed levius, ſimul & ſemel vomitu cruento corripiebatur, ultra menſuram excreto ſanguine grumato, colore ſic ſatis vivido. Exhibitus à nobis ſtatim pulvis ſtypticus, parte dimidiâ lap ♋ remixtus, cum anodyni momento: Rediit ſequenti die malum, & hinc ter vel quater, interpoſitis aliquot diebus. Ipſe vero divino auxilio ſervatus hactenus incolumis & percuratus vivit. Exhibita vero præter jam dictum pulverem fuere. 1. Tinctura martis adſtringens Zvvelff. cum Tinct. corallorum remixta. 2. Mixtura ad vomitum cruentum Sylvii mutatis mutandis. 3. Infuſa traumatica ex rad. ſymphyt. torment. biſtort. fol. ſanic. agrim. centinod. bellid. menth. criſp. conſol. ſaracen. ſant. rubr. lap. cancr. &c. 4. Adperſus cruori ejecto pulvis ſym. patheticus. 5. Adhibita venæſectio, pro tolerantiâ virium educto ſanguine in pede. 6. Alvus ordinariè & pertinaciter obſtructa, clyſteribus reſerata fuit, 7. Cumque obſervarem potiſſimum dextro lateri incumbentem paroxyſmo corripi, juſſi perpetuo patienterque ſiniſtro corpus reclinare latere. Hâc mechanicâ, & medicamentis prædictis intra duas ſeptimanas æger reſtitutus eſt, in paroxyſmo ſæpè ad tres vel quatuor horas lipothymis correptus.

Pulvis ſtypticus in dyſenteriâ, hæmoptyſi, diarrhœis & aliis fluxibus p.n. ſæpius nobis probatus, remixto imprimis laudani opiati gr. ß. vel j. ad Scrup. j. ejuſdem, hic eſt:

℞. Rad. biſtort. torment. ſang. dracon. lap. hæmat. corall. bol. armen. præp. trag. gran. act. pulv. bez. a. unc. j. nuciſt. unc. ß. M.F.l.a. Pulvis. Doſ. Scr. j. Dr. ß.

Brevi poſt Virgo quædam menſes non ordinatos videns, è foro publico domum conceſſura in plateâ ſanguinem vomitu impetuoſo rejiciens, prius, quàm ferri potuerit auxilium, exſpiravit.

Nec ita multo ab hinc elapſo tempore, Fœmina primaria, quæ æſtate præteritâ menſes experta fuerat immodicos, de ſubito, ardore ſolum prævio & titillatione faucium, ultra lib. j. ſanguinis eodem modo excernens; Ruſticus item juvenis inter hæc parili ratione decumbens, curati ſunt iiſdem remediis, eademque ferè methodo, ea ſolum differentiâ, quod multum hinc, repreſſo vomitu, cruoris nigricantis & picei ferè per alvum quoque ſucceſſerit.

Ex his vero phœnomenis, in ægris aliquot præter morem, uno quaſi tempore eodem hoc malo detentis, præter alia hæc potiſſimum colligere licet: 1. Quæcunque vomitu ejiciuntur, affatim & cumulatè præſertim ex ventriculo prodire. 2. Frequentius vomitum cruentum oriri reſerato p. n. vaſe brevi, à ſale volatili acri ſcorbutico, vaſa reſerante, & ſanguini ὀργασμὸν extraordinarium concitante. 3. Opus eſſe, ad curandum vomitum tum reſtringentibus, conſolidantibus, ac ex parte quoque reſolventibus; nullum vero citra revulſionem, venæ ſectione præſtandam, æquè feliciter curari poſſe, quod & de hæmoptyſi, menſibus immodicis, hæmorrhagiis narium valet, mutato ſolum ſectionis loco. 4. Decubitum in ſiniſtrum ſeu affectum latus eſſe neceſſarium, aliàs quippe ſi ſecus fiat, impetu & pondere ſuo ſanguis invitatur ad ventriculum; ut alia quæ his addi poſſunt, ſicco prætereamus pede. *Georgii Wolfg. Wedelii.*

De carnis vomitu cum ſanguine.

Mulieri cuidam nobili cachecticæ de compreſſione ventriculi, nauſeâ & appetitu proſtrato diu conqueſtæ, remedium à me petenti, præſcripſi purgans ſatis lene. Purgata eſt ferè ſine torminibus, ſedatâ nihilominus purgatione vomendi conatus maximus ſupervenit, evomuitque ſanguinis immenſi copiam, & cum ſanguine fruſta duo carnis, quorum unum colore & figurâ, non ſubſtantiâ, epar magni lucii repræſentabat; alterum erat fibroſum & quadantenus ad pulmonum ſubſtantiam accedens, ſed tam grande, ut mirum videretur, quomodo per œſophagum tranſire potuerit. Delatas ad me cum ſanguine carnes, quia primò pro ſanguine concreto habebam, ſanguinem omni effuſo, aquâ diligenter ablui, figuram tamen & ſubſtantiam modo indigitatam ſervabant. Eaſdem poſteà ægra exſiccavit & exſiccatas adhuc aſſervat. Quia verò propter immenſam copiam ſanguinis epar nimis refrigeratum fuit, poſteà pedes & venter intumuere, ſed per idonea medicamenta his quoque vitiis correctis, nunc, Dei gratiâ, matrona vivit ſana & incolumis.

Scholion.) Hujuſmodi exemplum refert Foreſtus lib. 18. Obſerv. 19. in Schol. ſed fruſtum illud carneum exſtitit colore album, & ſine ſanguinis profuſione fuit rejectum. *Thom. Rhodericus à Vegâ ad lib. 1. cap. 5. de loc. aff. Gal.* annotavit profluvia fruſtorum carneorum fibroſorum ἄνω καὶ κάτω facta eſſe. Sed in cauſis rimandis, vel unde iſta caro, uterque piſce mutior, Vegâ ſaltem exclamante: ſed rara hæc faciliorem habent, quam cauſam, admirationem. Viſcerum particulas non fuiſſe, teſtatur ægrorum convaleſcentia iis rejectis. *Amat. Luſitanus cap. 7. cur. 23.* enarrat obſervationem, Excreſcentiam carneam ab ore ven-

ventriculi pependiſſe. Quid ſi ejuſmodi polypis ſimiles excreſcentiæ ſive ſarcomata & hæ fuiſſent? Et niſi quis ad incantationem confugere velit, aliam rationem & cauſam vix inveniet; præcedente enim exulceratione id fieri poſſe, negari non poteſt. *Got. Chriſt. Wincleri*

Vomitus cruentus à lumbricis.

Ut mira atque dira ſymptomata à lumbricis in corpore ſtabulantibus obſervare licuit Medicis; ita & vomitum cruentum ſatis vehementem inde ortum luſtravimus nuper. Sartor 36. annorum tuſſi, dolore capitis, & à cibo ſumpto φλογώσει cum quadam anxietate correptus opem noſtram expetit. Propinamus interius elixir proprietatis antiſcorbuticum, guttulis paucis liquoris Martis medicatum, addita guttula olei cariophyllorum, quæ compoſitio & elegans & polychreſta eſt, licet extemporanea. Exterius balſamum ſtomachicum præſcribitur. Quarto die poſt vomitu mediante inſignem quantitatem ſanguinis excernit, ſubſequente pallore faciei & lipothymia. Dato pulvere ſtyptico anodyno & reſolvente, ex pulv. ſtypt. ℈i. oc. 69. ℈i. laud. op. gr. i. & potiuncula ad methodum Sylvianam ad hæmorrhagias ſiſtendas, reſtitit per 69. cruor, inde verò repetiit paroxyſmus, excretò unà cum ſanguine lumbrico longo, tereti. Exhibita tum prædicta, tum eſſentia traumatica, cum anodynâ roborata. Triduo poſt denuo excrevit vermem, adhuc majorem, & ſic ex voto convaluit. Exeſum ſine dubio vas à lumbrico ſanguiferum viam laxavit ſanguini, quo extravaſato & excreto rodens quoque hoſpes excluſus eſt. *G. W. Wedelii.*

Vomitus Sanguinis menſtruus.

Vomitum ſanguineis menſtruum patibatur fœmina Nobilis Anno 1669. non procul Luchovio. Hæcce erat octo & triginta annorum, temperamento corporis ſanguineo, habitu corporis euſarco. Inciderat in hunc vomitum ante ſex menſes, cum ipſi rigente bruma iter facienti menſes fluerent, tunc enim refrigeratis partibus inferioribus in ſuppreſſionem menſium incidit; vomebat autem ordinariè ad quatuor libras. Huic nobiliſſimæ Matronæ ego medicinam faciens nihil interius adhibere volui, quæ obſtructiones removerent. Adhibebantur itaque balnea ex emollientibus triduo antequam menſes ordinariè fluere debebant: utebatur ſuffitu ex troſchiſcis de myrrhâ, alhandal, galbano, ſabina & ſimilibus, quem fumum poſt balneum ſub veſtes recipiebat. Inde Vena in talo ſecabatur. Fumus itidem tabaci, per inſtrumentum Anglicum inflabatur. Hoc modo Uteri obſtructiones ſolutæ, ut altero poſt menſe, ceſſante ſanguinis vomitu, naturales menſes requirerent vias. *Alardi Herm. Cummii.*

Vomitus Sanguinis curatus.

Nobilis quædam Vidua annoſa, macro corporis habitu, ſanguinem cum vomitu rejecit aliquoties, at in minore copia, de ſiniſtro hypochondrio conqueritur. Ego primò, cum copia magna non eſſet, nihil molior, roborantia præſcribo; ſed cum poſtea ſanguis non grumoſus, ſed floridus aliquoties magna copia rejiceretur, cum ſumma virium debilitate, ad aſtringendum hunc fluxum me converto, hypochondrio ſiniſtro unguentum præſcribo & emplaſtra, interna aſtringentia non negligo, roborantia cardiaca ſimul aſtringentia exhibeo. Et præter omnium opinionem ægram Dei benedictione in integrum reſtituo.

Scholion.) Anno tertio Ephemeridum Obſerv. 314. Dn. Avi mei in Scholio hoc de morbo mentio facta, ubi conſideravi & locum affectum, unde tanta ſanguinis copia proveniat, & vias, per quas ejiciatur. Quoad primum, lienem indigitavi, & hoc verum eſſe luculentum evadit ex hac obſervatione, ubi dolor in hypochondrio ſiniſtro notatur, ubi lienis regio. Ad ſecundum quod attinet, ſunt qui dubitant per vas breve quicquam injici poſſe ventriculo, & quidem hac ratione, quod cavitatem ventriculi non ingrediatur, ſed ſaltem in tunicas ejus inſeratur. Sed ut hoc in integræ ſanitatis ſtatu verum ſit, ita in morboſo locum habere non poteſt. Cur enim tam venæ, quam arteriæ (quibus vas breve conſtat) non tam hic, quam alibi locorum per anaſtomoſin vel diæreſin aperiri, & per tantam ebullitionem ſanguis in ventriculum effundi poſſet, nil obſtare video. In quâ ſententiâ confirmor à *Thonero lib. 2. obſervat. p. 140.* ubi exemplum refert è Valverdâ deſumptum de Cardinale Cibone, qui vomitu ſanguinis extinctus & apertus, in cujus abdomine videre licuit. Ventriculo compreſſo lienem turgeſcentem, è contrario liene compreſſo copioſum ſanguinem per vas breve in ventriculum reſtagnare. Quod meâ quidem ſententiâ omne dubium diluit. *Dan. Wincleri.*

De vomitu ſanguinis à menſtrui retentione.

Vidua juvencula, conſtitutionis macilentæ, retentione menſtruorum laboraverat, quam cum illa celavit, & tantum de ventriculo conqueritur, per noctem incidit in nauſeam, & per vomitum magnam partem ſanguinis floridi evomuit in ipſam cameram. Ego manè ſanguinem reſpiciens, & de omnibus diligenter inquirens, menſtruum retentum in cauſa fuiſſe animadverto, dirigo huc igitur curam, nec infeliciter, Menſtruis enim rurſus apparentibus, non amplius viſus eſt hic vomitus. Illa interim nupſit iterum & aliquoties peperit.

Scholion.) Optimè divinus ſenex *aph. 32. lib. 5.* dicit: Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus, vomendi finis. Cujus oraculi veritas vel ex hac obſervatione eluceſcit. Sed per quas vias id fiat, non unicuique liquet, cum ab utero ad ventriculum nulla ſit via. Cum verò ſanguis ſuperfluus in venis retineatur, & ipſi exitus conſuetus denegetur, neceſſum eſt ut ebulliendo regurgitet ad ſuperiora, & nunc per hanc, nunc per aliam viam à naturâ oneratâ expellatur. An verò è venis meſaraicis in inteſtina, & per illa in ventriculum, vel per vas breve, ut præcedente ſcholio dictum, in ventriculum influat, non facilè affirmare audeo, donec per autopſiam, ſc. ſectâ & apertâ perſonâ tali malo ſublatâ, hujus rei certior evadam. *Danielis Wincleri.*

Vomitus ſanguinis enormis medicamentis cohibitus.

Avicenna Fen.10.l.3.tract.3.c.4. non omne ſanguinis ſputum timoroſum eſſe dicit, cum aliquod ſit cauſa ſanitatis apoſtematis in ſplene; quum videlicet Natura ſeſe donerante expellitur, & Rhaſius l.9.tract.2.c.2. refert exemplum mulieris ſpleneticæ, quæ ſanguinis vomitu à morbo liberabatur. Cum verò ſanguis ſit vitæ theſaurus, ut vocatur à Meſue l.1. de re med. theorem.1.c.2.2. quacunque parte nimis copioſè effundatur, periculo haud vacat. Videantur exempla mortuorum hac de cauſa in Obſ.314. Anni 3. Ephem. & in ſcholio ejuſdem. De ſucceſſu curæ felicioris hanc obſervationem accipite. Anno 1672. menſe Maio ancilla viri alicujus è miniſtris aulicis, annorum viginti & aliquot, cœpit ſentire inflationes & punctiones in hypochondrio ſiniſtro. Illa V.S. aſſueta Medico inconſulto ſibi venam in brachio ſiniſtro tundi curavit; ſed nihil allevationis exinde percepit. Die 12. dicti menſis malum valdè ingraveſcens majores & acutiores dolores & anguſtias excitabat. Die ſequente ſcil. 13. natura irritata cœpit per vomitum ejicere ſanguinis nigri & maximâ parte grumoſi, floridi tamen admiſti ad ℔ v. Ne itaque natura admodum irritata in excernendo nimium faceret, illam paulatim retrahere, ebullitionem compeſcere, & motum hunc aliqua ex parte ſiſtere, neceſſarium duxi; memor Aphoriſmi Hippocr.37.l.7. eos frigidis & adſtringentibus curari debere. Præſcripſi ſequens:

♃. Aqu. burſ. paſt. plantag. an. ℥ij. oxymell. ſcill. ℥iß. ſpir. vitriol. g. vi. M. detur cochlear unum atque alterum per intervalla. Remiſit vomitus. Sequenti die ſc. 14. d. m. ad aperiendas obſtructiones lienis & ſanguinis ab acrimoniâ mundificationem purgans exhibui,

♃. Rhab. opt. fol. ſen. ſ. ſ. an. ʒiß. Infund. in decoct. tamar. ℥iiß. col. expr. fortit. add. ſyr. roſ. ſol. ℥ß. pulv. Gialap. ℈ß. M. movit ſedes 11. cum euphoriâ. Sed tamen die ſequenti ſc. 15. iterum rejecit ἄνω καὶ κάτω ſanguinem valdè fœtentem cum ſumma debilitate & lipothymiis crebris.

Præſcripſi ſequens ♃. Aq. ſcolopendr. veron. agrimon. an. ℥ ij. conſ. roſ. veron. fumar. an. ℥ ij. ebull. parum col. add. Aq. aperit. ℥iß. cord. citr. cinam. an. ʒß. ſyr. corall. ʒiiß. ſpir. vitr. g. iv. citr. ʒß. M. Detur ſæpius per cochlearia.

♃. Unguent. deopill. ʒij. dialth. empl. diach. an. ʒiß. troch. de cappar. ʒß. abſinth. ℈i. ol. aneth. verbaſc. an. ʒij. cer. parum M. F. unguent. pro regione lienis. Enema quoque hac die injectum, quod etiam ſanguinem grumoſum eduxit. Nihilominus die 16. revertebatur malum, & rejecit fruſta ſatis magna & multa ſanguinis coagulati. Dedi ſequens pro duabus doſibus:

♃. Herb. veron. ſcabioſ. ſcolopendr. an. m. j. adianth. fl. chamom. an. Pij. viol. bugloſ. an. Piß. Rad. gramin. aſparag. an. ʒvi. Jujub. ſebeſt. an. n. 8. coq. in ſ. q. aq. ſ. col. ℔ß. add. conſ. roſ. vitr. meliſſ. an. ℥iiß. citr. ſcabioſ. an. ʒiß. Parum ebulliant & col. D. Prima doſis circa veſperam, ſecunda ſequenti die manè exhibita. Inde alleviatio ſecuta, ita ut nihil ſanguinis nec per ſuperiora, nec per inferiora rejiceret, nec gravitatem ullam in hypochondriis perciperet. Ad ſiſtendum malum, & venarum apertarum orificia conglutinanda, conſultum exiſtimavi remedium ſequens.

♃. Conſ. roſ. vitr. ℥i. flor. borrag. fumar. veron. citr. an. ℥ß. Rad. ſymph. maj. cond. cich. cond. an. ʒß. cort. aur. cond. ʒiij. corall. r. præpar. lap. hæmat. præparat. bol. arm. præparat. an. ℈i. Cum ſyrup. rib. q. ſ. M. F. elect. Sæpius de illo deguſtavit cum optimo emolumento, ita ut die 17. & 18. nihil amplius rejectum, nec nauſea percepta fuerit. Die vero 19. ex improviſo per vomitum rejecit fruſta admodum magna ſanguinis coagulati, ut portiones viſceris alicujus referrent, inde febris excitabatur, lypothymiæ crebro infeſtabant, omnium ſenſuum conſternatio ſecuta, facies Hippocratica, labia pallida, pulſus debilis, inquietudines aderant, ita ut mortem inſtare nemo non putaret. Reiteratum electuarium, ſed non potuit hâc formâ aſſumere, itaque cum aq. cærefol. & veron. factum eſt ex illo contuſum, quod aſſumpſit & vomitum compeſcuit, tamen in iſtâ conſternatione permanſit ad d. 21. deinde intumuit tam in facie quam in manibus, & flaveſcebat cutis, ſed paulo melius ſe habuit uſque ad 24. ubi tanta virium imbecillitas ſine vomitu oborta, ut neminem amplius agnoſceret, & animam agere videretur. Nihilominus confortantibus exhibitis vires recuperabat & diebus ſequentibus uſque ad finem menſis magis magiſque convaleſcebat. Continuatus eſt uſus contuſi, & ſimul herbæ recentes pro juſculis ordinatæ, ut veron. ſcolopendr. meliſſ. agrim, fumar. Quibus diligenter uſurpatis convaluit. Cum vero pedes intumeſcerent, & propter tantam ſanguinis profuſionem hydrops metuendus eſſet, elix. propr. cum ſucc. quotidiè in juſculo exhibui; quo etiam ab hydrope præſervata & ſana omnia munia domeſtica obibat, uſque ad diem 30. Octobr. ubi eandem inflationem & punctionem, ut à principio è regione lienis ſentiebat, quibus perterrita ſtatim conſilium meum petiit,

♃. El. propr. c. ſucc. eſſ. abſinth. comp. an. ℈i. mane & veſperi mediante juſculo aſſumebat g. xv. & hoc ſolo iterum convaluit. Anno vero 1673. d. 23. Octobr. iterum ſanguinem coagulatum vomere incipiebat, præcentibus iiſdem ſymptomatibus: anxia itaque me abſentem expectavit, rediens, dedi ſtatim purgans:

℞. Syrup. de trib. de cich. r. rh. an. ℥ß. cr. tart. ℈i. pulv. chalap. ℈ß. ſpir. vitriol. Martis g. ij. Aq. cinam. ʒß. M. dejecit aliquoties materiam aduſtam ſanguine permiſtam: Vomitus remiſit ſtatim: Præſcripſi nodulum, quo in vino infuſo quotidie uſa eſt, & deinde matrimonium iniit, adhuc ſana degit. *Gott. Chriſt. Wincleri.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Vomitus & nauſea frequens excitatur cum feroſus humor, aut abſceſſus, aut bilis conſtans ſuffuſio Tunicam ventriculi extimam laceſſit.

Si feroſus humor, aut abſceſſus, aut bilis conſtans ſuffuſio in partibus vicinis aut contiguis accidat, in quantum hæc Tunica (extima, quæ prorſus nervea eſt) propterea multum ac crebro irritatur, in ſtomacho nauſea fere continua, Inappetentia & frequens Vomitio excitatur, prout in pluribus poſt obitum diſſectis obſervavi. *Willis Pharmac. Ration. cap. 1.*

Vomitus

Vomitus ab ulcerato ſuperiore ore ventriculi.

Juvenis ſorbens juſculum, dolore ventriculi fuit affectus, quem comitatus eſt Vomitus: Creditum id à veneno fuiſſe, ſed perperam: Veriſimilius enim eſt oſſiculum aliquod acutiſſimum rugæ alicui oris ventriculi inhæſiſſe quod apparuit poſt obitum, Aperto enim cadavere ulcus in ore ventriculi repertum fuit. *Hildanus cent. 5. obſerv. 36.*

Vomitus tenuis & craſſi humoris diuturnus à Fiſtula ſtomachi excitatus.

Illuſtriſſ. Perſona ſæpius à cibis, à prandio æque ac cœna, noctu quoque, nunc tenuiorem nunc craſſiorem humorem evomere conſueverat: Caput dolebat ac erat grave: Plurimis viſum erat tantam vim pituitæ de cerebro venire: Varia igitur remedia diligenter parata fuerant, noviſſime etiam ſetaceum, At fruſtra.

Defuncto corpore inciſo, fiſtula ſtomachi, Aulicis miniſtris inſpectantibus, adinveniebatur. *C. V. Schneiderus lib. de Catarrhis ſpecial. p. 439.*

Vomitus ob interiorem ventriculi tunicam exroſam.

Camillus Facinus temperamento bilioſo prædītus, annorum 59. Tertiana febre laboravit, qua extincta, male coloratus cum manifeſto lienis tumore, atque hepatis obſtructione remanſit, & ita valetudinarius, inordinato vitæ regimine uſus, rurſus in febrem incidit; ad malum habitum corporis deductus, in cujus invaſione paroxyſmi evomere cœpit; Sicque tertia die poſt cibi aſſumptionem, per horas tres vel quatuor, cibum & potum maxima pituitæ copia permixtum evomuit, quod & ſingula quaque die fecit donec occubuit: nec minus ad trium librarum pondus pituitæ evomebat qualibet vice; multoties ad quinque aſcendebat librarum pondus; quo tempore nunquam per inferiora quicquam excrevit, etſi clyſteres acres, & mites quoque injecti fuerint, ac per ſuperiora medicamenta ſolventia ſumpſerit, quæ tamen evomuit: Interim de dolore circa fundum ventriculi conquerebatur, ſicque ad quartum uſque diem bis quotidie evomendo perſeverans vitam cum morte commutavit.

Cadaver à nobis diſſectum, in ima ventriculi regione, juxta os infernum, pylorón dicunt, tunicam interiorem exeſam animadvertimus, quod mali cauſam fuiſſe non dubitavimus. *Marcellus Donatus hiſtor. mirab. lib. 4. cap. 3.*

Vomitus ob eroſionem ventriculi fundi, ab aſſumpto Arſenico, parietibus ejus affixo.

Captivus quidam ſubito per noctem Vomitu tentatur duodecies vel circiter; decies quoque per alvum excrevit, Jubeor mane ipſum inviſere, ſtertentem offendo & animam agentem. Sacerdote igitur potius quam medico opus eſſe ſignifico quidem, at intra quadrantem horæ expirabat: A meridie cadaver rurſus inſpicere jubeor, quod à tergo lividum plane erat, imprimiſque pudenda nigra prorſus: Aſtantes apoplexia extinctum clamabant, quibus tamen demonſtrabam colorem iſtum lividum non ſufficere ad apoplexiam demonſtrandam, neque vomitus aut dejectiones tam frequentes ſymptomata eſſe apoplexiæ.

Aperitur itaque poſtridie, & in ventriculo reperiuntur Arſenici albi fruſtula circiter duodecim, quæ ipſis ventriculi tunicis tam arcte inhærebant, ut vix evelli poſſent. Eroſio quoque fundi ventriculi aderat, ſed non penetrans, cum inflammatione: ita ut venæ Sanguine inflammato turgentes valde eſſent conſpicuæ: Hujus ventriculi tunicæ tam erant exiles, ſive vi veneni, ſive aliam ob cauſam, ut viderentur æquare folia papaveris. *Phil. Salmuth. cent. 1. Obſervat. 10.*

Anatome fœminæ ex uſu hellebori albi, cum enormi Vomitu mortuæ, cujus ventriculus aqua turgens repertus, Intus corroſus & maculoſus, inteſtina flatibus diſtenta, &c.

Ante aliquod tempus, Senatus-conſulto juſſus aperui cadaver Barbaræ Tannemannæ, cui à rizotoma quadam, Elizabetha Knechthi, propinatum radicum Ellebori albi infuſum: vix hauſerat venenum iſtud miſella, cum toto illo die creberrime vomuerat, tandemque horrendis agitata convulſionibus occumberet.

Defunctæ ventriculus aqua plurima turgebat, Inteſtina flatibus omnia diſtendebantur, uti hydropicorum, interne corroſio in ventriculo & inſignis macula nigricans apparuit: Omentum corruptum erat & lacerum. Thorax aqua repletus. Pulmones turgidi, ſpumei, nigricantes: cætera bene ſe habuerunt. *Ex literis Joh. de Muralto Medici & Chirurgi Tigur. & communicatione Nobil. D. Johan. Codradi Peyer, Med. Schaphuſani.*

Puellæ Anatome ob vomitum enormem extinctæ, à propinato veneno, ventriculo ſtigmata inurente, & bilem ad duodenum alliciente.

Haud ita pridem Rumlingæ, præſente utroque Poliatro noſtro. D. D. Schüchzero, & M. Abrahamo Hegio, Puellam diſſecui, immani cum vomitu intra triduum commortuam: Illi antea prorſus ſanæ & pulchræ, ſed pauperculæ, ac gregem vaccarum paſcenti, obviam factus non infimæ ſortis vir juvenis, datâ arrhâ matrimonium è veſtigio promiſerat: Quare Puella ſic repente fato ſublata, ſuſpicio in hominem iſtum illati ſtupri, atque propinati inde veneni nata, Adeo ut defunctæ cadaver, juſſu Superiorum, intus & in cute perluſtrari curaretur.

Corpus omne elegans erat extrinſecus, rite conformatum, citra maculam ullam aut livorem: Abdomen neque tumidum, neque diſtentum. Interiora omnia ſana, præterquam ventriculus, in quo copioſiſſima è duodeno ſuffuſa bilis, aqua aut ſero multo diluta, abſque ullo cibo, redundavit: Etiamſi prius integro triduo ejuſdem plurimum colluviei vomitu rejeciſſet. Hæc vaſculo mundo excepta, pulviſculum in fundo arenoſum depoſuit, quo media circiter cochlearis pars impleri potuiſſet;

Juxta orificium ſiniſtrum, atra quinque ſtigmata oblonga videbantur inuſta; Partes genitales deprehendimus illibatas, in hepatis autem veſicula magnum luxuriantis ac efferæ bilis proventum. Reſerato pectore, cor omnino integrum videbatur, cujus tamen ventriculo dextro maſſa coagulati ſive chyli, ſive ſanguinis inerat. Pulmo ſanus erat, ſed alicubi coſtis adnatus, *Ex litteris D. Joh. de Muralto M. D. Tigurini ad Nobil. Johan. Jacobum Peyer Schafuſanum Med.*

Vomitus lethalis ſuccedens Gillæ aſſumptioni, à qua perforatus ventriculus.

Vix mihi lacrymis tempero, cum cogito quendam mihi amicum Chymiæ, &c. peritum, ut ſtomachum halecibus falſis ac cereviſia tenui ſaburratum depleret, Gillam à ſe præparatam ſumpſiſſe, eodem die animam cum Vomitu inſano exſpuiſſe.

Cum ſectioni cadaveris præeſſem, ventriculum tribus locis tantum non perforatum, ad latitudinem Daleri Philippici inveni: Reſtabat tenuiſſima exterior tunica, cui Gilla adhærebat, & ipſum exeſura, niſi egreſſa anima calor naturalis miſerum deſtituiſſet: Totum ventriculi corpus aduſtum purpureo colore omnium in ſe oculos avertebat, animoſque à Gilla aliiſque id genus peſtibus avertebat. Res accidit anno 1608. *H. ab Heers de Acidulis Spadanis c. 4.*

Vomitus lethalis poſt ſumptum purgans, nullo noxæ veſtigio in corpore deprehenſo.

Lithotomus ſibi nimium quid tribuens, & ultra profeſſionem confidens, ſacculum purgantem ex foliis ſennæ, agarico, &c. confecit, vinumque affudit, quod ipſe biberet cum aliis duobus purgandi cauſa: facta noctis maceratione, in aurora ipſe primus infuſi dicitur tres hauſtus bibiſſe in publico diverſorio, moxque incepiſſe vomere, & ſuperveniente ſingultu expiraſſe dimidia hora à ſumptione: Reliqui duo viſo euentu potionem damnarunt.

A morte nil viſum eſt maculatum in corpore, aut quod venenum poſſet arguere, & fuit tamen in homine alias ſano, qui vellet purgationem phlebotomiæ præmittere. *Andreas Libavius in Ciſta medica Hornungi Epiſt. 76.*

Vomitus ob Ventriculi Gangrænam & Syderationem.

Jacobus Gallus annos 50. natus, melancholici temperamenti, cum olim bilioſus fuiſſet, conqueritur de dolore ad umbilicum: Solennis illi erat excretio cujuſdam materiæ purulentæ per anum, quod in recti inteſtini extremo penè ulcuſculum ibi conceptum putaretur: Duodecim penè annos poſt illatam vim recto inteſtino, eo fluore recreatus eſt aliquantum: reſtitit ille, at non eodem modo perſeverabat: Doloris illius ad umbilicum deſidentis cauſam referre poteramus ad illam ſuppreſſionem: Clyſteribus medicamentiſque eſt allevatus, Non ita paulo poſt dejecta appetentia, Vomitiones, Languor, partium extimarum quædam levis prefrigeratio, tamen incedebat, Et liquida & eſculenta Vomitu rejiciebat: veneno infectum putabant: ac revera, præterquam quod manifeſta leipothymia non prehenſus eſt, aſſumpti veneni argumenta erant pleraque: tamen eum ea ſuſpicione liberavimus, quod nullam deforis occaſionem præceſſiſſe videremus: Per dies 40. pene perſeveravit vomitio illa, quod mirum fuit, nec ulla ratione allevari potuit; digito indicabat ſedem affectam, nempe ſuperius orificium ventriculi & pylori regionem, ſenſum quendam ponderis habebat: In horas marceſſebat, facies concidebat, & totus venter collapſus eſt, præſertim qua parte ſubjacet ventriculus: Quidam, ut aliquid afferre viderentur, Jecur & lienem putruiſſe dicebant, alii ad meſenterium obſtructionibus plenum confugiebant, Et illud commune Medicorum aſylum eſt, ſine quo vix rem lucrumve facere poſſint, ſed id non ſine magna ægrotantium clade & Medicorum opprobrio: quaſi verò in illis duabus partibus ſolum omnium morborum cauſa exiſtat: ad ſyrupum de cichorio ſolennem confugitum eſt, ſed omnia fruſtra. Tamen qui paulo accuratius rem inſpicerent, cum viderent tamdiu perſeverare vomitionem, dolorem ad ventriculum non admodum urgentem, nihil profici fotu, litu, delectu ciborum, balneo quoque ipſo, neceſſario pylori vias obſtructas colligere: Satis apte quidem, ſed unde obſtructio? an à ſcirrho an ab inflammatione? ſi ab inflammatione, cur febris non erat acuta, & cur non perimebat intra paucos dies?

Interiit tandem plane emaciatus, ac ſi ſphacelatum corpus eſſet. Aperto cadavere, illud utrumque viſcus, Lien & Epar, quod ſomitem malorum falſo judicabant, ſatis erat integrum; quanquam forte intemperie quadam, malaque diatheſi utrumque affectum erat, non ita tamen ut inde mortis occaſio naſceretur. Ventriculi facies extima erat vermiculata, pylorus talis & pede reſtrictus: Facies interna corrupta & putris, & ſtatim laceratus eſt ventriculus, adeo (quod mirum fuit) in tota ſua natura erat putris & cadaveroſus, humor qui in eo erat nigricabat: gangræna & ſyderatio erat ventriculi, quod nunquam fere contigit *G. Ballonius conſ. 43. lib. 1.*

Vomitus ab anguſtia & contractione ventriculi cum Hepatis duritie, Superſtite aſſumpto croco metallorum.

Puellæ 5. annorum cum à Paracelſiſta exhibitus fuiſſet crocus metallorum, paulo poſt ſymptomatibus graviſſimis correpta fuit, Vomitu nimirum vehementiſſimo, cum alvi dejectione & concuſſionibus fortiſſimis totius corporis, tandemque mors quoque ſequuta eſt.

Aperto cadavere ventriculus adeo anguſtus, & in ſe contractus fuit, ut magnitudinem ovi vix excedere repertus fuerit. Hepar, veluti ſi in aqua ferventiſſima maceratum fuiſſet, induratum, & veſica fellea præter modum tumida, ſanguine citrino repleta erat, Inteſtina à croco iſto (qui in ventriculo ita contracto adhuc latitabat) tincta & infecta fuerunt. *Fab. Hildanus cent. 4. Obſerv. 51.*

Vomitus à ventriculo perforato.

Nobil. Johan. Gaſpar à Miltiz, &c. cum ſputo ſanguinis ſine phthiſi & hectica laboraſſet, atque in patriam remiſſus eſſet, ſummo labore curatur. Sed in morbum relapſus eundem, variis ſymptomatibus conflictatur, & inter alia Vomitu quoque continuo: Licet vero varia ad illum compeſcendum exhiberentur, morbo tamen ſuccumbit.

Cadavere aperto, abdomen quoque aqua repletum, & ventriculus circa orificium perforatus deprehenſus fuit: An huic rei cauſam præbuit Tuſſis illa ferina qua dies & noctes moleſtabatur? An ratione pulmonis corrupti evenit? *Ph. Salmuth. cent. 1. obſ. 2.*

Vomitus ab abſceſſu circa fundum ventriculi.

Quidam annos natus 40. obſtructione alvi ſæpe laboravit, cui per os medicamenta exhibita parum profuerunt, clyſteres vero contulerunt. In dies tamen & alvus minus ſatisfecit officio, ac Vomitus nutrimenti ſemicocti in maxima copia aucti ſunt, donec tandem atrophia corpus omnino contabeſceret: melius vero ſemper ſe habuit quando ſolio aquæ dulcis tepido inſedit.

Poſt mortem repertus ingens abſceſſus, ex eo genere qui ſteatomatici dicuntur, ad magnitudinem anſerini ovi, qui ſatis durus fuit redditus. *Ex obſervat. Joachimi Camerarii Medici Noribergenſis.*

Vomitus à gemino ventriculi ſteatomate.

Johan. Prevotius in cadavere quodam vidit ſteatoma parti internæ orificii ſuperioris ventriculi, magnitudine ovi adnatum, quo propendente Vomitus continue infeſtabat. Alterum digiti longitudine, ad ſiniſtrum quoque orificium, ejuſdem mali cauſam. *Joh. Rhodius obſerv. 63. centur. 2.*

Vomitus ob Pylorum occaleſcentem, cartilaginoſum redditum.

§. 1. Antonius Brunus, cum emanducatum cibum breviore quam par erat temporis ſpatio contineret, & ita ut erat incoctum rejiceret, omnibus medicamentis, quæ ſtomachi vitiis adhiberi poſſunt, diligentiſſime fotus eſt: Verum cum ea nihil omnino proficerent, & corpore ob inopiam alimenti jam aſſumpto, vix pellis & oſſa ſupereſſent, gradatim tandem ad mortem deductus eſt.

Quare defuncti cadavere publicæ utilitatis cauſa inciſo, inventum eſt hominis ventriculum ita junctis oris ad imam ejus partem occaluiſſe, ut cum nihil inde ad inferiora transmittere potuerit, neceſſario mors ſubſequuta ſit. *Benivenius cap. 36. de abditis.*

§. 2. Romæ quendam aperuit Petrus Servius, Eruditus Medicus, qui vomitu continuo vexatus fuerat, ut quævis aſſumpta ſtatim rejecerit.

In diſſecto cadavere Pylorus callum viſus eſt obduxiſſe. *Thomas Bartholinus centur. 6. obſerv. 47. Et ſpicilegio 1. de vaſis lymphat. cap. 5.*

§. 3. In ventriculo hominis anno integro aſſidua Vomitione vexari obſervavit *Hyginus Thalaſſius*, Author fictus, in Reſponſione contra Riolanum cap. 4. ita coaluiſſe & occaluiſſe pylorum, ut cartilagineus videretur, & vix novacula divideretur.

§. 4. Sibi, & aliis Medicis Delphenſibus, viſam hiſtoriam nobis narravit *Joh. Vander Meer*, Medicus Delphenſis, de muliere quadam quæ Delphis circiter per ſemi annum male habebat & alimenta aſſumpta poſt aliquot horas, primo bene cocta, poſtea valde fœtentia evomebat, cui alvi dejectiones paulatim magis magiſque imminuebantur, ita ut primis ſeptimanis bis terve, poſtea ſemel in ſemel in ſeptimana, tandem vix quatuor ſeptimanarum ſpatio ſemel alvum dejiceret, & ſatis pauca excerneret, atque hinc vires paulatim magis magiſque imminuebantur, totumque corpus ad extremam maciem deducebatur, uſque dum tandem mors morbum finiret.

In cujus aperto cadavere Pylorus cartilaginoſus inventus eſt, adeoque anguſtus ut majorem duntaxat aciculam tranſmitteret. *De Diemerbroëck Anatom. lib. 1. cap. 5.*

Vomitus à Pylori ſcirrho.

Secabatur quidam Lutetiæ cui durities erat circa Pyloron: Et ego quoque ſecui quendam, qui cum continuis affligeretur Vomitibus, & cibos aſſumptos rejicere ſtatim cogeretur, & idcirco tanquam hypochondriacus curaretur, Secto cadavere pyloron ſcirrhoſum omnino reperiebam, ut tranſitum chylo intercluſum fuiſſe facile conſtaret.

His admonitus, Nobil. à Bilan hypochondriaco, graviterque eodem ſymptomate conflictato, periculum prædixi. quemadmodum etiam intra tres ſeptimanas fuit extinctus; Revomebant vero ſemper cibum ingeſtum, & præterea quiddam ſubnigrum, quod pro melancholico ſucco; ad ventriculum pro appetitu excitando mitti conſueto habebam: Qui poſtmodum per pyloron ad inteſtina, ſicuti & cibus, tranſire non potuit. Diocles certe affectionis hypochondriacæ ſubjectum, pyloron potius ſtatuit quam venas Meſaræi. *Ph. Salmuth. Obſerv. 20. cent. 1.*

Vomitus excitatus ob Pylorum materia Steatomatica oppletum

Ruſticum novit *Joh. Theod. Schenckius* Exercit. 7. l. 1. ſect. 2. ç. 33. cui venter binis à paſtu horis ſubito in magnam molem extendebatur neque aliud ſibi quam ſuccedens tandem cum nauſea Vomitus pro remedio erat.

Atrophia vero mortuus, oſtendit Pylorum à materia ſteatomatoſa oppletum, exili in medio relicto foramine, per quod vix creditu poſſibile conjiciebatur vel liquida tranſire potuiſſe.

Vomitus continuus ob Pylorum tuberculis ſcirrhoſis obſeſſum.

Juvenis Illuſtris diu Cachecticus, ac Vomitu crebro, & dein per plures menſes quotidiano & fere continuo laborans demum viribus ſumme attritis mortem obiit.

Cadavere aperto, deprehendi Pylorum Tuberculis ſcirrhoſis, valde teneris & ſenſibilibus circumcirca obſitum, quæ hiatum ejus pene occludebant, adeo ut Chylus, nodorum interſtitiis impactus ſumme putreſceret, totumque proinde viſcus ſenſu moleſtiſſimo, & ſpaſmo fere continuo afficeretur. *Thom. Williſ. Pharmaceutices rationalis Sect. 2. cap. 1.*

Vomitus ab occluſo per nummum argenteum deglutitum Pyloro.

Fata ſæpe vitam invenire, qua hominem enecent, minime præviſam mortalibus, docuit Amſtelodami infortunium Puellæ quinque annorum; Ea inter ludendum anno 1667. nummum argenteum exiguum, aſſem, ſive ſtuferum, ut vocant, valentem, qui ſeptem colligatas in faſcem ſagittas, Provinciarum Belgii unitarum inſigne præ ſe fert, deglutierat, inde altero tertioque die nullum ſentiebat incommodum, quarto de dolore ventris cœpit queri, locumque doloris manu deſignabat in ſiniſtro latere, circa inferiorem partem ventriculi: augeſcente in dies doloro appetitus perit, & quicquid ciborum ſumit, rurſus ejicitur, vires intra paucos dies collabuntur: Ego xx. die menſis Decembris advocatus (XIII. nummus fuit deglutitus) Catharticum medicamentum exhibui; quod ſtatim per vomitum reddidit: itaque nec inferne nec ſuperne ſe prodente nummulo, id quod erat ſuſpicatus, eum in pylori hærere orificio, fatalem pronuntiavi parentibus ſententiam, & quo certius ſententiæ meæ veritatem explorarent, author fui ut vita functam Puellam mihi ſecandam permitterent; addicunt, & XXIII. die iſtius menſis circa veſperam miſera extinguitur, ſatis præter opinionem meam placido fato.

Altero die cauſam mortis oſtenſurus parentibus, eam diſſeco, & ecce nummus circulo iſti, qui Pylorum undique cingens coarctat, non ſecus ac cooperculum ollæ incumbens, omnem alimento ad inteſtina tranſitum prohibebat; Reperi ergo inteſtina vacua omnino, cæterum ſana: nummumque ex parte interiore ventriculi, tam accreſcente illic pinguiore quadam materia firmatum, ex parte inteſtinorum obſeſſum quibuſdam, qui facile diluebantur, vaporibus. *Th. Kerckringius obſervat. Anatom. 8.*

Vomitus puerorum à nimia lactis copia, Pylori anguſtiam nativam non pertranſeunte.

Scitur & videtur ab omnibus illa ſimiæ, animalis alias ſagacis, ſtoliditas, quæ catulos ſuos præ nimio affectu tam arctè pectori ſuo apprimit, ut exprimat animam Haud multo ſapientiores pleræque matres, quæ filios ſuos nutriendo necant & lactando mactant: Anatome illas, ſi ſapere vellent, doceret quam facto in uno, dum piæ eſſe volunt, ſceleratæ exiſtant: Oblati enim mihi ſæpiſſime ſunt ex iis quibus lac nimia copia fuerat exhibitum, febri continua brevi tempore extincti; quorum dum mortis immaturæ cauſam indagabam, omnes ita obeſos & pinguedine obſeſſos inveni, ut vix ſcirem quo cultrum anatomicum adigerem; qui pueri dum ſugentes perpetuo vomerent, lætabantur ſtolidæ matres, vulgatum illud ſuum identidem occinentes, Pueri qui vomunt, creſcunt, vere illud quidem, lac enim ut alimenti maximi eſt, ita facile, quando majori copia ſuppeditatur, quam ut calor nativus illud convertere poſſit in perfectam carnis ſubſtantiam, in pinguedinem abit; quæ non minus periculoſum infantibus dat ſtatum, quàm adultis athletica corporis habitudo, quæ dum eadem, quotidie gravatur copia, neceſſario in eadem incidunt incommoda Pueri, in qua ex nimia crapula adulti: Quis vitæ diuturnitatem promitteret ei qui ita ſe ingurgitaret quotidie, ut ter quaterve ſingulis diebus remitteret vomitu quæ aſſumpſiſſet? Quid, an in tenera iſta ætate crapula hæc non eſt multò peſtilentior? nec enim calor iſti tam copioſo alimento digerendo ſufficiens eſt: nec retentrix facultas ſatis valida, nec expultrix accommoda: Nam ut hoc etiam ex anatomica curioſitate addam, Puerorum Pylorus tam arcto ſigillo à natura munitur, ut ſi infles, eum ſiccare poſſis, quamvis inferne non occludas: quæ naturæ diſpoſitio non videtur apta ad tantum lactis per eum dimittendum, ideoque regurgitat & infantem enecat. *Th. Kerckringius obſervat. Anat. 40.*

Vomitus nigricantium humorum ob Pylorum exactè clauſum.

Propter Pylori pertinacem clauſuram humor alimentarius fit æruginoſus, unde Vomitus periculoſus ſequitur, imo lethalis fit: quippe Helmontio narrante, Sectum quoddam cadaver alicujus Vomiturientis nigricantia, præter Pylorum exactè clauſum, nullum aliud vitium repertum eſt. *Oſvv. Grembs Arbor. & int. lib. 2. cap. 1. §. 3.*

Vomitus bilis coercitus Tertianam febrem, hinc paralyſin, poſt mortem invehit, ob illius in cavo Jecoris retentionem.

Quidam quotidie bilem vomebat: hæc ceſſat vomitio, poſt tertiana corripitur: hac ſoluta reſolvuntur partes omnes ſub capite: Aperto mortui cadavere bilis praſſina repertur in cavo Jecoris &c. *Fernelius cap. 10. lib. de Febrib.*

Vomitus vitio anadoſeos inductus in affectione hypochondriaca laborantibus, ob Pylori anguſtiam.

Quidam vomitum patiebatur cum ventris tormine, Sed totum id de quo agitur hypochondriacum eſt: Accuſatur ſemper ventriculus licet innocens & viciniæ lege patiens: Dioclea pylori phlogoſis intelligitur, chylus aduritur, talis ſanguis, at natura aductionem abhorret, elixa-

elixationem admittit; hinc marcor, ſquallor, tabes: Nuper octo vidi ægrotantes ſimili morbo afflictos; alimento ſumpto gravis erat ventriculus, coctio talis qualis, in anadoſi dolor; corpus differebatur (verbo Terentiano) dolore, noctu quies & induciæ, die ſequenti redundatio ſtomachi: aſſumptorum Vomitus alios per menſes tres, alios per quatuor exercuere: pars ægrorum emarcuit, tabuit collapſus aqualiculus, mors: Pars, at cujus minore virium diſpendio morbus productus erat, afflicta quidem & lecto & morbo, Vomitus periodicus ut in cœliacis; Ventriculus quidem facit officium, Pylorus obſtructus & meſaræon, aut oppilativa, aut attenuativa obſtructione (ut loquuntur veteres Practici) per collapſum vaſorum & viarum & hæc fatalis filum vitæ præcidit: Id fit in opticis nervis, unde perfecta cœcitas illæſo oculo: In apertis cadaveribus eorum, quos ſua ſorts peremerat, alias inventa Pylori inflammatio, obſtructionis & anguſtiæ cauſa; In aliis glandularum meſenterii durities, impendio magis & quaſi callus meſenterii, aut quidam ſphacelus: ut mirum non fuerit ſi ventriculus alimentum appetiverit, quoad potuerit coxerit res ingeſtas, ſed vitio anadoſeos, & ob virium labemque meſenterii omnia rejectantur vomitu, licet chylus naturæ gratiam receperit. *Ballonius conſilio 24. lib. 3.*

Vomitus creber in quodam qui ventriculum duplicem habebat.

In diſſecto cadavere 35. annorum, creberrimis Vomitibus diu vexato, invenimus ventriculum duplicem, ita ut Prior, qui œſophago continuus, ab altero, qui inteſtinis, manifeſte diſtingueretur: Ille, minor altero, aſt craſſioris ſubſtantiæ, infinitis plicis, iiſque inſignibus, interius exaſperatus, Hic vero iis omnino deſtituebatur, tenuis valde conditionis: In illo fibræ carnoſæ plurimæ occurebant varii generis: In hoc vix ullæ, ſaltem haud adeò obſervabiles: Locus ille, ubi duæ hæ cavitates à ſe invicem ſeparabantur, interius valde anguſtus erat, ſic ut vix digitum minimum reciperet: ſubſtantia ipſa hic craſſa, duraque admodum, mollioris quaſi cartilaginis ſpeciem referens: Et hanc anguſtiam frequentioris vomitus in hoc ægrotante cauſam fuiſſe conjicio. *Gerardus Blaſius p. 4. obſerv. med. 9.*

Vomitus ob ventriculum in cavitatem thoracis depulſum.

Henricus Buſcherhovius Livonus, cum melancholia tentationibuſque variis vexaretur, proprio gladio ſe confodit, infra 4. coſtam in thoracem adacto, & ſub nona coſta in tergo exeunte: quod vulnus tamen intra duos menſes ſanatum eſt: verum accidit ut poſt menſes aliquot iterum de abſurdis cogitationibus conquereretur, & poſtea primo aquam & quicquid cibi aſſumpſiſſet, poſt viridia, tandem nigra quater, eaque magna copia rejiceret vomitu, cum Sudoribus frigidis & leipothymia, ac deinde poſt ultimum vomitum exſpiraret.

Corpus apertum eſt, deprehenſumque vulnus per Pulmones & diaphragma penetraſſe, & quidem diaphragma transfoſſum fuiſſe in nerveo circulo: Pulmonis nihil fere repertum eſt in ſiniſtro latere confoſſo, cum proculdubio cum pure exierit, exigua portiuncula aderat coſtis adnata: ventriculus totus aſcenderat in ſiniſtrum thoracis latus, & cor cum capſula de ſede ſua depulerat in dextrum latus, ubi & vivus ille jubebat obſervari cordis pulſum: cor areſactum erat, copioſa aqua citrina in capſula: omentum & pancreas totum etiam fere circa ventriculum computruerat. *Sennertus Inſtit. lib. 2. part. 2. capite 13.*

Filius D. N. 24. annos natus temperamento melancholicus, febre tertiana diuturna, nunc ſimplici, nunc duplici per totam fere æſtatem laboraverat: In menſe vero Septembri, licet à paroxyſmis febribus liberatus eſſet, non ſatis tamen proſpera valetudine frueretur, ab Empirico quodam antimonium ſumpſit, forte male præparatum, à quo vehementiſſimi vomendi conatus excitati ſunt, abſque ullo effectu, ita ut conatus ille irritus continuo affligens eum intra ſeptem vel octo horas ad extrema redegerit, & circa veſperam de medio ſuſtulerit.

Aperto cadavere, inventus eſt ventriculus in parte thoracis dextra, variis humoribus repletus: quiquidem ſitus præternaturalis, effecit proculdubio ut ſeſe ſufficienter dilatare ac ſubvertere nequiverit ad vomitum efficiendum, coſtarum ambitu oppreſſus *Lazarus Riverius Obſerv. Cent. 4.*

Studioſus ante decendium obſtructiones quaſdam ſenſerat, ex quibus ſumma ventritriculi debilitas, ob denegatam excrementorum ejectionem & varia ſymptomata, graves ſingultus & infiniti propemodum Vomitus exorti, quibus ita viribus fuit fractus ut in lectum conjiceretur: Remedia effectu caruerunt, quod nihil contineret ventriculus: Nocte tandem proximum diem Solis antecedente Vomitus ſic affluxerunt, ut per os & nares materia cruenta certatim eruperit, ipſumque præcluſo penitus exitu, ſuffocaverit.

Abdomine aperto, quum moles pinguedinis tres tranſverſos digitos ei inſtratæ, impedimento eſſet, quo minus ad conſuetam ventriculi ſedem, quæ eſt ſub diaphragmate inter hepar & lienem, pervenire liceret, placuit prius aperire thoracem: vix remotum erat ſternum, ubi in ſiniſtro latere corpus quoddam glanduloſum ſe nobis in conſpectum daret, quod primo quidem intuitu pro pulmone depravato habebatur, ſed mox omentum eſſe, ac ſub eo latitare ventriculum, cunctis obtupeſcentibus deprehenſum eſt: Ad pleniorem hujus præternaturalis ventriculi ſitus cognitionem, ſejungebantur inteſtina à meſenterio, cum quibus ita comparatum erat, Duodenum cum portiuncula ſubſtrati pancreatis è thorace proveniens, perpeculiare foramen (in ſiniſtro itidem latere, amplum & nerveo circulo circumſcriptum) diaphragma perreptabat, cumq; reliquis inteſtinis continuatum erat uſque ad colon, quod ex abdomine per dictum foramen in thoracem tranſiens, ibidem cum omento, cui firmiter erat annexum, ventriculi fundum in duas

quaſi

quaſi partes dividebat, ac rurſus miro anfractu deorſum tendens, atque eadem via, ex eodem diaphragmatis rediens foramine, inteſtinum rectum, longum ſatis ac gracile, & conſpicuis rectis tranſverſiſque præditum fibris conſtituebat: Hepar inſolitæ craſſitiei ac magnitudinis, ut ſcil. ſpatium deficiente ventriculo expleret, diaphragmati erat annatum: Ipſe autem ventriculus in thorace, cætera liber, inferiori parte ligamentis aliquot membranoſis diaphragmati & pleuræ circa coſtas ſpurias adhærebat, ſuperiori claviculas fere attingebat, ſiniſtrumque latus plane occupaverat, ita ut vix minimæ ſiniſtri pulmonis particulæ locus ſupereſſet: Cor vero de ſede ſua in dextrum latus depulerat, & dexter Pulmo cordi cedens, ſub eodem ſpinæ dorſi adjacebat: Oeſophagus ad diaphragma progrediens os ventriculi nonnihil deprimebat, ut non longe à pyloro diſſideret: Ex ſecto demum ventriculo cum annexis partibus, Lienem, qui principio nullibi apparebat, in propria capſula, quam duplicatura diaphragmatis in ſiniſtro latere formaverat, invenimus, ſanum alias ſed lividum & exilem, ac per vas breve ventriculo connexum, Diaphragma totum erat carnoſum; poſtremo etiam liberum materiæ ex ventriculo patere exitum, eandemque ex inteſtinis, ob hiatum relaxati pylori pleno impetu remeare poſſe advertimus, qui cum incideretur, ingens vis ſcaturientis materiæ exinde profluxit, unde ab opere deſiſtendum fuit. *Th. Bartholinus cent. 6. obſerv. 55.*

Vomitus ob ſurſum compulſum ventriculum ab immani Renis ſiniſtri tumore.

Honeſta mulier abſceſſum in rene ſiniſtro per plures annos geſtavit, tam immanem ut totam abdominis capacitatem impleret coæquaretque, ſurſum viſceribus ventriculo & inteſtinis revulſis & coarctatis in pectus, ita ut nihil fere cibi continere poſſet: Pendebat autem ille abſceſſus libras 14. *Carolus Piſo de morbis à ſero ſect. 2. part. 2. cap. 7.*

Vomitus ob compreſſum ventriculum ab inteſtinis flatibus & fæcibus diſtentis.

Tonſor quidam ex dextro hypochondrio efferri ſibi quiddam conquerebatur, quod in ſiniſtro conquieſceret, quo ſuper ventriculi fundo tranſeunte, cibi potuſque portio regurgitans, ſubito per os exiliebat, veluti lagena aliqua coriacea compreſſa, ejus quod in ea continetur cum impetu pars quædam rejicitur: multorum imperitorum Medicorum opera uſus, vehementia medicamenta, ac violentiſſimas purgationes ſuſtinuerat, ſed cum hujuſcemodi remediis malum non cederet, tandem defecit.

Hujus inteſtinum colon, à dextro in ſiniſtrum, & qua parte ventriculi fundo incumbit, flatu omnino diſtentum erat, & ab omnibus excrementis vacuum, reliqua inteſtina plena fæcibus: ex quorum ſuperioribus dum fæces deſcenderent, impetu quodam violento per colum diſtentum ferebatur, ventriculi fundo compreſſo, unde factum eſt ut cibi potuſque portio ad os ſubito regurgitaret. *Dodonæus obſervat. cap. 37.*

Vomitus ab Ileo inteſtino juxta Cæcum contracto.

N. Lapſus ex equo ſupra ſaxum, exinde conqueſtus eſt de tolerabili quidem inguinis dextri dolore, nec non Vomitu omnium aſſumptorum quartano: hunc dolorem & vomitum per trimeſtre parvi fecit, & lanii officio functurus frequenter equitavit: At conſumptione corporis, quod antea valde carnoſum & pingue, obſervata, adiit Empiricum, qui dedit pulverem per inferiora valde purgantem: æger tamen poſt omne triduum materiam acidam, & mixturæ cinerum ac cremoris hordei ſimilem evomuit, alterniſque diebus ſolida & cineritii coloris excrementa per alvum reddidit: Ob totius marcorem & virium debilitatem lecto affixus meum petiit conſilium: Huic cum alvus alternis diebus reſponderet, præſcripſi ſaltem medicamenta ventriculum interne & externe roborantia. His nihil conferentibus, Vomitus continuans ſuſpicionem movit Inteſtinum ileum morbo quodam organico affectum fore.

Poſt obitum patientis diligenter in locum affectum inquirens, partem inteſtini, quæ cœco inteſtino proxima eſt, inveni adeo contractam, ut cavitate ſua vix digitum pueri auricularem admitteret: Dicta Ilei pars, ob ſolam contractionem anguſtior, longitudinem decem digitorum tranſverſorum adæquavit, reliquum vero inteſtini bene compoſitum aut ſatis dilatatum comparuit. *Joh. Sculteus Obſervat. 61. Armament. Chirurgici.*

Vomitus materiæ chyloſæ, à cohaſione reduplicati inteſtini Ilei, bubonocelen ſequuta.

Mulier ſexagenaria, cujus domicilium in vico du Boule, Genevæ, gibboſa in umbis, diſſecta fuit à mag. Bailly, Chirurgo Genevenſi peritiſſimo anno 1676. 14. menſis Novembris: præſentibus D D. Theop. Boneto, Pompeio Diodati, Clerico & du Commun: Biennio ante obitum eductus illi fuerat è veſica per lithotomiam, ab eodem Chirurgo, lapis ovi anſerini magnitudinem æquans: Bubonocele in dextro inguine illi ex intervallis moleſta erat, quam manibus ipſa repellebat, Tandem ſex ante mortem hebdomadis nullavi ne ipſa induſtria Chirurgi reponi potuit, unde Vomitus ad interitum uſque durans, materiæ chyloſæ, pituitoſæ & alimentorum, cum alvi inſigni adſtrictione: Injectis clyſteribus ἀπυρατώδεα tantum dejiciebantur: Falſæ pleuritidi ſæpe obnoxia erit & pectoris doloribus: Reſpiratio difficilis erat & aliquot ante exceſſum hebdomadis, ſtertoroſa & anxia: Tandem marcore confecta obiit, nam ſceleton erat pelle obductum.

Ante diſſectionem conſideranda fuere exteriora; Abdominis ſpatium à mucronatæ cartilagine vix erat ſeſquipedale: Oſſa ilium, iſchium & pubis ultra abdomen ad duodecim tranſverſorũ digitorum altitudinem aſſurgebant: Gibboſitas erat inſignis ad lumbos, latere dextro, ſive σκολιωσις; quam præceſſerat caſus: Unguibus pollicis utriuſque pedis adnata erant cornicula nigra, inflexa, ad longitudinem minimi

nimi digiti, arietinis ſimilia, quæ nulla fere vi abſceſſerunt; Aperto dein abdomine 1. Peritonæum lacerum apparuit, cujus particulæ ileo inteſtino arcte cohærebant, ut citra divulſionem ſeparari non potuerint; 2. Hepar intra coſtas omnino latitabat, adeo ut hæ illud excederent, ad hypochondrium uſque ſiniſtrum exporrectum. Per membranoſos nexus diaphragmati ubique fere cohærebat, 3. Ventriculus omnia inteſtina cooperiebat, ad pubem uſque devolutus, laxus, albicans, ſimilis membranæ pergamenæ madidæ, extenſus abſque ullis rugis intus & foras apparuit, cujus vaſa turgebant; aderat & macula nigra in ſuperficie exteriori; denarii magnitudine; Intus continebat materiam chyloſam, corruptam & fœtidiſſimam, inibi coercitam, à quo tempore hernia retrocedere non potuit, unde Vomitus continuus, ſua autem copia, quæ decem libras civiles excedebat, & pondere ventriculum uſque ad ima abdominis depreſſerat: 4. Pancreas ſcirrhoſum, ſemicorruptum. 5. Meſenterium, in ſumma viſcerum corruptela, nec non & 6. Lien, ſat integra: 7. Cyſtis fellea magna, ſemiplena; 8. Jejunum inteſtinum ad trium digitorum latitudinem complicatum erat & cohærens, quod diſſectum ſtercus durum exhibuit, cavitatem omnino opplens, ut nequicquam elabi vel illabi poſſet, & hinc repetenda cauſa Vomitus, aſtrictæ alvi & dolorum ventris acriter urgentium. 9. Inteſtinum cœcum ob abſceſſum præcedentem crepuerat, unde ſcybala in cavum abdominis egreſſa erant; prope ſpinam dorſi, è regione illius reperta: 10. Cavitas Spigelii ampliſſima erat, in quam intruſa manu facile erat explorare cuniculos & anfractus, colluviei vitioſorum humorum latebras; de qua vide Riolanum in Anthropogr. 11. Ren dexter naturalis erat, cavitas tamen in vreterem hians, ampla; ut quæ digitum medium exciperet: 12. Siniſter pene conſumptus, vix nuglem juglandem æquans, cujus ſuperſtes ſola membrana, ſed ſat craſſa, à quo cuticula levi digitorum attactatu abſcedebat: hinc veriſimile eſt præceſſiſſe abſceſſum, ob quem parenchyma in ſaniem effuſum fuerit; Cavitas autem cui inſeritur ureter, adeò ampla, ut duos digitos conjunctos admitteret: atque in eo originem habuit calculus inſignis, è veſica eductus: 13. veſica erat parva, nihil p. n. continens, inanis tamen: 14. Uterus contractus, parvus, quamvis peperiſſet; cartilagineæ duritiei, quam novacula ſine hebetudine dividere non potuit; cavitas vix piſi capax. 15. Pelvis excipiens concava, profunda: 16. Spina dorſi mire inflexa, contorta, ad interiora compulſa; cujus ultima vertebra à prima lumborum, citra tamen medullæ læſionem, notabiliter diſceſſerat: In medio ventre, 17. Pulmones exterius nigricantes, tuberoſi & maculati erant, colubri pellem referentes, exſucci & ſcirrhis referti; In extima tamen ſuperficie ab impreſſo digito foveam retinentes. Diaphragmati undique per fibras denſas erant adnati: lobus dexter coſtis adhærebat: 18. Ad extremum lobi ſiniſtri appenſa erat veſica flatu turgida, magnitudine nucis juglandis, ſed oblonguiſculæ, tenuis, piſcium veſicis omnino ſimilis: 19. Mediaſtini cavitas ampla erat, mire diducta, proculdubio à flatibus expanſa, unde pectoris doloribus crebro tentabatur. 20. Multa quoque ſpatia inania inter coſtas & pleuram deprehendebantur, flatuum inibi concluſorum ſoboles, hinc pleuritidi ſpuriæ obnoxia erat. 21. In pericardio pauciſſimus humor, cujus apex ſepto affixum erat: 22. Cor non multum ſtrigoſum & corrugatum, quanquam cauſæ inanientes adeſſent efficaces: 23. Pauciſſimus cruor in vaſis tam imi quam medii ventris: 24. Quia collum extraordinarie tumebat, aperiri juſſi, in quo deprehenſa bronchocele, quæ diſſecta oſtendit glandulam oblongam, primo intuitu muſculoſam carnem referentem, ſed admotis propius oculis granulata erat, humoris omnino expers, ovi anſerini magnitudine, ſed longiuſculi, in latere dextro, ſed minor in ſiniſtro. *Clariſſ. Theophilus Bonetus in Sepulchretô.*

Vomitus à relaxata valvula Ilei inteſtini extremo inſerta.

In muliere hydropica, præ nimio madore, uti reliqua exta, ſic quoque acquiſeverat valvula inteſtinalis tantam mollitiem; ut vix potuerit manibus tractari, nedum illud officium corpori facere cui ipſam deſtinaverat ſollicita ac provida natura. *N. Tulpius lib. 3. obſerv. med. cap. 21.*

Vomitus excitatus à vitioſa Pori choledochi inſertione.

Secando Comitem Auſimondianum, offendimus Porum choledochum, alias in ecphyſin ſe exonerantem, proxyme pylorum egreſſum habuiſſe? ita ut non minus ventriculo quam inteſtinis bilem tranſmitteret. Quæ cauſa illi fuit quod ſæpius nauſearet vomeretque. *Barth. Cabrollius Obſervat. Anatom. 6.*

Vomitus bilis à ruptione Veſicæ fellis.

Accidit aliquando ruptio veſicæ fellis, ut obſervatum eſt hoc ſæculo in Nobili quodam, qui diuturno bilis vomitu vexatus eſt, Cauſaque, nempe ruptio veſicæ fellis, poſt obitum, ſectione ſatis patuit. *G. Bertinus Med. lib. 12. cap. 14.*

Vomitus ciborum à calculis in veſica fellea & meatu cholidocho.

§. 1. Bononiæ Praxeos Medicinæ ordinarius Profeſſor quidam, nomine Beatus, habuit matrem Sexagenarium, quæ cum diutiſſime regio morbo laboraſſet, & continuo ciborum Vomitum excruciata fuiſſet, tandem mortua eſt.

In ejus veſica fellea multi reperti ſunt calculi, Et in meatu à veſica bilis ad duodenum, magnus, qui eum meatum undequaque obſtruxerat. *Volcherus Coiter Libellô Obſervat. Anat. & Chirurg.*

§. 2. Conjux cujuſdam Illuſtriſſimi viri cum ſtuderet variis remediis conſulere ſterilitati, nihil effecit, ſed potius valetudinem gravius afflixit, atque in Vomitum bilioſum qui

illi

illi fuit permoleſtus & quaſi continuus, incidit: Tandem in magnis frigoribus longinquum iter ſuſcipere coacta, pleuritide correpta obiit.

Aperto corpore, reperta veſicula fellis intus extenſa, plane obſtructa, propter lapides, numero decem, ſatis grandes, referentes exacte figuram glandis faginæ: Apparet bilem in ventriculum regurgitaſſe, ac iſtius vomitus cauſam fuiſſe. *Ex obſervat. Joachimi Camerarii.*

Vomitus ab adhæſu Jecoris putridi cum diaphragmate.

Dominus Vigneron per ſex hebdomadas laboravit, & de ſtomacho tantum conquerebatur: Sentiebat pondus quoddam & Vomebat ſæpe.

Aperto cadavere, Hepar ſuperiore parte adhærebat diaphragmati, Et idipſum hepar putre erat. *Ballonius conſil. 43. lib. 1. in Annotat.*

Vomitus lactis in infante, ab Hepatis ulcere excitatus.

Hepati infantis bimuli, fervidioris craſis, innaſcitur ulcus ex acriorum ἀναβρώσ oriundum, quod ichorem in ventriculum regurgitabat, quem ventriculus, quamprimum excipiebat, Evomuit, Infans vero qui lac maternum & vaccinum ante erodentis liquoris acceſſum optime concoxerat, poſtmodum ejuſdem coagulum, ad magnitudinem piſorum conglobatum, & ad duritiem fere tophorum percoctum, per ſeceſſum depoſuit: butyroſam ejus ſubſtantiam puri commixtam per ſuperiora repurgatam conſpexi. *Bennetus Theatri Tabidorum Exerc. 26.*

Vomitus puris ab Hepatis abſceſſu manantis.

Vir quidam Lutetiæ anno 1587. cum hepatis abſceſſu diu laboraſſet, & puris magnam copiam Vomitu rejeciſſet, tandem extinctus.

Cujus corpore aperto repertæ fuere venæ uſq; ad tibiam pure refertæ, & ſiniſter teſticulus putridus. *Ex obſervat. Gaſpari Bauhini.*

Vomitus ob Hepatis gangrænam.

Nobilis quidam Romanus cœpit primo maximam ſanguinis quantitatem ſine tuſſi, cum multa pituita per os rejicere (exercebat autem artem diſtillatoriam & continue igni aſſiſtebat) Hanc ſanguinis rejectionem ſubſequutus eſt cibi & potus appetitus valde inſignis (erat autem ſtomacho valde ſenſili) cibum tamen crudum, cum multa pituita vitrea poſt octo horas ab aſſumptione, aliquando per os, aliquando per alvum rejecit: urina toto morbi tempore, & tribus adhuc ante mortem horis, laudatiſſima: Medici in conſilium adhibiti, quia ſanguinis rejectio ſtatim eo die ceſſaverat, de ea non multum ſolliciti, curam ad ventriculum converterunt, exiſtimantes ejuſdem frigiditatem hanc appetentiam cauſare, quare eum roborarunt, & medicamenta calida ſimulque adſtringentia præſcripſerunt; à quibus omnino nihil adjutus fuit, Tandem miſere ſpiritum trahens obiit.

Secto cadavere, Jecur gangræna penitus corruptum & putrefactum repertum: ſuſpicabantur nonnulli calore venam in Hepate diſruptam, quod frequenter igni adſtitiſſet: admirabantur tamen, quomodo jecore tam inſigniter læſo urinæ bonæ apparuiſſent. *Jeremias Martius obſerv. 7.*

Vomitus ob Hepar ventriculo adnatum, & materiam nigram in hoc contentam.

Sartor quidam annor. circiter 30. cum ab anno ætatis 12. fere valetudinarius fuiſſet, per intervalla certa Vomitionibus bilioſis divexatus, torminibus (ita ut colicum dolorem non ſolum ego ſed & alii exiſtimarent) conſtipatione alvi ſumma, dolore ventriculi, præſertim poſt ſumptum cibum, (valde enim vorax erat) corpore macilento, facie ut plurimum flaveſcente, plurimorum conſilio uſus, meo etiam per annos tres, qui me movente anno 83. ad thermas Plumbarias ſe contulit, poſt quarum uſum pene annum commode habuit. Menſibus tribus ante mortem ſanguinem purum copioſiſſimum per vomitum rejecit: Dein rurſus conſuetis torminibus correptus, accedente vomitu materiæ nigræ, ut qui per multos dies rejecit ſingulo mane ad dimidiam menſuram, & tantundem veſperi aquæ nigerrimæ: Iſchuria etiam poſtremo morbo laboravit, Alvus cum potenter eſſet conſtipata, clyſteriis ipſum uti volui, qui ſimilem materiam eduxere, frequentibus etiam leipothymiis divexabatur: Vomitu remittente, ſenſim venter intumeſcere cæpit, plus minus dies 8. ante mortem.

Poſt mortem apertus à me fuit, In abdominis capacitate copioſa aqua nigra reperta, ſimilis ei quæ per vomitum fuerat rejecta. Hepatis majoris lobi dextri, forte ſexta pars, in ipſo erat ventriculo, ita ut ſuperior & exterior ventriculi pars hepati eſſet extrinſecus adnata, ſic etiam inferior & poſterior ventriculi pars, quæ dorſum ſpectat, ipſi Hepati accreverat; ita ut Hepatis ea pars ad latitudinem duorum circiter digitorum in ipſo ventriculo eſſet, & à duabus ventriculi partibus contineretur: Superior tamen ventriculi pars à ſtatu naturali non receſſerat, nec adeo firmiter hepati adhærebat, ſed inferior ab ipſo hepatis parenchymate, abſque hepatis dilaceratione ſeparari non potuit, hepatis verò pars ea quæ à ventriculo continebatur, foveam quandam acquiſiverat, ità ut ſubſtantia ea hepatis cartilaginis inſtar dura fuerit; In ipſo autem ventriculo continebatur, ad menſuram unam, materia nigerrima pultis inſtar: Hepatis reliqua pars ſatis commode habebat, ſplen item, reliquaque viſcera in abdomine contenta, ſana erant. In thorace ipſius magnam aquæ rubentis copiam reperi: Credo ego naturalem fuiſſe illam accretionem & in utero materno acquiſitam: Mater enim ipſius dum utero geſtaret corpore ſemper inclinato ſedit, netricis munere fungens. *Obſervatio Gaſpar. Bauhini.*

Vomitus ob ventriculum parte ſuperiore ſcirrhoſum, lividum in fundo, Epiploon ſcirrhoſum, craſſum, &c.

Die 15. Octobr. 1638. Dom. Enguarran, temperamento melancholico & aduſto præditus, incidit in Vomitum contumaciſſimum ſine cauſa manifeſta; quo multa pituitoſa, viſcida, & mucilaginoſa excernebat cum multo conatu:

flatus

flatus etiam multos eructabat ab aſſumpto juſculo: Ab aliis Medicis multa incaſſum uſurpata fuere remedia per duos menſes; Et lac exhibitum, quia ſuſpicio erat ulceris ventriculi: Theriaca etiam frequenter, ob veneni aſſumpti metum: Ego vocatus invenio hypochondria valde tenſa, præcipuè ſiniſtrum, pulſum ſatis firmum, licet æger admodum eſſet debilis quoad vires animales. Conjeci humores fluere ab hypochondriis, & vomitum illum eſſe ſpeciem affectionis hypochondriacæ: veſperi ipſi exhibentur laudani gr. ii. & tota nocte non vomuit, ſed placide quievit. Sequenti die miſſus ſanguis ad ℥ vi. valde aduſtus, vomuit bis aut ter ea die: præſcriptus fuit fotus emolliens & aperiens pro hypochondriis; 3. die datus pulvis ex rheo, myrobal. citr. ſpodio & maſtiche, quem revomuit, nec poſtmodum uti voluit remediis.

Poſt menſem interiit, & aperto cadavere inventum eſt Epiploon craſſum rubrum, ſcirrhoſum & contractum, ut hepar prima fronte referret, ejuſque craſſitiem adæquaret: ventriculus lividus in fundo, tenuis, parte vero ſuperiori ſcirrhoſus, inteſtina livida; lien bene ſe habebat. Humores melancholici in omento acervabantur & inde in ventriculum refluebant. *Laz. Riverius cent. 2. obſ. 48.*

Vomitus à flacciditate & extenuatione orificii ventriculi, cum Lienis ſcirrho Hepate vitiato, &c.

In Anatomia Sereniſſ. Principis Apoplectici 4. Aprilis 1652. obſervata ſunt ſequentia, Cutis per univerſum corpus ab humoribus ſeroſis diſtenta: Epidermis ſeparatu facilis, veſicis multis prægnans & turgida, muſculi lividi & nigricantes, Abdomen totum flatibus tumidum: Ventriculus laxatus, extenuatus & extenſus in tantum ut nullum extiterit fibrarum veſtigium, tunicarumve diſcrimen: Orificium ſuperius flaccidum plane, ob quas cauſas tantam nauſeam & Vomitus paſſus eſt, Hepar coloris plumbei totumque ichoroſum: Veſicula bilis grandior, unciis duabus bilis referta: Lien atro carbone nigrior & durus plus juſto: Cor minus atque coloris fuſci. Arteria venoſa & aorta nigro humore, (qualem Princeps in lingua & faucibus per aliquot tempus magna cum difficultate habuerat) repleta; Pulmones flaccidi & purulenti: Cerebrum magnum & grande, ſero & pituita pluſquam refertum, maxime in ventriculis.

De nigra illa materia, atramento non abſimili ſutorio, quæritur unde oriunda: Ego Lienis fœces judico, à quibus non raro vomitus atros expertus ſum. *J. Daniel Horſtius Obſervat. Anatom. 3.*

Vomitus pituitæ, bilis & melancholiæ, à tenuitate membranarum ventriculi, pori choledochi, vaſis brevis obſtructione & Hepatis, Pancreatis duritie, &c. choledochi pori in ventriculum inſertione.

Fatalis morbi quo Ferdinandus III. Romanorum Imperator, &c. 2. Aprilis anni 1651. eſt extinctus Relatio. Ferdinandus III. Græcii anno 1608. die 13. Julii natus, quamvis ingenii vires ſummo Principe dignas, attamen infirmam nactus eſt corporis, præſertim pedum, conſtitutionem, pleriſque Auſtriæ Archiducibus familiarem; Quoquidem factum eſt ut crebris artuum doloribus, hoc eſt, chiragra & podagra à quinquennio adeo enervatus, ac tandem uſu pedum omnino privatus, vitam ſedentariam ducere cogeretur, & quidem tendines utrumque genu inveſtientes penitus contracti fuerint, nec rectos ullo modo in rectum extendere, vel iiſdem inſiſtere potuerit; hoc ipſo inſuper citra omnem corporis motum, quo calor ventilari, ciborum concoctiones promoveri, humores ſuperflui liquefieri: & phlegma ad ventriculi fundum demitti debuiſſent, magnam cruditatum colluviem contraxit, quæ ſubinde ventriculum irritans, Vomitu fuit rejecta, vel ad ſecundæ coctionis viſcera præcipitata, contumaces, jecoris præſertim, lienis & meſenterii obſtructiones induxit: Et cum vitium primæ coctionis non emendetur in ſecunda, copioſa humorum collectione calor viſcerum obrutus, adeoque his devincendis impar, flatus, borborygmos & abdominis murmura ſuſcitavit, qui non ſolum deorſum, ſed etiam ſurſum violenter erumpentes, crebros cauſarunt ructus. Fruſtrata hoc modo utraque concoctione, ſanguis corpori alendo admodum ineptus fuit genitus, cujus fæx craſſior, propter ſplenici & meſenterici rami opilationem, per vas breve in lienem ingredi prohibita; partim deorſum ad venas hæmorrhoidales profluens, in illarum exitu hyperſarcoſes & fiſtulam perpetua ſanie madentem produxit, partim per ſupernum ventriculi orificium in illius cavitatem protruſa, ſed inſuper ob choledochi obſtructionem ad inteſtina delabi prohibitum, in ventriculum regurgitavit, vel ſubtiliori ſui parte in habitum corporis diffuſa, faciem potiſſimum pallido & colore ſubfuſco infecit. His omnibus corporis indiſpoſitionibus acceſſerunt aſſiduæ & graviſſimæ animi curæ, quæ modicum ſanguinem ad cor attrahebant & ſpiritus inſitos diſſipabant, caloremque nativum ſenſim extinguebant: Ea de cauſa jam à tribus annis non fuimus auſi venam aperire, ne ſubito omni humido, vitæque theſauro evacuato, appropinquantem vitæ terminum abbreviaremus: Obſervavimus enim, & potiſſimum in reditu è Bohemia in Auſtriam, etiam optima victus ratione, è cibis optimi ſucci & facillimæ coctionis inſtituta, paulatim non tam corporis quàm ingenii vires magis magiſque debilitari, ſomnolentum & feſſum reddi, ut niſi ſumma urgeret Conſiliarios interpellantes audiendi neceſſitas, interdiu præ totius corporis laſſitudine, lecto decumbere cogeretur: Caloris denique exiguitatem demonſtrabant nobis urinæ tenues, aſſumpto potu duplo aut triplo copioſiores, aliquot etiam ſeptimanis lacteſcentes & penitus inodoræ, omni ſalſedine ſeri carentes; poſtea ſubito ob filii nativitatem, à gaudio concepto, reſiduo nimirum calore reſuſcitato, melius coloratæ, ſed abſque omni enæoremate vel ſedimento, ut pote quibus nihil humorum, coctione & ſeperatione nondum inchoata, nec ſalſum ſan-

guinis excrementum urinæ permiſcebatur. Tandem cum 8. Martii à venatione demum rediiſſet, pejus habere cœpit, ac 10. ejuſdem menſis humoris melancholici fæcem copioſo phlegmati permiſtam, (uti præteritis annis aliquoties) vomitus rejecit, ſimulque hæmorrhoidum fluxus, ut & ibidem fiſtula, ſaniem profundere ceſſavit & exaruit. Vomitus item nullis, antea ſæpius expertis remediis, potuit inhiberi. Acceſſit ad humorum anacatharſin etiam bilis in ventriculum effuſio, quæ acrimonia ſua ardorem in ſtomacho cauſabat, & ſuperius orificium rodendo ad vomitum cogebat, quem ſuo more digitis in fauces immiſſis procurabat, ex cujus evacuatione per breve temporis ſpatium ſe melius habere referebat, donec nova bilis & humoris melancholici (non tamen atræ bilis) in ventriculum fieret regurgitatio, quæ membranas vellicando Singultum quaſi continuum excitabat, & ardore ſuo ad novum vomitum urgebat: & licet remedia, alias ſibi efficaciſſima, promptiſſimè intus & foris admitteret, eorumdemque uſu per horam unam aut alteram vires recipere videretur, nihilominus paulo poſt ob nativi caloris decrementum, ſenſibus externis paulatim deficientibus, in deterius relabetur: Ultimo igitur Martii, poſt copioſum humorum vomitum, ſe ad imminentem vitæ terminum diſpoſuit, & Exomologeſi expiatus, Viatico ſalutis etiam rite ſuſcepto, Paſchatis Dominicam inter continuas preces quietam tranſegit: Sacro demum oleo unctus, die 2. April. anno ſcil. climaterico, quem aliquoties ſibi fatalem prænuntiabat, omnis febris ac doloris expers, poſt quartam horam matutinam, caloris nativi defectu, ſub ipſa ante lectum ſacrificantis Præsbyteri benedictione, placidiſſime animam Deo reddens exſpiravit.

Sequenti aurora corpus exanime, balſamicis linimentis condiendum, adſtantibus aliquot pientiſſimè defuncti Cæſaris Conſiliariis, fuit evjſceratum. In quo cerebrum, cæterum penitus ſalvum, præter humorem aquoſum, qui duræ meningi copioſius infuſus ſomnolentiam ultimis menſibus ei cauſavit. Dextrum genu diſciſſum calcis tophos, ſiniſter talus acre ſerum in ſe continebat, utriuſque pedis motum impedientes. Tendines adeo contracti & rigidi ut in rectum extendi non potuerint: De reliquo, ſuræ quaſi excarnes, prout etiam brachia, nutrimento deſtituta, fuerunt ad maciem extenuata: Ventriculus, tametſi pridie mortis ſex biliosi & melancholici humoris libras vomitu rejecerat, attamen ejuſdem excrementi (puta corrupti & ad ventriculum ſanguinis affluentis, unde in venis nullus ſanguis reliquus) libras duas in ſe continebat, cujus acrimonia fuit tanta, ut caſu aliquot guttulæ in argenteam pelvim deciduæ, acrimonia ſua, non ſecus ac aqua vitriolata, metalli nitorem alieno colore macularit: Cæterum ventriculi tunicæ, tam circa pylorum quàm orificium ſuperius, & per totam ſtomachi membranam, inſtar ſubtilioris chartæ erant extenuatæ: Vas breve ante lienis ingreſſum ſua fæce obſtructum. Lien admodum parvus & per totum intus & extra rubicundus. Pancreas nigerrimum & quaſi induratum. Hepar in dextro lobo jam ſcirrhoſum. In cyſti fellea nec una quidem fellis guttula, quamvis diligenter genter inſpecta: Choledochus ad inteſtina directus, induratus & obſtructus alter ventriculo inſertus, ut & Vas breve peramplus. Pulmo totus utriuſque humoris melancholici & biliosi tinctura denigratus, dextra parte membranæ coſtas ſuccingenti agglutinatus, muſculis intercoſtalibus jam corruptis ac digito prementi pervijs. Cor vero & reliqua nullo vitio laborabant. Unum eſt notabile, quod omnes demirati ſunt, Tametſi nulla præceſſerit per triennium venæ ſectio vel alia ſanguinis vacuatio (præter eam cruoris partem quam hæmorrhoides ſtillabant) quantumvis Porta & Cavæ venarum truncus ſtudioſe diſſecari juſſerimus; intus tamen & in vaſis, & ipſius cordis ſinubus, ne quidem libram dimidiam ſanguinis potuimus exhaurire. Adeo ut omnium Heroum memoria digniſſimus Imperator, ex defectu convenientis chyli, & caloris innati paupertate, congruam ſanguinis nutriendo corpori & vitæ ſuſtentandæ quantitatem conficere non potuerit, ideoque horum defectu præmature nimium obire debuerit. *Hæſetus Herculis Medici lib. 3. cap. 3.*

Vomitus ob Pancreas ſcirrhoſum.

§. 1. Pancreas aliquando in ſcirrhum & cartilagineam duritiem faceſſit, ut Mantuæ in filio Marchionis cujuſdam. Ab eo ſi comprimitur vas breve, humor melancholicus in ventriculum & inteſtina remeat: Hinc Vomitus & dejectio nigra. Ex eo quoque gangræna, ut in famulo menſarii Bononienſis. *Joh. Rhodius cent. 2. Obſerv. 97.*

§. 2. Vetula quædam Vomitum quotidianum poſt prandium & cœnam patiens, in atrophiam incidens, tandem mortua eſt.

Secto cadavere Pancreas ita durum inventum fuit ut lapidem æmularetur. Ob hanc cauſam vomitus oboriebatur: cum enim Pancreas ſit ventri uti pulvinar, ventriculus concoctionem ob ipſius duritiem celebrare non poterat, ſed indignatum omne quod accipiebat, rejiciebat. *Dom. Panarolus Obſerv. 44.*

Vomitus à corruptione & ſphacelo Pancreatis.

Sartor quidam nihil retinebat aſſumptorum alimentorum potuumve: Evomebat verò continuo pituitam vel lympham quandam craſſam: uſus ſum propter affectus violentiam, urgentemque neceſſitatem, omnis generis medicamentis, tam internis quam externis, ſed evanido eventu, brevi enim periit.

Aperto cadavere reperi Pancreas totum corruptum, imo ſphacelatum. *P. Barbette Prax. lib. 4. cap. 2.*

Anatome viri fumo Tabaci abutentis, indeque Vomitu continuo fatigati, cujus caput & ventriculus ſine labe inventa ſunt.

Sereniſſim. Dux Bavariæ cujuſdam Conſiliarii ſui Tabaco abutentis, & Vomitu continuo tandem extincti caput per anatomiam explorari mandavit, quod unà cum cerebro & mem-

membranis ſartum tectum, ſine omni noxa inventum eſt: Nihilominus pro cauſa continui vomitus & mortis, ſtatui potuit abuſus Tabaci, vi cujus nimium pituitæ ad ventriculum tranſit, quæ vel copia & frigiditate eum tandem enervavit, vel malam qualitatem & corruptelam per moram inducens, vicina membra, & ipſum adeo ventriculum in commune malum traxit. *Wolf. Hœferus Herculis med. lib. 1. cap. 5.*

Vomitus ortus ob ingentem vomicam in Pulmone.

Stertor ſuppuratum Pulmonem cum multitudine puris non ſemper ſequitur: Vidimus mulierem Arelate, quæ quibuſdam ante mortem annis Vomitu ſolebat per intervalla rejicere magnam puris copiam, cum defectione animi, vocis privatione & gravibus aliis ſymptomatis, quibus levabatur à vomitu.

Mortua & diſſecta, vomica ingens in Pulmone reperta eſt, cum tamen ſtertor non apparuiſſet, non enim fit, niſi in bronchiis, aëris conceptaculis, materia ferveat. *Jacotius comment. 1. ad aphor. 18. lib. 1. Coacor. Hippocr.*

In canis, Nauſea & mictione cruenta laborantis, veſicæ orificio & interiore cavitate glandulæ repertæ: In Liene tubercula, & Renibus puſtulæ.

Canis erat ejus habitus, qualis ad capiendos lepores adſueſcit, ſed multo minoris, ut ideo in gynæceo alеretur, Is ſæpiſſime & ad quemvis motum vomituriebat, ſed nihil niſi mucum quandoque exſpuebat: crebroque cruenta mingebat, collo inſuper tumefacto & ſtrumoſo apparente.

Faſtidia hæcce cum ferre amplius tæderet, imo & in cauſas iſtorum ſymptomatum inquirere luberet, animal vivum diſſecabatur, ubi poſtice arteriæ aſperæ utrinque duæ glandulæ, ovi gallinacei minoris magnitudine adnatæ comparebant: In veſicæ autem orificio, ipſaque interiore cavitate, tales quoque glandulæ accreverant, quæ omnes cruento & fæculento quodam ſucco refertæ erant, quod profecto nemo vivente adhuc animali conjeciſſet: Lien quoque tuberculis quibuſdam cruentis intus aſperſus erat, & renes paucis puſtulis, unde nutritionis errorem præſumo. *Johannes Dolæus in miſcellan. cur. ann. 1674. 75. & 76. p. 94.*

Anatome Ancillæ Altemburgenſis quæ bufones vomuerat.

Annô 1662. Menſe Februariô in Xenodochiô Altenburgenſi mortua eſt Catharina illa Geileria, quæ annis retrò quaſi viginti bufones non paucos, ſimiliſque ſaburræ plurimam colluviem vomitu rejecerat, quemadmodum pluribus videre eſt in ſtupendâ hiſtoriâ, quam vix Comparandus noſtræ ætatis Medicus & Anatomicus Dom. Dom. Bartholinus Centuriis ſuis Hiſtoriarum Rariorum Anatomicarum inſeruit.

Cum vero allegata hiſtoria, quæ dictæ Catharinæ ab Anno 1647. uſque ad annum 1658. contigerunt, tantum referat, hic reliquum Vitæ ſuæ ſtatum morboſum, fatum & Anatomiam enarrare operæ pretium exiſtimamus.

Permanſerat Ancilla ab illo tempore quaſi ſemper in eodem ſtatu, ſcilicet, affligebatur continuo Pedum inſigni tumore, unde non raro cutis findebatur ac ſerum exſtillabat, macie reliquum corpus occupante. Subinde atrociſſimos dolores circa ſtomachi regionem perpetiebatur, ut credere ſe ibi loci à vivo animali veluti acutiſſimis unguibus lancinari, nullum tamen hactenus unquam ſive animal ſive vermem, aut particulam horum vel vomitu vel ſeceſſu rejecit.

Vinum aliquandiu bibebat cum juramento, nam juſſu Sereniſſimæ Principis Altemburgicæ id ipſi certa menſura porrigebatur, tandem idem averſabatur, quemadmodum & jam pridem omnem cereviſiam; & ex cibis, carnes, melius potum cereviſiæ ſecundariæ, optimè lactis & aquæ ferebat. De doloribus, duritie & pondere dextri lateris ferè ſemper conquerebatur; quoties noctu ſupina dormiret, toties largiſſimas eruptiones Sanguinis è faucibus experiebatur, aliquando citra ſenſum, ut hinc periculum ſuffocationis immineret, (Habeo hæc ex ore ipſius ægræ, quam curioſitatis cauſa anno 1659. menſe Julio inviſebam;) atque hiſce præcipuè ærumnis vexabatur, donec tandem ſupervenientibus vomitibus, quæ cum fœtore moleſtiſſimo nonnullas feces inteſtinales explodebant, diem ſuum miſerrimè obiret.

Accidit ut eo ipſo tempore apud Exc. Dn. D. Chriſtophorum Ausfeld, Archiatrum & Phyſicum Altemburgenſem, Medicum & Chimicum, ipſa teſte Invidia, ob exquiſitum ingenium ac judicium raræ Prudentiæ, Præceptorem paulò ante meum & deinde Fautorem dum vivam venerandum, diverterer; Cum itaque Ancillæ mors indicaretur eidem prælaudato Dno Hoſpiti, Auctor is mihi fuit, ut cadaver ſecarem, ejuſque viſcera, quoad liceret, ſcrutarer, quanquam ipſe, propter alia negotia apud Sereniſſimam tunc ſine mora obeunda, ſectioni intereſſe minimè poſſet. Equidem lubentiſſimè negotium in me ſuſcipiens, ad ſectionem propero, dies enim jam agebatur tertia, ex quo vitam finierat ancilla, &, ne ſocio deſtituerer, adſciſco Sereniſſimæ Principis Chirurgum, Joh. Hilſcher, virum induſtrium ac curioſum, nec artis ſuæ vulgariter gnarum. Uterque mox in Xenodochium recepti, ad ſectionem, quantum loci commoditas non ſatis commoda permittebat, diſponimus cadaver, immò vero ſceleton ſola cute indutum, ubi protinus duo apparent Tumores mediocrem nucem juglandem vix æquantes, quorum alter in ſiniſtro latere in infimis lumbis, alter pubetenus eruperat, hic vero paulo ante obitum ſponte ſua crepans in ulcus degeneraverat. Aperto jam Abdomine ventriculus & inteſtina primo luſtrabantur: Ille quaſi omninò vacuus erat, ac ſaltim duo circiter cochlearia liquoris limpidi continebat; Hæc, dum à Meſenterio omni pinguedine deſtituto ſepararentur, in Ileo ipſos tres Nodos, ſingulos dimidii digiti longitudinem æquantes, & nonnulla intercapedine à ſe diſtantes, exhibebant, qui accuratius perluſtrati

erant Duplicaturæ inteſtini in ſe retracti, quæ licet levi tractu tenſæ, non difficulter ex ſe recedebant, nihilominus, quantum fieri potuit, diligenter cavebatur, ne duplicaturæ illæ in ſeparatione à Meſenterio diſſolverentur, ſed potius in ſuo poſitu conſervarentur, donec experiri liceret, an aliquid per haſce ſtricturas tranſire poſſet. Infuſa ergo deinceps eſt Aqua, & deprehenſum illam quidem non penitus præcludi, veruntamen veluti guttatim ſaltem tranſmitti. Poſt hæc hi Nodi evaginabantur, & inteſtina omnia aquâ eluebantur, cum qua perpauca, parva & dura excrementa, & quatuor Lumbrici perexiles exturbabantur. Jam Epati manus injiciebantur, quod ſolito nonnihil grandius maximam partem ventriculi premebat; in ejus media ſima parte conſpiciebatur macula alba, circumferentiâ Thalerum æquans, adſpectu adipi, Cordi adnaſci ſolitæ, tactu cartilagini molliori ſimilis, quæ totum parenchyma penetrabat, & in cava parte amplius ſpatium occupabat. Hanc ſtipabant plures aliæ minores maculæ in utraque ſuperficie, quarum internæ crebriores & latiores externis exiſtebant. Diſſectum per medium Viſcus, intrinſecus quaſi totum, per ſui latitudinem, album & durum apparebat, vaſa cuncta hiabant, ſed veluti in crucis formam conformata, preſſa manu liquorem album craſſum & veluti ſanioſum reddebant, Albedo vero illa verſus utramvis extremitatem ſenſim remittebat, rubore naturali ibi conſervato. Ipſum Parenchyma ad minimum 4. libras civiles (nam juſtum pondus ad manus non erat, quo exacte trutinare poſſet) pendebat. Cætera accuratiùs perquirere incommoditas loci & temporis, immò & fœtor cadaveris minimè permiſit.

Scholion.) Sub initium hujus Anni 1670. Epiſtolarum Medico-Philologicarum D. Thom. Reineſii, farrago poſthuma, ſemicenturiam non valde excedens, edita eſt, in quarum 39. p. 20. ſupra nominatæ Catharinæ hiſtoriam laudatus modo Medicus Criticus, recenſet, ſed paulo aliter quam illa olim Excellent. Dom. D. Bartholino communicata fuit. Minime ergo tædioſum fore L. B. puto, ſi inde quædam carptim, hoc eſt, quoad hæc ab illa relatione diſcrepare videtur, vel hæc illius defectum ſupplere poteſt, huc tranſcripſero, ſedulo præcavendo animum ullius fidem quoquo modo ſubleſtam reddere volentem.

Apud Bartholin. c. 4. obſ. 19. p. 255. refertur, Ancillam fuiſſe Temperamento Cholerico & ſanguineo.

B. p. 256. Menſes interea ſuppreſſi:

Reineſius p. 70. Corpulentam Ægram & Colore florido dicit.

R. p. 71. Feras ſe enixas eſſe ferebat, ſed deluſam arguit hoc quod ſemper (ad 12. Julii anni 1647.) juſta muliebria proceſſerint, id quod ex ipſa, primo ad eam ingreſſu, quæſiveram &c. & p. 72. ex abſentia ſymptomatum ſignorumque male affecti (uteri) & menſtruis ſemper (uſque ad 11. April. anni 1648.) ritè fluentibus, uti ad me fatebatur, progreſſis colligere potui. &c.

B. p. 156. poſt biennium. R. p. 70. Poſtquam vere anni præteriti varios in abdomine dolores lancinatorios, inſolentes in eodem motus & inflationes ſenſiſſet, (eadem ſymptomata, uti & faſtidium quorumcunque potulentorum, inſanum verò appetitum aquarum & lactis à quinquennio Vernis Menſibus ſe experiri, & vomitibus vehementiſſimis affligi, refert ipſa) &c.

B. p. 256. 25. Jun. ſuaſu Chirurgi ad ſudorem ſe compoſitura in Aqua Fumariæ parum Mithridatii ſumpſit, unde poſt bihorium graviſſimas anxietates &c. Bufonem magnum duoſque parvos, cum duobus lacertis viridibus per os rejecit &c.

R. p. 70. 23. Junii Anni 1647. neſcio cujus conſilio adſumpta Theriaca balneum ingreſſa, nocte inſequente ingraveſcentibus doloribus poſt jectigationem multam, ſudores frigidos, amputationem vocis, & alia ſuffocatis ex Utero, vel alioqui Ventriculo graviter laborantibus familiaria, evomuit 26. Jun. bufones duos majores (*die groſste hat ein und ein halb Quentlein gevvogen.*) quator minimos magnitudine Fuci majoris, & lacertas duas exiguas, auricularis digiti longitudine, craſſitudine ſcriptorii calami, vivas omnes, &c. Præmiſſo Clyſtere exhibui Pilulas (ibi deſcriptas,) dici vix poteſt quanta ſordium viſu & odore peregrinarum, viridium, luridarum, maculoſarum, viſcidarum copia ex intervallo ſeceſſerit. Ægrota interim ad omnia bene habere, reverti appetitus &c.

B. p. 257. die 12. Julii unus prægrandis, & duo parvi bufones mortui expulſi eſſent.

R. p. 70. die 12. Julii ſentire ſe hypochondrio pondus quaſi quoddam aiebat, accedebant tormina & motiones impetuoſæ cum ſumma anxietate & inquietudine, donec ad mictum urgeretur, quo conatu ſeceſſit bufo minor & poſt bihorium major; comite minimo quodam, mortuus. Haſce feras ipſa è pudendis prodiiſſe & enixa ſe eſſe ferebat. (*die groſste hat 3. Loth vveniger 1. Quentl gevvogen*) ſed deluſam, &c.

B. p. 257. D. Thomas Reineſius cum Claudero tentavit neceſſaria remediorum genera; ſed tota iſta æſtate nullum amplius inſectum obſervarunt, &c.

R. ibid. ex præſcripto juſſi pergere uti cœperat. 18. Julii ingruere vomitus aquarum lutulentarum, craſſarum, lentarum, citrinarum, ſummè fœtentium; urinæ etiam ſimiles mingebantur cum ſedimento farinaceo copioſiſſimo, ipſa viribus admodum dejectis; nihilominus perrexi adhibitis etiam ſubinde analepticis ægram refeci.

XXVIII. Julii poſt noctem prægreſſam graviſſimam, cum conſuetis ſordibus (quæ interea ad menſuras 30. ſeceſſerant) maſſam albam è luteo, fibroſam, corruptam, fœtidam puncticulis lucentibus, velut oculis, interſtinctam dejecit; ſimilemque ad uſum extracti Alhand. & Theriac. per quatriduum (exhibiti) 9. Auguſti. Ab eo tempore paulatim convaluit, conſuetos cibos potuſque adpetiit, lacte tamen & aquis ſemper delectata eſt, & nonnunquam uſa, autumnum hiememque ſine notabili offenſa peregit.

B. p. 258. Anno 1648. menſe Martio denuo quaſi ſurſum repentia animalia ſenſit &c.

R. die 24. Martii (Anni puta 1648.) proximè de familiaribus in abdomine roſionibus & turbis, ventris duritie, & inflatione, appetitu dejecto, corporis inuſitata gravedine, pigritie & & ad motum citatiorem ineptitudine, cum inſomniis turbulentis & dyſpnœa moleſta ad me ven-

ventitans querebatur; ſuſpicatus quod erat ſine cunctatione, exhibui ei mane ſumendam maſſam Pilularum è Marocoſtin. Mindereri ſucco abſinthii imprægn. extr. Panchymag. & tr. alhand. veſpere vero bolum è pulv. Dictamn. Cret. Contrayerva excepto theriaca formatum; Dejicit ſordes inſtar gelatinæ conſiſtentes, virides, viſcidas, cum aquis viridibus fœtidiſſimis, & cùm uſu horum per quatriduum continuaſſet, 29. Martii poſt tormina atrocia excrevit ranam muco plurimo involutam, cum tribus lacertulis & quarto dimidiato, vivam, ſubinde in aquis ſuis cooxantem, & effuſis aquis in tina ſaltantem: ea in ſextum diem in aquis ſuis vixit. Die Jovis ægrota ſatis hilaris erat: juſſi igitur pergere, Die Mercurii, 4. Aprilis, evomuit ranas virides majores duas, vivas, & 11. Aprilis bufonem grandem, turgidum, cum acutiſſimis unguiculis, mortuum, alvo excluſit. Referebat ſoror per horas ſex enixu conatam fuiſſe feram excludere, ſed non voluiſſe, donec ipſa manum admoveret & extraheret. Nihil poſt hanc excretionem, vivorum animalium, cum copioſiſſimæ per dies plurimos, prioribus ſimiles, contingerent evacuationes, ſeceſſit præterea, etſi per menſis ferè ſpatium aloëticis cum ſumma εὐφορίᾳ uteretur, & biberet aquam Salviæ aceto ſcillitico temperatam. Vivit autem hodie valetque, ne minimum quidem morboſi indicium præ ſe ferens; &c.

Hactenus Dn. D. Reineſius curæ ſolum præfuiſſe videtur, quæ verò deinceps ab anno 1649. ad annum uſque 1655. ægrotæ acciderint ex ſupra toties laudatiſſimi Dn. D. Bartholini Relatione petere licet.

Denique de generatione horum animalium in corpore hujus ancillæ pauca habet Reiniſius, quæ his abſolvit: Ego non dubitem adſerere proximo ab hauſtu ſeminibus animalium fœtæ aquæ vere per vomitum, quem ſingulis annis vernis menſibus pati ſolebat; excluſas fuiſſe feras: Sed aquas nec ipſa quidem, ut pote quæ vel in cloacas, vel in fimeta evomere conſueverat, obſervaſſe; Senſiſſe interim multa craſſa & corpulenta ore ſuo extrudi paroxyſmis vomituum creberrimorum. *Henricus Wallgnadius.*

Thomæ Reineſii Epiſtola ad Thom. Bartholinum De Ancilla Altenburgenſi ranas &c. evomente.

Catharina *Grilerin*, ancilla ruſticana è pago *Kürsdorff* diſtrictus Waldenburgici, annos circiter 30. nata, quæ per annos multos operis ſervilibus in opido noſtro vitam toleravit, corpulenta colore florido, poſtquam vere anni præteriti varios in abdomine dolores lancinatorios, inſolentes in eodem motus & inflationes ſenſiſſet (eadem ſymptomati uti & faſtidium quorumcunque potulentorum, inſanum vero appetitum aquarum & lactis à quinquennio vernis menſibus ſe experiri & vomitibus vehementiſſimis adfligi conſueviſſe refert ipſa.) 23. Junii An. 1647. neſcio cujus conſilio adſumptâ theriacâ balneas ingreſſa, nocte inſequente ingraveſcentibus doloribus, poſt jectigationem multam, ſudores frigidos, amputationem vocis, & alia ſuffocatis ex utero vel alioqui graviter ventriculo laborantibus familiaria, evomuit 26. Junii bufones duos majores, quatuor minimos, magnitudine fuci majoris, & lacertos duos exiguos auricularis digiti longitudine, craſſitudine calami ſcriptorii, vivos omnes. Territi hac inuſitata ferarum excretione domeſtici me vocarunt. Reperi adhuc de doloribus roſivis, ſenſu moleſto volutantium in inteſtinis glomorum & nauſea querentem; præmiſſo igitur clyſtere è lacte, cui aliquid Philonii, olei vero plurimum addideram, exhibui pilularum ex aloë ſucco citri imprægnata & extr. tr. alhandal ſeu diacolocynth. quod deſcribit Libavius in Apocal. Hermetica, & oleo citri paratam maſſam, ventriculo verò roborando mixturam ex aq. theriacali, ſtomach. Man. cum rhab. ſyrup. acetoſ. citri & momento aceti ſcillitic. præſcripſi: Dici vix poteſt, quanta ſordium viſu & odore peregrinarum, viridium, luridarum, maculoſarum, viſcidarum, copia ex intervallo ad uſum duplicis iſtius medicamenti ſeceſſerit; ægrota interim benè ad omnia habere, reverti appetitus, cereviſia etiam ſine faſtidio ab ea ſumi, tumultu interaneorum etiam aliquatenus ſedato 12. Julii ſentire ſe in hypogaſtrio pondus q. quoddam aiebat; accedebant tormina & motiones impetuoſæ cum ſumma anxietate & inquietudine; donec ad mictum urgeretur, quo conatu ſeceſſit bufo minor vivus, & poſt bihorium major, comite minimo quodam mortuus. Haſce feras ipſa è pudendis prodiiſſe, & enixam ſe eſſe ferebat; ſed deluſam arguit hoc, quod ſemper juſta muliebria rectè proceſſerint, quod ex ipſa primo ad eam ingreſſu quæſiveram, per alvum igitur excretæ fuere. Nihil autem novavi, ſed ex præſcripto juſſi pergere uti cœperat. 18. Julii ingruere vomitus aquarum luculentarum, craſſarum, lentarum, citrinarum ſummè fœtentium, urinæ etiam ſimiles mingebantur cum ſedimento farinaceo copioſiſſimo, ipſa viribus admodum dejectis, nihilominus perrexi, exhibitis etiam ſubinde analepticis ægram refeci. 28. Julii poſt noctem prægreſſam graviſſimam cum conſuetis ſordibus (quæ interea ad menſuras 30. ſeceſſerant) maſſam albam è luteo, fibroſam, corruptam, fœtidam puncticulis lucentibus velut oculis interſtinctam dejecit: ſimilemque ad uſum Extr. tr. alh. & theriacæ è quibus formari bolos & per quatriduum exhiberi juſſeram 9. Auguſti: ab eo tempore paulatim convaluit, conſuetos cibos potuſque adpetiit; lacte tamen & aquis ſemper delectata & nonnunquam uſa, autumnum hyememque ſine offenſa notabili exegit. Die 24. Mart. proximè de familiaribus in abdomine roſionibus & turbis ventris duritie & inflatione, appetitu dejecto, corporis inuſitata gravedine, pigritie & ad motum citatiorem ineptitudine, cum inſomniis turbulentis & dyſpnœa moleſta ad me ventitans querebatur; ſuſpicatus quod erat, ſine cunctatione exhibui manè ſumendam maſſam pilularum è marocoſt. Mindereri, & ſucco abſynth. imprægn. extr. panchym. & tr. alhand. veſpere bolum è pulv. dict. Cret. contrayervæ excepto theriaca, formatum, dejecit ſordes inſtar gelatinæ conſiſtentes virides viſcidas cum aquis viridibus, fœtidiſſimis, & cum

uſum horum per quatriduum continuaſſet 29. Mart. poſt tormina atrocia excrevit ranam muco plurimo involutam cum tribus lacertulis & quarto dimidiato, vivam, ſubinde in aquis ſuis coaxantem, & effuſis aquis in tina ſaltantem: ea in ſextum diem in aquis ſuis vixit. Die Jovis ægrota ſatis erat hilaris; juſſi igitur pergere. 4. Aprilis evomuit ranas virides majores duas vivas, & 11. Aprilis bufonem grandem, turgidum cum acutiſſimis unguiculis, mortuum alvo excluſit. Referebat ſoror per horas ſex enixu conatam fuiſſe excludere feram, ſed non valuiſſe, donec ipſa manum admoveret & extraheret. Nihil poſt hanc excretionem vivorum animalium, cum copioſiſſimæ prioribus ſimiles per dies plurimos contingerent evacuationes, ſeceſſit præterea; etſi per menſis ferè ſpatium aloëticis cum ſumma ἀφορίᾳ ureretur & biberet aquam ſalviæ aceto ſcillit. temperatam. Vivit autem hodie valetque, ne minimum quidem habitûs monſtroſi indicium præſe ferens; non deſinam tamen proximo, ſi Deus vitam conceſſerit, vere, quid cum ipſa futurum tandem accuratè obſervare. Variè quidem jactavit, ut ſolet, vulgus è natura excluſas fuiſſe iſtas feras; idemque de bufone illo grandi mihi perſuadere volebat ſoror; ſed minimè omnium veroſimile eſt in utero naturaliter conſtituto (qualem noſtri ſubjecti eſſe ex abſentia ſymptomatum ſignorumque male affecti & menſtruis ritè ſemper, uti ad me fatebatur, progreſſu colligere potuit) geſtatum, fo.um, alitumque fuiſſe. Non ignotæ ſunt hiſtoriæ enixarum ſerpentes, mures, ranas & ſimilia monſtroſa; quas collegit Schenckius Obſerv. l. 4. c. de molis, duas etiam miras recenſet hujus generis Zacut. l. 2. Prax. Med. Adm. Obſerv. 140. & ſimilem de Fœmina Monſpel. Riverius Centur. 2. Obſerv. Med. ult. ſed diverſiſſimus eſt caſus noſter ab ea quæ dixi. Quæſtionem & dubitationem omnem de generatione diverſorum in corpore iſto animalium nim. è ſeminario eorum hauſto cum aquis corruptis, & ſic ab errore externo factam, tollit narratio ipſius ægrotæ. Refert enim ſe, cum ante ſexennium & quod excurrit peſtilenti contagio infecta putaretur, domo hic ab hero extruſam ad matrem ſe contuliſſe; villanos autem, quod Altenburgo, ubi peſtis graſſari diceretur, & quidem ægra veniſſet, ſe in ædes maternas admitti noluiſſe: unde coacta fuerit ſe in caſam quandam tumultuariè pro recondendo fœno in prato vicino extructam abdere; ex eo gurguſtio ſubinde, impellente ſiti, ſe obviis lacunis & ſtagnis impleviſſe, & manu hauſiſſe, quod ſitim compeſceret, liquidum; ab eo tempore cum utcunque convaluiſſet, ſenſim ventrem intumuiſſe, & ſymptomata ſupra recenſita ſe adflixiſſe. Ego non dubitem adſerere, proximo ab hauſta ſeminibus animalium fœta aqua vere per vomitum, quem ſingulis annis vernis menſibus pati ſolebat, excluſas fuiſſe feras; ſed quas ne ipſa quidem, utpote quæ vel in cloacas in fimeta evomere conſueverat, obſervaſſet; ſenſiſſet interim multa craſſa & corpulenta ore ſuo extrudi paroxyſmo vomituum creberrimorum. Scripſi Altenburgi 20. Jun. A. 1648.

Reineſius.

Vixit adhuc, dum hæc ſcribo, ancilla iſta, vitamque conſuetis operis tolerat, ſatis vegeta & ſana, cum nullis cachexiæ vel alterius chronici morbi ſignis; ſaltem languet nonnihil, & reſpiratu non adeo libero, præſertim ad motum, fruitur. Victitat autem lacte utplurimum, cum intrito panis; potum alium omnem præterquam aquas abhorret, uti & carnes; quas ſi qua ingeſſerit, graviter adfligitur, & circa ventriculum inſolentes turbas perpetitur. Scripſi finiente Maio, Ann. 1661. Altenb. *Reineſius.*

Anatome fœminæ crebro Vomitui obnoxiæ.

In cadavere fœminino à Clariſſimo D. *Schact* non ita pridem diſſecto, hæc obſervata.

1. Peritonæum inteſtinis ubique ferè adhæreſcens, parte, qua adhæſit, innumeris ſcatens tuberculis, qualia in detracto pernæ corio apparent.

2. Omenti nullum veſtigium.

3. Inteſtina ipſa invicem coalita ut à manu Profectoris ægrè divellerentur, coloris ſubfuſci, quaſi ſemel cocta, innumeris tuberculis minoribus hinc inde ſparſa.

4. Tubercula majora, magnitudine nucis avellanæ, in inteſtinis omnibus, præcipuè recto, conſpicua. Tumoribus hæmorrhoidum, qui in extremitate ani ſolent protuberare, non diſſimilia.

5. Inteſtina Ilea inflammata.

6. Corpus ventriculo incumbens, altera parte ſanum, altera putridum, fædoque ulcere, juxta orificium inferius, ventriculum excavans, cui adhæſit firmiter, quemadmodum & Peritonæo. Hinc forſan miſera hæc muliercula, dum vixit, omnia ore aſſumpta mox rejecit, quod in ventriculo à mole incumbente compreſſo hoſpitari nequiverit.

7. Hydrops pectoris.

8. Hydrops abdominis, in cujus cavitate iii. ſeri pintæ.

9. Lien parte inferiore putridus.

10. Ren dexter naturali major, ſiniſter naturali multò minor.

11. Hepar ſcirrhoſum, diaphragmati adnatum.

12. Calculi in folliculo fellis. *Oligeri Jacobæi.*

Vomitus ſanguinis à vaſculis interioris ventriculi tunicæ hiantibus.

Retulit mihi Clariſſ. D. Wharton ſe aperuiſſe puellulam, quæ, aſperioribus pharmacis ab empiricô medicata, in vomitum ſanguinis incidebat, viribuſque ſubitò exolutis obibat. Apertô ventriculô, vas nullum ſive exeſum ſive ruptum deprehenditur; ſed interior tunica, niſi in locis pituitâ oblitis, cruenta invenitur; & nuda tunica, dorsô cultelli leviter deterſa, innumera ſanguinis minutula puncta exſpuit. *Franciſcus Gliſſonius Tractatu de ventriculô & inteſtinis.*

Vomitus funeſtus à pylori ſcirrhoſitate. Ex literis Excellentiſſ. Sponii Menſ. April. Ann. 1686. ad nos exaratis.

Optatiſſimæ tuæ ſub dato diei 17. 27. Martii aliquid reſponſiunculæ abs me omnino exigunt, etiamſi

etiamſi tuis illis ἀνθέξια, vix in mentem modo ventitent ulla. Pylori σκιῤῥώσιας tibi nondum frequenter viſas, facile crediderо,quas nec pleriſque aliorum Practicorum innotuiſſe credibile eſt, cùm de ipſis pauca planè ſuis in lucubrationibus delibent: Attamen hanc quoque partem, aliarum inſtar, talibus affectionibus, variiſque ſive tumoribus,ſive etiam ulceribus patere; minimè dubitandum tecum cenſeo. De hujuſmodi verò morbo video Clariſſ. Joan. Riolanum noſtrum appoſitè meminiſſe l.2. Enchir. Anatom. c. 23. Vomitus accidit, inquit ille) vel propter orificium ſuperius ventriculi obſtructum, vel orificium inferius. Si ſuperius alimentum ceſpitat in orificio ſuperiore, moxque rejicitur, ſi in pyloro vitium eſt, alimentum aliquanto tempore retentum excernitur. Porrò præter Veſalium nuper defunctum, quo de in prıotibus meis duorum aliorum, ſimili affectu extinctorum, hiſtoriæ commodum mihi nunc ſubeunt, quas heic libenter tibi communico: Ann. 1675. Menſe Martio, in cadavere adaperto Dom. Charaveji Negotiatoris Seplaſiarii hujus urbis Lugdun. vomitu perpetuo per menſem ante obitum conflictati, qui ſucceſſerat colico cruciatui, quo per tres quatuorve menſes antegreſſos vexatus fuerat, Pylorus deprehenſus fuit prædurus ac quadantenus cartilagınoſus, ſuo in orificio valdè coarctatus, & extra prædicti orificii fines tumor apparebat formâ oſſis hyoidis, mole ovi gallinacei, ſubjacebat pyloro pancreas durum ac ſcirrhoſum, comprimens pylorum cui adhærebat, ita ut nihil ex ventriculo egredi poſſet. Ventriculo ſuper incubabat magna jecinoris portio, ſub cujus fornice glutinata viſebatur illàc peragrantis coli lacinia, quæ ſcalpello ab hepate ſeparanda fuit. Præterea colo illâ parte veſicula fellis bile nigrâ turgida inequitabat, quæ humoris iſtius ſulfurei contenti portionem, inter duas coli membranas eructando, colicum pathos, quo tamdiu afflictus vixit, excitârat. Eodem anno menſ. Aprili, Dom. Vulpianus Civis Viennenſis, vomitu perenni menſe uno & ampliùs detentus, tandem occubuit, die 7. prædicti menſis, cujus corpore adaperto Pylorus repertus fuit, tumore ſcirrhoſo obſeſſus, ferè in cartilaginis naturam induratus, molis ter amplioris, quàm naturaliter eſſe ſolet, unde meatus ipſius adeò ſtrangulabatur, ut nihil illac pervadere poſſet, atque ita aſſumpta quælibet per vomitum rejectabanrur neceſſariò. Præterea ductus cholidochus obſtructus erat, unde cyſtis fellea heic extumuerat ad ovi gallinacei magnitudinem felle corrupto ac fœtente diſtenta, ad nigrum potiùs, quàm ad fulvum colorem tendente: quod ipſum fel in fundum ventriculi latenter effundebatùr, quâ ratione laborans, picrocholus ἄνω validiùs evadebat. Reliquis in partibus, ſive naturalibus ſive vitalibus nihil deſideratum niſi quòd præ atrophiâ impendio emarcuerant, ac impalluerant, ut par eſt, univerſæ. *Johan. Jacob. Harderus in Obſervationibus Anatomico Practicis.*

URETHRÆ MORBI
Vid.
GONORRHOEA,
LUES VENEREA,
CARUNCULA URETHRÆ.

URINAM SPECTANTES MORBI,

Curationes.

IN Iſchuria ſupprimitur omninò Urina, aut ob Veſicæ languorem, quæ nequeat urinam propellere, aut ob ipſius meatus anguſtiam, & obſtructionem; ideoque vel à paralyſi ſeu reſolutione muſculi ſphincteris, vel à nimia ejuſdem diſtentione ex immodico urinæ confluxu, undè nequeat illa ſeipſam exonerare; vel à calculo veſicæ collo hærente, vel ab ejuſdem inflammatione, aut tumore; vel à viſcoſa tenacique materia,pure,grumo ſanguinis,urethræ ductum opplente; ſicut etiam à callo ibidem genito; vel denique à verme alioque corpore per eas partes delato, atque ob loci anguſtiam in tranſitu hærente: quæ ſanè pro curatione internoſcenda ſunt.

Et quidem ſi à paralyſi, ſtupor atque ſenſùs hebetudo in ea parte aderit, itemque in aliis, per quas ramuli ſextæ conjugationis, & nervi ab oſſe ſacro prodeuntes, deducuntur; undè ſenſu motuque orbatus ſphincter muſculus voluntatis imperio ad meatus urinarii recluſionem non obſequitur.

Si à calculo veſicæ orificio infixus urina remoretur, aderunt indicia calculi ſuperiùs memorata.

Si à nimia veſicæ diſtentione, atque Urinæ repletione, diutiùs illa retenta eſt,& tactu percipietur inflatio in perinæo, ubi pondus, & meiendi deſiderium, cum conatu irrito.

Si ab inflammatione aut tumore, alterutrius ſigna tùm per tactum, tùm per viſum innoteſcent, præter febrim, ſitim, dolorem & alia accidentia inflammationem comitari ſolita. Neque verò omninò neceſſe eſt, ut veſica ipſa inflammetur, aut tumeat; cùm etiam à ſuperincumbentium aliarum partium tumore compreſſa nequeat urinam egerere.

Si à viſcoſo tenacique humore; urina perdiù ſabulo, mucoſiſque ſuccis ſaturata, mox tenuis, & veluti percolata excernitur, ac tandem ſenſim ſupprimitur.

Si à grumo ſanguinis, aut pure, præceſſit mictus ejuſdem ex vaſis alicujus apertione, eroſione, ictu vulnere.

A vermibus denique eventu ipſo potiùs, quàm certâ notâ deſignabitur.

Quod ſi, veſicâ vacuâ, urina ſupprimatur, vitium in renibus quærendum, de quo ſuprà.

In ſtranguria guttatim urina mingitur, & veſica ad illam reddendam aſſiduò ſollicitatur; quocirca urinæ ſtillicidium ægritudo hæc dicitur, cum dolore, & conatu præſertim in fine mictionis. Hujus cauſa eſt nimia ipſius urinæ acritudo, ac mordacitas; undè veſica in ſuo orificio, vel ſphinctere ulcerata, ſtatim ac illuc urina appulerit; micturire cogitur. Fit autem aliquandò ex

illa inaniter ad expulſionem ſtimuletur, à ſolo ſcilicet vapore acri, vel à muco, pure, arenulis, calculo, aliave re ſimili tenaciter hærente; nec diſſimili modo, ac in Teneſmo fit. Ex Gonorrhœa gallicâ pleroſque etiam experiri contigit ſtranguriâ moleſtiſſimâ laboraſſe, adnatâ nimirum inutili carunculâ ulceri urethram occupanti. Ab uteri quoque, vel recti Inteſtini inflammatione urinæ ſtillicidium fieri docet Hipp. 5. Aph.58. tractâ ſcilicet in conſenſum veſicâ ipſis adjacente.

Dyſuria demùm ſeu meïendi difficultas, quamvis à nonnullis cum ſtranguria confundatur; propriè tamen ab illa differt: etenim in Dyſuria non cogitur veſica tam frequenter & guttatim urinam reddere, cum poſſit nedum juſto tempore illam continere, ſed etiam diutiùs quàm deceat. At verò cùm emittitur, difficilis ſimul, & dolorifica eſt, quamvis cùm prodierit, ubertim profluat. Hujus cauſa refertur quoque, vel ad vitium urinæ, quæ mordax & acris ſit; undè dici conſuevit Ardor urinæ; vel ad veſicæ cervicem, & urethram eroſam, & ulceratam fortaſsè à calculo, arenulis grandioribus & aſperis, lue gallica, medicamentis acribus, præſertim ex cantharidibus, injectionibus in penis ductum aquarum erodentium, aliiſque. Quod autem urina tam infenſa veſicæ ſit in ſtranguria, ut illam illicò ad mingendum ſollicitet, & laceſſat: referendum videtur ad acidum ſalſum lixivium urinæ permiſtum, quod vel è ſucco pancreatico non convenienter correcto à fermento felleo procedat, vel à potu ciboque acidiori, nec dum benefermentato, ut de cereviſia novella, & vino Rhenano Germani ferunt. Cùm itaque ſenibus deficiat vel langueat fermentum hoc felleum, quo ſuccus pancreaticus, atque acores alii ex languore viſcerum orti queant corrigi, & temperari; fit propterea ut ii ſtranguriam patiantur; eoque magis quia acidum ſalſum crudis viſcoſiſque ſuccis adjungitur, quibus ſenes plurimùm ſcatere ſolent; undé iſti tenaciùs ſphincteri, atque veſicæ cervici hærentes, etiam citra lotium ad micturiendum trebrò ſtimulant, & compungunt. Hinc Helmontius ait, Senum ſtranguria fit, quoties fermentum bilis juſto debilius eſt; & non poteſt acidum ſtomachi chylum in ſalem ſalſum commutare.

Tàm itaque ſtranguria, quàm dyſuria ad mortem ſæpè ægros comitantur; cùm præſertim in ſenibus immedicabiles ſint; Si verò ſtranguriæ Ileum ſuperveniat intra ſeptem dies lethum minatur ex Hipp.6. Aphor.44 niſi febris ſuperveniens urinam promoveat affluentiorem. Longè autem periculoſior Iſchuria; nam retenta diutiùs urina ſanguinem, & viſcera quæcumque coinquinat, & corrumpit: nonnunquàm etiam ſoporem affert, & Apoplexiam. Cæterùm ex cauſis gravior, vel levior erit, prout illæ faciliùs, vel difficiliùs removeri poſſunt.

Suppreſſa urina omni induſtriâ promovenda eſt, amotis primùm cauſis quæ illam remorantur. Quare ſi ex paralyſi nervorum, & muſculi ſphincteris ſuppreſſio oriatur, adhibenda ſunt quæ paralyſi occurrant; intereà verò per catheterem aditus urinæ præbeatur, non neglectis topicis medicamentis, quæ robur, ſenſum, motumque muſculo recludenti impartiantur, Cumque ſæpenumerò reſolutio iſta ſphincteri accidat ab ictu, contuſione, aut vulnere oſſi ſacro inflictis, undè nervi ejus motui conferentes promanant, peropportunum, ſummeque utile erit, ad citam urinæ egeſtionem, contuſæ, aut vulneratæ parti ſpecialiùs opitulari, ut vis per nervos veſicæ ſuggeratur, atque unà ſimul vulneri, aut contuſioni, perquam ocyſſimè ſuccurratur.

A nimia veſicæ diſtentione ob retentam diutiùs urinam, (quâ de cauſa Tychonem Brahe Daniæ lumen, atque Aſtronomiæ reſtauratorem occubuiſſe ferunt) ſi fieri poſſit, uſu catheteris, vel ut mavult Sylvius ex Helmontio, ope candelæ cereæ, illa educatur; adhibitis intereà extrinſecùs medicamentis emollientibus, & laxantibus ex decocto malvæ, althææ, violarum, parietariæ, florum chamæmeli, ſeminum lini, illitoque oleo amygdal. dulcium, ſcorpionum, & ſimilium; clyſteres quoque emollientes proderunt ob conſenſum recti inteſtini cum veſica. At ab internis remediis abſtinendum quouſque urina profluxerit; ſicut pariter à potibus præſertim diureticorum, ne magis urina cumuletur, & affluentiùs in veſicam irruat. Poſtquam verò æger minxerit, ſi inflammationis ſuſpicio adſit, locum habebunt, quæcunque in gratiam veſicæ demulcendi vim habent, ut ſunt lenientes expreſſiones, ex condituris violarum, florum nymphææ, lactucæ, ſeminibus hordei, melonum, halicacabi; quibus & ſanguis hircinus, & ſal prunellæ, & ſaccharum ſaturni, atque alia ad inflammationem ſedandam peculiariùs conducentia adjici poterunt. Si verò à ſuperincumbente alterius generis tumore Veſica comprimatur, huic omninò diverſis, & pro re nata, congruis remediis, occurrendum; prout perito expertoque Chirurgo melius viſum fuerit; ſicut pariter cum à calculo urinæ egeſtio impeditur.

Si à calculo, ea conferent quæ ſuprà ad veſicæ & renum calculum ſunt memorata: quamquam, ut urinæ exitus promptè paretur, catheter neceſſarius videatur dextrè tamen adhibitus.

At cùm retentionis iſtius cauſa fuerit tenax, & viſcoſus humor, ad ejus attenuationem remotionemque incumbendum; quamobrem quæ ſuperiùs in impedita ſeri urinarii è renibus ſecretione ſunt recenſita, hic quoque optima erunt, vitatis inſuper alimentis craſſos ſuccos cumulare valentibus; imminutoque potu, quoad fieri poterit, ne plus juſto veſica gravetur, & oppleatur.

Ad grumum ſanguinis, & pus, proderunt diſſolventia; neque ab his verendum ne ſanguinis mictus magis promoveatur: gravius quippè damnum imminet ex grumo, & pure, quàm ex ſanguinis exitu; & conſultò admonet Fridericus Hofmannus, neque ſubitò ſanguinem ſupprimentibus utendum, cùm urina cruenta ex calculo provenit. Verùm ſi hæc diutiùs perſeveret, ſpeciatim prodeſſe ſcribit Hartmannus arcanum agrimoniæ, & quinquefolii ad grana aliquot exhibitum; itemque tabulas Plateri, & ſpecies diaplantaginis Mynſichti, atque ex Marte, & ſaturno medicamentum Cardilucii, ad ſiſtendam hæmorrhagiam, trochiſcos Gordonii, aliaque ſuperiùs memorata. Hippocrati commendabatur lac ovillum epotum, ſicut & poſca ad grumos diſſolvendos; ejuſque loco oxymel. Aliis eſt in uſu rhabarbarum torrefactum, & cum

ſucco

ſucco portulacæ exhibitum; atque ivæ artheticæ decoctum. Eſſentiæ hyperici, agrimoniæ, burſæ paſtoris, & plantaginis ab aliis magnifiunt; ſicut pariter tinctura, & ſyrupus coralliorum, pulvis hæmatites, & croci Martis. A Cantharidibus verò, lac, expreſſiones ſeminum melonum, & cucurbitarum, jura, cæteraque demulcentia proſunt.

Ulceri fortaſſis relicto abſtergendo conducunt quæ de ulcere renum dicta ſunt, præſertim decocta vulneraria cum balſamo ſulphuris, extractum hyperici, conſolidæ, verbaſci, pulveres ſarcotici dicti, terebinthum, tragacanthum, cera. Sylvio perutiles cenſentur injectiones ex decocturis plantarum aromaticarum in aqua, vino, vel hydromelle, addito balſamo ſulphuris, vel Peruviano. Seligit autem ex plantis Rondeletius radicem conſolidæ majoris, caudam equinam, plantaginem, hypericum. Immitti autem priùs debet catheter, mox aptandus ſyphon, ſeu ſyringa, ut liquor injiciendus veſicæ cavum ſubeat, ex Primeroſio de vulgi error. lib. 4. cap. 54.

Vermium denique Curatio ex alibi traditis petenda quoque erit.

Nulla autem cauſarum Iſchuriæ ratione habitâ, nonnulla recenſentur, quibus illâ affecti curati referuntur. Narrat Foreſtus quoſdam, poſt multa fruſtrà tentata, fimo equino cum vino calido Rhenano per filtrum trajecto, & epoto, illicò minxiſſe. Et Formius apud Riverium efficax remedium eſſe ait cerebrum picæ exiccatum, & cum vino albo propinatum: eo enim intra horam urinę exitum promoveri ſubdit. Proditum eſt ab Helmontio Mercatorem urinæ ſuppreſſionem octiduo paſſum, jamque morti vicinum, ſumpto ſucco millepedum, & conchyliorum nigrorum, in quo granum unum cantharidum fuerat incoctum, ſanitati fuiſſe reſtitutum. Fatetur Hartmannus urinam hirci calidè epotam, ejus verò omento, & inteſtinis ventri intereà applicatis, retentam urinam ſubitò propellere, unaque etiam calculum, ſi is fortaſſe ſuppreſſionis cauſa fuerit. Magnifaciunt alii infuſum calcinis trappæ in vino: expreſſionem è ſeminibus violarum, & nucleis perſicis cum aqua radicis urticæ, vel raphani: teſtas ovorum: eſſentiam lumbricorum terreſtrium, vel eorundem pulverem cum vino mulſo: ſuccum cancrorum fluviatilium itidem in vino; ſicut, & ſal radicis lupinorum à ℈ ß. ad ℈ i. ex eodem Hartmanno. Decoctum plantaginis aquaticæ cum pari quantitate vini græci ad cyathum unum, ferè poſt horam urinam promovet.

Extrinſecùs, Parietaria decocta, & cum oleo ſcorpionum inſtar cataplaſmatis pubi appoſita proficere plurimùm dicitur Foreſto: quam eamdem oleo frixam & nedum pubi, ſed etiam perinæo ſuperimpoſitam laudat Amatus Luſitanus; pariterque cæpam excavatam, & oleo anethino imbutam, ſupra cineres calidos excoctam, ac pari modo applicatam. In pueris verò commendat radicem Meu, ſeu dauci Cretici oleo decoctam. A lapide Nephritico brachio patientis alligato calculum veſicæ excretum vidit in Nicolao Treviſano Medicinæ Theoreticæ Profeſſore Jacobus Zabarella; indeque numquam ampliùs urinæ retentæ incommoda eum paſſum teſtatur. Eandemque opem ab eodem lapide Coxæ interiori admoto perſentiiſſe alium faſſus eſt Jo: Andreas Schogargus Medicus Patavinus, ex teſtimonio Jo. Rhodii. Sed admiratione dignum eſt, quod ſcribit Nicolaus Monardes de lapide Nephritico ex nova Hiſpania nuper ad nos delato, quem Praſio lapidi ſimilem eſſe, atque ad viridem colorem permiſtum tendere notat, præferri verò viridiorem. Is enim tantæ dicitur virtutis, & efficaciæ, ut brachio geſtatus ingentem arenularum quantitatem per urinam promoveat, atque ab renum dolore, & calculo tuetur. Verùm plures ex his mihi contigit experiri, ſed fruſtrà; niſi fortè illi adulterini fuêre, ne aliis Obſervatoribus derogem.

Ad ſtranguriam ea potiſſimùm convenire videntur, quæ urinæ acritudinem temperant. Hinc Helmontius ſalia è lixivio parata conferre ſcribit, qualia ſunt ſal ſtipitum fabarum, aut glandium in decocto cicerum rubrorum. In ſpiritu ſalis ſummum etiam arcanum latere ait. De ſucco betulæ magna etiam prædicat, ſicut etiam de oculis cancrorum. Vinum etiam pleriſque efficaciſſimum dicitur, in quo igniti ſilices pluries fuerint extincti. A ſpiritu vini ex floribus roriſmarini in julapii formam redacto, & manè ad cochleare unum aſſumpto, aliquot etiam vidi in melius abiiſſe: quamquam plerique Medicantium refrigerantibus, & humectantibus inſiſtant ex malva, viola, portulaca, quatuor ſeminibus majoribus, lacte, ſero, aliiſque, quæ potiùs ad acrimoniam urinæ temperandam uſui eſſe poſſent. A ſeminibus Halicacabi, glycyrrhiza, & floribus chamæmeli, cum modico pulveris nucis odoratæ, vel macis, magnum confici remedium pleriſque creditur. Et Foreſto decoctum foliorum ribium nigr. expertum dicitur. Olei ceræ guttæ tres, vel quatuor in decocto cicerum rubrorum exhibitæ, inquit Hartmannus, ſtranguriam ſolvunt. Externè verò axungia Hirci umbilico applicita, & oleum maſtiches ſtillatitium; nec non inſeſſus, & fomentationes ex herbis emollientibus elixis. Cùm denique calculum, arenulas, inflammationem, aut veneream luem ſtranguria conſequitur, medicamenta his opportuna in uſum ducenda erunt.

Speciatim autem in Dyſuria danda opera eſt, ut urinæ mordacitas temperetur, illaque quodammodò dulceſcat; quamobrem expreſſiones aliàs memoratæ ex ſeminibus, & condituris anodynis hîc locum habebunt, & multò magis ſi urinæ ardor ex cantharidum uſu oriatur. At verò ſi ulcus in veſicæ orificio timeatur, inutilia iſta erunt; ſicut etiam in ſenibus ex languore, & mucoſis acidiſque ſuccis; in quibus expoſtulantur roborantia, attenuantia, & aromatica ſubamara, vinum, vinique ſpiritus. Commendat Heurnius vinum tenue cum nuce myriſtica, & lixivium ex cineribus roriſmarini & vino albo. Thonerus oleum ſuccini puriſſimum ad guttas vi. in aqua petroſelini. Et Horſtius etiam aromata in urinæ ardore præſcribit, quamvis vitioſus humor acer, & calidus videatur. Apud Nicolaum Cheſneau refertur arcanum mirabile ex pulvere vitri ad ʒ i. cum ℥iii. aquæ roſarum manè jejuno ſtomacho exhibito, quo multos fatetur à Dyſuria curatos, excretis per urinam fæculentis ſordibus.

Illud poſtremò ſupereſt in hiſce Urinarum vitiis obſervandum, ut victûs ratio ejus ſit conditionis

ditionis, ut neque urinam crudoſque ſuccos cumulet, nec ad vias urinæ recrementa deducat; undè Helmontius nonniſi poſt pituitæ evacuationem, diuretica exhibenda docet. Modico igitur cibo, & parciori potu utatur æger: acria, & acida devitet; ne urinam acriorem moleſtioremque faciant, quæ potiùs, quoad fieri poterit demulcenda: eâ namque temperatâ ſæpiſſimè hujus generis ægritudines, citra aliùs medicamenti opem, ſponte ſua deſiêre: nec aliud quidpiam præſtant quæcumque ex expreſſionibus ſeminum plantarum conficiuntur. Cæterum Narcotica, & opiata tuta non ſunt, niſi dolor urgeat nimis. Et in cibum urtica minor, ſiſymbrium aquaticum, raphanus, ſiler, cæpa, aliaque his ſimilia in juribus excocta ſæpè ſæpius contulere.

Aliquandò Urina contineri non poteſt, ut debito tempore egeratur; non rarò etiam dormientibus ſponte ſua profluit; quod plerumque pueris accidit.

Hoc quoque vitium tribuitur muſculo ſphinċteri veſicæ orificium claudere nequeunti, vel quia paralyſi affectus, vel quia à maligno ulcere eroſus, & conſumptus urinæ exitum ex arbitrio non moderatur. Pueris verò potiſſimùm à laxitate ejuſdem urina proſilit; quamvis aliquandò ob vehementem imaginatricis vim illa in dormientib. per retractionem muſculi propellatur; adjuvante ejuſdem irritamento. Quamobrem novi quendam, qui quoties in ſomno mingeret, ſeipſum reverà mingere ſomniabat, atque ità, recluſo ſphinctere, urina effluebat; cum verò inter mingendum expergiſceretur, illicò contracto muſculo mictum continebat. Non rarò etiam accidit, ut oppleta nimiùm veſica per fibras ſuas carneas, & motrices urinam promoveat, obſequente intereà muſculo; ſicut pariter cùm à comprimentibus muſculis abdominis laceſſitur, aut etiam ab inflatis tumefactiſque inteſtinis, præſertim Recto, cogitur, & coarctatur; itemque à dolore vehementi, à Riſu, à repentino Timore, in quibus illa vel concitatur, vel laxatur.

Cùm pueris, & ſenibus accidit minus malum; in illis enim plerumque ſolet ætatis mutatione deſinere; in his verò quamvis inſanabilis ſit, non tamen mortem affert: cùm ità affectos multos viderim diutinam vitam protraxiſſe, iu juvenibus autem gravius, & eò magis, ſi alia ægritudine illi teneantur.

Ea igitur danda opera eſt, ut cauſa primùm languoris in ſphinctere removeatur; deindè verò peculiaribus auxiliis is roboretur, ſuoque munere ex arbitrio fungatur. Paralyſi autem inprimis occurrendum, ſi ab illa malum oriri videatur, fotâ ſpeciatim ſpinâ quâ parte nervi in veſicam proficiſcuntur, adhibitiſque etiam interiùs remediis ſuo loco memoratis. Verumtamen referuntur nonnulla peculiariùs huic affectui profuiſſe; Guttur galli toſtùm exiccatùmque, atque in pulverem redactum, & in vino rubro ante cænam exhibitum: Veſica capræ, aut Apri pari modo exiccata & pulverata atque ad ℥ i. in vino rubello epota, ſæpiuſque repetita: Pudendum ſuis cum braſſica capitata; necnon & piſcis in ventre lucii inventus: Cinis erinacæi: gummi arabicum, ſtyrax calamintha, cera, myrrha, mentha, glans, hypericus. Vinum in quo decocta ſint ruta, caſtoreum, calyces glandium quernarum; ſemen myrti, & thus commendatur à P. Bayro. Magnifaciunt alii pulverem à Rhaſi deſcriptum. Mus decorticatus, & in cibum exhibitus perutilis dicitur ex eodem Bayro; faseturque ſe hoc idem edoctum à mulierculis Delphenſibus Foreſtus. Fomenta quoque ex verbaſco, mentha, myrto, abſinthio, balauſtiis, roſis punicis, adjecto alumine, proſunt. Balneum, & unguentum valde efficax conficit Hartmannus: & Bayrus emplaſtrum, quod habet: Ladani, & maſtich. ſingul. ℨ ii. ligni aloës ſtyracis calaminth. cinnam. & terebinthinæ ſingul. ℨ i. & cum ſucco menthæ pubi, & perinæo applicatur.

Sed elegans ſanè, atq; admirandum remedium memorat Henr. ab Heers obſervatum in Puella Malmundarienſi, quæ ob ulceratam ab imperita obſtetrice in primo partu veſicam, in urinæ incontinentiam inciderat; ſanata tandem fuit conſilio Cingari, ſuſpenſo è collo ſacculo, in quo erat pulvis bufonis vivi in nova olla uſti; quod & remedium expertum ipſe deinceps vidit in quodam Mercatore Leodienſi eadem Urinæ ægritudine laborante. *Lucas Tozzi Medicina Practica Parte 2.*

In Mictu cruentô. Intentiones ſunt ut humorum acrimonia, ſi adſit, obtundatur, aut impetus minuatur; inflammatio, ſi adſit, tollatur, & & vaſa conſolidentur, & conſtringantur.

Venæſectio ut plurimùm convenit, partim revulſionis gratiâ; partim ad plethoram minuendam.

Si purgatio neceſſaria videbitur, commodiſſimè præſtatur bolô ſequenti.

♃. Caſſiæ rec. ℨ vi. pulver. ſubt. rhabarb. ℈i. terebinth. Cypriæ ℈ iv. pulver. glycyrrh. gum. m. Arab. an. ℈ i. M. F. bolus mane ſumendus, & pro re natâ intra triduum vel quatriduum repetendus.

♃. Rad. tuſſilag. ſcabioſ. an. ℥ vi. raſur. lign. ſanct. inter. nigerr. ℥ iv. rad. enulæ ℥iii. glycyrrh. Hiſpan. ℥ ii. polypod. rec. ℥ v. fol. veron. marſanic. bugul. hyper. totius an. m. ii, hederæ terreſtr. m. iii. flor. paralyſ. ſambuc. an. p. vi. ſem. malv. bombac. an. ℥i. coriand. præparat. ℥iß. nuc. moſc. ℨvi. bulliant in gallon. iv. alæ & tribus cereviſ. lupulat. ad duorum conſumpt. adde eorundem liquorum an. gallon. iii. Infunde per noctem vaſe bene ſtragulis tecto. Coletur & doliolo indatur, addendo mell. puriſſ. ℔ iv. fermenti alæ rec. ℔ ii. fermentetur ad perfectam depurationem, pro potu ordinario. Doliolo indatur ſacculus continens ℥ xvi. ramentor. Jovis puriſſ.

♃. Conſerv. roſ. rub. ℥ iv. conſerv. rad. ſymph. maj. flor. archangel. alb. an. ℥ i. conſerv. flor. malv. utriuſque, pulp. rad. alth. cum ſacchar. coct. an. ℥ i ß. pulv. ſubtil. glycyrrhiz. ℥ ß. pineol. mundat. ſem. citrull. melon. amygdal. dulc. mundat. aqu. roſ. infuſ. an. ℨ iii. tragacanth. ℨ i. M ſ. f. Electuarium. Doſ. quantit. jugland. quotidie in ingreſſu lecti horis tribus à cœna levi.

Addi poſſunt pulv. rad. ſymph. ocul. cancr. cryſtall. rupis in aq. urtic. & vin. Rhenan. ſæpiùs extinct. & in porphyrite redact. in alcohol.

♃. Trochiſc. nephrit. ℨ i. conſerv. roſ. rub. ℨiß. M ſ. deglutiat mane immediate ante hauſtum lactis aſinini ſacch. roſ. edulcorat.

Trochiſci

Trochiſci nephritici ſunt tales.

℞. Glycyrrhiz. Hiſpan. mund. ℥ ii. ſem. rec. mund. melon. cucurbit. citrull. an. ℥ ß. ſem. papav. alb. portulac. oxalid. lactuc. plantag. ſophiæ chirurg. an. ʒ iii ß. ſem. malv. cydon. an. ʒ iii. roſ. rub. anther. roſ. cupul. gland. ſumach. bacc. myrt. coriand. præparat. acac. hypociſt. an. ʒ ii ß. ſantal. omnium an. ʒ i. maſtich. thur. ſeu olibani ſandarach. ſuccin. præparat. an. ℈ v. ſpod. corn. cerv. ad albed. calcinat. cran. human. uſt. an. ℈ iv. ſang. dracon. magmat. rhabarb. ab expreſſione reſidui an. ℥ ß. carnis & oſſium meſpillor. herniar. equiſet. gland. an. ʒ ii. gumm. Arab. prun. ceraſ. tragacanth. an. ʒ i ß. amyl. tritic. ℥ i. f. Pulvis & trajiciatur per ſetaceum, & cum aq. ſperm. ranar. plantag. & roſ. f. Paſta ex qua formantur Trochiſci ad uſum.

Julapium exhibeatur ex aqu. ſtillat. ſperm. ranar. & ſyrupo è ſucco. plantag. corallor. &c.

Crocus Martis corallinus detur inſtar Lohoch cum gumm. Arab. & tragacanth. addit. ſacchar. Gumm. autem diſſolvantur in aq. plantag. & ſperm. ranar.

℞. Unguent. nutrit. magiſtral. rec. ℥ iv. camph. ol. nenupharin. ſolut. ℈ i. M. f. pro litu pro regione lumbari quotidie in ingreſſu lecti uſurpando, ſuperpoſito linteo non admodum calente.

Bufo terreſtris ſiccatus ſyndone involutus ſuſpendatur ex collo retrorſum, ita ut tangat regionem renum & continuo geſtetur.

Multum valet ſuccus urticæ depurat. cum ſyrupo ſequenti exhibitus; ſucci viz. ℥ iv. ad ʒ i. ſyrupi.

℞. Syr. de ſucco plantag. moror. rub. Idæi an. ℥ iv. ſyr. corall. ℥ v. ſyr. cydon. rob. de ribes an. ℥ vi. M. f. ad uſum.

℞. Urtic. rub. urent. virid. man. vi. ſcabioſ. rec. man. ii. heder. terreſt. man. i. Contund. & extrahatur ſuccus, & edulcoretur ſacch. roſ. Doſ. ℥ iv. mane & veſperi.

℞. Pulp. rad. alth. ℥ ß. pulv. ſubtil. rad. ſymph. maj. & glycyrrhiz. Hiſpan. ocul. cancr. præparat. an. ʒ ii. lap. hæmatit. præparat. ʒ iii. ſacch. roſ. ℥ iv. M. f. pulv. & cum ſ. q. gum. tragac. aq. ſcabioſ. extract. f. tabellæ, ſemperque unam in ore teneat.

℞. Flor. ſulphuris, lapid. hæmatit. præparat. part. alb. benzoin. an. ℈ i. Excipiantur omnia ſyrup. de hedera terreſt. ſ. q. f. Bolus dandus pluribus matutinis conſequentibus, ſuperhauſto poſſeti ex ſcabioſ. & veronic. præparati hauſtulo, dilato ad minus ad 3. hor. cibo.

℞. Balſam. ſulphur. terebinthin. inſpiſſat. ℥ ß. rad. enul. ſicc. gumm. guajac. an. ʒ ii. ceruſſ. antimon. Jovis in alcohol. redact. cum ſacch. cand. an. ʒ iii. cum q. ſ. balſam. Peruvian. f. Maſſa pilularis, Doſ. ʒ i. mane quotidie ſuperbibendo hauſtum cereviſiæ mellitæ.

Vidi quendam, annorum circiter 40. qui à retentricis renum imbecillitate, & tum vaſorum tum parenchymatis laxitate tantum cruoris fundebat cum urina, ut corpus macilentum, exſangue & penè tabidum ægerrime traheret, pulſum habens velocem, languidum & febrilem. Eò uſque res devenerat ut refrigeratâ urinâ, incoctus ſanguis in ea concreſceret albicans, & gelatinæ potius quàm ſanguini affinis. Vano labore aſſumptis & adhibitis omnibus remediis, tandem intra tres quatuorve dies convaluit, hauſto quotidie mane lacte vaccin. rec. mulcto ſuprà ramum menthæ rubræ, eoque calente ex animali dulcorato ſatis bonâ quantitate ſyrup. (gelatinæ, ſapæ) cydonior. & ſyrup. cinamom. Vivit adhuc (1644.) nomine Chambers, & ab annis 12. perfecta fuit iſta curatio.

Quidam, qui adhuc eſt in vivis, in paroxyſmis nephriticis à calculo, & etiam extra paroxyſmos ſæpiùs ſolitus fundere urinas ſanguinolentas, conſuluit plures Medicos doctos & melioris notæ, qui diu præſcripſerunt quæcunque ſunt artis, & irrito labore adminiſtrârunt idonea remedia, propinato ſæpiùs ſucco plantaginis, datis quæcunque ex ſymphyto, &c. præter iteratam phlebotomiam & alia innumera. Tandem acceſſit mulier quæ ſequenti remedio intra decem dies perfecit negotium planè ſedato per plures menſes ſanguinis fluxu, qui quoties recurrit eodem ſiſtitur modo.

℞. Bonam quantitatem herbar. viridium plantag. centinod. burſæ paſtor. hyperici; conciſis affundatur in veſica vel capr. vel potiùs ſtanneâ magna quantitas lactis vaccini rec. mulcti, & f. diſtillatio, quæ etiam fieri poterit in vaſe refrigeratorio. Excipiatur aqua, quæ reſervetur ad uſum. Exhibeantur ℥ v. aut vi. hujus aquæ, cum ℥ i. ſyr. de alth. (quidni de ſymphyt.) ter in die, manè horâ octavâ, quintâ pomeridianâ & in ingreſſu lecti per dies, 10, 12, 15.

N. B. Semel in eodem ſubjecto facta eſt recidiva hyemali tempeſtate, quâ cùm non ſuppeterent herbæ virentes, eædem præcedente æſtate dum vigerent collectæ, & debitè in umbra ſiccatæ, lacti inditæ & diſtillat. profuerunt optimè. Retulit Turnerus ægri pharmacopœus, *Mart.* 5. 1645.

Undecunque ardor urinæ vel dyſuriæ procedat, an ab humorum acrimonia, an à calculo, aut ab ulcere vel inflammatione Veſicæ vel ejuſdem ſphincteris, ſequentia eidem conducere poſſunt.

Pilulæ Nephriticæ Michelii magnæ ſunt efficaciæ in urinæ ardore à tartaro lutoſo.

℞. Myrrh. thuris maſcul. maſtich. an. ℥ ii. ſuccin. præpar. croci an. ℥ ß. camphor. ʒ ii. ℈ ii. ceruſ. antimon. fixiſſ. & albiſſ. ʒ xv. Trita omnia ut alkool excipiantur ſ. q. terebinthin. Venet. in ſpirit. Vini tartariſato liquatæ & mediante aquâ communi lactificatæ, f. maſſa pilular. Cap. ʒ ß. mane horis tribus ante prandium, & tantundem horis totidem à cœna levi, ſuperhauſto aquæ lactis ſeq. parvo cyatho, idque diu donec tota maſſa conſumpta fuerit.

℞. Rad. alth. ſymphyt. major. bulbor. lilior. alb. an. ℔ iv. fol. equiſet. parietar. melilot. cum toto an. faſcic. iv. (faſciculus autem habet man. iv.) fol. betonic. ſcabioſ. pimpinell. tapſ. barbat. cum flor. an. faſcic. ii. lagopod. portulac. plantagin. vulgar, & aquat. an. faſcic. ii ß. malv. violar. atriplic. hort. an. faſciſc. iii. flor. nenuph. utriuſque malv. roſ. chamæmel. an. m. vi. flor. eric. m. viii. melon. recent. à cortic. liberat.

iberat. maj. fragr. matur. numer. iv. Recentia omnia incidantur; iiſque affund. aqu. hord. vel alæ recent. coct. nondum fermentat. alterutrius, viz. liquoris fervent. ℔ xx. Sinatur fieri maceratio per noctem, in ampla veſica cuprea vel plumbea; aut ferrea, ſi habeatur, idque ad leviſſ. ciner. tepid. calorem; mane autem affunde ſeri lactis recent. non acidi ℔ xl. & ſuperpoſito capitello in refrigerat. f. diſtillatio in vaſe duplici, vel ſaltem ad leviſſimum calorem; & quæ extillârit aqua, ſervetur ad uſum in lagenis lapideis exactiſſimè obturatis ſubere, reponend. loco frigido ſubterraneo.

℞. Aq. lact. præſcript. ℥ v. medull. ſem. melon. ʒ ii. amygdal. dulc. recent. mund. par. v. hord. mundat. ad putrilag. coƈti cochl. i. f. emulſio dulcorando pauco ſaccharo, add. gum. Arabic. pellucid. in eadem aqua diſſolut. ʒ i. M f. pro doſi.

℞. Gumm. Arabic. glycyrrhiz. Hiſpan. recent. an. ℥ iv. radic. ſicc. alth. & ſymphyt. maj. an. ℥ ii. fol. equiſet. ℥ iii. flor. melilot. & malv. roſ. an. ℥ iß. Ex omnibus debitè ſiccatis f. pulvis ſubtiliſſ. ad uſum.

Uſus autem hic eſto: ℞. Hujus pulv. ℥ ß. aq. ſupradict. lactis ℔ i. trajic. aqua ſuper pulverem per manicam duodecies ad minus. Calefiat primò, & ut meliùs virtutem attrahat, vas ſuppoſitum recipiens argenteum vel fictile ſit in alio vaſe aquæ calentis pleno. Sumantur hujus liquoris ℥ v. vi. vii. vel viii. pro doſi.

Pilulæ hæ lenientes ex gumm. in magnis urinæ ardoribus quacunque de cauſa utiliſſimæ ſunt.

℞. Gumm. Arabic. & tragacanth. an. ℥ ß. gumm. pruni & ceraſ. an. ʒ ii. album. ovi inſpiſſat. & penitus ſiccat. ℥ i. pulp. extract. ex partibus. i. rad. alth. & parte una rad. ſymphyt. maj. cum decoct. capit. papav. alb. & citra uſtionem in balneo vaporoſo ſiccat. ℥ ii. ſucci glycyrrhiz. non combuſt. ʒ vi. Excipiantur omnia ſ. q. ſyrupi de papav. f. maſſa. Doſis à ʒ i. ad ʒ ij.

Non minoris efficaciæ eſt ſyrupus de mucilaginibus ſeq.

℞. Cort. med. ulmi, rad. alth. & ſymph. maj. an. ℥ ii. ſem. pſyll. & cydon. an. ℥ i. fl. nenuph. alb. recent. ſect. per medium caliculis, ut ſemen mucilaginoſ. exeat, par. xxv. Coq. cortex, radix. & flor. in ℔ viii. aq. hord. ad medietat. conſumption. f. colatura, cui calenti indantur ſemina, & ſatis longâ infuſione ad calorem moderatum extrahatur mucago, trajicienda per pannum ſtamineum, ad cujus ℥ xvi. add. gumm. Arabic. in aqu. roſar. & plantag. diſſolut. ℥ i. gumm. prun. & ceraſ. itidem diſſolut. an. ℥ ß. gumm. tragacanth. diſſolut. ad conſiſtentiam ſyrupi ʒ iii. ſacchar. alb. in aq. lact. diſſolut. (quæ etiam pro aliis diſſolutionibus ſumi poteſt) ad pondus omnium. Coq. lento igne continuò agitando ad conſiſtentiam mivæ, quæ in vaſe vitreo lati orificii ſervetur ad uſum.

Hydromel item ſequens multùm juvat.

℞. Lign. nephrit. conciſ. ℥ iii. rad. chin. ℥ xvi. rad. ſicc. alth. malv. ſymph. maj. an. ℥ viii. polypod. glycyrrhiz. an. ℥ iv. fol. ſicc. parietar. cymar. malv. & alth. an. m. i ß. fol. agrimon. equiſet. veronic. mar. betonic. an. man. ii. flor. nenuph. utriuſque cum capitul. malvæ vulgar. & roſeæ, papav. errat. an. p. viii. ſem. malv. alth. cydon. violar. an. ℥ i ß. melon. cucurbit. bacc. alkekeng. lactuc. portulac. an. ℥ i. ſem. papav. alb. ℥ iii. (vide de ſem. papav. nigr. de capit. papav. de ſem. hyoſcyam.) paſſular. mund. uvar. Corinthiac. jujub. an. ℥ vii. gumm. Arabic. prun. ceraſi an. ℥ iß. gumm. tragacanth. ʒ x. Omnia conciſa & contuſa ponantur in ſaccum è panno ſtamineo raro, & recond. doliolo atque iſtis ſpeciebus affund. hydromelitis optimè coƈti & deſpumati galon. x. Affundatur autem liquor calens, & in loco calido ſinatur fieri fermentatio omnimoda. Peractâ fermentatione liquor recondatur lagenis lap. apprimè clauſis loco ſubterraneo.

N. B. Ut tollatur ſapor mellis & flatus corrigantur, addatur paſtinaca ſylveſtris, tota planta optimè lota bulliat cum mulſa (ejus ſcilicet ℔ i. in mulſæ quantitat. ſuprà præſcript.) Mulſa autem paretur ex parte una mellis, & partibus 5. aqu. pluviæ, quæ ſimul coquantur ſedulo deſpumando ad ſupernatantis ovi terminum.

Ejuſdem virtutis eſt. Ala hæc medicata.

℞. Rad. aſparag. & ononid. an. ℥ ii. rad. malv. alt. ſymph. maj. an. ℥ iv. uvar. Corinthiac. ℥ vi. glycyrrhiz. rec. ℥ iii. fol. parietar. manip. iv. Bulliant in galonibus ſex alæ recent. ad duorum conſumption. Colaturæ add. gumm. Arabic. in aq. parietar. & ſiliq. fabar. virid. ſolut. ℥ iv. gumm. prun. & ceraſi itidem ſolut. & mucilag. ſem. nenuphar. ſatis ſpiſſ. in iiſdem aq. fact. an. ʒ ii. & f. fermentatio ad depurationem. Servetur ad uſum. Detur bis in die longè à paſtibus.

Cum hac uratur æger Electuario ſeq.

℞. Conſ. flor. malv. roſeæ (*Holphoſtz*) & communis an. ℥ iv. conſ. flor. papav. erratic. & nenuphar. an. ℥ ii. medul. ſem. melon. recent. ℥ iii. pulv. glycyrrhiz. & rad. ſymphyt. maj. an. ℥ i. gumm. Arabic. ℥ i ß. gumm. ceraſ. & prun. an. ʒ x. M ſ. f. Electuar. de quo cap. inſtar jugland. ante hauſtum Alæ.

Electuario huic, vel quibuslibet ex ſuprà præſcriptis addi poſſunt (ſæviente ardore & dolore) Opiata vel liquida vel ſolida, ſub ingr. ſect. vel aliàs ſi libeat.

In veſicam per ſyphonem injici poteſt liquor ſequens.

℞. Fol. parietar. malv. tapſ. barbat. an. manip. i. flor. malv. roſ. pug. iii. capit. papav. alb. majoran. numero iii. hord. mund. pug. ii. f. omnium decoct. & colat. de qua cap. ℔ ß. lact. vaccin. ℔ ii. mucilag. ſem. malv. cydon. & fœnug. extr. in aqu. plantag. & ſperm. ranar. ℥ ii. ſucci glycyrrhiz. in iiſdem aqu. diſſolut. ʒ i. m. ſ. pro injectione, cui addi poſſunt gr. iv. opii.

Oleum amygd. dulc. in veſicam inject. dolorem mitigat, ut & oleum commune non rancidum. *Theod. de Mayerne Prax. Medic. lib. 3.*

Mictus ſanguinis, utut ſæpe in annos trahatur, tandem tamen eſt feralis. Protinus autem ad cruoris illum in Urinis conſpectum de Calculo ſuſpicio, neque id ſine causâ, ſæpe enim ejus ille effectus eſt. At reperias, in quibus nulla unquam Calculi ſigna apparuere, & tamen cum morbo hoc colluctabantur, Calorem vocant Renum; nimirum tenuis eſt in illis

ſanguis

ſanguis & fundi facilis, quique ſe facilè cum ſero per glandularum contextum in tubulos hydragogos, & ex hiſce in Papillarum oras pelvimque efferat. Verùm & hic interponere judicium oportet; ſunt enim, quibus levior, ſunt quibus ſaturatior tinctura inhæret; imo vulgi hic error eſt, ubi juſtò rubicundiorem vident & lixivialem colorem, ſanguinis accuſare mixturam. Plurimis autem ad leviculum motum, concuſſionis imprimis ſive in equo ſeu vehiculo, ut cujuſque natura eſt, in Urinas incidunt rubras, ſaturas, tandem & cruentas, à quibus iterum cum quiete aut mutatâ corporis figurâ liberantur. Neque ullus hic eſt ſuppurationis metus, quando quod in Pelvim cum ſero tranſmittitur ſanguinis, univerſum deſtillat neque moram trahit. Si enim hoc fit, jam prona ad purulentiam diſpoſitio, quam ipſæ tum produnt Urinæ, de cujus tamen copiam hoc monere habeo, vix intelligi poſſe, unde illa ſuppetat; cum, ſi Renum eſſet illa ulceratio, jam millies exhauſti ac abſumti viderentur; atque; inde cogitatio mihi ſubrepit, annon, qui allabitur ſanguis, purulentam materiam jam antè in ſinu foverit mox in tubulos pelvimque cum ſero exponendam. Vidi hominem, qui cum Urinis quotidie ſtiriam ſanguinis emittebat; ſed quæ triſtioris morbi prænuncia intra octo menſes inflammationem Renum, & hinc natam exulcerationem adfuturam teſtata eſt, ſed cùm hoc ille morbo biennium vixit, & dolia puris profudiſſe viſus eſt. Credo tamen etiam ſedimenti illam faciem nonnunquam imponere, & pro pure accipi, quæ talia non ſunt. Subſidit aliquando in cruento ſanguine craſſamentum aliquot candidius, quod tantum abeſt, ut pro pure haberi poſſit, ut contra illud fibroſam ſanguinis partem conſtituat, exutâ nunc rubedine inque ſerum tranſmiſſâ, albam. Joculare eſt experimentum, elatâ per calidam tincturâ rubrâ ſanguinem oſtendere in craſſamento album. Nihil tamen magis me commovit, quàm Muci quoddam copioſiſſimum genus, nunc cum nunc ſine Calculo Urinam inundantis, Jurares narium blennam eſſe pituitoſa membranâ emunctam. At nunc quoque ſanguinis in Renibus Hæmorrhagiæ fiunt à Calculo, quas tamen nullum pus ſequatur, obſeratâ rurſum, quæ pridem ſtillaverat, venâ, ne ſemper pus exſpectandum putemus, ubi ſanguinis conſpicitur deſcenſus. In Pueris autem, quamvis delicato hominum genere, minus adhuc eſt ab iſtis periculi; impunè enim eos tuliſſe vidi & Alvi & Renum Hæmorrhagias, trepidantibus ad cruoris præſentiam matribus. Quod ſi ſæpius rediret ab alvo morbus, Clyſtere Terebinthinato lacteo res tota conficiebatur. Quemadmodum verò à Vermibus omnis generis ſymptomata & oſtenta proficiſci ſolent, ita quàm maximè Urinæ quoque patiuntur in hoc morbo damnum, nam & Dyſuria & Stranguria, & Diabetes cæteris ſeſe ſymptomatis immiſcent vermiumque, abſtruſæ pulliciei, molitiones produnt. Inter alia autem quis minctum cruentum ab hiſce etiam animalculis in aliam ſphæram rejectis excitari poſſe credat; duo tamen ejus rei exempla, ſi conjecturæ fides, mihi innotuere. Puella erat ſex annorum, ſana cæteroquin & bene valens; hæc primum Urinas mittebat de die cruentas, noctu verò naturales nulliſque valitudinis notis affectas; at poſt quatuor ſeptimanas illa quoque de nocte tingi monſtrumque alere cœpit. Et verò tum Parentum major ſollicitudo Medicorum operam quærere videbatur, & hactenus quidem, quod nullum aliud ſymptoma malè haberet, de cauſa laborabatur; cumque nunc præmaturum quoddam fermentationis menſtruæ genus, qualem ſeptenarii aliquando producunt, & produxiſſe antè demonſtravi, nunc aliud Naturæ ſecretò agentis beneficium animo agitaremus, fruſtrato remediorum, quæ huc collineabant, eventu, de Calculo incidit ſuſpicio; ſed neque ſigna teſtari hoc videbantur, neque medicamentorum apparatus, qui huc tendebat, ex voto reſpondit. Decoctum Rad. Altheæ cum Malvæ foliis & Jujubis cum Syrupo Byzantino; Emulſiones nonnihil Terebinthinatæ cum Aquis appropriatis in caſſum propinabantur; imo Balſamus Locatelli cum Syrupo de Symphyto, ne quid Empirici prætermiſiſſe videremur, nihilo plus præſtabat; ergo in illâ corporis actionumque ſpecioſâ integritate, cum poſt ſex ſeptimanas ſubinde ventris aliqui dolores cum dejectionibus, repentinis iſtis & mox ceſſaturis, ſuccederent, redire in illâ ſymptomatum anomalia ſuſpicio de vermibus, imò penitus confirmari, cœpit; nam cum aliquoties ei Pulverem ex Corallis rubris, Sanguine Draconis, Seminibus Hyperici & Zedoäriæ cum momento Liquiritiæ, exhiberemus, tandem ipſa cum valetudine rediit in gratiam. Biennio ferè poſt idem rediit affectus, ſed pluribus iiſque gravioribus ſymptomatis comitatus, nam & ſummi ventris dolores & febris acriter inquietabant; ſed alter, qui in communionem operis adſcitus erat Medicus, continuo Calculum adfore judicabat, ſed cui eventus defuit; namque intra octo dies, tum à febre, tum Urinæ cruentæ incommodo, jam etiam ventris doloribus, qui ſub finem profligatiſſimi erant, liberata magis ſponte Naturæ, quam ulla Medicorum operâ convaluit. Neque hic velim quiſquam de Vermibus dubitet, quod vivi non fuerint excluſi; manent enim ſæpe in corpore, villis, ex quibus pendent, agglutinati, ſoloque ſive ſuctu ſeu motu tragœdias illas excitant, mox in ordinem cogendi. *Joh. Nicolaus Pechlinus in Obſervationibus Phyſico-Medicis.*

Conſultationes.

De Urinæ ſuppreſſione, Iſchuria dicta. Pro Ingenua Muliere Forojulienſi.

Igenua mulier ſexagenaria, conqueri cæpit ſex abhinc menſibus de meiendi difficultate, ſenſim adeo aucta, ut quinque circiter menſes continua urinæ ſuppreſſione conflictetur, quæ cathetere immiſſo ſit ſollicitanda, eoque progreſſus eſt affectus, ut neque ipſius uſu cieri poſſit, niſi manu compreſſo hypogaſtrio. Accedit dolor per vices recurrens in ſiniſtro latere, propè ſiniſtrum renem, refertque Lithotomus, ſe dum catheterem immittit calculum deprehendiſſe. Propterea de agendis conſulitur.

Quare cùm urinæ excretio ſit propria veſicæ actio, ejuſdem ſuppreſſio morboſa erit, & quidem deperdita; ac proinde ſymptoma ab alio dependens, actione nempe læſa expultricis, quæ excernere non poteſt ſeroſitatem in veſica

urinaria contentam. Calculus autem in veſica eſt morbus in numero ipſius, & dolor in regione ſiniſtri renis, triſtis ſenſus, ab objecto diſſentaneo confertim & violenter ſolvente continuum partis, & fortè ab alio calculo; Expultricis autem veſicæ actio, cùm dupliciter lædi poſſit, vel labefactata, vel impedita, teſte Gal. 6. de L. Aff. & 3. de Cauſis Sympto. Impedita quidem, ob anguſtiam cervicis, & colli veſicæ; labefactata verò ab intemperie frigida & humida. In caſu tamen præſenti impedita non eſt. Hoc enim fieret vel ab obſtructione, vel compreſſione, vel conniventia, vel coaleſcentia ipſius canalis. Verum nullo horum coarctatur meatus: non ab obſtructione, quia neque à pituita, cujus nulla eſt excretio; neque a caruncula in canali ſuborta, quoniam præceſſiſſet aut gonorrhœa, & alterius materiæ effluxus acris, & mordacis, cum ſanguinis excretione, quæ nulla fuerunt; de calculo aliqua ſubeſt ſuſpicio, cùm tactui occurrat, atque non raro urinæ ſuppreſſionis ſit cauſa; quod tamen non admittitur, cùm cathetere immiſſo calculus detrudi debeat ad alias partes, nec tamen produat urina; minus metuendum de coaleſcentia; catheterem enim non admitteret. Atque licet à tumore inflammatorio in perinæo non raro ſupprimatur urina; quod obſervavit Gal. in quodam, cui gravis in ea parte inflicta fuit plaga, ut retulit 6. de L. Aff. & à me quoque obſervatum in Illuſtriſſ. Com. Annibale de Comitibus, Patricio noſtro. Verum tunc præcedit dolor, atque ipſa inflammatione aut ſoluta, ut contigit Gal. aut ſuppurata, & diſrupta, ut in Illuſtriſſ. Comite, abſque ullo obice, & liberè effunditur urina. Quare ſtatuendum eſt, veſicam & muſculos ejus compreſſioni dicatos, qui ſunt in hypogaſtrio, affectos eſſe, & quidem paralyſi, non muſculi ſphincteris ipſius: tunc enim adeſſet urinæ incontinentia, ſed corporis, & fundi, cujus ratione non poteſt commodè complecti per fibras tranſverſas in ipſa contenta, quò illud exprimat, quod fortè ſuperfluæ ipſarum humiditati, & laxitati adſcribendum: accedente quinetiam obtuſo veſicæ ſenſu, vel obſtructione nervorum diffuſorum cùm ad ejus ſubſtantiam ſenſus cauſa, tum ad muſculos cremaſteres in hypogaſtrio ſitos, illi comprimendæ dicatos. Quod patet ex eo, quia ſenſim ſpatio 20. dierum circiter facta eſt perfecta urinæ ſupreſſio, quæ ſolo cathetere immiſſo non effluit abſque pubis, & hypogaſtrii compreſſione, non ſecus ac à Dodonæo proditum eſt 67. ſuarum Obſervationem, ſibi contigiſſe. Cujus alia non fuit cauſa, quam pituitoſa materia hac ætate redundans, & fortè etiam naturale temperamentum; quæ ſicut antehac ad renes confluens, atque in ipſis hærens, in calculos concrevit, quorum alter ibi affixus, alter antehac in veſicam præcipitatus, in ipſa incrementum cœpit; ita nunc confluens eadem ad veſicam, laxitatem, & paralyſin induxit. Faceſſit tamen negotium, cur laborante calculo veſica, non ſit ſtranguria, & dolor, frequens mejendi voluntas, ut fieri ſolet? An hujus cauſa eſt idem obtuſus ſenſus veſicæ, cujus ratione calculus non protruditur ad muſculum ſphincterem, ac proinde ibi hæret ſine ullo triſti ſenſu, cum qui in rene eſt irritet expultricem, & cùm ad ureteris principium truditur, dolorem inferat. Atque hæc de eſſentia, & cauſis prædictorum affectuum proponenda duxi.

Ex quibus facile eſt conjectare, quam difficilis futura ſit prædictorum affectuum ſanatio, hac præſertim ætate, qua in dies magis languente calido innato ſit pituitæ proventus, ut vix ejus perfectæ aliqua affulgeat ſpes, cùm in primis ſit ſuſpicio tumoris alicujus in collo veſicæ, ob continuum tot menſium catheteris uſum; ſi quidem non raro ſanguis nunc cum dolore excerni obſervatur; ut propterea inflammationis præſens immineat periculum. Verùm cùm patiens ſit optimi habitus, & ad omnia tentanda promptus, ſolo prognoſtico non eſt committenda.

Si ergo aliquis curæ ſit locus, dubium eſt, utrum ſtatim præſenti affectui occurrendum, an verò præmittenda ſit extractio calculi in veſica hærentis? Cui ſolvendo ſtatuimus quod licet parum præſenti affectui uſui eſſe poſſit calculi extractio, quia tamen tutiorem reddit uſum locorum, præmittendam eſſe; quod non admodum difficili negotio in mulieribus fieri poteſt, abſque ulla ſectione, qua in viris eſt opus, cùm illis brevius ſit veſicæ collum, & laxius; ut propterea commodè admittat inſtrumenta calculo extrahendo accommodata. Duo enim magnitudinis ovi gallinacei extractos vidi, abſque inſigni moleſtia, alterum in Virgine veſtali Cœnobii Sanctæ Mariæ Matris Domini hujus Urbis: alterum verò in uxore Pauli Capivaccei nobilis Patavini.

Quare præmittatur diligens humorum præparatio, eorundemque purgatio, eaque repetita, ne humores ad partem affectam confluant: ſanguine quinetiam educto, ſed ex ſaphena, vel ex venis ſedalibus ad unc. vi. circiter: Capite mox peculiariter purgato per erthina, & maſticatoria. A quibus extrahatur calculus veſicæ: non omiſſis frictionibus, lateris affecti manibus inunctis oleo amygd. ad laxandas vias, quo calculus renis ad veſicam deſcendat. In quem uſum exhiberi poterunt ſpecies lithontribon cum aqua ononidu, parietaria, & ex ſiliquis fabarum, triduò. A quorum uſu, & viribus inſtauratis accommodis alimentis, deveniendum erit ad remedia calorifica, & exſiccantia interna, & externa. Inter interna ex uſu erit decoctum paratum ex ſaſſafras ligno Indico, & radicibus fœniculi, aſparagi, & apii, cum columba turricola, additis abſinthio, ſilere montano, ſalvia, roremarino, & ſtœchade: præmiſſo bolo ex terebinthina Cypria, & Theriaca antiqua. Externa erunt fomenta, inunctiones, emplaſtra Viro Excellentiſſ. notiſſima. Ominum tamen maximè ex uſu ſperarem Aquas Monti, Falconis, non longè ab hinc diſtantes, quarum facultas vigere magis obſervatur menſe Auguſto, quàm quocunque alio tempore. Atque hæc in caſu præſenti proponenda habui, potius ut ad quæſita reſpondeam, quàm ut ſanationis ſpem aliquam concipiam, ſi in primis dolor lateris non cedat à deſcenſu lapidis, cùm tunc omnia propoſita ſupervacua ſint futura. *Benedictus Silvaticus Conſil. & Reſp. Medic. Cent. 3.*

De mira Urina, & Alvi ſuppreſſione in nobili Veſtali. Ad Virum doctiſſimum Joh. Baptiſtam Soncinum, Practicæ Medicinæ Profeſſorem primarium, Piſas.

Nobilem hanc Veſtalem 20. annorum circiter, hyſtericis paſſionibus detineri compertiſſimum eſt; cùm ex eo, quòd vacuo à menſibus tempore, poſtquam primò eruperunt; ſtatim invaſit febris ardens; mox lenta ſemeſtre ſpatium durans: juxtà D. Hippocr. oraculum, quòd deficientibus menſibus, morbi fiunt ex vtero, tum potiſſimum, quòd ſemper à ſanguinis evacuatione juvamentum cœpit. In his autem affectibus afficitur magis caput, quàm alia pars, ut hoc nomine Torpores in iis obſerventur, Reſpirationes ſingultuoſæ, Caroticæ paſſiones ſtatutis temporibus ſemel & iterum recurrentes; quibus aliquando ſuccedunt copioſæ lachrymæ, vel ipſarum loco, gravitas capitis, & aurium tinnitus; ac omninò portentoſæ invadunt acceſſiones, quæ plurimum vel prorſus deliteſcunt, vel ſaltem remittunt ſtatim miſſo ſanguine cùm ex venis inferioribus, tum ex ſuperioribus, adeò luculenter, ut aliquando ab hujus præſidii uſu 20. dies, & quod excurrit à nova acceſſione immunis vixerit. Præter quæ gravia ſymptomata miraculo proximum ſanè refers Vir præclariſſime, quòd ſcilicet perpetua, ac prodigioſa urinæ, & alui ſuppreſſione laboret Nobilis Virgo, ita ut decimo tantùm, aut duodecimo quolibet die vnciam vnam, aut alteram aquæ albiſſimæ vrinæ loco effundat, licet copioſius bibat interdum. Atque cùm puerilibus annis illi fuerit alvus ſemper adſtrictior durantibus hiſce ſymptomatibus, nihil prorſus ſpontè reddit, injectiſque clyſteribus, aut quibuſcunque alis evacuantibus aſſumptis, vel ea non excernit, vel plurimùm ſaltem ſola aquoſa, præter ſola aquoſa aliquando non abſimilia loturæ inteſtinorum, ad ſemilibram, aut rariſſimè, ad libram unam circiter, craſſioribus excrementis, & alui fæcibus nullis omninò hucuſque ab eo tempore obſervatis. Ab evacuantibus quibuſcunque, potiſſimùm validioribus, maximam capit noxam. Vomitu quandoque moleſtiſſimo, ac fere inani torquetur, quo tempore os ipſi tetro amarore inficitur.

De hac itaque mira urinæ, & alui ſuppreſſione quandoquidem meam expoſcis ſententiam, hujus non aliam cauſam cenſeo, quàm internorum viſcerum æſtum, qui maximam ſeroſæ materiæ partem in halitus diſſoluit, alia in lachrymas effuſa, alia verò inſenſibiliter diſcuſſa; quinimò & alia clyſterum, & dejectoriorum medicamentorum ope per alvum aliquando expurgata. Quod autem natura per inſuetas vias materiam quandoque evacuet, inſolens non videatur, cùm obſervaverim fluxus ſanguinis menſtrui ſtatutis menſibus ex angulari vena oculi ſiniſtri multa copia; aliquando quinetiam per ſudores eandem materiam præfinito menſium tempore excretam; ut facili negotio natura hunc humorem in lachrymas effundat, cùm in primis non vacet ſuſpicione ægra humoris melancholici prædominantis, quem ſæpius Hippocr. aquam vocat; qua fortè de cauſa contrectato hypochondrio ſiniſtro recurrit affectus; quòd olim me obſervare memini in ſacerdote ſplenetico motus convulſivos, ex lienis attrectatione, qui ex violenta ejuſdem compreſſione remittebant. Gravior occurrit difficultas in aſſignanda cauſa ſuppreſſionis fæcum alui, abſque noxa alicujus momenti. Licet enim aliquando ſiſti poſſint non ſolùm menſes, ſed etiam annos, ut patet ex variis hiſtoriis à Joh. Schenckio ex pluribus authoribus petitis lib. 3. Obſervationum medicinalium; ubi etiam profert hiſtoria nobilis virginis, variis paſſionibus laborantis, ab his non multum diſſimilibus, cum ſuppreſſione alui, urinæ, ſudoris, & menſium. Cæterum in his caſibus vel intumeſcit venter, cùm dolore, ob ſuppreſſas fæces, vel clyſteris beneficio hæ ſubducuntur, ut contigit nobili Virgini, cujus meminit ille Obſervatione 277. cùm tamen in hac patiente neque ſuboriantur dolores, neque expurgentur fæces clyſterum, aut medicamentorum uſu: ut hoc nomine magis admiranda ſit hæc fæcum ſuppreſſio; niſi dicamus, aſſumpta ita attenuari ab internorum viſcerum æſtu, ut non multum ſuperſit terreſtris materiæ. Qua ratione dixit Hippocr. quod *Mictio plurima paucam ſignificat dejectionem.* Quod ſi admittatur, pauca excrementa craſſa in amplis inteſtinorum anfractibus hærebunt facilè, abſque inſigni noxa. Atque hæc brevibus, & in tranſcurſu, ob varia negotia, & meum ex Urbe diſceſſum proponenda habui de caſu præſenti; plura committens doctrinæ & eruditioni Viri præclariſſimi.

Remedia quod attinet, inſiſtendum cenſeo eductioni ſanguinis ex alterutra ſaphena, non hirundinibus, ſed ſectâ venâ, quò craſſior effluat. Hoc enim fere auxilio refert Matthæus de Gradi ſe Veſtalem Ticinenſem ſanaſſe. Fonticuli duo infernis partibus inurendi, alvus ſollicitanda purgantibus validis, placentæ forma umbilico appoſitis, faſcia ſuperaddita, facta emollitione ventris omento vervecis imbuto oleo amygdalarum; injectis clyſteribus ex iiſdem oleis, atque exhibito blando dejectorio per os; accedente quinetiam inſeſſu in balneo laxante, quò fæces duriores, ſi quæ ſunt, liqueſcant. Interim refrigerantium, & humectantium uſus frequens erit, ſeri lact. depurati præſertim, modò dejectorii, modò diuretici, vel etiam lactis ipſius aſinini, dejectorii pariter, addito diagrydio; non omiſſis uterinis medicamentis; cùm à ratione non abhorreat, facultatem inteſtinorum torpore ob aliquam nervorum obſtructionem, & ſemiparalyſin in illis partibus, non illi abſimilem, quo partes cutaneæ afficiuntur. Atque hæc in gratiam Viri Perilluſtris, & Excellentiſſ. cui omnia debeo. *Idem ibidem.*

De Iſchuria, Dyſuria, & Stranguria. Pro Nobili Forojulienſi.

Vir Nobil. quinquagenarius, temperamenti calidi & humidi, cum aliqua ventriculi frigiditate, variis in Adoleſcentia exercitiis gladiatoriis, militaribus, & Venereis in Italia, Germania, & Pannonia omninò addictus, phrenitide, febre peſtilenti, fœdaque gonorrhœa, per vices laboravit, deſtillatione ſalſa nunc ipſi moleſta. Octodecim verò ab hinc annis, menſe Decembri ſuppreſſione urinæ correptus fuit;

quæ tamen frequenti calidorum linteorum uſu pectini, & perinæo applicatorum liberè fluxit, à quo tempore quotannis ſemper, cùm æſtate, tum hyeme, renum, ut inquit, laxitatem & reſolutionem paſſus eſt; atque toto eo ſpatio urina quindecim, aut viginti dies turbida fuit, cum ſedimento materiæ albæ puris inſtar, mox aliquot dies vitreæ, accedente levi urethræ ardore; quæ priſtinam poſtmodum naturalem ſubſtantiam recipiebat, atque nulla moleſtia verno, & autumnali tempore, ſemper effluebat ſanorum ſimilis. Cæterum poſtremis hiſce duobus annis hyeme, urina turbida iterum fluxit, cum conatu vehementi; ita tamen, ut quò acrior meiendi voluntas eſſet, eo minus profusè redderetur, accedente immani dolore, & ardore propè radicem penis, cum ponderis ſenſu veluti pilæ plumbeæ incumbentis: remittente verò conatu illo, turbida manabat, liveſcens, fœtida, atque exhalante fœtore, acrimoniæ mordacitatiſque plurimùm particeps, ferè rubra, cum manifeſtis ſanguinis notis, ramentorum rubrorum ſpecie in matulæ fundo, quæ baculo diſſolui nequaquam poterant; ſuccedebat quandoque materia alba, craſſa, viſcida, tenax, abſque conatu, paulatim pondere ſuo, & lubricitate ſubſidens: quinimò retulit, quod quando meiendo veſicam comprimit, ejuſdem qualitatis, & naturæ materia per alvum excernitur, non ſecus quàm ab uſu clyſterum, & medicamentorum aſſumptorum, ut refert Vir Excellentiſſimus in morbi hiſtoria ad nos tranſmiſſa. Erumpentibus verò flatibus deorſum copiosè interdum, maximè levari ſe obſervat. Quò itaque ab his affectibus liberetur noſtram implorat opem. Quod ut ex methodo fiat, pars affecta, morboſus affectus, & cauſæ ſunt inquirendæ.

Pars affecta ex ſitu, actione læſa, excretis, & juvantibus cuilibet patet. Dolor enim, & ardor propè radicem penis, urinæ ſuppreſſio, meiendi voluntas, cum ardore, excretio materiæ craſſæ, albæ, cruentæ, & juvamentum à calorificis perinæo, & pubis regioni adhibitis illam luce clarius produnt, cervicem ſcil. veſicæ, cum muſculo ſphinctere, & glandulis proſtatis proximis, in omni gonorrhæa Gallica affectis: quod patet luculentius ex dejectione per alvum ſimilis materiæ, ratione conſenſus inteſtini recti cum muſculo ſphinctere veſicæ illi contiguo. Affectus verò prædictarum partium, me judice, duplex fuerit, anguſtia ſcilicet, atque ideò morbus in mala compoſitione, ſeu in via, & ulcus in ſoluta continuitate. Anguſtia in caſu præſenti duplex eſt, obſtructio nempe, & compreſſio meatus urinarii, quarum ratione ſiſtitur aliquando, vel ægrè fluit lotium; atque obſtructio ortum duxit à pituita craſſa, viſcida, & lenta, plurimùm à ventriculo tranſmiſſa, quæ iſchuriam ſeu urinæ ſuppreſſionem invexit, donec ea attenuata, fluxiorique reddita uſu linteorum calidorum pubi, & perinæo applicatorum liberè effluxit. Compreſſio quinetiam meatus urinarii cauſam habuit intumeſcentiam cùm glandularum proſtatarum, muſculo ſpincteri proximarum, cùm inteſtini recti, non ſolùm à flatibus, ſed etiam ab humoribus vitioſis, quæ & conatum illum, & acrem meiendi voluntatem irritam induxit, atque iſchuriam, vel dyſuriam ſaltem; eadem proſus ratione, qua prædictæ glandulæ ſpiritibus dum turgent in Venerea libidine, cum penis erectione, mictionem intercipiunt, donec iis diſſolutis flacceſcat; quo tempore libere fluit urina; quanquam prædictus tumor ſuſpicione non vacet inflammationis, cum ſphaceli periculo; cujus ſigna fuerunt urina illa turbida, liveſcens, fœtida, & rubra, cum ſanguinis ramentis, de quibus ſuperius; quæ, & ulcus in illis partibus patefaciunt ex divino Hippocratis oraculo Quarto Aphor. 81. quod. Si quis ſanguinem, aut pus, aut ſquamulas meiat, & gravis dolor adſit, veſicæ exulceratio ſignificatur. Licet enim puris, & ſanguinis excretio ſint accidentia communia omnibus inſtrumentis mictioni dicatis, ex eodem Hippocr. Aph. 75. ejuſdem quartæ Sectionis. Si quis ſanguinem, aut pus meiat, renum, aut veſicæ exulceratio ſignificatur. Graveolentia tamen eſt proprium ſignum affectæ veſicæ, ex Galen. in Comment. quando potiſſimùm excernuntur rubra ramenta, ut in caſu præſenti: ut mirum non ſit, ſi ſtranguria his ſucceſſerit; quanquam hujus cauſa potior potuerit eſſe materia ſalſa à capite defluens: à qua ſtatutis temporibus ad prædictas partes affectas à natura tranſmiſſa, cenſeo gonorrhœam illam ſpuriam (renum laxitatis nomine inſignitam) octodecim annis à Gallica quotannis hyeme & æſtate ortum duxiſſe, quo tempore 15. aut 20. dies continuos turbidam reddit urinam, cum hypoſtaſi materiæ primò albæ puri ſimili, mox & vitreæ aliquot dies, quæ poſtmodum ſanorum prorſus ſimilis toto verno, & autumnali tempore manat. Vix enim mihi perſuadere poſſum, tantam materiæ copiam ſenſim coacervari in parte affecta, abſque ulla noxa tam longo temporis ſpatio, quin potius in eam concedo ſententiam, quòd critico quodam modo hyeme, & æſtate tranſmittatur à partibus ſuperioribus, & expurgetur per partem affectam. Duo tamen hoc in loco negotium faceſſere videntur: primò quidem cur contingat hæc fluxio hyberno tantum, & æſtivo tempore; imò ne tunc quidem niſi menſe circiter? Secundò, cur ad veſicæ compreſſionem hujuſmodi materia excernatur per alvum? An quòd hyberno tempore pituitoſæ materiæ fiat proventus, cùm genitæ, tum coacervatæ, ob ambiens frigidum cerebrum refrigerans, & cutis meatus occludens, quæ propterea ratione copiæ expultricem irritat; Æſtivo autem tempore ratione malæ qualitatis, ſalſedinis ſcilicet, & acrimoniæ: cùm præſertim Nob. Patiens catarrho ſalſo laboret, ut hoc nomine expultricem irritando tranſmittatur ad partem affectam, tanquam imbecilliorem: quod non fit verno tempore omnium ſaluberrimo, neque autumnali, ob inſenſibilem, & ſenſibilem materiæ reſolutionem æſtate præterita. Hujuſmodi verò materiæ copia confluit ad inteſtinum rectum, propter ejus cum veſica conſenſum, cui utpote tenuium villorum & membranarum ope, adhæret, ut ad ejus compreſſionem, atque clyſterum, & medicamentorum aſſumptorum uſu poſſit expurgari per alvum. Atque hæc de parte affecta, eorum Affectibus, & Cauſis abundè fuerint.

Prognoſticum quod attinet, patet quàm difficilis futura ſit horum curatio, duratio, magnitudo,

gnitudo, & incompoſita victus ratio Nob. Patientis palàm faciunt: cùm potiſſimùm ſtranguria virulenta ſit inveterata, cujus adſunt indicia. Quod ſi veſicæ ſubſtantia eſſet exulcerata, prorſus incurabilis foret affectio. Verùm cùm exulceratio ſit in ejus cervice, & muſculo, quæ ſunt partes carnoſæ, ſperandum eſt fore ut præſentes affectus remittant, & Nob. Patiens à gravioribus præſervetur.

Quod fiet, ſi materia fluens divertatur, prohibita quinetiam ipſius regeneratione iis quæ caput refrigerare, & exſiccare, jecoris fervorem contemperare, & ventriculum calefacere poſſint: fluxaque ſenſibiliter, & inſenſibiliter evacuetur; ac ulcus detergeatur, exſiccetur, & cicatrice obducatur: non omiſſis Alexipharmacis virulentiam Gallicam, & excellentem ulceris putredinem oppugnantibus.

Quare præmiſſa univerſali totius, & particulari capitis, eaque accuratiſſima purgatione, medicamentis ſimplicibus, & compoſitis pituitam prædominantem, & bilem præparantibus, & purgantibus, cum ſanguinis eductione primò ex jecoraria dextra, mox ex ſaphena ſiniſtra: alter fonticulus dextro brachio inurendus erit, cùm alterum geſtet in ſiniſtro, majoris revulſionis gratiâ.

Materias remediorum tanquam notiſſimas, brevitati conſulens, Viris præclariſſimis committo; hoc tantum ſuadens, ut ſemper Vere, & Autumno purgetur corpus; quò levetur ſarcina, hyeme, & æſtate tranſmitti ſueta ad partem affectam. A quibus tria præſidiorum genera interna ex uſu erunt. Primò quidem potus aquæ Tetutianæ, quatriduum, cum mell.roſ.ſolut. ad ℔.iij. qualibet die; detergendæ pituitoſæ materiæ; mox aquarum diureticarum, ex ſiliquis fabarum, Alchechengi, & ononidis ad lib. unam cum drachm.1. Terebinthinæ Cypriæ, x. vel xii. dies. Secundum remedium erit decoctum ex ligno Indico, & ſalſa parilla, 30. dies, cum ſudore; ita tamen ut ſalſæ ſit major doſis, cui ſingulis diebus addatur unc. 1. ſucci cichorii optimè depurati, ad extinguendam virulentiam Galicam, exſiccandum catarrhum, & pituitoſam materiam. Tertium erit lac aſininum, ad unc.iv. quotidie aſſumptum, cum melle roſato ſimplici; quo nil utilius ad detergendum, & conſolidandum ulcus, ex Galeni ſententia de Simplic. Medicam. cui ſi progreſſu temporis admiſceatur pulvis ſarcocollæ, & thus, exſiccabit magis, & ulcus cicatrice obducet; cujus uſus erit menſem circiter; quo tempore validiora quinetiam exſiccantia præſcribenda erunt.

Quibus accedent externa, quæ proportione illis reſpondeant, puta clyſteres primò deterſorii, deinde exſiccantes. Inſeſſus in aquis Thermalibus ſubaſtringentibus, potiſſimùm Montis Ægrotorum; vel in aquis fabarum, in quibus ſæpius extinctum fuerit ferrum candens; injecto quinetiam per ſiphonem lacte in meatum urinarium; atque applicato perinæo cerato barbaro, ſubacto cum ſucco acaciæ, & myrtillorum. Ventriculus foveatur ſpongia imbuta vino generoſo, in quo ebullierint mentha, abſinthium, & calamintha ſuperaddito cerato maſtichino. Caput exſiccetur pulveribus exſiccantibus roſarum, cornu cervi, oſtreorum combuſtorum & agarici.

Victuſque proportione his reſpondeat, *Idem ibidem.*

De Dyſuria. Pro Illuſtr. ac Nob. Anglo, Sereniſſ. Regis Angliæ ad Principes Oratore.

Illuſtriſſimus Patiens poſt varias gonorrhœas Gallicas, atque longum uſum decocti ex ligno Indico, & ſalſa-parilla, cum ſudore ſemper, & victu exſiccante, longè quidem melius habuit, non tamen unquam in totum convaluit. Guttulæ ſiquidem quædam ſeminis compreſſa glande ſemper manarunt, licet aliquando eo conatu, quo dejiciuntur fæces, major ejus copia ſponte effluxerit, cujus cauſa tribus abhinc annis ex Chirurgi cujuſdam conſilio injecta fuit ſiphone in penem aqua ex tartaro vitriolato, & ſpiritu ſalis, vel vitrioli diſſolutis, ad exſiccandas, & roborandas prædictas partes, à cujus uſu in moleſtiſſimam, & diuturnam dyſuriam incidit, quæ ſenſim remiſit, per ſiphonem injecto lacte. Cùm verò ſuadente altero Medico hauſiſſet aquas thermales calidas, atque ſtillicidium ex iiſdem calefactis valdè ſupra regionem veſicæ admiſiſſet, longè deterius habuit, donec variis Medicis præſidiis internis, & externis in præſentem morbi ſtatum perductus, eſt, quo frequenter mejere cogitur, pleno tamen alveo, & aliqua copia, cum prurito quodam, & ſibilo in meatu urinario, fluente urina, ſuperſtite ab ipſa aliqua mejendi voluntate, & ſtillantibus guttulis aliquot urinæ. Invaleſcit verò affectus illicò ab uſu aromatum, acrium, ſalſorum, & diureticorum in cibis, atque vini acidi, violento exercitio, & venere, ad quam ſicuti antehac proclivis erat, & promptus, ita in præſentia ſegnis & ignavus evaſit. Propterea noſtram efflagitat opem, & operam.

Inquirendæ itaque cauſæ ſunt prædictorum affectuum, quò accommodatis remediis ſit locus. Tres autem principes poſſunt eſſe dyſuriæ præſentis. Primò quidem confluxus pituitæ ſalſæ, à capite calido & humido ad affectas partes, prout ejuſdem copia tranſmittitur ad fauces, ad partes circa linguæ baſim, & thoracem; quæ eſt cauſa verrucarum in ejuſdem linguæ baſi, tumoris aliquando glandularum antiadum, rancedinis, & tuſſis. Secunda cauſa poteſt eſſe arenularum ſcabrities, vel earundem in calculum concretio, cùm antehac eaſdem excreverit. Tertia, urinæ acrimonia, ortum ducens à jecoris fervore, cujus adſunt indicia in digitis, & naribus, ubi leves inflammationes, eryſipelas, & furunculi erumpunt. Cæterum neque à pituita ſalſa, neque ab arenulis affectum præſentem contigiſſe cenſeo, cùm urinæ ſint ſemper boni coloris, mediocris ſubſtantiæ, & ſine ulla hypoſtaſi, & quidem diutius ab ipſis excretis, quod ſanè non fieret, ſi hujus affectus cauſæ eſſent. Propterea duplicem hujus cauſam agnoſco, acrimoniam primò urinæ, ex permixta bile, & atra bile in jecore fervido genitis, atque hac ætate non evacuatis: ſecunda exquiſitum ſenſum partis affectæ, cùm à frequenti præterita Venere, quæ exhauſit humiditatem illam viſcidam, glandulis inhærentem, tum potiſſimùm à frequenti uſu aquæ illius tartareæ, acris & mordacis injectæ: ſicut ſegnities ad Venerem fieri potuit à

nimia laxitate vaſorum ſpermaticorum, cujus ratione ſeminis fit ejaculatio confertim, & longè majori copia quàm antea.

Affectus ſanè difficilis curationis, ob durationem ipſorum; cujus ratione nec dum ceſſerunt variis remediis internis, & externis hucuſque adminiſtratis. Non tamen incurabiles cenſeo, ſi refrigerantium, exſiccantium, & roborantium longior fuerit uſus, præmiſſa accurata totius corporis purgatione.

Abſolvetur verò hæc lenientibus, præparantibus, & purgantibus humores prædominantes, pituitoſum, & melancholicum; non omiſſa ſanguinis miſſione ex vena jecoraria dextra, cùm toti evacuando, tum contemperando jecoris fervori. A quibus tria remedia interna ex uſu cenſeo; primo quidem ſyrupum ex mucilaginibus, ad muniendas partes ſuperficialiter eraſas, cujus parandi hæc ratio eſt.

℞. Seminum altheæ malvæ, cydoniorum an. unc. I. ſeminum papau. albi, tragacanthi, gummi Arabici an. unc. ſem. contundantur, & infundantur in ſufficienti quantitate decocti malvæ, liquiritiæ, ſem. pylii, papaveris albi, & fructuum alkechengi ad partes æquales decoctorum; facta deinde expreſſione horum ſeminum, tragacanthi, & gummi; cui adde prædicti decocti unc. VI. ſacchari albiſſimi q. ſ. f. ſyrupus: cujus uſus erit ſingulis matutinis horis ad unc. ij. cum libra un. prædicti decoct, pergatque in uſu ipſius 15. dies, & ab ipſo præſcribatur decoctum ex ſantalis citrinis, & viſco quercino, hunc in modum.

℞. Santalorum citrinorum unc. IV. viſci quercini unc. II. aquæ fontis lib. VI. f. inf. diem naturalem, deinde decoque lento igne ad conſumptionem medietatis, addendo ſub finem liquiritiæ inciſæ unc. II ſem. fructuum alchechengi contuſorum unc. I. & facta levi ebullitione, & colatura ſervetur, ac deinde

℞. Prædictæ decoctionis unc. VIII. ſucci cichorii optimè depurati unc. I. ſeminum quatuor frigidorum majorum contuſorum unc. I. ſem. magiſterii, perlarum, & corallorum an. gr. iij. miſc. pro ſyrup. & ſic pro ſingulis: cujus uſus erit 20. & plures dies, præmiſſa unc. ſem. hujus medicamenti.

℞. Sacchari roſ. antiqui, diacydonij ſine aromatibus, an. unc. VI. aromatici roſati drach. ſem. confect. alchermes, unc. ſem. trochiſcorum de ſuccino drachm. ij. m. cum ſyrup. de ſucco limonum: cujus doſis unc. I. vel ante decoct. vel ab ipſius uſu. Fiant inſeſſus in vino rubro aſtringenti, in quo ebullierint roſmarinus, ſalvia, ſtæchas, calamentum, addito alumine crudo pulverizato. Inunctiones perinæi demum ex uſu erunt, ex oleo de caſtoreo, & de nuce moſchata, additis gr. iij. moſchi, & ambræ, cum pauca cera. Verrucarum ſumma forcibus amputanda, deinde exſiccandæ illæ pulvere tuthiæ, roſarum exſiccatarum, & corticum granatorum: atque majoris exſiccationis, & roborationis causâ, ferrum latius candens proximè admoveatur; munitis partibus circumpoſitis linteolo imbuto aqua roſarum.

Victum tanquam notum Viro Illuſtr. ac Præclariſſ. Medicis ejus curæ præfectis brevitati conſulens committo. *Idem ibidem.*

De Stranguria ab ulcere veſicæ, & levi Apoplexia. Pro D. Stanislao Dembinchi Polono.

Ex hiſtoria ad nos tranſmiſſa conſtat, Virum Nobilem ſexagenarium, hirſutum, animoſum, nigris pilis, atque inordinatè viventem, poſt gonorrhœas, ſcorbutum, & hypochondriacam affectionem, conqueſtum eſſe ab aliquot annis, ſicut & nunc, de mictione frequenti, dolorifica, & veluti purulenta; atque doloris ſitum eſſe in ſphinctere veſicæ, & perinæo, qui decumbendo remiſſior ſit, erecto corpore invaleſcat, graviſſimus verò ambulando evadat, Addunt, virum Nobilem ante ſemeſtre correptum fuiſſe oblivione, & omnium animalium actionum abolitione. Quam affectionem præceſſit, nunc verò ſequitur triſtitia ſine cauſa: flatibus item abundare. Quorum malorum cauſa opem Medicam poſcit.

Cenſemus primò itaque inveſtigandam eſſe ſtranguriæ ſeu mictionis depravatæ cauſam, quæ diutius ipſum torquet, cujus cauſa continuò decumbere cogitur; deinde expendemus qualis fuerit affectus ille, quo ante ſemeſtre laboravit, & quæ fuerit ejus cauſa.

Quanquam autem ſtranguriæ variæ poſſint eſſe cauſæ; in caſu tamen noſtro duorum alterum ſtatuendum cenſemus; vel ſcilicet ipſam ortum ducere a pituita ſalſa, vel ab ulcere ſphincteris veſicæ. Hinc enim ſedimentum craſſum, veluti purulentum in urina conſpicuum indicis eſſe poteſt hanc non fieri ſimpliciter ab urinæ acrimonia, quam nobis alioquin ſuadere facilè poſſet hirſutus, calidusque & ſiccus corporis habitus, ad bilis proventum accommodatus: ut quid enim contentum hoc veluti purulentum? Minus huic ſententiæ accedo, quod à calculo proveniat, cujus ſignum eſſe poteſt dolor in ſphinctere firmus, intentionem, & remiſſionem ſuſpiciens à vario corporis motu. Si enim adeſſet calculus, præceſſiſſet arenularum excretio, dolor nephriticus, & aliquando paſſus eſſet iſchuriam, vel ſaltem urinæ ſtillicidium. Quare crediderim facilè, affectum hunc à pituita ſalſa produci; cujus indicium eſſe poteſt ſedimentum illud craſſum, quod agitatum urinam efficit turbidam, ætas ſenilis, præterita functionum principum noxa, & incompoſita vivendi ratio. Nec tamen ulceris deſunt indicia ex gonorrhœis præteritis, muſculum ſphincterem exulcerare quæ potuerint, necnon, & ex contentorum ſubſtantia: cùm referant contentum eſſe quaſi purulentum, Quare in hac ſignorum ancipiti conjectura, in eam maximè feror ſententiam, ſtranguriam præſentem fieri potius ab ulcere, quàm à pituita ſalſa: cùm hæc viſcida eſſe ſoleat, quale non eſt contentum propoſitum; adde, quod pituita ſalſa non magis afficit ſphincterem, quàm meatum urinarium, ac proinde in variis partibus dolorem inferre deberet, qui neque invaleſceret magis ambulando, quàm ſtando, vel decumbendo. Accedit, quod gonorrhϾ præteritæ facilè exulcerare potuerunt glandulas proſtratas, quarum ſupra muſculum ſphincterem ſitus eſt, vel ut alii cenſent, infrà, ſemper tamen juxta muſculum, quem propterea exulcerare poſſunt; quinimò & partes circumpoſitas, ita ut foramine pateant meatus, perinæum, vel ſcrotum, ac urinam non rarò tranſmittant.

mittant. Quod obſervavimus diebus elapſis in patiente noſtro Patavino, gonorrhœam Gallicam ſpernente, nec perfectè curante. Præter quæ, dolor ſemper ſoli alicui parti inhæret, qui alioquin ad proximas propagaretur, atque convaleſcit ad motum corporis, ratione ſympathiæ muſculoſæ ſubſtantiæ; cujus rei luculentius indicium eſſet ſanguinis veſtigium, ſi adeſſet: quod tamen non eſt omninò neceſſarium. Primò quoniam vigente gonorrhœa potuit effluxiſſe; Secundò, quia in pus faceſſere poteſt, antequam excernatur. Quapropter cenſeo ſtranguriæ hujus cauſam eſſe ulcus; quemadmodum, & affectionem illam præteriti ſemeſtris, quâ functiones animales perierunt, fuiſſe apoplexiam levem, ab humore melancholico ex hypochondriis in cerebrum elevato. De qua Hippocr. in Aphor. Quibus derepentè lingua fit incontinens, aut pars aliqua corporis attonita ſtupet, eſt ſignum melancholicum; ut propterea in paralyſin non deſierit, quæ ſemper excipit apoplexiam à pituita ſubortam. Quod & ex eo facile conjicere eſt, quia Nob. Patiens hypochondriaca affectione laborat, & quod ante ſymptoma illud, & ab ipſo, ſine cauſa mœret. Et hæc de eſſentia, cauſis, & partibus affectis affectuum prædictorum.

Quos ſanè antiquos, & tantum non connatos, non ſolum difficillimæ fore curationis cenſeo, ſed etiam periculum imminere perforationis perinæi, & graviorum affectuum, niſi accommodatis remediis ceſſerint.

Quare ratione doloris, & depravatæ mictionis, detergendum eſt ulcus, & cicatrice obducendum, præmiſſa diverſione materiæ fluentis; diſcutiendi flatus; obſtructiones, ſi quæ ſunt in liene, reſerandæ; contemperandum jecur, præmiſſa univerſali corporis purgatione, nec omiſſis epiceraſticis ratione doloris. Quæ præſtabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Inter Chirurgica principem locum obtinet ſanguinis eductio, cùm ex jecoraria dextra, tum ex ſaphena ſiniſtra, demum ex venis ſedalibus, pauca tamen copia, habita ſemper ratione virium, & ætatis.

Pharmaceutica ſint univerſalia, & particularia; in quibus erunt lenientia, præparantia, & purgantia humorem melancholicum prædominantem, necnon & pituitoſum: hac tamen lege, ne ſint diuretica, quæ humores vitioſos devehant ad partem affectam. Materias remediorum tanquam notiſſimas Viris præclariſſimis data opera committendas duxi; hoc tantum obſervato, quod ſi Patiens Nobiliſſ. fuerit ad vomitum proclivis, vomitoria blanda aliquando illi exhibeantur; dolore interim mittigato anodynis, emplaſtro nempe ex farina, malva, lacte, & oleo roſato; vel ex pane, lacte, & aqua roſarum imbuto; emplaſtri forma perinæo applicando. Quod ſi vigiliæ infeſtæ eſſent, doloris cauſa, emulſiones ſeminum papaveris albi, à cæna, ex uſu erunt, necnon aliquando grana duo, vel tria laudani nepenthes à Quercetano deſcripti in Pharmacopœa reſtituta. Localia erunt tria potiſſimum; primùm quidem jus galli junioris, cum agrimonia, cuſcuta, cetrah, britannica, halicacabo, & ligno nephritico; præmiſſa drachm. 1. terebinthinæ laricinæ, & illi inſtillatis ſex guttulis ſpiritus vitrioli. Conferet quippe & flatibus diſcutiendis, & hypochondriacæ. Secundò ſerum lactu caprini, ad libras duas, ſingulis diebus aſſumptum, depuratum cùm ſucco citri, alternatim exhibitum, cum ſyr. roſ. ſol. ad ſubducendam alvum; & vacuis ab ipſo diebus, cum ſyr. capillorum veneris Fernelii, & emulſione ſeminum frigidorum. Quòd ſi ab his flatuum proventus augeretur, ipſius loco exhibeantur aquæ deſtillatæ ex ſiliquis fabarum, ſeminibus malvæ, ſemine alchechengi, & hordeo cortice non exuto cum ſpiritu terebinthinæ; additis fructibus ſebeſten in deſtillatione. Tertium remedium erit uſus aquarum ferratarum, vel acidarum, ſi in patria haberi poſſunt; ſin minus, paretur potio ex aquis ſtillaticiis plantaginis, portulacæ, ſolatri, conſolidæ, & nympheæ, cum trochiſcis de carabe, de ſpodio, terra ſigillata, & ſuccino. Horum enim ope ulcus jam deterſum occludetur; applicato extrinſecus cerato diapalma.

Quibus accedat congrua victus ratio, in qua abſtinendum ab omnibus aromatibus, acribus, vinis generoſis, atque diureticis quibuſcunque. Quod ſi interim tanta flatuum copia non obſtiterit, lac aſininum plures dies in aurora hauſtum, cum ſaccharo; vel etiam bubulum ſummoperè ex uſu erit, quà detergendo, quà cicatrice obducendo ulceri propoſito. Atque hæc in caſu præſenti proponenda habui, in ſalutem Nobilis patientis, quam ipſi largiantur Superi.

Idem ibidem.

De Stranguria ex ulcere colli Veſicæ, non ſine ſuſpicione Calculi. Pro Illuſtriſſ. Militum Præfecto Turco, Veronenſi.

Illuſtriſſimus Vir ætatis 48. annorum, temperamenti calidi & humidi, habitus carnoſi, poſt varias gonorrhœas præteritas Gallicas, ulcera fiſtuloſa, & calculos cum urina excretos, tandem poſtremum molis nuclei oleæ tanto cum conatu, & dolore ejecit, ut ei ſucceſſerit profuſus ſanguinis fluxus ex meatu urinario, cum animi deliquio. Per vices deinde magnam materiæ viſcidiſſimæ, & craſſiſſimæ copiam profudit, cum vehementi conatu, cui ſucceſſit acris, & frequens meiendi voluntas, cum aliquo dolore, & pauca urinæ copia ſemel effuſa, accedente ſomno frequenter interrupto, cum ſanguinis, & purulentæ materiæ fluxu quandoque, & dolore in perinæo, propè podicem, urina ſemper craſſa, & turbata, quæ deinde ſubſidente materia craſſa, inclareſcit: curru tamen, & equo iter facit abſque inſigni moleſtia. Medicam propterea manum expoſcit.

Supponendum itaque primò tanquam receptum, calculos olim fuiſſe excluſos, affectumque hunc, de quo potiſſimùm ſunt querelæ, eſſe ſtranguriam: quæ licet varias agnoſcat cauſas, hæc tamen vel ortum ducit à calculo veſica deliteſcente, vel ab vlcere propè podicem ſuborto. Utriuſque enim affectus luculenta adſunt indicia; calculi quidem, quoniam olim alii fuerunt excluſi, & moleſtia quædam percipitur in extrema glande, cum frequenti meiendi libidine; quæ ſanè veſicæ calculum

produnt quidem, non tamen ſunt ſigna pathognomonica, cùm præſente quandoque calculo deſiderentur; quandoq; verò mictio adſit frequens, abſente calculo; cùm ſcil. fit ab humoribus acribus, ſalſis, vel hujuſmodi; præterquam quod accidentia enarrata cauſam habere poſſunt etiam ulcus in collo veſicæ; tunc enim urina ſua acrimonia vellicans, triſtem ſenſum efficit, frequenterque irritat expultricem: ut propterea ſigna prædicta calculum ab ulcere non diſtinguant, niſi excernatur pus ſanguini quandoque permixtum, quandoque verò ſincerum; quale in nobiliſſimo patiente non raro conſpicuum fuit. Quam ob cauſam pro comperto affirmaverim, adeſſe ulcus in collo veſicæ, cujus ratione ab urina acri fit irritamentum; nec ab ea ſolùm, ſed etiam à ſalſedine pituitæ copioſè effuſæ cum urina, quæ propterea ſubſidet in fundo matulæ; cujus cauſa putredini aſcribenda, quam manifeſtè prodit materia fluxilior. Statuendum itaque ſtranguriam hanc ab ulcere veſicæ ortum ducere, eadem prorſus ratione, qua renibus purulentis urinæ ſtillicidium ſuccedit, ex Hipp. decreto in Aphoriſmis.

Hæc itaque eſt princeps hujus affectus cauſa, quæ cum deliteſcat in penitioribus partibus, ad quas medicamenta nonniſi alterata pertingunt, incurabilis, vel ſaltem difficillimæ curationis cenſendus eſt.

Cui curando materia fluens divertenda, fluxa evacuanda, acrimonia ipſius contemperanda, ulcus detergendum, exſiccandum, & cicatrice obducendum, vel ſaltem epiceraſticis acrimonia, & mordacitas obtundenda. Quod præſtabunt remedia ex fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico deprompta.

Inter Chirurgica, pro univerſali corporis expurgatione, & materiæ fluentis diverſione, ſanguis eſt educendus primò ex jecoraria dextra, revulſionis cauſa, & pro contemperatione fervoris jecoris, atque totius corporis inanitione; ex ſaphena demum ſiniſtra pro derivatione, juxta Galeni præceptum, in affectibus infra renes, ex partibus infernis ſanguinem educendum eſſe. Locus erit deinde topicis in canalem urinarium infundendis, inferius proponendis, poſt totius evacuationem pharmacenticis remediis tentandam.

Leniatur itaque alvus ſyrup. roſ. ſolut. & manna, cum decoct. pulpæ tamarindorum. Præparentur humores ſyrup. acet. ſimplici, melle roſato ſimplici, & ſyrup. de pomis, cum decoct. cichorii, borrag. violarum, malvæ, & ſeminum citri. Purgentur demum agarico trochiſcato, & melle roſ. ſolut. cum decoct. ſeminum citri. A quibus, præſcribatur blandum vomitorium, ex oxymel. ſimplici, & ſucco raphani, in jure pingui. Triduum exhibeatur aqua Tetutiana, ad libras tres quotidie, cum tribus unciis ſyrup. roſ. ſolut. Ab horum uſu, contemperetur humoris acrimonia, detergeatur ulcus, & ſenſus obtundatur; quod præſtabit apprimè bolus exgummi ceraſorum, & ſuccino; à quo exhibeantur emulſ. ſem melonum cucurbitæ, papaveris, & liquiritiæ; quæ & uſui erunt ex ſeminibus cucurbitæ, nucleis pineis, & amygd. dulcibus, elicitæ cum aquis ex ſiliquis fabarum, ſeminibus malvæ, & alchechengi, hauſtæ plures dies. Accommodatius tamen nihil cenſeo lacte aſinino; quippe quod detergere poteſt, contemperare, & agglutinare, commendatum propterea ab omnibus Autoribus ulceribus in pulmonum, renum, & quibuslibet aliis internis: cujus uſus erit ſingulis matutinis horis, quinque ante cibum, ad ℥v. circiter, cum ſaccharo; ſomno deinde conciliato, & parca præcedente cœna; à qua unc. iij. emulſionis ſem. papaveris albi, dum aqua lactucæ opportunè exhibebuntur. Siphone interim infundatur in meatum urinarium idem lac ſem. papaveris albi, cum ſucco nenupharis. Emplaſtrum perinæo applicetur hâc formulâ.

℞. Mucilaginis ſem. malvæ, pſyllii, an. unc. ſem. olei roſ. completi unc. ij. ſucci plantag. emulſ. ſem. papaveris albi an. unc. i. ſem. farinæ hordei pugillos duos, lactis q. ſ. m. f. emplaſtrum.

Victus ſit humectans, refrigerans, & epiceraſticus. Priſana propterea hordeacea panatella cum emulſ. ſem. melonum; fercula ex lacte, carnes agninæ, & alia hujuſmodi conducent quàm maximè, ut & vinum oligophorum ſubdulce *Idem ibidem.*

De Mictione difficili, & cruenta. Pro Perilluſtr. Andrea Picenardo, Cauſidico præſtantiſſimo. Cremonam.

Perilluſtris, & Excellent. Vir, boni habitus, in primo ſenio, duobus abhinc annis poſt longam, & laborioſam equitationem, ſanguinem ſtillatim minxit, cum maximo conatu, & dolore intenſiſſimo circa extremum inteſtinum rectum ante mictionem, & extremam glandem ab ipſa; qui quidem in hanc uſque diem eum torquet, quamplurimis licet ex methodi lege medicamentis, cùm Galenicis, tum Spagirica arte paratis internis, & externis præſcriptis; ut propterea de agendis nos conſulat.

Cauſa itaque morbifica primò indaganda eſt, quam cenſet Vir Excellent. qui ad nos ſcripſit, eſſe intemperiem calidam prædictarum partium, ab acri, & ſalſa materia, cùm in illis ex putredine genita, tum aliunde confluente, atque in primis à cerebro calidiori, ob aſſidua ſtudia, & cauſarum ſollicitum negotium, & jecore præcalido, non ſine ſoluta continuitate, ulcere ſcil. in veſica ſuborto, ob jugem illius materiæ confluxum; cujus non obſcura præbere videntur indicia phlegmone eryſipelatodes, & aliquando œdematoſa, gangræna penis, & febris lenta cum obſcuris invaſionibus. Quam ſententiam amplexi ſunt quinetiam plurimi alii Viri doctiſſimi, qui de hoc affectu antehac conſilium habuerunt. Quod autem humorum acrium adfuerit copia procul omni dubio eſt; an verò hæc ſit immediata hujus affectus cauſa, non ita palàm eſt; cùm duos potiſſimùm annos duraverit, nec tot, & adeò variis Medicis præſidiis ceſſerit: quod cauſam quinetiam firmam prodit, quæ ſi eſſet ulcus, quod ſuſpicantur Viri præclariſſ. ſaniem effunderet, nec dolor tantum mictionis tempore, ſed & ab illa ſuperſtes eſſet, cùm qui à calculo fit invaleſcat in ipſa mictione: ut propterea de veſicæ calculo non lenis ſit ſuſpicio. Mictio namque cruenta ab equitatione hinc facilè ſuccedere potuit, prout & urinæ difficultas, quando calculus ejus eſt mollis, ut il-

lius orificium occludere poſſit. Accedit triſtis ille ſenſus in extrema glande, perpetuus ferè comes hujus affectus, pondus, moleſtia in podice, dum à calculo comprimitur, urina alba, craſſa, & turbata, calculoſorum propria. Neque obſtat, quod non fuerit deprehenſus immiſſo cathetere, & candela; cùm oblini poſſit veluti mucore quodam, duritiem, & ſcabritiem ejus lævigante. Quod ſi curru iter fecerit, atque urina cruenta reddatur, certius fuerit indicium calculi in veſica latitantis, ſi potiſſimum antehac Perilluſtris Patiens doloribus nephriticis opportunus fuerit, atque arenulas minxerit: quanquam non diffiteor falli nos ſæpius, cùm in hac, tum in aliis internis affectionibus dignoſcendis; ut propterea venia magis ſim dignus, ſi abſens ex ſimplici hiſtoria erraverim, quàm Viri illi Excellentiſſ. hujus curæ incumbentes duos annos ferè continuos.

Utcunque ſit, ſi adſit ulcus, & humorum acrimonia ipſum fovens, duo præſidia peropportuna cenſeo, alterum, idque internum, potum lactis aſinini viginti & triginta dies ſingulis matutinis horis, cum fruſtulo panis, & pauco ſaccharo, ad uncias ſex circiter; præmiſſa cœna parca, & Terebinthina Veneta, vehiculi loco. Extrinſecus verò balneum univerſale aquæ dulcis tepidæ; non omiſſis aliis refrigerantibus cùm alimentis, tum medicamentis: atque in illis cucurbitæ primum locum obtinent; hordeum & item amygdal. recentes erunt accommodatiſſima. Quod ſi calculus adeſſet, quod maximè ſuſpicor, nullum aliud remedium ex uſu erit præter ſectionem, quæ in hoc habitu à Viro perito feliciter adminiſtrata ſuccedere poteſt. Atque hæc attingenda duxi, obſequii cauſa erga Virum Excellentiſſimum, cui plura debeo. *Idem ibidem.*

De Mictione Urinæ Lacteæ, ex Renum ulcere, Pro Adm. Rev. Malfatto, Cathedralis Patavinæ Cuſtode.

Patiens Adm. Rev. annorum 50. temperamenti calidi & ſicci, poſt dolores frequentes in ilio ſiniſtro, cum excretione arenularum, duobus abhinc annis, ex quolibet corporis motu urinam cruentam meiere cœpit, dolore invaleſcente in parte affecta, & pituitæ vomitu à cibo. Mox ab anno urinam reddidit craſſam, & turbatam; quæ deinde inclareſcebat, cum hypoſtaſi materiæ albæ fluidæ, & veluti lacteæ, atque gravitate continua in parte affecta, cruris ſtupore, lenta febricula, & inſigni corporis macie, abſque evidenti paroxyſmo febrili. Quorum cauſa nos conſulit.

Primò itaque inquirenda venit pars affecta, tum affectus; & cauſæ, mox ad prognoſticum, accuratiorem progrediendum. Primum quod ſpectat, ex ſitu partis affectæ, gravitate affectus, annexiſq; ſymptomatibus compertiſſimum eſt, partem affectam eſſe renem ſiniſtrum, affectumque eſſe calculum. Prodidit enim Hippocr. Prima in 6. Epid. 5. quòd quando adeſt calculus in renibus, in renem dolor eſt gravis, cum cibo replentur, evomuntque pituitam. Atque ex arenulis præteritis patet id luculentius; quas in patiente Admodum Rev. concreſcere potuiſſe in renibus conjectare eſt ex pituitoſa materia vomitu ejecta, temperamento calido, & ætate. In adultis namque, & conſiſtentis ætatis, calculi concreſcunt in renibus; pueris autem in veſica; ex Gal. in Commento 1 ex, 5. ejuſdem primo in 6. Epid. In veſica lapis pueris magis fit, Nephritis verò ætate declinantibus. Qui renis calculum ſcabritie non vacat, cujus ratione à corporis motu fit abraſio ejus ſubſtantiæ, ac proinde mictio cruenta. Vomitus autem à cibo ſuccedit, ſive cibi nomine veniant aſſumpta ſive excrementa craſſa, inteſtinis concluſa; quo utroque ſenſu vocem eam uſurpari poſſe aſſerit Gal. in Commentar. citato. Conſentiente enim peritonæo, comprimitur pars affecta, dolorque & vomitus excitatur; grandis verò calculus vaſa comprimit ſpinæ incumbentia, quæ ad crus repunt, venam ſcil. & arteriam magnam, quarum ope renibus conſenſus cum cruribus intercedit, ex Gal. in Comm. citato, ſcribente, quòd qui cenſent conſenſum hunc fieri per nervos, ureteres, & membranas, omninò ab experientia alienos, cùm tunc ſtupor fiat. Cæterum materia quæ nunc ſubſidet poſtquam urina inclaruit, alia eſſe non poteſt, quàm purulenta. Viſciditatis enim prorſus expers eſt, quam pituitoſa materia ſibi vindicat. Quamobrem cùm materia purulenta per vrinam excerni poſſit, vel ex veſica, vel ex renibus, thorace, iecore, aliiſque partibus ſupra renes, ad hos nempe per emulgentes tranſmiſſa; hæc ſanè ex veſica non effluit, cùm quia pus tunc fœtet ob imbecillum ipſius calorem, tum quia fluere poteſt ſeorſum ab urina: longè minus à partibus ſuperioribus affluit, cùm de ipſis nullæ ſint querelæ, atque pus ab urina excreta ſecernatur. Statuendum propterea eſt, purulentam hanc materiam à renibus emanare: qua ratione in ſputo cruento id contingit ex pulmonibus. A ſanguinis enim ſputo, puris ſputum; ac proinde in rene affecto vlcus eſſe ſubortum, quæ eſt etiam cauſa febris lentæ, ſymptomaticæ nuncupatæ, tabidæ non abſimili ex vlceribus pulmonum; quam propterea totius corporis macies ſequitur. Atque hæc de affectu propoſito, & ejus cauſis.

Qui me iudice, prorſus inſanabilis eſt, cùm corpus tabidum evaſerit, vireſque ſint collapſæ. Non tamen ſolo prognoſtico committendus patiens, cùm nondum adhibuerit congrua remedia.

Quare præmiſſa blanda totius purgatione, ulcus ſaltem eſt detergendum, & cicatrice obducendum, cùm de calculo excludendo nulla ſit ſpes, quòd nulla in promptu ſint medicamenta lapidem frangentia, jam concretum à biennio, ac proinde obduratum; cui nec per ureteres via patet, ob ejus molem, & ſcabritiem, licet aliquando ex abſceſſu in lumbis ſuppurato, & vel ſectione patefacto, vel diſrupto contigerit, ut ſibi hanc viam fecerint calculi, & foras eruperint, teſtimonio Cardani, Fernelii, Parei, Bauhini, & aliorum, cujus tamen nullum extat veſtigium. Periculum enim majus minatur ſectio renis ab Ambroſio Pareo propoſita lib. 24. ſuæ magnæ Chirurgiæ cap. 16. referente, quendam Nobilem Medunenſem calculo renali laborantem, capite damnatum, à Magiſtratu facta poteſtate, Medicorum Pariſinorum in gratiam fectum

ctum fuiſſe, calculumque evulſum, atque obducto vulnere ſanatum, & ſupplici factam gratiam. Si namque hæc operatio fiat in lumbis, è regione renis, cum præſenti maximè diſcrimine conjuncta eſt, quod eo ſit pervadendum per muſculos dorſales, nervos, arteriam aortam, & venam cavam, cum ſyncopes, & mortis periculo. Quod ſi vero per ilia tentetur, inteſtinis diductis parata ad renem via, licet quidem ab illa levius impendeat periculum, quod advertit Rouſſetus de Partu Cæſareo, confluxus tamen ſanguinis in cavitatem abdominis eo non vacat, renique cicatrix difficillima eſt, ut has ob cauſas, vel non ſit tentanda, vel præmiſſo ſaltem prognoſtico interitus.

Hac ergo miſſa, detergendum eſt ulcus mulſa, cum aqua hordeacea, & lupinorum, tres aut quatuor dies, ad libras tres potui data, cum ſpiritu terebinthinæ. Curatio poſtmodum abſolvenda erit potu lactis primò aſinini, ut tenuioris ſubſtantiæ, ac proinde detergentis magis: mox vaccini, vi agglutinante præpollentis; quorum uſus pro cibo quinetiam erit, & corporis nutritione. Atque hæc ex uſu futura cenſueram, niſi mors ægrum præripuiſſet, cujus aperto cadavere, in conſpectum venit calculus longitudinis digiti pollicis, in quatuor ramos diremptus, papillis impactos, tota alioqui renis ſubſtantia abſumpta, ſuperſtitibus tantùm membranis, & calculo. *Idem ibidem.*

Urinæ Ardor, & ejuſdem Retentio.

Mictio ſæpe ac ſæpius ob moleſtiſſimum ardorem depravata, & quandoque imminuta, atque etiam omnino ſuppreſſa, læſionem in meatibus urinariis certo ſupponit, quam tamen eſſentialem & iiſdem partibus impreſſam non eſſe credendum, cum continua non ſit, ſed ab ipſa urina pendere, quæ ita ſua acrimonia vellicat, imo mordet ureterum principium, ut iidem contrahantur, ac propterea (addita etiam pituitoſæ ac ſalſæ materiæ portione collum veſicæ interdum obſtruente) facile ipſimet urinæ tranſitum impediat. Hoc autem facilius mihi perſuadeo, ſi in Nob. hoc Patiente fervidum jecur & humidum caput conſiderem, & ventriculum per conſequens imbecillum, qui nunquam, niſi tenuiſſimo vino aſſumpto, poteſt cruditates non generare, quæ poſtea ab hepatis calore attractæ, facile etiam ad renes tranſeunt, jam frequenti ſcalarum aſcenſu imbecilliores & calidiores redditos, unde leve aliquod ſtillicidium ſeminalis materiæ originem habuit.

Affectum hunc, cum eſſentialis in vaſis ipſis urinariis non ſit, ſanari omnino poſſe cenſeo, materiam non ſolum pituitoſam, ſed etiam bilioſam evacuando; partium intemperies corrigendo & à renibus divertendo.

Et ex fonte Chirurgico bis ſanguinem ex utroque brachio moderate educerem. Et quamvis renes valde juvare videatur hæmorrhoidalis evacuatio, huic tamen in caſu præſenti ſuperſederem, ne humores ad veſicam advocarem, in qua nihil eſſe puto, quod derivatione opus habeat.

Ex Pharmaceutico reliqua depromenda remedia. Et primò expiatis à cruditatibus primis viis & bilioſis humoribus in hepate ac toto venoſo genere contemperatis, ter aut quater aquam Tettucianam exhiberem. Inde per 15. dies arrideret valde rhabarb. uſus in ſero caprino infuſi; quod ſi ſtomachus non adeo bene toleraret, maſticari poterit, ſerum ſuperbibendo, quod depuratum, ſit, ſi ad alvum vergat; deſtillatum vero, ſi ad veſicam. Terebinthinam autem noſtram Venetam, licet in hujuſmodi affectibus locum habere videatur, in præſenti caſu non probo, cum clare ſatis conjiciam in renibus cruditates non adeſſe, quæ deterſione indigeant, unde potius cruditatibus, vel in venis exſtentibus, vel ab hepate attractis, viam ad renes & veſicam pararet: quod è diametro intentioni divertendi jam propoſitæ adverſatur. Quamobrem ut Diuretica omnia damno, ita leve aliquod Purgans quod humorem utrumque; placide per alvum educat, neceſſarium puto, quod parari poterit ex pilulis de tribus cum rhabarb. aggregativis & maſticinis, hordeum die medicamenti in prandio aſſumendo.

His addatur opportuna vivendi ratio, quæ cruditates nullo modo producat, ſed aliquam corroborationem Ventriculo afferat: cui tria aut quatuor grana maſtiches hora una ante cibum aſſumpta, non parum proderunt. Cœna ſit prandio parcior: & exercitium à cibo, quantum fieri poteſt, evitetur. Cætera Excellentiſſimo Adſtanti præſcribenda relinquo. *Raymund. Joh. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medic. Tom. 1. Cent. 3.*

Stranguria in muliere hypochondriaca.

In viduitate ante plures annos relicta Egregia ac Perilluſtris Mulier, non vulgari corporis proceritate donata, cum actionum promptitudine, habitu corporis mediocri ac optimo faciei colore annum ſuæ ætatis quadrageſimum ſeptimum agebat, dum poſt diuturnos labores ac vigilias fere continuas in Matris infirmitate lethali diu perpeſſas, cœpit conqueri menſe Septembri anni. 1671. de dolore ventriculi ac faciei pallore, perſeverantibus, ſed non valde urgentibus, uſque ad æſtivum prope Solſtitium anni 1672. quo tempore dolore invaleſcente, multa ac varia, ut fertur, remedia, una cum ſanguinis miſſione à Baſilica & Saphæna incaſſum experta eſt; poſt quæ acceſſitus, inveni Patientem, alias capiti deſtillationibus obnoxiam, ſingulis fere diebus infeſtatam dolore ventriculi ad ſiniſtrum hypochondrium ſeſe porrigente & non ſtatis horis, ſed tam ante, quam poſt cibum invadente, coactam, tali moleſtia, per aliquot horas pronam decumbere; ſine vomitu, ſed non abſque; ſiti, cum cibi inappetentia, alvo aſtricta fæcibus utplurimum bilioſis, præcordiorum tenſione, Menſtruorum in menſe Julio tantum apparitione, ventriculi tenſiva gravitate moleſta à cibo, atque flatibus ſeu ructibus per os frequenter erumpentibus, præcipue & ſemper, dum manu ſiniſtrum hypochondrium premeretur. Adhibitis autem variis medicamentis, & præſertim calidioribus aperientibus & evacuantibus, imminuta valde ſunt jam dicta ſymptomata omnia, præter faciei pallorem cum virium languore; verum acceſſerunt anhelitus difficultas cum tuſſi & ſputo ſalſuginoſo, alternatim, ut ait, invadente, & de-

ſinente

ſinente cum Stranguria, in qua cogitur cum ardore ac gravi preſſione, in fine mictionis, ſæpiſſime urinam emittere claram, potius aquoſam, ſine fœtore, arenulis, vel alio excremento, exceptis raris filamentis epidermidem æmulantibus. Unde Patiens non admiſſura Lithotomum in exploratorem, ambigitur, num hujus pravæ mictionis cauſa ſit pituita ſalſa, an vero calculus in veſica contentus.

Nobilem Mulierem jam hypochondriacam melancholicam affectionem contraxiſſe (ad quam forſan prona erat) dum ægritudini diuturnæ adſtitit dilectiſſimæ Matris, ob labores, vigilias aliaque incommoda, & corporis, & maxime ipſius animi ob Matris ejuſdem obitum ſubſequutum, ſicut antea deſtillationibus quoque à capite delabentibus obnoxiam fuiſſe, facile credendum; & ſicut ab hypochondriaca affectione modo prorſus immunem vix ego credo, ita deſtillationis fontem exhauſtum & deſiccatum eſſe poſſe medicamentis adminiſtratis non video. Et primò hypochondriacam melencholicam affectionem prorſus extirpatam non fuiſſe exiſtimo, quoniam licet obſtructiones Aperientibus fuerint valde imminutæ, calida tamen intemperies tum jecoris, tum hypochondriorum, medicamentis remiſſa non fuit, eo quod (uti ego puto) id non permiſerit anni tempus quæ calida intemperies primæ coctioni in ventriculo, nimirum chylificationi non parum incommodat, dum à calore viſcerum ventriculo circumſtantium fit alimentorum fermentatio, quæ eſt ad concoctionem & chylificationem à proprio & nativo calore ventriculi mox abſolvendam præparatio; & ideo ſi cum exuſtione à nimio viſcerum calore hæc fiat; imperfecta neceſſario evadit quoque ipſa chylificatio; quem concoctionis modum perperam acceperunt, & intellexerunt recentiores Novatores, credentes concoctionem in ventriculo ſola fermentatione fieri: quoniam nec obſervarunt Hippocratem, qui nihil ignoravit, fermentationem à concoctione diſtinguentem, dum ait, Si quis in fermentatum alimentum novos cibos ingeſſerit, longiori tempore & majori quiete eget, ut concoquatur. Cum igitur viſcerum calor in Nob. hac Muliere adhuc nimis vigeat, non chylificationi ſolum, ſed ſanguificationi quoque maxime officere pro certo habendum: eoque magis, cum hoc tempore menſtruale beneficium deficiat, & ideo ſanguinem vitioſum manere, & nutritionem depravatam reddere neceſſe ſit, unde pallores & virium languores. Verum ſuperſtitem quoque fuiſſe deſtillationem cenſendum, quæ ſicut antea in ventriculum delabens, & in fundo permanens, eidem additis in pyloro & meſaraicis, obſtructionibus, jam enarratos dolores excitabat, lævam abdominis partem occupantes, juxta fundi ipſius ventriculi ſitum, ita & lienem exhalationibus abundare, non tamen dolorem facientibus, eſt aſſerendum. Cum igitur materiæ catarrhalis non ceſſaverit reproductio, ejuſdem aliquam portionem ad bronchia pulmonum deferri credibile eſt, à qua difficultas anhelitus, quam tamen crediderim ego potius à compreſſione diaphragmatis, ab exhalationibus aſcendentibus excitari: major autem portio facile à capite per venas jugulares ad univerſum corpus deducitur, & primo ſanguinem inquinans, deinde una cum urina ad renes & veſicam tranſmittitur, & veſicæ collo adhærendo, atque mordicando, urinæ difficultatem cum moleſta Stranguria inducit: ſed adhuc magis credendum, quod ſicut aliqua catarrhalis materiæ portio a capite per laryngem ad vias ſpiritales delabitur, ita multo major quantitas per œſophagum ad ventriculum, ut antea, deferatur, & inde ulterius ad jecur, cum jam aperientibus calidioribus medicamentis reſeratæ & paratæ viæ fuerint, & ita expeditæ, ut ipſi catarrhali materiæ ad vias urinæ iter facile factum fuerit; quæ nonniſi ſalſa & à calore, & ab aliqua bilioſæ ſeroſitatis mixtione eſſe poteſt ut ideirco urinæ ardorem atque difficultatem neceſſario inducere debeat, ſicque Urinæ ſtranguriosæ, non nephriticæ, ſed alia pro aliis fiant, ut dicebat Hipp. & ſubdebat Galenus, Univerſum corpus ab excrementis per urinam expurgari, Nec mirum ab exiguis filamentis depravatum hujuſmodi affectum provenire, dum à ſola urinarum acrimonia non ſolum mingendi difficultatem ob irritamentum, verum & muſculi veſicæ excoriationes & ulcera excitari poſſe obſervavi Galenus idem. Lapidis autem in veſica præſentiam ego prorſus excluderem, quoniam arenulæ excretæ ſubſidentes non præceſſerunt, minuſque calculoſa in renibus in veſicam deſcendiſſe ſuſpicari poſſim. Aſſerere autem quod in veſica inchoari & generari potuerit, authoritati Hipp. & rationi repugnat: ſiquidem ab eodem Hipp. pronunciatum habemus, quod ſupra quadrageſimum ſecundum annum lapis in veſica generari non poſſit, niſi antea in veſica extiterit; & ideo dicebat idem Hipp. calculos in veſica Pueris eſſe familiares; rationem autem reddit Galenus in Commento; quia licet Senes humorem crudum acervent, ratione ætatis, ut Pueri ratione voracitatis, quia tamen calorem fortem reſolventem non habent, ideo calculum in veſica non generant ad calculum enim in veſica non generandum ardens ac fervida debet eſſe veſica, ita enim excalefacta urinam non dimittit, & quod craſſiſſimum ac turbidiſſimum, coacervatur, & dum volvitur, in lapidem concreſcit.

His ita ſe habentibus, ut Nob. Mulieri ſuccurratur, præmiſsâ primarum viarum expiatione, ſecunda intentio erit, viſcerum calorem contemperare; tertia humorum acrimoniam atque ſalſedinem demulcere; quarta pituitoſos ſalſos humores à veſica ad alvum divertere; quinta deſtillationem à pectore revellere & intercipere; ejus verò fontem exiccare, tanquam nimis operoſum, omitto. Hiſque intentionibus ſatis fieri poſſe non diffido, potius de hypochondriacæ affectionis recrudeſcentia non parum dubito.

Remedia autem ſunt depromenda à Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico fonte, quorum aliqua hoc etiam incongruo tempore ſunt adminiſtranda, & alia generoſiora in Vernum tempus differenda.

In præſens ex fonte Chirurgico nulla ſanguinis miſſio eſt deſumenda. Cauteria jam recte fixa, ſunt cuſtodienda, quibus frequentes pedum lotiones ante cibum erunt addendæ. Ex Pharmacia aliqua ſunt in uſum ducenda, quæ mulſi

ſimul valeant & calorem contemperare; & humorum acrimoniam atque ſalſedinem demulcere, necnon ſalſas cruditates à veſica divertere. Quæ omnia præſtare poterit flos caſſiæ ad drachmas ij. ſingulo ſummo mane exhibendus, cui poſt horam ſuperbibat jus tenue endivia & violis alteratum, & duabus vel tribus horis ab aſſumpto jure prandeat. In hujus autem uſu decem aut duodecim diebus perſeveret; mox eodem modo & ordine totidem diebus aſſumat elect. lenit. ſine ſena, ita namque partim diverti poterit ſalſus humor ad alvum, partim demulcebitur portio ad urinam declinans; quo tranſacto tempore, conveniente poterit egregium ad ſalſedinem remedium à me pluries expertum, & eſt aqua ſtillat. malvarum ad cyathum, addita unc. ſyrupi de pomis ſimpl. quindecim aut viginti diebus aſſumenda. Quibus non ſufficientibus, in fine Veris erit ineunda Purgatio; ſanguinem rurſus educendo, primò ex Jecoraria, mox ex Saphæna; & primis viis expeditis ſuccis refrigerantibus depuratis & per arenam trajectis, maſſa ſanguinea erit depuranda uſu rhab. non ultra ſemidrachmam in exigua caſſia per plures dies, cui ſuperbibat ſerum deſtillatum. Tandem ad uſum aquæ Nocerianæ, 15. aut 20. diebus propinandæ, erit accedendum; deinde quantitas & qualitas deſtillationis à capite erit diligenter obſervanda: nam ſi qualitate potius acri & ſalsâ peccaverit, uſu lactis aſinini commode corrigi poterit, remedium utique, quod & viſceribus naturalibus, & univerſo corpori non parum proderit. Si vero copioſior obſervata fuerit, lacti aſinino ſubſtituatur potio matutina 15. aut 20. diebus haurienda, ex aqua ſtillat. anguriæ, cujus felices effectus à me pluries experti fuere. Interim catarrhalis deſtillatio ad nares derivanda Errhino ex pulvere majoranæ & ireos parato; & noctu dormiens confectiones Diacodii, vel Diatragacanthi frigidi, vel Diapenedii in ore detineat. Et ſemper congruam victus rationē ſervet, à Doct. Viro Aſſiſtanti diligenter præſcribendam, cujus prudenti judicio reliqua quoque omnia melius diſponenda relinquo. *Idem ibidem.*

Urinæ difficultas cum ſuſpicione Calculi Veſicæ in Hypochondriaco.

Illuſtriſſimus Vir quadrageſimum primum annum agens, bilioſi temperamenti, & calidi potiſſimum jecoris, graciliſque fere habitus, & facillimæ reſolutionis, ingenii acumine maxime præditus, & egregiam ſedulamque operam Reipublicæ jam diu navans, magnis applicationibus, etiam poſt cibum incumbens, ſex vix horis neceſſario ſomno conceſſis, duodecim abhinc annis, melancholicis prius paſſionibus, ſæva poſtea ac contumaci adeo catharrali ad pectus deſtillatione, atque urinæ ſimul difficultate divexatus fuit, ut ad extremam pene maciem devenerit. Hoc ſtatu Matrito Romam profectus, & inde Neapolim, atque ex tribus quæ geſtabat Cauteriis, duobus ſuppreſſis, atque unico ſervato, cœpit melius habere, imminutaque deſtillatione, priſtinas vires naturaleque robur recipere, quod uſque ad hanc diem etiam conſervat. Infeſtat tamen adhuc continuus fere capitis dolor & ardor, levi etiam quandoque, licet raro, febricula comitante, aliunde fortaſſe fomitem, ſive cauſam accipiens, cum naturalia viſcera, obſtructa percipiantur, cum manifeſta arteriæ pulſatione. Quæ mala Medicis quidem auxiliis cedere videntur, brevioribus tamen intervallis recurrunt. His acceſſit, proxima æſtate, repetita urinæ ſuppreſſio per aliquot horas, quæ tandem in moleſtiſſimam frequentiam ac difficultatem tranſiit: crebro enim matulam petit, urinamq; exigua quantitate languidiori impulſu, & nonniſi erecto corpore, & per diverſas ejus moritationes, difficulter ejicit, colore quidem & ſubſtantia modo naturalem, quandoque tamen arenulis rubris, interdum mucis phlegmaticis mixtam, cum aliquo pruritu & ardore. Hæc autem difficultas eo magis recrudeſcit, quo magis caput laborat, aliquando etiam cum dorſi lumborumque levi dolore.

His varia ex doctiſſime a Te præſcriptis, remedia adhibuimus, & quidem non ſine profectu: quia tamen moleſtum adhuc capitis gravamen atque ardor excruciant, & frequentior mejendi neceſſitas, anxie rurſus expoſcimus, ut ſtatu Illuſtr. Pat. ex hac relatione exactius cognito, validiora nobis Artis præſidia demonſtres; hoc ſolum innuentes, quod valde calida haud facile tolerantur.

Quamvis quomodo Vir Illuſtriſſimus, arte ne, an ſponte, Cœlum mutans, Cauteria ſupprimens, ab inſigni macie, reſpirationis atque urinæ difficultate, quibus duodecim abhinc annis moleſtabatur, vindicatus jam fuerit, ex relatis non videam; nihilominus quoniam ſtatus, tunc temporis, ejuſdem à nobis conſiderandus, præſens vero curandus; idcirco hypochondriacum affectum cum capitis ardore moleſto, & febriculas quandoque invadentes, atque tandem, quod magis eſt, mingendi difficultatem, examinanda mihi atque curanda, proponam, ut omni Medicæ Artis conatu Illuſtr. Viro opem feram.

Quod igitur Vir Illuſtr. hypochondriacus & melancholicus multis abhinc annis fuerit redditus, minime miror, continuis & intenſis applicationibus Reipublicæ conſideratis, quibus ventriculus calore & ſpiritibus depauperatur, dum ad caput trahuntur, & à ventriculo divertuntur, unde neceſſario cruditates emergunt, indeque in viſceribus obſtructiones, & præterea quoniam portio ſanguinis genita, crudior exiſtit, caput jam à meditationibus debilitatum, à toto quoque ſuſcipit noxam, unde catarrhalis materiæ copioſus proventus, quæ ad pectus delabens, olim ſpirandi difficultatem inducebat: & magna ex parte ad ventriculum & viſcera naturalia præcipitans, maſſam ſanguineam inquinabat; præterquamquod imminutam totius nutritionem reddebat: urinæ vias adveniens, Stranguriam quoque excitabat, dum non ſolo lentore, ſed ſalſedine quoque, ratione fervidioris jecoris, ſphincteri adhæreſcens, ut in Teneſmo at citra ulcus, ad frequentem, & ſæpe fere inanem, aut ſaltem valde exiguam mictionem ſollicitabat atque ſolicitat. Et ſicut ab obſtructionibus viſcerum jam terreis atque melancholicis redditis, ſanguinis portionem ſtagnantem, nec circularem, ſuppono, à quibus, exhalationibus elevatis, & flatuoſum primò; moxque melancholicum affectum cum arteriæ pulſatione, necnon capitis cum gravedine, ardore, modo unicuique noſtrum notiſſimo, procedere non dubito; ſicut febriculas quandoque inordinate invadentes, à

jugibus

jugibus cruditatibus in ventriculo genitis, & circa viſcera effervefactis ac fermentatis, fieri pro certo labeo, ita de cauſa Stranguriæ, ſeu urinæ difficultatis; imo & quandoque Iſchuriæ, & ejuſdem ſuppreſſionis, omnimodam certitudinem me non habere confiteri non pudet, cum præſentis calculi ſuſpicio non deſit; nondum enim quadrageſimum ſecundum annum præteriit, qui ut terminus generationis lapidis in veſica ab Hippocr. pronunciatur. Sed præterea arenulæ in urinis obſervantur, calculi renis, aut veſicæ indicium; quod nobis adaugeretur, ſi Vir Illuſtriſſ. nephriticis doloribus nonnunquam correptus fuiſſet. Et licet frequentis & moleſtæ mictionis manifeſta cauſa non deſit, viſcida nempe illa & cruda materia, quæ frequenter, ſi non ſemper, cum urinis exit, unde urinæ ſtranguriosæ, non nephriticæ, ſed alia pro aliis, dicebat Hippocr. & ſubdebat Gal. Totum corpus per renes & veſicam expurgari: hæc tamen eadem, præſentis lapidis in veſica, comes eſſe ſolet. Obſervandum itaque, num præter jam dictam viſcidam & lentam materiam, & præter arenulas rubras, materia quoque tartarea & alba in urinarum ſedimento frequenter appareat: hæc namque à veſicæ calculo nunquam ſeparatur; & tandem candela, quinimo & cathetere, ab Artifice perito veſica erit exploranda, ut omni induſtria ad cauſæ veram cognitionem deveniamus, ſicque genuinam Curationem inſtituere valeamus.

Jam dictis omnibus ut occurramus, aliqua etiam hoc importuno tempore adminiſtrari poſſunt, ut Æger Illuſtriſſimus facilius ferat moleſtias, nec ad veſicæ ulcus cum virium deperditione & corporis maciem deducatur: dum interim opportunum tempus adventabit: namque in fine Veris radicitus extirpationem moliri oportebit.

Quare hoc tempore, expiatis primis viis, ſiccæ atque terreæ obſtructiones ſunt Emollientibus, Humectantibus & Aperientibus reſerandæ, & levioribus expurgandæ; Inde materiæ acrimonia atque ſalſedo Epiceraſticis remittenda; Nec obſtabit anni tempus frigidum, cum humores in centro exiſtentes, per centrum quoque, non per circumferentiam corporis, ſint expurgandi: ita enim obſtructionibus imminutis, leviora evadent hypochondriaca ſymptomata, capitiſque moleſtiæ, & præterea mingendi cruciatus nonnihil forſan imminui poterunt: & interim via ad majora parabitur.

Quibus ut ſatisfaciamus, à fonte Chirurgo etiam hoc tempore aliqua erit depromenda ſanguinis miſſio ex ſedalibus venis, hyrudinibus applicitis, tantopere Melancholicis atque Nephriticis ſalutaris. Cauterium jam apertum, erit cuſtodiendum, & perinæo illitiones in uſum quotidianum ducendæ, ex unguento malvino, oleo nenuph. reformato. Reliqua verò à fonte Pharmaceutico deſumenda, Leniens primò exhibendo; deinde quinque diebus, Cremore, tart. ad ℥ß. cum ſaccharo, in jure pullæ corticibus citri alterato, erit materia viſcida in primis viis præparanda, & rurſus Leniente aliquo educenda, ut inde ad aperientia tuto devenire, poſſimus; & eſſe poterunt, ſuccus depur. borag. & pom. dulc. ad ℥ij. in jure malva, intybo, & cich. alterato, in quo diſſoluta ſint gr. xii. tart. vitriolati; in cujus Alterantis & Aperientis uſu inſiſtendum 15. dies, dum in horum intermedio Caſſia cum pilulis de tribus cum rhab. exhiberi poterit, ſuperpræbendo poſt horam ſerum capr. aut aſin. depur. ad ℔.ij. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandebit.

Hoc tempore mirabilis foret aqua Tettuciana, aut conſimilis, ad ℔.vi. cum vehiculo dejectorio mellis roſ. ſolut. tribus diebus ſummo mane exhibita, niſi ejus uſus à tenſione & exſiccatione hypochondriorum interdiceretur: ita enim materia cruda, viſcida & lenta à viis urinariis ad alvum divertitur, adeo ut præſentaneum levamen ſequi, pluries expertus ſim: ſicut quàm plurimum prodeſſe obſervavi uſum Terebinthinæ noſtræ, non Cypriæ, aqua hordeacea, liquiritia alterata, ſuperepota; idque per hebdomadas, imo per menſem: major enim ex hac à me obſervata fuit utilitas in ſedandis doloribus atque mingendi conatibus, quàm damnum, quod ratio perſuadet, in ducenda materia cruda ad urinæ vias; in quorum tamen omnium adminiſtratione indicatio à juvantibus & lædentibus nunquam deſerenda. Et hæc ſatis in præſens.

At in fine Veris nova erit ineunda primarum viarum expiatio (non omiſſa, unica ſaltem ex Jecoraria ſanguinis miſſione) & obſtructionum reſeratio ſuccis depur. & per arenam trajectis, cich. borag. endiv. in decoct. herbarum refrigerantium & aperientium; per Epicraſim materia benignis Purgantibus erit minoranda: & inde validiora Aperientia uſurpanda, facta infuſione rhabarb. in aq. ſtillat. cich. & agrimoniæ, alternis diebus exhibenda; Diebus vero intermediis, iiſdem aquis grana xii. ſalis tart. fixi diſſolvenda, & ita in potu exhibenda: in quorum uſu ad 20. dies erit perſeverandum; atque tandem rhabarbari, agarici & ſenæ infuſum, addito ſyrupo roſ. ſolut. erit præbendum, cui ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. ℔.ij.

His autem peractis, de præſentia, aut abſentia calculi certior fieri debeo, immiſſo Cathetere; namque ſi adfuerit, manuum duntaxat opera curari poterit: frangentibus enim medicamentis fidere, inexperti Medici indicium eſt; Quare Æger ipſe Illuſtriſſ. divina inſpiratione egebit, ut ad inciſionem & lapidis extractionem ſemetipſum committat, dum nobis conſilium hoc dare inhibuerit Hippocr. ipſe. Quod ſi calculus non adfuerit, ad uſum acidularum aquarum alacri animo deveniendum, quibus & hypochondriorum, & jecoris, & renum fervor commoderari, obſtructionum reſiduum reſerari, & humorum acrimonia contemperari poterunt; Quibus omnibus tandem ſuccedat lactis aſinini diuturnus uſus, necnon Balnei aquæ dulcis, malvis, violis, nymphæa, lactuca, foliis ſalicis, alteratæ. De capitis autem deſtillatione ſuperſtite exſiccanda, alio tempore erit cogitandum.

Quibus tandem omnibus congrua victus ratio erit addenda, quæ crudorum humorum reproductionem inhibeat, & reproductos ab urinæ viis ad alvum divertat, quod obtineri poterit aliquo familiari medicamento bis in menſe aſſumpto, à Viro Doctiſſimo & Expertiſſimo præſcribendo, cui jam dicta omnia, conſideranda & corrigenda quoque committo. *Idem ibidem.*

Urinæ Suppreſſio.

Cum in mutilata relatione de Urinæ ſuppreſſione Nobil. Virum per intervalla divexante, principaliora pro Curatione & Præſervatione deſiderentur, nempe cauſarum dignotio, vix quicquam certi ſcribi poteſt; attamen conjecturis quibuſdam aliqua ſub conditione ſcribere audeo, donec plenior ad me perveniat notitia, ut certiorem quoque Præſervationem Nobil. Patienti afferre poſſimus.

Accepi igitur Nobiliſſ. Virum in ætate conſiſtenti conſtitutum, temperamenti calidi & ſicci, gracilis habitus, Ventriculi moleſtiis aliquando obnoxium, & febriculis frequenter correptum, quæ convenienti diætæ & evacuationibus facile cedunt, tandem in urinæ ſuppreſſionem incidiſſe, frequenter repetentem. Me tamen latet, num ſequatur alicujus materiæ, aut arenoſæ, aut facilius crudæ & glutinoſæ per urinam excretio, indeque mali ſolutio, & libera mejendi actio, an vero poſt aliquod ſuppreſſionis tempus ſequatur mictio, abſque eo, quod appareat ulla in urina materia: etenim ſi res primo modo ſe habeat, credendum in Ventriculo, forſan privative frigido ab æſtuantibus hypochondriis reddito, juges cruditates produci, quæ ad meſenterium deductæ, & in eodem ſtagnantes, à jecoris & hypochondriorum calore fermententur, & febriles acceſſiones frequenter inducant. Quod ſi contingat ut meſenterium pervadant, & ad jecur tranſeant, una cum ſanguine circulando ad cor pervenientes, per arteriam magnam, & tandem per emulgentes ad renes tranſmittantur: vel, ſecundum Recentiores, per vaſa lymphatica à ciſterna venarum lactearum breviori via ad renes deducantur, eorundem ductus obſtruendo, urinæ ſuppreſſionem inducunt: aut in Veſicam quoque delatæ, urinæ tranſitum impedire poſſunt. Quarum cruditatum præſentiam facile & neceſſario demonſtrare debet earundem exitus, dum ſolvitur urina, & ceſſat ſuppreſſo. Quod ſi nulla ſuccedat & appareat craſſæ materiæ excretio, calorem excitari in muſculo ſphinctere ſuſpicandum, forſan à fervidiori urina, aut bilioſæ materiæ miſta: dum enim ſphincter à re aliqua acri, aut calidiori nimis irritatur atque mordetur, ad nimiam conſtrictionem cogitur, quam ſuſtinet atque conſervat, donec aut remittatur ipſe fervor, aut muſculus ipſe mordicationi aſſuefactus, & à neceſſitate coactus, quantitati ipſius urinæ cedens, quodammodo laxetur, aperiatur, & tranſitum ipſi urinæ permittat. In tali vero naturali diſpoſitione ſervatur, donec nova materia bilioſa urinæ aſſocietur, & ad urinam rurſus deferatur. Utrumque caſum non ſemel in praxi ego obſervavi, & congruis remediis Patientes non ſolum curavi, ſed, quod magis eſt, præſervavi.

Etenim pro Curatione primi caſus, Clyſtere primum, mox etiam lenitente medicamento præmiſſo, ad validiora diuretica devenio, qualia ſunt aqua Ononidis, vel cum ſpiritu ſalis, vel cum ſpiritu tart. rectif. & alchalizato. Pariter efficaciſſimus fuit à me expertus ſal. tart. fixus, in aqua parietariæ, addito ſyrupo de ſucco limonum; ſicut efficaciſſima eſt quoque quinta eſſentia cryſtalli, reliquis incaſſum tentatis, eaque diſſoluta in jure, parietaria, petroſelino, radic. apii & fœniculi alterato; non omittendo eodem tempore fomenta affectæ parti ſpongia magna apponenda, ex decoct. fol. malv. pariet. melil. chamæmeli, radic. raph. altheæ, lil. alb. liquiritiæ, ſem. fœniculi, lini & fœnugræci; à quorum remotione, illinienda pars oleis, amygd. aneth. & de ſcorpionibus.

Pro Curatione vero ſecundi, præmiſſo blando Clyſtere ex lacte, butyro & ſyrupo roſ. ſolutivo, quinimo & medicamento leniente, Emulſio ſem. melonum, cum aqua malv. vel cum ſero capr. aut aſinino deſtill. extracta, addito ſyrupo de ibiſco, vel violaceo, congruentiſſima eſſe ſolet. Et interim ſemicupium aquæ dulcis ſtatim parandum, alterata foliis malv. violarum, parietariæ, & ſalicis, in quo tepido ſedeat Nob. Patiens per horam; a Balneo vero fiat copioſa inunctio, imo effuſio regioni ipſius veſicæ, oleo amygdal. & violaceo; vel illiniantur partes illæ omnes unguento malvino, cui ſuperapponatur petia jam dictis oleis, vel lacte tepido imbuta; repetendæ autem erunt tum Emulſiones, tum Balnea, bis in die.

Sed Præſervatio aptior & neceſſaria mihi magis videtur, quæ in primo caſu conſiſtit in inhibenda materiæ crudæ regeneratione: quod conſequi quoniam difficillimum foret, ideo ſicut reproducitur, ita per intervalla ad alvum ducenda & educenda, ne adeo frequenter febriculæ ingruant; aut ad vias urinarias ducatur.

Idque conſequi nos poſſe ſpero, dum Nob. Patiens tum in convenienti vivendi ratione inſiſtat, tum pauca hæc, ſed meliora & faciliora à me propoſita exequatur.

Congruam victus rationem, cruditatibus adverſantem, Excellentiſſimo Medico Adſtanti præſcribendam relinquo, & aliqua tantum ventriculum roborantia in uſum ducenda propono, nempe tria grana maſtich. integra ante prandii aſſumptionem frequenter devoranda: & ſal abſinthii ad ℈i. ſub cœnam in exiguo vino diſſolutum, hauriendum; quandoque ſtatim à cœna rotula, ſive Confectio, ex oleo legitimo cinnam. parata, ſaccharum cum aqua cinnam. aut florum citri diſſolvendo, aptiſſima quoque erit.

Secundæ intentioni ſatisfaciendum aliquo familiari medicamento ſtomacho non officiente, quale eſſe poterit pilula maſticina, bis in menſe, continuato triduo, ſub cœnam ad ʒß. ſumpta, cui addi poſſet Extractum mechoac. ad gr. x. quibus, ſi forſan non ſuccedat ob corporis gracilitatem & ſiccitatem optata evacuatio, ſubſtitui poterit Extractum Lenitivi ad ʒij. addito pariter mechoac. Extracto: ita namque cruditates nec in primis viis corrumpi poterunt, ſicq; neque febriculas excitare; & per alvum evacuatæ, urinarios meatus obſtruere nequibunt.

Pro Præſervatione autem ab altera cauſa, expiatis primis viis, bilioſa materia erit expurganda, & jecoris fervor contemperandus. Quare rhabarbari uſus facile opportunus eſſe poterit, cujus calor ut moderetur, Caſſiæ miſceri poterit ita

℞. Rhabarb. opt. ʒß. Flor. caſſ. ʒij. m. f. boli quatuor horis ante cibum aſſumendi: ſed poſt horam à bolis aſſumptis ſuperbibat cyathum aquæ ſtillat. de ſucco cichorii; quod medicamentum quotidie ſumi poterit per decem dies.

Quod

Quod ſi forte rhabarbari uſum non toleret Nob. Patiens, tertio quoque die ter repetat electuarium de ſucco roſarum ad ℥ij. flori caſſiæ miſtum, cui ſuperbibat pariter aquam cichorii jam præſcriptam, vel hordeaceam: & diedus intermediis cyathum bibat aquæ refrigerantis, aut cichorii, aut endiviæ, cum Julapio violac. aut roſarum ſimplici. Inde ad jecoris calidam intemperiem remittendam, eadem aqua ſtillat. de ſucco cich. uti poterit ad ℔.i. addita ſyrupi de ſucco limonum uncia, vel ſalis prunellæ drachma, in cujus uſu 15. aut 20. diebus perſeveret; & interim extrinſecus jecoris regioni Epithema apponatur ex ſucco cichorii cum ſucco limonum, exigua quoque aceti roſati portione addita.

Quibus congrua erit injungenda victus ratio, pariter ab Excell. Viro Adſtanti præſcribenda: cui cætera quoque conſideranda & melius dirigenda libenter relinquo, pro Præſervatione Viri Nobiliſſimi, quam à Deo Opt. Max. enixe precor. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Pro Iſchuria.

℞. Aq. malv. ℥iv. ſpirit. terebinth. ℈ß. M. exhibe: poſtea paravi balneum in quo inſideret, ex aq. dulci tepida in qua incoxerint parietaria chamæm. parthenium, beton. apium & petroſel. addito oleo communi antequam balneum ingrederetur, dedimus alterum diureticum cum ex aq. cortic. fabar. ℥iv. cum gt. viii. ſpir. vitrioli: ſequenti die ſuccum raphani exhibui ad ℥iv. quem evomuit: ſerò verò aquam capill. ven. ad ℥iv. cum gt. vi. ol. camphoræ. *Roderius à Fonſeca. Tom.1. conſult.87.*

Mirabile eſt hoc experimentum quo uſus eſt quidam ex iſchuria in lecto decumbens adeo vehementi, ut quinque diebus urina ſupreſſa maneret, qui cum nullis remediis curari poſſet, tandem duas treſve ſquibalas fimi equini ponderantes ℥ij. cum vino calido rhenano colabat per pannum lineum, quam colaturam una doſi cum fruſtra multa tentaſſet remedia, ſumebat, & ex incontinenti mingebat: alius etiam cum laboraret ex calculo, & omnimoda urinæ ſuppreſſione, idque per plures dies, eandem potionem ſumens, ſtatim miraculi inſtar lotium excrevit, & convaluit; fœliciter etiam idem medicamentum tertio ceſſit. *Petrus Foreſtus, Schol. obſerv.19. lib.25. De veſica morbis.*

Pharmacopœus quidam Pariſienſis iſchuria laborans, poſt multa remedia per quatuor dies fruſtra uſurpata, ſequens ſibi ipſi compoſuit, à quo urina provocata eſt, & liberatus fuit.

℞. Vini alb. canarini ℥iv. ſucc. limon. ℥j. ſpiritus terebinth. ʒij. pro uno hauſtu. *Samuel Formius, obſerv.42.*

Efficax remedium ad iſchuriam expertus ſum in tribus ægrotantibus ex cerebro picæ exſiccato & cum vino albo propinato, intra horam urinæ fluxus promovetur. *Samuel Formius, obſerv.33.*

Devenimus ad pulv. unius cantharid. integræ cum pulv. pellis leporis combuſtæ: ſed res è voto non ſucceſſit. *Epiphanius Ferdinandus, hiſtor. 97.*

Poſt mitiorum uſum exhiberem gr. ij. cantharidum cum ℥ij. ol. amygd. amar. *Chriſtoph. Guarinonius, conſult. 238.*

Mercator quidam ab octiduo ſtagnantem urinam paſſus, jam morti vicinus, diureticum ſumpſit è ſucco millepedum & ſucco conchyliorum nigrorum, cui granum unum cantharid. incoxerat, integro hauſtu bibitum. *Joh. Helmontius, tract. cui tit. De Lithiaſi.*

Pro Urinæ ſuppreſſione ex calculo renum.

Per tres quatuorve dies lotium non reddiderat mulier quædam renum calculo laborans; cum hæc remedia ſequentia adhibuiſſem, miraculi inſtar urinam reddidit, & curata fuit.

℞. Parietar. virid. M. iv. cum butyro fricta pectini cataplaſmatis inſtar calidè imponatur.

℞. Cheræfol. malv. parietar. an. M. J. ſem. alth. malv. an. ʒiß. cicer. rub. ℥ij. ſem. quatuor. frigid. maj. an. ʒj. hord. mund. p. j. ſebeſt. rec. num. 9. caric. num. v. liquir. raſ. ℥ß. coq. in ℔iij. aquæ ad conſumptionem mediетatis: colaturam continuò bibens, his remediis curata fuit. Mulier quædam gravida quæ in octavo menſe adeo calculo fuit affecta, ut mingere non potuit; his autem remediis non tantum lotium reddidit, ſed & calculos duos ad piſi magnitudinem, neque fœtui obfuerant remedia, nam nono menſe abſoluto feliciter peperit. *Petrus Foreſtus, obſerv.25. lib.24. De renum morbis.*

Cuidam mercatori urinæ retentione laboranti ex calculo ureterem obſtruente, hoc decoctum ſequens exhibui quod licet ſecretum ſit & arcanum, ut vocant, nunc quidem reticere nolo ob communem ægrotantium utilitatem, tale igitur eſt.

℞. Sem. malv. alth. an. ʒiij. cicer. rub. ℥ij. ſem. quatuor frigid. maj. an. ʒij. hord. mund. ℥ij. caric. ping. n.9. ſebeſt. n.7. liquir. raſ. ʒvi. F. decoctio in ℔iv. aq. pluvial. ad. medietat conſumptionem, colatura uſui reſervetur, qua continuo utens calculum ſemper excrevit, & urina copioſiſſime effluxit eſt hoc decoctum lubricans ſimul & emolliens, & urinam provocans, hoc modo alii ſimili caſu laborantes in hunc modum ſemper curati fuere, primo injecto clyſtere emolliente, deinde fomentis & linimentis emollientibus, dolorem ſedantibus, & renem ac ureterem relaxantibus, poſtea decocto noſtro cum ficubus, cicere & aliis, ultimo purgatione ex caſſia adhibita. *Petrus Foreſtus, obſerv.29. lib.24.*

Pro urinæ retentione.

Ruſticus quidam decem diebus urinæ ſuppreſſione laborabat, pro illo conſultus, hoc Medicamentum præſcribo.

℞. Rad. fœnic. liquir. raſ. an. ℥ß. parietar. malv. viol. agrimon. ſummitat. ribes nigræ, an. M. j. ſem. aniſ. ʒiß. uvar. paſſar. exacin. p.j. fol. ſen. ℥j. gran. alkikengi. num. v. F. decoctio in ℔iij. ſeri lactis ad Medietatem, bis in die ſumebat ex hoc decocto, regionem veſicæ tum pectinem inungebat ol. amygd. d. poſtea adjecto oleo ſcorpion. etiam impoſito hoc cataplaſmate.

℞. Parietar. malv. chæreſol. fl. chamæm an. M. j. cumini. pulv. ʒj. Rad. alth. ℥iß. coq. in exigua aqua ad mollitudinem, piſtetur, addendo

butyr. rec. ℥ij. ol. ſcorpion. ℥i. M. ex decocto, cum ſumpſiſſet alvus ei ſoluta eſt, & cataplaſmate continuo impoſito, tandem minxit lotium copioſum. Multa ſunt quæ lotium provocant, ſed præcipuè folia ribes nigræ, licet aliquando vehemens ſit, ut ſanguinem ſimul cum lotio educat, ut in hoc ruſtico evenit. *Petrus Foreſtus, obſerv.*18. *& ſchol. lib.*25.

Pro urinæ difficultate cum dolore circa pubem in muliere quinto die partus. Cum fruſtra multa remedia eſſent tentata accitus fui: hoc ſequens cataplaſma pectini appoſui, quo appoſito, incantamenti inſtar, cum eandem pro deplorata haberent, lotum liberè reddidit, & ab eo dolore, qui pubem exercebat, fuit liberata.

♃. Parietar. M ij. Chærefol. Miß. inciſa ad mollitudinem decoq. add. butyr. rec. ℥ ij. Ol. ſcorpion. ℥ i ß. calidè pectini applicetur, ita profuit, ut nullis aliis remediis opus fuerit, ſuſpicabar malum ex frigore contractum, ſola ſæpè parietaria cum oleo ſcorpion inſtar empiaſtri pectini appoſita (quod experimentum præceptoris mei *Elidæi* erat) profuit, & me rarò fefellit, etiam ubi obſtructio eſſet ab humoribus craſſioribus; præcedente tamen clyſtere emolliente. *Idem obſerv.*8. *lib.*25.

Pro urinæ ſuppreſſione in puero.

♃. Parietar. oleo frixam, & eam calidam ad pectinem ſuperimpone vel inter anum & pudenda, urinam enim cit. Vel cæpam excavatam accipe in quam infunde oleum anethinum vel commune, & ad cineres calidos, quoad tabeſcat, finito & piſtam calidam ſupra prædicta loca imponito; aliorum ac cæparum reſtis minutim cæſa, & oleo, frixa ac admota juvat; oleum lilinum idem præſtat, ſed puer hic, quum multa eſſent tentata, ex oleo ſcorpion, inunctus multa minxit, & liber evaſit; radix meu oleo cocta, & pectini applicita, urinam pueris unicè provocat. *Amatus Luſitanus, curat.* 10. *cent.* 4.

Subſequens emulſio in ſuppreſſione urinæ ultra ſeptimum diem ad miraculum uſque excrevit ſuas vires in muliere quadam, & eſt ſecretum Divi Maximiliani, excrevit calculos ultra mille & quingentos, & aliquot menſuras urinæ.

♃. Sem. viol. purpur ℥ß. cum aq. veronic. q. ſ. F. emulſio *Carolus Oslevius* Epiſt. antepenult. lib. 3. Epiſt & conſil. *Cratonis, &c.*

Pro urinæ interceptione & difficultate, laudo ego hunc pulverem.

♃. Nucleor Perſic. ceraſor. an. ℥ij. ſem. dauci, ſiler. montan an. ʒvi. ſem. fœnic. d. aniſ. liquir. an. ℥ß. artemiſ. ℥j. ſacch. albiſſ. ad pondus omnium. F. pulvis ſubtiliſſ. capiat cochl. j. in vino albo tenui, in eo caſu maximè etiam laudo amygdalas amaras, vel iis meliores nucleos perſicos comeſtos: item pulviſculum virgæ aureæ vel artemiſ. vel calam. aromat. quem velim cum vino albo tenui abſorberi ʒi. vel ʒij. pondere, mirum quam ſint ex uſu hi pulveres, ſi in frequentem uſum adhibeantur, vel ſimplices vel mixti. *Reinerus Solenander: conſil.*18. *ſect.*1.

♃. Sem. raphan. geniſt. an. ʒ iij. ſem. bardan. ʒ ij. croci ℈ß. ſacch. ℥ i ß. F. pulvis: detur una pars manè jejuno ventriculo ex vino albo, altera pars veſperi ante cibum. Inter ea quæ admoventur tria maximi valoris mihi magnopere probantur. Primum ſanguis vulpis calidus renibus illitus; alterum oleum ſcorpion. cum minima cantharidum in pulv. redactarum portiuncula pariter illitum: tertium eſt quod.

♃. Succ. cepæ. petroſel. apii, fœnic. an. ℥ iv. cum mica panis F. cataplaſma pro renibus. *Joh. Zecchius, conſult.*30.

♃. Aqu. veronic. parietar. an. ℥ ij. Syrup. de alth. ℥i. M. F. Julepus add. ol. ſuccin. gr. v. exhibe dimidiam partem circa veſperam, alteram mane & repetatur hic clyſter alternis diebus.

♃. Rad. malv. alth. an. ℥i. fol. malv. pariet. heder. terreſtr. an. M. j. flor. chamæm. meliſ. an. p. j. ſem. fœnic. aniſ. carvi. an. ʒij. F. decoctio in colat. ℔j. diſſolv. bened. laxat. ℥ß. mell. viol. ℥i. ol. amygd. d. chamæm. an. ℥i. ſalis ℈ij. F. enema. cum iiſdem, herbis aucta quantitate fiat inſeſſus. *Joh. Petrus Lotichius, obſervat.* 11. *cap.*3. *lib.* 4.

♃. Parietar. rec. M. iv. decoq. ad cataplaſmatis conſiſtentiam, adde ol. lil. alb. ℥ ij. ol. ſcorpion. ℥i. F. cataplaſma, id linteo duplicato denſè inductum calidè ſumini applicetur, cum admiratione illicò lotium provocatum quoties admotum, quaſi affixa cucurbitula ſenſit urinæ attractionem, *Auguſtinus Thonerus, obſerv.*10. *lib.*1.

Hoc decoctum præſcripſi.

♃. Rad. liquir. ℥i. paſſul. ℥iß. Rad. ononid. ℥ß. cicer. rub. p. j. fol. malv. parietar. an. M. j. flor. chamæm. p. i. F. decoctio, dulcoretur addito ſacch. & bibat, inſeſſione quoque ex decocto malv. parietar. chamæm. tepide utatur, his factis urinam denuo reddidit & dolor circa veſicæ regionem quievit. *Felix Platerus, obſerv. lib.*2. *pag.*280.

Ad mictionem provocandam quæ mirè angebat, bibit juſculum ſequens.

♃. Cicer. rubr. p. j. rad. aſparag. petroſel. an. ℥i. ſem. melon. ℥ß. Coq. addito butyro, bibat, ſub veſperam copioſè minxit urinam, ceſſante iterum mictione dedi hanc potionem.

♃. Sem. naſturt. ʒß. Aq. parietar. ℥i. Julepi viol. ℥ß. bibat. & repetat decoctum cicerum, quibus factis immenſam denuò urinæ copiam ut prius minxit ſine recidiva. *Felix Platerus, obſerv. lib.*2. *pag* 359.

Vir cuidam nobili certis temporibus circiter biduum vel triduum ſupprimebatur urina, adeo ut nullam reddere poterat; tuncque dolorem & in renibus gravem, & diſtendentem in veſica ſentiebat, donec urina impetu quodam ſurſum proſilitet, copioſa, eaque turbida, in qua ſubſidente, vel colata per pannum, pus & mucus bona quantitate deprehendebantur. Exiſtimavi renum & præſertim dextri, in quo latere magis dolebat aliquam exulcerationem eſſe, à qua pus in renibus coacervatum mucumq; urinæ in ureteres influxum, tamdiu impedire, donec loco cederet, & cum urina elueretur; metuebam etiam ne calculus quoque aliquis ſubſit, qui in renum ſubſtantia genitus, auctus diuque retentus, illic ſedem fixerit: remediis meis uſus rarius & mitius hoc affectu laboravit; inter quæ hæc plerumque profuerunt, quando paroxyſmus ille eum invadebat, inſeſſione in balneo utebatur ex decocto relaxantium & anodynorum ſimplicium parato.

Bibe-

Bibebat de hoc diluto terebinth. una vice ad ℥iiß. quod & ſi illi non ſaperet, quia tamen mictio inde mox ſequebatur obtemperabat.

℞. Reſin laricea vel abietin. puriſſ. & limpidæ ℥ß. vitell. unius ovi, mell. ℥i. agitentur probe in mortario marmor. donec albeſcat & diſſolvat lactis cremoris inſtar; poſtea adde vin alb. opt. aq. parietar. & ſt. fabar. an. ℥iß. ſyr. limon vel acetoſ. citri. ℥i. agitentur denuò, ut amplius liqueſcat. ſervetur ad uſum ex terebinth. vera cypria pilulas parari curavi hoc pacto.

℞. Terebinth. veræ ℥ß. ſacch. cand. ʒii. ſyr. de limon. q. ſ. F. maſſa, de qua capiat ʒi. pro vice hebdomadatim, vel ſi malit in pulvere uti, ejus ʒi. bibat cum vino: paroxyſmo interdum adveniente bibit ſequens decoctum, uti & alio tempore frequenter.

℞. Cicer. rubr. p. j. maceratorum aliquandiu antequam decoquerentur, in aq. rad. fœnic. petroſ. & aſparag. rec. vel turionum illius recentium cum pullularent, an. parum. F. decoctio. adde ol. amygd. d. rec. expr. ʒvi. ſalis tantillum pro uno hauſtu. Quando dolor immenſus erat, ut nulla eſſet quies, egoque vocatus adeſſem, ad narcotica progreſſus, quibus prius non erat uſus, cum & ſomnus obreperet, atque levamen ſentiret, mirè laudabat; quæ tamen non niſi neceſſitate urgente ſumma, illi exhibebam, per pilulas ejuſmodi.

℞. Pulv. troch. alkikengi ſine opio ʒii. opii ʒß. contriti diligentiſſimè cum ʒi. ſacch. candi, cum ſyr. de liquirit. F. maſſa. Detur pilula ℈i. pondere, vel paulo plus prout operabitur. Hiſce potiſſimum remediis, quæ abſtergendo obſtructiones ſolvebant, urinam promovebant, dolorem mulcebant, multos annos ſublevatus fuit; donec thermas Cellenſes adire volens, cum itineri accinctus eſſet, apoplexia ſubitò correptus expiravit. *Felix Platerus, obſerv. lib. 3. pag. 813.*

Forus admotus reni & ureteri, mox inunctio ex oleo Scorpionum & amygd. d. tum etiam cataplaſma ex fæce decocti emollientis cum cepis coctis ſub cineribus: eodemque tempore exhibitus julepus ſequens.

℞. Succ. parietat. & fœnicul. marin. an. ℥iß. ſucc. limon. & ol. amygd. d. rec. an. ℥i. M. F. julepus. pro una doſi: intra horam ab aſſumpto julepo, copioſè minxit & liberatus eſt. Ad ſigillum curationis ſumpſit poſtridie mane bolum ex caſſia, rheo, & cremore tartari. *Lazarus Riverius. obſ. 29. cent. 2.*

Nobilis quidam diebus æſtivis calidiſſimis Lutetia Monſpelium veniens; multoque potu ad ſitim extinguendam ſeſe ingurgitans, quatuor à reditu ſuo diebus incidit in omnimodam urinæ ſuppreſſionem. Uſitatis remediis per triduum uſurpatis nihil conferentibus, tandem ego vocor, & prædictorum relationem audens, quæro num dolorem aliquem in lumbis aut pube æger perciperet, aut aliàs nephriticis affectibus obnoxius fuiſſet, ille ſe nullo dictarum partium dolore affici, neque unquam dolores nephriticos paſſum eſſe conſtanter affirmavit: quibus omnibus diligenter perpenſis, cenſui hanc urinæ ſuppreſſionem à nullo renum aut veſicæ vitio dependere, ſed potius ab obſtructione venarum emulgentium, quam humorum multitudo pepererat. Siquidem Gal. libr. 10. method. cap. 2. duplicem obſtructionis cauſam ſtatuit, humorum ſcilicet multitudinem, & eorum craſſitiem: ratione multitudinis vaſa nimium repleta & diſtenta, non poſſunt ſeſe contrahere ad expulſionem, quod manifeſte in veſica, quæ à diuturniore urinæ retentione prætermodum diſtenta, difficillimè interdum urinam excernit, propter contractionis defectum. Huic ſententiæ inhærens, phlebotomiam propoſui larga manu celebrandam, ad ſolvendam venarum plenitudinem, cuicum acquieviſſet Medicus ordinarius, extracta fuit ſanguinis ℔i. at vix hora elapſa à venæſectione, ſenſit æger profluentem urinam à renibus ad veſicam per ureteres, & ſe brevi eam redditurum profeſſus eſt; ac paulò poſt matulam petiit, quæ cum unica mictione repleretur, aliam vaſa fuerunt afferenda, ita ut intra horæ ſpatium plures urinæ libras excreverit. Sicque omnino liberatus eſt, neque ſumere voluit purgans medicamentum quod in craſtinum ipſi fuerat præſcriptum. *Lazarus Riverius. obſerv. 1. cent. 1.*

Jo. Dominicus Sala qui ætatem inter experimenta conſumpſerat, ſemel omni vitæ ſpatio ſe urinam quindecim diebus in viro ſuppreſſam vidiſſe monuit, venis ad pollicis amplitudinem intumeſcentibus, quæ liuente denuo urina in ſtatum naturalem rediere. Secus urinam ſupra quinque vel ſex dies nunquam meminerat retentam. *Joh. Rhodius, obſerv. 28. cent. 3.*

Nicolaus Treviſanus Medicinæ Theoreticæ Profeſſor, jam ætate confectus à veſicæ calculo urinæ vexabatur ſuppreſſione, Jacobi Zabarellæ tunc Profeſſoris Medici munere atque conſilio, quum lapidem nephriticum brachio aptaſſet; calculum excrevit: ne quicquam ex eò percepit incommodi; poſtquam ipſum perpetuò circumferret. Eandem ejus efficaciam Jo. And. Schogargus celebris Medicus Patavii in agricola eſt expertus, qui urina retenta dum valde torqueretur, lapide illo coxæ interiori admoto; ea protinus effluxit. *Joh. Rhodius, obſerv. 30. cent. 3.*

Lapis Nephriticis maximè laudatus ex Nova Hiſpania defertur, praſio lapidi ſimilis, qui ad viridem colorem lacteo permixtum tendit; præfertur viridior: ejus præcipua laus eſt ad nephriticos dolores, tum ad calculum expellendam & arenulas. Nobilis mihi notus unum habet, cui nullum alium comparandum vidi; nam eum brachio geſtans, tanta arenularum quantitate liberatur, ut metuens ne noxia ſit tanta ejectio, interdum illum deponat, nullumque tum amplius calculum ejicit: ſed dolore premente denuò eum geſtans, ſtatim levatur aut minuitur dolor, multarum arenularum, atque etiam calculorum expulſione. Ea etiam occulta facultate præditus eſt, ut ab ejuſmodi dolore præſervet ret geſtatus, renum calorem mitigando. Duciſſa Bejar ter brevi temporis intervallo nephriticis doloribus afflicta, armillam ex eo lapide ſibi confecit, quam perpetuò geſtat; ex illo tempore (quod decennium ſuperat) eo dolore nunquam vexata eſt *Nicol. Monardes lib. De ſimpl. Medicam. ex novo Orbe delatis.*

Pro Urinæ incontinentia.

Urina infantium (ut refert Benedictus Vermentis) muribus elixis in cibo datis cohibetur. Ego hoc expertum novi à quibuſdam mulierculis Delphenſibus, quæ pueris elixos mures commodè dederint. *Petrus Foreſtus, ſchol. obſ. 22. lib. 25. De Veſica morbis.* Legatur Obſervat. 22.

Malmundarium anno 1608. vocatus, hydropicam anum curaturus, immanem ex remota platea ejulatum audio, ſciſſitatur quid eſſet, ducor ad juvenem primiparam, cui inepta obſtetrix veſicam laceraverat, ut ne momento urinam contineret. Unde jugi ſtillicidio excoriata primum cutis labiorum pudendi; moxque tot ibi verrucæ ſed molles, natæ, ut putem nullius duas manuum volas capere illas potuiſſe; utraque nates ad os ferè eodem lotio exeſa. Juſſi Leodium illam vehi cupidiſſimus curam illam tentandi, reclamante Socero meo Ryctio Medico Doctiſſimo, ut primùm operi me accinxi, informem illam & prægrandem verrucarum molem, magmate illo ex ſtibio crudo & ſublimato æqualiter mixtis, unde butyrum antimonii deſtillant; densè oblevi; qua ſæpius deraſa, die tandem tertio, labia pudoris altiſſimè ſepulta primum ſe aperuere, & clunium putris caro exeſa vel exciſa ſpem boni ſucceſſus fecit; ut primùm diductis labiis Sphincterem veſicæ obſervare potui, ſiphonem argenteum concinnavi, cujus partem breviorem veſicæ immittebam, longiori autem & quatuor latos digitos extanti lagenam alligabam. Hoc modo urina alio derivata, ulceribus ad cicatricem ductis, ſana ſibi viſa, maritum, cum quo biennio non conſueverat, decimo nono poſtquam Leodium venit die, ad ſe vocat, à quo, cum ipſam artem reponendi ſiphonem neceſſariò auferendum in amplexibus docuiſſem, iterum gravida fœlicius peperit: cæterum urinæ jugi ſtillicidio cum multa adhibuiſſem fruſtra, dimiſi hoc uno lætam, quod omni dolore ſoluta moleſtam vitam ob lagenæ pondus commodius traheret. Tandem alia occaſione Malmundarium revocatus, lætiſſimam offendi, unaque ſiphonem argenteum offerentem; jam inquit aliquot menſes hujus adminiculo non egui, tibi fortè uſui aliquando erit. Stupente me, quomodo urinæ illa incontinentia liberari potuiſſet, oſtendit mihi ſacculum collo appenſum, in quo erat pulvis bufonis vivi in nova olla uſti. Hoc à cingaro ſe edoctam; ab ejus uſu nihilo ſecius urinam ſe continere, quam ante lacerationem. Leodium reverſus, hoc ſecretum nunquam mihi lectum vel auditum in alio experiendum duxi. Appendi itaque collo Mercatoris cujuſdam eadem incontinentia ob male ſectum calculum, vexati, mirum dictu, etiam hic ſtatim perſanatus fuit. Aliam periculum hujus faciendi occaſionem quamvis curioſè quæſiverim reperire non potui. *Henricus ab Heers, obſerv. 14. lib. 1.*

Uſus catechu in Urinæ Profluvio continuo.

Magnifici viri filiola 2. annorum, ab incunabulis ſolam aquam bibens, à Cereviſia vinoque penitus abhorrens, ante biennium Urinæ quadam incontinentia laborabat, urina ſæpius urgente & fluente, cum dolore & intertigine pudendorum. Dedi pro lenienda, temperanda, & ad naturalem ſtatum reducenda excretione:

♃. Rad. alth. præp. ʒ ii. troch. alkek. c. op. ʒ i. Sacch. ad p. o. M. F. Pulv. S. *Lindpulver.* 2. malvat. juniperinum, cum ſpiritu nephritico factum, & Anodynis temperatum, de quo aliàs. 3. Ad Umbilicum Ol. cer. ſuccin. cum aliis calefacientibus remixta. 4. pro intertigine pudendorum.

♃. Ung. roſ. ℥ ß. nihil. alb. ſacch. ſaturn. per præcipita. ʒ ß. ol. momord. parum, m. præter inſpergenda ſicciora. 5. balneum ordinavi ex lenientibus & conſolidantibus, malv. biſmalv. roſ. rub. Chamæm. &c. Sed omnia hæc in ſimilibus affectibus prodeſſe ſolita levi effectu ſe commendabant, indies magis producto affectu. Cum igitur majori adſtrictione opus eſſe videretur, pro Renum laxo tono roborando, dedi tandem Catechu præp. aliquot doſes, in aqua pro potu miſcendas, unde diuturnum & obſtinatum malum opinione & parentum & Medici ipſius citiùs ceſſit.

Eundem in finem, in ſimillimo, ſed graviori caſu, ubi nempe præter memorata, in locis intertriginoſis vermes generarentur & apparerent moleſtiſſimi, idem medicamentum ceu divinum auxilium adhibuit D. D. Weitzius, Amicus & Collega honoratiſſimus. *G. Wolfg. Wedeli.*

De Urinæ incontinentia à caſu ab Alto.

Vir quidam fermè ſeptuagenarius per plurimos annos intemperate vivens, cum ab alto novem circiter cubitorum, non ſine magna lumborum & nervorum contuſione in terram reſupinus decidiſſet, eadem die involuntaria urinæ mictione afficitur, adeò ut ne minimam urinæ quantitatem in veſica retinere poſſet, ob nervos veſicæ cervicis læſos & relaxatos. Quantumvis autem varia ſelectiora, ad moleſtum affectum hunc depellendum, diu in uſum adhiberentur remedia, tàm externa, quàm interna, attritos præprimis ac laxatos nervos reſpicientia ac roborantia, optatus tamen effectus non ſequebatur, ob ætatem procul dubio provectiorem; corporiſque vires ab immodica victus ratione, jam longo temporis ſpatio continuata; fractas & imbecilliores redditas. Cum autem nihilominus in publicum prodire anxiè deſideraret, precibus inſtitit, ut in tantis anguſtiis ipſi ſuppetias ferrem, De auxilio cogitanti incidit mihi Cl. Hildani inſtrumentum cent. 6. obſ. 55. deſcriptum, ex ſtanno conflatum, ſuperiori parte circa coxendicem duplicata tela annectendum, quo urina inter deambulandum aptè colligitur, quam tam benè recipit ac continet, ut ne guttula quidem deperdatur. Hoc jam inſtrumento munitus ſenex non ſolùm in publicum prodit, verùm etiam conſueto munere fungitur. Tametſi autem Amatus Luſitanus cent. 2. curat. 11. & Benivenius Florentinus de abditis morbor. cauſis cap. 93. de urinæ incontinentia ex caſu, medicamentis ultimam ſpinæ vertebram ac laxatos nervos roborantibus curata, mentionem faciant; illius tamen ægrotus fuit juvenis, corpore robuſto & bona temperatura præditus, hujus verò ſemina adhuc vegeta & viribus pollens, adeoque ambo ad curationem longe habiliores. *Alphonſi Rhonii.*

De Urinæ incontinentia.

Quondam etiam nimio præceps urina fluento
Irrigat exuvias, obſcœnoque inficit imbri.
Ergo cinis cornu cervini proderit hauſtus,
Vel nepeta ex vino tritum vel lacte capellæ.

Ita quidem Serenus Sam. cap. de veſicæ & urinæ vitiis; Sed Polyhiſtor Plinius aliud huic malo remedium opponit: Urina infantium (inquit lib. 30. Nat. hiſt. cap. 15.) cohibetur muribus elixis in cibo datis: Sed alter noſter & Germaniæ Plinius, Conrad. Geſnerus, ex neſcio qua Sereni editione in hiſt. anim. vivipar. cap. de mure, p. m. 721. paulò aliter licet in eundem finem ſubſcribit, ſi urina præter voluntatem vel nimium fluat, cinis prodeſt (hauſto nepetæ ſucco.)

Ex vino muris tritus, vel lacte capellæ,

Quot aliàs paſſim proſtent ad ejuſmodi malum tollendum ſpecifica remedia, jam inter omnes conſtat, & vel unica illa Nobiliſſimi noſtri Pegaſi obſervatio, Anno Ephemerid. ſecundo inſerta, hujus rei teſtis ſat locuplex. Ego ex antiquatis unum proferam novo ſchemate veſtitum. Virgo quædam nubilis conſtitutionis phlegmaticæ & vitæ ſedentariæ, ac diætæ minus convenienti dedita, ab ineunte ætate & jam adultior, urinæ incontinentia diu noctuque graviſſime affligitur, & licet variis remediorum generibus, & inter illa ſuillo quoque pudendo variè præparato ſæpè multumque uteretur, eoque nomine non tam ex mali contumacia, quàm florentis ætatis reverentia, pudore non levi ſuffuſa, omnium mortalium opem imploraret, nullo tamen vel ex ipſa Epidauro adſcito medicamento citius & felicius convaleſcere potuit, quàm quod ſuggeſſit q. ſ. ἀπὸ μηχανῆς interveniens plebeia quædam, tædioſi affectus pertinacia & juvenculæ εὐπρεπείᾳ commota. En, inquit, facilè te ſalvam dabo, ſanamque, ſi obtemperaveris. Filius mihi erat, pergit Theſtylis, 15. circiter annorum, quem cum fabro ferrario in diſciplinam tradere vellem; ſed incontinentia urinæ à puero ad illum uſque diem efflictim laborantem, idque malum fabro indicarem, eſto bono animo, inquit, facilius hunc tibi puerum curabo, quàm vulpes pyrum comeſt. Domi mihi naſcitur præſentiſſimum remedium, muſculis aliquot devoratis, immunis erit ab omni hac ſpurcitie filius tuus, Dictum, factum. Virgo ſanitatis cupidiſſima, omnes ſtatim angulos perquirit, & inventis aliquot muſculis eos in clibano prius exſiccatos ac pulveriſatos audacter devorat, ovo frixo inditos, & ſtatim à graviſſimo hoc malo liberatur, menſibusque qui in 18. ætatis annum uſque ſubſtiterant, prorumpentibus inculpatâ poſtea fruitur valetudine, redeunte ſenſim faciei colore, qui antea pallidus fuerat vel luridus potius, florido vividoque.

Ex hac hiſtoria noto.

1. Plebejorum remedia non ſemper eſſe contemnenda: ὠκνεῖν ἰδιωτέων ἱστορέειν, ἤν τι δοκέῃ ξυμφέρον, præcipit Cous noſter inter alia Medico neceſſaria, quod eleganter reddidit Clariſſimus Hoefferus in ſuo Hercule Medico p. m. 77. Neminem pudeat, inquit, quantumvis literatum aliquid addiſcere, quod ad artis ſuæ perfectionem & ornamentum ſpectat, ſive illud ab anu ſeptuagenaria, ſive ab erudituſſimo quoque ſuggeſtum; modo non ſit ſuperſtitioſum, lege divina prohibitum, aut alia ratione inſanum &c. Quale quid & hujus aniculæ erat, quæ pro qualibet doſi muſculos num. 3. ſumere, idque terna vice certaque die repetere jubebat, quod tamen ægra una doſi malo hoc defuncta, neglexit.

Noto 2. Mures domeſticos in ſtatu adverſæ valetudinis citra noxam aſſumi poſſe, cum panis, caſeus, lardum & frumenta, ex iiſque ferè optimum quodque ipſorum ſint deliciæ, hinc de caſeo fertur proverbium, omnium optimum eſſe quem mus arroſerit, & pingueſcunt inde, ut nonnullis populis (ut incolis in Calecut) in cibum veniant, à felibus expetantur & felinam quoque carnem veſcam reddant, qua itidem avidè veſcuntur Liburini, Hiſpani & Galli Narbonenſes.

Noto 3. Mictionem plurimam parvæ quidem dejectionis cauſam eſſe, ex Aphor. Hipp. 83. ſ. 4. ſed & tardantium menſium obicem non levem, ob craſſitiem ſanguinis vaſorumque anguſtiam; humore ſeroſo ſanguinis vehiculo ad renes potiſſimùm derivato, quod medicorum noſtri ſeculi Corypheus Sennertus quoque inculcat l. 4. pr. p. m. 151. Cavendum (inquit) ne menſes moventia in horum ſuppreſſione indiſcriminatim uſurpentur, nam cum multa ex iis ſint, quæ urinam ſimul movent, exhibita intempeſtive potius nocent. *Joh. Michaelis Febri.*

Incontinentia Urinæ.

Paſtor quidam Holſatus Fridrichsſtadio nuperrimè hanc obſervationem ad me perſcripſit: Cuidam hic apud nos mulieri, quæ 7. annos incontinentia urinæ laboraverat, & circumforaneo præſcriptum tale medicamentum.

♃. Ficuum, uvarum Corinthiacarum, paſſularum an. ℔ß. Inciſa coq. in aq. pluvialis ℔iv. quibus deinde add. glycyrrhizæ ℥i. minutim conciſæ. Ex hac potione ſæpius repetita & recocta bonum hauſtum cepit, tandemque inde convaluit.

Quomodo hæc potio Incontinentiam Urinæ curare potuerit, non meum, ſed veſtrum eſt definire, cum à Practicis hic alia præſcribantur; Malum enim hoc cæteroquin aſtringentibus & conſolidantibus curari vult, cum plurimum à ſoluta continuitate, ſcil. dilaceratione colli veſicæ ortum ducat, ubi quoque concurrit ſphincteris læſio. *D. J. L. Hannemanni.*

Reſponſio Th. Bartholini.

Quia in hiſtoria non additur cauſa quæ incontinentiam urinæ in muliere vel concitavit vel fovit, ſuſpicari licet vel ab acrimonia lotii dependere, vel in partu læſas eſſe urinæ vias. Si illa, abſtergentia & mitigantia ex ficu, & uvis magis profuerunt, quam aſtringentia. Si hoc, conſolidationem perfecerunt eadem na-

tura benigna adjuvante. Ex ficu ad urinæ incontinentiam hoc rectius ab Italis laudatur.

♃. Fol. ficus, bacc. lauri an. ℥ii. f. pulv. doſ. ʒii. in vino nigro vel cum cibo. Neque enim ficubus levis aſtringendi facultas deneganda. Ex Diphilo Acheneæus l. 3. deipnoſoph. annotat; quorum remiſſior dulcedo eſt, illas ori placere cum eduntur, & ob aliquantulam adſtrictionem ventriculo orodeſſe: orbicata, quibus adſtrictio jucunda eſt cum dulcedine. ventriculo conferre.

De Certo in Urinæ *incontinentia remedio.*

Præſentiſſimis urinæ incontinentiam curantibus remediis merito accenſendum eſſe pudendum ſuillum, quod B. Dn. D. Mœllenbroccius Ann. II. Ephem. Germ. Cur. obſ. 21. commendat, ſequentia teſtantur. Fœtum excludebat mortuum mercatoris Grunbergenſis uxor cum partu difficillimo, & tali qui etiam veſicæ muſculos lædebat, ut urina ſponte flueret. Poſt debitam evacuationem corporis & uteri dabam pudendum ſuillum aſſatum & pulveriſatum cum pauco ſaccharo dulcoratum, & felix eventus comitabatur conſilium datum. Alia fœmina laborabat incontinentia urinæ per 15. annos, ſed huic nil auxilii erat ab hocce remedio, quia malum erat inveteratum. Ruſtico Scher, endorffenſi, qui etiam per ſexennium involuntariè emiſerat urinam, hoc ordinabam, aliquid equidem levaminis videbat, ſed malum non tollebatur penitus ob eandem fortè rationem. Principiis obſta. *Samuelis Ledelii.*

Remedium certum in incontinentia urinæ.

Contra urina incontinentiam multa ab autoribus commendantur remedia, e. g. veſica ſuilla combuſta, leporum teſticuli, guttur galli toſtum & exiccatum, cineres erinacei combuſti, medulla lapidum, pulvis piſcium in ventre lucii piſcis repertorum exiccatorum &c. ſed nullum præſtantius & certius non ſemel inveni pudendo ſuillo, quocumque modo coctu vel aſſato, atque à B. D. Joh. Michaelis P. P. & Practico, Lipſiæ quondam celeberrimo, ſæpius comprobato. Schrederus lib. 4. Pharmacop. Med. Chm. p. 112. ſcribit, ſe noſſe quendam, qui mictionem nocturnam Tabaci ſuffitu præçavit. *D. Valentini Andreæ Moellenbrocci.*

De Mictione involuntaria.

Domini Seidelii uxor, poſt partum difficillimum ſentit dolores acutos circa pudenda. Urina præter voluntatem effluebat & guttatim. Præſcripſi ſeq.

♃. Sem. papav. alb. cydon. an. ℈ iv. hyoſc. alb. ℈ ß. Gumm. arab. tragac. ana ʒ i ß. Rad. glycyrrh. Santal. rubr. Troch. Alkekeng. ana ʒß. Sach. roſ. tab. ℥iij. M. F. Pulvis.

♃. Mucil. ſem. cydon. ℥ß. pſyl. ʒj. extract. cum Aq. Equiſer. & plantag. q. ſ. Add. Alb. ovor. n. 1. Ol. verbaſc. ʒiiß. roſ. viol. ana ℥ß. ceræ q. ſ. M. F. Linimentum. Lavetur Aq. ſolani, & adde Ungt. alb. camph. ʒiß. His curabatur optimè & ſubjungebat dein uſum Thermarum Landeccenſium & integrè reſtituebatur.

Scholion.) Hoc malum originem trahit à læſione Sphincteris in partu, prout nunc læſio vel major vel minor exiſtit, ita & ſpes curationis. Morbus ſi inveteratus ſit, difficulter admodum curatur, vel planè non aufertur. Tria ejuſmodi Exempla in Praxi mihi ſeſe obtulere. Fœminam quandam, ubi recenſerat malum, paucis remediis in integrum reſtitui. Duas alias, ubi malum inveteratum & læſio magna, reſtituere non potui; etſi mitigatio mali & ſpes curationis ſæpius affulgeret.

Urina diu per ſcrotum reddita.

Vir Illuſtris cum ante biennium iter faciens à mari terris, qua tranſeundum, impetuoſe ſuperfuſo cum curru ſimul propemodum hauſtus fuiſſet hyberno tempore, evaſit quidem, ſed totus madens undis, & frigore rigens. Ex eo, intumeſcere ſibi ſcrotum, induratique notavit, cumque malum aggravaretur, in urbem tandem noſtram ſe transtulit de ſalute anxjus. Vocati ad conſilium celeb. Monichenius Archiater Regius, & ego, primùm quidem per epicraſin humores noxios expurgavimus, inde ad cataplaſmata cum chirurgo verſi animadvertimus matutinis viſitationibus ſplenia madida, & urinam redolentia. Unde expenſis accuratius omnibus foramen in infima ſcroti parte conſpeximus, unde lotium proficiſcebatur. Injecta turunda, quæ foramen modicè ampliaret, perſeveratum ad duritiem emendandam cataplaſmatis, cumque conſtaret bis pertuſum Scrotum, & ſuperna parte, qua perinæum uretiæ jungitur, & inferna, quæ pervia oculis, niter prognoſtica dubia accinximus nos ad leniter purgantia & clementer exſiccantia, adeo optato eventu, ut malum, quod in corpore alioquin cacochymico, & ſexagenario exitium minabatur, feliciter ceſſarit. Præcipuè à vino malvatico chalybeato evidens auxilium deprehendimus. *Thom. Bartolini.*

Urina circa os ſacrum exiens.

Henricus Crentzfeldt, Medicinæ candidatus Germanus, jam diu auditor meus induſtrius, ex antiqua vertebrarum dorſi luxatione & gibbo per intervalla valetudinis afflictæ fuit, doloribus potiſſimum circa os ſacrum infeſtantibus, qui ſuperioribus menſibus adeo invaluere, ut ferendis impar juſſerit locum affectum; & puris deliteſcentis indicia non obſcure præ ſe ferentem per Chirurgum aperiri. Quo ex arte aperto profluxit mox purulenta materia copioſe, & ſimul cum illa urina per vulnus erupit. Duravit ille urinæ fluxus per locum affectum aliquandiu, donec ſuperveniens paulatim hydrops mandata fatorum exſequeretur, & juvenem eruditum in rationes Libitinæ referret. *Olai Borrichii.*

Ex nimio aloës uſu cruenta urina.

Zythopœus quidam Hafnienſis ſexagenario major, & durioris alvi, ex conſilio amici ſuſpendit in cereviſia ſua fermentanda ſuccum aloës vulgatum, & ita præparata utitur, primis quidem menſibus ſine ullo ſanitatis diſpendio, tandem inter mejendum notat ſibi ſanguineum

quid-

quiddam cum urina prodire, ſed negligentior ſui pergit, & in medicatâ ſua potione tam diu perſiſtit, donec loco urinæ ſæpe purum putum, & copioſum ſanguinem redderet. Quam metamorphoſin formidans calamitatem ſuam mihi aperit, nec unde proficiſcatur, ullo modo poteſt hariolari. Ego in ſex res non naturales inquirens cùm adverto potione illâ aloëtica delectari ſenem, eas verò, inquam, tragœdias aloe excitat, à qua porrò abſtinendum, ut cui nihil familiarius, quam acrimonia ſua orificia venarum aperire. Cùm pareret monitis, & pilas ex terebinthina, rhabarbaro, & marga ſaxatili concinnatas loco alöes frequentaret, ceſſavit inviſum malum, & cruor intra vaſa ſua coërcitus quievit. *D. Olai Borrichii.*

Purulentum lotium.

Bis anno, quem terimus, urinam purulentam Hafniæ vidimus, in nobili puero & honeſta femina, diſpari fato ſicut ſexu, ſede quoſiue affecta diſpari.

Nobilis puer ſeptennis purulenta multa mingit ſed graviſſimo in perinæo glandeque cruciatu, unde ad mictionem vix cogi poteſt dolorum horrore. Alias benè valet & ludit ſine ulla querimonia. Tentavimus per ſyringam explorare ubi in veſica vitium lateret, ſed nihil deprehendere potuimus, ut ſuſpicio ſit altius hærere malum, ſive in fundo veſicæ exulceratæ, ſive in proſtatis. In lumbis quippe nullum dolorem ſenſit. Adhibita omnia interna pariter & externa. Sed auxilia eluſit pertinax malum, quod tandem cum morte extinctum fuit. Multa ſigna perſuadebant veſicæ eſſe exulcerationem vel vicinarum partium. Quia pus excretum urinæ non ita permiſcebatur, ſed ſæpe ſolum viſebatur, idque cum aliquo fœtore, qualem membranoſæ partes exulceratæ ſpirare ſolent. Huc ſpectat Aphoriſmus 81. ſectionis 4. Hippocratis, quanquam ſquamulæ needum nobis viſæ, quamdiu apud nos fuit. Ad alium enim translato locum quid exinde acciderit, ignoramus. Mortuum verò reſcivimus.

Honeſtæ fœminæ, ſed gravidæ, purula urina majus negotium faceſſebat, ſed meliori eventum. Magnus dolor dorſum lumboſque vexabat. Febris accenſa cum horrore, duplicis Tertianæ typum referebat. Urina primum cruenta, mox purulenta apparuit. Vomitus quoque ſanguinis ſemel terrebat. Pus verò copioſum corhidie cum lotio reddidit, inæqualiter quidem illi mixtum, tandem tamen in fundo matulæ ſubſidens, ſed ſine fœtore. Renum apoſtema quoddam ruptum, ſuſpicio certa videbatur ex dolore dorſi & lumborum, febre comitante, & puris conditione. Unde verò ſanguinis vomitus, non æquè facilè potuit dijudicari. Credo tamen, omnia hæc ſymptomata à ſanguinis copia fluxiſſe. Plethorica quippe eſt. Et cum prægnanti menſes non fluant, qua data porta eſt, ruunt & evacuantur. Vidimus enim alias in menſium vel obſtructione vel parſimonia, abundantem in corpore ſanguinem alias vias ſibi elegiſſe. In curatione circumſpecti ea exhibere auſi non ſumus quæ purulentos renes per veſicam expurgarent, ne fœtus ſimul propelleretur ſeximeſtris, de cujus ſalute ſollicitos nos eſſe conveniebat, cum abortus eſſet metus quieſcente eo & nullum motum edente paroxyſmi diebus. Igitur terebinthinatis omiſſis, Emulſiones & hordeata præſcripſimus, ut & renibus & febri proſpiceretur, cordialibuſque pulveribus & febrem jugulare animus fuit, & fœtum roborare. Dorſo dolenti Emplaſtrum Diachylon cum gummis, umbilico verò Epithema ex balſamo Embryonum &c. appoſitum. Tam feliciter omnia ſucceſſerunt, ut ſuperſtite fœtu & matre convaleſcente, urina ſana ſit reddita, & febris die ſeptimo per ſudorem terminata. *Th. Bartholini.*

Urina viridis.

Matrona nobilis ſextum menſem gravida corripitur febre tertiana. Advocor, & quæ malo avertendo opportuna ſunt, præſcribo. Poſtridie & ſequentibus aliquot diebus, dum urinam prægnantis inſpicio, oppidò viridem eam obſervo, ſedimento griſeo ſubſidente. Jubeo frontem & oculos mihi obverti, cogniturus anne in icterum declinet malum, quod compertum, urinas ictericorum aliquando ex flavo virere. Nihil in vultu, in oculis nihil, quod de imminente ictero teſtetur. Ceſſavit paullo poſt malum pharmacis acidi nimii vires frangentibus expugnatum; quid enim credibilius, quam bilem in corpore hoc cum potentiori acido confuſam ad vaſa urinæ penetraſſe, & in itinere colorem ſuum flavum, ad imperium acidi, in viridem convertiſſe, quo nihil frequentius, ob eandem rationem, in excrementis infantum ſolet notari. *Ol. Borrichii.*

De Urina nigra nil funeſti indicante.

Vir apud nos Præ-conſularis Dominus ac Patronus mihi maximus G. K. nulla data cauſa externa, urinam dum redderet, nigram illam egredi cernit; ipſe ad inſolitum urinæ ſuæ colorem perterritus, vocari me Jubet: accedens video colorem, examino ſubſtantiam, nulla aderat pelluciditas, nullum ſedimentum, imo nec cum aliquandiu in receptaculo vitreo communi ſtetiſſet; atramentum ſcriptorium urinæ loco ſubſtitutum judicaſſem, ſi non ſerio & ſcrupuloſè ſatis eam mihi monſtratam eſſe animadvertiſſem. Indiſpoſitionem gravem ſentiebat nullam, niſi quod circa lienis regionem tenſionem aliquam perciperet, & circa diaphragma ſeſe cingulo quaſi ligatum incedere conquereretur. Permanebat color toties, quoties reddebatur urina, nigerrimus per dies quinque continuos; poſt ſenſim remittens, ad obſcure rubrum accedebat, donec decimo die ad ſtatum rediret naturalem. Ex eo tempore, quamvis cum hypochondriaco malo ſatis graviter conflictaretur, utcunque habere cœpit. Poſt menſium plurium decurſum iterum præter ſpem nigram reddidit urinam, quæ per dies aliquot talis permanſit, donec ſine adhibitione ullorum remediorum naturalem iterum reciperet colorem.

Criſin fuiſſe naturæ, quæ melancholicum huncce humorem pernaturales urinæ vias evacuaverit, dubium non eſt, cum excretionem huncce benè tulerit Magnificus & Generoſus

Dominus, & ab excretione hacce ſatis copioſa meliuſculè valere inceperit : ſed quia ſal acidum in copia urinæ permiſtum fuit, mirum forte, quod nec ad excretionem ſæpius ſtimularit, nec in excretione ipſa dolorem, pruritum, aut acrimoniæ alicujus ſenſum moleſtum conciliaverit. Notum eſt magni Hippocr. de urinis nigris judicium, quod pernitioſas eas pronunciaverit : ita ille *Sect. 2. Coac. Prænot. verſu 580.* Ὀλέθριον δὲ ἐστὶν τῶν οὔρων τότε μέλαιναν τὴν ὑπόστασιν ἔχον, καὶ τὸ μέλαν. Rationem dat interpres ejus non infimus Fœſius, quod incendii magni & exſtinctionis caloris nativi nota ſit. Sunt tamen apud Autores exempla contraria. *Hippocrates* ipſe *lib. 6. Epid. ſect 3. Ægrot. 3.* Heropnontem febre acuta laborantem, cui οὖρα μέλανα reddebantur, καὶ σπλὴν ἐπήρθη, lien intumuit, evaſiſſe notavit; & *Ægrot. 7.* de Metone meminit, οὖρα ὑπομέλανα εἶχεν, urinam ſubnigricantem habuit; *Lib. 3. Epid. Sect. 3. Ægrot. 9.* de Heropitho ſcribit, quod οὖρα habuerit λεπτὰ καὶ μέλανα, & *3. Epid. ejuſdem Sect. Ægrot. 11.* de muliere aſpera & auſtera in Thaſo ſcribit, quod ad tertium morbi diem habuerit οὖρα μέλανα λεπτά, evaſiſſe autem omnes. Conciliavit Hippocratem immortalis *Proſper Martianus*, maximus Divi Senis Interpres, in commentario loci ſuperius allegati *Sect. 2. Coac. Prænot.* Hujus diverſitatis, *inquit*, ratio eſt, quia etiamſi hæc humoris nigri præſentiam ſupponat; hujus tamen malitia non eſt eadem, cùm longè deterior ſit niger & exuſtus humor, qui proprio vocabulo atra bilis dicitur, melancholia naturali, fex ſanguinis dici poſſet, imò utriuſque humoris non ſemper æqualis eſt conditio, cùm levior ille ſit, quem natura jam ſuperavit, eò qui crudus adhuc perſiſtit, &c. *Clar. Bartholinus* ex eſu immodico uvarum lotium nigrum redditum fuiſſe exemplum habet. *Cent. 5. Hiſt. Med. Obſerv 10.* Unde autem color ille ater latici communicetur, plurimorum torſit animos : An ſulphuris & ſalis portiones adultæ coctione longiore colorem ſaturatiorem ſero ſuppeditant, qui mora longiore ad nigredinem vergit? An fæculentiæ melancholicæ, queis ſuperabundare melancholicos conſtat, ubi in eam excreverint quantitatem, ut à natura ferri amplius non poſſint, vel fermentationem aliquam vel motum etiam à cauſa externa, diureticis nimiis, acceperunt; maſſæ ſanguineæ communicatæ, vel confuſæ potius, per loca urinæ dicata evacuantur? Sic turgentem in corpore bilem flavam lotium ictero flavo ſaturate rubrum reddere videmus, in nigro autem impenſe rubrum; &, ut Hippocratis mihi uti verbis liceat, ὑπομέλανα conſpici practicis notum eſt; unde pleroſque de quibus Autores referunt, quod nigras excreverint urinas & reſtituti fuerint, hypochondriacos fuiſſe apparet. Maximè huc facit hiſtoria, quam ex *Valetio* ad *Hollerium Schenckius* refert *Lib. 3. Obſerv. 3. p 469.* Religioſum nimirum fuiſſe, cui ter aut quater in anno lien intumuit, unde dolore hypochondriaco maximè infeſtabatur, nigricantibus tandem & atramento ſimillimis apparentibus urinis, quæ per 5. vel 7. durabant dies, ſalvus evaſit & incolumis, ceſſante tumore & gravitate hypochondrii, qui, repetito ſubinde ejuſmodi per intervalla profluvio nigro ab hypochondriorum & tenſione & lienis duritie liberatus eſt. In aliis, in quibus lethales judicantur urinæ nigræ, à ſumma veneni alicujus vel epoti vel geniti in corpore virulentia aut malignitate colorem nigrum provenire exiſtimo, abſumptis nimirum vel extinctis ſanguinis ſpiritibus, ſicque mixtionis ſoluto vinculo, ſanguini quaſi νέκρωσις conciliatur, unde corruptum cum ſanguine ſerum colorem recipit nigrum. Res patet exemplo, ulcus ſordidum ubi in gangrænam, & hæc in ſphacelum abit, ſanies quæ initio alba erat, flava primum, mox fuſca, & tandem conclamatis omnibus, nigra evadit. *Joh. Schmidii.*

Globus ſclopetarius per urinam excretus.

Ex Epiſtola, ſcripta à Doctore Nathanæle Fairfax, *ad Editorem, de Globo ſclopetario excreto cum Urina.*

Domine, Abhinc aliquanto tempore miſi tibi per Dominum A. C. ad Dominum B. quendam glandem plumbeum, excretum à muliere per Ureterem, cujus rei circumſtantias propoſueram proxima occaſione tradere per Epiſtolam : ſed uſque nunc impeditus fui quo minus id efficerem. Rudis hiſtoria ſe habet ut ſequitur.

G. Eliot de *Mendlesham* in *Suffolcia*, mulier pallida, mediocris ætate, & corpulenta, admodum aliquot annos aſthmate cruciatu inteſtinorum, perſuaſa fuit à Vicino, qui multum in ſimili Accidente paſſus fuerat, deglutire duos idoneos glandes : & ſtatim (ut ipſe ante) fruebatur quiete à doloribus : ſed poſtea cruciatus magno cum fœnore redibant, ipſaque multum cum morbo ſpatio 15. annorum conflictata, ſemet commiſit curæ Apothecarii mei, *Dom. Gibſoni* de *Stovvmarket*, qui in ipſo conflictu præſcripſit illi doſin pulveris Dominæ Comitiſſæ de *Holland*, eumque illa bibit in poſcha mane, à meridie lenes habuit ſedes, noctem traxit in tortura corporis multo cum vomitu, & proximo mane dum mingebat, cum Urina excrevit, quod cum clangore ad latus matulæ elapſum maximè illam attonuit ignaram, quid eſſet : & Urina cautè effuſa, reliquus erat gravis & (ſecundùm apparentiam) calculoſus lapis, colore dubio inter flavum & rubrum, fere magnitudine extremitatem pollicis æquans, (prout ipſa confidenter mihi aſſeruit; ſed ubi malleo decuſſerant exteriorem partem cruſtæ ejus, invenerunt globum medio incluſum colore æreo; qui tamen cultello paulum reſectus comperiebatur eſſe plumbeus : qua re inventa, facile erat ejus rei rationem reddere. Quæſivi ex ea, annon antè inquiri curaſſet in tales globos excretos? ipſa verò reſpondit, aliquot diebus poſtquam glandes deglutiiſſet, excrementa ejus perfunctoriè fuiſſe examinata, ſed neutro reperto, ceſſatum ab ulteriori inquiſitione. Porrò interrogata de magnitudine globi? reſpondebat fuiſſe ſecundum apparentiam majorem, cum eum deglutiret. De ſtatu corporis ejus ratione Lapidis quæſita, reſpondebat ſe ante & poſt accidens illud excreviſſe copiam rubicundæ arenæ, in primis tribus annis poſtquam glandes deglutiiſſet, excreviſſe lapidem rubicundum, eumque ſatis magnum. Ulterius quæſivi ex ea modum quo corpus ejus fuerit affectum,

ipſo

ipſo excretionis tempore? reſpondebat ſimilem fuiſſe caſum dolori calculi communi, niſi quod diutius (per aliquot nempe ſeptimanas) ſe detinuiſſet; quodque miſerum in modum inclinata fuiſſet; (prout ſæpiſſime accidit, lapide exiſtente in Ureteribus;) pronaque in Vomitum, & præcipuè ajebat ſe ſenſiſſe lapidem pedetentim deſidere ex rene ad Veſicam, in ſiniſtrum Ureterem. Tum interrogavi eam, num certa eſſet glandem fuiſſe excretum per Meatum Urinarium, & non per Inteſtinum rectum? aſſerebatque ſe non errare in re illa. Et certe Tunica calculoſa, qua globus fuerat indutus, ſatis oſtendit, ubi fuerit detentus: Ad quæſtionem, num & alterum glandem excreviſſet, reſpondebat negando, quantum ſciret, quin potius ajebat eundem adhuc in corpore ſuo exiſtere. Tandem quoad ſtatum ejus à tempore excretionis dicebat ſe ſemper laboraſſe è doloribus Colicæ ex Calculo, minimè verò tam acriter ac ante.

Hæc eſt plana relatio materiæ Facti. Præcipuus uſus hujus Exempli (ſi memorari mereatur,) eſt corroborare conjecturam meam, quam diu foveo, de alia via ex Stomacho ad Veſicam; præter eas quas Anatomici hactenus retulerunt. Nam hunc glandem minimè perveniſſe ad Ureteres per Venas, Arterias, Nervos, Lymphæductus (quæ ſunt ſola vaſa eo ducentia) mihi videtur controverſiam omnem ſuperare. Si dicatur Natura gravata invenire miros & extraordinarios ductus, ad expurgandum corpus rebus omnibus extraneis & noxiis, facile illud largiar, quia plurima exempla nota ſunt, quæ id probent; attamen non arbitror illud tam convenienter urgeri, quandoquidem alia quædam Exempla illud videntur comitari, quæ nequeunt tolli per eandem invaſionem; ſcil. Multi experiuntur, quod poſtquam biberint 4. vel 5. vitia Vini Rhenani (exempli gratia) intra tempus minus quadrante horæ ſe valde micturire, inprimis corpore agitato. Liquorem verò tranſire per vaſa Lactea, Venas, Cor, & Arterias, & tam brevi tempore percolari per ſanguinem, vix mihi credibile eſt.

Sed profectò brevior hæc via (ubicunque ſit) non minus naturalis eſt, atque illa, qua tranſeundum fuiſſet, ſi diutius in corpore detentus fuiſſet: ut taceam, quàm parum oleat fœtorem renum, & quam ſimilis ſit ſibi, antequam fuiſſet deglutitus, & poſtquam excretus. Et ego arbitror, ductum Lactis in mammas multum eſſe affinem huic ductui Urinæ in Veſicam; cujus ſubita evaſio in mammas, ſimul ac Nutrix bibit commune Lac, non magis poterat explanari per vulgatam doctrinam Circulationis, quàm hæc Urinæ in Veſicam, donec brevior tranſitus fuerat detectus per Ductus Thoracicos; quanquam ordinariè poſſit eò percolari per Arterias, prout & Serum in Renes; niſi quod in rivulo lacteo Natura ibi inveniat alium alveum, quàm hic in rivulo aqueo. tanquàm nonnunquam effunduntur quædam per papillas, vix minùs admirabilia, quàm hic glans, de quo locuti ſumus, per collum Veſicæ. Sed forſitan nimis prolixus ſum in meis reflexionibus, de quibus velim ſcias me nil altius ſentire; quàm candidiſſimum quemque Lectorem. Sum. &c. *Actor. Philoſoph. Angl. menſ. Oct. 1668.*

De Pila plumbea per penem reddita.

Sclopeto percuti Capitaneum quendam in latere dextro, contigit hoc anno, globulo in veſicæ cavitatem penetrante. Quieſcit ibi per aliquot tempus, & vulnus coit: ſenſu tamen gravitatis circa pubem relicto. Tandem, oborta & urinæ difficultate, & cæteris quaſi calculi veſicæ ſymptomatis, per penem cum urina excernitur pila, magnitudine piſum majus hortenſe æquans; ex earum ſcilicet ordine, quæ vulgo Pilæ curſoriæ, Lauff-Kugeln, appellantur. Convaluit autem perfectè vulneratus, & nihil mali jam ſentit amplius.

Conſideratione digna hic occurrunt nonnulla, ac I. quidem, quod globuli impetus ſalutariter defierit eò ipſo momento, quo in veſicæ cavitatem is delatus eſſet; & quod cum ægri exitio ulterius haut penetraverit. II. Vulnera veſicæ lethalia cenſentur ex Hippocratis lib. 6. aphor. 18. ſed intelliguntur ibi Diacopæ, ſive vulnera graviſſima: ac præterea excipiuntur vulnera in ſphinctere ſive carnoſa parte facta, quamvis determinari hic non poſſit, num parte illa carnoſa vel membranoſa veſicam pila ſubierit. Foramen certe parare ingens, ipſa exigua, haut valuit. *D. Joh. Sigiſmundi Elſholtii.*

Plumbum per urinam excretum.

Claudius Sohn, curator annonæ aulicæ, vir quadragenario proximus, incidit ex intervallo in nephriticos dolores, quibus durantibus, cùm ante biennium advocarer, Medicinâ ægro facturus, ille hauſto pharmaco cum redderet urinam, grandinem ſimul plumbeam juſtæ magnitudinis, una cum calculo per Urethram, excluſit. Rogatus à me, ecquid plumbum improviſo devoraſſet, reſpondit, ante triduum manducatas ſibi aviculas, grandinibus plumbeis interfectas, & proinde coqui incuria relictum in avibus plumbum à ſe haud dubiè hauſtum fuiſſe. Non diſſimilia hoc ipſo menſe contigere Jacobo Kitzerovv, fabro argentario, qui ex calculi doloribus aliquamdiu cruciatus ſenſit die quodam in veſica pungens quiddam & lacerans,

Cumque urinam reddere inſtitueret, in ipſa urethra dolores notavit exquiſitiſſimos, inſpicit locum dolentem, & poſt paulo cum urina defluentem ex urethra videt aciculam æneam, capite acutiori primum exeunte, quam in ipſo parturiendi limine ipſe eximit manu, & mihi mox advenienti obſtupe factus tradit; Credibile eſt cum pane hauſtam fuiſſe: Hic de viis ſolliciti ſumus, per quas & grando plumbea, & acicula in veſiculam penetravit: Novos ductus ab Anatomes induſtris cultoribus expectamus, ſimilia ante jam obſervavit Schenckius, ſed mirum in illa Anatomes luce nihil hactenus detectum, quod rem difficilem enucleet. *Olai Borrichii.*

De

De Mictu fungorum.

Civis quidam Chemnicenſis annos multos podagricis juxtim ac nephriticis doloribus cruciatus, ante annos ſi rectè memini octo aut novem, comprimis equo aut curru vectus, aut poſt alium concitatiorem corporis motum, in cruentam incidit mictionem, quæ primò quidem aliquot dies, poſt aliquot hebdomadas, jam verò anni quadrantem & ultra duravit. Urina loturam carnis refert, grumoſque ſanguinis, ſub quibus calculi non raro delitescunt, admixtos habet plurimos. Dolores ſentit circa regionem renum & diaphragmatis per intervalla adeò graves, ut in nullo loco quieſcere poſſit, continuò exclamans: *Der Leib ſey ihm inwendig gantz rohe, es ſchneide wie Meſſer drinne.* Unde dolores iſti & conſtans cruenta mictio, abſque ſingulari virium jactura ſæpius miratus, tandem in urina fungos ceraſa cum pediculis referentes deprehendi; quos exſiccatos apud me ſervo. Renes igitur aut fungoſos eſſe pronunciandum, aut fungos in cavitatibus alere. A calculis namque, quos magno numero egeſſit, potuerunt vulnerari & lædi papillares eorundem carunculæ, & ab urinæ acrimonia exulceratæ, in ejuſmodi fungoſam tranſire ſubſtantiam. Quod verò fungi ſanguineo ſudore continuò madeſcant, nemo neſcit, niſi qui fungos non vidit. Dolores autem ad diaphragmatis regionem uſque adſcendunt, quod per externam membranam à peritonæo ortam cum lumbis & diaphragmate renes communicant. An curam recipiat morbus dubito, eundem verò ulteriori diſquiſitione dignum exiſtimo. *L. Chriſtiani Friderici Garmanni.*

De Vermiculis aliquandiu poſt variolas cum urina rejectis.

Variolas dari Verminoſas, cutem mira deformitate exedentes, tota die ſublimioris caveæ experiuntur Practici. Sanguinem quin etiam animatam hancce occupare putredinem, authores non deſunt. Quid? quod etiam cum liquore urinoſo moleſtiſſimo interdum maritetur conjugio. Cujus rei exemplum ſuperiori æſtate, variolis fertiliſſima, in puella quadam 4. circiter annorum habui, quæ declinantibus tunc variolis, puſtuliſque deciduis per aliquot hebdomadas ſemper cum Urina excrevit vermiculos alatos, urina exiſtente calida recenſque micta, ſeſe moventes; eadem verò frigefacta à motu ceſſantes morientes. Parentes rei novitate perterriti vel faſcium ſubeſſe, vel circa vaſa Urinaria apoſtema latitare exiſtimarunt. Sed bono eoſdem juſſi animo eſſe, exhibendo lene purgans, unde deinceps planè evanuerunt ingrati hoſpites. *D. Ehrenfried Hagendorn.*

Vermis per meatum urinarium excluſus.

In corde, pulmonibus, epate, aliiſque corporis humani partibus ſæpius vermiculos naſci, exemplis & authoritatibus Medici paſſim confirmant. Admiratione percuſſus magis obſtupui, cum legerem apud Cl. Schenckium, vermes ex veſica urinali nonnunquam cum lotio exiiſſe. Simile quid Anno 1678. d. 5. Aprilis notare mihi licuit in milite noſtri præſidii, cujus uxor ſummopere mecum conquerens de pertinaci mariti ſui iſchuria precibus me invitabat, ut ipſum inviſerem urinæque tamdiu ſuppreſſæ per medicamenta idonea priſtinum fluxum redderem; Ego officii mei memor poſtulationi hujus deeſſe nolui, & ægrotum miſerè afflictum deprehendi, ſeptimus quippe jam agebatur dies, quo ne guttulam urinæ excreverat; Querelas de ſummis circa umbilicum cruciatibus deque tentione circa veſicam inſtituebat, taliſque aderat tumor abdominis, ut aſcitico miſer non abſimilis videretur. Ego diligenter, tam interna quam externa ordinavi, nihil intermittens eorum, quæ ad adipiſcendum optatum hujus mali exitum admoveri ſolent. Aſt inani diu me torquebam labore, neque ſucceſſus tam citò ex animi ſententia procedebat. Meditanti igitur mihi de immiſſione catheteris accurrit ægroti uxor apportans vermem craſſitie calami ſcriptorii & longitudine trium digitorum, referenſque, ejecto hoc per urethram animalculo poſt multos conatus laboreſque, marito ſuo tandem priſtinam facultatem pro lubitu veſicam exonerandi eſſe redditam. Fœtus hujus inopinati excluſionem lochia quaſi inſequebantur, nectariſque vitalis fluxus cum urina per aliquot dies propullulabat, qui tamen exhibita emulſione terebinthinata feliciter eſſe deſiit. Vermis poſt emiſſionem vitali quidem fruebatur aura, paulo poſt autem exſpiravit. Notandum me ſuaſorem antea exſtitiſſe, ægrotus ut diligenter comederet amygdalas amaras, quæ uti egregia pollent virtute diuretica, ita eas ratione amaritiei vermiculi ex veſica propulſionem maſculè adjuviſſe, nulla mihi hæret dubitatio, cum experientia conſtet, quàm ſalutarem in morbis verminoſis alias præſtent operam, poſſetque hoc remedium tanquam euporiſton catalogo medicaminum veſicæ vermibus reſiſtentium inſeri, modò certa ſigna pathognomica ipſorum præſentiam indicarent. Admiratione me detinuit & hoc, imprimis, qua ratione vermes in veſica degere poſſint, qui fiat, quod non enecentur aut convertantur in putrilaginem ab acri, mordaci ſalſoque lotio? Admirari autem deſii conſiderans, in acerrimo aceto innumerabiles ſæpius vermiculos reperiri, inque illo vitam tranſigere ſatis commodam; quanquam non faciam cum aliis, qui acetum nihil eſſe aliud quam congeriem minutiſſimorum vermiculorum mordicantium, atque horum morſibus omnem aceti acrimoniam dependere. Hac ratione enim quis inſtare poſſet, bilem, ſalem culinarem aliaque acria ſalina & acida, quæ linguam acrimonia ſua feriunt, eſſe corpora ex atomis & particulis verminoſis mordentibus conflata &c. quod abſurdum, cùm optima microſcopia contrarium etiam in ipſo aceto nos edoceant, niſi quis mentis ſuæ phantaſmatibus nimium abblandiendo ſe ipſum decipere amet; non ſecus uti illi, qui pulverem ex particulis chordarum rubrarum, quales teſtudinibus adaptari ſolent, ab impoſtoribus præparatum aſſumentes, à plurimis vermiculis ſe poſtea liberatos eſſe firmiter ſibi perſuadebant, uti literis prodidit *Felix Platerus Quæſt. Therapeut. Appendic. Prax. p. m.* 921.

Scholion.) Obſervationi huic reſpondet illa, quam *Bald. Ronſæus Epiſt. medic.* de ſene quodam refert, qui urinæ difficultate gravius laborans, per ſomnum excrevit vermem cum maxima ſanguinis copia, ſalvusque evaſit; cui addere licet alteram illam *Edmundi de Meara*, videlicet de puero ſemel in menſe, & aliquando ſæpius, poſt duorum vel trium dierum dyſuriam, multos lumbricos per virgæ canalem excernente; ut & *Joh. Rhodii cent.3. obſervat.36.* de adoleſcente poſt 5. dierum difficilem mictionem tæniam vivam emingente. Quænam verò jam in præſenti caſu exſiſtat diri illius adfectus cauſa, determinare eſt difficile. Aut enim vermis ille orificium veſicæ urinariæ corpore ſuo obturaſſe, ſicque unà urinæ egreſſum inhibuiſſe, dici poſſet, aut, quòd credibilius, idem veſicæ collum, rodendo ſugendove nervoſam ejus partem lædens, ad convulſivam contractionem irritaverat, unde fibræ ejus contractæ meatum unà urinarium occludere potuerunt; qua dolorifica ceſſante lumbrici adhæſione, eodem nempe ab amygdalorum amarorum virtute, cum ſanguine ad veſicam delata, vel quacunque demum alia à cauſa excuſſo, non fibræ tantùm laxatæ denuo fuerant, ſed & apertum vulnuſculum ſanguinem aliquandiu, priuſquam iterum conſolidaretur, ſtillaverat. Quin & vermis ille, ſi primò non ipſa in cavitate veſicæ delituerit, ſed mediante ſanguine ipſas inter cervicis membranas depoſitus fuerit; ſenſim adauctus tumorem illo in loco excitare, ac tenſione iſta quandam membranæ internæ excreſcentiam mentiri, ſicque tandem orificium omnino obturare valuit, uſque dum membrana divulſa exitum ſibi paraverat, ſicque non tantùm hæc denuo ſe contrahens meatus libertatem reſtituerat, ſed aliquandiu etiam ex apertura iſta ſanguinem emiſerat. *Joh. Petri Albrechti.*

UTERI MORBI.

De Uteri fabrica ac officiis vide quæ abundè in Bibliothecæ noſtræ Anatomicæ parte primâ; Morbos autem quod attinet, jam de iis in Menſtrui fluxus morbis, in Partionis morbis, &c. Hic itaque tantùm de Scirrhô & Cancrô Uteri, & de ejuſdem Procidentiâ per *Curationes, Obſervationes*, & *Anatomicas inſpectiones*.

Curationes.

De Scirrho & Cancro uteri.

Licet Medici veri ac rationalis ſit, Morbos præſentes curare, futuros præcavere, incurabiles non attingere, nè infamentur remedia quæ multis fuêre ſaluti: quoniam tamen ſatius eſt anceps ac dubium experiri præſidium quàm nullum, & Chriſtiana charitas nos vetat ægris ſpem poſcentibus denegare auxilium, Patientis voluntati mos gerendus eſt, eàque præſcribenda quæ teterrimam diriſſimi morbi hydram leniant ſaltem, ſi non extinguant & averruncent.

Cancros occultos (id eſt, vel non apertos, vel Uteri) non tangere melius; ſi enim tangas, moriuntur citiùs; ſi non tangas, diutiùs perdurant.

Hoc affectu laborantes ſæpe conqueruntur de dolore Lumborum & dorſi ob Nervos qui à medulla ſpinali orti in uterum implantantur. At cur pars ſpinæ ſuperior dolet, inquies? Nota, nervorum diſſectionem & diviſionem fieri in partibus ſuperioribus, (ita ut medulla ſpinalis ſit inſtar caudæ equinæ) licèt è ſpina prodierint in inferioribus; dolor autem ad originem uſque extenditur.

Ventriculus itidem ſæpiſſimè nauſeâ vomitûque afficitur per conſenſum ob ſextum par nervorum quod utrique parti inſeritur.

Si vires conſtent, purgetur pil. ex fol. ſennæ, tartaro chalybeato, pulvere rhabarb. jalap. exceptis extractis rhei, ſennæ & abſinth. Ad maſſæ hujuſmodi ℈j. add. gr. x. xii. xv. vel xx. pulv. calomel. At, in iſtis non properandum, nam generoſa remedia validas vires poſtulant.

Si blandiùs purgare velis, detur ptiſana laxans clarificat. ex ſenn. ʒ ij. pulp. tamarind. ℥i. pulp. caſſiæ ʒ vi. vel mann. ℥i. f. potio ut artis eſt. Aut detur dilutum caſſiæ ſolùm, factum cum ptiſana, & ſæpiùs per pannum trajectum. Conveniunt etiam ſyrup. de pomis ſolutivus, de epithymo Auguſtanus, violarum ſolutivus, &c.

Clyſteres, ſive ad purgandum, ſive ad diſcutiendum, ſive denique ad leniendum dolorem injiciantur, in parva ſint quantitate.

℞. Juris omaſorum ℥ iv. vin. muſcatell. ℥ ij. infuſ. croc. metal. ℥ iij. ſal. gem. ʒi. f. clyſter (in ſcirrho) purgativus.

Clyſter, cui incoxerint plantago, ſolanum, papaver erraticum, agrim. herba Roberti, idque in lacte aut jure capitis vitulini, detur in parva quantitate. (viz. ℥ viii.) cum ſyring. aut veſica ſiphone brevi. Urgente ſummo dolore, in eo diſſolvantur gr. ij. iv. vi. Laudani. Nihil addatur pingue, ſed ſoli ovorum vitelli. Injiciatur hic clyſter quoties alvus pigra extiterit. Præterquam enim quòd ab adſtricto alvo pejùs ſe habeant ægræ, clyſter etiam rationem obtinet fotûs pro utero.

Si quid valet in diſcuſſione, certe Mercurius crudus in parva quantitate, ut primò ad ℈i. permixtus pil. fœtid. vel iſtiuſmodi, additis gr. x. vel viii. vel vi. flor. ſulph. nulli ſecundum eſt ad complendam iſtam intentionem diſſolvendi medicamentum. Da audacter ſæpiùs ſine metu ptyaliſmi, qui quamvis ſuperveniat, nihil nocebit.

Electuarium hoc roborans eſt ſpecificum adverſus Cancrum, ſumend. mane & veſperi inſtar avellanæ majoris.

℞. Lact. ex æquis partibus ocul. cancr. perl. & corall. cum aq. veronic. præpar. ℥ ij. cancr. fluviatilium ad albedinem calcinator. chel. cancr. marin. nigr. in apice an. ℥i. diaphoretici vulgaris optimè præpar. ℥iß. milleped. præpar. raſur. dent. equi marin. viperinæ carnis præpar. an. ʒ x. cornu cervi ad albedinem uſti, raſur. cran. human. uſti & non uſti an. ʒ vi. Rad. gladiol. ſcrophular. utriuſque, filipendul. ſpong. bedeguar. ſicc. an. ʒ v. lapid. lazul. gagat. & ſmaragd. præp. an. ʒ vii. Mſ. & cum ſyrup. fact. ex ſuccis pedis columbin. & veronic. utriuſque, f. Elect. inſtar Opiatæ.

Viperarum caro magni eſt momenti in curatione Elephantiaſis quæ eſt Cancer univerſalis,

quidni earum ferarum uſus etiam conveniet in cancro particulari cum idoneis vehiculis?

In junioribus quibus menſes, naturæ lege, non ceſſaverint, Chalybeata (cum menſes moventibus) principem locum obtinent; (nihil enim chalybe potentius ad internos ſcirrhos emolliendos & abſumendos) ſenioribus autem (fluxum menſtruum non patientibus) non æquè proſunt.

Victus ſit boni ſucci; alimenta quæ facilè coqui & citò diſtribui poſſint, exhibeantur. Ut gelatina ex carnibus & cornu cervi. Juſcula conſummat. Jus carnium diſtillatum per deſcenſum, expreſſum, colatitium, reſtaurans. Panatella. Ova ſorbilia. Emulſiones, Amydalogala. Hordeatum, &c.

Cerevitia medicata in uſum ordinarium ſit talis.

℞. Sarſæparill. ℔j. rad. filic. fœm. rad. cannæ Hiſpan lign. lentiſc. ana ℔ß. rad. ſcrophular. major. filipend. ſigill. Solomon. ana ℥iv. lign. ſaſſafr. ℥ij. raſur. dent. equ. marin. C. C. & ebo is ana ℥iij. fol. agrimon. ſanicul. veronic. utriuſque ceterach ana m. ij. ſummit. roriſmar. p. iij. nuc. moſchat. ℥j. Alæ galon. x. ſucc. naſturt aquat. & cochlear. ana ℔iiß. Sinatu. fieri fermentatio.

Paſſulatum ex aqua chalybeata utiliter pro potu ordinario propinari poteſt. Aqua autem calens projiciatur ſuprà paſſulas Damaſcenas, & f. fermentatio donec vinoſum habeat ſaporem. Vinum item gilvum oligophorum aquis Spadenſibus dilutum. Serum etiam lactis clarificatum, cum ſyrup. de pomis redolentibus. Aquæ denique in *Wellenborough* prope *Ashby* in Comitatu *Northampton.* conſtantes ex ferro multo, vitriolo pauco, & alumine aut nitro, multum valent.

Cùm dolor ſit ſymptoma maximè plerumque urgens, ad hunc ſedandum, Laudanum exhibeatur vel per ſe ad gr. i. ij. iij. iv. quia aſſuetudine tandem natura ejus uſum ſpernet; vel cum conf. de hyacinth. vel cum diaſcord. ℈j. bene fermentati, ita ut non fœteat aut galbanum ſapiat. Abſtinendum ab opio quia venenatum, caput valde fe.it, pruritum excitat, torpidum reddit corpus, unde ægra manus, tibias, pedes manifeſte frigidos ſæpe ſentit.

Dolor etiam à ſemicupio imminui poteſt: viz. In lacte & aqua coquantur ſolanum, plantago, hyoſcyamus, tapſus barbatus, piloſella, herba Roberti, flos papav. errat. nenuphar. fol. ſalicis, vitis, cicuta, cynogloſſa, ſem. lini, pſyllii, cydon. &c. In decocto tepido mergatur corpus dimidium, urgentibus doloribus: Iſta enim Narcotica & dolorem ſedabunt, & tumorem emollient, & (ſi hæmorrhagia adſit) ſanguinem ſiſtent, nec oberunt viſceribus.

Lenitur etiam dolor ab Emulſionibus: ut.

℞. Medull. ſemin. melon. recent. ℥iij. ſem. papav. alb. in aq. roſar. infuſ. per tres hor. ℥ij. amygd. dulc. recent. mund. n. iij. terantur in mortar. marmor. & affuſis ℥vi. aq. ſtillatit. lactis f. Emulſio, in qua colata diſſolv. ſyrup. de mucilag. ℥x. Mſ. f. hauſtus ſumend. cum dolor ſævierit. Vel ſi magis anodynam velis, pro ſyrup. de mucilag. adde diacodii ℥vi. vel ℥i. præcipuè veſperi.

Si tumor durus in Epigaſtrio, alterutrôve inguine tactui ſe offerat.

♃. Ung. de alth. ſimpl. ℥iß. pingued. capon. ol. amygd. dulc. & lil. alb. an. ℥ß. ſperm. cet. recent. unguent. è flor. aurant. ana ℥iij. Mſ. f. litus pro unctione partis duræ & dolentis mane & in ingreſſu lecti, diu multùmque manu leviter in gyrum fricando, ſuperpoſito Emplaſt. ſeq. quod ſuperinducta faſcia idoneâ contineatur.

♃. Mall. Empl. de ammoniac. ℥ij. cerat. ſantalin. rec. ℥j. gum. carann. ℥ß. liqueſiant ſimul, adde ceræ in ſucco abſinth. & acet. ſtillatit. coct. ad ſuccor. conſumptionem q. ſ. f. Empl. cujus portio aluta molli extendatur, & tumefactæ parti applicetur.

Vel applicetur (noctu) cataplaſma ſeq.

♃. Rad. alth. & lil. alb. ana ℥iv. fol. ſigill. B. M. ſive bryon. utriuſque, ſcrophul. maj. ana m. ij. fol. chamæmel. rut. abſinth. ana m. ijß. malvæ m. iß. cicut. totius & hyoſcyam. ana m. iij. Conciſa omnia indantur ollæ fictili vitriatæ cum axungiæ ſuillæ recent. ℔iv. alæ fortiſſim. ℔iv. Coq. mediocri calore ad alæ conſumption. & herbar. putrilag. Exprimatur pinguedo, cujus refrigeratæ pars purior à fæculentâ ſeparata ſervetur ad uſum.

♃. Rad. recent. ſcrophul. maj. & min. ana ℥iij. rad. recent. ſigill. B. Mar. ℥iv. Rad. bryon. itidem recent. ℥ij. piſtentur omnia exactiſſimè & per ſetaceum trajiciantur: add. farin. ſubtiliſ. ſem. lin. ℥iv. axung. ut ſuprà præpar. ad pondus omnium, ſive ℥xvi. Subigantur exactiſſimè in mortar. lapid. & f. cataplaſma. Inter terendum autem add. croc. ſubtiliſſimè pulverizat. ℥j.

Si tumor in vagina vel circa orificium Internum ſit, vel partes hæ ſint duræ, vaginæ injiciatur liquor ſeq.

℞. Succ. ſalv. ℥iv. aq. ſtillatit. capriſol. & vini de Malaga ana ℥vi. flor. & ſummit. roriſmarin. m. j mellis roſat. ℥iv. bulliant ſimul ad deſpumationem mellis lento igne, liquor clarificetur ſervandus ad uſum.

Ad duritiem emolliendam & tumorem diſcutiendum valent etiam ſequentia: vaporarium cum emollientibus, diſcutientibus hyſtericis. Spongia imbuta decocto emollienti vaginæ immiſſa. Peſſus cum ſtyrace liquida & pulveribus ſyndone involutis. Semicupium cum menſes provocantibus tempeſtate idonea. Mercurialia per os. Suffitur Mercurialis, qui excipi poterit in ſella perforata.

Si hæmorrhagia adſit, injiciatur ſucci urticæ mortuæ ſive lamii, plantaginis, ſophiæ Chirurgorum, &c. cum croco Martis, Laudano, hypocyſt. acac. &c. Applicetur item lumbis cataplaſma ex argilla, aceto & ſucc. plantag.

♃. Cort. granator. balauſt. ſumach. an. ℥i. nucum cupreſſi ℥vi. Roſ. rubr. myrtill. an. ℥ß. f. decoctio in aqua chalybeata (ut Fabrorum.) Cum hoc decocto extrah. tur mucago ſem. pſyll. & cydon. Mucilaginis hujus ℥ij. adde acaciæ, hypocyſt. an. ℥ß. diſſolut. in aq. roſ. f. injectio per metrenchytum. Patiente ita poſito ut medicamentum non effluat, quod erit in parva quantitate & ſatis ſpiſſum injiciendum. Statim autem ab injectione indatur Naſale ex ſpongia molli involuta ſyndone, (cum filo)

quæ

quæ affluente humore inflabitur, &pudendum magis magiſque claudet.

Si Cancer jam ulceroſus factus fuerit, f. injectio ſeq.

℞. Sterc. vaccæ gramen depaſcentis, recentis. ℔x. ſucc. ſymphit. maj. veronicæ, plantag. ſolani, ſemper vivi utriuſque ana ℔ii. ſucci portulac. ℔iv. Mſ. f. diſtillatio in alembico plumbeo. Cape de hac aqua ℔ii. phlegmatis aluminis, vitrioli, & ſpermatis ranarum ana ℔i. tapſimel. ℥vi. aloës, ſalis Saturni dulcis, (i. e. per triplicem in aqua aluminoſa diſſolutionem & coagulationem præparati) ana ℥i. Mſ. pro injectione facienda in parva quantitate per ſyphonem. Si velis ut magis adhæreat, adde mucag. ſem. pſyll. cydon. & nenuph. vel gum. Arabic. pruni, ceraſi, diſſolut. in aqua roſarum. F. injectio bis in die claudendo ſpongiâ prædictâ, quæ digito blandè adigi poterit, uſque ad ulcus dummodo propendeat filum.

Vel ℞. Fol. Agrimon. caprifol. herb. Robert. ana m. i. chelidon. maj. m. ii. apii m. ß. roſ. rubr. p. iii. fl. ſambuc. hyperic. chamæmel. melilot. ana p. ii. hord. integr. p. iiß. f. omnium decoctio in ℔.ii. aq. ad tertiæ partis conſumption. In colatur. diſſolv. mell. caprifol. ſyrup. de roſ. ſicc. ana ℥ii. vini de Malaga infuſionis glycyrrhiz. Anglic. ℔ß. Mſ. pro injectione facienda per ſyphonem bis terve in die, ter quàvis vice tepidè.

Suffitus. ℞. Maſtich. ℥i. ſandarac. thuris ana ℥ß, balſam. alb. ſicc. tereb. ſicc. ana ʒiii. ladani ℥ii. antim. ℥iß. cinnab. ℥i. ſtyrac. calam. benzoin. ana ʒiiß. carbon. ſalicis ad pondus omnium, f. pulvis (ut alkool.) excip. mucag. gum. tragacanth. extract. in aqua meliſſ. & roſ. Fiant avicul. pro ſuffitu, excipiendo ſemel in die in ſella perforata. *Theodor. de Mayerne Prax. Medic. lib. 3.*

Procidentia Uteri.

I. Quemadmodum Anus, ita & Uterus quandoque prolabitur; viz. ubi is deorſum tendit, atque interdum extra vulvam propendet. Hic autem uteri prolapſus nunc major eſt, ita ut ad dimidium uſque coxarum deſcendat; nunc minor, ut vix extra pudendum promineat.

II. Prolabitur autem uterus, cùm ejus ligamenta, parteſque membranoſæ, quibus naturaliter ſuâ in ſede detinetur, relaxantur; quod aliquando contingit, ob magnos in dejectionibus difficilioribus conatus, vel propter vim partus, nimiam corporis humiditatem, &c. vel ſi ſaltu, aliâve commotione corporis validâ, ac ſæpius iteratâ uterus in ſinum impellatur. Atque hic uteri prolapſus prout major vel minor eſt, ſic interdum ad mediam prolabitur vaginam; aliquando ad vulvæ uſque orificium, ut uteri oſculum in ſinum pudoris decidat, &, vaginâ inverſâ, extra propendeat; nonnunquam denique totus extra vulvam decidit, ac variis modis afficitur.

III. Sed hanc uteri procidentiam multi negant, cenſentque laxitatem quandam vaginæ, quæ extra pudendum prominet, hæc ludibria facere. In primis Jobus Meckeranus Obſerv. Chirurg. cap. 51. & Henricus à Roonhuyſen Obſ. part. 1. obſ. 2. pluribus tum rationibus, tum exemplis probare conantur uterum ipſum prolabi nunquam poſſe; ſed relaxationem & procidentiam rugoſæ vaginæ ſubſtantiæ pro utero prolapsò haberi, & curari. Hiſce adſtipulatur *Kerckringius Spicil. Anatom. Obſerv. 20. & Cl. van Horne*; qui *Microtechne Sect. 2. Part. 1. §. 28.* ita ſcribit: „Circa Uteri Procidentiam hoc „monendum habeo, vix ac ne vix quidem, imò „omninò non, contingere poſſe ut Uteri cor„pus propendeat extra vulvam; atque proinde „non adeò frequentem eſſe hunc affectum ac „vulgò creditur. Cæterum decipiuntur Obſte„trices, & cum iis magna pars Medicorum, à „vagina rugoſa uteri, quæ poſt difficilem par„tum aut etiam ab imperita Obſtetrice, à ſub„jectis partibus avulſa, accedente pituitoſorum „humorum affluxu ità extenditur, atque in tan„tum ſæpe augetur hoc malum, ut extra vulvam „pendula vagina imitetur vaſculum aliquod py„riforme, nam quo major eſt prolapſus eò ra„dix ipſius anguſtior fit: ac proinde cum ob „Gangrænam abſcindere eam cogimur, parvo „admodum periculo idem fit.

IV. Verum fateamur licet, rugoſam uteri vaginam poſt difficilem partum, aut ab imperita obſtetrice, à partibus ſubjectis avulſam, accedente pituitoſorum humorum affluxu, nonnunquam ita extendi, ut extra vulvam pendeat; hoc tamen non probat, ipſum uterum quoque prolabi non poſſe. Sic legimus apud Carpum, *in Iſagoge Anatomica*, hiſtoriam mulieris, cui Uterus non tantum foras prolapſus, verum etiam exſectus eſt. Habemus apud *Paræum Chirurg. libr. 23. Cap. 41.* exemplum Uteri prolapſi, & à Paræo exciſſi, ac poſt mulieris mortem in abdomine non inventi. Similiter apud *Hildanum Cent. 4. Obſerv. 60. 61. 62.* tria hujuſmodi Uteri prolapſus extant exempla. Et plura diſcribunt *Felix Platerus Obſerv. lib. 3. Th. Bartholinus Cent. 2. Obſerv. 91. Cent. 5. Obſerv. 9. Dom. de Marchettis, Anat. cap. 7. Clar. Diemerbroëkius Anat. libr. 1. cap. 24. Stalpert vander Wiel Obſerv. Anat. & Chirurg. 69.* aliique. Quandoquidem igitur ratio dictat, humores à toto corpore defluentes Uteri Ligamenta humectare, ac relaxare in tantum poſſe, ut in vulvam is deſcendat; & experientia confirmat, in locis humidioribus hunc morbum ſatis familiarem eſſe, de vero Uteri prolapſu amplius dubitare non licet. Imò verò ab eo conatu, quem in partu mulier adhibet, ſi præſertim ob difficultatem pariendi magna vi peragatur, Uterus cum fœtu in ſinum vaginæ quandoque detruditur. Ita memini me ad mulierem difficulter parturientem vocatum 20. Januarii 1686. in qua cum obſtetrice & præſentibus mulieribus obſervavi Uterum cum incluſo Fœtu in vaginam ad vulvæ uſque orificium prolapſum, prominente extra pudendum interno Uteri Oſculo ad duorum digitorum latitudinem.

V. Haud ineptè igitur *Clariſ. Blaſius Obſerv. Medic. Part. 3. Obſerv. 1. & 2.* Uteri Procidentiam diſtinguit in veram, & imperfectam. Vera Uteri Procidentia dicitur, quando ipſe Uterus, membranoſis ejus ligamentis laxatis, deorſum tendit, atque in, vel extra vulvam propendet, foras prominente interno ejus oſculo. Verum imperfecta Procidentia nuncupatur, quoties relaxata, & extra pudendum prominens vagina hæc ludibria facit.

VI. Cæterum altera hîc reſtat difficultas, ſcilicet an ipſe Uterus inverti poſſit? huic quæſtioni reſpondemus, in difficili partu, dum placenta firmius utero adhæret & ab imperitis Obſtetricibus nimium protrahitur, id quandoque contingere poſſe, qualia exempla occurrunt apud *Petrum de Marchettis Obſerv. Chirurg.* 61. *Stalpert vander Wiel Obſerv. Anat. & Chirurg.* 67. alioſque. In virginibus verò hoc impoſſibile judicamus, præterea quod craſſa & membranoſa Colli Uteri ſubſtantia in illis exiguo tantum foramine pervia ſit.

VII. Uterus verò ſi prolapſus ſit intra vulvam, exiguus apparet tumor, quaſi extenſæ pellis, & pondus veluti ovi majoris circa pudenda percipitur. At quum omninò prolabatur, tumor adeſt ovi anſerini adinſtar, in cujus ima parte foramen conſpicitur exiguum, quod eſt internum Uteri oſculum. Sin autem rugoſa vaginæ ſubſtantia, relaxata nimium, extra pudendum promineat, id haud difficulter obſervatur.

VIII. Equidem affectus hic dum recens eſt, & potius Uteri in vaginam deſcenſus, quam ejuſdem extra vulvam procidentia, facilius curatur. Atqui diutius ſi duraverit hoc malum, indieſque angeatur, difficulter, & non niſi longo tempore ſanatur. Inſuper facilius curam ſuſcipit in junioribus, quam adultioribus; quibus Uterus, etſi reponatur, levi de cauſa iterum procidit. Imperfecta quoque Uteri procidentia curatu haud ita difficilis eſt.

IX. Igitur morbi hujus Curatio (ſive Uteri Procidentia ſit vera, hoc eſt, ipſius Uteri prolapſus; ſive ſit imperfecta, id eſt, rugoſæ Vaginæ Uteri ſubſtantiæ relaxatio, & extra vulvam procidentia) repoſitionem ejus quod prolapſum eſt, repoſiti in ſuum locum conſervationem, nec non laxatarum partium adſtrictionem & conformationem, requirit.

X. Sed ante repoſitionem conſiderandum eſt an Uteri aut vaginæ relaxatæ procidentia ſit ſimplex, an verò adjungatur ipſi inflammatio, aliuſve tumor. Hiſce namque apparentibus, repoſitio ne tentetur, niſi evanuerint hæc ſymptomata. Quem in finem pars prolapſa foveatur Decocto Florum Camomillæ, Meliloti, Herbarum Calamenthæ, Pulegii, Roſmarini, Seminis Dauci, Leviſtici, &c. Hinc tumore imminuto, evacuatoque per Clyſterem ſtercore, atque urinâ excretâ (ut undique à compreſſione liber ſit Uterus, Ægra in lecto ſupina collocetur, & coxis elevatis, Poplitibuſque reflexis, ac capite quantum fieri poteſt demiſſo, ipſa baſin tumoris manibus apprehendat, eumque introrſum adigat. Quod ſi ipſa perficere nequeat, Chirurgus aut Obſtetrix digitum in ejus orificium immittat, ac ſenſim Uterum attollat: vel accipiat candelam ceream, ſuâ craſſitie vaginæ muliebri reſpondentem, & eâ citra violentiam omne id protrudat, quod procidit, donec tota moles ſuum in locum reducatur.

Scribit Rodericus à Caſtro de morbis mulierum libr. 2. cap. 16. utile eſſe, ut Medicus vel Chirurgus ferrum ignitum manu oſtendat, ſimuletque, quaſi eô tangere vellet prolapſum Uterum: ſic enim retrahi Uterum, uti & prolapſa inteſtina. Atque refert Chirurgum exercitatiſſimum ita curaſſe quendam, qui vulnus in ventre acceperat, per quod inteſtina egrediebantur; quæ cùm nullo remedio reduci potuiſſent, nihil aliud profuiſſe, quam quod magnum ferramentum candens, coram patiente manu tenens, vulneri applicaturum finxit, cujus rei ſubito terrore inteſtina è veſtigio ſuum in locum reducta fuiſſe.

XI. Poſtquam autem Uterus fuit repoſitus in ſuum locum, ut ibidem contineatur, mulier in lecto reclinetur cruribus extenſis, ita ut unum alteri incumbat, & iſto in ſitu aliquot dies maneat. Interim adſtringens & roborans Fotus Uteri regioni ſpongiæ ope continuò adhibeatur. v. gr.

℞. Rad. Conſolidæ majoris, Rubiæ Tinctorum an. ℥iii. Iridis Florentinæ ℥ii. Herb. Matricariæ, Salviæ, Pulegii, Fol. Quercus, Flor. Roſar. rubr. an. Mj. Balauſtiæ, Glandium, Aluminis, Sem. Cumini an. ℥ii. Coq. in ſ. q. Vini Rubri Adſtringentis ad ℔iii. pro Fotu. Regioni Umbilicali nonnulli imponunt Emplaſtrum ad Rupturam, vel Oxycroceum, vel id quod ſequitur.

℞. Opoponacis ℥ii. Styracis Liquidæ ℥ß. Thuris, Maſtichis, Picis, Boli Armeni an. ℥ii. Ceræ q. ſ. F. S. A. Emplaſtrum. Etiam valdè hic laudantur Suffitus ex cortice, vel Pulvere Ligni Quercini, dicto *Aun, of Saag meel.* Alii volunt, ut ſuffimigetur pelle anguillæ ſale conditæ.

XII. Interim cura habeatur, ne alvus pigrior ſit, vel laxior. Si enim duræ ſint fæces, Uterus in iis egerendis facilè præcipitatur. Lubrica verò alvus membranas Uterum alligantes plurimum laxat. Inſuper & omnes cauſæ, quæ prolapſum hujus partis excitare valent, tollendæ; atque corpori univerſo, tum Utero ipſi proſpiciendum. Quem in finem multum conducunt Decocta ex Guajaco, Salſaparilla, China, Saſſaphras, additis & iis, quæ Uterum roborare valent continuò uſurpata.

XIII. Sin verò nulla perfectæ curationis ſpes ſit; ut tamen à procidentiâ hâc, quæ facilè iterum accidit, ſecura ſit fæmina, peſſulos, ſeu potius globulos cereos in uterum intrudere, ibidemque relinquere ſolent, de quibus videantur Rouſſetus de Partu Cæſareo ſect. 6. cap. 34. Paræus lib. 23. cap. 41. Hildanus cent. 4. obſerv. 61. Locô peſſariorum in uteri procidentiâ quidam uti ſolent circulis ex ſubere factis, & cerâ obductis Vid. Scultetus Armam. Chir. tabulâ 17. Verumtamen ſubligaculum, ſeu Zona (quæ pro re natâ diverſimode parari ſolet) hîc potius adhibenda mihi videtur: Hac enim munitæ mulieres ſine periculô procidentiæ ambulare, & munera ſua obire poſſunt.

XIV. Atqui prolapſus uterus cùm gangrænâ corripiatur, nec ea ſiſti poſſit, quin potius in ſphacelum abeat, eum abſcindendum nonnulli ſuadent, ſed cùm periculoſa admodum ſit hæc Chirurgia, eam non facilè inſtituendam cenſeo. Si tamen relaxata nimium vagina extra vulvam procidat, atque ſideretur; ea, vel ſectione, vel ſtrictiore ligaturâ ſine periculô auferatur, ac porrò curetur. *Joh. Munnicks in Chirurgiâ ad Praxim hodiernam adornatâ.*

De Utero muliercularum fabula eſt eum locum ſuum mutare, deſcendere, aſcendere, inflecti in latus modò ſiniſtrum nunc dextrum, nunc flatulento ſpiritu turgidum palpitare vivique animalis præbere ſpeciem, nunc ab aquis propelli

in

in alias atque alias partes. De aſcenſu quidem illo in gulam apud feminas nata perſuaſio nuper paulum remittere cœpit, poſtquam Medici Obſtetrices, quarum in illâ parte apud credulum genus auctoritas maxima eſt, aliud edocuere. De deſcenſu autem ſeu procidentiâ Uteri non æquè illas faciles reperio, hunc enim nimis quàm manifeſtè, & contra quàm diſputari poteſt, manibus ipſæ ſuis deprehendunt atque probant. Quæ res me adhuc dum perducit ut credam, quæ inſignes nuper Practici de procidentiâ Uteri, tanquam falsâ & imaginariâ protulere, fidem non mereri. Equidem in talibus, quæ oculorum manuumque experimento nituntur, & ad quæ, velut opertum bonæ Deæ, rarius admitti viros videas, Obſtetricum aliquam eſſe fidem omnino mihi perſuadeo. Sint Vaginæ plurimi prolapſus, neque enim hoc negari poteſt, & imponat muliercularum vulgo æmulus globi tumor, attamen non in totum is quoque Utero abjudicandus. Compellavi ego bonæ fidei Obſtetrices, quæ mihi poſt propoſitas difficultates ſanctè adfirmarunt, manibus ſe ſuis Uteri prolapſum palpaſſe, tum corporis tum orificii interni; hac verò notâ ſe diſtinguere Uteri ac Vaginæ caſum, quod ubi hæc excidit, inſertis digitis ab unâ parte connexio explorari poſſit, ubi ille, non poſſit, & obvium Uteri orificium diſcrimen ſtatim manifeſtet; fundum enim ſemper inverti, quæ feminarum credulitas, moroſæ experientiæ non reſpondet, ſæpè namque prono oſculo in Vaginam inde & extra eam deſcendit, neque faciem adeò quàm ſitum mutat. Nonnunquam tamen etiam importuna Obſtetricis manus funiculorum umbilicalium violentâ demolitione, dum orificium Uteri internum adhuc hiat multâque mucilagine laxatur, fundum ipſum attraxit difficilique & laborioſæ procidentiæ anſam præbuit; clauſo enim orificio aut aliàs non ita patulo fundum inverti poſſe, oſtento proximum eſt. De Vaginæ prolapſu id quoque cenſeo, eum facilius curari quàm Uteri illum nec obſtare, utut magnus ſit, qaò minus concipere & parere femina poſſit. Sanavi olim Lugduni in Batavis, ubi tyrocinium artis feci, feminam juvenculam, quæ præter mille alia incommoda, vehementi quoque & vaſtâ Vaginæ Uteri procidentiâ laborabat; tantùm verò abfuit, ut hoc conceptum partumve impediret, ut contra ſingulis annis domum filio augeret, ſæpè etiam abortiret. Illa quamvis laborioſiſſimè pareret & decretoriè, non aliud remedium procidentiæ quærebat quàm Graviditatem, cum hâc enim ipsâ lente tumor retrahebatur ſeque in alvum condebat, mox iterum ad partum rediturus. Jam ſi quis retinentium ligamentorum vim impedire credat, quò minus uterus prolabi poſſit, ſciat oportet, eandem quoque cauſam in Vaginæ lapſu adduci poſſe. Quid enim? An non ſuis perinde ligamentis, iiſque ſatis firmis Vagina nectitur oſſibuſque incuneatur? At vero uterus, annon ligamentis ille ſolutioribus adnectitur? Annon latum illud membraneumque planum, quod Alas vocant Veſpertilionum, liberius fluctuat quàm Vagina? Annon mobile etiam eſt ipſum Uteri corpus & ad lapſum proclivius, imprimis ſi vis accedat, quâ inconditæ Obſtetrices per parturientium viſcera graſſantur? Ego ſanè, quoties faciem Naturalium, Uteri & Vaginæ, attentius rimor, non video, quid prohibeat, quò minus Uterus deſcendere ex parte vel totus poſſit; ſed neque meo hic quemquam arbitrio acquieſcere volo: veniant in rem præſentem, qui nuperis Sylvii, Hornii, Kerkringii & Meeckerani Obſervationibus & ſpecioſâ perſuaſione adducti omnem Utero proptoſin negare audent, & videant, num paucæ Obſervationes tanti ſint, ut teſtatam omnibus feminis opinionem, nunc quoque tot à multis retro ſeculis Practicorum, nuper etiam ipſius Naturalium arbitri Graſii, quo uno judice in hâc causâ gaudere æquum erat, jam verò etiam Anatomiæ auctoritatem elevare poſſint. Mantiſſæ loco adjiciam è feminarum ſcholis contra Proptôſin remedium. Capitur Cornu vervecis annui, & ramenta ejus panni ſerici Cermeſini centonibus permiſta ſuper teſtam aut patellam terream ignitam fumigantur, vapor ſellâ pertusâ interfemineo excipitur; inde peſſarium ex eodem ſerico Petroleo macerato in Vaginam immittitur, poſt aliquot dierum moras Uterus recedit & firmatur. *Johannes Nicolaus Pechlinus in Obſervationibus Phyſico-Medicis.*

De Uteri Cancro.

Sequens injectio ulcerato Cancro maximè convenit.

℞. Herb. Roberti, verbaſci, ſcabioſ. chelidon. min. aneth. ſterc. human. an. q. v. comburantur: de cinere accipiantur ʒii. aqu. ſolan. ℥vi. excepta in mortario plumbeo piſtillo plumbeo agitentur, deinde in uterum injiciantur. Oleum ovorum frequenter ductum & agitatum in mortario plumbeo donec ſpiſſius reddatur, & plumbi colorem contraxerit, efficaciſſimum eſt medicamentum. Cinis cancrorum fluviatilium lotus in aqua Solani, permixto pulvere ex plumbo vel antimonio, ulceratum Cancrum curare dicitur & creditur; quod ſi non curat, ſaltem mitigat, exſiccat, & depaſcentem cohibet. *Petrus Foreſtus. ſchol. obſ. 47. lib. 28. de Mulier. Morbis.*

Pro Uteri dolore intenſo ex frigore.

Nihil quicquam huic magis profuit, quam caſtor. ʒi. cum vini Rhenani exiguo ſumpti. Alteri etiam mulieri cui cum dolore ventoſitas admixta erat, exhibui pulv. Rad. Gentian. ℥i. cum vino generoſo. Nihil enim æquè dolori ſubvenit, ut rectè dixit Benedictus Veronenſis, quam caſtoreum, ſi ex frigida cauſa fuerit, ſive potum, ſive illitum, ita & gentiana trita mirè prodeſt ex vino calefacto pota, ſi ex vento fuerit, nam & imminentem arcet dolorem. *Petrus Foreſtus, obſ. 40. lib. 28.*

Pro Uteri ſcirrho.

Cum robuſta eſſet, ſanguis ut extraheretur mandavi; exhibui etiam ſyrup. roſar. pallid. cum foliis ſenæ, adjecto paucillo electuario de hiera, deinde appoſui emplaſtrum ne mucilagin. & de melilot. poſtea & Emplaſtrum de Ammoniaco, ſed prius inunxi hoc linimento.

℞. Mucilagin. ſem. lini fænugræc. alth malv. an. ℥v. ſucci ireos ℥iii. pingued anatis gallin. anſer. an. ʒvi. ol. cheirini ℥iß. bulliant ad conſumptionem ſuccor. deinde adde croci ʒß. cum cera F. unguentum; commendatur à Nicolo, his remediis hæc optimè habuit.

Ad partem emolliendam fiat hic fotus ex *Rondeletio*.

℞. Rad. lil. alb. biſmalv. cucum. agreſt. an. ℥iii. artemiſ. tertiam partem manipuli unius, ficuum paria 20. ſem. lini fænugræc. an. ℥ii. fl. chamæm. viol. melilot. an. p. i. F. decoctio in aqu. & oleo dulci, qua foveatur regio uteri; ex reſidentia piſtâ & tranſmiſſa fiat cataplaſma, quod applicetur poſt fotum, deinde utatur ſequenti unguento.

℞. Butyr. rec. axung. porcin. an. ℥i. pingued. gallin. anatis, anſer. an. ʒiß. ol. amygd. d. & lilior. an. ʒiii. mucilag ſem. fænugræc. extract. cum vino albo, ℥i. terebinth. & ceræ q. ſ. F. unguentum quo utatur poſt uſum fotus; & poſt uſum unguenti rurſus redeat ad fotum, & iterum ad unguentum. His præſidiis aliquando uſus ſum commodè in vidua quadam, in qua durities erat totum ferè uterum occupans; ſequens quoque valde utile eſt.

℞. Opoponac bdell. ammoniac. an. ℥i. ſtyrac. myrrh. an. ʒß. propol veræ ℥i. rad. irid. ʒi. croci ʒß. diſſolv. lachrymæ in oleo lil. & amygd. d. & vino malvatico, & depurentur; quibus adde terebinth. & ceræ parum F. unguentum. *Petrus Foreſtus. obſerv. 45. & ſchol. lib. 28. De morbis mulierum.*

℞. Emplaſtr. de melilot. & de mucilag. an. ℥i. gummi ammoniac. in aceto ſolut & traject. & iterum inſpiſſat. ʒß. cum ol. lilior. F. emplaſtrum debitæ magnitudinis ſuper alutam extendendum & regioni uteri applicandum poſt inunctionem & quinto quoque die renovandum. *Lazarus Riverius. obſerv. 38. cent. 1.*

Inter præſidia præcipua, quæ ad emolliendum ſcirrhum, priſcorum & juniorum ſagacitas adinvenit, chalybs eſt, cujus uſu lapidoſas durities promptè liquari vidimus: fœmina quædam ex menſtrui retentione malè habens in uteri regione tormina perſenſit; apparuit etiam in pubis regione tumor aliqualiter durus, & indolens, qui ab ovi magnitudine incipiens, ita quinquennio excrevit, ut cucurbitam rotundam magnam præſentaret in cujus profundo, tactu murmur percipiebatur; expurgatum corpus ſæpiſſimè ſudorifica fotus, unguenta, cataplaſmata varia adhibita. Sed omnia hæc, etſi utilia, nullam commoditatem attulere, tandem ſolo chalybis uſu per duos menſes exhibiti omninò reſolutus eſt tumor. *Zacutus Luſitanus. obſerv. 88. lib. 2. Prax. Medic. Admir.*

Pro Uteri ulcere.

Præmiſſis venæ ſectione & purgatione, & julepis bilem & acrimoniam contemperantibus, ad ardorem & intemperiem tollendam imperavi, ut ſuccum burſæ paſtoris & plantag aliquando injiceret cum lacte muliebri, & exterius cum iiſdem ſuccis lavaret; vel cum panno lineo applicaret. Valeſcus utebatur aqua frigida: novi (inquit) aliquas mulieres quæ ſentientes ſe habere ejuſmodi ulcera lavabant ea cum aqua frigida, mundabant, deinde & cum pannis lineis exſiccabant; & in matricem mittebant frequenter. atque iiſdem præſidiis ſæpè mutatis hæc ipſa ſæpius per ſe ad integram curationem ſufficiebant. Ablata intemperie ad detergentia & exſiccantia devenimus, hoc optimum mihi videbatur quod ex ſero lactis conſtabat cum pauco ſaccharo: quod ut injiceretur jubebam ad ulceris deterſionem: poſtea etiam adjecto melle, & ſyr. de roſis; aliquando etiam conſului, ut injiceretur decoctum lentium & plantag. & agrimon decoctum, abſynth. non convenit, niſi quando ulcus eſt ſordidum, deterſo ſatis ulcere aqua hordei & melle roſato, mandavi ut unguentum conficeretur ex tuthiæ ablutæ & præpar. partib. duabus cadmiæ, lith. arg. argent ſarcocoll. an. part. j. cum ol. roſ. vel aqu. plantag. inungatur; demum deventum eſt ad unguenta partem reſiccantia, ut ad unguentum diapompholig. & de ceruſſa, & ſic egregie colata fuit. Jo. Tiengius Medicus Amſtelrodamenſis nobilem ſe matronam hoc modo ab ulcere uteri reſtituiſſe dicebat dabat de quarto in quartum diem ℥v. decocti ſenæ epithymi, roſ. rub. myrobal. ind. & clyſterem ſubinde in partem affectam injici mandabat ex aqua tepida decoction. ſenæ, epithym. fumar. fl. chamæm. roſ. cui terebinthina exigua, mel. roſac. & hordei farina injecta erant, deinde peſſos in uterum ſeu os uteri ponebat.

℞. Mell. roſac. ℔ß. farin. lupin. ſiligin. fænugræc. ſarcocoll. an. ʒß. F. peſſi ſi pruritus aut dolor adeſſet, iiſdem addebat ſemen papav. hyoſcyam. & camphoram. *Petrus Foreſtus: obſerv. 48. lib. 23. De Morb. Mulier.*

Succus urticæ cum pueri urina miſtus abluendo injectus ulcera uteri mirificè ſanat. *Felix Platerius. practic. tom. 2. cap. 14. pag. 575.*

Pro Uteri cervicis ulcere.

Primò unguentum ſequens doloris ulceriſque cauſa præſcripſi, ut illud cum panno lineo diſcerpto uteri cervici intruderet.

℞. Mucilag. ſem. pſyll. factæ cum aqu. roſ. ℥iii. vitell. ovi num. ii. troch. alb. Rhaſ. cum opio butyr. rec. an. ʒß. F. inſtar. unguenti deinde utatur hac injectione cum ſyringa.

℞. Aq. ſolan. plantag. roſ. an. ℥ii. opii. diſſolut. ℈i. album. ovor. num. 1. ol. roſac. ℥i. agitentur probè. lenimen ab hiſce & præſertim unguento maximum ſenſit, quare illius uſum poſtea ſemper continuabat: poſt dies aliquot, diverſionis gratia, cum adeo copioſè ichor urens efflueret, dedi illi mannæ ℥iß. in juſculo, & quia mire eam augebat fluxus ille, idque præſertim peracto menſtruo fluore dedi ſequentem potionem noctu cubitum ituræ.

℞. Aq. plantag. & roſ. an. ℥i. ſyr. de papav. ʒiii. trochiſc. alkikengi ſine opio & ſacch roſ. tabul. an. ʒß. M. F. potio. varia ſunt ſubinde exhibita purgantia. Cum rediret per vices ardor & cruciatus, qui tamen ſemper uſu unguenti ceſſabat, dedi ſeq. emulſionem ut aliquoties biberet.

℞. Emulſionis iv. ſemin. frigid. maj. fact. cum aq. roſ. & plantag. an. ℥vi. item injectionem novam ordinavi ſic.

℞. Troch.

℞. Troch. alb. rhaſ. cum opio ℥ß. mucilag. ſem. pſyll. cum aq. roſ. extract. ℥ ij. infuſion. gummi. tragacanth. ʒi. fact. cum aq. plantag ℥ij. Miſc. & injiciantur cum lacte: ſuffitum hunc quoque per infundibulum, injecto pulvere ſequenti ſuper carbones excipiebat ſingulis matutinis, quem valde probabat.

℞. Thur. maſtich. an. ʒi. F. pulvis pro ſuffitu. Ad ſanationem ulceris hanc injectionem præſcripſi: nihilominus ſemper in uſu unguenti perſeverans, quod omnibus præſtabat.

℞. Rad. conſolid. ℥i. Rad. biſtort. ℥ß. alth. ʒ vi. Fol. plantag. equiſeti, conſolid. Sarac. an. M.j. ſem. lini, ℥i. ſem. lini, ℥i. ſem. pſyllii. ʒ ij. hord. p.j. F. decoctio, in colat. ℔i. diſſolv. mell. roſat. ℥ ij. ſacchar. rubr. ℥i. M. pro injectione purgato iterum corpore, uſa eſt per vices ſequenti pulvere.

℞. Oſſium dactyl. ʒ ij. pulv. equiſeti ʒi. corall. rubr. ʒiß. ſacch. roſ. tab. ℥iß. ſang. drac. ʒß. F. pulvis tenuiſſ. horum uſu cœpit ita ſanari, ut in publicum prodire poſſet: verum poſt tres menſes, iterum fluor licet minore quantitate admodum tamen acris rediit. Poſtquam per quatriduum purgata erat, hac uſa eſt inſeſſione.

℞. Rad. conſolid. herb. conſolid. alchymill. plantag. equiſet. heder. mal. chamæm. an. q. ſ. add. ſem. lini & gypſi uſti ſcutell. i. coq. in aq. pluviali, add. aq. fabrorum extinctionis ferri; hac inſeſſione uſa eſt per menſem integrum ſemel in die ad duas horas; & quoties e balneo egrediebatur, ſuffitum hunc admittebat.

℞. Thur. maſtich. an. ʒ iij. benjoin. ſtorac. calam. an. ℥ß. ſuccini, ʒ ij. F. pulvis craſſus, pro ſuffitu, injiciebat interim continuo troch. alkikengi diſſolut. cum lacte caprino, dolore urgente cum opio, poſtea ſine eo, & ſic tandem in integrum reſtituta eſt. *Felix Platerus, obſervat. lib. 2. pag. 480.*

Meatus urinarius graviſſimo errore pro fiſtula pudendi muliebris curatus.

Vocatus aliquando à Barbitonſore ad curandam fiſtulam pudendi muliebris, hic Anatomes ignarus, illius loco, ſpecillo mihi exhibuit meatum urinarium, in quem immittebat turundam longam ſatis, medicamentis corroſivis inductam, ut tolleret callum, & fiſtulam ſanaret. Miratus hominis imperitiam, cachinno dignam, ipſi mandavi, præſente muliere, ut deinceps uteretur exigua turunda per duos, aut tres dies, illita unguento ex ceruſa camphorato, quo excoriato illa inducto à dictis medicamentis ſanaretur; cum tamen ſimul à muliere diſcederemus, eundem monui, quam credebat fiſtulam, eſſe meatum urinarium; unde ſuborto riſu, deprecatus eſt veniam, quod nunquam antea viderit pudendum muliebre, hujus erroris cauſam. Documento Chirurgis, ne Anatomes ſint imperiti, cum ignoratis partibus, & earum morbis, medicamenta propria non poſſint illis adhiberi. *Petrus de Marchettis Obſervationum Anatomicar. Sylloge.*

Uterus laxatus à partu puellæ, pro ſecundinis non procedentibus, ab obſtetrice imperita manibus magna vi attractus, & præcipitatus, ſuborta illius inflammatione, & gangræna, Illuſtriſſimæ Matronis mortis cauſa.

Cum Nobili cuidam, viginti annorum circiter, à partu puellæ non ſtatim ſecundinæ procederent, atque uterum nonnihil laxatum obſtetrix videret, hunc illarum loco, gravi errore manibus magna vi attractum, extra pudendum præcipitavit, non ſine magno dolore Patientis Nobiliſſimæ, quorum cauſa incidit in lipothymiam, utero valde flammato, & hærentibus ſecundinis; quem proinde primò inunxi oleo roſaceo, atque ſenſim medium introduxi; inunctionibus poſtmodum, omentis pinguibus caſtrati, & lacte adhibitis, eodem nonnihil molliori reddito, aliquot poſt horis totum in priſtinam ſedem compuli, ſecundinis ſponte prodeuntibus, cum patientis levamento; quibus tamen non potuit prohiberi inflammatio illa gravis uteri, quominus migraret in gangrænam, & mortem Nobiliſſimæ mulieris, ſanguine licet educto, atque multis injectionibus, variiſque præſidiis in caſſum adminiſtratis.

Exemplo obſtetricibus quæ omnium peritiam profitentur, quanquam imperitiſſimæ, ut ſecundinas ſponte potius prolabi permittant, quam violentis manibus eas ſolicitent; aut earum loco prout huic contigit, uterum ipſum extrahant, quampluribus mortis auctores. *Idem ibidem.*

De Vermibus Uteri.

Mulier hic in vicina 50. annorum, tenuis fortunæ, lacticiniis, aliiſque cibis crudioribus adſueta, tribus jam elapſis annis incredibilem ſenſit pruritum & fervorem circa genitalia, ſubſequo dolore rodente & igneo quaſi, ac urente, per aliquot dies continuante: tandem per muliebria ingenti aſcaridum, caſei vermiculos apprimè referentium, copia excluſa, dolor quidem & pruritus aliquatenus remittunt, omnis tamen moleſtia penitus non aufertur; ſed per vices malum dictum recrudeſcit, ac aliquoties jam, fœtore maximo & ſymptomatibus hyſtericis accedentibus, vermium copiam ſatis largam excrevit. Affectum hunc per medicamenta interna pariter ac externa, inprimis per clyſteres ac peſſos uterinos, ut & balnea, penitus profligari poſſe nullus dubito. Verum cum præ nimio pudore malum hoc nulli revelare velit, adeoque conſilia Medica ſpernat, miſeram vitam agere cogitur. Hinc rectè Poëta cecinit:

* *Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.* D. *Benjamini Scharffii.*

(*Sondershuſâ Schvvinfurtum ad Magnif. Dom. Præſidem & hinc Vratiſlaviam ad Collectores Menſe Septembr. 1677.*)

De Utero *Scirrhoſo.*

Anno prædicto, æſtate eadem, adeſſe me contigit aperturæ cujuſdam fœminæ demortuæ. Hanc dum viveret, quia ſemper rubicunda, &

pergrande abdomen geſtabat, gravidam primo intuitu eſſe exiſtimabam, ſed cum per plures annos in eodem ſtatu perſiſteret, opinionem ſepoſui: tandem ex ſynocho putrida, ut intellexi, fatis ceſſit. Aperto abdomine tumor pergrandis ſcirrhoſus in epigaſtrio, & in meſenterio vomica, teterrimi odoris pure repleta in conſpectum venit: tumor ille præternaturalis à quonam viſcere ſuam duceret originem, difficile erat dijudicare; tandem ſeparatis inteſtinis, uterum in hanc molem excreviſſe advertimus, tamque duræ ſubſtantiæ, ut novaculæ aciem vix admitteret licet acutiſſimam. Perſimilis erat illi utero, quem Excell. *D. D. Regner. de Graaf Anno 1. Ephem. Curioſorum Obſerv.* 128. exactè deſcripſit, & quantum conjectura (cùm bilance explorare integrum non eſſet) aſſequi licuit, pondere eundem, ſi non ſuperavit, penitus æquavit. Cavitas in illo fermè nulla, niſi quod vagina pro excernendis neceſſariis ſervaretur aperta. *D. Simonis Aloyſii Tudecii.*

Scirrhus & perforatio Uteri.

Honeſta quædam matrona juvencula, bis fœtum mortuum, opportuno tamen tempore enixa, tertiùm gravida, tempore partus inſtante, doloribuſque urgentibus, fœtum fruſtrà excludere allaborat. Ego prima Julii Anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi veſperi ad eam vocatus (Excellentiſſimus enim Dn. *D. Segerus*, collega & amicus meus honorandus, cùm ob propriam ægritudinem caſui huic præſens adeſſe non poterat) inveni ſatis adhuc vegetam, quærens de ſtatu ipſius, ab obſtetricibus reſponſum tale retuli, os uteri apertum eſſe, reliquave benè conſtituta, ſitum autem infantis malum, manu tantum dextrâ extra vergente, capite verò & reliquis membris imperveſtigabilibus. Cum ipſi per totam noctem unà cum tribus obſtetricibus, parentibus & propinquis adeſſem, nonnullaque corroborantia & fœtus expulſionem promoventia præſcriberem, ægraque ſine faſtidio libenter aſſumeret, omnia tamen in eodem ſtatu permanſerunt, manu infantis uſque ad ſcapulam fere exerta, & jam emortua immobili manente, puerperaque ſummè debili: donec tandem natura in totum deficiente, die ſecunda Julii paulò ante primam pomeridianam animam placidè Deo reddidit. Cadavere ipſius ſtatim poſt mortem aperto, inferius uterum invenimus laceratum, & quaſi ex ulcere perforatum, fœtu maſculino perfecto cum ſecundinis extra uterum inter inteſtina latitante, manu tantùm dextra partim extra uterum prominente: præterea quoque uterus in fundo diſſectus ad palmæ craſſitiem ſcirrhoſa duritie tumidus apparuit. Funeſtum hunc & rariſſimum caſum ulteriori diſquiſitioni Experientiſſimorum Practicorum relinquo. *D. Simonis Scolzi.*

De Utero *Cartilagineo.*

Anno 1662. vidua annorum 44. nomine *die Mehlfuhrerin*, gravi dolore dorſi & ingenti ſiti vexata, urinæ ſuppreſſione præcedente fit hydropica. Natura ſpretis omnibus medicamentis debitum ſuum perſolvens, viduam hanc cultro decernit Anatomico, Adſtante *Dn. Heckero* Medico civitatis Mariæburgenſis, facta per Chirurgum, Dn. *Lorenz Arnolt* ſectione, ingens copia aquæ effunditur, & lien quaſi convolutus calculis plenus conſpicitur, perventum eſt ad renes, in quorum dextro & quidem circa infundibulum, invenimus quadrangularem lapidem, qui totam cavitatem pelvis implebat. Proceſſimus ad uterum, qui cum magna admiratione primò totus lapidoſus à nobis putabatur, quantitate quidem parvus, ſed nimis durus. Tandem vi diſſectus, totus uterus cum orificio interiori erat cartilagineus, relicta cavitate interna ad amplitudinem nucis juglandis. & ureteres aliquo modo extenſi ſcatebant arena copioſa, alias tamen in naturali conſtitutione obſervabantur. *D. Andreæ Cnoëffelii.*

Carcinoma Uteri *ex ſuppreſſo fluore.*

Mulier Hafnienſis quinquagenaria, pluſculorum liberorum Mater, paſſa fluorem ſanguineum, petiit remedium à neſcio quo, qui fluxum illum cruentum Uteri compeſcuit tandem, remanente copioſo per Uterum ſeri fluore, quo etiam imminuto excrevit ſenſim tuberculum in Uteri orificio, quod auctum propendit extra vaginam longius. Dolores angebant miſeram, & terrebat fruſtulum extra pudenda dependens, credituſque Uterus ipſius eſſe ita prolapſus. Advocatus Chirurgus Regius, experientiſſimus *Philippus Hacquart*, rem detegit, invenitque Uteri orificio ſuperno adnatum tuberculum inſtar ſteatomatis, molle & pendulum, anguſto collo, reliquo corpore inſtar ficus comparente patula tamen via in Uterum. Inito cum uxore conſilio, de reſcindendo tuberculo doloroſo, injectoque circa Uteri orificium vinculo, incurva novacula dextre abſcidit & exemit, reſtituitque in integrum mulierem. Extractum tuberculum mihi oſtendit, prorſus ficus majoris magnitudine & figura, anguſto collo præditum & ventre ſubrotundo. Per medium diſſectum ſteatomatis ſubſtantiam præ ſe tulit, ſero permixtum. Suſpicio eſt, poſt fluoris ſuppreſſionem nimis acceleratam, à natura cumulatum in orificio Uteri fuiſſe hoc malum & excreviſſe, ut diſcamus non ſtatim inhibendos eſſe fluxus à Natura tentatos & inchoatos. *D. Thomæ Bartholini.*

Utero *putrefacto, illæſo Fœtu.*

Paupercula quædam hujus loci in Suburbio habitans, Uterum ferens, toto difficilis geſtationis tempore ſemper de doloribus in abdomine querula, juſto appropinquante partus tempore, inter ingentes conatus cum parere nequiret, 21. Januarii Anno 1676. exſpiravit. Ad ſectionem altero die mane vocatus, cum propter alia negotia ipſe venire non potuiſſem (quod tamen maxime poſtea pœnituit.) miſi Chirurgum noſtrum Alexandrum Schele, ut aperiret eam, & referret ſi quid rari occurreret. Hic ergo ſtatim poſt peractam ſectionem me accedens recenſuit, aperto abdomine & remotis integumentis parum effluxiſſa aquæ putridæ, mox in conſpectum veniſſe infantem omni ex parte liberum, in abdomine extra uterum

ſitum, mortuum quidem ſed cætera abſolutum, perfectum, nulla parte contaminatum; ſub ipſo autem Uterum apparuiſſe ſemiputridum, & ſphacelo ita abſumptum, ut fruſta ejus nigricantia fœtida exemerit, adſtantibuſque monſtraverit. Admiratus rei novitatem, ſtudioſus inquiſivi, an non, quia fœtus illæſus ſalvus & integer, Uterus fortè in muliere, continuis laboribus & geſtationibus victum quærente, fuerit ruptus, ſicque infans in abdomen prolapſus, id quod ſæpius fieri poſſe concedit *Veſling in Synt. Anatom.* & exemplis probat *Hildan. cap. 1. Obſerv. Chir. 64. ut & Dn. Fauſius in Epiſt. ad D. Strauj. de fœtu Muſſip.* Sed ille reverà Uterum putrefactum, unà cum obſtetrice, & aliis adſtantibus à me interrogatis, conſtanter affirmavit, adeo ut fidem amplius denegare non potuerim. Similem prope caſum recenſet *Fr. Roſſet. de part. Cæſar. S. 4. cap. 4.* de infante qui, putrido Uteri fundo relicto, in abdomen tranſiit, poſt quatuor annos extractus, nondum adeò computruit quin maſculum fuiſſe agnoſci potuerit. Quod ſi itaque hic, quatuor continuos per annos in putrido loco moras nectendo, non penitus fuit abſumptus, credibile etiam noſtrum ſine labe aliquot menſes potuiſſe manere, quamvis quomodo vivere, nutrimentum & augmentum ſumere potuerit, non concipiam. Cæterum ex putrefacto Utero, etiam infectum fœtum computruiſſe, & perforata matrice hinc inde partes exiviſſe vid. *Præfat. Roſſet. l. 6. & Clar. Th. Barthol. de inſol. part. hum. viis. D. Caroli Raygeri.*

Hiſtoria Uteri ex virgine reſecti.

In ſecundo Ephemeridum Tomo Obſervat. 126. f. 328. mentio fuit facta virginis, cui teſtes per hymenem propendentes ablati fuere. Dum verò tunc Uterus valdè tumens vi egredi cum ſummis circa inguina doloribus conaretur, chirurgo ad id accito author fui, ut immiſſo per myrtifoliarum carunculatum circulum ſpecillo antrorſum ſecundum longitudinem inciſionem faceret, zonamque virgineam ſolveret, ut via prorumpenti iſti moli pateret. Illi verò me abſente, ignarus talis ἐγχειρήσεως, cum ullius virginis clauſtra nunquam aſpexiſſet, ſpeculo matricis violentam tentavit divulſionem; quæ etiam non ſine dolore & qualicunque hæmorrhagia fuit ſecuta, remanente interim, ſuumque in locum ſe recipiente Utero. Ad quinquennium virgo illa ab omni incommodo libera vixit: quo exacto tempore denuò graviter decumbere cœpit, & tenſivo circà pudoris ſinum dolore miſerè afflicta, chirurgo prædicto jam fatis ſublato, virum alium ad curationem admittere noluit, ſeque juratæ cuidam fœminæ commiſit, quæ ductui noſtro parens felicem ipſi opem attulit. Prominebat tandem pugni minoris magnitudine Uterus admodum inflatus, in ſiniſtra regione introrſum vaginæ arctè adhærens. Fœmina adſiſtens digito paulatim per aliquot dies ſeparare eundem ſtuduit, cui tunc à latere vaginæ divulſo funem injecit, & prope cervicem ligavit, indieſque ſericum fortius conſtringens, paulatim tumorem iſtum diminuit, poſt quatuor ſeptimanas corrugatam quaſi & demortuam iſtam maſſam, quæ ficus inſtar compreſſæ apparuit, deciduam effecit. Formam uteri nondum defloratæ omninò referebat, ſed cavitate carebat; quæ ſuſpenſum, utrum id corpus verus uterus eſſet, me tenuit. Cum verò & loci, unde propendebat, conditio, & præcedens utriuſque teſticuli amiſſio, & liber circa tumorem eminentem ambitus, miruſque qui ante prægreſſus fuit cum collo Uteri malè affecti conſenſus, ſiquidem circa laryngem conſimile denuò ulcus æquè fœtens hoc morbi tempore adfuit; in unum conſpirarint; tanto confirmatiorem me reddidere naturam ſarcinam matricis inutilem, maleque conformatam foràs voluiſſe protruſam, quæ nihil unquam fruſtra feciſſe voluit. Tamdiu ſtabit hæc ipſa ſententia, donec tandem è vivis abierit, quæ tunc diſſecta contrarium docere poterit. Longæviores autem alias utero privatas ſæpè obſervavi fœminas; & hæc ipſa poſt amiſſum ſexus fœminini characterem, ab anno hactenus vegeta & incolumis vivit, quæ circa culpam ſuam non amplius virgo, nec mulier, nec deflorata audit, ſexum alioquin meliorem ſemper averſata. *Domini Johannis Georgii Volkameri.*

De Sphacelo interno fundi uteri in nana.

Anno 1675. Dominicâ S. S. Trinitati Sacrâ, venit Thorunium Illuſtriſſima Comitiſſa à *Donhorff*, Illuſtriſſimi Domini Johannis Ignatii, Boukovvski, Palatini Pomeraniæ, Regnique Poloniæ Senatoris, Skarzevienſis, Koſcierinenſis &c. Capitanei, Terrarumque Pruſſiæ Theſaurarii, conjux, cum nanâ Ruſſa triginta ſex annos nata, jam per octiduum nephriticis doloribus graviſſimè divexata: quibus tandem paulùm ſopitis; novum ſymptoma ſupervenit, morbilli purpurati cum febre continua, qui cum altera die mox evanuiſſent, natura jam à doloribus nephriticis ſummè debilitata ſuccumbente, accedentibus leviſſimis convulſionibus, eadem vitam cum morte commutavit. A morte ipſius Illuſtriſſima Domina cauſam ejuſdem mortis repentinæ indagare cupiens, ut ſectio cadaveris inſtitueretur, rogat: quam etiam me præſente peregit Georgius Grunack, chirurgus, ubi tum cor inventum eſt flaccidum ſine ulla pinguedine, abſque humore in capſula ejus, pulmones lividi, ren ſiniſter itidem omni pinguedine deſtituebatur, in quo calculus phaſeoli magnitudine repertus eſt, ren autem dexter naturali ſimilis fuit, in quo etiam calculus, qualis in ſiniſtro, ſed minor latitabat, in ureteribus nihil, veſica ab urina vacua, uteri autem fundus tam ab extra quàm ab intra ſphacelo correptus fuit: qui etiam abſque omni dubio tam repentinæ mortis cauſa erat. Hoc in caſu etiam epigeneſis *Steph. Roderici Caſtr.* pulchrè confirmatur, de qua eundem *vid. Opuſc. quæ ex quibus. D. Simonis Schultzii.*

De excreſcentia uteri ulceroſa, cum ſphacelo, lethali.

Honeſta Matrona multorum liberorum mater, Urſula Schadin, pie defuncti Balthaſaris, Lemcken, Civis & Negotiatoris Thorunenſis relicta vidua, cum jam ante aliquot menſes

(poſt

(poſt terminum menſtrui fluxus à natura præfinitum, diu exactum) menſtrua inordinatè fluere percepiſſet, cum magno dorſi, coxendicum & adjacentium partium dolore; inde quotidiè debilior facta, meam implorat opem. Cui ego ex lege artis noſtræ diverſa ad id facientia præſcribere cœpi remedia, continuante filum, me decumbente, *Dn. D. Johanne Blümickio*; verùm illa nullum inde levamen ſentiens, eorum pertæſa, indies pejora ſymptomata cum atrophia totius corporis experta eſt. Interim menſes pedetentim primò, poſteà etiam in totum ceſſarunt fluere: nihilominus eadem ſemper languidior facta, & lecto affixa permanens, tandemque febre cum graviſſimo horrore partium extremarum per aliquot horas, & calore intenſiſſimo longiore, inordinatè aliquoties correpta, per aliquot ſeptimanas, ſine omni cibo, ſolo potu cereviſiæ ſecundariæ contenta, vitam prorogavit, vomitibus denique primùm bilioſis, mox atrabilariis ſuccedentibus. Sed ſpatio octo dierum ante mortem, menſes cum graviſſimis pubis doloribus iterum rediere, poſt quorum mox remiſſionem tumor è vulva prominens rubicundus & ulceroſus apparebat, purulenta & fœtida ſaburra ex eo indeſinenter fluente. Tum miſera illa die 12. Auguſti anni 1675. poſt leviſſimas convulſiones piam animam Salvatori ſuo placidè reddidit. A morte autem partes inferiores circa pudenda & nates, anticæ & poſticæ, à ſphacelo nigerrimæ & corruptæ conſpiciebantur, unà cum tumore propendente. *Ex eodem.*

Excreſcentia carnea Uterina.

Ruſtica quinquagenariæ proxima è pago *Engishofen* ſuperioris Turgoviæ, cui nomen Catharina *Huberin*, phlegmaticæ, ut appellant vulgò, temperiei, ad Venerem ſegnis, nupſerat ante viginti, & ſi quid excurrere poteſt annos, marito vegeto, robuſto, & cui ad τὸ εὖ ζῇ præter χρύσεον βαλάντιον nihil deeſſe viſum eſt. Cum hoc nonniſi duos integro ſpacio progenuit filios, quorum prior octodecim, poſterior novem jam annos natus, uterque τῶν ἀθλητῶν Hippocratis laudatum nomen meriti. A biennio autem lumborum doloribus, levibus quidem, ſed ἀδιαλείπτως divexabatur; cui frequens mingendi deſiderium ceu individuus ſeſe junxerat comes. Menſtrua intermedio hoc tempore ſæpius intempeſtivo, aliquando immoderato & continuato ad aliquot ſeptimanas fluxu urgebant; interdum etiam nihil prorſus fluebant. Symptomatum horum impatiens fœmina, Veterinarii cujuſdam, ut infelicioris mortalium ſortis ἄλογον εἶναι τὸ ἔθος conſilium & opem exploratura abit, ſed triſti, ut fieri plurimum ſolet, cum eventu, quippe ab eo, ceu calculo renum laboraret, generoſa tollens remedia λιθοντρίπτικα, in continuam ex eorum uſu incidit mingendi neceſſitudinem: minxit autem haud difficulter & abſque dolore moleſtiore. Appetitus interea ἀλύμαντος perſtitit; nec ulla unquam κεφαλαλγία fœminam torſit. Semeſtre nunc labitur, ex quo artuum laſſitudinem primùm ſentiebat; à trimeſtri verò præ lumborum & inguinum doloribus, licet non adeo vehementibus, ſedere difficulter poterat, nulla licet exterius apparente corporis labe.

Die Junii 12. anni hujus 1681. ſentire quid cepit in vagina uteri, quod egerendi maximum conatum movit. Novitate rei perculſa fœmina, duas ſtatim arceſſivit obſtetrices, & licet certò ſciret, ſe gravidam non eſſe, voluit nihilominus, ut quid rei hoc ſit, ſtudioſè explorarent. Inſolitarum ejuſmodi rerum imperitæ obſtetrices fungum coagulati ſanguinis eſſe ſphacelatum (vocant *ein Brandknollen*) arbitratæ, manu illum extrahendum ſtatuunt. Conſilio dum anxia de ſanitate Ægra annuit peritior, quæ ſibi viſa eſt, obſtetrix manus admovet promptas, ſed dum grumum ſe obtenturam ſanguinis credit, en carneam molem duas ſpithamas longitudinem propemodum æquantem pertinaciter protrahit. Ægra interim præ acerbiſſimis qui ſibi in extractione pariebantur, doloribus immaniter vociferante, venas inprimis atque nervos omnes ex utroque illorum latere ſibi rumpi alto clamore ingeminante. Obſtetrices perpetuis Ægræ ejulatibus attonitæ, ſerò nimium animadverterunt, corpus iſtud præternaturale non ex vagina ſaltem, ſed ex utero ipſo ulterius deſcendere. Sollicitæ itaque de rei eventu Veterinarium, à quo anteà ſiniſtro cum ſucceſſu curata fuit, acceſſi de novo volunt. Ille verò ſemel atque iterum vocatus accedere renuit, ſuam hiſce in caſibus ἀπάθειαν prætendens. Intolerabiles interim dolores Ægram miſerrimam eo impulerunt, ut obteſtaretur obſtetrices, inciſione corporis levamen ſibi procurare tentarent. Nec rogari diu conſuetæ morem gerunt obſtetrices, vulnuſque digiti longitudinem, ac duorum digitorum tranſverſorum profunditatem facilè exæquans incautæ infligunt. Verùm enim verò, ut ſimiler utplurimum ſolet eſſe eventus eorum quæ ἀλόγως peraguntur, ita tantum quoque abfuit, ut Ægra inde levaretur, ut potius in pejus omnia ruerent, dolorque per ſe jam intenſus ſingulis penè momentis magis magiſque exacerbaretur, nec, quod peſſimum omnium, extaret, qui conſilio adjumentum præſtare potuiſſet. Fatis igitur commendata Mitioribus jacuit ad 14. Junii ejuſdem, quo Cleophea Schobingera, Matrona Sangallenſis Nobiliſſima, & ob plurimos, quos ipſa perpeſſa eſt, morbos, in variis Mulierum affectibus percurandis verſatiſſima, ad Miſeram inviſendam à ruricolis rogabatur, haud longè tum à pago negotiorum cauſa exiſtens. Matrona igitur, pro affectu quo erga miſeras & pauperes ejuſmodi fœminas auxilio deſtitutas tenetur benigno, ſine mora ad Ægram proficiſcitur, ubi examinatis probè omnibus caſus circumſtantiis; comperit tandem corpus illud ex ſinu pudoris propendens ſphacelatum jam magna ſui parte, intolerabilem ferè expirare fœtorem, ac penitius conſideratum nil eſſe aliud vidit, quàm inverſum uterum, carneis excreſcentiis pluribus, ut ex figura adjecta patet, involutum, molemque carnis maximam ſpithamæ unius cum dimidia longitudinem exæquare cognovit. Obſervavit itidem, ipſam quoque uteri ſubſtantiam à vulnere læſam ac ſphacelo corruptam extare; moleſque carneas ſingulas propriis involutas membranis, ac à ſe invicem diſtinctæ, uteri ſubſtantiæ tenaciſſimè adhærere. Omnibus ſic probè perpenſis, Prognoſin ſtatim funeſtam facit, omnia tamen ad Ægræ ſalutem ſe contributuram promittit. Eum in finem Chirurgum,

rurgum, qui maximè vicinus erat, accerſi jubet, utpote cùm quo de medendi ratione, ſiquidem manualem heic operationem neceſſariam eſſe omninò prævidebat, conſilium iniret. Quo facto, in eo convenerunt, uti abſque admotione cultri (in deſparato enim caſu famæ quoque immeritò ſæpe in dubiis eventibus periclitantis habenda ratio) digitis ſaltem carnea moles ab uteri ſubſtantia divellatur; eoque peracto uterus in locum reponatur. Manum itaque Matrona admovit operi, moleſque ſingulas ſatis magno cum labore ab utero ſine notabili cum dolore ita avulſit, ut vix duas ſanguinis uncias in de perdiderit Ægra.

Maxima, quæ adfuit, moles, duorum tranſverſorum digitorum latitudinem utero undiquaque adnexa, colorem ſecundinarum finxit, ſubſtantiamque obtinuit ſoliditate lienis bovini gaudentem, ac pondere libram civilem æquantem, venis quoque quamplurimis ſuperficiem permeantibus ſuperbientem. Minores verò moles omnes carnis fuerunt firmioris, ac fibroſioris, coloris autem nigricantis, odoris fœtidiſſimi; & levicula ſui parte utero per venarum, arteriolarum, aliorumque vaſorum reciprocam communicationem adhærentia. Avulſis hiſce corporibus Matrona uterum quoque extremis partibus violacei ac nigri coloris, inſenſilem quippe & jam ſphacelatum, in locum ſuum reponere laborat, ac dum eum ſub oſſe pubis ſurſum protrudebat, Ægra leviculum perſenſit dolorem, ſed ſtatim iterum evaneſcentem. Ab 11. Jan. uſque ad 14. Iſchuria laboravit Ægra, bihorio autem poſt operationem peractam ſine difficultate ac impedimento urinas reddidit. Nauſea interim perpetuo conflictabatur, quæ ſanè ſphacelo membri laborantium atque inde moribundorum conſuetudo tantum non perpetua. Peractis hiſce omnibus, in id incumbendum erat, ut ſphaceli progreſſus minueretur, vulnuſque uteri ſanaretur. Præſcriptis itaque ex conſilio Medici internis ſudoriferis blandis, vulnerariis decoctis, ac injectionibus uterinis convenientibus, & diæta ad mentem Dom. Mauriceau in tractatu de Affectibus Muliebribus imperata, Matrona Nobiliſſima ad negotia priſtina revertebatur, Ægramque Chirurgi ſollicitæ commendabat curæ, quam & ea induſtria geſſit, ut Ægram adhuc ad ſex integros dies ſuperſtitem ſervaret: quibus abſolutis, ſphacelo ingraveſcente animam reddidit. *D. Theodori Zuvingeri.*

Hactenus ille, quibus ego meam qualemcunque adderem ἐπίμετρον, ni ea perſpicuitate ſingula eſſent dicta, ut ab omnibus pariter intelligi poſſint: Agmen diſſertationis claudet hiſtoria Juvenculæ, Ovula innumera excernentis, cujus copiam ſuggeſſit, Excellent. Theophilus *Bonetus*, Medicus Genevenſis, æterna laude digniſſimus, in literis d. 16. Auguſt. 1681. ad me exaratis: Oblatæ, *inquit*, mihi à muliere clinica, duæ patinæ ſtanneæ, non mediocris magnitudinis, quas adimplebant ovorum myriades, omnino illis ſimilium quæ è majoribus noſtris truttis in exenteratione eruuntur, magnitudinis ſcilicet grani juniperini maturi, etſi quædam eſſent minora, qualia in dicto frutice ante maturitatem, eo verò à prædictis diſcrimine quòd ſibi invicem non cohærent, ſed ſparſim humori lento & albo innatarent, ovi albumen referenti. His confuſæ erant pelliculæ, quæ in aquam calentem conjectæ non diſſolvebantur, ſicuti concretæ & compactæ pituitæ accidit, ſed membranarum fragmenta referebant: Adſtabat his fruſtum carneum, obſcurè rubens, ovi gallinacei mediocris magnitudine: Chirurgus familiaris, ut audio ovorum nonnulla aquæ ferventi immiſſa induruiſſe retulit, &c. Ruminent iſta eruditi, & qui, vel unde hæc ovorum congeries ſuccreverit, pro ingenii, qua pollent acie, melius examinent; mihi enim de his aliiſvè hactenus lallaſſe ſatis eſt. Vale ô Academiæ noſtræ decus illuſtre, ſcriptiſque elegantiſſimis orbem literatum locupletare perge: Scripſi Baſil. d. 19. Decembris, 1683. *Joh. Jacob. Harderus.*

Corpus myloides poſt partum maſculinum ex utero propendens, cum ſubitaneo puerperæ interitu. Aperturæ cadaverum utilitas.

Uxor molitoris noſtri in mola Kuppelichina dicta, 30. præpropter annorum, ſat alioqui bonæ conſtitutionis, infantiſque jam unius mater, per totum ingravidationis ſecundæ tempus facie pallida ſe male habuit. *D. 25. Septemb. Ann.* 1683. dolorifico pulſu fores uteri Lucina pulſavit, accerſitur obſtetrix audacula, & ex illarum corte, quibus eſt ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum, ut loqui Saluſtius amat: elapſis binis horis, quod quidem illi retulerant, enititur puſionem vegetum, Secundinæ ſatis auſpicato (iterum referente obſtetrice) ſucceſſerunt. Interim continuati dolores puerperam ad horæ dimidium excruciant, identidem ingeminantem, adhuc adeſſe, quod excluderet, aut Didymon aut aliud quidpiam. Manus obſtetrix commodat, exſpectatur geminus, corpus enim ad obſtetricis tactum infantile caput mentitum erat. Secus autem atque exſpectarant res cecidit. Propendet extra pudendum corpus globoſum, ſed nulla arte, niſi fortè adhibita vi ſeparabile; obſtetrix hîc agere ſola verita, Chirurgum; hic autem re explorata, fatiſcentibus interea ægræ viribus, me accerſit. Ego, quantumlibet feſtinabundus, (non enim dum molior aut comor, annus eſt) fati velociam prævertere non potui; pedem enim vix porta extuli dum animam hæc exhalavit. Adſum, Corpus myloides (molam dicere non audeo) illinc adhuc propendebat, ſanguinolentum, adque tactum duriuſculum; ſed manu calidiore tractatum rediit ad caſeam mollitiem. Jubeo Chirurgum digitis explorare, ſi fortè poſſet hujus corporis initium quoddam reperiſſe, quod ab illo fruſtra tentatum; quouſque enim digito penetrarat, corpus illud ſecutum eſt. Impero denique ut cultro, quam poſſet, profundè adacto, illud reſcinderet, quod ægrè, cultri aciem remorante cartilaginea cervicis, quam corpus illud habebat, duritie effectum. Saccum poſt illum, quem referebat, accuratiùs examinavimus, foris totum ſanguinolentum, ſed per longitudinem cultro apertus, nil quidquam, imo ne aquæ guttam in ventre oſtendit, ſed cute glabra, quanquam corrugata & albicante, ſuperficie interna, inveſtitus erat; Caro interim ſpongioſa, ſeſquipollicem ſua craſſitie abſolvens; nihil hîc vaſorum, ligamentorum, oſſium, ſquamarum nihil; illud etiam me vehementer mirum habuit, quod tam citò puerpera extingueretur.

Scholium.) Quid heic fuit opus factu? Cadaveris apertura poterat omnem, quæ animis noſtris inſederat, dubitationē diſpuliſſe. Impia verò Pietas, qua, hoc quidem in paſſu, erga mortuos ſunt affecti, qui ſanguinis eos propinquitate contingunt, ſalvatione hoc & fructuoſum opus in fere parricidia numerat. Ut enim ſuſpicer, fuiſſe non molam, ſed uteri fortè procidentiam, id tamen aſſeverare non audeo. Multas ego molas & legi & vidi, nunquam talem. At, quid uteri ſubſtantiæ, convenientius, ſi forte ſolam cartilaginem excipias? Potuit autem uteri orificium aliqua ſua parte cartilagineum eſſe, veluti tum in pyloro, tum ani, veſicæque ſphincteribus plus vice ſimplici obſervarunt anatomici. Obſtetrix autem, qualis hæc fuit, ſibi relicta parum prudens, ubi deinde pauxillum illud ſanæ mentis vini effluvia tumularunt, ſecundinas forte arctius hærentes, vel internæ uteri ſuperficiei alicubi adnatas, vi evellere tentans, uterum potuit ſimul loco movere, qui per nixus ſecundas extra pudendi rimam omnino propelli potuit. Jam verò eſt cuilibet notum, quàm poſſint ægrè puerperæ ſtatim poſt partum externum frigus perferre, ita, ut multoties ingenti horrore ceu paroxyſmo febrili concutiantur, immò, ni tempori ſuccurras, de vita periclitentur, quale exemplum haut ita pridem in civitate noſtra habuimus, quid futurum, Lector, arbitraris, utero inſuper ipſo, & quidem inverſo, refrigerato? nonne quandoque hernioſi, ſicubi refrigeretur hernia, morte luunt aëris inclementiam? atqui ſunt herniæ inſuper beneficio cutis externæ, cui involvuntur, aliquantillum à frigore munitæ, ſecus atque ipſiſſimus propendens uterus. Scilicet, ſunt hæ partes membranoſæ, frigoris proinde impatientiſſimæ, quo tactæ facillimè convelluntur, inſequente morte. Quod autem ſupra monui, non licuit audacter pronunciare fuiſſe uterum, nec enim ulteriorem aut per ſectionem, aut per digitos explorationem ferebant adſtantes, & naturam variè quoque ludere in molis generandis novimus. Exempla varia *Ephemerides noſtræ* ſuppeditant; *cumprimis Dec. 1. Ann. 1. obſerv. 1. 36. Ann. 2. obſerv. 79. 84. 160. Ann. 3. obſerv. 129. Act. Med. Hafn. vol. 1. obſerv. 26. Plater obſerv. l. 3. p. 868. 871. Schenk. Salmuth. Bartholinus, Hildanus & alii plures.* Suppeditat hic caſus ii. quaſi poriſmata, quorum primum eſt: Intereſſe Reipublicæ, ut obſtetrices conducantur priæ, ſobriæ, prudentes & peritæ: Alterum: Intereſſe eidem, impiam illam Pietatem conſanguineorum antiquari, & in caſibus præcipuè ſingularibus cadaverum aperturam concedi quin, pro circumſtantiarum ratione imperari.

Vulgus non ſolet diſtinguere inter Anatomen & ſolam cadaverum aperturam (*Oeffnung*) hinc, quia inaudiunt forte in Academiis ſupplicio affectorum cadavera anatomiæ tradi, defunctorum aut affinitatis exiſtimationi detractum iri verentur, ſi aperiri permittentur; ſed facilè poſſent hoc timore exui, ni vanis & præconceptis perſuaſionibus pertinacius inhærerent. Quamquam enim nec ipſa anatome ſupplicio affectorum in contumeliam defuncti aut propinquorum tendat, & boni publici cauſſa fiat, ob quam injuria fieri non cenſetur, ut recte allegat ex ff. Carpzovius in prax. rer. criminal. part. 3. quæſt. 137. n. 72. ſ. (ubi diſquirit, num ſupplicio affectorum cadavera ſint anatomico cultro ſubjicienda, & allatis rationibus affirmat) toto tamen cælo differt cadaverum apertura ab eorum anatome, ſiquidem in hac omnes corporis partes ad pernoſcendum hominis naturalem ſtatum examinantur & explicantur; in illa tantùm in cauſſam morbi, huncque inſequentis interitus, adeoque ſtatum hujus præternaturalem inquiritur, ut aliis cum eodem aut analogo morbo conflictantibus opera Medici tantò ſit præſentior. Tantum itaque abeſt, ut ab ejuſmodi apertura cuiquam impietatis nota affricetur, ut potiùs impingat vehementer in Chriſtianam charitatem, quiſquis heic Medici ſedulitatem, ſufflaminare ſuſtinet. Quantum debemus laborioſiſſimo Boneto, qui in aperturis cadaverum operam collocavit nullo auro compenſandam, cujus eſt teſtis illuſtre Sepulchretum à laudato auctore evulgatum. Siquid heic impii lateret, cur Magnatum cadavera aperiuntur? non eo fine, ut vel inde tantilla ægris utilitas accreſcat, niſi forte per accidens, ſed tantùm in conduturæ ſeu balſamationis gratiam? Quid multis? Si modò homines reflecterent, Medicum non animi gratia, ſed ut ægris proſit, ſectiones has deſiderare, non adeo ſeſe opponerent: quid enim in hac apertura, ex tetro fœtore, vel miaſmate etiam contracto deliciarum? quid non potius moleſtiæ? Hanc autem, uti non in omnibus morbis ſine diſcrimine requiro (quid enim intereſt aperire quem ex febre maligna interiſſe conſtat?) ſed tantùm in caſibus valde dubiis, rationem & experientiam Medicam illudentibus, aut ubi quid commiſſi erroris ab adſtantibus ſuſpicamur, velut in hoc noſtro caſu factum; heic dico, quantumcumque etiam propinqui reluctentur, autoritate ſuperiorum eſſe cogendos, ut vel ingratiis Medicos cum Chirurgis ad ſectionem admittant. Plura in hanc aperturam notabilia habent *Ephemer. noſtræ Ann. 1. obſerv. 15. D. Roſini Lentilii.*

Uterus ex difficili partu perruptus.

Anno 1670. 23. Auguſt. Pragæ. *Catharina Wolrabin*, temperamenti frigidi & humidi ætatis 35. ann. quatuor jam antea proles robuſtas feliciter peperit; tandem de dolore uteri ſubinde querebatur, colore pallida, macies indies incrementum ſumſit, tuſſis ſicca moleſtabat, cum quinta prole ad nonum menſem naturale pariendi tempus pervenit, quatuor diebus laborioſo partu miſerè torquebatur, fœtus dextram manum exporrectam habuit, nec ultra ab Obſtetrice adjuvari, nec à conatu Matris protrudi potuit; quinta tandem die fœtu jam extincto, & illa expiravit. Maritus tàm laborioſi partus cauſam ſcire cupiens, ut eam perveſtigarem rogavit. Aperto itaque leniter abdomine, Puer robuſtus extra uterum omnis involucris ſolutus, pedibus in ſiniſtrum hypochondrium extenſis Lienem contingens, capite cum manu exporrecta, intra oſſa pubis & cervicem uteri hærebat.

Chirurgo adſtanti, ut fœtum ſuaviter eximat, dico, quo exempto, manus livida unà cum parte

te capitis, quæ exitum tentabat, ob vehementem facultatis expultricis conatum, in acutum redacta, deprehenſa. Uterus in parte ſiniſtra una cum ſecundinis à conatu pueri pedibus diſruptus; in parte verò dextra, tumor quidam durus in convexum uſque ad cervicem Uteri inſtar globi ſe extendebat, In Concavo hujus ulcus nigrum gangrenoſum illum tumorem cauſans, qui fœtui viam præcluſit, repertum eſt. Sectus per medium tumor, craſſitiem quatuor transverſorum digitorum ſuperabat. Hæc cauſa detenti fœtus. *D. Simonis Aloyſii Tudecis de Monte Galeâ.*

Uteri & veſicæ urinariæ Procidentia.

Quod verum eſt, meum eſt, dixit olim Seneca in Epiſtolis. Utinam idem adhuc ſentirent ac ſaperent ſcriptores omnes, veritatemque pluris facerent, ceu æternum quid ac immutabile, quàm fallacia præjudicia, aut fucatæ novitatis illecebras; & intempeſtivum contradicendi ſtudium; Quicquid verò delinquant alii, titubentve mente, nobis hercle quidquam affectare præter amabile verum religioni eſt. Neque enim curioſitate noſtra & quotidianis exercitationibus aliò collimamus, quàm ad cognoſcendam veritatem colendumque Deum, deinde etiam ad curandam mortalium valetudinem. Hic errores tamen non tantum vitare ipſi adhibita ſumma diligentia, ſed etiam ut evitent cæteri efficere pro virili parte tenemur. Inter muliebres morbos omni ævo cognita & perſpecta fuit uteri procidentia, grave, ſanè moleſtumque malum; quippe generationi plurimum officiens, ac interdum etiam funeſtum: docuitque univerſa antiquitas uterum mulieribus aliquando prolabi. Hodie autem poſt Theodorum *Kerckringium*, præclaris monumentis apud eruditos celebrem, in Belgio famigerati chirurgi duo *Ronhuſius* & *Meckeranus* editis obſervationibus negant matricem procidere poſſe, quod priſci uno omnes ore affirmaverant, arguuntque erroris ac imperitiæ præclara & vel Æſculapio majora nomina. In hoc ancipiti ſtatu, cum alterutri partium cauſa cadendum ſit, judicem appellare nullum convenit niſi experientiam. Equidem in rebus ad rationem ſolam pertinentibus humanæ autoritati tantum fidei nunquam adhibemus, quantum conſcientiæ dictamini: ſemper enim pro falſo ambiguoque juſtè reputamus, quicquid claro & diſtincto mentis noſtræ conceptui repugnat, etiam graviſſimi autores ſexcenti id verum ac indubitatum eſſe pronunciarunt. Nimirum ſapientum ratio ſui juris eſt, & ad quam homines adſpirare debent, æternæ veritati, hoc eſt, Deo, priùs auſcultat quàm hominibus. At aliter planè ſentiendum eſt de rebus contingentibus in judicio cui præſidet experientia. Hic votorum pluralitas, & teſtium idem affirmantium multitudo, plurimum momenti ac vim veritatis habet, niſi manifeſtò demonſtrari queat teſtimonia eſſe fraudulenta. Quamobrem cum in his caſibus magni æſtimanda ſit bona fides, & ſcriptorum idem ſentientium frequentia atque autoritas, acerbè ferimus Chirurgorum iſtorum petulantiam, in tot præcellentes Medicos temerè ac perversè inſultantium, quorum ipſi neque famam nec eruditionem aſſequuntur; imo continere nos diutius non poſſumus, quin contra ipſos pro veritate & antiquitatis honore teſtimonium publicè dicamus. Accidit anno Chriſti 1682. menſe Martio, ut in xenodochio Schaphuſiano vidua decumberet, ex diuturna & gravi uteri procidentia laborans. Primum quidem ante pluſculos annos, cum uxor adhuc marito frueretur, leve malum fuit, nihilque aliud quàm vaginæ laxamentum; poſtea verò conceptione & partu iteratis paulatim ita degeneravit, ut vagina omnis inverſa prominerei ac inter femora nutaret. Procidentiam ægra ſibi identidem ipſa repoſuit, & pila cerea utcunque firmavit, donec noviſſimè difficulter parturienti uterus edito fœtu in vaginam dependulam prolaberetur. Penſilis maſſa carnis ſpithamam æquavit longitudine, craſſitiem utraque manus facilè complecti non potuit, tantumque doloris & moleſtiæ ægrotanti creavit procidentia, potiſſimum obambulaturæ ac rem familiarem curaturæ, ut ſubinde mortem præoptaret. Infernè per patulum uteri orificium menſtrua ſtatis temporum intervallis promanarunt. Matricem autem extra pudenda delapſam manibus noſtris aliquoties palpavimus, quæ tamen inverſa haut erat, ut oculis conſpici poſſet, ſed latens intra vaginam propendulam tractari potuit & comprehendi manibus. Illa ſurſum aliquando compulſa nativam ſedem cum ſaltu repetiit; aſt vaginam in priſtinum reſtituere locum non licuit. Tandem cum nihil remedii ſupereſſet, & alia atque alia mala imminerent, hanc amputare viſum eſt. Eventu autem ſpem non implente ægra mortem occubuit. Docuit poſt anatome uterum revera procidiſſe, vaginamque totam fuiſſe everſam. Adhæc, quod magis mirum & planè novum videtur, cum utero veſicam urinariam ſimiliter mutata ſede procubuiſſe annotavimus; ceu pluribus aliquando forſan denarrabit inclytus *Wepferus*, qui horum omnium nos voluit eſſe teſtes oculatos. Nec tamen rupta fuerunt uteri & veſicæ vincula, ſed tantùm laxata. Reſipiſcant ergo *Kerckringius*, *Roonhuſius* & *Meckeranus*, ſiquidem adhuc in vivis ſint, ſententiamque ſuam erroneam & pernicioſam moniti retractent. Cæteri demum quotquot hæc lecturi ſunt, & quorum iſta noviſſe intereſt, vel noſtro exemplo diſcant ſcrupuloſe ponderata omnia, ac ubique magnam adhibere diligentiam cautionemque, ne cum delinquant ipſi tum ſeducant incurioſè alios, aut ſeducantur. *D. Joh. Conradi Peyer.*

Mulieres Hydropycæ Uteri procidentiæ ſæpe obnoxiæ.

Alterum quod memorandum ſupra reſtabat; eſt, quod mulieres hydropicæ pleræque ſimul conquerantur de procidentia uteri. Inprimis duæ vetulæ ſummam inde patiebantur moleſtiam, ad mortem uſque. Eo ipſo dubium ſe offert ex recentiorum obſervatis, v. g. Barbetti in Praxi, &c. qui ſcribunt vulgò dictas uteri procidentias videri, non eſſe veras ut plurimum, ſed aut flatulentum vel aliud quid ſarcomati ſimile. Pro affirmativa verò, ut pauca hæc ſubjungam, verè nempe uterum procidere poſſe uti certiſſi-

mum aliàs eſt, ita notavi, poſt partum ipſum quandoque uteri ſe explicuiſſe globum & propendiſſe, quod nuperrimè in præfecti cujuſdam uxore accidit, cui fomentis calidis iterum reponebatur. Deinde in hydropica altera memorata vidi propendens uteri corpus, quantum ob vaſtiſſimam tumentis corporis molem licebat. Mitto obſervationes aliorum. Cum ergò à ſero illo copioſo intra abdomen præter naturam collecto neceſſario laxantur ligamenta uteri, videtur probabile eſſe, & laxari ab humore, & protudi à copia & pondere eundem poſſe, ſicque veram tunc dari poſſe in hydropicis procidentiam. Illud verò mirum eſt, quod in vicino pago æditui conjux, quotieſcunque concepit (contra morem aliàs affectus) procidentiam aliqualem uteri primis ingravidationis ſeptimanis experitur, hinc ſenſim is iterum contrahitur, & extra illum ſtatum nil tale patitur. *D. Thomæ Bartholini.*

Excreſcentia fungoſa Uterum prolapſum ſimulans.

Uterum, non tantùm ad pudoris uſque ſinum deſcendere, ſed & planè extra rimam ejus prolabi; & ſic majore modò, modò minore magnitudine foris propendere, adeò jam commune atque receptum eſt Practicorum dogma, ut vix unum offendas, qui de Mulierum morbis diſſerens, prolapſus ſeu procidentiæ uteri nullam fecerit mentionem. Imò ſi Divinum noſtrum *Coum* evolvamus, in ſcriptis quoque illius Affectus, iſtius haud obſcura offendemus veſtigia. Nam *lib. de Nat. Mul. cap. 5. pag. 564. & cap. 75. pag. 582. edit. Foës.* expreſſe uteri, extra pudenda prorſus prolapſi, atque velut Scrotum penduli, ſigna, cauſas atque curationem tradit. Quæ cuncta iiſdem verbis repetit *lib. 2. de Morb. Mul. cap. 38. pag. 655. & cap. 40. pag. 656.* Et *lib. de Sterilibus, ſeu iis, quæ Uterum non gerunt, cap. 28. pag. 687.* Ita quoque *lib. de Superfœt. cap. 26. verſ. 3. pag. 267.* quomodo Uterus crebrò excidens reponendus, & quali decocto priùs abluendus ſit, docet. Imò verba illa, quæ *lib. de Locis in Hom. cap. 59. verſ. 1. pag. 423.* de ſitu Uteri vitiato, breviter quidem, attamen nervosè ſatis, profert, dum inquit: *Uteri quocunque è ſede naturali moti fuerint, morbos afferunt, ſive foras proceſſerint, ſive intrò ceſſerint;* de Uteri cùm prolapſu, tum aſcenſu intelligenda eſſe, cur dubitemus? Sic igitur *Hippocratem*, Uterum extra pudenda prolabi poſſe ſtatuentem, ſecuti ſunt hactenus innumeri Medici. Et meritò quidem. Ipſa namque Experientia aſſenſum urget, dum Uterum p. n. extra abdomen penſilem apparuiſſe, diligentia atque intemerata fides Obſervatorum annotavit. Certè *Rouſſetus* de partu Cæſ. ſect. 4. cap. 5. & 6. Et *Caſp. Bauhinus* in Append. ad Rouſſ. Parte 4. plurima collegerunt Exempla. Quibus meritò addenda, quæ leguntur apud *Paræum* Lib. 23. c. 40. & 41. pag. 798. ſeq. *Joh. Gvvintherium* de Medic. Vet. & Nov. Comment. 1. Dial. 8. pag. 771. *Fernel.* Phyſiol. lib. 7. cap. 2. Op. Tom. 1. pag. 188. A. & Pathol. lib. 6. cap. 16. Tom. 2. p. 202. A. B. *Foreſt.* Obſervat. Med. lib. 28. Obſerv. 35. & 36. *Panarol.* Jatrol. Pentec. 1. Obſerv. 23. p. 15. a. *Thom. Barthol.* Hiſt. Anat. rar. Cent. 4. hiſt. 2. p. 215. *Poterium* obſerv. & Curat. Cent. 3. cap. 91. p. 290. *Paul. Barbette* Chir. Part. 1. c. 8. p. 36. *Petr. Eſtanoë* Obſerv. 11. annex. Obſ. River. p. 355. *Velſchium* Obſ. Med. Epiſagm. 77. p. 51. aliosque. Cæterùm, licet Uterum extra Pudenda revera procidere poſſe ſtatuam, non tamen nego, quod etiam ſæpè excreſcentiæ carneæ aliæque Uteri prolapſum ita mentiantur, ut & oculatiſſimis imponere poſſint. Talia namque exempla præter *Clar. Thom. Barthol.* Hiſt. Anat. rar. Cent. 2. Hiſt. 58. p. 274. referunt quoque peritiſſimi Chirurgi Belgæ *Henr. van Roonhuyſen* Obſerv. Chirurg. Part. 1. Obſ. 2. Et *Joh. van Meeckren* Obſ. Chirurg. cap. 51. p. 310. & ſeq. & in Append. c. 14. p. 491. Quibus haud abſimilis eſt ſequens hiſtoria, quam fide bona referam. Maria, Davidis Stils Scoti vidua; honeſta & pia, atque Temperamento Melancholico prædita, Anno Chriſti 1666. ætatis circiter 47. Viduitatis 8. dum in Nundinis, quæ poſt Feſtum Sanctorum Simonis & Judæ hic Thorunii celebrantur, rei ſuæ nimiam dat operam, & poſthabito Menſium fluxu, quo tùm ordinariè corripiebatur, merces ſuas emptoribus, ſe verò frigidiori aëri exponit, primùm quidem in Hypogaſtrio leves quoſdam ſentit dolores, quos tamen ab externo frigore obortos eſſe ipſa ſuſpicabatur. Dolores excepit exiguus in pudendo tumor, qui quotidiè creſcens, ægram eo adegit, ut medicatricem in conſilium vocaverit. Hæc ubi balneis atque inunctionibus ſuis, per aliquot ſeptimanas continuatis, fruſtra tractavit ægram, deſperata tandem cauſa, ut ſepoſito pudore Chirurgus conſulatur ſuaſit. Sic igitur die 13. Januarii Anno 1667. vocatus, Chirurgus *Antonius Stattlender*, offendit extra pudoris ſinum propendentem ſubſtantiam quandam ſphaceloſam, maximè fœtentem, & duos pugnos magnitudine ſuperantem. Unde Affectus raritate atque gravitate permotus, Medicum ſibi in ſubſidium dari petiit. Adjungitur ei ab Amicis Excellentiſſimus Senex *Dn D. Chriſtophorus Meiſnerus*, jam ἐν ἁγίοις. Quo cum, ubi die 14. Jan. viſitavit ægram abraſit de prominente ſphaceloſa ſubſtantia ultra libram, reliquum verò defenſivis munivit. Subſequenti die 15. Jan. Excellentiſſimum *Dn. D. Simonem Schultzium* & *Me* ad ſe invitavit Beatus *Meiſnerus*, atque comparentibus nobis nobis caſum in præſentia Chirurgi expoſuit, noſtramque ſententiam inquiſivit. Et quandoquidem *B. Meiſnerus* illud, quod extra pudendum propendebat, nil niſi excreſcentiam fungoſam, Chirurgus verò Uterum inverſum atque prolapſum eſſe contenderent, re pro & contra ventilata, ipſam placuit adire ægram, ipſumque affectum propriis luſtrare oculis. Omnes igitur ad ægram nos contulimus, ubi mox ſub hypocauſti ingreſſum moleſtiſſimus nos excepit fœtor. Ægram verò ipſam deprehendimus nimis debilem, attamen ſectionem omninò exoptantem. Detecta tandem parte affecta, in diverſas mox ivimus partes, ambigentes, quid ſphaceloſum illud eſſet quod extra pudoris ſinum conſpiciebatur. Nam *B. Meiſnerus* Uterum, ob ligamenta imprimis latiora, ita excidere poſſe pernegans, illud pro fungoſa habuit excreſcentia. Nos verò uterum inverſum propendere arbitrati ſumus. Neque nos ligamentorum uterinorum uſus de opinione noſtra dimovere potuit, cùm tantùm valeat in eorum conſtitutione naturali, non verò præternaturali, ubi aut rupta, aut ſaltem ob continuum humorum affluxum

nimis

nimis laxata ac reſoluta, officium ſuum minimè præſtare poſſunt. Prout etiam in aliis procidentiis, & inprimis oculi, contingere ſolet. Confirmarunt præterea ſententiam noſtram exempla, à *Rouſſeto, Bauhino* aliiſque ſuprà citatis annotata. Et tandem ipſe Chirurgus haud leve pondus addidit, ubi noſtro inſtinctu digitum intra ſinum immiſit, & undique ad latera colli Uterini cavitatem explorans, ubique ſibi obſtare ſubſtantiam membranoſam, retulit. Unde Uteri fundum inſtar ſacci inverſum propendere collegimus. Quandoquidem autem totum illud, quod propendebat, ſphacelo corruptum erat, ſepoſita illa controverſia in eo omnes conſenſimus, ut ſubſtantia illa ſphaceloſa, ſive uterus ſit, ſive non, quantocyus, & antequam vires omnino proſternantur, reſcindatur, ne partes adhuc ſinceræ inficiantur. Imprimis cùm ipſa ægra idem perpetuis efflagitaret precibus. Quare facto ad ſectionem debitò apparatu, & Chirurgo Johanne Kelnerô ad ferendas Antonio ſuppetias itidem vocato, injecit iſte vinculum parti ſanæ, non longè à veſicæ urinariæ orificio, per quod nullo negotio ſtylum in ipſam veſicam immiſit. Vinculo colligato, dum ægræ poſitus ſectioni adaptatur, iſta manus anxiè jactare, creberrimè expalleſcere, & ſudore circa frontem diffluere cœpit. Unde Leipothymiam inſtare colligentes, mutato conſilio ſectionem diſtulimus, veriti ne unà cum ſphaceloſa excreſcentia ipſam quoque auferamus animam. Relicto igitur vinculo, defenſivis partem affectam munivit Chirurgus, atque ex ordinatione Beati Meiſneri ægra diverſis uſa eſt corroborantibus. Nox ſubſecuta inquieta, propter dolores ab injecto vinculo excitatos. Die 16. Jan. ob ægræ imbecillitatem nihil tentatum. Die 17. Jan. cum viribus magis magiſque decreſcentibus, circa ligatam regionem magnos ſe pati dolores conquereretur ægra, & præterea prope vinculum macula appareret nigra; ægra quoque per tuſſim purulentam materiam ſatis copioſè rejiceret, ità ut eam Phthiſi ex ulcere Pulmonum contracta laborare nemo ambigeret, & Artis honori & noſtræ famæ conſulentes, ſectionem omnino differendam eſſe, uſque dum vitia Pulmonum emendentur, & vires reſtaurentur, decrevimus. Vinculum igitur ſolvere juſſimus, atque ut locum affectum debitè tractet, Chirurgum monuimus. Remoto vinculo ſanguis undique ſtillabat; & ſimul quoque dolores remittebant. Subſequentibus autem diebus quotidie plures particulas corruptas abſtulit Chirurgus, ita ut excreſcentia jam vix unum pugnum æquaret, & fœtor indies minueretur. Unde & nos ipſi quoque, cum abraſa tanta parte, nedum quidem adhuc in medio illius cavitas aliqua appareret, qualem tamen adeſſe debere credidimus, ſi de Utero prolapſo tanta quantitas fuiſſet ablata, non jam pro corpore uterino, ſed pro excreſcentia quadam fungoſa ac ſphaceloſa propendentem illam ſubſtantiam cum B. Meiſnero habuimus. Neque etiam aliud ipſe docuit eventus; cùm enim ægra Phthiſi conſumpta die 24. Martii animam Creatori ſuo reddidiſſet, abdomine reſerato, Uterus illius omni ex parte ſanus in pelvi, ceu debito & naturali ſuo loco, hæſit, nec licet propendens ſubſtantia variè traheretur, quicquam movebatur. Sphaceloſa autem illa ſubſtantia nil aliud fuit, niſi excreſcentia fungoſa, ex Uteri collo majori, & hujus antica parte, propè Veſicæ orificium enata. Verbo, Ipſa Uterini colli ſubſtantia rugoſa, ſpongioſa, à menſium & corruptorum humorum affluxu ampliata atque dilatata. *D. Segerus è Litt. Thorun. Vratisl. datis.*

De Procidentia uteri falsâ.

Magno *Socrati*, Philoſopho ſummo, imò & *Antonio Juliano*, Oratori Romano, ordinarium fuit, quoties de amoribus ſermo habendus, facie tectâ publico ſe exponere, eò quod quæ proponerent omnis reprehenſionis expertia neutiquam eſſe, ſatis conſtaret.

Quam ergo pœnam non incurret ille, qui naturæ arvum, amoris omnis pudoriſque fontem, perarare tentat, eum imprimis in finem, ut ſententiæ Antiquorum quæ uterum muliebrem non tantum extra corpus prolabi, ſed & in totum auferri poſſe docet, falſitas declaretur, præſtare multis forſan videbitur ab incepto deſiſtere, quam Clariſſimorum Virorum turbæ adeò inſigni procidentiæ extirpationivè uterinæ poſſibilitatem probanti, ſeſe opponere.

At verò non eſt quod me deterreant hæc ſimiliaque, quin contra animoſus, anatomico experientiæ cultro armatus, quæ in deſtructionem figmenti dicti adferri poterunt, proponere aggrediar:

Amicus Socrates, amicus Plato,
Sed magis amica veritas.

E re ſtudioſorum erit, Authorum variorum, qui vel per negligentiam vel per occupationes varias, uterum non ſolùm extra corpus procidere, ſed & à Chirurgo auferri ſine damno poſſe, docuerunt, ſententias diverſas, antequam quæ nobis obvenere exhibeamus, proponere.

Aëtius à Midena lib. 16. de re medicâ cap. 78. Uterum ad magnitudinem ovi ſtruthiocameli extra corpus procidere poſſe, tradit.

Majoris extenſionis aliis habetur, quorum etiam variis cauſam procidentiæ, addere placet, vociferationem nempè, fœcum alvinarum excretionem moleſtam, caſum, percuſſionem ad femora, coïtum indecentem, partum graviorem; videri poſſunt quæ hâc de re habet *Felix Platerus de part. procid. cap. 2.*

Ariſtoteles lib. 7. cap. 2. Uterinæ procidentiæ cauſam venereum appetitum excedentem dicit, eamque curari minimè poſſe niſi graviditione.

Hier. Fabr. ab Aquapend. operat. Chirurg. part. 1. cap. 86. quid agendum ſit docere ſtudet, quoties ob ligamentorum, vel laxitatem, vel ſeparationem uterus extra corpus prolapſus.

Felix Platerus cap. 2. de part. procid. Mulierem cui uterus prolapſus concipere, imò etiam fœtum ipſum circumgeſtare poſſe, ſcribit.

Vopiſcus Fortun. Plempius Anatom. Cabrolii c. 34. Uterum ad capitis magnitudinem procidere poſſe ſcribit, eumque incuriâ quadam putrefactum exſtirpari ſine incommodo, ſic ut etiam eo ablato concipere queat mulier.

Paulus Ægineta de arte med. lib.3. cap.72. Vivam pronunciat mulierem, cui uterus abſciſſus.

Du Laurens lib.7. de part. gener. cap 11. Æginetæ ſententiam amplectitur, omnia bona promittens mulieri cui uterus ablatus.

Nec utero ſolo ſed & renibus ſine damno carere poſſe hominem *Theoph. Paracelſus Paramir. lib 4. de orig. morb. matric.* ſcribit.

Jacobus Berengarius in Mag. anat. Langius Epiſt. 39. *Tom.* 2. *Mercurial. lib* 4. *genæc.* 21. & *Ludov. Duretus in Holler. cap* 57. *de morb. partic.* Uterum muliebrem exſtirpaſſe ſe memorant ſine ullo metu, ſine ullo vitæ periculo.

Regius Medicus *Fernelius* vidiſſe ſe refert parturientem quandam, cui uterus cum fœtu incluſo ſine ullo vitæ diſpendio ablatus; ipſe licet *anatom cap.*7. uterum firmiter ſatis nexum referat non ſolum veſicæ urinariæ & inteſtino recto fibrillarum ſubtilium ope,ſed & oſſibus illum beneficio ligamentorum validorum.

Plinius & *Sordanus* uterum muliebrem auferri ſine periculo poſſe exemplo porcorum probare nituntur, quibus, ut delicatiorem eſcam præbeant, uterus auferri ſolet.

Paræus Conſiliarius regius lib 23. *cap* 41. mentionem facit mulieris 30. annorum cui ablatus uterus.

Paræo aſſenſum præbet *Franciſcus Rouſetus de partu Cæſareo ſect.* 4. *cap.*5. & 6. Uterque in ſententiæ ſuæ probationem adferunt quod in diſſectis cadaveribus pelvim quo loco uterus detinetur induratam obſervaverint.

Fabulis magis annumerari merentur quæ de uteri exſtirpatione agentes *Avenſ ar lib.*2. *cap.*2. *Anton. Beniven. de abdit. morbor. cauſ. cap.*11. *Wierius, Zacut. Luſitanus, Fel. Platerus,* & plures alii, adferre voluerunt, mulieres nempe quibus uterus corruptus abſciſſus, non ſolùm ſuperſtites permanſiſſe, ſed & liberos procreaſſe.

Hildanus è contra ex ore Medici *Henrici Stapedii*, in reſponſione ad caſum de uteri Ruptura à *Dom. Michaële Doringio*, Medico propoſitum, exemplum adducit mulieris ab exſtirpatione uteri inordinatâ ſubitò exſtinctæ.

Thomas Bartholinus cent. 2. *hiſtor.* 91. hiſtoriam proponit à *Clar. Motthio* Medico communicatam, qua in nobili quadam, ab obſtetrice ſecundinas auferre laborante, uterum, & cum eo vitam ipſam ablatam narrat. *Nobiliſſima*, inquit *Matrona Coloniæ Holſatorum* 15. ante filiorum mater, fœtum vivum, quem 40. hebdomadibus commode ſatis geſtaverat, ſemihoræ labore, ſine ulla moleſtia fæliciter 1642. excluſit remanentibus tamen more hujus puerperæ ſecundinis, quas cum obſtetrix, ut ſolita fuerat, ſolvere & extrahere conatur, unà cum ſecundinis uterum, quamquam inſcia, extraxit. Inter operandum puerperæ ſciſcitanti quomodo negocium ſuccederet, reſpondit: ſecundinam ſe quidem habere, ſed ſubſequi carnis partem ſibi incognitam. Adſtantes fœminæ, molam eſſe credentes, ſibique ſæpe id eveniſſe, obſtetricem ad extrahendam carnem exſtimulant, quæ omnia, etiam validiore manu, irrito conatu, & renitente carne, juſſa exequitur. Advocatus *Dom. Motthius*, ſine voce, nutu, & pulſu puerperam invenit, mortuamque vere pronunciat; occupatâ deinde obſtetricis ſede, immiſſaque ſub lecti ſtragulis manu, ipſum uterum integrum, marſupii inſtar propendentem, & ab utroque latere perforatum obſtetricis digito deprehendit, adſtantibuſque monſtravit, verè tunc mortuam ſero credentibus.

*Idem cent.*1. *hiſt.*97. carnoſæ excreſcentiæ, in utero ex caſu obortæ, libras quatuor cum media pendentis, mulieri lethalis, meminit.

Locum natura utero & amplum, & tutum conceſſit, inter veſicam urinariam, & inteſtinum rectum, quæ hic duplicis pulvinaris vices ſubeunt. Medius hic eſt quo in æquilibrio ſervetur corpus.

Componitur quoad ſtructuram ex tunicis, venis, arteriis, nervis, & ligamentis.

Tunicæ hic duæ, interna una, altera externa.

Hæc originem ſumit à peritonæo, illa carnoſa eſt magis quam ulla membranarum infimi ventris. Fibrarum triplici conſtat ordine, quarum ope attractio, retentio, & expulſio perficiuntur, craſſities harum tunicarum increſcit decreſcitque pro diverſitate ætatis, temporis, menſtruationis & gravidationis.

Venæ duplicis conditionis ſunt, utroque latere una, ſuperiores quædam, quædam inferiores. Superiores à ſpermaticis procedunt antequam Teſtes accedunt, uterinumque fundum & collum pererrant. Eadem ratio arteriarum. Inferiores venæ, ſimiliter ac arteriæ ab Hypogaſtricis deveniunt.

Nervi non ſolum à ſexto pari nervorum cerebri deveniunt, ſed & ex ſpinali medullâ quæ oſſe ſacro detinetur.

Ligamentorum, quorum ope & vicinis partibus nectitur uterus, & in ſuo ſitu conſervatur, duo ſunt paria, horum duo ſuperiora ſunt, duo inferiora.

Superiora continuationes atque appendices ſunt peritonæi, cornibus ſeu *Tubis Fallopianis* connexa. Inferiora tertia ſunt, validaque nervoſa, intus excavata, hæc ex latere fundi uterini deſcendentia, ubi circa inguina tendines muſculorum obliquorum abdominis attigerunt, eos perforant, mox varias in partes diviſa, una earum, quæ breviſſima, circa Clitoridem os pubis accedit, alterâ longiſſimâ, membranam adipoſam, cum quâ non ſolum femoris magnam partem adit, ſed &, ſi fides habend. *Riolano, ſect.*1. *ana, cap* 32. ad extremam pedis excurrit.

Ligamentis hiſce imputari debent varia, eaque magno numero, mulieribus obvenientia, Tumores nempè inguinales, ſtupor pedum, dolor femorum, plantarumque pedum, articulorum circa pedem extremum, collique veſicæ urinariæ, juxtor imò reſolutio univerſalis partium corporis totius ſuperiorum æque ac inferiorum.

Propoſita quibus haud ſufficiunt, adeant ſcripta anatomica quæ exhibuerunt *Johannes Riolanus, Johannes Veſlingius,* & *Thomas Bartholinus*, quam arctè vaſa ſpermatica, ligamenta, membranæque utero uniantur, imò uterus ipſe peritonæo, veſicis ſeminariis, inteſtino recto, tunicæ oſſis innominati interiorem ſuperficiem inveſtienti, præter varias partes alias, ſenſiles, inſenſileſque, quantum ſatis erit declarabunt. Ut adeò cum *Riolano* partem uterum neceſſariam pronunciare teneamus, ſimiliter ac Teſticulos, attamen minimè diviſibilem.

Partium enumeratarum ſtructuram, connexionemque legitimè perpendens, quis non videat, quem

quem facillimum ſit gravidas, imò ſæpius etiam non gravidas, vitio quodam ſuperveniente, gravia eaque plurima moleſtare ſymptomata, huc dolores intolerabiles, febres graviſſimæ, aliaque, imò mors ſæpius ipſa, quæ, ubi abortivorum excluſio indebita mulierem affligere ſolent.

Ulterius quod ſi procedamus, quæ non malorum caterva ſeſe offert quoties in mulieribus etiam non gravidis menſtruorum excretio ſupprimitur? fluor albus hic occurrit, palpitatio cordis, febres erraticæ, deliria gravia, nauſea continua, pica, chloroſis, & centum alia, quorum cauſa uterus, ut adeò haud inconvenienter uterus *Hippocrati lib. de locis in homine* 59. omnium malorum, quæcunque mulieribus obvenire ſolent, cauſa dicatur.

Rebus ſic ſe habentibus tanto inter uterum parteſque alias exiſtente conſenſu, tanta connexione, quis Chirurgorum exſtirpationi ejus admoveret manum, quis, qui ſymptomatum ipſius diſpoſitioni pravæ ſupervenientium ullam rationem habet?

At non ſine ratione hîc aliquis in naturam ejus, quod veteres, imò & recentiorum plurimi, uterum prolapſum appellarunt, quod reſtituiſſe, imò ſæpius abſtuliſſe ſine ullo damno referunt, inquiret. Vix enim ſcriptorum ullus occurrit qui non de affectibus mulierum agens Procidentiæ uterinæ mentionem faciat, cauſas ejus exponat, imò & curationem proponat.

Sunt etiam qui, procidentiæ hujus differentias exhibentes; ad genua ipſa corpus hoc, quod uterus habetur, prolabi poſſe tradunt.

Quod ſi ſcriptores hi illud laboris ſumerent, ut ligamentorum uteri aliformium ſtructuram examinarent, firmum id adeò, firmiterque vicinis connexum reperient, ut impoſſibile ſit ſeparationem hîc ullam dari, niſi quæ cultri acie peragitur, ſic ut nullo pondere extrorſum moveri queat.

Caſus nonnullos rariores, qui vel nobis ipſis occurrerunt, vel Medicis Chirurgiſvè aliis, primò hîc proponere neceſſarium utilevè ducimus, antequam ad rem ipſam deveniamus, quidque de uterinâ procidentia, de qua tam multa ſcripſerunt varii, ſtatuendum ſit, declaramus.

Primo loco conſideratione noſtrâ omniumque qui in hac re informari deſiderant, dignum eſt quod in gratiam artis Chirurgicæ cultorum his verbis *Cent. 2. hiſt.* 58. proponit *Thomas Bartholinus. Vidi*, inquit *Vir Celeberrimus in Noſocomio Patavino* 1641. Diſſectam mulierem, quæ prolapſum uteri à partu difficili antè 10. annos paſſa credebatur. Narravit ſe in prato cubantem obſervaſſe deſcendere uterum, gramenque venari. Ex illo tempore indies crevit ob affluxum ſanguinis, ut diſtentus nigerque in putredinem degeneraverit. Judicabat Chirurgicas operationes nobis demonſtrans P. Marchettus, non eſſe uteri procidentiam, ſed excreſcentiam aliquam in vaginâ uteri, adeoque abſcindendam. Alter Noſodochii Chirurgus familiaris pro uteri ſtetit procidentiâ, cum excreſcentia ſubitum ortum, incrementumque habere non poſſit. Mulier interim ſecari volens, inter ambigua conſilia ad mortem properavit. In aperto cadavere, ſatis trunco obæſo, ſed artubus emaciatis, uterum ſuo loco ſanum beneque conſtitutum vidimus, excreſcentiam verò ex uteri vaginâ dilaceratâ pendulam, cum labiis pudendi, ex lue venereâ forſan inflammatis.

Accedit caſus priori ferè ſimilis, quem & nobis & publico communicare placuit Medico hujus loci experientiſſimo *Dn. Franciſco van der Schagen*, quo quæ omni tempore ſibi perſuaſerat, nunquam ſcilicet uterum verum profunde adeo extra corpus prolabi poſſe, uti quidem veterum recentiorumque crediderunt plurimi, nec ullo tempore exſtirpatum eum fuiſſe ſicut in vivis non ſolùm permanſerit mulier, verùm etiam prolifera; quin potius ablatum fuiſſe aliquod partibus genitalibus, extra uterum; adhærens, vera eſſe obſervaſſe ſe teſtabatur. Verba quibus caſum hunc proponere placuit hæc erant.

Ante annos aliquot cadaver aperui mulieris alicujus conſiſtentis ætatis, hydrope imi ventris extinctæ, quod jam à longo tempore uteri procidentiâ laboraſſet, omittere haud potui quin in veram ejus conſtitutionem inquirerem, diſſecto proinde abdomine, inteſtinis ad latera inclinatis, uterum non ſolum quoad externa legitimè ſe habentem reperi, ſed & loco debito collocatum; at quod pudendi labiis continebatur, pro utero prolapſo ſemper habitum, nil niſi vaginæ ſeu colli uterini partem eo extenſam notavi, quale quid dum laxantur tunicæ, facile contingere poſſe quivis concedet.

Placet jam exſtirpatum uterum oculis Lectoris curioſi exponere, quo figmentis circa ejus procidentiam, abſciſſionemque à variis propoſitis, fidem ulterius dare deſinat.

Anno 1659. die nativitatis Chriſti, quo & conſilio, & opera inſerviremus Chirurgo hujus Reipubl. celebri *Henrico Roonhuiſen*, cum *Clariſſimis, Experientiſſimiſque Viris Dr. Dn. Arnoldo Tholinx, Guiljelmo Piſone, Mathæo Slado, Medicis, Dn. Georgio van Loon, Chirurgo*, mulierem acceſſimus 35. annorum, cujus pudendis unitum corpus inſigne, ponderoſum, fœtidumque, collo tenui deorſum extenſum uterus hoc habebatur omnibus ad pedes prolapſus; in quâ etiam ſententia perſiſtere placuit variis, poſtquam exſtirpatum, maximè quod uteri cornua, vaſa cœca, cum Teſticulis in eo obſervaſſe ſe ſibi perſuaderent, cui tamen nobiſcum alii ſe opponebant, eò quod, ſiquidem poſſibilis eſſet uteri procidentia, partes dictæ exterius haud forent conſpicuæ; ſed in inverſo continerentur utero; hac ratione fore addebatur, ut ſimiles omninò evaderemus Medicis Chirurgiſve regiis *Dn. Gaudin, la Fuere Paræo, & Jacobo Guillelmeau*, qui in utero prolapſo alicujus mulieris, nondum abſciſſo, & Teſticulum, & abortivi fœtus tunicam corruptam notarunt. Vide *Paræum lib.* 24. *cap.* 48.

Diebus aliquot elapſis, quid de enarratâ, peractâque, quæ dubios nos valdè fecerat, controverſiiſque variis anſam dederat, ſtatuendum, conſtitit: ſanam enim obſervabamus mulierem, menſtrua ex debito fluere, imò graviditatis ſigna quædam occurrere; plura huc facientia ſcire qui deſiderat *obſervationem ſecundam Partis primæ Dn. Rodenhuyſen* conſulere poterit.

Hiſtoriis enarratis noſtram jungere ordinis ratio exigit, exhibebit ea non ſolum in vivente

muliere procidentiam imaginariam, Chirurgica manu ablatam, ſed & in cadavere diſſecto, quid ejus nomine veniſſet iis, qui ante mortem inſpexerant, corpus extra pudenda propendens.

Mulier 53. annorum *Pariint je Roosa* jam à longo tempore fluxu menſtruali, primo ſanguineo, hinc albo laboraverat, unde imaginariam contraxerat uteri procidentiam cum febre intenſâ, virium deſtructione, corporiſque extabeſcentiâ ſummâ; Corpus hoc prolapſum inſignis erat magnitudinis, jam gangrænâ correptum, pondere ſuo valdè moleſtum, eam nobiſcum viſitarunt *Dn. Jacobus Vallan Birrius, Bouvvmeeſter, Tobias Andreæ Medici,* & *Jacobus Odendaal,* Chirurgus.

Re inſpecta, arduum multis videbatur, & non niſi cum vitæ interitu perfici poſſe, uterum ita prolapſum exſtirpare haud enim induci poterant, uteri hoc minimè corpus eſſe credere, cujus cum corde, hepate, cerebro maximus conſenſus, quo etiam mulierem deſtitui poſſe impoſſibile.

Urgebant alii exſtirpationem, ex eo quod & veterum & recentiorum ſcripta, actaque eam poſſibilem haberent, ſæpiuſque ſine ullo ſanitatis diſpendio peractam teſtarentur.

Probabilius nobis videbatur, cui etiam ſententiæ non unus accedebat, corpus dictum, inſigniter adeò tumidum, fœtidum, pondereque ſummo moleſtum, extra pudenda muliebria ad pedum genua dependens, ipſius uteri corpus haud eſſe, ſed ſolam ejus tunicam internam, dum in ſtatu ſano reliquis unitur, variis modis rugoſam, extra pudenda, plicis variis ſolutis, ipſaque à ſubjecta tunica mediâ ſeparatâ, prolapſam. Tunicæ hujus procidentiæ occaſionem primam dediſſe ſuſpicabamur humorum impuriorum, acriumvè fluxum diuturnum, undè vaſorum ſanguineorum tunicam eam accedentium corroſio, eamque inſequens ſanguinis extravaſatio, atque loco præternaturali collectio, imò ob humorum copiam expreſſione, laxitatevè vaginalis hujus tunicæ ad exteriora protruſio.

Mulier pondus dictum circumgeſtare coacta, fœtorem ſummum diutius perferre nequiens, exſtirpationem urgebat quam maximè. Arduum ſane omnibus habebatur eam inſtituere, nec tamen occaſionem oblatam, quæ fronte capillata, poſthæc calva, negligere licuit, ſic enim conſtare poſſe credebamus, quid veritatis falſitatiſvè inſit decantatæ antiquorum, recentiorumque variorum ſententiæ, qua uterum muliebrem extra corpus procidere, imò ſine ullo vitæ graviditatiſque inſecuturæ diſpendio auferri poſſe docetur.

Conſultatione debitâ inſtitutâ, opus magnum, non ſine mortis prognoſi, aggredi conſtitutum. Operationis hæc fuit methodus. Primò ligaturâ arctâ faſciæ firmioris ope inſtitutâ collum corporis dicti coarctabatur, mox intra ligaturam & corpus prolapſum, cultri acutioris operâ, inſtituebatur abſciſſio. Faſciæ ad colli conſtrictionem adhibitæ portio notabilis relinquebantur, ad id, ut, ſiquidem è vivis diſcederet ægrotans, & nobis cadaver diſſecandi occaſio concederetur, ejus ductu in partis amputatæ radicem deduceremur. Exſtirpatione peractâ ſanguinis fluxus nullus obſervabatur, ad quem tamen ſtypticum aliquod loco vulnerato applicabatur, licet in totum eum attingere haud concederetur, propterea, quod illico, abſciſſione peractâ introrſum duceretur pars ea cui faſcia injecta.

In diem uſque quartum omnia bene ſe habebant, at circa ſextum, ſeptimumvè vires valdè imminuebantur, febris contra & animi deliquia augebantur, ſic quidem ut brevi Deo animam nobis corpus exhibere cogeretur.

Ad anatomen ejus admiſſi, ventris imi integumentis diſſectis, uteri examen inſtituere primarium duximus, hîc enim quid de uteri prolapſu, prolapſique exſtirpatione, ſtatuendum, clarè conſtare poſſe credebamus.

Quoad externa nihil in eo obſervare nobis licuit quod conſtitutioni morboſæ annumerari queat, nihil hîc deficiebat, non ſolùm in utero ipſo; ſed & vicinis partibus generationi dicatis; Coloris erat albicantis, pyri complanati Figuram habens.

Hiſce ſic perſpectis, oſſiumque pubis diviſione, eo loco ubi cartilago interpoſita ea jungit, peracta, uteri totum corpus, cum partibus annexis, qua fieri potuit dexteritate, à partibus vicinis quibus connectebatur, ſeparavimus ſeparatumque convenienter tabulæ impoſuimus.

Hic quoties faſcia extra pudendum pendula, corporis abſciſſi radici adhuc alligata movebatur nullo modo movebatur uterus; cogebamur adeoque vaginam uterinam ſecundum longitudinem corporis diſſecare, quo, cuinam parti alligata eſſet faſcia dicta, quidque fuiſſet illud quod exſtirpatum, conſtaret. Apertione facta faſciæ ductum ſecuti deveniebamus ad mali principium, portionem nempè tunicæ internæ rugoſæ, vaginam præter alias conſtituentis, poſt oblationem portionis reliquæ, quæ laxitatis nimiæ culpâ extra pudendum prociderat, in utero relictæ, cui ſtrictè admodum faſcia erat juncta. Terminus hic orificio uteri interno vicinus valdè.

Quis ergò non videt, veteres hæc omnia neceſſario latuiſſe, quod in rei veritatem, qua decebat curioſitate; haud inquiſiverint; Procidentias uterinas quas obſervaſſe ſe, imò exſtirpaſſe referunt, ſic tamen ut ſana permanſerit ægra, ſatiſque fœcunda quomodo veras, fuiſſe probabunt? Sane multa cerebro noſtro fingimus, quorum falſitatem diſſectiones cadaverum evidentiſſimè patefaciunt. Ut in variis caſibus aliis, ita in hoc propoſito verum id obſervare licuit. Vanam eſſe procidentiam uteri perfectam, adeoque impoſſibile omninò mulieri uterum totum auferre, integra manente vita, ſalvaque conceptione.

Obſervatio hæc, præter alia à nobis hoc capite propoſita, planè ſatis edocere Chirurgum juniorem poterunt, quænam agenda quoties, ex affluxu imprimis humorum, vaginæ dicta tunica interior, laxior, juſto reddita, hinc extenſa procidentiam noſtræ ſimilem, ſpuriam omninò, producere notatur; nihil eſt quod hîc exſtirpationem impedire queat, modò vires ægrotantis eam permiſerint, inſiſtere hîc licet tuto veſtigiis Medicorum Chirurgorumque eorum, veterum æque ac modernorum, qui procidentias

cidentia in uteri auferri poſſe ſine damno volunt, imo loquæ illi toti utero applicarunt, nos tunicæ ejus rugoſæ tribuamus, abſtulerunt fateor antiquiores uterum prolapſum, aſt non niſi imaginarium, nil enim niſi tunicam dictam exſtirparunt, quod facillimum, imò nullius periculi opus; quam etiam operationem aggredi tenetur Chirurgus, ſiquidem inflammationes, gangrænæ, exulcerationeſque graviores, acceſſerint, imò ægrotanti difficillimum, partem prolapſam protuberantem intra vaginam detinere. Peſſaria equidem in tali caſu uſurpari, imò uſurpari poſſe, probè ſcio, aſt cum cera liquefacta denudetur facilè lignum, quod ea incruſtatum, non poteſt fieri quin vaſa ſanguinea uterina, ob corporis motum agitato ligno, aperiantur, undè ſanguinis fluxio continua (quæ menſtruatio immodica vocari conſuevit) cum virium deſtructione, corporiſque extabeſcentia.

Adeſdum itaque Chirurgicæ artis cultor, quænam uteri procidentia inChirurgia occurrat percepiſti; quomodo per extirpationem auferri queat ſine periculo, quidque antiquorum dogmata in hoc negotio fidei mereantur, vel ſaltem qua methodo errores eorum tegere liceat, procidentia talis quoties offertur alacri animo extirpationem aggredere, facilis æque eſt curationis ac vitia corporis varia alia, ſola hîc ut percepiſti tunica vaginæ rugoſa extrorſum protruſa tollitur, minimè uterus ipſe. Non ita pridem ſimilis conditionis Uterum prolapſum ægrotanti valdè moleſtum minoris licet extenſionis, auferre mihi licuit, bono cum ſucceſſu. Quod ſi occaſione data prolapſum ejuſmodi uterum tollere concedatur, intrepido id perficere animo allabores quæſo, ſic enim ægrotanti ſalus, antiquitati errorum correctio, recentioribus veritatis indagatio adfertur.

Hiſtoriæ huic antequam finem imponamus, utile quam maximè videtur, qua methodo exſtirpatio dicta perfici queat, imò debeat, paucis declarare; inſtrumenta ad operationem hanc neceſſaria exiguo numero comprehendi poſſunt, ſunt ea cultellus falcatus acutus, faſcia, medicamentum ſtypticum, ligamenta circa extrema diviſa, ex linteo molli antiquo parata, ſimilia iis quibus lythotomus uti ſolet.

Ægrotanti menſæ incumbenti ligamentum hoc primo omnium applicetur, facto circa ventris anteriora nodo, hinc faſcia injiciatur collo corporis prolapſi fiat conſtrictio arctiſſima loco vaginæ proximo; hoc facto, ſiniſtra manu, quo fieri poterit robore, corpus prolapſum attrahatur, dextra cultro dicto armata loco inter collum conſtrictum & partem reliquam prolapſam intermedio, aufeŕatur. Exſtirpatione dicto modo peracta, loco vulnerato, ad quem facile manum Chirurgi ducet faſcia eidem adhuc nexa; pulvis ſeq. ſtypticus cum albumine ovorum applicetur, ſpleniiſque debitis impoſitis deligatio conveniens inſtituatur, ad quam ligamenti primo loco ventri ægrotantis applicati extremitates conveniunt. Medicamentum ſtypticum, quod delicatula valdè ſit vagina ſeq. modo conficietur.

♃. Farin. Conſol. maj. ℥ij. Cortic. querc. ſubt. pulv. ℥ij. Nuc. Gallar. ʒ iij. Cupreſſ. Bauſt. Sang. Dracon. Boli Armen. ver. Lapid. Hæmatit. an. ʒij. Alum. uſt. F. Pulvis

Die ſeq. injectio poteſt fieri ex infra ſcripto, bis quovis die ad tollendum dolorem.

♃. Fol Malv. Verbaſci. Alchimill. an. M. j. Caudæ equin. Plantag. an. M. ß. Flor. Roſar. Rubr. ℈ ij. Sem. Lini. ʒiij. Maſtich. Oliban. an. ʒij. Coq. in aq. pura, F. Colat. ad ℥xx. in ea diſſolve Mell. Roſ. ℥ i ß. F. Injectio.

Die uno alterove his medicamentis conſumpto, ad majorem mundificationem ſeq. injectio uſurpari poteſt.

♃. Rad. Conſol. major. ℥j. Fol. Ruthæ. Scordii. Hyſop. Artemiſ. Flor. Roſar. Rubr. an. M. ß. Summ. Abſinth. ℈ij. Coq. ſ. a. in vino Gallico, Colat. adde Liquor. Ægypt. ʒß. Mell. Roſac. ℥ i ß. Ung. de Apio ℥ i ß. M. F. Injectio.

Ad aliquot dies injectio hæc uſurpari poteſt quod ſi pus, albicantis coloris, minori copia, quàm antea ſe exhibuerit, ſeq. injectio ad exſiccationem majorem conſolidationemque priori miſceri poteſt.

♃. Tut. Præpar. Lap. Calamin. præp. an. ʒiß. Sief. Alb. Rhaſ. ʒj. Balſ. Sulph. ℈j. M.

Et brevi tempore ſine omni dubiò curatio abſoluta. *Jobus à Meekeren in Obſervationibus Anatomico Medicis.*

De vera totius uteri procidentia.

Quanquam plurimi ſcriptores, ac inter eos recentiores multi (quales ſunt *Theodor. Kerkringius Roonhuſius* & *Mekeranus*, aliique) negent totam vulvam procidere, ipſe tamen cum ſæpiùs memoratis fratre meo, ac Clariſſ. *Solingio* Medicis, poſt debitam inquiſitionem comperi, *Martinæ* cuidam *Motyn* non vaginam tantùm, ſed & ipſum procidiſſe uterum, qui durus admodum, ac duorum pugnorum inſtar conjunctorum reperiebatur. Internum etiam matricis os quàm facillimè ſentire poteramus, quod extrinſecus tanquam os Cyprini (Carpam vulgò dicimus) nobis apparebat. *Addit idem, in ejuſdem Obſervationis ſcholio.* Retulit mihi nuper Nobiliſſ. Dom. Ægidius *Eutich. Saxoniæ Ducis Archiater* ſe ann. 1683. die Octobris 16. hic Hagæ ad Matronam I. D. V. 19. annos habentem ocyſſimè fuiſſe vocatum; quæ ex Carpenti, ſeu Eſſedi ſaltu præcipiti abortum difficilem, & violentum non ſine uteri prolapſu paſſa erat. Quem ipſe, Obſtetrixque, nec non Matronæ Mater, aliæque conſpexerint; Suaſi itaque ut appropriatis adſtringentibus in vino coctis foveretur, oleoſiſque intruderetur uterus, atque ipſa elato tranquillè cubaret podice, brodiaque analeptica per epicraſim ſumeret. Atque ita quidem intra unius menſis intervallum priſtinæ reſtituta eſt ſanitati, quotannis ſine ullo parturiens incommodo. Quòd ſi illa quidem ætate fuiſſet provecta, res hæc non tam fælicem, opinor, habuiſſet exitum. *Cornelius Stalpartius van der Wil in Obſervationibus Chirurgicis rarioribus.*

Ipſe cum Chirurgo Medicoque *Cornelio Solingio* hic Hagæ ann. 1675. 14. Aprilis ad M. J. Uxorem vocatus fui, quæ pridie robuſtum ediderat partum, cujuſque è corpore ignorantia obſtetricis ſecundarum loco uterus eductus

erat, quem inſtar inverſæ manicæ, interioribus partibus exterioribus redditis, inter femora propendentem invenimus, infantis minoris caput æquantem magnitudine: Dictam quoque puerperam poſt dimidiam à partu horam deceſſiſſe intelleximus. Altera autem paulò poſt accedens obſtetrix ſecundas cum funiculo umbilicali ab inverſo utero, cui etiamnum affigebantur, ſeparavit. Nos autem inverſum hoc corpus bene perſpectum, facto in fundo foramine, in ſuum reduximus locum, atque tum illico per dictum foramen ipſa ſenſimus inteſtina. *Idem ibid.*

De uteri ruptura.

Cùm *Jonæ Pergo* filia jam quater peperiſſet, nec ſine maximo dolore atque incommodo ſingulis vicibus edidiſſet partus, quintò uterum ferens haud minoribus agitata cruciatibus, ac ſatis diu antequam pareret vehementius longè, quàm quidem præcedenti tempore infeſtata fuit uſque ad tertiam ante partum diem, ab hoc enim tempore multum ſibi obveniſſe levaminis fatebatur. At, cùm jam ipſe inſtaret pariendi actus, nullo modo emittere obſtetricis ope valuit fœtum, qui jàm ante dies aliquot extinctus videbatur (uti poſtea ex mutatione, ac ſeparatione cutis illius ſatis liquebat) quique flexis poſt cervicem manibus, atque ore oblique ſurſum ad os pubis elevato reperiebatur: ita ut varia, ac gravia admodum, jam parturienti ſenſim magis, magiſque ſupervenirent ſymptomata; videlicet non deliquium tantum, oppreſſio, horror, ac febris, ſed & plurimarum obſcurè viridium fæcum vomitu rejectio, quoniam fœtus inteſtinum rectum, cui proximus erat, ita premebat, ut excrementis per inferiora negaretur tranſitus. Ad hanc mulierem tantis preſſam anguſtiis, nec parere valentem arceſſitus tandem mecum fuit experientiſſ. Chirurgus Cornel. Solingius, nunc etiam Medicus, qui, me præſente, brevi poſtea jam mortuum eduxit fœtum. Quo facto, quia non ita facilè educere ſecundas poterat Chirurgus, in ipſius mulieris corpus immittere manum. quam funiculus ducebat, cœpit: tum verò inteſtini prius, quam uteri placentam ſenſit. Hanc verò illico poſtea reperiens, tribus partibus propendentem ſenſit in abdomine, extra uterum, quem, quoniam jam ante aliquot dies fœtum emiſerat, pro maxima parte, durè admodum compactum, atque in ſe contractum comperit, ita ut initio ſcirrhum crederet. Ille itaque porrò ſecundam, ubi etiamnum adhærebat, ab utero ſeparavit, cartilaginemque cujus ope pubis oſſa conjunguntur, omnino mollem evaſiſſe, ac dicta oſſa ad digiti latitudinem à ſe invicem receſſiſſe haud dubiè paulatim diducta ſenſit. Ipſa autem mulier tantis victa laboribus, angoribuſque eodem die vivere deſiit. Poſtridie autem, me, fratreque *Joh. Stalpartio van der Wiel* præſentibus, illius cadaver à dicto *Solingio* fuit apertum. Tum verò venter ante diſſectionem mirum in modum extenſus, ac protuberans apparuit; illa autem facta, ex magno iſto tumore nihil à nobis effluere animadverſum eſt, præter fœtentem flatuum copiam, nec non parum coagulati bonique coloris ſanguinis, qui ex cotyledonibus, aut multò magis ex uteri vaſorum oſtiolis, quo tempore ab eo avelleretur placenta, illuc deſtuxerat. Poſtea dictus *Solingius* manum ab exteriore parte per vulvam in cadaver immiſit, atque iterum tum inteſtina, recedentemque ſupra os pubis uterum reperit, cujus partem inferiorem paulò ſupra internum os verſus poſteriora (quo ſc. loco communis membrana à peritonæo proveniens inteſtinum rectum ſimul cum utero cingit, veſtitque) ruptam invenit, per quam aperturam totus fœtus, exceptis capite, brachiiſque, ut modò dictum, poſt cervicem flexis, in matris ventrem tranſierat. Atque hæc quidem cauſa eſt, quòd idem, ampliori ſpatio reperto, levamen aliquod matri, ut ſuprà narratum, paucis ante partum diebus attulerit. *Idem ibidem.*

Uteri procidentia falſa.

Cùm ann. 1667. ad nautæ cujuſdam uxorem Hagam inter ac Delphos habitantem fuiſſem vocatus, ipſi à partu etiamnum recenti, magnum in ipſius uteri vagina tumorem eſſe comperi, non ſine ejuſdem exitu, extra enim corpus propendebat ovo Struthio cameli ſimilis, ac purpuraſcentis lividique erat coloris. Chirurgum itaque arceſſi, prædixique haud dubiè mox gangrænam inſecuturam, atque illico Chirurgus *Nicol. Wintercamp Riſvico* veniens adfuit, qui, me præſente, dictum tumorem variis in locis incidit, ne ſentiente quidem muliere. Nos verò tumorem illum (atque ita quidem fueram ſuſpicatus) coagulato ſanguine reperimus refertum. Quare talia ipſi cataplaſmata, fomentaque præparavimus, qualia hujuſmodi requirit malum. Atque ita quidem illa, poſt factam ſeparationem, carniſque accretionem intra menſis ſpatium convaluit, pluresque dein liberos peperit. *Idem ibidem.*

Idem nobis viſum ann. 1686. Neocomi Helvetiorum in Lanii uxore; ſcil. illa poſt partus laborioſi dolores tumorem, infantis ad minimum æquantem è labiorum vulvæ interioribus partibus propendentem geſtabat, quem, uſi opera experientiſſimi Chirurgi *D. Jonæ Antonii Purry*, ſcarificationibus factis, cataplaſmatibus fotibuſque applicitis, & tandem ſanguine è tumoris medio in maſſam concreto, fœtidiſſimoque per corruptionem reddito, ferro educto, facilè curare licuit, atqu. ægram, imminenti, ut omnes credebant, periculo ſubtrahere.

Uterus morbo conſumptus.

Fœmina annorum circiter 33. patiebatur levem dyſuriam, cujus vexationes annum circiter tacitè tulit. Dein malo ingraveſcente, ejulatu horrificò illa terrebat præſentes, ac proximarum domuum vicinos; dum etiam fœtoris à partibus afflictis exhalantis inhumanitas arceret, præter neceſſarios, omnes. Simul queſta eſt de femoris, nec non tibiæ ejuſdem lateris dolore atroci, altò, & oſſium medullam lacerante, liquante, & qui remediorum infinitorum vim fefellit adeò, ut ſolo opio in tripla doſi tertia quavis nocte ſumto miteſceret ad tempus. Poſt tyrannicas circiter anni unius torturas rogatus fui in opecias ferendas rei conclamatæ; judicavi poſt aliquod laborantis examen, populante & polluente ulcere uterum exedi: & in ſpurcam ſaniem fluere, obſtetricem

tricem adhibui, & inſtruxi, quæ manu exploraret num ulcus jam corpus uteri perforaſſet, poſt patientem indagationem retulit ea omnino perviam eſſe ulcere uteri cavitatem in vicina & externa ſpacia: difficilè utique mihi non fuit abſolutè deſparatam prognoſim inſtituere; cùm has partium ſpermaticarum ruinas reſarcire impoſſibile evidenter ſit, tamen in ſolatium, non ſalutem miſeræ intentus præſcripſi injectiones in uterum detergentes quarum beneficio & fætor & dolor urinæ plurimùm remiſere, dum ſimul uteretur juſculis diureticis & ptiſana ejuſdem functionis, juſculis enim incoquebantur radices petroſelini, fæniculi, apii, aſparagi, ononidis, folia cerefolii, fragariæ, naſturtii aquatici, acetoſæ, mutatis ſæpiùs alternatim iitis pro guſtus caprizantis commoditate; ptiſana hujus erat confectionis.

℞. Sem. hyper. contuſ. ʒij. alkekeng. contuſ. ʒiij. ciner. plant. genit. ſtipit. fabar. an. ʒiij. fiat decoct. in aq. com. ℔ iv. ad conſumptionem part. 3. coletur, clarificetur & aromatiſetur cinnam. pro litis uſu. Ut importunis ſollicitationibus non inſenſilis audirem addidi emulſionem quoque diureticam.

℞. Amygdal. dulc. excortic. ℥vi. ſem. milii ſol. ʒj. ſem. 4. frigid. maj. ℥ß. contund. affundendo ſenſim aq. parietar. ℥iv. in expreſſo ſolve ſyrup. fragor. ℥vi. f. Emulſio ſæpius ad libitum expetentis iteranda. Ut femoris & tibiæ dolori caſtigando proſpiceretur, conſului balneum aquæ dulcis cum qua coqueretur hordeum mundatum, herbæ hyoſciami, ſolani, malvæ, altheæ, ſempervivum minus, flores verbaſci, meliloti, chamomillæ, inſuper vaporem adhibui cùm radicibus altheæ, mandragoræ, & ſeminib. papaver. albi, hyoſciam. cum fol. ſempervivi utriuſque lacte omnibus coctis: præterea alio vapore pro ſolatio nauſeantis, ſcil. remedia omnia mox memorata cum aceti urentis ℔ij, ſach. ſaturni ʒiß. opii Thebaici ʒj. camphor. ℈ij. in exhalationem calore rarefaciente attenuabantur, quò partes dolore cruciante miſeras amicè ferirent, nonnihil his corrigentibus cicurabatur, ſed moles tumoris ædematoſi ſenſim latiùs ſe explicabat: interim naſcitur tuſſis violenta & frequens, cum ſputis ſanguine tingente conſtanter rubeſcentibus; quæ pulmonum ulcus recens excavatum evidenter loquebantur: præſcripſi pulverem ſequentem ut aliquo ſolatio ſui nimium delicatè amantem reficerem.

℞. Pulver. antihect. Poterii ℈ij. ſacch. ſaturn. ℈j. pulv. Abbat. Hælii ʒiß. ſacch. roſat. ℥iß. f. pulvis bis quotidie ex cochleari ſumendus, ſimul ptiſanam coqui juſſi vulnerariam, ſic & pulmonis & uteri ſtatui annuentem.

℞. Rad. conſol. maj. ℥ß. fol. veron. ſcord. flor. roſar. rubr. an. M ß. antimon. crudi nodulo ligati ʒiij. bulliant cum aq. comm. ℔ v. ad remanentiam ℔ iv. pro potu ordinario: ſed omnia ut facile erat prævidere in caſſum ceſſêre, exſiccante famelica tabe tot malorum lethalium obruentium prole funeſtiſſima, febriſque hecticæ inſatiabiliter populantis pediſequa, fatis imperantibus paruit. Secui corpus opera uſus experti & amici Chirurgi, ſterno utrinque ſecto ſurſumque in faciem jacente, apparuit pulmo ambobus ſuis lobis univerſim tribus ulceribus pereſus à cordis conus diaphragmati mutuæ ſubſtantiæ intimo coïtu firmiter infixus accreverat: arteriam magnam polypus decem tranſverſorum digitorum longitudine notabilis impregnarat; ſed quod monſtrum hactenus inviſum, nulla deprehendere licuit curioſè ſpectantibus uteri veſtigia; præter ramenta quædam fracida, eaque parva in tetricam materiam euntia: eadem ſors veſicam ad collum uſque perdiderat, cæteris partibus pepercit iniquitas dictis malis ſatur; & ne in minimis curioſitati meæ deeſſem, volui inciſione patere tibiæ femoriſque afflicti partes internas, illico ultra lib. ij. ſeri limpidi ſtillatim effluxit, & nervus quæſitus externus quarti cruralis propago circa poplitem partitus magnitudine digiti mediocris apparuit ſtupentibus, humore lentante confertim turgidus: fine tamen ulla, quod mirêre, convulſione aut paralyſi prævia; hinc in dubium meritò vocari poteſt de utriuſque affectus cauſa, ſententia vulgaris, nec enim ubique ſeroſo latice merſus nervus, in latitudinem notabiliter explicatus contractione ob extremorum approximationem brevior evaſit, nec is ipſe humor omnes internæ ſubſtantiæ poros infarciens ſpirituum animalium commercium hoc pacto præpediens ſenſum tibiæ ſuffuratus eſt. Huic cladi anſam dediſſe cum rationabili probabilitatis conjectura dixerim binam cauſam, una eſt partus arduus, prima iraſcentis Numinis in ſexum muliebrem pœna ob ejus ambitioſam inſaniam, quo ruſtica obſtetrix placentam ab utero barbarè avulſit, laceravit, ut locus ſpurcus humoribus copioſis, acribus, & tandem putrentibus fœdè ſcatens, proprio ſcelere elaborarit ulcus altum, omnemque ſubſtantiam inhumaniter devorarit. Secunda cauſa eſt mariti ad veneris effrenis officia generoſiſſimi penis inſolitæ longitudinis, ex confricatione illius allidentis immodeſta & frequentiſſima, uteri orificium excoriari, altiuſque ſenſim lacerari, tandem humore ſpurco perenniter irrorante rodi, & putredine accerſita facilè actionis ejuſdem ſocia, vorari potuit. *Ex communicatione Clariſſ. Dom. Nozet Archiatri Friburgenſis.*

Uteri Procidentiam poſſibilem eſſe oſtendit diſſectio cadaveris muliebris, in cujus uteri prolapſi vagina cereus globulus deprehenſus eſt.

Magna difficultas eſt An uterus ipſe inverti poſſit? quantum ad nos attinet, exiſtimamus in difficili partu dum placenta ei firmius adhæret, & ab imperitis obſtetricibus nimium attrahitur, id aliquando contingere poſſe, rariſſime licet id eveniat: In virginibus (niſi quandoque incredibilia contingerent) impoſſibile judicaremus, propterea quod craſſa ac membranoſa colli uterini ſubſtantia in illis tantum exiguo foramine pervia ſit. Ad cujus confirmationem ſequentem obſervationem communicabo: Anno 1671. in Noſocomio Delphenſi, diſſecuimus mulierem procidentia uteri laborantem, in cujus uteri vagina nulla Sarcomata, nullaſque alias excreſcentias, ſed tantum ingentem cereum globum invenimus, cujus immiſſi beneficio Vagina (quæ aliàs ob uteri ligamenta nimium relaxata invertebatur ac foris propendebat) cum utero intus detinebatur, uteri cervix autem naturalem conſtitutionem reti-

retinebat, adeoque minime invertebatur. *Regnerus de Graaf de Mulierum organis, &c.*

Uteri Procidentia vera in cadaveris apertione deprehenſa.

Anno 1670. menſe Januar. curæ meæ commiſſa mulier 28 annor. robuſta valde, in qua corpus teres, inſignis magnitudinis, ad pudendum ſe offerebat. In decumbente circa partem ſuperiorem, ubi pudendo proximum craſſitiei illius erat, quam duplici ſpithama comprehendere non licebat: inferiora verſus paulo contractius, longitudinem vero ſpithamæ habebat: Aſt quoties incedebat, elongabatur adeo ut etiam genua ipſa attingeret extremo ſuo: Durum omnino corpus hoc ac ſcirrhoſum obſervabatur: Difficile valde & hic, ut in caſu ſequenti, certi aliquid determinare, idque eo magis quod haud adeo firmæ mentis mulier hæc deprehenderetur, adeoque nec de cauſa mali, nec de tempore quo vel inceperit; vel augmentum ſumpſerit, vel ullo alio ad dignotionem curationemve ſcitu neceſſario nos informare apta: Rei gravitatem conſiderans, in Noſocomium publicum eam deferri curavi: Hic extirpationi quod multum à multis tribueretur (licet ſummopere eam mecum improbaret *Clar. Gerard de Penijnc* Noſocomii Medicus ordinarius) ad eam deventum eſt, aſt minus fructuoſa fuit, tertio enim die ab eo quo ligatura prima injecta, obiit ægra, fuit hic 27. Januarii.

In aperti cadaveris ventre Uterus deſiderabatur, utpote qui totus, inverſus, extra corpus dependebat, intra ſui cavum teſticulos, uterinaque ligamenta, (excepta ala dextra quæ adhuc in ventre detinebatur) continens: Prolapſus autem uteri fundus, cum teſticulis, partibuſque adhærentibus, non ad extremum hujus tumoris, genubus proximum, ac ſi fundi uterini ſupremum jam fuerit vicinum genubus, ſed detentæ partes dictæ in fundo, ad vaginam, aut potius ad orificium uteri internum prolapſo, vagina ipſa extenſa, mireque incraſſata: Incraſſata mire ſubſtantia hæc uteri, adeo ut etiam vel digitorum trium tranſverſorum craſſities hic notaretur cultro diſſecanda, antequam in cavitatem devenire liceret: Ureter uterque ad digiti minoris amplitudinem diſtentus erat, forſan quod faſcia ob viciniam via urinaria conſtricta: Fides ſi habenda rumori, ex partu laborioſo. Procidentia hæc deduci debet: Totum uterum ad exteriora non fuiſſe prolapſum, mihi ſaltem (præterquam quod in aperto teſticuli in ſummo hærerent tumoris) argumentum eſt quod in imo tumoris hujus apertio notabilis, impervia licet, quæ minime adfuiſſet, ſi quidem uterus inverſus in totum extra corpus fuiſſet prolapſus. *Gerardus Blaſius Obſervat. Medic. 1. part. 3.*

Uteri Procidentia imperfecta.

Eodem menſe petitioni mariti ſuperſtitis, deſiderioque meo ſatisfacturus, aperui ventrem defunctæ puerperæ. Obierat hæc die præcedente, hora 5. poſt partum, ſana aliàs antea, edito fœtu optime valente.

Exhibuit hic ſe uteri fundus ad interiora illius converſus, ſicque ad pudendum uſque prolapſus, adeo ut vagina tota corpore hoc uteri inverſo repleretur, quod etiam arcte adeo à contracto utero detinebatur, ut nonniſi robore ſummo, atque violentia, ope per pudendum immiſſi inſtrumenti, ſurſum detrudi, ſic in naturalem locum reduci potuerit. Imprudentiæ obſtetricis, an vero nimis arcte cohærentiæ ſecundinarum cum uteri membrana interna, hoc malum adſcribi debeat, non meum determinare, hoc tamen addo, retuliſſe adſtantes mulieres, quæ in partu obſtetrici auxiliares fuerant, quam primum fœtus in lucem produxiſſet exclamaſſe obſtetricem adhuc alium in utero hærere fœtum, ſicque extra pudendum protraxiſſe corpus aliquod rubrum, ad cujus aſpectum conſternatæ adſidentes imperitiæ illam accuſarant, ab opere deſiſteret ſerio admonentes, quod etiam fecit poſtquam in quantum, vel per uteri contractionem, vel per ignorantiam licuit, extra pudendum dependens introrſum iterum compulit: Vaſa omnia ſanguine hic adeo deſtituebantur, ut etiam quocunque loco cultro anatomico aperta nil ejus funderent, ſubſidentibus in totum tunicis: quem etiam ſanguinis defectum ex immoderato fluxu, ob ſecundinæ violentam ſeparationem extractionémque cauſatam, mortis ſubitaneæ cauſam judicamus. *Idem ibidem.*

Uteri procidentia, mola credita, lethalis.

Filia hominis coqui, prægnans, ante partum mortem optabat & eventuram prædicebat: Pridie ajunt ingenti laboraſſe diarrhœa, noctu facile peperit. Inter pariendum uterus cum ſecundina prodiit, qui reſtitutus eſt, quamvis ignorarent uterum eſſe: Mane vocatus, quum omnibus viribus deſtitueretur & vix pulſus ſentiretur. Uterus extra propendebat, turgens admodum, quem cum attingerem, effluebat liquor ſanguineus & ſeroſus, ita ut exiſtimarem quum nihil tale vidiſſem, eſſe molam aliquam quæ utero firmiter adhæreret: mecum idem ſentiebant obſtetrix & Chirurgus: Ego ob rei novitatem nihil tentare volui, curans vocari *Joh. de Argent.* Eram ejus opinionis futurum ut præcideretur, id tamen noluerunt abſente illo Chirurgo tentare: Præſcripſi cataplaſma emolliens & ſuppurans, cujus præparationem non expetebant, ſtatim enim moriebatur.

Defuncta illa Tumore aperto, animadvertimus nihil aliud eſſe quam uterum everſum: mirabar non à me agnitum, licet id primo ſuſpicarer: Verùm id effecit ignorantia obſtetricum: deinde quod dicerent nullam vim fuiſſe in pariendo & fluxu comprimendo, quum arteriis & venis alligaretur. *Ex obſervationibus Joh. Bauhini.*

Uteri procidentia & ectomia, cui deficienti Calloſum corpus ſubſtituit natura.

Mulieri cuidam fere trigenariæ, ſanæ, menſtruali, conceptionis ſigna paulo poſt ſecundas nuptias, cum ex priore matrimonio prolem nullam ſuſcepiſſet, apparuerunt; Progreſſu temporis obortus eſt ad partes imas & pudenda ponderis ſenſus, dolore & urinæ retentione adeo moleſtus ut Chirurgo patefacere ſe, infortunium-

tuniumque ſuum coacta fuerit: Is viſo tumore in perinæo, fotu & cataplaſmatibus anodynis & emollientibus dolorem ſedavit; Sed mox ad pudendi labrum interius vomica; velut ab abſceſſu rupto apparuit, ſanie ſubrubra, citrina & pallida; multo tempore manans; Interim haud evaneſcebat ponderis ille ſenſus, quin potius augebatur in dies, ita ut ab anno 1573. ne ſe quidem in lecto, in hoc illudve latus convertere poſſet, niſi admota manu hypogaſtrio ad oneris levamen; ſed & tum quidam veluti globus toto corpore & pondere ſuo ſibi provolvi videbatur, in quodcunque latus decumberet, nec ſtans nec ſedens alvi excrementa reddere valebat, niſi pondere illo ſurſum manibus ad diaphragma ſublato: Inceſſura vis crura promovere poterat, quaſi ſibi ſemper ex interfemineo aliquid penderet quod progreſſum remoraretur: Ex intervallis Vomica illa recludebatur ſanie ſolita manans, ſed tum capitis membrorumque omnium dolor, animi deliquia, faſtidia, vomitus, ſuffocationes miſeram urgebant, adeo ut ab empirica muliere perſuaſa, facile adducta fuerit ut antimonium hauriret, cujus tanta fuit & tam effera vis, ut poſt multas cum multis torminibus vomitiones & aquoſas per alvum dejectiones, viſus ſit ſibi anus procidere: ſed admonita à familiari quadam ſua, cui ſe videndam crederat, haud ab ano id procedere, ſed à vulva, Chirurgos vocavit qui ſibi auxilio afflictæ ſanitati eſſemus: Expenſa re tota & diligenter animadverſa, communi conſilio cenſuimus id quod prociderat extirpandum eſſe: quod atro colore, fœtore & aliis ejuſmodi ſignis putridæ ac corruptæ rei argumenta manifeſta præberet: Ergo per duos dies ſenſim, fruſtatim & ſine dolore corpus extraximus, quod nobis Uteri corpus eſſe viſum eſt: Cujus rei fidem fecere unus ex teſticulis, qui integer extractus eſt, craſſiorque item membrana, reliqua ex mola, quæ ſuppurata, rupto abſceſſu, ſenſim diffluxerat. Revulſo omni ejuſmodi corpore, melius ægra habere cœpit, & tamen ante extirpationem novem totos dies urina ſuppreſſa fuerat, Dehinc omnia ſibi, naturæ ſuæ & ſtato curſui reddita ſunt, totumque trimeſtre ſana & egregie incolumis ægra ſupervixit, donec ſuborta repente pleuritide interiit.

Diſſecta à me, & ſedulo ſingula exquirenti, nuſquam comparuit uterus, ſed ejus loco calloſum quoddam corpus, quod natura, quæ nunquàm in nobis otiatur, jacturam ejus partis quaſi reparatura, vel lacunam potius alvi repletura, ſubſtituerat. *Paraus lib. de Hom. gener. lib. 45.*

Uteri Procidentis exſectio lethalis, ob ſimul ſectum Coli inteſtini partem in illum delapſi.

Adſtiti agyrtæ qui Uterum ad magnitudinem ovi anſerini prolapſum cum ſectione curaturum ſe diceret, nec ullis argumentis meis, qui aliam curandi viam proponebam, cederet, Roganti etiam ut ſaltem in uterum prolapſa inteſtina, vel quicquid eſſet, duriſſimum enim ſe tactui offerebat, aliudque quam aquam aut flatum eſſe certo certius affirmanti, primum loco ſuo, ſupinata muliere, reponeret, nec quicquam ab eo præter mala verba referrem, Fac inquam quod facis, mihi tyrannicam illam audaciam & imperitiam ſpectare nec libet nec licet. Nondum domo pedem extuleram, cum immani clamore & ejulatu introrſum vocor; convellebatur vehementer à ſectione patiens, cumque animam non dubie agentem viderem, extremam unctionem afferri jubeo; ſed ſerius, exſpiravit enim in fine ſectionis; in qua adſtantibus omnibus, vel fuga ſibi conſulentibus, alvina enim copioſe prodibant excrementa; Utero, cum contentis in aquæ adſtantem ſitulam projectis & lotis, Inteſtinum colon, ad cubiti fere longitudinem ſectum, omnibus viſendum præbui. *Henricus ab Heer Obſerv. Med. 22. p. m. 192.*

Sarcoma totam uteri vaginam occupans, foraſque propendens, Uteri Procidentiam falſo exhibens.

Eorum ſententiam qui uterum foras prodire, & extra corpus ipſum propendere exiſtimant, cultro anatomico impugnabo: Coloniæ Agrippinæ mulier erat quæ hystericis paſſionibus mirum in modum cruciabatur, Procidentiam uteri earum miſeriarum cauſam eſſe & ſcire ſe, & manu tangere opinabantur: propendebat enim extra corpus quippiam, quod illi non aliud quam uterum eſſe, vel eſſe poſſe, exiſtimabant: hæc interim mulier omnia quæ menſes obſtructi & reliquus uteri furor excitare ſolet ſymptomata paſſa, tandem anno 1665. morte ab his liberata fuit.

Dum Chirurgis hoc cadaver ſecantibus adſum, cauſa apparuit tantorum malorum prorſus alia quam opinati fuerant: Non enim prociderat uterus, quod fieri non poſſe oſtendemus, ſed interno ejus orificio adnatum erat ſarcoma, quod diductum per totam vaginæ longitudinem extra corpus ſeſe oſtenderat.

Poſtea aliam ipſe ſecans puellam, inveni ſimilis ſarcomatis rudimentum inſtar dactyli orificio uteri interno adhæreſcens, quod ſi tempore adauctum fuiſſet, eadem ratione incautis impoſuiſſet, qui uterum ſemper immobiliter loco ſuo conſiſtentem, tanquam vagantem per omnes partes ventris, vel tanquam procidentem accuſaſſent. *Theodorus Kerckringius Obſervat. Anat. 53. Vide obſervat. ejuſdem 20.*

VULNUS.

Curationes.

Quid Vulnus, quæ ſint illius Differentiæ, Cauſæ, Diagnoſtica.

I. VUlnus ex communi omnium conſenſu nihil aliud eſt, quam ſolutio continui ſeu continuitatis. Sed ut melius innoteſcat natura Vulneris, videndum eſt, qualiſnam ſit hæc continui ſolutio, ad quam pro cognitione Vulneris nos tranſmittunt Veteres. Enimverò ſolutio continui, quæ quibuſdam ſoluta unitas vel unitatis diviſio dicitur, eſt ſeparatio ab invicem partium alicujus membri; cui ſeparationi

tioni contraria eſt unio, & continuitas. Sed cum contrariorum eadem ſit ratio & diſciplina, ſi viderimus, quid ſit hæc partium unitas, ex hac quoque palam fiet, quid erit unitatis ſolutio. Unio autem, ſive Unitas partium dicitur conſtitutio ſecundum naturam, atque naturalis compaginatio ſeu conjunctio. Quum ergò Unio ſit conſtitutio naturalis, ſolutio hujus unitatis erit habitus præter naturam; unde ſequitur, quod ſit morbus. Equidem non omnis continui ſolutio Vulnus eſt: idem namque dici poteſt de Ulcere, atque Fractura.

II. Hinc alii ſtrictius definiunt Vulnus, Solutionem continui in carne cæſim factam: quo dicto nec Contuſio, nec Punctio, nec Morſus alicujus Animalis inter Vulnera numerari poteſt, quibus tamen affectibus Vulnerum nomen jam dudum inditum fuit. Unde & nos per Vulnus intelligimus omnem continui ſolutionem, tàm cæſim, quàm punctim, ſive per contuſionem factam, non ſolum carnis, ſed nervorum, venarum, arteriarum, aliarumque mollium partium. Idque definimus, quod ſit Solutio continui recens, cruenta, in parte molli, extrinſecus incidens, ſive ab externo quodam inſtrumento inflicta. Atque hæc Vulneris definitio ſanè perfecta eſt; quippe quæ optimè ejus naturam explicat, neque magis, neque minus comprehendit; nec non ab Ulcere, & Fractura manifeſtè illud diſtinguit.

III. Sed quum Vulnus dicatur continui ſolutio in parte molli, tam cæſim, quam punctim, & contuſim facta; modo dicendum, quid unaquæque harum continui ſolutionum ſpecies ſit.

Inciſio eſt plaga, ſive Vulnus cæſim illatum inſtrumento longioris aciei, ut enſe, cultro, ſimilivè.

Punctio eſt partis alicujus mollioris perforatio a re acuta, ut ſagitta, pugione, mucrone; aut ab alicujus animalis morſu, ictuvè facta.

Contuſio eſt partis carnoſæ ſolutio continui interna, integra manente cute, quæ fit ab inſtrumento gravi ac retuſo; ut ſi quis membrum aliquod in lapidem impingat, aut ligno fortiter percutiat.

Differentiæ porrò Vulnerum permultæ ſunt. Enimverò differunt quædam reſpectu partium vulneratarum, unde alia ſunt in carne, alia in tendine, alia in nervo, alia in vena, alia in arteria, alia in capite, alia in collo, alia in thorace, &c.

Quædam differunt ratione Vulneris eſſentiæ, unde vulnera alia ſimplicia ſunt, alia compoſita. Simplicia dicuntur, quæ cutem duntaxat, carniſque portionem occupant, ſine ulla partis deperditione. At compoſita ſunt, quando & cutem & carnem cum ſubſtantiæ amiſſione invadunt.

Alia differunt ratione periculi & ſecuritatis, vel impedimenti remanſuri; & ſic quædam lethalia, quædam non lethalia; quædam nullum adferunt poſt ſanationem impedimentum, quædam membra poſt ſanationem vel impedita, vel debilitata, vel deturpata relinquunt.

Alia differunt reſpectu inſtrumentorum vulnerantium; & hac ratione quædam cæſim inflicta ſunt, quædam punctim, quædam cum inſtrumentis ſecantibus, quædam diſcerpentibus, quædam contundentibus, & ſic porrò.

Denique differunt Vulnera juxta quantitatem; quo pacto quædam magna ſunt, quædam parva, quædam mediocria, quædam altè penetrantia & profunda, quædam lata & ſuperficiaria, &c.

IV. De *Cauſis Vulnerum* multa dicere opus non eſt. Eæ namque ſunt omnia illa, quæ extrinſecus advenientia continuum ſolvere ac dividere poſſunt, incidendo, pungendo, rumpendo, contundendo, perforando. Sic vulneris cæſim facti cauſæ ſunt omnia inſtrumenta, quæ incidendi vim habent, ut enſis, culter, vitrum, &c. Puncturæ cauſæ ſunt quæcunque acuta, ut ſagittæ, acus, dentes animalium. Rumpunt quæcunque partem mollem diſtendunt, & in partes contrarias divellunt, ut gravioris ponderis elevatio vel geſtatio, caſus, percuſſio, vociferatio. Contundunt gravia, dura, ac retuſa, ut lapis, lignum, plumbum, &c. Perforant ferrum ignitum, globi plumbei è ſclopetis emiſſi, &c.

V. Quoad *Diagnoſin*: Vulnus ipſum per ſe ſenſibus manifeſtum eſt, nec ſignis, quibus cognoſcatur, opus habet. Verum etſi ſenſui pateſcat, quis in cute locus ſit vulneratus; ſi equidem vulnus ad interiora penetret, quæ intus partes vulneratæ ſint, haud ità obvium eſt. Enimverò vulnera omnia quæ corpus noſtrum lædunt, aut ſunt externa & in partibus continentibus, aut interna ac penetrantia. Si externa ſunt, judicium de iis viſu & tactu fieri ſolet ac poteſt: ſin verò interna & penetrantia; ea quidem ſunt aut in capite, aut in thorace, aut in inferiore ventre, unà cum partium contentarum læſione, aut ſine earum læſione.

Si Vulnus in cavitatem aliquam penetret, nec partes quæ ibi continentur offendat; ea penetratio dignoſcitur ſpecillo ferreo, aut plumbeo, vel tenui cereâ candelâ: partes autem internæ nullo modo offenſæ videntur, quum nullum grave ſymptoma ſeſe prodat. At ſi penetrando præcipuam quandam partem contentam læſerit vulnerans inſtrumentum, ejus læſionis ſigna breviter nunc exhibebimus.

Quod ſi Vulnus igitur in Caput penetraverit, atque Cranium fregerit, (id quod viſu & tactu judicare debet Cheirurgus) vel Menynges læduntur, vel ipſum Cerebrum offenditur.

Membranarum Cerebri læſarum Signa ſunt, maximi ac extremi dolores, qui repentè ſuperveniunt, nauſeæ, vomitiones, nec non ſanguinis per aures, oculos, nareſque effluxus; inſuper mentis accedit alienatio, præcipuè ſi punctim vulnus inflictum fuerit. Interdum tamen læſum Pericranium eadem ſymptomata parit. Quod ſi Cerebrum in ſua ſubſtantia læſum ſit, omnia hæc accidentia augentur, magis intenditur febris, atque non raro mutus fit Patiens, omniquè loquendi facultate prorſus deſtituitur.

Quum verò in Thoracem penetret Vulnus, plerumque offendit aut Pulmonem, aut Cor, aut Pericardium, aut Diaphragma, aut Vaſa quæcunque. At Thoracem penetrare cognoſcitur ſpecillo, viſu, tactu, quumque aër è vulnere exeat, aut quum Æger medicamentorum vulneri impoſitorum ſaporem ore percipiat.

Atqui

Atqui Pulmonem læſum eſſe judicamus, quando tum è vulnere, tum ex ore egeritur tenuis, ſpumoſuſque cruor; nec non ſonora, premens, ac difficilis reſpiratio.

Quum verò lædantur vel ipſum Cor, vel magna in thorace Vaſa; immodicus fit ſanguinis fluxus, qui totam mox implet capacitatem, extremitates refrigerantur; ſudorque frigidus erumpit, certus mortis nuntius & index.

Quod ſi Diaphragma continui ſolutionem recipiat, magna ſpirandi difficultas, acuta febris, aliaque gravia accedere ſolent ſymptomata.

Quum autem in Ventrem inferiorem Vulnus penetret, (id quod ſpecillo, viſu, tactu, & vaporibus exhalantibus judicamus) offendit aut Jecur; aut Lienem, aut Ventriculum, aut Inteſtina, aut Renes, aut Vaſa majora, aut Veſicam Urinariam, aut Uterum, ſi patiens ſit mulier.

Ventriculus ſin vulneratus ſit, chylus per vulnus exit, hinc perpetuus vomitus conſequitur, tandem ſingultus, animi deliquium, aliaque plura ſuperveniunt accidentia.

Inteſtina vulnerata eſſe cognoſcimus, quum per ipſum vulnus quoque exeant excrementa, vel magis minuſvè craſſa ac fœtentia, prout aut craſſum aut tenue læſum ſit Inteſtinum. Cæterarum porrò partium vulneratarum ſigna ex antedictis nunc abundè innoteſcent, & ſuis locis tradentur.

De Vulnerum Prognoſticis.

I. Sed priuſquam Vulneris Curam aggrediatur Medicus, omninò de Prognoſticis ſollicitus eſſe debet. Viz. præcognoſcendum, ſitne ſanabile vulnus, vel inſanabile. Sin ſanabile, an curatu facile ſit, an verò difficile, atque integra & priſtina ſanitas an Ægrotanti reſtitui queat, vel an ſanatus membri alicujus ſit paſſurus actionem læſam. Atqui inſanabile ſi ſit vulnus, an lethale ſit, & ad mortem vergat, an verò in ulcus curatu arduum ſit degeneraturum.

II. Primò itaque diligenter expendendum, quæ vulnera ſint lethalia, quæ non. Etenim quæſtio hæc magni momenti eſt, atque diligenter & accuratè Medico penſitanda, ac cognoſcenda. Namque cùm in judiciis & foro vita nonnullorum ob vulnera aliis inflicta periclitetur; & à Judicibus Medicorum ſententia hac de re requiratur; diligens danda opera, ut talem de Vulneris natura ſententiam ferat Medicus, qua innocens non condemnetur, nec reus abſolvatur.

III. Idcircò hìc notandum, non omne vulnus, quod mors ſequitur, dicendum eſſe lethale; ſed id ſolum, quod ſuapte naturâ mortem adfert. Atque hoc ſenſu Vulnerum quædam lethalia dicuntur, quædam indifferentia; quod aliquandò lethalia ſint, aliquandò non, pro Medentis induſtria, Ægri natura, conſtitutione, ætate, robore, & obedientia, pro temporis ratione, regionum qualitate, &c. Lethalium igitur alia abſolutè; ſeu ex neceſſitate lethalia ſunt, quod omninò ſemper Ægrum interimant; alia non neceſſariò; ſed ut plurimum occidunt.

IV. Vulnera ex neceſſitate lethalia ſunt ea, quæ omnem medelam effugientia brevi temporis ſpatio vitam adimunt, uti ex Juriſconſultis notat Farinac. de homicid. quæſt, 126. num. 5. Lethalia ut plurimum ſunt, quorum curatio difficilis eſt, & ſæpius, malè ſuccedit, non quod ſemper interficiant, adnotante ex ipſis Juriſconſultis Barboſ. in Collect. Doct. tit. 12. cap. 18. num. 7. tom. 2. Nam poteſt quidem vulnus eſſe ſecundum plurimum lethale ex ſua natura, & tamen vulneratus ex vulnere convaleſcere; quemadmodum etiam aliqui morbi, tametſi lethales videantur ſuâ naturâ, nonnunquam curantur.

V. Sunt autem lethalia vulnera judicanda, primò & præcipuè ex natura partis vulneratæ, dehinc ex vulneris qualitate, ex ejuſdem quantitate, ætate patientis, ſexu, temporis conſtitutione, loci conditione, ſtatu ipſius vulnerati, qualitate inſtrumentorum vulnerantium, accidentibus plerunque vulneribus ſupervenire conſuetis, aliiſque nonnullis conditionibus ab extra accedentibus. At, ceu dixi, natura ipſius partis vulneratæ præcipua cauſa eſt periculi & ſecuritatis vulnerum. Cætera enim omnia per accidens ad id concurrunt, uti palam eſt; cum hæc, ſiquidem vulnera ex partis vulneratæ natura ſint lethalia, faciant ad mortis accelerationem aut retardationem; aut ſi lethalia non ſint, poſſint ea reddere minoris vel majoris ſecuritatis, facilioris aut difficilioris curationis, exempli gratiâ, vulnus ſimplex in parte carnoſa omnem ſecuritatem, quantum ex ſe eſt, ſolet promittere, quale eſſet vulnus in carnoſa parte brachii. Quod ſi id ipſum vulnus magnum ſit, ſi accedat aëris conſtitutio contagioſa, ſi æger ſit debilis, ſenex, aut valetudinarius, ſi arma fuerint venenata; hoc ipſum vulnus, quod aliàs tutum erat, evadet dubium, & lethale.

VI. Hinc ſapienter dictum eſt ab Hippocrate lib. 2. prædict. quod ex omnibus vulneribus contingit homines mori; quod idem monent Valleſius comm. 5. Epid. text. 16. Paræus Chirurg. lib. 8. cap. 4. aliique. Quia poteſt vulnus eſſe ſalutare, & tamen vulneratus vel ob occultam quandam læſorum, circumſtantiumque corporum cacoëthiam decedere, vel aliis accidentariis ex cauſis. Unde etiam ſi, quoad magnitudinem, vulnuſculum nullo modo conſideretur, ita ut neque vulneris nomine dignetur; reſpectu tamen partis læſæ poteſt eſſe abſolutè lethale: exempli gratia ſi cor attigerit, aut ſi ad internas alias nobiliores partes penetraverit, aut ſi acus in nervoſam particulam profundius adacta ſit; quale exemplum habemus apud Hippocratem lib. 5. Epidem. text. 44. ſutoris ſolearum veteramentariarum, qui acu ſeſe pupugit juxta genu, & tertio à vulnere die mortuus eſt; ſic etiam Ariſto apud eundem Hippocrat. lib. 7. Epidem, text. 97. ex vulnere digiti pedis, ſuccedente gangrænâ mortuus eſt, quod fortè nervoſam partem læſiſſet. Conjung. Foreſtus lib. 6. obſerv. 49. 50. Hildanus Centur. 1. obſervat. 21. Centur. 5. obſerv. 2. 85. Quæ exempla ſatis declarant, vulnus aliquandò eſſe quidem reſpectu magnitudinis parvum, ſed partis vulneratæ ratione maximum, quia mortem faciillimè accerſit.

VII. Ergò partis natura præ cæteris omnibus vulnerum conditionibus venit conſideranda, juxta quam lethalia vulnera Hippocrates " ſeptem pronunciat Sect. 6. Aphor. 18. Cui per- " fecta eſt veſica, aut cerebrum, aut cor, aut " ſeptum tranſverſum, aut aliquod ex inte- " ſtinis tenuibus, aut ventriculus, aut hepar, " lethale. Hunc tamen Aphoriſmum tum limi- " tat, tum ampliat in Coacis Aphor. 509. in " Cod. Fœſii, dum inquit: Ex vulnere ferè " mors contingit, ſi cui vulneratum fuerit ce- " rebrum, aut ſpinalis medulla, aut jecur, " aut ſeptum tranſverſum, vel cor, aut veſi- " ca, aut quædam grandis vena. Mors quo- " que ſubit, ſi in arteriam & pulmonem inſi- " gnes valdè plagæ inflictæ fuerint, ita ut per- " cuſſo pulmone, minor ſit, qui per os prodit " ſpiritus, quàm qui per vulnus excidit. Inte- " reunt verò, quibus nervi interiores, ſive te- " nuis aliquis, ſive craſſus, vulnus accepe- " rit, ſi plaga tranſverſa fuerit, & magna: " quod ſi parva & recta, nonnulli periculo exi- " muntur. Minimè autem ab his vulneribus " mors impendet, quæ in corporis partes, in " quibus hæc non ſunt, aut ab his quàm lon- " giſſimè abſunt, infliguntur. Etiam C. Celſus " lib. 5. cap. 26. ſententiam Hippocratis ad hunc " modum expreſſit: Servari non poteſt, cui " baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui je- " cinoris portæ, cui in ſpina medulla percuſſa " eſt, cuique aut pulmo medius aut jejunum, aut " tenuius inteſtinum, aut ventriculus, aut re- " nes vulnerati ſunt, cuivè circa fauces gran- " des venæ, vel arteriæ præciſæ ſunt. Vix au- " tem ad ſanitatem perveniunt, quibus ulla " parte pulmo, aut jecinoris craſſum, aut " membrana quæ continet cerebrum, aut lien, " aut vulva, aut veſica, aut ullum inteſtinum, " aut ſeptum tranſverſum vulneratum eſt. Hi " quoque in præcipiti ſunt, in quibus uſque " ad grandes, intuſque conditas venas, in alis " vel poplitibus mucro deſedit. Periculoſa " etiam vulnera ſunt, ubicunque venæ majores " ſunt, quoniam exhaurire hominem profuſione " ſanguinis poſſunt. Idque evenit non in alis " tantum, atque poplitibus, ſed etiam in his " venis, quæ ad anum, teſticuloſque perve- " niunt. Præter hæc malum vulnus eſt, quod- " cunque in alis, vel feminibus, vel inanibus " locis, vel in articulis, vel inter digitos eſt. " Item quodcunque muſculum, aut nervum, " aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginem læſit. Sed partium harum vulnera ordine nunc conſideremus, & quæ vel abſolutè vel ſimpliciter lethalia ſint, quæ non, videamus.

VIII. Igitur inter lethalia referri debent Vulnera Cerebri; at non omnia. Vidit namque ipſe Galenus hujuſmodi vulnera curata, uti refert comm. in Hippoc. Aphor. 18. ſect. 6. & lib. 8. de uſu part. cap. 10. Exempla quoque habentur apud Valleriolam lib. 4. obſ. 10. lib. 5. obſ. 9. lib. 6. obſ. 4. Hildanum Cent. 4. Obſ. 1. 2. 3. Et longum catalogum illorum, qui vulnera cerebri ſanata viderunt, recenſet Joh. Andr. à Cruce, de Vulner. lib. 1. tract. 2. cap. 14. de cerebro ſauciato. Imò obſervatum fuit, particulâ cerebri amiſsâ, Ægrum nihilominus convaluiſſe; cujus rei variæ hiſtoriæ notatæ ſunt à Nicolao Maſſa, Carpo, Fallopio, Chriſt. à Vega, Franciſco Arcæo, Horatio Augenio, Petro de Marchettis, aliiſque præſtantiſſimis practicis. Sunt quoque notatu dignæ hiſtoriæ de periculoſiſſimis cerebri vulneribus, quæ extant apud Cabrolium Obſ. 26. 22. 34. Henricum Petræum, Matthiam Glandorpium, Sennertum, Diemerbroeckium in Anatome Corporis Humani.

At non ſolùm Vulnera Cerebri parvi facienda non ſunt; ſed nec leviſſima Capitis Vulnera unquam negligenda, uti cum Hippocrate monent Horatius Augenius lib. 9. Epiſt. 3. Aquapendens Oper. Chirurg. lib. 2. cap. 15. Et ex Juriſconſultis Farinaceus quæſt. 126. 127. Habent enim capitis vulnera quid peculiare, ac omninò diverſum à pleriſque vulneribus; quum partium aliarum vulnera, etiamſi non contemnendæ ſint magnitudinis, negligi tutius poſſint, quàm leviſſima capitis.

IX. Quoad Spinalis Medullæ Vulnera; cùm Spinæ Medulla in partibus ſub cerebro ſitis, cerebri vices gerat, & cum cerebro ſubſtantiam, membranaſque communes habeat, haud ſecus ac cerebri vulnera, Ea Spinalis Medullæ lethalia meritò pronunciantur; in primis ſi ſuperior ejus pars vulneretur: qua læſa, ſpirituum animalium in totum corpus influxus tollitur, hinc omnium capiti ſubjectarum partium ſenſus, motuſque aboletur, adeoque & cæteræ omnes actiones ſilent, & brevi pallida mors ſequitur.

X. Cordis Vulnera quoque inter lethalia, non ſine ratione, recenſentur ab Hippocrate: namque ex abſolutè vel ex neceſſitate ſemper Ægrum interimunt. Et licet nonnulli cum iis per exiguum tempus vixerint, nunquam tamen ſanari potuerunt: imo plerique eo ipſo ferè momento, quo vulnus in ventriculos penetrat, tanquam fulmine icti, concidunt, quod ſemel nobis videre contigit 4. Octobris 1680. Si tamen vulnus admodum exile in ventriculos penetret, tum interdum, etſi rarò, accidit, hominem tam ſubitò non corruiſſe, ſed paucas horas ſupervixiſſe. Ita vidit Paræus virum in corde vulneratum per ducentos paſſus cucurriſſe. Meminit Skenckius Obſervat. Medic. lib. 2. ſtudioſi, qui vulnus punctim per utrumque ventriculum recepit, & tamen plateæ longæ ſpatium curſu confecit, ac mente ſanùs ferè per horam vixit. Jonſtonius, Henricus ab Heers, Tulpius, & plures alii, varia referunt exempla eorum, qui corde vulnerato aliquot horas, imò diem unum & alterum vixerunt. Hoc &, nos obſervavimus in quodam Juris ſtudioſo; qui 1688. 9. Julii octavâ circiter veſpertinâ enſe vulneratus fuit in ſiniſtro thoracis latere juxta papillam, penetrante vulnere inter quartam & quintam coſtam. Hoc poſtquam inflictum fuit, difficulter admodum ſpiravit, ac cruor immodicè profluxit, adeò ut animo fermè deficeret, & Chirurgus foramen protinus occludere cogeretur. Quo facto augebatur in horas ſumma ſpirandi difficultas, ut tandem 11. Julii, horâ ante meridiem undecimâ exſpiraverit. Vocati à Nobiliſſ. & Ampliſſ. Prætore ac Judicibus cadaver aperuimus, & vidimus ſiniſtram thoracis partem ſanguine fermè repletam, atque penetraſſe gladium per pericardium in ſiniſtrum cordis thalamum

mum, qui prope mucronem penitus perfoſſus fuit. Quod vero inflicto hoc lethali vulnere, ultra triginta octo horas ſupervixerit Patiens, factum fuit; quoniam ſingulis cordis conſtrictionibus; mucrone ad baſin aſcendente, ventriculi iſtius vulnera ita fuerunt occluſa, ut nil niſi perquam exigua cruoris portio emanaverit, unde nec Patiens tam ſubitò extingui neceſſe habuerit. Fernelius Patholog. lib. 5. " cap. 12. dicit; vulnera cordi inflicta, quæ non " altè in ventriculos penetrant, non protinus " interimunt. In quodam, qui ſenſim conta" beſcens & liqueſcens, de medio tandem ſu" blatus eſt, tria ulcera in corde reperi non " parum cava & ſordida, multo ante jam tempore contracta. Simile quid de cordis ulcere refert Petrus de Marchettis Obſervat. Chirurg. 47. de quodam, qui paulatim longo temporis tractu omninò emaciatus; tandem obiit; in cujus diſſecto cadavere invenit magnum ulcus, quod non ſolùm cordis capſulam, verùm etiam ſubſtantiæ cordis magnam partem exederat, uſque dum tandem penetraſſet in ſiniſtri ventriculi cavitatem, ægrumque ſic occidiſſet. Sed oppidò rarum eſt exemplum, quod habet Clariſſ. Diemerbroekius Anatom. lib. 1. cap. 6. cujuſdam viri robuſti in corde vulnerati, vulnere penetrante in ſuperiorem partem dextri ventriculi, ſupra valvulas tricuſpides, prope ingreſſum venæ cavæ; qui tamen ultrà novem dies ſupervixit. At quoniam anguſtum admodum erat vulnus, & ſuprà valvulas inflictum, hinc factum fuit, quod in cordis conſtrictione totus, qui in dextrum ventriculum è cava profluxerat, ſanguis, propter valvularum tricuſpidum impedimenta, per vulnus expelli non potuerit, ſed maxima ejus pars per arteriam pneumonicam, quæ vulnere multò latior erat, in pulmonem fuerit propulſa, atque inde porrò ad ſiniſtrum ventriculum, & arteriam aortam, ita ut non niſi pauxillum ſingulis pulſibus è vulnere in pericardium & thoracis cavitatem expelli potuerit, unde etiam vires tardius collapſæ ſunt. Hiſtoria quoque perquam rara militis, qui in corde ſaucius vitam ultrà quindecim dies ſuſtentavit, habetur apud Sennertum Prax. lib. 5. part. 4. cap. 3.

Verùm enimverò vulnera in cordis cavitatem penetrantia non ſolùm abſolutè, & ex neceſſitate lethalia ſunt; ſed & vulnera ſi Cordis Subſtantiam Muſculoſam tantùm attingant, omnem quoque medelam effugiunt, atque Patienti vitam adimunt; quia quamcunque Cordis partem quomodocunque attigerit vulnus, coaleſcere, ob continuum ejus motum, non poteſt; unde & inflammatio, aliaque gravia ſymptomata ſuperveniunt, quæ neceſſariò hominem, ſi non ſubitò, ſaltem non multò poſt interficiunt. Audite de Cordis Vulnuſculis non penetrantibus, lethalibus equidem, hiſtoriam, quam Paulus Zacchias Quæſt. Med. Legal. lib. 5. titul. 2. quæſt. 2. ita deſcribit: " Maniacus quidam Sacerdos cùm furore ductus ſe primum caſtraſſet, imò univerſum penem cum ſcroto & teſtibus abſcidiſſet; in " eodem furore perſiſtens, acubus quibuſdam " fortibus pectus ſub ſiniſtra mammilla ſibi " transfodit, tandemque poſt nonnullos dies, " quinque nimirùm aut ſex, ab hiſce vulnuſculis illatis vitam, quam oderat, facilè amiſit. " Aperto cadavere, acus omnes ad Cordis ſub" ſtantiam penetraſſe repertæ; cum quibus ta" men potuit per nonnullos dies ſupervivere. Igitur quomodocunque ſit, quòd aut eâdem horâ, ac momento, vel ſubſequenti die, vel etiam poſt duos, treſve, aut plures dies, qualecunque Cordis Vulnus interficiat; ea concluſio rata ac firma maneat, quod Cordis Vulnera, ſive in ventriculos uſque penetrent, ſive non, neceſſariò Ægrum interimant.

XI. Non minori jure Pulmonis Vulnera inter lethalia refert Hippocrates in Coacis Prænotionibus. At verò tam abſolutè quæcunque Pulmonis Vulnera pronunciari nequeunt lethalia, ac ſi nullum huic viſceri inflictum vulnus unquam curetur; quapropter ipſe Hippoc. addit limitationem; ſi viz. vulnus ſit magnum, ut Pulmone ſauciato minùs ſpiritùs per os prodeat, quàm è vulnere excidat; atque ſi vel vas ſanguineum magnum, vel aſperæ arteriæ ramus lædatur. Enimverò omnia Pulmonis Vulnera lethalia ſemper non eſſe, docuit nonnunquam experientia; qua conſtat, nonnullos per totum thoracem & pulmonem fuiſſe perfoſſos; & nihilominus convaluiſſe. Videantur Hildanus Cent. 2. Obſ. 32. Cent. 3. Obſ. 36. Cent. 11 Epiſt. 52. Sennertus prax. lib. 5. part. 4. cap. 3. Valleriola lib. 4. obſ. 10. Nicolaus Maſſa, Franciſcus Arcæus, Fallopius, Foreſtus, Tulpius, & alii.

Ea igitur Pulmonis Vulnera abſolutè lethalia non ſunt, in quibus ſaltem Pulmonis ſubſtantia, non verò magna vaſa læſa ſunt; neque illa, quæ non adeò magna ſunt, ut nec reſpirationem graviter lædant, nec alia quæcunque gravia acceſſant ſymptomata.

E contrario ſi magna ſint Pulmonis Vulnera, & non ſolùm Pulmonis ſubſtantia, ſed & magna in eo vaſa vulnerentur, Ea pronunciare licet ex neceſſitate lethalia, utpote in quibus ſanguis, ſpiritusque vitalis profunditur & diſſipatur; vel à copia cruoris extra vaſa effuſi pulmo ac cor opprimuntur, & homo ſuffocatur.

Inſuper mortem plerumque adferunt ea Pulmonis Vulnera, in quibus exulcerari incipit veſiculoſa ejus ſubſtantia, atque Phthiſis excitatur: vel in quibus ſanguis in thoracis capacitatem effuſus, ibi putreſcere incipit, & vel Febrem, vel Empyema excitat. Sed quæritur hîc, nonne tale Pulmonis Vulnus, cui Phthiſis ſuccedit, quæ poſtea mortem Ægro adfert, dicendum ſit abſolutè, & ex neceſſitate lethale, & an tali in caſu Reus non teneatur de homicidio? Quidam, ex Juriſconſultis cenſent, vulnus non eſſe dicendum ex neceſſitate lethale, ſi accidentia remittant, ſi Vulneratus melius habuerit, ſi poſt triduum è lecto ſurrexerit, & ambulaverit, licet deinde ex recidiva mortuus fuerit; adeoque Vulnerans jam ultrà non teneri de occiſo, tanquam ſi non præſumatur ex vulnere mortuus. Damhoud. in Enchirid. rer. crimin. cap. 77. num. 10. Menoch. de arbitr. caſ. 275. num. 9. Farinaceus de homicid. quæſt. 126. 127. Sed nos quod ſpectat, ſententiam hanc omninò improbamus, eà ratione ducti, quod malignæ ægritudines, & ipſa quoque maligna & necantia vulnera aliquandò remittant; imo & hoc habeant proprium, teſte

Galeno, quod remittere videantur, ac dehinc repentè recrudeſcant, hominemque è medio, quaſi inopinatò, tollant. Difficultatem verò auget id, quod ipſimet Juriſconſulti ex recidiva conjecturam deſumant, vulnus fuiſſe lethale, & Vulneratum ejus culpâ deceſſiſſe ob recidivam. Farinac. cit. quæſt. 127. num. 77. quæ è directo contraria videntur iis, quæ circa hanc conjecturam ex ipſorum ſententia ſuperius allata ſunt. Haud ſecus de Vulnere Pulmonis, cui Phthiſis ſuccedit judicandum puto: viz. abſolutè id eſſe lethale, & Vulnerantem teneri de homicidio, licet poſt longam hebdomadarum ſeriem demum Vulneratus moriatur. Phthiſis quidem, non Vulnus, proxima mortis cauſa eſt; at Vulnus mortis cauſa remota. Et quod in ſano corpore ſe habet, ut cauſa remota, eſt ipſa occaſio mortis: dum namque conſtat, accidentia ex ipſo vulnere originem habuiſſe, & ſemper uſque ad mortem perſeveraſſe, ex vulnere præſumi debet mortuus vulneratus.

XII. Aſperæ Arteriæ Vulnera non lethalia eſſe, verùm ſanari poſſe, docet Laryngotomia. Ea nimirum ſanantur, quæ magna non ſunt, & in quibus membranæ ſaltem, quibus Trachææ cartilagines connectuntur, vulnerantur. Schenckius Obſervat. Medic. lib. 2. At annuli cartilaginei ſi vulnerentur, ob duritiem pars coaleſcere nequit. Hippocr. lib. 6. Aphoriſm. 19. lib. 7. Aphoriſm. 28. Galenus 5. meth. med. cap. 7. Hæc igitur vulnera haud ineptè lethalia cenſentur. Equidem non ſubitam, ſed lentam mortem adferre ſolent; dum vel ab aëre per vulnus confertim ingrediente pulmones alterantur & debilitantur, vel calloſa quædam ſubſtantia vulneri ſuccreſcit, quæ ſpiritum ſenſim intercipiendo tandem hominem jugulat: ita ad octodecim hebdomadas vulnere tali laborantem vidit Barbette, antequam moreretur.

XIII. Diaphragmatis Vulnera inter lethalia quoque recenſet Hippocrates. Diſtinguit equidem Galenus lib. 5. meth. med. cap. 9. inter ea, quæ Diaphragmatis parti tendinoſæ, & quæ carnoſæ infliguntur; atque illa ſtatuit eſſe lethalia, hæc ſanabilia. Scribit porrò comm. in Hippocrat. Aphoriſm. 18. ſect. 6. nervoſæ Diaphragmatis partis vulnera non ſemper lethalia, ſed magna ſolùm: planè enim gravia tum ſuperveniunt ſymptomata, delirium, puta, difficilis reſpiratio, febris, convulſio, ſingultus, riſus ſardonius, ut ridendo Ægri moriantur.

XIV. Haud ſecus Ventriculi Vulnera inter lethalia numerantur; & meritò, quia in parte hac magis membranoſa ægerrimè ſanantur; ac ſi infligantur Superiori ejus Orificio, quod Stomachus nuncupatur, ob nervorum ei inſertorum copiam, convulſionibus & ſingultibus continuis Ægrum occidunt; ſin verò Ventriculi Fundo infligantur, ingeſta alimenta mox effluunt in abdominis cavitatem, illic alia viſcera brevi corruptura.

Verùm etſi uſus & ratio illud Hippocratis effatum confirment, hanc tamen regulam interdum, quamvis raro, exceptionem admiſiſſe, & ſubinde Vulnus Ventriculi ſanatum fuiſſe, obſervatum fuit; cujus curationis hiſtorias ſibi viſas deſcribunt Fallopius de cap. vuln. cap. 12. Cornax in Epiſtol. Reſponſ. ad D. Ægidium Hartogh. Julius Alexandrinus annot. ad cap. 4. lib. 6. Therap. Galeni. Diemerbroeckius Anat. lib. 1. cap. 6. & ex aliis collegit Schenckius Obſ. Med. lib. 3. Sunt quoque admirandæ illæ hiſtoriæ, quæ de duobus Cultrivoris referuntur: quarum alteram deſcribunt Bernhardus Suevus in tract. de inſp. vuln. Crollius in præfat. Baſilicæ Chymicæ. Sennertus prax. lib. 1. part. 1. ſect. 1. cap. 15. & lib. 5. part. 4. cap. 3. de Ruſtico Bohemo, qui 1602. Pragæ cultrum novem pollicum longitudinis deglutiit; qui poſt ſeptem hebdomadas è ventriculo exciſus, & Æger ſanitati reſtitutus fuit. Alteram ſibi ipſis viſam enarrant Georgius Lothus, & Rutgerus Hempſingh in peculiari germanico tractatu de juvene duos & viginti annos nato, qui Regiomontii in Pruſſiâ 1635. cultrum longitudine duas tranſverſas palmas excedentem, deorſum deſcendente manubrio, caſu deglutiit; qui poſt ſextam hebdomadam à Chirurgo exciſus, Ægerque intra menſem ſanatus fuit. Culter hic poſtea à Daniele Beckero, Medico Dantiſcano, D. Othoni Heurnio, quondam Lugduni in Batavis Medicinæ Profeſſori, donatus, ibidem inter alia rara in Theatro Anatomico aſſervatur.

Ex allatis igitur hiſtoriis haud immeritò concludimus, Vulnera Ventriculi Fundo inflicta non abſolutè ſeu ex neceſſitate, verùm ſimpliciter lethalia eſſe dicenda; ſed quæ Superius ejus Orificium ſeu Stomachum penetrant, omnem medelam effugere, adeoque neceſſariò & ſemper Ægrum interimere. Eo namque graviter afflicto, ob maximum cum cerebro & corde conſenſum, lethalia plerumque excitari ſolent ſymptomata.

XV. Ejuſdem naturæ ſunt Inteſtinorum Vulnera, quæ ab Hippocrate inter lethalia quoque referuntur. Sunt tamen periculoſiora Vulnera Tenuium, quam Craſſorum Inteſtinorum; ob ſubſtantiam illorum membranoſam magis, minuſque carnoſam.

XVI. Succedunt Hepatis Vulnera, quæ inter lethalia etiam non ſine ratione enumerat Hippoc. lib. 1. de morbis & lib. 6. aphoriſm. 18. propterea quod copioſa hæmorrhagia citius Ægrum occidat, quàm ſiſti medicamentis poſſit; & ſi forte ſiſtatur, tamen ulcus poſt vulnus relictum tam rarò & difficilè ſanetur, ut ex tribus millibus ea parte vulneratis vix unus aut alter evadat, & inter miracula fere habendi ſint, qui ſervati ex iis fuerunt. Equidem tradit Paulus Ægineta lib. 6. cap. 28. vulnerato Hepate, abſciſſaque ejus parte, hominem ſervari poſſe. Et Hiſpanum Juvenem, cui magna Hepatis portio per ilei dextri vulnus erumpebat, ſanatum fuiſſe refert Corn. Gemma Coſmocritic. lib. 1. cap. 6. Et Nobilem poſt inflictum circa Hepatis regionem vulnus, ac particulâ ex ejus ſubſtantia abſciſsâ, extractaque, ſanum evaſiſſe, ſcribit Bertinus Med. lib. 13. cap. 7. Idem obſervarunt Hildanus Cent. 2. Obſ. 34. Matthias Glandorpius in Spec. Chirurg. Obſ. 34. Sed hæc ſunt naturæ miracula, qualia in curationibus aliquandò contingere, olim Averroës tradidit.

XVII. Lienis Vulnera eodem ferè modo ſe habent, ut Hepatis, atque lethalia ſemper obſervantur.

XVIII. De

XVIII. De Renum Vulneribus quæritur, ſintne ea lethalia? Reſp. profunda Renum Vulnera abſolutè & ex neceſſitate eſſe lethalia, atque ex centum ita vulneratis vix unum ſanitatem recuperare. Quæ quidem lethalitas non procedit a Renum nobilitate aut præſtantia; ſed à ſymptomatum ſyndrome, uti à magna hæmorrhagia, vaſorum diſſectione, urinæ obſtructione, ejuſvè continuo effluxu, inflammatione, dolore, & quidem præcipuè ab abſceſſu, ac exulceratione ob acris ſeri tranſitum vix curabili; aliiſque, quæ Ægrorum vires ad mortem uſque conterunt. Renes quippe licet non ſint partes principes, ſunt tamen tales, quarum uſu carere non poſſumus; quo ſublato, vel graviter ſaltem impedito, vita tollitur. Contigit quidem nonnullos Renibus vulneratos aliquamdiu ſupervixiſſe, & minus peritis ſanatos viſos fuiſſe, ſed tandem tamen ſuperſtites abſceſſus Ægros è medio ſuſtuliſſe. Sic Fallopius, Corn. Gemma, Dodonæus, Foreſtus, Valleriola, aliique, varia referunt Renibus vulneratorum exempla, qui aliquot annos ſupervixerunt; tandem verò ex iſtis vulneribus mortui ſunt. Quod autem alii citius, alii tardius fatis cedant, fit prout illa vulnera magis minuſvè profunda, & ſymptomata majora vel minora fuerint.

XIX. Inſuper in catalogo vulnerum lethalium apud Hippocratem reperiuntur Veſicæ Urinariæ Vulnera. Diſtinctione tamen hîc opus eſt. Nam quod Collo Veſicæ infligitur vulnus ſanari poſſe, docet Litothomia. At Fundo ejus vulnerato, atque penitus perfoſſo, ire ſolet Patiens, unde redire negant quenquam.

XX. Tandem occurrunt & Venarum, Arteriarumque Majorum Vulnera, quæ ſæpius ſunt lethalia. Namque cùm ligaturâ conſtringi nequeant, cruore immodicè effuſo, vires ſubitò dejiciuntur, & Patiens plerumque extinguitur. Equidem cum Chirurgus alius melius alio vulnus claudere poſſit, cauſa mortis in Vulnerantem non ſemper conjicienda.

Vulnera Nervorum Majorum ferè incurabilia ſunt, quandoque lethalia.

Vulnera Venenatis Inſtrumentis aut Animalibus inflicta ferè ſemper lethalia ſunt.

XXI. Atque hæc ſunt vulnera, quæ Hippocrates lethalia eſſe rectè ſcribit. Quorum tamen, ceu dixi, quædam ſunt abſolutè vel omninò lethalia, quædam ſimpliciter lethalia. Abſolutè vel ex neceſſitate lethalia Farinacæus tit. de homicid. quæſt. 125. definit, quæ non requirunt curam & conſilium Medicorum; ſed ſunt talia, è quibus Vulneratus ſtatim moritur, hoc eſt, ob quæ, quamvis omni arte & induſtriâ curentur, Æger nihilominus moritur. Lethalia ſimpliciter, id eſt, non omninò mortalia, vel ad mortem certa, idem Farinaceus deſcribit, ex quibus Vulneratus non ſtatim moritur, & ex quibus quandoque etiam non moritur.

XXII. Quæ igitur vulnera ſimpliciter tantum lethalia ſint, hoc eſt, è quibus etſi aliqui interdum convaleſcant, hic vel ille tamen ex iis revera mortuus dici poſſit, ex ſuperioribus abundè patet. Hoc equidem addendum, ex eventu maximè judicari, an vulnus actu lethale fuerit. Nam etſi robuſtus aliquis, aut aliàs exactè ſanus ex vulnere convaluerit; tamen non neceſſarium eſt, ut ex ſimili vulnere ſenex, puer, vel debilis quiſpiam convaleſcat: ſed licet ille à ſimili vulnere ſanatus fuerit, hic ex eo neceſſariò mori poteſt. Enimverò ex præcedenti ſtatu Vulnerati vulnus accipitur conjecturâ majoris aut minoris periculi: vulnera namque quæ fiunt in corporibus morboſis, cacochymicis, convaleſcentibus, valetudinariis, magis abſque dubio periculoſa ſunt; & idcircò non malè Juriſconſulti voluerunt, Vulnerantem infirmum, ſi ille decedat, teneri de homicidio, etiam vulnere non exiſtente mortali. Nam quamvis vulnus per ſe non mortale poſſit fieri lethale ex corporis vulnerati impuritate, videtur tamen Vulnerans dediſſe proximam cauſam mortis, ut in caſu de quo Manardus lib. 6. Epiſt. Medic. 1. in quo cùm superveniret Vulnerato, duobus vulneribus læſo non quidem mortaliter, ut ipſe probat, Eryſipelas, ob corporis impuritatem mortuus eſt die quarto decimo; cumque unuſquiſque huic periculo ſubjici poſſit, non videtur ullo modo Vulnerans excuſandus, præſertim ſi deliberato animo occidendi vulneraſſe conſtet; ſi lethalibus non exiſtentibus vulneribus, Vulneratus ex corporis impuritate decedat, ex qua tamen abſque inflictis vulneribus non deceſſiſſet: qui enim cauſam damni dat, damnum feciſſe videtur; at Juriſconſultis hæc decidenda relinquimus.

XXIII. Inſuper quæritur hîc, an vulnus, quod ex ſua natura nequaquam lethale ſit, poſſit incuriâ Medentis, vel ipſiuſmet Vulnerati, & per accidens, fieri lethale? Res hæc videtur magni momenti, quia etiamſi quando vulnus eſt abſolutè & ex ſua natura lethale, non excuſatur Vulnerans ex malo regimine, aut ex negligentia & imperitia Medicorum, ſed omninò de homicidio tenetur; quòd dominetur præſumptio, Vulneratum ex vulnere deceſſiſſe. At verò ſi vulnus fuerit ambiguum tam ad ſanitatem, quàm ad mortem, & Vulneratus non adhibuerit Medicum; aut adhibuerit Imperitum; aut ſi ſuâ ipſius negligentiâ & inobedientiâ mortuus fuerit, tunc Vulnerans de homicidio non tenetur, cùm ſuâ ipſius culpâ præſumatur mortuus. Semper enim præſumptio militat, quòd vulnere non exiſtente ex neceſſitate lethali, Vulneratus ex vulnere non deceſſerit; quoniam mortis præſumptio ex vulnere ſumi debet non ſimpliciter ex vulnere, ſed ex aliis quamplurimis, quæ vulneri conjungi conſueverunt. Sunt autem hæc reducenda vel ad Medicum, vel ad Ægrotum, vel ad externa.

XXIV. Quoad Medicum, vel Chirurgum; vulnus non lethale aliquandò occidit, ſi ex ignorantia ille non noverit vulneris qualitatem; ut in caſu, de quo Langius; ubi Chirurgus curaturus ſauciatum in capite equitem cum cranii fractura, vulneris exiguitati fiſus, cranii fracturæ nullo modo medicatus eſt, unde Vulneratus eum ob errorem è medio ſublatus, aliàs forſan non periturus. Haud abſimilem caſum citat Foreſtus lib. 6. obſervat. 2. de vulnere non lethali, ex quo tamen Æger Medici culpâ interiit. Idem quoque antè

biennium à nobis viſum fuit in Ruſtico, qui vulneratus in ſiniſtro thoracis latere, hinc difficulter ſpirans, à Medico ac Chirurgo ut Pleuriticus curatus, vulnere ferè neglecto, obiit. Namque eadem ratione, ſi Medicus neſciat opportuna adhibere remedia, aut adhibeat contraria, Ægrum perimit.

XXV. Quoad Ægrotum; manifeſtum eſt, ejus culpâ id ipſum ſuccedere poſſe, ut ſi Medicum non adhibuerit, aut adhibuerit Imperitum; cùm paria ſint, Medicum non adhibere, aut adhibere Imperitum. Farinaceus de homicid. quæſt. 120. ſect. 4. num. 76. Imò præſtat Medicum non habere, quam Inexpertum habere. Roder. à Caſtro Med. Polit. lib. 1. cap. 7. Si item medicamenta opportuna ſibi adhiberi non permiſerit, aut quicquam moliri circa ſe renuerit, quod erat ad ſanitatem neceſſarium: ſi contra Medicorum ſententiam aëri ſeſe expoſuerit: aut ſi quomodocunque in uſu ſex rerum nonnaturalium inſigniter peccaverit. Equidem non quilibet error Vulnerati hac in re culpari poteſt, ſed debet eſſe notabilis. Farinac. loc. cit. quæſt. 116 num. 25. Et eo inſignior, quo magis leve ac tutum vulnus à peritioribus judicatum fuerit; tunc enim oportet, ut talis ſit negligentia, & tales ſint errores in victu & medela, ut evidenter conſtet, ex eorum vitio Ægrum deceſſiſſe. At tunc quidem debent periti Medici de erratis hiſce judicare, ac nominatim determinare, quòd hic error cum hoc vulnere, tametſi non eſſet mortale, potuerit mortem accerſere.

Inſuper ex mala corporis Vulnerati conſtitutione, vulnuſcula aliquandò nullius momenti, & è quibus plurimi convaleſcunt, nonnullis poſſunt eſſe lethalia: ſic de Philæ puero ſcribit Hipp. lib. 7. Epidem. quòd ex ſola oſſis denudatione in fronte, uno die febre ſuperveniente, & oſſe livore contracto, mortuus fuerit. Idem refert Theodori cujuſdam puerum ex oſſis denudatione nullius penè momenti, die vigeſimo tertio mortuum eſſe. Et magnæ navis Præfectum quendam, cùm anchorâ manus dextræ indicem & os colliſiſſet, inflammatione ac convulſione ſuperveniente, decimo tertio die vitam cum morte commutaſſe. Telephanem quoque ex Harpeli liberta filium, plagam in pedis pollice accepiſſe, ex eaque inflammationem, vehementemque dolorem conſecutum fuiſſe, quo remittente, Ægrum in convulſionem incidiſſe, & tertio die mortem obiiſſe. Refert Foreſtus lib. 6. Obſervat. Chirurg. 50. Conſulem quendam Alcmarinum, cùm pedes more ipſi conſueto lavaret, & callum ſub pedis planta cultello abradere & abſcindere ſtuderet, ſe vulneraſſe, & ſtatim ſubſequente ſpaſmo extinctum fuiſſe. Et Obſerv. 49. quendam tibiam ad rem duram alliſiſſe, ipſamque cum contuſione & vulnere læſiſſe, quem deinde ſuperveniens gangræna ſuſtulit. Hildanus quoque Cent. 5. Obſervat. 2. duo recenſet exempla, unum de Operario, qui ſpinâ pedem punxit; alterum de Fœmina, quæ ſpinâ apicem indicis dextri vulneravit, qui ambo ſuperveniente gangrænâ mortui ſunt. Johan. Matthæus quæſt. 27. ſcribit, quendam graſſatorem in humero haud adeò profundè vulneratum, mortuum fuiſſe: alium quoque in Comitatu Oldenburgico, in media femoris regione cultello leviter vulneratum; confeſtim interiiſſe. Et Horatius Augenius tom. 1. lib. 9. epiſt. 2. plures eorum recenſet hiſtorias, qui ex parvo & levi vulnere perierunt. Atque hujus rei exempla alibi etiam paſſim nota ſunt, inprimis apud Jobum Meekeranum in Obſervationibus Chirurgicis.

Tanti igitur faciendus morboſus corporis apparatus in vulneribus, ut non ſolùm in mediocribus, ſed & in minimis maxima ejus ratio ſit habenda, cùm facilè ejus culpa poſſit minimum vulnus, & ſalutare alioquin, pravitatem contrahere, ex qua deinceps Ægrum perire facillimum eſt.

XXVI. Quoad externa; multa ſunt, quæ mortem ex non lethali vulnere adferre poſſunt: viz. ipſa armorum qualitas, aër externus, regio, temporis conſtitutio, & alia de quibus abundè dictum fuit.

Eninverò ſi gladius, vel telum, aut quodcunque, quo vulnus inflictum eſt, inſtrumentum ſit venenatum, leve etiam vulnuſculum mortem adferre poteſt.

Dein aëris conſtitutio, ac loci proprietas hîc peculiarem vim habent. Sic capitis vulnera, quæ in multis locis lethalia non ſunt, in aliis obſervantur lethalia. Scribit Vidus Vidius lib. 6. de curat. morbor. cap. 90. Florentiæ vulnera capitis pleriſque eſſe lethalia, & cauſam refert in aërem frigidum tenuem; Piſis verò, & Lugduni paucos ex iis interire, cùm cœlum ibi ſit craſſius. Amatus Luſitanus Cent. 5. Curat. 100. inquit Florentiæ & Bononiæ capitis vulnera eſſe periculoſa, non ita Raguſæ. Et Ambroſius Paræus teſtatur, Lutetiæ quàm Avenioni capitis vulnera eſſe difficiliora. Et ſic de cæteris. Quæ utrum ejus momenti exiſtimanda ſint, ut reum ab homicidio excuſare queant, non leviter dubitandum: illud certum eſt, non eſſe talis ponderis, ut promiſcuè in quocunque leviſſimo vulnere mortis cauſa eſſe poſſint: in mediocribus tamen vulneribus multum cooperari haud dubitandum, ex quibus Juriſconſulti cætera decidere poſſunt, quæ ad id negotium facere videntur.

De Vulnerum Curatione in genere.

I. In quolibet morbo curando prima Indicatio ab ipſius Affectus eſſentia deſumi ſolet, quæ præcipit & oſtendit Contrarium per ſuum Contrarium eſſe tollendum. Et hoc eſt, quod innuere videtur Galenus, quum lib. de Artis « Conſtitutione ſic inquit: quare generaliſſi- « mus curandorum morborum ſcopus erit, « contraria contrariis remedia eſſe, & particu- « laribus particularia contraria.

II. Vulnus ergò, cùm ſit Solutio Continui, indicat Unitionem, ſicut quælibet alia continui ſolutio. Etenim hæc ſoluta unitas, partes, quæ ſejunctæ ſunt, uniendas eſſe præcipit, quatenus quidem Vulnus ſimplex eſt. Si verò alii affectus, ſeu morbi, ſeu cauſæ, ſeu ſymptomata vulneri conjungantur; tot dantur indicationes, quot ea ſunt, quæ ita affectum compoſitum conſtituunt.

III. Si aliquid de ſubſtantia carnis amiſſum, ſit

ſit, duplex datur indicatio; ſcilicet id quod diviſum eſt, uniendum; quod deeſt, regenerandum. Si cutis & caro contuſæ ſint, quod contuſum eſt in pus mutandum, ut abſcedat. Et ita de reliquis affectibus, quæ vulneri conjunguntur, ſeſe res habet.

IV. Hæc verò Unio, quæ eſt prima & generalis Vulnerum Curandorum Indicatio, ſolius naturæ opus eſt; hujuſque unius operâ partes vulneratæ, ut & fractæ, disjunctæ iterum coaleſcunt & conglutinantur. Cùm autem ad id medium quoddam, & quaſi gluten requiratur, utitur natura ipsâ materiâ, quâ partes nutriuntur, ſanguine ſcilicet, continuò in partem propulſo; qui in poris parietum & labiorum vulneris hærens, in ſubſtantiam parti vulneratæ ſimilem mutatur: atque ita ejus, ceu naturalis cujuſdam balſami, beneficio, quæ disjuncta erant coaleſcunt, & ex duobus unum fit, haud ſecus ac taleolæ arbori inſertæ cum eadem arctiſſimè uniuntur. Atque hoc quidem opus, etſi ſolius naturæ ſit; Medicus tamen hac in re naturæ miniſter eſt, ac niſi Medicus naturæ ſubſidio veniat, ipſa in multis fine ſuo fruſtratur, nec conglutinationem moliri poteſt.

V. Ea autem quæ Medico hac in re agenda ſunt, ad quatuor capita reduxit Galenus Art. Med. cap. 90. ubi ſic inquit: « coaleſcere facit ea quæ invicem diſtant, & priſtinam unitatem reſtituit ipſa Natura, noſtrum verò opus eſt, applicare extrema diſtantium partium, atque in unum coacta conſervare, & tertio hoc cavere, ne quid labiis vulneratis incidat, & quarto ipſam partis ſubſtantiam ſalubrem conſervare.

VI. Atque ita in Vulnerum Curatione quatuor à Galeno recenſentur Medici officia, idque haud immeritò: namque ut Medicus ſuum finem ac intentionem, hoc eſt, ſolutæ unitatis unionem, conſequatur, laborandum 1. Ut omnia ſymptomata vulneri ſupervenientia, quæque unitionem impedire poſſunt, tollantur. 2. Ne quid extranei in vulnere & inter labia ejus hæreat, vel relinquatur. 3. Ut dehiſcentes vulnerum partes conjungantur, conjunctæque ita ſerventur. 4. Ut partis vulneratæ temperies & robur conſervetur.

De Vulnerum Symptomatibus.

I. Primam itaque Indicationem in Vulneribus Curandis diximus, Accidentium ſive Symptomatum Correctionem, quæ admodum neceſſaria eſt, cùm nullo pacto vulnera perfectè curari ac ſanari queant, niſi Symptomata, quæ ea conſequuntur, abigantur & profligentur; ſuntque aliquandò tam magna, ut ad ſe totam trahant curationem: inter quæ primò numeratur ingens Sanguinis Profuſio, quæ non ſolùm vires dejicit, atque vitam interdum homini eripit, ſed & curationem impedit. Quamdiu namque ſanguinis fluxus continuatur, in curatione nihil proficitur. Accidit autem Hæmorrhagia vulneratis arteriis aut venis, vel majoribus, vel minoribus.

II. Igitur Vulnere inflicto ſi modicè ſanguis fluat, permittendum ut tantum effluat, quantum commodum videbitur. Quod ſi immodicè cruor profluat, ut vires dejiciat, quamprimum ſiſtatur. Eum in finem omnia ea præſtanda ſunt, quæ motum ejus impedire ac inhibere poſſunt.

III. Impeditur ſanguinis fluxus, ſi convenientibus remediis & deligatione orificium vulneris occludatur. Occluditur verò vulneris orificium, vel labiorum vulnerati vaſis conjunctione, vel orificii obſtructione. Conjunguntur vulneris labia, vel digitis orificium vulneris tamdiu comprimendo, quouſque ſanguis grumeſcat, ac ita ipſe vaſis orificium obturat; vel faſciis vulneris orificia invicem adducendo. Sed tutiſſimum eſt, operam dare, ut orificium vaſis ſanguinem fundentis obſtruatur Linteo Carpio. Vel ejus loco vulnus impleatur Fungo iſto Orbiculari, quem Crepitum Lupi, vulgò *Boviſt* appellant.

IV. Equidem ſi huic ſoli fidere non libeat, fiat Pulvis Adſtringens, qui excipiatur Albumine Ovi; atque cum linteo carpto vel ſtupâ cannabinâ vulneri imponatur. Galenus lib. 5. meth. med. cap. 4. hoc medicamentum ad ſanguinem ſiſtendum præ reliquis commendat, & omnium quæ noverit optimum eſſe ſcribit:

♃. Thuris ℥i. Aloës ℥iß. M. F. Pulvis, qui Miſceatur cum Ovi Albumine, & pilis leporinis, vel ſtupâ cannabinâ excipiatur, ſicque vaſi læſo, totique vulneri imponatur. Poſſunt & alii Pulveres Adſtringentes eum in finem præſcribi v. gr.

♃. Boli Armeni ʒii. Farinæ Volatilis ʒß. Maſtichis, Thuris, Cap. Mort. Vitrioli an. ʒi. M. F. Pulvis, Albumine ovi excipiendus.

♃. Gallarum ℥ii. Boli Armeni ʒii. Terræ Lemniæ ʒiii. Vitrioli Cyprei ʒß. Aluminis Crudi ʒi. M. F. Pulvis.

Hildanus lib. de Gangræna & Sphacelo cap. 19. ſuum pulverem valdè extollit, cujus deſcriptionem dedimus lib. 1. cap. 17. pag. 106.

Hiſce ita vulneri impoſitis conveniens ſuperinjicienda ligatura. Neque ab uſu horum medicamentorum deſiſtendum, donec caro quæ gignitur, circa vas ita ſit producta, ut ejus orificium claudat. Hoc enim niſi fiat, ſemper metuenda eſt hæmorrhagia.

V. Quod ſi nec hiſce ſiſtatur ſanguinis effluxus, Cauſticis nonnulli utuntur, quæ cruſtam inducunt, cujus beneficio vaſis orificium occludunt. Quo in caſu quidam laudant Liquorem Stypticum, momentaneâ coagulatione miraculosè ſanguinem ſiſtentem, quem tradidimus quoque lib. 1. cap. 17. pag. 106.

Si ne ſic quidem ſanguinis fluxus ſiſti poſſit, admoveatur Cauterium Actuale. Sed de hiſce latior erit dicendi occaſio, ubi de Vulneribus Arteriarum & Venarum ſumus dicturi.

VI. Non rarò quoque vulneribus ſupervenit Inflammatio, vel quum parum ſanguinis profluxerit, quod ſcribit Hippocrates lib. de Ulceribus: « Si ſtatim pro valetudine ſanguis plus minuſvè à plaga fluxerit, & ipſum vulnus, & quæ juxta ſunt, minus inflammatione premuntur; vel ratione partis læſæ, ut ait Celſus libro quinto capite vigeſimo ſexto, ſic vulneribus partium nervoſarum ut plurimum Inflammatio accedit, cùm ob dolorem ſanguinis ad partem affectam affluxus concitetur.

Si ergò ſanguis non ſatis fluxerit, atque

Inflammatio metuatur, vel jam adſit, Vena Secanda, & pro viribus Ægrotantis ſanguis evacuandus: quamprimum namque ei occurrendum, cùm vulnus ſanari nequeat, niſi inflammatio tollatur.

VII. Sæpiſſimè etiam Dolor vehemens vulneribus accidit. Etſi enim nullum fere vulnus ſit ſine dolore; equidem non rarò ille tollerabilis eſt: interdum verò planè vehemens, id quod fit maximè cùm nervi, parteſque nervoſæ vulneratæ ſint. Hic quamprimum ſedari debet; cùm excitet vigilias, vires dejiciat, nec non humorum in partem affectam affluxûs, inflammationis, febris, gangrænæ, cauſa ſit.

Sed quum non ſemper eandem ob cauſam Dolor accidat, ſi medicamenta acria nimis, & calida illum produxerint, mutentur illicò. Si extremum aliquid vulneri inhæreat, aut turunda nimis longa vel craſſa ſit, aut oſſis fragmentum vicinas partes pungat, extrahatur. Si à puris retenti copia Dolor proveniat, liber exitus ipſi detur. Inflammatio ſi Doloris cauſa ſit, Venâ Sectâ, imponatur hoc vel ſimile Cataplaſma,

℞. Herb. Malvæ, Althææ, Violariæ, Flor. Sambuci, Camomillæ an. M i. Coctis in aqua pura ad mollitiem, & contuſis adde, Farinæ Hordei ℥iß. Fabarum, Lini an. ℥i Pulv. Croci ʒß. M. F. Cataplaſma.

VIII. Inter Symptomata quæ vulneribus accidere ſolent, obſervatur & Pruritus, qui etſi leve videatur ſymptoma, tamen quia hoc etiam Ægrotantem torquet, & ſi partem ſcalpat, vel inter dormiendum fricet, periculum eſt, ne immodicè è vulnere profluat cruor, vel doloroſa accedat partis excoriatio, vel humorum ad partem affectam concitetur fluxus; ideo removendus, præſertim quum à ſaniei acrimonia ut plurimum procedat. Igitur pars affecta aquâ tepidâ perfundatur ac abluatur; vel potius calidum applicetur fomentum, identidem renovandum, ut apertis poris materia pruritum excitans diſcuti facilius, ac evacuari poſſit: vel illinatur Unguentum Nutritum, aut Album Camphoratum, aut ſimile.

IX. Inſigne etiam, & periculoſum Symptoma ſæpè vulneribus accidit, Convulſio ſeu Motus Convulſivus; qui hîc fit vel à nervorum punctura, eorumque ingenti dolore; vel ab acri humore aut vapore partem nervoſam vellicante: ad quem expellendum inſurgens natura, irregularem ſpirituum in nervos influxum, ceu eorundem exploſionem excitat, hinc & partium contractionem ſpaſmodicam ciet. Sunt autem ſatis periculoſæ Convulſiones in Vulneribus. Hippocr. Sect. 5. Aphor. 2. 3.

Qua ratione verò Spaſmodicæ Affectiones ſint Curandæ, non hujus loci eſt indagare. In Convulſione tamen Vulneri ſuperveniente hoc Unguentum laudat Barbette.

℞. Olei Limacum, Lumbricorum, Seſamini an. ℥i. Ping. Vulpis, Arietis an. ℥ß. Butyri Inſulſi ʒvi Spir. vini ℥iii. Coq. ad Spir. vini conſumptionem, add. Olei Spicæ, Roſmarini, Succini an. ʒii. Miſceantur. Adhæc Balſamus Sulphuris, Balſamus Peruvianus, Oleum Therebinth. Oleum Petræ. Oleum Philoſophorum, & ſimilia valdè commendantur,

Si ab ingenti Dolore accedat Convulſio, ejus cauſa tollenda Verùm à Nervi, Partiſvè Nervoſæ Punctura aut Morſu Convulſis quomodo ſit ſuccurrendum, in ſequentibus, de nervis tendinibuſque punctim vel cæſim vulneratis, exponemus:

X. Interdum & Caro in vulneribus luxuriat Fungoſa, & ultrà modum excreſcit; quæ efficit, ut cicatrix vel turpis fiat, vel nulla. Accidit autem Medentis negligentiâ, qui minus quàm par eſt, ſiccantia medicamenta adhibuit. Quod ergò ſuperfluum eſt, tollendum, ut vulnus cicatrice, claudi queat. Eſtque hoc opus Medici, qui medicamentis fortiter ſiccantibus, detergentibus, ac ſi opus ſit, etiam nonnihil erodentibus carnem ſuperfluam abſumit. Eum in finem inſpergatur Pulvis Rad. Iridis Florentinæ, vel Pulvis ex æq. part. Ochræ & Sabinæ, vel Alumen Uſtum, vel Mercurius Præcipitatus Ruber, Quidam ſequentia commendant:

℞. Aluminis Crudi, Viridis Æris an. ʒii. Coq. in Vini ℥xviii. ad quartæ partis conſumptionem, colat. add. Camphoræ ʒ i. Miſceantur.

℞. Gallorum, Balauſtiæ, Thuris, Myrrhæ, Aluminis Uſti an. ʒi. Ceruſæ, Æruginis, Sanguinis Draconis an ʒß M. F. Pulvis.

XI. Febris, quæ frequenter admodum vulneribus accidit, plerumque Symptomatica eſt, adeoque nec ita metuenda; quippe quæ rarò peculiarem ſui curationem requirit.

De Rebus Alienis è Vulnere eximendis.

I. Deinde ut Vulnus ritè Curetur, animadvertendum ne quid extraneum illud ingrediatur; atque ideò quando Pili circa vulnus ſunt, ii tondendi vel radendi, vulnere prius molli linteo vel filamentis repleto, quoniam intra id ſi incidant, atque non extrahantur, glutinationem impediunt. Nonnunquam etiam intrà vulnus reperiuntur ſanguinis grumi, pili, oſſis particula aſpera & pungens, calx, arena, terra, vel telum aliquod, ut ſagitta, vel mucro, vel ſpina, vel arundo, vel globulus plumbeus, vel ſimile.

II. Ex hiſce ſi quid intrà vulneris labia hæreat, ejus glutinationem impedit, adeoque id totum extrahendum. Quod ut fiat, vulnus, niſi ſatis hiet, dilatandum, quantum opus fuerit, modò ne magnæ arteriæ aut venæ, nervi, tendineſvè ſecentur. Atque ſi adſit Sanguis in grumos concretus, is expreſſione, ſuctione, aliovè modo auferri debet; ita enim & minus puris generabitur; & ſymptomatum copia minor notabitur. At verò quamdiu hæmorrhagiæ metus eſt, cruor omnis ex vulnere eximi non debet.

III. Quum verò Pili, vel Calx, vel Arena, vel Terra, vel quid ſimile intrà vulnus reperiatur, Vino Calido id abluendum, & abſtergendum.

Oſſicula fracta mobilia ſi ſint in vulnere, prima in deligatione eximantur, niſi hæmorrhagia inhibuerit; ſi verò aliis oſſibus adhuc adhæreant, naturæ conatus expectandus, & videndum an ea iterum cum reliquo oſſe unitura, an ſeparatura ſint.

IV. Sin Vitrum fractum, Spina, Feſtuca, Sagitta, Globus Plumbeus, vel aliud genus armorum, quo vulnus inflictũ eſt, ei inhæreat, leniter ac jucundè

vel

vel digitis, vel volſellâ, vel forcipe, ſimilivè inſtrumento, prout res poſtulare videtur, apprehendi & evelli debet. Sed priuſquam extractionem hanc tentet Chirurgus, videndum an Æger, extracto tali alieno corpore, vivere poſſit, ne Is mortem Patienti accerſiſſe dicatur.

V. Modum verò Globulos Plumbeos extrahendi quod ſpectat; primùm perpendere oportet, num globulus tam altè carni inſederit, ut oppoſitæ parti magis ſit vicinus, & per cutem, aut ſubjectam quoque carnem exterius tangatur: ſolet enim ad tactum apparere ex duritie & figura, tuncque incidere partem oppoſitam oportet, & globulum ita recipere. Quòd ſi tam altè non inſederit, ita ut exitus ejus ex parte oppoſita commodè haberi nequeat, tunc ſpecillo per vulneris foramen, & globuli ingreſſum tentetur, globuloque reperto, utcunque longum ſit ſpiritum, tentandâ ejus extractio forcipe, vel volſellâ, quæ ſerratâ extremitate eundem apprehendit, vel inſtrumento apud Hildanum Cent. 1. Obſerv. 88. depicto.

Quod ſi globulus ſpecillo non obſervetur, uti non raro evenit in vulnere profundiſſimo, membrum ita collocandum, ut ſuo pondere ſimul cùm pure exire poſſit. Hoc ſi non fiat, vulnus curetur, expectetque Chirurgus, donec circa cutem ſeſe manifeſtet globulus, quod non raro poſt longam annorum ſeriem demum fieri ſolet. Et ſcribit Skenckius Obſerv. Medic. lib. 5. Juvenem quendam æneo tormento ictum excepiſſe tribus ſub ventriculo digitis, globulo in viſcera adacto; eumque paucos cis dies, emiſſo per anum globulo, nullaque noxâ ullo in viſcere relictâ, ſanatum fuiſſe. Simile exemplum refert Paræus, de milite, qui nono poſt inflictum vulnus die glandem per anum excrevit, & planè intrà tres dehinc hebdomadas convaluit. De globulo plumbeo menſes ſex, nullo ſuperveniente ſymptomate, inter cranium & craſſam menyngem detento, exemplum ſingulare habet Hildanus Cent. 2. Obſervat. 2. Idem Cent. 3. Obſervat. 67. ſcribit, globulum plumbeum, ictu ſclopeti in vacuum veſicæ immiſſum, triginta poſt annos calculosâ materiâ, ovi molem adæquante, obductum inventum fuiſſe. Atqui audire Eundem; quum Cent. 1. Obſerv. 88. ita inquit: « Non rarò globuli plumbei ſclopeto projecti « per multos annos in parte aliqua corporis « ſine dolore, aut alio aliquo incommodo « deliteſcere poſſunt. Eſt tamen aff ctum officium rationalis Chirurgi extrahere quicquid extraneum eſt in vulneribus, nec idcircò ullo modo in iis relinquendus eſt globulus: donec enim vel minima etiamnum feſtuca, aut oſſis fracti ſquamma; vel ſimile quid extraneum parti inhæſerit, vulnus incurabile exiſtit. Globulus verò, ſi nonnunquam ob peculiarem plumbi facultatem in corpore remaneat, longam & difficilem reddit curationem, propterea quod ægrè carne obduci poſſit globulus. Prætetea ſi globulus in partem aliquam nervoſam projectus fuerit, & nervum, vel tendinem, vel membranam compreſſerit, maximos excitabit dolores; hinc varia & prava accidentia. Si circa « ventris alicujus regionem lateat globulus, « metuendum, ne temporis ſucceſſu in ventrem « ipſum penetret, & de novo morbum excitet; « mutat enim ſitum & locum propter pondus. « Si remanſerit globulus ſubter vaſe quodam, « & callosâ ſubſtantiâ fuerit obductus, periculum eſt ne comprimat adjacentia vaſa, & « membri extenuationem ac interitum producat. Hactenus ille.

VI. Eodem ferè modo extrahuntur Sagittæ. Et licet inter Chriſtianos milites hodiè non uſurpentur tela, Medici tamen ac Chirurgi intereſt ſcire, qua methodo in corpus immiſſa extrahi debeant. Hæc ritè extrahere ſatis difficilis eſt operatio, oriturque illa difficultas ex loco potiſſimum, in quem in corpus immiſſa penetraverunt. Modum equidem quæcunque tela è corpore extrahendi accuratè tradit Celſus lib. 7. cap. 5. « Omne autem telum extrahitur, aut ab ea parte qua « venit, aut ab ea in quam tetendit. Illic « viam qua redeat, ipſum ſibi fecit. Hic à « ſcalpello accipit. Nam contrà mucronem « caro inciditur. Sed ſi non altè telum inſedit, « & in ſumma carne eſt, aut certè magnas « venas & loca nervoſa non tranſiit, nihil melius eſt, quàm qua venit, id evellere. Si verò « plus eſt, per quod telo revertendum, quam « quod perrumpendum eſt; jamque venas « nervoſque id tranſiit, commodius eſt aperire quod ſupereſt, itaque extrahere. Nam « & propius petitur, & tutius evellitur, & « in majore membro ſi medium mucro tranſiit, facilius ſaneſcit quod pervium eſt, quia « utrinque medicamento fovetur. Sed ſi retrò « telum recipiendum eſt, amplianda ſcalpello « plaga eſt, quo facilius id ſequatur, quoque « minor oriatur inflammatio: quæ major fit, « ſi ab illo ipſo telo dum redit, corpus laniatur, &c.

Hoc modo igitur extrahitur telum; vel manibus, ſi foràs promineat, & in ſola carne infixum ſit; vel volſellâ, cùm profundius inhæreat; vel aliis inſtrumentis, cujuſmodi ſunt forcipes longæ, denticulatæ, rectæ, incurvæ, extremâ parte latæ, rotundæ, quibus recentiores Chirurgi varia nomina à figura indiderunt, & Roſtrum Corvinum, Ciconeæ, Anatis, Anſeris appellarunt, quorum icones habentur apud Johan. Andr. à Cruce, & Ambr. Paræum. Sed de telorum extractione plura videantur apud Celſum loco citato, & Paulum Æginetam lib. 6. cap. 88.

VII. Si verò Oſſis fruſtulum, vel Spina, vel Feſtuca, vel quid ſimile carni inhæſerit, quod nec in manu, nec inſtrumentis extrahi poſſit; id medicamentis hac vi præditis extrahendum multi volunt, qualia dicuntur Dictamnus, Gummi Galbanum, Sagapœnum, Pix, Axungia Leporis, Mus Vivus diſſectus, Muſcæ Vulgares, Stercus Anſeris, Magnes, Fermentum Acre, Emplaſtrum Opodeldoch, & plura alia; è quibus præparantur Emplaſtra, quæ videri poſſunt apud Fallopium, Peccettum, Sennertum, Barbette, alioſque. Sed talia, utpote parvi momenti, & forſan nullius utilitatis, lubenter negligimus.

VIII. Atqui cùm nulla arte telum, vel quicquid armorum eſt, è vulnere extrahi poſſit, totum

totum negotium naturæ committendum, quæ non rarò miracula hîc præſtat, & præter naturam corpori immiſſa, per vias qnaſcunque poteſt, expellit. Cujus rei hiſtoriæ paſſim occurrunt. Sic Hippocrates lib. 5. Epidem. cuidam, qui juxtà inguen ſagittâ percuſſus fuerat, cuſpidem poſt ſex annos eduxit. Et Hildanus cuidam cultrum, qui ſpinæ dorſi infixus erat, poſt biennium extraxit, Cent. 1. Obſerv. 62. Simile quid ſe vidiſſe refert Sennertus prax. lib. 5. part. 4. cap. 5.

Modus quo Vulneris Labia ſint conjungenda, conjunctaque ſervanda.

I. Tertium quod in Vulnerum Curatione neceſſarium pronuntiavimus, eſt, ut diviſa ac disjuncta vulneris labia ad ſe invicem adducantur, adductaque conſerventur, quo poſſit natura, mediante naturali quodam balſamo, eadem arctiſſimè unire, haud ſecus ac taleolas arbori inſertas cum eâdem coaleſcere videmus.

II. Fit autem Adductio hæc vel Deligaturâ, vel Suturâ, vel Glutine, vel Inſtrumento Comprimente: his omnibus vel ſimul, vel ſeparatim uti poſſumus. Deligatura, Sutura, & Inſtrumentum Comprimens, ſunt materiæ antiquitus inventæ; Glutinum verò, ſeu Gluten eſt materia à poſterioribus excogitata.

III. Deligaturam ſeu Faſciationem quod ſpectat; ea nonnunquam ſufficit in vulneribus artuum ſecundùm longitudinem factis, & non admodum profundis; atque ubi ſperamus, ſolâ deligaturâ vel faſciatione vulneris labia conjungi poſſe, non temerè inſtituenda eſt ſutura. Sit autem faſcia linea, nec dura nimis, nec mollis, cujus latitudo ea eſſe debet, ut ſemel injecta non vulnus tantùm, ſed & utrinque aliquid ad oras ejus comprehendat. At longius ſi fuerit vulnus, melius anguſtâ & ſtrictâ faſciâ, hoc eſt, trium circiter digitorum, deligatio perficitur. At ligatura hæc nec nimis laxa ſit; nec nimis arcta: ſi enim laxior ſit, non continet adducta vulneris labia; ſin ſtrictior, dolorem, humorum affluxum, atque inflammationem parit. Terminus ergò adſtrictionis bona erit Ægri tolerantia. Sed ut facilior fiat labiorum in magnis vulneribus adductio, adhibeantur inſuper Splenia utrinque labia comprimentia.

IV. Alterum inſtrumentum quo vulneris labia adducuntur, adductaque conſervantur, eſt Sutura; quæ per Acum fieri ſolet. Optimum foret, Chirurgum acu nunquam indigere: ſic enim Æger à dolore, vulnus ab inflammatione, ipſeque Chirurgus à variis moleſtiis liberaretur. Equidem res nonnunquam exigit potiſſimum in vulneribus tranſverſim inflictis; aut cùm faſciationem locus affectus non patitur; aut ubi particula nondum à ſuo continente ſeparata eſt, ſed per tenuem adhuc cutis portionem eidem adhæret.

V. Ad Suturam igitur ritè inſtituendam opus habemus Acu Triangulari cujus cuſpis nonnihil incurva ſit; Filo cerâ oblito; & Canali extremâ parte Feneſtrato, cui vulneris labium innitatur, ne in hanc aut illam partem, dum acus adigitur, commoveatur.

VI. Fit autem Sutura hoc modo: in medio vulneris acu duplex filum ceratum trahente, ſi vulnus ſit magnum, vulneris labia transfiguntur, & facto nodo, filum paulò ſupra nodum reſecatur. Hæc ſuturæ ſpecies uſu venire poteſt in vulneribus ſuperficiariis, quæ cutem non excedunt; eaque interſciſſa vocatur, quod poſt ſingulos punctus facto nodo filum abſcinditur.

VII. Sed interdum Suturam inſtituimus, cùm acum unam pluresvè in carne relinquimus, iiſque filum circumglomeramus, haud ſecus ac mulieres acus in veſtibus fixas aſſervare ſolent, & ita conſuevit fieri in labiis leporinis, aut admodum profundis vulneribus.

VIII. Quandoque pellionum more, acum cum filo ſæpius traducimus & circumvolvimus; qualis ſutura debetur vulneratis inteſtinis, abdomini, & partibus pendulis.

IX. Interim verò notandum, ne nimis rara, nec nimis crebra ſit ſutura: etenim nimis rara non continet; nimis crebra dolores & inflammationes parit. Igitur tale intervallum inter unum & alterum punctum intercedat, ut cutis ducentem quaſi ſubſequatur, & oræ ipſæ ex toto ſe contingant, excepta parte exiguâ, turundæ inſerendæ inſerviente, ut puri ſuperfluo exitus detur.

X. Atqui Faſciatio ubi non ſufficit, & Sutura non neceſſaria eſt, conveniens valdè Glutinum ſeu Emplaſtrum Glutinatorium; idque adhibetur in vulneribus faciei, ad evitandam deformitatem, quam alioquin puncturæ acus adferre ſolent. Inſuper & Glutini uſus eſt in tranſverſis, & magnis, ſive longis vulneribus.

XI. Quondam fiebant Emplaſtra Glutinatoria ex pannis lineis triangularibus per habenas adductis: viz. lintea comparabantur valida, æqualia, mollia, quadrangularis, triangularis, vel alterius figuræ, prout vulneris ſitus, & membri, cui applicari debebant, natura requirebat; quæ in parte, qua vulnus reſpiciunt, complicabantur, aut ſuebantur ſubtiliter, & fila per latitudinem eorum aliquoties trajiciebantur. Iſtis linteis annectebantur anſulæ è filo duplicato vel multiplicato, & contorto, cerâ oblito, eâ diſtantiâ, quam ſuturæ habere ſolent, aut etiam minore. Linteis iſtis inducebatur Glutinum è medicamentis adſtringentibus & viſcoſis compoſitum: quæ hoc modo Glutine inducta, & anſulis ſuis inſtructa, duo utrinque ad latera vulneris, pollicis diſtantiâ, ita apponebantur, ut anſulæ ſibi rectè reſponderent, & tamdiù relinquebantur, donec glutine ſiccato lintea cuti firmiter adhærerent. Linteis cuti jam arctè adhærentibus anſulæ ſeu fila mutuo colligebantur, & conſtringebantur, ut vulneris labia ritè unirentur. Videantur Johan. Andr. à Cruce libro ſecundo tractat. 2. Paræus lib. 10. cap. 26. Guillemæus Tab. 6.

XII. Suturam verò per Glutinum applicandi modum peculiarem habet Cæſar Magatus; viz. Ceratum aliquod extendit ſuper linteum, dein ex linteo hoc tot partes longitudine digitum æquantes, vel etiam longiores, latitudine autem ligulam adſtrictoriam, in extre-

extremitatibus verò paulò latiores, quot punctura in vulnere requiri videntur, abſcindit; primamque in vulneris medio applicat, ita tamen, ut uni ſaltem lateri vulneris dimidiâ ſui parte adhæreat, reliqua libera ſit. Huic è latere oppoſito, aliam applicat; atque ita per vices procedit, unam in dextra, alteram in ſiniſtra parte applicando: poſtea partes quæ liberæ ſunt, nec dum cuti adhærent, unam quidem dextrâ, alteram ſiniſtrâ manu apprehendit, & utramque verſus labium oppoſitum contrahit, donec labia ad mutuum contactum adducantur. Hinc utramque portionem, quam manu continet, labio oppoſito, cui non adhæret, applicat, utque rectè omni ex parte adhæreant, curioſè ſtudet, ſicque in reliquis procedit, ita ut inter unam & alteram tantum ſit intervallum, quantum aliàs inter acus puncturas ſolet intercedere.

Et ſanè ſufficiunt nunc pro Glutine, Emplaſtra digiti minimi latitudine, cuti pertinaciter adhærentia; quæ adeò validè vulneri conglutinantur, ut nec ſanies, nec ſanguis, nec alia quævis humiditas Ea ſolvere queat. Quem in finem ſæpè uſurpatur Emplaſtrum Stipticum Crollii, vel aliud quoddam Glutinatorium, cujus formulæ variæ ex variis auctoribus peti poſſunt; hic tamen meritò excellit Emplaſtrum Diapalma ritè præparatum.

XIII. Hildanus lib. de Gangræna & Sphacelo cap. 19. Glutinum ad labia vulneris applicat, ita tamen ut labia minimè attingat, ſed ſpatium minimi ferè digiti ſit inter labia vulneris & emplaſtrum. Poſtero die emplaſtro ſiccato, & tenaciter cuti adhærenti, acum filo trajectam inſerit, ſicque vulneris labia haud ſecus conjungit, ac ſi ipſam cutem & carnem perforaſſet. Glutini autem, quo utitur, deſcriptio hæc eſt:

℞. Farinæ volatilis ℥i. Pulv. Roſar. Rubr. Maſtichis, Thuris, Sang. Draconis, Gum. Tragacanth. an. ʒii. M. F. Pulvis ſubtilis, cui adde Albumen unius Ovi, Aquæ Roſaceæ q. ſ. ut mellis ſpiſſitudinem acquirat; ita relinquatur per noctem, & ſi altero die nimis ſpiſſum ſit Glutinum, iterum affunde Aquam Roſarum, aut Plantaginis, ac dein utere.

XIV. Inſuper prætermittere hîc non debemus Inſtrumenta, quæ comprimendo venæ arteriæque læſæ orificia, ad earundem conſolidationem non parum juvant; ſive ea ex ligno, ſive ex ferro, ſive ex ære, ſive ex alia quavis materia conficiantur, quorum icones apud Sculte tum, alioſque paſſim licet videre.

XV. Denique circa vulnerum deligationem indagandum, an vulnus ſimplex & unicum ſit, an verò duplicatum. Accidit namque interdum, ut licet in cute unum ſit vulnus, in muſculis tamen ſub cute duo ſint, vel tria vulnera. Hoc enim ſi fiat, & Chirurgus unum ſaltem vulnus curet, reliquum, quod latet, negligat, pus in altero colligitur, atque dolorem, inflammationem, febrem, aliaque gravia excitat ſymptomata; cujus rei hiſtorias notavit Hildanus Cent. 4. Obſ. 84. 85. ubi etiam docet, qua ratione ſinus ille latens poſſit aperiri, ac inſtrumenta ad eam rem idonea depicta exhibet.

De Medicamentis ad Vulnera Curanda neceſſariis, & Partis Vulneratæ ſubſtantiæ ſalubri conſervanda.

I. Atque hæc Chirurgi officia ſunt, quæ circa Vulnerum Curationem præſtare debet: ipſa verò partium vulneratarum unio & coalitus opus Naturæ eſt, quæ non rarò ſine ulla medicamentorum ope (quod præcipuè in vulneribus internis accidit) ea, quæ disjuncta ſunt, glutinat.

II. Fit autem Unio hæc & Coalitus alicujus Glutinis interventu, cujus Materia nulla alia eſſe poteſt, quàm eadem, ex qua nutriuntur ipſæ partes; ſcilicet Sanguis ſanus, qui ad partes nutritionis gratiâ delatus in parietibus vulneris, nec non poroſitatibus & tubulis carnium hinc inde roris inſtar reſudans à naturali partis calore elaboratur, & excoquitur, viſcidiorque redditur ac denſatur, ut neceſſariò per eum coëant, quæ diſtabant partes.

III. Cùm igitur Natura ſit efficiens cauſa conglutinationis, Sanguis materia; duo hæc ut rectè ſe habeant neceſſe eſt. Et quoad prius; duo ſunt in ſanando vulnere Naturæ officia. Primum ut laudabile pus generet. Alterum ut ea, quæ disjuncta ſunt, conglutinet. Namque licet Galenus ejus rei expreſſam mentionem non faciat, cùm de vulneribus curandis in genere agat; tamen Rhaſes, Avicenna, & Celſus, pus ex vulnere jam ad ſanitatem ſpectante fluere, primoque pus movendum, hinc purgandum & implendum, tandemque cicatrice vulnus claudendum, docent. Atque felix experientia iſtam curandi rationem probavit; & medicamenta, quæ eò fine applicantur, Digeſtiva vulgò nuncupantur.

IV. Medicus enim hac in re Naturæ ſuccurrere debet, Medicamenta admovendo Digeſtiva, poſtea Sarcotica ſeu Glutinantia. In praxi equidem hîc diſcrepare videntur auctores; dum alii, Suppurantibus ſeu Digeſtivis neglectis, mox Siccantia adhibent, Balſama ſcilicet vel Naturalia, vel Artificialia, quibus & vulnus illinunt, quæque in profundum inſtillant, & per turundas imponunt; alii Pus Moventia ſeu Digeſtiva præmittunt. Et ſanè αὐτοψία docuit, utramque curandi rationem finem ſuum aſſequi. Non tamen ſine diſcrimine utraque Medicamenta uſurpanda videntur. Digeſtiva enim ſi incautè & nimis diu adhibeantur, in ulcus ſordidum non rarò degenerat vulnus. Itaque tutiſſimum puto, non ſemper uni medicamento confidere, ſed pro affectæ partis temperaturâ ea componere, & Digeſtiva Sarcoticis ac Glutinantibus miſcere, cùm experientia teſtetur, talia longè felicius, quàm mera Suppurantia uſurpari.

V. Parantur autem Digeſtiva ſeu Pus Moventia è Vitellis Ovorum, Melle Communi, Therebinthina, Gummi Elemi, Oleo Roſarum, Farina Tritici, Hordei, &c. v. gr.

℞. Therebinthinæ, Mellis an. ℥i. Vitellum unius Ovi, Farinæ Hordei q.ſ. M. F. Digeſtivum.

℞. Olei Roſarum ℥ii. Ceræ Citrinæ ʒß. Thuris, Maſtichis an. ʒi. Vitellum unius Ovi, Butyri Inſulſi q.ſ. Miſceantur.

VI. Ubi

VI. Ubi deterſum eſt vulnus, & laudabile pus apparet, proximum eſt, ut quod vulneratum & disjunctum eſt, carne repleatur, ac conglutinetur. Atqui abundè deterſum & mundificatum vulnus eſſe conſtat, quod colore rubro appareant infectæ partes carnoſæ, nervoſæ verò albæ ac ſplendentes, oſſa itidem candida vel ſubrubra. Tunc autem Sarcotica appellata Medicamenta imponantur. Ea tamen minus ſcitè ità dici manifeſtum eſt, cùm re verâ carnem non gignant, ſed tantum impedimenta removeant; temperando viz. acrimoniam puris acidam, & abſumendo omnem humiditatem, quæ inter agglutinanda ora poſſit eſſe impedimento, quo minus vulneris labia inter ſe uniri ac coaleſcere queant.

VII. Sunt verò Sarcotica dicta Medicamenta varia, verbi gratia, Radix Ariſtolochiæ Rotundæ, Conſolidæ Majoris; Sanicula, Centaurium, Hypericum, Pimpinella, Plantago; Semen Fœnigræci, Lini; Thus, Aloës, Bolus, Colophonia, Reſina Pini, Gummi Elemi, Maſtix, Myrrha, Sarcocolla, Styrax, Therebinthina, Cera, Ceruſſa; Lapis Calaminaris, Lythargyrum, Plumbum Uſtum; Oleum Hyperici, Laurinum; Unguentum Aureum, Baſilicon; Balſamum Peruvianum, Sulphuris; Mel Roſarum, & plura alia, è quibus compoſita varia pro re nata parari ſolent.

Injectio hæc carnis generationem egregiè promovet, & cava, ſinuoſaque vulnera replet;

♃. Balſami Sulphuris Therebinthinati ʒ ii. Olei Hyperici, Camomillæ, Styracis Liquidæ an. ʒ i ß. Mellis Roſacei ℥ ii. Lactis Dulcis vel Vini Albi Gallici q. ſ. Miſceantur pro Injectione. Alii ſequentia laudant,

♃. Therebinthinæ, Gummi Elemi an. ℥ i ß. Ping. Caſtrati ℥ ii. Porci antiq. ℥ i. Liquefiant ad ignem, & Miſceantur.

♃. Reſinæ, Ceræ, Therebinthinæ, Olei Roſarum an. ℥ ii. Thuris, Maſtichis Myrrhæ an. ʒ ii. M. F. S. A. Unguentum.

Aquapendens Operat. Chirurg. part. 2. lib. 2. cap. 7. tanquam medicamentum præſtantiſſimum, inprimis ad partium nervoſarum vulnera, commendat id quod ſequitur; additque, ſe ab Hiſpano quodam Sacerdote ejus deſcriptionem accepiſſe; qui retulit, in Hiſpania non licere hoc medicamentum componere, quod homines medicamenti viribus confiſi, facile digladientur, inque arenam deſcendant. Eſt autem hoc;

♃. Olei Vetuſtiſſimi ℥ iv. Therebinthinæ claræ ℥ viii. Frumenti integri ℥ i ß. Florum Hyperici ℥ ii. Rad. Valerianæ, Cardui bened. an. ℥ i. Thuris pulveriſati ℥ ii. Radices & Herbæ craſſo modo contundantur, in olla ponantur, & tantum Vini Albi ſuperaffundatur, ut omnia in Vino ſubmergantur, atque per biduum factâ infuſione, Oleum & Frumentum adjiciantur, omniaque coquantur ad Vini conſumptionem: mox factâ forti expreſſione addatur Thus ac Therebinthina, & iterum parum ſinantur bullire, atque in vaſe vitreo ſerventur.

Sanat vulnera, ut aiunt, ſpatio viginti quatuor horarum. Modus autem utendi hic eſt: "Vulnere prius Vino Albo frigido abluto, ſtatim totum vulnus inungatur Oleo hoc calente; quod ſi hoc commodè fieri nequeat, per ſiphonem intrà vulnus immittatur, & confeſtim vulneris labia ad mutuum contactum adducantur deligaturâ, aut ſuturâ, aut glutine; deinde partes adjacentes eodem quoque inungantur Oleo; at ſuprà vulneris labia jam reducta linteum imponatur hoc Oleo madens, & ſupra hoc aliud vino nigro imbutum atque expreſſum; mox alia lintea ſicca; dein faſcia circumligetur."

Et plura hujuſmodi Olea, Unguenta, & Balſama Vulneraria ex Sennetto, Cæſare Magato, Peccetto, aliiſque auctoribus peti poſſunt; inter quæ tamen haud infimam laudem merentur Unguentum Baſilicon, Balſamum Sulphuris Therebinthinatum vel Succinatum, nec non Balſamum Peruvianum.

Inſuper Emplaſtra Sarcotica dicta varia à Chirurgiæ ſcriptoribus proponuntur; ſed quoniam Ea in curandis vulneribus operculi vicem tantum præbere poſſunt, hinc operæ prætium non exiſtimavi ullas eorum formulas hic exhibere.

VIII. Ubi vulnus carne repletum fuerit, cicatrice claudendum, cutis, ſeu ejus loco cicatrix, generanda, ejuſque beneficio ſoluta continuitas plane unienda. Atque qui ut in gignenda carne Natura eſt opifex, materiam Sanguis ſuppeditat; ità quoque in producenda cicatrice accidit. Medicus namque impedimenta tantum removet, Medicamenta imponendo magis Siccantia, quæ idcirco Epulotica ſeu Cicatricem Inducentia dicuntur. Talia ſunt Radix Conſolidæ, Myrrha, Maſtix, Sarcocolla, Lapis Calaminaris, Lythargyrum, Minium, Plumbum Uſtum, Tutia; Unguentum de Tutia, Album Camphoratum, Diapompholigos, Deſiccativum Rubrum, &c. Emplaſtrum Diapalma, Gryſeum, Opodeltoch, de Minio, &c. In quibus eligendis partis affectæ temperatura & ſtructura probe conſideranda eſt. Barbette hoc habet Emplaſtrum,

♃. Empl. Diapalmæ, Gryſei, Diapompholigos an. ℥ i. Gummi Elemi ʒ ii. Sacchari Saturni ʒ ß. Ceræ q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum.

Sed inter Epulotica dicta medicamenta palmam facilè præripit Mercurii Amalgama, quippe quod, juſto tempore uſurpatum, citius cicatricem inducit; cujus hæc eſt deſcriptio;

♃. Plumbi ℥ i. liquefacto adde Argenti Vivi ℥ i. Effunde ſuper chartam. Dein exſiccatum, pulveriſatum, Emplaſtro Diapompholigos, vel ſimili miſceatur, ac uſurpetur.

IX. Externis hiſce remediis Interna quædam, Vulneraria dicta, jungemus, quæ in vulnerum curatione non parum prodeſſe obſervantur. Sunt autem ea leviter Adſtringenta ac Detergentia, adeoque puris laudabilis generationem promoventia, hinc vulnus mundificantia & conſolidantia: qualia dicuntur Radix Conſolidæ, Gentianæ, Ariſtolochiæ, Zedoariæ, Biſtortæ; Pyrola, Sanicula, Alchymilla, Bugula, Plantago, Millefolium, Artemiſia, Agrimonia, Vinca per Vinca, Piloſella, Virga Aurea, Dictamnus, Centaurium Minus, Oculi Cancrorum, &c. Ex quibus varia pro partis affectæ ſtructurâ & temperaturâ præparantur Compoſita, imprimis Potiones Vulnerariæ.

X. Equidem de Potionibus Vulnerariis diſ-

ſentiunt Practici. Nonnulli eas quidem admittunt in vulneratis iis partibus, ad quas ejuſmodi potiones pertingunt, quales ſunt Gula, Ventriculus, Inteſtina, Renes, Veſica Urinaria, tuncque ſunt loco Topicorum Medicamentorum: in partibus verò vulneratis externis eas prorſus rejiciunt, utpote ad quas ob ſitus diſtantiam penetrare poſſe non credunt.

E contrario Joh. Manardus Potiones ejuſmodi ad vulnera nova & antiqua utiles eſſe, ſeque eas non ſemel expertum, atque curaſſe iis ſolis peſſima & deſperata ulcera, teſtatur. Eaſdem uſurparunt & alii, non ſolum Empirici, ſed quoque doctiſſimi Medici ac Chirurgi, ut Guido, Joh. de Vigo, Nicolaus Maſſa, Joh. Tagaultius, Joh. Andr. à Cruce, Fallopius, Matthiolus comment. in Dioſcor. Ambr. Paræus, Aquapendens, Ludov. Septalius, & plures, quos experientia docuit, Potiones haſce ad vulnera curanda maximè utiles eſſe. Ideoque experientiæ refragari, & medicamenta longo uſu probata rejicere, aut negligere, nefas ſit. Etenim præſtat ea quæ fiunt, quomodo fiant, quærere; quàm, quod fiant, negare. Galen. 5. de loc. aff. c. 3. Et ſanè cum ſanguine, ceu vehiculo, arteriarum ductu particulas Vulnerariorum Medicamentorum ad quarumcunque partium vulnera provenire poſſe, haud dubitandum; ubi, acrimoniam Puris acidam temperando, hinc & detergendo ac mundificando, eorum conſolidationem non parum juvare queunt.

XI. Non tamen uſurpandæ iſtiuſmodi Potiones in principio, & ubi nihil periculi in vulnere eſt, atque ad integram ſanationem ſola Topica ſufficiunt; ſed tum in primis, quum, ob vitioſam partis conſtitutionem, curationem vulnera non facilè ſuſcipiunt; hinc non ſolum in vulneribus, ſed & ulceribus ac fiſtulis feliciter uſurpantur. Qua de re Ambr. Paræus ſic ſcribit: « natura tali potione adjuta planè mira « feciſſe, mihi non rarò viſa eſt in carioſorum « oſſium correctione, & ulcerum conſolidatione. « Hæ namque potiones etſi humores noxios per alvum non expurgent; « valdè tamen efficaces ſunt detergendis ulceribus, « & ab omni excrementitiorum humorum colluvie vindicandis, « ſanguini defæcando, & « ab ichoribus, omnique impuritate repurgando, « & ab ichoribus, omnique impuritate repurgando, « fractis oſſibus agglutinandis, & « nervis unioni reſtituendis. Hæc Medicamenta « admirabili & propè divinâ vi ſuâ ſic « ſanguinem expurgant, ut ex eo, tanquam ex « materia apta & laudabili, caro, & quævis « alia ſubſtantia deperdita promptè reſtitui « & reponi poſſit, & pars priſtinæ unioni reddi. Et Matthiolus comment. in lib. 4. Dioſ« corid. ait: ejuſmodi potionibus vidi ego « cum thoracis, tum inteſtinorum vulnera ſa« nari, quæ lethalia, & nullo prorſus auxilio « curari poſſe cenſebantur. Plura de Decocto Vulnerario, deque ejus uſu ac abuſu, videantur apud Hildanum in Obſervatione ſingulari de Vulnere Sclopeti graviſſimo, Operi ſuo poſt Tractatum de Ambuſtionibus inſerta, pag. mihi 942. & lib. de Ichore & Meliceria Celſi cap. 7.

XII. Hujuſmodi verò Decocti Vulnerarii variæ occurrunt formulæ, v. gr.

♃. Rad. Conſolidæ Maj. Ariſtolochiæ Rotund. an. ʒvi. Herb. Bugulæ rec. M ii. Pyrolæ, Saniculæ, Alchymillæ an. M i. Coq. in aquæ commun. part. ii. Vini Rubri part. j. ad ℥ xxx. Colatura detur uſui.

♃. Herb. Alchymillæ, Saniculæ, Artemiſiæ, Conſolid. Saracen. Hederæ terreſtr. an. M i. vini Albi Gallici ℔ii. Coq. in vaſe clauſo, & colentur.

♃. Raſuræ Ligni Guajaci ℥ iv. Rad. Salſæparillæ ℥iß. Santali Citrini ℥ß. Contuſa macerentur per noctem in aquæ puræ ℥ lxx. dein ſ. a. coq. add. Herb. Pyrolæ, Saniculæ, Fragariæ, Summ. Hyperici an. M i. F. S. A. Decoctio ℥ xl. Barbette ſequens extollit;

♃. Raſt. Ariſtolochiæ Rot. ℥iß. Cyclaminis ℥ i. Herb. Prunellæ, Geranii Robbert, an. M i. Sabinæ ʒ iii. Mumiæ, Galangæ an. ʒ ii. Oculor. Cancror. ℥ ß. Contuſa & Conſciſſa coq. in vino Rubro ad ℔ iii, colaturæ add. Syrupi de Symphyto Fern. ℥ix. Miſceantur. Alii laudant Decoctum D. Freydachii. viz.

♃. Rad. Conſolidæ Maj. ℥ii, herb. Saniculæ, Pyrolæ, Ambroſianæ, Meliſſæ, Veronicæ, Artemiſiæ, Hyperici, Cent. min. an. M i. Ocul. Cancror. pulv. ʒ i. Coq. in Cereviſiæ melioris notæ ℔ vii. ad ℔ ivß. Colatura uſurpetur. Nonnulli extollunt ſequentia;

♃. Ocul. Cancror. crud. pulv. ℥ i. aceti vini fortiſſ. ℥ xiv. Digerantur ſimul, atque bis terve quotidie Vulneratus ſumat circiter unum cochl.

℞. Ocul. Cancror. crud. pulv. Rad. Zedoariæ an. ℥ß. Herb. Saniculæ virid. M ii. Coq. in Vini Rhenani ℔ ii. aquæ puræ ℔i. dein colentur. Bibat Patiens mane & veſperi ℥x. aut circiter.

Vel quotidie exhibeatur Vulnerato pulvis ex Oculorum Cancrorum ʒß. vel ℈ ii.

XIII. Cæterum ut partis vulneratæ ſubſtantia ſalubris conſervetur, rerum quoque nonnaturalium uſus conveniens ſit temperaturæ Vulnerati in genere, & in ſpecie parti læſæ accommodatus. Aër nec frigidus ſit, nec calidus valde; verùm temperatus potius, ſeu tepidus. Cibus & Potus tales ſint, è quibus ſanguis generetur laudabilis, quique pravis ſymptomatibus occaſionem præbere nequeant. Quies Vulneratis convenit, in primis parti vulneratæ. Recta præterea inſtituatur Somni & Vigiliarum ratio. Animi quoque Motus nimii ſunt vitandi, Ira præſertim, uti id exemplis confirmat Hildanus Cent. 1. Obſerv. 17. 18. Et Fallopius tract. « de Vulner. in genere cap. 16. ait: quandoque « vulneribus puerorum noxia quædam eſſe con« cedenda, ne fiat fletus, qui maximè nocet « puerulis vulneratis, & ne alia pejora ſuccedant incommoda. Inſuper & Veneris uſus nocet Vulneratis: Alvus autem ſi non reſpondeat, aperta ſervetur Clyſtere potius, quam medicamento exhibito purgante.

Denique ſi ſanguis in corpore vulnerati abundet, ut metuatur ejus ad vulnus defluxus, hinc & varia metuenda ſint accidentia, venæſectio ut inſtituatur, niſi antea cruor multùm fluxerit, ſummoperè neceſſarium erit.

De Particulari Vulnerum Curatione, & primùm, de Vulnere Carnis ſimplici, & profundo.

I. Igitur in genere de Vulnerum Curatione,

nec non de methodo; qua eorum ſymptomata aut impediri aut moderari debeant, abundè dictum fuit; nunc geſtit animus, quoniam ordine ad ſpecialem uniuſcujuſque vulneris curationem ſit procedendum, exponere. At vulnera, quæ externas duntaxat corporis partes occupant, ſunt aut in cute, aut carne, cùm vel ſine contuſione, aut in carne cum continuitatis ſolutione in venis, arteriis, aut nervis, partibuſvè nervoſis: de hiſce primùm; deinde de partium compoſitarum (capitis puta, thoracis, abdominis, &c.) vulneribus agere conſtitui.

II. Communiter autem per carnem intelligitur cuticula, cutis, pinguedo, panniculus carnoſus, ac ſubjecta muſculorum caro. Eſtque hujuſmodi carnis vulnus, quod incidendo contingit, aut ſimplex & ſine ſubſtantiæ deperditione, aut cum deperditione vel amiſſione ſubſtantiæ. Atqui quod ſimplex eſt, & abſque ſubſtantiæ amiſſione, aliud eſt in ſuperficie, & in ſummo reſidens, aliud profundum, aliud magnum, aliud parvum, aliud mediocre. Quod verò eſt cum ſubſtantiæ deperditione, aliud eſt cum ſolius cutis, aliud cum ſubjectæ quoque carnis amiſſione.

III. Vulnus verò cuti duntaxat & carni inflictum, ſi leve ſit & ſimplex, curari non raro ſolet naturæ ipſius beneficio, ſolâ adhibitâ ligaturâ, aut levi quopiam impoſito remedio. Enimverò cùm in ſimplici vulnere ſuperficialis tantum adſit diviſio, hinc Medici intentio ſimplex & unica eſſe ſolet; viz. id quod diviſum eſt, reuniri debet. Sed priuſquam hoc fiat, ſi quid extraneum inter vulneris labia hæreat, ut ſanguinis grumi, pili, pulvis, vel quid ſimile, id imprimis removendum; nec non immodicus cruoris effluxus, ſi adſit, cohibendus. Quo ſuppreſſo, atque deterſo, mundatoque vulnere, labia ad ſe invicem adducenda, ſimulque unienda, & unita ſervanda, nec non petiæ ex linteo diſcerpto, Balſamo Peruviano, aut Italico, ſimilivè ſeu naturali, ſeu artificiali, imbutæ apponendæ, ac ſuperponendum emplaſtrum Diapalmænm, vel defenſivum, vel Opodeltoch, ut poſſit natura, mediante naturali partis læſæ nutrimento, disjuncta vulneris labia denuò reunire.

IV. Sed vulnus carnis quum profundum ſit, citra ſubſtantiæ amiſſionem, tunc in primis animadvertendum, quo ſpectet vulneris orificium, ejuſque fundum. Si deorſum ſpectet orificium, ſic ut ſanies liberè effluere poſſit, decenti ligaturâ, & ſuturâ quoque, ſi opus fuerit, admotis inſuper ſarcoticis ac glutinantibus, facillimè curam ſuſcipit.

Sin verò ſurſum ſpectet vulneris orificium, deorſumque fundum, atque in cavitate ejus ſanies detineatur, tum videndum, utrum partem vulneratam commodo ſitu ita collocare queamus, ut deorſum orificium, ſurſumque fundum ſpectet, adeoque liberè exeat purulenta materies: tunc enim expulſivâ ligaturâ, nec non convenientibus impoſitis medicamentis, citò curabitur, nec novâ opus erit ſectione.

Atqui niſi deorſum ſpectet vulneris orificium, neque conveniente ſitu & figurâ pars vulnerata ita collocari poſſit, ut orificium vulneris deorſum, ejuſdemque fundum ſurſum tendat, ac ſanies in fundo contineatur, ibidem apertio facienda, ut puri exitus detur; vel tota cavitas, hoc eſt, ab orificio ad fundum uſque ſecanda. Factâ ſectione pro primò apparatu petiæ ex linteo diſcerpto immittendæ, ſanguiniſque fluxus ſiſtendus; dein convenienti digeſtivo vulnus detergendum, hinc medicamentis utendum ſarcoticis & vim conglutinandi habentibus, tandemque epuloticis ſeu cicatricem inducentibus.

V. Interim ſi vulnus profundum ſit, & anguſtum, adeoque inciſione dilatandum, cavendum ne nervi, aut venæ arteriævè majores lædantur: aliter petiis immiſſis craſſioribus curandum, ut vulneris orificium non conſolidetur, niſi bene deterſum, & carne impletum fuerit; quo facto paulatim eſt imminuenda, tandemque relinquenda petia, & vulnus impoſito emplaſtro ad cicatricem perducendum. Vel quum dilatare anguſtum vulnus inciſione non audeat Chirurgus ob vicina vaſa majora, & ob ſubjectas nervoſas tendinoſaſque partes, vulneri immittatur medulla ſambuci, aut turunda ex radice gentianæ, vel ſpongia præparata, qua intumeſcente & vulnus ex voto medentis ampliatur.

Præparari autem ſpongia ad vulnera dilatanda ita ſolet:

℞. Spongiam novam, ceræ flavæ q. ſ. ceræ liquefactæ immittatur ſpongia, quæ dein inter duo linteamina oleo madefacta in torculari exprimatur, hinc exſiccetnr, & uſui ſervetur.

De Vulnere Carnis Compoſito, ſeu Cavo, & cum Subſtantiæ deperditione.

I. Simplici carnis vulneri cavum ſuccedit; viz. tum illud, in quo aliqua adeſt ſubſtantiæ perditio, ut cutis, eique ſubjectæ carnis muſculoſæ; tum id, in quo etſi nulla adſit ſubſtantiæ deperditio, atque ex ſimplici inciſione factum fuerit, equidem labia vulneris ob ejus magnitudinem, & nimiam inter ſe diſtantiam ad mutuum contactum adduci in fundo nequeunt, atque ideo cavitas ibidem remanet: quæ ut impleatur, utque disjunctæ partes ſimul uniantur, nova carnis generatione opus eſt. Enimverò in hujuſmodi vulnere cùm duo ſuccurrant, ſcilicet unitatis diviſio, & cavitas; ideo duplex ejus curatione ſcopus erit. Quod namque diviſum eſt, unionem, & cavitas repletionem deſiderat. At quum partes à ſe invicem diviſæ hîc uniri nequeant, niſi prius impleatur cavitas; ideo prima indicatio curativa erit, novam carnem generare, dehinc cavitatem replere.

II. Quia verò in tali vulnere materia quædam præter naturam ſemper continetur, quam pars læſa expellere nequit; idcirco hæc prius digerenda erit, & detergenda. Quem in finem digeſtiva & detergentia ſimul miſceantur; ita tamen, ut digeſtiva primum, deinde detergentia prævaleant: utendum verò digeſtivis, quouſque bonum Pus appareat, hoc eſt, quod ſit album, leve, æquale, & minimè fœtidum: tunc enim ſi digeſtivis porrò uteremur, in fœtidum ulcus hujuſmodi vulnus commutaretur.

III. Con-

III. Conveniens autem Digeſtivum ſeu Suppurationem movens Medicamentum paratur ex Terebinthina, Melle, & Ovi Vitello. At ſi Digeſtiva ac Detergentia miſcere cupimus, hoc vel ſimile conficiatur;

℞. Mellis Comm. ℥iß. Terebinthinæ ℥j. Farinæ Hordei ʒ vi. Pulv. Aloës, Myrrhæ an. ℈ ij. Croci gr. xv. Vitellos duorum Ovorum, Spirit. Vini ℥ß. Fiat ex his S. A. Digeſtivum.

Suis quoque laudibus hic meretur Mundificativum ex Apio.

Verumenimverò anguſtum ſi ſit vulnus, ſimulque profundum, Injectio conducit ex Vino Gallico, vel Spiritu Vini, cum Pulvere Myrrhæ & Aloës. Vel,

℞. Herb. Malvæ, Violariæ, Artemiſiæ, Summ. Hyperici, Centaur. min. Flor. Camomillæ an. Mj. Coq. in Aqua Pura ad ℥ xvi. colat. add. Mellis Roſacei ℥ ij. Spir. Vini ℥ iij. Miſceantur pro Injectione.

IV. Poſtquam vulnus abundè deterſum, & ritè mundatum eſt, imponenda ſunt Sarcotica ſeu carnem gignentia: quæ quidem carnem non generant, ſed carnis gignendæ impedimenta tollunt, ut dictum ſupra, Cap. 7. Talia ſunt Unguentum-Baſilicon, Unguentum Aureum, Balſamum Peruvianum, Balſamum Sulphuris, &c. quæ vel ſola, vel inter ſe & cum aliis mixta utiliter uſurpari ſolent.

Impoſitis Sarcoticis ſuperponendum Emplaſtrum Diapalma, vel ſimile, tum ad detinenda impoſita medicamenta, tum ad vulnus ab aëre frigido defendendum. Alii Emplaſtri loco utuntur linteis expreſſis in Vino Calido, vel Fomento conveniente, ad partem vulneratam corroborandam.

V. Vulnere carne ferè repleto ab uſu Sarcoticorum deſiſtendum, & cicatrix inducenda impoſitis Epuloticis, hoc eſt, Medicamentis Exſiccantibus & leviter Adſtringentibus: qualia ſunt Unguentum de Tutia, de Ceruſſa, Diapompholigos, Emplaſtrum Gryſeum, de Minio, & alia ſuperius expoſita.

VI. Cæterùm etſi carnis generatio ſit naturæ opus; tamen non ex Medentis negligentia ſupercreſcens Caro in vulneribus enaſcitur: quando non, uti decet, Exſiccantia Medicamenta appoſuit, & diu nimis Sarcoticis fuit uſus. Quamobrem cùm caro ad juſtam magnitudinem & altitudinem excreverit, imponenda Carpia Sicca. Sin nihilominus ultrò excreſcat, abſumenda eſt eo modo, ut Cap. 7. expoſuimus.

De Vulneribus Vaſorum, hoc eſt, Venarum & Arteriarum.

I. Venarum & Arteriarum Majorum Vulnera totam ad ſe trahunt Curationem, idque non vulneris ratione, quod facilè uniri poteſt; ſed ob gravius ſymptoma, quod nunquam non iſtiuſmodi vulneribus ſupervenit: viz. ſanguinis profuſionem, quæ animi deliquia, atque ſimilia excitare ſolet accidentia. Sed cùm ſanguis fluat vel ex venis, vel ex arteriis, & quidem nunc majoribus, nunc minoribus; qui è venis profluit cruor, craſſior eſt, nigrior, obſcurior, atque ſine pulſu æqualiter effluit; qui verò ex arteriis prodit, tenuior apparet, ſpumoſior, & coccinei coloris, necnon cum pulſatione exilit. Si majus vas ſit apertum, majore copiâ & impetu ſanguis profunditur; minore autem, ſi minus vas ſit vulneratum. Inſuper ab Anatomes Perito è ſede, locoque vulneris haud difficulter cognoſcitur, num ſit in parte, per quam venæ & arteriæ, vel majores, vel minores tranſeunt.

II. Horum verò Vaſorum Vulnerum Curatio dirigenda eſt, & ad immodicum cruoris effluxum cohibendum, & ad apertum vas occludendum. Atque hinc, etſi vulnus vaſis nondum coaluerit, ut ſanguinis fluxus prohibeatur, omnia ea ſunt facienda, quæ ejus motum impedire ac inhibere poſſunt. Impeditur ſanguinis fluxus, ſi convenientibus remediis, & deligatione orificium vulneris occludatur, ut Cap. 4. abundè docuimus.

III. Quoad aperti vaſis occluſionem; ea fieri poteſt, vel labiorum ſimul adductione & conjunctione, vel orificii obſtructione. Adducuntur labia nonnunquam ſuâ ſponte, interdum Medici operâ. Spontaneo motu ad ſe invicem accedunt, quando ob nimiam ſanguinis profuſionem tunicæ vaſorum concidunt, ſicque labium ſuper labium cadit. Medicus verò id facit manuum operâ; viz. vel digitis vulneris labia & vaſis orificium eouſque comprimendo, ac detinendo, ut ſanguis grumeſcat, atque vas vulneratum obſtruat; vel faſciis liquore adſtringente madefactis, & aliquoties ſupra vulnus revolutis, vulneris labia comprimendo; vel ſuturâ vulneris labia ſimul adducendo.

IV. At ſi non ſperamus hæmorrhagiam ſedari poſſe, adducendo ad mutuum contactum vulneris labia, vel digitis, vel deligaturâ, vel ſuturâ, Vas Vulneratum filo vinciatur: volſellâ ſeu alio quopiam adunco inſtrumento vas apprehendatur, paululum elevetur, dein filum undique obvolvatur, & ſtringatur. Quo facto Sarcoticum ac Sanguinem ſiſtens Medicamentum imponendum, & vincula non removenda, donec ex ſe cadant, atque apertum vas penitus occluſum ſit. Sed hic ſanguinem ſiſtendi modus in primis locum habet in Arteriarum vulneribus.

Sin verò apertum vas vinculo ligari nequeat, ob Venæ Arteriævè profundiorem ſitum, tunc integrum vas oblique præcidendum; ut hoc modo vaſis diſſecti extremis retractis, & ſub carne abſconditis, hinc & occluſis, ſanguis ſupprimatur.

V. Scultetus in Armament. Chirurg. Tab. 18. Fig. 4. deſcribit atque depingit Inſtrumentum ad Carpi Arteriam, conſultò aut fortuitò apertam, comprimendam; idque in Arteriarum Carpi Vulneribus utiliſſimum eſſe, ait in explicatione Tab. Ultim. pag. mihi 177. ubi etiam refert Patavii ſuo tempore fuiſſe exercitatiſſimum Arteriotomum, qui ex conſilio Medicorum Arteriam in Carpo nonnunquam incidebat, factaque ſanguinis evacuatione hoc inſtrumento vulnus ità comprimebat, ut ne gutta quidem ſanguinis citrà Cheirurgi voluntatem profunderetur, neque ullum ex compreſſione ſymptoma eveniret. At qua ratione hoc ſuo inſtrumento vulneratam in Carpo Arteriam compreſſit, ſanguinemque ſuppreſſit, videri poteſt poſt Armament. Chirurg. Obſerv. 86. Inſuper

& alia inſtrumenta nunc paſſim habentur, quæ vulneratam in Carpo Arteriam tutò comprimere, hinc & curare queunt.

VI. Atque hi omnes ſanguinem ſupprimendi modi præcipuè in vulneribus abſque ſubſtantiæ deperditione, & ab inſtrumento incidente factis conveniunt. Verùm ſi portio quædam ſubſtantiæ ipſius vaſis ſit deperdita, tunc vulneris labia ad invicem ducenda non ſunt; ſed obſtruendo vaſis aperturam, ſiſtenda ſanguinis profuſio. Hæc autem obſtructio ſæpè fit per ſanguinem intus concretum: digitus enim fiſſuræ imponitur, ac tamdiu detinetur, donec circa digitum ſanguis concreſcat. Quo facto, prudenter digitus auferendus, & ſi opus videatur, alia medicamenta imponenda; ſin minus, relinquendus eſt grumus, donec ſpontè decidat. Et hoc fuit conſilium Leonardi Botalli, uti refert Illuſtris Satrapa Hooffdius in Hiſtoria Batava libr. 19. vulneratam venam jugularem in collo Celſiſſimi Principis Auriaci Gulielmi Primi, impoſito ſupra eam digito obturatam, atque ſanguinis ex eadem fluxum inhibitum fuiſſe.

VII. Niſi hoc modo ſuccedat, extrinſecus vaſis orificium obſtruendum; vel reducendo vulneris partes carnoſas; aut cutem ſuprà vulneris oſculum, quod cùm fieri poſſit, optimum eſt, quoniam haud difficulter eà conglutinantur. At ſi vulneris figura hoc non patitur, ſicco linteo diſcerpto vulnus implendum, aliiſvè conglutinantibus medicamentis utendum.

VIII. Sin verò nec his auxiliis ſanguis ſiſti poſſit, ut quando magna vaſis portio eſt ablata, ad Cruſtam vel Eſcharam Inducentia eſt deveniendum. Quæ tamen curatio admodum tuta non eſt: nam ſi forſan contingat, ut, priuſquam ſanguinis profuſio ſiſtatur, cruſta cadat, augetur utique hæmorrhagia; quod ex vaſis uſtione amplius factum ſit orificium. Quapropter hujuſmodi remediis non utendum, niſi reliqua fruſtrà fuerint experta. Efficiunt verò cruſtam aut Ferramenta Candentia, aut Cauſtica Medicamenta, quibus, præter vim erodendi, facultas adſtringendi ſit conjuncta.

IX. Inductâ eſcarâ, quàm citiſſimè carnis generationi danda opera, ut priuſquam cruſta cadat, vas carne occluſum ſit. Hinc eſcaræ caſus feſtinandus non eſt, quoniam majus fieret ſanguinis profluvium; verùm curandum potiùs, ut diutius adhæreat.

De Vulneribus Nervorum, & Nervoſarum Partium.

I. Vulneribus Nervorum etiam Ea quæ Tendinum ſunt comprehendimus, eo quod in Curatione nullum occurrat diſcrimen. Sunt verò Nervorum vel Tendinum Vulnera duplicia; viz. Punctura aut Inciſio, prout inſtrumentum vulnerans punctim, vel cæſim vulnus infert.

II. Cognoſcitur autem Nervum vel Tendinem eſſe vulneratum, ex loci vulnerati conſideratione, & ex Anatome, quæ quibus membris Nervi, Tendineſvè inſerantur docet; dein ex dolore vehementi, qui ſtatim poſt inflictum vulnus Ægrum infeſtat, quemque pulſatio, inflammatio, convulſio, & ſimilia plura ſequuntur accidentia; niſi nervus tranſverſim totus ſit diſſectus. Enimverò habent nervi ſenſum exquiſitiſſimum, & propterea iis vulneratis ſtatim in parte vulneratâ gravia hæc ſymptomata oriuntur; quod fibrillis quibuſdam in nervo diſſectis, reliquæ, integræ adhuc, tanto magis patiantur à tenſione continua, per vehementiorem ſpirituum animalium influxum producta. Inſuper Nervum vel Tendinem Punctim vulneratum eſſe, cognoſcitur ex ipſo Teli genere, & vulneris conditione; ſi nimirum id anguſtum ſit, & nihilominus gravis mox ſubſequatur dolor, atque hinc pulſatio, inflammatio, febris, convulſio, &c.

Atqui ſi Nervus vel Tendo non punctim, ſed Cæſim vulneratus ſit, indagandum, an ſecundùm longitudinem, an verò per tranſverſum, & quidem an Nervus vel totus diſſectus, vel ex parte tantùm vulneratus ſit, & quantùm cutis ſuperjacentis ſit diviſum; cùm hujuſmodi horum vulnerum differentiæ non parum curationem varient. Si itaque Nervus ſit cæſim vulneratus, verùm non totus diſſectus, ſymptomata haud ità gravia ſunt, ac ſi punctim vulneretur. Si ſecundùm longitudinem Nervus vel Tendo ſit vulneratus, convulſionis metus tantus non eſt, cùm fibræ non ità afficiantur. Sin totus diſſectus ſit, equidem tantum periculum non adfert, nec ullus convulſionis metus eſt: aliud tamen incurabile malum ſubſequitur; partis ſcilicet, cui nervus vel tendo inſeritur, debilitas in ſenſu & motu; cùm ſpiritus animales eam in partem amplius deferri nequeant.

III. Cæterum omnia Nervorum vulnera quanquam ſint periculoſa, Punctura tamen periculoſior eſt, quàm Sectio. Tendinum vulnera minus periculoſa ſunt, quàm Nervorum. Vulneri ſuperveniens Convulſio, lethale, ait Hippocrat. Aphor. 2. Sect. 5. quod potiſſimùm de Partium Nervoſarum vulneribus intelligendum cenſemus.

IV. Quoad *Curandi Methodum*: in omni Nervorum atque Tendinum vulnere, cùm dolor valdè affligat, & inflammatio immineat, danda opera, ut dolor leniatur, ac inflammatio prohibeatur, quem in finem Venæſectio adeò conducit, ut ab ea oporteat Medicum vulnerum horum curationem ſemper auſpicari.

Specialis verò Curatio ab aliorum vulnerum curatione differt, propterea quod alia conſolidari debeant, hæc verò dilatari; quorum eſſentia conſideranda eſt, & ſpecies, Nam inciſus omninò ſi Nervus fuerit, minora toti corpori infert ſymptomata, quàm ſi aliqua tantùm ex parte ſectus ſit; ſed adfert impotentiam, membrum actione privans. Si inciſio in longum fuerit, minus incommodi parit, quàm quum in tranſverſum. At punctio omnium deterrima eſt, ob extremum dolorem, nec non graviſſima ac periculoſiſſima accidentia, quibus promptè ac diligenter occurrendum eſt.

V. Igitur Nervus vel Tendo ſi punctim vulneratus fuerit, conſiderandum num Punctura ſit cæca, vel aperta. Cæca fieri ſolet ab acu, ſagitta, pugione, aut ſimili inſtrumento: quo in

caſu cutis incidenda eſt, vulnuſque dilatandum ad ſubjectum uſque nervum vel tendinem, ut ſanies exire, & medicamentorum particulæ ad puncturam penetrare queant.

At Punctura ſi Cæca non ſit, verùm Aperta; patens tale vulnus ſervandum, &, ſi opus ſit, latius quoque incidendum: hinc imponenda medicamenta ſiccantia, calida, tenuium partium, ut nervus punctus roboretur, dolor mitigetur; Terebinthina, Cera, Gummi Elemi, Tecomahaca, Caranna, Opobalſamum, Balſamum Copaivæ, Balſamum Peruvianum, Balſamum Sulphuris, Spiritus Vini, Oleum Terebinthinæ, Oleum Ceræ, Oleum Succini, & Similia: etenim in partium nervoſarum vulneribus, ubi nervus vel tendo eſt denudatus, nec Unguentum, nec Oleum pingue unquam admovendum; quippe quod vehementem mox excitare ſolet inflammationem.

Fallopius inter omnia medicamenta principem locum Euphorbium tenere ait, idque in Nervi Tendiniſve Punctura Sacram Anchoram appellat.

Galenus piſcatoribus, qui continuò à ſpinis piſcium pungebantur, ſingulare excogitavit remedium; viz. Terebinthinam, quam calidam in Puncturam inſtillabat. Et ſanè præſtantiſſimum ac præſentaneum remedium eſt Oleum Terebinthinæ; quod nervo aut tendini denudato actu calidum ſit admovendum; ut ipſius particulæ in majori motu poſitæ facilius & altius penetrent; inſuper imponenda pecia hoc vel ſimili Digeſtivo illita,

℞. Terebinthinæ ℥iß. Mellis, Unguenti Baſiliconis, Olei Terebinthinæ an. ʒiii. Pulv. Myrrhæ ʒiß. Vitellum unius ovi, M. F. S. A. Digeſtivum.

Sculterus poſt Armam. Chirurg. Obſerv. 64. in Nervi punctura vehementer extollit id, quod ſequitur;

℞. Terebinthinæ ℥ß. Pulv. Euphorbii ℈i. Ceræ parum. M. F. Unguentum.

VI. Notandum ergò, nulla medicamenta nervo, vel tendini vulnerato eſſe admovenda, niſi actu calida, imò & fervida nonnunquam. Et ſi in nervi, tendiniſve punctura, impoſitis dictis medicamentis; dolor non ſedetur, quin exacerbetur potiùs, cum affectæ partis inflammatione, labiorum vulneris tumore, & ſeroſæ, tenuis, atque virulentæ ſaniei exudatione, Spiritus Vini vel Oleum Terebinthinæ fervens inſtillandum, eoque imbuto linteo ſpatulæ extremo alligato aliquoties contingenda non modò vulneris ſuperficies, ſed & ima ejus pars. Hoc enim, ceu Cauterio, inuſto nervo vel tendine, ſenſus adimitur, proindeque dolor ſedatur. Hac methodo Ambr. Paræus Carolum Nonum Galliæ Regem (cui loco venæ Nervus fuit punctus) curavit: inſtillato ſcilicet in vulnus fervente Oleo Terebinthinæ cum Spiritu Vini, & applicito ſuper totum brachium Emplaſtro Diapalmæo in Aceto & Oleo Roſaceo diſſoluto, obvolutâ inſuper faſciâ expulſivâ, quæ à carpo ducto initio, in ſummum humeri articulum deſinebat.

VII. Ad dolorem ſedandum, Cataplaſma ex Mica panis, Lacte, & Croci tantillo, parti affectæ utiliter applicetur. Vel,

℞. Micæ Panis albi ℔ß. Farinæ Altheæ ℥iß. Fl. Camomillæ, Anethi an. Miß. Coq. in lacte dulci ad mollitiem, & dein contund. pro Cataplaſmate.

Quum autem dolor non tantùm, ſed magna inſuper adſit inflammatio, uti non rarò contingit, hoc vel ſimile applicetur:

℞. Micæ Panis albi ℔i. Farinæ Hordei ℥ii. fol. Scordii, Rutæ, flor. Sambuci an. ℥i. Summ. Abſinthii ʒß. Fiat pulvis, ex eoque cum ſ. q. Vini Gallici vel Lactis Dulcis S. A. F. Cataplaſma.

Dolor verò ſi vehemens ſit, & inflammatio inſignis, adeoque convulſio imminere videatur, Nervus omninò ſecandus eſt, quo ea impediatur. Nec refert, ſi ex eo membrum futurum ſit paralyticum: ſatius enim eſt, motum alicujus partis perire, quàm totum hominem.

VIII. Denique in Nervi tendiniſve punctura quoque animadvertendum, ut vulnus non conglutinetur, priuſquam optimè fuerit purgatum, quod ex doloris ſedatione, aliorumque ſymptomatum imminutione dignoſcitur. Interim tamen induſtrius ſit Chirurgus in ambiente frigido aëre arcendo, quandoquidem ille acidum acre in ſe continet, cujus ratione nervis ſit inimicus. Hipp. Aphor. 18. ſect. 5.

Notatu digna porrò Nervi Puncturæ exempla videantur apud Jobum Meckeranum Obſerv. Chirurg. cap. 62.

IX. Haud ſecus procedendum, ſi Nervus vel Tendo Cæſim vulneratus fuerit. At ſi totus ſit inciſus, ſuadet M. A. Severinus Efficacis Chirurgiæ lib. 2. cap. 113. ut Nervus, & præſertim Tendo diſciſſus conſuatur. Hoc tamen minimè admittendum, quoniam ſi ſuendo pungeretur, eadem ſymptomata acciderent, quæ aliàs in Nervorum Punctura oriri ſolent. Idem affirmat Petrus de Marchettis Obſerv. Chirurg. 63. ubi addit, ſe obſervaſſe, incautè nervos, aut tendines à quibuſdam Barbitonſoribus fuiſſe conſutos, ſecutâ convulſione, & morte ægrotantium.

De Vulnere cum Contuſione.

I. Cæterum differunt vulnera non ſolùm partium læſarum ratione; ſed & inſtrumenti, quo vulnus infligitur, conditio vulneris aliquam adfert differentiam. Etenim vulnera alia inſtrumentis infliguntur acutis, alia obtuſis; quod non parum curationem variat. Atque ideò quum de vulneribus punctim aut cæſim inflictis hactenus dictum ſit, nunc ut de iiſdem obtuſis inſtrumentis illatis agamus, ordo hujus Tractatus expoſtulare videtur.

II. Solutæ igitur Unitatis illa ſpecies, quam inſtrumenta obtuſa in parte molli efficiunt, contuſio appellatur. Fit autem contuſio in Vulneribus, quando telum aut inſtrumentum, quo vulnus infligitur, non ſolùm incidendi & ſecandi, ſed quoque contundendi vim habet: id quod fit, quum iſtiuſmodi vulnerans inſtrumentum retuſum ſit, aut grave; quo modo & ſine vulnere, & cum vulnere mollis pars contundi, & quaſi comminui poteſt.

III. Cognoſcitur autem Vulnus cum Contuſione ex inſtrumento, quo vulnus inflictum fuit; ſi ſcilicet obtuſum, & grave id fuerit: dein ex dolore, & livido partis læſæ colore. Atque tale vulnus periculoſius, & difficilius curatu eſt, quàm quod eſt ſine contuſione: præſertim quòd pars contuſa, & ſanguis ex dilaceratis

vaſis effuſus ſi putreſcere incipiat, Gangræna non rarò oriatur.

IV. Atqui in vulneris hujus Curatione cùm duo occurrant; Vulnus nimirum, & Contuſio: hinc Intentiones Curativæ duæ ſunt, quarum Altera ad Vulnus, Altera ad Contuſionem ſpectat. Enimverò cùm id quod contuſum eſt, in integrum reſtitui nequeat, & ſanguis è vaſis effuſus in parte contuſa hæreat, adeoque facilè corrumpatur; danda opera, ut utrumque vel diſcutiatur, vel potius in Pus mutetur, docente id Hippocrate Lib. de Ulceribus: „Si quid carnis col„liſum, attritumque à Telo fuerit, ità curandum „eſt, ut quàm celerrimè ſuppuretur: nam & mi„nus inflammatione præhenditur, & neceſſe eſt, „colliſam detritamque à Telo carnem in Pus „converſam tabeſcere, deinde novam creari. Duæ igitur Indicationes in Contuſo Vulnere Curando nobis ab Hippocrate proponuntur; ſuppuratio nimirum, & novæ carnis generatio. Quibus ſcopis ut ſimul ſatisfiat, vulneri cum petiis immittatur hoc, vel ſimile Digeſtivum;

℞. Terebinthinæ ℥iß. Mellis, Unguenti Baſiliconis, Olei Roſacei an. ℥ß. Pulv. Croci ℈j. Vitellum unius Ovi, M. F. S. A. Digeſtivum.

Partes verò Contuſæ dolorem lenientibus, ac leviter reſolventibus inungendæ. v. gr.

℞. Olei Roſarum, Camomillæ, Trifolii Odorati an. ℥ß. Ceræ ʒj. Miſceantur pro Litu.

At magna ſi ſit Contuſio, inſuper admoveatur Fomentum:

℞. Herb. Malvæ, Althææ, Rutæ, Artemiſiæ, Scordii, Abſynthii, Flor. Camomillæ, Meliloti an. Mj. Coq. in ſ. q. Cereviſiæ Tenuis ad ℥xxx. Colatura ſit pro Fotu.

Vel, quoniam quæ contuſa ſunt quàm citiſſimè ſuppurari debent, ejus loco calidè imponatur, & identidem renovetur Cataplaſma:

℞. Rad. Lilior. Albor. rec. ℥iij. Fol. Malvæ, Altheæ, Flor. Camomillæ, Meliloti an. Mj. Caricarum pinguium num. 8. Coctis in Aqua Pura ad mollitiem, & minutim contuſis. add. Farinæ Hordei, Sem. Lini an. ℥iß. Unguenti Baſiliconis ℥ij. Pulv. Croci ʒß. Vitellos duorum Ovorum. M. F. S. A. Cataplaſma.

V. Vulnere abundè ſuppurato, ad Detergentia deveniendum: qualia ſunt Unguentum Baſilicon, Unguentum Aureum, Unguentum Apoſtolorum, Mel Roſaceum, & ſimilia; quibus penicilli, ſive turundæ ex filamentis factæ imbuendæ, & vulneri immittendæ, ac deſuper ſicca linamenta, vel aridæ ſtupæ imponendæ, & contentivâ faſciâ continendæ. Purgato verò, ac deterſo vulnere, impoſitis Sarcoticis vulnus carne implendum; quod facilius conſequemur, turundas indies imminuendo: hinc ad cicatricem perducendum.

VI. Equidem non ſemper Contuſioni adeſt Vulnus; ſed effunditur quandoque ſanguis, integrâ manente cute, in ſpatia partium, unde oritur Affectus, qui ἐκχύμωμα & ἐκχύμωσις appellatur; Latini *Effuſionem, Suffuſionem, Sugillationem* vertērunt. Eſt autem Ecchymoſis nihil aliud, quàm Cruoris in vicina ſpatia, ob vaſorum apertionem, Effuſio, ſi nimirum, cute illæſâ, vaſa ob contuſionem lacera ſanguinem effundant. Etſi verò ſæpius pars in tumorem non attollitur, ſed ità ſanguis effuſus in ſpatia partium ſeſe inſinuat, ut nullus tumor appareat; interdum tamen pars intumeſcit, ſi extravaſati cruoris copia major ſit: imo interdum tanta in copia ſanguis effunditur, ut ſub cute inter muſculos collectus ſinum efficiat, atque partem in tumorem attollat; hinc Inflammationis, & tandem Gangrænæ cauſa evadat. At quàm periculoſæ ſint magnæ Contuſiones, & quàm facilè in Gangrænam degenerent, exemplo docet *Hildanus Cent. 2. Obſerv. 83.*

VII. Itaque factâ Contuſione, ſanguinis in locum affectum fluxus præcavendus, ne Inflammatio excitetur: id optimè fiet per Venæſectionem. Qua de cauſa Galenus jubet, ut in caſu ab alto, & percuſſionibus, mox vena aperiatur. Deinde Parti Contuſæ applicetur Spiritus Vini, vel ſimplex, vel Camphoratus, aut illinatur Oleum Ceræ; ac ſuperponatur Emplaſtrum de Cumino, vel Emplaſtrum de Spermate Cœti, cujus hæc eſt deſcriptio:

℞. Ceræ Albæ ℥iv. Spermatis Cœti ℥ij. Gummi Galbani in Aceto ſoluti ℥i. Fiat ex his. S. A. Emplaſtrum.

At Contuſio ſi magna ſit, Emplaſtri loco, calidè applicetur Fomentum, identidemque renovetur:

℞. Fol. Malvæ, Altheæ, Rutæ, Artemiſiæ, Calamenthæ, Scordii, Dictamni, Flor. Roſar. Rubr. an. Mj. Camomillæ M ij. Sem. Cumini ʒ vi. Inciſa & contuſa coq. in Cereviſia Tenui, vel Vino Gallico ad ℔ iij. pro Fomento.

VIII. Hiſce verò ſi nulla fiat Reſolutio, ſive Contuſio non ſit valdè magna, locus affectus incidendus, dein detergendus, tandemque more aliorum abſceſſuum curandus. Cùm autem Suppurationis notæ adſint, utpote cùm locus affectus nonnihil intumeſcat, ad tactum mollis appareat, dolor quidam pulſatilis & rubedo circum apparere incipiat, promovenda eſt Suppuratio. Facta Suppuratione, Abſceſſus aperiendus, dein Ulcus purgandum, & detergendum, hinc carne implendum, tandemque cicatrice claudendum.

De Vulneribus Morſu Animalium illatis, aliiſque Venenatis.

I. Ad Vulnera cum Contuſione pertinent Ea, quæ Animalium Morſu inferuntur. Sunt autem Hæc vel Venenata, vel Veneni Expertia. Enimverò accidit interdum, ut homo à cane, ſimia, equo, aſino, aliiſvè animalibus non rabidis, vel etiam ab alio homine mordeatur. Nihilominus tamen omnem feræ morſum quoddam virus habere, ſcribit C. Celſus lib. 5. cap. 27. Id quod de feris, iratis præſertim, facilè negari non poteſt. Et quamvis nulla omninò virulentia ſit in vulnere morſu animalis inflicto; contuſio equidem, quæ omnia vulnera periculoſiora & curatu difficiliora reddit, vulnera hæc graviora facit. Nam cùm animalium dentes non ità acuti ſint, ut gladius, vel culter, vel aliud armorum genus, dum vulnerant, ſimul contundunt.

II. Quàm periculoſa autem ſint Vulnera etiam Hominis Morſu illata, docet Jobus Meekeranus Obſerv. Chirurg. cap. 64. exemplo cujuſdam furis, qui lictorem morſu in pollice dextræ manus ità excepit, ut in plures particulas os comminutum, & mors ſequuta fuerit. Affirmat idem tribus exemplis Hildanus Cent. 1. Obſ. 84. 85. Quorum primum eſt Mercatoris, inter pocula morſu alterius in apice dextri indicis vulnerati; cui

cui ex morſu tota manus fuit inflammata, & gangræna ſequuta, cum convulſionibus, febre ardente, ſyncope, & maxima inquietudine. Alterum eſt de Medico, à phrenetica, cùm incautè, linguæ explorandæ gratiâ, digitum in os mulieris immitteret, demorſo; cui vehemens dolor non ſolùm in digito, ſed & toto in brachio ſtatim exortus fuit. Tertium eſt viri, ab alio furioſo ad primam pollicis articulationem graviter morſi; cui itidem dolor vehemens per totum brachium mox exortus eſt, febriſque ſequuta, & ſyncope. Haud abſimilem hiſtoriam recenſet *Matthias Glandorpius in Speculo Chirurg. Obſerv.* 42. de viro, qui dentibus alterius irati in pollice circa primum articulum ſauciatus fuit; unde dolor maximus, totius manus inflammatio, febris, corporis inquietudo, lypothymiæ frequentes, & intenſus capitis dolor exorſus eſt. Et ſanè vulnera hæc periculoſa ſunt, tum ex ſe propter Contuſionem, tum quod Saliva iratorum animalium Venenati aliquid conjunctum habeat, & eò magis periculoſa ſunt, ſi partes nervoſæ mordeantur.

II. Igitur cùm in Vulnere Morſu Animalium illato adſit Contuſio, nunc major, nunc minor, prout dentes animalis ſunt magis minuſvè acuti, & ex contuſione magnus inferatur dolor, præſertim quum virulentia quædam morſui adſit, ideo diverſam Curationem hujuſmodi vulnera ab aliis requirunt; atque tum Contuſionis, tum Malignitatis, tum Doloris habenda eſt ratio. Quapropter ſanguis primùm diligenter è vulnere exprimendus, idque abluendum Aceto acerrimo, vel potius Spiritu Vini, aut ſimplici, aut Camphorato, ſeu Spiritu Vini in quo diſſoluta Theriaca; hinc imponendum hoc vel ſimile Digeſtivum;

℞. Unguenti Baſiliconis ℥j. Mellis, Terebinthinæ an. ℥ß. Theriaces, Olei Scorpionum an. ʒvi. Vitellum unius Ovi. Miſceantur pro Digeſtivo.

Interim ad Malignitatis Virus per corporis habitum expellendum, & ſymptomata graviora præcavenda, Mixturâ continuò utatur Patiens Sudoriferâ & Alexipharmacâ, ex Aqua Meliſſæ, Cardui benedicti, Confectione Hyacinthorum, Sale Abſynthii, Oculis Cancrorum, &c. At à Venæſectione, & Purgatione, quas multi hic nimis temerè proponunt, omninò abſtinendum.

Ad Inflammationis & Doloris ſedationem admoveatur Cataplaſma; v. gr.

℞. Farinæ Avenaceæ, vulgò *Haver-gort*, ℥xii. Pulv. Fol. Rutæ, Scordii, Flor. Sambuci an. ʒvi. Coctis in Cereviſia Tenui ad pultis conſiſtentiam add. Butyri rec. ℥ij. aut ℥iij. M. F. Cataplaſma.

Dolore ſedato, morſuque probè digeſto, vulneri imponatur Mundificativum, v. gr.

℞. Mellis ℥ij. Terebinthinæ ℥j. Theriaces, Farinæ Hordei an. ʒv. Pulv. Aloës, Myrrhæ, Ariſtoloch. Rot. an. ʒj. Croci gr. xv. Spir. Vini ℥j. Vitellum unius Ovi. M. S. A. pro Mundificativo.

Deterſo tandem, & mundificato vulnere, carne id replendum, & cicatrice claudendum, ut aliàs fieri ſolet.

Sin Gangræna imminere videatur, pars affecta ſcarificanda, & porrò tractanda, ut Lib. I. docuimus.

IV. Denique & peculiarem requirunt Curationem Vulnera Venenata; ſive Venenum globis, ſagittis, telis, aut quocunque armorum genere, ſive animalium, ut canis vel lupi rabidi, vel alterius, venenoſi morſu, ſive ictu ſcorpionis, aſpidis, vel alius venenati inſecti inferatur.

V. Hujuſmodi autem Venenata Vulnera ab aliis minus venenatis haud ità difficulter dignoſcuntur. Si namque ab Animalibus Venenoſis inflicta ſint, ex Ægri relatione innoteſcunt. Verùm à globulo plumbeo, vel telo, vel alio armorum genere ſi vulneratus ſit Patiens, cognoſcitur id ex eo, quod in loco vulnerato ſenſus doloris & punctionis major ſit, partis vulneratæ color naturalis mutetur, & in lividum ac nigrum degeneret, moxque ſymptomata præter rationem vulneris gravia ſequantur; viz. toto in corpore nunc ardor, nunc obſtupeſcentia, & præcordiorum anguſtia, interdum & tremor ac lypothymia percipiatur. Quamprimum enim Venenum per venas & nervos receptum eſt, ſeſe in ſanguinem & ſpiritus diffundit, quibus infeſtum admodum eſt; undè gravia hæc excitantur ſymptomata. Quæ quidem Generalia Venenati Vulneris Signa ſunt; quibus tamen plurima alia pro Veneni cujuſque naturâ accedunt Symptomata.

VI. Cæterum omne vulnus, quod venenato armorum genere, vel à venenoſo animali inflictum eſt, longè gravius & periculoſius eſt, quàm quod veneno caret; adeo ut vulnus etiam exiguum venenatum mortem adferre poſſit, cùm magna etiamnum vulnera aliàs ſanari queant.

VII. Quoad *Indicationes Curativas*; vulnus, quatenus vulnus, quomodo curandum ſit, nunc abundè expoſuimus. Sed ſi ſpectetur ut venenatum, danda opera, ne altius in ſanguinem & ſpiritus penetret Venenum; dein ut ejus vis infringatur Alexipharmacis.

Primùm ergò attendendum, an telum venenatum adhuc intrà vulnus hæreat: omnis ſiquidem fruſtrà tentatur curatio, niſi id extrahatur; atque ideo, ut manus operâ quamprimum eximatur, laborandum.

Deinceps Venenum ipſum extrahendum, & ad exteriora evocandum. In quem finem Veteres adhibebant *Suctiones*, & qui id præſtabant *Pſylli* appellabantur, exiſtimabantque, eos proprietatem quandam habere Venenum Suctione extrahendi, eidemque reſiſtendi; cùm tamen id ſaltem audaciâ præſtarent. De hiſce *Celſus lib. 5. cap. 27.* ita ſcribit; „Si ne „id quidem eſt, homo adhibendus eſt, qui „vulnus exugat. Neque hercules ſcientiam „præcipuam habent hi qui Pſylli nominantur, „ſed audaciam uſu ipſo confirmatam. Nam ve„nenum ſerpentis, ut quædam etiam venatoria „venena, quibus Galli præcipuè utuntur, non „guſtu, ſed in vulnere nocent. Et paulò poſt: „Ergo quiſquis exemplum Pſylli ſecutus, id „vulnus exuxerit, & ipſe tutus erit, & tu„tum hominem præſtabit. Illud, ne intereat, „ante debebit attendere, ne quod in gingi„vis, palatove, aliave parte oris ulcus ha„beat. Hic modus, Venenum è vulneribus & ictibus venenatis educendi, in India Orientali nunc etiamnum familiaris eſt, ut ſæpius mihi narravit Nob. ac Illuſtr. D. D. van Rheede tot Drakeſtein, oculatus teſtis, ubi hoc curationis genere multi victum & amictum ſi-

bi quærunt: viz. ex ictibus, morſibuſve ſerpentum, aut aliorum venenoſorum animalium venenum Suctione extrahendo; dum interim ore identidem colluto ac deterſo Limonum Succo, ſeſe præmunire, ac tutos reddere norunt ad acrimoniam & malignitatem exucti veneni.

VIII. Alii Venenum è vulneribus venenatis, præſertim è morſibus ictibuſve venenoſorum animalium, extrahunt cucurbitulis, quæ eò potentius operantur, ſi profundiores adhibeantur Scarificationes. Amotis cucurbitulis Gallinam vel Columbam vivam deplumato podice, vel per medium ſectam, vulneri imponunt.

Alii, ſi locus affectus nervoſus non ſit, in venenatis vulneribus, carnem undique exſcindunt, vel partem læſam abſcindunt. Et refert Galenus, vinitorem quendam, à Vipera morſum, confeſtim læſum digitum falce abſcidiſſe, atque ita omne periculum evitaſſe, ac evaſiſſe.

IX. Abluere quoque vulnus utile erit Aceto acerrimo, aut ſpiritu vini ſimplici, vel Camphorato, aut aquâ contra Gangrænam, aut ſpiritu vini in quo Theriaca diſſoluta.

Nonnulli, ſi vulnus non ſit in parte nervoſa, ceu efficaciſſimum remedium, laudant Actuale Cauterium, quod vi ignis & Venenum abſumere, & ne ad interiora penetret prohibere valet: atqui curandum, ut citò decidat cruſta; quod niſi fiat, ſcalpello ſeparanda, nec ulcus ſtatim conglutinandum, at diu apertum ſervandum, tandemque ſenſim curandum. Ipſi autem vulneri imponunt Cæpam cum Sale, vel Allium Sylveſtre, vel Rutam cum Theriaca aut ſtercore Columbino contuſam, vel tale Emplaſtrum;

℞. Cæparum coctarum ℥iii. Theriaces ℥ß. Stercoris Caprilli ℥i. Pulv. Rad. Angelicæ ʒiß. Olei Scorpionum ℥ß. Mellis & Ceræ q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum aut Cataplaſma.

Barbette ex Guidone proponit, & laudat hoc, quod ſequitur:

℞. Gummi Galbani, Sagapœni, Opoponacis, Myrrhæ, Aſæ Fœtidæ, Piperis, Sulphuris an. ʒvi. Stercoris Columbini, Anatis an. ℥i. Mumiæ ℥ß. Pulv. Rad. Conſolid. maj. ʒiii. Olei Hypericonis. q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum.

X. Interea dum hæc fiunt, & quidem ſtatim accepto vulnere, exhibenda ſunt Antidota, quæ Veneno reſiſtunt, idque per latum cutis ſpiraculum, excitato ſudore, expellunt; qualia ſunt Theriaca, Mithridatium, Diaſcordium, Confectio Hyacinthorum, Lapis Bezoar, Cornu Cervi, Antimonium Diaphoreticum, Bezoardicum Minerale, Unicornu, &c. At Venæſectio, & Purgatio nocent ſummoperè.

Atque hæc in genere ſufficiunt de Vulneribus Venenatis. In ſpecie de morſu canis Rabidi, & de variorum animalium venenoſorum, Viperæ puta, Scorpionis, Aranei, Apis, Muſcæ, &c. Morſibus, Ictibuſve agere, animus non eſt. De quibus videri poſſunt C. Celſus lib. 5. cap. 27. Sennertus Prax. lib. 5. part. 2. cap. 16. & lib. 6. part. 8. Hildanus Cent. 2. Obſerv. 98. & plures alii.

De Vulneribus Sclopetorum.

I. Inſuper ad Contuſa Vulnera non ſine ratione referuntur ea, quæ Sclopetis infliguntur. Etenim Vulnus à Glande Sclopetorum factum non ſimplex eſt Vulnus, ſive ſimplex continui ſolutio; ſed eſt vulnus cum contuſione, & laceratione plerumq; muſculorum, vaſorum, partium nervoſarum, ac non rarò quoque cum oſſium fractura conjunctum.

II. Igitur Vulnera Sclopetorum Globis inflicta differunt à Vulneribus acuto Telo illatis, partium, quas Globus pertranſiit, contuſione & dilaceratione. Equidem differunt hujuſmodi vulnera inter ſe; quod alia magna ſint, alia parva, alia profunda, alia minus profunda; interdum globus ex ſclopeto emiſſus partem pertranſierit, interdum in parte adhuc hæreat; interdum ſolus globus in corpus penetraverit; interdum armaturam, vel alias res, per quas tranſiit, ſecum in corpus rapuerit.

III. Signa, quibus hæc vulnera in genere cognoſcuntur, tradere opus non eſt; cùm ſufficiat, cognitum habere, aliquem à globo è bombarda emiſſo vulneratum eſſe. Quæ autem partes vulneratæ ſint, vel ſtilo immiſſo explorandum, vel è partium ſitu, per Anatomen noto, cognoſcendũ.

IV. At Sclopetorum Vulnera, quoniam inſignem conjunctam habent contuſionem, ſunt longè perículoſiora, quàm ea, quæ Gladio aut Telo infliguntur. Atque ideò ex quibus vulneribus Gladio illatis multi ſanantur, puta ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, &c, ex iiſdem Sclopetorũ Glande factis rarò quis convaleſcit. Sed quanquam hæc vulnera ſint perículoſiora vulneribus inſtrumento acuto inflictis; non tamen facilè Æger deſerendus, cùm hîc natura ſæpè miracula faciat, & eos, qui ſepulturæ tradendi videbantur, convaluiſſe obſervatum ſit. Cujuſmodi hiſtoriæ paſſim notæ ſunt; ac ſingularem iſtiuſmodi Obſervationem & Curationem operibus ſuis quoque ſubjicit Fabritius Hildanus poſt Librum de Combuſtionibus pag. mihi 935. ad 949. in qua multa lectu digna narrantur.

Cæterum quo plures partes & nobiliores ſunt Vulneratæ, contuſæ, & dilaceratæ, ac in primis ſi oſſa ſimul fracta & comminuta ſint, eò vulnus eſt periculoſius, & curatu difficilius.

V. Indicationes Curativas horum vulnerum quod ſpectat: eæ tres ſunt. Prima eſt, Globi, ſi adhuc parti vulneratæ inhæreat, Extractio. Secunda, contuſæ carnis in Pus mutatio. Tertia, quæ reliquis vulneribus communis eſt, ut vulnus carne impleatur, ac porrò cicatrice claudatur.

VI. Primum ergo quæcunque extranea in vulnere fuerint, ut indumentorum fruſtula, globi, oſſium fragmenta ſeparata & pungentia, ac alia quæ conſervari nequeunt, ut ſanguis extravaſatus, caro contuſa ac lacera, pus & ſimilia, ſi abſque maximo dolore fieri poteſt, extrahenda; & hoc faciendum vel digitis, vel volſellis, aut tenaculis, aut forcipibus denticulatis ac roſtri inſtar aduncis, aliiſve ſimilibus inſtrumentis, uti Cap. 5. latius expoſuimus.

VII. Deinde curetur, ut id quod contuſum eſt in Pus mutetur, & à carne ſana, partibuſque ſanis ſeparetur. Atqui cùm contuſæ partes facilè putreſcant, & hinc gangrænæ periculum immineat, vulgata illa in aliis vulneribus Digeſtiva & Suppurantia hîc ſimpliciter locum non habent; præſertim ſi partes nervoſæ contuſæ ſint, quæ hujuſmodi humida & pinguia non tolerant, ſed ſicciora requirunt. Hinc in Sclopetorum Vulneribus à multis laudatur hoc Oleum Catellorum; cui

cui mira vis eſt dolorem ſedandi, & ſuppurandi, ſi calidum vulneri inſtilletur:

℞. Olei Violarum vel Liliorum alborum ℔iv. in eo coquantur Catelli duo nuper nati, ad oſſium diſſolutionem, addendo interim, Lumbricorum terreſtr. in Vino lotor. ℔i. Coq. ſimul, & ſine forti expreſſione colentur. In colatura liqueſiant, Terebinthinæ Venet. ℥iij. Spiritus Vini ℥i. Miſceantur.

Utilia ſunt & hæc;

℞. Olei Sem. Lini, Liliorum alborum an. ℥iii. Unguenti Baſiliconis ℥i. Miſceantur.

℞. Terebinthinæ ℥iv. Thuris, Maſtichis an. ʒiij. Myrrhæ ʒi. Olei Hypericonis ℥ij. Vitellos duorum Ovorum. Pulv. Croci ℈i. Miſceantur. S. A.

Barbette in Slopetorum Vulneribus ſequens extollit:

℞. Terebinthinæ, Galbani, Picis Liquidæ an. ℥ij. Maſtichis, Thuris, Nitri, Salis Armoniaci an. ℥i. Aluminis ʒß. Viridis Æris, Vitrioli Albi, Camphoræ, Pulv. Lumbricorum an. ʒi. Olei Lini, Roſarum an. ℥ii. Olei Lumbricorum, Terebinthinæ an. ʒi. M. F. S. A. Mundificativum.

Interim hîc laudandum non videtur conſilium Jouberti, Quercetani, aliorumque, qui Sclopetorum Vulneribus per aliquot primos dies imponi volunt Mercurium Præcipitatum Rubrum cum Axungia Porci, aliave Pinguedine mixtum. Mercurius namque Præcipitatus, præterquam quod contuſioni non proſit, parti vulnerati gangrænoſam conſtitutionem addet. Hinc aliquod ex propoſitis Digeſtivis potius uſurpetur; vel poſt tertiam, quartam, aut quintam deligationem, haud inutile erit hoc:

℞. Terebinthinæ Venet. ℥iv. Olei Roſarum ℥i. Mellis Roſacei ℥iii. Pulv. Myrrhæ, Aloes, Maſtichis, Ariſtoloch. Rot. an. ʒiß. Farinæ Hordei ʒiii. Vitellos duorum Ovorum. Fiat ex his S. A. Digeſtivum.

Inſuper parti ſanæ ad dolorem ſedandum cogimur quandoque imponere Anodynum Cataplaſma. v. gr.

℞. Herb. Malvæ, Altheæ, Hyperici, Abſinthii, Flor. Camomillæ, Meliloti an. Mß. Coctis in Lacte Vaccino ad mollitiem, & minutim contuſis, add. Farinæ Althææ, Fabarum an. ℥iß. M. F. Cataplaſma.

Circa applicationem verò medicamentorum & hoc monendum, ne turundæ ſint nimis craſſæ, ut ſaniei exitum prohibeant, & ſic inflammationem, aliaque gravia inducant ſymptomata; vel ne nimis longæ ſint, ut pungant: vel duræ nimis, ut lacerent. Adhæc ſi globus totum membrum penetraverit, ut vulnus utraque parte pateat, utrique foramini turunda immittatur. In principio etiam una deligatio quovis die ſufficit: vulnera enim Sclopeto inflicta rarò ante diem tertium aut quartum pus exhibent: deinceps puris copia aut acrimonia ſatis ſemel, an bis, terve de die deligatio ſit inſtituenda, determinabit.

VIII. Poſtquam abundè digeſtum eſt vulnus, atque id quod contuſum eſt, maxima ex parte, in pus mutatum, vulnus abſtergendum, carne implendum, ac cicatrice claudendum. Et quidem ubi vulnus purum fuerit, neceſſaria omninò eſt carnis generatio; cùm contuſa caro in pus mutetur, & vulnus omninò cavum fiat.

Ad Abſtergentia verò quod attinet; Ea mitiora vel fortiora eſſe debent, prout major vel minor Puris copia adeſt, & vulnus vel purius vel ſordidius eſt: quem in finem conducunt Unguentum Aureum, Apoſtolorum, & alia in ſuperioribus propoſita. Quædam autem Vulnerum Sclopetorum Globis inflictorum exempla, lectu digna, videri poſſunt apud Scultetum poſt Armament. Chirurg. Obſerv. 27. 53. 58. 94.

IX. Sed in Sclopetorum Vulneribus non rarò contingit, ut Facies Pulvere Pyrio comburatur, & nigris maculis inficiatur. Et quidem, exploſâ bombardâ, duobus modis per pulverem pyrium Facies læditur, atq; aduritur; nimirum, aut à pulveris flamma, ſi prope hominem accendatur, vultumque contingat; aut citra flammam ab ipſo pulvere, qui dum in Faciem è ſclopeto proſpergitur, cutem per vim trajicit, nigraſque maculas ac vibices producit, vt adeò fœdum in modum Facies deformetur: ſi namque grana hujus pulveris integra profundè cuti inhæreant, & non eximantur, maculas iſtiuſmodi pariunt nigricantes & lividas.

V. Quum igitur Facies à pulveris pyrii flamma aduratur, nihilque pulveris cutem trajecerit, omnes jam factæ veſiculæ forfice ſunt incidendæ, ut acris humor effluat. Sed cùm tali in caſu Oculi plerumqué afficiantur, pluriumque interſit Oculorum, ſumma Viſui conſervando adhibenda eſt diligentia: quare ſæpius Lac Muliebre, vel Vaccinum recens ac tepidum Oculis inſtilletur, eoque linteamina duplicata vel triplicata imbuantur, Oculiſque imponantur.

Loco lactis recentis ac tepidi, Oculis inſtillari & admoveri poteſt Aqua Roſacea, in qua tantillum Seminis Cydoniorum & Fœnigræci maceratum eſt. Dolor verò ſi admodum vehemens ſit, imponatur inter duo linteamina hoc, vel ſimile Cataplaſma:

℞. Pulpæ Pomorum Acidul. repurg. ℥iv. Coq. in ſ. q. Aquæ Roſarum & Fœniculi, dein conter. & add. Mucilag. Sem. Fœnigræci ℥iß. Lapid. Hæmatitid. præpar. ʒiß. Albumen unius Ovi. Fiat ex his. S. A. Cataplaſma.

Partibus verò Faciei ambuſtis admoveatur Unguentum dolorem leniens, cutem combuſtione induratam emolliens, ac cicatrices impediens. Quem in finem Hildanus in Tract. de Scloperaria Curatione cap. 3. hoc commendat;

℞. Gummi Elemi puriſſimi ʒi. Olei Ovorum, Amygdal. Dulc. Ping. Urſinæ, Humanæ an. ʒß. Mucilag. Sem. Cydonior. in Aqu. Roſ. extract. ℥ij. M. S. A. pro Linimento, quo tota Facies illinatur.

Scultetus poſt Armament. Chirurg. Obſerv. 33. ſequens valdè laudat:

℞. Butyri rec. ſæpius liqueſacti, & in Aqu. Sperniolæ loti ℥iij. Olei è Vitellis Ovorum ℥i. Miſceantur pro Linimento.

XI. Si verò pulvis ſclopetarius cuti infixus fuerit, is confeſtim acu, aliovè acuminato inſtrumento, quantum fieri poterit eximendus; quodque hoc modo auferri nequeat, id ſpongiâ Aquâ calidâ imbutâ eluendum, neque deſiſtendum, niſi omni omninò pulvere exterſo; dein

deiń Facies aliquo ex ſupraſcriptis Linimentis inungenda. At vehemens ſi urgeat dolor, linteum aquâ roſaceâ & plantaginis, in qua tantillum ſeminis Cydoniorum & Fœnigræci ſit maceratum, imbutum calidè prius imponendum.

Nitratus item Pulvis Oculis inſperſus diligenter quoque parvâ ſpongiâ lacte calido madefactâ eluendus; dein acquieſcendum, omnique alio, vel aciculæ, vel cæterorum inſtrumentorum uſu, cui extra oculos locus eſt, ſuperſedendum, ne Patiens de viſus, vel Cheirurgus de exiſtimationis diſcrimine laboret. Etenim pulvis hic ſi Pupillæ fuerit infixus, Vulneratus de viſu ut plurimum periclitatur.

De Partium Compoſitarum Vulneribus.

De Vulneribus Capitis.

I. Vulnerari poteſt Caput pluribus modis: vel enim tantùm Cutis afficitur; vel Cutis & Pericranium; vel cum his etiam Cranium, &c.

Vulnera quæ ſunt in Cranio, vel totum Cranium penetrant, vel non: quæ penetrant, vel ſunt cum Craſſæ Menyngis læſione, vel ſine ea: ſi læditur Craſſa Menynx; Ea vel ſola vulneratur, vel ſimul cum tenui menynge, nonnunquam incluſo quoque cerebro.

II. Species verò Solutæ Unitatis, quæ in cute & pericranio fieri poſſunt, ſunt Inciſio, Punctio, Contuſio. At in cranio quinque recenſeri ſolent; viz. Fiſſura, Contuſio, Depreſſio, Sedes Teli, & Contrafiſſura.

III. Fiſſura ſeu rima eſt diviſio quædam continui in cranio tenuis & ſubtilis, quæ ut plurimum habet circumpoſitum os colliſum & contuſum. Accidit autem Fiſſura, cum ab inſtrumento gravi ac contundente, ut lapide, ligno, caſu ab alto, & in rem duram impulſu, cranium ita læditur, ut vaſis teſtacei in modum findatur, ſeu rimam contrahat. Et ſemper quidem à re gravi & contundente rima provenit; nonnunquam tamen ſimul ab incidente & acuta, ut gladio acuto ſimul & gravi. Atqui ex Fiſſuris aliæ utramque cranii laminam non penetrant, aliæ totum cranium penetrant; ubi ſcilicet utraque lamina ad craſſam uſque menyngem finditur: cui Fiſſuræ interdum & hoc accidit, quod menynx ab interna calvaria ſeparatur, unde vaſa divulſa ſanguinem effundunt, qui ſub cranio collectus, niſi via ipſi ad exitum pateſiat, Ægrotanti extremum diem adfert. Vel ubi utraque cranii lamina ad menyngem uſque finditur, non rarò cranii fruſtula abſcedunt, quæ menyngem comprimunt, pungunt, & variis modis afficiunt; unde gravia, imo lethalia ſuccedunt accidentia. Equidem externa cranii tabula finditur quandoque, illæsâ internâ. Vel interna rimam ſeu fiſſuram contrahit, tabulâ externâ manente integrâ, cujus rei exempla citant Fallopius in lib. Hippocr. de Vulner. Capitis cap. 13. Scultetus poſt Armament. Chirurg. Obſerv. 14. Tulpius Obſ. Med. lib. 1. cap. 2. Atque in interna hac cranii lamina, externâ remanente integrâ, Fiſſura oriri poteſt, quando exterior lamina tantùm contunditur in ſe ipſam cedendo, inferior verò lamina cùm duriſſima ſit, cùmque propter ſummam ejus duritiem in ſe cedere non poſſit, Rimam contrahit.

IV. Secunda ſolutæ unitatis in Cranio ſpecies eſt Contuſio ſeu Colliſio, cùm ſine rima & fiſſura, ab irruente & illiſo extrinſecus violenter, aut obſtante aliquo duro & obtuſo corpore, os ita contunditur, ut etſi externa ejus facies ad ſenſum permaneat integra; in profundo tamen fit continui ſolutio, dum intus deprimitur, & in ſe cogitur Cranium; ut idem ferè ei contingat, quod carnibus, dum à re dura & gravi læduntur, accidere ſolet.

V. Tertia differentia eſt Depreſſio ſeu Introceſſio, cùm finditur Cranium, ſed non, ut in ſimplici fiſſura, in ſuo loco manet; verum intrò cedit: id quod fit ex validis obtuſorum telorum, lapidum, fuſtium ictibus, vel capitis ex lapſu ad rem duram obtuſam vehementiore alliſione. Equidem deprimitur interdum Cranium ſine rima & fiſſura, quód in puerorum capitibus, quorum oſſa ſunt molliora, ferè accidit. In adultis verò rimam introcedendo plerumque contrahit: quorum enim oſſa ſunt duriora, in iis vix deprimi poteſt cranium, quin ſimul frangatur.

VI. Quarta eſt Sedes, Seſſio, Veſtigium; cùm à telo acuto cranium læditur, ita ut aciei teli impreſſum veſtigium, & ſedes, qua parte telum inſedit, manifeſtè appareat.

VII. Quinta & Ultima ſolutæ unitatis in cranio differentia vulgò cenſetur Contrafiſſura, qua findi cranium dicitur in parte oppoſita illi, in qua ictus fit. Hanc Hippocrates videtur deſcribere lib. de Vulneribus Capitis, cùm ſic ait: „ ſub vulnere frangitur alia capitis „ parte, quàm qua vulnus eſt, & os nudatum eſt. Atque ex hoc Hippocratis loco plurimi de hac Fiſſuræ ſpecie non dubitarunt; eamque Nic. Fontanus annot. in cap. 1. Epitom. Veſalii, etiam confirmare nititur exemplo pueri, qui è muro quindecim pedes alto ceciderat, in quo Fractura cum multis Fiſſuris mox deprehenſa fuit circa Muſculum Temporalem; ſed ſecto poſt mortem cranio, adhuc duæ aliæ contrafiſſuræ in latere oppoſito repertæ ſunt. Equidem haſce contrafiſſuras Fallopius de Vulner. Capitis cap. 13. Galenus, Paulus Ægineta, & plures alii ſtrenuè negant: quibus & nos calculum noſtrum addimus. Enimverò Fiſſura in cranio contingens ſe non extendit ulterius, quàm per unum os, & ad proximam ſuturam ſiſtitur.

Quantum ad citata Hippocratis verba: ille non loquitur ibi de contrafiſſura, ſed docet, interdum pus ſub cranio alia parte colligi, quàm qua os fractum eſt: aut ſaltem non dicit in parte oppoſita ſemper cranium frangi, ſed alio loco, quàm quo vulnus eſt, oſque nudatum fuit; & addit, non ſcire poſſe Medicum, ubinam malum hæreat, & quanam parte vulneratus ſit Æger: cùm tamen facilè id ſciri poſſet, ſi in contraria parte ſemper læſio eſſet.

VIII. Diagnoſtica Vulnerum Capitis Signa quod ſpectat; Ea quæ partibus Cranio ſuperpoſitis accidunt, & Cutis, carniſque Vulnera dicuntur, vel ipſo intuitu, vel ſaltem ſpecilli indagine pateſiunt. At Pericranium ſi ſimul vulneretur, graviora accedunt ſymptomata, præſertim quum incautè à Barbitonſore pinguia admoveantur medicamenta; qualia ſunt dolor vehemens, capitis totius inflammatio, febris continua,

nua, ſopor, &c. Cæterarum verò partium læſiones non ita facilè innoteſcunt; eæque petuntur primum ab effectis ſeu ſymptomatibus, quæ plagæ ſupervenire ſtatim ſolent. Ipſa calvaria cùm oſſea planè ſit, ſenſuſque per ſe expers, neque dolorem, neque aliud grave ſymptoma excitare poteſt; ſed tantùm ex menyngum & cerebri compreſſione, punctura, lancinatione, mala accidentia oboriri ſolent: de quibus C. Celſus lib. 8. c. 4. " pertuſà calvariâ, protinus requirendum eſt, " num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus " obcæcati ſint, num obmutuerit, num ſi per " nares aureſvè ſanguis ei effluxerit, num con- " ciderit, num ſine ſenſu quaſi dormiens jacuerit. Hæc enim non, niſi oſſe fracto, eveniunt. Quibus addi poteſt oculorum rubedo, vertigo tenebricoſa. Augetur ſuſpicio, ſi Æger in percuſſionis actu ſtridorem quaſi fracti oſſis perceperit. De his etiam loquitur Hippocrates. Sect. 6. Aphor. 50. Sect. 7. Aphor. 14. 24. 58.

Verùm Signa hæc etſi propria, equidem inſeparabilia ſemper non ſunt: atque accidere poteſt, ut fracto etiamnum cranio nihil iſtorum appareat; ſi ſcilicet fractura ſit parva, & caput robuſtum. Teſtatur quoque Paræus, ex enumeratorum ſignorum abſentia non uſque adeò firmiter illæſam eſſe calvariam pronunciari poſſe, dum multis cranium fractum fuiſſe fatetur, quibus nihil tale ab ictu ſupervenerit. Memorabile exemplum narratur ab Hild. cent. 5. obſ. 24. de ruſtico in capite vulnerato, cum fractura cranii, & læſione atque effluxu cerebri ſubſtantiæ; in quo viro nihil planè illorum ſignorum, quæ auctores requirunt, apparuit toto morbi decurſu, præter ſymptomaticam febriculam, quæ brevi ceſſavit.

Equidem horum ſymptomatum quædam ut plurimum ſtatim invadunt; viz. ſubitus in terram lapſus, vertigo, oculorum caligo, vomitus bilioſus, ſanguinis è naribus, auribuſvè, aut ore fluxus, aphonia; quædam poſtmodum ſuperveniunt, ut convulſio, febris, delirium, ſopor, paralyſis.

IX. Adhæc Signa quoque deſumenda ſunt ab omnibus iis, quæ ad contuſionem efficiendam concurrunt. Percunctandum igitur, num facta ſit percuſſio lapide, ligno, aut ferro, & num levi vel ponderoſo, aſpero vel leni, vehementer aut leviter, num Patiens ſit juvenis vel ſenex, robuſtus vel debilis, num habuerit caput ſanum, an malè diſpoſitum, &c.

X. Veruntamen ipſe Senſus, fideliſſimus teſtis, fracturæ detegit, & hîc Hippocrates jubet, ut Medicus, priuſquam aliquid tentetur, quo Ægrum & adſtantes ſibi confidentiores reddat, primò capillos conſideret. Si enim hi Telo ſunt diſſecti, & ipſo in vulnere continentur, oſſis denudati & læſi ſignum id eſſe docet. At certior explorandi modus eſt, qui fit per ſpecillum.

C. Celſus ſpecillo contentus non eſt, & licet nec minima rima appareat; tamen ſi ex teli vel ictus conditione, & ſupervenientibus ſymptomatibus de cranii fractura ſuſpicio ſit, oſſi atramentum ſcriptoriū inducere iubet, & poſtea os radere. Quod enim fiſſum eſt quia nigrum colorem in ſe recepit, nigrum manet, reliquum verò raſurâ album fit, & naturalem colorem acquirit. Atque repertam hoc modo fiſſuram porrò radere ſecundum profunditatem oportet: ſi enim raſione omnia nigredo eximatur, indicio eſt fiſſuram minorem eſſe; ſin deleri nequeat; profundius penetrat.

Quidam præter hæc ſigna, etiam his utuntur: ſumunt Thuris, ceræ, ladani an. ℥ii. therebinthinæ, aceti, farinæ fabarum an. ℥i. Hæc mixta imponunt capiti deraſo, in loco contuſo, & ſequenti die auferunt: ſique medicamentum in una parte magis, quàm in alia, ſiccatum appareat, ibi os fractum ſubeſſe dicunt.

Alii volunt, ut Patiens in una extremitate filum dentibus apprehendat, in altero extremo manu teneat, idque dein baculo vel digito percutiatur: hinc ſi Æger in aliqua capitis parte dolorem ſentiat, ibi os fractum eſſe putant.

Nonnulli ſuadent, ut Æger dentibus amygdalum vel nucem frangat, & ubi dolor ſentitur, ibi os fractum cenſent. Sed incerta eſſe ultima hæc ſigna, exemplo docet Scultetus poſt Armament. Chir. obſ. 19. Scribit quoque Paræus, etſi utrumq; ſæpius tentaverit; horum tamen ſignorum veritatem experientiâ non potuiſſe comprobare.

Inſuper calvaria interdum non frangitur in loco contuſo, ſed in parte vicina; & talis fractura in principio cognoſci non poteſt, verùm in progreſſu ex accidentibus, ut ſunt bilis vomitus, vertigo, obcæcatio, &c. demum conſtat. Hiſce enim præſentibus, ſi in loco, ubi cutis diſciſſa eſt, fractura non appareat, alia in parte conſiderandum, num locus ſit mollis, num tumeat, num doleat: hæc ubi apparuerint, cutis protinus incidenda, ſub qua os fractum non rarò reperitur.

XI. Quoad prognoſin; quæ vulnera etſi per ſe periculoſa non ſint, præcipuè cuti & panniculo carnoſo inflicta, nemoque ex iis, ſi rectè tractentur, moriatur; tamen nec illud malè dicitur: nullum capitis vulnus contemnendum eſſe, quod monuit Hippocrates in proæmio lib. de Vulner. capitis. Atque ideò in iis curandis, quàm in aliarum partium cutaneis, & non profundis vulneribus, plus diligentiæ adhibendum; cùm, ſi quid negligatur, magnum ſæpè accerſatur periculum.

XII. Si cranium quocunque modo læſum ſit, periculo non vacat, nec vulnus contemni debet; etiam ubi omnia bene ſe habere videntur: ſcribitque Paræus, & à veteribus proditum, & experientiâ confirmatum eſſe, in cranii fractura neminem extra periculum poſitum cenſeri debere, niſi poſt centeſimum diem. Minus tamen periculi eſt, ſi externa ſaltem tabula læſa ſit; & minus adhuc, ſi inciſa ſolùm: contuſio verò majus conjunctum habet periculum.

Si verò utraque lamina diviſa ſit, totaque aperta calvaria, majus adeſt periculum; minus, ſi ſit ſedes teli, aut lata & ampla fiſſura: majus, ſi fiſſura ſit anguſta: adhuc majus, ſi ſit contuſio & rima ſimul; ac imprimis ſi rima illa ſit anguſta: maximum periculum eſt, ſi rima ſit in alia parte ab ea, quæ ictum excepit.

Augetur periculum, ſi præter cranium & craſſa menynx; ac præſertim ſi ſimul tenuis menynx, & ipſum cerebrum læſa ſunt: & quò vulnus profundius penetrat, eò periculoſius eſt.

Inſuper & hîc conſideranda ſunt aëris ambientis regionis, ipſius vulneris conditio, aliaque accidentia. Atque hinc æſtate capitis vulnera ſunt periculoſiora, ob imminentis inflammationis metum

metum; hyeme quidem etiam ob frigus; quod tamen aëre igne temperato facilè evitari poteſt. Etiam in humida regione capite vulnerati plus periclitantur, quàm in ſicca.

XIII. Cæterum in occultis Rimis & Contuſionibus ſummè periculoſum, ſi inter duas cranii tabulas diploë compreſſa ſit, ſanguinisque aliquid effundat; qui eo loci putreſcens oſſis corruptionem adfert, ut interdum non ſolùm aliquot poſt acceptum ictum hebdomadibus, ſed & menſibus, nihil mali ſuſpicans Æger moriatur; cujus rei notabile exemplum habet Petrus Pavius in comment. ad Hippocr. de Vulner. Capit. de quodam, poculo ſtanneo in capite percuſſo, in quo nulla fiſſura deprehenſa fuit; & vulnere conſolidato Æger benè ſe habere putans, poſt decimum menſem inter deambulandum vertigine correptus concidit, neque diu poſt obiit. Aperto Cranio deprehenſum eſt, os in loco ictus planè corruptum fuiſſe, & Menyngem in conſenſum traxiſſe. Haud abſimilem hiſtoriam refert Scultetus poſt Armament. Chirurg. Obſ. 7. cujuſdam ruſtici, qui ab aliis pugnis exceptus, validè in nudo capite percuſſus fuit, crebroſque ac vehementes ictus ſuſtinuit; quod tamen magni non æſtimavit, & per aliquot dies conſueta munia obiit, quamvis dolores non parvos ex percuſſione ſenſerit. Quid fit? ingraveſcentibus poſtmodum ſymptomatibus, ruſticus hic centeſimo demum die, ob intermiſſum trepani uſum, ivit unde redire negant quenquam.

XIV. Porrò vulnera in media capitis parte periculoſiſſima cenſentur; in occipitio contrà ſeſe res habet; in parte anteriore, hoc eſt, in fronte medio modo ſe habent. Item quæ ad Suturas fiunt plagæ, ſunt periculoſæ, cum propter Cranii eò loci imbecillitatem, tum propter craſſam Menyngem, quæ fibris ibi annectitur.

XV. Igitur Capitis Vulnerum Differentiis, Diagnoſticis, & Prognoſticis abundè expoſitis, ordo nos ducit ad eorundem Curationem; tum generalem, tum ſpecialem. Enimverò varia & diverſimoda quum ſint capitis vulnera, diverſæ quoque erunt illorum Curationes; quas ſingulatim deſcribere oportet, initium ducendo à Simplici capitis contuſione. Eſt autem contuſio interna alicujus partis ſolutio continui, & colliſio, cute plerumque manente integrâ, quæ fit à re gravi, dura, & obtuſa, quam ſequitur ἐκχύμωσις καὶ ἐκχύμωμα, ſanguinis ſcilicet ſubter cutem effuſio. Hæc in capite fit, cum vel fuſte, vel aliâ re obtuſâ id percutitur, vel ex caſu rei duræ ac non acutæ alliditur, &, cute plerumque integrâ, exigua ſubcutanea vaſcula aperiuntur, ſanguiſque ex iis effunditur; unde Tumor mollis, lividus, abſque magno dolore excitatur. Qui ſi ritè tractetur, omni vacat periculo. At ſi vel Pericranium, vel cranium afficiatur, vel ſi muſculi temporales contundantur, non rarò gravia, imò & lethalia quandoque ſuccedunt ſymptomata, puta delirium, paralyſis, convulſio, &c. qualia exempla habet Glandorpius in Spec. Chir. c. 10. 11. 12.

XVI. Ut autem Curetur ſimplex capitis contuſio, humorum affluxus eſt prohibendus, dolor ſi adſit mitigandus, & ſanguis ſub cutem effuſus evacuandus. Eum in finem nonnulli repellentia & adſtringentia adhibere ſolent, locumq; affectum oleo roſaceo inungunt; deinde ovi Albumen bene conquaſſatum, vel ſolum, vel aqua & aceto roſarum mixtum, & ſtupâ exceptum imponunt, ejuſmodi plura applicant. Sed ut ut fatear, non video quo jure talia prodeſſe poſſunt; quandoquidem poros obſtruendo, hinc exhalationem impediendo, humorem extravaſatum in parte affecta detinent magis, quapropter Diſcutientia & reſolventia, ſimulque partem affectam roborantia potius uſurpentur. Et quidem, ſi contuſio magna ſit, calidè admoveatur hoc vel ſimile fomentum, ac identidem renovetur.

♃. Fol. Betonicæ M ii. roſmarini, majoranæ, menthæ, rutæ, flor. anethi, camomillæ an. m i. roſar. rubr. ſtæchad. arab. an. m ß. bacc. lauri, juniperi an. ℥ß. ſem. cumini ʒ iii. vini Gallici ℔ iv. coq. ſ. a. in diplomate, pro fomento. Foreſtus lib. 9. Obſ. 32. laudat cataplaſma helidei, quod mirum in modum humiditatem in contuſionibus diſcutere ait;

♃. Herb. abſynthii, betonicæ, flor. camomillæ roſar. rubr. an. m i. coctis ad mollitiem, & dein contuſis, add. farinæ fabarum ℥ iii. olei roſacei, vini nigri ſtiptici an. q. ſ. M. F. S. A. Cataplaſma. Jacobus à Roonhuyſen ad omnes capitis contuſiones hoc ſuum emplaſtrum admodum extollit:

♃. Ceræ flavæ, emplaſtri Diachalciteos an. ℔ ß. olei myrtillorum, roſarum an. ℥ iii. laurini ℥ ii. pulv. myrtillorum ℈ ii. ſem. cumini ʒ vi. fiat ex hiſce emplaſtrum. Si contuſio nimis magna non ſit, mox ab ictu locus affectus inungatur oleo ceræ, ac imponatur emplaſtrum è cumino, aut de Spermate Cœti, vel affluxus ſi humorum metuitur, emplaſtrum defenſivum. Et ſanè hoc modo contuſiones ingentes, quæ pueris ex caſu contingunt, non rarò ſanantur. Loco olei ceræ utitur nonnunquam Foreſtus oleo aniſi.

XVII. Si verò ob ſanguinis extra vaſcula effuſi copiam, is totus diſcuti nequeat, & ſuppuratio impediri non poſſit, tumor ſtatim incidendus, & contentus intus humor educendus, ne pericranium, eique ſubjectum cranium corrumpat; uti obſervavit Scultetus poſt Armam. Chir. Obſ. 16. in puero, qui ex capitis contuſione, tribus menſibus, inſtante novilunio, convulſionibus vexatus fuit: à quibus tamen, capitis ſectione ad cranium uſque factâ, & evacuatâ materiâ ibidem hærente, nec non cranio nigro ac aſpero debitè deraſo, curatus fuit. Sed & magna capitis contuſio in prima curatione non rarò aperiri debet, cùm ſubjectum cranium nonnunquam fractum ſit, ejuſque fragmenta craſſam menyngem vellicent, atque ideo eximenda; cujus rei notatu dignum deſcribit exemplum Jobus Meekeranus Obſ. chirurg. cap. 1.

XVIII. At verò vulneratur quandoque caput ſimpliciter, hoc eſt, cranio manente integro: viz. ubi ſolummodò cutis, panniculus carnoſus, muſculi, nonnunquam & pericranium læditur. Quo in caſu indagandum, quouſque tale vulnus penetret. Si namque ſola cutis ſit læſa, nulla alia curandi ratio eſt, quàm quæ cæteris cutaneis debetur vulneribus. Nimirum ſanguis, ſi vehementer fluat, ſiſtendus, capilli circa vulnus abradendi, & vulneris labia

unienda, unitaque ſervanda aut ſuturâ, aut potius medicamento agglutinante. Reliqua autem capitis vulnera, quæ ſunt cum Pericranii læſione, tuto non conſuuntur, nec agglutinantur; ſed per carnis generationem curari debent.

XIX. Cùm igitur primâ læſionis horâ ad Vulneratum, ex ſola Pericranii inciſione, vocatus fuerit Medicus, vulnus ſtatim carpiâ ſiccâ impleatur, quo ſanguinis fluxus comprimatur, ac disjuncta teneantur vulneris labia; capiti verò mappis laneis imponatur Fomentum in Contuſionis Curatione propoſitum;

Vel, ℞. Herb. Betonicæ Mij. Roſmarini, Majoranæ, Menthæ an. Mj. Flor. Camomillæ, Stœchad. Arab. an. M ß. Bacc. Juniperi ℥ ß. Vini Albi ℔ iij. Coq. S. A. in Diplomate, pro Fomento.

Altero die, ſanguine cohibito, capilliſque in ambitu deraſis, vulneri imponantur petiæ Digeſtivo ex Therebinthina, Ovi Vitello, ac Mellis Roſacei & Spiritus Vini tantillo, illitæ, deſuper applicandum Emplaſtrum Diapalma, vel ſimile, & ſuperponendum Fomentum: atque ità pergendum, donec Pus appareat bonum; quod eſt album, & non fœtidum. Quo apparente, pro vulneris mundificatione Digeſtivo aliquod Detergens admiſceatur, donec omninò deterſum ac mundatum fuerit; tuncque carnis generationi ſtudeat Chirurgus, quapropter Unguentum Baſilicon, Balſamum Peruvianum, ſimilevè Sarcoticum, filamentis aridis inductum apponat, deſuper Emplaſtrum, deinde Fomentum, convenientemque faſciam. Atque hiſce utendum ad perfectam uſque carnis generationem; hinc vulnus cicatrice obducendum.

Hiſtoria vulneris, in quo capitis cutis ad Pericranium uſque divulſa erat, ſic ut tota ab occipitis initio in frontem & faciem dependeret, curati, habetur apud *Paræum lib.* 10. *cap.* 15. Haud abſimile exemplum citat *Petrus de Marchettis Obſerv. Chirurg.* 16. pueri ſeptem annorum, cui capitis cutis urſi unguibus cum Pericranio, ad ſuturam uſque lambdoidalem diſcerpta erat, ſuccreſcente in ejus locum alio tegmine, priori analogo, cum capillis.

XX. Quod ſi detectum ſit Cranium, atque ab aëre ambiente vel alteretur tantum, vel etiam nigreſcat, undique tunc abradendum vel ad coloris mutationem, vel donec ſanguis ex eo dimanet: oſſi verò deraſo ſicca carpia imponenda; ac vulnus porrò, ut artis eſt, tractandum.

At Cutis & Pericranii vulnus ſi ſit cum Contuſione, & valde anguſtum, inciſione dilatandum eſt; ſique poſt vulneris dilatationem Inſtrumenti Sedes in Cranio appareat, Scalpris abradatur.

XXI. Sed quum vulneratur Cranium ipſum; vel læditur ab inſtrumento incidente aut perforante, idque fieri non poteſt, niſi cum vulnere ipſius cutis; vel ab inſtrumento contundente, & hoc fieri ſolet aliquando ſine cutis vulnere, nonnunquam cum ejus apertione. Præterea Fractura ſeu Rima vel totum apprehendit, frangitque Cranium, vel definit in aliqua Cranii parte.

XXII. Si igitur Medicus ad curandum vulnus capitis cum denudatione Cranii fuerit vocatus, quamprimum capillos abradat, & oſſis ſtatum vel ſtilo exploratorio, vel oculis, vel utriſque ſimul quàm diligentiſſimè perquirat; ſique Fracturam vel Rimam invenerit, aut ex antecedentibus & præſentibus ſymptomatibus fracturæ ſuſpicionem habuerit, aut ſaltem de fractura dubitaverit, vulnus ſtatim in formam crucis aut trianguli dilatet, ut denudatum Cranium neceſſarias manuum operationes per Scalpra aut Terebram admittere poſſit.

XXIII. Vulnere ſatis dilatato, Chirurgus quamprimum ejus labia & ipſum Pericranium, vel obtuſo aliquo inſtrumento, vel unguibus à Cranio ſeparet, ſuper os filamenta arida ponat, ac reliquum vulnus carpiâ ſiccâ impleat, non ſolum ut ſanguinis fluxus ſiſtatur; verùm etiam ne vulnus concidat, utque in proximum diem abundè pateat. Atqui Rima ſi tunc appareat, Scalpris Cranium abradendum, donec Rima penitus deleta ſit, uſque ſub ea album & ſanum appareat; quod certiſſimum ſignum eſt, Rimam non penetraſſe.

Oſſi deraſo filamenta arida ſunt imponenda, labiiſque Digeſtivum, vel Sarcoticum aliquod Unguentum, deſuper Fomentum, & conveniens Faſcia.

XXIV. Quod ſi Medicus, dum ſic Scalpris operatur, inveniat Rimam Cranii utramque laminam penetrare, eamque gravia comitentur Symptomata, quæ collectam inter Cranium & Craſſam Menyngem materiam arguunt, remotis ſcalpris, mox Trepano Cranium eſt perforandum, juxta *Hippocratem text.* 2. *de Vulner. Capit.* „ poſtquam ſcalpro os deraſeris, ſi „ tibi exigere ſectionem videtur, ſecare de„ bes, neque pati, ut res tertium diem ex„ cedat, priuſquam ſeces, ſed intrà id ſpa„ tium ſecabis. Ab initio enim neglectâ perforatione, propter compreſſionem, aut punctionem Menyngum ab oſſiculis factam, augetur dolor, & membranæ inflammatione corripiuntur: hinc febris, delirium, vomitus, ſpaſmus, paralyſis, aliaque accidentia, imò & mors ipſa, celerrimè ſupervenire conſuevere. *Hildanus Cent.* 4. *Obſerv.* 4.

Nonnulla circa Capitis Vulnera, cum Cranii Fractura, obſervanda, magni momenti, & notatu digniſſima, habet *Petrus de Marchettis Obſ. Chir.* 15. ubi inter cætera docet, ſi Rima, vel Sedes Inſtrumenti deſcenderit ad Diploën, omninò deveniendum eſſe ad Terebrationem, nullo licet alio præſente ſymptomate. Quod idem affirmat *Scultetus Obſerv.* 2.

XXV. Sin plaga in Sutura contigerit, quæritur, an Cranium in ipſa Sutura liceat perforare? Hildanus negat, atque varias pro ſua ſententia adfert rationes *in Epiſtola à Johann. Freder. Werdenburgio M. D. poſt Obſerv.* 8. *Cent.* 2. inſerta.

Joh. Baptiſta Corteſius comment. in Hippocr. de Vulner. Capit. inquit: „ caſu ità expoſtulante „ verendum non eſt, ad perforationem ſupra „ Suturam devenire: majus enim incommo„ dum accidit Vulneratis ex dilatatione atque „ ſectione cutis, & Pericranii à ſubjecto oſſe „ ſeparatione, quàm ex operatione in ſutura„ rum regione. Huic adſtipulatur *Jacobus Berengarius de Cranii Fractura cap.* 36. ubi teſtatur,

ſe aliquoties operationem hanc feciſſe, eique ex voto ſemper ſucceſſiſſe. „ Nec eſt (porrò „ inquit) tam grande periculum in commiſſu„ ris operari, ſicut aliqui dicunt: videmus enim cauteria fieri in commiſſuris, & tamen nullum ſequitur nocumentum.

E contrario *Cæſar Magatus de rara Vulner. Medicat. lib.2. cap.33.* ait: „ ſi Rima ad Sutu„ras facta fuerit, os perforare oportet utra„que ex parte ſuturæ; in ſutura verò fugien„da eſt terebratio, ſicut & abraſio. *Fallopius* quoque *in Hippocr. de Vulner. Capit. cap.19.* vult, ut prope ſuturas Cranium trepano perforetur, non in ſuturis.

Petrus de Marchettis Obſerv. Chirurg. 16. non tantum vult ab hac perforatione ſupra ſuturas cavendum eſſe, ſed etiam juxta ipſas, utpote perniciosâ. Quinimo ſi vulnus fuerit inflictum ſupra ſuturas, cum levi earundem labe, lethale plerumque eſſe ait.

Joh. de Vigo Pract. part.2. lib.1. inquit: „ ſi „ percuſſio ſupra commiſſuram evenire conti„geri, dico utramque partem eſſe perforan„dam; viz. in dextra & ſiniſtra parte com„miſſuræ, & hujuſmodi inſtrumento ſemper „ commiſſuram intactam relinquendo. Et ſanè ſi plaga ad Suturam contingat, ſic ut Cranium ibidem deprimatur, & quandoque etiam findatur, adeoque & Trepano particula oſſis excindenda ſit; nunquam in ſutura, verùm ab utraque parte juxta ſuturam Cranium erit perforandum, ne Craſſa Menynx, quæ ipſis commiſſuris inhæret, laceretur.

XXVI. Quando igitur ictus ratione, ex inſtrumenti qualitate, & ſupervenientibus ſymptomatibus, certum eſt, Fiſſuram penetrare, tunc magna ſanè diligentiâ explorandum, an Rima ſit ſatis lata pro evacuatione materiæ, quæ per ipſam ad Craſſam Menyngem defluxit, nec ne? non ſatis lata Chirurgiam per Trepanum inſtituendam expetit, quo per factum in Cranio foramen exire poſſit & evacuari tum ſanguis, tum ſanies, quæ præter naturam ſub eo continetur. Igitur, deraſis capillis, cutis unà cum Pericranio Novaculâ eſt incidenda (niſi à vulnere diviſa fuerit) in formam crucis aut trianguli. Hoc facto, Pericranium â ſubjecto Cranio unguibus, aut Separatorio inſtrumento diducendum: ne verò vulneris labia iterum ad ſe invicem accedant, & nudatum os tegant, impoſitis plumeolis diducta ſunt ſervanda. Hinc altero die, ſituato ut decet Ægro, miniſtrorum unus caput teneat quam firmiſſimè, ne vacillet; tum Cranium aperiendum, & Trepano prope Rimam, in loco decliviore, pro faciliore exitu materiæ ſupra Craſſam Menyngem collectæ, perforandum. Primò nimirum adhibendus modiolus mas, in cujus medio clavus eſt, & debitè circumvolvendus, donec tale Cranio impreſſerit veſtigium, ut ei modiolus fœmina firmiter inſiſtere poſſit. Dein remoto mare, Trepani vertibulo modiolus fœmina dictus eſt adaptandus, qui fortiter & æqualiter quoque circumvolvendus, & per intervalla ab oſſe auferendus, tum ut ſcobs è crenis modioli auferri poſſit; tum ut queamus examinare: quouſque penetraverit inſtrumentum. Signum autem certiſſimum, ad Diploën ſeu Meditullium nos pervenire, ſanguis præbet ex ejus arteriolis lætis erumpens; unde jam valdè prudenter, & ſuſpensâ manu perforatio eſt continuanda, ne craſſa menynx à demergente modiolo offendatur. Ubi vacillare incipit oſſiculum, non ſolum cautius & mitius terebra comprimatur, verùm etiam ſæpius eximatur, ad conjectandum; quantum oſſis perforandi adhuc ſuperſit; quum autem undique æqualiter modiolum penetraſſe ſpecillo lato cognoverimus, tentandum eſt, an blanda vi oſſiculum volſellâ auferre poſſimus. Quo facto, foraminis in ambitu aſperitas lævigunda Lenticulari inſtrumento. Atqui, ut ſanies exire commode poſſit, Deculſorio dicto eſt deprimenda craſſa menyux. Ægerque interea clauſis ore & naribus ſpiritum contineat, ſic ut materia inter Cranium & Menyngem profundius contenta egredi poſſit.

Hiſce ità peractis, ſupra Craſſam Menyngem per foramen dimittatur linteolum ex ſerico rubro, vel lineo albo, inſtar orbis rotundum, filo alligatum, ut extrahi poſſit, & Melle Roſaceo, additâ tertia vel quartâ parte Spiritus Vini, imm.erſum; ut membranam mundam ſervet, eamque ob pulſationem ab alliſione oſſis defendat. Linteo immiſſo, foramini globulus ex aridis filamentis inſerendus, ne pus in vulnere genitum ad Menyngem deſcendat: oſſi denudato linamenta arida, at labiis Digeſtivo quodam illita adhibenda; tandem conveniens faſcia ſuperliganda.

Alii loco Mellis Roſacei cum Spiritu Vini craſſæ menyngi cum linteolo imponunt Balſamum Peruvianum, quod hoc in caſu valdè laudant.

XXVII. At Fiſſura ſi hiat ità, ut pus per eam liberè poſſit expurgari, neque perforatione Cranii, neque dilatatione vulneris per ſcalpellum opus eſt: unde eos animadverſione & reprehenſione dignos meritò judicat Chalmetæus, qui non tantum in parva Cranii Fiſſura, verùm etiam in maxima Rima ſatis audacter modiolum adhibent; quo errore curatio in longum tempus protrahitur, cum ſummo Ægrotantis damno, & Medici famæ detrimento.

XXVIII. Cùm verò Cranium ſub Muſculo Temporali Rimam contraxerit, haud ſecus procedendum, modò inciſio Muſculo Temporali fiat ad ductum fibrarum. Ita *Petrus Pavius comment. in Hippocr. de Vulner. Capitis*, ſi neceſſitas expoſtulet, etiam Tempora dividere, & Ægrum omni ope non deſtituere, jubet: refertque ſe vidiſſe alâ molæ puerò ità contuſum Tempus dextrum, ut aliquot pertuſi oſſis fragmenta per vulnus eximerentur; nihil tamen incommodi toto curationis tempore patiente puero: imo Tempora aperiri manu Chirurgi non ſemel vidiſſe abſque ullo ſymptomate. Sed duo hìc monet: primum, ut non niſi ſumma urgente neceſſitate Tempora dividantur: deinde, ut novacula ſemper ſecundùm ductum fibrarum Muſculi Temporalis ducatur.

Exemplum vulneris capitis in Muſculo Temporali cum Rima Cranii latiſſima, & Duræ Matris Inflammatione, curati, videre eſt apud *Scultetum poſt Armam. Chirurg. Obſerv.3*

XXIX. Sin

XXIX. Sin Punctura ſeu Sedes Inſtrumenti ſit in Cranio, eaque non penetrans utramque laminam, Cranium abradendum, quouſque Punctura penetret, uti in Cranii Fiſſura Capillari & non penetrante fieri ſolet; vel Terebrâ Triformi Punctura amplietur, & deleatur ejus veſtigium Calvariæ impreſſum. Quum verò utramque perforet laminam, Cranium aperiatur Modiolis, adhibendo ipſi puncto clavum modioli maris, donec veſtigium aderit, cui modiolus fœmina inſiſtere poſſit.

XXX. Interdum quoque accidit, ut Cranium, integrâ manente cute, patiatur Depreſſionem, nonnunquam ſimplicem & citrà Rimam, interdum cum Rima ſeu Fiſſura. Depreſſio citrà Fracturam in ſolis pueris contingit; at in adultis Introceſſio vix unquam fit ſine Fiſſura, propter ſummam Cranii duritiem.

Igitur Cranium in pueris ſub illæſis integumentis ſi depreſſum ſit, ità ut tangentibus vel intuentibus Fovea mediocris, quam nulla prava ſequuntur ſymptomata, appareat, ab omni Chirurgia abſtineatur; at capilli circa depreſſionem tantum abradantur, & Fomentum aliquod Cephalicum calidè cum pannis laneis applicetur, identidemque renovetur; quô ſolò in pueris ſimplex Cranii Depreſſio, ſine Rima, plerumque curari ſolet. Hac de re *Cæſar Magatus de rara Vulnerum Medicatione lib. 2. cap. 19.* ſic loquitur: „ Compertum eſt „ etiam experientiâ, non ſemper ad oſſis in„ troceſſionem ſequi prava ſymptomata. Ha„ bui ego præ manibus puellam, annum cir„ citer ſeptimum agentem, cui ex caſu in „ frontem os effatu digna quantitate intro„ ceſſit, & nullum omninò ſupervenit ſym„ ptoma. Habui etiam puerum, annum cir„ citer decimum agentem, cui ex caſu in „ ſyncipur verſus latera os introceſſit ad un„ guis minoris digiti quantitatem, & nullum „ ſupervenit ſymptoma. Adultum etiam vidi „ ab oſſis introceſſione in fronte convaluiſſe, „ licet minimè elevatum fuerit os depreſſum, „ & fovea remanſerit. Quo fit, ut exiſtimem „ non ſupervenire mala ſymptomata, niſi „ compreſſioni adjunctum ſit aliquid, quod „ membranam pungat, aut quando etiam ſan„ guis ſupra membranam effuſus ſit, aut com„ preſſio fuerit inſignis, ità ut cerebrum com„ primatur. Haud ſecus *Petrus de Marchettis Obſervat. Chirurg.* 8. refert, ſe puerum ſeptem annorum curaſſe, cum inſigni depreſſione in fronte, quam attollere non potuit; ſed Rimam, quæ aderat, Scalpro Deraſorio dilatavit, & cætera lege artis peregit. Et *Obſerv.* 9. ſcribit de quadam puella, quæ in poſtica capitis parte inſignem oſſis depreſſionem paſſa eſt, & tamen ſanata fuit, ſuperſtite inſigni foveâ, ſine ullâ noxâ. Non proinde, *ait*, metuendum admodum pueris hoc modo contuſis, ob mollitiem ipſius Cranii. At rarius eſt, quod habet *Scultetus poſt Armament. Chirurg. Obſervat.* 37. de introceſſione Cranii minimè fiſſi in ancilla triginta annorum, ejuſdemque curatione, nullis ſupervenientibus ſymptomatibus.

XXXI. Enimverò in adultioribus hujuſmodi Depreſſiones ſub integra cute rariſſimè ſine Fiſſura in Cranio reperiuntur. Atqui diſſectâ cute, ſi Rima in exteriore Cranii lamina non appareat, timendum erit, ne interior tabula patiatur Fiſſuram, per quam materia ad Menyngem quidem deſcendere, ſed iterum per eam evacuari minimè poſſit. Qualem Fracturam obſervavit Scultetus in milite, qui ob Depreſſionem Cranii ſecundo die mortuus eſt. Quoties igitur in adultorum capitibus talis apparet Fovea, ſtatim cutis Scalpello in trianguli, vel crucis formam incidenda, Pericranium à cranio ſeparandum, ac vulnus hians carpiâ ſiccâ ſervandum, non ſolum ut Medicus certior fiat, an fiſſum vel depreſſum ſit Cranium, verùm etiam ut, re exigente, Trepano commodè perforari id poſſit. Quod ut plurimum ad latus depreſſionis fieri ſolet. Nonnunquam duobus in locis Modiolis Cranium excidendum eſt, dein foraminum interſtitium ſerrulâ auferendum, ut oſſicula, quæ interdum ab interna Cranii tabula ſeparantur, & aculei inſtar Craſſam Menyngem pungunt, volſellâ eximi queant. Teſtatur Marchette *Obſerv.* 5. quod viginti intra dies quatuor molitus ſit perforationes, ob gravia permanentia ſymptomata, ſcilicet paralyſin linguæ & brachii ſiniſtri; atque in quarta perforatione impegerit modiolo in oſſis fruſtulum, membranas & cerebrum pungens; quo educto, non diu poſt motum linguæ & brachii Patiens receperit.

XXXII. Idem Marchette *Obſerv.* 14. quæſtionem movet; ſcilicet, num Craſſa Menynx liceat ſecare, quo exitus pateat purulentæ materiæ, ſupra Piam Matrem & Cerebrum collectæ? & tandem concludit; quando certò conſtat, materiam inter Menynges eſſe collectam, tum tutò poſſe deveniri ad hanc operationem, utcunque periculi non expertem, cum alioquin, nullo adhibito remedio, certa mors immineat, atque ex Celſo præſtet anceps experiri remedium, quam nullum, impiumque ſit relinquere Ægrum remediis deſtitutum.

Coïter in Obſerv. Anatom. & Chirurg. de hac quæſtione ſic ſcribit: „ Niſi metuerem repre„ henſionem & calumnias, in gravibus & pe„ riculoſis capitis vulneribus, ubi vel contu„ ſionis cerebri, vel vaſis perrupti ſub mem„ brana, manifeſta haberem ſigna, auderem „ duram cerebri membranam perſcindere: ete„ nim ut in omnium, ſic in horum vulnerum „ curatione præcipuum eſt, perficere, ut vul„ nera optimè expurgentur; nam omne quod „ tangitur à putrida, putreſcit.

Fallopius in libro Hippocrat. de Vulner. Capit. cap. 43. aperire Menyngem, & materiei exitum dare ſuadet, licet fateatur, ſe nunquam feciſſe.

Paræus quoque vult, ſi conjectura ſit puris concluſi, ſcalpello eſſe aperiendam Craſſam Menyngem; idque in multis Ægris ſe fortunâ variâ feciſſe inquit *lib.* 10. *cap.* 21. Hinc ut concludendum omninò videatur, Craſſam Menyngem, ſi neceſſitas id poſtulet, potius aperiendam eſſe, quam permittendum, ut Æger ſine auxilio moriatur. Cujus rei hiſtoria habetur apud Glandorpium, *in Speculo Chirurgiæ Obſerv.* 4. de quodam pugili, cui cùm graviter in capite vulnerato tertio die gravia ſymptomata ſupervenirent, ut ſuſpicio eſſet

materiam ſub Cranio collectam eſſe, Cranium apertum eſt; verum nihil effluxit, ſed Dura Mater in tumorem elata in conſpectum venit; quæ cum ſcalpello incurvato, ne ipſum Cerebrum læderetur, aperiretur, maxima copia ſaniei effluxit, quæ non inter Cranium & Duram Matrem, ſed inter Duram & Piam Matrem latuerat; qua evacuatâ, & idoneis adhibitis medicamentis, Æger ſanitatem recuperavit.

XXXIII. Veruntamen quum tam altè penetret capitis vulnus, ut & Craſſa Menynx lædatur, adeoque ſanguis copioſè profundatur, & dolor in parte hac membranoſa valdè urgeat; os niſi antea ex vulnere pateat, ſtatim aperiendum, fragmenta Cranii fracti, ſi adſint, eximenda, hinc membrana detegenda, eique imponenda ad cohibendam cruoris profuſionem carpia ſicca. At in ſecunda deligatione imponatur Mel vel Syrupus Roſarum, cui vel tertia vel dimidia pars Spiritus Vini mixtus eſt: aut ejus loco applicetur Balſamum Peruvianum. Quorum medicamentorum applicatione Dura Mater læſa uniri ſolet per carnis, aut ſubſtantiæ ei analogæ generationem. Hoc in caſu Joh. Andr. à Cruce ſequens laudat;

♃. Olei Therebinthinæ, Spiritus Vini, Syrupi de Roſis Siccis an. ℥j. Miſceantur.

XXXIV. Sed Tenuis Menynx ſeu Pia Mater, quoniam tenuis omnino eſt, & cerebro prorſus adhæret, vulnerari nequit ſine Cerebri ipſius læſione. Atque hujuſmodi capitis vulnera, in quibus non ſolum Cranium & Craſſa Menynx, ſed ſimul Tenuis Menynx & Cerebrum læſa obſervantur, valdè periculoſa ſunt; & quò profundius penetrant, eò periculoſiora meritò haberi ſolent. Equidem in Cerebri ſubſtantia abſceſſum fieri poſſe, vel quemquam Cerebri portione abſciſſâ poſſe convaleſcere, ſuperius Cap. 1. abundè probavi: idque *Paræus lib.10. cap.23.* auctoritate veterum, ac propriâ experientiâ quoque affirmat. Videatur etiam *Petrus de Marchettis Obſerv. Chirurg.* 1. 2. 3. 4. 5.

Itaque in hujuſmodi vulneribus curandis abſtinendum omninò ab Oleoſis & Pinguibus, ob quæ Craſſa Menynx facilè inflammationem, & Cerebri Subſtantia putredinem concipere ſolet. Verùm, ceu diximus, admoveatur Mel vel Syrupus Roſarum, cui tertia circiter pars Spiritus Vini, vel Aquæ Theriacalis, vel Aquæ contra Gangrænam admiſceatur. Etiam conducit Balſamum Peruvianum, ſi cum plumaceolis tepidè imponatur.

Interim dum vulnus ſolvitur, & medicamenta mutantur, multi ſartaginem ignitam ſuprà caput Patientis ſuſpendunt, ad aëris frigus temperandum; verùm id æſtivo tempore minimè neceſſarium eſt: hybernâ tempeſtate cubiculi aër ab extructo foco calefactus ſit, & ſubindè linteum calefacere, ac loco vulnerato imponere ſufficiat.

XXXV. Porrò ex vulneratis cerebri membranis interdum Caro quædam Mollis & Fungoſa pullulat, quæ idcircò Fungus Cerebri appellatur. Ut enim per arborum corticės humor quidam vitioſus quandoque extillat, qui in Fungum concreſcit; ità ſi Cerebri Membranæ vulnerentur, humor exudans in mollem ac carnoſam ſubſtantiam, quæ Fungi inſtar eſt, mutatur, ac brevi temporis ſpatio magnum ſæpè incrementum ſumit, ut ſuprà cranium & cutem nonnunquam emineat.

Sunt verò hi Cerebri Fungi periculoſi, & non rarò lethales; cùm ob vitioſi humoris ad cerebrum affluxum proveniant, tandemque putreſcentes gangrænam minentur. Atque hinc quamprimum tollendi, & abſumendi ſiccantibus Medicamentis. Acriora namque hic vitanda. Exciſio autem quæ ferro fit, ut & ligaturâ ac filo ſerico, adeò tuta non eſt; cùm gravia ſupervenire ſoleant ſymptomata. Si tamen nimium increſcat Fungus, filo ſerico arctius ad radicem ligandus, ut decidat; reliquum medicamentis ſiccantibus abſumendum. Quem in finem Paræus inſpergit hunc Pulverem:

♃. Sabinæ ʒij. Ochræ ʒi. M. F. Pulvis.

Sed hoc in caſu utiliter aliquando uſurpatum vidimus Pulverem ex Scœnantho & Spica Nardi. Quo remedio Petrus de Marchettis ſæpius iſtiuſmodi Fungos etiam ſanavit, quodque proinde tanquam Arcanum proponit *Obſ. Chirurg. 6.*

De Vulneribus Faciei.

I. Faciei Vulnera nihil ab aliorum vulnerum curatione differunt, niſi quod Faciei forma & pulchritudo conſervanda ſit, dandaque in primis opera, ne relinquatur cicatrix: id quod fiet, ſi vulneris labia aut ſuturâ, aut deligaturâ, aut glutinante medicamento ritè colligentur, ac inter ſe uniantur. Sutura verò in Faciei Vulneribus prudenter facienda eſt, nec magna carnis cutiſque craſſities capienda: illa namque per ſe ſatis uniuntur, quod cutis carni ſic adhæreſcat, ut alterum alteri facilè conglutinetur & coaleſcat. Quod ſi Emplaſtrum Glutinans per ſe ſatis fuerit efficax, eo utendum. Etenim Faciei Vulnera per Suturam curari non debent, ſi aliter fieri poteſt, ne cicatrices eam deformem reddant; ſin minus, communis uſurpanda erit Sutura, & puncta punctis propius adjungenda.

Sed quum magnum ſit, ac profundum vulnus, multumque à ſe diſtent ejus labia, nec Glutinis, nec vulgaris Suturæ vix ullus uſus eſt. Quare acubus utendum triangularibus vel quadrangularibus, quò in carnem promptius & facilius ſubeant, filum cerâ obductum ducentibus: hiſque vulneris labra tranſmittere, &, quoad vulnus perfectè agglutinatum fuerit, acus in eo relinquere oportet, ſæpius circa eaſdem filum glomerando; haud ſecus ac mulieres acus veſtibus infixas aſſervare ſolent.

II. Cæterum ad Vulnera Faciei referri ſolent Vulnera Frontis, Superciliorum, Palpebrarum, Genarum, &c. Atque in Fronte ſi Vulnus inflictum ſit, idque cum oſſis læſione, tum decori non eſt ſtudendum, ſed ſecuritati, quia periculoſum eſt vulnus, & curari debet ſine ſuturis, vel aliis inſtrumentis, quæ poſſunt vulneris labia unire; quinimò vulnus apertum ſervare oportet, os deradere, & porrò eam adhibere curationem, quæ fieri ſolet in Vulneribus Capitis cum Cranii Fractura vel Depreſ-

ſione. At quum Frontis Vulnus ſit ſine oſſis læſione, quantum fieri poteſt, venuſtati eſt attendendum, idque curandum ut Vulnus Capitis Simplex, hoc eſt, ſine Cranii, Menyngum, & Cerebri læſione.

III. Haud ſecus procedendum ſi Vulnus in Supercilio contingat ſecundum longitudinem. Si verò tranſverſim fiat; vulnus hoc, niſi diligenter curetur, ſequitur Caſus Supercilii, adeoque & Palpebræ ſuper Oculum: unde, quantum poſſibile, exactè tale vulnus eſt glutinandum. In quo caſu à Suturis, & quidem profundioribus abſtinendum non eſt, ut labiorum ſuperficies adamuſſim ſe mutuo contingant. Quod ſi vulnus hoc ſit cum deperditione ſubſtantiæ, cautè admodum procedendum, ne relinquatur cicatrix ità dura, ut ſurſum retrahat Palpebram, & impediat, quo minus ea oculum tegat.

IV. Verùm Palpebra ſi vulnerata ſit, abſque ulla Oculi offenſione, non magnoperè quidem metuendum, cum non difficulter hujuſmodi vulnus ſanetur. Quum tamen vicinarum oculi partium vulnera, ob materiæ affluxum, cæcitatem aliquandò induxiſſe obſervatum ſit, Palpebrarum Vulnera parvi facere non ſemper debemus. Refert *Fabritius Hildanus Cent. 5. Obſerv.17.* Quendam vulnus exiguum acie pugionis ad radicem Frontis, & quidem in ipſam Palpebram Superiorem accepiſſe, idque ab initio, ob ſui exiguitatem, neglectum fuiſſe: at paulò poſt, exortus eſt dolor graviſſimus totius capitis, cum tanta Oculi intumeſcentia, ut ad ovi circiter magnitudinem extrà orbitam ſuam prominerет, cum corneæ tunicæ ruptura, & humorum oculi effluxu. Hildanus medicamentis tum internis, tum externis Ægrum quidem reſtituit; viſum tamen, ob membranarum rupturam & humorum deperditionem, nunquam recuperavit. Idem *Cent.6. Obſerv.6.* ſcribit, puero cuidam quatuor annorum, jactu bacilli ex una parte acuti, vulnus ad Palpebram Superiorem ſiniſtram inflictum fuiſſe. Cecidit mox in terram puer, cibumque indigeſtum evomuit, nec quicquam cibi & potus in tertium diem uſque retinere potuit. Accedens Barbitonſor fruſtulum pinguedinis extrà vulnus propendens reperit, quod filo ſerico ligatum poſt dies aliquot forfice abſcidit, vulnuſque quindecim intrà dies, nullis immiſſis turundis, cicatrice obduxit. Menſibus aliquot elapſis, puerum hunc cæcum eſſe altero oculo obſervatum fuit; interim tamen extimæ omnes oculi partes illæſæ erant, imò ne motus quidem depravatus fuit: quibus Hildanus ſuſpicatur, vulnus hoc inter cranium & oculum ad nervum opticum uſque penetraſſe; unde ille vel læſus fuit, vel à materia aliqua cruda eò confluente compreſſus, aut obſtructus.

V. Igitur Palpebræ Vulnus ſi ſit ſimplici inciſione factum, & quidem tranſverſum, conſui non poteſt, quoniam muſculi orbicularis fibræ ſunt inciſæ, unde ſuturæ non tenent niſi ſubjecta membrana ſimul conſuatur; quod fieri non debet, quoniam oculi bulbum filum attingeret, ipſumque offenderet, & inflammaret. Quapropter hoc in caſu Suturâ Siccâ, hoc eſt, Emplaſtro Glutinatorio magis utendum eſt.

Quod ſi vulnus per longitunem Palpebræ fiat, neque per ſubjectam membranam penetret, Suturâ uti poſſumus, & ſæpè debemus; quæ fiat acu, & filo tenuiſſimo, cerâ oblito. Sive aut Sutura fiat, ſive imponatur Glutinatorium Emplaſtrum, & ità labia adducantur, adductaque ſerventur, medicamentum imponendum eſt, quod citiſſimè poſſit Palpebram glutinare; quale eſt Balſamum Sulphuris, aut Peruvianum, ſimileve.

VI. Palpebrarum Vulnera ſequuntur proximè Vulnera Genarum; de quibus Fabritius ab Aquapendente *Oper. Chirurg. part.1. lib.2. cap.31.* ità ſcribit: „ In Genarum Vulneribus illud „ peculiare obſervavi, talia vulnera eſſe ob- „ noxia ſanguinis profuſioni, propter venas „ & arterias ſurſum per genas excurrentes; „ quæ ſanguinis profuſio vulneris glutinatio- „ nem impedit, adeoque illi primum eſt oc- „ currendum medicamentis, & modis, in „ vulneribus venarum propoſitis, poſtea labiis „ adducendis, & vulneri glutinando incumben- „ dum eſt. In hujuſmodi vulnere illud non eſt „ ignorandum, ſcilicet non oportere vulnera- „ tum maſticare, neque loqui, neque buccas „ inflare, neque ridere, neque flere, neque in- „ clinato corpore ſtare, neque ſpiritus cohibi- „ tione uti. Memini namque juvenem quen- „ dam in gena vulneratum, inflatâ buccâ, fo- „ cum accendere voluiſſe, & ſtatim tanta co- „ pia ſanguinis profuſa eſt, ut ferè perierit.

„ Hæc Genarum Vulnera aliquandò adeò „ profunda fiunt, propter muſculos & multam „ pinguedinem, quæ oſſi ſuperſtant, ut cùm „ non poſſint labia in profundo exactè com- „ mitti, neceſſarium ſit ſinum quendam inter- „ cedere; & ſic vulnus ſimplex in compoſi- „ tum degenerat, ut carnis generatione indi- „ geat. Quod ubi accidit, omninò venuſtati „ cicatricis eſt attendendum, quia gena eſt „ pars ſpectatiſſima; unde in propoſito caſu, „ primò labiis glutinô adductis, opportunum „ fuerit foramen in parte inferna parare, quod „ immiſſâ turundâ apertum ſervetur, ut inde „ profunda pars vulneris expurgetur; quod „ eſt efficiendum, quandò vulnus genæ in bar- „ bam deſinit, unde cicatrix ex adventu barbæ „ occultatur. At ſi vulnus totum extrà barbam „ ſit, vel labia vulneris non ſunt adamuſſim „ anſulis adſtringenda, ſed quadantenus am- „ plectenda, ut per ipſa ſanies poſſit exire, „ potiſſimum id præſtandum eſt circa partem „ infernam: Aut, quod melius eſt, oportet „ faſciis ita vulnus ligare & comprimere, ut „ ſinus vitetur, & ità generatio, collectioque „ ſaniei.

Si autem tota Gena fuerit diſſecta, uti nonnunquam contingit, quoniam ab interna parte tegumentum apponere haud poſſumus, & continuâ humiditate os ſcatet; optimum eſt, medicamentum, quod palato arridet, vulneri quoque per os admovere; quale eſt Mel Roſarum, vel ſimplex, vel cui tantillum Spiritus Vini, aut Tincturæ Saturni admixtum eſt.

Exemplum vulneris Faciei propè naſum inflicti, in quo vaginæ gladii vinculum relictum fuit, tandem poſt quatuor annos extractum, necnon ejuſdem curatio, videri poteſt apud *Hildanum Cent.3. Obſerv.24.*

VII. Cæterum & hoc in Genarum Vulneribus obſervandum; quotieſcunque vulnera prope Aures contingunt, viz. eo loci, ubi ſuperior ductus ſalivalis excurrit, exiguum quoddam remanere foraminulum, per quod, potiſſimum ubi manducare ſolent Patientes, magna limpidæ aquæ ſeu humoris ſalivalis copia continuò extillat; qui fluxus non rarò per plures menſes durat, ac magnas Medenti parit moleſtias. Solet verò Curari hujuſmodi ſalivalis humoris per exiguum hoc, & merè fiſtuloſum foraminulum, ſtillicidium per impoſita Medicamenta valenter Exſiccantia & Conſtringentia, inter quæ Laudem meretur Pulvis Oſſis Sepiæ, qui foramini inſperſus, & Digeſtivo mixtus, non rarò moleſtum hoc ſymptoma tollit.

Sed nonnunquam hoc lymphæ profluvium, ut cohibeatur, Acria & Exedentia requirit, quibus, ceu Potentiali Cauterio, fiſtuloſum hoc foraminulum eroditur & ampliatur, hinc denuò conſolidatur, occluditur, adeoque limpidi humoris continuum ſtillicidium coercetur. Quo in caſu aliquando uſurpavimus turundam exiguam, ex Mercurio Præcipitato Rubro cum Spiritu Vitrioli ſubactam, quæ aperturæ ductus ſalivalis immiſſa, tanquam Corroſivum, indurata ac calloſa ejus latera erodendo undique abſtulit, & paucos intrà dies moleſtam hanc fiſtulam penitus ſanavit.

De Vulneribus Oculorum.

I. Oculorum vulnera ad ſenſum ſatis patent. Ea verò ſpernenda non ſunt, ſiquidem propter partis læſæ nobilitatem & ſtructuram, ſenſumque exquiſitum, quæ in aliis partibus parva ſunt, in Oculis magna meritò cenſentur. Enimverò facile concitantur defluxiones, hinc dolores acerbiſſimi, inflammationeſque accedunt. Adhæc cæcitatis periculum ex quovis, tametſi exiguo, Oculi vulnere imminet, cum propter continuas defluxiones, tum propter aquei humoris effuſionem.

Alterum Oculis vulneratis imminet periculum ex collectione materiæ purulentæ, qua humores inficiuntur, tunicæque eroduntur. Quamobrem vulnera hæc ità tractanda ſunt, ut omni ſtudio occurratur fluxioni, & quamprimum agglutinentur citrà puris generationem.

II. Atque ideò ſimplex quum ſit Oculi Vulnus, ut tantum Cornea vel Conjunctiva Tunica incidatur, vulnus tamen non penetret, & ſine humoris effluxu, Curatur inciſionem glutinando, dolorem leniendo, ac inflammationem cohibendo. Quapropter abluendus Oculus Lacte recenti tepido, cui & Aqua Roſacea addi poteſt; dein admoveatur Aqua Roſacea, in qua maceratum eſt Semen Cydoniorum & Fœnigræci. Diligenter interim oportebit inſpicere, an aliquid corporis ferientis relictum ſit, nec ne, ut particula ferri, aut vitri, feſtuca, vel ſimile. Namque ſi particula quædam relicta ſit, auſpicanda eſt cura ab extractione illius, modo appareat, quod præter naturam inhæret.

Scribit *Fabritius Hildanus Cent. 4. Obſerv. 6.* de fabro ferrario, cui fruſtulum ſcoriæ, cum impetu in oculum proſiliens, ipſi profundius infixum fuit. Expertus hic Chirurgus poſt aliquot dies vocatus, ex inferiore parte pupillæ, ubi iris apparet, ſcoriam reperit: ſed quamvis omnem diligentiam adhiberet, & extractionem tentaret oleum tamen & operam perdidit; unde & totum negotium naturæ, impoſitiſque medicamentis committere coactus fuit. Igitur corpore purgato, Collyrium Anodynum & nonnihil Repellens applicuit, Venam in brachio ſecavit, Cucurbitulaſque ſcapulis impoſuit; at fruſtraneo eventu: etenim dolor & infixa ſcoria remanſerunt. Tandem hoc ſacculo applicato penitus convaluit Æger:

♃. Rad. Altheæ minutim inciſ. & contuſ. ℥i. Fol. Betonicæ, Euphraſiæ, Flor. Camomillæ, Meliloti an. Mß. Roſar. Rubr. Mj. Seminis Fœnigræci ℥ß.

Inciſa & contuſa dentur in ſacculis ejus magnitudinis, ut totum oculum tegere poſſint; hoſque ſacculos in Lacte Dulci tepido maceratos identidem Oculo Affecto applicuit.

Idem refert *Cent. 4. Obſerv. 18.* puerum quendam liquefactum plumbum imprudenter & nimis velociter in aquam frigidam projeciſſe, idque eo impetu in altum reſiliiſſe, ut non ſolum pileo, verum etiam oculo ſiniſtro ingereretur. Parens accurrit, puerumque ſtatim ad Hildanum deduxit; qui cum oculum inſpexiſſet, granum unum plumbi ad lentis ferè magnitudinem palpebræ ſuperiori, ubi crines erumpunt, alterum tunicæ adnatæ infixum reperit, adeò profundè, ut volſellis vix extrahi poſſit. Tandem extracto plumbo, oculo Collyrium Anodynum & Repellens inſtillavit atque applicuit, oculumque faſciâ clauſit, ſicque paucos intra dies Patiens convaluit. Et *Obſerv. 21.* narrat, ruſticum quendam, cum chalybem emeret, & fruſtum ad fruſtum allideret, ſcintillam ipſi in illam corneæ tunicæ partem, ubi iris conſpicitur, proſiliiſſe, eique membranæ firmiter inhæſiſſe, maximo cum dolore. Quum verò adſtantes per plures dies omnem adhibuiſſent diligentiam, dolores quinetiam, ac inflammationes vehementer auctæ fuiſſent, Fabritius corpore purgato, ac inſtitutâ Phlebotomiâ, inſtrumentis ſcoriam extrahere tentavit; ſed adeo exigua fuit, ut extrahere iiſdem non potuerit. Quapropter beneficio ſacculi, cujus ſtatim mentio facta eſt, extrahere illam conſtituit; ſed fruſtrà. Tandem aliud remedium excogitavit: interim enim dum Hildanus ambabus manibus palpebras aperit, alter Magnetem oculo, quam proximè Æger id ferre potuit, admovet. Id cum aliquoties feciſſent, tandem ſcoria ex oculo in lapidem proſiliit. Deinceps applicato Collyrio Anodyno brevi convaluit. Denique *Cent. 5. Obſerv. 15.* vulneris oculi ſiniſtri graviſſimi, cum corneæ tunicæ ruptura, & aquei humoris effluxu, hiſtoriam quoque deſcribit.

Vulnus interno oculi cantho inflictum manubrio flabelli, cujus, ſuborto poſt tres menſes tumore, ex palato fracta portio educta eſt, & tamen ſanatum, videre eſt apud *Petrum de Marchettis Obſerv. Chirurg. 23.* Graviſſimi quoque vulneris oculi, cum infixo fuſi aculeo, curati, exemplum adfert *Scultetus poſt Armam. Chirurg. obſerv. 20.*

III. Itaque eductis ex oculo vulnerato peregrinis corpuſculis, curandum, ut quamprimum vulnus glutinetur. Sed quoniam pars eſt acutiſſimi

ſimi ſenſus, tractanda erit medicamentis minimè acribus, ac iis, quæ ſpecificè oculis conducunt, quæque vim habent dolorem leniendi, & inflammationem arcendi. Quem in finem oculo inſtilletur & admoveatur hoc, vel ſimile Collyrium;

℞. Aq. Roſarum, Plantaginis, Chelidonii maj. an. ℥i. Vini Rubri Adſtringentis ℥ß. Troch. Alb. Rhaſis ſubt. pulv. ℈ii. Tutiæ præp. ʒß. Sacchar. Saturni gr. v. Miſceantur.

Foras verò applicetur Anodynum Cataplaſma. v. gr.

℞. Pulpæ Pomorum repurg. ℥vi. Coq. in Aqua Roſarum & Fœniculi ad mollitiem, dein conter. & add. Mucilag. Sem. Fœnigræci ℥ii. Pulv. Cort. Granatorum, Lapid. Hæmatit. præp. an. ʒii. Croci ℈i. Albumina duorum Ovorum. Lactis Dulcis rec. q. ſ. M. F. Cataplaſma, inter duo linteamina Oculo calidè applicandum.

Ab Oleoſis & Pinguibus omnibus abſtinendum in oculorum vulneribus; quippe quæ facilè in partibus membranoſis excitant inflammationẽ.

At Detergentibus & Sarcoticis quum opus ſit, præſcribatur hoc modo:

℞. Aq. Roſarum ℥iii. Mellis Deſpumati ʒiii. Pulv. Aloës ʒß. Miſceantur pro Collyrio.

Interim maximâ diligentiâ ſervandi ſunt Ægri, ne lumen videant, neque maneant in loco valde calido, ob dolorem & inflammationem.

Obſervandum præterea, ut uno oculo vulnerato, ambos faſciâ obvelemus: nam ſi ſanus oculus maneat apertus, Patiens eundem ſæpè movet, eodemque videt. Atqui motus ille externus oculi ſani vix contingit, quin ſimul moveatur oculus vulneratus. Inſuper quum ſanus oculus occluſus non ſit, viſu multa objecta continuò attingit, id quod fieri nequit, quin ſimul motus de novo producatur in fibrillis nervi optici; atque ne minima quidem fibrilla nervi optici in oculo ſano moveri poteſt, quin eodem tempore moveatur etiam fibrilla ejuſdem ordinis in nervo optico oculi læſi; cùm naturâ comparatum ſit, non poſſe unum oculum vel extrinſecus vel intrinſecus moveri, quin alter ſimiliter moveatur: quantum autem motus ſanationi contrarietur, & quam facilè dolorem ac inflammationem excitet, is haud difficulter conjiciet, qui aliquando expertus eſt, quo cum dolore, ac quanto cum emolumento manus aut pes inflammatus, vel vulneratus de loco in locum moveatur.

IV. Quod ſi majus ſit vulnus, & Corneam Tunicam penetret, hinc & effluat Aqueus Humor; globoſa tunica cornea mox corrugatur, ac in ſe concidit, adeoque viſus deperditio ſuccedit, uti non ſemel in praxi obſervavimus.

Hoc in caſu oculo vulnerato cum linteis imponatur Collyrium Adſtringens & Emplaſticum v. gr.

℞. Albuminis Ovi ℥i. Aquæ Roſarum ℥iß. ſimul agitentur & conquaſſentur, add. Pulv. Boli Armeni ʒß. Miſceantur.

Dein cum nullus ſuperſit inflammationis metus, imponatur hoc vel ſimile.

℞. Aq. Roſarum ℥ij. Chelidonii maj. ℥i. Pulv. Troch. Alb. Rhaſis ʒi. Tutiæ præpar. ʒß. Camphoræ, Sacchar. Saturni an. gr. iv. Miſceantur pro Collyrio; cui, re exigente, addi poſſunt Myrrha, & Sarcocolla lacte nutrita.

Sin adhuc majus & profundius ſit oculi vulnus, ſic ut omnes Humores elabantur, ad inflammationem, & dolorem ſedandum, ſi adſint, ea conducunt, quæ nunc propoſuimus; reliqua intentio erit, vulnus carne implere, & quam citiſſimè cicatricem obducere, quia in hujuſmodi vulnere ſemper deperdita eſt viſio. Hinc decori incumbendum, quod fiet, ſi oculum amiſſum compenſemus oculo vitreo picto: qui aliquandò ita ſimilis apparet ſano, ut etiam peritis videatur verus oculus. Tales arte factos vitreos oculos in muſæo noſtro ſervamus.

V. At ſi cum oculi globo etiam Palpebra vulnerata ſit, cavendum, ne inter curandum Palpebra cum oculi globo conglutinetur, ſicque impediatur motus ipſius oculi. Ad id evitandum, danda erit opera, ut Æger quotidiè inter deligandum aperiat oculum, & in partem oppoſitam volvere tentet, & ſi poſſit, volvat.

De Naſi Vulneribus.

I. Naſus ubi vulneratur; vel cutis tantum inciditur, vel unà cum cute oſſa & cartilagines læduntur, potiſſimum in parte inferiore; quo in loco quandoque tam vehementer vulneratur cartilago, ut Naſi Globus, & portio Pinnæ amputetur, ac decidat.

II. Si Cutis tantum ſauciatur, ſive in ſuperna, ſive in inferna parte, vulneris labia ad ſe invicem adducenda non ſunt per Suturam, verum per Glutinatoria Emplaſtra, ut cicatricis veſtigia evitentur.

Quod ſi factum ſit Naſi Vulnus in parte ſuperiore, cum Oſſis Fractura, prima intentio eſt, Fracturam conformare, dein Vulnus unire. Immiſſa igitur in nares ſpatulæ caudâ, vel idoneo intruſo bacillo, ſtupis, bombace, vel linteo obvoluto, depreſſa oſſa nativæ ſedi & figuræ ſunt reſtituenda; dein vulneris labia ad mutuum contactum Emplaſtris Glutinatoriis adducenda; nec non naribus immittendi tubuli, non quidem exactè rotundi, ſed quodammodo lati & depreſſi, quorum beneficio oſſa naſi ſuo in ſitu contineantur, & exitus ſaniei, ac inſpirationi exſpirationique via pateat; tandem conveniens injicienda ligatura, quæ non nimium premat, ne ſimus reddatur naſus.

Vulnus Naſi cum Oſſis Fractura, idque à Sculteto curatum, videre eſt poſt Armam. Chir. Obſerv. 22. Refert quoque Petrus de Marchettis obſerv. chir. 26. hiſtoriam graviſſimæ Naſi Contuſionis, cum Oſſis Fractura & Comminutione, feliciter ſanatæ.

III. Quum verò particula Naſi abſciſſa ſit, nunquam reunitur; etiamſi vel recentiſſimum ſit vulnus: eadem ſi adhuc illi cohæreat, acus ope eidem jungatur. Etenim ima Naſi pars, cum ſit cartilaginea, quaſſari quidem, deprimi, & contorqueri poteſt; at non frangi, ut ſuperior, quæ oſſea eſt.

Itaque Naſi portio ſi omninò abſciſſa fuerit, adeoque nullo pacto poſſit reſtaurari, deperdita illa particula fabricetur ex laminis argenteis, naturali naſi colore pictis. At ex brachii cute nares denuò eſſe, docuit Taliacotius, qui de hujuſmodi curatione magnum volumen orbi erudito exhibuit.

De Vulneribus Labiorum, Aurium, & Linguæ.

I. Labia quum ſauciantur, ut plurimum per longitudinem reſcinduntur. Et hujuſmodi Labii Vulnus ſi ſit abſque ulla ſubſtantiæ deperditione, ejus labra diligenter ſunt conſuenda, decenterque adaptanda, ut nulla adſit eminentia, omniſque deformitas vitetur; ac vulnus porrò per primam intentionem curandum, conglutinandum.

II. In inſtituenda verò hac Sutura, nonnulli Eâ utuntur; quæ fit acu per utramque labii diviſi partem tranſmiſſâ, facto deindè punctô; quale ſuturæ genus in aliis partibus vulneratis plerumque inſtitui ſolet: ſed oportet acum à labii diviſione longius tranſmittere, quo valentius teneat filum, & non abrumpatur. Vel ob fili facilem eroſionem, & deformem cicatricem, potius una, duæ, treſve acus per utramque labii diviſi partem ſunt tranſmittendæ, & in carne relinquendæ, filum ſæpius circa eaſdem glomerando, uti in curandis leporinis labiis fieri ſolet.

Factâ diviſi labii adductione, & per Suturam ad mutuum contactum conjunctione, imponatur foras linteum Ovi Albumine madefactum, ſimilevè Exſiccans Glutinatorium; intus verò adhibeatur Mel Roſarum, vel ſimplex, vel cui Spiritus Vini aut Tincturæ Saturni tantillum admixtum ſit: etiam infixæ ſerventur acus, quouſque facta ſit labiorum proba conglutinatio, quod circa finem ſecundæ hebdomadæ plerumque contingit, quo tempore licet acus auferre.

Vincula in hiſce partibus, ubi opus fuerit tantum ad medicamenta continenda conveniunt. Etenim vulnera Labiorum, ut & Aurium Externarum, plus boni ab acu, quam à ligaturis expectant.

Cæterum in ſutura adhibenda, & poſt ipſam adhibitam, omninò ab omni labii motu eſt abſtinendum, qui vel mandendo, vel loqendo, vel ridendo fit; quod impoſſibile ſit tunc vulneris labra conjungere, aut conjuncta ſervare.

De iſtiuſmodi vulneribus Chalmæteus Enchir. Chirurg. libr. 2. cap. 18. ſic loquitur: „ Labiorum Vulnera ſuturam decentem requirunt, „ ac appoſitionem eorum, quæ glutinant, at„ que ob frequens ſputum, quod humectat, „ diligentius eſt exſiccandum & adſtringen„ dum: Ligaturam hujuſmodi vulnera non „ admittunt, niſi ad medicamenta, quæ ap„ ponuntur, retinenda.

III. Non rarò quoque vulneratur Auris externa, ſive omninò abſcindatur, ſive aliqua ejus portio ſaucietur.

Externa Auris ſi ità abſcindatur, ut portio inciſa conjuncta ſit ſanæ, hanc Suturâ cum ſana conjungere oportet; quæ fit filo continuato, & acu tranſmiſſa per utrumque labium, dein ſupra vulnus revolutâ, rurſus ex eodem latere tranſmiſſâ & revolutâ, quouſque tota ſutura facta ſit: in quâ facienda, ſubjectam cartilaginem evitare oportet, quia puncta inflammatur, aliterve malè afficitur.

Aliquandò tamen ubi Externæ Auris portio ita abſcinditur, ut reliquæ ſit conjuncta, à Sutura abſtinere poſſumus, atque ita vitare doloris ac inflammationis occaſionem; & ad vulneris labia ad mutuum contactum adducenda ſæpè Emplaſtra ſufficiunt Glutinatoria.

Quibus verò Auris tota penitus abſciſſa ſit, iis nihil aliud reſtat, niſi ut infortunii ſui deformitatem curâ palliativâ, quantum quidem poſſibile, ſuppleant, & aurem mutilatam ex papyro craſſiore, vel corio picto refarciant.

IV. Porrò Lingua etſi intra os conſiſtat, dentium ſepto munita, atque ab injuriis omnibus tuta ſatis videatur, accidit tamen quandoque Eam vulnerari: quoniam ubi genæ & buccæ inciduntur & perforantur, ſolet quoque Lingua nonnunquam ſauciari; imò dentibus ſæpè propriis reſcindi, uti in Epilepſia, aut Caſu graviore non rarò contingit. Atque hæc vulnera fiunt vel cum abſciſſione Linguæ ferè totius, vel alicujus ejuſdem portionis.

Subſtantiæ jactura reſarciri nequit, quia pars omnis à corpore vivente, à quo vitam ducebat, diſtracta & avulſa vivere deſinit. Paræus tamen mentionem facit cujuſdam, cui inſignis linguæ portio erat ablata; qui nihilominus ope lignei inſtrumenti, quod ore detinebat, voces edebat articulatas. Sic factitiis ligneis cruribus utimur ad incedendum, & ex ferro fit inſtrumentum brachio applicandum, quo in manus defectu, apprehenſio quadantenus exerceri poteſt.

V. Quod ſi Linguæ portio abſcindatur, ita tamen ut corpori linguæ adhuc cohæreat, vitanda eſt omnimoda ejus abſciſſio. „ Quod „ præceptum, inquit Aquapendens Oper. „ Chir. part. 2. libr. 2. cap. 34. perpetuum eſſe „ volo, non modo in lingua, ſed in omnibus „ faciei partibus, naſo, digitis, & hujuſmo„ di, quoniam ſæpè præter Medicorum ſpem „ partes agglutinantur, quæ mens non conci„ pit glutinari poſſe.

Ubi igitur diſſectio Linguæ contigerit, vulneris labia ad ſe invicem ſunt ducenda; atqui alia nulla datur via ea adducendi, adductaque ſervandi, quam per Suturam, idque propter ſitum partis vulneratæ, & continuò affluentem humiditatem. Sed quoniam Lingua propter ſalivalem humorem lubrica eſt, & ex manibus facile elabitur, à ſolerti miniſtro arctè continenda; interim acu, ut decet, conſuatur, ac injectis nodis filum juxta nodum ſecetur: nam ſi longius relinquatur, inter maſticandum in dentium interſtitiis implicatur, & lacerantur puncta.

Adductis labiis, quoniam ſitus linguæ, atque humiditas ſalivalis impedimento ſunt, ne partem vulneratam, uti decet, tegere queamus, ſatis erit, ſi Patiens ore contineat Agglutinentia, quæ palato haud valde ingrata ſunt.

Linguæ v. gr. adhibeatur Syrupus de Roſis Siccis, aut Mel Roſarum, vel ſimplex, vel cui admixta Tinctura Saturni; atque identidem os colluat Æger hoc vel ſimili Gargariſmate,

℞. Aq. Plantaginis ℥vi. Mellis Roſacei ℥iß. Tinct. Saturni ʒiß. vel ʒ i. Miſceantur.

Vel, ℞. Fol. Liguſtri, Plantaginis, Quercus, flor. Roſarum Rubr. an. Mi. Balauſtiæ, Cort. Granatorum an. ʒii. Coq. in Aqua Pura ad ℥xx. Colat. add. Mellis Roſarum ℥iii. Miſceantur.

Si verò a re pungente ſaucia, aliterve transfoſſa fuerit Lingua, adeoque nec labia diſſideant, nec portio quædam abſciſſa ſit, ſatis erit parti

læſæ admovere Mel Roſarum, cui Spiritus Vini aut Tincturæ Saturni tantillum additum ſit; reliquum Saliva glutinare ſolet. Interea abſtineat Patiens ab omni locutione, & maſticatione forti, ut vulneratum hoc organum quieſcat.

Linguæ Vulnus tranſverſim factum, ejuſdemque Curatio, habetur apud Hildanum cent. 1. obſerv. 28. Raram quoque hiſtoriam linguæ, ex malè curato ſclopeti vulnere, pa tibus ſubjectis arctè coaleſcentis, cum impedita locutione, periculosâ & peritâ ſectione ſeparatæ, ac reſtitutæ, habet Petrus de Marchettis *obſerv. Chir.* 32.

De Vulneribus Cervicis, Colli, Gutturis, Vaſorum Jugularium, & Medullæ Spinalis.

I. Faciei Vulneribus ſuccedunt Vulnera Colli & cervicis. Dicitur autem Collum ea pars, quæ capiti proximè ſubjacet, & faciem inter pectuſquè collocatur: figurâ rotundum; ita dictum, quod caput ceu columna ſuſtentet. Hoc quum pluribus ex partibus componitur, plures in eo contingunt vulnerum ſpecies, pro ut hæ vel illæ in Collo exiſtentes partes ſaucientur; quales præter Cutem, eique ſubjectos Muſculos, ſunt Arteria Aſpera, Gula, Venæ Jugulares, Spinæ Medulla, &c.

II. Hinc fit, ut ex Vulneribus hiſcè alia ſint inſanabilia, alia difficulter, & non niſi maximo cum vitæ periculo ſanentur; atque ex iis quæ ſanantur, alia fandi potentiam demant, vel perpetuò lædant; alia partis vulneratæ motum vitient, prout ex dictis partibus una vel plures, & magis vel minus fuerint læſæ: attamen quæ citrà læſionem ſunt dictarum partium, atque in cute & carne duntaxat, nullum adferunt periculum. Nam, ut ait Aquapendens Oper. Chir. part. 2. lib. 2. cap. 35. „ Generaliter nullum colli vulnus periculoſum eſt, etiam„ ſi totum collum pertranſeat ab una ad alteram partem, niſi aliqua prædictarum partium vulneretur: in quo caſu vel vulnus eſt mortale, vel periculoſum.

III. Igitur ſimplex ſi ſit Colli Vulnus, primum cruoris profuſio erit cohibenda, dein ſutura adhibenda, ac porrò per primam intentionem, ut ſimplex carnis vulnus, id curandum.

Quod ſi Vulnera Colli punctim inflicta fuerint, nec ſtatim mortem adferant, pro ſigno habendum eſſe vult Marchette obſerv. 37. Venas Jugulares & Arterias Carotides illæſas eſſe. Qui propterea iſtiuſmodi vulnera hoc modo curare ſolet: viz. turundam immittit breviſſimam, & non craſſam, integumenta haud excedentem, Ovi Albumine imbutam, ſuperjecto linteolo duplicato per totum collum, quoque Ovi Albumine cum Bolo Armeno & Sanguine Draconis intincto: omni denique arte prohibere ſtudet puris generationem, utpote quod venas & arterias corrodit, cum mortis præſenti periculo. Duobus tribuſve elapſis diebus, turundam removet, applicatque linteolum Cerato ex Ceruſâ inductum, ſicque octo vel decem dierum ſpatio vulnera hæc ſanare conſuevit.

Quod ſi vulnus trajiciat totum Collum, utrinque imponit turundam breviſſimam eodem modo. Obſervavit prætereà, hæc vulnera ſpecillo nunquam eſſe tentanda, ne lædantur venæ vel arteriæ, cum ſummo vitæ periculo.

IV. Sed & œſophagus & Arteria aſpera in Collo nonnunquam vulnerantur. Et quidem œſophagus ſi vulneretur, ſanguis ſcre[...]do per os rejicitur, & cibus potuſque per inflictum vulnus exit. Verùm Arteriæ Aſperæ Vulnera innoteſcunt ex ſitu, & aſſidua cruoris per os cum tuſſi rejectione, voce vel abolitâ vel imminutâ, nec non aëris per vulnus exitu in exſpiratione, & ingreſſu in inſpiratione, præſertim ſi ore naribuſque occluſis Patiens reſpirare tentet.

V. Hujuſmodi Aſperæ Arteriæ Vulnus, quoniam exanguis Ea eſt, & in continuo ob reſpirationem, locutionem, & deglutitionem exiſtit motu, ſumme periculoſum, & non raro lethale eſt. Exemplum tamen vulneris Aſperæ Arteriæ ſanati, lectu dignum, habet Tulpius obſerv. Medic. libr. 1. cap. 50.

Idem pronunciari licet de œſophagi Vulnere; præſertim quod hæ partes rariſſimè ſaucientur, niſi ſimul vulnerentur venæ jugulares, aut arteriæ carotides, aut nervi vel recurrentes vel paris vagi, unde ingens ſanguinis mox accedit profuſio; & graviſſima alia ſuperveniunt ſymptomata. Experientiâ nihilominus compertum eſt, nonnullos ex Gulæ vulnere ſupervixiſſe: & citat Scenkius obſerv. Medic. libr. 3. hiſtoriam vulneris in collo, per quod alimenta egrediebantur, ſanati. Inſuper Gulæ vulnera ſanabilia quandoque eſſe, exemplo probat Pigræus Prax. Chir. lib. 4. cap. 12. ubi etiam docet, ſuturâ validâ & tenaci iſtiuſmodi vulneris labia eſſe adducenda; præcipitque ut reſupino collo Patientes bibant, & liquidum alimentum ſumant, ſic ut præcaveatur, ne per vulnus cibus potuſvè egrediatur.

VI. Igitur perſciſſa penitus ſi ſit Aſpera Arteria, quamvis deſperatus ſit caſus; quoniam tamen multum refert, num Ægrotans loqui poſſit, diligenter conſuendum erit vulnus, ac deinceps tegumento idoneo tegendum, ut inſpiratus aër per vulnus exire nequeat: quo facto, niſi magna cruoris profuſio ſimul adfuerit, amiſſam loquendi poteſtatem Patiens recuperabit, reſque ſuas diſponere poterit. At ſi penitus diſciſſa non ſit, aliqua conglutinationis ſpes eſt; atque ideò vulnus conſuendum, ejuſque labia ad mutuum contactum adducenda; hinc imponendum medicamentum, quod ita valet glutinare, ne ſanguis & sanies in aſperam arteriam cum periculo ſuffocationis illabantur. Eum in finem Aquapendens oper. chir. part. 2. libr. 2. cap. 36. hoc commendat Digeſtivum;

♃. Therebinthinæ lotæ ℥i. Pulv. Maſtichis ʒiß. Olei Hyperici ʒiii. Albumina cum Vitellis Ovorum quot ſufficiunt ad efficiendum Unguentum.

Ut verò facilior fiat conſolidatio, in ore continenda erunt, quæ agglutinandi vim habent; cujuſmodi ſunt, quæ liquari poſſunt, quo paulatim liquefacta in aſperam arteriam ferantur, ut Saccharum Althææ, vel Tabellæ ex Specie Diatragacantha, &c. vel Linctus ex Melle Roſaceo, Syrupo Altheæ, de Symphito, cum Specie Diatragacantha, &c. vel Gargariſma ex Radice Conſolidæ, Tormentillæ, Foliis Plantaginis, Quercus, Saniculæ, & ſimilibus decoctis

coctis; addito colaturæ Melle Roſaceo, aut Syrupo de Roſis Siccis.

Si autem Vulnus cum deperditione ſubſtantiæ Aſperæ Arteriæ contigerit, quoniam nullus poteſt eſſe ſanationis locus, niſi Chriſtiana pietas aliter ſuaderet, facto Prognoſtico foret diſcedendum. Huic ergò vulneri latum linteum denſo medicamento illitum applicandum eſt, ne tam linteum, quam medicamentum ad aſperæ arteriæ cavitatem, dum ſpiritum ducit Patiens, moveatur; atq; in ore contineat, quæ hujus partis vulneribus conducere nunc diximus.

VII. Pari ratione curandum erit œſophagi Vulnus. Erunt quoque hîc paulatim deglutienda idonea medicamenta, quæ ſenſim, & tanquam aqua per parietem defluens, ad partem affectam perveniunt, quod facilè ſupino ſitu aſſequimur; cujuſmodi eſt Electuarium ex Conſerva Roſarum Rubrarum, Specie Diatragacantha, Bolo Armeno; Terra Sigillata, Syrupo de Symphito, &c. Huc inſuper faciunt Linctus, Gargariſma, & cætera nunc laudata, quorum particulæ ſenſim deſcendentes perfundere, & tandem conſolidare valent partem vulneratam. Utq; vulneris conglutinatio ſuccedat eò facilius, Patiens nihil eorum, quæ deglutitu difficilia ſunt, devoret; ac omni ratione vomitum præcavere ſtudeat, utpote quô violenter nimis agitatur gula.

VIII. Cæterum Colli Vulnera ſi magis à lateribus fiant, quandoquidem ibi excurrunt Venæ Jugulares & Arteriæ Carotides, ideò, læſis illis vaſis, lethalis non rarò fit ſanguinis profuſio. Exiguum verò colli vaſis inflictum vulnus, ſi Cheirurgus tempeſtivè accedat, non rarò curatur. Etenim Internæ Jugulares Venæ vel Arteriæ carotides ſi fuerint vulneratæ, in maximo periculo verſatur Patiens, ob nimiam ſanguinis profuſionem, cui ſuccurri non poteſt earum conſtrictione, eo quod Jugulum conſtringi non patiatur citra periculum ſtrangulatus & ſuffocationis: quod ſi non conſtringatur, immedicabilis ſuccedit hæmorrhagia.

IX. Quum igitur Vaſa hæc Jugularia fuerint ſaucia, omni ratione occurendum ſanguinis profluvio. Sed cautè admodum hæc vulnera erunt tractanda, nec in detergendis grumis, aut vulnere mundificando, nimis diligentes eſſe oportebit. Et ſi medicamentis, in ſuperioribus abundè propoſitis, Cheirurgus ſanguinem ſiſtere nequeat, mox hamulo vulneratum vas apprehendere debet, & attollere, deinde partes utrinque filo ligare, totumque vas tranſverſim præſcindere; ſi forſan cruoris profuſio cohiberi, & ita Æger ſervari poſſit.

Nonnulli vulnerata Vaſa Jugularia obſtruere norunt, digito vas apertum aliquandiu comprimendo, donec ibidem ſanguis concreſcat, atque concretus vulneris orificium obſtruet, adeoque amplius non permittat cruorem profluere. Et habet Chalmæteus Enchir. Chir. libr. 2. cap. 19. exemplum cujuſdam, in Vena Jugulari Externa vulnerati, qui familiarium operâ, viciſſim vulneri digitum per tres dies admoventium, evaſit. Atque haud abſimili modo vulneratam jugularem venam in collo Celſiſſimi Arauſionum Principis Guljelmi Primi, obturatam, ſanguiniſque ex eadem fluxum inhibitum fuiſſe, ſuperius de Venarum & Arteriarum Vulneribus narravimus.

X. Atqui Collum ſi in parte poſtica, ſeu Cervice vulneretur, nonnunquam læditur Spinæ Medulla; ſive punctim aut cæſim Ea ſauciatur, ſive tota per tranſverſum diſcinditur. Hoc ſi contingat oboritur convulſio vel paralyſis in partibus plagæ ſubjectis, nec non urinæ & alvi fæcum citra voluntatem excretio, aut omnimoda ſuppreſſio. De hoc vulnere Hippocrates 2. prædict. ita inquit: „ ſi Spinalis Medulla aut ex caſu, aut alia quapiam „ cauſa externa, aut ſua ſponte laborarit, & „ crurum impotentiam facit, ut ne tactum „ quidem percipiat Æger, & ventris, & veſicæ, adeo ut primis quidem diebus ſtercus „ aut urina non niſi coactè reddatur. Quod ſi „ morbus invaluerit, & ſtercus & urina, Ægro „ inſcio, prodit, tandemque non longo poſt „ intervallo perit. Addit Celſus lib. 5. cap. 26. „ ſervari non poteſt, qui in Spinæ Medulla percuſſus eſt. Et refert Tulpius obſerv. Medic. libr. 3. cap. 27. hujuſmodi Spinalis Medullæ vulneris exemplum, quod tertio die mortem attulit.

XI. Quia verò ſuccurrendum eſt miſeris Ægrotantibus, eadem hic erunt imponenda, quæ in vulneribus nervorum nervoſarumque partium. Atque hinc admoveatur Oleum Therebinthinæ actû calidum, vel Balſamum Peruvianum, vel Balſamum Sulphuris Therebinthinatum, vel Oleum Ceræ, vel quod ſequitur;

♃. Spir. Vini ℥ii. Mellis Roſarum ℥i. Pulv. Aloës, Myrrhæ an. ℈j. Miſceantur.

Et ſuperponatur Digeſtivum. v. gr.

♃. Mellis, Therebinthinæ Venet. an. ℥ß. Theriaces ʒii. Vitellum unius Ovi. Pulv. Myrrhæ ʒß. M. F. Digeſtivum.

Interim in hujuſmodi vulneribus curandum, ut ſanies effluxum habeat, ne retenta dolores, inflammationes, & graviora alia excitet ſymptomata. Atque ideò ſi ſatis patens non ſit vulnus, erit dilatandum, ut ichor expurgari poſſit: ſi verò vicinæ partes non permittant, ut vulnus dilatetur, plerumque deſperatus eſt caſus. De vulneribus hiſce Joh. de Vigo ſic inquit: „ quæ vulnera ipſius medullæ eodem „ modo tractanda ſunt, ſicuti vulnera cere- „ bri; quare ſemper Medicus debet eadem „ ratione curare, & vulnera ſpinalis medullæ, „ & vulnera cerebri.

De Vulneribus Thoracis, & Partium intus Contentarum.

I. Thoracis Vulnera alia ſunt non Penetrantia, in quibus ſcilicet membrana pleura adhuc integra eſt; alia Penetrantia, in quibus non ſolum thoracis muſculi, ſed & pleura perforatur, ita ut vulnus in ipſam penetret Thoracis cavitatem.

Penetrantia Vulnera rurſum ſunt, vel ſine partium in Thorace contentarum, vel cum earundem læſione; puta pulmonis, pericardii, cordis, diaphragmatis, venæ cavæ, arteriæ aortæ, &c.

II. Simplex ſi ſit Thoracis Vulnus, neque in cavitatem ejus penetret, & alius nullus conjungatur affectus, nihil peculiare ad ſui curationem deſiderat, præter reliqua vulnera.

Si autem detecta ſit Coſta, ea abradenda eſt ad-

ad meditullium uſque, dein vulnus ut ſimplex conſiderandum. Quum verò fracta ſit, ea ſuum in locum reſtituenda, ac porrò curanda, ut inferius de Fracturis ſumus dicturi.

III. At profundus cum ſit vulnus, diligenter indagandum, an penetret uſque in thoracis cavitatem, an non. In thoracis cavitatem penetraſſe inſtrumentum vulnerans, indicat aër per vulnus exiens; qui potiſſimum deprehenditur, ſi vulneris orificio tenuis admoveatur cerea candela, aut lana tenuiter carpta vel goſſypium eidem imponatur: ſæpius namque candela extinguitur, vel ſaltem flamma ejus nutare videtur, & lana vel goſſypium quaſi vento agitari conſpicitur. Verum hic aëris è vulnere thoracis egreſſus in primis obſervatur, quoties Ægri tuſſiunt, vel ore naribuſque occluſis vehementer conantur exſpirare.

Sed hæc per aërem egredientem exploratio fallere poteſt, ſi vulnus obliquum vel tortuoſum ſit; aut muſculi thoracis ſitu Patientis ab eo, quem habebat dum vulnus accepit, varient, atque vulneris aperturam regant; vel plagæ orificium, ob non immiſſam turundam, ſit conglutinatum: tum enim aër egredi non poteſt, imò nec ſpecillum vel ſtilus intromitti. Ideoque Ægrum, dum vulnus explorandum eſt, eo ſitu collocare oportet, in quo erat, cum inflictum fuit.

In penetrantibus quoque & amplis thoracis vulneribus reſpiratio interdum læditur, & voce Æger privatur vulnere patente; eò tamen occluſo redit vox, & reſpiratio liberius peragitur. Inſuper dum ſanguis in pectore congeritur, & alia accedunt; viz. febris, tuſſis moleſta, ſputum cruentum, lateris dolor, pondus & gravitas circa coſtas nothas, &c. Et ſi contentæ intus materiæ, aut contentæ alicujus partis vulneratæ adſint indicia, certiſſimum erit vulnus penetrare, tametſi ipſum aſſequi ſpecillo non liceat. Partium verò thoracis contentarum vulnera quibus ut plurimum innoteſcant *Cap.* 1. diximus.

IV. Cæterum quæ in Thoracis anteriore parte, atque à lateribus contingunt vulnera, neque ad interiora penetrant, ex ſe omni periculo vacant, etiamſi ſecundum propriam eſſentiam ſint magna. At quæ in Thoracis parte poſtica fiunt, magis ſunt periculoſa, quia plures ibi, majoreſque adſunt nervi & tendines: periculoſiora redduntur, ſi dorſi medulla vulneretur, propter gravia, imò & lethalia accidentia.

Quæ verò intra Pectoris cavum penetrant, nullum licet ex contentis viſceribus lædatur, longè periculoſiora ſunt: quod aër externus per vulnus non alteratus ingrediatur, internaſque partes offendat; hinc dolor, tuſſis, inflammatio, febris, & cætera procedant ſymptomata.

Adhuc tamen periculoſiora cenſenda ſunt, ſi inſuper ſanguis in Thoracis cavitatem fuerit effuſus, qui ibidem putreſcere, & graviſſima excitare accidentia potis eſt.

Sed periculoſiſſima ſunt, ſi quæ ex contentis partibus fuerint ſauciæ, quapropter haud abs re inquit *Galenus* 4. *Meth.* 6. „ vulnus, quod „ intra thoracem vel peritonæum penetrat, non „ parvum periculum adfert, præcipuè ſi quid „ internorum unà ſit vulneratum. Equidem de „ vulnerum contentarum in thorace partium „ Prognoſticis in ſpecie *Cap.* 2. abundè egi.

V. Quoad *Curandi Methodum*: hujuſmodi vulnus non diſſimilem quidem poſtulat curam à reliquis vulneribus in parte carnoſa exiſtentibus; ſi nempe in thoracis cavitatem haud penetret. At ſi penetret in pectoris cavum, fueritque citra contentarum partium læſionem, neque in thorace materia quæpiam contineatur, vulnus quamprimum eſt occludendum, ut aëris externi ingreſſus prohibeatur; hinc protinus conglutinandum.

VI. Si verò contineri intus materiam ſuſpicemur, per dies aliquot vulneris orificium patens eſt ſervandum, ut expurgari ea poſſit; & ſi ob plagæ aperturam minus patentem probè effluere nequeat, ſcalpello plaga eſt dilatanda: utque facilius profluat, ſupra vulnus Vulneratus decumbat. Inſuper, niſi vulnus per ſe ſatis pateſcat, plagæ intra oſculum immittatur tubulus argenteus vel plumbeus, per quem ſanguis, aliavè contenta materies commodè expurgari queat. Deinceps vulnus liberè erit occludendum. At vulnerum in thoracis cavitatem penetrantium veram & ſuccinctam curandi methodum tradit *Petrus de Marchettis Obſerv. Chir.* 41.

VII. Haud ſecus ratiocinatur *Fabritius Hildanus Cent.* 3. *Obſerv.* 37. „ Vulnera pectoris, ſi „ ſanum eſt corpus, vulnuſque recenter inflictum, neque ſanguis aut pus ullum in pectore „ collectum, vulnus ut diu apertum maneat, „ minimè opus eſt. In cacochymicis verò cor- „ poribus alia ratio eſt; in iis enim vulnerum „ & ulcerum pectoris conſolidatio donec na- „ tura ſe probe exoneraverit, minimè accele- „ randa eſt. *Scultetus* quoque *in Armam. Chir. Tab.* 37. monet, ne vulnus thoracis penetrans unquam conſuatur, aut per primam intentionem curetur, ne materiæ, quæ in thoracis cavitatem effuſa eſt cum Ægrotantis periculo, præcludatur exitus: vult autem, ut primò immittatur turunda filo alligata, ad apertum vulnus ſervandum. Quod ſi materies intra thoracem collecta fuerit craſſa, atque ad exitum per plagam inepta, illa attenuetur injectis per aliquot dies Lavacris ex Decoctione Hordei, Paſſularum, addito Melle Roſaceo; ac vulneri immittatur cannula, ut pus, injectaque decoctio ſenſim denuò expurgetur. At plura huc ſpectantia idem habet *poſt Armam. Chir. Obſervat.* 42. 43. 59.

VIII. Attamen ſcribit *Joh. de Vigo lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 10. controverſum inter Chirurgos eſſe, de penetrantium thoracis vulnerum conſolidatione. Quibuſdam enim videri ejuſmodi vulnera quamprimum claudenda, & cicatrice obducenda eſſe, ne aër frigidus in cor ſubeat, ac ſpiritus vitales exiliant & diſſipentur. Alii è contrario cenſent, talia vulnera diutius aperta eſſe ſervanda: imò ſi per ſe non ſatis pateant, Chirurgiâ amplificanda, quò ſanguini in thoracis ſpatium effuſo exitus pateat; alioquin cunctando putredinem contracturo, unde febris incrementum, ſinus fiſtuloſus, aliaque periculoſa accidentia.

Priorem ſententiam amplectitur *Theodoricus lib.* 2.

lib.2. cap. 16. ubi in quacunque parte thoracis fiat vulnus, in continenti labia conjungi vult.

Poſteriori ſubſcribunt *Joh. de Vigo loco citato.* Brunus Chir. Magn. lib. 1. cap. 4. Rolandus *lib.* 3. *cap.* 16. Lanfrancus tract. 2. cap. 5. Guljelmus de Saliceto *libr.* 2. *cap.* 12. Rogerius *cap.* 23. Chalmæteus in Encheiridio Chirurgico. Item Paræus de hac quæſtione ſic inquit: „ Prior „ quidem ſententia ratione & veritate nititur, „ modò nihil aut parum ſanguinis in thoracis „ capacitatem effuſum: Poſterior verò locum „ habet, cùm magna vis ſanguinis in thoracis „ ſpatium ſe effundit. Atque hiſtoria utramque ſententiam comprobat, docetque vulnus thoracis penetrans ad duos treſvè dies apertum eſſe ſervandum: at cùm animadvertimur Ægrum nullo, aut ſaltem exiguo dolore vexari, nullo pondere diaphragma premi, ſpirandi libertatem adeſſe, adeoque detrahi periculum, quam citiſſimè fieri poterit, ad cicatricem vulnus perduci vult. Eadem diſtinctione utitur Pigræus Prax. Chirurg. libr. 4. cap. 14. ubi inquit: „ ſi parva ſanguinis copia in thorace „ fuerit contenta, eam diſſipari & evacuari „ tuſſiendo & ſcreando.

Si ergò certa contentæ in thorace materiæ indicia ſeſe offerant, materia illa ut educatur poſtulat. Educitur autem per tres vias: vel per vulneris orificium, vel per os tuſſiendo, vel nonnunquam per urinæ viam. Rarum eſt, pus ex thoracis vulnere, in cavitatem ejus effuſum, per alvum expurgari, quod ſe obſervaſſe ſcribit Marchette Obſerv. 43. At rarius, coſtæ fractæ fragmentum per anum fuiſſe excretum, quod ſe vidiſſe nobis narravit Cl. Diemerbroekius in collegio ſuo Chirurgico, cum ſub ejus auſpiciis quondam Medicinæ ſtudio operam darem, atque ipſum illud coſtæ fragmentum quoque exhibuit.

IX. Curandum igitur, ne præproperè, & priuſquam materia fuerit expurgata, vulneris orificium occludatur: verùm apertum id ſervandum beneficio turundarum, ſic ut non facilè externus aër ingredi queat. At ſi copioſa materies intus contineatur, periculum eſt, ne ſuo contactu partibus contentis malè afficiat; in primis quum inter unam & alteram inſpectionem nimis longum tempus intercedat. Quapropter utile eſt inſtrumentum, quod & apertum ſervat foramen, & materiæ exitum continuò præbet; quale eſt cannula plumbea, vel argentea, aut linteum cerâ albâ oblitum & in cannulæ formam redactum.

X. Sed notandum in vulneribus thoracis tum turundæ, tum cannulæ filum ſemper alligandum eſſe ſatis longum; ne ea, ob perpetuum thoracis in reſpiratione motum, incidat in pectoris cavitatem, mortiſquè cauſa fiat. Tale exemplum refert Hildanus Cent. 1. obſerv. 46. cujuſdam, qui duas turundas in cavitatem thoracis delapſas poſt tres menſes tuſſi rejecit. Et Cent. 3. Obſerv. 36. aliam narrat hiſtoriam de quodam in pectore vulnerato, qui duas turundas ſatis longas ultra biennium ſecum geſtavit, à quibus tandem, ne gry quidem alteratis, caſu potius, quàm arte fuit liberatus, atque ita ſanitati reſtitutus. Tulpius quoque obſer. Med. libr. 2. cap. 15. meminit cujuſdam nobilis Dani, qui poſt menſem ſextum turundam, in thoracis cavitatem per Cheirurgi imprudentiam delapſam, per os excreavit. Rarum etiam eſt, quod habet Pigræus Prax. Chir. libr. 4. cap. 14. de milite, qui ſciopeto in thorace vulneratus, tribus quatuorve a ſanatione menſibus, per arteriam aſperam ſatis craſſum, tribuſque ad minimum digitis longum, coſtæ fragmentum excrevit, atque ab eo tempore nullum amplius incommodum perſenſit.

XI. Inſuper circa turundæ aut cannulæ filum in vulneribus thoracis notandum, eas oblinendas eſſe medicamento Digeſtivo. Etiam ne nimis longæ fiat turundæ, ut pulmonem lædant.

Impoſita hoc modo cannula, fiat tegumentum, quod injurias aëris ambientis arceat. Et ſupra plagam Patiens plerumque decumbat, quò materies proprio pondere ad vulnus feratur. Per intervalla quoque ore naribuſque occluſis ſpiritus comprimatur, quo pulmo intumeſcat, diaphragma contrahatur, ſicque ad vulnus contenta materia exprimatur.

XII. Sed materies hæc ut facilius educatur, & partim etiam abſumatur, nonnulli detergentes & exſiccantes liquores per vulnus in thoracis cavitatem quotidie immittere ſolent: quales ſunt, Hydromel & Aqua Hordei, cum Melle Roſaceo; aut Decoctio leviter abſtergens & attenuans, ex Agrimonia, Veronica, Hyperico, Radice Ariſtolochiæ Rotundæ, &c. addito Melle Roſaceo, nonnunquam & Spiritu Vini. Quibus ſiphonis ope in thoracem injectis, obturatoque vulnere, jubent ut Patiens modo in hoc, modo in iſtud latus ſeſe volvat, quò materia ab omnibus partibus eluatur, hinc per plagæ aperturam unà cum injectione educatur: obſervandum interea, ne quid lotionis intrà thoracem maneat, eò quod ipſa ob admixtam purulentam materiam corrumpatur, & prava invehat ſymptomata. Atque hoc modo procedunt, donec materia amplius per vulnus non exeat, & nulla appareant contentæ materiæ ſigna. Jubent præterea, ut Patiens tuſſiat; quo materies fortius expellatur ad vulnus, & per os quoque portio ejus educatur.

Monet etiam Scultetus in Armam. Chir. Tab. 37. in vulneribus thoracis cum parva pulmonis & diaphragmatis ad partem carnoſam inciſione, ut non ſolùm promoveatur materiæ per vulnus ex ſe latum, aut ſcalpello dilatatum, aut per novum foramen, aut per urinarias vias excluſio; verùm etiam, ut per ſiphonem in thoracem infundatur 1. Decoctum vaſa ſanguinem fundentia conſtringens, 2. materiam craſſam attenuans, 3. internum vulnus detergens, 4. illud conſolidans.

Si verò ob plagæ anguſtiam contentæ materiæ non ita pateat exitus, congruâ ſectione vulnus eſt dilatandum. At ſi vulnus ſit in ſuperiore pectoris parte, potius in imo thoracis loco, viz. inter ſeptimam & octavam coſtam, apertio eſt facienda.

Purulentæ materiæ qualitas etiam exploranda immiſſo ſpecillo; idque illicò extractum ſi nigrum ſit vel fiat, Ægrotum vix evaſurum indicat.

XIII. Atqui ubi receſſerint ſymptomata, detrahendus tubulus, quumque materia minui incipiat, ſenſim turunda imminuenda, & carnis

gene-

generationi incumbendum, ut foramen claudatur; ſi enim vulnus fiat inveteratum, evadit fiſtuloſum, & non, aut ſaltem difficulter glutinari poteſt.

Foras verò applicetur medicamentum vulneri idoneum; viz. exſiccans, ſimulque carnem gignens, ac conſolidans. v. gr.

℞. Terebinthinæ Venet. ℥i. Mellis Roſacei, Olei Hypericonis an. ℥ß. Miſceantur.

Alii in hujuſmodi vulneribus iſtud laudant;

℞. Reſinæ Pini claræ & odoræ ℥xii. Terebinthinæ, Olei Laurini an. ℥ii. Gummi Elemi ℥iii. Reſina & Gummi ad ignem liqueſcant, dein addantur Oleum & Terebinthina, parum bulliant, donec Unguenti craſſitiem acquirant, tandemque colentur.

Interim à tuſſi, quantum fieri poteſt, Æger abſtineat. Enimverò totus thorax quum exagitetur tuſſi, fieri nequit, quin vulneratæ partes denuò lacerentur, adeoque conſolidatio impediatur. Si tamen tuſſis infeſtet, eo quod ad pulmonem pars contentæ materiæ transmittatur, in ore contineat quæ vim habent leniendi, attenuandi, expectorandi; cujuſmodi ſunt Syrupi varii Pectorales, aliaque pro Arteriæ Aſperæ & Oeſophagi vulneribus laudata. Hîc quoque conducit Decoctum Pectorale, quod ſimul Vulnerarium fieri poteſt. v. gr.

℞. Rad. Conſolidæ Maj. Liquiritiæ raſæ an. ℥i. Ariſtolochiæ Rot. ʒv. Herb. Tuſſilaginis, Capill. Ven. Fragariæ, Saniculæ an. Mi. Caricarum, Paſſular. Enucleatar. an. ℥ii. Coq. in Aqua Hordei ad ℥xxx. Sumat Patiens ter quaterve ℥iii. vel ℥iv. quotidie.

XIV. Sin interna aliqua pars fuerit ſaucia, quantum ad apparens vulnus attinet, eadem omninò curatio convenit; adeoque nec opus eſt, ut aliquod, præter hæc quæ propoſuimus, medicamentum plagæ immittatur. Attamen in Pulmonis Vulneribus danda opera, ut primum ſanguinis profuſio, quæ ob inſignia hujus viſceris vaſa accidere ſolet, ſiſtatur, & inflammatio, cui pars hæc obnoxia eſt, prohibeatur, tandemque vulnus conglutinetur; ſanguis verò, qui in thoracis cavitatem effuſus eſt, evacuetur. Itaque ut inflammatio prohibeatur, niſi nimiâ cruoris profuſione vires ſint dejectæ, Vena ſecetur. Si vulnus ſit anguſtum, hinc ut exitus extravaſato ſanguini non pateat, ſcalpello ampliandum. In operatione verò Æger vehementer exſpiret, quo pulmo collabatur. Deinde medicamenta adhibenda adſtringentia & emplaſtica; ſive ea ſint, quæ in cavitatem thoracis infunduntur; ſive interna, quæ ore ſumuntur. Talia ſunt Bolus Armenus, Terra Sigillata, Thus, Maſtix, Balauſtia Gummi Arabicũ, tragacantha, &c. ex quibus injectiones, pulveres, & ſimilia præparari poſſunt. Sed ut pulvis Pulmoni Vulnerato applicetur, jubendum ut Æger ſpiritum ducat, quo veſiculoſum hoc viſcus inſtetur, aëremque eò uſque contineat, ut vulnus pulvere ſit conſperſum. Interna autem, & quæ per os ſunt exhibenda; alibi ac præſertim Cap. 7. expoſuimus.

Quum verò quædam Pulmonis pars è vulnere emineat, & liveſcere ac nigreſcere incipiat, atque ita corruptionis notas exhibeat, ea ferro eſt abſcindenda, uti ex variis Chirurgiæ ſcriptoribus in præcedentibus notavimus.

Diaphragma quum in parte carnoſa ſit vulneratum, eædem ſunt indicationes curativæ. At tendinoſa pars ſi vulneretur, vulnus lethale eſt.

De Vulneribus Abdominis, & Internarum Partium.

Vulneribus Thoracis ſuccedunt abdominis Vulnera. Per Abdomen autem intelligimus totum illud ſpatium, quod à coſtis ſpuriis, lumbis, & oſſibus innominatis comprehenditur: conſtans cuticulâ, cute, adipe, membranâ carnoſâ, decem muſculis; quibus partibus peritonæum ſubjacet, includens viſcera in infimo ventre contenta.

Hinc varia exiſtunt Abdominis Vulnera. Aut enim ſunt non Penetrantia, quum exteriores ſaucientur partes; cutis puta, pinguedo, membrana carnoſa, hiſque ſubjecti muſculi, intacto peritonæo: aut ſunt Penetrantia, ubi peritonæum quoque vulneratur. Cæterum penetrantia Abdominis vulnera ſunt, aut cum, aut ſine partium internarum læſione. Vulnus penetrans cum læſione partium internarum, tot habet differentias, quot ſunt partes in infimo ventre contentæ: unde alia vulnera ſunt cum læſione jecoris, vel lienis, ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, renum, &c. Rurſus vulnera Abdominis penetrantia ſunt quandoque cum omenti ac inteſtinorum exitu, nonnunquam citra eum.

II. An autem vulnus penetret in Abdominis cavitatem, an non penetret, indagandum. Penetrans vulnus à non penetrante dignoſcitur immiſſione ſtili vel cereæ candelæ; ſi enim multa portio ingreditur, ſignum eſt plagam penetrare. Advertendum tamen, ne decipiamur: nam fieri poteſt, ut foramine exiſtente obliquo, retorto, aut à ſuperjacentibus partibus occluſo, minima ſtili vel cereæ candelæ portio in ventrem ingrediatur, tametſi penetret vulnus: & è contrario, multa ſtili aut candelæ portio obliquè inter muſculos progrediatur, etiamſi plaga non ſit penetrans.

Addunt nonnulli: ſi vinum intra orificium vulneris immittatur, in penetrante id ingredi in ventris cavitatem, in non penetrante retrò egredi per plagam. Sed hunc explorandi modum haud immeritò rejicit Cæſar Magatus *libr. 2. cap. 69.*

Certius verò penetrantis vulneris indicium eſt, ſi inteſtinum aut omentum exeat. Quinimò ſi plagæ magnitudo conferatur cum vulnerante inſtrumento, non raro conjecturâ aſſequi poſſumus, vulnus num penetret, nec-ne.

III. At non ſatis eſt, dignoſcere plagam penetrare, ſed inſuper noſſe oportet, num aliqua contentarum partium ſit ſaucia; id quod petendum ex Celſo *libr. 5. cap. 26.*

Sic Hepar Vulneratum indicare ut plurimum ſolent, vulnus in dextro hypochondrio ad coſtas nothas, copioſi ſanguinis per vulnus exitus, vomitus bilioſus, cruentæ dejectiones, acerbi dolores & punctiones in partibus vicinis & propinquis, febris. Quod ſi hujuſmodi vulnus profundius ſit, parit animi deliquium, ſudorem frigidum, ac mortem brevi infert.

Lienem Vulneratum ſignificant, vulnus in hypochondrio ſiniſtro penetrans ſub coſtis nothis,

copioſi ſanguinis nigricantis per plagam effluxus, ſitis, febris: nonnunquam & reſpiratio lædi ſolet, affecto per conſenſum diaphragmate.

Ventriculum Vulneratum eſſe ſuſpicamur, ſi abdomen ſit ſaucium è regione ventriculi; ſi præſertim ſingultus accedat, & cibus potuſque aſſumptus vomitu rejiciatur. Et quandoquidem ita læſus ventriculus nec appetere cibum, nec continere, nec fermentare ritè poteſt: interdum crudus cibus & potus, interdum ſemidigeſtus chylus per vulnus exit. Inſuper animi deliquium frequenter Vulneratum corripit, potiſſimum ſi ſuperius ejus orificium ſeu ſtomachus ſaucietur, unde & frigidi erumpunt ſudores, aliaque gravia, imò lethalia plerumque accedunt ſymptomata.

Eadem ferè eveniunt, ſi Vulneretur Tenue Inteſtinum: exit namque per vulnus nondum perfectus chylus, hypochondria tenduntur, ac vomitus non rarò accedit. Denique & maximi ventris cruciatus Vulneratum corripiunt, ut plurimum cum febre ſatis valida. At Craſſum Inteſtinum ſi Vulneretur, egrediuntur per vulneris orificium fæces, vel ſaltem ſtercoris odor inter deligandum percipitur, cruentaque per alvum dejiciuntur.

Renes Vulneratos eſſe exiſtimamus ex loco affecto, præſertim quum urina cruenta ſit, & difficulter reddatur, dolorque gravis partem affectam affligat, qui ad inguina teſticuloſque ſæpè extenditur; cumque latum ſit vulnus, aquoſus cruor per id egrediatur.

Sin Veſica Urinaria ſit Vulnerata, urina per plagam exit, eaque reddi ſolet cruenta: pecten tenditur, doletque, dolent & ilia, nec non febris ut plurimum accedit.

Venam Cavam aut Aortam arteriam hîc Vulneratam conjectamus ex inſigni ſanguinis profuſione, quam ſtatim mors ſequitur,

Summatim quæ pars in infimo ventre ſit ſaucia, conjicimus primùm ex ſitu partis, deinde ex actione læſa, denique ab excreto.

IV. Cæterum vulnera Abdominis non penetrantia, ſi ritè curentur, abſque ullo ſunt periculo, niſi ſint valde magna. Periculoſiora tamen meritò cenſentur, quæ in media abdominis parte, quàm quæ in lateribus ſunt, propter concurrentes ibidem loci abdominis muſculorum tendines.

At penetrans abdominis vulnus, licet non lædantur partes internæ, periculoſius tamen eſt; præſertim magnum ſi ſit, & profundum, eò quod inteſtina facilè excidant, quæ difficulter poſtea ſuo loco reſtituuntur. Etiam anguſta hujuſmodi vulnera, ſi inteſtina excidant, periculo non vacant. Niſi enim id quod excidit ſtatim in ſuum locum reponatur, intumeſcit ac inflatur, ut poſtea per anguſtum foramen reſtitui nequeat; hinc ab aëre externo alteratur, corrumpitur, & malum ſæpius evadit lethale.

De vulneribus verò Abdominis penetrantibus, cum contentarum intus partium læſione, quid judicandum ſit Cap. 2. abunde diximus.

V. Vulnera porrò Abdominis non Penetrantia eadem requirunt Curandi methodum, quam reliquarum carnoſarum partium vulnera.

Si verò Penetrent, citra tamen egreſſum vel læſionem internarum partium, ac citra ſubſtantiæ deperditionem; quamprimum ſunt glutinanda: viz. disjuncta vulneris labia manuum operâ adducenda, adductaque ſervanda idoneâ ſuturâ. Glutine ſiquidem in talibus vulneribus uti non poſſumus, eò quod peritonæum, utpote exanguis membrana, mutuo agglutinari nequeat; quo dehiſcente, in poſterum inteſtina excidere ſolent. Id ergò ne contingat, ità vulnus erit conſuendum, ut hinc inde muſculis agglutinetur peritonæum. Ita quoque Guido de Cauliaco, Fallopius tom. 2. tract. 7. cap. 17. & plerique alii docent: viz. vulnera in Abdominis cavitatem penetrantia, abſque læſione internarum partium, nullo modo aperta eſſe ſervanda, ſed protinus conſuenda & agglutinanda.

VI. At Inteſtinum ſi ſit Vulneratum, tamdiu vulnus apertum ſervari volunt nonnulli, quouſque conglutinatum ſit inteſtinum, tumque vulnus conſuere jubent. Lanfrancus Chir. Magn. tract. 2. cap. 7. Rolandus libr. 3. cap. 26. Guljelmus de Saliceto libr. 2. cap. 15. Rogerius libr. 3. cap. 29.

Chalmæteus Enchir. Chir. libr. 2. cap. 23. omnia Abdominis vulnera unienda & conſuenda eſſe vult. Neque ex ſanguine in infimi ventris cavitatem effuſo magnum damnum imminere inquit, ſi illic quoque retineatur, cùm natura ipſum in inguina tranſmittet, atque tumorem excitabit, qui curabitur ut abſceſſus.

Atqui vulnus abdominis penetrans, citra tamen læſionem vel egreſſum contentarum partium, ſi ob anguſtiam ejus ſutura non egeat, glutinatio medicamentis, in ſuperioribus abundè propoſitis, quamprimum adjuvanda; dein conveniente faſciaturâ vinciendum, ita tamen, ut dolorem non inferat.

VII. Sed in Curatione Penetrantium Vulnerum abſque internarum partium læſione, verùm cum exitu Inteſtini aut Omenti, non alium præceptorem imitari neceſſum eſt, quàm Galenum, qui libr. 6. Method. Med. cap. 4. hujuſmodi vulneris Curam ita deſcribit: „ Primum itaque id agendum eſt, ut inteſtina, „ quæ exciderunt, in ſuum recondantur lo„ cum. 2. Ut vulnus conſuatur. 3. Ut medi„ camentum apponatur. 4. Ut proſpiciamus, „ ne præſtantior quæpiam pars ſimul afficiatur.

VIII. Quoad primum: ſi mediocre fuerit vulnus, & recens exciderit Inteſtinum, manibus & digitis impellendo eſt recondendum: id quod difficulter non rarò peragitur, quoniam per exiguum vulnus paulatim, & multum exit, inflatur, intumeſcit, ventoque repletur. Quo in caſu prolapſum inteſtinum Fotu calido, ex abſynthio, Scordio, Ruta, Malva, Floribus Camomillæ, Meliloti, Semine Cumini, ſimilibuſque in Cereviſia aut Vino decoctis, continuò foveatur, ſi forſan flatus ita diſcuti poſſint.

Diſſipatis flatibus tentanda erit Inteſtini reductio, quæ ut facilius ſuccedat, oportebit Patientem ita decumbere, ut plaga ſurſum ſpectet, & contenta intus inteſtina contrariam in partem ferantur.

Quod ſi nec hoc modo inflatio ceſſerit, adeoque reponi nequeat Inteſtinum, vulnus tantum am-

ampliandum, quantum ad inteſtini repoſitionem opus eſt. Quod ut dextre fiat, vulneri digitum imponat Cheirurgus, ne fortè inteſtinum ferro attingatur: vel utatur ſcalpello incurvo, alterâ tantum parte aciem habente, in cujus extremo adſit globulus, ne inteſtinum mucrone ſaucietur. Factâ idoneâ ſectione introducatur inteſtinum, vulnus conſuatur, ac conveniens medicamentum apponatur. At ne præſtantior pars ſimul afficiatur, animadvertere oportet, priuſquam fiat reſtitutio, num ſanguine fœdatum ſit, aut aliâ re conſpurcatum inteſtinum, vel ipſi adhæreat peregrinum aliquod corpuſculum, tunc enim prius ſedulò ab omni ſorde, & peregrinis corpuſculis eſt abluendum.

IX. Verùm Omentum ſi extra labatur, nondum tamen fuerit refrigeratum, neque colorem mutaverit, quamprimum intromittendum, cum citiſſimè ab aëre alteretur & corrumpatur. Sed ſi refrigeratum, hinc & alteratum fuerit, tunc, ex Hippocratis præcepto Aphor. 58. Sect. 6. ligabitur ea parte, quæ calidæ parti eſt proxima; potioque corrupta amputabitur. Ligari autem Omentum hic debet, ne ipſius vaſa aperta cruorem intra abdominis cavitatem effundant: qualem caſum deſcribit Marchette obſerv. 51.

X. Alter ſcopus eſt Vulnus Conſuere, ne Inteſtinum vel Omentum denuò prorumpat. Collocetur igitur, ac decumbat Patiens in partem plagæ oppoſitam, ut eò minus ad aperturam impetum faciant inteſtina. Interim miniſter manibus apprehendat vulneris labia, & Chirurgo tantam porrigat vulneris partem, quanta ad conſuendum eſt neceſſaria. Dein conſuatur vulnus eô modô, ut quoniam peritonæum peritonæo non agglutinatur, tamen agglutinetur muſculis; idque aſſequi poterimus, ſi inter conſuendum hinc inde peritonæum muſculis ipſis adducatur: ſcilicet acus, duplicatum filum ceratum ducens, primum ab externa vulneris parte ità trajiciatur, ut & cutis & muſculi & peritonæum ſimul trajiciatur; ex oppoſito verò à parte interna vulneris, intacto peritonæo, muſculi cum cute trajiciendi: ab eadem parte ſemidigiti interſtitio extrinſecus poſtmodum infigatur acus ſic, ut partes continentes omnes ſimul cum peritonæo trajiciantur; ſed in oppoſita parte ab internis extrinſecus infigenda acus; ut intacto peritonæo, cætera infimi ventris integumenta trajiciantur; & ſic deinceps, donec tot injecta fuerint puncta, quot erunt neceſſaria. At quoniam puncta hæc non leve onus ſuſtinent; ne ab ipſis ſcindatur caro, procul à vulneris ore ferè per digitum ſunt injicienda.

Hunc ſuendi modum comprobavit ac explicavit Galenus Meth. Med. libr. 6. cap. 6. Et ſanè alium nullum licet reperire, quo agglutinari muſculis queat peritonæum: ſi namque communi uti velimus ſuturâ, ita ſcilicet, ut vel utraque ex parte peritonæum trajiciamus, vel intactum omninò relinquamus, id non conglutinabitur; atque ſic poſt ſanationem vulneris omentum aut inteſtina prorumperent, & inemendabilis herniæ cauſa eſſent.

Si verò hujuſmodi vulnus fuerit cum deperditione ſubſtantiæ, uti contingit, ſi ſclopeto infligatur, nequaquam ejus labia ſunt adducenda; ſiquidem curari id oportet, ſicut vulnus cavum, per carnis generationem.

XI. Si tamen Inteſtina ſint Vulnerata, priuſquam introducantur, idoneâ ſuturâ, ut ait Celſus libr. 8. ſunt conſuenda. Quod ſi fuerint ſaucia, verùm extra vulnus non prociderint, ampliore reddito vulnere, eadem extrahere oportet, modo commode fieri poſſit; atque conſuere eò prorſus modò, quo pelles conſui ſolent.

De Vulneratorum Inteſtinorum Curatione diligenter quoque agit Galenus libr. 6. Meth. Med. cap. 4. ubi docet vulneratum inteſtinum primò, ſi fieri queat, eſſe conſuendum. 2. applicanda ei medicamenta. 3. ſi prolapſum quoquè ſit, ſuum in locum reponendum. 4. curandum, ne fæces in tranſitum ipſi noceant: tandemque abdominis vulnus claudendum.

Primum ergò ſi vulnus amplum ſit, & vulneratum inteſtinum prolapſum, mox id luendum, & priſtinæ ſedi reſtituendum. Niſi enim hoc ſtatim fiat, ab aëre ambiente alteratur, ac lividum evadit, omniſque curationis ſpes præciditur. Quod ſi prolapſum non ſit, paulatim & placidè foras trahendum, deinde vulneris labia ſimul adducenda, & adducta conſuenda acu ſubtili, brevi, ac rotunda, & filo lineo, forti, æquali, ceraque oblinito, eo fermè modo, quo pelles, & mulieres linteamina vulgo conſuere ſolent. Factâ ſuturâ, vulneratum inteſtinum abluatur Lacte recenti calido, ſeu potius Vino, vel ſimplici, vel in quo Roſæ, Chamæmelum, Abſynthium, Scordium, & ſimilia ſunt decocta; eique illinatur Balſamum Sulphuris Therebinthinatum, vel Peruvianum, vel aliud quodvis Sarcoticum ac Glutinans Balſamum ſeu Oleum: nec non modicè inſpergatur Conſolidans Pulvis. v. gr.

℞. Aloës, Maſtichis, Thuris, Mumiæ, Sanguinis Draconis an. ℨi. M. F. Pulvis ſubtilis.

His factis, inteſtinum paulatim & leniter in naturalem locum eſt reducendum; dein abdominis vulnus conſuendum, ac porrò ut artis eſt curandum. Sed peractâ vulnerati inteſtini ſuturâ, filum ne abſcindatur; verùm utraque ejus extremitas extra plagam propendeat, ut ſuo tempore extrahi poſſit.

Interim ut facilius Inteſtinorum Vulnus conſolidetur, Medicamenta uſurpanda Conſolidantia. Et quidem ſi plaga in Tenue inciderit Inteſtinum, exhibendum quoque Decoctum ex Radicibus Conſolidæ, Tormentillæ, Herbis Pyrola, Sanicula, Plantagine, Hyperico, & ſimilibus, in aqua Pura vel Chalybeata decoctis: nec non Electuarium ex Conſerva Roſarum Rubrarum, Bolo armeno, Terra Lemnia, Gummi arabico, Tragacantha, Syrupo de Symphito, &c. Quum verò Craſſum Inteſtinum ſit ſaucium, ano per fiſtulam injiciatur Vinum Rubrum adſtringens, vel laudatum nunc Decoctum Vulnerarium; vel Clyſter fiat ex Lacte Dulci cum Terebinthina Veneta, Ovi vitello diſſoluta, addito Melle Roſaceo, &c.

Atqui Inteſtinorum Vulnus ſi fuerit cum ſubſtantiæ defectu, ut contingit, quando ictus ſclopeto infligitur, aggredi curam non debemus niſi coacti, & cum prognoſtico: caſus enim plerumque eſt deſperatus.

Cæterum non poſſum hic non meminiſſe admirandæ hiſtoriæ cujuſdam adoleſcentis, enſe paulò ſupra umbilicum vulnerati, de quo refert Hildanus Cent. 5. Obſerv. 74. quod non tantum magnam concreti, nigricantiſquè, & putreſcentis ſanguinis copiam per alvum excreverit; (non obſcurum vulneratorum inteſtinorum argumentum) verùm etiam circa anni finem ab accepto vulnere, alvum exoneraturus, inflicti enſis extremum apicem excluſerit.

XII. Ventriculi Vulnera probè ſunt conſideranda, an penetrent intra cavitatem ejus, nec ne, & in qua ejus parte ſint, hoc eſt, an in orificio, vel in fundo, Quibus perſpectis, ſi Ventriculi Vulnus penetrans non ſit, conſuatur plaga Abdomini illata, & protinus curetur, atque Ventriculi Vulnus naturæ beneficio relinquatur.

Si penetret, quamvis tunc ut plurimum lethale ſit, non tamen ſine medela Æger eſt relinquendus, cùm præſtet anceps experiri remedium, quam nullum, & multa præter Medentis opinionem eveniant.

Quum igitur Telo Scindente Vulnus inflictum ſit Ventriculi Fundo, & totius promineat Ventriculus, vulnus conſuendum eſt eò prorſus modò, quò ſaucia Inteſtina conſui ſolent; hinc conſuatur Abdomen, ac eadem porrò inſtituatur curatio, ac in vulneratis inteſtinis. Si verò non promineat Ventriculus, vel parvum ſit vulnus, ac anguſto & perforante inſtrumento factum, adeoque conſui nec poſſit, neque opus ſit; vulnus abdominis ita conſuendum, ut in vulneris inferiore parte relinquatur orificium, quo pus expurgari poſſit, atque intra hoc orificium immittenda turunda, quæ intra ventriculi vulnus nequaquam ingredi debet, ſed ut ſaltem ad id perveniat ſufficit; eaque inungatur Balſamo Sulphuris, vel Peruviano, vel Unguento Aureo, vel Baſilicone, vel ſi digerendum plus ſit.

℞. Therebinthinæ Venet. ℥ß. Olei Hypericonis ℥i. Vitellum unius Ovi. Miſceantur pro Digeſtivo.

Alii hic laudant hoc Linimentum.

℞. Olei Maſtichini, Abietini an. ℥i. Thuris ʒii. Pulv. Rad. Tormentillæ, Conſolidæ an. ʒi. Croci ℈i. Lumbricorum Terreſtr. num. v. Vini Albi ℥ii. Coq. ad Vini conſumptionem, dein colentur pro Linimento.

Sed plurimum ad hujuſmodi vulnerum conſolidationem juvant aſſumpta, eò quod longam in ventriculo moram trahant; hinc & Decocta, & Electuaria in Vulneratis Inteſtinis laudata apprimè hic conducunt. Enimvero in pharmacis ore ſumendis, nec non in victu, præcipua curationis pars conſiſtit: quapropter parcè admodum comedere debet Patiens, ne ex cibi copia diſtendatur ventriculus, verum corrugatus maneat, ſicque facilius vulnus uniatur ac conglutinetur.

Si autem hujuſmodi Vulnus ſit cum ſubſtantiæ amiſſione, deſperatus plerumque eſt caſus. Uti & quum in orificio Ventriculi ſuperiore ſeu Stomacho plaga contigerit. At vulnus thoracis penetrans per ſeptum tranſverſum in ventriculi fundum, ejuſdemque curatio, videri poteſt apud Scultetum poſt Armam. Chir. Obſerv. 47.

XIII. Hepatis & Lienis Vulnera licet ut plurimum ſint lethalia, parva tamen & ſuperficiaria aliquandò ſanari ſolent; atque ideò Æger non eſt derelinquendus. Si ergò magnum ſit Abdominis vulnus, & per id viſcera hæc erumpant, quamprimum intromittenda, ne ab aëre alterentur, dein vulnus conſuendum, & in inferiore ejus parte orificium relinquendum, in quod turunda, ſupraſcriptis medicamentis inuncta, immittenda, & glutinatio naturæ committenda. Interea decumbat Vulneratus, quò diutius citra moleſtiam poteſt, ſupra partem vulneratam, quò facilius ad plagam materia feratur.

Cæterum ſollicitos nos eſſe oportet, ne inflammatio accedat, atque ideò revulſioni potiſſimum ſtudendum, tum per Venæſectionem in brachio, tum per Clyſteres Lenientes & Abſtergentes ſubindè injectos.

Hic quoque locum habent Decocta Vulneraria & Conglutinantia, Et ſi pus per urinæ viam Medicus obſervet, Diuretica iſtiuſmodi Decoctis addantur.

XIV. Si Renes Vulnerentur, attendendum, num effluat per plagam purum lotium, vel ſanguis ſeroſus: quoniam ſi non exeat talis materies, quin potius purus effundatur cruor, hujuſmodi vulnus ad ipſam Renum cavitatem non penetrare; verùm ſuperficietenus, hoc eſt, in parenchymate tantum Organa hæc ſaucia eſſe indicio eſt. Quo in caſu infundatur intra vulnus conſolidans aliquod medicamentum; puta Oleum Therebinthinæ calidum, vel Balſamum Sulphuris Therebinthinatum, vel Balſamum Peruvianum, vel Unguentum Sanctum, ab inſigni effectu ita appellatum, quod *Joh. Andr. à Cruce* in ſua Chirurgia ita deſcribit:

℞. Reſinæ Pini claræ & odoræ ℥xii. Therebinthinæ, Olei Laurini an. ℥ii. Gummi Elemi ℥ix. Fiat ex his. S. A. Unguentum.

Hoc facto, Abdominis plaga conſuatur, ac porrò conſolidetur, & Vulnus Renis naturæ relinquatur.

Atqui profundius quum ſit Renum Vulnus, ſic ut urina pura vel ſanguis ſeroſus egrediatur, tunc Abdominis plaga non conſuatur, ſed intrà eam per ſiphonem injiciatur calidum Vinum Rubrum Adſtringens, vel abſtergens & conſolidans Injectio, ex Radice Conſolidæ, Tormentillæ, Herbis Plantagine, Alchymilla, Hyperico, Roſis Rubris, Balauſtia, in Aqua Ferrata vel Vino Rubro Adſtringente decoctis; additis Melle Roſaceo & tantillo Spiritus Vini; ac dein vulneri imponatur aliquod Conſolidans Balſamum vel Unguentum, idque quotidie ſemel vel bis renovetur, uſque dum vulnus ſanatum ſit.

Patiens interim utatur Decocto Vulnerario ſimul & Diuretico, ex Radicibus Conſolidæ, Ariſtolochiæ Rotundæ, Glycyrrhyzæ, Herbis Althæa, Malva, Alchymilla, Sanicula, Hyperico, Fructibus Alkekengi, & ſimilibus, in Aqua Pura vel Ferrata decoctis, addito Syrupo Papaveris Rhæados vel Altheæ Fernelii, Pro potu ordinario bibat Ptiſanam, vel Emulſionem ex Hordeo Mundato, Semine Melonum, Cucumeris &c.

Quod ſi in hujuſmodi vulneribus ſupprimatur urina, ob ſanguinem grumefactum urinæ viam obſtruentem ac obturantum, ſumat Pa-

tiens mane & veſperi decem aut duodecim harum Pilularum;

♃. Therebinthinæ Venet. ad conſiſt. pilulat. coct. ℥j. Pulv. Troch. Alkekengi ʒii. Oculorum Cancrorum Crud. Cretæ Albæ an. ʒi. F. S. A. Pilulæ magnitudinis Cicerum.

XV. Quoad Veſicæ Urinariæ Vulnera: Ea quæ Fundo ejus ſunt inflicta rarò ſanantur, præſertim cùm urina in abdominis cavitatem continuò effluat. Quæ verò in Collo ſeu Cervice ſunt curari ſolent, haud ſecus ac vulnera pro extrahendis calculis à Lithotomis facta: & quidem pro eorum curatione eædem habendæ ſunt indicationis, ac in vulneribus Renum.

De Vulneribus Articulorum.

I. Sed & in brachiis & cruribus, præter Ea quæ in parte carnoſa contingunt, occurrunt Articulorum Vulnera; quæ peculiarem requirunt curandi methodum.

II. Eſt autem Articulus, ex Galeno lib. de oſſibus in principio, oſſium compoſitio ad voluntarium motum comparata, Quæ compoſitio fit ex duobus oſſibus, nec non ex ligamentis, tum orbiculari, tum tereti, oſſa hæc ita alligantibus, ut ſe mutuo contingant. Inſuper profundiores obtinet partes hæc conjunctio: etenim ſunt in Articulo tendines, ligamenta, venæ, arteriæ, nervi, &c. Hinc & hujuſmodi vulnera non modò curatu difficilia, ſed quoque periculoſa, imò lethalia nonnunquam obſervantur. Adhuc tamen periculoſiora ſunt, ſi Luxatio adſit. Neque enim ſine vitæ periculo Articulus tum reponi poteſt, ob dolores hujuſmodi vulnera perpetuò comitantes. Quapropter Prognoſtico ſe munire debet Medicus, ne apud vulgum malè audiat: aliàs enim ſi Articulum reponat, iſque repoſitus maneat, mortem adfert Ægrotanti, videturque non rarò ad exiguum vulnus mors ſequuta. Verùm de hiſce Libr. 5. latiùs ſumus dicturi.

III. Cæterum horum vulnerum alia ad Articuli cavitatem pertingunt, alia non. Quæ eouſque non perveniunt, dici poſſunt Vulnera ſupra Articulos facta, quoniam ad ipſam oſſium conjunctionem non penetrant: in quibus tamen ſi Tendines aut Nervi vulnerentur, curari debent ut vulnera nervorum, nervoſarumque partium: ſin Venæ aut Arteriæ ſaucientur, oportet talia vulnera tractare ut ſuo loco dictum eſt.

IV. Sola autem Ea cenſenda ſunt Articulorum Vulnera, quæ ad Articuli cavitatem deſcendunt, in quibus adeò conjunctionis ligamenta inciduntur. Hæc vulnera ut curentur, ab externi aëris injuriis probè ſunt defendenda; aëris quippe acrimonia acida vulneratis articulorum partibus nervoſis ſummoperè nocet. Labia quoque vulneris ad ſe invicem adducenda quidem; non tamen penitus, ſi profundior plaga ſit, ut ſanici, quæ tenuis ſimul & acris hic colligitur, exitus continuò pateat: deinceps eadem imponenda, quæ in nervorum, partiumque nervoſarum vulneribus conducere ſuo loco docuimus; inſuper & ſuperponatur, ac identidem renovetur Fomentatio calida, ex Abſinthio, Ruta, Scordio, Artemiſia, floribus Sambuci. Camomillæ, Roſis Rubris, &c. in Cereviſia aut Vino decoctis; vel ejus loco admoveatur Cataplaſma. v. gr.

♃. Pulv. Fol. Rutæ, Scordii, Flor. Camomillæ, Sambuci an. ℥i. Coctis in Cereviſia ad pultis conſiſtentiam add. Farinæ Sem. Lini, Fœnigræci an. ℥iß, althææ ℥i. Pulv. Croci ʒß. M. F. S. A. Cataplaſma.

Multum quoque refert, quod membrum ritè collocetur, ut ejus actio conſervetur, nec non dolor & humorum affluxus præcaveatur: propterea & Vena ſecanda, & totum corpus diligenter evacuandum, ut de nervorum, nervoſarumque partium vulneribus abundè dictum fuit.

V. Si ergò antica Humeri pars fuerit ſaucia, alæ complicatum aliquoties linteum ſubjiciatur, & aliquo involvatur, quod cubitum ſuſtineat, & caput humeri altius impellat: proprio enim pondere deorſum tractum humeri caput facit, ut vulnus tardius ſanetur. At ima pars quum vulnerata ſit, ſimulac coaluit plaga imperandum Ægro, ut brachium huc & illuc per intervalla moveat, ne, inducta cicatrice, læſio in motu contingat, quaſi obligato per cicatricem articulo; vel ipſo in articulo callus gignatur, liberum humeri motum in poſterum impediturus. Hiſtoriam verò vulneris ſclopeti in articulatione humeri cum ſcapula, ſanati, decem annos incolumi Ægro; à quibus oborto in eadem parte tumore, totum acromium corruptum volſellâ eductum fuit, tradit Marchette obſerv. 40.

VI. Sin Cubiti articulo inflictum ſit vulnus, brachium neque extenſum ſervandum, neque inflexum nimis; illa enim figura contractionem, ſanato vulnere, ſolet impedire; hæc liberam extenſionem; quocirca mediâ collocandum figurâ, quæ angulum obtuſum refert.

VII. At in Manu vulneratis Carpo, Digitorumque articulis, manus ſemiflexa eſt continenda, atque digiti non extendendi, ne inductâ cicatrice, rigidum permaneat hoc organum. Hiſtoriam quoque lectu dignam juvenis, cui morſu equi fuerit detruncatum tertium pollicis internodium, cum evulſione tendinis muſculi id flectentis, hocque ex voto ſanatum, refert Marchette obſerv. 62.

VIII. Sed Femoris articulus quum ſit ſaucius, ſupinus Æger decumbat, & idoneis pulvillis ac deligationibus caput iſtius oſſis ſuo in acetabulo contineatur; & dum cicatrix inducitur, Ægro imperandum, ut interdum huc atque illuc femur moveat, ne, inductâ cicatrice, motus læſio accidat.

Genu vulneratum rectâ figurâ eſt extendendum, & ità collocandum, ut claudicatio evitetur. Atque ſic de cæteris vulneratis articulis erit dicendum. *Joh. Munnicks in Chirurgiâ ad Praxin hodiernam adornata.*

De Globulorum extractione.

Si globulus oſſi impactus fuerit, quàm commodiſſimè fieri poterit, elevatorii apice in ipſum defixa extrahetur. Quòd ſi tam citò avelli nequeat, relinquendus eſt per aliquot dies, ſic enim per carnium ſuppurationem foramen grandius fiet, & os globulum minus arctè conſtringet; Neceſſarium interea fuerit illum

ſingulis diebus movere; & ſi fortè nimis adhæreat extremum remedium in variarum oſſis partium terebratione per trepanum pyramidalem, poſitum erit; ut ſic elevatorium intromitti poſſit quo & blandè concutiatur & extrahatur: Si verò globulùs parvus ſit atque medio tibiæ oſſi, aut coſtæ, aut ſterno, aut cuipiam è cranii oſſibus, defixus, terebrandum foret prædictum os, trepano ſic poſito ut ipſius cavitatis medium globulus occupet, ut ſic unà cum oſſis fruſtulo aufferatur. Quòd globulus articulationis cujuſpiam v. g. tibiæ cum femore, medium penetret, quàm blandè fieri poterit, ab una parte femur ab alia tibia trahetur, ut ſic ligamenta & tendines, qui articulationem conſtringunt dilatentur; ſic ſpatium inter oſſa ſit laxius, itaut parvo adhibito forcipe cujus extrema in cochlearis formam ſint excavata, facilè apprehendatur & extrahatur; ſed ſi metus ſit ne ſic nimius procreetur dolor, curandum genu flectatur, ſic enim oſſa magis ad invicem accedentia, globulum & comprimunt & ad extra propellunt, unde ſimplici facta inciſione facilè excutitur. Verùm ſi globulus vi ſua os quaſi cotriverit & in plures particulas diſcerpſerit, interque illas vel permanſerit, vel ulteriùs progreſſus ponè ipſas tantùm conſtiterit, tutiſſimum fuerit vulnus dilatare quantùm pars affecta permiſerit, ſive per ſui ingreſſum, ſive per exitum, ſi adfuerit; eodemque momento adhibitis digitis, vel alio inſtrumento apto exquirendæ veniunt particulæ oſſis à ſuo toto ſeparatæ, eademque via globulus, ſi in vulnere remanſerit, ut omnia, quàm blandè fieri poterit, eximantur; & ſi grandiores aliquæ reperiantur ſchidiæ, quæ aut toti ſuo, aut perioſtio, aut ligamentis adhæreant, vi non ſunt eximendæ, ne ſic magnus dolor & etiam convulſio accerſatur, è contra oportet eas toti ſuo reaptare; ſæpius enim natura eas foràs eliminat ſine ullo dolore, in ipſo ſuppurationis negotio, aut per ſe ſeparantur, dum novæ excreſcunt carnes quæ ipſas ad exteriora propellunt, aut in ſubſequentibus, parti readunantur, eique ſuſtinendæ inſerviunt.

De extractione globuli plumbei per ſex annos circa linguam hærentis, & loquelam gravem facientis hiſtoriam ſcribit *Celeberr. Jobus à Meek'ren* quam hic legere commodum fuerit.

Operatio eſt Chirurgica & antiqua, & nota, balbutientium linguam ponderum appropriatorum ope deprimere, quo tardius loqui adſueſcant.

Actio contraria nobis in Noſocomio noſtro obvenit. *Franciſcus Wouters*, miles, antè ſexennium globulum ſclopetarium linguâ receperat, vulnere à nucha ad locum dictum penetrante, unde gravis ipſi adeò loquela, ut non niſi longo tempore ſententiam aliquam proferre valeret.

Hujus (ſiquidem poſſibile) quo curatio inſtitueretur, præmiſsâ purgatione commodâ, venæſectioneque inſtitutâ largiore, ſiniſtrâ manu, linteo munita (quo firmior certiorque apprehenſio) linguam apprehendimus, mox eo loco ubi globulus hærebat, dextrâ ſcil. linguæ parte, eâque ad poſtica vergente ſectionem inſtituimus, foramine facto, cyſtique, cui incluſus globulus, diſſectâ, beneficio inſtrumenti incurvati, commodi, ſenſim globum extraximus.

Sanguinis ad fluxum cohibendum, vulneriſque ad mundificationem collutio hæc præſcripta.

♃. Fol. Plantaginis, Agrimoniæ, Violar. Acetoſæ an. M. j. Flor. Roſar. rubr. M. ß. Bauſt. ʒ ij. Nuc. Gallar. ʒß. Coquantur in Aq. hord. Colat. ℥ v. adde Mell. Roſ. ℥ j. Ol. Vitrio. g. 4. M.

Collutione inſtitutâ linctus hic uſurpatus.

♃. Syrup. de Symph. Fernel. ℥ j. Violar. Mell. Roſar. an. ℥ß. M. F. Linctus.

Et horum ſolo uſu ſex ſeptemvè dierum ſpatio integrè æger hic curatus, debitaque gratiarum actione habitâ, diſceſſit.

De facili Curatione Vulnerum ſimplicium.

Modum facilem curandi ſimplicia vulnera hîc apponere mihi liceat, ad Medicinæ Tyrones erudiendos, qui ſequens eſt à me pluries feliciter expertus. Vulnera igitur manè & veſperi vinô albô generoſô priùs mundifico, poſtea oleum hypericonis vulneri appono, & ſic hôc facili remediô ſimplicia vulnera citò certâque methodô ſana reddo. Et elapſis diebus vulnus ſimplex ſanatum vidi ſolâ inſperſione pulveris tabaci. *Ex communicatione Viri Præclariſſ. Dom. Joſephi Lanzoni.*

Joſephi Lanzoni Med. Ferrar. Remedia Varia experta ad vulnera ſimplicia ſananda.

Primò; Solum vinum calidè appoſitum pluries expertus fui multæ eſſe efficaciæ ad vulnera ſimplicia curanda. Secundò, Pulvere tabaci inſperſo militem vulnera ſanare retulit expertus; Tertiò, Aquam vitæ, oleum Hipperic., oleum vitel. ovorum, oleum Terebinth., & oleum Abietinum multæ eſſe efficaciæ ad vulnera conſolidanda probavi ſæpè in Praxi Medica facienda; imò aquam communem non ſolùm ſanguinem ſiſtere, ſed etiam vulnera ſimplicia quoque conſolidare experientia me docuit; Quartò, Sequenti unguento fæliciter multi utuntur Chirurgi; nempe

♃. Terebinthinæ lotæ in aq. ſalviæ ℥ß. Mellis roſat. ſimpl. ʒ iij. Farin. hord. ʒ ij. Aloës ſuccotrin. ʒ iij. Pulv. ſang. dracon. in lacrima ʒ j. m. f. Unguentum S. A.; Quintò. Balſamum ſulphuris ad vulnera ſananda commendant multi ſic edocti à Mart. Rulando; hocque probavit miles, & ſanatus eſt. Sextò, Pulverem vitrioli romani rubificati non tantùm hæmorragias ſiſtere, ſed etiam vulnera conſolidare, expertus nuper fui in Adoleſcente, ab alio in brachio dextro vulnerato. Septimò, Herbam millefolium dictam contuſam cum vino generoſo apoſitam brevi curaſſe vulnus, Chirurgus Amicus meus fide dignus mihi retulit; quod etiam in Ruſtico ego fæliciter expertus nuper fui.

Joſephi Lanzoni Obſervatio de remedio ad Vulnera ad Dominum Doctorem J. Jac. Mangetum Amicum Colendiſſimum.

Primos duos tomos Bibliothecæ tuæ Practicæ diligentiſſimè collectæ, ac utiliſſimè publici juris factæ, rite accepi; & quia ab humaniſſimis tuis mihi ſcriptis, intellexi nunc quartum tomum

mum ſub typo exiſtere, antequam ad umbilicum perducatur egregium tale opus; mihi liceat tibi tranſmittere ſequentem formulam Balſami, qui intrâ hor. 24. omnia ſimplicia vulnera ſanat

℞. Olei Veteris olivar. ℥ iij. Terebinth. Venet. ℥ v. Flor. Hiperic. ℥ i ß. Thuris elect. ℥ j. Sang. dracon. in lacrim. ʒ iij. Ol. Abietini ℥ j. Flor. Nicotian. pug. ij. M. omnia hæc ſimul, ſuperinfundendo tantum Vini Malvatici, ut omnia ſubmergantur; & ſtent per triduum in infuſione; poſtea coquantur ad vini conſumptionem, inde forti facta S. A. expreſſione, reponatur Balſam. in Vaſe ad uſum.

Ad faciliter incarnanda Vulnera, & Ulcera.

℞. Pulv. Maſticis, Myrrhæ, Incenſ. an. ℈ j. Ol. Terebinth. Ceræ, ex vitel. ovor. an. ℈ ij. Unguent. de Betonic. ℥ iij. Spir. Vini optim. ℥ j. M. F. S. A. Unguentum.

Obſervatio de Obſervatione circa vulnera capitis.

Obſervandum fuit, inquit *Clariſſ. Dn. Joh. Jacob. Waldſcmidtius in not. ad Barbet. Chirurg.*, omnes in capite graviter vulneratos, ſi lumen, vel candelam ferre non potuerunt, fuiſſe mortuos; quod idem ego pluries expertus fui, imò hoc tanquam ſigno lætalitatis ipſius vulneris nunc utor. *Ex ejuſdem Viri Clariſſ. communicatione.*

Conſultatio.

De Vulnere Capitis.

Juvenis 27. annorum, Temperamenti ſanguinei, è bello redux, aëris frigidi, laboribus & aliis vitæ militaris incommodis aduetus, habitûs ſucci pleni, cum familiaribus aliquot ſociis vino & tabaco litat. Poſt paſtum largiorem cum adſidentibus aliis, non minus ac ipſe, ebriis, inter pocula lites ipſi moventur, à verbis ad verbera devenientibus rixantibus. Ipſe verò ligneo duriori baculo, è ſcamno petito, tribus circiter plagis in caput verberatur, quarum una ſiniſtro bregmatis latere per pericranium ad calvariam uſque pertingit, Corruit ſtatim cum ſtupore, excitatus verò domum portatur, adſcripto ebrietati ſomnolento torpore, emplaſtro ſtiꝗico deligato vulnere, Manè excuſſâ licet vinolentiâ, pro temporis ratione non evigilat tamen, ſed excitatus mox in ſomnum relabitur, nec ad quæſita debito modo reſpondet, quin inter quietem iſtam ſubinde pavet & concutitur. Queritur geſtibus de dolore graviori, ſequenti tempore etiam de vertigine. Alvus non reſpondet, nec urina etiam primo tempore, Parentes petunt conſilium.

Reſolutio.

Ut in foro nunquam jus dicitur, causâ prius non cognitâ; Sic etiam morbo æger abſolvi minus poteſt, caſu & circumſtantiis ejusdem haut probè perſpectis.

Laborat autem hic Noſter Vulnere Capitis, primo intuitu & ex malè æſtimato levi & parvi habendo, virtute verò ſeu effectu ſat gravi, gravibus itidem ſymptomatibus ſtipato, quæ non maturè curata vel extirpata lethalitatem ſæpius inducunt.

Affectus ergò hic non ſimplex eſt; ſolo curando vulnere, quà tali, ſed complicatus cum contuſione, quæ hîc potiſſimam abſolvit paginam. Quamvis verò prius illud ſatis conſtet, ut tamen de genuinâ affectûs naturâ nullum reſtet dubium, nec more vulgi minus æſtimemus & negligendo morbum graviorem reddamus, patet.

I. Ex eſſentialiter inhærenti, ſeu ſigno pathognomonico, læſione manifeſtâ externâ, corporis duri & obtuſi ad durum alterum factâ colliſione violentâ, unde ſiniſtro bregmatis latere pericranium ad calvariam uſque manifeſto hiatu diviſum eſt, quamvis nec reliqua verbera inefficacia fuiſſe ſtatuenda ſint.

Confirmant id II. Eſſentialiter conſequentia, ut vocant, ſeu ſymptomata varii generis. Adſunt enim in actionibus læſis animalibus ſenſus ac motus ἀῤῥωςία, quam ſatis ſuperque indicant prolapſus ad terram ſubitaneus, ſtupor omnimodus, impotentia eundi, torpor ſomnolentus, loquendi difficultas, concuſſio & pavor inter quietem, dolor intensè gravis, ſuccedente etiam tempore vertigo. In excretis & retentis alvi & urinæ excretio ceſſans.

III. Cauſæ prægreſſæ etiam conſentiunt, tum violentia externa lædens, tum modificantes ejus effectum errores in uſu rerum ſex non naturalium, largior præſertim cibus ac potus, motusq; tum corporis, tum irâ concitati excedens, quorum cum aliis poſteà fuſior erit recenſio: ita tamen ut non ebrietati adſcribamus, quod extraneo violento debetur.

IV. His adjungi poteſt Similitudo, non tam quoad evidentem læſionem ſeu vulnus, quàm ejus intimiorem ambitum, comparato ægro & ad alios ſimiliter affectos, qui à Medicis & Chirurgis habiti ſunt in graviùs læſorum numero; & ad ſeipſum, quod homo cæteroquin ſanus & robuſtus è veſtigio, præviis repetitis plagis, in animali facultate ſentit læſiones.

Subjectum primarium, ſeu πρῶτον πάσχον, reſpectu læſionis fientis, & vulneris ſunt partes extimæ continentes, tum molles cutaceæ & membranoſæ, nominatim pericranium & perioſtium, tum duræ oſſeæ, cranium ipſum ab illis cinctum.

Hoc verò colliſum hîc minus fiſſuram patitur, ictu non tam duro exiſtente, ut oſſeum hunc fornicem perrumperet; capitis enim ſphæra, verbis *Dom. Præſidis Ephemer. Germ. Ann. 3. obſerv. 71.* non æque fracturæ patet, quia ipſius figura rotunda eſt perfectiſſima, quæ ubique ſe ſuſtinet, & contra externarum injuriarum impetum particulis & nexibus quaſi concatenatis armat, nullibi facilè admittens aditum.

Subjectum adæquatum, quod ſymptomatum meritò dixeris, æſtimandæ veniunt partes totius peripheriæ capitis, & præcipuè ſimul intra poſitæ. Iſtæ autem ſunt utræque meninges, quarum una cavitates cranii ſuccingit, extima & robuſtior, quam duram matrem appellant vulgò, altera intimior, corticem cerebri immediatè inveſtiens & cerebrum. Compati hoc

neceſſum habet per conſenſum & concuſſionem, qualicunque etiam & ad ſenſum nullâ cranii factâ læſione, cui dicta ſymptomata non æque ac cerebro ipſi coafflicto adſcribi debent. Id quod patet tum à priori, ſiquidem poris ibidem compreſſis ſpirituum limites cohibentur, tum à poſteriori, quatenus actionum animalium in ſenſu & motu facta eſt interpolatio. Reſpectu verò contuſionis & læſionis factæ ipſæ hæ partes contentæ pro principali ſunt habendæ parte affectâ.

Cauſa immediata vulneris ipſius eſt ſoluta unitas recens & cruenta; ipſius verò contuſionis, tanquam potioris, dicto ſenſu acceptæ, cauſa imediata aſſignanda venit,noſtro judicio, confuſio & inordinatio ſpirituum animalium.

Mediata proximior videtur quidem primâ fronte ſtatuenda contuſio ab inſtrumento duro, gravi atque obtuſo, ipſi cranio & pericranio illata; Sed cùm hæc cauſa agere ceſſet, neque niſi inutilem indicationem præbeat, rectiùs nobis dicetur circulatio ſanguinis & lymphæ læſa, cedentibus partibus mollibus torci ac repetito ictui, & ab illâ violentiâ actu diviſis.

Hoc ipſo innuitur humor, quoad eſſentiam ſanguis & lympha; ille in vaſis magis, hæc in poris, ac ventriculis undulans, & largius præ ſanguine hîc loci viſenda.

Peccant, ab extraneâ quidem illâ læſione, corpore alioqui ſatis ſano & athletico, imprimis affecta, quantitate, quòd in corpore plethorico concipere facile eſt, largiùs ſic etiam in cerebrum redundantes. Ob victum enim pleniorem adaucti per rivulos vaſorum turgidulos non tàm liberè vagantur, impeditis & debilitatis hinc ſpiritibus.

Excedunt in qualitate, tum læsâ facultate, tum ab errore externo, Læſa fuit facultas ab unitate & conformatione læſis, unde & temperiem nativam tutari nequeunt, ſed alterantur, &, ϛάσις ſi concedatur, vappeſcunt, in pus ipſum abituri, acrimoniam concipiunt. Error externus, non minus in confeſſo eſt, ebrietate velut geminatâ præcedente, undè & per ſe jam confuſi fuêre ſpiritus, ac lymphæ halituoſæ immerſi, adeoque totius naturæ torpor & ἀτἐξία promptius conſecuta.

Multum huc faciunt particulæ indigeſtæ ac reſpectu tum cerebri, tum ſui ipſius improportionatæ, cum ſanguine advectæ, blandamque ejus dulcedinem pervertentes, ſpiritus ſulphure vaporoſo ligantes, agilitatemque eorundem figentes, ut duplici hâc clade de ſtatione ſuâ dejiciantur.

Peccant imprimis Motu generationis & locali. Extra locum affectum genitæ & congeſtæ cruditates ex chylo vitioſo in ventris infimi culinis hinc amandatæ ſunt ad caput læſum debiliuſque redditum, hinc tantò magis affectum, & ad recipiendum aptum redditum, convocatis huc quibuſcunque aliis noxis, quæ promptè in laticem, vectorem ſpirituum, & ſpiritus ipſos derivantur.

In loco affecto ipſo, oſſe, tam firmo licet, injuriam paſſo, à concuſſione productâ per poros, & continuatâ per mobiles ſpiritus, ipſumque aerem facta fuit confuſio, obſtructio, ſubſidentia, imò, quòd admodum credibile eſt, extravaſatio lymphæ & ſanguinis ipſius. Quantas verò noxas horum extravaſatio, grumeſcentia & corruptio non impedita parturiat, in aprico eſt. Poſſumus itaque; & hîc applicare reliqua hujus commatis. Appulſu continuato per vaſa arterioſa carotica, non recipitur in poros & vaſa reciprocè humor mobilis uterque, ſed fit συγχϑροισμὸς & ϛάσις, tantò gravior, quod extravaſatus humor hîc inveniat ſpatium amplum ſatis. Viæ ſunt tum jam laudatæ patulæ, tum pori, notum enim eſt, quovis duro percuſſo corpore propagari impetum per totum, & tanquam cum ſono, aëris verberati indice, labem intrò ferri.

Nunc ad cauſas mediatas remotiores pergendum erit, quæ quidem hoc loco non ad producendam cauſam morbificam, modificandum tamen morbum & ſymptomata faciunt.

Ex Naturalium numero habitus corporis licet ſucciplenus & ſic optimus videatur, ſpecioſus tamen ſaltem & ſuſpectus haberi debet, in ò juxta 1. *Aphor.* 3. periculoſus, inſtabilis, quia hujuſmodi corpus ſuis viribus oneratum eſt; ad ſanitatis læſæ præſidia minus aptum. Adde, quòd à vi externâ quoque ruptio vaſorum, profluvium hinc ſanguinis & virium jactura major faciliùs contingere potuit.

Conſentit temperamentum ſanguineum, quod ut particulis oleoſis, balſamicis, aqueis roſcidiſve æqualiter ſat imprægnatum; ſic idem tantò præſentius vitium concipit, in membro principali læſione inductâ. Ubi enim abundant humores, ſi lædantur, tantò magis vitiantur, unde ſpiritus eò facilius immergi potuêre vehiculis hiſce. Videtur verò & hæc craſis in Cholericum ſtatum proclivis, unde in jurgia pronitas occurrit.

Ætas, media ac ſatis florida, nimis tamen, ut fit, ſibi fidens ac licentioſè vivens fervore ſuo nimium audaci ſimilem fortunam ſiniſtram acceſſivit.

Nec prætereundum vitæ genus, quod grave martis onus ſuſtinuit, hactenus, ita, ut rerum ſex nonnaturalium abuſu, vel ſaltim indifferenti uſu, non habito reſpectu, an rectè, vel perperam fiat, natura quaſi altera inducta ſit, injuriiſque; occaleſcere viſa externis eaſdem vix præſentiverit, Ferri ſolent iſta à naturâ per ætatem & bonitatem fortiori, aſt, quando hinc impetitur corpus ſemel, dilatæ quaſi illuc noxæ præſentiori gradu ſe exerunt. Aëris quippe, nebuloſi præcipuè, frigidi, particulis heterogeneis fœti, ventorum, pluviarumque incommoda plura multùm ad infirmandos ſuccos vitales contulêre, cùm inſpiratione, tum tranſpiratione mediante, quod ἀδιαπνυϛίας malum, habitioribus non infrequens, archeo ſimul pœnas inflixit quò magè tacitas, eò pòſt graviores, ſicubi per læſionem externam evigilârunt.

Quid verò de erroribus aliis dicemus, qui non minus culpandi veniunt? Cibus & potus nimium ingurgitatus, vini & tabaci contrarius hauſtus ſulphure ſuo narcotico cerebris oras percellere norunt ac ſtupefacere, undè gas ſuo fuliginoſo ſpirituum undas inquinant, poroſque obſtruunt, ut graviores hæ longè ſint æſtimandæ plagæ, vino turbatis ſpiritibus inflictæ, cum ſic minùs eluctari vel reſiſtere norint, ſed labaſcant magis & obnubilentur cùm animales, tum vitales.

Tace-

Tacemus, negligentiùs omninò hinc tractari vulnera, non attendente ægro, vel cavente ſibi maturè, non adſtantibus & ipſis ebriis, aut ebrietati adſcribentibus graviorem ſoporem; Unde obſervati ſunt ſatis ceſſiſſe, qui, non admodum graviter vulnerati in capite, aëri frigido expoſiti incuriâ & propria & alienâ anſam dedere humorum ϛάσει majori, ac coagulo.

Motus Animi in mentem nobis vocant, quàm periculoſum ſit, & naturæ inconveniens, ſi ab uno extremo ad alterum fiat progreſſus, citra decentem mediationem. Irâ efferati ſpiritus & citati vulnere facto oppreſſi ſunt. Ira ultionis cupidine inflata, omnium affectuum, juxta *Gasſendum*, congeſtio eſt, & juxta Poëtam furor brevis, unde definitur: θυμὸς ζέσις ἐςὶ τ̃ περὶ τὴν καρδίαν θερμȣ̃, ira eſt fermentatio calidi circa cor; Flamma vitalis ſic efferatur, commovetur, & accenditur. Vehemens hæc mutatio, verba ſunt *Hoffmanni l. de ſpiritib. cap. 2. pag.* 89 puta in pulſu, in calore, in aliis non eſt, niſi à reciprocatione ſpirituum cum ſanguine. Nihil ſub ſole eſt, quod ita moveat humores, quàm ira. Et videmus, quid accidat tandem iratis, præcipuè ſi ſubitò comedant, bibant, laborent, antequam motus humorum ſedatus ſit. Hinc & plura mala inde orta paſſim legas, uti & *Williſius* convulſiones horrificas, inſultuſque epilepticos ab irâ notavit, *Pathol. cerebr. cap. 1. p. m.* 12. Confer. *Galenus lib. de cognoſc. anim. morb. cap.* 4.

Omne tandem abſolvit punctum ex Præternaturalium Claſſe percuſſio repetita violenta, in fornicem capitis facta, unde quaſſato eodem ſequentia ſymptomata, ſuperius ſignorum loco recenſita, orta fuêre, rationem ſui jam poſtulantia.

1. *Corruit ſtatim cum ſtupore*, ceſſante ad tempus influxu ſpirituum animalium confuſorum plenario in partes infra caput poſitas, undè non libratum ſpiritibus portitoribus corpus mole ſuâ ruit. Concipi id & conferri poteſt cum fornice vel etiam faſtigio ædium, quæ fulmine tacta omnimodum harum collapſum minantur.

2. *Somnolentus adeſt torpor & continua in ſomnum propenſio*: Poſitâ enim hâc ſpirituum debilitate, poris item cerebri à lymphâ ſtagnante obſtructis, fieri aliter haud potuit, quin ſulphure vaporoſo accedente ſomni hæc ſpecies p. n. mortis imago, inducta fuerit, phoſphoro animali obſcurato; quemadmodum ſpiritu mundi ſolari abſente ſublunaria quæque induunt torporem, & tenebræ ingruunt horrendæ.

3. *Ad quæſita debito modo non reſpondet*, ob eccentricitatem aliquam mentis à motore erroneo inductam, quare cùm irradiatio ſpirituum rectorum vacillet, non tàm linguæ uſus depravatur & difficilis redditur, quàm conceptuum imminuta formatio; ut videmus, horologium, exorbitante aliquâ rotulâ, horas nunc ſonitu, nunc gnomone ſolùm perversè ſæpè metiri.

4. *Inter quietem ſubinde pavet & concutitur*; ob irritationem meningum, in fibras uſque nerveas, delicatiſſimi ſensûs, ſpiritibus non blandè undulantibus, & acrimoniâ vellicante muſculoſarum partium vibratâ, ut chorda ſolet uno extremo compulſa ad alterum uſque motitari.

5. *Queritur geſtibus de dolore graviori*; orto nimirum à violentâ nimis impreſſione in fibrillas membranoſas, quæ nimis vellicatæ graviorem edunt moleſtiam, ab indice animi ſat oſtenſam, depoſitâ jam omni ebrietatis & ναρκώσεως larvâ. Et hic ſanè videtur morbi meridies, eò ardentior, quò nebuloſo magis vapore abacto dolorû faces hiantia jam intervalla adurunt.

6. *Vertiginem etiam ſequenti tempore patitur*; tum ob poſitivam cauſam; ab effluviis halituoſis cum ſpiritibus animalibus ſociatis quibus irretiti ἀταξίαν & inordinationem ſubeunt; tum privativam, ſeu defectum eorundem, & deperditum vigorem, unde nutantes ipſi corpus æquali influxu irradiare nequeunt.

7. *Neque tandem alvus reſpondet*, & quidem culpâ archei, actionibus ut in totâ corporis œconomiâ; ita ſecretioni inutilium non rite invigilantis, ductibus inteſtinalibus & veſicæ pigre commonitis commotiſque; Non aliter, ac, quod mechanicè contingit in machinâ hydraulicâ, læſione factâ rotarum, affabrè aliàs ſibi inhærentium, unde per cœtera vaſa & tubos minus promoventur, eò quod primo impulſu deſtituantur. Eadem ratio eſt urinæ, quæ non promptè redditur, etiam ob id, quòd mens laboret, neque ſatis ſtimulum illum ſentiat.

Perſpectis huc uſque ſatis, quæ ad Theoriam faciunt, inſtituenda jam erit Prognoſis ſalutis & Mortis, quæ dubia & periculoſa ſatis primâ fronte apparet. Morbus eſt magnus ratione eſſentiæ, contuſio graviſſima præ cœteris eò pejor, quò majorem incuſſionem corpori factam notat; magnus intuitu remotioris à ſtatu naturali diſpoſitionis & ſymptomatum, magnus ratione partis affectæ principalis. Non ſolùm illud vulnus eſt κακὸν ſeu θανατῶδες, quod ad cerebrum ipſum pertingit, elogio 6. *Aphor.* 18. ſed &, quod concutere nimis ipſum & incolas, vitæ autores, peſſundare poteſt. Attamen benè ſperare jubent ætas adhuc florida, naturæ robur, febris & vomitus bilioſi abſentia, quæ gravius affectum per vulnera cerebrum conſequuntur; 6. *Aphor.* 50. aëre ſimul regionis noſtræ temperato benignius adſpirante; & quod palmarium eſt, legitima, ſi à Deo abierimus, vulneris tractatio. Niſi enim id fiat, & æger curatiſſimè morem gerat; timenda eſt inflammatio, phrenitis, ſanies, abſceſſus, corruptio cerebri fœda, & oriunda exinde ſymptomata, febris, vigiliæ, delirium, horrores; ſuperiorum æſtus, vomitus, ciborum faſtidium, mors.

Neque ſic longior affectus noſter metuendus erit, ſi, poſito Medici & ægri æquali concurſu, in tempore ac debito modo tractetur, ſymptomata ulteriùs præcaveantur, leviora quæ videntur, non flocci ſiant, ſiquidem, quod *Hippocrates* monet, nullum capitis vulnus leviter contemni vel negligi debet.

His demum obſervatis Modum eventus ſalutarem certò ſperamus per diſcuſſionem materiæ morbificæ collectæ, ſpirituum &, naturâ duce, humorum animalium reductionem ad priorem ſtatum, licet debilitatem quandam capitis ad functiones ordinarias conſecuturam timendum ſit, ad aëris mutationem, erroreſque diætæ cumprimis manifeſtandam.

Morbi ac ſignorum indole jam prævisâ Curatio nunc eò facilior & felicior, i. e. methodica, ſuſcipienda eſt; tribus innixa Indicationibus, quibus fragile corpus reſtitui firmiter poteſt.

Cu-

Curatoria morbi ipſius & ſymptomatum urgentium curam habet, vulneri, dolori, ſtupori, ſomnolentiæ proſpiciens.

Præſervatoria cauſas reſpicit continentem & foventes, humores extrà ſphæram activitatis ſuæ abiturientes, ſic enim tutò agere abſque inſidiis timendis licet.

Vitalis viribus animalibus & vitalibus partiumque & ſpirituum tono proſpicit, per confortantia nervina & analeptica.

Singulis hiſce indicata ſubeniunt præſidia, Chirurgica, Pharmaceutica, Diætetica.

Primo loco Fons Chirurgicus ſe ſiſtit, duplicis generis præſidia exhibens, propria & communia. Hæc vulnus & contuſionem ſpectant proximiùs; illa mediatè, ad ſanguinis & lymphæ circulum habito reſpectu.

Explorato igitur probè vulneri, quod ſimplex ſit citra ullam cranii fracturam, quod cum contuſione inſigni, capillis ſuo loco abraſis, duplici ſolet ſuccurri modo, vel ſtuppâ cannabinâ, albumine ovorum imbutâ, replendo hiatum ad hujus aliquam diductionem, ſiſtendam hæmorrhagiam & arcendum affluxum; quem in finem & pulvis ſtegnotico-cephalicus ex flor. beton. balauſt. ſpicâ Indicâ, ſuccino, maſtiche ſtuppæ jam dictæ adſpergi vel per ſe immitti poteſt, patulis jam ad cranium viis; vel ſolùm, deterſo priùs ſanguine, Emplaſtr. ſticticum, opoteldoch, vel de betonicâ, de gummi hederæ Al. Benedicti, ab *Heerio* deſcriptum *Obſerv.* 21. *pag.* 250. imponi. Partes autem vicinæ oleo roſaceo, myrtino, caſtorino illini poſſunt ad defenſionem majorem.

Hinc pars læſa fovenda diligenter ſacculis, conſutis ex ſpeciebus cephalicis, (quas inferiùs deſcribimus,) cum vino coctis, ſingulis horis alternandis; faſciâ deſuper poſitâ, ut probè hæc contineantur. Cumque in vulneribus cum contuſione ſanguis extravaſetur, qui in pus abit ſenſim è poris ichoreſcens, hinc aptandum ad conſolidationem vulnus eſt etiam digeſtivis, quantùm quidem partis conſtitutio admittit; quo nomine Unguentum digeſtivum ex Terebinthinâ, aq. beton. lotâ & vitello ovi, tanquam baſi, parari poteſt, additis pro lubitu thuris ac myrrhæ parum, cum gr. i. vel altero camphoræ, linteis conceptis cranio ſubſtratis, adhibendum.

Tacemus ſplenia pro faſciatione ſublevandâ, & quod ab aëre ext. inſeco, à frigido, probè defendendum ſit vulnus, fovendum ſi quod aliud, argumento 5. *Aphor.* 22. ut archëus partialis vigorem ſuum recuperet, ſine ulteriori phlegmone & affluxu. Eadem hæc ſunt ſimul mundificantia & detergentia, quæ cum illis maximè cognata volatili blando conſtant, temperata, nervina, balſamica, quotidianâ deligatione, & repetitâ quidem, purè exterſo. Olea verò abſint, nec huc quadrant facilè, ſordidum reddentia vulnus, niſi forſan balſamum de Peru, vel de Capaiba, nervinum aliis miſcendum videatur.

Neque opus eſt ſeorſim mundato ulceri adhibere ſarcotica; ſatis eſt, naturam ſic adjutam ſtaminibus fibroſis γλισχρῷ vitali ſuccurrere, interventu liquoris nutritii partem divulſam reunire, ut ita, fibris coarctatis, coalitus perfectus fiat, & cicatriſatione demum vulnus ſigilletur tempore legitimo, quam *Scultet. Armam. Chir. p.* 1. *p. m.* 42. cerato divino aut filamentis aridis abſolvit.

Nec verò ullum indicans gravius, qualiſmodi ſuperiùs in Prognoſi citavimus, videtur h. l. majora præſidia efflagitare v. g. ſcalpra, modiolos, trepana, pro cutis, pericranii, calvariæ ipſius ſolutione, cùm non ſolùm noſtræ huic, ſeu graviori etiam capitis læſioni ſatisfaciant ſuperius dicta, imprimis fomenta. Teſtaturque id hodiè accuratior experientia, imprimis *Dom. Præſidis*, qui hujusmodi fotus, tanquam εὐπορίστους & ut unicè neceſſarios, ita proficuos ſæpius expertus eſt citra ullam trepanationem. Si enim his ipſis optimis præſidiis diſcutiamus humores ſubſiſtentes, ut, naturâ ſibi vias inveniente, recipiantur in vaſa, mittantur in loca excretioni apta, exhalent, adeòque in ichorem purulentum non faceſſant, nec opus eſt trepano, pro ejus eductione. Confirmat idem præter alios *Roonhuyſius p.* 2. *obſerv.* 1. & *ſeq.* aſſerens, ſe pluries in contuſione cum & ſine fracturâ fotus hoſce ſummè probatos inveniſſe; & magis ferè, ac ipſum trepani uſum, ſimili huic malo eâdem medicinâ factâ; & citat prætereà alios ἀξιοπίστους, fide digniſſimos, *Foreſtum, Lanfranc. Vid. Vidium*, multis rationibus pugnantem contra ipſum trepani uſum, *expoſ. in lib. Hippocr. de cap. vulner.*

Conſultiùs ſæpe operationes talismodi, utut aliàs ſatis proficuæ, cœteris paribus, & in ægro noſtro, omittuntur, quàm cum parentum diſſenſu, ægri periculo, medici moleſtiâ in uſum vocantur.

Inter communia præſidia memorari digniſſima eſt Venæſectio, quæ pro præſtandâ revulſione neceſſaria eſt, ut parte demptâ exundans ſanguis invitetur promptius in vaſa, & à naturâ etiam ſubigi ac disjici poſſit magis, neque febrile μίασμα concipiatur. Educatur ſanguis maturè ad ℥ij. iij. vel paulò plus, ad εὐφορίαν, è ſaphænâ vel cephalicâ pedis. Alibi enim citatiori urgente ſic fluxu affluxus ſanguinis p. n. præcavetur & corrigitur.

Venæſectionis vicariæ eſſe queunt Cucurbitulæ, in ſequens tempus cum ſcarificatione ſcapulis & brachiis adhibendæ, pro ciendis & evacuadis, quibus æger ſcatet, humoribus extraneis, ſubcutaneis, parti vicinæ læſæ nocituris.

Frictiones quoque in plantis pedum & extremis reliquis uſu non carebunt, quæ, excitatis unà viribus archéi ſomno vinoque ſepulti, ςάσιν humorum removeant rarefactaſque fuligines per poros hinc inde excutiant, ita tamen, ne diſcuſſione ſeri factâ per motum hunc intendatur ſanguinis calor, & affluxus ad partem debilem concitetur, ſed arceatur potiùs longius.

Sin urgeat ſeri ςάσις & debilitas organi ſenſuum, ſucceſſu temporis, pro re natâ, alia quoque remedia ſuadenda fuerint, quæ ſero eliminando & coërcendo in ſpecie vacant, ut ſunt Veſicantia & Setaceum, in nuchâ, Fonticulus, in brachio vel pede adhibendus.

Primum hunc Fontem alter Pharmaceuticus excipit, non ſolùm Chirurgiæ ſuggerens neceſſaria ſubſidia, ſed ipſe quoque primario fine frequentandus, unde è ſingulis hujus loculis luſtratis mutuabimur neceſſaria.

Lenientia obſtructionem primarum viarum ſeu alvi, in vulneribus capitis tàm frequentem,

quàm

quàm valdè noxiam, expediunt. Admonent hæc archeum ſui officii, revellunt, & aliis medicamentis aditum apparant, feliciùs ſic operaturis. Imò ob alvum ceſſantem omninò indicantur, quam in rem laudabimus ſequentia:

♃. Rad. pœon. ſcorzon. an. ℥ ij. ſumm. cent. min. flor. bellid. a. p. ij. 4. cordial. a. p. j. ſenn. Alex. ſ. ſt. ℥ß. rhabarb. elect. ʒ ij. ſchœnanth. ʒß. cryſtall. tart. ℈ v. paſſul. min. ℥i. Coq. in ſ. q. aq. ſ. Colat. ℥ vi. add. elect. lenit. ſyrup. de cich. c. rhabarb. an. ℥ß. M. F. Potio. *S. Laxier-Trancklein.*

♃. Extract. Aloës laxat. ℈i. agar. ℈ß. ol. aniſi gut. i. M. c. ſ. q. elix. cephal. F. l. a. Pil. min. Compergcryſt. tart. *D. S. Lind-Pillen.*

Optimè idem exequentur clyſteres, meatus lævigando, ſcybala reſtitantia provocando & depellendo. Horum effectum citiorem, præter levamen capitis, non modò alvus ſed & veſica exigit, ob vicinitatis & texturæ conſenſum ſtimulanda, pro deplendo ſimul humore excrementitio, de quo *Lang. Miſc. Curioſ. p. 16.* videri meretur; ut glandes & ſuppoſitoria, cùm officinalia, tum uſualia domeſtica, non tangamus.

♃. Rad. alth. malv. pœon. an. ℥ß. herb. 5. emoll. rut. beton. a. M ß. flor. chamæm. ſtœch. Arab. a. p. ij. ſem. fœnigr. ʒ vi. aniſ. ʒi. fol. ſenn. ſ. ſ. ʒ iij. Coq. in ſ. q. aq. ſ.

♃. Colat. ℔ j. ol. lil. alb. Cheir. an. ℥ß. elect. hier. picr. Gal. ℥i. Sal. anod. ʒi. M. F. Clyſter.

Præparantia & digeſtiva humorum alia ut adducamus, non opus eſt; vulnera enim capitis morborum acutorum genium æmulantur, in quibus præparantia humores ad exitum non ita, ut in chronicis aliiſque, locum habent.

Sique præmittenda quædam fuerint, ſatis erit, potioribus aliis uti, quàm hiſce inhærendo occaſionem benè agendi perdere.

Purgantia declinante morbo, & in poſterum præſervandi fine, utilia fore commendamus, quandoquidem cacochymiam deplendo mineram arcent, unde ad caput debile redundare magis ſerum vitioſum poſſit. Ita enim magma corporis reſiduum iners dejici, ſordeſque eliquatæ præcipitari, bilioſæ & pituitoſæ præcipue, poterunt, quò pacata à ſeditioſis hiſce extruſis particulis degat reſpublica microcoſmica.

♃. Reſin. gialap. ℈ß. tart. vitriol. gr. xiv. antim. diaph. non edulc. gr. iij. ol. mac. gt. i. M. F. l. a. Pulvis. D. ad Ch. *S. Purgier-Pulver.*

♃. Extract. cathol. Andern. reſin. ſcammon. a. ℈ß. M. c. elix. Pr. Parac. q. ſ. F. l. a. Pil. n. 12. *S. Purgier-Pillen.*

♃. Magiſt. ſcamm. gr. xii. ſpir. ſambuc. ʒi. aq. cinamom. ʒß. tinct. tart. ℈ß. ſyrup. de cich. c. rhab. ʒ ij. M. *S. Purgier-Trancklein.*

♃. Elix. prop. purg. ℈ iv. tinct. antim. tart. eſſ. fumar. a. ℈i. M. D. ad vitr. *S. Purgier-Eſſentz.*

♃. Conſerv. pœon. ʒi. pulv. lax. veg. gr. xxiv. Cryſtall. tart. gr. vi. ſyrup. de cich. c. rhabarb. & ſacch. q. ſ. M. F. l. a. Bolus.

Purgantia verò ἀνωτερικὰ, Vomitoria, an hic conveniant, non immeritò dubitatur, cùm contraindicantia præpolleant ferè ipſis indicantibus. Licet enim cruditates ab ingluvie pridianâ adhuc reſiduæ, quin ſoporoſus hinc torpor illud ſuadeant; prohibere tamen idem videntur partes nerveæ in ægro noſtro læſæ, quæ motus quoſcunque ſpaſmodicos averſantur, hoſque ſæpius, velint, nolint, ſubire neceſſe habent. Accedit quod manè altero magis caput gravatum deprehendatur, quàm ventriculus, quod oneroſa lympha ſic minus excuti poſſit, neque poſitâ etiam nauſeâ vel ad vomendum conatu id æque impræſentiarum à poſitivâ causâ arceſſendum ſit. Neque enim vomitus talis ſymptomaticus, in vulneribus capitis quoque eveniens, vomitu commodè curatur. Quod ſi tamen de gravitate ventriculi conqueratur, & urgere videatur præſentia humoris, facilè vel uno grano tart. emetici id expedire licebit.

Diaphoretica inſigniſſimum conferent emolumentum, utpote genuina præſidia pro circulo lymphæ & ſanguinis redintegrando, pro vigore conſervando, miaſmati fermentifico putredinoſo febribi arcendo, & diſſipando. Hæc quippe ſerum ichoreſcens eliminant, ut viſcoſum, torpidum & ſtagnans volatiliſetur & rarefiat, per poros hinc quà nervorum ipſorum, quà glandularum ſubcutanearum quaſi filtretur, ſarto tecto ſervato vitali balſamo. Hæc affluxum ad partem affectam abarcent, ne cerebri alveos gravet amplius lympha, ſed magis explicita nitore ſuo ſplendeat, ſpirituſque hinc, antea ſopiti, corrigantur, ut reſurgant.

♃. Pulv. bez. Senn. bez. lunaris a. ℈ß. flor. ſal. armon. gr. iv. M. F. Pulvis. *S. Zertheilend Pülverlein.*

♃. Spir. tart. compoſit. ℈iß. ſal. armon. c. v. ℈i. tinct. bezoard. D. Præſ. ʒi. anod. ℈ß. M. D. ad Vitr. *S. Shvvitz Mixtur.*

♃. Spir. theriac. camph. liq. ebor. ſucc. a. ʒi. M.

Ex diureticorum claſſe mutuabimur, quæ lympham alterant, ejuſque ichoreſcentiam bilioſam prohibent, & ξάσιν ad urinarias vias divertendo ſic arcent magis, ne febris accendatur, vel foveatur, quem in finem ſuccinata, acidula, nitroſa, & temperata alia huc faciunt.

♃. Tinct. flor. pœon. bellidis, clyſſ. antimonii a. ʒi. M. D. in vitr. *S. Alterier-Tinctur ins Bier.*

♃. Mag. oc. cancr. ſuccin. alb. præp. a. ℈i. arcan. duplic. Mynſ. ʒß. M. F. Pulvis. *S. Reſolvir-Pulver.*

♃. Aq. alkek. chærefol. beton. a. ℥ i ß. liq. mineral. nephr. clyſſ. antim. ſulphur. a. ℈i. ſyrup. capill. veneris ℥ß. ſeu q. ſuff. ad grat. M. S. *Waſſerl. zum Pulver.*

Alterantia demum complementum addent, præcipuâ inter reliqua præſidia, ſpecifica vulneri, parti læſæ, & ſymptomatibus, adeoque traumatica, & cephalica confortantia, quæ læſionem omnem averruncent, lymphæ & ſpiritibus vigorem reſtituant, ſanguinis balſamum conſervent, & ſic ad ſtatum naturalem œconomiam animalem reducant; ſeligenda partim volatilia, non tamen æque calida, partim temperata.

♃. Tinct. bezoard. eſſ. traumat. D. Præſ. a. ʒi M. S. *Zertheil- und heilende Tinctur.*

♃. Eſſ. mum. ʒi. roſmar. hyper. a. ʒß. M. S. u. ſ.

♃. Liq. ceph. D. Præſ. ʒiß. ol. ſalv. gt. iij. M. D. ad Vitr. *S. Haupt-Mixtur.*

♃. Spir. C. C. ſuccinat. caſtor. a. ʒß. M. S. u. ſ.

♃. Elix. ceph. D. Præſ. ʒiß. Eſſent. ſalv. ʒß. ſpir. rut. volat. ℈i. M. S. *Haupt-Eſſentz.*

♃. Spec. diamarg. frig. flor. cinnab. nativ. a. ʒß. viſc. colurn. præp. oc. cancr. præp. a. ℈i. fragm. lap. 5. pretioſ. gr. vi. M. F. Pulvis. D. in chartâ. *S. Starck-Pulver.*

♃. Pulv.

℞. Pulv. epil. March. ſpec. cephal. Mich. a. ʒß. Rad. doron. corall. præp. a. ℈i. mag. perl. gr. xv. ſal. vol. ſuccin. g. iij. M. F. Pulv. D. in chart. S. u. ſ.

℞. Aq. ceraſ. nigr. beton. verben. lil. conv. ſ. v. til. pœon. a. ℥i. ſpir. vitr. ceph. roſmar. cohob. a. ʒi. pulv. ceph. March. ʒß. mag. cran. hum. ungul. alc. a. ℈ß. ſyrup. pœon. q. ſ. M. S. *Starck trancklein.*

℞. Conſ. pœon. lil. conv. roſmar. a. ℥i. ſpec. diamarg. fr. diaxyloal. a. ʒi. pulv. epil. M. magiſt. perlar. corall. a. ℈i. Conſ. alkerm. ſ. m. ℈iv. Syrup. pœon. q. ſ. M. F. l. a. Elect. D. in pyx. *S. Haupt-Lattverge.*

Tacemus potiones traumaticas, quorum in vulneribus capitis minor eſt uſus, ob temperiem cerebri humidiorem, unde aliis formulis utendum fuerit.

Neque Topica omittenda ſunt, quæ inter, ut balſama apoplectica, antidinica, ſpecies ad pulſus, odoramenta alia non memoremus, eminent cumprimis Fotus, ſedulò ſtatim ab initio applicandi & continuandi.

℞. Rad. irid. Florent. ariſtol. rotund. a. ℥i. fol. beton. m ij. ſalv. roſmar. verben. origan. a. m j. flor. beton. lilior. convall. ſalv. roſar. ſtœch. ar. chamom. R. a. p iij. thur. maſtich. ſuccin. alb. a. ʒiß. Conc. cont. g. m. D. in Ch. S. ſpec. *zum Hauptſacklein.*

Diæta ultimum tenet locum, primas tamen ubique gerens, ab ægro noſtro ſtrictis menſuranda cancellis. in Naturali victus ſit tenuis, Cibus eligatur εὔχυμ☉, qui particulas nutritivas, γλισχρὰς & ſuaves admodùm ſecum vehat. Potus ſit mediocris, cereviſia fecibus orbata, particulis vaporoſis, loliaceis, ſulphureis mage obtuſis, qualis Numburgenſis laudatur, quæ inter alias minus caput gravat.

Vini uſus vix concedendus, niſi ſucceſſu temporis admodum moderatus & parcus. Ferit enim caput, & motum ciet humorum, unde affluxus major & facilis intemperies.

In Vitali ratio Aëris habeatur, ne ſit intemperatus, frigidus & humidus, vulneratis, in ſpecie nerveis ſimul partibus, facilè noxam adſpirans, unde & ſedulò mox tegendum vulnus, inter deligandum, linteamine calefacto prius, ut ab aëre ſic magis defendatur.

In Animali ſomnus nimius vitetur. Quies cordi habeatur, quin ipſa vertigo & debilitas capitis facilè motum per ſe prohibet.

Animi affectus compeſcantur, Excernenda promoveantur. *Joh. Michaëlis in Praxi Clynica Speciali.*

Obſervationes & Anatomicæ Inſpectiones.

Læſo cerebro, aut etiam portiunculâ ejus amiſſâ, non ex neceſſitate mortem conſequi.

Putant nonnulli, læſo, aut etiam ipſius tunicis, mortem neceſſario conſequi, ex Hippocratis authoritate, qui ſic ſcriptum reliquit. Veſicâ diſciſſâ, aut cerebro, aut corde, aut ſepto transverſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut jecore, lethale eſt. Sed hoc (lethale) teſte Galeno Hippocrates, aliàs uſurpavit, ceu mortem neceſſariam inferens, aliàs ceu periculoſum. Cerebri certe quidem vulnus, niſi profundum & ad ventriculos uſque penetrans, non ex neceſſitate mortem inferre teſtatur Galenus, commentario ad ſuperiorem illum Aphor. Id quod nobis ſæpius obſervare contigit, idque ſequentibus confirmo exemplis.

Exemplum I. Ante annos decem & amplius, quum darem operam prædicto præſtantiſſimo Archichirurgo Coſmo Slotano, miſſus ab eo in oppidum Langenberg 6. Septembris 1581. Ut ibi curarem varios ægrotos : vocatus fui à quodam ruſtico, Johanne Horſtmann, prope Hattingen, ut ipſius inviſerem ſororem, quæ vulnus contuſum in dextro oſſe bregmatis, cum fractura & impreſſione cranii acceperat. Evomuit mox ab initio bilioſum humorem, & cibum indigeſtum. ſiniſtrum latus reſolutum eſt; in dextro autem convulſiones patiebatur. Abraſis crinibus fragmenta aliqua cranii & portiunculam ad inſtar fabæ ex crebri ſubſtantia digitis extraxi. Altero die advenit Slotanus, qui dilatato vulnere denuo extrahit fragmenta quædam oſſis, & portiunculam ipſius cerebri, ad nucis avellanæ magnitudinem. Poſtea aliquoties ipſemet Slotanus me præſente de cerebri ſubſtantia detraxit : & tamen convaluit pleniſſime.

Exemplum II. Anno 1569. acceſſit ad me puella, cum inſigni tumore ad dextram ſyncipitis partem, in concurſu ſuturæ rectæ & coronalis. Cauſam exquirenti reſpondit, ſe ante ſex hebdomadas in lapidem impegiſſe. At quum nec vomitus, nec dolor febriſve adfuiſſet, non ſuſpicabar cranium, multo minus cerebrum læſum fuiſſe. Tumore tamen inciſo, maxima effluxit puris quantitas : poſtea ſtylo deprehendi inſignem cranii fracturam : unde ſubeſſe periculum animadvertens, Medicum accerſendum ſuaſi. Perendie quum advocatus eſſet clariſſimus D. Janus Antonius Saracenus, medicus Regius, cutem decuſſavi, extraxique fragmenta quamplurima cranii : ita ut cerebrum ad taleri latitudinem denudatum conſpiceretur. Tunicæ enim plane corruptæ erant, quarum particulas quaſdam præſente Medico Saraceno extraxi. Tribus hebdomadibus ferme quotidie portiones aliquas ex cerebri ſubſtantia abſtuli, natura ipſa expellente : ita ut pars illa valde concava conſpiceretur. Nihilominus tamen cerebri motus egregie apparebat : ut de cerebri motu nihil quicquam dubitandum ſit. Movetur enim cerebrum, non membranæ tantùm. Tandem vero exorta ſunt ex ipſo cerebro denudato & carente membranis, tubercula carnoſa lentium inſtar, quæ ſenſim aucta ſe invicem conjungebant, & tegumentum carnoſum & ſatis ſolidum procreabant, cujus beneficio concavitas impleta & cerebrum tectum fuit : ſicque priſtinam ſanitatem puella brevi recuperatura videbatur. Nihilominus quum aliò me negotia vocarent, neglecta, ut veriſimile eſt, curatione, ipſam poſt ſemeſtre obiiſſe intellexi. Sed illud notandum quamdiu illam curavi, nullum ſuperveniſſe dolorem, febrem, aliudve ſymptoma : ita ut domeſtica ſua curaret, quaſi plane valens ſtupentibus omnibus iis qui curationi interdum intererant. In quibus præcipue fuerunt clariſſimi ac reverendi viri D. Amandus Polanus S. S. Theologiæ Doctor & in inclita Baſilienſium Academia Profeſſor celeberrimus.

Hermannus Lignaridus S. S. Theologiæ Doctor, & in Schola Bernenſi Profeſſor præſtantiſſimus; Janus Antonius Saracenus Philoſophus eximius & Medicus Regius. Dominus Georgius Jeniſchius, Illuſtriſſimi Wenceslai à Zerotin Medicus: præterea Antonius Macæus Pharmacopœus, & multi alii, qui non immerito illius caſus admiratione tenebantur.

Exemplum III. Dum hæc curabatur, vocatus fui unà cum clariſſimo D. Jano Antonio Saraceno, in Sabaudiæ vicum quendam ad ruſticum, qui exigui vulneris contuſi occaſione, ſupra dextrum os bregmatis maximâ fracturâ cranii laborabat: unde febricitabat vehementer, & delirabat, ſiniſtro ſimul latere reſoluto. Cute ad Y figuram juxta cranii fracturam inciſa, ſtatim tria fragmenta oſſis ſatis magna digitis extraxi. Inveni quoque in vulnere portionem cerebri ad nucis magnitudinem. Chirurgus ejus prior (agebatur enim quintus dies) quum id vidiſſet, ajebat ſe deſperare de ſalute. Verùm admonitus cerebri vulnera interdum curari, nobis promiſit ſummam ſe adhibiturum diligentiam. Nos omnia ad morbum & ſymptomata ejus præcepimus. Ceſſavit febris & delirium: latus paralyſi laborans reſtitutum fuit.

Verùm quum reliqua fragmenta cranii eſſent extrahenda, & Chirurgus ipſius propter imperitiam id negligeret, poſt hebdomadas aliquot in febrim aliaque ſymptomata recidit, & paucis poſt diebus è vita deceſſit, adeoque meræ Chirurgi negligentiæ pœnas tulit. Si enim fragmenta oſſis, uti decuit, extracta fuiſſent, procul dubio pleniſſime ſanus evaſiſſet.

Exemplum IV. Superiori Anno 1604. menſe Octobri, hîc Paterniaci Lauſannenſem 30. annos natum curandum habui, cui acie gladii Helvetici dextrum bregma reciſum, & in ipſam ſubſtantiam cerebri uſque, impreſſum fuit, cum ſiniſtri brachii reſolutione, aliiſque gravioribus ſymptomatibus. Fragmenta quàm plurima cranii extraxi. Tandem Dei beneficio priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, non ſine admiratione multorum, qui huic curationi interfuere. Inter quos fuit Reverendus ac Doctiſſimus Dn. Nathanael Chambutus verbi divini miniſter.

Exempla hæc in gratiam tyronum Chirurgorum recenſere placuit, quos adhortor, ne unquam de ſanitate ægri, quantumvis morbus magnus fuerit, ac prima fronte incurabilis videatur, deſperent, quemadmodum Chirurgus ille, cujus in proximo præcedente exemplo, mentio facta fuit, de ſalute ægri ſui deſperabat. Poſitâ itaque fiduciâ in Dei omnipotentia (facta tamen prius prognoſticatione & proteſtatione coram conſanguineis & adſtantibus, de manifeſto periculo) curationem aggredi, omnemque diligentiam adhibere debet Chirurgus, nec impio illo dicto: *Deſperatos non oportet attingere*, ab officio ſuo avocari. Sæpiſſime enim in morbis contingunt multa, quæ antiquos latuerunt; Et quorum ratio nulla reddi poteſt: ut Reverendus Clariſſimus Dn. D. Antonius Fayus, Philoſophicarum & Medicarum rerum doctiſſimus, & apud Genevenſes SS. Theologiæ Profeſſor celeberrimus, in quodam epigrammate, mihi non ita pridem communicato; eleganter cecinit; quod, exemplum, quia ad noſtrum propoſitum facit, hîc ſubjicere viſum eſt.

Ad illud Averrois, MONSTRA IN MORBIS FIUNT.

ANTONIUS FAYUS.

Non audita loquor, narranti credite, vidi
His oculis, tetigi non dubitante manu.
Acer erat juvenis, medio cui vulnus adactum
Eſt capiti; Cerebri pars quoque cæſa fuit,
Ille tamen vivit. Si credas arte Melampi
Id factum, peccas; hîc medicina ſilet.
Monſtra ſed in morbis Arabum flos ille ſophorum
Quod fieri dixit, re patet ab ſe palam.

Gulielm. Fabricius Hildanus Obſervation. Chirurgicar. Cent. 1.

Ex fungo male curato mors.

Coſmus Slotanus Chirurgus præſtantiſſimus, juvenem nobili familia natum, cui cranium fractum, portioque ejus quædam exempta fuit, unde fungus exortus, curandum habuit. Ille, ab omni propemodum periculo levato ægro, & ſedatis ſymptomatibus, à curatione continuanda deſiſtere coactus fuit, quod aulam principis ſui ſequeretur. Barbitonſor, cui erat demandata, contempto conſilio & medicamentis Slotani, nullaque habita ratione loci affecti, pulverem aluminis & vitrioli uſti inſperſit fungo. Inde exortis ſtatim dolore vehementiſſimo, febre acutiſſima, delirio, & inflammatione, paucis poſt diebus mors ſubſequuta eſt. *Idem ibidem.*

Legitima fungi curatio.

Anno 1601. 9. Februarii D. *Franciſci Croſerani* Luſtriacenſis Patricii ac tribuni filius, Petrus nomine 14. annos natus, vulnus ex caſu lapidis, ex alto diruti (cujus pondus librarum duodecim cum unciis decem) in dextro bregmate cum inſigni cranii fractione accepit. Ego ad curationem vocatus, puerum invenio ſine loquela, viſu, auditu, & ut breviter dicam, ſemianimem. Vomitus aderat vehemens & continuus, & ſanguinem ejiciebat, tum per os, & nares, tum etiam per aures. Abraſis crinibus dilatatoque vulnere, impreſſum cranium altius in ſubſtantiam cerebri & duram matrem diſruptam, conſpiciebatur. Exemptis eadem nocte cranii fragmentis, curationem aggredior, prout neceſſitas urgebat. Et quamvis graviſſima adeſſent ſymptomata, ita ut de recuperanda ſanitate parum ſupereſſet ſpei, tandem nihilominus paulatim & ante vigeſimum diem morbi, ex toto fere remiſerunt. Pars quoque duræ matris ab impreſſo cranio diſrupta, ſenſim naturæ & medicamentorum beneficio fruſtatim excidit, ita ut ſperabamus, jam procul abeſſe à periculo. Sed elapſo vigeſimo die morbi, ecce novum malum, exortus enim eſt è vulnere fungus inſignis qui intra viginti quatuor horas ita excrevit, ut magnitudine ovi gallinacei extra cranium emineret, quem divino favore infrà ſcriptis medicamentis feliciter perſanavi.

In principio ſingulis, deinde alternis, ac tandem tertio quoque die, ſequens enema injeci.

℞. Radicum & foliorum altheæ, Malvarum, Parietariæ, Mercurialis, Florum Chamomill. Meliloti, Florum & foliorum betonicæ ana M. ſ.

Semin. fœnigræci, Lini, Aniſi ana ℥ſ. Coquantur in aqua ad conſumptionem tertiæ partis, in ℔. j. colaturæ diſſolve benedictæ Laxat. Et hieræ picræ compoſitæ ana ℥iii. vitellum ovi, ſalis p. j. Ol. Chamomillæ ℥ii. Miſce fiat enema. Bis verò in die fomentationem ſequentem vulneri applicui.

♃. Foliorum & florum betonicæ, Salviæ, Chamomillæ, Meliloti, Roſarum, Summitatum majoranæ, Roſmarini ana M. j. Sem. aniſi & Fœnigræci ana ℥i.

Incidantur & contundantur pro fotu. Harum herbarum q. ſ. indatur ſacculo ejus magnitudinis ut mediam fere partem capitis cooperiat, qui filo intertextus, coquatur in vini & aquæ communis ana partibus æqualibus, & applicetur calide. Poſt fotum diligenter abſtergendum eſt caput linteis calidis, deinde ſequentem pulverem inſperſi fungo atque toti vulneri,

℞. Radicum gariophillat. Angelicæ, Calami aromatici an. ʒſ. Rad. ariſt. rotund. Iridis Florent. Ligni guajaci ana ʒii. Florum ſalviæ, ſummitatum majoran. Roſmarini ana p. j. fiat omnium pulvis tenuiſſimus, Deinde ſequens emplaſtrum applicui.

♃. Emplaſt. de betonica ℥iv. Gummi elemi diſſoluti in oleo roſaceo ℥i. Pulver. roſarum Myrtillorum ana ʒi. Maſticis, Calami aromatici ana ʒiſ. Cum ſ. q. olei roſacei fiat emplaſtrum.

His fungus paulatim & intra quatuordecim dies ſubſidit. Officula quoque quæ cum aliis prima nocte extrahi non potuerant, exierunt; ita ut intra hebdomadas decem pleniſſime convaleſceret.

His conjunctis fragmentis, latitudo exempti cranii facile apparet. At quamvis fractio & exemptio cranii magna eſſet, nihilominus tandem cicatrice obductum fuit vulnus: ſed motus cerebri diu nobis perſpicuus fuit: cute enim & portione aliqua carnis tantummodo obtegebatur. Ne autem aliqua occaſione externa facile læderetur cerebrum, laminam cupream adaptari curavi, quæ annexa pileo, partem illam capitis obtegebat. Nunc verò, quia natura paulatim foramen cranii callo quodam obduxit, motus ille cerebri non amplius perſentitur. Vivit, & optime valet corpore adoleſcens ille, ad hunc uſque diem 19. Martii Ann. 1605. quo hæc ſcripſi. Ingenio quoque ad ſtudia aliaque aptiſſimus eſt.

Vixit adoleſcens ille, ad vigeſimum quartum fere annum, ſine ulla læſione, aut diminutione memoriæ vel judicii. Tandem quadam die Genevâ pedes Luſtriacum rediens, cum ſupra modum incaluiſſet, frigidam affatim bibiſſet, ac pleuritide correptus fuiſſet, Medicos quin etiam rationales in conſilium non adhibuiſſet, pie obdormivit. *Idem ibidem.*

Annotatio. De fungis.

Quemadmodum in ſtirpibus arborum humores ſemiputridi per corticem extuberantes, in fungos coaleſcunt: ſic fracta exemptaque portione aliqua cranii, ac dura matre læſa, ſtatim humores cerebri circa plagam affluunt, qui ſive oſſis, (ut Alexander Aphrodiſæus voluit,) ſive aëris frigiditate condenſati, inſtar fungi concreſcunt, atque interdum adeo intumeſcunt, ut extra cranium emineant. Affectus autem ille Galeno fungus à ſimilitudine appellatur: eſt enim caro mollis, levis, pallida, & ſpongioſa: quæ quidem cito excreſcit, lento vero pede retrocedit. Poteſt & ex flatu procreari. Si enim calor cerebri imbecillus factus, in materiam, quæ circa vulnus collecta eſt, aliquid agere intendit, flatum procreat: qui quum per tenuem menyngem exſpirare nequeat, eam in altum elevat. Obſervavi enim hactenus in his, qui fungis affecti mihi occurrerunt, tenuem menyngem ut plurimum integram, craſſam autem diſruptam fuiſſe. Craſſa enim rupta factaque digeſtione vulneris, natura ſtatim incipit carnem ſupra tenuem menyngem generare, quæ loco tegumenti incumbit, ne ex aëris injuria nocumentum contrahat. Si namque humores copioſe aut flatus circa plagam colliguntur, tenuem membranam ſimul cum adnata carne facile ad inſtar fungi in altum elevant. In noſtro verò jam commemorato ægro, & craſſa & tenuis menynx vulneratæ fuerunt. *Idem ibidem.*

Pus fœtidiſſimum, & vermes ad duram matrem reperti.

Cæſo ſub caniculâ anni 1587. Helveticorum exercitu apud Delphinates, venit nobis ad manus ex numero vulneratorum juvenis robuſtus, & bono habitu, at capite ſauciatus, hunc in modum. Secta illi fuerat pars oſſis parietalis circiter palmam lata: hæc autem cuti muſculoſæ adhæſerat, ſuoque loco erat reddita; quin & ſanguinis & pylorum interventu concreverat, veluti cruſta, quæ totam illam partem contegens, impedierat quo minus ulla materia ſex diebus totis ab accepto vulnere promanaret. Porro abraſis crinibus, apertoque vulnere, inventa eſt inter partem oſſis ſeparati & duram matrem, plurima materies graveolens, ſimul & oſſium tenuia aliquot fragmenta. Præterea, quod majus eſt, vermes grandiuſculi quatuor aut quinque. Inſuper & dura mater denigrata & infecta erat putredine tamdiu inſidente. Æger nihilominus convaluit, Clariſſimi Jani Antonii Saraceni Medici Regii conſilio, & Johannis Griffonii Chirurgi longe peritiſſimi operâ atque induſtriâ; quibus & ego interfui. Quibus autem putredo hæc cohibita fuerit, petat lector ex Tractatu meo de Gangræna. *Idem ibidem.*

Juvenis, cui caput vulneratum & cranium fractum, ex ſola ira in febrim recidit & moritur.

Juvenis quindecim annos natus, vulnus contuſum cum cranii fractione circa bregma accepit. Primo apparatu vulnere dilatato & deinde oſſiculis extractis, ad ſuppurationem feliciter perduximus vulnus, omniaque ſymptomata remiſſa ſunt. Elapſo vero decimo quarto die, quum adoleſcens alius (qui circa lectum ludebat) ipſum ad iram provocaſſet, recidit in febrem & phreneſin, ita ut quarto poſt die è vita deceſſerit. Cranio aperto coram clariſſimo viro D. D. Marco Offredo, Philoſopho & Medico celeberrimo, invenimus cerebri membranas undique inflammatas, ac tum venas tum arterias omnes ſanguine turgeſcentes. *Idem ibidem.*

Ex animi quadam commotione vehementi, arteria nuper vulnerata, poſtmodum autem penè ſanata, denuo magno cum periculo rupta eſt.

Incidit in manus meas homo quadragenarius robuſtiſſimus, naturâ bilioſus & iracundus, cui vulnerato capite ramus ſiniſter ſoporalis arteriæ, deſuper muſculo crotaphito inciſus fuerat. Sanguine primo apparatu pulvere meo reſtricto, vulnus ad digeſtionem perduxi. Quinto verò die morbi, quum ex propinquis quidam, qui vulnus inflixerat, ex improviſo in cubiculum ingrederetur, vulneratus inſcius adventûs, ex ipſius aſpectu adeo perturbatus eſt, ut denuo rupta ſit arteria, adeoque ſequuta hæmorrhagia, quæ vix reſtingui potuerit: convaluit tamen penitus.

Annotatio. Quum ex cunctis animi perturbationibus, nulla tum ſanis, tum inprimis ægris ſit perículoſior irâ, moneat Chirurgus ægrotos ſuos, ut ſummo ſtudio ſibi ab ea caveant. Eſt enim ira, omnium perturbationum atrociſſima, & fœcundiſſima infinitorum malorum mater: quæ naturam hominis in truculentam commutat feram. In pectoribus humanis graves excitat fluctus, caloris juxta cor eſt uti quidam fervor: ubi is per totum corpus diſpergitur, ſolet febris ſuccendi, eaque acuta, ut alibi Galenus teſtatur; ſanguinem item concitat in venis. Cerebrum concutit, nervos convellit, humores exagitat, calorem labefactat innatum, cujus veluti fervor eſſe videtur; teſte Galeno.

Hominem doctum & eruditum cognovi, qui facile (ut ſæpius ipſe vidi) ex irâ in febrim, ut plurimum ephemeram, nonnunquam & in tertianam incidebat; non ſine magno periculo.

Matronam item honeſtiſſimam & piam cognovi Duſſeldorpiæ, quæ adeo à pharmacis abhorrebat, ut mannam aut ſyrupum roſaceum vix potuerit ſumere. Contra, tali naturæ beneficio erat prædita, ut ex minima etiam animi perturbatione, præcipuè ex ira, alvus adeo ſubduceretur, ac ſi pharmacum quantumvis efficax ſumpſiſſet. *Idem ibidem.*

Juvenis vulnere capitis cum fractura cranii laborans, & pene ſanatus, ex uſu venereo incidit in febrem, inde moritur.

Juvenis robuſtus & bilioſus, baculo vulnus ad ſiniſtrum bregma cum oſſis fractione recepit: Ego advocatus dilatavi vulnus, & ad digeſtionem perduxi, dolorem ſedavi, fragmenta item cranii ex percuſſione facta extraxi. Vulnus deinde mundificatum carne opplevi. Quum autem jam ſpatio quinque hebdomadarum tractaſſem vulnus, ac omnia ſymptomata plane eſſent remiſſa, & vulnus pene cicatrice obductum, cum ſcorto rem habuit. Itaque paucas poſt horas recidit in febrim, ac dolorem capitis vehementiorem quàm ante. Latus item oppoſitum reſolutum eſt, brachium vero lateris ægrotantis ſpaſmo correptum, ſymptomata ingraveſcentia ſingulis momentis ac nullis cedentia remediis, quarto tandem die miſerum hunc libidinoſum extinxerunt. *Idem ibidem.*

Puer vulnere capitis, & cranii fractione laborans, ex tumultu & ſtrepitu nimio graviſſimis ſymptomatis conflictatus, tandem moritur.

Quantum ira, timor, apprehenſio, concubitusque capite vulneratis noceat, ex ſuperioribus conſtat. Quam vero itidem periculoſum ſit, tumultuoſe quippiam circa vulneratos agere, jam tyronibus Chirurgis exemplo demonſtrabo. Tractavi cum Coſmo Slotano, Chirurgo præſtantiſſimo, puerum 14. annorum cui bregma ex vulnere contuſo fractum fuit. Extraximus oſſicula quamplurima, febrem extinximus, dolorem reliquaque ſymptomata compeſcuimus. Patri autem iſtius pueri, quod œnopola eſſet, prohibuimus, ne permitteret pulſare tympanum, tubas, aliave ejuſmodi inſtrumenta in domo ſua. At pater neglectis admonitionibus noſtris, permiſit pulſari tympanum & fiſtulam prope cubiculum decumbentis, & ſaltare ruſticos uſque ad mediam noctem. Poſtridie invenimus ægrum acutiſſima febre, delirio, ſpaſmo, nauſea, aliiſque peſſimis ſymptomatibus laborantem: propter quæ quarto die è vita deceſſit. Pater hujus rei cauſa ad magiſtratum delatus, graviter, nec injuria, mulctatus fuit. *Idem ibidem.*

Virgo nobilis, neglecto parvo vulnere in capite moritur.

Virgo nobilis, quum in choreis incaluiſſet, & capite in poſtem cecidiſſet, vulnuſculum in vertice contraxit, ubi cutis vix læſa fuit. Illa, quia neque dolorem neque inflammationem ſentiebat, primo & ſecundo die vulnus (aut potius contuſionem) plane neglexit. Tertio die incœpit parum dolere; quapropter barbitonſorem accerſivit: qui talis crinibus cutem vix læſam animadvertens, virginem irridebat. Quarto verò, capitis gravitate & febricula correpta eſt. Ego ſexto die morbi ad ipſam vocatus, comperi ipſam delirantem, faciem & oculos inflammatos, & linguam aridam: ita ut ſequenti die è vita deceſſerit. Aperto capite, ſanguinem ſub cranio collectum, & cerebri membranas inflammatione correptas invenimus: cranium tamen nequaquam læſum fuit. Hinc perſpicuum fit, vulnera capitis, quantumvis minima, præcipuè quæ circa ſuturas occurrunt, non eſſe negligenda. Infiniti enim ramuli venarum & arteriarum, ex una & altera parte membranarum cerebri, circa ſuturas concurrunt, & ſuturis inſeruntur, quorum beneficio cerebrum cranio alligatur, & ſuſpenditur. Quapropter contuſiones ea in parte facile ad cerebri membranas, magno cum ægrotantium periculo, extenduntur. *Idem ibidem.*

Actus venereus in nervorum vulneribus periculoſus.

Multoties contingit, vulneratos ſpaſmo & morte corripi: cujus occaſio vel cauſa Medico incognita eſt. Quomodo autem id fieri poſſit, ſequenti hiſtoria nobilis cujuſdam (cui Coſmus Slotanus, peritiſſimus Chirurgus, Valentiæ lævam amputarat, ex ictu ſclopeti inflicto

contuſam) apparebit. Ægrotanti juveni voluptatibus dedito, diſerte interdictum erat ab uxoris congreſſu: At is vulnere propemodum perſanato & ſedatis ſymptomatis omnibus, eam interpellavit, qua renuente propter ſeria Slotani monita, ipſe emiſit ſperma citra coitum: atque hinc recidit protinus in febrim, deliria, ſpaſmos, aliaque graviora ſymptomata, tandemque obiit quarto poſt die. Ex his intelligimus, quàm infeſta ſit venus nervis & nervorum vulneribus, æque ac capitis & articulorum affectibus. Ac quidni actus venereus nervos exagitaret, atque periculoſa accidentia excitaret? Vidi enim, ex riſu vehementi in nervis ſauciatis ſymptomata periculoſiſſima naſci, ut ex ſequenti obſervatione videre eſt. *Idem ibidem.*

Riſus in vulneribus nervorum periculoſus.

Anno 1601. 14. Aprilis, nobiliſſimo Viro Imberto à Diesbach, Domino S. Chriſtophori, ſiniſtra manus ictu ſclopeteo adeo fracta & contuſa fuit, ut pollex uſque ad carpum plane ſeparatus, metacarpus quoque adeo fractus & contuſus fuit, ut oſſa quamplurima metacarpi eximere cogeret: & ut verbo dicam, tota manus, nervi & oſſa adeo lacerata & quaſſata fuerunt, ut ad eam conſervandam parum ſupereſſet ſpei: fuit nihilominus Dei beneficio ita reſtituta, ut ne digitum quidem amiſerit. Quum vero ſtatim ab initio ſummo ſtudio in hoc incumberem, ut dolores repellerem, & partem læſam ab inflammatione & à fluxu humorum vindicarem, curatio tam feliciter ſucceſſit, ut minimum doloris ſenſerit, febris & inquietudines fere nullæ ſupervenerint. Porro quarto die morbi, quum quidam ex adſtantibus jocaretur, & ridiculoſam hiſtoriam quandam narraret, Nob. vulneratus nobiſcum quoque ad riſum excitatus fuit. Hinc ſtatim exortus eſt dolor adeo gravis, per totum brachium uſque ad nucham, ut ſpatio 24. horarum de convulſione periclitaretur. Sequentibus verò adhibitis remediis paulatim ſedatus eſt dolor, & in priſtinum ſtatum reſtitutum eſt brachium.

℞. Radicum & foliorum Altheæ, Malvarum, Violarum, Brancæ urſinæ, Florum meliloti, Betonicæ, Primulæ Veris, Salviæ an. M. i. Sem. fœnigræci, Lini ana ℥ i.

Incidantur, contundantur, & coquantur in aqua ad conſumptionem tertiæ partis. In ea decoctione madefacta linteamina calide applicui toti brachio: poſtea totum brachium & nucham ſequenti linimento inungebam,

℞. Ol. Lumbricorum, Vulpini, Axungiæ humanæ an. ℥ i. Succi lumbricorum ℥ ſ.

Miſce, fiat linimentum. His remediis ſedatus eſt dolor: poſtea curatio feliciter progreſſa eſt.

Anno 1603. menſe Aprili ſimilis fere caſus accidit Claudio Dodino, civi Paterniacenſi. Is vulneratus in brachio & carpo dextro, ubi nervi nonnulli quartæ & quintæ paris colli læſi fuerant, ex riſu in maximos incidit dolores & convulſionis periculum, ita quidem ut ea nocte nulla quiete frui potuerit. Inuncto brachio ſuperiori unguento, ſedatus eſt dolor.

Annotatio. Riſum eſſe affectionem cordis, ac ridendo cor ipſum, & per conſequens, pericardium magno cum impetu moveri, atque ex una in alteram partem ferri contrahique, eximius & ſummus ille Philoſophus ac Medicus, Laurentius Joubertus teſtatur, & experientia docet. Ac quia pericardium mediaſtino & diaphragmati alligatur, ut in riſu violento ipſum quoque diaphragma violenter moveatur, neceſſe eſt. Porro quia diaphragma lumborum vertebris, ac notarum coſtarum extremitatibus, atque inferiori ſterno & xiphoidis cartilagini alligatur, præterea inferiore ſua parte peritonæo, ſuperiori verò pleura inveſtita eſt membranis, fit ut in riſu violento, tum abdominis, tum præcipuè pectorales muſculi ſimul moveantur atque contrahantur. In eo autem motu violento diaphragmatis & muſculorum pectoralium, concutiuntur & agitantur quoque muſculi, brachia moventes. Imprimis autem muſculus brachium pectori adducens, & brachium attollens, tum etiam nervi omnes, qui iis intertexti ſunt, & tendones ex iis prodeuntes, ſimul contrahuntur atque agitantur. Hinc fit, ut violenter ridentes brachia pectori imponant.

Ac quia muſculi collum & caput moventes, partim ab oſſe pectoris oriuntur, neceſſe eſt, ut in violento riſu & agitatione diaphragmatis & muſculorum pectoralium, caput ſimul moveatur. Hinc fit, ut violenter ridentes caput inclinent, jam retro, & mox in dextrum aut ſiniſtrum humerum projiciant.

Inter crurum & abdominis muſculos magnus quoque eſt conſenſus, ideoque violenter ridentes ſe incurvare coguntur: quum enim abdominis muſculi ex elevatione violenta diaphragmatis in altum trahuntur, muſculi crurum, venæ, arteriæ & nervi, qui illis intertexti ſunt, ſequantur neceſſe eſt. Hinc perſpicuum fit, riſum in omnibus vulneribus (magnis ſcilicet), periculoſum eſſe, ac in nervis vulneratis dolores acerrimos & convulſiones in venis, & arteriis hæmorrhagiam excitare. Monitos igitur velim Chirurgos & adſtantes, ne vulneratos facetiis & jocis ad riſum provocent immoderatum. *Idem ibidem.*

Adoleſcens oculo perforato viſum recipit.

Quindecim annorum adoleſcentem, ſutoris cujuſdam filium Genevæ, in vico divæ Mariæ, cum Domino Johanne Griffonio, Chirurgo præſtantiſſimo curavi, circa annum 1587. cui acus ſutoria perforaverat adnatam membranam prope Iridem: hinc factum, ut humor aqueus ſtatim effluxerit, & adoleſcens illico viſum plane amiſerit. Oculo impoſuimus in primo apparatu albumen ovi cum aqua roſacea, & nonnihil croci: fronti autem defenſivum ex bolo Armeno, terra ſigillata cum oleo roſaceo, paucaque cera & aceto in formam unguenti redactum, atque injecimus ſtatim enema. Sequenti die catharticum exhibuimus, & anodynis ad ſeptimum uſque & amplius vulnus tractavimus. Deinde collyrio ex aqua euphraſiæ, ſaccharo, & tutia præparata, cicatricem induximus. His curatus fuit nullo ſuperveniente ſymptomate: haud multò poſt curationem viſum quoque recepit, Dodonæus in ſuis obſervationibus ſimile aliquid refert.

Anno 1597. curavi filium Matthæi Barbotti, civis & mercatoris Lauſannenſis: cui, infixa ſagitta, perforata fuit cornea, qua parte conſpicitur Iris. Effluxit nonnihil humoris aquei, un-

de contracta eſt cornea, & puer protinus viſum amiſit. Vulnus curavi ad modum ſupra dictum: puer hic quoque non multo poſt viſum recepit.

Annotatio. Omnino his ægrotis cryſtallinus humor compunctus non fuit: eſt enim ille humor præcipuum inſtrumentum viſus, ac ſuâ propriâ continetur membranâ Arachnoide: qua dilacerata, amplius humor cryſtallinus officium facere nequit. Effluxit autem in his aqueus tantum humor, quem natura in anteriorem partem inter uveam tunicam (quo loco duplicatur & invertitur) & corneam locavit. Atque hic quum ſit excrementum, quod exudavit ex venulis illis, quæ in uvea tunica conſpiciuntur, & circa locum humoris aquei terminantur, aliquando renaſcitur, præcipue in pueris, ut etiam eximius Anatomicus Realdus Columbus, in ſuis Anatomicis ſcriptum reliquit. Id autem hic notandum, vulneratâ pupillâ viſum recipi non poſſe, quamvis humor cryſtallinus ſit illæſus, & aqueus renaſcatur: ut in multis, ac potiſſimum in aſſecla generoſi viri Ottonis Schencki, Domini ab Horſt, ante annos aliquot obſervavi. Is cultello perforatâ pupillâ viſum amiſit. Curavi vulnus ut ſupra: viſum tamen non recepit. Inevitabilis enim cicatrix impedit, quo minus radii eorum, quæ viſui objiciuntur, ad humorem cryſtallinum perveniant. Ex quibus perſpicuum ſit, in extirpanda ad pupillam cicatrice nihil temere tentandum, ne malum incrudeſcat, quod ex obſervatione proxime præcedente patet. *Idem ibidem.*

Vulneratæ linguæ curatio.

Vix membrum in humano corpore reperitur quod magis moveatur, quodque adeo ſit humidum laxumque atque lingua: Hinc fit, quod ipſius vulnera tranſverſum facta, ut plurimum incurabilia cenſentur. Suadeo tamen, ut niſi plane abſciſſa fuerit (curatio tentetur; non enim hujuſmodi vulnera ex toto ſunt incurabilia, ut ſequens obſervatio teſtatur.

Anno 1587. Puellam trimam Lauſannæ curandam habui, quæ extenſâ linguâ in terram cadens, partem illam quæ inter dentes erat, fere ex toto abſcidit, & quidem plane abſcidiſſet, niſi duorum dentium defectus obſtitiſſet. Vocatus, putabam, diſciſſas partes ſuturâ conjungere: Id verò quum propter puellæ impatientiam minime fieri poſſet, ſequentibus remediis curationem tentavi, atque feliciter abſolvi.

℞. Foliorum & florum Liguſtri, Plantaginis, Roſarum rubearum an. M.j. Corticum granatorum, Balauſtiarum an. ℥ſ. Coquantur in ℔ ij. aquæ chalybeatæ, ad conſumptionem tertiæ partis. In colatura diſſolve Acaciæ ʒ ij. Syrupi de roſis ſiccis ℥ ij. Miſce; fiat gargariſma, quo ſæpius interdiu abluatur lingua. In ore continenter tenebat ſyrupum de roſis ſiccis, de cydoniis, ſyrupum conſervationis ceraſorum de Ribes, & coagulum cydoniorum.

Veſcebatur juſculis carnium recentium & hordeaceis, lacte amygdalarum dulcium, & ſimilibus. His Dei beneficio pleniſſime curata fuit, neque ullo modo depravata fuit loquela, ut poſtea apparuit per duodecim integros annos, quibus vixit. *Idem ibidem.*

De vulnere quodam pectoris, cum abſciſſione portionis cujuſdam ipſius Pulmonis.

A Domino Abelo Roſcio F. nunc quoque apud Lauſannenſes Doctore, Gul. Fabr. Hild. communicata.

Inſanabilia Pulmonum vulnera, aſſerunt Medici ac Chirurgi fere omnes, (Vir Clariſſime) cùm tamen ipſa perquam bene conſolidari ac curari ſæpius contingat, ut ex variis neotericorum hiſtoriis colligere eſt; idque maxime clarum ſit ex obſervatione genitoris mei, piæ memoriæ, Alb. Roſcii, Doctoris Medici tibi amiciſſimi. Quæ ſane hiſtoria jam ante annos multos ab ipſo accepta, fere è memoria exciderat, hanc tibi communicare volui, prius quàm tota penitus è mente effluxiſſet, quod ea inter curationes miras reponenda, ſeu inter vulnera admirabilia curata recenſenda mihi digna viſa ſit.

Erat apud Delphinates in urbe Calmuntii, ubi Medicinam per aliquot annos feliciſſime faciebat pater, ex noſtris vicinis quidam ſecundùm pectus graviter ſauciatus, vulnere punctim facto, is etenim inter pectoris coſtas, ni fallor quintam ac ſextam, non procul ab oſſe ſterno vulnus acceperat, cui cùm gladius lato mucrone pulmonem ipſum læviſſime perfodiſſet, in ſui extractione & exitu, neſcio quomodo in gyrum facto, ſecum pulmonis portiunculam per vulnus foras eduxit; quare ſtatim à cunctis adſtantibus morti proximus adjudicatus fuit æger. Attamen vulnerati precibus condeſcentes amici & affines, Patrem Medicum cum Chirurgo advocandum curarunt; qui etiam vulnus lethale pronunciavit adſtantibus, ægrum tamen ſemper bono animo eſſe juſſit, & ne de ſalute deſperaret, manus auxiliares illi à dicto Chirurgo adhibendas & curationem tentandam voluit pater. Juſſitque quamprimum eam lobi pulmonis partem, quæ foras prominebat, prius bene vino lotam in pectus retrudendam. Sed eam, dum tractaretur leviter liveſcere animadvertens amputare fecit ferreo candente inſtrumento. Reliquum verò in pectus benigne retruſit Chirurgus, dilatatis prius cuneo, ad id ex tempore parato ligneo, coſtis; Deinde vulnus ex arte, poſtea & Medici præſcripto curatum fuit, intra propinatis quibuſdam pectoralibus, ex vulnerariis decoctis per aliquot dies, tandem convaluit æger qui deinde in multos annos vitam protraxit: pulmonibus ac thorace ſemper ſanis, & ab omni noxa prorſus immunibus. Pulmonum itaque vulnera per ſe incurabilia ſemper aut lethalia exiſtere negamus. Niſi inflammatione vulnus profundum ſit affectum; vel ubi magna vaſa, aut bronchia læſit, aut prope cor attigit. Hæc horis ſubciſivis ſcribenda duxi, ut tibi viro doctiſſimo, & mei amantiſſimo ſatisfacerem ac morem gererem. Interea te unà cum tuis bene feliciterque valere exopto. Lauſannæ, Idibus Decembris Anno 1606. *Idem ibidem.*

De vulnere quodam admirando Pectoris, cum diaphragmatis dilaceratione, & ventriculi ſuo loco amotione.

A Clariſſimo Dn. Daniele Sennerto & Gulielm. Fabr. Hildan. communicata.

Cum non dubitem, tibi in curationibus Chi-

rurgicis multa rara & miranda obvenire, atque ea te ſtudioſe annotare: rem non ingratam tibi me facturum putavi, ſi ſequentem caſum ex annotatione D. Andreæ Schatonis piæ memoriæ, ſoceri mei quondam in hac Academia Profeſſoris Medicinæ, tecum communicavero. Eſt autem talis. Heinricus Buſcherhovius, Revalienſis Livonus, cùm melancholia, tentationibuſque variis vexaretur; res tandem eò rediit, ut ex Saxonia Wittebergam rediens, ante portam urbis proprio gladio ſe confoderet, Anno 1582. 20. Septembris, infra quartam coſtam in thoracem adacto, & ſub nona coſta in tergo exeunte. Quod vulnus tamen intra menſes duos ſanatum eſt. Verùm accidit, ut poſt menſes aliquot, iterum de abſurdis cogitationibus conquereretur, & poſtea die 28. April. Anno 1583. male haberet, & ſequentibus diebus primo aquam, & quicquid cibi aſſumpſiſſet, poſt viridia, tandem die 22. Maji nigra quater, eaque magnâ copiâ rejiceret vomitu, cum ſudoribus frigidis & leipothymia, ac deinde poſt ultimum vomitum expiraret. Corpus apertum eſt, deprehenſumque vulnus per pulmones & diaphragma penetraſſe, & quidem diaphragma transfoſſum fuiſſe in nerveo circulo. Pulmonis fere nihil repertum eſt in ſiniſtro latere confoſſo, cùm procul dubio cum pure exierit, exigua portiuncula aderat coſtis adnata. Ventriculus totus aſcenderat in ſiniſtrum thoracis latus, & cor cum capſula de ſede ſua depulerat in dextrum latus, ubi & vivus ille jubebat obſervari cordis pulſum. Cor areſactum erat, copioſa citrina aqua in capſula Omentum & Pancreas totum etiam fere circa ventriculum computruerat.

In qua hiſtoria tum alia certe admiranda, tum illud videtur, quod ventriculus ſedem ſuam ita mutavit. *Idem ibidem.*

De vulnere abdominis, cum abſciſſione cujuſdam portionis Hepatis.

Quamvis vulnera partium principum, ab Hippocr. non immeritò lethalia cenſeantur, ſæpiſſimè tamen ſic vulneratos evaſiſſe, obſervavi, uti quoque in Obſervationibus meis de vulneribus cerebri, veſicæ, & inteſtinorum exemplis annotavi. Vulnera quoque Hepatis, quæ omnium ferè difficillima, propter ſanguinis, quæ inde ſequi ſolet, profuſionem, videntur non omninò inſanabilia eſſe, experientia docuit, & Viri docti teſtantur. Mihi quoque exemplum unum non vulgare obſervare contigit. Helvetius quidam triginta annorum in conflictu quodam gladio Helvetico è regione hepatis percuſſus fuit, maximumque vulnus recepit. Sanguis copioſè effluxit, ita ut in deliquium animi incideret. Advocato Chirurgo, cùm vulnus explorare, & medicamenta ad ſanguinem ſiſtendum imponere vellet, fruſtum Hepatis, ad oſtium vulneris ſeſe offerebat, quod cùm forcipibus apprehendiſſet, integrè extraxit. Ac quamvis ſæviſſima ſupervenirent ſymptomata, nihilominus tandem Dei beneficio, optimè convaluit. Poſt annos tres febre continuâ correptus, Genevam appulit, ibique in noſodochio receptus, Clariſſimo ac Doctiſſimo Viro Dom. Jano Antonio Sarazeno, Medico Regio piæ memoriæ, compatri meo plurimùm honorando, ac Dom. Joh. Griffonio, Chirurgo longè celeberrimo, curandus commiſſus fuit. Ego, quum quadam die ipſum cum prædictis viris inviſerem, & graviter laborantem offendiſſem, altâ voce ſic exclamare cœpit. Nonne mirandum, me nunc febre abſumi, neque a duobus curari poſſe, cùm tamen ante annos tres graviter in latus ſauciatus, ut fruſtum Hepatis gladio mihi abſciſſum atque extractum eſſet, ab unico tantummodo Chirurgo Dei beneficio, ſanitati reſtitutus fuerim? Nos cum hac de re attoniti, latus in conſpectum exhibuit, & cicatricem longitudinis ſpithamæ è regione Hepatis monſtravit. Poſt paucos dies, cùm occubuiſſet, cadaver ejus incidimus, & portiunculam quandam infimi lobi Hepatis abſciſſam fuiſſe, vulnuſque cicatrice eleganter obductum, reipſa comperimus. Reliquæ verò partes corporis, imò & ipſum hepar, nihilominus ſecundùm naturam ſe habebant. *Idem ibidem.*

De capitis periculoſi vulneris cum cerebri concuſſione, in Matrona gravida, curatione.

Anno 1600. 21. Octobris, Uxor honeſti viri, Dn. Petri Quey, civis & mercatoris Viviacenſis, ad Lacum Lemannum, cùm circa æquilibrium libræ, in qua ingens moles ferri trutinabatur, occupata eſſet, & famulus qui libram gerebat, trabem ferream, quæ propter molem ex adverſa parte, in altum elevata erat, impudenter ſatis contrectaſſet, ex improviſo matronæ in bregma dextrum decidit. Illa protinus in terram quaſi mortua proſtrata, cibum indigeſtum evomuit: ſanguinem item per os, nares & aures non ſolùm illa die, verùm etiam per dies aliquot ejecit, & loquelam amiſit, ita ut poſtquam ipſam in lectum poſuiſſent, cuncti nihil aliud quàm mortem proximam expectarent. Ego tamen ut manum ipſi adhiberem, maritus valdè ſollicitus fuit. Pro primo apparatu à domeſticis albumen ovi conquaſſatum, & argillâ fornacum mixtum, ad ſanguinem ſiſtendum, vulneri impoſitum fuit, deinde Lauſanna me accerſivit.

Secunda itaque die ad ipſam perveni, tum abraſis crinibus, maximum vulnus in bregmate dextro, ſecundùm longitudinem ſuturæ rectæ ductum ad cranium uſque, quod tamen neque fractum, neque impreſſum, inveni. Febris, dolores totius capitis, vigiliæ, inquietudines & ſyncopæ aderant. Quoticſcunque item juſculum aliquod aut ptiſanam ſumeret, ſtatim evomuit, aliaque ſigna, ex quibus cerebrum valdè commotum, & ſanguinem extravenatum, circa membranas cerebri effuſum eſſe, conſpiciebantur. Ego, ut cerebrum ſeſe evacuare poſſet, de perforatione cranii adſtantes amicos monui. Quibus rationibus meis intellectis, facilè conſentire videbantur, ſed primò quia multùm gravida & doloribus capitis ab annis aliquot obnoxia, quin totum etiam tempus imprægnationis debilis fuerat, Secundò, quia nova inciſione ad latus vulneris & quidem versùs muſculum temporalem pro vulneris dilatione & ut perforatio cranii commodè fieri poſſet, facienda erat, ſuaſerunt; imò obnixè rogarunt, ut omnia alia remedia tentarem, priuſquam ad hoc, quod ipſis tàm grave atque periculoſum videbatur,

debatur, perveniſſem. Ego, ne mihi imputaretur, parui, interim tamen terebellum, & quicquid ad operationem neceſſarium, in promptu habui, idque ad eum finem, ut cùm primum res in pejus tendere viderem, extremum præſidium adhiberem: Veniebat enim tunc mihi in mentem, olim undecima quoque die felici cum ſucceſſu terebellum, cum præſtantiſſimo Chirurgo D. Johan. Griffonio adhibuiſſe, ut ſuo loco declarabimus. Oſſi itaque denudato filamenta ſicca, reliquo verò vulneri ſequens digeſtivum impoſui.

℞. Terebinth. lotæ in aqua betonicæ & ſalviæ ℥j. Ol. roſacei & Ol. noſtri de betonica an. ℥i. Ol. de vitellis ovorum ʒj. Gummi elemi diſſoluti cum ſuprà ſcriptis oleis & percolati ℥ß. Croci ℈ij.

Vitellos ovorum num. 2. Miſce, fiat unguentum. Omnia deinde Emplaſtro baſilicone obtegantur. Totum verò caput oleis ſequentibus inunxi.

℞. Ol. noſt. de betonica ℥j. Ol. Roſacei ℥ij. Miſce.

Eadem die, quia alvus conſtricta, ſub veſperam ſequens enema lenens exhibui: Acre enim propter imprægnationem, & quia fœtus jam aliquo modo commotus, & tormina parturientium adeſſent, exhibere auſus non eram.

℞. Herbarum & florum betonicæ, Agrimoniæ, Malvæ & altheæ cum radicibus, Violarum an. M. j. Florum chamomillæ, Meliloti an. M i ß. Sem. aniſi & Fœniculi an. ℥i. Fœnigræci ℥ß. Coquantur in ℔ iv. decocti capitis vervecis, ad conſumptionem tertiæ partis, In ℥x. hujus decocti colaturæ, diſſolve vitellos ovorum num. 2. ol. communis, & butyri recentis an. ℥j. Salis p j. Miſce, fiat enema. Rejecto clyſtere, venam in cubito dextro pertudi ſanguinemque ad uncias circiter quatuor, revulſionis ſcilicet gratiâ, extraxi.

Cùm enim, quia utero geſtabat, tum etiam quia ex vulnere ſanguis copioſè ſatis effluxerat, prudenter mihi hac in re erat agendum. Mens tamen erat, poſt dies aliquot ipſi incidere venam jugularem dextram, uti haud ita pridem Lauſannæ in puella, commotione cerebri laborante, maximo cum ſucceſſu feceram: Mutavimus tamen conſilium propter motum naturæ, ut poſtea dicemus. Cùm verò ab initio morbi præ dolore non quieviſſet, poſt cœnam per duas horas ipſi uſque ad grana quatuor Laudani exhibui: ea nocte ſatis quietè dormivit. Altera die iterum oſſi (quod & tamdiu faciendum eſt, donec carne tectum ſit) filamenta ſicca, reliquo verò vulneri digeſtivum præſcriptum impoſui; totumque caput oleis prædictis inunxi. Interim autem dum contrectabam vulnus, ſequenti ſacculo calido totum caput cooperiebam.

℞. Radicum cariophyllatæ ℥ ij. Foliorum & florum betonicæ, Florum chamomillæ, Meliloti, Roſarum, primulæ veris, Summit. roſmarini, Majoranæ an. M. j. Sem. aniſi ℥ i.

Incidantur & contundantur pro ſacculo interſuto, & ejus magnitudinis, ut totam ferè capitis partem capillatam cooperiri poſſit. Eo vino rubro incocto, caldè applicetur. Sacculus iſte non ſolùm vulnus ab injuria aëris defendit, verùm etiam caput roborat, ſanguinemque extravenatum diſſolvit, incidit, atque ut partim per poros cutis, partim per vias naturales effluere poſſit, efficit: Eſtque mihi in vulneribus & contuſionibus capitis ſatis familiaris, non tamen ſtatim ab initio, ſed poſtquam univerſalia prius adhibita fuerint, eo utor. His adminiſtratis remediis, optimaque obſervata victus ratione, & alternis diebus adhibito enemate, febris, reliquaque ſymptomata, circa quartum multùm imminuta fuere: Vulnus quinetiam ad optimam digeſtionem ſeſe parabat, ita quidem ut ſeptimo die morbi nulla amplius adeſſet febris neque dolor. Elapſo ſeptimo, ſolo oleo betonicæ totum caput inunxi, vulneri verò ſequens unguentum impoſui.

℞. Terebinth. lotæ in aqua ſalviæ ℥ß. Gummi elemi diſſoluti in ol. betonic. ʒ ij. Pulveris radic. cariophyllatæ, Radic. Iridis, Flor. Ariſtoloch. rotund. Myrrhæ, Thuris, an. ʒß.

Cum ſ. q. mellis roſati, & vitelli ovi, fiat unguentum, quod filamentis imponendum eſt, Omnia denique emplaſtro de betonica obtegantur.

Quinta porrò die morbi, dolorem gravativum retro aures, & in ipſo collo uſque ad humerum perſentire cœpit, quibus in locis maxima & inſignis ecchymoſis facta eſt, non ſine ſingulari Dei & naturæ beneficio, quæ ſanguinem extravenatum & circa membranas cerebri collectum, per emunctoria expellebat. Tum mihi occurrebat ſimilis caſus, quem in puella cum Dom. Griffonio curavi, in qua natura ſimiliter ſeſe per hanc viam à ſanguine extravenato exoneravit, ut Cent. 1. Obſerv. 12. declaravimus. Ante quartam præterea diem, per intervalla guttula una aut altera ſanguinis puri per nares, præcipuè autem per dextram, nonnunquam tamen & per ſiniſtram emanavit. Quinto & ſexto non ſanguis purus, ſed aqua ſanguinolenta, effluxit. Septima, 8. 9. 10. & 11. multum ſanguinis coagulati pure admixti, 12. 13. & 14. verò non tam copioſè, ſed per intervalla emunxit. A decimo quinto uſque ad trigeſimum & ultra, multum purulentæ materiæ per nares excrevit. Ita ſingulari Dei beneficio feliciter curata fuit. Et fructum uſque ad conſtitutum tempus geſtavit. Tum parturientium doloribus correpta, gemellos progenuit, qui ut arbitror, ad hunc uſque annum 1608. ſuperſtites ſunt. Matrona verò, cùm poſt annos aliquot iterum utero geſtaret, & parturientium doloribus correpta eſſet, fœtum autem, vel ob ſituationem ſui ineptam, vel aliam ob cauſam eniti non poſſet, & periti Chirurgi in conſilium minimè vocarentur, miſera illa miſerè unà cum fœtu viam cum morte commutavit. *Idem Cent. 3.*

De vulnere quodam faciei inflicto, rara & admiranda.

A Georgio Fabro, D. Medico Gul. Fabr. Hildan. communicata.

Poſtquam civis quidam honeſtus ſuperius Roſbachii in Wetteravia, nomine Johannes Philippus à Bleichenbach, ad expedienda negotia Niddam profectus, cum ſenioris præfecti ibidem filio, Hermanno Crugio aliquantulum compotaſſet, inter cætera de ſalinis ſuis, quas poſſidet

parens, qualiſcunque facta eſt mentio. Quare ad inviſendas illas ambo procedunt. Inter eundum verò accidit, ut dictus Crugius, Bleichbachium gladio (non tamen diſtricto) in certamen provocaret, cui cum Bleichenbachius animo planè alacri nec hoſtili occurreret, ſeſeque defendere vellet, de improviſo à Crugio in ſiniſtram maxillam propè naſum graviter vulneratus eſt, & quidem adeò, ut illum ipſum gladium tanta vi faciei infixum, manubrio atque nodo in terram delapſis, ſibi ipſimet ambabus manibus totiſque viribus tandem extrahere coactus fuerit. Quo facto & extracto, nullum planè vaginæ vinculum, ſed nudum tantummodo gladii mucronem conſpicere licuit.

Etſi verò uterque ſuſpicati ſunt, illud ipſum vinculum in cranio ſeu capite adhuc deliteſcere, pro impoſſibili tamen rem arbitrati, in gramine potius (quia verno tempore in prato quodam viridi convenerant) anxiè, ſed fruſtrà quæſierunt iſtud. Unde Bleichenbachius Crugium precibus compellavit, ut digito quadantenus exploraret, num fortè in ipſo vulnere adhuc hæreret: quod & fecit, ſed nihil deprehendere potuit. Doloribus itaque magis magiſque ingraveſcentibus, nocteque ingruenti, ipſi tum temporis in proximo quodam pago pernoctandum, ſicque hac vice Chirurgi alicujus operâ carendum fuit.

Sequenti verò die Fridbergæ, à quodam barbitonſore vulnus ſpleniis, ſive faſciis tantummodò cooperiri paſſus eſt. Deinde in patria ſua Rosbachio, alterum quendam adhibuit; qui hoc vulnus ſolo emplaſtro nigro, ſive fodicationis (Germanicè *Stichpflaſter*) nullis injectis turundis, ſpatio ſex ſeptimanarum conſolidavit.

Cùm igitur per tres integras ſeptimanas vulnus ita conglutinatum eſſet, præ dolorum impatientia tandem reſecari curavit; ut hac ratione noxii humoris, veluti patefacto emiſſario liberiùs poſſet effluere virus. Iſto ſic aperto, perexiguum quoddam foramen retinuit, non ſecus ac ſubula quadam eſſet perforatum. Interea multas & varias potiones vulnerarias exhauſit, abſque ullo tamen alleviationis fructu. Poſt trimeſtre, famâ cujusdam Chirurgi, haud quidem imperiti, pellectus, Hanoviam ſeſe contulit, ubi ſeptuaginta quinque ſeptimanas commoratus, Medicorum quoque nonnullorum conſilio uſus eſt: verùm nullus eorum ad ſufficientem & plenariam hujus vulneris cognitionem pervenire potuit. Tandem verò prædicti Medici, unà cum Chirurgo, Cranio quopiam diſſecto & perforato, vinculum iſtud propè foramen (quemadmodum in utraque cranii parte circa nares exigua foramina conſpiciuntur) in illam ipſam ſinuoſam ſeu cartilagineam cavitatem, uniusdigiti longitudine ſub oſſe impactum fuiſſe, unanimi conſenſu collegerunt. Chirurgi & barbitonſores omnia ſua medicamenta in ipſius vinculi tantummodò cavitatem ingeſſerunt. Cùm verò omnia fruſtra tentata viderentur, Chirurgus tandem Hanovienſis, ſitum vulneri adjacentem ſemiſſis digiti latitudine novacula quadam, ad os uſque tranſverſim incidit, & carne digito ſeparata inquiſivit, ubi malum latitaret, exiſtimans os ſeu zygoma fortè carioſum ſeu denigratum eſſe, ſicque iſtud penitùs incorruptum, inſtrumentis quibuſdam corradendo malè tractavit, ſed brevi à ſeipſo rurſus coaluit. Poſteà ille ipſe Chirurgus variis multiſque per intervalla uſus eſt virulentis atque eſcaroticis medicamentis: ſed vulnus nullam omninò vim corroſivam ferre potuit; quamvis particulam carnis magnitudine ſeſtertii, omnino exederit.

Inde facies ab orta periculoſa oculi inflammatione adeò intumuit, ut nihil medicamentorum amplius applicare valuerit. Interea autem dum inflammationi extinguendæ ſtudet, excreſcentia quædam carnis ſubſequuta eſt. Denuum paternos reviſit lares. Nihilominus tamen humor aliquis quotidie effluxit, inſtar aquæ cujuſdam vitriolatæ, & colore ſingulis horis ter quaterve alterato, foramen iſtud, uti antea dictum, aliquantiſper adhuc remanſit.

Dolores quoque ità fuerunt exacerbati, ut præ illis ſomnum capere nequiverit. Hinc igitur commotus in Alſatiam profectus eſt, ibidemque obſidioni Moltzheimenſi & Dachſteinianæ interfuit, ubi dum ipſi in tanto æſtu armatura accincto, equitandum fuit, gena propè vulnus adeò intumuit, ut penè naſum ipſum adæquaverit. Unde ſibi ipſi pro certo perſuaſum habet, vinculum nimia iſtius caloris vi, ſeſe hoc modo paulatim exeruiſſe. Horum tandem omnium pertæſus, Fridbergam rediit, ibique duobus fratribus barbitonſoribus rem omnem explicuit, obnixè rogitans ut vulnus denuò reſecarent, & de origine ſeu fundamento diligentius indagarent, data fide, ſe fore contentum, etiamſi in ipſo momento mortem oppetere cogeretur. Qui quidem pluſquam tricelies cutim incidendo, periculum fecerunt, decem integras ſeptimanas conſumpſerunt, tandemque caſu potius quam arte, forcipula, quæ vulgò *Kornzænglein*, vinculum iſtud medicamentis atque unguentis totum adhuc repletum extraxerunt, quod ſanè tantùm de ſe ſe emiſit fœtorem & mucorem, ut patiens vix ipſe, nedum adſtantes iſtum tolerare potuerint. Poſtremò inter ſex ſeptimanas vulnus iſtud perfectè fuit ſanatum. Hoc gladii vinculum, quatuor annos, minus quinque ſeptimanarum, faciei infixum, decima tertia tandem Februarii anni elapſi 1611. fuit extractum. Nullum amplius dolorem perſentiſcit, niſi quod indicem ſive ſalutarem difficulter ori admovere queat, ob aliquam nervi, in iſto latere fortè inciſi, læſionem & convulſionem. *Idem ibidem.*

De infelici ſucceſſu potionis vulnerariæ.

Anno 1616. gladiator quidam M. Conradus Pancka, Dantiſcanus quidem natione, ſed Bernæ civitate donatus, vir adhuc juvenis, robuſtus & plethoricus, cùm duos nobiles inter ſe litigantes, alterum ab altero ſeparare vellet gladio acuto in brachium ſiniſtrum vulneratus fuit. Hæmorrhagia ſedata, ex conſilio amicorum ſolo decocto vulnerario (quod ibi non ſolùm in vulneribus, verùm etiam in quibuſdam aliis affectibus Panaceæ loco habetur) ex Pyrola, virga aurea, ſanicula, arteméſia & beta rubra in vino coctis, cùm barbitonſore quodam, M. Johann. Knopff nomine curationem aggreſſus eſt. Ter autem in die hauſtum decocti prædicti ſumebat, vulnuſque eodem decocto ter abluebat, linteumque inſuccatum decocto applicabat, ac reliquum negotium curationis omninò naturæ committebat. Ab initio curatio ad votum ſucceſſit.

Circa tertium verò exorta eſt inflammatio, dolor ingens, febris, nauſea & appetitus proſtratio. Quapropter cum ego in ſubſidium vocatus eſſem, manus totumque brachium intumefactum, & ad cubitum uſque inflammatum reperi: nec ſolum brachium intumefactum erat, verùm & muſculi pectoris per conſenſum afficiebantur: hinc quoque de anguſtia pectoris conquerebatur, propter vapores quoque ex inflammato brachio aſcendentes, cor nonnunquam veluti lipothymiâ afficiebatur. Vulnus autem in muſculo illo, qui à Veſalio tabula primâ muſculorum Annotatur, & ferè eo in loco, ubi verſus carpum in tendonem deſinit, exiſtebat; exteriùs veluti cruſta obductum & clauſum erat.

Accepto ſtylo exploratorio, cùm anguem in herba latentem detegere vellem, adſtantes me admonent, ne tale quid tentarem, nec vulnus refricarem; cutem enim ſuperficietenus tantummodo ſciſſam, ægrumque decoctum vulnerarium ab initio bibiſſe. Imaginantur namque ſibi noſtrates homines, decoctum hoc conſolidationem externam vulnerum non concedere, niſi ipſa concavitate prius conſolidata: ego tamen ſæpiſſimè contrarium magno ægrorum periculo obſervavi. Immiſſo ſtylo, cum vulnus ſpithamam ferè profundum eſſe, verſus cubitum ipſum penetrans vidiſſent ſupra modum admirati fuerunt. Inuncto brachio oleo anodyno turundam, quæ tamen dimidiam partem vulneris nondum attingebat, (profundius enim prima vice pervenire non potui) digeſtivo noſtro alibi in affectibus capitis deſcripto inunctam impoſui, & linteum in refrigerativo madefactum tepidè applicui: victus rationem tenuem præſcripſi, vinoque ipſi planè interdixi. Et cum julapium ex refrigerantibus & corroborantibus circa nonam noctis propinaſſem, longè quietior noctem illam tranſegit, & aliquantulum meliùs habere cœpit. Altera die circa ſextam matutinam Cholagogum exhibui, cujus beneficio corpus clementer expurgatum fuit. Brachium iterum inunxi, turundam paulò longiorem impoſui: idem quotieſcunque vulnus curabam, tentavi, donec ad fundum vulneris pervenerim. Non autem expedit, quod diligenter notandum, ut turunda ejus ſit craſſitiei, ut totum vulnus adimpleat: hinc enim dolor continuus, aliaque peſſima ſymptomata excitarentur; ſed ſufficit, ut circa ſuperficiem vulneris, tres tantummodò partes vulneris adimpleat, & quarta remaneat vacua, ne labia vulneris à turunda extendantur. Turunda autem ex linteis ſuaviſſimis eo modo fabricata eſt, ut formam planè pyramidalem habeat, quo tandem circa fundum vulneris quartam ſolummodò partem vulneris adimpleat, vacuo relicto, ne generatio carnis impediatur; propter eandem quoque cauſſam, digeſto vulnere, turunda ſingulis ferè diebus aliquantum abbrevianda eſt.

Cæterùm poſt dies aliquot, cùm ſymptomata, veluti dolorem, intumefactionem brachii, nec non inflammationem non ſatis remittere viderem, indeque colligerem, adhuc aliquid nobis nondum ſatis cognitum ſubeſſe, eamque ob cauſſam iterum ſtylo argenteo vulnus explorarem, ſecundum inveni ſinum (non tamen ejuſdem profunditatis) ſub vena, quam vocant cephalicam, verſus medianam penetrantem.

In ſuperficie itaque, videlicet in cute, unum erat, in ipſis verò muſculis duplex erat vulnus, quod quidem diligenter notandum: quotieſcunque enim hujuſmodi reduplicatio vulneris accidit, æger verſatur in periculo: dum enim Chirurgus curat unum, alterum verò ſibi incognitum negligit, peſſima ſuboriuntur ſymptomata, quemadmodum aliquoties mihi videre contigit.

Detecto itaque altero vulnere, turundam quoque eodem unguento inunctam immiſi. Idque bis in die: brachium totum prædicto oleo inunxi, & ſequens cataplaſma applicui.

℞. Farinæ hordei, Fabarum ana ℥i. Pulv. Roſarum Rubearum. Balauſt. ana ℥ii. Chamomil. Melilot. ana ʒi.

Cum poſca, fiat cataplaſma: adde ſub finem parum olei roſacei & vitellum unius ovi unà cum albumine. Hanc methodum ante decimum quartum diem non mutavi, deinde ſarcoticis, & cicatricem inducentibus curationem feliciter abſolvi, obſervatâ tamen optima victus ratione, & laxata alvo, quotieſcunque neceſſitas urgebat.

Porrò reduplicatio hujuſmodi vulnerum accidit, aut propter tremulentiam manus, quæ vulnus infligit, aut propter motum, agitationemque corporis vulnerati. Iracundus enim infligendo vulnus, profectò non eandem prudentiam ac circumſpectionem adhibet, qua nos utimur in operationibus Chirurgicis: neque ipſius intentio eſt, uti noſtra, videlicet curare, ſed ut plurimùm enecare potius; utut autem ſit, non vacat periculo maximo hujuſmodi reduplicatio vulneris, imprimis ſi Chirurgus ignarus aut negligens fuerit, quemadmodum antea quoque monui. *Idem Cent.* 4.

De vulnere reduplicato & graviſſimis inde ſequutis ſymptomatibus.

Reduplicationem vulnerum, periculoſam eſſe, in præcedenti obſervatione obiter notavimus: idque nunc in gratiam tyronum exemplo non vulgari oſtendere non gravabor. Reduplicationem autem vulneris voco quando in cute unum exiſtit vulnus, in muſculis verò duo, aut etiam, ut me vidiſſe memini, tria reperiuntur; idque propter cauſſas in præcedenti obſervatione allatas; hinc aliquando ægri graviſſimis periculoſiſſimiſque ſymptomatibus, abſque cauſſa Chirurgo cognita corripiuntur, quemadmodum ex ſequenti obſervatione videre licet.

Circa annum 1608. ruſticus quidam in Perroy ad lacum Lemmanum, in duello vulnus in coxam dextram, è regione ferè articuli, gladio acuto recepit. Advocato barbitonſore, qui immiſſo ſtylo exploratorio, vulnus ſurſum verſus os ſacrum aſcendens reperit. Id quamvis ea, quâ fieri potuit diligentiâ curaret, nihilominus circa tertium exortus eſt dolor maximus, inflammatio, febris, aliaque graviſſima ſymptomata. Ego circa ſextum morbi, literis nobiliſſimi Viri Dn. Joh. de Martines Dn. in Bourjou piæ memoriæ, cùm accerſitus eſſem, hominem in maximis anguſtiis reperi, tam magnus erat dolor, inflammatio, febris, & difficultas in reddendis urinis (tota enim clunis uſque ad podicem & peri

peri

perinæum intumefacta erat) immiſſo ſtylo, aliud vulnus, quod barbitonſor non obſevaverat, deorſum per medium clunis verſus podicem deſcendens reperi.

Cæterùm cum vulnus externum in cute ita anguſtum, ut ambas turundas excipere non poſſet, & alterum à me detectum valdè profundum eſſet, deorſumque tenderet, ſuaſi adſtantibus & amicis, ut ex inferiori parte incideretur, quo pus eo melius effluere poſſet. Exonerata itaque alvo beneficio enematis, & immiſſo ſtylo excavato, & ex una parte aperto, ad ipſum fundum vulneris uſque ſcalpellum per rimam, aut excavationem ipſam ſtyli detruſi & impreſſi, donec quod reliquum erat carnis unà cum cute, acie ſcalpelli transfigerem: quo facto, & extracto ſcalpello, funem ex ſerico rubro paratam, & digeſtivo inunctam impoſui, coxam ad genu uſque totumque latus oleo anodyno inunxi, & loco affecto ſequens cataplaſma calidè applicui.

℞. Micæ panis ℔i. pulv. ſeminis fœnigræci, lini, cydoniorum, meliloti an. ℥ß. Pulv. roſar. rubear. ℥i. croci ʒß. Coquantur cum lacte vaccino, fiatque cataplaſma, addendo vitellos ovorum num. 2.

Poſt cœnam julapium ex refrigerantibus, corroborantibus, & dolorem lenientibus exhibui: hinc melius quievit ea nocte, urinamque minori cum difficultate excrevit. Sequenti die cholagogo corpus evacuavi, poſtera die venam in cubito incidi, & ſecundum tolerantiam virium ſanguinem extraxi. Vulnus autem in duodecimum, aut decimum quartum diem prædictis remediis bis in die curavi: funem ad minimum ſemel in die extraxi, recentemque eodem digeſtivo inunctam impoſui. Hæc methodo cùm per dies aliquot, uti dixi, uſus fuiſſem, & æger optimam, tenuemque victus rationem obſervaſſet, dolor, reliquaque ſymptomata remiſerunt. Digeſto ſatis & mundificato vulnere, ſarcoticis & cicatricem inducentibus curationem feliciter abſolvi. *Idem ibidem.*

Aqua admiranda in Vulneribus.

Habet hoc oleum vim curandi omnia vulnera & ulcera. Ita fit.

℞. Olei commun. antiq. ℔x. reſin. pini, terebinth. ceræ, an. ℥ii. hyperic. roriſmar. roſ. millefol. an. M. ß. croci ʒi. pingued porci rec. ℥vi. bulliant in balneo M. quo oleo calidiſſimo, quantum ferre poſſit æger, quidam omnia vulnera curabat. Ad ulcera quoque maximè confert. Aliud.

℞. Aqu. vitæ opt. & generoſi vini pluries circulatæ, q. v. ponatur in boccia vitrea colli longioris: diligenter obturetur os, digeratur per viginti dies ſub fimo equino calido, ita tamen, ut ſuperior pars ſit extra ſtercus aeri expoſita; apparebit poſt viginti dies aqua cærulea ſupra fæces, quæ erunt coloris albi: ſeparetur hæc aqua paulatim per inclinationem à fæcibus, & reponatur in vas vitreum bene obturatum ad uſum. Hæc eſt illa aqua qua (ni fallor) nuper quidam utitur Venetius, ad curanda omnia vulnera ad admirationem uſque. Vocatur hæc aqua à nobis divina. *Rodericus à Fonſeca. tomo 2. conſult. 16.*

Pro Vulnere Sclopeti in brachio.

Fiat degeſtio ex terebinth. ovi luteo & oleo roſac. In eandem intentionem præ cæteris laudatur oleum catulorum, quod omnibus digeſtivis anteponendum eſt. Eſt enim huic oleo vis mirifica, tum ſedandi doloris, tum puris in ulcere maturandi, Si verò tale oleum non adſit, digeratur vulnus hoc digeſtivo.

℞. Ol. ſem. lini & lil. alb. an. ℥iii. unguenti baſilici ℥i. liquefiant ſimul, quo oleo calenti madefiant penicilla, & intromittantur.

Suppurato vulnere, abſtergendum eſt & mundificandum ita.

℞. Terebinth. cum aq. roſ. lotæ ℥iv. ol. roſ. ℥i. mell. roſac. ℥iii. myrrh. aloës, maſtich. ariſtol. rot. an. ʒiß. farin. hord. ℥iii. M. quo abſtergetur ulcus, & caro gignetur: Si ob longitudinem ſinus medicamentum non poſſit attingere omnes partes, per interjectiones abſtergendum erit ita.

℞. Aq. hord ℔iv. agrimon. cent. min. pimpinell. abſynth. an. M. ß. rad. ariſtol. rot. ʒß. F. decoctio ad ℔i. colat. add. aloes hepat ʒiii. mell. roſac. ℥ii. bulliant parum F. injectio intra ſinum. *Rodericus à Fonſeca. tom. 2. conſult. 2.*

Pro Vulnere ſimplici in carne.

Statim huic candidum ovi (ut fieri ſolet) agitatum ſtupâ canabinâ exceptum admotum eſt; deinde ſuto vulnere, appoſitus eſt hic Pulvis ruber.

℞. Bol. armen. terr. ſigill. an. ʒvi. thur. maſtich. ſarcocoll. an. ʒiiß. myrrh. aloës, an. ʒiß. tragacanth. piſti, ſang. drac. an. ʒi. farin. hord. & fabar. an. ʒß. F. pulvis qui cum ovi candido liquore agitetur, donec in corpus unum coeat, quod glutinis inſtar lenteſcat, poſtea ſtupis lenibus excipiendum erit medicamentum, & ita vulneri admovendum. Supra quod & aliæ ſtupæ ſolo ovi albo imbutæ, & intra pannum lineum eodem madefactum liquore involutæ apponendæ ſunt. Sed & ſupra vulnus, nulla alia intercedente materia, pannus aliquis tenuis prædicto liquore imbutus admoveri debet, ne ſcilicet dum removentur ſtupæ, futuræ jam factæ fila abrumpant aut dilacerent. Loca etiam circumjacentia oleo roſac. inuncta fuere. Primus hic apparatus uſque in quartum diem mutari non debet: quod ſi poſt quartum diem tranſactum, vulnus non coaluerit, vino aliquo ſtiptico calente abluendum eſt. Deinde ſtupæ prædicto vino imbutæ & expreſſæ ſuper ipſum vulnus apponendæ erunt, quas & quotidie mutare oportebit. Intra enim paucos dies hoc modo vulnus adglutinabimus & perſanabimus. Vinum omnis vulneris, qua vulnus eſt; optimum eſt medicamentum: ſiccat enim & adſtringit. *Petrus Foreſtus. obſerv. 23. & ſchol. lib. 6. Obſerv. Chirurg.*

Pro Vulnere cavo.

Chirurgus quidam hoc medicamento ad vulnus carne implendum, & ad deperditam carnem generandam feliciter cum linamentis utebatur.

℞. Terebinth. ℥iv. ol. myrtin. ℥ii. reſin. pini, colophon. an. ℥i. thur. ℥iß. ſang. drac. ℥i. ceræ parum. F. unguentum. Eſt unguentum quoddam,

fine

ſine quo eſſe nolo, vocatum, in generando carnem apprime Nobile; & tale eſt.

℞. Thur. myrrh. an. ℥ii. ſang. drac. ʒß. picis græc. & navalis, an. ℥i. centaur. ʒß. terebinth. reſin. pini. an. ℥ß. ſævi vaccin. ℥ß. ceræ ℥iß. ol. q. ſ. F. unguentum. *Idem. obſerv. 23. & ſchol. lib. 6. Obſerv. Chir.*

Vulneribus carne repletis, cicatricem inducere ſolebat *Jo. Carpus* inſignis Chirurgus modò cum unguento de ceruſſa, modò cum tetrapharmaco. Sed & hoc ſequens unguentum cicatricem inducit.

℞. Terebinth. ℥ß. ol. roſ. myrtin. an. ℥i. ſævi caſtrat. ℥ii. ceræ ℥iv. litharg. plumbi uſti, minii, ceruſſ. an. ʒiii. corall. rubr. ʒi. tutiæ præp. ℈ii. F. unguentum. *Petrus Foreſtus. obſerv. 26. lib. 6. obſerv. Chir.*

Pro Vulnere cum contuſione.

In contuſione cum vulnere facta à bombarda in crure, aut in alio loco, Chirurgus quidam loca contuſa ungebat oleo roſac. quo & *Carpus* uti ſolebat.

Inter alia etiam utebatur hoc unguento.

℞. Ol. roſac. ℥viii. ol. vitell. ovor. ℥ii. vitri albiſſ. ſubtiliſſ. pulveriz. ℥i. ceræ albæ ℥iß. cortic. mediani ſambuci M. i. bulliant omnia S. A. & colentur. Huic non eſt par à principio, uſque ad repletionem carnis, & eſt mirabile in omni combuſtione ignis. Sed in contuſionibus prædictis, Hoc unguentum ſolum eſt utendum, quouſque mala qualitas ſit remota; deinde curantur ut aliæ contuſiones. *Foreſtus. obſerv. 26. libr. 6. obſerv. Chirurg.*

Pro Vulnere cum hæmorrhagia.

Chirurgus quidam ad ſanguinem à vulnere profluentem reſtringendum, commodè hoc reſtrictivo utebatur.

℞. Vitriol. romam. ℔i. aceti vini ℔ii. boli ℥i. adde, ſi velis, croci Martis, & minus fallet ℥i. M. Quidam hoc tempore ſolo croco Martis contenti ſunt. Hoc quod ſequitur, ut à quodam accepi, nunquam feſellit.

℞. Argenti ſublimat. ℥i. probè miſce cum unguento populeo, & utere. Alius hoc reſtrictivo in vulneribus nimium ſanguinem effundentibus utebatur. Uſneam ſeu muſcum arboris ſambuci in vulnere ponebat, & non extrahebat priuſquam vulnus palleſceret; ſanguinem enim in vulnere reſtringit: quemadmodum vaſa ſpermatica vituli cum didymo ſi comburantur, & in pulverem redigantur, mirabiliter ſanguinem ſtringunt; hoc pulvere utuntur Judæi dum puellos circumcidunt.

Alius Chirurgus inſignis hoc pulvere utebatur.

℞. Calcis vivæ, vitriol. albi, aloes, an. q. ſ. Sed & hic pulvis valet ad reſtringendum ſanguinem.

℞. Alumin. combuſt. cortic. granat. aloes, an. ʒi. vitriol. roman. ʒß. ſang. drac. balauſt. an. ℈i. acaciæ ℈i. fiat pulvis. *Petrus Foreſtus. obſerv. 37. lib. 6. obſerv. Chirurg.*

Pro vulnere in junctura humidum quid extillante.

Hoc unguentum contulit.

℞. Terebinth. lotæ in aq. ſalv. ʒß. mell. commun. vel roſac. ʒiii. farin. hord. ʒii. aloes ſuccotrin. ʒiii. F. unguentum.

Chirurgus quidam hoc ſequenti utebatur unguento in ſimilibus accidentibus.

℞. Farin. ſem. lini, farin. hord. orobi, an. part. æq. mell. q. ſ. ad incorporandas prædictas farinas ſupra ignem ad ſpiſſitudinem pultis, deinde cùm frigidum evaſerit, adde pulv. thuris, myrrh. an. ℥ß. confice ad modum unguenti. His nervorum ac tendinum vulneribus cæſim acceptis expeditiſſimum apprimeque idoneum eſſe creditur, quod unguentum ex vermibus vulgò nuncupatur. Recipit autem cent. min. linguæ canis lanceolatæ (quæ plantago eſt maj. anguſtifolia) piloſell. conſolid. maj. & min. an. M. j. verm. terreſtr. ℔ß. ol. commun. ℔i. vini ℔iß. ſubigantur ſimul, & ita ſeptem diebus nutriantur ſeu fermentantur. Deinde illis adde ſævi arietis. ℔i. picis nigr. reſin. an. quart. j. gummi ammoniac. galban. opoponac. in aceto diſſolut. an. ʒv. ſimul omnia moderato igne decoq. uſque ad vini & aceti conſumptionem & colentur. Ubi penè refrixerint; adde terebinth. quart. ß. thur. maſtich. ſarcocoll. an. ʒiii. croci ʒii. ſpatulâ agitentur in mortario, ut F. unguentum. Si nervus ſit nudatus, non applicabis acria medicamenta. Tunc præſtantiſſimum erit, calcem æſtatis tempore diebus canicularibus ſub Sole aqua ſalubri & dulciſſima ſæpius elotam, & exſiccatam, plurimo optimoque roſaceo admixtam apponere. Congruit etiam in hoc caſu unguentum diapompholig. ut & emplaſtr. diachalcitid. *Petrus Foreſtus. obſerv. 39. & ſchol. lib. 6. obſerv. Chir.*

Pro Vulnere.

Vulneri turundam balſamo ſulphur. imbutam mane ac veſperi applicabam, quæ per agglutinationem & concretionem (quæ facultates peculiares ac mirificæ ſunt in hoc oleo) ſanabatur intra quatuor dies. Sic cætera vulnera omnia etiam à tormentis bellicis & ſclopetis accepta, miraculosè curavimus. *Martinus Rulandus. curat. 88. cent. 1.*

Vulnera mane & veſperi vino mundifico: poſtea goſſipium aut linteolum in oleum hyperic. intinctum vulneri applico; atque hoc perfacili remedio vulnera citò certoque ſine majore negotio ſano. *Martinus Rulandus. curat. 6. cent. 3.*

In parte nervoſa vulnerata utendum eſt lenibus ac dolorem placantibus, ne à dolore fluxio incumbat parti: quare pax ſit à validè refrigerantidus & ſtringentibus: potius calidis ſiccantibus curentur. Sæpè non ſine ſucceſſu author fui Chirurgis, ut in his uterentur oleo extuſo ex ſem. hyperici, cui immacerati fuerant flores hyperici. *Jo. Heurnius, ad aphor. 66. ſect. 5.*

Vidi domicellam quæ in humeri & ſcapulæ articulo vulnus acceperat. Nullus tumor apparebat, leniter inſaniebat, ac claudi januas ac feneſtras volebat, ne alicubi mors ingrederetur: obiit. Virum vidi, qui lapſu humeri carnem læſerat,

læſerat, nullus tumor, leniter inſaniebat, edere nolebat, verebatur enim ne cochlearia ac patinæ irreperent in ventriculum, obiit. *Jo. Hennius. ad aphor. 65. ſect. 5.*

Succus urticæ cum urina pueri miſtus abluendo, vulnera citò & mirè ſanat. *Felix Platerus. practic. tom. 2. cap. 17. pag. 809.*

Inter vulgus noſtrum celebre & decantatum eſt unguentum *Torchilli* Ruſtici Cimbri, quo feliciter utuntur in vulneribus recentibus & inveratis, in nervorum reſolutione, & quàm plurimis aliis affectibus, ut huc tanquam ad ſacram anchoram confugiant, quanquàm ex lege artis confectum non ſit, contemnenda tamen neutiquam eſt plebei hominis experientia, quandoque olitor eſt opportuna locutus. Ut ad plures unguentum perveniat, non gravabor ejus compoſitionem hîc ſignare.

♃. Balſamitæ ſeu ſalviæ part. iv. millefol. part. iii. quæ colligantur exeunte menſe Majo, vel aliàs pro tempeſtatis varietate, minutim inciſa ſimul coquantur per horas duas in vaſe cum butyri Majalis ℔viii. colentur; & colatura iterum igni imponatur, admixtis ſævi cervini ℔ii. & ſævi hircini ℔i. ceræ ℔ß. reſin. pini, quart. j. terebinth. ℔iß. coq. omnia invicem donec diſſoluta ſint, deinde ab igne remotis, addendum tantum ærugin. minutim contuſi, & viridi colore tingantur, immiſcendæ quoque ol. ſpicæ ℥ii. & ita omnia invicem permiſceantur, & agitentur donec refrigeſcant. Aliud ejuſdem unguentum ad membrorum dolores, fracturas oſſium, luxationes, alioſque externos morbos, qui integra & illæſa cute moleſti ſunt, miris à vulgo encomiis laudatur, cujus hæc eſt conficiendi ratio.

♃. Abſinth. marin. virid. quartarium vaſis, conſolid. maj. tantundem; minutim conciſa coq. per horas duas in butyri Majalis ℔x. & colentur. Colatura ſuper novum ignem reponatur cum ſævi cervin. ℔ii. axung. taxi ℔i. ceræ ℔ß. terebinth. ℔iiß. donec hæc liqueſcant. Deinde ab igne remotis, addantur olei juniper. ℥iv. & invicem agitentur donec refrigeſcant. *Thomas Bartholinus. hiſtor. 23. cent. 6.*

Nuper patefactum eſt remedium ſympatheticum, quod ſanat eminus. Doctor Theologus quidam retulit mihi, quod cùm non poſſet aſſequi, ſubeſſe in chalcantho vim naturalem ſanandi vulnus abſens, ſi linteo cruento adſpergeretur, ideoque reputaſſe operâ Diaboli iſtam ſanationem contingere: ex altera autem parte vidiſſe aliquot experientias à viris probis factas: itaque in re dubia & caſu Conſcientiæ, ſe feciſſe experientiam rei hoc modo. Inſperſit pulverem optimi chalcanthi linteo cruento, cum proteſtatione expreſſa, ſe nolle quicquam experiri, aut ſanatum iri, ſi vel minima eſſet pacti aut cacodæmonis operatio: ſe vidiſſe tamen vulnus ſolito citius ſanatum, cruorem etiam ſtatim ſedatum: adeoque deinde ſe credidiſſe cauſas naturales, quanquam nobis ignotas, operari in præfata ſympathetica curatione. *Jo. Helmont. tract. cui tit. Butler.*

Pro Vulnere Medicamentum Præſtantiſſimum.

Non poſſum ſilentio involvere medicamentum quoddam præſtantiſſimum ad partium nervoſarum vulnera; cujus deſcriptionem ab Hiſpano quodam Sacerdote fide digniſſimo accepi, qui retulit in Hiſpania non licere hoc medicamentum componere, quòd homines medicamenti viribus confiſi, facilè digladientur, inque arenam deſcendant. Eſt autem hoc.

♃. Olei vetuſtiſſ. ℥iv. terebinth. puræ ℥viii. frumenti integri ℥iß. hyperic. ℥ii. rad. card. bened. & rad. valerian. an. ℥i. thur. pulver. ℥i. radices & herbæ craſſo modo contundantur, in olla ponantur, & tantum vini albi ſuperfundatur, ut omnia in vino mergantur; & per biduum facta infuſione, oleum & frumentum adjiciantur, & coq. omnia ad vini conſumptionem: mox facta forti expreſſione addatur terebinthina & thus: & iterum parum ſinantur bullire: ſerventurque in vaſe vitreo. Sanat vulnera, ut ajunt, ſpatio viginti quatuor horarum. Modus utendi talis eſt; abluto prius vulnere vino albo frigido, ſtatim inungitur totum vulnus oleo prædicto calente, quod ſi hoc fieri commodè nequeat, per ſiphonem intra vulnus, tanquam per clyſterem immittitur, & confeſtim labia vulneris ad mutuum contactum odducuntur, deligaturâ, ſuturâ, aut glutine: Deinde partes circumſtantes prædicto oleo ſimiliter inunguntur. Supra verò vulneris labia jam reducta linteum imponitur, prædicto oleo madens, & ſupra hoc aliud vino nigro expreſſum, mox alia lintea ſicca; deinde faſcia ſuperligatur. *Hieron. Fabritius ab Aquapendente Chirurg. part. 2. lib. 2. cap. 7.*

Pro vulnere ſub ala ad pulmones penetrante.

Injectiones primùm abſtergentes, poſtea ſiccantes & conſolidantes ſucceſſivè in vulnus per ſyringam infundantur tepidè, corpore ita collocato ut rurſus effluere poſſint. Abſtergens injectio talis ſit.

♃. Seri lactis caprilli ℥viii. mell. roſ. ℥ii. ſucci apii, chelidon. an. ℥i. ſarcocoll. infuſ. in lacte & ſolut. ʒiß. terebinth. cum vitell. ovi ſolut ʒii. M. F. injectio abſtergens; interlapſo med. die, injectio conſolidans adhibeatur ita.

♃. Lactis caprin. in quo igniti ſilices ſunt extincti ℔iß. diſſolv. ſucc. plantag. rad. conſolid. maj. an. ℥i. ſarcocoll. infuſ. & ſolut. in lacte ʒiß. terebinth. ſolut. cum vitel. ovi ʒii. M. F. injectio conſolidans. Si multum puris emanet, abſtergente frequentius, ſin minus, conſolidante utatur. Bibat ſingulis diebus lac caprillum, & ſi pus remittat, ovillum ad ℥iv. pro vice, ſumendo mane in lecto cum ʒiß. ſequentis pulveris.

♃. Rad. conſolid. maj. ʒii. rad. alth. ʒi. liquir. ʒiii. ſem. plantag. ʒ i. ſem. hyoſcyam. ʒß. ocul. cancri ʒi. gummi arab. tragac. an. ʒß. ſacch. roſ. tabul. ℥iv. M. F. pulvis. Injiciantur vulneri turundæ iſto unguento tinctæ.

℞. Terebinth. lotæ in aq. ſalv. ℥ß. mell. roſ. ʒiii. farin. hord. ʒiii. aloes ſuccotrin. ʒiii. M. F. unguentum. Paretur potus vulnerarius thoracicus in hunc modum.

℞. Herbar. pyrol. veronic. alchymill. caryophyllat. caul. rubr. ſanicul. utriuſque an. M. j. ungul. caballin. Miß. agrimon. pentaphyl. an. M. ß. rad. conſolid. maj. ʒiii. rad. biſtort. ʒi. coq. in aq. font. ad. ℔i. add. mell. roſ. colat. ℥ii. ſyr. jujub. ℥i. M. pro decocto traumatico. *Jo. Petrus Lotichius. obſerv. 6. cap. 8. lib. 6.*

Pro vulnere, in Pectore.

Vulneratus quidam in pectore cum globo ſclopeti ſequenti potu curatus fuit.

℞. Pulv. artemiſ. conſolid. maj. buglæ, ungul. caballin. hyſſop. caul. rubr. an. M. j. vel ii. coq. in vino & aqua, addendo in fine mell. q. ſ. & F. potus.

Hæc potio ſequens mirabilis, ad vulnera interna valere dicitur.

℞. Agrimon, pimpinell. fol. oleæ, cent. min. ſtæch. arab. ſalv. piloſell. conſolid. utriuſque arnogloſſ. caryophillat. rubiæ tinct. pedis columbin. hormin. abſinth. tanacet. heder. terreſtr. fragar. bugloſſ. gentian. betonic. verben. an. M. ß. bulliant in tribus quartis vini ad quart. j. Poſtea adde mellis ℥viii. colentur in modum clareti. Alii conficiunt ex pyrola, betonica, caryophillat. conſolidis, diaboli morſu, ſanicula, bugla, pervinca, in cereviſia, vino, aut aqua in duplici vaſe cum melle. Alia potio mirabilis, quæ dicitur fistulam curare, oſſa fracta de vulneribus projicere.

℞. Valerian. caulium rubr. fragar. abrotan. tanacet. ſummitat. & rad. lapath. acut. tormentill. rub. tinct. plantag. lanceolatæ, caryophillat. card. ben. an. M. j. ſem. fœnic. apii, petroſel. an. ℥ß. ſem. canab. ℔ß. groſſo modo pulverizata, coq. in ℔x. vini albi, uſque ad conſumptionem medietatis, additis ℔iii. mellis, F. Apozema. detur quolibet mane & ſero cyathus. *Petrus Foreſtus, ſchol. obſ. 17. lib. 6. obſ. Chir.*

Pluribus experimentis comprobatum audio millefolii virtutem ad vulnerum coitionem, indieſque novis obſervationibus confirmari: referam ſolùm quod ab Hollerio in Chir. adnotatur. Cuidam deciſus naſus erat, qua os in cartilaginem deſinit; Ruſticus propendentem partem alteri digitis conjunxit, herbam tuſam & è vino nigro tritam, quod millefol. appellant, impegit, rudius omnia colligavit, unde celerrimè reſtitit ſanguis profluens, & vulnus pulchra cicatrice brevi coiit. *Jul. Cæſar. Baricellus. hortul. genial. pag. 210.*

In ulmo arbore inveniuntur veſiculæ quædam, in quibus gummi latet, ad inſtar lenti & glutinoſi humoris, ex quo culices generantur. Humorem hunc unà cum culicibus colligit *Michaël Sterpinus* inſignis Chymicus menſe Junio, in phiala vitrea, qui glutinoſus eſt inſtar argenti vivi, ſed in vitrum conjectus ruſeſcit. Poſt plures dies colat, & infundit flores ac rad. Symphyti maj. conciſas, recentes, macerátque in Sole per aliquot dies: tum aquoſitate in cineribus per deſtillationem abſtracta ad dimidium, colat per filtrum, & conficit balſamum vulnerarium, quod ſe in plurimis expertum teſtatur conſolidare vulnera recentia viginti quatuor horarum ſpatio, certiſſimo eventu. *Hieron. Reuſn. obſerv. 136.*

Vulnus cum fractura Cranii, & effluxu particulæ Cerebri, in ſene ſexagenario.

Memini me curaſſe ſenem ſexagenarium, præſentibus Excell. D. Veſlingio, meo tunc diſcipulo, præclariſſimo, ac eruditiſſimo Joanne Rhodio, multiſque Studioſis, qui cùm noctu decidiſſet ex ſcala in caput, impegit in lebetem æneum, ſecuto inde vulnere, cum dilatatione ſuturæ coronalis, ut oſſa bregmatis digitis omnino undiquaque moverentur; ea verò parte, quæ cartilaginea in pueris ſolet eſſe, inveni oſſa fracta, quibus eductis, poſtmodum foramen magnitudine magnæ avellanæ ſuperſtes fuit, ex quo copia cerebri corrupti exivit; Æger verò infraſcripta hac methodo curatus, vixit decem, & plures annos ſanus.

A principio vulnus dilatavi ferramento incidente; deinde eduxi oſſa illa fracta, unde membranæ manifeſtiſſimè apparuerunt laceratæ, & contuſæ, quæ putruerunt, cum cerebro ſub ipſis corrupto. Interim ſupra membranas applicui mel roſaceum duos, vel tres dies, poſtmodum oleum abietinum, cum melle roſaceo miſtum, ad detergendam, & concoquendam materiam in ipſis, & cerebro hærentem, à quibus pro corroboratione, portiunculam Balſami nigri Occidentali, cum pauco oleo hyperici indidi; quod verò mirum, contuſum cerebrum ante applicationem medicamentorum, cum abſtergerem goſſypio, mane, & veſperi, ejus portio prodiit, cœpitque medicamento præſcripto rubeſcere, ſupra quod caro genita fuit, operuitque totam partem læſam, ut ſolummodo filamenta imbuta unguento ex tuthia applicuerim, ſuperinjecto cerato ex Diachalcitide; quibus ſpatio duorum menſium æger fuit feliciter ſanatus; adminiſtratis tamen prius univerſalibus, immiſſo ſcil. clyſtere, vena ſecta ex ſalvatella; necnon etiam per intervalla cucurbitulis ſcarificatis & non ſcarificatis admotis, lenientibus, alterantibus, & Diæta convenienti; verbo, omnibus illis peractis, quæ inflammationem, & fluxionem prohibere apta erant. *Petrus de Marchettis Obſeruationum Chirurgicar. Sylloge.*

Vulnus partis poſticæ capitis, cum fractura cranii & cerebri parte corrupta excreta.

Alium patientem quadragenarium curavi, vulneratum parte poſtica capitis, paulo ſupra ſuturam lambdoidem. Vulnus erat magnum quatuor digitos tranſverſos, os movebatur ad tactum, & membranæ cum cerebro erant ſciſſæ. Ab initio barbitonſor adhibuerat ſtupas imbutas ovi albumine; ego verò ſequenti die vocatus, ſupra cerebrum appoſui filamenta arida tenuiſſima, membranis verò oleum roſaceum, quia erant inflammatæ, labiis vulneris digeſtivum roſaceum; poſtmodum linimentum ſimplex, cataplaſmata cephalica, & embrocationes ex oleo roſaceo undique circa partem læſam; atque in curatione quotidie goſſypio abſtergebam portiunculas cerebri vulnerati, & corrupti; à quibus aliquot poſt dies ſupra ipſum adhibui oleum hyperici; ex cujus uſu decimo quarto die exacto cœpit ſuccreſcere caro rubra: poſtmodum uſus ſum unguento ex Betonica ſupra ipſam carnem, per aliquot dies, eo conſilio, ut hæc citius gigneretur. Tandem filamentis mollioribus, & cerato ex diachalcitide cicatricem induxi, ut ſpatio quinquaginta dierũ fuerit perfectè ſanatus æger.

Animadvertendum tamen, quod in omnibus vulneribus cùm capitis, tum aliarum partium niſi fuerint parvi momenti, ſemper curatio inſtituenda eſt, quæ proſpiciat toti corpori, ſanguine ſcilicet educto, lenientibus, alterantibus, & purgantibus exhibitis, cum optima victus ratione, prout opus fuerit, quod etiam

in hoc patiente diligentiſſimè factum fuit. Quod ſemel dixiſſe volo, nè in poſterum id fruſtra repetendum mihi ſit. *Idem ibidem.*

Portio Cerebri, cum annexa dura, & pia membrana, ex Cranii fractura educta.

Carolum Juſtachinum, civem Patavinum curavi, enſe ſauciatum ſupra caput, prope ſuturam ſagittalem, cum læſione Cranii, & membranarum; prima ſiquidem lamina, & ſpongioſa erant ſeparatæ à vitrea; quæ latitudine ſuperabat craſſitiem digiti pollicis, longitudine digitum annularem. Hæc verò non ſolum ſeparata erat à prædictis partibus, ſed etiam contuſa, & ſimul cum dura menynge rupta, cui hæc lamina adhærebat. Tonſor à principio dilatavit vulnus, & appoſuit medicamenta accommodata, in ſuperiori obſervatione propoſita, quæ non repeto; ſequenti die, propter ſymptomata indicantia terebrationem, perforavi os, ex cujus foramine aliqua portio ſanguinis effuſi prodiit; applicui deinde medicamenta inflammationi, & contuſioni ipſius membranæ, ut ſupra diximus, dicata, eadem methodo per aliquot dies; dum verò progreſſu temporis abſtergebam partes ipſas ſubjectas, goſſypio ſtylo obvoluto, vitream laminam hinc inde moveri percepi, ut coactus fuerim novam cranii perforationem primæ contiguam efficere, ut educerem vitream ſeparatam ab aliis partibus oſſis: verùm omnia in caſſum, quia magnitudo ipſius vitreæ excedebat latitudinem foraminis facti: quare paravi forcipem validum ſatis, quo apprehendi ipſam laminam, atque ſingulis diebus portiunculam ipſius abſcidi; quam tandem diminutam volſellâ eduxi, cui annexæ erant membranæ dura, & pia, cum portiuncula ipſius cerebri; eductâ laminâ, infudi vinum album alteratum Betonicâ, matriſylvâ, ſtœchade, per aliquot dies, & ſpatio viginti dierum cœpit caro rubra apparere ſupra cerebrum, erumpentibus undique circa omnes partes vulneratas oſſibus perforatis, & læſis; atque progreſſu quadraginta dierum circiter æger omnino fuit ſanatus, qui adhuc nunc proſpera utitur valetudine. *Idem ibidem.*

Vulnus mediæ partis capitis, ad corpus uſque calloſum pervadens, cum magna vi ſanguinis effuſi, ad lipothymiam uſque, feliciter ſanatum.

Famulum quendam in nobiliſſima Zabarellæ familia ſanavi, cui vulnus fuit inflictum in parte media capitis, ubi cerebrum à falce dividitur, uſque ad corpus calloſum, vaſis ſectis, & ſinu falcato, adeo ut ad duas libras, & quod excedit, ſanguis effluxerit, ex qua evacuatione in lipothymiam incidit æger, ut mortuum adſtantes crediderint; me accito, patiens quaſi à ſomno profundo expergefactus, ſanguinem denuò effudit; ego verò ſtatim opplevi totum vulnus, quod æquabat longitudinem totius capitis, perveniebatque ut dixi, uſque ad corpus calloſum, goſſypio uſto, imbuto ovi albumine, bolo armena, ſanguine draconis; filamentis tandem aridis ſupra goſſypium, & ſtupa imbuta eodem ovi albumine, cum dictis pulveribus, unde ſanguis fuit firmatus, tertiaque tantùm die ſtupæ, & filamenta arida, cum aliqua portione goſſypii uſti fuerunt ſublata, alia portione ejuſdem, cum pulveribus, quæ adhærebat vaſis, ſuperſtite, qui pulveres poſt decimam quartam paulatim fuerunt ſeparati, nec ſanguis amplius fluxit. Interim ſupra labia vulneris, ut ſupra dictum eſt, applicui digerentia, ſupra cerebrum verò prædictos pulveres, cum filamentis aridis; à quorum uſu circa vigeſimam diem cœpit apparere cerebrum rubrum, & carne tectum ut propterea adminiſtraverim medicamenta uſque ad perfectam ſanitatem ſuperius propoſita, quibus non ſine divina ope fuit feliciſſime ſanatus. *Idem ibidem.*

Vulnus magnum, cum paralyſi brachii oppoſiti, & linguæ, ſanata, educto fruſtulo oſſis, cum portione membranæ piæ, & Cerebri.

Antonium Vendramenum, Patavini hujus Collegii Philoſophiæ Doctorem, multis vulneribus confoſſum fuiſſe memini, inter quæ, capitis duntaxat, obſervatione dignum erat, quod in parte ejus dextera totum cranium, & membranas ipſas penetrabat, adeo ut fruſtulum ipſius laminæ vitreæ, ubi fermè vulnus deſinebat, pungeret membranas,& cerebrum; ut propterea, præter alia ſymptomata his vulneribus communia, hoc fuerit huic proprium, paralyſis nempè in brachio oppoſito, & lingua, adeo ut nec loqui, nec brachium movere poſſet. Præter communia medicamenta, quæ à principio hujuſmodi vulneri conveniunt; ſequenti die terebravi cranium in media vulneris parte, nullo tamen juvamento, ſed iiſdem ſymptomatibus affligentibus, ut proinde novam terebrationem tentare ſtatuerim, ſed fruſtrà; unde per aliquot dies appoſui ſupra membranas inflammatas oleum roſaceum, qua poſtmodum ſublata, poſt ſeptimam nempè, oleum hyperici, necnon, quia calvus erat patiens,atq;membranæ à calvaria diſtabant, quod in calvis ſemper obſervavi,paravi injectiones ad abſtergendas, & corroborandas partes ſubjectas, prius ex vino albo mulſo, poſtmodum eodem alterato medicamentis ſuperius propoſitis, curatis labiis, & aliis partibus ſicuti ſupra dixi. Hæc tamen omnia in caſſum tentata, quia nec motus brachio, neć linguæ rediit ſpatio viginti dierum. Tandem alias duas molitus ſum perforationes, certior factus, læſas eſſe membranas, & cerebrum à fruſtulo aliquo oſſis vellicari, quod compertum; in ipſa ſiquidem operatione impegi modiolo in oſſis fruſtulum, quod volſellâ apprehenſum eduxi, cui annexa erat portio membranæ piæ, & cerebri, unde vix mediâ pòſt horâ motum linguæ,& brachii recepit;repetitis proinde injectionibus, ad ſanitatem ægrum perduxi, medicamentis præſcriptis, qui vixit poſtea per multos annos incolumis. *Idem ibidem.*

Fungus ex capitis vulnere, pulveribus ex ſpica & ſchœnantho inſperſis, ſanatus.

In conſilium vocatus, vidi patientem vulneratum in syncipite, cujus vulnus ad cranium uſque & duram menyngem pertingebat; cùm verò ad ægrum aliquot poſt dies à vulnere inflicto reviſerem, obſervavi fungum avellanæ magnitudine. Conſului ut inſpergerent pulveres ex ſpica, &

ſchœnantho, quorum uſu, ſequenti die attritus eſt, & brevi etiam propriis remediis vulnus ſanatum. Quo remedio ſæpius fungos ſanavi, ac proinde tanquam arcanum vobis propono. *Idem ibidem.*

Epilepſia duos, aut tres menſes, à vulnere Cranii intempeſtivè obducto, terebratione ſanata.

Conſultationem me habuiſſe aliquando memini cum præclariſſimo D. Julio Sala Profeſſore Patavino, de quodam vulnerato pugione in capite, cum læſione non ſolùm cranii, & membranarum, ſed & cerebri ipſius. Vulnus quibuſdam Medicis exterius curatum fuerat, introducta quin etiam cicatrice, ex qua duobus, aut tribus pòſt menſibus, Epilepſiâ correptus eſt æger, qua bis, aut ter quolibet menſe divexabatur; quem cùm Excellentiſſ. Sala interrogaret, an aliquando vulnus aliquod in capite paſſus eſſet, ipſo verò id affirmante, ſpecillo ſtatim immiſſo, ſub ipſa cruſta inveni vulnus prædictum penetrans; unde illico deveni ad ſectionem, & dilatationem partis, adhibita ſequenti die terebratione, ex qua effluxerunt ichores quidem flaveſcentes, quorum ratione, ſupra cerebrum, & membranam, Balſamum nigrum occidentale viginti dies adhibui, quorum uſu caro rubra cœpit ſuccreſcere, ægro ſpatio triginta dierum à vulnere, & epilepſia liberato. *Idem ibidem.*

Vulnus cum inſigni depreſſione frontis, eadem non ſublata, ſed rima tantum dilatata, triginta diebus ſanatum.

Curavi puerum ſeptem annorum, cui in fronte ab ictu pedis equini facta fuit inſignis ejus depreſſio, quam nec triploide, nec vecte attollere potui. Verùm quia in quadam ejuſdem parte aderat rima, ſcalpro abraſorio eam dilatavi; ex qua aliquæ ſeroſitates emanabant, ut medicamenta ad membranam uſque pervaderent, ex methodi lege applicita, à quibus decimaquarta die genita hinc inde carne, melius habuit æger, qui tandem vulnere carne repleto unguentis ſarcoticis, ſpatio triginta dierum fuit omninò ſanatus, & optima hucuſque fruitur valetudine. *Idem ibidem.*

Vulnus poſticæ partis capitis, cum depreſſione oſſis, & contuſione, ſine terebratione perfectè ſanatum, in puella.

Puellam quandam ex familia Ridi obſervavi, quæ, cùm ex ſcala decidiſſet, & parte capitis poſtica impegiſſet in ejuſdem lapideum gradum, inſignem depreſſionem oſſis paſſa eſt, cum contuſione tantùm. Cùm verò ejuſdem Parentes non concederent ſectionem, nec operationes in his caſibus perneceſſarias, ſed medicamenta dumtaxat applicarent ad inflammationem, & contuſionem, præter Medicorum ſpem à natura fuit ſanata, ſuperſtite tamen inſigni depreſſione oſſis, ſine ulla tamen puellæ moleſtia; quæ adulta poſtmodum nupta fuit, & liberos procreavit, nuncque optimè degit. Non proinde metuendum admodum pueris hoc modo contuſis, ob mollitiem ipſius cranii. *Idem ibidem.*

Ex vulnere anguli majoris oculi maturiùs occluſo, aliud vulnus in cervice, cum febre, quæ ceſſavit, eodem patefacto, & curato.

Rigaiam quendam nomine novi, pugione in angulo majori oculi læſum, ad quem ſtatim vocatus, obſervavi labia vulneris ſuturâ à Barbitonſore ad mutuum contactum adductâ, nullo tamen moleſto ſymptomate præter febrem ſatis vehementem. Ægrum verò cùm interrogarem, an ſentiret dolorem in partibus internis, de eodem, & quidem gravi conqueſtus eſt in occipitis parte oppoſita cervici, qua inſpecta, deprehendi vulnus parvum in extremo occipite. Quapropter ſectis punctis, quibus labia adducta invicem jungebantur, ſpecillo demiſſo ad extremum uſque vulnus, & ipſum occiput, illud exploravi, ac proinde in ejuſdem partem anteriorem, & poſteriorem immiſſis exiguis turundis ejuſdem magnitudinis, quæ longitudine non excedebant craſſitiem duorum digitorum; ſupra has impoſui medicamenta digerentia, & deſuper ceratum ex ceruſa. Pure verò jam apparente bono, & laudabili, uſus ſum unguento ex Betonica per aliquot dies, quibus tranſactis, cœpit ſuccreſcere caro; quare turundis decurtatis, atque decimâ quartâ, ceſſante febre, iiſdem omninò eductis, filamenta imbuta unguento ex tuthia applicui, ſuperaddito cerato ex Diachalcitide; quorum uſu ſpatio viginti dierum fuit ſanatus æger, adminiſtratis à principio remediis univerſalibus ex methodi lege, ut ſupra dictum eſt. *Idem ibidem.*

Vulnus muſculi temporalis, cum fractura Cranii, & membranæ duræ, accedente febre viginti dierum, ſine terebratione feliciter ſanatum.

Lanio quidam fuit vulneratus in parte laterali capitis, cui ſecto muſculo temporali, cranio, & membranâ durâ, omnia ſymptomata, quæ ſolent alioquin in his vulneribus apparere, ſuborta ſunt; & quod gravius, cum tanta copia ſanguinis, ut lipothymia ſucceſſerit. Vocatus, vidi ipſum veluti mortuum; & quamvis ſanguis ad partes internas refluxiſſet, quod ſemper ſolet contingere in lipothymiis, adhibui tamen omnia illa medicamenta, quæ vim habent ſanguinem ſiſtendi, goſſypium nempe uſtum, pulveres aſtringentes, cum ovi albuminibus, quibus ejuſdem fluxus ſedatus eſt; ut propterea tertia tantum qualibet die vulnus detexerim, & unguibus quàm optimè fieri potuit, ſeparaverim muſculum ab ipſo cranio; verùm quia non erat terebrationi locus & ſedes inſtrumenti erat valde ampla, per quam materia effluere poſſet, abraſorio tantùm ſcalpro locum lævigavi, ipſumque nonnihil dilatavi, ut nulla opus eſſet terebratione, materiâ purulentâ obſtructis naribus, ex partibus ſubjectis vi propulſâ. Initio verò inſtillavi oleum roſaceum, ad ſeptimam uſque; poſtmodum vinum album muſtum injeci, abſtergendis vulnere, & partibus internis, atque aliquo modo corroborandis. Poſteà alia injectione uſus ſum ex vino albo, alterato medicamentis ſuperiùs propoſitis; quibus tamen ſpatio quadraginta dierum æger convaleſcere non potuit, quia materia ſanioſa continuò effluebat; cañulam propterea impoſui plumbe

beam, quæ materiam aſſiduè effundebat, quam geſtavit duos menſes circiter. At quia hic patiens errabat continuò in victus ratione, vulnus non potuit ad cicatricem perduci, propter generationem copioſi puris: quinimò incidit in febrem, quam curavi viginti dies, vulnere non neglecto, cui applicui Balſamum nigrum occidentale; præſcriptâ quinetiam diætâ, ratione febris; quibus perfectè ſanatus fuit, necnon medicamentis aliàs propoſitis; ita tamen, ut miſer patiens, teſte Hipp. libro de vulneribus capitis, quod & ego ſæpe in praxi obſervavi, non poſſet aperire totum os; quia ſecta parte muſculi temporalis, alia convellitur, unde poſtmodum impotentia illa os diducendi. *Idem ibidem.*

Contuſio gravis ſyncipitis, cum prolapſu in terram, & privatione facultatum principum, neglecta terebratione, lethalis.

Divi Antonii Feſto, feneſtra lignea ſatis gravis ex alto decidit in bregma cujuſdam juvenis, cute tamen non ſciſſa, ſed graviter contuſa, ex quo caſu in terram prolapſus æger, ſine ſenſu, & motu, cum privatione omnium facultatum principum, horæ ſpatio; ad quem Medicus magni nominis, ſimul cùm quodam Chirurgo vocatus à principio, applicuerunt medicamenta conſueta, ovi nempe albumen, oleum roſaceum, & ſimili; ego verò accerſitus ſecunda die, ſtatim ad cutis ſectionem, & cranii perforationem deveniendum cenſui, renuentibus Chirurgis me ſenioribus, nec non patre ipſius ægri Variſco; verùm tantummodò præſcribentibus cataplaſmata, inunctiones, & alia externa remedia. Quindecim verò, aut ſexdecim pòſt diebus, denuo accitus, cùm viderem tumorem in parte læſa ſatis magnum, atque ſub digitis perciperem pus fluctuans, nedum tamen permiſerunt oſſis excìſionem; at iterum poſt vigeſimam vocatus, annuentibus tandem omnibus, ſectionem cruciatim adminiſtravi; ex qua maxima copia puris effluxit, cujus ratione ſummi illi viri terebrationem reprobarunt, niſi poſt quadrageſimam diem, hac obſervatione adducti; quod natura per poroſitates oſſis cranii purulentam materiam ſupra membranas, & Cerebrum hærentem tranſmittebat; quod antea certè nunquam vidi; materia ſiquidem effluebat per poros, ad unciam unam quolibet die: quapropter ægrû cùm terebraſſem, ex foramine quotidie copioſum pus emanabat; ipſo tamen ægro ſexageſimâ extincto. Huic ſimilem etiam caſum in cive quodam Patavino Merio, pilâ ferreâ contuſo in capite, obſervavi; cum effluxu ſanioſæ materiæ per foraminula, & poros calvariæ: ad quem tertiò tantùm inviſi; aliis Medicis ad ejus curam vocatis, qui à principio prætermiſſa terebratione, illi mortis autores fuerunt; quod moneo, ne in iſtos incidatis errores, ſi quando præ manibus habueritis hujuſmodi vulneratos, cum ſymptomatibus, quæ nobis demonſtrant partes internas læſas. *Idem ibidem.*

Vulnus capitis, cum fractura oſſis ſyncipitis, & frontis; ſcalpro dilatata rima, poſt ſeptimum ſanatum.

Delatus quidam in valetudinarium D. Franciſci, poſt ſeptimam, vulneratus parte anteriori bregmatis, ad principium uſque oſſis Frontis, cum ſectione membranarum: inſtrumenti tamen ſedes non admodum ampla, qua à Medico propterea nonnihil ſcalpro dilatata, ex foramine ipſius vulneris ſeroſitates duntaxat effluxerunt, licet non copioſæ; quod verò febre continua laboraret æger, nullo alio ſymptomate moleſta; nec à principio quidem, præter hæmorrhagiam narium, ad ſemilibram ſanguinis, neque materia poſſet liberè expurgari, ideo deveni ad perforationem oſſis, ex qua pauca materia ſeroſa excreta; undecimâ verò incidit æger in ſomnum profundum, Lethargi æmulum, pulſu tamen valido, cui præſcripto victu tenui, cum pauco quandoque vino oligophoro, decimâ quartâ veluti à ſomno experrectus, erumpente maxima puris copia ex naribus, cœpit loqui, cum delirio; cui proinde ſtatim inunxi partes internas, & externas naſi oleo amygdalarum dulcium, quo facilius laxarentur, ductâ quinetiam per nares aquâ hordei, cum manna: vulnere autem propriis medicamentis ſuperiùs propoſitis curato, vigeſimâ æger fuit liberatus à febre, nec materia ex naribus amplius fluxit. Hic autem obſervandus ordo ipſius naturæ; initio ſiquidem vulneris ſtatim ſanguis ex naribus fluxit, quam viam poſtmodum natura ſibi parante, ac totum pus in capite hærens expurgatio, ægro quadraginta diebus ſanitati reſtituto. Non itaque ægri, quamvis motu careant mortuorum inſtar, præſentibus quinetiam ſymptomatibus prædictis, ſine cibo, ac remediis ſunt dimittendi, cùm in arte aliquando naſcantur monſtra, Averroe teſte. *Idem ibidem.*

Vulnus Capitis ſine fractura, & rima cranii, decimâ quartâ lethale, ob copiam puris inter utramque membranam deliteſcentis, ex cerebri contuſione.

Alium vidi in eodem Noſodochio æſtate, parte media bregmatis leviter vulneratum, cute tantummodo, & pericranio læſis, abſque ulla offenſa cranii. Hic patiens nullum paſſus eſt ſymptoma, neque morbi principio, neque die quarta, quem tamen ſeptimâ invaſit rigor inſignis, cum concuſſione totius corporis, quod remiſſo frigore incaleſcere cœpit, prout contingere ſolet in tertianis: ego verò poſt remiſſionem febris, ipſum terebravi, licet nulla materia ex foramine effluxerit: cùm verò membrana utcunque humore difflueret, in illam infudi ſanguinem palumbi, ex ala ſtatim eductum, corroborando ipſius calori; qua tamen ſequenti die nigreſcente, applicui aquam vitæ ad undecimam uſque tandem Balſamum nigrum Occidentale, ægro tamen decimâ quartâ extincto. Secto cranio, atque bene undique deterſo, & abluto, ac diligentiſſime ad ſolem quaquaverſum inſpecto, nunquam potui in eo rimam, aut aliam aliquam noxam videre; verùm ſectâ membranâ durâ, ſub vulnere, inter ipſam, & piam, maximam puris copiam deprehendi, non ſine admiratione, nullam fuiſſe rimam in oſſe, atque patientem nullum paſſum eſſe ſymptoma ad ſeptimam uſque, perindè ac ſi non fuiſſet vulneratus; ut propterea ſeptimâ, illud ſymptoma contigiſſe conjicere liceat, contuſione facta in membranis, & Cerebro, cujus cauſa aliquod vas fuerit diſruptum, ex quo

quo ſanguis effluxit, qui cùm, omnium conſenſu, extra vaſa concreſcat, & putreſcat, ideo copioſa materia purulenta ſupra Cerebrum congeſta fuit, ægro mortis cauſa.

Dubitare verò hîc quis poſſet, an ſecanda ſit dura menynx, quò exitus pateat saniei, ſupra piam, & Cerebrum collectæ; quod ſcilicet punctâ durâ membranâ, convulſionum certum periculum immineat, ac proinde mortis; quod tamen nullum cenſemus, factis duabus terebrationibus oſſis, & patefacto uſque adeo foramine, ut longa ſectio fieri poſſit ſupra duram membranam; & quidem hac ratione, quia magna vulnera capitis, quæ non ſolùm ſecant membranas, ſed etiam cerebrum, ſanantur. Quando igitur certò conſtat, materiam inter utramque menyngem collectam eſſe, tunc tutò poſſumus devenire ad hanc operationem, utcunque periculi non expertem, cùm alioqui nullo adhibito remedio, certa mors immineat, atque ex Celſo præſtet anceps remedium experiri, quàm nullum, impiumque ſit relinquere ægrum remediis deſtitutum. *Idem ibidem.*

Vulnus anterioris frontis, ad meditullium uſque lethale, citra ullam cerebri, & membranæ labem, omnibus licet ſymptomatibus vulneris capitis præſentibus, cum hiatu ſuturæ lambdoidis, & materia ſanioſa intra ipſas ſuturas, & ſupra menyngem delitescente; præter alias obſervationes magni momenti in curatione vulnerum capitis cum fractura.

Tertium in eodem Xenodochio, parte anteriori frontis, pugione graviter ſatis vulneratum mihi videre contigit, cujus vulnus penetrabat uſque ad meditullium. In hoc omnia aderant ſymptomata vulneribus capitis communia, alienatio nempe mentis, vomitus, aurium tinnitus, & alia ab Hippocr. enumerata: & licet de dolore alicujus partis non conquereretur, ſecunda tamen die ipſum terebravi, ſymptomatibus hoc præſidium poſtulantibus, & membranam aliquantulum inflammatam deprehendi, cujus cauſâ uſus ſum remediis ſuprà propoſitis, ſpectantibus inflammationem: licet verò menyngem deprimerem, & patiens obſtructis naribus ipſam propelleret, nec quicquam perforatione peracta, effluxiſſet, obiit decimâ quartâ. Sectâ calvariâ loco vulneris, nec membrana, nec Cerebrum ullam noxam exhibuerunt, vitrea quinetiam illæſa; quanquam ſutura lambdoides laxata fuerit, craſſitie digiti auricularis, pauca materia ſanioſa intra ipſas ſuturas, & ſupra duram membranam delitescente. Cui ſimilem caſum me nunquam obſervaſſe memini, licet, contrafiſſuras in multis Calvariæ partibus viderim, non tamen in ſuturis; quanquam earum apud Auctores proſtent exempla.

Circa quæ vulnera Capitis nonnulla obſervanda. Primò quod ſi contingat, ex aliquo ictu incidere patientem in mentis alienationem, cum privatione ſenſus, & motus, niſi alia ſymptomata ab Hippocr. enumerata accedant, nullum periculum vitæ immineat; ac proinde prætermittenda ſit quæcunque operatio, ſectio ſcilicet, & perforatio ipſius Calvariæ: vidi ſiquidem aliquos ex prolapſu, aut ictu læſo capite, apparente ſolo hoc ſymptomate, ſequenti die omnino liberatos. Secundò, eminentiæ rotundæ undique circa vitream laminam oſſe terebratione educto, ſunt ſignum manifeſtum aciem modioli non perveniſſe ad membranam ipſam, neque perforationem fuiſſe cauſam mortis ipſi patienti; prout vice verſa, iiſdem non apparentibus, indicium erit membranæ læſæ, ac proinde lethale. Tertiò animadvertendum, non ſolùm totam abradendam rimam, aut ſedem inſtrumenti, ad fundum uſque; verùm ſi alterutrum deſcenderit uſque ad meditullium, omninò deveniendum eſſe ad terebrationem, nullo licet alio præſente ſymptomate; hac ratione, quia materia purulenta ex labiis vulneris ad meditullium defluens, per ejus vaſa, ad membranam etiam penetrat, inter quam, & cranium congeſta, patienti mortem infert, quod in pleriſque obſervavi, qui propterea adminiſtrata perforatione, omnes convaluerunt. Quartò præter ſigna ab Hippocrate propoſita, obſervandum, quod ſemper alvi fluxus vulneribus capitis accedens, abſentibus licet aliis ſymptomatibus, cerebri læſi ſignum eſt, propter ejus ſcilicet conſenſum cum nervis ſexti paris, qui orificiis ventriculi adnectuntur, quorum ratione inferius laxatur, & alvi fluxus ſtatim ſuccedit. Hi verò ferè omnes moriuntur, ob læſum cerebrum parte interna, quà in ſpinalem medullam exporrigitur, ubi nervorum ortus; omnia tamen remedia in his caſibus ſtatim adminiſtranda, quæ ad artis opera ſpectant, ab Hippocrate propoſita. Quintò obſervavi ſæpiſſimè, quod quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte potiſſimum poſtica, & laterali, tunc materia purulenta delabitur ad Thoracis, & abdominis cavitatem, quæ longiori mora cùm pulmones, tum pleuram, aliquas nempe ipſorum partes erodit, ex quibus multa ſanies emanat, quæ poſtmodum ad abdomen defluit, cum Jecoris, & Lienis labe, in quibus varias puſtulas excitat, quibus diſruptis, perinde ac ex pulmonibus, & pleura, ita & ex his materia purulenta effluit; quanquam hujus obſervationis ignari, exiſtiment, abſceſſus obortos in his partibus: quorum ratione patientes moriuntur, non ex capitis vulnere, quod ex Capite copioſum pus poſſe ad inferna viſcera delabi non ſibi perſuadeant: prout in pleriſque obſervavi, mediam thoracis, & abdominis cavitatem pure fuiſſe refertam. Quam obſervationem multis tum in theatro Anatomico, tum in Valetudinario S. Franciſci demonſtravi. Sextò obſervatione dignum, quod muſculus temporalis nunquam eſt ſecandus, contra multorum opinionem, qui audacter id præcipiunt, quotieſcunque vulnus, aut contuſio fuerit cum fractura oſſis, quod rationibus abunde probatur. Primò quod plerique ſic vulnerati moriantur. Hippoc. ſententiâ; accedente propria experientia, qui obſervavi, muſculo temporali à quibuſdam Barbitonſoribus perperam ſecto, quarta die patientes convulſos obiiſſe. Secundò quod fracto oſſe ſub ipſo muſculo, omnino lethale ſit, ac proinde ſectio hujuſmodi ſit ſupervacua; quod & ego ſæpe vidi, & publicè frequenti theatro demonſtravi in quibuſdam, ſolam rimam in oſſe ſubjecto muſculo temporali repentinæ mortis cauſam fuiſſe, cùm falsò Apoplectici haberentur, ſola præſente contuſione, quæ nonniſi gravis, cùm oſſa ſubjecta frangit, & muſculum ipſum, tum partes internas ipſius Cerebri, unde certa mors. Quod ſi ex ſymptomatibus nobis innoteſcant hæ læſiones, extra muſcu-

lum, parte ejuſdem decliviori ſectio facienda, ibique terebratio adminiſtranda, nec non lato poſtmodum ſpecillo deprimenda membrana ipſa, quo exitus puri pateat; atque ſi aliqua depreſſio adfuerit, vecte elevanda, & urgente quandoque neceſſitate, totus muſculus transverſus ſecandus; quamvis periculoſiſſima ſit operatio. Verùm hæc propono, quia vidi quoſdam ab hujuſmodi vulnere convaluiſſe; oppoſita parte licet convulſa, cùm nec os ipſum multùm patefieri potuiſſet: quam tamen operationem nec ſuadeo, nec improbo, licet, ut verum fatear, nunquam eandem fuerim molitus, quod ægrorum plerique, ut dixi, moriantur antequam vocetur Medicus; dato tametſi, non conceſſo caſu, ab illa non me abhorrere profitear.

Si verò vulnus recto eidem muſculo inflictum ſit, digitis potiùs, & unguibus, quo commodiùs fieri poteſt, dilatandum, antequam ad abraſionem, aut perforationem deveniamus, & globulis ex filamentis ſiccis potius ſpatium illud conſervandum; quia etiamſi muſculus ſecetur ducto recto fibrarum, ſuboriuntur tamen ſæviſſima ſymptomata, cum vitæ diſcrimine; ut propterea ſatius ſit dilatare modo prædicto. Præterea in vulneribus capitis obſervandum, quod hæc non ſolum periculum minantur ad quadrageſimam uſq; diem, ut vulgo creditur, ſed diutius quinetiam; cùm ego ſæpius obſervaverim, quoſdam vixiſſe ultra tres menſes à vulnere inflicto; quidam enim percuſſus ſoleâ equi ferreâ menſe Junio, cum maxima contuſione capitis, abſque ullo tamen horum ſymptomatum, quæ in his vulneribus alioquin ſuboriuntur, cui licet ſecto loco contuſo, ſanguis extra vaſa effuſus eductus ſit, atque omnes partes contuſæ expurgatæ medicamentis propriis, vulnere menſis ſpatio anguſtiori reddito; nunquam tamen id ad cicatricem deductum, aliqua portione puris continuò emanante; quanquam læſio nunquam in oſſe apparuerit, nullumque ſymptoma: menſe tamen Octobri ſuborta eſt febris, cum rigore, & vomitu, atque quarta die ab his ſymptomatibus obiit æger. Aperto cranio, maxima copia puris inventa fuit ſupra membranas, & intra ſubſtantiam cerebri.

Alium etiam vidi leviter vulneratum media capitis parte, non detecto oſſe, & nullo apparente ſymptomate, qui à Chirurgis ſanatus, tribus pòſt menſibus, quibus incolumis ſemper vixit, correptus fuit febre maligna, ſine ullo ſymptomate vulneris capitis; poſt ſeptimam dolor capitis ſubortus, loco vulneris inflicti tribus antè menſibus, in quo tamen jam ad cicatricem deducto, nihil apparuit, ægro decimâ quartâ mortuo. Sectâ calvariâ modo jam dicto, pus ſupra membranas, & cerebrum deprehendi; ut propterea vulgi opinioni credendum non ſit, poſt quadrageſimam diem, capite vulneratos, ratione vulneris mori non poſſe.

Terebrationem verò Capitis quod ſpectat, video contradictionem in libro Hippocratis de vulneribus capitis; hic ſiquidem capite vigeſimo ſecundo ſcribit, facta abraſione, ſi opus fuerit, *deveniendum ad perforationem ipſius cranii ante triduum*, tempore calido potiſſimum; cùm vigeſimo nono ejuſdem expreſsè dicat, quod ſi à principio fuerimus vocati, perforationem oſſis uſque ad membranas non eſſe tentandam; quæ manifeſta eſt contradictio; quia ſi opus fuerit terebrare, quod patet ex ſymptomatibus vulneri ſtatim ſupervenientibus, membrana detegenda ante triduum, quò vapores calidi ab imminente inflammatione elevati exhalare poſſint, atque ejuſdem ſuppuratio prohibeatur, quæ neceſſario, neglecto hoc præſidio, ſuboritur, quæ, & membranas, & cerebrum corrumpit, cum vitæ diſcrimine. Accedit, quod non detecta membrana, cùm nempe totum os non educitur, quamvis parum moveatur, ut inquit Hippocrates, ſignis apparentibus læſionis partium internarum, fruſtrà fuerit terebratio illa, uſque ad vitream tantùm, dum os ſponte ſua abſcedat, quia pus ſupprimitur, ſuccedentibus poſtmodum jam dictis ſymptomatibus; cùm terebrationis nullus alius ſit uſus, quàm ut materia purulenta intus concluſa per foramen effluat: ego ſiquidem obſervavi, quod ſi à filamentis incautè applicatis, aut goſſypio vel fruſtulo aliquo oſſis pus coërceatur, membranæ ſæpiſſime, & cerebrum corrumpantur, ut dixi; quam ſolam ob cauſam perforationem præſcripſit Hippocrates, quò exitus materiæ purulentæ pateat; ut proinde abſentibus ſymptomatibus non ſit in uſum revocanda, cùm nudata membrana periculi plena ſit; quia ex Hippocrate ab ambiente facile læditur; contrà verò, ſymptomatibus apparentibus, ſtatim perforandum totum os, cùm id ſuperſtes non poſſit ſeparari, niſi ſpatio viginti, aut quadraginta dierum plurimum, pure interim ſuppreſſo patientem interficiente; qua ratione adducor ut cenſeam, hæc non eſſe verba Divini Hippocratis, ac propterea codicem corruptum; quæ Foeſii, diligentiſſimi ipſius interpretis quinetiam eſt ſententia.

Hæc ſunt à me obſervata in vulneribus capitis, quibus ſuccedunt quædam obſervationes eorum, quæ non ratione vulneris, ſed ab aliqua alia cauſa contingunt. *Idem ibidem.*

Cutis Capitis Urſi unguibus cum pericranio, ad ſuturam uſque lambdoidem diſcerpta, ſanata, ſuccreſcente in ejus vicem alio tegmine illi analogo, cum capillis. Corteſius refellitur de perforatione Cranii in ſuturis.

Cuidam puero ſeptem annorum ex pædotropheio orphanorum Patavino ab unguibus urſi tota capitis cutis, cum pericranio ad ſuturam uſque lambdoidem diſcerpta & dilaniata fuit; quem curavi primò medicamentis digerentibus vulneri admotis, oſſi verò nudato, filamentis aridis, quibus quindecim dierum ſpatio ex ipſis ſuturis, caro rubra repullulaſcere cœpit, & totum cranium velavit; epuloticis deinde cutis, aut illi quid analogum productum eſt, nec non trium menſium ſpatio, pili quoque, quod mirum, fruticarunt toto ferè cicatricis ductu: quædam enim ſpatia iiſdem vacua relicta, propter callum ejuſdem partis. Fallitur proinde Corteſius, vir alioquin doctiſſimus, qui tractatu de vulneribus capitis, textu vigeſimo, mordicus tuetur, pericranium nequaquam ortum ducere à dura meynge; cùm ipſe in theatro Anatomico publicè ſæpius demonſtraverim, idem eſſe duræ matri continuum: quinimo idem auctor hanc profitetur ſententiam, perforationem nempe cranii ſuprà ipſas ſuturas, abſque vitæ periculo fieri poſſe, contra Hippocratis mentem, qui deceptum ſe fateri non veretur, cùm rimam, vel teli ſedē perforaſſet

ſuturæ loco, mortuo ægro, ut in hiſtoria Autonomi in Omilo, & Famulæ itidem in Omilo, ex capitis vulnere in ſuturis, mortuorum, patet; l. 5. Epidemiorum, ut propterea non ſit omnino perforatio molienda ſupra ſuturas; quod ego longo artis uſu obſervavi, quoſdam ſcilicet ab imperitis Chirurgis ſupra ſuturas perforato cranio, ſeptimâ mortuos eſſe: quinimò ſi vulnus fuerit inſlictum ſupra ſuturas, cum levi earundem labe, lethale plerumque eſt; quoque gravius, vidi etiam in laborantibus gummate Gallico, ſupra ſuturas, corroſis à veneſica qualitate pericranio, & cranio, atque deſtillantibus ichoribus in eo genitis ſupra duram menyngem, ſubortam convulſionem, & mortem. Ab hac ergo perforatione, non ſolùm ſupra ſuturas cavendum, ſed etiam juxta ipſas, utpotè pernicioſa, & lethali, quod monuiſſe volui non ſolùm propter Corteſium, magni alioquin nominis virum, ſed ut bono publico conſulam. *Idem ibidem.*

Vulnus frontis amplum, ad oculos uſque pervadens, cum cæcitate derepente ſuborta, ſanatum.

Miles quidam Germanus, vulneratus ſica gravi, & latiſſima, in parte frontis, ſecto ejuſdem oſſe, & cerebro ferè uſque ad oculos, derepentè cæcus factus eſt; vel fortaſſe ex ſectione opticorum nervorum, quod tamen ob vulnus altius deſcendens mihi ſpecillo explorare non licuit; vel, quod veriſimilius, ex vehementi illa concuſſione repletis nervis materiâ pituitoſâ, quæ plerumque guttam ſerenam, Græcè Amauroſin inducere ſolet. Hic autem Patiens medicamentis ex methodi lege præſcriptis toti corpori, & parti affectæ dicatis, duorum menſium ſpatio convaluit ex vulnere, cæcitate tamen ſuperſtite, quanquam pupilla luciſſima appareret, ut in hujuſmodi morbo contingit. *Idem ibidem.*

Vulnus anguli majoris oculi, inſlictum manubrio flabelli, ſanatum, cujus, ſuborto tribus poſt menſibus, tumore, ex palato portio fracta educta fuit.

Memini me curaſſe mendicum quendam, qui cùm importunè eleemoſynam peteret, æſtate, à nobili quodam Patavino, manubrio ventilabri fuit vulneratus in angulo majori oculi, tantoque impetu, ut portio ejuſdem, tres digitos longi, fracta in illo hæſerit, non conſpicua exterius, præter ſola ejuſdem fruſtula extra angulum prominentia, cùm altera illius pars orbitam oculi fregiſſet, & ad palatum deſcendiſſet. Hunc autem cùm in Noſodochio menſem integrum curarem, eduxi primò fruſtula illa, quæ in angulo ipſius oculi ſolummodo hæſiſſe exiſtimabam, unde collyriis prius arcentibus inflammationem, deinde exſiccantibus, cicatrice exterius inducta, diſceſſit veluti ſanus; qui tamen tribus pòſt menſibus circiter acceſſit me, tumore ſatis magno in palato laborans, quem dum ſecarem, cultro impegi in flabelli manubriolum, quod volſellâ extraxi; impoſitis poſtmodum filamentis, primò imbutis ovi albumine, poſtero verò die, globulis intinctis melle roſaceo, aliquot dies. Tandem melle roſaceo, & aquâ hordei, quorum uſu omnino convaluit. *Idem ibidem.*

Vulnus ſclopeti in articulatione humeri cum ſcapula, ſanatum, decem annis incolumi ægro; à quibus orto in eadem parte tumore, totum acromium corruptum volſellâ eductum.

Mercator quidam ex familia Merulorum, vulneratus ſclopeto in articulatione capitis humeri cum ſcapula, ſanatus ab Excellentiſſ. Julio Caſſerio Placentino, Anatomes, & Chirurgiæ Profeſſore magni nominis, decem annos integra uſus valetudine, tumore inſigni demum laboravit, quo loco cicatrix occalluerat, cum febre, & dolore gravi, quo ſtatim à me ſecto, maxima copia puris ex eodem effuſa eſt, immiſſa poſtea turundâ imbutâ ovi albumine, atque ſuperinjectâ ſtupâ eodem madefacta; poſtero verò die metuens ne tumor hic cauſam haberet aliquam corruptionem oſſis, & ſpecillo id explorarem, deprehendi fruſtulum oſſis mobile, quod volſella eduxi, totum ſcilicet acromium ipſius ſcapulæ; digerentibus poſtmodum medicamentis prius ſarcoticis, demum epuloticis uſus, ſpatio menſis perfectiſſime ægrum ad ſanitatem deduxi.

Non itaque mirum, ſi in vulneribus ſclopetorum, multo temporis ſpatio oſſa læſa abſcedunt: hoc ſiquidem in praxi frequentiſſimum. *Idem ibidem.*

Vulnerum in Thoracis cavitatem penetrantium; tum quæ læſis intercoſtalibus vaſis, ſanguinem in eandem effundunt; tum quæ iiſdem integris, inſliguntur, vera curandi Methodus.

Frequentiſſimè obſervavi, Thoracis vulnera in ejuſdem cavitatem penetrantia, ſine ulla tamen læſione partium internarum; quæ quidem duplicis generis, alia quæ vaſa intercoſtalia lædunt, ex quibus copioſus manans ſanguis in ejuſdem cavitatem delabitur; alia verò, quibus vaſa illæſa ſanguinem in eandem non effundunt. Prioris generis vulnus patens ſervandum; quam curandi methodum omnes Medicinæ ſcriptores propoſuerunt; ſi verò nihil ſanguinis in ſuis patet ſignis, abſentia ſcilicet ſymptomatum, ex ſanguine in eadem collecto; in quibus ſunt febris, tuſſis plurima, gravitas ſupra Diaphragma, & alia hujuſmodi, tunc immiſſâ breviſſimâ turundâ in orificium ipſius vulneris, imbuta ovi albumine, & ſuperinjecto linteolo eodem madefacto, cum bolo armena, & ſanguine draconis, leviter faſciâ comprimo partem læſam; atque ſequenti die, remotâ turundâ ex toto, appono ceratum ex ceruſſa, quibus ſpatio ſeptem, aut octo dierum patientes ſanos præſto. Qua methodo quinetiam vulnera Thoracis, ejus tantummodo muſculos penetrantia, ad ſanitatem deduco, ſpithamam licet ampla. *Idem ibidem.*

Ex vulnere Thoracis inter quartam, & quintam coſtam, Epilepſia ſuborta, qua nunquam alias correptus fuerat æger, turundâ immiſſâ, recurrens.

Cùm duo ſtudioſi inter ſe digladiarentur, eorum alter ex familia Curtorum, vulneratus thorace, inter quartam, & quintam coſtam, prolapſus eſt in terram Epilepticus, cum ſpuma in ore motibuſque convulſivis à quibus ſymptomatibus, patiens mortuo ſimilis domum deportatus, pulſibus tamen validis; quia verò Barbitonſor jam obligaverat vulnus, ipſum eodem ſtatu dimiſi, quod cùm accidiſſet matutinis horis, ſub veſperam denuo accitus, redintegratis ſenſu, & motu, poſtero die vulnus obligavi, cùm facultates principes convaluiſſent; quod cùm curarem demiſſo ſpecillo, patiens graviter conqueri cœpit de dolore cum levi quadam Convulſione, Epilepſiæ ſimili, cujus cauſâ ſpecillum removi, atque à turunda abſtinui, à Barbitonſore antea immiſſa appoſitis ſolis filamentis digeſtivo roſaceo imbutis, ac ſuperaddito cerato ex ceruſa, & quidem tertia, die; quartâ verò, applicato eodem cerato, quibus ſpatio novem dierum ex toto fuit ſanatus æger, qui cùm nunquam aliàs Epilepſiâ laboraſſet, ut mihi retulit, ex vulnere ſolo eâ correptus eſt, ratione ſcilicet nervi intercoſtalis læſi, inculpata valetudine etiam nunc Venetiis degens. *Idem ibidem.*

Pus ex vulneribus Thoracis ſuperioris in ejuſdem cavum effuſum, ſine ſectione quandoque per alvum expurgatum, convaleſcentibus illicò ægris, quò id citius contingit.

Vulnera penetrantia Thoracis parte ſuperiori inflicta, ita ut materia intus collecta non poſſit adeò commode expurgari, in Empyema degenerat, ex omnium ſententia; qua ratione quidam à me perforati ſectione inter quintam, & ſextam coſtam, evacuatâ materiâ, plerique ſanati fuere. Verùm obſervatione dignum, ſine ſectione eandem per alvum expurgari: quam tamen viam ſectione Anatomica rimari non potui; quod & ab Hippocr. quinetiam obſervatum libro de morbis; ut propterea quidam illam crediderint non eſſe pus, ſed chyloſam potiùs ſubſtantiam, fruſtrà propterea applicatis hujus cauſâ Ventriculo remediis. Obſervatum quinetiam à me, quod quotieſcunq; citius materia expurgatur ſpatio nempè, ſummùm, diei, ſtatim patientes convaleſcunt, materia ex vulnere non amplius manante, & quod mirum, febre quinetiam ceſſante, utpote quæ, eadem in cavitate Thoracis hærente, eſt continua: quinimo hoc ſignum pathognomonicum cenſetur, patientes immunes eſſe à febre, cùm nulla in Thorace ſanies, quæ vulnus ſtatim occludendum indicat, qua contrà ſenſim exudante, omnes moriuntur; quia morâ ſuâ dum permeat, partes internæ exulcerantur, pus augetur, atque ulcera, febriſque quotidie invaleſcunt, cum præſenti vitæ diſcrimine. Quod propterea animadvertendum illis eſt, qui adhibentur his curationibus, ut ſcilicet ſi pus brevi ſpatio temporis non evacuetur, ejus eductionem quàm citiſſime medicamentis curent; qua ratione exhibeo aut aquam hordei, vel mulſum, quæ paulatim detergent, ac evacuationi aptum reddunt, non ſine ope naturæ illud expellentis; quo ſubſidio non egent robuſtiores, qui paucis diebus totam materiam purulentam extrudunt, & ſanantur, niſi hæc evacuatio diutius protrahatur, quæ illis mortem inferat. Non autem hîc propono modum curandi vulnera Thoracis, cùm ab aliis ſatis ſuperque de his actum ſit. *Idem ibidem.*

Ex vulnere in Thoracis cavum penetrante inferius, perperam viginti dies obligato, febris, totius corporis macies, cum delirio ſuborta, à ſuppreſſo pure, quo expurgato, omnia remiſſa, ſanato ægro. Ex ſqualore corpus ſquamis inſtar piſcium obſitum. Error vulgarium Chirurgorum, qui vulnera thoracis non explorata, aquis balſamicis intempeſtivè occludunt, notatur.

Accepit quidam vulnus in Thoracis cavitatem penetrans, parte tamen decliviori, quod cùm Chirurgi quidam Tarviſini viginti dies obligaſſent, neque ejus altitudinem deprehendiſſent, negligentiâ, an imperitiâ dubium, maximâ proinde copiâ puris in thorace congeſtâ, incidit patiens in febrem continuam, cum macie totius corporis, rubore faciei, ac delirio, his potiſſimum verbis expreſſis, opus ſibi eſſe duobus fonticulis, quo materia concluſa expurgaretur; quod non omni ratione vacabat, quanquam non diſtingueret locum deliteſcentis puris, cùm duos brachiis inurendos mandaret. Patavium eodem delato, cùm omnia prædicta accuratius expenderem, deveni in cognitionem, cavitatem Thoracis oppletam eſſe pure; quod experientiâ patefactum, demiſſo in vulnus ſpecillo, in quod proinde immiſsâ turundâ, poſtridie eduxi phialam puris plenam, delirio ceſſante, & febre remiſſa: quod verò mirum, totum hujus ægri corpus, ratione ſiccitatis, & ſqualoris ſquamis inſtar piſcium obſitum fuit, vocatis ad rei novitatem, Clariſſimo Dominico Sala, cum multis ſtudioſis raro caſu, nec unquam ante hac conſpecto; prout & obſervatione dignum, quod æger macie confectus, atque omnium judicio brevi moriturus, pure per cannulam plumbeam continuò educto, atque injectionibus ab Auctoribus propoſitis, ſpatio duorum menſium ex toto convaluerit, multos etiam annos incolumis.

Quæ ſæpiſſimè quinetiam accidunt hoc tempore, dum imperiti quidam, aquis ſuis balſamicis, & balſamis adſtringunt partes externas vulneris, relicta poſtmodum ejuſdem cavitate pure oppleta, unde Empyematici moriuntur; qui propterea pro ignaris omninò habendi methodicæ artis, atque Empiricis, & Agyrtis, qui in circulis popello illudunt, dum ſecta aliqua corporis parte, balſamicis ſuis medicamentis, ſordibus potius, ſequenti die publicè vulnus obductum exhibent, cùm pauca tantum cutis ſecta fuerit, quam obligatam, & compreſſam, non ſine naturæ ope agglutinant; quod & mihi experientiâ compertum, vulnera ſcilicet externa, anguſta potiſſimum, nullo adhibito medicamento à natura ſanata, ſolo applicito ovi albumine, trium, aut quatuor dierum ſpatio; cùm tamen ignari, & vulgares homines hos empiricos Deorum loco habeant, hæc vulnera externa videntes occluſa, cunctis ad ipſos confugientibus, qui licet propriâ ignorantiâ deluſi, ægrorum erroribus potius quicquid ſecus acciderit adſcribunt, atque ita ſeipſos ab omni crimine tutantur, non ſine multorum interitu. *Idem ibidem.*

Ex vulnere Thoracis ſuperius, magna puris copia in ejuſdem cavo congeſta, ſectione inter quintam, & ſextam coſtam expurgata; nec non per os, & urinam, diei ſpatio.

Cujuſdam ſcribæ filius, ex Agiaciorum familia, vulneratus parte ſuperiori thoracis, ad ejus uſque cavum, ex quo quum pus ægrè expurgaretur, multâ copiâ in eodem congeſtum, decrevi ipſum ſecare inter quintam, & ſextam coſtam ejuſdem lateris, impoſitâ poſtmodum turundâ, ut ſuperius dixi, ſequenti die, qua educta, duæ puris libræ effluxerunt. Obſervatione verò dignum, non ſolum vulneris orificio pus emanaſſe, ſed & per os quinetiam magna copia, nécnon per urinam quoque ad libram unam, & quod excedit, per diem; quæ viæ licet omnibus pateant, non tamen naturæ conſuetæ, facta potiſſimum ſectione, quæ materiam copioſam effudit; cùm tamen patiens eſſet juvenis decem & octo annorum, ac robuſtus, natura propterea has vias communes ſibi paravit, ægro ſpatio menſis omninò ſanato, & adhucnum incolumi, ob rationem ſuperiùs propoſitam.

Dubium verò nonnullis, qua ratione materia purulenta ſupra diaphragma hærens, non impediat reſpirationem, cùm tamen hoc Galeno inſtrumentum ſit proprium reſpirationis; quòd ſcilicet experientiâ ſit ipſis compertum, quendam nobilem Bellunenſem fiſtulâ laborantem Thoracis, inter ſextam, & ſeptimam coſtam, nulla reſpirandi difficultate laboraſſe; cujus morbi cauſa, conſultatione habita cum viris hujus urbis præclariſſimis, negantibus multam adeſſe puris copiam in cavitate Thoracis, nulla potiſſimùm reſpirationis difficultate illi moleſta; illorum tamen opinionem mordicus oppugnavi, materiam ſcilicet purulentam intus concludi affirmans, cujus ratione immiſi turundam craſſam ſatis & longam, circa horas veſpertinas, vocatis ſequenti mane multis Studioſis, qui conſultationi interfuerant, quibus præſentibus, cùm turundam educerem, erupit ex Thoracis cavo libra, & quod excedit, puris, fœtentis adeo, ut adſtantes præ odoris gravitate excedere coacti fuerint, quod pus eò confluxerat ex tumore thoracis, quo ſex ante menſibus laboraverat patiens, ſuperſtite poſtmodum fiſtula prædicta. Ex quibus patet, quod quotieſcunque pulmones pus non contingunt, vel moto quinetiam ipſo diaphragmate, tunc reſpiratio illæſa eſt. Quod verò aliquis objicere poſſet, qua ratione ſcilicet innoteſcere poſſit pus in ipſa cavitate concluſum, nulla præſente reſpirandi difficultate; reſpondeo, obſervandum eſſe, quod quando adeſt minima portio puris in Thorace, id non fit ſine febre, quod eſt ſignum illius pathognomonicum, præter alia ab auctoribus propoſita; ut propterea ſuperius admonuerim, vulnera Thoracis non eſſe ad cicatricem ducenda, niſi patientes immunes ab ipſa fuerint aliquot dies: quinimò advertendum quinetiam, quod quando purulenta materia in cavitate Thoracis ſupra diaphragma decumbens, non ſuperat pulmonum alas, tunc per tuſſim non expurgatur; quia admittere non poſſunt, eandem non contingentes. Nobilis verò hic patiens non ſolùm laboravit fiſtula ſimplici thoracis, ſed & præterea duabus coſtis corruptis, quas proinde abradere opus fuit, non ſine quibuſdam aliis remediis, qui tamen cùm per negotia hic morari diutius non poſſet, non integra valetudine diſceſſit, illi tantùm præſcriptis, brevi eo temporis ſpatio, injectionibus ex vino mulſo, & aquis Thermalibus ſulphureis; in quarũ uſu mirum occurrit, quod ſtatim infuſæ tuſſi excernebantur, ex vino verò injecto, medicamentis potiſſimum imbuto, illicò nulla mora, maximo impetu rejiciebantur majori copia; ut propterea obſervandum ſit, non ſolùm pulmones, raræ utpote ſubſtantiæ, ſed etiam omnes partes noſtri corporis ſuis poris patere, per quos non ſolùm excrementa communia, ſed etiam materiæ ſanioſæ extruduntur ad communia loca; ſicuti contingit in vulneribus thoracis, quibus non ſolùm ex locis omnibus notis materia purulenta fluit, ſed etiam per inteſtina. *Idem ibidem.*

Ex Vulnere Thoracis Fiſtula ſuborta, ſpatio aliquot menſium pervadens ad capſulam Cordis, hujus ſubſtantiam ad fibras uſque cavitatis abſumpſit.

Ex Vulnere ſterni ad quartam coſtam ſiniſtra parte, ſubortâ fiſtulâ in quodam Veronenſi, cùm per aliquot menſes eâdem laboraſſet, ad ejus curationem me vocavit; cujus corpore primò expurgato, nulla licet ſpe ſalutis, ratione maciei, qua confectus erat, necnon febris, & virium imbecillitatis, immiſſâ turundâ, copioſum pus eduxi, à quo aliquot pòſt diebus ſyncope correptus æger vitam cum morte commutavit.

Diſſecto cadavere, inveni capſulam, & ferè totam cordis ſubſtantiam ad fibras uſque ab ulcere exeſam. Videant igitur, an conſtare poſſit ſententia Ariſtotelis l. 3. de partibus animalium, cap. 4. quòd Cor nullum vitium grave diu patiatur; ſiquidem hic patiens diu vixit, quamdiu ſcilicet ulcus, & fiſtula penetravit ad cavitatem, aut ventriculum ſiniſtrũ ipſius Cordis. *Idem ibid.*

Vulnus abdominis penetrans, cum prolapſu omenti, quod ſectum, licet non omninò corruptum, nec tamen obligatum, ex magna vi ſanguinis in inguen ejuſdem partis decumbentis, abſceſſum in eo excitavit, qui ſectus, educto multo pure, remediis accommodatis perfectè ſanatus.

Sutorem vidi abdomine læſum, vulnere penetrante, cum prolapſu omenti, quod cùm Barbitonſor ſecuiſſet, non omninò alienatum, & gangrænâ corruptum, neque obligaſſet, ita ut ipſo in ſedem ſuam compulſo ſanguis ex venulis aſſiduè manaret, qui ad partem inguinis ejuſdem lateris illapſus, atque congeſtus, viginti poſt dies circiter abſceſſum magnum excitavit; quem, vocatus ſecui, maximâ puris copiâ effluente, atque Barbitonſori præcepi, ut continuò turundam immitteret, donec tota materia exhauriretur, eâdem paulatim decurtatâ, tum poſtmodum omnino eductâ, ad obductam uſque cicatricem, more conſuetô. Obervandum verò, ex ſententiâ omnium Autorum, non eſſe ſecandum omentum, niſi filô conſtringatur, quod in vulnere relictum natura præter ullum incommodum extrudit; præcepto Barbitonſoribus maximè obſervando. *Petrus de Marchettis Obſervationum Medico-Chirurgicar. Sylloge.*

Nervos,

Nervos, & tendines vulneratos non eſſe ſuendos, contra Severini ſententiam. Tendinis vulnerati ex ſecta vena jecoraria lethalis, hiſtoria.

Obſervandum quoque nervos, & tendines non eſſe ſuendos, ſicut perperam Severinus docuit Chirurgiæ Efficacis lib. 2. c. 12. Primò quia eſt contra Galeni methodum, quem proinde non intellexit; eo ſiquidem loco, quem Severinus citat, non ſolùm ſcripſit, nervos non eſſe ſuendos, quanquam nobiliores ipſis tendinibus, ratione ſpirituum per ipſos influentium, ſed addit quinetiam, quod nunquam auſus ſit eoſdem ſuere. Quinimò ego obſervavi, incaute nervos, aut tendines à quibuſdam Barbitonſoribus fuiſſe conſutos, ſecuta convulſione, & morte patientum. Quare hæc Severini doctrina utpote contraria, & ſententiæ Galeni, & experientiæ, non eſt omninò admittenda, quin potius damnanda prorſus. Nec obſtat, quòd ſuæ opinionis fautorem, & auctorem advocare conetur Paræum lib. 22. magnæ Chirurgiæ, cap. 10. in cura illius Nobilis, cui nervis digiti manus ſectis, quadam theca reſtitutus eſt motus; hoc ſiquidem ex verbis ipſius non conſtat, quæ ſic habent. Nervo, tendineve penitus reſectis, actio illa, cujus in parte autores erant, unà plane aboletur: itaque flecti, tendive membrum inhabile eſt, niſi ipſi opis aliquid arte Chirurgica allatum fuerit. Id ego præſtiti nobili cuidam è familia Annæ Mommorantii, Galliæ equitum magiſtri, cui in prælio ad Druidas commiſſo, vulnus tantum gladio militari ad dextræ manus articulum externa parte inflictum erat, ut tendinibus, qui pollicem erigunt, plane reſectis, etiam conſolidatâ, & perſanatâ plagâ, pollex intro inflexus, & in manus volam demiſſus maneret, nec extendi, & ſurrigi poſſet, niſi forte vi revulſus ab altera manu, ſed tum etiam ſtatim revolvebatur. Itaq; nec enſem ipſe, nec pugionem, nec haſtam capere, & tractare poterat, armis omninò inutilis, ſine quibus vitam nullam putabat. Cùm igitur de amputando inutili illo, & comprehenſioni officiente pollice, me conſuleret, negavi me facturum: aliam enim rationem comprehenſam me animo habere, qua pollici afflicto ſuccurrerem. Itaque thecam ex ferro albo ipſi efformandam curavi, in quam pollicem ipſum inderet, duobus loris ad armillas duas ſupra manûs articulum, ſic artificiosè theca illa vincta, & colligata erat, ut intentus, erectuſque pollex maneret, atque adeò militarium armorum genus omne captare, & tractare ille poſſet.

Ut proinde mirari ſubeat, virum alioquin magni nominis, hæc protuliſſe; ut propterea vos monendos cenſeam ſerio, nunquam nervos, & tendines eſſe ſuendos; cùm Galenus eô loco dixerit quòd labia vulneris ad mutuum contactum adducenda ſint, ipſumque vulnus ſuendum; de ſuendis verò nervis & tendinibus ne verbum quidem fuerit. Cujus pravæ conſuetudinis ſuendi nervos luculentum non minus quàm funeſtum nuper proſtitit exemplum, cùm noſtrorum Barbitonſorum aliqui, miſſo ſanguine ex brachio, lanceolis ſuis acutis nervum ſub vena jecoraria pertuderunt, miſeris patientibus ex convulſione pereuntibus. *Idem ibidem.*

Mors è Vulnuſculo Cranii neglecto.

Sub initium Novembris Anni 1671. cujuſdam in vicinia noſtra Chirurgi filiolus quinquennis, circa veſperam in hypocauſto diſcurrens, atque manu cultellum tenens, in terram graviter concidit, ſimulque cultellum ſupra ſiniſtrum oculum ad latitudinem pollicis in palpebram infixit. Accurrens mater cultellum vulneri inhærens exemit, pater verò amicis ſe inviſentibus aſſidens, miniſtro ſuo in mandatis dedit, ut vulnus obliget. Hoc addito monito, ut labia vulneris, quantum fieri poſſit, contrahat, ne aliquando rudior cicatrix frontem deformet. Exſequitur juſſa magiſtri miniſter, atque ſic intra paucos dies coit vulnus. Mox verò puer de dolore capitis circa locum imprimis vulneratum conqueri cœpit. Acceſſit dein calor. p.n. & debilitas, quæ puerum lectulo affixere. Ingraveſcente tandem malo, conſuluit me pater die 27. Novemb. atque veram reticens cauſam, filiolum nimio laborare calore conqueritur, imò veneficium ſubeſſe ſuſpicatur. Ea namque opinio noſtratis atque vicini vulgi animos occupavit, ut ſi quem morbum ſibi incognitum, imò ſæpè & cognitum, ſed tamen jam incurabilem, offendant, ad incantationes mox rejiciant. Quemadmodum etiam præterlapſâ ſeptimanâ contigit cujuſdam Braxatoris ſervo plethorico, qui cùm illo tumoris genere, quod *Eſſere* Arabes vocant, laboraret, mulierculæ aquâ faſcinatâ eum conſperſum eſſe pronunciabant, atque ad vetulam medicatricem, aut potius Sagam deduxiſſent, niſi Herus illius prohibuiſſet, qui unica venæ ſectione & paucis alterantibus reſtitutus eſt. Sic igitur & bonus ille Chirurgus errorem ſuum incantationum velamento velans, Syrupum alterantem atque corroborantem pro ſolatio reportavit. Inſecuta eſt nox inquieta, unde ſubſequente die 28. Novembris mater de filii ſalute maximè ſollicita, mihi in abſentia mariti præſenti veram patefecit cauſam, atque ſimul è vulnere vix unam aut alteram ſanguinis ſtillaſſe guttam retulit. Nullus tum in parte affecta apparebat tumor, puer verò de intenſo illius loci dolore nimium conquerebatur. Præterea quoque adeò inſignis aderat debilitas, ut motus arteriæ vix perceptibilis eſſet. Unde certiſſimam prædixi mortem, cùm præter trepanum nullum aliud ſupereſſet remedium, & vires generoſo illi remedio ferendo planè eſſent impares. In matris tamen ſolatium Cataplaſma ex Cephalicis & ſanguinis grumos diſcutientibus præſcripſi, ſimulque, ſi quis è Chirurgis noſtris adeò audax eſſet, & in deſperato hoc caſu cum famæ ſuæ periculo trepani remedium tentare vellet, id per me facere poſſet, addidi. Cæterùm iſtis omnibus renuentibus, nocte diem 29. Nov. inſequente, ſiniſtrum ægri latus occupavit paralyſis, atque ſimul oculus ſiniſter ita intumuit, ut etiam in ipſa orbita amplius contineri non potuerit, ſed extra eam prociderit. Aſt die 30. Nov. veſperi aliquoties convulſus mortuus eſt. Atque ſic infelix pater jacturâ unici filioli, negligentiæ ſuæ ac intempeſtivi venuſtatis ſtudii ſatis graves luit pœnas. *Georgii Segeri.*

Periculoſa

Perículoſa Capitis vulnera curata.

Miles quidam in excurſione contra Turcam Clavâ ferreâ vocatâ in caput percuſſus de repente concidit, (*Marteau d'armes*) à ſociis pro mortuo habitus, ſepulturæque deſtinatus, ſed cùm adhuc ſpirare deprehenderetur, in fortalitium Hungaris *Vivat* dictum (quod tum nondum Turcis ceſſerat) deploratus, ibique à perito quodam Chirurgo Gallo tractatus, ac, aperto ipſi per inciſionem, poſtquam jam ſenſus & vires redierant, pericranio, exempta cranii portione quæ volæ manus magnitudinem in parte dextra, inter ſuturam lambdoideam, & coronalem ab integro deceſſerat, impoſita ejus vice laminula argentea undequaque perforata, tandemque vulnere juxta artis præſcriptum conſolidato feliciter reſtitutus fuit, hoc ſolum ipſi remanente incommodi, quod ineptus ad duriores labores, vigiliis, furori, minimum ſi biberit vini, ſingulisque Lunæ mutationibus certæ cuidam alterationi obnoxius redditus, prout ipſe mihi oretenus retulit Argentinæ Anno M. DC. LXII. 1. cùm Cicatricem manibus meis palpaſſem, laminam ſub cute latentem deprehendiſſem, & per foramina ejus motum quendam lentum, ſed plenum & continuum, cerebri an arteriarum fuerit, non diſputo, probè notaſſem. Mirandum certe, tam inſignem Cranii portionem, tam valido ictu avulſam ſine cerebri aut meningum aut ad minimum proximè ſubjacentis temporalis muſculi læſione. Sed, qui ſequitur caſus, magis fortè mirandus, imò vix credendus eſſet, niſi Tabula æneâ & Teſtimonium Viri Conſultiſſimi *Martini Schodel* Poſonienſis, Patriæ Reipubl. quondam Judicis, Eccleſiæ & Scholarum Evangelicarum Inſpectoris, fidem faceret. Marco Baxam, Capitaneo cuidam Hungaro, Lancea Turcica per oculum dextrum adacta, ut retrò per cervicem exiverit mucrone, mortem non intulit, ſed diligenti Chirurgorum manibus tractatus reſtitutuſque, aliquoties poſtea ſtrenue ſe contra hoſtem geſſit.

Tertium adjungo, periculoſæ vulnerationis, ſed & feliciſſimæ Curationis exemplum, Signiferum quendam Legionis p. t. Illuſtriſſ. Comitis Porciæ, hunc in Candia contra Turcam militantem globus Sclopetarius Oculo, non itidem vitâ privavit. Remanſit poſt exactam Curam in Orbita globulus, & adhuc inter Oſſa hæret, quem obducto licet vulnere, ut mihi dixit, ſubinde ſentit quaſi deſcendere, fortè quod pars affecta defluxionibus obnoxia dolorem inferat quaſi gravativum. *Carolus Rayger.*

Vulnus Cerebri profundum ad Cicatricem tendens.

Quidam J. U. Studioſus, naturâ Macrocephalus, à temperamento ſanguineo, ex inordinato vivendi modo, in cholericum declinans, jurgiis, rixis, compotationibus & vagationibus nocturnis totus deditus, corypheus Fratrum turbantium, excubias militum ſæpius irritabat. Tandem nocturno tempore ſæpius irritabat. Tandem die 4. Decembris Anni 1675. ebrius infeliciter cum illis altercans, à quodam Decurione bipenni in oſſe ſincipitis dextro, inter ſuturam ſagittalem & coronalem ſauciabatur, ita ut ſtatim aphonus & ſemiparalyticus in terram concideret. Ad ſtationem ſuam à militibus deportatus, per noctem ibi decubuit, donec ſummo manè quaſi mortuus à ſociis inde efferretur. Hac ipſa die ad illum accerſitus, mutum & immobilem ſuper ſtragulis invenio; rogatus ab adſtantibus ejus amicis, ut aliquid exhiberem, ſequentem potiunculam præſcripſi.

℞. Aqu. Ceraſor. nigr. flor. til. a Unc. iß. Syr. de pœon. Drach. vi. Tinct. Lunæ. gutt. vi. M. F. potio.

A qua exhibita circa veſperam linguam movere, & aliquantum fari cœpit. Chirurgus repurgato & deligato vulnere, ſuo ſe ſatisfeciſſe officio exiſtimabat.

Tertio ab accepto vulnere die, ſpecillo vulnus viſito, & perforatum cranium eſſe deprehendo, Chirurgum ut fragmenta, quæ paralyſim cauſare ſolent, cautè eximeret ſedulò admoneo, quod etiam cum ſuo ſibi adjuncto ſocio fideliter præſtitit, quo patiens meliùs habere viſus eſt; perſiſtente nihilominus parte ſiniſtra tota paralytica, unde ſuſpicabar nondum eſſe à fragmentis repurgatum vulnus. Refecto itaque aliquantum ægro, inciſionem pericranii, ut melior ad fracturam aditus pateret, fieri juſſi, qua facta particulas quaſdam duræ, & piæ matris cum fruſtulis cerebri Chirurgus eruit, & aliquid amplius latitare vix poſſibile eſſe affirmavit, & quia haud tuta intra cerebri ſubſtantiam erat luſtratio, Chirurgus ab ea abſtinuit, & æger abſque motu partis ſiniſtræ remanſit, aliàs adì oblata benè habuit, & meliora de ſe ſperavit. Interea ego ad quendam extra Urbem evocatus, patientem hunc Chirurgi curæ commiſi, poſt quindecim reverſus dies, utcunque ſibi præſentem ſed adhuc paralyticum inveni. Qua de causa aliquid adhuc intus cerebro moleſtum latitare audacter aſſerui; præterea fungus inſtar nucis juglandis vulneri adnatus erat, quem Illuſtris Domini D. Petri de Marchettis, Præceptoris quondam mei Patavii, pulvere ex ſpica & ſchœnantho, laudato ab ipſo in obſervationum ſuarum Medico-Chirurgicarum obſervatione ſexta de fungo ex capitis vulnere enato, aſperſi; diminui quidem, ſed non totaliter abſumpſi.

Quartus jam ab accepto vulnere agebatur menſis quo tempore æger meliùs habere videbatur, & de emendanda impoſterum vita ſerio cogitabat, ſed ſerò nimis; nam atrophia totius corporis in dies augebatur. Ego rurſus extra Urbem ſex diebus permanſi, quo tempore ex vulnere læſi ſanies fluxit copioſiſſima, ut Chirurgi totam cerebri ſubſtantiam in merum pus abiiſſe autumarent, intereà dum redeo, patiens ſociis ultimum vale dixit. Vulnus luſtrandum curioſitas ſuaſit; aperta itaque calvaria factaque circa proceſſum duræ meningis longiorem inciſione, copioſum pus effuſum eſt, ex corrupto, & extravaſato in ſinu duræ meningis ſanguine, qui copioſus ante mortem quaſi criticè apparuit, vulnus in ſubſtantia cerebri unciam unam pedis geometrici in profunditate æquabat, & partem laminæ vitreæ inſtar ſquamæ piſcis rotundam, ab unco haſtæ obtuſæ illuc incuſſam fundus fovebat; obſervatione verò dignum erat, quòd cavitas vulneris carne rubi-

rubicunda ita obducebatur, & ad cicatricem diſponebatur, ut fruſtulum laminæ in fundo relictum (niſi aliundè mors ſecuta fuiſſet) vix aliquam cerebro moleſtiam impoſterum facere potuiſſet. Videtur idem confirmare doctiſſimus Veslingius, Anatomicorum facilè princeps, ſyntagmatis ſui cap. 14. de cerebro, ubi inquit: Vulnere item coaleſcente, profundius adacti globi plumbei retinerentur, ſtylorumque fragmenta, cerebro, & meningibus infixa multis annis inhærerent.

Illud etiam in hoc ægro obſervatu dignum, quod nec febre laboraverit, nec bilem vomuerit, quamvis Hippocrates 6. aphor. 50. dicat: quibuſcunque præciditur cerebrum, his neceſſe febrem, & bilis vomitum ſupervenire. Niſi Hippocrates intelligat per febrem, exiguum etiam calorem, quem in hoc patiente obſervavi primis quatuor diebus, qui tamen decocto hordei cum ſucco limonum alterato temperatus fuit; eumque à prægreſſa crapula ortum fuiſſe exiſtimabam: vomitus verò nec in principio, nec toto curationis tempore obſervatus eſt. *Sed regula ſine exceptione nulla. D. Simonis Aloyſii Tudecii.*

De vulnere Pectoris cum læſione Pulmonum, quod trium annorum ſpatio percuratum videbatur.

Cùm Anno 1669. die 22. Aprilis feriâ ſecundâ Paſchali gregarius quidam miles inter excubitores civicos Jacobus *Pohl* Decurioni inter eoſdem, Melchiori *Schvvartz* non benè favens, eundem ex leviſſimâ causâ minori gladio, aliàs ſicâ, & Germanicè *Stillet* ſive *Stecher* dicto, clandeſtinò in ſiniſtro pectoris latere inter quartam & quintam coſtam verſus ſuperiora vulneraret, miſer ille periculosè confoſſus in terram concidit, ſtatimque domum delatus, Chirurgum Antonium *Statlender* ad ſe accerſere jubet: qui ſanguinem ſpumoſum in magnâ copia effluentem ſtatim ſiſtens, vulnus primum ſ. a. deligavit, & viribus proſtratis cordiali potione (quantum potuit) proſpexit, ægrumque ſequenti die in meliori ſtatu offendit. Tum prædictus Chirurgus ulterius conſtitutionem & ſitum vulneris inſtrumento exploratorio inveſtigans, eidemque turundam immitens, invenit ſiniſtrum pulmonis lobum ſatis profundè ſauciatum. Adhibitâ itaque diligenti curâ & in deligatione, injectione ex decocto hordei toſti cum melle roſarum & ſyrupo Myrt. quotidie facta, illum jam extra periculum eſſe ἀπηλλαγμένως ſuſpicatus eſt, ægerque ipſe opinabatur. Sed cùm die 9. Maii è lecto ſurgeret, & inter ambulandum corpus nimium commoveret, mox circa veſperam per canaliculum plumbeum vulneri à Chirurgo inditum, ſaniei & ſanguinis cum liquidiore humore miſtæ aliquot libræ effluxerunt. Ego ſequenti die, ad ipſum manè vocatus, veniens, omnia in eo ſtatu, ut jam narrata ſunt, comperi, præterea vires ſummè debiles, cordis anxietatem, tuſſim & ſpirandi difficultatem: ſtatim itaque ei præſcripſi ſequentem cordialem potionem pro aliquot vicibus. Rec. Conſerv. fl. tunic. roriſmar. viol. purp. papav. errat. an. ʒii. Aqu. Scabioſ. papav. errat. Cardui bened. rubi Idæi an. ℥iii. Mixta ebulliant in diplomate. Colaturæ fort. expr. adde aqu. Loch. Sani, Cinam. Cord. an. an. ʒvi. Syr. fl. tunic. Cordial. D. Meiſn. an. ʒvi. Raſur. dent. apri, Oc. cancr. pp. Os. de C. C. an. ℈i. Confect. Cord. D. Meiſn. ʒß. m. Viribus paulatim redintegratis iſtud decoctum ordinavi.

℞. Rad. Chinæ pond. in tal. ſect. ℥iß. conſolid. maj. ʒvi. biſtort. torment. an. ʒiii. Santal. Citrini, Cinam. el. an. ʒii. Herb. pulmon. plantag. an. mj. fl. Cichor. Sylv. violar. purp. bugloſſ. conſolid. regal. an. mß. balauſt. p. ii. Cort. Citri Rec. ʒii. Inciſa craſſiuſculè infunde per horas 18. in ſ. qu. aqu. font. poſtea coqu. in M. B. ad conſumtionem tertiæ partis, ſub finem decoctionis addè liquirit. raſ. ʒvi. paſſul. maj. exac. ℥i. Sem. fænic. ʒii. contuſiſque ſpeciebus decoct. prioris, ebulliant iterum omnia aliquoties. Colaturæ ℔v. per reſid. depur. ſerv. pro uſu.

℞. Dec. præſcr. ℥iv. add. Syr. de Symph. Fern. ʒvii. Aqu. Cinam. Cord. ℥i. m. f. Hauſtus, quem quotidiè manè ebibit, nonnunquam etiam h. 4. veſpertinâ. Reiteratum eſt hoc Decoctum alterâ & tertiâ vice. Uſus eſt etiam aliquoties balſ. Tart. comp. ad aliquot guttas. Vulneri interim injectio talis quotidiè per Chirurgum adhibebatur.

℞. Rad. tormentill. biſtort. an. ʒii. Herb. burſ. paſtor. milleſol. an. m. i. fl. balauſt. roſar. r. an. p. i. Hord. toſt. ℥i. Coqu. in ſ. qu. aqu. ſ. ad ℥xvi. Colat. adde Syr. Mirt. de roſ. ſicc. an. ʒii. m. Nihilominus tamen indies ultra libram ſupra dictæ materiæ è loco vulnerato effluxit, fluxuſque ille ferè ad octo hebdomadas continuavit, ægroto paulatim melius ſe habente, ſed vulnere haud conſolidato. Inde poſt feſtum viſitationis Deiparæ Virginis ædibus exire cœpit, munia que ſua ſine moleſtiâ peregit, uſque ad finem Novembris: tum, neſciò ex quâ occaſione recidivam paſſus, iterum ad ſuperioris Decocti uſum reverſus eſt, quibus & alia corroborantia, partim etiam expectorantia addita ſunt. Donec tandem benedicente Summo Archiatro, anno ſeptuageſimo feliciter cœpto, bonus ille & pius Vir priſtinæ ſanitati planè reſtitutus, in hinc uſque diem, quo hæc ſcribo (Anno ſcil. 1672. 16. Aprilis in vigiliâ Paſchali) optimè valet, & quia præter functionem militarem etiam repurgatoris fumarii provinciam ſuſtinet; utrique officio ſatisfacit, cui ego Anno 1671. præterito, decima die Septembr. filiolam nomine Eliſabetham ad ſacram Baptiſmatis aquam ſuſcepi, quæ hucuſque, dum iſta ſcribo, vivit & bene valet. Quanquam autem Chirurgus ulcuſculum illud conſolidare ſæpius tantaverit, nihil tamen hucuſq; efficere potuit; quare canaliculũ argenteum ſemper in eo geſtat vulneratus, ad meliorem materiæ peccantis promotionem, quæ quaſi per fonticulũ effluendo, quotidiè tamen in pauciori quantitate, pulmones à corruptione tuetur, & ferè ab omni tuſſi liberos ſervat. Unde apparet pulmonum vulnera, quanquam ſint periculoſa, non tamen ſimpliciter lethalia dicenda eſſe. Non enim omne vulnus, quod mors ſequitur, lethale dicendum eſt, ſed id ſolum, quod ſuâpte naturâ mortem adfert. Neque omnia vulnera, ob quæ ſupervenientibus gravibus ſymptomatibus ægri moriuntur, pro lethalibus habenda ſunt, nam non neceſſariò nec ſemper ipſis

ſuperveniunt, ut, cum vulneribus articulorum & nervoſarum partium, inflammatio, delirium & alia Symptomata accidunt, aut quando pulmone vulnerato ulcus aut phthiſis ſubſequitur, unde ægrum lentâ morte occumbere obtingit. Septem autem partium vulnera *Hippocrates* lethalia eſſe ſtatuit. Lib. Aphor. 6. Aph. 18. ita ſcribens: Cui veſica perſecta fuerit, aut cerebrum, aut cor, aut ſeptum tranſverſum, aut tenue quoddam inteſtinum, aut ventriculus, aut jecur, lethale eſt: ſuper quem Aphoriſmum videantur Commentatores, Galenus, Hollerius, Heurnius & Knoblochius. Hunc tamen Aphoriſmum Hippocrates tum limitat, tum ampliat, in Coacis, Aphor. 509. in Codice Fœſii, dum inquit: Ex vulnere ferè mors contingit, ſi cui vulneratum fuerit cerebrum, aut ſpinalis medulla, aut jecur, aut ſeptum tranſverſum, vel cor, aut veſica, aut quædam grandis vena. Mors quoque ſubit, ſi in arteriam & pulmonem inſignes valdè plagæ inflictæ ſunt, ita ut percuſſo pulmone, minor ſit, qui per os prodit ſpiritus, quàm qui per vulnus excidit. Intereunt verò, quibus nervi interiores, ſive tenuis aliquis, ſive craſſus, vulnus acceperit, ſi plaga tranſverſa fuerit & magna: quòd ſi parva & recta, nonnulli periculo eximuntur. Minimè autem ab his vulneribus mors impendet, quæ in corporis partes, in quibus hæc non ſunt, aut ab his quàm longiſſimè abſunt, infliguntur. *Hucuſque verba Hippocratis:* quorum veritatem confirmant, cùm præſens noſtra Obſervatio, tum altera quam recenſet *Sennertus* Pract. Medic. Lib. 2. Part. 2. cap. 11. & Lib. 5. Part. 4. cap. 3. atque duæ aliæ Celeberrimi illius Medico-Chirurgi *Guil. Fabricii Hildan.* de feliciter percuratis vulneribus pectoris; quorum unum cum abſciſſione portionis ipſius pulmonis, alterum cum pulmonis læſione fuit, ut videre eſt apud eundem Cent. 2. Obſerv. 32. & Cent. 3. Obſ. 36. cum quibus conjunge *Petri Foreſti* Obſ. Chirurg. lib. 6. Obſerv. 4. & Epiſt. *Petri Fuhrmanni* in Greg. Horſtii Epiſt. Medic. Sect. 19. Lib. 1. ut alias brevitatis ſtudio omittam. Studioſus ille, cujus in Obſervatione citatâ Clariſſ. Sennertus meminit, poſtea in vicina Academia Profeſſor Medicinæ per multos annos fuit celeberrimus, Præceptorque meus omni obſervantiæ cultu devenerandus. Vix præſentem Obſervationem ad finem perduxeram, prædicti *Melchioris Schvvartzen* uxor conjugem meam alterius cujuſdam rei gratiâ viſitavit; quam cùm ego de valetudine mariti interrogarem, illa mihi reſpondit, ipſum jam ante octiduum tuſſim cum expectoratione copioſæ materiæ purulentæ pati, quæ etiam per foramen apertum abundanter exit, interim tamen non ſolùm in ædibus, ſed etiam per plateas quotidiè obambulat, & munia ſua perficit: qualem tandem cataſtrophen fabula hæc habitura ſit, tempus revelabit, ego verò, Deo vitam concedente, benevolo Lectori candidè impertiam. *Simonis Schultzii.*

Vulnus Pectoris & Pulmonum ferè quinquennale minimè lethale. Ad præcedens Caput Obſervatio.

Bonus ille Decurio *Melchior Schvvartz*, à milite Gregario clandeſtine vulneratus, de quo *Obſ. prac. anni tertii miſcell. med. Phyſ. Curioſ. Germ.* mentio facta eſt, ab anni 1672. menſe Maio, (quo tempore obſervationem iſtam conſcripſeram) uſque ad anni 1673. vernum tempus ſatis commodâ valetudine uſus, muniaque ſua tam publice quàm privatim abſque impedimento obire potuit, iterumque filiolam ſanam è conjuge ſuſcepit; vulnere interim pectoris aperto manente, per quod natura ſauciatorum pulmonum ſaniem apprimè expurgabat; ſed cùm prædicto anno ſeptuageſimo tertio circa feſtum Pentecoſtes ſuburbium Thorunienſe extremum, *die Mockerau* dictum, à Polonis militibus contra jura Civitatis petulanter infeſtaretur, illeque cum urbanis militibus iſtud ſtrenuè defenderet, atque hoſtes exinde expelleret, lethale capitis, præter alia ſcapulæ & brachiorum gravia vulnera, inde ſuſtulit, & licet ab *Antonio Stattlender*, chirurgo, circa deligationem vulnerum ſumma diligentia adhibita fuerit, nihilominus tamen natura ſuccumbente miſer ille, non ad unum infortunium natus, circa principium autumni anni 1673. occubuit, vulnuſculo illo pectoris ad finem vitæ uſque pus coctum ejiciente: cujus ego tragici caſus ultimam periodum, promiſſis ſtans, hac vice Curioſo Lectori lubenter communicare volui. Apparet ex iſta relatione, mortis illius cauſam non fuiſſe vulnus pectoris cum læſione pulmonum ſatis periculoſum, ſed recens capiti inflictum lethale vulnus. *Simonis Schultzii.*

De Vulnere Pectoris.

Miles quidam præſidiarius Bregenſis, ab altero vulneratur gladio acuto, vulnere penetrante per veras coſtas in cavitatem pectoris, non effluit ſanguis multus, vulnus à Chirurgo conſolidatur brevi tempore. Conſolidato vulnere æger incidit in febrem cum ſumma reſpirandi difficultate; in conſilium vocor, de vulnere certus fio, ſanguinem in cavitatem pectoris confluxiſſe ſuſpicor; V. S. primò omnium injungo, mitigatus calor, melior reſpiratio. Adjungo roborantia, refrigerantia, pectoralia. Lateri dextro emplaſtrum maturativum applico, per noctem augetur tuſſis, expectorat dimidiam pelvim plenam materiæ purulentæ, ſanum ſe affirmat dextro latere, de ſiniſtro conqueritur; inſpicio vulnus; tumorem animadverto, locum tenui quaſi membrana clauſum, aperiendum iterum vulnus ſuadeo, renuit Chirurgus, tandem aſſentit, aperit, exſilit tanquam à venâ ſectâ purulenta materia, eaque inclinato ægro terram verſus bene multa; ſervatur apertum vulnus, æger ſuper latere affecto jacere cogitur, ſingulis diebus inclinato corpore egreditur materia, corpus purgatur, injiciuntur abſtergentia; adduntur potiones vulnerariæ; æger ſanitati priſtinæ reſtituitur.

Scholion.) Chirurgus iſte admodum ineptus fuit, cùm de ſanguine extravaſato & in pectoris cavitatem influxo minimè ſollicitus eſſet. Si enim vulnus dilataſſet & corpus debito modo moviſſet; procul dubio ſanguine effluxo febris & alia ſymptomata præcauta eſſent. Curationis methodus eſt accuratiſſima. Febris enim rationę

V. S. optimè inſtituta, unde etiam ſymptomatum mitigatio ſecuta. Emplaſtrum quoque maturativum ſummoperè conduxit, quia materiam ad exitum aptam reddidit. Apertio vulneris rectè inſtituta & materia evacuata, quæ aliàs tetris exhalationibus pulmonem putredine inficere, vel contactu diaphragma lædere potuiſſet. Corpus purgatum, ne humores peccantes affluerent. Abſtergentibus locus affectus mundificatus, & potionibus vulnerariis illi priſtinus vigor reſtitutus eſt. Cùm verò materia expectorata in cavitate pectoris hæſerit, per quas vias expectoratio materiæ facta ſit? Inquiſitione dignum eſſet. Torſit hæc quæſtio multos ex eruditis viris, præcipuè cùm non ſaltem materiam purulentam, ſed & turundam, referente Tulpio lib. 2. Obſerv. 15. è cavitate pectoris rejectam eſſe, certum ſit. Marc. Aurelius Severinus in opere de Abſceſſ. in Conſultat. ſingul. diligentiſſimè in has vias inquiſivit; idemque proſecutus eſt in Epiſt. Bartholin. cent. 1. Epiſt. 68. ubi illi placuit, hoc tum ad motus perennis vim, tum ad pulmonis ſuperni, tum diaphragmatis inferni complosum referre. Sed hæc, quod ingenuè fateor, captum meum ſuperant. Quæ vero de amaritiei ſenſu in ore ab injectione amarâ percepto ex Patæo affert, ſaltem à vaporibus, quibus pervia ſunt omnia, provenisse, quis affirmare poſſet? In luto itaque ignorantiæ tantoperè hærentibus auxiliares manus nobis porrigit clariſſimus & ingenioſiſſimus Harveus *lib. de Gener. Animal. Exercit. 3. p. m. 43.* his verbis: Perforatio pulmonum, à me inventa (cujus modò memini) haud obſcura & cœca eſt; ſed in pennatis præſertim, patula admodum; adeo ut in ſtruthiocamelo meatus plurimos repererim, qui digitorum meorum apices facilè exciperent. Et paulò poſt: Imò verò dubitare liceat, an non in homine etiam dum vivit, aër per dictos meatus in thoracis cavitatem penetret. Quomodo enim aliter empyicorum pus, & pleuriticorum extravenatus ſanguis, illac effluant? In vulneribus pectoris (illæſis etiam pulmonibus) aër per vulnus foras erumpat? aut liquores in cavitatem pectoris injecti, cum ſputo reddantur? Hactenus Harveus. Cui adſtipulatur Clariſſ. *Bartholinus, Anat. reform. lib. 2. cap. 29.* Membranâ cingitur pulmo tenui, lævi, poris multis inſignitâ, qui pori inflato pulmone follibus, ſatis conſpicui. Quot aliquoties Johan. Walæus piſi majuſculi magnitudine in vivorum diſſectionibus obſervavit. Hinc ſanies thoracis penetrare poteſt, & per tuſſim exire. Huic ſententiæ calculum ſuum adjicit Clar. Lindenius Med. phyſ. *lib. 2. cap. 6. §. 186.* Perforationem talem membranæ pulmonariæ peculiare quid eſſe & eâ cognitâ nulli jam mirum videri debere poſſe, quæ præter naturam collecta ſunt, in cavitate thoracis inde abſorberi, & per arteriam aſperam exſpui, eſſe tamen iſtum abuſum potius dictorum meatuum, & in caſu extremæ neceſſitatis tantum; uſum verò eſſe perſpirandi aërem in eandem cavitatem, quo circumfuſus pulmonibus, hos refrigeret. Et ita lux tenebris noſtris tandem affulſit; Etſi enim in mortuis (ſubſidentibus omnibus) pori iſti non admodum ſint conſpicui, tamen cùm alibi, (ut in pennatis certò conſtat) oculis pateant, non video, quâ causâ commotus, quis dubitare velit eoſdem in homine exiſtere, & naturam in extremis iis uti poſſe; cùm ſæpe meatus obſcuriores neceſſitate adacta ſibi inquirat, ut è doctrina de abſceſſibus luculentum evadit, ubi natura oppreſſa ſæpius vias plane invias invenit, per quas materiam ceu ſarcinam deponit. Ita ut Marc. Aur. Severinus de abſc. cap. 7. p. m. 9. ſcribere haut vereatur: Vias per quas humor deponitur, non æque pernoſcimus, ſed ignorantiam noſtram ingenuè fatemur. Illud afferentes ex Hipp. quod confluxus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia. &c. *Danielis Wincleri.*

De affectu Strepitoſo à vulnere Pectoris.

Excellentiſſimi Legati Veneti, Nobilis quidam vulneratus fuit in duello, ictumque recepit prope axillam dextram, quod tamen vulnus ad ipſos Pulmones non penetravit, ſed per ipſum muſculum pectoralem coſtas tantum alliſit: Hic accepto vulnere à flatibus ita diſcruciatus fuit, ut & collum & facies & brachia ſummè intumeſcerent, eſſentque inſtar ex parte inflatæ, non penitùs tenſæ, ſed ſiccæ, Veſicæ ſuillæ, dumque tangerentur, ſtrepitum mirabibilem edebant, ac ſi tangeretur ſicciſſima quædam Veſica ex parte inflata. Cumque ægrum interrogarem, utrum aliàs ſimili tactus fuiſſet affectu? reſpondit affirmative, ſeſe jam multis temporibus ejuſmodi affectu laboraſſe. Diligentius in tam rari affectus cauſas inquirenti mihi, narravit quidam Med. Dr. quòd dum herbas in Alpibus Auſtriacis duobus circiter ab hinc annis diſquireret, ab incolis ipſi narratum fuerit, & pecora & homines ejuſmodi affectu, quem vocant Strepitoſum, Germanice *die Rauch*, laborare, quem ſuffitu ex Myrthi foliis indubie profligant, hinc etiam plantam hanc vocant *den Rauſch.* Cùm autem herbam ex tempore in Officinis non reperirem, ex baccis membra perfumari, & earundem oleo perungi protinùs curavi, & manifeſtum attulere auxilium. *Paulo de Sorbait.*

Vulnera profunda Colli non eſſe lethalia.

Nolui cineribus oblivionis recondere admirandum vulnus inflictum cuidam Capitaneo Excellentiſſimi Domini Comitis Butiani eo tempore à Turcis inflictum, quo *Auroram*, ejus conjugem, mulierum pulcherrimam, duplici tertiana detentam curarem: Hic enim cum ſociis contra Turcas ad confinia excurrens æqua lance certavit, occidendo multos, & pro occiſo habitus inter mortuorum cadavera quaſi ſepultus; accepit enim vulnus in ſiniſtro colli latere adeò profundum, ut muſculi maſſeteres, ſplenii, venæ jugulares, arteriæ carotides, nervique recurrentes fuerint exciſi, quod ex ejuſdem profunditate ad duos digitos, ſaliente ſanguine arterioſo & venoſo licuit intelligere. Sed paulo poſt audito victoriæ ſigno, ex cadaverum acervo ſurgit, à ſociis vulnus ſtrictè obducitur, domum equitat, nec ſenſum perdit, nec aphonus redditur, nec viribus deſtituitur, ſed ea nocte uxori ter debitum matrimoniale reddidit ſine diſcrimine. Curatus eſt, & ſucceſſu temporis non ſolùm plures Turcas occi-

dit,

dit, ſed etiam Laxenburgi cum ſuo Excellentiſſ. Comite comparuit. Evaſit, an quia vulnera in Ungarico climate facilius curantur per extraordinarias (ut audivi) curationes, aut quia paucis utuntur medicamentis, facilè reſtituuntur? crediderim potius Magati methodo, per primam ſcilicet intentionem, ſanitati priſtinæ reſtitui. *D. Antonii de Pozzis.*

Vulnus gutturis lethale.

Cùm Noribergæ praxin medicam exercebam, quidam ætatis virilis & ſtatus cælibis, mercaturæ quondam, inſtitoris ſeu procuratoris nomine, inſerviens, tunc temporis verò omni officio dimotus & privatus, cùm aliquando Urbe excedens, intra vallum externum nimis ſollicitus ac ſolus deambularet, ſubito ex mœrore & vitæ tædio, gutturi tranſverſim cultro inflicto necem ſibi inferre tentavit, ac Chirurgo ab aliis in tempore accerſito, mundatoque vulnere à ſanguinis grumis, larynx ſimul cum gula vel œſophago læſi inventi ſunt. Inde vox abſona & rauca ſaltem audiebatur, potuſque portio vel liquoris aſſumpti per vulneris rimam tranſibat, ſicque deligato vulnere, novem aut decem dies æger tantùm ſupervixit. *Ex obſerv. propr. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Simile gutturis graviter læſi exemplum aliquot abhinc annis à Parente meo chariſſ. obſervatum; dum Sutoris cujuſdam uxor febre continua cum deliriis laborans, & in hac ſanæ mentis obtenebratione, amandata in culinam, ut pro virium refectione juſculum accerſeret, quæ curam ejus agere debebat, clinica, è lecto ſurrexerat, novaculam, quam adeſſe ſciebat, ſumptura; cujus tamen loco forficem juxta poſitum arripuerat, eoque, præter minora aliqua vulnuſcula, majus aliud in collo, cum aſperæ arteriæ diſciſſione, id quod in exſpiratione emiſſus è vulnere ſpiritus innuebat, ſibimet ipſa inflixerat, ſubſequente inſigni hæmorrhagia, ſponte tamen iterum ceſſante, quod vulnus dein, attractis per emplaſtrum glutinatorium ejuſdem labiis, cæteriſque ritè adminiſtratis, intra trium ſeptimanarum ſpatium feliciter à Chirurgo noſtrate, M. P. perſanatum fuit, ipſa ægra, quæ, ceſſante delirio, omnium quæ peregerat, gnara erat, vitalem adhuc auram incolumi hauriente. Alia vulneratæ, ex melancholia, deſperatione &c. aſperæ arteriæ exempla habentur in *cent. 5. hiſt. anat. 89. Bartholini, Georg. Hier. Welſchii Sylloge obſerv. & curat. medicinal. Joh. Udalr. Rumler. obſerv. 80. Dominici de Marchettis Anat. cap. 11. Baldaſſ. Timæi Reſponſ. medic. 14. Nicol. Tulpii lib. 1. obſerv. med. cap. 50. Laz. Riverii obſerv. ab Ozia Aimar communic. 5. Marc. Donati lib. 3. de med. hiſt. mirab. cap. 6. &c.* Quæ tamen obſervationes de feliciori, quàm in Auctoris noſtri Caſu, eventu loquuntur, eoque ipſo aſperæ arteriæ vulnera non eſſe lethalia, ſed denuo per artem uniri atque ſanari poſſe, teſtantur. Unde etiam Laryngotomiam, quæ artificioſum aſperæ arteriæ vulnus dici poteſt, abſque periculo vitæ inſtitui poſſe, ex hoc ſequitur; quam dubiam equidem reddere nonnulli laborarunt; quibus tamen abunde ab aliis jam reſponſum fuit; inprimis, ut Recentiorum ſaltem uno alteroque confirmetur teſtimonio ejuſdem innocentia, magni nominis Medicus, D. D. *Joh. Dan. Horſtius epiſt. 10. obſerv. anatom. addit.* aliquot felices operationis hujus ſucceſſus à fratre notatos fuiſſe, refert; quamvis Anatom. & Chirurgus olim Leidenſis celeberrimus, D. Joannes van Horne, ceu Nobil. D. Joh. Henr. *Brechfeld Volum. 2. Act. Med. Hafn. obſerv. 15.* recenſet, in homine eam fuiſſe adminiſtratam, nullum exemplum noverit, licet eam ipſam in canibus ſæpe feliciter expedierit. Bis quoque Renatus Moræus, doctrinâ & medendi peritiâ celeberrimus Chirurgiæ Profeſſor, ut eum commendat *Cl. Rhodius diſſ. de acia cap. 10.* Pariſiis eandem celebravit, quod *centur. 1. epiſt. med. Thom. Barthol. epiſt. 81. legitur.* Et Illuſtr. D. Guido Patinus ter eam in Urbe ita, in Monacho, Aulico, & Mercatore, cum ſucceſſu inſtitutam vidit, referente hoc *Excellent. D. Gerard. Blaſio Comment. in Syntagm. anatom. Veſling. cap. 11.* Hinc Medicorum indecentem, ut vocat, miratur timorem Marc. Donatus, qui in ægro angina deſperatè correpto, ad hoc præſidii genus ultimum admovere manus renuunt; magnanimos econtra adpellat illos Chirurgos exercitatos, qui anginoſos vulnere iſto ſalutari ab imminente ſuffocatione vendicant, liberam utpote aëri ſic aperientes viam, Terremur, inquit Moræus l. c. rebus inexpertis, quæ in uſum ſemel revocatæ eadem ſecuritate admittuntur, qua peraguntur facilitate. Idque tanto magis faciendum videtur, cùm in deſperatis morbis vel quidvis, quod ſpem aliquam ſuſtentare queat, experiri, quàm ſoli prognoſtico ægrum relinquere deceat. *Satius eſt,* inquit *Celſus lib. 2. cap. 10.* anceps auxilium experiri, quàm nullum; Si anceps, multo magis & tale, quod tuto adhiberi à perita manu poteſt. Rariſſimè tamen in uſum revocatur hæc operatio, ut verbis *Laz. Riverii tom. 2. Prax. med. ſect. 5. cap. 7.* loquar, propter metum infamiæ, quæ Medicis & Chirurgis impendet, dum æger poſt operationem occumbit. Quod ut plurimum contingit, & mors operationi potius, quàm morbo tribuitur, quantumvis Medicus præmiſſo prognoſtico ſeſe adverſum calumniam munierit. Nec fortè Medicus, ſi ad Bronchotomiam perſuadendam timidus exſiſtat, magnoperè reprehendendus erit, non enim tam prodigus famæ propriæ eſſe debet, iſtis cumprimis in regionibus, ubi major ferri ſalutaris animos occupat metus, & expeditior ad Medica præſidia judicanda ac diffamanda, vulgi, & qui vulgi more ſapiunt, dominatur lingua, innocenti vulneri facilè culpam mortis (præſertim ubi, quod ſæpe contingit, malignitas morbo juncta, atque in ægro, viribus jam exhauſto, mortiſque in faucibus conſtituto, vulneris iſtius inflicto demum admittitur. Et quis, quæſo, ſi per alia incruenta remedia de vitæ conſervatione ſpes ſuperſit, doloroſam iſtam medelam perferet?) imputatura. Unde etiam exercitatiſſimi aliqui Chirurgi eandem nunquam celebrare auſi fuerunt; quos inter meritò nominandus eſt Hier. Fabricius ab Aquapendente, ipſe id de ſe in Obſerv. Chir. ſcribens. Memini quoque, ſupra nominatum Excel. D. Dominicum de Marchettis, cùm A. 1669. in Noſocomio ad D. Franciſcum Patavii, in gratiam Inclytæ Nationis Germanicæ, Chirurgicas in cadaveribus cum adplauſu oſtenderet operationes, de Laryngotomia diſſerentem, utilitatemque ejus

commendantem, quamvis aliàs Vir in iſto, manibus quæ fit, medendi genere perquam ſit peritus, audax & ſtrenuus, hanc tamen operationem nunquam tentaſſe ſe, publicè fateri haud dubitaſſe. Alias inter, quæ auxilium hoc, ceu inutile prohibent, circumſtantias, merito etiam à Scriptoribus adducitur pulmonum, quos in angina vehementiori plerunque ſimul adfici *Riverius* ſcribit, inflammatio, vel multis humoribus repletio. Quare *Paul. Barbette Anatom. pract. part. 3. lib. 3. cap. 2.* hanc conſignavit admonitionem: Circumſpectione hìc ſumma opus eſt, ne ſi aliæ quoque partes, pulmo ſcilicet, pleura, gula, &c. inflammatæ, aut jam pure repletæ, irritus ſit tuus labor, & calumniandi anſam præbeat. Sed ut in viam redeam, aſperæ arteriæ vulnera per ſe quidem, ſive ubi ſola fiſtula illa aërea, abſque aliarum partium connexarum præſtantiorum gravi læſione, vulnerata eſt, ſi debitè tractentur, maximè ſunt lethalia; profundiora tamen ſi exſiſtant, ſummè periculoſa evadunt, quia utplurimum venæ jugulares & arteriæ carotides unà diſſecantur, magna ſubſequente ſanguinis profuſione, ſpirituumque vitalium diſſipatione, vix arte ulla ſiſtendis; extravaſatoque ſanguine in pulmones per vulneris hiatum copioſè deſcendente, atque ita ob reſpirationis inde exortum impedimentum, ſuffocationem inducente. Quo intuitu vulnus, quod Nobili cuidam anteriore colli parte in aſpera arteria inflictum fuerat, Timæus d. l. pro ſimpliciter lethali habendum eſſe cenſuerat; & Magnific. *D. D. Gothofr. Welſchius* in tr. de ratione. vulner. lethal. judicio cap. 4. majorum vaſorum, & in ſpecie jugalarium venarum internarum ac carotidum vulnera pro ſimpliciter & abſolutè lethalibus habet. Quanquam ab *Ill. D. D. Antonio de Pozzis Ann. 4. Ephem. Germ. Curioſ. obſerv. 39.* notata obſervatio (cui magni *Hippocrat.* effatum *lib. 2. Prædictor. pag. 69. Cod. Foëſ.* favet: Vulnera ferè quidem mortem afferunt, quæ magnas venas, quæ ſunt in collo & inguinibus, læſerunt, deindè quæ cerebrum & hepar, deinceps quæ in inteſtina & veſicam pertingunt. Quæ ſanè omnia magnam perniciem afferunt, non eam tamen, ut (quod quidam exiſtimant) nemo ex his ſervari poſſit, &c.) exceptionem hìc eſſe admittendam, evincat, dum vulnus colli profundum Capitaneo cuidam ſiniſtro in latere inflictum memorat, quo præter muſculos & nervos recurrentes, venæ etiam jugulares, arteriæque carotides exciſæ fuerint, ipſo ægro ſanitati reddito. Qui tamen caſus merito miraculis medicis adnumerari debet; præter enim conjecturas, quas prælaudatus Vir ibidem adnectit, fortè ſanguis effuſus in grumos circa patentia oſtiola coactus, plenarium ſanguinis effluxum inhibuit, idque eo magis, cùm diſſectis per tranſverſum, ideoque à naturali ſua tenſione remittentibus vaſis, eorum extrema ſive capita ex utraque parte retracta & quaſi corrugata, ſimulque à circumjacentibus partibus oſcula illa compreſſa fuerint; quem modum, à Galeno etiam 13. meth. med. propoſitum, in hæmorrhagiis à vaſorum ſanguiferorum vulnere incoërcibilibus, ſæpe Chirurgos, non ſine ſucceſſu optato, amplecti, notiſſimum eſt. Et paucis abhinc annis in quodam cive Auguſtano, cui arteria, quæ in carpo pulſui contrectando deſtinatur, graviter vitro vulnerata fuerat, cùm ſanguinis fluxus remediis nullis inhiberi potuiſſet, optimè ſucceſſiſſe, memini: Idem in hoc quoque Auctoris noſtri caſu dubio procul contigit; ubi tamen, cum œſophagus unà læſus fuerit, mortem eo magis ſubſequi neceſſe fuit.

Vulnera pulmonum non lethalia.

Anni tertii Ephemeridum Obſervatio 186. demonſtrat, vulnera pectoris cum læſione pulmonum non ſemper eſſe lethalia. Vulnus pulmonum curatum conſignavit etiam *Horſtius obſerv. Med. l. 3. obſerv. 11.* Mihi hoc ſuppetit in tali caſu, quod hic D. Locumtenens, nomine *Küblemorgen*, in Regis Sueciæ Exercitu contra Polonos militans, transfigitur à Tartarorum ſagitta circa quintam & ſextam coſtam ſuperiorem, cuſpide in pectore manente. Curabatur, & adhuc vivit per viginti aliquot annos ſanus & incolumis, geminaque vice præterito bello Gallico Batavico Electoris Brandeburgici caſtra ſecutus. Eſt vir longioris ſtaturæ, aſt exſiccatus, lenique tuſſi ſemper moleſtatur. Curæ meæ ſubfuit febricitans, alio tempore plus quàm conſuetum, tuſſiens, ſed feliciter Dei gratiâ bis reſtitutus.

Quando ſagittæ mucro ſe movet, & ob gravitatem ima petit, ſentit obſcurum dolorem & ſanguinis fluxum copioſiſſimum per os. Ante aliquot annos tres Medici conſuluerunt, mediante ſectione per Chirurgi manum, extrahere cuſpidem: annuit noſter & ſtrenuè operationem ſuſtinuit, aſt incaſſum, quia locum cuſpidis non invenerunt. Vivit jam in Polonia ad actiones vegetus, annorum præter propter ſexaginta. *Dom. Samuelis Ledelii.*

Vulnus Cor pertranſiens non illico lethale.

Die 4. Jan. 1664. juſſu Sereniſſimi Principis Haſſorum Caroli, Domini mei Clementiſſimi, aperui cadaver Juvenis 25. annorum, ſub mammilla dextra intra coſtam 4. & 5. ab alio gladio perfoſſi. Aperto cadavere vidi pectus totum ſero & ſanguine refertum, pericardium & cor per binos ventriculos perfoſſum, & tamen Juvenis per 4. aut 5. horas ſuperſtes in vita manſit. *D. Joh. Dolæi.*

Caſus ſingularis vulnerati abdominis.

Poſtquam Ann. 1676. Deo propitio feliciter appuli ad Bantam menſe Novembri navi, quam albam Fortunam vocant, eaque exonerata mercibus Societatis Danicæ & Norvvegiæ, Ampliſſimus *Dn. Johannes Joachimus Paulli* Reſidens Regiæ Societatis Indicæ, miſit Orientem verſus ad vendendas merces nonnullas, emendoſque aſſeres & trabes. Et quia ego valetudine minus proſpera detentus, Bantam ſubſiſtere cogebar, accidit die 20. April. ſt. v. vel 1. Maji ſt. n. Ann. 1677. ut die iſto Sabbathi nuntium ad prædictum Dominum Paulli aliquoties mitteret Anglicus Agens Arnoldus Weit, prudens & officioſus Vir, amiceque invitaret ut ſecum ad Lotionis locum per fluvium trajiceret ad conferendos ſermones de transfuga Johanne Henrico Schytte. Non potuit hoc illi negare Dn. Paulli jure amicitiæ, cùm etiam multum intereſſet Societati, ut fugitivus ille revocaretur ad Societatem Danicam. Igitur in comitatu multorum ſplendiſſimorum

morum hominum ad prædictum locum tendebant ſinguli ſua ſcapha, nempe Anglicus Agens, *Dn. Johannes Joachimus Paulli, Dn. Willibii,* cum conjuge, quæ uterum poſtremis menſibus gerebat, Dn. Nord Anglorum ſummus Capitaneus in Jambi, aliique plures. Cùm, Sole ad occaſum vergente domum redire meditarentur ſuoque ordine ſcaphæ ſingulæ proveherentur, ubi medium itineris abſolviſſent, tragicus caſus miſerabilis & deteſtandus accidit. Nequiſſimus quidam Javan, genutenus aquæ inſiſtens, brevi ſed acuta utrinque lancea tres digitos lata. Anglici Agentis latus dextrum perfodit, qui ſanguinis profluvio poſt mediam horam expiravit. Sequens ſuo ordine in Scapha ſua Dn. Paulli, in tenebris neſciens quid Agenti accidiſſet, ab eodem Javan petitur, vulneraturque in trochantere. Dn. Paulli ſentiens ictum, vertit ſe, ut ex ſcapha exſiliret, interea peractus eſt ictus, ibique aliquot muſculi reſecti, cum tendonibus, fibris, & nervis ſurſum tendentibus, pertuſoque ramulo Venæ Cruralis, unde ſingulari Dei providentia lancea ſe vertit ingreſſaque eſt plana ſui parte infra umbilicum, ubi cutis, pinguedo, unà cum muſculis tranſverſam manum latè à Peritonæo ſeparata fuerunt, lanceaque ſuo acumine magnam laciniam ab ipſo hypogaſtrio dilaceravit, vulnuſque effecit ſpithamam longum quatuorque digitos, quod ample hians horribilem faciem repræſentabat, ubi etiam quinque vel ſex fibulæ impoſitæ. Dum ita vulneratum ſe Dom. Paulli ſenſit, ex ſcapha provolutus in fluvium evaſit ſicarii periculum.

Non potui intermittere quin ſimpliciſſimè enarrarem ſtatum Vulneris, & quid in eo conſideratione dignum fuerit, & quàm periculoſum, niſi Omnipotens Deus ex ſingulari gratia avertiſſet. Primò in vulnerato Trochantere, ſi ictus profundus deſcendiſſet & extrema Muſculorum qui os movent illique firmiter adhærent, reſecuiſſet, evenire debuit motus impotentia. Deinde, vulnerati ſunt duo muſculi, qui ab oſſe ilium, & cum nervoſo tendine inſeritur in Trochanterem, ut eundem extendat. Hi muſculi ſunt in origine ſua candidi & anguſtas inſertiones habent, quæ diligenter ſunt conſideranda quando circa Trochanterem vulnera fiunt. Tertiò: Si ictus, pollicis craſſitie, altius penetraſſet, ut læderetur ramus major, qui unà cum nervo magno ad genu pergit, venaque cruralis pertuſa fuiſſet, magna ſanguinis profuſio ſequi potuiſſet, ex qua ſæpe animam cum ſanguine vulnerati profundunt. Quartò: niſi lancea ſingulari Dei providentia ſeſe vertiſſet; cùm in hypogaſtrium deſcenderet, illæſo tamen peritonæo; ſed acie ſua ulterius ingreſſa fuiſſet, extremum vitæ periculum timeri potuit, quia prope os pubis locus ille ſitus eſt, ubi ſitæ ſunt partes generationis, ubi etiam inteſtina vulnerata fuiſſent, morte inſequente.

Ego quidem primus fui qui vulnus obligavi: ſi quidem verò multum pro Societate Nobili intererat laudatum Dn. Paulli ſalvum eſſe, conſultum viſum fuit ex Batavia evocare Chirurgum peritum. Quod curæ fuit Nobiliſſimo *Dn. Johanni Maatſuycher* Generali in Batavia, qui expertum & doctum Chirurgum Reymerum de Witt huc miſit, convocato præterea perito Gallorum hîc degentium Chirurgo, Gulielmo de Comball, quorum nobiſcum diligenti opera Deus benedixit cœptis noſtris, ut non tantùm ſymptomata prava averterentur, ſed cura feliciter ſucceſſerit. *D. Joh. Silleri.*

Vulnus inguinis lethale.

M. P. St. Norimbergenſis, & Medicinæ Candidatus, cum An. 1628. in Academia Patria Altdorfenſi ebrioſus, evaginato gladio noctu alteri cuidam occurriſſet, ab illo itidem petitus, & in inguine dextro prope veſicam punctim læſus, vulnere quidem non lethali, tamen ſtatim exanimis concidit. *Ex obſerv. pr. D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Ratum cùm ſit, inguinis vulnera per ſe & proprie non eſſe lethalia; quid repentinam in hoc juvene mortem attulerit, dubitari poteſt. Quamvis enim rudior aliquis lethalitatem exin adſtrueret, quod immediate mors à punctura illa inſequuta fuerit; nimium tamen is hallucinaretur, ridendus potius & explodendus vulneris arbiter. Neſciunt ſane tales vim Hippocratici aphoriſmi omnium primi, quo non ſolum Medicum, & ægrum, & adſtantes, quæ ad morborum curationem ſive vitæ conſervationem faciunt, obſervandorum admonere voluit Hippocrates; ſed & res externæ rite ut ſint comparatæ, requirit, quas inter non ultimum locum vehementiores animi adfectus, ira & terror, obtinent, expreſſis verbis à Galeno in Comment. memorata. Quorum utique magnæ poteſtati cauſam ſubſequutæ in hoc juvene præproperæ mortis adſcribi poſſe, non ſine ratione adſtruitur, præcipue cum jam antea à liquore inebriante, ſanguini & ſpiritibus confuſo, horum naturalis motus perturbatus, iique inquinati ac debilitati fuerint; unde facile flagrans antea in adgreſſorem ira, atque ſuperveniens ex inflicto vulnere terror ſpiritus ſuffocare & expellere potuerunt. Ipſa ebrietas quid non in peſſundando homine efficit? Ut alias taceam tragœdias, quot, quæſo, mortales convulſione, aphonia, apoplexia interemit? Notum id præcipue fuit Coo noſtro, qui ſect. 5. aphor. 5. ebrium, quem vox derepente deficiat, convulſum mori, perhibuit, niſi eum febris prehendat, aut qua hora crapula ſolvi ſolet, vox redeat. Exempla ſi deſideres, præter plures alios Auctores, dabit Petrus Foreſt. lib. 9. obſerv. 27. in ſchol. aliudque maxime obſervandum Bald. Timæus reſpons. medic. 35. pellionis nempe ebrioſi, poſt litigium cum militibus habitum, ſubito exſpirantis, cujus mortis cauſam Vir doctiſſimus, poſt peractam diligentem cadaveris inſpectionem, nullum in capite ac reliquo corpore plagæ, contuſionis, ictus, aut vulneris veſtigium exhibentis à nimia ebrietate, vehementi excandeſcentiæ juncta, deduxerat, ſuffocatis nempe ſpiritibus vitalibus, aut obſtructo nervorum principio, apoplexiam inducente. Animi pathemata, inopinato & vi quadam irruentia, quid valeant, neminem fugit, ſive jucunda, ſive adverſa exſiſtant, ut non magno animi dolore tantum, ſed & lætitiâ multos ſubito occubuiſſe, hiſtoriæ loquantur; idq; eo facilius ira & terror efficere valent, ſi ab accedente continui ſolutione ſive vulneratione

ſpirituum conceptacula & organa, in quibus operationes ſuas exercent, nervi &c. læduntur, adeoque ipſi etiam incolæ vel ſpiritus offenduntur. Exempla horum proſtant plurima; ex quibus à *Daniele Beckero* quæſt. 10. de cultrivoro Boruſſ. recenſita, videlicet cujuſdam à levi vulnere in abdomine accepto, nullo tamen inteſtino nec ventriculo læſo, intra dimidiæ horæ ſpatium defuncti, alteriuſque ex parvo inter lites vulnere ſuræ inflicto, confeſtim exanimati, hîc notaſſe ſufficiat, quibus & hiſtoria à Balduino Ronſſeo epiſt. medic. 12. memorata addi debet. ab omnibus de vulnerum lethalitate minus perite & exacte judicaturis probe conſideranda.

Tria ſclopetorum vulnera notabilia.

Joh. Georg. Koch incola Oedingenſis (pagus eſt uno lapide Heidelbergâ in occaſum diſtans) annorum 34. præter propter, in Acie prope Bingen (quam habuit Sereniſſ. *Dominus Elector Palatinus*, Dominus meus clementiſſimus cum *Domino Electore Moguntino, Duce Lotharingiæ & Confœderatis*) A. C. 1665. Septembr. tribus ſclopetorum glandibus, diverſis in corporis locis, trajicitur; una ad medium genæ dextræ adeo maxillam ſuperiorem feriebat, ut omnes dentes pene excuteret; & per ſiniſtram buccam tranſiret: altera dextrum femur petebat, nec unquam extrahi potuit; adhuc dum inibi ſine hominis moleſtia latitans. Tertia per dextram epigaſtrii partem ſub coſtis ſpuriis verſus ventriculum ingreſſa eſt, quæ magnas homini creavit moleſtias, cum ventris inflatione, vomitu &c. Verùm poſt Menſem hæc tertia glans, dum alvum exonerare ſtudebat, præſente Chirurgo Noſodochii Electoralis *M. Johann. Phil. Weislero* unà cum excrementis nigricantibus, ſanguineis grumoſiſque, quæ curioſius ſcrutabatur dictus Chirurgus, fuit excreta: nihilominus Dei clementiâ, & induſtriâ dicti Chirurgi, ſatis exercitati, benè convaluit. ut adhuc dum ſuperſtes vivat vegetus, jam quinquagenarius, & ſingulis fere ſeptimanis Heidelbergam frequentet.

Scholium.) Cùm ventriculum in hoc caſu vulneratum fuiſſe, non admodum dubitare liceat, eo ipſo vulnera ejus non ſimpliciter eſſe lethalia ſequitur. Unde (licet *Celſus lib.* 5. *cap.* 26. vulnera in inſanabilia, difficulter curabilia, & quæ ſunt promtioris curationis, diſtinguens, primo ordini ventriculum quoque inferat, ac ſervari non poſſe cui ventriculus ſit vulneratus, clare innuat, pauloque antea prudentis Medici eſſe dicat, eum qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius peremit;) curationem quoque eorum Medico curæ cordiſque eſſe debere, eluceſcit. Hinc magni nominis Medicus, *D. Joh. Riolanus in epiſt. ad D. Simonem Paulli* (vid. hujus *ωαρεκβ. de febb. pag.* 122.) ventriculus vulneratus quod ſanari poſſit, multoties ſe vidiſſe teſtatur, & aliquot exemplis *Joh. Georg. Schenckius in ſuo Obſervationum libro* 3. Notabilia imprimis ſunt bina illa cultrivororum, Boruſſi & Bohemi; illius hiſtoriam *Georg. Lotho, & Dan. Beckero* ſingularibus libellis, hujus *Obſv. Crollio præfat. Baſilic. chim.* deſcribentibus. Quare plurimi illa tantum, quæ magna ſunt, vel orificium ſuperius attingunt, lethalia proclamare maluerunt; eo quod ibi ſanguis confertim erumpens non ſiſti, nec tantus hiatus, præcipue ob loci diſtantis & in cavitate corporis deliteſcentis incommoditatem, per convenientia remedia conſolidari queat: hìc verò nervorum inſignis copia, maximam ſenſibilitatem parti iſti concilians, facilè cor & cerebrum in conſenſum trahat, convulſioneſque & dolores exitiales inferat. Quod ultimum uti veritati quàm maximè conſonum: ita quoque exemplum vulnerati ea in parte, qui evaſerit, nullibi reperio; idque etiam *Celſus d. l.* majori probabilitate innuere voluit, dum Stomachi percuſſionem lethalem pronunciaverat, per Stomachum partem illam dubio procul intelligens. Vulnera magna tamen quod attinet, non ſine diſtinctione aliqua admitti poteſt, ita ut, licet plerunque talia mortem adferant, ſi tamen abſque magnorum vaſorum gravi læſione, & conſequenter maxima ſanguinis effuſione, vix in anguſtiis illis coërcenda, accidant, æger evadere poſſit. *Hippocratem* equidem hîc nonnulli in medium adducunt, ac ſi ventriculi vulnera lethalia ſimpliciter pronunciaſſet *ſ.* 6. *Aph.* 81. cùm tamen vox *διακοπέντι* non ſimplicem aliquam vulnerationem, ſed magnam violentiam & diſciſſionem involvere ac denotare, multi jam animadverterint, ipſeque *Galenus in Comment. Hippocr.* magna vulnera nominare conſueviſſe *διακοπάς*, teſtetur. Unde etiam idem *Cous lib.* 1. *de morb.* cùm cerebri, ſpinalis medullæ, hepatis, ſepti tranſverſi, veſicæ, venæ multum ſanguinis effundentis, & cordis vulnera mortem inferre doceret, voce *τρώματ@*, non eam vehementiam arguentis tantùm uſus, ventriculum excluſit, addens. Ex vulnere autem minimè mori contingit, ſi his partibus vulnus acceptum non fuerit. Accedit quòd *Galenus* verbum, lethale, ab eodem partim de iis proferri interpretetur, qui ex neceſſitate: ſæpe autem de iis, qui magna ex parte ſunt morituri. Quo poſteriori ſenſu *Hippocr.* authoritatem ſalvam eſſe ſi velimus, lethalitatis judicium ventriculi vulneribus magnis erit adcommodandum, quia priori ſenſui experientia reclamat, docens, vulnera magna aut curata interdum fuiſſe, quod in ruſticis illis cultrivoris patet; aut ſaltem non lethalia exſtitiſſe; ceu memorabilem hiſtoriam in *Diom. Cornarii hiſtor. admir.* 9. legimus de ruſtici Bohemi ventriculo, venabulo lato vulnerato, quod amplum vùlnus nulla arte conſolidari quidem potuit, labiis tamen ejus tractu temporis occalleſcentibus, atque hiatu pro lubitu ægri inſtrumento quodam, pannulis laneis &c. obturari ſolito, per plurimos annos ut ſuperviveret homo ille, conceſſit; cui homogeneum exemplum, ni idem fuerit, ex *Nicandri Phyſica* recenſet in ſuo *tract. German.* inſcripto: *vvahrhaffte Lügen*, *Georg. Rollenhagius cap.* 9. *D. Georgii Franci.*

De Ancilla viginti tribus cultri Ictibus ſaucia.

Ancilla cujuſdam Civis Vidui, quadam veſpera, abſente Hero, idque ipſo die ſolis, cùm ſola in ædibus eſſet, intravit ad ipſam homo nefarius & deſperabundus, furto & cæde fortunam fabricare volens; petiit enim primo ingreſſu

Vitrum

Vitrum aquæ Vitæ, ſiquidem illa Vitæ aqua, quemadmodum vulgo vocatur, ibi venalis erat: Ancilla petito ipſius obſecundare volens, ingreditur conclave, ubi reſervabatur illa Vitalis aqua; Ille & furto & cædi intentus; ancillam ſolam videns, extinctâ candelâ, cultro ipſam aggreditur & in terram proſtratam tot Vulnera infligit, quot ejulatus ancilla edidit; tandem, cùm ad tot Vulnera, miſera illa, conticuiſſet, ille ancillam mortuam ratus, ſolus in ædibus ad Bona diripienda progreditur, ſed à janua per quam exire debebat, aberravit, intrabat enim in Conclave alterum in poſtico hypocauſti loco ædificatum, ubi ſine luce & lumine Cœci inſtar palpitabat; id cùm Ancilla humi proſtrata & tot Cultri ictibus ſaucia, ſed viva adhuc, animadvertiſſet, ſeſe iterum collegit, ſurrexit & ad fores properavit; (timor enim addidit alas) quas apertas poſt ſe reliquit; hinc vociferans auxilium petit à vicinis. Fur ille ſicarius nefando ſuo propoſito fruſtratus, ancillam enim, quam mortuam ratus, adhuc viventem & vociferantem audivit, per conclave illud erupit & non niſi cantharum argenteum, vix viginti Joachimicis æſtimatum aufugiens ſecum portare potuit, metuebat enim, ne, ſi longiorem in ædibus moram traheret, apprehenderetur. Ille tanto ſcelere perpetrato, fugâ illâ ex ædibus ſibi benè conſuluiſſe ratus, ſed manè perpetrati criminis memor ad portam Urbis, ut ulteriori fuga exitium illud, quod ex nefando illo facinore cervicibus ſuis imminere conjecturabat, evitaret, progreditur; quid fit? Ille ſceleratiſſimus collare heſterno ancillæ ſanguine tinctum cum adhuc geſtaret, ab illo proditur: miles enim, qui excubias pro ſalute publica ad portam Urbis illâ horâ agebat, ex illo collari ſanguine tincto ſiniſtri quid ſuſpicabatur (rumor enim tanti ſceleris jam intra & extra Urbis mœnia, increbuerat) comprehenſus ergo fatetur delictum & cantharo argenteo, quem intra veſtes occultatum ſecum pro Viatico auferre volebat, illud confirmavit: In Carcerem ergo conjectus & examinatus cùm eſſet, datâ à Judice ſententiâ, ad ſupplicium trahitur, ubi decollatus rotæ in altum erectæ imponitur, ſuperſtructo parvo patibulo & affixo cultro furti & cædis indicibus, ut tanti facinoris memoria prætereuntibus conſtaret.

Interea Ancilla à me & Chirurgo curatur ex illis viginti tribus vulneribus ægra, nullum verò lethale per ſe vidimus, niſi unum in brachio, quod ſatis periculoſum videbatur, totum enim illud brachium ſiniſtrum ex nervo læſo (ab inferiore parte juxta alam) ita unica nocte intumuerat ut Gangrænam metueremus, præſcripto verò ſudorifero, & decocto Bardanæ ſyrupo ex bellide tota edulcato, pro potu alterante, quod Deo benedicente optimè profuit, Chirurgo etiam externis ſuis medicamentis dextrè ſuccurrente, ſenſim detumuit brachium & cum hoc etiam cætera ſanata fuerunt vulnera, manus verò illius brachii ſemper pendula manſit, quod nulla arte corrigere potuimus, nervo vulnerato aut diſſecto id prohibente. *Dom. Gaſpari Kolichen.*

Arteria crurali læſa mors ad 14. dies dilata.

Malo fato ejuſdem Illuſtris viri *Georgii Roſencrantzii* filius, *Ovvenus Roſencrantz*, ab aũo Nob. in crure ſiniſtro vulneratus nuperrimè, ingenti hæmorrhagia penè ſtatim occubuiſſet, niſi ſedulâ Chirurgorum operâ vulnus obligatum fuiſſet. Tanta tamen ſanguinis copia ex vulnere profluxit, ut convulſionibus imminentibus extrema videretur pati. Dilata verò mors fuit ad quartum decimum diem, quo ſuperveniente febre, virium defectu & crebrioribus convulſionibus expiravit placidiſſimè. Sectioni cruris à Chirurgo regio Philippo inſtitutæ, præſentes obſervavimus, vulnus cruris penetraſſe muſculum faſcialem ſeu ſartorium, ad arteriæ cruralis divaricationem primam, quam amplo foramine læſerat, unde ingens illa hæmorrhagia, ſurſumque ad regionem Perinæi deſiiſſe. Obſervata in vicinia muſculorum tricipitis & lividi cavitas ampla, ovi magnitudine, gangrænam minitans, ſanguine purulento conſperſa. Ipſum verò hiatum arteriæ cruralis, quem in divaricatione gladius infelix effecerat, grumoſus ſanguis obturarat, quæ cauſa fuit, quòd univerſi ſanguinis effluxus inhibitus fuerit, ne, ſicut plerumque fieri ſolet, mors repentina ſequeretur. Magna dexteritate Chirurgorum turundas longiuſculas & ſtilos immittentium cautum fuit, ne abraſo grumoſo ſanguine, exitus ſuperſtiti ſanguini aperiretur. Occurrunt in praxi alia, quæ annotare ſingula non vacat. *D. Thomæ Bartholini.*

Apertio Vulnerati.

Per luſum & jocum auriga fratris amantiſſimi *D. Eraſmi Bartholini* & famulus peregrinus ſtrictis gladiis in fœnili congredientes 9. Sept. 1673. tragicum exemplum præbuerunt. Ex improviſo enim latus gladius ſub dextra brachii ala immergitur corpori famuli inter coſtam ſecundam & tertiam, penetratoque pulmone dextro vaſa cordis majora in baſi cordis lædit, & in ſiniſtro demum pulmone ſe ſiſtit. Dictum factum, ſed ſine dolore, concidit famulus *Torchillus Petri*, annorum 18. neſcius ſe vulneratum, antequam conſpecto gladio cruento in lipothymiam incideret. Chirurgo ſtatim advocato, quia ex vulnere altiori nihil ſanguinis ſtillabat, vena in brachio dextro aperta nihil quoque cruoris profudit, ſiniſtra parum; unde ad ſe rediens æger reum amicum abſolvens, ſe dormire velle ait, & quanquam à ſomno retardaretur, tamen poſt paulo placidè obdormivit, ſine ullo doloris ſenſu & ſigno. In aperto per Chirurgos Urbis *Bojum* & *Aſpachium* corpore defuncti, invenimus pulmonem dextrum coſtis adnatum, totumque pulmonem quoque aridiorem ad phthiſin vergentem, quippe artem figulinam didicerat, & æger diu indè receſſerat. Cavitatem thoracis grumoſus ſanguis copioſè implebat, à quo, impeditis pulmonibus, cordeque liquore ſuo deſtituto, ſuffocatus. Sed cur ſine doloris ſenſu inſigni tam altum vulnus pertulit? Triumphat *Ariſtoteles* in cordis victoria Nervis in baſi cordis diſſeminatis, hiſque

diſſectis aſcribendum iſtud beneficium, qui ad ſenſum magis, quàm motum in corde promovendum ab Anatomicis pleriſque deſtinantur. Unde ad ſomnum propenſio? Quia ceſſante ſanguinis alio derivati ex corde influxu, cerebri ventriculi conciderunt.

Quanquam autem caſu ludentium inter ſe amicorum, ſine ulla lædendi, nedum occidendi voluntate, homicidium hoc perpetratum ſit, vulneratuſque præſentibus teſtibus reum à crimine abſolverit, nec actores ulli de facto conqueſti fuerint, non mater mœſta; non ſorores fratreſque, nec Magiſtratus proinde Lege ficaria condemnaverit nocentem; exemplo tamen erit cunctis, cautius tractanda arma nuda. Seria ſecum trahunt. Nec rarò enim, etiam inter inermes, fata ſuum negotium agunt. Vitanda igitur omnis occaſio periculorum, ne luſum nobis in luſu fortuna faciat. *D. Thomæ Bartholini.*

De Hæmorrhagia ingenti, 6. vel 7. die poſt acceptum vulnus.

In conflictu exercitus Electoris Saxoniæ cum Cæſareo propè Lignitium, Nobilis quidam Miſnenſis, ſupremus excubiarum Præfectus, in quadam legione militum pedeſtrium, vulnus ſclopeti acceperat in ſiniſtro crure. Ecce autem poſt 6. vel 7. diem media nocte ſubito copioſus ſupervenit ex vulnere ſanguinis fluxus; qua novitate ille perterritus media nocte me ad ſe vocat, de vita ſua anxius. Ego verò illum bono animo eſſe juſſi, id enim crebro accidere in vulneribus ſclopetorum, & provenire, quia ſedata jam inflammatione, vaſorum ora dilatantur, & hinc ſanguis, qui prius inflammata parte & condenſatis vaſis retentus fuit, effluit liberius. Quo de eventu etiam Glandorpius in Speculo Chirurgico. Et ita etiam docuit eventus, facilè enim ſedatus eſt iſte fluxus ſanguinis, ægerque idoneis remediis convaluit.

Scholion.) Chirurgi inter ſe digladiantur, num combuſtio ſit vulneribus ſclopetorum conjuncta, vel non? Paræus combuſtionem ſatis firmis confutat argumentis, & demonſtrat Glandem non poſſe uſtione eſcharam inducere. Concedit id quidem Quercetanus, quoad glandem, non verò quoad pulverem pyrium; & diſtinguit diſtantiam loci, à quo provenit & exploditur glans, & ſimul an obſtacula firma vel infirma adſint: idcirco dicit Vulnera ſclopetorum aliquando (ſi ſcil. è propinquo loco explodatur glans) cùm, aliquando (ſi diſtantiori loco) ſine uſtione poſſit eſſe. Et huic opinioni calculum meum adjicere non dubito. Etſi enim Paræus contra rationes à Quercetano allatas opponere poſſit, ſc. incendium veſtis & barbæ fieri ſcruti ſeu veteramenti glandibus alligati ratione; tamen cùm idem incendium fieri videamus à glandibus, iis rebus carentibus, ſi modo è propinquo explodantur, meritò ſententiam Quercetani approbamus. Si itaque hoc vulnus è propinquo illatum fuiſſet, dicerem poſt eſcharam remotam hanc hæmorrhagiam ſecutam, & ſaltem è venis, non verò arteriis (ubi periculo non caruiſſet) proveniſſe, & inflammationem per iſtam ſedatam fuiſſe. *D. Danielis Wincleri.*

Vena poplitis ſponte aperta.

Memini, Monacho Carthuſiano octuagenario in Carthuſio Prüel propè Ratiſbonam, dum in hortulo ſuo pro more ſolito laborabat, venam ſub poplite bis ſponte ruptam fuiſſe, puto ex ſanguinis acris motu fortuito, & citra ullam corporis noxam & debilitatem, licet inſignis hæmorrhagia ſequeretur, vulnere ritè deligato, ac emplaſtico & epulotico impoſito, brevi iſte ſanatus eſt, qui alioquin in toto vitæ decurſu, nulla unquam medicina interna, nec ulla venæſectione utebatur; neque morbo gravi unquam decubuerat, homo quidem macilentus, ſed venis magnis præditus, diætam ſemper ſimplicem obſervans, atque juxta Ordinis regulam, exactè vivens. *D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Infenſus admodum Venæſectionis oppugnator Helmontius, alias inter cauſas, quibus eandem improbat, cap. 4. tract. de feb. §. 14. eam in natura Deum nuſquam inſtituiſſe, objicit, qui tamen menſtrui ſanguinis naturalem evacuationem ſi conſideraſſet, telo iſto remedium hoc vix petiiſſet; quin & hæmorrhagiæ narium criticæ, fluxus hæmorrhoidum, aliarumque venarum diæreſes ſpontaneas opponit Exc. D. L. Sigiſmund. Graſſius Ephem. Germ. Curioſ. Ann. 3. obſerv. 54. haſque duobus exemplis, uno in cruribus varicoſis, altero in vena ſublinguali illuſtrat. Sponte etiam aperti vaſis hiſtoriam in manus ſiniſtræ pollice, ut & in poplitæa dextri pedis habet Nob. D. J. Jac. Wepferus Exerc. de loc. adfect. in apopl. p. m. 230. Quibus addatur obſervatio *Bartholiniana oent. 5. hiſt. anat.* 19. de ſanguine ſponte ex ſalvatella dextræ manus exſiliente, nec non Dominici Panaroli pentec. 2. obſerv. Med. 4. de periodica venæ in crure varicoſæ ruptura ſpontanea; ut & *Matthia Cornacis lib.* 1. *cap.* 3. *conſult. Med.* de vena in temporibus ſponte reſerata; Plures verò ſimiles ex *Sennerto, Platero, Hochſtettero, Benivenio, Hollerio, Henrico ab Heer, Zacuto*, & propria obſervatione conſignavit in Schediaſm. de Lap. hæmat. procem. hæmatolog. beatus noſter *D. D. Joh. Laurent. Bauſchius.* Quorum omnium cauſam vel in ſanguinis efferveſcentiam, vel copiam, acredinem, ſeroſitatem, reſtagnationem, vaſorum item imbecillitatem & laxitatem eſſe referendam, nemo eſt qui dubitaverit.

De punctura patellæ lethali.

Vulneratur miles in genu punctim, & quidem in patella, dictum factum moritur læſus, quæritur de cauſa ſubitaneæ mortis, cùm ibi nihil ſit, quod repentinam mortem poſſet afferre, fortè animi conſternatio cauſa iſtius fuit: Novi enim duos alios etiamnum vitali fruentes aura, qui caſu ſive lapſu in terram patellam fregerant, ut dehiſceret, præter claudicationem tamen nihil mali paſſi ambo à multis nunc annis. De Fractura Patellæ egregius eſt Hildan. obſerv. Chirurg. cent. 5. pag. 484. & ſeq. *Dom. Laurentii Gieſeleri.*

De Vulnere Pedis.

Paulus Jonas ſecuri pedem profundè vulneravit. Vulnus vino, in quo ſaccharum ſolutum, eluere ſibi curavit. Deinde croco vulnus replevit. Ita ſanatus eſt. Hoc modo etiam vulnus in capite ſibi inflictum ſanavit.

Scholion.) Crocus calefacit 2. ſiccat 1. gradu, digerit, emollit & anodynus eſt. Itaque Balſamos vulnerarios plerumque ingreditur; Emplaſtrum Oxycroceum ab illo nomen & vires mutuatur. Unguentum Aureum Meſuæi etiam illum recipit; ut & Balſamus Vigonis decantatus. Ergo non contemnendum eſt Euporiſton. *D. Georgii Wincleri.*

De balſamo terræ Catechu vulnerario.

Præter alia complura, quæ circa hocce ſubjectum hactenus feci experimenta, etiam hoc mihi ſeſe obtulit. Scilicet aliud quaſi agens affudi *Terræ Catechu* pulveriſatæ lixivium Salis Tartari proportione circiter quadrupla. Vidi in momento veluti lixivium hocce purpureo tingi colore, atque in ſe Terram Catechu quaſi abſorbere, ut nihil ſedimenti in vitro, ceu aliàs in ejuſdem tincturis fit, vidiſſes. Miratus ego tam ſubitaneam Catechu metamorphoſin, guſtavi liquorem, qui præter lixivii ſaporem dulcore quodam remiſtus erat. Adſervavi eundem per aliquot dies in loco temperatiore, & totus in gelatinam abiit rubicundiſſimam, butyri inſtar tractabilem.

Diutius verò adſervando animadverti denique, evaporata humiditate ejus, ſua ſponte concreviſſe in florem plumâ leviorem, cum intermiſtis quibuſdam particulis ſalinis, à ſal. tart. Liquor hic egregium præſtabit uſum in ulceribus antiquis abſtergendis & ad cicatriſationem perducendis. Sed de hoc aliiſque ex Catechu mihi natis experimentis, propediem, ſi Deus permiſerit, homineſque faverint, peculiari opella dabo plura. *D. Ehrenfridi Hagendorni.*

Vulnerum cura apud Æthiopes.

Æthiopes ad *caput bonæ ſpei*, graviſſimis vulneribus nihil applicant aliud quàm ſevum ovillum, Hoc calidum vulneribus inſtillatum ea feliciſſime ſanat. *Joh. Otthon. Helvigii.*

De Unguento Armario. Ad D. Joh. Lud. Hannemannum.

Doctiſſimas paginas, quas Unguento Armario impendiſti, cum voluptate vidi. Sapiunt enim prolixam eruditionem, quam ad ſuſceptum argumentum attuliſti. Non immiſcebo me difficultatibus, quibus urgeri videntur, qui pro curationis hujus magneticæ certitudine pugnant. De his alibi actum memini, & tua penna felicius expediet. Experientiis ſtandum, quæ ubi ſufficientes productæ fuerint, rem omnem convincent, & ad credendum invitos cogent. Multorum rationes nobis latent, quorum effectus oculis patet. Nec deſperandum cauſas quoque erui poſſe ab ingenioſis, qui lynceis oculis & mente ſublimi naturam ſollicitant. Pulverem Sympatheticum, Lignum Sympatheticum (quod ex Fraxino ut plurimum Martio Menſe ſecto, quando ſuccus eſt in cortice, deſumitur, aliaque hujus commatis, quanquam ſimpliciora, eadem ad curandas plagas vi pollere, multis experimentis didici. Fateor unguentum armarium expectationem noſtram in primaria Urbis Matrona aliquando feſelliſſe. Ad pectoris potius ulcus commendabatur à ſplendido quodam Viro ſplendidis promiſſis. Cæterùm cùm magna diligentia miſcuiſſet unguentum, nihil profecit irrito conatu. Quin alibi felicius ſuccedat decantatum remedium, nolim dubitare. Ego quidem hoc declinantis ætatis flexu perdidi ſpem, qua me olim oblectabam, maloque credere oculis aliorum lynceis, quàm cauſas vel inveſtigare vel refutare. Ea laus Tibi aliiſque ſervabitur, ſi quando benevolum Naturæ nutum nacti ad ſacra ſecretiora admiſſi fueritis. Nihil labori pertinaci invium. Perrupit Acheronta Herculeus labor. Annibal Alpes aceto fregit, h. e. magno exercitus ſui molimine, quo hodieque inexpugnabiles ſcopulos ſubruimus. Gratulor interim Naturæ Myſtis, gratulor Tibi indefeſſo Naturæ amaſio, quod omnis opera in eruenda Naturæ veritate impendatur. Applaudo benè meritis de Natura, & quanquam alterum pedem in tumulo habeam, non pigebit illa addiſcere quibus ars ſervandi homines vel augetur vel illuſtratur. Perge, Vir Clariſſime, orbem ingenii & doctrinæ Tuæ monumentis ornare, meque amare, qui rude donatus, naturæ potius debitum exſolvere paratus ſum, quàm Naturam provocare novis experimentis. Sine pennis volare haud facilè eſt. At meæ alæ jam pennas non habent.

Antequam finem Epiſtolæ faciam, tuo judicio expono Tranſplantationis exemplum, de qua olim inter nos actum memini. Fidem fecit Amicus quidam Magnus, Perſicariam dorſo Equorum contuſo applicatam, deinde in profluentem projectam, ſanare ulcus ſimplici curatione. Eadem eſt ratio ſcrofulariæ, fabariæ & chelidoniæ radicis in abigendis ſcrophulis & ſedandis hæmorrhoidibus. *Vale.* Hafn. Cal. Jul. 1678.

Teſtatur *Jac. Fabricius* Reg. Dan. olim Archiater in Schedis Miſtis ad Crollium, quas Bibliothecæ Academiæ legavit *D. Simon Paulli* illius Gener, vidiſſe ſe qui cochleari novo, æneo, ligneo, aut argenteo, recens ſibi ab ægro febricitante ipſo empto, die Veneris ante Solis ortum inſculperet † con † ſummatum † eſt, & dicto tempore, vinum, cereviſiam, vel aquam, aliumve liquorem, ſuper iſtas literas fuſum, tribus vicibus, unum cochlear poſt alterum ebiberet, optato cum ſucceſſu, neque rediiſſe febrem. Id verò quomodo operetur, ingenue fatetur ſe neſcire. T. B.

Ex literis *D. D. Hannemanni* 15. Novembr. 1678. ſcribit: De cura Magnetica ſocio ſequentem hiſtoriam, quam mihi *Franciſcus Heſporn* Med. Studioſ. retulit. Puellus 12. annorum in Weſtphalia in pago *Lillebach*, laborans Enterocele, Variorum Medicorum conſilia ſecutus, multiſq; medicamentis, ſed fruſtra, fatigatus, tandem ad hoc deventum conſilium, ter per arborem quer-

quercum fiſſam traheretur, ſicque ſanatus perhibetur. Eandem curandi Methodum ſæpius in patria mea Friſia Orientali fuiſſe inſtitutam ſcio.

Claus Frich, civis Buxtehudanus, ictero laborans bis à me curatus eſt per Tranſplantationem, hocque modo, ex ejus urina cum farina fiebant placentæ, haſque catis, canibus devorandas objiciebant domeſtici, hoc facto vix ter repetito bis evanuit icterus. *Dom. Thomæ Bartholini.*

Ex Alapa mors.

In Supremo Juſtitiæ Tribunali Hafniæ 1672. cauſa ventilata fuit mulieris Otthinianæ, quæ à judicibus inferioribus domi rea judicata fuit homicidii, quia alapam ancillæ dedit, quæ exinde ira effervescens quinto die fatis ceſſit. In ſupremo vero judicio abſoluta fuit Matrona honeſta prudentiſſimis Patrum Conſcriptorum calculis, & Regiâ ſententiâ definitivâ, eò quod non alapæ vi, ſed malo animo & iracundo mortem ipſa ſibi conciverat impotens ſui ancilla. Alias à colapho Apoplexiam ortam exemplis confirmant Benivenius, Schenckius, Hildanus: ſed ea in ancilla hac ſtatim non eſt inſecuta. *D. Thomæ Bartholini.*

De Alapa lethali.

Cornu ferire taurum, equum ferire calce, dentes hiante rictus natura dat leoni, inquit Poëta: Pugnat proboſcide elephas, roſtro aves, aculeo apes, breviter, cuncta prope animalia naturaliter armis ſuis inſtructa ſunt, ſolus homo inermis, ut cùm rex ſit omnium animalium, inſtar regis apum aculeo careat, magiſque prudentiæ, quàm armorum imperio valere ſciat. Sed proh! quot furor arma miniſtrat? Non ſufficiunt ex ferro & chalybe facta, ipſe ſuis abutitur membris, ſæpe brutorum quàm ſuo generi clementior, nec una tantum parte ceu iſta animalia, ſed prope omnibus corporis partibus alteri non lupus, Diabolus, qui primus homicida, evadit. Inter omnia autem membra nullum promptius in vindictam in cædem, quàm manus, unicum alias ad pulcherrimas res inſtrumentum, non ſemper armis inſtructa, ſed pugno vel vola ad id ſufficiens. Hinc tot alapæ leguntur lethales apud Beniven. Obſerv. Med. cap. 110. Hild. cap. 6. cap. 11. Hipp. de morb. vulgar. lib 5. cap. 21. Melch. Sebitz. prod. exam. vuln. Thom. Bartholin. in act. Med. anno 1. p. 86. His & aliis hæc adjiciam.

Orta in vico quodam Auſtriæ *Gundersdorff* nominato lite inter duos venatores, ſenior juniori alapam dedit, hic illam vindicaturus enſem ſtringit, prohibent adſtantes, remque inter pocula componunt, ſuccedit, porrigunt dextras, ille deprecatur, hic condonat. At dum junior dextram conciliandi gratiâ porrigit, ſeniorem volâ in faciem inopinato ferit, En, dicendo, tibi tuam alapam, ſtatim ſenex concidit & exſpiravit. Captivatus alter, & in jus protractus capitis ſententiam quidem evaſit, ad compedes tamen damnatus, in quibus ipſum vidi in arce prædicti *Gundersdorff*. Mirabile autem, quomodo levi iſta vola percuſſione, nullo alio ſuperveniente ſymptomate, in uno momento fuerit extinctus. Qui caſus alium mihi in memoriam revocat, non quidem funeſtum, ſed tamen notabilem. Civis quidam hujus loci, uxori ſuæ, poſt aliquam altercationem colaphum dedit, ut ad proximum ſcamnum conciderit, lividis manus veſtigiis in genis remanentibus. Octiduo elapſo nullis aliis præviis ſymptomatibus, in hæmoptyſin incidit illa, adeo violentam ut intra duas horas ultra quinque libras ſanguinis exſpuerit. Adſtantes omnes hunc affectum effectum dixere alapæ inflictæ, quod tamen negavi, nec potuiſſe cauſam fuiſſe aſſerui, niſi valde per accidens, commovendo nimirum eam ad iram, qua calefactus & attenuatus ſanguis venam rupit pulmonis, & ita cum impetu proſiliit, potius tamen ex alia cauſa fuiſſe arbitror. Cæterum adminiſtrata V. S. & exhibito pulvere ex lap. hæm. præp. mag. corall. & ocul. cancri iterum convaluit. *D. Caroli Raygeri.*

Pulmonis vulnus ſclopeto inflictum.

Anno 1636. menſe Majo, durante obſidione munimenti Schenckiani, eques quidam ex noſtris in conflictum equeſtri ictu ſclopeti vulneratus in pectoris dextro latere circa mammillam, tribus globulis plumbeis pectus & pulmonem dextrum tranſeuntibus, atque in tergo circa ſcapulam tribus diverſis foraminibus iterum exeuntibus. Cùm Noviomagum ad ædes ſuas delatus eſſet, atque ibi cum Chirurgo ipſum inviſiſſem, è vulnerum ſtatu certam mortem prædixi. Ne tamen noſtrâ incuriâ mori videretur, vulnera religavimus, alvum clyſtere ſubduximus, ad ſanguinem è pulmone effluentem ſiſtendum medicamenta convenientia dedimus, inferiori etiam vulneri cannam plumbeam immiſimus, per quam ſanguis & interna materia evacuari poſſent; quod cùm per illud vulnus minùs commodè fieret, poſtea in latere, factâ intercoſtali inciſione, commodiorem viam fecimus. In diæta prohibuimus omnia acria, frigida, ſalſa, acida, ut & cibos difficilis digeſtionis & mali nutrimenti: At cibos dulciores, juſcula carnium vitulinarum, agninarum, gallinarum, ut & ipſas carnes, ova quoque ſorbilia, lac dulce, & ſimilia conceſſimus, ac reliqua diætam ſpectantia pro re nata quotidie præſcripſimus. Interea continuatum ſemper fuit in uſu apozematum vulnerariorum pectoralium: nulla febris acceſſit, & appetitus mediocris remanſit. Poſt tres quatuorve ſeptimanas unà cum ſanguine (qui totô ipsô intervallô modò ſpumoſus, modò aquoſus, modò coagulatus per cannam plumbeam, ſed paucus, effluxerat, & surſum rejectus fuerat) pus ſatis magna quantitate cum tuſſi rejici cœpit, quod puris & ſanguinis ſputum continuavit uſque ad ſextum menſem, ita ut omnino nulla ſanationis ſpes eluceret, æger enim totus extabeſcens, jam ad extremam maciem & debilitatem pervenerat. Miſer tamen ille, vitæ cupidus, nos ſæpe ſupplex rogabat, ne ipſum pro deſperato deſereremus, ſed in curatione omnem diligentiam adhiberemus. Itaque, licet nos oleum & operam perdituros exiſtimaremus, ipſius tamen precibus indu-

inducti, non potuimus non inceptum opus continuare. Quia autem propter ſummam debilitatem vires inſtaurandæ erant, præter apozemata vulneraria, quæ ter de die aſſumebat, etiam ter de die hauſtum lactis caprini recenter mulcti tepidè bibere juſſimus: nonnunquam etiam amygdalatum, ſubinde conditum corroborans præſcripſimus. Poſtquam lactis caprini uſus reliquis medicamentis adjunctus eſſet, cœpit paulatim imminui puris ſanguinolenti ſputum, quod tandem unà cum tuſſi planè deſiit circa initium decimi ab inflicto vulnere menſis. Exinde æger in dicti lactis uſu continuando, indies magis magiſque corroboratus fuit, & carnoſus evaſit. Circa finem decimi menſis rurſus per cubiculum deambulavit. Exacto undecimo menſe omnino ſanatus foras prodiit, nec deinde quicquam mali è tanto vulnere retinuit. Septennio poſt ipſum adhuc ſanum inter reliquos equites equitantem vidi.

Annotatio. Pulmonum vulnera admodum periculoſa & plerumque lethalia eſſe teſtantur Hippocrates 6. aphor. ſ. 18. Galenus in com. ad dictum aphoriſ. Avicenna quarta quarti, cap. de diſrupt. & extract. ſagit. Celſus lib. 5. cap. 26. aliique primarii Medici ſimul & Chirurgi, propterea quòd viſcus fungoſum propter continuum motum vix aliquam curationem recipere poſſit. Semper tamen lethalia non eſſe docuit experientia, cùm ſæpe gravia pulmonum vulnera, gladiis inflicta, perfectè ſanata fuiſſe viſa ſint, atque etiam talia in quibus pulmonis ſubſtantiæ pars exſecta fuit, quod ſe vidiſſe teſtantur Rolandus Parmenſis praxeos lib. 3. cap. 25. Theodoricus lib. 2. cap. 17. Gemma lib. 1. coſmocrit. cap. 6. Valleriola lib. 4. obſerv. 10. Hildanus cent. 2. obſerv. 32. aliique plures. Verùm hactenus pauciſſimos invenias, qui pulmonum gravia vulnera ſclopetis inflicta perfectè ſanata viderint, (qualem tamen caſum ſibi viſum deſcribit Petrus Fuhrmannus epiſt. ad Gregorium Horſtium) propterea quòd à plumbei globuli maxima violentia facta gravis contuſio, nullam in fungoſa illa parte ſanationem admittere videatur, ſed potiùs inflammationem, putredinem, aut ſphacelum minetur. Quæ tamen curatio prædicto equiti, uſu medicamentorum & lactis caprini (de quo lacte antea obſervat. 30. in annot. pluribus egimus) feliciter contigit. Cujus equitis ſanatio verè monſtroſa haberi debet. Ego antehac vix unquàm crediſſem hujuſmodi tria gravia pulmonis vulnera (quibus à globulorum tranſeuntium violentiâ debuit magna adfuiſſe contuſio) ſclopeto inflictâ ſanari ullo modo poſſe, & niſi ipſemet oculatus teſtis adfuiſſem, fortaſſis adhuc dubitarem. Vulnera pulmonum gladiis & cultris inflicta aliàs ſanata fuiſſe etiam nos vidimus, ſed illud non eſt adeò mirum, cùm iis non adſit tanta contuſio, neque iis tam facilè accedat inflammatio.

Præter dictam ſanationem, etiam illud rarum contigit huic ægro, quòd tam graviter læſus, peſte, quæ tunc crudeliſſimè graſſabatur, non fuerit infectus, cùm alioqui plurimis vulneratis & aliis morbis laborantibus id contingeret. Erat autem hic æger homo robuſtus, florentis ætatis, boni temperamenti, & militabat ſub Capitaneo Coenjers, Anglo. Ante aliquot annos, cùm Bredæ Dominum de Naſſau ægrotantem inviſerem, eques, cum ſexaginta aliis (inter quos adhuc duo alii erant, quibus capita trepano quondam perforari curaveram) in gratiarum actionem me conduxit uſque ad Gertrydenbergam. *Isbrand. de Diemerbroek in Curationib. & Obſervation. Medicis.*

Vulnus capitis, & cranii apertio per trepanum.

Lambertus N. nobilis Batavienſis, juvenis robuſtus circiter 24. annorum, 7. Martii, cùm equum generoſum exerceret, & improviso ab equo in terram dejectus, capitis partem poſteriorem illiſit in thecam tormenti bellici, ita tamen ut foriſſecus nullum vulnus appareret. Statim poſt caſum evomuit, & vertigine magna correptus fuit, qua aliquantum ceſſante, rurſus equum conſcendit ac domum ſe contulit. Cùm autem ſtabulum jam intrâſſet, iterum vertigine correptus in terram concidit, & quaſi deperditâ prorſus memoriâ, quid ſibi accidiſſet, vel quomodo ab equo cecidiſſet aut ubi fuiſſet planè ignorabat. Imperitus quidam Chirurgus caſtrenſis advocatus, ablatis capillis poſt aurem ſiniſtram paulò ſursùm versùs (de cujus loci dolore conquerebatur æger) levem fecit inciſionem, quæ nullo modo ad pericranium uſque pertingebat, & poſtridie circiter libram ſanguinis è dextro brachio extraxit. 12. Martii; doloribus increſcentibus etiam ego advocatus ſum, quo tempore ægrum de acutiſſimis capitis doloribus conquerentem inveni, nulla tamen febris aderat. In loco affecto, præter vulnus quod Chirurgus fecerat, levem ac mollem percepi tumorem, ita ut ad tactum de cranii depreſſione aut fractura (quæ adeſſe ſymptomata ſatis indicabant) nihil certi judicari poſſet. Chirurgus impoſuerat hactenus defenſivum (ob metum, ut ajebat, inflammationis) ex bolo armena, albumine ovi & aceto ſimul mixtis: quod cùm peſſimè hîc adhiberetur, illud ſtatim abjeci, & lintea quadruplicata ſequenti fomento intincta, ac parum expreſſa, toti capiti calidè circumponi, & ter quaterve de die renovari juſſi.

♃. Herbar. betonicæ, roſmarini, thymi, ſalviæ, majoranæ, verbenæ, an. m. j. ſ. florum ſtœchados, chamomillæ, meliloti, an. m. ſ. baccarum lauri, ſem. cumini, an. drach. iii. vini albi q. ſ. coquantur ſ. art. ad lib. iii. adde colaturæ ſpiritus vini unc. vi. miſce, pro fomento.

Cùm autem æger alvum per quatriduum non exonerâſſet, atque clyſterem admittere nollet, hauſtum leniter purgantem exhibui, à quo alvum quinquies depoſuit. Veſperi ejuſdem diei, poſt fomentationem aliquoties applicatam, apparuit in loco affecto tumor magnitudinis dimidii ovi gallinacei, quo pertuſo effluxit ſanguis niger. Tunc poſtridie alio peritiore Chirurgo ſimul advocato, de cranio perforando conſilium dedi. Verùm renuentibus acerrimè ægro & amicis, adhuc per biduum expectatum fuit, nempe ad 15. Martii (qui erat à caſu dies nonus) quo tempore cùm capitis dolores jam ad ſummum acumen perveniſſent, & rurſus eodem loco tumor priore major con-

conſpiceretur, conſentiente ægro, circa veſperam cranium ibidem denudari juſſi, cùmque muſculo temporali vicina eſſet plaga, aliquantùm versùs poſteriorem capitis partem, ad ſuturam lambdoidalem, inciſio crucialis uſque ad os ipſum facta eſt. Effluxit ſtatim multùm ſanguinis nigri & coagulati, qui à natura robuſta per lambdoïdalem ſuturam (quam hac inciſione ex parte denudavimus) expulſus fuerat, & inter cranium ac pericranium hæſerat. Cranio ſufficienti latitudine denudato, & pericranio abraſo, vulnus carpiâ ſiccâ repletum eſt. Inſequenti nocte, dolore nonnihil mitigato, aliquantum dormivit æger. Poſtridie cranium trepano perforatum fuit, quo aperto vix drachma ſanguinis effluxit, qui inter cranium & duram meningem hæſerat, & jam aliquo modo coagulatus erat: hinc magnum ægro periculum impendere judicavi, cùm viderem ſanguinem coagulatum, qui fortaſſis ſub cranio adhuc latere poterat, ſponte effluere non poſſe, & depreſſa meninge nihil etiam ſequi 17. Martii febri correptus fuit æger. Nocte ſubſequente convulſiones acceſſerunt, quibus per intervalla tantopere convellebatur, ut quatuor viri fortes ejus brachia & crura continere non poſſent. Ad hæc nihil domivit, omnino deliravit, ſitiit, & ſi potus vel aliud quid offerretur, illud ſine ratione aſſumpſit. Sequenti die in eodem ſtatu permanſit, ita ut propter maximum delirium ac convulſiones vulnus ægrè religari poſſet. Sic delirans in lecto cacabat & mingebat, magnum quoque linguæ anterioris fruſtum dentibus morſu abſcidit, de cujus dolore, poſtea ad ſe reverſus valde conqueſtus fuit. Tria hæc lethalia ſigna, delirium, febris, & convulſiones durârunt uſque ad 20. Martii, quo tempore convulſiones aliquantùm remiſerunt, manente tamen febre cum delirio. Iſta die Chirurgus inſtrumento quodam plano, obtuſo & oblongo (quod in hunc uſum expreſsè parari curaveram) meningem aliquantùm depreſſit, atque inter meningem & cranium, ad duorum digitorum latitudinem inſtrumentum immiſit, meningem à cranio circum circa deprimendo diſſolvens, ut hoc pacto, ſi quid alicubi lateret ſanguinis coagulati, illud commodiùs evacuaretur. Verùm cùm retrorſum versùs inſtrumento meningem deprimeret, caſu pervenit ad illum locum ubi cauſa totius mali reſidebat, è quo ſtatim effluxit circiter ſemi-uncia ſanguinis nigri, purulenti, & aquoſi 21. 22. & 23. Martii; eodem inſtrumento quotidie immiſſo, ſanguinis & puris aquoſi bona quantitas extracta eſt. Interea etiam delirium magna ex parte ceſſavit, & ſubinde nonnihil dormivit æger. 24. Martii depreſſa meninge nihil effluxit, parum deliravit æger, & è lecto aſſurgens duabus horis igni aſſedit. Tunc etiam caro ab inferiore oſſe circa meningem in foramine cranii ſuccreſcere cœpit. Vix comedere poterat ob linguæ anterioris dentibus abſciſſæ dolorem, qua de cauſa collutionem convenientem, qua os ſæpius lavaret, parari feci, eâque lingua paulatim rurſus ſanata fuit. Toto tempore, à principio uſque ad hunc diem uſi ſumus fomentatione 12. Martii præſcripta, tunc autem, illâ omiſsâ, capitium ſiccum, ex herbis cephalicis conſutum, toti capiti circumpoſuimus. 25. Martii febris evanuit, atque æger multò meliùs valuit. Hactenus ſolum mel roſaceum cum pauco ſpiritus vini mixtum foramini cranii ſeu meningi impoſitum fuerat, tunc autem ſequens pulvis iſti melli permixtus eſt.

♃. Aloës hepat. ſang. draconis, myrrhæ, maſtiches, olibani, an. ſcrup. j. ſ. pollinis farinæ hordei ſcrup. ij. ſ. fiat pulvis ſubtilis.

26. Martii omnino ſanæ mentis fuit. Tunc meninge rurſus ſupradicto inſtrumento depreſsâ, puris albi & bene cocti adhuc exigua quantitas tam manè quàm veſperi effluxit. Poſt hunc diem quotidie per tres quatuorve horas è lecto ſurrexit, & bene comedit. Sequentibus etiam nihil materiæ ampliùs è cranii foramine excretum eſt, ſed illud, nobis etiam invitis, quatridui ſpatio carne repletum fuit. Forinſecus quoque caro undique, ſed nimis citò, accrevit, ita ut levi cauſtico impoſito eandem ſubinde auferre coacti fuerimus, nam expectanda erat oſſis deſquamatio. Sextâ denique ſeptimanâ ab oſſe magna, lata, & craſſa ſquama ſeparata eſt. Exinde æger vulnere carne repleto, brevi poſt ſanatus fuit, illud tantùm incommodi retinens, quòd majore ingruente aëris tempeſtate, capite aliquantùm doleret, & à vini potatione ſtatim inebriaretur.

In iſto ſanitatis ſtatu ultra quadriennium more ſolito vixit. Anno autem 1641. menſe Septembri, in caſtris cum aliis quibuidam equitibus bene ſanus colludens, ſubitò in terram attonitus & mentis expers concidit ac ſtatim acerrima convulſione totum corpus contractum fuit, & intra horæ quadrantem miſer exſpiravit. Si tunc temporis præſens adfuiſſem, apertô craniô inſpexiſſem anne ab antiquo prædicto vulnere mortis cauſa proceſſiſſet.

Annotatio. De vulneribus capitis cum fractura cranii, quæſtio eſt, quando oſſis ſeparatio facienda ſit; quod tempus Albucaſis Chirurg. lib. 3. cap. 3. ita deſcribit: Quòd ſi venit ad te vulneratus primis ſtatim diebus, & eſt illud tempore hyemali, tunc oportet ut perficias ablationem oſſis ante diem decimumquartum, ſecundùm omnem diſpoſitionem: ſi eſt in diebus æſtatis, tunc oportet ut properes removere os ante diem ſeptimum, antequam corrumpatur quod eſt ſub oſſe ex panniculo, & adveniant accidentia gravia. Cum Albucaſe conſentit etiam Haly, pract. lib. 9. cap. de fract. cranii. Avicenna verò hoc tempus paulò ſtrictiùs ſumere videtur: lib. 4. fen. 5. tract. 3. cap. 1. Oportet (inquit) ut ſeparatio non tardetur æſtate ultra ſeptem dies, in hyeme autem ultra decem, quantò autem citiùs fuerit, tantò erit melius, & longinquiùs ab hoc ut accidant nocumenta magna, &c. At Hippocrates omnium breviſſimum tempus præſcripſit, nam lib. de vuln. cap. monet, intra triduum os, quod ſecandum eſt, ſecari debere, neque permittendum ut operatio ulteriùs protrahatur, præſertim ubi tempus calidum fuerit. Cui Hippocratico dicto hæc clauſula adjungi debet, nempe intra triduum oſſis ſectionem faciendam, ſi Medicus in principio ſatis tempeſtivè vocatus fuerit; at ſi fortè ſeriùs ad ægrum accedat (ut mihi hîc contigit) vel ab ægro aut amicis operatio aliquamdiu impediatur, tunc etiam licere quocunque tempore cranium perforare, dummodo vel

minis

minima vitæ ſervandæ ſpes ab hac operatione expectari poſſe videatur; præſtat enim in certo periculo dubium tentare remedium, quàm nullum: nihil enim intereſt, inquit Celſus, præſidium an ſatis tutum ſit, quod eſt unicum: & extremis morbis extrema adhibere remedia jubet Hippocrates. Greg. Horſtius part. 2. lib. 4. Obſerv. 20. cranium cuidam ægro feliciter aperuit undecimo die, & alteri ægro ſimiliter die 15. Hild. cent. 4. obſerv. 3. memorabilem refert hiſtoriam de cranii perforatione poſt duos à recepto ictu menſes feliciſſimè adminiſtrata, quâ factâ, pus per foramen ſtatim pleno ductu exſiliit, atque ita æger ſervatus fuit. Sic etiam in noſtro ægro primis diebus effluxit ſanguis purulentus & aquoſus, at die decimaſeptima merum pus album. Idem Hildanus prædictæ centuriæ obſerv. 4. aliud refert exemplum cranii undecima morbi die feliciter perforati. Paulus Ægineta lib. 6. cap. 90. ſcribit ſe noviſſe quendam cui poſt annum ab accepto vulnere cranium cum ſalute ægri perforatum fuit. Quo eodem capite etiam ſupradictam Hippocratis regulam paulò latiùs extendit, inquiens; Hyeme quidem ante decimumquartum diem omnino oſſis ablationem facere coneris, æſtate verò ante ſeptimum, antequam mala ſymptomata accedant. Præſtat quidem in principio hujuſmodi operationes adminiſtrare, idque, (ut ex Avicenna modò diximus) quantò citiùs, tantò meliùs; verùm prætergreſſo initiò ægros pro deploratis deſerere non foret humanum, niſi lethalia ſymptomata ante operationem appareant, ut delirium, convulſiones, paralyſis, &c. In tali enim caſu reminiſci oportet dicti Cornelii Celſi, l. 5. c. 25. Prudentis hominis eſt, cum qui ſervari non poteſt, non attingere. Si lethalia illa ſymptomata, quæ in noſtro ægro poſt operationem ſupervenerunt, ante eandem viſa fuiſſent, operationem hanc non inſtituiſſemus, ſed omnem de ægro ſpem abjeciſſemus, quemadmodum etiam deſperavimus iiſdem poſt operationem accedentibus, & nihilominus tamen præter ſpem & expectationem noſtram ſanatus fuit.

Nonnulli Medici admodum anxiè cavere jubent, ne in denudatione cranii, quæ perforationem præcedit, inciſio fiat in ipſis ſuturis, & ne fibrillæ duræ meningis, ſuturas tranſeuntes ac cum pericranio unitæ, lædantur, haud ſecus acſi inde magnum periculum expectandum foret. Sed ego jam multoties hujuſmodi operationibus adfui, & ipſemet etiam inciſiones ſuper ſuturas (loco magis commodo ita ſe offerente) fieri, ac fibrillas iſtas etiam ſcalpello abradi ſæpe curavi, neque ullum unquam incommodum inde prodiiſſe animadvertere potui, & experientiâ edoctus ſum, hujuſmodi anxias curas relinquendas eſſe illis Medicis theoricis, qui nunquam talibus curationibus adfuerunt, quas practici peritiores pro ſomniis habendas eſſe noverunt. Solummodo cavendum eſt ne lædatur muſculus temporalis, & ne trepanum ſuturis imponatur atque ibi perforatio fiat. *Idem ibidem.*

Vulnus ſclopeto inflictum.

Civis quidam Noviomagenſis 20. Maji, anno 1637. bombardam imprudenter deorſum explofit, ita ut globulus plumbeus in plateæ ſilicem impingens, eadem vi ſurſum reſiliret, atque ita fortuitò læderet mulierem quandam, quæ prope D. Stephani portam habitabat, cujus ædibus gradus pro inſigni erant. Intraverat globulus pectoris cavitatem tribus circiter digitis à ſpina dorſi, inter quintam & ſextam coſtam, ac pulmonis exteriorem ſubſtantiam tranſiens, magnum ictum in latere dederat coſtæ quartæ ab interiore parte, ita ut hæc quidem diffracta foret, ſed globulus tamen non tranſiret, at in pectoris cavitate remaneret, qui ob ictum in ſilicem non rotundus, ſed neceſſariò inæqualis planus vel oblongus fuiſſe debuit, quod & ipſum vulnus ſolitô majus & inæquale ſatis teſtabatur. Ægra ſic vulnerata ſtatim domum delata fuit. Ferè nihil ſanguinis è vulnere effluxit, ſed die ſecunda multùm ſanguinis cum tuſſi ejecit. Ex ipſo vulnere magnum periculum adeſſe prædixi, partim quia globulus diaphragmati incumbens, nulla ratione è pectoris cavitate extrahi poſſet; partim quia pulmonis vulnera difficulter ſanantur propter continuum motum, imprimis bombardæ ictu inflicta, quæ non ſine magna contuſione eſſe poſſunt. Ut autem officio noſtro debitè fungeremur, Chirurgus quotidie vulnus religavit, & ego, corpore priùs leviter expurgato, hoc apozema præſcripſi, de quo manè & veſperi hauſtum bibit.

℞. Radic. rubiæ tinctorum unc. j. eryngii, fœniculi, petroſelini, ana unc. ſ. glycyrrizæ raſæ drach. vj. herbar. ſcabioſæ, violariæ, tuſſilaginis, cherefolii, fol. ribeſii nigri, ana m. j. chelidoniæ majoris m. ij. ſem. 4. frig. maj. aniſi, ana drach. j. paſſularum cum toto unc. ij. Coquantur in aquæ communis q. ſ. ad lib. ij. adde ſyrupi de glycyrriza, papaveris rheados, ana unc. j. ſ. miſce, fiat apozema.

De nullo conquerebatur dolore, præterquàm in vulnere, & illo in loco ubi coſta diffracta erat, qui dolor paulatim evanuit, impoſito emplaſtro oxycroceo, & coſta rurſus coaluit. Primis ſex diebus valde debilis erat ægra; parum aut nihil comedebat, è vulnere vix parum puris exibat: nulla aderat febris, nec tuſſis, nec anhelitûs difficultas: poſt ſecundum diem neque ſanguinem, neque pus per os rejiciebat, de quo mirabamur. 27. Maji, cùm alvus iterum conſtipatior foret, hauſtum laxantem exhibui, à quo bis terve alvum dejecit. 30. Maji valde angebatur, ita ut ipſam morituram omnes exiſtimarent, verùm circa veſperam puris albi bonam quantitatem cum pauco ſanguine ex improviſo per tuſſim rejecit, unde ſummopere levata fuit, atque exinde meliùs habere cœpit. Vulnus etiam nobis invitis coaluit, nec è thoracis cavitate quicquam puris toto curationis tempore per vulnus effluxit. Poſt hoc rejectum pus, ſeptem diebus ſine tuſſi fuit. 7. Junii cum parva tuſſi aliquantùm puris iterum exſpuit, atque ita tuſſis rurſus ceſſavit. Ægra quotidie fortior evaſit, neque exinde quicquam puris aut ſanguinis ampliùs exſpuit, ſed poſt ſecundum menſem integræ ſanitati reſtituta, præter meam & omnium opinionem iterum foras prodiit, nullum à tanta plaga incommodum poſtea ſentiens: nonus jam agitur annus quo bene ſana vivit, neque etiam globulum plumbeum in pectore ſentit, excepto cùm anhelitum magno cum ſuſpirio trahit, tunc enim ſe aliquid grave ſupra diaphragma ſentire dicit.

Annotatio. Procul dubio globulus plumbeus medium pulmonem non tranſiit, nec bronchia aut majora vaſa diſſecuit, ſed tantùm in exteriore latere pulmonis ſubſtantiam leviter oblæſit, nam alioqui graviora ſubſecuta fuiſſent ſymptomata; nec etiam curatio tam citò peracta fuiſſet, quæ tamen adhuc ſatis mirabilis fuit, cùm tale vulnus non ſine magna contuſione inflictum fuiſſe potuerit.

Quamvis omnium Medicorum & Chirurgorum teſtimonio gravia pulmonis vulnera inſanabilia, levia verò curatu difficillima exiſtant, tamen cùm talia occurrunt, animus in totum abjiciendus non eſt, cùm interdum, tam illa, quàm hæc, præter ſpem ſanata fuiſſe viſum fuerit, quod multorum inſignium Medicorum hiſtoriis conſtat. Nos ſuprà obſervat. 38. graviſſimum pulmonis vulnus curatum deſcripſimus, hac verò obſervatione leve vulnus curatum annotamus. Hujuſmodi graves pulmonum læſiones curatæ etiam aliàs nobis viſæ ſunt. Memini me quondam noviſſe cauponem in pago Kaukerca, prope Leidam, habitantem, qui cum alio ruſtico pugnans, ictum recepit ſub dextræ mammæ papilla, vulnere lato, ac cultro medium pulmonem tranſeunte, & poſterius ſub ſcapula exeunte. Hic à variis Medicis & Chirurgis diverſis modis & diu tractatus fuit: tandem cùm à continua pulmonis ſuppuratione æger totus extabefactus, morti jam proximus videretur, poſt duos circiter ab accepto vulnere annos Ultrajectum delatus, à Chirurgo quodam ſolis decoctis vulnerariis perfectè ſanatus eſt. Pulmonis tamen maxima pars ſuppuratione conſumpta fuerat, quòd manifeſto percipiebatur cùm ſe antrorſum & retrorſum identidem commoveret, tunc enim pulmo dexter inſtar linguæ campanæ anteriorem & poſteriorem thoracis partem obverberabat. Mirum eſt quòd tantum ulcus ad perfectam cicatriſationem perduci potuerit: iſtum tamen (qui erat homo admodum robuſtus) decennio poſt curationem vidi ſine ulla tuſſi, ſine ullo malo, atque adeò ſanum & validum, ut nullum unquam viderim ſaniorem. Anno 1635. adhuc alium ruſticum robuſtiſſimum cum Chirurgo tractavi in pago Linſchoten, prope Montfurtum, qui pugnando, ſub ſiniſtræ mammæ papilla ictus fuit cultro lato uſq; ad medium pulmonem intrante. Ruſtici alii, qui ipſi tunc temporis aderant, interea dum ego cum Chirurgo Montfurto, vocarer, ipſum pronum in ventrem depoſuerant, ac duabus manibus vulnus apertum retinuerant, ne ſanguis in thoracis capacitate occluderetur, atq; ſic ultra tres matulas plenas ſanguine effluxiſſe nobis retulerunt. Poſtquàm vulnus à nobis religatum foret, æger ſtatim animo linquebatur, & moriturus putabatur, verùm exhibitis corroborantibus ad ſe rediit. Primis diebus per os modò ſanguinem ſatis copioſum, modò pus rejecit, ſanguis etiam ſpumoſus coagulatus è vulnere, ſed pauca quantitate, effluxit: ut breviter dicam, hic æger à tam periculoſo vulnere convenienti medicamentorum uſu optimè ſanatus fuit, præter omnium opinionem, neque poſtea ullum in pectore incommodum retinuit. Guilhelmus Fabricius Hildanus cent. 3. obſerv. 36. ſimilem etiam caſum refert: verùm cent. 2, obſerv. 32. valde memorabilem deſcribit hiſtoriam vulneris pulmonis ſanati, in quo pars ſubſtantiæ ipſius pulmonis fuit abſciſſa: quale exemplum ex Coitero etiam adducit Nicolaus Fontanus, lib. reſp. & curat. medic. Similia exempla vulnerum pulmonum curatorum deſcribunt Gregorius Horſtius, Jeſſenius, Arcæus, aliique plures, in quibus non tantùm pulmones graviter vulnerati, verùm etiam ſubſtantiæ particulæ, imò & venarum majora rudera extracta fuerunt. *Idem ibidem.*

De vulnere capitis.

Juvenis ſedecim annorum ex equo in terram delapſus vulnus ſatis magnum accepit in ſincipite, & quidem tale, ut os nudum in conſpectum veniret; interim æger aliquoties vomebat & ſatis malè habebat. Duæ à lapſu vix præterierant horæ, cùm accerſitus ſum ad ægrum, in cujus capite nec fiſſuram, nec fracturam, nec introceſſionem cranii animadvertere potui, & vomitus tunc temporis ceſſabat, ac ægrotus mediocriter valebat, nec multum de dolore, nec de ullo alio conquerebatur incommodo.

Supervacaneum foret hîc loci explicare, unde vomitus hic prodierit, quandoquidem hanc rem per ſe ſatis claram eſſe exiſtimo.

Deraſis capillis vulnus linteis carptis ſiccis implevi, & quidem duplici de cauſa, primo ut ſanguinis fluxus hoc pacto ſiſteretur; deinde etiam ut labia vulneris aliquatenus à ſe invicem dehiſcerent, ut ita ſecuturo die cranium tantò melius pateret.

Tunc ſuperpoſui emplaſtrum ex ſequenti maſſa confectum.

℞. Emplaſt. diapalmæ ℥ij. Boli, Cretæ com. an. ʒij. Antimon. diaphor. ʒi. Ol. laurini ʒij. Tartari p. d. ʒß. M. S.

Poſtero die in cranio detecto nihil mali apparebat, ac ægrotus haud aliquo malo ſymptomate vexabatur, unde ſperare cæpi, cranium intrinſecùs etiam nihil mali paſſum fuiſſe, ac cerebrum bene habere cum utroque ſuo involucro.

Impoſui igitur ſequens labiis vulneris (oſſe prius contecto linteis carptis ſiccis.)

℞. Terebinth. comm. Mellis roſat. an. ℥ß. Myrrhæ, Aloës an. ʒß. M. S.

Et ſic æger brevi priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

Emplaſtrum imponebatur eum in finem, ut acidum temperaret, atque hoc modo, quicquid à contuſione coagulatum erat, diſſolveret citò; unguentum applicabatur, ut ita circulatio ſanguinis ac humorum, aliquatenus in vulnere ob tubulos diſruptos ac diſtortos impedita, reſtitueretur.

Cranium denudatum linteis carptis ſiccis contegebatur, partim ne pus ex labiis vulneris oſſi damnum aliquod afferret, partim ut aër ambiens hoc pacto arceretur à cranio, cui valde inimicus eſt acido ſuo, quo abundat, ut quotidiana ſanguinis per venæ ſectionem emiſſi nos docet coagulatio ab aëre producta.

Illud autem lintei genus, quod belgice dicitur *catoen*, in vulneribus haud convenit, quia inflammationem non raro ciere conſuevit angulis ſuis acutis, quibus donatum eſt, ſicut id ope microſcopii haud difficile eſt conſpicere.

Omnia pinguia hîc ſedulo vitavi, quia particulis

ticulis ſuis ramoſis valde anguſtos cranii tubulos ſatis pertinaciter obturant, atque ita efficiunt, ut humores ſtagnent, aceſcant, & cranii ſalem volatilem corrumpant, cariemque inducant, ac tunc curatio haud parum procraſtinatur ob portionem oſſis carioſam quæ prius ſeparari debet.

Scultetus in armamentario ſuo chirurgico partem vulneri capitis vicinam inungit aliquandiu oleis aſtringentibus ad præcavendam inflammationem, ut ille opinatur, ſed male, nam ſanguinis circulatio non debet ſiſti, ſed promoveri in inflammatione, quandoquidem ſanguis ac humores ob coagulationem ſuam in eâdem ſtagnant plus quàm ſatis, ideoque humores coagulatos per emplaſtra acidum temperantia diſſolvere multò conſultius eſſe videtur hoc in caſu.

Venæſectionem, quam plerique in vulneribus capitis extollunt egregie, prorſus omiſi, quoniam non video, quid utilitatis inde provenire queat.

Medicamenta diſtinguere in mundificantia & ſarcotica, atque illa prius, deinde hæc in uſum revocare, eſt res nullius utilitatis, nam ſolum noſtrum unguentum ſufficit, & præſtat, quicquid neceſſarium eſt, dum acidum temperat, ac humorum circulationem reſtituit; ſed interim ad hoc attendendum eſt, ut omiſſo præſcripto unguento, lintea carpta ſicca tandem imponamus, ubi carne fermè impletum eſt vulnus, nam aliàs caro nimis luxuriaret, ac altius exſurgeret, quàm par foret.

Veteres in capitis vulneribus adhibebant faſciam, quæ cancer appellatur, cujus delineatio videri poteſt apud Scultetum; verumenimvero jam temporis plerumque in uſu eſt ſudarium commune concinnè applicitum.

Vomitus in vulnere capitis ut plurimum multùm mali portendit, eundem autem non ſemper eſſe infallibile ſignum fracturæ cranii, fiſſuræ aut alterius alicujus incommodi valde magni liquidò conſtat ex propoſito noſtro caſu.

Periculoſæ plena aleæ res eſt vulnus capitis, quod dum maximè arridet, tum inſidias vel maximè ſtruere ſolet; nullum igitur capitis vulnus, licet valdè exiguum videatur, parvi faciendum eſt, aut leviter perfunctoriève tractandum, ſed debemus hîc potius omnia ſuſpicari, quoniam non raro latet anguis in herba, cùm apud chirurgos alta ſecuritas eſt.

Hiſce pauliſper in animo mecum volutatis operæ pretium eſſe duco, hoc in campo, antequam finem imponam huic obſervationi, paulo latius ac liberius exſpatiari, quàm ſolitus ſum, ut ſi non aliis, mihi ſaltem ipſi, in cujus inſtitutionem hæc ſcribo, hac in re ſatisfacere queam.

Extra omne dubium poſita res eſt, vulnus capitis valde parvum aliquando longo poſt ictum acceptum tempore ægroto necem afferre poſſe, verùm hoc non impedit, quominus nonnunquam eveniat ut æger citra ſpem Medicorum Chirurgorumve à periculoſiſſimo ac omnibus fermè pro lethifero habito vulnere capitis reconvaleſcat; ſic memini patris mei curæ commiſſum fuiſſe ante aliquot annos ægrotum quendam, qui ligone vulnus adeo horrendum acceperat in ſincipite, ut ab ictu inflicto non tantùm valdè magna cranii, ſed etiam haud parva ipſius cerebri portio avelleretur, & tamen hic æger vivit adhuc Arenaci & valet, remanente tamen hemiplegiâ.

Hac hiſtoria forſan falſitatis convincere poſſem opinionem Clariſſimi Williſii, dum lectori perſuadere conatur, quod memoriæ ſedes reperiatur in cortice cerebri; nam ſi illud verum foret, tunc patientis mox citati memoria vacillare deberet, cùm tamen eadem non minus vigeat jam temporis, quàm antequam æger vulneratus eſt.

Sed quid loquor de iis, qui ab horrendo capitis vulnere revaluerunt? nonne multò mirabilius exiſtit, etiam ingens beneficium redundare in aliquem ex capitis vulnere tam periculoſo, ut à pleriſque pro mortifero habeatur? maximè, & tamen non deſunt exempla tale quid teſtantia; ſic apud Schenckium legere licet, quo pacto aliquis, accepto periculoſo capitis vulnere liberatus ſit ab Epilepſia inveterata & valde pertinaci; ad hæc ſi tibi moleſtum non ſit inſpicere celeberrimum Hildanum centuriâ ſecundâ, obſervatione octava, ante oculos tibi ponetur caſus ſatis rarus, ſcilicet quendam ad conjunctionem futuræ ſagittalis cum coronali fracturam cranii accepiſſe, eundemque poſtea, remanente tamen ulcere, hoc modo ſanatum fuiſſe à magna ac moleſta cephalæa, quâ antea per longum temporis intervallum ægrotaverat.

Tales hiſtoriæ, quales modo commemoravimus, rarò admodum contingere ſolent, ac idcirco præſtat in capitis vulnere, qualecunque etiam ſit, ſemper ſolicitum eſſe quàm ſecurum nimis.

Vulnus autem capitis multò difficilius ſanatur, ubi patiens lue laborat venerea, ut & ſi eadem capitis pars ſæpius antea fuerit vulnerata, nam in morbo Gallico plerumque peccat humor acido-corroſivus vulnerum ſanationi haud exiguum apportans impedimentum, ubi autem contingit, ut eadem pars ſæpius ſaucietur, manifeſtum eſt, tubulos ibidem haud paucos mirum in modum diſtortos manere, unde ſanguis & humores obſtaculum quoddam offendunt in circulari ſuo motu, cujus tamen beneficio propemodum tota peragitur vulnerum ſanatio.

Atqui circulationem ſanguinis & humorum aliquatenus impediri in parte ſemel aut ſæpius vulnerata, licet vulnus jam diu coaluerit, vel hinc manifeſtum evadit, quod partes antea vulneratæ plerumque ſolito frigidiores ſint & tempeſtates ingruentes non raro præſentiant.

Præterea vulnus capitis magis aut minus periculoſum eſt, prout huic aut illi capitis parti infligitur; ſic vulnus occipitis minus periculoſum æſtimatur, quia os craſſitiem ac ſoliditatem ſuam raro fracturam aut fiſſuram patitur, etiamſi ictum ſatis vehementem recipiat; ac ubi jam contingit, ut os occipitis fracturâ aut fiſſurâ corripiatur, tunc ſordes tamen in hac fractura aut fiſſura collectæ non ita facile in ſubjectam duram meningem deſtillant.

Vulnus autem valde periculoſum habetur in bregmatis illo oſſiculo, quo maturior ætas locum in infantibus apertum poſtea replet, abſque dubio, quia illud oſſiculum tenerum eſt & vicinum ſuturis.

Sic vulnus temporum valde formidoloſum exiſtit pluribus de cauſis, & primo quidem, quia muſculus temporalis contectus eſt pericranio, deinde quia latet illic arteria ſatis magna, quæ vulnerata inducit hæmorrhagiam valde periculoſam; quæ ſiſtitur difficillime ea de cauſâ, quòd, dum loquimur aut comedimus, muſculi temporales commoveri debeant, & ſic ſanguinis fluxus jam cohibitus non rarò redire ſolet ac renovari.

Tertiò quia nervus in muſculo temporali læſus ſæpius ſpaſmum excitare conſuevit, & quidem talem, qui belgice dicitur *de klem*, ac nos comedere prohibet; ſic ubi muſculus temporalis valde læditur, contrahitur oppoſitus ac excitatur illa affectio, quæ oris tortura appellatur.

Quartò quia ſectio artificialis, aliquando neceſſaria in capitis vulneribus, non ſine periculo fit in muſculo temporali.

Quintò quia vulnerum medela requirit partis ſauciæ quietem, quæ tamen ſæpiſſime turbatur in vulnere muſculi temporalis, cùm ſcilicet aliquid comedimus aut loquimur.

Fiſſura in ſuturis etiam pejor exiſtit, quàm alibi, & difficillime invenitur; ſic Hippocrates Epid. 5. hoc modo ſe deceptum eſſe, & quidem cum vulnerati pernicie, ipſe liberè profitetur.

Vulnus inflictum ſuperciliis, ſic ut cavitas pateat, quæ in oſſe frontis reperitur; ventum emittit, quia ſcilicet illa cavitas oſſis pervia eſt in nares, illudque vulnus vix ac ne vix quidem conſolidatur teſte Celſo aliiſque, quibus talem caſum videre contigit.

Chirurgi, cùm dubitant de cranii fractura aut fiſſura, vulnerato nucem dentibus frangendam præbent, aut filum, cujus alterum extremum ore tenet ægrotus, concutiunt, obſervantes, num tremulum illum motum abſque moleſtia tolerare queat patiens.

Ubi cranium denudatum eſt, ſpecillo plerumque inquirimus, num adſit fiſſura, nec ne; ſed ut hoc examen rite inſtituatur, ante omnia exacte noſſe oportet ſitum ſuturarum conſuetum; ne ſutura ſumatur pro fiſſura, aut fiſſura pro ſutura; atque ut error hic omnino declinetur, præterea meminiſſe oportet, ſuturam ſagittalem aliquando præter conſuetudinem procurrere uſque ad naſum & frontem reddere bifidam, imò etiam nonnunquam ulterius ſe extendere ad occiput, illudque dividere; hîc quoque in memoriam revocanda eſt obſervatio alicujus Anatomici, qui affirmat, ſe vidiſſe illud bregmatis oſſiculum, quo provectior ætas implet locum in primum natis adhuc patulum, peculiari circumſcriptum fuiſſe ſuturulâ.

Apud Paræum, Fallopium alioſque reperire licet vulneratos, in quibus mortuis & apertis externa cranii tabula, quæ ictum receperat, prorſus integra conſpecta fuit, interna interim non tantùm rimam agente, ſed etiam fragmenta quædam exhibente, quæ meningem punctione ſua moleſtaverant; quo pacto hoc accidere potuit? dicam; ictus vehemens materiam ſubtilem ante ſe maxime agitavit, atque ita hæc materia ſubtilis celerrime mota tranſiit ſine morâ per primam cranii tabulam ſatis libere, nec damnum ullum intulit, verùm ubi pervenit ad ſecundam cranii tabulam primâ (ut Anatomici teſtantur) multo ſolidiorem, ibi poros offendit adeo anguſtos, flexuoſos, ut tranſire nequiret, niſi per novam viam, quam ſibi ipſi violenter momento temporis pararet, & ſic multis poris perruptis internam cranii tabulam egregie ſcidit; ſic fulmen, intactâ vaginâ, enſem liquefacere perhibetur; ſic aqua fortis, illæſâ cerâ, argentum ſolvit.

Complures narrant aliquando contingere, ut percuſſo ſincipite dextro, ſinciput ſiniſtrum rimam agat, dextro integro remanente, & talis caſus dicitur plerumque contrafiſſura, quamvis hoc contrafiſſuræ vocabulum nonnunquam & ad alios caſus extendatur.

Talem contrafiſſuram me nunquam conſpexiſſe lubens confiteor, eandem autem dari Celſus affirmat, Ægineta negat, ego autem hac ſuper re judicium meum ſuſpendo.

Aliquando contingit, ut medulla, quæ inter utramque cranii tabulam reperitur, ab ictu valido è cavernulis ſuis excutiatur ac exprimatur cum ſanguinis ab ictu quoque extra vaſa profuſo, ſicque medulla hæc cum ſanguine acredinem acido-corroſivam concipit, quâ cariem internæ cranii tabulæ inducit, atque ita nonnunquam humor acris & aquo us ex oſſe carioſo prodiens meningem, ipſumque cerebrum inficit ægroque mortem inexſpectatam minimeque præviſam infert aliquot interdum ſeptimanis, imò & menſibus poſt ictum, cranio extrinſecus interea temporis apparente integro, neque ullam fracturam aut fiſſuram oſtendente, & talia exempla ab auctoribus; qui de Chirurgia ſcripſerunt, hîc atque illic narrantur.

Cranio cum dura matre læſo aliquando intra viginti quatuor horas enaſcitur fungus ovi gallinacci magnitudinem propemodum adæquans; quem clariſſimus Malpighius ortum ſuum debere exiſtimat læſis glandulis, ex quibus cortex cerebri componitur, quæque ſecundùm ejuſdem opinionem deſinunt in radices nervorum, in quas ſuccum ſuum nerveum ab arteriis acceptum & tranſcolatum tranſmittunt.

Ab omnibus ferme auctoribus ſerio monetur, nulla capitis vulnera eſſe conſuenda, & quidem optime.

Dum vulnera capit s religabantur, Veſalius ſemper adhibebat candelam ceream accenſam (non ſebaceam, quia pinguedo nocet oſſibus) eum ſcilicet in finem, ut frigus ambientis aëris aliquatenus temperaret; ſed jam temporis chirurgi quidam utuntur vaſe quodam æneo carbonibus vivis impleto, quod belgicè dicitur *een bedpan*.

Meditullium, quod inter utramque cranii tabulam continetur, in puerulis multò tenuius eſſe reperitur quàm in adultis, quod bene obſervandum judico à chirurgis, dum trepano aut ſcalpris utuntur, nam aliàs fieri poſſet, ut ſibi perſuaderent, ſe nondum ad meditullium perveniſſe, dum interim ipſam læderent meningem.

Quidam, antequam adhibeant trepanum, eligunt crucialem carnis inciſionem, alii triangularem, ſed pater meus fere ſemper præferebat circularem, ſicque totam illam carnis portionem à cranio ſeparabat ac avellebat.

Inter

Inter operandum quidam trepanum ad temperandum calorem immittunt in oleum, ſed male, quia oleum, ut ſæpiùs diximus, eſt oſſibus inimicum, quamobrem aqua communis nobis hoc in caſu melius inſervire poteſt.

Veteres opinabantur creſcente luna medullam & cerebrum in animalibus augeri, ideoque uſum trepani tempore pleni-lunii prohibebant, verùm hoc ſæculo nos docuit experientia, cerebrum in cranio ac medullam in oſſibus animalium non majori copia contineri luna creſcente quàm alio quovis tempore, atque ita hæc opinio, arenoſo adeò ſuperſtrata fundamento, corruit.

Veteres minimè admittere voluerunt, ut trepanum poneretur in ſuturis, ſed jam temporis habemus Chirurgos, qui hoc intrepidè faciunt.

Aliquando contingit, ut dura mater cranio ſatis firmiter adhæreat, ſed hoc admodum rarò evenire ſolet, eſtque præter conſuetudinem.

Duræ meningi denudatæ Scultetus applicat oleum roſarum, Celſus acetum, ſed uterque peccat, hic magis, ille minus; quid aliud efficiet oleum, quàm ut poros ac tubulos illius membranæ obturet, ac ita ſanguinis ac humorum circulationi noceat? acetum autem coagulabit ſanguinem ac humores per meningem circulantes, atque ita circulari eorundem motui non parum oberit.

Quid igitur hîc applicabitur? mel aut ſyrupus roſarum, ſed præſtat ſyrupus utpote minus acris, qui calidus imponi poteſt cum linteo rotundo, cui filum annexum eſt.

Poſito trepano aliquando fit, utſuper meningem nihil mali reperiatur, ſed ut pus ſub eâdem deliteſcat, & tum temporis meninx diſcindi debet, ut puri exitus concedatur, nec metuendum eſt, ne lædatur pia mater, quia pus interjacens hoc impedit, atque hanc meningis apertionem Atenaci feliciter inſtitutam eſſe memini.

Æger capite vulnératus potius liquida quàm ſolida aſſumat, nam aliàs motus maſticationis parti ſauciæ aliquam afferre poſſet moleſtiam, & quidem præcipuè, ſi vulnus temporibus inflictum foret.

Si ſternutatio aliquem capite ſauciatum corriperet, abſque dubio ejuſdem cerebrum nimium commoveret ac vulneri noceret, ideoque conſultum foret ſternutationem, ubi præſentitur, impedire, quod facilè fiet, ſi digitis majorem utriuſque oculi angulum aliquoties tum temporis fricemus.

In vulnere capitis ante omnia vitetur Venus & ira, quia cerebrum valdè commovent, atque ita miſeris ægrotis haud parum damni apportant, ut crebra experientia teſtatur.

Atque ita tandem finiam, poſtquam dixero, me hîc loci non niſi rariora ac notatu digniora in medium proferre voluiſſe, nam cætera ad vulnera capitis pertinentia ſatis prolixè tractantur apud Paræum, Hildanum, Scultetum, aliosque chirurgiæ ſcriptores, quæ hîc repetere prorſus ſupervacaneum eſſe exiſtimo. *Joh. Muys in Praxi Chirurgicâ rationali.*

De vulnere penetrante thoracem.

Juvenis annum agens trigeſimum inter ſextam, ſeptimamque coſtam (ſi numeres ab inferioribus) enſe vulnus accepit, quod in pectoris cavitatem penetrabat, ſicut id ipſum docebat ſpecillum blandè intruſum, ut & aër ſatis impetuosè è vulnere proſiliens. Æger interea temporis benè comedebat ac parum conquerebatur.

Quia vulnus non ſatis pro puris exitu patebat, impoſuimus turundam ex ſpongia præparata efformatam cum filo, atque ita luce ſequenti vulnus ſatis patulum exiſtebat, quapropter applicuimus tunc turundam ex linteis carptis formatam ac idoneo digeſtivo oblitam cum emplaſtro acidum temperante ac bona ligatura.

Interim æger bibebat bis ſingulis diebus uncias tres ſequentis apoſematis.

℞. Herb. tuſſilag. capill. vener. ſcabioſæ an. m ij. Fol. abietis mj. Paſſul. maj. exacinat. ℥iij. Sem. fœniculi ℥ß. Hordei M. ij.

Coque in aquæ communis ac vini Gallici partibus æqualibus, & colatura librarum trium uſurpetur, quæ, ubi neceſſitas exigit, etiam per ſyringam in pectoris cavitatem poteſt immitti, admixtâ tum temporis unciâ unâ aut alterâ mellis roſarum.

Vulnus hoc pacto per dies aliquot tractatum parum puris emittebat, ac ægrotus quoad cætera bene ſeſe habebat, ideoque turundas de die in diem breviores formavimus, atque ita æger intra ſex ſeptimanas ab hoc vulnere prorſus convaluit.

Specillum, quo vulneris profunditas inquirebatur, non erat ferreum, quandoquidem hoc metallum ob rigiditatem ſuam non ſatis cedit muſculis, qui aliquando vulneris locum intrare ac replere ſolent, ubi æger corporis ſitum immutat, ſed adhibebatur candela cerea Belgice nominata *een vvaslichje* quæ propter flexilitatem ſuam nobis in hoc caſu melius inſervire poterat, verùm enimvero antequam huic operi accingebamur, patiens prout jubebamus, corpus in iſtum ſitum reduxit, in quo ſteterat, dum vulnerabatur.

Aër ex hoc vulnere ſatis impetuoſè prorumpebat, atqui aliquando ille tanto impetu effertur, ut admotam candelæ flammam extinguat, ſed unde hoc contingit nimirum? dum thorax anguſtior in exſpiratione à muſculis abdominis ut & à propriis muſculis, aër cum vaporibus nô paucis cômiſtus compellitur ac comprimitur ad exitum ſibi quærendum, & ſic ob anguſtiam loci magna vi ex vulnere propellitur haud aliter ac videmus aërem ex follis tubo magno impetu prorumpere, dum latera, follis tantummodo leviter comprimuntur, nam ſic magna portio motus, qui antea ſingulas particulas aëris diverſimodè agitabat, impenditur in motum aëris in unam partem.

Verùm cur turunda filo alligata fuit? ſcilicet ne ipſa raperetur uſque in pectoris cavitatem, nam tale quid nonnunquam contigiſſe complures hiſtoriæ teſtantur, imo præterea legimus turundas non tantùm abreptas fuiſſe in cavum thoracis, ſed & eaſdem excitatâ tuſſi, poſtea per os ægroti exiiſſe.

Unde igitur fit, ut turunda aliquando penetret uſque in pectoris cavitatem? an cum veteribus reſpondebimus illud fieri per ſuctionem thoracis? minimè, quandoquidem ſatis clare ac evidenter demonſtrare poſſumus, omnem motum in hoc univerſo corporeo conſpicuum fieri per pulſionem.

Nec minus abſurdum foret ac abſonum, ſi cum pleriſque hic loci vellem recurrere ad fugam vacui, quoniam illud non datur, ſicut id ipſum luce meridiana clarius eſt iis omnibus, qui à præjudiciis ſuis nondum plane occæcati ſunt, idemque ſatis diſtinctè explicatur apud clariſſimum Carteſium in parte ſecunda Principiorum Philoſophiæ.

Ut autem nos dicamus id, quod res eſt, quodque ab unoquoque facillimè poteſt intelligi, reſpondemus hunc in modum; quando inſpirationis tempus inſtat, thorax capacior redditur, quia diaphragma contrahitur deorſum; quia verò diaphragma ita contrahitur, venter egregiè protuberat, ſicque, aërem ſatis validè propellit, qui, quandoquidem vacuum nullibi exiſtit, eodem temporis momento neceſſariò intrare debet thoracem modo prædicto ampliatum, atque ita aër partim ingreditur per rimulam laryngis, partim etiam per vulneris orificium, utpote per viam commodiorem, breviorem ac magis liberam, ac dum aër ita proruit intrò per vulnus patulum thoracis, in tranſitu ſecum propellit turundam, niſi filo ſatis forti alligetur.

Nonnulli auctores, ubi nihil ſanguinis aut puris ſuper diaphragma jacere ſuſpicantur, vulnera pectoris penetrantia abſque ullarum turundarum ope ſanare conantur, aliiſque id ipſum commendant, ſed rariſſimè primis diebus hujus rei ſatis certi eſſe poſſunt, ideoque multò prudentius agere mihi videntur, qui mecum per aliquot dies utuntur turundis, ac interea temporis aërem ambientem, quantum poſſunt arcent à vulnere; aſt interea tamen eâ nobis utendum eſt cautelâ, ut tempeſtivo tempore à turundis abſtineamus, nam ſi diutius, quàm par eſſet, earundem uſus protraheretur, contingere poſſet; ut remaneret tandem fiſtula nullâ medicabilis arte ac ad extremum vitæ halitum perſeverans, quandoquidem ad tale malum producendum non parum confert continua pectoris in reſpiratione agitatio, quæ vulnerum conſolidationi non parum obeſt.

Vulnera thoracis penetrantia valde periculoſa ſunt, multoſque viventium conſortio valedicere coëgerunt, ac in aliis phthiſin excitarunt ipſa morte pejorem, nam mortis habet vices, lentè cùm trahitur vita gementibus; ſed interim tamen memini, me alicubi legiſſe, aliquem ab aſthmate, quo antea ſatis crudeliter affligebatur, per vulnus penetrans uſque in cavitatem thoracis feliciſſimè fuiſſe ſanatum; imò novi jam temporis adhuc Arnhemii honeſtum quendam civem, cui vulnus pectoris penetrans haud parum fuit ſalutiferum, nam ille jam per longum temporis intervallum laboraverat empyemate, ac mortem indubitatam quotidie exſpectabat, cùm ab alio, neſcio qua de cauſa ad iram concitato, enſe ſauciatus eſt ita, ut vulnus uſque in pectoris cavitatem penetraret, ægrumque hoc pacto pure per vulneris orificium egrediente, brevi ſanaret ab empyemate, patre meo h dum viveret, medicam manum adhibente.

Ubi in vulnere pectoris valdè anguſto Chirurgi dubitant, an vulnus penetret in thoracis cavitatem, nec ne, aut lanam, aut flammam candelæ accenſæ vulneri admovere conſueverunt, atque ita concludunt vulnus penetrare, ſi tremulus in lana aut candela accenſa motus ab aëre ex pectore progrediente excitetur, ſin minus, contrà.

Quando jam contingit, ut pars aliqua in pectoris cavitate contenta ſimul lædatur, tunc vulnus diutius ſervandum eſt apertum, ac bis de die injectio calida immitti poteſt, cui aloë, abſinthium, carduus benedictus aliaque amara addi non debent, ut quidam facere ſolent, nam particulæ amaræ per ramos fiſtulæ pulmonis læſi cum aëre ſurſum latæ amaro ac moleſto ſapore linguam afficiunt, ut crebra experientia teſtatur.

Si magnum aliquod vas ſanguiferum in thoracis cavo ſitum vulneretur, tunc ſuper diaphragma multum ſanguinis confluere ſolet, ac excitare hoc pacto gravitatem circa diaphragma, febrim, vigilias, excreationem ſanguineam, appetitum proſtratum ac reſpirationem difficilem.

Per vices hic ſanguis quotidie per vulneris orificium evacuandus eſt, ut & pus poſt aliquot à vulnere accepto luces plerunque ſubſequens.

Quod ſi ſanguis, qui per vulnus inflictum effluit, ſpumoſus eſſe reperiatur, ſignum eſt pulmonis vulnerati, ac tale vulnus ſæpè tabem ac ſæpius mortem miſeris ægrotis apportat, quod mirum non videbitur illi, qui cum Malpighio aliiſque curioſis humani corporis ſcrutatoribus paulò penitius, quàm veteres fecêre, pulmonis ſubſtantiam inſpicere non gravatur, ſic namque animadvertet pulmones nihil aliud eſſe quàm aggeriem quandam veſicularum membranacearum, veſtitarum reti quodam mirabili ex venularum ac arteriolarum valdè minutis ramulis compoſito, in quas veſiculas aëri aditus patet ex aſpera arteria.

Hinc igitur ſatis manifeſtum evadit, vulnus pulmonis tam exiguum eſſe non poſſe, quin vaſcula quædam ſanguifera harum veſicularum ſimul lædantur, unde ſanatio redditur adhuc difficilior, quæ tamen per ſe ſatis difficilis exiſtit, quia veſiculæ hæ membranaceæ ſunt, ac continuò in motu poſitæ, in quas præterea ſingulis horis toties novus aër impellitur, nam partes membranoſæ multò tardius ſanantur, quàm carnoſæ, & quòd quies partis læſæ conſolidationem vulneris maturet, nemo in dubium trahere poteſt, qui ſemel tantùm in vita obſervavit, quàm facilè tibiarum vulnera ſanentur ægro decumbente, & contrà quàm difficulter eadem conſolidentur, ubi patiens quotidie per plateas obambulat; & quis tandem ignorat aërem ambientem à vulneribus diligenter eſſe arcendum?

Vulnera pulmonis igitur, uti diximus, ferè ſemper lethalia eſſe experimur, ſed interim tamen legimus, fruſto pulmonis per vulnus ablato patientem poſſe ſupervivere.

Pulmo repletur aëre, quamprimum homines naſcuntur ac reſpirant, hoc autem non fit in fœtu,

fœtu, quamdiu idem in utero adhuc deliteſcit, atque ad hoc attendunt Medici, ubi à Magiſtratu coacti judicare debent, an infans mortuus, in utero an extra uterum vitam amiſerit? tunc etenim pulmonem cadaveris è pectore proripiunt, eumque immittunt in aquam ac ſi pulmo tunc ſupernatet, extra uterum infans mortuus eſſe cenſetur, & contrà, ubi pulmo ſubſidit ac demergitur.

Vulnus in carnoſa parte diaphragmatis ægrum in periculum haud exiguum adducit, ſanatur tamen aliquando; ſed cùm pars membranoſa diaphragmatis vulneratur, æger non longo pòſt tempore, exortâ febri ac delirio, expirat; nec mirum ſane, cùm ob continuum diaphragmatis valdè ſenſilis tubuli circa vulnus valdè detorqueantur, unde humores ibidem ſtagnant, aceſcunt ac inflammationem producunt, & cùm humores aceſcentes ex parte inflammata abſorbentur in maſſam ſanguineam, inducitur febris, quam ſequitur delirium; ſic memini aurigam Arnhemienſem, qui cultro in parte membranoſa diaphragmatis vulneratus erat, ſtatim poſt vulnus inflictum ſe pedibus ad ædes noſtras contuliſſe, ſed eundem mox adeo debilem evaſiſſe, ut à duobus hominibus domum deportari deberet, ubi febri ac delirio correptus poſt triduum è medio ſublatus eſt.

Mirandum eſt, quod non ita pridem me alicubi legiſſe recordor, nimirum quòd in uno ventriculus, in altero inteſtinum colon ex abdomine per vulnus diaphragmatis aſcenderat in thoracem & quod uterque patiens adhuc aliquandiu vivere potuerit.

Vulnus pericardii lethiferum exiſtimatur, ac ubi cordis ſubſtantia ſimul vulneratur, extemplo patiens plerumque vitam cum morte commutat, etiamſi revera teſtari poſſim, Judæum Arnhemienſem in ipſa cordis ſubſtantia vulneratum nihilominus per ſex dies quotidie bis pedibus ſuis ad ædes noſtras, ut vulnus religaretur, ſe contuliſſe, antequam moreretur.

Galenus alicubi refert, ut teſtis oculatus, pericardio corrupto cor nudum ſatis late patuiſſe in pectore alicujus ægri, qui tamen inde reconvaluerit; verùm enimvero homines jam temporis adeo increduli eſſe reperiuntur, ut apud eoſdem tales hiſtoriæ parum fidei inveniant, aut mereri videantur.

Dum de corde mentionem facio, duo præjudicia tollere debere mihi videor; primum, quo plerique è vulgo laborant, hoc eſt, quod pertinaciter credant cor ſedem ſuam habere in latere pectoris ſiniſtro, cùm tamen illud in medio pectoris collocatum ſit, ſed hujus erroris occaſio populo dàta fuit ex eo, quod pulſus ſatis vehemens in latere thoracis ſiniſtro ſentiatur, ſecus ac in dextro, verùm hoc contingit, quia ad ſiniſtrum latus ſita eſt arteria magna.

Alterum, quod taxare volui, præjudicium hoc eſt, quod è veteribus quidam ſibi perſuaſerint, cor nullis morbis conflictari; cujus opinionis falſitatem experientia tamen ſatis ſuperque oſtendit; ſic in Ephemeridibus Gallicis legimus in ventriculo dextro cordis canini inventos eſſe vermes vivos triginta & unum, longitudinem digiti ac craſſitiem habentes aciculæ communis; ac præterea cor aliquando infeſtatur morbo aliquo qui polypus cordis nominatur, de quo vide Malpighium in tractatu de viſcerum ſtructura anatomica.

In vulneribus pectoris penetrantibus chirurgi quidam loco turundarum adhibent cannulas ex argento, plumbo, aut linteo cerâ imbuto confectas, verùm quia argentum à pure inficitur aliquatenus, & plumbum labia vulneris hîc nimis cito contingit cicatrice; præferenda videtur hîc loci cannula ex linteo cerâ imbuto confecta.

Acida omnibus vulneribus inimica ſunt, ſed præſertim vulneribus thoraci penetrantibus, nam præterquam quod ſanguinem humoreſque coagulent, ac circulationi rite peragendæ reddant ineptos, etiam nocent hoc in caſu, quia particulis ſuis ab utraque parte ſcindentibus tuſſim excitare ſolent, ſed quamvis acida rejiciam, non ideo hîc commendo dulces ſyrupos, quandoquidem iidem pulmonibus parum proſunt, ac interim ventriculo aliiſque partibus nocent, ut plurimi mecum quotidie experiuntur; præſtat ex tuſſilagine, capillis veneris aliiſque herbis idoneis cum aqua cocta ac fervida adhuc extrahere tincturam in vaſculo, quo utuntur, dum præparant potum herbæ *Tee* dictæ jam temporis adeo vulgatem.

Si æger penetrante thoracis vulnere laborat, & non emittat ſanguinem in pectoris cavitate latentem per vulneris orificium, teneat granum unum moſchi ſub lingua, ac mox effluet ſanguis, ut ait Sennertus, ſed de ſucceſſu valde dubito.

Nonnunquam altior eſt locus pectoris, cui vulnus inflictum eſt, quàm ut ſanguis aut pus ſuper diaphragma congregatum per vulneris foramen poſſit evacuari, & tunc aliquando ſanguis aut pus cum tuſſi per os excerni conſpicitur; imo haud pauci auctores teſtantur, pus tum temporis interdum ad veſicam deturbari ac cum urina expelli, quod pus per duas vias ad veſicam deduci poſſe putant; primo ſi per venulas aut vaſa lymphatica abripiatur ad maſſam ſanguineam, ac cum eadem deferatur ad renes, tandemque, ubi illic loci tranſcolatum fuerit, per ureteres deſcendat in veſicam & ſic cum urina excernatur; verum altera via longe difficilior videtur; ſcilicet exiſtimant pus per poros diaphragmatis intus foras ſpectantes ſub forma roris tranſſudare, & ſic, itinere per totum abdomen peracto, tandem per poros veſicæ foris intro ſpectantes veſicæ cavitatem intrare; poros autem foris intro ſpectantes in veſica revera reperiri ſequenti probant experimento; in cubiculo calido veſicam invertunt atque immittunt aquam calidam, quæ inde roris inſtar tranſſudare tum temporis conſpicitur.

Ubi tandem contingit, ut pus ſuper diaphragma copioſè contentum per vulnus nimis altum nequeat expelli, atque illud præterea nec cum tuſſi per os, nec cum urina per veſicam evacuetur, tunc commendatur paracentheſis, hoc eſt inciſio artificialis thoracis in loco decliviori, atque hæc operatio fit plerumque inter quintam & ſextam coſtam, ſi numeres ab inferioribus, non in medio pectoris, ſed in latere, magis tamen ad anteriorem quàm ad poſteriorem partem, ac potius circa ſuperiorem coſtæ

partem quàm circa inferiorem, & quidem ſcalpello obvoluto aliqua ex parte panniculo, illo temporis momento, quo patiens expirat.

Atqui hæc operatio rariſſimè exercetur in hiſce regionibus eo ſæculo, quo vivimus.

Factâ jam paracentheſi pus ſimul & ſemel emittendum non eſt, ſed partitis vicibus, atque hæc eſt res, quam omnes chirurgi concedunt, ſed quæ ſit ratio, plerique prorſus ignorant; alii dicunt, quod ſpiritus diſſipentur, ſi omne pus effluat una vice, alii fingunt naturam providam tunc vacuum illud perſentiſcere, ideoque in eum locum, ex quo pus promanavit, è veſtigio mittere multum, imò nimium ſanguinis ac humorum, ſed utraque hæc ratio adeo frivola eſt, ut refutari non mereatur, ideoque tribus verbis tantùm dicam, quæ mihi hujus rei ratio videatur, certum eſt in locum puris calidi recedentis mox aërem frigidum ſuccedere, qui fibrillis, jam aliquatenus læſis à pure, non tantùm moleſtus eſt, ſed non paucas præterea obſtructiones producit in tubulis, in quibus idcircò ſtagnant humores, coacervantur, aceſcunt, atque ita excitatur inflammatio; ſic ubi aëri frigido exponimur ſtatim poſtquam calefacti ſumus, corripimur non raro catharris vulgò ſic dictis, atque cùm ſupra modum incaluimus, & cereviſiam frigidam tum temporis aſſumimus, plectimur aliquando pleuritide. *Idem ibidem.*

De vulnere abdominis penetrante.

Juveni viginti annorum ab adverſario vulnus fuit inflictum, & quidem tale, ut enſis per anteriorem abdominis partem intraret, ac per tergum egrederetur.

Æger mox à vulnere inflicto, in lecto decubuit, ac primis diebus aliquatenus de hoc aut illo incommodo conquerebatur, poſtea verò de die in diem magis magiſque reconvaleſcebat, ac utrumque vulnus intra tres ſeptimanas prorſus conſolidatum fuit turundis bono digeſtivo inunctis impoſitis, ac ſuperimpoſito idoneo emplaſtro.

Haud neceſſarium erat hoc in caſu explorare vulneris profunditatem, quandoquidem ſatis manifeſtè conſtabat, hoc vulnus penetrare uſque in ipſam abdominis cavitatem, quia enſis mucro intraverat per ventrem, ac egreſſus erat per dorſum.

Aliàs vulneris profunditas plerumque inquiritur ſpecillo ferreo aut plumbeo, ſed præſtat candela cerea, quæ Belgice dicitur *een Was-lichje*, quia multo melius flecti poteſt, & accommodari ad qualeſcunque occurrentes mæandros; hinc interim gnaviter annotandum venit, quod ſpecillum aliquando valde profunde intret per interſtitia muſculorum tranſiens, & quod vulnus tamen non penetret uſque in ventris cavitatem, & è contra, quod vulnus penetret aliquando uſque in abdominis cavum, licet ſpecillum, ubi intruditur, mox inveniat reſiſtentiam, ſcilicet quia partes in corpore læſo aliter figuratæ erant, dum æger vulnerabatur, quàm poſtea, ubi vulneris ſtatus exploratur.

Vulnus abdominis, etiamſi non penetret uſque in ventris cavitatem, tamen difficulter ſanatur ob motum reſpirationis, nam vulnera conſolidanda deſiderant requiem.

Quod ſi vulnus abdominis non penetrans ſit in linea alba ſic dicta, tunc adhuc multo difficilius ſanatur & valdè dolorificum exiſtit.

In ſecunda hujus decadis obſervatione volui, ut vulnera pectoris valdè exilia, redderentur ampliora, ſed hæc operatio minimè locum meretur in vulnere abdominis, ne ſcilicet omentum vel inteſtinum per nimis amplum ventris foramen prolabatur extra abdominis cavitatem.

Quidam ſomniant reſurrectionem mortuorum originem ſumpturam ab oſſiculo in decima octava vertebra contento, ſed ſomniant, & quidem abſque ulla veriſimilitudine; neſcio ſanè, quid reſponderent mihi homines talem opinionem amplexi, ſi interrogarem eoſdem. An igitur non reſurgeret ille, cui oſſiculum illud per vulnus foret conſciſſum?

Teſtes extra abdominis cavitatem propendent, ideoque facilè poſſent vulnerari, ſed eorum vulnus ægros in vitæ diſcrimen non adducit, quandoquidem & experientiâ teſte homo utroque teſte exſecto ſupervivere potis eſt; & cognovi familiariter medicinæ ſtudioſum, cui alteruter teſtis ob herniam carnoſam feliciter exſcindebatur.

Quid igitur teſtes ſunt? non niſi congeries minutiſſimorum funiculorum vel vaſculorum ſemen conficientium, quæ ſi abſque ruptione diſſoluta ſibi invicem adnecterentur, facillimè viginti ulnarum longitudinem excederent in homine, nam gliris teſticulus ad ulnas quindecim extenditur.

Plerique chirurgi primo vulneribus applicant repellentia, hoc eſt, frigida & aſtringentia, ſed circa inguina illa omittunt; ſi rationem quæras, reſpondebunt tibi, quia in inguinibus eſt emunctorium hepatis; verùm hoc reſponſum frivolum eſt & ridiculum, illudque jam dudum exploſimus & ſufficienter refutavimus in primæ decadis obſervatione octava.

Quid igitur in cauſa eſt; quod chirurgi alibi utantur frigidis & aſtringentibus, nunquam verò in inguinibus? dicam, auſculta paulìper; ubique fere nocent frigida & aſtringentia, ſed magis inguinibus, quàm alibi, illud experientia ſtultorum magiſtra illos docuit; factum norunt & confitentur, cauſam affecti penitus ignorant, ideoque talem chymæram ſibi effinxerunt, cùm vera cauſa interim ſit, quod in inguinibus ſedem ſuam habeant glandulæ, quæ nihil aliud ſunt quàm congeries exilium vaſorum valdè inflexorum, in quorum mæandris humores facilius ſubſiſtunt quàm alibi, ſi eorum circulationem chirurgi per frigida & aſtringentia perperam impoſita retardent.

Vulnera abdominis penetrantia ſunt omnia periculoſa, ſed longè magis periculoſa, cùm ampla ſunt, quia omentum aut inteſtinum tum temporis facilè foras prolabitur, ubi omentum, niſi ſtatim poſt egreſſum ſuum in priſtinum locum repellatur, brevi coagulatur, emoritur & colorem ſuum mutet ob aërem ambientem; ſed unde omentum extra ventrem prolapſum tam cito emoritur? omentum nempè permultis exiguis ſacculis inſtructum eſt, in quos adeps apportatur per vaſcula adipoſa ſingularia, ſicut acuratiores hujus ævi anatomici teſtantur. Hinc jam facilè liquet, quàm facile adeps in ſacculis ſuis, ac materia in vaſculis exilibus adipoſis contenta ab aëre frigido poſſit coagulari.

Ubi

Ubi jam omentum extra abdominis cavitatem exulans ob moram aliquam interpoſitam modo prædicto corrumpitur, tunc inter partem ſanam & corruptam filum injiciendum eſt, tuncque portio corrupta ferro reſecanda eſt, ne pars ſincera trahatur, & conſuto aliquatenus vulnere, ſi illud nimis amplum eſſe reperiatur, filum extra abdomen pendulum relinquendum eſt, donec progreſſu temporis decidat. Sic quendam, cui omenti portio ob nimiam moram extra abdomen erat corrupta, modo prædicto à patre meo tractatum feliciter à vulnere ſuo convaluiſſe memini.

In amplo abdominis vulnere nonnunquam foras prorepit inteſtinum, quod è veſtigio reponendum eſt, nam aliàs flatibus ita diſtenditur, ut in priſtinum locum remitti minimè poſſit; ſed unde inteſtinum, extra ventrem remanens aliquandiu, flatibus diſtenditur? nimirum fermentatio excitatur non tantùm in chylo, ſucco pancreatico ac bile, verùm etiam in fæcibus à chylo relictis & fermento inteſtinorum parietibus adhærente; hinc multi exurgunt vapores (ut jam ſilentio prætereeam illos vapores, qui ex poris arteriolarum etiam continuò cavitatem inteſtinorum ingrediuntur) qui in cavitate inteſtini debent accumulari, illudque diſtendere, ſi pori intus foras ſpectantes ab aëre ambiente claudantur in inteſtino extra abdomen exulante.

Quid igitur agendum ſupereſt, ubi inteſtinum extra abdomen diſtentum conſpicitur; pori occluſi aperiendi ſunt, vaporibuſque intus contentis major concilianda eſt agitatio, quod fiet, ſi calide imponatur linum nendo recenter contortum, ſed coctione nondum purgatum, ubi illud nempe prius coctum fuerit in lacte dulci.

Inteſtinum, flatibus jam conſumptis reponi debet, ac vulnus aliqua ex parte conſui, ſi opus ſit.

Si inteſtina etiam vulnerentur, æger in magno vitæ diſcrimine verſatur, & quidem magis, ſi vulnus infligatur inteſtino tenui, minus, ſi craſſo, quia in hoc vulnus, poſtquam conſutum fuerit, facilius conglutinatur, quandoquidem majori tubulorum copia conſtat, per quos humores nutrientes apportantur; ſic craſſa inteſtina ferè tantum fæces continent, tenuia chylum. *Idem ibidem.*

De vulnere pectoris penetrante cum ſyncope.

Vir militaris triginta circiter annorum enſe valde tenui miſere perfoſſus eſt, ſic ut vulnus paulò infra ſiniſtram mamillam penetraret in cavitatem thoracis.

Vulneratus incidit in ſyncopen per aliquot horas durantem, ex vulnere parum ſanguinis profluxit.

Poſtero die accerſitus ægrum invenio mediocriter habentem, bene reſpirantem, ac parum & ſine dolore tuſſientem.

Aſtantes conſulebant me, ut & Chirurgus, an non expediret paracentheſin facere in loco paulò humiliori, ut ſic ſanguis, forſitan in cavum pectoris prolapſus faciliori via egrederetur.

Sed quandoquidem ægrotus noſter non difficulter reſpirabat, & mediocriter, quoad cætera, ſe habebbat, judicabam vix aliquid ſanguinis diaphragmati incumbere, ideoque hanc periculoſam operationem & noſtris regionibus inconſuetam ac nomine tantùm notam in vulneribus pectoris minime hic loci convenire.

In vulnus igitur ſecundum conſilium noſtrum immittebatur turunda ex ſpongiâ cum cerâ & reſinâ præparatâ confecta ad vulnus magis dilatandum & viam aperiendam ſanguini, ſi quis adhuc fortaſſis in cavitate pectoris deliteſceret.

Sed nihil ſanguinis ex cavo pectoris promanabat, & parum puris ex vulnere, atque ita Patiens, ſumpto aliquoties de die apozemate pectorali, intra tres ſeptimanas priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt, & brevi poſt tempore in Angliam profectus eſt cum Principe Auriaco, Heroë illo incomparabili, nunc Rege Angliæ, in cujus iter ſequentes verſiculos tum temporis meditatus eram.

Julius ingreſſus Caſar mare venit ad Anglos,
Perdomuitque feras gentes victricibus armis.
Secula poſt aliquot Pater Auguſtinus eodem
Navigat, ignaris Chriſti pia ſacra repandens,
Sed nunc Auriacus Princeps & Cæſare major,
Nec minor alterius ductâ pietate Britannos
Per freta terribileis fluctus volventia, ventis
Concitaque horriſonis adiit cum claſſe, viriſque,
Et multis equitum turmis & tempore brumæ,
Aſſerat ut populum bis ſervum à Rege, Papâque,
In libertatem, captis Deus annuat, oro.

Sed unde ſyncope ægroti noſtri producta fuit? forſan ab ira immoderata & vindictæ cupiditate; nam hæ paſſiones ſanguinem ſolitò magis agitare ſolent, atque ita hoc aut illud fermentum acidum in latibulo quodam partis ſolidæ quieſcens eluere poſſunt, quod permiſtum cum maſſa ſanguinea eandem coagulat ita, ut circulum ſuum perficere vix queat, & tunc præ foribus eſt ſyncope. *Idem ibidem.*

De vulnere vaſculi lymphatici.

Juvenis viginti quatuor annorum ſiniſtri pedis malleolo externo inflixit vulnuſculum valde parvum, ex quo nihilominus quotidie ingens aquæ limpidæ copia ſine dolore profluebat, unde conjecturam feci illic vaſculum aliquod lymphaticum ſauciatum eſſe, quare ægroto prædixi hanc plagam, licet exiguam, tardioris tamen eſſe medelæ.

Primo igitur ſpecillo vaſculum vulneratum aliquouſque molliter retrorſum protrudere conatus ſum, ut plicæ hoc pacto in vaſe lymphatico formatæ ſibi invicem per fibrillas quaſdam jungerentur atque ita vaſculum hoc occluderent, qua de re vide Dominum à Solingen manualium operationum parte quarta, capite ultimo, & penultimo.

Deinde inſperſi pulverem vitrioli cyprini & croci martis aſtringentis alternatim, & imponebam emplaſtrum diapompholigos ſtrictamque ligaturam, atque ita tribus ſeptimanis ſanatus eſt patiens. *Idem ibidem.*

De

De vulnere oculi miſerando cum contuſione.

Adoleſcenti ſedecim annorum jactus vehemens baculi valde acuti ex alterius manu forte provolantis oculum ſiniſtrum mirum in modum ſauciavit & contudit.

Chirurgus ſatis peritus huic ægroto diligenter aliquandiu opem tulit; decimo quarto læſionis die accerſitus inveni oculum in ingentem tumorem ſublatum magna inflammatione laborantem, ac atroci dolore patiente n crudeliter excruciantem; humores oculi confuſi videbantur, ac extra palpebram inferiorem protuberabat excreſcentia rubra carnea per totam oculi longitudinem extenſa.

Aderat ad hæc febricula, pervigilium, dolor capitis, appetitus dejectus ac alvus aſtricta.

Humorum oculi confuſionem conſpiciens prædicebam iſtius omnimodam cæcitatem; membranæ nimirum humores oculi læſi diſtinguentes à ſe invicem vehementer fuerant contuſi, unde ſuppuratione factâ tandem dilacerebantur ita, ut humores confluerent in unum locum.

Baculum projectum ita contudit ac læſit oculum, ut multæ fibrillæ diſrumperentur, ac plures valde diſtorquerentur, unde humores ſtagnabant ac aceſcebant, tumoremque inflammationem ac dolorem producebant; præterea ſanguis in arteriolis per album oculi diſperſis ſubſiſtens à ſubſequente ſanguine ex corde magno impetu propulſo urgebatur per poros arteriolarum valde diſtentarum exire, atque ita multæ particulæ è ſanguine provolutæ ſibi invicem ob ſuperficierum ſimilitudinem adhærebant, atque hanc excreſcentiam rubicundam formabant.

Quo pacto jam ex magna oculi inflammatione febricula, ex febricula pervigilium, ex pervigilio dolor capitis, appetitus dejectus, alvuſque aſtricta prodierit, haud opus eſt ut oſtendam, quandoquidem hæc ex præcedentibus decadibus facillime deducuntur.

Quia ex oculo vulnerato, ſicut ex radice, cætera ſymptomata tanquam ramuli propullulabant, oculi læſi medelæ inprimis incumbere placuit.

Sequens igitur collyrium:

℞. Aq: fœniculi ℥iii. Mell. roſat. ℥ß. Trochiſc. alb. Rhaſ. ʒii. Tutiæ pp. ʒß M.S.

Bis de die in oculum tepide inſtillavimus ad acidum humorum ſtagnantium temperandum, dolorem mitigandum ac vulnus detergendum; acria verò addere noluimus, quamvis adeſſet excreſcentia ſatis magna, quoniam oculus hæc non fert ob ſenſum exquiſitum & valde delicatum.

Noveramus etiam experientiâ, tales excreſcentias ſublata inflammatione ſine ulla medicamentorum acrium applicatione evaneſcere.

Superpoſuimus præterea ſequens cataplaſma ad dolorem leniendum ac circulationem ſanguinis & humorum ſubſiſtentium promovendam.

℞. Herb. biſmalvæ. hyſſopi. euphragiæ. argentinæ an. Mii. Sem. fœni græci. lini an. ℥i. Cap. papav. num. ii. Coque ſecundùm artem in vino ac fiat cataplaſma bis de die calide applicandum.

Hoc pacto abſceſſus intra oculum ex ſtagnantibus & aceſcentibus humoribus productus duobus in locis rumpebatur, unde dolor ſedabatur, tumor ſubſidebat, ac excreſcentia carnea incipiebat decreſcere.

Interea temporis internis medicamentis medelam accelerare conati ſumus hoc modo; dum ſummus dolor aderat, ægrotulus ſingulis noctibus devorabat pilulam ex granis duobus laudani opiati confectam, unde placide dormiebat ac egregie ſudabat.

Adhæc alternis diebus aſſumebat aliquid ſequentis conditi ad alvum laxandam.

℞. Conſerv. roſar. ℥i. Scammonei. Reſinæ jalappæ an. ℈i. Pulv. millepedum ʒß. Mercur. dulc. ℈i. M. F. Conditum.

Millepedes addidi; quia in pleriſque affectibus oculorum proſunt. Iam dudum affirmavere Medici, millepedibus ineſſe peculiarem vim ad affectus oculorum perſanandos, ſed iſta peculiaris vis mihi conſiſtere videtur in magna copia ſalis volatilis, quâ millepedes abundant, & quæ acidum peccans ſtagnantium humorum temperat.

Hoc pacto æger poſt trimeſtre ſpatium tandem convaluit, & dolor, tumor, excreſcentia, cæteraque ſymptomata abiere, ſed humoribus per abſceſſum apertum elapſis oculus intra orbitam ſuam valde ſubſidit, viſu penitus amiſſo.

Ante aliquot annos juveni cuidam portio quædam calcis cum aqua & arena permiſtæ, qua in ædificiis extruendis ad conglutinandos lateres utuntur, infortunio quodam ab altero in oculum injecta eſt, unde ſimilis excreſcentia carnea, aliaque ſymptomata prodierunt, idemque æger viſum miſerè amiſit. *Idem ibidem.*

De exiguo cruris vulnere & tamen Lethali.

Juvenis viginti circiter annorum ab Amaſia ſua forte vulneratus eſt paulo ſupra malleolum internum dextri cruris chartâ contortâ, qua pulvis pyrius comprimi ſolet, per ſclopetum emiſſâ.

Vulnus erat tantùm in ſuperficie nec ſuperabat magnitudinem ſtypheri, illudque ad mortem uſque apparebat rubicundum, & pus bene coctum inde profluebat; non aderat ulla inflammatio, putredo vel gangræna, dolor erat exiguus, tumor nullus.

Patiens interea temporis bene dormiebat, edebat ac cætera vitæ munia obibat. Manducaverat etiam muſculos cum pipere & aceto, ac in aperto aëre verſatus erat; parum aut nihil febricitabat.

Circa octavum nonumve diem ægrotus noſter levem convulſionem ſenſit circa vulnus ſurſum ſenſim aſcendentem, ſicut ego, qui vulnus non niſi poſt mortem patientis conſpexi, ex aſtantibus percepi. Paulo poſt aderat ſpaſmus muſculorum temporalium, qui ægrum poſt aliquot dierum intervallum vitam cum morte commutare coëgit.

Sed unde ſpaſmus hic? fortaſſe nervulus leviter læſus eſt in vulnere, qui à pure acriori irritatus levem illam convulſionem excitavit, quæ ſurſum aſcendebat; tandemque ob connexionem nervorum agitatæ ſunt etiam fibrillæ

muſculi temporalis, atque ita fermentum quoddam corroſivum, quod antea ibi aliquandiu immotum delituerat, commovere cæperunt, unde major vellicatio fibrillarum, affluxus ſolito copioſior ſucci nervei, tandemque ſpaſmus muſculorum temporalium.

Sed quidnam in cauſa eſt, quod ſpaſmus hic muſculorum temporalium ægros fere ſemper è medio tollat? muſculi nimirum temporales contecti ſunt pericranio, quod in ſpaſmo horum muſculorum valde diſtenditur, atque ita ſummum cruciatum inducit, qui augetur à nervis ſatis magnis atrociter vellicatis.

Præterea circulatio ſanguinis in vaſis magnis illic contentis à diſtenſione immodica horum muſculorum fere in totum ſufflaminatur, deinde medicamentorum & alimentorum aſſumtio prohibetur, tandemque reſpiratio, quâ nemo diu carere poteſt, valde impeditur, dum aër non niſi per nares propelli poteſt, atque hæc, ſi non ſingula, viribus tamen unitis agentia ſufficiunt inferendæ neci.

Quidam exiſtimabant muſculos comeſos cum pipere & aceto mortem huic ægro intuliſſe, ſed non video, quo pacto cibus hic tam lethifer eſſe potuerit.

Foreſtus libro ſexto obſervationum Chirurgicarum, obſervatione quinquageſima caſum haud abſimilem deſcribit, quem hic annectere placet.

Quidam pedes lavans, cultello ſcriptorio, cùm callum ſub planta pedis abradere ſtuderet & exſcindere, ſe ipſum vulneravit, vulnere quidem non magno, ſed cùm ei ſtatim ſubſequeretur ſpaſmus, antequam remedia idonea adhiberentur, extinctus eſt. *Idem ibidem.*

Capitis Vulnus ingens.

Muſculorum dorſi ex globulo ſclopeti ictus lethalis.

Memoratu digna eſt hiſtoria, quam Excellentiſſ. Baumgarterus Archiater & Senator Sangallenſis, gloriâ meritiſque inclytus, IX. Cal. Jun. 1676. nobis impertiit. Ante aliquot (inquit) menſes, in viciniâ noſtrâ, quidam ex illo hominum genere, quorum civilitatem expertus Ampliſſimus veſter Conſul, à conterraneo temulento, ancipiti gladio pluribus in locis vulneratus, brachium amputatum, aliquot in capite vulnera inflicta: cùm ſpes ſalutis affulgere jam videretur, vigeſimâ tamen die obiit: pridie ejus diei ego vocatus, vulnera ſatis bene ſe purgantia inveni, brachii truncus pus reddebat optimum, in ſiniſtro tempore ingens erat vulnus; temporalis muſculus diſſectus: oſſis tanta rima, ut trypano non opus fuerit, videbatur cerebri ſive meningis motus: Vulnus minimè aridum, ut in mox morituris eſſe ſolet: convulſio aderat oppoſitæ partis, quæ hîc nunquam abeſt, diſſecto enim muſculo temporalium, congener ſolus trahit ad ſe maxillam inferiorem; convulſiones tamen horrendæ in ejuſdem lateris artubus erant, in quarum cauſam, cùm omnia circa vulnera bene habere viderentur, tunc penetrare non potui. Poſt obitum caput aperiendi mihi copiâ factâ, meninx minimè erat læſa, nec corrupta, nec inflammatione correpta, nihil puris ſub cranio, cerebrum adeò elegans, ut ejus Anatomiam in gratiam adſtantium Medicorum & Chirurgorum exactè facere potuerim, in baſi tantùm ἀπήχημα vaſis inveni, nempe ſanguinis aliquot grumos à venulâ ruptâ & multum ibi flavi ichoris, ut & circa principium ſpinalis medullæ, uſque ad quintam colli vertebram.

Anno 1678. die 10. Julii accerſiit nos Chirurgus quidam noſtras, ut conſilium & auxilium ferremus Commiſſario cuidam Gallo robuſto & carnoſo, qui ponè nares ſclopeti globulo ſuperiora verſus ictus fuerat; foramen erat parvulum, ſed profundum, quod etiam ſtyli longioris apicem eluſit. Imperatâ diætâ, cui pro genio, exactiſſimè intentus fuit, primis diebus turundâ, nunc ex linteo, nunc rad. gentianæ confiatâ, intra ipſos dorſi muſculos inferiùs immiſſa, vulnus dilatare, materiæque deliteſcenti patentiorem viam ſtruere ſtuduimus; aſt incaſſum, materia inter interſtitia partium & loci profunditatem firmius impactâ: Inciſione ulteriore, rem aggredi periculoſum videbatur, ob tendinium eo loci copiam, tandem verò urgente ægroto; alea jacta fuit circumſpectè, & lancettâ ſinus ille apertus, unde pus copioſum profluxit: quinque circiter vel ſex diebus poſt, dum detergentibus & vulnerariis Chirurgus ſtrenue deludat, atque ægroti res in melius vergere videbantur, ſtranguriâ corripitur, cui denuò vocati medicamentis convenientibus vulnerariis ac antepilepticis occurrimus, veriti ſtatim ne quid ſpaſmodici superveniat: Poſtero die ſub veſperam deglutire cupiens non poteſt: loquelâ viciſſim impeditâ; inde malo progrediente artus paulatim convelluntur, tandemque per intervalla totum corpus obrigeſcit; uſque dum viribus attritis (ſiquidem miſer nec liquida ferè nec ſolida aſſumere potuerit amplius) vigeſimo die fatis ceſſit.

Scholium.) Veriſſimum eſſe quod Hippocrates Sect. 5. aphoriſm. 2. effatur: ἐπὶ τραύματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος θανάσιμον, præſentibus etiam hiſtoriis evincitur, in quarum utraque mirari ſubit nervorum tendinumque, qui horum quaſi compigmentum ſunt, mutuam conſpirationem, equidem de muſculis temporalibus conſtat, ipſa tamen ratio contrariæ actionis in hoc potiſſimùm conſiſtere videtur, quod ob fibrarum parili officio deſtinatarum ex unâ parte læſionem graviorem, indeque in actione ſubſequentem quietem, quæ ſunt ex parte oppoſitâ, ſeſe vehementius ſtringere videantur: nec verò hic ſubſiſtit ſpaſmodicus motus, quin continuatâ fibrarum nervearum tendinoſarumque vehementi contractione, partes aliæ ſenſim prehenduntur, cujus quidem cauſa ibi ſanguinis grumuli potuerunt eſſe, cum ichoris flavi idoneâ quantitate fibræductus nerveos circa baſin tandem laceſſentes, heic verò haud dubiè membranarum tendinumque ductus nervei inciſi, ſuum fortè calculum adjiciente inſuper puris acrioris in profundo ſtagnantis copiâ, & ſi ulteriùs pergere liceat, veriſimile fit, quemadmodum ex levi puncturâ fibræ nerveæ cujuſcunque animalculi, fortem corrugationem ſubvenire animadvertimus, in ejuſcemodi partium læſione, ſive jam

jam cæſim ſive punctim illa fiat, fibrillas muſculares violenter adeò contorqueri, ut non rarò obrigeſcant, ſimilique motu continuato, totum corpus in damnum conjiciant, quibus ſuſtentandis haud parum conducit, concitata ſpiritus animalis ὁρμὴ, quam hinc ſubſiſtentem, virium attritio, tandemque mors neceſſariò ſubſequitur. Cerebri motus olim pluribus ſuſpectus fuit, ideò enim cranio membraniſque obvallatum credebatur, ut in quiete ſuo munere fungeretur, at pauciores ſunt hodie, qui ipſum inficiantur: Dolor pulſitans qui atrocis ſæpe cephalalgiæ comes eſt, arteriis equidem adſcribitur, talis verò exiſteret nunquam, niſi ſuccuſſis membranarum fibrillis, id ſpirituum ope ſubſequeretur, quod menti ejuſmodi dolorem concipiendi anſam ſuppeditat, perſuaſumque habemus, fibrillarum harum conſtrictionem quæ in doloribus capitis variis, aliiſque affectibus ceu gravedine, evidens eſt, non rarò magis ſpaſmodicam fieri poſſe, ut hinc cerebrum membranarum iſtarum & piæ præciſè ratione, motum obſcuriorem ineat, unde prorſus excuſari non poſſe arbitramur, qui eodem motui nimium ſuperſtruunt, dum ſomni & vigiliarum cauſas alii, alii ſpiritûs animalis commodiorem generationem inſuper inde deducunt: Clariſſ. Majovius lib. de ſpiritu Nitro-aëreo: Ad ſpiritus, inquit, nitro-aëreos in cerebrum copiâ ſatis amplâ deducendos, ſanguinis arterioſi affluxus per ſe ipſe ſufficere non videtur, quapropter probabile arbitror, Meningem craſſiorem cerebro circumdatam, pulſationem quandam obire, à quâ ſe contrahente, ſanguis ad cerebrum appulſus comprimitur, unde fit, quòd particulæ nitro-aëreæ ex maſſa cruoris exprimantur, inque cerebrum impellatur, haud multum abſimili ritu ac particulæ motivæ alteræ muſculorum conſtrictione, in partes motrices coguntur: At præterquam quòd piæ meningis motu, ceu quæ vaſa arterioſa potiſſimùm, horumque propagines ad cerebrum quod undiquaque inveſtit, tranſmittit, iſta expreſſio præcipuè fieri deberet, arteriolarum pulſus, earumque in glandulas corticales inoſculatio, pro cruoris neceſſarii ſuppeditatione ſufficere poſſe videtur, nec parum obſtat tenera corticis ſtructura, cui ejuſmodi compreſſio, motui cordis reſpondens, facilè officeret: quin imo fibrillarum à ſpiritus nitro-aërei copioſâ expanſione, turgeſcentia, quæ iiſdem parciore numero præſentibus aliqualiter deficit, motum iſtum referre potis eſt. *Joh. Jacob. Harderus in Obſervationibus Anatomico-Practicis.*

Pulmonis vulnus ex gladii ictu.

Anno 1681, die 26. Junii, Gallus quidam nomine Landrin, carnoſus & robuſtus, gladiò ictus fuit, pone vertebras thoracis ſub ſcapulâ dextrâ. Chirurgus autem nonniſi ſequenti die accerſitus fuit, unde concidentibus vulneris inflicti labiis, ne gutta quidem ſanguinis effluxerat, thorace interim cum humero & ſcapula ad cubitum uſque intumeſcentibus, & ad attactum mollicellis ac ſpongioſis: dilatato hinc vulneri turundam à Chirurgo indi curavimus, quâ deinceps extractâ, ægro ſuper latus affectum tantiſper reclinato, ultra libram j. ſanguinis fluidi & grumoſi prorupiſſe vidimus: impetu hinc ejus coërcito & turundâ deinceps inditâ, vulnerariis quâ reſolventibus, quâ blandè adſtringentibus & balſamicis certavimus: ſanguinis iſtud ex vulnere profluvium, ultra 14. dies duravit, ita ut ſingulis manè ad 6. 7. & 8. ℥. veſperi verò ad ℥ v. erumperent: neque facilè tulit, ubi ſanguinis fluxum prorſus cohibere nitebamur, enimverò orthopnœâ gravi mox conflictabatur, cruoriſvè impetus tantus quandoque evaſit, ut turundam cum emplaſtro à faſciis cedere coëgerit, eâ ſemel copiâ, ut mane ſeq. linteamina & ſtragula ſubjacentia ſanguinolenta penitus fuerint, ejuſvè veſtigia ſub fornace deprehenſa ſint, injectionibus, quas ex vulnerar. thoracicis Chirurgus paravit, hactenus parum contrà efficientibus: Intermedio autem tempore ſanguis erumpens variè habuit: poſt primum enim profluvium floridus ſanguis erupit, ſpumoſus & cum ſibilo: ſuccedentibus diebus ſeroſior magis & quandoque grumoſus, tandem autem merè aquoſus, grumis in thoracis cavo ſubſiſtentibus, qui dehinc injectionum balſamicarum & putredini reſiſtentium ope, cum fœtore educti ſunt: Febris quoque illis diebus ægrotum prehendit, ita ut cùm viribus polleret adhuc, in lecto ægrè detineretur, iiſdem autem fractis per pluſculos dies deliraret. Ceſſit tamen hæc ipſa medicamentorum uſui, emulſionum maximè & juleporum vulnerariorum, atque injectionum, quibus à ſtagnante corrupto ſanguine thorax mundatus fuit, oſculaque vulnerata tantiſper conſolidari ceperunt: Parato hinc decocto pectorali ex agglutinantibus & balſamicis, de quo manè & veſperi ℥ iv. hauſit, Chirurgus vulneris mundificationi reliquum operæ impendit, pure laudabili ex illo ſtillante, primis quidem diebus ad ℥ vii. & viii. tandem verò nonniſi ad ℥ i. & infra, cannula inde concinnata, quâ commodum, quicquid puris deinceps generaretur, expurgari queat, ægroque imperatâ exactiſſimâ diætâ, pill. ex diaphoret. joviali & extracto veron. commendatæ.

Scholium.) Eleganter Hippocrat. in Coac. prænot. ἀποθνήσκουσι δὲ μάλιστα ἐκ τῶν τρωμάτων, ἢν τις ἐγκέφαλον τρωθῇ, ἢ ῥαχίτην μυελὸν, ἢ ἧπαρ ἢ φρένας, ἢ καρδίην ἢ κύστιν, ἢ φλέβα τῶν παχέων. θνήσκει δὲ κἢν ἐς ἀρτηρίην καὶ πλεύμονα μεγάλαι σφόδρα αἱ πληγαὶ γένωνται, ὥστε τοῦ πλεύμονος πληγέντος, ἔλασσον προσερχόμενον πνεῦμα κατὰ στόμα γίνεσθαι, ἢ τὸ ἐκπίπτον ἐκ τοῦ τρώματος. Sunt certè, ſi quæ aliarum partium, periculoſa maximè pulmonis vulnera, enimverò, præterquam quòd à continuâ aëris expanſione, in continuo motu eſt, unde ſanguinis effluxus in inſpiratione copioſus deprehenditur, medicamenta inſuper ad partem affectam, ſui ſubſtantiâ omnia pariter non accedunt, imò ea textura partis eſt, quæ læſa agglutinari, minùs reſtaurari, rariſſimè ſolet vel poteſt, quin ab extravaſante & prorumpente ſanguine, graviſſima ſymptomata ſuperveniant, virium præprimis prompta jactura, & febris acuta, ubi corrumpi ille & ſuppurari, ſuaque miaſmata communicando maſſam humoralem inficere, & à craſi ſua dejicere, imò vicinarum partium fibrillas irritare inſuper ceperit, ut phthiſin prætereamus, quæ etiam ſuperficiarium vulnus, ubi materia purulenta, minùs probè expurg

purgata, veſiculas pulmonales ulteriùs arroſerit, excipere conſuevit: In Gallo iſthoc ſanguinis effuſio graviſſima fuit, ut dubium fuerit, an pulmones profundiore vulnere affecti non ſint, qualia ſanè incurabilia eſſe, ex allatis Coi verbis concludere poſſemus; quia nihilominus benedicente Deo, ex medicamentorum uſu paulatim convaleſcere cepit, ſuperficiarium illud magis fuiſſe tantiſper credemus, ad ſanguinem ſpumoſum & cum ſibilo erumpentem, minùs attenti, quàm ad venæ ἀζύγυ ramulum, qui unà lædi graviùs potuit; Vulneratorumque vaſculorum oſcula, (quorum cruor, viâ primùm ob concidentia & ſubſidentia vulneris labra præcluſa, inſinuando ſe inter muſculorum interſtitia & ductus, humerum & thoracem ſpongiæ adinſtar tumefieri fecit) conſolidari cepiſſe credemus, nec tantam ejus copiam profundere potuiſſe, accedentibus reliquiis in pus laudabile dehinc converſis, unde cùm febris imminuta tum deliria ſublata fuerunt: Legi meretur de vulnere pectoris cum læſione Pulmonum Hiſtor. ab Excellent. Schultzio An. 3. Ephemerid. German. inſerta, quæ huic noſtræ non abſimilis eſt: enimverò invenit Chirurgus ſiniſtrum pulmonis lobum, profundè ſatis ſauciatum, cumque ægrum jam extra periculum verſari opinabatur, pluſculis diebus pòſt per canaliculum plumbeum, ſamei & ſanguinis cum liquidiore humore miſtæ aliquot libræ effluxerunt, vocatuſque præfatus Vir Clar. Decoct. pectoralibus aliiſvè ut & injectionibus ſanitati ipſum reſtituit: Aliud exemplum videre eſt, Ann. 1. Decur. 2. Ephemerid. Obſervat. 27. à Clariſſ. *Ledelio*, Medico Grünbergenſi communicatum: His fortè rariora, videre eſt apud Clariſſ. Fabric. Hildanum Obſervat. Centur. 2. & 3. à Gregorio Horſtio & Abele Roſcio ipſi perſcripta, de pulmonis vulnerati portione abſciſsâ; cujuſmodi unam etiam apud Schenckium videre eſt, ex *Rolandi* Chirurg. lib. 3. cap. 23. deſumptam: Id hîc adjicere conſultum ducimus, à decoctis traumaticis & pectoralibus, in pectoris diverſis affectibus, egregium fructum hactenus nos percepiſſe, ut non immerito Excellent. *Wedelius*, Amicus & Collega honoratiſſ. culpet *Balduinum Ronſæum* illa citra graviorum rationum momenta rejicientem atque contemnentem, ceu videre eſt lib. 1. ſect. 2. cap. 8. amœnitat. Mater. Med. *Idem ibidem.*

De Vulnere capitis.

Vulneratur in occipite vir aduſti temperamenti; nulla ſupervenerunt, peſſima ſymptomata poſt inflictum vulnus, quod quidem non erat valdè magnum, nec fractura aderat in oſſe. In principio itaque nulla prava habuit accidentia, ſolummodò febris ſupervenit; vulnus interea uſque ad 30. diem morbi benè expurgabat ſaniem, & benè coloratum erat; circa hoc tempus æger emaciari cæpit, pus pejorabat in colore, & ſubſtantia; & creſcente ſenſim macie ac febri: circa 45. diem morbi gravi ſopore, cùm levi mixtura delirii prærenſus uſque ad 50. diem ſoporoſus jacuit, quo mortuus eſt. Aperto cranio Hujus Viri obſervavimus quod univerſa ferè pars alba, ſeu medullaris cerebri erat putrida, marcida, & magnâ puris copiâ circumfuſa; è contra corticalis ſive cinerea cerebri ſubſtantia, integra nec ullo modo putrefacta obſervabatur. Mirum eſt, quod cùm medullaris cerebri pars inventa fuiſſet marcida & putrefacta, æger tamen antecedenter paſſus non fuerit, nec convulſiones, nec deliria, nec magnas febres, ſed tantummodò levem ſoporem prædictum. *Ex communicatione Præclariſſim. Viri D. Georg. Baglivi Archiatri Pontificii, &c.*

De vulnere Perinæi ad labia ſe tartarizante.

Septuagenario cuidam Romæ extractus fuit calculus è veſica per inciſionem perinæi. Et quoniam affectibus calculoſis nimis obnoxius erat æger, obſervavit Chirurgus, quod ad labia vulneris perinæi ingens tartareæ, & calculoſæ materiæ copia ſupercreſcebat, & ut mederetur vulnus, oportebat eam ſpecillo abrodere, tanta erat ſupercreſcentis tartari copia: Ex hoc arguimus ſanguinem hujus ægri fuiſſe ingenter tartareum, & calculoſum. *Ex eodem.*

De vulneribus Capitis.

Vir 40. annorum capite leviter vulneratus, circa 35. morbi diem ferè ſanus erat, cùm ex improviſo 36. morbi die rigore totius corporis maximo prærenſus eſt, convulſionibus, & doloribus abdominis, concuſſionibus totius corporis: pallidus evaſit, pulſus parvi facti ſunt, deliravit: Et inde emaciari incipiens 40. die mortuus.

Aperto cadavere cerebrum leniter ſphacelatum invenimus in loco ubi fuit vulnus externè: Et circa hepar ac meſenterium inflammationem ac purulentiam deprærendimus. Pluries obſervavi, quod elapſis aliquot diebus ab inflicto vulnere in capite, ſuperveniant dolores ventris aut alicujus ex viſceribus, donec creſcente morbo ſuperveniant rigores, febres, & demùm abſceſſus viſceribus, tandem mors. *Ex eodem.*

De fractura cranii, cute illæſa manente.

De caſu ex alto, cum fractura cranii ſine læſione cutis externæ obſervationem me legiſſe recordor apud *Joh. Helvigium obſervat.* 19. cui obſervationi eruditum, atque optimum Additamentum addidit Illuſtriſſimus Vir omni eruditionum genere inſtructus Patronus meus in æternum colendus Dn. Lucas Schrockius nunc Academiæ Leopoldinæ noſtræ digniſſimus Præſes; hîc ego Menſe Februarii hujus Anni 1695. Adoleſcentem vidi ligno in capite percuſſum ſine vulnere, pauca tamen apparente contuſione; qui poſt tres dies à percuſſione in ſævum capitis dolorem, ac febrem incidit; Aperta cute à Chirurgo fractum cranium apparuit, à quâ fractura die ſeptima mortuus eſt; ſimiles autem obſervationes de cranio fracto, cute illæſa manente, mentionem faciunt, præter citat. Helvigium, Foreſtus, Greg. Horſtius, Fabr. Hildanus, Joh. Schenckius, & alii &c. *Ex communicatione Præclariſſ. Viri Dom. Joſephi Lanzoni.*

De Vulnere Sola aqua ſimplici curato.

Aquam ſimplicem ſiſtere ſanguinem colligitur ex libro Domini Joſephi Cignoci Chirurgi Celeberrimi Florentini Domini mei ſemper colendi comment. ad lib. Hippocrat. de Ulceribus pag. mihi 21. ex obſerv. 136. Miſcel. A.N.C. Decur. 2. Ann. 10. ex Joſeph. Zambeccaro in experiment. ex Dn. Caſpar. Bartholino Th. Fil. in exercitat. Miſcell. & ex Diariis eruditor. Romæ Ann. 1670. Verùm non ſolum cruorem ſiſtere, ſed etiam vulnera ſanare poſſe aquam ſimplicem docet Philip. Palatius Med. Doct. in libro ſuo de Vera Methodo quibuſcunque vulneribus medendi cum aqua ſimplici; quod quidem nuper in quodam milite expertum fæliciter vidi; vulneratus enim hic miles fuit in brachio ſiniſtro, & ſolâ aquâ apoſitâ bis in die ſanatus ſine alio remedio eſt; diligenter enim vulnere deterſo linteolum aquâ madefactum apponebat, inde faſciâ ligabat; & hac arte curatio vulneris facta fuit, hinc de Famula mea, recordor in dextra manu vulnerata quæ vulnus ſuum brevi curavit aquam ſimplicem adhibendo; *Ex eôdem.*

De Vulnere in thorace, pure per urinam emiſſo, curato.

Dominus N. N. Annorum ætatis. 44. boni corporis habitûs vulneratus eſt in ſingulari certamine in parte ſiniſtra thoracis inter quartam, ac quintam coſtam; Vulnere judicato penetrante, ac lethali, ob maximam ſanguinis effuſionem, tuſſim moleſtam, ac febres maximas ſupervenientes, Chirurgus bis in die vulnus detergebat, ac ipſi medebatur ordinaria lege artis Pæoniæ, hinc undecima die non exiguam ſanguinis corrupti copiam cum urina excrevit, & itâ pariter quotidie uſque ad 19. diem, minuendo ſemper tamen de die in diem materiam purulentam; febres ceſſavere, tuſſis, & reliqua ſymptomata: ſicque æger ſpatio. 27. dierum perfectè ſanus evaſit; hinc de Alio milite recordor in Pectore vulnerato ab alio milite, qui puris materiam per urinæ vias tranſmiſit, & brevi convaluit; pariterque Pleuritide affectum vidi, ſanguinem, ac pus cum urinario ſero ſecernentem intrà 14. dies ſanum, ex quô patet vias aliquas eſſe, nobis adhuc ignotas, per quas Natura modò lapillos, modò pus, modò ſanguinem ad veſicam, à pectore, à Ventriculo, & aliis Viſceribus, demittat; quas vias incognitas nobis, futura ætas videbit, ac fortunati nepotes aperient; multa enim, ut cum *Seneca* loquar, adhuc in humano corpore reſtant detegenda, ſemperque reſtabunt; de hac autem relatis. *Ex eôdem.*

Epilepſia capitis vulnere curata.

De Phalereo deplorato ob vomicæ morbum narrat *Plinius lib. 7. cap. 50.* & poſt eum *Nicol. Cauſſinus in Polyhiſtor. Symbolic. lib. 3.* qui cùm mortem in acie quæreret ab inimicis, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoſte; Sic enim ab inimicis ſæpè quam non ſperamus utilitatem capimus, undè egregiè *Caſſiodorus lib. 4. Variar. num. 47.* ait, homines lædere cupientes, beneficia frequenter impertire; Hinc juvenem noſco comitiali morbo laborantem, ad cujus curationem multa fuere, ſed fruſtrà tentata remedia, qui à milite fuit vulneratus in capite, cum cranii fractura inſigni, adeò ut proximus fuerit Morti; Aſt diligentis Chirurgi ope Divina favente Clementia poſt duos menſes ſanus evaſit, & quod notabile fuit, nec tempore curationis vulneris, nec poſt curationem unquam neque minimam epilepſiam paſſus eſt, nunc ſanus etiam vivit; Circa hanc rem quoque, me legiſſe recordor apud *Thom. Burnetum in Theſaur. medic. Practic. lib. 5.* de quodam nobili, qui poſt gravem de ſcalis lapſum, ob quem neceſſe fuit terebram cranio admovere, à comitiali morbo ſanus evaſit, ac nunquam ex eo malum percepit; & de Puella refert *Laz. Riverius*, quæ mediante pleuritide ab epilepſia liberata fuit. *Ex eôdem.*

Ventriculus utrinque confoſſus.

Hîc Academia tota, totaque civitas juvenem vidit benè paſtum, enſeque trajectum ad coſtar. cartil. 3. digitis infra xiphoïdem; pollicibus autem Octo intra reg. Epigaſtricam, ab hypochond. dextro in oppoſitum, quod gladii mucro egreſſus eſt.

Mox alimenta iterato vomitu rejecta ſunt cruore multo perfuſa; imò vomitione tertia atque quarta purus putus ſanguis affatim eructatus eſt, ad lypothym. uſque; & ſedes ipſæ ſanguineis grumis horrorem adſtantibus incuſſerunt.

Potionibus cardiacis atque vulnerariis æger refectus eſt, ſanguiſque repreſſus. Enematis deinceps è tereb. & ol. hyper. alvus eſt proluta, frequenter; V. Sectiones manu parca intercalando; diætâ verò ſeverè injunctâ è ſolis ovor. vitell. ſorbilib. aliàs cum Balſ. Peruv. aliàs autem cum balſ. ſulph. tereb. ac uſu ptiſ. è rad. ſymphyt. maj. & fl. hyper. & quidem frequent. ſed ſorbillando, ne ventriculus expanderetur cruentè, ſed contractus maneret ad vulneris contiguas oras ſenſim agglutinandas, citra chyli recrementum irritans, ſed è diverſo vulnerum à d. & à S. ventriculi labia vitellis ovor. balſamicis delibata conglutinarentur, ut id ipſum intra tres hebdomadas votis noſtris aſpirante Numine ſupremo, feliciter obtigit, juvene læto & vegeto patrios repetente Lares. *E Collegiis Viri Præclariſſ. Dom. Carol. Drelincurtii communicante Excellentiſſ. D. Guyot.*

Vulnus pectoris itidem utrinque.

Famulus mihi fuit æt. 24. a. gladio triangulari transfoſſus à papilla dextra in ſiniſtram citrà vel hæmorrhag. vel febr. vel dyſpnœam inſignes. Conjeci pulmonum alas non eſſe niſi ad limbos unà cum Mediaſtino pertuſos: imò enſis apicem & angulos vaſa vel pulm. vel Mediaſt. ſanguinea non ità luculenter attigiſſe ac intercoſtalia.

Exitus menti meæ reſpondit, nam diætâ tenuiſſimâ, vulnerariis aliquot juſculis, ptiſ. miſturis, Enematis & V. S. priſtinæ ſanitati ita reſtitutus eſt ut uxorem duxerit, cujus primogenit. ſacro de fonte ſuſcepi. *Ex eôdem.*

Os capitis denudatum, ab aëre licet nigreſcens, tamen abſque viſibili lamellarum ſeparatione reſtitutum.

Oſſa capitis denudata & ab aëre denigrata non ſemper ſenſibiliter ſeparantur, aut lamellam oſſeam expellunt, ut autumant authores. Vir quidam ab equo in capite percuſſus, in terram tanquam mortuus cecidit: cum tanta alterius oſſis ſyncipitis denudatione, ut imperialis tegendo vix ſufficeret. Hæc oſſis denudatio in totum nigricabat, circulo excepto, qui cuti proximus ſtraminis latitudinem obſidebat. Hoc circulo albo de die in diem diminuto, patiens convaluit; ſine ulla viſibili oſſis ſeparatione, aut raſpatorii uſu, ſolo linteo carpto, partim ſicco, ut os denudatum tegeretur, partim ad proſpicienda vulneris labia digeſtivo & melle roſaceo illito. *Fredericus Ruyſchius in Obſervat. Anatomico-Chirurgic.*

Ex vulnerato vaſe lymphatico, copioſus lymphæ affluxus peculiari arte inhibitus.

Multos Chirurgiæ tyrones tàm otioſos & circa nugas aſſiduè occupatos eſſe, dolendum eſt. Inter omnes, quæ diſcuntur artes, nulla eſt, quæ Chirurgiam antecellat. Aliorum artificum ſubjectum eſt, ferrum, lignum, lapides, &c. Chirurgorum verò corpus humanum, tàm affabrè à Deo ter opt. max. fabricatum, ut nemo vel ab ulla adhuc parte illud unquam ſatis perſpectum habuerit; eâque de cauſsâ omnes, qui chirurgiæ operam dare decreverunt, perpetuò ſeſe exercere debent, non in fiſtulæ, plectri, aliorumve inſtrumentorum muſicorum luſu, uti inter ipſos nunc conſuetum eſt, ſed in rebus anatomicis: ſic in millenis occaſionibus non ſolùm afflictis ſæpè opem ferrent, verùm etiam ſummos honores ſibi ipſis procurarent. Mirari quoque ſubit, nonnullos tam fatuos reperiri Chirurgos, qui non verentur profiteri, ſufficere Chirurgo rudem corporis humani ſcientiam, curioſiora Medicis relinquenda. Ex horum rudiori cohorte nuper quidam bubonem venereum aperuit ante perfectam maturitatem, (qua in re culpandus non erat, ſic enim & nos facere ſolemus) ſimul autem importunâ dextrâ ſuá vas lymphaticum diſſecuit. Mirum dictu, quantum lymphæ ſingulis diebus è vulnere effluxerit! omnia linteamina continuè madefiebant. Tandem conſilii expers à me idem exquiſivit, neſciens unde tantum liquoris quotidie promanaret. Hic conſtabat neceſſarium eſſe Chirurgo corpus humanum omni curioſitate rimari, nec rudem ejus ſcientiam ei ſufficere, judicavi igitur ſplenia ex linteis complicatis eſſe applicanda, eademque arctè fibulâ (belgicè *een Geſpe*) comprimenda, ſperans fore, ut vaſa lymphatica perque lympha ab artubus inferioribus redux continuè ſurſum fluit, ita comprimerentur, ſicque lymphæ motus inhiberetur; quod tam ex voto ſucceſſit, ut ſequenti die æger ab hoc malo fuerit liberatus: interim Chirurgus buboni proſpicere poterat, ſine ullo obſtaculo aut relaxatione fibulæ, donec nulla amplius novi fluxus ſupereſſet formido. *Idem ibidem.*

Vulnus Thoracis penetrans, cum egreſsâ pulmonis portiunculâ, ſanatum.

Non ſolùm hepar, verùm etiam pulmo magnos quandoque perferre poteſt affectus, ſine vitæ diſpendio, modò ex arte tractentur. Famulus cujuſdam nautæ ſauciatus parte inferiore & anteriore Thoracis, ad ejus uſque cavum, Chirurgum vocari juſſit, qui viſâ particulâ pulmonis è vulnere expulsâ (quam pro omenti parte habuit) ilicò vinculo fortiter totum, quod erat expulſum, ligavit, & me ſtatim in conſilium vocavit: Quum verò à me audiviſſet, vulnus eſſe inflictum non in abdominis ſed pectoris cavitatem, & eam, quæ eminebat & ab illo ligata erat, particulam, pulmonis eſſe portionem, obſtupuit. Rebus ita conſtitutis, ſuaſi vulnus ita eſſe relinquendum, & digeſtivo emplaſtroque deffenſivo ſingulis diebus ſemel ei eſſe proſpiciendum, donec particula pulmonis ligata eſſet emortua, & ſua ſponte decideret, ea ſpe ſuffultus, ut, qui ſub vinculo erat pulmo in ipſo vulnere conſolidaretur: quod tam benè ſucceſſit, ut brevi poſt convaluerit æger. *Idem ibidem.*

Vulnus Orbitæ oculi lethale.

Vir quidam ante aliquot annos baculi extremo, non admodum acuto, vulnerabatur in oculi ſiniſtri orbitâ, quæ ſolutio; quantumvis illis qui curationi præerant videretur exigui momenti, tamen brevi poſt acceptum vulnus, obiit patiens. Nobiliſſimi Prætor & Scabini hujus urbis mihi & Chirurgis ordinariis injunxere, cadaveris apertionem mortis ſubitaneæ cauſam inveſtigandi ergo. Extrinſecè exiguam ecchymoſin in oculi parte ſuperiore invenimus, aſt verò ſuperiore cranii parte ſerrâ ademptâ, anguem in herba latere experti ſumus, vulnus enim cerebrum ipſum ſat profundè penetraverat; quod facillime evenire poteſt eo loci, propter ſuperioris partis orbitæ tenuitatem, in multis enim chartam ſcriptoriam os ibi haud ſuperat, & præterea tam molle exiſtit, ut in multis ſolo digito perforaverim. Itaque vulnera orbitis oculorum inflicta non flocci facienda, præſertim ſi inſtrumenta, per quæ inferuntur, non ſint obtuſa, aut vulnerati fiant ſomnolenti, nauſeabundi, febricitantes, vertiginoſi, convulſi. *Idem ibidem.*

De vulnere horrendo brevi ac feliciter curato.

Mulier annor. circiter 25. ſtaturæ mediocris, toroſa ac obeſa, ſanguineæ conſtitutionis, indolis ad levitatem tam animi quàm corporis propenſæ, nutrix poſtremæ, anno fortaſſis ante parentum obitum natæ filiæ cujuſdam non infimæ ſortis viduæ, 18. Novembris anni præteriti 1691. tempore veſpertino, nubilo & obſcuro, oleum pro lampade allatum ad inſtitorem vicinum miſſa, pro more ſuo fugaci illuc avolat potiùs quàm currit, dumque re expeditâ citato curſu revolat, poſti aut palo (quodcunque dixeris ſtatumen illic terræ infixum ad arcendum ab ædium veſtibulo curruum ac equorum acceſſum,

perinde eſt) alto ulnam Berolinenſem cum additamento duorum pollicum, craſſa quartum ulnæ cum dimidiâ partem, dum eundem, qui vitandum noverat non ſatis providè circumſpicit, pedem primum allidit, mox toto corpore prona ruens hypogaſtrium aut inguem potius allidit tanto tamque atroci impetu, ut illi ferendo impar, fiſſa cute, eâque unà cum pinguedine quæ illi iſtic copioſa, muſculis ac peritonæo perforatis, palus ipſum abdomen ſimul cum induſio, forte & tunicæ illâ parte, quæ has veſtierat ſubintrat, ad vulnus ſpithamæ longitudinem excedens, tranſverſim à ſiniſtro ad dextrum uſque inguen abſque inſigni, quod mirum, dolore ac hæmorrhagiâ infligit. Illa corpore tandem reliquo ſive pondere ejus, ſive inteſtinorum & interiorum tunicarum lubricitate promovente in alterutrum latus devoluto in terram ſemianimis cadit, recollecto tamen mox ſpiritu, læſum dextrâ (ſiniſtrâ adhuc oleum ſervante) dum pertentat abdomen, quid rei geſtum exploratura, digitos inter indusii in vulnere adhuc hærentis plicaturas ipſum uſque in vulnus adeoque abdominis cavum inſerit, exterrita immenſum, induſium è vulnere cùm parte adipis plicas inter hærente ac poſterâ demum die ex iis exempta, extrahit, manuque dum ægrè à terra ſurgit, hiatum, ne inteſtina, cum omento prolaberentur coarctans, domum quæ aliquot tantùm paſſibus diſſita inde, tardigrada nunc revertitur. Vocatus Chirurgus explorato priùs, quantum licebat, vulneris interno ac partium illic ſitatum, omenti nimirum & inteſtinorum ſtatu, cùm illis noxæ peculiaris illatum nil adverteret, vulnus quinque connectit fibulis ac de cætero pulvillis ac emplaſtris debitè obligat; defertur ad me res, ſed obligato jam, quod malè me habebat, vulnere, ut terrorum incommodis, & ſi quæ præterea à lacte turgente, ob ablactandam protinus alumnulam, aut aliàs à caſu iſto ac vulnere metuenda ſymptomata iis neceſſariis proſpicerem medicamentis. Hunc poſtero demum die cùm ſecunda vice deligaretur ac poſtea pluries oculis uſurpavi. Coaluit tamen, Deo Chirurgi induſtriam ſecundante, atque naturæ benignioris ope validè obſtetricante, duarum fortè aut trium ad ſummum ſeptimanarum ſpatio, in tantum ut obambulare, faſciis tamen adhuc ſubligata alvo, potuerit, nullo ſuccedente, quod curam aut ſpem turbaret, ſiniſtro ſymptomate, niſi quod tertiâ forte nocte, ob ſternutationem fortiorem fibularum duarum nexus lacera cute ſolverentur, partibus tamen ſubjacentibus jam ex parte cohærentibus, ut facilè emplaſtris rurſus contrahi aliquatenus ac contineri potuerint labia vulneris paululum hiantia. Imò tandem plenè de cætero curata priſtina nunc obit, præter lactationem, munia, nec de quo quæratur habet, niſi quod, ut mox ab initio veritus præmonueram, nec tamen cùm primæ deligationi non adfuerim, præcavere potueram, quia peritonæum fibularum nexibus non fuit ſatis exactè implicitum, ideoque ejuſdem plenarius non ſucceſſerit coalitus, herniæ aliqualis ſe quædam jam prodant veſtigia, quorum cauſa ſubligaculo alvum poſthac firmare cogeretur, ſi plurima quæ aliàs metuenda evitare voluerit, incommoda. *Dn. D. Guſtavi Caſimiri Gahrliep Miſcellaneor. Curioſorum Decur. 3. Ann. 1.*

Vulnus in medio Oeſophagi, ſeſqui annum patens.

Biennium ferè eſt, ex quo binorum in Germania militum temeritas linguæ pervenit ad gladios; petiit autem alterius jugulum alter, non plumbeo gladio, ſed ſtricto mucrone manu tam certa, ut ictum hoſtilem adverſarii acciperet Oeſophagus. Vulneratus, nullius experti Chirurgi opem implorat; ſed à medicaſtris decurrit ad veterinarios, inter luſcos oberrans & cœcos, donec vulnus coaleſcere dedignaretur. Hac æſtate Othiniam venit, noſtris adſcriptus militibus, ſed nondum obducta cicatrice; nec poterat conſolidari plaga, licet omnem moveret lapidem ſedulus Chirurgus. Ambo itaque ad me veniunt, audituri quid de hoc decernerem. Ubi totam hanc, ceu geſta erat, recenſuiſſet miles hiſtoriam, immitto in vulnus ſtylum, quem per patentes inter cutim & gulam mæandros liberè huc atque illuc vertere potui, ad tantum ſpatium, quantum Imperialis occupaſſet Thalerus. Ex his cuniculis præmonitus, dixi liberrimè, illum ex vulnere nunquam poſſe convaleſcere, antequam expurgatum fuiſſet iſtud augiæ ſtabulum. Incidimus itaque ſcalprô Chirurgicô vulnus hocce, & unciâ latum, duplo majus reddidimus; mox autem patuit, in fundo, mali fomes, fungus ſcilicet, ex ipſo excreſcens Oeſophago; unde, tanquam è ſpongia, exudabat nocivus latex. Hunc ubi juſtò rigidiùs tractaſſet Chirurgus, vocatis in auxilium, mercurio præcipitato, & unguento Ægyptiaco, ſaucium propè propiùs jugulâſſet: ſuaſi ergo, ut ſolo alumine uſto, Apoſtolorum immixtò unguento, refractarium commitigaret thyrſum; quô evaneſcente auſpicatò, cicatrice perbellè ſolideſcebat diutiſſimè valvatum vulnus. *D. Georgii Hannæi. Ephemerid. Germanic. Decur. 2. Ann. 8.*

De Glande Sclopeto emiſſa pulmonis lobum alterum cum Oeſophago perforante, cui natura felicem medelam paravit.

Juvenis robuſtus 22. annos natus, temperamento calido & humido, cùm in Pedemontio pro Deo ſtrenuè pugnaret, ultimo conflictus die, qui erat 14. 24. Aprilis 1686. à milite Gallo glande in ipſum è ſclopeto emiſsâ à tergo circa 10. & 11. Thoracis vertebram vulneratus, concidit: Vulneri hæmorrhagiâ nullâ ſuperveniente, ſcalpello id fuit ampliatum, at præter expectationem, neque glans, neque ſanguis prodiit, hanc cùm jubente Chirurgo æger tuſſiendo expellere conaretur, nil niſi oryzæ, cujus cochlearia aliquot in prandio aſſumpſerat, grana aliquot expulit, quibus viſis, Chirurgus impoſito vulneri emplaſtro, ægrum velut moribundum reliquit; ac occluſum id fuit atque æger præter omnium expectationem brevi convaluit, tantaſque in carcere, pane licet & aqua nutritus, recuperavit vires, ut menſe Februario 1687. immenſo urgente frigore per altiſſimas nives horridum cum fidelibus aliis in Helvetiam ſuſce-

ſuſceperit & feliciſſimè ſuperaverit iter: Hinc quævis ruſtica munia alacriter obiit, uſque dum ſub finem menſis Septembris vindemiantem & aliquot dierum ſpatio onera ſolito graviora humeris geſtantem, primò ſpirandi difficultas prehenderit, cui brevi febris continua acuta ſupervenit, urgentibus ſiti, oris amarore, deliriis, vigiliis, dolore capitis & pectoris; Septimo demum morbi die, qui erat 1. Octobris, ad ægrum vocatus fuit Clariſſim. D. D. Veſtenius, cujus exteriora frigebant, interiora urebantur, pulſu exiſtente dicroto, oculiſque rubentibus; convenientibus adhibitis remediis, prædicta ſymptomata intra biduum ſaltem non penitùs evanuerant: rectè enim ratiocinabatur æger, interdiu vigilabat, noctu dormiebat, oblata alimenta ſolus abſque ullius adſtantis miniſterio aſſumebat, ſitis mitior erat, dolor capitis atque oculorum rubor evanuerant; ſola pectoris anguſtia in eodem perſiſtebat, dum tandem circa veſperam d. 7. Octobris novus ſubortus rigor cum ſubſequentibus ſymptomatibus quàm antea gravioribus (irritis medicamentis quibuſcunque) vires ſenſim fregerit, ut h. 7. veſpert. d. 10. Octobr. piè in Domino expiraverit. Cadaver intolerabiliter penè fœtens, in dorſo, brachiorum & pedum poſterioribus admodum livebat, anterioribus & latere utroque maculis hinc inde conſitis, omentum intus computruerat, lien tumebat cum duritie & livore, hepar hinc inde livebat, in pulmonis lobo dextro externa & anterior quidem facies, maculis liventibus plurimis erat conſperſa, at interior & poſterior tota livebat: lobus ſiniſter pleuræ, diaphragmati & mediaſtino circumquaque erat adnatus, ut non niſi magna vi avelli potuerit; duorum ſupra hujus apicem digitorum ſpatio in ipſa pulmonis ſubſtantia hærebat glans plumbea pendens ℥ ii ß. quam natura propria tunicâ inveſtierat. Vulnus exteriùs cicatrice, interiùs adnato pulmone erat occluſum, quo avulſo vulneris locum conſpicere facillimum erat: at de vulnere Oeſophagi, veſtigium nuſquam apparebat. *Joh. Jacob. Harder. Ephemerid. Germanicar. Decur. 2. Annô 10.*

Vulnus abdominis ac inteſtinorum ſanatum.

Annô Domini 1691. Juliô menſe, poſt aſpera inter duos ſatellites Regios verba, alter vulnus accepit, in abdomine paulò ſuprà umbilicum in urbe Scotiæ nomine *Dalkeith*, hiemabat tum Satellitum cohors; ubi cùm deficerent Medici Chirurgique, patientem ipſe adii, cumque vulnus exploratoriô inſtrumentô diligentiùs examinâſſem, inteſtinum Colon perforatum comperiebam. Tum de vulneratô conclamatum eſſe pronunciavi, ne tamen omnis inops auxilii lumen clauderet, enema injici curavi, quod ſubitò cum magnâ ſanguinis copiâ rejectum eſt. Die proxime ſubſequenti Domin. de Graves cohortis ſupremus Chirurgus, cum Dominô Baily, Practicô Celeberrimô, ægrum viſitabant, idemque mecum de inteſtini perforatione ſentiebant, ac hominem brèvi moriturum aſſeverabant. Attamen vulnus ordinario Chirurgo vulgari methodo curandum committebatur. Per quinque dies ſanguinem alvô dejiciebat ſatis copioſum, vulnere autem parum. Die ſexta cùm omnis ſupprimeretur hæmorrhagia, immensùm tumebat abdomen, intenſiſſimaque febris ægrum urebat; verùm cùm præmemoratus Dominus de Graves digitum indicem in vulnus indidiſſet, indeque ſeptem ad octo ſanguinis fœtidiſſimi libras exhauſiſſet, omnia remittebant ſymptomata, brevique æger ſanatus eſt. Juvenis ille erat robuſtus, animi intrepidi, diætam ita religioſè obſervans, ut per integrum menſem nihil niſi aliquot juſculi ac vini Canarini cochlearia ſubinde deglutierit; poſteaque dimidium tantùm pullum gallinaceum aſſatum unâ vicecomederit. Vulnus autem cùm jam ad cicatricem perduceretur, Juvenis ante vires ſatis redintegratas, ſibi nimium præfidens, equum conſcendit, parenteſque, quindecim præter propter ab urbe milliaribus degentes, inviſit: In ipſâ viâ, colicâ vehementiſſimâ corripitur, quæ in utriuſque inguinis herniam terminabatur. Utrum hæc hernia ſanguinis putidi reliquiis in abdomine reſtitantibus, ac per ſuccuſſiones inter equitandum commotis, originem ſuam debeat, non ita facile eſt pronunciare: Homo tamen ſubligaculô aptô cinctus commodè ac hilariter vivit. *Ex communicatione amicâ Excellentiſſ. Domini Felice Medicinæ Doctoris, &c.*

VULVAE MORBI.

Vid.

UTERI MORBI.

UVULAE MORBI.

Vid.

GURGULIONIS MORBI.

Finis Tomi Quarti & totius Operis.

Pilule stomachice in phtisi 137
Pilule balsamice in phtisi scorbut 141

Libels [illegible] [illegible] 137
Libels [illegible] [illegible] 141